SC.21.Pl.2.

37
30 F
11

MAG 4393

Digitized by Google

Digitized by Google

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ,
SEU PRÆCIPUARUM DIFFICULTATUM
Circa Theologiam Moralem, ac Disciplinam Ecclesiasticam
DECISIONES:
E sacris Scripturis, Conciliis, SS. Patribus, Pontificum Romanorum Decretalibus, celeberrimis Theologis & Canonistis depromptæ.

AUCTORE
JOANNE PONTAS,
PRESBYTERO, FACULTATIS PARISIENSIS,
Juris Canonici Doctore, atque Ecclesiæ Parisiensis Propœnitentiario.

EDITIO NOVISSIMA,
Ceteris multo emendatior, & quam maxime auctior ac locupletior.

Cui potissimum attexitur,

TAMQUAM TOTIUS OPERIS COMPLEMENTUM,
ALTERUM DICTIONARIUM CASUUM CONSCIENTIÆ,
A DD. DE LAMET ET FROMAGEAU
Sorbonicæ Familiæ & Societatis Doctoribus concinnatum.

ACCESSERUNT

D. EUSEBII AMORT CANONICI REGULARIS LATERANENSIS
MENDA PONTASIANA, sive Observationes quædam in opus Pontasii adornatæ:

NEC NON

FR. DANIELIS CONCINA ORDINIS PRÆDICATORUM
Animadversiones Critico-Morales in præfata MENDA PONTASIANA:
Qui & Præfationem ad Lectorem, & Auctarium duorum Casuum

ADJECIT.

Omnia vero ad planiorem Studiosorum Theologiæ Moralis usum, nunc demum opportuniori consilio in unum congesta, ac suis quibusque locis utiliori methodo inserta.

TOMUS TERTIUS.
P—Z.

VENETIIS, MDCCLXXIII.
APUD ANTONIUM BORTOLI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIÆNTIÆ,
SEU
PRÆCIPUARUM DIFFICULTATUM
CIRCA MORALEM, AC DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM,
DECISIONES,
E Scripturis, Conciliis, Pontificum Decretalibus, Patribus, necnon Celeberrimis Theologis, & Canonum peritis.

PAROCHUS.

VErbum PAROCHUS, licet a verbo CURATUS quoad Etymologiam differat, non differt tamen quoad significationem; per verbum autem Curati quod sumptum est a verbo, *Curare*, intelliguntur Sacerdotes, qui curant animas, & a Christo instituti sunt tanquam septuaginta discipulorum successores, ad spiritualem fidelium sibi subditorum gubernationem, subditi ipsi Episcoporum regimini & auctoritati; & hæc sunt præcipua quæ Parochos spectant.

Omnes Pastores debent esse *lux mundi* per suam doctrinam, & *sal terræ* per sanctitatem morum. Quapropter debent magnam habere animi fortitudinem & constantiam, & magno defendendæ veritatis studio inflammari, quemadmodum docet S. Gregorius Magnus (*a*), cujus Gratianus verba refert in Canone ad marginem citato.

Cum Parochi, & ceteri quibus animarum cura incumbit, aut qui sunt quibusdam addicti ministeriis, quorum partes implere debent, suis non possint obligationibus satisfacere, nisi resideant in locis, in quibus pro ratione officii sui residere debent; in iis necessario residere personaliter tenentur: Sexcentis isthæc veritas probationibus firmari posset; quarum præcipuas ad marginem indicare nobis satis erit (*b*).

Parochus omnis propter eamdem rationem callere debet idioma Parœcianorum, eodemque ipse idiomate loqui, aliter Parœcianis esset omnino inutilis, & collati beneficii invalida forent diplomata, juxta Cancellariæ Romanæ 19. regulam, quæ est Urbani VIII & in Gallia viget.

Parochus stricte tenetur suos Parœcianos concionibus, aut familiaribus, quos in Evangelium habeat, sermonibus & parvulos Catechismis aliisve familiaribus instructionibus instruere, & pro ipsis Missæ Sacrificium offerre; tenetur & ipsis Sacramenta, quibus indigent tum administrare cum tempus exigit, diligenter ægros visitare, consolari, eisque sive pauperes, sive divites sint, sine ulla personarum acceptione, usque dum expirent, præsto esse, Regulas quas Rituale Diœcesanum præscribit, omnes observare, omnibus fundationibus satisfa-

(*a*) S. Greg. in can. *Sit rector.* 1. dist. 43.
(*b*) Alex. III. in cap. *Inhærentes* 5. de Concil. dis[illegible] Lat. 3. in c. *Quia nonnulli* 3. de Clericis non residentibus l. 5. tit. 4. Concil. Later. 4. can. 32. Concil. Trid. sess. 23. c. de Refor. Epist. Lud. XI. an. 1475. Edict. Aurel. art. 5. Edict. Bles. art. 14 Edict. Parlam. Paris. 7. Maji 1659. Diarium audientiarum tom. 2. ca 19. Reg. Concell. Roman. De Idiomate.

tisfacere, eademque omnia præstare, quæ propter assignatos suæ Ecclesiæ reditus præstare debet.

Nullus Sacerdos, nisi sit origine Gallus, Parochus esse potest juxta Edicta (a).

(a) Edict. an. 1554.

Parochi Urbium mœnibus septarum debent esse Graduati juxta declarationem Henrici II. 9. Maji an. 1551.

Parochi in tota sua Parœcia habent jus recipiendi testamenta suorum Parœcianorum, modo testamenta ista nullum legatum, quod in Parochorum privatam utilitatem cedat, contineant, & modo observetur quod Articulus 63. Edicti Blef. præcipit. Debent habere codices seu tabulas publicas in quibus Baptismata, Matrimonia, & funera scribantur.

Parochus non debet esse eodem tempore Officialis, aut Promotor (b).

(b) Edict. an. 1627.

Vicarii qui dicuntur perpetui a Parochis non nisi nomine differunt, & sunt vere Parochi (c).

(c) Concil. Trid. sess. 2. c. 16. de ref.

Parochus jure ipsi concesso (d) cogere potest Parœcianos ad ædificandam ipsi habitationem, & hoc præsertim verum est, si per redituum paucitatem ipsi non liceat quidpiam cum Parœcianis contribuere.

(d) Edict. cit. art. 3.

Parochus non habet jus impediendi quo minus corpus defuncti tumuletur in loco, quem defunctus iste suam ad sepulturam elegit (e).

(e) Arrest. Parlam. Paris. 21. Jul. an. 1688. apud Henris. tom. 1. l. 2. c. 3.

Omni Parocho jus est prædicandi, posthabito prædicatore externo quem Matricularii, seu Æditui quibusdam in civitatibus nominare solent.

Parochi tenentur omnes monitorias, quæ ad ipsos ab Officiali Diœcesano mittuntur, litteras publicare, nec sub ullo prætextu ab istiusmodi publicatione se eximere privata sua auctoritate possunt.

Quando domus aliqua in territorio duarum Parœciarum constructa est, censetur esse ex Parœcia in qua est porta principalis, aut ingressus domus (f).

(f) Arrest. Parlam. Paris. 5. Maji 1.56.

Parochi ordinarie habent jus, ad instar Levitarum, decumam fructuum intra suarum Parœciarum limites nascentium partem colligendi; sed cum sint alii Beneficiarii, qui majores dicuntur Decimatores, sunt etiam Parochi bene multi, quibus portio duntaxat congrua addicta est: quæ portio consistit in 300. libris quæ constitutæ sunt pro iis qui Vicarios non habent, & in 400. libris, quæ, pro iis qui Vicarios habent, fixæ sunt.

Hi Parochi gaudent insuper jure decimam partem fructuum viridium, minutorum, & in novalibus nascentium sumendi, juxta Parlamenti Parisiensis consultum 12. Augusti an. 1682. (g) non obstantibus quibuscumque privilegiis Melitensis, Præmonstratensis, aut aliorum quorumcumque ordinum; & ita alio anteriori ejusdem Parlamenti placito judicatum est 4. Aprilis anno 1663. (h).

(g) Diarium Audient. t. 1.

(h) Ibid. 10. alt. l. 5. c. 20.

Quando duo sunt Parochi quorum alter est primitivus, hic jus habet (si tamen juris illius possessio non interrupta fuerit) quibusdam anni diebus rem divinam peragendi, id est, in quatuor diebus festis anni solemnioribus, & insuper in Patroni festivitate, nec illi Parochus ordinarius quoad jus illud potest obsistere; sed tamen Parochus primitivus, quatenus primitivus, nullum jus habet alias curiales exercendi functiones, quas solus potest exercere Parochus ordinarius, seu quod idem est Vicarius perpetuus (i) cujus consensus ad audiendas Confessiones esset omnino inutilis Parocho primitivo, qui ad excipiendas Confessiones ab Episcopo Diœcesano non fuisset admissus: quemadmodum Episcopi annis 1625. 1635. & 1645. congregati statuerunt: quo quidem statuto prohibetur ne ullus Parochus primitivus aliis curialibus, præter quæ pro diebus supra memoratis excepta sunt, officiis defungatur, nisi prius ipsi ab Episcopo licentia concessa fuerit.

(i) Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. Declar. Lud. XIV. 30. Junii 1690.

CASUS PRIMUS.

RIQUIERIUS S. Papouli Parochus non habens in Cathedra dicendi facultatem, & tenaci memoria carens, quinquies, aut sexies duntaxat unoquoque anno ad Parœcianos pronum, seu familiarem sermonem habet, peccat-ne & quantum est ipsius peccatum?

RESPONS.

Videtur nullum esse dubium quin Parochus iste peccet & quidem lethaliter. Quod hoc modo facile probari potest.

1. Concilium Tridentinum (k) expresse declarat, Pastorem teneri ea omnia quæ ad salutem necessaria sunt, suum populum docere, fracto verbi pane pascere, eique quasnam virtutes prosequi, quæve vitia fugere fideles teneantur, indicare, & ista documenta singulis diebus Dominicis & festis saltem solemnibus accurate danda esse; denique Parochum ad id teneri personaliter, aut si propter aliquod legitimum impedimentum præstare id per se non possit, debere per alium, in quo sit sufficiens scientia, Sacerdotem præstare. Refero verba quibus momentosum Concilii Tridentini Decretum constat: *Plebani & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint*

(k) Concil. Trid. sess. 5. c. 2. de refor.

vint, diebus saltem Dominicis & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ omnibus scire necessarium est ad salutem; annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Et præcipit Sancta Synodus ut Episcopus Parochos censuris Ecclesiasticis ad satisfaciendum isti obligationi compellat, si per tres menses satisfacere neglexerint: quod necessario supponit eos mortaliter peccare, cum non satisfaciunt: Ecclesia enim tantis neminem plectit pœnis propter veniale peccatum: *Itaque, ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur.*

2. Ista, qua tenetur Parochus, Parrecianos instruendi necessitas una est inter præcipuas ratione propter quas idem Concilium declarat (*a*) Parochos jure divino ad residentiam obligari. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere....verbique divini prædicatione pascere... Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores factique forma gregis in judicio & veritate pascant, &c.*

(*a*) Concil. Trid. sess. 23. 1. de refor.

3. Eamdem etiam obligationem Scriptura sacra verbis quæ sunt eo validiora, quo vehementiora, probat. Sic Deus ipse per os unius ex suis Prophetis loquitur (*b*): *Væ Pastoribus Israel qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meam non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod confractum erat non alligastis ... & quod perierat non quæsivistis .... Ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Hæc ultima verba, & hæc prima *væ Pastoribus Israel* quæ tam terribiles minas, maledictionemque divinam continent, terrere debent numerosam multitudinem Pastorum, qui nequidem semelper totum annum oves suas verbi Divini prædicatione pascunt, aut qui, ut Requierius de quo agitur in proposito casu, quinquies aut sexies tantum singulis annis populum sibi commissum instruunt: quasi vero fideles etiam ea quæ ad fidem pertinent apprime scientes, non indigerent frequentibus exhortationibus, quæ ipsos contra mille quibus quotidie impugnantur, aut impugnari possunt tentationes contra relapsus periculum, & contra pravos, quos contraxerunt, habitus sustentarent, firmarent, corroborarent. Silentio prætermittimus varios alios scripturæ textus (*c*) qui ad eamdem probandam veritatem aptissime citari possent.

(*b*) Ezech. 34. v. 2. 3. 4. & 10.

(*c*) Ezech. 33. 6. & seq. Act. 2. 22. 27. & 28. &c.

4. Ipsi Casuistæ quorum Doctrina de moribus non est strictior, fatentur Parochum peccare mortaliter, quando per mensem continuum omittit dare necessaria populo suo documenta; ista enim omissio censetur notabilis, sicut & omissio qua per duos aut tres menses totius anni discontinuos concionari omitteret. *Ego arbitror*, inquit unus ex istis Casuistis (*d*) (Pastorem) *mortaliter peccari si uno continuo mense integro, aut etiam si duobis vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur. Ratio est quia hæc videtur materia gravis non solum secundum se, & sed etiam respective.* Addit idem Author, Parochum, qui per istud notabile tempus, non concionatus est, *toties peccare* (mortaliter) *quoties concionem prætermittit.*

(*d*) Bonac. tr. de leg. disp. 3. q. unic. de observat. Sabbati. puncto. 2. §. 3.

Addamus ad id quod dictum est, Concilium Tridentinum quod, ut supra vidimus, jubet ut Episcopi Censuris Ecclesiasticis Parochos ad instruendos suos Parœcianos compellant, jubere insuper, ut iidem Episcopi portionem ex reditibus curialibus sejungant iis qui Parochorum loco ad docendos Parœcianos fuerint suffecti, tribuendam (*e*). *Ita ut etiam si sic ei expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat* (*f*).

(*e*) Concil. Trid. eis. sess. 5. c. 2. de ref.
(*f*) Gon. for. de sens.

CASUS II.

PAMELIUS Parochus multo se doctiorem Vicarium habet; quapropter omnes fere curiales functiones & præsertim publicas instructiones a se in istum Vicarium inclinat. An ob id peccare censendus est.

RESPONS.

Pastores per se tenentur sua pastoralia munera adimplere, ut his Conc. Trident. verbis colligere est (*g*): *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere ... & in cetera munia Pastoralia incumbere*, &c. Non ergo satis esse debet Parochis corporaliter tantum in suis beneficiis residere, sed peccant, si quamvis corporaliter resideant, suis quantum possunt non fungantur per se officiis pastoralibus; & consequenter in Vicarios onera pastoralia rejicere non possunt, nisi cum aliquo legitimo impedimento præpediti suas curiales functiones non possunt personaliter exercere.

(*g*) Conc. Tr. sess. 23. cap. 1. de reform.

Hanc nostram decisionem probant 1. verba Malachiæ (*h*) dicentis, Sacerdotibus & Pastoribus scientiam creditam esse, ut eam fidelibus communicarent. *Labia Sacerdotis custodient scientiam*, & (populi) *legem requirent ex ore ejus*. 2. Probant & hæc alia Ezechielis verba (*i*): *Nonne greges a Pastoribus pascuntur?* 3. Verba Jeremiæ (*K*): *Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*. 4. Verba ipsius Christi, sic Apostolos suos & in eorum persona omnes Pastores alloquentis: *Vos estis lux mundi*. Ex quo sequitur Parochos cum sint ad illuminandos fideles segregati debere quam sæpissime possunt, animas quarum cura ipsi commissa est, verbi divini prædicatione, & exhortationibus illuminare, &, ut ait Concilium Tridentinum, *Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere*, ac veluti vivificare. Qui plures desiderabunt probationes; consulant scripturæ loca; quæ ad marginem indicamus, ne in re apertissima, nimium immoremur (*l*).

(*h*) Malach. 2. 7.
(*i*) Ezech. 34. 2
(*K*) Jerem. 3. 13.

Unde concludimus, in casu particulari, de quo agitur Pamelium peccare, si nulla legitima ratione excusatus populum suum personaliter non instruit, ceteraque munia pastoralia negligit; nam vel potest per se suis pastoralibus officiis fungi; vel non. Si potest per se fungi, nec tamen fungitur, criminosa est ipsius negligentia; si non potest, tunc beneficium dimittere debet, & pœnitentiam agere, quod officiis beneficio annexis adimplendis omnino impar, beneficum acceptaverit, suasque pastoris partes non adimpleverit.

(*l*) Isai. 58. Ezech. 3. Matth. cap. 4. v. 8. &c. Ultimo Joan. 20 1. Cor. c. 2. Rom. 10. 1. Tim. 3. 2. Tim. 4. 1. Petr. 3. Eph 4. Act. 5. &c.

Sed ut magis ac magis Pamelius convincatur se teneri coram Deo in sua pastoralia munia per se & non per Vicarium licet longe doctiorem incumbere, debet considerare oves, Pastoris sui etiam minus docti libentius quam extranei Sacerdotis vocem audire; modo quoad mores sit irreprehensibilis, sicut esse debet. Ratio est, quia propriis pastoris verba, Deo per specialem benedictionem subveniente, facilius, & efficacius fidelium corda penetrant & ungunt. Et hanc ob rationem Ecclesia semper districte mandavit pastoribus oves suas verbi pane nutrire. Quod Arelatense Concilium sub Leone III. coactum an 713. luculenter probat (*m*), cujus hoc legitur Decretum: *Providimus enim pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis, Presbyteri)* Curati) *ad populum verbum faciant, & bene vivere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant*. Cum Concilio Arelatensi consonat Concilium Lemovicense coactum an. 1031. sub Pontificatu Joannis XVIII. (*n*), quod declarat expresse peccatum esse mortale, tam strictæ obligationi non satis facere. *Omnes Sacerdotes* (inquit) *quibus Parochia commissa est, omnibus Dominicis, & festivis diebus admonere prædicando populum debeat, secundum illud*; Argue obsecra, increpa. (*o*) *Quia Sacerdos si sine prædicationis sonitu incedit, interminatione divina mortis reus est.*

(*m*) Concil. Arelat. 5 can. 10.
(*n*) Conc. Lemovic. 2. sess. 2. ante fin. apud Labbe to. 9 Conc. gener. col. 905.
(*o*) 2. Timot. 4. 2

Ecclesia prædicandi munus tanti esse momenti judicaverat, ut jam longe ante in alio Concilio habito ann. 529. sedente Joanne II. (*p*) jusserit a Parocho qui aliqua detineretur infirmi-

(*p*) Con Vasense. alias Vasionense 3. c. 2.

tate Diaconum ad istud munus esse depotandum, *Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum Homiliæ a Diaconibus recitentur.*

Denique quisque fateri tenebitor functiones pastorales, & aas præcipue quæ ad instructionem, & Sacramentorum administrationem pertinent, esse multo magis fidelibus necessaria ad salutem, quam sont functiones Canonicæ: atqui Concilium Tridentinum (*a*) axpressissimis declarat terminia Canonicos teneri suis functionibus personaliter satissocere, quamvis semipræbendatos, aut Vicarios, aut Cantores mercede conductos habeant. *Omnes vero per se, & non substitutas compellantur obire officia.* Ex quo sequitur Pastores a fortiori sua officia per se obire teneri, nisi eos aliqua legitima excuset ratio *.

(a) Conc. Tr. sess. 24. c. 12. de reform.

CASUS III.

Melatius, Parochus, audiens hostes jamjam esse adventuros, e Parœcia sua fugit. Potestne absque peccato fugere, quando non fugit, nisi ut vitæ suæ consulat?

Raspons.

Certum est, populos tali imminente calamitate solere in Ecclesiam tanquam in sacrum aylum, in quo nihil sibi timendum esse putant, aufugere moltosqua ad Pastorem suum aufugere, ut ibi ab eo Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant, & solatium quo tunc valde indigent, accipiant. Unde concludendum est Parochos in tali casu non posse sine crimine ab ovibus discedere, earumque salutem negligere, etiam sub prætextu vitæ per fugam conservandæ.

Ista veritas probari luculenter potest. 1. his præclaris varbis Nicolai I (*b*) scribentis ad Homfroidum in Germania inferiori Episcopum an. 867. *Scias charissime frater, quod si perniciosum est Proretam in tranquillitate navium deserere, quanto magis in fluctibus;* Ad quod addit Summus Pontifex veros pastores debere eadem, quæ subeunt oves, pericula subire, quamvis quandoque persecutorum, & præsertim Paganorum surorem fugere liceat. *Ubi non dicimus quod persecutorum non fugiamus (maxime paganorum) insidias... sed quod præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus: imo qui & horum pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat.*

(b) Nicolaus I. in can. Scientes. 47. 7. q. 1. ait.

2. Auctoritate Sancti Augustini (*c*) ad Honoratum Episcopum, de persecutione Vandalica scribentis, cui, quid sentiat, dicit his verbis: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quatenus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & sacramentorum confectionem & erogationem: ubi si Magistri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.... quantus denique gemitus omnium & quorumdam quanta blasphemia de absentia Ministeriorum & Ministrorum! Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo fit adquisitio malorum æternorum.* Postea iste pater Honorato ostendit quot & quantas utilitates spirituales pastor, qui durante tam tristi calamitate, populum suum non deserit, ex charitate sua possit percipere.

(c) S. August. Epist. 228. alias 180. n. 2.

Si tamen hostes, de quibus agitur in proposito casu, essent hæretici, qui similes iis quos in hoc regno vidimus sibi laudi ducerent non solum Ecclesias spoliare, sed & pastores interficere, ut facilius veram inverterent Religionem, prudenter agerat Parochus, si in tutum aliquem locum fugeret ex quo per litteras fideles sibi subditos consolati posset; & ex quo sedata persecutionis tempestate posset redire, ut ipsis solatia omnia qoibus indigerent, afferret; prudenter, inquam, ageret, modo tamen aliqnis superstes suisset ministet, qai posset & vellat Ecclesiasticum supplere ministerium.

Sub ista conditione idem Sanctus Augustinus approbat in casu proposito pastoris fugam (*d*): *Hic forte quis dicat, addit, ideo debere Dei Ministros fugere, talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent: recte hoc fit a quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum Ministerium, ne ab omnibus deseratur.* Tandem idem Sanctus Doctor non approbat pastoris fugam etiam in præsenti casu, nisi cum fugere potest absque dato populis, quorum cura ipsi demandata est, offendicalo, sic se gerere debet in casu proposito Meletius.

(d) Idem ibidem n. 10.

CASUS IV.

Tsodulus, Parochus grassante in dies peste, se posse ex Parœcia fugere credidit, & duos Sacerdotes, qui peste afflictis præsto essent, in suum locum suffecit. An potuit in tali rerum statu ad vitandum mortis periculum sine peccato fugere? An ob aandem rationem posset Episcopus, capta fuga, Diœcesim deserera?

Raspons.

Parochus de quo agitur non potait sine peccato fugere; ratio est, quia, quo majoribus in periculis, & angustiis sunt fideles, eo magis Pastor ipsis succurrere debet: atqui quando grassatur pestis, tunc fideles majori indigent pastoris auxilio. Ergo Prælati, Parochi, cæterique pastores non possunt sine crimine oves suas deserere in tantis calamitatibus quas Deus non permittit; nisi ut ipsos davios ad se per viam pœnitentiæ redire feliciter cogat; ita ut cum Sancto Augustino (*e*) ad quemdam Episcopum scribente dici possit pastores qui, relictis ovibus, tunc temporis aufugiunt, veros non esse pastores, sed mercenarios. *Qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem & fugit: quoniam non est ei cura de ovibus.* Quapropter in istis temporum calamitatibua multi Sancti Episcopi se zelo suo & charitate commendaverunt. Sanctus Cyprianus (*f*) & Sanctus Gregorius Thaumaturgus, referente Sancto Gregorio Nisseno, qui Sancti Gregorii Thaumaturgi res præclara gestas scripsit, sunt istius veritatis gravissimi testes. Non minus Christiane sensit Sanctus Gregorius (*g*), ut Epistola scripta ad Dominicum Episcopum Carthaginensem testatur, qua ipsum ad populi sui saluti invigilandum pestis flagello castigati hortatur; cumque ad Pontificatum fuisset evectus, peste Romam depopulante (*h*), indesinenter ipse prædicabat, ad pœnitentiam inducebat; & preces publicæ ipso jubente fundebantur, ut Deus randem placatus, flagella suæ iracundiæ averteret. Tantum absuitut ut Episcopum Narniensem a residentia, Populo Narniensi diris pestilentiæ angustiis gemente, immunem fecerit, econtra ut patet ex Sancti Doctoris scriptis (*i*) ipsum valide hortatus est, ut ex tantis calamitatibus majori cum vigilantia & zelo quam antea paganos & suæ Diœcesis hæreticos ad veram fidem adducendi occasionem arriperet. Theodorus Massiliensis Episcopus in simili calamitate egregiam præ se tulit charitatem, ut testatur Sanctus Gregorius Turonensis (*K*). Adjugendi sunt isti tam commendando Antistiti omnes provinciæ Narbonensis Antistites qui cum ovibus quas pestis affligebat permanere maluerunt, quam ad decimum sextum Concilium nationale Toletanum anno 693. proficisci, ut ejusdem Concilii

(e) S. August. Epist. 2. 8. alias 180. n. 14.

(f) S. Cypr. l. de mortal.

(g) S. Grego. Papa l. 8. Ep. 42.

(h) Joan. Diac. l. 1. c. 39.

(i) S. Grego. Papa. l. 3. Edict. 2.

(K) S. Greg. Turon l. 9. c. 22.

* Tot ac tantis rationum momentis innititur veritas in duabus immediate præcedentibus responsionibus asserta, ut nulla unquam pluribus, aut majoribus firmari possit. Nec minus, imo multo magis Episcoporum quam parochorum orinfitetem damnat. Sed proh dolor. Quam multi hisce nimiam calamitosis temporibus reperiuntur. *Canes muti non valentes latrare*, aut nolentes? Lac & lanam quærunt in ovibus non salutem; ad tonsuris officium convertunt manus Pastorale, *totum quod delectat*, inquit S. Bernardus, *eligunt & amplectuntur, quod molestum est fugiunt, & declinant tanquam sine curis, ut alibi ait S. Doctor; jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenieris:* & dum fame animæ pereunt, Pastores *torpent otio, manant deliciis, copiis affluunt otiosi, bibunt uva sanguinem meracissimum, impinguantur & dilatantur adipe frumenti.* Attamen *Praconis ... officium suscipit*, inquit S. Gregorius, *quisquis ad Sacerdotium ascendit*: & quisquis isto suscepto officio delinquens non fungetur, nec a Christo dicta reformidet: *Servum inutilem projicite in tenebras exteriores.*

cilii Patres referunt (a). Uno verbo sic sese omnes veri pastores gessere.

(a) Conc. Tolet. 26. c. 13.

Ceterum, nostram haoc quæstionis propositæ solutiunem, Sanctus Carolos Borromæus non solum validis probat rationibus; sed etiam illustribus Sanctorum Cypriani, Basilii, Nicolai, & duorum Archiepiscoporum, qui ante ipsum Ecclesiæ Mediolanensis sedem obtinueruot, firmat exemplis: ad quod addendum est Sancto Archiepiscopo Congregationem sacram Cardinalium, quam peste Diœcesim Mediolanensem devastante, consuluit, juxta principia a nobis posita respondisse. Sic refert Fagnaous olim ejusdem Congregationis Secretarius (b).

(b) Prosp. Fagnan. in c. Clericis de Cleric. non resid. l. 3. dec. c. 1. 4.

Ex quo inferendum est tam Episcopos, quam alios quoslibet Pastores strictissime teneri ad actualem ac continuam residentiam, his præsertim temporibus quibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ unctionis debent conferri, suæ tamen vitæ non ita prodigi, ut nollatenus sibi præcavere possint erga pupillum peste laborarem. Dixi, suæ vitæ tamen non ita prodigi, ut nullatenus sibi præcaveant, debent enim iis omnibus, quas Christiana prudentia suggeret, uti cautionibus. Quot autem & quales sint ejus cautiones, quintum Concilium Mediolanense an. 1570. explicat verbis sequentibus (c): *Ut si quando hominis peste afflictis suspective Confessionem audit, loco audiat qui aliquantulum a lecto distet: cum vero sine magno illius incommodo id fieri potest, curet licet, ut ad fenestram aut ostium, aut in porticum vestibulumve, aut ad impluvium, altumve locum apertum accedat, ut illum confitentem audiat, ut cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri solet: ut eadem cautione in sanctissimæ Eucharistiæ ministratione utatur .... ut dum intra septa curationis publicæ est, vestes contiores, aut ita succinctas, quæ infra genua vix protendant adhibeat .... sacræ hostiæ particulam unam, aut plures, quæ ad communicantium usum satis erunt, ferre poterit; nec vero aliam præterea, quæ de more reportetur, dum ad Ecclesiam, Cappellamve redit: at, vero in omni Sacramento, multoque magis in sanctissima Eucharistia ministranda cavebit, ut evitandi periculi vel suspicionis causa ne quid vel minimum quod novum sit, administrationis ritum introducat: neve instrumentum, aliudve quid simile in administrationem pro digitis, vel adeo in iis ipsis adhibeat.* Quamvis in proposito casu de istis cautionibus non agatur, pergratum tamen putavimus nos esse facturus Parochis, quibus necessitas incumbit Parœcianos peste afflictos adjuvandi, iisque omnem, qua tunc indigent, opem ferendi, si eas teferemus.

(c) Conc. Mediol. v. p. 1. t. 11.

Non inutile tamen erit observare Sacrosanctum Christi corpus juxta consuetudinem, quæ in aliquibus Galliæ Diœcesibus viget, papyro aut linteamine involutum tunc poni in loco in quo ægrotus ipsum capere possit, quæ consuetudo non dissonat ab antiqua Ecclesiæ cunsuetudine de qua loquitur Sanctus Cyprianus (d) & juxta quam laicis Eucharistia linteo quod vocabatur *Dominicale*, & quod in domos suas inferebant, ut ipsi sibi Corpus Christi ministrarent, involuta tempore persecutionis dabatur, istam, quoque Eusebius (e), probat consuetudinem; testataur enim, referente Sancto Dionysio Alexandrino, Sanctam Eucharistiam olim per puerum ad senem Serapionem fuisse missam: *Exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam Senis in os instillaret.*

(d) S. Cypr. serm. de lapsis

(e) Euseb. l. 6. hist. Eccl. 44.

Quod spectat ad Sacramentum Extremæ unctionis, in iisdem etiam Diœcesibus virga administratur oblonga, cui stupæ oleo infirmorum intinctæ inhærent, & qua Sacerdos remutus, & nullatenus propter ventum ex adverso stantem periclitans ungit ægrotum.

Hæc de proposita difficultate dicta sufficerent: sed ne timoratis pastoribus scrupulum perperam incutiamus, ad ea quæ diximus superaddere nos debere putavimus Parochum, cum sit persona publica, & cum per consequens, sanis, & ægris debitor sit, posse tempore pestis alicui, ab Episcopo approbato, onera pasturalia demandare Sacerdoti, qui peste laborantibus subveniat; præsertim cum major Parœcianorum pars sana est, ut sani ab eo non fugiant, qui revera fugerent; si tum ad peste afflictos accessisse scirent; & ut hac prudenti agendi ratione ipsis utilior esse possit. Hoc, teste Fagnano, fieri posse pronuntiavit sacra Cardinalium Congregatio, cujus pronuotiatum Gregorius XIII. approbavit.

CASUS V.

Huao, Sancti Venantii Parochus, qui debet quatuor celebrare Missas quæ assignatis quibusdam reditibos institutæ sunt, ut singulis secunda, tertia, quarta, & quinta hebdumadæ feriis celebrarentur, his diebus sæpe Missas institutas celebrare non potest, vel quia identidem iter facere cogitur, vel quia propter matrimonium aut exequias debet Missam celebrare, vel quia propter aliquam infirmitatem, aut aliam malam dispositionem sacrificium offerre non potest. Quapropter omues fere Missæ solemnes, quas scilicet diebus Dominicis & festis celebrat, pro iis celebrat qui Missas instituerunt, & non pro Parœcianis. Attamen, quamvis juxta plures Casuistas quorum scripta legit, a se hoc fieri posse persuasum habeat, nonnollis angitur scrupulis, quia alios complures aliter sentire Casuistas non ignorat. Qua de re quærit Hugo an sit unde conscientia remordeat, & quid in posterum, ut conscientia tranquilla sit, facere debeat?

RESPONS.

Aliquos non diffiteor reperiri Casuistas, numero tamen paucos, qui quamvis Parochum diebus Dominicis & festis debere sacrum facere dicant, ut sacro videlicet Parochiani possint interesse, eum tamen non teneri sacrificii fructum Parochianis applicare (f) putant. Opinio tamen contraria majus proculdubio fundamentum habet, & sola quam Pastor sequi debeat; Quod sequentibus rationibus probari potest.

(f) Moreous resp. ad quæsitum 63. & apud eum Aon. v. apud eum Aasp

Prima, quia hæc nostra seotentia conformios est sententiæ Concilii Tridentini (g), quod declarat, eos qui curam babent animarum, oves suas cognoscere, & pro ipsis sacrificium offerre, jure divino teneri. *Cum præcepto divino*, inquit, *mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves agnoscere, pro iis sacrificium offerre &c.* Hæc sunt ipsamet sanctæ Synodi verba quæ intelligi non debent de applicatione genetali, ad quam omnes Sacerdotes tenentur, sed de speciali Missæ applicatione, per quam scilicet Parochi suis præcipue ovibus particulariter Missæ fructum applicent.

(g) Conc. Tr. sess. 23. c. 1. de Reform.

Revera non dicit expresse Concilium Tridentinum eos teneri fructum addicere Parœcianis præcise diebus Dominicis & festis potius quam aliis diebus, sed negari non potest satius esse ut Parœcianis addicatur sacrificium iis diebus, quibus Ecclesia præcipit, ut ad sacrificium fideles conveniant, illudque offerant cum Parocho, qui propter eamdem rationem cum ipsis, & pro ipsis illud tenetur offerre.

Præterea curare debet Episcopus, ne præcipit idem Concilium (h), *ut* (Parochi) iis *saltem diebus Dominicis ac festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tamfrequenter, ut suo muneri satisfaciant Missas celebret.*

(h) Idem ib. c. 4.

2. Hinc primam rationem efficaciter probat, & confirmet expressissima declaratio sacræ Congregationis Cardinalium a Pio IV., sancto Pio V., & Sixto V. (i) Deputatorum ad explicanda iniis, quæ ad disciplinam & mores pertinent. Concilii Tridentini Decreta: quæ declaratio variis eb Authoribus, & speciatim relata esta a Barbosa (K) qui ait: *Parochum teneri Missæ sacrum sui ovibus applicare juxta boni viri arbitrium: & hanc partem fovet declaratio sanctæ Congregationis Concil. super Decretis de celebratione Missarum novissime Sanctissimi Domini N. Urbani VIII. auctoritate edita, & in Typographia reverendæ Cameræ Apostolicæ impressa, dum habet: Sacerdotes quibus diebus tenentur Missam celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosina pro aliis Missis celebrundis susceperint non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere. Et magis in terminis, proposito dubio, an Parochi Urcænni Isanensis Diœcesis, quibus diebus*

(i) Pius V. in Bul. alias 8 data die 2. Aug. 1564. S. Pius V. in Bul. an. 1566. Sixtus. V. in Bul. *Immensa* 74 Bul. lat. mag. tom. 2. p. 115.

(K) August. Barbosa in c. 1. sess. 22. Conc. Trid.

ex proprio officio & obligatione tenentur Missam celebrare, possint pro eadem Missa, in propria, vel aliena Ecclesia celebranda, manuales eleemosynas recipere. Sacra Congregatio die 1. Septembris 1629. respondit: Quibus diebus Parochi tenentur Missam celebrare, non posse manualem eleemosynam recipere.

Refert etiam eamdem Cardinalium declarationem Gavantus Regularis Clericus a sancto Paulo (*a*), dicitque (*b*): *Qui tenetur alicubi celebrare absque applicatione sacrificii ad Divinum cultum tantum, ita debet ibi celebrare, ut nullo modo accipiat stipendium ab alio, ut illi applicet sacrificium sibi liberum: quod expresse vetuit sacra Concilii Tridentini Congregatio in Declaratione Decreti de celebratione Missarum sub sanctissimo Domino nostro Urbano VIII. emanati .... quod etiam notent Canonici & Curati, qui tenentur celebrare Missam Conventualem seu Parochialem in propriis Ecclesiis ratione Canonicatus, seu Rectoriæ: quia ad eam tenentur ratione Beneficii; secus quando ex mera consuetudine seu statuto Canonicali ad majorem Ecclesiæ decorem Missas privatas in propria Ecclesia Collegiata seu Parochiali celebrant non ratione Beneficii neque Capellæ, neque Legati, neque Salarii; qui soli quatuor tituli in prædicta responsione prohibentur.*

(*a*) Barthol. Gravantus in addit. ad manuale Episc. n. 31.
(*b*) Idem comment. in rubr. Miss. & Brev. Rom. n. 3. t. 12. 4. 5.

3. Ad istas auctoritates addi potest auctoritas sancti Thomæ, qui examinans utrum Sacerdos aliquod stipendium pro Missæ celebratione recipere possit, dicit eum posse, modo tamen alias celebrare non teneatur. *Si tamen* (Sacerdos) *non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciant non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* Atqui, juxta Concilii Tridentini verba, Parochus tenetur Sacrosanctum Missæ sacrificium pro iis, quorum cura ipsi commissa est, offerre; ergo juxta principia sancti Thomæ ipsi non licet diebus Dominicis & festis pro aliis celebrare; cum præsertim ex beneficio independenter a quarumdam Missarum particularium institutione ad sustentationem honestam necessarium ipsi suppetant.

4. Sylvius (*c*), S. Thomæ doctissimus interpres dicit opinionem eorum qui contra sentiunt, esse rejiciendam: Certum enim est Parochos teneri saltem aliquando pro Parochianis celebrare. *Talis enim opinio sic generaliter intellecta non est admittenda* (sunt ipsamet Sylvii verba) *cum dubitari non possit, quin Curati ad hoc saltem aliquando teneantur*: Et cum dicit, *saltem aliquando*, loquitur de diebus Dominicis & festis, de quibus etiam loquitur Diana, quem citat. *Et quamvis Diana putetur sic*, (id est contra) *aliquando sensisse* (*d*).... *postea tamen ..... respondet* (*e*) *Parochum in illis diebus in quibus tenetur Missam celebrare, ut populus eam audiat, non posse pro applicatione sacrificii eleemosynam accipere: Unde concludi potest quod eam Missam debeat suis Parochianis saltem ordinarie applicare*: quod confirmat responsione sacræ Congregationis, cujus jam supra mentionem fecimus.

(*c*) S. Th. in 4. d. 25. q. 3. art. 2. q. 1. ad. 4.
(*d*) Anton. Diana tract. de cel. Missæ resol. 26.
(*e*) Idem 4. p. 25. 4. resol. 4. 30.

5. Denique charitas, quam Pastor erga oves suas habere debet, ipsaque justitia postulant ut ipse Missæ sacrificium applicet saltem diebus Dominicis & festis; postulat, inquam, charitas; si enim quilibet homo ex charitate proximum suum spiritualiter adjuvare teneatur, tenebitur a fortiori Pastor, qui *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. (*f*). Postulat & justitia; æquum enim est ut qui lac ovium comedit, & lanis operitur, oves pascat, ipsisque spirituale pro temporali rependat; & opinio contraria sorditatem redolet, & Parochi suis rebus nimium intenti favent cupiditati.

(*f*) S. Paulus Ep. ad Hebr. c. 5. v. 1.

Opponunt nobis Bonacinam, Navarrum, & Reginaldum; sed quod ad Bonacinam attinet, fatetur pro suis Parochianis Parochum debere diebus Dominicis & festis solemnibus, aut saltem semel in hebdomada celebrare. Navarrus, quem Bonacina sine causa citat non dicit Parochum non teneri diebus Dominicis & festis pro Parœcianis celebrare, sed dicit tantum: *Peccat mortaliter, qui obligatus ad dicendam Missam pro aliquo, non applicat ei totam illam ejus partem quam tenetur ei applicare* (*g*). Addit revera Sacerdotem posse cui vult specialem sacrificii partem, quæ ad eum quatenus celebrantem pertinet, applicare. *Valorem specialem sibi debitum juste possit applicare sibi, vel alii cui voluerit.* Sed hoc ad quæstionem de qua agitur nullatenus pertinet. Tandem Reginaldus, qui citat etiam Bonacinam, dicit solum posse Parochum, quamvis pro suis Parœcianis sacrificium offerat, recipere quæ fideles, ut pro ipsis preces ad Deum fundat, offerunt; sic loquitur: *Quantumvis teneatur celebrare pro tota sua Parochia generaliter; consuetudine tamen introductum est & tacito consensu offerentium eleemosynas, ut a Parochianis oblatas pro sui commendatione facienda in Missa, Parochus ipse accipiat etiam quando celebrat generaliter pro tota sua Parochia. Unde patet istum Scriptorem non* intendere loqui de stipendio, quod datur pro particulari sacrificii applicatione; loquitur non de Parocho qui celebrat generaliter pro tota sua Parochia; solum intendit loqui de eleemosyna particulari, quam Parocho dant aliqui, ut eos nominatim Deo commendet; quod nullatenus opinioni quam impugnamus favet.

(*g*) Navarr. Man. c. 25. n. 81.

Jam illud unum superest ut concludamus, respondentes ad casum propositum. 1. Hugonem non posse absque injustitia fructum sacrificii iis qui quatuor Missas particulares, de quibus supra diximus, assignatis reditibus instituerunt, applicare, eoque suos Parœcianos privare. 2. Hugonem, quamvis ipsi concederetur, eum non teneri pro Parœcianis sacrificium offerre diebus Dominicis & festis, nihilominus peccaturum esse: Non enim licet ipsi ad diem Dominicam transferre celebrationem Missarum quæ juxta institutionem seu fundationem aliis diebus expresse determinatis celebranda sunt; quia Missæ celebrandæ sunt juxta omnes fundationis circumstantias, & ita celebrandæ sunt, ut omnes omnino conditiones appositæ, sive locum, sive diem, sive horam, sive fundantis intentionem sive aliquid simile spectent, ad litteram impleantur. Solus enim Episcopus esse potest voluntatis fundatorum interpres, & solus aliquid circa fundationes, (legitimis tamen de causis) mutare (*h*).

(*h*) De Gen. Th. mor. tom. 3. tr. 8. c. 3. n. 4. Colloq. Condom. tu. 2. col. 7. sect. 1. Collop. Rupel. de sac. 1. p. 4. Colloq. De Ste Beuve to. 3. cas. 7.

CASUS VI.

APRONIUS Parochus Parœciæ Diœcesis Tolosanæ per Diœcesim montis Pessulani iter faciens, duos ibi invenit ex suis Parœcianis, quorum rogatus confessiones excipit. An potuit excipere, & absolutionem quam dedit extra propriam Diœcesim valide dedit?

RESPONS.

Apronius proculdubio duos suos Parœcianos absolvere valide potuit, quamvis eorum confessiones extra Tolosanæ Diœcesis limites exceperit. Ratio quam affert Pater Lodovicus Thomassinus Oratorii Sacerdos (*i*), cæterique Theologi est, quia Parochus omnis ex jure habet in suos Parœcianos, ubicumque reperiantur, ordinariam jurisdictionem quo ad ea quæ ad forum internum pertinent. Natalis Alexander, Dominicanus, eruditus Theologus idem docet in sua Theologia Dogmatica & Morali (*k*): *Parochi subditorum suorum Confessiones in alienæ Parœciæ territorio, & in aliena etiam Diœcesi, audire possunt, inquit, ordinariam enim in illos auctoritatem habent, quam exercere possunt ubique, quoad ea quæ fiunt sine strepitu judicii, qualis est confessio. Et certe, addit, Concilium Lateranense Cap. 21. statuit, ut fideles semel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, nulla facta mentione loci, in quo confessiones illorum recipere debet vel potest.*

Isti duo recentiores Scriptores nihil asseruerunt nisi quod asseruerunt qui eos præcessere, nisi quod præsertim sanctus Antoninus, Paludanus, Sylvester de Prierio, Fumus scriptor Summæ cui titulus est, *Aurea Armilla*, Geminianus, Ancharanus, & Cabassutius Oratorianus asseruerunt (*l*).

(*i*) L. Thomass. an. discip. Eccl. p. 4. l. 1. c. 69. n. 10.
(*k*) N. Alex. Th. Dog. & Mor. de Sac. pœnit. Reg. 9. pag. 506.
(*l*) Palud. in 4. d. 19. q. 2. ar. 3. S. Anton. 3. p. sum. tit. 17. c. 10. Sylv. v. Confessor. 1. n. 12. Barth. Fumus v. Confessio n. 34. Geminianus inc. o. de Constit. in 6 § statut. n. 52. Anchar. in c. Ea quæ de Reg. Tur. in 6. n. 2. J. Cab. Jus. can. th. & pr. l. 1. c. 28. n. 7.

CA-

Digitized by Google

CASUS VII.

Episcopus Abulæ in Synodali conventu sanxit, ut omnes suæ Diœcesis Parochi sua apud quosdam Parochos quos designavit, & non apud alios peccata deponerent. Parochus S. Philippi, aliique complures Constitutioni Synodali obedire noluerunt, & aliis ab Episcopo non designatis Parochis, aut aliis Diœcesanis Sacerdotibus approbatis sicut antea, sua peccata confiteri perrexerunt. Sunt ne confessiones validæ?

RESPONS.

Videtur dici posse cum erudito Theologo, cujus decisiones typis mandatæ sunt (*a*), istorum Parochorum confessiones valere. Ratio est, quia Parochis indultum est, ut Confessarios, quos voluerint, ex iis quos Episcopus approbavit, aut qui ratione beneficii jus excipiendi confessiones habent, sibi eligere possint. Quod probari potest ex Decretali Epistolæ Gregorii IX. (*b*); cujus hæc sunt verba: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere confessorem.* Circa quæ verba observare duo debemus. Prius est, nullum videri esse dubium quin, cum Summus Pontifex non solum Episcopis, sed etiam *aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis* istud privilegium concesserit, Parochis quoque illud concessisse, censendus sit ... Quia Parochi quoad suos Parœcianos vere inter Superiores legitimos annumerandi sunt. 2. Quia privilegia concessa iis qui aliis regendis præfecti sunt, inviolata permanere debent, juxta antiqui Canonis verba (*c*), *Privilegia Ecclesiarum & Sacerdotum intemerata, & inviolata cunctis decernimus manere temporibus.* Et juxta hanc juris regulam (*d*): *Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.* Immo privilegia semper explicanda sunt favorabiliter, & *latissime*, ut ait Glossa (*e*): *Beneficium Principis latissime interpretandum est.* Idem Lex Digestorum asserit (*f*); *Beneficium Imperatoris, quod a Divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.* Quod juris effatum præcipue juxta Glossam (*g*), locum habet in rescriptis, qualia sunt Pontificum Decretalia, & præsertim, quando, ut in casu proposito, de rebus favorabilibus agitur. Posterius, quod circa Gregorii IX. Decretalem Epistolam observari debet, est ratio, qua ad permittendum Episcopis, & aliis Superioribus nec non minoribus Prælatis exemptis ut etiam præter sui Superioris licentiam sibi possent eligere Confessarium, inductum se fuisse testatur: *Ne pro dilatione pœnitentiæ*, inquit, *periculum immineat animarum*; ist hæc ratio, inquam, observanda est; Cum enim Parochi sæpe celebrare Missam & sæpe Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administrare teneantur, sæpe in magnum suæ salutis discrimen venirent, si Confessarios sibi eligendi facultatem non haberent, & si Confessarios, qui aliquando procul abessent, temporibus incommodis, horisque indebitis adire tenerentur, ut sua peccata, quando confessione indigerent, confiterentur.

Fateor Hispanum quemdam Theologum (*h*); scriptorem cetera celeberrimum, existimare hujus Decretalis terminos ad Parochos non esse extendendos, quia, inquit, non sunt Prælati, quibus solis a Gregorio IX. istud privilegium concessum est. Sed quamvis iste scriptor in verba S. Thomæ jurare videatur, a sententia tamen ipsius in hoc præter intentionem recedit; sanctus enim Thomas Parochos *Ecclesiarum minores Principes* vocat in tertia parte (*i*) Summæ in qua sic habet: *Ad minores Civitatis Principes pertinet disponere de infirmo populo ... & ideo baptizare, pertinet ad minores Principes Ecclesiæ; id est ad Presbyteros qui tenent locum 72. Discipulorum Christi, ut dicit Glossa Lucæ* 10. (*K*). Et hanc ob caussam Episcopi in Concilio Aquisgranensi tertio congregati, Parochos vocant, *Cooperatores operis nostri*, & S. Joannes Chrysostomus eos nominat *Compastores*. Et vero Parochi habent jurisdictionem ordinariam, quæ, quamvis Episcopali jurisdictione minor sit, non est tamen delegata; & quemadmodum Apostolis Episcopi, ita & septuaginta duobus Discipulis Parochi successere, sicut dixit supra sanctus Thomas, quamvis verum sit esse institntionis Ecclesiasticæ Parochorum dignitatem, si consideretur quoad loca, in quibus suam jurisdictionem & ministeria possunt exercere (*l*). Sed præterea Clementis III. habemus Decretalem (*m*), quæ expressissime declarat Parochum Prælationis officio fungi; *Prælationis officio fungitur*: Hinc a Gersone Parochi appellantur *Prælati secundi ordinis, dignitatis, vel honoris* (*n*). Unde evidenter patet rationem a Dominico Soto allatam esse falsam.

Verum quoque est quosdam esse Canonistas qui per hæc Gregorii IX. verba, *& aliis Superioribus*, Episcoporum Superiores, & non alios populorum Superiores intelligunt; sed hujusmodi interpretatio nullo fundamento valido nititur; Episcopi enim, proprie loquendo, nullum præter Summum Pontificem Superiorem habent; aliunde Gregorius IX. non dicit, *& aliis eorum Superioribus*, sed generatim de omnibus Superioribus tum minoribus tum majoribus, & consequenter de Parochis loquitur.

Ad hanc nostram Decisionem robur accedere potest ex usu qui viget in Ecclesia; nam ii ipsi, qui Gregorium IX. istud privilegium solis Superioribus Majoribus indulsisse arbitrantur, nihilominus fatentur Parochos jus sibi Confessarios eligendi antiquissima ubique recepta & legitime præscripta consuetudine possidere. Unde sic possumus ratiocinari: Antiquissima, ubique recepta, & legitime præscripta consuetudo vim Legis obtinet, ut fatetur idem Summus Pontifex in alia Decretali (*o*); Atqui consuetudo juxta quam Parochi sibi Confessarios eligunt, est antiquissima, ubique recepta, legitime præscripta, & ob justam caussam introducta: Caussa enim, propter quam Gregorius IX. privilegium istud concessit, non minus spectat Parochos quam Episcopos: immo dici potest eam longe magis Parochos quam Episcopos spectare, propter rationem jam a nobis allatam. Ergo ista consuetudo vim Legis in Ecclesia obtinuit. Unde concludendum est, cum Episcopus Legem generalem Ecclesiæ nec revocare, nec abrogare possit, talem etiam consuetudinem non videri ab eo posse abrogari, & quamvis eam abrogare posset, eam abrogare non deberet: 1. *Quia ipsa mutatio consuetudinis, etiam qua adjuvat utilitate, novitate perturbat*, inqnit sanctus Augustinus (*p*), loquens de mutationum consuetudine, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

2. Quia ista mutatio duos malos produceret effectus. 1. Removeret a Sacramento Pœnitentiæ multos Parochos qui peccatorum venialium tantummodo reos se esse crederent, & sic peccata venialia confitendi consuetudo a Concilio Tridentino approbata & commendata (*q*), abiret in desuetndinem. 2. Alii etiam multi qui graviter deliquissent, Missam celebrarent, aut Sacramenta sæpe administrarent absque prævia confessione, & se excusarent quod Confessarium assignatum iis temporibus & horis, quibus vellent adire, non possent, seque ad id non teneri præsumerent, & in sui defensionem afferrent verba Concilii Tridentini (*r*), quod loquens de necessitate confessionis faciendæ ante celebrationem Missæ, aut Sacramentorum administrationem, excipit casum in quo non adest copia Confessarii: *Modo non desit illis copia Confessoris.*

Permagni igitur interest Parochos pacifice frui jure quod antiqua & legitime præscripta possessione sibi Confessarios, quos voluerint sive ex Confratrum, sive ex aliorum Sacerdotum approbatorum numero eligendi acquisitum habent. 1. Ut non exponantur periculo sacrilegia committendi, quæ sæpe tum committerent, cum prætexta difficultate quam ad inveniendum Confessarium paterentur, in statu peccati mortalis, vel certo vel

dubio

(*a*) De Sainte Beuve, tom. 1. cas. 3.

(*b*) Greg. IX. in c. *ne pro dilatione.* tin. de pœnit. & remiss. l. 5. tit. 31.

(*c*) Can. *Privilegia.* to. 25. q. 2.

(*d*) Reg. 27. de Reg. Jur. in 6.

(*e*) Gloss. in c. *quod delict.* 3. de consang. & aff. v. *utrique.*

(*f*) L. *Privilegium* 3. ff. de constit. principum l. 1. t. 4.

(*g*) Gloss. in c. *Ordinarii*, v. *Dispensationes*, de officio Ordinar. in 6.

(*h*) Dominic. Soto in 4. d. 18. art. 2.

(*i*) S. Thom. 3. p. q. 67. ar. 2. ad 2.

(*k*) Gl. Beda in Luc. 10.

(*l*) Can. *Ecclesias.* 3. 13. q. 1.

(*m*) Clem. III. in c. *Tua nos.* de Clerico ægrotante l. 3. tit. 6.

(*n*) Jo. Gerson, t. 2. p. 249.

(*o*) Greg. IX. in c. *Cum tanto.* de consf. l. 1. t. 4.

(*p*) S. Aug. Epist. 54. alias 118. n. 6.

(*q*) Conc. Trid. sess. 14. c. 5. de Sacr. pœnit.

(*r*) Idem, sess. 13. c. 7. & can. 11.

dubio sua pastoralia munia obirent. 2. Ut ii qui peccatorum tantum venialium sibi sunt conscii possint frequenter ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, juxta ipsorummet sæcularium ab Ecclesia laudatam & commendatam (a) consuetudinem, *quod piorum hominum usus demonstrat*. Et certe cum Laici certis & determinatis Confessariis peccata confiteri non cogantur, sed libere possint sibi ex approbatis Sacerdotibus qui ipsos regunt, Confessarios seligere, ipsi Pastores non sunt vexandi, nec ad consuetudinem quæ noxia ipsis foret, & conscientiam turbaret, recipiendam, porrecto, ut ita dicam, ad fauces gladio adigendi sunt. *Quapropter*, inquit S. Augustinus in eadem Epistola jam citata, *quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est*.

(a) Idem cit. 44. cap. 5.

Hæc circa difficultatem propositam dicenda habebamus. Hoc unum animadvertendum a lectore est, nos scilicet dixisse, Parochos non habere jus sibi eligendi Confessarios, nisi inter Confratres suos Parochos, aut inter Sacerdotes ab Episcopo approbatos; quamvis enim Episcopus sibi simplicem Sacerdotem a se nondum approbatum possit Confessarium eligere, non tamen potest Parochus; quia Episcopus per ipsam electionem ad audiendam suam confessionem approbat; Parochus vero, cum non possit quempiam approbare, non potest, nisi approbatum Sacerdotem eligere, ut patet ex Alexandri VII. Decreto 24. Septembris 1665. in quo Summus iste Pontifex damnat saltem, ut scandalosas viginti & octo propositiones, quarum septima his exprimitur terminis: *Qui beneficium Curatam habent, possunt sibi eligere confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario*. Prohibetque sub pœna excommunicationis, *ipso facto*, sedi Apostolicæ reservatæ, ne verbo, vel facto talis opinio doceatur.

CASUS VIII.

Aurelius, S. Hilarii Parœciæ incola a Bernardo Parocho suo, cui ad confitendum sua peccata adduci non potuit, licentiam postulavit tempore Paschali alium Parochum vicinum adeundi. An Bernardus sine peccato talem licentiam denegare potuit?

RESPONS.

Proprius Pastor, quisquis sit, non curiosius in vitam quorumdam sibi subditorum inquirere debet: Sæpius enim docet experientia quorumdam adeo infirmos esse animo, ut potius Confessionem omitterent, quam proprium pastorem adirent, sive quia eum non multi faciunt, sive quia peccata quædam ipsi declarare eos pudet. Quapropter prudens & beneficus Parochus Parœcianis concedere debet licentiam confitendi alteri, qui tamen hæreticus non sit, aut flagitiosus, secus conscientiæ tyrannice divexarentur. Quod fieri non posset sine peccato. *Peccaret ... Sacerdos*, inquit S. Thomas (b), *si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri: quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis*. Aurelius ergo non potuit sine peccato postulatam Parœciano denegare licentiam.

(b) S. Thom. in 4. dist. 17. q. 2 art. 5. quæst. unc. 4. ad 6.

Hanc ob caussam si superior Regularis denegaret uni ex Confessariis Monasterii potestatem ab aliquo casu reservato Religiosum absolvendi, nihilominus prima vice confessarius posset Religiosum absolvere, ut habetur in Decreto Urbani VIII. 26. Maji 1594. cujus hæc sunt verba (c): *Sanctitas sua deinceps declaravit & declarat, ut si hujusmodi Regularium confessariis, casus alicujus reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta a superiore facultate, absolvere*.

(c) Bullar. Magn. tom. 4. post. Bull. 28. p. 68.

Diximus: *alteri qui tamen non sit hæreticus aut flagitiosus*: nam si hæreticus aut flagitiosus esset Parochus, quem adire cupit Aurelius, ipsi deneganda foret licentia talem Parochum adeundi; *Si ergo Parochianus petit licentiam alteri confitendi indeterminate*, inquit Paludanus (d), *non det nisi sit verisimile quod petens non eligeret, nisi æque bonum vel meliorem; si autem nominet sibi aliquem de quo verisimile est, quod sit æque bonus, vel melior ad confessionem audiendam, non neget, quia forte habet peccatum quod erubescit confiteri, & prius moreretur sine confessione. Si vero apparet, quod non est æque bonus, aut per famam, aut per visam suæ personæ, aut per conversationem personarum sibi confitentium; quia minus religiose conversantur; tunc simpliciter debet denegare ... & licet aliquis debeat semper reputare alium meliorem se simpliciter, non tamen quantum ad omnia, puta quantum ad officium hoc, vel illud*.

(d) Petr. Palud. in 4. dist. 17. q. 2. art. 3.

CASUS IX.

Tertullus, Parochus S. Vuasti, ad quem per viam secretam pervenit unum ex suis Parœcianis futurum matrimonium oriundæ ex sua parœcia filiæ fuisse pollicitum, in jus vocatur, ut de promissione matrimonii testimonium dicat. Potest-ne absque peccato, quod de ista promissione didicit, tacere?

RESPONS.

Theologus recentior (e) putat istum Parochum posse, immo debere in casu proposito tacere; pastor enim, inquit, non debet adversus ullum suorum Parœcianorum coram judice testificari, quia est Parœcianorum pater spiritualis; pater autem contra filios ad testimonium non est admittendus. *Parentes & liberi*, inquit Lex (f), *invicem adversus se, nec volentes, ad testimonium admittendi sunt*. Quod a jure canonico approbatum est. Præterea addit; Parochum non minus teneri tacere secretum in casu proposito, quam teneretur advocatus qui fuisset ab aliquo consultus. Unde concludit Tertullum debere, quantum potest, conari ut a Judice abstinendi a testimonio dicendo facultatem obtineat, quam facultatem si obtinere nequeat Tertullum debere die præfixo comparere coram Judice, cui solummodo declarabit se nihil habere quod ad quæsita respondeat.

(e) De Sainte Beuve tom. 1. cas. 2.

(f) Lib. 5 tit. 20. de testibus in can. Si testes 3. §. 3. 4. q. 2. & 3.

Sed istius Theologi sententiæ subscribere, nec rationes approbare possumus; quia S. Thomas expresse docet ea omnia quorum declaratio ad damnum, sive spirituale, sive temporale proximi avertendum necessaria est, iis exceptis quæ per Confessionem Sacramentorum cognita sunt, esse declaranda. *Et contra hoc debitum*, inquit S. Doctor, *obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem quam alteri debet*. Atqui in casu proposito agitur de damno notabili quod filia pateretur, si testimonium veritati Tertullus non perhiberet coram Judice, cui respondere eo de facto tenetur.

Objicere aliquis forsitan posset S. Thomam non loqui de Parocho; sed cum Doctor Angelicus ea tantum quorum cognitio per Confessionem parta est, excipiat, de Parochis æque ac de ceteris Sacerdotibus loqui censendus est, juxta hoc effatum: *Exceptio firmat regulam in non exceptis*.

CASUS X.

Valdradus, Parochus Parœciæ in Diœcesi Leonensi sitæ cujus omnes incolæ non nisi plebejo inferioris Britanniæ sermone, qui ipsi omnino ignotus est, loquuntur, quærit an absque peccato suum retinere possit beneficium, & expectare usque dum plebeja ista lingua loqui didicerit, præsertim cum Vicarium & alium Sacerdotem ista lingua apprime loquentes sibi ad exercendas functiones quas ipse exercere per se non potest, socios adjunxerit?

RESPONS.

Parochus & Parœciani necessario debent invicem suum idioma intelligere, aliter pastor est fere omnino suis ovibus inutilis; juxta hæc Apostoli verba (g): *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus*. Et vero in scriptura legimus (h), Deum, donum linguarum Apostolis fuisse largitum ut barbaris nationibus Evangelium utiliter prædicare possent.

(g) 1. Cor. 14. 11.

(h) Act 2. 7. & 8.

ſent. *Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt*, inquit ſacer ſcriptor, *& quomodo nos audivimus uniquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Et inter varias maledictiones quas Deus ſuo populo minatur, hanc etiam eadem ſcriptura refert: rem ſcilicet habere cum gente, cujus linguam intelligere non poſſet (a). *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo & de extremis terræ finibus in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non poſſis*. Et certe quomodo Parochus qui ſuorum parœcianorum linguam non intelligit, & cujus lingua a Parœcianis ſimiliter non intelligitur, poſſet confeſſiones audire, prædicare, exhortari, ſubditos invicem reconciliare, conſolari, ſalutaria ipſis dare monita aliaſque ejuſmodi partes inſeparabiliter annexas adimplere? Hoc omnino impoſſibile eſt, & talis Parochus potius paſtoris umbra quam paſtor vocandus eſt (b). O Paſtor & idolum. Hanc cauſam Innocentius III. in Decretali quæ publicata fuit in Concilio generali Lateranenſi, coacto ann. 1215. (c) ſapienter præcipit, ut quando in urbe aut in Diœceſi *populi diverſarum linguarum habentes ſub una fide varios ritus & mores*, occurrunt, Epiſcopi illis provideant paſtores & Sacerdotes, qui *ſecundum diverſitates rituum & linguarum*, poſſint illos erudire, & illis Sacramenta adminiſtrare. *Diſtricte præcipimus*, inquit Summus Pontifex, *ut Pontifices hujuſmodi civitatum ſive Diœceſum provideant viros idoneos qui ſecundum diverſitates rituum & linguarum divina illis officia celebrent, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent: inſtruendo eos verbo pariter & exemplo*. Eam denique ob cauſam vigeſima Cancellariæ Romanæ regula data a Gregorio XI. & Eugenio IV. præcipitur, ut proviſiones ad Parochialem Eccleſiam prorſus invalidæ ſint, niſi *perſona* (cui beneficium parochiale collatum eſt), *intelligat & intelligibiliter loqui ſciat idioma loci, ubi hujuſmodi Eccleſia conſiſtit* (d). *Item voluit quod ſi contingat ipſum alicui perſonæ de Parochiali Eccleſia providere, ſeu mandare provideri, vel gratiam expectativam concedere, niſi dicta perſona intelligat, & intelligibiter loqui ſciat idioma loci ubi ejuſmodi Eccleſia conſiſtit; proviſio ſeu mandatum & gratia deſuper, quoad Parochialem Eccleſiam nullius ſint roboris, vel momenti*. Quæ regula naturali jure, divinoque innititur. *Tam regula juſta quam ipſum jus divinum, vel naturale, & reſpective in omnibus quæ ſunt juris divini vel naturalis perſcrutari debet*, inquit Doctus Juriſconſultus Gallus (e), qui addit, *omnis autem poteſtas & adminiſtratio verbi Dei & Sacramentorum & ſpiritualis Juriſdictionis in diſciplina & correctione morum eſt Juris divini immutabilis. Ergo ut nec Muto, nec Surdo, multominus utroque morbo laboranti dari, vel committi poteſt, ita nec ei qui non intelligit idioma loci, vel ſi intelligat, non poteſt intelligibiliter loqui*.

(a) Deut. 28. 49.

(b) Zach. 11. 17.

(c) Inn. III. in Conc. gener. later. c. 9. in c. Quoniam. 14. de officio judic ordin. lib. 1. tit. 31.

(d) 20. Reg. Canc. Rom.

(e) Carolus Molin. in Reg. 20. Cancel. Rom. de idiomate.

Dubitari igitur non poteſt poſt allatas, tam authenticas, & tam validas probationes; quin Valdradus beneficium ſuum dimittere teneatur, cum juxta regulam modo citatam proviſio obtenta non valeat: *ab initio, ipſo jure non valet, & ſic nunquam convaleſcit*, ut loquitur noſter idem Juriſconſultus. Dici tamen poteſt, Valdradum, ſi memoria ſatis tenaci gaudet, ut brevi tempore lingua inferioris Brittanniæ loqui diſcere poſſit, ſuum parochiale Beneficium poſſe, conſentiente Diœceſano Epiſcopo, retinere.

CASUS XI.

Cassius, parochiæ a S. Patricio dicta Parochus, qui ob Miſſam, quam ſuſpenſus celebravit, in irregularitatem lapſus eſt, duos ex parœcianis matrimonio conjunxit; an valide conjunxit?

RESPONS.

Priuſquam difficultati propoſitæ fiat ſatis operæ pretium eſt; 1. diſtinguere duas Juriſdictionis ſpecies; una ſcilicet eſt ordinaria, quæ propter beneficium, officium, aut ſpiritualem titulum datur; talis eſt juriſdictio ſummorum Pontificum, Epiſcoporum, & Parochorum; altera eſt delegata: 2. Sciendum eſt Sacerdotem irregularem inhabilem eſſe ad exercendum juriſdictionem, quæ dicitur ordinaria, cum ſit inhabilis ad exercendas functiones beneficii ratione cujus poteſtatem ordinariam habet, ſed non eſt incapax juriſdictionis delegatæ, & nullum habentis reſpectum ad ordines, quia hujuſmodi juriſdictionem non dat beneficium ex quo ſequitur Sacerdotem irregularem nec recipere juriſdictionem ordinariam. nec in foro pœnitentiæ exercere poſſe: poteſt tamen delegatam & recipere, & exercere. His præſuppoſitis: ad difficultatem propoſitam, reſpondamus Caſſium potuiſſe matrimonio duorum ſuorum Parœcianorum ſimpliciter intereſſe illudque ſua præſentia reddere validum: ſed nuptialem benedictionem dare non potuit, quia nuptialis benedictio eſt Sacerdotii functio quam exercere Sacerdos irregularis non poteſt *; & e contrario ſimpliciter matrimonio intereſſe, non eſt actus Juriſdictionis. Ob eamdem rationem Parochus notorie irregularis, *ex delicto*, ut intelligimus, poteſt Sacerdotem ad audiendas in ſua Eccleſia confeſſiones delegare, quamvis ipſe confeſſiones excipere non poſſit, quia delegatio non eſt actus ordinis, ſed tantum Juriſdictionis.

CASUS XII.

Didacus cum parœciam per confidentiam Simoniacam occultam obtinuiſſet, & ob id conſequenter in ſuſpenſionem & excommunicationem incidiſſet, illius Parœciæ poſſeſſionem adiit, & titulo, quamvis nullo, fretus multorum Confeſſiones excepit, aliaque id genus curialia exercuit officia. Suntne validæ abſolutiones datæ, ſuſpenſione, excommunicatione, & irregularitate non obſtantibus.

RESPONS.

Antequam hujus difficultatis nodum ſolvamus, tamquam certiſſimum ſupponendum eſt, illud omne quod facit publicus miniſter, ſive ſit Eccleſiaſticus, ſive Laicus, valide fieri, modo tres concurrant conditiones.

I. Ut habeatur titulus ſaltem coloratus (f). Poteſt autem tribus modis haberi 1. quando ſuperior legitimus, aut reputatus legitimus confert aliquam Juriſdictionem; dignitatem, aut aliquod beneficium, cujus tamen collatio propter aliquod impedimentum occultum, quale eſt impedimentum, de quo ſermo eſt in caſu propoſito, invalida eſt. 2. Quando poſt aliquam Juriſdictionem, aut officium aut dignitatem legitime acceptam, aliquod v. g. Confidentiæ crimen admittit, propter quod *ipſo facto*, juriſdictione, dignitate, aut beneficio privatur. 3. Quando Juriſdictionis a ſuperiore facta revocatio nondum pervenit ad aures illius cui data fuerat.

(f) Sylv. reſ. var. v. Matrimonium. 15. & apud Joan. Barboſa. Henriq. Sanch. & Bonac. to. 3. p. 147. col. 2.

2. Ut ſit error publicus; id eſt, ut iſta miniſter publice reputetur tamquam habens Juriſdictionem.

3. Tandem ut nullum ſit impedimentum jure naturali, aut divino ſtatutum, quale foret in homine amente qui non agit *humano modo*, & qui conſequenter a peccatis valide abſolvere non poteſt: quale etiam foret in Laico, aut in quocumque Clerico, non Sacerdote, qui jure divino a celebratione Miſſæ, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione arcetur: Eccleſia enim in his caſibus defectum poteſtatis ſupplere non poteſt.

Hoc poſito reſpondemus abſolutiones quas Didacus ſuſpenſionis, excommunicationis, & irregularitatis vinculis irretitus dedit, eſſe validas. 1. Quia habet titulum coloratum ſufficientem, cum a ſuperiore legitimo, aut ut ſupponimus reputato

tato

* Juxta ſententiam plurium non infimæ notæ Theologorum, qui dicunt materiam Sacramenti matrimonii eſſe traditionem & acceptationem ſimul mutuum partium conſenſum, ſeu quod idem eſt, contractum civilem formam vero eſſe benedictionem nuptialem, ſeu verba prolata a Sacerdote qui ſolus eſt juxta ipſos Sacramenti matrimonii miniſter, matrimonium de quo agitur, duret quidem & valeret in ratione contractus, ſed non in ratione Sacramenti; iſta ſententia a pluribus annis videtur obtinuiſſe, pro & contra citari poteſt Sanctus Thomas.

Digitized by Google

tato legitime collata ipsi fuerit Parœcia (aliter enim titulus non esset vere coloratus, nec consequentur sufficiens.)

2. Quia est error publicus, cum ab omnibus Parœcianis tanquam legitimus Pastor reputetur. 3. Quia nullum est in eo impedimentum jure naturali aut divino, sed solo jure Ecclesiastico statutum. Ex quo sequitur ab Ecclesia posse suppleri & revera suppleri defectum occultum Jurisdictionis quam propter Simoniæ crimen amisit, juxta juris canonici dispositionem. Vide resolutionem sequentem.

CASUS XIII.

Arnaldus, Parochus S. Claudii, notorie hæreticus, aut schismaticus, & a corpore Ecclesiæ per sententiam excommunicationis, aut degradationis, separatus, Confessiones tamen aliquorum ex suis Parœcianis secreto excepit, An valent, quas dedit, absolutiones?

RESPONS.

Non valent datæ ab Arnaldo absolutiones. Hoc docet S. Thomas his verbis (a): *In omnibus prædictis manet clavium potestas, quantum ad essentiam, sed usus impeditur ex defectu materiæ.* Et ratio quam affert Sanctus Doctor est, quia ad potestatem clavium in Sacramento Pœnitentiæ valide exercendam, absolute necesse est, ut habeatur Jurisdictio in eos qui ad pœnitentiæ tribunal accedunt, & quia hæreticus aut schismaticus, qualis supponitur Arnaldus, omni omnino jurisdictione privatur. " Cum enim „ usus Clavium in utente prælationem requirat „ respectu ejus in quem utitur... propria materia in „ quam exercetur usus clavium est homo subditus, „ & quia per ordinationem Ecclesiæ unus subditur „ alteri; ideo etiam per Ecclesiæ prælatos potest „ subtrahi alicui ille qui erat ei subjectus. Unde „ cum Ecclesia hæreticos, schismaticos, & alios „ hujusmodi privet subtrahendo subditos, vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc „ quo privati sunt, non possunt usum clavium habere ". Sic loquitur S. Doctor (b) qui idem docet alio in loco, in quo duplicem distinguit potestatem, ordinis scilicet & Jurisdictionis, tanquam æqualiter ad validitatem absolutionis necessariam. *Duplex est*, inquit, *spiritualis potestas, una quidem Sacramentalis, alia Jurisdictionis: Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquam consecrationem confertur.* Prior juxta S. Doctorem semper quidem remanet in ipsismet hæreticis. " Omnes quidem Ec„ clesiæ consecrationes sunt immobiles, manente „ re quæ consecratur ... & ideo talis potestas secun„ dum suam essentiam remanet in homine, qui per „ consecrationem eam est adeptus, quandiu vivit, „ sive in schisma, sive in hæresim labatur: quod „ patet ex hoc quod rediens ad Ecclesiam, non ite„ rum consecratur ". Sed posteriorem, scilicet jurisdictionis, potest Ecclesia auferre, utpote ab Ecclesia datam, & revera eam aufert ab iis quos a suo corpore expellit, & consequenter ab hæreticis, & schismaticis. *Potestas autem jurisdictionis est quæ ex simplici injunctione hominis confertur*, pergit Doctor Angelicus, *& talis potestas non immobiliter adhæret: unde in schismaticis, & hæreticis non manet.* Ex quo sequitur schismaticos aut hæreticos non posse valide absolvere *Unde non possunt, nec absolvere, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi: quod si fecerint nihil est actum.*

(a) S. Th. sup. etis. q. 19. a. 6.

(b) Idem 2. 2. q. 39. a. 3. in corp.

CASUS XIV.

Volusianus, Parochus S. Spiri, a Parœcianis suis sollicitatur, ut ad reparandum Ecclesiæ tectum omnino grandineæ, & crepitantis tempestatis impetu attritum ex suo aliquid conferat; sed Volusianus pertinaciter sollicitationibus resistit, dicitque Parœcianos, cum teneantur dare ipsi convenientem habitationem, teneri quoque Ecclesiam reparare, ut in ea peragere sacra possit, &, si ad hujusmodi reparationem æs votivum non sufficiat, eos debere, quod deest, supplere. An legitima est Volusiani ratio?

RESPONS.

Non legitima est ratio quam affert Volusianus, si enim votivi reditus ad restaurandum Ecclesiæ tectum non sufficiant, debet pro quantitate bonorum ex beneficio provenientium ad reficiendum tectum coadjuvare juxta virorum prudentum, & incorruptorum æstimationem. Ratio est quia, quamvis Parœciani soli teneantur ad ædificandas & reparandas Ecclesias iis temporibus quibus non erant dotatæ, attamen ex quo bona Ecclesiis dicata sunt, & ex quo bonorum istorum divisorum pars notabilis ad Parochorum sustentationem assignata fuit, justitia postulat ut tunc ad reparationes necessarias Parochi cum Parœcianis contribuant. Quod dicimus, satis superque probant rationes sequentes. Prima sumitur ex Concilio Moguntino in Decretalibus Gregorii IX. relato, quod imperante Carolo Magno, habitum est (c): *Quicumque Ecclesiasticum beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas.* Et ut nullus falso putet in istius Concilii verbis merum consilium; non autem præceptum contineri legatur quod dicit Alexander III. scribens ad Lexoviensem Episcopum (d), qui conceptis verbis declarat ab eo Parochos ad hujusmodi reparationes cum parœcianis faciendas esse cogendos. " De his qui parochia„ les Ecclesias *habent*, *inquit summus Pontifex*: du„ ximus respondendum, quod ad reparationem & „ institutionem Ecclesiarum, cogi debent, cum „ opus fuerit, de bonis quæ sunt ipsius Ecclesiæ, „ si eis supersint, conferre; ut eorum exemplo ce„ teri invitentur ". Et revera æquum est, ut Parochi, cum Ecclesiæ bonis fruantur, ex parte necessitatibus Ecclesiæ subveniant. Et eam ob causam præcepit Concilium Tridentinum ut Episcopi Ecclesias suarum Diœcesum visitarent, illasque, quantum necessarium est, curent ab iis refici qui earumdem Ecclesiarum bona possident. " Parochia„ les vero Ecclesias, *inquit Sancta Synodus*, etiamsi „ juris Patronatus sint, ita collapsas refici & re„ staurari procurent ex fructibus, & proventibus „ quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodo„ cumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficien„ tes, omnes & patronos & alios qui fructus „ aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes perci„ piunt, aut in illorum defectum, Parochianos „ omnibus remediis opportunis ad prædicta co„ gant, quacumque appellatione, exemptione, „ & contradictione remota.

(c) Concil. Mogunt. in c. Quicumq. 1. de Eccles. ædificandis vel reparandis 3. t. 48.

(d) Alex. III. in c. de his 4. ead. t. cit.

Nostra hæc propositi casus resolutio congruit cum edicto Blesensi dato ab Henrico III. an. 1552. quod Parochos etiam ad reparandas Ecclesias pro redituum, quos percipiunt, quantitate astringit (e): Ad hoc edictum, (cujus, utpote Gallice compositi verba omittimus), accedit edictum Melodunense (f) mense Februario an. 1580. datum. Accedit & declaratio data die 18. an. 1661. quæ in Parlamento die 18. Julii an. 1664. rata facta fuit, & in qua legitur ab Episcopis, aut eorum Vicariis generalibus, aut Officialibus cogendos esse (*Officiariis locorum appellatis*) Decimatores, Ædituos, seu Matricularios, Parœcianos, & alios prout teneri possunt, & ipsosmet Parochos ad contribuendam sumptuum portionem quam necessariam esse Episcopi iidem aut Vicarii generales, aut Officiales, habita unius cujusque Parochi facultatis ratione, arbitrabuntur.

(e) Edict. Bles. a. 52.

(f) Ed. Mel. a. 3.

Cabassutius tandem (g), qui post Laurentium Bochellum eamdem propugnat sententiam, citat ad eam confirmandam Concilium Arelatense sedente Leone III. habitum, *In Concilio Arelatensi sub Leone Papa III. regnante Carolo magno* (verba sunt istius Canonistæ) *statuit can. 25. ut beneficium Ecclesiasticum habens ad tecta ipsius Ecclesiæ restauranda, vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omnino adjuvet.* Addit citatus scriptor 1. si quæ forte in aliquibus regionibus regulæ sive lege, sive consuetudine statutæ sunt, eas esse observandas. 2. Usum communiorem Gallicani regni multis Judiciis confirmatum quæ nostri referunt Jurisperiti (h), hunc esse, ut scilicet Parochus (aut principalis Decimator si quis fuerit) ad reparationem Chori teneatur, & Parœciani ad reparationem navis. 3. Excipiendos esse a regula generali Curatos seu Vicarios amovibiles, & eos quorum tenues sunt reditus. Videri & aliæ possunt apud Antonium Augustinum (i) hujus decisionis probationes.

(g) Cabassut. jur. can. Th. & pr. l. 2. c. 27. nu. 2.

(h) Charondas l. 1. Responsor. c. 57. Antonius Bleinianus l. 1. pr. Ben. t. i. sub finem.

(i) Anton. Aug Epitom. Juris Pontificii l. 13. p. t. a. c. 9.

CASUS XV.

Chamundus, Parœciæ Campestris Parochus, sæpe Collationibus Ecclesiasticis, quas Episcopus statuit, interesse negligit; an talis negligentia ad peccatum potest imputari?

RESPONS.

Cum juxta Evangelica oracula Episcopis, Apostolorum successoribus obedire, sit ipsimet Christo obedire, & eorum mandata contemnere, sit ipsum Christum contemnere: *qui vos audit, me*
(a) Luc. 10. 16. *audit; & qui vos spernit, me spernit* (a); certissimum est, quando Episcopus collationes, seu colloquia Ecclesiastica ad certos quosdam dies indixit; iisque, ut Parochi, cæterique Ecclesiastici interessent, præcepit, ab istis collationibus Parochos & alios rebus sacris addictos sine peccato abesse non posse, nisi aliquod legitimum intervenerit impedimentum. Ratio est, quia juxta omnes sive divinas sive humanas leges suis Prælatis
(b) Hebr. 13. 17. obedire tenentur: *obedite*, inquit Apostolus, (b), *præpositis vestris & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*
(c) Deut. 17. 10. Non novum est hoc præceptum; Deus enim in veteri lege jam longe antea idem præceperat: (c): *Facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit.* Quod præceptum Christus postea confirmavit his verbis (d); *Quæcumque dixerint vobis servate, & facite.*
(d) Matth. 23. 3.

Hinc evidenter patet omnes Parochos, cæterosque inferiores Ecclesiasticos necessario teneri suis Episcopis obedire, & omnia præcepta, quæ neque justitiam, neque rationem lædunt, adimplere: quid porro justitiæ, rationique magis consentaneum est, quam si Episcopi præscribant media certa & efficacia, quibus utentes Parochi suas, ut par est, possint partes implere? Et quodnam certius, facilius, & efficacius medium adinveniri potest quam collationes Ecclesiasticæ, quæ ipsos ad studium feliciter cogunt, & in quibus scientia ex Præsidis & omnium astantium cognitionibus accrescere potest? Quæ cum ita sint, Chamundum a peccato immunem esse non putamus, cum in re, quæ tum propter publicam Ecclesiæ utilitatem, tum propter privatum Parochorum, & aliorum Ecclesiasticorum commodum, tanti est momenti, suo Episcopo obtemperare negligit.

Vide (ABSOLUTIO. Cas. 2. 4. 5. 6. 7. 12. 16. 21. 24. 25. 27. 29. 31. & 32.)
(BENEFICIARIUS.)
(CONFESSARIUS. 1 & 2.)
(RESIDENTIA.)
(RESIGNATIO.)
(PERMUTATIO.)

PASCUA.

NOmine PASCUORUM, quod originem ducit a pascendo, Latini designant eum locum, in quem pecus pastum propellitur: adeoque jus compascuum habere dicitur, qui eo jure gaudet, ut in illis etiam locis, quorum dominio caret, pecus suum pascere possit.

En, quæ pertinent ad Pascua, præcipua statutorum capita.

Si pecora vel ab Armentario ducta, vel sibi permissa in eo loco, eaque tempestate depascant, in quibus compascendi jus interdicitur; ad resarciendum damnum inde emergens, ipse pecudum possessor renetur. Illud nimirum naturali jure innuitur, Romanisque legibus ex eo fonte juris emanantibus, plurimum commendatur. *De his, quæ per injuriam depasta contendis*, inquit ex illis legibus una *Ex sententia legis Aquiliæ agere minime prohiberis*. Iterum alia lege sancitur: *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, actio ex lege 12. tabularum descendit.*

Quod quidem & de ipso loco intelligendum est, in quo pascuorum copia datur; quando ab armentorum grege damnum aliquid huic loco inferri contingit: exempli causa, si plantatas illic novellas arbores aut confregerit, aut iis quoquo modo offecerit.

Quinetiam invaluere quædam moribus constituta jura, Romani juris prorsus dissimilia, quibus alicujus fundi Domino pecudem in suo repertam tum occupare, tum asservare permittitur, usquedum quidquid illi damni illatum est, fuerit a Possessore gregis plane compensatum, cui præterea prædicta jura mulctam indicunt.

Potest jus compascuum acquiri. 1. juris alicujus expresso titulo. 2. Præscriptione Immemoriali. In cujus tamen præscriptionis testimonium habitatores, ad quos prædictum jus spectat, admitti non possunt. Quod quidem disertis verbis a D Mornac. docetur.

Non licet proprium pecus in suum pratum abigere, nisi post primum fœnum convenientiori tempore demessum: Quemadmodum in suprema Divionensi Curia 4. Julii 1679 definitum est.

Unaquæque habitatorum communitas, quæ jure compascuo potitur; ad constituendum sibi armentarium tenetur; tum ut pecora custodiantur, tum ut ab omni detrimentosæ vastitatis damno procul arceantur.

Non possumus, quæ plurima sunt, & ob multiplicem tum consuetudinum, quæ apud diversas Regni Regiones prævalere dignoscuntur, tum Arrestorum, quæ secundum regionis uniuscujusque usus lata fuere, varietatem, innumerabilia pene alia statuta, singula hic expendere. Cœterum ea in re standum est Edicto Regio anno 1669 de rebus, quæ spectant Aquas & Sylvas dato; ipsiusque consulendus & titulus, qui de pascuorum juribus inscribitur.

Digitized by Google

CASUS PRIMUS.

COELESTINUS Parœciæ S. Maurilli quondam Dynastes, cum agrorum jugera 50. aut 60. incolis loci ad communia pecudum pascua concesserit: tres ibi agricolæ bene fortunateque viventes, quorum unicuique amplus est 400. vervecum grex, lanigeros greges illuc in pabulum abigunt; unde cæteri babitatores, qui quasdam tantummodo vaccas possident, nec ex modica facultatum tenuitate valent gregem usque constituendum pertingere, conqueruntur a tribus prædictis gregibus pascua sic abradi, ut pecudibus suis depascendis nihil a vervecibus prorsus derelinquatur; contenduntque illorum Agricolarum greges ad communia pascua propelli non debere; aut saltem, qui illuc abiguntur onerosam nimis vervecum multitudinem ab illis imminui oportere. Qua de re proponuatur sequentes quæstiones 1. Utrum tres prædicti locupletiores Agricolæ, cæterorum pauperum incolarum expostulatione parvipensa; possint insistere, ut suum suo more gregem integrum in eos agros pastum propellant? 2. An posito, quod id non valeant tuta conscientia prætendere, nec tamen ab incœpto desistere velint, Dynastæ loci ex conscientiæ debito non incumbat, eos licet villicos suos, suorumque jurium Dominii coactores, ad æquum & bonum compellere?

RESPONS.

Ut propositæ quæstioni satisfieri possit; quæ publica sunt omnibusque Parœciæ S. Maarilli incolis communia pascuorum jura. c m jure fluvii seu quarumdam aliarum aquarum, quæ irrogandis ipsorum agris destinantur, conferre necesse est. Atqui constat æqualem, moraliter loquendo, portionem aquarum unicuique debere cedere; nisi privatus aliquis proprio jure copiam ampliorem sibi præ aliis permitti probaverit. *Fluminum publicorum communis est usus: sicut viarum publicarum & littorum*, ait Lex (a), *in his igitur publice licet cuilibet ædificare & destruere; dum tamen hoc sine incommodo cujusquam fiat*. Quod etiam alia Lege exprimitur apertius his verbis (b): *Imperatores Antoninus & Verus, Augusti rescripserunt, aquam de flumine publico pro modo possessionum ad irregandos agros dividi oportere; nisi proprio quis jure plus sibi datam ostenderit. Item rescripserunt aquam ita demum permitti duci; si sine injuria alterius fiat.*

(a) Leg. Fluminum 24. ff. de damno infecto Su.l. 39.t.2.
(b) Leg. imperator. ff. de servit. prædio. rustic. l. 8. t. 3.

Eadem igitur ratione judicandum de publicis pascuis, ac definiendum, quibus communia sunt, eorum usum utilitatemque oportere inter illos *ex æquo & bono* dividi. Ut licet inferre, inique prorsus & contra fas fieri, ut prædictos in specie proposita agros integros, seu maximam eorum partem, tres Agricolæ ditiores sinant, cum notabili cæterorum pauperum incolatum damno; a suis gregibus numerosissimis abradi: ac proinde strictissimi juris esse, 1. ut, quam in illos agros pastum propellunt vervecum quantitatem, sic imminuant, ut nullum inde damnum cæteris exsurgat, & omni servata proportione, quod ad sufficientem uniuscujusque vaccarum pastionem exigitur, integrum ac plenum remaneat. 2. Ut, posito quod illud præstare renuerint, eos ad hanc æquitatis, jurisque normam compelli, Dynastes omni auctoritatis adhibito pondere studeat, & quæ eis sit adscribenda pascuorum copia; ab eo, quem præposuit Judicem, requirente Fisci Procuratore decerni curet.

CASUS II.

BARTINUS in vico S. Petri ditissimums colonus; cui res pecuniaria est ampla, copiosius nimirum æquorum, bovum, vaccarumque numerus, atque vervecum grex abundans, horum pecudum partem in proprium pratum abegit. Dynastes, & cum eo quidam loci incolæ contendunt illud Berrino jus, nonnisi post demessum primum ipsius prati fœnum competere posse. An juris alicujus fundamento eorum intercessio stabilitur?

RESPONS.

Exigit publicæ rei commodum, ut ab unoquoque privato propria prædia curentur, nec frugibus nondum maturis vastari permittantur. Eaque de causa ante fœnisecíam prata pabulari, etiam Proprietariorum pecudibus interdicitur: Quod idem ad agros seminatos est extendendum, quorum licet quis fuerit possessor, non tamen permittitur nisi post messem completam; pecus suum in eos pastum exigere. Ita statutum est a supremo Divionensi Senatu, qui eam in rem retulit Arrestum 4. Aprilis 1697. pro M. Francisco Jolis, contra privatos plurimos, qui proprios agros a suis pecudibus quacumque anni tempestate suoque nutu & arbitrio compascendos esse contendebant. Quod Arrestum refertur a D. Taisano (c), in suo de consuetudine Burgundiæ commentario. Igitur Dynaster Vici S. Petri, & qui cum eo intercesserunt ejusdem loci incolæ, jus a Bertino, in casu proposito præsumptum, merito propugnant.

(c) Taif. in consuet. Burgund. t. 13. art. 4. nota 4.

Est tamen ea in re quædam admittenda exceptio; Cum scilicet pratum quoddam aut agri modus muro clauduntur, vel viva sepe, fossisque circumdantur: Quod ita se habet secundum Arrestum a supremo Senatu datum 18. Februarii 1634. Duo quoque alia Arresta supremæ Divionensis Curiæ refert D. Bouvot (d); Quorum prius prædictam exceptionem confirmavit 25. Junii 1513. & alterum pronuntiatum fuerat 26. Aprilis ejusdem anni. Reperiuntur adhuc in eamdem materiam duo alia Arresta, unum nempe 20. Maji 1434. latum pro Funeligatis, gallice Cordeliers de Castellione ad Sequanam; & alterum pronuntiatam 8. Feb. 1691. pro molindinario quodam ex Urbe Semurio, adversus habitatores de Pago, vulgo Pont nuncupato.

(d) Bouvot. t. 2. v. Pascua q. 2.

PATRINUS.

ETymologia gallici vocabuli, *Parrein*, derivatur a verbo corruptæ depravatæque latinitatis, *Patrinus*, conversa nimirum littera, *t*, in litteram, *r*: quemadmodum observatur a Menagio, in suo Etymorum sillabo.

Patrinus ille, est qui infantem in baptismate suscipit, & ei nomen imponit; cujus est secundum spiritum, quasi parens alter, ipsius nomine infantis fidem profitens: pro quo erga Ecclesiam spondet, cujus & instituendi munus, consequenter explere debet, quando deficiunt naturales parentes: ut a plurimis antiquis Conciliis commendatur, & nominatim ab eo, quod fuit celebratum Arelates anno 813. (e), eaque de causa 1. nec Religiosi, nec Religiosæ possunt in officium tum Patrinorum, tum Matrinarum, recipi (f): Propterea quod Superioribus suis, obedientiæ voto ut plurimum devincti illorum puerulorum curam, cum opus est, suscipere non possunt. 2. Neque etiam in Patrinos vel Matrinas sunt admittendi, nisi qui Catholicæ Communioni addicuntur, ac præcipuorum Religionis mysteriorum sufficienti notitia imbuuntur.

(e) Conc. Arel. 19. apud Sirm. t. 2. p. 271.
(f) Concil. Autissiod. an. 578. in can. non licet. 103. de consecr. d. 4. Rituel. Rom. t. 1. de Patr. Concil. Aquense anno 1585.

Pa-

Patrinus, atque Matrina cum Patre, & Matre suscepti infantis, quin etiam cum ipso infante, spiritualem contrahunt affinitatem; ut declaratum est a Bonifacio IV. Summo Pontifice electo anno 607. Propterea que ne inter fideles nimium augerentur affinitates hujusmodi spirituales, quæ totidem constituunt consequentis matrimonii dirimentia impedimenta, prohibuit Concilium Tridentinum, ne plusquam unus Patrinus, aut ad summum unicus Patrinus cum unica Matrina, in cæremonia baptismatis admitterentur (a).

(a) Conc. Tr. sess. 24. c. 2. de ref. matr.

Ex antiquissimo Ecclesiæ usu, ille ritus obtinet, ut a Patrinis, Matrinisque baptizandi offerantur; quippe ex ipso teste Tertulliano in libro, quem labente secundo sæculo de Baptismo scripsit, habeamus eumdem ritum, in iis omnibus locis etiam antea frequentari jam cœpisse, in quibus Religio Christiana florebat.

Illud sibi in eo ritu inducendo, Ecclesia proposuit 1. ut prædicti Patrini, & Matrinæ ipsius Ecclesiæ partes, quasi agentes, infantem Christo offerrent, eo Baptismo per ministerium Sacerdotis abluendum, quem, ut filii Dei nominemur, & simus, ipsemet instituit: *hic est qui baptizat*. 2. Ut infantis usum linguæ non habentis, in profitenda fide munus explerent, ipsiusque nomine, tum Deo, tum Ecclesiæ promitterent, ac pro eo sponderent, futurum, ut officia jam jam ab ipso in suscipiendo Sacramento contrahenda, accurate, religioseque persolvat. *In Ecclesia Salvatoris*, inquit S. Augustinus (b), *per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea, quæ illis in Baptismate remittuntur, peccata transierunt*: Dt alibi (c): *vos ante omnia tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de Sacro fonte suscipere*.

(b) S. Aug. in can. in Eccl. 130. de consec. dist. 4.
(c) Idem in c. vos ante 105. ib.

CASUS PRIMUS.

NATALIS, cum infantem Olivarii, & Nicolaæ de Sacro Baptismatis fonte susceperit; ejusdem ipsius pueruli annis octo nati, & utroque Parente orbati, curam, institutionemque neglexit. An in eo graviter deliquit?

RESPONS.

Cum Patrini quasi spirituales Parentes habeantur eorum, quos in Baptismo susceperunt, & ipsorum sint sponsores, *fidejussores apud Deum*, ut dicitur in quodam Canone (d), quem S. Augustino Gratianus adscribit, conscientiæ debito tenentur ad eos, cum opus est, de rebus ad salutem necessariis instituendos. *Vos ante omnia*, inquit laudatus Canon, *tam mulieres, quam viros qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideoque semper eas admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant .... ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam, & vos ipsi tenete: & illis, quos suscepistis de Sacro fonte, ostendite.*

(d) Con. vos ante 105. de de consec. d. 4.

In eamdem doctrinam discedunt Theologi post S. Thomam, qui assumpto in probationem prædicto Canone, addit: *Dicendum (e), quod unusquisque obligetur ad exequendum officium, quod accepit, Dictum est autem (f), quod ille, qui suscepit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi. Et ideo obligatur ad habendam curam de ipso: si necessitas immineret, sicut eo tempore, & loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur.*

(e) S. Th. 3. p. sum. c. 67. ar. 8. in corp.
(f) ibid. ar. 7.

Subjecimus cum Sancto Thoma hanc clausulam: *cum opus est*, quoniam si pueruli parentes, aut Parochus, aut aliquis ludimagister, eum sufficientor informare curaverint, id jam munus nec Patrino, nec Matrinæ incumbit, ut ab eodem Angelico Doctore observatur: *Sed ubi* (baptizati) *nutriuntur inter Catholicos Christianos*, addit laudatus Sanctus, *satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere.*

Consequenter igitur ad præscriptum modum sese gerere debet prædictus Natalis: adeo ut, si susceptum a se de Sacro Baptismi fonte puerulum, omni destitutum ope, nec de necessariis ad salutem a quoquam erudiri intellexerit, ad eum instruendum omnino teneatur.

Quæ decisio prorsus consentit cum Concilio Arelatensi sexto sub Leonis III. Pontificatu habito anno 813. quodque sic loquitur (g): *ut Parentes filios suos, & Patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant. Illi, quia eos genuerunt: isti, quia pro eis fidejussores existunt.*

(g) Conc. Ar. XI. can. 19.

Concilium Moguntinum eodem anno celebratum, dicit etiam (h): *Præcipimus, ut unusquisque Compater, vel proximi, spirituales filios suos Catholice instruant*. Eademque verba adhibentur a posterioribus, quæ acta sunt in Galliæ Conciliis, nominatimque a Rhemensi Concilio anni 1583. (i) quod ait: *Parochus moneat susceptores, fidei pro suscepto sponsores esse, atque eos obligari, cum infans ad adultam ætatem pervenit, eum docere fidei rudimenta, seu Symbolum..... nisi id a Parentibus præstari possit.*

(h) Con. Mog. can. 47.
(i) Conc. Rh. t. de Bap. §. 3.

Tandem quod eodem anno habitum est Burdigalæ (K): Item Rhotomagense anno 1585. Bituricense 1584. ac Turonense idem omnino commendari curaverunt, juxta hanc verborum formulam, ab auctore Hierarchiæ Ecclesiasticæ prolatam, qua munus aliquando Patrino incumbendum, erga susceptum e Sacro Baptismi fonte puerulum, luculenter exprimitur: Profiteor me huic puero, cum per ætatem intelligere Sacra poterit, divinis meis institutionibus persuasurum, ut adversariis nuntium omnino remittat, & divina promissa profiteatur, & exsolvat (l).

(K) Conc. Bur. c. 9. Con. Rh. t. de Sacr. §. 4. Conc. Bitur. t. de Bapt. can. 6. Conc. Tur. t. de Baptis.
(l) Aut. Hierarch. Eccl. c. 7.

CASUS II.

APOLLONIUS Parœciæ S. Castini Vicarius tres Patrinos, aut Matrinas ad alicujus infantis Baptismum admisit. Istudne potuit absque peccato?

RESPONS.

Prædictus Vicarius non potuit absque peccato, tres Patrinos, aut Matrinas, ad suscipiendum e Sacro Baptismatis fonte infantem, admittere. Perfregit nempe latam a Tridentina Synodo legem, qua conceptis verbis interdicitur, ne plusquam duo accipiantur. Simulque illa sua agendi ratione, affinitatis spiritualis impedimentum extendit ultra limites ab Ecclesia intentos, in quibus, eam in posterum conclusam remanere voluit laudati Concilii Decreto, quod sic se habet: *Sancta Synodus ..... (m), statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier, juxta Sacrorum Canonum instituta (n): vel ad summum unus, & una, baptizatum de Baptismo suscipiant .... si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit; arbitrio Ordinarii puniatur.*

(m) Conc. Tr. sess. 24. de ref. matrim. c. 2.
(n) Can. in Catechismo 100. & Canon. non plures 101. de cons. d. 4.

Cæterum supervacaneum foret excusationis ve-

amentum, quo quis Apollonii peccatum obtegere eniteretur, supponendo nimirum, ab eo potuisse prædictam Ecclesiæ Legem ignorari. Quippe constet eum ex officii debito teneri ad ea omnia, quæ circa istam materiam Ecclesia statuit, plane pernoscenda; aliunde vero fuerit auctor, cur spiritualis affinitas præter mentem expressam Concilii, inter plures personas, quam requiruntur, sese latius diffunderet Quibus & illud addemus, eum in eo casu prorsus egisse contra frequentatam in universum ab Ecclesia consuetudinem, quam immutare, absque peccato, non potuit: Cum talis consuetudo, vim legis obtinere satis dignoscatur.

CASUS III.

NAZARIO Sancti Faronis Parocho, ad baptizandos duos infantes accersito, eoque consilio Ecclesiam ingredienti, occurrunt. Religiosus ex una parte, priorem quidem infantem, & Sacerdos beneficiarius ex altera, posteriorem e sacro Baptismatis fonte suscepturi: An hujusmodi Patrinos, illibato remanente officii sui debito, potest admittere.

RESPONS.

Non debet iste Parochus, supradictum Religiosum in Patrinum admittere, propterea quod Patrini munus Regularibus interdicatur; quemadmodum fertur in antiquo Canone, a Gratiano excerpto ex actis Concilii Antissiodorensis celebrati anno 578. (a); in quo fertur: *Non licet Abbati, vel Monaco de Baptismo suscipere filios, vel commatres habere*. Quod idem ab Eugenio Papa vetatur; cuius vetiti rationem hanc subjunxit; quod Religiosus conditionis suæ statu, vitam prorsus a negotiorum ambagibus expeditam, ab omnique cum sæcularibus usu remotam gerere debeat: nec sicut piscis vitam extra aquas, ita nec Religiosus vitæ sanctitatem, extra Monasterii sui septa, retinere possit. *Placuit communi Concilio nostro*, inquit laudatus Papa (b), *ut nullus Monachorum.... præsumat... neque filium de Baptismo accipere .... neque aliis quibuscumque negotiis se implicare, sitque claustro suo contentus: quia sicut piscis sine aqua, caret vita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius, & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem vivit*.

(a) Conc. Antissiod. 25. in can. non licet 101. de consec. dist. 4.

(b) Eug. in canon. placuit 8. 16. q. 1.

S. Gregorius Magnus scribens ad Abbatem Valentinum, illi quoque prohibet, ne suorum Religiosorum quemquam, in cæremonia baptismi, partes Patrini sustinere sinat. *Hujus te præcepti serie commonemus*, ait ille (c), *ut neque mulieres in Monasterio tuo deinceps, qualibet occasione permittas ascendere; neque Monachos tuos eas commatres sibi facere*. Gui vetito minas sequentes addit: *Nam si hoc denuo ad aures nostras quocumque modo pervenerit, sic te severissime noveris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate cæteri sine dubio corrigantur*.

(c) S. Greg. l. 3. Ep. 40.

Tacemus nubem Conciliorum, quibus idem interdicitur: *Nunquam vero Monachus, Patrinus, vel Monialis, matrina esse queat*, inquit Concilium Rhemense anni 1583. Quod etiam statuitur a Concilio Aquensi, 1585. celebrato (d).

(d) Conc. Rh. tit. de Bap. §. 7. Concil. Aq. t. de Bap. Sactam.

Hinc est, quod juxta hæc tam sapienter statuta, Ritualis Romanus, auctoritate Pauli V. typis impressus, ac publici juris factus, idem interdictum repetat his verbis: *Ad hoc etiam munus admitti non debeant Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis regulares, a sæculo segregati* (e): Quibus omnibus consentanea Decreta tulit Ecclesia Gallicana Meloduni congregata, anno 1579. Illius disciplinæ praxis præcipua causa est; ne iis, qui Religiosæ vitæ devoventur, alicujus cum mulieribus familiaritatis, sub prætextu titulorum compatrum, & commatrum, locus præbeatur; quippe quæ possit illa ratione facillime comparari.

(e) Rit. Rom. 1. de Patr.

Dissimulare tamen non possumus, Concilium Bituricense anno 1584. actum (f), permittere Religiosis, ut urgente vera necessitate, Patrinorum munus exerceant. Quoniam vero talem necessitatem raro admodum contingere, neque ejus esse momenti, constat, ut aliquam exceptionem admittere possit: Non existimamus Parochum, de quo quæstio est in proposita specie, excusatione alicujus prætensæ necessitatis uti posse, præsertim si intra Bituricensis Provinciæ limites constitutus non fuerit Parochus. Enimvero Præsules Concilii Provincialis Narbonensis acti anno 1609. (g) de hujusmodi necessitate minime solliciti fuerunt: cum sic statuere non dubitaverint: *Præcipimus*, inquiunt, *ut quam citissime fieri poterit, parentes liberos suos baptizandos curent, neque diu susceptrices, & patrinos expectent ..... propterea jubemus, ut ultra tres dies ab infantium nativitate, vel ad summum ultra octo Sacramentum nullo pacto differatur*. En quæ dicenda habemus de priori propositæ difficultatis membro, quod ad Religiosos pertinet.

(f) Conc. Bituric. tit. 19. caus. 9.

(g) Conc. Narbon. c. 14. de Bapt. Sac.

Quod spectat alterum de sæcularibus Ecclesiasticis: Respondemus, quædam Concilia jussisse, ne qui in sacris Ordinibus constituuntur, aut Beneficiarii sunt, ad munus supradictum admitterentur. Qualia sunt, Remense jam laudatum, & Aquense anni 1585. quo sic statuitur: *Compater nec adhibeatur regularis aliquis, nec passim Clericus sæcularis, initiatus, aut Beneficium Ecclesiasticum obtinens*. Non tamen est diffitendum, per hæc verba, *nec passim*, aliquid Concilio innui, quasi non omnino absolute, nec sine ulla exceptione interdictum; Quin etiam memoratam legem, ad eum tantummodo locum, in quo quis assidue commoratur, a Rhemensi Concilio referri. *Parochus in sua Parœcia, & initiati Sacris Ordinibus in suæ residentiæ, vel Beneficii loco, pueros de Sacro fonte non suscipiant*. Nihilominus Sanctus Carolus Borromæus (h) Statutum illud ad omnes quoscumque generatim extendi, præcipit his verbis: *Nec vero Monachos Regulares, Clericosve sæculares, Sacris initiatos, ad infantem de Baptismo suscipiendum, adhiberi sinat* (Parochus).

(h) Act. Eccl. Med. p. 4 tit. Instruct. Bap. de cærem. quæ peracto Bapt. serv. t. 1. Ed. Lugdun. anno 1683. p. 414.

CASUS IV.

EUSEBIUS Parochus S. Gironis in Vasconia, nullo sibi occurrente Patrino Catholico, ad suscipiendum de Sacro Baptismatis fonte infantem, quem propter imminentem necessitatem, opus erat quam citissime baptizari, hæreticum admisit. Numquid eum urgens necessitas ab omni peccato dimittit?

RESPONS.

Ille Parochus non potuit, absque mortali peccato, ad officium Patrini, hæreticum anhibere. Ab eo etenim officio prorsus arcentur omnes Infideles, hæretici, quin etiam ipsius hæresis suspecti, Schismatici, excommunicati, peccatores publici, & generatim quicumque ad salutem necessariorum cognitione non imbuuntur. Quippe Patrinus, ut jam animadvertimus, spiritualis Parens infantis in Baptismo suscepti censeatur. Et cum proinde, cum justa requirit necessitas, de iis, quæ tum fidem, tum bonos mores spectant, informandi cura, ex conscientiæ debito potissimum illi incumbat: utpote, qui pro eo apud Ecclesiam fidejussor extiterit: Quod quidem ab iis, quorum perversa fides, moresque inversi sunt, præstari non posse manifestum est (i). Immo Catechumenum, ab hujusmodi munere alienum omnino facit antiquus Canon his verbis (K): *In Baptismate ..... non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus*.

(i) Multo autem min. hær. vel etiam de hæresi suspect. sinat (Parochus) esse fidei sponsor. Concil. Rhe. anno 1583. t. de Bapt. §. 5. Item Conc. Tolos. an. 1590. 2. p. cap. 3.

(K) Can. in Bapt. 101. de cons. d. 4.

Vide BAPTISMUS.

PA-

PATRONATUS.

VOcabulum istud, PATRONATUS, primis Ecclesiæ sæculis omnino erat ignotum. Tunc enim Ecclesiarum fundatores nullo gaudebant jure ministros nominandi earum Curæ præponendos, nullumque locum in ipsis distinctum obtinebant, ut a Papa Gelasio I. expresse declaratur in duobus, quos Gratiani Decretum refert, Canonibus (*a*), Ecclesia quidem Laicorum fundatorum consiliis fuit semper opposita cum Sacerdotes munia debita præstandos stabilire volebant (*b*); solaque publicis fidelium cœtibus, ac processionibus interesse libertate fruebantur: Ideo admonendus lector, quosdam Auctores cum Glossa falso explicuisse sequentia Gelasii Papæ verba: *Processionis aditum*, supponentes talia verba significare facultatem seu capacitatem, juxta quam aliquis promoveri potest ad dignitatem, seu Prælaturam; eo quod, inquiunt, hoc verbum, *Processus* talem significationem nonnullis in legibus, nec non prophanis Auctoribus sortiatur. Sed Gelasius Papa sua in hujusce termini interpretatione, nostræ omnino congruæ eorum destruit sensum, qui certitudinem ea de re requirentes, ad duos Canones in margine subindicatos recurrant (*c*). Quidquid igitur in posterum ipsis fuit concessum, nihil aliud est, quam; 1. auxilium necessarium præstare iis, qui erogatis in favorem Ecclesiæ divitiis, ad extremam redacti fuerint paupertatem (*d*). 2. Illis impertita fuit potestas præsentandi Ecclesiæ viros ministerii capaces, & hoc ad excitandam eorum pietatem jam fere sopitam. Justinianus Imperator duabus suis Constitutionibus (*e*), primus huic usui auctoritatem attulit: quod deinde confirmavit Concilium Toletanum sedente S. Martino I. anno 655 convocatum (*f*); quæ prærogativa soli tunc fundatorum personæ concessa ad eorum hæredes ac successores postea delata fuit (1), sicuti in margine legere est (*g*).

Patronatus igitur est jus Clericos idoneos & capaces præsentandi varia post tempora concessum aliquorum Beneficiorum fundatoribus, eorumque posteris. *Patronatus est potestas præsentandi instituendum ad Beneficium Ecclesiasticum*, inquit D. Antoninus, post Cardinalem Ostiensem (*h*).

Diximus, eorumque posteris, id est eorum genere proximioribus, ut ab hoc jure excludantur fideicommissarii universales, ad quos non pertinet, juxta sententiam a Parlamento Parisiensi latam anno 1610. quam citans Mornacus (*i*) sic loquitur: *Jus Patronatus non transit in fideicommissarium universalem; sed remanet penes hæredem, qui repræsentat personam defuncti.*

Præsentationis nomine intelligitur jus nominandi ad Prælaturas, quod habet Rex. Duo distinguuntur Patronatus, unus scilicet Ecclesiasticus, alter vero Laicus.

Primus definitur: *Potestas, Clerico competens, præsentandi instituendum ad vacans Beneficium* (*k*). Termini sunt Polmani, qui ad explicandum quot modis hoc jus ad Ecclesiasticum Patronum pertineat, addit: *Competens ratione Rectoratus Ecclesiæ, aut dignitatis: vel fundationis ex bonis Ecclesiasticis; ædificationis Ecclesiæ, dotationis Beneficii*. Theologus ille laicum postea definit Patronatum sequentibus terminis: Potestas præsentandi Clericum ad Beneficium competens alicui, qua laico; id est, quatenus...... & bonis patrimonialibus & sæcularibus Ecclesiam fundavit, vel ædificavit, Beneficiumve erexit, aut dotavit.

Jus illud, natura sua est indivisibile: sub plurium tamen potestate individue cadere potest: & cum ad praxim est redigendum, quisque suum jus habet suffragii, ut Parisinum determinavit Parlamentum, ex sententia 4. Julii 1605. lata. Sed prævalet suffragiorum pluralitas. *Præsentatio enim facta a majori parte Patronorum valet; licet magna pars in re illa dissentiat*, inquit unus nostris ex Jurisconsultis (*l*).

Cum jus Patronatus realis sit Spirituale, sine Simonia non potest vendi solum, sicut nec mere personale: sed tale censetur, cum gleba; id est, cum fundo, cui remanet annexum (*m*). Ratio est, quia jura Patronatus, nominationis, & collationis Beneficiorum sunt in fructu (*n*).

CASUS PRIMUS.

MARCULPHUS fundum dedit ad ædificandam S. Romani Ecclesiam Parochialem. Mellonus propriis impensis illam in dicto fundo construendam curavit: Geremarusque illi vectigal annuum 800. librarum constituit; quibus omnibus assensum præbuit Episcopus Diœcesanus. Quis tribus ex his benefactoribus jus habet Patronatus?

RESPONS.

Constat jus Patronatus non posse acquiri, nisi per donationem fundi, ædificationem Ecclesiæ (*o*), & dotem (*p*), illi ex ordinarii consensu (*q*) assignatam, juxta hoc carmen in Glossa reperiendum (*r*).

(1) Notandum hic est, Jus patronatus, quod habet aliqua familia, transire etiam ad eos, qui non sunt hæredes, id est, qui fuissent exhæredati, aut sponte hæreditati renuntiassent. *Filii hæreditate paterna se abstinentes, Jus, quod in libertis habent paternis, non amittunt.* Lib. 9. ff. de Jure Patronatus L. 47. §. 4. ff. de bon. Liber.

(*a*) Gelasius in can. piæ ment. 26. & in can. Fringent. 127. 16. q. 70.
(*b*) Conc. Mogunt. 1. in can. Laic. 37. Conc. Cabill. 2. in can. Invent. est 38.
(*c*) Gelas. in can. Præsbyt. 3. d. 24. & in can. præcepta 5. de consecr. d. 1.
(*d*) Leo IV. in can. contra 29. 16. q. 7 Conc. Tol. in can. quicumque 30. eod. c. & q.
(*e*) Nov. 57. & 138. q. & 18.
(*f*) Conc. Tol. in can. decernimus 32 16. q. 7.
(*g*) Conc. Tol. 9. in can. Filiis 31. l. 5. Capitul. c. 44 in can. consideran. 35. Conc. Tribur. in can. Si plures 36. 16. q. 7.
(*h*) S Ant. 3. p. sum. t. 12. init.
(*i*) Morn. 1. & 12. ff. de pig. fol. 749.
(*k*) Polm. p. 22. 22. n. 760.
(*l*) 28. ff. de communi dividendo fol 461.
(*m*) Car. l. 1. resp. 71. fol. 19. verso.
(*n*) Alex. III. in c. ex litt. 6. & in c. cum sec. 13. de Jure Patr. l. 3. tom. 38
(*o*) Gelas. in can. Piæ mentis 26. & in can. Fringentius 27. 16. q. 7.
(*p*) Cl. III. in c. Nob. 25.
(*q*) Gl. in c. Quicumque 30 16. q. 7. v. Aliquot.
(*r*) Alex. III. in c. quod autem 5. & Clem. III. in supra cit. c. nobis de Jure Patr.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus; & ut docent Abbas (*a*), Innocentius IV. (*b*), Hostiensis, Joannes Andreas, Federicus de Senis, & Fagnanus, qui præfatos laudans auctores, hoc pluribus aliis comprobat testimoniis, ex quibus sic concludit: *Eu his considerationibus ...... arbitror concludendum eu sola fundatione non acquiri jus Patronatus; si nemo alius Ecclesiam construat & docet: neque eu sola constructione; si nemo alius dotem assignet: neque ex tollatione dotis; si nullus Ecclesiam fundet, & construat; sed hæc tria debere copulative concurrere*.

Non est autem necessarium ad tale jus acquirendum, ut una, sola, & privata persona fundum elargiatur; Ecclesiam construat, illique dotem faciat; sufficit enim, ut ab una fundus donetur, ab alia Ecclesia construatur, atque ab altera sufficientes reditus dentur: quo in casu jus Patronatus æqualiter obtinent, dummodo omnibus prædictis Ordinarius annuerit, quod Fagnanus (*c*), quinque ex Gratiani Decreto exceptis Canonibus, una Clementis III. Decretali, Conciliique Tridentini auctoritate confirmat (*d*): *Quibus in locis*, inquit, *prædicti modi acquirendi jus Patronatus ponuntur tamquam diversi; & cum dictione alternativa in medio; & consequenter non requiritur omnium concursus, sed ex quolibet ipsorum jus Patronatus acquiritur*. Quod confirmat per regulam juris his verbis conceptam: *In alternativis sufficit alterum adimpleri* (*e*). Talis etiam fuit Archidiaconi (*f*), & Cardinalis Zabarellæ decisio (*g*). Hic observabimus quemcumque Particularem Patronum fieri, ubi primum fundum stațuit, Ecclesiam construit, & dotat; licet stipulatus non fuerit jus Patronatus; dummodo tamen assensum præbuerit Diœcesanus Episcopus, ut jus postulat, (*h*), neque expresse declaraverit se se pari jure in favorem Ecclesiæ spoliare. Si enim talis declaratio fuisset facta, nullum jus ad Patronatum haberet, ut patet ex una ad Sabinum Judicem Clementis III. Decretali (*i*). Hæc observatio alia Clementis III. nititur Decretali, his terminis contexta (k): *Si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit; eu eo jus Patronatus acquirit ..... pro fundatione Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur; & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur*. Sic quoque senserunt Joannes Andreas, Baldus, Antonius de Butrio, Cardinalis Zabarella, Imola, Panormitanus, Aretinus, Felinus (*l*), Archidiaconus, Franchus, Rochus de Curte (*m*), De la Rote (*n*), eadem Fagnani opinio (*o*) iisdem nititur auctoritatibus. *Vide* Patron.

(*a*) Abbat cons. eod. n. 2. vers. Sed his non obstantibus & vers. Præt. lib. 2.
(*b*) Innoc. IV. in Rub. 1. de jur. par. n. 8. Joan. Andr. c. 2. in d. c quoniam. Federicus de Senis Cons. 139. n 2 & Fagn. in d. c. quoniam n. 23. & seqq.
(*c*) Cit. can. piæ mentis 26. can. Frigentius 27. & can. Filiis 30. 32 qu. 7. Can. Abb. 4. 18. q 2. d. c Nob. 21. de Jur. Patr. & Conc. Trid. sess. 25 c. 9. de Reform.
(*d*) Reg. 70. de reg. Jur. in 6.
(*e*) Archid. in c. si Laic. un. de Jur. Patr. in 6.
(*f*) Card. Cons. 133. col. 2. vers. ad quod respondeo, & alib.
(*g*) In Can nemo 9. can. de conseer. d 1. & auct. de Monac. §. illud col. 1.
(*h*) no. III. in c. significavit 41. de test. & attestationibus l. 2. tit. 20.
(*i*) Clem. III. in d. c. Nob.
(*k*) Jo. Andr. Baldus de Butr. Card. Imola, Pan. Aret. & Felinus in d. c. significavit.
(*l*) Archid Jo. Andr. & Franchus in c. 1. de jur. patr. in 6.
(*m*) Roch. de Curte tr. de Patr. jure v Ecclesiam fundavit q. 8. n. 32.
(*n*) Rote Decis. 167 n. 2. p. 2. d vers. & in recent p 8. dec 347 & 421. n. 2.
(*o*) Fagn. in c. Nobis cit. 8. 2.

sequenter potiri debet; quæ videlicet sunt, primarius in Ecclesia locus Patrono debitus, sicuti Neustriæ judicavit Parlamentum 6. Maii 1610. (*p*), in Processionibus Prægressus, prima Aquæ Benedictæ aspersio. Panis Benedicti prior oblatio, primum thuris suffimentum, commendatio publicis in precibus, ac in concione familiari Missæ solemnis, & denique in Ecclesia inhumatio; qui honores Patrono debentur, posthabitis ipsismet Dominis vitæ & necis potestatem habentibus, qui non sunt Patroni; juxta Parisiensis Parlamenti Sententiam 5. Augusti 1620. a Mareschallo relatam (*q*), etiamsi jus præsentandi ad Beneficium in fundationis contractu non sibi expresse reservassent, vel ipsi renunciassent, ut expresse habetur in consuetudine Normanniæ, quam refert Blondeau (*r*), cujus verba sic Latine verti possunt: *Qui Ecclesiam hæredem suam constituit, nihil nisi quod expresse reservatum est, repetere potest; si tamen jus Patronatus absque reservatione, ipsi concedat, hæc jura honorifica Patronis debita, sibi suisque hæredibus, vel jus in glebam cui dictus Patronatus adjunctus erat, habentibus integra remanent*. Basnagius in eumdem articulum 142. loquens, duas Rhotomagensis Parlamenti refert sententias, quod Parlamentum mense Martio 1662. tertium tulit judicium, quo Patronatus adjudicavit honores viro nobili simplici prædii possessori, cui Patronatus quondam fuerat adjunctus, sed deinceps ab ipsius majoribus Ecclesiæ datus (*s*). Contestatio inter Dominum d'Anval, & Piquet eodem modo jam a Parlamento 10. Julii 1609. fuerat judicata, hanc Forget citat sententiam (*t*).

Sed si econtra Ecclesia vendidit villam, Patronatu non sibi expresse reservato, ad Partorem jus præsentandi transit; quia hoc jus villæ annexum transit *Cum universitate* ad novum ipsius possessorem, & proprietarium; talis fuit Alexandri III. decisio (*u*), quia sola stipulatione expressa potest ab illa separari: adeo ut in hoc casu jus Patronatus acquisiisset Ferdinandus (*x*).

Cæterum est observandum, quod deficiente Patrono, jura Ecclesiæ honorifica ad Altum Dominum Judicem supremum pertinent excluso Domino solarii vectigalis habente, nec non quolibet alio nobili. Hoc Turonensis Juliodunensisque (*y*) Consuetudinum articulus probat, inquit Blondeau (*z*), quæ Jurisprudentia omnibus est communis (*aa*), excepta Normanniæ Provincia, in qua Jurisdictio supremæ, mediocris, minimæque Justitiæ Domino Ecclesiarum licet intra eorum jurisdictionis fines constructarum nullos parit honores.

(*p*) Basnag. in art. 172. consuet. Norm.
(*q*) Maresc tr. de priv. honor. p 17. & 257.
(*r*) Blondeau in Cons Nor. ar. 142. n. 215. & seqq. in suis add. sup Bouc. v. Patr.
(*s*) Blondeau ib. n 217.
(*t*) Forget. tr. de Pers. c. 22. n. 16.
(*u*) Alex. III. in c. ex litter. 7. de jur. patr. lib 3 t. 8
(*x*) Blondeau ib. n. 217.
(*y*) Blondeau n. 12.
(*z*) Conf Juliod. c. 3. art. 2.
(*aa*) Basnagius in artic. 142. cit.

CASUS II.

Verturius ad quem Patronatus Ecclesiæ Parochialis Sancti Froberti pertinet, propter prædium a se huic Ecclesiæ erogatum, dicit se non posse privari sua qualitate Patroni, neque honorificis prærogativis ipsis annexis, licet Parochus, & Matricularii ex communi Paræcianorum consensu hoc prædium Ferdinando vendiderint. Hic e contra contendit, quod, cum Patronatus prædio sit adjunctus, illius fit Patronus propter prædii emptionem, quamobrem Verturio litem intendit. Potest ne, æquitate salva, litem urgere?

Respons.

Distinguendum est: Nam vel Ecclesia Ferdinando hoc prædium vendens, jus Patronatus sibi in venditionis contractu reservavit expresse, vel non; si jus sibi reservavit ad Ferdinandum, haud dubie non pertinet, sed Verturio, quæ prærogativis honorificis ipsi annexis con-

CASUS III.

Menelaus jus Patronatus Ecclesiæ Sancti Guinolei acquisiverat per donationem sex domorum, quas in præfatæ Ecclesiæ dotem tempore illius constructionis donaverat, ast domus istæ incendio penitus destructæ sunt; fuit ne ex hoc infortunio orbatus jure Patronatus; quod si Paschasius isti Ecclesiæ novam dotem assignavit sufficientem, indene jus Patronatus acquiret?

Respons.

Ad hanc respondemus difficultatem Menelaum, destructis sex domibus, quas in hujusce Ecclesiæ dotem donaverat, suum jus amisisse, sicuti illud amitteret; qui patronus esset tantum *ratione constructionis*; si forte alta ruina caderet Ecclesia. Unde concludendum est Paschasium, si novam huic Ecclesiæ assignet dotem, inde jus Patronatus sibi acquirere. *Quemadmodum si Ecclesia fit a fundamentis destructa ex reædificatione alterius*, inquit Fagnanus

nus (*a*), *etiam ea iisdem cæmentis antiquus Patronus non recuperat jus Patronatus. Eodem modo si dos vel fundus omnino pereat; antiquus Patronus ea nova donatione, vel fundatione non recuperat jus Patronatus, sed illud acquirit, qui novam dotem, & fundum assignat*. Menelaus igitur ob novam dumtaxat dotem suum jus potest recuperare; quod si eam deneget, Paschasius, qui Ecclesiam sufficienter dotavit, hujus Ecclesiæ loco Menelai Patronus evadit, dummodo Ordinarius præbuerit assensum. Sic sentit Panorm. (*b*) qui Joannem Andream (*c*), Innocentiumque IV. (*d*) citat: eadem est Cardinalis Zabarellæ sententia (*e*).

Notandum, quod qui Ecclesiæ dotem assignasset, licet a fundamentis destrueretur, suum ideo non amitteret Patronatum; sed qui illam reædificaret, ejus fieret Compatronus, uti a Fagnano (*f*), post Panorm. (*g*) observatur.

(*a*) Fagnan. in cap. Quoniam 3. de jure Patron. n. 19.
(*b*) Panorm. in d. c. Quoniam 3. de jure Patron. n. 9.
(*c*) Jo: Andr. in c. Si Laicus unic. eod. tit. in 6.
(*d*) Innoc IV. super Rubrican. de jure Patron.
(*e*) Card. Zabarel. ib. n. 7. in fine v. Procedit autem.
(*f*) Fagnan. in d. c. Quoniam in 6.
(*g*) Panorm. in d. c. Quoniam 3. de jure Patron. n. 11. v. Ego intelligo.

CASUS IV.

Cynthius vir nobilis expresse excommunicatus, Diœcesano annuente Episcopo, Parochialem Ecclesiam Parochiæ, cujus est Dominus, fundavit, construxit, atque dotavit, ut se melius disponeret ad suam in cætu fidelium restitutionem. Hincne acquisivit jus Patronatus?

Respons.

Non obstante censura in quam lapsus est, Cynthium æstimamus vere esse Patronum. Sic docet Joannes Andreas (*h*), hoc modo: *De excommunicato dico, quod male fecit Episcopus, illam admittendo: sed si cum suo consensu fiat, Patronus erit*. Si enim excommunicatus, verbum Dei audiendi gratia, Ecclesiam possit ingredi, ait Innoc. III. ad Ferrariensem Episcopum scribens (*i*), si fideles quoque cum illo ingredi possint, videtur illum posse Ecclesiam ædificare, atque dotare, & consequenter illius evadere Patronum, secundum jus commune: *Cum excommunicato liceat Ecclesiam ingredi ad audiendum verbum Dei..... ergo & Ecclesiam construere poterit....... & commendabile est ædificare templum Dei*.

Nota tamen talem Patronum nonnisi postquam ab excommunicatione absolutus fuit, posse uti jure ad Beneficium nominandi. *Sed exercitium non habet ante absolutionem*, addit idem Canonista. Idem observavit Fagnanus (*k*), post Joannem Andream, Henricum Boich (*l*), Antonium de Buttio, Cardinalem Zabarellam, Ancharanum, Abbatem, & Joannem Ananiam.

Equidem bona opera facere excommunicato maxime licet; Ecclesiam autem construere, illique dotem assignare, juxta divum Ambrosium (*m*), est pietatis opus, cui Canones jus Patronatus impertiuntur. Cynthius igitur hujus Ecclesiæ Patronatum acquirere potuit.

(*h*) Jo: And. in c. Nobis 25. de jure Patron.
(*i*) Inn. III. in cap. Responso 41. de sent. Excom.
(*k*) Fagn. in d. c. Nobis n. 13.
(*l*) Henr. Boich n. 3. in fin. v. Qui etiam n. 2. & 3. Anton. de Butrio n. 10. & 11. Card. n. 7. 8. & 9. Anchar. in c. Nobis, Abb. n. 3. & Jo: de Anania n. 3. & 4.
(*m*) S. Amb. in Can. Aurum 70. 12. q. 2.

CASUS V.

Galestus Patronus Parœciæ S. Faleuti jus habens, illud vendere, vel in feudum dare exoptaret. Id ne potest tuta conscientia?

Respons.

Patronatus, ait S. Antoninus (*n*), post Cardinalem Ostiensem, *est potestas præsentandi instituendum ad Beneficium Ecclesiasticum*. Duo autem distinguuntur Patronatus; personalis scilicet & realis. Personalis nullo modo potest vendi, aut in fundum dari, quia res est spiritualis. Quoad Patronatum realem ob eamdem rationem jus ejus non potest vendi, neque in feudum dari, si in se, & ut separatum a Gleba, cui est annexum, consideretur, sicut dicit Alex. III. in duabus ex suis Decretalibus (*o*), quibuscum omnino congruit Galliarum Jurisprudentia, ut videre est in pluribus Curiarum supremarum sententiis, præsertim in una Parlamenti Paris. 23. Junii 1529. a Charenda & Chopino memorata (*p*), & in altera a majori Consilio 30. Septemb. 1597. lata in favorem Joannis de Polly, contra Domicellam Esther de la Maziliere, Caroli Rouille, Domini de la Chenelaie viduam, in qua sententia decretum est Patronatum prædio annexum non posse alienari, concedi, neque separatim a prædio transferri. Habemus & Rhotomagensis Parlamenti de eadem re judicium mense Augusto an. 1612. latum, quod refert Marechal (*q*), cujus etiam sua in Bibliotheca Canonica meminit Laurentius Bouchel (*r*).

Cum tamen venditur, vel in feudum datur prædium, cui jus Patronatus adjunctum est, emptor, Patronus evadit: *Nisi de ipso specialiter excipiatur*. Inquit S. Antoninus (*s*) post Alexandrum III. (*t*) Hoc & docet D. Thomas (*u*): *Jus Patronatus*, inquit, *per se vendi non potest, nec in feudum dari. Si autem villa vendatur, aut in feudum detur, cui annexum est jus Patronatus, transit cum universitate ad illum, cui villa datur, vel qui eam emit, non quasi jus Patronatus sub venditione cadat*.

Ergo concludendum est, Gelasium dumtaxat jus Patronatus vendere, vel in feudum dare tuta conscientia non posse: at villam, quæ hoc jus annexam habet, potest licite vendere, aut in feudum dare, quo in casu, emptor hoc jus cum villa tanquam alienatum, nec ab illa separandum acquirit, juxta hanc Canonici juris regulam: *accessorium naturam sequi congruit principalis* (*x*).

(*n*) S. Ant. 3. p. t. 12. c. 12. init.
(*o*) Alex. III. in c. de Jure 16. & in c. Præterea 23. de jure Patr.
(*p*) Lud. Charond le Caron. in observat. v. Patronatus Renat. Chop. n. 11. de Domaio l. 3. tit 19. n. 4.
(*q*) Marec. tr. de jure Honorif. c. 1.
(*r*) L. Bouch. Biblint. Can. v. Patron. tom. 2. p. 183.
(*s*) S. Anton. 3. par. tit. 12. c. 12. §. 2.
(*t*) Alex. III. in c. Ex litt. 7. De jure patronatus.
(*u*) S. Th. in 4. dist. 25 q. 3. ad 3. idem 2. 2. qu. 100. art 4. ad 3.
(*x*) Reg. 24. de Reg Jur. in 6.

CASUS VI.

Si Gelasius villam suam non absolute dedisset in feudum, verum illam tantum oppignorasset Joanni pro securitate summæ 1000. librarum, quam ab illo mutuatus fuisset, Joannes possetne jus Patronatus sibi vindicare?

Respons.

De hac quæstione variæ sunt opiniones, inquit D. Antoninus (*y*): sed sola vera est eorum opinio, qui dicunt jus Patronatus non transire ad eum, cui res est oppignorata, ob simplicem oppignorationem: sicut S. Archiepiscopus, post Innoc. IV. docet: *Utrum jus Patronatus possit pignori obligari*, inquit, *de hoc sunt opiniones. Quidam dicunt: quod possit obligari cum universitate* (bonorum) *sed non specialiter & expresse. Verior tamen videtur opinio Innocentii, quod nec simpliciter, nec cum universitate potest pignori obligari*.

Ratio est, inquit, quia, qui rem pignoratam accepit, illius non est Dominus, & illa neque Debitor, neque Creditor frui possunt, & sic cum neuter possit præsentare, Ecclesia detrimentum pateretur. *Ex eo quod Creditor non potest uti pignorata; nec debitor quando transit in Creditorem: & sic cum neuter possit præsentari; fieri detrimentum Ecclesiæ, quod non debet esse*. Expressa sunt hujusce Sancti verba, qui alibi (*z*) refert, eamdem fuisse Joannis Andreæ, & Cardinalis Ostiensis opinionem, cujus fundamentum est, quia nemo potest bona præter sua propria oppignorare, & quia jus Ecclesiasticum inter cujuscumque hominis bona annumerari potest. *Et ratio est, secundum Ostiensem, quia pignus non consistit, nisi in his, quæ quis de bonis suis facit obnoxia.... sed cum Ecclesia in nullius bonis sit, patet, quod a nullo potest obligari*. Quapropter qui prædio potitur ob titulum locationis Judiciariæ, nullum jus habet præsentandi instituendos ad Beneficia, quæ a præfato prædio pendent, ut fert sententia die 11. Maii, an. 1629. lata in favorem Joannis du Beuil, Comitis Sancerrensis, Baronisque Vaillyensis, per quam Judicum Curia locationem Judiciariam Comitatus Sancerrensis, palatio postulante factam 29. Novemb. 1629. eo quod per hanc locationem ad beneficia nominatio, officiorumque provisio judiciali Villico concedebantur, & Curia emendans, Comiti Sancerrensi nominationem adjudicavit. Hanc Mornacus (*aa*) refert sententiam, ut testatur Blondeau (*bb*), qui fatetur Guimierium suo in Pragmaticam sanctionem Commentario (*cc*), in contrariam vergere opinionem; Mainardumque citat, qui mentionem etiam facit sententiarum quarumdam contrariarum a Parlamento Tolosano latarum (*dd*).

Sed hanc Jurisprudentiæ quæstionem tam clare persolvit Innocent. III. (*ee*), ut nihil possit illi

cum

(*y*) S. Anton. 3. p. tit. 12. c. 12. §. 2.
(*z*) Id. §. 5.
(*aa*) Morn. in l. 24. ff. de contrahend. empt.
(*bb*) Blondeau l. c. n. 113.
(*cc*) Guimierius in Prag. sanct. tit. de collat. § item voluit v. Vicario.
(*dd*) Main. in suis arrestis tom. 2. l. 2. c. 41.
(*ee*) Inn. III. in c. Cum Bertholdus. 18. de sent. & re judicata lib. 2. t. 27.

Digitized by Google

cum fundamento opponi. Iste enim Summus Pontifex unius Ecclesiæ legitimum agnoscit titularem eum, qui illi fuerat præsentatus ab ejus Patrono, scilicet loci Domino; etsi villam, cui Patronatus erat adjunctus pignori, dederat creditori pro cautione, nec non solutione summæ debitæ; & irritam declarat præsentationem in favorem cujusdam particularis, factam a Creditore prætendente sibi, utpote cui villa oppignorata erat, jus Patronatus competere. *Sententiam ipsam duximus irritandam*, inquit ille Papa, *memorato T. adjudicantes Ecclesiam supradictam; cum nobis constiterit evidenter, ipsum a vero Patrono fuisse præsentatum.*

Unde concludendum est, quod cum Galesius sit tantum simplex Joannis Debitor, villamque solummodo pro assecuranda summa debita pignori dederit, usque ad integram debiti solutionem; Joannes ut Creditor solum jus habet villæ fructus percipiendi, non vero jus Patronatus Ecclesiæ loci: Galesius enim prædii proprietarius semper extitit, licet reditus Joanni concess rit. Quæ opinio eo tutior apparet, quod si talis Creditor Patronatus jure gauderet propter prædium a debitore in pignus datum, cætera pariter jura honorifica sibi arrogare deberet, qualia sunt jus ad priorem in choro Parochialis Ecclesiæ sedem, prægressus in processionibus; Preces nominales, aliaque similia: quod absurdum evidenter apparet.

CASUS VII.

DIODORUS Parœciæ S. Claræ Patronus Laicus dictæ Ecclesiæ Patronatum, Abbatiæ S. Valerii in eleemosynam concessit, ipseque paulo post defunctus est, Didierius filius ejus natu major jus Patronatus redemit, summa 800. librarum mediante, quam isti Abbatiæ, cujus Abbas sibi erat genere proximus, persolvit. Vir quidam peritus æstimatus illi dixit hac in emptione realem existere Simoniam; nec ipsi licere hunc Patronatum sibi vindicare, neque uti jure ipsi annexo. Didierius ad remittendum in favorem Abbatiæ jus redemptum consentit. Sed cum nisi post aliquot menses remittere non possit, & cum vacet actu Parœcia Sanctæ Claræ, postulat, utrum possit uti jure nominandi.

RESPONS.

Constat, juxta nostrum ad præcedentem quæstionem responsum, jus Patronatus posse ad alium transire, cum venditæ villæ est adjunctum (*a*). Sed hoc ad propositum non spectat. Nam cum jus Patronatus Parœciæ S. Claræ, S. Valerii Abbatiæ fuerit gratis & in eleemosynam datum, inde Patronatus mere Ecclesiasticus evasit, ut ex Bonifacii VIII. quadam Constitutione evidenter apparet (*b*): *Licet Laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre dumtaxat: Ecclesia tamen vel Monasterium, cui facta est a Laico Juris Patronatus collatio, tempus habet semestre, & omnino quantum ad præsentationem pertinet, non ut Patronus Laicus, sed ut Patronus debet Ecclesiasticus reputari.* Unde sequitur nunc Patronatum non posse alienari (*c*); & ut habet Concilium Tridentinum (*d*), tali vendito Patronatu, Beneficium sub Patroni, sive Laici, sive Ecclesiastici potestate non ultra cadit; facultasque ad illud deinceps præsentandi ad Ordinarium Collatorem, secundum jus commune devolvitur. Unde sequitur, Didierium in casu proposito non posse uti jure Patronatus, cum illud pecunia acquisierit: *Nec dictum jus Patronatus*, ait Concilium, *venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra Canonicas functiones transferre præsumant. Si secus fecerint; excommunicationis & interdicti pœnis subjiciantur: & dicto jure Patronatus, ipso jure privati existant.*

(*a*) Alex III. in c. Ex litteris 6. de Jurepatr

(*b*) Bon. VIII. in c. Si Laicus un. §. 1. eod. tit. in 6.

(*c*) Alex. III. supr. cit c. De Jure & in cap Præterea & in in c. Quia Clerici 7. de Jure Patron.

(*d*) Conc. Trid. sess 25. de Reform. c. 6.

CASUS VIII.

GEDOVINUS Parœciæ S. Theugalis patronus Præsentator, Turcas debellaturus in Hungariam profectus est; quindecim ejus post discessum lapsis diebus vacavit Parœcia, quam duobus post obitum Parochi elapsis diebus, Episcopus Eustachio contulit pleno jure, liberi autem Gedovini e contra Patris nomine, relictæ sibi ab illo procurationis vi; ad illud Beneficium, si forte vacaret, nominandi licentiam concedentis, Regnerium præsentarunt. Estne valida & Canonica, licet ante quadrimestre facta, Episcopi collatio?

RESPONS.

Nostrum juxta usum Patrono in captivitatem abducto, vel ob longum iter susceptum absente, ubi primum Beneficia, ad quæ nominat iste Patronus, vacant. Ordinarius jus habet conferendi, nec tenetur expectare lapsum quatuor mensium Patronis laicis concessum; & hoc in favorem Ecclesiæ, & pro fidelium salute; quia expectare hujus Patroni captivi, vel tam longe distantis reditum, noxium & inutile fore merito præsumitur. Quapropter Eustachius Beneficium Parochiale S. Theugalis ab Episcopo collatum, legitime possidet. Patris procuratio licentiam ad vacuum beneficium nominandi liberis præbens frustra nobis objiceretur. Talis enim procuratio irrita est, & nulla, cum ad illius validitatem anterior mors Titularis requiratur, ut Blondeau (*e*), ex Viviani suffragio comprobat. Dominus Brillon in suo Dictionario edictorum idem observat (*f*), & ideo magis cum æquitate congruit, quod inde omnes ad beneficia inhiantes, qualibet careant occasione Titularium necem machinandi, aut exoptandi: ipsissima est ratio, propter quam prohibetur, ne alicui promittatur, aut a Collatore vel præsentatore beneficium viri viventis postuletur.

(*e*) Blondeau addit in Bonc. v Patr. n. 102. & apud eum Vivian. p. 1. l. 4. c. 4.

(*f*) Dom Brillon. Dict. edict. v. patron. n. 37.

CASUS IX.

Cum Bertharius Paulo, & Philemoni liberis suis, morte adveniente, reliquisset duo prædia, quibus jus Patronatus Parœciæ cujusdam, ex qua redeunt 2000. librarum, simplicisque Capellæ ex qua 50. libræ redeunt; Philemon cum Paulo fratre suo natu majore agit de adjungendo Patronatui Capellæ jure conferendi Bursam 390. librarum suis a Patribus pro pauperis Scholastici educatione institutam; ut hinc magis æqualia fiant jura Patronatus, Paulus propositionem Philemonis approbat & exequitur. Nonne aliqua est Simoniæ labes in tali Casu.

RESPONS.

Quæstio ista celeberrimo Professori (*g*), anno 1614. fuit proposita, qui sic distinguendo respondit: vel amborum Beneficiorum Patronatus, vel saltem notabilioris Beneficii ad natu majorem liberorum Patris hæredum juxta leges, patriosque mores pertinet: vel hoc jus utrique est commune, ita ut sint ambo æqualiter Patroni. In primo casu nulla est Simoniæ labes; quia natu major, scilicet Paulus, potest, notabilioris beneficii Patronatum sibi reservans, suo natu minori minoris beneficii Patronatum concedere, & consentire, ut minoris illius Beneficii Patronatus jus in posterum Bursæ conferendæ adjungatur. Ratio, est quia conventio cum natu minori facta nullius est lucri. Cum nihil temporale natu major, a natu minore recipiat pro spirituali; id est, neque pro majoris Beneficii Patronatu, neque pro jure Bursam conferendi.

Sed in secundo casu idem dici non potest. Nam hypothesi facta quod jura Patronatus amborum Beneficiorum ad utrumque ex æquo pertineant; unus dat alteri rem temporalem, scilicet jus Bursam conferendi; pro re spirituali, scilicet pro jure ad Beneficium amplioris reditus nominandi. Adeo ut in tali pacto reperiatur non gratuitus, sed saltem tacite Simoniacus contractus quo temporale, nempe jus Bursam conferendi datur pro spirituali; idest pro jure Patronatus, quod ex se & consideratum separatim a Gleba, cui annexum est, absque Simonia neque emi, neque vendi potest, ut docet Sanctus Thomas (*h*), & ut patet ex definitione Alexandri III. & Concilii Tridentini. Hæc decisio eo verior est, quo evidentius

(*g*) Fr. Sylv Resol. var. v. Jus Patronatus v. Labe Simon. tom. 5.

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. in corp. & ad 5.

dentius est hoc in secundo casu duos fratres de adjunctione juris temporalis bursam 300. librarum conferendi non convenire, nisi ut quodammodo æquent jus Patronatus minoris Beneficii, nempe Capellæ, ex qua 50. libræ redeunt, cum jure nominandi ad Parœciam ex qua redeunt 300. & consequenter nonnisi mediante temporali bono hæc fit compensatio: quod est Simoniacum.

(BENEFICIUM.)
(CONFIDENTIA.
Vide (COLLATIO.
(SIMONIA.
(PATRONUS.

PATRONUS-PRÆSENTATOR.

ILle PATRONUS PRÆSENTATOR dicitur, cui jus inest, alicujus Beneficii Patronatus: de quo tractabitur in titulo sequenti.

Debet Patronus subsellium suum in Ecclesiæ choro collocatum habere; in supplicationibus primarium locum obtinere; in commendatione precum, quam Parochus Evangelii moralem interpretaturus publice indicit, primus designari; cæterosque Laicos antecedere, in acceptandis aqua benedicta, thure, & pane benedicto, etiamsi supremum Dynastum, in eodem ambiendo jure honorario, æmulum habuerit.

Patrono Ecclesiastico, ut ad aliquod beneficium præsentare possit, semestris temporis spatium: Laico vero, quatuor tantum mensium conceditur intervallum: excepta tamen Normannia, ubi menses sex isti quoque tribuuntur.

Nec Episcopus, nec ipse Papa, quatuor mensium prædictorum currente spatio possunt, *Spreto Patrono Laico*, providere. Immo neque Rex, per idem tempus, non exspectata Patroni Laici nominatione, ex jure Regio providere valet; quemadmodum Arresto lato die 30 Junii 1642 statutum ast (*a*).

(*a*) Ephemeridis Audientiarum l. 4. c. 3. fol. 415.

Si Patronus Ecclesiasticus, aliquem, quem indignum novit, ad beneficium quoddam præsentaverit, jure nominandi pro hac vice privatur; ac de beneficio providet Collator. Patroni vero Laici conditio non eadem est; propterea quod non eodem modo, quo Patronus Ecclesiasticus, teneatur ad illius probandam capacitatem, quem Collatori præsentat: unde jus ei competit, ut & alterum præsentare possit. De quo quidem instituto, cui sua in decursu operis probario adjungetur, inter omnes satis convenit.

Ad beneficium indignus est is, inquit Polanus (*b*), *qui ineptus est ad præstandum officium incumbens; aut non est illud præstiturus.*

(*b*) Palm. p. 2. 23. n. 757.

Quando quis Dominus prædium suum vendidit, ac de jure Patronatus emptori cessit; si ab isto tempore fuerit ad aliquod Beneficium præsentatum, ipsius nominatio valet: etiamsi postea evenerit, ipsum ab aliquo venditoris Parente, qui redhibitionis gentilitiæ privilegio usus fuerit, ex possessione juris acquisiti dimoveri, ut a Supremo Parisiensi Senatu definitum est decimo Aprilis 1554 (*c*).

(*c*) Carondas l. 4. Respons. 100. f. 137.

De hac materia fusius in articulo sequenti differemus, in quo cætera quæque attingemus, quæ ad eam potissimum pertinent.

CASUS PRIMUS.

TICONIUS Patronus-Præsentator Laicus Curiæ S. Ivonis, ad illam præsentavit Petrum, aliquibus diebus post elapsos quatuor menses, qui Patronis Laicis conceduntur, ut nominent ad Beneficia, quorum sunt Præsentatores. Quod ubi rescivit Episcopus, Jacobum de prædicta Cura providit, qui statim in illius possessionem sese immisit. Petrus, qui, denegante Episcopo, litteras providit, ac suum *visa* a Metropolitano obtinuit, Jacobum in jus vocavit; ut de possessione sua deiceretur. Cuius rei causa quæritur, uter Parochus legitimus censendus sit?

RESPONS.

Jacobus, solus, isque legitimus Parochus censendus est. Quia nimirum Ticonio quatenus Patrono-Præsentatori laico, non ultra quatuor menses tribuitur, ut præsentare possit, quemadmodum fertur in quadam Epistola Decretali ab Alexandro III. edita in tertio Lateranensi Concilio generali, quod celebratum est 1179. (*d*): & a Bonifacio VIII. in una ex ipsius Constitutionibus declaratur (*e*): Quod ubi spatium elapsum est, ad proprium Diœcesis Episcopum jus illius, ipso facto, ac pleno jure devolvitur: quin etiam, antequam præcipitaverint quatuor menses, nominationis instrumentum ad Episcopum pervenisse requiritur.

(*d*) Alex. III. c. Quoniam 3. de jure Patron. lib. 3. tit. 38.
(*e*) Bonif. VIII. in c. si Laicus Uo eod. tit. in 6. l. 3. tom. 1 p.

Observandum tamen est, eum invaluisse usum, ut, qui degunt in Provincia Normanniæ (*f*), Patronis laicis, sex menses ad præsentandum concedantur. Et ille usus etiam stabilitur, quadam alia Decretali Epistola ejusdem Alexandri III. qui nulla facta distinctione inter Ecclesiasticos, & Laicos, Patronis ad præsentandum, semestris temporis spatium impertitur (*g*), & Concilio Avenionensi habito sub Pontificatu Innocentii III. (*h*); Unde consequens est, futurum, ut solus, legitimusque Parochus censeretur Petrus, si Cura, de qua agitur in quæstione proposita, foret intra limites illius Provinciæ sita.

(*f*) Conf. Norman. art. 69.

(*g*) Alex III. in c. Nulla 2. de conc præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis l. 3 t. 19.
(*h*) Conc. Avenion. can. 14. an. 1209.

Quin etiam scire operæ pretium est, licet Patronis laicis extra provinciæ Normanniæ limites positis, quatuor tantummodo menses, jure tribuantur, ut præsentent ad beneficia, quorum Patronatus jure gaudent; fieri tamen posse, ut cæterarum Provinciarum Patronis, aliquid temporis ulterioris spatii concessum esse contingat, si nempe fundatores, illud in suarum fundationum monumentis exprimi curaverint. Talem enim clausulam, effectu suo defraudari non decet; quando

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

do de consensu Ordinarii reperitur hujusmodi monumentis apposita : ut probari potest quadam Innocentii III. Epistola Decretali in corpus Juris relata (*a*); adeoque si Ticonio competunt ex ipsius curæ fundationis exemplo 5. aut 6. menses, ut queat ad illum præsentare : absque dubio Petrus habendus est ut solus, isque legitimus Parochus.

Denique notandum est, temporis spatium, quod Patronis datur, ab ipso quidem vacationis Beneficii die, fuisse olim computatum, at ista jam Jurisprudentia omnino obsolevit; sed secundum eum, qui obtinuit hodiernum usum, computari incipit, nisi a die, quo potuit vacatio ad aures usque Patroni, ut verisimile est, contingere : quemadmodum alibi dicemus, & ipsissimis verbis exprimitur, consuetudine Normanniæ (*b*), ut annotat Bouchel : unde necessario, *non omnino certa, & vera scientia Patroni desideratur, sed tamen interpretative*, ut loquitur quidam e nostris Jurisperitis (*c*); quod idem quoque diserte dicitur a Molinæo ad 55. articulum consuetudinis Parisiensis (*d*).

(*a*) Inn. III. in cap. Cum Dilect. 8. de consuet. l. 1. t. 4.

(*b*) Computando a die, quo dicitur ultimi possess. obitus. Consuet. Norm art. 69. jam laud.

(*c*) De Roie. De jure Patr. c. 28.

(*d*) Gar. Molin. Gl. 10. n. 34.

CASUS II.

RAMBERTUS Parœciæ Sancti Flodoardi in Picardia Parochus, cujus curæ jus Patronatus inest Domino loci, cum rem aliquam magni momenti peracturus, Venetias sese contulisset die ab adventu octavo, obiit. Cujus obitus, cum nonnisi post elapsos quatuor menses cum diebus aliquot, Diœcesano Episcopo renunciatus fuerit, adveniente certo cursore, quem Gallicanus legatus rerum Regni latorem festinanter miserat ad Regem, Julianum prædictus Episcopus de Cura providit. Parœciæ vero Dominus, cui nulla cum Venetiis erat communicatio, nec de vacante Cura quidquam fuerat, nisi ex incepto Episcopi, subodoratus; Hieronymum ad illam nominavit; qui tum suum *visa*, tum litteras provisionis a Metropolitano, recusante nimirum Episcopo, obtinuit. Qua de re, quæstio instituitur, uter sit legitimus Parochus?

RESPONS.

Solum Hieronymum legitime provisum existimamus. Enimvero tribuuntur quidem Patrono Laico quatuor dumtaxat menses, ut Episcopo, quempiam præsentare possit : quemadmodum constat ex Decretali Epistola ab Innocentio III. ad Conventrianum Episcopum in Anglia rescripta (*e*), & ex cæteris Decretalibus superius citatis. Præterea fatemur ab obitu Ramberti, & plusquam menses quatuor abiisse, nec tamen opinamur, idcirco jus Patroni in specie proposita, ad Episcopum devolvi. Cujus quidem ratio hæc est, quod non sint ab ipso vacationis die, prædicti quatuor menses computandi, sed ab eo tantum, quo vel pervenit, vel pervenire potuit ad Patronum illius vacationis notitia : ut videre est ex Decretali ab eodem Summo Pontifice ad Cardinalem quemdam directa, in qua sic declaratur (*f*) : *Semestre autem tempus*, inquit, *non a tempore vacationis Præbendarum, sed notitiis ipsius potius volumus computari*. Quod sicut de sex mensibus, qui Patrono Ecclesiastico conceduntur, ita de quatuor, qui tribuuntur Patrono Laico mensibus, intelligendum quoque esse, vel ipsius æquitatis dictamine suadetur. Unde inferendum est, quod, cum Rambertus, in Regione trecentis fere dissita leucis a sua Parœcia, supremum expleverit diem; apud quam nullus inerat Domino consuetudinis usus, nec ullum cum Picardia, propter locorum distantiam, frequentatum commercium, non possit recte conjici, ad aures usque Domini Parœciæ, de mortuo Parocho, citius contigisse nuncium, aut contingere potuisse, & consequenter, cum ab eo culpam omnem abesse constet, non debeat proprii juris privatione mulctari. Quippe æquitate naturali innuatur sequens regula Juris (*g*) : *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*; & hæc altera, qua dicitur (*h*) : *Imputari non debet ei, per quem non stetit, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum* (*i*).

(*e*) Inn. III. in cap. Cum Propter 27. de Jure Patr.

(*f*) Idem in c. Quia 5. de concess. Præb. &c.

(*g*) Bonif. VIII. in Reg. 23. de Reg. jur. in 6.

(*h*) Id. ib. R. 41.

Quod ibi proposuimus, vim Legis prorsus obtinet in Provincia Normanniæ, quæ ea de re distinctum articulum in sua consuetudine inseruit. Qui 69. est, quo significatur, tempus non esse computandum, *nisi ab ipso die, quo ultimi possessoris obitus vulgo innotescit*; Quibus verbis articuli prædicti sensus exprimitur.

(*i*) Coll Cond. t. 2. coll. 2. sectione 2.

CASUS III.

SOPHOCLES Patronus-Præsentator Laicus, alicujus Capellæ, cui reditus 400. librarum annuus annectitur; alterum suum filium ad illam nominavit. Numquid ista nominatio legitima est, collationemque illius prædicto filio concedere, servatis Canonicis regulis, Ordinarius potest?

Prima dubitandi ratio desumitur ex sequentibus verbis Alexandri III. scribentis ad Episcopum Andrium in Apulia : *Cum sanctuarium Dei jure hæreditario teneri non possit, non decet aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias a Parentibus suis fundatas, propria auctoritate detineant*.

Altera est, quod secundum leges, Pater & filius, una eademque persona censeantur (*k*): ac proinde, sicut Pater seipsum, ita nec filium suum possit ad aliquod beneficium, cujus ad ipsum præsentatio pertinet, nominare.

RESPONS.

Legitima est præsentatio a Sophocle facta in gratiam proprii filii ad Capellam, in enunciato casu memoratam; modo nihil in eo actum sit, quod tum ratione carnis, & sanguinis, tum alia quavis humana consideratione, fuerit suggestum. Ita censet auctor Decretalis in quæstione laudatæ interpres (*l*) : *Secus, quod præsentationem parentum,... unde non videtur hic prohiberi præsentatio filii. Unde permitti intelligitur*. Ea sunt ipsissima verba prædicti interpretis, qui paulo post hæc subjicit : *Episcopo præsentare potest Patronus filium... quia suffragium Patris valet filio*: quod confirmat quadam Digesti lege, (*m*) quæ habet : *Patris suffragium filio proderit : & filii Patri*.

Idem docet Panormitanus in suo in eamdem Decretalem commentario, & alibi (*n*), atque decisionis suæ rationem illam subjungit in iis, quæ bonorum Ecclesiasticorum spectant tum possessionem, tum usumfructum, filium, licet constitutum sub potestate Patris, proprii juris esse, atque ab omni aliena potestate, etiam paterna, omnino liberum: ac hujusmodi bona, quæ acquirit, (si sic loqui non sit nefas,) prorsus fieri sua, non patris: quia Clericorum Ordo, quamdam quasi militiæ sacræ formam exprimit, ut ait Papa Siricius scribens ad Hymerium Tarraconensem Episcopum (*o*), & post illum S. Gregorius in sua ad Maximum Episcopum Siracusanum Epistola, & Nicolaus primus (*p*), unde quod ex prædictis bonis Clericus percipit, veluti quoddam peculium consideratur, quod Jurisconsulti vocant *quasi Castrense : est enim Clericorum sacra militia*; juxta Cabassutium, qui trium Canonum Decreti Gratiani (*q*), ac unius Epistolæ Decretalis auctoritate nititur.

Decretalis Alexandri III. ex qua proposita dubitandi ratio desumitur, nullo modo huic nostræ sententiæ adversatur; propterea quod in ea supradictus Papa de iis tantum, qui nullo muniti Canonico titulo, ad aliquod Beneficium obrepsere, sermonem habeat; ut subsequentia verba aperte declarant : *Propria auctoritate detineant*; nec de iis loqui intendat, qui canonice præsentati a patrono, de aliquo beneficio ab Ecclesiastico Superiore legitime providentur.

Quæ ad confirmandam dubitandi rationem probatio subjungitur, nihil quidquam concludit. Etenim, licet una, eademque persona Pater & filius juxta Romani juris institutiones, censeantur; non ita se habent secundum jus Canonicum: sed *Pater & filius revera sunt duæ personæ*, inquit quidam Gallus Juris Canonici peritus (*r*), in unam Decretalem Epistolam Innocentii III. *& inde est*, pergit idem Auctor, *quod Pater Patronus potest*

(*k*) Instit. §. 4. de inut stipul. ver. final. l. 3. Instit. tit. 20.

(*l*) Gloss. in cis c consuluit v. Propria auctorit. & v. Concedant.

(*m*) L. Illud. 5. ff. Quod cujuscumque universit. nomine vel contra eam agatur l. 3. t 14.

(*n*) Panor. in cit. c. consuluit, & cons. 2. p. c. 96.

(*o*) Siric. in c. Quicumque 3. dist. 77.

(*p*) Greg. Papa Epist. ad Max. Nicolaus I. in c. Reprehen. 19. 23. q. 8.

(*q*) Jo. Cabas. Jur can. Thes. & prax. l. 2. 8. n. 2. apud cum cau. Quicumque 3. d. 77. ca. Præsbyteros 38. 16 q. 1. cau. Reprehensibile 19. 23 q. 8. & c. Episcop. 4. de præb. &c.

(*r*) Bened. in c. Rayn. de Test. &c. v. Mortuo n. 58. p 2.

test filium, sed non seipsum præsentare ...... licet alibi juris fictione censeatur eadem persona. Hæc non tam nostra, quam Cabassutii (*a*), Pacufii (*b*), Blondaquæ (*c*), cæterorumque plurimorum decisio censenda est.

(*a*) Jo. Cab. Jur can. The. & prax. l. 2. c. 8. n. 2 Item Bengens tit. fin.
(*b*) Pacus l. De Mandatis apost n. 6. fol. 2. recto.
(*c*) Blondeau in addit. ad Bouchel.

CASUS IV.

SYLVERIUM inter, & Possidium Patronos Præsentatores Curæ S. Arbani, cum de eodem præsentando, nullatenus potuerit convenire; Sylverius Joannem, Jacobum Possidius ad illam nominavit. Uter existimandus, ut legitime præsentatus, & jus habens ad Curam?

RESPONS.

Soluta prorsus ac explanata reperitur in tertio Lateranensi Concilio Generali proposita difficultas (*d*); ubi de Patronis, quibus inest jus individui Patronatus, de eodem præsentando non consentientibus, ita statuitur in Epistola Decretaliquam in eodem Concilio Alexander III. edidit; *Quoniam in quibusdam locis fundatores Ecclesiarum, aut hæredes eorum potestate, in qua eos Ecclesia huc usque sustinuit, abutuntur, & cum una Ecclesia unius debeat esse Rectoris, pro sua dissensione plurimos repræsentant, præsenti Decreto statuimus, ut si forte in plures partes fundatorum vota diviserint; ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & probatur assensus. Si autem hoc sine scandalo esse nequiverit; ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam: & ad ipsum etiam faciat, si de jure Patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat infra quatuor menses non fuerit definitum.* Quod idem a S. Antonino docetur (*e*).

(*d*) Alex. III. in conc. Lat. in c. Quoniam 3. de jure Patronat.
(*e*) S. Anton. 3. p. t. 12. c. 12. eod. tit.

Prædictus Papa, qui Concilio laudato præerat, idem quoque decernit in alia Decretali (*f*) ad Angelicum Episcopum inscripta, cui sic loquitur; *Si vero ordinatio alicujus Ecclesiæ ad tuam institutionem spectat; & pro controversia Laicorum, de jure Patronatus inter se discrepantium, prorogatur; fas tibi sit appellatione remota, in eadem Personam idoneam instituere, ita quod repræsentetur ab eo, qui jus evicerit Patronatus.*

(*f*) Alex. III. in c. Si vero. 22. eod. tit.

Quæ quidem Canonica Jurisprudentia, eo fine inventa est, ut Ecclesiæ utilitati plurimum consuleretur, nec diu remaneret beneficium, quod curam animarum annexam habet, Pastore destitutum. Eoque in casu Patronus, cui jus præsentationis adscribitur, pro hac quidem vice, sui juris usu privatur; at integrum ei posthac servatur. Qua quidem in re notandum est, id juris Episcopo non acquiri, nisi cum de Jure Patronatus, mutuum est inter Patronos litigium. Adeoque quando ad idem beneficium, Patroni complures vicibus alternis præsentant, cui competat pro ista vice juris præsentationis usus inter se dissentiunt; Episcopus provisionem præsentatorum unicuique conferre debet; primam scilicet, pure ac simpliciter; cæteras vero cum adjecta clausula; *ad conservationem juris.* Et ita hac nostra ætate, ab Illustrissimo fælicis recordationis De Harlay Parisiense quondam Episcopo actum est, erga DD. Robert & Matthieu, occasione vacationis Curæ S. Andreæ de Arcubus Urbis Parisiorum, cujus nominatio ad Universitatem pertinet, & de cujus præsentationis vice facultates inter se rixabantur.

Quibus jam positis sequitur, cum in proposito casu Joannes & Jacobus unicum suffragii tantummodo punctum tulerint, Sylverio nimirum Joanni, Jacobo autem Possidio suffragante; ad Episcopum plane devolvi, ut quemcumque libuerit, quemque; pro Deo; habuerit digniorem ac debitis muniis præstandis aptiorem, eum de prædicta Cura provideat; nullo remanente Joanni & Jacobo ea in re intercessionis fundamento. At si duobus illis Patronis, quidam tertius adderetur, & a duobus quidem primis Joannes, Jacobus vero a tertio præsentaretur; solus Joannes censeretur legitime nominatus, quemadmodum a Blondaqua in suis ad Canonicam Bibliothecam Bouchel additamentis annotatur (*g*).

(*g*) Blondeau. v. Patronatus n. 185.

CASUS V.

APPIUS, Curæ S. Gudulæ Patronus, Vincentium, regiminis animarum tractandi, minime capacem ad illam nominavit. Cujus doctrinæ tentato periculo, cum Diœcesanus Episcopus rejecit, ac de memorata Cura Theodulum providit. Canonica ne est Episcopi Collatio: eamque tuta conscientia Theodulus sibi facere propriam, ac defendere potest?

RESPONS.

Distinguendum est. Enim vero Appius est, aut Ecclesiasticus, aut Laicus Patronus. Si fuerit Ecclesiasticus Patronus; jure præsentationis, pro hac vice, decidit, quod ineptiorem subjectum præsentaverit: cum multo minus excusationis legitimæ, Patrono Ecclesiastico prætendatur, quam Laico, qui potest merito præsumi ea carere animi sagacitate; ut valeat alicujus præsentandi capacitatem; sufficientes explorare; quod idem de Patrono Ecclesiastico, existimari non debet. Unde jure suo perfunctus, a primo suæ præsentationis actu censetur. Proindeque valida est in eo casu, atque Canonica, ab Episcopo Collatio facta in gratiam Theoduli.

At, si Appius sit Patronus Laicus, variationi locus datur; id est, si præsentatio ab ipso primo facta, ex ipsius præsentati capacitatis defectu rejiciatur; id illi juris incumbit, ut & alterum præsentet: Quemadmodum declaratur a Lucio III. in Epistola ad Episcopum Norvicensem in Anglia (*h*), cujus hæc verba sunt; *Cum autem advocatus Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, & postulaverit postmodum, eo non refutato, alium æque idoneum in eadem Ecclesia admitti: quis eorum alteri præferatur, judicio Episcopi credimus relinquendum; si Laicus fuerit: cui jus competit præsentandi: verum si Collegium, vel Ecclesiastica persona, præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur.*

(*h*) Luc. III. in c. Cum autem 24. de jure Patron.

Ex quibus verbis constat, quantum, judice Laudato Papa, Ecclesiasticum inter & Laicum Patronum, discriminis intersit; quamque optime possit ad casum præsentem accommodari. Alia vero occurrit Epistola Decretalis, ab Innocentio III. ad Episcopum Eliensem scripta, in qua distinctius omnino atque apertius idem exprimitur: ea sunt ipsius verba (*i*); *Nos igitur Alexandri Papæ* (*K*) *vestigiis inhærentes, qui inter præsentatos a Clerico & Laico Patronis distinguens, inter præsentatos a Laico, conditionem possidentis, censuit meliorem: dicimus, quod institutio præsentati secundo loco a Patrono Laico, robur obtinet firmitatis.* Ibidem Glossa in eum locum addit (*l*): *Ecce differentiam inter præsentatos* a Laico, & inter præsentatos *a Clerico: quia Laicus variare potest, Clericus non.* Quod confirmat alia quoque Decretali (*m*) Alexandri III. ad Cantuariensem Archiepiscopum, & ad ipsius suffragantes. Cui deinde subjicit; *unde videtur quod si Laicus præsentet indignum, non perdit jus eligendi:* quod etiam eadem Glossa probat alterius ejusdem Papæ Decretalis dispositione (*n*).

(*i*) Inn. III. in c. Pastoral. 29. eod. t.
(*k*) Alex. III. in c. Quod autem 5. eod. tit.
(*l*) Gloss in e. c. Quod autem v. Robur.
(*m*) Alex. III. in cap. Quod autem. ff eod. tit.

Ex iis omnibus inferre est, si Appius fuerit Patronus Laicus, collationem Episcopi nullam, aut potius irritam esse jubendam: hoc est non habere quidem, ex ipso jure, ut nulla sit; eamque integram perseverare, nequicquam obstante provisione, quæ fuisset etiam a summo Pontifice, in gratiam alterius, intra quatuor menses præsentati, concessa; nisi Patronus conqueratur, & alterum denuo præsentet, ut explicat Molinæus a Blondaqua citatus, qui affirmat eam nunc Jurisprudentiam in supremo Senatu Parisiensi obtinere; at si jure vacationis adhibito alterum præsentaverit subjectum non capacem, ipsius jam consummatum esse jus, & ad prædictum in proposito casu beneficium, potuisse ab Episcopo provideri pleno jure; quod a Fagnano docetur in suo Decretalium commentatio; *Nota primo*, inquit Eruditus iste Canonici Jurisperitus ... *Patronum Laicum, eo quod præsentet indignum, non esse privatum jure, nec pri-*

(*n*) Item in c. Cum vos. 4. de officio Judicis ordinarii l. 1. t. 31

van-

vandum potestate præsentandi .... nam si esset privatus, ordinatio Ecclesiæ non esset differenda; sed statim ad Episcopum devolveretur ..... (a) Glossa secunda hic tenet, non esse privatum, nec privandum: & cum Glossa consentit Archidiaconus .....: Federicus de Senis ..... Innocentius ..... Cardinalis & cum hac opinione concordat Joannes Andreas num. 12. *in fine*, *verb.* per quæ dico, *ubi finaliter concludit, Patronum Laicum non esse privatum per hoc, quod præsentat indignum scienter: sed tunc erit privatus, cum infra quatuor menses, sibi ad præsentandam præfixos respectu prioris inchoationis alium non præsentat, & tunc demum poterit Episcopus de alio providere.* Ea etiam de re laudatus Doctor Auctoritates congerit complurium non infimi nominis Juris Canonici peritorum (*b*), quos appellare supervacaneum omnino ducimus; quippe, quæ adhibuimus rationum monumenta, ad elucidandam definiendamque propositam quæstionem, abunde sufficiant.

(*a*) Idem ib. n. 34.

(*b*) Ibid. nu. 38. & seq.

Est annotandum, posse, si velit, Patronum Laicum, qui quemdam non repertum sufficientem, præsentavit; eumdem iterum præsentare, modo ab eo tempore, quo repulsam ab Episcopo accepit, sit factus capax, nec, quod Patrono spatium temporis ad præsentandum conceditur, fuerit elapsum. Quæ observatio fit a Blondaqui in additamentis ipsius ad Canonicam Bibliothecam Bouchel, superius citatis (*c*).

(*c*) Blondeau v. Patronatus n. 152.

CASUS VI.

Eunapius, Clericus alienigena, intra quatuor menses, ad Prioratum Curam S. Yriezii, a Jacobo illius beneficii Præsentatore Laico, præsentatus fuit. Post lapsos quatuor menses, Diœcesanus Episcopus, eumdem Prioratum Curam Petro, *jure devoluto*, contulit; sub eo nimirum prætextu, quod cum Eunapius Regni incola non foret, inhabilis ad illud beneficium possidendum prorsus esset habendus. Cujus occasione rei, priusquam, collationem postulaturus, Episcopum adiret, incolæ Regni, jura sibi imperriri, obtinuit; eaque ratione præsentationis defectum, satis superque emendari contendit. Petrus e contrario reponit, ut rata censeretur ista præsentatio, Eunapium jure Francorum donari, prius oportuisse. *Quid juris?*

R e s p o n s.

Constat, ut alibi docemus, ab extraneo, nullum obtineri posse beneficium in Gallia: quin ei incolæ Regni jus, Regio deplomate fuerit prius concessum? quo, disertis verbis exprimatur, eum, ad possidenda beneficia, idoneum & habilem reddi. Quando vero prædictum jus a Principe, sibi semel impertiri obtinuit: ad possidenda quæcumque beneficia, sine ulla controversia aptus evadit. Quin etiam, priusquam illud ei juris fuerit impertitum, ad illa beneficia nominari potest; satisque est, si sibi concedi impetraverit, antequam instituatur: quo quidem in casu, non potest destitui, ex allegato alienigenæ prætextu. Quemadmodum docet Blondaqua in suis ad Bibliothecam Canonicam Bouchel additamentis (*d*); post Socinum ab ipso laudatum. At illud locum habere non intelligitur, nisi quatenus alter de eodem beneficio, *medio tempore*, non provisus fuit; id est, eo temporis spatio, quod inter præsentationem vel collationem, & prædicti Regii Diplomatis impetrationem, abist. Tunc namque qui; interjecto tempore, fuit provisus; verus titularis est, & quantum ad præsentem casum attinet: immunitas a Principe concessa nihil extraneo confert.

Ratio est, quod non possit Princeps, hujusmodi privilegium tribuere, quod alterius tertii juri acquisito officiat. Ut colligitur ex una Constitutione Bonifacii VIII. (*e*) & ex una lege codicis ad marginem citata (*f*); item & ex plurimis aliis legibus digesti; quas in superiorem legem Glossa annotat (*g*); quam quoque Jurisprudentiam secuta est, suprema Provincialis Curia, ut habetur ex Arresto quodam ab eodem Blondaqua relato. (*h*)

(*d*) Blondeau v. Patronatus n. 179 & apud eum Soccin. Cons. 290. vers. penul

(*e*) Bon. VIII. in c. Quamvis 8. de Rescriptis in 6. l. 1. 3.

(*f*) L. Rescripta 7. C. de precib. Imperatori offerend. l. 1. t. 9.

(*g*) Gloss in D. l. Rescripta v. Non laedat al.um

(*h*) Blondeau l. c. n. 150.

Inde igitur concludendum est Petrum, de quo in enuncianda quæstione agitur, a Diœcesano Episcopo fuisse canonice provisum: & cum Eunapius jurium Incolæ Regni particeps, nunnisi, post institutum Petrum, factus fuerit, jus ei ad Prioratum Curam S. Yriezii, nullum omnino competere.

CASUS VII.

Athenogenes, Patronus Præsentator Curæ, in ea constitutæ Paræcia, cujus Dominus est? promisit sui villici filio, fore, ut occurrente, illius beneficii vacatione, ex obitu Titularis, qui summam, jamque decrepitam attigit ætatem, eum, ad prædictam Curam præsentet. Nonne aliquid criminis annexum habet, hujusmodi pollicitatio, ab eaque exolvenda potestne Athenogenes abstinere; quando obitus Parochi evenerit?

R e s p o n s.

Hujusmodi pollicitationem improbant, quotquot sunt Canones. Unde nec Athenogenes fidem, ea de re, potuit, absque peccato, dare; nec datam debet ulla ratione servare.

Quæ decisio nititur. 1 Concilii Lateranensis tertii Decreto (*i*): *Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent.* Ratio quæ, ea de re, a Patribus Concilii innuitur, est; *ne desiderare, quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium, se crediderit successurum*: & addunt, Paganorum etiam legibus, pessimum istum usum, reprobatum fuisse; *Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium, inveniatur inhibitum; turpe est, & Divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei, futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.*

(*i*) Concil. Lateran. sub Alex. III. In 6. Nulla 2. de concess. præbendæ &c. l. 3. t. 8.

Inde est, quod Alexander III. (k), scribens ad Eboracensem Archiepiscopum, juxta tam sapiens Decretum, statuit; ejusmodi promissa pro nihilo habenda esse, & quod, *prætextu appellationis, quæ dictis promissionibus innituntur, omitti non debet, quin Ecclesiæ, cum vacaverint, de personis idoneis ordinentur.*

(*k*) Alex. III. in c. Relatum 5. eod. tit.

Innocentius III. idem quoque declarat (*l*), occasione fidei, a quibusdam Religiosis in simili causa exhibitæ; *Promissio dicta non tenet*, inquit, *ut pote contra statuta Lateranensis Concilii attentata.*

(*l*) Innoc. III. in c. Ex tenore 13. eod. tit.

Bonifacius VIII. eodem etiam fretus Concilii Lateranensis Decreto, atque ejusdem a Concilio prolatæ rationis momento, ait: *Nos, malis hujusmodi, & animarum periculis occurrere cupientes, promissiones easdem & alias quascumque, sub quovis modo aut forma verborum, de cætero faciendas per quas directe, vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura authoritate Apostolica penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus: Decernentes, per eas, vel ipsarum aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodolibet obligari* (*m*).

(*m*) Bon. VIII. cap. Detestanda 2. eod. tit. in 6.

Possunt tandem prædicta testimonia roborari authoritate famosi Concilii ultimi Generalis (*n*), quod omnes omnino gratias, quas expectativas vocant, rescindit; ne quidem iis exceptis, quæ ante Concilii celebrationem incœptam, fuerant impertitæ (*o*).

(*n*) Concil. Trid. sess. 24. c. 19. de refo mr.

(*o*) S. Antonin. 3. p. Sum. t. 15. c. ... parag. 27. Pr. Sylv. ref. var. v. Benefic. 3.

Vide Collatio Casus V.

CASUS VIII.

Parocho Paræciæ S. Joannis commortuo: Remigius illius Curæ Præsentator, Lucianum ad illam nominavit, id eum rogante ex propinquis suis quodam, eique verbis utcumque generalioribus, affirmante, virum esse probum. Remigius, qui Lucianum, tantummodo de facie noverat, quod eum, nempe sibi fortuito occurrentem, aliquoties conspexisset; & utrum aptus, nec ne, illius beneficii esset, re quidem ipsa prorsus ignorabat: & illo suæ præsentationis actu, veretur, ne lethaliter peccaverit in Deum. An metus iste, fundamento aliquo nititur; & ad nimiam in impertienda sua nominatione, facilitatem in confessione aperiendam absolute ne tenetur.

R e s p o n s.

Metus, quo Remigius commovetur, causam habet, & quidem gravissimam; nec potest ab admisso, in specie proposita, peccato, Confessori indicando, ulla ratione dispensari. Quippe manifestum

omni-

omnino sit, eum deliquisse graviter, vel ex eo quod Lucianum, de perspecta ipsius capacitate, nequidem moraliter certus, ad illam Curam præsentare non dubitaverit: quod sic probari potest.

Peccati mortalis periculo, ultro sese committere nunquam licitum est: juxta illud scripturæ (*a*), *qui amat periculum, in illo peribit*. Atqui Remigius, Lucianum, non experta prius ipsius capacitate, ad illam curam præsentando, lethalis peccati periculo, sese voluntarie commisit: cum nominationis, in gratiam alicujus indigni, impertiendæ, discrimen adierit, & constet, eum lethaliter peccare, qui, ad beneficium habens annexam curam animarum, promovet indignum aliquem, hoc est, qui, non iis polleat dotibus, quibuscumque, quæ ad debita beneficii illius munia præstanda, necessario requiruntur. Quod quidem periculum, ut præcaveatur, operæ pretium est, præsciri præsentatum, iis omnibus dotibus instructum; quarum præcipuæ sunt, tum morum probitas, tum scientia sinon eminens, ea saltem, quam Innocentius III. vocat competentem seu (*b*) convenientem; id est, ut explicatur ab Innocentio IV. (*c*) in Decretalium commentario quem edidit, quæ talis sit, ut licet difficilia quæque atque intricata non possit extemplo enodare, sentire saltem atque vel librorum vel eruditorum ope, penitus resolvere edistcat: addendum est præterea id Remigio munus incubuisse, ut juxta Ecclesiæ intentum, ad prædictam curam, nonnisi quem dignissimum noverat, præsentaret. Enimvero, qui ex officio Præsentatoris Collatorisve, Bonorum Ecclesiasticorum dispensator constituitur, ejusmodi dispensationi non minus invigilare debet, nec minus attendere, ut nonnisi, digni Ministri, Ecclesiæ devinciantur, quam propriis rebus tractandis, aut terrenis quibusque suis promovendis attenderet invigilaretque. Porro quis eo usque insaniat, ut rerum suarum administrationem, negotiorumque temporalium etiam, quæ levioris fuerint momenti, curam committere præsumat, cujus nec fides integra, nec in agendo sagacitas explorata habeatur? Qua igitur ratione, quove jure Remigius præsumpsisset Rei Ecclesiasticæ curam, Luciano tuta conscientia, concedere; præsertim cum eum, ad digne laudabiliterque tractandam illam, idoneum plane ignoraret? Neque vero Præsentator iste, munus illud, a se transferre in Collatorem aggrediatur, quasi sit solius Collatoris invigilare, ut Ministri capaces, Ecclesiæ tradantur. Summus enim Pontifex, aut Episcopi qui concessere Patronis, ut ad quædam Beneficia, jure prorsus proprio præsentare possent, eandem omnino, quæ sibi incumbebat, officii conditionem ad illos transmiserunt. Porro tum summo Pontifici, tum Episcopis incumbit, ut absque peccato, nullum, nisi dignum cognitum, ad Beneficia valeant promovere. Adeoque, nec dispar conditio Præsentatorum censeri potest.

(*a*) Eccl. 3. 27.

(*b*) Inn. III. In c. Cum nobis. 7. de Electione, & Electi potest.

(*c*) Scient. autem reputamus eminentem, quæ subtiles quæstiones discutere & definire novit, & in promptu responsiones habet. Ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia: quamvis ad omnia nesciat respondere, & qui in lib. veritatem eorum, quæ sciretenetur scit quærere. Inn. III. in D. ca. Cum in cunctis. n. 2.

Verum quidem est, ab Episcopo, *visa* posse denegari ei, qui præsentatur a Patrono, quando nempe insufficiens reperitur. At non ideo dispensatur Patronus, ab officio præsentandi subjecti digni: 1. Quia Præsentato potest inesse, quidam capacitatis defectus, qui Episcopum fugiat, inquirenti vero Patrono innotescat aut innotescere possit. 2. Quia sæpe sæpius contingit, quibus ex justa causa, denegatur ab Episcopo *visa*, ex oblato ipsius repulsæ instrumento, mediantibus nimirum plurimumque agentibus amicis, ipsis etiam, sollicitandi nullum finem facientibus, a Metropolitano tandem impertiri. Metropolitanum quippe captari circumvenirique facilius omnino fit, quam Diœcesanum Episcopum (*d*).

(*d*) De Gen. Theol. mor. t. 3. tr. 3 c. 4. Idem 3. 4. & 5.

CASUS IX.

FRAMBURDO Dynastæ Anglico, communioni Catholicæ addicto, Curæ S. Edoardi in Diœcesi Rutupiensi sitæ, jus inest Patronatus. Legibus Anglicis sancitum est, ut, quæ, prius disseminatam hæresim, Patronatus juri subjiciebantur, Curarum jus Præsentationis intactum, Patronis hodiernis servaretur. Quoniam vero Catholicum quemquam nominandi, omnis jam locus, eis adimitur: ad illam curam Framburdus, indigenam aliquem hæreticum, ipsi quoque hæretico Episcopo, præsentatum, obtulit. Petitur, utrum istud facere potuerit, illæsa conscientia, eoque tantum animo, ut jus integ um sibi servaret, donec auxiliante Divina Providentia, in eo Regno, rediviva aliquando valuerit, Religio Catholica, reflorescere. De proprii juris usu legitimo nullatenus ambigit; tum propter rationem memoratam, tum quia arbitratur, sese Catholicis, hac ratione, plurimum inserviisse, cum Ministrum sapientem simul ac moderatum præsentaverit, quique, ex grata beneficii memoria, cum Catholicis, animo pacifico & remoto ab omni vexationis prurigine, acturus sit. Prætereaque, quia, semper in Anglia, ab extirpata vera Religione, is usus, apud cæteros Catholicos Patronos obtinuit. Numquid allegatæ rationes eum a peccato vindicant?

RESPONS.

Prædictus Dynasta, sic, jure suo uti, tuta conscientia, non potuit, nequicquam obstantibus rationibus allegatis. Jure namque suo sic usus est, aut relative ad impertitum sibi, seu Majoribus suis, ab Ecclesia Catholica, privilegium, aut relative ad permissum sibi, ab Anglico supremo Senatu, privilegii usum. Atqui privilegium aliud Ecclesia Catholica, ei, non concessit, nisi, ut, aliquem Religioni Catholicæ devinctum, designatique muneris adeundi, capacem, præsentaret. Nec ei patrocinatur, quæcumque fingatur tum privilegii ipsius, tum privilegii antiquitus impertiti usus, concessio facta aut ab Anglorum Rege, aut a supremo Senatu, aut ab ipso Clero, ut ratam legitimamque contendat, nominationem a se præstitam in gratiam hæretici, quem Episcopo hæretico præsentat. Cujus nimirum illa ratio est, quod, juxta Catholicæ Religionis instituta, ejusmodi concessionem, ab iis, qui hæresi inficiuntur, oblatam acceptare non liceret; quippe, qui eam acceptando, societatem iniret, etiam quoad spiritualia & ea quæ ad Religionem directe pertinent, cum hæreticis: quandoquidem, prædictam concessionem, nonnisi, quasi procuratoris personam acturus, mutuaretur, id juris exercendi causa, quod ad impium cultum refertur, cujus impietatis, ex ipso suæ nominationis actu, sese, participem exhiberet.

Quibus præterea potest addi. 1. Ab eo, non potuisse Ministrum, Episcopo Diœcesano hæresi imbuto, præsentari; quin prædictum Episcopum, legitimum habuerit: Quod quocumque prætextus velamento obtendatur, licitum esse nunquam potest. 2. Ea potissimum ratione majoribus Framburdi, Præsentationis jus concessum est, quod Parœciæ illius sacram ædem ædificaverint, eique reditus annuos assignaverint. Jamvero, nec ædificatam, nec bonorum suorum portione assignata, ditatam voluerunt, nisi, ut, illic Deus, pie religioseque coleretur, ac veræ Religionis instituta, scrupulose custodirentur. Quod igitur pio Religiosoque animo intenderant, tum ipsius Majores, tum quos, ea in re, Autores habet, fefellit Framburdus, dum, quod ipsi ad optimum finem retinuerant & fuerat ipsis, ab Ecclesia Catholica, donatum, iste in gratiam hæresis abutendo, ad perversum finem detorserit.

Verum equidem est, legibus Anglicis permitti Patronis etiam hodiernis, ut, quorum vacatione occurrente nominatio ad eos pertinet, ad illas Curas valeant præsentare, modo, ab eis non nominentur, nisi Religionem Anglicam profitentes. At istud, ex Civilis prudentiæ legibus, fieri, nemo non videt, ut, sic quibusdam veræ primævæque Religionis adumbratis vestigiis, incautis populorum animis, error facilius imbibatur, & ne Patroni Catholici ultra modum penitus asperentur.

Juvat ergo ex supra dictis inferre, 1. Dynastam istum Catholicum graviter peccasse, ex eo quod, nec Ecclesiæ intentum curans, nec Catholicæ Religionis utilitati studens, Ministrum quemdam hæreticum pro Catholico, Episcopo ipsa etiam hæresi infecto, præsentaverit. 2.

Quem, culpæ suæ, prætendere enititur excusationis obtentum primum, ut sibi nempe integrum remaneret jus præsentatiunis, nec legitimum esse, nec ullo sufficientis rationis momentu stabilitum: quia petire nequit jus, qnod ex schismatis aut hæresis occasione, interrumpitur: & ubi primum, annuente Deo, vera Religiu, in eo Regno resurgescere inciperet, in integrum jus suum procul dubiu restitueretur. 3. Nec magis legitimam esse, quam subjicit, alteram prætextus causam. Enimvero cum blanditur, sese Catholicis non mediocriter inserviisse, quod moderatum, pacisque amantem Ministrum, in ipsurum gratiam elegerit, quique ex beneficii accepti gratu animu, cum Catholicis in Parœcia sua degentibus, sit sese benigne gesturus: Ei, cum Apostolu reponendum est (a): *Non faciamus mala, ut veniant bona*; ac consequenter ei umninu fuisse interdictam, fictitiæ illius utilitatis rationem, quæ nunnisi, plurima tum Ecclesiæ, tum Religioni irrogata injuria, poterat Catholicis cedere (b).

(a) Rom. c. 3. 8.

(b) Sambov. t. 3. casu 60.

CASUS X.

Elenurus, Patronus Præsentator Laicus Curæ S. Helenæ, cum illius Beneficii, a tribus mensibus cum diebus viginti quinque, vacantis urgeret numinatio; ne jure suo numinandi decideret, quod, eo nun utente, menses quatuor abirent, Eustachium sibi amicum ad illam nominavit, isto nimirum interposito pacto, quod, eo usque tantum, illius Beneficii titulum retineret, dunec, Sacerdos alius, ipsi succedendo, iduneus occurreret. Acceptavit tum Curam, tum propositam sibi cunditionem, Eustachius: ac dimissam paulu post Curam, reposuit Eleonoro, qui Diunysium, virum umni virtutum eruditionisque genere enitentem, ad illam subinde præsentavit. An aliquid in eo gestum est, quod aliquantulum improbari possit.

RESPONS.

Duu potissimum, in prædicta agendi ratione, quantum Elenurum attinet, occurrunt improbanda. Primo, quod, memoratum in quæstione modum eo prorsus animu tenuerit, ut post elapsus quatuor menses, ad Curam S. Helenæ nominandi locus sibi præberetur: quod ei nullatenus licebat, & in eo, Collatorem, de devoluto, post emensum prædicti temporis spatium, jure defraudavit. Secundo, quia modus ille agendi confidentiarius umnino est, quippe Eustachium præsentaverit, ea interveniente conditione, ut Beneficium non retineret, sed dimissum ei reponeret, statim atque alius succedendo aptus occurrisset.

Tria quoque, quantum ad Eustachium pertinet, reprobanda sunt. Primum, quod in defraudando Collature, de jure ei acquisitu post effluxum supra dictum tempus, sese participem exhibuerit, secundum, quod confidentiæ crimen admiserit, cum memoratam Curam, eo animu acceptavit, dataque fide expressa, futurum, ut non sibi, sed cuilibet ab Eleonuro eligendu, retineret. Tertium tandem, quia, etiam posito quod Confidentiarius in eo nun evaserit, non potuit tuta cunscientia, Beneficium istud accipere, nisi cum adjecta voluntate tum illud retinendi, tum muniorum ei annexorum pru virili parte præstandorum: Id enim intentis Ecclesiæ adversari evincitur, ex dispositione cujusdam Decretalis Gregorii IX. (c), qui duas in præsentato ad Beneficium, vult prærequiri conditiunes. Prima, ut ei annexis muneribus fungi possit, secunda, ut velit. *Cum .·. illi sint in Ecclesia idonei reputandi, qui servire possunt & volunt*. Quibus verbis laudati Summi Puntificis, congruunt hæc alia, Innocentii III. (d), *Qui, Deo & Ecclesiis velint, & valeant gratum impendere famulatum* (e). Unde, ex prolatis rationum mumentis, inferre licet Eleonurum simul & Eustachium, omni reprehensione dignos esse habendos.

(c) Gregor. IX. in c. Super 35. de preben. & dignit.

(d) Inn. III. 444. c. Grave 29. eod. tit.

(e) Sambov. t. 3. casu 114.

CASUS XI.

Petilianus, pupillus, a septimo ad octavum duntaxat annum, vitæ peragens curriculum, unius Capellæ simplicis Patronus Præsentator, e suis propinquis quemdam, ad illam nominavit, Tutor vero ipsius, alium, ad eandem, præsentavit. Qua de re, duo quæruntur. Prius, utrum valeat, a pupillo præstita nominatiu? Posterius, utrum, ab ipso tutore concessæ præsentationi, sit anteponenda?

RESPONS.

Juris Canonici peritus quidam, nec ignotus (f), ait: *Pupillus major septennio potest præsentare & nominare: & quod amplius est, si concurrat cum ejus tutore; præfertur præsentatus a Pupillo*.

Duo alii antiquiores juris etiam Canonici periti docent idem, juxta quod Glussa testatur (g), eaque ratione nititur Fagnanus, quod istud jus reponatur, *in mero & nudo exercitio* juris Patronatus, *cujus tam majores quam minores & mulieres sunt capaces*. Additque id etiam sacræ Congregationi Concilii visum fuisse, atque ita a Tribunali Rutæ pronunciatum esse 28. Januarii 1594. ut refert Garcias (h).

(f) Fagn. in 6. Indecunam 3. de ætat. & qualit. & ord. præficiendor.

(g) Tancredus & Bart. Ariniens. in q. Dominic. 77. apud Gloss. in c. ex eo 32. de Elect. in 6. v. Suffragium.

(h) Garcias de Benefic. p. 5. c. 3. n. 98.

At apud Galliam nostram, hujusmodi Jurisprudentia non invaluit; Cum, ibi tuturibus competat jus præsentandi; Quemadmodum annotat Blondeau in suis ad Bouchel additamentis (i). Neque vero æquitatis est aut rectæ rationis, ut eligendorum Ecclesiæ Ministrorum, illud jus, annos septem natu Juniori committatur, cui, nec tanti momenti rei præstandæ, maturum inest judicium; & propriæ sui persunæ gerendæ, aut, quæ privatas res, temporaliaque bona spectant, tractandi, quasi nondum capaci, cura denegetur. Fatendum est igitur, pro nullo habendam, quæ concessa est, a Petilianu, præsentatiu, solamque, tum validam tum legitimam esse, quam ipsius tutor impertivit.

(i) Blondeau in Bouchel. v. Patronat. n. 147.

CASUS XII.

Eracetus, Patronus Ecclesiasticus Curiæ S. Juliani, licet irregularitatis alicujus vinculo innodatus, Bertrandum tamen, ad illud Beneficium præsentare attentavit. Num quid, integra remanente irregularitate, potuit jus illud exercere?

RESPONS.

Respondemus a prædictu Patronu, remanente etiam irregularitatis vinculo, Bertrandum potuisse, ad Curam S. Juliani, nominari. Cujus ratio est, quod præsentatiu ad Beneficium quoddam, nullum importet urdinis actum; quippe possit etiam laico competere. Quemadmodum igitur, ex irregularitatis causa, id Juris Ecclesiastico non abrogatur, quo possit excommunicare, ad Beneficium seligere aliquem, sponsaliis, tanquam publicus testis interesse, juxta probabiliurem opinionem, & quoscumque jurisdictionis actus exercere, qui, officiu Ordinis, non subjiciuntur: Nec magis censendus est spoliatus jure præsentandi ad Beneficium, cujus Patronatu gaudet.

CASUS. XIII.

Ad Curam S. Aviti vacantem, Fabius Sacerdos, simul & ejusdem Curæ Præsentator, semetipsum nominavit, ut de illa ab Episcopo subinde provideretur. Canonicane est ejusmodi nominatio, eique Episcopus, summo jure servato, potest de prædicto Beneficiu, conferre provisiunes?

RESPUNS.

Neque Canonicam, neque validam esse constat, quam ad Curam S. Aviti, cujus Præsentator est Fabius, in suimetipsius gratiam, nominationem præstitit: ac pruinde non posse ei ab Episcopo, illius Curæ cullationem impertiri. Ita definitur omnino ab Innocentiu III. rescribente ad Rhotomagensem Archiepiscopum, qui eum, de simili prorsus quæsito consuluerat (K): *Per nostras postulasti literas educeri*, inquit Laudatus Papa, *utrum Clericus, ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet Patronatus, seipsum, si est idoneus, valeat præsentare?* Quibus his verbis respondet: *Cum igitur nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ Prælationis officiis; Respondemus, quod nullus se potest ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcumque idoneus sit, & quibuscum-*

(K) Inn. III. in c. Per nostras 26. de jure Patron. l. 3. tit. 38.

hujuscumque studiis, & meritis adjuvetur. Ait etiam idem summus Pontifex in alia Decretali, quam tum ad Episcopum Trecensem, tum ad Parisiensem Archidiaconum dirigit (*a*), non licere Abbati, ut dignitatem aliquam, vel aliquod Beneficium, quæ ab Abbatia sua pendeant, sibimetipsi impertiat. Quoniam, inquit, idem dare simul, & acceptare non potest eadem persona: *Cum inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personalis*. Quæ quidem ratio omnino facit ad propositum casum, & evincit, Fabio non licitum fuisse, ut ad Curam, cujus ad eum jus præsentandi pertinet, semetipsum nominaret.

(*a*) Idem in cap. Cum ad nostrum, fin. de institut. l. 3. tit. 7.

Cujus propositæ difficultatis occasione, non abs re fuerit illud observare (*b*), quod juxta opinionem insertam Glossæ ad unam quamdam Alexandri III. Decretalem; quando unius, ejusdemque Beneficii Patroni complures occurrunt, possit unus, alterum suum Compatronum, ad illud præsentare. Quod probat argumento, *a simili*, educto ex alia Decretali, quam Innocentius III. occasione cujusdam electionis, ad Bajocensem Episcopum dirigit (*c*), & ex suffragio Archiepiscopi Panormitani (*d*). Idem asseritur a Blondaqua, in suis ad Canonicam Bibliothecam Bouchel additamentis (*e*).

(*b*) Glos. in c. Consuluit 25. de jure Patron. v. Concedant.

(*c*) Inn. III. in c. Cum. in c. Cum. in jure 31. de Elect. & Electi pot. lib. 1. tit. 6.

(*d*) Panor. in cit. cap. Per nostras.

(*e*) Blondeau v. Patronatus n. 177.

C A S U S XIV.

Honorius, Abbas S. Pantaleonis, Curæ S. Romani Præsentator, ad illam nominavit Rogerium, ipsius nominationis instrumento coram duobus Notariis confecto; præstitamque in sui grariam nominationem, ipse Rogerius acceptavit. Verum, cum, abeunte integro temporis semestris spatio, quod Patronis Ecclesiasticis jure conceditur (*f*), ut juxta Decretalem Alexandri III. ad Beneficia, quorum præsentationem habent, nominare possint, nominationis illius instrumentum non appareret: Episcopus, quem ejusmodi latebat nominatio, prædictam Curam Juliano contulit. An ista collatio legitima censenda est?

(*f*) Alex. III. in cap. Eam te, 25. de jure patronat.

R E S P O N S.

Canonica, legitimaque censenda est collatio Curæ S. Romani, quam in gratiam Juliani Episcopus præstitit. Neque enim satis est, a Patrono nominari Rogerium; præterea requiritur, ut nominationis istius instrumentum, Episcopo servatis servandis, quod Patronis tribuitur spatio temporis etiamnum currente, innotescat. Quod quidem ubi semel abierit, si prædictum instrumentum *non pulsavit aures Collatoris*, quasi nudum ac simplicem cogitatum putatur, quo nec Ordinarii manus ligantur, nec prohibetur, quin ab ipso possit idem Beneficium pleno jure conferri. Quod ex professo probatur a Juliano Blondeau in Louvet, non adductis tantum auctoritatibus complurium Juris Canonici peritorum; sed ipsa etiam laudata, quæ apud supremos Senatus obtinet, Jurisprudentia, a quibus ita statutum in multis Arrestis reperitur; ut a quodam Doctore Theologo (*g*), in hujusmodi rerum usu versatissimo annotatur. Idem quoque asserit Blondaqua in suis additamentis ad Bouchel (*h*), post Molinæum & de Felice, quos ibidem appellat.

(*g*) Ducasse, de praxi Jurisd. Eccl. voluntariæ c. 5. n. 3.

(*h*) Blondeau loc. cit. n. 196. & apud eum Mol. Cons. 55. n. 16. & du Fellee. De Beneficiis part. 3. q. 21. n. 96.

C A S U S XV.

Iphigenia virgo genere illustris, cum cujusdam sibi avunculi bonis omnibus hæres fuerit instituta, ac cæteras inter res hæreditarias, locupletissimum quoddam acceperit prædium, cui Curæ loci jus Patronatus annectitur: Petitur, an illo jure Patronatus uti possit, & consequenter, Sacerdotem capacem, beneque moratum, ad illam Curam Episcopo valide præsentare.

R E S P O N S.

Jus Patronatus, mulieribus perinde ac viris competere, ab illisque pariter exerceri potest. Adeoque ambigendi locus nullus est, quin Canonica prorsus ac legitima sit, ab Iphigenia exhibita præsentatio. Ratio est, quia legibus non removentur mulieres, a jure præsentandi ad Beneficia; propterea que in ordinem Patronorum, cum viris, ab iisdem legibus adscribi censentur, juxta regulam Bonifacii VIII. (*i*) qui favores restringi vetat, inter quos, jus præsentandi ad Beneficia, potissimum recensendum est. Enimvero, quamquam jus Patronatus, quo Laici gaudent, si in seipso ac relative ad jus Ecclesiasticum, consideretur, inter ea, quæ odiosa sunt, referri possit: aliquid tamen favoris habet juris istius usus ac exercitium: cumque Laicis exercendum semel commissum fuerit, tam a Mulieribus, quam a Viris, exerceri debere consequens est, juxta sequens Juris effatum; *Ubi Canon non excipit, nec nos excipere debemus* (*K*). Et illud alterum: *Ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus* (*l*).

(*i*) Bon. VIII. reg. 15 de reg. juris in 6.

(*k*) Gloss. in Can. Si Evangelica. 23. dist. 37.

(*l*) Arg. L. De pretio ff. De publiciana in rem actione l. 6. t. 2.

Illud etiam subjicere licet, hanc nostram sententiam, Jure Canonico plurimum niti, ut cernere est ex verbis Decretalis cujusdam ab Honorio III. (*m*), tum ad Episcopum, tum ad Præpositum Capituli Cameracensis directæ, in qua Papa prædictus, Comitissam aliquam Flandriæ, cujus occasione scribit, complurium Beneficiorum Patronam agnoscere non diffitetur. *In quibus*, inquit, *jus obtinet Patronatus*. Idem etiam patet ex alia Decretali Alexandri III. scribentis ad Herudfordiensem Episcopum, in qua sermonem habet de quadam Anglica Abbatissa, quæ præsentandi ad quoddam Beneficium jure gaudebat. Quibus omnibus rationum momentis addi potest una Decretalis Epistola Clementis III. (*n*), qui hæc verba adhibens: *Si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit*: satis innuit, a se Mulieres juris Patronatus expertes non fieri. Quippe, ut Fagnanus annotat (*o*) *verbum hoc, si quis*; quod ipsissimum est verbum legis, (*p*), *tam masculos, quam fœminas complectitur*. Quod idem quoque testatur Glossa in Constitutionem a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi secundo Generali editam (*q*). Et quidem tam in Gallia, quam alibi reperiuntur quamplurimæ Abbatissæ, quæ idem jus Patronatus & obtinent, & sine ulla controversia exercent.

(*m*) Hon. III. in Can. Cum dilecta, de concessione Præbendæ, &c. l. 3. tit. 8.

(*n*) Clem. III. in cap. Nobis 31. de Jure Patron. l. 3. tit. 38.

(*o*) Fagn. in c. Nobis nu. 6. de Jure Patron.

(*p*) L. Verbum 1. ff. de verborum signif. l. 60. t. 16.

(*q*) Greg. X. in Conc Gener. in c. 42. de elect. in 6.

Illa decisio Fagnanum auctorem sibi vindicat; qui præter laudatas Decretales, citat etiam Imolam (*r*), Abbatem (*s*), Federicum de Senis, cæterosque plurimos: *Ubi filia est hæres*, inquit Panormitanus (*t*), *sicut masculus, succedit in jure Patronatus, sicut & masculus*. Quod fusius alibi probat (*u*), sicut Joannes Andreas (*x*), Rochus de Curte (*y*), & alii duo Juris Canonici periti, quos appellat. Quod etiam habere locum observat: *Etiamsi jus Patronatus fuerit institutum, per modum majoratus; ita ut deveniat ad unum tantum, scilicet majorem natu, seu primogenitum; nam nihilominus succedunt fœminæ, nisi expresse sint exclusæ*. Et id uno quoque ore docent Covarruv. Nicolaus Garcias, & cæteri quotquot sunt.

(*r*) Immola in Clement. Plurim fin. de Jure Patron. n. 15.

(*s*) Panor. in c. Perlatum. 1. de Jur. Patron. c. 3. & conf. 14. n. 4. v. Non est distinguendum. l. 1.

(*t*) Panor. in c. Cum sæculum 13. de Jure Patron. n. 4.

(*u*) Idem in fin. de eunc. præb.

(*x*) Jo. And. cit. c. Nobis de Jure Patron.

(*y*) Roc. de Curte. Tract. de Jure Patron. v. Competent n. 1. & v. Ipse vel is q. 6.

C A S U S XVI.

De Prioratu simplici sancti Salvatoris, cujus præsentatio ad Dominum loci, tertio die, post obitum Episcopi Diœcesani, vacante, Rex tanquam ex pleno, Regioque sibi acquisito jure Hieronymum providit. Numquid alicujus pretii ejusmodi collatio est?

R E S P O N S.

Ejusmodi collatio, irrita omnino est. Enim vero Beneficia, quorum jure Patronatus Laici gaudent, nisi ipsi præsentaverint, etiam currente Regio Jure vacantia, Regi non competit jus conferendi. Qui quidem usus, hodierno quoque tempore, locum passim obtinet. Ea vero de re potest hæc ratio afferri, quod ex jure Regio, licet ex summæ potestatis effectu, Rex, nonnisi in Episcopalium jurium partem veniat. Jamvero Episcopus non potest ejus generis beneficia, nisi Patrono Laico præsentante, valide conferre. Plus ergo juris Regi non competit. Ita pronuntiatum est a supremo Parisiensi Senatu, in illius Arresto 10. Junii 1642. relato a Blondaqua in suis ad Bibliothecam Canonicam Bouchel additamentis (*z*). Eaque potissimum ratione, circa quæstionem, utrum Rex, currente Regio jure, possit Patronatui mixto derogare; vult laudatus auctor, relata Arresta a M. Claudio de Ferierre in tractatu ipsius de Patronatu (*aa*), quibus Regi prædictam interdici derogationem, declaratur, haberi

(*z*) Blondeau v. Patron. c. 201.

(*aa*) D. de Ferriere tr. de Patr. n. 25. p. 425.

Digitized by Google

beri potiora illo Arresto 11. Augusti 1677. quo Parlamentum Parisiense, oppositum statuit, Regi nimirum, illud juris tribuendo; licet Episcopo non competat.

CASUS XVII.

ANNIBAL, Dominus ac Patronus honorarius Parœciæ S. Clari, qui Patronis Præsentatoribus Laicis, a Parocho vulgo in Ecclesia deferuntur, eosdem sibi honores exhibendos esse contendit; quales sunt, primarii consessus, prioris in commendatione precum designationis, Thuris suffitionis, panis benedicti, subsellii sepulturæque in Ecclesia prærogativæ; &c. quæ quidem omnia ab Andrea ipsius Parocho plane denegantur. Eo rationis fundamento nititur Annibal, quod ipsius majores, in prædicta Cura jus Patronatus olim obtinerent; & licet illud jus præsentationis, Episcopo erogari, cedique a Patre contigerit, ut nimirum, periculosum Parochi nominandi onus, a se removeret; non ideo pristinis ac velut domesticis honorum prærogativis, quibus tum majores, tum ipse Pater gaudebant, sit exuendus.

At e contrario Parochus intendit, cum ad acceptam beneficii sui gratiam Annibali referendam, nulla ratione teneatur, sed soli Episcopo, quem ea in re, unicum erga se beneficum expertus fuit; prædictas quoque honorum prærogativas, Annibali, non esse a se deferendas. Utri jus?

RESPONS.

Jus cedit Annibali: nec Parochus insistere merito potest, in denegandis ipsi honorum prærogativis, quæ ei proculdubio deberentur, si quo majores ipsius jurepatronatus etiamnum gauderet: Alioquin, (quod æquum, bonumque omnino rescinderet) ne dum operæ a patre exhibitæ in gratiam Ecclesiæ, merces, quinimmo pœna ei rescinderetur: ac spreta omni æquitate eo jure, quod ejus familiæ acquisitum servatumque Leges volunt, despoliaretur: nequicquam reclamante Juris regula, quæ dicit: *Indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum* (a). Igitur æquum est patriis eum potiri honoribus, quippe pater, de suo patronatus jure cedens, Ecclesiastica jura, quæ non abdicavit, retinuisse sibi existimatur. *Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit*, inquit Bonifacius VIII. (b), atque disertis verbis illud in plerisque consuetudinibus expressum reperitur: quas inter Normanniæ consuetudo fert (c), patrono qui de suo præsentationis jure Ecclesiam donavit; licet in ipsa cessione, nihil sibi reservari appareat, nihilominus remanere semper, eodemque modo continuari honoraria jura, patronis exhiberi solita, quomodo hæredibus ipsius, aut iis, ad quos pertinebat hæreditas, vel fundus clientelaris, vel illud solum, cui patronatus jus annectebatur, solebant deferri: quemadmodum annotatur a Blondaqua in suis additamentis ad Bouchel (d), & pronunciatum est a supremo Senatu Rhotomagensi in Arresto 10. Julii 1609. a Bouchel relato (e).

(a) Reg. 17. de reg. Juris in 6.

(b) Bonif. VIII. reg. 46. de reg. Juris in 6.

(c) Cons. Norm. art. 142.

(d) Blondeau in Bouchel. v. Patron. n. 142.

(e) Bouchel. v. Patronus.

Ergo Andreas Parochus Parœciæ S. Clari, eo majori injuria denegat Annibali Ecclesiasticos honores, quod tum illius Parœciæ census, tum reditus, quibus ipse pinguescit, quoad partem eorum saltem aliquam, ex dono munificentiaque majorum istius Domini, coalescant: & licet Episcopum Diœcesanum, accepti Beneficii immediatum habeat auctorem; Annibalem, aut quos ræpræsentat, ejusdem etiam Beneficii Auctores, aliquatenus considerare debeat. Unde vel ex eo solo tenetur ad memorem præbendum illi animum, præstando honores ei, tam legitimo jure acquisitos.

CASUS XVIII.

HERALDUS, qui in possessionem jam venerat Prædii Clientelaris S. Chaffari, quod venditione quadam deteriori, nec solida acceperat, nominavit Josephum ad Curam in illo loco sitam, utpote illius Beneficii patronum præsentatorem sese gerens: At privatus quidam, anterioris hypothecæ privilegio donatus obtinuit, ut ex Senatusconsulto contra eum pronuntiato, de possessione dicti prædii evinceretur, octo post menses a pacifica Josephi possessione in memorata Cura. Contendit Creditor iste, præsentationem in gratiam Josephi, nullam omnino fuisse; adeoque jam sibi jus compete, ut ad eamdem Curam, aliquem alterum præsentet. Ea de re quæritur, num jus a Creditore præsumptum, aliquo fundamento nitatur: aut utrum præsentatio in gratiam Josephi sit legitima, licet præstita ab Heraldo, ad quem jus Patronatus non pertinebat?

RESPONS.

Est hoc omnino ratum, ac jure receptum, validum atque legitimum sæpe numero haberi actum, qui ab aliquo facultatem non habente elicitur; ut constat ex Lege quadam Digesti, in qua Jurisperitus Ulpianus, post Pomponium ait (f), elicitos a quodam fugitivo servo nomine Barbario, qui Romæ, sub eo titulo non innotescens, ad gradum usque Prætoris ascenderat, actus quoscumque, nequicquam officiente ipsius conditione servitutis, censendos esse legitimos. Cui prorsus consentaneum est illud Juris effatum, in Glossa laudatum: *Circa factum, error communis facit Jus* (g).

(f) Leg. Barbarius, 3. ff. de officio Prætor. lib. 1. tit. 14.

(g) Glossa in dicta leg. v. Reprobari.

Id ad casum propositum juvat nunc accommodare, in quo nimirum, de eo quæstio est, qui cum venditione quadam non solida prædium aliquod accepisset, priusquam ab ejus possessione dimoveretur, ipsaque prædii possessione adhuc perseverante, dumque ipse existimaretur Beneficii Præsentator, illud Juris bona fide exercuit. Enimvero cum secundum omnium opinionem Patronus fuerit putatus, ac tum Prædii, tum Juris Patronatus possessione gavisus sit, quem exhibuit, hac hypothesi posita, præsentationis actus habendus est ratus, atque legitimus: Ac consequenter, qui mediante illius nominatione, fuit de Beneficio provisus, censendus est canonice provisus; nec de Beneficii possessione potest ullatenus evinci.

Atque ita luculenter omnino declarat Alexander III. scribens ad Abbatem S. Alberti (h), cujus Papæ subsequentia sunt verba: *Si aliquis Clericus ab ordinario Judice in Ecclesia fuerit institutus, ad præsentationem illius, qui ejusdem Ecclesiæ credebatur esse Patronus; & postea, Jus Patronatus alius evicerit in judicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri; si tempore præsentationis suæ, ille qui eum præsentavit, Jus Patronatus Ecclesiæ possidebat; cum ex hoc ei, qui de Jure debet habere, nullum imposterum præjudicium generetur.*

(h) Alex. III. in cap. Consultationibus 19. De jure Patron.

Diximus: *illa prædii possessione adhuc perseverante, dumque ipse Beneficii Præsentator existimaretur.* Prædictas enim duas conditiones, simul concurrere, necesse est; & alterutra deficiente, irrita foret & absque effectu exhibita præsentatio: quemadmodum ab eodem Summo Pontifice subjicitur his verbis: *Si vero non possidebat bona fide*; (*non vi*, addit Glossa) (i), *sed tantum credebatur esse Patronus, cum non esset; poterit ab eadem Ecclesia removeri.* Qua etiam de re Glossa auctoritatibus duarum Decretalium, quas citat, freta ait (K): *Sic credulitas sine possessione non valet* (l). Cum igitur ab Heraldo etiamnum extante possessore pacifico prædii Clientelaris sancti Chaffari, ac juxta communiorem opinionem, Patrono legitimo, bonæque fidei existimato, Josephus fuerit præsentatus: Qui eum posthac evicit creditor, nullo jure nititur, ut istum quoque Parochum, Beneficii possessorem, exturbare aggrediatur.

(i) Glossa v. Possideat.

(k) Innoc. III. in cap. Querelam, 24. de elect. & in cap. Cum olim 7. de causa possess. & proprietatis l. 2. tit. 12.

(l) Glossa ib. v. Removeri & Hostiens. ib. nu. 2. v. Credebatur. Abbas antiquus & Joan. Andreas in arg. loco cit.

Quæ quidem Decisio, alio quoque certissimo effato confirmari potest, scilicet omnem bonæ fidei possessorem, ex ipso Jure haberi, ut fructibus rei possessæ fruatur, juxta hanc regulam Juris (m): *Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est.* Porro jus Præsentationis censetur esse, *in fructu*, ut patet, ex Decretali quadam Alexandri III. (n), in corpus Juris Canonici relata. Unde consequens est, eo ipso illi possessori Juris istius exercitium competere, quo, durante possessione, incipit Beneficium vacare; adeoque licet, post pronunciatam evictionem, nullo jure potuisset ad Beneficium nominare, quem, permanente possessione bonæ fidei, præsentavit

(m) L. Bona fides, L. 178. ff. de reg. Jur.

(n) Alex. III. in cap. Ex literis 7. de jure Patronat.

ad

ad illud, esse legitime præsentatum: Juxta hanc Juris regulam (*a*), in Glossa memoratam, *Quod legitime factum est, non debet irritari, licet ad eum casum devenerit, a quo incipere non potuit*. Atque illud est, quod docetur a Cardinale Hostiensi in caput *Consultationibus*, ad marginem (*b*) citatum, & ab Innocentio IV. (*c*), & a Joanne Andrea (*d*).

(*a*) Glossa Consultationib. cit. v. Removeri.

(*b*) Host in c. Consultationibus. supra c. n. 3. vers. Ratio decidendi.

(*c*) Inn. IV. ibid. v. Possidebat.

(*d*) Jo. Andrea, ib. n. 1.

CASUS XIX.

Majeulum inter, & Valerium hæredes constitutos divitiarum Pauli, qui Patronus-Præsentator erat unius Capellæ 500. librarum annui census cum non potuerit de jure Patronatus convenire; pacti sunt, de æquali inter se hæreditatis partitione, ac de præsentationis, ad Capellam vice alterna. Numquid, conventum eorum æquitati concordat, atque juxta Canonicas Leges, potest conflari?

Respons.

A Canonicis regulis non dissentit Majeuli Valeriique conventum. Quia quamquam ex natura sua, non possit Jus Patronatus dividi, nec duos simul Capellanos, quibus fructuum Capellæ portio æqualis obveniat, possint prædicti hæredes nominare; a duobus tamen potest in solidum retineri, alternis nimirum vicibus exercendum: propterea, quod in eo casu, jus præsentationis totum simul, & integrum illi remaneat, ad quem præsentationis ordo recurrit. Quod quidem docet Fagnanus (*e*), qui posito tanquam principio juris inconcusso, non posse Patronatum dividi, *quoad substantiam Juris Patronatus*, bene vero, *quoad ejus pertinentias*, ait: *Nam Patroni bene possunt inter se pacisci, de Rectore, ab eis alternis vicibus, præsentando*. Ita etiam sentit Glossa (*f*), quæ in illius probationem, affert unam Constitutionem Clementis V. (*g*), qui sermonem habens de hæredibus plurimis inter se discrepantibus: dicit: *Ut facilius provideatur Ecclesiis, non inconveniens reputamus, Patronos ipsos inter se libere conveniré, de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando*. Quæ verba posteriora interpretans Glossa, addit (*h*): *Id est, quod unus prima vice, qua occurreret vacationis, alter secunda, alter tertia. Has etiam vicissitudines, quando servant singulares personæ Collegiorum, in collationibus spectantibus ad Collegia*. Quod Glossator confirmat unius Constitutionis auctoritate Bonifacii VIII. in textum relatæ (*i*).

(*e*) Fagn. in c. Prælatum de jure Patronat. n. 5.

(*f*) Gloss. in d. c. Perlatum. v. Non debebat.

(*g*) Clem. V. in Clem. Plures, 2. de jure Patron. l. 3. t. 12

(*h*) Glos. v. Alternis vicibus.

(*i*) Bonif. VIII. in c. Mandatum, fin. de Præbend. in 6.

Et vero, Curas S. Cosmi, S. Andreæ, & S. Germani veteris, item Capellas quasdam, quarum nominatio pertinet ad Universitatem, cernimus a quatuor Theologiæ, Juris, Medicinæ, & Artium Facultatibus, vicibus alternis præsentari.

Ex quibus omnibus licet inferre, Jus Patronatus, etsi suapte natura individuum, posse tamen a plurimis, quorum interest, per vices alternas exerceri?

CASUS XX.

Thisias Dominus S. Aviti, Parochialem Ecclesiam propriis ædificandam impensis, Episcopo consentiente, curavit assignatis dictæ Ecclesiæ summis reditibus, ea conditione, ut cum occurreret vacatio Curæ, ad se pertineret jus præsentationis; ipso autem mortuo, ad liberos individuum transiret.

Thisias, post duodecim annos, vita functo, liberisque decem relictis, Curæ contigit vacatio. Atque circa præsentationem in diversas partes, prædicti liberi abierunt: Joanni quidem, quinque; Petro vero tribus: cæterisque duobus, Paulo suffragantibus. Quis horum trium, legitime præsentatur.

Quod difficultatem facessit, hinc est, quia in electionum suffragiis, debet, respectu minoris, pars major prævalere: Quod, in præsenti casu, non reperitur: cum de nominando Joanne, quinque fratres consenserint: a cæteris quinque, tum Petro, tum Paulo præsentatis, adeoque, quinque prioribus, quinque posteriores adversentur.

Respons.

Solus Joannes legitime præsentatur. Est namque electionem inter, & præsentationem, distinctio quædam admittenda. In electione enim, partem electorum majorem, in unum, idemque subjectum pari studio ferri requiritur; cum ita Jure exigatur, ut electio sit Canonica. At in præsentatione, non item (*K*): cum Jus non præscribat. *Nota*, inquit Fagnanus (*l*), *præsentationem factam, a majori parte Patronorum, etiam respectu minoris, validam esse, licet non sit facta a majori parte omnium*.

En exemplum ea de re, ab erudito Juris Canonici perito, propositum, quod ad speciem propositam, potest luculenter accommodari. *Ut quia decem erant Patroni, & quinque præsentarunt Cajum, tres Titium, & duo Sempronium: præfertur enim Cajus præsentatus a quinque*. Quod confirmat, celeberrimorum Canonici Jurisperitorum, auctoritate, quales sunt, Joannes Andreas (*m*), Cardinalis, Rota, Vincentius de Paleatis, & Bernardus Compostellanus Archidiaconus, qui & interpres est, tertiæ Decretalium collectionis: Idem postea subjicit, ab electione, ad Jus nominationis nullam prorsus esse conclusionem. *Nec obstat textus* (*n*), *quia loquitur in electione, quæ fit ab aliquibus, ut a Collegio; & propterea non sufficit, quod eligatur a pluribus partium comparatione minorum; sed requiritur major pars Collegii*.

Panormitani sententiam, Fagnanus in eo excepe.t (*o*), quæ ait: *In quibusdam locis Patroni Ecclesiarum, vel eorum hæredes abutuntur potestate, sibi ab Ecclesia concessa: qui cum Ecclesia unius debeat esse Rectoris, ipsi in discordia plurimos præsentant. Unde statuit Lateranense Concilium, ut si forte vota Patronorum in plures partes se diviserint; ille præficiatur Ecclesiæ, qui plurimorum eligitur, & approbatur assensu, si alias idoneus fuerit* ... (*p*) *in præsentationis actu necessario non requiritur consensus omnium Patronorum, sed valet præsentatio facta per majorem partem*.

(*K*) Alex. II. in can. Apostolica 12. dist. 56. Honor. III. in c. Ecclesia 48. de elect. & passim, eod. tit. Inn. III. in c. Ex parte fin. & tot tit. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli l. 3. tit. 11.

(*l*) Fagn. in c. Quoniam 3. de jur Patron. n. 13.

(*m*) Jo. Andreas in d. c. Quoniam. n. 3. Card in 6. q. n. 9. Rota dec. 168. n. 2. apud Farin. parte. 1. in rec. Vincent. & Bern. Compostell. in c. Cum Eccles. 31. de elect.

(*n*) In d. cap. Cum Ecclesia 31.

(*o*) Panor in d. c. Quoniam; notabili 1.

(*p*) Idem ibid. notabili 2.

Observare plurimum juvat, istam Decisionem, veram non esse, nisi in casu, quo quinque prædicti fratres, qui Joanni suffragati sunt, suæ præsentationis actum præstiterint *collegialiter*: id est, quinque aliis fratribus, aut præsentibus, aut debito modo convocatis. Namque si præsentatio fuisset separatim tum exhibita, tum subscripta: nullius esset nec ponderis nec momenti, Unde sequitur, si quinque, qui nominaverunt Joannem, in eum locum convenire noluissent qui ad deliberandum de præsentatione fuisset, unanimi consensu edictus; & in eum quinque alii se contulissent, legitimum fore actum, quo Petrus a tribus præsentatus fuit. Quæ quidem observatio auctorem sibi vindicat Molinæum (*q*).

(*q*) Molin. in c. Quoniam de jure Patr.

CASUS XXI.

Polyhistor, Patronus Laicus, & Diomedes, Patronus Ecclesiasticus Curæ sancti Aunarii, cum ex fundationis monumento, jure gaudeant præsentationis alternæ; & Beneficium vacare contigerit, eo tempore, quo Diomedi ordo præsentationis obvenerat, nondum, ab eo exhibitam præsentationem, Papa prior occupavit, ac Beneficium contulit. Qua de re duo quæruntur. Prius, an Collatio Papæ valeat? Posterius, posito, quod valeat, utrum Diomedes privetur Ordine suo præsentandi: adeo ut, prima recurrente vacatione, futura cedat Polyhistori præsentatio?

Respons.

Absque dubio est, collationem exhibitam a Summo Pontifice, valere, Canonicisque consentire regulis: Cum ei, sine ulla controversia, Jus competat præveniendi, quotquot sunt, Patronos Ecclesiasticos. Quod quidem ulteriori probatione non opus est confirmare: Quippe, nemine contradicente, juris istius prærogativa potiatur. Diomedes igitur, ordine suo præsentandi, decidit; & cum Diomedis, in præsentando ad Beneficium, quo sibi tempore licebat, incuriæ pœnam in Polyhistorem recidere, sit iniquum; cum primum vacare contigerit Beneficium, est isti futura præsentatio adscribenda. Huic rei ratio est, quod, *Privilegia Patronatus Laici non amittuntur per adjunctum Clericum*; ut loquitur Fevret (*r*), post Rochum de Curte (*s*), & de Silva.

(*r*) Fevret. l. 2. c. 6. n. 15 v. Verum supponendo.

(*s*) Roch. de Curte de Jure patronat. v. Jus q. 7. & de Silva, Benef. par. 3. q. 11.

At, inquiet aliquis, duobus Patronis competit Jus præſentationis alternæ: debet ergo, juxta ſuam quiſque vicem, Jus præſentationis exercere; & conſequenter, cum ad Beneficium nuperrime vacans, a Polyhiſtore, ſeu ab eo, quo repræſentator, fuerit præſentatum; nec potuerit a Papa, prior de eo Collatio præoccupari; æquitas poſtulat, Diomedem quoque juri ſuo præſentationis reſtitui; nec eo, propter Summi Pontificis prærogativam, deſraudari; aut ſaltem, ipſi prædictum jus, in proximam vacantis Beneficii vicem, exercendum reſervari: alioquin jus Polyhiſtoris, Diomedis conditione, longe præſtaret; cum tamen, ex fundationis inſtrumento, parem uterque conditionem ſortiatur. At ejuſmodi ratiocinatio, omni prorſus ex parte ruit: ſi attendatur, 1. Quod Diomedes, negligentiæ ſuæ vitium imputare ſibi ipſi debeat, quippe, quo ſibi licuit temporis intervallo, ad Beneficium non nominaverit: cum autem in ipſum incuriæ culpa cadat, quod ſeſe Romæ præveniri permiſerit; ejuſdem incuriæ pœna, in ipſum etiam ſolum recidenda ſit. Juxta hanc regulam Juris: *mora ſua cuilibet eſt nociva* (a); & aliam ſequentem: *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis, imputare* (b). 2. Quod Polyhiſtor Patronus Laicus, eum jure patronatus altero placide gaudere ſinat; quippe, nullo ei modo, ea in re, adverſetur, ac per eum non ſtet, quin, ab ipſo vacationis inceptæ inſtanti, Diomedes jure ſuo utatur: nec ipſius vitio dare debeat, quod poteſtatis prærogativam, quis ſuperior in Diomede exercere aggrediatur. 3. Quod ſi Polyhiſtor, jus ſuum præſentationis, in proximam vicem, obveniens, dimitteret, ex iſto Patronum Eccleſiaſticum præveniendi uſu, qui Summo Pontifici reſervatur, fieri ſæpius poſſet, ut quoties collatio Beneficii a Papa prior occuparetur, toties recurrens ipſi præſentationis ordo diſtraheretur: quod quidem juri ipſius, non tantum officeret; quippe, contradicentibus, tum ipſius fundationis authentica tabula, tum ipſo etiam fundatoris intento, inde deſineret alternari: ſed receptum quoque paſſim in Gallia uſum funditus everteret. 4. Quod ejuſmodi inaudita juris exercendi prætermiſſio prorſus repugnaret Juriſprudentiæ, quam conſtituerunt quotquot ſupremarum Curiarum Arreſta, quæ propoſitæ quæſtionis cauſam Patrono Laico ſemper adjudicaverunt. Quale eſt Arreſtum Pariſienſis Parlamenti, 16. Septembris 1587. relatum a Carondas (c), & aliud Secretioris Concilii, citatum a Fevret (d), qui addit, Patronum Eccleſiaſticum, de ſuo nominandi jure, ad proximam Beneficii vacantis vicem, nullatenus eſſe fruſtrandum; ſi eo tantummodo fine, a ſummo Pontifice præveniri ipſum contigerit, ut neceſſariæ omnium exhibeantur proviſiones; quales recenſentur, quæ *ex cauſa permutationis*, atque ex ratione retinendæ penſionis impetrantur.

(a) Reg. 25. de Reg. Juris in 6.
(b) Reg. 86. ibid.
(c) Carond. reſp. l. 7. c. 391.
(d) Fevret. loco cit.

CASUS XXII.

Gerulus & Gildas, conſobrini, ac Curæ S. Gildardi, indiviſe Præſentatores Laici, cum occurrente dicti Beneficii vacatione, de Subjecto ad illod præſentando, vix aliquando conſentiant: Gerulus vir religionis ac pietatis plurimæ, & pacis concordiæque, cum Gilda ſervandæ amans, jus illi ſuum maluit integrum remittere. An, potuit de jure ſuo, ſic privata auctoritate cedere, nec ſummi Pontificis ſuffragio, aut ſaltem Diœceſani Epiſcopi conſenſu munitus?

RESPONS.

Verum equidem eſt, quod ſi Gildas cum Gerulo compatronus non foret, non poſſet iſte, abſque Epiſcopi conſenſu, de jure ſuo patronatus quidquam illi concedere: quemadmodum a Sylveſtro docetur (e), & ex diſpoſitione cujuſdam Decretalis Alexandri III. colligitur (f), atque ex alia Decretali Lucii III. (g). Cujus hæc potiſſimum ratio dari poteſt, quod Eccleſiæ plurimum interſit, ut Patronus alicujus Curæ, non niſi Catholicus atque ſumptus e gremio fidelium conſtituatur: ac conſequenter Epiſcopum de eo commoneri neceſſario requiratur.

At quoniam Gildas ſimul cum Gerulo, jure patronatus jam gaudet, non eſt cur Gerulus impediatur, quin proprium, quo potitur, jus privata etiam auctoritate poſſit illi concedere, ut facile evincitur, ex quadam Decretali ejuſdem Papæ Alexandri III. (h), & ex Gloſſa (i), quæ notat, juris iſtius ceſſionem, Eccleſiæ nihil damni in eo caſu importare, quippe qui cedit, & cui ceditur, utrique jus inerat patronatus. *Notandum* .... inquit Reginaldus (K), *non requiri Epiſcopi conſenſum, ad hoc, ut unus Patronus renuntiet, ſeu remittat alteri Compatrono jus Patronatus, quod cum eo habet commune .... quod non inſtituatur novus Patronus, ſed jus, quod erat penes duos uni relinquatur: neque id fiat in aliquod præjudicium Eccleſiæ; cum is, cui relinquitur, perinde approbatus ſit, ac alter, qui relinquit.*

(e) Sylv. v. Jus Patron. q. 5. §. 5.
(f) Alex. III. in cap. Nullus 17. de Jure Patron.
(g) Luc. III. in cap. Præterea 23. ibid.
(h) Alex. III. c. Ex inſinuatione, 24. eod. tit.
(i) Gloſſa v. liberaliter conceſſiſſet, & in d. c. v. Ad patrum.
(K) Regin. l. 3. tr. 3. ſect. 3. c. 9. n. 213. §. Notandum, ſecundo.

Vide (BENEFICIUM. COLLATIO. CONFIDENTIA. PROVISIO. SIMONIA.)

PECCATOR PUBLICUS.

PRÆTER varias, quas in prima ſequentis tituli fronte enumerabimus peccatorum ſpecies, duplex hic nobis diſtinguendum venit genus; eorum ſcilicet, quæ ſunt ſecreta, id eſt aut omnino occulta, aut ſaltem nonniſi paucissimis cognita; & illorum, quæ publica ſunt, ſive quis fuerit legitimo judicio denunciatus publicus peccator, ſive ſit ipſius peccatum adeo pervulgatum, ut nec negationi nec excuſationi ullus jam relinqui locus poſſit. Et hujuſmodi peccatorem eo loci peccatoris publici nomine deſignamus.

Quamquam in Gallia quoad forum externum non habeantur ut publici peccatores, niſi qui fuerint hac deſignatione notati, aut ſententia ſecundum normam juris lata, aut propria ſua confeſſione, quæ judiciaria ſit, aut ipſius tandem evidentia facti iis munita judiciorum formulis, quas certis in caſibus Juriſprudentia noſtra vult neceſſario prærequiri: nihilominus non raro contingit peccatorem publicum eum æſtimari, cujus crimen offendiculo fuit alicui communitati, quæ ex perſonarum denario ſaltem vel duodenario numero coaleſcat, juxta hæc verba Concilii Carthaginenſis tertii (n): *Cujuſcumque .... pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam commoverit Eccleſiam*: & quando ſic divulgatum crimen nonniſi publica ſatisfactione reparari poteſt

habita

habita ratione tum conditioni criminis, Personæ, temporis, loci, tum cæteris circumstantiis facto adjunctis.

Primis Ecclesiæ temporibus, obtinebat pœnarum certis in casibus injungendatum usus, hodierno multo severior; quum laboriosissima pœnitentiæ opera, quæ sese sæpius ad annos plurimos, eosque continuos extendebant, decurrenda peccatoribus incumberent: quæ licet eadem consuetudinis ratione non ubique vigerent; ut plurimum tamen frequentabatur famosus ille satisfactionum in quatuor gradus partitarum decursus, quem a peccatoribus peragi oportebat. Quorum graduum primus dicebatur, *flentium*, qui flexis genibus sub dio constituti hærebant extra portas Ecclesiæ, utpote qui vel primo illius aditu indigni prorsus haberentur. Secundus gradus erat *audientium*, qui quidem in ipsam Ecclesiam, directas sibi præceptiones excipiendi causa admittebantur; sed nec ultra vestibulum progredi, nec publicarum precum consortes esse permittebantur. Tertius gradus eos spectabat, quibus & publicarum precum fieri socios ac patticipes, & rebus etiam Divinis ad Evangelium usque interesse concedebatur; sed priusquam Ecclesia discederent, supplicibus aliquamdiu verbis orante pro illis Sacerdote, in ore atque oculis omnium prostrati toto corpore jacebant; unde & *Prostratorum* nomen retinuerunt. Quartus denique gradus ex illis potissimum constabat, qui *Consistentes* appellati sunt; & illis assistere tam Divinis officiis, quam ipsimet Sacrificio, non tamen Christi corpus sumere, nisi post præscriptum in eo gradu temporis intervallum, licebat. Sic eousque, quantum ad publicos peccatores attinet, primarum ætatum laudanda asperitas, Disciplinæque robur pertingebant. Sic & eo tum pietatis, tum fervoris æstu ardebant ipsi peccatores, ut etiam lubenti, lætoque animo ad hujusmodi gradus decurrendos, suæ cum Deo futuræ reconciliationis intuitu, descenderent. Quoniam vero filiorum suorum sensim tepescere laudatum fervorem Ecclesia intellexit, de suo primævæ severitatis instituto paululum quid remitti pia mater non denegavit.

Id sibi semper proposuit Ecclesia, in eoque Disciplinæ usu constans perstitit, ut peccatoribus hujusmodi illud satisfactionum genus injungeretur; quemadmodum liquet ex illo prudenti Decreto Concilii Tridentini (*a*): *Apostolus monet publiee peccantes palam esse corripiendos: quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet: ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.* Concilium Mediolanense primum (*b*), item quod Sipunti circa annum 1567 (*c*), quod Genuæ anno 1574. (*d*), & alia, quæ eodem vertente sæculo habita sunt, scilicet Rhemense, Rhotomagense, Turonense, Burdigalense, & Aquense in eo consentiunt cum Tridentino Concilio, quod & insuper declarat, injunctam semel a simplici Confessario pœnitentiam publicam, ab eodem absque intervenientis Episcopi auctoritate, cui Sacrosancta Synodus, cæteræque subsequentes Synodi jus illud reservatum esse voluerunt, in aliud pœnitentiæ secretæ genus commutari jam non posse. *Episcopus tamen*, inquit Concilium Tridentinum, *publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire* (*e*).

(*a*) Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 8.

(*b*) Conc. Med. t. de pœnit.

(*c*) Conc. Sipont. eod. t.

(*d*) Concil. Genuens. tit.

(*e*) Conc. Trid. ibid.

Hinc est, quod eadem intendens, eodemque boni studio ductus, felicis recordationis Illustrissimus Vialard Cathalaunensis quondam Episcopus, cujus & nomen & memoriam etiamnum complectuntur simul, & reverentur quam maxime tum Gallicani Præsules, tum quotquot sunt inferioris ordinis Pastores, in ea quam pro suæ Diœceseos regimine anno 1661 edidit Pastorali institutione, præcepit, ut non Decani solum, sed & omnes Parochi, & generatim quicumque fuissent a se ad Confessiones excipiendas approbati, conspirarent ad strictissimam Disciplinæ prædictæ custodiam; & huic potissimum subjici curarent peccatores publicos, sive contumeliosos in Deum obtrectatores, Concubinos, Meretrices, Ebriosos, qui mali fuerint exempli; cæterosque hujusmodi in Tribunali pœnitentiæ sive occurrentes; nec ab illius praxi, aut ullo metu aut aliquo rerum humanarum respectu avocari sese paterentur; quibus tamen sequentem exceptionem subdidit prædictus Prælatus, quod in quibusdam casibus inusitatis, V. G. singularium certaminum, inimicitiarum inter proximos, & divortiorum, in quibus tam Parochi quam Confessarii difficultatis plurimum sæpius experiri solent, tum ut quæ sit imponenda satisfactio determinetur, tum ut ad eam acceptandam peccatores ipsi

ipsi inducantur, nihil quidquam eo inconsulto agerent, & ad insistendum sibi renunciatis ab ipso consiliis omnino tenerentur. Enim vero in hujusmodi casibus unumquemque sic sese gerere præstat; quippe rem tanti momenti absque consilio Episcopi, proprio arbitrio, privatoque ductu tractari, periculosius omnino sit, eo præsertim sæculo, quo paucissimi reperiuntur peccatores, qui alicujus obsequii, veræque Religionis, ac germanæ pietatis solidam & expressam effigiem retineant; & consequenter eo benignius indulgentiorique animi lenitudine sit agendum, ut possint tum Deo devinci, tum ad officium suum aliquando revocari.

Casus Primus.

Hebertus nummularius in urbe percelebri ac magna constitutus, fœneratoriam artem ibi palam & aperte factitans, plurimis ab illinc annis sub fœneratoris titulo per totam urbem divulgatus, quin etiam ea de re mulctatus, atque iterata Magistratus sententia notatus, adiit in festo Paschalis parœciæ suæ Vicarium, peccata sua illi patefacturus, a quo, promisso nimirum interveniente, quod ab omni fœnerationis actu in posterum abstineret, absolutus fuit: qui deinde communionis causa ad sacram Synaxim cum multis aliis accessit; at Parochus licet peccatorum depositionem ab illo mox factam non ignoraret, illi tamen communionem denegavit. An istam communionis repulsam attentare tuta conscientia potuit?

Respons.

Potuit imo & debuit Parochus sacrosanctam communionem Heberto prorsus denegare, nisi prius & ipse debita interpellatione requisitus a Parocho, sese tum Confessionis officio perfunctum, tum suæ fœneratoriæ arti æternum renunciasse publice significaverit. Neque enim peccatorem publicum absolvi sufficit, ut ad Eucharistiam admittatur, requiritur insuper, ut publica quadam satisfactione, quod cum offensione pervulgatum est, scelus necessario diluat: quod nisi præstare prompto animo paratus sit, non communionis tantum, sed & ipsius absolutionis repulsa mulctandum esse nemo diffiteatur.

(a) Idem S. Thom. 3. p. suppl. q. 80. a. 6.

Hæc decisio nititur Doctrina Sancti Thomæ (a), qui de peccatore publico in iisdem circumstantiis constituto, quæ & ipsi Heberto supponuntur in proposito casu, ait: *Quidam vero manifesti* (peccatores) *per evidentiam facti sicut publici usurarii, aut publici raptores: vel etiam per aliquod judicium Ecclesiasticum, vel seculare. Manifestis ergo peccatoribus non debet, etiam petentibus, sacra Communio dari.*

Quæ quidem ipsissima sunt verba sancti Doctoris, qui, & in suæ sententiæ confirmationem affert auctoritatem Sancti Cypriani respondentis ad Eucratium (b): ab eo nimirum consultus fuerat Sanctus Martyr, num cuidam actori comico, seu ludricam artem profitenti, quique Juniorum animos atque mores, tum dictis, tum factis depravare solitus erat, communionem impertire deberet. Ad cujus quæsitum respondet his verbis: *Puto, nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ Disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.*

(b) S. Cyp. Ep. 61. in can pro dilect one 95. de consecr. d. 4.

Eadem Sancti Thomæ sententia, ipsa quoque roboratur Doctrina sancti Chrysostomi, qui Pastores alloquens, disertis verbis dicit (c); *Non parva imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, & ei hujus mensæ participationem permittatis. Sanguis enim ex manibus requiretur vestris. Sed unde, inquies, ego illum, atque illum, qualis sit, cognoscere possum? Non de ignotis, sed de notis hæc disputo.*

(c) S. Joan. Chrysost. hom. 83. in Matth.

Denique Sanctus Carolus Borromæus in suis institutionibus, quas dirigit ad Confessarios, agens de sacra communione, præcipit quoque eam ipsam denegari non tantum hæreticis, schismaticis, excommunicatis & interdictis, sed etiam quibuscumque aliis, qui sint publici peccatores, sive concubini, fœneratores, venefici, magi, impii in Deum obtrectatores, aut alio quovis peccato fuerint irretiti, nisi emendationis, atque debitæ satisfactionis argumenta certissima dederint (d). *Neminem publicis peccatis irretitum ad Communionem excipiet* (Parochus), *nisi prius scandalo publico satisfecerit; etiamsi absolutionis a Pœnitentiariis, aut Confessoribus etiam regularibus acceptæ, testimonium produxerit.* Quibus omnibus addi possunt quæ subjiciuntur Cardinalis Toleti verba (e); *His enim, neganda est Eucharistia, nisi pœniteant, & ita nota sit pœnitentia, ut notum est crimen.*

(d) S. Car. instruct. de Sacr. Commun. 4. qui ad Sacr. Commun. admittendi sunt?

(e) Fr. Tol. Instr. Sac. l. 6. c. 27.

Observandum tamen est, quod juxta eam, quæ in Gallia plurimum obtinet jurisprudentia, prædictus Hebertus non haberetur peccator publicus, nisi fuisset sententia secundum formam legum lata, hac designatione notatus; propterea, quod illic non admittatur notitia, quæ manifestaria censeatur, nisi resiliat ex lato adversus reum aliquem judicio, quo decretorie reus pronuncietur; unde Parochus, qui ob solam evidentiam facti, quam nulla sententia præcedens antea declaravisset, aliquem a Communione repellere præsumeret, certissime reprehenderetur, imo & ab ipso judice damnaretur, quasi, qui apud multos offensionis plurimæ ex sua repulsa auctor fuisset.

Illud nihilominus animo persuasum habemus, etiamsi prædictus Parochus ob illam repulsam in reprehensionem aliquam, quoad forum externum incurreret; ad sacram Synaxim non posse ab eo, salvo Pastoralis officii debito, virum talem admitti, nec quemvis alium peccatorem publicum, cujus crimen sola evidentia facti innotesceret. Cujus quidem ratio hæc est, in eo, quod jure divino interdictum est, nihil quidquam posse ex Civilis Jurisprudentiæ formulis immutari. Eaque de causa tam Ritualis Romanus, quam cæteri libri Rituales nullius distinctionis, inter eam, quæ facti, & eam quæ juris est, evidentiam mentione facta, generatim & absque exceptione præcipiunt publicum quemcumque peccatorem a Communione arceri; qui non minus ex illa, quæ ex facto exurgit notitia, quam quæ ex jure colligitur, ipsa communione indignus censendus sit, ut in celebri quadam Decisione fatebatur, cui requirente Illustrissimo Pavillonio Alectensi quondam Episcopo, 30. Sorbonici Doctores Chyrographum apposuerunt. Sed priusquam Parochus aliquis, hujusmodi repulsam attentare aggrediatur; quæ a celeberrimo Professore Sorbonico suggeruntur, tria potissimum illi præcavenda sunt (f). Primo quidem, ut talis peccator ab ipso Parocho privatim, modoque benigniori assumptus, tum de criminosa sua vita, tum de subsequente inde offendiculo commoneatur; & ad hujusce vitæ emendationem invitetur. Secundo, ut quoties ad suum populum in Evangelium orationem habet, toties in sacrilegos abusus, quos ab hujusmodi peccatoribus indigne nec moribus immutatis ad Sacrosanctam Eucharistiam accedentibus, admitti contingit, publice simul, atque vehementer invehatur. Quod ita tamen exequi studeat, ut nihil indicando, quod ad quemquam privatum accommodetur, aut quo vel nominatim vel alia quavis ratione possit designari, excidat. Tertio denique, ut ad Episcopum suum recurrat ab eo nimirum accepturus, quid in simili casu agendum sit; & directa sibi ab eo mandata scrupulose exequantur.

(f) Sambovius tom. 1. casu 15.

Casus II.

Earnestus per annos decem, & amplius in con-

Digitized by Google

concubinatu publico vixit, ac demum crimine induratus, suaque peccata Sacerdoti aperire præfracte detrectans, supremum diem explevit. Hieronymus ipsius Parochus quærit, utrum Ecclesiasticam sepulturam illi denegare non sibi liceat? aut saltem cæteris Parœciæ suæ peccatoribus publicis timorem incutiendi causa, sese simulare, quasi prædicto Ernesto talis sepulturæ honorem tribuere nolit; aut tandem eo fine absentari, ut hujus sepulturæ dandæ cura tradatur alii Sacerdoti, ea tamen expressa conditione, quod in illius funere deducendo nec crux, nec aqua benedicta, nec funalia circumferantur?

R e s p o n s a.

Quamquam Ernestus per annos decem & amplius in concubinatu publico vixerit, ac per totam Parœciam morum illius perversitas late percrebuerit, haberi tamen non potest ut peccator publicus, quantum ad pœnas attinet, quas adversus peccatores hujusmodi Ecclesia decrevit. Quippe requireretur insuper eum illa designatione ex præscripto juris notari. Unde nec marte proprio, nec nisi munitus Episcopi auctoritate Hieronymus illi denegare potest sepulturam Ecclesiasticam. Sepulturæ igitur Ernestum tradere debet, servando ritus omnes, qui in defunctorum exequiis solent ab Ecclesia frequentari, nec ab illius funere eum abesse decet; nec simulare, quasi velit illi denegare sepulturam Ecclesiasticam, eo nimirum intuitu, ut cæteris similibus peccatoribus timorem injiciat: nec denique committere alium Sacerdotem, qui omissis ritibus solitis illum sepulturæ tradat. Officii tamen est simul & prudentiæ Parochi, ut in hujusmodi casibus, vel colloquio, vel scripto, si fieri possit, proprium Episcopum consulat, & ne reprehensioni locus detur, jussa ipsius diligenter complere enitatur (a).

(a) Sambov. tom. 1. casu 16.

Vide (Absolutio.)
(Adulterium. *Casus* Joannes.)
(Confessio. *Casus* Gelasius.)
(Poenitentia injuncta. *Casus* Ecclesia.)

PECCATUM.

PECCATUM generatim sumptum sic definitur a Theologis: *Peccatum est divinæ Legis prævaricatio, & cœlestium inobedientia mandatorum* (b).

Juxta doctrinam sancti Augustini, omne peccatum est vel originale, vel personale: Personale etiam actuale dicitur. Peccatum originale illud est, quo infecti, atque gratiæ originalis dono privati respirare incipimus, quodque ab Adami peccato ad nos usque contagiosa quadam successione derivatur. *Peccatum originale*, inquit Polmanus (c), *est justitiæ originalis, mentem Deo subjicientis, voluntaria privatio, orta in posteris Adam, ex eo, quod in ipso peccaverunt*.

Istud peccatum, *originale* nominatur; id est, *homini inexistens ab origine, & sui animatione*.

Dicitur: *justitiæ originalis*; quod illud justitiæ privilegium Adamo a primo creationis ipsius instanti fuerit infusum, præter gratiam sanctificantem, cæteraque supernaturalis ordinis dona, quæ ei subinde ab ipso Deo fuerunt impertita.

Additur denique; *privatio voluntaria*, relative ad voluntatem Adami, in qua, moraliter loquendo, omnium illius posterorum voluntates continebantur, juxta hæc Apostoli verba: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (d). Unde & sanctus Augustinus dicit (e): *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati*.

Peccatum actuale, sive quod actualiter perpetratur actione, locutione, cogitatione aut desiderio, *est dictum, factum, vel concupitum contra Legem æternam* (*scilicet præceptivam*) (f).

Duplici modo contrahitur actualis peccati reatus; nimirum cum facto, aut etiam sola voluntate aliquid, quod vetitum est, admittitur; qualia sunt, homicidium, mendacium, furtum, odium, aliaque similia, quæ Lege quadam negativa interdicuntur: vel cum aliquid, quod præceptum est, omittitur; quale est adesse Sacro diebus indictis, divinum officium persolvere, (quod eo spectat, qui vel Sacris Ordinibus sunt initiati, vel aliquo beneficio potiuntur) peccata sua deponere, aut certis quibusdam temporibus elicere contritionis actum, cæteraque hujusmodi; aut quodlibet exequi, quod ad præceptum affirmativum possit pertinere.

Delinquitur aliquando in Deum solum, verbi gratia, cum impia quædam, ac probrosa in ipsum maledicta proferuntur, aut illius Providentia aliqua conquestione impetitur; & aliquando directe in proximum: Nempe cum dicteriis injuriosis, aut alia quavis iniqua ratione offenditur; & aliquando tandem in seipsum, quales sunt, qui inebriantur: qui castitatis fines libidinose perfringunt, vel qui sibi violentas manus afferunt.

Distinguuntur etiam aliæ, plurimæque peccatorum species relative ad causam, quæ nos ad ea impellit. Sic peccata quædam dicuntur ex malitia, & ea sunt,

(b) Polm. p. 1a. n. 391.

(c) Id. loco cit. n. 440.

(d) Rom. 5. 12.

(e) S. Aug. l. 1. de nupt. c. 26. seu nu. 43.

(f) Polm. ib n. 395.

quæ cum perfecta animi consideratione, maturoque consilio perpetrantur, nequicquam reluctante lumine naturali, vel divina illustratione; quorum alterutrius ope possent omnino vitari.

Sunt & alia, quæ nonnisi vi & quasi subito quodam æstuantis animi impetu committuntur; & alia denique, nuncupantur ignorantiæ peccata, hoc est, per ignorantiam culpabilem simul, & vincibilem admissa. Quod quidem in Canone exprimitur a sancto Gregorio his verbis (a): *peccatum tribus modis admittitur; nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & gravius quidem, infirmitate, quam ignorantia: sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur.*

(a) Can. faciendum 21. de pœnit. d. 12.

Occurrunt etiam, quæ appellantur peccata spiritualia; quod nempe in animo potissimum consummentur, qualia sunt superbia, nimia sui fiducia, hæresis, & inanis gloriæ studium: Et alia, quæ carnalium nomen retinent, propterea quod carnalis voluptatis motus illicitos ut plurimum intendant.

Denique, quæ frequentius usurpatur distinctio, quamque nosse magis juvat, ea est, quæ lethale peccatum inter, & illud, quod tantummodo veniale, est intercedit.

Quod primum dicatur lethale; hinc est, quia dono gratiæ animam spoliat, destrüendo charitatem, qua vita ipsius tota inititur ac constituitur.

Ea est illius definitio hisce terminis contenta (b): *Peccatum mortale est peccatum, ex se* (hoc est): *ex ipsa malitia peccati, infligens peccanti spiritualem mortem*, eum spoliando gratia sanctificante, *& constituens secundæ* (mortis) *reum*, quod idem est, ac *obnoxium damnationi æternæ* (c).

(b) Polm. loc. cit. n. 418.

(c) Apocal. 1. 20. & 21.

Contra vero veniale peccatum luctuosa hæc duo non infligit animæ consciæ illius ejusdem peccati; propterea quod sit offensa tantummodo levis, quæ ut a Deo condonetur, non adeo difficile quis obtineat; sive sit illud ipsius naturæ quasi consectarium, quale est verbum otiosum; sive hoc habeat ex defectu maturæ, plenæque consultationis; ut contingit junioribus, qui ratione satis perfecta nondum utuntur, aut denique ex ipsiusmet materiæ sufficientis absentia, quale est furtum pomi, vel aciculæ. Atque, quod hac in re permagni interest, observandum unum occurrit, sextuplici ratione, eaque diversa fieri posse, ut quod veniale est, mortale peccatum evadat.

Primo, *ratione finis ultimi*; ut loquitur S Thomas (d), *quia agens in eo constituit finem ultimum*; quemadmodum si quis maluerit Deum mortaliter offendere, quam sese a culpa, quæ ex natura sua sit tantummodo venialis, abstinere. Exempli causa, cum die vel Dominica vel festa inaniter otioseque confabulari magis juvat, quam pro officii munere rebus divinis interesse.

(d) S. Th. 1. 2. q. 99. a. 2. in corp.

Secundo, *ratione finis mortalis*, ut cum alicui puellæ leviter & quasi per transennam dirigitur unicum verbum ex ambiguo dictum, eo tamen fine, ut ad crimen inducatur. Quod quidem exemplum adhibetur ab eodem S. Thoma, qui de argumento proposito sic dicit (e): *Cum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum.*

(e) Id ibid.

Tertio, *ratione conscientiæ erroneæ*, nimirum quando qui agens, aut proferens, aut omittens rem aliquam, inde sese peccare mortaliter putat; licet ejus peccatum natura sua sit solummodo veniale.

Quarto, *ratione contemptus*, verbi causa, si quod ex natura sua mere veniale est peccatum, admittatur eo plane animo, ut ipsummet divinum mandatum despicatui habeatur.

Quinto, *ratione periculi*; cum scilicet aliquis propriæ infirmitatis conscius mulierem, quam novit in vitium labi facilem, unico tantum jocosoque dicto alloquitur.

Sexto, *ratione scandali*; quando nempe Confessarius, vel Religiosus aliquid aut profert, aut facit, quod quidem de se veniale omnino est, sed apud audientes aut videntes multam, notabilemque offensionem habeat.

Ea de re consulendus est Angelicus Doctor in eadem quæstione superius laudata (f), & in aliis, ubi de peccato verba facit (g).

(f) Ib. art. 3. 4. & 5.

(g) Id. ib. q. 71. & seqq.

Sed priusquam finem faciamus, pauca subjicienda sunt de iis, quæ *peccata omissionis*, item & de illis, quæ dicuntur *aliena peccata* viro in rebus Religionis parumper versato peccata actualia sese ultro indicantia: nec prius admittuntur, quam conscientiæ stimulo incusantur: at peccatorum omissionis dissimilis omnino conditio est; quia pro nihilo utcumque habentur: Unde fit ut raro admodum Confessario aperiantur, quamquam sæpe numero sint & gra-

vio-

viora & in genere peccati notabiliora. Enimvero cum Deus hanc humanarum conditionum miram varietatem eo fine ordinaverit, ut sociali quodam vinculo sibi invicem omnes cohærerent, vult ut, *unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, in ipsa permaneat*, inquit Apostolus (*a*), & in ipsa permanens salutem æternam consequatur. Porro salutem illam consequi impossibile omnino est, nisi quod unicuique conditioni præfixum est munus ad amussim impleatur. Regibus Principibus, Magnatibus, Divitibus, Pauperibus, Sæcularibus, Ecclesiasticis, & cæteris omnibus quotquot sunt incumbit aliquid speciale & unicuique proprium, quod officii munerisque loco est, quodque exequi tenentur, & de cujus omissione districtam rationem in divino judicio sunt reddituri. Egregium sane nobis hujusce rei argumentum subministratur apud S. Matthæum (*b*), ubi Christus loquens de generali judicio, exprobraturus est reprobis peccata omissionis, quæ & in causa erunt cur sint flammis infernis æternum addicendi; quibus & ipse dicturus est: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim* (scilicet in persona pauperum, qui membra mea sunt) *& non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus & non cooperuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me*. In iis igitur totidem occurrunt omissionis peccata, quæ reproborum gentem innumeram aliquando detrudent in æternam damnationem.·. *& ibunt hi in supplicium æternum;* quibus nil proderunt multa bona opera, quæ ultra debitum exercuerint, eo quod quæ debita sunt & strictioris omnino juris implere omiserint, de quibus idem salvator Scribas & Pharisæos alloquens ait (*c*); *hæc oportuit facere, & illa non omittere*, illa nimirum ad quæ tenebantur ex suæ conditionis officio.

(*a*) 1. Cor. 7.

(*b*) Matth 25.

(*c*) Id 23. 23

Denique peccata aliena intelligenda sunt, quæ licet non sint a nobis perpetrata, nobis nihilominus imputantur, propterea quod iis committendis ansam præbuerimus, sive jubendo, sive suadendo, sive plausibus assentatoriis indigne laudando, sive promovendo quavis ratione; quæ ex culpa nostra evenerit. Quorum quidem peccatorum Propheta Rex Deum supplex veniam precabatur: *Et ab alienis parce servo tuo* (*d*); & ea summopere præcavenda sunt.

(*d*) Psalm 18. 14.

CASUS PRIMUS.

Duo Theologiæ Candidati Joannes & Jacobus hanc inter se moverunt quæstionem, nempe utrum illæsa purioris moralis integritate, contendere liceret, a Deo peccatum posse permitti. Affirmativam tenuit Joannes, negativam vero Jacobus, qui & hanc rationem subjunxit, quod cum Deus sit simul infinite potens & bonus, omnia omnino mala impedire teneatur, neque deceat ab eo malum permitti vel minimum. Utri jus?

Respons.

Duorum Theologorum prior recte censet, & ipsissimam tuetur doctrinam S. Augustini, qui dicit Deum pro infinita sua sapientia sic ordinavisse tanquam quid gloriæ suæ magis congruens: *Melius enim judicavit*, inquit, *de malis benefacere, quam nulla mala esse permittere* (*e*). Unde & allato exemplo Pharaonis, cujus cordis indurationem ipse Deus permisit, idem Pater infert: *Utitur ergo Deus bene cordibus malis ad id quod vult ostendere bonis, vel quod factum est bonis* (*f*). Et expendens alibi cur primos Parentes nostros Deus permiserit a Dæmone impelli ad peccandum, quos futurum esse ut tentationi succumberent certo præsciebat (*g*): ait: *Cur itaque tentari non sineret, quem consensurum esse præsciebat; cum id facturus esset propria voluntate per culpam, & ordinandus esset illius æquitate per pœnam: ut etiam sic ostenderet animæ superbæ ad eruditionem futurorum sanctorum, quam recte ipse uteretur animarum voluntatibus, etiam malis, cum illæ perverse uterentur naturis bonis.·. quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de male factis eorum quid boni esset facturus.*

(*e*) S. Aug. Enchir. de fide, spe, & char. c. 27. seu n. 8. sub. fin.

(*f*) In. qq. in Exod. l. 2. q. 28.

(*g*) Id. l. 11. de Genes. ad lit. c. 4. & 9.

Enimvero, quod Diaboli suggestu peccatum admittitur, sic permittit Deus, quemadmodum ab ipso Diabolo sinit tentari hominem, qui non nisi permittente Deo sollicitari posset ullo modo ad peccandum. *Intelligendum est nihil eos* (Dæmones) *in quemquam posse, nisi permissos. Permitti autem justitia, qua reguntur omnia, sive probationis causa sive vindictæ, vel ad damnationem, vel ad correctionem irrogatæ* (*h*). Et iterum alibi (*i*), *Deus vero tam bonus est, ut malis quoque utatur bene: quæ omnipotens esse sineret, si eis bene uti summa sua bonitate non posset, & hinc potius impotens appareret & minus bonus, non valendo bene uti etiam malo.*

(*h*) S. Aug. l. annot. in Job. 38. sub. fin.

(*i*) Id. op. Imp. contra Jul. l. 5. c. 60.

CASUS II.

Duo Ecclesiastici quæstionem aliam instituere, scilicet, an omne verbum otiosum venialem culpam constitueret? In affirmativam discessit alter; alter in negativam abiit. Utrius opinioni jus adscribendum?

Respons.

Respondemus, juxta doctrinam S. Thomæ, omne verbum otiosum, accepta nimirum hac voce in sensu proprio & strictissimo, constituere venialem culpam, eaque de causa apud S. Matthæum a Domino nostro dici (*K*): *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. At quoniam illa vox sæpe sæpius in sensum ambiguum distrahitur, unde plurimos errare contingit; sciendum est, otiosi verbi nomine, nihil aliud proprie intelligi, quam quod absque recta optimæ mentis intentione, aut nulla requirente sufficienti necessitate profertur; & consequenter quæ passim oblectamenti, animique recreandi gratia circumferuntur jocosa quædam & facetiis aliquibus honestis condita verba, non idcirco otiosa, neque peccata censenda esse, cum e contrario quamdam sæpe numero annexam habeant speciem virtutis, quam post Aristotelem nomine Eutrapeliæ S. Thomas designat, quæ quidem in eo sita est, ut servata debita moderatione, omnique secluso peccandi periculo, jucundum quid atque facetum colloquiis familiaribus immisceatur. Quod semper occurrere reperitur, modo quidquid impium, contumeliosum, lascivum lasciviæque fomentum est, a sermonibus abesse caveatur; & eo dirigantur omnia verba, ut eorum quibuscum res habetur, conciliatis amore simul & benevolentia, crescat in dies magisque solidetur amicitia. *Sciendum tamen est*, inquit S. Thomas (*l*) *quod secundum Gregorium* (*m*), *otiosum est, quod caret intentione piæ voluntatis, aut ratione justæ necessitatis. Unde non omne verbum jocosum est otiosum si ad recreationem referatur: quia etiam in jocis contingit esse virtutem Eutrapeliam, de qua Philosophus in 4. Ethicorum determinat.*

(*k*) Matt. 12. 36.

(*l*) S. Th. in 2. sent. dist. 40. a. 5. ad 8. item q. 2. de malo a. 5. in corp.

(*m*) S Greg. Papa 3. p. Pastoralis admonit. 25. in fine.

Est igitur definiendum consequenter ad illam Doctoris Angelici distinctionem, utri laudatorum Eccle-

Ecclesiasticorum in hoc opinionis dissidio, jus cedere debeat. Enimvero si agatur de verbis, quæ vere & proprie otiosa sint, huic prorsus cedit, qui discessit in affirmativam. Si autem nihil aliud hac voce intelligatur, quam verba jocosa, ad exhilarandum concinnata, quæ nec Religioni nec bonis moribus adversentur; non sine fundamento alter abiit in negativam. Primo quidem subjecimus: *Juxta doctrinam S. Thomæ*. Namque Doctor Angelicus, cui plerique non infimi nominis Theologi hac in re consentiunt, pro principio certissimo habent nullos esse actus indifferentes: quod nihilominus negant S. Bonaventura, & aliqui cum eo Theologi.

CASUS III.

Quod veniale est peccatum potestne mortale aliquando evadere? Sit in exemplum Joannes qui viro bene nummato unicum solidum subripit; idemque furtum quoquo fere die repetit. Illud quod ex natura sua tantum veniale est, potestne in mortale peccatum tandem decidere?

Respons.

Cum proposita quæstio aliquid ambiguum habeat, & sensu duplici atque opposito possit intelligi, eam prius accurate dilucidari necesse est, ut certius definiri possit. Primo enim potest ad hunc sensum reduci, nimirum, an tale peccatum quod ex natura sua mere veniale est, mortale tractu temporis possit evadere; qua quidem quæstione sic posita dicimus: *Quod idem actus numero, primo sit peccatum veniale, postea mortale: & hoc esse non potest*, ait S. Thomas (*a*), qui & hanc rationem subjungit: *Quia Peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut & quilibet actus moralis. Unde non dicitur unus actus moraliter, si voluntas mutetur; quamvis etiam actio secundum naturam sit continua. Si autem voluntas non mutetur, non potest esse quod de veniali fiat mortale:* Est & alius hic sensus, qui potest in quæstionem propositam cadere juxta eundem Doctorem Angelicum, scilicet utrum quod ex natura sua veniale est, possit in quibusdam casibus mortale fieri; quod certe contingere posse nemo diffiteatur tum ratione finis propositi, tum ratione connexionis, quam veniale peccatum habet cum aliquo mortali, nimirum quando exinde oritur notabile quoddam scandalum, aut committitur cum actuali animo etiam perpetrandi peccatum mortale. Verbi gratia si quis furando assem ærarium ea sit affectus mente, ut duplionem Hispanicum etiam subriperet, modo sese daret occasio, vel illud attentare auderet; aut denique si subtrahendo hunc assem, id sibi proponat, ut cui intercipitur, ille ad impia quæque & in Deum contumeliosa sese efferat, vel ad aliquod gravissimum aliud peccatum incitetur: *Alio modo potest intelligi*, addit S. Thomas, *ut id quod est veniale ex genere, fiat mortale: & hoc quidem possibile est, in quantum constituitur in eo finis; vel in quantum refertur ad mortale peccatum; sicut ad finem*.

(*a*) S. Th. 1. 2. q. 88. ar. 4. in corp. & q. 42. art. 25. Item. q. 7. de malo. art. 3.

Denique potest hunc alium quoque sensum eadem illa quæstio suscipere, quem etiam S. Thomas ibidem innuit hoc modo. *Tertio modo potest intelligi, ita quod multa venialia Peccata constituant unum Peccatum mortale*: (qui quidem quæstionis sensus in casu proposito videtur ut plurimum obtinere,) *Quod si sic intelligatur, quod ex multis Peccatis venialibus integraliter constituatur unum Peccatum mortale, falsum est: non enim omnia peccata de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale . . . . . si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale, dispositive: sic verum est.* Et eo sensu affirmativa procul dubio retinenda est, hinc sapiens ait (*b*): *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Illius autem ratio definitionis vel ex eo patet evidentius, quod pluries repetitis venialibus peccatis magis inflammetur cupiditas, & eum tandem gradum attingat, qui peccato mortali finitimus est. Sic Joannes, qui unoquoque fere die solidum unum furari consuevit, ex illis minutioribus furtis sese sæpius & omni remoto Religionis scrupulo comparatum experitur, ut & ad graviora, si concurrerit opportunitas, assurgat. Et ita ipsius peccatum, quod primo quidem solam venialis rationem habebat, mortalis gradum potest deinde pertingere, propter male affectam illius voluntatem, ut ab eodem S. Thoma docetur (*c*), aliunde vero fieri potest, ut quod veniale dicitur in Joanne, qui unum duntaxat unaquaque vice solidum furatur, vere & proprie sit peccatum mortale. 1. Si illud furtum admittendo, quod revera & secundum naturam suam mere veniale est; sese nihilominus putet peccare mortaliter. 2. Si tale furtum illi vertat in occasionem proximam peccati mortalis. In eo quippe casu judicium idem esset de eo ferendum, quod & de viro, qui nullo sibi dolo malo proposito, pergeret inaniter otioseque confabulari cum Puella, quacum, ex hujusmodi colloquiis antea habitis, sese certo scit infelici funestoque lapsu in crimen dedisse præcipitem. 3. Denique si sic cumulatis minutioribus furtis Joannes exinde reus injustitiæ notabilis constituatur, quando nempe ex eo quod postremo furatur, id quod antea rapuit sic accrescit, ut pecuniæ summam efficiat, quæ sit sufficiens ad peccatum mortale: in illo enim casu, quod seclusum ab illis circumstantiis foret duntaxat veniale, iisdem simul recurrentibus, certissime mortale peccatum evadit.

(*b*) Eccl. 19.

(*c*) S. Th. cit. q. 88. a. 4. in corp.

CASUS IV.

Lælius, puer a sexto ad septimum annum vitæ curriculum agens, jamjam mentiri incipit, ut & culpæ suæ prætendat excusationem, & debitam sibi mulctam valeat procul amandare. An contendi jure potest, eum licet nondum provecta ætate, sufficienti tamen rationis usu pollere, ut peccare censeatur; & consequenter quotquot profert mendacia, totidem esse computanda veri ac proprie dicti nominis peccata?

Respons.

Insufficienter prorsus & omnino incertissime dignoscitur ex illo arithmetico sex, septem, aut etiam octo annorum calculo, utrum puer aliquis sapere sufficienter incipiat, ut alicujus peccati reus censeri possit. Neque enim prius ad observationem divinæ legis obligatur quis sub pœna peccati, quam cum eam cognoscere incœperit, & valuerit proprio suæ rationis usu, fas atque nefas certo certius discernere. Quaquidem in re testem habemus S. Hieronymum (*d*), qui disertis verbis docet, *Cum autem mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiæ, appetentis bona* (quod primario præcepto naturalis legis innuitur) *& vitantis mala*, (quod est veluti summarium reliquorum præceptorum ejusdem legis:) *tunc incipit peccatum reviviscere, & ille mori, reusque esse peccati: atque ita fit, ut tempus intelligentiæ, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam, operetur in nobis mortem, si agamus negligentius, & occasio sapientiæ seducat nos atque supplantet & ducat ad mortem*.

(*d*) S. Hier. Ep. ad Algasiam, seu Allasiam, q. 8.

Hoc igitur principio solvenda est quæstio in casu proposito instituta, & determinandum an Lælius culpa vacare, aut culpæ aliquid admisisse, sit censendus. Eum enim mentiendo peccare, dubium nullum est, si ea sit instructus mentis intelligentia qua cognoscat mendacium peccatum esse divina lege interdictum; secus non peccat (*e*).

(*e*) De Gener. Theolog. mor. t. 5. tract. 1. c. 3. n. 6.

CASUS V.

Victor potestne tentare aliquid, quod quidem de se venialem culpam importet, sed cujus ope sibi promittit absque omni dubitationis alea,

alea, fore ut ab admittendo mortali peccato Mævius arceatur?

RESPONS.

Illud a Victore tentari non posse certum est, quemadmodum definitur a S. Thoma (*a*), in responso ad quæstionem propositæ omnino consimilem: veniali etenim culpa etiam levissima, divinæ Majestati injuriam irrogare numquam non potest: *Nullus autem debet*, inquit, *Deum offendere parum, ne alias offendat multum: quia homo debet in infinitum plus diligere Deum, quam proximum; & ideo nullus debet facere peccatum veniale ad vitandum scandalum, dummodo actus suus ex tali caussa factus peccatum veniale remaneat*. Idem quoque docetur a S. Augustino; qui & eodem fretus principio ait, mendacium vel minimum adhibere sub prætextu boni alicujus, quantumcumque supponi possit, nullatenus esse licitum (*b*). *Ad sempiternam vero salutem nullus*, inquit, *ducendus est opitulante mendacio*. Hæc est doctrina sanctorum e fontibus saluberrimis emanans, illoque roborata Apostoli testimonio. *Non ... faciamus mala, ut veniant bona* (*c*).

(*a*) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. q. 1. ad 2. Item. in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. q. 2. ad 2. & 2. 2. q. 43. art. 7. ad 5.

(*b*) S. Aug. de Mend. n. 14. & 42.

(*c*) Rom. 3. 8.

CASUS VI.

SEIUS peccati mortalis vinculo constrictus incidit in aliquod leve mendacium, aut in aliud veniale quoddam delictum. Quæritur utrum sui levioris delicti, cujus eum serio pœnitet, veniam possit impetrare; dum nec menti occurrit pœnitere eum mortalis peccati, cujus labe inficitur?

RESPONS.

Quamdiu Seius in statu mortalis peccati perseverat, impossibile est eum obtinere, ut sibi condonetur aliqua culpa venialis; quippe sit illud solius justitiæ status privilegium quasi consectarium. Ut enim loquitur S. Thomas (*d*): *Remissio culpæ cujuscumque numquam fit, nisi per virtutem gratiæ: quia ut Apostolus dicit Rom. 4. ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum: quod Glossa ibi exponit de veniali: illo autem qui est in peccato mortali, caret gratia Dei. Unde nullum veniale sibi remittitur.*

(*d*) S. Thom. 3. part. q. 87. art. 4. in corp.

Doctori Angelico congruit Paludanus; cujus hæc verba sunt (*e*): *Non potest remitti aliquod veniale habenti mortale actuale: nisi illo mortali remisso prius, vel simul*. Cujus definitionis tres rationes affert: *Primo; quia remoto priori, removetur posterius; nec posterius restituitur, nisi priore restituto. Fervor autem caritatis cui veniale opponitur, est posterior ipsa caritate. Unde quamdiu nec caritas restituitur, nec fervor caritatis reparari potest, in qua reparatione consistit venialis peccati remissio .... 2. Sic pœna non est satisfactoria, nisi sit Deo grata & accepta. Sed quidquid fiat ab existente in mortali, non acceptatur a Deo, cum sit ejus inimicus: Ideo, &c. ...... 3. Quia veniale obscurat mentem: obscuritas autem non tollitur nisi per lucem* (gratiæ). Eruditus ille Theologus plurimas deinde sibi proponit objectiones, quas accurate discussas solvit & omnino comminuit.

(*e*) Petrus Palud. in 4. dist. 20. q. 2. art. 1.

CASUS VII.

HIEROTIMUS, Religiosus Ordinis reformati professus, indictum pervigilio S. Matthæi, quod in feriam sextam quatuor temporum forte incidebat, jejunium agere prætermisit. De sola omissione indicti jejunii verba fecit in confessione, qua sacramentaliter fuit absolutus. Illi postea renuntiatum est quod ex ista jejunii infractione, duplicis simul peccati reatum incurrisset, & ad distinctam explicitamque illius declarationem teneretur; quippe qui duo simul præcepta violavisset, nimirum Ecclesiæ præscriptum quo jejunium indicitur tribus diebus quatuor temporum, & Ordinis sui Constitutiones quibus quotquot sunt Religiosi Ordinis ad jejunium obligantur feria sexta. Consulit, num quod sibi delatum est, veritati consentiat, & utrum ad repetendam de integro duplicis illius peccati accusationem pro conscientiæ debito teneatur?

RESPONS.

Quod renuntiatum fuit Hierotimo, veritati consentaneum est: quod ut confirmetur, præsupponendum est principium illud indubitatum, scilicet non esse præcise repetendum ex varietate præceptorum, quibus quis adversatur, quod multiplicentur peccata quoad speciem, sed ex caussis variis, propter quas illa præcepta fuere constituta: unde sæcularis qui prefixum S. Matthæi pervigilio occurrenti feria sexta quatuor temporum jejunium agere omisisset, perfracto licet præcepto duplici Ecclesiastico, in reatum duplicis peccati non impegisset; propterea quod illo duplici statuto unicum illud Ecclesia sibi potissimum proponit, ut abstinentiæ virtus excolatur. Contra vero qui percussisset aliquem in Ecclesia usque ad sanguinis effusionem, duplicis simul peccati se sa vinculo constrinxisset; primo quidem infringendo divinam legem, quæ caritatem erga proximum plurimum intendit; 2. delinquendo adversus Ecclesiasticum mandatum, quo hujusmodi animi violenti motus inhibentur, & virtutis religionis cultus primario maximeque commendatur.

Dicendum est ergo consequenter ad positum principium, una eademque omissione peccatum ab Hierotimo duplex admissum fuisse. Primo quidem non obtemperando Ecclesiæ, jejunium quatuor temporum præcipienti, eo quem monuimus animo, ut virtus abstinentiæ servetur; secundo, quod vovit infringendo, & debitum Constitutionibus Ordinis sui quibus præcipue Religionis virtus intenditur, obsequium non præstando. Unde infertur in illius omissionis accusatione, ab eo duplex istud peccatum distincta enumeratione exprimi necessario oportuisse. Cum scilicet eodem simul actu, præceptum duplex cujus intentum duplex & diversum est, violaverit. Sic censet ipse Bonalis (*f*), quem nimiæ suspectum austeritatis Theologum nemo certissime dixerit.

(*f*) Bonal. t. 1. tract. 2. lect. 1.

CASUS VIII.

RADULPHUS die quadam sive dominica, sive festa, & in mendacium leve, simul & vino obrutus in temulentiam lapsus est. An ex illa circumstantia computandum est hæc duo peccata aliquid gravioris habere, quam si fuissent alia die perpetrata?

RESPONS.

S. Thomas quæstionem iisdem terminis conceptam hac resolvit ratione sequenti (*g*): *Quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Unde Augustinus in libro de decem chordis*: Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus exsisteret; & melius feminæ eorum die sabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis suis impudice saltarent. *Non autem qui peccat venialiter in sabbato contra hoc præceptum facit: quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.*

(*g*) S. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. Item in 3 sent. dist. 37. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2.

Non est igitur unde gravius censeatur Radulphi mendacium, quod die vel dominica vel festa fuerit prolatum; at ipsius temulentiæ peccatum quam plurimum aggravari nemo negaverit, ex concurrente nimirum diei sanctitatis circumstantia, qui præ reliquis diebus divino cultui vacando potiori ratione reservatur; quem proinde nullus Christianus aliquo crimine profanum facit, quin & se ipsum propter prædictam circumstantiam grandioris peccati reum constituat.

CASUS IX.

ALBERTUS centum nummos Joanni furto subripere cogitat, & in ipsomet temporis articulo, aut secunda circiter ab illinc hora propositum exsequitur. Quæritur utrum duo simul eaque varia peccata hoc in casu occurrant, primum ex voluntate ducens originem, alterum ex consequente actu peccati: ita ut necesse habeat illa duo simul in confessione designare?

RESPONSIO.

Si prædictus vir eo immediate instanti, quo sibi crimen animo proposuit, fuerit exsecutus, unius dumtaxat ejusdemque peccati reus constituitur. Contra vero, si non favente rerum opportunitate ad aliud tempus protraxerit, duplicis peccati simul se se vinculo adstringit tum propter pravam furti propositi mentis intentionem, tum propter actum ejusdem furti consummatum.

Cujus quidem solutionis quam duce S. Thoma proferimus in medium, hanc rationem suggerit idem sanctissimus Doctor (*a*): quod numerica peccatorum multiplicatio sumatur ex interiorum voluntatis actuum qui sint moraliter interrupti; nec eodem halitu continuati, multiplicatione. *Cum quæritur, utrum voluntas & actus exterior sint diversa peccata; aut intelligitur de voluntate conjuncta actui exteriori; aut de voluntate præcedente. Si de conjuncta; sic oportet, quod unum peccatum sit voluntas interior & actus exterior, quia voluntatis non multiplicatur actus: si autem de voluntate separata; sic est aliud peccatum, quia actus voluntatis multiplicatur: quando enim actum explet exteriorem, etiam actum voluntatis iterat: & ideo oportet quod sint duo peccata, non propter diversitatem actus interioris & exterioris; sed propter diversitatem duorum actuum interiorum voluntatis.*

(*a*) S. Th. in 2. Sent. dist. 42. q. 1. art. 1. in corp.

Propterea que reus debet de duobus prædictis peccatis, in confessione facere mentionem expressam, quæstione nimirum intellecta hoc ultimo sensu Doctoris Angelici.

CASUS X.

CAPRASIUS, Communioni Catholicæ addictus, degens in Anglia ubi vera religio variis vexationum modis opprimitur, dum Catholicos alios adhortatur ut sint suæ religionis tenacis, & quibus exagitantur mala generoso constantique perpetiantur animo, ab hæreticis indigenis de improviso detegitur. Cui protinus injicit manum quidam ex eis, & sclopeto faucibus applicato, horrenda voce mortem præsentem minitatur, nisi spondeat futurum ut & latitantes in his regionibus Sacerdotes indicet, & quibus consueverat animos adjicere, fideles in posterum hortari desistat. Ex gravi subitoque corripiente metu promittit quidquid ab oppugnatoribus exigitur, & promissum exsolvit. Qua de re consulitur an sit sufficiens talis metus, cui vir etiam constantissimus absque dubio cedat, ut Caprasius immunis a peccato censeri possit.

RESPONSIO.

Caprasius a peccato non potest excusari, in eo quod latitantes ibi Sacerdotes præsumserit hæreticis revelare. Atque ut remoto omni dubitationis anfractu manifestius unde peccaverit agnoscatur, sedulo distinguendum est genus obligationum duplex, quæ ab ipsis præceptis derivantur. Quod primum est, nulla potest dispensatione relaxari, quippe quod & ad legem divinam pertineat, & quidquid per se malum & suapte natura interdictum est, circa illud potissimum versetur. Alterum dispensationem admittit aliquam, & ea spectat quæ per se quidem mala non sunt; sed, quod putentur peccata, illud habent ex alicujus præcepti interdicto.

Quibus positis respondemus, 1. ut superius dictum est, non posse Caprasium a peccato eximi, quod ex irruente subito metu oppugnantibus promiserit, & re ipsa indicaverit quotquot in his regionibus dispersos Sacerdotes noverat delitescere: propterea quod illos non ignoraret eo fine perquiri, ut vexarentur; & illis in carcerem detrusis, aut etiam capitali pœna damnatis vera religio facilius excideret: quibus quidem sub quocumque prætextus velamento favere licitum esse nusquam potest; cum naturali simul atque divino jure ex æquo interdicatur, ne quidquam adversus Ecclesiam Christi proditorie agatur, & utrique juri prædicto pariter adversetur quod quis addictissimos Ecclesiæ Ministros, ipsimet Ecclesiæ inimicissimorum hominum odio furorique committat. Hæc nostra responsio tota nititur eo S. Augustini (*b*) effato: decere Christianam veri nominis constantiam, *potius qualibet mala tolerare, quam malo consentire*. Quod idem a S. Thoma docetur (*c*): *Si enim aliquis*, inquit, *propter timorem quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid quod est præceptum in lege divina; talis timor est peccatum mortale.*

(*b*) S. Aug. in com. lib. 3. 32. q. 5.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 125. art. 3. in corp.

2. Quod attinet promissum Caprasio metu mortis imminentis extortum, quod alios fideles deinceps adhortari desisteret, nihil inde criminis exsurgit: cum nec etiam jubente Episcopo in proprii capitis discrimen ad illud teneatur, nec ipse præsumi possit Episcopus eam ipsam Caprasio provinciam, ne excepto quidem prædicto capitis discrimine, demandatam voluisse; quippe nullo vel apparente jure, tale quid exigere valeret, nisi aliunde & ex pastoralis alicujus officii titulo id munus Caprasio incumberet (*d*); quod in proposito casu nulla ratione significatur.

(*d*) De Gen. Theol. mor. t. 1. tract. 1. c. 13. num. 1. & 2. & cap. 9. n. 2. 3. & 4.

CASUS XI.

LAURIDUS depositis in pœnitentiæ tribunalis plurimis iisque mortalibus peccatis, quæ virtute Sacramenti fuerunt illi plane condonata, post elapsum quasi mensis intervallum in eadem peccata rursum decidit. Numquid denuo reviviscunt quoad culpam priora illius peccata?

RESPONSIO.

Equidem sentiunt Theologi quotquot peccato mortificata sunt bona opera, reviviscere eadem virtute pœnitentiæ subsequentis. At non ita est de peccatis quæ fuerunt absolutionis beneficio semel remissa: Inauditum namque est & omnino pugnans, ut quod extinctum & penitus rescissum est, ad vitam rursum redire dicatur. Sic opinatur Gelasius Papa apud Gratianum (*e*): *Divina Clementia*, inquit, *dimissa peccata, in ultionem ulterius redire non patitur*. S. Prosper ab eodem Gratiano laudatus eamdem quoque tenet sententiam, cum dicit: *Qui recedit a Christo, & alienus a gratia finit hanc vitam; quid nisi in perditionem cadit? sed non in id quod remissum, est recidit* (*f*).

(*e*) Gelas. in can. *Divina*. fin. de pœnit. dist. 4.

(*f*) Prosper. respons. ad 2. object. Gallorum. in can. *Qui recedit*. 14. dist. cit.

Observandum tamen est: licet quæ dimissa sunt peccata nec quoad culpam nec quoad debitum pœnæ æternæ ex subsequente alio peccato mortali formaliter reviviscant; certum nihilominus esse huic subsequenti peccato graviorem subesse tum Dei, tum divinæ misericordiæ contemtum, & eo ipso multo magis accrescens, severiori proinde pœna fieri condignum. Et hinc est quod passim doceatur a Theologis (*g*) post S. Thomam, hujusmodi peccata virtualiter reviviscere ex novo superveniente postea mortali peccato, quod nimirum annexum habeat ingrati in Deum animi vitium.

(*g*) Collat. Andeg. coll. 4. q. 5.

Sed operæ pretium est ipsissima S. Thomæ verba referre, quæ sic se habent (*h*): *Sequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati, in quantum scilicet aliquis homo secundo peccans, ex hoc ipso videtur gravius peccare, quam prius peccaverat .... multo autem magis contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati secundo peccatum iteretur; quanto majus est beneficium, peccatum remittere, quam peccatorem sustinere. Sic igitur per peccatum sequens pœnitentiam, redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum: non in quantum caussatur ex illis peccatis prius dimissis; sed in quantum caussatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus: & hoc non est, peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid; in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur.* Ea de re consuli potest eruditus Ysambertus (*i*), qui de proposita quæstione fuse admodum disserit. Qui voluerint materiam eamdem copiosiori pleniorique stilo tractatam inspicere, legant sanctum Thomam in locis ad marginem indicatis (*K*).

(*h*) S. Th. 3. p. q. 88. art. 1. in cop.

(*i*) Ysambert. de Sacram. Pœnit. disp. 27. art. 5.

(*k*) S. Th. 1. 2. q. 88. & 7. seqq. & q. 71. & 18. seqq. &c. 2. 2. q. 71. & seqq. &c. in 4. Sent. dist. 34. & 30. seqq.

Vide { COMMUNIO, Casus. Mauritius. }

PEN-

Digitized by Google

PENSIO ECCLESIASTICA.

QUod appellatur, PENSIO ECCLESIASTICA, *est jus percipiendi fructus, ex alieno Beneficio* (*a*).

Pensionem Ecclesiasticam, in se ipsa, consideratam, sic definit Bouchel (*b*); *moderata quadam portio, ex reditibus Beneficii, auctoritate Superioris, ad tempus separata, per modum quantitatis, & cum causa, alteri assignata.*

Ut legitimus sit illud jus debet niti 1. vera realique illius inopia, cui pensio ministratur, adeo, ut non nisi pensionis ope, vitæ necessaria sibi suppeditare possit. 2. Auctoritate Summi Pontificis, quippe, ea potestatis prærogativa solus gaudeat, qua Canonicam efficiat atque legitimam, retentam, alicujus Beneficii dimissi fructuum, portionem; aut pensionis, ex aliquo Beneficio alteri collato, percipiendæ facultatem. Neque vero sola sufficit, in Gallia, concessio Papæ, ut jus illud perfectum ratumque censeatur, atque suum possit effectum sortiri. Præterea namque, ut eo perveniatur, agendum est ex constitutis a Principe Legibus, de quibus sumus deinde tractaturi.

Est unicus casus, in quo potestas inest Episcopo, pensioni, in gratiam resignantis, instituendæ, auctoritatem asserendi; quando nempe Beneficium resignantis, eo fine, resignatur, ut, considerato tum Ecclesiæ tum boni publici, majori commodo, alteri Beneficio uniatur.

Olim pensio assignabatur in aliquo fundo Beneficii, cujus, novus titularis, usumfructum permittebat ei, cui pensio ministrabatur. At usus hodiernus invaluit, ut opportunioris, utriusque, facilitatis causa pensio, præsenti pecunia, conferretur.

Inordinatæ prorsus ac omnino perversæ sunt, si loquamur, tum ad normam Canonum, tum ad ipsummet rationis dictamen, quotquot in gratiam Laicorum, statuuntur, de Beneficiis pensiones. Juxta Arrestum Parisiensis Senatus 16. Martii 1562 Equidem D. Comes de Marsan, illustri Lotharingiæ familia, Princeps ortus, qui, 10000. librarum pensionem, ex Episcopatu Cadurcensi, accipiebat; cum Dominam d'Albret uxorem sibi duxisset, Pontificium rescriptum obtinuit, quo, conceptis verbis, tum quibuscumque consuetudinibus, tum Provincialium quin etiam Generalium Conciliorum statutis derogabatur; ac sibi adjudicatam, pronunciato, ea de re, Arresto ab ampliori Consilio, pensionis possessionem deinde retinuit. At ejusmodi Arrestum, non nisi post & consequenter ad Diploma ab ipso Rege concessum, quo, memorato rescripto, Regia auctoritas asserebatur, latum fuit. Aliunde vero agebatur, in eo negotio, de materia mere Ecclesiastica, in qua supremus Moderator habetur Papa, quantum scilicet ad ea, quæ non officiunt libertatibus nostris, quæ Canonum antiquorum fundamento maxime nituntur; unde, exemplo simili, nihil quidquam consequens effici potest Quemadmodum probatur ex memoriali quodam libello, qui, in Bibliotheca Canonica Bouchel, interponitur (*c*).

Nullam potest Papa, in Curis, in quibus Patroni Laici jus nominationis obtinent, nisi accedente eorum explicito consensu, pensionem indicere; ut docetur a Rebuffo, in exponendis clausulis, quæ tertiæ parti simplicium Romæ provisionum inferuntur (*d*); Molinæo in regula de *publicandis* (*e*), cæterisque Canonici Juris interpretibus ad marginem appellatis. Quod idem intelligendum quoque est de pensionibus, quas vellet, absque consensu Regis, tam in Episcopatibus, quam in Abbatiis, assignare (*f*).

Non potest, qui ratione pensionis alicujus Beneficiarius est, Beneficio suo, propter non solutam pensionem, restitui; nisi, contra detrectatorem debitorem, sententia primum dicta, munitus fuerit: quidquid ea de re fuerit ab utroque compermutante, peculiaris pactionis, conflatum. Qui vero ita beneficio suo, ex sententia redditur, jam non potest, eo in casu, acquisitas sibi pensionis usuras, exigere.

Eo perveniri non potest, ut de Xenodochii reditibus instituatur aliqua pensio; nisi sub titulo beneficii, ipsum fuerit erectum. Quæ quidem exceptio, in interpretatione Regii Edicti 1672. disertis verbis exprimitur.

Qui apud Romanam Curiam agit, ut pensio sibi quædam instituatur; de declaranda, in data Summo Pontifici supplicatione; quæ sibi de alio beneficio jam ministratur, pensione, nulla ratione tenetur: At excipiendi sunt a prædicta regula Religiosi, qui, pensionem de beneficio a se resignato, sibi retinere proponunt: Si enim contigerit, eos, aliqua jam pensione potiri; de exprimenda ea omnino tenentur.

(*a*) Polm. part. 2. a. n. 735.

(*b*) Biblioth. can. t. 2. p. 199. col.

(*c*) Bouchel. tom. 2. p. 200.

(*d*) Rebuff. in praxi benef. n. 36

(*e*) Num. 236.

(*f*) Hostibus in c. Dudum, 22. de elect. Panorm. in cap. Significatum. de præbend. Rochus de Curte tract. de jure patronat. v. Utile.

Quando, quis pensionem assignari sibi postulat in quodam beneficio, in quo pensio alia jam constituitur: de priori ista pensione, ac de ipsius pretio, tenetur supplicans, expressam, in supplicatione sua, facere mentionem.

Successor Parochi, qui pensionem in sua constituit; ad eam pensionem, ei, cui ministrabatur, solvendam, non adstringitur: nisi, quæ ejusmodi pensioni robur addidit, signatura Romana, agente summo Procuratore Regio, fuerit supremi Senatus auctoritate comprobata: Quod intelligendum quoque est, de quibuscumque cæteris pensionibus constitutis, in beneficiis, quæ continuæ residentiæ onus imponunt: alioquin hujusmodi pensiones, non reales, sed tantummodo personales censentur; nec possunt ex jure Titularium, qui de beneficiis suis eas sibi retinuerunt, amplius exigi.

Quæcumque pensio statuatur in beneficio, quod continuam residentiam requirit: summam 300. librarum ab omni quocunque onere solutam & immunem, numerata pensione residuam Titulari semper superesse oportet, fortuitis proventibus, & qui Ecclesiæ incrementi nomine circumferuntur, reditibus, quantum ad Parochos, in computationem summæ prædictæ non adductis. At quod pertinet ad Canonicos, distributiones quotidianæ, in complendarum 300. librarum subsidium veniunt; propterea quid sibi ipsis imputare debeant, si privatione illarum quandoque mulctentur. Si vero aliquanto plus pensionem superare, nec summam 300. librarum Titulari residuam superesse contigerit: licet eam ipse constituerit, potest, intra limites ab Edictis præscriptos, a Judicibus restringendam, exposcere: quod nonnisi de Titularibus, qui ad onus continuæ residentiæ tenentur, volumus intelligi.

Quæ apud majus Concilium obtinet Jurisprudentia nullam admittit decessionem, de pensionibus, quæ in Consistoriensibus beneficiis, ex Regio nominationis diplomate assignantur: quod evinci potest ex compluribus Arrestis ab ipso
(a) Vid. D. Brillon. verbo. Pensio. n. 160. Tribunali pronunciatis (a).

Non potest retineri pensio de aliqua vel Cura vel Præbenda, nisi post completam quindecim annorum possessionem ac præstita, per idem temporis spatium, quæcumque a munia, quæ ad dicta beneficii pertineant Juxta dictum mensis Junii 1671. in tabulas tum supremi Senatus tum amplioris Consilii relatum atque subsequentem illius interpretationem mensis Decembris 1673.

Religiosi ordinis S Benedicti de Congregatione S. Mauri, directam sibi, sub titulo gratiæ specialis Bullam, ab Urbano Papa VIII impetraverunt, qua, beneficia ab eis pendentia, ut possint faciliori via, recuperare, facultas ipsis impetitur assignandarum, tum religiosis Ordinis sui non reformatis, tum secularibus Commendatariis, qui voluerint sua beneficia resignare in gratiam alicujus religiosi de Congregatione prædicta, pensionum, quæ ad reditus usque
(b) Bal. Urbani .II. anno 1628. uniuscujusque beneficii justo pretio valeant assurgere (b). Quæ Bulla in Commentariis tam supremi Senatus, quam consilii amplioris, inscripta fuit.

Habetur quæcunque pensio, tanquam temporalis quidam reditus; adeoque cum aliquo Beneficio permutari nunquam potest.

Quamquam ex contracto matrimonio a Beneficiario quodam, ipsius non modo beneficium cujus Titularis erat, sed etiam, quæ de quibusdam aliis beneficiis pensiones ei obvenire potuissent, pleno jure vacare censeantur. Ab ea
(c) Paulus V. in Bulla Romanus anni 1607. tamen generali regula, Pauli V Bulla (c) ademit Equites S Lazari, a quibus etiam matrimonio conjunctis, permisit, retineri & percipi pensionem, quæ 500. Ducatum aureorum de Camera Apostolica. numerum non excederet; modo ad tertias nuptias non convolarent: atque ista Bulla, consequenter ad Regium diploma ipsis Equitibus impertitum, in tabulas amplioris Concilii relata est.

Quicumque in Gallia, ratione pensionis alicujus, in Beneficio quodam defertur, ad supplendam quintam usque pensionis suæ partem tenetur, pro solvendis loco Titularis, tum quæ Regi a Clero conceduntur, gratuitis donis, tum cæteris vectigalibus extraordinariis. Quemadmodum a Concilio de rebus ad Re-
(d) Bouchel. Bibliot. Canoni. 3. 8. p.426. gnum pertinentibus constitutum est, 26. Octobris 1671 (d) juxta pactiones initas Regem inter & Clerum 6 Aprilis 1666. & 13 Novembris 1670.

Non potest extingui pensio, numerata certa pecuniæ summa, nisi summi Pontificis auctoritas accesserit: sed licitum omnino est, ab eo, qui jus ad ipsam acquisitum habet, debitori in integrum gratuitoque remitti.

Materiam istam hic loci fusius non prosequimur: quoniam subsequentium decisionum prima exposititura est, quæ spectant originem, historiam, causamque insti-

institutarum Pensionum, & ceteri casus subjecturi sunt, quandonam pensiones licitæ vel illicitæ censeantur.

CASUS PRIMUS.

PASCHASIUS, in loco S. Aidainæ in Campania & natus & Parochus; & Germanus in loco S. Clementis prope Andegavum, unde etiam exortus est Parochus, de Curis suis permutandis cogitant: ut propriæ tum utilitatis, tum voluptatis caussa, solo natali uterque possit illa ratione reddi.

Istæ duæ Curæ supponuntur quoad annuum reditum omnino partes, quippe qui ad summam usque 1200. librarum pro unaquaque consletur; aliunde vero sunt in duabus constitutæ provinciis, in quibus annona cibariaque eodem utcumque pretio comparantur. At quantum ad onera, longe prorsus dispares.

s. Cura quam Germanus possidet, non nisi 100. librarum annuo vectigali oppigneratur.

2. Vicarius nulli est sumptui Parocho, sed ex ærario fabricæ, stipendium aliquod honorarium, pro ratione muneris ei defertur; quod idem, Ludi-Magistro quoque istius Parœciæ, Parocho nihil inde oneris suscipiente, præstatur.

3. Neque pauperes ipsi quidquam impensarum important; Est enim illic instituta quædam caritatis socialitas, quæ, ex annuo piarum collectionum proventu, pauperibus loci vitæ necessaria plusquam abunde suppeditat, quippe residua etiamnum supersit, quæ 600. librarum & amplius summa, reservatur.

4. Ædes Curiales sarciendæ, sumptibus ipsius non incumbunt, sed fabricæ.

5. Frumento vinoque reditus Curialis solvitur, nullo, de ista perceptione, sumtu emergente.

6. Ipsius Parœcia dissitarum a se invicem habitationum distantia nulla disjungitur; sed omnium illic habitatorum domicilia tanquam in modum vici colliguntur.

7. Tandem pulcherrime stat, nec, nisi duarum exiguarum leucarum distantia, dirimitur ab oppido, quod urbium Regni præclarissimarum formam prorsus exæquat.

Contra vero cura, qua Paschasius fruitur 1. oneratur annuo tum Decimarum tum aliorum vectigalium tributo, quod ad 300. libras usqae assurgit.

2. Tam vicarius, quam Ludi-Magister ipsius sumtibus solvantur.

3. Parœcia ejus in immensum distenditur, quod in ea nempe complures villulæ a se invicem maxime distautes, contineantur.

4. Pauperum sustentandorum, ædiumque Curialium sarciendarum onus incumbit Pastori.

5. Necesse est decumas, aut elocari, aut ingentibus impensis ab eo colligi.

6. Nec viciniæ quidquam habet ipsius cura, cum cura S. Clementis sive quoad situm, sive quoad prospectum.

Cum ex eo, quod inter prædictas curas discriminis interest, resiliat quoad memoratas circumstantias omnino dispar inæqualitas. Quæritur 1. utrum Germanus Parochus S. Clementis pensionem quamdam sibi retinere non possit, de reditibus illius curæ, quam cum cura sanctæ Aidainæ, permutationis caussa, resignare Paschasio meditatur? 1. Ut sibi, ex reservata pensione obveniat, unde pauperes istius Parœciæ sustentare queat, quippe in eorum gratiam nihil omnino præfixi subsidii, nullaque caritatis socialitas illic reperiatur. 2. Ut inde sibi leventur sumtus, tum de persolvendis decimis cæterisque onetibus, tum de supplendo, sacerdoti viceario, honorario stipendio, acque curialibus sarciendis ædibus.

Secundo, posito, quod postulata pensio sufficienti juris fundamento innitatur, quantam ipsam esse, servata quacumque æqui bonique ratione, oportuat?

RESPONS.

Jam demonstratum est, juri communi plurimum adversari, quamcumque pensionum institutionem, easque currente primæva ætate, in Ecclesia fuisse prorsus inauditas. Quæ suppeditantur ab antiquitate prima quinque exempla, occurrunt in Chalcedonensi Concilio generali, quod circa medium quinti sæculi habitum est, & apud S. Gregorium Magnum: Eaqueomnia spectant ad Episcopos, qui cum depositi essent, angustiis rerum necessariarum premebantur; aut senio infirmitatumque corporearum incommodis confecti, sua jam obire munia, assuetasque præstare vices, per valetudinem jam non poterant: aliunde vero pensionibus adeo exiguis, iis Prælatis succurrebatur, ut vix ac ne vix quidem eorum vitæ sufficeret sobrie frugaliterque sustentandæ.

Irruic postea Beneficiariorum nubes ingens, qui prioribus illis exemplis, ad suam habendi cumulandique cupidinem, plurimum abutentes, pensiones, aut ambierunt, aut sibi retinuerunt. Et ex nimia, quæ in Curiam Romanam sensim irrepsit, facilitate pensionum impertiendarum, earum tam longe lateque diffusa eluvies Ecclesiam totam invasit, ut Patres Concilii Tridentini, quibus, in iis omnino rescindendis penitusque abolendis, immensa undique tum laboris tum difficultatis incommoda sese offerebant, eas tantum interdixerint pensiones, quibus onerari postea potuissent, aut Episcopalia beneficia, quorum reditus 1000. nummorum non exsuperaret; aut ipsæ curæ, quæ ultra annuum 300. librarum censum, Titularibus non redderent.

Tribus tantum de caussis, quæ Canonicæ judicabantur, pensiones in Gallia permittebantur. Prima, ad conciliandam pacem inter duos, de eodem Beneficio, contendentes. Secunda, ad exæquandum exiguum quoddam beneficium, cam alio pinguiosi: quando nimirum ad honestum atque sufficientem victum, illius, qui via permutationis, Titularis evadebat, exiguum illud beneficium non poterat assurgere. Tertia tandem, ad suppeditanda vitæ necessaria iis, qui propter infirmitatem, aut quamcumque aliam caussam legitimam, beneficiis suis rennntiabant. Quæ quidem sic fuere statuta a Clero Gallicano generaliter congregato anno 1598. & confirmata deinde a Ludovico XIII. in Edicto anni 1629. & Ludovico XIV. in Edictione anni 1671. & subsequente illius Interpretatione anni 1673. in quibus præterea Princeps iste vetat, ne in posterum de curis, sive præbendis in Curia Romana resignandis ullæ instituantur pensiones, ab iis percipiendæ, qui per quindecim annos, prædictis beneficiis annexa officia non præstiterint, excepto tamen infirmitatis alicujus notabilis casu, qui ab Episcopo Diœcesano comprobetur. Potest recurri ad responsionem, quæ subjicitar casui immediate sequenti, *Bertrandus*, eorumque casuum primo, qui sub vocabulo *pensionis* proponuntur; ubi, quæ eo loci breviter perstrinximus, omnia & singula, copiosiori distinctiorique stilo, tractata repetiuntur.

Quibus sic præsuppositis, Dicimus 1. ex observatis in antecessum patere, quamlibet pensionem, ad Ecclesiæ utilitatem ædificationemque, primo ac præcipue reducendam esse; atque adeo, nisi duo prædicti Patochi id sibi animo proposuerint, quin immo privatum commodum propriamque oblectationem, tanquam permutationis, ab ipsis faciendæ, primam præcipuamque caussam habeant; ut videntur omnino innuere, quæ in exposita quæstione, rerum adjuncta quædam enunciantur, iis nos auctores esse jam non posse, ut cogitatam exequantur permutationem: quippe cum Canonibus, tum ipsius Ecclesiæ animo, in eo casu tota prorsus adversaretur.

2. Licet memorata pensio locum habere possit, quoad forum exterius. *Ubi juris præsumptiones solum attenduntur*: non ideo existimamus a Germano posse, tuta conscientia, ullam retineri pensionem de cura quam permutare cum Beneficio Pachasii intendit.

Google

1. Quia duo beneficia quoad annuum reditum sunt omnino paria.

2. Propterea quod, etsi cura posterioris istius, alio tum decimarum, tum aliorum vectigalium tributo, quod confletur ad summam usque 300. librarum, oneretur; nec sumtibus fabricæ vicarius, neque Ludi-Magister solvantur; residuus tamen ei superfit annus 500. librarum reditus, qui satis copiosus esse existimatur, ut ad honestam, tum ipsius, tum Vicarii sustentationem conferre possit, in ea præsertim provincia, in qua viliori pretio quæque comparantur quam in urbibus permagnis; & in eo loco in quo subsidiarium quoddam, utpote quæ educuntur lacticinia, fructus, ceteraque simul ad jucunditatem vitæque facilitatem conducentia, supplere possunt. Enimvero complures novimus Parochos pinguiori reditu non gaudentes, qui tamen Vicarii solvendi onus sustinent: Addendum præterea, cum sumtibus fabricæ, Vicarius in cura Paschasii non instituatur; a Parochianis effici non posse, ut, invito Parocho, in illa remaneat: ac proinde Parochum, si voluerit, posse Vicarii subsidio non uti, atque Curialibus quibuscumque muniis ipsum solum fungi; ut a ruralibus Parochis passim fieri videtur. Insuper imminui sibi tum decimarum, tum ceterorum vectigalium onera, quæ dictæ Curæ imponuntur, ipse Parochus potest obtinere.

Nec est unde objiciantur, quæ tum de colligendorum fructuum Curæ S. Aidainæ difficultate & incommodo, tum de Curæ S. Clementis pulcherrimo jucundoque & situ & prospectu, plurimum exaggerantur; si quidem allegatæ rationes, privatam omnino duorum Parochorum, Ecclesiæ vero utilitatem nullatenus pertingant. Quo quidem in permutationis casu, quam vilipendenda sit privati commodi ratio, tam æstimanda ponderandaque est, juxta regulas Canonicas, quæ Ecclesiæ commodum ædificationemque attinet.

Quantum est de pauperibus Parœciæ; eorum pro virili parte sustentandorum curam tanquam ab ipso Deo, sibi demandatam, debet Parochus suscipere: Ad largiendum vero in eorum subsidium non tenetur, nisi pro sui conditione reditus: atque si in necessitatibus communibus superfluum suum, & ea, quæ sibi ex laudabili parcitate obvenerant; in extraordinariis vero & insolitis, ipsorum etiam, quæ sibi necessaria sunt, partem eis erogaverit; coram Deo debitum munus solvit; ut fertur in uno quodam ex articulis doctrinæ a sacra facultate Theologica Parisiensi propositis. Licet quoque ipsi, collectiones quasdam pias in eorum gratiam faciendas, quin & aliquam caritatis socialitatem instituendam curare, juxta formam illius, quæ in Parœcia S. Clementis jam constituta est. Cui quidem institutioni promovendæ, plurimum prodesset Pontificium diploma, eo fine, a Papa concessum, ut unicuique prædictæ socialitati nomen danti, multiplex indulgentia cederet.

Denique nec omittendum videtur, caussam allegatam retinendæ sibi pensionis ob ementitæ sanctitatis speciem, a Germano frustra obtendi, in eo quod egenorum Parœciæ, quæ sibi permutanda offertur, inde sustentandorum causam prætendat, sub eo nimirum velamento, quod in eorum gratiam illic constituta non reperiatur, sicut in sua Cura, caritatis socialitas. Neque enim ex una Cura in aliam convenit transferri portionem reditus, etiam cum animo Pauperibus inde subveniendi; cum ejusmodi portio egenis loci in quo percipitur, peculiari quodam ac præcipuo jure competere debeat: & deficientibus egenis, ad fabricam Ecclesiæ, si egeat, aut ad proximum Xenodochium ratione potiori, quam ad pauperes, qui in Provincia remota simul & omnino aliena degunt, pertineat.

CASUS II.

Bertrandus, pensionem sibi de reditibus cujusdam Curæ constitutam, cujus titularis quidem erat, sed in qua nihil quidquam muniorum obiverat, in Curia Romana comprobari obtinuit. Cum solius auctoritate Papæ nitatur, potestne tuta conscientia & excusso omnis anxietudinis scrupulo, prædictam percipere pensionem?

RESPONS.

Ut firmioribus rationum argumentis difficultas proposita discutiatur, operæ pretium ducimus, si quid de origine & historia pensionum subjiciamus; nec displicebit lectoribus, si jucunditati simul & utilitati consulentes, a proposito videamur aliquatenus digredi.

1. Quarumcumque pensionum concessio repugnat Juri Communi, quod omnia omnino beneficia, nulla redituum partitione seu detractione facta, conferri præscribit: Quemadmodum ab Innocentio III. in una quadam ex ejus Decretalibus præcipitur (a). Cujus rei ratio est, quod quantumcumque copiosum & pingue fuerit aliquod beneficium, nunquam nimium esse possit Beneficiario, qui perceptos de beneficio reditus, ea ratione tractat, quæ tum Ecclesiæ menti, tum Canonicæ legitimæque administrationi consentiat; hoc est, qui sibi accepto, quod ad honestam sustentationem requiritur; quod reliquum est, aut pauperibus erogat, aut in pios quosdam usus impendit.

2. Quæ nobis antiquissima pensionum exempla traduntur, eam proponunt, quam Maximus Antiochensis Episcopus, Concilio congregato ultro obtulit Domno, qui jamjam Episcopatu fuerat depositus; quamque tum ad illius Episcopi sustentationem, tum ad conciliandam pacem, de reditibus Episcopatus, huic impertiri a Maximo, Concilium non denegavit. *Residentibus universis ante Cancellos sancti Altaris*, inquiunt Patres Concilii Generalis Chalcedonensis (b), *Maximus, Reverendissimus Episcopus Antiochiæ, dixit: Deprecor magnificentissimos & gloriosissimos Judices, & sanctam hanc & universalem Synodum, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Episcopus, dignemini, & statuere ei certos sumptus de Ecclesia, quæ sub me est ... universa sancta Synodus vociferata est: Laudabiles merito sunt benevolentiæ Archiepiscopi: omnes cogitatum ejus laudamus: hinc decet ad ejus existimationem hujus cogitatus Pontificis.*

Secundum exemplum habetur, ex pensione, quæ in eodem Concilio, ad summam usque solidorum aureorum 200. assignata fuit cuique duorum Episcoporum dictorum, Bassiani & Stephani, qui titulum Episcopi Ephesii sibi simul arrogabant, quosque Concilium ab istius Ecclesiæ regimine, servata Episcopali dignitate, submovit (c): *Removebuntur quidem a sancta Ephesinorum Ecclesia Bassianus & Stephanus Reverendissimi: habeant autem dignitatem Episcopi; & ex reditibus memoratæ sanctissimæ Ecclesiæ, nutrimenti gratia, & consolationis annis singulis solidos aureos ducentos accipiant*. Ita loquitur famosum istud Concilium, cujus Patres sic acclamavere: Hæc justa sententia: Hæc justa forma. Hæc bene habent.

Tertium quoque exemplum in eodem Concilio occurrit (d), in quo cuidam Episcopo pensio subministrata est, cui, Episcopatum quemdam postulanti, concurrente competitoris alterius jure favorabiliori, non visum est adjudicari.

Quartum legitur apud S. Gregorium Magnum, qui jubet, pensionem Agathoni Episcopo, propter morum perversitatem deposito, nec habenti unde sustentaretur, persolvendam. Sic loquitur sanctissimus Papa (e): *Postquam in Agathonem, quondam Episcopum, juxta qualitatem excessuum, districtione est Canonica vindicatum; necesse est humanitatis intuitu, quemadmodum sustentari possit, disponere. Propterea fraternitas tua ad Liparitanam Ecclesiam, in qua supradictus Agatho Sacerdotis gessit officium, festinet dirigere, eique ad præsens exinde quinquaginta solidos, qui in ejus possint proficere victum, transmittas: Nam nimis est impium, si alimentorum necessitati, post vindictam subjaceat.*

Quintum etiam reperire est, in quadam Epistola ab eodem Summo Pontifice scripta, ad Gallicanum quemdam Episcopum (f); in qua præcipit, ut illi Episcopo, qui jam non valebat, ex infirmitate, Episcopalia munera implere, sufficienti pensione subveniatur: *Ipse data petitione*, in-

(a) Innoc. III. in cap. *Ut nostrum*, unico. ut Ecclesiast. Beneficia sine diminutione conferantur. lib. 3. tit. 12.

(b) Concil. Chalced. part. 2. act. 10. in fine.

(c) Ibid. act. 12. in fine.

(d) Ibid. act. 14.

(e) S. Greg. Magnus lib. 2. Epist. indict. 11. Epist. 53.

(f) Item in can. *Quamvis*. 14. 7. q. 1.

inquit, *ſi non ulterius ad hoc miniſterium, intellectum habere, nec ad alia officia, ſubvertente infirmitate, poſſe fateatur aſſurgere: alium ſuo loco expetat ordinandum: quo facto omnium ſolemniter electione: alter qui dignus fuerit, Epiſcopus ordinetur; ſic tamen*, ut quouſque, eundem Epiſcopum, in hoc ſæculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti, de eadem Eccleſia miniſtrentur.

Ex quibus exemplis aperte demonſtratur, primis Eccleſiæ temporibus, non niſi in eorum gratiam, qui omni rerum inopia conflictabantur, penſiones fuiſſe conceſſas: neque in eo caſu unquam denegatas, licet perexiguum tantummodo temporis ſpatium, Eccleſiæ deſerviiſſent: ſed neque ad tertiam uſque quartamve portionem fructuum beneficiorum in quibus aſſignabantur, aliquando aſſurgebant, cum ſæpe ſæpius tenuiſſime ac eſſent, nec, niſi ad neceſſariam ſtrictiſſimamque ſuſtentationis rationem eorum, quibus cedebant, accommodatæ. Plurimi deinde Eccleſiaſtici inde occaſionem arripuerunt, penſionum ſibi captandarum: etiamſi nihil quidquam in gratiam Eccleſiæ, ſui laboris & operis contuliſſent; atque ut eas obtinerent, quoſcumque fucatos prætextus adhibere non erubuerunt: At quoniam intricatum fuit atque omnino difficile, quæ legitimæ aut iniquæ forent diſcernere; inde evenit, ut quæ penes Epiſcopos, reſidere huc uſque conſueverat penſionum impertiendarum poteſtas, tota tandem fuerit Summo Pontifici delata.

Concilium Tridentinum, quod obſtupuit ex portentoſa illa in totam Eccleſiam penſionum quaſi irruptione, quæ de ſingulis pene beneficiis accipiebantur; cum tanto malo mederi, tam pernicioſo abuſu ſimul & ſemel reſecato, prudenter non valuerit, quin graviora exinde conſequerentur incommoda, prohibitorium duntaxat tulit Decretum, quod ſic ſe habet. *Omnes hæ Cathedrales Eccleſiæ, quarum reditus, ſummam ducatorum mille; & Parochiales, quæ ſummam ducatorum centum, ſecundum verum annuum valorem, non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum graventur* (a). Quoniam vero ſolius jam Summi Pontificis eſt, inſtituere penſiones: Concilium Rothomagenſe a Cardinali de Bourbon coactum anno 1581: (b), ita declarat: *Omnes penſiones & pactiones ſuper Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apoſtolicæ approbatio, illicitas & Simoniacas declaramus*. Quod idem quoque iiſdem fere verbis a Concilio Bituricenſi habito anno 1584. pronunciatur. *Omnes ... ex iiſdem* (Beneficiis) *penſiones, ſine Summi Pontificis auctoritate paciſcentes aut percipientes ... ſe Simoniacos eſſe ... intelligant* (c).

(a) Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 13. de refor.

(b) Concil. Rothomag. tit. de Epiſcopor. officiis n. 20.

(c) Concil. Bituricenſe tit. 49. de ſimoniacis & fiduciariis can. 1.

Erat hoc in uſu poſitum in Gallia, ut nulla permitteretur penſionum inſtitutio, niſi in tribus caſibus; ut colligitur ex actis Conciliorum generalium Cleri anni 1598. Primus, ut comprimeretur, inter duos contendentes, omne litigium: hoc eſt, cum pacis conciliandæ, tum ipſius utilitatis Eccleſiæ promovendæ gratia. Secundus, ut Beneficium minus permutatum cum alio pinguiori, ſimul cum iſto poſſet exequari; quod quidem locum non habebat, niſi in quantum, de minori beneficio perceptus reditus cenſeretur inſufficiens ad honeſtum tum victum tum veſtitum illius qui via permutationis Titularis efficiebatur. Tertius, ad ſuppeditanda vitæ neceſſaria, iis, qui ex infirmitate aut qualibet alia cauſſa legitima, Beneficia ſua abdicabant: Quibus caſibus exceptis, Parlamenta, quaſcumque penſiones, nullas irritaſque eſſe jubebant; atque præſertim ſi in Epiſcopatibus aut ceteris Beneficiis, quæ curam animarum haberent annexam, conſtitutæ eſſent. Quibus omnino concordat Edictum 1629. in quo Ludovicus XIII. ſic loquitur: *Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Curæ & Xenodochia, nullis penſionibus in poſterum gravabuntur*. Quod roboravit Ludovicus Magnus, quoad Curas & præbendas, ſuo Edicto Athenſi menſis Junii 1671. in tabulis amplioris Conſilii, nono Julii, ſupremi vero Senatus, ejuſdem menſis vigeſimo primo inſcripto, quo prohibetur, ne in illis Beneficiis, ullæ aſſignentur penſiones Titularibus, qui annexa iis officia, per quindecim annos non præſtiterint; *niſi adfuerit alicujus morbi vel infirmitatis cauſſa, quæ ab ordinario comprobetur, a qua pro reſidua vitæ ſuæ tempore non valeant ad officia ſua aſſurgere; hoc eſt, Beneficiis ſuis annexa munia implere. Quo etiam in caſu, penſiones prædictæ, tertiam partem reditus Beneficii non poſſunt excedere, adeo ut Titulari ſemper ſuperſit ſumma 300 librarum ab omni onere immunis & ſoluta, præter fortuitos proventus Parochorum, & diſtributiones quotidianas Canonicorum; nequicquam obſtantibus quibuſcumque pactis & conventionibus, ob pendentem litem, reſignationem, permutationem, poſtulatum ex regreſſu actum, penſionum ſolvendarum defectum & quaslibet ſatiſdationes conſtatis, a quibus inquit iſte Princeps, obligatos fecimus & per præſentes facimus prorſus immunes*: Quod quidem Edictum accipi debet de quibuſcumque Beneficiis requirentibus reſidentiam & officia perſonalia, qualia ſunt Dignitates, Perſonatus, ſemi-Præbendæ, Vicariatus, cæteraque hujuſmodi, quæ apud Eccleſias Cathedrales & Collegiales obtinent; ut evincitur ex interpretatione ab eodem Principe data in Fano ſancti Germani in Laya 9. Decembris 1673. ac comprobata 5. Februarii 1674.

Ea eſt origo & hiſtoria penſionum, eæ ſunt cauſſæ, quæ Eccleſiam adduxerunt ut eas admitteret (d), illa ſunt ſtatuta, quæ ea de re in Gallia invaluerunt. Unde licet inferre, ad penſionem de aliquo beneficio, tuta conſcientia, percipiendam, non ſufficere eam in Curia Romana, inſtitutam eſſe atque comprobatam. Dolum quippe adhiberi, ac Summi Pontificis illudi vigilantiam, res omnino facillima. Requiritur ergo præterea, juſta cauſſa penſionem inniti, quales cauſſæ ſunt, quas Concilia & Summi Pontifices legitimas habuere, & ratas juſtaſque æſtimavit Eccleſia Gallicana in Comitiis generalibus anni 1598. ut, verbi gratia, quando reſignans de abdicato Beneficio, penſionem ſibi impertiri rogat; quod non valeat, niſi illius ope victum honeſtum ſibi ſuppeditare: qui caſus ipſiſſimus eſt, cui ſubjiciebantur Domnus, Baſſianus, Stephanus & alii de quibus ſuperius. Atque hinc eſt, quod, ut præfatæ neceſſitatis caſus exprimatur, in ſupplicationibus Summo Pontifici oblatis ab iis, qui poſtulant, ſibi penſionem retinendam permitti, paſſim uſurpentur & circumferantur iſtæ verborum formulæ; *ſubventionis cauſſa, & ne reſignans nimium patetetur diſpendium, ex ſua reſignatione*. Ea ſunt, ſupplicationum, uſitata verba. Inde ſequitur, a poſſidente jam ſufficiens aliquod Beneficium, non poſſe abſque peccato, penſionem ullam, de alio, percipi: Cum Eccleſiaſticus de victu veſtituque decentibus & honeſtis contentus eſſe debeat, juxta illud S. Pauli (e), *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus:* Aliundeque nunquam intendat Eccleſia concedere penſiones ſuperfluas, & quibus Eccleſiaſtici poſſint abſque ulla rerum anguſtia, carere: ſiquidem bona Eccleſiaſtica, ex ſua natura, deſtinentur, tum ad neceſſariam ſuſtentationem Clericorum, tum ad pauperum allevationem; ut certiſſimis perinde ac firmiſſimis rationum momentis, alibi demonſtravimus.

(d) Pater Thomaſſinus de diſciplina Eccleſ. 2. part. l. 4. c. 16. & p. 4. l. 4. c. 37.

(e) Ad Timoth. 6. 1.

Idcirco, qui cupiunt, ex penſionibus, cumulatis bonis Eccleſiaſticis diteſcere; quanquam nec egeant, nec ſui laboris quidquam, in Eccleſiam contulerint: poſſunt quidem humanas quandoque eludere animadverſiones; ſed quam pertimeſcere debent, ne in illius manus aliquando incidant, qui nec poteſt ulla ratione illudi! Quippe eos inter abuſus, qui Eccleſiam undequaque invaſerunt, deplorabunda potiſſimum occurrat, uſurpata paſſim erga locupletes & beneſortunatos, penſionum conceſſio: quemadmodum agnoverunt Cardinales, cæterique Prælati, quos Paulus III. Romæ congregandos juſſerat, ut quibus Eccleſia deturbabatur, pravas conſuetudines evellendi vias excogitarent (f). *Alius abuſus*, inquiunt, *cum beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepſit in conſtituendis, ſuper eorum fructibus, penſionibus ... qua in re illud animadvertendum, nulla alia de cauſſa, nulloque alio jure penſiones conſtitui poſſe; niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus, & indigen-*

(f) Conc. delectorum Cardin. & aliorum Præl. de emendanda Eccleſia.

digentibus concedi debent. Nam reditus sunt annexi beneficio, ut corpus animæ, ideo, sua natura, pertinent ad eum, qui beneficium habet, ut possit ex iis vivere honeste pro suo Ordine, simulque queat sustinere impensas pro divino cultu & Templi Sacrarumque ædium reparatione; ut, quod reliquum, in pios usus impendat: hæc est enim natura ipsorum redituum. Quibus, prædicti Cardinales & Prælati deinde subjiciunt. *Itemque pensiones dari Clericis divitibus, qui commode & honeste vivere queat, magnus certe abusus, tollendus uterque.* Atque ut perverso adeo abusui occurreret Rex Ludovicus Magnus, Edicto suo Athensi jam memorato anni 1671. confirmato, subsequente illius declaratione 9. Decembris 1673. Item Arresto a Consilio de rebus ad Regnum pertinentibus, in Fano S. Germani in Laya, lato 24. Julii 1669. & alio Arresto amplioris Consilii, juxta quod a Consilio de rebus ad Regnum pertinentibus, & Consilio privato pronunciatum 6. Februarii 1670. ac denunciatum fuerat, agentibus Cleri Generalibus, statuente abrogationem immunitatemque quarumcumque pensionum in curis assignatarum; declarat futurum, ut pensiones, conditionibus etiam in laudato Edicto enunciatis, concedendæ, eo ipso, nullæ irritæque evadant, quo, qui illas percipient, de aliquo Beneficio, aut Ecclesiastica quadam pensione, ad honestum vitæ necessarium sufficiente providebuntur. Quæ quidem plusquam abunde diximus, ut liceret inde concludere, cum Bertrandus, in curam nihil operis impendarit, de qua, pensionem sibi retinuit percipiendam, eum nullo jure niti, ut eam excipiat; & ad eam abdicandam omnino teneri: siquidem nec a peccato possit excusari ex sola Summi Pontificis dispensatione, quæ, nullo caussæ legitimæ fundamento inniti, cognoscitur: ut fusius quoque aliquando evincemus.

CASUS III.

Octavius, Dominus ac Patronus Parœciæ S. Godardi, Juvenalem sibi nepotem, Subdiaconum, annos natum viginti quatuor, ad illam Curam nominavit. Juvenalis in dictæ Curæ possessionem, deductus, annexa Curæ munia, a Vicario per annum integrum præstari, curavit, ipse Sacerdotio non initiatus: Verum timens, ne forte Beneficium istud, ab alio tanquam caducum, impetraretur, eidem Vicario resignavit, pensione 200. librarum, de eo, retenta, atque in Curia Romana comprobata. Oblata a novo Titulari abdicatione memorati beneficii Episcopo, simul cum adjuncto præsentationis instrumento, qua Bernardus ab octavio ad illud nominabatur: De eo iste provisus, atque a tribus circiter annis potitus fuit; per quod temporis spatium, unoquoque anno labente pensionem, Juvenali Subdiacono etiamnum extanti, persolvit. Ea de re, duo quæruntur. Primum, utrum Juvenalis potuerit, tuta conscientia, pensionem illam sibi retinere ac percipere? Alterum, utrum posito, quod non potuerit, an ad restituendum quodcumque percepit, teneatur?

RESPONS.

1. Ex dictis, in præcedentibus Decisionibus, manifestum est, a Juvenali, tuta conscientia, non potuisse, de Cura S. Godardi, pensionem retineri; siquidem nihil unquam sui laboris in eam impenderit. Præterea vero addimus, cum, prædictam Curam, ab eo Subdiacono, acceptatam verisimilius appareat, absque eo quod intenderit, annexa illi munia præstare, ea de causa curaturus, ut ad Sacerdotium eodem anno promoveretur, quemadmodum conditionis ipsius ratio requirebat. Immo, nec nisi eo fine, ab ipso accepta videatur, ut fructus ex illa perciperet, ac de ea alteri resignanda, pensionem etiam sibi reservaret, eum in isto casu, a mortali peccato excusari non posse. Quin etiam existimamus, ipsum ad integram fructuum, anno priori, perceptorum restitutionem omnino teneri. Quod una quadam Bonifacii VIII. Constitutione probatur (a), cujus ea sunt verba: *Si promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parœcialem receperis Ecclesiam, ut fructus, ex ea per annum percipias, ipsam postmodo dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad fructuum eorumdem restitutionem, cum eos receperis fraudulenter.*

(a) Bonif. VIII. in c. *Commissa.* 35. de elect. & electi potest. in 6. lib. 1. tit. 6.

Idem eodem quoque modo definitum reperitur a Concilio Bituricensi anni 1584. (b), his verbis: *Cum Beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed officium suum exequentibus, sit constitutum, & propter officium detur Beneficium, denunciat hæc Synodus omnibus, cujuscumque gradus & conditionis, qui beneficia Ecclesiastica, solius temporalis proventus gratia, suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.* Concilium Burdigalense an. 1624. habitum, de iis, qui ejusmodi sunt, sic loquitur: *Qui sine intentione clericandi, Beneficia ad tempus retinent ... hi omnes, de Simoniæ & confidentiæ labe, suspecti valde censeantur* (c): Quibus & addendum Concilium Turonense actum, anno 1583. (d).

(b) Concil. Bituric. tit. 36. de Beneficiis can. 1.

2. Censemus, a Juvenali retentam pensionem, nullatenus percipi posse, quin sese injustum, vel ex eo, palam prodat, quippe, ut jam dictum est, nullo suo, in Curam S. Godardi, impenso labore, eam fuerit consecutus; & consequenter, ad restituendum illud quodcumque percepit, eum omnino teneri, juxta hæc verba Bonifacii VIII. *Teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem; cum eos receperis fraudulenter.* Neque vero, etiamsi Curam prædictam acceptavisset, ea mente, ut tum Sacerdotium iniret, tum ut Curiale munus in illa obiret, ideo memoratam pensionem posset excipere; quippe, eodem testante Summo Pontifice, de Cura, eo ipso, jus eum decidere statuat, quo non fuerit, infra annum, ex propria culpa, ad Sacerdotium promotus (e): *Porro si intra dictum tempus* (*scilicet infra annum*) *non fueris, rationabili caussa cessante, promotus: tibi Ecclesia ipsa, qua, dicti statuti auctoritate jam privatus existis, (ne statutum ipsum fiat ludibrio, debitoque frustretur effectus; & non rebus, sed verbis, cum sit potius contrarium faciendum, Lex imposita videatur,) nullatenus ea vice poterit iterato conferri.* Statutum, quod Bonifacius VIII. eo loci appellat, illud est, quod a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi promulgatum est, quodque sese habet (f): *Is etiam, qui ad hujusmodi regimen* (scilicet Parochialium Ecclesiarum) *assumetur; ut gregis sibi crediti, diligentius curam gerere possit, in Parœciali Ecclesia, cujus Rector exstiterit, residere personaliter teneatur; & infra annum, a commissi sibi regiminis tempore numerandum, se faciat ad sacerdotium promoveri. Quod si infra idem tempus promotus non fuerit; Ecclesia sibi commissa (nulla etiam præmissa monitione) sit præsentes Constitutionis auctoritate privatus:* In quo nimirum ampliavit, quod ab Alexandro III. ea de re, jam decretum, nec verbis adeo disertis expressum erat; quandoquidem juxta istius mentem, non prius vacare censebatur beneficium, quam dicta sententia, caducum vacuumque fuisset expresse denunciatum (g).

(c) Concil. Burdigal. tit. de simonia & confidentia.

(d) Concil. Turon. tit. de extirpandis simonia & confidentia, art. 2.

(e) Bonifac. VIII. in cit. cap. *Commissa.*

(f) Greg. X. in Conc. gener. Lugd. in cap. *Licet.* 13. de electione &c. & ibi Glossa.

Nec est, unde prætendatur in gratiam Juvenalis, quod, in Curia Romana, pensio instituta fuerit. Cum enim Curam, ultra annum retinuerit, ipse ad sacerdotium sese promoveri non curans; *ipso Jure*, de beneficio suo decidit post elapsum annum primum, ut jamjam annotavimus. Cum igitur titularis curæ legitimus esse desineret, retinere sibi, de ea pensionem, nulla prorsus ratione poterat. Præterea vero, nec sola summi Pontificis auctoritas sufficit, ut pensio, legitima canonicaque esse censeatur; justam enim intercedere insuper adjunctam caussam, quamplurimum requiritur: Quam quidem caussam, semper adesse supponit Papa, licet ipsius vigilantiam illudi, & optima quæque consilia fraudari, plerumque contingat. *Sine caussa enim non habet locum, in foro interiori & coram Deo, dispensatio*, inquit Cardinalis Toletus (h), *sed tantum in foro exteriori. Unde, qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione; si non adest caussa legitima, securi non sunt; nec excusantur, quia Papa dedit, & ipsius est considerare quomodo dedit. Hoc enim non excusat. Si enim aliquis accipiat pecunias ab œconomo, quam scit male dispensare res Domini, & contra justitiam; non potest tunc retinere. Papa autem, non est Dominus bo-*

(g) Alex. III. in ca. *Cum in cunctis.* 7. §. 2. de electione &c. apud Greg. IX.

(h) Fr. Tolet. Instruct. sacer. l. 5. c. 83. n. 1.

norum

norum & redituum Ecclesiæ ; sed tantum universalis dispensator. Unde, sicut cum dispensat in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit ; ita in pensionum, & beneficiorum distributione. Jamvero quam causam legitimam Juvenalis, in sui patrocinium, advocabit? Ergo & Pontificiam causari auctoritatem, frustraneum est, quippe, in ista materia, si sola fuerit, nullius ponderis esse videatur; ut passim docetur cum a Theologis, cum a Juris Canonici peritis, & nominatim a S. Thoma, Alberto Magno, Bellarmino, Cajetano, Gabriele, Henrico Gandavensi, Soto, Dyonisio Rikel Carthusiano vulgo dicto, Cardinali Hostiensi, Archiepiscopo Panormitano, Joanne Andrea & Navarro. Cæterum ex antecedentibus decisionibus habentur causæ legitimæ, quæ, pensionem sibi retinentes, possunt a peccato vindicare. Possunt etiam consuli Laudatus Toletus (*a*), plurimique alii auctores a quibus istæ recensentur. Jus ipsum, duos speciatim designat. Priorem scilicet, quæ appellatur *pro bono pacis* (*c*): hoc est, ad dirimendam pendentem, inter duos concurrentes, litem ; & ad ipsius quoque Ecclesiæ utilitatem. Posteriorem vero, ut beneficium aliquod exiguum, cum pinguiori, possit pensionis subsidio aliquatenus compensari (*c*); ac tenta pensio, ei cedat, qui ad sustentandam vitam, ope pensionis omnino indiget. Neque immerito, tertiam causam, quis addiderit, quæ determinetur, ad supplendum vitæ necessarium, abdicanti beneficium, cui, per longum temporis spatium, deservivit ; quæ quidem ipso etiam jure innititur ; quippe legitima judicata fuerit tum in Concilio generali Chalcedonensi, tum in Canone, ex operibus S. Gregorii excerpto, quæ in respondendo ad primum casum, retulimus.

(*a*) Idem ib. c. 83. n. 1. & c. 92. n. 2 & 1.
(*b*) Innoc III. in c Nisi essent. 21. de præb. & dignitatib. l. 3 tit. 5.
Alex. III. in cap. Audivimus. 3. de collusione detegenda. l. 5. tit. 22.
(*c*) Clem. III in c Ad quæstiones 4. de rerum permutat. l. 3. tit. 19.

CASUS IV.

MENANDER Parochus Parœciæ S. Yonis, Curialibus officiis, multa, tum ex caritate, tum ex diligentia, comparata sibi laude, per annum aut menses decem & octo, perfunctus ; in gratiam Judæ, curam suam abdicavit. Sed quoniam aliunde non suppetit, unde vitam sustentet ; de fructibus istius beneficii, congruentem pensionem sibi retinuit. Numquid, in eo casu, Jus ipsi non patrocinatur?

RESPONS.

Existimamus, Menandrum, in casu proposito, de sua cura, pensionem retinere, tuta conscientia, non potuisse. Neque enim, ita sentiente erudito Theologo (*d*)? ad constituendam sibi, de resignata cura, pensionem, sufficit, quod, nihil quidquam, ad honestum victum, aliunde suppetat. Præterea requiritur, ut, in cujus gratiam, pensio instituitur, is beneficio deservierit, per longum temporis intervallum ; quod, ipsa jam Gregorii XIV ætate, ad quinquennium saltem determinabatur (*e*); quodque, hac nostra ætate, debet, in Gallia, ad integros usque quindecim annos etiam quoad Canonicatus, extendi, secundum Edicta & Arresta, quæ, in prima decisione, recensuimus: nisi ex quodam Regio Diplomate, atque Arresto præscriptionis, a Principe, de suis Edictis, specialiter derogari in eius gratiam, fuerit concessum, cui, cum non sufficiat, ad pensionem retinendam, temporis brevitas, quo beneficio deservivit ; succurrere saltem possit, quædam alia causa legitima, quæ ab Ordinario comprobetur. Porro, jure nemo contendat, ab eo, qui, sicut Menander, Curialibus muniis, per unum duntaxat annum, aut ad summum, per decem & octo menses, perfunctus est ; laboris & operæ plurimum, in Ecclesiam, impensum esse, unde fructuum, ex quibus reditus beneficii coalescit, portionem aliquam, sibi merito possit assumere : adeoque non censemus, quæcumque sit vitæ necessariorum inopia, legitima ulla ratione posse a prædicto Parocho reservatam pensionem percipi. Ideoque viam aliquam, quæ suæ conditioni congruat, seligere debet, quæ ipsi, ad vitam sustentandam, valeat aliquid opis & subsidii conferre.

(*d*) Sambovius t. 2. casu 122. & tom. 3. casu 74.

(*e*) N. Garcias de Benef. part. 11. c. 3. §. 1. n. 45. & seqq.

Neque abs re fuerit, occasione propositæ difficultatis, observare, eam Jurisprudentiam vigere plurimis in supremis Galliarum Curiis, ut pensio de fructibus alicujus Beneficii-curæ, justis etiam de causis, percipi solita, deficiente resignatario, extinguatur ; ac succurrere desinat antiquiori Titulari, nisi, ut istud incommodum præcaveretur, ipse curaverit post instituram sibi, in Curia Romana, pensionem, expediri Arrestum, quo statuatur, eam, novo Titulari legitime vocato, agenteque summo Procuratore Regio, supremi Senatus auctoritate comprobandam, ut tam a debitore, quam ab illius successoribus, de fructibus beneficii deinceps persolvatur. Quod ut facilius assequi possit, plurimum juvat, ab eo, qui pensio assignatur, proferri testimonium literis Ordinarii consignatum (*f*).

(*f*) D. Du Perrai de jure Canonico Gallicano. tract. de statu & capac. Ecclesiast. l. 4. c. 4 §. 17.

CASUS V.

SOPHRONIUS, Parochus Parœciæ S. Rigoberti, postquam curæ suæ deservivit, per annos octo, aut decem, omnibus, probitatis exemplo prælucens; ex ingravescente subita paralysi, sic, ipsi lingua corporisque media pars obriguere, ut Curialia officia jam obire, nulla ratione valeat. Cum autem nihil de necessario vitæ, aliqua ex parte, suppetat, convenientem sibi de beneficii sui reditibus, pensionem reservari maxime peroptaret. Ipsum non latet, Edicto 1671. cautum esse, ne, de aliqua cura, pensio retineretur, nisi post impensum, per annos quindecim integros, in eam laborem : sed Parochum quemdam sibi amicum novit, virum omni tum probitatis, tum boni exempli laude præcellentem, qui resignandam sibi, pensione retenta, curam acceptare non diffitetur, quique, nequicquam contra statuente Edicto, pensionem, tempore præfinito certissime numeraturus est. Potestne, recta conscientia, Sophronius, curam suam, ei, sub memorata conditione pensionis, resignare?

RESPONS.

Cum prædictus Parochus, virtutum omnium præstantia, supponatur excellere, atque ex suo labore tum pie, tum laudabiliter præstito, per annos octo aut decem, qui spatium temporis notabile jam constituunt, Ecclesiæ plurimum profuerit; potest, absque ullo peccato, sub conditione pensionis, curæ suæ renunciare, in gratiam Ecclesiastici sibi familiarissimi, quem singularis exempli virum novit, & ejusmodi amicum, qui nolit, in detrectationem institutæ pensionis, abuti Edicto Regio, quo pensiones de curis retineri ab iis interdicitur, qui, per quindecim annos integros, illis non deservierint. Cujus decisionis ratio est, quod neque Rex, suo Edicto, neque supremi Senatus, suis, quæ juxta Edictum statuere, Arrestis id intendere voluerit, ut Parocho de Ecclesia optime merito, Curialibusque muniis; per tantum temporis spatium, adeo laudabiliter functo, & ad eas usque conditionis angustias perducto, quibus ipse premitur Sophronius, unicum, quod relinquitur vitæ sustentandæ perfugium surriperetur : verum illud sibi tantummodo proposuerunt, ne venalia ac turpi prorsus quæstui obnoxia, pergerent Ecclesiastici habere beneficia, quibus annectebatur cura animarum, aut continuæ actualisque residentiæ onus, quæ ab eis sæpe sæpius acceptari solitum erat, ut, inde pensiones omnino iniquæ, neque ullo cum virtutis, tum laboris merito partæ, sibi obvenirent. En legis a Principe latæ intentum, quod, ipsius verbis potius haberi debet, juxta sequens effatum prisci cujusdam Jurisperiti (*g*): *Prior atque potentior est, quam vox, mens dicentis*. Enimvero, nisi legis istius intentum esse supponatur, ipsam, juri naturali, æquitatisque ipsius dictamini, repugnare fatendum est, quæ tamen a legislatore maxime primarioque intendi debent ; juxta quod expressum legitur, in una quadam legum Codicis Justiniani (*g*), *Conditores legum æquitatis convenit esse fautores*.

(*g*) Celsus in leg Labeo. 7. in fin. digest. de supellectili legata lib. 33. ff. tit. 10.
(*h*) Leg. Hac leg. 8. cod. de pactis conventis & cæt. lib. 5. tit. 14.

His etiam subjicere juvat, pensionem in eo casu, Ecclesiæ menti omnino consentaneam esse ; quod potest facile erui, ex variis exemplis, quæ ex Concilio Generali Chalcedonensi celebrato anno

no 451. & ex Epistolis sancti Gregorii Magni, collegimus, in responso ad primam difficultatem: adeoque remoto omni scrupulo, posse tum a Resignatario persolvi, tum a Sophronio percipi (*a*).

(*a*) Sambovius. t. 2. casu 79.

CASUS VI.

LUDOVICUS Prior S. Gelai, resignavit Salvio suum Prioratum 3000. libras quotannis referentem, reservata sibi 800. librarum pensione, cum dicti Prioratus ædibus, atque adjacente horto, & Clauso quodam muris circumdato. Post sex menses, ab incepta, a Salvio, beneficii istius possessione, Ludovicus 400. libras, pro suæ pensionis semestri primo, sibi a Salvio numerari curavit nulla relata prius, in acta fori Ecclesiastici, significatione, occupatas a se ædes, adjacentemque hortum & Clausum, memorati Prioratus esse appendices; contendit Salvius, ex neglecta ista formula, suum resignantem tam ædium, quam horti & Clausi possessione, *ipso jure*, cecidisse; actionemque cum eo infert, ut ipsum possit inde evertere. Ludovicus quidem, ad prædictam significationem referendam, sese teneri fatetur; at per tempus, sibi etiamnum licere, ut præscriptam a jure formulam istam possit implere, intendit. Nonne Salvius debet, ex conscientia, intentam, adversus Ludovicum suum resignantem, actionem abjicere, illique possessionem ædium, horti, atque Clausi, liberam permittere?

RESPONS.

Eidem difficultati olim propositæ inclyto cuidam Theologo, ac Professori quondam Sorbonico (*b*), sic ab eo satisfactum est: respondendo nimirum, laudatum resignatarium, ad abjiciendam intentam, in casu proposito, actionem adversus resignantem, nec ex conscientiæ debito, nec ex summo jure, teneri. Cujus nos vestigiis etiam insistentes dicimus, Salvium jure omnino niti, ut illatam, adversus Ludovicum, actionem persequatur, & adipiscatur judicium, quo provocatus Prioratus ædibus, hortoque adjacente ac clauso, in gratiam provocatoris, extrudatur. Ratio est, quia Ludovicus ante perceptam, suæ pensionis 800. librarum, primam sibi obtingentem partem, ad significationem prædictam, in acta fori Ecclesiastici, inscribendam, necessario tenebatur, qua constaret reservatas sibi memoratas, ædes, hortumque adjacentem ac clausum, Prioratus S. Gelai esse appendices: Quæ quidem significatio, cum non fuerit, opportuno tempore, relata, jure decidit quoad istam partem; integra nihilominus remanente, quam sibi constituit, 800. librarum, pensione. Quod quidem vel ex eo probatur, quod rescriptum in Curia Romana expeditum, quo hujusmodi reservatæ possessiones, legitimæ ac ratæ evadant, nunquam a Papa impertiatur, nisi cum adjuncta prædicta conditione: quoniam plurimi interest, ut ex actis publicis constet, istas ædes, hortum clausumque aut quoscumque alios fundos, qui reservantur, ejus esse beneficii, quod resignatum est; quippe si beneficii non essent appendices; pactum vel ex eo, Simoniacæ labis argueretur. Præterea vero maxime necesse est, ut hujusmodi significatio, & fiat, & in publicas tabulas referatur; ut, quæ sunt Ecclesiæ bona possint, tutiori ratione servari. Quoniam vero ad instituendam pensionem, nihil quidquam prædicta significatio conducit, ideo pensio, prætermissa licat significatione, integra semper perseverat.

(*b*) Idem t. 2. casu 39.

Diximus, ante perceptam primam pensionis obvenientem partem, a Ludovico debuisse referri in acta fori Ecclesiastici istam significationem: propterea quod quandiu nihil ex pensione receperat, tamdiu valida atque admittenda fuisset: neque alia de causa, per tempus illicita evasit; nisi quia 400. libras excepit, priusquam istam significationem inscribi curaverit, ut tenebatur ex clausula Decreti rescindentis, in instrumento pensionis institutæ, apertis verbis expressa.

CASUS VII.

ETHERIUS, annum agens septuagesimum ac sextum, Parœciæ S. Fronti Parochus, annexis beneficio suo officiis, ab annis ultra viginti quinque perfunctus, nec, per valetudinem, assuetas Curiales vices jam præstare valens, curam suam abdicare cogitat, in gratiam Blasii, pensione sibi retenta, qua possit, quod vitæ superest, sustentare. Ista cura, unoquoque anno communi 2400. libras reddit. Nonne potest, illæsa nimirum conscientia, annuam 1500. librarum pensionem sibi constituere; quandoquidem residuus 900. librarum reditus sit resignatario obveniendus; nec ipse cum propter summam ætatem, tum ob infirmam omnino valetudinem, per multum temporis sit pensionem excepturus?

RESPONS.

Ad expositam difficultatem respondemus, ab Etherio, modo ad necessarium vitæ honestum aliunde non suppetierit, de fructibus curæ S. Fronti posse licite prorsus & absque ullo conscientiæ stimulo pensionem ex resignatione reservari; quippe, per annos viginti quinque & amplius, illi deservierit. Verum ut hujusmodi pensio, a canonicis regulis non dissentiat, non debet tertiam fructuum beneficii partem excedere; quemadmodum docetur a Sylvio (*c*); in dissolvendo quodam sibi proposito casu, de pensione, in præbenda, assignanda, anno 1614. qui habuerat ejusdem sententiæ antesignanos, Cardinalem Toletum, Dominicum Sotum (*d*), complurimosque alios tum Theologos, tum Juris Canonici peritos. Unde nec pensionem ipse Papa admittit, nisi imposita ista conditione; *modo tertiam partem fructuum non excedat: alias præsens gratia nulla sit eo ipso.*

(*c*) Fr. Sylvius. resolut. var. v. Sencfi... 1.

(*d*) F. Tolet. Instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 81. Dom. Sotus l. 9. de Just. & jure. q. 7. art. 2. & alii communiter.

Duabus igitur de causis, Etherius, tertiam fructuum beneficii sui partem, quæ 800. librarum est, debet sufficientem habere; 1. quia ejusmodi reditus ad honestam illius Parochi sustentationem, satis superque conferre videtur. 2. Quoniam, etsi ad Blasii victum, ex 900. librarum summa, satis etiam aliunde suppeditari possit; non ei tamen superesset, unde & suæ Parœciæ egenis subveniret, aut Ecclesiæ largiretur tantum, quantum decet Parochum, qui pingui adeo beneficio gaudet, tam ad satisfaciendum debito conscientiæ, quam suo bono exemplo aliis prælucendum; quin etiam, ut inde coerceantur querelæ pauperum, quibus nec opis nec auxilii quidquam afferret, & ne ipsius fama ab eis lædatur, inusta tum tenacitatis, tum immisericordiæ nota, dum nec qua oneraretur, pensionem ullatenus attenderent (*e*).

(*e*) Sambovius t. 3. casu 30. & 138. & t. 2. casu 36. & 38. D. Le Pelletier. instruct. de Expeditionib. Curiæ Roman. pag. 156. D. Du Perrai de Jure Canonico Gallic. l. 4. c. 4. S. 6. Edict. 9. Iulii 1671. Edictum aut Declaratio mensis Decembris 1674.

CASUS VIII.

FLAVIANUS, septuaginta & octo annos natus, ac ab annis triginta quinque Parochus S. Careuci, cum annorum simul & infirmitatum pondere gravatus, suæ jam deservire curæ, a sex mensibus, non valeat, eam Norberto, resignandam offert, sub conditione pensionis 350. librarum reservandæ, eoque etiam interposito pacto, quod statim atque possessionem inierit beneficii, pensionem primo anno subtingentem, esset in antecessum numeraturus: quanquam illius curæ reditus, ultra 900. libras, certissime non extendatur. Norbertus, impositas sibi duas resignationis leges acceptat: quin etiam Flavianum 100. librarum summa numerare cogitat. Petit utrum istæc Ecclesiæ consentiant, & absque ullo suæ conscientiæ detrimento, implere sibi liceat?

RESPONS.

Respondemus, oblatas a Flaviano priores conditiones curæ suæ resignandæ, in gratiam Norberti, necessario exprimi oportere in supplicatione, quam ea de re daturus est summo Pontifici, qui facilius, ex plurimo casus enunciati favore, adducetur, ut determinatæ conventioni assentiatur, Est enim hoc in more positum apud Curiam Roman. ut pensiones, tertiam redituum Beneficiis Curis annexorum partem etiam excedentes, quandoque permittan-

Digitized by Google

tantur, modo residui resignatario supersint centum ducatus aurei, qui Romæ censentur eam summam constituere, quæ ad sustentandum Titularem omnino sufficiat. Cum ergo sint ista in supplicatione resignantis sic enuntiata, potest Norbertus absque ullo anxietatis scrupulo, impositas sibi a Flaviano, in specie proposita, leges resignandæ curæ acceptare; cum ultro velit, in dubium venire de integra prioris anni pensione in antecessum numeranda Flaviano, qui, toto non vertente anno, diem fortasse supremum expleturus est.

Quod vero ad munus attinet, quod ex grato animo, ob resignandam sibi curam, Flaviano rependere Norbertus intendit; simoniacum omnino foret, si promissum fuisset ante resignationem admissam; siquidem in eo casu munus istud, quasi conventi pacti conditio virtualis haberetur; ac proinde in magnam apertamque Simoniæ suspicionem incurreret. At si secretum exstiterit intentum, nec ullum de munere pactum accesserit, sive expressum sive tacitum, omni procul dubio Simoniæ culpa vacat (*a*).

(*a*) Sambovius tom. 2, casu 151.

CASUS IX.

Heraclides Parochus S. Baudrii, qui pensionem 300. librarum, ex resignatione retentam, atque de suæ Curæ reditibus persolvendam Titio debebat; unius anni pensione non numerata, obiit. Titius contendit, a Joanne qui Beneficium per obitum in Curia Romana impetravit, solvendas pensionis istius usuras, eumque ad solutionem illarum etiam urgere cogitat. Numquid in iis ab isto exigendis jus patrocinatur? Joannesque nonne potest etiam ex conscientia, pensionis istius quam suus antecessor reliquatus est, solutionem Titio præstandam a se repellere?

RESPONS.

Nullo prorsus jure Titius a Joanne repetit pensionis sibi advenientis usuras, quas Heraclides reliquatus est. Verum quidem est, adversam sententiam, ab auctoribus quibusdam teneri (*b*), ab iisque propugnari, quæ a prædecessori debentur, persolvenda a successore incumbere, eadem ratione qua possessor alicujus fundi (*c*), debitis illius qui prius eumdem fundum occupavit, juxta leges obligatur: ab iisque addi, successorem Beneficiarium, ad solvenda debita quæ suus antecessor, urgente quadam Ecclesiæ necessitate contraxit, omnino adstringi, juxta hæc Alexandri III. verba (*d*): *Sicut filius debita patris solvere tenetur; ita Prælatus sui prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate contracta.*

(*b*) Garcias 1. p. c. 25. Gigas de pens. q. 39.

(*c*) Leg. Imperatores, ff. de publicanis.

(*d*) Alex. III. in cap. Ad hoc 1. de solutionibus. l. 3, tit. 23.

Sed videtur ista sententia rejicienda, opinioque adversa veritati simul & æquitati magis consentire. *Attamen prævalet sententia, quæ Beneficii successorem, anteacti temporis solutione pensionum liberat, dum alius possidebat*: inquit Cabassutius (*e*). Quantum enimvero distat, qui succedit in aliquod Beneficium, ab eo qui in possessionem fundi alicujus recens inducitur? Qui enim succedit in aliquod beneficium, ad ipsum non admittitur, quasi sibi proprio hereditarioque jure competens; nec sibi, a die possessionis inceptæ, jus in fructibus Beneficii adipiscitur. Præterea onus pensionis in Beneficio institutæ non est simpliciter reale, qualia sunt onera de quibus in lege objecta, agitur: sed est tantummodo mixtum, hoc est, partim reale & partim personale, ad quod non tenetur ipse debitor, nisi quatenus tenet. Quæ quidem ratio suggeritur a D. Louet (*f*) in collectione Arrestorum ab ipso edita, ubi refert, ita fuisse pronuntiatum de iis etiam pensionibus, quæ a Religiosis Titularibus debebantur. Abbati aut Monasterio, de quo pendebant ipsorum beneficia. Qua de re citat Arrestum latum a supremo Parisiensi Senatu 28. Novembris 1598. referente D. Boisard, in quinta inquisitionum classe inquisitore, pro quodam nuncupato Jouvaneau Priore de Fontaines, contra Abbatem & religiosos de Monasterio de Marmoutier, juxta duo præcedentia alia Arresta, lite pendente, exhibita; unum quidem septimi Septembris 1588. alterum 17. Martii 1582. quibus Julianus Brodeau in suis in eumdem Auctorem annotationibus, aliud Arrestum simile adjungit latum in primario Tribunali, ac pronuntiatum a D. Deverdun Senatus Principe, vigesimo nono Martii 1612. quo infirmatur ac rescinditur sententia quædam, ex auditorio Libellorum Palatii emanata 30. Aprilis 1610. unde laudatus Auctor sic concludit: *Adeoque eadem ratione non sunt reposcendæ usuræ pensionis, quæ, tempore titularis tantummodo, obvenerunt; sed, ea de re, accedendum est ad titularem præcedentem, aut ad ipsius heredes, ut judicatum est Arresto 22. Junii 1606. quo, supremus Senatus infirmavit sententiam Præfecti Urbani aut ipsius Prætoris, in eo quod damnavisset appellatorem ad persolvendos duos annos pensionis, qui, antequam Parochus exsisteret, omnino abierant.*

(*e*) Joan. Cabassut. Juris Can. Theor. & prax. l. 2. c. 14. n. 13.

(*f*) Georgius Louet. lit. 2, n. 15. — Item Faber de Sacrosanctis Ecclesiis definit 86.

Quantum est ad Decretalem Alexandri III. ab iis allegatam, qui opinioni oppositæ favent; nihil inde legitime inferri potest; quemadmodnm observatur a Cabassutio: siquidem laudatus Papa mentionem eo loci tantum faciat de ea pecunia debita, quæ *pro necessitate Ecclesiæ contracta* fuit. Et, *quia debitum istud pensionum est tantummodo ad utilitatem privatæ personæ, & non Ecclesiæ ...... at utilitas Ecclesiæ majorem, quam privatæ personæ, favorem habet.* Quæ verba sunt laudati ac plurimum laudandi Juris Canonici interpretis.

Contendimus igitur, eam Titio viam tantum superesse, ut ad heredem, non ad Joannem successorem Heraclidis, recurrat: quod etiam locum habere existimamus, quamquam heredi non sit ad solvendum, atque de illo fuerit, ex præscripto Juris, sic pronuntiatum; quidquid in contrarium sentiat Cabassutius. Quo namque Juris fundamento contendi posset, a Joanne præstandum esse debitum, quod, non ab eo, sed a prædecessore ipsius, quoad fructus Beneficii tantum conflatum est, quos nec nisi quasi dispensator possidebat, ut loquuntur Canones; præsertim cum hujusmodi debitum, non ad utilitatem Beneficii, sed ad proprium ejus commodum qui pensionem percipiebat, potissimum vergere deprehendatur? Ergo, dum per tempus licuit, debebat Titius Heraclidis bona pignorari; cum vero rebus suis ipse indormierit, in se ipsum culpam impingat; juxta sequentem regulam Juris (*g*): *Mora sua cuilibet est nociva*; & istam alteram: *Damnum quod, quis culpa sua sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Quod potest etiam alio Romani Juris effato confirmari (*h*), quo fertur: *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Titius ergo nullo prorsus jure nititur, ut possit a Joanne quidquam repetere.

(*g*) Reg. 25 & 86. de regulis Juris in 6.

(*h*) Reg. 15. §. de reg. juris.

CASUS X.

Gellius Parochus in Pago S. Aviæ, cujus Cura 2500. libras census annui, oneribus quibuscumque impletis, refert; & Leufridus Parochus S. Laumeri, cujus Cura 2000. libras quotannis reddit; Beneficia sua permuttant ea conditione, quod Leufridus pensionem annuam 250. librarum, de fructibus Curæ S. Aviæ, de qua providendus est percipiendam, Gellio repensurus sit. Numquid Gellius, ex sola ratione, quod Beneficium a se in gratiam Leufridi abdicatum, pinguiorem reditum annexum habeat, eam sibi pensionem potest tuta conscientia reservare; licet ipsi, a Leufrido, concessa Cura S. Laumeri, annuum 2000. librarum censum referat; adeoque ad honestum omnino victum plus quam abunde sufficiat; atque de necessariorum superfluo suppetat, unde pauperibus abunde largeque possit erogare?

RESPONS.

Non nos latet, tres passim recenseri caussas, quorum gratia possunt de Beneficiis aut resignatis aut permutatis, pensiones retineri; earumque secundam esse, ut in prima jam decisione advertimus; ad Beneficium exiguum cum alio pinguiori exæquandum. Sed nec istud persuasum ani-

animo habemus, eam caussam, si in se ipsa seorsum consideretur, juxta conscientiam in casu proposito posse obtinere. Est enim principium inconcussum, pensionem non posse in foro interiori legitimam censeri, nisi in quantum legitima justaque caussa innititur; & consequenter, Papam ipsum a quo sine caussa obtinetur, simul cum impetrante graviter omnino delinquere. *Sine caussa enim*, inquit Cardinalis Toletus (*a*), *non habet locum in foro interiori & coram Deo dispensatio; sed tantum in foro exteriori: unde, qui pensiones retinent etiam cum dispensatione, si non adest caussa legitima, securi non sunt; nec excusantur quia Papa dedit; & ipsorum est, considerare quomodo dedit.*

Atque, ut hujus rei veritas magis ac magis pateat, sequens exemplum ab eodem Auctore adhibetur. *Si quis enim accipiat pecunias ab Oeconomo, quem scit male dispensare res domini & contra justitiam, non potest tunc retinere. Papa autem non est dominus bonorum & redituum Ecclesiæ; sed tantum universalis dispensator.* Ex quibus sic infert: *Unde, sicut cum dispensat in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi caussa adsit; ita in pensionum & beneficiorum distributione.* Additque laudatus Cardinalis: *Caussa autem hæc debet esse, in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona: si enim nulla via, in Ecclesiæ hujus, vel universalis utilitatem tendat, non est caussa legitima.*

Percelebris quidam Gallicanus Canonici Juris interpres, qui ducentis ab hinc annis scribebat, idem quoque principium firmis rationibus confirmat (*b*): *Caussa imponendi pensionem*, inquit, *semper injusta censetur, si non pertineat ad utilitatem Ecclesiæ, cui pensio imponitur ..... sine ergo caussa legitima, utilitatem Ecclesiæ pensionariæ concernente, non valet etiam a Papa imposita pensio.* Quæ quidem omnia ab auctoribus citatis prolata nituntur eo solemni S. Thomæ effato (*c*): *Quamvis ...... res Ecclesiæ sint ejus* (Papæ) *ut principalis dispensatoris: non tamen sunt ejus, ut domini & possessoris.*

Jam vero quænam succurrunt Gellio rationes, ut justam esse evincat pensionem quam sibi retinere intendit de fructibus Curæ S. Aviæ, quæ permutata cum Cura S. Laumeri Leufrido concessa est? Non certe, quæ utilitatem attinent ipsius Ecclesiæ S. Aviæ; cum e contrario, quos inde surripit 250. librarum pensionis caussa, fructus si Leufrido superessent, possent tum in ipsius Ecclesiæ commodum, tum in sublevandos istius Parœciæ pauperes utiliter ab eo rependi. Neque vero ista pensio ad supplendum vitæ necessarium destinari censetur; siquidem ex Cura S. Laumeri, quæ permutationis gratia a Leufrido dimittitur, quotannis illi redeant 2000. libræ; quæ procul dubio possunt, rurali Parocho, si moderate temperanterque vixerit, tam ad victum quam ad ceteras necessitates, nimis ultraque conferre. Non ergo alia subesse potest, nisi temporalis commodi ratio, ex qua putat, Ecclesiasticum bonum, quod Concilia atque Patres non dubitant appellare patrimonium ipsius Jesu Christi & pauperum, perinde æstimandum esse ac bonum aliquod temporarium & sæculare; de eoque, ex æquo transigere sibi licitum esse, quasi dominium ipsius sibi competeret. Num hæc aliam ideam imprimunt, inquit celebris Juris Canonici peritus Van-Espen (*d*), *quam Beneficia instar rerum temporalium, esse pretii coæquanda: atque in permutatione Beneficiarum id maxime attendendum, ut æqualitas fructuum utrimque servetur, quemadmodum in rerum temporalium commercio, servari justitia requirit.*

Enimvero cum Beneficiatius, qui dimitit copiosum Beneficium, ut minus & exiguum accipiat; pensionem eo tantum fine sibi reservat, ut æqualitas fructuum utrimque servetur? quid aliud agit, quam quod consueverunt sæculares, in temporalibus suis rebus commutandis. In eoque pudendam prorsus & abjectam sibi fingit ideam, de bonis Ecclesiasticis, quæ non aliunde æstimanda sunt, quam ex eo quod, ad sustentandos Ministros Jesu Christi, ad usum refectionemque tum Ecclesiarum, tum eorum quæ sacris inserviunt, & ad subveniendum egenis, accommodentur. Unde laudatus Auctor ait: *Hæc quidem ratiocinatio valere & admitti posset, si de duorum fundorum aut æquorum permutatione tractaretur, ubi valor unius suppleri potest. At illud permutationi Beneficiorum applicare, quid aliud est, quam apertam & pudendam mercimoniam Beneficiorum inducere, eamque inani pensionis vocabulo palliare* (*e*)?

Gellius fortasse dicturus est, pensionem a se retineri ex laudabili caussa eoque animo, ut inde, sibi ad manum sit, unde pauperibus abunde largiatur, quod a Leufrido forte non ita præstaretur. At reponendum est 1. Si Leufridum eum existimaverit, qui reditibus Curæ bene uti nesciat, sic indignum habendum esse, ut de permutanda cum eo Cura, nulla jam quæstio esse debeat. 2. Contra vero, si persuasum ei sit, Leufridum, Parochum esse tum dignum, tum mira in pauperes caritate commendabilem; integrum ac plenum Curæ S. Aviæ reditum ipsi committendum esse; nec a Gellio eleemosynarum pauperibus erogandarum suscipiendam esse ex pensione provinciam; qua non retenta nec de præstandis istis eleemosinis coram Deo tenebitur; cum præterea egenis Parœciæ S. Aviæ debeant jure potiori, & ex strictæ æquitatis norma cedere. Proinde prætensa ista a Gellio laudabilis caussa, fictitia prorsus ac manifeste fallax esse convincitur.

CASUS XI.

ONUPHRIUS Parochus S. Gordinni, retenta sibi 200. librarum pensione, permutavit suam Curam cum Cura S. Pauli, cujus census annuus, duobus tantis minor est ipso reditu quo gaudebat. Ista permutatio in manibus Episcopi confecta est. An istius pensionis institutio canonica est, eaque, tuta conscientia, potest Onuphrius potiri? Videtur hujusmodi pensio, quoad suam institutionem a Canonicis regulis dissentire, in eo quod Summi Pontificis auctoritas isti constituendæ non accesserit. Contra vero sufficere videtur, summo jure considerato, sola auctoritas Episcopi; ut plurimæ Decretales innuunt, in quibus ipsi etiam Papæ Episcopis eam competere potestatem profitentur. Quid juris?

RESPONS.

Equidem ex antiquo Jure constat, permissam olim fuisse Episcopis, pensionum in Beneficiis, quorum possessione pacifica Titulares gaudebant, instituendarum potestatem, quemadmodum probatur a Fagnano Juris Canonici peritissimo (*f*). Idque re vera declaratur expresse ab Alexandro III. in una ex ipsius Decretalibus, in præcedenti decisione laudata (*g*): item a Clemente III. & Innocentio III. (*h*) Verum etiam constat, eos isto jure jam non uti, immo penitus excidisse; quod constanter illius usum retinere neglexerint (*i*); atque de illis Papa, longo nec interrupto usu, jus suum sic fecerit, ut jam penes ipsum solum resideat potestas, qua canonicam legitimamque conventam, permutationis caussa, pensionis alicujus retentionem efficiat.

Ex variato isto usu deinceps factum est, ut fuerit a plurimis auctoribus propugnatum, haberi ab Episcopis, instituendarum pensionum, potestatem; a ceteris vero recentioribus eosdem isto jure jam frustrari. In opinionem priorum abeunt, Auctor Glossæ, Felinus, de Butrio, Ancharanus, Oldradus, Gomesius, Hieronymus Gigas, Abbas, Paullus Romanus, Azorius, Sanlegerius (*K*), ceterique complures, qui, nondum omnino obfirmata Summi Pontificis præscriptione, scripserunt, nec aliud putaverunt, inter potestatem Papæ, quoad eam rem, & potestatem Episcoporum interesse discriminis, nisi quod pensio a Summo Pontifice comprobata, successores etiam illius a quo persolvitur; quæ vero ab Episcopo admittitur, personalis tantummodo sit, nec successorem Titularis adstringit.

Verum quidem est, priorem istam opinionem fultam fuisse jure antiquo, quod eo tempore vigebat, quo Episcopi pensionum instituendarum posses-

(*a*) Franc. Toler. instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 75. num. 1.

(*b*) Guillelm. Benedicti in cap. Raynutius. de testamentis. de fidei commiss. substitut. parte n. 36. & 54.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.

(*d*) Zeger. Bernard. Van-Espen in tract. historic. Canonico. p. 577.

(*e*) Idem univers. Jus can. tom. 2. part. 2. tit. 28. de pensionib. Eccles. n. 24. pag. 987.

(*f*) Prosper Fagnan. in cap. *Nisi essent*. 11. de præbend. & dignit.

(*g*) Alex. III. in cap. *De cetero*. supra cit. de transactionibus.

(*h*) Clemens III. in cap *Ad quæstiones*. supra cit. de rerum permut. Innoc. III. in cit. cap. *Nisi essent*.

(*i*) Zerola prax. Episc. v. *Pensio*.

(*K*) Glossa in cap. *Audivimus*. fin. de Collus. detegenda. v. *Pensio*. Petrus de Ancharano, Consil. 280. Abbas in cap. *Nisi essent*. cit. Oldradus Consil. 226. Hieron. Gigas tract. de Pens. q. 6. Gomesius tract. de utraque signatura. Paullus Rom. tract. de Pens. c. 25. n. 60. Joan. Azor. part. 2 lib. 8. c. 6. q. 1. Sanlegerius consult. S. Officii Decanus, part. 2. qq. beneficial. cit. S. 4. n. 75. Felinus, Sandeus, Antonius de Butrio & alii.

tuendarum possessionem sibi reservaverant: at quoniam certum est, istam a summo Pontifiee ex præscriptione sibi abripi, ipsos indormientes permisisse, ac Romam recurrendi usum jam prævaluisse: dicendum est, ipsos censeri renuntiasse quoad eam rem pristino suo juri, eoque, summo Pontifici cessisse; ut loquitur Fagnanus (*a*), cujus sententiæ nostris jam tempotibus adhærendum est. Eamdem quoque opinionem tenent eruditus Didacus Covarruvias a Leyva, Jutis Canonici Profelsor in Universitate Salmanticensi, ac vicibus continuis Sandommcensis Archiepilcopus, Ciudad-Rodrigensis, ac demum Segoviensis Episcopus; Navarrus, Dominicus Sotus, (*b*) multique alii, quorum vestigiis insistit Cardinalis Toletus qui air: (*c*) Non est prohibitum jure Episcoporum imponere pensiones. Ob consuetudinem tamen & communem stilum Romanæ Curiæ, si quis, sine Pontificis summi facultate pensiones haberet, simoniacus esset. Quod idem a Cabalsusio docetur (*d*).

(*a*) Prosp. Fagnan. loc. cit.

(*b*) Didacus Cov. l. 1. var. resolut. c. 5. n. 8. & seqq. Navarr. Manual. c. 23. n. 100. vers. 3.

(*c*) Dom. Sotus lib. 9. de just. & jure. qu. 3. art. 2. Franc. Tolet. Instruct. sacerdot l. 5. c. 92. n. 2.

(*d*) Joannes Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 2. c. 24. n. 8.

Ex quibus omnibus inferendum est Canonicam non esse, quæ in gratiam Onuphrii, sola accedente Diœcesani Episcopi auctoritate, pensio fuit instituta, ac proinde eam ab ipso percipi esse prorlus illicitum.

CASUS XII.

Cum inrer eolloquendum Odo dixisser Bernardo Ecclesiæ Olomutiensis Canonico, pensionem omnino pinguem a sese ei persolvendam, qui istius Ecclesiæ præbendam sibi resignaret; quin etiam numeratam ad manum esse 2000. libratum summam, qua polset ipsammet pensionis fortem quodammodo redhibere ac penitus extinguere; Bernardus eui persuasum erat Odonem sic de industria locutum else, ur ipse ad resignandam ei, eoque animo suam præbendam incitaretur, quatuor ab illinc diebus dimittendam in ejus gratiam sub pensionis 400 librarum conditione obtulit; nullo ne minimo quidem iniecto verbo de redhibenda extinguendaque ab Odone, ur omnino iperabat, pensionis istius forte. Sed ipse Odo qui sermonem ita composuerat, ut Bernardus libentius adduceretur ad resignandum suum Canonicarum, toto animo acceptavit, & receptis a Curia Romana provisionibus, cum adjuncto pensionis institutæ instrumento, Beneficii professionem inivit, ac juxta præscriptam passimque usurpatam formam pensionem redhibuit & extinxit, Bernardo ea de te nummis 800. numeratis. Numquid contendi potest, ex strictis juris apicibus, sic a Papa institutam pensionem, ipsiusque auctoritate accedente, redhibitam & extinctam Canonicis regulis non consentire, nec a Bernardo pereipi ulla ratione lieere?

Respons.

Nullus dubitaudi locus est istam pensionem non legitimam esse, atque a Bernardo, nec istius solutionem, nec fortis redhibitionem repeti ullatenus licere; propterea quod conventum tacite simoniacum, tum ex parte resignatarii, tum ex parte resignantis ipsius in ea intercedat, & arguatur uterque simoniæ realis, quæ ementitæ fucatæque pensionis inani velamento obtendirur. Ac 1. quidem Odo, quippe non liceat ei qui Beneficium intendit sub conditione pensionis accipere, de eadem pensione quam offert, extinguenda cum resignante sive expresse, sive tacite paciscì: *Advertendum tamen*, inquit Cardinalis Toletus; *hæc posse committi simoniam hoc modo: si quis dat alteri Beneficium cum pensione, & facit pactum ut statim redimatur pensio, simoniacum est, ut habet Cajetanus, opusculo 16. q. 10. Quamvis enim postea possit redimi pensio, non tamen potest resignari Beneficium, cum pacto redemtionis hujus* (*e*). Cui Cabassutius omnino concordat (*f*). Attamen id plane præstitit Odo qui eo certe modo qui enuntiatur, Bernardo locutus est, ut ipsum ad præbendam sibi concedendam alliceret. Secundo loco nec ipse Bernardus, minus quam Odo simonia vacat;

(*e*) Franc. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 5. c. 92. n. 1.

(*f*) Joannes Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 5. c. 7. n. 6.

eum non resignavetit, nisi consequenter ad mentem sibi ab Odone ipso nudatam: & quia persuasum habebat futurum, ut quæ verbis omnino generalibus enuntiata erant, ab Odone sibi certissime exhiberentur: proindeque eadem perinde culpa tenetur uterque, ac si præbenda abdicanda constituto ptetio fuisset æstimata, atque numeratis 800. nummis addicta.

Unde consequens est provisiones ab Odone obtentas, nullas esse quoad forum conscientiæ, nec valere magis ipsum institutæ pensionis instrumentum; ac pecuniam inde Bernardo obventam pauperibus restituendam esse, aut in pios alios usus impendendam, secundum doctrinam S. Thomæ, de qua alibi loquimur.

Atque hanc nostram sententiam confirmare juvat illo principio generali ab Urbano III. constituto, quamcumque scilicer in materiis beneficialibus accedentem pactionem ipso jure non comprobatam, censeri simoniacam, nisi Papæ consensus adfuerit: (*g*) (pactio) *quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ*. Qua in re congrnunt Decretales quinque aliorum Summorum Pontificum, nempe Lucii III. Cælestini III. Alexandri III. Innocentii III. ac Gregorii IX. quos alibi laudamus. Quamquam enimvero pensio clericalis Beneficium esse merito negetur, est tamen quid spirituale & sacrum, ut patet ex 135. Bulla Sanctissimi Papæ Pii V. quæ ab ipso data est 10. Septembris 1571. (*h*) in qua pensiones ejusmodi, in ordinem rerum Ecclesiasticarum recensentur, atque eas percipientes obligantur ad Officium de Beata Virgine sub pœna restitutionis, ex tempore non recitati prædicti Officii æstimandæ.

(*g*) Urbanus III. in capit. *Quæsitum*. 5. de rerum permutat. l. 3. tit. 19.

(*h*) S. Pius V. in Bulla *Ex proximo*. §. 2. Bullar. magn. tom. 2. pag. 341.

CASUS XIII.

Licinius Sacerdos possessione canonica fruitur Prioratus S. Blandini, quem fæculares prescriptionis jute consecuti sunt. Offert Religiosis Abbatiæ, de qua distractus fuir prædictus Prioratus, futurum ut eum ipsis cedat, atque in pristinum Regulæ statum restituat, si conditionem copiosæ pensionis ipsi reservandæ, & a sese persolvendæ non tenuerit. Potest ne, eo in casu, nec læsa conscientia pensionem istam retinere atque percipere?

Respons.

Eadem prorsus rarione licet Licinio sibi retinere pensionem a Religiosis Abbatiæ prædictæ numerandam, qua ei permitteretur de resignato in cujusdam privati gratiam suo Beneficio pensio percipiendo. Ad istud autem tria concurrere necesse est. Primum ut more ceterarum pensionum in Curia Romana instituatur. Secundum, ut ad ipsius vitæ necessarium supplendum ipsa necessario desidererur. Tertium, ut ipse vir omnino dignus habeatur, quique de Beneficio, aut de Ecclesia optime promotus pensionem istam adipisci mereatur. Ita cenlet eruditus Theologus (*i*). Quin etiam ratam in eo casu legitimamque Arresta habent integram fructuum retentionem. Quale est, quod latum est, 27. Maii 1617. & refertur a D. Brillon (*K*), quo confirmatur unio & annexio Prioratus S. Salvatoris, ad annonam eibariam Abbatiæ de Sutnra, Cenomanensis.

(*i*) Sambovius tom. 3. casu 248.

(*k*) M. Petrus Jacobus Brillon. in Dictionario Arrestorum v. *Pensio*. n. 141.

CASUS XIV.

Aicuardus, in gratiam Francisci, renuntiavit Decanatui cujusdam Ecclesiæ Cathedralis in Gallia positæ, cujus a triginta annis & amplius possessor erat, quique tum ex censu annuo, rum ex distributionibus quotidianis, 2000. libras reddere consueverat. In resignatione fertur conditio integræ fructuum retentionis. Et visum est Papæ, cui supplicatio oblata ab Aichardo vera omnia referebat, pensionem istam admittere, cum adjecta clausula, (pro caussa maximi momenti,) ac

provissiones impertire. Num potest Aichardus, remoto omni conscientiæ stimulo, hujusmodi pensione, tanquam legitima, potiri; licet Franciscus, apud Judices, ea de re minitetur expostulationem?

RESPONS.

Integra de Beneficio resignato fructuum retentio in Jure reprobatur, Decretali quadam Epistola ab Innocentio III. ad Mediolanensem Archiepiscopum scripta (a). Eam nihilominus, quibusdam in casibus, & ad tempus tantummodo, suffert idem Papa: *Pro causa justa & necessaria*. At quæ recipitur in Galliis Jurisprudentia ei omnino adversatur. Quando namque contingit, in expeditionibus Curiæ Romanæ ferri integram de resignato Beneficio fructuum retentionem, præsumitur, nec immerito, eas esse subreptitias, iisque ratio nulla prorsus habetur; a pronuntiato præsertim, in suprema Curia Parisiensi, famoso illo Arresto 19. Aprilis 1496. de quo mentionem facit Rebuffus (b), qui sic loquitur: *Sed a Senatu Parisiensi fuit probibita illa reservatio omnium fructuum, anno 1497. die 19. Aprilis: & in patria consuetudinaria, non recipitur hæc reservatio fructuum: nam qui Altari servit, de Altari vivere debet, cap. Cum secundum de Præbendis*. Refert etiam D. (c) Brillon aliud Arrestum supremi Senatus Tolosani 1493. post D. du Perrai. Quæ quidem possumus, ejusdem Theologi, in præcedente decisione, laudati suffragio auctoritateque, plurimum roborare (d).

(a) Innocent. III. in cap. Ut nostrum. unic. tit. ut benefic. Ecclesiast. sine diminutione conferantur. §. penult. l. 3. tit. 12.

(b) Petr. Rebuffus in praxi benefic. 1. part. tit. de reservationib. n. 14.

(c) D. Brillon in Diction. Arrestor. v. Pensio. D. du Perrai de Jure canonic. Gallic. l. 4. c. 4. n. 30.

(d) Jacobus Sambovius 2. tom. casu 37. & tom. 3. casu 69.

CASUS XV.

Vinnius, ab annis viginti Canonicus, de quadam Ecclesia Collegiata, præbendam suam cui 600. librarum census annuus annectitur, abdicavit in gratiam Josephi, retenta sibi 150. librarum pensione, de Beneficii fructibus percipienda, uti quidem, ex quotidianis ac manuariis distributionibus, nullo præcipuo reditu adjuncto coalescunt; Josephus istius præbendæ possessionem inivit; sed nedum istic sedem habuerit, quin immo, ad quemdam sibi proximum, procul ab illinc triginta leucis, recepit, apud quem ipsi, tum ad victum, tum ad cultum necessaria, gratuito suppeditantur, Vinnius perspiciens suam sibi pensionem a resignatario non posse persolvi, Capitulum accessit, pensionis suæ solutionem, ab ipso repetiturus; quoniam omnes Canonici excipiunt, ac inter se dividunt quascumque disttibutiones quæ cederent Josepho, si resideret, atque Canonico Officio interesset. Canonici ad istam pensionem illi numerandam, se se teneri pernegant, licet quæ ex distributionibus prædictis quotannis conflantur, 600. libras inter se partiantur. Numquid possunt, absque injustitiæ nota pensionis istius solutionem obstinato animo detrectare, quamquam illam Vinnio ad vitæ subsidium urgentis necessitatis esse, perspectum habeant.

RESPONS.

Sunt Auctores, nec infimi certe nominis, qui propugnant, pensionem in specie proposita, a Capitulo, etiam ex debito conscientiæ, titulari absente non persolvente, ei rependendam esse, in cujus gratiam, in Romana curia instituta est. Atque hanc probationem subjiciunt; pensionem nimirum hujusmodi in eo realem esse quod in fructibus Beneficii ab ipso Papa assignetur; cumque inter Canonicos residentes omnes isti fructus distribuantur; id in ipsa resignatione portionem ab iisdem repetat.

Quam sententiam Silvius amplectitur (e), ut videtur ex una quadam ipsius decisione, prima Octobris 1650. eamque confirmat, 1. duobus rescriptis Romanis, quorum unum est Gregorii XIII. quo constitutum olim fuit ab illo Papa, ut pensio quædam, quam sibi antiquus Cantor Eboracensis Ecclesiæ, de distributionibus suæ dignitati annexis, reservaverat, a Capitulo ejusdem Ecclesiæ numeraretur; & alterum Clementis VIII. quo idem quoque decernitur de Capitulo Ulyssiponensi, in gratiam Alphonsi de Coloma, qui sibi pensionem 600. ducatorum aureorum de præbenda dictæ Ecclesiæ retinuerat. Addit laudatus Auctor, eamdem teneri opinionem a Stephano Quaranta in Summa Bullarii (f), atque ab eo asseri quæstionem illam Prælatorum omnium quibus constat Tribunal Rotæ, una voce pro Beneficiariis ex pensione adversus Capitula sic fuisse definitam: Quod affirmat quoque Gonzales & Gigas (g); Riccius eidem etiam opinioni patrocinatur (h).

(e) Fr. Sylvius resol. var. v. Pensio. 5.

(f) Stephanus Quaranta in sum. Bullarii. v. Distributiones quotidianæ.

(g) Henricus Gonzales in reg. Cancellariæ Glossa 5. n. 41. & 44. Hieronym. Gigas consil. 29.

(h) Aloysius Riccius in prax. resolut. 381. pag. 175.

Neque tamen memoratæ sententiæ subscribendum ducimus, eo quod quæ partem oppositam tuetur, æquitati simul ac veritati magis concordare videatur. Adeoque existimamus, nullo jure Vinnium niti, quo recurrere possit ad Capitulum, ut ab eo sibi, Josepho non persolvente, pensio rependatur. En præcipuæ rationes, quibus nostra opinio potissimum fulcitur.

Prima est, quod ex rescripto Summi Pontificis pensionem in gratiam Vinnii instituente, solus Josephus & ipsius successores in eodem Beneficio, ad eam persolvendam obligentur; ut cernere est ex verbis, quibus istud rescripttum concipitur, quo fertur, quemadmodum in aliis rescriptis ejusdem formulæ passim usurpatur: *Joseph & successores suos Canonicatum & præbendam prædictos pro tempore quomodolibet obtinentes*. Non ergo Capitulum, nec Canonicos quibus Capitulum conflatur, ulla ratione adstringit; si quidem Josepho succedere non censeatur, cum ex eis nullus præbendam illius, quæ re vera non vacat, ex jure titularis occupare cognoscatur.

Secunda, quoniam per eos Canonicos non stat, quin Josephus resideat; quippe si vellet, liceret omnino eo loci commorari, in quo Beneficium ipsius constitutum est; fructusque de præbenda percipere, assistendo nempe divinis, atque inde ad manum habere, unde pensionem exiguam quam sibi reservavit Vinnius, numerare valeret.

Tertia, propterea quod distributiones, quarum Josephus, privatione ob iniquam prorsus absentiam multatur, Canonicis non cedunt nisi ex jure ipsorum præbendarum, non autem præcise ex titulo ipsius Josephi præbendæ: unde fructus, qui illis obveniunt, non possunt censeri derivari de præbenda Josephi, cui nihil plane fructuum annectitur, cum ipsius titularis Choro non adest. Quod quidem una quadam Constitutione Bonifacii VIII. nititur, quæ fert (i): *Statuimus ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis Beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eiusdem officiis, in ipsis Ecclesiis adfuerint; tribuantur juxta cujuslibet Ecclesiæ ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam: qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ necessitas excusaret, rerum sic acceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas*. Distributiones ergo absentium jure adscribuntur præbendis eorum qui Officiis Canonicis intersunt, nec quocumque rationis prætextu, nisi ex aperta injustitia possunt illis defraudari.

(i) Bonif. VIII. in cap. Consuetudinem. unico de Cleric. non residentib. in Ecclesia, vel præbenda, in 6. lib. 3. tit. 3.

Quarta, quæ & in præcedentis confirmationem venit; quia si Josephus sedem quidem eo loci haberet, sed ex negligentia Choro rarius interesset, Capitulum certe non teneretur ad supplendum, quod desideraretur ad solutionem integram pensionis, quæ Vinnio debetur. Qua igitur ratione, ad integram solvendam in specie proposita adstringeretur?

Quinta, qua simul evertitur ipsum fundamentum, quod oppositæ opinionis patrocinatores sibi plurimum vindicant; quod falso contendatur ejusmodi pensionem onus esse mere reale: siquidem eo ipso, quo in fructibus Beneficii a Papa assignatur, debitores illius, non Josephus tantum, sed etiam ipsius successores, ut jam observatum est, constituantur. Est ergo magis censenda onus esse personale, aut ad summum onus mixtum, quod in eos tantummodo incumbit, qui in Pontificali rescri-

rescripto designantur. Hoc est in Josephum simul, & ejus in eodem Beneficio successores.

(a) Navarr. l. 3. tit. de solutionibus. Consilio. 8.

Ipse Navarrus (*a*), qui rogatus fuerat, ut ferret criticum judicium de duobus Doctoribus, qui eamdem quaestionem adversus Capitulum pro Beneficiario ex pensione dissolverant, in nostram hanc sententiam totus omnino propendere videtur; quamquam subdat pro sua in utrumque existimatione, malle se se suspendere, quam praecipitare sententiam.

(b) Nicolaus Garcias de Beneficiis. p. 1. c. 5. n. 208.

Allatis rationibus suffragium addendum est, complurium magni nominis Auctorum, & nominatim Garciae Doctoris Hispani (*b*), qui affirmat illud in Hispania passim tamquam constans recipi, ad persolvendas pensiones ejusmodi Capitula nullatenus obligari.

Superest ut quae a Sylvio proferuntur ea de re probationes confutemus. Ac 1. loco adhibet rescriptum Gregorii XII. in gratiam antiqui Cantoris Eboracensis. Cui quidem respondemus, ab ipso id referri, quasi non omnino certum, nec nisi disseminatum communiori quodam rumore, cujus auctor nullus indicatur. *Gregorius XIII. scribitur dedisse Breve Apostolicum.* Sic loquitur Laudat etiam simile rescriptum pro Canonico Ulyssiponensi, adversus Capitulum a Clemente VIII. concessum. At 1. ab eo rescripto singulari nihil juris erui potest, quod ad omnes generatim ejusmodi Beneficiarios ex pensione extendatur. 2. Laudatorum rescriptorum verba non refert; nec quae fuerit species pensionis, de qua agebatur, ullum sermonem habet. Quod nec ipse Theologus diffitetur, cum aperte dicat: *Quae quidem Brevia huc usque videre non licuit; sicuti nec scire potuimus, utrum pensiones in illis memoratae essent impositae super fructibus & distributionibus, onerando illos qui fructus & distributiones hujusmodi reciperent; an solum eos, qui Cantoriam & Canonicatum obtinerent.* Unde patet omnino ejusmodi vagam & sine auctore probationem, ab erudito viro caducam prorsus atque incertam putatam fuisse.

Quod Riccium attinet; ratio qua nititur, ea est potissimum, pensionem nimirum ejusmodi non deberi ei, in cujus gratiam instituta est, *propter servitium Canonici possessoris*; (ea sunt ipsissima quae adhibet verba;) *sed ex mera gratia Papae*. Verum, ea de re discordamus ab illo Auctore. Siquidem nec existimandus sit ipse Papa velle beneficiario ex pensione impertiri fructus (*c*), qui ut alibi demonstramus, Canonicis Officium persolventibus jure peculiari cedunt, quosque absentes, habere suos nulla ratione possunt, quemadmodum a Concilio Tridentino declaratur.

(c) V. *Capitulum*. casu 4. & *Distributiones*. casu 1. & 5.

CASUS XVI.

Eudes cum 2. Januarii 1709. resignavisset Petro Beneficium, cujus reditus integer in frumento consistit, ac pensionem 200. librarum de eo sibi retinuisset: sic saevit hiems, ut omnia frumenta frigoris asperitate penitus perierint, nec percipere potuerit Petrus, quae sibi ad necessarium vitae requirerentur. Numquid ipse nihilominus tenetur ad persolvendas Eudi resignanti suo 200. libras isto anno obtingentes?

Respons.

Ad pensionem eo anno obvenientem Eudi persolvendam Petrus in eo casu non adstringitur. Cum enim unaquaeque Ecclesiastica pensio nonnisi de fructibus Beneficii abdicati possit percipi; si Beneficium absque titularis culpa nullos aut non sufficientes fructus referat, ut in specie proposita; nulla prorsus ratione pensio debetur. *Est namque pensio*, inquit Sylvius (*d*), *portio quaedam fructuum seu proventuum Beneficii. Illo igitur tempore quo Beneficium non praebet proventus, cessat obligatio solvendi pensionem.*

(d) Fr. Sylvius. resol. var. v. *Beneficium*. 4.

(e) Joann. Cabassut. Juris can. theor. & praxi. l. 2. c. 14. n. 21. & 22.

Cabassutius ait quoque (*e*): Extinguitur aut minuitur pensio interitu rei, si jura aut praedia Ecclesiae evicta sint, aut incendio, ruina, vel *inundatione perierint*. Et paullo post: *Fit pensionis* remissio iisdem ex caussis, propter quas facienda erat remissio mercedis in locatione: ut si calamitosa tempestas in fructibus acciderit. *Leg.* Licet. & *Leg.* Ex conducto, *ff. locati, conducti*: (*f*) his enim casibus & locationis merces, & *pensionis quantitas minuenda est*, *Cap.* Propter sterilitatem. *De locato & conducto* (*g*). Demum Navarrus post Barbosam, Flaminius Parisius & Riccius ibidem laudati, idem etiam uno ore docent (*b*).

(f) ff. lib. 10. tit. 2.

(g) Lib. 1 decretal. tit. 18.

(b) Navarr. lib. 3. consil. de solutionibus. consil. 1. Et apud eum Augustinus Barbosa. l. 3. de pension. cap. 1. num. 73. Flamin. Parisius de resign. l. 1. q. 8. n. 48. & Aloysius Riccius decisione 1234.

CASUS XVII.

Michael, a quindecim annis, Paroeciae S. Tresani, in Dioecesi Abrincensi positae, Parochus, suam Curam Theophilo dimisit, sub conditione pensionis 300. librarum reservatae; Post elapsas sex hebdomadas Theophilus, in dictae Curae possessionem se se immisit. Cumque primus annus abiisset, Michael Theophilum adivit pensionis excipiendae caussa, a quo responsum illud accepit, ipsum non teneri ex conscientia ad quidquam pensionis isto anno persolvendum, quoniam fructus seu reditus Curarum in Provincia Normanniae constitutarum, Episcopis & Archidiaconis, jure quodam, quod annuum reditum vocant, gallice. *Deport*, competere consueverunt. Num pro Theophilo jus militat? Ita esse videtur. Cum enim Beneficio per istum primum annum non potiatur, nec ab eo rependendam pensionem videtur aequitas suadere. Aliunde vero Michaeli jus integrum cedere videtur. Quippe non abdicaverit suum Beneficium, nisi enuntiata ista conditione, ut a Theophilo, quas ad se se sustentandum retinuit, 300. Librae quotannis, nec ulla facta mora exceptioneque admissa numerarentur. En, quae utrobique proferuntur rationum momenta.

Respons.

Theologus quidam rerum moralium intelligentissimus, de simili difficultate olim consultus (*i*), ait pravam omnino iniquamque esse consuetudinem, quae Beneficiarium obligat ad persolvendam pensionem in Beneficio oppigneratam, de quo nec ei jus permittit, ut quidquam percipiat; quemadmodum in specie proposita contingit, passimque factitatur in Capitulis quibusdam, quae integram primo anno obvenientem, novo Canonico fructuum principalium portionem sibi attribuunt: atque laudatus Theologus addit sibi non videri aequum, ut ante repensam primo loco pensionem, quae resignanti ad vitae necessarium destinatur, principales isti fructus percipiantur ab iis quibus cedere consueverunt.

(i) Sambovius. tom. 2. casu 361.

Quod pertinet ad annuum reditum, qui obtinet in Normannia & aliis quibusdam Provinciis Regni; potest usus ille validissimis argumentis in utramque partem propugnari. At certum nihilominus manet, ipsum esse fidelibus ingenti damno: siquidem saepe saepius accidit, suo proprio Pastore, per annum quo obtinet, eos defraudari: cum sub illo praetextu, qui de novo institutus est Parochus non resideat, quod sibi integer Beneficii reditus non permittatur; & patiatur alium Sacerdotem committi, praedicto Beneficio inserviturum. Qua de re, Auctor Glossae in Pragmaticam Sanctionem, ait annuum ejusmodi reditum sub quocumque respectu consideretur, inordinatum esse ac omnino perversum (*K*); Quod idem Probus atque Molinaeus asserunt (*l*).

(k) Glossa in Pragmat. tit. de annatis. v *Consuetudinis*.

(l) Probus in d. Glos. v. *Deportuum*. Carolus Molinaeus in Arrestum. 108. de Joannis Galli. v. *Deport*.

Fatendum est tamen, quod tum rei veritas, tum propria nos edocuit experientia, nec ab Episcopis nec ab Archidiaconis id juris acerbius exigi, quin etiam ad levem exiguamque pecuniae summam ab eis quandoque imminui; praesertim quando non renuit Parochus tum reditus annui persolvendi, tum quae Beneficio annectuntur, muniorum praestandorum onus suscipere; atque exempli caussa satis haberi, si de Cura quae 1000. aut 1200. libras refert, dupliones Hispanici 20. aut 25. annui reditus juris loco sibi obvenerint. Quapropter opinamur, novum titu-

 larem,

larem in eo fuiſſe prorſus laudandum, ſi de juribus annui reditus cum Epiſcopo & Archidiacono pactus eſſet, ut ſibi liceret & Beneficio per ſe ſervire, & ſibi ad manum eſſe, unde reſignanti ſuo penſionem vel integram, vel ex parte valeret rependere.

Ceterum nec reſignanti, nec reſignatario, inauditus eſt reditus annui, ſeu Deportus, uſus; ad eos igitur ſpectat, ut ex æquo & bono tam de quota parte penſionis, quam de modo quo perſolvenda ſit, conſiderato nimirum prædicto jure, inter ſe ſe conſentiant. Demum vero, ſi jus annui reditus omnino diſtricte repeteretur, nec ultra viræ neceſſarium quidquam novo Parocho remaneret; proculdubio ad ſolvendam penſionem iſto primo anno incidentem, nullo conſcientiæ debito teneretur. En, quæ de difficultate propoſits cenſemus, quæ ad ſpeciem de qua quæſtio eſt, nullo prorſus negotio, poſſunt accommodari. *Vide* Deportus ſeu Annuus Reditus.

CASUS XVIII.

Philologus, Religioſos de Ordine S. Benedicti, non reformatus, cui ex ipſo actu reformationis in ipſius Monaſterium intromiſſæ, tranſactæque compoſitionis reformatos inter & Religioſos antiquos, penſio 500. librarum de reditibus Communitatis, ad vitæ tempus percipienda aſſignata eſt; ex diſpenſatione ſibi a ſummo Pontifice conceſſa, de Cura 2000. librarum cenſum annui, quæ de Ordine ſuo nulla ratione pendet, ab Epiſcopo Diœceſano proviſus fuit. Qua de re quæſtio inſtituitur, num prædictus Religioſus ſuam penſionem poſſit exigere, licet in Monaſterio ſuo jam non commoretur.

RESPONS.

Eo nos adducunt complurima rationum argumenta, ut perſuaſum omnino ſit, a Philologo penſionem 500. librarum ſibi a Religioſis reformatis aſſignatam, nullo nec æquitatis, nec conſequenter conſcientiæ jure poſſe repeti.

1. Propterea quod Religioſus qui poſſidet vel Beneficium vel officium aliquod Cœnobiticum, propter quod debeat in alio Monaſterio commorati, omni tum penſione tum habitatione in Monaſterio ſuæ profeſſionis ſit excludendus, juxta quod definitum eſt a Quarto Concilio Lateranenſi Generali, ſub Innocentio III. 1215. celebrato (*a*), quo fertur: *Illud etiam prohibemus, ne quis in diverſis Monaſteriis locum Monachi habere præſumat.* Quod prohibuit denuo Bonifacius VIII. his verbis (*b*): *Cum illis non liceat habere locum in diverſis Monaſteriis, quorum unum ab alio non dependet, nec aliorum Monaſteriorum (niſi canonice transferantur ad ipſa) Prioratus, Eccleſias, Adminiſtrationes, vel officia gubernare.* Unde concludendum eſt juxta mentem Eccleſiæ, cum Philologus gaudeat Cura quæ refert quotannis 2000. libras, ab eo non poſſe, illæſa conſcientia, quæ, ſibi tamquam antiquo Monacho Religioſo conſtituta eſt, penſionem 500. librarum percipi; ſiquidem in eo caſu eadem injuſtitiæ ratio deprehendatur quæ adeſſet, ſi Beneficio aut Cœnobitico quodam officio in alio Monaſterio perfruens, penſionem nihilominus vellet exigere; cui præterea addendum eſt, cum de ipſius Beneficio nimio plus ſuppeditetur, unde ſe ſe poſſit honeſte ſuſtentare; ei jam illicitum eſſe, ut penſione ſua potiatur.

(*a*) Concil. Lateran. ſub Innocent. III. in cap. *Ne nimia.* fin. de Religioſis domibus &c. lib. 3. tit. 36.

(*b*) Bonif. VIII in cap. *Cum ſingula.* 32 § 2 de Præbendis & dignit. in 6. l. 3. tit. 4.

2. Quis ſecundum quæ jam jam memorata ſunt, Juriſprudentia diſciplinaque Eccleſiaſtica Gallicana non ſinunt, Religioſum qui regulare jam Beneficium poſſidet, poſſe de altero etiam ſimplici provideri, aut aliqua penſione ſeu portione Monachali donari; quemadmodum docet Rebuffus (*c*), qui ait: *Licet Monachus & regularis poſſit habere unum Beneficium regulare; tamen duo habere non poteſt, nec quidem Capellam, vel penſionem, aut portionem Monachalem cum Beneficio.* Ex quo infertur a fortiori, cum Philologus Curam ſæcularem habeat, ei jam cedere non poſſe penſionem ullam aut portionem Monachalem, de Monaſterio a quo receſſit.

(*c*) Petr. Rebuf. prax. Benef. part. 2. de diſpenſ. cum Regularib. facta. §. 8.

3. Quoniam ex eodem Rebuffo ceteriſque Juris Canonici peritis, cenſenda eſt quaſi ſimplex regulareque quoddam Beneficium, penſio Monachalis. Adeoque cum ſæcularis Beneficii titularis jam ac poſſeſſor Philologus exſtet, nec ſimul ex prædicta penſione aut regulari Beneficio ſimplici, Beneficiarius eſſe poteſt, quin eo ipſo reum ſe ſe conſtituat ex pluribus Beneficiis; quod quam ſolemniter a ſanctis Canonibus reprobatum fuerit, a nemine prorſus ignoratur.

4. Quod penſio Monachalis, nonniſi Religioſis cedere debeat, qui in Monaſterio de quo percipitur, etiamnum commorantur, quique tamquam Religioſi profeſſi de prædicto Monaſterio, ſic degunt, ut ad normam conſtitutionum Ordinis vitam moreſque conforment, officium divinum, tam diurnum quam nocturnum cum ceteris in integrum perſolventes, niſi ex legitima cauſſa diſpenſentur. Neque enim potiori ratione eos convenit, licet abſentes, penſione Monachali donari, quam Canonicos non reſidentes, fructibus ipſorum præbendæ annexis. Porro Canonici qui nec reſident, nec choro interſunt, reditibus præbendarum ſuarum, niſi ex legitima cauſſa diſpenſatiois, non poſſunt tuta conſcientia potiri; quemadmodum concordant ea de re cum Theologi, tum Canonici Juris interpretes. Quo igitur jure contenderet ſibi penſionem deberi, Religioſus qui nihil operis ſui nec laboris in Monaſterium ſuum rependit, qui nec divinis intereſt, quæ illic perſolvuntur (*d*)?

(*d*) Sambovin. tom 2. Caſu 203.

CASUS XIX.

Lucas & Remigius, ad unum idemque Beneficium contendentes de quo inter eos controverſia eſt, & quibus eadem utrobique rationis & æquitatis ſpecie jus videtur ſuffragari; cum rem ſuam Arbitris diſceptandam commiſiſſent, ac concordibus animis, ingenue nec colluſorie depoſuiſſent jus ſuum in ſide Theologici Doctoris & Advocati qui litem componerent: conſenſerunt Arbitri, ut Lucas de jure ſuo Remigio cederet, retenta ſibi de Beneficio 300. librarum penſione. Cui judicio ſteterunt partes; illudque deinde totum impleverunt. An ſufficiens cenſetur iſta ratio, ut prædictæ penſionis tuta conſcientia percipiendæ jus ipſi Lucæ tribuatur.

RESPONSIO.

Quæ præmiſimus ea de re in prima deciſione, penſionem Lucæ legitime reſervatam fuiſſe, ſufficienter confirmarent; modo, accedente ſommi Pontificis auctoritate, nec aliter inſtituta ſupponatur: at latius eſt, de enuntiata ſpecie caſus, hoc loci fuſius differere.

Dicimus ergo, æquitatis fundamentum quo prædicta nititor penſio, in jure luculenter omnino expreſſum referri, in quo legere eſt Innocentium III. conſultum de duplici electione, ac de validitate penſionis cujuſdam quæ alteri electorum fuerat ab Arbitris adjudicata, ea lege, quod Beneficio io gratiam alterius contendentis foret renuntiaturus, ſic reſpondiſſe (*e*): *Quod autem ordinatum eſt circa reliquum, ut ipſe viginti libras de reditibus Capituli & quadraginta de proventibus Prioratus percipiat annuatim: hoc ſecundum providentiam intelligitur eſſe præceptum ex Arbitraria poteſtate; cum in delegatos fuerit compromiſſum, qui auctoritatem ſibi retinendo commiſſam, ſe pro bono pacis & utilitatis hoc ordinaſſe fatentur. Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus eſt recepta, poſſuntque licite Prior & Capitulum de proventibus ſuis propter prædictas cauſſas, uti quidem ex pactione partium, ſed ex juſſione judicum proviſionem ejuſmodi exhibere; nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præſtationem quadraginta librarum, non dignitas Prioratus, ſed perſona Prioris maneat obligata.* Jam præmonuimus alibi, penſionis in eo caſu inſtitutionem, ideo jure probari, quod in commodum Eccleſiæ plurimum vergat, ut a Cardinali Toleto obſervatur: *Ne vina, inquit, cedat contra utilitatem & in damnum Eccleſiæ, quæ privatur illo tempore Miniſtro, ſolet de licentia Papæ,*

(*e*) Innoc. III. in cap. *Niſi eſſent.* 21. de præbendis & dignitat.

Papæ, illi qui habet majorem justitiæ rationem, dari Beneficium, convenienter pensione alteri assignata (a).

(a) Fr. Tolet instruct. Sacerd. l. 5. c. 83. n. 11.

Manet igitur omnino constans ac definitum, in casu de quo agitur, percipi posse tuta conscientia a Luca pensionem, ob juris concessionem Remigio factam, ipsi adjudicatam, modo 1. in Curia Romana fuerit ista pensio admissa. 2. Residuum, Remigio Beneficii titulari superfit, unde possit honeste sustentari; quemadmodum enim a Toleto annotatur (b): *Cavendum est, ne pensio, quæ ab uno aliquo percipitur ex Beneficio, fit adeo pinguis, ut non remaneant fructus cum titulo, quibus possit convenienter Beneficium habens sustentari in suo officio.* 3. Non aliunde suppetat ei qui pensionem percipit, unde vitæ necessarium competens ipsi conferatur, & ad illud præstandum portio fructuum reservata necessario prorsus desideretur; siquidem testante eodem Cardinali, *mirabilis est abusus eorum, qui multis hinc inde se onerant pensionibus, cum unde vivere possint pro conditione sua, habeant: & quod pejus est, nulla adest caussa, propter quam vel unam possint habere, quando vix potest persuaderi, ut vel minimam pensionem a se expellant; sed morte coguntur, male possessa & retenta dimittere.* Incumbit igitur Lucæ perpendendum, utrum ex tribus prædictis conditionibus nulla desit pensioni, quam sibi retinuit; deficiente enim vel una tantum, pensionem memoratam exigere procul dubio nullatenus liceret. Quod idem foret judicandum, si competitores inter, collusoria quædam conventio interfuisset (c).

(b) Idem ib. n. 3.

(c) Alexand. III. in cap. *Audivimus*. 3. de collus. detegenda. lib. 5. tit. 22. Et Glossa in cit. cap. *Nisi essent*. v. *Ex jussione*.

CASUS XX.

STANISLAUS S. Jacobi Cracoviensis Abbas a Rege Poloniæ ad Episcopatum Warmiensem designatus est, ea conditione, ut assentiretur percipiendæ a Stephano de suæ Abbatiæ reditibus 1000. librarum pensioni; Quæ quidem ex solo Regio diplomate, cui prædictus Stanislaus simpliciter tantum ac sine ulla clausula excipiente subscripsit, fuit instituta; quemadmodum in Regno Poloniæ ab omni memoria fieri consuetum est. Postea vero Episcopus inauguratus, atque collocatus in possessione dicti Episcopatus; duobus aut tribus annis continuis, pensionem Stephano persolvit. 1. Potuit ne isthæc attentare, absque inusta sibi simoniæ nota; & legitimæ ne possunt censeri pensiones ejusmodi, quæ universa passim consuetudine, atque ab omni retro temporum memoria invalescente in isto Regno, inductæ fuerunt? 2. Quid facto opus est, ut securitati conscientiæ consulere possit?

RESPONS.

Ut difficultas ista penitus dissolvatur, tamquam principium constans & indubitatum admittendum est, quamcumque pactionem in rebus beneficialibus, Summi Pontificis auctoritate non firmatam, simoniacam censeri, & tamquam simoniacam interdici Canonibus atque Constitutionibus Paparum, ac præsertim Decretis Bonifacii I. Lucii III. Cælestini III. Urbani III. Alexandri III. Innocentii III. & Gregorii IX. (d), ad marginem citatis. Ex quo principio jam culpatur Stanislaus, atque evincitur ab eo non potuisse absque simoniæ vitio, Warmiensem Episcopatum ea conditione acceptare, ut 1000. librarum pensionem Stephano foret repensurus, nisi enuntiaretur disertis verbis in diplomate Regio cui subscripsit, & in quo se se obligatum devinxit, futurum, ut prædicta pensio a Papa comprobaretur, ac rata haberetur (e). Adeo ut, conventa quam primo admisit simonia, ex utraque parte realis deinde evaserit eo instanti, quo pensionem Stephano numerare cœpit. Ad vitandam ergo simoniæ culpam, oportebat ab eo chirographum diplomati Regio non apponi, nisi cum adjecta illa clausula, *sub beneplacito Papæ*; atque adeo nedum ei pensionem solvere pergat, quin immo prorsus deneganda est, donec Stephanus gaudeat canonico titulo, vi cujus eam jure repetere possit; hoc est, donec pensio fuerit a Papa comprobata; atque nihilominus ei offerenda est quæcumque auctoritas scripta necessaria, ut possit in Curia Romana institui. Quod si Stephanus renuerit, sibi constitui titulum canonicum, ac judicium pronuntiari obtinuerit, quo Stanislaus ad solutionem pensionis damnetur; debet iste ad superiorem Judicem provocare, nec solvere nisi ad Jurisdictionem usque supremam perductus, & post rem ultima cognitione judicatam evictus; quin etiam nec nisi suis bonis pignoratis, ut inde manifestius appareat, solutionem invite fuisse præstitam. Interea vero Romæ cum agere necesse est, & Summo Pontifici, relatis tum consuetudine quæ viget in Poloniæ Curia, tum qua ratione in eo casu se se res habuerit, ab eo supplex postulare, titulo suo, quantum opus esset, vigorem & robur reddi; Item quoscumque fructus, obventos quidem, nec perceptos, aut jam perceptos sed necdum consumtos, sibi impertiri, simul cum facultate, qua deinceps valeat, pensionem Stephano licite rependere (f). En quæ, propriæ conscientiæ consulturus, potest ac debet Stanislaus præstare.

(d) Can. *Quam pio*. 2. 1. q. 2. Lucius III. in cap. *Super*. 7. & in cap. *Præterea*. 9. Et Cælest. III. in cap. *Praeterea* 10. de transactionibus. Alexand. III. in cap. *Constitutus*. 4. eod. tit. & in cap. *Cum pridem*. Et Gregor. IX. in cap. *Pactiones*. 8. de pactis. Urban. III. in cap. *Quæsitum*. de rerum permut. Et Innoc. III. in cap. *Tua nos*. 34. de simonia.

(e) Joann. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 2. c. 14. n. 2.

(f) Sambovius tomo 3. casu 71.

CASUS XXI.

ZEPHIRINUS, Clericali tonsura initiatus, de Prioratu 3000. libras census annui reddente, cujus titularis erat, pensionem 1000. librarum, in Curia Romana, admissam sibi reservavit. Arma deinde professus, tribunus militaris factus est, hoc est, in rebus tam ordinariis quam capitalibus quæ spectant ad milites, constitutus Judex. An propter istam solam conditionis sortisque immutationem, de jure repetendæ pensionis decidit?

RESPONS.

Ut propositæ quæstioni fiat satis, sciendum est, quamcumque pensionem de Beneficio retentam, suapte natura Ecclesiasticam censeri (g); quod Clericalem tonsuram, quæ spirituale quidpiam est, necessario prærequirat. Atque, ea potissimum de caussa, semper supponit Rescriptum Romanum, titulum istum ei inesse, in cujus gratiam expeditur. *N. Clerico Diœcesis N.* Ac clausulam istam ferre solet, etiam quoad eos, qui majoribus ordinibus nondum initiantur, *& cum decreto, quod si ipse, & quamdiu pensionem hujusmodi perceperit, in habitu & tonsura Clericalibus incedat. Alias pensio cesset eo ipso* (h).

(g) Joann. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 2. cap. 14. n. 27.

Atque illud erui potest ex nonagesima secunda Bulla Sixti V. quæ data est 9. Januarii 1589. (i): in qua laudatus Papa præcipit, non Beneficiariis tantum, sed iis etiam qui pensiones Clericales de quibuslibet Beneficiis percipiunt, ut tonsuram habitumque Clericalem deerant, sub pœna dictarum pensionum ademtionis, ipso facto incurrendæ. *Præcipimus & mandamus*, inquit, *omnibus & quibuscumque Clericis.... nedum Beneficia Ecclesiastica qualiacumque.... obtinentibus.... verum etiam pensiones super quibusvis fructibus... Officiorum & Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum..... ut ipsi & eorum quilibet.... debeant omnino...tonsuram & habitum Clericalem, vestes scilicet talares... quacumque remota excusatione, assumere & jugiter deferre. Alioquin ipsos & ipsorum quemlibet..... pensionibus & fructibus.... ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine privamus, ac sine ulla alia monitione, citatione, Judicis decreto aut ministerio, ipso facto privatos declaramus.* Addi præterea potest cum Navarro & Zerola (k), censeri ad Ecclesiasticam pensionem minime aptum, quicumque Beneficii possidendi non est capax. *Si præfatus ordinatus*, ait priori loco recensitus Auctor, *non esset capax Beneficii; non esset etiam pensionis saltem secundum stilum Curiæ, qui est servandus* (l).

(h) Idem cit. l. 2. c. 28. num. 3.

(i) Sixtus V. in Bulla. *Cum Sacrosanctam*. §. 2. & 3.

(k) Navarrus lib. 1. de temporib. ordinat. Consil. 11. n. 2. Thomas Zerola prax. Episc. part. 2. v. *Pensio*. §. 6.

(l) Innoc. III. in cap. *Quam gravi*. de crimine fal si. lib. 5. tit. 10.

Adversam tamen opinionem Sylvius tuetur; eamque rationem profert, quod Ecclesiastico, qui in irregularitatem incidit *ex delicto*, aut etiam subjicitur excommunicationis pœnæ omnium gravissimæ, quas ab Ecclesia infligi contingat, non ideo Beneficium *ipso facto* abrogetur. Indeque infert, eamdem esse debere conditionem pensionis (m): *Ecce nec privatur etiam pensione, quæ nec est Beneficium, nec plura requirit ad hoc, ut* ali-

(m) Fr. Sylvius resol. var. v. *Pensio*. 1.

aliquis sit ad eam retinendam habilis, quam ut possit retinere Beneficium.

Eam iste Theologus mutuatus fuerat rationem a Navarro (*a*), qui cum eidem opinioni primum adhæsisset, subiicit deinde: *Advertendum modo observandam Constitutionem Sanctissimi Domini nostri Sixti quinti, publicatam anno 1589.*

Enimvero si Beneficiarius Beneficio non depellitur *ipso jure*, quod in irregularitatem *ex delicto* incurrerit, aut in pœnam excommunicationis; inde est, quia nullo Canone declaratur Beneficio frustratus. Verum non legitime concluditur, eum cui pensio ministrabatur, pensione non deturbari, quando a Clericali toga ad genus vitæ sæcularis & profanæ desciscit: siquidem in eo casu, pensionis ademtæ pœna *ipso facto* mulctatus, ab ipsomet Summo Pontifice indicatur. Atque ea ratione sic pronuntiatum est a Supremo Senatu Gratianopolitano, Arresto 4. Junii 1658. a Basset relato (*b*).

Verum quidem est, a Sylvio sic responderi ad Bullam Sixti V., dicendo nempe, eam ab eodem Summo Pontifice aliquatenus temperatam fuisse, alia subsequente, quam dedit ejusdem anni 31. Januarii, qua excipiuntur a prohibitorio Decreto, quod antea a laudato Papa latum fuerat, qui possident pensiones non excedentes pretium 60. ducatorum aureorum de Camera Apostolica (*c*): sed quicquid sit de illa clausula excipiente, nulla ratione favet Zephirino de quo mentio fit in specie quam in præsenti disquirendam habemus; quippe nec in eo casu quem attingit altera Constitutio ejusdem Papæ, recenseatur: cum ad mille librarum pretium usque, pensio ipsius assurgat.

Non erit abs re, si eo loci tantisper immoremur eo perpendendo, quod post Navarrum superius in medium adduximus, quemcumque scilicet qui non est aptus ad Beneficium Ecclesiasticum, nec percipiendæ pensionis capacem esse censendum. Jurisprudentia namque civilis, quæ apud quasdam supremas Curias obtinet, non omnino congruit cum isto principio. Exemplum ea de re celeberrimum hac nostra ætate subministratur in famoso illo litigio, quod motum est inter Illustrissimum Henricum Guillelmum Cadurcensem quondam Episcopum, & D. Comitem de Marsam, ortum Illustri Lotharingiæ familia Principem, circa pensionem in gratiam istius de Episcopatu Cadurcensi constitutam, quamque servare animo intendebat, post contractum matrimonium cum Domina d' Albret vidua: in qua controversia latum est ab ampliori Consilio, Arrestum 15. Septembris 1683. pro Principe prædicto: quia nimirum in Rescripto ipsi a Papa concesso, clausula excipiens enuntiabatur, qua verbis omnino distinctis derogabatur quibuscumque consuetudinibus & legibus Ecclesiasticis latis aut ferendis in Conciliis, sive Provincialibus, sive œcumenicis. Ea fuit caussa ratioque ipsius Arresti, quod cum institutio Beneficiorum a jure tantum positivo derivetur, penes Papam esse videatur, ut quam libuerit conditionem ei possit apponere: præsertim cum rescriptum D. de Marsam impertitum ab ipso Rege comprobatum fuerit; ac proinde non fuerit, unde labefactaretur sub eo prætextu, quod obsisteret Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quæ in eo potissimum positæ sunt, ut ipsummet Papam coerceant, si quid in Regno attentare aggrediatur, invito tum Rege, tum populo, *quod posset dispositioni antiquorum Canonum vel ex aliqua parte officere*: ut loquitur D. Dupuis in suo de Immunitatibus memoratis Commentario.

(*a*) Navar. l. 3. de vita & honest. Cleric. consil. 3.

(*b*) Basset. tom. 2. l. 3. tit. 6. cap. 2.

(*c*) Sixtus V. in Bulla, *Pastoralis.*

CASUS XXII.

ANDREAS obligatur ad pensionem 300. librarum erga Ambrosium, qui eam sibi retinuit de fructibus cujusdam Curæ 150. librarum, in illius gratiam ab annis fere sex abdicatæ. Quo sic posito petitur, utrum Andreas possit, absque ullo suæ conscientiæ damno, pensionem istam proprio suo motu, nec implorata Summi Pontificis auctoritate extinguere, seu jure redhibitionis redimere; licet id ab ipso præstari non posse, Doctor scientissimus affirmaverit? Ratio propter quam ambigit, de sententiam istius Doctoris est, quia in adversam omnino opinionem duo celeberrimi Cardinales, Cajetanus scilicet & Toletus discedunt (*d*); nec dubitant asserere Pontificiam auctoritatem in proposito casu necessario non requiri.

RESPONS.

Non licet isti Parocho, debitam Ambrosio pensionem absque peccato redimere; nisi Summi Pontificis auctoritas intervenerit. Equidem fatemur, sic existimavisse laudatos Cardinales, ad redhibendam pensionem Summi Pontificis auctoritatem necessario non esse accersendam. Verum eorum opinio ab Auctoribus insignioris nominis ac notæ, passim repudiatur, ut advertitur a Cabassutio (*e*), qui asseverat, quod *Hoc licite citra Papæ dispensationem fieri nequit, aut factum tenere.*

Prosper Fagnanus, Sacræ Cardinalium Congregationis Synodi Tridentinæ Interpretum quondam ab Epistolis (*f*); Navarrus qui Pœnitentiarii vices sub Gregorio XIII. Romæ gerebat; Gigas in suo de Pensionibus tractatu; Flaminius, Rebuffus, Forgetus, aliorumque nubes ingens, idem quoque uno ore clamant. Unde inferimus, juxta usum in Ecclesia passim frequentatum, Andream ex conscientia teneri ad mittendam supplicationem Romam, eo fine, ut pensionis Ambrosio debitæ, numerata quadam pecuniæ summa redimendæ facultas a Summo Pontifice concedatur. D. Brillon in Suprema Parisiensi Curia Patronus, qui nuperrime fecit juris publici suum ingentem Arrestorum indicem in tria partitum volumina *in folio*, laudatorum Auctorum sententiam amplectitur, & refert quoddam Senatus Parisiensis Supremi Arrestum 29. Maii 1631. quod legitur in Collectaneis Arrestorum a Bardet congestis, quo dictus Desiderius Cudelot damnatus est ad numerandum quod superstiterat de pensione extinguenda, quam Cade ipsius resignans, sibi reservaverat de reditibus Prioratus, de nostra Domina Quadrantis, in Diœcesi Lingonensi; atque nihilominus ad conficiendum sibi scriptæ procurationis actum, qua dictæ pensionis extinctio atque redemtio solicitari posset in Curia Romana, atque impetrari (*g*).

(*d*) Thomas de Vio Cardinal. Cajetan. tom 1. opusc. tract. 31.
Fr. Toletus instruct. Sacerdotum. l. 5. c. 92.

(*e*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 2. c. 14. n. 10.

(*f*) Prosper Fagnan. in c. *Ad audientiam*. 31. de rescriptis.
Navarrus de simonia. consil. 59. n. 2.
Hieron. Gigas de pensionib. q. 45. & 87.
Flaminius de resignat. l. 6. q. 2. n. 128.
Petrus Rebuff. de pacificis possessor. n. 224. Forget. tract. de pensionib. n. 30.

(*g*) D. Brillon. v. *Pensio*, tom. 3. pag. 71. column. 2. n. 96.
Barder tom. 2. l. 1. cap 27.

CASUS XXIII.

CHRYSANTUS S. Clandii Parochus, cujus Cura oneratur ab annis quinque aut sex, 300. librarum pensione, quam de resignata prædicta Cura Cornelius sibi reservaverat; cum ex pensione quotannis persolvenda nimium gravaretur, Capellam 200. librarum reditus annui illi obtulit ea conditione, ut pensio foret æternum extinguenda. Oblatam a Chrysanto conditionem Cornelius accepit; & data opera, ut de Capella provideretur, pensioni renuntiavit, instrumento ea de re confecto coram Notario, quod Chrysanto deinde in manus tradidit. Numquid in ista compositione quidpism est, quod jure possit reprehendi; & pensio nonne ratione legitima restincta est?

RESPONS.

Sacrilegum simoniæ odorem exhalat undequaque prædicta compositio, propterea quod pensio non sit Beneficium, sed solummodo jus percipiendi ad tempus, hoc est, ad illius vitæ cursum cui pensio cedit, quamdam fructuum portionem de Beneficio resignato, ab ipsius Beneficii titulo prorsus sejunctum; ut fuse admodum contenditur a Fagnano (*h*) adversus Auctores alios quosdam; atque sic Romæ pronuntiatum fuisse a Tribunali Rotæ, idem testatur: *Ut dixit Rota, decisione 425... pensio quamvis sit spirituali annexa, tamen est quoddam jus temporale; id est, ad tempus separatum & formale, ac per se distinctum ab ipso Beneficio.* Ita loquitur inclytus Canonici Juris interpres (*i*). Et vero, non ad modum Beneficii pensio perpetuatur; quippe mortuo cui ministrabatur, ipsa definit ac penitus extinguitur. Præterea non opus est institutione canonica, ut pensio constituatur; quemadmodum ut Beneficium aliquod legitime possideatur: siquidem ex solo resignantem inter & resigna-

(*h*) Prosp. Fagnan. in cap. *Ad audientiam*. 31. de rescriptis. n. 98. & 22. seqq.

(*i*) Idem. ib. n. 112.

gnatarium convento cui Summi Pontificis auctoritas accedat, possit pensio percipi. Aliunde vero, pensio potest debitori gratuito remitti ac liberaliter condonari, absque eo quod Beneficiarius ex pensione ad auctoritatem Superioris ea de re recurrere opus habeat; contra vero Beneficium non possit, nisi in manibus Superioris legitimi, ipsiusque auctoritate interveniente dimitti; deinde pensio in aliqua Cura, aut quovis alio Beneficio, assignata nullam residentiam, nullamque Ecclesiasticorum Officiorum functionem importat: quod de Beneficio dici non potest. Plurimum ergo totaque natura distant, tum pensio, tum Beneficium. Unde inferendum est, pensionem ob resignatum aliquod Beneficium extingui nunquam posse; siquidem in ejusmodi pensionis redhibitione, spirituale aut spirituali annexum rependeretur pro temporali, & pretio pecuniario constituendo atque æstimando; pactaque quadam pecuniæ summa, & summi Pontificis accedente consensu, possit re ipsa redimi. Cornelius ergo non legitime providetur (*a*): Et Chrysantus ob simoniam perpetratam jure percipiendæ pensionis omnino decidit; quin etiam meretur pœnis canonicis subjici, quæ adversus Simoniacos infliguntur.

(*a*) Collat. Condomens. t. 2. collatione 3. sect. 1. Sambovius t. 2. casu 38.

CASUS XXIV.

Volusianus 600. librarum pensionem de Beneficio quodam percipiens, numquid ad recitationem Breviarii, atque ad deferendam tum tonsuram, tum vestem Clericalem, ea de caussa ex conscientia tenetur?

Respons.

Pensionem memoratam percipiens, non recitando Breviario, sed parvo dumtaxat Officio de Beata Virgine, dicendo adstringitur. *Quicumque pensionem, fructus aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit*, inquit S. Pius V. Papa in sua 135. Bulla (*b*), quæ edita est 20. Septembris 1571. *eum modo prædicto*, hoc est, sub pœna restitutionis, *ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.*

(*b*) S. Pius V. in Bulla. Ex proximo.

Qua in re observandum occurrit, 1. ea verba, *modo prædicto*, referri ad id, quod a Sanctissimo Papa decisum fuerat de obligatione restituendi; quæ iis potissimum incumbit, qui cum ad magnum Officium persolvendum teneantur, isti obligationi pro debito non faciunt satis; atque indicare quoscumque alia pensione gaudentes, eadem lege teneri restitutioni eorum omnium, quæ sibi ab Ecclesia conceduntur, spectatis prætermissionum tum numero, tum specie. 2. Ista alia verba, *ut Clericus*, necessario oportuisse exprimi: si enim annua quædam pecuniæ summa numeraretur pro pulsandis Organis seu Campanis, aut quovis alio munere simili sustinendo; qui pensionem ejusmodi perciperet, Officio parvo de Beata Virgine persolvendo, nulla omnino ratione adstringeretur. Concilium Burdigalense actum 1583. cum Bulla sancti Pii V. prorsus consentit (*c*). Ratio, propter quam obligantur ad parvum Officium de Beata Virgine, qui pensionem aliquam percipiunt, est juxta opinionem Fagnani; quia pensio hodie detur (*d*), propter Officium, sicut Beneficium, ut inquit Navarrus (*e*). Ea sunt ipsissima verba istius eruditi Canonici Juris interpretis: qui addit, ita declaratum fuisse a sacra Cardinalium Congregatione.

Quod pertinet ad tonsuram & vestem Clericalem: absque dubio est, ab iis quibus de Beneficiis obveniunt pensiones, utramque esse ex stricto debito deferendam; quemadmodum disertis omnino verbis decernitur in Bulla nonagesima secunda Sixti V. cujus verba, cum relata fuerint in vigesima decisione, ideo supervacaneum est heic loci, eadem iterato sermone repetere (*f*).

(*c*) Concil. Burdigal. tit. de Ecclesiast. precarionib.

(*d*) Prosper Fagnan. in cap. *Cum in cunctis*, de electione. n. 97. & 101.

(*e*) Navarrus l. 2. de restitut. c. 2. n. 200.

(*f*) Pater Thomassinus de disciplina Ecclesiastica. 2. parte. l. 1. c. 4. part. l. 4. c. 37. Collation. Lucionensis. tom. 6. Collatione 22. q. 3.

CASUS XXV.

Placidus, de Diœcesi Baonensi, in numerum Clericorum adscriptus, natalium splendore conspicuus, nulloque Beneficio gaudens, 330. librarum pensionem de quodam Archiepiscopatu sibi percipiendam assignari obtinuit. De iis ad victum ceteraque vitæ necessaria diligenter & caute dispensatis, mille libras quotannis sibi defraudat ac seponit. Potest ne absque peccato summam istam ad libitum impendere, vel in proximos suos quamquam locupletes, vel in amicos; vel eam conferre in alios quosdam usus voluptuarios; aut tandem absolute ne tenetur ad erogandam istam pecuniam in pauperes, aut in Ecclesiam in integrum rependendam.

Respons.

Cum quæ de Beneficio vel de pensione obtingunt bona promiscua habeantur; quippe eadem perinde ratione, utraque sint Ecclesiastica; dicendum est ejusmodi bona, siquidem Deo devoveantur atque consecrentur, nec nisi ad sustentationem necessariam, honestumque cultum ipsius Ecclesiæ Ministrorum, & ad subveniendum pauperibus qui membra sunt Jesu Christi, reserventur; quas, ex sua pensione quotannis comparcit Placidus 1000. Libras, ab ipso in subsidium pauperum & in necessitates Ecclesiæ esse tantum collocandas: adeo ut nec possit, nisi cum conscientiæ suæ detrimento, amicis cognatisque non pauperibus, inde largius effusiusque donare, neque, quod magis illicitum est, eam pecuniæ summam in risus & ludus disperdere. Quandoquidem fit quædam sacrilegii species, si ea quæ bona Crucifixi sunt, & Jesu Christi pauperumque patrimonium, tanta cum injuria dilapidentur. Quod fusius jam, eaque ratione a nobis sic demonstratum est, ut nulla tergiversatione possit eludi, cum de Beneficiis agebamus; ubi reperire est, ingentem collectionem testimoniorum e Conciliis, Patribus auctoribusque Ecclesiasticis excerptorum, quæ heic iterum referre, nihil prorsus juvat.

CASUS XXVI.

Mauricius, qui pensionem 400. librarum de quadam Abbatia excipit, latrocinatus est, ac propterea fuit ad perpetuum remum damnatus. Numquid ex conscientia tenetur Abbas ad rependendam ei deinceps pensionem?

Respons.

Opinamur Abbatem, qui debebat Mauricio annuam 400. librarum pensionem, ex conscientia non teneri ad continuandam eidem pensionis solutionem, ex quo damnatus fuit ad remum perpetuum. Cujus rei ratio est, quia, sicut morte naturali, sic etiam morte civili, pensio restinguitur: atqui damnatorium judicium, quo quis remo æternum affigitur, civilem mortem certissime importat. Cum ergo Mauricius mortem civiliter obiverit, de repetendæ pensionis jure deturbatur; & Abbas a persolvenda ista pensione ad quam obligabatur, immunis omnino fit. Enimvero, ut ait Cabassutius (*g*), *Perimitur pensio capitis diminutione Pensionarii .... quia pensio beneficiaria est jus spirituale & Clericale.*

(*b*) Idem intelligendum est de Clerico cui pensio ministratur, cum incidit in hæresim aut in crimen læsæ majestatis, aut facinus aliud admittit, in cujus pœnam privatio Beneficiorum, ac pensionum Ecclesiasticarum infligi solet. *Extinguitur pensio*, inquit idem Juris Canonici peritus, *per delictum hæresis, læsæ majestatis aut Sedis Apostolicæ: per matrimonium, aut per professionem religionis* emissam in Ordine Religioso, a Papa comprobato. Atque illud etiam docent Riccius, Gigas & Garcias (*i*).

(*g*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 2. c. 4. n. 16.

(*h*) Idem ib. n. 17. & 18. ex Lucio III. in cap. *Ad abolendam*. De hæreticis &c. l. 5. lit. 7.

(*i*) Aloysius Riccius in Praxi irregularit. decis. 524. Hieron. Gigan de pensionib. q. 54. & 57. N. Garcias. part. c. 5.

CASUS XXVII.

Cunegunda, cum in Monasterio de Ordine sancti Benedicti solemnem Religionis professionem jam jam emissura esset, omnibus precibus Patrem suum & oravit & obtestata est, ut præter dotem Monasterio persolutam, peculiarem ipsi 300. librarum pensionem, levioribus necessitatibus,

tibus vitæ destinandam, arbitrioque ipsius, quantum ad dispensationem, cum Præpositæ nimirum consensu, permittendam vellet ad vitæ tempus constituere, curaretque in conventionis instrumento stipulationem istam diligenter apponi; futurum nempe, ut (si in aliam domum, ipsam transferri contigerit) ipsi quasi socia pensio adjungatur: Quæ quidem omnia concessa sibi, a patre obtinuit. Nonne aliquid in eo delicti commisit; atque pater ipsius potuit ne ista sine peccato præstare?

R e s p o n s.

Certissimum est Cunegundam non potuisse, absque peccato efflagitare pensionem ea ratione, sibi constitui a patre, quæ in enunciato casu profertur. Patet namque sic ab ea actum fuisse ex affectu prorsus proprietario, quo funditus evertitur votum paupertatis, Religiosæ professioni omnino necessarium & essentiale: nec ipsam juvat, quod adumbrati cujusdam erga Præpositam obsequii velamento, culpam obtendere enitatur: si id sibi proposuerit, ut istam pensionem ad arbitrium suum tractaret, atque in privatum usum impenderet: quippe, nec penes Præpositam sit, talem ei facultatem impertiri; siquidem omnino repugnet ipsi voto paupertatis, cui se totam devovet veri nominis Religiosa, cum professionem emittit. Quod quidem luculenter probari potest ex istis Innocentii III. notandis verbis: (a) *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate, possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Neque ipsi Cunegundæ patri licitum etiam fuit, pensionem filiæ suæ eo animo constituere: quandoquidem Religiosa cum sit, nihil sibi proprii possidere possit, juxta istud principium: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*: quod Glossa (b) statuit, ac confirmat auctoritate sancti Augustini, quem Gratianus in suo Decreto refert (c). Adeoque ut, in eo casu, procul ab ipso resideret omnis culpa; sic eum fuisse dispositum oportuisset, ut pensionem 200. librarum Monasterio, eo fine constitueret, ut inde urgentibus ac vere dictis necessitatibus suæ filiæ subveniretur, si Monasterium aliunde succurrere ipsi non posse occurreret. Sic etiam a Cunegunda, ut ab omni culpa vacaret, nihil aliud intendi opus erat, nisi ut suo Monasterio pensio cederet; ut si casus aliquando accideret, ab eo sibi erogarentur subsidia necessaria; præsertim cum in statu corporeæ infirmitatis sese constitui experiretur (d).

(a) Innoc. III. in cap. *Cum ad monasterium*. 6. de statu monachorum &c. l. 3. tit. 35.

(b) Glossa in extravag. *Quia quorumdam*. fin. de verborum signific. v. *Reservatum*. tit. 14. & in Clement. *Dudum* 2. v. *Indirecte*. de sepulturis. l. 3. tit. 7.

(c) S. Aug. In can. *Non dicatis*. 11. §. 2. 12. q. 1.

(d) Sambovius tom. 2. casu 178.

P E R J U R I U M.

JUSJURANDUM falsum, aut præstiti Sacramenti infractio, redduntur Latino idiomate, per vocabulum, *Perjurium*, quod deducitur a verbo *pejorare*, seu perjurare, hoc est, jurando affirmare verum; quod falsum esse noscitur; vel jusjurandum violare.

Perjurium natura sua crimen mortale est, quo quis fit omni dedecore infamis, simulque dignus insigni animadversione; atque Judæis illud Deus districtius omnino prohibuerat: *Non perjurabis in nomine meo, (e) nec polluces nomen Dei tui. Ego Dominus.*

(e) Levit. 19. 12.

Potest admitti, non solum affirmando quid falsi, sed etiam, verum alquid pernegando; nec legitimam excusationem aliquam habet ex irruente metu, nec ex consuetudine usitata, neque ex aliquo inde emergente commodo, neque tandem ex quavis alia caussa; nisi fuerit actus ex aliqua parte imperfectus, quemadmodum ex ignorantia invincibili posset aliquando contingere.

Sicut distinguuntur tria genera juramenti, quæ dicuntur *assertorium*, *promissorium*, & *comminatorium*; id est illud, quod affirmando vel negando; aut quod promittendo; seu, quod minitando profertur: Ita etiam, istis tribus modis, perjurii conscium potest quis sese constituere.

Vel de re præsenti, vel de futura, quam quis promittit aut minatur; perjurium esse potest. Quando de re præsenti agitur, semper peccatum est; propterea quod adversus veritatem jusjurandum eo temporis momento adhibeatur. Si de futura quæstio sit, cujus implendæ animus non fuerit eo ipso instanti quo sermo habetur, perjurii crimen admittitur: si vero promissum juramento confirmatum animus perficiendi comitetur; in perjurium incurritur eo tantum instanti, quo voluntas immutatur, ac detrectat exsolvere quod promissum est; modo possit, nec offenso Deo, nec prætermisso opere sanctiori, atque condigno excellentiori præmio compleri.

Dicimus: *modo nec offenso Deo compleri possit*. Enimvero si verbi gratia, quis se se juramento obstrinxisset, futurum, ut sive letale sive veniale peccatum committeret; nedum jurejurando teneretur, quin immo, nec ipsi liceret, rem sacramento obfirmata persolvere.

Addimus; *nec prætermisso opere sanctiori*. Quamvis enim istud opus suapte natura gratuitum prorsus ac voluntarium sit; est tamen uniuscujusque, moventi divino Spiritui bonumque opus intus inspiranti, nec resistere nec impedimentum afferre. Atque in isto casu sicut in ceteris quibuscumque, in quibus jusjurandum incidit aut ex irruente metu, aut ex illata vi aliqua: ut conscientiæ tutiori via consulatur, adeundus legitimus Superior, ab eoque impetranda est exhibiti sacramenti condonatio; aut ab ipso cui data est, fidem remitti oportet.

Constitutionibus Canonicis decernitur, ut Beneficiarius perjurus Beneficio suo

suo privetur (*a*); ab iisque declaratur, testimonii in judicio umquam ferendi prorsus inhabilis (*b*). Et vero, *ubi quis pejeravit, ei credi postea, etiamsi plures Deos juret, non oportet: quia, qui semel a veritate deflexit, is non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit*. Sic loquitur Orator Romanus, Christianas, licet ipse Paganus, solitus aliquando sententias effundere (*c*). Est etiam hoc a Jurisconsultis receptum, ut talis ad dicendum testimonium sit numquam admittendus (*d*). Tulit olim Carolus Magnus sequens decretum adversus perjuros. *Propter perjurium quod commisit (e), dextera manus amputetur*. In Edicto S. Ludovici anni 1254 habetur, quod *perjurus condemnatus, beneficium appellationis amittit*. Statuitur antiqua consuetudine Britanniæ minoris, perjurum jactura rerum omnium mobilium quæ ipsius esse dignoscuntur, damnandum esse (*f*): ipsæque domino loci in quo judicium damnatorium datum fuerat, addicebantur: si autem occurreret, ab aliquo magistratum aut publicum aliud munus gerente, crimen istud perpetrari, declarabatur infamia notatus, exercendique publici cujuscumque Officii nulla deinceps ratione capax (*g*). Quoniam vero nullis Romanarum legum constitutis, peculiaris adversus perjuros pœna indicitur: quin etiam ab Imperatore Alexandro præcipitur, ut divino judicio ipsi dimittantur: *Jurisjurandi contemti religio satis Deum ultorem habet*: ait Princeps laudatus in lege (*h*): usus propterea plerumque viget, ut quæ mulctæ adversus eos pronuntiantur, judicis arbitrio relinquantur, ac ratione habita tum personæ tum variarum facti circumstantiarum, constituantur.

(*a*) Alex. III. in cap. *Querela*. 30. de jurejur.
(*b*) Can. *Constituimus*. 9. 3. 9. 5.
Alex. III. in cap. *Ex parte*. 7. de testib. l. 2. tit. 20.
Et Greg. IX. in c. *Testimonium*. 54. cod. tit.
(*c*) Cicero orat. pro Roscio.
(*d*) Bouteiller. Summa ruralis. tit. 9.
Masuer. prat. tit. 17.
Bartol in Leg. *Siquis*. major. cod. de transa.
Jason. in § *Item si quis postulante*. Instit. de act.
(*e*) Capitol. 23.
(*f*) Art. 593.
(*g*) Ibid. art. 40.
(*h*) Leg. *Jurisjurandi*. 2. cod. de rebus creditis, & jurejurando. l. 4. tit. 2.

CASUS PRIMUS.

MENALIPPUS sciscitanti Juvenali, num rura deambulatum nuperrime petierit, mentiendo respondet, nullatenus illuc se se contulisse: & jurejurando mendacium etiam obfirmat, testem Deum invocans in sermonis argumentum. Numquid in eo letale peccatum admittit, præsertim cum restrictione quadam mentali verbisque ambiguis in jurando utatur, ac falsum istud juramentum ex materia sit omnino levissima, neque possit detrimenti quidquam Juvenali importare?

RESPONS.

Menalippus in specie proposita videtur nulla ratione posse a mortali peccato vindicari. Eaque ratio est, quod perjurium omne in divinis scripturis (*i*) luculenter omnino nullaque distinctione adhibita tamquam mortale peccatum habeatur; quemadmodum probatur a S. Thoma (*K*), cum dicit non judicandum esse de perjurio perinde ac de aliis; quæ licet natura sua mortalia, venialia tamen in certis quibusdam casibus possunt evadere: *Videmus autem*, inquit S. Thomas, *quod ea quæ ex se sunt peccata venialia, vel etiam bona ex* (suo) *genere, si in contemtum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Unde multo magis quidquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemtum Dei, est peccatum mortale. Perjurium autem de sui ratione importat contemtum Dei: ex hoc enim habet rationem culpæ .... quia ad irreverentiam Dei pertinet. Unde manifestum est, quod perjurium ex sui ratione est peccatum mortale*.

(*i*) Malach. 3. 5. 1. ad Tim. 1. 10.
(*K*) S. Th. 2. 2. q. 98. art. 3. in corp.

S. Augustinus (*l*) absque ulla distinctione levioris aut gravioris materiæ generatim affirmat, quod, *perjurium peccatum esse, & grande peccatum nemo dubitat*. Cujus assertionis ratio patet, ac se se ultro prodit: namque, ut superius diximus cum S. Thoma, quamquam res juramento falso confirmata levioris in se ipsa momenti esse videatur; irreverentiam ipsi Deo maximam semper infert, cujus testimonium imploratur, quasi mendacii partes tueri, aut ex voluntate propria existimetur, aut ex indulgentiori quadam obsequentia non tenuat ei se se accommodare.

(*l*) S. Aug. Ep. 180. alias 21. de verbis Apostoli. init.

Verum ut omnino pateat, omne perjurium quodcumque sit, adjunctum semper habere gravissimi criminis reatum; legenda est quæ de Gabaonitis refertur in libro Josuæ historia (*m*). Ista gens recensebatur inter Palæstinas nationes, quas absque ulla commiseratione de medio penitus tolli, Deus Israelitis præceperat. Astuti de pace, ipsi convenerunt Josue & Principes Israel. Quibus Josue ceterique indixerunt, pacis cum iis componendæ auctores esse, se se non posse; si in numero gentium prædictarum haberentur. Inficientibus autem iis, in isto numero se se haberi, sed e regione longinquiori accessisse; dux populi Dei memoratus, & qui aderant ei a consiliis, vitam salutemque præstituros, etiam jurejurando affirmaverunt. At ubi Gabaonitarum mendacio se deceptos esse rescivere; non minus juramento se teneri suo existimaverunt, nec duxerunt, iis posse internecionem inferri, sed potius incolumem vitam esse servandam. *Murmuravit itaque omne vulgus contra Principes* (Israel), *qui responderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Israel; & idcirco non possumus eos contingere; sed hoc faciemus eis: reserventur quidem, ut vivant; ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus*. En qua religione pristinus iste Dei populus sentiebat de perjurio, etiam ex errore intervento. Non est ergo unde quis adeo miretur, si sermonem ea de re tam rigidum tamque strictum habeant S. Augustinus & S. Thomas; & conceptis verbis asseveretur a Doctore Angelico (*n*), non posse excusari a mortali peccato, qui jurejurando mendacium vel etiam jocose confirmat. *Ille qui jocose pejerat*, inquit, *non evitat divinam irreverentiam; sed quantam ad aliquid magis auget*. Quam quidem ea de re rationem alibi (*o*) suggerit: *Pertinet .... ad Dei irreverentiam, quod aliquis eum invocet testem falsitatis: quia per hoc dat intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testificari velit*.

(*m*) Josue. cap. 9. 18. & seqq.
(*n*) S. Th. cit. art. 3. ad 2.
(*o*) Idem. cit. q. 98. art. 2. in corp.

Sententiæ Doctoris Angelici congruit ipsa doctrina S. Augustini, qui dicit absolute, nec gravioribus a levioribus secretis (*p*): *Sine ulla dubitatione minus malum est, per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum, fallaciter. Quanto enim per quod juratur, magis est sanctum, tanto magis est pœnale perjurium*.

(*p*) S. Aug. Ep. 47. alias. 154. n. 2.

Occurrerunt tamen auctores quidam, ea mentis caligine abcæcati, ut contrariam istam propositionem enuntiare non erubuerint (*q*): *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem*. Verum cum inter 65. erroneas perinde, atque piarum aurium offensivas propositiones a Papa Innocentio XI. 2. Martii 1679. condemnatas, memorata propositio recenseretur; eadem quoque cum aliis censura notata est atque proscripta; & ejusmodi doctrina, ipso prædicti Papæ decreto interdicta fuit sub pœna excommunicationis, *ipso facto* incurrendæ, summoque Pontifici, excepto mortis articulo, reservatæ.

(*q*) Propositio. 24. damnata.

Consequenter igitur ad prædicta dicendum est, falsum jusjurandum de quo in quæstione agitur, non potuisse a Menalippo absque mortali pecca-

peccato adhiberi. Quoniam vero eadem quæstione dubium quoddam innnitur, nnde nova difficultas videtur aliquatenus exsurgere, quæ in eo porissimum constituitur, utrum nempe possit Menalippus a peccato mortali vindicari in specie proposita, cum præsertim in jnrando non nisi verbis ambiguis restrictioneque mentali usus fuerit.: præfatis rationibus nova argnmenta subdere necesse est, ut sublato omnis tergiversationis aufugio, demonstretur perjurium in sensu ambiguo & cum restrictione mentali emissum, perinde ac quæcumque alia perjuria, mortalis peccati naturam ac conditionem retinere.

Primo itaque advertimus non tantum damnatam fuisse ab Innocento XI. perniciosam, quam modo recensuimns propositionem, sed simul cum ea fuisse proscriptas duas alias, in quibus remissioris morum disciplinæ fautores, doctrinam de amphibologiis ac de mentalibus restrictionibus aperte tradebant. Istæ propositiones sunt vigesima sexta, ac vigesima septima. Ita concipitur vigesima sexta: *Si qnis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria spoate, sive recreationis caussa, sive quocamque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliad qnod non fecit; vel etiam alia via, ab ea in qua fecit; vel quodvis aliad additum verum, re vera non mentitur, nec est perjarus.* Ea sunt verba, quibus vigesima septima exprimitnr. *Caussa justa ntendi bis amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, hoaorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatnr tunc expediens & studiosa.* Quæ quidem duæ propositiones mendacio ac perjurio plnrimnm faventes & manifeste patrocinantes, cnm aliis notatæ sunt atqne sub iisdem pœnis interdictæ. Quod iis prorsus sufficiat, qui genninam Evangelii Ecclesiæque doctrinam sectari amant. Verum juvat præterea addere, istos mendaciornm perjuriorumque patrocinatores, Priscillianistarum partes sequi, ac veri nominis esse discipulos; qni testante S. Augustino, *babent in sais dogmatibns & bæc verba (a). Jnra, perjura: secretum prodere noli*, sunt in eis docti, qui etiam regnlas figant finesque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. Ait alibi idem sanctus (*b*), qni ad hæc sic exclamat. *Ubi estis fontes lacrymarnm, & qaid faciemus? Quo ibimas? Ubi not occultabimus ab ira veritatis; si non solum uegligimus cavere mendacium, sed audemus insuper docere perjnria!*

(*a*) S. Aug. l. de hæresib. hæresi. 7.

(*b*) Idem. lib. contra mendac. c. 18. seu num. 36.

Amphibologiæ mentalesque restrictiones, ea sunt adinventa dogmata ac constitutæ perniciosarum regularum rationes, de qnibus S. Ecclesiæ Doctor loquitur, quasque luculentioribus omnino argumentis refellit, cum ait: *Qaapropter ille mentitur, qui alind babet in animo, & (c) aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat.* Unde etiam, addit idem, *duplex cor dicitur esse meatientis; id est, duplex cogitatio. Una rei ejus, quam veram esse vel scit, vei putat, & non profert: altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans.* Atque ex istis licet jam cum eodem sancto (*d*) scribente ad Alypium inserre. *Unde perjuri sunt, qai servatis verbis, exspectatiouem eorum quibus juratum, est deceperunt.* Quæ conseqnentia eo principio nititur qnod, *quicumque arte verborum, quis juret; Dcus tamen, qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut, cui juratur, intelligit.* Quemadmodum ait S. Isidorus, apnd S. Thomam relatns (e).

(*c*) Idem. l. de mendacio cap. 5.

(*d*) Idem. Ep. 125. elias. 224. num. 4.

Neque vero est, nnde post hæc mirum videatur, si celeberrima Lovaniensis facultas, ab Archiepiscopo Mechliniensi consulta, de propositionibus decem & septem ad moralem disciplinam pertinentibns, sequentem quæ ordine quinta erat, damnaverit anno 1653. *Cum restrictione mentali licitam est jurare tam tn judicio, quam extra, nulla babita ratione illins, qaod ab eo intenditur, qai juramentum exigit.* Atqne si eadem, de recentioribus aliis est propositionibus rursum inquisita, ab Episcopo Gandavensi 1657. decimam nonam istis conteptam verbis, censura notaverit. *Qui vel ex commendatione, vel ex oblato dono, ad Magistratum, seu publicum quoddam manus provebitur, poterit adbibita restrictione mentali dicere sacramentam iis in casibus, ex Sanctionibus Regiis, præstari consuetnm, nullo modo spectata illias mente, a quo sacramentum exigitnr; propterea quod uullus teneatur ad revelandum erimen occultatum.*

(*e*) S. Isidor. l. 2. de summo bono. c. 3. apud S. Th. 2. 2. q. 89. articulo 7. ad 4.

At quoniam qui verborum ambiguorum, mentaliumqne restrictionum partes tntantur, quibusdam scripturarnm locis perperam acceptis, opinionem suam plurimum fulciri, sibi falso blandiantur; quale est exempli caussa, istud Marci (*f*), nbi Jesus Chistus ait: *De die autem illo vel bora, nemo scit ucque Angeli in cælo, neque Filius; nisi Pater*: lectores adhortamur, ut adeant S. Gregorium Magnum in ipsins (*g*) Epistola ad Eulogium Patriarcham Alexandrinnm; atque eo loci mirentur, quam egregie discindantur, ac futiles simul & fallaces demonstrentur, quæcumque intolerantius efferunrur ineptæ ab ejusmodi auctoribus ratiunculæ. Legendi sunt etiam ea de re ceteri Patrum Ecclesiæ, inter eosque præsertim (*b*), S. Ambrosius, S. Gregorius Nazianzenus & S. Angastinus, quorum sententias excerptas referre de indnstria omittimus, ne, quibus hæc nostra decisio verbosius dicta videbitur, satietatem nlteriori sermone moveamus.

(*f*) Marc. 13. 32.

(*g*) Greg. 18. Epist. 42.

(*b*) S. Ambr. in Luc. 17. S. Greg. Nazianz. orat. 16. S. Aug. locis cit.

CASUS II.

POSTUMIUS, cum Hieronymnm servnm sibi domesticnm, gravioris alicujus delicti reum manifestum tenuisset; iracundia plurimum effervescens juravit, ipsumque Deum testem invocavit, fore, nt ab eo de perpetrata culpa pœnas repeteret. Verum Hieronymo, futuram emendationem pollicenti, veniam culpæ petitam, jnramento nihil quidquam retentus, ipsiusqne emendationis spe non mediocriter allectus, postmodum concessit. Numquid sic agere potuit, quin se se reum perjurii proderet?

RESPONS.

Priusqnam quæstioni institutæ fiat satis, tamquam principinm omnino constans admirtendum est, quod juxta sanctum Augustinum (*i*); *sicut juramentum non est vincnlum iniquitatis; ita nec impedimentnm melioris boni.* Eodemque modo loquens Cardinalis Cajetanns, ex isto principio concludit (*K*): *Et binc sit, nt qnando melius est parcere, ant abstinere a comminati mali justi exsecutione, non teneatur quis ad jnramenti exsecntionem*: in cujus rei probationem Davidis exemplnm affert, qui licet in Nabal animadversnrum jnrejurando se se obstrinxisset; ipsi tamen, snpplicibus verbis orante pro eo Abigail, gratiam fecit. *Jnravit David temere*, inquit sanctus Augustinus (*l*), *sed nou implevit juratiouem majori pietate.*

(*i*) S. Aug. in can. Inter. ac. q. 4.

(*k*) Cajet. v. Perjurium. n. 23. & seqq.

(*l*) S. Aug. in can. Juravit. 4. 22. q. 4.

Existimamns ergo juxta laudatum principium, cum Postumio persuasum fuerit futurum nt, Hieronymo quam demississime atque subjectissime veniam oranti, ac emendaturum se se, plurimum promittenti, prodesser magis impertita remissio, quam acerbins irrogata pœna quam ipsi minitatns fuerat, potuisse absque perjurio veniam exoptatam dari.

Quæ quidem decisio confirmari etiam potest alia ratione, ab eodem auctore allegata dicendo nimirum, intercedere quamdam connexionis speciem inter pœnam quam quis interminatnr, & præsentem actualemque justitiam, quæ pœnam repeti exigit: *Hinc fit*, addit Cajetanus, *ut qui jnravit justam punitionem, postea veniam petenti parcat absque perjurio; quia cessavit illa tunc præsens justitiæ, secandam qaam juravit, ex quasi cessione demeriti: quia ad pœnitentiam conversus est, qui peccaverat.*

Tandem laudatus Cardinalis in probationem suæ sententiæ tertium suggerit rationis argnmentum, quod scilicet: *Pœnæ in hac vita, non sunt*

appe-

Digitized by Google

appetibiles nisi ut medicinæ, vel personæ puniendæ: vel boni communis: & propterea, quando comminata pœna cessaret habere rationem utriusque medicinæ, non teneretur quis, ex vinculo juramenti, ad implendam juratam comminationem. Sic prædictus Auctor ratiocionatur, & ex ratiocinio ita concludit: *Ex his autem habes, quare mater quæ juravit verberare filium, aut dominus qui juravit verberare servum, & postea parcit; vel ne turbet pacem domus, vel, quia amplius non opus est medicina talis pœnæ, & breviter, quia judicat melius esse, ut parcat, non tenetur ad implendam comminationem juratam.* In eamdem istam decisionem totus conspirat illustrissimus Godeau Episcopus quondam Venciensis (*a*): ut cernere licet ex ipsius opere, quod de Disciplina morali Christiana edidit. Quibus omnibus juvat annectere, ex animo prorsus impotenti, inconsiderato, nec legitima accedente necessitate, Posthumium juravisse, atque inde censeri sapientiorem, quod juramentum non impleverit, juxta istod S. Augustini (*b*), *Magnæ sapientiæ est revocare hominem, quod male locutus est.*

(*a*) D. Godeau de Discip morali Christiana tom. 2. l. 4. cap. 32. pag. 374.

(*b*) S. Aug. in can. *Magnæ.* 10. 22.

CASUS III.

Philonidas, Comes S. Beati, cum Joachimo viro simplicis ac nudæ nobilitatis, nec ullo decoratæ alio titulo, priorem in suam domum voluisset aditum cedere, iste juravit numquam futurum, ut ipsam prægrederetur. At vero post sæpius iteratas detrectationes, Philonides tam assiduo enixeque institit, ut Joachimus pertinaciam suam demum frangi passus prior domum ingredi acquieverit. Potest ne dici eum idcirco pejeravisse, quod juramento non steterit?

Respons.

Ut difficultas proposita tutius solvatur, dicendum cum Sacra Theologica Parisiensi Facultate (*c*) quod prorsus *Errant, qui asserunt eum, qui jurat sine animo jurandi, aut sine intentione se obligandi, non pejerare, nec jurisjurandi religione adstringi.* Enimvero sic concordat istud principium non tantum cum Evangelio, sententiis Patrum, ac præcipue cum doctrina S. Augustini, sed etiam cum ipso lumine a natura sanæ cuique menti insito, ut nullatenus in dubium possit revocari sub eo pretextu, quod nec in sensu obvio ac stricto, nec *prout verba sonant*, accipienda sint ejusmodi juramenta. Equidem Cajetanus & quidam alii Theologiæ moralis interpretes (*d*), ea ratione intelligenda esse senserunt, quasi verba essent mere officiosa, & ad modum obsequii concinnata, quibus immeritum sibi honorem attribuenti, nititur quis inferior deferre Superiori. Verum præterquam quod ejusmodi interpretatione, liber omnino pateat aditus tum ad æquivocationes, tum ad restrictiones mentales, quæ ab omni sanioris notæ Theologo prorsus condemnantur, atque a Theologica Facultate Parisiensi, in ipsius Doctrinæ sexagesimo primo articulo (*e*), proscriptæ sunt: non potest a peccato, nec etiam a perjurio vindicari, qui in ea qua Joachimus, rerum circumstantia ponitur. Quamquam enim justitiæ forsan consentaneum esse possit illius jusjurandum, a veritate tamen ac judicio plurimum dissentit. Adeoque cum omne juramentum præfatis tribus conditionibus non concurrentibus censeatur peccatum, quemadmodum ab eadem Facultate in 59. Doctrinæ articulo secundum ipsissima scripturarum verba fuit constitutum; ex solo defectu veritatis, perjurii naturam omnino habet peccatum. Atque hoc occurrit in eo casu, in quo Joachimus supponitur, qui propterea juramentum dixit, cui non adfuit tertia condicio necessaria, quæ est judicium, quippe nulla legitima necessitate urgente in ea circumstantia, atque quantum videtur ex contracta repetitis absque causa juramentis, facilitate ac consuetudine juraverit; unde coram Deo peccati gravioris ipse conscius est, & ipsius perjurio relinquitur minus excusationis.

(*c*) Art. 60.

(*d*) Cajetan. in Sum. v. *Perjurium.* n. 3. 22. & 37. & in secundam secundæ q. 89. art. 7. ad dub. 3. Regina.d. prax. fori pœnitent. l. 15. cap. 4. n. 58. & alii apud eum.

(*e*) Reus est perjurii, qui jurat cum æquivocationibus, & restrictionibus, ad eludendam vim juramenti 2. *Part articulorum Doctrinæ sacræ Facult. theol. Paris. art. 61.*

CASUS IV.

Pisaius credidit Nævio summam 3000. librarum per syngrapham coram Notariis confectam. Mævii rem suam male gerentis possessiones ac bona in manum Regis tradi, ac subjici voci præconis creditores obtinent. Pierius fugitans litium & quæ litibus attexuntur, forensis usus formularum jura sibi in dictis bonis ac possessioniba sconstituta, Sempronio ejusdem Mævii nepoti, accedente quadam summa inter eos conventa, cedit. Sempronius vero pluribus de caussis cessionem sibi a Pierio factam non acceptat, nisi ea lege, quod crediti venditi Pierius auctor sit permansurus; quod istam venditionem tacitam sit pressurus; ac jus, licet abalienatum, persecuturus sit, aut potius, quod ipse Sempronius, nomine Pierii, qui nihil ea de re prodendum pollicetur, in judicio sit acturus, ac quascumque juris formulas adbibiturus. Post aliquantulum temporis elapsum, instructa jam lite, cum ferenda sententia instaret Sempronius admonet Pierium necesse esse, ut apud Judicem se se sistat, jurejurando affirmaturus, sibi ex legitimo titulo deberi summam 3000. librar. prædictam: ista siquidem formula usu fuerit inducta, necessarioque præmittenda sit, ut argenti traditio possit adjudicari. At Pierius respondet, cum propter venditionem aut cessionem ipsi factam, istius summæ proprietarius esse desierit, sibi jam illicitum existimare, ut ipsam sibi etiamnum deberi valeat tuta conscientia jurare. Qua de re petitur, utrum Pierius possit absque perjurio dicere eo casu sacramentum?

Respons.

Extra omnem omnino controversiam principium istud positum est, teneri quemque jure etiam naturali ad præstandam fidem de secreto datam, ut alibi ex professo demonstramus, neque posse ullatenus violari absque peccato, quando secretum est de re licita ac honesta, nec quidquam detrimenti infert sive publice sive privatim. Jam constat secretam Sempronio a Pierio promissum circa rem Legibus omnino permissam versari, nec publicum, nec privatum quemquam offendere posse, adeoque licitum ei prorsus fuisse, ut isto secreto se se obstringeret. Istud ergo violare etiam interdicitur; & sic in toto negotio gerere se debet, quasi inter ipsum & Sempronium de 3000. libris memoratis, pacti nihil quidquam intercessisset.

Metus falsæ affirmationis quo se dicit retineri, futilis est, neque ullo rationis fundamento niti nobis videtur. 1. Quod ad ipsum & Sempronium jus pertinet, unum idemque jus re ipsa constituit, cujus transcripti Sempronio veritatem simul atque æquitatem præstitit: Sacramentum ergo, quod ea de re dicturus est, affirmando, sibi prædictam summam a Mævio deberi, nullatenus falsum contendi potest. Quippe ex cessione facta Sempronio non impediatur, quo minus eo debito Mævius in ipsum vere & realiter oppignoretur. Siquidem eam pecuniam ab ipso mutuam sumserit. 2. Propterea quod id a Judice tantum intendatur in exigendo sacramento, ut nimirum illi perspectum fiat ex interrogati responso, verum ac legitimum esse titulum, vi cujus ista 3000. librarum summa a Mævio repetitur. Hoc est, verum esse, summam in isto titulo latam ab interrogato fuisse Mævio vere ac realiter commodatam: quod verum esse, potest absque ullo dubio affirmare, nec eo metu retardatus, quod se se mendacii reum constituat, aut interroganti Judici quidquam imponat: quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, quemadmodum Lex ipsa loquitur (*f*). Addendum præterea 1. a Pierio non posse requisitam affirmationem detrectari, quin credito suo spoliari se se consentiat, & in eum a Sempronio agatur, eo fine, ut ipsi restituatur summa, quæ ab eo numerata est in cedendo credito 3000. librarum, cujus auctorem se se Pierius obligavit. 2. Præter istud incommodum aliud non minus inde emergere dissidium scilicet patruum inter & nepotem concitando; siquidem, ut a Sempronio prævisum est, moleste omni-

(*f*) Reg. 55. ff. da regulis juris antiqui.

omnino ferret Mævius, quod nedum aliquid subsidii à nepote sibi obveniri, quin immo labente undequaque re familiari, ex accepta ab eo prædicta cessione infortunium suum intolerantius atque acerbius aggravari experiretur.

CASUS V.

Balthassar interogatus a Judice, quod falsum putabat, licet re ipsa verum esset; jurejurando verum affirmat. Numquid reus perjurii censendus est, quamquam ipsa rei veritas cum ipsius affirmatione congruere reperiatur?

RESPONS.

Ex testimoniis S. Augustini & S. Thomæ superius laudatis, jam probavimus, ut consciens perjurii quis constituatur, satis esse quod falsum pro vero, aut verum pro falso contra propriam mentem & conscientiam affirmet. Quamquam enim vero res in se ipsa materialiter vera sit, juxta scholasticum loquendi usum; relative tamen ad pravam voluntatem affirmantis est falsa formaliter; atque ita docetur a S. Thoma his verbis: *Actus morales*, inquit (*a*), *procedunt a voluntate, cujus objectum est bonum apprehensum. Et ideo si falsum apprehendatur ut verum, erit quidem (relatum ad voluntatem) materialiter falsum, formaliter autem verum. Si autem id quod est falsum, accipiatur ut falsum, erit falsum & materialiter & formaliter. Si autem id quod est verum, apprehendatur ut falsum, erit verum materialiter, & falsum formaliter. Et ideo in quolibet istorum casuum salvatur aliquo modo ratio perjurii secundum aliquem falsitatis modum. Sed in unoquoque potius est id quod est formale, quam id quod est materiale: non ita est perjurus ille qui falsum jurat quod putat esse falsum: dicit enim Augustinus:* „Inde reus est, quemad„ modum verbum procedat ex animo; quia ream „ linguam non facit, nisi rea mens„. Ex istius S. Doctoris ratiocinatione evidenter patet, a Balthassare in specie proposita admissum esse crimen perjurii, cum ipsam Deum in rem quam existimabat falsam, testem invocaverit, ipsique in eo perjurium atrocius fuerit quod aut ipsum mendacii fautorem fieri voluerit, aut affirmatæ rei veritatis inscium supposuerit.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 3. Item in 3. sent. dist. 39. art. 4. ad 1. & 3.

CASUS VI.

Dominicus Judex litigii cujusdam, quod Claudium inter & Albanum commotum est, potest ne, requirente Albano, sacramentum exigere a Claudio, quem certissime novit sæpe sæpius jam perjuravisse, quemque pro certo moraliter habet, futurum ut ista etiam vice perjurium dicat?

RESPONS.

Potest Judex a Claudio juramentum in casu proposito exigere. Namque quatenus Judex est, personam publicam gerit, ac tenetur ad normam legum tum litem instruere, tum judicare, adeoque censeri non potest contrahere caussam perjurii, quod admittitur ab eo a quo exigitur sacramentum: quippe, si vere ac proprie sermo instituatur, non tam ipse, quam Albanus juramenti sit habendus auctor. Et sic censet S. Thomas (*b*), qui dicit: *Si autem aliquis exigat juramentum, tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo Juris, ad petitionem alterius; non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat: sive sciat eum falsum jurare, sive verum; quia non videtur ipse exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit* (*c*).

(*b*) S. Thomas 2. 2. qu. 98. art. 4. in corp.

(*c*) Collat. Lucionensis 3. colloq. 10. qu. 2.

CASUS VII.

Fabianus, summam centum librarum debet Sempronio, qui eum jussit in jus vocari, ut ad numerandum 200. librarum summam, quam ab eo sibi supponit deberi, damnaretur. Judex exigit a Fabiano jusjurandum. Qui quidem omnino negat postulatam pecuniæ summam a se deberi Sempronio; quo sic præstito, Judex pronuntiat, secundum Fabianum eremodicium dari. An Fabianus in eo pejeravit?

RESPONS.

Certum est, Fabianum perjurii conscium futurum fuisse, si Sempronio, nihil quidquam a se deberi affirmasset, cum 100. libras illi certissime debeat. Verum, ubi simpliciter negat, postulatam 200. librarum summam a se deberi, nihil nisi quod verum est jurare convincitur; quippe verum sit ab eo prædictam summam non deberi, quamquam ei summam minorem, de qua non interrogatur, debeat. Ipsius Judicis erat interrogatis strictioribus ac definitis magis instare: at isti, etiam ex jussu Judicis, ultra interrogatum, respondere non incumbebat. Attamen licet a solvendo, quantum ad forum exterius factus fuerit immunis, ex conscientia obligatur ad debitas centum libras Fabiano persolvendas: quæ decisio auctores habet Baldum celeberrimi Bartholi discipulum, Joannem Imola ejusdem Baldi auditorem, qui scribebat in Decretales an. 1410. Philippum Decium, & Bailum a quo præcedentes citantur, cum Andrea Alciato.

CASUS VIII.

Elias cum se se jurando adstrinxisset, futurum ut rem quamdam petenti amico præstaret, non potest nisi cum difficultate gravissima, fidem exsolvere. Numquid promissis non stando incidit in periurium?

RESPONS.

Cum aliquis jurat, inquit S. Thomas(*d*), *vel promittit se facturum voluntatem alterius: intelligenda est debita conditio, si scilicet id quod ei mandatur licitum sit & honestum & portabile sive moderatum*. Unde sequitur, cum res de qua in quæstione agitur, non possit nisi, cum difficultate gravissima perfici, Eliam cui perspectum non fuit istud incommodum, non perjurare inde, quod datam fidem non exsolvat: siquidem istam dedisse censendus sit, subaudita nimirum, quam, S. Tomas observat conditione.

(*d*) S Thom. loco cit. art. 2. ad 3.

CASUS IX.

Menander negotiator, cum gerendi commercii caussa, sibi nummorum opus esset, vendidit Basilio agrum quemdam, 300. libras censu annui referre solitum, in quo constituta est dos, quam ipsius uxor Lucia, ei sub spe Matrimonii attulit; quam abalienationem ipsa gratam habuit atque acceptam. Basilius vero timens, ne si forte caderet Menander, Lucia contenderet agrum sibi restituendum esse, ac præstitam venditioni consensum revocari rescindique obtineret, quemadmodum consuetudo provinciæ in qua commoratur permittit: ut ab isto sibi incommodo præcaveat eam jurejurando obligat, ac testem Deum adpellando in sinceræ fidei argumentum, fore ut consensum revocare numquam animo proponat. Post tres menses moritur Menander. Patronus quidam legum & consuetudinis peritus omni asseveratione affirmat Luciæ, ipsam juramento suo nullatenus adstringi, propterea quod in judicio non comprobentur ejusmodi abalienationes, quocumque uxoris consensu muniri obfirmarique videantur. An potest, remoto omnis perjurii periculo, istius Patroni sententiæ adhærere, ac coemptum agrum, de Menandro marito suo, sibi a Basilio restitui exigere?

RESPONS.

Est hæc omnino constans atque percepta ab omnibus regula, jure jurando obligari quemque, quoties nec contra justitiam nec præter conscientiam dictum est. Porro, quo se se Lucia devinxit, juramentum nec justitiæ, nec conscientiæ adversatur; quippe unicuique licitum sit, abalienandæ rei cujus legitimum dominium possidet, consensum suum præbere. Ergo non potest absque perjurio exigere, sibi a Basilio restitui agrum, quem alienari sua sponte ac voluntate approbavit, quemque numquam a se repetendum, juramento etiam accedente pollicita est; adeoque, licet possessionem

fundi, locus ei detur in foro exteriori; recuperare, in foro interiori, prorsus interdicitur.

Ita statuitur ab Innocentio III. in una quadam ex ipsius Decretalibus ad Episcopum Bellovacum scripta, cui de non absimili difficultate his verbis respondetur: *Respondemus, quod etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius, secundum legitimas sanctiones, ne tali tamen praetextu, viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipsa servare debent hujusmodi juramenta, sine vi & dolo sponte praestita. cum in alterius praejudicium non redundent: nec observata vergant in dispendium salutis aeternae.* (a) Quibus in verbis observare juvat, quando a laudato Papa dicitur, ab ipsis mulieribus servari debere hujusmodi juramenta, sine vi & dolo sponte præstita, non inde esse inferendum, ipsas jam non teneri juramentis, vi aut dolo exhibitis; sed sequi tantummodo, si jusjurandum non fuerit ex omni parte liberum, mulieri patere recursum ad legitimum superiorem, a quo sibi condonari Sacramentum, obtinere posset, & facultatem sibi fieri, ut in judicio deinde agat, ad obtinendam, conventionis ex juramento conflatæ, antiquationem. Quod idem quoque ab Angelico Doctore edocetur. (b).

(a) Inn III. In c. Cum contingat. 28. de jurejur. l. 2. tit. 24.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 1.

CASUS X.

ANDRONICUS, ex præcipiti linguæ lapsu falsum dicit juramentum. An in eo aliquid perjurii & mortalis peccati admittit?

RESPONS.

Existimamus adhibendam esse, in respondendo, distinctionem aliquam. Andronicus namque aut advertit, cum loquitur, sibi falsum excidere juramentum, aut ex præpropera, nimisque profluenti loquacitate, nullatenus attendit. Si advertat sese falso jurare, mortaliter perjurat; quippe perjurium ipsius necessario importet irreverentiam in Deum, cujus nomen sanctum invocatur. At si nullatenus juramentum attendat, nec ex contracto habitu jurare insueverit, potest ipsius peccatum, ex defectu maturæ, plenæque deliberationis, veniale tantum evadere. Ea ratione, proposita difficultas a S. Thoma dissolvitur (c): *Ille autem, inquit, qui ex lapsu linguæ falsum jurat, si quidem advertat, se jurare, & falsum esse, quod jurat: non excusatur a peccato mortali, sicut nec a Dei contemptu. Si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi. Et ideo a crimine perjurii excusatur.*

(c) Idem S. Thom. cit. q. 98. art. 3. ad 2. Item in 3. sent. dist. 39. q. 1 art. 5. quæstiunc. 1. in corp.

CASUS XI.

CYRILLUS juravit futuram, ut nullam, per aliquantulum temporis stipis erogationem conferret, aut religiosam vitam, juxta destinatum animo propositum aliquibus ab illinc diebus, non ingrederetur. Numquid conscientia tenetur, dicto juramento stare; & sitne perjurus, si alia ratione sese gerat?

RESPONS.

Absque dubio est, Cyrillum suo juramento nullatenus obligari: & nedum ad illud exequendum teneatur; quinimo laudandus omnino, si non impleat. Ratio est, quia ad conservandum jusjurandum, quo res mala promovetur, aut bona impeditur, nullus astringitur. Ut enim vim obligandi habeat omne juramentum, istud muniri necesse est iis tribus conditionibus, quæ a Jeremia Propheta indicantur (d); *Jurabit: ... in veritate, & in judicio, & in justitia.* Porro duæ posteriores conditiones in casu proposito non occurrunt. Ergo tali juramento non obligatur Cyrillus. Atque illud est, quod a S. Thoma in sequentibus verbis, luculenter exponitur (e): *Si vero sit quidem possibile fieri, (quod juratur) sed non debeat: vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, tunc juramento deest justitia: & juramentum non est servandum, in eo casu, quo est peccatum vel boni impeditivum; Secundum enim Augustinum (f), utrumque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum est, quod quicumque jurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc, quod veritas impleatur, si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium & justitia.*

(d) Jerem. 4. 2.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. in corp. Item in 3. sent. dist. 39. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1.

(f) S. Aug. in can. Inter. 22. q. 4.

Atque ea potissimum de causa, Concilium Toletanum (g) præcipit dicens: *necesse est, ut male jurans dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen Domini, contra præceptum illius, sumpsit in vanum* (illicitum nempe aliquid aut affirmando aut pollicendo, & in utriusque testimonium, divinum nomen accersendo); *quia in Exodo scriptum est:* „Nec „enim insontem habebit Dominus eum, qui as„sumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

(g) Concil. Toletan. in can. Necesse 14. 22. q. 4.

Eadem ratione judicandum est de eo, qui juravit se, aut Religionem aut Clericalem vitam non ingressurum, ut observatur a S. Thoma (h); neque enim ad juramentum servandum obligatur, imo laudabilius agit si non perficiat, ne moventi, intusque agenti Spiritui Sancto resistat, aut quoquo modo obicem ponat; licet in rei veritate non peccet, etiamsi illud servaverit, siquidem nulla lege teneatur amplecti, nec religiosæ, nec clericalis vitæ conditionem: in quo omnino differt ab eo, qui de re quadam illicita peragenda juravit: quippe & in jurando peccet, & in exequendo alterum rursus peccatum intercedat: ut in Canone dicitur (i); Enimvero ut loquitur Papa Alexander III. (K): *Non est tutum quemlibet, contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae.* Cui consentiunt hæc alia verba a S. Bernardo usurpata (l): *nemo sapiens dubitat, illicita juramenta non esse exercenda*. Item & quæ ea de re adhibentur a S. Thoma (m): unde iis, quæ circa propositam difficultatem enunciavimus, luminis ac probationis plurimum afferetur: *Si aliquis juret se facturum aliquod peccatum, & peccat jurando, & peccat, juramentum servando. Si quis autem jurat, se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen non facere tenetur: peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: Non tamen peccat, juramentum servando: sed multo melius facit, si non servet.* Eamdem quoque alibi (n) Doctrinam, idem Sanctus diserte omnino statuit. Verum quæ protulimus testimonia, sufficiant, ut in tuto posita nostra hæc decisio nullis possit patere cavillationibus.

(h) S. Thom. cit. art 7. ad 2.

(i) Can. non pojestabis 23. 22. q. 4.

(K) Alex. III. in c. Si vero. 8. de jurejur.

(l) S. Bernar. Ep. 229.

(m) S. Thom. cit. art. 7. a. 2.

(n) Idem quod l. 3. art 27. in corp.

CASUS XII.

GREGORIUS volens intentam sibi litem detrectare, aut quam ipsi Balduinus intulerat, iniquam vexationem excutere, aut mortem etiam, quam idem sæpe sæpius interminabatur depellere; spopondit futurum, ut ei triginta aureos rependeret; ipsumque Deum, de fide data contestatus est. An conscientia obligatur ad exolvendum promissum, aut ad agendum, ut juris jurandi sibi gratia fiat ab Ecclesia?

RESPONS.

Quæ generatim obtinet in materia, de juramentis regula, ea est; teneri quemque ad ea servanda, quando quod promissum fuit, illiciti nihil habet annexum, & absque dispendio salutis illius, qui juravit, compleri potest, quamquam nonnisi ea metu gravi jusjurandum intercesserit; modo tamen prædicto metu deliberandi locus voluntati non fuerit omnino ademptus. Quod quidem disertissime prorsus definitum reperitur ab Alexandro III. (o) qui consultus ab Archiepiscopo Senonensi, num coram Deo teneretur ad servandum jusjurandum, qui *gravissimo metu sub Religione juramenti* pollicitus fuerat, beneficium quoddam a se concessum, nunquam fore reposcendum; respondet omne juramentum etiam ex metu gravi emissum, religiose admodum esse conservandum, propter reverentiam Deo debitam, qui testis in fidem datam invocatus est.

(o) Alex. III. in c. Si vero Supra cit. de jurejurando.

Eadem est Doctrina Sancti Thomæ (p), qui ait: *In juramento quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio,*

(p) S. Thom. 2. 2. q. 89 art. 7. ad. 3.

quæ quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare.

(a) Alex. III. in cap. Debitores. de Jurejur.

Atque eadem de causa Alexander III. (a) declarat eos, qui interveniente juramento ad solvendas usuras sese obligaverunt, ex conscientia teneri ad eas persolvendas, licet non possint absque peccato exigi, & illi, quibus persolvuntur, ad eas restituendas astringantur. *Debitores*, inquit Papa laudatus, *ad solvendas usuras, in quibus se obligaverunt, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt, Domino reddere juramentum, & cum usuræ solutæ fuerint, Creditores ad eas restituendas sunt, Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.* Eodem quoque principio innixus Cœlestinus III. statuit, in una quadam ex suis Decretalibus (b), ei qui juramento accedente aliquid promisit, ut vitam ceterasque res suas præstaret incolumes, legitimi Superioris dispensatione opus esse, ut ei juramentum condonetur. Cujus Decreti occasione, Glossa ait: *Nota quod juramentum metu extortum est obligatorium, ex quo aliqui a tali absolvuntur.* Atque demum hinc est quod Clemens III. (c), interrogatus utrum quidam Parochus, qui coactus fuerat ab aliquibus Laicis, Beneficium suum abdicare, illud repetere posset; ait prædicto Parocho, jam locum non relinqui, ut Beneficium dimissum repetat, & fidem datam violet, si juramento interveniente, promiserit futurum, ut Beneficio restitui nunquam postulet. In quam decisionem observat adhuc Glossa (d): *Ergo si juramentum intervenisset ..... quod ulterius non repeteret, non potest jam repetere, juramento ..... obstante, quod potest servari, sine interitu salutis æternæ.*

(b) Cœlestin. III. in cap. Verum. 15. eod. titul. & ibid. Glossa.

(c) Clem. III. in c. Ad aures. 3 de his, quæ vi metusve causa fiunt l. 1. 3. tit. 40.

(d) Glossa in cit. cap. Ad aures. v. forte.

Ex his omnibus facile est inferre, Gregorium teneri ad implendum promissum, quo sese erga Balduinum devinxit; quippe, quod ex metu gravi ortum, jurejurando tamen fuerit obfirmatum: aut ipsi incumbere, ut sacramento solvendus adeat superiorem legitimum, hoc est, vel summum Pontificem, vel Episcopum. Quod de industria addimus, propterea quod solius Ecclesiæ sit, authoritate, quam ei Cristus concredidit, ligamen, quod ex juramento contrahitur, divellere.

Neque abs re fuerit, quæ adversus hanc nostram decisionem opponi potest, speciosam quamdam objectionem præoccupare; quoniam ab iisdem rationum momentis, quibus omnino diluetur, quæ diximus, authoritatis ac roboris plurimum accipient: sic autem proponi solet. Eadem est tum voti, tum juramenti obligatio; quippe ex utroque perinde exurgat ejusdem, erga Deum, obligationis ligamen, & nomen ipsius in utriusque testimonium appelletur. Atqui votum, ex metu gravi emissum, nullam vim obligandi secundum conscientiam importat. Ergo Sacramentum ex metu simili prolatum, nullam quoque obligandi vim importat.

Cui quidem objectioni respondetur (e), discriminis plurimum, votum inter, & Sacramentum interesse. Enimvero ut fateamur quod res est, veri ac proprie dicti voti naturam non habet, quod votum passim dicitur, quando ex gravi metu ex totum est. Juramentum e contrario semper juramentum est, licet ex simili metu dictum fuerit. Votum coactum non est votum, quia cum votum pertineat ad rem, quæ voluntaria sit, & ex consilio tantum non vero ad aliquid, quod sit præceptum & ex obligatione; stricta promissum ex voto coacto & propter metum gravem emisso interveniens non acceptatur a Deo, siquidem nolit obligationibus nove adinventis nec ab ipso imperatis, obsequium nostrum ingravescere. *Nota inquit Glossa, ... quod ea, quæ per timorem vel metum fiunt, qui possit cadere in constantem virum, tenent; & obligatur quis per hoc licet coactus: & juramentum super hoc factum, tenet.* (Secus est) *in voto, quia votum, per metum factum, non tenet ... quia votum res est consilii & non præcepti: & liberum est arbitrium in vovendo: alias non est votum (f).* Quod Author Glossæ istius, plurimis Decretalibus probat, quas referre supervacaneum est. At eadem ratiocinandi ratio, de juramento non potest institui; eo enim ipso, quod vel una desit trium conditionum, quæ requiruntur, ut licitum censeatur; hoc est, judicium, justitia, & veritas: crimen constituitur, juxta jus Divinum & naturale, nec consequenter excusationem aliquando accipit ex metu quocumque: magis quam aliud quodvis peccatum, ex simili metu commissum: cum certum sit nullo in casu, posse aliquem consentire peccato, quodcumque supponatur, quin ipsius peccati reus statim evadat, quicumque terror ipsi incutiatur, ut ad consentiendum isti peccato possit induci: ut observat sanctus Augustinus, in Decreto Gratiani relatus (g). Jamvero quæ requiritur ad licitum juramentum, tertia conditio deesset, si quod ex metu, intervenit juramentum, posset nec servari, nec impleri. Cum enim absolute necesse sit, ut in juramento, quod dicitur assertorium, præsens aut præterita veritas occurrat: eam quoque accedere oportet juramento, quod promissorium appellatur: aliter foret omnino illicitum. *In juramento, quod præstatur de iis, quæ sunt facienda a nobis*, inquit S. Thomas (h), *obligatio cadit ..... super rem, quam aliquis juramento firmavit; tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse, id quod juravit, aliquin deest veritas juramento.* Quod concordat cum S. Augustino (i), qui dicit: *perjuri sunt, qui servatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt.* Unde sequitur, sicut eum peccare contingit, qui de re quadam illicita jurat, licet ex metu in virum constantem cadente, propterea quod justitia, quæ primam ac necessariam juramenti liciti conditionem constituit, in dicto juramento non reperiatur; ita etiam peccare, qui jurat ex simili metu, si injurando, ad juramentum implendum, astrictum sese non existimaverit; cum in eo casu constet veritatem, quæ conditionem tertio loco requisitam exhibet, in hujusmodi juramento desiderari.

(e) De Genet. tom. Th. mor. 5. tract. 3. c. 2. n. 8.

(f) Glossa in cap. Abbas. 2. de his quæ vi, metusve causa fiunt v. Census.

(g) (Debemus) potius qualibet mala tolerare, quam malo consentire. S. Aug. in can Ita. ne. 3. 32. q. 5.

(h) S. Th. 22. q. 89. art. 7. in corp.

(i) S. Aug. Ep. 108. aliis 224.

CASUS XIII.

LAURENTIUS, cum promisisset, atque juravisset Luciano, 500. Libras concessurum, ut ab iniqua & asperiori, quam sibi ab anno & amplius inferebat, vexatione sese expediret, utpote nulla sese expediendi, patente alia ratione, promissum juramento non confirmavit; nisi quia animo proposuit, remissionem sacramenti sibi aliquando condonandam; adeoque futurum, ut remisso Sacramento, nihil Luciano rependendum sibi incumberet. An cum ista mente, jurare potuit, absque eo quod in crimen perjurii incurreret?

RESPONS.

Cum quæstio sit de juramento, quod non possit, ex parte Luciani licite perfici: existimamus Laurentium cum ista mente potuisse jurare, absque eo quod sibi perjurii notam incurreret. Ratio est, quia nihil omnino præstitit, quod ipsius jurijurando repugnaret; quippe vel eo ipso, immunis ab omni perjurio quis efficitur, quod quo tenetur juramentum complendum intendit. Porro non ignorabat Laurentius, futurum ut proprio juramento non astringeretur, statim atque, prout sperabat, sibi fuisset condonatum; Ergo licitum ei fuit jurare etiam cum mente superiorem postulandi, condonari sibi jusjurandum; etsi juramentum accessisset, futurum ut superiorem ea de re non postularet. Quippe tale juramentum justitiæ publicæ adversaretur. *In juramento, quod quis coactus facit*, inquit Sanctus Thomas (k) ..... *potest repetere in judicio, vel Prælato denunciare, non obstante, quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam* (l). Innocentius Quartus idem quoque ait, in suo commentario, in Decretales (m).

Diximus: *cum quæstio sit de juramento, quod non possit ex parte Luciani licite perfici*: namque si utrobique, hoc est, ex parte cum Jurantis tum juramen-

(k) S. Th. 22. q. 89. a. 7. ad 3.

(l) De Gen. Theol. Mor. t. 1. tract. 2. c. 4. q. 9.

(m) Inn. IV. in c. Ad aures. 3. supra cit. 11. Pag. 270. Col. 2.

ramentum excipientis, licite compleri potuerit: tunc non posset certissime, cum animo sese aliquando a juramento expediendi per viam dispensationis, juramentum dici, absque perjurio. *Quando juramentum omni ex parte est licitum*, inquit S. Antoninus (a), *tam ex parte jurantis, quam ex parte recipientis; tunc absolutio non est impendenda, sed compellendus est jurans ad eius observationem: quin immo nulla caussa apparente intrinseca etiam Papa a tali juramtuto obsolvere non potest.*

(a) S. Antonin. 2. parte. tit. 10. cap. 6. & §. 2.

Vide JURARE, Casus SEVERUS.

CASUS XIV.

SOSTRATES, cubicularius cujusdam nobilis, cum erga herom suum, juramento sese adstrinxisset, ad rusticum quemdam fuste dolandum; immutato deinde animo, juramentum noluit perficere. Potest ne dici, eum perjurum factum fuisse ex juramento non completo?

RESPONS.

S. Thomas dicit (b), quod proprie loquendo, *Primo quidem & principaliter perjurium est, quando deest veritas .. Secundario autem quando deest justitia: quocumque enim modo, quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitotem incurrit: quia obligatus est ad hoc, quod contrarium faciat.* Juxta quod principium dici merito potest, Sostratem non potuisse sese juramento adstringere, ut eo modo, qui in proposito casu enuntiatur, herum suum vindicaret; quin perjurii conscium aliqua ratione sese constitueret; quippe qui, de peragenda re illicita juraret. Verum nihilominus non incidit in perjurium, ex eo quod absolute juramentum non impleverit; quin immo, gravissime peccasset, si quod juravit fuisset executus. *Ille qui jurat, se facturum aliquid illicitum*, inquit idem Angelicus Doctor (c), *jurando incurrit perjurium, propter defectum justitiæ. Sed si non impleat, quod juravit, in hoc perjurium non incurrit: quia hoc non erat tale quid, quod sub juramento cadere posset.*

(b) S. Thomas. 2. 2. q. 98. art. 1. ad 1.

(c) Idem ibid. art. 2. ad 1.

CASUS XV.

PETILIANUS commodatam Tristano, in magna rerum inopia constituto, summam 500. Librarum, absque ulla Chirographi cautione, post elapsum annum repetiit: Tristanus vero æqui bonique omnino parcus, aliundeque justitiæ cultor prorsus infrequens, & cujus res accisæ sunt, prædictam summam rependere detrectavit; quin etiam minitatus est, si ea de re in jus vocaretur, futurum, ut ei quidquam a se deberi, juramento etiam pernegaret. Petilianus qui optime novit, a Tristano, juramentum falsum in duabus rerum circumstantiis, jam dictum fuisse; & cui persuasum est, futurum, ut, si apud Judicem appelletur, falsum ista etiam vice juret; potest ne nihilominus absque peccato, eum in jus vocare, ac juramentum ei deferre, cum nullus aliter locus detur, quoad persolvendam prædictam summam valeat compelli?

RESPONS.

Certum nobis videtur Petilianum non posse absque peccato, exigere a Tristano, ut Sacramentum in casu proposito, apud Judicem exhibeat. Ratio est, quia sic Deus a nobis diligendus est, ut nullius omnino rei peragendæ, qua possit offendi, auctores nos esse umquam liceat; & amor, quo proximum nostrum prosequimur, is esse debet, ut numquam ei occasionem peccandi mortaliter præbeamus. Si ergo Petilianus merito, ut supponitur, persuasum habeat, a Tristano falsum esse jurandum, in negando nimirum debito quo oppigneratur; quemadmodum præteriti temporis experientia re ipsa videtur satis innuere; non potest tuta conscientia, istum ad Judicem vocare, ut præstet Sacramentum.

Ita sentit S. Augustinus, qui objecta sibi difficultate prorsus simili ait: (d) *Qui exigit jurationem multum interest, si nescit, illum falsum juraturum, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit: jura mihi, ut fides ei fiat; non est peccatum* * *Tamen humana tentatio est. Si autem scit, eum fecisse, & cogit jurare: homicida est: ille enim suo se perjurio perimit; sed iste manum interficientis & impressit & pressit.*

(d) S. Aug. in can. Qui exigit. 6. 22. q. 5.

* Apud S. Aug. habetur: Non adeo dicere, non esse peccatum.

Idem quoque alibi disertius loquitur, cum asserit quod (e) *Ille qui hominem provocat ad jurationem; & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est; ille autem immo duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & suam. Scis verum esse, quod dicis, & falsum esse, quod ille dicit; & jurare compellis? Ecce jurat; Ecce pejerat; Ece perit. Tu quid invenisti? Immo & tu periisti, qui de illius morte te satiare voluisti.*

(e) Idem. in can. Ille qui. 1. ead. caussa. & q.

S. Thomas eamdem, quam S. Augustinus quem laudat, & cujus etiam verba adhibet, doctrinam amplectitur (f): *Circa eum, qui exigit ab alio juramentum, distinguendum videtur*, Ea sunt ipsius verba; *aut enim exigit juramentum pro se ipsa, propria sponte, aut exigit juramentum pro alio, ex necessitate officii sibi commissi. Et si quidem aliquis, pro se ipso exigit juramentum tamquam persona privata, distinguendum videtur, ut Augustinus dicit in sermone de perjuriis: Si enim nescit, eum juraturum falsum, & ideo dicit: jura mihi, ut fides ei sit, non est peccatum. Tamen est humana tentatio; quia scilicet procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat alium esse verum dicturum; & hoc est illud juramtutum, de quo Dominus dicit, Matth. 5.* Quod amplius est, a malo est. *Si autem scit, eum fecisse scilicet contrarium ejus quod jurat, & cogit eum jurare, homicida est: Ille enim de suo perjurio se interimit, sed iste manum interficientis impressit. Si autem aliquis exigat juramentum, tamquam persona publica, secundum quod exigit Ordo Juris, ad petitionem alterius: non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat, eum falsum jurare, sive verum: quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit.*

(f) S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. in corp.

Iste sanctus Doctor annotat nihilominus quod, *Quando aliquis scit vel probabiliter credit, quod aliquis dejerabit, (g) non licet ei, juramentum exigere, nisi forte sit in loco judicii; quia juramentum in judiciis non tantum exhibetur propter Judicem, sed propter alios. Unde non est in potestate ejus, juramentum remittere, quod secundum ordinem juris exhibendum esset ... Si autem dubitet; dubitatio ex tanta suspicione procedere potest, quod cum peccato erit: & ideo Augustinus non audet dicere, quod sit sine peccato; non tamen dicit, quod semper sit peccatum.*

(g) Idem in 3. sent. dist. 39. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2.

PERMUTATIO.

DEFINITUR his verbis beneficiorum *Permutatio*, *est ultro citroque beneficii unius ad alium mutua præstatio*. Est commutare beneficium suum cum alio beneficio: quod sic intelligendum est, ut legitimi superioris auctoritate accedente, ista commutatio fieri supponatur (b).

Eo potissimum fine inventa est Permutationis ratio, ut, absque Simonia induceretur quasi quædam Beneficiorum mercatura, a pristinis Ecclesiæ institutis

(b) Poin. par. 2. n. 745.

prorsus aliena; quippe quæ districte prohiberent, ne ab una Ecclesia cui addicebantur Ecclesiastici, ad aliam, sive translationis, sive permutationis via transirent (*a*) *Omnino visum est, ut consuetudo, quæ præter Canones in nonnullis partibus invenitur, tollatur: Ut a Civitate in Civitatem nec Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus transeat*; Inquiunt Patres primi Concilii Generalis (*b*).

Concilium Sardicense habitum anno 347. (*c*) verbis adhuc vehementioribus quascumque traslationes reprobat, in odium scilicet Arianorum, qui suorum sectariorum, ut magis ac magis numerus accresceret, istas commutationes plurimum affectabant. Paullulum deinde remissum est de primæva ista austeritate; atque cum requirere cœpit ipsius Ecclesiæ utilitas, Episcoporum translationes permissæ fuerunt: (*d*) quod tamen testante Yvone Carnotensi, raro admodum, nec nisi gravissimis de caussis locum habere, Ecclesia Gallicana patiebatur (*e*).

Quæ caussæ translationibus primo tolerandis locum dederant, beneficiorum permutationibus non multo post inducendis occasionem præbuere: verum non nisi ea lege primum admitti cœperunt; ut allegandæ in istarum gratiam rationes, a Synodo Provinciali ratæ ac legitimæ haberentur; quemadmodum a Concilio Carthaginiensi quarto constitutum est. (*f*) Labentibus deinde temporibus, uniuscujusque Diœcesani Episcopi tantum judicio relictæ sunt; Quamquam, ut observatur a Molinæo, (*g*) usus ille in Gallia cœperit ab uno & amplius sæculo tolerari, ut licet adversante jure communi, ab Ipsis etiam Prælatis, qui Episcopis subjiciuntur, ac Beneficiorum Collatores sunt, permutationes admitterentur.

Vicarius Generalis, nec conferre Beneficia, nec Beneficiorum permutationes admittere potest; nisi specialis ea de re facultas ipsi concessa fuerit; propterea quod collatio habeatur, quasi quædam portio fructuum qui ad Vicarios Generales non pertinent; qnibus, quatenus istud officii gerentibus, incumbit de spirituali tantum cognoscere.

Quod primum ac præcipuum locum obtinet, inter instituta quæ Beneficiorum permutationes attingunt, illud est, ut in ipsius Ecclesiæ bonum atque utilitatem potissimum vergant; non vero ad solum emolumentum, propriumque permutantis utriusque commodum referantur.

Quamquam Permutatio confici possit, etiam non interveniente Patronorum Ecclesiasticorum consensu, nullum tamen damnum inferri potest juri Patronorum Laicorum, ex permutatione Beneficiorum, quorum patronatu gaudent: In iisque sive permutandis, sive sub conditione retentæ pensionis, resignandis, cum auctoritate summi Pontificis, necesse est, istorum simul consensum aperte accedere (*h*).

Locum numquam potest, nisi de Beneficiis, Permutatio habere: adeoque Beneficium non potest, cum jure Patronatus permutari; licet spirituale omnino jus istud esse censeatur: quod idem dicendum de Capella, quæ *Prestimonia* appellatur, licet in perpetuum fundata; quando nimirum tota consistit in simplici honoraria mercede, quæ pro præstandis eidem annexis muniis, rependitur; nec ab Episcopo, titulo Beneficii, insignita est.

Procurationes ad permutandum, unius Apostolici Notarii Chirographo duorumque testium consignari debent; qui requisitis dotibus instruantur; juxta quod fertur in articulis 8. & 9. Edicti Regii interpretationis anni 1646.

Permutationes confici possunt, nihil omnino obstantibus exspectativis Indultariorum, Graduatorum, eorumque quibus ex præstito fidelitatis sacramento, aut ex jucundo adventu aliquod Diploma impertitum est.

Cum Episcopus Collator, duorum Beneficiorum de sua Diœcesi permutationem admittit, quæ habet aliquam, ab alterutro permutantium persolvendam pensionem; necesse est, quantum ad pensionem, summi Pontificis accedere auctoritatem; cujus solius est, ejusmodi conventionem ab omni Simoniaca labe depurgare.

Quando pendent a duobus Collatoribus Beneficia, quisque providet de Beneficio cujus ad sese collatio pertinet, aut fit ab alterutro copia, qua ab altero possit utrumque beneficium conferri.

Collator quem adeunt Permutantes, suam Ipsi procurationem, ad permutandum oblaturi, Beneficia non potest, nisi iisdem istis conferre; ut statuitur Clementina, *de rerum permutatione*.

Reditus temporalis distantia etiam ingens, quæ inter duo Beneficia permutata intercedit, sola non sufficit, ut irrita fiat, ac penitus rescindatur Permutatio; nisi adsint aliunde caussæ, aut doli manifesti gravissimæ conje-

ctura,

(*a*) Alex. III. in cap. *Cum pridem*. 4. & Greg. IX. in cap. *Pactiones*. fin. de pactis. l. 21. tit. 35.

(*b*) Concil. Nicæn. can. 15.

(*c*) Conc. Sardicense can. 1. & 2.

(*d*) Innoc. III. in cap. *Nisi*. 10. de renuntiatione & seq. de translatione Episcopi. l. 1. tit. 7

(*e*) Yvo Carnot. Ep. 140. & 2. seq.

(*f*) Conc. Carthag. 4. can. 27.

(*g*) Molinæus in reg. *De infirmis*. n. 40.

(*h*) Declaratio mensis Februarii. 1678.

ćturæ: de quibus consulantur Jurisconsultus Menochius, (*a*) a quo quatuor aut quioque; & Rebuffus, a quo tredecim recensentur (*b*).

Quando contingit ab uno compermutantium Beneficium, quod ipsi pro ejns beneficio exhibitum est, evinci: pleno jure restituitur in ipsum beneficium, quod dimiserat, absque eo quod opus ei sit nova collatiooe, ut ab Innocentio III. requirebatur in una ex ipsius Decretalibus (*c*). Ratio est, quia de possessione sui beneficii depulsus non ceosetur. Excipiendus est tamen casus, in quo alter ante evictionem, alicui resignasset, cui defensionis plurimum posset, ex Decreto *de pacificis possessoribus*, suppeditari.

Quod de evictione observamus, locum habere etiam intelligendum est contra Resignatarium; 1 Cum detrectar implere legitimas clausulas, quibus tenetur: Quia nihil magis necessarium in quacumque conventione requiritur, quam ut adsit bona fides utriusque partis contrahentis. 2. Quando beneficium, quod permutationis caussa dimisit, pensione quadam oppignerari, reticuit. 3. Quando istud beneficium, in Patrooatu Laico constitutum est, nec Patronus ipsi permutando vult exhibere consensum, qui necessario requiritur, ut Collatio deinde possit obtineri.

Juxta districtissimam normam Canonum, (*d*) cum quis *in Extremis* positus, abdicavit suum beneficium, atque ex morbo postea convalescit; illud iterum non potest, nisi ex jure novæ provisionis obtioere. Attamen secundum Jurisprudentiam hac nostra ætate ab omnibus Supremis Galliarum Senatibus receptam, contrarium judicatur; supponendo nempe, ipsi resignanti mentem istam affuisse, ut suppleretur conditio racita, quod in eo casu posset in beneficium suum restitui.

Alteruter permutantium, permutationem revocare potest, modo antequam alter, eam in Curia Romana admitti, obtineat, id fieri curaverit, quemadmodum pronuntiatum est ab ampliori Consilio, anno 1665

Permutantibus provisis in Curia Romana sex tantum assignantur menses, ut beneficiorum ineant possessionem: Qui vero ab alio, quam a summo Pontifice provisi fuerunt, lis unus dumtaxat mensis conceditur. Adeo ut, si unus e compermutantibus ceciderit ante possessionem initam; Beneficium ex obitu vacare censetur. Quin etiam absolute requiritur, ut, duobus integris diebus, ante decessum defuncti, institutæ possessionis instrumentum, in publicas tabulas relatum fuerit, ipso die possessionis initæ non numerato, nec ipsius in publicas tabulas relationis, neque etiam decessus. Quod conceptissimis verbis fertur in Edicto, quo, hujusmodi decernuntur in publicas tabulas relationes, Anni 1691. (*e*).

Suum non sortitur effectum permuratio, cum morte corripitur alteruter permutantium; antequam consummata fuerit; hoc est priusquam a legitimo superiore utrique permutantium provisiones fuerint concessæ; quemadmodum Arresto judicatum est, a Secretiori Regis Consilio, 31. Martii 1688 juxta Edictum 1637. & ipsius (*f*) Explicationem 25. Augusti 1638. & Edictum 1646. (*g*). Sicque superstiti compermutanti non cedit beneficium, in cujus possessionem defunctus non venit, ut olim frequentabatur, ex tolerato quodam abusu, cui nondum cantum fuerat.

Quamquam detur Beneficiario, qui comprehendendus decernitur, ut suo beneficio, in gratiam alterius, possit renuntiare; non ei tameo conceditur, ut ipsi permutare liceat: Quoniam in eo statu constitutus, alterius beneficii adipiscendi, inhabilis prorsus existimatur.

Consuli potest de permutationum materia, titulus *de rerum permutatione*, qui decimus nonus est tertii libri Decretalium. Item legi potest decimus ejusdem libri titulus, in sexto; & quintus in Clementinis. Licet etiam adire Flaminium *de resignatione Beneficiorum*, (*b*) Duclos in Flaminium, (*i*) & Melchiorem Pastorem (*K*).

(*a*) Menochius. l. 3. præsumpt. 122. n. 79.

(*b*) Rebuff. §. *Volumus* Glossa ultima. in Collat. v. *Ex causa permutationis*.

(*c*) Innoc. III. in c. *Cum universorum*. l. de rerum permutatione lib. 3. tit. 9.

(*d*) Alex. III. in c. *Ex transmissa*. 1. du renuntiatione. lib. 1. tit. 9.

(*e*) Art. 12.

(*f*) Artic. 21.

(*g*) Artic. 14.

(*h*) Flaminius tract. de resignat. Beneficior. l. 2. q. 14. n. 3. & c. 6. q. 2. n. 77.

(*i*) Duclos in Flaminium, l. 14. q. 7.

(*k*) Pastor de Beneficiis. l. 1. tit. 12.

CASUS PRIMUS.

PHILIPPUS & Jacobus, Capellani de Ecclesia Cathedrali Altissiodorensi, suas Capellas per mutuam ultro citroque unius Capellæ ad aliam præstationem permutaverunt; instrumento, ea de re, coram duobus notariis confecto, nec adhibita formula ulteriori. De peracta hujusmodi permutatione, religionis aliquid eis incussum est; quamquam in permutando, neutri quidquam pensionis accesserit. Cujus occasione rei petitur, num legitima sit istorum permutatio?...

RESPONS.

Respondetur permutationem a Philippo & Jacobo, privata solaque ipsorum auctoritate præstitam, neque validam esse, neque Canonicam, ac Simoniam sapere, quæ est ex jure positivo Ecclesiastico: licet enim spirituale pro spirituali, alteri ab altero repensum fuerit, nihilominus Canones perfregerunt, quibus ejusmodi permutatio interdicitur.

Sic deciditur a S. Thoma (*l*), qui ita habet: *Nomine emtionis & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, unde nec permutatio præ-*

(*l*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5.

bendarum, vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium, absque periculo Simoniæ; sicut nec transactio, ut jura determinant. Quod nititne istis verbis unius cujusdam Decretalis, Papæ Urbani III. (*a*) *Generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum, de jure fieri non possunt; præsertim pactione præmissa quæ circa spiritualia, vel annexa spiritualibus, labem semper continet Simoniæ.*

(*a*) Urban. III. in cap. *Quæsitum.* 5. de rerum permutatione. lib. 3. tit. 19.

Innocentius III. scribens ad Archiepiscopum Senonensem, de permutata præpositura quadam, cum Archidiaconatu, ab iis qui titulares utriusque erant, idem decernit, & (*b*) beneficiis utrumque spoliat, his verbis: *Et hunc Præpositura & illum Archidiaconatu curavimus spoliare, super hoc definitivam, contra eos, sententiam proferentes.*

(*b*) Innoc. III. in cap. *Cum olim.* 7. eod. tit.

Quibus testimoniis addendum est, quod eruitur ex Alexandro III. ad Episcopum Tornacensem scribente, (*c*) ipsique Prælato, sic mandante. *Universis personis tui Episcopatus, sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ Diœcesis, ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo, intrare audeant, aut detinere, aut te, demittere, inconsulto. Quod si quis contra prohibitionem tuam venire præsumserit, in eam Canonicam exerceas ultionem.* Unde infertur, cum Philippus & Jacobus, propria privataque auctoritate, beneficia sua abdicaverint, & alter, in beneficium alterius, non accedente legitimi superioris consensu, sese immiserit, ab utroque violatas esse leges Ecclesiasticas, pœnasque a sanctis Canonibus latas, esse merito exolvendas.

(*c*) Alex. III in cap. *Admonet.* 4. de renunciatione. l. 1. tit. 9.

CASUS II.

Petrus & Paullus, Beneficia-Curas utrimque permutant in manibus Episcopi Diœcesani. An ista permutatio valida existimanda est? Ratio dubitandi est, quod in hujusmodi permutatione, pactionis aliquid expressum intercedat. Neque enim Petrus annuit beneficium suum Paullo concedere, nisi ea potissimum conditione, quod Paullus suum beneficium, ei simul repensurus sit. Porro quodcumque pactum in spiritualibus aut spiritualibus annexis interveniens, labem semper continet Simoniæ, ex jure positivo Ecclesiastico, ut observat (*d*) Innocentius III. Videtur ergo ad solum Papam pertinere ut possit permutationem ab omni Simoniæ vitio detergere.

(*d*) Innoc. III. in cap. *Tua nos.* 34. de simonia. l. 1. tit. 3.

Respons.

Verum quidem est generatim loquendo, prohibitas esse beneficiorum permutationes, prælertim cum peculiaris aliqua pactio intercedit, ut passim declarant complurimæ summorum Pontificum Decretales (*e*): Quoniam, quæcumque conventio spiritualibus, aut iis quæ spiritualia sunt, annexis, accedens, Simoniæ vitio semper inficitur; quemadmodum ab Urbano III. & post illum a Gregorio IX. (*f*) observatur: *Generaliter itaque teneas*, inquit laudatus Papa, *quod commutationes præbendarum, de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet Simoniæ.* Verum idem Papa Urbanus addit; *Si autem Episcopus caussam inspexerit necessariam; licite poterit, de uno loco ad alium transferre personas; ut, quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Quod eodem quoque modo declaratur a Bonifacio VIII. in una ex ipsius Constitutionibus, in qua, cuidam Episcopo (*g*) permittit, hujusmodi permutationes admitti. *Illos tamen*, inquit, *qui secundum formam juris, sua beneficia, in eadem Diœcesi, ad tuam collationem spectantia, permutare volentes, libere ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant; nolumus .... circa faciendam permutationem beneficiorum hujusmodi, quæ aliàs minime resignassent, aliatenus impediri.*

(*e*) Alexand. III. in cap. *Majoribus.* 9. de præbendis &c.

Urbanus. III. in cap. *Quæsitum.* 5. de rerum permutat.

(*f*) Greg. IX. in cap. *Pactiones* fin. de pactis. l. 1. tit. 31.

(*g*) Bonifac. VIII. in cap. *Licet.* unica de rerum permutat. in 6. l. 3. tit. 10.

Unde concludimus, si Diœcesanus Episcopus Collator sit Curarum, quas inter se invicem Petrus & Paullus permutant; eique visum fuerit, illorum permutationem, in utilitatem Ecclesiæ, majoremque fidelium progressum, vertere posse; ab eo absque ulla hæsitatione, dictam permutationem acceptari. Namque vitii nihil habere potest ista permutatio, cui pactum, inter illos duos compermutantes conflatum, non nisi Episcopo comprobante accesserit. Si quidem in eo casu, non ex pactione conventa, sed ex ipsa auctoritate Episcopi interveniente, permutatio conficiatur.

S. Antoninus eamdem sententiam tenet (*h*), quæ & asseclam habet S. Thomam, (*i*) cujus ea sunt verba. *In tali permutatione est Simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic, in illo loco, melius possit Deo servire, non est Simonia. Unde tunc potest fieri commutatio, cum auctoritate Episcopi Diœcesani.* Quæ quidem Doctoris Angelici dicta, in damnationem ac dedecus quamplurium Beneficiariorum, proferuntur, qui in Beneficiis permutandis, Ecclesiæ commodum, fideliumque salutem parvipendentes, propriæ suæ utilitati temporariæ, toti plerumque inhiant: quod Ecclesia semper, tamquam quid illicitum detestata est (*K*).

(*h*) S. Anton. 3. part. summa Theol. tit. 15. c. 3.

(*i*) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 8.

(*K*) Petrus Rebuff. 3. parte praxis Benefic. tit. de permut. n. 20.
Charundas lib. 2. Pandect. cap. 10.
Ægid Bellamera, tract. de permut. q. 3.
Pastor lib. 6. de Benef. tit. 11.
Joann. Caballus. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 12.
Fr. de Genet. theol. moral. tom. 2. tract. 1. cap. 5. q. 10.
Colloq. Condomiens. tom. 2. colloq. 2. sect. 3.
Sambovius tom. 3. casu 86.

CASUS III.

Rupertus titularis Capellæ S. Lucæ; & Leander S. Januarii Capellanus, Capellanias suas, in manibus Abbatis Odoeni, ad quem pertinet illarum Collationis Jus, permutavere. Canonica ne est ab illis peracta hujusmodi permutatio?

Respons.

Collatoribus, qui Episcopis subjiciuntur, nulla permutationum admittendarum facultas, ex communi jure adscribitur. Attamen prævaluit in hoc Regno usus contrarius, quantum ad eos dumtaxat, qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, aut quibus id juris acquisitum est, ex legitima præscriptione Prælati. *Carentes Episcopali auctoritate*, inquit celebris ac recentior Canonici Juris interpres, post Rebuffum & alios (*l*), *non possunt in favorem compermutantium conferre. Poterunt nihilominus; si hoc jus, præscriptione adepti fuerint.* Unde non reprobanda est, tamquam illegitima & nulla, permutatio confecta, a Ruperto & Leandro, modo quas Jus exigit formulas servaverint; quarum prima est, ut a Patronis consensum petierint; & secunda, ut a legitimo Superiore, Canonicam institutionem obtinuerint.

(*l*) Joann. Caballut. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 17. n. 1.
Et apud eum Petrus Rebuffus prax. Benef. tit. de permut. n. 20.
Et Ægid a Bellamera de permut. c. 3. §. *Quæritur.*

CASUS IV.

Guillelmus Parochus S. Valerii, permutavit in manibus Episcopi Diœcesani, suam Curam, cum quadam simplici Capellania, quam Sylvester possidebat. Quam permutationem, ob imperitiam Silvestri sibi cognitam, Episcopus rejecit. Numquid possunt prædicti compermutantes ad Metropolitanum recurrere, ut suam, ab eo permutationem, admitti obtineant?

Respons.

Ut dissolvatur proposita quæstio, sciendum est, juxta sententiam Sambovii (*m*), pertinere ad jurisdictionem mere voluntariam & spontalem Ordinarii, ut, prout sibi visa fuerit, Ecclesiæ utilitati magis aut minus consulere, permutationem admittat, aut rejiciat. Atque opinionem suam confirmat istis Urbani III. verbis, quæ jam alibi relata sunt (*n*): *Si autem Episcopus caussam inspexerit necessariam; licite poterit, de uno loco ad alium, transferre personas, ut quæ uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Quod cum ita se habeat, dicendum est juxta laudati Theologi mentem, non esse, unde Guillelmus & Silvester, cum aliquo juris fundamento, Metropolitanum adeant, ut rejectam ab Episcopo suam permutationem, acceptari obtineant. Cujus rei rationem istam subjicit, quod Episcopus, cum eis absque juris ullius dispendio non agat; siquidem ad beneficium alterius, neutri jus competat: aliunde vero nihil sibi tribuat Episcopus, quod a Canonicis regulis dissentiat; quippe ad ipsius arbitrium relinquatur, ut secundum id quod sibi visum fuerit,

(*m*) Sambovius tom. 2. casu 31. pag. 54.

(*n*) Urban. III. in cap. *Quæsitum.* 5. de rerum permutatione.

Google

rit, Ecclesiæ bono magis expedire, quamcumque partem amplectatur. Attamen quamquam a veritate non fuerit aliena, ista laudati Doctoris decisio, atque cum opinione Molinæi omnino conveniat (a): quando quæstio est de indignitate aut imperitia alterutrius compermutantium, quemadmodum occurrit in subjecta specie, in qua Silvester ad gerendam Beneficium-Curam, ineptus supponitur; veram eam esse non constat, si generatim accipiatur: siquidem ei, extra casum prædictum adversetur prorsus usus, qui in Gallia passim obtinet. Quando ergo compertum est Episcopo, duos compermutatis beneficiis, digne laudabiliterque esse ministraturos; nullo jure potest, ab ipso mutua illorum permutatio non admitti; ut probat Rebuffus (b), qui fatetur quidem collatoribus olim ex jure, non incubuisse, ut de beneficiis permutatis sic necessario statuerent: quemadmodum colligere est, ex quadam Decretali ab Innocentio III. ad Archiepiscopum Senonensem ordinata (c): verum istud iis postmodum, obligationis fuisse impositum a Concilio Generali Viennensi celebrato anno 1311. ut patet ex Constitutione, quam Clemens V. ibidem edidit (d), in qua edicit, *ne concessione juris utentibus præsertim circa spiritualia illudatur*; additque laudatus Papa, qui præsens aderat Concilio, *si qua Beneficia ex caussa permutationis, aliquibus resignata, aliis quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc volumus esse firmitatis*. Unde sequitur si re vera is fuerit Silvester qui possit Pastoralia officia digne tractare, ipsi, Guillelmoque jus succurrere, ut negante Episcopo, apud Metropolitanum, permutationis caussa valeant agere.

(a) Molinæus in reg. *De infirmis*. n. 31. & 39.

(b) Petr. Rebuff. prax. benefic. tit. de permut.

(c) Innoc. III. in cap. *Inter cetera*. 17. de Præbendis.

(d) Clem. V. in Clementina. *Ne concessione*. unica de rerum permutatione, l. 3. tit. 5.

CASUS V.

Macarius, Parochus sancti Olonis, suam Curam cum Prioratu simplici, quo Antonius gaudebat, permutavit. Permutatione, in Curia Romana, jam admissa, nondumque collocatus in possessione dictæ Curæ Antonius obiit. Macarius vero, quia de possessione suæ Curæ, depulsus non erat; eam retinet ac dicti Prioratus possessionem adit. Numquid ei ex obitu Antonii, id juris accedit?

Respons.

Quoniam vere ac proprie vacat ista Cura, non potest Parochus eam retinere. Ratio est, quia non ei cessit Prioratus Antonii, nisi ea conditione, ut dimissa sua Cura omnino spoliaretur: quæ quidem conditio factæ permutationi sic necessaria censetur, ut ne quidem ab ea separari, ullatenus possit: unde inferre est istam Curam, quam permutationis caussa resignavit Antonio, per obitum sui compermutantis, omnino vacuam esse.

Quod quidem confirmare licet validissimo argumento, educto (e) ex Edicto, quo constitutum est Antigraphum anno 1637. quod contrariam Jurisprudentiam usu antea receptam, atque tum a Jurisconsultis nostris pluribus (f), tum etiam a supremis Senatibus comprobatam, rescindit. En quibus concipitur istud Edictum, verba: *Nihilominus si contigerit, proviso e permutantibus uno, decedere alterum, beneficium quod isti debuerat resignari, per obitum ipsius vacabit, sive de eo provisus fuerit, sive non, absque eo quod superstiti quasi fortunato casu gaudenti, remanere possit: quod sanctum religiosumque esse volumus: non tamen intendentes propterea, abolere media jure inducta, atque Arrestis nostrarum supremarum Curiarum plurimum laudata, contra permutationes fraudulentas*. Cui Edicto tota consentit ipsius interpretatio data 25. Augusti 1638. Ista est lex ad cujus normam omnia nunc præstanda sunt; quæ alia iterum Regia explicatione 1646. roborata est (g); in qua eadem præcipiuntur his verbis: *Volumus & edicimus dictorum permutantium superstitem, tum beneficio abdicato, tum, ipso quo antea in illo gaudebat jure privatum manere*. Quæ de novo (h), in alia Edicti interpretatione 11. Maii 1684. iterantur.

(e) Edictum do Antigrapho. Gallice du Controole. art. 21.

(f) Carolus Fevret. tract. de abusu, l. 2. cap. 6. pag. 384. col. 2. tom. 1. Blondeau in suis additamentis ad Bibliothecam Canonic. Bouchel. Arrestum 22. Decembris 1644.

(g) Edict. Interpretatio anni 1646. art. 14.

(h) Ducasse. tract. de jurisp. Ecclesiast. voluntaria. cap. 5. §. 4. n. 4.

CASUS VI.

Corentinus, Canonicus de Ecclesia Salutiensi, cogitat permutare cum Pamphilo suam præbendam pro quodam Prioratu, qui sibi quam optime conducit. At inter agendum de ista permutatione Pamphilus indicat, animum sibi non esse, Salutias commorandi caussa sese transferre; propterea quod ea civitas in regione sita sit, in qua cælum valetudinis ipsius rationi, alienum est ac prorsus maleficum. An licitum est Corentino, ut cogitatam permutationem nihilominus peragat; ipsius Pamphili conscientiæ, commisso onere sedem ibidem stabiliendi, aut in quo alio loco ei potissimum libuerit commorandi?

Respons.

Non existimamus licitum esse Corentino, ut cum Pamphilo, quem novit animo dispositum ad non residendum, præbendam suam, absque suæ conscientiæ detrimento valeat permutare. Ratio est 1. quia permutare non posset, quin peccati istius participem sese exhiberet, atque indignum, in suum locum sufficeret. 2. Quod manifeste abuteretur facultate, quam Ecclesia Beneficiariis tribuit, ut superioris legitimi consensu auctoritateque intervenientibus, Beneficia sua commutare possint: quod concedere non intelligitur, nisi, ut tum suæ utilitati, tum fidelium saluti potissimum consulatur. Non potest ergo Corentinus, absque peccato, cogitatam permutationem cum Pamphilo absolvere: quin etiam pro Deo, atque ex conscientiæ debito teneretur, ad eam revocandam penitusque rescindendam si jam consummata foret, ac per tempus adhuc, revocandi copia exhiberetur (i). Quod idem extendendum est, ad resignantem, collatorem & præsentatorem. Neque enim primo, per conscientiam licitum est, resignare; neque secundo, conferre; neque tertio, præsentare aliquem indignum, aut, qui jam animo destinavit Beneficio præsens non adesse, cui residentiæ personalis onus annexum est.

(i) Sambovius tom. 2. casu 49.

CASUS VII.

Crispinum obventæ sibi, Simoniaca quadam ratione, præbendæ, ab ipsa die postera sic pœnituit, ut eam permutandam cum Capellania simplici octo post dies, Irenæo resignaverit, atque Romam simul miserit, ut obtineret, tum in dictam præbendam restitui, tum a Censuris Ecclesiasticis in quas incurrerat, absolvi. An valida censeri potest ista permutatio?

Respons.

Permutatio de qua quæstio instituitur, irrita omnino ac nulla est; 1. quia ut valeat permutatio quæcumque; de iis beneficiis esse debet, quorum titularibus, legitimus titulus competat. Atqui titulus beneficii, quem Crispinus obtendit, nullus est, cum ei, Simoniaca ratione obvenerit. 2. Propterea quod, quicumque excommunicatus est *ipso facto*, ad possidendum quodcumque beneficium, inhabilis ipso jure reddatur. Porro Crispinus in excommunicationem, ob Simoniam voluntario admissam *ipso facto* incidit. Igitur ipso jure inhabilis constituitur, ad possidendam Capellaniam, quam commutandam cum præbenda, Irenæus ei resignavit, nisi prius a censuris Ecclesiasticis absolvi, atque a Papa in pristinum statum curaverit sese restitui: quæ quidem gratia, Romæ numquam dari consuevit, nisi prius supplicans Simoniæ conscius, in manibus ipsius Sanctitatis, beneficium Simoniaca via adeptum, simpliciter ac pure abdicaverit. Adeoque cum Crispinus necdum absolutus, nec in pristinum statum redditus, suam cum Capella Irenæi, præbendam permutare attentaverit, non potuit validam peragere permutationem. Non juvat immorari heic diutius, in probandis principiis, quæ in medium adduximus, tum circa vitium tituli beneficii, quod per Simoniacam conventionem acquisitum est; tum circa pœnam excommunica-

tionis

tionis majoris, cujus vinculo, Simoniacus *ipso facto* innodatur: quoniam de iis abunde dicendi, in tractatu de Simonia, locus aliquando sese dabit opportunior (*a*).

(*a*) Sambovius tom. 2, casu 148.

CASUS VIII.

Titius, Parochus S. Blasii,
Mævius, Parochus sancti Genu,
Sempronius, Prior S. Salvatoris, sunt tres compermutantes.

Titius non prioratum S. Salvatoris, sed Curam sancti Genu, sibi cupit obveniri. Mævius, non Curam S. Blasii, sed S. Salvatoris Prioratum intendit habere. Sempronius denique non ambit sancti Genu, sed S. Blasii Curam.

De pacto igitur peragendo, tres inter se simul conveniunt, quo stipulantur, futurum ut ad Titium, Cura sancti Genu; ad Mævium, Prioratus S. Salvatoris; & ad Sempronium, Cura S. Blasii pertineat. Numquid tuta conscientia, potest ejusmodi pactio conflari?

Ratio dubitandi est, quia Romæ summo Pontifici, qua ratione de pacto conventum fuerit, nullatenus aperitur. Verum Procurator Mercatoris & Cambiatoris Domini Papæ, tres supplicationes seorsum dispositas tantum offert.

Primam scilicet nomine Titii postulantis, a Papa sese provideri de Cura sancti Genu, utpote per dimissionem Mævii vacante.

Secundam nomine Mævii, qui supplicat, Prioratum S. Salvatoris, quasi per dimissionem Sempronii, vacantem sibi conferri. Tertiam tandem nomine Sempronii, qui petit sibi concedi provisiones de Cura S. Blasii, quæ per dimissionem Titii vacare enuntiatur. Adeo ut videatur non satis innotescere Papæ, quæ conflata pactio inter partes intercesserit; nec consequenter, ejusmodi permutationem esse legitimam. Aliunde vero, nihil exponitur summo Pontifici, quod verum esse probari non possit; si quidem, ab unoquoque trium compermutantium, beneficium constet in manibus Papæ dimitti.

Respons.

Constat omnino pactum permutationis, inter Titium, Mævium & Sempronium, deliberatum, esse prorsus illicitum, ac Simoniacum Simonia, quæ est ex jure positivo Ecclesiastico; quum ad ipsum Papam non relatum fuerit, nec ipsæ partes, de eo, dispensationem obtinuerint.

Ratio est, quia quemadmodum a Gregorio IX. declaratur (*b*), in una ex ipsius Decretalibus, omnis conventio, in rebus beneficialibus, illicita ac nulla est, nisi Papæ auctoritas ad ipsam accesserit. *Pactiones factæ a vobis ... pro quibusdam spiritualibus obtinendis*, inquit laudatus Papa ... *cum in hujusmodi, omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti*. Quod idem a Navarro docetur, a quo duplex Simoniæ genus distinguitur: una scilicet ex jure divino, verbi gratia cum emitur numerata (*c*) pecunia aliquod beneficium, aut temporali aliquo, quod prætio quodam pecuniæ constituto æstimari potest, in commutationem beneficii repenso: altera ex jure Ecclesiastico, hoc est, quæ ex prohibitorio Ecclesiæ decreto, interdicitur. *Quia*, inquit, *jure humano, ab Ecclesia per potestatem supernaturaliter & divinitus ei traditam instituto, est prohibita*: exempli caussa, cum pactum circa contractus usitatos, licite frequentatum, ad res beneficiales transfertur; quod omnino Ecclesia prohibet. *Voluntas faciendi collationes, renuntiationes, vel recipiendi eas factas, cum conditionibus, modis & pactis in aliis licitis & etiam in his, nisi ab Ecclesia prohiberentur*; cujus rei Juri Canonici memoratus interpres istud exemplum subjicit ... *cum quis renuntiat Beneficium suum in favorem alicujus; ut ille, vel alius renuntiet aliud in favorem alterius ... renuntiat beneficium suum simpliciter; ut alius impetret sibi aliud ab Episcopo vel alio Collatore*. (en ipsissimus casus, qui in specie proposita, exponitur) ..... *est Simonia secundum Raimundum, quem sequuntur Angelus & Silvester (d)*. Quam rationem idem Auctor allegat, quod nimirum, *in his omnibus datur, vel relinquitur jus spirituale cum onere, ut fiat aliquid, quasi pro pretio rei spiritualis, vel caussa principali immediata eam habendi*: quod vetant cum sanctissimi Canones, tum summorum Pontificum Decretales. Jam vero Titius, Mævius & Sempronius, de quibus agitur in exposito, beneficiis suis mutuo consensu non renuntiant, nisi ea lege, ut illorum quisque, juxta quod enuntiatur in conventione, de tali beneficio sese provideri impetret. Ergo ejusmodi renuntiationes, licet omnino nudæ ac simplices appareant, in rei veritate conditionales sunt, ac pactum quoddam continent. Unde Simoniæ vitio inficiuntur, ex jure Ecclesiastico, quod a solo Papa purgari potest; ut colligere licet ex plurimis Decretalibus jam citatis, ubi de alia difficultate agebamus, quasque ad marginem heic loci indicare, satis habemus (*e*).

Diximus, ab ipso decisionis aditu primo: *Quia summo Pontifici, qua ratione, de pacto conventum fuerit, nullatenus apertum est*. Namque absque dubio est, quod si de pacto conventum esset inter tres permutantes, *sub beneplacito Papæ*; atque necessaria dispensatio fuisset impertita iis in Curia Romana; legitima foret illorum conventio, & ab omni Simoniæ culpa immunis.

(*b*) Greg. IX. in cap. *Pactiones*. 8. de pactis lib. 1. tit. 35.

(*c*) Navarr. Manual. c. 23. n. 100.

(*d*) Angelus de Clavasio. verbo. *Simonia*. 3. §. 3. Silvester de Prierio eod. v. 13 n. 24. post sanctum Raimundum de Pennaforti, in summa.

(*e*) Urban. III. in cap. *Quæsitum*. 5. de rerum permutat. Innoc. III. in cap. *Cum olim*. 7. eod. tit. Clemens V. in Clementina. *Ne concessione*. unica eod. tit.

Vide { BENEFICIUM. BENEFICIARIUS. COLLATOR. COLLATIO. PATRONUS. PENSIO. Casus *Paschasius*. }

PERSECUTIO.

Vide { RESIDENTIA Parochorum. Casus *Theotimus*. RESIDENTIA Episcoporum. Casus *Nicander*. }

PESTIS.

Vide { ABSOLUTIO. Casus *Pestis*. COMMUNIO. Casus *Gregorius*. }

PI-

PIGNUS.

DEFINITUR ex ratione *Pignus* : *Pignus est contractus, quo res mobilis traditur creditori, in assecurationem debiti* ; aut eo modo qui strictior ac magis definitus est: *Pignus est res mobilis tradita creditori, in assecurationem debiti*.

Quoniam pignus, quædam est quasi *depositi* species ; nullum jus habet Pigneratitius creditor, eo utendi, nisi consensu Pigneratoris accedente: atque debito in integrum persoluto a debitore ; ad pignus ei restituendum in eodem statu quo sibi fuit creditum, obligatur.

Triplici modo peccari potest in exigendo pignore, quod ad cautionem rei cujusdam mutuæ deponitur.

Primus est: quando, quod pro pignore traditum est, annexos naturæ suæ fructus quosdam procreat; nec ab eo qui illud accepit, usuræ sibi inde obventæ fructusve percepti, in deductionem sortis referuntur : *Pignus accipere, illicitum redditur tripliciter*, inquit Cardinalis Cajetanus (*a*); 1. *Si ad lucrum non computandum in sortem accipitur: quia hoc est contra naturalem justitiam*.

(*a*) Cajetan. in sum. v. Pignus.

Secundus est: cum pignus in re quadam consistit, quæ ex natura sua, pignoris loco dari repugnat. 2. *ex materia probibita: ut si .... vasa sacra, & hujusmodi Ecclesiastica, contra juris dispositionem, impignorentur*: Quod ipsis etiam civilibus legibus omnino interdictum est (*b*).

(*b*) Leg. *Jubemus*. 9. cod. de sacrosanctis Ecclesiis. in can. *Ea enim*. 2. 10. q. 2.

Excipiendus tamen, urgentis necessitatis casus, quæ Ecclesiæ cuidam incumberet, ut debitum aliquod quo ipsa oneraretur, citocitius extingueret: *si debitum urget*; quam quidem exceptionem admittit ipsa lex, quæ refertur in Canone: aut si dictæ Ecclesiæ essent vasa argentea, ceterave ejusmodi ipsi omnino superflua. *Enimvero, quid opus est custodire, quod nihil adjuvat?* inquit S. Ambrosius, sermonem habens, qua potissimum ratione debeat Ecclesia res suas impendere (*c*).

(*c*) S. Ambrosius. in can. *Aurum*. 70. 21. q. 2.

Tertius est; quando ejusmodi contractui quædam stipulationes accedunt, quæ prohibentur, atque legibus reprobantur: verbi gratia, cum pignus recipit creditor, ea conditione, quod, ad diem constitutam debitore non solvente, integrum sibi sit cessurum, absque eo quod ad detrahendum quidquam de debito, ullatenus teneatur: aut debitori solutionem etiam deferenti, atque rem oppigneratam reposcenti, eam ipse non sit restituturus.

De isto titulo non juvat plura subjicere; quoniam abundantius de eo egimus, cum de hypotheca dicendi locus sese obtulit; quæ quidem aliam pignoris speciem ab ea, de qua heic loci quæstio est, diversam constituit, & attentiori copiosiorique stilo indiget tractari. Monitum volumus tantum lectorem, nos in ultimo casu potissimum agere, de pignore quod creditori creditur, quasi sub titulo antichresis, in quo tum vim vocis istius, tum quod ejusmodi creditori licitum aut illicitum est, expendimus.

CASUS PRIMUS.

FLAMINIUS, cum ad cautionem summæ cujusdam centum librarum, quam a Framburgo, mutuam acceperat, equum pro pignore tradidisset; Framburgus, ad itinera breviora quidem, sed frequentia tamen, ipsum equum aliquoties adhibuit. An aliquid in eo peccati admisit?

RESPONS.

Constat quidem, pignus a debitore apud creditorem, non ad ipsius usum, sed in assecurationem debiti tantummodo deponi. Unde, qui præter voluntatem debitoris, re quadam oppignerata creditor utitur, injustitiæ prorsus arguitur, quæ speciem furti quamdam constituere, juxta leges censetur. *Si pignore creditor utatur, furti tenetur*, inquit una quædam ex istis legibus (*d*). Atque licet inde inferre, a Framburgo, nisi id ipsi per Flaminium licere obtinuerit, nullatenus potuisse tuta conscientia prædictum equum adhiberi : quoniam posset ex ipsius usu damnum aliquod emergi : aliundeque nullo prorsus jure liceat ei, ad proprium usum, rem quæ ad ipsum non pertineat, transferre.

(*d*) Leg. *Si pignore*. 5. ff. de furtis. Lib. 47. tit. 2.

Quamquam, quæ eo loci dicimus, regulam generalem statuant, quæ circa quæcumque pignora potissimum observanda sit ; nihilominus fatendum est, Framburgum in casu proposito non omnino fore damnandum ; si consulens ipsius Flaminii commodo atque utilitati, ejus equo solummodo uteretur; hoc est, eo fine, ut cursu convenienti identidem exercitatus, nec diutius in equili retentus, malum aliquod, ut contingit sæpissime, non conciperet. Enimvero nedum, in eo casu, detrimenti quidquam equo inferretur ; quin immo Framburgus ipsum ab omni incommodo, damnosoque casu præstaret incolumem ; quod quidem, non repugnante Flaminio, sed annuente potius, fieri existimandum est.

CASUS II.

DESIDERIUS, summam 500. Librarum a Gencio mutuatus ei, summæ prædictæ pignoris cautionisque loco, dedit quatuor adamantes, singulos, ad pretium usque 500. Librarum, assurgentes. Post tres menses, Desiderius ei 450. Libras reddidit, promittens, futurum ut 50. Libras superstites, intra spatium octo dierum exsolvat; in-

tereaque eum rogavit, ut ipsi reponeret tres ex prædictis adamantibus; quoniam eorum, Matronæ cuidam illustri, venumdandorum offerebat sese occasio: Quæ quidem, cum ipsa die crastina proficisceretur, habitura longum iter; occasionem oblatam nisi ipse teneret, inde sibi periculum immineret, futurum fortasse, ut opportunum adeo adamantium istorum exactum, non tam cito inveniat. Numquid, ad eos ipsi restituendos, Genucius tum conscientiæ tum ipsiusmet æquitatis ratione non tenetur; quippe, ex iisdem apud se servatis, Desiderio damnum ingens accederet: aliunde vero residuus ei superfit unus adamas 500. Librarum, in assecurationem exiguæ summæ, quæ restat ipsi persolvenda?

RESPONS.

Quamquam, ipsius Genucii durities, in eo nobis videatur ut plurimum improbanda; quod ad cautionem 500. Librarum Desiderio commodatarum, quatuor adamantes ad pretium usque 500. Librarum singulos assurgentes ab eo deponi apud sese exegerit: ista tamen est lex cujuscumque pactionis inter personas duas conventæ, cujusque conditiones ab utraque contrahentium parte ratæ habitæ sunt atque acceptæ; ut sine injuria possit ad strictos apices impleri. Porro Desiderius simpliciter ac nude consensit, futurum ut, ad integram usque argenti mutui solutionem, sui quatuor adamantes apud Genucium oppignerati remanerent. Nihil ergo juris ei cedit, ut, nondum summa quam debet in integrum extincta, e suis adamantibus quosdam valeat a creditore suo repetere: adeoque potest Genucius, absque ne minima quidem injuria, integrum depositum retinere, donec ad ipsum summa 500. Librarum integra redierit. *Qui pignori plures res accepit*, inquit Lex, (*a*) *non cogitur unam liberare, nisi accepto universo, quantum debetur* (*b*).

Possunt nihilominus tum creditor tum debitor inter sese simul pacisci, futurum ut, si suum pignus debitor ipse non liberaverit, pretio quodam, ex æquo & bono, constituto creditor habeat: neque quidquam iniqui habet ejusmodi conditionalis venditio, modo, rei sic venumdatæ pretium aliquod conveniens sive in judicio, sive mutuo consensu, imponatur: liberaque debitori permittatur optio, rei oppigneratæ vel creditori dimittendæ juxta constitutum pretium, atque supplendi quod residuum supererit, si non sufficiat istud pretium: vel ejusdem repignerandæ, summam integram persolvendo. *Potest ita fieri pignoris datio hypothecæ*, ait Lex (*c*) *ut, si intra certum tempus non sit soluta pecunia; jure emtionis possideat rem, justo pretio tunc æstimandam. Hoc enim casu, videtur quodammodo conditionalis esse venditio: & ita Divi Severus & Antoninus rescripserunt.*

Ceterum ex caritatis officio incumbit Genucio, ut strictam juris formulam ipse non attendens, qua Desiderius premitur, necessitatis angustiæ potius consulat; atque de eo ipso operæ pretium est, eum commoneri.

(*a*) Lege *Qui pignori* 19. ff. de pignor. & hypoth.

(*b*) Colloq. Condomiens. tom. 1. col. loq. 12. sect. 2.

(*c*) Leg. *Si fundus*. 16. §. ult. ff. de pign. & hypoth. lib. 20. tit. 1.

CASUS III.

DELPHIUS, mutuos sumsit centum nummos a Francisco; atque pignori dato horologio manuali, quod duplionum aureorum trium pretii est, simul cum ipso pactus fuit, futurum ut intra primam Julii proxime occurrentis, ista summa non ei persoluta, manuali horologio ipse frustraretur, atque illud ad Franciscum omnino pertineret. Delphio non fuit, unde centum nummos restitueret, nisi post octo dies, ab elapso tempore quod indictum fuerat: atque Francisco dicta summa delata, eique in integrum numerata, ab eo repetiit, sibi reddi manuale horologium. Verum Franciscus acceptis centum nummis, pignus prorsus denegavit: illud sibi servare volens quasi quid acquisitum & ex jure conflatæ inter illos pactionis omnino sibi obventum. An Franciscus dictum manuale horologium potest, cum aliquo juris fundamento, servare sibi ac retinere?

RESPONS.

Ut propositæ quæstioni fiat satis, dicendum est, persoluto debito, debitoris illud semper juris esse, concreditum pignus suum a creditore repetere. Atque adeo licet Delphium inter & Franciscum, de eo convenerit, quod ad diem constitutam centum nummis non restitutis, pignus cederet creditori; nec nisi post indictum tempus numerati fuerint, id nihilominus debitori juris servatur; ut depositum suum pignus reposcat. Cujus rei ratio hæc est, quod hujusmodi conventiones, quas jus appellat *Legis commissoriæ*, Canonibus perinde ac Legibus, quantum ad pignora, reprobentur. *Quoniam inter alias captiones, præcipue commissoriæ pignorum Legis crescit asperitas*, inquit Imperator Constantinus (*d*), *placet infirmari eam & in posterum omnem ejus aboleri memoriam. Si quis igitur tali contractu laborat, hac sanctione respiret; quæ cum præteritis præsentia quoque repellit & futura prohibet.*

Pugnant enimvero conventiones istæ, cum æquitate naturali. Unde sicut Romano, sic etiam Canonico jure omnimode repudiantur: quemadmodum videre est ex quadam Innocentii III. Decretali (*e*). Igitur Franciscus non potest absque injuria, horologium manuale Delphii sibi servare; & cum ab ipso commodatam pecuniam recuperaverit in integrum; ad restituendum ei pignus depositum omnino obligatur. Si quid ei tamen ex mora solutionis, emergentis damni illatum fuisset, ad illud resarciendum Delphius tenetur.

(*d*) Leg. *Quoniam*. fin. cod. de pactis pignorum, & de Lege commissoria in pignoribus rescindenda. lib. 8. tit. 35.

(*e*) Innoc. III. in cap. *Significante*. 7. de pignoribus, & aliis caution. l. 3. tit. 21.

CASUS IV.

DOMINICUS, cum credidisset Leandro 10000. libras; ad summæ mutuatæ cautionem, domum suam non tantummodo iste oppigneravit, sed ipsum præterea in illius possessionem sub titulo antichresis venire voluit; usque dum pecuniam in integrum ipsi præstaret. Post quatuor menses ista domus incendio cælesti deflagrata, tota penitus absumta est. Utri periit?

RESPONS.

Priusquam solvatur quæstio proposita, operæ pretium est tenere illud, quod apud Jurisconsultos, sub ista voce antichresis, Græce ἀντίχρησις passim circumfertur; esse fiduciarii alicujus fundi possessionem, quæ traditur a debitore creditori; ut ipsum pignoris loco habeat, eoque fruatur ista conditione, quod fructus inde perceptos compenset cum legitimis usuris quæ debentur (*f*) a Debitore, cui creditor restituere debet auctarium ipsorum fructuum, si (*g*) debito plus excedere reperiantur; debitore semper exstante oppignerati fundi proprietario, ac consequenter domino fructuum qui in eo procreantur, verbi gratia, optimitatum, quæ ipsi fortuito accedunt (*h*).

Quibus præsuppositis dicimus debere, in casu de quo quæstio est, jacturam in Leandrum recidere, siquidem absque ulla Dominici culpa, fortuitoque omnino casu evenerit; juxta illud juris effatum, *res perit domino* (*i*): quod ita etiam se haberet, si eadem domus ab hostibus fuisset tempore belli vastata atque conflagrata; secundum id quod fertur in Lege iis verbis (*K*): *Venit autem in hac actione dolus & culpa, ut in commodato: vis major non venit*. Cui etiam ista alia Lex concordat (*l*), *Culpam dumtaxat ei præstandam, non vim majorem*. Unde Dominico jus cedit, summæ sibi debitæ ex ceteris Leandri bonis repetendi. Verum aliter prorsus sese res haberet, si Dominicus combustæ domus caussam utcumque contraxisset: in eo quippe casu, ad resarciendum emergens inde Leandro detrimentum omnino teneretur; si id etiam contigisset ex negligentia, in quam nullus vigilans ac studiosus incurrat; quemadmodum ex laudatis iisdem Legibus evincitur. Cujus rei ratio est, quod ut habet alia Lex (*m*): *Ea igitur, quæ diligens paterfamilias, in suis rebus præstare solet, a creditore exiguntur.*

Nititur ista decisio 1. eo principio generali, quod apud jus Romanum obtinet (*n*): *Contractus*

(*f*) Leg. *Si is*. §. 1. ff. de pignore & hypoth.

(*g*) Leg. *Ex pignore*. 1. cod. de pignor. act. & Leg. 24. §. 2. in fin. eod. tit.

(*h*) Quidquid pignori commodi sive incommodi fortuito accessit, ad debitorem pertinet. Leg. *Si inter*. 21. §. 2. ff. de pignor. & hypotheca.

(*i*) Argum. Legis *Pignus*. 9. cod. de pignoris actione. l. 4. tit. 24.

(*K*) Leg. *Si cum venderet*. 13. in fin. ff. eod. tit. lib. 13. tit. 7.

(*l*) Leg. *Qui ratiario* * 30. ff. eod. tit.

* Ratiarius, id est, qui habebat aut faciebat rates. *Accursius*.

(*m*) Leg. *Ea igitur*. 14. ff. eod. tit.

(*n*) Leg. *Contractus*. 23. ff. de divers. reg. juris antiq.

Qui quidem dolum malum dumtaxat recipiunt ..... dolum & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum. 3. Ista Lege Imperatoris Justiniani (*a*); *Quia pignus, utriusque gratia datur; & debitoris, quo magis ei pecunia credatur; & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum; placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam, exactam diligentiam adhibeat; quam si praestiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit; securum esse, nec impediri, creditum petere*. En difficultatem propositam, postrema istaec laudati Imperatoris verba, penitus omnino rescindunt.

(*a*) Instit. §. ult. quibus modis contrahitur obligatio lib. 3. tit. 15.

Vide { Hypotheca. Usura. Casus 22. & 23. }

PISTOR DULCIARIUS.

Vide Dies Dominicae, atque Dies Festi.

PISTRINUM.

PISTRINORUM numeratur genus triplex. Primum est Pistrinum, cujus molae aquae vi versantur, quodque a Latinis dicitur, *Pistrinum aquarium*, cujus usus testante Polidoro Virgilio coepit, ipsa aetate Ciceronis adhiberi (*b*), quodque, rota ingenti, quae ipsius aquae decidentis in eam impetu circumagitur, integrum movetur. Constat ista compages ex multis partibus, quae simul cum rota, veniunt in ipsius aedificium; scilicet mola, farinario incerniculo, laterna, infundibulo, mactra & crepiraculo molari.

(*b*) L. 3. de rerum invent. c. 18.

Secundum est Pistrinum, quod brachiorum molimine & nisu adhibitis agitur; quodque latine appellatur, *mala trusatilis*: Atque illud est, quod in usum hominum, coepit primum induci.

Tertium est Pistrinum, quod ventorum violentia versatur, latinoque idiomate sic reddi solitum, *Pistrinum ventilatum*, aut *alatum*, cujus assurgit moles constans ex quadam quasi cavea, mola, freno, quo cohiberi queat ad libitum, & aliis moletrinis, aut velis volantibus, centum quatuor ulnis telae cujusdam gummi illitae obvolutis, quae quidem data vento abripiuntur, atque molem rotam secum simul circumvolvunt.

Est & aliud genus Pistrini quoddam, quod in agro forensi, & aliis quibusdam Galliarum Provinciis consuevit adhiberi, ad contundenda planaque facienda metalla, atque eadem in laminas convertenda.

Occurrunt etiam generis alterius Pistrina, quae ad varios alios usus adhibentur; qualia sunt cartacea trapeta, quae ad id potissimum conducunt, ut tundantur ac comminuantur vetera quaeque lintea, & ex iisdem papyrus conficiatur; trapeta, quae pulveri sulphurato efformando inserviunt; Pistrina, quae stillando oleo ministrant; fullonicae tabernae, & quibus querneus cortex efficitur; atque ceterae hujusmodi moletrinae.

Circumferuntur etiam a bracteatoribus machinae quaedam, quae moletrinarum appellatione donantur; quaque si Richeletio fidem habeamus, concrescunt ex aeneis duobus Cylindris, quos inter ad instar moletrinarum, quibus nummi cuduntur, filum aureum aut argenteum ducitur; ut deinde contundatur & in laminas extendatur. Iidem etiam, Auctore testante eodem, pistrinis quibusdam utuntur, ad filum in orbes glomerandum, illudque bombyci superaddendum, quae coalescunt ex pluribus sucularum ordinibus simul ac semel in orbem volventium.

Pistrini vocabulum etiam accommodatur alteri cuidam machinae, quam adhibent gemmarum scalptores, ad incidendos adamantes, & alios lapillos.

Moletrinam quoque Acetarii machinam quandam dicunt, cui tota dentata inest; quamque adhibere solent ad comminuenda tum piper tum sinapim atque efficiendum ex utroque, mixtum quoddam, Gallice dictum, *mentarde*; postquam per horas viginti quatuor macerata fuerunt in aceto.

Eadem denique circumferri solet sub appellatione, structura quaedam exigua quae manubrii versatilis ope circumagitur, ad triturandas fabulas quae in Europam ex Arabia felici asportantur, quas Galli vocant, *caffe*. Verum isthaec leviter ac per transennam tantum perstricta volumus. Neque enim in eo titulo quaestio instituitur, nisi de pistrinis, quae ad frumenta molenda, proprio peculiarique usu destinantur.

In

In fluminibus atque omnibus in quibus navigare consuetum est, non licet Pistrina aquaria construere, nisi ea de re copia ab ipso Rege facta, ad quem jure proprio pertinet supremum illorum dominium; modoque in publicum damnum nullatenus vergant. At cuilibet etiam privato conceditur ut ejusmodi Pistrinum, in omnibus nec spatiosis nec navigabilibus, possit ædificare: modo eo loci extruatur, qui positus sit e regione alicujus fundi cujus sit proprietarius, nec contineatur intra fines clientelaris alicujus prædii, cui pistrini bannalis jus annectatur; neque etiam notabile damnum aliquod inferat, ex retentis aquis eluvione quadam, in possessiones adjunctas, irrumpente. Attamen invalescit quibusdam in locis consuetudo, quemadmodum fertur in consuetudinibus firmitatis Imbaldi (*a*), & Maseriæ, in agro Bituricensi (*b*); ut in istis etiam casibus consensus, Domini gladii jure gaudentis, necessario requiratur. Quod aliæ consuetudines, qualis ea, quæ in Nivernensi tractu obtinet, præscribere non solent, nisi Dominus habuerit jus bannarium (*c*).

(*a*) Artic. 10.
(*b*) Artic. 7. & 9.
(*c*) Cap. 18. art. 5.

Quod attinet, Pistrina ventilata construenda, is usus apud nos recipitur, ut non ante ædificari incipiant, quam facultas a Domino loci fuerit primo concessa; ut testatur Bacquet (*d*).

(*d*) Bacquet tract. de jurib. justitiæ c. 29. n. 20.

Pistrina tam aquaria, quam ventilata, tanquam res non moventes recensentur, in consuetudine Parisiensi (*e*), & in ea, quæ in Normannia, locum habet (*f*). E contrario res quasi moventes censentur, apud multas alias consuetudines, ut apud eas, quæ stamparum (*g*), in agro Bituricensi (*h*), Launduni (*i*), Remorum (*k*), & Bapam obtinent (*l*). Adeoque non eundem, ea de re, usum servat Jurisprudentia nostra: ac recurrendum ad receptam in unoquoque loco consuetudinem, cui cum de ista materia, quæstio est, potissimum insistendum esse existimamus.

(*e*) Art. 90.
(*f*) Art. 515.
(*g*) Art. 129.
(*h*) Tit. 4. art. 3.
(*i*) Art. 102.
(*k*) Art. 23.
(*l*) Art. 13.

Pistrina sunt aut privata, aut publica. Pistrina publica, bannalia aut bannaria dicimus, ut loqui amant quædam consuetudines, qualis est, quæ viget in Bituricensi agro (*m*). Jus Romanum tum vetus tum recentius nullum ne minimum quidem verbum habet de jure bannario, quod quibusdam hodie moletrinis, furnis, ac torculis annectitur.

(*m*) Tit. 16. art. 1.

Istud Banni seu Bannale jus decimo currente sæculo invalescere cœpit; nec primo inductum est, nisi ex vi atque iniqua Dominorum occupatione; summaque Clientium inopia, quibus Pistrinorum ædificandorum aut facultas deerat aut quidam fidens animus. Atque illud omnino patet, ex querela, a celeberrimo Fulberto Episcopo Carnotensi, ac Quæstore Galliarum Candidato, apud Regem Robertum, ea de re habita (*n*). Unde inter ducentas nonaginta consuetudines in Gallia passim frequentatas, occurrunt triginta & una tantummodo, in quibus ista servitus usu recipitur. Et ex istis decem tantum numerantur, in quibus recensetur in ordinem jurium clientelarium, & ex justitiæ titulo debitorum; hoc est, in quibus jus banni ascribitur Dominis justitiæ jure gaudentibus, in eos, qui ipsorum juris sunt atque potestatis, etiamsi nullo legitimo titulo aliunde nitantur. Quæ quidem consuetudines sunt; quæ apud Britanniam minorem, Andes, Turonensem agrum, Cenomaniam, Laudunensem tractum, Perticum, Pictonicum agrum, Marchiam, Inculismensem tractum, & Santonensem provinciam locum obtinent: Aliæque viginti & una consuetudines, tanquam servitutem personalem duntaxat habent, jus istud bannarium, quod nec nisi ex legitimo titulo potest obveniri. Ut statutorum, sic difficultatum feracissima est ista materia, quæ luculenter admodum enodantur a D. de la Marre in tractatu, quem de Disciplina politica edidit (*o*), ad quem lectorem, de industria dirigimus; ut quæ in subjectis præsenti titulo decisionibus, non attingimus, illic explanata, atque omnino expedita, ipsi occurrant.

(*n*) Fulbertus Ep. 14.
(*o*) D. de la Marre tract. de disciplina politica l. 5. tit. 9. cap. 1. & seqq. tom. 2.

CASUS PRIMUS.

JULIO Domino trium Parœciarum, Pistrina multa sunt, constructa in quodam Amne, cujus aquæ irrigant istius Domini prædia. Quæ quidem Pistrina, constare ex punctis quadratis, ab omni hominum memoria consueverunt; id est, quorum molæ compinguntur axibus, ad formam quamdam quadratam coassatis. Ipsius Parochus ab eo exigit, ut dicta pistrina in novam formam restituat, eaque, punctis rotundis instrui efficiat, curando nimirum, ut ipsorum molæ, compactis in se invicem axibus ad formam rotundam & orbiculatam, circumcludantur. Qua quidem ratione potissimum nititur, quod præter jus debitum molituræ, quidquid etiam farinæ per angulos quadratos dissipatur, molitoribus accrescat, in damnum quorumcumque privatorum, quibus incumbit, ut suum frumentum molendum, ad dicta pistrina deportent; aliundeque conditio melior ipsi Julio cedat, in eo, quod pretio majori, sua pistrina elocet, quam si ex punctis rotundis constarent.

Verum Julius in eo se se contendit, ab omni omnino culpa procul abesse. 1. Quia ab omni ætate gaudet ista possessione, quod sua pistrina, quadrata semper extiterint. 2. Propterea quod, quæ juris molituræ loco præstantur, minora levioraque exigi consueverint, in pistrinis quadratis, quam in iis, quæ rotunda sunt. 3. Quod, quibus illud perspectum est, illi de eo nulla ratione conquerantur.

Petit

Petit utrum, ea rationibus allegatis, sibi jus tribuatur, ut quo statu instruuntur sua pistrina, in eodem sinat, absque ulla injuria perseverare.

RESPONS.

Eruditus Theologus, propositæ sibi, quadraginta ab hinc & amplius annis (a), difficultati simili, eo modo satisfecit; dicendo scilicet, in iis regionibus, in quibus, quæ Legis vim & locum obtinet, consuetudo fert, omnia pistrina ad formam rotundam esse construenda; aut consuetudine deficiente eum, quæ in viciniori Provincia usu recipitur, adhiberi solet, idem exprimit, aut denique, quando in istis terris, quæ juris scripti depositionibus regi assolent, quantum ad rem de qua quæstio est, consuetudini stare consuetum est, teneri ex conscientia, quoscumque pistrinorum quadratorum proprietarios, ad eadem restituendani novam aliam formam, & efficiendum, ut punctis orbiculatis instruantur.

(a) Samboril. art. 3. casu 232

Jamvero multæ consuetudines, quæ locum habent in Provinciis Galliæ, aliquid de eo pistrinorum structuræ discrimine subjiciunt, ac præcipiunt quid in eo casu sit potissimum præstandum.

Quæ in tractu Nivernensi obtinet, ea de re, sic habet. *Incumbit Domino banni, ut suum pistrinum, punctis rotundis omnique ex parte omnino clausis, instrui caveat, sub pœna mulctæ, ad arbitrium Judicis irrogandæ .... Item quod deinceps tenebitur Dominus aut ipsius molitor, ad efficiendum, ut pistrinum suum punctis orbiculatis & optime compactis coaptetur, sub pœna mulctæ arbitrariæ, & quorum sunt pistrina quadrata, sive banni jure gaudeant, sive quicumque alii fuerint; ipsi obligabuntur ad curandum, ut intra tres menses currentes, eadem, in formam rotundam restituantur, sub pœna mulctæ decem librarum, dictorumque pistrinorum eversionis, si post elapsum istud tempus, quadrata perseveraverepeiantur* (b).

(b) Consuet. Nivern. c. 18. a. 9. & 241.

Ista etiam ea de re verba, Borbonia consuetudo adhibet (c): " Atque incumbet Domino aut ipsius Molindinario, ut suum pistrinum, punctis orbiculatis & bene occlusis, instrui summopere caveat, sub pœna mulctæ ad libitum Judicis omnino permissæ; Obligaturque, qui pistrinis quadratis uti consueverunt; tam qui habent jus banni, quam alii, ad efficiendum, ut intra tres menses, a præsentis edicti denunciatione computandos, in novam aliam formam, quæ rotunda sit, refundant; alioquin mulcta decem librorum plectantur, ipsi, evertanturque ipsorum pistrina, quæ post effluxum dicti temporis spatium, quadrata extare deprehendentur.

(c) Consuet. Borbon. c. 33. a. 537.

Quæ apud Provinciam Laudunensem (d), & Pictonicum agrum (e), usu inductæ sunt consuetudines, idem quoque; iisdem fere verbis referunt.

(d) Consuet. Laud. an. a. 5. a. 32

(e) Consuet. Pictonica, a. 38.

Quod pertinet ad jus molituræ, illud variari consuevit, pro ipsius consuetudinis locorum diversitate. Quæ in Provincia Nivernensi viget, jus prædictum, ea ratione, determinat (f), " jus molituræ tale est, ut de modio frumenti, metis ipsius modii, penitus æquati, quod Molitori molendum committitur, ab eo, reddendus sit, cumulatus modius farinæ bene ac congruenter molitæ, præter jus molituræ ". Quod idem fertur in consuetudine Borbonia (g). Quæ in agro Blesensi frequentatur (h), ait; quando molitori frumentum emundatum, ventilabrisque " subjactatum, traditur molendum; de modio frumenti stricte & ad modum ipsius modii exæquati, cumulatum farinæ egregie congruenterque molitæ modium, quin etiam modios tredecim in locum modiorum duodecim rependere debet ". Fert consuetudo Pictonica (i): " jus molituræ, quod Molindinarii retinere sibi possunt, est ejusmodi, quod quando frumentum mundatum atque ab omni sorde purgatum, ipsi committitur molendum: de modio frumenti stricte metisque penitus adæquati, reddendus sit ab ipsis cumulatæ farinæ modius; atque e duobus modiis farina impletis, alteruter debeat congeri, ambabusque decussatis manibus comprimi, atque deinde rursum cumulari; & ut perfectius ejusmodi mensura confici possit, debet modii altitudo ad tertiam usque latitudinis ipsius partem assurgere ". Quæ apud minorem Britanniam obtinet, fert " jus molituræ, esse decimam sextam partem frumenti, quod mola contritum est ".

(f) Consuet. Nivernens. c. 25. a. 6.

(g) Consuet. Borbon. c. 33. a. 537.

(h) Consuet. Blesen. a. 241.

(i) Consuet. Picton. a. 36.

Ex quibus omnibus licet inferre. 1. Si Julius in his regionibus degat, quæ jure moribus constituto regantur: ipsum teneri ad obsequendum iis, quæ Provinciali consuetudine decernuntur, si propria sit istius provinciæ consuetudo, sive vicinioris Provinciæ instituta adhibeantur. 2. Similiter eum obligari ad insistendum Regis Edictis, si quæ fuerint; eo loci, legitime rationeque debita, promulgata. 3. Neque alioquin ipsi incumbere, ut pistrina sua, quæ quadrata perstare consueverunt, orbiculata construi caveat.

CASUS II.

PERIANDER, Dominus cujusdam prædii, quod in Provincia Normanniæ situm est, pistrinum possidet, cui banni jus annectitur, ex quo jure tenentur Clientes ipsius ad frumenta, quæ molenda habent illuc deportanda, solvendamque ipsius Molindinario decimam sextam partem farinæ, quam reddunt dicta frumenta. 1. Nunquid jus istud æquitati consentaneum est? 2. Clientes, qui ad aliena pistrina confluunt, sua frumenta molituri, in aliquamne pœnam incurrunt?

RESPONS.

Priusquam enunciatæ difficultati satisfiat, tanquam principium omnino verum ac inconcussum admittendum est, licet, post diutinum tempus ab inventis pistrinis, constitutum fuerit Jus bannarium, de eoque, apud Jus antiquum prorsus sileatur, hodiernis tamen temporibus, legitime illud cedere Dominis Clientelaribus, qui istius possessione gaudent, quorumque pistrina construuntur in amni, cujus, ex utraque parte, ambæ oræ, ipsorum beneficiaria prædia, contingunt; ut Normanniæ consuetudo exigit (k).

(k) Consuet. Normann art. 210.

Jus istud nititur aut solius consuetudinis institutio, quod obtinet vim legis apud Provincias, in quibus, quantum ad istud caput, invalescit; quemadmodum in minori Britannia, in Pictonica Provincia, in Andegavensi tractu, in agro Turonensi, & in Cenomania; aut peculiaris omninoque expressi tituli fundamentum habet; ut in consuetudine Parisiorum & Normanniæ: alioquin spurium prorsus censetur. Indeque est, quod Parochi, in suis curialibus ædibus, commorantes, juri bannario non subjaceant; quanquam, in fundo clientelari, & decumas colligant; & ibidem extent ipsorum ædes Curiales. 1. Quia in titulorum monumentis, quæ possidentur ab istis Dominis, soli Clientes recensentur, nulla facta, de Parochis, mentione. 2. Propterea quod jus decumarum, antiquitate sit superius, quam jus banni: ac Parœcianis incumbat, ut, Pastori suo, domum accommodent ab omni servitute liberam. Neque propterea ab eo bannali jure immunes evadunt Parochi, quantum ad frumenta, quæ ipsis obveniunt, de paternis fundis; aut ipsis etiam agris, qui ipsorum beneficio erogati sunt, aut qui Curæ accreverunt, ex jure emptionis, ab ipsorum prædecessoribus exhibitæ; quippe nec donatores nec venditores, ulla ratione, potuerint juribus Dominicis; ex sua donatione aut venditione, quicquam officere.

Quibus præsuppositis, ad priorem difficultatem respondemus, asserendo nempe legitimum omnino esse, ipsum banni Jus, quo Periander gaudet, si possessioni ipsius, alicujus tituli fundamentum addatur, hoc est, conventum aliquod, ab ipsa communitate ipsius Clientium, nemine cogente, conflatum, quo perspectum fiat, eam servitutem, aliquibus de causis legitimis, ab ipsa ultro fuisse acceptatam. Atque observandum venit, ex inducto isto banni Jure. 1. Omnibus Clientibus adimi facultatem construendi, aut constructa retinendi pistrina, furnos, aut torcula, ad privatum propriumque usum, destinata, ut, ea de re, pronunciatum est Arresto quodam in suprema Divionensi

Curia, lato, 5. Martii 1580. 2. Dictum Jus bannale, etiam ad frumenta quantum ad molituram extendi, quæ Clientes sibi aliunde conquisivissent, & per spatium viginti quatuor horarum domi suæ retinuissent, sive commercii, ex iis, faciendi causa, sive conficiendi panis atque palam & publice deinde venditandi: ut multis Arrestis constitutum est, & nominatim tribus, e suprema Normanniæ Curia, emanatis: atque 17. Januarii 1541. 26. Februarii 1663. & 17. Julii 1665. pronunciatis; quæ referuntur a Basnagio, in ejusdem Provinciæ consuetudinis 210. Articulum (a).

(a) Basnage in Consuet. Normanniæ a. 210.

Ad alterum quæsitum respondemus, si legitimum istud Jus fuerit, ea ratione qua supponimus, quamque superius observavimus; hoc est, si Periandri possessioni, titulus legitimus accedat, quemadmodum ipsa Normanniæ consuetudo, in qua ejus prædium beneficiarium situm est, præscribit; non posse istius Clientes illibato remanente conscientiæ suæ debito, aliena pistrina adire, ut sua frumenta molantur, quin ad restituendum Molendinario Periandri, emergens inde damnum, teneantur; nisi subsit aliquod impedimentum, quod, immunitatis legitimæ gratia, possint causari. Porro plurimæ hujusmodi causæ possunt subesse ipsorum excusationis.

Prima: nimia distantia, qua domus eorum a pistrino disjunguntur. Quamvis enim ejusmodi causa non exprimatur in aliquibus consuetudinibus; in cæteris plerisque præfinita reperitur, ad primum a pistrini loco lapidem, sive Banleucam, nec longius extenditur. Quales sunt Consuetudines minoris Britanniæ (b), Turonensis (c), Pictonica, Andegavensis, & Cenomaniæ. De qua longiori distantia Fulbertus Episcopus Carnotensis querebatur, in Epistola ad Ricardum Normanniæ Ducem (d), cujus id oneris, Clientibus incumbebat, ut ad pistrinum sancti Odonei licet a Domibus suis, leucarum quinque intervallo, dissitum, frumenta sua molenda deportaret.

(b) Consuet. Minor Britan. a. 19.
(c) Consuet. Turon. t. 1. a. 1.
(d) Fulbert. Ep. 14.

Secunda, quando ipsum pistrinum molere non potest, sive quod destruatur, sive quia molæ sunt usu detritæ, sive etiam propterea quod aquæ, quæ suo impetu pistrinum circumagunt, deficiant.

Tertia; cum Cliens tantam frumenti copiam in pistrino adesse percipit, ut suum ipse frumentum mola conteri, intra spatium viginti quatuor horarum, non valeat obtinere: quo quidem in casu potest quocumque libuerit, asportare: quemadmodum permittunt plurimæ consuetudines, ac speciatim, quæ in Pontico (e) & in magno Pertico (f) frequentatur.

(e) Consuet. Pontic. tit. 6. a. 99.
(f) Consuet. Magni Pert. t. 1. a. 24.

Quarta; cum Client aliunde sibi comparatum frumentum, extra limites prædii beneficiarii, mola conteri curavit. Neque enim in eo casu, juri bannario, ulla ratione subjicitur.

Tandem quod spectat ad pœnas, quæ decernuntur, adversus eos, qui jus bannale fraudant, earum idem ubique non reperitur modus. Namque juxta consuetudines Boloniensem (g) & Pontinensem (h), non tantum farinam & panem; sed etiam jumenta, jumentorumque strata atque plaustra occupandi, facultas ipsi Domino conceditur. Quæ viget in Normunnia, illi frumenti farinæque addictionem tantummodo attribuit. Uno verbo, unumquemque sese gerere convenit, secundum quod consuetudine Proviuciæ, in qua degit, reperit esse constitutum.

(g) Consuet. Bolon. tit. 14. art. 56.
(h) Consuet. Pontinens tit. 8. a. 97.

CASUS III.

Valentinus, Dominus jure gladii altæque justitiæ gaudens, ad quem pertinet jus pistrini bannalis, eo vult adducere incolas trium Pagorum suos Clientes, ut frumenta sua in ejus pistrinum molenda deportent, quod quidem prorsus detrectant. 1. Quoniam ista possessione jam pridem utuntur, ut ad quæcumque pistrina, prout sibi libuerint, accedant. 2. Quia, quæ a dictis pagis, ad pistrinum bannarium, itinera deducunt, asperiora sunt ac præsertim hyemali & pluviosa tempestate, omnino inextricabilia. Nunquid Valentinus aliquid in eo iniqui non prodit?

Respons.

Ut possit tutius judicari, an quam sibi trium Pagorum memorati incolæ vindicant, legitima sit, nec ne possessio; distinguendum est. Eorum namque, qui intra limites prædii beneficiarii, quod Valentini est, continentur; aut pars maxima, jure moletrinæ bannalis, subjacere sese, absque controversia consentit; aut pars tantummodo, quæ minor est. Si jus istud banni a majori parte acceptetur, eadem Lex cæteris quoque debet incumbere; nisi certissima suæ immunitatis argumenta protulerint. Atque sic statutum est a supremo Rhotomagensi Senatu, antiquo quodam Arresto ea de re pronunciato 21. Julii 1514. relato a Beraut, in suo Consuetudinis Normanniæ commentario (i); item tribus etiam aliis Arrestis, quorum primum, 22. Februarii 1602. secundum ac tertium, annis 1607. atque 1610. lata fuerunt.

(i) Beraut in Consuet. Norman. t. de bonis a. 210.

Quod pertinet ad vias inexplicabiles, quas opponunt trium Pagorum habitatores, ipsius est Domini curare, ut reficiantur, in eumque statum restituantur, qui ad bannariam moletrinam opportunum liberumque efficiat accessum. Quemadmodum judicatum fuit a supremo Britanniæ Armoricæ Senatu, 19. Octobris 1620. juxta qaod Frain testatur (K).

(K) Frain p. 263.

CASUS IV.

Georgium locupletem rusticum, cupido cœpit pistrinum frumentarium ædificandi propria privataque authoritate, in quodam amni, cujus ex utraque parte ripas, contingunt ducenta, agrorum arabilium, qui ipsius sunt jugera. Ipsine Jus istud cedit; atque cum aliquo Juris fundamento, potestne istius cupidini obsisti, prædicto amne, in ejus possessiones, interfluente?

Respons.

1. Respondemus, si amnis iste fuerit navigabilis; nonnisi ipsi Georgio copia a Rege, de eo, facta, Jus cedere construendi pistrini; quoniam prædictum Jus, ad ipsum Regem tantummodo pertinet.

2. Etiamsi copia ei, ab ipso Rege, facta fuerit; tenetur, juxta Regia Edicta, ad permittendam amni, latitudinem octo orgyarum, circa mediam partem, qua rectam lineam aquæ decurrendo describunt; atque cavendum, ut inde auferantur vectes, Ancoræ, palangæ, sublicia, rudentes, & omnis operariorum ferramentorum apparatus; atque generatim quidquid, navigationis expeditæ cursum, posset quocumque modo retardare. Quod ita decretum est tribus Arrestis, quorum primum latum est a supremo Parisiensi Senatu 23. Decembris 1625. adversus dictos Bulleau, Champion, & Gallisson, quo damnantur ad restituendum quidquid in disturbandis eorum moletrinis fuit impensum; quod nimirum in via navigabili construerentur. Secundum ab eodem quoque supremo Senatu emanavit 11. Aprilis 1631. quo mulcta 400. librarum *Parisiis*, iis qui non potuerint, constituitur, & idem de pistrinis pronunciatur. Tertium vero cum duobus prioribus concordat, ac latum fuerat 7. Julii anni 1565. adversus eos, qui possidentes pistrina in Ligere, cæterisque omnibus, qui illuc confluunt, edicta Regia, quoad memoratum articulum perfringerent (l).

(l) D. Brill. v. Pistrinum n. 48.

3. Quod si amnis fuerit innavigabilis; potest omnino Georgius, in eo moletrinam ædificare, quippe non nisi in fundo sibi proprio, ædificium attollat.

4. Quod si tamen fluat iste amnis intra limites Jurisdictionis alicujus Domini jure fori gaudentis, in eo moletrinam construere non potest Georgius, nisi dicti Domini consensus accesserit. Quod statutum est Arresto anni 1585. pro Comitissa Alensi, contra quemdam ejus Clientem, qui pistrinum ædificare volebat in quodam amni intermeante in agros, qui jurisdictioni laudatæ Comitissæ subjiciebantur (m).

(m) D. Brill. v. Pistrinum. n. 20.

5. Quod

Google

5. Quod si, quæ Georgii sunt possessiones, alicujus fundi beneficiarii, qui ad ipsum pertineret, forent appendices, non ipsi etiam Domino, alto justitiæ imperio gaudenti, Jus succurreret, ut pistrino isti ædificando, ullatenus posset obsistere; juxta Arrestum pronunciatum a supremo Rhotomagensi Senatu 26. Junii 1534. occasione cujusdam pistrini ventilati.

PŒNITENTIA INJUNCTA.

TERTIA pars sacramenti Pœnitentiæ consistit, in temporaria satisfactione, quam sibi, a Confessario, impositam, peccator offert Deo, ad expiandam pœnam temporalem, quæ luenda superest, post condonatum peccatum tum quoad culpam, tum quoad pœnam æternam, in quam peccando incurrerat.

Definiri potest pœnitentia injuncta, isto modo, quem adhibet Pater Juenínus, in suo Theologico compendio (*a*), *castigatio peccati, inflicta a Sacerdote, ad resarciendam injuriam, quæ Deo, per peccatum, fuit illata.* Aut istis verbis, quæ a Polmano usurpantur (*b*). *Satisfactio est voluntaria pæna, a Confessario injuncta, toleratio, ad compensandam injuriam, Deo, per peccatum, illatam, & ad redimendam graviorem pænam promeritam.* Dicitur, *voluntaria*, propterea quod eam, a Pœnitente, acceptari, necessario requiratur, ut suum possit effectum sortiri, quemadmodum, ut sacramentalis sit, necesse est, eam infligi a Confessario, cui competit ligandi atque solvendi potestas; ut juxta Patrum Doctrinam, a Tridentina Synodo definitum est (*c*).

(*a*) Juenin. Compend. par. 9. cap. 6. §. 4. pag. 617.

(*b*) Polm. parte 3. n. 542.

(*c*) Concil. Trid. sess. 14. c. 8.

Additur, *ad redimendam graviorem pænam promeritam*; enimvero quemadmodum is esse debet animus peccatoris pœnitentis, ut irrogatam Deo offenso injuriam in seipso ulciscatur; sic etiam injunctam sibi pœnitentiam habere debet, quasi medium quoddam sibi a Deo concessum, quo graviorem pœnam promeritam, exigua ac leviori pœna sibi inflicta, valeat redimere. Incumbit quoque pœnitenti, ut eam acceptet, atque impleat: si enim ipsam adimplendi, consilium non esset; ex eo, sacramentum fieret imperfectum: pœnitentia siquidem injuncta, in sacramenti partem, ut ajunt Theologi, integrantem venit.

Pertinet ad strictum, cujuscumque Confessarii, officium, ut, cui concedere intendit absolutionem, pœnitentiam convenientem, atque pro ratione atrocitatis ac multitudinis peccatorum depositorum, aliquatenus accommodatam, imponat. Quod conceptis verbis, in Concilio Tridentino, exprimitur (*d*). Verum equidem est, hodierna hac nostra ætate, inolevisse ac desiisse ad strictos apices servari austeram illam severitatem, quæ pristinis olim temporibus frequentabatur, & quæ Canonibus, quos Pœnitentiales vocant, præscripta fuerat: ad quorum normam primis Ecclesiæ sæculis, quibus singularis exempli fervor vigebat, Pœnitentes omnino ordinari consueverant; a prudenti tamen sapientique Confessario, tam antiqua tamque sancta statuta non debent ignorari; & quanquam prudentiæ non fuerit, ista ad praxim semper reducere, eo præsertim tempore, quo tantopere remissum est de illorum austeritate, ac pœnitentium ardor adeo elanguit; muneris saltem atque caritatis ipsius est, ut qui ad eum accesserint, eorum notitia curet peccatores imbuere; quo scilicet induci possint, ad agnoscendam suorum criminum atrocitatem, ad eliciendum interiorem ac sincerum magis contritionis actum, & ad acceptandas alacriori lubentiorique animo satisfactiones minus severas ac brevioris temporis spatio demetiendas, quas ipse injungere satis habet. Atque illud a S. Carolo Borromæo docetur his verbis. *Il Confessore ... dovera nondimeno spesse volte manifestarlo al penitente per indurlo a maggior contrizione, e a seguire, tanto più prontamente la minore penitenza che gli sarà stata ingionta, cavando utilità dalla benignità che oggi usa seco la Santa Chiesa in mitigar il rigore dell' antica disciplina Ecclesiastica* (*e*).

(*d*) Idem ibidem.

Pœnitentia injuncta non tantum acceptanda est, sed etiam quam citius poterit fieri, adimplenda, aliter ex mora ac negligentia illam præstandi, alicujus culpæ reatus importaretur.

(*e*) Act. Eccles. Mediol. part. 4. p. 769.

Tandem in peragenda pœnitentia, quæ infligitur, status gratiæ requiritur, quantum possibile est; aut saltem quidam pœnitentiæ motus adesse debent, nullo prorsus mortalis peccati studio remanente: quippe, qui ejusmodi affectu tenetur, Deum sibi reconciliare velle nunquam sit existimandus, neque ipsius justitiam placare, neque consequenter inflictam pœnitentiam, quamdiu sic dispositus est, condigne perficere.

Quosdam reperire est Confessarios aliunde quidem satis intelligentes, qui tamen, ut opinamur, imprudenter agunt, cum pœnitentias quasdam, in quinque aut sex articulos omnino distinctos, partitas imponere amant, quibus, quorundam hebetem atque vacillantem memoriam sic gravari contingit, ut, ex ipsa plerumque excidat injunctæ pœnitentiæ pars etiam omnino magna. Tales sunt pœnitentiæ, quas quodammodo bannales fere dixerimus, hoc est omnino, solitas indiscriminatim injungi, ea ratione imponi consuetæ; bis tesseras precarias, seu capellinam recitabis; ter sanctorum, bis nominis Jesu, semel Virginis litanias, cum hymnis, *Ave maris stella*, & *veni Creator*, atque per tres consecutos dies, contritionis, boni propositi, fidei, spei, & caritatis actus elicies: Cum e contrario in pœnitentiis injungendis vitanda sit cumulata nimis, tot dissonarum precum, rudis indigestaque congeries, ut hujusmodi lapsui memoriæ præcaveatur: Atque summopere intendendus sit effectus, quem, ex iis pœnitentiis, derivari necesse est, qui is potissimum esse debet, ut præteritis remedium afferat, futuris vero, præstet antidotum, ut a Concilio Tridentino declaratur (*a*), nec imponendæ absque discrimine, cuilibet pœnitenti, ejusdem conditionis satisfactiones; quemadmodum a plurimis passim Confessariis, temere perinde ac prorsus inconsideranter factitatur.

(*a*) Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. de sacr. pœnitent.

Habendæ sunt ejusmodi satisfactiones, tanquam bannales atque omnino inconsideratæ, quia si quid conferre valent, ad expiandam aliquam partem pœnæ, ex peccato debitæ, saltem constat, eas nullius esse pretii, ut pœnitentem, ab incidendo deinceps in eadem peccata, possint revocare; Quin immo, in iis perseverandi, segnioribus atque remissis ansam præbent, ut pote, qui eorumdem peccatorum absolutionem non tantum sibi semper, absque ullo negotio impertiri, sed leviores omninoque exiguas, pro iis expiandis, sibi passim imponi pœnitentias, experiantur. Illud vero maxime damnandum occurrit, quod iis etiam, qui fatentur incidisse se in mortale aliquod peccatum, non nisi minutiores ejusmodi satisfactiones injungantur. Namque si verum sit, ut dubitandi locus nullus est, a Sacerdote Judicis personam sustineri, cum pœnitentem absolvit a perpetratis peccatis; ab eo refertur proculdubio Judex ille, qui ex iniquitate aut inscitia, summæ alicujus debitæ cuidam Creditori, maximam optimamque partem debitori, privata auctoritate remitteret. Talis quippe Confessarius quatenus gratiæ cujusdam dispensator, non Dominus constituitur; eodem quoque modo condonat præcipuam partem pœnæ, cujus debito, erga Divinam justitiam, peccator irretitur. Plura hic loci dicere non juvat, quoniam, quæ in respondendo ad Casum *Ireneus*, qui præsentis tituli secundus est, subjicientur; inde dilucidior fiet ista materia, omnibusque suis tum partibus tum numeris explicatior.

CASUS PRIMUS.

PHILOMETORI, peccata sua confesso ad festum Paschatis, ipsius Parochus quatuor dies jejunii pœnitentiæ loco indixit. Cui peragendæ Philometor indormivit. An ista prætermissio, culpæ mortalis naturam induit?

RESPONS.

Cum voluntaria sit ejusmodi prætermissio, neque ullam sibi vindicet legitimam caussam, mortalis omnino censenda est; præsertim quando pœnitentia injuncta est notabilis: ut contingit in proposita specie, atque propter mortalia peccata inflicta fuit: Eamque sic habendam esse existimamus, cum irrogata est propter peccata venialia, si ejusmodi forent ex natura sua, ut pœnitentem ad mortale peccatum cito citius inclinarent, eumque periculo incidendi in illud, committerent. At si pœnitentia levissima fuerit, nec nisi propter expianda venialia levioraque peccata sit indicta, quæ nec ex natura sua valeant in aliquod discrimen lethalis peccati, notabiliter adducere; videtur posse asseri, dictam prætermissionem, licet gravioris omnino culpæ reatum importet, mortalis tamen peccati naturam non concipere; Quod quidem intelligi volumus, modo voluntarium apertumque contemptum ab ea procul omnino abesse constiterit: Alioquin nec dubitandi quidem locus esset, quin mortalis peccati caussam, ipsa contraheret; quemadmodum unanimi ore conclamant Navarrus, Reginaldus, Zerola, Molfesius, Henriquez, Rodriguez, Bonacina & alii. *Quæ* (pœnitentia) *ob veniale imponitur, non obligat ad mortale, nisi contemptus intervenerit*, inquit, qui inter laudatos Auctores, primus appellatus fuit (*b*); *Qui vero non adimplet pœnitentiam levem*, ait Bonacina, *non peccat mortaliter; etiamsi pœnitentia injuncta fuerit pro peccato mortali nunquam alias confesso. Idem dicendum de omittente partem levem magnæ pœnitentiæ: quia parvitas materiæ, excusat a peccato mortali.*

(*b*) Navar. Manual. c. 21. n. 43. Reginaldus. l. 7. q. 77. Zerola prax. c. 21. q. 36. Molfesius tra. 7. c. 25 n. 67. Henriquez c. 20. n 3. Rodriguez c. 56. n. 9. conclus. 8. Bonacina de Sacram. pœnit. disput. 15. q. 8. sect. 3. puncto 4. propos. 2.

Diximus: *licet gravioris omnino culpæ reatum importet:* Neque enim facile suadeatur, in eo residere culpam tantummodo levem, qui ex negligentia sua efficit, ut Sacramentum pœnitentiæ aliquatenus deficiat, suaque parte integrante defraudetur.

Dixeramus etiam: *Cum voluntaria sit ejusmodi prætermissio, neque ullam sibi vindicet legitimam caussam*: Alioquin enim peccatum veniale duntaxat censeretur; quin etiam, aliquibus in casibus, posset omni culpa carere; verbi gratia, si sublato omnis negligentiæ vitio, eam aut ex memoria totam simul atque integram excidisse, aut ex præpedimento quodam sive physico sive etiam morali, adimpleri non potuisse a pœnitente contigisset.

Ceterum operæ pretium est hic loci observare, quando Confessario perspectum est, ex manifesto quodam apertoque veterno, suum pœnitentem injunctæ pœnitentiæ peragendæ indormivisse, nec ipsi in eo legitimam caussam affuisse; ip-

sum, genertim, ac stricte loquendo, confessione nequidem excepta, dimittendum esse: eique præcipiendum, ut sibi impositam pœnitentiam in integrum, si fieri possit, aut ex aliqua saltem parte adimpleat, atque sua peccata depositurus, iterum deinde accedat. Cujus rei ratio est, quod ex ejusmodi socordia; aut apertum fiat, aut saltem plurimum conjiciendum detur, accedentem pœnitentem, non qua par est, affectione comparari; atque subodorandi locum esse, sicut ab ipso præcedens satisfactio omissa est; ita subsequentem, quæ injungeretur, prætermittendam. Atque illud a Cabassutio Oratoriensi Sacerdote disertissime docetur his verbis (a): *Supradictis .... adjungendum esse... suspendendam absolutionem pœnitentibus, qui cum commode injunctas in præcedenti confessione satisfactiones adimplere potuissent, per socordiam neglexerunt. Remittendi enim sunt, ut quam primum satisfaciant, saltem ex notabili parte, priusquam nova eorum confessio excipiatur.*

(a) Jo. Cabas. jur. can. th. & pr. l. 3. c. 24. n. 5.

CASUS II.

IRENÆO de depositis quindecim, aut viginti peccatis mortalibus, absolutionem Sacramentalem Confessarius impertitus est, simulque satisfaciendi gratia solummodo injunxit *Pater*, & *Ave*, tribus consecutis diebus quinquies recitanda. Irenæus, cui pro certo compertum est, Confessarium suum, in infligenda ipsi satisfactione adeo exigua, ex molliori nimiaque supra modum indulgentia egisse; quærit, num sibi ex conscientiæ debito incumbat, ut severiorem, suorumque peccatorum cum numero, tum immanitati, magis accommodatam sibi ipsi imponat.

RESPONS.

In eo deplorabunda nimis plurimumque deflenda conditio est alicujus Confessarii, qui eo temeritatis, atque inconsiderantiæ devenit, ut pœnitentias minutiores iis indicat, qui plurimorum, eorumque immanium scelerum gravissimo onere, quodammodo incurvescunt, atque ejusmodi sunt, qui possint severiores, ac districtiores adimplere. Talibus quippe Confessariis detorqueri potest, quod a Propheta, de falsis quibusdam Prophetissis; dicitur (b): *Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cubiculo manus, & faciunt cervicalia, sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas*. Eorumque mentibus altis repositum manere deberet, quod scripturæ tonant istis minacibus verbis (c): *Videte.... quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.*

(b) Ezech. 3. 18.

(c) 2. Paralip. 19. 6.

Qua quidem consideratione præmissa, subjiciendum est, severioribus pœnitentiis, graviora peccata plectenda esse; neque posse pœnitentem iis eximi, ex timiditate, aut ignorantia Confessarii, proindeque ipsi Irenæo coram Deo incumbere, ut injunctæ sibi leviori pœnitentiæ, alia quædam satisfactionis opera, pro ratione tum numeri, tum etiam immanitatis criminum suo um persolvenda, addat. *Non enim sufficit*, inquit S. Augustinus (d), *mores in melius commutare, & a factis malis recedere; nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

(d) S. Aug. ser. 351. in fine alias homil. ult. in t. 50. n. 12.

Peccata mortalia sic severe punienda sunt, ut ipse peccator pœnitens, inclementer quidem in seipsum, sed salutariter acerbus, divinam districtamque justitiam possit aliquando effugere. *In hac ergo pœnitentia*, addit idem S. Augustinus (e) *majorem quisque severitatem debet exercere, ut a se ipso judicatus non judicetur a Domino.* Unde cernere licet, quam meritum dictum est a S. Petro Damiano (f), teneri nos ad satisfaciendum Deo modo, qui sit conveniens, atque peccatis a nobis admissis omnino accommodatus, ab eodemque observatum sit, quod eo loci referimus: *nec tibi blandiaris*, inquit, *si graviter peccanti levior pœnitentia vel a nesciente, vel a dissimulante dicatur ... quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. Licet autem non evaseris manus Dei viventis, qui tibi plene non consulis, tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te doceat, tantum a licitis abstinere, quantum te memineris illicita perpetrasse.*

(e) Idem ibid. n. 7.

(f) S. Pet. Damiani serm. 58.

Irenæum ergo, juxta principium istud, quod authores suos S. Augustinum, cæterosque Ecclesiæ Patres, sibi vindicat, sese gerere convenit in casu proposito; alioquin egregium illud effatum Hugonis Victorini, ipsius pœnitentiæ exhibendæ satis congrueret (g): *Si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentiæ tuæ fructus*. Necesse est igitur, ut vir prædictus judicii promeriti acerbitatem in seipsum adhibeat, severaque satisfactione proprias iniquitates ulciscatur; quippe Confessario is animus non fuerit, ut ab ipso pœnitentiam ejusmodi exigeret, & testante S. Augustino (h), *peccatum ... impunitum esse non potest, puniatur ergo peccatum aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante*. Unde dicit pietate simul atque doctrina conspicuus Author libri, qui de vita contemplativa inscribitur, quemque genuinum S. Prosperi opus conjecit Aquisgranense quoddam Concilium, anno 816. celebratum, & S. Isidorus, Gennadiusque cuidam Juliano Pomerano adjudicant, qui quidem ortu Mauritanus, eodem referente Gennadio (i), in Gallia anno 496. plurimum commendabatur. *Quod si ipsi Judices fiant, & veluti suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus, restinguent æterni ignis incendia* (K).

(g) Hugo Victorin. l. 2. de sacram. Pœnit. p. 14. c. 2.

(h) S. August. serm. 19. n. 2.

(i) Gennadius c. 98.

(k) L. 2. de vita contem. c. 7.

Ratio, quæ suggeri potest, ut ista decisio confirmetur, est quod secundum S. Thomam (l), satisfactio sit quædam justitiæ species, adeoque exigatur ratio quædam æqualitatis, quæ offensam, inter, & satisfactionem de offensa exhibendam intercedat, siquidem in æqualitatem, justitia potissimum constituatur: *Exigitur, quod satisfactio per opera pœnalia fiat. Recompensatio enim offensæ importat adæquationem, quam oportet esse ejus, qui offendit, ad eum, in quem offensa commissa est .... unde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat, quod aliquod subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat.* Qui locus excerptus est de commentario Doctoris Angelici, in quartum librum Magistri sententiarum (m). S Antoninus Archiepiscopus Florentinus idem refert, post Paludanum, quem laudat (n).

(l) Suplem. S. Th. q. 15. a. 5. in corp. Item ibid. art. 1. in corp. & q. 12. a. 2. & 3. & q. 13. a. 1. in corp.

(m) S. Th. in quart. sent. d. 15. q. 1. a. 1. q. 2. in corp.

(n) S. Antonin. 3. part. summ. th. t. 14. c. 20. init. post Petr. Pal. in 4. cit. dist. 15.

Subjecimus tantummodo, Irenæum igitur juxta principium istud sese esse gerendum. Enimvero, quamquam omnino constet, eam partem tutiorem esse, qua conscientiæ valent consulere, ac censeant plurimi Theologi (o), viro in istis rerum circumstantiis posito, quo Irenæus supponitur, illud prorsus incumbere, ut pœnitentiæ sibi injunctæ, quantum ad exiguitatem, suppleat defectum; Doctus Ysambertus contendit tamen (p), istud necessario non requiri, atque ea in re sententiam amplectitur Tapperi; qui lectiones Theologicas per quadraginta circiter annos olim tradidit in Universitate Lovaniensi, in qua Cancellarius extitit, quique in opinionis suæ patrocinium citat S. Thomam, Scotum, Adrianum, & Sotum (q). Quidquid sit de postrema ista opinione, reprobari non potest nostra sententia, quam firmis adeo, certisque rationum monumentis stabilivimus, quæque aliunde omnino congruit cum iis, quæ a peccatore publico tum circa Divinam justitiam, tum circa semetipsum, præstanda sunt. Nihilominus summopere attendendum est 1. pertinere ad prudentem Confessarium, qui pœnitentias congruentes infligere enititur, ut ætati, sexui, conditioni, facultatibus, viribus, cæterisque circumstantiis, in quibus pœnitens constituitur, potissimum consulat. Neque enim, verbi gratia, pusionibus, multum ætate provectis, aut aliqua laborantibus infirmitate, quadrarent indicta jejunia, aut peregrinationes importunæ, quæ pœnitentiæ satisfactionisque loco, imponerentur. 2. Requiri ad pœnitentiam congruentem, ut ejusmodi sit, quæ perpetrata peccata non tantum puniat, sed insuper eadem iterum perpetranda præcaveat. 3. Generatim loquendo, pœnitentiam in iis operibus esse reponendam, quæ cum peccatis a pœnitentibus depositis, ex adverso pugnet.

(o) Idem ibid. d. 17. q. 3. a. 4. concl. 3. Melchior Canus 3. p. relection. de pœn. concl. 2. Petr. Patus in supp. q. 15. Greg. de Valent. ad 3. p. S. Th. &c.

(p) Nicol. Ysambert. de sac pœn. disp. 28. a 13.

(q) Ruardus Tapperus, Scot. S. Th. & Adrianus apud Ysam.

Quale est, si injungantur, Avaris, stipis erogationes; voluptuariis, jejunia, cæteræque corporis afflictationes; superbis, oratio, atque humilitatis actus: & sic de aliis, quemadmodum docet S. Carolus Borromæus (*a*), in suis ad Confessarium præceptionibus.

(*a*) Carol. act. Eccl. Mediol. part. 4. de instruct. Confess.

CASUS III.

VERANO Sacerdoti, peccatis depositis, injunctum est, ut satisfactionis loco, Canonicas horas funderet. Numquid injunctæ pœnitentiæ faciet satis, si adhibito sibi socio ipse cum eo dictas horas vicibus alternis recitet; quemadmodum illud ipsi, in officio Breviarii persolvendo, liceret?

RESPONS.

Equidem est hoc antiquo generalique usu receptum in Ecclesia, ut cum adhibito socio recitatum Divinum officium, sufficienter persolvi censeatur (*b*). Atque in eo modum orandi æmulatur, quem ipsi adhibent Seraphim, de quibus cœlitibus loquens Isaias Propheta, ait: *Clamabat alter ad alterum, & dicebant: Sanctus* &c. (*c*) quippe etiam ipsius Jesu Christi consilio congruit, quippe dicat: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*d*).

(*b*) Navarr. in Manual. tr. de orat. & horis can. c. 10. n. 12. & apud eum Paludan. in 4. d. 45. q. 2.
(*c*) Isai. 6. 3.
(*d*) Math. 18. 2.

Verum non videtur, dictum usum etiam ad horas Canonicas extendi posse, quando pœnitentiæ satisfactionisque loco recitandæ imponuntur: adeoque existimamus, quantum ad propositam speciem, a Verano, cum adhibito ipsi socio, memoratas horas nullatenus esse fundendas, quodque si non annuente ipsius Confessario, peragere perrexerit, ab eo pœnitentiam injunctam in integrum non adimpleri.

Quam admittendam esse ducimus, distinctio, inter obligationem officii Divini persolvendi, ut præcepto Ecclesiastico fiat satis, & munus adimplendæ pœnitentiæ, quæ inflicta est, in eo maxime consistit, quod in priori casu Divinum officium recitetur nomine Ecclesiæ universalis, atque ad utilitatem omnium fidelium: eo quippe fine fuerint institutæ horæ Canonicæ, ut docet S. Antoninus (*e*), qui dicit: *Ad hujusmodi autem orationem scilicet faciendam in persona totius populi Christiani, pro utilitate omnium sunt institutæ specialiter horæ Canonicæ*. Unde vel solus, vel plurimi simul possunt omnino persolvere istud officium. At pœnitentiæ injunctæ prorsus dispar conditio est. 1. Quia, cui infligitur, reus est, qui ad propriam, privatamque utilitatem preces fundit, quique pœnitentiam sibi irrogatam peragens suimetipsius peculiari nomine, neque Ecclesiæ personam ulla ratione sustinens, Divinæ justitiæ satisfacit: atque inde est, quod Verano incumbat, ut preces sibi pœnitentiæ loco impositas, ipsemet, ac solus recitet. Sic censemus, Navarro quamquam in oppositam sententiam abeunte (*f*). Quoniam minus laboris ab eo impenderetur in dicendis cum alio horis Canonicis, quam si easdem ipsemet solus recitaret. Porro non existimandum est, eum animum Confessario affuisse, ut eum ab aliqua parte laboris, quem ipsi imposuit, liberum redderet, atque immunem. Ad illud ergo obligatur, ut integram horarum Canonicarum seriem solus persolvat.

(*e*) S. Antonin. 3. p. sum. Th. t. 13. c. 4. q. 1.

(*f*) Navarr. c. 10. n. 19.

CASUS IV.

ONUPHRIUS Sacerdos excepit confessionem Nicasii, qui primo quidem deposuit, irrogatam sibi pœnitentiam, quamquam justam, convenientem, suorumque peccatorum tum atrocitati, tum numero accommodatam, a se ipso peractam non fuisse, ac Confessarium rogat, ut istam pœnitentiam velit in aliam quamcumque libuerit ipsi commutare, pollicens, fore, ut quam citissime simul, ac religiosissime eam adimpleat. Onuphrius petit, utrum illud sibi juris detur, ut dictam pœnitentiam ab alio Confessario inflictam Nicasio, valeat commutare?

RESPONS.

1. Onuphrius ante omnia meminisse debet eorum, quæ a Patribus Concilii Tridentini referuntur, his verbis (*g*): *Constat enim Sacerdotes, judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua illi peccata declarassent*. Necesse est ergo, ratione quadam utcumque generali, innotescant Onuphrio peccata, ad quorum expiationem ab altero Confessario pœnitentia ista Nicasio injuncta est.

(*g*) Concil. Tr. sess. 14. de reform. c. 5.

2. Inquirenda est deinde, ac plurimum perpendenda causa, propter quam Nicasius cupiat, pœnitentiam sibi inflictam, in novam aliam commutari. Si enim eam sibi fieri commutationem eo fine petierit, ut remissior, minusque stricta pœna sibi imponatur, neque ullam aliam causam prætendat, aliundeque satisfactio ab altero confessario irrogata, neque vires ipsius excedat, neque ejusmodi sit, quæ non valeat adimpleri; nedum debeat Onuphrius istam satisfactionem commutare; quin immo, cum justa sit, conveniens, atque ipsius peccatorum tum numero, tum atrocitati accommodata, debet ipsum commonere, & adhortari, ut pro officio suo non detrectet eam adimplere. At vero si ipsi perspectum fuerit, Nicasii petito legitimam aliquam subesse causam, exempli gratia, si servanda jejunia ipsi indicta fuissent, ac contigisset, sic eum aliquo incommodo postea corripi, ut ipsius ingravescente in dies valetudine, non posset absque evidenti periculo ullum agere jejunium; quin etiam, si pro certo habeat, futurum, ut ipsi valeat nova quædam alia pœnitentia plus utilitatis conferre, quam quæ primum injuncta fuerat; potest in eo casu, aliam ipsi, absque ullo negotio, satisfactionem indicere, dummodo caveat ipsam pro mensura, ac ratione peccatorum, propter quæ pœnitentia præcedens adhibita fuerat, convenire.

Hæc decisio nostra plane consentit cum doctrina S. Raymundi Religiosi de Ordine S. Dominici, Barcinonensis, a quo collectæ sunt Decretales, quæ circumferuntur sub nomine Gregorii IX. cujus Pœnitentiarii gerebat vices: en ipsissima, quæ ab eo verba adhibentur (*h*): *Ad illud, quod .... quærebatur, scilicet, utrum Sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum, vel alterius satisfactionis ad petitiones ipsorum pœnitentium? Credo breviter, quod sic, dum tamen discrete, & propter causam, & circa subditos suos, alias non*. Atque eodem innixus principio dicit Auctor Glossæ in Canonem exceptum e S. Leonis operibus (*i*), posse ab Episcopo aliquando remitti de pœnitentiis, ab ipso summo Pontifice propter crimina quædam irrogatis (*k*).

(*h*) S. Raym. de Pennafort in sum. l. 3. t. 34. §. 66.

(*i*) Gloss. in c. Tempora 26. q. 2. v. tuo judicio.
(*k*) Navarr. l. 5. consil. 25 n. 1. de Gen. Th. moral. tom. 11. 6. c. 7. n. 12.

CASUS V.

SEDULII apud proprium Parochum depositis peccatis, acceptatisque satisfactionis loco jejuniis ipsi indictis, unaquaque feria sexta, per sex menses, post elapsum primum mensem, valetudo languit. Cum ipsum invisurus idem Parochus accessisset, post sermonem habitum quasi per spatium quadrantis, ipsum Sedulius enixe rogavit, ut quam sibi pœnitentiam imposuerat, vellet in erogationem viginti solidorum unaquaque hebdomada pauperibus distribuendorum, commutare: quod quidem ipsi Parochus annuere non dubitavit. Numquid dictus Parochus potuit istud extra pœnitentiæ tribunal præstare?

RESPONS.

Videtur non potuisse a prædicto Parocho, salvo ipsius officio, pœnitentiam Sedulio primum inflictam extra tribunal pœnitentiæ commutari. Sed quoniam propter eam, qua laborabat infirmitatem, concedendæ ejusmodi gratiæ legitima causa dabatur; commutationis istius exhibendæ locus opportunior, atque convenientior ex confessione ipsius, iterum excepta, potuisset captari. Qui saltem usus, ut tutior est, sic etiam apud Confessarios perspicaces frequentatior.

Cujus

Cujus quidem decisionis ista ratio subjici potest, quod pœnitentiæ alicujus injunctio, seu commutatio pertineat ad jurisdictionem interiorem tribunalis Sacramenti Pœnitentiæ, quam extra tribunal istud exerceri a Sacerdote nunquam licitum est, *usus, & praxis communis Ecclesiæ*, inquit eruditus quidam Avenionensis Professor (*a*): *Confessarius potestatem impertit, justa interveniente causa, satisfactionem a se, vel ab alio impositam diminuendi, vel commutandi; quia plerumque id expedit animarum saluti, pro quibus hoc Sacramentum fuit institutum; non tamen id fieri potest extra Sacramentum, cujus est pars debita, utpote jurisdictionis clavium, quæ non nisi in Sacramento exercetur*. Indeque est quod pœnitens, ex cujus memoria ipsi imposita satisfactio in integrum excidit, teneatur ad confessionem iterum aperiendam, ut novæ alterius satisfactionis ipsi infligendæ locus præbeatur.

(a) Jo. Cabas. juris canonici theor. & prax. l. 3. c. 14. n. 2.

CASUS VI.

Julia, post impetratum sibi in Curia Romana Pontificium quoddam rescriptum, quo lege voti simplicis ab ipsa emissi, de virginitate servanda, aut de suscipiendo statu religionis, solvebatur, adivit Marium Doctorem, & Confessarium ab Ordinario approbatum, qui rescriptum illud exequens *in ipso actu Confessionis*, parvum officium de beata Virgine quibuscumque vitæ suæ diebus recitandum sub pœna lethalis peccati, ei injunxit; licet in dicto rescripto mentionis de eo nihil quidquam ageretur. Potestne efficere, ut ista pœnitentia ab alio Confessario commutetur?

Respons.

Difficultatem eamdem erudito quodam Theologo propositam olim sic ipse resolvit, (*b*) respondendo scilicet, prædictæ filiæ locum nullum dari, ut commutari sibi pœnitentiam injunctam in eo casu obtineat. Cujus responsi rationem istam subdit, quod non impositum fuerit simpliciter satisfactionis loco, recitandum quotidie parvum de Beata Virgine officium, sed in commutationem voti, & ex facultate ipsi Confessario facta a Summo Pontifice, cujus delegatam personam sustinens, commisso munere quantum ad istam partem functus est. Non est igitur unde Julia impositum sibi a Mario dictum onus obtineat ab alio Confessario allevari; sed interveniente tantummodo Apostolica authoritate, istam dispensationem assequi potest, juxta sequentem regulam Juris (*c*): *Ea quæ fiunt a Judice, si ad ejus non spectat officium, viribus non subsistunt*.

Cui sententiæ Navarrus adhæret, (*d*) namque postquam posuit a Confessario etiam inferiore eo, qui pœnitentiam aliquam irrogavit, dictam pœnitentiam commutari posse, quoties id ei videtur aut requiri, aut pœnitenti aliquatenus expedire, etiamsi propter casum reservatum ista pœnitentia fuisset ipsi inflicta: idem Canonici Juris interpres, ut plurimum commendandus addit; quod *aliud videtur dicendum de pœnitentia imposita a superiore pro absolutione a casu reservato, & aliud de onere imposito a superiore per viam commutationis, vel dispensationis voti &c.*

(b) Samb. t. 3. cas. 28.

(c) Bonif. VIII. in reg. 26. de reg. jur. in 6.

(d) Navarr. l. 5. cons. 23. n. 2.

CASUS VII.

Confessarius Eusebii ipsi injunxit *Pater & Ave*, quinquies unaquaque feria sexta per annum integrum recitanda. At quoniam ejusmodi pœnitentia videbatur Eusebio levior, aliundeque quanam ratione Confessarium suum consequeretur ignorabat; id sibi licere putavit, ut marte proprio, privataque authoritate, indictam sibi pœnitentiam commutaret; atque iisdem diebus per ejusdem temporis spatium, religiose admodum servavit jejunia, & septem pœnitentiales Psalmos persolvit. Nonne ideo pœnitentia sibi a Confessario injuncta, coram Deo liberatur?

Respons.

Procul dubio non liberatur Eusebius, ex ista commutatione impositæ sibi satisfactionis, in aliam licet multo severiorem. Neque enim pœnitentis est, ut inflictam sibi pœnitentiam, marte proprio, privataque auctoritate, valeat unquam commutare. Siquidem omnino teneatur coram Deo ad eam pœnitentiam perficiendam, quæ sibi a Confessario prudenti irrogata est. Cujus rei ratio est, quia *nec in causa sua potest quis esse Judex*, inquit Glossa, (*e*) quæ in eo concordat cum lege perhibente: (*f*) *Generali lege decernimus neminem sibi esse judicem*: quod tamen contingeret in casu proposito, si verum foret, istud Eusebio juris cedere, ut propriam ipsemet valeat pœnitentiam commutare; quippe, postquam suimetipsius accusator extitit in aperienda suorum peccatorum confessione id sibi sumeret, ut a semetipso proprius judex constitutus, latum a Confessario adversus se judicium, privata authoritate perverteret. Quemadmodum ergo non liceret nocenti cuidam, juxta constitutas a jure formulas, ad pœnam aliquam damnato, ut pronunciatam adversus seipsum sententiam, privata mutaret authoritate; atque solum ei relinquitur provocandi perfugium, eoque duntaxat in casu, quod dicta sententia aliquatenus lædatur: ita incumbit Eusebio, ut judicium a suo Confessario latum, subeat & absque ulla tergiversatione exequatur; hoc est, adimpleat pœnitentiam, quæ sibi de peccatis suis satisfaciendi causa, fuit inflicta; neque ipsi aliud perfugium conceditur, nisi recurrendi aut ad proprium Confessarium, si fieri possit, aut ad quemcumque alium qui possit ipsius vices supplere: siquidem injunctio pœnitentiæ constituat actum Sacramentalis jurisdictionis, quæ nec residere potest nisi in Confessario, nec nisi ab eo tantum exerceri.

(e) Gloss. in can. De occidendis 8. 23. q. 5. v. Pro se. Et in c. Ad audientiam. 14. de appellation. &c. Et in c. Sicut 9. de excessibus prael. &c. v. Auctoritate.

(f) L. Generali unica cod. ne quis in sua causa judicet &c. l. 3. tit. 5.

Qui opinionem ex adverso oppositam sequuntur in eo præsertim nituntur, quod penes eum sit, qui emittit votum aliquod, ut ipsum possit quibusdam in casibus in aliud immutare, quod tamquam quid excellentiori dignum præmio a Deo acceptetur. unde inferunt, leviorem pœnitentiam a Confessario impositam, posse in aliam severiorem, eadem prorsus ratione, commutari. At in promptu adest responsio, de pœnitentia quadam injuncta, nimirum atque de voto, judicium omnino dispar esse ferendum; illud namque primario, ac directe tendit in votum, quod ad majorem Dei cum gloriam, tum honorem conducit; pœnitentia vero injuncta, ad eum finem, non tantum assurgit: si quidem id sibi præterea proponat, ut pœnitentis ipsius utilitatem, & sanctimoniam promoveat, erga quem gerit Confessarius officium tam Judicis, quam Medici. Aliunde vero, qui votum aliquod emittit, agit proprio motu, privataque authoritate, illius adimplendi onus, ultro suscipit; unde dici potest, liberam prorsus ipsi superesse copiam, ut valeat quibusdam in casibus illud in aliud excellentiori præmio dignum, immutare, & ex quo exsolvendo, sit ipse Deus multo magis colendus; verum in ipso confessionis actu pœnitens non sibimet imponit satisfactionis onus, sed sibi injunctam a suo superiore, & Judice pœnitentiam acceptat: adeoque non ipsi superest facultas ipsam commutandi in aliam licet multo strictiorem: nec, quamquam pœnitentiam ejusmodi perageret, ideo dispensaretur ab adimplenda illa, quæ sibi a Confessario fuit irrogata.

CASUS VIII.

Rollandus Diaconus, ac Beneficiarius, omisit ex negligentia diebus S. Joannis Evangelistæ, ac Circumcisionis officium Breviarii persolvere. Nonne Confessarius, apud quem accusat sese de dictis prætermissionibus obligatur ad injungendum ei satisfactionis loco, ut officium istis duobus diebus festis recitari consuetum, simul cum occurrente officio, ipso die, quo deponit peccata sua, exsolvat, quo severius plectatur ipsius negligentia, atque ab ejusmodi prætermissione tutius in posterum removeatur?

Respons.

Ejusmodi dissonam prorsus, atque omnino absurdam pœnitentiam non debet injungere Confessarius Rollandi. In recitando namque Divino officio, qui insti-

instituuntur ab Ecclesia usus, & ordo sunt plurimum observandi. *Rationabiliter enim institutum* inquit S. Thomas (*a*), *ut diversimode Deus laudetur secundum congruentiam temporum, & locorum: & ideo sicut in officiis exsolvendis, observanda est congruitas loci; ita etiam congruitas temporis; quod quidem observari non posset, si oporteret injungere omittenti, quod horas diceret, quas omisit. Forte enim in Completorio diceret: Jam lucis orto sidere, & in tempore Paschali diceret officium Dominicæ Passionis, quod esset absurdum*. Sic ratiocinatur Doctor Angelicus, qui concludit his verbis: *Et ideo non videtur esse injungendum ei qui omisit dicere Divinum officium, quod Horas easdem repetat*. Quibus addit, *Sed aliquid ad divinam laudem pertinens* (injungendum) *puta, ut dicat 7. Psalmos, vel unum Psalterium, vel aliquid amplius, secundum quantitatem delicti*.

(*a*) S. Thom. quodlib. 3. q. 13. art. 29.

CASUS IX.

Emilianus Sacerdos, excepta confessione a Quintino, qui per annos decem in omnium libidinum genere effusissimam, ac pessimi exempli vitam absumpsit, ei pœnitentiæ loco indixit, ut vitam Religiosam ingrederetur, quod quidem ægre admodum acceptavit. An Confessarius prædictus potuit cum aliquo jure hujusmodi pœnitentiam irrogare?

Respons.

Observat S. Thomas, (*b*) quosdam reperiri Canones, qui pœnitentiam ejus generis recensent; atque ex antiqua ista Disciplina videri, posse a Confessario irrogari. *Videtur*, inquit, *quod si Sacerdos injungat alicui, quod intret religionem, tenetur facere; & præcipue quia quidam Canones videntur istam pœnitentiam tanare*. Verum postea subjicit: *Introitus autem in religionem cum sit voluntarius, non potest alicui injungi; & si aliqui Canones injungere inveniantur, magis est consilium, quam præceptum; qualibet enim pœnitentia taxata, levissima relgio est major satisfactio, in quantum homo abdicat propriam voluntatem, qua nihil est homini carius*. Sic opinatur laudatus Sanctus Doctor. Unde concludimus, cum Quintinus ejusmodi pœnitentiam non nisi repugnanter, naturaque omnino invita acceptaverit, atque ea tantum ratione adductus, quod præcipienti Confessario non parere, aliquid nefas esse sibi animo suaderet; Emilianum nec potuisse, nec debuisse dictam pœnitentiam ipsi infligere. Quod spectat antiquos illos Canones, qui ponderis aliquid videntur addere istius injunctionis satisfactioni; iis, quæ ea de re observantur a S. Thoma, id etiam licet potissimum adnectere, dictos Canones non intelligendos esse, nisi de pœnitentiis, quæ in foro exteriori indicebantur istis temporibus, quibus in plectendis certis quibusdam peccatoribus, plurimum invalescebat quædam Ecclesiastica Disciplina, quæ nostra jam ætate penitus obsolevit; at de pœnitentiis in foro interiori, solitis imponi, esse nequaquam accipiendos.

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 12. in expofit. text.

CASUS X.

Thyrso, confessione deposita, jejunia quædam indicta fuerunt, ac simul Litaniæ Jesu, Virginis, & Sanctorum, per mensem integrum quotidie recitandæ. At secum recogitans peccatorem se esse omni scelere impurum, eumque, cujus preces sint omnino merito prorsus inanes, atque ejusmodi, quæ non exaudiantur; Religiosum quemdam virum tum virtutibus, tum singulari exemplo maxime commendabilem rogavit, ut servanda ista jejunia, memoratasque fundendas supplicationes pro eo, nomineque ipsius susciperet; quod quidem Religiosus iste & lubenter admisit, & alacriori promptoque animo executus est. An Thyrsus ideo censendus est ab injuncta sibi pœnitentia coram Deo immunis? Sese solutum esse, animo persuasum habet, ex eo quod detur locus, auxiliante proximo, ipsi etiam Deo satisfaciendi. Verum videtur e contrario, sicut pœnitentem teneri ad confessionem per semetipsum aperiendam, ita etiam ad satisfaciendum per semetipsum Deo prorsus obligari?

Respons.

Absque dubio est, Thyrsum injuncta sibi pœnitentia coram Deo solutum non esse, quin immo teneri omnino ad eam per semetipsum persolvendam. Atque ea ratio est, quod debitum satisfactionis non minus personale censeatur, quam quod ex cæteris actibus pœnitentis obligationis derivatur. Siquidem declaret Tridentina Synodus, (*c*) pœnitentis actus, contritionem scilicet, confessionem, & satisfactionem in Sacramento materiæ locum habere: porro contritio, & confessio, adeo personale debitum important; ut fieri omnino nequeat, eas a pœnitente per alium expleri. Quemadmodum igitur ei incumbit, ut peccata sua ipsemet deponat, atque per semetipsum doleat, non minus obligatur ad luendam per semetipsum eam pœnam, quæ sibi indicitur, & quæ Sacramenti Pœnitentiæ partem integrantem constituit.

(*c*) Conc. Tr. sess. 14. can. 3.

Qua de re rationem sane egregiam, nec omittendam subjicit S. Augustinus, cum dicit, (*d*) *Nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem, quam debeat, solverit pœnam. Ita enim impertitur a Deo largitas misericordiæ, ut non relinquatur etiam Justitia disciplinæ*. Unde Gratianus infert (*e*): *ergo ... nullus ante confessionem oris, & satisfactionem operis, peccati abolet culpam*.

(*d*) S. Aug. l. de continentia c. 6. in can. Nullus 62. de pœnit. dist. 1.

(*e*) Gratian. §. Ex his citata dist. 1.

Quod quidem adeo verum esse constat, ut consentiente etiam Confessario, non possit pœnitens injunctam sibi pœnitentiam alteri cuidam committere, pro seipso explenda. *Satisfactionem a Confessario injunctam*, inquit Sylvius (*f*), *non potest unus pro alio explere, nisi de ipsius Confessoris voluntate ... quæ tamen sic impletur per alium, non videtur absolute, & perfecte esse sacramentalis: soli enim actus pœnitentis sunt materia hujus sacramenti, illa vero satisfactio non est ejus actio*.

(*f*) Francisc. Sylv. in supplem. S. Th. q. 13. art. 2.

Idem quoque docet Cabassutius, qui addit prætere (*g*): *Si quando ex justa causa permittat Confessarius, ut injuncta satisfactio possit ab alio præstari, aliquam tamen partem, quæ possit a pœnitente præstari, debet eidem in propria implendam persona præscribere, ne sit mutilum, aliqua sui parte, sacramentum*.

(*g*) Jo. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 3. c. 14. n. 4.

CASUS XI.

Emporius, confessione cujusdam Sacerdotis excepta, non aliam ipsi pœnitentiam injunxit, nisi offerendum Deo in satisfactionem ipsius peccatorum ipsissimum Divinum officium, quud eo ipso die, quo fuit confessus, occurrit persolvendum. Potuitne dictus Confessarius istam memorato Sacerdoti pœnitentiam dumtaxat irrogare?

Raspons.

Circa propositam quæstionem duæ circumferuntur opiniones ex adverso oppositæ. Priorem tenent, qui pœnitentiam hujusmodi tamquam omnino insufficientem repudiant. Atque ea potissimum ratione nituntur, quod ex præcepto Ecclesiastico, quod ipsiusmet Ecclesiæ usu generali innititur, incumbat cuique Sacerdoti, ut quotidie persolvat officium Breviarii; adeoque non valeat ipsi Deo de peccatis suis satisfacere, ex recitato semel tantum eodem officio, eadem prorsus ratione, qua debitor nequit erga suum Creditorem una, eademque summa pecuniæ, duo debita simul restinguere.

Altera opinio eorum est, qui contendunt, satisfactionis loco posse a Confessario imponi opera, quæ ex aliqua obligatione aliunde debentur, quale est Divinum officium, in specie proposita. Quam quidem rationem afferunt, quod nempe non repugnet, unum eumdemque actum ab aliquo deberi, ex duplici diversaque obligatione, quemadmodum, si quis votum castitatis emiserit, tenetur ex duplici ratione ad eam servandam, scilicet & ex præcepto Divino, quo cæteri omnes homines ligantur; & ex privata obligatione, ex voto contracta. Quod pertinet ad comparationem petitam, ex solutione duplicis debiti, quæ non potest una eademque pecuniæ summa exhiberi; respon-

spondent prorsus eladicare comparationem: qaoniam justitia commutativa dsbiti solutionem exigit, æqualitatemque & adæquatam omni parte proportionem requirit; adeoqas, qui mutuos sumpsit centum oummos, non potest a contracto debito liberasi, nisi sandem summam persolvendo. Verum contenduut non eadem ratione judicandum esse da pœnitentia, quæ a Confessario præscripta est: propterea quod, non ex justitia commutativa, derivetur obligatio illam adimplendi; sed tantummodo ex quadam justitiæ legalis speeje; hoc est, ax justitia quæ emanat ex ipsa lege imposita, a superiore legitimo, qualis est Confessarius; adeo, ut pœnitentia injuncta, non appellanda sit, debitum ex justitia commutativa, quale est debitum mutuatæ alieujus summæ; sed debitum legale, quod derivatur ex edictione Confessarii, cujus soli potissimum voluntati, quemadmodum io debito ea justitia commutativa æqualitati, ratio habetur.

En utramqus diversam opinionem, & principia quibus potissimum utraque fulcitur, ut tutiorem partem prior sectatar; sie atiam veritati consentaneam magis, quam alteram esse nobis videtur. Adeoque eoncludimus, ab Emporio non potuisse, satisfactionis loco, injungi Sacerdoti, cujus excepit confessionem, ut persolveudum suum officium, Deo duntaaat offerret, ad satisfaciendum de peccatis suis. Quis enim, stricte loquendo, pœnitentiam piaeularem dicat, quod ea generali lege Ecclesiæ, aliunde jam incumbit, necessario persolvendum? Eaemplum supponatur pœnitentis alicujus: *Si injuncti sunt sibi quadraginta dies jejunii, pro satisfactione, acquitaret se in Quadragesima, ad quam alias tenetur; quod nullus dicit .... non autem iste actus est* virtutis *satisfactorius, si alias debebatar: quia aliud est, facere dignos fructus, aliud, fructus dignos pœnitentiæ.* Sic ratiocinatur famosus Paludanus, Burgundiæ decus & ornamentum, Religiosus de Ordine sancti Dominiei, ac Jerosolymitanus Patriareha, qui supremum diem explevit Lutetiæ Parisiorum, anno 1342. (a)

(a) Petrus Paludan. in 4. sent. dist. 25. q. 1. art. 2.

Quam, opinionis alteræ patrocinatores adhibent, justitiam commutativam, inter & eam, quam legalem nuncupant, distinctio videtur prorsus futilis, neque ullo sufficienti freta principio; quod idem qaoque dici potest, de ea, qaam inde deducnnt, consecutione; cum nempe ajunt, in iis, quæ debentur, ex justitia legali, qualis est irrogata aliqua satisfactio, non æqualitatem, sed solam voluntatem superioris, a qao lex edicitur, potissimnm esse spectandam. Contrarium enim disertis omnino verbis docetur a S. Thoma, cum ait (b): *Satisfactio est actus justitiæ; & ideo æqualitas quædam requiritur, inter offensam, & opus satisfactorium: quia justitia consistit in quadam æqualitate.* Atque, eadem de caussa, alibi dicit (c): *Quantitas pœnæ radicaliter respondet quantitati culpæ, antequam, de ea, aliquid dimittatur:* & iterum (d), *Secundum quantitatem delicti, debet esse plagarum modus, ex præcepto legis* (e). *Si ergo minus imponatur, residuum, ab eo, in Purgatorio exigetur.* Requirit ergo S. Doctor, æqualitatem inter offensam Deo irrogatam, & quæ ipsi debetur, satisfactionem intercedere; atque conseqaenter, injunctam pœnitentiam habet; tanquam quid, ex justitia commutativa, debitum: quod quidem, confictam ab istis auctoribus distinctionem rescindit, & ipsum, quo opinio ipsorum maxime innititur, fundamentum prorsus evertit.

(b) Supplem. S. Thom. q. 13. art. 2. in corp.
(c) S. Thom. in 4. dist. 20. q. 1 art. 2. in corp.
(d) Idem ibid. in argum. Sed contra ad 2. quæstiuncul.
(e) Deuter. 25.

Ceterum ipsius est Confessarii sapientiæ, ut, pœnitentiæ loco, non imponat opus ex peculiari quadam obligatione aliunde jam debitum; nisi præterea aliud quid indicat, quod possit veræ ac proprie dictæ satisfactionis locum explere.

CASUS XII.

Alanus, Antonii Confessarius, ipsi tantummodo pœnitentiæ loco, injunxit, ut, quibus veaari nuperrime incœpit, maaimas calamitates, aut quibus argetur, gravissimos dolores, patienti animo sustineret, ipsique Deo offerret, ad expianda sua peccata. An ista satisfactio sufficit viro, qui non nisi, in quotidiana communiaque delicta, incidere consuevit; atqns potestne legitimam, piacularis pœnæ, sapplere rationem?

Raspons.

Constat omniao pœnitentiam ejusmodi, posse ipsi Antonio, in proposito casu, locum explere legitimæ satisfactionis; quin etiam illis expedira, ut, qui aliqua infirmitate detinenenr, aut quibusdam opprimaatur calamitatibus, istius generis pœnitentiæ præscribantur. Licet enim, ipsa flagella, quæ nobis a Deo infliguntur, non pendeaot a nostra potestate; quippe Deus castiget pro beneplacito suo, atque inconsulta nostra voluntats; attamen ipsa, aliquo modo, in manibus nostris, esse posita, certam est; in eo, quod auxiliante divina gratia, eadem, & animo patienti sustinere, & in satisfactionem peccatornm acceptare, atque ita Deo offerre, indeque nobis aliquid conciliare meriti, omnino possimus. Sic ipse S. Thomas ea de re differit (f), istis verbis: *Si flagella, quæ pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis; rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat, ad purgationem peccatorum, eis utens patienter.* Et paulo post subdit laudatus S. Doctor (g). *Quamvis illa flagella, non fiat omnino in potestate nostra; tamea quantum ad aliquid sunt; cum scilicet eis patienter utimur: & sic homo facit de necessitate virtutem. Unde & meritoria & satisfactoria esse possunt.*

(f) S. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art 4 quæstiunc. 2. in corp.
(g) Idem ibi. ad 1.

CASUS XIII.

Anniaali confesso, septsm psalmi pœnitentiales injuncti sant, diebus, cum Dominicis, tum Festis, per tres menses continuos recitandi. Quos quidem religiose persolvit; sed adhibira, in fundendis istis precibus, ipsias temporis circumstantia, quo rei Divinæ, ad complendam indictam istis diebus obligationem, interesse consueverat. Numqaid irrogata sibi pœnitentia, coram Deo, solvitur?

Respons.

Eaistimat Sylvius, memoratum virum injunctæ sibi pœnitentiæ fecisse satis, licet eam adimplaverit, in ista temporis circumstantia, quo juxta præscriptam aliunde obligationem, sacris aderat. Eamqua illius rei rationem subjicit, quod nedum repugnet, & sacra obire, & vocales preces ad Deum simul fundere; quin immo optime conveoiant inter se cum supplicationes, tnm missæ sacrificinm, quippe Sacerdos, inter peragenda sacra, coutinuas deprecationes ipse fundat, eadem ratione, qua fidsles, qui sacris intersunt. Addit Sylvias (h), *satisfacit, qui audiens missam ex præcepto, legit horas Canonicas, aut explet suam pœnitentiam.* Nihilominus opinamur, multo magis convenire, ut, ad peragendam pœnitentiam, aliud tempus seligatur, quo non incumbat, ex præcepto, interesse sacris, sive Dominicis, sive festis diebns; atque conscientiæ etiam tutiori via consuli, si sic illud præstari, eaveatur.

(h) Francisc. Sylvius in supplem. 3. partis Sum. S. Thomæ qu. 15. art. 3. quæstiu. un. concluf. 4.

CASUS XIV.

Uaanio, quibusdam non admodum gravioribus depositis peccatis, voluit Confessarius injuogere, satisfactionis loco, laboriosissima quædam opera, ac per longam temporis spatium demetienda. Verum, cum persuasum omnino vir iste haberet, in ejusmodi pœnitentia, multo plus excedi modum, quam peccata sua exigebant; indictam pœnitentiam prorsus detrectavit. Numquid salvo conscientiæ suæ debito, sic agere potuit?

Respons.

Censemus, illæsa conscientia, non potuisse ab Uranio detrectari pœnitentiam, quam ipsi infligere, Confessario visum est; neque enim decet pœnitentem, sese suimetipsius proprium judicem constituere. Sedet ipsius Judea, in Tribuoali pœnitentiæ, Confessarius, quem suspectum habere, nulla omnino ratione debet. Adeoque ipsi incumbit, ut quam potest demississime atque subjectissime ferat sententiam decernentis Confessarii, qui, nomine & ex potestate ipsiusmet Christi agit, &

vices

vices supplet; neque sibi arroget inquirendam, everrendamque pœnitentiam, quæ sibi imponitur. Quod rationi simul & æquitati sic consentaneum est, ut in infligenda pœnitentia, & pœnæ debitum consideretur, & peccato remedium adhibeatur, quemadmodum loquitur S. Thomas (*a*), *Pœnitens*, inquit, *cui major condigno pœnitentia injuncta est, tenetur eam explere, ex Sacerdotis injunctione, qui non solum debitum pœnæ considerat; sed peccato remedium adhibet*. Quidam commendatissimi nominis Auctor, Hispanus Jesuita (*b*), ac Theologiæ professor in Collegio Claromontano Parisiorum, anno 1583. ait, *esse falsissimam opinionem & perniciosam Ecclesiæ, contra omnem antiquitatem*; eorum, qui putant liberam dari pœnitenti copiam, aut acceptandæ, aut rejiciendæ pœnitentiæ, quæ ipsi a Confessario præscribitur. Et vero S. Cyprianus (*c*) eos graviter insectatur, qui eo temeritatis deveniebant, ut, quæ sibi inflictæ fuerant, pœnitentias renuerent acceptare: & S. Gregorius Nyssenus (*d*), ejusmodi pœnitentes notat, tanquam indociles, factiosos & pervicaces. Ait quoque S. Augustinus (*e*), a quocumque pœnitente humiliter suscipiendam esse ac districtissime complendom, injunctam ei pœnitentiam, quantumcumque severa laboriosaque ipsi videatur. *Agere pœnitentiam non recuset, non resistat*, inquit laudatus Pater, *non lethali & mortiferæ plagæ, per pudorem, addat tumorem. Meminerit semper, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*f*): *quid enim est infelicius, quid perversius, quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura ejus erubescere?*

(*a*) S. Thom. in 4. dist. 10. q. 12. art. 2. quæstiuncula 2. ad 2.

(*b*) Joann. Maldonat. lib. de pœnitentia tom. 2. p. 420.

(*c*) S. Cyprianus serm. de lapsis.

(*d*) S. Greg. Nyssenus adversus eos, qui castigationes ægre ferunt. t. 3. pag. 313.

(*e*) S. Aug. serm. 151. §. 9. alias hom. ult. inter quinquaginta.

(*f*) Jacobi 4. 6.

Atque istud, pristinis olim temporibus, Ecclesia sic alienum habuit, quod sibi sumerent pœnitentes, unde pœnitentias sibi impositas respuere auderent; ut eis per spatium multorum sæculorum, absolutionem impertiri non solita sit, nisi post absolutas in integrum ac plane completas pœnitentias: & penes Episcopum solum fuerit, ut, ratione habita fervoris ipsorum, aut infirmitatis, aliquantulum, de pœna iis imposita, remitteretur: & quanquam veneranda istius disciplinæ severitas, sæculis subsequentibus immutata sit; & libera permissa sit Confessariis potestas, constituendarum & relaxandarum pœnitentiarum, ea tamen lege, ut quantum fieri posset, primævæ Ecclesiæ mentem attingere eniterentur; quemadmodum colligitur ex quodam Canone excerpto de operibus S. Hieronymi (*g*), & ex Concilio Florentino (*h*): *Nusquam tamen*, inquit Estius, *arbitrio ipsorum pœnitentium eas* (pœnitentias) *relictas fuisse legimus. Quin potius jubebantur illi, quidquid Sacerdos arbitratus fuisset, implere* (*i*). Quod eruditus iste Jesuita probat, ex sequentibus ac omnino distinctis Lateranensis Concilii Generalis verbis (*K*): *injunctam sibi pœnitentiam, propriis viribus, studeat adimplere*: quæ etiam verba, in ejusdem rei probationem, adhibentur a Sylvio (*l*): verbo scilicet, *studeat*, non tantum indicante obligationem, qua tenetur pœnitens, ad perficiendam pœnitentiam sibi præscriptam; sed etiam exprimente ipsum studium, diligentiam, & religionem, quibus ipsa peragenda est.

(*g*) S. Hieron. in can. *Mensuram*. 86. de pœnit. dist. 1.

(*h*) Concil. Florent. decreto. de Sacramentis.

(*i*) Guill. Estius in 4. dist 19. §. 20.

(*k*) Innoc. III. in Conc. later. in cap. *Omnis*. 12. de pœnitentiis & remis. lib. 5. tit. 38.

(*l*) Fr. Sylvius in suppl. S. Th. qu. 18. art. 2. quæsito 3.

Quibus omnibus rationum momentis, illud addi potest, quod probatissimum omnique tergiversatione superius est: nimirum, ut testatur Concilium Tridentinum, juxta verba ipsiusmet Jesu Christi, quæ sic se habent (*m*): *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo* (*n*), quod *claves Sacerdotum, non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent*. Atqui secundum citatos Theologos, potestas ligandi, non tantum in eo reponitur, quod absolutio denegetur indignis; sed etiam ut, quando tribuitur, simul irrogentur ipsis pœnitentiæ congruentes, ex quibus valeant, tum compensare injuriam Deo illatam, ipsius justitiæ satisfaciendo, tum redimere graviores pœnas suis peccatis debitas. Unde concludendum est, nisi occurrat, in ipsius Confessarii agendi ratione, manifestus error; coram Deo incumbere pœnitenti, ut irrogatam a Sacerdote pœnitentiam acceptet; & acceptatam adimplere enitatur. *Neque responderi potest*, inquit Sylvius, *eum* (*pœnitentem*) *obligari, ad exequendam pœnitentiam, si acceptaverit, non teneri tamen acceptare. Nam hæc obligatio non a voluntate pœnitentis; sed a virtute clavium; id est, a potestate Sacerdotibus tradita proficiscitur*. Quibus subjicit eruditus Auctor, quem citavimus: *Ex his sequitur esse peccatum, in suo genere mortale, non acceptare, vel non explere satisfactionem injunctam: atque adeo negandam esse absolutionem ei, qui noluerit acceptare satisfactionem injunctam*. Quod eodem quoque modo docet S. Bonaventura (*p*), qui ait: *Videtur, quod ille peccator, qui non vult suscipere satisfactionem condignam, a Sacerdote impositam, mortaliter peccet*.

(*m*) Matthæi 18. 18.
Joan. 20. 23.

(*n*) Concil. Trid. sess. 14. c. 8.

(*o*) Estius loco cit.
Sylvius cit. qu. 18. art. 30. quæsito 3.

(*p*) S. Bonav. in 4. dist. 16. p. 2. dub. 6.

Neque tamen animo est, ex testimoniis superius recensitis, prohibere pœnitentem ea facultate, qua valeat Confessario reverentissime exponere, districtiorem pœnitentiæ sibi injunctæ severitatem, diuturnioris ve temporis, quo peragenda est, spatium, aut etiam nimis onerosum laborem, quem in ea exequenda, experturum esse se se præsumit: Verum existimamus, si Confessarius, ipsius rationes, in trutina severissimæ æquitatis, suspensas, nullo loco numerandas esse judicaverit; isti pœnitenti prorsus incumbere, ut secundum quod Confessario visum fuerit magis expedire, injunctum sibi atque ab eo præscriptum onus humiliter suscipiat.

CASUS XV.

Marianum confessum, tempore Paschatis incidisse se semel in stuprum, ipsius Confessarius Philbertus absolvit, injuncta ei pœnitentia convenienti. Eundem post sex menses reversum, ac confessum, se se in idem crimen, cum alia tamen persona, relapsum fuisse, Philbertus iterum absolvit, & quam tempore Paschatis imposuerat, eandem ipsi pœnitentiam irrogavit. Numquid in eo, dictus Confessarius officio suo non defuit?

Respons.

Censemus 1. Marianum, a dicto Confessario non debuisse altera vice absolvi, nisi urgente gravissima caussa; absolutionemque oportuisse suspendi, ut ex ista procrastinatione, locus experiendi daretur, num, quem verbis plurimum exhibebat, de iterato lapsu, dolorem operibus præstaret.

2. Posito, quod impertiendæ absolutionis, aliquid caussæ legitimæ intercesserit; non existimamus officio suo Philbertum fecisse satis, in infligenda, Mariano, eadem pœnitentia, quam priori vice, ei jam indixerat: Atque persuasum habemus, multo severiorem ab eo fuisse eidem imponendam.

Atque ratio est, quod, quanquam memorata duo stupra, constituant duo ejusdem speciei peccata, certissimum tamen maneat, ex altero stupro factum fuisse Marianum, coram Deo, nocentiorem, nimirum propter iteratum lapsum; & summopere illud in Confessario requiri, ut *consideret qualitatem criminis in tempore, in perseverantia, in varietate personæ .... & in ipsius vitii multiplici executione*, inquit quidam Canon, in Decreto Gratiani (*q*) ... *Omnis ista varietas confitenda est & deflenda*. In quod Glossa (*r*) ait: *Iteratio enim aggravat*. Atque istud docet etiam (*s*) Navarrus. Et vero quis ierit inficias, a Mariano crimen ingrati in Deum animi multo gravius admissum fuisse, ex altero ipsius peccato, quam ex priori; quippe, gratia sibi facta de peccato primum condonato perverse fuerit abusus, ipsumque propterea non mereri, ut ipsi gratia altera tam facile concedatur, & absque eo, quod obligetur ad satisfaciendum justitiæ Divinæ, pœnitentia adhibita multo severiori. *Vulnus iteratum sanatur tardius: frequenter peccans & lugens, vix veniam meretur*, inquit antiquus Canon, quem Gratianus, S. Augustino vindicat; sed testante Pithou, proprium S. Isidori fœtum esse verisimilius existimatur (*t*). Eaque potissimum de caussa decernunt Canones, plectendum esse depositione Clericum quem constiterit, in ista morum dissolutione perseverare; licet istam depositionis pœnam non statuant, prima, qua in dictum crimen inciderit, vice infligendam; quemadmodum observat laudatus Canonici Juris interpres.

(*q*) Apud S. August. lib. de pœnit. in can. *Consideret*. 1. de pœnit. dist. 5.

(*r*) Glossa. v. *Perseveranter*.

(*s*) Navarr. in cit. can. n. 119.

(*t*) Isidorus in Synominis l. 1. in fine in can. *Inanis est*. 12. de pœnit. dist. 3.

CA-

CASUS XVI.

Adrianus, depositis plurimis iisque mortalibus peccatis, acceptata pœnitentia, quod proxime occurentibus duabus feriis sextis, & jejunium servaret, & septem Psalmos pœnitentiales, cum adjunctis Sanctorum litaniis persolveret; integram pœnitentiam adimplevit; sed non nisi in peccarum morrale jam relapsus. An injuncta sibi pœnitentia, coram Deo solvitur, aut nonne tenetur ad eam denuo peragendam?

Respons.

Priusquam proposita difficultas excutiatur, observandum est posse aliquem triplici ratione diversa peccato subjici, nimirum *vel actu .... vel affectu ... vel habitu, seu reatu & macula*; ut loqui amant Scholæ. Extat in actu peccati, qui ipsum actum peccati admittit, qualis est, qui fœnerationem exercet. Est in affectu peccati, qui studio peccati ardet; quanquam in ipsomet instanti, peccatum non committat; qualis, qui libidini deditus, primam occasionem allicientem arripit, ut sese in crimen immergat, in quod ipsius voluntas semper propensior est, quam continere, nulla ne minima quidem ratione enititur. Tandem reatu tantum peccati irretitur, qui cogitans & animo sincere proponens, ad meliorem frugem se recipere, peccarum nondum sibi condonari obtinuit, neque consequenter pœnam æternam remitti, quæ peccatis suis debita semper remanet; propterea quod dolore non nisi imperfecto moveri incipiat, nec amore satis vehementi in Deum feratur, quo possit justitiæ statum adipisci. Qualis erat Publicanus eo tempore, quo templum ingressus est. Peccatum namque jam dimiserat, & quo antea ardere consueverat, penitus exuerat peccati studium; siquidem Divinam misericordiam imploraturus illuc accesserit: Reatu ipsius peccati adhuc tenebatur: nec justificari primum cœpit, nisi ex fervidiori deprecatione, quam fundit in Templo, & ex concepto acerbiori & omnino vehementi de peccatis suis dolore.

Quo quidem præmisso principio, dicendum est, ut quæstioni, de qua agitur, fiat satis; si Adrianus, eo tempore, quo complendæ pœnitentiæ sibi inflictæ, operam dedit; aliqua ratione peccato innodatus extiterit, aut *actu vel habitu, seu affectu*; ipsum teneri ad eandem iterum peragendam si quid ex ea sibi conferri velit utilitatis; propterea quod, in eo statu constituto, nihil ei preces & jejunia profuerunt, ut Divinæ justitiæ satisfaceret: *Qui actu, vel affectu persistit in peccato mortali*, inquit *Sylvius* (a), *non potest Deo satisfacere pro illis peccatis*. Quod quidem a laudato Theologo non docetur, nisi post S. Thomam (b).

(a) Fr. Sylv. in supplem. S. Th. conclus. 1.
(b) Supplem. S. Th. q. 14. a. 2.

Atque in præsentis hujusce decisionis confirmationem, rationes sese offerunt quamplurimæ.

Prima: propterea quod satisfactio sit opus pœnitentiæ. Atqui pœnitentia vana est, quæ nedum perpetrata peccata lugeat, quin immo lugenda, de integro etiamnum perpetrat; aut cum animus in peccata præterita totus defigitur; aut etiam sic comparatur voluntas, ut cum prima sese dederit occasio, nova alia peccata admissura sit; eoque sensu dicit S. Augustinus (c): *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat*.

(c) S. Aug. in can. Inanis 32. de pœn. dist. 3.

Secunda; quoniam, ut vera sit satisfactio, annexum habere debet sincerum animum divinæ justitiæ placandæ, cui offensa, ex commissis peccatis, irrogata est. Porro dici non potest, in eo, qui etiamnum afficitur voluntate rursum peccandi, aut qui toto affectu intendit in peccata, quæ admisit, residere sincerum animum Justitiæ Divinæ satisfaciendi, siquidem animo prorsus opposito totus agatur.

Tertia, quam mutuamur a S. Thoma (d), est quia *non potest fieri satisfactio, nisi per opus Deo acceptum; ergo non potest, qui habet aliquod peccatum, Deo satisfacere*. Quod idem quoque docetur a S. Antonino, qui dicit (e): *Satisfactio facta in mortali sicut nec alia opera valent in foro Dei, ad tollendum, vel minuendum debitum pœnæ pro peccatis, ad quod ordinatur omnis satisfactio. Quia cum non sit in amicitia cum Deo, non potest Deo esse acceptum tale opus*. Jamvero ipsa bona opera, quæ agimus, Deo placere non possunt, nisi sit in nobis virtus charitatis, quæ cum non possit consistere, neque cum actu peccati mortalis, neque cum ipsius affectu, in iis tantum reperitur, qui peccato prorsus renunciaverunt. Unde sequitur, tam propter istam rationem, quam propter duas alias rationes superius allatas, nullum peccatorem posse satisfacere Deo, quamdiu peccato mortali irritetur sive quoad actum, sive quoad affectum, atque adeo pœnitentiam in eo statu adimpletam nihil quidquam prodesse tum ad tollendam, tum ad minuendam pœnam præteritis peccatis promeritam. Eaque est consecutio, quæ ab Angelico Doctore educitur (f). *Ergo nec satisfactio aliqua est cum peccato mortali*: Quæ quidem consecutio pluribus testimoniis scripturæ, præsertimque istis Apostoli verbis innititur (g): *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas .... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Item & istis verbis Jeremiæ sic, in persona Dei, loquentis (h); *Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum; & si obtulerint holocautomata & hostias, non suscipiam ea*: eamque illius rei causam reddit scriptor sacer, quod illi, de quibus sermonem instituit, non destitissent perverse agere, neque forent ipsi Deo acceptabiles (i). S. Bonaventura, Alexander Halensis Doctor Angelus, qui titulum Certissimi & Irrefragabilis adeptus est (K), nubesque ingens aliorum Theologorum in eo, cum Doctrina S. Thomæ conveniunt, quæ propriae st sanctorum Patrum & nominatim S. Augustini (l).

(d) Supplem. S. Th. q. 14. a. 2. arg. Sed contra.
(e) S. Anton. 3. p. sum. theol. tit. 14. c. 20. §. 2.
(f) Supplem. S. Th. c. a. a.
(g) 1. Ad Corint h. 13. 3.
(h) Jer. 14. 12.
(i) Ib. a. 20.
(k) S. Bonav. in 4. dist. 15. p. 1. art. 1. q. 1. Alexand. Halef. 4. p. q. 24. membro 4. a. 1.
(l) S. Aug. Enchirid. c. 15. & 70.

Quanquam vero pœnitentia, a Confessario imposita, non ipsum pœnitentem liberet pœna, quæ ipsis peccatis debetur: quando nimirum, in peccati mortalis statu constitutus, eam adimplevit; non obligatur tamen ad eandem persolvendam iterum, si adfuerit dolor de peccato commisso, cum sincero animi proposito non peccandi de cætero. Cujus rei ratio est, quod ut conjicimus, Confessarius pœnitentiam in statu gratiæ peragendam, non ei præscripserit, & *modus præcepti non cadit sub præcepto*, quemadmodum ajunt Theologi. Præterea, quidam Doctores (m) existimant, quæ a Confessario loco satisfactionis de depositis peccatis injunguntur, reviviscere bona opera, statim atque gratiæ status redintegratur; in eoque, juxta eorum opinionem, ab aliis operibus bonis distingui, quæ cum in statu peccati mortalis perficiuntur, nunquam valent a pœnis, quæ peccatis præteritis debentur, immunitatem præstare.

(m) Suarez de pœn. disp. 38. sect. 8. Card. de Lugo de pœn. disp. 23. Navarra. de pœn. dist. 6. c. 1. n. 48. & 49.

Concludimus ergo, si Adrianus, de iterato suo in peccarum morrale, ante pœnitentiam persolutam, lapsu, sincerum animo conceperit dolorem, atque morum emendationis studium, verumque propositum habuerit, cum dictam peregit pœnitentiam, eum nullatenus astringi, ad servanda de integro jejunia, precesque iterum fundendas, quæ sibi a Confessario fuerant indicta, non tantum propterea quod, iis satisfaciendo, jussis sibi a Confessario denunciatis, fuerit obsecutus: sed etiam, quoniam ista bona opera ipsi profuerunt, satisfactionisque locum aliquatenus expleverunt, juxta recensitam laudatorum Theologorum opinionem, & in eorum sententiam lubentius adducimur, quod, ipso docente S. Thoma, non defraudentur penitus effectu suo, quædam a pœnitentibus exhibitæ satisfactiones, & ipsis satisfacientibus conferant aliquid utilitatis; quales sunt stipis erogationes, jejunia cæteræque corporis afflictationes; etiamsi fuerint, *in reatu peccati mortalis*, adimpletæ. *Aliquæ satisfactiones sunt*, inquit Angelus scholæ (n) *ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transit; sicut ex jejunio manet corporis debilitatio, ex Eleemosynis largitis, diminutio substantiæ ... & tales satisfactiones in peccatis factæ, non oportet, quod iterentur*. Quæ eadem a S. Antonino & Alberto magno etiam docentur (o).

(n) S. Thom. in 4. dist. 15. q. art. 3. quæst. 3. ad 3.

Tandem, *satisfactiones autem*, addit S. Thomas, *quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfactione, postquam actus transit, oportet quod iterentur: sicut est de oratione & similibus. Actus autem quia totaliter*

(o) S. Anton. loco sup. cit. & apud eum Albert. mag.

ter transit, nullo modo vivificatur; sed oportet quod iteretur. Postquam scilicet gratiæ statui restitui fuerunt pœnitentes, si velint sibi remitti pœnam, cujus redimendæ causa, ipsis injuncta sunt satisfactionis opera, præsertimque si redeunte statu gratiæ, ipsa non reviviscant; quemadmodum quidam alii Theologi contendunt.

Dicimus, *si velint sibi remitti pœnam*, &c. Quamvis enimvero iterandæ necessario veniant ejusmodi pœnitentiæ, ad satisfaciendum Divinæ justitiæ, non tamen ut Ecclesiæ præcepto fiat satis eadem incumbit obligatio; ut dicit alibi laudatus Sanctus Doctor, cujus ista verba sunt (a). *Quamvis non sit absolutus a pœna condigna satisfactoria, absolutus tamen est ab ea, quæ injuncta fuit ab homine. Dicitur enim quis obligari ad pœnam peccati, uno modo, ex ipso peccati reatu: 2. ex præcepto Ecclesiæ, quo pœnitens ligatur in absolutione. Quamvis autem satisfaciens in mortali, juxta præceptum Ecclesiæ, a præcepto Ecclesiæ se absolvat; non tamen a reatu pœnæ debitæ peccato, absolvitur.* Liberatur ergo ab injuncta sibi pœna ab Ecclesia, in quocumque statu sit constitutus, modo tamen, ut observavimus, non careat in actu, vel affectu peccati mortalis.

(a) S. Th. l. 4. ad Hannib. dist. 15. q. unica ar. 2. ad 4.

CASUS XVII.

Ecclesia, cum hodiernis temporibus plurimum remiserit de pristina illa pœnarum acerbitate, quas a peccatoribus repeti, exigebat primæva sui ætate; Quæritur utrum possit Confessarius, salvo tamen officio suo, occultam quidem, sed severiorem pœnitentiam duntaxat indicere ei, qui in peccata publica, & quæ multum offensionis habuerunt, incidisse se, confessus est?

RESPONS.

Cum disciplina Ecclesiastica, circa pœnitentias publicas imponendas, traditionem Apostolicam sibi potissimum vindicet, atque fulciatur istis verbis Apostoli (b): *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant:* Eamque sanctum Concilium Tridentinum (c), plurimum supplicantibus enixeque requirentibus tum Gallicanis Episcopis, tum quos Rex Carolus IX. miserat legatis, in trigesimo suarum efflagitationum articulo revocaverit: manifestum est, a simplici Confessario non posse, privata ipsius authoritate, ab ea Lege peccatores ejusmodi fieri immunes, iis occultas tantummodo pœnitentias injungendo, quantumcumque severæ esse possint; eumque omnino teneri ad se gerendum, juxta ipsius Ecclesiæ mentem; quam disertis prorsus atque distinctis verbis palam ipsamet aperuit in suo Concilio generali ultimo, cujus decretum sic exprimitur, *Apostolus monet, publice peccantes, palam esse corripiendos: Quando igitur, ab aliquo publice & in multorum conspectu, crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam, publice injungi oportet; ut quos exemplo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.* Quibus postremis verbis laudatum sanctum Concilium indicat, qua potissimum ratione adducta fuerit Ecclesia, ut peccatoribus publicis, pœnitentia palam & in omnium conspectu demetienda infligeretur; quæ non dissimilis est ab ea ratione, quam Concilium Turonense actum anno 461. enunciat istis verbis (d): *Quo facilius & ipse* (peccator) *compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii ejus terreantur exemplo.*

(b) 1. ad Tim. 5. 20.
(c) Concil. Tr. sess. 24. c. 8. de refor.
(d) Conc. Turonens. 1. can. 8

En ipsa, quam Ecclesia constituit, regula, a qua nec tantillum recedere Confessario permittitur. Cum testante S. Augustino (e), penes solum Episcopum sit, constitutam Ecclesiæ, in eo capite, Legem interpretari, secundum quod ei videtur, ipsius Ecclesiæ bono; privatæque pœnitentis saluti, magis expedire. *Episcopum tamen*, addit Concilium, *publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Quamobrem licet ipsi Confessario incumbat, ut pœnitentiam publicam, iis in casibus imponat; Siquidem ea sit Ecclesiæ (f), tum mens, tum Lex, debet tamen consilium ab Episcopo quærere, quo sibi perspectum sit, an expediat: aut eam infligere, aut in secretam aliam pœnam commutare. Quæ retulimus, rationum momentis juvat annectere 1. authoritatem S. Caroli Borromæi, qui ait (g): *Nequaquam publicos aut scandalosos peccatores, Sacerdos absolvat, nisi publica satisfactione & peccato proportionata imposita, ut ea, dato scandalo, satisfiat, sicut post Concilium Tridentinum, in primo & tertio nostro Concilio statuimus: nec eas satisfactiones seu pœnitentias publicas, in secretas, commutare quis præsumat, nisi specialem, ea de re facultatem a nobis obtinuerit.* 2. Testimonia plurimorum Conciliorum (h), quæ post Concilium Tridentinum habita sunt; qualia sunt Genuense celebratum, anno 1574. Sipontiense, Manfredoniæ actum, anno 1567. Burdigalense, Bituricense, Rothomagense, Rhemense, Turonense, & Aquense. Rituale Romanum, cum Decretis laudatorum Conciliorum, etiam omnino concordat (i).

(e) S. Aug. sermon. 351. in pœn. alias hom. 50. cap. 4. inter quinquaginta.
(f) Concil. Mediol. 1. p. 2. 159. quæ pertinent ad Sacr. pœn.
(g) Act. Eccles. Mediol. p. 4. in instr. Confess. t. 2. p. 656.
(h) Conc. Genuens. tit. de pœn. Conc. Sipon. eod. tit. Conc. Burdig. tit. 22. de pœn. Concil. Bitur. tit. 2. can. 2. Conc. Roth. an. 1581. Conc. Rhemens. an. 1583. Concil. Tur. an. eod. conc. Aquens. an. 1585.
(i) Rit. Rom. tit. de Sacram. pœn. 19. Coll. Agath. postulato 8. de Gen. Theol. mor. t. 4. tit. 6. c. 7. quæstionib. 25. & 17.

Cæterum non erit abs re, hic loci atque occasione præsentis difficultatis observare, peccatorem censeri publicum. 1. Cum etiamnum perseverat in peccato mortali, quod evidentia facti sic pervulgatum est, ut nulla jam tergiversatione negari possit. 2. Aut quod manifestum evadit, ex publica ipsiusmet peccatoris confessione. 3. Aut tandem, quod percrebuit, quia istius peccator, compertus atque manifestus factus est, ex sententia aliqua denunciante, in judicio sive Ecclesiastico sive Civili pronunciata. Quibus seclusis casibus, peccator nec accipiendus nec mulctandus est tanquam publicus, licet ex pervagato vulgarique rumore, talis utcumque habeatur.

Vide (Absolutio 1.)
(Confessarius. 1. Casus.)
(& 10.)
(Jubilæus.)

POENITENTIARIUS.

POENITENTIARIUS, hodierna hac ætate, est Sacerdos, ab Episcopo in ipsius Ecclesia Cathedrali præpositus, ad absolvendum a quibusdam peccatis, quorum absolutionem aut ipse aut ejus antecessores sibi reservaverunt. Quo quidem munere primi Episcopi olim fungebantur; postea vero, istam adeo venerandam provinciam Sacerdoti cuidam, quem elegere, demandaverunt. Atque Sacerdos iste, Vicarii Generalis Episcopi munia agebat, quem Chor Episcopum antiqua Concilia appellare consueverunt, *Vicarii Episcoporum, quos Græci Chor Episcopos dicunt*; quemadmodum loquitur Concilium Ancyranum, si interpretationi Isidori fidem habere liceat. Subministrantur nobis, ea de re, quamplurima exempla, quæ ex historia Ecclesiæ deprompta, fusiori stylo refert Pater Thomassinus (k). Episcopus Nazianzenus filium suum S. Gregorium e solitudine accersivit, in partem sollicitudinis regiminisque commissæ sibi Ecclesiæ, propter numerosam, qua gravabatur, ætatem. S. Basilius easdem vices supplevit, sub authoritate Eusebii Cæsareensis post reconciliatum sibi ipsius animum, eodem referente S. Gregorio (l). S. Simplicianus Ecclesiæ Romanæ Sacer-

(k) Discipl. Eccl. p. 1. l. 2. c. 21. n. 2.
(l) Orat. de laudib. Basil.

cerdos, demandatam sibi quoque a S. Ambrosio Provinciam, exercendæ in Ecclesia Mediolanensi Jurisdictionis Ecclesiasticæ suscepit. Neque etiam Sacerdos inauguratus est S. Augustinus ab Episcopo Hypponensi Valerio nisi ut idem quoque munus obiret, quemadmodum colligere licet ex ipsius Epistola ad eundem Episcopum scripta (a).

(a). Aug. ap. al. alias 391. n. 4.

Erat igitur iste Sacerdos tunc temporis illis titulis simul decoratus, qui diebus hodiernis passim circumferuntur, sub appellatione Vicarii Generalis, Officialis, Pœnitentiarii, & Theologi Doctoris, quoniam diversa, quæ dictorum officiorum propria sunt, munera solus sustinebat, consuetus ipse tum sacro baptismatis fonte tingere, tum cætera Sacramenta fidelibus administrare, quin etiam solemni ritu sacra celebrare, ad populum Conciones Sacras habere, confessiones excipere, pœnitentibus pacem conciliare, commotas inter Clericos, & quandoque inter Laicos controversias dirimere: Quæ quidem munia præstabat eo præsertim tempore, quo Episcopus vel aberat, vel propter infirmitatem aut quodvis aliud impedimentum aliunde occurrens, iis obeundis operam dare præpediebatur, atque dictorum Sacerdotum pleraque pars, in locum eorumdem Episcoporum qui sibi eos Vicarios assumpserant, ut plurimum sufficiebatur.

Cum primum augeri cœpisset in Ecclesia numerus Sacerdotum, diversa isthæc officia a pluribus impleri, Episcopi curaverunt, ac constituerunt, in suis Ecclesiis Sacerdotes quosdam, qui *Pœnitentiarii* dicti sunt, ut eorum confessiones exciperent, qui grandia enormiaque peccata perpetraverant; atque in gratiam Ecclesiæ eos reducerent, qui seu timore exterriti, seu tormentorum acerbitate conquassati, eo miseriæ devenerant, ut fidem suam ejurarent; qui quidem Ecclesiæ non prius reconciliabantur, quam ab eis accepta vel publica vel secreta pœnitentia, quam Canones ab Episcopis constituti indixerant. Usus iste de pœnitentiis publicis imponendis, eo usque frequentari continuavit, donec tempore Nectarii Constantinopolitani Archiepiscopi, exorta offensione omnino ingenti, ex impudentia cujusdam mulieris, quæ palam atque in omnium conspectu vociferata est, confitens seipsam cum Diacono in crimen quoddam occultum incidisse, dictus Archiepiscopus, cum Sacerdotem Pœnitentiarium, tum ipsam pœnitentiam publicam abrogavit, quam etiam propter secreta peccata, quamplurimi peccatores, nemine cogente, propriaque sponte ac voluntate solebant percurrere. Quod usu posta receptum per totum Orientem, eadem ratione semper stetit; ibique nihilominus pœnitentiæ secretæ, juxta severitatem antiquis Canonibus commendatam, semper infligi non destiterunt.

In occidente vero, postquam immoderatam enormemque, quam sibi assumebant Archidiaconi jurisdictionem intra suos strictos limites, ab Episcopis contineri, 12 labente sæculo curatum est; 4. Concilium generale Lateranense habitum sub Innocentio III. duo nova Ecclesiastica Officia creavit, munus nimirum Doctoris Theologi, & munus Pœnitentiarii (b), ut utriusque munii curam suscipientes dignæ personæ, in subsidium ipsius Episcopi venirent, cum quoad Sacras Conciones ad populum habendas, tum quoad confessiones peccatorum excipiendas; quod ipsemet Episcopus per se ipsum præstare, tunc temporis consueverat, præsertim quantum ad casus, quorum absolutionem reservari sibi præscripserat. Atque ita se habuit prima Poenitentiariorum institutio, in Ecclesia Occidentali, quorum ministerium a Supremo generali Concilio habitum est, & ratum, & acceptum (c).

(b) Conc. Lateran. IV sub Innoc. III c. Inter cæteras 15. de offic. Judicis ordinar. lib. 1. tit. 31.

(c) Conc. Trid. s. 14. c. 7. de Sacram. pœnit.

In prima decisione occurrente, ob oculos Lectorum ponemus, quænam sit Jurisdictio Poenitentiarii; Atque utrum censenda sit ordinaria, vel tantummodo delegata? Eaque de causa, suademus eos, ut ad eum locum velint recurrere.

CASUS PRIMUS.

Nicostrates pœnitentiarius, Canonicus de Ecclesia Cathedrali Civitatis Vasaticæ, cum propter res quasdam ad Capitolum spectantes, aliquid inimicitiæ cum Episcopo suscepisset: Episcopus ipsi interdixit, ne quemquam a casibus reservatis in posterum absolveret. Nicostrates vero contendens ab Episcopo non posse sese removeri a suo munere, quoscomque ad se accedentes, pro consueto soo more, absolvere perrexit. An istud agere potuit tum valide, tum licite?

RESPONS.

Sic inter se connectuntur, & proposita difficultas, & hæc alia, nimirum, an pœnitentiario competat jurisdictio ordinaria, ipsoque jure eis dignitati annexa, nullaque omnino ratione ab Episcopo pendens, an vero duntaxat delegata; ut ista semel penitus excussa, illa absque ullo negotio, prorsus dissolvatur. Si enim constiterit ipsum jurisdictione ordinaria gaudere, absque dubio est, eum ab Episcopo ista jurisdictione non posse privari, nisi causa adsit, quæ juxta formulas juris, instructa adversus eundem ab Episcopo lite, in judicio di-

rima-

rimatur. At vero si istam jurisdictionem non possit sibi cum aliquo jure vindicare; penes est Episcopum, ut ipsum possit ad suum libitum, ab exercenda illa potestate, omnino repellere.

Fagnanus in Canonico Jure versatissimus, & Sacræ Congregationis Cardinalium interpretum Concilii Tridentini, in iis quæ tum ad disciplinam, tum ad mores pertinent, ab Epistolis (a), Sermonem habens de Raphaele Miralles, Canonico, & Pœnitentiario, de Ecclesia Ilerdæ, cui Episcopus interdixerat ne Synodo Diœcesanæ actæ anno 1516. adesse præsumeret, contendit Pœnitentiarium in Cathedrali, ipso jure universæ Diœcesi præpositum, & ex virtute Decreti Concilii Tridentini (b), censeri jurisdictione ordinaria gaudere, neque ex delegata tantum ab Episcopo jurisdictione ministerio suo fungi: propterea quod inquit, ordinaria sit ea jurisdictio, quam quis mutuatur, *a Lege*, *vel a Canone* (c): quemadmodum observat Innocentius IV. in suo commentario, in quandam Alexandri III. Decretalem, ad Episcopum Florentinum rescriptam. (d) Quamobrem, addit laudatus Juris Canonici interpres, Pœnitentiarius titularis in Cathedrali, consequenter ad Decretum Concilii, constitutus, (e) *cum sit quasi Parochus totius Diœcesis, habeatque jus audiendi Diœcesanorum confessiones, non ex speciali Episcopi commissione, sed a lege: id est, a Tridentino Concilio; ideoque Ordinarius censeri debeat. Nam Iurisdictio, quæ defertur a Lege, vel statuto ordinaria est .... quod absque dubio procedit, cum iurisdictio datur ad universitatem causarum, vel ad unum negotium universale.* En & opinionem & propria verba, quæ a Fagnano adhibentur.

Ut confirmetur ista autoris laudati sententia, solet proferri, eandem esse, quæ Officialis, Pœnitentiarii conditionem. Atqui juxta opinionis Fagnani defensores, non potest Officialis ab Episcopo, *ad nutum* ipsius, officio suo depelli, sed ea de re, causam intæresse, & quidem gravissimam necesse est: atque revera ita judicatum olim fuit, plurimis supremarum Curiarum Arrestis, & nominatim tribus, quæ lata fuere, contra Priorem S. Martini de Campis, contra Archiepiscopum Tolosanum, & contra Episcopum Tutelensem; quemadmodum refertur a Galli, in suprema Parisiensi Curia, Advocato Catholico, & a Boerio, (f) Supremi Burdigalensis Senatus Præsidibus. Quin etiam statutum est, quamplurimis Arrestis pronunciatis, adversus Antistites Floriopolensem, Noviodunensem, & Andegavensem; ab Episcopo subsequente, non posse repelli Officialem, ab ipsius antecessore præpositum: In quam sententiam discedunt multi Juris Canonici periti, (g) quos citat Laurentius Bouchel, in sua Bibliotheca Canonica, ibidemque simile Arrestum allegat, latum mense Aprilis 1610. pro Antonio Clugnel Bolonienssi, in Picardia, Officiali, contra Dominum Claudium Dormy, Diœcesanum Episcopum, qui sibi proposuerat, ipsum *ad nutum* ab exercendo munere revocare. Tandem Episcopus Ebroicensis, cum, ab Ordinum Regni conventu Blesarum congregato, obtinuisset futurum, ut officiales, munere suo, forente *ad nutum* orbandi; officialibus ad eandem causam quamplurimis simul accedentibus, data, ea de re, sua persuasione fuit pronunciatum, dictum articulum, coram ipsomet Episcopo, fore omnino expungendum. Igitur, eadem ratione videtur esse judicandum de Pœnitentiario, præsertim, cum ex titulo constitutus est in Ecclesia Cathedrali: quippe sit in quum, ipsius conditioni tribui minus favoris & gratiæ, quam tribuebatur olim Prætoribus constitutis, a Balliviis, Senescallis, cæterisque Regis Judicibus, qui munere suo dimoveri non poterant ipsorum autoritate privata sed, cum aliqua sese dabat occasio faciendæ alicujus expostulationis de ipsorum agendi ratione, id tantum juris habebant, ut eam aut ad Regem aut ad Consilium Regium referrent, quemadmodum statuitur Edicto Ludovici XII. anni 1499. (h)

En, quæ, in patrocinium sententiæ Fagnani, proferri possunt argumenta validiora, eam quoque Guido, Papa, Pastor, & Fevret sibi propriam efficiunt (i).

Neque tamen memoratam sententiam, tanquam omnino indubitatam propterea habemus, quin immo existimamus, Pœnitentiarium etiam titularem, nulla ordinaria jurisdictione, quantum ad casus Episcopo reservatos, gaudere, sed jurisdictione tantummodo delegata, atque sic, in eo, ab Episcopo ipsum pendere, ut non valeat, nisi eo permittente, neque a casibus reservatis, neque etiam ab aliis, ullatenus absolvere. En, & rationum momenta, & autoritatum testimonia, quibus hæc nostra opinio potissimum innititur.

(a) Prosper. Fagnan. in cap. Grave. 29. de præbendis. & dignit. n. 10. & 11. lib 3. decretal. tit. 5.

(b) Conc. Trid. sess. 24. c. 8. de reformat.

(c) Leg. Et quia 6. ff. de jurisd. omnium judicum. lib. 2. tit 1.

(d) Innoc. IV. in cap. Cum ab Ecclesiarum de officio judicis ordin. l. 1. tit. 31.

(e) Conc. Lateran. IV can. 19. & Conc. Trident. cit.

(f) Joann. Galli decis. 271 Nicolaus Boerius decis. 249.

(g) Oldrad de laude consil. 4. Alexand consil. 161 7. Jason. 6. Sed & iste, instit. de actionibus. Gomes in regulam cancella Rom. de non tollendo in re alt. quæsito q. 4. Apud Laurent. Bouchel Bibliot can. tom. 1. pag. 240. & tom. 2. pag. 138.

(h) Edictum Ludovici XII anni 1499. art. 47.

(i) Guido Papa. 4 tit. 18 articulo 5. Pastor de Benef. l. 1. tit. 11. Fevret. tractatu de Abusu l. 4. c. 4.

Primam, quæ nobis favet, auctoritatem, ab ipso S. Thoma mutuamur, (k) qui disertis omnino verbis, ait quod *Papa, & Episcopus suos Pœnitentiarios committunt:* Quæ quidem verba apertissime demonstrant Pœnitentiarios, Episcoporum duntaxat esse delegatos. Idem S. Doctor aliquid ea de re adhuc validius habet, cum dicit; (l) *Oportet confiteri Sacerdoti, & nonnisi proprio. Sed proprius Sacerdos duplex est, vel exjurisdictione ordinaria, sicut Parochianus Sacerdos, vel Episcopus, vel Papa: vel ex jurisdictione delegata, sicut ille, cui committit potestatem audiendi aliquis horum trium.*

Secunda autoritas est S. Bonaventuræ, qui discutiens quæstionem, quandonam nimirum incumbat necessitas, apud proprium Parochum deponendi peccata, atque sermonem instituens de iis qui jurisdictionem tantummodo delegatam exercent, Pœnitentiarios, in isto postremo ordine recenset. *De tertio Sacerdote, qui solvit per demandationem, sive commissionem, non habens animæ curam est distinguendum*, inquit laudatus S. Cardinalis (m) *aut enim commissa est ei & licentia data a Sacerdote, & tunc jus suum commisit alii... aut est autoritas commissa, a Superiore Ordinario, aut tunc est plena, aut in casu: si plena, sic judicandum, sicut de Ordinario, sicut patet in his qui sunt Pœnitentiarii Domini Papæ, & Episcoporum: aut est commissa in casu &c.*

Tertiam habemus, ex Gersonio Parisiensis Universitatis quondam Cancellario (n), qui dicit, ab Episcopo præficiendum esse Sacerdotem, quia reservatis casibus absolvat: quibus quidem verbis satis innit, alienum omnino se esse, ab eorum opinione, qui jurisdictionem ordinariam neque subjectam Episcopo, Pœnitentiariis assignant.

Quartam auctoritatem subministrat Navarrus, cui fides eo magis adhibenda est eo in capite, quod Pœnitentiarii vices Romæ, ipsemet gerebat, (o) qui de Pœnitentiariis generatim ac indistincte agens, neque consuetam adhibens distinctionem, quæ titulares inter & eos, qui titulo carent intercedit, quæstionem, quam hic loci tractamus, sic ipse sibi proponit. *An Pœnitentiarius, electus ad formam Sacri Concilii, possit absolvere casibus reservatis?* Cui sic respondet; *Respondeo quod non: immo per præfatum Canonem ipse Pœnitentiarius, non potest absolvere a reservatis, nisi aliunde ea sibi facultas fiat, cum ille nihil de hoc novi statuat, & a jure antiquo non est recedendum, nisi quantens nove id statuitur (p).*

Quinta auctoritas, quamplurimos magni nominis auctores sibi vindicat, qui eandem opinionem amplectuntur, quales sunt Barbosa (q) & cæteri, quos refert, ut Moronus, Diana, qui duodecim, alios appellat, ac fusius refellit sex auctores, qui opinionem tenent suæ oppositam; Gavantus, Palatius, Aloysius Riccius Canonicus Neapolitanus, & Sairus de Ordine S. Benedicti, in Anglia.

Sexta auctoritas desumitur, e decisione Sacræ Congregationis, quæ referente Baillio sub Pœnitentiario de Ecclesia Parisiensi (r) 17. Julii 1597. Sic se habet: *Pœnitentiarius non potest absolvere quemquam a casibus, quos Episcopus sibi expresse reservaverit: nisi ipsemet Episcopus, hanc illi speciatim dederit facultatem, nec sufficit quæcumque præsumptio.*

Reperitur etiam alia decisio, ab eadem Sacra Congregatione emanata, secundo Maii 1648. qua enunciatur, Decanum de Ecclesia Archiepiscopali Conzana, in Regno Neapolitano, cujus Præbendæ annexa erat dignitas pœnitentiarii, non posse absolvere a casibus reservatis Archiepiscopo, nisi accedente ejusdem expresso consensu, dataque ab eo facultate, nihil quicquam obstante usu, quem in sui gratiam Decanus iste plurimum extollebat. Atque idcirco potissimum statuere ea ratione, dictæ Congregationi visum est, quod a Concilio Tridentino non tribuatur plus juris Pœnitentiario etiam de præbenda providendo, quam ipsi antea fieri consuetum erat. Porro constat Pœnitentiarium non titularem, posse ab Episcopo *ad nutum* ipsius munere

(k) S. Thom. in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. quæstiunc. 5. ad 5.

(l) Idem in 4. ad Hannibald. dist 17. q. 3. art. 2. in corp.

(m) S. Bonavent. in 4. dist. 17 art. 1. q. 2 in respons. ad arg.

(n) Joann. Gerson serm. de pænit. in cœna dom. & serm. contra Bullam mendicantium.

(o) Navarrus l. 6. consiliorum de pœnitentiariis & remiss. cons. 20.

(p) Leg. Præcipimus. 32. cod. de appellationibus & consultat. l. 7. tit. 62.

(q) Aug. Barbosa de potest. Episcopi p. 2. alleg 55. n. 25. & apud eum Moronus in 100. respons ad 100 quæsita responsi 75. Antoninus Diana part 9. tract 8. resol. 11. & 12. Bartholom. Gavantus, sacrorum Rituum consultor, in manuali Episcopor. v. Pœnitentiarius. Michael Palatius in 4. dist. 17. disp. 7. Greg. Sairus Riccius prax. fori Ecclesiast. part. 2. resolut. 179.

(r) Ludovicus Baillius de examine pœnitent part. 3. q. 19. pag. 68.

munere

munere dejici; quippe sit ejus tantummodo delegatus, neque possit ullam sibi propriam ordinariamque jurisdictionem vindicare; quam licet haberet ordinariam, ut v. g. Vicarius Generalis; nihilominus eadem perinde ratione posset, ab obeundo munere revocari. Ergo Pœnitentiarius etiam de Præbenda provisus, nec etiam gaudet ordinaria jurisdictione, nec aliam potest exercere, nisi, quam Episcopus ad libitum suum vult ipsi demandare.

Tandem & Hispanienses & Italici Episcopi ad hodierna usque tempora jus suum acerrime summoque adhibito vigore defenderunt, adversus Pœnitentiarios, qui contenderunt, a se ipsis independenter ab omni Episcopali autoritate suum ministerium exerceri; quanquam institutionem suam habeant, ab ipso Concilio Tridentino, quod in istis regionibus & promulgatum & acceptatum est. Indeque inferre licet *a fortiori*, Episcopis degentibus in illis locis, in quibus laudatum S. Concilium non fuit denuntiatum, id juris multo magis esse, ut autoritatem suam, quantum ad istud caput omnino sustineant.

Quibus omnibus addere juvat, si Pœnitentiarius independenter ab Episcopo, posset, a casibus ipsi reservatis absolvere; inde secuturum 1. Reservationem ab Episcopo factam, aliqua sui parte, imperfectam fore ac quodammodo mutilatam; siquidem alteri competeret, ut eo etiam inconsulto, ab iis absolvere posset. 2. futuras in eadem Diœcesi æquales, quoad istam rem, duas potestates; quod prorsus adversaretur receptis in Ecclesia cum Ordini, tum generali Disciplinæ. *In eadem Civitate, vel Diœcesi essent in solidum duo capita, quasi monstrum*; inquit Panormitanus, (*a*) de iis mentionem faciens, qui jurisdictionem ordinariam sibi falso arrogant.

Quod spectat ad singularem opinionem, quam tenet Fagnanus; dici potest. 1. Eam ab ipso non proponi, nisi quasi dubitanter; ut satis indicat ista vox *videtur*, quam adhibet. 2. Quanquam is ipsius Canonici juris interpretis sit mos quodammodo familiaris, ut de quacumque, quam tractat materia, cumulatam Sacræ Congregationis interpretationum congeriem conjiciat, ne unam quidem in subjecto occurrente laudat: licet ad manum ipsi fuisset, unde, si quæ opinioni suæ favissent, facillime citaret; istius quippe Congregationis ipse foret ab Epistolis, atque reponerentur apud ipsum consequenter omnes tum placitorum tum actorum ejus codices: neque vero ei in promptum aderat ulla quam posset referre; siquidem contrarium ab ea fuisset multoties constitutum, quemadmodum observavimus. Monet simpliciter laudatus autor, dictam Congregationem a Canonico Pœnitentiario de Ecclesia Ilerdæ, in cujus gratiam quæstionem dissolvit, ipsissimi tunc temporis consultari, *quam tunc consulit*, inquit, de consultationis istius responso præterea omnino silens.

Sed neque Fagnanus solus est, qui ea de re dubitanter loquatur: Chapeavilla Pœnitentiarius de Ecclesia Leodicensi, in medium non adducit, Pœnitentiariorum jurisdictionem esse ordinariam, & ab Episcopis non pendentem, nisi tanquam opinionem mere probabilem, atque ita subjicit: *Consulo tamen Pœnitentiariis Ecclesiarum Cathedralium, quandiu certo non constat, illos habere ex officio ordinariam jurisdictionem, circa casus Episcopales non delegare; nisi expressam ad hoc ab Episcopo commissionem habeant* (*b*). Ista sunt verba quæ adhibentur a laudato autore, a quo S. Antoninus & Paludanus sin fundamento appellantur in patrocinium ordinariæ Pœnitentiariorum jurisdictionis, qui de titulo aliquo providentur: cum nihil aliud proferant isti duo autores, nisi a Pœnitentiariis geri ministerium *ex officio*: Quod quidem vocabulum nullam immunitatem exprimit ab Episcopali potestate: siquidem ab ipsis Generalibus Vicariis, quibus ipso jure competit titulus Prælatorum Ordinariorum, (*c*) quin etiam ab ipsis particularibus vicariis jurisdictio quoque *ex officio* adhibeatur: prorsus subjiciantur Episcopis, quemadmodum Archidiaconi, quibus istud munus committitur, ut

(*a*) Panormit. in c. cum contingat. 3. de foro compet. (l. 2. tit. 2.).

(*b*) Joann. Chapeavilla tract. de casib. reservatis c. 3.

(*c*) Innoc. IV. in Conc. l. Lud. generali in cap Romana. 3. de appellat. in 6. lib. 2. tit. 15.

eorum doctrinam, qui Ordinandi sunt, periclitentur, & eos admittant: (*d*) quibus tamen non datur facultas id muneris præstandi præter voluntatem Episcopi, qui potest iis istam provinciam, prout libuerit, vel demandare, vel subtrahere. Adeoque dici potest etiamsi apud Fagnanum post Sylvestrum de Prierio & cæteros quosdam Pœnitentiarios habeatur, *quasi Parochus totius Diœcesis*: ei non fieri ex isto titulo facultatem, ut possit ministerium suum implere, atque a reservatis casibus absolvere, nisi ita annuente Episcopo. *Habet Pœnitentiarius*, inquit quidam autor libri inscripti: Jus Canonicum Gallicanum: tractans indiscriminatim de quibuscumque Pœnitentiariis, post Garziam (*e*) *ex jure communi Pœnitentiariam jurisdictionem. Est quasi Parochus totius Diœcesis: nihilominus vero non gaudet potestate absolvendi, a casibus Episcopo reservatis; nisi speciali ea de re facultate ei concessa*.

Superest aliquid perstringendum, de comparatione, officialem inter & Pœnitentiarium instituta. Dicimus ergo 1. Non adæquatam esse ejusmodi comparationem. Pœnitentiarius namque, proprie strictequе loquendo, ipsius Episcopi Minister est, a quo solo cum non possit Confessarii munus adimpleri, Pœnitentiarius præponitur, qui vices ipsius agat, quando regendæ suæ Diœcesi ipse aliunde vacat: sed officialis non tam Minister Episcopi ipsius, quam totius Diœcesis putatur, ut observat Fevret, (*f*) eadem perinde ratione, qua non tam Regis, quam Regni quis censetur. Quæstoris officium exercere: quemadmodum annotant idem Fevret, Guido Papa in suprema Gratianopolitana curia Senator, & Pastor Gallicus Jurisconsultus (*g*).

2. Arrestorum Jurisprudentiam, circa officiales a munere removendos, sibi ipsi non semper constitisse. Si quæ enim reperiantur in ipsorum favorem pronunciata: multa quoque legere est, quæ ipsis prorsus adversantur, qualia sunt, quod refertur a D. Brillon, (*h*) latum a Supremo Parisiensi Senatu, 14. Decembris 1613. & aliud, quod primo Julii 1632. pronunciatum est, pro Episcopo Lemovicensi, contra officialem Garacti, qui fuerat ab eodem Prælato, a munere *ad nutum* revocatus (*i*).

3. Nullum jam hodiernis temporibus remanere locum dubitandi, posse ab Episcopis officiales, a munere ad nutum depelli: Cum Rex Ludovicus XIII. eam ipsis potestatem fecerit, sua Edicti interpretatione 28. Septembris 1637. ad sigillum publicata: eandemque confirmaverit Ludovicus Magnus, alia declaratione 17. Augusti 1700. cujus autoritas in Suprema Curia comprobata est 29. Januarii 1702. juxta quarum congruentiam occurrunt Arresta quamplurima, a Consilio & Supremis Senatibus pronunciata, nominatimque a secretiori Consilio, pro Episcopo Albigensi 23. Aprilis 1641. Arrestum latum a Supremo Provinciali Sonatu quo rata habetur depulsio Nicolai Anthelmi Officialis Floro-Juliensis, licet a quadraginta annis id munus gessisset, ac ferrent ipsius provisiones, ipsum ad vitam esse institutum. Quod quidem Arrestum datum est 4. Februarii 1644. Illud quod latum est a Consilio 18. Octobris 1667. contra Stephanum Gras Montispessulanum Officialem, ab Episcopo munere distitutum: Et quod ab eodem Consilio pronunciatum fuit 4. Novembris 1667. in præcedentis confirmationem: Quæ quidem Arresta simul cum primo Edicto in integrum referuntur, in Commentariis Cleri (*K*), in quibus etiam reperitur aliud, quod latum est a Parlamento Parisiensi 3. Julii 1638. quo fertur M. Joannem Ganceau Officialem Præfectum a Capitulo Cenomanensi, sede vacante, in suo munere remansurum, quandiu vacatio continuatura est, & M. Joannem Bellanger ab eodem Officio depulsum, fore etiam remansurum.

4. Quod laudatos attinet Autores, in opinionis adversæ defensionem, scilicet Guidonem Papam, Pastorem, & Fevretum, respondemus iis plurimum refragari alios non infimi nominis Autores, & speciatim Molinæum (*l*) Loiseau (*m*), Louet (*n*), quos Glossa ipsa antecesserat (*o*). Quanquam vero eorum opinionem omnes ætatis ejusdem

(*d*) Innoc. III. in cap. Ut nostrum. 9. de officio Archid. l. 1. tit. 24.

(*e*) D. Michael du Perraie l. 2. cap. 1. n. 33. M. Garcias de Benef. part. 3. c. 4. §. 1. num. 153. & seqq.

(*f*) Carolus Fevret. tract. de abusu lib. 4. c. 3. n. 1. to. 2. pag. 338.

(*g*) Idem ibid. 39. Guido Papa l. 4. tit. 12. Arresto 5. pastor de Benef. l. 1. tit. 11.

(*h*) D. Brillon. Dictionarium Arrestorum. v. Officialis num. 78. post Cambolam.

(*i*) Idem ibid. n. 79.

(*K*) Commentarium cler. tom. 1. pag. 36. & seqq.

(*l*) Carol. Molinæus v. In reg. de infirmis resignant. n. 29.

(*m*) Loiseau l. 5. de Offic. c. 6. n. 51.

(*n*) Louet litera O summa 6.

(*o*) Glossa in Clement. 1. de rescriptis v. Per electionem.

dem ac temporis Auctores acceptam habuissent, hodiernis jam diebus foret omnino repudianda; siquidem ut jamjam monuimus, novam juris prudentiam, ea de re, subinduxerunt nostrorum Regum Edicta, quæ ab 80. annis, in Gallia passim obtinet. Undequæ Officialem inter & Pœnitentiarium comparatio instituitur, ut probetur Pœnitentiarium non posse ab Episcopo munere destitui, eamque ipsi facultatem cedere, ut prohibente etiam Episcopo valeat suum Officium exercere, ut falsa efficitur sic etiam omnino futilis & supervacanea.

Juvat ergo concludere, a Nicostrate Pœnitentiario Canonico de Ecclesia Civitatis Vasaticæ, neque valide neque licite, a casibus reservatis potuisse pœnitentes absolvi, ab eo tempore, quo Episcopus ipsi indixit, ut, quantum ad istam rationem, a ministerio Pœnitentiarii prorsus abstineret.

CASUS II.

Si Nicostrates, quatenus Pœnitentiarius, non gaudeat nisi jurisdictione delegata, quantum ad casus Episcopo reservatos; videtur ab ipso non posse fieri facultatem aliis Confessariis, ab iisdem etiam absolvendi, juxta usurpatum istud Juris effatum, quod deducitur ex Decretali quadam Gregorii IX. (a): *Delegatus delegare non potest*. Quod quotidie tamen usurpari consuetum est. Numquid eundem usum potest Nicostrates cum valide tum licite retinere, quanquam ipsi ab Episcopo verbis omnino distinctis interdictum?

(a) Greg. IX. in cap. Quoniam fin. §. Cæterum de Off. & Potest. Judicis delegati l. 1. tit. 29.

Respons.

Pœnitentiarius prædictus potest tum valide tum licite delegare. Enimvero constat a Pœnitentiario potestatem a casibus reservatis, absolvendi posse quandoque, cum ei visum fuerit, cum Confessariis inferioribus communicari; licet delegata tantummodo jurisdictione potiatur. Quod contra opponitur juris effatum, nullatenus adversatur, ipsi, quam enunciamus propositioni. Neque enim accipiendum est, nisi de delegatione integra & generali jurisdictionis delegatæ, qua quis utitur; quemadmodum docet Navarrus (b), agens de excommunicatione: Atque illud probat ex Glossa in quamdam Decretalem Gregorii IX. quæ sic habet: *Illi qui ordinario jure, vel delegato a Principe possunt absolvere, possunt committere vices suas, cum viderint expedire; dummodo delegatus habeat jurisdictionem* (c). Quibus ultimis verbis laudata Glossa interpretatur, quod ab eodem Papa fertur in objecta Decretali, in qua mentio tantum fit de delegatis, qui nullam habent jurisdictionem, & censentur *meri executores*, ut loquitur istius Glossæ interpres (d): Indeque est, quod Navarrus inferat ab eo, cui delegatur ab Episcopo jurisdictio, *ab universitate causarum*, quemadmodum cum Pœnitentiario communicatur, demandari posse alteri ac transmitti simplicem actum, istius Jurisdictionis; etsi non possit ipsam jurisdictionem totam & in integrum transferre. *His omnibus addimus*, inquit laudatus Juris Canonici peritus, *quod simplex ministerium absolvendi, potest delegari etiam a delegato ordinarii, & a subdelegato delegati Papæ; quamvis non possint delegare suas jurisdictiones, ratione quarum id eis competit*. Adeo ut, secundum memoratum principium non possit Pœnitentiarius alterum delegare, qui Pœnitentiarii vices impleat, quas ipse exercet: Sed valeat, in quibusdam particularibus casibus, istum vel illum Sacerdotem committere qui aliquam ipsius ministerii partem obeat. Atque istius rei ratio est, quia juxta Panormitanum (e), *delegatus ad universitatem causarum censeatur quasi ordinarius*. Cæterum diximus, *ab eo, cui delegatur ab Episcopo Jurisdictio*, AD UNIVERSITATEM CAUSARUM *demandari posse alteri ac transmitti simplicem actum istius jurisdictionis*; ut ab eo potissimum distingueretur, qui *ad nudum aliquod ministerium delegatum*. Neque enim id juris isti tribuitur, ut nudum istud peculiareque ministerium, ab altero gerendum committat; sicut a Gregorio IX. decretum est (g). Atque adeo, in eo etiam sensu, locum habet effatum, quo fertur: *Delegatus delegare non potest*.

(b) Navarr. Manual. c. 27. n. 45.

(c) Glossa in cap. His, quibus. fin. de offic. Judicis ord. v. Casibus. lib. 1. tit. 31.

(d) Glossa in eir. cap. Quoniam. v. Commissum.

(e) Panorm. in cap. Qualiter. 17. de accusationibus. lib. 5 decret. tit. 1.

(f) Greg. IX. in cap. Quoniam. fin. §. fin. de officio & potest. Judicis deleg. tit. 1. 29.

CASUS III.

Cyrus Pœnitentiarius Generalis, & Canonicus de Ecclesia Olonorensi, eo tempore, quo Sacra peraguntur, atque persolvuntur, in Choro parvæ Canonicales horæ, plerumque vacat confessionibus excipiendis. Censendusne est præsens in Choro adeo ut in partem veniat quotidianarum distributionum; Inde vero majus probabilius dubium istud efficitur, quod non graventur ut plurimum casibus reservatis, quorum confessiones audit, nec nisi leviora venialiaque peccata, sæpenumero deponant.

Respons.

Nullus dubitandi locus est, Cyrum, quoties muneri Pœnitentiarii Generalis obeundo operam dat, præsentem interesse Choro censendum esse. Ita declarat distinctis omnino verbis Concilium Tridentinum (g) quod dicit: *Pœnitentiarius ...... ab Episcopo instituatur ..... qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.* Quod locum habet, sive confessiones audiat in Ecclesia, sive in civitatem accersatur, ad confessiones infirmorum excipiendas: sive etiam aliunde Canonici distrahantur ad exequias alicujus cohonestandas. Atque ita declaratum est a sacra Congregatione Concilii, testante Fagnano, qui ait: *Cum fuerit quæsitum; an Pœnitentiarius sit habendus pro præsente in Choro, dum audit confessiones in Ecclesia, sive in Confessionario, sive extra: Responsum est, habendum, pro præsente eo tempore, quo audit confessiones, aliis in Choro Divina celebrantibus* (h).

(g) Conc. Trid. sess. 24. c. 8. de reformat. 170. & seqq.

(h) Fagnan. in c. Licet. 32. de Præbendis n.

Quod supponitur probabile, dubium ex eo, quod iste Pœnitentiarius ut plurimum non excipiat confessiones, nisi eorum, qui nullis reservatis casibus innodantur, & leviora venialia tantum, sæpe sepius deponunt; nullo prorsus fundamento innititur; siquidem ipsi, in istis circumstantiis si incumberet, ut Pœnitentiæ Tribunal dimitteret, quo præsens adesset Choro; inde facile conjiceretur; quoties ibidem remaneret, eos quorum confessiones audit, aliquibus reservatis casibus irretiri; atque adeo sigillum confessionis, quantum ad illos; prorsus violaretur. Inde etiam deducerentur alii, a peccatis apud ipsum deponendis: atque ea potissimum de causa testatur Fagnanus, visum fuisse mirum Cardinalibus, e quibus, tempore quo vivebat, constabat sacra Congregatio, quod sibi dubium ejusmodi, nullo fretum fundamento, proponeretur. *Cum dubitandum fuerit*, inquit prædictus Canonici Juris interpres, *an Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis, audiendo confessiones eorum, qui non habent casus reservatos, seu eorum, qui tantum peccata venialia habent, tanquam præsens in Choro censeatur, adeo ut percipere valeat distributiones quotidianas .... mirati sunt Patres, hujusmodi dubium excitari: tum quia Concilium generaliter loquitur: tum quia inde præberetur occasio revelandi peccata gravia, & deterrendi confitentes.*

Diximus: *Sive etiam aliunde Canonici distrahantur, ad exequias alicujus cohonestandas:* Quia, licet, Concilium, casum illum nominatim non attingat, neque etiam istum alium, qui Pœnitentiario necessitatem aliquam importaret, ut eorum, qui ipsum accersivissent, exciperet confessiones infirmorum; quin etiam nihil de eo statuere sibi sumpserit ipsa sacra Congregatio: Papa de utroque prædicto articulo consultus pronuntiavit, concilium intelligendum esse, in eo sensu, qui favet Pœnitentiario. Quod etiam testatur idem Fagnanus testis in ea re locupletior, quod esset istius congregationis, ab Epistolis: ipsiusque actorum codices apud se reconditos servaret. *Suborto dubio*, inquit, *an etiam præsens censeri debeat extra Chorum* (Pœnitentiarius) *puta cum Capitulum comitatur corpus defuncti sepulturæ tradendum, ut eo quoque casu percipiat distributiones, perinde ac si illis interfuisset; dictum est: referendum ad Sanctissimum, quia Concilium loquitur tantum de Choro; eandem tamen utroque casu militare rationem: Sanctissimus declaraverit videri, hoc in casu, voluisse Concilium, Pœnitentiarium esse participem, & quidem a fortiori, id est, si in Choro, multo magis extra.*

CASUS

CASUS IV.

Fulbertus Pœnitentiarius de Ecclesia Cathedrali Veronensi, post obitum ipsius Episcopi, multos reservatis casibus innodatos etiam perrexit absolvere. Nonne ejusmodi absolutiones irritæ, ac nullæ habendæ sunt? Siquidem jurisdictio, qua Pœnitentiarii gaudent, non ordinaria, sed delegata tantummodo censeatur; adeoque decedente Episcopo, consequens sit, istam quoque simul penitus interire.

Respons.

In eo potissimum differunt inter se jurisdictio contentiosa, & quæ ex gratia exercetur: quod, quantum ad priorem, per obitum delegantis, potestas delegati, *re adhuc integra*, penitus expirare censeatur: contra vero, quæ sibi forum ex gratia vindicat, semper perseveret, donec a Superiore a quo derivata est, aut ab ipsius successore fuerit revocata. Indeque est, quod omnes Pœnitentiarii Papæ, ipso etiam mortuo pergant munus suum exercere, eadem ratione, qua antea gerere solebant: quemadmodum declarat Clemens V. his verbis (a): *Quorum officium per obitum ejusdem* (Summi) *Pontificis, nolumus expirare*. Neque quidquam in ea re immutetur a Pio IV. in ipsius Constitutione 4. Maji 1562. (b), neque in illa, quam edidit 15. Julii ejusdem anni (c), nisi quantum ad jurisdictionem, quæ in foro contentioso exercetur.

(a) Clem. V. in Clement. Ne Romani 2. §. 2. de elect.
(b) Pius IV. in Bulla. In eligendis 43. §. 20.
(c) Idem in Bulla In sublimi 33. § 23.

Quo quidem præmisso principio, respondemus ad difficultatem propositam, verum quidem esse jurisdictionem, qua Pœnitentiarius gaudet, esse tantummodo delegatam: quoniam vero, qui vel promulgato statuto, vel coacta Synodo, reservari, in tota diœcesi, soli Episcopo inceperunt, occurrente ipsius Episcopi interitu, sua reservatione non excidunt, ut probat Baillius ex testimonio Gavanti Clerici Regularis de S. Paulo, & Zerolæ (d), & ex Decretali quadam Gregorii IX. requiri necessario, ut ipsius Pœnitentiarii potestas, post obitum Episcopi perseveret: siquidem alioquin non esset, unde qui in reservata peccata inciderent, sede vacante, possent ab illis absolvi.

(d) Lud. Baillius de triplici exam. par. 3. q. 14. pag. 493. & apud eum Gavant. Man. Episc. v. Casus reserv. n. 16. & Zerola & Greg. IX in c. Nemo fin. de officio legati.

Eadem ergo obitus ratio debet esse, quæ foret ipsius Episcopi suspensionis, excommunicationis, aut depositionis. Sicut enim remaneret Pœnitentiario, in dictis casibus ipsius, licet duntaxat delegata potestas: ita etiam post obitum Episcopi, eadem ipsi remanere censenda est. In quo differt 1. a Vicario Generali, cujus ipso Episcopo expirante, potestas simul etiam expirat: Quamvis instituatur *a Canone*, ut colligere est ex Constitutione quadam Bonifacii VIII. relata in corpore Juris (e): atque idcirco potissimum, quod quantum ad jurisdictionem qua gaudet, unam eandemque cum Episcopo censeatur personam sustinere: unumque & idem sit utriusque tribunal: Unde laudato Papa declarante (f), provocationi a Generali Vicario ad Episcopum, locus non datur, quemadmodum, a delegato, ad delegantem passim admittitur. In quo etiam differt 2. ab eo qui contentiosam Jurisdictionem exerret, quæ per obitum præponentis, in præposito penitus cessat. Atque inde est, quod usu recipiatur in Gallia, ut Principe mortuo, Judices teneantur ad accipiendas novas provisiones, nomine novi Regis inscriptas. Eadem est igitur conditio Pœnitentiarii, in casu proposito, quæ Confessariorum in aliqua Parœcia delegatorum, quorum Jurisdictio, quæ necessario requiritur, ut confessiones excipiantur, ipso Parocho decedente, non perit; sed eo usque perseverat, donec ab ipsius successore, si ipsi ita visum fuerit, revocata sit. Quæ quidem decisio Auctorem habet Baillium, quem ipsi vidimus olim vices sub-Pœnitentiarii supplere in Ecclesia Parisiensi, a quo citantur, in ejusdem opinionis patrocinium, de Lugo, Suarez, Sanchez, & alii quamplurimi (g).

(e) Bonif. VIII. in cap. Licet 2. de officio Vicarii in 6. lib. 1. tit. 13.
(f) Idem in c. Non putamus 2. de consuet. in l. 1. tit. 4.
(g) Lud. Baillius de triplici examin. p. 3. q. 19 pag. 692. & apud eum de Lugo de pœn. q. 19. sect. 2. § 2. Sanchez de matr. l. 8. disp. 32. Suarez de Pœnit. disp. 27. sect. 3. & alii.

POLLUTIO.

En, quæ circumferri solet, vocis istius definitio. *Pollutio est voluntaria seminis resolutio, facta extra copulam carnalem* (h). Dicitur *voluntaria*, quod accipiendum est de pollutione, quæ in se ipsa voluntaria est, aut tantummodo *in causa culpabili*. Namque si causa legitima fuerit, & ab omni culpa prorsus immunis; ut potest aliquando, licet raro admodum contingere: quæ inde consequuntur, omni vacant peccato: modo voluntas ipsa sese in eo non exhibuerit participem. Cujus quidem rei potest in exemplum allegari Chirurgus, qui vulnera quædam curat, in ea corporis parte residentia, qua percepta, solet pollutio commoveri, & Confessarius, qui peccata quædam audiens, si inde spurcari mentem experitur, ut reluctante quanquam voluntate, & quacumque adhibita cautione, qua, pro virili parte, possit & præverti, & coerceri, pollutionis tamen effectus consequatur.

Additur; *Seminis*; id est, *tam virilis, quam fœminei*.

Tandem vocabulum istud *Resolutio* intelligendum est, *etiamsi absit* (*in fœminis*) *effluxio extra membrum genitale fœmineum*.

Peccatum istud semper mortale est, quoties admittitur voluntario *in se, vel in causa culpabili*, quicumque animus possit inesse: quando autem neutra dicta ratione voluntarium efficitur: inde reatus coram Deo nullus omnino contrahitur Ex imperfecto voluntatis actu, aut levitate causæ impellentis, aliquando potest, quamquam non nisi raro prorsus, veniale tantum evadere.

In tractanda ejusmodi materia, quæ plurimum odii habet, stylus non potest nimium festinanter properare; unde ab ea, a radicibus rimanda omnino abstinebimus.

CASUS PRIMUS.

Peccantes, qui fluxum seminis, aut humoris similitudinem seminis referentis, inviti patiuntur?

Respons.

Quæstionem hanc solvit S. Thomas his verbis (i): *Causa corporalis, pollutionis, quandoque est sine peccato: puta, cum est ex infirmitate naturæ.*

(h) Pa'm. p. 2. c. 0. 112.
(i) S. Th. 3. p. sum. q. 80. ar. 7.

Unde & quidam, etiam in vigilando, absque peccato fluxum seminis patiuntur, vel etiam si sit ex superfluitate naturæ. Sicut enim contingit, sanguinem fluere absque peccato, ita & semen, quod est superfluitas sanguinis, secundum Philosophum (*a*)*.... quandoque vero est cum peccato; puta, cum provenit ex superfluitate cibi, vel potus: & hoc etiam potest esse veniale, vel mortale*. Et alibi idem Doctor Angelicus, aut saltem Auctor opusculi 64. quod quidem illius nomine inscribitur (*b*), *sic* habet. *Sciendum, quod illius humoris effusio non est pollutio; quia, ut dicunt Medici, sine libidinosa delectatione, & carnis motione nullus potest pollui vigilando*.

(*a*) Aristoteles lib. 1. de generat. animalium c. 8.

(*b*) Apud S. Thom. opusc. 64. c. 17.

Porro, quod de seminis effusione dictum est, de illius dumtaxat debet intelligi, qui nullam huic præbuerunt voluntariam causam, per sensuales fœminarum aspectus, allocutiones, amorem inordinatum, morosas turpium rerum cogitationes, tactus, aliave similia. Hi enim, nisi omnia ista diligenter, ac studiose fugere satagunt, a peccato excusari nequeunt, ut prolixius docet supra citati opusculi Autor. Huic nostræ sententiæ omnino consentaneus est S. Antoninus (*c*).

(*c*) S. Anton. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 10.

CASUS II.

POLLUTIO, quæ inter dormiendum accidit, estne peccatum?

RESPONS.

Hujus quæstionis solutionem non aliunde, quam ex ipsis Doctoris Angelici verbis petendam ducimus. Sic autem respondet (*d*): *Omne peccatum, secundum Augustinum* (*e*), *est in voluntate. Motus autem voluntatis præsupponit judicium rationis, eo quod est apparentis boni vel vere, vel false. Unde ubi non potest esse judicium rationis, non potest esse voluntatis motus. In somnis autem judicium rationis impeditur, judicium enim perfectum haberi non potest de aliqua cognitione, nisi per resolutionem ad principium, unde cognitio ortum habet.... Cum ergo omnis cognitio intellectus nostri a sensu oriatur, non potest esse judicium rectum, nisi reducatur ad sensum...... in somno autem sensus ligati sunt, & ideo nullum judicium animæ est liberum, neque rationis, neque sensus communioris. Et ideo neque motus appetitivæ partis est liber, & propter hoc non potest aliquis peccare in somno, neque mereri*. Ex quibus S. Thomæ verbis patet, Pollutionem, secundum se consideratam, quæ dormientibus accidit, non esse peccatum. Diximus quidem: *Pollutionem secundum se consideratam*: quia, ut iterum cum eodem Angelico Doctore loquamur (*f*) *nocturna pollutio potest dupliciter considerari, uno modo, secundum se, & hoc modo non habet rationem peccati.... alio modo per comparationem ad suam causam*. Porro docet, causam istam esse triplicem, nempe corporalem, animalem interiorem, & spiritualem extrinsecam. Unde pollutio nocturna quandoque peccati rationem habet, aliquando vero absque ullo peccato contingere potest, quod ut clarius elucescat, ipsissima S. Thomæ verba quamvis paulo prolixiora, hic adtexenda censemus. Hæc autem sunt: *Alio modo considerari potest nocturna pollutio per comparationem ad suam causam, quæ potest esse triplex. Una quidem corporalis, cum redundat in corpore, vel cum facta est humoris resolutio, vel per nimiam calefactionem corporis, vel per quamcumque aliam commotionem somniat dormiens ea, quæ pertinent ad expulsionem hujusmodi humoris abundantis, vel resoluti.... si igitur superabundantia talis humoris fit ex causa culpabili, puta cum ex superfluitate cibi, vel potus, tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ, ex sua causa. Si autem superabundantia, vel resolutio talis humoris non sit ex aliqua causa culpabili, tunc nocturna pollutio non est culpabilis nec in se, nec in sua causa. Alia vero causa nocturnæ pollutionis potest esse animalis interior; puta, cum ex cognitione præcedenti contingit, aliquem dormientem pollui. Cogitatio autem, quæ in vigilia præcessit, quandoque est pure speculativa; puta, cum aliquis causa disputationis cogitat de peccatis carnalibus. Quandoque autem est cum affectione vel concupiscentiæ, vel honoris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quæ sunt cum concupiscentia talium delectationum; quia ex hoc remanet quoddam vestigium, & inclinatio in anima; ita quod dormiens facilius inducitur in sua imaginatione ad assentiendum actibus, ex quibus sequitur pollutio.... & sic patet, quod nocturna pollutio habet rationem culpæ, ex parte suæ causæ: quandoque tamen contingit, quod ex præcedenti cogitatione carnalium actuum, etiam speculativa, vel si sit cum horrore, sequitur in somnis pollutio, & tunc non habet rationem culpæ nec in se, nec in sua causa. Tertia vero causa est spiritualis extrinseca; puta, cum ex operatione Dæmonis commoventur phantasmata dormientis, in ordine ad talem effectum, & hoc quidem quandoque est cum peccato præcedenti, scilicet negligentia præparandi se contra Dæmonis illusiones. Unde & in Seno cantatur*; Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora. *Quandoque vero est absque omni culpa hominis, ex sola nequitia Dæmonis, sicut in collationibus Patrum legitur de quodam, qui semper in diebus festivis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc Diabolo procurante, ut impediretur a sacra communione. Sic igitur patet, quod nocturna pollutio nunquam est peccatum, sed sequela peccati præcedentis*. Hæc Beatus Thomas, cujus conclusio principalis, qua asserit, pollutionem nunquam esse *peccatum, sed sequelam præcedentis*, intelligenda tantum, de pollutione secundum se spectata, & quatenus dormiens actuum suorum non est Dominus, ut ibi exponit Cajetanus. Certum est enim ex ipsius S. Thomæ verbis, pollutiones ejusmodi non solum esse sequelam peccati, sed quandoque etiam verum peccatum, si a vigile, mediante somnio, aut somno, intendatur, tunc quippe *peccatum inchoat elective, & imperative in vigili, & consummatur per instrumentum somni executione in ipsa pollutione*, ut loquitur idem Cajetanus (*g*). Idem quoque sentit Sylvester de Prierio, dum ait (*h*): *Operari directe, ut veniat* (nocturna pollutio) *puta comedendo calida tali fine, est mortale*. Ita etiam Toletus (*i*) asserit enim, eum, qui pollutionem nocturnam patitur, peccare, si præcedentem illius causam non removerit: cum eam posset ac teneretur removere: ac inde eventuram pollutionem probabiliter cognosceret.

(*d*) S. Th. in 4. dist. 9. q. un. a. 4. quæstiunc. 1. in corp.

(*e*) S. Aug. l. 3. de liber. arb. c. 17. Et lib. de duabus animabus cont. Manichæos 20.

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 154. art. 4. in corp.

(*g*) Cajet. in cit. art. 5.

(*h*) Sylvest. v. Pollutio.

(*i*) Fr. Tolet. instruct. Sacer. l. 5. c. 13. n. 8.

CASUS III.

POLLUTIO, quæ incipit in somno, finitur autem in vigilia, est-ne peccatum mortale?

RESPONS.

S. Thomas (*k*), principio supra memorato innixus, respondet, hoc in casu pollutionem secundum se consideratam non esse peccatum mortale: *Corporales motus*, inquit, *non pertinent ad meritum, vel ad demeritum, nisi secundum quod a voluntate, quasi a principio causantur. Et ideo nocturna pollutio magis judicatur, quantum ad rationem meriti, vel demeriti, secundum principium, quod est in dormiendo, quam secundum terminum, qui est in vigilando, quia ex quo in dormiendo excitatus est motus carnis, non subjacet voluntati vigilantis alterius motus ille, nec reputatur evigilasse, quousque perfectum usum liberi arbitrii recuperaverit*. Deinde subdit evigilantem posse peccare, non solum venialiter, quando scilicet carnis delectationi consensum præbet, sed & mortaliter, si plena adsit deliberatio: *Potest tamen contingere*, inquit, *quod in ipsa evigilatione peccatum oriatur: siquidem pollutio propter delectationem placeat. Quod quidem erit veniale peccatum, si fit ex subreptione talis placentia: mortale autem, si fit cum deliberante consensu, & præcipue cum appetitu futuri: Ista autem placentia non facit præteritam pollutionem, peccatum: quia ipsius causa non est, sed ipsa in se pecca-*

(*k*) S. Th. in 4. dist. 9. q. un. ar. 4. quæstiun. 1. ad 5.

peccatum est. Si autem placeat, ut naturæ exoneratio, vel alleviatio peccatum non creditur.

Qui plura requirit, consulat eumdem S. Doctorem, qui citatis locis fuse differit de pollutione nocturna quatenus sacram Communionem impedire potest.

Vide (COMMUNIO. Casus II.)
(ECCLESIA.)

POSSESSIO.

VOX *Possessio*, originem suam deducit a verbo latino, *sedeo*, sive *sedes*: ut fertur quadam lege Digesti: *Possessio appellata est.... a sedibus, quasi positio; quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit* (*a*): aut etiam cum Bartolio dici potest, quod *appellata est possessio, a pedum positione*, quod indicat etymologiam ab eodem sensu petitam.

Accipitur vocabulum, *Possessio*, vel de rebus profanis, vel de rebus Beneficialibus. De possessione priori sensu intellecta, primum quidem sumus tractaturi.

Possessio est detentio rei, quam, qui Dominus illius est, vel sese Dominum cum aliquo jure esse putat, retinet aut in sua, aut in alterius, per quem dictam rem possidet, potestate. Eoque sensu accipienda est, quam Theologus insignis tradit definitio subsequens (*b*): *Possessio est actus, jusve detentionis rei.*

1. Per vocabulum *Detentio*, non intelligenda est detentio simplex, sed, quæ jure. sive vero, sive quod verum esse præsumitur, proprietatis innititur. Indeque est, quod, qui rem aliquam vel furto, vel usurpatione occupatam detinent, non sint, in eo sensu, quem hic loci mutuamur, veri ac proprie dicti nominis possessores.

1. Neque etiam inferendum est ex dicta voce, *detentio*, possessori necessario incumbere, ut rem possessam oculis, vel manibus suis subjectam habeat: Quia *licet possessio nudo animo acquiri non possit*, inquit Lex (*c*); *tamen solo animo retineri potest*. Adeoque recte omnino potest quis dici possessor animalium, quæ vel in pratis, vel in agris curat custodiri, aut quæ nullo custodiente consueta loca semper repetunt, quæ ad ea recipienda nocturnisque incommodis defendenda destinantur, quemadmodum Columbæ, in suum columbarium, & apes in alveos suos redire assueverunt: *Quidam recte putant, Columbas quoque, quæ ab ædificiis nostris volant, item Apes quæ ex alveis nostris evolant, & secundum consuetudinem redeunt, a nobis possideri*. Quæ verba ab ipsa Lege adhibentur (*d*).

Quando in definitione enunciatur possessionem esse, *detentionem rei*, sic debet intelligi 1 de re corporea, quales sunt fundus ruralis, & domus. Aut de re incorporea, qualia sunt Jus servitutis, Beneficium, Jus justitiæ, Jus banni in pristino, aut in futuro, Jus portorii, cæteraque similia. 2. De re movente, seu non movente.

Dictum est in definitione: *In sua, aut in alterius, per quem dictam rem possidet, potestate*: quibus verbis exprimitur, a pupillo minore, ex ipsorum jure proprietatis, mediante Tutore seu Curatore, aliquid posse possideri; item & a quacumque alia persona, rem aliquam possideri posse, per procuratorem constitutum, Depositarium vel Villicum, quemadmodum Leges observant (*e*).

Tandem fertur: *Qui Dominus illius est, vel sese Dominum cum aliquo jure esse putat*. Quia quamquam cum proprietate sic possessio cohæreat, ut non debeant ab invicem separari; una absque altera subsistere potest, eo quod inter duos, de re eadem quantum ad proprietatem contendentes, unus tamen sit, qui possideat, fierique possit, ut qui actu possidet, non sit reipsa verus proprietarius, atque possessione deinde dimoveatur aut sponte voluntateque propria, aut lato pro eo, qui verus Dominus ac proprietarius est, judicio: ideoque Lex ait: *Possessio, & proprietas misceri non debent* (*f*), & iterum, *fieri enim potest, ut alter possessor sit, Dominus non sit, alter Dominus quidem sit, possessor vero non sit* (*g*).

Qui proprietatem rei alicujus simul eodemque tempore possessionem illius acquirit, aut ad eam acquirendam jus accipit, amissamque recuperandam (*h*); sola vero detentione efficaci, in possessionem realem & actualem illius, quod ad nos pertinet, inducimur, sive nostrum sit ex emptione, donatione, commutatione, sive ex alio titulo.

(*a*) L. possessio 1. ff. de acquir. vel amittenda possess. l. 41. t. 2.

(*b*) Polm. a. 2. a. 556.

(*c*) L. Licet. 4. cod. de acquir. & retinenda possess. l. 7. t. 32.

(*d*) L. possideri 3. §. 15 ff. de acquit. vel amitt. possess.

(*e*) L. Qui ex conducto 1. cod. communia de usucapionibus lib. 7. t. 30. L. Possessio 1. §. 20. ff. de acquir. vel amitt poss. L. Generaliter 9. ff. eod. tit. lib. 41. t. 2.

(*f*) L. Permisceri 52. ff. de acquirend. vel vel amitt. poss.

(*g*) Leg. Ait. prætor. 1. § 2. ff uti possidetis l. 43. tit 17.

(*h*) Citat. L. Permisceri, & cit. L. Possideri 3. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. poss.

Ut evadat quis legitimus possessor, tria porissimum requiruntur: 1. Causa legitima, & justa, quæ si non adsit, possessio veri nominis usurpatio est: 2 Animus possidendi, tanquam proprietarius, quippe dicto animo deficiente, non possit adesse possessio Sic licet tanquam proprietarius agrum quemdam possideam in quo, me inscio, argenti fodina, vel quidam thesaurus reconditur; dictam argenti fodinam, aut memoratum thesaurum possidere non censeor: verum animus iste possidendi eum solum debet attinere, qui bona fide possidet. 3. Detentio, quæ non intelligitur duntaxat de eo, qui rem in propriis manibus aut in sua potestate habet, sed etiam de eo, qui per alium eam detinet, ut verbi gratia, per Tutorem, per Depositarium, aut per quemcumque alium ejusmodi; quemadmodum jam superius observatum est.

Quando quis factus est rei alicujus proprietarius, exemprione, donatione, aut quovis alio titulo, ejusdem rei non potest evadere possessor, nisi per traditionem ei factam a proprietario antecedenti: quam si detrectaverit, non adhibita vi, sed implorata tantummodo Judicum autoritate, datur effici possessorem (*a*).

Plurima sunt, quorum acquiritur possessio per traditionem tantummodo tacitam, aut per simplicem declarationem, vel cessionem proprietarii præcedentis, absque eo, quod uberiorem aliam formulam adhibere opus sit: quod nimirum intelligitur de re quadam, quæ certa sit atque determinata, quia ut fert Lex (*b*) *incertam partem rei possidere nemo potest*.

Potest quis in possessione venire, vel possessione exui, sive per semetipsum sive per Procuratorem (*c*).

Possessio rei moventis amittitur, 1. per traditionem ipsius novo proprietario exhibitam. 2. Cum cessat animus ipsius rei possidendæ, ac primo occupanti dimittitur, aut qualibet alia ratione quis ea sese denudat. 3. Quando eam alius per annum integrum non interpellatus possedit, salvo jure rei restituendæ (*d*).

Primus effectus possessionis legitimæ est acquirere possessori jus statuendi tanquam proprietarius de re possessa. Quia proprietas a possessione, quæ justa & legitima est, nullatenus separari potest (*e*). Et vero proprietas multis in casibus, ex ipsa possessione, plerumque emanat (*f*); quemadmodum in casu præscriptionis, vi cujus possessor bonæ fidei actu efficitur Dominus fructuum fundi possessi, & ipsius etiam fundi, quem possessione pacifica habuit per tempus. Lege constitutum; quod nititur ipsa juris regula, qua fertur: *Bona fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est* (*g*). Neque enim homines rerum esse Domini incœperunt, nisi ex ipsa possessione.

Eadem quoque vox *Possessio*, sumitur pro actu, quo quis Beneficio constituitur; qui quidem actus totus reponitur in observandis quibusdam formulis cæremoniarum jure Canonico inductis, aut in Ecclesia adhiberi consuetis, cum aliquis in quodam Beneficio constituitur.

Quæ ultima species possessionis in annalem, ac triennem possessionem dividitur. Quorum verborum sensus ita per se manifestus est, ut interpretatione abundantiori non indigeat.

Possessio triennis tituli loco est omni Beneficiario, modo nihilominus aliquo titulo, licet tantum colorato nitatur. Unde sequitur, eum qui Beneficium consecutus est ex Simonia voluntaria, aut obreptione, aut ex aliquo habilitatis ad Beneficium defectu, neque ex ista possessione, neque alia longiori posse sibi quidquam favoris repetere. Dicimus, *ex Simonia voluntaria*. Si enim fuerit ab aliquo parente aut amico, inscio Beneficiario, atque clanculum admissa, a quibusdam Autoribus contenditur, posse ipsi in eo casu possessionem triennem, ac bonæ fidei, tituli locum subministrare. Quod tamen non putamus tanquam quid verum a nobis posse comprobari.

Constituta in aliquo Beneficio, possessio quæcumque valet, sive per ipsummet Beneficiarium, sive per Procuratorem; at necessario requiritur, ut ipse Procurator ante omnia procuratoris autoritate muniatur. Aliunde vero, qui sibi vult cavere ab omni intercessione movenda ab eo, qui ex jure Regio ad idem Beneficium posset præsentari ipso jure Regio occurrente, non per Procuratorem duntaxat, sed per semetipsum debet in possessione collocari.

Non potest quis gaudere reditibus alicujus Beneficii, nisi post initam il- lius

(*a*) L. ex stipulatione 5. ff. de acquir. vel amitt. possess. L. Prætor 1. §. 2. ff de vi & de vi armata l. 43. t. 16. & L. Qui restituere et. ff. de vindicat. l. 6. t. 1.

(*b*) Cit. L. Possideri 3. §. 2. & 30. ff. de acq. vel amitt. possess.

(*c*) Cit. L. Poss. 1. §. 2. & 20. ff. de acquir. vel amitt possess.

(*d*) L. Si de possess. 3. cod. unde vi &c. l. 8. tit. 4.

(*e*) L. per proc. 8. cod. de acq. & retinen. pos.

(*f*) Cit. L. pos. 3. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poss. Item lest. de usucap. & & long. temp. præsc.

(*g*) L. Bona fides 171. ff. de reg. jur.

lios possessionem ex potestate sibi facta provisionibus, & *visa*; ab Episcopo Diœcesano obtentis. Consulatur ea de re sermo, qui instituitur in primo ingressu tituli, *Permutatio § Permutantes*.

Dividitur possessio priori sensu accepta 1. Io possessionem Juris, & in possessionem facti. 2. In possessionem bonæ fidei, & in pessessionem malæ fidei (*a*) 3. In possessionem justam, & possessionem iniquam. 4. In possessionem coloratam, & possessionem non coloratam. 5. in possessionem naturalem, & possessionem civilem.

Possessio juris, a Theologo superius laudato (*b*), definitur vis verbis: *Possessio juris est jus insistendi rei tanquam suæ non prohibitæ possideri*; hoc est jus verum & reale, sive quod ita esse animo præsumitur, ex possessione facti.

Dicitur: *Rei tanquam suæ*: id est rei quæ possessoris propria est, & ad eum pertinet. Unde colligitur, Tutorem non esse verum possessorem bonorum sui pupilli, qui e contrario per suum Tutorem illa possidet, quemadmodum supra jam observatum est. Subjicitur *non prohibitæ possideri*, id est rei cujus possessio ab ipso jure oon interdicitur: Prohibente quippe jure noo possit possideri. Qualia sunt Beneficium, Ecclesia, vel Cœmeterium respectu Laici.

Ab eodem Theologo (*c*): possessio facti defioitur; *Occupatio rei, adminiculo corporis animi & juris*.

Dicitur *occupatio*: quod idem est, ac *rei actualis occupatio prima, vel continuata*.

Additur, *Adminiculo corporis*; propterea quod, quaodo possideri res quædam incipit, oecesse est, possessioni corpus quodammodo accedere.

Subiicitur: *animi*, quia ad continuandam possessionem, requiritur, ut adsit animus illius retinendæ possessionis: Unde fit, ut Depositarius rei depositæ non censeatur verus possessor, quia scilicet oon ipsi animo est illius rei quasi sibi propriæ possidendæ. Quod idem judicandum est de eo, qui rem aliquam ex titulo precarii possidet (*d*).

Denique subditur, *& juris*, nimirum juris, qoo constare possit veritas possessionis, sive jus istud fuerit justum, sive injustum.

Possessio bonæ fidei consistit in occupanda vel retinenda aliqua re, quam sibi cedere possessor contendit, ex aliquo jure, quod ei legitimum videtur.

Possessio bonæ fidei, inquit Polmanus, *est occupatio rei, fundata in prudenti judicio* (*e*). Contra vero possessio malæ fidei non fundatur in jure, qood esse justum existimetur. *Possessio justa est possessio rei, fundata in titulo legitimo* (*f*), ut emptionis seu donationis.

Possessio colorata est occupatio rei fundata in titulo verisimili(*g*): At vero possessio non colorata, uoo aliud sibi vindicat fundamentum, quam titulum aperte falsum & nullum.

Possessio naturalis, ea est, qua possidetur aliquid tum re ipsa & corporis adminiculo tum aoimo possidendi. *Occupatio rei adminiculo corporis, & animi* (*h*).

Possessio civilis, ait idem Author, *est detentio rei, adminiculo solius animi* (*i*). Appellatur civilis, *quia fundatur in jure civili, paritque effectus civiles, scilicet usucapionem rei & fructuum perceptorum dominium*. Pergit interpretari istam definitionem, addendo nimirum, per hæc verba, *detentio rei*, debere intelligi 1. *detentio continuata rei prius apprehensæ, & occupata adminiculo corporis & animi*. 2. *Rei tanquam suæ*. Tandem explicat ista postrema verba; *adminiculo corporis & animi*, indicando scilicet, qua ratione potissimum differat utraque ejusmodi possessio: *Quamvis enim, O incoandam possessionem civilem sit opus adminiculo corporis & animi; tamen ad illam continuandam sufficit solus animus*.

Subjicitur ab eodem Theologo, ad uberiorem rei explanationem, posse alio quoque sensu accipi, quod nomine naturalis, & civilis possessionis appellatur. Quippe Prior ad dominium utile rei, directumque dominium pertineat (K). *Possessio naturalis est detentio rei, quoad dominium utile, sive quoad usum*, addit, *usumfructum aut habitationem Possessio civilis est detentio, quoad dominium directum*.

Non opus est possessiooi ullo titulo, quando memoriam hominum excedit propterea quod, ex legitimo titulo, devenire semper censeatur (*l*).

Quando possessor, per aooum integrum, placide tranquilleque possedit, ac deinde in sua possessiooe perturbatur, cedit ipsi actio, quæ a Pragmaticis dicitur. *Querela de occupatione & insolenti novitate*; qua a Judice obtioet possessionem suam ad litem usque penitus diremtam continuari (*m*) etiam contra legitimum proprietarium, licet ipsum latuerit Possessoris, possessio anoalis; in quo potissimum aliena est, a Jure Romano, Jurisprudeotia oo stra:

(*a*) L. Possideri. 3. §. 21. ff. de acquir. vel amitt. poss.

(*b*) Polm. 2. 4. n. 358.

(*c*) Id. ib. nu. 357.

(*d*) L. Certe. 6. §. 2. ff. De precar. & L. Et habet. 15. §. 4. ib. L. 41. tit. 26.

(*e*) Polm. Id. ib n. 359.

(*f*) Id. ib. n. 361. & seq.

(*g*) Id. ib. n. 363. & seq.

(*h*) Id. ibid. n. 368.

(*i*) N. 369.

(K) N. 370. & 371.

(*l*) Imbert. prax. l. 1. c. 17. ante Guenois ibid. Edict. an. 1667. t. 18. a. 4. & 5. L. Ut pullos. 2. cod. unde vi. l. 8. t. 4.

(*m*) L. Prætor. 3. ff. de itinere actuque privato l. 43. tit. 19.

stra: adeo ut, non permittatur in eo casu proprietario, nisi actio petitionis qua astringitur, ad exhibendum & ratum faciendum titulum suæ proprietatis, qua in actione si vicerit, tunc ejus ei suffragatur, ut valeat a possessore perceptos fructus sibi restitui, repetere.

Non obligatur possessor alicujus boni temporalis, in foro Justitiæ civilis ad proferendum titulum suæ possessionis, quin etiam si litigium, ea de re, adversus eum fuerit commotum, admitteretur ad producendos testes, in illius argumentum. Verum non eadem est conditio Beneficiarii, neque enim ipsi potest, possessio beneficii continuanda adjudicari, absque titulo, nec nisi dotibus, ad illud possidendum, requisitis pollere comprobetur. Post elapsum temporis spatium Legibus aut consuetudine statutum, potest ex possessione bonæ fidei, legitima præscriptio comparari; atque ista ratione potest, qui simplex possessor erat rei, proprietarius ejusdem evadere, quemadmodum supra jam ac obiter annotatum est, & probabitur ex professo ubi de præscriptione sermonem instituemus, in titulo *Præscriptio*.

Qui de possessione sua, vi contra se adhibita, fuit depulsus, revera desistit a possessione facti, verum ei conceditur annus integer cum die uno, ad intendendam actionem, quæ dicitur, *de restituendo aliquo in integrum*; quo possit, in suam possessionem, restitui: atque ista actio locum habet etiam, in eo casu, adversus ipsummet proprietarium, licet offerat, probandum in ipsomet temporis articulo, jus suum proprietatis, ipsi namque incumbit, priusquam audiri sese obtineat, ut quem possessione, vi adhibita deturbavit, primum consentiat, in eamdem integram restitui.

CASUS PRIMUS.

VICTOR, Prioratum quemdam, ab annis sex possidet, ex titulo, qui spurius omnino est ac nullus, eo quod quandam Simoniam ignorans admiserit, quam, non nisi paucis ab illinc diebus deprehendit, aut qui, quocumque alio defectu inficitur. Nonne, a possessione sua trienni, illud sibi vindicat, ut in tuto conscientia ipsius esse censeatur?

RESPONSIO.

1. Respondemus, neque ex possessione trienni, neque ex alia etiam quæ sit multo longior, juxta tutiorem opinionem, non posse Victoris conscientiam securam reddi, quantum ad possessionem dicti Prioratus, si titulus, quo fundatur nullus fuerit, propter Simoniam ab eo, licet non propria sponte commissam. Enimvero statutum de Possessione triennali, quæ suam originem deducit, a Concilio Basilensi, & a famoso Pacto confirmatur, disertis verbis, neque adhibita ulla clausula excipienti, quoscumque, Simoniaca via, beneficia sua ingressos a dicto privilegio excludit. En quibus utitur (a). *Voluit & ordinavit Dominus noster, ut si quis quæcumque beneficia, qualiacumque sint, absque Simoniaco ingressu, ex Apostolica vel ordinaria collatione, per triennium pacifice possederit, si se non intruserit, super hujusmodi Beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes de beneficiis sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit.*

(a) Reg. Can. Cancellariæ Rom. reg. 27.

Idem docetur a Carolo Molinæo (b); *Ingressa per Simoniam*, inquit, *non prodest triennalis pacifica possessio .... & hujusmodi Simonia (realis) non solum titulum, sed etiam possessionem inficit*. Quod locum etiam obtinet, etiamsi Simonia inscio Beneficiario, fuerit perpetrata, ut patet, ex dispositione cujusdam Decretalis Clementis III. insertæ in corpus Juris, quæ mentionem facit de commissa, a Patre Simonia, in gratiam proprii filii, a quo nesciebatur; (c) & ex Glossa in eandem Decretalem, (d) quæ ait, in casu Simoniæ, nocentis pœnam, in innocentem recidere. Nequicquam adversante ista regula, quam S. Gregorius generaliter instituit (e) *Rem, quæ culpa caret, damnum vocari non convenit*; Atque idcirco potissimum, ne latius extendatur Simonia. En quæ adhibentur verba in Glossa laudata: *Et sic factum alterius ei præjudicat, & sic punitur sine culpa, quod est contra illud generale* REM QUÆ CULPA CARET *&c. Sed hoc est speciale in casu, in odium Simoniacorum; quia, si non punirentur nimis frequentaretur illud crimen.*

(b) Carol. Molinæo in regulam de publicandis resignat. num. 30.
(c) Clem. III. in c. Ex insinuatione. 26. de simonia. &c. lib. 5. t. 3.
(d) Glossa in cit. c. v. Resignasti.
(e) S. Greg. in c. Cognoscentes. 2. de constitut. inc. lib. 3. t. 2.

Inde sequitur, Victori necessario incumbere, ut suo Prioratui prorsus renunciet (f); neque in casu dicto, in eo remanere præsumat, nisi a superiore legitimo, de eo iterum provisus, id est ab ordinario, modo tamen ipsius ignorantia fuerit *inculpabilis & invincibilis*; quo casu, non requiritur necessario ut Romam recurratur, neque etiam, quando ad Simoniam nec conspiratum est, nec fuit ipsa communi suffragio comprobata. At vero si Victor; ad eam committendam scienter aut ex ignorantia culpabili conspiravisset, in eo casu teneretur ad adeundum ipsummet Summum Pontificem, penes quem solum est, ei provisiones validas de integro impertire.

(f) Can. Presentium 1. q. 5. Etc. Ex insinuatione.

Neque vero, ex tituli defectu Victor obligatur tantum ad abdicandum suum beneficium: sed nec illud potest retinere, ex completa sua possessione trienni, quippe, quæ non valeat, ipsum securum præstare, juxta Arrestum 23. Februarii 1639. pronunciatum, a supremo Senatu Aquensi, & relatum a D. Brillon, post Bonifacium (g).

(g) D. Brillon. Diction. arrestorum v. Simonia. on. 57. Bonifac. tom. 1. l. 2. t. 26. c. 5.

Non diffitebimur, ab aliquibus autoribus, ut Gomes, Rebuffo, Riccio, Bonacina, & Cabassutio (h) ceteri, regulam constitutam de possessione triennali, locum habere posse, in ejus gratiam, qui nec in notitiam nec in culpam venit Simoniæ, qua titulus ipsius vitiatur. Sed eorum opinio, ab aliis autoribus, in dubium revocatur, qualis est ipse Cabassutius (i), qui fatetur, etiam in eo casu dicta regula, nullatenus posse provisum inculpabilem juvari: nisi forsitan, post possessionem decenni, ut duo a Jurisconsultis nostris, Mainardus scilicet & Charondas conjiciunt; *Cæterum*, inquit laudatus Canonista, *cum ipsa regula generaliter & indistincte excludat Simoniacum ingressum? Crediderim potius* (provisum etiam inculpabilem) *non posse juvari, nisi decennii possessione, secundum Mainardum & Charondam* (K) Quando a laudato Canonici Juris interprete, ista clausula excipiens apponitur; *nisi decennii possessione*, ad id potissimum respexit, quod solebat olim in foro exteriori frequentari, in quo devolutario non permittebatur confidentiarium exturbare, qui per decennium, sui beneficii pacificus possessor extiterat; quemadmodum colligitur, ex antiquis quibusdam Arrestis, quæ referuntur a Brillon (l) At non stetit ejusmodi Jurisprudentiæ, quod

(h) Ludovic. Gomes in cit. reg. Cancellariæ Rom. q. 1. Petrus Rebuffus tract. de pacificis possessor. n. 241. Bonifac. de simonia disp. 1. q. 7. punct. 2. n. 20. Cabass. l. 6. c. 8. n. 3. Aloysius Riccio decisione 201.
(i) Joann. Cabass. juris canon. theor. & prax. l. 1. c. 20. n. 18.
(K) Mainard. l. 1. c. 58. Charon. in Caron. in observat. ad reg. Cancell. v. Beneficiorum & l. 5. responsorum. c. 44.
(l) D. Brillon. ib. n. 33. 34. & 31.

Cano-

Canonicis regulis reipsa dissentiret, unde contrarium legitur, hodiernis temporibus constitutum, Arrestorum nube ingenti, ac nominatim iis, quæ a supremo Senatu Parisiensi pronunciata sunt, inter quæ plurimum commendatur, quod tulit Primarium Centum viralis senatus Tribunal, & refertur a Dufrene (a) quo Arresto, possessio continuanda adjudicata fuit Joanni Langevin Devolutario, contra Lodovicum de la Motte, qui quam simoniaco ingressu consecutus fuerat, curam DE PRESLE, ab annis viginti & amplius possederat. Cui simoniaco ingressui, nec valet ipsa 30. annorum possessio ulla ratione mederi, ut docet Charondas Gallicus Jurisperitus (b).

(a) Dufrene l. 8. c. 12.

(b) Charondas l. 1. respons. 47.

2. si titulus, quo Victor munitur aliunde deficiat quam ex vitio simoniæ seu obreptionis. Quod vitiosum contraxere provisiones ipsius, sola trienni possessione, quantum opinamur, atque a fortiori possessione viginti annorum, omnino corrigatur, licet quidam Theologi existiment, possessionis triennalis, effectum alium non esse, nisi possessorem præstare incolumem, ab omni lite, quæ posset in foro exteriori, adversus ipsum inferri circa beneficii ipsius titulum, adeo ut juxta eorum sententiam necesse sit, in eo etiam casu novas obtineri provisiones. Quæ sententia conscientiæ proculdubio securiori viam consulit, quanquam non veriorem eam habeamus, quantum ad eos spectat, qui sunt bonæ fidei possessores, & quorum titulus non deficit *vitio Simoniæ, aut intrusionis*: unde voce una prorsus rejicitur a Gomes, Rebuffo, Reginaldo, qui eos citat, & plurimis aliis. *Notandum est 1.* inquit Autor ultimo loco recensitus, (c) *quod sicut in rebus cæteris possessio pacifica per tempus præscriptum causa est, ut earum dominium amittatur .... sic etiam triennalem Beneficii possessionem pacificam causam esse, juxta memoratam regulam, ne Beneficiarus eo privetur, aut ipsum tanquam vacuus, alteri conferetur. Notandum 2. eandem regulam non tantum, in foro externo; sed etiam in foro conscientiæ locum habere, ut docent Gomesius ... & Rebuffus*. Quod quidem memoratus autor probat, non tantum ex allato præscriptionis exemplo, quæ legibus tum Ecclesiasticis tum Civilibus comprobatur sed etiam, quia *supplet* (Papa) *id quod deest in justo titulo*, ut ait, *conferturque illud interea conferre; juxta caput*, literas, *de supplenda negligentia Prælatorum*, *juncta glossa finali*. Poterat quoque idem autor allegare in probationis argumentum, Constitutionem Clementis V. (d) in qua de distinctione fori externi, & fori interioris ne minimum quidem verbum injicitur, quæ proinde de utroque foro æqualiter intelligenda est, juxta istud effatum Bartholii, *ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* (e). Quod Glossa confirmat tit. aut in. diversis legibus citatis.

(c) Valer. Regin. praxi fori pen. l. 30. tr. 3. n. 058. & seq. & apud eum Gomes. q. 4. v. non obst. & Rebuf. de pacific. poss. nn. 8. & seqq.

(d) Clem. un. de sequest. possessionum, & fructuum l. 2. c. 6. Glos. ib. v. Triennioli.

(e) Arg. legis. De pretio 8. ff. de publicana in rem act. l. 6. t. 2. Glossa ib.

Vide SIMONIA Casus VICTORIUS. 38.

CASUS II.

POLYCHRONIUS, ex thoro non legitimo procreatus, ab annis tribus, & amplius beneficium placide possidet, titulo fretus colorato, siquidem in Curia Romana, fuerit de eo, *per obitum*, provisus. Numquid potest jure possessionis triennalis juvari, si contigerit ipsum ab aliquo, ea de re perturbari?

RESPONS.

Existimant quidam Canonistæ, qualis est Gomesius: (f) Spurio posse jus possessionis triennalis succurrere, si litigii quid eade re adversus ipsum intendatur. At ejusmodi opinionem veram esse non censemus. Neque enim verisimile putamus, ex regula *de triennali possessione* posse defectum, quem quis ex illegitimo matrimonio natus a natura habet, corrigi. Atque illud omnino est, quod fuit decretum a Sacra Congregatione Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini in iis, quæ pertinent tum ad mores, tum ad Disciplinam, quemadmodum Garcias (g) testatur.

(f) Lodov. Gomesius de triennalis possess. q. 2.

(g) Nicol. Garcias de benef. 7. p. c. 3. n. 88.

Atque hujus nostræ decisionis ratio est, quod inhærente actuali defectu habilitatis ei, qui de aliquo beneficio provisus est, neque legitima dispensatione, redditus est habilis ad illud possidendum, non possit ejus titulus, ullo modo censeri coloratus. Unde sequitur, cum sola provisio Polychronii nulla sit, ex eo potissimum quod spurius, inhabilis omnino sit, ad possidenda beneficia, eandem ipsi supplere non posse locum tituli colorati, quo deficiente, nihil quidquam utilitatis valet ipsa triennis possessio conferre: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure, ab initio non subsistit*, inquit Bonifacius VIII. (h). *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ait etiam idem Papa, in suis Regulis Juris.

(h) Bon. f VIII. reg. 18. & 64. de reg. juris in 6.

Aliunde vero Polychronius est malæ fidei possessor, quippe ipsum non præteriret, aut saltem præterire non deberet quemcumque, non ex legitimo thoro procreatum, tanquam ineptum nec capacem rejici, ab omni Beneficio possidendo, ipsique proinde incubuisse, ut natalium defectum Summo Pontifici renuntiaret, atque secum, de eo dispensari impetraret. Jamvero quicumque malæ fidei possessor, secundum istam regulam Juris (i), *pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere*, cui congruit Lex quæ ait (K): *Non capiet longa possessione, quia scit alienum esse*, hoc est, *non suum*, inquit Glossa. Ergo Polychronius non meretur, ut ipsius possessionis, quanquam triennis, ratio nequidem ulla habeatur.

(i) Id ib. reg. 26.
(k) L. Possideri. 3. ff. de acquirenda vel amitt. possess. l. 41. t. 2.

Quod modo dictum est roboris plurimum mutuari potest ex Decretalibus plurimis, quæ prohibent ne eligantur Canonici, eorum spurii filii, qui præbendas in eadem Ecclesia possident (l): *Cum indecorum sit*, inquit Innocentius III., *ut in altaris Officio illegitimus impudice Patri ministret, in quo unigenitus Dei Filius, æterno Patri, pro salute humani generis victimatur* (m).

(l) Clem. III. in c. Literas. 14. de fil. Presbyt. Inn. III. in c. Cum decorem 15. & in c. Ad abolendam. 10. eod. t. l. 1. t. 17.
(m) D. du Perrai. Juris canonale. Gall. l. 3. c. 6. n. 27. & 28.

CASUS III.

GEORGIUS, Religiosus Professus, de Prioratu seculari, provideri sese in Curia Romana obtinuit, dictumque Prioratum, qui sub invocatione S. Joannis consecratus est, per tres annos & amplius pacifice retinuit: Ludovicus Clericus, prima tonsura initiatus, cum rescivisset istum Prioratum esse secularem, de eo provideri sese impetravit ab ordinario, ad quem jus istius conferendi pertinet, Georgiumque possessione exturbare tentavit. Numquid recta conscientia potuit istud tentare? Et nonne Georgio licitum est, ut valeat absque conscientiæ suæ dispendio, proprium suum jus vindicare, ex Regula Cancellariæ Romanæ comprobata atque acceptata in famoso illo pacto, quod Leonem X. inter & Franciscum I. (n), 16. Augusti 1516. conflatum est?

(n) Concord. t. de pacificis possessoribus.

RESPONS.

Jus Lodovico cedit, ut Georgium absque neminima quidem injuria nihil prorsus obstante possessione ipsius triennali, valeat perturbare, propterea quod, ad prioratum, de quo quæstio est, nullum omnino jus ipsi Georgio acquiritur. Ratio est, quia ut observat Cabassutius (o). *Non juvatur hoc privilegio regularis Clericus, qui secularе beneficium triennio pacifice possederit. Illa namque possessio triennis* (neque alia quæcumque longior) *non potest statum & incompatibilitatem mutare Beneficii*. Porro Religiosus est inhabilis ad Beneficium seculare possidendum, juxta istud effatum apud omnes receptum, & quadam Bonifacii VIII. Constitutione innixum (p). *Regularia Regularibus, & Secularia Secularibus*. Atque illud judicatum est pluribus Arrestis celeberrimis, e Primario Galliarum Senatu Supremo emanatis quæ referuntur a Montolon, Despeisses, & Brodeau (q) Inter alios autem Jurisconsultus postremo loco appellatus, Arrestum ea de re allegat quod in Primario Centumviralis Senatus Tribunali, ejusdem sedente Principe D. de Verdum pronunciatum est pro quodam devolutario, adversus Religiosum de Ordine S. Augustini, qui curam Ordini suo non subjectam, ab annis septemdecim & amplius possidebat, nulla ipsi facta de eo dispensatione. Quo Arresto fuit declaratum, dicti Religiosi posse-

(o) Joan. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 20. n. 14.

(p) Bonif. VIII. in c. Cum 1. beneficio 5. de preb. & dign. in 6. t. 4.
(q) Montolon. c. 125. Despeisses t. 15. sect. 3. n. 6. Julianus Brodeau Comment. in Lovet lit. B. n. 12.

sessionem licet longam atque pacificam, nihil quidquam ei prodesse.

Cæterum, juxta positum idem principium, eodem modo judicandum est de Seculari, qui de Beneficio Regulari provideri sese impetravisset, nisi, ut a Bonifacio VIII. observatur in Constitutione jam citata, Beneficii conditio, ex legitima præscriptione, esset immutata; quæ quidem præscriptio, quadraginta annis recentior esse non debet.

CASUS IV.

Uranius, de præbenda Ecclesiæ Cathedralis Vasionis provisum, cum ad Capitulum accessisset, possessionem initurus, ei responsum ast, prius ab eo numerandam esse summam 200. librarum, quæ in usum sacrarii impendenda foret juxta statutum a Capitulo decretum, quo fertur, a quibuscumque Canonicis recentioribus esse eo fine persolvendam summam 200. librarum, antequam in possessionem suarum præbendarum inducantur.

De exacto iniquo vectigali, Uranius incassum omnino conquestus est, simulque arguit potestatis defectum, quo licitum non erat Capitulo, illud tributum iis imponere, qui illud renuerent persolvere; adeo ut ipsi Lex subeunda fuerit, posteaque in possessionem suæ præbendæ constitutus est, & in Capitulo deinde admissus. Quærit 1. num in eo simoniæ aliquid commiserit, sive Canonici istam summam in usum sacrarii, sive in proprium quæstum impendant. 2. Utrum Capitulum potuerit absque simonia, dictum statutum conficere. 3. Utrum, cum non nisi invitus argentum suum numeraverit, non sibi jus succurrat, ut adigat ipsummet Capitulum, ad sibi restituendam prædictam pecuniæ summam.

RESPONS.

Si Uranius persolvisset 200. libras, in quæstum Canonicorum obveniendas, non ignorans, eam pecuniam de se exigi a Canonici, eo fine, ut inter se distribuant; Veram procul dubio simoniam admisissent tum ipse tum Canonici. Enimvero, ut Canonicus quis recipiatur, aut in possessionem præbendæ inducatur, nihil quidquam potest dare, quod in lucrum cæterorum Canonicorum vertat, necquicquam contraria consuetudine obtinente; quemadmodum declaratur ab Innocentio II. in Synodo quadam habita Romæ, anno 1139. (a), his verbis, *Nec pro pasta, nec sub obtentu alicujus consuetudinis, ante vel post, a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat: quoniam simoniacum est. Sed libere & absque diminatione aliqua collata sibi dignitate atque Beneficio perfruatur.*

(a) Innoc. II. in can. Si quis. fin. 1. q. 3.

Idem statuitur a Gregorio IX. (b), & consuetudo prandii exigendi a Canonico recenter admisso, penitus reprobatur. *Iacobus Canonicus Esculanus exposuit*, inquit laudatus Papa, *quod cum ipse in Ecclesia Apratensi sit receptus in Canonicum & in fratrem; & Canonici ejusdem Ecclesiæ partem proventuum ac præbendam sibi assignari recusant quamdam consuetudinem prætendentes, quod prandium habere debeant, a Canonico recepto de novo. Quocirca mandamus, quatenus si ita est, dictos Canonicos, ut tali consuetudine non obstante sibi, sicut uni ex aliis, in proventibus & præbenda provideant, autoritate apostolica compellas.*

(b) Greg. IX. in cap. Iacobus. 44. de simonia &c.

At vero si Uranius 200. libras non numeraverit, nisi in ipsius Ecclesiæ tum necessitatem tum utilitatem impendendas; nullam omnino simoniam admisit.

Quæ decisio plane concordat cum Concilio Tridentino, cujus ista sunt verba (c): *In pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis & Parochialibus ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii Canonicatuum, Præbendarum, vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones promissiones compensationes ve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur, hæc cum sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi usus pios non convertuntur, atque ingressus eos qui Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum Constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint exceptis, reliquas ut pravas, & scandalosas rejiciant & aboleant.*

(c) Conc. Trident. sess. 24. de reform. c. 14.

Postremo habitum Burdigalense Concilium Provinciale, anno 1624. (d), adhæsit iis, quæ a Tridentino, ea de re, fuerant constituta. En quæ verba ab eo adhibentur. *Nos simoniæ prolem quamcumque & avaritiam ab Ecclesia Dei sejungendam ducentes, probibemus ne quid pro ingressu, admissione, & receptione ad Beneficia quæcumque certa cuidam personæ, sive capitale in singulos postea Canonicos distribuendum concedatur, aut quod in pios usus non convertatur. Dare aliquid Fabricis Ecclesiarum, ornamentis, & restaurationibus earumdem impendendum, minime reprobamus.* Ab alio Concilio Provinciali Bituricensi, anno 1584. idem antea fuerat jam constitutum (e).

(d) Concil. Burdigal. tit. 9. n. 15.

(e) Conc. Bituricense tit. 33. de quotidianis distrib. can. 4.

Tandem in eadem relatorum Conciliorum Decreta, Regni universi Jurisprudentia tota conspirat; quemadmodum cernere est, ex quodam Arresto lato a supremo Senatu Parisiensi, anno 1540. quo Curia declarat nullum inesse abusum in Capitulari conclusione Capituli de Ecclesia Turonensi, in qua conventum erat, reditus Præbendarum, quarum occurreret vacatio, priori anno cessuros dictæ Ecclesiæ instaurandæ. Unde inferre licet, jure omnino potuisse a Capitulo de Ecclesia Cathedrali Vasionis, ferri statutum, quo decerneretur, a quocumque Canonico recenter proviso, summam 200. librarum, ipso die, quo possessionem iniret, fore numerandam, in usum sacrarii deinde impendendam: atque adeo potuisse, imo debuisse dictam summam, ab Uranio persolvi: neque consequenter, ipsi jus ulla ratione suffragari, ut contra decretum seu statutum a Capitulo ea de re latum ullatenus agat: neque contendat prædictam summam sibi restitui; modo eam ipse non dederit, nisi in ipsius Ecclesiæ utilitatem collocandam (f).

(f) Sambo tom. 2. cosa 6.

CASUS V.

Genebaldus, cum esset integra valetudine, suam præbendam, in gratiam Juvenalis resignavit in curia Romana. Qui quidem cum vidisset, ipsum Genebaldum subito periculosoque morbo corripi, in possessionem dictæ Præbendæ sese statim constituit. nec tamen requisivit sese in capitulum admitti, nec a capitulo recipi *in fratem*. Genebaldum post dies paucos e morbo recreatum, Juvenalis animo benignitatis ductus, permisit antiqua ipsius possessione gaudere, ac præbendæ licet sibi resignatæ remanere possessorem: quin etiam cum provisiones suas, tum possessionis initæ instrumentum flammis commisit devoranda. Jam anni duo sunt elapsi, ab hujusmodi re peracta: Cujus occasione petitur, utrum Genebaldus possit, excusso omni scrupulo, dicta præbendæ continuare possessionem, nec requiratur, in ipsius gratiam, eandem, a Juvenali resignari rursum, adhibitis formulis consuetis: atque utrum sufficiat declaratio verbotenus Episcopo significata, qua nempe enunciabat, suo resignanti a se ipso cedi quid quid sibi competebat juris, ad istud beneficium, quo possit ipse Episcopus verbotenus nec conquisitis aliunde formulis, in idem beneficium restituere: aut denique, posito quod istud non sufficiat, an necesse sit, a Genebaldo impetrari rescriptum, e Pœnitentiaria Romana, quo feratur, ipsi fructus quoscumque, a duobus annis, perceptos, omnino condonari.

RESPONS.

Nodus propositæ difficultatis in eo totus versatur, quod nimirum constet, utrum Canonica sit nec ne, inita a Juvenali possessio. Si namque canonica legitimaque fuerit: nullo jure, nec nisi cum conscientiæ suæ detrimento, valet Genebaldus, quam in gratiam Juvenalis ipsemet resignavit, præbendam retinere: propterea, quod eandem non possideat in eo casu, nisi ex intrusione, nec ullo titulo munitus, qui legitimus esse videatur: neque possit oretenus, de ea etiam provideri ab Episcopo, nisi in eandem fuisset primum restitu-

quo

Digitized by Google

quo in casu requireretur, ut sibi obtineret rescriptum ex Pœnitentiaria, quo ferretur, quoscumque fructus perceptos necdum consumptos ipsi condonari, præsertim si beneficio copiosus & abundans reditus annectatur.

Verum si, quam inivit Juvenalia, possessio irrita sit & nullius pretii; potest Genebaldus, absque ullo scrupulo, insistere muniis dictæ Præbendæ annexis obeundis, & fructibus inde obvenientibus percipiendis, absque eo quod opus sit, ullas formulas adhibere, neque adeo recurrere ad Pœnitentiariam Romanam, fructuum condonationis impetrandæ caussa: cum titulari scilicet, proprio jure, cedant fructus beneficii, donec a R. signatario fuerit de possessione canonice dimotus.

Jamvero dici potest initam, in specie proposita, a Juvenali possessionem non esse Canonicam; quippe semetipsum non obtulerit Capitulo, ut & admitteretur & reciperetur *in fratrem*: quod necessario requiritur ad validum legitimumque efficiendum ingressum ad aliquam præbendam; quemadmodum a recentiori Theologo evincitur (*a*), ex auctoritate Rebuffi (*b*), qui dicit: *Acquiritur possessio Juris Canonicalis, cum stallus in Choro, & locus in Capitulo, datur*. Quod iste Jurisconsultus confirmat ex Decretali Alexandri III, relata in corpus Juris (*c*), in qua, de duobus prædictis, fit mentio omnino expressa.

(*a*) Sambovius to. 2. casu 104.
(*b*) Petrus Rebuff. prax. benef. de missione in possessionem. n. 36.
(*c*) Alex. III. in c. *Cum inter*. 2. de renuntiat. lib. 1. tit. 6.

CASUS VI.

Guibertus, Parochus sanctæ Honorinæ, cum urgeretur morbo gravissimo, scriptum de Cura sua pure ac simpliciter abdicata instrumentum commisit Felici nepoti suo, quam iste persuasum habet a Collatore fore sibi concedendam. Felix illud instrumentum mittit ad Joannem fratrem suum, cui mandat, ut collationem obtinere quam diligentissime enitatur. Atque, ut negotium expeditiori brevioriqué cursu valeat absolvi, simul ei dirigit Procurationem forma consueta munitam, qua ipse tanquam de Cura provisum se gerens, auctoritatem ei facit, in possessionem istius Curæ, nomine suo, veniendi, statim atque rescripserit, concessa esse tum provisiones, tum *visa*. Joannes utrumque obtinet pro fratre suo, cujus nomine ipso die subsequenti in possessionem deducitur. Istius autem rei occasione, quæritur, utrum dicta, in possessionem, missio valeat?

Respons.

Constat istam, in possessionem, missionem nullam esse. Atque ultro sese offert ratio, quod procuratio, qua potestas efficitur veniendi in possessionem alicujus beneficii, debeat esse, quoad diem adscriptam, ipsa provisione recentior: quia sicut quis per semetipsum in possessionem alicujus beneficii deduci non potest, de quo nondum providetur, ita nec alteri facultatem facere, ejusdem, nomine suo, possessionis ineundæ. Atqui Felix, eo tempore, quo fratri suo Joanni commisit potestatem, in possessionem Curæ S. Honorinæ veniendi, de eadem nondum erat provisus. Ergo iste in possessionem ingressus, nullus omnino censendus est: atque etiam non abs re esse videtur, si additum fuerit, beneficio prorsus indignum ipsum semet prodidisse, ex nimia præpoperaque festinatione ejusdem, in memorato casu, adipiscendi; in quo certe, nihil necessitatis erat, unde tam ardenti sollicitoque studio exagitaretur. Ita quæstionem solvit eruditus Theologus, sorbonicusque quondam Professor (*d*).

(*d*) Sambovius tom. 2. casu 201.

CASUS VII.

Sabiniano, qui nullo titulo instructus, prædium quoddam, seu quodlibet aliud, possidet bona fide, istane possessio adjudicanda est, adversus eum, qui nec etiam ullo titulo fretus, possessionem ipsius & arguit & perturbat?

Respons.

Respondemus, cum Sabinianus sit bonæ fidei possessor, ab ipso jure omnino possideri, tum dictum prædium, tum quamlibet aliam rem, modo ejus conditionis fuerit, quæ commercium ingrediatur; atque adeo eum, in continuanda sua possessione, licet omni titulo destitutum, esse confirmandum. Ratio est, quia possessorem bonæ fidei, tanquam verum rei proprietarium, leges existimant; propterea quod ex naturæ instituto eam possidere pertineat ad proprietarium: si quidem præsumatur, si quis alius ejusdem rei proprietarius fuerit, ab eo non fuisse permissum, ut propria istius rei possessione unquam depelleretur. Unde lex ait (*e*): *In pari caussa, possessor potior haberi debet*: Cui consentit Canonici Juris ista alia regula (*f*): *In pari . . . caussa, potior est conditio possidentis*. Eodem etiam modo loquuntur & Alexander III. in una quadam ex suis Decretalibus (*g*), & S. Thomas (*h*). Atque ista Jurisprudentia, eo usque debet obtinere, donec ab eo, qui possessorem arguit, ex evidentibus atque manifestissimis titulorum monumentis evincatur, ipsum esse, rei ab altero possessæ, unicum ac verum proprietarium.

(*e*) Leg. In pari. 170. ff. de diversis regu Juris antiqui. lib. 50. tit. 17.
(*f*) Reg. 65. de regulis juris in 6.
(*g*) Alex. III. in cap. *Ad aures* 6. de præscriptionibus. lib. 2. tit. 26.
(*h*) S. Thom. dist. 38. qu. 1. art. 3. quæstiun. 2. ad 1.

Observavimus, a nobis sermonem non institui, nisi de rebus, quæ ingrediuntur commercium; neque enim eadem ratione judicandum est de iis, quæ extra omne commercium sunt positæ; qualia sunt bona, quæ de aliquo Beneficio Ecclesiastico obveniunt; inde est quod si ab aliquo detineantur, non ipsi adjudicanda est possessio, nisi & legitimo titulo instruatur, & requisitis aliunde dotibus, ad illud possidendum, polleat: atque, ea potissimum de caussa, non ex ipso possessionis actu, repetendum est jus possidendi; sed ex titulo, via Canonica obtento, cum de beneficiis agitur: & occurrente casu, quod inter plurimos ab unoquoque titulus exhibeatur, res adjudicari debet illi, qui titulo legitimiori videtur gaudere: quemadmodum a plurimis e Regibus nostris, ac nominatim a Carolo VII. Carolo VIII. Francisco I. & Ludovico Magno. edictum est (*i*). Neque tamen quidquam roboris haberent ejusmodi tituli contra eum, qui titulo licet colorato tantum, adjunctam possessionem triennem & pacificam præ se ferret, modo constaret, procul abesse quamcumque simoniam & intrusionem; ut in præcedentibus jam decisionibus fuit observatum.

(*i*) Carol. VII. Edicto an 1453. art. 75.
Carol. VIII. Edicto an. 1493. art. 58.
Francisc. I. Edict. an. 1539. art. 46.
Ludovic. XIV. Edict. an. 1667. tit. 15. art. 2. & 6.

CASUS VIII.

Sylvius, qui in bona paterna, jure hæreditario succedit, inter prædia, quæ in partem possessionum hæreditariarum veniunt, in jugerum vitium quoddam reperit, quod a Patre suo bona fide possessum est; sed quod Lucii reipsa fuisse omnino constat. Sylvius eandem quoque possessionem, per integrum triennium, bona fide continuat; quo elapso, Lucio dictum jugerum, ut suum, in judicio sibi vindicante, post commotam breviorique tempore definitam ea de re litem Sylvius de possessione sua dejicitur. At Lucius non contentus, se se in proprium fundum restitui, præterea contendit, perceptos per triennium possessionis fructus esse sibi a Sylvio restituendos. Nunquid ex conscientia Sylvius tenetur ad eos restituendos?

Respons.

Ut solvatur proposita difficultas, simulque recenseantur multæ aliæ conditionis ejusdem, quæ in materia restitutionis sæpe sæpius solent occurrere; tanquam principium Juris omnino inconcussum tenendum est, quando quis rem aliquam bona fide possidet, ab ipso acquiri, simulque suos fieri fructus ab eadem re sibi obvenientes, sive quoad aliquam ipsorum partem eos accipiat ex propria sua industria; quales sunt racemi nascentes in vinea, quam excoluit; sive ex ipsomet fundo, nulla sua opera adhibita, habeat: qualia sunt aut herbæ pascuorum, aut fœna pratorum.

Ratiu est, quia Lex statuit, ut bona fides proprietatis loco sit possessori; iisdemque in ipsa re juribus ac privilegiis gaudeat, quæ ei cederent, si res ad ipsum pertineret. *Bonæ fidei emptor*, inquit una Lex Digesti (*a*), *non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, suos interim facit; non tantum eos, qui diligentia & opera ejus provenerunt; sed omnes: quia quod ad fructus attinet, loco Domini pene est*. Quod plane congruit isti regulæ juris (*b*): *Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est*. Atque idem etiam docet S. Thomas (*c*), cum ait; *non autem teneretur restituere fructus consumptos, quos bona fide possedit*. Ex quibus colligere est, non igitur ex conscientia Sylvium teneri, ad restituendos Lucio fructus, quos de vite percepit ad diem usque, quo ipsius possessio bonæ fidei, vero proprietario repetente, sententiaque ea de re consequenter ad petitum pronunciata, interrupta fuit: sed quuniam de possessiune depulsus est, ubligatur ad restituendos fructus, qui sibi provenerunt, post factam in judicin petitionem; siquidem ex subsequente evictione palam fiat, ipsam Lucii petitionem legitimam fuisse, Sylviumque, ex eadem petitione, jure possessorie bonæ fidei penitus decidisse; quanquam malæ fidei possessor haberi nondum poterat.

(*a*) Leg. *Bonæ fidei*. 48. ff. de acquirendo rerum dominio. lib. 41. tit. 1.
(*b*) Leg. *Bona fides*. 178. ff. de diversis regulis juris antiqui.
(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

PRECARIUM.

DEFINITUR *Precarium: commodatum revocabile ad nutum concedentis*; quemmadmodum verbi gratia, commodo equum Sempronio, quamdiu mihi libebit. Quæ quidem definitio ei consentanea est, quam Lex tradit, istis verbis: *Precarium est* (*d*), *quod precibus petenti utendum, conceditur tamdiu quamdiu is, qui concedit patitur* (*e*): quod ipsa eadem Lex, ea quoque ratione interpretatur: *qui precario concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere*,

Precarium finitur 1. quando qui rem commodavit, repetit eandem sibi restitui: si præpostere tamen illam peteret, temporeque tam alieno, ut damnum aliquod notabile inde ei inferretur, cui commodata est: æquitatis omnino foret, quiddam spatii temporis pro ratione circumstantiarum convenientis, ei ultra concedere: enimvero ut fertur regula Juris, *in omnibus quidem, maxime in Jure æquitas spectanda* (*f*):

2 Cessat etiam morte commodantis, quocumque tempore, post Precarium constitutum occurrat. *Precarii rogatio*, inquit Lex (*g*), *ita facta, quoad is qui .... dedisset vellet, morte ejus qui locavit, tollitur*.

Eidem voci, notio quædam latior etiam subjicitur; quemadmodum cum dicitur possidere ex precario; hoc est possidere non tanquam proprietarius, sed èx alio titulo, aut aliquem fundum ea conditione detinere, ut restituatur. Ita Vidua non nisi ex precario, gaudet usufructu certæ pecuniæ, qui sibi a Marito concessus est, quique debet ad hæredes ejusdem Mariti defuncti redire. Usufructuarius non nisi ex eodem titulo precarii, fundum possidet: quippe non sit illius proprietarius; debeatque deinde ad eum reverti, cui proprietas ejusdem reservata est. Beneficiarius non censetur beneficium possidere, beneficiique fructus percipere, nisi precario; quoniam non ejus est, sed Ecclesiæ, beneficii proprietas. De rebus, ex titulo precarii, possessis fuse habetur, in Decreto Gratiani, in Canonibus ad marginem indicatis (*h*), quos ea de re consulere, potest ut plurimum juvare.

(*d*) Polm. part. 2. n. pam. 600.
(*e*) Leg. *Precarium*. 1. ff. de precario. l. 43. tit. 26. & Leg. *Ait Prætor*. 2. §. 2. & 3. eod. tit.
(*f*) Leg. *In omnibus*. 90. ff. de reg. Juris.
(*g*) Leg. *Locatio*. 4. ff. locati conducti. l. 19. tit. 2.
(*h*) 10. q. 2. Can. *Illud*. 4. & 2. seqq. & 12. q. 2. can. *Precaria*. 44. & 16. q. 3. can. *Clerici* 12. & can. *Si Episcopus*. 18.

CASUS PRIMUS.

LIMINIUS cum petiisset a Tullio, commodata sibi quædam vasa argentea, ea cundicione, quod eadem, ad ipsius nutum esset restiturus; & quasdam peripetasmatum series, quibus per tres menses foret usurus; Tullius post quindecim, ab ista mutuatiune, diebus morte subreptus est. An Liminio ex conscientia incumbit, ut, nulla facta mura, tam dicta vasa argentea, quam prædictas aulæorum series, hæredibus restituat; aut potest-ne prædicta retinere, & ad proprium suum usum accommodare, usque eo saltem, quod tres menses abierint?

RESPONS.

Interest inter istas præstationum duas species aliquid discriminis: namque præstatiu vasorum argenteorum, in specie proposita *precarium* est, quod leges definiunt ea ratione: *Precarium est, quod precibus petenti utendum, conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit patitur* (*i*), quemadmodum habet Lex quædam Digesti, quæ addit (*K*), *qui precario concedit, sic dat quasi eum recepturus, cum sibi libuerit precariam solvere*. Quod tamen sic non intelligendum est, ut cedat ei, qui commodavit, quædam incunsiderata libertas, rem suam præpostere repetendi, temporeque omnino alienu, ex quu notabile damnum ei, qui rem eandem utendam acceperat emergat; quuniam, ut habet regula Juris (*l*), *in omnibus quidem, maxime in jure, æquitas spectanda*.

Præstatio serierum peripetasmatum, usum importat, qui *commodatum* appellatur. *Commodata autem res tunc proprie intelligitur*, inquit Imperatur Justinianus (*m*), *si nulla mercede accepta, vel constituta, res tibi utenda data est ... gratuitum enim debet esse commodatum*, & ad tempus quoddam fixum. Ex memoratu discrimine colligitur, non posse rem, quam, quis mutuatus est detineri, nisi quamdiu perseverat vuluntas commodantis. Indeque sequitur ipsius murte, prorsus sulvi precarium; siquidem ipsius vuluntas, eo in casu, prorsus cesset: *Precarii ... rogatio ita facta, quoad is, qui ... dedisset ... vellet, morte ejus, qui locavit, tollitur*, inquit

(*i*) Leg. *Precarium*. 1. ff. de precario. lib. 43. tit. 26.
(*k*) Ibidem. §. 2.
(*l*) Leg. *In omnibus*. 90. ff. de diversis reg. Juris antiqui. Item Leg. 83. ibidem.
(*m*) §. 2. Instit. quibus modis re contrah. obligatio. lib. 3. tit. 15.

quit Lex (a); ac consequenter ipsi Liminio incumbere, ut quæ sibi commodari petivit, vasa argentea hæredibus Tullii, quamprimum restituat, nec nisi sibi ab eis licentia data, diutius retineat. Verum quod ad peripetasmatum series pertinet, quas ab eodem Tullio proprio suo usui accommodandas per tres integros menses acceperat, easdem apud se retinere potest iisdemque uti ad finem usque constituti conventique temporis; obligatio quippe, qua sese Tullius obstrinxit, ad istarum usum, per tres menses, ipsi permittendum transit ad hæredes, eadem ratione, qua ad hæredes Liminii (b).

(a) L. Locat. 4. ff. locat. &c. lib. 19. t. 2.

(b) L. In commodato. 17. §. 2. & leg. Sed mihi. 5. ff. commodati vel contra l. 13. tit. 6.

PRÆDICARE.

PRÆDICARE, est de rebus divinis, sermonem palam habere ad fideles; eosque cum prima Religionis rudimenta, tum cæteras veritates Evangelicas edocere; inde vocabulum, *Prædicator*, effectum est, quod a verbo, *Prædicare*, deducit originem, (enimvero Gallica vox, *Precheur*, non adhibetur, nisi mentione facta de Religiosis de Ordine S. Dominici, qui dicuntur fratres Prædicatores, Gallice, Freres Precheurs). Ab eodem etiam verbo, *Prædicare*, vocabulum Prædicatio seu Concio repetitur, id est, sacra oratio, quam Prædicator dirigit ad populum.

Prædicator veri nominis christianus, Deum solum sibi debet animo proponere; ad quem unicum debet referre ministerium, quo fungitur, nihil quidquam inde sibi sumens, sive inanis ostentationis cupidine, inhiando nimirum laudibus ac plausibus auditorum, sive turpis lucri gratia, pecuniam scilicet inde sibi comparare intendendo. *In docendo tales nos esse convenit*, ait S. Basilius, (c) *proinde ac si pro gloria Dei, ipso audiente, loqueremur.*

Imprimis vero Prædicatoribus incumbit, si voluerint auditoribus suis prodesse, nec semen verbi, vacuum & inane, tum in animis, tum in cordibus eorum marcescere, ut *antequam verba Prædicationis insonent, omne, quod locuturi sunt, operibus clament*, inquit S. Gregorius (d). Et vero manifestum omnino est; quod ab eodem S. Papa (e) usurpatur, cum ait: *proximi plerumque corda audientium plus exempla, quam verba excitant*: Atque ex perversis moribus eorum, qui prædicandi munus suscipiunt, quidquid ore sonant, sæpe numero frustratur effectu; quin etiam impedimento est, ne peccatores ad meliorem frugem sese recipiant, & plurima, tum irreligiosis, tum hæreticis, movet offensionem. De prædicatoribus ejusmodi sic habet (f) S. Paulus: *ejusmodi pseudo-Apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.*

Qui prædicat; verba sua sic debet ad strictos veritatis apices semper emetiri, ut in dicendo nihil excidat, unde veritates Evangelicæ debilitentur, aut moralis interpretatio, austere nimirum exaggeretur: alioquin in eum reciderent, quod ex imprudentia sua produceret, pessimi effectus: quemadmodum docet S. Gregorius Papa in suo Pastorali. (g)

Ex præmissis satis aperte demonstratur Prædicatorem, quatuor dotibus, quæ in eo necessario requiruntur, scientia non computata, debere potissimum excellere.

Prima, humilitas est, atque animus omnino purus & rectus, quo excitetur ad referendum suum ministerium ad gloriam Dei, & procul avertatur ab omni captandæ gloriosæ inanis studio, aut ab amore suimetipsius, aut a sordida turpis lucri cupidine.

Secunda est vita, quæ singulari exemplo præluceat: *Ut Prædicator quisque plus actibus, quam vocibus insonet: & bene vivendo vestigia sequacibus imprimat: quam loquendo, quo gradiantur, ostendat.* (q)

Tertia, est usus orandi familiaris; siquidem constet futurum, ut ad pedes ipsius effigiei Christi de cruce pendentis provolutus, abundantiora atque utiliora, quam in libris evolvendis pallescens, de scientia, veraque doctrina salutis edificat, quam cæteris deinde est interpretaturus.

Quarta tandem prudentia est, judiciumque simul, & acre & intelligens, quo potissimum ei opus est, ut nihil nisi certum proponat, atque promovendæ inter populos, tum pietati, tum doctrinæ prorsus accommodatum.

Id Juris cedit Parocho sive sæculari, sive Regulari, ut si ipsi libuerit, valeat in propria sua Ecclesia semper prædicare; ipsis etiam Prædicatoribus posthabitis, quos Matricularii ea de re accersivissent: atque eadem est conditio Doctorum Theologorum, quoad Ecclesias, in quibus ea de causa præponuntur. Illud disertis omnino verbis exprimitur in Edicto, de Jurisdictione Ecclesiastica promulgato, mense Aprilis 1695. (i)

Quicumque Prædicator debet a Superiori legitimo habere suam missionem; quin etiam ipsi Religiosi prædicare non possunt, extra septa Monasterii sui, nisi missionem obtinuerint ab Episcopo; neque etiam in propriis Ecclesiis, nisi in conspectum ejusdem Episcopi venerint, ipsius recepturi benedictionem; quemadmodum fert laudatum Edictum.

Ea de re, referuntur, ac legi possunt quamplurima Arresta, a variis Parlamentis pronunciata; quæ reperiuntur apud authorem Commentariorum Cleri, apud La-Rochestavin, apud Bouchel, & cæteros, quos D. Brillon indicat in suo Dictionario Arrestorum.

(c) S. Basil. in moral. c. 23.

(d) S. Greg. pastor. 3. par. c. 4. in fine.

(e) Id. S. Greg. l. 2. hom. 39.

(f) 2. Cor. 11. 13.

(g) S. Greg. pastor. 3. part. c. 5.

(h) Id. ibid. c. 6.

(i) Edict. anni 1695. art. 12.

CASUS PRIMUS.

GACIANUS Sacerdos, & Doctor, in disseminandum verbum Dei apud populum operam non vult impendere; quamquam is sit, qui ad scite ornateque concionandum, pene natus esse videatur. Numquid in eo coram Deo non est redarguendus, nonneque incidit in aliquod peccatum prætermissionis?

RESPONS.

Sacerdos, quantacumque eruditione doctrinaque sit excultus, nullum omissionis peccatum admittit, ex eo quod prædicando verbo Dei nolit vacare: nisi id ipsi muneris aliunde, & ex officio ipsius ministerii incumbat, ut in aliqua circumstantia constituatur, quæ ne desit proximo suo, concionandi necessitatem ei imponat. Verum peccatum ingens coram Deo in semetipso suscipit; si ad persolvendum prædicandi munus ex officio teneatur; quemadmodum tenentur Parochi, cæterique curam animarum habentes, aut quibus committitur ab Episcopo munus dispensandi verbi Divini. *Periculum, quod sequitur, de prædicatione omissa*, ait S. Thomas, *(a) non imminet, nisi eis, quibus commissum est officium prædicandi*. Quod probat laudatus S. Doctor, ex duobus locis Prophetæ Ezechelis, *(b)* quæ non intelliguntur nisi de iis, quibus concionis habendæ ad populum sacra provincia demandata est. Ex quibus licet inferre, si Gacianus licet scientia plurima præpolleat, neque ex officio, neque ipsi demandata ab Episcopo ulla prædicandi provincia, teneatur ad vacandum divino verbo disseminando; ipsum stricte loquendo, nullius culpabilis omissionis esse redarguendum.

(a) S Thom. 2.2.q.19. a.12. ad 5.
(b) Ezech. 3. 17. &c. 33. 7.

CASUS II.

ARNALDUS Doctor, simulque prædicator elegantissimus, contendit ex solo Doctoris titulo, sibi jus cedere, ut absque ulla sibi facta ab Episcopo Diœcesano concionandi licentia, neque ullam ab eo mutuatus potestatem, valeat ad populum sacras habere conciones. An jus ei favet?

RESPONS.

Ruit penitus, neque fundamento ullo nititur, quod sibi jus laudatus Doctor arrogat. Quacumque enim eruditione, atque in concionando possit elegantia excellere, ipsi licitum non est, nisi Diœcesano Episcopo consentiente, de rebus divinis quidquam ad populum dicere. Quod quidem absque negotio probatur, ex Epistola ad Romanos *(c)*, in qua de prædicatoribus verba faciens Apostolus, ait: *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Et vero *nullus*, inquit S. Thomas *(d)*, *quantumcumque scientiæ magnæ, vel quantumcumque sanctitatis, nisi missus a Deo*, (ut missi sunt Apostoli) *vel a Prælato, prædicare potest: quia nullum agens natum est agere, nisi supra debitam materiam. Prædicatio autem, & exhortatio, & Doctrina, si sit publica, respiciens totam Ecclesiam, & Cura publica Ecclesiæ commissa est Prælatis*, quippe sint potissimum Depositarii & fidei & Doctrinæ sanæ; *& ideo nullus debet aliquid exercere, quod requirat authoritatem publicam, nisi authoritate Prælati*. Cum ista decisione concordat in integrum Edictum, anno 1606. promulgatum *(e)*.

(c) Rom. 10. 15.
(d) S. Thom quodlib 12. a. 27. in corp.
(e) Edict. 1606. art. 2.

CASUS III.

GUILLEBALDUM, Concionatorum omnino egregium, peccati mortalis reatu sæpe contingit irretiri, cum verbum Dei ad populum prædicat. An in eo peccat, & obligaturne, in dicto casu, ad abstinendum a concionando?

RESPONS.

Distinguendum est. Aut enim publicum est ac pervulgatum, quod admisit memoratus Concionator, peccatum, aut prorsus occultum. Si notum fuerit, non debet palam habere sacras conciones, si vero occultum; rursus distinguendum est cum S. Thoma *(f)*, qui sic sibi eamdem quæstionem propositam: *Numquid, qui, in statu peccati mortalis est, peccat mortaliter, quando prædicat, vel docet*; ea ratione dissolvit: *Ejus peccatum, aut est publicum, vel occultum; & si occultum, vel ex contemptu & sine pœnitentia, aut cum pœnitentia. Dicendum ergo; quod si aliquis est in peccato publico; non debet publice prædicare vel docere ... si vero est in peccato occulto, & sine pœnitentia, tunc provocat Deum; quia simulat ..... si vero peccatum est occultum, & dolet, non peccat prædicando, vel docendo, etiamsi publice loquatur contra peccatum; quia, sic detestando aliorum peccata, detestatur etiam suum*. Inde ergo inferendum, si dictus prædicator sincero afficiatur animi dolore, & peccatum ipsius fuerit occultum; eum posse vacare verbo Dei disseminando: at si corde non fuerit contritus, eumdem omnino abstinere debere a prædicando, ne Divinam iracundiam, adversus semetipsum accendat.

(f) S. Th. in hæc verba psal. 49 Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas.

CASUS IV.

ROGERIUS, Concionator percelebris, nec lautus patrimonio, nec de ullo Beneficio provisus, de divinis rebus ad populum verba facit, id sibi potissimum animo proponens, ut ex sacris concionibus, quas palam habet, sibi quid emolumenti proveniat; aut plausus sibi colligat, atque publicam existimationem. Peccat ne in utroque prædicto casu; & nonne simoniæ alicujus in eo sese prodit manifestum?

RESPONS.

Ita S. Gregorius habet de mercedibus, quæ concionatoribus debentur *(g)*: *Uni nostro operi, duæ mercedes debentur. Una in via; altera in patria. Una, quæ nos in labore sustentat; alia, quæ nos in resurrectione remunerat*. Additque: *verus ergo Prædicator quisque non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat; sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat*. Deinde Laudatus S. Papa, quæ sequuntur subjicit, apprime accommodanda ad Concionatorem, de quo quæstio est, in proposita specie: *Quisque namque ideo prædicat, ut hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat. æterna procul dubio mercede sese privat*; quam foret sibi comparaturus, si ductus animo charitatis, sacris concionibus habendis totum sese devoveret.

(g) S. Greg. Papa, hom. 17. in Evang. item l. 10. in Iob. n. 10.

Rationem suggerit S. Augustinus *(h)*, quod qui ideo vacat sacris orationibus ad populum, ut sibi pecuniam acquirat, non soli Deo serviat, juxta quod ei incumbit, sed ipsi etiam pecuniæ: adversante scilicet ista Jesu Christi sententia: *Non potestis Deo servire, & Mammonæ. Qui enim*, inquit laudatus Pater, *propter hoc Evangelium prædicat, ut habeat, unde manducet, & unde vestiatur, simul se putet & Deo servire, & Mammonæ: quia propter ipsa necessaria prædicat, quod Dominus dicit fieri non posse; ac per hoc ille, qui propter ista Evangelium prædicat, non Deo, sed Mammonæ servire convincitur*. Quibus annectit alibi *(i)*: *si propterea Evangelizemus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum*.

(h) S. Aug. de opere Monachorum c. 26. seu nu. 34.

S. Thomas, qui solet in decidendo vestigiis antiquorum Patrum scrupulose semper insistere, idem docet *(K)*: *Habere oculum ad terrena dupliciter contingit*, inquit, *uno modo, sicut ad mercedem, vel præmium: & sic Prædicatori non licet habere oculum ad terrena: quia sic faceret Evangelium venale. Alio modo, sicut ad stipendia, pro necessitate sustentationis vitæ.*

(i) Idem l. de sermone Domini in monte. c. 11. seu n. 55.
(K) S. Thom. quodl. 2. a. 12. in corp.

vitæ : & sic licet Prædicatori habere oculum ad terrena : unde 1. ad Timoth. 5. super illud : qui bene præsunt Presbyteri , & *cæt. dicit Glossa Augustini ;* necessitatis est accipere unde vivitur ; charitatis est , præbere .... accipiant ergo sustentationem necessitatis a populo ; mercedem dispensationis a Domino . Quam doctrinam Doctor Angelicus in plurimis aliis locis suorum operum passim habet (*a*). Dicendum est ergo cum venerabili Beda (*b*), quod Prædicatores ejusmodi , *venditores sunt Columbarum , & domum Dei faciunt domum negotiationis .... qui gradum , vel gratiam in Ecclesia spiritualem , quam Domino largiente , susceperunt non simplici intentione ; sed cujuslibet humanæ causa retributionis , exercent contra illud Petri Apostoli ;* qui loquitur , quasi sermones Dei : Qui ministrat , tanquam ex virtute , quam administrat Deus , ut in omnibus honorificetur Deus , per Jesum Christum (*c*).

(*a*) Idem lect. 1. n. 1. ad Cor. 9. in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 4. 2. q. 100. a. 3. ad 2.

(*b*) Beda in can. Non solum XI. 1. q. 3.

(*c*) 1. Petr. 3.

Verum equidem est , Prædicatoribus esse tribuenda , quæ necessaria sunt (*d*) ad eorum vitam sustentandam ; ut docet S. Thomas : at , quod sibi conceditur , habere non debent , quasi suarum concionum mercedem , Atque ea potissimum de causa , Christus ipse intendens istam veritatem tanti momentis nos edocere , in ipso templi aditu , *columbas quoque vendentium Cathedras evertit* : ait S. Chrysostomus (*e*), *ut quod bonor Sacerdotalis debet auferri , ab eis doceret , qui pro terrena mercede , opus Dei faciendum existimant .*

(*d*) S. Th. in 4. sit. dist 25. q. 2. q. 2. ad 5.

(*e*) S. Chrysost. homil. 28. in Matth. 21.

Cum ergo principium istud , ejusmodi esse videatur , ut nulla jam tergiversatione possit eludi : Non est , unde Rogerius valeat a peccato gravissimo vindicari ; siquidem , ut supponitur id sibi potissimum intendat , ut nec Dei gloriæ , nec fidelium saluti consulat in concionando , sed privatæ tantum utilitati , proprioque lucro serviat. Quamquam enim vero eo animo , penitus non ducatur , ut pecuniam tanquam Divini verbi præmium recipiat ; mens tamen ipsius ex eo simoniæ convincitur ; quod in Divino verbo disseminando ipsam pecuniam ; ut plurimum sibi proponat : Quod quidem sufficit omnino , ut mens ejus simoniæ vitio tota inficiatur ; quemadmodum inferre est ex damnata ista propositione , quæ quadragesima quinta est , inter sexaginta quinque , quibus notam Censoriam Innocentius XI. inussit . 2. Martii 1670. *Dare temporale pro spirituali , non est simonia , quando temporale non datur tanquam pretium , sed dumtaxat motivum conferendi , vel efficiendi spirituale : vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro Spirituali ; aut contra .*

CASUS V.

Adelphius , Missionarius Concionator , quadragesimales conciones habet ad quemdam parvum vicum , aut ad oppidum quoddam , cujus omnes primarii habitatores , exercendæ fœneratoriæ arti toti incumbunt palam , & publice . Numquid ei licet , ut quam gratuito ipsi erogant pro concionum ejus stipendio , pecuniam accipiat ?

RESPONS.

Si dictus Prædicator , in suis concionibus , fœneratores ; de quibus instituitur quæstio , plurimum adhortetur , ut quidquid ex usura sibi provenit , omnino restituant ; neque persuasum habeat , ea ratione obvenisse , quidquid ipsis cedit possessionum : Nullo sibi commoto scrupulo , quæ sibi traduntur ab ipsis , ad propriam suam sustentationem potest percipere . Neque enim debet præsumere , ab eis nihil quidquam haberi , nisi quod ex iniqua sua usurarum exactione extorquent . Aliunde vero fieri potest , etiamsi nihil habitatorum prædictorum esse noscatur legitimæ possessionis , ut teneantur ad restituendum personis sibi non cognitis : quo quidem in casu , quod prædicatoribus , quasi stipis erogationem conferrent , quantum ad istam partem , posset ipsis locum restitutionis supplere . *In speciali casu Prædicatoribus , qui prædicant usurariis ,* inquit S. Thomas (*f*), *& monet eos restituere , licitum est accipere .* Additque S. Doctor , *alia (ratio) est , quod non habent alias unde vivant , & in extrema necessitate , omnia sunt communia , & ab omnibus licite accipere ad sustentationem & necessitatem possunt .*

(*f*) S. Thom. quodlib. 12. ar. 29. in corp.

CASUS VI.

Gennadius , Missionarius Prædicator , sacras Orationes faciens , in imperio quodam , quod Galliam proxime contingit , id mandatum habuit a Principe , ut a prædicando penitus abstineret , aut ipsius ministerio tota plebs vehementer obsistit . Numquid ei , in isto casu incumbit , ut ab omni omnino concionandi officio conquiescat ?

RESPONS.

Hic opus est duplici distinctione , inquit Doctor Angelicus ; *quia quando aliquis prohibetur prædicare ; vel prohibetur tantum a Tyranno , aut simul a Tyranno , & a populo . Si primo modo ; sic cum de multitudine sint aliqui , qui c..ire volunt ; non est dimittenda prædicatio ;* quippe tyrannicum sit atque prorsus iniquum , ejusmodi interdictum.) *Quamvis sit sic moderanda , quoad tempora & loca , ut ex timore ad Tyrannum non impediatur : & quandoque etiam tunc licet prædicare occulte per domos , sicut ab Apostolis legitur factum* (*g*). Sicut etiam hodiernis temporibus agere consueverunt , qui in Tunkino , Cochinchinna , cæterisque regionibus exteris , in quibus liberum Christianæ Religionis exercitium interdicitur , Doctrinam Evangelicam disseminare enituntur : quemadmodum etiam usurpatum est primæva Ecclesiæ ætate , a Præconibus Sancti Evangelii , qui latentes in domibus privatis , cœloque plurimum contenebrante , de rebus divinis dicere amabant , ut quantum locus daretur , expedire sese valerent a tyrannicis vexationibus. At vero si simul & Princeps & populus conspirent , ad impediendas Sacras Doctrinę Christianę Conciones : *Si secundo modo ,* inquit S. Thomas , *tunc debet cedere Prædicator , & fugere ad alia loca , secundum mandatum Domini : & hoc etiam Gregorius dicit , in dialogo , quod quando omnes sunt mali & indurati , debet eis dicere illud Apostoli :* quia repulistis a vobis verbum Dei , &c.

(*g*) S. Thom. quodlib. 12. a. 28. in corp.

Addendum est etiam cum eodem Angelico Doctore : *Prædicator aut habet curam animarum , aut non ; idest , prædicat ex necessitate officii , aut propria sponte . Si primo modo : sic non debet dimittere gregem , etiam propter periculum mortis : dummodo possit aliquid bonum facere , remanendo cum grege . Si secundo modo : sic etiamsi posset ibi , inter tales fructificare , non tenetur ibi stare : nec ad ponendum animam suam , nisi in casu , puta si aliquis vellet corrumpere fidem ; & tunc , ubi fides periclitaretur , teneretur animam , pro fratribus ponere : quia hoc est in præcepto in tali casu . Si autem non imminet talis casus : sic est in consilio : quia omnia consilia in casu , sunt in præcepto .*

CASUS VII.

Eleazarus , Religiosus mendicans , cum concionatus fuerit in Ecclesia sui Monasterii , annuente quidem suo Superiori Regulari , sed plurimum contradicente Episcopo Diœcesano , quin etiam verbis omnino & distinctis , & expressis prohibente : nonne ideo promeruit , ut sacrarum concionum publica interdictione mulctaretur , aut quavis aliqua ratione , castigaretur ab Episcopo , quod jussis ipsius non paruerit ?

RESPONS.

Non potuit Eleazarus , ex sola licentia , sibi a Superiori Regulari facta , id sumere , ut in Ecclesia Monasterii sui concionaretur . Præterea namque ei incumbebat , ut ipsum Episcopum adiret , ab eo petiturus ipsius benedictionem : Adeo ut , cum illud non præstiterit , quin imo , ipso Episcopo prorsus prohibente , non dubitaverit , Sacram Concionem habere : inobedientiæ culpam commiserit , ob quam meruit pœnam expendere .

Quod quidem facillime evincitur 1. ex istis verbis Concilii Trid. (*b*) : *Regulares vero cujuscumque Ordinis , nisi a suis Superioribus , de vita , mo-*

(*b*) Concil. Trid. sess 5. c. 2. de reform.

ribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint: Cum qua licentia personaliter se eorum Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt; ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua, & in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo prædicare possint. Et iterum (a): *nullus autem Sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.* En regulam generalem constitutam ab Ecclesia in Concilio Oecumenico, cui parere incumbit unicuique Prædicatori, sive Sæculari, sive Regulari, sub pœna pervicacis inobedientiæ: & ad quam observandam possunt cogi, ab Episcopis tanquam Superioribus Pastoribus, adhibitis quibuscumque modis, tum legitimis, tum Canonicis; Hoc est, ipsis etiam censuris, si viderint expedire, rectæ ordinationi Disciplinæ servandæ.

(a) Idem sess. 24. de reform. c. 4.

2. Memoratum statutum Concilii Tridentini comprobavit Ecclesia Gallicana, ac ratum, acceptumque habuit, in plurimis e suis Conciliis Provincialibus (b); quæ eamdem regulam constituerunt: Atque ex aliis quampluribus occurrunt Concilium Rothomagense actum an. 1581. Concilium Burdigalense congregatum an. 1583. Concilium Turonense habitum eodem an. Concilium Aquense celebratum anno 1585. Narbonense, an. 1609. & Burdigalense coactum an. 1624. Quibus Conciliis consenserunt omnes Episcopi in suis Decretis, quæ inseruerunt in suis generalibus Comitiis anno 1625. habitis (c).

(b) Concil. Rothom. t. de Curator. & aliorum Presbyt. & Parœcianor. Officiis num 18 Conc. Burdigal. t. 20. de verbi Divini Prædicat. Conc. Turonen. tit. de monach. & Monaster. Concil. Aquens. t. de concion. &c. Conc. Narb. c. 4 de Divini verbi Prædicator. &c. Conc. Burd. an. 1624 c. 21. de Prædicatione verbi Dei

(c) Comitia generalia Cleri 1625. art. 13.

3. Potest tandem ad completam ejusdem rei confirmationem afferri Pontificium Diploma Innocentii X. datum 15. Maji 1648. quo eadem Disciplina plurimum laudatur, atque roboratur, comprobata atque rata omnino facta, quam ea de re Sacra Congregatio enunciaverat, decisione his verbis: *Respondit iisdem Regularibus, qui confessiones personarum Sæcularium audiunt sine approbatione Episcopi, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis: non petita illius benedictione; aut in aliis Ecclesiis, absque illius licentia, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constitutionis felicis recordationis Gregorii XV. quæ incipit:* Inscrutabili Dei providentia, *tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque jure remediis coercere.*

CASUS VIII.

Hubertus, qui Subdiaconatus aut Diaconatus gradum dumtaxat attigit, concionandi desiderio tenetur. Numquid juxta mentem & Disciplinam Ecclesiæ, id ipsi potestatis licentiæque conceditur?

RESPONS.

Est Diaconum inter, & Subdiaconum discrimen prorsus ingens statuendum. Diaconus namque juris illud habet ex sua etiam ordinatione, in cujus cæremonia ista verba adhibentur (d): *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Atque jus istud fundatur in eo, quod Diaconatus sit Ordo Hierarchicus. Indeque est, quod a S. Optato, tertium Sacerdotium dicatur (e). Occurrunt etiam in Actis Apostolorum exempla, quæ fidem faciunt, S. Stephano & S. Philippo, qui nascentis Ecclesiæ primi Diaconi extiterunt, fuisse commissum verbi Divini ministerium. De eis quoque S Hieronymus sic habet: (f) *Diaconi sunt, quos in Apocalipsi legimus, septem Angelis ..... virtutum operatione præclari, Evangelizantes pacem, annunciantes bona, docentes.* In quam postremam vocem, sic fertur in Glossa (g): *Scilicet populum quoad vitam activam;* Tandem Concilium Toletanum ait etiam de Diaconis sermonem faciens (h): *Unum orarium oportet Levitam portare in sinistro humero; propter quod orat; id est prædicat.*

(d) Pontific. eccl. Rom.

(e) S. Optat. l. 1. contra Donatistas. p. 54.

(f) S. Hieron. in can. Diaconi 23. dist. 93.

(g) Gloss. ib. v. Docentes.

(h) Concil. Tolet. c. 39. in can. Unum 28. dist. 25.

At idem de Subdiacono dici non potest. Enimvero non ex Subdiaconatu datur ei, qui eo ordine initiatur, concionandi facultas. Unde concludendum est; si Hubertus Diaconus officio fungatur; ipsum posse annuente nimirum Episcopo, de rebus Divinis palam dicere; in eoque præstando nihil ab eo tentari, quod præter mentem Ecclesiæ esse videatur. Sed si Subdiaconus dumtaxat fuerit; id ei non licere absque eo quod constitutæ ab eadem Ecclesiæ ordinationi & Disciplinæ prorsus adversetur (i); nisi specialis ea de re facta fuerit ei ab Episcopo copia; singularique privilegio, ad obeundum Divini verbi ministerium sit ab eodem expresse delegatus.

(i) Sambov. tom. 3. casu 196.

PRÆLEGARE.

Potest plurimos, variosque sensus ista suscipere. Verum hic loci non intelligi eam volumus, nisi de commodo quodam quod aut sibi invicem aut uni cuidam ex liberis suis, cæteris inde damno emergente, licitum vel illicitum est Patribus & Matribus, sive donatione inter vivos afferre, sive propter mortis intuitum prælegare

Quæ quidem materia solet ad normam Juris moribus uniuscujusque Regionis constitui, ut plurimum componi, & quoniam, quæ diversis in locis, diversæ vigent consuetudines, ea de re, non omnes conveniunt; unumquemque oportet ei, quæ in ipsius Provincia recipit, ad strictos apices insistere, siquidem ipsa loco Legis habeatur. Est unum, quod observare plurimum juvat, nimirum consuetudines, quæ tribuunt authoritatem Patribus & Matribus, ut ex liberis suis cuidam possint aliquid præcipui addere, qualis est consuetudo Burgundiæ, accipiendas esse, de solis liberis, ex justo matrimonio natis, aut jure paternæ hereditatis, matrimonio subsequenti, donatis

Quod pertinet ad commoda, quę sibi invicem consulentes, possunt vel non possunt tum Maritus, tum Mulier afferre, de iis mentionis iterum facienda in titulo donationis locus aliquando recurret.

CASUS PRIMUS.

Benedicta Conjux Matrimonio juncta cum Alexandro, in suprema Parisiensi Curia Senatore, Parisiisque cum suo Marito degens: cum sit ornata fortunis maximis, & amplissimis affluat possessionibus, quas tum Parisiis, tum Pictavii constitutas habet, & quanto amore, quamque pectore toto Maritum complectatur, testificationibus indubitatis cupiat plurimum ei significare; tum res sibi acquisitas, tum bona, Matrimonio extante, quæsita, utraque non moventia, simul & obvenientem sibi, ex patriis bonis, quæ Pictavii sita sunt, tertiam partem, tam ab ipso, quam ipsius heredi-

redibus, tanquam ex titulo proprietatis omnino possidenda, confecta inter vivos donati ne prælegavit. Numquid ipsius legibus consentit ejusmodi donatio?

R E S P O N S.

Ubi quæstiones ejusmodi occurrunt, recurrendum est ad dispensationem juris, quod moribus constitutum est, eique cum in foro externo, tum in foro conscientiæ, potissimum insistendum. Porro consuetudine Pictaviensi (a) conjugatis permittitur, ut qua ratione fertur in proposita quæstione, valeant sibi invicem plurimum facere. Unde inferre est, quoad possessiones Pictavii sitas valere confectam a Benedicta, in gratiam sui Mariti Alexandri inter vivos donationem: verum non eodem modo judicandum est de bonis, quæ in subjecto Parisiensi Consuetudini territorio constituuntur: quia prohibet omnino, tum Marito, tum Mulieri, ne quid sibi ejusmodi commodi possit alterutri, quacumque ratione, neque directe, neque indirecte prælegare, excepto dono mutuo, quod non susceptis de suo Matrimonio liberis sibi invicem conferre permittuntur.

(a) Consuet. Pictaviens. art. 209. 212. & 213.

Sic deciditur a Charondas, quem & citat, & sequitur D. de Ferriere, in Parisiensem consuetudinem (b), cujus etiam sententiam confirmat, Arresto, a supremo Parisiensi Senatu, lato 21. Martii 1609. pro D. le Comte, Præside Galliarum Quæstorum Collegii, Parisiorum ubi degebat, cui N. Brisson ipsius conjux, simili prorsus ratione partem bonorum, quæ Fontenai, in agro Pictaviensi posita possidebat, prælegaverat: quam quidem donationem, ratam acceptamque laudatum Arrestum habuit, & authoritate sua plurimum roboravit. Eumdem (c) Charondas allegat D. Brillon (d) & refert aliud Arrestum antiquius, 27. Martii 1575. pronunciatum.

(b) D. de Ferriere in Consuetud. Paris. t. 15. c. 282. n. 20.

(c) Charond. l. 13. respons. 80.

(d) D. Brillon. Diction. Arrest. v. Prælegare. n. 18.

CASUS II.

Baumarius & Celigna, ab utraque mutuorum propinquorum parte desponsi, futurique Matrimonii ipsorum contractu in consueta forma confecto, sponsalia sua præsentibus tum suo Parocho, tum iisdem propinquis, celebraverunt. Post elapsos paucos dies, Celigna, ex memoris animi significatione, ob mille nummos dono nuptiali sibi a Baumerio traditos, voluit ejusdem valoris donum ei conferre, scripto donationis instrumento separatim a contractu Matrimonii, subscriptoque tum a se, & suo Marito, tum etiam a duobus Notariis. Nonne legitima est altera ista donatio?

R E S P O N S.

Quodcumque scribitur instrumentum, post initum Matrimonii contractum, & ante celebratum ipsum Matrimonium, omni prorsus effectu caret in eo, quod attinet ad contractum. Ita censet D. de Ferriere in suo commentario in consuetudinem Parisiensem (e), qui citat in eo articulo Molinæum, qui sibimetipsi Bartholii & Chophin authoritatem potissimum vindicat: *Est hæc constans omnino simul & indubitata Jurisprudentia*, inquit laudatus consuetudinis Parisiensis interpres, at plurimum commendandus (f), *ut conficiendarum donationum locus nullus Desponsatis adsit, post initum matrimonii contractum, nisi qui contrahendo matrimonio præsentes interfuerunt iisdem conficiendis donationibus, præsentes quoque intersint. Donationes ejusmodi passim habentur tanquam contrariæ schedæ; quibus rescinduntur, plurimumque læduntur nuptiales pactiones, quas partes contrahentes accepturæ construxerunt, tam quoad eos spectat, quam quoad pertinet propinquorum suorum utramque partem. Atque ita est, addit ille, disertissime expressa dispositio consuetudinis Arvernæ* (g), *in articulo 28. tituli 14. ex quo ista verba excerpit: ab ipso primum temporis instanti, quo filia aliqua, viro desponderetur, sibi desponsati potestati subest; in cujus gratiam neque ullorum aliorum, in quorum possessione sint, ipsi potest jure hæreditario venire, dicta desponsa ie filiæ interdicitur, ne donatione pactione seu quacumque dispositione quid aliud statuat, quam quod sponsalitiis conventionibus determinatum est*".

(e) D. de Ferriere in Consuetud. Parisien. a. 282. t. 23 Gloss. 1. n. 4.

(f) N. 12.

(g) Consuet. Arvern. art. 28. tit. 14.

Quod idem quoque ferunt & Sedana; (h) & Leonenses consuetudines.

(h) Consuet. Sedan. art. 139. & Leonens. art. 37.

Atque ea ratione pronunciatum est a supremo Parisiensi Senatu, Arresto lato 6. Martii 1589. D. de Longueil referente, in quarta curiæ inquisitoriæ classe: quod legitur in Collectaneis Louet (i), donatione, ab ipsa eadem curia, declarata nulla, quæ fuerat inter personas desponsatas, absentibus propinquis, qui contractui ineundo interfuerant, confecta.

(i) Louet. Lit. D. nu. 28.

Plurimum interest advertere, 1. Si ejusmodi donatio fuisset confecta coram propinquis, qui conflandis nuptialibus conventionibus adfuerunt, ipsam in eo casu validam esse profecto futuram. 2. Verum equidem esse in articulo 282. Consuetudinis Parisiensis, sermonem tantummodo fieri de donationibus, quæ, *constante matrimonio*, statuuntur; quemadmodum innuunt ista verba: *Qui matrimonio conjuncti sunt, non aliter possunt, nisi ex mutua donatione, commodi sibi quid conferre*: sed D. de Ferriere apprime reponit (k), in dicto articulo non equidem agi, nisi de donationibus, quæ inter matrimonio conjunctos, in gratiam alterutrius aut utriusque conficiuntur, sed reprobari etiam in articulo 258. ejusdem consuetudinis donationes, quæ afficiuntur seorsum a matrimonii contractu, cum fuerunt constitutæ, non extantibus ibidem præsentibus propinquis, qui contractui ineundo interfuerunt, sive post dictum contractum conflatum, sive exiguo tempore, antequam conflatus fuerit; neque donationum istarum in conficiendo deinde contractu, mentio ulla habita sit; in eo namque casu donationes prædictæ censentur, veluti quædam contrariæ ac rescindentes schedæ; hoc est conventiones scriptæ, adversus ipsammet dispositionem contractus matrimonii, sive ipsi derogent, aut ipsius clausulas efficiant irritas, aut immutent, aut imminuant.

(k) D. de Ferriere. n. 13.

Quam Jurisprudentiam sequuntur ad amussim, quotquot vigent in Galliis Parlamenta, sicut cernere licet, ex pluribus Arrestis Parlamenti, quod cæterorum caput atque primarium jure peculiari consideratur; & quæ in præsenti articulo referuntur a Charondas, Tournet, Troncon, Louet, le Pretre, cæterisque quampluribus interpretibus, qui scripserant in laudatum articul. 258. Consuetudinis Parisiensis; ac præsertim ex uno Arresto, 2. Aprilis 1549. & alio, anno 1567. & alio tertio, 2. Julii 1579 quod quidem sic factum est ex plurimo, quo tenentur ipsi Judices, studio coercendi cæcum ardoris impetus, quibus juvenes eousque solent abripi, ut omnia quæque promittant, suis etiam privatis commodis renuncient, in intuitum & spem futuri Matrimonii, quod contrahere, sibi semel animo proposuerunt. Namque ut ait Imperator Constantinus in una quadam ex Legibus Codicis, (l) *clandestinis ac domesticis fraudibus, facile quidvis, pro negotii opportunitate confingi potest, vel id, quod vere gestum est, aboleri*. Quoniam igitur non eorum tantum, qui viis indirectis ac prorsus illicitis eo adducuntur, ut secretas atque privatas conventiones ejusmodi stipulentur, sed etiam ipsorum propinquorum, liberorum quoque ex Matrimonio procreandorum, aut cæterorum hæredum plurimum interest talis donationum institutio: visum est futurum operæ pretium, si interdiceretur iis, qui conjungendi sunt Matrimonio, ne quidquam contractui Matrimonii privata authoritate addere, aut clausulas ac conditiones in eo expressas & appositas, immutare valerent.

(l) L. data. cod. de Donat. l. 8. t. 30

CASUS III.

Balthasar, Parisinus Civis locupletissimus, cum aliquid vellet sibi prælegari ab Henrica conjuge sua, quam pulmonariam cernebat, nec nisi circiter octo dierum spatio, ab extremo habitu retardatam; eam plurimorum urget, ad consentiendum vendendo cuidam prædio, quod tanquam suum commune possidebant: ut nimirum ad se redeat venditi prædii pretium; quippe Consuetudo ipsius conjugi prorsus interdicit, ne quidquam suo Marito possit commodi ex testamento conferre. Henrica consentit isti venditioni, quæ ab ipsa die sequenti absolvitur, constituto sex millium librarum pretio, quæ

Digitized by Google

quæ ab emptore numerata pecunia persolvuntur, & ab ipso Balthasar percipiuntur. Dicta conjuge paucos post dies defuncta, ipsius hæredes ex transverso cognationis gradu, laudato Balthasar litem intendunt, ac pro aris & focis contendunt, intra res hæreditarias ab ipso esse referendas 60000. Libras prædictas. Balthasar e contrario arguit, tum marito tum ipsius conjugi, per leges omnino licere, ut, quæ sua sunt, prout sibi visum fuerit, & absque eo, quod quisquam jure valeat contradicere, possint venumdare; atque cum legitima sit ista alienatio, non esse, unde hæredibus, ea de re, lis commoveatur. Utri Jus?

R E S P O N S.

Respondemus uniuscujusque Regionis Consuetudini prorsus esse standum in proposita materia; & juxta quod in ipsa fertur, districte omnino sese gerendum, remota omni tum fraude, tum collusione (a). Atqui Parisiensis consuetudo prohibet conjugatis, in articulo 282. ne quidquam sibi afferant commodi, neque ex titulo donationis vita extante confecto, neque ex ipsius mortis intuitu; quemadmodum evincit Ricardus (b); in egregio, quem edidit, de donationibus contractu, ac etiam colligitur ex ingenti nube Arrestorum ea de re pronunciatorum; atque præsertim ex uno quodam in suprema Parisiensi curia lato, anno 1543. & relato a D. Brillon (c). Item & ex alio; quod allegat Corbin. (d) quod, rescissa quadam sententia ab Ambiano Baillivio pronanciata, damnat maritum ad restituendum hæredibus ex transverso conjunctionis gradu suæ conjugi junctis pretium clientelaris fundi paucis diebus, antequam obiret, mutuo consensu venditi: cum scilicet dicta conjua, memorato fundo venumdando non consensisset; nisi ut aliquid commodi marito suo valeret inde conferre: atque etiam ex duobus aliis, quorum unum citatur a Montholon (e), & pronunciatum fuit diebus festis Pentecostes, anni 1589. & alterum latum est circa festum Paschatis anni 1605.

(a) Consuet. Paris. a. 282.

(b) Ricard. tr. de donat. inter viventes p. 1. c. 3. sect. 6.

(c) D. Brillon. Diction. Arrestorum v. Prælegare n. 4.

(d) Corbin. in Continuat. Patronat. c. 840.

(e) Montholon. Arrestis 57. & 105.

Ratione autem ista potissimum innituntur laudata Arresta, quod, in hujusmodi alienationibus occurreret indirectum quoddam commodum, & ipsi consuetudini fraudis plurimum strueretur: quemadmodum etiam fraudaretur, si ab alterutro conjugatorum donatio quædam conficeretur, in gratiam liberorum alterius, ex Matrimonio priori susceptorum; juxta tria Arresta pronunciata, a supremo Parisiensi Senatu. primum quidem 23. Decembris, 1562. secundum, 14. Julii 1584. relatum a le Pretre (f), & tertium 22. Aprilis 1646. allegatum a Soefve (g).

(f) Le Pretr. 4. Cent. c. 100. n. 10.

(g) Soefve t. 1. Cent. 1. c. 90.

Quæ cum ita sint; dicendum est, juris plurimum profecto cedere dictis hæredibus ex transverso cognationis gradu, ut adversus Baltasar lite intenta 60000. Libras repetant sibi restitui; siquidem manifestum sit, ac palam omnino fiat, prædium, de quo agitur, bona fide quantum ad eum spectat, non fuisse abalienatum; verum animo consuetudini Parisiensi fraudis inferendæ; propterea quod districte prohibeatur conjugatis, ne sibi plurimum faciant sive directe, sive indirecte, ut fert ipsa eadem consuetudo, cum qua concordant consuetudines Ambiana, Trecensis, Atrebatensi, Bononiensis, atque aliæ quamplurimæ.

C A S U S IV.

Aquilinus & Paulina ipsius uxor Parisiis commorantes, Annam suam filiam Julio paciscuntur, atque contractui ineundo conditionem istam apponunt, quod propter plurimam dotem, quam ipsi simul & æquali portione in antecessum hæreditatis futuræ eidem conficiunt; futurum sit ut, qui ex ipsis superstes exstiterit, residuo totius vitæ suæ tempore fruatur, rebus moventibus, bonisque constante matrimonio quæsitis, id est, rebus non moventibus: non autem iis, quæ fuissent a primum decedente, Matrimonio nondum constante, comparata: absque eo quod valeant nec ab Anna sua filia, nec a Julio ipsius conjuge obligari, ad recensenda bona a defuncto derelicta, neque dictis conjugatis ulla ratione præstanda. Nonne ibidem aliquid commodi indirecti obrepit, in gratiam duorum conjugatorum, quod ipsa consuetudine prohibeatur; ac consequenter, nonne dicta stipulatio illicita, nullaque censenda est?

R E S P O N S.

Ut quæstio, quæ dicenda occurrit, stabili certissimoque fundamento fulciatur; Primo quidem ab ipsa consuetudine loci, in quo dicta conventio constatur, accipiendum est, quid potissimum ea de re ferat. Sic autem habetur in consuetudine Parisiensi: *Pater & Mater Matrimonio conjungentes suos liberos possunt stipulari futurum; ut a liberis prædictis relinquantur superstiti suo Patri vel suæ Matri res moventes, & bona, constante Matrimonio ab alterutro primum decedente parta, quibus reliquo vitæ superstitis tempore perfruatur; modo non convolaverit ad alteras nuptias: neque stipulationes ejusmodi tamquam commodum aliquod inter conjugatos, prælegatam poterant censeri.*

Verum ut optime possit intelligi laudatæ consuetudinis dispositio, ex qua passim emergunt rixæ litesque quamplurimæ inter superstitem vel Patrem, vel Matrem, & ipsorum liberos; præsertim Parisiorum, ubi frequentantur ut plurimum ejusmodi reservantes clausulæ: est dicendum cum Auzanet, quod dictæ stipulationes valeant, & ipsius consuetudinis menti consentaneæ sint, easdem conficiendas esse necessario adhibitis quinque conditionibus.

Prima est: ut ejusmodi conventio distinctis verbis exprimatur in ipso contractu matrimonii liberi, cui Pater & Mater, in antecessum futuræ suæ hæreditatis, suorum bonorum portionem concesserunt.

Secunda: ut in eo tantum constituatur commodum reservatum ei, qui superstes extiterit, quod rebus moventibus, bonisque matrimonio constante quæsitis, non vero bonis patriis quæcumque sint fruatur: hoc est bonis, quæ ex fundis paternis vere proventa sunt, aut tanquam proventa, in contractu recensentur: quoniam articulus dictæ consuetudinis, memoratum commodum reponit in solis bonis & possessionibus, quæ Patrem inter & Matrem, esse communia deprehenduntur.

Tertia: ut bona, quorum possessio permittitur ab eadem consuetudine, sint communia, non tantummodo in ipso die stipulationis, qua possessio reservatur in ipso Matrimonii Liberi contractu: sed etiam in ipso die, quo primum Decedens moritur, quemadmodum fertur in istis verbis articulo 280. *Quæ communia reperiuntur, ea ipsa hora obitus prioris morientis.* Ratio est, quia cum articulus iste, qui est 281. fuerit adjunctus ad articulum 280. non potest sortiri suum effectum, nisi relative & dependenter ab articulo 280. adeo ut, si nulla bonorum communitas inter Patrem & Matrem intercesserit, aut si hujusmodi communitas equidem extiterit, sed seu aliqua disjunctione, seu renunciatione vel a Matre, contra ipsam communitatem bonorum, quæ inter eam & ejus Maritum constabat, vel ab ipsius hæredibus, ejurata dissoluta sit, stipulatio possessionis reservatæ in contractu matrimonii, caduca prorsus evadat & funditus tollatur: & tandem si liberi inter se dissentiant, de acceptanda communitate aut ea abdicanda standum sit parti quæ visa fuerit eorum utilitati & commodo magis expedire.

Quarta: ut possessio reservata, de qua conventum est in contractu matrimonii, solummodo Patri vel Matri cedat, exlusis avis tum paternis tum maternis, cœterisque lineæ ascendentis parentibus. Existimat tamen D. de Ferriere, aliter prorsus opinante Auzanet, similem stipulationem debere etiam obtinere, quantum ad Avos seu paternos seu maternos, qui conjungentes matrimonio nepotes aut pronepotes suos, iis patriorum bonorum suorum portionem aliquam largiuntur.

Quinta denique: ut non possit confici, nisi in ipso matrimonii contractu liberorum, stipulatio commodi reservati, superstiti vel Patri & vel Matri. Quæ cum ita se habeant, ac recensitæ quinque conditiones accedant conventioni, de qua dictum est in proposita specie, concedendum est stipulationem de possessione, quam Aquilinus & Paulina sibi reservavere, enunciatam in ipso contractu nuptiali ipsorum

filiæ,

filiæ legitimam esse, atque tamdiu obtinere debere, quamdiu ad alteras nuptias alteruter superstes non est convolaturus; nec tandem esse habendam, tanquam quid commodi inter Paulinam & Aquilinum; aut ad summum, si alicujus indirecti commodi rationem præ se ferre videatur, illud omnino esse, consuetudine ipsa permissum.

Circa propositam quæstionem occurrere possunt plurimæ difficultates de iis, quæ referenda incumbunt, a libero maritato, quando antequam discutiantur res hæreditariæ, quæ Patri vel Matri superstiti obveniendæ sunt, proceditur ad divisionem bonorum, quæ a primum decedente relicta sunt, verum nihil quidquam societatis habent cum casu, de quo agitur: unde rem dirimendam omnino permittimus patronis, qui in subjecta materia multo magis quam esse possumus, peritiores sunt atque intelligentiores. Atque illud tantummodo observare satis habemus, apud cœteras Regni Consuetudines prorsus sileri, ne singulari ista stipulatione, quam Consuetudo Parisiensis admittit in gratiam Patris vel Matris superstitis: ac proinde in regionibus dictis Consuetudinibus subjectis, locum habere non posse; siquidem nullius Consuetudinis dispositio, debeat constitutos sibi limites prætergredi. Ea autem ratione, reperitur pronunciatum fuisse, quodam Arresto supremi Senatus Parisiensis, anno 1682. 4. Augusti, quo confirmabantur ac roborabantur plurimum duæ sententiæ anteriores: una 27. Octobris 1680. & altera 3. Martii 1681. legere est dictum Arrestum in nona parte Ephemeridis Palatii, pagina 226, (a)

CASUS V.

Aquidanus, vir viduus, qui de Paulina priori sua uxore, liberum unum suscepit, ad secundas nuptias convolavit Parisiorum cum Adenetta etiam vidua, quæ ex thoro priori, liberum quoque unum peperit. Postquam annis septem vel octo simul conjunctissime omnino vixerunt, nullis sibi de suo matrimonio liberis natis; & Adenetta jam parere per annos non poterat; Aquidanus volens ipsi, singularis sui in eam amoris indicia minime dubia præbere, confecit, munirique curavit, requisitis formis, donationem inter viventes, de quodam contractu constituto, in Parisiensi Basilica, pensionem 500. librarum annuam referente, in gratiam ipsius liberi, quam de priori thoro pepererat, & post paucos menses, explevit diem ultimum. Qua de re, qui in derelictam ipsius successionem hæreditario jure veniunt, sibi animo proponunt, Donatario litem inferre, quo valeant obtinere, rescindi, irritamque omnino declarari, quam in ejus gratiam confecit Aquidanus donationem. Numquid illæso salvoque jure æquitatis, possunt in sua sententia perstare.

Respons.

Est hoc in jure tanquam constans positum, liberum nempe non censeri, nisi unam eamdemque personam, cum Patre & Matre, constituere.

Unde sequitur uxorem, quæ aliquid filio proprii Mariti largitur, censensam esse ipsimet marito saltem indirecte donare, quod idem quoque dicendum est de Marito, qui commodum aliquod confert ipsi puero, quem uxor sua, ex præcedenti matrimonio peperit. Jam vero tanquam regulam certissimam omninoque Religiosam, decernit Parisiensis Consuetudo, cui ut supponitur, subjiciuntur Aquidanus & Adenetta, non licere conjugari, ut quidquam utilitatis ac commodi sibi invicem, *constante matrimonio*, neque directe, neque indirecte afferant, nisi ex donatione mutua in ii circumstantiis, sub iisque conditionibus confecta, quæ exprimuntur in dicta Consuetudine, cuius propria verba in alia decisione retulimus: indeque est, quod in supremis Curiis passim rescindantur, nullæque declarentur, quæ a Minoribus exhibitæ fuerunt, in gratiam filiorum suorum, sive Tutorum, sive Curatorum, nondum expleto tempore Tutelæ aut Curatoriæ, nec administratæ Pupilli possessionis, ratione præstita donationes; quod nimirum censeantur in gratiam ipsorum Patris ut plurimum conferri. Quæ ipsissima verba sunt D. de Ferriere, in consuetudinem Parisiensem (b), qui & addit, non posse donationes ejusmodi, ipsi etiam uxori Tutoris aut Curatoris, legitime assignari: quia non præsumitur uxor accipere, nisi eo animo, ut quod sibi donatum est, ad proprium Maritum deinde transferat; quod fideicommissi speciem quamdam importaret, ab omnibus cum Consuetudinibus, tum vel ipsius etiam legibus Romanis, reprobatam penitus, atque interdictam (c).

Quæ quidem decisio plane congruit articulo 283. nostræ Consuetudinis quæ fert; *Non licet iis, qui Matrimonio conjuncti sunt, filiis utriusque de præcedenti Matrimonio procreatis, quidquam donare occurrente casu, quod vel ipsi, vel ipsorum alteruter liberos habuerint*, hoc est, ut interpretatur D. de Ferriere in articulum prædictum, (d) sive uterque liberos susceperit de priori Matrimonio, sive cum nulli sint donatoris filii, ipse liberis alterius donum aliquod largiatur. Atque eadem fuit opinio Molinæi, in articulum 156. veteris Consuetudinis Parisiensis; quamquam valida legitimaque pronunciata sit in territorio Consuetudini Parisiensi subjecto, donatio collata ab eo, qui nullos habebat filios in gratiam alterius, qui de præcedenti Matrimonio liberos susceperat: quemadmodum colligere est ex Arrestis relatis a Louet, (e) quæ lata sunt 4. Julii, & 20. Septembris 1587. Brodeau in Louet, & in Dufresne, plurima quoque citat Arresta, quæ in eodem casu diversa prorsus, oppositaque ratione judicaverunt.

Observat autor iste postremo loco appellatus, ex allata exceptione ab Arrestis quæ e Parisiensi Consuetudine emanaverunt, nihil posse quidquam inferri, prædictamque exceptionem non debere obtinere, quantum ad donationes ejusmodi, quæ in aliis consuetudinibus exhibentur: suamque sententiam probat ex 14. Arrestis pronunciatis in Consuetudinibus Blesensi, Perticensi, Castronovensi in Thimerasia, Bituricensi, Melodunensi, Trecensi, Silvanectensi, Aurelianensi, & aliis. Sed tandem Senatus Parisiensis Supremus, Arresto Paschatis 1610. pronunciato, indutis togis rubris Senatoribus; & eo quod tulit 4. Aprilis 1653. validam ratamque & habuit & declaravit, quemadmodum pluribus jam Arrestis antea declaraverat; omnem donationem præstitam a viro, qui nullos susceperat filios in gratiam liberi, quem sua uxor de priori viro pepererat, *& vice versa*: quod iterum pronunciavit Curia, suo Arresto 4. Julii 1665. in tertia Classe Inquisitionum Curiæ, referente D. Huberto de Montmor, quod reperire est in secundo tomo Ephemeridis Audientiarum. D. de Ferriere (f) ait: *Nihilominus (ut dicam ingenue quid sentiam) existimo, non omnino sibi constare ea de re Jurisprudentiam, quippe minime adeo secum ipsis Arresta concordent.*

Cambolas (g) refert Arrestum supremi Senatus Tolosani, 26. Januarii 1623. quod omnino consentit duobus Arrestis supremæ Curiæ Parisiensis, quæ jamjam allegavimus. Bonifacius, (h) inter sua Arresta (duo etiam refert lata a Parlamento Provinciali, iisdem quoque prorsus consentanea. Primum, quod pronunciatum est in Primario Tribunali, referente D. Seguier; & alterum 3. Januarii 1668. Chopin (i) annotat ejusmodi donationes irritas quidem fuisse factas, at post reformatam Consuetudinem ratas easdem esse habitas, quando confectæ sunt ab alterutro conjugatorum, qui de Matrimonio præcedenti filios non susceperat, in gratiam alterius, qui liberos habebat, juxta articulum 283. qui additus fuit, cum vetus Consuetudo immutata est. Bacquet, Carondas, plurimique alii Consuetudinis interpretes, eamdem quoque secuti sunt opinionem, adeo ut hodiernis jam temporibus eorum potissimum sententiæ sit adhærendum.

Observandum est 1. Certum esse, quando de communi Matrimonio nati sunt filii, non posse ab eo, qui nullos liberos de priori thoro suscepit, ullam præstari donationem in gratiam eorum, quos alter habet de præcedenti Matrimonio procreatos. Quod

quidem

(a) Ephemerid. palatii 9. part. p. 226.

(b) D. de Ferriere. in a. 283. Consuet. Parisiens. t. n. 13.

(c) L. hac ratio. 3. l. 9. ff. de donationib. inter virum & uxorem l. 24. t. 1. Leg. si sponsus 9. t. eod. t. L. hac edictali 6. v. fin. vero C. de 2. nuptiis l. 3 t. 9. & L. Senatores 2. v. sive itaque C. de natural. liberis & cert. l. 5. t. 27.

(d) Loco. c. n. 2.

(e) Louet, Lit. D. n. 17.

(f) D. de Ferriere a. 8.

(g) De Cambolas, Decisionum notabilium l. 5. c. 2. n. 1.

(h) Bonifacio, 1. p. 2. l. 7.

(i) Chopin. t. de Testament. n. 23.

quidem luculenter docent Troncon, Auzanet, & D. de Ferriere (a). Atque ea potissimum ratio est, quod propter commodum & gratiam filiorum donatoris prohibitum fuerit, ne quid liberis, de priori thoro natis, donaretur. Adeo ut, si filios habuerit vel de præcedenti vel de præsenti Matrimonio susceptos, donatio prorsus irrita esse censeatur.

(a) Troncon. Auzanet, & D. de Ferriere ib. n. 23.

2. In aliis Consuetudinibus prohibitorium interdictum, ne quid conferatur in gratiam filii, quem alteruter conjugatorum habuit de præcedenti thoro, defuncto vel Patre, vel Matre dicti filii, nullum jam nec locum nec robur servare, atque penitus solvi. Proindeque uxor, quæ vidua facta est, potest filiis suis conjugis defuncti commodum aliquod afferre. Ita censet Brodeau in Louet (b). Quod confirmatum reperitur in Consuetudine Andegavensi, Arresto, 24. Maji 1650. Et summopere comprobatur, tanquam æquitati omnino consentaneum a D. de Ferriere, in articulum 283. numerum 12. siquidem morte primum decedentis, omnis indirectæ donationis suspicio procul tollitur.

(b) Brodeau in Louet, Lit. D. n. 17.

Ex iis, quæ fusiori stylo circa propositam quæstionem dicta sunt, superest ergo concludendum, si filius, quem Aquidanus de priori Matrimonio suscepit, viveret, cum donationem de pensione annua 500. Librarum filio, quem sua conjux ex priori viro peperit, contulit, dictam donationem esse nullam, quippe in eo casu, ipsius Consuetudinis menti Arrestorumque Jurisprudentiæ, quæ hodierna ætate invalescit, tota penitus adversaretur: verum, tunc legitimam validamque censendam esse; si quando istam donationem confecit, suus filius, quem de altero Matrimonio habuerat, jam fuisset e vivis sublatus.

CASUS VI.

Bartholomæus, Parisinus Civis, Pater Juliani, Julii, & Jacobi, senio jam confectus, cum omnes ipsius tum possessiones tum facultates constent ex 24000. Libris constitutis in præsenti; numerataque pecunia in mercibus, & in pensionibus unoquoque anno percipiendis, in Urbe Antissiodoro stabilit, & collocat in Matrimonium Julianum filium suum natu maximum; ipsique nunc actu & de facto donat, seu prælegat ex testamento summam 10000. Librarum, qua juvetur in commercio faciendo: quamquam aperte noscat, Julio & Jacobo remansuram esse tantummodo residuam unicuique summam 7000. Librarum. Numquid commodum istud potest in Julianum duobus aliis posthabitis, absque conscientiæ suæ detrimento conferre?

Respono.

Dici potest, stando principiis Juris naturalis, a Bartholomæo posse profecto Julianum commodis augeri, assignata ei hæreditatis sua portione copiosiori: verum in eo casu Julianum teneri, ad abstinendum a successione sui Patris: aut si sese hæredem præbendo, dictam successionem attingat ad referendum, in ipsius hæreditatis massam, quodcumque percepit. Ipsa etiam Antissiodorensis Consuetudo, cui Bartholomæus subjicitur, memoratis principiis omnino consentanea est: En namque quod in ea disertis verbis exprimitur: (c) *Quæcumque persona soluta & libera, quæ sufficientem ætatem attigerit, nempe masculus annos viginti & femina, octodecim completos potest conficere testamentum: & in eo statuere ad libitum suum, de suis omnibus rebus moventibus & bonis acquisitis non moventibus item & de quinta parte patriorum bonorum, & eorum, quæ sibi tn hæreditario jure provenerunt.* Sic etiam laudata Consuetudo habet in alio articulo; (d) *Pater & Mater cæterique ascendentis lineæ parentes possunt donare suis filiis, aut aliis nepotibus & pronepotibus, quandocumque sibi libuerit in contractu Matrimonii, aut quavis alia ratione; (legitima reservata) quam donationem Donatarius poterit acceptare, abstinendo ab attingenda donatoris hæreditate:* Eadem est etiam dispositio Consuetudinis Parisiensis (e) ac plurimarum aliarum. En quæ verba adhibentur in Consuetudine Parisiensi; *Nihilominus, aut ille, cui commodum aliquod fuisset donatum, istud commodum retinere sibi vellet; quod ei prorsus licet, abstinendo ab hæreditate: cæteris liberis legitima servata.* Quod plane concordat cum istis verbis legis (f). *Repudians hæreditatem non tenetur ad collationem.* Atque ita judicatum est a supremo Parisiensi Senatu, Arresto 29. Augusti 1571. & alio Arresto 24. Julii 1578. (g) referente D. Angenoust; illudque locum habet, tam ex donatione inter viventes, quam ex testamento. Quod pertinet ad ista laudatæ Consuetudinis verba; *Legitima servata*: illud etiam pronunciatum est alio Arresto ejusdem supremi Senatus, 27. Maji 1558. sed advertendum est, Consuetudinem non intelligi, nisi de filiis legitimis, aut legitimis factis ex matrimonio subsequenti, non vero de iis, qui a Principe, in partem bonorum paternorum fuissent ascripti; quemadmodum annotat Carondas (h), & judicatum est Arresto Parlamenti Parisiensis 16. Maii 1556.

(c) Consuet. Antissiodor. c. 243.

(d) Ib. a. 244

(e) Consuet. Paris. a. 307.

(f) Leg. Ex causæ C famil. erciscund

(g) D. Arillon. v. Commod. n. 34.

(h) Carondas Resp. l. 2. Resp. 4.

Si tamen Bartholomæus conjiceret ex ista inæqualitate, futurum aliquando, ut inter filios suos odia commoverentur, litesque emergerent, non ipsi prorsus liceret, nisi charitate plurimum læsa, uni præ cæteris, plurimum facere. Sicut enim ait Apostolus (i); *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*; Idemque dicendum est, si in Julianum benignitatem conferret, ex animo aliquantulum, a duobus suis aliis filiis alienato. Quod hic loci subjicimus, ex S. Ambrosio excerpitur, qui dicit (K): *frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis, si aut nimia diligentia affectum resolvat, aut prælatione unius, cæteros ab affectu germanitatis avertat, plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior manificentia patrum: hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris, si propter fundum, aut domum, oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia?*

(i) 1 Cor. 6. 12.

(k) S. Amb. l. de Joseph Patr. c. 2.

Observare plurimum interest. 1. si Pater aut Mater sese obligassent, in contractu Matrimonii unius cujusdam ex liberis suis, ad non dandum uni eorum, plusquam alteri; ejusmodi conventionem nunquam ab iis posse nec immutari, nec revocari, atque religiose prorsus esse tenendam: quod quidem sic judicatum est a supremo Parisiensi Senatu, Arresto secundi Septembris 1681. quin etiam Parlamentum Divionense voluit dictam conventionem, ad nepotes usque extendi, pronunciatis, ea de re, duobus Arrestis uno 5. Maji 1603. & altero 16. Januarii 1615. (l).

2. Quibusdam Consuetudinibus, luculentis verbis omnino prohiberi, tum Patribus tum Matribus, ne cuiquam suorum filiorum aliquid præcipui adjiciant, sive rerum hæreditario jure proventarum & moventium, sive bonorum non moventium; qualis est Consuetudo Normanniæ (m), juxta quam tamen exceptionem a regula communi recipiunt victus & vestitus filiorum, sumptus, qui impenduntur in Epulas nuptiales unius liberi, atque quidquid impendii confertur, in tradendum illum studiis & litteris, & eo usque promovendum, donec Lauream Doctoralem adipiscatur; si quidem ista omnia referri deinde intra res hæreditarias, nulla ratione exigantur.

(l) D. Arillon. v. Commodum n. 56 post Arrest. vol. tom 2. v. matrimon. q. q. 28. 31. & 97.

(m) Consuet. Norman. a. 434

CASUS VII.

Lælius, vir nobilis; Dominus Parœciæ S. Paterni; cujus duo sunt liberi, nimirum Benignus & Agatha; cum nihil possessionem habeat, præter istud prædium Clientelare, quod de bonis, quæ attulerat ipsius uxor defuncta provenit; per aliquot annos, mille libras contulit, in educationem Benigni, & in eum studiis, liberalibusque artibus informandum; cum interea nonnisi 500. libras impendebat Agatha, quæ domi sempre remansit. Post hæc autem Lælius obiit. Numquid Benignus ex conscientia tenetur; ad referendas sorori suæ 500. libras, per modum supplementi vel compensationis?

Respons.

Ab ipsa Consuetudine loci, in quo sita est Parœcia S. Paterni, regula repetenda est, qua possit

dis-

difficultas proposita dissolvi. Enimvero si in dicta Consuetudine, distinctis verbis exprimatur, futurum ut nequeat Pater, in instituendum unum liberum, plus impensæ facere, quam in alterum, quin teneatur ad tribuendum deinde minus ei, qui amplius aut receperit, aut sumtus admiserit: adeo ut ipsi necessario incumbat, districtam omnino, inter eos, adæquatamque prorsus æqualitatem servare; in eo casu Benignus obligatur, ex officio conscientiæ, ad referendam sorori suæ aliquam inæqualitatis istius compensationem, quæ ei deberetur; quod etiam locum haberet, etsi Lælius ipsam collocavisset in matrimonium, ac declaravisset, æquales ab utroque impensas admissas fuisse. Atque nititur istud principio, quod adhibetur a S. Thoma, his verbis (*a*): *Sicut accipere rem alienam, est peccatum contra justitiam; ita etiam detinere.*

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 8. in corp.

At vero si memorata Consuetudo, Parisiensi Consuetudini congruerit, qua Patri & Matri fit copia, ut proprios filios prout conditionis status requirit, aut more nobili aut more civico instituant; *cum eo onere*, inquit ista Consuetudo, *ut ... liberos suos sustentet, & ipsis tum alimenta præbeant, cum ceteros vitæ usus suppeditent, prout requirit seu conditionis status, seu generis claritudo* (*b*); Benignus ad nullam prorsus compensationem obligatur erga Agatham; propterea quod in eo casu, licuerit Lælio ampliores sumtus impendere in illius educationem, quam Agathæ: quod etiam verum omnino esset, quanquam in ista Consuetudine ferretur, non permitti Patri ut uni, ex liberis suis, aliquid amplius faciat quam alteri; ut habet Consuetudo Parisiensis laudata (*c*); quippe prohibitorium istud Decretum non sit intelligendum, de impendiis, quæ in ipsorum educationem conferuntur: sed tantummodo, de donationibus vel legatis, quæ in ipsorum commodum & gratiam statuuntur, aut de fortunato statu, in quem propelluntur, aliquid inde damni aut saltem inæqualitatis, ceteris patientibus: ut aperte colligitur, ex Consuetudinis istius ipsissimis verbis: *Pater & Mater non possunt ex donatione inter viventes, testamento nec extrema suæ voluntatis ordinatione, nec quavis alia ratione, aliquid suis liberis præcipui adjicere, adeo ut quibusdam, in ceterorum damnum, copiosior dictorum Patris & Matris portio successionis obveniat.* Quibus quidem verbis nihil innuitur quod ulla ratione, attingat impensas æquales aut inæquales, quæ in instituendos educandosque filios impenduntur: sicut advertitur a Theologo magni nominis, in dissolvenda fere simili difficultate (*d*).

(*b*) Consuetud. Paris. art. 257.

(*c*) Ibidem. art. 303.

(*d*) Sambovius to. 1. casu 198.

PRÆSCRIPTIO.

EST, *Præscriptio*, secundum Domat (*e*), modus acquirendi & amittendi juris proprietatis, per decursum temporis. Atque ita, cum bona fide possedi rem aliquam, per spatium temporis lege constitutum, mihi cedit & devolvitur dictæ rei dominium: eoque prorsus decidit, qui ejusdem rei proprietarius extabat, propterea quod eam possidere cessaverit, nec ab alio possessam repetierit. *Usucapio*, inquit Lex (*f*), *est adjectio Dominii, per continuationem possessionis temporis lege definiti.*

Potest rursum paucioribus verbis præscriptio definiri, dicendo nempe, eam esse adeptionem proprietatis rei cujusdam, quæ bona fide possessa est sine intermissione, per tempus lege definitum.

Præscriptio, generaliori sensu accepta, eo potissimum fine inducta est, ut paci familias inter, concordiæque servandæ, & bono etiam publico, plurimum consuleretur: *Bono publico usucapio introducta est*, inquit Lex, *ne scilicet quarumdam rerum diu & fere semper incerta Dominia essent, cum sufficeret Dominis, ad inquirendas res suas, statuti temporis spatium* (*g*).

Sed quoniam, ut cernitur, in prædictis duabus legibus, & in compluribus aliis, adhibetur ista vox Latina: *usucapio*, ad significandam Præscriptionem; lectores operæ pretium est commoneri de discrimine, quod inter voces istas, *usucapio* & *Præscriptio*, intercedit: ut subjectam alterutri notionem, ad veram intelligentiam, quæ vocabulo præscriptionis subditur, quod consuetum est a nobis passim usurpari, referre possint: USUCAPIO (quæ vox apud nos inusitata est) significat, modum acquirendæ proprietatis rerum ex temporis decursu (*h*).

Eadem quoque notio subjicitur voci, *Præscriptio*, prætereaque in ea exprimitur modus acquirendorum & amittendorum quorumcumque jurium, ex temporis decursu definiti: quod quidem tempus, secundum eam, quæ apud nos obtinet, jurisprudentiam, non censetur elapsum, quoad Præscriptiones, nisi expirante ultimæ diei instanti extremo, quidquid contrarium Romanæ leges sentiant; eadem prorsus ratione, qua ... censetur pupillaris ætas compleri, nisi cum pervenit minor ad expletum ... temporis punctum ... novissimæ complentis annum vigesimum quin...

Distinguendæ sunt duæ di... ...scripti... ...cie...

Prior ea est, qua Possess... ...jus ... ...; & Proprietario adimitur, eo ... ...em... ...n... ...o possessam repoposcerit.

Altera est, qua acc... ...ni... ...n species, quæ commercium ingredi... ... fruendo aliquo jure servitutis: ... ...tur aliquod creditum, propterea ... ...on fuerit curatum.

Utra-

(*e*) Domat. Leg. Civil. l. 3. tit. 7. sect. 4. n. 1.

(*f*) Leg. Usucapio. 3. ff. de usurpationibus & usucap. l. 41. tit. 3. Item Leg. Minus. 4. cod. de præscript. longi temp. lib. 7. tit. 33.

(*g*) Leg. Usurpatio. 1. ff. de usurpat. & usucap.

(*h*) Cum nostri unica. cod. de usucap. transformanda l. 7. tit. 31. & institut. tit. de usucap.

Utraque præscriptionis species in eo fundatur, quod scilicet non præsumatur possessor, possedisse absque legitimo titulo, aut justa caussa; & proprietarius censeatur, qui jus suæ possessionis cessavit exercere, aut exigendo suo debito indormivit, ultro consensisse adimendæ sibi suæ proprietati.

Dicimus: *Quæcumque jurium species, quæ commercium ingrediuntur*. Neque enim juri præscriptionis subjiciuntur nec jura nec bona, quorum proprietas non datur acquiri: excepto casu, in quo jus aliquod spirituale annexam haberet rem quamdam corpoream; quale est jus Patronatus, quod annectitur alicui prædio. Præscripto namque per possessionem prædio, jus quoque Patronatus consequenter præscribi censetur; juxta istam regulam usu communi receptam: *Accessorium naturam sequi congruit principalis* (*a*).

Juri Romano, quo Præscriptionum species multiformis inducta fuerat, non tanquam unicæ regulæ, quoad istam materiam, adhærere debemus. Nam in Gallia standum est, Juri moribus constituto, in unaquaque Provincia, aut regione; quo quidem jure, non idem temporis spatium ubique, nec quoad quæcumque bona definitur.

Ab omnibus supremis Senatibus, qui juxta normam Jure scripto introductam, pronunciare consueverunt, admittitur Præscriptio decennis inter præsentes; & viginti annorum inter absentes, quæ simul & titulo & bona fide nitatur: excepto supremo Senatu Gratianopolitano, qui non aliam agnoscit, nisi quæ triginta aut quadraginta annorum possessionem sibi vindicat (*b*).

Per vocabulum, *præsentes*, illi potissimum intelliguntur, qui certam suam sedem habent intra limites jurisdictionis, ejusdem Baillivii Regii, quamquam res non movens alibi sita fuerit. Qua in re observare plurimum interest; si ille adversus quem præscribere animo est, per aliquam partem temporis, fuerit præsens, per aliam vero partem, absens; in eo casu, tempus absentiæ esse geminandum: verbi gratia, si per decennium, præsens interfuerit, sitque per quadriennium absentatus decem annis, quibus fuit præsens, octo annos addendos esse (*c*). Quæ quidem annotatio auctorem habet D. Argou (*d*).

Vigent apud nos plurimæ consuetudines, quales sunt Aurelianensis, Burgundiæ, Montargiensis, Bituricensis, Borbonia, Nivernensis, & Arverna, quæ non admittunt, nisi præscriptionem, ex possessione triginta annorum, tituloque roborata; & consuetudines Laudunensis (*e*), Catalaunensis (*f*), Andegavensis (*g*), & Meduanensis (*h*) istam præscriptionem ex sola possessione triginta annorum, etiam sine titulo recipiunt, quoad servitutes; in contrariam partem abeunte consuetudine Parisiensi, apud quam præscriptio de servitute, non habetur rata, quacumque possessione roboretur, nisi præterea titulum possessor præ se ferat (*i*): Quod ista etiam ratione judicatur a Senatu Parisiensi supremo, quoad regiones jure scripto regi consuetas, & ab ipsius jurisdictione dependentes, quantum attinet ad servitutes urbanas; distinctis servitutibus, quæ appellantur rusticæ, de quibus præscribitur ex possessione triginta annorum.

Quod pertinet ad præscriptionem rerum moventium, quæ secundum jus ab Imperatore Justiniano constitutum exigebat possessionem triennem, Eadem Jurisprudentia invalescit apud Supremos Senatus, qui instituuntur in Regionibus scripto juri subjectis. Verum a Senatu Supremo Parisiensi, ad præscribendas res moventes, idem quod ad non moventes, temporis spatium exigitur. Extant nihilominus intra limites ipsius jurisdictionis, consuetudines aliquæ, quæ triennem dumtaxat possessionem definiunt; modo ista possessio palam & in conspectu omnium, ac sine intermissione & fraude fuerit continuata. Talis est consuetudo Melodunensis (*k*).

Ad requirendum jus præscriptionis, necessario non requiritur, ut ab una eademque persona, possessio per spatium totius temporis Lege definiti continuetur: Tempus namque possessionis, a defuncto, verbi gratia incœptæ, conjungendum est cum tempore possessionis, ab hærede ipsius continuatæ (*l*): Quod etiam ita se habet, licet abierit aliquod temporis intervallum, antequam hæredem se se præbuerit, sive propterea quod de successione vacante nondum fuisset ipsi quidquam renuntiatum, sive quia adversum eum aliquid de ipsa successione litigii inferebatur.

Possessio semper censetur a Possessore continuari, quamquam occurrant intervalla, in quibus ab eo, actu & de facto non exerceatur. Sic exempli caussa, si possideam agrum, quem anno priori excultum, decennio deinde cul-

(*a*) Reg. 42. de reg. Juris in 6.

(*b*) Chorier in Guidonem Papam. p. 333.

(*c*) Novella 119, c. 8.

(*d*) Institution. juris Gallic. tom. 1. lib. 2. cap. 10. pag. 227.

(*e*) Art. 145.

(*f*) Art. 144.

(*g*) Art. 149.

(*h*) Art. 462.

(*i*) Art. 186.

(*k*) Art. 148.

(*l*) Leg. Pomponius. 13. §. 10. ff. de acquir. vel amitt. possess.

cultu vacare velim; non propterea desisto a possessione illius per omne temporis spatium quo eumdem detineo cum animo possessionis illius continuandæ: quia etiamsi non potuerim possessionem illius cum solo animo possidendi primum acquirere; possum deinde eumdem acquisitum nudo tamen animo conservare; juxta quod fertur in lege de præsenti plane casu sermonem faciente. (*a*): *Licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest.*

In possessore bona fides semper requiritur, ut possit ex possessione sua legitima præscribere; ut deinde probaturi sumus: *His usucapio non competit*, inquit lex, *qui mala fide possident* (*b*).

Quæ bona fides non nisi in possessore requiritur: si enim in bona fide exstiterit per spatium totius temporis definiti ad præscribendum; proprietarius non admittetur ad probandam malam fidem illius a quo res obvenit possessori (*c*).

A dicta tamen regula excipiendus est heres illius, qui bona fide acquisiverat rem non pertinentem ad eum a quo illam habebat. Si namque iste heres noverit, eam rem ad alterum pertinere; nihil quidquam ipsi prodest bona fides defuncti ad continuandam possessionem; siquidem verum sit, quemcumque ex titulo universali constitutum heredem teneri ad omnia onera & debita defuncti suscipienda.

(*a*) Leg. *Licet.* 4. cod. de acquir. & retinenda possess. l. 7 tit. 32.
(*b*) §. 3. Instit. de usucap. & long. temp. præscript.
(*c*) §. 7. Instit. de usucap. & Leg. *Apud Celsum.* 4. §. 27. ff. de doli mali & metus exceptione l. 4. t. 1.

Ut possideri potest per aliam personam, quemadmodum observatum est in titulo *Possessio*; eadem ratione per aliam quoque personam potest præscribi; sicut per tutores, curatores, villicos, ædium conductores ac ceteros ejusmodi. Juxta Edictum Francisci I. 30. Junii 1539. præscribi non potest in Gallia, etiam ex possessione centenaria, quod spectat ad Regium dominium.

Secundum quod ferunt ex consuetudinibus nostris quamplurimæ, neque etiam subjiciuntur præscriptioni census fiduciarii, nec qui debentur ex jure mancipii: quamquam possint ut plurimum præscribi ipsorum tum usuræ, tum conditiones. Quod idem quoque dicendum est de iis quæ in usum publicum conferuntur.

Quod pertinet ad alias res quæ extra commercium ordinarium sunt positæ; qualia sunt bona & jura quæ ecclesiarum, nosocomiorum & xenodochiorum, civitatum & communitatum esse noscuntur: sicut possunt quibusdam in casibus abalienari, adhibitis certis formulis quæ requiruntur; possunt etiam præscribi per continuationem possessionis temporis, tam legibus quam consuetudinibus definiti. Indeque est, quod pluribus ex consuetudinibus nostris statuatur, eadem posse præscribi per possessionem triginta annorum.

Juxta usum apud nos frequentatum ac receptum, adversus minores sive puberes sive impuberes, non datur præscriptio, nisi in locis minoris Britanniæ consuetudinis subjectis, inquit D. Argou (*d*). Neque potest incipere decurrere adversus ipsos tempus præscriptionis, nisi ab ipsa prima die justæ legitimæque ipsorum ætatis. Quæ regula neque eadem viget, neque in universum recipitur apud omnia Regni Parlamenta: admittuntur tamen ab ipsis supremis Senatibus ad repetendam certo quodam tempore bonorum suorum restitutionem.

(*d*) Inst. juris Gallican. to 1. l. 2. c. 16. p. 224.

In participationem quoque ejusdem privilegii, quoad eam rem accersuntur furiosi, & qui suæ mentis non sunt compotes. Atque ita pronuntiatum est, a supremo Tolosano senatu, Arresto mensis Augusti 1657. relato a Catelan (*e*), adversante quamquam jure Romano quo jurisprudentia opposita inducitur (*f*). Idem prorsus statuunt Meduanensis (*g*), atque Andegavensis (*h*) consuetudines.

Quando cedit indivisum quid Majori & Minori, necdum inter eos divisum, non potest tempus præscriptionis adversus illum decurrere magis quam adversus minorem, nisi ab ipsa die qua minor propriæ rei gerendæ annum plenum atque legitimum attingit; propterea quod juxta positam hypothesim, minori quoque jus cederet in ipsa re universa (*i*).

Longioris temporis absentia ob publicas res gerendas, aut caussa captivitatis producta, impedit præscriptionis decursum.

(*e*) Catelan. to. 2. l. 7. c. 11.
(*f*) Leg. *Consilio.* 7. §. 3. ff. de Curatoribus, furiosis & aliis l. 26. tit. 10.
(*g*) Art. 456.
(*h*) Art. 457.
(*i*) Leg. *Si communem.* 10. ff. quemadmodum servitutes amittuntur l. 8. t. 6.

Præscriptio non admittitur de actione, quam quis habet in auctorem rei alicujus. Sic quando memet ipsum obstrinxi nexuque obligavi ad præstandam venditionem alicujus fundi confectam a Petro, in gratiam Paulli: ac post quadraginta quinquagintave annos Paullus de possessione dicti fundi depellitur; mihi semper aut meis heredibus incumbit, ut tamquam venditi fundi remanentes auctores, auctoritatem illius Paullo præstemus. Neque etiam redhibendæ restringendæque constitutæ pensionis annuæ facultas præscriptionis juri ulla ratione subjacet.

Omni possessori rem aliquam morte domioi ooo possidenti numquam tribuitur præscribendi potestas; quales suot villici, depositarii, tutores & ceteri similes.

Cessat decurrere tempus præscriptionis ab ipsa primum incepta petitionis adversus possessorem actione. Petitioois enim actione, modo 1. vadimonio libellato inscribatur, hoe est, petitionis rationes appositas significet; ut Edicto 1667. præscribitur (a): 2. modo urgeatur, nec ex oegligentia actoris pereat; tollitur ipsius bona fides, & ejus impeditur possessio, oe pacifica censeatur (b). Quod locum quoque obtinet adversus quoscumque alios, qui rem eamdem possiderent. Siquidem ista petitionis actio contra unum ex illis intenta perinde valeat, ac si contra omnes fuisset illata (c); sive res ab omnibus in solidum teneatur, sive non io solidum detioeatur.

(a) Tit. 8. ar. 1.
(b) Leg. *Nec bona*. 10. cod. de præscript. longi temporis & Leg. *Nemo*. 10. cod. de acquir. & retin. possess.
(c) Leg. *Si quis*. 37. ff. de acquir. vel amitt. possess.

Tandem possessor deturbatus de possessiooe per vim illatam, neque ea de re judicum auctoritate implorata, semper possessor censetur; qnonlam ei copia datur possessionis tum redintegrandæ, tum continuandæ (d).

(d) Leg. *Cum quidem*. fin. cod. de duobus reis stipulandi &c. l. 8. tit. 40.

Recensetur præscriptionis species altera, quæ spectat ad crimina. In Gallia, quæcumque crimina per lapsum vigioti annorum præsctibuntur. quoad pœnam ipsis rependi debitam; quando nempe debitum sooti absenti snpplicium in tabella pictum non propositum est. Alioqnin enim ad præscribendum opus foret spatio triginta anoorum.

A qua tamen regula excipiuntur dno crimioa. Prius est læsæ Majestatis crimen quoad primarlum caput. Alterum est singulare certamen, cujus exceptio superaddita fuit in Edicto meosis Augusti 1679 (e).

Quod pertinet ad præscriptionem circa litis accessiones & impendia, a supremis senatibus Parisiensi, Tolosano & Burdigalensi non exigitur ultra viginti annos. Verum triginta definiuot Parlamenta Gratiaoopolitannm & Divionense.

CASUS PRIMUS.

AGATHO bonum aliquod per spatium tamporis lege definiti bona fide possedit. Numquid ex conscientia potest jus præscriptionis sibi vindicare quo salvatur ab omni restitutione ei exhibenda, qui certis monumentis evincit, sese fuisse dicti boni proprietarium; & eadem ne censenda foret conditio illius, qui mala fide possedisset?

RESPONSIO.

1. Quamquam jus & æquitas præscriptionis, quantum ad possessorem bonæ fidei, ab ipso S. Raimundo (f) in dubium revocata sint, & affirmetur ab eodem Auctore, ab omnibus fere Theologis ipsi coævis detestata fuisse ac reprobata; tandemque in ejusmodi dubio suadeatur ab iis qui rem aliquam ista præscriptionis ratione acquisiverunt, eamdem statim esse restituendam, cum primum innotescit, quisnam illius verus proprietarius fuerit, ac præsertim quando propter ejusmodi acquisitionem conscientiæ stimulis eaagitari sese experiuntur: nihilominus contendimus, omnino constans esse atque extra omnem prorsus dubitationis aleam positum, posse a possessore bonæ fidei jus præscriptionis adhiberi tam quoad conscientiæ forum, quam quoad forum judicii, postquam possedit rem per spatium temporis lege definiti, quod præfinitur quantum ad res non moventes decennii *inter præsentes*, hoc est inter eos qui degunt intra limites ejusdem provinciæ; & viginti annorum, *inter absentes*, quando nimirum rem prædictam detinuit ex virtute tituli alicujns probabilis, ut venditionis, donationis, aut commutationis: aut triginta annorum cum deficit titulus, & tandem quadraginta annorum adversus Ecclesias, monasteria & xenodochia (g): quantum vero ad res moventes, tempus præscribitur triennii: quemadmodum constituunt ac decernunt tum civiles, tum canonicæ leges, quas heic loci ad marginem indicamus (h): quippe nihil aliud censeri debeat præscriptio, quam *adjectio dominii* (rei possessæ bona fide) *per continuationem possessionis temporis lege definiti*, ut ait lex (i). Adeo ut ex possessione hujusmodi verus rei proprietarius quisquis evadat: licet postea innotescat, eamdem alterius fuisse.

(e) Art. 35.
(f) S. Raim. de Pennafort. in Sum. l. 2. §. 33.
(g) Authent. *Quas actiones*. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis &c. l. 1. tit. 2. can. *Judicamus*. 16. q. 3. & cap. *De quarta*. 4. de præscriptionibus. l. 2. tit. 26.
(h) Leg. *Usucapio*. 3. ff. de usurpationibus & usucapionibus l. 41. tit. 3.
(i) Authent. *Quas actiones*. c. 1. Cap. fin. de præscrib. Reg. 2. de reg. juris in 6. Leg. *Sicut*. Cod. de præscript. 30 vel 40. annor. Leg. fin. Cod. de præscript. longi temporis. Cap. *Cum sanctorum*. de præscrip. &c. § 1. instit. de usucap.
(K) S. Thom. quodlib. 12. a. 14. in corp.

Atque istius rei rationem suggerit S. Thomas (K) iis verbis: *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse, post præscriptionem; quia lex potest pro peccato & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare & concedere*. Quæ quidem Doctoris Angelici ratio in ipsissima doctrina fundatur S. Augustini expressa de ipsius ad Macedonium Epistola (l), in qua laudatus Pater istam regulam statuit: *Hoc enim certe alienum non est*, inquit, *quod jure possideatur* (id est auctoritate legum): *hoc autem jure quod juste; & hoc juste, quod bene* (m); quæ satias est heic loci transscribere integra, quam parciori stilo depascere: *Ecce sunt villæ*, ait commendandus iste Ecclesiæ Doctor, *quo jure defendis villas? Divino, an humano? Respondeant: Divinum jus in scripturis habemus, humanum in legibus Regum. Unde quisque possidet, quod possidet? non ne jure humano? Nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus. Pauperes & divites una terra supportat. Jure tamen humano dicit: hæc villa mea est; hæc domus mea; hic servus meus est. Jure ergo humano, jure Imperatorum. Quare? quia ipsa jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano..... Tolle jura Imperatorum: & quis audet dicere: mea villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est. Noli dicere: quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? per jura Regum possessiones*. Cum ergo Deus voluerit ab Imperatoribus, Regibus, supremisque terræ dominis jura humana, temporaliaque dominia certis in casibus, prout ipsis libuerit, spectatis regni tum necessitate, tum utilitate, privatis distribui; procul dubio non est, unde possessori qui luculento adeo titulo roboratur, possit quidquam negotii inferri.

(l) S. Aug. Ep. 153. alias 54. n. 10.
(m) Idem tr. 6. in Joan. n. 25. & 26.

Inferendum igitur est, ex laudato S. Augustini principio: siquidem sit hoc legibus humanis constitutum, quod possessio jure præscriptionis inducatur, possessionem ejusmodi quam bona fides indivisa societate semper comitata est, ratam profecto ac justam censeri debere. Jam vero en quæ verba adhibet lex ubicumque gentium recepta, atque fraquentata: *Constitutionem super hoc promulgavimus*, ipse est Justinianus Imperator qui loquitur (n), *qua cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem; id est inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis usuca-*

(n) Lib. 2. instit. tit. 6. de usucapionibus init.

usucapiantur: Et his modis non solum in Italia, sed etiam in omni terra, quæ imperio nostro gubernantur, dominia rerum, justa causa possessionis præcedente acquirantur.

Quæ omnia juri Canonico egregie prorsus consentiunt, quo videtur omnino comprobari, ac legitimum haberi jus præscriptionis; cum bona fide Possessoris roboratur ac fulcitur: ut colligere est ex plurimis Canonibus relatis, in Decreto Gratiani (*a*); & ex decisionibus multorum Summorum Pontificum, atque ut cæteras taceamus, ex decisione S. Gregorii Magni (*b*) sic, verbis omnino disertis declarantis: *Sanctorum Patrum sanctiones confirmaverunt, & nos irrefragabiliter confirmamus, ut omnes possessiones, ad singulas provincias nostrorum fratrum pertinentes, a quibus per 30. annos possessæ sunt, quiete & sincere absque Synodali proclamatione perpetuo teneantur.*

(*a*) Can. placuit. 8. can. Post Quinquennium 9. 16. qu. 3. & passim eadem causa, qu. 4. & 5.
(*b*) S. Greg. in cap. Sanctorum, 3. de præscriptionibus lib. 2. tit. 26.

Alexander III. in Epistola ad Archiepiscopum Salerniranum, sic etiam declarat: *De quarta decimæ & obligationis, Clericus ab impetitione Episcopi, quadragenali præscriptione temporis, se posse tueri videtur, nisi forte interim Pastoralis sedes caruisset Pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset.* Quæ verba ipsissima sunt laudati Papæ (*c*), a quo eadem insuper enunciantur, in pluribus aliis Decretalibus, de rebus diversis, tractantibus (*d*). Tandem Innocentius III. ipse fatetur (*e*), adversus Romanam ipsammet Ecclesiam, posse præscribi: hoc est contra jura & cæteras res, quæ sanctæ Sedis propria sunt, per possessionem centenariam.

(*c*) Alex. III. in cap. De quarta, 5. eod. tit.
(*d*) Idem in c. Ad aures 6. in c. Illud. 8. Et in cap. Quia judicantes 9. eod. tit.
(*e*) Inn. III. in c. ad audientiam. 13. & in c. Cum vobis 14. eod. tit.

Cabassutius (*f*) eamdem quoque veritatem tuetur: *Præscriptio restituendi obligationem perimit*, inquit, *introducta est enim a jure, in bonum publicum & quietem Civium & familiarium, ut disserit Aulus Gellius* (*g*), *eamque ut necessariam Solon suis legibus approbavit, teste Plutarcho in ejus vita: & expedit, ne rerum Dominia in incerto sint* (*h*).

(*f*) Jo. Cabassut. juris can. theor. & prax. lib. 6. cap. 22. n. 6.
(*g*) Aulus Gellius lib. 4. Noctium Atticarum. c. 3.
(*h*) L. 1. ff. de usurp. & inst. §. 2. de usucap.

Idem multo antea docuerat Sylvester de Prierio (*i*), Sancti Thomæ (*k*), Scotique Doctrina potissimum fretus; & asserit non reperiri nominis alicujus Theologum, qui opposita ratione loquatur: *Et idem diceret omnis bonus Theologus: quia secundum S. Thomam, tenetur qui solvere pœnam judicialem, id est aliquam condemnationem a judice, ut 2. 2. q. 62. & consequenter ille, cui applicatur, etiam in conscientia potest retinere, & consequenter licitum est, tenere eam, quam infligit legislator, cujusmodi est Præscriptio, quæ inducta est principaliter in pœnam negligentium, & quietem Civitatis.* Quod confirmat suffragio Auctoris Glossæ, Hostiensis, Joannis Andreæ, Innocentii IV. Panormitani, & octo aut novem aliorum antiquorum Canonistarum. *Dicentium indistincte*, propria verba sunt, quibus utitur, *quod non teneatur restituere in conscientia, si concurrunt omnia de jure requisita, ad præscriptionem.* Quibus verbis ut plurimum inducimur, ad apponendas, huic parti priori responsionis nostræ finiendæ, quas Cabassutius, ad legitimæ præscriptionis rationem (*l*) vult necessario prærequiri, quinque conditiones.

(*i*) Sylvest. v. Præscriptio. 1. qu. 13.
(*k*) Scotus in 4. dist. 15.
(*l*) Cabass. loco cit. n. 7.

Prima est, *continuata possessio. Sine possessione enim*, addit ille, *non currit præscriptio, c. 3. de regulis juris, in 6.*

Secunda, *rei capacitas, ut præscribi possit, qualem*, ait, *non habent res sacræ, res sanctæ, res publicæ, jura Ecclesiastica.* Indeque concludit: *Unde fit, ut Laici præscribere non possint, jus cognoscendi, aut judicandi causas Ecclesiasticas, jura Decimarum, primitiarum, oblationum, aliaque spiritual. cap.* Causam. *De præscriptionibus.*

Tertia, *bona fides.* Quoniam Possessori malæ fidei copia non sit, unquam præscribendi, quantum ad forum conscientiæ; quemadmodum modo evincemus.

Quarta, *Probabiliter præsumptus titulus.* Quod quidem ea ratione est intelligendum, qua ipsimet a primo ingressu, sumus interpretati.

Quinta denique, *tempus lege definitum.* Quod illud est temporis spatium, a nobis responsionem primum aggredientibus determinatum. Unum jam dumtaxat addendum superest, quod responsi loco sit objectio, quæ proponi potest, dicendo nempe; plurimos posse contingere casus, in quibus cui res aliqua præscribitur, nihil culpabilis negligentiæ prorsus cedat: quem consequenter proprio bono defraudari, privationeque illius per præscriptionem mulctari, æquitas ipsa non permittat. In promptu responsum adest. 1. Namque præscriptio non eo tantum fine inducta est, ut illius negligentia plecteretur, qui proprio præscribendo bono indormit; sed etiam ut omnis litium contagiosa labes penitus rescinderetur, quarum sic numerum cumulari contingeret, ut nullus iis dirimendis finis imponeretur. *Præscriptio*, inquit Sylvester, *non inducitur de jure Canonico solum in odium negligentis, sed etiam propter bonum & æquum.* 2. Quia cui quis contendit rem aliquam præscribere, *habet remedium*, ut idem Sylvester rursus ait, *petendo restitutionem* (in integrum).... *quam si petat & obtineat, in conscientia restituendum erit: Si vero non petat, non erit necessarium restituere* (*m*).

(*m*) Sylvest. loco cit.

At non eadem est conditio Possessoris malæ fidei. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*, inquit Bonifacius VIII. (*n*) Id est, ex quocumque temporis lapsu non potest legitima ulla ratione præscribere; & possessio quantumcumque longa supponatur, si bonam fidem indivisam sui sociam non habeat, legitimum justumque titulum sola non potest constituere rei cujusquam detinendæ: ut fertur in ipsa lege (*o*); licet in foro judicii; post elapsos triginta annos, malæ fidei possessorum rationem ullam habere, solitum non sit: cum is sit, jurisprudentiæ secularis animus, ut inter familias concordia servetur; lites rescindantur, negligentia plectatur eorum, qui possessionis bonorum suorum retinendæ curam non habuerunt; de cætero autem ad malam fidem possessorum, minime prorsus attendat (*p*).

(*n*) Bonifac. VIII. in reg. 2. de regulis juris in 6.
(*o*) L. Emptionis. 8. §. Quod si C. de præscriptione 30. vel 40. annorum & ibi Gloss. l. 7. tit. 39.
(*p*) Authen. Malæ cod. de præscr. longi temporis, & l. secur. cit.

Dicimus: *In foro judicii.* Neque enim ullus dubitandi locus est ex eo Jurisprudentiæ civilis usu, ad eos, qui non sunt bonæ fidei possessores, rerum præscriptarum nulla ratione, dominium transferri: ut observat Innocentius IV. in sua suarum Decretalium interpretatione (*q*). *Nec obstat*, inquit, *quod diximus de præscriptione 30. annorum, quia ibi jus non dat aliquod jus vel dominium possidenti; sed tantum in odium adversarii, datur ei exceptio* (*r*). *Sed in eo, cujus est exceptio odiosa....... dicimus, quod teneatur reddere.* Propterea que non possunt hujusmodi possessores recta conscientia, ex quocumque temporis lapsu præscribere, quin immo tenentur ad restituendam ei, qui proprietarius est, rem mala fide detentam, & ad resarciendum quidquid damni, ex iniqua ipsius boni detentione, ei illatum est. *Sed qui mala fide præscribit*, inquit S. Thomas (*s*), *tenetur emendare & satisfacere, reddendo damnum, quod intulit.*

(*q*) Innoc. IV. in c. Quia plerique 8. de immun. Ecclesiæ &c. Rubr. 49. §. Quidam fol. 550 col. 2. n. 14
(*r*) L. Si emptus. C. de præscript. 30. vel 40. annos. l. 7. t. 9.
(*s*) S. Thom. quodlib. 12. artic. 24. cit. in corp.

Cujus rei potest hæc ratio potissimum reddi, quod ut laudatus Sanctus Doctor habet in alio loco (*t*). *Illa, quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur: quia ut Innocentius dicit* (*u*): *diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.* Porro res aliena non potest absque peccato detineri: adeoque præscriptio non valet malæ fidei possessorem ab obligatione restituendæ iniquæ possessionis vindicare. Alioquin concedendum foret, facultatem etiam fieri posse cum Depositariis, tum ædium Conductoribus cæterisque ejusdem naturæ possessoribus, sub prætextu præscriptionis, quas ex titulo seu depositi, seu locationis obtinent, rerum sibi retinendarum: quod nemo nisi absurde omnino dixerit, ac contra legem ei disertissimis verbis refragantem, qua sic fertur (*x*): *Neque mutui, neque commodati, aut depositi seu legati, vel fideicommissi, vel tutelæ, seu alii cuilibet personali actioni, longi temporis præscriptionem objici posse, certi juris est.*

(*t*) Idem in 4. dist. 42. q. un. a 1. quæstiunc. 1. ad 2
(*u*) Inn. III. in c. Non debet. 8. de consang. & affinit.
(*x*) L. Neque 5. C. quibus non objicitur longi temporis præscriptio lib. 7. tit. 3. Item Lege Cætte 6. §. 2. ff de precario lib. 43. t. 26. L. Si id 25. §. 1. ff. de acquirenda, vel amitt. poss. lib. 41. t. 2. L. Licet. 27. §. 1. ff. depositi, vel contra lib. 16. t. 3. L. Pignori. 13. ff. de usurpationib. & usucapionib. Lib. 41. tit. 3. Creditores L. 10. & leg. Anonimus 22. C. de pignoratitia actione lib. 4. tit. 24.

Quam veritatem licet plurimam roborare ex testimonio Innoc. III. qui præsens aderat Conc. Late-

ranensis Gen. a. 1215. celebrato (*a*): *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est*, inquit, *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio; tam Canonica, quam Civilis..... unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ*. Idem laudat. Papa statuit, in plurimis aliis Decretalibus, ac præsertim in duabus, quas ad marginem indicamus.

(*a*) Inn. III. in c. Quoniam. fin. de præscriptionibus. Item in c. 5. diligenti 17. in c. Vigilanti 19. eod. tit.

Idem quoque constitutum ab Alexandro III. reperire est, in Decretali quadam, cujus hæc leguntur verba (*b*): *Vigilanti studio cavendum est, ne malæ fidei possessores simus in prædiis alienis: quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem, nisi resipuerit, postquam se noverit aliena possidere, cum bonæ fidei possessor dici non possit. Ephesiaus enim legislator, propter vitandam miserorum segnitiem & longi temporis errorem & confusionem: primus triennali, vel quadragenali præscriptioni, vigorem legis imposuit: nobis autem, tam in rebus cognitis, quam latentibus placuit non habere vigorem.*

(*b*) Alex. III. in c. Vigilanti 5. eod. tit.

Ratio hujus contrarietatis (quod nempe Ecclesia dissentiat Civili Jurisprudentiæ, quæ post possessionem 30. annor. malam fidem possessorum non curat) *est*, inquit Angel. Scholæ (*c*), *quia alius est finis, quem intendit civilis legislator: scilicet pacem servare & stare inter cives, quæ impediretur, si præscriptio non curreret: quicumque enim vellet, posset venire & dicere: istud fuit meum quocumque tempore. Finis autem juris Canonici tendit ad quietem Ecclesiæ & salutem animarum. Nullus in peccato autem salvari potest, nec pœnitere de damno, vel de alieno: nisi recompenset*. Illud potissimum Civiles leges intendunt, ut litigiorum ipsa radix resecetur; hoc vero sibi quam maxime proponunt Ecclesiæ Leges, ut peccatorum vel minimæ fibræ radicitus evellantur. Consulatur, quam eadem de re in decisione octava subjicimus, observatio, quamque iis, quæ hoc loci jamjam enumeravimus, ut plurimum juvat subnectere.

(*c*) S. Thom. 39. eit.

CASUS II.

Artus, a viginti annis & amplius, emptam rem quamdam non moventem, sed cujus Philippus erat verus proprietarius, bona fide possidet, cujus quidem præscriptionis neque decurrere spatium, neque suam rem esse, toto eo tempore, Philippus cognovit; quique proinde nullam negligentiam in semetipsum censendus est admisisse. Numquid tamen Artus præscriptionis jure sese potest aliqua ratione juvare, ad rem dictam sibimetipsi retinendam, quando Philippus, recognoscens eamdem suam esse, ab eo sibi restitui repetit?

RESPONS.

Respondemus, si Artus innitatur emptionis titulo, ab eo posse conscientia prorsus illæsa, præscriptionis jus, in proprium patrocinium, in specie proposita adhiberi, ac retineri, quod ab annis viginti & amplius, bona fide nulloque interpellante possedit, quamquam ei innotescat postea, illud idem omnino fuisse Philippi. Verum quidem est, quosdam Auctores occurrere, qui contendunt, præscriptionem ejusmodi ab ipsa legum mente penitus esse alienam, quæ eo potissimum fine constitutæ videntur, ut eorum plecteretur negligentia, qui propriis suis juribus cum inquirendis, tum conservandis, per nimium spatium temporis indormiunt, quique merentur idcirco bonorum suorum privatione mulctari; quod quidem probare plurimum nituntur laudati auctores, ex quibusdam legibus, quibus statuitur, quo grassantur tum bellum tum pestis, eo tempore sine effectu præscriptionem decurrere: propterea quod viro in ejusmodi calamitatis statu constituto non fit, unde propriis rebus suis eadem diligentia possit, ac quocumque alio tempore cavere. Indeque inferunt, nulli omnino deberi privationis rerum propriarum multam, nisi earumdem servandarum negligentiam in se susceperit.

At neque firmum est, neque verum, quod sibi dicti auctores vindicant fundamentum. Neque enim illud tantummodo Leges intendunt, ut eorum puniatur negligentia, contra quos totum præscriptionis spatium decurrit. *Introducta est enim a jure* (præscriptio) *in bonum publicum & quietem Civium & familiarium, ut disserit Aulus Gellius lib. 4. noctium Atticarum c. 13. eamque ut necessariam Solon legibus suis approbavit, teste Plutarcho in ejus vita*. Ita loquitur Cabassutius (*d*), qui addit, *& expedit, ne rerum dominia in incerto sint*: quam eamdem rationem suggerit Lex una quædam digesti, quæ fert: (*e*) *bono publico usucapio introducta est: ne scilicet ex quarumdam rerum diu & fere semper dominia incerta essent; cum sufficeret Dominis, ad inquirendas res suas, statuti temporis spatium*. Quod quidem remedium foret prorsus inutile si in ea tantum rerum circumstantia locum obtineret, qua eorum, adversus quos tempus præscriptionis absolvitur, defectus culpæ, seu negligentia innotesceret, cujus rei veritatem detegere, non est moraliter possibile. Quin immo, inde certo certius accrescerent inter familias, litium inextricabiles rationes; æternæque omnino evaderent, quæ inter possessores bona fide, & eos, qui proprietarios rerum possessarum esse se arguerent, controversiæ commoverentur: Præteraque fieret, ut quibus religionis plurimum inest, quique nihil, nisi rectum & æquum, volunt consulere, inde scrupulorum anxietatumque non evelli possibilium, radices ingentes numerosæque injicerentur! quippe non possit moraliter contingere, ut certum sit atque extra omnem dubitationis aleam ponatur, num culpabiles aut non culpabiles sint, proprietarii dictorum bonorum. Ita censent ac ratiocinantur & auctor Colloquiorum Petrochoræ (*f*), & Cabassutius (*g*).

(*d*) Cabassut. Jurisd. can. theor. & prax. l. 6. c. 22. n. 6.
(*e*) L. Bono. 1. ff. de usurpat. & usucapion. lib. 41. t. 3.

CASUS III.

Pelagius, ab annis novem, possidet bona fide quamdam domum testamento sibi legatam ab Armando, ad quem nulla omnino ratione pertinebat; sed quæ sibi proprietarios veros vindicabat Joannem, Jacobum, tresque alios. Joanni cum innotuisset ex monumento quodam, dictæ domus ad portionem aliquam obvenire, proprio suo nomine, neque Jacobo, neque ex tribus aliis quoquam ad causam accedentibus, adversus Pelagium Lege egit. Post quindecim vero menses inchoatæ liti cæteri intervenere. Qua de re quæritur, utrum possessio Pelagii, quæ ex ista actione fuit interpellata a Joanne, nondum completo decennio ad præscribendum aliquem fundum, ab ipsa Lege præscripto, turbata interpellataque censenda sit etiam in gratiam Jacobi & cæterorum trium, licet nonnisi post elapsum in integrum decennium egerint: aut potius non sit Pelagio, unde adversus eos, possit decennis possessionis jure juvari: siquidem omnes in eadem Provincia sedem stabilitam habeant?

(*f*) Colloq. Petroch. to. 3. colloq. 3. n. 9.
(*g*) Cabassut. loc. cit. n. 7.

RESPONS.

Cum ista possessio Pelagii, ante completum decennium a Joanne fuit interpellata, & Joanni simulque Jacobo & cæteris tribus domus proprietas in solidum cedat, Pelagius cessavit gaudere titulo possessoris bonæ fidei, non tantum quoad Joannem, sed etiam quoad cæteros comproprietarios: quippe non censeatur bonæ fidei possessio, neque adeo sufficiens ad legitime præscribendum, nisi quorum omnium interest eamdem interpellare, unanimi mutuoque silentio ab omni prorsus actione abstinuerit: *Ita demum* (possessio est legitima) *cum omnium adversariorum silentio & taciturnitate firmatur*, inquit Lex (*h*), *interpellatione vero & controversia progressa, non posse eum intelligi possessorem, qui licet possessionem corpore teneat tamen ex interposita contestatione, causa in judicium deducta, super jure possessionis vacillet ac dubitet*. Adeo ut quando unum idemque jus, sive proprietatis, sive cujusvis conditionis alterius, multorum reperitur esse commune, vel unius ex eis actio sufficiat, ut ejusdem juris præscriptio, etiam quoad omnes interrumpatur. Cujus rei ratio ultro sese prodit: Jus enim ipsum omnino integrum reperitur, ab iis deinde, ad quos spectat, in commune, & pro ratione portionis uniuscujusque possidendum: atque prorsus idem contingeret, si fundum aliquem in commune multi possiderent, aut uno eodemque debito tenerentur: actio namque ab

(*h*) Leg. Nemo 10. cod. de acquir. vel retinenda etc. 32. possessione lib. 7.

eo

eo illata, qui seu proprietarium fundi, seu debiti creditorem esse se contenderet, præscriptionem penitus interrumperet; licet eadem actio in judicio intenta, uni dumtaxar e possessoribus, aut debitoribus denuntiaretur. Eaque ratione propositam difficultatem rursum dirimit alia Lex, (a) quam ad marginem indicamus, propriis ipsius verbis silentio prætermissis: quod fusiori nimium stilo progrediantur.

(a) L. Cum quidam ff. cod. de duobus reis stipulandi & promittendi lib. 8. t. 40.

CASUS IV.

Pepinnus, tutor Arnoldi, minorem suum, postquam in tutelam propriam venit, relata ratione de quibuscumque bonis ipsius nomine administratis, in possessionem deducit eorum omnium, quæ ei cedunt jure proprietatis, atque inter alia, unius cujusdam coloniæ constantis e 150. jugeribus arationum, exceptis duobus pratorum jugeribus viginti alia contingentibus, quæ ad ipsum Pepinum pertinent. Pepinnus existimans dicta duo jugera omnino sua esse, ea simul cum suis aliis elocat Hypolito, qui pensionem ex ista locatione constitutam, unoquoque anno ei persolvit, atque eadem ratione, per triginta annos & amplius, possessione duorum eorumdem jugerum gaudere bona fide insistit. Quo quidem elapso tempore, Arnoldus recuperat instrumentum quoddam in legitima forma confectum, quo ei palam fit, ista duo pratorum jugera ipsius esse. Indeque ea sibi a Pepinno restitui petit: cui Pepinnus respondens, non diffitetur quidem ex memorato instrumento prorsus constare, ad ipsum vere pertinere ista duo jugera; sed quoniam eadem bona fide detinuit, per decennium ultra temporis spatium lege definiti, non existimat, sese teneri, ad ea restituenda favente ipsi plurimum jure præscriptionis. Numquid non potest recta conscientia, eadem sibi retinere, quamquam sine titulo possessa; siquidem eorum possessione, per triginta annos & amplius bona fide continuata juvetur?

Respons.

Potest omnino laudatus Tutor, tamquam acquisita jure præscriptionis memorata duo jugera, absque conscientiæ suæ dispendio, sibi retinere. Istud enim Jus, quod obvenit ex possessione bonæ fidei non interrupta per totum temporis spatium legibus definiti, legitimam prorsus constituit acquirendi rationem, quippe non Lege tantum civili, sed ab ipsa quoque Ecclesia, plurimum comprobetur: quemadmodum in solvenda prima difficultate fuse admodum demonstravimus; allegatis ibi ea de re, quamplurimis Canonibus, Decretalibus, & Legibus Romanis, præter testimonia S. Augustini, & S. Thomæ. Quibus hic loci tantum addemus suffragium percelebris omnino Theologi natione Scoti, cui propter acutum, quo pollebat in tractandis rebus tum Philosophicis, tum Theologicis ingenium, titulus subtilis Doctoris olim indutus est (b). En ratiocinium, quod subjicit argumentis ex Jure Canonico depromptis: *Juste potest illud statui a Legislatore, quod est necessarium ad pacificam conversationem subditorum: Sed dominium rei neglectæ, sicut negligitur in præscriptione & usucapione, transferri in occupantem, est necessarium ad pacificam conversationem Civium: quia si non transferretur dominium in illum occupantem: Sed remaneret apud primum, essent lites immortales. Nam post quantumcumque tempus, ille qui neglexit, vel hæres ejus repeteret illam rem neglectam, ab alio, vel aliis quantocumque tempore occupatam; & essent tales lites, quod impossibile esset eas decidere: quia nec probationem sufficientem haberent; & ex talibus litibus, perpetuæ essent contentiones, & forsitan odia inter litigantes, & sic tota pax Reipublicæ perturbata.*

(b) Jo. Duns volgo Scotus in 4. dist. 15. q. 2.

En quam disertus ille Theologus rationem primo loco proponit, quamque altera subsequitur, his verbis: *Secunda ratio est, quia Legislator potest juste per Legem punire transgredientem, cujus transgressio vergit in detrimentum Reipublicæ, etiam in pœna corporali. Ergo multo magis pecuniaria; & hoc applicando eam fisco. Ergo pari ratione potest eum punire pœna tali; applicando illud, in quo punitur alicui, qui in hoc est minister Legis. Sed negligens rem suam tanto tempore, transgreditur, ita quod ejus transgressio est in detrimentum Reipublicæ, quia impedimentum pacis. Ergo juste potest Lex, sicut rem illam neglectam applicare fisco, ita ad majorem pacem transferre illam in illum, qui tanto tempore occupavit, tamquam in Ministrum Legis.* Cæterum prædictæ rationes non Scoto tantum Auctore gloriantur, sed cæteris quoque fere omnibus Theologis, qui eas adhibere consueverunt in suæ eadem de materia opinionis confirmationem.

Neque est, unde qui Pepinno Tutoris inest titulus objiciatur. Siquidem ex eo non impediatur præcipuum legitimæ præscriptionis fundamentum, quod in bona fide potissimum reponitur, cum sibi vindicat indictam Lege possessionem. Porro de eo nulla controversia est, quod Pepinnus sit bonæ fidei possessor, ac per triginta annos & amplius, duo pratorum jugera, quæ jure proprietatis Arnoldo cedunt, ipse detinuerit. Ergo, quamquam Tutoris Arnoldi vices egerit, ei tamen in integrum jus suffragatur, ut præscriptionis privilegio utatur. Quod quidem adeo verum esse reperitur, ut nuspiam legatur sive civilis, sive Canonica Lex, qua Tutores in ejusmodi rerum circumstantiis positi, ab ea generatim constituta regula eximii habeantur, quæ iis omnibus quam maxime succurrit, quibus acquirendi rei alicujus dominii, locus ex præscriptione præbetur.

CASUS V.

Abiit ultra spatium annorum viginti, ex quo Constantinus a Clemente emit tria vinearum jugera, quæ minori cuidam annos quinque dumtaxat nato, jure proprietatis cedebant. Cum primum dictus minor attigit ætatem justam propriæ rei suæ gerendæ, ei monumentum quoddam deinde occurrit; quo certo certius patet, ipsius esse dicta vinearum tria jugera: Quo quidem monumento fretus earumdem vinearum jugera sibi restitui a Constantino repetiit, salvo jure cautionis a Clemente ipsius venditore præstando. Numquid ab ejusmodi restitutione sese ipsum defendere non potest Constantinus allegando nimirum præscriptionem, quæ cum titulo emptionis, tum possessione per tantum temporis spatium bona fide continuata roboratur?

Respons.

Tenetur prorsus ex debito conscientiæ Constantinus ad restituenda prædicto minori tria vinearum jugera, de quibus quæstio est, neque valet cum titulum emptionis, tum suam bonæ fidei possessionem sibi vindicare. Cujus rei ratio est, quia ut ait Lex: (c) *Non est incognitum id temporis, quod in minori ætate transmissum est, longi temporis præscriptioni non imputari. Ea enim tunc currere incipit quando ad majorem ætatem Dominus rei pervenerit.*

(c) L. Non est 3. cod. quibus non objicitur longi temporis præscriptio. l. 7. t. 2. 35.

Nititur autem ista decisio in eo potissimum, quod tempus, quo præsciptio decurrit, eo tantum fine concedatur proprietatis, ut bonorum juriumque recuperandorum, & locus, & copia fiat. Jamvero qui in minori ætate constituuntur, a gerendis propriis suis rebus, ipsis Legibus arcentur. Ergo & æquitati simul & ipsarum Legum menti penitus adversaretur, in eorumdem detrimentum, decurrere tempus præscriptionis. Atque observandum venit a nobis hic loci eamdem omnino distinctionem acciri quæ apud Jus Romanum adhibebatur, inter impuberes & adultos, juxta quam præscriptio triginta annorum currere incipiebat adversus adultos, qui tutelæ suæ facti, solis tantummodo Curatoribus subjiciebantur (d): Propterea quod juxta usum, qui apud nos recipitur, pupillaris ætas ad annum usque vigesimum quintum protendatur, quo quidem tempore nondum completo, non abit præscriptionis decursus quoad eos, propter rationem superius enunciatam.

(d) L. Sicut 3. cod de præscript 30. vel 40. annorum.

Indeque colligere est, si res aliqua, sive fundus sit, sive jus quoddam seu servitutis, seu naturæ cujusvis alterius, cedat indivise majori, simul & minori, eam præscriptioni nullatenus subjacere: quoniam ex præscriptione, quæ percurrisset, ipso pupillarem ætatem et amnum agente, minor non potest, qua gaudet, proprietate depelli. *Si communem fundum ego & pupillus haberemus*, ait Lex (a), *licet uterque non uteretur; tamen propter pupillum,*

Digitized by Google

pillum, & ego viam retineo. Dicimus, *indivise*. Enim vero si qui majoris & minoris communis est fundus, inter eos foret divisus; jam servituti contra majorem præscribendæ locus daretur, licet in utilitatem ipsius minoris cederet: propterea quod ubi locus est divisioni, utriusque causa communis esse, nulla ratione videatur.

CASUS VI.

SALVIUS, testamento sibi relictam a Joanne quamdam domum, postquam per novem annos bona fide possedisset, licet ad dictum Joannem nullo proprietatis jure pertineret: eamdem ipsius Salvii morte derelictam, nonnisi post decem menses ab ejus obitu, Bernardus hæreditario jure occupavit; qua quidem per tres menses possessa, interpellatus est a Jacobo, qui ei palam fecit ex monumentis omnino certissimis, domum memoratam sibimetipsi jure dominii cedere. Incumbitne Bernardo, ut pro debito conscientiæ, domum istam restituat? Aut jurene præscriptionis juvare semetipsum potest, licet obstet decem mensium intervallum, per quod domus possessioni non institit; & tribus mensibus, per quos eam detinuit, superadditis novem annis, per quos Salvius eamdem quoque possedit, tempus Lege definitum non perfecte constituatur?

RESPONS.

Ex nulla omnino obligatione conscientiæ, Bernardo incumbit domum, de qua agitur, Jacobo restituere: atque jure præscriptionis ei legitime prorsus ejusdem Dominium acquiritur. Ratio est, quia non impeditur ex quocumque intervallo, nullo possessore apparente, cursus præscriptionis. Sic hæres qui absentatur, aut cui nondum innotescit, vacare hæreditatem, aut ad ipsam jus sibi cedere; quique in possessionem hæreditariarum rerum non venit, nisi post elapsum aliquod tempus a successione vacante, id ei juris datur, ut non tantum ipsius possessio per modum continui, tempori, quo defunctus detinuit, subjungatur, sed etiam quemadmodum fertur in ipsa lege (*a*): *Vacuum tempus, quod ante aditam hæreditatem, vel post aditam intercessit, ad usucapionem hæredi procedat*.

(*a*) L. Nunquam 31. § 5. ff de usurpationibus &c. lib. 41. tit. 3.

Istius autem rei causa allegari potest, quod cujuscumque successionis bona jure proprietatis cedant, reservarique futuro hæredi censeantur, atque ab ipsamet hæreditate possideri; quæ *hæreditas*, in eo casu, ut dicitur in jure (*b*): *Dominæ locum obtinet, & recte dicetur hæredi quoque competere* (interdictum) *& cæteris successoribus; sive anteqam successerint, sive postea aliquid fit vi aut clam admissum*. Quæ decisio auctorem habet D. Domat, in ejus tractatu, cui titulus est: *Leges Civiles in Ordine suo naturali* (*c*).

(*b*) L. Deinque 31. §. 5. ff quod vi, aut clam. &c. lib. 43. tit. 24.

(*c*) D. Domat. Leges Civiles &c l. 3. de possess. & præscriptionib. tit. 7. sect. 4. n. 8.

CASUS VII.

JOSSELINUS emptum, de Bertrando cæduæ silvæ jugerum quoddam, pacifica deinde novem annorum, bonæque fidei possessione detentum, moriens relinquit Oliviario suo hæredi, qui ejusdem possessione, per biennium integrum fuit gavisus. Quo quidem elapso tempore, vicinus quidam Josselini, actionem intulit Oliviario, cui probavit ex instrumento summa fide confirmato, sui metipsius esse prædictum jugerum, ac sibi restitui petit: quippe ejusdem per biennium dumtaxat continuata possessio, jus non constitueret præscriptionis sufficientis adversus monumentum, quod exhibebat. Numquid non jus cedit isti vicino?

RESPONS.

Nulla prorsus ratione, jus cedit vicino Josselini, ut Oliviarium de possessione jugeri silvæ cæduæ, quæ ei jure hæreditario a Josselino obvenit, interpellet. Atque ea potissimum ratio est, cum bonæ fidei possessor moritur, antequam præscriptionem alicujus fundi attigerit, atque fundum eumdem ipsius hæres detinere bona fide continuat: simul esse utriusque possessionis tempus conjungendum; & si ex ejusmodi tempore, quod lege definitum est, spatium conficiatur ad præscribendum; præscriptionem in gratiam hæredis compleri.

Quod idem rationis argumentum etiam obtinet, quoad possessionem legatarii adjunctam possessioni Testatoris & possessionem venditoris continuatam per detentionem Emptoris, & qua Donatarius gaudet, possessionem adjectam possessioni Donatoris. *Plane tribuuntur* (accessiones possessionum) *his, qui in locum aliorum succedunt, sive ex contractu, sive ex voluntate. Hæredibus enim & his, qui successorum loco habentur, datur accessio Testatoris*. Quæ verba, ipsissima sunt unius cujusdam e Digesti legibus (*d*), cui aliæ possunt annecti quamplurimæ, quibus idem statuitur, quoad casus ejusdem speciei: & nominatim Lex ista, quæ quoad specialem casum de Emptore & Venditore, luculenta omnino est (*e*). *Emptori tempus venditoris, ad usucapionem procedit*. Et hæc alia (*f*): *Eum, qui in locum emptoris successit, iisdem defensionibus uti posse, quibus venditor ejus uti potuisset; sed & longæ possessionis præscriptione, si utriusque possessio impleat tempora Constitutionibus statuta*: Iterumque istæc altera, quæ ad legatarium & Testatorem spectat (*g*): *Legatario dandam accessionem ejus temporis, quo fuit apud testatorem, sciendum est*. Denique vero quintam juvat rursum recensere, qua dicitur de Donatore & Donatario (*h*), *sed & is, cui res donata est, accessione utetur, ex persona ejus, qui donavit*: quod etiam exprimit alia Lex, de Codice Justiniano (*i*). Est hæc ergo generaliter constituta regula, idemque apud omnes receptus Jurisprudentiæ usus, in specie proposita, cæterisque ejusdem conditionis casibus, obtinere, ut ex utriusque possessionis temporibus sibi invicem accedentibus, unicum solummodo spatium possessionis exurgat: *Diutina possessio*, inquit Imperator Justinianus (*k*), *quæ prodesse cœperat defuncto, & hæredi, & possessori bonorum continuatur*.

(*d*) L. de accessionibus 14. §. 1. ff. de diversis tempor. præscript. l. 44. tit. 3.

(*e*) Leg. Pro emptore 2. §. 20. ff. pro emptore lib. 41. tit. 5.

(*f*) L. Dolio 70. §. 1. ff. de contrah. Emptione l. 18. tit. 1.

(*g*) L. Pomponius 13. §. 10. ff. de acquirenda, vel amitt. possess.

(*h*) Cit. Leg. Pomponius §. 11.

(*i*) Leg. Super. 11. C. de præscriptione longi tempor. 10. vel 20. annor.

(*k*) Lib. 2. Instit. 6 de usucap. §. Diutina

Ex quibus inferre est, ab Oliviario jus proprietatis de jugero cæduæ silvæ, de quo quæstio instituitur, possessione plusquam decennali legitime esse præscriptum, dunbus nimirum annis, per quos illud possedit, accedentibus novem aliis, per quos idem jam fuerat a Josselino ejus auctore detentum.

Quod tamen sic debet intelligi, ut 1. Utraque possessio, eadem quasi successione temporis, fuerit continuata, nec ullatenus interrupta, adeout verbi gratia prior possessio, per possessionem alterius cujusdam tertii, non fuerit interrupta, aut petitionis actione, in judicio cum fundamento, illata. Dicimus: *Cum fundamento illata*. Quoniam si nimia interpellatio fuisset ab aliquo tertio commota; aut possessor de possessione sua, injusta occupatione deturbatus esset, aut aliqua vi adhibita, aut falso monumento, quod Arresto post provocationem interjectam a sententia pronunciata, nullius fidei ac omnino futile declaratum esset; inde non impediretur, quominus accessio fieret utriusque possessionis tum hæredis tum defuncti, atque etiam ratio integra illius temporis haberetur, quod extante ista iniqua occupatione, fuisset elapsum: siquidem verum esset, cum ejusmodi intepellatio non fuisset a vicino Josselini commota, qui supponitur novam adversus Oliviarium actionem intendisse: inde ei fructum nulla ratione obvenire posse, quantum ad eum casum, de quo agitur, quin immo habendum fore Oliviarium alterum possessorem, tanquam eum qui vi adhibita, de possessione depulsus esset, apud quem nihilominus legitimi possessoris titulus in integrum remaneret; juxta hæc verba legis (*l*): *Si quis vi de possessione dejectus sit, perinde haberi debet, ac si possideret; cum interdicto de vi, recuperandæ possessionis facultatem habeat*.

(*l*) L. Si quis quis 17. ff. de acquirendo, vel amitt. possess.

2. Istud eo sensu accipiendum est, quod, ut reperitur in proposita, utraque possessio bona fide innitatur. Alioquin præscriptio non potest esse legitima, neque possessio subsequens priori præcedenti accedere: illudque disertis verbis fertur in alia lege, quæ sic habet (*m*). *Si autem accessione Auctoris utitur: æquissimum visum est eum qui ex persona Auctoris utitur accessione, pati dolum Auctoris*. Et istis aliis verbis declaratur (*n*). *Cum quis utitur adminiculo ex persona Auctoris, uti debet cum sua causa, suisque vitiis*.

(*m*) L. Apud 4. §. 27. ff. de doli mali & metus exceptione. l. 44.

(*n*) Cit. Leg. Pomponius §. 3.

CASUS VIII.

A PANTALEONE Abbate sanctæ fidei, venumdatam quamdam silvam cæduam Vitali, de ipsius Abbatia

batia pendentem, non requisito prius consensu ejus Religiosorum, neque servatis servandis aliunde formulis constituta, ea de re, summa 4000. librarum, quam summa premente vitæ necessariorum angustia, in pauperum levamen effudit, ipse Vitalis ad Robertum deinde contractu venditionis, cum transmisisset, successor dicti Abbatis, in eamdem actionem ipsius cum eo Religiosis descendentibus petit hodie a Roberto, semetipsum in ejusdem silvæ cæduæ possessionem restitui, licet a dicto Roberto bona fide possideatur ab annis quadraginta & amplius, sub eo nimirum prætextu, quod istius alienationis contractus, in gratiam Vitalis, primum confectus a Pantaleone, in eo peccet, quod formulis in ejusmodi casibus, requisitis destituatur. At ex adversa parte contendit Robertus, cum sibi nullo modo, vitium contractus venditionis, in gratiam sui venditoris conflati, innotuerit, aliunde vero, cum suo venditore, juxta formulas legibus præscriptas, egerit, quantum ad eamdem alienationem ad semetipsum transmissam, sese consequenter maxime juvari sua possessione, quam bona fide continuavit, ut a restituenda repetita cædua Sylva, omnino defendatur. Utri jus?

RESPONS.

Jus in integrum cedit Roberto. Extra omnem dubitationis aleam positum namque est, nihil quidquam obstantibus quibuscumque vitiis monumenti prioris partoris, si a tertio quodam, bonum aliquod Ecclesiasticum primo quidem comparatum, possessum deinde fuerit, per annos quadraginta, ac bona fide semper comitante, ab eodem posse, recta protsus conscientia, adversus Beneficiarium petentem in possessionem ejusdem boni sese reddi, ius præscriptionis implorari. Ratio est autem, quod ex vitioso tituli instrumento, quo nititur partor malæ fidei, possit quidem usus præscriptionis, isti partori denegari, juxta Regii Edicti interpretationem 15. Decemb. 1656. & quatuor Arresta lata, a supremo Rhotomagensi Senatu 9. Januarii 1542. 15. Martii 1564. 14. Febr. 16.4. & nono Decembris ejusdem anni, quæ quidem Arresta refert Berault in Articulum 521. Consuetudinis Normanniæ (a); verum tertio cuidam, qui postea acquisivit, quippe vi specialis alterius instrumenti, bonæ fidei factus est possessor, cum possessionem annorum 40. præsefert, nequeat istud, quod priori loco obtinuit, vitiosum tituli instrumentum, ullatenus imputari, quod certe nisi ea ratione se haberet, ne unus unquam fere casus occurrat, in quo præscriptioni adversus Ecclesiam, licet 40. annorum bonæ fidei possessione roboratæ, locus dari possit. Atque ea potissimum de causa, testante Bonifacio (b), Regii juris Cognitores in suprema Gratianopolitana Curia occasione litis cujusdam, a Senatu Provinciali supremo, translatæ firma auctoritate confirmaverunt atque attestati sunt, juxta eum usum, qui antiquitus obtinuit, possessione 40. annorum plurimum juvari, tutosque omnino evadere ab omni contentionis, interpellationisque periculo, eos a quibus Ecclesiastica bona primo quidem, non adhibitis requisitis formulis, alienata tertio deinde loco bona fide detinebantur. Iiseque usus, ferente D. de Ferriere (c) in suprema Tolosana Curia frequentatur.

(a) Berault in Consuetud. Norm. ar. 521.

(b) Bonifac. Collect. Arrest. tom. 2. pag. 177.

(c) D. de Ferriere in Novel. Sua to. 3. l. de Alienation. Bonorum Eccle siast. n. 47. De la Paluelle 3. p. pag. 396.

CASUS IX.

SAMUEL degens intra limites tractatus Turonens. decem arationum jugera, quæ ei, ab uno quodam ex amicis ipsius, testamento legata sunt, a sex annis bona fide possidet. Cyrillus, qui degit in eadem Provincia, contendit istæc arationum jugera, omnino sua esse, ex scripto quodam instrumento, quod ait, a se fuisse recuperatum; ac Samueli facit ea de re vadimonium: post instructas vero litis istius quasdam formulas actione ei illata absistit. Idemque Samuel dictarum arationum, per continuos quatuor annos remanet possessor. Qua de repetitur, num sufficiat ejusmodi possessio decem annorum, ut eicedat jus præscriptionis legitimæ, nihil quicquam officiente actione, quæ fuit ei a Cyrillo intenta?

RESPONS.

Ad solvendam propositam difficultatem, primum scire necesse est, an Samuel possessionem suam bona fide continuaverit, cum ante, tum post litem ei a Cyrillo ea de re commotam, aut propria possessio, in dubium quoddam probabile, auctoritateque aliqua confirmatum, ei tantummodo venerit, aut tandem utrum ante litem illatam cum bonæ fidei possessor fuerit, possessor malæ fidei non sit postea factus; pro certo nimirum habens, decem agrorum jugera, jure proprietatis, cedere Cyrillo.

1. Si Samuel semper extiterit possessor bonæ fidei tum post, tum ante litem commotam, nihil quicquam obstante, quam ei Cyrillus intulit, actione, ei potissimum accedit, quidquid præscriptionis spatii decurrere continuavit. Ratio est, quia sic debet haberi ejusmodi actio, quasi nunquam fuisset intenta, quippe Cyrillo non persequente, ipsius actio, conticinio triennii perierit: juxta quod fertur, in Edicto Ruscinonensi (d) promulgato, ann. 1564. his verbis: *Causa intenta, nisi in controversiam adducatur, si lapsu triennii intermissa sit, nullum sortietur perpetuandæ, seu prorogandæ effectum: verum proprio suo cursu præscriptio gaudebit, perinde ac si prædicta causa nec commota, nec introducta fuisset, neque erit, unde contendi queat, intermissam idcirco fuisse memoratam præscriptionem.* Quod alio deinde Edicto Ludovici XIII. confirmatum est (e).

(d) Edict. Ruscinonens. art. 15.

(e) Art. 91.

2. Si pendente causa, quamquam petita triennii conticinio, Samuel evaserit possessor malæ fidei, sive dum litem persequeretur Cyrillus, sive postea quam ab eadem destitit, nullum ei profecto cedit jus præscriptionis, quantum ad forum conscientiæ, quemadmodum superius demonstratum est ex decisionibus Alexandri III. Innocentii II. Innoc. IV. Bonifacii VIII. & S. Thomæ, quorum verba, in respondendo ad primam difficultatem, relata sunt.

Operæ pretium est tamen observare, ab erudito quodam Theologo (f) commemorari circa præscriptionem, quæ ex possessione 30. annorum exurgit, secundum Jurisprudentiam nostrarum supremarum Curiarum, modum quemdam teneri, qui in eo maxime situs est, ut quando mala fides possessoris sic palam & aperte sese prodit; ut nulla omnino tergiversatione valeat eludi, ejusmodi præscriptio penitus rejiciatur; admittatur autem, cum aut ex negligentia, aut ignorantia juris fides mala provenit. Existimat laudatus Theologus, summo iure servato, huiusmodi temperamentum posse retineri, quia leges Romanæ, & sancti Canones inter se plurimum componuntur, præsertim cum simul concurrunt & juris ignorantia, & facti, ac dubium quodammodo momentaneum est, nec sufficienti auctoritate confirmatum; quin etiam persuasum habet, tuta conscientia, jus præscriptionis implorari posse, licet postea contingat, interveniente ejusmodi malæ fidei altera specie, bonæ fidei possessionem interrumpi. Eamque rationem allegat, quod nimirum ad potestatem spiritualem non pertineat, modum quo res mere temporales possidendæ sint, ulla ratione præscribere. Enimvero cum res istas, nonnisi jure a Principibus temporalibus constituto, perhibente S. Augustino, possideamus, ipsorum omnino est, quibus acquiri eadem possunt, legitimas rationes statuere, atque eos plectere, qui ex propria negligentia fuerint promeriti, defraudando nimirum illos, quadam quasi ipsorum proprietatis addictione, quam alteri Lex indicit, in odium ipsorum negligentiæ, res ipsas, quibus conservandis nimio plus indormiverunt, & easdem applicando, quibus visum fuerit, pro majori Reipublicæ commodo addicere, adeo, ut memorato Theologo mirum nulla ratione videatur, immo summa auctoritate confirmatum, si dictum fuerit, quæ isti opinioni non omnino favere reperiuntur, Decretales, quoniam nec attigerunt, nec dirimerunt peculiarem, de quo quæstio est, casum, non posse secundum strictum, quem præ se ferunt earumdem verba, sensum accipi, nisi in illis Regnis, aut Imperiis, in quibus roboris aliquid mutuantur, ex Potestate & Auctoritate suprema temporali, nequaquam vero alibi. Quod quidem probare nititur ex istis verbis Glossæ (g): *Ubi versatur periculum animæ, leges succumbunt Canonibus:*

(f) Sambov. t. 2. casu 1. 6. pag. 19.

(g) Glossa in reg. Possess. de reg. juris in 6.

ideo

Digitized by Google

ideo leges illæ sunt correctæ, ita quod est judicandum secundum jus Canonicum, sed in materia non concernente periculum animæ, leges sunt servandæ in foro suo, jus Canonicum in suo; nam Papa non potest tollere leges, quoad judicium sæculare, nisi in iis, in quibus vertitur periculum animæ, cum potestates sint distinctæ, videlicet Ecclesiastica, a potestate sæculari; ideo dicit Bartolus, quod præscriptiones longissimi temporis, quæ procedunt ex sola negligentia non petentis, & non ex facto possidentis, præscribuntur cum mala fide.

En qua ratione censet laudatus Theologus, cujus tamen opinionem tenendam esse non putamus. Quamquam enimvero leges ipsæ ferant (*a*), in eo casu locum esse præscriptioni, nihil quicquam obstante mala fide Possessoris, eamdemque in foro exteriori judicii, repudiari non valere, quando de mala fide possessoris certissime non constat, absque dubio nihilominus est, jure Canonico, cui omnino standum est, tamquam regulæ tutiori, quæ conscientiæ consulat, quantum ad casus morales, quos attingit & dissolvit, de possessione malæ fidei, nullam prorsus induci exceptionem: quemadmodum patet ex ista regula Bonifacii VIII. (*b*): *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Alexander III. & Lucius III. (*c*) quorum Decretales, in prima decisione jam laudavimus, declarant etiam distinctis verbis, nullaque adhibita clausula excipienti, nullatenus posse tamquam legitimam haberi præscriptionem, quæ possessione bonæ fidei non roboratur.

(*a*) L. Sicut, & l. Si quis, 8. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40 annor. lib. 7. t. 3; L. Super r. §. C. de annali, except. &c. ib. t. 40

(*b*) Bonif. VIII. in reg. Possessor. 2. de reg. juris in 6

(*c*) Alex. III. in c. Vigilanti 5. de præscriptionibus. Et Lucius III. in c. Quoniam eod. t. lib. 2. t. 26.

Quin etiam ab ipsis jurisconsultis nostris Decretales istæ plurimum laudantur & adhibentur in auctoritatem eorum, quæ hic loci docemus. En quibus verbis loquitur Domat, qui sibi nostram, ex eo, plurimum iniit gratiam, quod ingens multique laboris opus ediderit, in quo ratione omnino utili, leges Romanæ in ordinem suum naturalem disponuntur, & ad usum nostrum accommodantur (*d*), quod non innuit (intelligit nempe leges quas citavit) istis legibus hujusmodi possessorem, quantum ad conscientiam, effici securum: sed tantummodo per Disciplinam Civilem non licere, ut possessores post continuatam per longum adeo temporis spatium possessionem, non interpellentur, nec iis incumbat, aut suos, quibus nituntur, titulos exhibere & probare, aut etiam primam suæ possessionis originem indicare. Prætextus namque inquirendorum malæ fidei possessorum, verteret in turbandam pacem eorum, qui legitime possiderent. Verum quod spectat ad conscientiam, nullus dubitandi locus est, etiam ex longissimi temporis intervallo, malæ fidei possessores non reddi securos, quin immo diuturnam eorum possessionem nihil aliud importare, nisi diuturnam prorsus injustæ eorum detentionis continuationem. Atque inde est, quod jure Canonico denegetur omnis præscribendi facultas ei, qui mala possidet, quantacumque possessione glorietur. Quod quidem intelligentissimus Auctor confirmat ex allegata superius Decretali Lucii III. subjicitque postea atque is usus apud nos recipitur, ut etiamsi possessor, qui præscripsit, non cogatur ad probandum ratumque efficiendum scriptum, quo fulcitur instrumentum nec ad aperiendum, quanam ratione suam primum inceperit possessionem; si tamen primam ipsius originem detegi contingat, malamque fidem accessisse, compertum fuerit, possessio nihil proderit adversus proprietarium, qui jus suum demonstrabit. Unde Depositarius, qui per triginta annos possedisset quatenus Depositarius, rem aliquam apud se depositam, nullo jure præscriptionis posset juvari ". Huc usque ea ratione progressus est laudatus Jurisconsultus, indeque apertissime colligitur, quantum sit alienus ab admittenda exceptione, distinctione, seu quacumque specie temperamenti, quibus possit malæ fidei possessor ullo modo juvari.

(*d*) Domat. L. Civil. &c. l. 3. t. 3. sect. 4. n. 14.

3. Si denique Samuel aliquod dubium summa auctoritate fretum fuerit expertus, quo mala fides ipsius exagitata sit, aut lite pendente, aut post caulam licet trienni negligentiæ lapsu peritam, inde non impeditur, quominus etiam quantum ad conscientiam, in proprium commodum valeat jus præscriptionis accersere. Quamquam enim ex ejusmodi dubio, neque malæ fidei possessor censeatur, sed constituatur tanquam in quodam medio, sitque nimirum dumtaxat *Possessor non bonæ fidei*, non ideo cursus præscriptionis interrumpitur. Atque ea ratio est, quod licet ad incipiendam præscriptionem bona fides necessario requiratur, & propter malam fidem non legitima habeatur, in quo nempe jure Canonico jus Romanum emendatum est; non tamen absolute exigitur, ut possit continuari, & satis est, si quamdiu tempus ad præscribendum definitum decurrit, mala fides in Possessore non reperiatur. Quod quidem evincere est ex verbis Innocentii III. loquentis in quarto Concilio Generali Lateranensi (*e*), a quo cum statutum est, *ut nulla valeat absque bona fide præscriptio*, additur: *Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ*. Juxta quæ postrema verba patet, dubium simplex non esse decurrendæ præscriptionis impedimentum, neque nisi ex aperta mala fide, eamdem posse interrumpi. Quod etiam observat Auctor Glossæ (*f*), qui ait: *Quid si dubitat, an res sit sua, & habet justam causam dubitationis? Ad hoc dicitur bonæ fidei possessor, & utitur fructibus* (*g*), *& in hoc casu præscribit, licet habeat conscientiam dubiam, non tamen læsam: quia nescit adhuc, an res sit aliena, debet inquirere ab aliis de re illa, ut sic perveniat ad veritatem*. Atque illud idem innuunt isthæc verba Canonis cujusdam de Decreto Gratiani (*h*): *In jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum*.

(*e*) Inn. III. in Concil. Gener. in cap. Quoniam. fin. de præscr. l. 2. t. 26.

(*f*) Gloss. in d. c. Quoniam

(*g*) L. Qui scit §. Bonæ fidei. ff. de usur.

(*h*) Can Si virgo 5. 14. q. 5.

Verum ut extra omnem omnino controversiam ponatur, plurimum discriminis interesse inter simplex dubium & malam fidem, ea de re legenda est Decretalis quædam Lucii III. qui sermonem faciens de uxore, quæ de mariti prioris morte dubitabat, sic habet: *Si vero aliquis vel aliqua .... de morte prioris conjugis adhuc existimat sibi esse dubitandum; ei quæ sibi nupsit, debitum deneget postulanti*. Quod quidem declarare laudatus Papa non præsumeret, nisi discrimen ingens, inter malam fidem & simplex dubium constitueret.

CASUS X.

Calvomondo, furto surreptum Luciano quemdam adamantem, ad pretium usque 000. nummorum assurgentem, subita morte correpto Stephanus ejus filius & unicus hæres, inter res alias hæreditarias invenit, existimans autem, eumdem sui Patris omnino proprietatis jure fuisse, per triginta & amplius annos, illum detinuit. Quo quidem elapso tempore, Lucianus agnitum suum adamantem, quem Stephanus suo digito aptabat, sibi restitui voluit exigere, ultro offerens, a sese exhibenda indicia quæque certissima; quibus palam faceret, a Calvomondo ipsius Patre fuisse eum adamantem furto sibi surreptum. Qua de re quæstio instituitur utrum teneatur Stephanus, nihil omnino juvante tam longa bonæ fidei possessione, ad restituendum dictum adamantem, modo compertum habeat verum esse, quod factum enunciatur?

Respons.

Tenetur prorsus Stephanus ad restituendum Luciano adamantem, quem ab eo Calvomondus clanculum abstulerat. Ratio est, quia hæres universalis unam eamdemque personam censetur sustinere cum defuncto, in cujus possessione hæreditario jure venit, ut loquitur Lex (*i*); ac quemadmodum quorumque ipsius jurium & privilegiorum fit particeps, sic debita & onera suscipere ei incumbit. *Hæredes onera hæreditaria agnoscere ... placuit*, ait una Lex de Codice (*k*), adeo ut, cum Calvomundus malæ fidei possessor extiterit, & consequenter obligatus fuerit ad adamantem, quem furto acceperat, Luciano restituendum, ipsius mala fides debet recidere in Stephanum ejus unicum hæredem: & qua tenebatur Pater, eadem Lex restitutionis tenet filium, qui proinde eo ipso fit inhabilis ad præscribendum. *Vitia possessionum a majoribus contracta perdurant*, inquit alia Lex de Codice (*l*), *& successorem, auctoris sui culpa comitatur*. Imperator Justinianus declarat etiam (*m*), *si ille* (defunctus) *initium*

(*i*) L. Hæres ab-st. usurp. & usucapionibus l. 31. t. 3.

(*k*) L. Pro hæreditar. actionibus l. 4. t. 16.

(*l*) L. Vitia 11. Cod. de acquirenda & retinen. possess. l. 7. t. 32.

(*m*) Lib. 1. Instit. 2. 6. §. Diviseas de usucapionib. & longi tempor. præscript.

tium justum non habuit, hæredi & bonorum possessori licet ignoranti; possessio non prodest. In eoque jus novum plane concordat cum antiquo jure, cujus ea de re dispositio legitur in ista lege Digesti (*a*): *Cum hæres in omne jus defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitium non excludit*. Adeoque cum Lucianus palam & aperte evincat, sibi a Calvomondo adamantem istum surreptum fuisse: Stephanus, cui factum ex istis indiciis perspectum est, obligatur conscientiæ debito ad eundem ipsi reddendum, quantacumque bonæ fidei possessione valeat gloriari.

(*a*) L. Cum hæres, 11. ff. de diversis temporal. præscript. & cæt.

Eadem vero non foret conditio illius, qui Legatarium aut Donatarium particularem sese exhiberet. Qui enim unum quodam solummodo legatum accepisset, aut in cujus gratiam constituta fuisset aliqua donatio, de re aliena, potest absque dubio juvari, triginta annorum præscriptione, secundum ipsissima verba, quæ feruntur in lege, eo modo (*b*): *An vitium autoris vel Donatoris, ejusque, qui mihi noceat, si forte autor meus justum initium possidendi non habuit, videndum est: & puto neque nocere, neque prodesse. Nam denique usucapere possum, quod autor meus usucapere non potuit*. Ex quibus inferendum est, si memoratus adamas ad Stephanum donationis via, fuisset transmissus, aut eidem testamento legatus, illæsa prorsus conscientia, ei futurum fuisse licitum, ut adeo diuturna bonæ fidei possessione acquisitum sibi jus præscriptionis, in propriam utilitatem adduceret (*c*).

(*b*) L. an vitium. 5. de divers. tempor. præscr. l. 44. t. 3.

(*c*) Colloq. Petrochor. to. 3. Colloq. 3. q. 3.

Diximus, qui Legatarium aut Donatarium particularem sese exhiberet. Universalis namque legatarius ut ipse hæres est considerandus.

CASUS XI.

HYPPOLITUS rem quamdam ab Ursino inique de vicino ipsius occupatam bona fide emit, & postea vendidit Theodulo, qui eamdem, per totum temporis spatium legibus definiti, ad legitimam præscriptionem, bona fide detinuit. Nonne jure præscriptionis, dicto Theodulo cedit ejusdem legitima proprietas?

RESPONS.

Ex mala fide, qua rem, iniqua occupatione, detentam Ursinus deinde vendit, uno impeditur, quominus jus præscriptionis, quantum spectat ad Theodulum, legitimum omnino censeatur, modo currente temporis spatio definiti ad præscribendum nulla et ratione mala fides Ursini perfecta fuerit. Quod quidem jure probatur, in quo legere est (*d*): *Jure civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui Dominus non erat, cum crederet eum Dominum esse rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis justa causa acceperit, is eam rem si mobilis erat, anno ubique uno si immobilis biennio.... usucaperet.... ideo constitutionem super hoc promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles, per triennium, immobiles vero, per longi temporis possessionem, id est inter præsentes decennio, inter absentes 20. annis usucapiantur*. Quæ lex auctorem habet Imperatorem Justinianum, qui rursus paulo post ait (*e*): *Sed tamen id aliquando aliter se habet: nam si hæres rem defuncto commodatam aut locatam, aut apud eum depositam, existimans hæreditariam esse, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, quin is qui acceperit, usucapere possit, dubium non est, quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit, cum utique hæres, qui bona fide, tanquam suam alienaverit, furtum non committat*. Et iterum (*f*). *Si malæ fidei possessor, alii bona fide accipienti tradiderit: poterit ei longa possessione res acquiri*. Atque ea potissimum ratio est; quod etiamsi ex titulo venditionis rei traditæ ab Ursino, res ista Hypolito, non legitime acquiratur, siquidem ipse Ursinus ejusdem nec proprietarius esset, nec bonæ fidei possessor, ex jure tamen præscriptionis conflatæ, per possessionem temporis legibus præscripti, bona fide roboratam, Theodulo possit cedere, id est per possessionem triennii, si res mobilis fuerit, aut decennii, si sit immobilis, & sedem habeant in eadem Provincia fixam, tum ipse, tum venditor, aut tandem 20. annorum, si in duabus diversis Provinciis commorentur, propterea quod titulo colorato & verosimili innitatur, ipseque cum suo venditore bona fide summopere juvetur.

(*d*) Lib. 2. instit. t. 6. de usucapionibus & longi temporis præscriptionib. initio.

(*e*) Ib. §. Sed tamen 4.

(*f*) Ib. §. Quod autem 7.

Interest tamen plurimum observare, quam modo citavimus, legem non esse, nisi præscriptione, quam ajunt *longi temporis*, & qua prima Lex interpretatur, ratione intelligendam, non vero de præscriptione, quam appellant *longissimi temporis*, quæ titulum necessario non prærequirit, qualis est præscriptio 30. annorum *inter præsentes*, aut 40. annorum *inter absentes*. Unde concluditur rei mobilis quæ in casu proposito ab Hypolito bona fide empta est, & ab Ursino furto surrepta fuerat, dicto Hypolito, licet titulo careret, ex possessione 30. annorum, Dominium legitime accedere, si ipse & Ursinus, in eadem Provincia degant. Quod omnino patet ex Imperatoria constitutione, quæ habetur in Codice (*g*): *Malæ fidei possessore alienante, cessat longi temporis præscriptio, si verus Dominus ignorat suum jus, & alienationem factam, spectatur ergo 30. annorum defensio* (*h*).

(*g*) Authent. Malæ fidei. C. de præscript. longi temporis 10. vel 20. annorum, l. 7. t. 33.

(*h*) Colloq. Petrochor. loc. cit.

CASUS XII.

GUSTAVIUS, Dominus Parœciæ S. Britii, ab annis quinquaginta, & amplius, & cujusdam jugeri quartæ partis, hortum ipsius olitorium contingentis possessione gaudet. Bertrandus ejusdem Parœciæ Parochus, ex monumentis indubitatis ei, palam & aperte fecit; istam quartam partem jugeri, in Cœmeterii portionem quondam venisse, ab eoque petiit dicto Cœmeterio restitui. Gustavius reposuit, memorati jugeri quartam partem, ultra tempus ad præscribendum adversus Ecclesiam requisitum, bona fide nemineque impediente, a semetipso fuisse detentam, ac restitutionem ejus præcise negavit. Numquid ejusmodi detractio aliquo fundamento juris innititur?

RESPONS.

Quamquam bona fide possederit, per annos 50. & amplius, quartam jugeri partem, de qua quæstio instituitur; nullum tamen juris fundamentum Gustavio succurrit, unde ab eadem Ecclesiæ Parœciali S. Britii restituenda, sese possit ulla ratione subducere. Quæ quidem ratio est, quia legitimæ præscriptioni non subjiciuntur nisi res, quæ ingrediuntur commercium & possunt ab aliquo privato proprietatis jure detineri. Porro res, quas sacras Jus dicit, qualia sunt, quæ Divino cultui inserviunt ac devoventur, ut Templa, Capellaniæque in ordinem rerum, quæ positæ sunt in commercio, non recensentur, neque etiam res, quæ appellantur *Religiosæ*, qualia sunt loca, in quibus fideles sepulturæ traduntur: neque res, quæ apud Jus Romanum tanquam sanctæ circumferuntur, quales sunt viæ publicæ, Mænia (*i*) portæque urbium & generatim quæcumque ad publicum usum referuntur. Ex quibus inferendum est, siquidem ista jugeri portio nemini cedat jure proprietatis, ac conditionem teneat earum rerum, quæ Religiosæ appellantur ejusdem non potuisse dominium ad Gustavium transmitti via præscriptionis, etiamsi possessionem bonæ fidei præ se ferret, quæ omnem omnino hominum memoriam excederet. ac consequenter ipsi prorsus incumbere, ut ad quam pertinere dignoscitur, eamdem Ecclesiæ restituat.

(*i*) L. Sanctum 8. §. 1. ff. de divers. rerum qualitate. L. Sacra ib. l. 1. t. 8.

Quod idem extendendum est ad pensionem annuam, quæ fuisset in sacra quædam obeunda attributa, qualia sunt Divina sacrificia, supplicationes, cæteraque ejusmodi. Quamvis enim dicta pensione non soluta, anni etiam 50. & amplius abiissent, juxta usum apud nos receptum deberentur semper usuræ, obventæ ab annis 29. quas accrescendæ sorti oporteret accedere (*k*).

(*k*) Colloq. Condomens. colloq. 17. sect. 2.

Advertendum tamen est, occasione propositæ difficultatis, quasdam res extra omne commercium positas, posse præscriptione vel acquiri vel amitti, cum nempe quibus annectantur ea vel acquiruntur vel amittuntur. Exempli causa, si jure præscriptionis, prædium quodam clientelare mihi cesserit, cui jus patronatus attribuatur, aut in cujus Castro contineatur domestica quædam Capellania, palam est ex præscriptione dicti prædii, mihi quoque accedere & ipsum Jus patronatus, & ipsius Capellaniæ usum, quemadmodum colligitur ex quadam

Lege,

(a) L. Quædam 62. ff. de acquirendo rer. Dominio l. 41. tit. 2.

Lege (a), quæ circa aliam materiam, istud principium tanquam indubitatæ fidei constituit: *Quædam, quæ non possunt sola alienari, per universitatem transeunt, ut fundus dotalis ad hæredem: & res, cujus aliquis commercium non habet. Nametsi legari ea non possit, tamen hæres institutus dominus ejus efficitur.*

CASUS XIII.

FULDRADO, prædii cujusdam, jurisdictioni supremæ Rhotomagensis Curiæ, subjecti Domino jure gaudenti justitiæ infimæ, cum usurarum pensionis Clientelaris indormivisset solutioni per sex annos exigendæ, quæ ab ipsius Cliente Gilberto unoquoque anno ei persolvenda est, iste numerandas trium dumtaxat annorum usuras offert, contendens quidquid de tribus cæteris annis residuum est, sibi jure præscriptionis acquiri. Num quoad forum conscientiæ legitimum est jus, quod sibi vindicat?

RESPONS.

(b) Consuet. Norman. art. 37.

Est equidem ea Consuetudinis Normaniæ dispositio (b), ut qui infimo justitiæ imperio Domini gaudent, jus non habeant repetendarum, oisi trium annorum usurarum, clientelarium pensionum, quæ ipsis debentur ab eorum clientibus, *nisi earum, quas ex ulteriori tempore reliquantur, ratio confecta fuerit, aut de iis solvendis obtenta sententia, aut cvictum sit generalem hypothecam ex fundo clientelari primario resilire*, ait laudata Consuetudo, atque in eo distinguuntur a Dominis, qui jus habent gladii, quibus eadem Contuerudo dat (c) usurarum annorum viginti novem exigendarum facultatem, at contingere posset id juris acquiri, Fuldrado quidem quibusdam in casibus repetendi, quæ debentur ex annis sex integras usuras; Gilberto autem in aliis rerum circumstantiis vindicandi sibi privilegii præscriptionis.

(c) Consuet. Norman. art. 21.

Quod quidem discrimen ut apprime intelligatur notandum est, cum Godefrido in dictam Consuetudinem commentario (d), obtinuisse ulim in ista Provincia duas contractuum fiduciariorum species. Alii quidem auctoritate pignoratitia litteras ad tempus quodcumque præferebant, quoniam in iis nihil quidquam certi cujusdam temporis definiebatur, aliis autem terminis triennii tantummodo spatium temporis circumscribebant. Adeo ut vi priorum contractuum locus sit Fuldrado, repetendarum a Gilberto absque ulla exceptione, quæcumque debentur omnium usurarum, posteriorum vero contractuum ipsissimis verbis, eidem copia omnino denegetur, nonnisi quæ tribus postremis annis obventæ sunt usurarum exigendarum, nisi forte iisdem apposita fuisset exceptio, de qua mentio habetur in ista Consuetudine, quamque modo retulimus. Proindeque si possit Fuldradus, sui contractus authenticam tabulam proferre, conventionibus ac clausulis, quas exprimit, prorsus standum est. At vero si possessione dumtaxat, nulloque aliunde titulo juvetur, 1. Gilberto jus præscriptionis potest accedere, si bona fide innitatur, hoc est si fidem habeat, pensiones tribus annis prioribus obventas, ab antecedenti vassallo vectigali fuisse solutas. 2. Si ei bona fides non adfuerit, ipseque cum agros clientelares per sex annos possederit, petitam ab ipso Fuldrado solutionis aliquam dilationem obtinuerit, ex conscientia ei incumbit, quidquid pensionum ab annis sex reliquatus est extinguere, alioquin cum bonam fidem, tum propriam conscientiam apertissime læderet, quemadmodum enim ait Bonif. VIII. (e) *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* 3. Si sibi concedi tempus ad solvendum a Fuldrado non experierit, potest ut plurimum sibi vindicare jus, quod ab ipsa Lege defertur, hoc est a Consuetudine, quæ vim Legis habet. Ratio est, quia si contractus, quo Fuldradus innititur, authentica tabula ferret, futurum ut vassallo vectigali non incumberet nisi trium annorum usuras referre, apertum est, nunquam posse fieri, ut Gilbertus ad usuras ampliores numerandas compellatur, quippe ejusmodi conventiones partem contractua essentialem constituant, & utrinque contrahentibus legem imponant. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, inquit laudatus Papa Bonif. VIII. (f) Jam vero contingere omnino potest, ejusmodi clausulam clientelaris contractus exemplari subjectam fuisse, atque Gilberto in dubio verosimili constituto locus prorsus est id ita in propriam sumetipsius gratiam conjiciendi, donec contrarium a Fuldrado plane evincatur: juxta sequentem Regulam juris Romani: *semper in dubiis benigniora præferenda sunt* (g). Et istam aliam: *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur* (h): seu secundum quod loquitur Bonif. VIII. (i) *In obscuris minimum est sequendum*, quoniam, *præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur* (k): quibus Regulis ista alia consentit, quæ ex jure Canonico habetur, his verbis (l): *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Quæ regula nititur quadam Decretali Lucii III. ad marginem citata (m), ipsiusque dictamine naturalis æquitatis, quæ non sinit, quod deberi incertum est, ad illud idem solvendum compelli debitorem.

(d) Godefridus in consuet. Norman. art. 31.

(e) Bon. VIII. reg. 2. de reg. juris in 6.

(f) Id. Bonif. VIII. reg. ibid.

(g) L. 56. ff. de reg. juris.

(h) L. 9. eod. tit.

(i) Bonifac. VIII. reg. 30. de reg. juris in 6.

(k) Idem ib. reg. 47.

(l) Idem ib. reg. 11.

(m) Lucius III. in c. Ex literis. 3. de probationibus. l. 2. t. 19.

Cæterum advertendum est cum Terriano & Basnagio, Dominis infimo jure justitiæ gaudentibus, ea in re fuisse, per modum quemquam compensationis, consultum ab ipsamet Consuetudine Normanniæ, per quam scilicet eis licitum est (n), ut ab iis, qui clientelarem eorum pensionem ad diem constitutam non solverint, valeant pecuniariam 18. solidorum cum denario uno mulctam exigere, atque adeo æquum esse, vassallis copiam fieri, ut quantum ad eos attinet, prodesse ipsis valeat jus præscriptionis, ita ferente Consuetudine, quæ eis illud juris non concedit, nisi in quantum supponat, eam esse Contractus exemplaris conventionem, ut trium tantummodo annorum usuras deberent Dominis suis rependere, quæ quidem suppositio tamdiu locum obtinere existimatur, quamdiu contrarium ab ipsis Dominis, exhibito eorum exemplari non evincitur.

(n) Consuet. Norm. art. 33. & 34.

CASUS XIV.

FELICIANO locupleti incolæ, de Paræcia sancti Vannesii, incumbit Clientelaris quædam summæ trium librarum pensio, Gualterio Domino loci, unoquoque anno persolvenda. Gualterius, cui perspectum est, Felicianum eum esse, qui sit solvendo quemque aliunde plurimum juvabat, ingentem pecuniæ summam per unumquemque annum sibi accrescere, triginta & octo annos abire permisit, non petita dictæ pensionis solutione: Postea vero cum solutionem urgeret, Felicianus reposuit, equidem fateri sese, ab annis triginta octo istam pensionem non fuisse numeratam, verum id sibi juris fieri, cum Edictis, tum ipsa loci Consuetudine, ut sibi legitime præscriptis pensionibus, quas reliquatus ad eas tantum, quæ ab annis viginti novem obvenere solvendas teneatur, indeque Lex subeunda fuit Gualterio, ut, numerari sibi dumtaxat viginti novem nummos satis haberet. Qua de re quæritur, utrum Felicianus obligetur in foro conscientiæ, ad rependendas Gualterio, quæ supersunt, novem annorum usuras, aut ei liceat, insistere legi sive Consuetudini, qua debitor usurarum viginti tantummodo annorum efficitur?

RESPONS.

Pensio aut quæcumque alia res, jure naturali, debita præscriptioni nunquam potest subjici, nisi debitor bona fide innitatur, etiamsi quadraginta annorum spatium, ad præscriptionem complendam, definiretur, quoniam humanis civilibusque tantum de causis inductæ sunt Romanæ leges, quæ possessorum etiam malæ fidei interpellandorum, copiam prorsus omnem intercludunt, eædem, quantum ad conscientiam pertinet, nulla ratione possunt tanquam principia minime dubia, regulæque indubitatæ admitti.

Quod quidem absque ullo negotio palam fit, ex istis verbis quarti Concilii Lateranensis (o) sub Innocentio III. celebrati: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est: Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio: tam Canonica, quam civilis: cum generaliter sit omni constitutioni atque Consuetudini derogandum, quia absque mortali non potest observari peccato. Unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ.*

(o) Conc. Later. IV. can. 41.

Al-

Digitized by Google

Atque ea potissimum de caussa, cum quibusdam in consuetudinibus fertur, post certum quoddam definitum temporis spatium a repetendis sibi debitis pretiis seu mercedibus excidere mercatores, domesticos atque operarios: coram Deo non liberantur qui ejusmodi debitis tenentur, quod ut habet forensis usus exceptione utantur. At eis ex strictissimo conscientiæ debito prorsus incumbit, ut quidquid contraxerunt debiti, omnino persolvant, nihil quidquam officientibus ejusmodi præscriptionibus; quæ legibus inductæ sunt eo præsertim fine, ne quibus ejusmodi mercedes seu pretia debentur, ii sibi exigendis iisdem nimio plus indulgeant, atque ita quæ pacem familiarum exturbarent, omnis litigiorum occasio penitus rescindatur. Jamvero eadem est conditio usurarum pensionis clientelaris aut salarii vectigalis: si quidem hujusmodi pensio iis persolvenda jure naturali incumbat, quibus fructus ex fundo clientelari accessere. Inde sequitur non esse, unde Felicianus possit ulla ratione jus præscriptionis sibi vendiceare, quippe quæ malam fidem aperte præ se ferat; nisi demonstraverit vassallus authentica tabula contractus Beneficiarii, mutua cum ipsius domini, tum etiam ipsius vassalli conventione, definiri certum quoddam temporis spatium ad legitimam præscriptionem; quemadmodum ejusmodi conventiones passim occurrunt in locis Normanniæ consuetudini subjectis.

Neque tamen idcirco censemus, eadem ratione judicandum esse de pensionibus quæ ex quadam constituta pecuniæ summa debentur: usuræ namque pensionum clientelarium, ac vectigalium salariorum debentur *ex natura rei*; usuræ vero pensionum quæ ex pecunia collata in fenore exsurgunt, non debentur nisi ex ipsius legis Principis auctoritate; cui quidem parere contrahentes ex utraque parte promiserunt, quæque ut bono publico potissimum consuleret, eas solvendas constituit ad quemdam usque definitum numerum annorum, ne cumulatæ supra modum ejusmodi pensionum usuræ ex inopia aut negligentia debitorum, in eorumdem exitium ac perniciem aliquando vergerent. Atque ea potissimum ratione, iisque caussis innititur Edictum a Ludovico XII. ea de re promulgatum. Cujus en ipsissima verba sunt: *Quoniam subditorum nostrorum plerique his temporibus hodiernis adhibent sibi pensiones emendas & vendendas, quas alii dicunt pensiones ex constituto quodam pecuniæ pretio, alii pensiones volantes, reditus annuos, hypothecas aut usuras pacto redhibendi adhibito, pro diversitate locorum & regionum in quibus ejusmodi contractus conflantur; ex quibus contractibus, multi fortunis evertuntur atque etiam exinaniuntur propter usuras ingentes, quas emtores decurrere permittunt eo usque, ut sortem sæpe sæpius superare reperiantur, ad quarum solutionem urgendam eorum bona primum occupata, deinde vendenda sunt; atque adeo tum ipsi, tum eorum filii in summam rerum inopiam adducuntur & ad mendicitatem detruduntur; quin etiam amittunt emtores ipsi tam sortem, quam usuras, propterea quod venditor antea vendidisset multis aliis ejusmodi pensiones annuas; quibus solvendis, & usuris quas reliquatur, non sufficiunt ipsa omnia bona venditoris; ac qui postremo loco pecuniam collocavit, tum usuris tum ipsa quoque sorte penitus defraudetur; quibus intervenientibus contractibus, conficiuntur fictæ falsæque quamplurimæ venditiones, fraudes & doli, ex quibus tum criminalium, tum civilium negotiorum intricatæ dirimique difficiles ambages emergunt, & quampluribus tam emtoribus, quam venditoribus, propriis suis rebus inde destitui contigit. Quibus de caussis, id nobis animo proponentes ac plurimum cupientes, ut ab avertendo a nostris subditis tanto damno præcaveamus, habentes ejusmodi similesque alios contractus, tamquam odiosos & necessario coercendos, ediximus & edicimus, ne ab emtoribus ejusmodi hypothecarum & annuarum pensionum, valeant nisi quæ ab annis quinque provenerint, aut a minori temporis spatio, usuras exigere. Atque si occurrerit ultra quinquennes usuras, aliquam ex superioribus annis deberi pensionem cujus solutionem apud judices aut non fuerint persecuti, aut non instituerint petitionis actionem; ad eamdem repetendam non admittantur, ac formula excidant: quibus tamen animo non est subjici vectigalia solaria, ex quibus clientelaris quædam pensio directa, aut census annuus exsurgit.*

Ex quibus verbis relati Edicti inferendum est, a Principe nomine cujus inscribitur, solutos fieri atque immunes a rependendis usuris, quæ post quinquennium cumulantur debitores; ac consequenter, non tantum quantum ad forum judicii; sed etiam quantum ad forum conscientiæ, iisdem eos penitus liberari: siquidem a sola lege ejusmodi præscriptio & originem & vim suam totam mutuetur, & ipsa lex ultra tempus definitum nihil obligationis imponat: quo quidem tempore semel elapso, creditori non datur locus, quemadmodum in aliis præscriptionum speciebus, adigendi apud Judices debitorem jurejurando affirmaturum, utrum solverit nec ne, quas ultra quinquennium sibi deberi contendit usuras. Quam quidem observationem subjicit D. de Ferriere, in libro quam de Scientia Notariorum edidit (a). (a) D. de Ferriere. Scientia Notariorum. 2. 21.

Contra sic arguitur, & ista proponitur objectio. Non possunt etiam ex Edictis præscribi quoad forum conscientiæ mercedes & pretia domesticorum quod laniis & artocopis debetur pro pane & carnibus quæ fide alicujus vendiderunt; cum elapso tempore Edicto definito, eorumdem solutionem urgent. De usuris ergo quæ ex collocata in fenore pecunia proveniunt, idem omnino judicium ferendum est.

Ad quam propositam objectionem sic respondetur: dicendo nimirum, inter prædictas debitorum species discriminis plurimum prorsus intercedere. Prioris enim speciei debita, jure tum divino, tum naturali debentur. At vero usuræ pensionis quæ non provenit ex solo seu fundo, sed ex collocata in fenore quadam pecuniæ summa exterminata, jure tantum positivo humano debentur, hoc est lege a Principe sancita; a quo & quota solvenda sit usura, & quousque ejusdem repetendæ locus cedat, constitutum est. Indeque sequitur, quamvis ipsa pecuniæ sors quæ in fenore collocata est, naturali jure debeatur; usuram inde emergentem non deberi tamen, nisi consequenter ad legem a Principe latam, ac juxta conditiones ibidem enuntiatas. Siquidem pecunia de se & ex natura sua sterile quoddam constituat, quemadmodum de eo convenit apud omnes Theologos, qui sancti Thomæ doctrinam ea in re mutuo consensu amplectuntur. Unde concludendum est, obligationem usurarum inde solvendarum, cum ejusdem fuit alienata proprietas ex fenore, posse ejusdem legis auctoritate tolli in eo casu quem ipsamet exprimit, juxta istud effatum: *Omnis res* (hoc est, *omnis obligatio temporalis*, inquit Glossa) *per quascumque caussas nascitur, per easdem dissolvitur* (b), quæ depromitur ex Hom. 32. Auctoris operis imperfecti in S. Matth. (b) Can. Omnis. 4. 27. q. 2. & c. Omnis. 1. reg. juris apud Greg. 9.

Ceterum non potest cum fundamento quod ratione nitatur, impugnari dictæ legis æquitas, quippe quæ cum creditoris tum debitoris communem utilitatem potissimum intendat: creditoris quidem cui cumulandarum usurarum ingentium omnem prorsus locum adimit, ne eas amittat; & cum non posset solvere debitor, in periculum etiam suæ sortis aliquando veniat; consulit quoque debitori; quoniam obstat, ne bonis omnibus a creditore evertatur, ac penitus pessumdetur. A quo quidem nisi lege cautum fuisset, usuræ eo usque reperi possent, donec ipse ad mendicitatem detruderetur, si ad omnes in integrum persolvendas compelleretur. Atque ea de caussa numquam a supremis Senatibus regionum quæ jure scripto reguntur usuræ attribuuntur quæ sortem excedunt, nisi a creditore nulla facta intermissione actum fuerit adversus debitorem, nec solutionis quidquam potuerit obtineri.

CASUS XV.

Ennodius ab annis quadraginta & amplius possessionem cujusdam silvæ in Campania sitæ gau-

gaudet, quam quidem hereditario jure accepit a suo patre, a quo per idem fere temporis spatium eadem perinde possessa fuerat.

Qui recuperandis bonis ad regium dominium spectantibus præponuntur, dictam silvam ab eo restitui petunt, exhibitis indubitatæ fidei indiciis, quibus eamdem in partem dominii regii quondam venisse penitus evincitur. Nonne ex continuata per longum adeo tempus bonæ fidei possessione, indeque vindicata sibi præscriptione, ab eadem restituenda potest semet ipsum defendere?

R e s p o n s.

Incassum omnino congeruntur ab Ennodio, & undequaque accersuntur rationum momenta, quibus a restituenda memorata silva velit se se subducere, atque eo fine jus præscriptionis sibi vindicare. Præscribi namque nullatenus potest, quod præscriptioni obnoxium non esse leges ipsæ declarant. Porro quodcumque ad regium dominium spectat, eam conditionem sortitur; per quantumcumque spatium temporis quod centum annos non excedat, detentum fuerit. Atque ita statutum est Edicto Francisci I. 3. Junii 1539. his verbis: *De caussis atque rationum momentis omnino magnis ac justis, ad illud nos incitantibus.... declaravimus, statuimus, atque ediximus, declaramus, statuimus, atque edicimus, ut Edicto a nobis constituto de colligendis bonis quæ ad dictum nostrum dominium pertinent, quæcumque fuerint ex eodem alienata, divisa & inique usurpata a quocumque tempore id inceperit aut incipere potuerit, in compactionem & coagmentationem nostri dicti dominii redirent; atque litibus ea de re motis aut movendis, iisdem pendentibus, & nondum decisis, a nostris Judicibus, & Præfectis tam præsentibus, quam postmodum futuris, cujuscumque detentionis, possessionis & præscriptionis, quantocumque temporis lapsu roboretur, nulla ratio haberetur; nec deinceps admittatur, nisi centum annorum tempus excederet: verum iisdem nulla prædictorum obstante ratione incumberet, & ad eadem non attendere, & de litibus commotis cito citius judicare &c.* (*a*).

Quam quidem nostram decisionem licet plurimum confirmare auctoritate cujusdam Decretalis quam Honorius III. rescribit ad Archiepiscopum Coloczensem in Hungaria, & ad Episcopos ipsius suffraganeos (*b*), circa quædam bona ad Regnum pertinentia, quæ fuerant ab ipso Rege Hungariæ alienata; in qua laudatus Papa sic declarat: *Nos eidem Regi dirigimus scripta nostra, ut alienationes prædictas, non obstante juramento, si quod fecit de non revocandis eisdem, studeat revocare*. Eamque subjicit rationem: *quia cum teneatur, & in sua coronatione juraverit jura Regni sui & honorem coronæ illibata servare, illicitum profecto fuit, si præstitit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum, & propterea penitus non servandum*. Ex quibus verbis liquido constat, bona regia alienari non posse; proindeque eadem ratione præscriptioni non subjacere.

Atque recentioribus legibus Romanis omnino consentit ista Jurisprudentia, ac præsertim legi quam Imperator Justinianus in gratiam Fisci (*c*) promulgavit. *Res fisci nostri usucapi non potest*, inquit laudatus Princeps.

Nihilominus si pater aut avus Ennodii memoratam silvam pretio comparavisset, accedente alicujus tertii cautione, ad dictum tertium aut ad ejus heredes recurrendi locus daretur: etiamsi cautio centum annos sibi vendicaret; quia non potest actio in cautionem umquam præscribi. *Emti actio longi temporis præscriptione non submovetur*, ait una lex de Codice (*d*), *licet post multa spatia rem evictam, emtori fuerit comprobatum*.

Quod idem privilegium, quibusdam in casibus leges Romanæ absentibus attribuerunt, quemadmodum cum funguntur aliqua legatione, aut captivitate detinentur (*e*): propterea quod in ejusmodi rerum circumstantiis, neque suis rebus gerendis, neque conservandis propriis juribus potest quis invigilare.

(*a*) V. Chopin de Dominio Franciæ. Item Bacquet Regius Advocatus in Curia Thesauri.

(*b*) Honorius III. in c. *Intellecto*. 33. de jurejurando. l. 2. t. 24.

(*c*) L. 2. Instit. 6. §. 9. de usucap. & longi temp præscriptionibus. Item L. *Jampridem*. 2. cod. Communia. de usucapionibus l. 7. t. 30.

(*d*) L. *Empti*. 21 cod. de evictionibus l. 8. t. 45.

(*e*) L. *Quia* 1. ff. de diversis tempor. præscriptionibus & de accessionibus possessionum l. 44. t. 3. L. *Si servus*. 24. ff. stipulatione servorum. l. 45. tl 3. L. *Cum per absentiam* 2. & L. *Possessio*. 4. codic. quibus non objicitur longi temporis præscriptio L. *Judices*. 1. cod. si per vim vel alio modo absentis perturbata sit possessio. l. 8. t. 5.

A lege generali tres casus excipiunt Jurisconsulti nostri, in quibus potest, etiam ante completum longissimi temporis spatium quod ipso Edicto definitur, dominium Regium legitime præscribi.

Primus, urgentis nimirum necessitatis inevitabilis intentatorum ab hostibus Regni armorum impetus sustinendi.

Secundus, instituendorum templorum, seminariorum aut xenodochiorum assignatis ipsis annuis reditibus.

Tertius, dotis alicujus constituendæ in gratiam Principum ipsius Regis filiorum: sed Principi perpetua facultas redhibendi servatur, & redintegrandæ possessionis in tertio casu, cum scilicet deficiunt mares qui succedant Principi, cui dos de Regio dominio constituta fuerat: ita ferente articulo secundo Edicti 1566.

C A S U S XVI.

Nonne potest Princeps aliquis ex suprema sua potestate possessori malæ fidei, rei quam per spatium temporis legibus definiti possedit, dominium concedere?

R e s p o n s.

Ejusmodi potestas profecto non est agnoscenda in Principe summo etiam imperio gaudente. Namque, ut habet S. Thomas (*f*): *Verum est, quod omnia sunt Principum ad gubernandum, non ad retinendum sibi, vel ad dandum aliis; & si quæ leges tales sunt, tyrannicæ sunt & non absolvunt a conscientia, sed a foro judiciali & violentia.*

C A S U S XVII.

Medardus cum per decennium possedisset semijugerum agri quod a Joanne quidem ipse emerat; sed quod vero proprietatis jure Renaldo cedebat: ipse Renaldus ex scripto portionum inter se suosque coheredes divisarum instrumento, agnovit dictum semijugerum in partem sibi contigisse; ejusdem apud Medardum restitutionem nequidquam urgens, neque valens eum, tentatum leniter potius quam minaciter, ad restituendum inclinare: eumdem per accensum de restituendo isto semijugero jussit appellari denuntiatione ipsa, eo casu quod restitutionem abnueret, ipsi diem dicente qua damnandum ad restituendum apud Judices se se sisteret. Quam quidem agendi rationem non adhibuit, nisi ipsius diei ultimæ vespertinis horis, quo decennium omnimode complebatur. Contendit Medardus tempus lege definitum ad legitimam præscriptionem si quinque aut ad summum sex exciperentur, fuisse omnino absolutum. Cui quidem vitio utpote levissimo asserit nihil prorsus attendendum esse, juxta istud S. Thomæ effatum usu communi receptum (*g*): *Illud quod modicum est, ratio apprehendit tamquam nihil*; sive quemadmodum loquitur S. Antoninus (*h*): *Quod parum deest, & nihil deesse videtur*: quod tum a canonistis, tum a jurisconsultis passim admittitur (*i*). Renaldus e contrario tuetur, siquidem ultimus dies in integrum non abierit, nec decennium abiisse esse censendum. Utri jus?

R e s p o n s.

Jus in integrum Renaldo patrocinatur; neque est unde Medardus a restituendo quod iste tamquam suum sibi vindicat semijugero agri, se se valeat subducere. Ratio est, quia licet præscriptionis effectus plurimum faveat cuicumque accedit; non eo tamen usque favet, ut proprietarii defraudandi gratia, quod lege definitum est spatium temporis, contrahatur. Ideoque ex actione intenta præscriptioni, ipsa etiam ultima ejus die, eadem interrumpitur, nec decurrere illi datur ad ultimum usque completum istius diei momentum, quemadmodum frequentari consuetum erat apud Romanum Imperium, etiam quoad ejusmodi actiones quæ temporales appellabantur: *In omnibus temporalibus actionibus*, ait lex (*k*), *nisi novissimus totus dies compleatur, non finit obligationem*. Quod commune effatum in suæ caussæ patrocinium Medardus implorat, ei nullatenus prodesse potest. Neque enim locum habet in iis, quæ sunt & scripti & stri-

(*f*) S. Thom. quodlib. 12. art. 24. ad 1.

(*g*) S. Th. 2. 2. q. 56. a. 6. ad 3.

(*h*) S. Ant. 3. par. sum. Th. t. 13 c. 6 §. 4.

(*i*) Gloss. in can. *Re vera*. 69. de consecrat. d. 2. Leg. *Si debitori*. 21. ff. de judiciis &c. l. 5. t. 1.

(*k*) L. *In omnibus*. 6. ff. de obligat. & actionibus. l. lib. 44. t. 7.

ſtrictiſſimi juris, ſed tantummodo in iis, quæ Legibus non ſunt nec definita, nec conſtituta. Atque inde eſt, quod non poſſit Eccleſiaſticus, abſque crimine, & abſque eo, quod pœnis Canonicis ſubjaceat, ante completum temporis ab Eccleſia definiti, noviſſimum integrum diem, Sacris Ordinibus inaugurari.

C A S U S   XVIII.

Epiſcopus Almeriæ, quoddam vetuſtum exemplar recuperavit, quo ei liquidum ſit, illud Juris antecefforibus ipſius fieri, ut poſt abſolutam a Capitulo electionem Decanatum Eccleſiæ Cathedralis conferant, & ipſi Decano concedant *curam Eccleſiæ, & animarum*, cujus tamen juris poſſeſſione gaudet ab annis centum, & amplius, ipſius Metropolitanus. Qua de re petit, utrum quam Lucio noviſſime conceſſit Metropolitanus iſte, collatio *cum cura animarum*, ex præſcriptione habeat, ut Canonica ſit?

R e s p o n s.

Si aliunde ſibi vindicet ejuſmodi præſcriptio, quæ ad legitimam præſcriptionem neceſſario requiruntur conditiones: nullus ambigendi locus eſt, quin Canonica ſit, quam in gratiam Lucii Metropolitani, præſtitit collatio Decanatus de Ecclesia Almeriæ *cum cura animarum*. Cujus rei ratio non alia eſt, quam quæ ab Alexandro III. in plurimis ex ipſius Decretalibus enunciatur, ac præcipue in illa, in qua ſic habet (*a*): *Eccleſia ſe poteſt adverſus Eccleſiam, quadragenaria temporis præſcriptione tueri de re illa, quam inconcuſſe quadraginta annis noſcitur poſſediſſe*. Quin etiam adverſus ipſammet Eccleſiam Romanam ex poſſeſſione centum annorum jus præſcriptionis acquiritur: quemadmodum definitum eſt ab Innocentio III. (*b*). Unde concludendum eſt, ſiquidem Metropolitano Epiſcopi Almeriæ accedat centum annorum poſſeſſio; manifeſtum eſſe, ab ipſo præſcriptum eſſe ipſius ſuffraganti jus Decanatus Almeriæ cum cura animarum conferendi; adeoque Canonibus Eccleſiaſticis conſentire, quam Lucio noviſſime exhibuit, dignitatis ejuſdem collationem, modo ut ſupponimus, nullo aliunde ſibi proprio vitio laboret, ex quo inhabilis ipſius adipiſcendæ dignitatis efficiatur (*c*).

(*a*) Alex. III. in c. illud 8. de præſcript. l. 2. t. 26. item in c. de quarta 4. & in c. ad aures 6. eod. tit.

(*b*) Innoc. III. in c. ad audientiam 13. & c. cum vobis 14. eod. tit.

(*c*) Sambov. t. 3. caſ. 51.

Vide Restitutio Caſ. 5. 4. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14.

P R I V I L E G I U M.

DEFINITUR *Privilegium* his verbis: *Jus privatum, indultum a Principe contra jus commune* (*d*).

Quæ verba: *Jus privatum*, innuunt 1. debere cauſam Privilegii conſentaneum eſſe æquitati; ſiquidem inde jus non fieret ei, cui defertur. 2. Importari quidem ex privilegio, communis juris exceptionem in gratiam privatæ Perſonæ, cui directe accedi, verum non ideo impediri, quominus in publicum bonum vertat, quamquam nonniſi indirecta, & remota ratione.

Privilegium eſt aut mere perſonale, quod non ad alios, niſi ad eam perſonam, cui indultum eſt, poteſt extendi (*e*), juxta regulam juris, quæ ait: *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona* (*f*); aut reale, & ad hæredes poſt obitum perſonæ privilegio donatæ, poteſt transferri (*g*): quod quidem ex verbis, quibus exprimitur, poteſt abſque ullo negotio dignoſci.

Quando Privilegium adverſus diſpoſitionem legis datur, in eo ferri neceſſe omnino eſt clauſulam expreſſam, qua eidem derogetur: quemadmodum docet Bartolus (*h*); qui addit alibi (*i*), ejuſmodi clauſulam privilegio ſemel appoſitam cenſeri, quibuſcumque aliis legibus, aut ſtatutis, quæ poſſent dein de contra diſpoſitionem gratiæ indultæ promulgari, etiam derogare.

Infinita, variaque propemodum occurrunt Privilegia, quæ conceſſa fuerunt a Regibus, non tantummodo perſonis privatis, ſed etiam Urbibus, & Communitatibus, viris Eccleſiaſticis Sæcularibus, ſeu Regularibus, Magiſtratibus, Militibus, Univerſitatibus, ac Collegiis ab iiſdem pendentibus. Quodcumque privilegium ſtrictiſſimi juris eſt, neque adeo alios caſus, niſi qui in eo denominantur, attingere poteſt (*K*).

A quo privilegium indultum fuit, Principis eſt, aut ejus ſucceſſoris, pro libitu coanguſtate, modum conſtituere, atque etiam penitus revocare (*l*): ac præſertim cum ita communis utilitas exigit. Attamen cum privilegium aliquod factum eſt Provinciæ, aut Urbi, non adeo facile reſcindendum eſt, ne inde immutatis, atque alienatis vehementer animis, pacis publicæ bonum perturbetur.

Juxta citatum hic loci ad marginem (*m*) vetuſtum quemdam Canonem: *Privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate*.

Cum aliquo privilegio quidam perſonarum Ordo donatur, quale eſt, quod privilegium indultum eſt Eccleſiaſticis, eidem renunciare; nulli de dicto Ordine membro competit; neque enim ad membrum privatum pertinet, ſed ad Ordinem integrum: ſic non poteſt Clericus conſtitutus *in ſacris*, ei privilegio renunciare, quo gaudent Eccleſiaſtici conſtituti *in ſacris*, aut qui Beneficiarii ſunt, aut ſtudiis vacant, aut Eccleſiæ miniſterio toti incumbunt.

(*d*) Palm. p. 1. 2. n. 540.

(*e*) Leg. in omnibus 58 & Leg. aset 1 §. fin. d. de cenſibus. l. 50. t. 15.

(*f*) S. Greg. in c. Manifeſt 6. de præſumptionib. l. 2. t. 23. Leg. qui ob hæc 2 § 3. de jure immunit. l. 50. t. 6.

(*g*) Reg. 7 de reg. jur. in 6.

(*h*) Bartol. in leg. tanti fin. cod. de cannone frumentario vobis Conſtant l. 11. t. 23.

(*i*) Idem in l. ſi mihi §. in legatis 2. 4. ff. de legat. 1. Jaſon. ibid.

(*k*) Cit. Leg. ætatem.

(*l*) S. Anton. 2. p. tit. 19. c. 14.

(*m*) Can. ubi d. 74.

C A S U S   P R I M U S.

ÆNEAS, & Sylvanus ſcientiæ juris operam dantes, quæſtionem habuerunt inter ſe, nimirum ad quem proprie pertineat privilegia conferre? Æneas propugnavit, illud juris eſſe penes ſolum ſummum Pontificem, & Sylvanus ex adverſa parte, quæſitis undequaque argumentis demonſtrare toto animo ſtuduit, ejuſmodi poteſtatem apud

apud solum Principem secularem residere. Utri jus?

RESPONS.

Est hoc extra omnem prorsus controversiam positum, eorum dumtaxat esse privilegia concedere, quorum est leges condere, & ab iis dispensare. Quod quidem probat Sylvester (*a*), ex autoritate Cardinalis Hostieosis: quoniam si velimus accurate loqui, privilegium nihil aliud est, quam Lex quædam, in gratiam certarum aliquarum Communitatum, aut privatarum personarum lata, qua a communi lege excipiuntur. Atque hac de causa *Lex privata* dicitur (*b*) ab Innocentio III. quæ quidem privilegii vera est, ac proprie dicta etymologia, ut passim observant omnes auctores post S. Isidorum Hispalensem (*c*), qui dicit: *Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatæ leges. Nam privilegium inde dictum est, quod in privato feratur*. Seu quemadmodum loquitur Sylvester (*d*): *est privatum jus, indultum a Principe contra jus commune*.

(a) Sylvest. v. Priv. q. 2.

(b) Innoc. III. in cap. Ablatæ 45. de verb. signif. l. 5. t. 40.

(c) Isidor. l. 5. etym. c. 18. in sum. Priv. 3. d. 3.

(d) Sylvest. v. Privil. n. 1.

Quibus positis dicimus, neque apte, neque benecum Æneam, tum Sylvanum disserere. Namque accurate loquendo, Papa utpote summa, plenariaque potestate gaudens in universa Ecclesia, quantum ad spirituale, non potest concedere privilegia, nisi in iis, quæ spiritualia sunt, nullatenus autem in temporalibus, exceptis tamen locis, quæ jure supremi Dominii, summoque cum imperio regit, ac gubernat: qualia sunt Umbria, aut Ducatus Spoleti, Marchia Anchonitana, Ducatus Urbini, Romandiola, Bononiensis tractus, Ferrariæ Ducatus, & Comitatus Avenionensis. Idem est de Concilio Oecumenico, quo universa repræsentatur Ecclesia; atque etiam de Episcopis, adhibitis, consultisque eorum Capitulis, in spiritualibus, quæ ipsorum jurisdictioni subjiciuntur: ut probat Sylvester, & evincitur ex dispositione cujusdam Decretalis Innocentii III. (*e*) quod quidem omnino patet ex plerisque Decretalibus, ex quibus totus constat titulus: *de Immunitate Ecclesiarum* &c. (*f*).

(e) Innoc. III. in cap. cum olim 14. de Privil. & excess. Priv. l. 5. t. 31.

(f) Tit. de Immunit. Eccles &c. l. 3. n. 49.

Sed adverrendum est, juxta usum apud nos receptum, istam summi Pontificis auctoritatem, de qua hic loci sermonem habemus, ad normam SS. Canonum esse omnino dirigendam; neque quidquam effectus, roborisque eadem in Gallia, cum de privilegiis quæstio est, accedere, neque etiam quoad pleraque alia, nisi ex Regio Diplomate, cum debitis formulis in publicas supremæ Curiæ tabulas perscripto: neque contrarium propugnari potest, qu n eo ipso veteris Ecclesiæ Disciplinæ evertendæ, immunitatum nostrarum pessumdandarum, inducendarumque innumerorum prorsus simul, & iniquorum ausuum, prætenso specioso nimis prætextu supremæ auctoritatis, quæ Summis Pontificibus Ultramontani adulantur, veniatur in suspicionem.

Quod pertinet ad privilegia circa ea, quæ mere temporalia sunt, est tantum penes Imperatorem, Reges, aliosque Principes supremos ea concedere: *Papa in spiritualibus, & Imperator in temporalibus regulariter* (potest concedere privilegium). Quæ verba habet Angelus de Clavasio, (*g*) qui addit: *Concedit etiam Imperator privilegia Ecclesiis, & Clericis*, in iis nimirum, quæ ab ipsis pendent, & proprium Ecclesiæ commodum attinent.

(g) Angelus de Clavas. v. Priv. n. 2.

CASUS II.

Anaximenes Acolytus cum incessisset amaris verbis Matricularium de Ecclesia Parœciali, eo requirente apud Judicem Regium, ea de re appellatus est. Anaximenes apud dictum Judicem sese sistens ad Officialem, ex privilegio Clericis indulto, appellavit. Quam fori translationem Judex Regius denegans causa sub eo extante, eum mulctæ pecuniariæ Justiniano applicandæ, litisque æstimationis damnavit. Numquid ex conscientia, Anaximeni incumbit, pronunciatum adversus eum judicium subire sublato ei jure, tamquam a non competente Judice provocationis.

RESPONS.

Propositæ difficultatis enodationem reperire est apud Concilium Tridentinum in Gallia, quantum ad istud caput, vim legis obtinens. *Nullus prima tonsura initiatus*, inquiunt laudati Concilii Patres, (*h*) *aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus .... fori privilegio ... gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habens, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat*. Ut quis ergo privilegii Clericis indulti particeps efficiatur, juxta Decretum prædictum requiritur, eum Subdiaconatus Ordine initiari; aut Beneficiarium esse, aut inserviendæ cuidam Ecclesiæ ab Episcopo delegatum, in qua sedem habeat, & proprio suo Ordinis Officio fungatur.

(h) Conc. Tr. sess. 23. de Refor. cap. 6.

Quæ quidem disciplina roboris, auctoritatisque plurimum mutuata est ex Edictis pluribus nostrorum Regum; nominatimque ex Ruscinonensi Edicto (*i*) anni 1563. quo fertur: *In quacumque causa sive criminali, sive civili nulli locus erit ad Judicem Ecclesiasticum ex Clericali privilegio appellandi, nisi Subdiaconatum saltem inierit*. Quod etiam enunciatur in Edicto Molinensi, distinctioribus istis verbis. *Interpretantes articulum constitutum a nobis de Clericali privilegio Edicti statuimus, nulli nostrorum subditorum, tamquam Clericum sese gerenti, posse prodesse dictum privilegium, sive quoad fori addictionem apud Judicem Ecclesiasticum, sive quoad aliam causam, nisi constituatur in sacris Ordinibus, ac in Subdiaconatum saltem venerit, aut fuerit Clericus, qui resideat actu, & officiis Ministeriis, & Beneficiis in aliqua Ecclesia devoveatur, atque inserviat*. (*k*) Tandem Edicto 1571. (*l*) privilegii Clericalis, socii quoque, & participes admittuntur Clerici, *qui alicui Ecclesiæ inserviunt*. Unde sequitur nihil quidquam juris, cur Anaximenis Judicis Regii, apud quem Justinianus in eum quæstionem instituit, fundamenta subducant, nisi in alterutro casuum in laudatis Edictis enunciatorum constituatur. Occasione autem propositæ difficultatis, observandum venit 1. Si Anaximenes Matrimonio conjungeretur, nihil ipsi Juris cessurum, gaudendi privilegio Clericali, quippe qui Matrimonium ineundo, eidem omnino renunciavisse censeretur. Quæ Jurisprudentia in Gallia frequentatur.

(i) Edict. Ruscinon. art. 21.

(k) Edict. Molinense art. 40.

(l) Edict. anni 1571. art. 14.

2. Cum Clericus quicumque sit in eo conditionis statu constitoitur, in quo ei Clericale privilegium accedere potest, eidam ultro renuntiare, ipsi liberum non esse: juxta quod declaratur ab Innocentio III. his verbis: *Manifeste patet* (*m*), *quod non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant: cum non sit hoc Beneficium personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti Ecclesiastico Collegio sit publice indultum, cui privatorum pacto derogari non potest*. Ideoque Promotori officialitatis Jus semper relinquitur causæ proclamandæ, & ad officialem transferendæ, ut vel ab ipso solo, vel tum ab ipso simul, tum a Regio Judice, prout requirit conditio criminis, cujus Clericus reus est, judicetur. Quod quidem constituit unum articulum Disciplinæ, quæ in Ecclesia a primæva ipsius ætate invaluit: quemadmodum patet ex Concilio Toletano tertio (*n*), & Concilio tertio Carthaginensi (*o*).

(m) Innoc. III in cap. si diligenti 12. de foro competenti l. 2. tit. 2.

(n) Conc. Tol. 3. can. 13.

(o) Conc. Carthagin. 3. canone 9.

3. Ab omni Clerico Judiciarium munus exercente, non posse Clericale privilegium vindicari, ac Regiæ Jurisdictionis foro subiici, cum contingit ab eo aliquid prævaricationis animadversione dignæ, in obeundo ipsius munere fuisse admissum: quippe Rex non censeatur proprio suo juri renuntiavisse, cum ei dicti muneris exercendi copiam fecit. Quod confirmat D. Dupuis in suo Commentario in articulum 38. Immunitatum Ecclesiæ Gallicanæ, & in vigesimo septimo capite probationum prædictarum Immunitatum, in quo duo Arresta refert, quibus illod sic judicatum est: unum quidem pronunciatum anno 1340. alterum vero anno 1496. Quæ

Juris-

Jurisprudentia postmodum confirmata est, data ea de re, Bulla a Clemente VII. anno 1527. in publicas supremæ Galliarum Curiæ tabulas relata 21. Aprilis 1531. consequenter ad diploma Regium editum a Francisco Primo 29. Decembris 1530.

4. A Clerico negotiante non posse Clericale privilegium implorari, ut in iis, quæ suum commercium attinent, sese a sæculari Jurisdictione subducat. Atque illud distinctis omnino verbis habetur in Edicto 1539. (*a*) Quas superiores quatuor annotationes omnino mutuamur a D. Hericourt in suprema Galliarum Curia Patrono, quibus idem auctor quasdam alias ejusdem conditionis subjungit, quas legere est in erudito opere, quod publici juris novissime fecit (*b*).

CASUS III.

SIVRANUS, indultum sibi a Principe speciale quoddam privilegium; ejus verba nec satis certa, nec satis definita possunt in sensus varios accipi; numquid in sensum sibi faventem ac quantum potest extendi, acceptum valet sibi assumere?

RESPONS.

Ut instituta quæstio tutiori ratione dissolvatur, præmittenda sunt plurima principia ac fundamenta, quæ possunt etiam adhiberi in enodandis quamplurimis aliis difficultatibus in hujusmodi materia, sæpe sæpius occurrentibus.

Primum: generaliter loquendo privilegia non debere sumi, nec intelligi, nisi in sensu strictissimo: quemadmodum probant Joannes Andreas, & Antonius de Butrio in suis Commentariis, in quamdam Innocentii III. Decretalem (*c*). Quam quidem rationem ea de re subjicere licet, quia quod privilegium dicitur, privata quædam sit Lex, qua Juri communi derogatur, & officitur: *Privilegia sunt leges Privatorum: quasi privatæ leges:* ut loquitur S. Isidorus (*d*). Unde dici merito possit, inde privilegium appellari, quod sit: *plaga legis*.

Secundum: nihilominus, cum privilegium juri communi non adversatur, sed Consuetudini duntaxat, aut cuidam statuto particulari; posse idem benigne accipi, atque latiori sensu donari. Cujus rei ratio liquido constat in Decretali Innocentii III. relata in quinto libro Decretalium (*e*); ut fusius probat idem Joannes Andreas.

Tertium, cum contingit, alicujus privilegii verba ambigua esse, & varios iisdem significari sensus: illius tantummodo esse, illud interpretari, a quo indultum est; quemadmodum ait Cardinalis Hostiensis, quem sequuntur Sylvester (*f*), aliique Canonistæ, juxta quod definitum est ab Innocentio III. scribente ad Doctores Jurisconsultos Universitatis Bononiensis (*g*), & in alia Decretali, quam dirigit ad Abbates S. Sergii, & S. Georgii (*h*) itemque secundum ista verba Gratiani (*i*): *sicut enim ille solus habet jus interpretandi Canones, qui habet potestatem condendi eos, ita ille solus Civilium legum debet esse interpres, qui eis jus, & auctoritatem impertit*.

Quartum: Si verba, quibus concipitur privilegium, nec obscura fuerint, nec ex ambiguo posita: accurate omnino pensanda esse ipsa verba, iisdemq; esse stricte prorsus insistendum: ut jubet Alexander III. (*k*), qui dicit, quod extante dubio: *Inspicienda sunt ergo Ecclesiarum privilegia, & ipsorum tenor est diligentius attendendus* (*l*); *sic enim eos volumus privilegiorum suorum servare tenorem, quod eorum metas transgredi minime videatur* (*m*).

Quintum: quando aliquid dubii privilegium habet: non tam verbis, quam significationi verborum attendendum esse: juxta ista S. Augustini verba, quæ referuntur in Canone (*n*): *Minime utile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præponitur animus corpori*. Eamque rationem S. Hilarius suggerit (*o*) quia scilicet *Intelligentia dictorum, ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus*. Id est, ut Glossa interpretatur (*p*), *non statim debemus intelligere, ut verba prima facie sonare videntur, maxime ubi ambigua sunt: sed debemus recurrere ad intentionem loquentis*. Quod probat multis textibus: cui concordant ista verba Cœlestini III. (*q*): *Non debet aliquis*

(*a*) Ed. 1539. art. 4.

(*b*) D. de Hericourt. lege Ecclesiast. in suo ord. naturali. c. 19.

(*c*) Inn. III. in c. Olim. 26. de verb. sign. l. 5. tit. 40.

(*d*) Isidor. l. 5. etym. c. 18. in can. Priv. 3. d. 3.

(*e*) Inn. III. d. c. Olim & ibi Jo. And.

(*f*) Sylvest. v. Priv. q. 3.

(*g*) Ut igitur unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. &c. Inn. III. in c. inter 31. §. ut igitur de sent. exc.

(*h*) Cum super priv. sedis Apostol. causa vertatur, nolumus de ipsis per alios judicari. Idem in cap. cum venissent 12. de Judic. l. 2. t. 1.

(*i*) Grat. §. Ex c. 11. q. 1. post can. sicut 30.

(*k*) Alex. III. in c. porro 7. & c. recepim. 8. de priv. l. 5. t. 33.

(*l*) D. c. Recepimus.

(*m*) D. c. Porro.

(*n*) Can. Sedulo 12. d. 38.

(*o*) S. Hilar. l. 4. de Tr. in c. intellig. 6. de verb. signific.

(*p*) Gloss ib. v. ex causis.

(*q*) Celest. III. in cap. in his 35. de verb. sign. §. Attende.

considerare verba, sed voluntatem: cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire.

Sextum: in eo casu, quibus privilegium exprimitur, verba esse in sensum benignum accipienda, ac quantum sinit æquitas, tantum extendenda: quippe privilegium quodcumque, sit gratiæ species quædam, qua juri communi derogatur: ac benignissima interpretatio Beneficium deceat: ita declarante Innocentio III. (*r*) *In beneficiis, plenissima est interpretatio adhibenda*: ac evinci potest ex plurimis aliis Decretalibus (*s*), & testimoniis insigniorum Canonistarum, nominatimque Joannis Andreas, & Antonii de Butrio (*t*); nisi forte de re odiosa privilegium indultum fuisset: verbi gratia, de possidendis pluribus Beneficiis; ut observant Archidiaconus, & quidam alii Canonici juris interpretes.

Septimum: istud tamen intelligendum esse 1. modo ejusmodi interpretatio, nemini noceat, quemadmodum ex dispositione plurium Decretalium Alexandri III. patet (*u*). Atque in eo etiam sensu, *salvoque jure alieno*, accipienda sunt Diplomata ac monumenta a Regibus concessa: ut probat Basset duobus (*x*) Arrestis a supremo Senatu Gratianopolitano 12. Augusti 1621. & 30. Julii 1652. pronunciatis.

2. Modo privilegium jus commune, cui derogat, notabiliter non lædat. Eo enim in casu sumendum esset in sensum omnino strictum ac rigidum, qui tamen propriæ verborum intelligentiæ congrueret; ut quid minus de communi jure detraheret. Quod quidem omnino liquet ex Decretali quadam Innocentii III. (*y*) & ex Constitutione Bonifacii VIII. relata in sexto (*z*). Namq; inquit Auctor Glossæ (*aa*), *ubi certa verba ponuntur in eo casu, non extenditur ad alia, sed ita servandum est privilegium, quatenus tenor privilegii se extendit*. Quod etiam declarat Innocentius IV. (*bb*), occasione cujusdam Decretalis Innocentii III. (*cc*) jam citatæ.

Secundum prædicta principia perpendendum est Sivrani privilegium, de quo in proposita quæstione agitur; ac solvendæ quæcumque ejusmodi difficultates possunt eadem de re sese offerre.

CASUS IV.

SOSTHENES, post obtentum a Rege privigium quoddam privatum, octavo die obiit. Numquid possunt ipsius hæredes aut successores illud idem sibi vindicare?

RESPONS.

Duplex privilegiorum genus distinguendum est: alia mere personalia sunt, alio vero realia, *Personale privilegium extinguitur cum persona*, inquit Auctor Glossæ in legem, *Ætatem* (*dd*). Atque adeo a persona privilegio donata, non transit ad hæredes, aut successores. Quod plane congruit Regulæ Bonifacii VIII. quæ fert. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona* (*ee*), exempli gratia, quidam Præfectus exercitus, cui privilegium Immunitatis a Rege factum est, in præmium exantlatorum generoso animo belli laborum quod inter ærarios non referretur, nec tutelæ onus, nec alia ejusmodi susciperet; si decedat, id sibi nulla ratione possunt privilegium assumere ipsius aut filii aut hæredes: quoniam soli personæ defuncti indultum est, & quibus verbis concipitur Privilegii instrumentum, iisdem quæcumque alia persona necessario excluditur; *Personis quidem data immunitas, cum persona extinguitur*, ut loquitur Lex (*ff*), cui consentit Regula juris Romani (*gg*); quæ fert; si quem vivere putat, si vita functus, & ei privilegii aliquid indulgeat Princeps; *certe non valet procuratori defuncti .... nec hæredi, nisi hoc princeps voluerit*; inquit Glossa in dictam Regulam. Quod idem in alia quoque Regula disertis verbis habetur, in qua Jurisconsultus Paulus dicit; *In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficia* (*hh*). Tandem illud idem etiam legitur in quadam ejusdem juris tertia Regula, his verbis; *Privilegia .... quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt* (*ii*).

Dissimilis est conditio privilegiorum, quæ dicuntur realia; illius namque filiis, cui indulta

(*r*) Inn. III. in c. cum dilecti 6. de donationib. l. 3. t. 23. id. in Olim. 26. de verb. signific.

(*s*) Inn. III. in cap. ex parte 27. de decem. & Hon. III. in c. In his 30. de priv. Hadrian. IV. in cap. ex multiplici 3. de decim. Inn. III. in c. cum tibi 28. de verbor. sign.

(*t*) Jo. And. & Anton. de Butr. in cit. c. Olim.

(*u*) Alexan. III. in c. Suggestum. 9. & duob. seq. de decimis. Alex. III. in cap. Dilecti. 4. de privileg. &c. item Panorm. ad c. cum sint. 30. de Cler. non residen.

(*x*) Basset. t. 2. l. 3. t. 3. c. 7.

(*y*) Inn. III. in c. cum dilectus 8. de consuet. junct. Gloss.

(*z*) Bonif. VIII. in c. Quamvis 4. de Præb. & dignit. in 6.

(*aa*) Gloss. in c. Quia circa 22. de privil. v. sed futuri.

(*bb*) C. Porrio &c. recipimus sup. cit.

(*cc*) III. in c. Olim. 16. de verb. signif.

(*dd*) Leg. ætat. 3. ff. de censib. lib. 50. t. 15.

(*ee*) Bon. VIII. Reg. 7. de Reg. Juris in 6.

(*ff*) D. Leg. ætatem.

(*gg*) L. Neratius 151. ff. de divers. regul. Juris antiqui.

(*hh*) Leg. In omnib. 68. ff. de reg. jur.

(*ii*) L. Priv. 196. ibid.

sunt, a Principe, transmittuntur: *Hoc enim transit cum re*, inquit Glossa (*a*). Sic Plebej hominis, jure nobilitatis a Principe donati, filiis, si qui ei fuerint, idem privilegium transmittitur; licet non possit ab hæredibus ex transverso gradu cognationis vindicari. Atque de ejusmodi privilegiis etiam loquitur Ulpianus, in lege superius allegata: cum ait (*b*): *Rebus concessam immunitatem non debre intercidere, rescripto Imperatoris nostri ad Pelignianum, recte expressum est. Quippe ..... data immunitas ..... rebus nunquam extinguitur.*

(*a*) Gloss. in l. ætatem cit.

(*b*) Ulpian. in cit. l. ætat.

Ex quibus concludimus, si privilegium a Principe concessum Sostheni foret mere personale, qualis est immunitas de non suscipienda alterius tutela, aut de non sustinendis aliis publicis oneribus; illud idem nulla ratione posse post ipsius obitum ejus hæredibus prodesse; At vero, si in numerum eorum veniret, quæ privilegia realia appellantur: iisdem omnino posse jure accedere. Verbi gratia, si privilegium indultum fuisset a Rege, quo ferretur, certum quemdam fundum beneficiarium, qui a Regia Majestate habetur, emendum, cedendum aut donandum fore deinceps, absque eo, quod novis Dominis incumbat, quæ possent inde deberi, obventiones pendere; non tantum obtinenti dictum fundum, quo tempore privilegium istud factum est: sed futuris postmodum ejusdem etiam possessoribus quibuscumque, immunitas eodem jure cederet.

En occurrit ea de re aliud quoque exemplum, quod juvat allegare: Canonici, cæteraque membra Capituli de Parisiensi Ecclesia, privilegio gaudent, quo eis donatum est, ut ex Regio diplomate, quod ajunt *Committimus*, possent quibuscumque personis, cuivis jurisdictioni subjiciantur, actionem intendere, easque aut in forum libellorum supplicum, aut in ædium libellos supplices vocare, ac deinde via provocationis in supremam Curiam ducere (*c*). Ejusmodi privilegium non mere personale est: sed dignitati aut conditioni Beneficii, quod possidetur, annectitur, ac singulis sibi invicem in eadem dignitate aut conditione Beneficii succedentibus absque ulla controversia devolvitur.

(*c*) Le Pretre 4. Centuria ipsius Arrestorum cap. 35.

Idem judicandum est de privilegiis Ecclesiasticis, quoniam dignitati Clericali, hoc est, universo Clericorum Collegio, tum propter characterem, quo persona Ecclesiastica insignitur, tum propter ministerium, quo fungitur, indulta fuerunt. Unde Clerico particulari non datur, iisdem auctoritate privata renuntiare, neque iis potest ipse etiam spoliari; nisi quemadmodum le Pretre evincit (*d*) luculenter, ex Lege (*e*) ad marginem indicata, indutus habitu laico & armis instructus, alicujus delicti manifestus teneatur.

(*d*) Le Pretre Centuria 3. c. 37. pag. 629.

(*e*) L. Moveor. 4. cod. si servus exportandus væneat. l. 4. t. 55.

Infinita propemodum ejusdem naturæ alia exempla prætermittimus, quoniam, quæ sumus ea de re prosecuti, videntur ad uberiorem difficultatis propositæ intelligentiam ut plurimum conducere.

CASUS V.

Pollio Creditor privilegiarius domus cujusdam: ob summam 10000. librarum ab eo 2. Januarii 1700. commodatam Renato, atque in ædificium ejusdem impendendam: & Rusticus privilegiarius quoque Creditor, ob aliam parem summam, tribus ab illinc mensibus, ab eo etiam mutuo traditam Renato, atque in perficiendum idem ædificium collocandam: de priori solutione percipienda inter se litigant. Qua domo requirentibus prædictis Creditoribus, post elapsum triennium, in manum Regis tradita: Pollio contendit, juxta jus sibi acquisitum, quas commodavit, 10000 libras, prius quidem a se ipso repetendas esse, quam Rustico quidquam persolvi possit: Rusticus vero, cui perspectum omnino est, quod mutuum dedit, sibi a Renato vix, ac ne vix quidem unquam esse pendendum: propterea quod, quantum ad cæteras ejus possessiones, ex privilegio hypothecæ, plurimi alii Creditores ipso anteriores occurrant: litem Pollioni vult intendere, ut sibi detur in societatem communis solutionis, ipsi simul concurrere: Numquid per æquitatem ei licet ejusmodi litem inferre?

RESPONS.

Omnino jus cedit, ut Rusticus valeat Pollioni inferre actionem, si eum in societatem solutionis communis sibi simul concurrere non patiatur. Quod ita statuit Lex istis verbis (*f*): *Privilegia non tempore æstimantur, sed ex causa: & si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diversitates temporis, in his fuerint.* Atque illud idem distinctis adeo verbis Glossa Accursii interpretatur, ut operæ pretium esse ducamus, si eadem hoc loci in integrum exscripserimus: *Nota quod secundum ea privilegium competens aliquando Creditoribus: unum reale, scilicet hypothecarium: aliud personale, & de hoc dicit, & fit pene casum. Quidam habet multos Creditores, privilegium personale habentes: Quæritur, quis eorum præferatur? Et certe non inspicitur tempus, ut, qui primo contraxit, præferatur: sed causa inspicitur, ut quis eorum habeat magis favorabilem causam, ut est in funeraria, quæ præfertur aliis, puta actioni tutelæ, & similibus. Si autem sunt duo Creditores ejusdem causæ, tunc concurrunt, licet diversis temporibus contraxerunt.*

(*f*) L. Privilegia 17. ff. de privileg. Creditorum l. 42. t. 6.

En plane omnino casus ipsissimus est, de quo Pollionem inter, & Rusticum quæstio est. Constat enim a Pollione quidem commodatam fuisse Renato 10000. librarum summam tribus mensibus, antequam eidem similis summa mutua a rustico crederetur. At in eumdem usum, in eamdemque causam, utrumque commodatum venire, manifestum est: hoc est, in idem ædificium construendum. Est ergo Creditori utrique in societatem atque æqualitatem communis solutionis concurrendum: Nec quid amplius percipiendi juris accedit Pollioni, quam rustico: quippe titulus utriusque in sua causa, privilegii conditione prorsus eadem, juvari reperiatur.

Est tamen unde exceptionem admittat ejusmodi principium, quo memorata Lex innititur: nimirum, circa duas dotes, quæ in uno, eodemque fundo constituerentur. Quam exceptionem Glossa innuit istis verbis (*g*): *Præterquam in duabus dotibus, ab eadem substantia debitis, tunc enim prærogativa temporis servatur.* Atque in eo parissimum casu, sicut in quibusdam aliis ad præsentem materiam non pertinentibus, obtinet ista regula juris: *Qui prior est tempore, potior est jure* (*h*). At quando causis aliquid dissimile contingit accedere, quæ magis præcipua est, ei primæ vindicantur; Ipsaque jus facit, percipiendæ prioris solutionis, adversus eum, qui quadam de causa minus præcipua mutuam suam pecuniam tradidisset: ut innuitur ab Authore Glossæ, istis verbis: *Ut in funeraria* (causa,) siquidem id habeant funerariæ impensæ, ut ante quæcumque alia debita, primum veniant solvendæ.

(*g*) Glossa in d. l. Privil. verbo concurrunt.

(*h*) Reg. 54. de reg. jur. in 6.

CASUS VI.

Venditam a Catone quamdam domum Raoldo, constituto ea de re certo solutionis tempore, post menses aliquot, emptoris ejusdem Creditores jusserunt simul cum cæteris ipsius bonis non moventibus in manum Regis tradi: Cato, cui ejusmodi manus injectio inopinata accidit, quoniam, qua rerum inopia Raoldus premeretur, eum penitus fugiebat, eidem intercessit, atque id sibi præ iis omnibus juris prætendit, pretii venditæ domus percipiendi. Qua de re cæteri Creditores litem ei intulerunt, contendentes nimirum id ipsis privilegii tantum accedere, sibi simul in communem solutionem concurrendi: Numquid istud cum aliquo juris fundamento possunt contendere?

RESPONS.

Extra omnem omnino controversiam positum est, istud privilegium Catoni accedere, ut in percipiendo constituto domus suæ venditæ pretio, cæteris Creditoribus præferatur, ac proinde nullo prorsus inniti fundamento, quin immo æquitati penitus repugnare, quod sibi privilegium assumunt. Atque ita suadet omnino vel primum ipsius æquitatis dictamen. Neque enim, qui rem aliquam alienat, ipsius dominium ad emptorem transferre censetur, nisi adhi-

adhibita ista conditione, quod constitutum eadem de re pretium sit numeraturus: indeque est, quod illud sit jus venditoris, ut cum rei venditæ pretium non est ei solutum, possit aut rem eandem sibi retinere, posito quod res non debuerit tradi, ante solutum pretium; aut si eandem nondum persolutam tradiderit, eam sequi atque occupare in cujuscumque manus transierit; modo tamen contractus venditionis instrumento feratur, ipsi de re vendita non fuisse satisfactum: si namque ejusmodi clausulam contractus instrumentum non enunciaret; ac venditor, acceptum ab emptore debitum scripto fecisset; retenta sibi simplicis chirographi cautione Emtoris, quam sufficientem habuisset: tunc privilegio excideret præ cæteris creditoribus solutionis excipiendæ; quoniam ea ratione suum ipse jus in solutionem primum veniendi ad nihilum redegisset; ipsius Hypotheca vel vel eo extincta, quod titulum immutavisset: atque fatendum est, nisi sic esset legibus cautum, inde futurum, ut ingens prorsus incommodum emergeret; quippe iis fraus injiceretur, qui suam pecuniam emtori postmodum accommodarent: ut D. Domat observat (*a*).

(*a*) D. Domat. leg. civil. &c. lib. 3. tit. 1. sect. 5. n. 4.

Perpendendæ supersunt ea de re plurimæ adhuc quæstiones; sed eadem cum a Judicibus, tum a Patronis quibus subjectæ materiæ, scientiæ intelligentiæque fons uberior succurrere censetur, & ad quos recurrere passim incumbit, dirimendas omnino decet dimittere. Plurimum ea de re luminis, tamen emanabit de erudito illo opere, quod edidit laudatus D. Domat. Neque abs re fuerit, quæ de Hypotheca ipsi prosecuti sumus consulere atque oculis evolvere.

CASUS VII.

IMPERATOR Moscoviæ tulit legem, qua qui falsum crimen alicui objecerint; ad subeundam debitam injuriæ illatæ pœnam, suscepto nimirum certo quodam fustuarii modo condemnentur. Quidam Ecclesiastici, qui in prædictæ legis casum impegerunt, immunitatis suæ privilegio ultro renunciavere, ac fervente cum pœnitentiæ, tum summæ humilitatis æstu, constitutam aliis animadversionem non renuerunt in se ipsos suscipere. Numquid in eo laude digni sunt, & nonne sic se, se gerentes proprio suo officio, propriæque conscientiæ prorsus defuisse censendi sunt?

RESPONS.

Liquet omnino, quo quis privilegio donatus est, quod ipsius inhæret personæ, nec ad alium præterea extenditur, ab eo posse eidem renuntiari: *Cum quilibet ad renuntiandum juri suo liberam habeat facultatem*. (*b*) Ut ait Innocentius III. juxta legem, qua fertur, (*c*) *Cum regula sit juris antiqui omnes licentiam habere, his quæ pro se indulta sunt renuntiare*.

Verum non eadem est conditio privilegii, quod alicujus characteri aut dignitati inhæret. Neque enim privato conceditur, quod universo ordini cujus simplex membrum est, accedit privilegio renunciare. Unde sequitur, cum Clerus in integrum speciali privilegio a lata Lege, de qua quæstio sermonem facit, excipiatur; nec potuisse nec debuisse ab Ecclesiasticis, qui in memoratæ legis casum impegerunt privilegio, quo ab eadem fiunt immunes sub prætenso sustinendæ, ex fervore pœnitentiæ & humilitatis, ejusmodi animadversionis velamento renuntiari; quoniam sic se se gerere non potuerunt, nisi inusta Clericorum Collegio injuria notabili, quippe ad eum pertineat ejusmodi privilegium immunitatis.

Quæ nostra decisio eadem est, quæ olim suggesta est a summo nominis insignis Pontifice quodam ea de re rescribente ad Archiepiscopum Bracarensem, (*d*) cui declarat; ejusmodi Ecclesiasticorum arbitrio non fuisse relictum, ut legem ea ratione latam subirent, & quo ab animadversione tali constituuntur immunes privilegio renuntiarent: *Cum ille Canon*, inquit laudatus Papa, *non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus*. Qui Summus Pontifex alibi quoque habet, & post ipsum Gregorius IX. (*e*) Id juris Ecclesiasticis acquiri, ut non sint, nisi a Judicibus Ecclesiasticis judicandi propter eum, quo insigniuntur characterem: quibus tamen in eo, non plane consentit Gallicana Jurisprudentia.

(*b*) Inn. III. in cap. Ex conscientia. fin. de crimine falsi. l. 5. tit. 20.

(*c*) Leg. Si quis. 50. cod. de Episcopis &c. l. 1. tit. 3. Item leg. Si quis 29. cod. de pactis. l. 2. tit. 3. Et leg. invito. 69. ff. de diversis reg. juris antiqui. lib. 50. tit. 27.

(*d*) Inn. III. in cap. Contingit. 36. de sententia Excommunicationis, &c. l. 5. tit. 39.

(*e*) Inn. III. in cap. Si diligenti. 12. de foro competenti l. 2. tit. 2. Greg. IX. in c. Significasti. 18. eod. tit.

PROBABILITAS.

Vide, OPINIO.

PROCURATOR.

DICITUR *Procurator* gerendarum causarum, *Cognitor causarum*, *structor litium*, Minister, cui partis alicujus litigantis sustinendæ personæ facultas datur, cujus causam defendendam in judicio suscipit, sive apud supremum aliquem Senatum, sive apud Judices inferioris alicujus Jurisdictionis. Sed ipsius Ministerium in forma danda liti, totum coarctatur. Unde cum incumbit aliquam conditionem ferre, manum caduci juris tollere, vendere, de re aliqua compromissum facere, jurejurando affirmare, aliquid falsi arguere, accusationem in aliquem constare, aut judicem aliquem ejerare; quod a Procuratore tentatum est, potest pars ipsius diffiteri, & ipse proprio privatoque nomine, partis adversæ litis impendiis atque accessionibus damnari.

Primum quidem ejusmodi Ministri Regnante Francisco I. inducti sunt, officii deinde titulo, mense Julii 1572. cohonestati, eorumque numerus, ad 400. quantum ad supremam Parisiensem Curiam anno 1639; definitus est.

Est præterea Ministrorum insigniorum ordo quidam, quibus titulus Procuratoris attribuitur; nimirum Regiarum causarum summus cognitor; Regius Procurator, & Procurator Fiscalis. Regiarum causarum summus cognitor, cujus institutio repetitur a constitutis primum Supremis Senatibus, summo ejusmodi ministerio fungitur, ubicumque se se extendit jurisdictio Supremi Senatus,

tus, cujus summus Minister constituitur; inchoatis nempe litibus interveniendo, s. u quod ipsi videtur magis expedire, juxta illud pronuntiari postulando, in Arrestis quæ tanquam solemnia statuta sibi proponit Suprema Curia ferre, ac in omnibus generatim causis, in quibus versatur aliquid, quod ad Regem, Regnum, Ecclesiam, Minores, aut rem publicam pertinet.

Procurator Regius, Minister est, qui se se gerens quasi procognitor Regius, atque Summi Regii Procuratoris supplens quasi vices. partes ipsius Regis ac rei publicæ suscipit tuendas in inferioris Regia Jurisdictione; cuique munus incumbit, rei capitalis Reos in carcere detentos agere; ne crimina inulta impunitaque relinquantur. Verum ei delatorem aliquem adesse prærequiritur; alioquin, quæ ex criminali causa sumtus impendia cæteraque litis accessiones Reo obvenissent, dimisso eodem ac omni crimine liberato, in ipsum reciderent: Quemadmodum judicatum est a Supremo Parisiensi Senatu, Arresto ea de re pronunciato 28. Aprilis 1626 quod refert Dufrene (a).

(a) Epheme. rid. Audient. l. 1. cap. 100.

Procurator Fisci, est Minister alicujus Domini alto justitiæ imperio gaudentis, cujus in eo munus positum est, ut defendendam rem publicam, conservandaque sui Domini jura potissimum suscipiat.

Addi potest, eadem quoque Procuratoris appellatione, in plurimis Religiosis societatibus, eum donari, qui delegatur a Capitulo Provinciali, ad jura litium occurrentium apud judices persequenda, cæterisque negotiis Monasterium attinentibus invigilandum, cuique ea de re concreduntur a Communitate omnia instrumenta, monumenta & exemplaria Monasterii, dato nimirum ab eo Chirographo, quo sibi ad manum eadem esse profitetur.

Tandem Procurator dicitur, Mandatarius, seu ille, cui scripto facta est gerendi alicujus negotii auctoritas; id est, quæ coram Notariis fuerit confecta, aut cui nomen manu propria subscriptum accesserit, qua quidem auctoritate, constituitur nomine sui Mandantis acturus in iis omnibus, quæ ad ipsius causam pertinent, sive in materia Civili, sive in Ecclesiastica: Atque de Procuratore eo postremo sensu accepto, animus est in hoc potissimum titulo tractare. En quæ Procuratorem ejusmodi spectant, præcipua statutorum capita.

Qui factam adversus æquitatem aut bonos mores auctoritatem, in ipsum suscepit, atque ex eadem adhibita, aliquid damni patitur; ei nulla actio nullusque recurrendi ad ejus constituentem locus suffragatur: Quoniam nec acceptandæ, nec multo minus exequendæ ejusmodi rei ipsi mandatæ, facultas ulla omnino ratione permittebatur.

Omni Procuratori, seu Mandatario quam strictissime incumbit, ut sibi factæ auctoritatis ipsissimis verbis ac clausulis insistat, absque eo quod præscriptos sibi fines possit, ne lato quidem ungue, transgredi.

Solvitur auctoritas ejusmodi Procuratoris. revocata ab eo, a quo facta est, cum primum ipsius recisio ei renuntiatur. Cessat etiam mortuo Procuratore, imo quoque stricte loquendo, cum decessit ipse Mandans, ac obitus ejus nuncius ad Mandatarium aut Procuratorem opportuno tempore pervenit, aut aliunde rumore disseminato potuit ab eodem resciri.

Qui Procurator constituitur ad rem aliquam gerendam, potest si voluerit, auctoritatem sibi factam non acceptare, seu detrectare; modo rejectam a se dictam auctoritatem declaret, *re adhuc integra*; ac residuum constituenti tempus adhuc maneat, aut propriæ rei per semetipsum gerendæ, aut alterius edigendi, qui ipsius nomine agat: Alioquin, si auctoritate semel suscepta, aut ex mora significandi, eandem non fuisse acceptatam, detrimenti quid emergeret constituenti; isti profecto cederet jus, adversus Mandatarium suum agendi *actione mandati*.

Potest fieri Mandatario auctoritas, aut omnino generalis, quarumcumque gerendarum rerum; aut specialis gerendi alicujus negotii singularis. Potest etiam demandari, aut verbis absolutis, nec ulla ratione definitis; aut ad certum tantum tempus determinari, aut sub aliqua conditione delegari: Quo in casu nulla copia Procuratori, cum completur auctoritatis ipsi factæ præfixum tempus, agendi datur; aut quando nondum habuit locum conditio, quæ apposita est.

Ut mulier viri sui potestati, jure naturali subest: eo inconsulto nec consentiente, quidquam auctoritatis sibi factæ potest acceptare: Adeo ut, etiamsi Maritus ipse foret Mandans ac constituens, requireretur, in ipso rei ei mandatæ instrumento exprimi, ab eo ipsi mulieri, ea de re, tribui auctoritatem.

Quod pertinet ad Procuratorem circa res Ecclesiasticas, paucis absolvemus dicendo scilicet, sub appellatione procurationis, ut ajunt *ad resignandum*, circumferri

ferri instrumentum, quo Beneficiarius suum Beneficium abdicat in manibus legitimi Superioris, privato cuidam conferendum: Quod auctoritatis locum tenet Mercatori & Scambiatori Domini Papæ, cui agendi in Curia Romana, ac provisionem dicti Beneficii obtinendarum, provincia demandatur. Verum instrumentum ejusmodi suo caret effectu, juxta, quæ apud amplius Consilium obtinet, jurisprudentiam, si antea mittatur, quam in publicas tabulas fuerit relatum.

Potest in possessionem alicujus Beneficii per Procuratorem veniri; sed ipso die possessionis ineundæ, est dies antiquior Procurationis instrumento ascribendus.

CASUS PRIMUS.

CASSANDER, Norbertum & Landricum, constituit sibi Procuratores, auctoritate iisdem factam, cum Andrea transigendæ, quantum ad capita plurima, litis cujusdam, in qua eundem habet tanquam partem sibi adversam. Post elapsum unum mensem, Norbertus, qui ut in gerendis negotiis sensu atque intelligentia, sic aliunde etiam loco & nomine commendabilior est Landrico, de controversis omnibus capitibus cum Andrea convenit, nec adhibito sibi Landrico, rem totam cum eodem solus ipse composuit. Nunquid ejusmodi conflata transactio legitima est; & Cassandrum obligat in foro conscientiæ?

RESPONS.

Ejusmodi conflata transactio, nedum legitima censenda sit, imo nec quoad forum judicii, nec quoad forum conscientiæ potest Cassandrum ulla ratione astringere. Neque enim a Cassandro Norberto soli, litis cum Andrea componendæ, sed simul ei adjuncto Landrico, auctoritas demandata est: Adeo ut neutri Mandatariorum detur, eandem auctoritatem sibi in indivisum factam dividere. Unde sequitur, nihil quidquam obligationis impertari Cassandro Mandanti, ex iis omnibus, quæ a Norberto peracta sunt, cujus amicabilem compositionem potest omnino rejicere; siquidem ex procuratione a se scripta non tentatur, nisi ad acceptandum atque ratum faciendam, quod a prædictis Procuratoribus simul transactum fuisset. Sic statuit Lex, quæ ait (a), *Diligenter igitur mandati fines custodiendi sunt. Nam qui excessit, aliud quid facere videtur* (b)?

(a) Leg. Diligenter. 5. ff. mandati, vel contra lib. 17. tit. 1.

(b) Domat. Leg. civil. in suo naturali ordine. lib. 1. tit. 15. sect. 3. n. 14. p. 129. Edition. in fol.

CASUS II.

CLAUDIUS constitutus a Juliano Procurator eo fine, ut proficisceretur Amstelodamum, ibique rebus ipsius gerendis invigilaret, statim ab adventu suo, illic falso laterali dolore consumptus est. Stephanus ejus filius, quem sibi socium peregrinationis adjunxerat, existimans id sibi licere, ut pro Patre suo res Juliani perageret, demandatam defuncto Provinciam in seipsum suscepit, atque executus est. An Juliano incumbit, id quod a Stephano nomine ipsius confectum est, habere ratum atque acceptum?

RESPONS.

Nulla ratione prorsus incumbit Juliano, saltem stricte loquendo, quod ipsius nomine peractum fuit a filio Claudii, idem ratum habere atque acceptum; quippe manifestum sit, ab eo, nulla ipsi facta auctoritate, actum fuisse. *Cum .... neque oporteat, eum qui certi hominis fidem elegit, ob errorem aut imperitiam hæredum, affici damno*, inquit Lex (c). Ratio est, quia quæ Procuratori auctoritas scripto facta est, ipso expirante, expirare prorsus & extingui censetur: *Si adhuc integro mandato, mors ..... illius, qui mandatum susceperit, solvitur mandatum*, ait Imperator Justinianus (d). Exigit tamen naturalis æquitas, ut si constituti Procuratoris hæres adverterit, a Constituente non posse negotio cuidam urgenti dari operam, ac apertum periculum imminere ei, ex mora temporis quod abiret, ante renunciata sibi de novo quædam jussa; intereaque dum alteri faciendæ auctoritati a Mandante tempus insumeretur; ipse proprio marte aliquid peregerit; quod suo nomine atque in suimetipsius gratiam & commodum fuerit confectum, id ratum habeat atque omnino acceptum: Siquidem id sibi in eo casu prædictus hæres non sumpserit, nisi ut pergratum ei faceret. Indeque concludimus, si bona fide; atque in propriam Juliani commodum res gesta sit a Stephano, non improbandum esse ab illo, quod iste peregit eo potissimum animo, ut prospere se se res haberent, ac ipse de eo bene mereretur.

(c) Leg Mandatum. 57. ff. mandati, vel contra.

(d) Lib. 3. Instit. tit. 27. de mandato. §. 10.

CASUS III.

AUENTINUS, cum propria sibi apud Judices agenda causa in suprema Gratianopolitana Curia instaret; ejusdem persequendi juris, Thomæ Civi Parisiensi, Provinciam demandavit; Qui quidem postquam sese in istam Urbem contulit, sic acriter litem persecutus est, ut eam intra duos menses judicari obtinuerit; Qua Provincia plane absoluta, cum Parisios rediisset, petit ab Aventino, quam a sese asserit impensam fuisse in gerenda dicta Provincia, summam quadringentarum librarum sibi refundi.

Aventinus vero modeste ferens sese causa cecidisse, habuit ejusmodi impensas cum itineris, tum commorationis per tres tantummodo menses continuatæ, tanquam ab omni fide prorsus abhorrentes, ac contendit, si ipsemet Gratianopolim accessisset, non ultra trecentarum librarum summam impensam fuisse: adeo ut in compositionem cum Thoma venire postulans, centum nummos ei obtulerit. Sed Thomas insistens, nihil omnino de summa quadringentarum librarum detrahi passus est, quodam reipsa, bonaque fide eam totam impendit. Numquid Aventinus ex conscientia tenetur, ad eandem summam in integrum ei rependendam?

RESPONS.

Quanquam equidem potuerit contingere, sumtus factos a Thoma, in prædicto itinere, multo superiores esse impensis, quas ipse sustinuisset Aventinus, si peragrandum iter suscepisset; tenetur nihilominus ex conscientiæ debito, ad refundenda Thomæ, quæcumque bona fide, ab dictante æquitate impendia fecit; licet minus parce forsitan ac minus prudenter, quam ad ipso Aventino factum fuisset: *Impendia, mandati exequendi gratia facta*, inquit Lex (e), *si bona fide facta sunt, restitui omnino debent: nec ad rem pertinet quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere*. Adeo ut si ea ratione, quam sibi refundi petit, Thomas quadringentarum librarum summam impenderit, eandem ei rependere, Aventino necessario incumbat. Neque vero, qui ut de amico suo bene mereatur, longam adeo peregrinationem peragrandam suscipit, multum desudat, plurima magnaque molitur, ut se se cuncta prospere habeant; non ad strictam adeo parcimoniam servandam tenetur; atque ei, quæcumque necessaria sunt, abunde subministrari convenit, tum ad vitam commode sustentandam, tum ad vecturas sibi habendas, cæteraque longi operosique nimium itineris allevamenta sibi comparanda. Ut namque eum non decet, de collato in amicum beneficio fieri ditiorem, sic nec æquum est ei detrimenti quid inde emergere. *Ex mandato*, ait alia Lex (f), *quod eum qui mandatum suscepit, nihil re-*

(e) Leg. 8. quis. 27 §. 4. ff. mandati, vel contra.

(f) Leg. Ex mandato. 20. ff. eod. tit.

mane-

avere oportet, sicuti nec damnum pati debet. Non possunt ergo in ejusmodi rerum circumstantiis detrahi, nisi quæ inutilia sunt impendia, ac omnino superflua; juxta Legem quæ declarat (*a*): *Si quid Procurator extra mandatum, in voluptatem fecit, permittendum ei auferre, quod sine damno Domini fiat; nisi rationem sumptus istius Dominus admittat.*

(*a*) Leg. Idem. quæ 10. §. 10. ff. eod. tit.

CASUS IV.

ALANUS, auctoritate speciali scripto facta Barnabæ petendi vicinam quamdam Provinciam, ibique vendendi prædii, quod abdicare animo habebat; decimo aut duodecimo die post decessum Barnabæ, de vita decessit. Ipse vero Barnabas, quem omnino latebat obitus Alani, paulo post memoratum prædium alienavit. Numquid valet ejusmodi venditio; atque eam præstare ac ratam habere, hæredi Alani incumbit?

RESPONS.

Venditio dicti prædii & valida & legitima est, neque est unde hæres Alani eandem ratam habere possit cum aliquo jure detrectare. Bona namque fides, eum qua Barnabas egit, idem præstat quantum ad istam venditionem, quod præstitisset auctoritas ipsi facta ab Alano, *Utilitatis causa receptum est*, inquit Imperator Justinianus (*b*), *si eo mortuo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum: posse te agere mandati actione. Alioquin justa & probabilis ignorantia damnum tibi afferret.* Atque in eo Jus antiquum, recentiori congruebat: En namque, qua ratione una quædam Lex digesti, de eadem re habet (*c*): *Si præcedente mandato, Titium defenderas; quamvis mortuo eo, cum hoc ignorares, ego puto, mandati actionem adversus hæredem Titii competere: quia mandatum morte Mandatoris, non etiam mandati actio solvitur.*

(*b*) Lib. 3. Instit. tit. 27. de mandato. §. 10.

(*c*) Leg. Si præcedente. 58. ff. mandati. &c.

Quin etiam dici potest, si Procurator jamjam foret ad exequendum mandatum paratus, cui mandato nulla mora posset inferri, quin hæredi Mandatoris damnum aliquod notabile inde importaretur; quemadmodum, si messis aut vindemia quædam administranda instaret; renunciata ipsi licet morte Constituentis, antequam Provinciæ sibi demandatæ facere satis incœpisset, eandem omnino ab eo peragi posse, si commonendi hæredis tempus ipsi non permitteretur. Cujus rei ratio est, quia cum mandatum exequitur, rem hæredis promovet, eumque a detrimento defendit, quod suisset certissime passus, nisi proprio marte suscepisset mandatum peragendum. Quod æquitati sic consentaneum esse manifestum est, ut aliunde conquisitis rationum momentis nullatenus indigeat confirmari (*d*).

(*d*) Domat. tractatu Legum Civilium in suo ordine natural. lib. 2. tit. 15. sect. 3. n. 7.

CASUS V.

GODARDO mandavere Victor, Vitalis & Valentinus, ut Rhotomago sese conferret Nannetes, rei ipsorum communi invigilaturus, circa merces, quas in indivisum habent in quadam navi, quæ fuit illuc ab insulis Americanis appulsa. Qui quidem post peractum suum mandatum, Rhotomagum reversus, Victorem adiit, atque sumtus factos sibi ab eo refundi petiit. Victor vero oblata eorum tertia parte, quæ ad eum pertinebat, eum dimisit, quod reliquum supererat, a Vitali & Valentino repeti turum. Cui Godardus respondit, non existimare sese, id sibi obligationis incumbere, ut ad alios recurreret; siquidem a singulis eorum debitum illud in solidum deberetur; ac proinde velle, ut ipse solus, quidquid impensarum erat, persolveret; salvo eo, quod sibi data via recurrendi ad Vitalem & Valentinum ipse uteretur. Numquid in eo, quod contendit, potest recta conscientia perstare, atque Victor obligaturne ad integrum debitum ei rependendum?

RESPONS.

Jus omnino cedit Godardo; neque Victor potest a refundendis ei, quas integras repetit impensa, semetipsum ullatenus eximere. Quando namque contingit constitui Procuratorem a multis, aut mandatum quoddam committi; eorum unicuique incumbit, integrum aut auctoritatis factæ, aut mandati commissi præstare effectum. Adeo ut sive solutionis causa, sive damni, si quod fuerit, compensationis, ipsi liberum sit, quem eorum ulterutrum libuerit accedere, quasi sibi ab eo solo fuisset aut scripto facta auctoritas, aut Provincia demandata: Quod etiam locum haberet, quanquam de solidit ate nihil quidquam fuisset in instrumento procurationis enunciatum. Atque id ita Lege reperitur constitutum, qua fertur (*e*): *Paulus respondit, unum ex mandatoribus in solidum eligi posse; etiamsi non sit conceptum in mandato.* Non est ergo, unde Victor possit a refundendis Godardo integris impensia, quas prudenter in antecessum sustinuit, in peragendo sibi cum ab eo tum a duobus aliis facto mandato, semetipsum ullo jure defendere; salvo nimirum eo quod ei ad Vitalem & Valentinum recurrendi locus non denegetur.

(*e*) Leg. S. Mandatum. 59. §. 3. ff. mandati, vel contra.

Atque ea de re operæ pretium est advertere, quod in Lege fertur de duobus, quibus antea Procuratoribus constitutis, fuit unum idemque gerendum negotium demandatum. *Duobus quis mandavi: negotiorum administrationem*, inquit laudata Lex (*f*), *quæsitum est, an unusquisque mandati judicia in solidum teneatur? Respondi unumquemque pro solido conveniri debere; dummodo ab utroque non amplius debito exigatur.*

(*f*) L. Creditor. 60. § 2. ff. eod. tit.

CASUS VI.

MAURILLUS, cum in Angliam commigravisset, suum ibi domicilium positurus, generalem scripto auctoritatem fecit Sigeberto cum rerum suarum gerendarum, tum bonorum quorumcunque administrandorum. Post sex menses eadem generali auctoritate Liebaldum sibi Procuratorem constituit, Sigeberto nihil quidquam ea de re commonito; Qui quanquam eum non fugeret ejusmodi recenter facta procuratio, pro more suo nihilominus, ex sibi demandata auctoritate Procuratorem sese ferens, procreatos de prædio Maurilli fructus, privato cuidam vendidit, Quos eosdem alteri vendidit quoque Liebaldus. Qua de re quæritur utrum ejusmodi venditionem potuerit Sigebertus legitime conficere, aut num, quæ peracta est a Liebaldo, suum sortienda sit effectum?

RESPONS.

Veneundorum fructuum, de quibus quæstio est, in proposita specie, Sigeberto postquam in cognitionem alterius auctoritatis alteri factæ venit, scilicet procurationis Liebaldo a Maurillo demandatæ, jus non potuit ulla ratione cedere. Adeoque quam ipse Liebaldus peregit, sola venditio valet ac legitima est. Ratio est ea, quam Lex suggerit istis verbis (*g*): *Julianus ait, eum, qui dedit diversis temporibus procuratores duos, posteriorem dando, priorem prohibuisse videri.* At vero, si Sigebertus memoratos fructus bona fide vendidisset, antequam ei innotuerit alteram procurationem Liebaldo factam fuisse, Maurillus non admitteretur ad eam rejiciendam, ac venditio, quam Sigebertus exhibuisset, suum prorsus sortiretur effectum.

(*g*) Leg. Si quis. 31. § fin. ff de procuratoribus & defensoribus. l. 3. tit. 3.

CASUS VII.

LANDULFUS, acceptata, demandata sibi ab Henrico extra Regnum posito, generali auctoritate, rerum ipsius gerendarum, omniumque bonorum tractandorum; atque vi sibi factæ procurationis, juribus quibusdam, quæ sibi de quadam hæreditate Henricus vindicabat, cum Carolo transactis; ac fundo quoque ipsius, alicujus debiti restinguendi causa alienato; ab eodem Henrico reverso, quantum ad dicta duo capita, penegatus omnino fuit se rejectus. Verum Carolus contendit ex adversa parte, Henricum ex debito conscientiæ teneri, ad comprobandum ratumque faciendum, quid-

Digitized by Google

quidquid iis de rebus a Landulfo peractum fuit: hoc est, tum transactionem, tum alienationem, ipsius nomine ab ejus Procuratore exhibitam, acceptandam. Numquid ejusmodi obligatio Heurico incumbit?

RESPONS.

Heurico nulla ratione prorsus incumbit, neque transactionem, neque alienationem ipsius nomine a Landulfo in gratiam Caroli exhibitam comprobare, seu admittere. Neque enim juxta Leges, procuratio generalibus verbis enunciara atque rerum, viri alicujus extra regnum constituti, gerendarum, tractandorumque bonorum, demandans auctoritatem sufficit, ut inde Procurator sibi locum sumat, proprio marte transigendorum sui Mandatoris jurium, aut ipsius fundi alienandi: Sed eum inniti præterea requiritur speciali procuratione, qua ei fiat peragendi alterutrius expressa auctoritas.

Quod spectat ad traoiactionem, est Lex quædam, quæ istud declarat distinctis omnino verbis. Eo ipsissima sunt istius verba (a): *Mandato generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam*. Occurrit etiam alia Lex, quæ idem prorsus statuit de alienatione, & quæ fert (b): *Procurator totorum bonoram, cai res administrandæ datæ saat, res Domini, neque mobiles, vel immobiles... sine speciali Domini mandato alienare potest.*

(a) L. Mandato 60. ff. de procurat. & de defens.

(b) L. Procurator. 63. ff. eod. tit.

Iia aatem rationibus potissimum innituntur superiores decisiones, quod alienata vel transacta bona Mandatoris, inde sæpe sæpius imminuantur. Adeoque solius est Domini, cui jure proprietatis ista bona cedunt, ejusmodi ratione de iisdem aut per semetipsum, aut per alterum ex procuratione speciali, statuere. Namque *in causa mandati etiam illud vertitur, ut interim nec melior causa Mandantis fieri possit, interdam melior, deterior vero nunquam*. Ita loquitur una ex Legibus Digesti: (c) *Ignorantis Domini conditio deterior per Procuratorem fieri non debet*, ait rursum alia Lex (d). A constituta tamen regula generali fructus excipiendi sunt, seu res, quæ seu corruprioni, seu alterationi obnoxiæ sunt. Venandandarum enim rerum hujusmodi facultas Procuratori manet, quamquam ei procuratio fuerit nonnisi generalis demandata. Atque ea potissimum de causa, quod in eo nihil aliud agat, quam quod ab unoquoque viro prudenti de propriis fructibus statueretur: atque venditis fructibus nedum suo mandarori noceat, quin imo plurimum prosit. Quæ quidem exceptio ab ipsa laudata Lege apponitur istis verbis: *Nisi fructus, aut aliæ res, facile corrumpi possant*.

(c) L. Præterea 3. ff. mandati, vel contra l 17. c. 31.

(d) L. Ignorantis 49. de procuratoribus & defens.

Vide POSSESSIO. Casus Guibertus, & RESTITUTIO. Casua Sejus.

PROFESSIO RELIGIOSA.

Est PROFESSIO RELIGIOSA, testificatio publica & solemnis, qua quis profitetur devovendum sese totum vitæ regulari, ac per integrum vitæ suæ decursum, tribus votis Castitatis, Paupertatis, atque Obedientiæ servandis.

Pristinis temporibus Professio publica, qualis hodiernis diebus solet proferri a Religiosis personis non emittebatur. *quod vero postea*, ut observat (e) celeberrimus Yvo Carnotensis, *multiplicatis Monachorum Congregationibus, Professiones ab eis exactæ sunt, & benedictiones super eos datæ; quadam cautela factum est, ut Monasticus Ordo quanto firmius & solemnius in conspectu Dei & hominum ligaretur, tanto robustius & devotius ab ipsis servaretur; & si qui vellent ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus convincerentur, & tanquam jurati in Christi Sacramenta Tyrones ad propositum suum reverti cogerentur* Quæ verba ipsissima sunt laudari plurimumque laudandi Episcopi.

(e) Epist. 25.

Ut professio Religiosa emittatur, quæ valida sit; requiritur 1. præmissum fuisse, in faciendo quasi religiosæ disciplinæ tyrocinio, annum integrum. 2. Completum esse ætatis annum decimum sextum (f). 3 In cooptationem ejus, qui profitendus, seu quæ profitenda est, suffragia geminatę capituli regularis tertię partis concurrere

(f) Concil. Trid. sess. 25. de Regularib. c. 15. Edictum Blesens. a. 28.

Interpellantibus nequicquam Patre & Matre, proferri potest a minore Professio Religiosa; ut pronunciatum est Arresto Supremæ Curiæ Parisiensis 23 Julii 1686 (g). Quod tamen non obtinet quantum ad puellas, nisi ab Ordinario aut ipsius Vicario generali fuerit judicatum, personæ Novitiæ vocarionem canonicam esse ac legitimam; Professionemque ab eadem emitrendam, liberam prorsus esse & spontalem. Suborto enim, ea de re, vel minimo dubio, Puella subducitur, quo locus detur penitius rimandæ veritatis: Quemadmodum statutum est a Supremo Burdigalensi Senatu, 14 Julii 1671. (h), juxta Edicti Blecensis dispositionem. Prohibitum tamen fuit a Parlamento Provinciali, lato ea de re Arresto 11. Aprilis 1680. ne Superiores & Præpositæ Monasteriorum, quemquam filium aut filiamfamilias ad peragendum Monasticæ disciplinæ tyrocinium, Patre & Matre non consenrientibus, admitterent (i).

(g) Ephem. Palatii 12. par. fol. 355.

(h) Idem 12. par. fol. 489.

(i) Id. 11. per. fol. 432.

Locum haber civilis mortis, Religiosa Professio solemnis, & substitutioni præbet occasionem: ut judicavere Arresta quamplurima, quæ Montholonius le Perre, cæterique Arrestographi referunt.

De Professione solemni non restium probationes recipiuntur, sed solius scripti argumentum: juxta quod fertur in Edicto Molinensi (k).

(k) Art. 15.

Duæ recensentur species Professionum: Professio nimirum expressa, & Professio tacita At quamquam quæ tacita est, secundum jus Decretalium legirima censeatur, valida nullatenus habetur in Gallia; etiamsi quis habitum Religiosum per triginta continuos annos detulisset; quemadmodum pluribus Arrestis constitutum est.

Digitized by Google

Professioni solemni ritu emissæ, quibusdam in casibus reclamari potest, quo eam nullam fuisse evincatur. Atque ea de causa, Concilium Tridentinum definivit, personas Religiosas, quæ contendunt suam Professionem, sive propter sibi incussum metum gravem, sive propter defectum sufficientis ætatis, nullam fuisse, posse ad probationem faciendam admitti intra spatium quinquennii prioris, ab emissa sua Professione; quo quidem spatio semel elapso, non possunt recipi ad ejusmodi probationem exhibendam. Qua de re unum occurrit, quod plurimum interest observare juxta memoratum Concilium, eum, qui dimisit atque exuit habitum Religiosum, tamdiu non posse recipi ad reclamandum, quamdiu extra septa Monasterii sui degit; sed ei incumbere, ut primum sese in monasterium suum recipiat: atque postea dari locum judicium queribundum intendendi, ac edendi querimoniarum commentarii.

Quibus arridebit de Religiosa Professione materia locupletior, ac stilo fusiori protractum argumentum, plurimum succurrent, quos Blondaqua, in Bibliothecam Canonicam Bouchel, habet ea de re sermones (a).

(a) V. Monachi.

CASUS PRIMUS.

MAJORIANUS annos sexdecim natus cum sex mensibus suscepto Novitiorum habitu in Monasterio quodam de Ordine S. Francisci, prima die Januarii 1715. omnibus precibus contendit, ut sibi Professionis emittendæ 30. aut 31. Decembris sequentis, gratia indulgeretur, quod in ipsam præcise diem ejus natalitium anniversario cursu rediret, qua de re quæritur 1. utrum ipsi potuerit ejusmdi gratia impertiri?

Videtur istud ei non potuisse concedi: quoniam in tyrocinio Monasticæ disciplinæ ponendo, debet integer annus peragrari: atque adeo non fuisse, unde ad professionem emittendam ante primam Januarii anni sequentis diem reciperetur.

At videtur e contrario, indulgendæ ei gratiæ prædictæ locum potuisse dari, ex eo quod sumitur: *dies incœptus pro completo habeatur*; quemadmodum annus incœptus censetur compleri, cum de suscipiendis sacris Ordinibus agitur. *Quid juris?*

Si saltem, complendo anno Monasticæ Disciplinæ tyrocinii, horæ tantum paucissimæ deessent, nonne novitio daretur in professionem valide emittendam venire?

Videtur posse omnino affirmari legitimam futuram esse ejusmodi professionem, tum propter allatam modo rationem, tum propter istud principium, quod S. Antoninus a S. Thoma mutuatus est: *Quod parum est, nihil deesse videtur* (b).

(b) S. Antonin. 3. p. t. 11. c. 9. §. 4.

RESPONS.

1. Respondemus, eam non potuisse gratiam fieri Majoriano, ut 31. Decembris suam Professionem emitteret, quam si ea ipsa die protulerit, nullam prorsus esse affirmamus. Ratio est, quia quando res est de faciendo Religiosæ vitæ tyrocinio, & de emittenda Professione; ipsius Juris strictissimis apicibus insistendum est: jam vero jure præscribitur completum & expiratum esse oportere annum, qui definitur ad faciendum vitæ regularis tyrocinium, antequam novitio fiat Professionis emittendæ facultas, secundum ipsissima verba Decretalis cujusdam Alexandri III. (c) in quam Glossa (d) sic habet: *Nota ex hoc verbo, quod in casu isto annus incœptus pro completo non habetur*. Quod iterum patet ex alia quadam ejusdem Papæ Decretali (e), qui vult in integrum compleri annum ætatis requisitæ ad Professionem emittendam, adeo ut non sit arguendum a pari de Professione Religiosa, quemadmodum de susceptione sacrorum ordinum: si enim quantum ad sacros Ordines, annus incœptus, pro completo habeatur; istud omnino fit causa dignitatis, qua quis per sacram Ordinationem insignitur: *In dignitatibus favor consideratur*, inquit Glossa (f); *& ideo annus incœptus pro completo habetur. Sed .... in Regulæ observatione gravitas est & labor. & sic odium: & ideo annus completus exigitur*. Quod iisdem fere etiam verbis habet Cardinalis Hostiensis (g): *Quandocumque agitur de adipiscendis dignitatibus, propter ipsarum favorem annus incœptus pro completo habeatur, ut hic: nota, fallit hic propter gravitatem & laborem Regulæ, quæ odiosa sunt secundum Bernardum: imo certe sunt favorabilia, sed dura ad portandum homini neophyto & non assueto: nam difficilis est vitæ mutatio & cum animi fit labore .... & ideo magis est providendum... unde nec potest statim obligare: sed datur annus eam personæ ingredienti, quam Religioni, quia timendum est, ne postea de facto pœniteat*. Joannes Andreas, & Cardinalis Zabarella, Antonius de Butrio, Anchoranus, Abbas, plurimique alii, eamdem quoque doctrinam amplectuntur.

(c) Alex. III. in c. Ad nostram. 8. de regular. &c. l. 3. tit. 31.
(d) Gloss. v. Ante consummationem.
(e) Alex. III. c. Significatum. 12. ib.
(f) Gloss. cit. loco.
(g) Hostien. In cit. c. Ad nostram. n. 4. & 5. 6. & 7.

2. Quod attinet ad defectum aliquarum horarum, quæ complendo in integrum anno Disciplinæ Monasticæ tyrocinii deessent, existimamus a Novitio, qui Professionem suam emitteret, quatuor verbi gratia, aut quinque horis ante annum sui tyrocinii perfectum, proferri etiam professionem omnino nullam, quod quidem evincitur ex iisdem testimoniis jam superius allatis. Ita vero censet Fagnanus (h), sequentibus sex rationibus potissimum innixus.

(h) Fagnan. in cit. c. Ad nostram. nu. 19.

Prima; quod declarante Concilio Tridentino (i), integer annus completusque in peragrando Disciplinæ Religiosæ tyrocinio, Professioni legitima ratione emittendæ, sit præmittendus; Porro extra omnem omnino controversiam positum est, non compleri in integrum eum annum, cui verbigratia, juste perfecteque absolvendo, aut dimidiata dies, aut quatuor quinqueve horæ deficiunt, perinde ac perfecte integra non conferretur summa 365. librarum, si eidem omnimode complendæ quatuor quinqueve libræ, aut etiam quatuor quinqueve solida deessent. Annus igitur, de quo quæstio est, omnimode clausus atque integer non censendus est, nisi 365. dies, ex quibus conflatur, in integrum omnino abierint: atque revera sic jure communi ferebatur ante Concilium Tridentinum, ut jam advertimus, ac quemadmodum luculenter declaratur in quadam Constitutione in sexto, in qua Alexander IV. statuit, nullam prorsus esse, quæ edita fuerat ante annum completum, Professionem. *Districtius prohibemus, ne ante annum probationis elapsum ... quemquam ad professionem recipere præsumatis* (k). Quod confirmatur a Bonifacio VIII. in sequenti Constitutione (l). Jamvero nihil de iis quidquam, quantum ad prædictum caput, a Tridentina Synodo derogatum fuit, quin immo plurimum confirmatum est: id satis habuisse rati ejusdem Concilii Patres, si provectiorem ætatem præscriberent ad emittendam professionem, eamque ad decimum sextum annum completum definirent. Enimvero, ut ait Bartolus (m), *qua hora incipit, finitur annus*. Quod congruit dicto Archidiacono (n), qui observat, verbum *Annus*, a verbo *Annulus*, suam originem deducere: ac quemadmodum annulus, eodem præcise juncto, quo incœpit, terminatur: sic eodem quoque instanti, quo primum incœpit, censeri annum plane exactum.

(i) Concil. Trid. sess. 25. de regul. c. 15.
(k) Alex. IV. in c. Non solum. 2. de regular. in 6.
(l) Bonifac. VIII. in Constitutionem. 3. ib. Gloss. in Clem. Eos qui v. Per annum.
(m) Bart. in L. Libellorum ff. de Accusat.
(n) Archid. in c. Si propter. de rescriptis in 6. n. 3. v. Annus dicitur.

Altera

(a) Fagn. cit. loc. n. 22.
(b) Navarr. de regular. Cons. 82. n. 2.

Altera ratio, quam Fagnanus allegat, (a) deducitur ex isto principio, quod constituunt Felinus, Decius, Baldus, & Navarrus (b), istis verbis: *Actus factus contra formam substantialem a lege praestitam, non valet, immo nec factus praeter formam*. Quae verba adhibet Navarrus, a quo principium istud probatur ex quadam Innocentii III. Decretali (c), & ex alia, quam Coelestinus III. edidit (d). Atqui probationis integer annus, necessariam essentialemque constituit Professionis validae, ac legitimae conditionem; quoniam quidquid ex Decreto rescindenti praescribitur, hoc est sub poena, quod tamquam nullum esse censeatur, pertinet ad illius formam substantialem; atque verbis omnino disertis declaratur a Coocilio Tridentino, non valere, neque legitimam esse, quae non praemisso anno probationis integro, fuerit emissa, Professionem. Ergo, quantulumcumque de dicto anno detrahatur; nec ipsius probationis tempus omnimode completum est, nec legitima, quae subsequenter emissa fuit, Religiosa Professio.

(c) Inn. III. in c. Cum dilecta 22. de rescrip.
(d) Celest. III. in c. Pandendam 22. de of. & potest. Jud. deleg. 1. t. 29.

Tertia: quod consulta sacra Congregatio, a Procuratore Generali de Ordine Minnimorum, de Novitio quodam de eodem Ordine, qui de Monasterio discesserat, atque in Monasterium aliud Ordinis alterius sese receperat, in quo duabus tantum horis commoratus, primum deinde suum Monasterium repetierat, eidemque Procuratori sciscitanti, oum necesse foret a memorato Novitio probationis tempus de integro peragrari, Cardinalium suffragiis ex quibus constabat, responderit necessarium omnino esse. Iodeque Fagnanus argumento *a pari* concludit (e): *Ergo quemadmodum defectus duarum horarum in medio anni reddit irritam Professionem ex sententia sacrae Congregationis, ita etiam videtur eam irritare defectus horarum quinque in fine; quae enim ad Professionis validitatem exigunr, ut anans sit completus, atque ut sit continuus (f)*.

(e) Fagnan. cit. loc. n. 27.
(f) Lapus a leg. 46. n. 6.

Quarta: quod facile prorsus contingere possit, per istas quatuor, aut quinque horas, a Majoriano effervescentes adeo cupiditatis incursus adversus continentiam experiri, ut ei persuasum omnino fiat, ipsum non posse absque salutis dispendio, ad eamdem per totum vitae decursum servandam, voto sese astringere: atque immutata voluntate, propositum antea consilium ipse tandem abjiciat: quippe saepe saepias occurrat, quo propius instat professionis emittendae tempus, eo magis intendi a Daemone, qui totus in perniciem nostram incumbit, ac sine ulla intermissione nobis a recto virtutis tramite deflectendis insidiatur; quemadmodum ait S. Bonaventura (g), ut Novitio, qui votis solemnibus Religionis Deo totus jamjam devovendus est, immutandi animi causa aliquatenus injiciat. Fieri etiam potest istis, quae residuae supersunt, paucissimis horis probationis explendae, ei copiosam quamdam haereditatem, ex morte alicujus propinqui obveoire; ac ipsa allectum cupiditate, proposito prorsus renunciare; quemadmodum enim habet quidam summus Pontifex (h) sanctitate conspicuus: *Sicut Leo rugiens circuit quaerens, quem devoret, sic Diabolus non cessat uircuaire, & quaerere, quos ex fidelibus perdat, & maxime illos, quos ardentiores in servitio Salvatoris, atque familiares intervenerit*: quae quidem observatio Cardinalem de Turrecremata sibi vindicat authorem.

(g) S. Bonaven. Regul. Novit. c. 10. t. 3. p. 627.
(h) Alex. I. Ep. a inisio in can. Nulli 5. 3. q. 1.

Quinta: quod possit de probationis anno judicium idem institui, quod de anno pupillarem aetatem postremo complente, quod nimirum pupillus ex minori fit major. *Minorem autem 25. annis natu*, inquit Ulpianus (i), *videndum an etiam diem natalis sui, adhuc dicimus ante horam, qua natus est ... & eam noadam compleveris, ita erit dicendum, ut a momento in momentum tempus spectetur*. Eadem ergo ratione de probationis anno dicendum est: quod etiamsi, quantum ad Minorem certissime non constaret: propterea quod favoris aliquid habet ejusmodi materia; saltem citra omnem controversiam illud certo certius affirmari posset; de temporis anno ultimo requisiti lege, ad omnimodam, legitimamque complendam annorum viginti, aut triginta praescriptionem: quoniam ejusmodi Praescriptio odiosum quid videtur secum importare: *In praescriptione 30. annorum, in qua (quod versetur odium) requiritur tempus completum usque ad ultimum momentum ultimae diei praescriptionis*. Quae verba reperiuntur in Glossa (K). Atque res ita se habet in infinitis propemodum aliis casibus: *In omnibus*, inquit Jurisconsultus Paulus, Lege, (l) *nisi novissimus totus dies compleatur, non fieri obligationem*.

(i) L. Denique 3. §. 3. ff. de minor. 25. annis l. 4. t. 4.
(k) Gloss. minos. in d. leg. Denique.
(l) L. in omnibus 6. de obligation. & act. l. 44. tit. 7.

Sexta eo potissimum fulcitur principio, quod nimirum ipsa dies, in quam aliquid incidit, non in se ipsa includi censeatur. Porro quod tempus praestitoitur probationi excurrendae, integrum annum constituit. Ergo tempus istud non exisse censendum est, nisi ipsa die, quae completum eumdem annum subsequitur: quod qoidem evinci facile est ex Canone Concilii Triburiensis relato a Gratiano (m).

(m) Conc. Tribur. in c. Puella n. 20. q. 2.

Neque tamen nos latet, ea de re in varias omnino sententias distrahi Doctores tum Canonistas, tum Jurisconsultos; quemadmodum colligere est ex eo, quem Tiraqueau edidit, de gentilitia redhibitione tractatu (n), & ex Canonici Juris interpretibus, qui caput *cum in cunctis* commentati sunt (o): verum duximus, eam tenendam esse sententiam, quam amplectitur Author Glossae in citatam legem *Denique*; quoniam non nobis videtur, Religiosam Professionem habendam esse ei favorabilem, a quo emittitur: siquidem stricta illa vitae conditio, quam Religiosus ingreditur, in qua ei cum bona temporalia, tum maritalis conjugii facoltas inter icuntur, ac perpetuo ipsum voluntati Superioris totum addici, incumbit, nihil quidquam propriae ei voluotatis permisso; tandemque qua datur aeternum in Claustrum detrudi, & subjectissima quaeque, atque asperiora, quibus horrens natura repugnat, ibi ad ultimum usque vitae halitum perpeti, oon possit quantum videtur, nisi dura, rigidaque considerari quoad hominem, quamquam eum ad summam virtutem, ut plurimum conducat: atque consequenter sit omnino praecensenda in ordinem rerum, de quibus mentionem facit Bonifacius VIII. in Regula juris, qua fertur, (p) *Odia restriagi conveait*: atque adeo existimamus, tempus ab Ecclesia definitum ad peragrandam monasticae disciplinae probatiooem, omnino, & absque eo quod ne quidem minimum momentum desit, compleri oportere; priusquam novitio copia fiat, proferendae solemni ritu professionis, quae tam ipsius Ecclesiae menti, quam regulis ab ea institutis consentiat. Ita censet Archidiaconus, (q) Geminianus, Navarrus, & Decius, qui ab eo appellantur. Quin immo vero potius dicendum est, illud oempe potiori ratione, & Novitio, & Monasterio, & ipsi etiam Ecclesiae expedire, quod nullus onquam ad Professionem Religiosus recipiatur, quin integrom probationis suae curriculum expleverit, nec ne uno quidem die, immo nec vel sola etiam hora possit eadem anticipari. Atque eum usum passim retinent universa Monasteria, eumdemque religiosissime observant.

(n) Tiraqueau §. 1. Gloss. 11. n. 17. & seqq.
(o) Tit. de elect.
(p) Bonif. VIII Reg. 15. de reg. Juris in 6.
(q) Archid. in c. Non solum de reg. Juris in 6. Gemin. in d. c. Ad nostram n. 19. Navarr. & apud eum Occ. de reg. Cons. 31 n. 4.

Sed tandem etiam intacta quaestione oum ista res ad Jus favorabile pertineat, an vero ad rigidum & strictum, putamus ipsissimis legis verbis insistendum esse, quae in Gallia recipitur, & aliunde cum Coocilii Tridentini Decreto, tum Decretalibus congruit: enimvero sicut docent Abbas, Rebuffus, de Cassanis, caeterorum nubes ingens, ipsa verba ad apicem literae sumpta distincte omnino sonant, annum probationis integrum compleri oportere, antequam novitio concedatur legitimam professionem emittere. *Observandum est enim*, ut annotat Fagnanus, (r) *Decretum Concilii (s) per ea verba*: NEC QUI MINORI TEMPORE, QUAM PER ANNUM A SUSCEPTIONE HABITUS IN PROBATIONE STETERIT, *connotare tempus probationis, non die, sed ab actu susceptionis habitus*. Iodeque laudaaus Doctor sic infert: *Unde intrat commqais coaclusio, ut quotiescumque terminus statuitur ab aliquo actu, non a die*

(r) Fagnan. 1. cit. n. 3. c. ii.
(s) Conc. Trid. 25. de reg. c. 15.

die actus, tempus currat de momento ad momentum: ac proinde quilibet vel minutissimus defectus infringat actum. Idem quoque docetur ab Angelo de Perusio, (*a*) istis verbis, quæ referuntur a Fagnano: (*b*) *Generaliter adde hanc doctrinam, quod ubi decursu temporis incboando, & terminando quæritur, tempus incipit a momento actus explicanti, & finitur, cum pro revolutione temporis dies novissimus ad idem punctum pervenerit*. Idem habent Joannes Andreas, (*c*) Cardinalis. Ancharanus, Tiraqueau in suo tractatu de redhibitione gentilitia, & Clientelari, Sanchea. (*d*) Lessius, Ludovicus Miranda, & plurima aliorum phalanx, quos laudatus Fagnanus citat, qui & addit, in eamdem sententiam venisse sacram Congregationem Concilii, in duabus diversis occasionibus, in quibus ista quæstio instituta fuit, licet eidem visum non fuerit, eam decisione publica dissolvere; quo præcaveretur incommodis ac tumultibus inde per plurima Monasteria disseminandis, in quibus degebant Religiosi, queis de professione ipsorum non ita stricte computatis momentis emissa, bona fides succurrebat.

(*a*) Angel. de Perus. consil. 404. n. 4. vers. fin.
(*b*) Fagnan. n. 31 cit.
(*c*) Jo. And. in c. Copientes, col. 1. post init. v. post conses. sum de elect. in 6. Card. Anch. Abb. Tiraq. §. 2. Gloss. 11. n. 49.
(*d*) Sanch. de Matr. l. 2. disp. 24. n. 12. Less. l. 2. de just. & jur. c. 41. n. 7. ver. quarto annum. Miranda man. Prælat. c. 22. art. 3. concl. 2.

CASUS II.

Seleucus, qui suscepit habitum Novitii in Monasterio quodam de Ordine S. Francisci, prima die Januarii, potestne professionem emittere ultima die subsequentis Decembris?

Ita ab eo fieri posse videtur, quoniam, cum annus iste fuerit intercalaris, 31. Decembris diem 366. adeoque diem fere integrum constituit ultra limites consuetos anni, qui 365. diebus cum aliquibus horis tantummodo constat.

Verum ex altera parte reponi potest, ut in annis ordinariis, qui non sunt bissexti, non considerantur sex horæ, quæ 366. dies excedunt; sic etiam in anno intercalari, pro nihilo habendum diem, qui supra numerum ordinarium excurrit.

Respons.

Respondemus a Seleuco non posse, nisi 366. diebus in integrum elapsis, valide, legitimeque emitti professionem. Ratio est, quia ratio nulla ejus diei habenda est, in qua geminata vice duplicatur ac repetitur *Bis sexto ante Kalendas Martii* in anno intercalari, hoc est, 25. Februarii; quippe duos dies 24. & 25. pro uno eodemque die numerentur. Quod quidem omnino perspicuum est ex una quadam de legibus Digesti, in qua sic fertur; *Id Biduum pro uno die habetur, sed posterior dies* (scilicet 25. Februarii) (a) *intercalatur, id est*, inquit Glossa, *non computatur pro die, & hoc quantum ad ætates .... & anni terminum*, adeoque ut integer censeatur annus probationis, est omnino necesse in eo excludi diem, qui supra numerum ordinarium superadditur, unoquoque quarto, in mense Februarii, cujus iste dies vigesimus quintus est, eumque cum vigesimo quarto ejusdem mensis pro uno, eodemque die haberi, ut ait Lessius, (*f*), & post illum, Prosper Fagnanus, (*g*) secundum legem modo memoratam.

(*e*) Celsus in L. Cum B sextum 98. ff. de verbor. signif. l. 50. tit. 16.
(*f*) Lessius de justit. & jur. l. 2. c. 41. vers. Hinc sequitur.
(*g*) Fagn. n. c. Ad nostram 8. de regular. ou. 25. l. 3. t. 3.

CASUS III.

Aurelius, post excursum integrum anni unius in probatione facienda curriculum, in Monasterio quodam Religiosorum Reformatorum, atque receptus a Communitate universa, quæ ex Religiosis octoginta conflatur, ibi in manibus Superioris solemnem professionem emisit. Post sex menses cum controversiæ aliquid fuisset ipsi Communitati cum dicto Superiore, contendit Communitas, istius Superioris electionem Regulis Canonicis dissensisse, eamdemque præmissis inquisitionibus, & cæteris, quæ usu recipiuntur juxta Constitutiones ordinis, judiciorum formulis servatis, irritam declarari, ac rescindi obtinuit. Numquid non valida est, quam unanimi consensu Communitas comprobavit Aurelii professio, quippe legitimus tunc temporis, quando edita est, iste Superior haberetur, quamquam revera non foret canonice constitutus?

Respons.

Ut professio, quamquam solemni ritu emissa, nulla omnino est, quando prolata fuit ab eo, quem penes non est, religionem ingredi; quemadmodum, si ab aliquo servo, (*b*) aut matrimonio conjuncto; (*i*) ita etiam nec valida, nec canonica ullatenus esse potest, nisi acceptata ab eo fuerit, ad quem pertinet obligare Religionem, erga eum, qui professionem emittit; hoc est, a legitimo Superiore. Unde concluditur Professionem Aurelii nullam prorsus esse: quippe non potuerit Religiosus, a quo nomine Monasterii fuit acceptata, ex defectu auctoritatis legitimæ eamdem excipere; siquidem revera non esset legitimus Superior.

(*h*) Can. Si quis 2. 17. q. 2. authen. Si servus cod. de Episc. & Cler. lib. 1. t. 3.

Quam quidem decisionem haurimus ex uberrimo fonte Fagnani (*k*) qui sic habet: *Nota ... professionem non valere, (l) nisi recipiatur ab eo, qui potestatem habet incorporandi Religioni, prout hic notant Innocentius n. 4. & Hostiensis n. 13. in v. & recipitur, & Ioannes Andreas in eodem verbo, qui omnes asserunt, eum, qui profitetur non obligari etiam ex simplici voto, nec posse ab aliquo professionem fieri, nisi sit alius, qui illum recipiat, & qui illi possit dare regulam, & ipsum corpori ordinis aggregare*.

(*i*) Alex. III. in c. Quidam 3. de convers. conjug. Et in c. Cum sis 4. & in c. Uxoratus 8. eod. cit. lib. 3. c. 32.
(*K*) Pius V in Bul. Alias 87. Sixt. V. in Bul. Immensa 74. Bullar. magn. c. 2. pag. 111.
(*l*) Prosp. Fagnan. in c. Porrectum 11. de regularib. & transeunt. ad religionem n. 2.
(*m*) Innoc. III. in c. Ad apostolicam 16. de regularib. &c. lib. 3. t. 31.

Laudatus Auctor, præter allegatos ab eo tres Eruditos Canonici Juris interpretes, suam quoque sententiam confirmat ex principio, quod ab Innocentio III. (*m*) statuitur, in una quadam ex ipsius Decretalibus, quam dirigit ad Pisaurensem Archiepiscopum, in qua declarat, Professionem Religiosam, quamdam contractus esse speciem, quo qui eam emittit, & Monasterium, quod eamdem acceptat, sibi invicem fidem interponunt. Qui enim profitetur, promittit futurum, ut per totum vitæ suæ decursum vitam Religiosam teneat, & universis Constitutionibus Ordinis, in quem recipitur, obsequatur; spondet vero idem Ordo, futurum, ut eum faciat suorum jurium, gratiarum, commodorum, privilegiorumque participem. Porro contrahi non possunt ejusmodi obligationes, nisi ab iis, quibus inest ex utraque parte dandæ fidei facultas. Ergo cum Religiosus, qui sese ferebat Superiorem tunc temporis, quando Aurelius edidit suam professionem, Superioris charactere reipsa non fuerit insignitus: ipsi profecto non fuit, unde valeret, Aureliano sese totum Religioni devoventi, obligare Religionem, adeoque siquidem ex utraque parte mutua non accesserit obligatio, irritus atque nullus omnino est, tum quoad Aurelium, tum quoad falso putatum superiorem, irritus contractus. *Ratio hujus conclusionis est secundum Abbatem, n. 10.* addit Fagnanus, *quia ex professione oritur reciproca obligatio, quæ induci non potest sine consensu utriusque sicut contigit in aliis contractibus, qui non possunt consistere ex consensu unius tantum (n) .... quandoquidem Monachus obligatur ad obedientiam superiori exhibendam (o) ... & vice versa Religio obligatur Monacho, ad alimenta &c.*

Eadem ratione fuerat usus Navarrus ante Fagnanum, ad demonstrandam eamdem veritatem. En ipsius verba (*p*): *Professio est in effectu quidam contractus reciprocus, ultro citroque obligatorius, quo Profitens se obligat Monasterio, vel Ordini, ad serviendum ei, secundum regulam ejus; & econtra Monasterium, ad alendum, & tractandum eum secundum eamdem regulam: & ita est necessarius consensus utriusque partis, tam Prælati, & Monasterii, professionem recipientem, quam ipsius Profitentis*. Quod idem quoque rationis argumentum ante Navarrum Silvester Mozolinus adhibuerat (*q*).

(*o*) Leg. in omnibus 57. ff. de action. & oblig. l. 44. t. 70 & l. Sicut 5. C. eod. t. l. 4. t. 10.
(*n*) C. Cum ad Monast. 6. de stato Monach. l. 3. t. 35. Et c. Si Religiosus 27 de elect. in 6. l. 1. t. 6.
(*p*) Navar. l. 3. consilior. cons. 26 o. 1.
(*q*) Sylvest. de Pries. v. Religio 5. q. 8.

CASUS IV.

Ladislao, a decimo septimo ad decimum octavum annum vitæ ætatem decurrenti, atque ad probationem faciendam, a septem mensibus inter Novitios Monasterii de S. Claudio admisso: post habitam a Capitulo deliberationem, renunciatum est, ipsum non haberi Religioni idoneum; proindeque ipsi parandum esse de Monasterio egressum, sæcularesque vestes esse resumendas. Verum iste Novitius, implorata Reverendi Patris Provincialis, simulque Consultorum Ordinis authoritate, ad iterandam de integro suam probationem fuit admissus, neque adeo habitum Religiosum deposuit, neque de Monasterio, in quo eumdem susceperat, egressus est. Post elapsos vero quinque, aut sex menses Capitulum rursus congregatum uno suffragio decrevit, eum ad Professionem emittendam

esse

esse recipiendum, neque eidem ea de re, moram inferendam esse ulteriorem. Quam quidem oblatam sibi profitendi occasionem Ladislaus lætus arripuit; qua de re quæritur, nnm valeat ab eo emissa professio?

Rationem dubitandi movet, illud quod ei in priori Capitulo, fuerat renunciatum, scilicet ipsum & a Professione excludi, & de Monasterio dimitti. Adeoque videtur, in ipsius probationis excurrendæ tempus aliquid intermissionis intervenisse, nec potuisse eum legitima ratione profiteri, nisi redintegratæ denuo probationis expleto curriculo, quod satis innuunt cum Provincialis, tum Definitores, quippe qui eum non admiserint, nisi adhibita ista conditione, quod, nimirum in ponendo vitæ, disciplinæque monasticæ tyrocinio, novum tempus rursum excurreret.

RESPONS.

Valet profecto, quam Ladislaus emisit, Professio. Est namque principium illud extra omnem omnino controversiam positum, ad valide profitendum in Religione approbata, nihil præterea juxta jus commune requiri, nisi requisitam a Concilio Tridentino ætatem, & annum, in facienda probatione, completum atque continuatum. Atqui legitimum ætatis annum Ladislaus attigit, quippe decimus sextus annus, qui compleatur, sufficiat, ipse vero sit natus annos fere decem & octo. Aliunde etiam constitutum faciendæ probationis tempus explevit, siquidem licet ei fuerit significatum, ipsi de Monasterio exeundum esse, nihilominus ibidem sit commoratus non deposito habitu Novitii, ex indulto sibi Provincialis & Consultorum patrocinio. Proinde nec interruptum est ipsius probationis curriculum, quidquid in contrarium aut Novitius iste, aut etiam ipse Provincialis & Consultores censuerint. Ita propositam sibi olim eadem ratione difficultatem, Eruditus ac magni nominis Theologus, 8. Septembris anni 1638. dissolvit (a).

> (a) Francisc. Sylvius res. var. v. Professio Monastica 6.

CASUS V.

BERNARDINUS annos natus decem, & septem, Novitius in quodam Monasterio, illum procidentia laborabat, nihilominusque cum duobus aliis Novitiis edidit solemni ritu professionem, non indicata Superiori, qua premebatur infirmitate: quamquam dictus superior tres simul Novitios ea sic ratione fuerit allocutus: *Declaro quod nullatenus velim vos incorporare Conventus, si habeatis aliquam infirmitatem occultam; vel morbum vobis cognitum, vel incognitum*. Qua de re petitur, utrum ejusmodi declaratio impedimento sit, quominus valeat, rectaque sit Bernardini Professio: præsertim vero, si Monasterii statuta ferant, quoscumque ea infirmitate laborantes, a professione esse arcendos, atque utrum Religiosus iste, qui professus fuit ab annis duodecim aut quindecim, possit sub eo prætextu hodie, adhibitis nempe servandis formulis dimittere suum Monasterium?

RESPONS.

Propositam nobis 7. Maji 1716. istam difficultatem sic expedivimus, asserendo nimirum, valere prædictam professionem tam ex parte Bernardini, quam ex parte Superioris, nequicquam obstante, quæ significata fuit ab isto Superiore, declaratione generali: Enim vero quoad Bernardinum attinet, omnino rata est, quippe eam emiserit post expletam, quæ definitur a Concilio Tridentino ætatem, atque sic ei remanente libertate, integra, ut, ne ipsi admittendo offecerit, corporis infirmitatem occultaverit: quantum autem pertinet ad Superiorem, valida quoque ac rata est, siquidem & ipse dignitate legitimi Superioris insigniretur, & nihil impediente, quam tribus Novitiis aperuit generalioribus verbis, declaratione eidem paulo post ex professo renuntiasse censendus sit, eliciendo nimirum ejusmodi actum, quo ei prorsus derogabatur, hoc est recipiendo verbis disertis & absolutis, nomine Monasterii sui, obligationem quam Bernardinus in seipsum suscipiebat, & ipsi ex altera parte Monasterium obligando, votis solemnibus, quæ proferebat, *hinc & nunc* voluntario acceptatis.

Neque quidquam Bernardino prodest, quam plurimum allegat, ista quasi in antecessum emissæ a Superiore species reclamationis; dato enim, quod in pari rerum circumstantia valeat obtinere, profecto res ita se non haberet, nisi posito casu infirmitatis alicujus occultæ, quæ Novitium eadem laborantem; obeundis quibuscumque Religionis exercitationibus prope mancum exhiberet. Qualis est, qui sonticus aut contagiosus morbus dicitur, cum alienum a ratione videatur, alio sensu accipi, quam superior præmisit, memoratam declarationem. Atqui certissimum est, quamcumque illum procidentiam id sibi annexum non habere, ut tamen efficiat Religioni, & obtemperationi Constitutionum regularium non idoneum, siquidem manifestum sit, plurimos vitæ sanctitate conspicuos Religiosos passim occurrere, qui ista laborant infirmitate, neque tamen propterea suis quibuscumque vitæ Monasticæ officiis laudabiliter adimplendis minus alacres aut minus ferventes esse deprehenduntur.

At vero, quæ Religionis sunt, nonne Bernardinus ipse ab annis duodecim, aut quindecim, a quibus professus est, administravit; nonneque, quam secum toto pectore volvit, de suæ professionis vitio, cogitationem, habere debet hodie, quasi damnosam instigationem Dæmonis ipsi eo animo insidiantis, ut eum seductum ad abjiciendam Monasticam disciplinam impellat? Et vero quis crediderit, ab eo per tot annos vota, quæ emisit, ne semel quidem fuisse renovata?

Et si vel semel tantum eadem renovaverit, qua fronte, quaveconscientia, eorumdem rescindendorum rationibus indagandis totus nunc insudat. Verum, quod majus est, addamus, nisi persuasum animo habuisset; suam professionem omnino valere, cum tarde adeo votis suis repugnavisset, quippe quibus ea de re causa justa succurrit, iis copiam faciat Concilium Trideotinum, intra quinque priores annos reclamandi? Nedum tamen sit refragatus, quin imo propositi tenax permansit in suo Monasterio, atque sese in omnibus veri nominis Religiosum exhibuit: Immutandæ igitur conditionis hodie jure jam excidit, & quamquam a Curia Romana rescriptum ei dari contingeret ad hoc, ut quantum ad lapsum temporis cum ipso dispensaretur, juxta, qui apud nos invalescit, usum, nulla prorsus ejusdem ratio haberetur, atque in omnibus, quotquot extant, Regni Jurisdictionum tribunalibus, ipsum tanquam nullum atque inordinatum judicaretur. Præterea vero licet ejusmodi dispensatio causam justam sibi vindicaret, post quinquennium elapsum, votis reclamandi omnis prorsus ei locus adimeretur, ipsique incumberet, in suo Monasterio ea ratione, qua antea remanere, propter vitandum scilicet pessimum exemplum quod inde suboriretur, si oppositam amplecteretur rationem.

Consulere licet, quas de præsenti enodatione sumus alias prosecuti probationes, ubi de Sacris Ordinibus sermonem habuimus, quippe difficultatem ibidem explanaverimus (b); quæ reperitur, subjectæ difficultati in omnibus omnino congruere.

> (b) V. Ordinat. Cas. 25.

CASUS VI.

GALEATINUS, Novitius in Monasterio de Ordine S. Bernardi, exhibitis falsis baptisterii litteris annos quindecim cum mensibus sex tantummodo natus emisit professionem. Numquid ex conscientia tenetur ob irritam ejusmodi Professionem, ad amplectendam in alia Religione vitam Monasticam, aut ad reintegrandam in eodem Monasterio, tum expletam ibidem antea probationem, tum emissam Professionem?

RESPONS.

Nulla prorsus ratione Novitio incumbit, Monavicam disciplinam in aliquo Religionis Ordine profiteri. Eamque rei istius rationem reddit Concilium Tridentinum (c), istis verbis: *Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum .... Professio autem antea facta sit nulla, nullamque*

> (c) Concil. Trid. sess. 25. de regularib. c. 15. de reform.

inducat obligationem, ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.

Inde sequitur, Galeatinum propriæ omnino suæ spontis esse, neque ullatenus obligari, ad ingrediendam Religionem; atque in eo potissimum juri antiquo, quod Canonibus atque Decretalibus fuerat constitutum, inductum a Concilio Jus recens detraxit. (*a*)

(*a*) Nicol. in Can. Quod interrogasti. 6. dist. 27. Bonif. VIII. in c. Constitutionem. 3. eod. tit. de regular. & transeunt. &c. 305. Alex. IV. in c. Non solum eod. tit. in 6. l. 3. tit. 14.

Observandum est, si alia de causa, professionem irritam esse occurreret, quemadmodum verbi gratia, si fuisset emissa in quadam Religione, quam a Sancta Sede Novitius putasset approbari, cum revera non approbaretur; tunc conflari difficultatem, ei, quam tractamus, omnino disparem, quamque diversa ratione, solent Canonici Juris interpretes definire. Alii namque opinantur, ei, qui talem professionem emisit, incumbere, ut Religiosam vitam in aliquo alio Ordine profiteatur: quoniam, inquiunt, a Concilio Tridentino de antiquo Jure communi non fuit derogatum, nisi quo ad eos, qui aut integrum probationis curriculum non expleverint, aut ante professi fuerint, quam ætatis annum decimum sextum completum excurrerint; adeoque Juri antiquo ipsius idem, quod antea robur, quantum ad aliquod professionis vitium aliunde emergens, intactum omnino relinqui. Alii vero contendunt ex altera parte, a Concilio, antiquo Juri quoad eam quoque rationem detractum fuisse; Atque adeo cum professio ejusmodi irrita sit, unde nihil obligationis inferri posse ei, qui eamdem edidit, Religionis, *etiam in genere*, ingrediendæ. Fagnanus (*b*), præsenti quæstione in utramque partem agitata, partem negativam tandem amplectitur, istis verbis. *Unde hoc casu Novitius non potest dici stetisse per annum in probatione post susceptum habitum, prout requirit Concilium, ad hoc ut professio sit valida; ideoque cum professio hujusmodi sit irrita etiam ex defectu receptionis ad habitum, & probationis scilicet validæ; consequens est, ut ex Concilio Tridentino nullam pariat obligationem; etiam ad Religionem in genere, quod satis placet* Nihilominus existimamus, nihil quicquam obstante Fagnani sententia: eum, qui professionem ejusmodi omisisset, obligandum esse, ad profitendam vitam Monasticam in aliquo alio Ordine: quæ quidem opinio tutiori via conscientiæ consulit.

(*b*) Fagn. in c. Consulti, de regular. no. 37. & seqq.

CASUS VII.

NAVIGIUS surdus & mutus a nativitate, qui divino afflatu ardentique nimium studio concitari sese experitur, ad amplectendam vitam Religiosam; adiit quemdam Superiorem de Monasterio reformato, ut ibidem Novitius admitteretur. Numquid iste Superior, adhibitis Communitatis suæ suffragiis, eum potest ad ineundum probationis curriculum admittere; eumdemque receptum, ac probationis exercitationibus, defunctum, ad solemnem professionem adscribere?

RESPONS.

Est præmittendum principium, quod tanquam certissimum haberi debet, triplici nempe modo posse emitti Religiosam professionem: Primo viva voce, ut colligere est ex quadam Decretali Gregorii IX. (*c*); Secundo, scripto; qui modus ut plurimum obtinet; ut patet ex decimo Concilio Toletano (*d*): Tertio tandem signis: quippe nusquam legatur Canon in toto Juris corpore, ex quo possit evinci, ad validitatem possessionis, aut scripta necessario requiri, aut verba; ac proinde libera copia fiat tertio prædicto modo ejusdem emittendæ: Juxta istud Juris effatum (*e*); *Omnes admittuntur, qui non expresse prohibentur*; aut ut fert Glossa, *id quod non prohibetur, concessum videtur*. Quod quidem Auctor istius Glossæ confirmat ex Lege hic loci (*f*) ad marginem indicata.

(*c*) Greg. IX. in c. Ordinem ex. de conversf. conjug. l. 3. t. 32.
(*d*) Concil. Tol. 10. c. 4. in can. Viduas fin. 20. q. 1.
(*e*) Gloss. in c. Cum apud 23. de spons. & matr. v. Prohibitor.
(*f*) Leg. Mutus ff. de procurat. & l. 1. ff. de testib.

Quæ cum ita sint, censemus a Navigio posse professionem legitime emitti in Monasterio, quod ingredi animo sibi proponit; proindeque eo fine valere ad ineundas probationis exercitationes, ibidem admitti; quamquam surdus & mutus fuerit; siquidem potest absque ullo negotio indiciis quibusdam non dubiis significare professioni suæ sese omnino consentire: Ita opinatur Marianus Socinus (*g*).

(*g*) Marianus Socin. consf. 62. n. 23. & 24. vol. 1.

Quæ opinio confirmari potest exemplo matrimonii, quod vir ejusmodi potest valide contrahere: quemadmodum declaratur ab Innocentio III. (*h*): scribente ad Arelatensem Archiepiscopum, principiumque, quod circa validitatem professionis emissæ a surdo & mutuo, adhibuimus, idem omnino sibi vindicante; quoad matrimonium: *cum prohibitorium sit Edictum de matrimonio contrahendo*, inquit laudatus Papa, *ut quicumque non prohibetur. per consequentiam admittatur ...... videtur, quod si talis* (mutus & surdus) *velit contrahere: sibi non possit vel debeat denegari, cum quod verbis non potest, signis valeat declarare*. Concordat in eo cum Jure Canonico Jus Romanum (*i*).

(*h*) Inn. III. c. Cum apud 23. de sponsalib. & matrim.
(*i*) Leg. Mutus de jure dotium.

CASUS VII.

SCIPIO, hæreticus occultus, post annum decurrendæ probationis expletum solemnem emisit professionem. Numquid ex ipsius hæresi Professio nulla redditur?

RESPONS.

Quem in solvenda præcedenti difficultate appellavimus, institutæ quæstioni Theologus 3. Julii 1639. respondit, definiendo ejusmodi professionem non irritam esse, propter occultam hæresim; Licet revera nulla futura esset, si hæresis esset publica; secundum Constitutionem Bonifacii VIII. relatam ab eodem Auctore (*k*), a quo in sententiæ ipsius patrocinium, allegatur Laurentius Partel, qui distinctis verbis habet: *Professio hæretici occulti est valida* (*l*), & iterum (*m*): *Novitius occultus* (hæreticus) *si profiteretur in Ordine minorum, non faceret professionem ipso jure nullam*. Observat tamen, quem laudavimus Theologus, id ita esse intelligendum, modo non occurrat statutum aliquod a S. Sede approbatum, quo professio, quantum ad Novitium hæreticum occultum, nulla pronuncietur, aut Superior, a quo de propria sua fide inquiritur, expressis verbis ei significaverit, non intendi a Monasterio, quod ad professionem recipiatur, nisi sincero animo Catholicam fidem profiteatur. (*n*).

(*k*) Bonifac. VIII. in c. Statutum de hæret. in 6.
(*l*) Laurent. Portel. 2. par. responsion. casu 28.
(*m*) Idem v. Professio nulle n. 24.
(*n*) F Sylv. v. Professio Monastice. 7. ad 2. quæsitam.

CASUS IX.

FLODOARDUS, peragratis per annum integrum in quodam Monasterio, quæ a Novitiis exiguntur probationis exercitationibus, ibidem fuit ad profitendum solemniter ab Abbate receptus; atque dissentientibus, ex quibus Communitas constat, omnibus Religiosis, professionem emisit. Est ne valida ista professio? Videtur ipsam valere: quippe sit ea legitimi Superioris prærogativa, ut sufficiendi auctoritate gaudeat, ad Religionem ei obligandam, qui profitetur. Ex altera vero parte non videtur valere: siquidem ex ista Communitatis totius intercessione manifestum sit, a Superiore dicto non contrahi nomine Monasterii ejusmodi obligationem.

RESPONS.

Propositam difficultatem Fagnanus (*o*) sic dissolvit; respondendum nimirum, si ex privilegiis, usibus, aut Constitutionibus Ordinis, id Juri Abbati, aut Superiori cesserit, ut valeat ipse solus, non consulta nec audita sua Communitate, Novitium aliquem ad profitendum solemniter admittere: emissam in ipsius manibus valere professionem, quamquam eidem nedum a Capitulo Monasterii consensum fuerit, quin potius obstitutum sit, ac repugnatum: At vero si secundum prædicta privilegia, Constitutiones, & usus, jus recipiendi ad professionem, non pertineat ad Abbatem nisi simul atque in indivisum cum ipsius Communitate & Capitulo, Professionem eam nullam prorsus, irritamque omnino esse, ad quam Novitium aliquem privata sua auctoritate, nec consentiente vel tota Communitate, vel maxima saltem istius parte, juxta Canonicas Constitutiones admittere præsumit (*p*).

(*o*) Prosper. Fagnan. in cap. Postea 40 ftom 15. de regularib. &c. n. 22. 34. & seqq.
(*p*) Alex. III. in c. Quanto 3. de de his, quæ fiunt a Prælato fine consensu Cap. l. 3. t. 10.

Quæ eruditi Canonistæ doctrina nititur quadam Bonifacii VIII. Constitutione (*q*), cujus en ipsissima verba sunt: *Si ad solam Abbatem pertineat creatio Monachorum; eo defuncto, nequibit novus*

(*q*) Bonifac. VIII. in c. Si ad solem fin. de regularibus &c. in 6. l. 3. t. 14.

Mona-

Digitized by Google

Monachus a Conventu creari ; alias poterit , si eorum creatio spectat insimul ad utrumque. Et una Decretali Celestini III. (*a*), in qua Summus iste Pontifice præcipit, in iis , quæ privilegia ejusmodi attinent , constitutas ab antiquo servari consuetudines.

(*a*) Celestin. III. in c. Ea noscitur. a de his, quæ fiunt a Prælato sine cons. c.

Concludimus ergo, valere Flodoardi professionem , si Constitutionibus Ordinis aut consuetudine ab antecessoribus Abbatibus, Religiosis legime præscripta, aut tandem indubitatæ fidei privilegio, Abbati soli jus illud factum fuerit: At e contrario nullam eamdem esse, si aut Constitutionibus , aut usibus Ordinis , jus recipiendorum Novitiorum ad emittendam professionem , & Communitati simul & Abbati, aut Superiori concedatur (*b*).

(*b*) Du Casse tract. de Jurisdictione Ecclesiastica contentiosa c. 9. §. 2. n. 4.

CASUS X.

Vigilium , expleto ejus probationis curriculo in Monasterio S. Hyppoliti , atque cum a Superiore, tum ab ipsa universa Communitate, receptum ad emittendam professionem , ex dissipato per domum rumore quodam , eum laborare morbo caduco , Superior ea de re interrogavit , commonens si revera teneretur ejusmodi infirmitate, sibi nullatenus animum esse , eum ad Professionem admittere , hoc est, in Religionem eum coaptare , neque ipsi obligare Religionem : Cui respondit Vigilius, negans eo morbo suisse se unquam correptum , licet tamen currente probationis ipsius tempore , in eumdem multoties, nemineque sciente incidisset. Quem sic auditum profiteri , adhibita tamen prædictæ conditionis cautione , consensum est . At vero in eumdem morbum ann. sequenti quinquies aut sexies relapsum ex Monasterio voluit Superior expellere , sub eo nimirum prætextu , quod ipsius professio nulla omnino esset . Qua de re quæritur , num adhibito dicto prætextu , dictus Superior , recta conscientia , valeat ipsum dimittere?

RESPONS.

Est hoc autoritate plurimarum Decretal. constans & certissime constitutum principium (*c*), professionem non posse valere , nisi legitima fuerit a Superiore acceptata (*d*), quoniam , ut jam advertimus , professio est veluti contractus ultro citroque obligatorii species quædam , quo , qui profitetur , sese addicit Monasterio , hoc est , spondet futurum , ut cæterorum Religiosorum more , ibidem inserviat , Regulamque & Constitutiones receptas observet , & Monasterium vice versa erga eum obligatur , ad alimenta atque habitationem ipsi præbenda , & eum sive sanum sive infirmum curandum , juxta quod eadem Regula fertur . Necesse est ergo , tam ex parte illius , qui profitetur , quam ex parte Superioris , qui Professionem nomine Communitatis excipit , mutuus consensus accedat , essentia quippe contractus in prædicto mutuo consensu reponatur , quoniam nihil aliud est , *quam duorum , plurimmve in idem placitum consensus* , ut ait una ex legibus Digesti (*e*); si consensus ergo partis alterutrius , nec realis , sit nec verus , nullus omnino est contractus.

(*c*) Clem. III. in cap. Porrectum. 13. & Innoc. III. in c. Ad apostolicam 16. de regularibus &c.
(*d*) Navarr. 1. Concil. de regular. co. 38. c. 1.

(*e*) L. Hujus n. §. 2. ff. de pactis l. 2. t. 14.
(*f*) Pr. Sylvius resoluc. var. v. Professio Monastica. 5. Laurent. Portel. dub. regular. v. Professio nulla n. 7. Sylvester de Prierio v. Religio. 3 q. 18. Navarr. l. 3. Consil. de regular. cons. 26. n. 1. & et. comment. 4. de regular. n. 74. & alii apud Sylvium.

Jam vero constat , in specie proposita , non accessisse consensum ablolutum , nisi ex parte solius Vigilii , siquidem Superior Monasterii de S. Hyppolito , nonnisi adjecta conditiona , suam præbuerit consensum , adeoque ipsius consensus remanserit quasi suspensus , usque ad complendam conditionem , quæ quidem , cum non habuerit locum , eumdem consensum omni defraudavit effectu .

Atque hæc omnia plane consentiunt doctrinæ, quam suam efficiunt cum Theologi , tum Canonistæ , atqua inter alios Sylvius, Portel, Navarrus, & Sylvester (*f*). Inde ergo concludendum est , cum professio solemnis , quam Vigilius emisit , non fuerit a Superiore monasterii , de quo agitur , pure simpliciter , neque absolute acceptata , eumdem ab eo , quasi in numerum Religiosorum non adscriptum , nec ulla reali , verique nominis cooptatione aggregatum , neque consequenter habitam , tanquam membrum Communitatis , posse absque ulla injuria ex monasterio ejici , sed in eo adhibendam summam omnino prudentiam , ne res aliquam habeat offensionem.

CASUS XI.

Defuncto Abbate de Monasterio S. Pauli , Religiosi in Capitulo congregati , Simplicianum Abbatiali sede vacante , ad solemniter profitendum admiserunt . Numquid valet ejusmodi Professio?

RESPONS.

Propositam difficultatem Bonifacius VIII. dissolvit (*g*) in una ex suis Constitutionibus , quam retulimus , in quarta decisione , ibique laudatus Papa ait : *Si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum ; eo mortuo nequibit novus Monachus a Conventu creari : Alias poterit , si eorum creatio spectat insimul ad utrumque* . Si solus igitur Abbas S. Pauli , eo fuerit jure gavisus atque independenter a Capitulo Regulari , Professio Simpliciani nulla est ; at valeat eadem , si dicti Capituli simul & Abbatis , sit juris istud commune . Atque a fortiori , inquit Glossa , si jus idem soli Capitulo , excluso Abbate , devolvatur.

(*g*) Bonifac. VIII. in c. Si ad solum supra cit.

CASUS XII.

Hippareus , completo dumtaxat anno ætatis suæ decimo quinto , Monasterium quoddam de Ordine Reformato , in Provincia Occitana constituto , ingressus est , in quo Novitiorum habitus nihil discriminis habet , ab eo , quem Professi solent induere , ibidemque permansit , non modo per annum integrum , qui probationis excurrendæ tempus ordinarium constituit , sed etiam per annum alterum , quo toto decurrente , quæ Professorum propriæ sunt , obeundis exercitationibus scienter omnino ac sponte sua totus incubuit . Num ideo tacitam quidem , sed validam ac legitimam professionem emisisse censendus est?

REAPONS.

1. Observandum est , antequam difficultas instituta definiatur , triplex tacitæ professionis genus in jure recenseri .

Primum est , cum quis , suscepto sibi Religionis habitu , quæ Religiosis professis , ipso jure aut inducto usu , maxime vindicantur , sponte propria , nec aliunde ignarus exercet , qaale est gaudere jure suffragii in capitulo , more cæterorum Religiosorum , ex delegata a Superioribus obedientia , sacros ordines inire . In eo namque casu , pristinis olim temporibus illicitum erat , monasterium deserere , & ad sæculum convolare , quemadmodum fertur in quadam Decretali excerpta de Concilio Arelatensi (*h*), in qua declaratur : *vidua si sponte velum conversationis , quamvis non sacrum , sibi imposuerit , & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit , velit nolit , sanctimoniæ habitum ulterius debet habere , licet sacramento firmare velit , eo tenore velum sibi imposuisse , ut deponere posset* .

(*h*) Conc. Arelat. in c. Vidua 4. de regularibus & transeuntibus ad religionem.

Secundum est , cum quis susceptum , sibi , qui Professorum proprius est , habitum , per tres continuos dies defert , atque illud Professionis genus enuntiatur in Decretali quadam Alexandri III. (*i*), in qua laudatus Papa hæc habet . *Ad nostram noveris audientiam pervenisse , quod Eremitæ de Montefolio , quosdam pueros seduxerunt , in tantum , quod quidam suasionibus eorum assensum præbentes , statim religionis habitum in ipsorum Monasteriis susceperunt , quorum unus T. nomine : statim pœnituit , quod habitum induisset . Quo circa mandamus , quatenus si constiterit , quod præfatus T. ante consummationem decimi quarti anni , susceptum habitum deposuerit , aut post decimum quartum annum ipsum sine probatione susceperit , & intra triduum deposuerit , eum ab impetitione prædictorum Eremitarum denunties absolutum* . Quod idem quoque declaratur in quadam Bonifacii VIII. (*k*) constitutione , in qua dicitur , eum censeri professum , qui habitum Professionis proprium , ac nota quadam exteriori distinctum ab eo , quem Novitii solent induere , detulerit , *si sciens & voluntarius ac triduo perseveret* .

(*i*) Alexand. III. in c. Ad nost. c.

(*k*) Bonifac. VIII. in c. Constitutionem 1. eod. t. in 6.

Tertium Professionis tacitæ genus est , quando quis , cum ad puberem ætatem pervenit , post completum probationis tempus , habitum Religionis , qui cum Novitiorum , tum Professorum communis est , nec quidquam externæ dissimilitudinis præ-

M 2 se

se fert, per annum integrum detulit. Quod ita fertur in quadam Innocentii IV. (a) Constitutione, & in alia, quam Clemens V. edidit in Generali Concilio Viennensi, anno 1312. (b)

(a) Innocen. IV. in c. is qui. 3. eod. t. in 6.
(b) Clem. V. in c. 2os qui, 2. de regularibus &c. l. 3. Clem. tit. 9.

2. Illud scire operæ pretium est, quod ea de re habet Tridentini Concilii Decretum, cujus en ipsissima verba sunt (c): *In quacumque Religione tam virorum quam Mulierum, Professio non fiat ante decimumsextum annum expletum, nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta, nulla sit, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.*

(c) Conc. Tr. sess. 25. c. 15. de Regularib. & Mon.

Quibus præsuppositis, respondemus equidem verum esse, existimari a quibusdam Theologis cum Navarro, duas priores Professionis tacitæ species, a Concilio Tridentino suisse tantummodo abrogatas; tertium vero in integrum etiamnum subsistere, modo præmissum fuerit probationis excurrendæ tempus definitum, & annus decimussextus expleatur, propterea quod a Concilio, præfatæ duæ conditiones, ad validitatem professionis Religiosæ, verbis omnino distinctis necessario requirantur. In oppositam nihilominus sententiam discedunt quidam alii Theologi, qui majori cum fundamento propugnant, a Concilio Tridentino fuisse quascumque tacitæ professionis species prorsus abrogatas. Quo enim Decreto professiones ante annum completum decimumsextum, nec præmissa probatione, emissæ irritæ declarantur; eodem quoque simul, quotquot antea invaluerant Decreta, rescinduntur. Ac primo quidem, Decretum istud, quo ferebatur, eum statim professum fieri, a quo suscepto habitu, qui Professorum proprius erat, fuerat aliquis actus, solitus ab iisdem professis adhiberi exercitus. Secundo istud aliud, quo nihil aliud requirebatur, ut quis censeretur professus, quam quod eorum habitum, per tres dies continuos deferret. Tandem & istud quo statuebatur, eum omnino haberi Professum, qui per annum integrum, post expletam puberem ætatem, religionis habitum induisset.

Nulla ergo, his hodiernis temporibus, agnoscenda Professio est, quæ valeat, quam quæ fuerit post expletum annum decimum sextum, excursumque probationis faciendæ annum integrum, & professio emissa. Saltem certissimum est nullam aliam agnosci in Gallia, ut observant Molinæus, & qui interpretationes habuit in Louet: Edicto Molinensi, anni 1566. potissimum innixi (d). Quo quidem Edicto habetur, Professiones Religiosas non excipi, nisi interveniente scripto, nullatenus autem testibus accersitis. Atque ibidem omnino recipitur, & ad strictos apices observatur Tridentini Concilii Decretum, quemadmodum patet ex istis Blecensis Edicti verbis (e): „Professio tam Monachorum, quam Monialium, nonnisi post expletum annum ætatis decimum sextum, & annum in ponendo Monasticæ Disciplinæ tyrocinio, excursum, a suscepto habitu Religionis emittetur: & occurrente casu, quod antea fieret, declaravimus & declaramus, contractus, obligationes, ac beneficiorum dispositiones, propter eamdem constitutes, nullius pretii esse, & omni prorsus effectu carere.„

(d) Edict. Molinens. a. 51.

(e) Edict. Blecens. a. 28.

Cui quidem capiti Disciplinæ, in Regno, stricte adeo insistere consuetum est, ut a Parisiensi Senatu supremo, tanquam ratum ac legitimum confirmatum fuerit, quod fuerat a quodam deferente, ab annis viginti octo, habitum Religionis testamentum obsignatum, quod Professionem expressam nunquam emisisset. Quod quidem factum refertur a Cabassutio, de Oratorio Sacerdote (f): qui addit, ea potissimum de causa, Professiones ejusmodi tacitas non admittendas esse, quia ut ait: *Et vera prætextu tacitæ professionis, contra bonam fidem, & æquitatem facile potest aliena calliditas simplicitati & ignorantiæ Novitii illudere, qui hac astutia, inscius & invitus Religiosæ professionis jugum ferre cogatur, misere circumventus.* Ex quibus omnibus aperte demonstratur, Hipparco nullam prorsus, ex tacita ejusmodi professione, induci obligationem (g).

(f) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 1. c. 20. n. 10.

(g) Sambovius tom. 1. casu 41. & tom. 3. casu 127.

CASUS XIII.

Aureliam, Novitiam ab anno & amplius in quodam Monasterio, ac præmisso ab Episcopo Diœcesano examine, ad emittendam professionem admissam, morbo deinde omnino imminenti correptam, Priorissa deficiente Abbatissa, quæ etiam ægrotans, atque animam fere exhalans jacebat, timens, ne forte ista Novitia ante emissa sua vota, diem supremum expleret, privata sua auctoritate, adhibitisque duabus aut tribus Monialibus, solemniter profitentem excepit, non exacto tamen ab ea voto Claustri perpetuum servandi. Abbatissa eodem ipso die mortua, post paucos ab illinc dies, in illius locum, novam aliam Communitas suffecit. Aureliam vero recepta sanitate, neque nova Abbatissa, neque Monialium maxima pars voluere, tanquam professam habere, quin immo contendunt id sibi juris dari hodie, eam e Monasterio dimittendi. An recta conscientia possunt eam missam facere?

RESPONS.

Potest & quidem, absque ullo suæ conscientiæ dispendio, nova Abbatissa, Aureliam dimittere, eamque ex Monasterio ejicere, quippe, quam emisit, nulla omnino sit professio. Ratio est, quod nusquam valeat Religiosa professio, nisi in manibus ejus Superioris facta, cujus sit eam acceptare, & quem aut quam profitentem excipit, in Religione cooptare. Atque in eo potissimum principio, quod rationibus omnino firmissimis, & in prima, & in quinta decisione, demonstravimus, cum Theologi, tum Canonistæ consentiunt. Atqui constat, Priorissæ copiam non fieri, solemnium votorum a Novitia excipiendorum, neque eamdem in Religionem cooptandi, tam vivente ipsa Abbatissa, quam eadem mortua, nullo quippe quoad eam rationem, auctoritatis jure gaudeat. *Priorissa*, inquit Sylvius in definienda ejusmodi difficultate 18. Februarii 1619. (h): *Cum superiorem haberet, & Abbatissam, & neque ab ea, neque ab Episcopo commissionem haberet, non habeat potestatem incorporandi Religioni, præsertim cum talis actus sit proprius Prælato, seu Prælatæ.* Eademque ratione fatendum est, nec ipsi Aureliæ quidquam obligationis incumbere, remanendi in Monasterio, instantibus quamquam cum nova Abbatissa, tum ipsa etiam integra Communitate, ut ibidem permaneat: siquidem, ut jamjam advertimus, ipsius Professio, ex eo potissimum, nulla censeatur, quod defuerit, unde legitime posset acceptari.

(h) Fr. Sylvius resolut. var. v. Professio. Monastica a.

CASUS XIV.

Clara filia Balduini, annos nata sexdecim, ingressa Monasterium de S. Julitra, tanquam Novitia exercitationes peragratura, primo die Januarii 1710. atque Patre ipsius spondente, fore ut summam quingentarum librarum semel tantum, & una vice numeraret, tam pro impensis susceptionis ipsius habitus, quam pro satisfaciendo pensioni, per annum ipsius probationis excurrendæ, ac præterea ducentas libras pensionis ad ejus vitæ tempus persolvendæ, locum dotis habituras, proposita fuit in Capitulo, a Præposita Monasterii, octavo Januarii 1711. ac admissa, ad emittendam professionem, ab universa Communitate, Conclusione capitulari, ea de re, tum a Superiore, tum ab ipsa Præposita Monasterii, & Novitia subscripta. At vero post biduum, Clara in morbum omnino gravissimum incidit, quo quidem morbo urgente, cum jam jam in ultimis esset, enixe petiit sibi gratiam fieri votorum emittendorum, priusquam morte corriperetur: quam gratiam, & ipsa Præposita, & omnes Moniales, mutuo consensu concesserunt, quibus votis prolatis, a Superiore Monasterii, ipsa animam pene agens, lectoque detenta, velamen nigrum, & qui Religiosæ Claustralis professæ proprius est, habitum suscepit, aliunde vero integræ mentis compos, nec mente ullatenus lapsa. Quæ deinde

inde sanitati cito citius reddita, per annum fere integrum, more veterarum professarum habita est atque excepta. Attamen suadente ipsius Confessario, rogavit Præpositam Monasterii, sibi permitti, ut, quæ in ipso die solemnis professionis solent adhiberi, cum iisdem Cæremoniarum ritibus, vota sua instauraret. Qua de re, Balduino accersito, præfata Præposita renunciavit, ab ipsius filio peti, ut adhibitis ritibus solemnibus, ipsius vota renovari annueretur, atque ipsi, gratiæ istius faciendæ, semetipsam totam propendere, ea nempe conditione, quod præter numeratam quingentarum librarum summam, & persolvi continuandam ducentarum librarum summam, & persolvi continuandam ducentarum librarum pensionem, insuper mille etiam libras Monasterio foret ipse largiturus. Balduinus negavit, se se velle quidquam amplius persolvere. Atque ipsa die crastina, septem aut octo monialibus, quas secum socias adhibuerat, ipsa Præposita mandavit verbo, ut Claræ tum velum, tum Professionis habitum detraherent; ac eidem vestes sæculares induerent, quas secum detulerat, cum primum postulanda domum ingressa est. Quo quidem sic facto, jussit eam ab iisdem monialibus, e locis quidem regularibus, ejici etiam vi adhibita, ac deinde auxiliantibus duobus viris domesticis, foras extrudi: Prætensa nimirum expulsionis istius caussa, quod a præfata puella vota non fuissent distinctis verbis pronunciata.

En qua ratione se res habet, de qua quidem quæstiones sequentes instituuntur.

1. Utrum Clara vere sit Religiosa Professa?

2. An requiratur ab ea vota solemniter pronunciari rursum, quo formulæ Cæremoniarum, quæ fuerunt omissæ, suppleantur?

3. Num istud juris cesserit, quæ eam ad professionem solemnem recepit, Communitati privata sua auctoritate, nec consulto Superiore Monasterii, instrumentum capitulare de ipsius cooptatione, juxta formulas adhiberi consuetas conscriptum rescindendi?

4. Utrum Monasterii Præposita valuerit, id sibi assumere, ut nullis præcedentibus inquisitionum formulis, verbo pronunciaret, Claræ exui habitus Religiosos, & indui vestem sæcularem, eamque demum ex monasterio extrudi.

5. Num pateat locus provocationi tamquam ex abusu, ab ejusmodi pronunciata sententia, & quæ inde secuta est, violenti executione?

RESPONS.

1. Non est, unde ambigatur, quin Clara sit veri nominis Religiosa professa, quamquam in ultimis constituta Professionem suam emiserit. Eaque caussa est, quod eidem emittendæ idonea prorsus & habilis esset. 1. Quoniam ad eam, quæ definitur a Concilio Tridentino, pervenerat ætatem. 2. Propterea quod Professionem non ediderit, nisi post annum probationis expletum, juxta decretum ejusdem Concilii. 3. Quia sciens omnino professa est, nec quidquam in ipsius moribus occurrebat, quod argueretur.

Et vero si matrimonium ab aliquo in ejusmodi conditionis statu posito contractum, ratum atque legitimum censeatur, fatendum est, professionem solemnem, quæ quædam est spiritualis matrimonii species, in eodem quoque casu non esse minus legitimam. Atque istud omnino evincitur ex antiquo quodam Canone, qui Alexandrum II. (a), proprium suum sibi vindicat Auctorem, in quo laudatus Papa sermonem habens de Sacerdote quodam, qui gravissimo premente morbo, pollicitus fuerat, futurum, ut si inde resurgeret incolumis, Monasticam vitam profiteretur, quique postmodum convalescens, promissum adimplere detrectabat, declarat eumdem non obligandum esse ad ingrediendum Monasterium, quod se se Monasterio non alligavisset, neque ibidem emisisset professionem: Unde colligere est, Professionem ipsius omnino valuisse, si se se Monasticæ vitæ profitendæ votis obstrinxisset, siquidem insulsum alioquin foret, nec concludens, quod a præfato Summo Pontifice adhibetur rationis argumentum.

(a) Alexan. II. in can Gonsaldus, 1. 17. q. 2.

2. Quod cum ita sit, manifestum est, nihil prorsus necessitatis esse, ut, quæ jam Clara emisit, vota solemnia renoventur: Quippe quod ad substantiam ipsius Professionis pertineat, nihil quidquam desit. Essentia namque Religiosæ Professionis in eo constituitur, ut quis actu & de facto se se totum addicat Communitati regulari a Papa approbatæ, in manibus legitimi Superioris, & ministerio illius, qui Superioris dignitate auctoritateque insignitur, ab ipsa Communitate ex altera parte acceptetur. Jamvero isthæc observata in proposita specie reperiuntur. Est ergo legitima præfata professio, neque proinde ejusdem iterandæ aliqua datur necessitas, sed supplendarum solummodo formularum omissarum, si quædam fuissent prætermissæ, quæ a Constitutionibus Ordinis, ea de re præscriberentur.

3. Inde sequitur, nullum prorsus jus cessisse, nec Præpositæ Claræ, nec etiam ipsi universæ Communitati, isti puellæ habitus Religiosi detrahendi, neque ipsius e Monasterio expellendæ: Cujus quidem rei ratio se se ultro prodit: Cum enim ista Monialis, instrumento Capitulari eam ob caussam confecto, ac formulis quibuscumque servandis rite munito, post excursum suæ probationis definitum tempus, recepta fuerit; non potuit, nisi violato prorsus omni jure, ab ipsa Communitate foras extrudi, quippe ex præfato instrumento, Communitati obligatio incumbat excipiendæ illius professionis. Quod probare licet ex duabus Decretalibus, in ipsum Corpus Juris relatis. Prior Auctorem habet Gregorium IX. (b), qui sic ait: *Publicato scrutinio, variare nequeunt electores, cum sit facienda collatio, & electio celebranda; ad quod per Superiorem, si oportuerit, compellantur*. Altera vero est Gregorii X. qui præsens aderat Concilio Lugdunensi Generali anno 1274. celebrato, quique sic loquitur (c): *Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit subsecuta, vel postquam præstiterit electioni, de ipso, ab aliis celebratæ consensum, illum super electione ipsa, nisi ex caussis postea emergentibus impugnare, vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, seu alicujus latentis vitii, vel defectus, quæ verisimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur*.

(b) Greg. IX. in cap. Publicato. 6. de electione & electi potestate. lib. 1. tit. 6.

(c) Greg. X. in cap. Nulli. 8. eod. tit. in 6.

Quæ Canonicæ dispositiones Claræ ipsi omnino favent. Constat namque eam ad solemniter profitendum, ab ipsis personis admissam fuisse, quæ quoad ejus cooptationem, jure suffragii gaudebant in Capitulo, neque quidquam ei ab iisdem personis posse objici criminis, aut defectus, in quæ, seu ante, sive post ipsius cooptationem inciderit, quæque eam aliqua ratione reddant emittenda professione indignam. Non potest acquisito sibi jure defraudari, juxta istam regulam Bonifacii VIII. (d): *Indultum a jure Beneficium, non est alicui auferendum*: Neque a quibus recepta fuit, ab iisdem potuit suffragium immutari, secundum istas duas alias Regulas, quæ eumdem quoque Papam Auctorem sibi vindicant (e): *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*: Quibus omnino consentit Lex, quæ ita fert (f): *Nemo potest mutare consilium in alterius injuriam*. Adeo ut ei soli facultas relinquatur, juri proprio sibi facto, renuntiandi, modo justa ea de re caussa subsit. *Cum quilibet ad renuntiandum juri suo liberam habeat facultatem* (g). Cum ergo Clara in eo casu constituta reperiatur, nec Præpositæ Monasterii, nec integræ Communitati de S. Julitta fuit: Unde quam cum ea inierant, obligationem adimplere detrectarent, nisi perfractis omnino quæcumque sunt justitiæ legibus, neque ab eadem in numerum Monialium Professarum aggreganda, possent se se ullatenus defendere, siquidem ipsam antea jam admiserint acceptata, quam emisit, professione, & ipsa fuerit, per annum integrum, placida juris istius possessione, consequenter gavisa. Non ergo multo minus potuere, eamdem e Monasterio exturbare, & temeratæ ab ipsis æquitati, vim in ipsam adhibitam subjungere.

(d) Reg. 17. de reg. juris. in 6.

(e) Reg. 22. & 33. ibid.

(f) Leg. Nemo 75. ff. de div. reg. juris antiqui lib. 50. tit 17.

(g) Innoc. III in cap. Ex conscientia. fin. de crimine falsi lib. 5. tit. 20.

Frustra vero quærit sibi præfata Præposita excusationem violentiæ, quam in eamdem Claram jus-

fit adhiberi, allegans nempe, puellam istam fere in ultimis positam, non potuisse in proferendis suis tribus votis, clara ac distincta voce uti. Posito namque verum esse, quod supponere amat; satis esset, quod externis aliquibus signis, Clara indicasset se se integra omnino mente, ac libertate, quam contrahebat, obligationi consentire. Quod facile probare licet ex Decretali quadam Clementis III. (a) in qua legitur, a Canonico quodam ægrotante, ac pene animam agente, professione ex professo emissa, absque eo, quod habitu Religioso fuisset indutus, sed tantummodo *junctis manibus* (inquit) *tibi se reddidit in Monachum & in fratrem*, laudatum Pontificem, ea de re ab Abbate consultum utrum nempe professio ejusmodi rata foret, aut nulla: respondisse istis verbis: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod cum Monachum non faciat habitus, sed professio regularis; ex quo, a convertendo votum emittitur & recipitur ab Abbate taliis, ut fiat Monachus, ut reddat Domino, quæ promisit, erit utrique compellendus.*

(a) Clem. III. in cap. *Perrectum*. 13. de regularibus. &c.

Jam vero, quæ a Clara facta sunt, multo majora esse convincuntur, quam quæ a memorato Canonico. Fert namque posita in antecessum quæstio, post expletum probationis annum integrum, eam omnibus precibus contendisse, sibi gratiam emittendæ professionis indulgeri: ab eademque sic emissam fuisse, ut quæ ibidem præsentes aderant, cum ipsa Præposita, tum ceteræ Moniales omnes nihil in ea reprehendere deinde, aut culpare jure potuerint; quippe inter eas conversata sit, & per integrum fere annum fuerit, tamquam professa, ab iisdem excepta. Quam ergo propriæ suæ iniquitati, & violentiæ Præposita prætendit, caussa fictitia est, atque ejusmodi, cui confutandæ non diutius deceat immorari. Alioquin concedendum esset, nec alicui muto locum dari posse, Religionis profitendæ, quod nimirum non valeret ore, verbisque distinctis & expressis vota sua pronunciare: quod nemo jure contendat, siquidem extra omnem controversiam ponatur, ab isto legitime etiam posse professionem emitti, modo evidenter constiterit, sive quibusdam signis & nutibus, sive quavis alia ratione, fieri ab eodem ejusmodi professionem, cum integra eorum omnium notitia, ad quæ se se obligat. En, quæ de tribus quæsitis prioribus, tractanda habemus.

4. Quod attinet, quam verbo pronunciavit nova Præposita edictionem: respondemus, ab ea non potuisse ferri, nec juberi eamdem executioni demandari, absque manifesta cujuscumque æquitatis infractione, ut jam monuimus; verum in agendo cum ista Præposita, & Communitate ipsius, nomine injuriæ illatæ, non expedire, viam iniri provocationis ex abusu, quamquam ei locus plurimum detur, quo jus tribui obtineatur; at vero magis consentaneum esse, ipsiusque Ecclesiæ menti, ratione potiori congruere in ejusmodi materia, quæ circa votorum, professionisque Religiosæ validitatem versatur, ut ad Episcopum recurratur, cujus jurisdictioni Monasterium subjicitur, ab eo obtinendi caussa, Claram in dictum Monasterium restitui, atque suis quibuscumque juribus ac prærogativis de integro ibidem donari: simul etiam quascumque personas, quæ in adhibendam in eam vim conspiravere, qua ratione visum ei fuerit puniri.

Ceterum juvat hic loci duo omnino gravissima observare. Prius nempe, tam ipsam prædictam Præpositam, quam Moniales etiam, ac duos domesticos externos, a quibus Edictum verbo emissum, executioni contumeliose fuit demandatum, detractis ipsi Claræ Professionis habitibus, ipso facto incurrisse in excommunicationem majorem, latam in famoso Canone, ea de re, ab Innocentio III. constituto, in Concilio Lateranensi celebrato an. 1139. cujus en ipsissima verba sunt (b): *Si quis suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrat, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgentis periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Quod Bonifacius VIII. confirmat, & ad eos etiam extendit, qui violentas manus in Novitium injiciunt (c): *Quamvis autem*, inquit, *is, qui Religionem ingreditur, Religiosus cum effectu censeri non possit, donec sit tacite, vel expresse Professus: si quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ a Canone vinculum non evadit.*

(b) Innoc. II. in Conc. Lateran. c. 15. in can. *Si quis*. 29. 17. q. 4.
(c) Bonif. VIII. in cap. *Religiosa*. 21. §. *Quamvis*. de sentent. Excommunicationis &c. in 6. lib. 5. tit. 11.

Ea autem potissimum ratione, in eam sententiam adducimur: quod tum tacitus Canon, tum allegata Bonifacii VIII. Constitutio non tantum debeant intelligi de iis, qui percutiunt Religiosam aliquam personam; sed etiam de iis, qui vim in eam adhibent, eam qualibet ratione indigne accipiunt, & ei notabilem injuriam inferunt: quod quidem in specie proposita, factum est a nova Præposita, & septem aut octo Monialibus. & a duobus externis Domesticis, qui mandatum ipsius Præpositæ, per vim executi fuerunt, qua ratione superius annotatum est: *Quia fit injuria personæ, etiam mediantibus rebus adhærentibus personæ*, inquit Eruditus quidam de Ordine S. Benedicti in Anglia (d) *non enim refert*, ait S. Raimundus (e), *quantum ad hoc, utrum injiciat manus in eum, vel in rem taliter cohærentem.*

(d) Greg. Sayrus thesauri casuum conscient. lib. 3. c. 26. n. 14.
(e) S. Raimund. sum. lib. 1. tit. 33. §. 46.

Alterum, quod operæ pretium est advertere, est, ipsam conditionem, quam Balduino Patri Claræ, Præposita dicta proposuit, de largienda nempe rursum Monasterio 1000. librarum summa, ut ipsius filia, ad renovandam solemnem professionem, admitteretur, omnino simoniacam esse, proindeque si Balduinus animo persuasum habuisset, professionem esse nullam, ac necessario fuisse, ab eo non potuisse recta conscientia, nec nisi commisso crimine Simoniæ, præter dotem, de qua conventum erat, memoratam summam rependi: quemadmodum omnino evincere est ex plurimis decretalibus, quas adire licet, in ipsum Corpus Juris Canon. (f). At vero si contrario in animum induxisset, ratam prorsus extitisse, quam ipsius filia emiserat, professionem & ejusdem instaurationem districte non requiri: ab eo potuisse, absque ulla suspicione Simoniæ, mille libras concedi: ut ab injusta, quæ ei movebatur, vexatione, filiam suam expediret. Quæ nostra decisio plane consentit sententiæ, quam amplexi sunt octo Doctores Theologici, & quatuor Doctores, ac Professores e facultate Juris in Universitate Parisiensi, in dissolvenda difficultate fere simili viginti propemodum sex ab hinc annis, occasione Margaritæ Michaelæ Morin Monialis, de Ordine S. Bernardi.

(f) Innoc. III. in cap. *Quoniam*. 40. Alexand. III. in cap. *Non satis*. 8. & in cap. *Veniens*. 19. de Simonia &c. lib. 5. tit. 3.

CASUS XV.

FAUSTINUS emissa, in Monasterio S. Eligii, solemni professione, quæ nulla erat, quamque post elapsum unum annum ratam ipse fecit: de Curia Romana rescriptum sibi dari obtinuit, quo votis suis solveretur. Numquid intemerata conscientia ipsi licitum est, ejusmodi rescriptum approbari curare, idemque executioni demandare?

RESPONS.

Constat omnino non posse rescriptum, de quo quæstio est, in enunciata specie, a Faustino ullatenus adhiberi. Ratio est, quod in ejusmodi rescriptis ista clausula semper exprimi reperiatur: *Dummodo Professionem hujusmodi tacite vel expresse non ratificaverit*: ex quibus patet id potissimum a Summo Pontifice intendi, ut rescriptum nihil prosit, nulliusque usus esse possit Impetranti, si suam ipse professionem ratam habuerit. Ergo cum Faustinus suam ipsemet professionem, ratam atque acceptam habuerit; jam ei nullus locus relinquitur adhibendi rescripti, quod obtinuit, si quo tempore, eamdem approbavit nullam eam fuisse, resciverit. Si vero eum lateret ejusdem vitium, quando eam ratam fecit: atque cum primum agnovit, statim eidem fuerit refragatus: videtur posse asseri, ex subsecuta hujusmodi comprobatione, eum jure reclamandi non excidisse: quidquid Fagnanus in oppositum sentiat (g): tribusque de caussis, ab ipsius opinione abstinemus.

(g) Prosper Fagnan. in c. *Significatum*. 11. de regularibus &c. n. 19.

Prima quidem est, quod conjici plurimum detur eum qui professioni suæ reclamavit, statim atque ad ejus notitiam, eam nullam fuisse pervenit, ac reclamandi locus factus est, certissime citius eidem repu-

repugnavisse, nedum eam ratam habuerit, si certior factus fuisset, eam non valere, & sibi fieri copiam reclamandi.

Secunda est, quia quod nullum est, comprobari non potest, nisi nullum esse agnoscatur, ut docet Auctor Glossæ (a), juxta sequens juris effatum (b): *Errantis nullum est consensus*. Atqui supponitur ipsa Faustini professio nulla prorsus extitisse; Ergo quamdiu ipsius vitii remanet inscius, fieri non potest eamdem, ex quacumque comprobatione, ratam evadere, ac legitimam.

Tertia, quæ præcedenti accedit, in lege continetur istis verbis (c): *Quid enim tam contrarium est consensui, quam error*. Ergo quamdiu perseverat in errore, omnimode liber esse nequit ipsius consensus ea ratione, qua requiritur, ut comprobatio valeat.

Ita censent Navarrus (d), Cajetanus, Sylvester, cæterorumque nubes ingens tam Theologorum, quam Canonistarum.

Observandum est, in varias opinionum partes authores distrahi circa modum, quo possit tacita fieri comprobatio. Quidam ut Navarrus, & Barbosa, ajunt, si Religiosus sacros Ordines in Religionis statu perseverans, *sub titulo paupertatis*, susceperit; ab eodem censeri, ipsius professionem fuisse tacite comprobatam. Alii vero, quemadmodum Emmanuel Rodriguez (e), & Aloysius Riccius sententiam oppositam tuentur: quoniam, inquiunt, quid omnino separatum atque disjunctum constituunt cum Professio Religiosa, tum sacra Ordinatio: indeque fieri, ut non valeat consecutio, a sacrorum Ordinum inauguratione, ad comprobationem & validitatem Religiosæ Professionis: juxta istam regulam, quam Glossa statuit, & plurimis legibus confirmat (f): *Ex separatis non fit bona illatio, de uno ad aliud: neque quoad positionem, neque quoad remotionem.*

Quidquid sit iis, quæ modo diximus, semper insistendum est: ex quacumque nimirum comprobatione subsequenti, non posse, quæ nulla erat, professionem ratam fieri, cum comprobatio tunc accedit, quando professionem non valere ignoratur. Quam sententiam tenet quidam Auctor ejusmodi rerum intelligentissimus (g).

(a) Glossa c. *Ad dissolvendum*. de desponsat. Impuberum.
(b) Leg. *Non idcirco*. cod. de juris & facti ignorantia l. 1. tit. 18.
(c) Leg. *Si per errorem*. 15. ff. de jurisdict. omnium Judicum. lib. 2. tit. 1.
(d) Navarr. l. 3. Consil. 26. n. 2. Cajetan. in 2. 2. q 189. art. 3. Sylvester de Prierio v. *Matrimonium*. 4. n. 12.
(e) Emman. Rodriquez tom. 3. q. 17. art. 10. Aloysius Riccius in decision.
(f) Glossa. in Leg. *Maritus*. 12. §. 1. ff. de acquirenda vel amitt. possession. lib 41. tit. 2. Leg. *Duobus*. 25. ff. de testamentaria tutela l. 26. tit. 2. Leg. *Papinianus* 20. ff. de minoribus 25. annis lib. 4. tit. 4.
(g) Du Cosse tractat. de Jurisdict. Ecclesiast. contentiosa. c. 6. §. 3. n. 3.

C A S U S XVI.

Lævius, ut voluntati sui Patris obsecundaret, Religionem ingressus, ibidem probationis tempus explevit: cui postmodum Patri suo renuncianti se se nullatenus adducere posse animum ad professionem emittendam, illud responsum ab eo solummodo datum est; nisi profiteretur, ipsum a paterna domo oportere jam omnino esse exulem; neque futurum dumtaxat, ut exhæres ab eo scriberetur, sed decurrente tota sua ætate, animo prorsus infesto se se ab eo vexari etiam aperiretur. Lævius isto minaci responso plurimum perterritus, aliunde vero incertus, quo se se ferret, simulanter ac oretenus sua vota pronunciavit; ipse data sibi copia contestandi usus, ac conficiendi simul & subscribendi, adversus suam professionem, quam invitus emittebat, scripsit reclamationis instrumentum. Atque sic in eo statu remansit per quatuor annos, votis suis nunquam renovatis, nec postmodum ullatenus comprobatis. Sed tandem, cum perciperet, jamjam abire quinquennium, aperte reclamavit dictæ suæ Professioni: & Episcopum Diœcesanum, cujus Jurisdictioni Monasterium subjiciebatur, ea de re imploravit. Quæritur autem utrum, ex ordinaria, qua gaudet Episcopus Jurisdictionis potestate, reluctanteque Superiore Regulari, possit Lævium de Monasterio dimittere, atque eidem facultatem facere, cum habitus Religiosos exuendi, tum vestes sæculares induendi de integro?

R e s p o n s.

Si Diœcesano Episcopo, cujus jurisdictioni subest Monasterium, in quo Lævius suam Professionem emisit, certissimis indiciis de veritate illius, quod enunciatur, constiterit: ipse propria sua auctoritate Superiore Regulari tamen præsente, aut debita ratione invitato, potest declarare Lævium non Professum, adeoque Regula, quam oretenus professus fuit, solutum prorsus atque immunem.

Ratio est 1. quod ipsius Professio certissime nulla sit, tum coram Deo, tam coram hominibus, ex deficiente scilicet libero consensu; ut patet ex Decretali quadam relata in Corpus Juris, quam Alexander III. ad Episcopum de Osea Illargetam in Aragonia, & ad Priorem de S. Maria, Urbis Cæsar Augustæ inscribit (h). 2. Quia res, quæ versatur circa vitium Religiosæ alicujus Professionis, Episcopo cognoscenda dijudicandaque simul adhibito Superiori Regulari, a Concilio Tridentino (i) reservatur istis verbis: *Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem... velitque habitum dimittere quacumque de caussa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur: nisi intra quinquennium tantum a die professionis, & tunc non aliter, nisi caussas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario*. Est ergo munus Episcopi proprium, ac jus, ut de eo potissimum sententiam ferat: Neque vero, in eo casu minor ei potestas acquiritur, quoad eum, qui professus est in Monasterio, de Jurisdictione ipsius dependente, quam quæ Provinciali alicui cedit, circa eum, qui professionem emisit in Monasterio ordinariæ Jurisdictionis immuni. Jamvero penes est Provincialem, ut ejusmodi difficultatem pleno jure expediat, cum se se offert in Monasteriis, quæ a Jurisdictione Episcopi Diœcesani sibi vindicant immunitatem. Qua igitur ratione, jure eodem Episcopus defraudaretur, cum occurrit ejusmodi res dijudicanda, in Monasteriis, quæ subsunt ipsius Jurisdictioni? Atque iis fere rationum argumentis usus est Sylvius 10. Augusti 1663. in dissolvenda eadem quæstione, de qua fuerat consultus (k).

(h) Alexan. III. in cap. *Perlatum*. 1. de his, quæ vi metusve caussa fiunt. lib. 1. tit. 40.
(i) Conc. Tridentin. sess. 25. de Regularib. & Monial. c. 19.
(k) Pr. Sylvius resolut. var. v. *Professio Monastica*. 4.

C A S U S VXII.

Fabiola, a proprio suo Patre, modis prorsus indignis multoties accepta, quam Religionem ingredi volebat: ut alteri, quæ ipsius erat filiæ universa ejus hæreditas obveniret, & ea ratione, posset cum Ferdinando, viro nobili, matrimonium inire: atque ab eo dictis minacibus lacessita futurum, ut ipsa pro derelicta ab eodem haberetur, nisi in Monasterium aliquod se se ipsam reciperet, Religionem tandem reluctanta plurimum animo, atque ut ab injuriis, quas ei dictus Pater minitatus fuerat, se se potissimum subduceret, ingressa est. Ab emissa illius professione, quinquennium jam cum mensibus sex abiit. Consulit, 1. Utrum ista professio, quam eo animo emisit, rata ac valida esse queat? 2. Posito, quod irrita sit, an jus sibi non fiat, votis suis etiamnum reclamandi, suo Patre defuncto. 3. Num sibi interea incumbat, quamdiu in Monasterio remansura est, quæcumque a ceteris Monialibus extrinsecus peraguntur adimplere?

R e s p o n s.

Professio, quam Fabiola animo invito, atque eo potissimum fine emisit, ut se se violentiæ sui Patris & injuriis, quas ipse ei minitabatur, abriperet, profecto nulla est. Indeque sequitur, nisi vota sua postmodum instauraverit, ac voluntario, liberrimeque rata fecerit, nihil quidquam, ex ejusmodi professione præcise obligationis ei induci circa tria vota Religionis observanda: siquidem oretenus, & voluntate prorsus repugnante, eadem pronunciaverit. Quoniam vero Professioni suæ non refragata est, per quinquennium, quod constituit illius temporis spatium, quo per Concilium Tridentinum licet, ac definitur, viam reclamationis adhiberi posse; juxta relatum in præcedenti decisione ipsius decretum: Obligatur ex conscientia, ad se sa gerendam extrinsecus, quasi reipsa vinculo Religionis ligaretur: hoc est, ad vitandam quemcumque actum proprietatis, ad assistendum Choro, ibique cantandum ac persolvendum Divinum Officium, ceteraque Monialium munera peragenda. Ratio est 1. quia se se alia ratione gerere non potest, quin eo ipso offensioni, maloque exemplo sit suis sororibus, quæ existimant nihil in ipsius professione solemni occurrere, quod libertati ipsius officiat, ne-

que

Digitized by Google

que norunt, invito, reluctantique animo, ab ea fuisse emissam. 2. Propterea quod & fuerit, & etiamnum sit, commodorum, prærogativarum, privilegiorum, immunitatumque omnium Religionis consors, atque particeps.

Diximus: *Quoniam vero professioni suæ non refragata est per quinquennium, &c.* Propterea quod si votis suis reclamavisset, per illud temporis spatium quod definitur a Concilio, longe prorsus abesset a culpa offensionis, quæ apud ceteras Moniales immerito ac sine caussa haberetur. At vero, cum iisdem nulla ratione fuerit refragata, ei jam reclamandi locus nullus datur. Siquidem ut antea monuimus, post elapsum quinquennium a die Professionis omnis reclamationis via prorsus claudatur; quantumcumque legitimæ justæque essent caussæ, quæ essent proferendæ; juxta ista laudati Concilii verba (*a*): *Non audiatur nisi intra quinquennium tantum, a die Professionis.* Adeo ut etiamsi rescriptum concedi sibi obtineret, quo ei necquicquam obstante lapsu temporis, etiamnum reclamandi facultas fieret, idem declararetur irritum ac inordinatum in quibuscumque Jurisdictionum Tribunalibus, in quibus decretum Concilii ad strictos verborum apices observatur. Atque illud est, quod docet Fevret (*b*), qui ait: *Aliquando, qui impetrant ejusmodi Rescripta, prævidentes ex lapsu quinquenni, definiti a Concilio, exceptioni locum afferri, clausulam attinentem istud* quinquennium, *apponi Rescriptis, diligenter cavent. Sed clausula talis, nulla habetur, & tamquam inordinata prorsus repudiatur: quippe quæ Concilio, ac civili Disciplinæ, quæ in universo Regno passim frequentatur, tota penitus adversetur. Quam quidem civilem Disciplinam, ratam atque acceptam habuere, quotquot celebratæ sunt Synodi Provinciales, & nominatim, quæ in Civitate Aquensi fuit anno 1585. congregata (c), item & quæcumque præjudicia supremarum Curiarum, quæ referuntur a Juliano Bodeau l. c. n. 8.* laudatus Auctor (*d*), plurima ejusmodi præjudicia citat, memoratæ Civili Disciplinæ omnino consentanea, atque inter alia, unum quoddam e Supremo Parisiensi Senatu emanatum 24. Februarii 1624. in caussa fratris Francisci Bouvot, Religiosi Professi de Abbatia S. Victoris prope Parisios, qui post annos octo, a die suæ Professionis votis suis reclamarat, & obtinuerat a Curia Romana, sibi impertiri rescriptum, quo iisdem solvebatur. Quod quidem rescriptum eo Arresto declaratum est nullum, atque perversum, postulante D. Servin in suprema Curia Catholico Advocato, & dictus Bouvot condemnatus est, ad remanendum in loco suæ Professionis. Quod jure omnino inniti videtur, quo nulli datur, propriam culpam prodesse, quando eo tempore, quo ei licuit, non proclamavit. Namque ut fert Decretalis quædam in alia materia (*e*): *Si proclamare voluit: cur tamdiu tacuit?*

Est tamen in ea re, aliquid exceptionis admittendum. Si enim, qui reclamare voluit intra quinquennium, vi in se adhibita, quominus reclamaret fuisset impeditus; posset recipi ad querimoniam instituendam *metu cessante*; quemadmodum probatur a præfato Jurisconsulto, ex plurimis Arrestis Supremi Tolosani Senatus, quæ refert Du Mesnil (*f*). Sed eum casum non attingit species proposita.

(*a*) Concil. Trident. sess. 25. de Regular. &c. cap. 19. supra cit.

(*b*) Carolus Fevret. tract. de Abusu. l. 5. cap. 3. n. 25.

(*c*) Conc. Aquens. tit. de Monasteriis.

(*d*) Idem Fevret. ibid. n. 24.

(*e*) Cap. *Accepisti*. 2. de frigidis &c. lib. 4. tit. 15.

(*f*) Du Mesnil. qq. notabil. cap. 5. lib. 4.

CASUS XVIII.

JACOBUS & Marcellina, liberi Christophori, cum vi adhibita, inviti fuissent impulsi ad ingrediendam Religionem, eamque solemniter profitendam; Jacobus nempe in Monasterio S. Fourfii, & Marcellina in quodam Carmelitarum Cœnobio; post biennium mortuo suo Patre, qui eis eam vim intulerat, votis suis reclamaverunt libello supplice, ea de re oblato Diœcesano Officiali, qui adhibitis formulis jure servandis, eorum vota nulla esse declaravit, & eos in priorem statum restituit. Numquid ea ratione votis suis legitime absolvuntur; licet a Curia Romana rescriptum nullum impertiri sibi obtinuerint?

RESPONSIO.

Inauditum olim fuit, quod Romam recurreretur, cum solemni professioni reclamandum erat: atque usus iste invalescebat, ut res ad Episcopum & ipsius officialem, tamquam ad legitimos judices deferretur, quo eam aut ratam, aut nullam esse pronunciarent.

Prima ratio, quæ in patrocinium istius usus antiqui potest plurimum commendari, est, quod, ubi quis votis propriis reclamat, nulla in isto casu dispensatione opus sit; siquidem nihil aliud intendatur ab eo, qui reclamat, quam quæ emisit vota, & quam edidit Professionem, vera legitimaque non esse, declarari: adeoque nec inde ipsi, erga Religionem, quidquam obligationis induci: siquidem omnia fuerint, præter rectum ordinem, & normam S. Canonibus constitutam peracta. Res igitur versatur circa simplex factum, quo cognoscendo & judicando, non videtur posse Ordinarius partium, aut ipsius Officialis, interdici.

Secunda Ratio est, quia juxta Pragmaticam sanctionem & famosum Pactum (*g*), est in Gallia in more positum, ut quæcumque caussarum species primum deferantur ad Judicem naturalem & ordinarium partium, exceptis tantummodo iis, quæ dicuntur *Majores*, & enunciantur in jure. Unde sequitur, non posse cum fundamento interdici Officialem, qui eorum omnium, qui jurisdictioni sui Episcopi subsunt, naturalis & Ordinarius judex constituitur, potestate istius caussæ cognoscendæ; quippe constet, in numerum causarum, quæ appellantur Majores, eam non recenseri.

Tertia ratio deducitur e Concilio Tridentino (*h*) cujus decretum superius laudatum est, quod quidem sermonem faciens de Religioso votis suis reclamante, ac prætendente, suam professionem esse nullam, sive quod invitus, sive quod ante præscriptam ætatem eam emiserit: præcipit tantum, intra quinquennium ab ipsius professionis die, ei incumbere, ut caussas quas prætenderit, deducat coram Superiore suo Ordinario.

Recens quidam Auctor (*i*) quamplurima congerit istius jurisprudentiæ exempla, quorum quædam pronunciatis Arrestis, a supremo Parisiensi Senatu confirmata sunt. Primum est Annæ de Mandouil, quæ nullo sibi facto a Curia Romana Rescripto, cum caussam primum egisset apud Officialem Carnotensem, & deinde instituta appellatione apud Officialem Senonensem: judicium pronunciari impetravit, quo cum ipsius vota, tum ejus professio nulla esse declarata sunt 23. Junii 1574. Secundum est Magdalenæ Riviere, & Antoniæ des Chateaux, pro quibus ejusmodi judicia, ab ipsa prima actione, lata sunt ab eodem Officiali, nullo præcedente rescripto. Tertium est Pauli Gibieux Capucini, cujus Professio irrita declarata est ab officiali Bituricensi 22. Januarii 1653. quod deinde confirmatum est Arresto a supremo Parisiensi Senatu lato, interjecta tamquam ex abusu appellatione. Quartum exemplum est Francisci Guiner de Ordine Præmonstratensi, qui remissus est a Parisiensi Parlamento, ad Officialem Carnotensem, a quo ipsius Professio nulla declarata est: quamquam prætensus iste Religiosus nullum a Summo Pontifice Rescriptum obtinuisset, ut votis suis absolveretur. Quæ memorata exempla omnia refert Du Casse, in sua praxi, de jurisdictione Ecclesiastica Contentiosa (*k*), qui addit eum tamen in Gallia obtinere usum, ut nullus, nisi sibi primum concesso a Summo Pontifice Rescripto, ad reclamandum solemnibus suis votis admittatur; testaturque Pyrrhus Corradus (*l*), sacram Concilii Congregationem, indictis severis omnino pœnis, interdixisse anno 1636. omnibus Prælatis & Judicibus Ecclesiasticis, ne ea in re, quidquam judicare sibi assumerent, absque speciali mandato Summi Pontificis: cui prohibitorio Edicto non legitur, nec Episcopos Gallicanos, nec eorum Officiales ullatenus restitisse, servato sibi, ut eis jure concedebatur, usu, quo fuerant ab antiquis temporibus gavisi.

Ex quibus inferre nobis licet, si quidem supremæ Curiæ,

(*g*) Concordat. tit. de caussis.

(*h*) Conc. Trid. cit. sess. 25. de Regularib. & Monial. c. 19.

(*i*) Michael du Perrai definition. juris Canon.

(*k*) Du Casse, prax. &c. cap. 6. n. 2.

(*l*) Pyrrhus Corrad. prax. dispensat. lib. 5. cap. 14.

Curiæ, hodiernis jam diebus, nec tueantur nec vindicent Officiales, qui ejusmodi sententiam, privata sua auctoritate, nec prævio e Roma Pontificiali Rescripto, ferrent; non esse unde Jacobus & Marcellina, de quibus agitur in specie proposita, sibi videantur votis suis solide omnino ac certissime solvi.

Cæterum unum est, quod observare plurimum refert, nimirum rescriptum illud, de quo quæstio est, debere ab ipsamet auctoritate summi Pontificis emanare, nec satis esse, si obtineatur ab illa Congregatione, quæ Romæ instituitur, ad cognoscendas res, quæ sunt Regularium. Ratio est, quia non alia auctoritas in Gallia agnoscitur, nisi quæ a Papa, & ab Ordinariis immediate derivatur, & tanquam inordinata habentur rescripta, quæa dicta Congregatione deducunt originem, quemadmodum pronunciatum est 3. Julii 1642. Arresto, a supremo Parisiensi Senatu lato in causa provocationis tanquam ex abusu cujusdam Carmelitæ discalceati, qui votis suis solutus fuerat ab Episcopo Pictaviensi, virtute Rescripti, quod a præfata Congregatione indultum erat, in quo quidem Arresto Curia declaravit, omnino perversum esse, quidquid inquisitionum cæterarumque juris formularum, ea de re, ab isto Prælato fuerat institutum; ac jussit futurum, ut dictus Carmelita, intra sex menses, apud Papam ageret, ab eo, quæ juris sunt, obtenturus (a).

(a) Du Casse cit. n. 3.

CASUS XIX.

Paula, annos decem & septem nata, cum vi, modisque indignis adducta fuisset a suo Patre, viro ingenio in iram præcipti, animoque omnino impotenti, ad profitendam Religionem, quique ei vim continuandam denunciabat, nisi sese vitæ Monasticæ totam addiceret, cumque rescivisset labente jam & propemodum expirante quinto a die suæ professionis anno, sibi etiamnum locum dari votis suis reclamandi, cum ipsi, per tempus non licebat, a Curia Romana, ante lapsum istum annum quintum, Rescriptum accersere, sed tantummodo in sexto ineunte anno; eam tamen adhibuit diligentiam, ante quinquennium expletum reclamationis, adversus suam professionem, coram duobus Notariis, aut præsentibus tum Ordinario, tum sua Præposita, conficiendæ. Numquid postea jus ei fit, utendi dicto Rescripto?

Respons.

Non absolute requiritur, ante quinquennium expletum, Rescriptum a Curia Romana obtentum fuisse, quippe jure non exigatur rescriptum ejusmodi, atque tantummodo statuatur a Concilio Tridentino, ut, qui voluerit, rescissis suis votis, in priorem suum statum restitui, causas, quas prætendit, intra quinquennium, a die suæ professionis, deducat coram suo Superiore, & Episcopo loci, in quo suum est Monasterium, quamquam ea hodiernis temporibus invaluerit consuetudo, ut auctoritatis afferendæ causa reclamationi rescriptum obtineretur. Sufficit ergo, ante expletum quinquennium, memorato Decreto Concilii, fuisse a Paula satisfactum: Atqui isti Decreto omnino paruit, sive voce, adhibitisque formulis consuetis reclamaverit, sive præsentibus Episcopo Diœcesano, & ipsius Præposita, sive dumtaxat instrumento a duobus Notariis subscripto aut ab uno Notario, adhibitis cum eo præsentibus duobus testibus, quod deinde fuerit & Præpositæ Monasterii simul, & Episcopo denunciatum.

Ratio est, quia Concilium non excludit personam Religiosam, a jure reclamandi post elapsum quinquennium, nisi propterea quod præsumat, siquidem istud omne tempus prætermiserit, nulla facta reclamatione, ipsi voluntatem immutatam esse, vota sua rata postmodum habendo, & liberrime amplectendo vitæ conditionem, cui, invito animo, sese antea addixerat. Quæ quidem conjectura nullum prorsus locum habet, quando, ex certissimo reclamationis instrumento, significatum est; quemadmodum actum fuit a Paula, id in animo fixum esse, a Religione omnino abstinere. Quin imo conjiciendum maxime datur ab ea persona, quæ sic refragata est, obtentum fuisse, de Romana Curia Rescriptum, si ei tempus, locus & facultas, ea de re facta fuissent. Atque ea ratione judicatum est a Parisiensi Parlamento, Arresto 29. Julii 1631. quod refert Bardet (b). Nihilominus; ut omnis tollatur locus tergiversandi, atque vitiligandi, iis, qui de institutis inquisitionibus, & cæteris formulis, post impetratum Rescriptum, vellent contendere; summopere juvat præcavere, ejusmodi Rescripto caute ac diligenter apponi clausulam de restituendo lapsu quinquennii, quippe ejusmodi restitutio, quoad subjectum casum acceptetur & comprobetur, juxta eam, quæ apud Supremos Senatus Gallicanos obtinet, Jurisprudentiam, in gratiam ipsius Religionis, & eorum, qui ad profitendam Disciplinam Monasticam, inviti coacti fuere, & ab ipso etiam Rege sedente in suo Consilio de ærario; habito Versaliarum 4. Septembris 1691. definitum fuerit, quæ Mercatoribus, & Scambiatoribus Domini Papæ, rependendæ forent, ea de re obventiones.

(b) Bardet. l. 4. c. 41.

Unum superest observandum, scilicet si reclamatio verbo tantum emissa fuisset, aut si scripto confecta, non esset conscripta præsentibus ibidem tum persona, quæ Monasterio præponitur, in quo professio edita est, tum Episcopo Diœcesano, neque utrique denunciata, ipsam omnino nullam futuram esse; siquidem a jure, quod constituit Concilium Tridentinum, omnino recederet (c).

CASUS XX.

Ameliæ, expleto suæ probationis tempore in Abbatia Sanctæ Gertradis, & communi suffragio, ad profitendum ibidem receptæ, spes emittendorum votorum, a mensibus sex & amplius, ab Abbatissa prorogatur. Numquid potest dicta Abbatissa, per longum adeo temporis spatium, ipsius professionem absque peccato differre?

(c) Du Casse prax. de Jurisd. Ecclesiast. contentiosa c. 6. n. 4. & 5.

Respons.

Si de differenda professione Ameliæ, justa nulla causa Abbatissæ subsit, peccat, quoniam ei injuriam facit, & in procrastinando directe adversatur Decreto Concilii Tridentini, quod istis verbis exprimitur (d): *Finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e Monasterio eos ejiciant*. At vero ab omni culpa procul abest præfata Abbatissa, si sic sese gerendi causam aliquam præ se tulerit, verbi gratia: si Amelia teneretur aliqua infirmitate, quam sanari summopere interesset, qualia sunt strumæ, morbus sonticus, aut quodlibet aliud simile malum. Si nondum, quam promisissent aut ipsa, aut ipsius Parentes, dos fuisset soluta, nec præ facultatum angustia, absque ejusdem solutione, posset Monasterium eam ad professionem recipere. Si nondum ætatem attigisset, quæ a Sanctis Canonibus requiritur. Si nondum apprime calleret Constitutiones, Statuta, cæterasque Ordinis praxes; in præfatis casibus, & in aliis similibus, nihil culpæ prorsus admitteretur ab Abbatissa, in proroganda Novitiæ ipsius solemni professione. Ita censet Navarrus (e), qui ait, juxta juris antiqui dispositionem, ejusmodi moram licere interponi, nec ei quidquam a jure novo fuisse abrogatum, siquidem Concilium Tridentinum solummodo ferat: *Finito tempore Novitiatus*, nequaquam vero, *Statim finito tempore*, & prudentiæ Superiorum, eorumque judicio permittat, quod fieri magis expediat. *A jure antiquo non videtur recessum*, in-

(d) Concil. Tr. sess. 25. de Regularibus c. 16.

(e) Navarr. l. 3. consil. de Regularib. Consil. 30. n. 1.

inquit eruditus iste Canonista, *nisi quatenus per novum expresse receditur* (*a*), *& ante præfatum Concilium Tridentinum hoc licebat, & erat in usu, & consuetudine. Ergo & nunc licet: quia per illud non videtur statutum contrarium: tum quia illud caput non disponit, quod Superiores, statim finito anno Novitiatus, cogant Novitios pro idoneis ad profitendum; sed solum quod admittant eos, aut rejiciant: & cogere ad profitendum est aliud, quam admittere ad professionem, vel rejicere; & a diversis non fit illatio* (*b*): Quibus etiam addi potest quemadmodum annotant Barbosa, & cum eo tres quatuor Auctores, quos appellat Sylvius (*c*) ibidem Concilium non agere ex professo, nisi de solis Religiosis Novitiis, nec de puellis quæstionem instituere, quas certissime designare non omisisset, si de iis, quantum ad subjectum casum intelligi suum Decretum, animo habuisset, quemadmodum eas alibi, cum alia materia sese offert, distincte exprimi præcavet (*d*).

(*a*) L. Præcipimus cod. de appell.

(*b*) L. Papinianus ff. de minoribus &c. c. Ad audientiam de decimis.

(*c*) F. Sylv. resolut. var. v. professio Monastica 1. & apud eum August. Barbos. & alii.

(*d*) Concil. Trid. post cit. Decretum, & c. 11. & 15. ejusd. sess. 25.

Vide
(ABBATISSA, Casus 1. & 9.)
(DISPENSATIO de voto.)
(RELIGIOSUS.)
(MONIALIS.)
(VOTUM.)

PROMISSIO.

Solet sub appellatione PROMISSIONIS circumferri scheda, aut syngrapha privato Chyrographo subcripta, qua fides datur futurum, ut aliqua commodatæ pecuniæ, aut aliunde debitæ summa persolvatur. A qua potissimum distinguitur obligatio, quæ eamdem quoque fidem adstringit, quæ coram Notariis conficitur, atque ideo jus hypothecæ tribuit Creditoris in rebus Debitoris constitutum. At de promissione in eo sensu accepta, in eo titulo tractare non intendimus.

Promissio, in eo sensu intellecta, quem hic loci innuimus, *est deliberata & spontanea fidei obligatio, de re possibili, grataque Promissario* (*e*). Qua nempe fidei obligatione, quis sese astringit, ad aliquid alicui concedendum, peragendum aut prætermittendum, quod facere penes est ad eum, qui promittit.

(*e*) Polman. Part. 2. n. 499.

Dicitur: *Deliberata & spontanea*; ut excludatur quæcumque fidei obligatio, quam quis contraheret, aut vi in ipsum adhibita, aut ex errore, dolo, & metu, & indicitur, ejusmodi promissionem debere intervenire cum integra eorum omnium notitia, quæ naturam atque substantiam attinent obligationis.

Subjicitur: *De re possibili*; hoc est, quæ natura sua non tantum, sed secluso quocumque etiam peccandi periculo fieri possit.

Tandem additur: *Grataque Promissario*, ne promissio, promiscua, & indiscriminatim habeatur, cum Minaciis, quibus alicui quis malum quoddam denuntiaret.

Potest Deo perinde ac Hominibus, de re aliqua fides dari. Quæ Deo datur, Latino idiomate dicitur *votum* aut *sponsio voti*, & differt a fide, quæ datur Hominibus, & sortitur nomen appellationis, *promissum*, *promissio*, *& pollicitatio*.

Promissio potest esse pura & simplex, vel conditionalis vel jurejurando confirmata.

Incumbit ex debito tum conscientiæ, tum vel etiam honoris, ut promisso cuicumque verbis etiam simplicibus dato, fides exhibeatur, nisi foret contigerit res fuisse notabiliter immutatas. Enimvero si exempli causa, cui promisissem futurum ut ex mera benignitate largirer centum nummos, is postmodum indiceret inimicitias, atque in me sese infensissimum intenderet oppugnatorem; nihil mihi prorsus incumberet obligationis adimplendi promissi. Ita etiam, si post promissos centum nummos, sic mihi res familiaris dilaberetur, ut nonnisi notabili aliquo damno mihi emergente, propriis possem stare promissis: profecto obligatio mea in integrum solveretur. Quibus seclusis casibus, sic constat de obligatione exsolvendæ fidei, ut de ea etiam apud Paganos conveniat. *Quod affirmas*, inquit Cicero (*f*), *quasi Deo teste promiseris, id tenendum est*. Indeque est, quod in virum propriæ famæ, vel tantillum parentem, probrum gravius ac mordacius injici nequeat, quam si fidem datam fefellisse incusetur: plurimos tamen alios casus particulares reperire est præter eos, quos modo perstrinximus, in quibus nec potest, nec quandoque debet exsolvi, ut jamjam monuimus, & in Decisionibus, quæ sequuntur, evincemus.

(*f*) Cicero de Officiis.

CASUS PRIMUS.

Cyrillus ætatem adhuc pupillarem agens, fidem dedit Eudoxæ, matrimonium cum ea contrahendi: ipsique ex altera parte, Eudoxa fidem eamdem adstrinxit. Cyrillus licentiorem agendi rationem, in eam postmodum adhibuit, non tamen perfractis personis ipsius, atque honestatis finibus extremis. Ut novit, qua parte flecti facilem, ipsa, sese exhiberet, aliunde vero ratus, quam sibi propitiam subodoratus fuerat, futurum, ut alii sibi fortasse experirentur: ab eadem matrimonio sibi conjungenda, animum sentit immutatum ac penitus alienatum. Numquid ideo, recta conscientia, potest, quam ei fidem obligaverat, fluxam gerere, quamquam promissis ejus plurimum ipsa pendens, ac certum habens, semetipsam ab eo ducendam uxorem, noluerit ditissimam sibi oblatam accipere conditionem?

RE-

RESPONS.

Si Parentes Cyrilli assentiantur, ipsi matrimonio cum Eudoxa conjungendo, obligatur ex conscientia ad fidem, quam dedit præstandam, nihil prorsus obstante, quam in semetipsam ab eo adhiberi permisit, licentiore agendi ratione: At vero si consensum abnuerint, non potest absque peccato quod promisit exsolvere: 1. Quoniam *illa semper matrimonia detestata est, atque prohibuit Ecclesia*, quæ non accedente Patrum, Matrum, Tutorum, aut Curatorum consensu, filiifamilias ineunt; ut loquitur Concilium Tridentium (*a*). 2. Quia eis interdicitur ab Edicto Blecensi (*b*), & ab Edicto promulgato anno 1639. juxta dispositionem Edicti anno 1566. latine matrimonio sese jungere præsumant, absque consensu suorum Parentum, etiam sub pœna exhæredationis; adeo ut Cyrillus non possit contrahere dictum matrimonium, etiamsi vellet, nisi postquam pervenerit ad annum ætatis suæ trigesimum sextum, & suorum Parentum consensum, scripto requisiverit; quamadmodum definitur Edicto anni 1639. Cæterum non possunt ipsi Cyrilli Parentes, servato summo jure, cogi ad exhibendum, dicto Cyrilli matrimonio consensum; verum, adhibita exhortatione, potest cum iis agi, ut ad consentiendum adducantur; nisi justas causas habuerint dissentiendi; aut acerbum aliquid imminera non deprehendatur, ex eo quod istas nuptias ultro non approbarent.

(*a*) Concil. Trid. sess. 24. de refor. matrim. c. 5.
(*b*) Ed. Blecense, 41. Declaratio 20. 1639. art. 2.

CASUS II.

GASTO, quem Leonides Beneficiis sæpius repetitis sibi devinxit ei pro ejus officiis, voluit gratiam referre, ideoque promisit, animo promissioni standi, futurum, ut cum primom, qui sibi debebantur 2000. nummos recepisset, inde 1000. libras ipsi gratuito prorsus largiretur; Quod quidem promissum Leonides ratum habuit, atque acceptum. Gasto post unum mensem, suos 2000. nummos excepit: Sed ægre ferens; sese ex promissione obligari ad 1000. libras Leonidi rependendas, illarum mediam solummodo partem ei contulit. Numquid ex conscientia ipsi incumbit, quod residuum de 1000. libris superest, ei referre?

RESPONS.

Respondemus, fidem datam Leonidi a Castone esse omnino exsolvendam, ac consequenter, quam mille librarum summam pollicitus est, ipsi integram ab eo esse referendam; nisi aliunde causa gravis ac legitima ei succurrat, qua promisso præstando, solutus omnino sit atque immunis. Namque, ut ait Auctor Glossæ (*c*), in Canonem quemdam Decreti Gratiani: *Ex nuda promissione quis tenetur: Si vero quis*, inqoit S. Thom. *non faciat, quod promisit* (*d*); *tunc videtur infideliter agera per hoc, quod animum mutat*. Cujus rei rationem suggerit S. Antoninus istis verbis (*e*): *Si autem licitum est, & possibile, quod promittit ...... non servando, cum potest, utique peccat: quia omne promissum, debitum jure naturali servandum est*. Quod probat ex S. Augustin. relato in Canone, quo fertur (*f*) *adeo quod secundum Augustinum, fides etiam, quando hosti promittitur, servanda est*: Atque in eo convenit ista Regula Juris (*g*): *Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum*.

(*c*) Gloss. in Can. Sunt quidam 2.27.q.1. v. Promitrim.
(*d*) S. Thom. 2.2. q. 100. art. 5. ad 5.
(*e*) S. Anton. sum. 2. par. tit 10 c. 1. §. 4.
(*f*) S. Aug. in can. Noli. 3. 23. q. 2.
(*g*) Reg. 33. de Reg. Jur. in 6.

Cæterum non ita facile definiri potest, quantum sit illius peccatum, qui fidem datam, fluxam gerit. Quidquid enim garriant, ea de re, plurimi Auctores, quos citat S. Antoninus, quorum quidam existimant, peccatum esse mortale, alii autem vaniale tantum; videtur ea de re, firmum certissimumque judicium non posse ferri; nisi attento animo perpensis, ac veluti suspensis in trutina, gravibus aut levibus incommodis, quæ possunt inde derivare. Atque e inde ast, quod S. Antoninus, in eo casu, peccatum reperiri mortale non supponat. *Et hoc*, inquit, *nisi subsit, vel suparveniat causa rationabilis non implendi: puta novus casus inopinatus impræmeditatus*. Verbi gr. si Gastoni receptis suis 2000. nummis, necessitas quædam utendi instaret: aot si ipsi, postquam fidam obligavit, Leonides illuserit, aut contumeliam fecerit. Neque enim in istis casibus, contendendi quidquam rationis esse potest, obligari Gastonem ad exhibendam fidem suæ promissionis: siquidem eamdem in ea hypothesi, obstringere voluisse, non possit merito censeri.

Laudatus Sanctus Archiepiscopus, præfatam exceptionem tuetur auctoritate S. Thomæ (*h*), qui ait, obligationem adimplendæ promissionis solvi, *Si sunt mutatæ conditiones personarum*. Quod confirmat testimonio Senecæ; *ut enim Seneca dicit in libro de Beneficiis* (*i*), *ad hoc, quod homo teneatur facere. quod promisit, requiritur, quod omnia immutata permaneant; Aliequin nec fuit mendax in promittendo; quia promisit, quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus; nec etiam est infidelis, non implendo, quod promisit; quia eædem conditiones non extant*. Ita loquitur Angelicus Doctor:

(*h*) S. Th. loco cit.
(*i*) Seneca de benef. l. 4. c. 34 & 35.

CASUS III.

DAMASUS, de re justa possibili, ac omnino rationi consentiente, fidem Juliano obligavit. At ax quo promissio intervenit, mutationis aliquid accessit, unde videtur, ab eadem adimplenda prorsus aximi. Num nihilominus tenetur ad exsolvendum, quod promisit?

RESPONS.

Quamquam generatim loquendo, istud obligationis importetur ex fide data, ut, quod promissum est, sit necassario persolvendum; cum nempe promissio versatur circa rem possibilem, simul atque licitam; constat tamen, Damaso non incumbere, ut, quam Juliano obstrinxit, fidam rependat; si quædam postmodum occurrerit rerum conversio, quæ legitimum impedimentum constituat, cur non possit, quod fuit promissum, exsolvi. Puta si jam fidei servandæ non alius locus detur, nisi in detrimentum proximi: aut quin seipsum gravi damno afficiat: aut nisi prohibitorium Edictum, quod a Superiore Ecclasiastico, vel sæculari, sibi denunciatum esset, ax causa aliqua justa perfringat. Ita docet S. Thomas (k), qui sententiam suam maxime confirmat, exemplo petito, ab agendi ratione S. Pauli. En ipsissima Doctoris Angelici verba; *Apostolus se excusat. 1. Corinth. 1. de hoc, quod ad eos non iverat, sicut promiserat dicens*; Cum ergo volui, numquid levitate usus sum: aut quæ cogito, secundom carnem cogito, ut sit apud me est & non? *Et sic ex hoc, quod ex justa causa prætermisit facere, quod promiserat, se immunem dicit a levitate, carnalitate, & falsitate*. Ipsius est ergo Damasi diligenter secum perpendere, & omni remoto animo assentandi, num quæ rerum convarsio, post fidem ab ao datam, contigit, ejusmodi sit, quæ eum solvat & immunem efficiat a persolvendo promisso; & sapientiorum atque intelligentiorum consiliis inhærere, si in dubitationem, ea da re, vel minimam adducatur.

(k) S. Thom. in Epist. ad Rom. 15. lect. 3.

CASUS IV.

DOMNOLUS, Vir nobilis; de Provincia quadam, in qua dispositiones Juris scripti, Legis vim obtinet: cujus est Theocrides frater, & nepotes sunt Petrus & Paulus, filii Theocridis; donationem 40000. librarum assignavit Petro, in gratiam contracti ab eo matrimonii, currente anno 1710. cum Mathilde virgine magni nominis. Petrus emit anno 1713. prædium quoddam Beneficiarium ac Clientelare, pretio 50000. librarum constituto: quarum numerata præsentique pecunia 30000. persolvit: ac fidem obstrinxit Eleonoro suo venditori, futurum, ut post biennium, superstites 20000. libras ei rependeret. Quo quidem tempore explcto, cum contractæ obligationi non potuisset satisfacere: eum Eleonorus apud Judices ursit ad solutionem, atque omnes illius possessiones jussit, in manum Regis tradi. Domnolus, vero annum tunc temporis agens ætatis suæ supra octogesimum sextum, sui nepotis rarum impendendi ruina permotos, ei aperuit, a sese ex testamento 15000. libras legari, quæ ipsi in subsidium vanirent, Eleonoro satisfaciendi: Quam promissionem Petrus plurimum laudavit, ac grato prorsus animo approbavit. At post mensem circiter unum, supplex Domnolum avunculum suum obtestatus est, istius summæ testamento relictæ partem mediam, eo adhuc vivente, sibi in ante-

cessum

cessum oumerari; ut ea ratione, sibi ab Eleonoro intentaa actiones compesceret, atque ita sese subducere posset ab ingentibus impensis, quæ ex cumulatis ab Eleonoro forensis usus formulis in semetipsum recidebant, & a quibus aliunde non dabatur, posse semetipsum expedire. Domnolus, cujus nulli liberi extabant, quique percipiebat, nec a Petro ullos fuisse ex ipsius uxore susceptos, nec dictam axorem posse jam per annos parere: ei gratiam petitam indulsit, disertis verbis significans, id sese omnino velle, ut, quidquid in eum beneficii coaferebat, aut plurimam partem eorum, quæ jam fuerat largitus, & deinde foret largiturus, ipse postmodum vel saltem, imminento morte, Paulo ipsius alteri nepoti transmitteret; atque ei in manum tradidit exemplar rescripti, permutatæ pecuniæ solvendæ ferenti, ut tradionis instrumenti conficiendi causa, suum Notarium inviseret. Petrus ipsa crastina die cum renunciasset ei, illud instrumentum jam confectum esse; Domnolus sese contulit ad Notarium, ut ei Chyrographum apponeret, & Nepoti suo, de manu ad manum daret nummatim tesseram: sed autequam subscriberet, ei rursum significavit, eam esse suimetipsius mentem, ac semper fuisse, ut 40000. libræ, quas ai jam dederat; & 15000. libræ, quas ei testamento præstabat, & quarum mediam partem erat ei jamjam in antecessum numeraturus, ad hæredes ex primo vel secundo gradu transferendæ essent, si ipse, non susceptis liberis ex justo matrimonio, supremum diem expleret; cui Petrus ferociter reposuit, nihil esse, quod posset donare, neque animum esse, tribuendi quidquam alicui, neque etiam, ea lege, consentire sese velle 15000. libris acceptandis ac in ipso temporis momento evasit. Domnolus, cui mirum omnino visum est, quod suus Nepos sic averso animo esset, a Paulo ipsius altero nepote, & ab ejus liberis, voluit ipsum, quod præscriptum fuerat a Notario, instrumentum propriis evolvere oculis, atque agnovit ibidem de donatione, ne verbum quidem uuum haberi, sed ipsius loco, Apocham scriptam fuisse, acceptam facientem summam 7500. librarum, quam fingebat a suo avunculo sibi deberi, quamque sibi repensam cognoscebat, tradita nummaria tessera, sibi ferenti ab alio solvenda. Domnolus sese malo dolo sic deludi, indignabundus domum suam petivit, ac fraudem questum properavit ad Theocridem, indignatione mota, ea de re, ipsi non minus ingenti; cuique omnino perspectum fuit futurum, ut nihil quidquam neque ad Paulum, ueque ad ipsius liberos transferret Petrus; sed quidquid posessionum habet, cum uxori suæ, tum filio, quem spurium susceperat, transmitteret; nec viam fraudis ab eo initam fuisse, nisi animo sibi vindicandæ, & asserendæ in integrum, mortuo Domnolo summæ 15000. librarum, quæ ipsi fuerat ab eo testamento legata: postquam 75000. libras excepisset, a suo Beneficio, quem suum debitorem haberi intendebat. Quod tamen impedimento non fuit, quominus suadente ipsius fratre Theocride, Domnolus insisteret, exhibendo suo consensui, nnmerandæ in antecessum Petro summæ 7500. librarum decessione facta de 15000. librisquas eidem testamento relinquebat. Ideoque, quod confectum fuerat a Notario, immutari curavit instrumentum, ea qua ratione menti suæ congruebat. At vero, quoniam alterum instrumentum denuo refusum non ferebat, fore ut cum 40000. libræ tum 15000. testamento legatæ, hæredibus ex primo & secundo gradu, sive directo, sive transverso transmitterentur: Domnolus ipse, manu ptopria, clausulam istam dicto instrumento apposuit, quam Petrus ratam habere plane negavit contendens, id obligationis proprio suo Avunculo coram Deo incumbere, ut, seclusa quacumque conditione vel clausula, pure ac simpliciter ipsi 15000. libras largiatur, siquidem ei primum quidem, nulla facta conditionis lege, pollicitus fuisset, sese ei concessurum dictam summam, & ipse promissionem, eadem quoque ratione acceptavisset; deinde discessit, tradito in manum Notarii Exemplari nummariæ tesseræ, quod jussit suo avunculo restitui.

Primo quidem loco Domnolas quærit, num vere taneatur ex conscientia, ad donandum suum Nepotem 15000. libris, nihil eo obstante, quod ipse abuuerit, velle obligationem inire clausulæ, a Donatore appositæ, executioni demandandæ, qui quidem Donator pertendit sese promisso exsolvendo, prorsus solvi ex ingrati animi crimine, quod suus Nepos admisit.

1. In eo, quod ab eo tempore, quo renuit appositæ clausalæ exhibere consensum, omnem officiosum ad Avunculum suum aditam, & quæque consueta cultus atque venerationis officia, penitus deseruerit.

2. Quod post aliquos menses, eum incidisset in morbum omnino gravem, atque ex eo usque fuisset perductus, ut Sacramentis Ecclesiæ muniretur, miserit Religiosum quemdam ipsum invitaturum, ut cæremoniæ sancti Viatici, ipsi administrandi præsens vellat interesse: ipse vero sacrosanctam Eucharistiam fuerit quidem comitatus, sed noluerit ipsam domum ingredi, ne suum Avunculum, & proprium Patrem ibidam videret.

3. Quod postquam convaluisset; Petrus & Mathildes ipsius uxor, ipsius quidem domum accesserint; sed nedum restitutam saaitatem ipsi fuerint gratulati; quin immo eum ludibrio habuerint, dictisque probrosis simul, & acerbis oneraverint, propter ea, quæ peracta fuerant apud Notarium.

4. Quod Petrus perfidiæ, ingratique animi semetipsum astrinxerit, instruendo ei dolum, quo tentavit, ex falso instrumento publico, eum haberi debitorem; cum econtrario beneficium sese in ipsum præbuisset, tum iu eo casu, de quo apud Notarium agebatur, tum in prima donatione 40000. librarum, quam ei antea assignaverat; atque adeo ista agendi ratione, alterius beneficii dono sese reddiderit prorsus indignum.

5. Quod Domnolus semper intenderit 40000. libras, quas Petro fuerat largitus, in gratiam contracti ab eo matrimonii, fore transmittendas suo alteri nepoti, aut ipsius liberis, contingente nimirum casu, quod Petrus decedat, non relinquens liberos ex legitimo thoro susceptos: & quamquam ea de re mentionis nihil factum fuerit in contractu; mentem suam ipsemet tunc temporis aperuerit, eademque sempet ratione, qua postmodum significavit, cum jamjam instrumento subscripturus erat, quo ei concedebat 7500. libras in antecessum legati relicti.

6. Quod secundum jus scriptum, cui subjiciuntur tum Donator, tum ipsius Nepos; quæcumque donatio tamdiu censeatur irrita & imperfecta, quamdiu illius instrumento partes contrahentes, juxta formulas servari consuetas, nou subscripsere.

7. Domnolus addit, ipsummet Petrum exsolvendo promisso renunciasse prorsus: cum illud acceptare detrectavit, sub ea nimirum conditione, quod quidquid bonorum ex ipsius Beneficiis sibi obveniret, ad Paulum suum unicum fratrem transire permitteret, posito casu, de quo antea dictum est.

8. Ab eo tempore; quo Domnolus fidem suam, ea de re, Petro verbis obligavit, res ipsius familiares ad mediam usque partem imminutas fuisse extinctis nimirum a Rege, Basilicæ Parisiensis oppignoratæ annuis vectigalibus: unde factum est, ut plurimum augerentur & usura fœnorum, & pretium rerum immobilium; atque ultra modum sic assurgerent, ut vix sibi superfit; unde queat vitam suæ conditioni accommodatam sustentare.

9. Aliunde vero a se ipso non posse perfici, quod promisit, quin & Theocridem suum fratrem, quem summopere diligit, & Paulum suum nepotem, qui numerosam familiam sustinet, & eum semper plurima cum pietate, tum reverentia fuit prosecutus de exiguo bono, quod sibi reliquum est defraudet: seque ipsum in eas angustias abducat, ut nequidem possit cum Ecclesiæ, tum aliquibus egentissimis parentibus, ea qua ratione sibi proposuerat, pia quædam legata assignare.

Num-

Numquid, quæ promissæ sunt omnes caussæ sufficiunt, ut Domnolus censeatur ab exequendo suo promisso prorsus immunis?

RESPONS.

Principium certissimum, cui recta conscientia potest in præsenti materia potissimum insisti, est, quod nulla obligatio perficiendæ promissionis incumbat, etiam de re justa, quæ fuerit sinceris verbis confirmata; quando notabilis aliqua rerum conversio postmodum contigit, quæ si fuisset prævisa, promissioni interveniendæ impedimento prorsus extitisset; ut jam monuimus in respondendo ad casum Damasi, & ibidem probamus restimonio S. Thomæ, qui ipse auctoritate Apostoli innititur; quod quidem locum etiam habet, licet res promissa fuerit jam tradita ei, cui fides fuerat obligata, accedentibus nempe quibusdam casibus: quemadmodum videre est alibi, ubi plurima ra de re exempla congerimus. (a) Porro nullus diffiteatur in enunciata specie, quam hic loci dirimendam habemus, notabiles omnino rerum conversiones supervenisse, tum ex monstruosa illa agendi ratione, qua Petrus erga Domnolum se gessit, tum ex ingenti redituum Donatoris extenuatione: quæ quidem si animo prospexisset, certissime prorsus abstinuisset, ab obliganda fide suo nepoti, de 15000. Libris, quas ei testamenta reliquerat, atque a fortiori nedum ei, sese adhuc vivente, mediam illarum partem in antecessam concessisset: imo fortasse, ne primam quidem 40000. Librarum donationem ei assignavisset.

(a) v. Donatio. Casus. Plutarchus, & duo sequentes.

Quamquam allegata primum a Domnolo caussa non ejusmodi sit, quæ eum a servanda sua promissione reddat penitus immunem; fatendum tamen est, inde supra modum argui, quem Petrus præ se fert ingratum animum, quippe, quo gratiam acceptam refert in ejusmodi casu fuisset ei, vel etiam in aliquem beneficum sibi non familiarem, aditus quidam officiosus adhibendus: quod nequidem præstitit erga proprium suum avunculum, cui nullum etiam beneficium deferenti, memorem animum plurimamque reverentiam debebat aliunde significare.

Secunda causa aliquid habet, quod magis moveat offensionem; siquidem ipse Petrus omnino renuens ipsummet avunculum suum in extremis positum, summamque agentem ætatem adire; se se virum prodiderit malevolentis omnino ingenii & animi prorsus ingrati, atque in ea rerum circumstantia, quæ exprimitur sic se se gerens, in qua vel infensissimus, si quid tantillum apud eum Religio valeret, quidquid acerbitatis suæ vitus huc usque retinuisset, omnino evomeret, ut posset adhibitæ sibi invitationi satisfacere; in eo se se magis damnandum exhibuerit, atque beneficio, quod suus Avunculus in eum conferre cogitaverat indigniorem.

Tertia caussa, ingrati animi ipsius vitium efficit magis ac magia manifestissimum; quippe nedum eum officiose ac reverenter adiret, tum ut prætermissi officii apud eum relinqueret excusationem, tum ut ei sanitatem restitutam plurimum gratularetur: domum ipsius cum Matilde sua uxore non accesserit, nisi animo illius ludibrio habendi, verbis atrocioribus lacessendi, dictisque contumeliosis ac probrosis onerandi; quod quidem eo magis redarguendum ac reprobandum est, quod potuisset, inde tam vehemens animi commotio tantaque indignatio injici, ut in periculum mortis multo magis imminens, quam quod ex ipsius morbo, ei fuerat inductum de integro veniret.

At quam Domnolus affert, caussa quarta ceteras præcedentes odiosa quadam atrocitate supergraditur: cum fidem Petri sublestam apertissime evincit, qui ejusmodi fraude structa, quæ vitum non projectæ famæ plane dedecet, tentavit instrumento, quod curavit a Notario fraudulenter perscribi, suum avunculum haberi debitorem; cum potius eundem ipsi incumberet, sibi beneficum commendare.

Quinta, sexta, & septima caussa, quibus Domnolus plurimum innititur, cum ait, eam sibi mentem semper affuisse, futurum ut quas in gratiam contracti Matrimonii Petro concesserat, 40000. Libræ, & 15000. eidem testamento legatæ ad Paulum transferrentur, posito quod ipse Petrus, nullis liberis relictis decederet, plurima etiam consideratione merentur perpendi, quantum ad præfatas 15000. Libras, de quibus hic loci quæstio potissimum instituitur. Enimvero licet ipsa mens quam secretam habuit, tunc temporis cum largitus est 40000. Libras, ipsi nullum jus faciat, exigendi a Petro ut easdem, in casu prædicto suo fratri transmittat; quoniam earumdem donationem in contractu Matrimonii, nude ac simpliciter nullaque ibidem nec enunciata scripto, nec ipsi Petro verbis significata conditione assignavit; dissimilis tamen est ratio, quæ 15000. Libras attinet: siquidem mentem suam aperte prorsus & palam fecerit Petro, nec instrumento subscribere voluerit, nisi disertis verbis enunciata ista conditione, & ejusdem denunciatio opportuno tempore fuerit declarata, juxta Leges Romanas, quæ in ea Provincia obtinent, & quibus etiam alibi standum est: cum nihil iisdem contrarium nec ab Ecclesia, nec a Principe constitutum est, & ipsæ neque naturali, neque Divino, neque etiam municipali Juri adversautur, propterea quod, siquidem instrumento nondum Chyrographus appositus esset, nec ab eo, nec a Petro, nec ab ipso etiam Notario ex fide ab eo data, nihil ei prorsus obligationis, secundum leges induceretur. Atque ita omnino definitur Lege Imperatoris Justiniani, quam ad marginem indicamus (b). Quibus etiam addendum est, nec ipsum Petrum latuisse, quam hic loci plurimum laudamus veritatem: quippe, postquam subscribere se velle plane negavit, tradiderit in manum Notarii excerptum nummariæ tesseræ, eidem præcipiens, ut ipsius Avunculo istud restitueret, indeque fidei sibi datæ a Domnolo præstandæ renunciasse omnino censeatur.

(b) Leg Contractus. 17. cod. de fide instrumentorum. lib. 4. tit. 21.

Tandem vero, quam Domnolus præ se fert postremo loco, caussa ceteris antea laudatis gravior est ac prorsus insignior, quin immo, si vel etiam sola consideretur sufficit, ut ab exsolvenda sua promissione omnino possit abstinere, licet etiam fidem suam, nulla interveniente conditione, nudeque ac simpliciter obligavisset: enim vero repugnat quibuscumque legibus æquitatis, Domnolum semetipsum exuere exiguis quæ ei supersunt facultatibus, quæ quidem, juxta quem experitur, rerum familiarium statum, omnino imminuuntur, vixque ad ipsius honestum necessarium possunt attingere; siquidem quibus antea gaudebat annui reditus ad mediam sui partem devenerint, extinctis a Rege Basilicæ Parisiensis adventitiis pensionibus, quæ tam quoad usuras, quam quoad ipsummet fœnus in chartaceas Schedas refusæ sunt, & quia difficile admodum, imo neque etiam possibile est, fundos reperiri, in quibus de integro valeant collocari.

1. Propterea quod, ex quo primum disseminatæ sunt ejusmodi chartaceæ schedæ, supra modum auctum fuerit pretium agrorum, domorum, & ceterorum fundorum.

2. Quia, quæ nova fœnora constituuntur, binum denarium de centenario solummodo referunt, cum e contrario multo plus antea consueverant Constituentibus reddere.

3. Ipsa summa ætas, ad quam Domnolus pervenit, legitimam atque plausibilem caussam efficit, cur fidem astrictam, quo tempore res ipsius optime se habebant, valeat omnino fluxam gerere atque caducam, Ut namque in ejusmodi provectissima ætate corporis infirmitates accrescunt in dies, sic plurimum urgent ac veluti propagantur vitæ necessitates, adeoque in ea, quam experitur, rerum circumstantia æquum est, ab eo in subsidium propriarum necessitatum, quidquid diviriarum superest reservari, quippe ægre admodum ad honestum ipsius necessarium possint suppetere, & cum jam antea statuerit de 40000. Libris, in gratiam Nepotis, qui beneficium sibi indultum tam acerbe, immemorique adeo animo rependit, ipsum necessitatibus ceterorum suorum parentum oportere consulere testamento suo, juxta quæ requiruntur in

Provincia, in qua degit, formulas confecto atque conscripto, & bonorum suorum partem impendi curare in stipis erogationes, ceterosque pios usus, qui post mortem ipsius possint animum ejus sublevandæ prodesse.

CASUS V.

Alypius promisit Benedicto, futurum ut 50. Dupliones aureos ipsi largiretur. Verum ejusmodi promissionem auribus potius dedit, quam veritati, quippe qui nunquam sincera fide cogitaverit eundem exsolvere. Nunquid nihilominus ad illam perficiendam obligatur?

Respons.

Nullam veri nominis obligationem parit quæ fides non accedente consensu promittentis astringitur. Ita docet Sairus, (a) qui ait: *Ut obliget promissio simplex debet esse vera: hoc est cum animo se obligandi facta: nemo enim ex promissione obligatur, nisi animum habuerit se obligandi ... quia potissimum vis obligandi nascitur ex intentione.* Quod laudatus auctor Angelus probat auctoritate S. Thomæ, & testimonio Angeli de Clavasio, Sylvestri, Lopez, Angles, Tabienæ, Rodriguez, & Navarri. Idem quoque habet Bonacina (b) post Azorium, Rebellum, Reginaldum, & Sanchez, quos ibidem appellat. Indeque inferimus, licet ingenuitatem ac bonam fidem, non sine peccato plurimum læserit, cum nempe promisit, quod exsolvere animus non erat; ex ejusmodi promissione, Alypium non obligari tamen ad quinquaginta dupliones aureos, Benedicto rependendos; *Si autem est licitum & possibile quod promittit, sed servare non intendit*, inquit S. Antoninus, (c) *utique peccat, quia mendacium dicit.* Attamen si interveniente ejusmodi promisso, Benedicto fucum facere intendisset, atque inde detrimenti quid ei accessisset, absque dubio est, ipsi omnino incumbere in dicto casu, ut quidquid ei damnum attulit, in integrum penitus restituat.

(a) Greg. Sairus. clavis reg. l. 9. c. 6. n. 17. Et apud eum. S. Th. 2. 2 q. 110. art 3. ad 5. Angelus & Sylvest. v. Pactum. Lud. Lopez part. 2. Instruct. Confess. c. 30. conclus. 4. Navarr. Manual. c. 18. n. 5. &c.

(b) Bonacina tract. de Contract. disp. 3. q. 21. puncto 1. proposit. 1. n. 7. Et apud eum Azor Rebellus, Reginaldus, Sanchez & alii.

(c) S. Anton. §. 4. supra cit.

CASUS VI.

Julianus, occurrenti sibi cuidam Prædoni in Silva mortem minitanti, quod pecuniam ei dandam in ipsa hora non haberet, promisit futurum, ut intra viginti quatuor horas, viginti dupliones aureos ei afferret, atque eosdem apud crus cujusdam arboris, quam ei fur indicabat, deponeret, intendens nihilominus restitutionem istius summæ apud Judices urgere. Qua de re duo quæruntur. Prius, utrum Julianus ex conscientia teneatur ad exequendam suam promissionem. Alterum utrum non fuerit mentitus fidem suam ea ratione prædicto prædoni obligando?

Respons.

Ad prius quæsitum respondemus, Julianum non teneri prorsus ad eam fidem, quam Prædoni obstrinxit præstandam. Ratio est, quia promissum ejusmodi non accessit, nisi ex gravi metu & cadenti in virum fortem & constantem; siquidem ob mortem sibi interminatam effugiendam, illud idem intervenerit: atque adeo, quemadmodum docet S. Thomas: *(d) Talis obligatio*, (hoc est, *obligatio*) (qua) *obligatur homini, cui aliquid promittit*) *tollitur per conditionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur.*

Quod omnino congruit isti effato Alexandri III. scribentis ad Episcopum Brannovii: (e) *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.*

Quod pertinet ad alterum interrogatum, dicimus, licet Julianus viginti dupliones aureos furi spoponderit, cum animo restitutionis eorumdem apud Judices persequendæ; non inde tamen mendacii redargui omnino posse; propterea, quod, ut ait S. Thomas, (f) *Constans non cogatur ad mentiendum: quia tunc vult dare, sed tamen vult postea repetere, vel saltem Judici denunciare, si se promisit non petiturum restitutionem.*

(d) S. Th. 2. 2. qu. 89. art. 7. ad 3.

(e) Alexan. III. in cap. *Abbas*. de his quæ vi metuve caussa fiunt.

(f) S. Th. in 4. dist. 29. q. un. art. 2. ad 4.

CASUS VII.

Anatolius, non infimi nominis argentarius, subolens imminentem sibi suarum rerum omnium ruinam, nisi propediem occurrat: unde ipsi sint ad manum 10000. Libræ, quarum ei opus est, ut ab isto infortunio sibi caveat, & suam fidem tueatur: Manlium adit, quem fœneratoriam artem profiteri novit, quique sibi aliunde familiarissimus est, ab eoque petit, sibi dictam summam ad sex tantummodo menses commodari: nullum siquidem reperiat, qui velit ab ipso gratiam istam inire: quoniam vero Manlius negat, mutuam pecuniam sine spe mercedis dare, verbis ei fidem astringit, futurum ut constituto decimo denario de centenario pendat usuras. Numquid ista obligatio Anatolio inducitur, juxta conscientiam ut ejusmodi usuras Manlio persolvat: quippe qui ea de re fidem ei non fecerit, nisi ex irruente sibi metu, ne totum suum commercium dilaberetur, & sua fides atque propria fama in integrum conciderent?

Respons.

Ut certo sciatur, utrum importetur obligatio perficiendi promissi, quod ex metu intervenit, distinguendus est metus duplex: alter quidem justus, alter vero, qui sit injustus: quando aliquid promissum fuit ex justo metu, quamtumcunque gravis extiterit, modo deliberationem voluntatis non impediverit in integrum: urget tenendi promissi obligatio: siquidem, cum ipsa caussa metus justa sit, fidei dandæ necessitas incumbit, atque adeo, & ejusdem persolvendæ, aut saltem ideo præstanda est, quod ultro exhibita fuerit, & propter legitimam attentionem. Atque ita Lex ipsa statuit, occasione mulieris cujusdam libertate donatæ, quæ cum in patronum suum, immemorem se se beneficii accepti exhiberet, ei dat aut promittit aliquid, ex justo metu, quo percellitur, ne iterum ab eo reducatur in pristinam conditionem servitutis, quod quidem jus ipsi Patrono in integrum prorsus cedebat, ut promerita pœnas ab ista muliere repeteret, sic autem laudata lege declaratur (g). *Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit vel promiserit, ne in servitutem redigatur, cessat edictum* (scilicet quod possit repetere, quod solvit) *quia hunc sibi metum ipsa intulit.* Quæ ipsissima sunt verba præfatæ legis.

(g) Leg. Mulier. 29. ff. quod metus caussa gestum erit. lib. 4. tit. 2.

At vero si caussa metus, fuerit a contrario injusta, ut in proposita specie, ubi Anatolius usuras Manlio pendendas non promittit, nisi ex incusso sibi metu, ne alioquin quidquam ab eo subsidii, in summa qua premitur rerum inopia accipiat, & deficiente ejusmodi auxilio, ipsius fama, fides, fortunaque penitus dilabantur nulla prorsus instat obligatio adimplendi promissi: siquidem tunc concedendum forat ei, qui furi cuidam polliceretur decem aureos dupliones, necessitatem incumbere eidem etiam inique exigenti, promissionis præstandæ; quod quidem propugnari non potest, nisi omnino absurde, siquidem ut ait S. Thomas (h) *ille qui vim* (injustam scilicet) *intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur*: cui prorsus concordat, quod definitur ab Alexandro III. scribente ad Episcopum Vigiliarum in Apulia in Regno Neapolitano, & subjectam difficultatem sic dissolvente (i). *Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent*: inquit laudatus Papa. Atque rationem istam Glossa subjungit, quia promissum injuste fuit & consequenter, *quia nulla fuit obligatio de jure Divino, sive Canonica.* Concludamus igitur Anatolium non teneri, ad usuras, quas promisit Manlio iniquissimo fœnore rependendas.

(h) S. Th. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.

(i) Alexan. III. in cap. *Debitores*. 6. de Jure Jurand. lib. 2. tit. 24.

CASUS VIII.

Scævola pactus cum Thoma, se ei concessurum Dupliones decem aureos, ea conditione, quod de medio tolleret Guillelmum ipsi infensissimum, aut saltem percuteret, & contumeliis plurimum vexaret: ipsi Thomæ post executionem Mandati,

dati, teneturne ex conscientia promissam summam rependere?

Respons.

Extra omnem dubitationis aleam positum est, neque divino neque humano jure, quidquam obligationis induci Scevolæ, ex promisso quod exhibuit Thomæ, ut flagitiosam ejusmodi actionem exequeretur, ad rependendos decem aureos duplones. Cujus quidem rei causa potissimum ea est, quod quæcumque promissiones, seu conventiones eo animo conflatæ, ut interveniente quadam pecuniæ summa, facinoris aliquid perpetretur, quæque cum divinis, tum humanis legibus, tanquam illicitæ interdicuntur, nullam habeant neque ante, neque post admissum scelus vim obligandi. Est namque ista Regula Juris, a Canonici Juris interpretibus, atque a Jurisconsultis quotquot sunt, recepta & comprobata, quod (a) *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*; nec (b) *in malis promissis fidem expediat observare*. Quod quidem Bonifacius VIII. ex antiquo suo Canone excerpsit, in quo sic legere est: *In malis promissis rescinde fidem ... impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur*. Atque istud adeo verum est, ut quanquam ejusmodi promissio fuisset, etiam jurejurando confirmata, nullam importaret obligationem: ut idem Bonifacius habet in sequenti alia Regula Juris (c): *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Indeque est (d) quod Herodes, qui jurejurando senetipsum obstrinxerat, futurum ut violato omni justitiæ jure, S. Joannem Baptistam occidi juberet, scelus alterum priore prorsus atrocius admiserit, jusjurandum adimplendo; unde sequitur 1. cum conventio, de qua Scevola pactus est cum Thoma, cuicumque Juri repugnet, eumque juxta vim legum, pœna mortis dignum efficiat, de eadem sic esse judicandum, quasi nunquam fuisset conflata, adeoque nulla ratione esse obligatoriam. 2. Siquidem ejusmodi promissio bonis moribus adversetur, nihil inde necessitatis imponi Scevolæ, nisi dignæ sinceræque pœnitentiæ, ob ingens adeo facinus peragendæ.

(a) Reg. 64. de Reg. Jur. in 6.
(b) Reg. 69. ibid.
(c) Isidor. in can. In malis. 5. 22. q. 4.
(d) S. Ambr. in can. XII. etiam. 2. 22. q. 4.

Quo quidem principio eodem, fretus Gregorius IX. sic declarat (e) *Pactiones factæ n vobis ..... nullius penitus sunt momenti: quod etiam de aliis est dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum. Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe vel rei turpis ..... de Jure, vel facto nullam obligationem inducit*.

(e) Greg. IX. in c. Pactiones. 8. de Pactis l. 2. tit. 37.

Canonicis Constitutionibus Civiles leges, ea de re, omnino consentiunt. En quidem ejusmodi sunt, prorsus luculentissimæ.

Prima (f): *Si flagitii faciendi, vel facti causa, concepta sit stipulatio, ab initio non valet*.

Secunda (g): *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti*.

Tertia (h): *Pacta quæ contra leges Constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati Juris est*.

Quarta (i): *Cum omnia quæ contra bonos mores, vel in pactum vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sint*.

Quinta (k), *Si stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omnino rescindenda*. Quæ quidem omnes præfatæ leges in jure naturali stabiliuntur, quo omnino probibetur, ne flagitiosæ actioni merces rependatur: quoniam si liceret vitio mercedem tribuere, inde scelestissimis hominibus occasio præberetur atrocissimorum quorumcumque criminum perpetrandorum: siquidem nunquam ardentiori studio quis rapiatur ad flagitium, quam cum inde premium speret; repudiandam penitus ergo eorum opinionem censemus, qui tuentur, licet ejusmodi promissiones non obligent ante facinus perpetratum, iisdem tamen obligandi vim annecti, eo ipso, quod crimen executioni demandatum est: quin immo persuasum prorsus animo habemus, abhorrendas penitus atque habendas esse execrationi ejusmodi promissiones & stipulationes, & tanquam nullas esse considerandas: quemadmodum irritæ reipsa fiunt, omnibus cum Ecclesiasticis, tum Civilibus legibus: ut modo observatum ac probatum est.

(f) L. si flagitii rag. ff. de verbor. obligat. l. 45. t. 1.
(g) L. Generaliter. 25. ib.
(h) L. Pacta 6. cod. de pactis lib. 2. t. 3.
(i) L. Ex an 4. cod. de inutilibus stipulat. l. 8. tit. 39.
(k) L. Juris Gentium. 7. ff. de pact. §. 16. lib. 2. t. 14.

CASUS IX.

Journanus promisit sex nummos Aureos, Polixeni libidinosissimæ mulieri, in pretium corporis prostituti. Num obligatur ad promissum, prædictæ Meretrici servandum?

Respons.

Nedum vir prælatus tenetur ad præstandum quod promisit: quin immo sicut spondendo dictam summam isti Mulieri peccavit: atque in primis si promisso ejusmodi interveniente, id potissimum animo intenderit, ut cum ea libidinose agere perseveraret, gravissimo prorsus peccato irretiretur, si eadem mente fidem illi teneret. Quod quidem luce meridiana clarius esse convincitur ex omnibus testimoniis, in superiore decisione relatis, quibus addere licet auctoritatem S. Augustini (l) testantis, non posse Meretricibus pecuniam rependi, absque gravissimo peccato: cum nempe in pretium perpetrati criminis tribuitur. Auctor vero Glossæ sic subjungit (m): *Sed nonne causa affectionis Meretricibus dare possumus?* En quæstio quam instituit, ad quam respondet istis verbis: *Dicunt quidam quod sit, pactione non præcedente, causa remunerandi, quod non credo: quia semper peccatum est dare*.

(l) S. Aug. in can. Qui venatoribus 7. d. 86.
(m) Glossa in can cit. v. Meretricib.

Confirmari potest ista decisio petito exemplo ab Histrionibus, de quibus Doctor Angelicus auctoritate S. Augustini plurimum fretus sic habet (n): *Augustinus dicit supra Joannem, quod donare res suas histrionibus, vitium est immane: nisi forte aliquis histrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subveniendum*. Unde a fortiori concludendum est, nihil quidquam Meretricibus concedendum esse: licet ea de re, promissio etiam remota mente eas alliciendi ad peccatum, & ipsa promissionis executio accederent: quoniam inde locus, & occasio semper eis certissime subministrantur, & ipsis etiam, qui aliquid eis largiuntur, aut continuandæ, aut ineundæ vitiatæ depravatæque consuetudinis: vel saltem ex lascivientibus colloquiis, atque aditibus, periculum istud ut plurimum imminet: quod in quocumque casu nunquam potest esse non illicitum (o). Non nos latet, Cajetanum & alios quosdam abire in sententiam oppositam (p), sic Cajetanus loquitur: *Quando vero ipsa datio non probibetur, sed actus seu causa, propter quam datur, ut cum prohibetur fornicatio, adulterium, & hujusmodi, non prohibetur dare propter ista, sed ista prohibentur*. At isti Laudatorum autorum opinioni non possumus subscribere: quando namque quosdam casus sibi fingere amant, in quibus non esse illicitum supponunt, nec promittere nec dare, in pretium turpis alicujus actionis perpetrandæ, falsam omnino hypothesim comminiscuntur: quemadmodum patet ex testimoniis, in solutione antecedenti allegatis: quin etiam tanquam certissimum habemus, ex eorum opinione fenestram prorsus patefieri ad plurimam nequitiam: quoniam ad audenda quæque, & ad perficienda quæ fluunt in luxuriam, inde via redditur expeditior.

(n) S. Aug. apud S. Th. 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3.
(o) De Gen. Theol. Mor. to. 2. tract. 6. c. 2. q. 1.
(p) Cajet. in 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2.

PROMOTOR.

QUI PROMOTOR dicitur, Ecclesiæ Minister est, qui in iis, quæ Jurisdictionem Ecclesiasticam attinent, quas Regii Procuratores, in Civili foro exercent, implet easdem officii partes: postulando nimirum ex Officio, aut quæstione haberi, aut decerni comprehensionem adversus Clericos sontes alicujus delicti digni animadversione; requirendo qua ratione magis expedire illi videtur, sic pronunciari de causis, quæ apud Officialem aguntur, diligenter invigilando Juribus, libertatibus, & Immunitatibus Ecclesiæ conservandis, & vigorem, ac robur Ecclesiasticæ Disciplinæ plurimum tuendo.

Ut Canonibus (*a*) summopere cautum est, ne a Laicis accusatio Ecclesiasticis inferretur; exceptis quibusdam casibus, quos (*b*) Gigas recenset; de gremio Ecclesiasticorum, necessario sunt assumendi Promotores. Cum alioquin esset unde ab institutis, ab illis quæstionibus, ceterisque Juris formulis, appellaretur tanquam ex abusu: quemadmodum olim appellatum fuit, ex eo, quod quidam Catalaunensis Episcopus voluerat Promotoris officium, a Procuratore de Jurisdictione Baillivii Regii ejusdem urbis exerceri; sicut testatur Fevret (*c*). Necesse est ergo, cujus officium est persequendorum, in Jurisdictione Episcopi Ecclesiasticorum, qui moribus sunt dissolutis ac depravatis, ipsum sacris Ordinibus inaugurari. Quam ejus rei rationem suggerit Concilium Hispalense, anno 619. habitum (*d*), istis verbis: *Indecorum est enim, Laicum vicarium esse Episcopi .... in uno enim eodemque officio non debet dispar esse professio .... nam cohærere & conjungi non possunt, quibus & studia & vota diversa sunt* Est tamen Arrestum quoddam, a Parlamento Tolosano pronunciatum 23. Junii 1640. quo declarantur non abusivæ, quas Archiepiscopus Aquensis statuerat, Edictiones; quanquam in eum allegaret, ipsius Promotorem esse Laicum, at provocatus causam istam ex eo plurimum tuebatur, quod ab annis 40. præfatus Promotor officium suum exerceret: atque ex eo Juris effato, *Communis error facit jus*: quodque ea in re, notandum magis occurrit, illud est, quod nequidem Arresto præfato, injunctum fuerit Laudato Archiepiscopo, ut sibi deinceps Promotorem Ecclesiasticum adhiberet (*e*). Arrestum istud, quod omnino unicum est, quod possit citari adversus usum passim in Ecclesia receptum ac frequentatum, refertur ab Alberto.

(*a*) Can. Nullus 2. & Can. Laico. 3. & canon. Sicut 6. 2. q. 7.
(*b*) Tract. de crim. Læsæ Majest. q. 15.
(*c*) Fevret. l. 4. c. 3. n. 29.
(*d*) Concil. Hispalens. in can. In nova 12. 16. q. 7.
(*e*) Casus Albertus. v. Episcopus. art. 9.

Bouchel observat (*f*), testante Diaz de Luco (*g*), usum invalescere in Hispania, ut Promotores sacris Ordinibus insigniantur, juxta Constitutiones Ecclesiasticas Cæsar. Augustanas, quarum refert ista verba: *Nullus de cetero Procurator Fisci* (ista nominis appellatione donatur, in laudato Regno Promotor) *admittatur nisi in sacris sit Ordinibus constitutus: suffraganeis nostris & eorum Officialibus, contrarium faciendi, potestatem omnimodam auferente* Concilium Provinciale Toletanum, anno 1556 congregatum (*h*) præcipit etiam, ut Episcopi de eadem Provincia, non alios sibi sint adhibituri Promotores quam: *Qui vel Sacerdotes sint, vel intra sex menses, ad sacrum Ordinem, intra annum ad Sacerdotium, promoveri possint & promoveantur. Alioquin ad usum proprii muneris non admittantur.*

(*f*) Biblioth. canon. verbo Promotores.
(*g*) Diaz de Luco in practica crim. canonica c. 4. v. Ego n. presbyter.
(*h*) Concil. Tol. an. 1556. act. 2. cap. 11.

Obtinuit quoque in Gallia, ut Promotori deferretur titulus *Procuratoris Fisci*; quemadmodum annotat Chenu in suo Commentario, in usum Forensem Ecclesiasticæ Curiæ Bituricensis (*i*), in quo sermonem faciens de isto Ministro, ait: *Qui Procurator Fiscalis etiam hodie appellatur in Curiis Ecclesiasticis* (*k*). Aufrerius Tolosanus Officialis primus recensetur, cui prohibitum fuerit a Senescallo, seu Judice Mago ejusdem Civitatis, ne deinceps adscriberet Promotori suo, ejusmodi titulum, eo nimirum principio innixo, quod nullo Fisco Ecclesia gauderet, a quo quidem prohibitorio Edicto ad Supremum Senatum dictus Officialis appellavit, ibique lis pendebat tunc temporis, cum scribebat. Et Fevretus (*l*) fatetur, a Promotoribus Officialitatum Burgundiæ, eundem olim titulum fuisse assumptum, quo iidem postea destiterant; ut ipsemet comprobavit ex pervolutatis quampluribus actorum codicibus, de Officialitatibus istius Provinciæ. At nullus hodiernis temporibus Promotor audeat sibi arrogare titulum Procuratoris

(*i*) Tit. 1. v. Promotorib.
(*k*) Aufrer. Capella. Tolos. q. 229. & 273.
(*l*) Fevret. tr. de abusu l. 4. c. 3. n. 28.

Fisci:

Fisci : quoniam per Cognitores Regii Juris, istud eis, nulla prorsus ratione liceret.

Ex sequentibus Decisionibus, plurima elucescent, quæ pertinent ad Promotores, & quibus iidem debent potissimum insistere, in partibus suorum Officiorum sustinendis.

CASUS PRIMUS.

SEXTIUS, Promotor de quadam Officialitate, ac Parochus S. Guinolei, ex officio quæstione habita in Gualterium Ecclesiasticum, de nequissima vita accusatum, & duobus aut tribus de Parœcianis ipsius quos noverat, cum eo plurima necessitudine conjunctos, in jus vocatis; eam cautionem adhibuit, præsens ipsemet interesse, tum inquisitioni, tum interrogatis, quæ in dictum Ecclesiasticum habebantur, & ipsi etiam repetitioni, ac compositioni testium: eo nempe fine, ut ipsius conspectu recenti testes sibimetipsis constarent, nec eorum veritatem dissimularent, quæ fuerant antea testificati. Numquid potuit sic se se gerere, non temeratis ipsis formulis, quæ Jure constituuntur?

RESPONS.

Nullo prorsus jure potuit iste Promotor adesse, quo tempore testes interrogabantur; neque enim licet Promotoribus Officialitatum, præsentes interesse inquisitionibus, quæ habentur in accusatos, neque interrogatis, quæ ipsis denuntiantur, neque etiam repetitioni, simul & compositioni testium. Cujus rei causas duas affert D. Brillon (a).

(a) D. Brill. v. Promotor. n. 3.

Prior nempe: *Quod, inquit, causæ criminalis inquisitio, cæteræque quæstionis ejusdem accessiones, secretæ tacitæque esse debeant.*

Altera: Quoniam Promotor vices supplet partis publicæ. Quod quidem munus, quo tamquam pars publica fungitur, prorsus alienum est, ab ipso munere Judicis, quod tamen impleret, si ipsi jus daretur, præsens interesse inquisitionibus, quæ adversus reos instituuntur; interrogatis, quæ iisdem significantur, & testium compositioni, qui adversus eos testimonium dixerunt: atque ita partis publicæ simul, & Judicis personam & officium, adversus eos susciperet: quod nusquam obtinuit, nec in aliqua unquam Jurisdictione permissum est: adeoque cum Promotor, de quo quæstio hic loci habetur, contrarium attentare non dubitaverit, locus tribuitur Gualterio, provocandi tanquam ex abusu, ab integra litis ordinatione, & obtinendi, eandem penitus rescindi, ac nullam declarari. Atque revera sic pronunciatum fuit a Supremo Parisiensi Senatu, Arresto lato 9. Decembris 1561. quod a Jovetio refertur (b): Bouchel aliud quoque prorsus simile allegat, ex eodem Parlamento emanatum 31. Decembris 1538. (c), in causa extante, inter Episcopum Catalaunensem, & quemdam dictum Rousset: quod etiam idem uno ore docent Fevret in suo Tractatu de Abusu (d), post Charondam (e) & D. Brillon, a quo uterque citatur. Uno verbo, sic de eo capite Jurisprudentiæ constat, ut supervacaneum omnino sit, nos in eodem probando, diutius immorari.

(b) Jovet. v. Officialis. n. 62.
(c) Bouchel. Biblioth. Canon. v. Causa criminalis.
(d) Fevret. tr. de abusu. lib. 4. c. 3. n. 33.
(e) D. Brill. Diction. Arrest. v. Officialis. n. 182.

CASUS II.

ROMILIUS, Promotor Diœcesis Alba-pompejanæ, resignatam, sibi Pœnitentiarii de Cathedrali Ecclesia, dignitatem acceptavit: Numquid quæ isti Beneficio annectuntur munia, simul & quod Promotoris est officium, licite potest obire?

RESPONS.

Quæ Pœnitentiarii sunt, & Promotoris Officia, non potest una eademque persona adimplere. Ratio est, quia Pœnitentiarius, ex Officio suæ dignitatis proprio, *malos abscondi cupit, non erui: confessus absolvi desiderat, non damnari*, inquit Tertullianus (f); Cum e contrario proprium Promotoris munus sit, iisdem pœnas accersere, ac postulare modo delicti modum adæquari animadversionis.

(f) Tertul. in Apologetic.

Pœnitentiarius spiritualis quidam Medicus est, quem plurima benignitas, & velut hausta de visceribus misericordia, quodammodo rapiunt, ad condolendum iis qui errant; ad eorum miserendas miserias & infirmitates; Promotor contra destinatur, ad prodenda indicandaque delicta errantium, & requirendum iisdem pœnas, ab Ecclesiastico Judice infligi. Pœnitentiarius ceterorum Confessariorum more, patris personam sustinet erga peccatores pœnitentes, quos tanquam filios, sinu fovet & amplectitur, ac varia quæque tentat, quibus possint resipiscere, & ad meliorem frugem converti: ut Promotor Minister est, qui partis publicæ, atque accusatoris vices gerens, simul cum Judice concurrit, ad excipiendos ratione prorsus acerbiori, ac quasi in virga ferrea, deflectentes a recto tramite, & ab iisdem pœnas severas repetendas; ad promovendam strictam Disciplinæ ordinationem, ad refractarios cogendos in ordinem, & ad efficiendum ut sontes puniantur, ex quibus sequitur, siquidem non possit eadem persona, tam varia, tamque opposita simul intendere ac perspicere; nec æquitati, nec recto ordini convenire, ab uno eodemque, utrumque officium exerceri.

Atque istud omnino congruit Juri Romano (g), in quo sic fertur: *Difficile, est*, hoc est, *impossibile est*; ut interpretatur Glossa in istud vocabulum, *ut unus homo vicem duorum sustineat*. Alia Lex, quæ Auctorem sibi vindicat Imperatorem Justinianum, vetat ne simul partes agantur Judicis & patroni (h), eamque istius vetiti rationem reddit, quæ quæstioni propositæ omnino accommodatur: *Neque enim facile credendum est, etiam duabus necessariis rebus, unum sufficere: nam cum uni judicio adfuerit, alteri subtrahi necesse est: sicque nulli eorum idoneum in toto inveniri*. Extat alia quoque Lex, quam Imperatores Valentinianus & Valens, ad Olybrium rescribunt, quæ idem etiam exprimit (i). Quod intelligendum est ea ratione, quæ occurrit in proposita specie: *Si habetur respectus ad personam ratione officii*, ut loquitur Auctor, qui suas interpretationes isti Glossæ apposuit.

(g) L. Si plures. 9. ff. de pactis.
(h) L. Nemo 13 C. de assessorib. l. 1. t. 51.
(i) L. Quisquis. 6. C. de postulando. l. 2. tit. 6.

Atque ea potissimum de causa Parisiense Parlamentum Arresto pronunciato 15. Martii 1612. postulante D. Servin, in causa appellationis tanquam ex abusu, ab institutione promotoris confecta, in gratiam pœnitentiarii, de Ecclesia Andegavensi, declaravit dictam institutionem omnino perversam esse, atque alienam ab Ecclesiastica Disciplina, & decrevit, ut intra spatium unius mensis, pœnitentiarius juxta delatam ipsi optionem, dignitatem alterutram tantummodo retineret. Quod Arrestum legitur in secundo Tomo Commentariorum Cleri, parte secunda (K).

(k) Commentarior. Cleri, t. 2. p. pag. 407. & seq.

CASUS III.

RUFFINUS Promotor, de quadam Episcopali Jurisdictione in Gallia certissime scit, ac ratione, quæ nullam prorsus relinquat dubitationem, Alexium Sacerdotem irretiri crimine quodam, quod penitus occultum est? Num ex proprio muneris, quod exercet, officio ei incumbit, officialem requirere, ac facultatem sibi fieri, adversus dictum Sacerdotem inquirendi?

RESPONS.

Nedum Ruffino ex conscientiæ debito incumbat libellum supplicem eo fine dare, ut quæstio in Alexium habeatur in casu proposito; quin imo, recta conscientia, debet ea de re, ab omni prorsus

sus abstinere postulato : quanquam enimvero juris istud cedat Promotoribus, tanquam partibus publicis, ut iis requirentibus, quæstio de criminibus manifestis ac pervulgatis decernatur: plurimum tamen necesse est eos, quantum ad facinora occulta, sic inniti indubitatis indiciis, ac præjudiciis adeo exploratis, ut legitime non possint a postulanda de iisdem quæstione abstinere. Quam sententiam amplectitur Fevret (*a*), & probat argumento *a simili* petito, ab una quadam Lege Digesti, quæ habetur ex celeberrimo Jurisconsulto Paulo (*b*). Atque in ejusmodi casu, *unus testis indicium & præsumptionem*, inquit Auctor additamentorum Glossæ, in Legem præcedentem, appositorum (*c*), qui suam opinionem plurimum roborat ex suffragio Diaz (*d*).

(*a*) Fevret l. 4. c. 3. n. 32.
(*b*) Paul. in leg. Qui sine 22. ff. de quæstionib. l. 28. tit 18.
(*c*) Addit. ad Gloss. in L. Maritus. 20. ff. eod. tit.
(*d*) Bernard. Diaz in praxi crim. c. 6.

Observandum est: 1. Istum usum frequentari tum in Gallia, tum in Hispania, cum scilicet accusatio versatur circa crimen occultum, ut qui litem Ecclesiastico movet, Promotor teneatur ad habendum delatorem, qui valeat, si opus fuerit, præstare ac refundere impensas ceterasque litis accessiones, quas accusatus sustinuerit: quemadmodum Fevret evincit ex istis verbis Ignatii Lopez scribentis, in praxim criminalem Diaz. *Si enim Reges Hispani suis Fiscalibus injungunt, ut delatorem habeant; cur & Promotoribus illud ipsum non præcipiatur?* Quod quidem eo magis æquitati consentaneum est, quod Promotor suffectus sit in locum Regii Procuratoris, qui præsens olim intererat Senatibus Ecclesiasticæ Curiæ: juxta Edictum Caroli VIII. anni 1485. & Edicta Francisci primi annorum 1535. & 1540. ac inspiciendorum ejusdem Codicum atque Actorum, juris prærogativa donabatur.

2. Si accusatus liberatus de crimine, ac quacumque culpa vacans declaratus intervento judicio appellaverit Promotorem, de indicando sibi ipsius delatore, obligari Promotorem ad eundem ipsi significandum, ut Fevret (*e*); cum alioquin ipsi, proprio privatoque nomine, quidquid tum ad ipsam causam, tum ad ipsius impensas & accessiones attineret, incumberet præstare, a qua quidem obligatione eum, nec ipse Judex Ecclesiasticus potest absque abusu eximere: ut testatur Bouchel (*f*), qui istud probat ex quodam Arresto (*g*), a Supremo Parisiensi Senatu pronunciato 8. Martii 1622. pro Anna le Grand Moniali provocatore tanquam ex abusu, adversus Claudium le Blanc Promotorem Senonensem, qui declaratus est jure ac merito provocatus proprio privatoque nomine, & condemnatus fuit ad refundendas tum impensas, tum ceteras litis accessiones, quæ certa summa 400. librarum *Parisiis* fuerunt expensæ, atque æstimatæ; quod nempe delatorem suum ipse non manifestavisset. Iterum refertur ab eodem Jurisconsulto, aliud Arrestum a laudato Parlamento latum, in simili causa 9. Julii 1626. contra Promotorem Catalaunensem. Tertium quoque legitur, apud D. Servin Catholicum in Parisiensi Curia Advocatum, præfatis aliis duobus omnino consentiens (*h*); Ex quibus patet, ut ad normam Prudentiæ Promotor sese gerat, requiri omnino, non ante conflari ab ipso, in ejusmodi casu, accusationem, quam caute sibi Denunciatorem aliquem asseruerit, qui possit accusato præstare tum litis impensas, tum ceteras accessiones ipsius causæ, si contigerit eum admitti atque absolvi.

(*e*) Fevret l. 4. c. 3. n. 32.
(*f*) Bouchel summ Benefic. v. Delat.
(*g*) Idem Biblioth. Can. v. Delator.
(*h*) D. Servin. t. 2. ipsius causæ dictionum 1. Dictione 2.

CASUS IV.

RHOTODUS Canonicus de Ecclesia Pictaviensi, cum fuisset institutus Promotor de Diœcesi ab Episcopo; contendit, inde jus sibi fieri, ut licet absens, Choro præsens adesse censeatur, & obventione integras percipiat. Quod prorsus negat Capitulum. Numquid Rhotodus potest, illæsa conscientia, Canonicos istos in jus vocare, iisdemque ea de re, litem inferre?

RESPONSIO.

Respondemus, si prædicti Canonici obstent, non eximere Rhotodum, a multa Canonicis absentibus indicta, nec præsentem Canonicis horis, eundem habere, quo tempore vacat officiis dignitati Promotoris annexis; ipsi jus in integrum cedere, eorumdem in jus vocandorum, quo sibi ea de re Judicum sententia, adversus eos succurratur. Quod quidem patrocinium non potest ei, ullo æquitatis jure denegari.

Atque ita statuitur consultatione habita in Comitiis generalibus Cleri Gallicani 28. Septembris 1635. in qua fertur (*i*) 1. *Congregatio diu agitavit ac mature prorsus perpendit istam propositionem: Atque ea de re, consultatione accepta, ex unaquaque Provincia, interpretando statuta Cleri antecedentia edixit, ut omnes, legati ad Generalia Comitia, & Synodos Provinciales, Vicarii Generales, Officiales, & Promotores, Diœceses invisentes, aut defungentes propriis suis Officiis, sive intra Diœceses, sive extra .... ac generatim quoscumque Illustrissimi Episcopi, atque Capitula sibi assumpserint, ad gerendas res, & causas tum suarum Diœceseon, tum suorum Capitulorum; ii quoque forent percepturi quoscumque reditus, suis Dignitatibus, Officiis, & Præbendis annexos, tam quoad annuas pensiones, quam quoad obventiones quotidianas ac manuales distributiones, quasi Choro, Divinisque Officiis ipsi præsentes etiamnum interessent, quamdiu dictis Officiis ac muneribus suam operam actu & de facto impendent.*

(*i*) Actor. Cleri. 5. p. 10. 4. tit. 4. c. 1. n. 8. pag 104.

Fevret refert etiam, ea de re (*K*), Arrestum quoddam pronunciatum ab ampliori Consilio 5. Augusti 1623. pro Promotore Trecorense, Parocho de Cura S. Galesoni, contra Procognitorem Summi Procuratoris Lanionensis, cui denunciatum est, ne bona ipsius Curæ pignorari, adversus dictum Procuratorem attentaret, prætenso residentiæ defectu; quamdiu Promotoris Officium gereret.

(*k*) Fevret l. 4. c. 3. in fin.

Subjecimus: *Quo tempore vocat Officiis dignitati Promotoris annexis*; Est namque extra omnem prorsus controversiam positum, secluso dicto tempore, ipsi omnino incumbere præsentem Choro, & Canonicis horis interesse, quemadmodum eadem obligatio inducitur pœnitentiario, qui confessionibus excipiendis non vacat, & canonico Theologo extra casum urgentis studii, & Sacræ concionis.

Equidem non diffitendum est, a quibusdam contendi, eam juris prærogativam, quæ Promotoribus attribuitur, ut licet absentes, valeant sibi quascumque obventiones assumere, non debere obtinere, nisi in iis casibus, in quibus munus suum, sine spe mercedis exercent; nec extendendam esse, ad eos casus, in quibus eis, pro ratione laboris & Officii, congruens honorarium defertur. Ut contingere potest, cum requirentibus Partibus aliquid itineris conficiunt, cujus causa, præmia multa ferunt. At respondetur. 1. Casus ejusmodi, raro prorsus occurrere: adeoque non esse, unde iidem a generali Regula subducantur. 2. Istam Juris prærogativam attribui generatim, nulla clausula excipiente apposita, a Comitiis generalibus Cleri Gallicani, anni 1635. Porro nec Episcopos ipsos fugiebat, quibuscumque Delegatis, justum quoddam præmium, a Clero deferri, quemadmodum etiamnum assignari consuetum est, pro toto spatio temporis, quo Comitia celebrantur. Quonam igitur Juris fundamento, quod ceteris indulgetur, Promotoribus subtraheretur?

Vide OFFICIALIS.

PROVISIO BENEFICIARIA.

IN titulo, quem aggredimur, varios sensus tacemus, qui vocabulo Provisionis, cum juxta forensem usum, tum in iis, quæ mere secularia sunt, subjici consueverunt. Agendum ergo habemus hic loci, de sola Beneficiaria Provisione.

Provisio, est Titulus, quem Superior legitimus confert, Ecclesiastico cuidam idoneo & capaci, vi cujus possidet Beneficium: quo quidem Titulo deficiente: *Beneficium Ecclesiasticum non potest* (nullo in casu) *licite sine dicta institutione Canonica obtineri* (a). Juxta regulam Juris a Bonifacio VIII. constitutam.

Titulus iste, inquit D. Abbas Fleuri (b), est Diploma Collatoris, quo declarat, a se conferri tali, tale Beneficium, tali modo vacans, quod aut ad eum inscribitur, qui de Beneficio providetur, aut ad eos qui sunt eundem excepturi, & in possessionem inducturi.

(a) Reg. Jur. 1. de reg. Juris in 6.

(b) D. Fleuri Instit. 1. ad jus Ecclesiast. t. 1. p. 2. c. 1. p. 403

Provisio obtinetur, 1. ex simplici dimissione, seu abdicatione. 2. Ex resignatione *in favorem*, aut causa permutationis. 3 Ex Commenda seu fiducia Beneficii commissa.

Quæcumque Provisio nulla est, 1. cum ibidem Simonia occurrit, vel confidentia; 2. Cum ei conceditur, qui Beneficio possidendo inhabilis est; qualis est Laicus, Clericus excommunicatus, Bigamus, Spurius, aut qui præscriptam Canonibus ætatem non attigit, aut quovis alio impedimento Canonico innodatur.

Cum res est de nulla aliqua Provisione Romæ; neque Episcopo, neque ipsius officiali, sed soli Judici Regio cognoscenda attribuitur.

Si nulla allegata legitime causa, Summus Pontifex denegaverit conferre visiones Beneficii alicujus, in Galliis positi, cuidam Franco, ab isto dandus est, Supremo Senatui Libellus supplex, atque ab ipso Supremo Senatu injungetur Episcopo Diœcesano, aut cuivis alteri, ut supplicanti petitam provisionem sit impertiturus.

Collatio vel libera est, vel coacta: quænam sit, vel libera, vel coacta, Collator debet in Diplomate Provisionis enunciare.

Provisio libera, ea dicitur, quæ pendet ab ipso nutu Collatoris, & ab ipsius solummodo voluntate. Coacta vero, ea appellatur, quam Collator non potest denegare: quales sunt Provisiones, quas petit sibi concedi, qui Jure Regio jus obtinuit ad quoddam Beneficium; Indultarius, aut quivis alius Mandatarius, Graduatus nominatus, aut qui præsentatur a Patrono, intra spatium temporis Jure definiti.

Inoluere prorsus in Gallia provisiones e Curia Romana, quæ conceduntur *motu proprio*; ibique duntaxat recipiuntur, quas Papa confert, post Libellum supplicem primum sibi oblatum (c), in quo feratur 1. ratio qua Beneficium vacat, sive ex obitu, resignatione *in favorem*, permutatione, devoluto, sive ex aliquo quocumque modo. 2 Conditio Beneficii, vel Secularis vel Regularis; vel simplicis vel conventualis. 3. Dotes vel tituli Dignitatis exprimi necessariæ: quales tituli, quos supplicans sibi assumit, ex Ordinibus suis & Gradibus. 4. Beneficia de quibus jam potuisset antea provideri. Atque istud sic necessario requiritur, ut sui ipsius defectus, mancam ac plane irritam efficiat provisionem, & quoad signaturam ajunt, qua proprie loquendo potissimum constituitur provisio, ad calcem supplicationis istis enunciata verbis: *Concessum ut petitur in præsentia Domini Papæ*, conscriptis propria manu prælati, qui præsidet signaturis: quibus plurimæ clausulæ adduntur, quæ sunt duntaxat de abundantia styli: ut derogetur Regulis communis Juris, quæ gratiæ indultæ possent esse impedimento, dictarum clausularum ista primas habet, inscriptio nempe signaturæ ad Episcopum, aut ad ipsius vicarium Generalem, aut ad Officialem primarium, non vero ad Externum (si ejusmodi habeatur in Diœcesi), ut executioni demandetur, modo Impetrans eadem dignus esse reperiatur: atque ejusmodi signatura, dicitur provisio *in favorem dignum*, ut distinguatur ab ea quæ passim circumfertur, in forma gratiosa, quamque numquam Papa conferre consuevit, nisi viso testimonio literis Episcopi consignato, de moribus integris, ac vita sceleris pura, supplicantis fidem faciente: quo in casu Impetrans admittitur, ad obtinendum suum *visa*, nullo prævio examine: exceptis tamen Beneficiis Curis; ad quæ obtinenda Concilium Tridentinum rigorosum

(c) E. Fleuri loco citato.

examen prærequirit (*a*). Tandem subdatarius apponit propria manu diem, non quidem confectæ Provisioni, sed accessus Cursoris publici Romam in Provisionibus ordinariis : quod namque spectat ad Beneficia, quæ Consistorialia appellantur. Bullæ non ferunt nisi diem ipsam Consistorii, in quo concessæ fuerunt. Consulantur ad uberiorem explanationem Tituli *Collator*, *Collatio*, *Devolutum*, *Insinuatio*, *Permutatio*, & *Resignatio*.

(*a*) Conc. Tr. sess. 14. c. 25.

CASUS PRIMUS.

ROMULUS obtinuit, filium suum Aollium solummodo sexennem, de simplici Cappellania provideri. Num Provisio Aollio concessa valet, & Canonicis Regulis consentit?

RESPONS.

Neque valet, neque consentit Canonibus Provisio, quæ in gratiam præfati Aollii, præstita est. Ad legitimam enim ejusmodi Beneficii provisionem, necesse est saltem, ad annum septimum perventum esse, ut docent nostri tum Canonistæ, tum Jurisconsulti Gallicani, atque inter alios de Selva, Rebuffus, Bengeus (*b*), & post eos Cabassutius (*c*), qui contendunt, istud principium, *annus inceptus pro completo habetur*, non obtinere quoad Beneficia, quæ vulgo ajunt, *simplicis censuræ*; sed tantummodo quantum ad Beneficia honorifica, quæ ut possideantur, sufficit attigisse ineuntem annum, qui jure requiritur, ut de iisdem Canonice provideatur: *Qui est ingressus certum annum, dicitur ad ipsum pervenisse*, quemadmodum loquitur Zacharias Pasquallgi (*d*) fretus ista lege Digesti, quam ad marginem indicamus (*e*).

(*b*) Joan. de Selve 2. p. de Beneficiis q. 5. Petr. Reb. in pr. a de pecific. possessor num. 275. Bengene a. de div. benef §. 26. o. 6. & 7.
(*c*) Joan. Cabassut. Juris can. th. & pr. l. 2 a 9. o. 5.
(*d*) Zachar. Pasqueligi. q Mo el. a. monic. cento 2. 1. q. 1. n. 52.
(*e*) Leg. qui filium § Saiblnus ff. ad Senatus consult. Trebellieunum.

CASUS II.

EUFRONIUS, Diaconus annos tantum natus viginti tres, cum mense uno, de Curia S. Paulini provisus est : 1. Estne Canonica ejusmodi Provisio? 2. Si finant, annum integrum abire, ab impertita sibi dicta Provisione, ipse non inauguratur Sacerdos; num *ipso jure*, Beneficio suo privatur?

RESPONS.

Ut de Beneficio, cui annexa est cura animarum, qualis est Cura, seu quales sunt Dignitates quædam, quæ habentur in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, possit quis legitime provideri: requiritur enim, ad annum vigesimum quintum pervenisse. Quod quidem Disciplinæ caput tribus Conciliis Oecumenicis constitutum est, nimirum Tertio Lateranensi, acto anno 1179. sub Alex. III. (*f*) secundo Lugdunensi, habito sub Gregorio X. anno 1274. (*g*) & Concilio Tridentino (*h*), quantum ad Dignitates, quæ curam animarum habent annexam. Adeoque Jus commune præscribit, eum qui de Beneficio ejusmodi providetur, & nondum in Sacerdotium venit, teneri ad suscipiendum Sacerdotalem Ordinem, intra annum, a die possessionis in eodem inceptæ; alioquin suo beneficio *ipso jure* privari. Ita declarat Gregorius X. toto plaudente Lugdunensi Concilio, quod jamjam laudabamus. En ipsissima verba præfati summi Pontificis: *Præfati Decreto statuimus, ut nullus ad regimen Parœcialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia & ætate .... & intra annum, a sibi commissi regiminis tempore computandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri : quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis Constitutionis auctoritate privatus.*

(*f*) Conc. Later. III. in c. cum in cunctis 7. de elect. & electi potestate.
(*g*) Concil. Lugd. II. in c. licet. 14. eod. t. in 6.
(*h*) Conc. Tr. sess 24. c. 12. de reform. & sess. 22. c. 4 de reform.

Nihilominus sciendum est, istam partem Disciplinæ, non stricte admodum observari in isto Regno; at Cabassutius annotat (*i*). Juxta nostram enim Jurisprudentiam sufficit, si incepto anno ætatis vigesimoquarto, ad Sacerdotium perveniatur, post annum expletum, & ab ipso die pacificæ in beneficio possessionis computandum. Quod sic statutum, ac decretum est Aresto pronunciato, a supremo parisiensi Senatu, quod legere est in quarto tomo Ephemeridis Audientiarum, & ab ipsa etiam sacra Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum fuit declaratum, si interpretationi, quam Fagnanus habet, fides addatur (*K*): en qua ratione refert: *Consulta* (sacra Congregatio) *an Decretum dicti Capitis quarti, sessionis 22. comprehendat omnia Beneficia, quæ Ordinem requirunt, respondit comprehendere: quod videtur intelligendum quoad obligationem suscipiendi Ordines intra annum*: Atque istud confirmat Eruditus Canonista: hoc rationis argumento prohibitum est, a Concilio Tridentino, ne assumatur ad Beneficium, qui intra annum non potest Ordinem eidem annexum suscipere. Atqui juxta præfatum Concilium suscipi potest Sacerdotium statim atque annus ætatis vigesimus quintus incipitur. Ergo potest quis de curia provideri, statim atque vigesimum quartum annum ingreditur.

(*i*) Joan Cab. Juris Eccles ad a. 4. sessionis 22. Conc. Tr.
(*k*) Prosp. Fagnan. in c. cum in cunctis. sup. cit. n. 39. & 40.

Ex quibus inferimus, si de Beneficio Euphronii litigaretur, satis futurum eum ad Sacerdotium promoveri, post unum annum ab incepta in eodem pacifica possessione computandum. Atque ea est, ut monuimus, Jurisprudentia, quæ in Gallia invalescit, & inducta est cum Edicto Blecensi (*l*), tum Edicto Henrici IV. promulgato anno 1606. Quod ea ratione sic constitutum est, ne qui provideretur de Beneficio, de quo litigium commotum fuisset in eam angustiam adduceretur, post susceptum Sacerdotii Ordinem, ut in opprobrium cleri victum mendicaret, si causa Beneficioque excideret.

(*l*) Si Edict. Blecens. cet. 2.

At non eadem est conditio Beneficiorum aliorum, quibus certi quidam Ordines annectuntur ex ipsa eorum prima constitutione, ea statutis, vel ex invalescenti consuetudine. Enimvero, ut quis de beneficiis ejusmodi canonice provideatur, eum oportet, quo tempore providetur, dictis ordinibus insigniri: ne defraudetur, quam sibi Fundatores animo proposuerunt institutio; ne statuta & consuetudo, quibus ita præscribitur perrumpantur (*m*).

(*m*) Colloq. Condomens. t. a. colloq. 2 sect. a Ducesse Pr. tucisd. Eccl. c. 4. §. uo. n. 2.

Ceterum non erit abs re, si occasione propositæ difficultatis hic loci subjiciatur; discrimen constituendum esse inter ista verba: *ipso jure*, & istæc alia : *ipso facto*. Quoniam Beneficium vacat tantum *ipso jure*. Titularis etiamnum omnino potest aut resignare, aut permutare. Atvero Beneficio vacante *ipso facto*, sic penitus spoliatur, ut jam de eodem ulla ratione statuendi, nihil quidquam juris ei permittatur. Quæ observatio. 2. Cabassutio suggeritur istis verbis : (*n*) *Aliud vero est vacare Beneficium jure ipso duntaxat, & aliud vacare idem ipso facto. Ubi enim vacat solo jure, potest adhuc Beneficii possessor ipsi renuntiare, sive simpliciter sive in favorem, adhuc integra, si alius nemo impetraverit*. Indeque laudatus Canonista concludit ex eadem ratione, eum, qui duo Beneficia possidet, quæ simul stare non possunt, posse omnino renuntiare in favorem, ei, qui quod vacat *ipso jure*, quoniam discrepantia illius, cum alio Beneficio non efficit ut sit vacans *ipso facto*: atque sic addit: *Potestque similiter resignare, re adhuc integra, is qui ad ordines requisitos non est toto anno promotus ... ubi vero vacat Beneficium ipso facto, non relinquitur novæ renunciationi locus*.

(*n*) Joan. Cab. Juc. can. th. & pr. l. 2. c. 23. n. 26.

CASUS III.

VALLASIUS, Diaconus, annum agens vigesimum quintum, de Capellania S. Vinebaldi provisus fuit: quoniam vero in tabula Authentica illius institutionis fertur, futurum, ut non alii quam Sacer-

Digitized by Google

cerdoti conferantur; in dubium revocat, num ipsius Provisionis diploma validum sit ac legitimum? Petit ergo, utrum valide provideatur, nec sufficiat si intra annum ab incœpta in dicta Capellania possessione computandum curet ad Sacerdotium sese promoveri?

RESPONS.

Quam Vallesius obtinuit, Provisio nulla omnino est. Enimvero cum ex ipsa institutione habeat præfata Capellania, quod nequeat nisi Sacerdoti conferri; de eadem profecto non potuit ipse solo Diaconatus Ordine insignitus provideri: adeo ut non satis sit, quod ad Sacerdotium curet sese postmodum promoveri, juxta istud effatum Juris (a): *Qualitas juncta verbo intelligitur, secundum tempus verbi cui adjicitur*. Atque ita docetur a Fagnano: (b) *Si presbyteratus sit annexus alicui Beneficio*, inquit laudatus Canonista Italus & summi omnino nominis, *non tamen necesse est, ut promovendus habeat ordinem requisitum tempore promotionis ..... nisi in fundatione Beneficii sit cautum, ut conferatur actu Sacerdoti. Tunc enim requiritur Ordo tempore Collationis*. (c) *Abbas ..... utitur hac distinctione, videlicet quædam est annexio respectu ætatis, quædam vero respectu aptitudinis. In primo casu requiritur, ut quis sit constitutus in illo Ordine, tempore collationis; alioquin non tenet Collatio, ut sentit Glossa in Clementina*, ut ii, *in verbo* annexi *de ætat. & qualit. & ordine præficiendorum*.

(a) Argum. Leg. 4. §. 1. ff. de naturalib. act. lib. 9 t 4. Arg. leg. 25. ff. de test. milit. l. 29. tit. 2.
(b) Prosp. Fagnan. in c. ut abbate de ætate & qual. & ord. præficiendorum.
(c) Abbas in c. cum in cunctis. §. inferiora de elect & electi potest.

CASUS IV.

CALLIMACHUS, qui sola Capella gaudet cui duntaxat annectitur reditus annuus triginta librarum, obtinuit in Curia Romana, provideri sese, *per obitum*, de quodam Prioratu, octingentas libras census annui referente. Verum in supplicatione, quam ea de re habuit ad Papam se se dictæ Capellæ Titularem anunciare neglexit, ratus non requiri necessariam ibidem de Beneficio reditus adeo exigui mentionem. Numquid ejusmodi prætermissio, caducam non reddit ipsius provisionem?

RESPONS.

Ex ejusmodi prætermissione, Provisio, quam sibi de Curia Romana Callimachus obtinuit, irrita prorsus efficitur. Necessario namque requiritur ab eo, qui de beneficio impetrando in forma gratiosa Summo Pontifici dat supplicationem, omnia omnino, quæcumque Beneficia possidet, & eorumdem naturam, conditionem, dignitatem, & reditum, quantuluscumque sit, enunciari.

Quod quidem jure innititur, ac primo Decretali quadam Lucii III. ad Lincolniensem Episcopum in Anglia inscripta (d); Qui Episcopus laudatum Summum Pontificem consulerat, de difficultate ejus, quæ hic loci subjicitur, consimili. Secundo, Constitutione quadam Bonifacii VIII. (e) quæ refertur in sexto, in qua declarat, equidem Provisionem valere, si Papa Beneficium aliquod, alio jam beneficio gaudenti, motu proprio contulerit; at inquit *secus si ad petitionem illius, vel alterius pro eo oblatam gratiam hujusmodi facimus, tunc enim, quantumcumque modicum Beneficium taceatur in ea, ipsam velut subreptitiam vires nolumus obtinere*. Atque ne errori vel tergiversationi, locus ullus ex verbis ambiguis relinquatur, addit: *motu quoque proprio tunc solum gratia fieri censeatur, cum hoc expresse cautum fuerit in eadem*.

(d) Lucius III. in c. ad aures. 8. de rescriptis. lib. 1. tit. 3.
(e) Bonif. VIII. in c. si motu. 2. r. de Præb. &c. in 6. l. 3. t. 4.

Ita etiam declaratur a Clemente V. approbante Generali Concilio Viennensi. En ipsissima illius verba: (f) *Si Romanus Pontifex de Beneficio alicui motu proprio provideat, de Beneficiis, quæ obtinet, non habita mentione: provisionem seu gratiam hujusmodi fore validam declaramus, qualiacumque fuerint Beneficia, Dignitates, aut Personatus, cum cura vel sine cura & in numero quantocumque, quæ is habebat, cum sibi provisio facta fuit*. In quæ verba Glossa observat, non eodem modo esse judicandum de Provisione, quæ non confertur a Papa *motu proprio*: Quibus etiam addendum est cum Cabassutio, Provisionem, quam *motu* etiam *proprio* exhibet, non intelligi valere, nisi in quantum Beneficium, de quo providetur a Papa, simul stare potest cum Beneficio, quod Provisus antea obtinebat (g).

(f) Clement. si Romanus. 4. de Præb. & dign. l. 3. t. 2.
(g) Joan. Cab. jur. can. th. & pr. l. 2. c. 23. n. 30. cit.

De ea parte Disciplinæ, convenit omnino inter Canonistas, & Jurisconsultos nostros; atque imprimis eandem sequuntur Auctor Glossæ in Pragmaticam sanctionem; (h) & Rebuffus (i) qui ait: *Si quis impetraret Beneficium a Papa, vel ab ejus legato, & non exprimeret Beneficium, etiam modicum ... impetratio & provisio nullius esset momenti .... etiamsi impetrans illud resignare paratus sit*: Quod præfatus autor confirmat, non solum ex Constitutione Bonif. VIII. quæ modo relata est; sed etiam ex Decretalibus duabus, una quidem Gregorii IX. altera vero Innoc. in quibus eadem praxis commendatur (k). Tandem refert Louet (l) plurima Arresta, quibus ea ratione sic judicatum est, atque inter alia, unum quoddam pronunciatum an. 1577. a supremo Senatu Parisiensi, referente D. des Landes, Senatore in prima Classe Inquisitionum, quo, qui fuerat ab ordinario provisus, conservatus fuit in possessione Prioratus S. Georgii in Diœcesi Bituricensi, contra eum, cui de eodem Beneficio provisum erat a Summo Pontifice, quique tacuerat in sua supplicatione, Capellaniam quamdam a se possessam, cui viginti librarum reditus tantummodo annectebatur. Aliud quoque Arrestum anni 1587. ea de re memorat, & ait ejusmodi Jurisprudentiam plurimum defendi ab omnibus Jurisconsultis nostris, nominatimque a Ruseo & Molinæo (m). Occurrunt tamen quidam, & Brodeau, qui edidit commentarium in Louet, & Galli (n), qui duos speciales casus, ab ista generali regula excipiunt, scilicet casus Collationum Regiarum & permutationem.

(h) Glos. pragmat. sanctionis tit. de Collat. §. Item quod universis.
(i) Petr. Rebuf. pr. Benefic tit. forma novæ Provisionis in hæc verba nec non omnia &c.
(k) Greg. IX. in c. si prop. 42. de rescriptis tan. III. in c. Postulastis. 27. eod. 3.
(l) Georgius Louet littera B. n. 3.
(m) Ruseus tract. jur. Regul. 29. p. n. 3. Carol. Molinæus in reg. de infirmis resignant. n. 4. in fine.
(n) Julianus Brodeau in Louet cit. Joan Galli qq 42. & 170.

Finem imponent decisioni præsenti, duæ observationes. Prior: quod, quæ præmisimus de quibuscumque Beneficiis quæ possidentur, in supplicatione Summo Pontifici oblata, necessario exprimendis, esse intelligenda de Beneficiis, quæ in perpetuam commendam possidentur, perinde ac de iis quæ ex titulo obtinentur; quemadmodum verbis omnino distinctis statuitur ab Innocentio III. in quadam Decretali, quam scribit ad Episcopum Vratislaviensem in Polonia (o). Altera: quod requisita mentio debeat quoque locum obtinere, eadem prorsus ratione in supplicationibus, quæ offeruntur legato Apostolico, ac in iis quæ ad ipsummet Papam habentur; quemadmodum omnino fertur in Constitutione Bonif. VIII. (p) quæ sic habet: *Collatio Beneficii per legatum a Sede Apostolica tibi facta, nullius momenti existit, si in ea non fuerit habita mentio de alio Beneficio, quod primitus obtinebat*; & in alia Constitutione Clementis V. relata in nono titulo primi Libri Clementinarum (q). De eoque prorsus consentiunt Jurisconsulti nostri, & imprimis Rebuffus jam laudatus.

(o) Inn. III. in cit capac Postulasti.
(p) Bonif. VIII. in cap. Collatio. fin. de officio legat. in 6. l. 1. tit. 6.
(q) Clement. etsi fin. de Offic. judicis ordinarii.

CASUS V.

RODOLPHUS resignavit in Curia Romana, Curam S. Leufridii in favorem Saturnini, in cujus favorem, sex mensibus antea Capellania S. Juliani fuerat a Joanne resignata; quod quidem, cum Rodulphum, tum ipsummet Saturninum, penitus fugiebat. Num Provisiones de Cura præfata, alicujus esse momenti censentur: licet, quod ad dictam Capellam Saturnino cedebat, Jus non fuerit enunciatum in supplicatione?

RESPONS.

Licet, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. (r) cum de novo aliquo Beneficio in Curia Romana impetrando supplicatur, de Beneficiis, quæ primitus obtinebantur, mentionem haberi constituatur: nihilominus, quas de Cura S. Leufridii Saturninus obtinuit, Provisiones valere censendæ sunt; quippe qui resignationem, in sui gratiam de Capellania confectam, tunc temporis nondum acceptavisset, cum Rodolphus in favorem ipsius præfatæ Curæ renunciavit, nec ipsi innotesceret, cum dies in ejus Provisionibus adscribebatur, Jus ei tribui ad Capellaniam. Ut enim habet Cabassutius:

(r) Bonif. VIII. in cap. non potest. de Præb. & dignit. in 6.

Digitized by Google

(*a*) Joan. Cebassut. Juris can. th. & pr. l. 2. c. 11. n. 10.
(*b*) Bonif. VIII. in cap. Gratia. 7. de rescriptis in 6. l. 1. tit. 3.
(*c*) Gl. in d. c. Grat. 7. ignoranti.

sutius: (*a*) *Justa & probabilis ignorantia facti impetrantem excusat.*

Quod quidem evincitur evidenter omnino ex istis verbis Bonifacii VIII. (*b*) *Gratia, quam super Beneficio a Sede Apostolica, te impetrasse proponis, vitiosa reputari non debet, quamvis de alio Beneficio, ab Episcopo tuo, antea tibi absenti & ignoranti collato, nullam (cum tempore impetrationis nescires) feceris mentionem.* In quæ verba Glossa ait: (*c*) *Idem intellige de sciente, antequam acceptet vel ratam habeat collationem eandem. Cum enim ante hoc Beneficium suum dici non possit; non est necesse, de ipso fieri mentionem.* Quod merito quidem ab Autore Glossæ præfatæ annotatur: siquidem, quæ in gratiam Saturnini penitus ignorantis Capellania resignata est, nequeat censeri ad eum pertinere, quoad eandem acceptaverit; licet de eadem non possit a Collatore ulla ratione disponi: atque eandem rei istius causam rationemque reddit laudatus Papa in alia Constitutione, qua Glossa nititur, in qua sic habet: (*d*) *Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur Beneficium, licet per Collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipso Beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras &c.*

(*d*) Bonif. VIII. in c. Si tibi 17. de Præbend. & dignit. in 6.

Nihilominus, quoniam inde perturbari posset Saturninus in foro exteriori, circa possessionem præfatæ Curæ, quod non posset, qua laborabat circa resignationem Capellæ, ignorantiam palam facere: est unde facile valeat, ab eo incommodo, sibi plurimum cavere, alteram nimirum sibi provisionem impetrando, quanquam cautionis istius, quoad forum conscientiæ, nulla ratione opus habeat: quemadmodum nihil quoque confert ejusmodi provisio juxta sententiam quorumdam Auctorum (*e*): in resignationibus, quæ fiunt causa permutationis.

(*e*) Federic. de verbis 13. de Benef. permut. p. 18.

CASUS VI.

Castricius, annum ætatis agens vigesimum primum, ex resignatione in Curia Romana, in sui favorem confecta, Sacerdotalem Præbendam obtinuit, ipsius Provisionibus sequentem istam clausulam habentibus: *Quod tu, quatenus dicti Canonicatus & Præbendæ Sacerdotales existant, cum primum ad ætatem legitimam, quemcumque ordinem sacrum suscipiendi, perveneris, proximis inde futuris temporibus ordinem ipsum, quem ætas postulaverit, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, suscipere omnino tenearis, alioqui primo dicti Canonicatus & Præbenda etiam vacent eo ipso.* Ut primum Provisiones obtinuit, venit in præfati Beneficii possessionem: at suscipiendo Ordini Subdiaconatus per biennium indormivit, nec Subdiaconus factus est, nisi cum jam attigerat annum vigesimum tertium cum sex mensibus. Numquid ideo memorata Præbenda non excidit, juxta vim istis verbis inditam: *Eo ipso vacent;* adeo ut, jam nulla sententia opus sit, qua eadem decidisse denuntietur?

RESPONS.

Quanquam in Provisionibus Castricii contineatur clausula, quæ relata est; verum tamen est, etiamsi eidem requisito tempore non satisfecerit, non ideo Præbenda sua *ipso jure* fuisse privatum. *Etiamsi Lex, vel statutum pœnam imponat ipso facto, vel ipso jure*, inquit quidam Eruditus de Ordine S. Dominici (*f*), *adhuc ad executionem, necessaria est sententia:* Quod etiam probat Sylvius (*g*) argumento *a simili*, petito e Constitutione quadam Bonifacii VIII. (*h*) in qua laudatus Papa sic declarans, *bona hæreticorum .... ipso jure ... decernimus confiscata*, nihilominus addit, prius debere nihil obstantibus istis verbis, *ipso jure*, judicium declaratorium intercedere: *Confiscationis tamen hujusmodi executio*, inquit, *vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales ... antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Indeque Theologus insignis infert, in casu proposito, in quo culpa illius, qui verborum clausulæ non satisfecit, quam in ipsius provisionibus Papa inseruerat, omni comparatione minor est, quam crimen hæresis, a fortiori contendendum esse, de possessione sui Beneficii, eum dimoveri non posse: donec fuerit sententia, quæ denunciet eum Beneficio privatum, promulgata.

(*f*) Sylvester. de Prierio v. pœna. q. 5.
(*g*) Fr. Sylv. resolut. var. v. Benef. 5.
(*h*) Bonif. VIII. in cap. cum secundum 19. de hæreticis &c. in 6. l. 5. tit. 2.

Idem ergo rationis argumentum, de Castricio instituendum est, ac de eo, qui jam Beneficium habens, cui Cura animarum annectitur, aliud ejusdem conditionis Beneficium obtinet; quales sunt duæ Curæ. Namque *Etsi habens Beneficium cum Cura animarum, si aliud simile cum Cura suscipiat, ipso facto provetur priore, sic ut illud de jure possit conferri alteri, non potest tamen alter, in ejus possessionem, mitti, non vocato priore possessore.* Ita habet Sylvius qui ea ratione concludit: *Ergo quamvis jura decernant aliquem ipso facto privatum Beneficio, non potest vigore talium jurium, spoliari possessione, nisi auditus fuerit is, qui illud possidebat.* Laudatus Theologus, qui more plurimorum aliorum Doctorum, ibidem promiscue usurpat isthæc verba *ipso facto*, pro istis illis, *ipso jure*, auctorum nubem appellat, qui ejusdem sententiam amplectuntur, quosque ad marginem indicamus (*i*). Eadem igitur ratione dicendum est, non posse Castricium censeri, sua Præbenda privatum, in proposita specie, antequam interveniente juxta legum formulas sententia, fuerit ejusdem possessione spoliatus.

(*i*) Fr. Sylv. cit. & apud eum Augustin. Barbosa allegat. 44. n. 29. Petr. Rebuf. pr. Benefic. tit. de non promotis intra annum n. 79. Joan. Az. p. 2. l. 5. c. 8. Sanchez lib. 2. in decalog c. 26. Malderus in 1. 2. q 96. art. 4. memb. 4. Suarez &c.

CASUS VII.

Decius, cum cujusdam Præbendæ, quæ ei via simoniaca obvenit, ab annis viginti possessione gauderet, eandem resignavit, in Curia Romana Cajo suo Nepoti, qui ejusdem possessionem inivit. An Provisiones impetratne Cajo, alicujus sunt momenti, & Canonicis regulis consentiunt?

RESPONS.

Nullius prorsus momenti, atque irritæ omnino sunt, impetratæ Cajo provisiones. Ideoque si ei, quam Decius, admisit, simonia innotescat, istam præbendam non potest tuta conscientia sibi retinere; ratio est, quia nullus simoniacus potest esse legitimus possessor Beneficii, quod simoniace obtinuit; quamcumque longam possessionem valeat sibimetipsi vindicare; ut firmissimis plane rationum momentis alibi demonstramus. Non igitur jure gaudere potest de eo in favorem alterius statuendi, juxta vulgatissimum istud adagium: *Nemo dat quod non habet* (*K*) quod fundatur in eo alio Alexandri III. effato (*l*): *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest jure donare:* Cui prorsus congruit septuagesima nona Regula Bonif. VIII. quæ fert: *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.*

(*k*) Gl. in reg. 70. de regul. Jur. in 6.
(*l*) Alex. III. in c. quod autem. 5. de Jure Patron. l. 3. tit. 38.

CASUS VIII.

Decentius, Canonicus de Ecclesia Cathedrali Albigensi, cum animo sibi proponeret, præbendam suam Francisco Nepoti suo, retenta sibi quadam pensione, resignare, licet interdiceret antiquum Capitulare statutum, rescripto Pontificali confirmatum, quo prohibetur ne quisquam Canonicus recipiatur, ad possessionem ineundam Præbendæ pensione aliqua oppigneratæ, misit supplicationem in Curiam Romanam, neque de prædictis statuto & rescripto, ulla mentione ibidem habita, obtinuit confici provisiones in gratiam Francisci, cum clausula, reservatæ 300. librarum pensionis. Numquid possunt tum Provisiones, tum pensionis ipsius institutio, tanquam subreptitiæ argui, ex eo præcise defectu, quod de præfato statuto, nihil quidquam sermonis fuerit enunciatum?

RESPONS.

Beneficiariæ Provisiones, subreptitiæ ac nullæ sunt; quando aliqua circumstantia silentio prætermissa est, qua declarata easdem Papa procul dubio denegavisset: ut patet ex Constitutionibus quamplurimis summorum Pontificum (*m*), quas ad marginem citamus, ac præsertim ex Decretali quadam Innocentii III. ad Pictaviensem Canonicum inscripta, in qua rem habens de tacentibus aliquid veri, vel de irrepentibus aliquid falsi ait (*n*): *si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem*

(*m*) Lucius III in c. ad aures 8. de rescript. Innoc. III. in c. cum adeo 17. & in c. Constitutus 19 eod. tit. Bonifac. VIII. in c. non potest. 22. & in c. si motu 23. de Præbend & Dign in 6.
(*n*) Inn. III. in c. Super eo. de rescriptis.

etiam

etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, quæ tacita, vel expressa nos nullas prorsus litteras dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum. Laudatus summus Pontifex scribens ad foro Corneliensem Episcopum, de litteris Apostolicis, quas concesserat duobus Sacerdotibus, qui in sua supplicatione, se se excommunicatos esse ac Beneficiis spoliatos tacuerant, sic habet: *Nos igitur (a) fraternitati tuæ mandamus, quatenus... litteras ipsas tamquam per veri suppressionem obtentas, viribus carere decernas*.

(a) Idem in cap. Dilectus. 160. eod. tit.

Jamvero manifestum est, in proposito casu a summo Pontifice neque concessas fuisse, in gratiam Francisci provisiones, neque consensum instituendæ pensioni in favorem Resignantis, si ei innotuisset, resignationem cum retenta pensione, adversari statuto Capituli Albigensis, & statutum illud rescripto unius ex suis antecessoribus esse confirmatum. Ergo subreptitiæ sunt ac nullæ Provisiones Francisci; quippe quæ concessæ fuerint, reluctante plurimum ipsa summi Pontificis voluntate saltem præsumta: & in detrimentum statuti, summa adeo auctoritate muniti. Proindeque dictum Capitulum non potest Franciscum admittere ad possessionem instituendam, neque eum recipere in fratrem, eique sedem in Choro attribuere, nisi violatis prorsus, & statuto & Rescripto, quo statutum confirmatum est: neque consequenter jus Decentio tribuitur percipiendæ, de dicta Præbenda, pensionis, quam sibi retinuit: siquidem vitiosus omnino sit titulus quo innititur (b).

(b) Sambovius. tom. 1. casu 31.

CASUS IX.

OCTAVIUS, misit in Curiam Romanam, ad impetrandum sibi Prioratum simplicem de S. Blasio, quem tamen ex ignorantia supposuit, ac in supplicatione sua enunciavit, esse Beneficium cum Cura animarum. Postquam recepit suas Provisiones, & in possessionem dicti Beneficii missus est, ei Religio oblata est, circa eorum validitatem, quod nempe falsum enunciavisset, licet ex ignorantia: prioratui siquidem prædicto non sit cura animarum annexa. Num Religio ista fundamentum habet, & Provisio Beneficiaria Octavii irrita est?

RESPONS.

Priusquam propositæ difficultati faciam satis, quæ jam, post S. Thomam, in primo nostri hujusce Dictionarii volumine monuimus, monemus iterum hic loci; quod nempe, *qui pro se postulat Beneficium cui annexa est animarum cura, ex ipsa præsumtione reddatur indignus*. Quæ ipsissima verba sunt articuli 116. primæ partis articulorum, quos in lucem edidit sacra Facultas Theologica Parisiensis: atque non potest Ecclesiasticus, de prurigine Beneficiorum ejusmodi consequendorum, ea potissimum de caussa nimis improbari.

Quibus præsuppositis dicimus, obtinere equidem in Jure principium istud, ut quicumque, ex irrepta aliqua falsitate in supplicatione, quam vel ad Principem vel ad Superiorem habet, de indulgenda sibi aliqua gratia, eadem impetrata, sit spoliandus. Quod probatur ex Decretali quadam Innoc. III. scribentis ad Canonicum quendam Pictaviensem (c), in qua declarat, velle se, ut, qui de industria, aliquid non verum irrepunt, gratiæ alicujus sibi impetrandæ caussa, *nullum ex illis litteris commodum consequantur*. In quæ verba Glossa ait: *Dolosa subreptio vitiat rescriptum in totum*. Quod etiam statuitur a summo Pontifice Pelagio, in canone relato in decreto Gratiani (d): *Respondemus... ea... quæ subreptione, vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum supplicantibus ferre remedium*: ipsissima sunt ejus verba. Illud enim denique fusius admodum evincit Gratianus (e): ex plurimis legibus Imperatorum Constantii, Diocletiani, Maximiani, Constantis, Theodosii, Valentiniani, Anastasii, & Zenonis: indeque adducitur ut istæc verba adhibeat: *Rescripta..... expressam debent in se habere conditionem, si preces veritate nitantur*, quam etiam conditionem exigit Alexander III. in Decretali, quam Archiepiscopo Cantuariensi inscribit (f), quamque de lege Codicis Justiniani mutuatus est (g): *Mendax enim Precator*, subjicit Gratianus post Innocentium III. (h) *debet carere impetratione*.

(c) Innoc. III in cap. Super. 20. de rescriptis.

(d) Pelagius in can. Dicenti. 16. 25. q. 2.

(e) Gratian. §. Rescripta. ibid.

(f) Alex. III. in c. Ex parte. 2. de rescriptis.

(g) Leg. Et si legibus. 5. cod. si contra jus vel utilitatem publicam, per mendacium fuerit aliquid postulatum vel impetratum. lib. 1. tit. 22.

(h) Innoc. III. in d. cap. Super.

Verum præfata principia de eo potissimum casu intelligenda sunt, in quo, qui gratiam sibi precatur, falsum adhibet ex dolo & fraude, quo facilius quod petit, sibi indulgeatur; non autem si falsum enunciet ex ignorantia tantummodo, & in ejusmodi circumstantia, quæ difficiliorem obtentu gratiam ex natura sua valebat reddere, ut declaratur ab Innocentio III. in Decretali, quam priori loco mox recensuimus.

Inde licet concludere, siquidem Octavius falsum non adhibuerit, nisi ex errore facti, non autem ex dolosa aliqua subreptione, ipsius Provisiones valere, neque Canonicis Regulis ullatenus dissentire: ita censet Navarrus (i), qui testatur eandem sententiam obtinere quoque apud Rotam (k): *Taciturnitas ejus quo expresso, æque Princeps fecisset gratiam, non nocet*: sic loquitur laudatus Canonista. Plurimum quoque roboris addit huic nostræ decisioni Regula, quam Bonifacius VIII. statuit, quamque deduxit a simili Regula Juris Romani (l); & in qua sic legitur: *Plus semper in se continet, quod est minus* (m). Cum enim a summo Pontifice facta fuerit Octavio potestas animarum regendarum: quæ quidem majoris momenti sane constituit, quam jus obeundorum muniorum, quæ Beneficio simplici annectuntur, & percipiendorum fructuum, qui inde obveniunt: in ipsa collatione prioris potestatis, alterum jus concessisse censendus est.

(i) Navarr. l. 1. consil. consilio 15. n. 1. & 2.

(k) Rota decis. 73. alias 562. de rescriptis in antiquis.

(l) Leg. in eo quod est plus. ff. de diversis Reg. Juris antiqui.

(m) Bonif. VIII. reg. 35. de reg. Juris in 6.

CASUS X.

EULALIUS, qui Acolytus erat, cum in irregularitatem incurrisset, ex matrimonio cum vidua quadam inito, e qua liberum unum suscepit, uxore sua defuncta, nullaque obtenta dispensatione, neque a summo Pontifice, neque ab Episcopo Diœcesano, de Prioratu quodam simplici, sibi provideri impetravit: ipsius ne provisio & valida, & canonica est?

RESPONS.

Provisio collata Eulalio, neque valida est, neque canonica, quoniam *viam ad Ordines & Beneficia præcludunt irregularitates*, (tum *ex delicto*, *tum ex defectu*.) inquit Cabassutius (n), ...*quin etiam obstat* (irregularitas) *suscipiendis Beneficiis*, *paritque incapacitatem ad ipsa*.

(n) Cabassut. juris can. theoria & praxis. l. 5. c. 19. n. 1. & 2.

Nititur ista decisio decreto sequenti promulgato, a Gregorio X. Præsidente Concilio Generali Lugdunensi, quod refertur in sexto (o): *Altercationis antiquæ dubium, præsentis Declarationis oraculo decidentes, bigamos omni privilegio Clericali declaramus esse nudatos, consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre Tonsuram vel habitum clericalem*.

(o) In cap. Altercationis. unic. de bigamis. in 6. lib. 1. tit. 17.

At vero subsequens irregularitas, ut jam advertimus.... *non inducit Beneficii antea adepti vacationem*: quemadmodum definitum est a Tribunali Rotæ (p), & docent Gomesius (q), Covarruvias (r), & alii plurimi, qui citantur a Cabassutio. Adeoque potest Irregularis illud Beneficium sibi retinere, in isto casu, quod ipsi, nondum irregularitate contracta, collatum est.

(p) Rota decis. 195.

(q) Gomes. tractat. de expectativis. n. 60.

(r) Covarruvias. in c. Alma. fin. de sent. Excom. in 6. 1. parte. §. 7.

Ceterum qui factus est irregularis ex defectu, debet ad ipsummet Papam recurrere, ut dispensationem obtineat: non autem ad Episcopum penes quem residet potestas dispensandi, quantum ad spurium tantummodo, atque minorum duntaxat Ordinum suscipiendorum caussa: *Sed Episcopus*, inquit S. Thomas (s), *quantum ad minores Ordines* (dispensare potest,) atque etiam ut de Beneficio simplici provideri possit. Addit quoque S. Thomas: *Et quidam dicunt, quod etiam ad majores, in illis qui volunt Deo in Religione servire*: at laudatus Doctor Angelicus, ea de re, uberioris intelligentiæ caussa, nihil subjicit. Plurimi Doctores, quales sunt Sylvester (t), & Azorius (u), auctoritate S. Thomæ freti (x), existimant ex consuetudine, eandem quoque, quantum ad Bigamos, Episcopo fieri potestatem. Cum ita fuerit judicatum

(s) S. Th. in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. in corp.

(t) Sylvester. v. Bigamus. q. 7.

(u) Azor. p. 1. l. 3. c. 5.

(x) S. Th. loco cit.

tum a Tribunali Rotæ *(a)*: at, quoniam ista potestas non ab omnibus passim exercetur, qui ejusdem possessione non gaudet, Episcopus non debet eam sibi assumere. Quod pertinet ad irregularitates contractas *ex delicto*, circa eas potest Episcopus dispensare cum sunt occultæ, ita definiente Concilio Tridentino, quod istam exceptionem apponit: *Excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum (b).*

(a) Rota, decisione 447.

(b) Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de reform.

CASUS XI.

Florianus animo proponens abdicare quamdam Capellaniam, quam possidebat atque eandem transferre Gastoni suo Nepoti, ejusdem dimissionis simplicis ac pure instrumentum, obtulit Theodulo, qui jure Collationis ordinariæ quoad illam gaudebat, & dicto instrumento in manus illius dato, rogavit eum, ut quem sibi socium adhibuerat, Gastoni, Capellaniam prædictam vellet conferre: cui cum consensisset Theodulus, Provisionibus sibi impetratis, Gasto venit in istius Capellaniæ possessionem. Num ejusmodi Provisiones sunt Canonicæ?

Respons.

Canonicæ sunt quæ in gratiam Gastonis, de prædicta Capella concessæ fuere Provisiones: siquidem nec iste, nec Florianus sint ulla ratione pacti cum Collatore, neque etiam fidem ejusdem obligaverint, de Capellania ei conferenda; quin imo Florianus suum Beneficium, proprii ipsius juris fecerit, dimissionis illius instrumento primo quidem in manus ejus tradito, & integra ei proinde permissa libertate, ejusdem suo nepoti conferendi, vel denegandi (c). At vero non eodem modo judicandum esset, si de ea re stipulationis aliquid primum intervenisset, qua Collator promisisset futurum, ut Gastoni Capellaniam conferret, statim atque, interjecta ista conditione, ejusdem dimissio fuisset in suis manibus confecta; in dicto namque casu, vitiosæ forent prorsus impetratæ Provisiones, quemadmodum istud alibi ex professo demonstramus.

(c) Sambovios tom. 2. casu 200.

CASUS XII.

Janoarius, Clericus sæcularis, annos viginti natus, ac in commenda provisus de Prioratu S. Lupi, pendente ab Abbatia Majoris Monasterii, ingressus est Ordinem S. Benedicti, ibique solemnem Professionem emisit, expleto suæ probationis anno: nihil quidquam circa dictum Prioratum cautionis usus, contendensque futurum, ut eundem tamquam pendentem ab Ordine, cujus Religiosus factus erat, sibi retineret. Laurentius de eo, sibi provideri, in Curia Romana obtinuit, quasi vacante, ex emissa solemni Professione a Januario. Potestne nihil inde violata æquitate, Provisiones istas sibi assumere, & Janoarium de possessione istius Prioratus dimovere?

Respons.

De Prioratu S. Lupi, quem Januarius nondum solemniter professus possidebat, Laurentio legitime provisum est: quoniam certissimum est, ex solemni professione Januarii, Beneficium istud vacare incœpisse; siquidem istud Beneficium non in regula, sed in commenda seu fiducia commissa, ab eo possideretur. Ita statutum est Arresto supremi Parisiensis Senatus, lato 2. Martii 1602. in caussa versante circa Prioratum Molinensem, pendente ab Abbatia Mauleonensi in Pictaviensi tractu; quemadmodum refert D. Du Perrai *(d)*.

Nititur ista Decisio Constitutione quadam *(e)* Bonif. VIII. Capitulo, de Ecclesia Parisiensi, inscripta, in qua disertis verbis leguntur, quæ hic loci referimus: *Beneficium illius qui Religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi accedat assensus, aut constet, quod ..... professionem expressam fecerit*; inquit laudatus Papa. Quæ quidem verba Cabassutio *(f)*, in probationem istius propositionis assumuntur: *Vacant præterea ipso jure Beneficia ejus, qui per solemnia Religionis vota professionem legitimam emittit.* Quibus alteram probationem subjungit, contentam nempe in lege, cujus ipsissima verba sequuntur *(g)*: *In posterum vero nemini prorsus facultas pateat, eodem tempore plus, quam unius ordinis nomen affectare: interdicendis in commune cunctis.... binis pluribusve militiis, nec dignitatem conjungere cuilibet alii singulo concedendis.*

Quæ jam jam in medium adduximus, de eo duntaxat accipienda sunt, qui Religiosam professionem expressam, legitimamque emisit, & cujus appareat scriptum, juxta formam præscriptam, instrumentum. Neque enim in Gallia ratas habemus tacitas professiones, licet, jure decretalium maxime comprobentur, quemadmodum a Carolo IX. luculentis omnino verbis sancitum est Edicto Molinensi *(h)*, & ipsimet alibi demonstravimus.

(d) D. du Perrai. Jus Canonicum Gallicanum. l. 7. cap. 7. n. 24.

(e) Bonifac. VIII. in cap. *Beneficium* 4. de regularibus, &c. in 6. lib. 3. tit. 14.

(f) Joann. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 2. c. 23. n. 4.

(g) Leg. *Hi quidem*. 3. cod. qui militare possunt vel non. lib. 12. tit. 34.

(h) Edict. Molinens. art. 55.

CASUS XIII.

Vincentius, cum resignasset in Curia Romana Prioratum quemdam 600. librarum annui reditus, in favorem Ferdinandi, obiit Papa, ipsa postea die, ab adventu publici Cursoris. Post electum novum Papam, Ferdinando movit actionem prorsus iniquam Hieronymus, qui cum rescivisset Vincentium mortuum esse, uno mense, post confectam ab ipso prædictam resignationem, Romam miserat, ejusdem Prioratus tamquam vacantis *per obitum*, impetrandi caussa. Quapropter Ferdinandus ampliori Consilio, libellum supplicem dedit, ac petivit, ut viso scripto testimonio sui Scambiatoris, sibi liceret venire in possessionem civilem dicti Beneficii *ad conservationem juris*, atque nihilominus interea, de eodem fructus suos facere ac percipere. Cui libello supplici, consentaneum Arrestum ab ampliori Consilio, ei concessum est. Qua de re quæritur, utrum Ferdinandus valeat, tuta conscientia, Arrestum ejusmodi exequi, & jure sibi ex eodem facto, uti ad possidendum dictum Prioratum, & inde fructus obvenientes percipiendos?

Respons.

Accessit Summum Pontificem inter, & Regem conventio, qua Summus Pontifex semetipsum obligavit ad concedendas Francis provisiones, quas persequuntur, ipso die, qui ascribitur accessui publici Cursoris Romam: licet eædem non nisi post longum ab illine tempus, scriberentur, ac conficerentur. Adeoque cum scriptam, a suo Scambiatore expediendis negotiis, in Curia Romana, commisso testificationem, quis præ se fert, qua certum fiat, Cursorem illuc accessisse tali die, qui misit, provisionum impetrandarum caussa, censetur legitimus. Titularis Beneficii, cujus gratia, supplicationem Romam allegavit. Indeque locus est inferendi, posse omnino aut ab ampliori Consilio, aut ab alia qualibet Suprema Curia, ad quam jus istud pertineat, merito statui, ut supplicans inducatur in possessionem Beneficii, & ejusdem fructus suos faciat: proindeque licitum prorsus esse Ferdinando, cujus Romæ denegatur injuria omnino, provisiones confici, aut qui timet, licet eædem non detrectentur, ne sibi aliquid aliunde litigii inferatur, circa possessionem dicti Beneficii: ut semetipsum juvet Arresto, quod obtinuit, & jure sibi ex eodem constituto, in ipsius civilem possessionem inducatur, & fructus inde obvenientes percipiat, utpote qui ipsius omnino sint, ex jure initæ possessionis.

Verum observandum 1. juxta Edicta *(i)* requiri, in ipso Scambiatoris testimonio, exprimi oportere, quod quam ascriptam testatur diem de excerpto sollicitatoris expeditionum Romanæ Curiæ, rescripserit, & istud excerptum desumptum fuerit ex ipsius Codicibus publicis: ibi etiam mentio habeatur, exceptas fuisse a dicto sollicitatore necessarias quascumque procurationes, ab ipso consensam exhibitum esse, & eum latere, unde originem habeat ista Provisionum, quæ petuntur conficiendarum cunctatio. 2. A Curia in Arresto consuetum esse juberi, ut Provisus, certo quodam tempore præfinito, beneficio sit gavisurus: nihilominusque perrecturus urgere ac sollicitari; sibi con-

(i) Edict. Henrici II. mensis Junii 1550. art. 12.

concedi provisiones: quo casu occurrente, quod in integrum abierit tempus Arresto definitum, ipsi incumbit, aliud Arrestum prorogationis obtinere, si nondum suas potuerit impetrare provisiones. 3. Supplicantem aliquando, a Curia remitti, ad Episcopum Dioecesanum, aut ad ipsius Vicarium Generalem, cui injungit, ut dicto supplicanti, provisiones impertiat quæ ei prosint, ab ipsa die iniquæ repulsæ, quam Romæ patitur. 4. Fructus Beneficii proprios fieri supplicantis, non jure præcise neque proprie loquendo, virtute Arresti, quod in istius gratiam fertur; sed potius vi concessionis factæ, Francisa summo Pontifice, in simili casu, ad conservationem juris; atque ut, ea potissimum ratione, occurratur quibuscumque obicibus ac difficultatibus, quæ eis afferri possent in Curia Romana, quæ nonnisi interjecta odiosa nimis ac molesta mora, impensisque omnino gravissimis exhaustis, superare valerent. 5. Tandem ex instituta ejusmodi possessione, nullum jus concedi supplicanti, muniorum obeundorum, quæ Beneficio annectuntur: quoniam Canonica nondum institutione roboratur; quemadmodum alibi monemus (*a*).

(*a*) Sambovius t. 3. casu 116.

CASUS XIV.

Ardas Regularis ac Religiosi de Monasterio S. Placidi, cum suo juri nominationis exercendo, circa Regularem Prioratum quemdam, a se ipsis pendentem indormivissent; Ecclesiastici duo seculares, continuis vicibus, de eodem sibi provideri impetraverunt, atque per triginta annos, ejusdem fuere, pacifica possessione gavisi. De dicto Prioratu vacante per obitum postremi Titularis, obtinuit Lampridius secularis etiam Sacerdos, sibi novissime conferri, ab Episcopo Dioecesano provisiones. Numquid illius Institutio Canonica est, & poteftne dictum Beneficium, de quo nihil ei quitquam negotii facessit, sibi retinere?

RESPONSA.

Provisio Beneficiaria, quæ Lampridio collata fuit, non est Canonica, neque consequenter poreft sibi, præfatum Prioratum tuta conscientia, retinere. Ratio est, quia sicut Regularis, Beneficium seculare, non potest possidere; sic etiam Ecclesiasticus secularis, de Beneficio Regulari, juxta leges Canonibus Constitutas, nullatenus valet provideri. Neque est unde objiciat Lampridius, ab annis triginta, dictum Prioratum possideri a secularibus. Enimvero licet possit omnino, ex inducta Consuetudine, ipsa Beneficii cum natura, tum Conditio immutari; ut colligere est, ex Constitutione quadam Bonifacii VIII. relata in Sexto (*b*), tamen certissimum est ex ejusmodi Consuetudine, non exsurgere legitimam præscriptionem, nisi post quadraginta annos in integrum expletos; quemadmodum observat Glossa, in dictam Constitutionem (*c*), tribus potissimum freta Decretalibus, quas citat; quamque Rebuffus, Despeisseus, & Cabassutius sequuntur (*d*).

(*b*) Bonifac. VIII. in c. Cum de Beneficio. 5. de Præbendis. &c. in 6. l. 3. tit. 4.

(*c*) Glossa in cit. c. Cum de Beneficio, v. Legitima.

(*d*) Rebuff. prax. Benef. 3. parte tit. quotuplex sit Benefic. n. 5. Antonius Despeisseus de Benefic. tit. 3. n. 3. & 37. Joan. Cabass. at Juris can. theo. & prax. lib. 2. c. 2. n. 3.

CASUS XV.

Basilides, Parochus Regularis de Paroecia S. Eulogii, cum aliquibus hebdomadibus ante suum obitum, Curam suam in favorem Davidis, abdicavisset; David Episcopum Dioecesanum rogavit, dum suæ Provisiones in Curia Romana confectæ essent, Curialium muniorum interea ibidem exercendorum, sibi fieri facultatem; quod omnino obtinuit. Varum impensis plurimum parcens, provisiones suas expediendas, ultra non fuit persecutus, & per decennium & amplius, ex facultate sibi primum facta, ab Ordinario Munia Curæ annexa peragere continuavit; & nomen titulumque Parochi, in quibuscumque actibus aliis scripto confectis, sibi arrogavit. In quo David potissimum arguendus sit?

RESPONSA.

Juxta sententiam Eruditi admodum cujusdam Theologi (*e*), de difficultate prorsus simili, quondam interrogati, David potissimum arguendus est 1. In eo quod, in actibus scripto conficiendis, aut quavis alia ratione, Parochi titulum sibi assumpserit; quoniam in rei veritate Parochus non extabat; siquidem, ad Curam S. Eulogii, canonice non instituebatur. 2. Quod Provisiones suas, in Curia Romana, non fuerit persecutus & nihilominus fructus de Beneficio obvenientes, suos fecerit eadem perinde ratione, ac si legitimus Titularis, & Possessor extitisset. 3. Potuit tamen Curialia munia obeunda sibi suscipere, & fructus de Beneficio percipere, siquidem utrumque non attentaverit, nisi accedente licentia & consensu Ordinarii, a quo ad inserviendum Curæ, fuit delegatus. Cæterum palam omnino fit, in ejusmodi agendi ratione, quamdam quasi obreptionem deprehendi: siquidem cum Sacerdos præfatus non petierit ab Episcopo facultatem dictæ Curæ inserviendi, nisi tantummodo usque eo cum, e Romana Curia, suas habuisset provisiones; non fit conjiciendum, eam mentem Episcopo affuisse, ut, in eadem Pastoralibus officiis per spatium, ultra decennium excurrendum fungeretur, quemadmodum functus est nihil curans, de suis Provisionibus, e Romana Curia sibi accersendis. Quidquid fit si in prædictam Curam semetipsum auctoritate privata irrepsisse censeretur, Episcopus posset eum, de vitio obreptionis absolvere, & eum, de irregularitate contracta, si quæ scilicet occurreret, in pristinum statum restituere; siquidem ipsa nulla ratione, fit pervulgata.

(*e*) Sambovius t. 3. casu 71.

CASUS XVI.

Amalarius allegata, in Curia Romana, sua supplicatione, de impetrando Prioratu quodam Regulari, de Ordine Canniacensi, *pro cupiente profiteri*, non omnino cogitans, in isto Ordine profiteri; de eodem interjecta conditionis præfatæ clausula, provideri sibi obtinuit, & in ejus possessionem venit. Numquid ipsius Provisiones sunt alicujus momenti, & ipsine licet istud Beneficium sibi retinere?

RESPONS.

Ablque dubio est, ad prædictum Prioratum, de quo quæstio proponitur, Amalarium legitima nullatenus institui; quippe qui pro tempore suam supplicationem, de eo impetrando ad summum Pontificem habuit, eam mentem sincere non fuerit expertus, nec Religiosæ professionis, in Ordine Canniacensi, emittendæ nec vitæ gerendæ, quæ Religiosæ conditioni foret consentanea. Ratio est, quia summus Pontifex, prædictum Prioratum ei non concessit, nisi ei simul ista conditionis lege imposita, nec ullo modo intenderit, eidem in seculo remanenti, vitamque secularem agere perseveranti, de isto Beneficio providere. Obreptitia prorsus ergo est, atque omnino caduca, ipsius Institutio; siquidem falsum in sua supplicatione enunciaverit; adeoque ipsi incumbit, dictum Prioratum abdicare.

Quæ nostra decisio potest plurimum confirmari, ex Decretali Alexandri III. Archiepiscopo Cantuariensi inscripta (*f*), in qua laudatus Papa sic habet de Rescriptis Apostolicis. *In hujusmodi litteris, intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur, si preces veritate nitantur.* Quibus addere licet plurimas alias Decretales, in quarta decisione superius relatas, in quibus verbis omnino distinctis, fertur, quascumque literas, Pontificia Diplomata, & Apostolica Rescripta, viribus carere; cum aliquid falsi ratis, in supplicatione fuit obreptum, aut aliquid etiam veritatis tacitum est, quod Summo Pontifici innotescere oportebat.

(*f*) Alexand. III. in cap. Ex parte 2. de rescriptis.

CASUS XVII.

Saturatus ab Ordinibus suis actu & de facto suspensus, aut majoris excommunicationis vinculo ligatus propter perpetratum ab eo crimen quoddam occultum, oblatum sibi Beneficium acceptavit. Numquid ipsius Provisiones validæ sunt atque Canonicæ?

Digitized by Google

RESPONS.

Sunt prorfus irritæ, quæ in casu proposito Sertorio concessæ fuere Provisiones. Cujus rei ratio hæc est, quia nempe quotquot ejusmodi censuris actu & de facto innodantur a Beneficiis ipso Jure excluduntur, licet Censuræ fuerint occultæ, atque sic inhabiles declarantur, ut ipsis non possit de iisdem ullatenus provideri. Quod quidem probatur tribus Decretalibus, quæ referuntur in Corpore Juris.

Prima ea est, quam Alexander III. Coloniensis Ecclesiæ Decano inscribit (*a*), in qua Collationem Beneficii, quod Ecclesiastico cuidam excommunicato fuerat concessum, nullam omnino esse declarat. En laudati Papæ verba: *Respondemus, quod cum excommunicatis communicari non debeat, & Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt; nec illi valent ea retinere licite.*

(*a*) Alexand. III. in cap. Postulastis. 7. de Clerico Excommunicato, &c. & ibi glossa. l. 5. tit. 27.

Secunda autorem habet Celestinum III. in qua, de quibusdam Clericis, qui fuerant ab ipsius antecessore declarati suspensi, & quorum aliqui, cum per triennium remansissent istius Censuræ vinculo ligati, nihilominus obtinuerant de Beneficiis interea sibi provideri, sic habetur (*b*): *Et quia, utrum Beneficia sic recepta possint rationabiliter retinere, nos consulere voluisti*, inquit memoratus Papa, *respondemus, quod non licet eis illa, quæ habuerunt Beneficia, vel quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere. Unde Baraneno. Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia & contemptu Apostolico, Beneficiis quæ habent, non differat spoliare*. In quæ verba Glossa sic ait (*c*): *Talia Beneficia tenere non possunt, etiam si fuerint postea absoluti, quia tunc tempore obtenti Beneficii inhabiles erant & indigni: quia in talibus principium considerandum est.* Atque istæc postrema verba author Glossæ probat, quadam Decretali, quam Innocentius III. scribit ad Episcopum Prænestinum (*d*). Atque Canone quodam excepto de operibus S. Leonis (*e*), addit præterea præfata Glossa (*f*), *Suspensi eligere non possunt, nec etiam eligi .... nec Beneficia eis tempore suspensionis conferri possunt.*

(*b*) Celestin. III. in c. Cum bonæ. 8. de ætat. & qualit. & ordine præficiendorum. lib. 1. tit. 14.

(*c*) Gloss. in cit. cap. Cum bonæ. v. Postmodum &c.

(*d*) Inn. III. in c. Dudum. 22. de electione & electi potest.

(*e*) S. Leo in can. Principatus. 25. 1. q. 1.

(*f*) Glossa cit. v. Suspensi.

Tertiam denique Decretalem habemus ex Innocentio III. qui declarat electionem unius cujusdam Abbatis irritam, eo quod esset suspensus. *Quia nobis constitit*, inquit laudatus Papa (*g*), *electionem ipsam a suspensis & de suspenso etiam celebratam; eam justitia cassavimus exigente* (*h*).

(*g*) Inn. III. in cap. Cum dilectus. 8 de consuetudine. lib. 1. tit. 4

(*h*) Joan. Caballut. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 11. n. 8

Colloq. Condomens. to. 2. colloq. 1. sect. 2.

CASUS XVIII.

BALDERICO Subdiacono, cum in irregularitatem incidisset ex homicidio voluntarie facto; atque ipsius irregularitate omnino occulta remanente; collata est Capellania de Sancta Felicitate. Valentne, quas sibi obtinuit, de dicta Capella Provisiones?

RESPONS.

Quas, de Capellania de sancta Felicitate, quo tempore irregularis erat *ex crimine*, Baldericus obtinuit, nullæ sunt *ipso jure* Provisiones. Neque enim, quantum attinet ad casum præsentem, distinguendum est inter irregularitatem, quæ secreta est, & eam quæ publica existit; siquidem utraque perinde constituat in foro interiori, Canonicum impedimentum; ut observat Navarrus, (*i*) Quoniam nihil distinctionis inter utrumque, quoad istud caput, Jus admittit, nec quidquam proinde discriminis admittere debemus, juxta vulgatum istud adagium: (*K*) *Ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

(*i*) Navarr. manual. c. 27. 294.

(*K*) Argum. legis. De pretio. 8. de publiciana in rem actione lib. 6. tit. 2.

Concilium Tridentinum suam ea de re sententiam aperuit, quæ decisioni nostræ plane congruit. Namque sic habet de irregularitate contracta ex homicidio voluntario, etiam occulta: (*l*) *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias ab altari avelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat; sed omni Ordine ac Beneficio & officio Ecclesiastico perpetuo careat.* Quam eandem pœnam Sixtus V. in sua octogesima septima Bulla 29. Octobris 1588. extendit ad eos, qui partum abigunt (*m*); cui deinde modum posuit Gregorius XIV. in sua octava Bulla 31. Maii 1591. (*n*) posito nempe casu, quod *Fœtus* animetur.

(*l*) Concil. Trid. Sess. 14. c. 7. de refor.

(*m*) Sixtus V. in Bulla Effrenatam.

(*n*) Greg. XIV. in Bulla Sedes Apostolica.

Et vero, cum Beneficium non detur, nisi eo fine, ut ei a Beneficiario deserviatur; quemadmodum loquitur Bonifacius VIII. (*o*) & ejusmodi irregularis sit prorsus inhabilis ad exercendum suum officium; quippe jam non sit aptus ad fungendum muneribus annexis suis ordinibus; æquum est, eadem omnino ratione inhabilem censeri, ad possidendum Beneficium, atque adeo Provisionem, quæ ipsi de eo collata est, tanquam nullam haberi, quemadmodum nulla est eadem de causa Provisio, quæ fuit in gratiam excommunicati alicujus concessa; juxta quod ab Innocentio III. definitur (*p*).

(*o*) Officium propter quod Beneficium datur. Bonifac. VIII. in cap. Quia per ambitiosam. fin. de rescriptis in 6.

(*p*) Inn. III. in cap. Postulastis. 7. de Clerico excom. Deposito, vel interdicto ministrante. lib. 5. tit. 27.

Potest altera quoque causa, præter eam de qua dictum est, afferri, cur nullæ sint in casu, de quo quæstio versatur, Provisiones; nimirum defectus consensus in Collatore, qui debet merito quidem præsumi, nunquam intendisse Beneficium ei conferre, qui alicujus impedimenti Canonici vinculo innodatur, propter quod ut eo minime dignus efficitur, sic etiam nulla omnino ratione capax; adeo ut, Collatio in gratiam ejusmodi subjecti præstita, rata nunquam evadere possit, nisi tantum ex dispensatione; quemadmodum luculenter probant istæc verba Clementis III. sermonem facientis de Sacerdote quodam dicto Henrico, qui fuerat alicui causa mortis: (*q*) *Poteris tamen cum eo circa habendum Beneficium misericorditer dispensari.*

(*q*) Clem. III. in cap. Henricus fin. de Clericis pugnantibus in duello. lib. 5. tit. 14.

Quam tuemur sententiam, amplectitur Eruditus quidam Canonista, qui labente postremo seculo scribebat. (*r*) *Irregularitas*, inquit, *præcedens electionem, aut provisionem Beneficii, facit eam invalidam, & irritam*. Et iterum: *Irregularitas, non modo tonsuræ, & Ordinum susceptionem impedit: sed etiam usum horum ante susceptorum; .... quin etiam obstat suscipiendis Beneficiis, paritque incapacitatem ad ipsa.*

(*r*) Joan. Caballut. jur. can. theor. & prax. l. 5. c. 22 n. 8. & c. 29. n. 2.

Quæ sumus huc usque prosecuti non sunt intelligenda, nisi de Irregularitate, quæ oritur de delicto, aut de alia quacumque, quæ præcedit Collationem alicujus Beneficii, aut sacrorum Ordinum susceptionem. Namque quod attinet ad irregularitatem, quæ ex aliquo defectu exsurgit & impedimento est, cur irregularis, qui jam constitutus est *in sacris*, nequeat officium Ordinis superioris exequi, nullatenus impedit, quominus ei possit Beneficium valide conferri, quod eum duntaxat Ordinem exigit, quem jam suscepit, & ad cujus officium exercendum non est inhabilis; atque adeo, si Diaconus ex aliquo casu, duobus digitis insignioribus manus orbaretur, licet ad Beneficiarum Curam inhabilis foret, non propterea tamen inhabilis constitueretur ad aliud, cui posset inservire, nulla cogente necessitate offerendi sacrificii Divini; modo nimirum defectus, ex quo irregularis efficeretur, eundem non redderet inhabilem, ad gerenda quæcumque officia; qualis esset, qui dicitur; *Defectus lenitatis.*

Vide { BENEFICIUM. BENEFICIARIUS. COLLATIO. DEVOLUTUM. RESIGNATIO. PERMUTATIO. }

PUPILLUS.

Vide MINOR.

PARTUS.

Vide IMPEDIMENTUM EX RAPTU.

RECONCILIATIO.

Vide CHARITAS.

REDBESTIA.

Vide SOCIETAS.

REDHIBITIO.

EST *Redhibitio* Jus, quo gaudet Dominus Fiduciarius, aut qui venditori propinquus est, recipiendi de possessione Emptoris fundi, id est boni alicujus non moventis venditi a Vassallo, aut a propinquo quodam, solvendo pretium venditione constitutum, & in contractu memoratum.

Dicimus: *Dominus Fiduciarius, aut qui venditori propinquus est*: propterea quod duæ distinguantur redhibitionum species. Una quidem, quæ dicitur *Fiduciaria*, seu *Jus retentionis*, vi cujus Dominus *Fiduciarius*, hoc est, Proprietarius prædii Beneficiarii primarii, a quo aliquis fundus immediate habet, ut sit Clientelaris, potest recipere, seu redhibere fundum Beneficiarium secundarium, & a se ipso moventem, qui ab ejus Vassallo venditus est; modo jure sibi acquisito utatur, intra spatium temporis locorum Consuetudine definiti, quod quidem juxta Consuetudinem Parisiensem, ad quadraginta tantummodo dies extenditur, computandos scilicet ab ipso die, quo ei fuit venditio primum significata: atque sic statuitur excluso Domino, qui jus habet Solarii vectigalis, cui ita ferente Consuetudine Parisiensi, nullum jus tribuitur redhibitionis, circa fundos venditos, qui positi sunt intra limites ipsius soli: quanquam ea de re Consuetudines Valesiæ, (*a*) Victoriacensis, (*b*) Nivernensis, (*c*) Britanniæ Armoricæ, (*d*) & cum eis aliæ quædam ratione diversa prorsus statuant.

(*a*) Art. 4
(*b*) Art. 18
(*c*) Cap 5. a. 2. 4. & 5.
(*d*) Art. 30

Quod quidem Jus invalescit in quibuscumque hujus Regni Regionibus, quæ jure moribus constituto reguntur; atque etiam in iis locis, in quibus Jus scriptum locum obtinet, excepta sola Saliensi Consuetudine, in Jurisdictione Baillivii & Castellani Insularum in Flandria (*e*), qua prædictum Jus Dominis prorsus denegatur, & Consuetudine quæ viget in Delphinatu, in quo nullum quoque locum obtinet, nisi in concessionibus Fiduciariis, ea de re, disertis verbis expressa stipulatio accesserit: quemadmodum evincit D. de Ferriere in Commentario, quem edidit in consuetudinem Parisiensem (*f*), ex quatuor Arrestis, quæ referuntur a Basset (*g*).

(*e*) Tit. 2. a. 65
(*f*) Art. 20. n. 5
(*g*) Basset l. 3. tit. 7. c. 1

Quoniam *Redhibitio*, jus quoddam primatus importat, & juxta Jurisprudentiæ usum, qui recipitur in Supremo Parisiensi Senatu, Jus prælationis, ut fert genus dicendi forense, Dominis Ecclesiasticis attribuitur, possunt quoque isti jure fiduciariæ redhibitionis gaudere. Verum plurima alia Parlamenta hujus Regni, Jurisprudentiam oppositam amplectuntur, quæ nimirum innititur isto Principio, quod pro suo vindicant, ac sequuntur, scilicet Jus istud habere ex natura sua, ut non possit cedi, hoc est, nequeat unquam, nequidem ad Ecclesiam, transferri. Adeoque eadem siquidem Regula non ubique obtineat, nec ea de re, sibi passim constet Jurisprudentia: unumquemque stare convenit ei, quam novit, in iis Regionibus,

in quibus degit obtinere. quod sic observatur a Dionysio Simon, Assessore in Jurisdictione Latrunculorum, & senatore in Præsidiali Curia Bellovacensi (a).

Altera redhibitionis species, a Latinis dicitur *Redhibitio gentilitia*: & differt a redhibitione fiduciaria, in eo quod ista tota nitatur conventione saltem tacita, quæ Dominum inter & Vassallum intervenit (b); contra vero redhibitio gentilitia, sit Jus, quod Legis Beneficio inducitur, & conceditur; ut probat Covarruvias (c): aut ipsa consuetudine, quæ vim Legis habet, atque ejusdem locum supplet.

(a) Dion Simon. Ju. Can. Gall. to. 2. Ed. 5. p. 207.
(b) Guido P. q. 508.
(c) Cov. t. 3. var. resol. c. 10.

Potest redhibitio fiduciaria exerceri a Dominis, etiam adversus homines manus plane emortuæ, nihil quidquam obstantibus manus emortuæ codicillis, qui eo tantum conducunt, ut sint ad possidendum habiles Juribus, quæ debentur Dominis Fiduciariis, salvis semper remanentibus.

Quoniam vero Jus fiduciarium potest inter plurimos Codominos distribui, tunc non datur illorum alterutri facultas redhibitionis adhibendæ, nisi pro ratione portionis, quæ ei in prædio beneficiario primario contingit, nisi ei a ceteris Dominis Jus in integrum cedatur, ut plurimis Arrestis a Supremo Parisiensi Senatu pronunciatum est. Si tamen Emptor noluerit portionem redhiberi, potest omnino exigere a Codomino, ut prædium beneficiarium in integrum redhibeat.

Nullus Dominus Fiduciarius potest exercere suum jus retentionis, nisi implorata auctoritate proprii sui Judicis, aut Judicis loci, in quo venditum prædium beneficiarium situm est; aut Judicis domicilii Partoris, cui debet offerre, a se restituenda tum pretium venditionis, tum impensas, ceterasque impendiorum accessiones, quæ sub Gallico vocabulo *Loyaux-couts*, solent circumferri (d). Atque necesse est, dictum pretium, memoratasque impensas, atque impendiorum accessiones, quæ dicuntur Gallice *Loyaux-couts*, Intra viginti quatuor horas districte omnino refundi, postquam a Partore deposita fuerint in Tabulario quæcumque attinent emptionis instrumenta, adhibita nimitum cautione, ut vel præsens intersit pars, vel debita ratione fuerit vocata: si vero deneget Partor oblatam sibi pecuniam acceptare, eodem appellato, ut præsentem se sistat, sive præsens aderit, sive absens fuerit, ista pecunia deponenda est.

(d) Molin. in a. 20. consuet. Parif Gl. 3. n. 1. D. de Ferriere ib. Gl. 2 n. 1.

Sub isto vocabulo Gallico *Loyaux-couts*, intelliguntur impensæ contractus, integra solutio Jurium Dominii, licet fuissent Partori condonata, aut eidem potuissent remitti arationes, & semina, urgentes, atque necessariæ refectiones, saltem quæ, ut quædam consuetudines ferunt, accedente Judicis auctoritate, adhibitæ fuerunt.

Redhibitio non censetur esse altera venditio. Ideoque ab eo, qui redhibitione utitur, jura Dominii non debentur, nisi quando gentilis aliquis jus redhibitionis exercet adversus ipsummet Dominum, qui emit, aut qui jus redhibitionis ex jure fiduciario adhibuit.

Cum gentilitia redhibitio jure communi Gallorum innitatur, ipsa fiduciaria redhibitione longe potior habetur, exceptis iis Regionibus, quæ scripto jure reguntur.

Cedit propinquo Gentili venditoris annus integer cum die uno, hoc est, vadimonium, quod denunciatur Partori, debet incidere intra annum, & diem unum, quo locus detur redhibitioni adversus Partorem exercendæ, quando vinculis propinquitatis cum venditore conjunctus est in eodem gradu, ac limite cognationis, ex qua fundus venditus venditori obvenerat; ut mediante ista redhibitione, fundus revertatur, ac denuo recipiatur in eamdem Gentem, cujus proprius erat, & de qua, interveniente venditione, quæ confecta erat, fuerat sublatus. Atque ea potissimum de causa, propinquus iste, qui jus exercet redhibitionis, a latinis dicitur *gentilis Receptor*.

Annus, & dies præfati computandi sunt, 1. quoad fundos vectigales, aut plebeii juris, ab ipsa die, qua venditionis contractus in tabulas Domini relatus est. 2. Quoad prædia fiduciaria, a die infeudationis. 3. Et quantum ad agros immunes, aut quantum ad prædia Beneficiaria & fundos, quæ Dominus acquisivit in proprio suo territorio, aut solo, a die, qua Emptio seu redhibitio fiduciaria denunciata est, id est, judice sedente *pro Tribunali*, in viciniori Jurisdictione Regia, ubi prædium situm est, juxta articulum 132. & 136. Consuetudinis Parisiensis.

Vigent consuetudines quædam, quæ deficientibus propinquis ex directo limite,

mite, ceteros cognatos, ad jus redhibitionis exercendum, admittunt. Ceterum unicuique, propriæ suæ Provinciæ Consuetudini inhærendum est, tamquam legi, quæ, sicut in foro Judicii, sic in foro conscientiæ, idem prorsus obligationis parit vinculum.

Quando simul occurrunt duo propinqui, qui redhibitionis jus sibi vindicant ac volunt exercere, circa fundum aliquem proprium, qui venditus est; invaluescit apud quasdam Consuetudines, ut, qui propinquitate vicinior est, præferatur, & si fuerit idem cognationis ordo, qui prior occupavit, is potior jure censeatur. Est usu receptum in Consuetudine Parisiensi, & plurimis aliis Consuetudinibus, ut amborum alteruter, qui diligentia prior est, semper præponatur, & si contingat ab utroque eodem simul tempore actionem redhibitionis fuisse intentam, admittatur uterque ad concurrendum in eamdem redhibitionem. At vero si alternter redhibitione desisteret, alteri incumberet, fundum integrum redhibere; nisi forte Partor, cui jus cedit, ut ei omnimode compensetur, contrarium comprobaverit.

Potest vir conjux pro sua uxore ipsiusque nomine jus redhibitionis exercere, nulla nequidem ab ipsa sibi facta procurationis auctoritate.

Quæ venduntur Bona parta, redhibitionis juri non subjiciuntur, exceptis regionibus, quæ Consuetudine Normanniæ, & quibusdam aliis paucissimis Consuetudinibus reguntur. Si tamen ejusmodi bona parta, obvenissent cuidam propinquo ex recto limite, & coalescerent ex paterna aliqua hereditate; quæ quidem emta propinquus iste postmodum vendidisset, priori venditori jus fieret, eorumdem redhibendorum.

Prædium commutatum cum aliquo fundo paterno, vicem ac locum habet ejusdem fundi paterni, atque adeo redhibitioni obnoxius est, Cum aliquis „ proprium suum fundum patrium alio fundo mutavit, inquit articulus centesimus „ quadragesimus tertius Consuetudinis Parisiensis, prædictus fundus fit paternus „ ei, cui ex commutatione contingit; atque si deinde vendatur, juri redhibitionis omnino subjacet „. Eam autem istius rei caussam suggerit D. de Ferriere, memoratæ Consuetudinis interpres (a), quod nempe res, quæ in permutationem accipitur, eamdem conditionem, ac naturam sortiatur, quam præ se ferebat alia res, quæ in commutationem tradita est; juxta juris adagium, quo fertur: *Subrogatum sapit naturam subrogati*: quod passim legitur in pluribus legibus Digesti, quæ allegantur a præfato celeberrimo Jurisconsulto, atque ea potissimum de caussa, quando fundus aliquis paternus cum alio prædio permutatur; istud idem prædium, in usumfructum mulieris viduæ cedit, absque eo quod, de aliqua substitutione, necesse sit accedere stipulationem ullam; quemadmodum judicatum est a supremo Parisiensi Senatu Arresto pronunciato, septimo Julii anni millesimi sexcentesimi vigesimi secundi, quod refert Brodeau in suo Commentario in Louet (b). Concordant ea de re cum Consuetudine Parisiensi, Consuetudines Aurelianenses articulo trecentesimo octogesimo quinto, & Rhemensis, articulo centesimo quinquagesimo quarto Ceterum observare plurimum interest verba, quæ adhibentur in Consuetudine: *Commutatio prædii cum prædio*: quoniam si de fœnore commutatio esset, non admitteret jus redhibitionis: quanquam ejusmodi bonum, juxta jus Consuetudine constitutum, patrium censeatur.

(a) D. de Ferriere in art. 143. Glossa unica p. 89.

(b) Littera S n. 10.

Plurima sunt alia statuta, quæ præsentem materiam attinent: verum quoniam magis Advocatorum artem, quam nostram sapiunt, ideo eadem silentio præmittimus.

Qui propinquus est ex recto limite, non potest jus redhibitionis gentilitiæ, quod sibi acquisitum est, ad alios, qui fiunt extranei transferre.

Tandem generaliter loquendo, stricte sunt observandæ, in exercenda gentilitia redhibitione, quæcumque formulæ juris, quæ requiruntur ipsa Consuetudine loci, in quo prædia posita sunt, non vero formulæ, quæ servari consueverunt in Jurisdictione, in qua actio redhibitionis intenta urgetur.

Neque vero præsenti præloquio finem imponere juvat, nisi antea subjecerimus a Jurisconsultis alias duas redhibitionum species recenseri: nimirum unam *Censualem*, ut ajunt, & alteram *Conventionalem*.

Redhibitio Censualis, est jus quoddam indictum ab Imperatore Justiniano (c) quo licitum sit ei, qui dedit in emphytensim aliquem fundum, eumdem recipere de possessione illius, a quo postmodum emtus fuit, ei nimirum refundendo idem pretium, quod inter ipsum & venditorem conventum de eodem fundo persolutum est.

(c) L. *Cum dubitabatur*. fin. cod. de jure Emphyteut. l. 4. tit. 66.

Supremi Senatus, qui ad normam Romani Juris pronuntiare solent, & qui jus moribus constitutum tenent, non eamdem ea de re sequuntur Jurisprudentiam.

1. Jus istud usu non recipitur intra limites Jurisdictionis Parisiensis Parlamenti, nequidem in Regionibus Juris scripti, quæ ipsi subjiciuntur; quemadmodum observant Papon & Henrys (*a*). Auctor iste solum casum excipit, in quo scilicet codices agrorum vectigalium aliquam eo de jure ferunt expressam stipulationem.

2. Idem jus locum obtinet apud supremas Curias Tolosanam, & Burdigalensem, testantibus La Roche Flavin, Despeisses, Catelan, & la Peirere (*b*); at non viget in Parlamentis Provinciæ, & Delphinatus (*c*).

3. Invalescit apud consuetudines in plurimis Provinciis inductas, quales sunt Consuetudines Silvanectensis & Veromanduorum, & aliæ; verum nullatenus obtinet in Parisiensi Consuetudine.

Redhibitio Conventionalis illud est, proprie loquendo, quod appellatur facultas redimendi; & tota pendet a partium contrahentium nutu, atque conventione.

Istius redhibitionis jus ad annos usque triginta extenditur: cujus rei ratio est, quod personalem clausulam, annexam secum habeat, quæ quidem producitur ad annos usque triginta, sed vel etiam quadraginta, si hypotecharia actione fulciatur. Atque speciale sibi privilegium istud vindicat, quod, ut penitus extinguatur dicta redhibendi facultas, judicium sit obtinendum a Judice, quo declaretur venditor ipsa facultate decidisse: alioquin integra perseverat, etiam elapso spatio temporis, de quo accesserat stipulatio, & fuerat in contractu conventum. Sic pronuntiari consuetum est in suprema Parisiensi Curia, juxta quod testantur Brodeau in Louet & Henrys (*d*).

(*a*) Papon. to. 1. l. 2. tit. de Emphyt. Henrys to. 5. l. 3. q. 22.

(*b*) La Roche Flavin. tr. de jurib Dom. c. 23 ar. 1. Despeisses to. 3. pag. 81. n. 2. Catelan. to. 1. l. 3. c. 14. La Peirere Litera R. n. 118.

(*c*) Salvainge de l'usage des fiefs ch. 21. Morgues sur le statuts de Provence pag. 214.

(*d*) Brodeau in Louet litera v Summa l. 2 Henrys to. 4. l. 3. q. 31.

CASUS PRIMUS.

Lucullus, cum vendidisset Mævio domum quamdam, quæ ipsi de Paterna hæreditate obvenerat: Lysander ipsius frater, aut unus e propinquis ejus; cui redhibitionis exercendæ jus succurrebat, egit eo fine, ut domum præfatam reciperet, offerendo nempe Mævio pretium, quod ipsius emendæ gratia persolverat: non tamen animum habens, ejusdem sibi retinendæ, sed ad quemdam ex amicis suis, quem istius domus proprietatis ardor incesserat, transferendæ. Numquid illæsa conscientia, domum præfatam redhibere non potest, quippe qui, redhibitionem ejusmodi exercendo, nonnisi Lege sibi indulto jure utatur?

Respons.

Certissimum est, nec a Lysandro, nec ab alio quovis, qui cum Lucullo propinquitate conjungatur, jus gentilitiæ redhibitionis eo animo adhiberi posse, ut inde postmodum juvetur quidam ex ipsius amicis; siquidem ejusmodi jus in Gallias non fuerit inductum, nisi in gratiam & commodum solius tantummodo personæ, a qua exercetur: Quæ quidem jurisprudentia cum eo prorsus congruit, quod olim frequentabatur in antiqua Lege, (*e*) & in Imperio Romano, (*f*) antequam ab Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio fuerit jus istud rescissum atque abrogatum. Atque, ea de caussa usus invaluit, ut nullus propinquus in judicio admitteretur ad exercendam redhibitionem gentilitiam, nisi primum adhibito etiam Sacramento affirmaverit, id animo sibi esse, ut quam vult redhibere, rem sit sibi servaturus; ut perhibent Boerius, Imbertus, Mainardus, Grimaudet (*g*) & alii quam plurimi, quos citat Cabassutius (*h*).

(*e*) Levit. 25. 25. Ruth 4. 4 & seqq.

(*f*) L. *Dudum* 14. cod. de contrahenda empt. & vend. lib. 4. tit. 38.

(*g*) Nicol. Boerius decis. 239. Imbertus in prax. Mainardus l. 2. c. 81. Grimaudet. l. 1. de retract. c. 5. & l. 6. c. 4.

(*h*) Joan. Cabassut. jur. can theor. & prax. l. 6. c. 9. n. 11.

CASUS II.

Aristippus Parisinus Civis, cum emisset domum, simulque decem arationum jugera, & totidem vinearum: ejusdem ruinam jam jam minitantis neglexit sarta tecta habere, ac reliquit terras cultu vacantes, quoniam timebat, ne futurum esset, ut a Lucio, qui cognatione venditorem ipsius attingebat, adversus semetipsum jus gentilitiæ redhibitionis exerceretur. Atque revera quidem usus est Lucius proprio suo jure intra annum, & diem præfixum oblata conditione, refundendi Aristippo, tum pretium principale, tum impensas & alias, quas sustinuit impendiorum accessiones sub vocabulo Gallico *Loyaux-couts* contentas numerata, ea de re præsenti atque sub oculis posita pecunia, juxta quod ipsa Parisiensi Consuetudine exigitur, (*i*) atque eodem etiam simul tempore, ab eo sibi damni compensationem præstari petiit, propterea quod ipsa eadem domus ex parte concidisset, a quo tempore eam emerat, ex neglectis ejusdem refectionibus necessariis & urgentibus, neque curavisset, nec agros seminari, nec vineas excoli. Contendit Aristippus nullam ea de re a semetipso repeti posse damni compensationem: siquidem liberum omnino sit proprietario aut proprios agros excolere, aut eosdem incultos relinquere: aut ædium suarum sarta tecta habere, aut easdem ruinosas deserere, neque ab excidio tueri. Numquid non potest Aristippus, & recta quidem conscientia ab ejusmodi actione semetipsum in foro exteriori defendere, si contigerit, ea de re litem ipsi a Lucio inferri?

(*i*) Consuet. Parisiens. art. 140.

Respons.

Nullo prorsus jure propugnari potest, ab Aristippo quidquam damni reparationis in casu proposito, esse Lucio refundendum. Quando namque contingit, rei alicui emtæ damnum quoddam inferri, sive ante, sive post intentam redhibitionis actionem, illud totum ipsi redhibenti, seu receptori incumbit. Cujus rei ratio hæc est, quod si damnum supervenerit post intentam actionem: qui redhibitionem exercet, censeatur rem, ut ut se habet, repetere, quam quidem cum talem esse noverit, sibimetipsi proinde debeat damnum cognitum imputare. Si vero post intentam actionem damnum emerserit, illud idem jam non cadit in emtorem, quoniam ipsius esse desinunt fructus, qui de re emta procreantur ac proveniunt. Sic opinatur Carondas le Caron, in suo Commentario in articulum Parisiensis Consuetudinis centesimum quadragesimum sextum: opinionemque suam ex consensione quamplurimarum legum Romanarum ut plurimum confirmat (*K*).

Neque abs re fuerit ibidem subjicere. 1. Si præfatæ domui refectiones urgentes atque necessariæ fuissent ab emtore adhibitæ, & cautum ab eodem fuisset, ut agri convenienter excolerentur; futurum fuisse, ut gentilis Receptor ad quascumque, ea de re impensas eidem refundendas teneretur:

(*k*) Leg. *Sed & si* 25. §. Consuluit. §. Adeo autem Et Leg. *Si quid* 31. §. Sicut ff. de petit. hereditatis l. 5. tit. 3.

tur; ut observat laudatus juris interpres, & probat ex dispositione cujusdam e legibus Digesti (*a*). Præterea que addit, id locum etiam habere, etiamsi postmodum accidisset, ex fortuito aliquo casu impensas ejusmodi evasisse prorsus inutiles ac nullius pretii. Quod quidem ea ratione sic judicaretur in foro exteriori, atque reipsa pronunciatum est Arresto lato a supremo Burdigalensi Senatu, 24. Januarii 1584. & alio Arresto dicto a suprema Curia Parisiensi, 22. Junii 1576. quæ duo a memorato auctore referuntur: a quo etiam in confirmationem istius sententiæ plurimum laudatur dispositio multarum legum tam de Digesto quam de Codice excerptarum, quas ad marginem hic loci indicamus. (*b*) ne moveamus ex fusiori earumdem prolatione satietatem. Quod etiam denique docetur a plurimis aliis Jurisconsultis insignioribus, quales sunt Accursius, & Baldus.

2. Alterum etiam in præsenti materia observandum venit, nempe fundum emtum non debere ab emtore effici deteriorem, alioquin ipsi Gentili receptori jus atque facultatem fieri, ab eodem damni compensationis exigendæ, ut satis innuunt istæc verba Consuetudinis Parisiensis: *Simili ratione non potest in deterius prædium evertere, quodque si pejus reddiderit, obligatur ad restituendum illud in priorem, qua constabat status conditionem*. Ita pronuntiatum est a Parisiensi Parlamento Arresto 9. Decembris 1570. occasione quarumdam arborum silvestrium, & arborum frugiferarum, quas emtor cæciderat nondum expletis anno & die ad redhibitionem exercendam præfixis. Quæ quidem Jurisprudentia ipsius æquitatis dictamine omnino suadetur, & Civilibus Legibus plurimum comprobatur (*c*).

(*a*) L. *Sed an ultro* 19 ff. de negotiis gestis l. 3. t. 5.

(*b*) Arg. L. *Necessarius*. 8. ff. de pign. actione vel contra l. 13. t. 7. Leg. *Quotiens* 2. ff. de in diem addictione. l. 18. t. 2. L. *Id quod* 7. Et L. *vendita* 11. ff. de periculo & commodo rei venditæ l. 18. t. 7. l. *Quod sæpe*. 35. §. in l. is ff. ad senatus cons. Trebellianum l. 36. t. 1. Et L. *Legatum*. 95. ff. de conditionibus & demonst. l. 35.

(*c*) Arg. legis Sed etsi. Et L. *Æquissimum* §. 2. ff de usufructu L. *Divertium* §. Si fundum ff. solutio matrim.

CASUS III.

Scabinius Dominus de Parœcia S. Andreæ cum rescivisset a Germano e Vassallis suis uno, cæduam quamdam Silvam fuisse Paulo divenditam, jure redhibitionis fiduciariæ sibi confesso usus est, atque integram summam, quam ea de re germano persolverat, Paulo rependit, secum cogitans, eamdem viro cuidam nobili cedere, cujus prædia possessionesque dictam Silvam contingebant. Numquid potuit ejusmodi redhibitionem, æquitate non violata, eo animo exercere?

RESPONS.

Quod, ea de re fuit a Scabinio peractum, omni prorsus injustitiæ nævo vacat; in eo namque differunt jus gentilitiæ redhibitionis, & quod fiduciariæ proprium est, ut qui privilegium prioris speciei sibi vindicat, illud idem nequeat, nisi in privatum suum commodum accersere, quemadmodum in dissolvenda prima difficultate observatum est; At vero penes sit Dominum Beneficiarium, Jus redhibitionis fiduciariæ sibi acquisitum exercere, sive in propriam suam utilitatem, sive amicum quem libuerit inde juvandi gratia, quemadmodum uno ore docent Celeberrimi nostri Jurisconsulti Gallici, ac nominatim Ludovicus Charondas, Minardus, Mornacius, & Chopin (*d*). Ita etiam censet Cabassutius, qui laudatos Auctores ipse allegat (*e*).

(*d*) Lud. Charondas l. 3. responsorum. c. 22. & l 7. c. 140. Mainard. l. 8. c. 20 Monac. ad L. 16. ff de legibus. Renat. Chopin. l. 3. de Dominio c. 23. n. 5.

(*e*) Jo. Cabass. Juris can. theor. & prax. l. 6 c. 9 n. 11.

Vide Obventiones *ex venditione fundi censualis*. Casus primus.

REFORMATIO.

Vide { Monasterium. Religiosus. Religiosæ. }

REGALIA.

Vide Abdicatio. Casus Eutichius.

REGRESSUS.

Vocabulum REGRESSUS, notionem importat actionis, quæ certis in casibus datur, ut quis, quod vel resignationis, vel permutationis caussa abdicavit, in Beneficium denuo restituatur.

Regressus Canonico Juri directe prorsus opponitur (*f*). Nihilominus certis in casibus locum habet, atque frequentatur præsertim in Gallia, 1. in gratiam illius, qui, resignato suo Beneficio, cum ex morbo prorsus ancipiti, capite periclitabatur, prosperam deinde valetudinem recipit, qui quidem usus ideo potissimum invaluit, quod Resignans, metu solummodo mortis imminentis, neque omnino voluntarie proprium suum Beneficium abdicaverit. Enimvero nusquam reperiatur, ad verum usque pertingere, quod Beneficium multo sudore aliquando partum, ac sæpe sæpius sic ad propriam vitam sustentandam necessarium, ut eo vix possit abstinere, Beneficiarius facile adeo nec nisi urgente gravissima caussa dimittat, quemadmodum habet Clemens III. in una ex suis Decretalibus, quam in prima decisione sumus postmodum subjecturi. Porro metus mortis impendentis, rationem omnino gravissimam constituit, cur adducatur Beneficiarius ad Beneficium suum in favorem amici sui resignandum: indeque est, quod metus a Summo Pontifice admittatur, tamquam caussa legitima confectæ resignationis, vi cujus resignans debeat in possessionem sui Beneficii restitui.

Locus regressui præterea datur in quatuor aliis casibus, extra circumstantiam metus ex morte irruentis.

(*f*) Alex. III. in c. *Ex transgressa* 3. & Cl. III. in c. *In præsentia*. de renunciatione, l. 1. t. 9.

Primus

Primus est, quando Beneficiarius non resignavit, nisi ex injuncta sibi falsi criminis accusatione, de quo seipsum postea purgavit.

Secundus est, cum minor aliquis qui annum ætatis suæ decimum quintum aut, ut aliis videtur, decimum octavum necdum attigit, nec auctoritate nec consensu Parentum suorum, Tutorisve vel Curatoris accedentibus, beneficium suum resignavit.

Tertius est, quando Episcopus Collator morte subripitur, Resignatario nondum traditis provisionibus.

Quartus denique, cum ab alterutro Permutantium, adhibitis in conventione conditionibus, non satisfit.

Qui Beneficio suo renuntiavit, ut in illud postmodum recipiatur, nova provisione Beneficiario Resignanti non opus est, juxta Forensem Jurisprudentiam, quæ Edicti interpretatione data anno 1646. potissimum innititur, qua nempe nudum dumtaxat judicium exigitur, quo Beneficii vindiciæ adjudicentur: at ejusmodi dispositioni repugnat prorsus, quæ amplioris Consilii propria est Jurisprudentia; præterquam quod enim non nisi raro admodum regressum admittat, strictius omnino insistit articulo 20. Edicti antigrapho anni 1637. quo præscribitur ut Resignans non possit, nisi impetrata nova provisione, Beneficium suum tepetere. Quod quidem, ut Canonicis Regulis absque dubitatione magis consentaneum est, sic ipsi conscientiæ tutiori prorsus ratione consulit.

Ceterum plurimum juvat observare 1. a Resignante, cui animus est viam regressus adhibere, quo Beneficium, quod morbo urgente resignavit, valeat rursum repetere, regressum adhiberi oportere statim atque convaluit, ne censeatur ex silentio, confectam a se resignationem tacito quodam consensu comprobavisse. Ab eodem primum dandum esse Regio Judici Libellum supplicem cum consignato literis Medici testimonio, quo Medicus se se certo certius faciat, a se supplicantem fuisse tractatum, quo tempore morbo detentus est, atque ab eodem interea Beneficium fuisso abdicatum caussa resignationis.

CASUS PRIMUS.

BASILISSUS morbo pressus omnino gravi, Prioratum simplicem, quo gaudet, pure quidem ac simpliciter resignat in favorem Georgii, sed retento tamen animo ejusdem aliquando recipiendi, si detur ipsum ex morbo recreari. Num peccat resignando cum ejusmodi sibi proposita mente, & nonne ex usu, qui passim frequentatur atque obtinet, ab omni prorsus peccato vindicatur?

RESPONS.

Priusquam peculiarem quæ proponitur hic loci speciem discutiendam aggrediamur, operæ pretium est ob oculos Lectorum ponere, quæ de regressu generatim habet Concilium Tridentinum (a). En qua ratione potissimum intendens, quæ successionem hereditariam in Beneficiis vel tantillum redolere videntur, funditus resecare, verba facit: Cum in beneficiis Ecclesiasticis, ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa & Patrum Decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum, cujuscumque qualitatis concedantur, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque Decretum in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ac etiam Cathedralibus Ecclesiis, ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat.

Pius V. ut Sedis excellentia, sic morum sanctitate Papa maxime commendandus, in sua 134. Bulla (b), quam dedit 12. Septembris 1571. idem instaurat prohibitorium interdictum, ac recisionem ejusmodi facultatum, verbis vividioribus atque omnino nervosis usus sic confirmat: Nos volentes omnem hæreditariam Beneficiorum Ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati Beneficiorum hujusmodi providere, & ut de persona magis utili & idonea, prout requiritur, facilius provideri valeat, omnes & singulos regressus ... etiam de consensu, aut alias quomodolibet sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis efficacissimis, etiam *motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine* clausulis irritantibus, & aliis Decretis quomodolibet per quosvis Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ad Beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, sæcularia & quorumvis Ordinum regularium ... motu proprio & ex nostra certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica tenore præsentium revocamus, cassamus & abolemus.

Concordat ea de re, Jus antiquum cum Concilio Tridentino, ut colligitur ex Summorum Pontificum Decretalibus quamplurimis, quas adire licet in ipso Corpore Juris (c).

Quod quidem adeo salubre statutum toto corde, ac plurima cum reverentia fuerunt amplexi quotquot apud nos Jurisconsulti maxime commendantur (d), quemadmodum Rebuffus, Flaminius Parisius, Gregorius Tolosanus, Papon, & plurimi alii, contendunt regressum non debere in Galliis admitti. Propterea quod inquiunt 1. si libera facultas Beneficiario cuidam fieret, Beneficii resignandi morte imminente, cum ista clausula vel verbis enuntiata, vel tantummodo tacita, quod cum ex morbo resurgeret incolumis, idem Beneficium repeteret absque nova impetrata provisione, aditus ea jam ratione pateret, ad hereditariam in Beneficiis successionem quam Ecclesia adeo detestatur atque abominatur. Quoniam, ut nullius omnino momenti foret quoad forum externum resignatio, quæ annexam haberet istam clausulam: *Si decesserit*: ita quoad forum conscientiæ vitiosa prorsus atque criminosa redditur, ex eadem clausula, quamquam tacita duntaxat, & sola mentis cogitatione concepta, si Canonicæ Regulæ & ipsius Ecclesiæ animus atque consilium proprius inspiciantur.

En quæ præmittenda duximus, antequam incumberemus in expendendam penitius, quæ Basilissum attinet, difficultatem: qui quidem, quantum nobis videtur, potest ab omni culpa vindicari, in iis rerum circumstantiis, atque adhibitis conditionibus quas sumus jam jam prosecuturi. Ipsi namque tota favet, quæ diebus hodiernis viget in Galliis Jurispruden-

(a) Conc. Tr. sess. 25. c. 7. de reformat.

(b) S. Pius V. in Bulla. Romani Pont. §. 1.

(c) Alex. III. in c. *ex transmissa* 3. de renuntiatione. l. 1. t. 9. Cl. III. in c. *Super.* 5. & in c. *In præsentia* 6. eod. tit.

(d) Pet. Reb. prax. benefic. t. de restitutionibus n. 15. Flam. Parisius de resignatione l. 6. q. 3. n. 14 Gregor. Tolosanus. & alii.

dentia, in eo quod regressum omnino acceptum habet, & faciat copiam repetendorum pleno jure Beneficiorum, quæ premente periculoso morbo resignata fuere, postquam periculum, quod tempore resignationis imminebat, in integrum evanuit. Quæ nova Jurisprudentia inducta est Edicto anni 1638. (a). Quod nititur 1. in eo quod ejusmodi resignationes, considerentur tanquam non omnino liberæ; quoniam, qui suum Beneficium resignavit, cum in periculoso atque ancipiti vitæ statu versabatur, ab omni prorsus abstinuisset resignatione, si pro certo habuisset futurum, ut ex infirmitate sanus aliquando assurgeret, quemadmodum loquitur Clemens III. (b): *Nulla ratio hoc verisimile reddit*, inquit præfatus Papa, *at quisquam Beneficium multis forte expensis, & laboribus acquisitum, quo sustentari debet, facile, sine magna causa, sua sponte resignet*. Quibus verbis laudatus Papa significat, licet quo corripitur, qui in ejusmodi statu constitutus Beneficium resignat, mortis metus non tollat integram libertatem, verum nihilominus esse, eamdem inde plurimum imminui, ut probare licet ex alia quadam Decretali, quæ refertur in Corpore Juris, & Antorem sibi vindicat Alex. III. (c). Atque adeo omnino interesse, ut ejusdem ratio habeatur, quemadmodum cujuscumque causæ alterius, qua Beneficiarius adducitur, ad resignandum suum Beneficium; ut disertis verbis ait Summus Pontifex jam memoratus Clemens III. qui addit: *Ideoque supervacaneum esse non credimus, causam resignationis diligenter inquiri*. 2. In eo quod charitatem, justitiamque maxime deceat, ut quoad victum & vestitum consulatur resignanti, qui quidem Beneficio spoliatus in opprobrium Cleri vilem redigeretur ad assem, si nihil aliunde subsidii eidem suppeteret, ut plerumque contingit. 3. In eo quod permagni intersit, immo, & quandoque necesse sit eo potissimum fine regressum admitti, ut promeritam inexaustæ suæ aviditatis, atque animi prorsus ingrati pœnam plurimi Resignatarii luant, abrogando nimirum iisdem Beneficia, quæ in ejusmodi circumstantiis eis resignata fuere.

Quod ea de re laudari potest exemplum omnino famosissimum, habemus ex Arresto quodam Regii Consilii privati, pronunciato pro Joanne Benoit Parocho de Parœcia SS. Innocentium, qui cum Beneficium abdicasset causa resignationis in favorem Joannis Semelier sui Vicarii, cum animo ejusdem aliquando recipiendi, si sanitati redderetur; expertus est, quo usque sese possent offerre tum ingratus animus, tum fides improba Resignatarii avidi, quem immoderatæ cupidinis prurigo misera torquet. Indeque est, quod, ut quanto horrori esset tantum crimen, palam ac publice significaretur, Consilio visum fuerit Arrestum ferre, quo & Parocho simul consuleretur, & ingrato animo Resignatarii debita pœna constitueretur, neque Consilium istud ratum fuerit, æquitatis esse, ut qui de Ecclesia laudabiliter adeo ac per tempus tam diuturnum fuerat promeritus, omni remaneret auxilio Parochus destitutus, ne forte vitæ necessariis defraudaretur aliquando, & redigeretur ad angustias Religioni perinde probrosas, ac contumeliosas ipsius Ecclesiæ charitati; cujus totus animus intendit ea, quæ Ministris suis necessaria sunt subministrare. Quod quidem Arrestum latum 29. Aprilis 1598. legitur in secundo tomo Actorum Cleri (d), & refertur a le Petre, Charondas, & d'Olive (e), ac perscriptum est in Commentarios Supremi Parisiensis Senatus 9. mensis Maji proxime sequentis, ut recurrente deinceps ejusmodi casu posset locum Legis obtinere, quemadmodum revera postmodum obtinuit, ut fidem facit Arrestum aliud de laudato jam privato consilio emanatum, 3. Julii 1603. quod refertur a D. Brillon, in tertio ipsius volumine Dictionarii Arrestorum (f), in quo plurima quoque alia, eadem de re, leguntur, ac nominatim certum quoddam a Parlamento Britanniæ minoris pronunciatum, 16. Octobris 1562. pro Petro Georges Parocho de vico quodam vulgo dicto Trebes, contra Joannem Moulnier, unum aliud Arrestum Supremi Senatus Parisiensis, 20. Maji 1569. alterum Parlamenti Tolosani, 18. Martii 1628. unum Supremæ Parisiensis Curiæ 6. Julii 1626. unum 16. Martii 1627. unum 1. Martii 1630. unum, 30. Maji 1631. unum, 7. Januarii 1641. unum parlamenti Britanniæ Aremoricæ, 9. Septembris 1642. tria supremi Senatus Tolosani, 28. Junii 1646. 15. Julii 1653. & 11. Februarii 1655. unum Parisiensis Parlamenti, 30. Julii 1652. unum supremæ Gratianopolitanæ Curiæ, 5. Januarii 1673. duo supremi Senatus Tolosani, prius quidem latum, 30. Januarii 1680. alterum vero 12. Septembris ejusdem an. pronuntiatum, tandem aliud Arrestum Parlamenti Provincialis 30. Maji 1687.

At vero si memorata omnia Arresta, & alia, quæ circa materiam eamdem plerumque interveniunt id sibi vindicaverint, ut de jure antiquo, quod Decretalibus primo quidem inductum est, Tridentinoque deinde Concilio confirmatum, possint quidem derogare, atque efficere, ut regressus non modo tolerandi, sed etiam legitimi, premente nimirum morbo, reddantur, id potissimum habent in tribus circumstantiis. Prima est, quando Resignans cum bona fide sese gerit, ac semetipsum jam habens quasi mundo terrenisque rebus morte prorsus subreptum, non sibi blanditur, nec animum pascit spe repetendi aliquando beneficii quod resignat. Quum sit ejusmodi mentis affectio pura & sancta, neque ab omni tantum pacto, sed vel etiam a quacumque spe cupidineque regressus omnino aliena, ut nec ipsi menti Ecclesiæ, sic etiam nec constitutis Canonicis potest ullatenus dissentire. Secunda circumstantia est, quod quamquam ipsummet regressus cogitatum, quod animo voluit qui tutus & sanus evasit a periculo, quod morbus attulerat, ex natura sua nihil habeat vitii annexum, non tamen petat, sese restitui in Beneficium, quod in ejusmodi vitæ statu resignavit, nisi quatenus dotibus pollet, quibus queat de ipsa Ecclesia rursum bene promereri. Tertia tandem, quod cum Resignans morbo pressus Beneficium suum dimisit, nihil ei jam suppetat, unde possit vitam sustentare. Atque iis proculdubio causis innititur recens ista Jurisprudentia, auctoritate quidem Principis primum introducta, auspicibus deinde supremis hujusce Regni Curiis plurimum defensa ac vindicata: præterquam quod ut jam monuimus, id semper fuerit omnino perspectum omnibus, æquitatis nimirum esse, ut nimiæ aviditati, malæ fidei, animo ingrato, & si fas sit ita loqui, inhumanitati plerorumque Resignatariorum pœna indiceretur, qui quidem cum proprium suum commodum comparaverant ex benevolentia, benignitate, aut etiam animi infirmitate suorum beneficorum, iisdem omnium egenis abesse non erubescebant. Ex quibus juvat jam inferre: 1. Basilium non debere ab omni omnino culpa vindicari: siquidem eo tempore, quo suum Beneficium in favorem Georgii resignavit, id sibi prorsus animo proposuerit, ut si sanitati redderetur, illud idem foret repériturus: cum e contrario, ut ne lato quidem ungue ab ipsius Ecclesiæ mente recederet, illum oportuisset ejusmodi propositum distincte saltem non intendere. 2. In eo magis improbandum esse, si ipsi suppeteret aliunde, unde, quæ vitæ necessaria sunt, honeste haberet. 3. Inde vero omnem ipsi magis præcidi excusationem, si sibi conscius esset, iis dotibus se carere: quibus jam non posset in beneficio, quo repetere cogitabat, operam suam in utilitatem Ecclesiæ impendere.

Tandem, ut nihil eorum desit, quæ ad omnimodam gravissimæ prorsus hujusce difficultatis intelligentiam desiderantur, operæ pretium est hic loci subnectere, hodiernis temporibus Resignantem in suum Beneficium pleno jure restitui, *quasi jure postliminii*, ut ajunt Jurisconsulti, hoc est, absque eo quod opus sit novas provisiones impetrare, novamque inire possessionem, quemadmodum olim frequentabatur: quoniam habetur tamquam nulla, tum confecta resignatio, tum provisio, quæ de beneficio a Resignatario fuit postmodum impetrata: qui quidem usus comprobatur Constitutione quadam Bonif. VIII. (g), qui in simili casu sic declarat: *Ad beneficia sua priora, collatione, quibuscumque personis*

(a) Edict. 1638. a. 20.

(b) Clem. III. in c. Super. 5. de renuntiat.

(c) Alexandr. III. in c. Literaturam 11. de voto & voti redempt. l. 3. t. 34.

(d) Commentar. Cleri tom. 2. p. 2. t 3. n. 53. pag. 45.

(e) Le Petre 1. Centuria c. 28. Charondas t. 1 resol. 46. D' Olive l. 1. c. 19.

(f) D. Brillon v. Regressus. n. 2. 26. &c.

(g) Bon. VIII. in c. Si beneficia. 20. de Præbendis & dignit. in 6.

sonis

sonis facta de ipsis, non obstante, libere revertantur, id est, *sine nova collatione*. Ut Glossa interpretatur (*a*).

(*a*) Coll. Cond. om. to. 2. coll. 2. sect. 2.

CASUS II.

PAMELIUS, cum permutasset de *pacifico ad pacificam* suam Curam de S. Godardo cum Cajo, pro Capellania quadam, cujus possessione ab uno tantum mense iste gaudebat; cumque venissent uterque in dictorum Beneficiorum possessionem, contigit a Petro litem inferri Cajo, de titulo memoratæ Capellaniæ, de qua provideri sibi impetraverat, ex præsentatione Patroni Laici; & obtineri Arrestum supremi Senatus, quo Cajus de ejusdem possessione fuit dejectus. Qua de re quærit Pamelius, num id sibi juris cedat, ut possit Curam suam, pleno jure repetere, & absque eo quod opus sit, novam iterum sibi provisionem impetrare?

RESPONS.

Non est unde possit ambigi, quin Pamelius in casu proposito valeat suam Curam pleno jure repetere absque eo, quod opus ei sit ulla nova provisione; *De consuetudine non potitur nova Collatio*, inquit Rebuffus, (*b*) *quando quis redit ad suum beneficium, ut notat Joannes Andreas*. Quod confirmat eruditus admodum Jurisconsultus Arresto supremi Senatus Parisiensis, quod juxta laudatam consuetudinem 2. Maji 1525. pronunciatum est; deinde addit, in ejusmodi casu circa possessionem posse omnino agi juxta legem, (*c*) qua fertur, ex breviori absentia civilem non amitti possessionem.

Quam Rebuffus cœterique Juris Interpretes tenent sententiam, eandem Cabassutius amplectitur; (*d*) *Si evinci contingat Beneficium permutatione quæsitum*, inquit præfatus Canonista, *datur regressus ad alterum dimissum ratione tacitæ conditionis in illa dimissione inclusæ*: si permutatum Beneficium non fuerit evictum, *sine qua nemo proprium dimitteret Beneficium*.

(*b*) Petr. Reb. prax. Benef. 3. p. tit. de perm. n. 12. Item tr. de pacific. possess. 22. extens. n. 145.
(*c*) Leg. Clam. possidere. 6. ff. de acquirenda vel amittenda possess. §. fin l. 41.
(*d*) Jo. Cabass. Juriscan. theo. & prax. l. 2. c. 37. n. 9.
(*e*) Bonif. VIII in c. Si Beneficia, 20. de Pr. & dign. in 6. l. 3. tit. 4.

Quam decisionem luculenter omnino potest probare quædam Constitutio Bonifacii VIII. (*e*) in qua memoratus Papa declarat eum, qui suum Beneficium cessit pro alio Beneficio, in quo sese non potuit tueri, propterea quod de eodem a Papa fuisset antea jam provisum, aut illud idem, ipso inscio, Summus Pontifex sibi reservavisset: posse omnino in prius Beneficium pleno prorsus jure restitui: *Statuimus, ut, si ipsi de collatione, seu reservatione prædicta certiores effecti, sublata difficultate quacumque omnino dimiserint Beneficia, sic sibi de facto collata, ad Beneficia sua priora (collatione quibuscumque personis facta de ipsis nequaquam obstante) libere revertantur, Eundem quoque modum in dimittendo recepta, & recuperando dimissa, quoad omnes alios, qui forsan occasione prædicta sua dimiserint Beneficia, & dimissa per alios fuerint assecuti, per omnia decernimus servandum*. Quæ ipsissima sunt verba laudati Summi Pontificis.

Quod idem uno ore conclamant, ac docent nostri Juris Canonici Interpretes, & Jurisconsulti Gallici: quemadmodum Papon, Faber, Charondas, Duarenus, Espeisseus, & plurimi alii, quos memorat Cabassutius (*f*), quorum tamen plerique observant, ei, qui in prius suum Beneficium sic revertitur; juris istud non fieri juxta usum apud nos receptum, nisi primum obtenta a Regio Judice sententia, qua fiat ei, prioris Beneficii repetendi libera facultas. Atque hæc est, quæ in hocce Regno plurimum invalescit Jurisprudentia, quam non modo citatum a Rebuffo Arrestum, plurimaque alia, quæ testatur, quo tempore vivebat, pronunciata esse, hoc est, ab annis 170. & amplius induxerunt, sed etiam aliorum Arrestorum uberrima, copiosissimaque phalanx, quæ referuntur ab autoribus, qui colligendis Arrestis operam dederunt.

(*f*) Papon. q. 2 placitorum t. t. 7 nu. 2. Faber cod. de sacrosanctis Eccl. defin. 53. Charondas l. 1. responsorum c. 24. & l. 1. pandectarum c. 10 & 11. Duaren. l. 8. de Benef. c. 3. Espeiss. tr. de Ben. t. 11. sect. 12. a. 4. n. 4 Et alii apud Cabass. c p. 2. c 37. & c. 18. n. 2

CASUS III.

IGNATIUS cum præbendam quandam librarum sexcentarum census annui pensione ducentarum librarum oppignoratam permutavisset, pro Capellania trecentarum librarum reditus annui, quam Jacobus ipsius Compermutans possidebat; Jacobus, cui de memorata pensione nihil prorsus innotescebat, post tres menses rem rescivisset; isti suam Capellaniam repetere volenti, pro aris & focis Ignatius acriter obstitit. Numquid cum aliquo jure potest Ignatius suam intercessionem urgere, & causam tueri adversum Jacobum, qui ipsi ea de re intulit actionem?

RESPONS.

Profecto jus succurrit Jacobo, ut valeat adversus Ignatium judicium persequi, quo in possessionem prioris suæ Capellaniæ restituatur. Cujus rei ratio est, quod æquitati naturali adversetur, ex fraude propria quemquam juvari; quemadmodum ab Alexandro III. declaratur (*g*). Cum igitur Ignatius fraudem sibi adhibuerit, non aperta Jacobo pensione, qua sua Præbenda oppignerabatur, æquum non est, quidquam utilitatis, ac commodi ei inde obvenire: *Cum fraus, & dolus ei patrocinari non debeat*: ut loquitur Innocentius III. (*h*).

Quam decisionem ab erudito Canonista mutuamur (*i*), qui sic habet: *Conceditur regressus, si contingat unum ex permutatis Beneficiis vel nova pensione onerari, vel etiam veteri pensione, modo id, quando permutavit ignoraverit*. Papon refert plurima Arresta a Regio Consilio pronunciata, quibus ea de re, fuit ita judicatum (*k*): quibus addendum est: 1. Famosum Arrestum 7. Decembris 1565. latum a Parisiensi Parlamento in consessu universæ Curiæ, præsentibusque Senatoribus rubris togis indutis, relatum a Churondas Le Charon (*l*), quo Resignatarius ipsemet compermutantis cujusdam Ignatio non absimilis, de Beneficio dejectus fuit, quod ipsi fuerat, licet jam antea fraudulenter dimissum causa permutationis, ab isto malæ fidei Compermutante resignatum. 2. Plurimorum aliorum Consilii Amplioris Arrestorum nubes prorsus ingens, quæ referuntur a D. Brillon in ipsius Dictionario Arrestorum, (*m*) quibus statuitur ei, qui in casu, de quo hic loci quæstio est, pensionem tacuit, qua Beneficium, quod permutationis loco dimisit, onerabatur, incumbere istud obligationis, aut ut cedat Beneficium, quod ea via adeptus est, aut ut pensionem saltem persolvat.

(*g*) Alex. III. in c. Propositam 2. de eo, qui duxit in matr. quam polluit per ad.
(*h*) Inn. III. in c. Cum dilect. 8. de Religiosi Domibus, ut Episcopo sint subjectæ l. 3. tit. 36.
(*i*) Jo. Cabass. jur. can. theor. & prax l. 2. ca. 18. n. 4
(*k*) Papon. l. 3. placit. tit. 7. de permut. Ben. n. 4. & 5.
(*l*) Charond l. 1. resp. c. 24. & l. 1. pand. c 11.
(*m*) D. Brill. Dict. Arresto. rum v. Pens. n. 77.

CASUS IV.

CHRYSOLOGUS, abdicata causa resignationis in favorem Paulini, Prioratu quodam 1000. libras quotannis reddente posito in tractatu Turonensi, sub conditione retentæ sibi, de dicto Prioratu 400. librar. pensionis, cum non sibi fit, qua ratione valeat, ab annis tribus & ultra, memoratam pensionem a Paulino recipere: petit utrum non sibi liceat, ad istum Prioratum reverti; quippe plena de regressu facultas ipsi fiat a Summo Pontifice, ex ipsomet institutæ pensionis instrumento, in quo facultas ista, sequentibus verbis, diserte prorsus concipitur: *Resignatario, nec non ejus successore, in solutione dictæ pensionis deficiente, seu illam ad minorem summam reduci petente, liceat eidem pensionario liberum habere regressum ad idem Beneficium, & ipsius corporalem pensionem propria auctoritate per se, vel per alium libere apprehendere?*

RESPONS.

Extra omnem prorsus dubitationis aleam positum est, nihil omnino Juris Chrysologo dari, privata sua auctoritate repetendi Beneficii, quod Paulino resignavit, etiam sub prætextu non solutæ pensionis: quamquam ei fiat ejusmodi copia ex Romana signatura. Hæc est Jurisprudentia, quæ in Gallia passim obtinet, ut notant (*n*) Mendosius, Azorius, & Cabassutius, qui eos allegat & sic habet: *In Gallia nemini licitum est se in alicujus rei possessionem propria ingerere autoritate, priusquam de pensionis securitate experiundum judicio est, quam lis de Beneficio intentetur*. Necesse est ergo, primum in aperto ponatur a Chri-

(*n*) Men. pr. sign. gr. v. Regressus Jo. Azor. Inst. mor. p 7. l. 7. c. 14. q. 4. Jo. Cabass. jur. can. theol. & prax. l. 2. ca. 14. n. 14. & c. 18. n. 5.

a Chrysologo, Resignatarii ipsius improba fides, vel etiam in deneganda pensione pertinacia; & deinde sententiam obtineri, qua licitum ei fiat, clausulam exsequi, quam fert signatura Romana, hoc est, possessionem repetere, juraque sibi vindicare Prioratus, quem resignavit in favorem Paulini. *Sane postquam constiterit de resignatarii negligentia vel mala fide in solvenda pensione beneficiaria*, addit Cabassutius, *ratio justa erit in vim clausulæ hujus Pontificiæ aperiendi regressum, non utique sola conquerentis auctoritate; sed in vim novi judicii, citata parte.*

CASUS V.

Candidus, Prior S. Joannis, in Religioso quodam Ordine solemnem emisit professionem, non resignato suo Beneficio, de quo post octo circiter dies a Collatore fuit in favorem Josephi provisum. At vero post sex menses ab illinc, professione memorati Candidi nulla prorsus declarata, sive ex defectu requisitæ ætatis, aut integri anni probationis excurrendæ, sive tandem propterea quod is, a quo receptus est, gradu legitimi Superioris Monasterii non insigniretur, de Monasterio Candidus egressus fuit; & contendit id sibi facultatis hodierna die fieri, ut ad Prioratum suum revertatur, & de eodem expellat eum, cui fuerat de dicto Prioratu a Collatore provisum. Numquid, quod sibi jus vindicat aliquo fundamento æquitatis innititur?

RESPONS.

Siquidem nulla sit professio, quam Candidus emisit, eodem quoque jure nullum certissime censendum est, quod deinde fuit subsecutum; Atque adeo merito prorsus petit, se se & in possessionem & in privilegia quæcumque prioris sui Prioratus restitui; *Saltem obtentis in integrum restitutionis literis*, ut loquitur Cabassutius (*a*), Non ergo posset, nisi ex triennii pacifica possessione, qua Josephus gavisus fuisset, regressus impediri. *Sane obstare huic potest exceptio pacificæ possessionis*: addit præfatus Canonista..... *sed si non intercessit triennium; haud dubie invalide professo competit jus regressus ad pristinum Beneficium.* Atque istam ea de re causam reddit, quod resignatio, collatio & cæteri quicumque actus subsecuti eandem naturam sortiantur, quam præ se fert ipsa professio; neque adeo vim ullam habeant, quando professio non est legitima: quod plane congruit istis verbis Concilii Tridentini (*b*): *Nulla renunciatio effectum intelligatur sortiri, nisi sequuta professione.* Cum igitur non affuerit veri nominis professio, quæ in gratiam Josephi Beneficii collatio præstita est, omnino nulla est, juxta istud principium Bonifacii VIII. (*c*). *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Quibus etiam addere licet cum eodem Cabassutio, ejusmodi collationem, qualis ea est, de qua agitur in specie proposita, annexam secum habere tacitam istam conditionem: *Si sit professio valida.* Et vero cum in Digesto, tum in Codice occurrunt infinitæ prope-modum Leges, quibus ejusmodi conditiones, quanquam conceptis verbis non expressæ, plurimum comprobantur (*d*).

(*a*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax l. 2. c. 23. n. 6.

(*b*) Concil. Triden. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 16.

(*c*) Regula 64. de Regulis Juris in 6.

(*d*) Leg. Si ob rem. 10. ff. de conditione, causa data, causa non secuta. l. 12. tit. 4. Item toto tit. ff. de conditione sive causa. l. cod. tit. 7. L. Generaliter fin cod. de donationibus revocand. lib. 8. tit. 56.

REHABILITATIO.

VOcabulum REHABILITATIO in sensus diversos accipitur. 1. Namque aptatur & quidem optime, cum sermo habetur de viro nobili, qui ab indita sibi generis claritudine descivit, vel quia sordidis factis eam imprudenter inquinavit, vel quia eadem, aliquo judicio secundum juris formulas pronunciato, fuit spoliatus. Quæ eum in pristinum gradum nobilitatis restituunt Literæ Regiæ, dicuntur Literæ Rehabilitationis, & differunt a Literis, quæ sub nomine Literarum nobilitatis circumferuntur; quæ etiam sunt prorsus necessariæ, quando postremos inter Majores occurrunt plusquam duo, qui stemmata natalium maculaverint.

2. Accommodatur etiam vox eadem iis, qui cum aliqua infamia ignominiose notati sunt in judicio, obtinent impertiri sibi Literas Rehabilitationis, quibus a Rege restituuntur in bonam famam & laudabilem existimationem; ut fert genus dicendi forense.

3 Usus etiam invaluit, ut diceretur rehabilitatio matrimonii, in quo nimirum irrepserat vitium aliquod, de qua potissimum materia legenda sunt ac consulenda, quæ collectanea edidit de Combes Scriba Fori Parisiensis Ecclesiastici (*e*).

4. Vocabulum rehabilitatio accipitur in præsenti titulo pro quadam voce, quæ juxta usum Ecclesiasticum maxime frequentatur, cui generalis ista notio ut plurimum subjicitur; nimirum restituere aliquem Ecclesiasticum in eum statum & gradum, quo insigniebatur ante contractum ab eo Canonicum impedimentum, propter quod muniorum suorum exercendorum jure deciderat. Atque in sensu stricto & magis proprio sumitur in istum sensum, nempe solvere, ex dispensatione Superioris, Ecclesiasticum quemdam impedimento peculiari ac proprio irregularitatis, quo reddebatur omnino inhabilis ad gerendum Ministerium Ecclesiasticum, aut quo ei privilegium ipsius conditioni annexum abrogabatur. Qua de re recurrere licet ad ea, quæ sumus prosecuti sub Titulo *Irregularitas*.

(*e*) Collectanea de Combes cap. 3. in fin.

Vide Dispensatio de Irregularitate.

RELIGIO.

VOx RELIGIO, plerumque intelligitur de Monaſterio, ſeu Conventu, in quo Religioſæ perſonæ degunt atque commorantur, quandoque etiam de ipſomet vitæ regularis inſtituto, quod ibidem ſequuntur ſub quadam certa regula, peculiaribuſque ac propriis Conſtitutionibus. Adhibetur quoque idem vocabulum, ut ſignificetur pietas & probitas morum alicujus perſonæ; quemadmodum quando dicitur, virum quempiam eſſe religionis plurimæ.

Religio in proprio ſuo ſenſu accepta ſic definitur. *Religio*, inquit Polmanus (*a*), *eſt virtus moralis, inclinans creaturæ voluntatem, ad tribuendum Deo Latriæ cultum debitum.*

(*a*) Polman. part.2.2. n.779.

Neque vero virtus tantummodo moralis eſt; quod mores informet juxta normam rationis & æquitatis dictamen; ſed etiam inter cæteras quaſcumque virtutes primum locum obtinet. Licet enimvero Theologica virtus non ſit, quia ſcilicet Deum non intendit tanquam objectum ſuum immediatum; quanquam eum ſibi proponat ut finem proprium; ſed potiſſimum verſatur circa cultum debitum Deo exhibendum, tanquam circa objectum ſuum primarium & magis principale; proxime tamen accedit ad naturam virtutis Theologicæ, ipſi nimirum deferendo iſtum cultum, quaſi tributum quod Creatori a creatura naturali quodam jure rependendum eſt.

Atque ea potiſſimum de cauſa laudatus Theologus definit (*b*) cultum, qui dicitur Latriæ. *Teſtimonium infinitæ excellentiæ Divinæ, & infimæ propriæ ſubmiſſionis ad eam.* Quæ quidem omnia apprime congruunt cum Doctrina S. Thomæ, ut videre licet in loco, quem ad marginem indicamus (*c*).

(*b*) Id. ibid. n.784.

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 1. ad 1. & art. 5. in corp.

Eliciuntur actus Religionis, tam interiores, quam exteriores, 1. Deum reverentiſſime colendo. 2. Illi ſerviendo cum vero pietatis affectu, & fervore ſinceræ caritatis (*d*), teſte S. Auguſtino ſeparari non poteſt a vero cultu, qui ei exhibendus eſt. *Pietas, cultus Dei eſt, nec colitur ille, niſi amando*. 3. Ei preces adhibendo, & offerendo Sacro-ſanctum Sacrificium. 4. Semetipſum ei votis aſtringendo. 5. Eum teſtem invocando legitimo aliquo jurejurando, quod ideo aſſumitur, ut de veritate quæ affirmatur, poſſit certo certius conſtare. Idololatria, impietas, blaſphemia, ars magica, veneficium, divinatio, ſacrilegium, ſuperſtitio, peccata conſtituunt, quæ virtuti Religionis ut plurimum ac certiſſime adverſantur:

(*d*) S. Aug. Ep. 140. alias 120. c. 28. ſeu n. 45.

Cæterum etiamſi Religio ſolum Deum ſpectet quaſi primarium ac præcipuum magis objectum; non tamen excludit cultum, quem exhibemus S. Virgini, Angelis, & Sanctis, quos veneramur tanquam amicos Dei, & quibus preces noſtras dirigimus, ut noſtris Mediatoribus apud ipſius ſupremam Majeſtatem: adeo ut, quemadmodum Religio vult, ut ſumma reverentia cum Reliquiæ tum Imagines ſanctorum relative ad ipſos obſerventur; ſic etiam præcipiat, ut ipſimet colantur propter eminentiam & ſanctitatem quibus inſigniuntur, relative ad Deum, qui omnis eminentiæ & ſanctitatis fons eſt atque principium.

Diſcutiemus poſtea, quonam in caſu poſſit Religio reticeri; quandonam vero debeat palam ac publice declarari.

Nulla eſt gens, nullaque natio reperitur in hac rerum univerſitate, apud quam non vigeat *Religioni* aliqua ſpecies, Judæi quamquam a ſe invicem disjuncti, atque cœteras inter Nationes diſperſi, in iis tamen locis, in quibus Religionis exercendæ ſit eis copia, quædam veſtigia retinet illius Religionis, quæ florente veteri Lege, antiquitus obtinuit, & iiſdem ſcrupuloſe nimis inſiſtunt. Muſulmanni ſeu Mahumetani & cœteri infideles ſuam Religionem habent. Romani, qui portentoſam adeo Deorum multitudinem colere ambiebant, vindicabant ſibi quoque ſuam, cujus iſtam Cicero affert definitionem: *Religio eſt, per quam reverenti famulatu, ceremoniæ divini cultus exercentur* (*e*), Eſt etiam Sinenſium, Tartarorum, Japonum, Africanorum & quotquot ſunt generatim Americanorum propria Religio, nequidem iis exceptis, qni Barbari & Agreſtes appellantur, quales ſunt Hiroquæi, Miſſipiani, & alii innumeri; indeque eſt, quod Plutarchus aſſerere non dubitaverit, multo facilius poſſe conſtrui ſuperbum atque immenſum aliquod ædificium, non adhibitis neque calce, neque arena, neque intrita; quam ali-

(*e*) Cicero lib. 1. de natura Deorum.

aliquam administrari Rempublicam, non accersito subsidio Religionis, quoniam nihil reperitur, cujus imperio magis moveantur populi, qui in partem veniunt Reipublicæ; quemadmodum experientia satis superque compertum est. Inde Religionum diversitas originem duxit, quod post diluvium, qui plurima præstabant auctoritate, id sibi sumpserint, ut etiam circa Religiones leges ferrent: adeo ut, qui purus & integer huc usque steterat divinus cultus, haud multo post in varias superstitiones totus sensim abierit, ex quibus in idololatriam brevi postea fuit perverse immutatus: atque eo usque tenebræ rationibus offusæ sunt, ut multitudinem animalium ac plantarum tanquam Deum suum habuerint, & auguste sanctèque coluerint; quin etiam plurimi eos fuerint venerati, qui impudicitiæ, furti, & adulterii sese Deos tutelares exhibebant. Immo tot obtinebant Religiones, quot Dii fingebantur, inquit S. Athanasius; & consequenter tot varii cæremoniarum ritus, totque diversæ cultuum rationes (a). *Diversa oppidatim, vicatimque numina, ut compendio dicam omnium Idololatrarum Gentium dissimilis est Religio*. Quod sic perseveravit, excepta lege quam Deus Judæis dedit, ad adventum usque Jesu Christi, qui diffusam ubique Gentium impietatem delevit, Dæmones fugavit, qui imperium ipsius occupaverant, ibidemque supremum cultum sibi tanquam Diis arrogabant; & veram Religionem restituit, quæ nunc stat & semper est ad finem usque consummationemque futurorum sæculorum perseveratura.

(a) S. Athanas. orat. contra Gentiles.

Quibus præmissis, exigit jam rerum ordo, ut de Christiana Religione, de qua potissimum in præsenti titulo agitur, sermonem aggrediamur; non ulterius immorantes, quæ isti vocabulo subjiciuntur, variis notionibus aperiendis.

CASUS PRIMUS.

Marcellinus Catholicam profitens Religionem, cum inciderit in Regionem quamdam hæreticam, in qua vera Religio plurimum exagitatur: diligenter omnino præcavit, ne Catholicum sese proderet in multis occasionibus, in quibus laudem gloriamque maximam sibi peperisset, si Catholicus videri non erubuisset. Numquid ideo censendus est sub oculis divini Judicis criminis aliquid contraxisse?

Responsio.

Ut professio veræ fidei, strictè loquendo, pendet a præcepto tantum affirmativo, & præceptorum affirmativorum propria hæc est natura, ut obligationem non importet, nisi in quibusdam temporibus, occasionibus, atque circumstantiis, palam fit, non obligari aliquem, ad declarandam suam Religionem in quibuscumque temporibus, occasionibus, ac circumstantiis. *Ea quæ sunt necessaria ad salutem*, inquit S. Thomas (b), *cadunt sub præcepto divinæ legis. Confessio autem fidei, cum sit quoddam affirmativum non potest cadere, etsi sub præcepto affirmativo. Unde eodem modo, est de necessariis ad salutem, quo modo potest cadere sub præcepto affirmativo divinæ legis ...... præcepta autem affirmativa ...... non obligant ad semper; etsi semper obligent. Obligant autem loco & tempore & secundum alias circumstantias debitas, secundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quod sit actus virtutis. Sic ergo confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco, est de necessitate salutis; sed in aliquo loco & tempore*. Jamvero tempus, occasiones, & circumstantiæ, in quibus præceptum vim habet obligandi, eæ sunt primum, in quibus ipsiusmet divinæ gloriæ interest, ut Religio propalam aperiatur. *Quod scilicet per omissionem hujus confessionis, subtraheretur honor debitus Deo*; ut loquitur idem Doctor Angelicus. Si enim quis non potest suam Religionem reticere, quin inde læderentur honor, & gloria, quæ Deo debentur: procul dubio teneretur omnino, ad suam fidem, & Religionem palam ac publice profitendam. Secundo loco cum agitur de salute, aut de spirituali commodo proximi: *aut etiam utilitas proximis impendenda*, quæ verba S. Thomas semper prosequitur, *puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem; vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide*; aut etiam in ipsa animo fluctuarent. Ex quibus S. Doctor sic infert: *In hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis*: proindeque aperte, & in conspectu omnium generoso animo emittenda est. Quod etiam locum habere debet, licet ex publica fidei professione, quæ fieret, scandalum oriretur. *Quia veritas doctrinæ*, ait alibi præfatus S. Doctor (c), *non est dimittenda propter scandalum, sicut nec Christus veritatem suæ Doctrinæ propter scandalum Pharisæorum dimisit, ut habetur Matth. 15.* (d). Atque eo potissimum fundamento freta sacra Congregatio *de propaganda* fide, cum Christianæ Doctrinæ Præcones apud Sinas Innocentium X. consuluissent de decem, & septem difficultatibus, quarum septima erat scilicet, utrum obligarentur, ad publice prædicandum Jesum Christum Crucifixum, atque ponendam ante conspectum in suis Ecclesiis ejusdem imaginem: licet inde Pagani plurimum offenderentur: Decreto typis Romæ mandato anno 1645. declaravit, id ipsis incumbere obligationis, non quidem quoties sacras conciones haberent: sed in quibuscumque occasionibus, quæ congruerent, & servato modo, qui Christianæ prudentiæ proprius esset.

(b) S. Th. 2a. 2æ. q. 3. art. 2. in corp.

(c) Idem lect. 3. in Ep. ad Rom. c. 14.

(d) Sinite illos caeci sunt, & duces caecorum Matth. 15.

Principiis igitur præmissis inhærendum est, ut proposita de Marcellino difficultas in præsenti specie solvatur, quanquam enim vero certissimum sit, non esse de necessitate salutis, ut fidem ac Religionem suam coram hæreticis, qui eandem exprobrant atque persequuntur, aperte profiteatur: *Non enim quilibet tenetur, fidem suam coram persecutore profiteri*, inquit rursum alibi præfatus S. Doctor (e), *sed in casu, est de necessitate salutis, quando scilicet aliquis, a persecutore deprehensus, de fide sua requiritur, quam confiteri tenetur*. Quod quidem in sequenti decisione jam jam venit magis ex professo discutiendum.

(e) S. Th. in 4. d. 49. q. 5. a. 3. q. 2. ad 2.

CASUS II.

Gordius, cum ex necessitate quadam per tres menses iter habuisset in Regnum alienigenum, in quo quotque reperiri possunt fidei Catholicæ addicti, dure admodum vexantur, quam solent induere hæreticæ pravitatis Ministri, vestem ipse sibi de industria induit; ut de sua Religione minus suspicionis injiceret, & tanquam Minister haberetur, aut saltem existimaretur eandem, quæ in eo Regno obtinet, profiteri Religionem: nonne sic sese gerere potuit absque peccato?

Respons.

Quanquam alienum prorsus sit ab omni culpa, sibi vestem induere more nationum diversarum, apud quas degitur, cum id fit bono animo: peccatum tamen gravissimum est, quando eo animo sic agitur, ut simuletur professio Religionis alienæ, quæcumque esse supponatur: Ita docet Tertullianus. (a) Sic verbi gratia Christianus, qui gravissimi alicujus commodi causa vellet haberi tanquam Judaicæ Religioni addictus, atque Romæ degens eo consilio petasum flavum illic ferret, qui eo loci quasi Religionis istius tessera consideratur, quamdam Apostasiæ speciem profecto admitteret. Porro rem egit Gordius non minus improbandam: quippe sibi vestem induerit, quæ solummodo ministrorum seu Pastorum hæreticorum propria erat, ea potissimum mente, ut talis existimaretur, & publice haberetur; sub prætextu, quod ea ratione sese ab imminenti sibi vexatione subduceret; nemo namque inficias erit, ipsi (quod Christiano viro prorsus indignum est) fuisse temporalia commoda, Religione omnino potiora, & ab ipso simulatam esse falsæ Religionis professionem, cum ipsi suppetebat aliunde, unde veram, quam profitebatur, Religionem posset modis aliquibus ab omni culpa remotis obvolvere.

(a) Tertull. de idol. c. 18.

Egregium sane nobis exemplum subministratur de Religiosa fide, quæ servanda est, cum retinendæ veræ Religionis occasio præbetur: Eleazari exemplum intelligi volumus, qui familiarium suorum improba consilia animo constanti fuit aspernatus: quæ quidem consilia sic ipsi dirigebantur: *Hi autem, qui astabant, iniqua commiseratione commoti propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto, rogabant afferri carnes, quibus vesci licebat, ut simularetur manducasse, sicut Rex Antiochus imperaverat, de sacrificii carnibus, ut hoc facto liberaretur* (b). Verum sanctissimus venerandissimusque senex annos natus 90. nihil hæsitans: amoremque Religionis, ipsius vitæ desiderio præponens: *Respondit cito dicens, præmitti se velle in infernum* (c). Atque sic ad eos verba habuit, quibus satis innuebat, id sibi animo persuasum esse, sese aliter gerere non posse, quin dignum cruciatibus æternis crimen perpetraret: (d) *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar*, reposuit illis, *sed manus omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam* (e).

(b) 2. Mach. 6. 21. & 22.

(c) Id. ibid. v. 23.

(d) Id. ibid.

(e) Colloq. Andegav. mensis Maji 1714. 3. q. 9. 95.

CASUS III.

Valerius, Religionem Catholicam profitens, cum incidisset in quamdam Regionem, in qua sub pœna capitis interdicuntur quæcumque prædictæ Religionis exercitationes, tenetur in vinculis, & a Magistratu Disciplinæ politicæ præfecto da præfata Religione exercita accusatur. Nam ipsi incumbit obligatio declarandi in isto casu a sese ejusmodi Religionis exerceri professionem, si certum habeat ex ista confessione, sibi vitæ interitum imminere: aut nonne saltem licitum ei est, responsum aliquod ambiguum adhibere, quo sese possit impendenti sibi capitis discrimini eripere?

Respons.

Absque dubio est, Valerium in specie proposita prorsus obligari ad profitendam suam fidem, neque posse ab eo sine crimine Religionem, cui addicitur, silentio dissimulari, neque eandem ambiguis responsis obvolvi: quanquam ex suæ Religionis confessione perspectum habeat, futurum, ut certissimæ morti detur. Cujus rei ratio hæc est, quod sicut juxta S. Paulum, fides cordis requiritur ad justitiam, ita confessio oris necessario desideretur ad salutem (f). *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* In ea autem Apostoli verba sic habet S. Augustinus (g), *Quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubites proferre, quod corde conceptum est* Verum equidem est, inquit laudatus Pater, quod *Intus fidem Deus videat: sed parum est*. Deinde prosequitur sanctissimus Doctor. *Ne confitearis humilem, times superbos, & ei præponis superbos, qui pro te displicuit superbis. De Christi nomine erubescis. Ecce quod erubescis modo hominibus, habes erubescere, cum venerit in gloria sua redditurus, quod promisit bonis, quod minatus est malis. Ubi eris tu? Quid facis, si te pudet humilitate mea, non eris in claritate mea.* Tandem sic concludit iste Pater. *Discedat ergo mala verecundia; accedat salubris impudentia, si impudentia dicenda est.*

(f) Roman. 10. 10.

(g) S. Aug. serm. 279. alias 24. ex Sirmondianis n. 7.

Quæ verba S. Augustini prorsus adversantur Theologo cuidam, Disciplinæ remissioris morum fautori, qui eo temeritatis ac imprudentiæ devenit, ut etiam propugnaret, non condemnandum esse silentium simile ejus, de quo quæstionem habemus in subjecta specie: quique, fuit ipsemet damnatus Decreto Innocentii XI. dato feriæ quinta 2. Martii 1679. contra sexaginta quinque propositiones morales, quarum decima octava istis verbis concipiebatur: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Ab ista quoque perniciali, ac detestanda nimia doctrina totus abhorret S. Thomas: ut patet ex relatis ipsius testimoniis, in dissolvenda superiori difficultate, quæ quidem supervacandum est repetito sermone hic loci recensere (h).

(h) Colloq. parochor. 10. 4. colloq. 3. q. 2. De Const. 10. 5. 72. a. 2. c. & q. 33.

Vide { Impedimentum ex disparitate Religionis. Fides. Monasterium. Professio. Religiosus. Religiosa. }

RELIGIOSUS.

Appellatur, stricte loquendo, RELIGIOSUS ille, qui in Religione approbata ab Ecclesia, vel a Summo Pontifice, votorum castitatis, paupertatis, ac obedientiæ Professionem solemnem emisit (*a*).

Dici potest, vocem istam *Religiosus*; in Latino idiomate tenere locum vocis istius *Religatus*? Est namque Religiosus novem quasi vinculis diversis ligatus: ut observatur a Rebuffo (*b*).

Primum vinculum, est votum castitatis, quo voluptatis libido cohibetur.

Secundum, votum paupertatis, quo terrenarum rerum immoderata cupido coarctatur.

Tertium, est humilis obedientiæ, qua superbia frenatur.

Quartum, est necessitas habendæ tum victus tum vitæ communitatis, qua obruitur invidentia.

Quintum, est vinculum temperantiæ & carnis afflictationis, quæ virtutes constituunt omnino oppositas gulæ, luxuriei, & intemperantiæ.

Sextum, est vinculum charitatis, quo compescuntur violenti animi impetus, præsertimque impotentes iracundiæ motus.

Septimum, est silentium, quod proprium linguæ vinculum est, quo nimirum reprimitur, ne in maledicta & querelas effundatur.

Octavum, est opus manuum, aut exercitium animi, quæ segnitiæ atque molliciei perpetuas indicunt inimicitias.

Nonum denique, est ipse vilis & sordidus habitus, quem Religiosus deferre consuevit, quo a ventosa atque inani gloria procul arcetur, & intra debitos cum humilitatis tum modestiæ limites continetur. De quibus omnibus Bercorium adire licet in ipsius Dictionario (*c*).

Nihilominus appellatur etiam Religiosus, qui licet nondum professus, defert habitum, qui proprius est alicujus Ordinis Religiosi, in quem sese recepit, probationis exercitationes ibidem peragraturus.

Religiosus est persona, quæ mundo prorsus mortua est, quam potissimum decet sese totam ponere, in vacando divino cultui, in promovenda propria sua salute, in serviendo bono spirituali proximi, quando ejusmodi Provincia ei ab Episcopo demandatur: aut in invigilando saluti cæterorum Religiosorum, qui regimini suo committuntur: nihil sese negotiis secularibus admiscens, quorum intricatæ, nimiumque negotiosæ ambages, ei forent impedimento, ne posset officiis, quæ sanctissimo vitæ instituto, quod amplexus est, annectuntur, satisfacere. *Monachus*, ait Eugenius Papa (*d*) ..... *mundo mortuus est*: *Deo autem vivit*.

Verum tamen est, juxta quod testantur plurimi nominis prorsus insignioris Auctores, quales sunt Guido Papa, Rebuffus, Bordenavius, Bouchelius & alii; admissos fuisse Religiosos, ad gerenda munia, & sustinendas Ecclesiasticas Dignitates, puta quæ spectant munus Vicariorum generalium, & Officialis: Qui præfatos inter Auctores primus recensitus est, fidem facit, id ita frequentari, propriis oculis vidisse Lugduni & Viennæ in Delphinatu. Bordenavius Officialis Escarensis semetipsum, ejusdem usus in Civitatibus Floronensium & Escarensium, testem oculatum offert, & Rebuffus refert, a Tribunali Rotæ (*e*), ita fuisse definitum; at contendunt alii Doctores, excludendos omnino esse Mendicantes ista prærogativa; utpote quæ sit a vitæ instituto, quod tenent, prorsus aliena: quam exceptionem plane repudiat Bouchelius, qui requirit duntaxat, ab ejusmodi Religiosis obtineri legitimam dispensationem a suis Superioribus.

Quod modo dictum est suam confirmationem accipere potest, ex quodam Canone, qui sub nomine Papæ Gelasii (*f*) circumfertur, in quo habetur, posse Religiosum, requirente ipsius Abbate, Sacerdotem ab Episcopo inaugurari, a quo deinde potest delegari: *Omnia, quæ ad Sacerdotis officium pertinent vel Populi, vel Episcopi electione provide ac juste acturus*. *Religiosus*, inquit Bonifacius VIII. (*g*), *executor ab aliquo in sua voluntate ultima deputatus, non potest: cum velle & nolle non habeat; hujusmodi Officium suscipere; vel exsequi, nisi a Superiore suo petita super hoc licentia & obtenta*. Nihilominus advertendum est, juxta Jus, quod moribus nostris invaluit, non permitti sub ejusmodi executoris custodia tradi, ac remanere, quæ fuerunt defuncti testatoris res moventes.

(*a*) Philipp. Franc. in c. ut offic. de hæret. in 6.

(*b*) Rebuff. in concord. t. de Regia ad Prælat. nominat. §. 2.

(*c*) Bercor. v. Religio.

(*d*) In can. discuit 8. 16. q. 1.

(*e*) Decisione 4.

(*f*) In can. si quis. 2. a8. 16. q. 2.

(*g*) In c. Religiosus fin. de testamentis in 6. l. 3. tit. 11.

Quælibet persona Religiosa potest apud Dominum secularem dominium seu clientelam profiteri de bonis fiduciariis, quæ ad eam pertinent ratione alicujus Beneficii, aut Monasterii, cui præponitur. Ita definitur a Bonifacio VIII. sermonem habente de Abbatissa, vel de Priorissa (*a*).

Ea copia fit Religioso Beneficiario, ut, remanente integro ac prorsus illibato ipsius voto paupertatis, valeat de fructibus e suo Beneficio obvenientibus, juxta mentem Ecclesiæ disponere: quemadmodum Arresto a Supremo Parisiensi Senatu lato 27. Martii 1527. pronunciatum est.

Religioso facultas non datur, convolandi de Ordine, in quo Professionem emisit, in alium quemcumque Ordinem, nisi obtenta, ea de re, in Curia Romana, legitima dispensatione, quæ fuerit ab Officiali Diœcesano juxta formulas servandas rata habita, atque judicata: si vero dictus alius ordo mitioris observantiæ fuerit, quam ordo, quem dimittere cogitat, accedere necesse est licentiam ipsius Provincialis; quemadmodum ab ipso Rege sancitum est Arresto Consilii de rebus ad Regnum pertinentibus, dato 11. Septembris 1676. Præterea addendum est, si in eo Ordine, quo demigrare Religiosus animo habet, statutum quoddam locum obtineat, quod comprobetur, & quo interdicatur ejusmodi translatio, nullatenus posse Religiosum transferri; sicut judicatum est Arresto Parisiensis Parlamenti 7. Augusti 1610. quod refert Charondas (*b*).

Religiosus Beneficiarius non potest habere & possidere Beneficium pendens de alio Monasterio ejusdem ordinis, cum istud Beneficium exigit personalem residentiam & aliam obedientiam (*c*) seu alium commeatum; quoniam suo obedientiæ voto ligatur Monasterio, in quo Professionem emisit, & in quo proinde continuam debet habere residentiam. Id ita constituere duo Arresta quæ refert Brodeaut in Louet (*d*), nequicquam reclamante, quam Mornacius tuetur (*e*), opposita sententia.

Ceterum quisquis Religiosus obtinuit, sese in Ordinem strictoris Observantiæ transferri, obligatur, ad excurrendam novam iterum probationem, & aliam professionem iterandam.

Nulli Religioso licitum est, executioni demandare sententias, Decreta, litteras appellatorias, Constitutiones, Procurationes, & quæcumque alia Rescripta, quæ de ejus superioribus Generalibus extra Regnum degentibus emanantur; nisi fuerint antea Regio Diplomate munita & comprobata.

Immo nec de suo quidem Monasterio potest ad aliud transire licet ejusdem Ordinis, ex sola licentia sui superioris Generalis, qui sit alienigenus; nisi accedente disertissimis verbis concepto sui Provincialis concessu. Quod utrumque caput sic statutum fuit Arresto Consilii de rebus ad Regnum pertinentibus 8. Januarii 1767. quo confirmantur Arresta ejusdem Consilii 18. Septembris 1671. & 16 Junii 1675. pronunciata.

Nulla ratione valent neque Priores, neque sub-Priores ullam prorsus obedientiam extra Regnum suis Religiosis præscribere (*f*).

Qui sibi proponunt, Monasteria sui Ordinis, vel Congregationis in pristinum Disciplinæ Monasticæ vigorem restituere, non valent Religiosi rem istam attentare: nisi e Regiis diplomatibus, ad negotium istud peragendum, habuerint auctoritatem: ut fertur in Edicto mensis Julii 1671. quod ratum factum est in suprema Galliarum Curia ejusdem mensis 26

Nullis Religiosis illud jus datur, ut sedem ac domicilium in aliqua Civitate stabiliant sine Regio diplomate, & absque eo quod interveniat tum Episcopi Diœcesani, tum Oppidanorum consensus: juxta quod constitutum est declaratione 1. Junii 1659 quæ 12. Julii proxime subsequentis fuit in Parlamento comprobata. Quin etiam nec ipsis conceditur, hospitia simplicia ibidem collocare, quemadmodum definitum est Edicto mensis Decembr. 1666. a supremo Senatu comprobato 40. Martii 1667.

Communitatibus tum Regularibus, tum secularibus, (exceptis tamen Nosocomio, Magno Oenodochio Parisiensi, & quod Insanabilibus attributum est, hospitio) interdicitur, ne in fundum emortuum accipiant, nec præsentem aliquam numeratæ pecuniæ summam, nec domos aut prædia, sub pœna mulctæ 300. librarum Communitatibus ipsis irrogandæ, confiscationis quantum ad donatores, nullius valoris ac momenti quantum ad contractus, & insuper 500. librarum mulctæ Notariis, qui confecerint dictos contractus indicendæ. Quæ ipsissima verba leguntur in Edicto mensis Augusti 1661. quod 2. Septembris sequentis Supremus Senatus ratum habuit atque acceptum.

(*a*) Bonifac. VIII. in cap. periculoso. unic. par. 2. de statu regular. l. 3. tit. 16 in 6.

(*b*) Charondas l. 5. q. 72.

(*c*) Chopin l. 2. t. 5. n. 25.

(*d*) Brodeau in Louet lit. 1. d. n. 3.

(*e*) In c. ff de servis exportandis &c. l. 18. f. 7.

(*f*) Fevret. tr. de abusu l. 6. c. 1. n. 10. p. 309. col. 2.

In

In suis etiam Ecclesiis propriis non possunt Regulares conciones sacras habere sine licentia, aut contra interdictum Ordinarii; quemadmodum ab ipso Rege sancitum est Arresto consilii de rebus ad Regnum pertinentibus, 4. Martii 1669.

Religiosus, qui dignitate Episcopi deinde insignitur, paternæ hæreditatis adeundæ privilegio non donatur, ut judicatum est Arresto lato a Parlamento Parisiensi 11. Maji 1638 (*a*). Neque etiam Monasterio suo acquirit: Sed quæ bona adipiscitur, in proprium ipsius Episcopalis Sedis commodum convertuntur: quemadmodum docet Chopin (*b*).

(*a*) Du Pre nel. 3. c. 1.

(*b*) Chopin. de sacr. pol. l. 1. t. 1. n. 2. 5.

Religiosus de thoro non legitimo procreatus, ex solemi professione legitimus evadit (*c*): Verum non potest, absque interveniente dispensatione, ad aliquod munus seu Officium Ordinis promoveri. Statutum tamen quoddam sibi vindicat Ordo tum Sanctissimæ Trinitatis, tum Carmelitarum, quo nimirum exigitur, ab ejusmodi Religioso obtineri dispensationem de Superiori majore, quæ juxta formulas requisitas concipiatur: quemadmodum observat Brodeau in Bibliothecam Canonicam Bouchel (*d*).

(*c*) Novell. Monach's §. 1. & Concil. Pictav. lo c as filii 5. de filiis Presbyterorum l. 1. t. 17.

(*d*) Pag. 459.

Provocatio a gravamine, & tanquam ex abusu adhibita a Religioso circa materiam, quæ pertinet ad regularem Disciplinam, & ad morum emendationem, effectum non sortitur, ut ajunt, suspensivum, sed tantummodo devolutivum, quemadmodum annotat Fevret (*e*).

(*e*) Fevret. tr. de abusu l. 1. c. 2. n. 15

Priori Cœnobitico non datur facultas ullius admittendi Novitii, nisi Capituli Regularis interveniente consensu, sicut judicatum fuit Arresto Parlamenti Divionensis 10. Decem. 1618. (*f*).

(*f*) Id. ibid. l. 4. c. 3. n. 10.

Non possunt Religiosi professi in bona Parentum suorum succedere, neque in ipsorum locum Monasteria. Quem quidem dispositionis articulum retinent non tantum e nostris consuetudinibus 50 Sed etiam tanquam primarium, ea in materia, Jurisprudentiæ caput usu passim in universo Regno receptum Jurisconsulti habent. Atque in prædicta Regula ipsimet Eremitæ continentur, licet nullius solemnis professionis vinculo teneantur, sicut duobus Arrestis fuit judicatum, quæ refert le Pretre (*g*).

(*g*) Le Pretre. centur. 1. c. 18. Ephemerid Audient. l. l. 2. c. 132.

Quanquam Juris istud Religioso cedat, ut, ante professionem suam emissam, de propriis bonis valeat testamento statuere; nullam tamen potest ad vitæ suæ tempus de iisdem sibi retinere pensionem: quoniam ejusmodi pensionis retentio prorsus adversatur voto paupertatis, quod sibi proponit emittere. Consulenda est, ea de re, Forensis Ephemeris (*h*).

(*h*) Ephemerid Forens. q. 2. q. 141.

De pluribus Congregationibus Secularibus consulto tacemus: quoniam, qui sese in illas recipiunt, Religiosi non sunt, & votis duntaxat simplicibus ligantur; ut frequentatur in Congregatione Sacerdotum Missionis; aut nullo voto sese astringunt; quemadmodum in Congregatione Sacerdotum Oratorii Jesus, quibus liberum sit, ad proprium nutum, suam Congregationem deserere.

CASUS PRIMUS.

Pammachius, vir viduus, cui relicti sunt liberi teneræ ætatis, quibus proinde opus est ipsius subsidio tum ut informentur, tum ut deinceps collocentur; potestne tuta conscientia Religiosam vitam amplecti, & quo istius instituti desiderio ardet, sese totum devovere, propriis liberis Divinæ Providentiæ sollicitudini derelictis?

Respons.

Si Pammachio non fuerint parentes aut amici qui possint, aut velint, ipsius liberorum instituendorum, atque iisdem cæterarum vitæ necessitatum subministrandarum curam in semetipsos suscipere; non potest tuta conscientia, Divinæ Providentiæ suis liberis derelictis, ingredi Religionem. 1. Namque in ejusmodi agendi ratione occurreret, unde Deus ipse tentaretur; cum nempe liberos pro derelictis haberet, nihil ipsis ex sese conferen adjumenti, videreturque quandam quasi prodigii miraculique speciem a Divina Providentia exigere; quod prorsus illicitum est. 2. Quia, secundum Doctrinam S. Thomæ (*i*), *Parentes habent rationem principii in quantum hujusmodi: & ideo per se eis convenit, ut filiorum curam habeant. Et propter hoc non liceret alicui filios habenti, Religionem ingredi, omnino prætermissa cura filiorum; id est, non proviso qualiter educari possint*. Utpote quod ipsis istud obligationis jure tum naturali, tum Divino incumbat. Atque suam sententiam confirmat S. Doctor ex istis verbis S. Pauli (*K*); *Si quis suorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior*. Idem quoque habet de eo qui Religionem ingrediendi causa, suum Patrem indigentem desereret, quemque vel suo labore, vel propria industria posset, remanendo nimirum in seculo, adjuvare. Atque istud fusius demonstrandum suscipimus in decisione, quæ sequitur.

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. in corp.

(*K*) 1. Ad Timoth. 5.

CASUS II.

Marinus, cui Pater est aut Mater, qui summa rerum inopia premitur, & reducitur ad ejusmodi angustias, ut nec ullius artis labore, nec quavis aliunde ratione valeat victum quæritare; potestne absque conscientiæ suæ dispendio, eundem vel eandem summæ Dei Providentiæ committere, & Religiosæ vitæ sequi institutum?

Respons.

Audiendus ea de re S. Thomas, qui circa dissolvendam similem (*l*) difficultatem, inconcussum istud principium statuit. *Religio & pietas sunt duæ virtutes, nulla autem virtus alia virtuti contrariatur, aut repugnat: quia secundum Philosophum in prædicamentis (m), bonum non est bono contrarium.*

(*l*) S. Th. 2. 2. q. 101. a. 4. in corp.

(*m*) Cap de oppositis & l. 2. Topicor. c. 3.

rium. Unde non potest esse, quod pietas & Religio se mutuo impediant, ut propter actum unius actus alterius excludatur: Cujuslibet enim virtutis actus ..... debitis circumstantiis limitatur, quas si prætereat, non erit virtutis actus, sed vitii.

(a) Concil. Grangrens. in can. si qui 1. dist. 30. & sanctus Aug. in can. inter 24. q. 4.

Inde sequitur, quum in proposita specie, Marinus ex naturali atque divino jure teneatur (a), auxilio esse suo Patri, vel suæ Matri, qui supponitur ad inopiam redigi; & possit illi adesse, sive industriæ, sive laboris ope; neque valens Religionem amplecti, nisi derelictu pietatis officio, quo necessario obligatur, ad ejusmodi munus præstandum; illum procul dubio abstinere debere a vitæ Religiosæ instituto, quod amplecti ei impossibile est, nisi percalcata, quæ incumbit, strictissima ferendæ ei opis obligatione; atque id eo magis verum est, quod nequidem Religionem ingredienti præsto sint ei, quæ tum ad serviendam Deo, tum ad operandam salutem conducere possunt. Eaque potissimum de causa præcipit summus Pontifex Clemens VIII. in sua 83. Bulla (b), ut de eo articulo interrogentur, qui postulant, sese Novitios admitti: *An & eorum Parentes opera & subsidio eorum indigentes destituantur?* Ipsissima sunt præfatæ Bullæ verba.

(b) Clem. VIII. in Bulla Regular. §. 21. in magno Bullar. tom. 3. q. 121 Edit. Lugd. anno 1692.

Neque vero est unde reponatur; ab ipso posse, & quidem non violato pietatis officio, curam ejus Patris, seu Matris, Divinæ providentiæ committi. *Ille enim, qui est in seculo constitutus,* ait rursum S. Thomas (c), *si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt; non debet, eis relictis, Religionem intrare: quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum: quamvis quidam dicant, quod etiam in hoc casu licita posset eos deserere; eorum curam Deo committens. Sed si quis recte consideret: hoc esset tentare Deum; cum habens ex humano consilio quid ageret, periculo parentes exponeret sub spe divini auxilii.*

(c) S. Th. cit. a. 4. ad 4. l.

(d) Item quod. lib. 10. a. 9. in corp.

Addit tamen alibi Doctor Angelicus (d) ista verba, quæ præmissis afferunt exceptionem. *Aut iste, qui habet propositum intrandi Religionem, videt se in seculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili: si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animæ suæ providere, quam necessitati corporali parentum, non tenetur in seculo remanere.* Adeoque in ejusmodi casu posset Religionis statum amplecti, cujus ardore magis afficeretur: quippe nihil in negotio salutis esse possit potius ac pretiosum magis, quam salutem ipsam, cæteris posthabitis, sibi comparare. Verum prædicta hypothesis nobis videtur, casum aliquatenus metaphysicum attingere, utpote quæ non possit nisi raro admodum sese offerre (e).

(e) Joan. Cab. ar. cas. th. & pr. l. 6. c. 1. n. 8.

CASUS III.

Sempronius vir profitens rem militarem, cum sit ære alieno omnino demersus, potestne sese vitæ Religiosæ instituto addicere, antequam cuncta in integrum nomina expedierit, si suppetat ei, unde æs alienum dissolvat: aut si solvendo non fuerit, obligaturne ad remanendum in sæculo, ut pro virili parte enitatur, quæ contraxit debita, Creditoribus suis refundere?

RESPONS.

(f) S. Th. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3.

Propositam sibi similem quæstionem, sic discutit S. Thomas (f). „ Ille qui est obligatus ad
„ aliquid certum, *inquit*, non potest illud li-
„ cite prætermittere, facultate existente. Et
„ ideo si aliquis sit obligatus, ut alicui ratio-
„ nem ponat, vel ut certum debitum reddat:
„ non potest hoc licite prætermittere, ut Reli-
„ gionem ingrediatur; si tamen debeat aliquam
„ pecuniam, & non habeat, unde reddat: tene-
„ tur facere quod potest: ut scilicet cedat bo-
„ nis suis creditori. Propter pecuniam autem
„ persona liberi hominis secundum jura civilia
„ non obligatur, sed solum res; quia persona
„ liberi hominis superat omnem æstimationem
„ pecuniæ. Unde licite potest, exhibitis re-
„ bus suis Religionem intrare: nec *tenetur in seculo remanere, ut procuret unde debitum reddat.*

Ex quibus ergo juvat inferre, non antea liberum esse Scipioni, Religiosæ vitæ sese addicere, quam æs alienum in integrum dissolverit: si fuerit ei, unde omnia omnino nomina expediat: aut saltem contractis debitis ex parte satisfecerit, si solutis adipiscendæ, ex sua remansione in seculo, moralem quandam impotentiam subodoretur, nec facultates ei fuerint, quibus valeat ære alieno sese in integrum liberare: verum si bonis prorsus careat, posse, absque dubitatione, ab eo vitæ Monasticæ institutum iniri. Nihilominus censemus, si foret ipsi persuasum, futurum ut, intra brevioris temporis spatium, habere posset, unde sese contractis debitis levaret: obligationem ipsi, quantum nobis videtur, incumbere, propositum de Religione ingredienda consilium in aliud tempus prorogandi: quoniam ejus generis vitæ institutum ad consilium tantummodo pertinet: & obligatio restituendæ rei alienæ præceptum, immo jus etiam naturale attingit. Atque eo sensu, ut opinamur intelligenda est septuagesima prima Bulla Sixti V. (g), qua laudatus Papa, vetat, ne recipiantur ad Religiosam Professionem, qui eidem sese devovere animo habent, priusquam ære alieno sese in integrum liberaverint: cum sit omnino manifestum, si præfata Constitutio ad verbum stricte nimis acciperetur, inde futurum, ut innumeris propemodum personis solum, quo nituntur, salutis in tuto ponendæ perfugium eriperetur, sese nimirum subducendo e periculis, quibus in contagioso seculi commercio undequaque oppugnantur. Eaque de causa Bulla prædicta, qua declarabantur irritæ ac nullius momenti, quotquot adversus istud interdictum solemnes professiones emitterentur, emanata est a Clemente VIII. (h) quantum ad istud caput pertinens ad Professiones, quæ irritæ esse jubebantur: quemadmodum habemus ex una quadam, ex ipsius Bullis, ad marginem hic loci indicata.

(g) Sixtus V. in Bulla cum de omnibus 71 §. 5. die 26. Nov. ann. 1587.

(h) Clem. VIII. in Bul. Cum in suprema 83. §. 3. die 4. Aprilis 1602.

CASUS IV.

Sigisbertus Religiosus sæpe sæpius deesse consuevit externis quibusdam observationibus, quæ in Regula Ordinis plurimum commendantur. Numquid in eo peccat mortaliter?

RESPONS.

(i) S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. in corp.

Religiosus obligatur, inquit S. Thomas (i), etiam sub pœna peccati mortalis ad servandas externas quascumque observationes, ad quas aliunde tenetur propter vota, quibus in solemni professione, semetipsum astrinxit: quæ potissimum retinent paupertatem, continentiam, & obedientiam: *Horum transgressio, quantum ad ea, quæ cadunt communiter sub præcepto, obligat ad mortale.*

Quæ verba ipsissima sunt, quæ a laudato Doctore Angelico adhibentur, quibus subjungit, quæ sequuntur. *Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ: quia hoc directe contrariaretur professioni, per quam quis vovit regularem vitam, vel propter præceptum sive oretenus a Prælato factum, sive in regula expressum: quia hoc esset contra obedientiæ votum.*

(k) Id. ibid. ad 1.

Cujus rei rationem istam reddit idem Sanctus, quia (k) „ Ille qui profitetur regulam, non vovet
„ servare omnia, quæ sunt in regula, sed vovet re-
„ gularem vitam, quæ essentialiter consistit in tri-
„ bus prædictis (*votis*) Unde & in quibusdam Re-
„ ligionibus cautius aliqui profitentur, non quidem
„ regulam, sed vivere secundum regulam: id est,
„ tendere ad hoc, ut aliquis mores suos informet
„ secundum regulam, sicut secundum quoddam e-
„ xemplar: & hoc tollitur per contemptum. In qui-
„ busdam autem Religionibus adhuc cautius profi-
„ tentur obedientiam secundum regulam, ita quod
„ professioni non contrariatur, nisi ad quod est con-
„ tra præceptum regulæ.

Ex dictis sequitur, iis omnibus quæ exprimuntur in regula, aut in statutis alicujus Religionis non inesse vim obligativam ex præcepto, adeoque

Re-

Religiosum non teneri ea voto obedientiæ, quod in manibus sui Superioris emisit, ad ea omnia observanda; quoniam, ut iterum advertit idem S. Thomas, (*a*) *Non omnia quæ continentur in Lege, traduntur per modum præcepti; sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, vel statuti obligantis ad certam pænam*. Indeque rursum infert. *Sicut ergo*, inquit, *in Lege Civili non facit semper dignum pæna mortis corporalis, transgressio legalis statuti: ita nec in Lege Ecclesiæ omnes Ordinationes, vel publica statuta obligant ad mortale; & similiter nec omnia statuta regulæ*.

(*a*) Idem ib.

Ex memorata præfati Angeli scholæ doctrina omnino patet, reum mortalis peccati sese Sigisbertum constituere; si, quas prætermittit, observationes ejusmodi fuerint, quæ directe ac proxime attingant illud, quod pertinet ad substantiam ipsius professionis: hoc est, ad quædam ex ipsius solemnibus votis, aut si ipsi ab ejus Superiore, vel aliquo Ordinis statuto sub pœna peccati mortalis jure fuerint indictæ: alioquin vero prædictas generis prætermissiones sortiri tantummodo peccati venialis conditionem: nisi forte contemptus ex professo intervenerit, aut inde plurimum offensionis sit subortum: sic autem ejusmodi contemptum ipsemet S. Thomas interpretatur, (*b*) cum dicit: *Tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel regulæ; & ex hoc procedit ad faciendum contra vel legem regulam*. Deinde semper prosequendo idem Angelicus Doctor addit. *Quando autem e converso propter aliquam particularem causam: puta, concupiscentiam vel iram inducitur, ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regulæ: non peccat ex contemptu, sed ex alia aliqua causa: etiamsi frequenter ex eadem causa, vel alia simili, peccatum iteretur. Frequentia tamen peccati dispositive inducit ad contemptum; secundum illud Prov.* 18. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.

(*b*) Idem ib. ad 3. Item. quod l. 5. ar. 20.

CASUS V.

THEODATUS, & Cornelius Religiosi Professi: prior de Ordine S. Dominici, alter, de Ordine S. Benedicti, suam regulam, vel quibus subjiciuntur, statuta quandoque transgrediuntur. Numquid istæ infractiones reatum culpæ saltem venialis semper contrahunt, quando nempe ex defectu pietatis ac religionis, seu negligentia ducunt originem?

RESPONS.

Est plurimum omnino discriminis statuendum inter laudatos duos Religiosos. Quantum namque spectat ad Theodatum Religiosum de Ordine S. Dominici: respondet S. Thomas, non peccare Religiosum præfato Ordini addictum, qui ea, quæ statutis præcipiuntur, non exsequitur. 1. Quando non pertinent ad substantiam Religiosæ professionis: id est, cum tribus votis solemnibus, quæ emisit, necessariam non habent connexionem. 2. Cum verbis conceptis ab ipsius Superiore ei non præcipiuntur. 3. Quando ea non prætermittit ex contemptu.

Quod quidem Sanctissimus Doctor, qui in eodem Ordine nomen dederat, luculenter declarat istis verbis: (*c*) *In aliqua tamen religione, scilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, transgressio talis, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem; sed solum ad pœnam taxatam sustinendam, quia per hunc modum ad talia observanda obligantur, qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu*.

(*c*) 2. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 2.

Et vero prorsus aliter sentiendum est de Cornelio Religioso de Ordine S. Benedicti. Quanquam enimvero nullius culpæ possit argui, quando regulæ sui Ordinis deest, circa ea, quæ proponit tantummodo per modum ordinationis obligantis simpliciter ad quasdem pœnas, aut circa ea, quæ præscribuntur per modum admonitionis & consilii (*d*) constat tamen eum peccare, quando ea prætermittit, quæ in eadem traduntur per modum præcepti. Quod quidem probari potest ex istis verbis S. Bernardi: (*e*) *Non profitentibus quidem monita tantum, seu consilia censenda sunt: nec gravant non observata: cum tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant*. Nihilominus veniale est duntaxat in casu proposito, ipsius peccatum: verum si ipsius negligentiæ aut pietatis defectu contemptus accedat: etiamsi res de se fuerit indifferens, mortale peccatum admitteret: ut colligitur ex istis aliis verbis laudati Sancti: (*f*) *Hæc siquidem, si contra mandatum non veniunt, nec peccata sunt. Accedente mandato, si quominus jam observantur, in peccatum reputantur: non tamen in crimen: ita sane, si per subreptionem, aut oblivionem, non autem per contemptum horum transgressio contigerit...... cum tamen nec sine offensa negligi, nec contemni sine crimine vel ipsa queant..... licet namque ipsa per se injuncti operis qualitas innoxia sit: adjunctæ tamen authoritatis pondus obnoxium mandato, mandatumque peccato obnoxium facit: non magno tamen, si contemptus defuerit.... ubique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est*. Cæterum operæ pretium est observare, 1. Quæ a S. Bernardo & S. Thoma dicuntur de contemptu, intelligenda quoque esse de casu, in quo scandalum suboriretur. 2. Facili prorsus negotio casus dignosci, in quibus contemptus adest: & eos, in quibus nullum omnino contemptum reperire est: ea interpretatione nimirum, quam de contemptu tradit S. Thomas, in decisione præcedenti memorata (*g*):

(*d*) Non omnia traduntur per modum Præcepti, sed quædam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, vel statuti obligantis ad certam pœnam. Idem S. Thom. cit. art. 9. ad 2.

(*e*) S. Bern. de præcepto & disp. c. 1.

(*f*) Idem ib. cap. 8.

(*g*) Samb. t. 2. casu 71.

CASUS VI.

PLACIDUS Religiosus & de Ordine S. Benedicti carnem aliquando comedit: licet ægro corpore non esset. Num in eo mortale peccatum occurrit?

RESPONS.

Pendet propositæ quæstionis solutio a regulis, quas constituimus in duabus præcedentibus decisionibus, potissimum innixi principiis S. Thomæ. Placidus ergo ab omni mortali peccato vindicatur circa comestionem carnis, si regula S. Benedicti non proponat per modum præcepti disertis verbis concepti, quadragesimalibus cibariis esse quotidie vescendum: sed per modum duntaxat ordinationis disciplinæ illud exprimat. Porro S. Thomas testatur, in præfata regula non contineri ea de re præceptum. Igitur, si ea æquo & bono loqui velimus, Placidus non peccavit mortaliter, secluso nimirum inobedientiæ superiori casu, aut contemptus, quibus addendus est etiam casus scandali. *Abstinere autem a carnibus*, inquit Doctor Angelicus, (*h*) *non ponitur, in regula Beati Benedicti ut præceptum: sed ut statutum quoddam: unde monachus comedens carnes, non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobedientiam, vel contemptum*.

(*h*) S. Thom. quod l. 1. art. 20. Item. 2. 2. q. 186. art 9. in corp.

Diximus; si ea æquo & bono loqui velimus: neque enim loqui intendimus de quibusdam ejusdem Ordinis S. Benedicti Congregationibus: quæ præfatam Disciplinæ ordinationem in præceptum expressum sibi assumpserunt, accipientes scilicet ad strictos literæ apices istæc verba, quæ leguntur in Regula S. Benedicti: (*i*) *Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos*. Et istæc alia: (*K*) *At ubi meliorati fuerint: a carnibus more solito omnes abstineant*. Eadem ratione, qua viguit usus, quem ipsemet S. Benedictus in Monasterium Subiacense introduxit, (qui locus Italico idiomate dicitur Subiaco) urbs regimini Ecclesiastico subjecta, quam iste Sanctus elegit, ibidem primum vitam solitariam acturus: de quo quidem usu mentionem habet Innocentius III. in una quadam ex suis Decretalibus, quam inscribit Abbati & Monachis prædicti Monasterii: cum ait: (*l*) *In refectorio vero nullus omnino carne vescatur*.

(*i*) Reg. S. Bened. c. 39.
(*K*) Ibid. c. 36

CASUS VII.

GONTRANUS, Religiosus professus eum totus incumbat scribendæ ingenti cuidam operi, quod plurimæ utilitati Ecclesiæ futurum est: petit, utpote qui non sit in sacris Ordinibus constitutus, utrum possit prætermittere recitationem Breviarii: aut utrum ad illud persolvendum teneatur sub pœnam peccati, ubi etiam contingit, eum extra Monasterii septa commorari?

(*l*) Inn. III. in c. Cum ad Monaster. 6. de statu monac. lib. 3. t. 35.

RESPONS

Qumea sit Religiosorum Ordinum institutio, ut qui ibidem nomen profitentur, non in propriam tantummodo gratiam preces fundant, sed in utilitatem quoqua omnium fidelium, ac pro necessitatibus universæ Ecclesiæ; manifestum est, a Religioso Professo non posse sine crimine prætermitti recitationem Officii Breviarii, quocumque in loco degere possit; quippe istud Officium fuerit institutum propter finem adeo justum atque sanctum. Ita decidit S. Antoninus (*a*), qui nec locum, nec tempus ullum excipit. *Teneatur 3. ad horas Religiosi Professi .... & hoc, ratione suæ Professionis*, inquit sanctissimus iste Archiepiscopus, *quia non solam sunt institutæ hujusmodi religiones ad orandam particulariter pro se; sed etiam ad orandum pro universali utilitate fidelium: ad hujusmodi orationem scilicet faciendam in persona totius populi Christiani, pro utilitate omnium, sunt institutæ specialiter horæ Canonicæ*. Ea quibus concludimus, non polse a Gontrano prætermitti, quam ex sua solemni professione contraxit persolvendi Officii Breviarii obligationem, quin eo ipso mortalis peccati reatum in semetipsum admittat: cum inde coram Deo legitimam nullam habeat excusationem, quod totus in studium incumbar, & elaborando vacet operi, quod aggressus fuit: siquidem ejusmodi studium & opus nullam ei inducant obligationem ex officio, sed mere gratuita sint atque voluntaria; cum e contrario recitatio Officii pertineat ad obligationem ex præcepto, proindequa ipso studio cui insudat, multo magis potior esse debeat.

(*a*) S. Anton. 4. q. summ. Theol. tit. 12. c. 4. §. 2.

CASUS VIII

ANXILIUS Religiosus da reformato quodam Ordine, sese aliquando libenter interponit in negotia temporalia suorum propinquorum, seu familiarium, qui litium ambagibus implicantur, & eorum jus apud judices persequitur. Num sic rese gerere potest absque peccato?

RESPONS.

Constat, magis Raligiosos dedecere, quam seculares Ecclesiasticos ut negotiis sæcularibus aliorum sesa admisceant, cum in eam rem cupiditatis causa, ac turpis lucri gratia potissimum impelluntur. *Causa cupiditatis secularia negotia gerere, nec Monachis, nec Clericis licet*, ait S. Thomas; (*b*) sed quoniam, ut loquitur idem Sanctus: (*c*) *Religionis status ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ se extendit ad dilectionem Dei & proximi*; non minus certum est, ipsos posse negotiis secularibus sesa ingerere, adhibitis conditionibus, de quibus loquitur S. Thomas, qui addit. *Causa vero charitatis se negotiis sæcularibus, cum debita moderatione, ingerere possunt, secundum Superioris licentiam in ministrando & dirigendo*; (*d*) *unde dicitur in Decreto dist.* 88. Decrevit Sancta Synodus, nullum deinceps Clericum, aut possessiones conducere, aut negotiis secularibus se immiscere, nisi propter curam pupillorum, aut orphanorum, aut viduarum; aut si forte Episcopus civitatis Ecclesiasticarum rerum sollicitudinam eam habere præcipiat. *Eadem autem ratio est de Religiosis, & de Clericis: quia utriusque similiter negotia sæcularia interdicuntur*.

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 187. art. 2. in corp.
(*c*) Idem 2. 2. q. 188. art. 2. in corp.
(*d*) Idem cit. q. 187. art. 2. item opusc. 19. c. 12 & in Epist. ad Rom. lect. 2. & in 1. ad Timot. 2. lect. 2.

Juxta laudatam S. Thomæ doctrinam, quæ tota Canonibus innititur, nullius prorsus peccati potest Auxilius argui, si dum negotia temporalia propinquorum, seu familiarium suorum tractat, nihil aliud nisi charitatem intenderit, quippe qui multo magis inde sit laudandus. At plurima nimis dignus est reprehensione, atque omnino perperam agit, si in ejusmodi negotiis administrandis, mentem non gerat integram, & omni prorsus propriæ cupiditatis prurigine vacuam, atque penitus defæcatam.

CASUS IX.

JOSEPHUS Religiosus, ad vitæ suæ tempus constituta sibi a Patre, cum Professionem emisit, 150. Librarum pensione gaudens; eandem ipsemet percipere consuevit, apud se reconditam pecuniam inde obvenientem servare, & impendere in privatas suas necessitates, juxta mentem sui Patris sibi cognitam, nulla de cœtero petita, ea de re sui Superioris licentia. Numquid ei licitum est, non violato, quo ligatur, voto paupertatis prædictam pensionem ea ratione sibi sic assumere?

RESPONS.

Præfato Religioso nulla ratione licitum est, neque propriis manibus percipere, quam ei constituit ipsius Pater, pensionem 150. Librarum, neque de eadem, privata sua authoritate, statuere, siquidem ita sese gerere non possit, quin actum exerceat proprietatis, ac proinde votum suum paupertatis solvat, & consequenter gravissimo mortalique peccato sese astringat. Quod luce meridiana clarius evincitur ex Decreto pronunciato, ea de re, a Synodo Tridentina, cujus ipsissima verba sunt: (*e*) *Ne deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicujus Regularis concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum, ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat*.

(*e*) Concil. Trid. sess. 25. de regular. & monial. c. 2.

Quæ quidem verba prorsus innuunt, nec ipsis etiam superioribus Juris istud attribui, ut Religiosorum, qui sibi committuntur, alicui ullius rei stabilis, & constantis usum possessionemque permittant. Unde licet inferre, nec etiam a fortiori licitum esse Religiosis, res atque bona ejusmodi possidere; quales sunt pensiones ad vitæ tempus, neque habere in sua potestate, neque iisdem ad proprium nutum, privataque auctoritate uti, quin proprietarios sese prodant, ac proinde votum solemne paupertatis, quo tenentur, excutiant atque perfringant. Ita disserit Insignis quidam Theologus (*f*), post Azorium, Zerolam plurimosque alios, quos appellat: Est igitur Josephus omnino condamnandus, neque ulla prorsus ratione, eo modo sese gerens, qui fertur in specie proposita, potest a peccato gravissimo vindicari. Atque sic etiam docet Cabassutius (*g*), innumerorum pene aliorum Canonistarum vestigiis insistens.

(*f*) Fr. Sylv. resol. var. v. Religiosus 3. & apud eum Jo. Azor. tom. 1. l. 12. c. 9. q. 1. Zerola & alii.
(*g*) Jo. Cabas. juris canon. th. & prax. l. 4. c. 21. n. 9.

CASUS X.

MARCO Religionem ingresso, pensionem ducentarum librarum assignavit ipsius Pater, de suis universis possessionibus percipiandam, & cum licentia Superioris in ipsius necessitates impandendam. Verum post quinque aut sex ab illinc annos contigit Raoldo, tum ea amissa quadam lite, tum ex alio infortunio, quod emersit, ras inverti ac plurimum dilabi; adeo ut a filio suo petierit, condonari sibi constitutam pensionem, quo sibi inde suppeteretur, unde vitam sustentaret. An licitum sit Marco, ducentas libras suo Patri in istis rerum angustiis constituto cedere, non accedente etiam Superioris sui consensu?

RESPONS.

Est indubitatum omnino principium; Marco siquidem Religionem sit solemni votorum nuncupatione professus, nihil jam superesse juris aut facultatis, non accedente ipsius Superioris consensu verbis disertis concepto, ejus Patri concedendæ atque condonandæ prædictæ pensionis. Ea ratione similam prorsus difficultatem sibi propositam expedivit olim Sylvius (*h*), cum 10 Aprilis 1635. Duaci commoraretur. Cujus decisionis rationem istam affert 1. Quia memorata pensio, propria Monasterii facta est, ex solemni professiona, quam ibidem prædictus Religiosus emisit. 2. Quoniam nulli Religioso facultas relinquitur, da ra quapiam statuendi; quippe qui, quo astringitur, voto paupertatis, de jure quidquam possidenti tanquam proprietarius, plane deciderit. *Respondetur*, inquit laudatus magni prorsus nominis Author, *istos Religiosos non posse suis parentibus ea, vel eorum aliqua, quæ ab eis receperunt occasione redituum eis concessorum reddere sine Superioris consensu, partim quia jam facta sunt Religionis; partim quia de nullis temporalibus bonis possunt disponere sine Prælati licentia*. Quæ decisio prorsus consentit Decreto Concilii Tridentini, quod jam retulimus in discutiendo nono Casu.

(*h*) Fr. Sylv. resol var. v. Religios. 5.

Digitized by Google

su, & alii ejusdem Concilii Decreto, quod adire licet inferius in decisione duodecima.

CASUS XI.

Theophanes Religiosus, Procurator seu sacrarii custos de Monasterio quoddam subtrahit aliquando pecuniam, inde sese rebus instructurus, quæ ipsi sunt summæ veræque necessitati. 1. An peccat mortaliter, cùm sic agit non petita sui superioris licentia? Peccaretne etiam, si eandem ab ipso petitam non posset obtinere?

RESPONS.

Ad propositam priorem quæstionem Cabassutius respondet (a), in casu enunciato Religiosum prædictum mortaliter peccare. *Religiosus usurpans sibi necessaria absque Superioris licentia, eoque inconsulto, peccat mortaliter: ac dupliciter, tum ratione furti, tum ratione sacrilegii, contra paupertatis votum usurpando sibi proprietatem & dominium. Itaque non potest regularis quidquam pro suis necessitatibus subripere, nisi prius urgentem, quam patitur necessitatem Superiori exposuerit, illeque providere neglexerit.*

(a) Jo. Cabass. Jur. can. theo. & prax. l. 1. c. 31. n. fin.

At de proposita altera quæstione est aliter sentiendum. Posito namque quod Superior contra fas abnuerit ea, quæ Theophani necessaria omnino sunt subministrare, & quibus nequeat, nisi ægre admodum, ac plurimum inde patiens incommodi carere; qualia sunt vestimenta, alimenta atque medicamina tempore adversæ valetudinis, potest absque peccato, sibi privata auctoritate accipere, unde necessitatibus, quibus urgetur, consulat; præsertim si ipsi non detur locus recurrendi ad superiorem majorem. Atque sic etiam docetur a præfato Theologo post Azorium, Bonacinam, & Navarrum, qui ab eo citantur. Rationem vero rei istius subdit eo modo, *tunc enim Superior iste irrationabiliter inventus est, & subditus illi Religiosus habet ab ipsa naturæ lege jus suis necessitatibus succurrendi.*

CASUS XII.

Athanasius Monasterio cuidam non reformato præpositus Superior, cum consueverit summam 150. librarum unicuique e suis Religiosis per singulos annos præbere, locum habituram cum ipsorum vestium, tum vini, quod sibi comparant; Clemens unus ex prædictis Religiosis istud quantulumcumque pecuniæ parce adeo ac frugaliter sibi adhibuit, ut impensis ordinariis summam 200. librarum defraudaverit, quam apud se caute servavit, in necessitatibus urgentibus sibi profuturam. Quod ubi Athanasius rescivit, jussit, ab eo apud se pecuniam istam reponi: Numquid Clemens tenetur ex stricto conscientiæ officio, ad summam memoratam ipsi referendam?

RESPONS.

Propositæ difficultatis expeditam solutionem reperire est in Concil. Trid. (b), cujus Decretum, ea de re, sic enunciatur: "Nemini igitur regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur Conventuique incorporentur, nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum administrationem, aut commendam: .... quod si aliquis quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit; atque etiam juxta suæ regulæ & Ordinis Constitutiones puniatur". Obligatur igitur Clemens & quidem ex conscientia, ad tradendas suo Superiori ducentas libras, quas sibi de frugali parcimonia superstites reservavit; siquidem easdem repetierit Superior: atque etiamsi non repetiisset ab eo; saltem obligaretur, ad recipiendum ab ipso licentiam istius pecuniæ apud sese recondendæ, animoque sic esse affectus, ut primo requirenti superiori, nulla facta mora, sit traditurus, nec eo inconsulto, privata sua auctoritate quidquam inde sibi subrepturus: Cum alioquin proprietatis peccatum committeret, infringendo nimirum solemnia sua vota paupertatis, atque obedientiæ. Atque in iis, in integrum fere transcripsimus, quæ Sylvius olim, de simili difficultate sibi proposita 10. Aprilis 1635. prosecutus fuerat istis verbis: "Respondetur, inquit, (c) ... Religiosos illos teneri superiori jubenti, vel petenti, tradere quidquid comparserunt, seu parce vivendo asservaverunt de pecunia, quam vel a Prælato, vel Prælati permissu acceperint. Imo & antequam superior petat vel jubeat, semper debent esse animo parati totum tradere, mox ut fuerint requisiti: Alioquin committunt peccatum proprietatis.

(b) Concil. Trid. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 2.

Quæ decisio auctorem quoque Fagnan. sibi vindicat (d), & ab eo confirmatur testimoniis Innocentii IV. Dionysii Carthusiani, Decii operis cujusdam, quod Gersoni vulgo tribuitur; Auctorumque aliorum plurimorum; item auctoritate cujusdam Decreti lati a Clemente VIII. 6. Maii 1602. com probati ac roborati a Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. & declaratione quadam promulgata a Congregatione de Regularibus 2. Julii 589. & alia declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium, cujus laudatus Fagnanus erat Scriba.

(c) Fr. Sylv. resol. var. v. Religiosus 5.
(d) Fagn. in c. Monachi 2. de statu Monach. n. 61 & seqq. & apud eum Inn. in c. Dilectus. 1. de Præben. & dignit. Dionys. Carthus. opusc. de Con or. Claust. art. 13. 14. & 15. Decius in cap. . de Constitut. Gerson. tract. Contra Proprietarios Part. 1. Jason. Barth. & alt.

CASUS XIII.

Olodimirus, Canonicus Regularis Præmonstratensis, cum ipsi jamdudum animus esset, in Parœcia S. Adelinæ, cui Parochus præficiebatur simul & Prior, Ludi Magistram stabilire, assignando ei, cum pro victu, tum pro mercede laboris, præfixos quosdam ac convenientes reditus; ex parcimoniis suis, de fructibus sui Beneficii acervavit ad summam usque 3000. librarum, quam antequam morte correptus fuerit, impendit in emendam quamdam villam, quam cuidam Rustico sub titulo prædii Clientelaris commisit, constituta de eadem annua 150. librarum pensione. Ipsius superior major, quo inconsulto, emptionem memoratam confecerat, illius contractum, ratum habere atque acceptum, plane denegavit. Eademque ratione sese gesit ipse Diœcesanus Episcopus, qui nedum eum fuerit laudibus prosequutus, quin imo plurimum culpaverit, quod prædictas parcimonias, non insumpsisset, in subveniendo egenis suæ Parœciæ, & necessitatibus urgentibus suæ Ecclesiæ. Verum, ut res erat in integrum perfecta, & præfatus Parochus persuasum habebat, posse a seipso proventus istius fundi, ad usus omnino perutiles conferri; eorum partem mediam testamento assignavit, ad institutionem Ludi Magistræ perpetuam; alteram vero partem constituit duabus Missis privatis, una quaque anni hebdomade, a suis successoribus in perpetuitatem celebrandis, ut propriæ animæ bene esset: Deinde vitam non ultra sex menses fuerit prosecutus. Qua de re quæstiones instituuntur 1. Utrum Olodimirus legitime non potuerit prædictam emptionem conficere?

2. Utrum, confecta ista emptione, fundum inde provenientem valuerit, qua ratione enunciatum est constituere & collocare?

3. An Bertino, qui ei suffectus est, inducatur obligatio, ex conscientia, persolvendæ quantitatis missarum, quæ feruntur in ipsius testamentum, & honorarii, quod ibidem assignatum est accipiendi, aut utrum non magis expediat, illud tum in pauperes, tum in necessitates ipsius Ecclesiæ S. Adelinæ impendi, satis habens in gratiam defuncti preces fundere, ad *Memento* quorumcumque Sacrorum, quæ in posterum peracturus est?

RESPONS.

Ad institutas primo quidem loco quæstiones respondemus, memoratam emptionem, legitime, atque integro remanente ipsius voto paupertatis, confici non potuisse a prædicto Priore-Parocho S. Adelinæ Religioso, nec nisi regulis Ecclesiasticis ab eo penitus pessumdatis; quoniam emptionem ejusmodi privata auctoritate sibi sic arrogando, & villam ea ratione comparatam rustico cuidam, sub titulo prædii Clientelaris, tradendo, tandemque testamento statuendo, futurum, ut proveniens inde 150. librarum annuus reditus, piis duabus institutionibus, quæ in eodem testamento præcipiuntur, alligaretur;

actum proprietatis exercuit, qui plane repugnat paupertatis voto, quod in solemni sua professione Deo promisit, & ipsi Decreto (a), quo Ecclesia districtissime prohibuit quibuscumque Religiosis, ne in proprietate retinerent quidquam rei sive immobilis, sive mobilis, quovis modo fuerit ab eis acquisita, nec de eadem tanquam Domini disponerent ad proprium arbitrium testamento, donatione, aut qualibet alia ratione: in quo quidem Olodimirus grande prorsus peccatum admisit; siquidem nec coacervaverit, nec apud se retinuerit tantam pecuniæ summam, nisi cum ea potissimum proposita sibi mente, Superioribus inconsultis, de eadem ad proprium libitum statuendi.

(a) Concil. Trid. sess. 25. de Regul. c. 2. S. Greg. Ep. ad Januarium Episc. Caralit. Inn. III. in c. Cum ad Monasterium. 6. de statu Monach l. 3. t. 35.

Perfregit ergo Religiosus prædictus votum paupertatis, quo tenebatur, in toto rationis agendi cursu, quem adhibuit, atque ita promeritus est, quamobrem sepultura Ecclesiastica careret, ut declarat Clemens III. (b), & probat Innocentius III. (c), mutuatus auctoritatem S. Gregorii Magni sic habentis: *Si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur*. Sed gravissime etiam deliquit adversus justitiam, coacervando & retinendo ingentem adeo summam, quæ ex jure naturali, Divino, & Ecclesiastico propria erat egenorum; quippe in ejusmodi bonorum superfluo consistant omnino *Patrimonia pauperum*, ut fert Concilium Aquisgranense anno 816. celebratum (d), atque uno ore clamant quotquot sunt Ecclesiæ Patres (e). Denique peccatum cumulavit testamento scripto, quod iniquum perinde est ac nullum, quod duplicem institutionem cavebat: secunda nimirum propriam ipsius utilitatem attinente.

(b) Clemen. III. in c. Super c. de statu Monach.
(c) Inn. III. in cit Cap. Cum ad Monasterium.
(d) Concil. Aquisgran.
(e) S. bern. serm. 25. in cant. post. med. & tract. de morib. & officiis Episc. c. 1. n. 7. & apud eundem declamat. in hæc verba. Ecce nos reliquimus omnia.

Emmanuel Rodriguez, quem nimiæ circa Disciplinam moralem severitatis suspectum nemo jure habeat, iis præsertim, quæ Religiosos spectant, in quorum gratiam nihil eorum in scribendo prætermittit, quæ dari possunt vel favori, vel indulgentiæ, doctrinam tamen, quam tenemus, totus ipsemet amplectitur ac proponit, quemadmodum colligere est ex plurimis testimoniis de operibus, quæ de rebus moralibus inscripsit, depromptis, quæ quidem hic loci non referimus, quoniam eadem adire licet in eis locis, in quibus, de Religiosis sermonem facientes ea in integrum perscribimus (f), ibique contendit, Religioso non tribui factionem testamenti: propterea quod nihil tanquam proprietarius habeat, & testamentum faciendo proprietatis actum eliceret, qui adversaretur voto paupertatis, cui sese devinxit, in omittenda sua solemni professione. Quod idem unum quasi consensu docent Corradus (g) & Lopez (h), uterque Religioso Ordini de S. Dominico vitæ suæ instituto addictus, aliorumque plurimorum ingens concursus.

(f) Religiosus Casus Isidorus.
(g) Jo. Bapt. Corrad. resp. ad casuum consc. quæsita quadraginta in addit. ad quæsitum 20.
(h) Lud. Lopez Instructorio conscientiæ. 2. part. c. 5 & 6.

Ex præmissis sese facili prorsus negotio prodit, quid ad propositam tertio loco quæstionem veniat respondendum; enim vero si dictum testamentū iniquum fuerit ac nullum; non obligatur Bertinus successor Olodimiri ad exequenda, quæ ibidem præcipiuntur; verum sic ei agendum est apud Judicem, ut obtineat, 150. libras reditus annui in pios alios usus, quos visum erit magis expedire, converti, & quoniam Ludi Magistræ constitutio videtur ad institutionem, & salutem puellarum ipsius Parœciæ plurimum conferre, & pauperibus obvenire debet portio saltem aliqua de parci moniis, quas in damnum ipsorum defunctus inique ad modum coacervavit, auctores ei sumus, ut, libello supplice, ea de re, dato, petat a Judice prædictam summam, adhibita æqualitate, dispertiri, nimirum 75. libras quotannis impendi in pensionem Ludi Magistræ, & superstites alias 75. libras, in eorum subsidium, qui in ipsius Parœcia miseriis & ærumnis magis obruuntur. Vult equidem Concilium Tridentinum, ad Episcopum recurri, qui ea de re, sententiam ferat, at in eo repugnantem prorsus patitur Jurisprudentiam nostram, nec nisi Regius Judex, ea de re, adeundus est. Ceterum meminisse debet Bertinus, quemadmodum ipsemet ultro ac benevole prorsus offert, in omnibus sacris, quæ postmodum peracturus est, orare, ut anima defuncti in pace quiescat.

CASUS XIV.

Isidorus Monasterio cuidam præpositus Superior, in quo quinque tantum aut sex Religiosi supersunt, quærit num sibi liceat absque conscientiæ suæ dispendio, uni cuidam ex ipsis, cui mors impendet, permittere, ut de libris aliquibus, & de rebus quibusdam mobilibus, quæ sui juris sunt, aut etiam de aliquantula pecunia, quam ad succurrendum ipsius necessitatibus, quidam ejus propinquus largitus ipsi fuerat, in gratiam unius ex suis familiaribus disponat?

Respons.

Prædicto Superiori nihil quidquam juris tribuitur ejusmodi copiæ faciendæ ulli ex ipsius Religiosis: nam secundum SS. Canones (i). *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio:* non vero sibimetipsi. siquidem quodcumque jus proprietatis amiserit, ex voto solemni paupertatis, cui sese devinxit.

(i) Conc. Aurel. 1. in can. Abbates 16. 18. q. 2. S. Greg. in can. Quia 7. 19. q. 3.

Quæ quidem veritas potest omnino confirmari plurimis constitutionibus Summorum Pontificum, qui districtissime prohibent quibuscumque Religiosis personis, ne quidquam per modum muneris offerant. Quod disertis prorsus verbis ipsis interdicitur a Clemente VIII. in ipsius vigesima octava Bulla, quam 19. Junii 1594. promulgavit (k), cujus rei rationem istam profert, illud nimirum quodcumque ab amicis, aut parentibus suis accipiunt Religiosi, vel Religiosæ, aut aliunde acquirunt, fieri proprii omnino juris Monasterii, in quo nomen professi sunt. *Quovis modo acquisitæ* (pecuniæ), inquit, *in commune conferendæ* omnino sunt. Cui Constitutioni roboris atque auctoritatis plurimum adjecit centesima quinquagesima octava Bulla, quæ data est 16. Octobris 1640. (l) ab Urbano VIII. ex quibus patet; personis Religiosis non magis licitum esse, quidquam morte instante, donare, quam vita durante. Enim vero S. Gregorius scribens ad Januarium Episcopum Caralitanum in Sardinia, iisdem verbis conceptis prohibet, ne testamentum ullum conscribant (m): *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia: sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est*. Quæ ipsissima sunt verba laudati sanctissimi Papæ, qui per istas voces, *aperta legis definitione*; legem intelligit, quam Imperator Justinianus; eadem de re, tulit (n).

(k) Clemen. VIII in Bulla Religiosæ P. 2. & 3.
(l) Urb. VIII. in Bulla Nuper par. 2.
(m) S. Greg. Magn. l Epist. ad Jan.
(n) Novelle 25. & 129.

Atque ex allatis auctoritatum testimoniis prorsus liquet, non pertinere ad potestatem regularis cujusquam superioris, cum suis Religiosis dispensare circa legem adeo sancte solideque ab Ecclesia constitutam. Quod etiam Innocentius III. declarat (o), in una quadam ex suis Decretalibus quam cuidam Abbati & Religiosis ipsius inscribit, in qua sic habet; *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monaco dispensare:* Atque ipsissimum est, quod ab Isidoro attentaretur, si suo Religioso animam agenti licentiam tribueret, de rebus quæ ipsius sunt in favorem alicujus familiaris disponendi; quippe præfatus Religiosus non posset de iisdem, nisi tanquam proprietarius statuere.

(o) Inn. III. in c. Cum ad Monasterium 6. de statu Monachor. & Canonic. Regularium. lib. 3. tit. 35.

Neque vero præsenti nostræ decisioni mediocrem addet auctoritatem Auctoris prorsus insignis suffragium; qui licet pro aris & focis totus studeat iis, qui Religionem amplexi sunt, favere, & eorum partes nimio plus tueri; sententiam, quam ipsi jamjam asseruimus, acriter omnino propugnat. En qua ratione quæstionem primum ipsemet instituit: *Utrum Religiosi possint facere testamentum?* (p) Cui quæstioni facturus satis sic ait: *Respondeo dicendo omnes Religiosos, etiam Prælatos, esse jure prohibitos, ne possint testamentum condere post professionem.* Deinde addit, Superioribus nihil inesse juris, unde cum suis Religiosis quantum ad istud caput valeant dispensare. *Prælati Superiores non possunt eam facultatem præstare, ut Auctores doctissimi constanter docent; tum quia ex universali consuetudine ad minus sunt probibiti; tum etiam quia hæc facultas non perti-*

(p) Emman. Rodricus qq. canon. & reg. tom. 3. q. 79. art. 2.

pertinet ad observantiam regularem: Quod tandem ad eum etiam casum extendit, in quo testamentum versaretur circa pium aliquod legatum relinquendum .... *Adeo verum est, quod Prælatus inferior Papa non potest facere Religioso facultatem testandi, ut id intelligitur, etiamsi ad pias causas disponat: quia jure communi Religioso Prælato est prohibitum* (*a*), Navarrus eandem quoque doctrinam proponit (*b*): quemadmodum observat præfatus noster Auctor. *Quare, ait Navarrus, inutilis esse videtur licentia, quam solent aliqui Prælati Regulares, vel Capitula Regularia, habentia bona divisa a Prælato concedere ... Religiosis particularibus ægrotis, relinquendi pecula, vel supellectilia sua, vel partem illorum pauperibus, vel famulis.*

(*a*) Greg. IX. in cap. Quia 2. de testam. l. 3. tit. 26.

(*b*) Navarr. in can. Non dicatis. 12. 12. q. 1. n. 22.

Existimamus officii nostri potissimum esse hic loci commonere Lectorem, Navarrum, quem aliunde disciplina Canonici Juris eruditum maxime commendamus, in laxiores opiniones abiisse circa proprietatem, quam Concilium Tridentinum & Decretales personis Religiosis caute adeo interdicunt, ut videre est in plurimis locis ipsius operum, quæ ad marginem indicamus (*c*); neque adeo ipsi, ea de re, auctori confidendum esse, neque etiam plurimis aliis Auctoribus, de quibus sermonem facit Fagnanus (*d*), quorumque doctrinam fuse admodum firmissimisque simul rationum momentis refellit.

(*c*) Navar. in can. Non dicatis 21. 12. q. 1. 2. 47 Item de statu Monach con. 13. 14. & 17. Item in can. N. Item 9. 18. q. 2 Item de Restit. l. 3. q. 3. c. 1. dub. 1. nu. 166. & seqq. Corollar. 2. & alibi.

(*d*) Fagn. in c. Monachi de statu Monachorum n. 10. & seqq.

CASUS XV.

Hierophilus Religiosus, qui secularium confessiones in Ecclesia sui Monasterii jampridem excipere consueverat, cum fuisset subitanea morte inopinato correptus, ac sepulturæ traditus: Superior in ipsius Cellula invenit quamdam mille librarum summam, de qua plurimis licet habitis inquisitionibus, resciri nunquam potuit, unde obveniret. Qua de re petitur. 1. Utrum statuendum sit, dictum Religiosum in crimen proprietatis impegisse, & ipsius cadaver terra defossum eruendum? 2. Quid de pecunia fieri potissimum expediat?

Respons.

In ista rerum circumstantia, nec judicium præceps ferendum est, nec crimine proprietatis Hierophilus illico ac temere condemnandus. Cujus rei ratio si desideretur, ea potissimum est, quod cum secularium confessionibus excipiendis fuerit ipse jamdudum præpositus, conjiciendi locus præbeatur, vel apud eum summam memoratam depositam fuisse, vel eo fine commissam ipsius fidei, ut inde quædam fraudata restituerentur: quorum alterutrum animo præsumi eo majori cum fundamento potest, quod officium exercuerit Confessarii, atque præsertim si bonis exemplis ejus vita præluxerit, neque sinistra criminis proprietatis opinio ipsum unquam attigerit.

Quibus nec abs re erit subjungere, in ipsius manus dictam summam forte traditam fuisse ad utilitatem ipsiusmet Monasterii, neque ei, utpote morte inopinata sublato, per tempus licuisse, eandem apud suum Superiorem, aut suæ Communitatis Procuratorem, deponere.

En, quantum autumamus, qua ratione convenit judicium haberi de Hierophilo, juxta principium, quod S. Thomas constituit istis verbis (*e*). *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est*. Et paulo post (*f*), *ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, quod hominem judicemus bonum: nisi manifesta ratio in contrarium appareat*. Jamvero nulla manifesta ratione compertum est, in proposita specie, præfatum Religiosum fuisse proprietarium, sed ex conjectura duntaxat suspicio incidit: Non est ergo tanquam proprietarius condemnandus, neque effodiendum ipsius cadaver, ut a sepultura Christiana procul removeatur.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 60. art. 4.

(*f*) Idem ib. ad 2.

Inde sequitur ad prudentiam Superioris pertinere, ut jubeat, mille libras prædictas per longum temporis spatium servari; puta per annum; ut sufficiens detur locus inquirendi, num aliquis futurus sit, qui prædictam summam, tanquam depositam repetat: aut utrum aliquo deinceps modo innotescere possit, quamdam esse restitutionem, quæ fidei præfati Religiosi fuerit concredita. Quo quidem elapso tempore, si nihil certioris notitiæ haberi queat de usu istius pecuniæ, poterit impendi in pios aliquos usus, ac præsertim in stipis erogationes, etiam in gratiam ipsiusmet Monasterii, si indigeat. Atque ea fere ratione difficultatem eandem olim enodavit quidam insignis prorsus nominis Theologus 6. Februarii 1623. (*g*).

(*g*) Fr. Sylv. ref. var. 2. Religiosus.

Vide Depositum.

CASUS XVI.

Nicomedi Canonico Regulari, cum provisum esset de quodam Beneficio, cui cura animarum annectitur, quodque intra septa Monasterii positum est, in quo Religiosam emisit professionem: id se, privata sua auctoritate, atque inconsulto suo Superiore, de fortuitis istius Curæ proventibus disponit; id est, de honorariis, quæ percipit de oblationibus, exequiis, & administratione Sacramentorum; eademque confert ad pios simul, & honestos aliquos usus. Numquid ita eum agere fas est, illibata remanente conscientia; neque perfractis, quibus alligatur, votis obedientiæ ac paupertatis? Rationem scilicet ambigendi movet illud, quod nempem ejusmodi licentia jure non donentur, nisi qui Beneficiis Curis præponuntur, quæ extra Monasteriorum ambitum consistunt.

Respons.

De proposita eadem difficultate sic habet Navarrus (*h*). *Omnis Beneficiarius Regularis perinde potest disponere de fructibus sui beneficii, ac seculares de fructibus suis ..... quod est firme tenendum ..... uterque potest disponere, ad se decenter sustentandum; & ad pia opera: & neuter ad alia.* Et paulo post ... *Quilibet Regularis factus Abbas, Prior, Administrator, Commendatarius, Præceptor, & quicumque alius habens titulum aliquem Canonicum, quocumque ille nomine vocetur, potest jure communi solus dispendere fructus bonorum illius.* Quod quidem laudatus Auctor probat plurimis textibus excerptis de Corpore Juris; ac speciatim Constitutione quadam Clementis V. (*i*) ex cujus vel etiam simplici lectione patet, administrationem redituum de Beneficiis obvenientium penes Beneficiarios Regulares esse perinde, ac penes Seculares in eo quod memoratus Papa discrimen inter simplicem regularem, & Beneficiarium regularem, in eo potissimum reponat, quod nimirum regularis Beneficiarius facultatem habeat, de reditibus sui Beneficii ad quoslibet usus pios disponendi, inconsulto etiam suo Superiore: quod asserit, nulla distinctione adhibita Beneficiorum, quæ sita sunt extra septa Monasterii, & eorum, quæ intra ejusdem ambitum comprehenduntur: contra vero regularis simplex, hoc est, qui nullo gaudet Beneficio, de nulla re possit privata sua auctoritate, nec præter licentiam sui Superioris disponere. Eadem ratione, qua Navarrus, de simili quæstione consultus olim Sylvius respondit (*K*) 17. Maji 1633. plurimosque alios appellant præfati Auctores in suæ sententiæ patrocinium.

(*h*) Navarr. Comment. 2. de regula. 10 & 11. tom. 1.

(*i*) Clementina. Quoniam a de vita & honest. Cleric. lib. 3. t. 1.

(*K*) F. Sylv. resol. var. 2. Religiosus 1.

Respons.

Pacomius Religiosus Professus, ut plurima eruditione, sic etiam bono ingenio ornatus, cum cupide appeteret, sese eligi Superiorem domus cujusdam de suo Ordine, dignitatem illam ambitiose sectatus est, atque ea de re scripsit Epistolas ad plurimos alios Religiosos sibi familiaritate conjunctissimos, quibus eos inducere enitebatur, ad sibi suffragandum in Capitulo generali. Habuit ipsius petitio felicem exitum, atque superioris dignitatem fuit consecutus. Nonne peccavit istam prælaturam instantibus adeo sollicitationibus ambiendo?

Re

RESPONS.

Nullum omnino dubium est, quin Pacomius peccaverit, præfatam dignitatem ambitiose prosequendo. Si enim, testante S. Thoma, illicitum sit beneficium, cui sit cura animarum annexa, sibimetipsi quærere; neque fas sit, nisi beneficium simplex ad summum petere, cum requisitæ dotes ad illud possidendum habentur, & ad sustentandam vitam necessarium est; a fortiori dicendum est, nullatenus licere Religioso, sollicitationibus suis ullam Superioris ambire prælaturam: siquidem præsumi non possit, ejusmodi dignitatem prosequi, ut inde vitæ necessarium percipiat; cum incumbat ipsius Monasterio, quæ cumque ad ejus cum victum, tum vestitum pertinent administrare. Nihil ergo aliud est, quod judicari possit, nisi eum ardere cupidine, in alios exercendi Dominatus: quod vitium, etiam in Seculari Clerico, reprehensione omnino dignum est, utpote cujus vitæ conditio ad summam adeo virtutem, quemadmodum, quod tenet Religiosus, vitæ institutum, non ordinetur.

Aliunde vero qui Pacomium elegerunt in Superiorem, id animo persuasum habere debuerunt, ipsum ista dignitate prorsus indignum fuisse, ex illa ambitione, quam suis sollicitationibus tam aperte prodiderat. Non ergo propriam ipsius tantummodo virtutem intenderunt, cum fuerunt ei suffragati; atque adeo ex assiduis, atque acribus sollicitationibus suis, & contentionibus habet, quod propriam electionem ipsis referat acceptam. Inde sequitur, ex utraque parte peccatum admissum fuisse, juxta principium istud, quod S. Thomas adhibet istis verbis (a) *Qui enim dat aliquod spirituale .... si tamen principaliter moveatur favore precum ... quantum ad judicium divinum simoniam committit & rogatus & rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio* (b).

(a) S. Th. in 4. dist. 25. q. 3. ar. 3. ad 4.

(b) F de Gen. Theol. mor. t. 8. tr. 2. c. 4. n. 25.

CASUS XVIII.

PALEMON Religiosus Professus, quem cæteri Religiosi animo habent eligere in Superiorem, convenit cum uno quodam e suis sodalibus, quod ipsi sit suffragaturus ad dignitatem Provincialis, si sibi suffragantem habeat ad dignitatem Superioris: quod ut ex utraque parte acceptatum, ita & executioni deinde demandatum est. Nonne vitiosum aliquid occurrit, tum in conventione prædicta, tum in executione, quæ postmodum subsecuta fuit?

RESPONS.

Est prorsus vitiosa prædicta conventio: quoniam quadam simoniæ labe inficitur. Quod probari potest tribus rationibus omnino firmissimis.

Prima est, quod pactum quodcumque spiritualibus accedens, eos simoniacos reddat, a quibus conflatur: nisi auctoritatem a Superiore legitimo fuerit mutuatum: id est, vel a Summo Pontifice, vel ab Episcopo, pro conditione conventionis: ut apertum fit ex plurimis Decretalibus Summorum Pontificum, ac nominatim ex Decretali quadam Gregorii IX. (c), qui prohibet omnino, ne ullæ cujuscumque generis pactiones in ejusmodi rebus interveniant: *quia hujusmodi pactiones simoniam inducunt ... tacite etiam vel expresse*. Quam rationem suggerit Glossa (d), & confirmat plurimis Canonibus & aliis Decretalibus.

Secunda est: quoniam, secundum S. Thomam (e), tunc simonia reperitur, quando res spiritualis gratuito non confertur; qualis est dignitas, vel quoddam Officium in Monasterio. Atque in subjecta specie, neque Palemon, neque Religiosus alter ipsius sodalis, gratuito sibi invicem suffragantur ad mutuam, quam ex utraque parte promittunt, electionem: siquidem alter non spondeat, alteri suffragaturum, nisi accedente disertis prorsus verbis concepta pactione, quod eadem ratione, sit sibi ad aliud quoddam officium alter suffragaturus. Uterque igitur in simoniæ crimen incurrit. Quod luculenter probatur exemplo quodam petito ex Decretali Alexandri III. (f), qui scribens ad Episcopum Toletanum, de Episcopo Oxomæ, qui accusatus fuerat, quod promisisset ante suam in Episcopatum electionem, futurum ut duo beneficia conferret cum Archidiacono, tum alii cuidam Ecclesiastico, quo eosdem ad futuram electionem sibi devinciret: sic declarat. *Tuæ prudentiæ respondemus, quod si manifestum est, eundem Archidiaconum, & Clericum ob causam illam promissa recepisse; aut exinde confessi fuerunt in jure, vel legitime convicti, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi.*

(c) Greg. IX. in c. pactiones fin de pactis l. 5. tit. 35.

(d) Glossa in cit. pactiones v. Cessare.

(e) S. Th. 2a. 2æ. q. 100. art. 6. in corp.

(f) Alex. III. in c. De hoc. 11 de simonia. &c. l. 5. tit. 3.

Porro similis prorsus est conditio Religiosi, qui de proprio suffragio cum alio stipulatur, ad eum promovendum, ad officium quoddam exercendum in Monasterio, aut sustinendam aliquam dignitatem, quippe ejusmodi dignitas, seu officium sint res mere spirituales, quæ proinde debent gratuito prorsus, & absque ulla spe mercedis conferri. Ergo Religiosi duo, de quibus agitur, non minus arguendi sunt, ac condemnandi, quam ii de quibus Decretalis Alexandri III. facit mentionem.

Tertiam addere licet probationem, quæ nititur famosissima censura Apologiæ Theologorum moralium pronunciata in Sorbona 16. Julii 1658. a Sacra Facultate Theologica Parisiensi: quæ postquam retulit istam propositionem ab uno quodam ex prædictis Theologis moralibus enunciatam istis verbis: *Ibi nulla simoniæ labes occurrit, quando* duo Religiosi sibi invicem eo modo fidem obligant: *Suffragare mihi, ut promovear ad dignitatem Provincialis, & ego vicissim tibi suffragabor, quo promovearis ad dignitatem Prioris*. Et istam aliam: *Si dignitas Provincialis, & officium Prioris non censeantur Beneficia, certissimum est, simonia prorsus carere pactum quod condemnas, quoniam rerum spiritualium permutatio, in Beneficiis tantummodo interdicitur*. Quas duas propositiones, quæ in unam eandemque refunduntur, postquam Sacra Facultas retulit, pronunciat suam censuram ea ratione: *Ista propositio falsa est, & Juri Canonico repugnans.*

Quæ eadem propositio eodem quoque modo damnata est 23. Augusti ejusdem anni, a DD. Joanne Baptista de Contes Parisiensis Ecclesiæ Decano, & Alexandro de Hondeney Parocho de S. Severino, Vicariis Generalibus Illustrissimi Cardinalis de Rets Parisiensis Archiepiscopi, istis verbis: *Ista Doctrina est falsa, erronea, scandalosa, januam pandit simoniæ, modum aperit ejusdem obtegendæ, & damnata est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 3. atque quantum ad conventionem Religiosorum, similiter etiam falsa est, & Juri Canonico contradicit*: Cui censuræ accessit Mandatum datum 27. prædicti mensis, quo præcipiebatur Parochis Civitatis & suburbii Parisiensis, ut eam die Dominica proxime sequenti in sacra Concione vulgo Prosnaum dicta, quam in suis Ecclesiis haberent, populo curarent denunciandam (g). En quæ satis superque sufficiunt, ut, qui Disciplinæ morum mollioris partes vel etiam acerrimo studio tuentur, Doctores convincantur, a Palemone, ipsiusmet socio, conventionem, de qua mentio fit in proposita specie: non potuisse sine gravissimo peccato conflari. Qui rationum momenta, ea de re, fusiori stilo tractata habere voluerint, possunt, quem ad marginem citamus, Emmanuelem Rodericum adire (h).

(g) De Gen. Theol mor. l. 2. tr. 3. c. 5. n. 16

(h) Eman. Roder. qq. canon. & reg. to. 3. q. 63. art. 4.

CASUS XIX.

FABIANUS Religiosus, cum in vico quodam esset, a quo Parochus aberat, & audivisset, quemdam ægrum animam pene reddentem extrema unctione se ungi vehementer exposcere; ceteris etiam atque etiam efflagitantibus, neque data ullius alterius sacerdotis copia, ad quem posset, ea de re, recurri, prædicto Sacramento eum præmunivit. Nonne eam ob causam incurrit *ipso facto* in excommunicationem latam in Constitutione, quam Clemens V. dedit in Concilio generali Viennensi anno 1312 adversus quoscumque Religiosos, qui Sacramentum

tum

tum istud, absque concessa a Parochis licentia, Secularibus essent administraturi?

In eam incurrisse nulla prorsus ratione videtur: quoniam juxta quod constitutum est a Concilio Meldensi, regnante Carolo Calvo, celebrato an. 845. (a) *Anathema est aeternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine*. Porro contendi omnino potest, ad verum nullatenus accedere; Fabianum in eo peccavisse mortaliter, quod prædicto ægroto memorata ratione præsto fuerit.

(a) Concil. Meldens in can. Nemo. 41. 11. q. 3.

Oppositam vero ex altera parte sententiam, verbis conceptis, Cardinalis Toletus (b) propugnat, eum ait: " Religiosi vero, qui Clericis „ aut Laicis hoc sacramentum ministrare sine „ Curati licentia ausi fuerint, excommunicatio„ nem ipso facto incurrunt. Quod procedit in „ aliis Sacerdotibus, non Curatis: etiamsi in „ mortis articulo hoc facerent; quia non est om„ nino necessarium hoc sacramentum ". Quod etiam Navarrus tuetur (c).

(b) Fr. Tolet. Instruct. Sacer l. 7. c. 2. init.

(c) Navarr. Manual. c. 27 n. 101.

R E S P O N S.

Existimamus Fabianum in specie proposita in nullam incurrisse excommunicationem, quippe non possit merito contendi, ex actu ejusmodi quem bona fide, sinceroque charitatis affectu sibi vindicavit, ab eo ne minimum quidem contractum fuisse mortale peccatum; aliunde vero constet, quemadmodum in instituenda quæstione observatum est, nonnisi propter ejus generis peccatum incurri posse in terribilem adeo censuram, *& illi* (eandem non irrogari; nisi) *qui aliter non potuerit corrigi*, ut fert Concilium, quod jamjam laudatum est. En primum rationis momentum, quo nitimur, cui juvat alterum subjungere, quod suggerit idem Toletus, a Parocho nimirum improbari non posse, quod Fabianus, in necessitate adeo urgente, ipsius absentis vices suppleverit. *Excusarentur tamen per ignorantiam probabilem*, subjicit Cardinalis Toletus, *vel per Parochi ratihabitionem*.

Tertiam rationem addamus, quæ præmissis duabus omnino præstat ac superior est. Quod scilicet in contrarium objecta Clementina solos Religiosos perstringat, qui ministrandis Sacramentis sese imprudenter immiscent, atque independenter a Parochis istam sibi potestatem arrogant; quod omnino fit apertum ex istis verbis Clementis V. *Religiosi, qui Clericis aut Laici Sacramentum unctionis Extremæ, vel Eucharistiæ, Matrimoniave solemnizare, non habita super hic Parœcialis Presbyteri licentia speciali .... præsumpserint*. Jamvero non est, unde contendi queat, in præsenti, quam attingimus, quæstione, id sibi sumpsisse Fabianum, ut sacramentum Unctionis Extremæ, inconsulto invitoque Parocho, ministraret; siquidem istud sibi non vindicaverit, nisi impulsus plurimis ac sæpius repetitis eorum precibus, qui ægroto assidebant, quique summe admonum instabant, ut præfato moribundo eam opem afferret, neque munus istud adimplere attentavisset; si Sacerdos alius adsnisset, a quo perageretur. Solo igitur charitatis animo ductus rem istam perfecit, & nedum pœna aliqua castigandus sit, quin immo laudem plurimam inde sibi consecutus est.

En qua ratione de præsenti argumento differunt quidam Theologi insigniores; atque inter alios Dominicus Soto (d), qui Clementinam objectam, & aliam ejusdem Papæ Constitutionem (e) interpretando, sic habet; " At vero profecto non oporte„ tet cum tanto rigore Clementinas illas intel„ ligere. Nam sic sunt ad arcendam audaciam „ Religiosorum scriptæ, ut tamen non fuerit Pon„ tificis intentio, in detrimentum Christiani po„ puli illas edere; & ideo ubi clare præsumitur „ ratihabitio plebani, nempe ubi quis jamjam „ expirat, & copia proprii Sacerdotis haberi non „ potest; profecto posset, & deberet, quicumque „ alius Sacerdos, etiam Religiosus, infirmum „ inungere. Num, licet non sit Sacramentum ne„ cessitatis, sæpe posset contingere, ut per illud „ homo fieret ex attrito contritus. Quare tunc „ ratihabitio plebani certo præsumeretur. Immo

(d) Dominicus Soto in 4. dist. 23 q. 2. a. 2. § Utrum p. cao col. 3.

(e) Clement. Dudum de sepultura.

„ quamvis non præsumeretur, non censetur „ Ecclesia, illo articulo, infirmum eo Benefi„ cio destituere " ..... Addit deinde præfatus eruditus Theologus, habere se eidem opinioni consentientem Cardinalem Cajetanum. *Unde Cajetanus 2. excommunicatio c. 64. ait, Religiosos non incurrere sententiam illarum Clementinarum, si sub speratihabitionis sacramenta administrent*. Quam eandem quoque sententiam amplectitur Sylvius Grassii, Suarezii, & aliorum, quos appellavimus modo, vestigiis insistens (f).

(f) Sylvius resol. var. v. Extrema unctio. Fr. Suarez to. 4. in 3. p. s. Th. disp 42. sect. 2 Jacobus de Graffiis decis. aur. l. 4. cap. 20.

C A S U S XX.

Cyprianus præpositus Superior cuidam Monasterio Religiosorum Mendicantium; cum non potuisset obtinere ab Episcopo Diœcesano licentiam sancti Sacramenti; quibusdam diebus festis in Ordine, exponendi; nihilominus illud exposuit privata sua autoritate, contendens in eo nihil quidquam sese Ordinario subjici; Num peccavit?

R E S P O N S.

Non est, unde possit ambigi, quin Cyprianus peccaverit, non obediendo Episcopo, & sibi juris istud arrogando, quod ipsius solius, cæteris exclusis, omnino proprium est. Quod probatur secundo articulo statuti; quod de Regularibus a Clero Gallicano conditum est, & cujus excerptum legitur in primo tomo Commentariorum Cleri (g), quo interdictum est omnibus Ecclesiasticis cum Secularibus, tum Regularibus, ne sacro Sanctum Sacramentum, in aperto exponerent sub quocumque prætextu; *nisi ex jussu, aut consensu Episcopi Diœcesani*. Quod eodem quoque modo antea jam fuerat constitutum a sacra Congregatione Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini, quæ suum ea de re, Decretum misit mense Januarii 1644. ad Illustrissimum Cardinalem Grimaldi legati Pontificii vices in Galliis tunc agentem, quod quidem Decretum intervenit in causa litium, quod Illustrissimum Burdigalensem Archiepiscopum inter & Religiosos de Ordine Sancti Dominici ejusdem Civitatis, circa expositionem sanctissimi sacramenti in ipsorum Ecclesia, commotum fuerat. En sunt ipsissima verba, quibus concipitur (h), qualia nobis evolventibus Commentaria Cleri occurrerunt.

(g) Pag. 510

(h) Commentar Cleri. to. 2. pag. 115.

" Congregatio Concilii censuit, non licere Re„ gularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis san„ ctissimum Eucharistiæ sacramentum publice a„ dorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ „ probata sit ab Ordinario. Ex causa autem pos„ se, dummodo sanctissimum sacramentum e ta„ bernaculo non extrahatur, & sit velatum; ita „ ut ipsa sacra Hostia videri non possit. Idem „ tenuit in Pitaurensi 29. Novembris 1630. & „ sæpius in aliis; hanc eandem opinionem secu„ ta fuit sacra Congregatio Episcoporum in plu„ ribus causis, & signanter in Dertonensi 1603. „ 12. Maii ".

C A S U S XXI.

Panthenus Religiosus incidit in duo genera peccatorum atrocissimorum, ac plurimæ omnino offensionis, quorum congregato capitulo, juxta servandas formulas convictu fuit. Conditionem ultro obtulit, subeundæ pœnæ; quam sibi imponere visum esset. Ipsius Superior & undeviginti Religiosi dixerunt, eum esse de Monasterio expellendum. Cui sententiæ viginti alii obstiterunt & reposuerunt, eum per sex menses in vincula conjiciendum esse; ut, secundum oblatam ab ipso conditionem, pœnæ peccatis debitæ luendæ locus daretur. An licitum est absque peccato, eum de Religione ejici?

R E S P O N S.

Sentit Sanctus Thomas (i) non posse, nisi violatu prorsus charitate, ejusmodi Religiosum expelli. Laudatus namque S. Doctor isthæc verba Apostoli interpretans; *Auferte malum ex vobis ipsis. modicum enim fermentum totam massam corrumpit*, ait, auferri posse improbum aliquem duplici mo-

(i) S. Thom. quodlib. fin. art. fin.

do: Priori quidem, per pœnam corporalem: altero autem, per pœnam spiritualem. "Aufertur „ autem aliquis, *inquit S. Doctor*, aut per pœnam „ corporalem, & per hoc manifestum est, quod „ aufertur etiam ille, qui vellet pœnitere, quantumcumque, sicut homicida suspenditur, quantumcumque pœniteat: vel per pœnam spiritualem; *sed addit*: Et hoc Ecclesia non facit, „ nisi quia esset contumax. *Causamque istius rei „ sic reddit*: Et ratio hujus est, quia per pœnam „ corporalem aufertur aliquod temporale, quod „ potest recompensari per aliquod majus bonum: „ sed bonum spirituale, quod amittitur, non potest recompensari; & ideo non debet Religio „ indigere talem pœnam, quamdiu vult corrigi; „ quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia, „ ita est expulsio a Religione. Et ideo dicendum, quod nullus est nisi propter contumaciam expellendus; sed est sequestrandus in carcere, vel alio modo".

CASUS XXII.

Olympius de reformato quodam Ordine Religiosus, cum in gravissimum flagitium impegisset, in eum ipsius Superior inquisivit, juxta consuetas ejusdem Ordinis formulas, & dato adversus eundem Judicio damnatorio jussit, regulari habitu nudatum in carcerem conjici, ibidemque per annum integrum remanere. Quo quidem judicio executioni demandato, Olympius evadendi e carcere, in quo asservabatur, locum arripuit. Quæritur: 1. Utrum potuerit dictus Religiosus absque peccato effugere. 2. Num ei ex conscientiæ debito incumbat carcerem ultro repetere. 3. An, posito, quod sem tipsum non det in custodiam, novum aliud peccatum admittat, sæcularem habitum deferendo, quo valeat alienam personam tutiori ratione mentiri?

RESPONS.

Cum justum sit, ut supponitur, tum quoad ipsius materiam, tum quoad formam, quod dictum est adversus Olympium damnatorium judicium; eidem parere ex conscientia ei incumbit. Quamobrem non potuit absque peccato, de carcere, in quem addictus fuerat, effugere, & obligatur ad eundem repetendum; at vero ex eo quod deferret vestem sæcularem, quo facilius propriam faciem permutaret nolens semetipsum recipere in custodiam sibi indictam, novum aliud peccatum non contraheret; siquidem prædicto judicio feratur, futurum ut ei tanquam indigno, qui religioso habitu induatur, ejusmodi regulares vestes omnino detrahantur.

Est tamen advertendum, si in exequendo dicto judicio nimia adversus eum severitas adhiberetur: neque alimenta ei sufficienter ministrarentur, vel ei denegarentur, sæviente hieme, seu carbones, seu necessarius vestitus; tunc licitum prorsus ipsi foret, ex carcere evadere, ne minima quidem culpa commissa: quippe æquitatis simul ac naturalis sit juris, unumquemque propriæ suæ vitæ conservandæ consulere, adhibitis legitimis quibuscumque modis, qui ab ipsa Divina Providentia aperiuntur.

CASUS XXIII.

Extant plurima Monasteria Religiosorum mendicantium, quorum inter alia statuta, quæ sibi vindicant, hoc speciale proprium est, quo verbis conceptis indicitur pœna excommunicationis *ipso facto*, omnibus in universum Religiosis de Ordine, qui, ut instituti aut jamjam instituendis a suis Superioribus adversus semetipsos inquisitionibus sese subducerent, eo temeritatis devenirent, etiam agendi apud Superiorem sæcularem, sive Ecclesiasticum, sive Laicum, vel provocatione, vel dato simplici libello, vel alia qualibet ratione. Telamon de uno quonam ex prædictis Monasteriis Religiosus Professus, cum rei alicujus capitalis reus actus fuisset, juxta servandas quascumque juris formulas, a suo Provinciali, quem sibi graviter infensum jampridem existimat, & timeret, ne ab eodem in vincula & jejunium asperius addiceretur: licet, in se animadverti duplici ista castigatione nullo prorsus jure posse, contendat, datum est ei consilium, ut ad Episcopum Diœcesanum, ipsius opem, & autoritatem imploraturus recurreret, aut ad Parlamentum provocaret tanquam ex abusu, tum ab inquisitionibus adversus se institutis; tum a futuris inde gravaminibus. Numquid alterutra præfata ratione sibi consulere potest, absque eoquod in excommunicationem prædicto statuto latam delabatur?

RESPONS.

Quo penitius excutiatur ista quasi Monasticæ Disciplinæ Jurisprudentia, necesse est compertam haberi causam, ob quam adversus Telamonem ab ipsius Superiore capite inquisitum est. Si enim res tota vertetur circa factum, quod ad Disciplinam mere regularem, & cœnobiticam pertineat; profecto nec sequi, nec adhibere consilium sibi datum dictus Religiosus ulla ratione potest, quin incurrat in excommunicationem, modo statuta, quæ præfatus Ordo sibi vindicat, requisitas conditiones, ac formulas præ se ferant, hoc est, & Regio Diplomate comprobata fuerint, & in commentarios supremi Senatus Provinciæ, in qua Monasterium situm est, præscripta. At vero si res, de qua agitur, ejusmodi fuerit, quæ cognoscenda jure proprio veniat ab Episcopo Diœcesano, quamque alibi designamus: certissimum est, recta omnino conscientia, & absque eo quod excommunicationi subjaceat, ab eo agi posse apud Episcopum, quo postulatis ab ipso edendis jus integrum dicatur: Aeque ea tantummodo ratione potest in gratiam prædicti Religiosi statutum istud circumscribi.

Ita quoque admittendæ occurrunt duæ exceptiones in quantum ad interdictum, quo cavent memorata statuta, ne recurratur ad Judices seculares Laicos.

Prima est, occurrente casu seditionis, tumultus, & plurimæ offensionis, quæ exorta fuisse occasione ducis memorato Religioso illatæ. Tunc namque ejusdem cognoscendæ jus ad supremos Senatus devolvitur; siquidem, quatenus autoritatis Regiæ participes tenentur, ad executionem urgendam omnium omnino Constitutionum, quæ SS. Canonibus consentiunt, atque adeo omnium statutorum, quæ debitam autoritatem acceperunt, & requisita ratione invaluerunt in Congregationibus cujuscumque Ordinis ad tuendam ibidem concordiam, atque pacem, & reprimendas tumultuationes, rebelliones, ac seditiones, quæ possent occasione eorum executionis commoveri.

Cujus decisionis veritas constat ex duabus potissimum probationibus. Priorem legere est in tractatu de Gallicanis Immunitatibus, in quo celeberrimus Petrus Pithou Regem ea ratione sic affatur. " Etsi Religiosi mendicantes, aut alii non habeant in iis, quæ disciplinam suam attinent, unde possint ad Judices sæculares recurrere, nisi præfracto vinculo obedientiæ, quo potissimum innititur, quod institutum vitæ exercent, nihilominus si contigerit aliquis casus seditionis, aut tumultus, atque plurimæ offensionis; ad eosdem confugiendi locus iis esse potest, requirendo, adjutricem sibi venire civilem potestatem ".

Obtinet exceptio altera, quando irrepsit in inquisitionum cæteraque judiciorum formulas institutas adversus Religiosum reum manifestus alicujus abusus, ex violatione Regiorum Edictorum, aut etiam Regularium statutorum, quæ propria sunt Ordinis. Quod observat quoque Piton, qui addit " eodemque modo ad supremam Parlamenti Curiam locus recurrendi præbetur, cum aliquis abusus apertus, atque manifestus occurrit ex violatione Regiorum Edictorum, Arrestorum, & judiciorum ejusdem Curiæ supremæ, aut statutorum ipsorum Ordinis, quæ ab ipso Rege, & prædicta Curia fuerint comprobata, aut SS. Canonum, Conciliorum, & Decretorum; quorum Rex in suo Regno constituitur custos, atque conservator ".

Cui Jurisprudentiæ confirmationis simul atque roboris plurimum accessit, quantum ad omnes

casus

casus mox memoratos ex Arresto quodam, quod a supremo Senatu Parisiensi 8. Martii 1717. eo fine pronunciatum est, ut vim generalis, ea de re, legis in posterum sortiretur. En quibus verbis enunciatur, ac refertur a D. Hericourt in suprema Curia Patrono, ad stabilienda eadem instituta, de quibus sermonem modo fecimus, & quibus præsens nostra decisio tota nititur (a). Curia... districtissime vetat & prohibet Provinciali, Custodi, & ceteris Superioribus ac Religiosis de sodalitio Franciscano Funeligatorum gallice *Cordeliers*, ne exequantur, nec patiantur executioni demandari decreta prohibitoria in prædictis statutis contenta, quibus omnis locus intercluditur in iis, quæ juris propria sunt, opis implorandæ præfectorum Magistratuum, qui jus exercent præfati Domini Regis, & Archiepiscoporum, atque Episcoporum, iisdemque injungit, ut forum prædicti Domini Regis, legitimamque auctoritatem Prælatorum cum requisita observantia, & obsequio debito agnoscant, neque tamen iis copia fiat recurrendi ad Judices sæculares, nisi cum casus contigerit seditionis alicujus, tumultus, ac offensionis plurimæ, atque ut iis civilis potestatis præsidio succurratur, juxta Arresta, & Præscriptiones Curiæ, statuta regiis diplomatibus comprobata, & in Commentarios præfatæ Curiæ relata, & sancta Decreta in Regno recepta, quorum Dominus Rex custos est, atque conservator: neque id aliter fieri queat, nisi via provocationis tanquam ex abusu. En sunt instituta, ad normam quorum Telamonem sese gerere expedit, ne in excommunicationem latam statuto sui Ordinis incurrat.

(a) D. de Hericourt. Leg. Ecclesiast. Gallicae. in suo Ordine naturali. pag. 74. 11. edit.

CASUS XXIV.

Lucianus Religiosus, Curiæ cuidam de Josse præfectus Parochus titularis, quæ quidem Curæ Monasterio cuidam, in quo professionem Religiosam emisit, alligatur & annectitur, quod immunitatem ab Episcopali Jurisdictione sibi vindicat; in gravissimam omnino culpam incidit in administrando Sacramento Pœnitentiæ: qua de ra, cum adversus eum ab Episcopo fuisset actum juxta præscriptas Juris formulas, declaratus est ad annum usque integrum ab omni officio motus. Num jure potuit ejusmodi sententia ab Episcopo pronunciari?

Rationem dubitandi illud affert, quod, cum Lucianus membrum constituat Monasterii, quod immunitatis a jurisdictione ordinaria privilegio gaudeat; videatur ad ipsius Superiorem Regularem pertinere, neutiquam vero ad Episcopum, ut ei, si culpæ alicujus manifestus sit, debitam pœnam imponat.

RESPONSIO.

Respondemus potuisse legitime prorsus ab Episcopo contra Lucianum inquiri, & in eundem animadverti in proposito casu. Cujus responsionis ratio est, quia Jurisdictioni Episcopali Parochus quilibet jure subjicitur; licet Cura, cui præponitur, sit Regularis, & adjuncta Monasterio, quod sibi vindicet cujuscumque privilegium immunitatis.

Atque ita definitum legitur quadam Innocentii III. Decretali (b), quæ refertur in Corpore Juris, & ab Innocentio IV. tunc temporis, cum interesset Concilio Generali Lugdunensi celebrato anno 1245. (c) Quam eamdem Disciplinam in integrum instauravit atque confirmavit postremum Concilium Oecumenicum, (d) istis verbis: „ In Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus „ imminet animarum Cura personarum sæcularium „ præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum „ seu locorum familia; personæ tam sæculares, „ quam regulares hujusmodi curam exercentes, subsint immediate in his, quæ ad dictam curam & „ sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, „ in cujus Diœcesi sunt sita; nec ibi aliqui, etiam „ ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem „ consensu ac prævio examine per Episcopum, aut „ ejus Vicarium faciendo „. En quæ passim obtinet Regula generalis, cui nihilominus prædictum sacrosanctum Concilium aliquam apposuit exceptionem, ea ratione „. Excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus; & exceptis etiam iis „ Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates „ Generales, aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Mona„ steriis seu domibus, in quibus Abbates, aut „ alii regularium Superiores Jurisdictionem Epi„ scopalem temporalem in Parochos, & Paro„ chianos exercent: salvo tamen eorum Epi„ scoporum jure, qui majorem in prædicta loca, „ vel personas, jurisdictionem exercent.

(b) Inn. III. in c. 20 non 17. de privilegiis & excess. privilegiat. l. 5. t. 31.
(c) Inn. IV. in c. Volentes 1. n. §. Sane de priv. in 6. l. 5. t. 7.
(d) Conc. Tr. Sess. 25. de regul. & monial. c. 11.

Eadem vero Jurisprudentia in Galliarum regno perinde ac in aliis locis invaluit. Argumentum ea de re certissimum nobis subministratur ex famoso Arresto, quod Supremus Senatus Parisiensis tulit ann. 1668. contra Religiosos de Ordine Sancti Dominici de S. Maximino in Provincia, in causa circa Jurisdictionem exercendam in quamdam Curam, quæ ipsorum Monasterio annectebatur, & in Religiosos, qui ipsi inserviebant: quo quidem Arresto pronunciatum est, futurum ut Episcopus Aquensis gauderet plena atque integra Jurisdictione quantum ad præsens caput, Parocho Religioso incumberet unoquoque anno Synodo interesse, & in ceteris quibuscumque, quæ spectant ad Officia Curialia solum Ordinarium Superiorem haberet, cui jus eligendorum Divini verbi Præconum ad quadragesimales stationes in integrum omnino cederet.

Cabassutius, a quo prædicta rationum momenta recensentur, sic subjicit (e): *Quæ omnia sacris Canonibus conformia sunt*. Quosnam vero Canones potissimum intelligat, licet ad marginem hic loci consulere (f).

Est etiam circa præsentem, cui immoramur, materiam observandum. 1. Episcopis quoque competere diffusam admodum Jurisdictionem in Beneficia-Curas, quæ subjiciuntur Ordini militari S. Joannis Hierosolymitani, qui vulgo circumfertur sub appellatione Melitensis Ordinis, quam Jurisdictionem explicat, ac propriis limitibus definit Bulla, quam S. Pius V. edidit 12. Septembris 1571. (g). 2. Religiosos quoscumque, nequidem iis exceptis, qui privilegio donantur immunitatis, plurimis in casibus Episcopo subjici, in quibus in eos potest etiam censuris animadvertere: exempli gratia. 1. si intra limites ipsius Diœcesis, eo invito sacras conciones habere sibi arrogarent (h). 2. Si, quas indixit, publicis supplicationibus, absque causa rationabili, adesse detrectarent, 3. Si quos sibi reservavit, ab iis casibus absolvere attentarent. 4. Si dum intra fines ejus Diœcesis & extra Claustra Monasterii sui commorantur, in aliquod delictum animadversione dignum inciderent. 5. Si quasdam Curas ipsius Jurisdictioni subjectas assumerent sibi gubernandas (i), &c. verum quoniam præfati casus nihil quidquam præcise conducunt ad præsentem expediendam quæstionem, eos indicasse satis habemus, & lectorem dimittere ad Fevretum (K), qui congruentes unicuique probationes adjungit, quas tum a Tridentina Synodo, tum a plurimis Decretalibus mutuatur (l). Idem Cabassutius docet (m), & tres alios casus subjungit, qui nimirum sunt crimen hæresis, & illud, quod publicam habet offensionem, *& seductio mulierum per confessionem*. Quod probat testimonio celeberrimi Canonistæ, qui tempore posteriori scribebat, cum jam a summo Pontifice fuerant Regularibus indulta privilegia, & suffragio Chopini, Paponis, Cujacii, Bengæi, & Aurelianensis Edicti.

(e) Joan. Cab. juris can. theo. & prax. l. 2. c. 33. n. 8.
(f) Urb. II. in can. Sane. 6. 16. q. 2. Urb. III. in c. Ecel. 1. de Capellis Monachor. & aliorum Relig. l. 3. t. 38. Alex. III. in c. De Monachis 23 de preb. & dignit. l. 3. t 5. Inn. III. in c. n. Ex ore §. In privilegio & §. porro.
(g) Pius V. in Bulla Expo[…]icit.
(h) Inn. III. in c. Excommunicamus 13. §. Quia vero de Hæreticis l. 5. t. 7.
(i) Inn. IV. in c. Volentes 1. de privilegiis in 6.
(k) Fevret tract. de abusu l. 7. c. 2. n. 16. § Quamquam. 10. 2. pag. 216.
(l) Conc. Tr. Sess. 5 c. 2. de ref. Sess. 24. c. 4. de ref. & sess. 23. de reg. c. 1 5. & 14. Greg. XIII. in Bulla Inscrutabili 10. 1482. Et Clem. X. in Bulla Superna Magni ann. 1670. Commentar Cleri tom. 2.
(m) Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 4. c. 3. n. 15. & apud eum Chopin. 1. de sacra pol. t. 4. n. 28. Papon. l. 1. plac. t. tit. de Jurisdict. Eccles. n. 14. & t. de jurisd. tempor. n. 36. Cujacius in c. 2. de vita & honest. Clericorum. Brog de divis Benefic. § 2 n. 11. & Carolus IX. in Edicto Aurelianensi a. 12.

CASUS XXV.

Amandus Religiosus de Monasterio quodam quod Jurisdictioni Episcopi Diœcesani subjicitur, non obtenta obedientia, inde est egressus. Cum vero renunciatum fuisset dicto Episcopo, eundem sacris operari, & Vicarii munus exercere apud Parochum quemdam in ipsius Diœcesi, ipse jussit, in eum manus injici, sibique juris istud vindicat, ut, inconsulto Superiore ipsius regulari, neque ulla.

nullatenus concurrente, a quo proclamatus est, in eum animadvertat. Num ei cedit, recta conscientia, jus memoratum?

RESPONS.

Non modo potest, sed & ex debito conscientiæ obligatur Episcopus ad puniendum prædictum Religiosum desertorem. 1. Quoniam Ordinariæ ipsius Jurisdictioni subjicitur, atque adeo juris illius est, atque potestatis. 2. Quia etsi Ordinariæ Jurisdictioni non subjaceret, jus tamen Episcopo cederet in eum, in casu, de quo quæstio instituitur, animadvertendi: juxta Decretum Concilii Tridentini (*a*), quod sic se habet. *Nec liceat regularibus, a suis conventibus recedere*, inquiunt laudati Concilii Patres, *etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti, puniatur*. Ex quibus licet concludere, juris istud a fortiori fieri Episcopo Diœcesano, quantum ad Religiosos de Monasterio, quod ipsius subest Jurisdictioni; siquidem eorum Ordinarius Judex constituatur, ut patet alio ejusdem Concilii Decreto (*b*), quo fertur, occurrente casu, quod Religiosus aliquis, quam emisit Religiosam Professionem nullam esse prætendat, ipsum teneri, ea de re, adducere rationes non tantummodo coram Superiore suo Regulari, sed etiam coram Episcopo Diœcesano, cujus est rem dijudicare. Habet ista decisio Sylvium auctorem (*c*).

(*a*) Conc. Tr. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 4.

(*b*) Ibid. c. 19.

(*c*) Fr. Sylvius resol. var. v. Fugitivus.

CASUS XXVI.

POTAMIUS, cum profiteri Religiosæ vitæ institutum in quodam Ordine non reformato incœpisset; valde fuit a Victorino excitatus ad recedendum de suo Monasterio, & Ordinem strictioris observantiæ ingrediendum. Numquid in eo Victorinus aliquam culpam non admisit?

RESPONS.

Est dicendum juxta Doctrinam S. Thomæ (*d*), nullam, in proposito casu, culpam fuisse contractam a Victorino; ait enimvero laudatus S. Doctor, quod *in majori includitur minus, & ideo ille, qui est obligatus voto, vel juramento ad ingressum minoris Religionis, potest licite induci ad hoc, quod ad majorem Religionem transeat; nisi sit aliquid speciale, quod impediat, puta infirmitas; vel spes majoris profectus in minori Religione*. Potest ergo induci, qui communiorem aliquam observantiam jam ingressus est ad eam dimittendam, quo transeat ad strictiorem, secundum istud principium S. Thomæ: *In majori includitur minus*. At vero non vice versa; *ille vero, qui obligatur voto, vel juramento ad ingressum majoris Religionis*, addit S. Thomas, *non potest licite induci a majori ad minorem Religionem, nisi ex aliqua speciali causa evidenti; & hoc dispensatione Superioris*.

(*d*) 2. 2. q. 189. art. 9. ad 3.

CASUS XXVII.

CHRISTOPHORUS Religiosus professus, qui multoties despicatui habitus est, falsis criminationibus impetitus, & inclementer tractatus a suo Superiore, quem aversissimo a se animo esse experitur jamdudum, propter disseminatos de sua agendi ratione falsos rumores, quibus credulum se præbere animo obstinat; cogitat de suo Monasterio recedere, quo sese in aliud recipiat: num ea de re, 1. Licitum ei est, absque conscientiæ detrimento, & quod Monasterium ingressus est, dimittere, & novum aliud petere? 2. Estne opus ei licentia ipsius Superioris in dicto casu? 3. Quid opus facto sit, si eam non possit obtinere?

RESPONS.

Quam præ se fert Christophorus, omnino causa sufficit, ut ne minimo quidem peccato commisso, valeat proprium suum Monasterium dimittere, & in aliud novum sese recipere; licet de eadem Ordinis observantia non foret. Verum istud peragere nullatenus potest, nisi servatis, quæ jure servanda sunt, & petita licentia a suo Superiore: Necesse namque est, eam ipsi concedi, si, quem vult ingredi, non vigeat Ordo strictiori observantia, quam ille, a quo animo habet recedere, quemadmodum Sylvius docet, in eo Sylvestri Mozolini, Mirandæ, & Portelii vestigiis insistens (*e*). Ratio est autem, quia *per professionem in suo Monasterio factam, est obligatus ad illud Monasterium, & ad particularem ejus Prælatum. Non est autem ullum jus commune, quod ei tribuat facultatem, se ab ista obligatione eximendi... non potest ergo, sine Superioris licentia, migrare ad aliud Monasterium*. Ipsissima verba sunt, quæ adhibentur a Sylvio in dissolvenda simili difficultate 24. Aprilis 1642. Deinde addit, si a dicto Superiore petita licentia denegata fuerit, Religioso dari locum, ad Superiorem majorem recurrendi (*f*).

(*e*) Sylvester. de Prierio v. Religio. 4. q. 2. Ludov. de Miranda man. Prælat. p. 1. q. 31. art. 5. Laurentius Portel. v. Religionis transitus. n. 14. apud Sylvium.

(*f*) Fr. Sylvius resolut. var. v. Religiosus 9.

At vero si Christophoro animus esset, migrare ad aliam Religionem, quæ vere foret austerior, cum proposita sibi mente, ibidem sequi vitæ tranquillioris ac perfectioris institutum; satis ei foret, post impetratum a Summo Pontifice pontificium de ipsius translatione rescriptum, licentiam ea de re postulavisse, licet eandem non fuisset consecutus, secundum quod habet Innocentius III. in una ex suis Decretalibus (*g*), in qua sic ait: *Talis ergo postquam a Prælato suo transeundi licentiam postulaverit ex lege privata, quæ publicæ legi præjudicat* (*h*) *absolutus, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati: quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate*.

(*g*) Innoc. III. in c. Licet. 18. de Regul. & transeunt. ad Religionem. l. 3. tit. 31.

(*h*) 19. q. 2. can. 2.

CASUS XXVIII.

PHILOSTRATES Religiosus de reformato quodam Ordine, cum factus sit infirma admodum valetudine, potestne absque peccato, & prætextu infirmæ suæ valetudinis, alium sese recipere, qui mitiori utatur observantia?

RESPONS.

Potest omnino transire ad aliam Religionem, juxta S. Thomam (*i*), si propter suam infirmitatem non valeat jam sequi, quod professus est, Religiosæ vitæ institutum; & mitioris observantiæ possit observare Constitutiones, ad quam animo habet convolare. *Potest tamen aliquis laudabiliter de una Religione transire ad aliam triplici ex causa*, inquit Angelicus Doctor . . . 4. *Propter infirmitatem vel debilitatem, ex qua interdum provenit, quo non potest aliquis arctioris Religionis statuta servare; posset autem servare statuta Religionis laxioris*. Subjicitque laudatus Sanctus: *In tertio vero casu est necessaria dispensatio*. Quæ quidem ab alio non potest, nisi a Summo Pontifice impartiri, juxta Decretum istud Concilii Tridentini (*k*). *Nemo etiam Regularis, cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem*. Quod locum etiam habet, ait Navarrus citatus a Cabassutio (*l*) *Etiamsi ex infirmitate ac debilitate corporis, regulam suam servare non possit*.

(*i*) S. Th. 2. 2. 189. a. 8. in cor.

(*k*) Conc. Tr. sess. 25. de Regular. &c. c. 19

(*l*) Navarr. de Regul. Comment. 4. nu. 2. Apud Cabass. Jur. can. theor. & prax. l. 3. c. 23. n. 4.

Qua de re permagni interest advertere, Dispensationem etiam e Roma accersitam, quæ nulla legitima causa innititur, non sufficere, ut cui impertita est, ad migrandum ad laxiorem Religionem, possit inde Religiosus a peccato vindicari: Quod ut mentibus altius defigatur, sonent istæc verba, quæ S. Bernardus ore tonat (*m*): Vos quoque non immerito timentes, nec satis de propria causa confidentes, remorsas ac remordentes conscientias Apostolica conati estis delinire licentia; o frivolum satis remedium! Quod non est aliud, nisi more Protoplastorum cauteratis conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Apostolicam, inquiunt, licentiam quæsivimus & impetravimus. Utinam licentiam non quæsissetis, sed consilium; id est, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? ut liceret, quod non licebat: Sed quod non licebat, malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat; nisi forte tale hoc fuisse dicatur, quod absque licentia quidem non liceret; liceret autem, si cum licentia fieret. Verum id jam superius invincibiliter exclusum est ratione.

(*m*) S. Bernard. Epist. 7. ad Adam Monachum.

CA-

CASUS XXIX.

Eugenius Religiosus de arctissimo quodam Ordine, videns Religiosos de eodem Monasterio, in quo commoratur, vivere dissolutius, ac Disciplinæ regularis jampridem nervum concidere, penitusque tepescere vigorem; aliunde vero sentiens, semetipsum limis prorsus infestisque oculis a pleraque prædictorum Religiosorum parte conspici, eo quod dissolutos eorum mores, inordinatamque vivendi rationem reprehendat; animo concipit, ingredi alium Ordinem laxiorem quidem, sed cujus Constitutiones districtius omnino servantur. An propositum, destinatumque animo consilium potest recta conscientia prosequi, præsertim cum eum non lateat, quotquot in eadem Provincia Religiosæ domus occurrunt, eadem mortum dissolutione infestari; adeoque non esse, unde valeat institutum vitæ sequi in aliis Monasteriis, quod sit regulare magis magisque moderatum, quam quod in suo Conventu assuetus est profiteri?

Respons.

Potest illæsa prorsus conscientia dictus Religiosus agere, ut in alium Ordinem transferatur. Equidem enim S. Thomas (a) dicit, non expedire, ut quis de una Religione transeat ad aliam, nisi necessitate gravissima urgente, aut inde notabili admodum emergente utilitate; non modo propterea quod ejusmodi translatio plurimam offensionem habeat apud Religiosos, a quibus receditur; verum etiam quia plerumque facilius pervenitur ad sanctitatem in ea Religione, in qua vivere jam assuetum est, quam in nova alia, ad quam animus sese flectere nondum incœpit: At S. Doctor deinde sic subjungit. *Potest tamen laudabiliter de una Religione transire ad aliam ... propter declinationem Religionis a debita perfectione: puta, si in aliqua Religione arctiore incipiant Religiosi remissius vivere, laudabiliter transit aliquis ad Religionem etiam minorem, si melius observetur. Unde in Collationibus Patrum Abbas Joannes de se ipso dicit, quod a vita solitaria abiit ad eam, in qua provivebant in societate, propter hoc, quod vita Eremitica cœperat declinare & laxius observari.* Quæ ipsissima sunt verba S. Thomæ, qui præterea addit, abejusdem Religioso, qui propositum istud animo versat, ea de re, Superiorem ipsius debere consuli, judicioque illius omnino consentiri .... *Requiritur superioris judicium.* Quod probat auctoritate Urbani II. in quodam Canone, qui refertur a Gratiano (b) Eustachius ergo juxta propositum agendi modum debet sese gerere, ne forte periculum erroris impingat, dum proprio consilio captus negligeret inhærere judicio legitimi sui Superioris, cujus potissimum est, ea de re, statuere, præsertim si dubitationis aliquid exortum fuerit; juxta istæc verba summi Pontificis Innocentii III. (c). *Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem, ex caritate, an ex temeritate transire; Superioris est judicium requirendum.*

(a) S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 28. in corp. Idem in 4. d. 27. q. 2. art. 3. q. 1. ad 3.

(b) Urban. III. in can. Statuimus 3. 19. q. 2.

(c) Innoc. III. in c. Licet 18. de regular. &c.

Statuit equidem Concilium Tridentinum (d), ut *Nemo etiam regularis, cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem:* Sed Decretum illud ea ratione duntaxat intelligendum est, cum nulla nimirum adest causa, quæ legitima sit: Jamvero legitimæ duæ causæ reperiuntur in specie proposita. Prior est declinatio Monasterii, quod Eustachius cogitat deserere, a perfectione debita; quam causam vel etiam solam, ut sufficientem prorsus habent Archiepiscopus Panormitanus (e), Sylvester & Fagnanus (f); post S. Thomam jam appellatum. Altera est, quod ipsam Communitatem, seu partem majorem Communitatis infensissimam prorsus, atque omnino abalienatam experiatur. Eum itaque prohibitorium Concilii Decretum nullatenus perstringit: Præterea addimus jam non habendum esse Monasterium, in quo Eustachius commoratur, tanquam Religionem arctiorem, ac magis regularem. Neque enim alicujus Ordinis, aut Monasterii vigor, & regularis observantia repetenda sunt a primæva illius institutione, sed ab ipsa vivendi ratione, quam impræsentiarum profitetur. Unde sequitur, cum in præfato Monasterio, cui Eustachius addicitur, disciplina monastica jamdudum collapsa sit; istud merito considerari jam non oportere, tanquam strictiorem tenens observantiam, licet in prima sui institutione Religionis arctioris laudem fuerit merito consecutum: atque adeo locum omnino esse propugnandi, quem sibi proponit ingredi, Ordinem, licet mitiori laxiorique Disciplina utatur, comparate ad prædictum Monasterium, censendum esse strictiorem. Atque ea potissimum ratione nititur Emmanuel Rodericus (g), quin eodem differendi methodo antesignanos habet Panormitanum, & alios, quos indicat. Sed non est prætermittendum, licet prædictus Auctor contendat, juxta jus commune ejusmodi translationem fieri posse etiam recta conscientia, ex sola licentia Superioris Regularis Religiosi; & in suæ sententiæ per modum glossæ patronos appellet Panormitanum, Joannem Andream, Sylvestrum, & Navarrum: juxta eum, qui apud nos recipitur, usum nihilominus requiri, ab eo, qui cupit transferri, obtineri rescriptum e Roma, quod, consentientibus cum Superiore, a quo recedit, tum eo, qui Monasterio præponitur, ad quod sese conferatum deinde habeatur ab Officiali Diœcesano, ibidem præsente Superiore Religiosi.

(d) Concil. Trident. sess. 24 de regular. & monial. c. 19.

(e) Panormit. in cit. cap. Licet. notabili. 9.

(f) Sylvester de Prierio. v. Religio. 4. n. 2. & 6. Prosper Fagnan in cap. Non est vobis de Regularibus &c. t. 25.

(g) Emman. Rodericus qq. can. & regular tom. 1. q. 25. art. 5. Et apud eum Panormitanus in c. Sane 10. de Regularibus &c. Gregor Lopez Joan. Faber & alii.

CASUS XXX.

Chrisimus Religiosus de Ordine non reformato cum valde peroptaret alium arctiorem ingredi; licentiam ea de re petiit a suo Superiore, qui eam ipsi plane negavit. Potestne nihilominus propositum, de ingrediendo strictiori Ordine, consilium, invito suo Superiore exequi, absque eo, quod obedientiæ votum, quo ligatur, infringat?

Respons.

Antequam institutæ quæstioni sua sit responsio: operæ pretium est præmittere, tria potissimum requiri, quando Religiosus vult ad aliam Religionem migrare. Primum *ut secunda Religio sit strictior quoad actualem observantiam: neque enim sufficit, ut habeat arctiorem regulam; nisi actu ducatur in ea vita strictior.* Sic loquitur Fagnanus (h). Secundum, quod Religiosus ad murandum, quod professus est, vitæ institutum, non ex temeritate neque inconstantia, sed sincero animo sanctioris arctiorisque vitæ sequendæ, inducatur. Tertium, quod licentiam sese conferendi in aliam Religionem postulet a suo Superiore, ut debitum ei obsequium testetur. Quibus positis: Dicimus, nihil prorsus esse, unde ambigatur, cur non possit Chrisimus in casu proposito, reluctante licet ipsius Superiore, propositum suum, illæso etiam obedientiæ voto, adimplere. Quam sententiam tenet S. Thomas (i), qui ait: *Nam in primo casu,* hoc est, *zelo perfectionis Religionis, debet quidem propter humilitatem licentiam petere, quæ ei negari non potest.* Atque ita disertis verbis definitum est ab Innocentio III. (K), qui declarat, quod, quanquam a summo Pontifice juris istud quibusdam Ordinibus Religiosis concessum fuerit, ut, qui Religiosam professionem in eorum Monasteriis emiserint, iis nullatenus liceret inde recedere; privilegium tamen ejusmodi non sit ad eos extendendum, qui vitæ sanctioris atque perfectioris institutum, afflante Divino Spiritu, sibi proponunt. *Quia tamen,* inquit laudatus Papa, *ubi Spiritus Dei est, ibi libertas; & qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub Lege; quia Lex non est posita justo; ea ratione videtur, hoc illis fuisse concessum; ne qui ex temeritate, vel levitate, in jacturam, vel injuriam sui Ordinis transvolaret:* Deinde subjicit, quod ad præsentem casum prorsus accommodari videtur. *Quocirca noverint Universi, aut, quibus hujusmodi privilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de jure*

(h) Fagnan in cap Non est vobis de Regularib. &c. n. 19.

(i) S. Th. 2. 2. q. 189. art. 8. cit.

(k) Innoc. III. in c. Licet. supra cit.

jure teneri; quia sicut subditus a Prælato cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur; sic Prælatus subdito sine difficultate & gravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere; ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum.

Quod idem fuerat jam declaratum ab Alexandro III. scribente ad Episcopum Ambianensem (*a*), cui significat, ne sollicitum teneat Canonicum quemdam regularem, qui, inconsulto etiam suo Superiore, Monasticæ vitæ institutum fuerat secutus in Monasterio arctioris observantiæ, quam Monasterium, a quo recesserat. *Id tuæ fraternitati significamus, quod si locus, ubi nunc permanet, majoris Religionis, quam Ecclesia Aromaten, Existat; ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas.* Quibus dictis consentiunt Cabassutius (*b*), & plurimorum aliorum auctorum numerus ingens,

(*a*) Alexand. III. in c. Sane 10. de Regul. & transeunt. ad Religionem.

(*b*) Joan. Cabassut. juris Can. theor. & Prax. l. 2. c. 25. n. 3.

CASUS XXXI.

BENIGNUS Religiosus, de laxiori quodam Ordine, Conventum suum, inscio suo Superiore, & absque obedientia, in æternum deseruit, & ad Provinciam longinquam migravit, non dimisso tamen habitu Religionis: numquid ideo, stricte loquendo, censendus est in Apostasiæ crimen incidisse?

RESPONS.

Si præfatus Religiosus non fuerit ingressus aliud Monasterium, ad sese permittendum Superiori, qui ibidem præponitur, & ad servandam, quæ in eo viget, observantiam regularem; nullum dubium est, quin in Apostasiam inciderit, ac mereatur debitas Apostatis pœnas subire; unde sic habet Innocentius IV. in suo commentario in Decretales (*c*): *Abbas non debet dare licentiam Monacho suo intrare Religionem arctiorem, nisi primo eam inveniat, & paratus sit eam recipere: & si aliter recedit, fugitivus est, & Apostata, cum non sit in alicujus obedientia.* Quod iterum docet laudatus Papa, in aliam Decretalem scribens, quæ auctorem sibi vindicat Innocentium III. (*d*) eaque de causa vult Gregorius IX. (*e*) ejusmodi fugitivos Religiosos ab Abbatibus excommunicationis anathemate percelli. Eodem modo difficultatem propositam expendit Angelus de Clavasio (*f*).

(*c*) Innoc IV. in c. Dilecti, fin. de renunciatione. l. 1. tit. 9.

(*d*) Idem in c. Intelleximus 32. de ætate & qualitate, & ord. præficiendor. n. 2. l. 1. tit. 14.

(*e*) Greg. IX. in c. Ne Religiosi fin. de Regularib. & trans. ad Religion. §. Si vero.

(*f*) Angel. de Clavasio v. Apostata q. 4.

CASUS XXXII.

MARTIALIS Religiosus Professus, cum doleat suum Patrem senio confectum, adversam valetudine, summisque miseris coopertum; atque adeo redactum ad eas rerum angustias, quibus etiam vitæ necessariis caret; animo meditatur egredi de suo Conventu, ut ad exiguum vitæ superstitis spatium ei veniat subsidio; & subministret cum ex labore, tum ex industria, unde possit sustentari. Numquid propositum potest implere absque conscientiæ suæ detrimento.

RESPONS.

Habet nimirum plausibile aliquid, quod speciose adeo extollitur in enunciata specie prætextum, nec Religiosi insolitum est, quibus potius est humanum commercium, quam Claustrum, & vitæ genus quod amplexi sunt; quin etiam non eis desunt, inter faciliores illius Theologos morales, qui casus conscientiæ subtiliter a radicibus rimantur, innumeri propemodum fautores. Atquoniam morali Doctrinæ, quæ S. Thomæ propria est, scrupulosius adhærere gloriamur, utpote quæ sine controversia firmissima sit simul ac tutissima; existimamus istam causam, quacumque specie veletur, in rei tamen veritate nihil quidquam præ se ferre, unde valeat eos a peccato vindicare. Enimvero ut ait Angelicus Doctor (*g*), *ille vero, qui jam est in Religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo. Unde non debet occasione sustentationis parentum exire Claustrum, in quo Christo consepelitur: & se iterum Sæcularibus negotiis implicare.* (Nisi forte ad extremam usque miseriam perducti forent; quo quidem in casu ad eisdem subveniendum teneretur prorsus ex jure naturali, tum Divino, quod votis quibuscumque superius omnino est, ut de eo convenit apud omnes Theologos. *Tenetur tamen*, inquit prædictus Doctor, *salva sui Prælati obedientia, & suæ Religionis statu, pium studium adhibere qualiter ejus Parentibus subveniatur.* Quod reliquum est Divinæ dimittens Providentiæ). En, quam tenere debet Martialis in proposita specie, partem, quæ ut congruentior est, sic etiam tutiori ratione conscientiæ consulit.

(*g*) S. Th. 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4.

Idem quoque docet alibi S. Doctor (*h*), prætereaque isthæc subjungit. *Secus autem est de illo, qui jam religionem intravit, quia cum jam sit mortuus mundo per Professionem, solutus est a Lege, qua in mundanis obsequiis parentibus tenebatur, secundum Doctrinam Apostoli ad Rom. 7. in aliis autem Spiritualibus, puta, orationibus & hujusmodi, eis tenetur servire.* Sic igitur debet veri nominis Religiosus sese gerere, ne tentationum periculis imprudenter sese committat, quibus innumeri alii cum ignominia miserrime succubuerunt. Vidimus ipsi, ea de re, non pauca exempla, quæ Religioni & Ecclesiæ verterunt plurimæ offensionis, in Religiosis scilicet, quos de Claustro suo, sub præfato prætextu, egressos, & primas odoratos humanæ consuetudinis illecebras, sic Monasterii cepit satietas, ut, cum etiam nullus jam prætextæ causæ locus relinqueretur, ne quidem illud repetere cogitarent. Quanquam certo certius constet, in ejusmodi casu, obligationis istud ipsis necessario tunc incumbere.

(*h*) Idem quod l. 10. art. 9. in corp.

CASUS XXXIII.

LIEBALDUS Prior Cœnobiticus de S. Fusciano potest, si voluerit, suum Monasterium ad primævum institutionis ipsius vigorem reducere. Eumne ex debito conscientiæ urget ejusmodi obligatio?

RESPONS.

De simili difficultate consultus olim Theologus quidam insignioris omnino nominis; cujus fuerunt postmodum publicatæ decisiones, respondet ejusmodi Superiori non incumbere, ex conscientiæ debito restituendi Monasterii sui in pristinam Disciplinam obligationem; quanquam ejusmodi instaurationis inducendæ, & locus & copia præbeatur; modo ipsius Religiosi regularem observantiam aliunde servent, & Monasterii laxioris, in quo professionem Religiosam emiserunt, studeant, quascumque regulas ac constitutiones adimplere. Ratio est, quod non teneantur, ad acceptandam hujusmodi pristini vigoris restitutionem, cui sese devovere animo non habuerunt, quando Religionem ingressi fuere.

Addendum est, etiam si regularis observantia ibidem non obtineret omnino scrupulose, nec Liebaldo quoque futurum obligationi, illic inducendæ primævæ disciplinæ restitutionis; quanquam in ipsius manu res in integrum reponeretur; nisi alia ratione non valerent, ad Disciplinam regularem, ad quam ex vitæ suæ instituto tenentur, adduci. In eo namque casu obligaretur, ad adhibendum remedium instaurationis quo Religiosi sui possent tandem ad officium suum revocari; siquidem istus rei conficiendæ potestatem habeat; ut supponitur; neque aliunde se dedat felix eventus (*i*). Cujus decisionis fundamentum in eo potissimum positum est, quod omnes Superiores necessario teneantur, ad salutem sibi subditorum pro virili parte promovendam. Porro posito quod aliqui Religiosi dissolute viverent, nec regularem observantiam retinerent, profecto ruerent in certissimam suam perniciem. Ergo si post tentatos consuetorum remediorum effectus, eo perveniri non posset ab eorum Superiore, ut tantæ dissolutioni præcaveretur; nisi adhibita via reducendi primævæ Disciplinæ vigoris; ipse non posset eam prætermittere, ne in proprium caput subditorum ipsius peccata reciderent, & inde sibi crimen inferre coram Deo censeretur.

Quam decisionem mutuamur a Fagnano (*K*) qui nititur isto Decreto Concilii Tridentini (*l*): *Omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt præscriptum, vitam instituant &* compo-

(*i*) Sambovius to. 2. casu 70.

(*k*) Fagnanus in c. Recolentes. 3. de statu Monachorum. n 5. & seqq. Et apud eum Innoc. IV. in S. Super. 9. de Regular. &c. Jo. Andreas Butrio, Cardinalis Abbas ibid. & in c. Ad nostram 8. eod. tit. in 5. Felinus ibi. n. 4. & 5. Decius n. 5. & 6. Præpositus de appell. n 9. Joannes de Anania n. 4. Joan. Monachus in c. 2. de Regular. n. 7. in 6. Probus Astensis &c.

(*l*) Conc. Tr. sess. 27. de Regularib. &c. c. 2.

componat; atque imprimis quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac, si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta ad eorum respectivæ essentiam, nec non ad communem vitam, victum & vestitum conservanda, pertinentia fideliter observent .... si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta, exacte non fuerint observata; totum corruat ædificium necesse est. Auctores quoque eadem decisio habet Innocentium IV. Joannem Andream, Antonium de Buttrio, Felinum, Abbatem, Præpositum, Joannem de Anania, Joannem Monachum, & plurimos alios, quos Fagnanus appellat, qui sequentia verba subjungit. *Neque in his possunt Religiosi resistere, quia, ut formaliter dicit textus* in c. si Religiosus *de elect.* lib. 6. *eorum arbitrium non ex sua (cum velle & nolle non habeant) sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuerunt, & cujus imperio se subjecerunt, voluntate dependet.* In omnibus nempe, quæ juste ac rationabiliter pertinent ad commune bonum Religionis.

CASUS XXXIV.

Philibertus Abbas Regularis de Monasterio S. Galli, cum illud primævum institutionis ipsius vigorem restituisset: Reformatos inter & Antiquos conventionis pactum accessit, quo Antiqui sese astringunt, ad assistendum Missæ solemni, & Vesperis, diebus tantummodo Dominicis ac Festis; & Reformati sese obligant, ad habitationem ipsis præbendam, & unicuique constituendam, ad vitæ tempus, pensionem 500. librarum, quocumque loco degant, & quantocumque seu Beneficio, seu Officio gaudeant, per singulos annos persolvendam. Alexius unus e numero Religiosorum antiquorum, post conflatam dictam conventionem, cœnobiticum quoddam Officium obtinuit in alio Monasterio, ad quod migravit ibidem commoraturus, in quo quæcumque tum ad victum & vestitum, tum ad habitationem necessaria sunt, abunde ipsi ministrantur. Nunc vero postulat, numerari sibi a Reformatis S. Galli usuras suæ pensionis unius anni ab uno circiter mense sibi debitæ: At isti se excusant, quominus solvant; causamque conferunt in illud nimirum, quod cum ipsorum Monasterii membrum esse desierit, & ei in alio Monasterio in cœnobitico Officio provisum fuerit, quod ipsi vitæ necessitates sufficienter præbet, æquum non sit, de ipsis pensionem ab eo præterea percipi. Qua de re petitur, 1. utrum pactum istud, quo non tenetur Alexius, nisi Festis ac Dominicis diebus, Missæ ac Vesperis in Choro interesse, ipsius conscientiam vindicet a quocumque peccato, quantum ad præsentiam in divinis? 2. Utrum ex eadem conventione liceat ei, commodum istud capere, ut pensionis suæ solutionem etiam exigat; quanquam in alio Monasterio cœnobiticum Officium possideat?

RESPONS.

Obligantur antiqui Religiosi ex debito conscientiæ, ad assistendum quotidie integro Divino Officio, quod peragitur in Monasterio; etiam post inductam ibidem pristinæ disciplinę restitutionem: si quidem ab ista obligatione non constituantur immunes ex Pontificis Bullis, quæ erigunt Congregationes reformatas; aliunde vero isto debito teneantur, non tantummodo vi suæ professionis Religiosæ, sed inde præterea, quod victum, ceterasque vitæ necessitates de Monasterio accipiant. Adeoque Alexius, recta conscientia, non potest istud sibi sumere ex conflata conventione ipsius, & Antiquorum ceterorum cum Reformatis, ut ab obligatione assistendi quotidie officio Canonicali, quæ omnibus indiscriminatim incumbit, sese subducat: utpote Reformatis jus non tribuatur, ab eadem ipsis immunitatis præstandæ. Addimus præterea, iniquum prorsus futurum esse, ut Alexius, seu quicumque alius antiquus Religiosus, pensionem 500. librarum, & suam habitationem de Monasterio perciperet, cui nihil quidquam Officii conferret. En quid sentimus circa priorem institutam quæstionem.

Quod pertinet ad alteram; neque etiam Alexio magis favere nos posse censemus. Pensio namque non ei debetur, nisi residentiam habeat in Monasterio S. Galli, & ibidem studeat, quæcumque sunt partes Officii adimplere, atque etiam duntaxat posito, quod ei fuerit op s ejusmodi pensione, ut sese possit sustentare. Unde inferendum est, siquidem de prædictu Monasterio recesserit, ibidemque nihil officii conferat, atque cœnobitico Officio gaudeat in alio Monasterio, in quo actu commoratur, & quæcumque vitæ necessaria abunde percipit; quam postulat, non ei dari pensionem, neque ab eo exigi posse, nisi injuste admodum, & violato, quo astringitur, voto paupertatis, per quod ei non licet pensionem superfluam retinere. Quod facili prorsus negotio probatur ex quarto Concilio Generali Lateranensi celebrato anno 1215. sub Innocentio III. cujus Decretum refertur in Corpore Juris istis verbis (a): *Probibemus, ne quis in diversis Monasteriis locum Monachi habere præsumat.* Et ex quadam Constitutione Bonifacii VIII. (b), quæ sic habet: *Cum illis non liceat habere locum in diversis Monasteriis, quorum unum ab alio non dependet; nec aliorum Monasteriorum (nisi Canonice transferantur ad ipsa) Prioratus, Ecclesias, Administrationes, vel Officia gubernare.* Ad quorum omnium normam accommodavit sese, quæ in hoc Regno invalescit Jurisprudentia; quemadmodum testatur Rebuffus (c), cum ait: *Licet Monachus & Regularis possit unum habere Beneficium regulare; tamen duo habere non potest; nec quidem Capellam, vel pensionem, aut portionem Monachalem cum Beneficio.* Quod in eo fundatur, quia, cum Religiosus voto paupertatis ritu solemni addicatur, nihil potest, ultra simplex vitæ necessarium, sibi retinere, ita definiente Synodo Tridentina (d).

Ceterum, etiamsi, quod intervenit pactum inter Religios Reformatos, & antiquos de Monasterio S. Galli, acceptatum ac ratum factum fuisset tum Romæ, tum in Suprema Curia; & ipse Papa derogare voluisset prædicto Decreto Concilii Lateranensis; habenda foret ista derogatio, quasi quædam species dispensationis, quæ nunquam justa potest esse, nisi quantum legitima est causa, qua innititur; ut observat insignis quidam Theologus (e).

CASUS XXXV.

Est positum in fano S. Pauli Tricastinensis sodalitium quorumdam Religiosorum mendicantium: qui sibi jus arrogant tempore vindemiarum, ceterisque anni tempestatibus stipis cogendæ in alia Diœcesi, quæ confinis est loco, in quo eorum Conventus situs est, non petita licentia Episcopi aut Archiepiscopi de præfata Diœcesi. Num juris istud sibi cum fundamento vindicant?

RESPONS.

Est hoc extra omnem controversiam positum, nullis Religiosis copiam fieri, stipis in alienigena Diœcesi colligendæ; hoc est, in qua non situs est eorum Conventus, nisi de licentia expressa Episcopi aut Archiepiscopi de prædicta Diœcesis; ut sæpius definitum fuit in Comitiis generalibus Cleri, atque imprimis in iis, quæ celebrata fuere anno 1645. istis verbis (f): „ Nulli Religiosi „ possunt habere scholas in suis Conventibus „ in gratiam Sæcularium, neque id sibi sumere, „ ut stipem quærerent, non accedente licentia „ Episcopi Diœcesani „.

Quæ constituta illustrissimi prorsus ac venerandi admodum Cœtus innituntur dispositionibus atque intentis Concilii Lateranensis œcumenici celebrati sub Innocentio III. Concilii Viennensis sub Clemente V. (g) & Tridentini, cui datum fuit, quod adversus Manticularios, scriptis tantummodo Decretis, a prioribus duobus Conciliis cautum fuisset; sed quod præterea eorum tum nomen, tum officium de medio sustulit, quod Ecclesiæ, propter plurimam suam avaritiam, & nimias exactiones, dedecori forent ac probro. Verum equidem est, ne reperiri vel etiam verbum unum in præfatis Conciliis, de Religiosis mendicantibus, qui nihil nisi thesaurum Religiosæ paupertatis possidentes, neque, nisi concurrente auxiliari fidelium benignitate, semetipsos valentes sustentare, possunt stipem mendicare.

re,

(a) Inn. III. in cap. Ne nimia fin. 4. de Religiosis domibus, & lib. 5. tit. 36.

(b) Bonifac. VIII. in cap. Cum singula. 32 §. 2. de præb. & dign. in 6.

(c) Petrus Rebuff. prax. Benefic. p. 3 tit. de dispensatione cum Regularibus facta §. S.

(d) Conc. Tr. sess. de Reg. & Monial. c. 2

(e) Sambovius to. 2. casu 40.

(f) Art. 27. actorum Cleri t. 10. pag. 996.

(g) Conc. Later. V. cap. Ex eo. de Pœnit. & rem. ss. Conc. Vienn. in cap. Abusionibus eod. tit. in Clement. 2. Conc. Trid. sess. 21. c. 9.

Digitized by Google

re, quo ipsorum necessitatibus inde succurratur. At jus colligendæ stipis non eis tribuitur, nisi accedente licentia Episcopi, seu Vicarii Generalis Diœcesis in qua animo habent mendicare. Cujus rei hæc vera causa est, quod, nisi requireretur ista licentia, cito citius irrueret undequaque eadem rerum confusio, quæ Christianum orbem temporibus dictorum Concilioram, occasione collectionum, ubique invaserat; Siquidem fieri posset, ab ementitis Manuculariis stipem benevolentium personarum, iis, qui vere egerent, fore defraudandam, quin etiam aliquando futurum, ut Religiosi Apostaræ, seu expulsi de suis Monasteriis, seu quicumque tandem alii ex nimia proprii quæstus aviditate, & absque ullo Superiorum suorum mandato, facillime prorsus attentare possent stipem emendicare, & nivam fidelium simplicitatem, atque incliuatam ad sabveniendum benignitatem, sycophantia saa circumveuire (a).

(a) De Cast. praxis jurisdict. Ecclesiast. voluntarie c. 7. §. 6. a. 1.

Vide
- APPROBATIO, Casus 10.
- ELEMOSYNA, Casus 12.
- CONFESSIO, Casus 33.
- DISPENSATIO *de votis Religiosorum*.
- PROFESSIO.
- RELIGIOSA.
- VOTUM.

RELIGIOSUS.

Dicitur Religiosa, quæ Religiosum aliquem Ordinem ingressa est, & quæ Ordinis ejusdem proprium habitum defert.

Religiosæ vel Novitiæ sunt, vel Professæ. Novitiæ illæ sunt, quæ definitum probationis, seu Regularis observantiæ tyrocinii curriculum peragrant, per quod temporis spatium, liberum eis sit, de Monasterio recedere, si voluerint: aut solemnem professionem emittere, post completum annum ætatis decimum sextum, & non ante, secundum quod verbis conceptis fertur in vigesimo octavo articulo Edicti Blesensis. Professæ vero sunt, quæ tribus solemnibus votis castitatis, paupertatis & obedientiæ suum caput obligaverunt: Et istis, quod ultro ac libere amplexæ sunt, deferendi vitæ instituti nulla jam copia relinquitur.

Quorum regularem observantiam sunt securæ ad formam regiminis & disciplinæ Religiosæ pro tenuitate sui sexus Religio æ, proprias sibi composuere Constitutiones.

Primævis temporibus, quanquam ab piscopo ritu solemni etiam consecratæ, virgines in privatis domibus, & sine Claustro vivere consueverant. At quoniam illarum multitudo sic deinde crevit, ut inde numerosissimæ prorsus societate propagatæ sint; Ecclesiæ in suis Conciliis congregatæ visum est, eas ad strictum adeo Claustrum addici, ut nunquam eis liceret inde egredi, nisi urgente justa aliqua causa, quæ ab Episcopo comprobetur: Neque etiam sæculares utriusque sexus personas intromitti in loca regularia ipsorum Monasteriorum permitteretur Atque ita cautum est, ut quicquid mundanam contagionem redolet, procul ab ipsis propulsaretur, & eriperetur tentationibus ac insidiis, quibus Dæmon studet indefesso labore iis insidiari

Quoniam vero unum eundem Confessarium adhibere sibi ut plurimum solent; & contingere potest, quasdam ex eis, sive ex infirmitate animi, sive qualibet alia ratione, non, qua par est fiducia, ipsi confidere; vult Concilium Tridentinum (b); illis offerri ter aut quater in anno Confessarios extraordinarios; quibus cum integra animi libertate valeant conscientiam suam aperire.

(b) Conc. Tr. 25. de Regul. c. 10.

Extant Religiosæ quædam, quæ corpus constituunt Congregationis; qualesque nomen profitentur in Ordine Cisterciensi, & in Ordinibus Mendicantibus, quibus illud privilegium indultum est, ut suis Superioribus Generalibus subjiciantur, & regantur a Religiosis de suo Ordine, immunitatem a Jurisdictione Episcoporum sibi proprio jure vindicantes

Religiosis præponuntur Primariæ vel perpetuæ, vel tantummodo triennes.

Quæ Primariarum perpetuarum dignitate insigniuntur sunt Abbatissæ, quæ pristinis olim temporibus eligebantur, sed ex usu, quæ diebus hodiernis invaluit, ex nominatione Regia omnes fere instituuntur. Dicimus, *ex usu qui diebus hodiernis invaluit*: Neque enim juris istud Rex habet ex famoso Pacto, quemadmodum jus nominandi ad Abbatias virorum Eaque de causa, ne jus antiquum æterna tandem oblivione penitus obruatur, Papa, secundum styllum ordinarium, enunciare consuevit in Bullis quæ prædictis Abbatissis concedit, ex Regia commendatione in gratiam Religiosæ nominatæ, eidem ipsi majorem partem Communitatis fuisse suffragatam.

Primariæ Triennes, sive Abbatissæ, Priorissæ, aut aliæ sunt, quæ antiquis Abbatiis reformatis, aut recentioribus Congregationibus, seu de Mendicante, seu de non Mendicante aliquo ordine præficiuntur. Præfatæ Triennes,

quæ

Digitized by Google

quæ omnes electionis suffragio assumuntur, eliguntur scrutinio, seu suffragiorum secretorum collectione, coram visitatore, qui præsidens ad clathros, authoritate sua, ratam facit electionem.

Ejusmodi Primariæ debent, ita requirente Concilio Tridentino, (a) annum attigisse ætatis quidem quadragesimum, Professionis vero octavum; aut saltem trigesimo ætatis suæ anno, annos ab emissa sua professione quinque addidisse.

(a) Conc. Tr. sess. 25. de Regularibus c. 7.

Post consummatam electionem communitas eligit inter antiquas, quatuor aut sex Religiosas, quæ discretæ appellantur, ut suo consilio Primariam juvent in rebus ordinaris; in iis vero, quæ extraordinaria sunt, atque gravissimi momenti, nihil quidquam proprio marte, nec inconsulta communitate debent nec incipere, nec absolvere.

Primariæ est, officiis inferioribus Monasterii præficere; qualia sunt officia Thesaurariæ, Cellariæ, Depositariæ, Valetudinariæ, & Ostiariæ, quæ non possunt prorogari ultra tempus, per quod Primaria remansura est, & possunt ad minus etiam temporis spatium conferri.

Quæ desiderio ingrediendæ Religionis agitur, virgo omnimodæ suæ libertati dimittenda est. Atque ea potissimum de causa sub pœna excommunicationis prohibitum est, ne ad amplectendum vitæ Religiosæ institutum virgo invita compellatur; aut ab eodem profitendo revocetur & arceatur. (b) Cui quidem libertati, ut consulatur, tenentur Abbatissæ, seu Priorissæ, ita præscribente Edicto Blesensi, (c) ad commonendum Episcopum de professione a Novitia proxime emittenda; ut de ipsis vocatione seu per se ipsum, seu per Sacerdotem ad hoc ab eo delegatum cognoscat.

(b) Id. ibid. c. 17.
(c) Edict. Ble. sess. art. 28.

De quæstione, quæ majoris omnino est consilii, ac prudentiæ, circa dotem Religiosarum, nihil hic loci attingimus: quando nempe, quonam in casu, sub quibusve conditionibus possunt Monasterio, quod ingrediuntur, donationes assignare; quoniam fusiori stilo materiam istam prosequimur in decursu nostri hujusce operis titulo, *Simonia*.

CASUS PRIMUS.

CALLISTUS confessionibus excipiendis præpositus in Monasterio quodam mulierum, petit utrum sibi liceat absolutionem concedere aliquibus, quæque sæpius abesse solent a precibus Canonicis, quæ cum persuasum habeant, ad istam Divini Officii partem non obligari ex peccato gravissimo, obstinate detrectant, fidem ei facere futurum, ut deinceps iisdem adesse diligentius caveant?

RESPONS.

Prædictus Confessarius non potest beneficium absolutionis concedere Religiosis choro addictis, quæ sine legitima causa nolunt precibus Canonicis interesse; quicumque enim Religiosi professione sua destinati ad Chorum non tantummodo, sed etiam Religiosæ, quæ eidem Choro alligantur, ad persolvendas preces Canonicas omnino tenentur; nisi ex aliqua legitima causa, puta, adversa valetudine, habuerint istius officii vacationem. Ita communiter sentiunt Doctores. Eaque ratione potissimum innititur præsens decisio quod Religiosarum domorum fundatores, & qui iisdem subveniunt, non nisi ea mente de suo largiti sint, aut etiamnum effundant, ut precum, quæ ibidem funduntur, & officiorum Divinorum, quæ assiduo persolvuntur, efficiantur participes. Quoniam vero de ista materia plenius jam disseruimus, cum sermonem habuimus de officio Breviarii; nihil amplius, ea de re, ibi subjiciemus. Consuli possunt, si libuerit, Cabassutius, Toletus (d), & plurimi alii, qui præsentem difficultatem eadem ratione dissolvunt.

(d) Joan. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 25. in fin. Fr. Tolet. instruct. Sacerd. l. 2. c. 13. n. 6. & ibi. Andr. Victorellus v. Quærrum. & apud. eum 3. Antoninus, Navar. Vascius, & Lessius.

CASUS II.

MARTHA, quæ dotibus quibuscumque ornatur, quæ necessario requiruntur, ut valeat præfici Abbatissa Monasteri, in quo commoratur, sive jure suffragii, sive Regiæ nominationis Beneficio; quærit, num possit, illæsa sua conscientia, sollicitationibus aliquibus dignitatem istam ambire?

RESPONS.

Nihil quidquam moliri potest ista Religiosa, ut sese præponi obtineat Abbatissam sui Monasterii sive jure suffragii, sive beneficio Regiæ nominationis, quin eo ipso sese ambitiosæ honorum, & gloriæ cupiditatis adstringat. Enimvero sese in eo, omnia sui fiducia, præsumeret ceteris regendis non imparem: quod non patitur humilitas. Ideoque S. Thomas existimat, ab Ecclesiastico non debere in proprium ipsius favorem beneficium quæri, cuicura animarum annectitur. Quæ ratio ejusdem roboris est quantum ad virginem, quæ sibi eo usque confideret, ut integræ communitati gubernandæ sese idoneam putaret. Quam sententiam sequitur eruditus hujusce nostræ ætatis Theologus (e).

(e) Sambovius to. 3. casu 12.

CASUS III.

SCOLASTICA Religiosa Confessarii ordinarii de Monasterio sic tenetur fastidio ac satietate, ut suæ præpositæ declaraverit, sese in animum inducere non posse, ut sua peccata apud eum jam deponat; licet in ipsius moribus nihil fateatur posse reprehendi; & eam precibus omnibus obtestata sit, sibi licentiam dari ulterius adeundi. Num isti Præpositæ incumbit ex debito conscientiæ, ut sese illius animi infirmitati accommodet, indulgere ei postulatam licentiam?

RESPONS.

Laudatus jamjam Theologus, (f) in decidenda simili difficultate sibi proposita, existimat, non modo non obligari præfatam Præpositam, ad indulgendam licentiam, de qua quæstio instituitur: sed nec ab ipsa postulanti Religiosæ tanta facilitate esse concedendam, ne ceteræ Religiosæ ejusmodi exemplo incitentur ad mutandum Confessarium. Expedit igitur, ut Scolasticam remittat ad Confessarium extraordinarium, licet confessiones excepturus ad Monasterium non nisi ter, aut quater in anno accedat: Intereaque eam validis verbis adhortetur, ut quem a Confessario ordinario communitatis aversum animum concepit, deponat: cui etiam rei debet studere ipsemet extraordinarius Confessarius, cum eam peccata deponentem excepiurus

(f) Tom. 2 casu 167.

pturus est. Addit præfatus Doctor, si ista Religiosa animo obstinaverit, nolle se adire Confessarium ordinarium, ei in isto casu absolutionem esse denegandam; quoniam, inquit, ejusmodi agendi ratio non nisi plurimam apud communitatem habere potest offensionem. Opinamur nihilominus, quod Præposita nihil sibi, in isto negotio, rei facessat, unde eam postmodum possit pœnitere, & ne ipsius Scholasticæ nimia animi debilitas in summas angustias adducatur; eam non debere ad extremum consilium descendere, nisi consultis, ea de re conscientiarum moderatoribus intelligentissimis, & in regimine animarum exercitatissimis. Cui parti tanquam æquiori simul ac tutiori debet inhærere.

CASUS IV.

Idubergia & Honorina Religionem profitentur in domo quadam, in qua carnibus vesci olim solitum fuerat unoquoque Sabbato a Nativitate Christi usque ad Purificationem Virginis; eam vero consuetudinem ipsa communitas immutavit, & servavit abstinentiam, ex studio nimirum strictioris ac perfectioris observantiæ. Obligan turne prædictæ duæ Religiosæ ex debito conscientiæ, ad congruendum, quantum ad istud caput, in eam, quam ceteræ Religiosæ tenent, vivendi rationem?

RESPONS.

Ut solvatur proposita difficultas, juvat observare, consuetudinem vescendi carnibus diebus Sabbati a Festo Nativitatis Christi, ad festum usque Purificationis, quæ etiamnum frequentatur cum in Diœcesi Parisiensi, tum in plurimis aliis Diœcesibus hujusce Regni, nulla Ecclesiæ lege propriè dicta comprobari; neque nisi ex simplici tolerantia fuisse inductam: quemadmodum de ea habet quidam antiquus Parisiensis Episcopus in suis Synodorum statutis (*a*) *Toleramus etiam*, inquit, *esum carnium, diebus Sabbati a Festo Nativitatis Domini usque ad Festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis*.

(*a*) Stephan. Poncher, statut. Synod. c. 26.

Quo posito, dicendum est 1. Religiosas de memorato Conventu in eo plurima laude dignas esse, quod sese in pristinum Ecclesiæ ordinem restituerint, de quo mentionem facit Gregorius VII. in Synodo, quam Romæ habuit anno 1078. cujus en ipsissima verba sunt. (*b*) *Quia dies Sabbati apud Sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus; nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus; ut quicumque se Christianæ Religioni participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die ... abstineat.*

(*b*) Greg. VII. in can. Quia 31. de consecr. distinct. V.

2. Duas Religiosas, de quibus difficultas proponitur, teneri prorsus, ex conscientia, ad sese conformandas ceteris Religiosis de communitate, servando abstinentiam diebus Sabbati a Festo Nativitatis Domini, usque ad Festum Purificationis, perinde ac ceteris anni Sabbatis: quoniam ex opposita ipsarum agendi ratione, simul & nimia corporis indulgentia, si nimirum aliter sese gererent, sorores ipsarum plurimum offenderentur. Cui præterea addendum est, quod ait ceteris summarum scriptoribus omni comparatione doctior, atque rerum intelligentia ornatus abundantiori (*c*) quia *comedere carnes Sabbato, ubi non est consuetudo, est mortale, non autem ubi est consuetudo comedendi, ut in Francia, Cathalonia, & aliis partibus, quia stabitur consuetudini.* Quod probat laudatus Auctor ex Canone excerpto de Epistola a S. Augustino ad Januarium scripta, (*d*) in qua narrat, a se consultum fuisse Sanctum Ambrosium de scrupulo, quo Sancta Monica ipsius Mater exagitata fuit, quod, cum Mediolani degeret, non servaret die Sabbati jejunium, & S. Archiepiscopum his verbis respondisse: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato. Cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quempiam tibi.* Ex quibus iterum concludendum est, Idubergiæ, atque Honorinæ incumbere prorsus obligationem, vivendi rationis instituendæ, ac componendæ ad laudandam omnino consuetudinem, quæ in Monasterium a ceteris Religiosis, plaudente ipsarum Superiore, inducta est; & ad ipsas accommodari jure admodum posse istud effatum Sancti Ambrosii: *Ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo.*

(*c*) Sylvest. de Prierio v. Jejunium q. fin. §. Tertium.

(*d*) S. August. in can. Illa 11. dist. 12.

CASUS V.

Fara Religiosa, cum interesset Capitulo, in quo deliberabatur a communitate de recipienda quadam virgine, quæ postulabat se se novitiam admitti; atque percipiens circa difficultates, quæ opponebantur, quasque gravissimo fundamento inniti sibi videbatur, Primariam omni asseveratione affirmare, debere omnes, cum fiducia, ipsius dictis confidere; quoniam, ea de re, sedulo prorsus mutuata fuerat consilium; neque per oppositas difficultates stare oportere, quominus Postulans ad suscipiendum habitum admitteretur; petit, utrum ex conscientia, atque ut omnimodam reverentiam adhiberet erga suam Præpositam, sibi obligatio incumberit, propria, qua afficiebatur, evidentia penitus abjecta, soli præfatæ Præpositæ judicio absque ullo examine stare?

RESPONS.

Nihil obligationi incumbebat prædictæ Religiosæ etiam ex debito conscientiæ, suffragium eo fine ferendi, ut ista virgo reciperetur, sub prætextu nimirum adhibendæ erga ipsius Præpositam omnimodæ reverentiæ; quinimmo tenebatur, ad suam sententiam ea libertate, quæ ingenuitatem decet, aperiendam. Ratio est, quia si Religiosæ tenerentur ad assentiendum, cæco quasi animi obsequio, cuilibet opinioni suarum Præpositarum; supervacaneum omnino foret, ullum jam Capitulum haberi. Satis enim esset, ipsius Præpositæ sententiam simpliciter exponi; ceteris vero Religiosis, ex quibus simul cum ipsa constat communitas, jus nudum superesset, interesse Capitulo, ad præbendas aures simulque annuendum iis, quæ ad nutum Præpositæ statuerentur; quod quam absurde contendatur, ipsa rei repugnantia argumentum est: Est igitur econtrario propugnandum, obligari Religiosam unamquemque, ad dicendam suam sententiam ex proprio conscientiæ dictamine, eidemque acriter inhærendum, cum eam habet ut justam, & gloriæ Dei utilitatique Monasterii consulentem; adhibita nihilominus semper, tum in dictis, & modo ferendæ ac sustinendæ sententiæ tum in tota corporis compositione, omnimoda, quæ debetur Præpositæ, reverentia: quoniam, cum sit membrum communitatis, jus habet ferendi suffragii, & aperiendi, quod sibi videtur rationi & æquitati magis congruere, absque eo quod quidquam inde detrimenti nec obedientia, nec humilitas patiantur; quin immo perperam prorsus ageret, si in ejusmodi casu, cohibente scilicet metu, aut alio quocumque rerum respectu, silentio dissimularet. Ista igitur ratione, eoque animo Fara debuit, in enunciata specie, sese gerere (*e*).

(*e*) Sambovius to. 5. casu 67.

CASUS VI.

Eleonora Religiosa de Ordine omnino strictiori jamdudum est malo exemplo integræ communitati sui Monasterii, & ipsis etiam novitiis, ac Puellis convictricibus, in eo quod palam & aperte petat, dotem, quam secum illuc attulit, sibi restitui, ac seipsam transferri in alium Conventum; neque, quoniam ægre fert acceptam suæ postulationis offensam, ad Sacrum Pœnitentiæ Tribunal jam accedat, neque sacris adsit, nec etiam curet interesse ceteris exercitationibus ordinariis, ac reliquarum Religiosarum propriis; puta, Divino Officio, quod in Choro persolvitur, Orationi, Cœnaculo, & aliis similibus. Qua de re Præposita quæstionem instituit, num in eam debeat, aut pœna carceris, aut alia quacumque mulcta castigationis, animadvertere, ne sese, coram Deo, eodem pessimi exempli reatu constringat?

RESPONS.

Existimamus. 1. Virginem præfatam habendam esse ejusmodi, ut censeatur cerebro laborare; & nedum fit, unde debita rebellionis pœna afficiatur, quin potius plurima ipsius animi infirmitatis commiseratione, atque omnimoda indulgentia, cum ea agendum esse (*f*). 2. Si Monasterium in quo professionem

(*f*) Sambovius to. 3. casu 19.

sionem emisit, facultatibus polleat, quibus eam possit in aliam domum transferre, in ea re conficienda, summæ charitatis opus futurum: quoniam, ex immutata domo, fortasse continget, ipsius animum immutari ac sanari. 3. Si absque notabili incommodo, deficientibus scilicet facultatibus, non poterit Monasterium ipsius impensas sustinere translationis; tunc Præpositæ charitatem, ac prudentiam omnino decere, ut ei, quantum fieri poterit, indulgeat, neque adversus eam pœnam carceris, aut severam aliam castigationem adhibeat; ne animum ipsius tanto jam morbo laborantem penitus invertere tandem absolvat.

Testes ipsi fuimus, cum ea prudenti cautione ab aliquot annis actum fuisse a Præposita quadam de Monasterio reformato, & observantiæ omnino strictissimæ, erga Religiosam non absimilis ingenii, quam, ut ad æquum bonumque, & obsequium adduceremus, nihil non sumus incassum experti; quæque, nequicquam exhaustis, quotquot in eam conferri potuerunt, summa consideratione ac benignitate conditis temperamentis, in ea deploranda nimis animi sede, in qua Eleonora supponitur, etiamnum perseverat.

Quod pertinet ad istam offensionem, quam vitiosa illa præfatæ virginis agendi ratio habet cum apud Novitias, tum apud Puellas convictrices, ei videtur posse a Præposita facili prorsus negotio occurri, iisdem nimirum innuendo, eam cerebro laborare; & qua ratione fieri magis expediet, cavendo, ne inter eas ullum habeatur vitæ & sermonis commercium.

CASUS VII.

Godeberta virgo opibus ac facultatibus dives, valetudine vero supra modum inops, vitæ Religiosæ desiderio cum teneretur, 20000. libras obtulit cuidam Monasterio, ut sub titulo beneficæ ibidem reciperetur; quam summam acceptavit ipsa Communitas, & præfatam virginem Beneficæ titulo decoratam admisit ad solemnem votorum nuncupationem. Numquid ista cooptatio non olet simoniæ labem, & omnino vitiosa est?

Respons.

Regula generalis, cui potissimum insistere unumquodque Monasterium convenit, ea est, quod ibidem nulla persona ad Religiosam Professionem admittatur, nisi possit vitam suam instituere ad normam Constitutionum Ordinis, & Statutorum Monasterii. Ratio est, quia, ex professione Religiosa, eorumdem observandorum, quandiu stabunt, obligatio inducitur. Unde sequitur, si Godeberta tenuioris adeo valetudinis existat, ut quod cæteræ profiteri solent, vitæ institutum non valeat ipsa sustinere; eam non potuisse propter 20000. libras, quas secum attulit, sub titulo Beneficæ recipi; potuisse tamen accedente nimirum dispensatione, ad solemnem votorum nuncupationem gratuito admitti, afferendo dotem sufficientem, ne Monasterio queat aliquando oneri esse, nihil ulterius ab ea exacto, ac dimisso illius libertati dono, quod animo habebat, eidem largiri: neque etiam ita fieri potuisse, nisi in eo duntaxat casu, quod quidquid ratione infirmitatum corporis deesset, ipsius virtutibus ac morum humanitate abunde compensaretur. Si sit igitur memorata virgo in ea rerum circumstantia constituta; & conditionibus prædictis adhibitis, quamque observavimus modo, servata mente admissa fuerit; ipsius cooptatio nec vitiosa est, nec ullam continet labem simoniæ; modo aliunde, cum ad Religiosam professionem recepta fuit, nihil intervenerit pacti, neque cum ea, neque cum aliis eam repræsentantibus; de dispensatione circa Religiosæ disciplinæ observantiarum observationem (*a*): Qui decisionem istam sunt lecturi, plurimi interest, ab iis attentissime perpendi verba, quibus eam concipere præcavimus: quoniam aliter facile esset, vitiosum aliquid in ejusmodi cooptationem, irrepere, adeo fervent immoderata divitiarum cupiditate pleræque Communitates.

(*a*) Sambovius tom. 2. casu 178.

CASUS VIII.

Marcella Religiosa de locupletissimo quodam Monasterio, in quo, ab omni ætatum memoria usus invaluit exigendæ dotis 8000. librarum, ab omnibus virginibus, quæ ibidem Religiosam Professionem emittunt; sive definitum numerum excedant, sive non excedant; potestne tuta conscientia, suum suffragium ferre in Capitulo, in quo de iis admittendis deliberatur, sese gerendo juxta receptam ibidem antiquam consuetudinem; cum eorum, quæ simoniæ materiam attingunt omnino non tantum imperita sit, sed etiam summa cautione fugiat, aut detrectet, sese in iisdem erudiri; ne sibi temerarios forte scrupulos inde incutiat?

Respons.

Est omnino condemnandus modus agendi, quem Marcella sequitur, in eo quod fugiat, aut detrectet, sese de iis erudiri, quæ pertinent ad simoniam: Siquidem quotidianum Religiosis imminet, sese eo crimine constringendi, periculum; atque in eo casu foret ipsius ignorantia, crassa, affectata, & prorsus voluntaria: juxta regulam istam Juris (*b*): *Imperitia culpæ adnumeratur*: neque adeo ejusmodi, quæ ipsam redderet coram Deo ab omni peccato immunem, cum sola ignorantia, quæ nec voluntaria est, nec culpabilis, id habeat, ut possit ab omni peccato vindicare. Tenetur ergo Monialis ista, ad curandum sese in iis erudiri, quæ pertinent ad simoniam spectatam quantum ad Religiosas: Atque eo potiori rationis jure, quod non eam lateat, dotem 8000. librarum exigi solitam esse de iis etiam virginibus, quæ numerum ordinarium non excedunt? id est, quas non dotatas potest Monasterium recipere: quod nulla ratione potest alienum esse a peccato simoniæ, aut saltem illicitæ prorsus, ac pessimi exempli, exactionis.

(*b*) Leg. 178. ff de diversis reg. Juris antiqui. Item §. 7. instit. de Lege Aquilia.

Neque vero Marcellæ quidquam solidæ ac justæ excusationis affert, quæ extollitur ista Monasterii consuetudo, quam omni hominum ætate, ac memoria, antiquiorem esse jactitatur, exigendæ scilicet indistincte dotis 8000. librarum ab omnibus virginibus, sese ibidem ad Religiosam Professionem admitti, postulantibus. Ut enim habet S. Cyprianus: *Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est* (*c*), neque consuetudini standum est; nisi in iis, *quæ pia, quæ Religiosa, quæ recta* sunt: quemadmodum loquitur S. Gregorius Papa scribens ad S. Augustinum Apostolum Angliæ (*d*): At vero consuetudo qualis in proposita specie enunciatur, institutis Ecclesiæ prorsus repugnat, & aperte inducit inordinatum, atque perversum abusum, qui nullius esse debet momenti; juxta isthæc verba Innocentii III. scribentis ad Pictaviensem Episcopum: *Consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti* (*e*).

(*c*) S. Cypr. Epist. ad Pomponium.

(*d*) S. Greg. in can. Nova 10. dist. 11.

(*e*) Innoc. III. in c. Ad nostram de consuetudine l. 1. tit. 4.

CASUS IX.

Pelagia Religiosa allata secum ad vitæ tempus 400. librarum pensione, locum suæ dotis habitura; in Monasterium S. Agoardi, in quo solemnem professionem emisit: & post aliquot annos cœlum ibidem experta valetudini suæ omnino damnosum, licentiam obtinuit, in aliud ejusdem Ordinis Monasterium sese transferendi: aut illuc transportata est, ibidem restauratura regularem Disciplinam: aut muneris præpositæ gerendi gratia. Qua de re instituitur quæstio, utrum, in alterutro casuum prædictorum, pensionem suam, tanquam individuam sui sociam, in istud aliud Monasterium valeat secum transferre?

Videtur affirmativam partem debere negativæ sententiæ præpollere, 1. quia dos consideranda est, ut accessorium personæ, in cujus gratiam fuit constituta: proindeque debet eam sequi: secundum istam Juris Canonici regulam (*f*): *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. 2. Quoniam alioquin Monasterio cederent quotannis 400. libræ, absque eo quod onus ullum incumberet: quod non congrueret fini, propter quem ista pensio ei concessa est, & alteri damnum inferretur, quippe virginem,

(*f*) Regula 42. de regulis juris in 6.

ginem, quæ nihil secum afferret, quod ad sese sustentandam necessarium foret, illud ipsum tum quoad victum, tum quoad vestitum sustineret.

Ex opposita vero parte videtur, cum Pelagia Monasterium suum libertime immutet, ipsi Monasterio, a quo recedit, damno non debere verti ipsius pensionis jacturam; quippe nulla ei necessitas imponatur illinc egrediendi.

RESPONS.

Æquum non est, quam Pelagia, secum attulit in Monasterium S. Agoardi, 400. librarum pensionem cum ea transferri in aliud Monasterium, ad quod animo habet migrare. Cum enim certum sit, e solemni professione, quam emisit in priori Monasterio, jus plenum ac integrum in ipsius pensione eidem accessisse, nullatenus potest eodem jure spoliari; siquidem ipsa domus immutatio, quam intendit, sit prorsus voluntaria, neque debeat verti in detrimentum Monasterii, a quo recedit; juxta istud Bonifacii VIII. effatum: *Mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum* (a): Quod tamen contingeret, si dicta pensio eam sequeretur: quia fieri non posset, eandem alteri Monasterio obvenire, nisi de priori detracto jure, quod ex ea ipsi cedebat, & abrepta ejusdem possessione, qua gaudebat. Quod isti alteri ejusdem Papæ jam laudati regulæ penitus adversatur (b): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.*

(a) Regula 33. ibid.

(b) Reg. 48. ib

Quam sententiam Sylvius amplectitur (c), & probat 1. ex istis verbis Constitutionis Imperatoris Justiniani; *Si vero relinquens Monasterium, in quo conversationem habuerit, ad aliud transeat Monasterium, etiam sic quidem ejus substantia maneat, & vindicetur a priori Monasterio, ubi abrenuntians, hanc reliquit.* 2. Ex Decreto cujusdam Concilii celebrati in vico Althaim in Germania anno 917. relato a Gratiano (d), quo quidem Decreto statuitur, Religiosum, qui in Episcopum assumitur, oportere quæcumque secum in Monasterium attulit, ab eodem recedendo ibidem relinquere; Quod eadem argumenti necessaria consequentia, dicendum quoque est de Religiosa, de qua quæstio instituitur.

(c) Novella Conversatio nis 5. authen. ticor. collat. 1. t. 5. c. 7. Apud Fr. Sylvium resol. var. v. Dos Monialium.

(d) Can. Statutum 2. 18. q. 1.

Idem docet Navarrus, quando celeberrimorum Canonistarum vestigiis insistens sic habet (e): *Monacho professo valide in uno Monasterio, transeunte ad aliud voluntarie, licite & valide: omnia bona ejus, quæ post professionem primam usque ad secundam quæsivit, & etiam ea, quæ habebat tempore primæ illius professionis, remanebunt Monasterio priori, sive bona, quæ habuit ante professionem, donasse expresse priori Monasterio, sive tacite in consequentiam donationis suæ personæ.* Navarrum multo jam antea (f) in eadem doctrina fuerant prægressi Sylvester, Barbosa, & octo alii Authores, quos Sylvius appellat.

(e) Navarr. Comment. 4. de regular. n. 24. Et apud eum penes & Cald n. in cap. Quod ad te de Clericis conjugatis

(f) Sylvester de p ... en v Religio 4. q 10.

Ex quibus authoritatum testimoniis, & rationum mentis colligere est. 1. Quanquam dos constituat quoddam quasi accessorium personæ Religiosæ, in cujus gratiam instituta est, non ideo tamen eam ipsi quasi comitem adjungi debere in casu proposito; propterea quod non personæ Religiosæ fuerit assignata, sed ipsimet Monasterio, nulla conditione adhibita, quæ domus mutationem attingeret, quam postmodum posset peragere. 2. Non inde censeri Monasterio alteri damni quidquam injusti accedere; siquidem, ut supponitur, quæ recedit a suo priori Monasterio, Religiosam ultro, nemine que cogente, recipiat; ac proinde, si quid patiatur, ipsum sibimetipsi imputare debere, quod eidem consenserit; justa istam regulam Juris (g); *Scienti & consentienti non fit injuria.*

(g) Reg. 27. de reg. Juris in 6

Atque ea de re, advertere plurimum juvat, quæ huc usque diximus non intelligenda esse, nisi de Religiosa, quæ voluntario recedit de suo Monasterio, ut ad aliud transvolet; qualis est Pelagia, de qua agitur in enunciata specie. Si namque eam Monasterium in pœnam alicujus delicti expelleret; & in aliud transferret, ad agendam pœnitentiam; apertum est, in eo casu, ipsi Monasterio incumbere, ei subministrare alimenta, & cætera vitæ necessaria. Unde Navarrus addit: *Dixi; voluntarie, quia si fuit translatus in pœnam, ad agendam in eo pœnitentiam: dabuntur ei necessaria de fructibus bonorum, quæ attulit ad prius Monasterium, juxta textum, in dicta Glossa in can.* de lapsis 26. q 6. Adhibet Sylvius eamdem exceptionem istis verbis: *Si monialis de sua Conventu in alium transferatur in pœnam, ad agendam scilicet pœnitentiam, sive ut corrigatur: dotis proprietas priori monasterio manebit: sed de illa tenebitur solvere, qua pro sustentatione Monialis necessaria sunt, quoad ipsa vixerit, juxta Sylvestrum, Tabienam, Portel, & alios:* Cautam vero istius rei reddit, quia *non æquum, ut unum Monasterium admittat alterius Monasterii rebelles & innobbedientes cum suo onere.*

CASUS X.

FIRMINA, emissa Religiosa professione in quodam Monasterio, ad quod attulit ad vitæ suæ tempus 600. librarum pensionem, post annum unum inde egressa est, ut, consentientibus suis Superioribus, in aliud alterius Ordinis Monasterium tanquam convictricem sese conferret, & illuc suam pensionem transtulit, juxta conditionem verbis conceptam in Contractu, qui, ante ipsius solemnem votorum nuncupationem, confectus est. At quoniam 300. duntaxat librarum annuo pacto pretio commensam, tum cætera vitæ necessaria ibidem conducit, & ei nihil eorum omnium deest, quæ ad reliquos usus aliunde requiruntur; cum sibi assignatas 600. libras percipit, superstites alias 300. libras illi domui commodat ab annis quatuor aut quinque, ea lege interposita, quod, si non adsit, unde ei restituantur, inde ei restituantur, inde sint instituenda post ipsius obitum quædam sacra, in ipsius animæ perpetuam quietem. Nihilominus identidem sibi retinuit exiguas summas, quas in remunerandas aliquo dono Religiosas ejusdem Domus benigne ac liberaliter impendit. Num in eo est aliquid, quod reprehendatur?

RESPONS.

Respondemus, 1. alienam omnino esse ab institutis Ecclesiasticis pensionem alicui Religiosæ cum ea stipulatione assignatam, quod quocumque sese receptura sit, illuc quoque ipsa pensio sit transferenda; quoniam ex ejusmodi clausula aperte inducitur vitium proprietatis, quod paupertatis voto, quo ipsa ligatur, omnino repugnat. 2. Quam Firmina adhibuit, agendi rationem in integrum prorsus esse reprehendendam. Neque animo primo loco recta conscientia potest de sua 600. librarum pensione quidquam ad proprium nutum statuere, qualibet possit esse usus, in quem eam impendit; propterea quod ea se ratione sic gerens, actum proprietatis admittit; adeoque votum solemne paupertatis infringit, cui, in emittenda sua professione, sese verbis omnino distinctis addixit. Quod quidem perspectum, ac liquidum est ex verbis, quæ S. Augustinus habet in uno quodam ex suis Operibus, cui titulus est *de Communi vita Clericorum*, quod refertur in Decreto Gratiani (h), & a primo Concilio Aurelianensi celebrato anno 511. quod ab eodem etiam Gratiano citatur (i) Ex Decreti S. Gregorii Magni scribentis ad Anthemium Subdiaconum (K) & ex duabus aliis Decretalibus Innocenti III. quarum priorem inscribit Archiepiscopo Auscitano, alteram vero Abbatis, & Monasterio de Subiaco in Campania Romæ, in qua laudatus Summus Pontifex personis Religiosis quamcumque proprietatem prorsus interdicit (l); *Prohibemus quoque districte in virtute obedientiæ sub obtestatione Divini Judicii, nequis Monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habeat proprii totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere: regulari monitione prævia, de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius; nisi pœniteat secundum Monasticam Disciplinam, quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, sicut B. Gregorius narrat*

(h) S. Aug. in can. Nolo 10. §. 2. & 3. in can. Non dicatis 11. 12 q 1.

(i) Conc. Aurelian. 1. in can. Abbates 16. 18 q. 2.

(K) S. Gregor. in c. Joannes 5. de Regul. &c. lib. 3. tit 31.

(l) Innoc III. in c. Quanto 7. de officio judic. & delegati l. 1. tit. 31. Et in c. Cum ad Monasterium 6. de statu Monachorum, & Canonicor. Regular. l. 3. tit. 35.

Digitized by Google

narrat in Dialogo se fecisse. En qua ratione loquitur Innocentius III. de personis Religiosis, quæ proprietatis crimen admisisse deprehenduntur, & quo modo in easdem animadverti constituit. Legi possunt similia alia Decreta adversus Religiosos proprietarios in aliis Constitutionibus, quæ referuntur in Corpore Juris (*a*): atque iis potissimum auctoritatum testimoniis luculentissimis fretus celeberrimus Fagnanus adinventas a quibusdam suæ ætatis Auctoribus (*b*), ad debilitandum prohibitorium ea de re Concilii Tridentini Decretum (*c*), quod alibi allegavimus (*d*), novas ac inanes distinctiunculas resellit.

(*a*) Concil. Later. III. in c. Monachi. 2. tit. 1. de statu Monach. Clem. III. in c. Super. 4. eod. 2.

(*b*) Prosp. Fagn. comm. in 2. p. 3. libri Decret. in c. Monachi. n. 8. 40. 41. & seqq.

(*c*) Conc. Tr. sess. 25. de regul. & Monial. c. 2.

(*d*) V. Religiosus cas. 10.

Secundo loco dicimus, nec Firminæ etiam licitum fuisse, abvenientem de sua pensione pecuniam propriis manibus percipere; nec accipi eam oportere, nisi a Depositaria Monasterii, in qan professa est; a qua persolvenda est pensio 300. librarum Domui, ad quam præfata Religiosa migravit, & superstites 300. libræ retioendæ sunt in utilitatem prioris Monasterii, juxta quod ab Innocentio III. definitur io Decretali modo laudata, in qua sic fertur: *Unde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatam; non præsumat illud accipere: sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assigaetur*.

Ex quibus tandem concludimus, non potuisse, tuta conscientia, residuum pensionis a Firmina mutuum dari Monasterio, in quo commoratur, neque commodari, seu donari Religiosis, quæ ibidem degunt; neque etiam a fortiori exigi: contingente casu, quod non possit sibi reddi, in sui gratiam post suum obitum sacra quædam institui. Enimvero in iis omnibus proprietariam se proderet, & solemne votum paupertatis, quo tenetar, aperte perstringeret (*e*).

(*e*) Samb. to. 3. casu 130.

CASUS XI.

Bernardina Religiosa de reformato quodam Ordine, vinculis propinquitatis conjungitur cognatis quibusdam locupletioribus, a quibus ut plurimum invisitur quatuor præcipuorum Festorum diebus anni, & recipit ab alio quidem unum nummum aureum; ab alio vero duplicem; & ita ab omnibus, pro diversa uniuscujusque munificentia; & cui omnes innuunt eo animo ista ei dona a se deferri, ut eadem in minutiores privatasque necessitates ipsa conferat, sive in quasdam stipis erogationes, sive tandem in aliqua opuscula, quæ Religiosæ suis amicis largiri consueverunt, Bernardina, juxta receptum passim in omnibus fere Monasteriis usum, istam pecuniam apud Religiosam Depositariam deponit, a qua tum ipsius nomen, tum sibi credita pecuniæ summa sedulo perscribitur in quodam peculiari tabularum codice, cujus usus ejusmodi proprius est, eique ratio refertur accurate scripta eorum omnium, quæ vult, accedente Præpositæ licentia, expendere. Numquid non continetur in usu prædicto, quædam cum voto paupertatis, ad quam præfata virgo semetipsam obligavit, repugnantia?

RESPONS.

Manifestum est, reprehendendum omnino esse prædictum usum, atque ab eo, ad quod sese Bernardina obligaverit in sua solemni votorum nuncupatione, paupertatis Religiosæ voto prorsus alienum. Rationem vero istius decisionis suggerit ejusmodi materiarum intelligentissimus Theologus (*f*), quod nimirum, consideraro ex æquo & bono prædicto usa, negari non possit, præfata dona cum eo consilio a Cognaris istius Religiosæ offerri, ut de iisdem ad proprium arbitrium disponat; quemadmodum satis innuunt ex ipsissimis verbis, quæ ipsimet in muneribus donandis adhibent; siquidem ei aperte significent, a se pecuniam istam præberi, ut eam ad privatas suas necessitates ipsa conferat, aut in quascumque sibi libuerit stipis erogationes impendat, aut in quædam tandem opuscula adhibeat, qualia vulgo sunt, crumenæ, scrinia, tesseræ precariæ, sacrarum reliquiarum thecæ, florum fasciculi arte elaboratorum, & alia similia. Porro Bernardinæ illicitum est prædictam pecuniam in hujusmodi rebus insumere: nam quod pertinet ad privatas ipsius vitæ necessitates, ipsi Monasterio incumbit easdem, si per ipsius facultates licuerit, subministrare; si vero ipsi non liceat, Monasterio cedunt prædictæ donationes, non privatæ Moniali, quæ, ex voto suo solemni paupertatis, quidquam tanquam proprietaria recipiendi, ac possidendi jure spoliatur; secundum effatum istud, quod alibi jam retulimus (*g*): *Quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit*: atque ob eamdem rationem neque ei etiam fas est, nisi pessumdato voto, cui addicitur, proprio marte, privataque voluntate nec erogare eleemosynas, nec quidquam muneris largiri. Non latet nos, a plurimis exsibilari moralem nostram, ea de re, Doctrinam, ut putant, rigidiorem: at non alia est, nisi ipsa S. Augustini, & Canonum Doctrina. *Certum est*, inquit magnum istud Ecclesiæ lumen, sermonem faciens de personis Religiosis: *Eas nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine Superioris licentia* (*h*).

(*f*) Sambov. t. 2. casu 169. & 178. Et t. 3. casu 129.

(*g*) Omnia, quæ acquisierit (Monachus) ab Abbatibus auferantur secundum regulam Monasterio profutura. Conc. Aurelia. I. in can. Abbates. 16. 18. q. 2.

(*h*) S. Aug. in can. Non dicatis. 12. §. 1. 12. q. 1.

Quando autem tantopere jactatur, pecuniam prædictam ab ipsa Bernardina non retineri; sed in manus Depositariæ reponi, neque quidquam inde detrahi, nisi cum Propositæ licentia; vel ex eo ipso ab omni equidem peccato posset vindicari, si hæc omnia sincere, bona fide, & mente quacumque proprietatis prurigine penitus defæcata peragerentur: at omnino patet, excogitatum in iis omnibus occurrere quasi involucrum, quo Monialis dicta utitur, qua servet, de ista pecunia disponendi ad nutum proprium cupidinem obtegere. Optime namque intelligit ex ipsis eorum verbis, a quibus isthæc munera recipit, iis nullatenus animum esse, eadem offerre in favorem Monasterii; sed in ipsius tantummodo commodum: quod ex eo etiam certocertius deprehenditur, quod Religiosa Depositaria nec nomen illius, nec pecuniæ summam ab eo sibi concreditam referat in suum codicem, nisi eo consilio, ut de eadem ipsi reddat rationem, & paulatim ipsam in integrum restituat in ipsius manus, quoties voluerit exigere ad eam impendendam cum Præpositæ licentia. Quod attinet vero ad istam licentiam, sæpenumero nihil aliud sonat, quam simplex prætextum, quod in ejusmodi casibus adhibetur, ad dissimulandam proprietatem, & ei præbendam quamdam renunciationis formam ementitam: quod certe abusum constituit eo majori dignum reprehensione, quod certissimum sit, ipsi Præpositæ nihil juris tribui cum suis Religiosis dispensandi circa ea, quæ pertinent ad substantiam Religiosæ Professionis, quale est votum paupertatis; nisi casibus enunciatis in Bulla Urbani II. quam allegamus in decisione decimatertia.

Ut quovis ergo crimine careat ejusmodi Religiosæ conscientia, necesse est, 1. eam a suis cognatis nihil quidquam recipere, nisi cum expresso suæ Præpositæ consensu, & ex professo data licentia; *Quod si propinquus vel amicus*, ait iterum S. Augustinus (*i*), *vel quilibet fratrum cuiquam offerre voluerit; primo quidem Priori insinuetur; & sic suscipiatur, si ipse mandaverit*. 2. Posito quod non suscipiat ista dona, nisi post concessam, ea de re, sibi licentiam, eam non oportet, quod ipsi donatur, quasi aliquid sibi proprium habere; *non dicatis aliquid vobis proprium*: sed sic animo esse comparatam, ut sine dolore illud idem videat in usum ac commodum Monasterii conferri: *Sed sint vobis omnia communia*, si sic Præpositæ visum fuerit. *De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori non placuerit*. En Doctrina laudati Patris Ecclesiæ, & regulæ, quas præscribit iis, qui sæculo renunciavere, & Religiosa professione Deo sese consecrarunt. Qui & quæ vitæ institutum adeo sanctum secuti, ad prædictas regulas mores componere renuunt, & votis suis adimplendis omni studio incumbere; hoc sibi in animum inducunt, suæ saluti multo magis expediisse, ut nunquam Religiosæ vitæ sese addicerent; neque inultam posse suam infidelitatem remanere. *Quicumque vestrum*, ait antiquus quidam Canon, quem Gratianus genuinum Urbani I. fœtum esse conjicit (*k*) *communem vitam susceptam habet, & vovit, se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat: sed hoc, quod*

(*i*) S. Aug. ibid. §. 3.

(*k*) Can. Scimus. 9. 12. q. 1.

Domino est pollicitus, fideliter custodiat: ne damnationem, sed præmium sibi acquirat: quoniam satius est, non vivere, quam votum, prout melius potest, non perficere.

CASUS XII.

PAULINA Religiosa de Ordine S. Augustini obtinuit ab Episcopo Diœcesano licentiam textili opere pingendi, peripetasmatum texendorum, & aliorum hujusmodi operum conficiendorum, atque eorumdem aut vendendorum, aut, quibus ei placuerit, donandorum, Potestne facta sibi copia absque scrupulo uti, & si eadem uti fuerit nefas, & eam sibi adhibere animo obfirmato obstinaverit, ei ne Confessarius debet absolutionis beneficium denegare?

RESPONS.

Nulla ratione potest prædicta Religiosa facultatem ejusmodi vindicare, quin & suam regulam perrumpat, & sese peccato proprietatis constringat, atque adeo votum paupertatis, quo tenetur, penitus pessumdet; quoniam nullo jure gaudet Episcopus, vi cujus valeat ejusmodi facultatem impertiri. Quod potest probari quadam Decretali Clementis III. (*a*) quæ de Canonico regulari nomen profitente in Ordine S. Augustini, qui morte sublatus fuerat in statu proprietatis existens, sic præcipit: *Ille Canonicus non tantum fuit Christiana sepultura privandus; verum etiam, si sine maximo scandalo potuit fieri, ne ipsa projici dignus est Ecclesia.*

(*a*) Clem. III. in c. Supra. 4. de statu Monachorum & Canonic. Regular.

Inanem vero sibi Paulina ex licentia sibi data ab Episcopo Diœcesano quærit excusationem; nullius namque roboris est ista licentia, Episcopus siquidem non habeat jus dispensandi in iis, quæ Religiosæ Professionis substantiam attinent; quippe ipsa etiam Papa Innocentius III. (*b*) ultro fateatur, in materia ejusmodi nullam admitti posse dispensationem. *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Quod intelligendum est *in sensu composito*. Adeo ut Religiosa persona non possit simul & Religiose sese gerere, & vitium admittere proprietatis.

(*b*) Innoc. III. in c. Cum ad Monast. 6. eod. tit.

Inde licet concludere, 1. si Paulina animum obfirmarit istam sibi licentiam adhibere; istud obligationis incumbere Confessario, ut ei sacramentalem deneget absolutionem, & quidem eo potiori jure, quod vix fieri potuerit, ipsam non fuisse pessimo exemplo suis sororibus, petendo, sibi talem indulgeri licentiam; & etiamnum esse, eandem sibi vindicando, nihil eam retinentem regulari observantia, ad cujus custodiam arctissime tenetur. 2. Neque etiam, ex adjuncta suæ Præpositæ licentia, eandem futuram a peccato immunem; siquidem, ut jam alibi monuimus, nec ipsi etiam Præpositæ juris inest privilegium, istius faciendæ licentiæ valide, nec nisi Deo inde plurimum offenso; nisi fortasse accederet legitima aliqua causa, & quæ ad ipsius Monasterii commodum pertineret (*c*).

(*c*) Sambovius t. 2. casu 170. & 177.

CASUS XIII.

ANTIGONUS oblata sibi a quibusdam personis Religiosis, quibuscum familiaritate conjunctus est, aliqua ingentis pretii munera acceptavit. Ipsine jure legitimo acquiruntur?

RESPONS.

Fere vigesima octava Bulla Clementis VIII. promulgata 19. Junii 1594. (*d*) istud interdictum districtissimis conceptum istis verbis. *Hac nostra perpetuo valitura Constitutione, Universis & singulis cujuscumque Ordinis mendicantium, vel non mendicantium ... seu cujusvis Congregationis, Societatis & Instituti (non tamen militiæ) regularibus personis utriusque sexus quamcumque largitionem & missionem munerum penitus interdicimus.* Et postquam ibidem enumeratæ sunt pecunia, aut stipis erogationes istis personis concessæ ab eorum sive cognatis, sive amicis, cum ea tantum mente ut iisdem gratificarentur, atque cautum est, ne inde cuiquam directe & indirecte dona rependere præsumerent, nihil excipitur, *nisi leviora esculenta, aut poculenta; seu ad devotionem, vel Religionem pertinentia*, atque etiam cum adhibita ista conditione, *quod sint communi tantum, numquam vero particulari nomine, ubi Superiori de Consensu Conventus videbitur, tradenda.* Tandem in eadem Bulla declarat laudatus Summus Pontifex; quod si casus constitutæ hujusce legis violationis supervenerit, *id quod receperint suum non faciant; verum ipso facto absque aliqua monitione, judicis Decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in utroque foro teneantur; adeo ut restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolvi possint.*

(*d*) Clemens VIII. in Bulla. Utriusque sexus. §. 2. 3. & 7.

Quam quidem Bullam cum Urbanus VIII. subjecisset examini Congregationis cujusdam, quæ constabat ex plurimis Prælatis, quibus præerat Cardinalis de S. Onophrio, Pœnitentiarii Generalis Officio Romæ tunc fungens; ut quædam difficultates & dubia, quæ ex verbis, quibus concipitur, exorta erant, omnino explanarentur, prædicti Prælati declaraverunt, prohibitorium illud Decretum, quo Clemens VIII. caverat, ne personæ Religiosæ quidquam muneris valerent largiri, non istas personas perstringere, quæ ex grato animo, & ad ipsammet Monasterii utilitatem dona tantummodo præbebant; neque etiam cum isthæc dona offerebant propter aliquam causam aut Religioni ac pietati annexam, aut virtutis actum aliquatenus complectentem; modo tamen in iis modus moderationis ac prudentiæ adhiberetur, qui personas decet votis obedientiæ atque paupertatis ex solemni suæ Professione addictas, & accederent cum ipsa Superiorum licentia, tum consensus majoris saltem partis Communitatis; cum ita requirunt aut Consuetudines inductæ, aut ipsius Ordinis Constitutiones. Eo quibus verbis concipitur laudatorum Prælatorum, qui fuerant delegati, declaratio. *Congregatio specialiter, a sanctissimo nostro Urbano, Divina Providentia Papa VIII. ... auctoritate sibi attributa, declaravit & declarat, munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, Conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis, ex sui natura actum virtutis & meriti continentibus; modeste tamen & discrete; & dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus; si talis consensus de jure, vel Constitutionibus, seu Consuetudinibus cujusque Religionis respective in hujusmodi casibus requiratur.* Atque eam declarationem Urbanus VIII. confirmavit, ac ratam fecit sua 158. Bulla, ea de re, data decimo sexto Octobris 1640. his verbis (*e*): *Declarationem præinsertam cum omnibus & singulis in ea contentis, tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.*

(*e*) Urb. VIII in c. Nuper §. 1. & 2.

En retulimus, quæ, de ea materia, a duobus Summis Pontificibus præscripta sint, permissa, & prohibita fuerint: ex quibus liquido constat, non subjacere personarum Religiosarum potestati, ut munera tribuant magni alicujus valoris; & iis, qui eadem recipiunt, obligationem induci, eorum Monasterio restituendorum; atque adeo Antigonum, de quo quæstio mentionem habet, ab ea lege non posse ullatenus eximi; siquidem Urbanus VIII. nihil, quantum ad istud caput, Constitutioni Clementis VIII. derogaverit; quippe sola munera, quæ sunt exigui pretii, indulgeat; ut satis significant ipsius verba, quæ sic se habent; *Modeste tamen ac discrete*; quin etiam jubeat, ne ulla donata munera audeant, *nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, &c.*

CASUS XIV.

GANOVEFA & Marcellina Moniales, cum didicissent, quoddam Beneficium simplex, cujus nominatio ad suum Monasterium pertinebat, jamjam vacare incepisse; illud idem cum Abbatissa, tum a Conventu, Ludovico suo fratri prima Clericali tonsura initiato obtinuerunt, spe nimirum eas movente, quin etiam ipsius fratris accepta fide, futurum, ut ipsis ejusdem Beneficii fructus dimitteret in integrum percipiendos, qui quidem ad summam usque ducentarum librarum duntaxat assurgunt; ne suis parentibus deinceps oneri essent; quo etiam

istum

Digitized by Google

istum reditum ad exiguos minutioresque vitæ suæ usus, & sacelli sui Monasterii ornatum & apparationem converterent. Num in eo aliquid peregerunt dignum vituperio?

RESPONS.

Primo quidem respondemus, duas istas Moniales esse vituperandas, ac damnandas, quod suum fratrem excitaverint ad acceptandum prædictum beneficium cum eo fine, ipsis concedendi ejus reditus annui, prætensa causa, quod eum in minutioribus subditiriis necessitatibus suis adhiberent, & partem inde detraherent, ad sacellum Monasterii decorandum; secundo easdem non posse, citra peccatum, neque præfatum reditum percipere, neque ad usum a seipsis destinatum, eumdem convertere, etiamsi earum frater isti rei assentiretur; neque enim potest, absque propriæ conscientiæ dispendio, permittere, ut quæ de isto Beneficio obveniunt, 200. libræ in ejusmodi usum impendantur. Ratio est, quia si eas ita insumi consentiret, evidenter inde colligeretur, non ipsi opus esse, ad sese sustentandum, istius Beneficii subsidio; quo quidem in casu obligatur, provenientes inde fructus ad insumendos, qua ratione congruit ipsi menti præsumptæ fundatorum, quæ nimirum est ejusmodi, ut postquam Beneficiarius sibi acceperit de reditu, quod necessarium est ad sese sustentandum, quod residuum est, non ad ornatum sacelli alieni; sed ad ipsummet sacellum, quod Beneficii proprium est, integrum conservandum, & decenti exornatione instruendum convertatur: neque subdititiis necessitatibus, quas vocant minutiores, aliquarum Monialium, quibus vitæ necessaria, hoc est, & alimenta, & vestes, & habitatio in ipsarum Monasterio subministrantur; sed devoveretur subsidio egenorum, quorum bona Ecclesiastica, quæ Titularibus supersunt, postquam inde sibi sustentationem honestam accepere, verum ac genuinum constituunt patrimonium: ut loquuntur & Concilia, & Patres, quorum testimonia alibi recensuimus (a). Quibus addimus, in casu proposito occurrere simoniam confidentialem, in quam severius a Sanctis Canonibus est animadversum, quam in simoniam simplicem.

(a) Samb. to. 3. casu 202.

CASUS XV.

Est positum in confinio Regni Monasterium quoddam Monialium de Ordine S. Augustini, in quod Lex Claustri perpetuo servandi huc usque non fuit introducta; & in quo Religiosæ ne unum quidem verbum, de claustro perpetuo servando, in sua votorum solemni nuncupatione, injicere consueverunt. Episcopus, cujus jurisdictioni subjiciuntur, vult eas hodierna die, ad illam legem subeundam, ac servandam obligare; Nonne jus iisdem succursit, unde valeant, illæsa quidem sua conscientia, sese ejusmodi legi subducere, & qua ab omni ætatis memoria gaudent, nullius servandi claustri possessionem retinere?

Quidam Doctor eis affirmavit pro certo, juris istud ipsis cedere, neque incumbere illis obligationem sub pœna peccati mortalis, sese præbendi, in ea re, Episcopo obsequentes: 1. Quoniam nullatenus intenderunt, sese adstringendi lege perpetuæ clausuræ, cum emiserunt in domo prædicta Religiosam Professionem; neque pleraque earum pars unquam fuisset ibidem solemniter professa, si prævidisset, aliquando futurum, ut Lex clausuræ perpetuæ illuc induceretur. 2. Quia Episcopus, licet Superior domus alicujus Religiosæ, non habet facultatem, exigendi a virginibus, quæ in eadem commorantur, ultra quod promiserunt in solemni sua votorum nuncupatione: quemadmodum docet S. Bernardus (b) istis verbis: *Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos Professionis, nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi: nec plus exigat, quam promisi.* Cui consentit S. Thomas (c) qui ait, personam Religiosam non teneri ad obediendum Superiori, etiam ex debito conscientiæ, quando vult arctiorem vitæ instituto, quod Regula præscribit, ei imponere observantiam. Nonne igitur possunt prædictæ Moniales opinioni præfati Doctoris stare, quippe nihil aliud proponat, quam ipsissimam laudatorum sanctorum doctrinam?

(b) S. Bern. 1. de præced. & disp. c. 5
(c) S. Tho. quodlib. 10. a. 10

RESPONS.

Certissimum est, Religiosas, de quibus quæstio instituitur in proposita specie, teneri sub pœna mortalis peccati, ad obsequendum voluntati sui Episcopi, acceptando, quam in ipsarum Monasterium animo habet introducere, legem clausuræ perpetuæ.

Cujus decisionis hæc probatio generalis est, quod quibuscumque Religiosis personis incumbat obligatio strictissima obediendi suis Prælatis, nihil sibi aliud præcipientibus, quam quod Regulæ, cui sese in Professione Religiosa devoverunt, contentaneum est: siquidem alioquin ipsius obedientiæ votum, quod emiserunt, omnino violarent. *Religiosi*, inquit S. Thomas, (d) *obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis Prælatis subduntur, & ideo quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere.* Quod idem quoque docent Sylvester de Prierio, Angelus de Clavasio, Sylvius (e), & plurimi alii authores cum Theologi, tum Canonici juris interpretes.

(d) Idem 2. 2. q. 104. a. 5 ad 3.

Jamvero Lex clausuræ perpetuæ omnino convenientissima est Monialibus cujuscumque ordinis, quamquam nihil, in ipsarum Regula, de eadem mentionis haberetur: quoniam conducit ad observantiam puriorem, ipsarum vitæ instituto decentiorem, ac tutiorem, ratione habitu peculiaris istius ætatis degendæ generis, quod sibi constituerunt. Quod facile probatur ex istis verbis (f) S. Thomæ, qualia referuntur a Sylvio: *Ad regulam pertinere intelligenda sunt, non solum ea, quæ sunt expresse in regula, sed etiam illa, quæ quocumque modo reducuntur ad regulam. Ad regulam enim pertinet aliquid dupliciter, vel directe vel indirecte: directe, quæ expresse continentur in statutis regulæ: indirecte, quæ ad commodiorem, & puriorem regulæ observantiam conducunt, veluti ea, quæ pertinent ad mutua obsequia, ad punitionem culparum, ad earumdem cautelam.* Et quidem dubitari non potest, quin gravioris prorsus momenti sit quantum ad Religiosas Lex clausuræ perpetuæ, non tantum ut a contagiosa nimis sæcularium commercio, eorumque tum ingenio, tum agendi modis procul arceantur: sed etiam ut in tutissimo quasi portu reposita ipsarum castitas, a periculis, quæ eidem imminerent ex licentiori ac familiariori cum sæcularibus vivendi ac colloquendi ratione defendatur: ut observat Sylvester Mozolinus.

(e) Sylvester v. Religio. 5. q. 6. Angel de Clavasin. v. eod. q. 10. Fr. Sylv. resol. var. v. Clausura. 1. & alii.
(f) S. Thom. c. 2, 30.

Quibus addi potest aliud argumentum multo luculentius, atque omni tergiversatione superius. Quod quidem petitur ex Constitatione Bonifacii VIII. ea de re ex professo promulgata. (g) *Præsenti Constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus*, inquit laudatus Papa, *universas, & singulas moniales præsentes, atque futuras cujuscumque Religionis, vel ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis, debere de cætero permanere clausura ... ut sic a publicis ac mundanis aspectibus separatæ omnino, servire Deo valeant liberius: & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.* En constitutam a præfato Summo Pontifice legem; quoniam vero fortasse suo fuisset defraudata penitus effectu, nisi eamdem executioni demandari cavisset: mandat (h) Archiepiscopis & Episcopis universis, ut eamdem curent adimplendam, & idem servandæ in Monasteriis quidem subjectis, tanquam Ordinarii invigilent: in aliis vero, quæ Summo Pontifici immediate subduntur, tanquam a sancta Sede delegati: iisque, si neglexerint, interminatur, futurum ut apud tremendum Divini judicii Tribunal aliquando sese sistant, ibidem negligentiæ suæ reddituri rationem. *Archiepiscopis & Episcopis universis districte in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipiendo mandamus, &c.* Ipsissima sunt verba laudati Summi Pontificis.

(g) Bonifac. VIII. in c. Periculoso unic. de statu Regular. l. 3. t. 16.
(h) Ib. §. 4.

Quam Bonifacii VIII. Constitutionem renovavit, atque confirmavit Concilium Tridentinum; (i) & summopere etiam comprobavarunt, & au-

(i) Concil. Trid sess. 25 de Regular. & Monial c. 5.

ctoritate sua muniverunt plurimi alii Papæ, ut S. Pius V. Gregor. XIII. & Paulus V. (*a*) adeo ut Episcopi, qui volunt legem perpetuæ clausulæ in ea loca introducere, in quibus non servatur in ea re non tantum ordinariam sibi atque propriam auctoritatem exerceant, sed etiam agant tanquam exequentes Decretum Concilii, & quasi a S. Sede delegati quoad Monasteria, quæ immunitatem ab ordinaria Jurisdictione sibi vindicant: absque eo quod ab ista lege communi excipiantur Religiosæ, quæ etiam voto servandæ clausuræ disertis omnino verbis sese non obligavissent: quod etiam penitus evertit inanem prorsus atque fictitiam causam, quam sibi quærunt istæ Moniales, de quibus agitur in subjecta specie.

(*a*) S. Pius V. in Bulla Decori §. 2. Gregor. XIII. in Bulla Dei gratiæ. 28. Paulus V in Bulla Monialium. 74. 10i Julii an. 1612.

Nihil ergo ipsas juvat, quod tam confidenter clament, sese nullo voto obligavisse ad servandam clausuram; nec Episcopo jus fieri, ab ipsis plus exigendi, quam ipsa, cui addicuntur, regularis exigit observantia. 1. Namque non auderent ire inficias, quin possit Ecclesia iis servandæ clausuræ imponere necessitatem: quamquam eam non promiserint, & Episcopus tanquam leges Ecclesiasticas exequens jure gaudeat, iis eamdem obligationem adducendi: quod eo magis & verum & justum est, quod ipsa Lex clausuræ servandæ, nullam importet cum regula Religionis repugnantiam, quin potius eamdem & tutius conservet, & decentius perficiat; *Hic ad regulam nihil additur: sed modus habitandi secundum naturam rei taxatur*, inquit, Glossa (*b*), quæ sic addit: *Religiosi, qui velle & nolle non habent .... potest strictior vita indici, etiam ex regula*. Atque idem ait Sylvius (*c*), qui ejusdem sententiæ fautores appellat Sanch. Navarrum, Azorium, & Miranda. Neque mediocrem etiam auctoritatem præfatis constitutionibus adjecit Edictum de Jurisdictione Ecclesiastica, quod Episcopis jure peculiari vindicavit earumdem executionem. „ Volumus „ pariter: *inquit Rex Ludovicus Magnus*, ut se„ cundum sanctissima Decreta & Canonicas Con„ stitutiones, atque in eorumdem executionem, „ nullæ Religiosæ valeant egredi de Monasteriis „ immunitate gaudentibus, aut eadem carentibus, „ sub quocumque prætextu, & ad tempus quod„ cumque esse possit, nisi accedente causa legitima, „ & quæ legitima judicata fuerit ab Archiepisco„ po, aut Episcopo Diœcesano, qui concedet e„ grediendi licentiam scripto contentam (*d*) ......

(*b*) Glossa cit. c. Periculoso. v. præsentes.
(*c*) P. Sylv. loco cit. v. Clausura. 2. Et apud eum Tho. Sanch. l. 6. in decal. c. 15. Navarr. in tit. de regul. Jo. Azo. p. 1. l. 13. c. 8. Ludov. de Miranda tract. de Monial. q. 1. a 2.
(*d*) Edictum mensis Aprilis 1695 a. 19. comprobatum in Suprema Curia. 14 Maji sequentis.

Jam superest, ut evincamus, quæ in contrarium opponuntur sanctorum Bernardi & Thomæ, testimonia decisioni nostræ nullatenus adversari. Enimvero sermonem tantum habent de iis, aut quæ sunt adversus regulam aut quæ eamdem prætergrediuntur; de iis autem loqui non intendunt, quæ connexionem habent cum regula, aut ad eam possunt aliqua ratione reduci; *Si tamen aliqua sunt*, inquit S. Thomas, qui allegatus est, *quæ nullatenus ad regulam reducuntur: videtur esse verior opinio, quod obedire in ejusmodi, non sit de necessitate obedientiæ, sed de perfectione, ut Bernardus dicit in lib. de præcept. & dispensat*. Quod quidem nullatenus pertinere potest ad Clausuram, quæ nedum, ut monuimus, seu regulæ adversetur, seu voto Religionis; quin potius cum utroque necessario connectitur, & in utroque modo implicito continetur; *Clausura vero Monialis*, inquit Sylvius (*e*), *non est supra regulam, nec supra votum: sed in regula ipsis præscripta continetur .... implicite, ut quæ pertineat ad commodiorem castitatis custodiam*. Quin etiam Theologus iste longius procedit. Contendit enim, etiamsi præfatæ Religiosæ professionem emisissent cum adhibita disertis verbis ista Clausula, quod servaturæ non essent perpetuam Clausuram; in ejusmodi etiam casu Episcopo futurum, unde easdem omnino posset compellere, ad subeundam perpetuæ clausulæ necessitatem, nisi forte conditionaliter fuissent votis suis assensæ, & intendissent eorumdem effectum ex præfata conditione suspendere; quoniam ut observat de Miranda (*f*), irritum tamdiu maneret eorum votum, quamdiu conditionis effectus non perficeretur; neque adeo veri nominis forent Religiosæ.

(*e*) P. Syl. ref. v. Clausura. 1.
(*f*) Lud. de Miranda c. q. 1 a. 4. concl. 6.

CASUS XVI.

MARGARITA Religiosa de quodam Conventu in Civitate Parisiensi, cui vindicatur immunitas ab Ordinaria jurisdictione, legitimam causam prætendit inde recedendi ad migrandum ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium. Numquid ipsius regulari Prælato jus competit, ei privata auctoritate indulgendæ discedendi licentiæ?

RESPONS.

Potest quidem regularis Prælatus, de quo agitur, licentiam indulgere Margaritæ, discedendi de suo Conventu, in casu proposito; sed cum concurrente simul proprii Episcopi consensu. Atque istud patet ex tribus rationum momentis, quæ sequuntur.

Primum ducitur a luculenta prorsus S. Pii V. Constitutione, prima Februarii die anni 1570. promulgata (*g*), in qua sanctus Papa memoratus declarat, pertinere ad solum Episcopum, copiam Religiosis facere, etiam iis, quæ gaudent immunitatum privilegio, de suis Monasteriis egrediendi, & pœnam indicit excommunicationis *ipso facto*, S. Sedi reservatam, iis, quæ præter ejusdem licentiam discedere præsument.

(*g*) S. Pius V. in const. Decori. §. 2. ad Bullam Circa 8. Bullar. magni t. 2. pag. 184.

Secundum innititur quodam Concilii Trid. Decreto (*h*) quo prohibitum est cuilibet Moniali quocumque privilegio donatæ, ne de suo Monasterio exire audeat, nisi obtenta ab Episcopo proprio expressa licentia, quæ scripto contineatur; *Nisi aliqua ex legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus*.

(*h*) Concil. Tr. sess 25. de Regul. & Monial. c 5.

Tertium offert Edictum Blesense (*i*), quo comprobatur & ratum efficitur prædictum Concilii Decretum, & quod idem confirmavit Edictum datum mense Aprilis 1693. (*k*) cujus verba hic loci referuntur. „ Volumus pariter, ut secundum sanctissi„ ma Decreta, & Canonicas Constitutiones, at„ que in eorumdem executionem, nullæ Religiosæ „ valeant egredi de Monasteriis immunitatis pri„ vilegio gaudentibus, aut eodem carentibus, sub „ quocumque prætextu, & ad quodlibet temporis „ spatium, quodcumque esse possit, nisi aliqua ex „ legitima causa ab Archiepiscopo, vel Episcopo „ proprio approbanda, a quo concedetur disce„ dendi facultas scripto contenta „.

(*i*) Edict. Blesens. a. 31.
(*k*) Edict. ann. 1693. a. 19.

Eadem igitur tum juris, tum prudentiæ ratione Eminentissimus Cardinalis de Noailles Parisiensis Archiepiscopus istud Ecclesiasticæ Disciplinæ caput renovavit Synodorum suorum statutorum, quæ promulgata sunt 26. Septembr. 1697. vigesimo, quod his verbis concipitur; „ Prohibemus sub pœna ex„ communicationis quibuscumque Religiosis im„ munibus, seu non immunibus, ne de suis Mo„ nasteriis egredi præsumant absque legitima ali„ qua causa, & sine licentia scripto data vel a „ nobis, vel a nostris Vicariis Generalibus, & ab „ earum Superioribus, si aliis, quam nobis, fuerint „ subjectæ. Interdicimus cuicumque Sacerdoti „ tum sæculari, tum regulari, ne iisdem admini„ strent Sacramenta, præterquam in articulo mor„ tis. Injungimus omnibus Parochis nostræ Diœ„ ceseos, ut caveant, statim atque Religiosa aliqua „ in suas Parœcias advenerit, sibi prædictas exhi„ beri licentias: atque si ex aliena Diœcesi quæ„ dam migraverit, ab eadem exigere, sibi indicari „ etiam obedientias ipsi factas, seu licentias exe„ undi de suo conventu concessas, tum ab ejus „ Episcopo, tum ab ejus Superioribus „.

Observabimus quasi per transennam, Gallicanos Episcopos inter, & Abbates de Ordine Cisterciensi controversiam esse, in eo quod isti sibi solis vindicent jus indulgendæ licentiæ Monialibus de suo Ordine egrediendi e suis Monasteriis, causæ scilicet legitimæ occurrente casu. Intervenere jam in ista causa pro Abbatibus tria Arresta. Primum quidem pronunciatum fuit ab ampliori Consil. II. Martii 1695. contra Illustrissimum Episcopum Noviodunensem. Secundum vero a supremo Senatu Provinciali 9. Aprilis 1699. Tertium denique a Consilio Regio de rebus ad Regnum pertinentibus, 5. Septemb. 1701. Nondum ista causa finita est; sed Abbati Cisterciensi, & Abbatissæ Fontis Eberaldi

rema-

semanet possessio privilegiorum, quæ sibi vindicant, quantum ad eum articulum, sicut etiam quantum ad examen, quo ipsimet exquirunt de requisitis datibus Religiosarum Novitiarum, antequam ad solemnem Religionis Professionem admittantur (*a*).

CASUS XVII.

RUFFINA Religiosa de Ordine mitioris observantiæ, desiderio tenetur obtinendi, sese ad Ordinem reformatum transferri: num propositum vitæ arctioris consilium exequi potest, post petitam ab Abbatissa sua licentiam, de suo Ordine discedendi, & ad alium præfatum migrandi: licet ipsi fuerit denegata!

RESPONS.

Quamquam repulsam petitionis suæ ab Abbatissa sua passa fuerit dicta Religiosa, potest nihilominus tuta omnino conscientia omnibus viribus agere, ut in Ordinem observantiæ strictioris transferatur. Ratio est, quia quemadmodum jam dictum est de viro Religioso, qui in eadem rerum circumstantia ponitur, quam copiam facit Innocentius III. viris Religiosis, transvolandi de suo Ordine ad Religionem arctiorem, & cujus observantia sœverior est, nihil obstante, quod Superiores ipsorum dissentiant, & nolint nec consensum præbere nec licentiam, eamque quoque juxta jus commune videtur Virginibus Religiosis concedi debere (*b*): quod quidem probatur ex Concilio Triburiensi, cujus Decretum ea sic ratione refertur a Gratiano (*c*): *Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam, ad aliud Monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreverint: Synodus concedit*. In quæ verba Glossa sic habet: *Debent petita licentia recedere ad districtiorem Religionem, & non causa levitatis*. In eamdem sententiam videtur S. Thomas propendere (*d*); quippe, quo probet, eam Religionum immutationem Religiosis esse licitam, in argumentum afferat laudatum Canonem Fagnanus quoque (*e*), quod Monialibus perinde, ac viris Religiosis *Jure communi inspecto, absolutum est id licere*: quod etiam iisdem, quæ mox recensuimus, authoritatum testimoniis evincit.

At vero fortasse quis opponet Constitutionem Bonifacii VIII. (*f*), quam Concilium Tridentinum (*g*) renovavit, atque confirmavit, in qua laudatus Papa præcipit Monialibus, ut sub perpetua permaneant clausura, neque iis copia fiat exeundi de suis Monasteriis ob causam quamcumque, aut rationem, quam possint prætexere; verum præfata Constitutio ne verbum quidem unum habet, nec quoquo modo loquitur de Ordinis immutatione in aliam Religionem strictiorem, aut de transvolando ad aliud Monasterium arctioris observantiæ, de quibus potissimum hic loci agimus; neque quidquam aliud innuit, nisi prohibitorium Decretum, quo memoratus Papa interdicit Monialibus, ne de suis Conventibus præsumant ad certum quoddam temporis spatium egredi sub prætextu oblectationis, aut cognatorum seu familiarium invisendorum causa, aut tandem propter quascumque ejusmodi rationes: ut apertum fit ex ipsissimis ejusdem Papæ verbis: *Quæ honestatis laxatis habenis, & monachali modestia, sexusque verecundia, impudenter abjectis, extra Monasteria nonnumquam per habitacula sæcularium personarum discurrant .... in Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum*; quibus verbis manifestum est, non esse præfati Summi Pontificis mentem subtrahendi Monialibus facultatem agendi, ut possint transferri ad aliud Monasterium, aut in alium Ordinem strictioris observantiæ, cum sincero proposito vitæ sanctioris & austerioris ibidem amplectendæ. Ita censet Glossa in istam Constitutionem (*h*): *Non credo*, inquit citatæ Glossæ Author, *quod Decretalis ista tollat, quia possent, si vellent ad strictiorem Religionem humilitatis & puritatis causa transire ... petita licentia .... semper enim erunt in clausura*. Eodem quoque modo loquuntur Archidiaconus (*i*), Geminianus (*K*), Abbas, & Sylvester.

(*a*) Journ. des Savens du mois Dec. 1714. pag. 710.

(*b*) Inn. III. in c. Licet. 18. de Reg. &c. & ibi Gl. v. Licentiam postularis

(*c*) Can. Virgin. 1. 20. q. 4.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 189. ar. 8. arg. Sed contra.

(*e*) Fagn. in c. Licet. n. 61.

(*f*) Bon. VIII. in c. Periculoso unic. de statu Regul. in 6. l. 3. t. 16.

(*g*) Concil. Trid. sess. 25. de Regular. c. 5.

(*h*) Gl. in d. c. Periculoso. v. Perpetuo.

(*i*) Arch. ib. d. v. Perpetuo.

(*k*) Gemin. ib. n. 25. Abb. in c. fin. n. 7. de statu Monach. & Sylvest. v. Religio 4. q. 16.

Diximus, eamdem Monialibus perinde ac viris Religiosis, in ea re, cedere *ex communi jure* facultatem; intelligenda vero sunt isthæc verba ratione habita Disciplinæ, quæ hodiernis temporibus invalescit, qua nimirum requiritur: 1. ut legitimus Superior, cui Monialis subjicitur, ipsius translationi consentiat: quamquam Monasterium, quo sese transferri petit, palam & aperte strictiorem observantiam profiteatur, nec nisi Pontificio Papæ Diplomate accedente, transferatur.

2. Ut non ante de priori suo Monasterio discedat, quam ubi Monasterium, ad quod illi transeundum est, actu paratum, & expeditum est, ad eam suscipiendam, & Religiosæ, ex quibus Capitulum istius alterius Monasterii constat, eidem recipiendæ, Capitulo ea de re congregato, suffragiorum collectione consenserint.

3. Ut fiat translatio de Monasterio ad aliud, comitantibus personis prudentia, modestia, morum probitate plurimum commendandis, & quarum virtutem nulla suspicio unquam violaverit, neque alibi diversetur, quam in iis locis, in quibus recto itineri eam insistentem necesse erit hospitandi gratia consistere.

2. Ut ad prius Monasterium, de quo recessit, ulterius revertendi quilibet ipsi locus intercludatur. Atque istæ sunt conditiones, quas recenset (*l*) Fagnanus, quibus & plurima alia, ea de re, addit, quæ ab usu apud nos recepto prorsus aliena sunt, ipse fretus auctoritate Bullæ, *Decori*, quam datam a S. Pio V. primo Februarii 1569. nunquam in Gallia nec promulgatam, nec acceptatam fuisse certissimum est (*m*).

Sententiam ejusdem Canonistæ in eo amplectimur (*n*), qui ait ejusmodi Religiosarum domosum immutationi accedere necessario debere Summi Pontificis auctoritatem; quod probat testimonio Gregorii X. qui præsens aderat Concilio Generali Lugdunensi (*o*).

CASUS XVIII.

CLEMENTIA Religiosa Professa de Conventu sanctæ Fidei in Provincia, quem flammis devoratum, incendium funditus devastavit; cum in alium ejusdem Ordinis conventum, jubente suo Superiore, deducta fuisset, ibidemque valetudinem experiretur admodum incommodam, quod cui locus iste expositus est, ipsius corporis habitudini, Medicis ita testantibus, cœlum non congrueret: licentiam hodie petit a suo Superiore migrandi ad aliam Religiosam ejusdem observantiæ domum, in qua viget summo cum fervore regularis Disciplina, & sperat futurum, ut ibidem prospera magis valetudine potiatur, propter aerem nativum, quem ibi spiratura est. Nam apud præfatum Superiorem ponderis alicujus, ac momenti sufficientis esse debet allegata causa, ut postulatam licentiam Clementiæ indulgeat?

Dubium inde movetur, quod in Constitutione S. Pii V. quam in Superiori decisione laudavimus, non aliæ causæ recenseantur tanquam legitimæ: *Nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*, & decernatur pœna excommunicationis *ipso facto*, reservata S. Sedi adversus Religiosas, quæ de suis Monasteriis egredi præsument ex alia quacumque causa, & adversus eos, qui iisdem exeundi copiam facient.

RESPONS.

Constitutio S. Pii V. quæ citatur in instituta quæstione nullius est pretii nec vigoris in Gallia quantum ad istud caput, quoniam in eo Regno nunquam promulgata fuit, neque acceptata; quamquam in eadem legantur quidam alii articuli, qui ibidem vim legis obtinant ex Mandatis Ecclesiæ Gallicanæ, aut ex Edictis Regiis. Adeoque censemus, dubium inde petitum omni prorsus carere fundamento; ac proinde apud Superiorem Clementiæ valesse posse causam in proposita specie allegatam, & ab eodem licentiam ab ipsa postulatam indulgeri, metu incurrendi in excommunicationem penitus excusso, quæ a laudato Papa iis indicitur, qui ejusmodi licentias concedunt ex aliis causis, præter eas, quæ in ipsius Constitutione

(*l*) Fagn. in c. Recolentes de statu Monach. & Canon. Regul. n. 48. & sequ.

(*m*) Boll. Decori ad calcem Bullæ. Circa. 8. in magno Bullar. t. 2. p. 35. Ed. Lugdun.

(*n*) Fagn. in c. Recolentes, 3. de statu Monach. n. 24. & serie

(*o*) Greg. X. in c. unic. de Religiosis domibus 6. §. fin.

Digitized by Google

comprobantur. Ita decidit Sylvius (*a*), qui dicit: *Respondetur, Superiorem Regularem posse Monialem, de qua quæritur, transmittere ad aliud ejusdem Ordinis, & clausuræ Monasterium suæ Jurisdictionis: quia hoc & ipsi Moniali utile est, & nullo jure prohibitum*. Quod tamen sic intelligendum est, ut quemadmodum in præcedenti decisione probavimus, cum licentia Superioris Regularis necesse sit licentiam quoque Episcopi simul concurrere.

(*a*) F. Sylv. resol. var. v. Clausula 8.

CASUS XIX.

AUGUSTINA Religiosa Professa obtinuit a legitimo Superiore sui Conventus facultatem inde egrediendi, ut accederet ad suos Parentes, ibidem apud eos per spatium quindecim dierum remansura. Eam perinde ac ipsummet Superiorem non latebat, ejusmodi causam omnino futilem esse, ac nullius momenti. Num peccavit mortaliter, ejusmodi licentiam sibi vindicando: & ipse Superior potuit ne eamdem ipsi facere, absque eo quod mortali peccato semetipsum constringeret?

RESPONS.

Quamquam non possit dubitari, quin Augustina mortaliter peccavisset, si non accedente legitimi Superioris licentia, de suo Conventu præsumpsisset discedere: Non tamen existimamus, siquidem inde non egressa fuerit, nisi primum obtenta præfata licentia, ipsi imponendum esse lethalis culpæ reatum, licet levissima omnino sit causa, quam ejusdem facultatis sibi obtinendæ gratia allegavit: Enimvero, cum ipsius Superior istam causam probatissimam habuerit, potuit sane, & quidem cum certissimo aliquo juris fundamento ipsamet existimare, se se posse, absque ne minimo quidem scrupulo, impertita sibi facultate gaudere. Quam decisionem mutuamur ab intelligentissimo rerum Theologicarum Doctore (*b*), qui alia omnino ratione rem considerat quantum ad Superiorem, a quo ejusmodi copia data est. Censet namque, a nullo quocumque Religiosarum Præposito posse sine peccato mortali iisdem indulgeri, nisi ex gravissimis omnino causis, discedendi de suo Conventu facultatem; quibus gravissimis causis nemo sanæ mentis annectet causam egrediendi, ad invisendos parentes. Et vero si Superiores ejusmodi causas adeo frivolas, tanquam sufficientes ac legitimas haberent; inde prorsus everteretur, quod inter ea, quæ spectant ad regularem Disciplinam Monialium, potiorem locum obtinet, & plurima cum attentione tanquam istius Disciplinæ primarium caput habendum est, atque conservandum; siquidem ex tanta Disciplinæ istius dissolutione contingeret, ipsas Religiosas variis tentationum, ac peccatorum periculis obnoxias patere, quibus quotidiano quasi collisu sæculares impingunt, ac miserrimi succumbunt.

(*b*) Samb. t. 2. casu 130. & 140.

CASUS XX.

HECTOR cuidam Provinciæ præpositus Gubernator, in qua Monialium Conventus positus est, cum consuevisset in proprium usum adhibere torcular, quod istius Religiosæ domus proprium est, atque intra consepta clausuræ regularis inclusum; & a Superiore fuisset verbis expressis interdictum Monialibus, ne sui torcularis usum ei deinceps permitterent; inde gravissime omnino offensus, propterea quod & antecessoribus ejus, & ipsimet ejusmodi facultas jampridem concessa fuisset: ut quam passus erat, repulsam ulcisceretur, milites in villas istius Monasterii immisit, qui ibidem plurimum detrimenti attulerunt, & etiamnum minantur futurum, ut iisdem deinceps magis detrimentosam vastitatem importent. Qua de re perit Superior, utrum, quo tantæ vexationis finem fieri obtineatur, possit tuta conscientia, Hectori permittere, ut pro solito more, usum istius torcularis adhibere sibi pergat: quamquam inde clausura regularis Monasterii infringatur?

RESPONS.

De simili fere casu consultus olim fuit insignioris prorsus notæ Duacensis Professor (*c*), qui eum ut dissolveret, sic respondit 21. Aug. 1641. 1. Prudentiæ esse Superioris Monasterii, summa cum reverentia monere præfatum Gubernatorem, quem tantopere offenderat repulsa torcularis, quique ea, quæ fertur in proposita quæstione, eadem ratione omnino detrimentosa ulciscebatur: nec Monialibus mentem unquam affuisse, in offensionem ipsius ulla ratione incurrendi, sed tantummodo illud exequendi, quod a sanctis Canonibus, ac potissimum a Concilio Tridentino de regulari clausura Monasteriorum Monialium tantopere commendatur: neque ipsum iis, ea de re, Decretis obsistere posse, quin sese eo ipso Legibus Ecclesiasticis non obsequentem prodat, ipsique Ecclesiæ rebellem. 2. Si dictus Gubernator animo obfirmato, & ultioni tenaci esse insisteret, & Superiori adesset gravissimum aliquod timendi incitamentum, ne obfirmaret se, ad inferenda iterum Monasterio tanta detrimenta: ipsum posse in eo casu, proposito interdicto desistere, quod Monialibus significaverat, & dissimulare silentio ipsam clausuræ regularis violationem, eidem amplius nullatenus resistendo.

(*c*) Fr. Sylv. resol. var. v. Clausula 6.

Ratio autem, quam ea de re suggerit inclytus Theologus, quem jamjam allegavimus, ea est, *Quia Lex, quæ mandat, ut Superiores curent, ita servari clausuram Monialium, ut nullus ad eas ingredi possit sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, est Ecclesiastica, atque adeo humana*. Porro addit laudatus Auctor: *Leges humanæ ordinariæ non obligant, quando servari non possunt absque gravi jactura bonorum*: quippe certum sit ipsum Legislatorem, hoc est, Ecclesiam non intendisse exigere, ut in ejusmodi casu, sua Lex adeo stricte observaretur.

Et quidem ut fert regula Juris (*d*): *In omnibus quidem, maxime tamen in Jure æquitas spectanda est*. Atque si vellet Legislator, nihil obstante detrimento tam notabili, Legem suam omnino religiose custodiri: ipsius Lex foret prorsus iniqua. Est ergo, unde possit affirmari, licet Lex iis concipiatur verbis, quæ obligationem sonent rem aliquam exequendi, aut ab eadem abstinendi, locum plurimum esse conjiciendi in ejusmodi rerum circumstantia, diversam affuisse Legislatori mentem: *Etsi maxime verba Legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult* (*e*).

(*d*) Reg. 90. ff. de diversis reg. juris antiqui lib. 50. tit. 17.

(*e*) L. Scire 13. ff. de excusat. l. 27. tit. 1.

Quæ decisio roboris multum potest accipere ex principio, quod S. Thomas constituit, ea ratione, quæ sequitur (*f*): *Quia sequitur Legislator non potest omnes casus intueri, proponit Legem secundum ea, quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem. Unde si emergat casus, in quo observatio talis Legis sit damnosa communi saluti, non est observanda*. Et paulo post: *Ille, qui in casu necessitatis agit præter verba legis, non judicat de ipsa lege: sed judicat de casu singulari, in quo videt verba legis observanda non esse*. Et iterum denique: *Contingit autem quandoque, quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis, ut in pluribus non est conveniens huic personæ, vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum .... ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in Lege humana*. Quo quidem posito principio, inde facile concludere est, Superiorem Monasterii, de quo quæstio est in subjecta specie, posse citra peccatum dispensare circa legem, qua clausuræ necessitas inducitur, aut saltem ab eo silentio dissimulandam esse ipsam violationem regularis clausuræ, quam Hector sua adhibens sævitia petulanter infringit: utpote non sit animo præsumendum, cum Synodum Tridentinam, tum Summos Pontifices voluisse legis istius urgere observationem, ut in eo casu, in quo integra Monasterii pernicies, ac ruina pene inevitabilis impendet.

(*f*) S. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4. in corp. & ad 2.

Vide { PROFESSIO. RELIGIOSUS. MONASTERIUM. VOTUM. }

RELIQUATIO.

Vide FOENUS.

RELIQUIÆ.

SUMMA veneratione Reliquiæ sanctorum colendæ sunt; cum negari non possit, ipsummet Deum iisdem eo usque honorem voluisse tribuere, ut iis mediantibus miracula, ac prorsus stupenda fuerit operatus prodigia. Atque ut ea de re certissimum habeant argumentum, evolvendæ sunt sacræ paginæ, & fides adhibenda iis, quæ ibidem narrantur, cum sermo habetur de ossibus Elisæi Prophetæ; de pallio, quod prædicto Prophetæ suo Discipulo reliquit Elias, quando cursu igneo raptus est ad cœlestes regiones; de mortuo quodam, quem ejusdem Elisæi Prophetæ ossium contactu Deus ad vitam revocavit, ac de mirandorum aliorum innumera propemodum multitudine, quæ per Prophetas, Apostolos, & viros subsequentes, qui singulari vitæ sanctimonia claruere, patravit.

At quoniam, qui viris sanctis cultus exhibetur, ad Deum solum referendus est, tanquam ad eum, cujus omnis gloria, qua voluit eosdem decorari, peculiari jure propria est; ita etiam summa illa veneratio, qua coluntur eorum reliquiæ, ad Ipsosmet sanctos, quos omnipotens gratia genuinos fœtus sibi vindicat, est potissimum referenda.

Omni cautione observandum est, cum dicitur, summa veneratione coli sanctissimas Reliquias, nihil aliud intelligi, quam reverentiæ & observantiæ cultum, quem decet rei alieni sacræ deferri. Atque in eo etiam sensu Græci eumdem cultum acceperunt, eum adhibuere verbum προσκυνεῖν, cui subjicitur generalis quædam notio, quodque passim solent in suis operibus usurpare, non tantum ad significandum cultum adorationis, qui cultus Latriæ supremus est; sed etiam ad præfatum observantiæ, reverentiæque genus enunciandum. Indeque contigit, a quibusdam Latinis auctoribus, qualis est Leontius Episcopus de Civitate Neapoli æqualis S. Gregorio Magno, vocem adorationis promiscuam habitam fuisse, cum, de veneratione, quæ sanctorum reliquiis exhibetur, fecere sermonem (a). Quos quidem ejusmodi vocabuli duos varios intellectus summa cum attentione distinguentes Patres VII. Concilii Generalis interpretantur (b): quin etiam Concilium Tridentinum (c) de altera ista adorationis specie tractans summopere præcavit, ne alias loquendi rationes adhiberet, nisi voces, quæ *venerationem* ac *reverentiam* sonarent: *venerationem atque honorem*, & iterum *Reliquiarum venerationem*.

(a) Leontius serm 5. contra Judæos, & de S. Imaginibus.
(b) Concil. Nicæ. 2. act. 7. apud Labbe to. 7. Concil. col. 886.
(c) Concil. Trid. sess. 25. de invoc. venerat & Reliq. sanctorum.

Cæterum, idem Concilium prohibet, ne publicæ venerationi Fidelium exponantur in Ecclesiis ullæ recentiores Reliquiæ, *nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo*, adhibita quacumque diligentia, omnibusque maxime provisis, & præcautis, ut de earumdem auctoritate notitia sufficienter explorata habeatur.

CASUS PRIMUS.

CASIMIRUS Sacerdos, allatas Roma Reliquias alicujus sancti Martyris, & Curæ cujusdam collatione deinde gavisus, in Reliquiarum theca, quam curavit confici, recondidit, publicæque fidelium venerationi, in propria sua Ecclesia proposuit. Potuitne auctoritate privata istud sibi arrogare?

RESPONS.

Nullatenus potuit prædictus Parochus privata sua auctoritate in propria sua Ecclesia Reliquias memoratas exponere. Neque enim fas est ullas Reliquias cultui ac venerationi fidelium proponi, nisi prius earumdem auctoritas ab Episcopo Diœcesano recognita fuerit & approbata: ut a Concilio Tridentino cautum est istis verbis (d): *Statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel in Ecclesia etiam quolibet modo exempta, nullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem; nisi ab Episcopo approbata fuerit .... nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo.*

(d) Concil. Trid. sess. 25. Decret. de invocat. vener. & Reliq. sanctorum, & sac. Imag. in fin.

CASUS II.

MATRICULARII de Ecclesia Parœciali S. Disansii litem intulerunt Matriculariis de Ecclesia S. Genu, circa Reliquiam quamdam insigniorem, quæ in postremo loco memoratæ Ecclesiæ servatur, quæque, ex obveotionibus ibidem solitis offerri, fortuitum viginti nummorum reditum refert. Causa autem in eo potissimum versatur, quod cum Parochus, tum Matricularii de S. Disansio contendant, præfatam Reliquiam suam esse, sibique jus succurrere ejusdem sibimeptisis asserendæ.

Quidam Patronus, quem communis necessitudo cum utraque litigantium parte conjungebat, litem diremit, suadendo, conflari ab illis amicabilem compositionem, juxta quam statueretur futurum, ut Ecclesiæ S. Genu prædicta Reliquia remaneret ea lege interposita, quod obvenientes inde oblationes utrique Parocho æquali tributione cede-

cederent. Nihilne est vitii, quod de prædicta transactione reprehendi possit?

RASPONS.

Aliena omnino est a Canonicis institutis, quæ privata auctoritate partium, quarum res intererat, transactio intervenit; neque enim diffiteri quis potest, Reliquias interea, quæ sacra censentur, enumerari, eo ipso, quod ab Episcopo tanquam veræ, atque indubitatæ fidei sigillum ferentes, recognitæ fuerunt; & ipsa Beneficia, quæ per intercessionem Sancti a Deo imperrantur, iis, quæ mere spiritualia sunt, annumerari; unde sequitur, easdem non posse, citra crimen, in ullam quamcumque speciem commercii induci, neque eo fine pecuniæ pretium constitui, ut aut de novo acquirantur, aut jam acquisitæ possint retineri.

Non ergo fuit, unde tum Parochi, tum Matricularii duarum prædictarum Parœciarum possent recta conscientia litem inter se commotam ejusmodi transactione sedare; verum eos decet, ac necesse est, ad auctoritatem Episcopi, ea de re, recurrere, & suam conveotionem ad eorum normam, quæ judicaturus est convenientiora, instituere.

CASUS III.

BERMUNDUS Parochus sancti Bies cum ipsius Ecclesia nullo Reliquiarum apparatu decoraretur, obtinuit a Bernardo vicino Parocho, sibi concedi caput cujusdam Sancti, cui sui Parœciani singulari Religionis cultu addicuntur: quod quidem vicinus iste Parochus, consentientibus ipsius Matriculariis, ei tradidit pacto pretio decem librarum census annui percipiendarum de reditibus Fabricæ Ecclesiæ S. Bies: noone aliquo vitio, & quadam simoniæ labe inficitur prædicta conventio?

RESPONS.

Respondemus istam conventionem vitiosam simul esse atque simoniacam, ac t. quidem vitiosam; quidquid enim extra humanum commercium positum est, non potest sub quocumque prætextu venditioni subjici jamvero extra omnem controversiam constitutum est, Reliquias extra quodcumque omnino commercium esse positas: eas igitur aut alienari, aut constituto pretio acquiri, illicitum est. Qua de re Imperatoribus Honorio, & Theodosio visum est legem ferre conceptam disertissimis illis verbis: *Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur*, aut juxta Græcam interpretationem: ὐδεὶς ἁγίων λείψανα πιπρασκέτω, hoc est, *Nemo Sanctorum Reliquias mercetur*; adeo ut conflata inter duos prædictos Parochos conventio irrita, ac nulla sit; quippe quæ legibus cum Divinis, tum humanis omnino advertetur: *Nullam enim pactum, nullam conventionem, nullam contractum inter eos videri volumus subsecutam, qui contrahunt, lege contrahere prohibente ... ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur*: quæ ipsissima verba sunt Imperatorum Theodosii, & Valentiniani (a).

(a) Leg. non est dubium. 5. cod. de Legibus, &c.

a. Continet etiam prædicta conventio labem simoniæ: *Reliquias vendere, vel emere, est simoniacam*, inquit S. Antoninus (b): atqui Bernardus vendidit, & Bermundus emit caput Sancti, de quo mentio fit in instituta quæstione: *Nomine autem emptionis & venditionis comprehenditur omnis contractus non gratuitus*: ut (c) loquitur laudatus Sanctus. Quod etiam docent Panormitanus, Goffredus, Angelus de Clavasio, Sylvester, & alii Canonistæ, sententiæ Theologorum in eo adhærentes (d).

(b) S. Anton. 3. p. tit. 24 c. 8. init. Item 3. p. c. 5. § 21.
(c) Idem 2. p. t. 9 c. 5. § 2.
(d) Sylvest. & Angelus de Clavasio. v. Reliquiæ. n. Pan. & alii.

CASUS IV.

LEO sacrarii custos de Ecclesia Cathedrali Posnaniensi furtim subtraxit os unius Brachii S. Stanislai de capsa, in qua isthæc Reliquia simul cum plurimis aliis continebatur, & istud donavit Ecclesiæ quidam Parœciali, de qua ab aliquot mensibus ei fuerat provisum. Voluit ipsius Confessarius eum obligare ad illud restituendum Ecclesiæ Posnaniensi, ac causam dixit ipse, cur a restitutionis obligatione sese subduceret, quod nimirum Ecclesia particularis non sit proprietaria Reliquiarum, quæ in ea servantur, licet earumdem sit depositaria; nec curet Ecclesia generalis, quonam in loco Reliquia custodiatur, atque colatur: adeoque iisde causis prætendit, non existimare se ulla ratione obligatum, ad restituendam istam Reliquiam Ecclesiæ, apud quam deponebatur. In cujus rei argumentum exemplum affert Religiosorum de Ordine S. Benedicti, qui furtim surripuere corpus S. Benedicti, quod quiescebat in monte Cassino, & extulerunt in Monasterium S. Benedicti ad Ligerim, in quo etiamnum conservatur: quamquam summus Pontifex Zacharias ea de re litteras ad Regem Pipinum dedisset, quibus postulabat, ut juberet, sanctum istud corpus Religiosis Monasterii, de quo sublatum fuerat, restituere; quemadmodum observatur ab antiquo quodam scriptore (e). Qua de re petitur, utrum Leo peccaverit usurpando sibi prædictam Reliquiam, & conscientiæ debito teneatur, ad eamdem Ecclesiæ Posnaniensi restituendam?

(e) Aldrevaldus Floriac. l. 1. mirac. Bened. c. 16.

RASPONS.

Jure quidem ac merito prorsus animum obfirmat Confessarius Leonis, in imponenda ei Lege restituendi os brachii S. Stanislai Posnaniensis Ecclesiæ. Ad istam oamque legem ex debito suæ conscientiæ necessario tenetur: quam vero prætendit, ut a lege restitotionis in eo casu sese subducat, est ejusmodi causa, ut ad quæcumque illius generis sacrilegia quibuscumque personis licita facienda, prorsus excogitata videatur. Ergo gravissimæ culpæ reatum non tantummodo in se contraxit, dum istam Reliquiam surripuit; sed nec eamdem potest retinere, quin sese novi criminis alterius astringat.

Quod affert exemplum, ut ab obligatione eam restituendi se removeat, nihil omnino ad rem propositam conducit. Ex historia namque sublati corporis S. Benedicti quibusdam Monachis de præfato Ordine habemus, Montem Cassinum, depopulatione a Longobardis illata, fuisse tunc temporis sic exinanitum, ut, eo etiam derelicto, Monachi in Urbem Romam confugerint, ibidem habituri perfugium, quo sese ab injuriis & sævitia militum istius nationis tutos, ac securos præstarent; nec, nisi post centum annos a depopulatione memorati Monasterii prorsus insignis, sanctum istud corpus a Religiosis Gallicis fuisse surreptum; tandemque propositum istud in ipsorum mente non venisse, nec inceptum fuisse absolutum, nisi secreto Dei instinctu atque afflatu: *Domino revelante; repertum est corpus ejus, & in Gallias translatum.*

Verum equidem est, Monachis Montis Cassini plurimum instigantibus, a Summo Pontifice Zacharia ad Pipinum Regem inscriptas esse litteras commendatitias, quibus eum rogabat, ut vellet, Monachos Galliæ auctoritate sua compellere ad istud corpus reddendum; quemadmodum testatur Aldrevaldus: at idem Auctor subjungit, Abbatem Medonem acriter restitisse, ne corpus redderetur, & dixisse: *Ipse sanctiss. Pater propria sponte huc se deferri permisit. Ipse visione sacra suos ad sui devotionem invitavit servulos.* Quibus memoratus Scriptor addit, eos, qui fuerant missi a Zacharia, ut ipsius Bullam executioni demandarent, Deo ita permittente, pœnam luisse temeritatis; eosdemque stupendis prodigiis, quæ propriis oculis cernebant, aitooitos fulcepro destitisse, satis habuisse ratos, quod concessam sibi ab Abbare Medone istarum Reliquiarum partem aliquam secum transportare liceret.

Perperam ergo narratum exemplum allegatur a Leone: siquidem nullatenus consentit sacrilegio, quod perpetravit in surripiendo osse brachii S. Stanislai, neque adeo inde semetipsum juvare possit, ut obligationem istius restituendi Ecclesiæ Posnaniensi a semetipso removeat. Praetereaque adjiciendum est, ipsum quoque in eo rursum peccavisse, quod istam Reliquiam in Ecclesia sua Parœciali privata sua auctoritate, neque consulto suo Episcopo,

ni-

Digitized by Google

nihil obstante prohibitorio Concilii Tridentini Decreto, quod ea de re omnino apertum est, & allegatum in Superiori decisione, publicæ fidelium venerationi proponere præsumpserit (*a*). *Vide* S I M O N I A. Casus Callipus.

(*a*) Samb. t. 2. cas. 92.

R E N U N C I A T I O.

QUOD, in materia ad Beneficia spectante, abdicatio solet appellari, illud Canonistæ definiunt ea ratione: *Renunciatio est dignitatis, Beneficii, jurisque alicujus, sponte, & cum causæ cognitione apud Superiorem facta dimissio.*

Quam quidem definitionem hic loci suo præsenti titulo potissimum intelligere oportet de abdicatione Beneficii, cui renuntiat, qui ejusdem Titularis constituitur, sive habeat *jus in re*; puta, cum legitima illius possessione gaudet, sive tantummodo habeat *jus ad rem*, verbi gratia, quando ad illud possidendum fuit electus, & nondum ipsius electione confirmata a legitimo Superiore, illud dimittat (*b*).

(*b*) Glossa in c. cum venissent, 2. da in integr. rest. l. 3. t. 41.

Dictum est; *sponte & cum causæ cognitione*. 1. Quia, ut omnis abdicatio valeat, eam necesse est fieri cum plena, atque integra libertate; hoc est, oportet, ut sit immunis a coactione, violentia, metu gravi, & fraude. 2. Propterea quod nonnisi ex aliqua legitima causa debeat intervenire.

Causæ sex variæ enumerantur abdicationis. Prima est corporis infirmitas aliqua, qua Beneficiarius obeundorum suorum muniorum inhabilis constituitur. Secunda: defectus scientiæ requisitæ, ad fungendum laudabiliter suo officio. Tertia: infamia, quæ ex aliquo perpetrato crimine inusta est. Quarta, est Irregularitas. Quinta; male animatæ plebis odium ac perversitas. Sexta: cum necesse est gravissimo alicui scandalo, ac plurimæ offensioni finem imponi. Quæ causæ duobus sequentibus versibus comprehenduntur.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Atque jure prorsus dicimus, Beneficiarium non posse, nisi ex aliqua legitima causa, suo Beneficio renunciare: cum enim motu proprio sese deserviendæ Ecclesiæ devoverit, acceptando Beneficium, cujus possessione gaudet, non magis ei licitum sit, eidem privata auctoritate renunciare, quam permittitur militibus, stipendium Principis deserere, cui operam suam, ex nomine suo ad militiam dato, debent (*c*): neque alicui Magistratui, a corpore politico, cui semetipsum adscripsit, ultra dilabi (*d*). Atque, ea de re, plurima Præsulum exempla Ecclesiastica Historia complectitur, quorum Beneficiorum renunciationes, quas meditabantur, nec laudari, nec acceptari unquam potuere (*e*).

Additur: *Apud Superiorem acta*, ut significetur, renunciationem Beneficii, quod valeat, conficiendam esse in manibus legitimi Superioris; id est, illius solummodo, ad quem ejusdem conferendi jus spectat, & pertinet.

Duæ distinguuntur species renunciationum. Primam quidem ajunt puram ac simplicem, qua scilicet, nulla adhibita conditione, dimittitur in manibus Collatoris Beneficium. Alteram vero conditionatam: qua beneficium abdicatur in favorem alterius, non aliter, aut ea conditione, quod Resignatarius aliud Beneficium Resignanti sit concessurus, aut percipiendam de fructibus Beneficii resignati certam quamdam pensionem assignaturus: atque isthæc species renunciationis propriam sortitur appellationem resignationis in favorem, & Resignationis permutationis causa, seu ad onus pensionis.

(*c*) Leg. Si quis. 1. de curial. & l. hæc perper. 17. cod. ubi quis curiali vel cohortali &c.
(*d*) L. Legatus 20. ff. de offic præsid. l. 1. t. 81.
(*e*) Anton. Augustinus. Epitom. jur. Pontific. ver l. 4. t. 79 Yvo carnotensis Ep. 30. 19. 104. & 176.

Proponimus sub præsenti titulo sermonem habere de renunciatione tantum accepta priori sensu, quem modo innuimus, juxta quem ei, qui Beneficium abdicavit, renunciationi suæ a Superiore acceptatæ nullus jam refragrandi locus relinquitur. De ea vero, quæ alteri sensui subjicitur, fuse alibi disseremus sub titulis; *Pensio*, *Permutatio*, & *Resignatio*.

Renunciatio pura & simplex, quæ nullam conditionem admittit, nec valere, nec Canonicis institutis consentire potest, nisi facta in manibus illius, qui proprius est Collator Beneficii, cui renunciatur, cæteris exclusis.

Non vacat Beneficium ex simplici dimissione: ad hoc enim, ut vere vacuum sit, necesse est, simplicem dimissionem ab ipso Superiore, in cujus manibus fuit confecta, admitti; quemadmodum docet Molinæus in regula Cancellariæ Romanæ, *de infirmis resignantibus* (*f*), adversus Gomesium, quem in eo hallucinatum arguit errore manifesto prorsus ac erubescendo pro tanta, quam aliunde dictus Auctor sibi paravit, nominis existimatione. Enimvero Episco-

(*f*) S. 1

po,

po, qui fecit auctoritatem scriptam sedis suæ Episcopalis dimittendæ, remanet in integrum jus continuandi Episcopalis officii, & quæ eidem annectuntur, quorumcumque muniorum in sua Diœcesi peragendorum, donec ipsius renunciatio fuerit a Summo Pontifice acceptata & ipsius ministris eo usque ministeriorum sibi commissorum obeundorum facultas eadem juris ratione observatur: ut judicatum est Arresto consilii de rebus ad Regnum pertinentibus 9 Aprilis 1647. pro Floriopolensi Episcopo contra Decanum & Capitulum ipsius Ecclesiæ: quod subsequente alio ejusdem Concilii Arresto confirmatum est 26. Aprilis 1657. quo Parlamentis injungitur, ne præsumant, ea de re, in contrarium pronunciare (*a*).

(*a*) Bibl. can. to. 1. p. 98.

CASUS PRIMUS.

EUTYCHIUS Abbas de S. Pantaleone Abbatiam suam dimisit in manibus Regiis in favorem Hieronymi sui Nepotis. Numquid ex ejusmodi renunciatione jus Resignatariu cedit ad præfatum Beneficium? & si cedat, nonne potest, absque ulla simoniacæ labis suspicione, summam pecuniæ quamdam præbere alicui Aulico, qui agat apud Regem eo fine, ut ab eo resignationem istam admitti obtineatur?

RESPONS.

Priusquam quæstioni propositæ sua assignetur responsio, non est abs re alienum præmittere, quibusdam Auctoribus visum fuisse, nullatenus posse dimissionem factam *in favorem* ab ipso Rege admitti (*b*). Plurimi tamen occurrunt (*c*), qui partem oppositam propugnant, atque ea ratione potissimum innituntur, quod scilicet Rex loco summi Pontificis habeatur, quantum ad Beneficia, quorum collatio pertinet ad Regiam Majestatem. Quam quidem alteram opinionem eo usque dumtaxat, ut veram ponentes, donec eamdem penitius inspexerimus, ubi de resignationibus locus ac sermo recurrent (*d*); interea dicimus, Hieronymo nullum jus concedi ad Abbatiam, quæ ipsi ab ejus Avunculo in manibus Regis, atque sub ea conditione, quod ipsa Regia Majestas favere vellet, resignata est. 1. Namque resignationis istius admittendæ nulla inde obligatio Regi inducitur; & cum Abbatiæ vacatio contigerit ex obitu Resignantis, liberum ei omnino relinquitur, ad eamdem, quem libuerit alium, præter Hieronymum, seligere ac nominare. 2. Quoniam, cum conditionata sit, quam Eutychius obtulit, renunciatio, neque conditio fuerit acceptata, nec completa, nulla prorsus perseverat; neque adeo ne minimum quidem jus resignatario confert; quæ cum ita sint, inde manifestum omnino fit, non posse absque aperta simonia resignationem prædictam ab Hieronymo urgeri, ex data pecunia alicui Aulico, ut eamdem apod Regem persequatur, atque suis sollicitationibus obtineat; ut enim simonia realis occurrit, quando, cui de aliquo Beneficio provisum est, ille pecuniam præbet collatori pro Beneficio sibi collato, aut eo inscio, cui fuit provisum, ab aliquo tertio interposito pecunia defertur (*e*); Idem quoque crimen contrahitur, cum a Resignatario, aut ab alio etiam quolibet loco Resignatarii, pecunia ei confertur, qui egit, ut collatio obtineretur. Quemadmodum vel ex ipsis verbis infinitorum fere Canonum facile omnino est evincere (*f*). Habet hæc nostra decisio Theologum nostræ ætatis prorsus eruditum Auctorem (*g*).

(*b*) Ruzæus tr. de privil. Regl. jur. pr. 32. &c.
(*c*) Probus tr. de Jur. Regiis q. 52 n. 1. & q. 34. n. 1
(*d*) V. Resignat. in casu ultimo.
(*e*) Canon. Presbyter. 11. 1. q. 1. S. Gregor. in can. si quis dato. a 1. q 3. Paschalis in c. si quis jecerit. 7 ib. Inn. II in can. si quis Prab. 15. b. Clem. III in c. ex insinuatione 16. & Cœlest. III. in c. Nobis 27. de simonia, &c. l 5. t. 3.
(*f*) Nicolaus II. in can. statuimus 107. & Urb II. in c si quis 108. 1. q. 5.
(*g*) Samb. to. 3. cas. 9.

CASUS II.

EUMENIUS titulo simplicis Prioratus gaudens, cujus præsentatio Abbati de S. Leonardo vindicatur, ejusdem dimissionem puram ac simplicem in manibus Abbatis præfati confecit, qui ab ipsa postera die Basilium ad dictum Priorem præsentavit. Canonicane est ista renunciatio?

RESPONS.

Est hoc certissimo atque indubitato prorsus jure constitutum, renunciationes puras ac simplices, ut Canonicæ sint, in manibus collatorum propriorum esse conficiendas. Inde sequitur, quam Eumentus in manibus Abbatis de S. Leonardo obtulit, dimissionem simplicis Prioratus Canonicis institutis omnino dissentire: neque proinde Basilio de eodem ratione legitima fuisse provisum.

Cujus quidem decisionis fundamentum suppeditant plurimæ Decretales summorum Pontificum Alexandri III. Gregorii IX. & Innocentii III. en qua ratione loquitur primo loco recensitus summus Pontifex scribens ad Episcopum Tornacensem (*b*); *Universis personis tui Episcopatus sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ Diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu suo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto. Quod si quis contra prohibitionem suam venire præsumpserit, in eum Canonicam exerceat ultionem.* Gregorius IX (seu potius secundum observationem Pithon. Honorius III.) in quadam Decretali Episcopis Useticensi, & Agathensi inscripto (*i*), idem quoque declarat, occasione cujusdam Abbatis sanctæ Sedi immediate subjecti, qui dignitati suæ Abbatiali in manibus Religiosorum suorum renunciaverat. *Cum igitur dictus Abbas*, inquit iste Papa, *cedere sine licentia nostra acquieverit, nos tam electionem, quam cessionem prædictas decernentes irritas & inanes, mandamus, quatenus Abbatem ipsum loco suo restitui faciatis: quo integro restituto, vice nostra recipiatis cessionem ipsius.* Tandem Innocentius Tertius idem etiam habet de renunciationibus Beneficiorum, quæ Patronatui Laico subduntur (*K*). *Hi præterea*, ait laudatus Papa scribens ad Archiepiscopum Trontheim in Norvegia, *qui Beneficium Ecclesiasticum sibi collatum sponte in manum Laicam resignantes, illud denuo a Laico susceperunt, eodem sunt Beneficio spoliandi: licet resignatio talium facta Laico, nullam obtineat firmitatem.* Concilium Posoniense in Hungaria actum anno 1309. a Pontificio legato Clementis Quinti, & confirmatum a Clemente sextó anno 1346. decernit eamdem mulctam ademptionis Beneficii, quod ea ratione fuerit obtentum: prætereaque mandat ut Beneficiarium (*l*) *ad quodlibet aliud inhabilis ipso facto reddatur.* Cui præcedenti Concilio concordat Avenionense (*m*) Concilium 1226. celebratum. Si voluerit ergo Basilius dictum sibi retinere Prioratum, ab eo necesse est, ejusdem provisionem ac collationem novam denuo obtineri.

(*b*) Alex. III. in c. Admonet. de Renunciat. l. 1. t. 9.
(*i*) C. dilecti fil. eod.
(*K*) Inn. III. in c. quod in dubiis. 8. eod. t.
(*l*) Concil. Posoniense c. 1. apud Labbe. t. 11. Conc. p. 2. col. 1457.
(*m*) Concil. Avenionense statut. 32.

CASUS III.

GADION Canonicus & Theologus Doctor de Ecclesia Cathedrali Lombariensi, cui ex titulo Beneficii, & Sacramento dicto in Canonicorum comitiis, antequam in possessionem sui Beneficii induce-

Digitized by Google

duceretur, incumbit sacras conciones habere quibuscumque Dominicis ac Festis diebus per annum, & continuam, actualemque residentiam servare, sub pœna, si absentatus fuerit, ejusdem mulctæ, qua solet animadverti in cœteros Canonicos, qui absque legitima causa absunt; vicibus variis repetitis per tres menses uno quoque anno ab annis quinque, ex quibus Beneficio gaudet, interrupit residentiam; ipse fere semper degens ruri apud suum Patrem, qui est valetudine admodum infirma, quique solatii causa vult, eum sibi sine intermissione assidere: inde factum est, ipsius reditum summopere imminui; ex qua quidem reditus diminutione, & significata ei denuntiatione juxta consuetas formas, ut aut officio suo fungeretur, aut annexam dignitati Theologi Præbendam sponte dimitteret, cum nihil immutaret solitam agendi rationem; animum tandem adjecit, ad abdicandam dictam Præbendam in manibus Episcopi, qui ejusdem collator proprius est: sed ea tamen adhibita conditione, quod a Capitulo sibi restituerentur 500. libræ quarum privatione fuerat ab eodem in pœnam suarum absentiarum mulctatus; aut si sibi denegarentur, Beneficium suum resignaret in favorem cujusdam Ecclesiastici, qui neque apud Capitulum gratiosus est, & acceptus, neque apud ipsummet Episcopum, cui animus esset in ipsius locum sufficere Euthymium Sacerdotem, qui ut singularis virtutis habet apud omnes existimationem, ita de divinis rebus dicendi mira prorsus facundia præstat.

Quam quidem conditionem cum Capitulum ultra mensem integrum animo constanti abnuisset, sollicitanti cuidam viro præpotenti, partesque Gedeonis acerrime tuenti tandem cessit: & existimavit, ut Ecclesiam ab indigno ejusmodi subjecto expediret, sibi licere, quas ei detrahi jusserat, 500. libras reddere; atque, eas revera ipsi numerari mandavit cuidam Canonico, qui sibi socium adjunxit Euthymium de iis, quæ in dicto negotio peracta fuerant, omnino eruditum: quod ubi factum est, Gedeon accersivit Notarium, & præbendam memoratam pure ac simpliciter dimisit in manibus Episcopi, a quo sine mora de eadem Euthymio fuit provisum.

En qua ratione se res habet, de qua quidem quæritur 1. utrum jure potuerit a Capitulo in Gedeonem adeo præfracte animadverti?

2. Num illicitum Gedeoni fuerit, exigere ante dimissionem sui Beneficii, quarum jactura fuerat mulctatus, 500. libras sibi in integrum numerari?

3. Utrum Capitulo jus non cesserit, eidem condonandæ ac remittendæ istius summæ, eo potissimum animo, ut Ecclesiæ utilitati consuleretur, ex cooptando sibi viro iis dotibus pollente, quibus Euthymius commendatur?

4. An denique nihil vitiosum habeat tum confecta a Gedeone dimissio, tum quæ Euthymio provisio collata est; neque aut illorum alterutri, aut etiam utrique obligatio incumbat alicujus restitutionis in proposito casu; & cui potissimum ista restitutio sit adscribenda; utrum denique Euthymio legitime non fuerit de prædicta Præbenda provisum, licet nihil eorum particeps, quæ peragebantur, omnium tamen omnimodam notitiam habuerit?

RESPONS.

Respondemus 1. cum Gedeon ex institutione & natura suæ Præbendæ, atque etiam juxta Decretum Concilii Basileensis teneatur (*a*), ad onus continuæ in eadem residentiæ, & ad observationem suorum aliorum, quæ eidem annectuntur, officiorum, quemadmodum ad isthæc ipsemet ex dicto sacramento, quando receptus est, se se aliunde obligavit; ipsum non potuisse sine gravissimo peccato adversus Justitiam deesse officio actualis & continuæ residentiæ; sacræ concioni diebus Dominicis habendæ, cæterisque, quæ ei incumbunt, muniis adimplendis: atque adeo jure admodum in eum animadversum fuisse ista mulcta, de qua sermo sit in instituenda quæstione.

(*a*) Concil. Basil. sess. 21.

2. Quidquid inde diminutionis annuorum redituum passus fuit, ei remitti non posse a Capitulo, cui strictissima obligatio inducitur, pecuniæ inde obventæ secundum Canonicas Regulas impendendæ, absque eo quod locus ei fiat neque facultas, ejusdem quoquo modo Gedeoni condonandæ.

Atque hæc nostra decisio plane congruit iis, quæ jam fuerant, ea de re, constituta pragmatica anno ante celebratum Consilium Basileense (*b*) & iis, quæ postmodum decreta sunt famoso pacto, quod Leonem X. inter & Franciscum I. interventum anno 1516. Regiis Diplomatibus 13. Maji 1517. & deinde Edicto Aurelianensi comprobatum est, atque confirmatum (*c*).

(*b*) Id. Conc. tit. de collat. §. Ordinat.

(*c*) Edict. Aurelianens. ar. 1.

3. Siquidem Gedeon ex imperitia, aut negligentia non posset, officiis, quæ ei incumbebant, bene ac laudabiliter fungi; justam prorsus ac legitimam causam affuisse ab eo exigendi, ut Beneficium suum abdicaret. Verum ab isto Titulari non potuit, nisi gratis, ac sine spe mercedis, isti Beneficio renunciari. Jamvero gratuita non fuit ista renunciatio, utpote quæ confecta non fuerit, nisi postquam extorsit, ac præ se numeratam habuit pecuniæ summam, quæ nullo jure ei cedebat; sed quam, prætensa iniqua causa, adhibita quasi quadam violentia expressit; quippe Canonicus Theologus annexos Præbendæ suæ fructus non possit suos efficere, quin & onera & officia, quæ ad eandem spectant, rite adimpleat ac perficiat. Quam igitur exegit, pecunia censenda est pretium ipsius abdicationis constituere; atque adeo simoniæ realis labem continere, ex qua obligatur, ad restituendum Ecclesiæ, vel pauperibus.

Quod pertinet ad ipsum Capitulum; constat illud perperam omnino consensisse, summæ, de qua quæstio est, persolvendæ; siquidem ipsius nullo jure esset; & juxta postremum Lateranense Concilium, & sententiam omnium passim Doctorum, debuisset ad usum aut utilitatem fabricæ Ecclesiæ conferri. Ex quibus colligitur, Gedeone non restituente, integram restitutionem ipsi Capitulo incumbere ex proprio ærario supplendam.

Tandem nec ipse Gedeonis successor valet a vitio Simoniæ vindicari; quandoquidem occultarum artium ac machinationum, quæ in isto toto negotio structæ fuerunt ac molitæ, non fuerit ignarus, atque etiam præsens interfuerit numeratæ Gedeoni pecuniæ, & eum comitatus sit, cui deferendæ istius pecuniæ provincia fuerat demandata. Idcirco, cum perpetratæ simoniæ socius sit ac particeps; neque nisi completa ista solutione, ei non fuisset provisum de memorato Beneficio, quod alioquin Gedeon non abdicavisset; concludendum est, collatas ipsi provisiones esse nullas; & quos inde percepit, eum obligari, ad restituendos fructus Ecclesiæ, aut pauperibus; nisi forte, quam Summus Pontifex ei concedere non diffitebitur, novæ alteri collationi adjungere velit condonationem fructuum, quos sibi vindicavit, posito quod aliunde mereatur, ut sibi in integrum remittantur.

CASUS IV.

MEDARDUS Canonicus de quadam Ecclesia Cathedrali, cum gravissimo periculosissimoque morbo detineretur; Florentius, qui valde peroptabat Titio consulere, eique præfati Canonici Præbendam afferre; conspirantibus cum Notario, tum Testibus qui ei aderant, offert Medardo ut ei subscribat, dimissionis instrumentum in favorem Titii, ei imponendo persuadens, esse apocham scribendam villico ipsius, qui jamjam accesserat, summam 300. librarum ei numeraturus. Qua de re petitur, 1. *Quid juris?* 2. *Quid facto opus?* quandoquidem & Medardus præfato instrumento proprium chirographum apposuerit; & Titius, quem dolus omnino fugiebat, ex supposititia ista abdicatione, de præbenda sibi provideri impetraverit?

RESPONS.

1. Perspicuum est, Florentium, Notarium, & adhibitos cum eo Testes, omnes unanimi consensu impegisse in crimen falsi, ac sibimetipsis inussisse notam insignium falsariorum. 2. Irrita ac nulla est renunciatio, & quæ eam postmodum sub-

subsecuta fuit, collatio obreptitia, nulliusque proinde valoris ac momenti. 3. Florentius obligatur, ad resarciendum quidquid ex adinvento ipsius falso, atque structa fraude detrimenti emersit, sive ipsi Ecclesiæ, sive ei, cujus est conferre Præbendam, qua Medardus gaudebat, ac primo quidem tenetur ad istam damni reparationem erga Ecclesiam, si Titius sit vir indignus, & potuisset collator dictum Beneficium alteri conferre, qui requisitis dotibus polleret, quibus potuisset munus alligatum isti Beneficio laute & perfecte administrare; quæ quidem damni reparatio æquanda est ipsi detrimento cum spirituali, tum corporali, quod Ecclesia inde experta est, adhibito judicio virorum sapientum ac prudentum. Si vero Titius aliunde is fuerit, qui dignissimus habeatur, nec Ecclesiæ damni quidquam importet; Florentius in eo casu, quantum ad istum respectum, nulla lege damni compensandi astringitur; verum eadem legis necessitate urgetur, quantum ad collatorem, cui cedebat integra conferendæ præfatæ Præbendæ libertas, posito quod ipsius occurrisset vacatio mense, quo potuerit eandem pleno jure conferre; atque in eo casu, si possit, eum in ista damni compensatione sic oportet agere, ut suadeat Titium sese suo Beneficio spoliare pure ac simpliciter in manibus collatoris; cui ea ratione facultas fiat ad proprium nutum de eodem disponendi; modo quæcumque absit alienæ famæ violatio. Si vero contigerit vacatio istius Beneficii mense, qui Graduatis attribueretur, & mensis iste fuerit ex summo rigore, hoc est Beneficium vacaverit mense Januarii, aut Julii; ista damni compensatio jure peculiari debetur antiquiori Graduato, qui literas nominationis habet in Capitulis Ecclesiæ Cathedralis, de qua quæstio est; modo vir vitæ sit inculpatæ, & animus ei fuerit, istud Beneficium requirere; quoniam ei cedit ex præfato titulo *jus ad rem*; atque in eo etiam casu venit damnum ei, ex judicio viri prudentis & sapientis, compensandum. At vero si Præbenda vacaverit mense, ut ajunt, qui sit ex favore, hoc est, mense vel Aprilis, vel Octobris, nulli Graduato debetur ista compensatio; quoniam nulli neque *jus ad rem*, neque *jus in re* devolvitur; adeoque ipsa nulli e stricto jure acquiritur. Tandem eadem damni compensatio potest etiam alicui alii deberi, qui non sit Graduatus, si cederet ipsi *jus ad rem*, aut *jus in re*; puta, si collator suppositiæ in dimissionis Medardi inscius, aut eandem tempore non opportuno confectam esse ratus, isti privato contulisset Præbendam; tunc namque ex titulo satis legitimo juvaretur, unde posset cum Titio de ista Præbenda contendere: quibus casibus seclusis, nemini succurrit jus damni compensationis repetendæ ac sibi jure quocumque vindicandæ.

Difficultatem propositam ea ratione sic dissolvit insignioris prorsus nominis Theologus Doctor, eadem de re, quondam consultus (*a*).

(*a*) Samb. t. 2. cas. 66.

Ex principiis stabilitis colligitur 1. a Titio, qui de Præbenda, qua Medardus gaudebat, sibi provideri obtinuit, non posse, nisi a recta conscientia deflectendo, eandem retineri, si ipsi compertum sit, quo vaframento, quave mala fraude dimissio fuerit surrepta; adeoque eum obligari, ad eandem, qua ratione dictum est, abdicandam. 2. Quod si eum fugiat adhibita falsitas, ut in proposita specie innuitur; Florentium, qui rem totam callide ac versute administravit, suoque doloso consilio fuit persecutus teneri, ex stricta conscientia ad eum ea de re commonendum, atque eo modo significandum, ipsum legitimo Beneficii titulo prorsus carere, proindeque, cum non nisi ex obreptione in ejusdem possessionem venerit, ei obligationem induci, eidem renunciandi. 3. Nun solum Florentium, qui, in ea re, dolum excogitavit; & eidem perficiendo signifer præfuit, sed Notarium etiam, Testes, aut quoslibet alios, qui fraudis ejusdem fuere socii ac participes, astrindi in solidum, ad præstandam damni reparationem; & ipsum Florentium potissimum tanquam eum, quem propius perstringit perpetrata culpa, peculiari legis obligationi teneri, ad resarciendam plurimam offensionem, quam apud alios habuit, eos nempe docendo crimen, quod ipsius impulsu patraverunt; ab iis veniam petendo pessimi exempli, quo eos prævivit; & eos obtestando, ne ejus generis culpam unquam admittant.

CASUS V.

NICOMACHUS Parochus volens, suum Beneficium transire ad Lambertum suum nepotem, adit, ea de re, Mævium, qui ejusdem proprius est collator, & consilium ei aperit de eodem dimittendo pure, ac simpliciter ipsius manibus, imposita nihilominus conditionis lege, quod istius Lamberto sit donaturus, affirmans, sese alioquin non fore renunciaturum suo Beneficio. Dat ea de re fidem Mævius, & accepta memorati Beneficii renunciatione, juxta fidem factam, Lamberto confert curam. Qua de re quæritur, num Lamberto de prædicta Cura fuerit Canonice provisum?

RESPONS.

Constat, de prædicta Cura Lamberto nullatenus fuisse Canonice provisum: interdicitur enimvero ejusmodi resignationis species, utpote, quæ libertatem angustet, quam integram debet collator retinere, ut, quem digniorem judicaverit, & administrandi Beneficii aptiorem, & ipsi Ecclesiæ utiliorem, eum præ cœteris habeat Beneficio præficiendum; prætereaque ea ratione inter cognatos & familiares quædam quasi Beneficiorum hæreditaria successio inducatur, quam detestatur Concilium Tridentinum, & districtissime prohibet istis verbis (*b*): *Cum in Beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referant, sacris Canonibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria, nemini imposterum decessus aut regressus, etiam de consensu ad Beneficium Ecclesiasticum, cujuscumque qualitatis, concedatur .... alias successiones super his factæ supreptitiæ censeantur.*

(*b*) Concil. Tr. sess. 25. c. 7. de ref.

Quod idem prohibitorium decretum S. Pius V. in sua centesima trigesima quarta Bulla anni 1571. (*c*) fert ea ratione: *Nos volentes omnem hæreditariam Beneficiorum Ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati hujusmodi Beneficiorum providere; & ut de persona magis utili & idonea, prout requiritur, facilius provideri valeat, omnes & singulos regressus, accessus, & ingressus .... etiam de consensu, aut alias quomodolibet, quibusvis tenoribus, ac formis .... de Apostolicæ potestatis plenitudine, auctoritate Apostolica tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus.*

(*c*) S. Pius V. in Bulla Romana. §. 1. data die 3. Sept. 1571.

Atque, eam potissimum ob causam S. Papa laudatus in sua quinquagesima octava Bulla, quam dedit primo die Aprilis 1568. (*d*) mandatum istud etiam atque etiam urget istis verbis: *Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in hujusmodi Beneficiis & Officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis, earum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.* Quod omnino congruit ei, quod enuntiatur in quadam Decretali, quam Innocentius III. inscribit Decano de Ecclesia Bellovacensi, in qua summus iste Pontifex prohibet, ne ulla pactio nec conventio rebus spiritualibus accedat: *Cum in talibus*, inquit, *omnis pactio aut conventio cessare debeat juxta Canonicas sanctiones* (*e*). Quibus omnibus est etiam addendum, ejusmodi renunciationem non futuram, proprie loquendo, nisi ipsissimam resignationem *in favorem*, quæ ab alio, quam a Summo Pontifice non potest ratione valida admitti.

(*d*) Idem in Bul. quanta Ecclesiæ. §. 4.

(*e*) Inn. III. in c. tua nos. 34. de Sim &c. lib. 5. t. 3.

Inde concludimus. 1. Simoniaca labe fœdatas, & consequenter nullas esse, quæ Lamberto concesse fuere provisiones. 2. Cum Lambertum, qui sibi ea ratione obtinuit, provideri, tum ipsum Mæ-

pium

vium Beneficii collatorem incurrisse in pœnas a Canonibus latas adversus Simoniacos.

CASUS VI.

Epipodes in animo habens, laudis ac gloriæ stimulis excitare Balduinum Patronum Laicum cujusdam Capellaniæ, quam ipse gaudebat, ad eamdem Hieronymo sibi familiarissimo concedendam; eum convivam ad se vocat, cum eo simul amicis ac cognatis ex utraque parte quampluribus invitatis; cum convivii jam finis instaret, et offert abdicationem sui Beneficii puram ac simplicem, qua quidem in ipsius manus data, eum eodem instanti rogat, ut velit ad istud Beneficium Hieronymum præsentare; quod ultro Balduinus annuit. Num peccavit Epipodes in adhibenda ejusmodi ratione; & legitimane est præsentatio?

RESPONS.

Non opinamur, istam Epipodis agendi rationem posse quidquam habere excusationis & immunitatis a culpa: quoniam istam sibi calliditatem adhibuit ex impulsu prudentiæ prorsus carnalis, quæ omnino adversatur & ipsis institutis Ecclesiæ, & integræ libertati, qua debent Præsentatores & Collatores gaudere, at quos digniores existimant, qui Beneficiis præficiantur, eosdem possint seligere: nemo namque inficias ierit, Præsentatori, qui sese, secernit apparatis epulis accipi, ac delicato convivio recreari ab aliquo viro, comitantibus amicis communibus, aliquatenus rubori esse, & quasi crimini ingrati animi vertere videri: si convivatori gratiam obtentu facillimam petenti non indulgeat; atque adeo coactionem ipsi quodammodo ex ista ratione humana importari: cum e contrario si sese ejusmodi incitaminis expertem sentiret, ei remaneret liberrima atque integra omnino juris exercendi facultas. Non inde tamen animo est innuere, nullam esse, quam in eo casu Balduinus exhibuit, præsentationem; sed tantummodo Epipodem peccavisse, quod eam præstari in favorem sibi amici propudioso adeo artificio elaboraverit (*a*).

(*a*) Samb. to. 3. causa 48.

Quin immo censemus, valere tum ejusmodi præsentationem, tum subsecutam collationem: Quod probari potest auctoritate quamplurium non infimi nominis auctorum, qui de ista materia ex professo disseruerunt; quales sunt (*b*) Navarrus, Rebuffus, Garcias Reginaldus, & Bonacina, quorum agmen sectatur, atque claudit Sambovius, qui uno ore docent, suæ de proposita difficultate decisioni non repugnare quinquagesimam octavam Bullam S. Pii V. qua Bulla Pii IV. confirmatur. Porro en qua ratione S. Papa loquitur in præfata Constitutione; (*c*) *Caveant autem Episcopi .... itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici ... ne verbo quidem, aut nutu, signo, futuri in hujusmodi Beneficiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis, eorum significatione, vel hortatu designentur: aut de iis assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat. Cæterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii collatores, de Beneficiis & officiis resignandis, prædictis, aut suis, aut admittentium Consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneis collationum audeant providere. Quod si secus, aut etiam præter, vel contra formam prædictorum fuerit a quocumque temere attentatum: id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere.* Quæ ipsissima verba sunt præfatæ Constitutionis.

(*b*) Navarr. Manual c. 23. n. 100. P. Rebuff. prax. Beneficiorum de pura resign. pag. 478. Edit. Lugd. an. 1553. Nic. Garcias de Benef. d. p. 4. c. 3. nu. 209. Reginaldus l. 25 nu. 4. Bonacina de Simonia disp. 1. q. 3. §. 14. prop. 3.

(*c*) S. Pius V. in Bulla 58. §. 4. & 5.

Nunc inspiciamus, qua ratione Navarrus loquatur: ac primo quidem loco sic habet. „ Non est confidentia simoniaca, conferre Beneficium, vel procurare, ut conferatur alicui ea intentione & spe, quod illud aliquando cedat in favorem alterius a se nominandi, vel sui ipsius conferentis, vel procurantis: dummo nullum pactum, nullus modus, & nulla conditio adjiciatur. Quod certum est solo jure antiquo attento: & quod idem fit attentis Extravagantibus felicis recordationis Pii IV. & Pii V. super confidentia Beneficiorum editis ... eo quod illæ nihil prohibent, quod ante illas non fuisset prohibitum. Solum enim disponunt contra confidentiam illicitam Beneficialem, & non omnem, sed tantum simoniacam qualis non erat omnis confidentia Beneficialis; tum quia confidentia in genere est circa spes de re aliqua, quæ ita fuit, est vel erit, & interdum sonat in bonam partem; ut in illo Psalmo 10. *in Domino confido:* Et interdum in malam, Psalm. 111. *Qui confidunt in eis.* Et consequenter est confidentia licita, Licita est, qua quis ordinate sperat: Illicita, qua inordinate. *Addit laudatus Actor, duas confidentiarum species esse distinguendas.* Tum quia, hoc consequitur, *inquit*, quod confidentia Beneficialis est duplex: licita, qualis est illa, qua quis ordinate confidit, quod Collator conferet Beneficium suo fratri, cum primis eo digno: & illicita, qualis est, qua quis inordinate confidit, quod Collator conferet Beneficium suo fratri, eo indigno ... tum quia confidentia Beneficialis est duplex: Altera simoniaca, qualis est illa, qua quis confidit, quod Collator confert Beneficium, mediante pretio, pacto, modo, vel conditione expressa vel tacita, digno vel indigno, sine tamen pretii, pacti, modi, vel conditionis interventu. Quod autem illæ Decretales non sint editæ contra omnem confidentiam Beneficialem; sed tantum contra illicitam, nec contra omnem illicitam: sed tantum contra illicitam simoniacam patet „ Quod Auctor iste plurimis, iisque invictissimis argumentis demonstrat, quarum quædam hic loci subjicimus.

1. *Quod principium Extravagantis Pii IV. sic habet*, Sane licet dudum cum certam simoniæ pravitatis speciem, quam Beneficiorum confidentiam vocant: *Et ex principio colligitur intentio disponentis. L. fin. ff. de hæred. instit.*

2. *Quod mox declarat, se loqui de confidentia qua quis accepit custodiam alieni Beneficii, cum pacto, ut postea cedat alteri.*

3. *Quod postea ter se restringit ad eam, adjiciens verbo* Confidentiam, *verbum* hujusmodi, *quod restringit ad prædicta. Leg.* Hujusmodi *ff. de Legatis 1.*

4. *Quod S. Pius V. de eadem omnino confidentia disponit, de qua Pius IV. ut eam ex proœmio, quam reliquo contextu palam colligitur.*

5. *Quod declarant præteritas, de quibus agunt, confidentias fuisse illicitas, quod non posset juste fieri, nisi ante fuissent prohibitæ: cum Lex non extendatur ad præterita, c. 2. & c. fin. de Constitutionibus: & ita quæ confidentia ante illas erat licita, etiam nunc est licita, & econtrario quæ nunc est illicita, antea erat illicita: & quæ illicita nunc est simoniaca, antea erat simoniaca. Et quæ antea non erat simoniaca, nec nunc est simoniaca: licet juste præsumi possit in foro exteriori per modos, ad id inductos a S. Pio V. Extravagantem ...... ex qua nota 1. quod intentio prædictorum Piorum non fuit, ut supradictum est, inducere aliquam novam prohibitionem confidentiæ Beneficialis: Sed Pius IV. intendit renovare antiquam, & S. Pius V. juvare illam, inducendo modos probandi eam, quæ difficile probatur: ita quod non intendit asserere esse veram in foro interiori confidentiam illicitam simoniacam in casibus, in quibus statuit, pro tali esse habendam, sed quod in exteriori est præsumenda talis.* Cui præmissæ primæ observationi memoratus Canonista subjungit undecim alias, quarum sexta ad propositum nostrum spectat: quamque adeo interest hic loci referre. *Sexto*, inquit, *quod Extravagans in illis verbis*: Sola dimittentis intentione, *& illis*: Conscientia tantum unius partis ..... *non intendit asserere, quod sola talis intentio* (scilicet absque pacto renuntiandi Beneficium, ut detur alteri) *constituat in foro interiori simoniam, sed quod probatio ejus faciat in exteriori probare illam.... quia non ait, per hoc fieri confidentiam: sed quod censeatur, hoc est, præsumatur confidentia: ut in simili habet caput finale de usuris.* Quibus tandem subsit, occurrere in Bulla S. Pii V. octo varias conjecturas, quibus probatur confidentia simonia-

moniaca in foro exteriori: neque ex illis unam sufficere, ut inde exurgat completa probatio: sed relinqui prudentiæ Judicis, ut ullius vim aliquo modo ponderet.

Ex qua fusiori omnino argumentatione Navarii colligitur 1. non intendisse S. Pium V. damnare tanquam simoniacam, præsentationem aut collationem confectam in favorem alicujus amici, ipso Resignante postulante, postquam liberæ voluntati Patroni, aut Collatoris permisit suum beneficium, quod pure ac simpliciter abdicavit in ipsius manibus, antequam suam ei mentem ullatenus aperuerit: sed eam tantummodo præsentationem aut collationem, quæ non accessisset, nisi ex aliquo pacto, aliquave conditione sive expressa, sive tacita, quod Patronus, aut Collator Beneficium ei personæ concederet, quæ sibi a Resignante significaretur. 2. Verum equidem esse, si posset in foro exteriori probari mentis propositum, quod Resignans habuisset transferendi suum Beneficium in favorem alterius, inde futurum fuisse locum aliquem subodorandi Patronum inter, & Collatorem pactum aliquod saltem tacitum intervenisse; at non futuram ejusmodi simplicem conjecturam, quæ si sola foret, in foro exteriori sufficeret, neque a fortiori in foro conscientiæ, ad palam faciendum prædictum pactum, nisi aliunde succurrerent gravissimæ suspiciones, ex quibus exsurgeret aliquod certissimum, atque indubitatæ fidei argumentum.

Ex quibus concludimus, siquidem nullum pactum expressum neque tacitum, neque ulla aliqua conditio accesserit ex parte Epipodis, neque ante, neque etiam post ipsius dimissionem in manibus Balduini confectam: sed tantummodo simplex rogatus, ex quo Balduinus non poterat in rei veritate impediri, quominus, cui libuisset, alteri Beneficium conferret: non esse, unde contendatur, ullam confidentiam culpabilem in ea re intercessisse: quamquam, ut jam fuit observatum, in eo potissimum reprehendendus sit Epipotus, quod convivium, quo Patronum excepit, de industria adhibuerit, ut inde ad concedendam, quam eum rogavit, gratiam magis inclinaretur; atque adeo cum præsentationem, tum collationem, quæ præstitæ fuerunt in gratiam Hieronymi, valere omnino non tantum in foro conscientiæ, sed etiam in foro judicii. Jam ergo finem hic loci dicendi faciamus: neque videtur esse necessarium, quos appellavimus, Authorum testimonia attexere.

Juvat nihilominus advertere, si Epipodem Hieronymus induxisset, ad excipiendum delicato prædicto convivio Balduinum, promittens futurum, ut ipsius ea de re impensam vel in integrum, vel ex parte dumtaxat dissolveret: jam alia prorsus ratione de iis fore judicandum, & utrumque simoniacum habendum.

CASUS VII.

Est hæc ab annis quinquaginta & amplius inducta consuetudo ad Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ de S. Porciano, & roborata quadam quasi Canonicorum tacita conventione, ut Præbendæ aliaque Beneficia de dicto Capitulo pendentia ei, qui renunciationem offert nomine Resignantium aut iis, quos futuros in Beneficiis suis designant successores, conferantur. Num usus iste rationem præ se fert alicujus simoniæ?

RESPONSIO.

Non est ambigendi locus, quin ejusmodi consuetudo vitio simoniæ inficiatur: quod quidem facili prorsus negotio evincitur ex duabus Bullis S. Pii V. quas, in discutiendo IV. casu, retulimus, & quibus districtissime prohibetur omnibus Collatoribus, Electoribus, atque Præsentatoribus, ne permittant a Resignantibus futuros, quos peroptant, in Beneficiis suis successores sibi designari: nec vel etiam intendant Beneficia, quorum sibi deferuntur abdicationes, iis concedere, qui sibi verbo aut quocumque alio nutu, vel signo indicabuntur (*a*). *Ne verbo quidem, aut nutu, vel signo*. Ex quibus infertur, eodem simoniæ reatu constringi tam Collatores, quam Resignantes, qui secus, aut etiam præter vel formam prædictarum S. Papæ duarum Bullarum attentant.

(*a*) Cit. 18. Bulla S. Pii V. quæ incipit: Quanta Ecclesia §. 4. & 5. & Bulla 134.

S. Raimundus de Pennafort talem consuetudinem arguit tanquam Simoniacam (*b*), propterea quod quæcumque pactio spiritualibus accedens a SS. Canonibus omnino interdicatur. En quomodo proponit quæstionem: *Quid de quadam consuetudine, quæ in plerisque Ecclesiis inolevit: videlicet dum debent fieri multi Canonici, dicunt Majores præcipue ad invicem: canonizemus nepotulos nostros .... placeat tibi de meo, & mihi placebis de tuo. Sic paciscuntur per hæc verba, vel æquipollentia*. En ipsius responsio: *Respondeo, quod committitur simonia: quia dicit Canon* (*c*), *absit omnis pactio; cesset conventio*. Jamvero est quædam conventio, quæ præfatæ consuetudini fundamento est; quemadmodum supponitur in specie, quam inspicimus. Equidem tacita tantummodo videtur: at non ideo minus culpandi sunt Canonici, siquidem Deus ad mentem potius, quam ad ipsa verba attendat; & intentum ejusmodi, seu tacitam conventionem S. Pius V. quinquagesima sua octava Constitutione condemnet: & ipsi tandem Canonici inductæ consuetudini inhærentes resignationes *in favorem* quodammodo admittant: quod quidem jus penes est Summum duntaxat Pontificem: ut jam observavimus, propter ipsius potestatis plenitudinem, qua potissimum præstat. Ipsius igitur solius est, præfatam conventionem ad æqui & recti rationem & normam exigere, eamque purgare ab omni simonia. Unde sequitur a Canonico de prædicto Capitulo, cui animus est propriæ saluti consulere, omnes vires & nervos intendi oportere, ut ista consuetudo penitus ac radicitus aboleatur, intereaque abstineri a suffragio ferendo in gratiam eorum, quos noverit fuisse a Resignantibus designatos.

(*b*) S. Raim. lib. 1. sum. tit. 1. §. 13.

(*c*) Canon. Quam pio 1. 1. q. 1. c. Tua nos 14. de simonia, &c.

Addi potest iis, quæ diximus, ea de causa arguendam damnandamque esse ejusmodi consuetudinem, quod patrocinetur hæreditariæ Beneficiorum successioni, eamdemque aperte introducat. Quippe vera causa, propter quam isti Canonici adducuntur, ad Beneficia concedenda, non alia sit, quam ipsa voluntas Resignantium, qui, quos sibi successores proponunt, ipsis designant. Jamvero semper detestata est Ecclesia aditum ad Beneficia ex jure successionis, & nihil non tentavit, ut eum interdiceret, ac penitus intercluderet: ut patet ex innumeris Decretis, quæ ea de re pro temporum diversitate tulit, & eo potissimum, quod a Summo Pontifice Hilario constitutum est in quadam Synodo, quam Romæ habuit anno 456. quodque refertur in Decreto Gratiani (*d*): Ex Decretis Alexandri III. in tribus ex ipsius Decretalibus, quarum duæ priores Archiepiscopo Cantuariensi, tertia vero Episcopo Oxfordiæ inscribuntur (*e*): Ex Decreto secundi Concilii Generalis Lateranensis anno 1139. sub Innocentio II. celebrati (*f*). Ex Decreto Tridentini Concilii, quod allegavimus in responsione ad quartum casum: & ex duabus Constitutionibus S. Pii V. in eodem loco citatis. Indeque se prodit, quam fugienda sit ac deploranda animi excitatio tot Beneficiariorum, qui, quo magis ingravescit morbus, & terribilis ille dies instat, quo Supremo Judici reddituri sunt factorum rationem: eo acrius contendunt, ad transferenda in suos proximos Beneficia, quæ dimittere coguntur, absque eo quod nullatenus attendant, utrum, quas sibi adhibent, rationes ipsis Ecclesiæ tum intentis, tum institutis consentiant: nec sæpe sæpius inspiciant, num præfati proximi iis, quæ requiruntur ad possidenda isthæc Beneficia, dotibus commendentur.

(*d*) Hilar. in can. Plerique §. 8 q. 1.

(*e*) Alex III. in cap. Ex transmissa, & in c. Ad extirpandas 11. de filiis Presbyter. lib. 1. tit. 17. & in cap. Quia Clerici 7. de jure Patronatus l. 3. tit. 38.

(*f*) Concil. Later. II. can. 16. in can. Apostolicæ 7. 8. q. 1.

Vide (BENEFICIUM.)
(BENEFICIARIUS.)
(COLLATIO.)
(CONFIDENTIA.)
(PERMUTATIO.)
(PROVISIO.)
(SIMONIA.)

RE-

RESIDENTIA EPISCOPORUM

APPELLATIONEM fortitur *Residentia* commoratio non interrupta, quam Beneficiarius habet in loco, in quo fitum eſt ipſius Beneficium, ut promptus ſemper reperiatur, atque expeditus ad eidem inſerviendum. Eam autem Polmanus definit ratione ſequenti (*a*). *Reſidentia eſt in loco Beneficii perſonalis commoratio, muniorumque Eccleſiaſticorum functio.*

(*a*) Polman. p. a. n. 758.

Ad reſidentiam in Epiſcopalibus ſuis Sedibus Epiſcopi eadem prorſus ratione tenentur, qua cæteri Beneficiarii, ut ſunt Parochi, aut Canonici, aut qui Beneficiis gaudent, quibus animarum cura annexa eſt, aut qui ad eamdem ex ipſa ſuorum Beneficiorum inſtitutione obligantur.

Conſentiunt Doctores, primis Eccleſiæ ſæculis obtinuiſſe, ut quicumque Clerici ſic titulis ſuis alligarentur, atque inhærerent, ut ab iis, inconſulto Epiſcopo, neque verbis expreſſis permittente, digredi nullatenus iiſdem liceret: Alioquin excommunicationis pœnæ ſubjiciebantur. At ubi uſus Ordinationum ſine præfixo titulo cœpit invaleſcere; Clerici, quibus nullus titulus cedebat, facultatem attribuere ſibi domicilii, in eo loco, qui ſibi magis arridebat, ſtabiliendi, nihil curantes quidquam laboris & operis ſui in utilitatem Eccleſiæ impendere: quæ quidem perverſitas eo uſque increſcendo devenit, ut ipſi etiam Epiſcopi a ſuis Diœceſibus abſque cauſa legitima abſentari præſumpſerint. Quod ſatis manifeſte colligitur ex ipſo prohibitorio Decreto, quod Concilium Antiochenum habitum anno 347 (*b*), ipſa rerum neceſſitate compellente, tulit, quo interdicebatur Epiſcopis, ne frequentarent Aulam Principis, niſi ex copia ſibi facta ſcripto a cæteris ejuſdem Provinciæ Epiſcopis, atque potiſſimum ab eo, qui Metropolitanus erat.

(*b*) Concil. Antiochen. c. 11.

Iiſdem Concilium Sardicenſe (*c*) prohibuit verbis generalioribus, ne ultra tres hebdomadas abeſſe a ſuis Eccleſiis attentarent, niſi ex cauſa aliqua urgente ſimul, atque cognita; & idem prohibitorium interdictum ad Clericos etiam inferiores extendit. Verum ſubſequentibus ſæculis, cum ex ambitione ſimul & cupiditate, Beneficiorum Beneficiis cumulandorum prurigo expudoratam frontem attollere cœpiſſet; Prælati perinde ac alii reſidentiæ ſervandæ ſic indormiverunt, ut eorum plurimi pleramque vitæ ſuæ partem inſumerent in circumvolitandis liminibus Principis, quo ſibi aut nova Beneficia, aut rationem vivendi gratiorem atque commodiorem pararent; qua de re adire licet, quam Petrus Bleſenſis habet acerbiſſimam de tanta nequitia expoſtulationem (*d*).

(*c*) Conc. Sardic. can. 11.

(*d*) Petrus Bleſenſ. epiſt. 41.

Cui quidem tanto malo remedium afferre aliquod conatum fuit Concilium Tridentinum (*e*), & conſtituit, futurum deinceps, ut Epiſcopus non poſſet ultra duos, aut tres menſes in anno a ſua Diœceſi abeſſe, niſi longiorem abſentiam requireret cauſa aliqua, quam legitimam atque omnino urgentem redderent charitas, neceſſitas, obedientia, aut ipſius Eccleſiæ evidens aliquod commodum.

(*e*) Conc. Tr. ſeſſ. 23. de form. c. 1.

Edictum Bleſenſe (*f*), quo comprobatur, atque confirmatur laudati Concilii Decretum, eamdem reſidentiæ Legem imponit Epiſcopis. En quibus verbis enunciatur: *Obligabuntur Archiepiſcopi, & Epiſcopi ad onus reſidentiæ in ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus, & ad perſonalem omnium officii ſui partium functionem, in cujus reſidentiæ defectu nullam poterunt legitimam habere excuſationem, niſi ex aliquibus cauſis juſtis & rationi conſentaneis, jureque ipſo comprobatis, quas aut Metropolitanus, aut antiquior Epiſcopus Provinciæ teſtificabuntur. Alioquin & niſi præſenti Edicto paruerint, præter Canonicas animadverſiones a Conciliis conſtitutas, mulctabuntur fructuum ademptione, qui temporis ſpatio, quo erunt abſentes, iis obventuri ſunt: qui quidem ponentur in cuſtodia, atque tradentur in manum noſtram, addicendi ſarciendis Eccleſiis dirutis, & ſubſidio pauperum locorum, & aliis piis uſibus.*

(*f*) Art. 14.

Habet præterea citatum Edictum, ut quicumque Præſules teneantur in ſuis Eccleſiis præſentes adeſſe imprimis *tempore Adventus, Quadrageſimæ, Feſtorum Nativitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & die Feſto Corporis Chriſti.*

Eamdem antea jam induxerat obligationem Carolus IX. Edicto ſuo Aurelianenſi (*g*) anno 1560. promulgato, tam Epiſcopis, quam aliis *ſub pœna ademptionis beneficialis illorum temporanei reditus, & ejuſdem ſub cuſtodiam traditionis*. Atque revera quidem Epiſcopo eo magis incumbit obligatio reſidentiæ, quod alioquin nequeat omnium Parochorum, Vicariorum, Sacerdotum, atque cæ-

(*g*) Art. 5.

terorum suæ Diœceseos Ecclesiasticorum vitas assidua vigilantia inspicere, neque Parœciarum rectæ administrationi, atque utilitati consulere, quæ intra præfatæ Diœceseos limites constituuntur, neque saluti fidelium invigilare, quibus sæpe sæpius opus est dispensationibus, aut aliis subsidiis, quæ ab alio, quam ab eo non possunt iisdem suppeditari. Adeoque residentia Episcoporum ejusmodi sonat obligationem, de qua controverti nulla ratione potest; siquidem præterea, quemadmodum Parocho non cedunt fructus Beneficii, cui præpositus est, quamquam ei caveat a Vicario inserviri: sic a fortiori Episcopo Lex imponitur, fungendi per se ipsum suis muneribus, & exercendarum suarum functionum, absque eo quod valeat eorum omnium curam Vicario Generali transmittere seclusis legitimæ necessitatis casibus, ut observatum est.

CASUS PRIMUS.

Nicander præpositus Episcopus Civitati Quinqueecclesiarum, seu Funfkiiken in Hungaria impendentem ac terribilem variarum vexationum procellam subodoratur ex parte Turcarum, Tartarorum, seu Hæreticorum. Ipsine licet, tuta conscientia, fuga salutem quærere, & gregem suum deserere, quamdiu sæviet eorum furor, & sui gregis curam alicui Sacerdoti committere, qui vices absentis suppleat, & eidem gregi invigilet; aut ipsine obligatio incumbit coram Deo, residentiæ in sua Diœcesi, etiam cum proprii capitis periculo servandæ.

Respons.

Priusquam peculiarem, quæ proponitur, speciem discutiendam aggrediamur, juvat potissimum asserere veritatem gravioris omnino momenti, quæ fundamento futura est tum objectæ difficultati, tum cæteris quibuscumque, quæ circa residentiam possunt opponi, penitus expediendis. Est autem ejusmodi veritas, quod nimirum Episcopis, & omnibus aliis Pastoribus, quibus animarum regimen concreditum est, tam ex Divino, quam ex Ecclesiastico jure obligatio residentiæ sub pœna peccati mortalis inducatur. Quam quidem veritatem facile omnino demonstrare est ex ipsissimis verbis Concilii Tridentini (a), quæ sic se habent, adeo namque egregia sunt, ut ab iis in integrum præscribendis non possimus abstinere: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliorumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt: sed Mercenariorum more deserunt; Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut Divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant.* En sunt verba, quæ a præfato Concilio adhibentur. Eadem ergo iis, qui curam animarum habent, residentiæ obligatio remanet, quæ incumbit ipsis, præstandorum & adimplendorum cæterorum, de quibus loquitur istud Concilium, muniorum Pastoralium, hoc est, ad utrumque perinde tenentur, residentiam scilicet, & Pastoralium officiorum functionem, ex utroque jure cum Divino, tum Ecclesiastico. Eaque de re, eos Concilium hortatur ac commonet, ut sint Divinorum præceptorum memores], ut facti forma gregis eidem vitæ suæ sanctitate, & singularis virtutis exemplo præluceant, ut eum denique in judicio & veritate pascant & regant. Addit insuper laudatum Concilium; *Si quis autem ..... contra hujus Decreti dispositionem abfuerit: statuit Sacrosancta Synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri illos Fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.*

(a) Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de reform.

Quibus principiis præmissis tanquam veræ, ac prorsus indubitatæ fidei; respondemus ad peculiarem difficultatem, quæ de Nicandro proponitur, & dicimus; si vexatio ista atque iræ furentis impetus, de quibus instituitur quæstio, ipsammet personam Episcopi spectent: ut quandoque contingit, cum nempe, qui Christianæ fidei bellum indicunt, eam extirpare ac penitus abolere sibi proponunt, toti potissimum incumbentes in eorum ruinam & perniciem, quorum præsidio tegitur, & auspiciis florescit; non modo posse eum a proprio grege absentari: sed eum etiam debere videri ad utilitatem fidelium, qui ipsius regimini committuntur. Sic censet Sanctus Cyprianus, (b) qui ait, tunc fugiendi obligationem urgere ex præcepto Jesu Christi, quando vexationis æstus solos Pastores insectatur, & ex eorum absentia tempestas ipsorum gregi impendens prohibetur: vero in eo casu, quamquam corpore absentes sint, eos omnino oportere suis populis adesse spiritu, eos nimirum attentiori cura prosequendo, suis monitis aut Pastoralibus litteris iisdem subveniendo, & Vicarios Generales præficiendo, qui nomine eorum agant, & omni, quæ necessaria est, auctoritate donentur ac præstent. A que inde potissimum laudatus S. Martyr fugæ suæ defensionem instituit, in quadam ex suis Epistolis, quam Clero Romano inscripsit: *Absens tamen corpore*, inquit, *nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui: quoniam secundum Dei præcepta fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate complerem.* Habet etiam in alia, quam ad proprium suum Clerum scripsit; sese a Paganis fuisse sæpe sæpius deposcitum Leonibus objiciendum? neque Carthagine discessisse, ut propriæ saluti consuleret, sed ne persecutorum rabiem in fideles sibi concreditos præsentia sua magis ac magis exasperaret.

(b) S. Cyp. l. 3. Epist. 5. quæ Pamelio 15. est & 20. edit Anglic.

Sancti Cypriani sententiam Sanctus Thomas (c) amplectitur, quin etiam docet Episcopum, seu alium Pastorem posse discedere, non tantum, cum ita Ecclesiæ commodum exigit; sed etiam quando proprii capitis discriminis vitandi necessitas compellit; modo, quemadmodum in priori casu, non noceat utilitati fidelium, qui ei committuntur, ipsius absentia; hoc est, caveat in locum suum vocare vel unum, vel plures Ecclesiasticos iis dotibus pollentes, quibus vices possint absentis supplere. *Si vero*, inquit, *subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri: tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel Personæ periculum corporaliter gregem deserere.* Quod probat Auctoritate Sancti Augustini verbis: *Unde Augustinus dicit in Epistola ad Honoratum* (d); Fugant de Civitate in Civitatem servi Christi, quando eorum quispiam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia: si Nicander ergo ejusmodi casum experiatur, absque ulla controversia potest, prædictis cautionibus adhibitis, procul a proprio grege discedere.

(c) S. Thom. 2.2 q. 185. art. 5. in corp.

(d) S. Aug. Epist. 228. alias 180. n. 2.

Eoque

(a) Sozom. l.5. hist. c. 9.

Eoque etiam animo, Sozomeno testante (a), cum S. Marcus Arethusiarum Episcopus fugisset, quoniam Julianus Apostata eum solum insequebatur, ut primum cognovit, suam suo gregi absentiam detrimento esse, apud eumdem illico sese recepit, & ne eumdem tanta calamitate oppressum derelinqueret, crudeli martyrio semetipsum offerens acerbissimis suppliciis excruciatus est.

Eodem quoque forti generosoque animo afflante, cum in Provincias nostras Vandali irruperunt, S. Nicasius Ecclesiæ Rhemensi tunc temporis præpositus Episcopus nedum fugam capessiverit, quin imo suæ Ecclesiæ audax & imperterritus adhæsit, ut fidelium necessitatibus spiritualibus subveniret; in eo nimirum gubernatoris alicujus navis prudentiam imitatus, qui & inhorrescente, & pacato mari, firmus atque perpetuus gubernaculis assidet; ut loquitur Nicolaus I. scribens ad quemdam Episcopum de inferiori Germania (b); quæ tanta præfati Præsulis virtus fuit glorioso martyrio coronata. Neque etiam præsentia defuere suis gregibus S. Lupus Episcopus Trecensis, & S. Remigius Episcopus Rhemensis, quando Galli Gentilitatis superstitionibus adhuc infestati totam eam Regionem, quam appellamus Galliam Belgicam, invaserunt. Atque dignum suæ constantiæ præmium S. Remigius tulit, nempe solatium percipiendi, ex ardenti studio, quo totus ardebat, abjectis Gentilium erroribus tum ipsum Regem Clovis, tum integram Gallorum Nationem ad Christianam fidem transivisse. En quæ inter alia plurima Hincmarus exempla commemorat, ex quibus necessitatem evincit residentiæ Episcoporum in ejusmodi rerum circumstantiis; quam quidem residentiæ obligationem exemplo suo ipsemet insigniter prorsus docuit, cum Ludovicus Rex Germaniæ Regnum sui fratris Caroli Calvi occupaturus accessit; quippe constitutum, ac deliberatum ipsi fuerit, graviora civilis atque omnino horrendi belli pericula potius adire, quam ignominiosa fuga salutem petendo, proprium gregem habere derelictum.

(b) S. Nicol. I. in can. Scisciteris. 47. q. 3.

Infinita alia exempla præberent nobis annalium Ecclesiasticorum monumenta, quibus, si necesse foret, quam modo stabilivimus, sententia invictissime demonstraretur. Sed quæ allegavimus, satis superque sufficiunt, ad propositæ difficultati satisfaciendum. Licet quoque, ea de re, Gratianum adire, qui relatis in Decreto, quod ipsius nomine inscribitur, plurimis Canonibus depromptis ex operibus antiquorum Patrum, inde infert, si vexationis sævitia non in Episcopum tantummodo, sed & in ipsius oves, hoc est, in ipsam Ecclesiam, atque in fidem impetum faciat, eum a populo suo digredi nunquam debere; sed e contrario teneri, ad eidem subveniendum etiam cum proprii capitis discrimine, & si necesse fit, ad suum sanguinem effundendum, quo idem pro virili parte in iis omnibus, quæ potest, sub tanto oppressionis pondere ingemiscenti adsit; alioquin considerandum esse atque habendum, tanquam Mercenarium omnino aspernandum, cui manet expectatio, quod Deus Mercenariis minatur, terribilis aliquando judicii subeundi.

(c) S. Thom. loc. cit. & opusc. 18. c. 19. & 20.

Cui Gratiani Doctrinæ subscribit S. Thomas, qui eam ista argumentandi ratione confirmat; (c) *In qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi, ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoralis præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod incommodum temporale, neque etiam propter aliquod periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis* (d). Eoque principio freti S. Lupus, & S. Remigius, quorum citata sunt exempla, & tot alii sanctissimi Præsules, cum eodem persecutionis impetu cernerent, sese cum suo grege circumveniri, summæ Religioni habuere, mortem potius perpeti, quam ab eodem vel tantillum recedere.

(d) Joann. 10. 11. 12. & 13.

Quæ nostra decisio ad verbum integra legitur in Epistola S. Augustini, quam superius appellavimus, & cujus pauca admodum a S. Thoma referuntur. Quem epistolæ locum, ut se habet, quamquam parumper longiorem hic loci perscriptum reperire fortasse juvabit. Sic ergo laudatus Pater prosequitur, postquam memoravit præceptum ipsius Christi Domini ad suos Discipulos, & qua ratione eosdem voluerit, sæviente persecutione, sese gerere (e). „ Quis autem credat, ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit? .... Numquid quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est, effugit manus ejus, deserta est, quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, & non ab aliis fratribus ibidem constitutis, quod oportebat, impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut se ipsum servaret Ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Faciunt ergo servi Christi, Ministri verbi & Sacramenti ejus, quod præcipit, sive permisit. Fugiant omnino de Civitate in Civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non requiruntur, non deseratur Ecclesia; sed præbeat cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est, Episcoporum, Clericorum, & Laicorum est commune periculum; hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos est Ecclesiastica supplenda necessitas: ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos volet Paterfamilias perpeti. *Et paulo post* (f): Tunc locis, in quibus sumus, premente persecutione, fugiendum esse Christi Ministris, quando ibi, aut plebs Christi non fuerit, cui ministretur: aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium Ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi ..... sicut fugit S. Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam a cæteris Ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet, & Ministri fugiunt, Ministeriumque subtrahitur, quid erit, nisi Mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus „?

(e) Cum autem persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam. Matth. 10. 23.

(f) S. Aug. cit. Epist. ad Honorat. n. 6.

CASUS II.

Veneti, cum occupatam a Turcis sub potestatem suam redegissent Arcem S. Mauri sitam in Insula quadam populis frequentissima, cujus habitatores sunt Græci & Schismatici, & quorum unaque singula Ecclesia ab Episcopo Græco, atque etiam Schismatico administratur: Summus Pontifex Hieronymum futurum præfatæ Arcis Episcopum consecravit, ut illuc se transferret omnia tentaturus, quo diffidentes eorum animos ad unitatem valeret adducere. Hieronymus illuc migravit, & quas fons uberrimus Christianæ charitatis, & prudentiæ dictare potuit, omnes hausit rationes, quibus eos ad utilitatem Ecclesiæ Catholicæ reduceret; verum a mensibus sex & amplius, ex quibus in istam Regionem appulit, nullatenus istud negotium potuit promovere; sed ei undequaque contumaciter obstacula posuerunt, & universalem expertus est seditionem, tum ab habitatoribus, tum ab eorum Pastoribus, a quibus tantummodo & verbum Divinum, & Sacramenta excipiunt. Quibus omnibus etiam adjecerunt illud; quod cum Summo despicatui haberent, ac modis prorsus indignis acciperent, aliunde facti ferociores, quoniam sentiebant, sese fulciri plurimo Magistratuum patrocinio, qui ut eorum & fidem & obsequium, quæ jam antea Sacramento confirmaverant, Reipublicæ magis ac magis demererentur; præfato Episcopo indixerunt, ne quidquam de Græca Religione sive in Sacris Concionibus, sive in Sermonibus publicis aut privatis tractetur. Qua de re quæritur, utrum, posito quod ita se res habeat, Hieronymum urgeat residentiæ in memorata Insula habendæ præceptum; licet ei nulla spes affulgeat, futurum, ut fortunatior eventus succedat, propter præjudicatam animi pervicaciam, quam habitatores isti mentibus altis imbiberunt?

RESPONS.

Respondemus, si Catholici quidam habitatores Schismaticis immixti in prædicta insula degerent, absque controversia Hieronymo induci strictissimam ibidem residendi obligationem, tum ut eorum saluti invigilaret, tum ut summopere præcaveret, ne exemplo Schismaticorum seducti, eorum more unitatem Ecclesiasticam scinderent. At quoniam ut supponitur; nulli reperiuntur ibidem habitatores Catholici, & nedum aliquid utilitatis afferat istius Episcopi residentia Schismaticis, quorum pectus indies magis indurescit, quin potius eis occasionem præbeat, patrandorum novorum aliorum criminum, & aperto-rebellandi; eum proculdubio non urget residentiæ in ista Insula præceptum, & potest omnino in alium locum sese conferre. Sic censet Gratianus, qui sic loquitur (*a*): *Cum autem vitiis subditorum Prælatus affligitur, aliquando omnium est una & insatiabilis obstinatio: Aliquando mali inveniuntur bonis admixti, Quando boni simul cum malis habitant; non sunt deserendi boni propter malos, ne perverse malos evitando vincamus quos fugimus, ad gehennam, sed potius mali tolerentur propter bonos.... Quando vero omnium subditorum est obstinata malitia, nec prodest eis Prælatorum patientia: tunc etiam corpore licet ab eis recedere, ne & illorum nequitia semper in deterius proficiat, & isti quidem fructum amittant, quem de aliorum profectu possent invenire*. Quod quidem Auctor præfatus, qui sibi tantum nomen fecit ex variis Scriptorum Operibus collectis, probat ex istis verbis Sancti Gregorii excerptis de secundo Libro ipsius Dialogorum, Capite tertio, & relatis in Canone sequenti (*b*): *Ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur boni; nam ubi omnimodo de bonis fructus deest, fit aliquando de malis labor supervacuus ...; Cum laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant*. Istudque S. Papa laudatus confirmat exemplo S. Pauli, qui Damasco discessit propter obstinatam istius Civitatis Habitatorum animi perversitatem, quo in alium locum migraret cum abundantiori fructu disseminaturus Divinum Verbum.

(*a*) Cratian. §. Hoc autem §. 1 post can. Advert. sitas. 43. 7. q. 1.

(*b*) S. Greg. In can. ibi fin. ead. causa, & quæstione.

Fagnanus, cujus in ea sententia vestigiis insistimus, easdem probationes adhibet, ut eam stabiliat (*c*). Potest etiam in eorum, quæ modo diximus confirmationem ipsa laudari auctoritate Innocentii III. ex quadam Decretali, quæ duobus Sacræ Scripturæ textibus ibidem citatis innititur, quamque Episcopo Calaritano in Sardinia inscribit (*d*), & in qua habet; *Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Prælatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut perficere nequeat apud ipsam: sed propter ejus duritiam quo magis satagit, eo magis justo judicio deficere permittatur, dicente Deo per Prophetam* (*e*): LINGUAM TUAM ADHÆRERE FACIAM PALATO TUO, QUIA DOMUS EXASPERANS EST. Et Apostoli leguntur (*f*) dixisse Judæis: ECCE CONVERTIMUR AD GENTES, QUIA VERBI DEI VOS INDIGNOS FECISTIS. Quibus addit, non ita debere agi a Prælato, nisi tantummodo cum omnes, ne uno excepto, qui ei debitum obsequium præstare tenentur, quasi unanimi consensu conspirantes ipsius doctrinam, charitatem, pastoralem vigilantiam, paternaque monita aspernantur: *Non tamen pro qualitate culpæ, subditorum scilicet*, inquit Glossa (*g*), *Pastor debet gregem deserere, ne Mercenario comparetur ....sed de Superioris licentia tunc demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos; & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt*.

(*c*) Faga. in c. Post translationem. 21. de renunciatione. n. 2.

(*d*) Inn. III. in c. Nisi cum pridem 10. §. Propter malitiam de renunciat. l. 1. tit. 9.

(*e*) Ezech. 5.

(*f*) Act. 13.

(*g*) Glossa in cit. cap. Nisi v. Culpa.

RESIDENTIA PAROCHORUM.

MINUS dispensationis admittit obligatio residentiæ considerata quoad Parochos, quam si quantum ad quoscumque alios spectetur; propterea quod ejus Parœcianis instat quolibet momento necessitas recurrendi ad ipsius ministerium, quo quibus indiget tempore tum prosperæ, tum adversæ valetudinis, & Sacramenta, & cætera subsidia tam spiritualia, quam temporalia ab eo percipiant. Quod planum & apertum omnino fiet ex sequentibus Decisionibus. Eaque de causa Concilium Tridentinum verbis, quibus potuit, validioribus, ea in materia usum est; & nullam absentiæ causam admittit, quantumcumque legitima videatur, nisi ab Episcopo Diœcesano justa cognita fuerit, atque probata: *Causa prius per Episcopum cognita, & probata* (*h*). Quoniam vero nimium crevit eorum Parochorum numerus, qui in eo non parent ex dictamine conscientiæ Canonicis institutis; Principibus obligatio incubuit, utpote qui Sanctorum Canonum Patroni sint ac defensores, eosdem compellendi ad strictissimam eorum, in ea re, observationem; ut colligitur ex dictis verbis *Aurelianensis Edicti* (*i*): *Residentiam servabunt omnes Archiepiscopi, Episcopi, & Parochi, inquit Carolus IX. & eorum unusquisque proprio suo officio vel munere per seipsum fungetur, sub pœna ademptionis, ac privationis illorum temporalis Beneficii reditus*. Quod Henricus III. ratum fecit, & postmodum confirmavit Edicto suo Blesensi (*K*), quod, ea in re, Decreto Tridentini Concilii est prorsus consentaneum.

(*h*) Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de ref.

(*i*) Art. 5.

(*K*) Art. 143.

Verum est equidem, luctuosum illud tempus fuisse, quo Roma concedebantur circa residentiam dispensationes: Nec ignoratur, quo spatio temporis Summi Pontifices in Civitate Avennicorum consederunt, ut eædem impetrarentur, simplici fere dumtaxat supplicatione opus fuisse. Verum tandem si deplorandæ istius ætatis perversitatem excusserimus, id totum acceptum debemus referre summæ pietati, robustoque ac generoso studio supremarum Regni Curiarum, quæ in perversum adeo abusum acerrime simul & omnino prospere invexerunt; quemadmodum inferius observabimus.

Non diffitemur tamen, quin possint occurrere quædam legitimæ causæ discedendi de Parœcia, cujus administratio habetur. At præterquam quod raro admodum occurrant, & legitimæ cognoscendæ sint ab Episcopo ac probandæ; ut modo dictum est, *discedendi autem licentiam .... ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant* (*l*).

(*l*) Ibid.

Ea semper Parochum urget strictissima obligatio, ut quamdiu fuerit absentatus, curet,

ret, idoneo aliquo Vicario, & fuum teneri locum, & Curiale Ministerium laudabiliter adimpleri: *Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione, relinquant* (a), & ipsemet studeat, quam citius fieri poterit, residentiam personalem repetere.

(a) Concil. Tr. loc. cit.

CASUS PRIMUS.

SEavius Parochus de S. Donato, per duos menses uniuscujusque anni eosque consequentes a Parœcia sua solet ut plurimum abesse, quo temporis spatio Consanguineos, ac familiares suos invisit, & apud eosdem commoratur. Numquid in eo peccati mortalis arguendus est?

Videtur eum ab omni culpa vacare; quoniam non minus intermissionis ac relaxationis debetur Parocho, quam Canonico, cui per trimestre tempus absentandi facultas ab ipsomet Tridentino Concilio indulgetur. Ut ergo, quæ Parocho incumbunt officia, omni comparatione multo magis operosiora sunt, quam quæ a simplici Canonico peraguntur; plurimis est existimandi locus Servium omnino posse, etiam sine peccato ullo, per binos menses a Parœcia sua discedere, ejusdem administrationem ac regimen idoneo cuidam ac vigilanti Vicario committendo. At videtur ex altera parte, nequidem istud ei licere; siquidem Concilium Tridentinum tulerit ex professo Decretum, quo Parochis omnibus inducit ex peccato mortali strictissimam continuæ residentiæ, quæ nullam vacationem habeat, obligationem.

R e s p o n s.

Toto Cœlo a se invicem distant, quæ Parocho, & quæ Canonico residentiæ Leges imponuntur. Pastorale namque regimen animarum, & onus pascendi oves, quarum curam Parochus suscepit, cum institutionem Divinam sibi potissimum vindicent, ut declaratur a Concilio Tridentino in eo loco, quem ab ipso primo prioris decisionis aditu in præcedenti titulo retulimus; inde sequitur, ipsi induci ex jure Divino residendi necessitatem, quemadmodum infertur ab erudito Covarruvia Episcopo Segoviensi (b). Siquidem, non nisi residentiam habendo, valeat obligationem ejusmodi, cui nulla unquam dari potest immunitas, adimplere. Unde colligere est, ipsi nunquam licere a proprio grege digredi, sub prætextu consdendi in otio, & animi a laboribus relaxandi. Quocumque enim temporis instanti fidelibus sibi subditis eum adesse præsentem necesse est, ut eosdem verbi Divini Prædicatione, & Sacramentorum administratione spiritualiter pascat ac sustentet; prætereaque districtissime tenetur ad eos invisendos, erudiendos, exhortandos, & consolando levandos tum quando aliquo morbo conflictantur, tum in aliis vitæ necessitatibus, quibus possunt detineri: *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt*, (inquiunt) PP. Concilii Tridentini (c): *qui gregi suo non invigilant, neque assistunt: sed Mercenariorum more deserant*.

(b) Didacus Covar. a Leyva l. 3. var. resolut. c. 13.

(c) Concil. Tr. sess. 23. c. 1. de reform. sup. cit. item sess. 6. c. 1. de reform.

Tridentini Decreti strictissimam observationem commendavere quamplurima Concilia Provincialia: atque inter alia Concilium Rothomagense an. 1581. Concilia Burdigalensia annorum 1583. & 1624. quemadmodum & Synodus Mechliniensis an. 1609. quibus addi possunt innumeræ Summorum Pontificum Constitutiones, qui nihil prætermiserunt, ut ad servandam residentiam, eos omnes compellerent, quibus cura animarum commissa est, quacumque status ac gradus conditione fulgerent, indictis, iis qui non parerent, leverioribus pœnis. Atque potissimum duæ Constitutiones Pii IV. (d) Prior, quæ inter Bullas laudati Papæ decimum locum tenet, promulgata 4. Septembr. 1560. & altera, quæ numero nonagesima est, data 15. Novembris 1564. quas confirmavit alia Constitutio S. Pii V. 13. Jul. 1568. (e) cujus textum hic loci perscribere, nimia protracti argumenti abundantia non sinit.

(d) Pius IV. In Bulla de salute 10. & in Bulla de suprema. 91. Bullar. magn. pag. 13. & 131.

(e) S. Pius V. In Bulla Cupientes.

Quod quidem disciplinæ caput sic per totam passim Galliam obtinet, & usu recipitur, ut si Parocho alicui Romæ indulta suisset circa residentiam dispensatio; ipsa ab omnibus Regni Parlamentis quasi subreptitia, & perversum abusum inducens declararetur. Qua de re quædam occurrunt exempla, puta, illud famosum Arrestum, quod a Supremo Divionensi Senatu latum est 11. Decembr. 1623. actionem intendente & acerrime persequente Illustrissimo Cyro de Thiard. Episcopo Cabillonensi, contra Decanum & Canonicos de Collegiata Ecclesia S. Georgii, qui ex indultis sibi hujusmodi dispensationibus jus possidendarum Curarum, in quibus nullam habebant residentiam, sibi vindicabant. Quod Arrestum aliud subsecutum est pronunciatum contra Edismum Millot Decanum de præfata Ecclesia, & S. Remigii Parochum; ut testatur Carolus Fevret in suo, quem de abusu edidit, tractatu (f). Refert quoque D. Brillon Arrestum quoddam antiquum, quod Supremus Parisiensis Senatus contra similes dispensationes tulit 27. Novembr. 1559. (g). Silemus tredecim alia Arresta tum de Regio Consilio, tum de Parlamentis emanata contra Parochos non servantes residentiam, quæ referuntur ab eodem Authore, qui ad uberiorem præsentis materiæ intelligentiam remittit ad Authores, qui de residentia scripserunt, & ad Cleri Commentaria (h).

(f) Carolus Fevret. tr. de abusu l. 3. c. 1.

(g) D. Brill. Dictionar. Arrestor. v. Residentia n. 20.

(h) Comment. Cler. tom. 1. p. 3. pag. 109. Et to. 2. p. 2. pag. 295. 341. & 347.

Dissimilis vero conditio est Canonici, cui nihil aliud muneris incumbit, quam cantare in Choro; cui propterea residentiæ personalis obligatio non ex jure dumtaxat Ecclesiastico, sed & naturali inducitur.

Quæ cum ita sint, existimamus, Servio de quo quæstio instituitur, non licere per binos menses a sua Cura abesse, neque etiam, ita sentientibus plurimis Doctoribus, per unum mensem, sub prætextu consanguineorum invisendorum, aut quovis alio non graviori, quin Deum offendat lethaliter. Sic Cabassutius censet (i), qui sic ait: *Si quis tamen Parochus sine justa causa, etiam minus duobus mensibus absit, peccat mortaliter, nisi sit parvi temporis absentia, qualis posset esse quindecim aut ad summum viginti dierum ..... modo reliquerit idoneum substitutum*.

(i) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 3. c. 1. n. 4.

Est tamen fatendum, posse Parochum aliquibus de causis necessariis ac legitimis absque peccato a sua Parœcia absentari, Vicarium idoneum relinquendo, qui nomine ipsius agat, & vices absentis possit sufficienter supplere: *Ut quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant* (oves), inquit Concilium; sed ut, tuta conscientia, possit abesse, licentiam discedendi debet ab Episcopo obtinere, cujus potissimum est statuere, utrum, quam absentiæ prætendit, causa sit legitima, necne. Ita namque exigitur a Concilio Tridentino (k): *Causa prius per Episcopum cognita & probata*. Quod non intelligendum est, nisi de notabili aliqua absentia, ac de casibus, in quibus propter subitum ac improvisum aliquem eventum, non impeditur, quominus recurrat ad suum Superiorem. Quam decisionem etiam suam faciunt Authores colloquiorum Lingonensis, atque Condomiensis (l).

(k) Concil. Trid. loco cit.

(l) Colloq. Lingon. to. 1. colloq. 2. Et Condomens. tom. 1. colloq. 1. sect. 2.

CASUS II.

Euvardus Parochus de S. Eligio litem gravissimi prorsus momenti sub Judice pendentem habet, de qua judicium instat jamjam ferendum. Potestne, nihil ab officio conscientiæ deflectens, a sua Parœcia abesse, ad persequendum suum jus apud Judices, & Judicium urgendum?

RESPONS.

Antequam quæstioni propositæ responsio sua fiat: primo quidem loco juvat in memoriam revocare ipsa verba, quibus Tridentinum Concilium concepit suum Decretum (*a*) de necessitate Residentiæ quantum ad Parochos, quod ab initio responsionis ad primam difficultatem tituli Superioris allegavimus, & ex quo evidenter patet, Pastores obligari ex jure Divino, ad pascendas oves suas, hoc est, ad fideles sibi commissos spirituali cibo verbi Divini reficiendos, ad administranda iisdem Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, cæteraque, quibus indigent, ad iis prælucendum bonorum omnium operum exemplo, & summæ Religionis forma, ad eos paterna benignitate consolandos, quos aut adversa valetudo, aut egestas, aut aliquis alius miseriarum, & calamitatum status, dignos commiseratione sua efficiunt, proindeque ad residentiam continuam & personalem servandam; siquidem nonnisi residentiam omnino strictissimam habentes, valeant alioquin prædictas officii Pastoralis partes omnes adimplere, & qua Lege quis obligatur ad finem, eadem consequenter teneatur, ad adhibenda sibi media, quæ conducunt ad ipsum finem, ut docet Cardinalis Cajetanus (*b*). Eaque ipsissima est Doctrina, quam S. Paulus docet Timotheum suum discipulum (*c*): *Tu vero vigila*, ait ei, *in omnibus labora: opus fac Evangelistæ: Ministerium tuum imple*: qua potissimum de causa declarat Concilium quoddam, quod inter celebriora Ecclesiæ Concilia recensetur, præfatam obligationem innuendo verbis, quæ sequuntur (*d*): *Qui vero Parœcialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat*.

(*a*) Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de reform.

(*b*) Cajetan. in 2. 2. S. Th. q. 185. a. 5.

(*c*) Ad Timoth. 4. 3.

(*d*) Inn. III. in Concil. Lateran. IV. in c. Extirpandæ 30. de Præb. & Dignit.

3. Sciendum est, ab eodem Tridentino Concilio definiri, juxta quod jam antea fuerat a Bonifacio VIII. (*e*) constitutum, obtineri tantum quatuor species causarum legitimarum, propter quas licet Parocho a sua Parœcia discedere. Prima est Christiana charitas: Secunda, urgens necessitas: Tertia, quæ Superiori debetur, obedientia; Quarta tandem, evidens ipsius Ecclesiæ, aut publici commodi utilitas. Verum non est penes ipsummet Parochum judicare de æquitate prædictarum causarum: & tenetur ad allegandam, significandam, quin etiam probandam apud Episcopum causam, ex qua absentiæ locum dari prætendit: quo quidem in casu, obligatur ad sufficiendum in suum locum idoneum aliquem Vicarium, cui quæcumque vitæ necessaria curet suppeditari. „ Nam „ cum Christiana charitas, *inquit istud Concilium*, „ urgens necessitas, debita obedientia, ac evi- „ dens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos „ nonnumquam abesse postulent, & exigant, de- „ cernit eadem sacro-sancta Synodus .... ut quan- „ documque eos, causa prius per Episcopum co- „ gnita & probata, abesse contigerit, Vicarium „ idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum „ debita mercedis assignatione relinquant.

(*e*) Bonifac. VIII. in c. Consuetud. de Clericis non resid. in 6. l. 3. t. 3.

En ipsa regula est, juxta quam Eduardum necesse est in casu proposito sese gerere; tenetur ergo palam facere suo Episcopo & conditionem & gravitatem litis, quam habet sustinendam: si autem Episcopo visum fuerit, necesse eum esse, a Parœcia sua abesse, quo tum suum jus apud Judices, tum faustum promptumque judicium persequatur, & discedendi licentiam ab eodem recipiat, jam ei licebit, quocum temporis spatio, quod requiretur, absentari, cavendo tamen, ab idoneo Vicario & locum suum teneri, & munus Pastorale laudabiliter adimpleri.

CASUS III.

ROCHUS, cum requisisset quamdam Curam 1500. librarum census annui vi graduum studii ac Magisterii, ejusdem inivit possessionem. At quoniam novit, Graduatos alios esse se ipso antiquiores, qui eamdem intra tempus sex mensium poterunt postulare, existimat, sibi nullatenus incumbere nec domicilii ibidem figendi necessitatem, nec residentiæ servandæ obligationem, quousque Beneficium istud sibi sentiat certo certius afferri. Num jure non innititur: aut nonne saltem posset ab omni residentia immunem sese præstare, si sibi litem, ea de re, perciperet a Jacobo inferri, licet vindiciis jam sibi datis gauderet?

RESPONS.

Certissimum est, in utroque casu Rochum non posse recta conscientia sibi vindicare tum residentiæ in præfata Curia, tum Pastoralis Ministerii vacationem. Ad utrumque tenetur in primo casu; ex solo namque suæ possessionis instrumento jus habet percipiendorum fructuum Beneficii. Porro non acquiruntur Beneficiario fructus Beneficii, nisi in quantum Beneficio deservit, *propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur*, ut loquitur Bonifacius VIII. (*f*) ei ergo nullo legitimo jure debentur, nisi & in Beneficio residentiam habeat, & in eodem Pastoralia munia adimpleat. Præterea, ut primum Parochus in possessionem suæ Curæ, nemine interpellante, venit, inde statim ei incumbit onus curæ animarum suorum Parœcianorum, quo quidem in onere fundatur obligatio residentiæ servandæ, a qua non æquum est, eum abstinere ex suborto simplici dubio litis sibi forsitan intendendæ: atque revera quidem iniquum omnino foret, ac prorsus inordinatum, quod sub prætensa ejusmodi causa, per sex menses integros suo Pastore viduata Cura aliqua remaneret cum evidenti periculo ruinæ ac detrimenti plurimarum animarum, intereaque decurreret reditus fructuum in gratiam illius, cui de eadem provisum esset, & a quo nullus in eam labor, nihilque operis impenderetur.

(*f*) Bonifac. VIII. in c. Quia sa. de rescript. in 6.

Quibus iisdem rationum momentis perspicuum quoque fit, ac manifestum, Rocho minus excusationis in altero casu cessurum, si residentiam personalem non haberet; siquidem ex auctoritate judicum, hoc est, ex sententia, qua ei vindiciæ darentur, ipsius institutioni in possessionem plurimum roboris adjiceretur.

Quæ nostra decisio confirmari potest Concilio Provinciali Rotbomagi celebrato anno 1581. quo declaratur omnes, qui titulo & fructibus alicujus Beneficii gaudent, obligari ad residentiam in eodem habendam, aut fructus inde obvenientes restituendos, & subjacendum pœnis Canonicis, quas Episcopus potest iis, qui residentiam non servant, infligere, juxta Decretum postremi Concilii Generalis (*g*). Istis vero verbis Concilium Rothomagense loquitur (*h*): „ Plerique ne re- „ sideant, prætexunt litigia, aut suscitant ipsimet „ devoluta, ne videantur sua Beneficia pacifice „ possidere. Verum quisquis Beneficio, vel ejus „ fructibus gaudet, aut resideat, aut fructus non „ percipiat, quos suos sine residentia facere non „ potest, & aliis Decretis pœnis subjaceat.

(*g*) Concil. Tr. sess. 23. c. 1. de refor. Et sess. 25. cap. 12. de reform.

(*h*) Concil. Rothomag. t. de Curatorum officiis §. 4.

Est ergo fatendum, Rocho nihil juris prorsus succurrere, cum litem sibi illatam a Jacobo prætexit, quo sibi vindicet residentiæ personalis vacationem, sive lis ista sit realis, sive collusoria. Quam enimvero & institutione Canonica præfatæ Curæ, ejusdemque sibi datis a Judice vindiciis gaudeat, qua ratione posset tuta conscientia fructus sui Beneficii suos facere, ipse residentiam in eodem non habens neque quidquam ibidem per seipsum Ministerii Pastoralis exercens. Indeque cernere est, quam illi sint condemnandi, qui sibi suppositiitias lites ex collusione eo fine ipsimet suscitant, ut debitam suis Beneficiis residentiam in dies protrahant, & quantum ipsi fallantur, dum cogitant Ecclesiæ fucum facere, cujus bonis, quæ sibimet ipsis contra fas attribuunt, ditantur, ac gaudent (*i*).

(*i*) Colloq. Liogone s. to. 1. Colloq. 2. Thomassin. discipl. Eccl. 4. p. l. 2. c. 71.

CASUS IV.

THEOTIMUS Parochus de S. Protasio odio capitali habetur a Domino suæ Parœciæ, qui mortem ei non tantummodo minitatus est; sed etiam minis conatus fuit ipsummet opus adjicere: potestne sine peccato, per tempus aliquod notabile, a Parœcia sua discedere, ut sese ab infensissimi sibi adversarii furore expediat?

Ipsine etiam liceret a loco suæ residentiæ digredi, si valetudine prorsus infirma uteretur Authores ei to-

rent

Digitized by Google

rent Medici, ut cœlum immutaret per unum mensem, aut etiam per duos menses?

RASPONS.

Valent profecto rationes allegatæ, atque ejusmodi sunt, quæ Theotimum vindicent ab omni peccato. Modo enim caveat, in suum locum sufficere idoneum aliquem Vicarium, qui ipsius vices supplere possit, & ipsius absentia Spirituali Parœcianorum ejus commodo detrimentum notabile non afferat; potest tuta conscientia, neque decurrentium annorum fructuum ademptione mulctandus ea da causa, atque facta sibi ab Episcopo licentia, ab Ecclesia sua recedere ad tempus, quod congruum videbitur: sive ut sese a furore sui adversarii tutum præstet & incolumem, sive ut sanitatem restituat sub salubriori cœlo, atque de istis potissimum casibus intelligenda sunt istbæc Tridentini Concilii verba: *urgens necessitas*.

Quam opinionem Cardinalis Toletus (*a*) amplectitur, ut innuunt sequentia verba: " Cum „ nimirum periculum imminet Episcopi vitæ, „ nisi discedat ab Ecclesia, vel ob infirmita„ tem, vel ob persecutionem alicujus Tyran„ ni, vel aliqua simili causa: tunc anim po„ rest ad tempus recedere, dummodo tamen „ non sequatur Spirituale detrimentum gregis. Idem ducet Barbosa (*b*), cum sic habet. " „ Intelligentes per urgentem necessitatem, ubi „ Episcopus (*eadem restituenda est de Parocho raciocinatia*) residendo grava malum vitæ in„ curreret, vel propter morbum, vel propter „ persecutionem, vel proptar acris intemperiem „ vel ob Principis & populi furotem declinan„ dum". Quam suam Doctrinam eruditus iste Canonista plurimum roborat auctoritata S. Thomæ (*c*), qui dicit: " Ubi subditorum salus „ exigit personæ Pastoris præsentiam, non de„ bat Pastor personaliter suum gregem deserere, „ neque propter aliquod personale commodum „ imminens, cum bonus Pastor animam suam „ ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero sub„ ditorum saluti possit sufficienter, in absentia „ Pastoris, per aliam provideri, tunc licet Pa„ stori, vel propter aliquod commodum Ec„ clesiæ, vel personæ periculum corporaliter, „ gregem deserere ".

(*a*) F. Toletus Instruct. Sacerd. l. 5. c. 57.

(*b*) August. Barbosa in Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de reform. n. 8.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 185. art. 5. in corp.

CASUS V.

Amabilis Parochus de S. Valderico desiderio teneretur solitariæ vitæ per dies decem aut duodecim singulis annis sale piis eaercitationibus devovendi. Potestne per totidem consequentes dies a Parœcia sua eam ob causam abesse?

RESPONS.

Existimamus, ad propositum casum extendi, atque accommodari posse istbæc Tridentini Concilii verba (*d*): *evidens Ecclesiæ .... utilitas*, quibus ennnciatur una ex quatuor causis, quaa tanquam legitimas admittit in eorum gratiam, quibus quandoque contingit a Beneficio Curam animarum inducente, de quo eis pruvilum suit, ad tempus discedere. Plurimi namque interest eosum omnium, quibus & regimen & salus fidelium concredita sunt, adeoque ipsius utilitatis Ecclesiæ est, eos primum adipiscendæ sibi propriæ sanctitatis, & summæ omnium virtutem perfectioni totos invigilare, quo deinde alios eamdem sanctitatem, & virtutam perfectam ac cumulatam evehendos, possint via promptiori atque expeditori curare: quod assequi ratione tutiori non possunt, quamsi sese ab omni rerum Sæcularium cura procul removentas, sibi solis in otio sancto vacent anniversariis solitariæ vitæ exercitationibus. Præterea vero decam aut duodecim dierum absentia, quantum ad Parochum, tempus adeo exiguum insumit, ut pro nihilo fere reputetur. Potest igitar absque peccato Amabilis sesa a Pastorali Ministerio subducere, & abesse a sua Parœcia per decem aut duodecim dies, anniversatiis otii sancti exarcitiis operam daturus: neque possumus in animum inducere, quempiam reperiri Episcopum, cui ejusmodi residentiæ vacatio non prœbetur. At vero juvat ad eam rem tempus ab eo destinari, quo Parœciania suis eum adesse, non tantopere necesse sit: quale est istud temporis spatium, quod Quindenam Paschalem proxime subsequitur, aut dies, qui intra octavam festorum Pentecostes & Nativitatis Domini decurrunt: ab eoque sedulo providi, præcaverique, ne sua absentia in aliquod damnum aliquatenus vertare possit, sufficiendo scilicet in proprium locum aliquem Sacerdotem idoneum, qui possit ipsius vices supplere. Quam sententiam proponit quidam eruditus admodum Theologus (*e*).

(*d*) Concil. Tr. c. sess. c. 1. de ref.

(*e*) S. m's. to. 2. cal. 19

CASUS VI.

Antoninus Parochus de S. Albano mortem horrescens Parœciam suam per mensem integrum deseruit, ne sæviente ibidem morbo contagioso attingeretur. Num aliqua culpa ea de re constringitur: & obligatur ad aliquam Beneficii sui fructuam pro rata tamporis absenria restitutionem?

RASPONS.

Nullus omnino locus est dubitandi, quin Antoninus & quilibet alius Parochus, qui gregem suum nulla prementa causa legitima, qualis est casus, qui proponitur instituta quæstione, deserit, gravissimo prorsus peccato sese constringat, & simul eidem inducatur obligatio fructuum pro rata temporis restituendorum.

Quam dacisionem verbis luculentis expressam legera est in Concilio Tridentino (*f*), cujus Decretum, ad enodationem primæ difficultatis licet adire. Quod quidem acceptum atque confirmatum deinde suit Edicto Blesensi mensis Maji 1579. „ (*g*). Ad eamdem residentiam sub iisdemque pœ„ nis, inquit Henricus III. in citato Edicto obli„ gabuntur Parochi, & alii quicumque Curam „ animarum habentes, quibus absentiæ nullus „ locus fieri poterit, nisi ex legitima causa ab „ Episcopo Diœcesano cognoscenda ": Atque in præfato Edicto fertur futurum, ut Pastori absenti fructus de Beneficio provenientes tradanrur in custodiam, *ut cum farciendis Ecclesiis dirutis, tum distribuendis in necessitates egenorum, qui in ipsis locis reperientur, postmodum addicantur*. Diximus, *qui gregem suum, nulla requirente causa legitima, qualis est Casus, qui proponitur in instituta quæstione*. Certissimi namque juris est, (si loqui velimus juxta regulas, quotquot sunt constitutas;) nullatenus ab Antonino potuissa recta conscientia ipsius Parœciam derelinqui, quo tempore publica calamitas in eadem grassabatur, nec proprias oves ope quæcumque destitutas haberi; dum ipse pretiosiorem habens propriam suam corporis vitam, quam animarum salutem, easdem sugiendo in exitium sempiternum adduceret (*h*).

(*f*) Concil. Tr. sess. 23 de reform. c. 1.

(*g*) Edict. Blesens. a. 14.

(*h*) Colloq. Condomen. to. 2. Coll. c. 1.

Vide PAROCHUS. Casus IV.

CASUS VII.

Justinianus vir præclara eruditione, atque Doctrina in Officialem seu Genetalem vicarium a proprio suo Episcopo assumptus est. Potestna sibi retinere quamdam Curam, qua gaudet, ejusdem regimen, & administrationem alicui Vicario idoneo transmittens, ipse satis habens, eam identidem invisere; siquidem non possit resistentiam continuam, ibidem servando, Dignitatis, qua recenter insignitus est, partes substinere?

RESPONS.

Est hoc extra omnam profecto controversiam positum; quamcumque Parochum, quacumqua status ac Dignitatis conditione fulgeat, ad personalem continuamque residentiam ex Divino jure obligari. Quod quidem ex Decreto celeberrimo Concilii Tridentini in prima decisione perscripto, ipsa meridiana luce evidentius evicimus. Inde seqaitur, a Justiniano nullatenus retineri posse Curam, de qua quæstio est, si ipse aliter nequiverit munus Officialis aut Vicarii Genetalis exercere, quam a sua Parœcia recedendo: enim vero, ita decernente præfato Concilio non axtant aliæ causæ, propter quas licitum fiat a proprio Grege absentari, quam istæ, quæ sequuntur, quasque Bonifacius VIII. jam antea designaverat (*i*): *Nimirum Christiana Charitas,*

(*i*) Vide tertiam decisionem.

urgens

Digitized by Google

urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas. Porro liquidum prorsus, ac manifestum est, Justiniano sub prætextu alicujos ex memoratis quatuor causis obligationem induci nunquam posse, acceptandi officii sive Officialis, sive Generalis Vicarii, cum Episcopo facile occurrit alius, qui gerendi muneris alterutrius idoneus omnino sit; quod impossibile esse nemo serio contendat io hac nostra ætate, quæ tantam tot virorum intelligentissimorum copiam undequaque offert. Aut quando possunt ab isto Episcopo quæcumque vitæ necessaria abunde prorsus alicui Parocho subministrari, qui ab eodem a Pastorali Ministerio ad ejusmodi Dignitates promovetur, sive aliud alterius conditionis Beneficium ei indulgendo, sive eum propriæ mensæ adhibendo, aut etiam eidem debitas honorarii mercedes assignando, saltem quoadusque ei præbendam aliquam, simplexve Beneficium contulerit; quod neque eriam, aut nulla prorsus ratione, aut ægre admodum posse ab Episcopo tentari, nemo sanæ mentis arguat (*a*).

(*a*) Lambert. t. 3. cas. 64.

RESIDENTIA CANONICORUM.

QUÆ Canonicis obligatio residentiæ inducitur in locis, in quibus positi sunt Tituli Beneficiorum, quibus gaudent, ex obligatione deducitur, quæ iisdem incumbit, canendi Divina Cantica, & iis omnibus satisfaciendi, de quibus pactionem fecerunt cum Fundatoribus ex acceptione suarum Præbendarum, quæ ipsis, nonnisi sub conditione oneris, concessæ fuerunt, id est: sub ea conditione, quod Choro interessent, ibidem Divinas laudes persolverent; & preces sine intermissione funderent tam propriæ suæ utilitati, quam Universitati fidelium profuturas.

Verum equidem est, non adeo strictæ residentiæ præcepto Canonicos, sicut Parochos urgeri. Unde quædam absentiæ ac residentiæ vacationes, quæ etiam ex ipso Canonico Jure obtinent, ut Parochis illicitæ prorsus sunt, sic Canonicis possunt aliquando indulgeri: at ex altera parte quemadmodum non sufficit a Parocho simplicem residentiam in sua Cura haberi, nisi totus incumbat in Officiis Pastoralibus adimplendis; ita neque etiam satis est, Canonicum in loco sui Beneficii corporaliter residere, nisi Choro assiduus adsit, & quæcumque Canonicorum propria sunt, munera exequatur.

Ut Parochus, qui sine legitima causa abest a sua Cura, tenetur ad restituendos fructus, qui sibi de Beneficio suo per tempus, quo absentatus fuit, obvenere; sic eadem est conditio Canonici, qui nec residentiam servans, nec Choro assistens percipit fructus de sua Præbenda, & restitutionis modus pro rata temporis absentia potissimum attendendus est.

Assignabuntur postea causæ legitimæ, per quas Canonico licitum sit absentari; absque eo quod sui reditus annui privatione mulctetur, & casus, in quibus ipsi etiam legitimo jure cedunt quotidianæ distributiones. Ideoque juvat hic loci a fusiori materiarum istarum enumeratione omnino abstinere.

CASUS PRIMUS.

SYLVIUS sacræ Theologiæ Doctor & Professor in Universitate Duacensi, quadam Præbenda gaudet ab annis decem, & amplius in Ecclesia Cathedrali Tornacensi, atque de eadem obvenientes fructus, licet nollam habens ibi residentiam, percepit. Nonne est, unde ei circa residentiam, quam non servat Tornavi, Religio aliqua incutiatur?

RESPONS.

Omnino potest præfatus Possessor Præbendæ suæ reditibus, quamquam ibidem residentiam non habeat, tota conscientia gaudere. Tertium Concilium Oecumenicum Lateranense, quod habitum est anno 1179. sub Alexandro III. (*b*) primum recensetur, a quo constitutum fuit, futurum ut in unaquaque Ecclesia Cathedrali Professor Grammatices, ad informandos pauperes ac potissimum Ecclesiasticos, institueretur; atque ut eosdem posset gratuito erudire, eidem de Beneficio aliquo competente provideretur: nihil tamen Concilium istud de natura ac conditione præfati Beneficii determinans: sed tantummodo ista ratione declarans; *Competens aliquod Beneficium assignetur.*

(*b*) Concil. Later. III. c. 18.

Quam primam institutionem Professoris Grammatices in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Quartum Concilium Lateranense celebratum anno 1215. sub Innocentio III. (*c*) ratam fecit, atque confirmavit; eidemque adjungi voluit in Ecclesiis Metropolitanis instituendum Theologiæ Professorem & utrique reditum unius Præbendæ attribui. "Assignetur autem cuilibet Magistrorum a Capitulo „ unius Præbendæ proventus, & pro Theologo a „ Metropolitano tantumdem: non quod propter „ hoc efficiatur Canonicus". Quæ verba indicant inde nomen ac titulum Canonicorum prædictos Professores non fuisse sortitos; ne, quoniam titulus iste perpetuus est, eodem ipsimet aliquando abuterentur, dimittendo nimirum onus, & sibi retinendo Beneficium.

(*c*) Concil. Lateran. IV. c. 11.

Atque istud fundamentum maxime sibi vindicat famosa illa Decretalis *super specula* (*d*), quæ Sylvii conscientiam ea de re debet omnino tranquillare. In ea namque Honorius III. de Theologiæ Professoribus disertissimis istis verbis sic declarat. " Docentes vero in Theologica facultate, dum in „ scholis docuerint .... percipiant proventus Præbendarum, & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria Consuetudine, vel statuto, cum donario fraudari non debeant in „ vinea Domini operantes ".

(*d*) Honor. III. in c. Super spec. de Magistr. l. 5. t. 5.

Sacrosanctum Concilium Tridentinum (*e*) præfatam Constitutionem renovavit in gratiam Professorum, qui Theologiam docent in publicis scholis quemadmodum observat Fagnanus post plurimos alios Canonistas, quos appellat; & quamquam de lectionibus scripturæ sacræ sermonem dumtaxat habeat; nullum inde debet suboriri dubium, quin & ipsa Theologia Scholastica eodem privilegio donetur, & isthæc prærogativa ad Professores Juris Ca-

(*e*) Concil. Tr. sess. 5. c. 1. de refor.

Canonici eadem quoque Juris consequentia extendenda sit; quemadmodum declaratum est a sacra Congregatione Cardinalium præfati Concilii Interpretum, ut laudatus Fagnanus, qui ejusdem Congregationis Amanuensis erat, testatur (*a*) his verbis: „ Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.... censuit, docentes Jus Canonicum in publica Universitate „ gaudere & potiri privilegio de percipiendis in „ absentia suarum Præbendarum fructibus; quamvis Præbendæ, quas obtinent, sitæ sint in Cathedralibus ejusdem Civitatis, in qua publici „ Lectoris munere funguntur (*b*)„.

(*a*) Prosper. Fagnan. in l. 5. Decret. p. 1. ad cap. Super specula. p. 20.

(*b*) Thomas. Discipl. Eccles. p. 4. l. 2. c. 42.

Nihilominus censemus, quæ modo dicta sunt, intelligenda quoque non esse de Professoribus, qui certis quibusdam Cathedris addicuntur, ex quarum institutionis primo monumento habetur futurum, ut, qui easdem occupabunt, ii nunquam valeant ullo Beneficio onus residentiæ annexum inducente potiri; puta, nec Præbendis, nec Curis: quemadmodum satis notum est, existere hujusmodi Cathedras. Aliunde vero videtur, jure prorsus contendi posse, si tanti valoris fuerint stipendia, quæ obveniunt alicui Professori, ut iisdem annecti Præbendam nullatenus opus sit; quemadmodum ejusmodi stipendia pinguiora Professoribus attribuuntur tum in Hispania, tum in Polonia, in isto casu non ei fore licitum ex conscientia, indultum ipso jure Professoribus privilegium sibi vindicare: siquidem constet, eam tantum affuisse mentem cum Conciliis, tum Summis Pontificibus, nimirum illis providendi de iis, quæ tam ad victum, quam cultum honeste ac sufficinter requirerentur, nusquam vero præbendi locum, unde valerent magnas opes exaggerare.

CASUS II.

Renatus Canonicus de Ecclesia Burdigalensi annos sedecim aut decem & octo natus reditum suæ Præbendæ ab aliquibus annis percipit, licet studiorum causa, quæ Parisiorum conficit, absentetur. Numquid quantum ad conscientiam ab ista parte tutus est, ac securus?

Respons.

Quæ sumus prosecuti, in excutienda superiori difficultate, de privilegio, quod indultum est Canonicis Theologicis Professoribus, percipiendi nempe fructus & reditus suarum Præbendarum, quamdiu lectiones Theologicas habent in scholis publicis, quamquam neque in suis Beneficiis resideant, nec Beneficiorum officiis fungantur: ad eos etiam extendenda sunt, qui cum Canonici sint, Theologicas excipiunt lectiones. Idem enimvero jus eadem ratione defertur, potiendi atque gaudendi fructibus ac reditibus suarum Præbendarum, licet absententur, quod quidem Jus ad tempus quinquennii tantummodo determinatur, ut declarat Concilium Lateranense IV. quod in casu præcedenti allegatum est. Summus Pontifex Honorius III. idem quoque decernit, istis verbis (*c*): *Docentes vero in Theologica facultate, dum in scholis docuerint, & studentes in ipsa, integre per annos quinque percipiant proventus Præbendarum*. Quos proventus laudatus Papa non accipit, nisi de reditibus annuis, nullatenus autem de quotidianis distributionibus, quas adicto privilegio luculentis verbis alibi excludit (*d*). Idem vero Privilegium Tridentinum Concilium ea ratione confirmat (*e*); *Docentes vero.... & scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus, de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia a Jure communi concessis, plene gaudeant & fruantur*. Quæ verba Concilii Tridentini de iis etiam sunt intelligenda, qui studio Juris Canonici incumbunt, quemadmodum docet Fagnanus, & cum eo plurimi insignis notæ Canonistæ, quos citat; sicut eadem quoque interpretatum est Concilium Mediolanense primum actum anno 1565. (*f*) & intellexerunt Concilium Aquense (*g*) celebratum anno 1585. & plurima alia: cum studia Juris Canonici non nisi appellationis nominetenus, & studia

(*c*) Hoc III. in c. Super specula, supra cit.

(*d*) Idem in c. Licet. 32 de Præbendis & cæt. l. 3. tit. 5.

(*e*) Concil. Trid. sess 5 c. 2. de reformat. cit. in fin.

(*f*) Concil. Mediol. 1. p. 2. c. 27.

(*g*) Concil. Aquens. t. de residens.

Theologiæ inter se differant. Junioribus istis Canonicis studentibus omnino favet Jurisprudentia Arrestorum, ut observat Bouchel (*h*), qui ea de re, Arresta tria memorat, quorum primum latum est 2. Decembris 1576. pro Canonicis S. Laurentii de Rozæo in saltu Brigiensi; secundum pronuntiatum est 5. Martii 1577. pro Canonico quodam S. Petri de Gerberoiaco; & Tertium 3. Aprilis 1576. quæ Jurisprudentia in eo potissimum innititur, quod ex quadam Juris suppositione, *qui studiorum causa abest*, inquit Bartolus legem quamdam interpretans de Digesto (*i*), *abesse non videtur*. Nihilominus videtur, quidquid in contrarium Navarrus sentiat (*K*), quos modo retulimus in favorem studentium, textus sic accipiendos esse, ut prærequiratur consensus saltem tacitus Episcopi Beneficii, cujus potissimum est statuere, num ex eorum absentia aliquod damnum Ecclesiæ non inferatur; saltem constat illud, quod a Cabassutio tanquam certissimum affirmatur his verbis (*l*): *Ad alias autem scientias, ut illis studens possit absens fructus Beneficii residentiam deposcentis percipere, necessaria est Prælati licentia*.

(*h*) Bartol. argum. legis Quæsitum. 78. ff. de legatis & c. 3.

(*i*) L. 32. t. 1.

(*K*) Navar. Man. c. 25. n. 121.

(*l*) Joann. Cabass. juris canon. theor. & prax. l. 5. c. 1. n. 7.

Quæ de Canonicis studentibus observata sunt, nullam debent habere consecutionem quantum ad Parochos: quoniam istorum actualis residentia ipsius Ecclesiæ omni comparatione magis interest, quam residentia Canonicorum; siquidem ipsi fideles assidua eorum Curia, perpetuaque præsentia quolibet momento temporis indulgeant; quod quidem olim in causa fuit, cur Summus Pontifex ea de re consultus a Cardinalibus, ex quibus constabat Sacra Congregatio, ipso Fagnano adhuc extante, iisdem declaraverit, ab Episcopis non posse quidquam in contrarium obligationis præfatæ indulgeri dispensationis (*m*). Eamdemque ob causam Prælati congregati in Concilio Burdigalensi anno 1624. (*n*) summopere commendaverunt Episcopis Provinciæ, ut constitutæ, ea de re, regulæ tenaciori omnino constantia adhærerent, neque ulli Parocho copiam absentiæ facerent studiorum etiam conficiendorum causa; *nisi id personæ meritum in utilitatem Ecclesiæ cessurum exigere comprobetur*.

(*m*) Prosp. Fagnan. in cap. Super speculas fin. de Magistri n. 17

(*n*) Concil. Burdigal. c. 21. de Pastorum resident. n. 5.

CASUS III.

Joannes, Jacobus, Petrus, ac Paulus juniores Canonici de Ecclesia Agathensi, in qua duodecim obtinent tantummodo Præbendæ, cum ex licentia sibi facta petendi Burdigalam seu Tolosam studiorum Theologicorum causa, a quatuor aut quinque mensibus in priorem Civitatem inconsulto Episcopo sese recepissent, Episcopus, cui id renunciatum est, iisdem jussit mandari, ut cito citius reverterentur, residentiam in suis Beneficiis habituri, tum propterea quod sine ipsius licentia abesse præsumpsissent, tum quoniam, cum ex paucioribus Canonicis constet Capitulum, non possunt, ex eis quatuor simul & semel absentari, quin inde Divinus cultus omnino notabiliter imminuatur.

Numquid quatuor præfati Canonici tenentur ex debito conscientiæ, ad obediendum Episcopo; & si parere recusent, num jus cedit Episcopo in eosdem litis instituendæ, eosque obligandi, ad redeundum in locum suarum Præbendarum, quo annexis iisdem officiis personaliter fungantur?

Respons.

Incumbit prorsus ex debito conscientiæ quatuor præfatis Canonicis obligatio, sese suo Episcopo in ea re præbendi obsequentes; si vero ipsius imperium abnuant, potest omnino memoratus Prælatus eosdem, adhibitis etiam pœnis Canonicis, ad debitum, ea de re, obsequium adducere, atque compellere. Quod manifestum plane fit ex Decretali quadam Gregorii (*o*) IX. ad Antiochenum Patriarcham scripta occasione plurimorum Beneficiariorum, qui ex sua Ecclesia recesserant, & ex quorum absentia plurimum damni, propter defectum patentem sufficientium Ministrorum, ipsimet Ecclesiæ importabatur; in qua laudatus Papa ei mandat, ut eosdem cogat, ad revertendum, residentiam

(*o*) Gregor. IX. in 6. Cum sint 16. de Clericis non resident. l. 2. t. 4.

tiam, tua Ecclesia servaturi, etiamsi recessissent ex licentia antecessorum istius Patriarchæ; aut etiam ex indulta sibi a Sancta Sede concessione: *Mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis indulgentiis, & Prædecessorum tuorum licentia, absentes Canonicos & Assisios,* (hoc est, ut Glossa interpretatur: *Beneficiatos, qui non sunt Canonici,*) *revoces ad residendum in Ecclesia supradicta*. Quæ ipsissima sunt memorati Summi Pontificis verba, qui sequentia addit: *Etsi non venerint, tu de ipsorum Beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi Ecclesiæ facias congrue deservire*: dudem nimirum subrogando alios Ecclesiasticos, quibus proprio jure cedant eorumdem Beneficiorum fructus, qui prædictis Canonicis absentibus decurrerint. Qua de re advertit Glossa, levissimam prorsus pœnam a Summo Pontifice jus infligi, in comparationem illius, quæ decernitur in Decretali sequenti (*a*): *Clericos in Ecclesiis suæ Jurisdictionis Beneficia, quæ residentiam exigunt, assecutos, si ad alterius Diœcesim absque licentia, morandi causa transierint, liceat tibi, si moniti non redierint, dictis Beneficiis, nisi excusationem rationabilem ostenderint, spoliare*; quam eamdem pœnam in suarum Decretalium plerisque Cœlestinus III. indicit (*b*). Eamdem Alexander III. idem quoque habet in sua Epistola ad Eboracensem Archiepiscopum (*c*); in quam Glossa sic commentatur (*d*): *Clericus etiam sine licentia sui Prælati abesse non debet, etiam in justa causa, sive causa studiorum ..... sive aliis justis causis*, &c. Quod idem unanimi ore etiam docent Abbas, Joannes Andreas, Felinus, de Butrio, Cardinalis Zabarella, Imola, Ancharanus, Joannes de Anania, Alexander de Nevo, Geminianus, Cardinalis Hostiensis, & cæteri quotquot sunt Canonici Juris Interpretes (*e*).

(*a*) Idem in c. Clericos 17. eod. tit.

(*b*) Cœlest. III. in cap. Ex parte 8. & in c. Inter 10. & in c. ... 11. eod. tit.

(*c*) Alex. III. in cap. Relatum 4. lib.

(*d*) Gloss. in d. c. Relatum v. Prætextorum.

(*e*) Abbas in ... Andr. n. 3. & ... Felin. in c. fin. de Magistris n. 3. l. 3. ... vers. Sexto limite. De Butrio ibid. ... Card. Imola, Ancharanus, Joan. de Anania, Alex. de Nevo, Geminianus, & Hostiens.

Neque repugnat opinioni nostræ, ut quibusdam videtur, Glossa in Decretalem Honorii III. vocabulum *licentia* interpretans, quando prædicto vocabulo sic subjicit (*f*): *Scilicet generali concessa authoritate hujus Constitutionis: unde non est necesse aliam indulgentiam impetrare*: Ibi enim non agitur, nisi de percipiendorum fructuum indulgentia, quam Honorius concedit Canonicis, qui in Scholis publicis, aut lectiones Theologicas exponunt, aut easdem excipiunt; at nullatenus excluditur licentia, quam Canonici studentes debent a proprio suo Episcopo obtinere, & sine qua nec a suis Ecclesiis abesse, nec Præbendarum suarum fructus facere suos ullo prorsus jure valentes.

(*f*) Glossa in c. Super spec. de Magistr. v. de licentia.

Ex quibus authoritatum testimoniis, quæ protulimus in medium, evincitur, ex solo consensu Capituli Agathensis quatuor Junioribus Canonicis Joanni, Jacobo, Petro, & Paulo causam excusationis legitimam nullam afferri; sed præterea eidem accedere oportere expressam ipsiusmet Episcopi concessionem; quippe ad eum proprio jure pertineat judicare de validitate, ac necessitate causarum, propter quas possunt ratione legitima abesse; Aliunde vero licentia, quæ conceditur a solis Canonicis, quamdam proprii quæstus ac commodi suspicionem debeat injicere; quoniam, si ratio temporanei quæstus habeatur; vehementer eorum referet, ex eis plurimos absentari: propterea quod distributiones quotidianæ, quæ detrahuntur absentibus, ipsis accrescant; adeoque conjiciendi locus detur, in ejusmodi concessionibus faciendis ipsos posse sese extra modum præbere indulgentiores; quemadmodum observant Cardinalis Hostiensis (*g*), Joannes Andreas, Abbas, & Felinus.

(*g*) Hostiens. in summa De Clericis non resid. §. Quis ... n. vero & §. Qua sit pœna n. 3. v. Item ... de Præbend. & c. ... de Cleric. non resid. in 6. Joan. Andr. ibid. ... Abbas n. ... n. 6. ... vers. ... Sess. 24. de Reform. c. 12.

Extat ea de re apud Concilium Tridentinum Decretum, quo decisio nostra sic roboratur, ut de eadem nullum jam possit dubium superesse: „Episcopi inferiores, *ajunt Patres Concilii præfati*, quævis Beneficia Ecclesiastica, personalem residentiam de jure, sive de consuetudine exigentia ..... ab eorum Ordinariis ..... opportunis juris remediis residere cogantur ..... dispensationibus temporalibus ex veris & rationabilibus causis tantum concessis, & coram Ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris (*h*)”.

(*h*) ... Concil. ... Sess. ... c. ... de ref.

Cujus indubitatæ ac certissimæ veritatis affert Fagnanus (*i*) novam aliam confirmationem, quam mutuatur ex Bulla Pii IV. 24. Novembris 1564. promulgata, in qua dictus Papa sic habet, ita referente laudato Fagnano (*k*) *Declaravit Pius IV. has dispensationes de non residendo, ac de fructibus Præbendarum, & Beneficiorum in absentia, studiorum causa percipiendis, quæ a Sacra Pœnitentiaria, & Sede Apostolica concedi & emanare contigerit, nequaquam hujusmodi absentibus suffragari, nisi singulorum ordinariorum locorum, in quibus singula Beneficia hujusmodi consistunt, consensus gratis præstandus ad id accedat*. Allegatæ Constitutionis ipsissima verba hic loci non perscribimus, quoniam nobis Bullarium magnum evolventibus nullatenus occurrit.

(*i*) Fagnan. in c. Cum sit de Cleric. non resid. n. 6.

(*k*) Pius IV. in Bulla Sanctissim. apud Fagn.

Est observandum, posse ab Episcopo Canonicos absentes *studiorum causa* revocari ad deserviendum suis Præbendis, non tantum cum ex eorum absentia Divinus cultus notabiliter imminuitur; sed etiam cum novit ab iis, nedum studiis animum serio afferant, quinimo & tempus & operam male collocari. Quam observationem acri judicio prorsus conditam suggerunt Cardinalis Hostiensis (*l*), Joannes Andreas, & Felinus, in quam Fagnanus sic habet: *Et placet mihi hæc opinio; quia Scholares non intrantes, & non attendentes, non gaudeat privilegio Scholarium, nec Scholares sunt nominandi* (*m*). Quod probat testimonio plurimorum non infimi nominis Canonistarum; quales sunt Joannes de Lignano, & Marianus Socinus (*n*). Ejusdem rei aliam quoque causam istam Joannes Andreas subjicit (*o*): Quod nimirum Canonici sibi maxime proponant ex sua absentia oculum effugere Episcopi, quem penes est jus eorum vitas inspiciendi simul, & castigandi; sibique afferre rationem vivendi licentiorem. Potest ea de re consuli Glossa Pragmaticæ (*p*).

(*l*) Hostien. in c. fin. de Magistris n. 3. Joan. Andr. ib. d. n. 4. & 10. Felin. loco cit. nn. 5. vers. Secundo limita & vers. Sexto limita.

(*m*) Fagnan. loco cit.

(*n*) Joannes de Lignano in Prœm. Clem. & Marianus Socin. in c. fin. de Magist. n. 24.

(*o*) Joan. Andr. in c. Relatum, 4. de Clericis non resid. n. 1.

(*p*) Glossa pragm. sanctionis cit. de Collat. §. 1. cum v. Liberiós.

CASUS IV.

PETRUS & PAULUS Canonici de quadam Ecclesia Cathedrali vocati ab Episcopo in partem regiminis ipsius Diœceseos, possunt ne ea de causa licet absentes proventus suarum Præbendarum suos facere, nihil inde conscientiæ suæ periculi facessentes?

RESPONS.

Præfatis duobus Canonicis licitum omnino est in casu proposito proventibus suarum Præbendarum potiri ac gaudere, ut constat ex Decretali quadam Alexandri III. (*q*) a quo privilegium istud indulgetur Canonicis, quos Episcopus sibi assumit in partem administrationis suæ Diœceseos sibi subventuros. *Statuimus*, inquit laudatus Papa, *ne Canonicis, donec in servitio suo fuerint, quicquam subtrahi debeas, vel auferri, quod de communitatis Beneficio sibi debetur*: & quemadmodum luculentius adhuc licet evincere ex alia Decretali Honorii III. (*r*) scripta ad Episcopum Meldensem, in qua memoratus Summus Pontifex, ut consulat dicto Præsuli Romæ expostulationem facienti de confecto a suo Capitulo statuto quodam, quo sibi jus istud subtrahebatur, numerum ejusmodi Canonicorum ad duos præfinit, quibus copiam facit licet absentibus gaudendi suarum Præbendarum proventibus, cum ipsi in utilitatem ipsius Diœceseos ab Episcopo suo adhibentur. Istam vero causam reddit Decreti sui prædictus Papa, quod scilicet æquum non sit, eos tanquam absentes haberi, qui suo Prælato in sustinendo onere Episcopali operam ferunt; utpote certissimum sit, ex illorum opera plus utilitatis afferri Ecclesiæ, quam ex præsentia cæterorum Canonicorum in Divinis: *Decernimus*, ait iste Papa, *ut duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ, in tuo servitio existentes, suarum integre fructus percipiant Præbendarum: cum absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur*. Quod concordat cum Constitutione Bonifacii VIII. (*s*) qui declarat, illis absentiæ a Choro facultatem jure prorsus attribui: *Quos ..... evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*.

(*q*) Alex. III. in c. De cætero 7. de Cleric. non resid. in Ecclesia, vel Præbenda l. 3. t. 4.

(*r*) Honor. III. in c. Ad audientiam. 15. eod. tit.

(*s*) Bonif. VIII. in c. Consuetudinem unic. de Clericis non resid. in 6.

Quæ

Digitized by Google

Quæ diximus non extendenda sunt tamen ad quotidianas distributiones: Quippe multo antea quam promulgarentur mox citatæ Decretales, opposita consuetudo, nulla facta absentium distinctione, prævaluerit, & semper idem usus sit postea servatus. Quod patet ex iisdem Decretalibus. 1. Namque laudatus Papa Alexander III. (*a*) excipit panem & cætera cibaria Canonicorum, in quorum locum pecuniariæ successere distributiones. *Nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi.* 2. Honorius III. in alia Decretali, quam inscribit Abbati & Priori S. Genovefæ Parisiensis (*b*), de Archidiacono Eboracensi, decernit, non velle se, ut ipsi, quanquam lectiones Theologicas etiamnum excipienti, quotidianæ distributiones exhibeantur. *Nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quæ tantum residentibus Ecclesiis & his qui intersunt Horis Canonicis, exhibentur, ei tribui facias.* 3. Bonifacius VIII. in allegata jam Constitutione declarat quoque ejusmodi distributiones non nisi præsentibus attribuendas, & absentibus esse detrahendas (*c*). *Statuimus*, inquit, *ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis de aliis Beneficiatis ac Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur.* Quod confirmatum est a Concilio Tridentino (*d*), cujus verba ita clara sunt, ut nullam tergiversationis ansam præbeant, & nullius exceptionis mentionem habeant. *Distributiones vero, qui statis Horis interfuerint recipiant, reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant; juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit*: Consuetudinem, *quod Sancta Synodus in usum revocat; non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus.* Ita loquuntur Patres præfati Concilii, cui totum consentit Concilium Basileense (*e*).

Idem denique statuere plurima Galliarum Provincialia Concilia; qualia sunt Rhemense, Rothomagense, Bituricense, Burdigalense, Narbonense, Aquense, & Turonense.

Fatendum est nihilominus, contrarium usum ab aliquibus Arrestis Supremorum hujusce Regni Senatuum comprobari, quantum ad quotidianas distributiones tantummodo, atque etiam in quibusdam Ecclesiis invalescere: At prorsus aliter est de distributionibus, quas ajunt *manuales*, hoc est, de iis distributionibus, quæ dispertiuntur in diebus obituum, quas prædicti duo Canonici, qui ab Episcopo assumuntur in partem regiminis ipsius Diœceseos, non percipiunt.

Concludimus ergo, Petrum & Paulum posse, tuta conscientia, licet absentes, fructibus suarum Præbendarum potiri ac gaudere, cum adsunt Episcopo, cui eorum tum Consilio tum subsidio opus est ut suo munere laudabilius fungatur. At vero, loquendo ordinarie, iisdem idem privilegium non concedere, quantum ad quotidianas distributiones; nisi obveniente casu, quod usus contrarius in suis Ecclesiis jure legitimo invaluerit: ab iisque tandem nihil percipi posse manualium distributionum. Licet ea de re Patrem Thomassinum (*f*) adire, & primum Tomum Commentariorum Cleri (*g*), in quo refertur Arrestum pronunciatum 16. Julii 1650. pro duobus Canonicis Rhemensibus, quos consilio sibi futuros Archiepiscopus accersiverat.

(*a*) Alex. III. in cit. c. dudum extra.

(*b*) Hon. III. in c. licet. 32. de Præb. & Dign. l. 3. t. 5.

(*c*) Bonifac. VIII. in cit. c. Consuetudinem.

(*d*) Conc. Tr. sess. 21. c. 3. de reform. & sess. 24. c. 12.

(*e*) Conc. Basileens. sess. 21. c. Quo tempore.

(*f*) Thomass. Discipl. Eccles. part. 4. l. 2. c. 37.

(*g*) Commentarior. Cleri to. 1. p. 105.

CASUS V.

Capitulum de Ecclesia Cathedrali Auscitana constans ex quinquaginta Canonicis, & cujus immensi sunt reditus, juxta generalem usum, qui ab aliis omnibus Capitulis frequentatur, quemdam Canonicum præfecit, qui Burdigalam sese transferret, res, quæ Capituli intersunt, gesturus, & litium ibidem pendentium causam apud Judices acturus, judiciumque persecuturus. Jam ab annis tribus in dicta Civitate commoratur. Numquid præfata ratione juvatur, ut proventus annuos & quotidianas distributiones possit sibi vindicare?

RESPONS.

Ut ingenti prorsus incommodo ii patent, qui proprias suas res gerendas alienæ fidei committunt: ac sæpe sæpius contingere potest, easdem ex negligentia seu mala fide tum Procuratorum, tum Negotiosorum hominum, fieri deteriores. Aliunde vero, quæ in ejusmodi res agendas impenduntur, impensæ multo magis accrescunt Capitulo quam cum aliquis ab eo delegatur ipsius negotiis operam daturus, & tandem, præterquam quod ejusmodi persona delegata majori tum fide tum vigilantia res ipsas peragat, quam eædem ab alieno aliquo gererentur: ipsa rectius ea noscit, quæ Capituli referant, quæve potissimum ab eo intendatur quam ab alio cognosceretur. Apprime propugnari potest, exceptionem istis Tridentini Concilii verbis conceptam (*h*), *Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas*, ad propositum specialem casum esse omnino extendendam. Ita censet Navarrus (*i*), fretus quidem 1. quadam Decretali Honorii III. (*K*), cujus summarium ea ratione sic conficitur: *Qui juravit in Ecclesia residere, pro servitiis Ecclesiæ licite se absentat.* 2. Quadam Constitutione Bonifacii VIII. (*l*), qui declarat, in ejusmodi casu Canonicum absentem, residentem prorsus esse censendum. *Cum tales Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem censeri debeant residentes......* Ipsissima sunt laudati Papæ verba, qui quotidianas excipit tantummodo distributiones, quæ memorato Canonico non acquirunt: *Quotidianis distributionibus duntaxat exceptis.* 3. Generali, quæ in omnibus Capitulis passim obtinet consuetudine, quæ, quos præficiunt rebus suis gerendis, Canonicos habent tanquam præsentes, etiam quantum ad distributiones. *Valet consuetudo*, inquit iste Canonista, *ut hujusmodi absentes pro utilitate suarum Ecclesiarum censeantur residere, etiam quoad quærendas distributiones, secundum Archidiaconum (m) communiter ab omnibus receptum.* Quod confirmat isto principio, cujus usum transfert & accommodat ad casum præsentem. *Consuetudo, præsertim generalis & rationabilis est optima Legum interpres (n): Imo, si legitime præscripta sit: Legem humanam etiam rationabilem perimit, & tollit.* Idem etiam Cabassutius docet: *Si quis tamen abisse cogatur*, inquit eruditus iste Professor Avenionensis, *ad curanda (o) Ecclesiæ, cujus est Præbendatus, negotia ex Capituli commissione, ... non est distributionibus privandus.* Habemus ad normam constitutæ Disciplinæ ea de re pronunciatum Arrestum 23. Augusti 1612. pro Isaac Gayral, qui annonæ jus habebat inter Canonicos de Ecclesia Albigensi, contra ejusdem Ecclesiæ Syndicum. Quod quidem Arresti Horri refert (*p*). Bouchel, qui opinioni nostræ adhæret, in ejusdem etiam patrocinium citat Mainardum (*q*).

A fortiori dicendum est idem 1. de Canonico, qui delegatur a Diœcesi distribuendis atque ordinandis Decimis: ut fuit constitutum in Comitiis Cleri anni 1636. istis verbis (*r*): *Dicti delegati, qui in Curia Ecclesiastica præfata intererunt, censebuntur præsentes, & gaudebunt omnibus fructibus, obventionibus, proventibus, atque emolumentis pertinentibus ad sua Beneficia, tam de reditibus annuis, quam de quibuscumque distributionibus manualibus atque quotidianis, cujuscumque naturæ ac conditionis extiterint, provenientibus: quemadmodum iisdem omnibus gauderent, si actu & de facto ac personaliter suis Beneficiis deservirent.* Quod Cleri statutum confirmatum est Arresto Consilii Privati 19. Octobris 1638. lato pro Antonio Matharel Canonico Carnotensi Promotore in Camera Ecclesiastica Curiæ Decimarum Parisiensis, contra Capitulum Carnotense; quod Arrestum perscriptum est in Commentariis Cleri citatis ad marginem. 2. De Canonicis, qui legantur ad Comitia Cleri generalis; ut judicatum fuit tribus Arrestis Consilii de rebus ad Regnum pertinentibus quæ in iisdem Commentariis referuntur (*s*), & pronunciata fuere primum quidem 23. Febr. 1636. Secundum vero 13. Octobris 1645., tertium denique, 15. Novembris 1660. 3. De Archidiaconis, quamdiu Parœcias invisuri concursant; quemadmodum decretum est in Comitiis generalibus 26. Septemb. anni 1635. (*t*) 4. De Canonico, qui Episcopo expresse jubente, ministerio annunciandi Divini verbi fungitur in Adventu, Quadragesima, & O-

(*h*) Conc. Tr. sess. 23. c. 1. de reform. cit.

(*i*) Nav. l. 3. consil. de Cl. non resident. &c. Consilio 8. tom. 3. fol. 104. Edit. an. 1601. Ven.

(*K*) Honor. III. in c. ex parte 13. de Cl. non resident.

(*l*) Bonifac. VIII. in cap. cum non deceat 30. de elect. in 6.

(*m*) Archid. in 1. de Cl. non resident. in 6.

(*n*) Inn. III. in c. cum dilectus 8. de elect. &c.

(*o*) Joan. Cab. jur. canon. th. & pr. l. 5. c. 1. n. 6.

(*p*) Claudius Horri tra. de legit. foro jurisd. Ecclesiast. p. 275.

(*q*) Bouchel. Biblioth. Canonic. to. 1. v. Beneficia. p. 141. Mainard. l. 1. c. 5.

(*r*) Commentarior. Cl. to. 4. p. 107. & 176.

(*s*) Ib. p. 105. 109. & 1381.

(*t*) Id. p. 124.

& Octava festi Corporis Christi: Aut Missionis alicujus exercitiis vacat; ut sancitum fuit Arresto privati Consilii pronunciato 30. Octobris 1640. pro Episcopo Carnotensi, contra Capitulum ipsius Ecclesiæ (a). 5. Denique idem statuendum quoque est de Canonico, cui absentandi necessitas inducitur ut litem iniquam repellat: quam ei ipsius Capitulum infert; quemadmodum pronunciavit Supremus Senatus Parisiensis Arresto suo 11. Julii 1672. pro Claudio de la Poipe de Vertrieu, Canonico de Ecclesia Collegiali S. Petri Matisconensis, quem Capitulum de eadem Ecclesia lite prorsus iniqua morabatur (b).

(a) Comment. Cleri tom. 1. p. 106.

(b) Comment. Cleri tom. 2. p. 602.

CASUS VII.

Leopoldus, Canonicus de Ecclesia Cathedrali Viennensi, Rurali cuidam Curæ tanquam deserviens ex jussu sui Prælati expresso præficitur ab sex mensibus. Numquid ea de causa, coram Deo solvitur onere residentiæ, & assistendi Divinis Officiis quæ in præfata Ecclesia persolvuntur?

Respons.

Habet prædictus Canonicus cum residentiæ, tum annexorum Præbendæ suæ muniorum vacationem; ut facile evincitur ex dictis in dissolvenda difficultate Superiori, cujus occasione citavimus Arrestum pronunciatum a Concilio Privato 30. Octobris 1640. juxta præcedens aliud Arrestum, quod latum fuerat 23. Februarii 1636. quibus Rex edicit, ut Canonici, qui requirente suo Episcopo, ministeriis aliquibus Ecclesiasticis operam impendent, censeantur præsentes in Choro, & tam fructus annuos, quam distributiones quotidianas ac manuales percipiant; quamdiu Legationi suæ aut negotio sibi demandato incumbent: Atque revera quidem jure omnino contendi potest immunitatem, quæ Leopoldo vindicatur, expresse inniti Bonifacii VIII. Constitutione allegata (c) in tertia Decisione. Præfatus namque Summus Pontifex declarat in illis verbis, *evidens Ecclesiæ utilitas*; causam adesse absentiæ, quæ coram Deo legitima prorsus habetur. Porro nullus ierit inficias, quin Ecclesiam plurimum juvet, Parœciæ derelictæ deserviri: quin etiam ex ejusmodi opere plus utilitatis ipsi Ecclesiæ inferri, quam ex præsentia in Horis Canonicis & cæteris Officiis Divinis, quæ nihilominus ab aliis Canonicis assistentibus Choro persolvuntur (d).

(c) Bonifac. VIII in cit. c. consuetud.

(d) Fr. de Gen. th mor. t. 2. tr. 1. c 7 q. 8

CASUS VII.

Candidus Canonicus de Ecclesia Collegiata S. Lies, cujus Præbendæ non referunt nisi 100. libras aut ad summum quadraginta nummos annui census, cum de modico adeo reditu non sibi sit unde possit victum atque vestitum sibi quærere, ipsa necessitate compellitur ad subveniendum quibusdam Parochis ruralibus in functionibus, quæ Beneficiis ipsorum annexæ sunt, adimplendis; quo sibi inde suppetat, unde valeat vitam sustentare. Quidam ipsi familiaris incussit ei ea de re Religionem, eumque monuit, nullatenus ei licere, ultra tempus præfinitum a Concilio Tridentino & Canonicis indultum, sine conscientiæ dispendio ab Ecclesia sua abesse. Quærit utrum injecta sibi ea de re Religio causam habeat non omnino vanam ac futilem; & sibine penitus interdicatur, sibi, quoquo modo possit, comparare, unde consulat summæ sui Canonicatus tenuitati?

Respons.

Quod Candido consilium datum est, fundamento certissimo nititur, si abesse soleat ultra tempus, quod a Concilio Tridentino concessum fuit. Ratio est, quia cum Beneficium acceptatur, onus Beneficio annexum simul acceptari consequens est. Atqui istud potissimum oneris præbenda aliqua inducit, ut cui de eadem providetur, ei necessitas assistendi quotidie Divinis officiis incumbat: Quod quidem, nisi residentiam actualem habendo, non potest adimplere.

Quam decisionem ipse suggerit Alexander III. (e) scribens ad Episcopum Lincolnensem in Anglia, cui dictus Papa declarat, Ecclesiasticum non ideo fieri immunem a peragendis per se ipsum officiis, quæ suæ Ecclesiæ annectuntur, & a residentia ibidem servanda; quod non habeat a Beneficio suo, unde sibi victum ac vestitum suppeditet. En quibus verbis loquitur. *Conquerente nobis R. Presbytero, accepimus, quod Guillelmus ab eo pro Ecclesia sua, de qua vitæ necessaria vix potest percipere, annuatim 20. solidos extorquere conatur? asserens, Beneficium istud in eadem Ecclesia sibi fuisse collatum .... Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si tibi constiterit, quod dictus Guillemus habeat Ecclesiastica Beneficia sibi sufficientia, vel quod eidem Ecclesiæ non deserviat, sibi super præscripto Beneficio silentium, sublato impedimento appellationis, imponas.*

(e) Alex. III. in c. Conquerente 6. de Cl. non resid.

Ex quibus verbis colligitur, ab isto Summo Pontifice duo potissimum statui, ac decerni. Primum quidem, quod cum præsenti nostra difficultate nihil habet communionis, nimirum eum, qui Beneficiis aliunde gaudet, ex quibus abunde & honeste percipit vitæ necessaria, nullo jure jurari, ut quidquam fructuum de Beneficio dimisso possit exigere. Alterum vero, quod ad dissolvendam difficultatem propositam omnino conducit; scilicet, etiamsi nullum aliud Beneficium possideret, nihil ei juris dari, ut de Beneficio, cui non deservit, aliqua portio fructuum assignetur. *Quodcumque istorum constiterit, sufficit ad repulsionem ipsius*, inquit Author Glossæ (f), quod probat ex Summario cujusdam Decretalis Alexandri III. (g), quod concipitur istis verbis: *Si Papa mandat in rescripto de duobus inquiri alternative ad certum effectum consequendum; sufficit alterum probari.* Indicem citata Glossa infert. *Et sic patet, quod Clericus residentiam facere debet in Ecclesia sua: alias potest ea, de jure communi, privari.* Quibus verbis Candidus omnino condemnatur, cum ab Ecclesia sua absentatur ultra temporis spatium, quod ei jure indulgetur.

(f) [illegible]

(g) Arg. c. in ter. 4. de rescript. l. 1. t. 3.

CASUS VIII.

Sulpitius Canonicus de S. Euraoldo petit, num sibi liceat, salva quæ sibi incumbit, residendi obligatione, per dies quindecim, aut tres hebdomadas, ultra tempus communi jure sibi concessum abesse; suo consanguineo, seu familiari sibi cuidam quem novit in periculo salutis æternæ versari, subventurus; vel virorum aliquorum insignium aversos atque diffidentes animos in gratiam restituturus, & quæ inter eos intervenit, litem omnino gravissimi ponderis ac momenti compositurus?

Respons.

Existimamus, nihil in proposito casu delinqui a Sulpicio adversus obligationem, quæ residendi ipsi inducitur; si fuerit ei persuasum, suam ipsiusmet præsentiam ipsius pondere authoritatis & prudentiæ quibus præstat, fultam, multo magis valere, quam præsentia cæterorum, qui sese possent in istam gratiæ reconciliationem interponere; aut si nemo fortasse futurus sit alius, quem opus adeo laudabile promovendum sollicitum habuerit. Causa namque non residendi, quam Tridentinum Concilium comprobat (h) in confirmanda Bonifacii VIII. Constitutione, quamque verbis istis sic enuntiat: *Christiana charitas* in eo sensu debet accipi, quo eam Cardinalis Toletus intelligit (i), cum ait: *Per Christianam charitatem oportet intelligere proximorum utilitatem. Cum enim proximus laborat, potest ut illi succurratur aliqua fieri absentia .... potest etiam ob paces Magnatum componendas abesse.* Quæ eadem Concilii verba Barbosa (K), eadem quoque ratione interpretatur.

(h) Conc. Tr. sess. 23. c. 1. de reform.

(i) Fr. Toletus Instruct. Sacerd. l. 5. c. 4. n. 3.

(k) Aug. Barbosa in cit. c. sess. 23 Conc. Trident.

Neque tamen præfatæ rationes possent Sulpitio jus tribuere, vindicandi sibi per spatium temporis quo absentatur, quotidianas distributiones; quippe proprio jure non cedant, nisi iis, qui præsentes Divinis officiis etiamnum intersunt. Quam enim Ecclesia circa distributiones constituit; Lex debet ad strictos literæ apices intelligi, & in rigorosam omnino partem interpretari, id est, quas suæ Legi apposuit, exceptiones, & circumstantiæ, in quibus licitum facit, ut distributiones iis etiam accedant, qui officio non assistunt, potius restringendæ sunt, quam benigniori interpretatione nimium

ex

extendendæ. 1. Quoniam ex istis exceptionibus Divinus cultus plurimum imminuitur. 2. Quia iis detrimento sunt, quibus istæ distributiones retentæ peculiari jure vindicandæ sunt. 3. Propterea quod communi juri penitus adversentur.

CASUS IX.

Hieronymus Canonicus de Ecclesia Cathedrali Murciæ, residentiam in suo Beneficio per annum integrum non habuit: cum Religiosæ peregrinationis caussa ad Virginem Lauretanam & ad S. Petrum de Roma accessisset. Postquam vero reversus est, residentiam quidem actualem in Urbe Murcia servavit; sed iterum per alterum annum præsens non adsuit Choro. Annuos nihilominus suæ Præbendæ fructus percepit, qui ad summam usque 1200. librarum ouoquoque anno assurgunt. Unde summa 2400. librarum, utroque anno simul juncto conficitur. Qua de re quæritur, utrum prædicti fructus annui, (quos pinguiores appellant, ut ab iis secernantur, qui solent in distributionem venire;) præfato Canonico in foro conscientiæ acquirantur?

RESPONSIO.

Non cedunt, quantum ad forum conscientiæ, in casu proposito, Hieronymo fructus pinguiores ipsius Præbendæ, quanquam in foro Judicii civilis aliter judicaretur; ratio est, quia æquitati repugnat, Canonicum non residentem aut non assistentem officio Canonico, fructibus suæ Præbendæ potiri; siquidem Beneficium non conferatur, nisi ea Lege, quod officium ei annexum impleatur; ut ait Bonifacius VIII. (a). *Officium... propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur.* Ideoque Concilium Tridentinum (b) obligationem inducit omnibus Canonicis Præbendatis residendi & assistendi officio saltem per novem menses unjuscujusque anni; & declarat abusivam quamcumque contrariam consuetudinem. En præfati Concilii verba: *Non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiar. Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.*

(a) Bonifac. VIII. in cap. Quia sin. de cl. s pti s. in 6. lib. 1. tit. 3.

(b) Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reform.

Quod etiam licet confirmare dispositione cujusdam Decretalis ab Innocentio III. confectæ in quarto Concilio Generali Lateranensi (c), & ex alia, quam Alexander III. inscribit Episcopo Salisburiensi in Anglia (d), qua jubet, Canonicum ex propria culpa non habentem residentiam in Ecclesia, de qua Præbendatus est, beneficio suo spoliari. *Tu de Præbenda sua prives eundem, & eam alii idoneæ personæ concedas.*

(c) Innoc. III. in Conc. Gener. Lateran. in c. Extirpanda. 30. § Qui vero. de Præbend. & Dignit.

(d) Alexand. III. in c. Pervenit. 16. de appellationibus & recusat. lib. 2. tit. 28.

Opponi potest adversus hanc nostram decisionem 1. eam invalescere ab omni hominum memoria consuetudinem in Ecclesia Murciæ, & in infinitis propemodum aliis Ecclesiis tam Hispaniæ, quam Galliæ atque Italiæ, ut Canonici residentiæ sint immunes, quantum ad percipiendos fructus annuos seu proventus pinguiores. 2. Nec Episcopos nec ipsum etiam Summum Pontificem ejusmodi consuetudini ullatenus refragari. 3. Alioquin frustra omnino adhibituram fuisse inter eos, quos pinguiores fructus vocant, & eos, qui solent in distributiones quotidianas venire, distinctionem. 4. Fructus de simplici Prioratu, qui nullam requirit residentiam, obvenientes percipi, propriosque fieri; quanquam quæ ab istis Prioratibus immensa fere bona pendent, olim concessa non fuerint absque ullo onere imposito, ac proinde fructus e Præbenda provenientes fieri quoque proprios posse, licet, non nisi cum oneris obligatione, reditus omnino pinguiores ei fuerint assignati.

Quibus respondemus: 1. Hieronymum juvari neutiquam posse consuetudine, quæ in ipsius favorem jactitatur; etiamsi foret omni hominum memoria antiquior. Atque istud satis evidenter evincunt isthæc Tridentini Concilii verba, quæ modo allegata fuere: & revera quidem ita declaratum est verbis omnino conceptis a sacra Congregatione Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum, cujus decisiones Eruditus Barbosa (e) refert; ex quibus palam fit, quam falso affirmetur, ejusmodi consuetudinem a Summo Pontifice tolerari; quæ etiamsi tum ab eo, tum ab Episcopis sufferretur, non inde magis legitima evaderet. Secunda ratio, quæ objicitur, non minus ergo, quam prima, futili prorsus fundamento nititur.

(e) Ang. Barbosa in Conc. Triden sess. 24. c. 12. n. 17. 58. 59. & 60.

Neque vero magis Hieronymo succurritur ex distinctione pinguiorum fructuum, & quotidianarum distributionum, quæ opponitur, ut inde jus ei cedat pinguiorum fructuum in enunciata specie de præbenda sua percipiendorum: in eo namque totum inter utramque proventuum speciem versatur discrimen, quod Canonico residentiam actualem servanti possint fructus pinguiores obvenire; quanquam assiduo præsens non intersit unicuique magnarum partium seu Horarum, ex quibus Canonicum officium conflatur; quippe sufficiat, eum censeri Choro adesse ordinarie atque moraliter loquendo: contra vero jure decidat gaudendi distributionibus quotidianis, nec eo donetur, nisi in quantum præsens interest unicuique Horarum, quibus assignantur; adeo ut, si Canonicus non assistat una die nisi unicæ Horæ, puta Horis matutinis tantummodo, non ei cedat, nisi unica distributio, quæ istis Horis quodammodo alligatur, nullatenus vero acquirantur, quæ ceteris ejusdem diei Horis destinantur; nisi ipsi succurrant casus, qui jure excipiuntur, aut in quibus Canonicus absens, quadam quasi Juris suppositione, præsens existimatur (f). Quæ regula quantum ad ejusmodi distributiones, eo fine ab Ecclesia inducta est, ut divinus cultus semper staret atque etiam magis ferveret: eaque de caussa constituit Concilium Tridentinum (g), ut in Capitulis, in quibus usus distributionum officiis assignatarum non invaluerat, tertia pars integri reditus mensæ Capitularis in distributiones seponeretur; ut inde magis incitarentur Canonici, ad assistendum Divino officio majori cum assiduitate; & istud officium cum ea dignitate & venustate perageretur, quæ Deum illum decent, quem colimus & reverentissime veneramur. Istudque potissimum intendentes tum Reges suis Edictis, tum Magistratus suis Arrestis summopere præcaverunt, ne possent poni in custodia & pro ære alieno devoveri quotidianæ distributiones; neque Beneficiatius aliquo Judicio de Beneficio depulsus, cui per aliquod spatium temporis deservisset, veleret compelli ad restituendas distributiones, quas per idem tempus percepisset; quemadmodum observat D. Dubois (h), qui ea de re refert Blesensis Edicti articulum quinquagesimum septimum.

(f) Vide casum istum in decisione duodecima.

(g) Concil. Triden. sess. 21. c. 3. de reform.

(h) Instit. de Jure Canonico t. 1. p. 187. & t. 2. p. 233.

Tandem intempestive prorsus allegatur exemplum mutuatum a Prioratu simplici, qui nullam imponit titulari Legem residentiæ, & cujus nihilominus fructus titulari jure legitimo accedunt. Standum namque est constitutæ ab Ecclesia ea de re Disciplinæ; quæ omnia Beneficia in duas classes distribuit; eorum scilicet, quæ residentiam actualem & personalem exigunt; queis annumerat Præbendas; & eorum, quæ residentiæ onus non imponunt; quales sunt simplices Prioratus. Ex qua Beneficiorum distinctione, sequitur, quanquam ei, cui de simplici aliquo Prioratu provisum est, non incombat ex debito conscientiæ residendi necessitas, ut provenientes inde fructus suos efficiat; non inferendum tamen esse ex ejusmodi exemplo, Canonico, qui non constituitur in Casibus privilegio exceptis, posse cedere fructus pinguiores suæ Præbendæ, cum in eadem residentiam saltem ordinariam non habet. Ita censet Eruditus quidam Theologus (i).

(i) Sambovius tom. 2. casu 69.

CASUS X.

Lib**a**rtus & Publius Capellani ab Eleemosynis Regis, seu Clerici addicti Capellaniæ Regiæ, aut Reginæ Sacello, gaudent unusquisque una Præbenda in Ecclesia quadam Cathedrali, cujus Capitulum constat ex viginti Canonicis; & fructus de eadem provenientes a plurimis annis suos efficiunt, nihil quidquam isti deservientes, sub eo nimirum prætextu, quod Regio Ministerio dent operam. Num in eo nihil occurrit, quod eorum conscientiæ fidem non commoveat?

RESPONS.

Istud Juris præfatis duobus Canonicis requiritur, ut etiam non residentes pinguiores suarum præbendarum fructus possint sibi vindicare, per illud tantummodo temporis spatium, quo muneribus suis apud Regem, aut Reginam funguntur, atque etiam per totidem dies antecedentes & consequentes, quot iisdem opus est, tum ut a loco suæ residentiæ ad Aulam se se conferant, tum ut ab Aula ad locum suæ residentiæ sese recipiant.

Quod privilegium, plurimum requirentibus Regibus ac Reginis, iis indultum est, qui apud eos Ministerio a legationibus funguntur, aut munus obeunt Capellanorum, aut Clericorum Sacello Regio seu Sacello Reginæ addictorum. Primam & antiquiorem Bullam, quam ea de re habemus, dedit Clemens VI. 20. Aprilis 1350. in Avenicorum Civitate, & eo modo Regi Joanni, & Reginæ Joannæ ipsius Conjugi inscripsit: *Vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ*, qua concedit ejusmodi Beneficiariis, ut, licet absentes, valeant reditibus ac fructibus suorum Beneficiorum gaudere ac potiri; id est proventibus suarum Præbendarum, seu Dignitatum, quas possident in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis, quamdiu Ministerio Regio daturi sunt operam. Quæ Bulla refertur a du Tillet & Chopin, & legitur in stilo antiquo Parlamenti, & in *spicilegio*, Domni Lucæ d'Acheri (*a*).

(*a*) Stil. antiquior. Parlamenti. part. 3. tit. 14. de Privilegiis Apost. Regi concessis. Spicileg. Luc. d'Acheri to. 4. pag. 295.

Idem postea confirmatum fuit privilegium plurimis aliis Bullis, testante du Tillet, a quo citatur Bulla Joannis XX. qui eandem gratiam facit; auctoritate sua comprobans, ac ratas efficiens Bullas trium aliorum Summorum Pontificum suorum antecessorum, scilicet Alexandri IV. Martini IV. & Gregorii X. quibus adjungere licet datam in eodem genere Bullam a Pio II. quam citant Fevret (*b*), & Guimier (*c*) in Glossa Pragmaticæ sanctionis, in qua sic habet: *Similiter Capellani, Clerici familiares & Domestici Regis & Reginæ Franciæ, in eorum servitio existentes, ex Privilegio Pii secundi, Mantuæ concesso, possunt officium suum dicere ad usum Romanum, vel Parisiensem: & ex illo Privilegio Clerici percipiunt grossos fructus suorum Beneficiorum & Præbendarum integraliter, tanquam si residerent in iisdem*.

(*b*) Carol. Fevret. tract. de Abusu l. 3. c. 1. n. 10.

(*c*) Guimier in gloss. Prag. sanct. tit. qualiter Horæ sint dicendæ. v. Teneantur.

Erit fortasse quis, qui adversus memoratum Privilegium objiciat, a Tridentino Concilio rescissas ac penitus irritas factas fuisse perpetuas quascumque non residendi dispensationes. At respondendum est, quoniam prædictæ Bullæ non ipsis Capellanis, neque Clericis, sed ipsismet Regibus ac Reginis inscribuntur, eum animum Concilio non affuisse easdem abolere ac rescindere; quippe aliter, quam verba generaliora adhibens, mentem suam alioquin aperuisset. Præterea vero perpetuæ, si proprie loquamur, censendæ non sunt ejusmodi dispensationes: propterea quod præfiniantur ad illud spatium temporis certum ac definitum, quo dicti Ministri, in obeundum munus suum incumbunt; quo quidem elapso tempore urget eos tum residentiæ, tum personalis eorum Beneficiorum functionis præceptum. Quod verbis omnino disertissimis habet Edictum promulgatum anno 1335. quod Philippum de Valois auctorem suum vindicat; & insuper confirmavit Edictum Melodunense datum ab Henrico III. Parisiorum mense Februarii 1580. (*d*) suadente Clero Gallicano. En verba sunt, quæ in eodem leguntur: *Cantores sacelli nostri, expleto suo trimestri, obligabuntur se se recipiendos in locum Præbendarum & aliorum Beneficiorum, de quibus eis provisum fuerit ad onus residentiæ, ibidem annexis dictis Præbendis atque aliis Beneficiis perfuncturi muneribus. Alioquin, nisi pareant, fructuum ac proventuum memoratarum Præbendarum, & præfatorum aliorum Beneficiorum residentiam requirentium ademptione ac privatione mulctabuntur: unde ait Renatus Chopin* (*e*): *Aulicum sacrificium, expleto trimestri Aulæ obsequio, Canonicatus sui munia . . . obire debere, ipsius alioquin compendiis, fructuariisque obventionibus excludendum*. Ex quibus verbis duo potissimum inferenda sunt. Prius quidem, Reges nostros eo continuatæ possessionis jure etiam post celebratum Concilium Tridentinum fuisse gavisos, ut suis Ministris Ecclesiasticis Privilegium, de quo impræsentiarum agimus, contulerint. Alterum vero, ejus generis dispensationem non posse perpetuis dispensationibus, quæ a Concilio rescissæ fuerunt, annumerari; siquidem trimestris temporis spatio, quo aulæ obsequio dant operam actualem, circumscribatur.

(*d*) Edict. Melodun. art. 7.

(*e*) Chopin. Monastic. l. 2. t. t. 1. 14.

Carolus Fevret ut iis, quæ circa subjectam difficultatem sumus prosecuti, plurimum ponderis atque auctoritatis adjiciat, plurimos appellat insignioris notæ Jurisconsultos, qui omnes allegant citatum Privilegium Apostolicum, & ejusdem veritatem simul & æquitatem Patrocinio suo maxime tuentur (*f*).

(*f*) Fevret loco cit. & apud eum Nicol. Boerius decis. 17. Carol. de Grassaliis l. 2. Regal. Franc. Chassanens Catalog. glor. mundi Oldradus consil. 48. 117. & 220. Baldus in Leg *Jurisperitis. v. Non ex ista*. ff. de excusat. tutorum. Du Tillet. &c.

Juvat nihilominus tria observare. Primum: ejusmodi de non residendo dispensationem a sancta sede indultam Ecclesiasticis Beneficiariis Convivis e Regia familia, aut domo Reginæ, non intelligendam esse, nisi de Præbendis ordinariis, neutiquam vero de illis, quæ ex suæ institutionis primo exemplari, aut ex usu, qui ab omni ætatis memoria invaluit, exigunt personale & actuale ministerium ad sacrum altare; quale est ministerium canendi quotidie Epistolam aut Evangelium intra Canonicæ Missæ solemnia, cui ministerio, qui inserviunt, Titulares a Chopin appellantur (*g*): *Servi hebdomadarii, quasique glebæ adscripti*. Neque enim præfati Beneficiarii possunt residentiæ vacationem sibi vindicare, ex eo prætextu, quod Regi dent operam; quemadmodum cautum est Arrestis a supremo Senatu pronunciatis, quæ referuntur ab eodem Auctore, & a Præside le Maitre (*h*): neque etiam penes est ipsum Capitulum, ejusmodi Canonico pinguiores fructus condonare.

(*g*) Renat. Chopin. Monastic. l. 3. c. 3.

(*h*) Le Maitre. 2. centur. Arrestorum. c. 59.

Secundum, quod advertendum est, præfatis nimirum Ministris Ecclesiasticis non acquiri per trimestre tempus ipsorum in Aula obsequii ex isto Privilegio a Summis Pontificibus concesso quotidianas distributiones; quoniam, nedum in ipsorum Bullis quotidianarum ejusmodi distributionum condonatio enuncietur, quin potius expresse prorsus excipitur, istis verbis, quæ refert Fevret. *A sancta sede indultum est, ut omnes Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, Regiis insistentes obsequiis fructus suorum Beneficiorum percipiant, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis*. Quibus consentaneæ omnino sunt literæ Regiæ, quæ olim circumscribi consueverant sub appellatione literarum *significamus*, in quibus eadem adhibetur exceptio, & quæ, testante laudato Auctore, istis concipiuntur verbis: *Mandantes, quatenus* (talem) *Clericum vestrum de fructibus Canonicatus, Præbendæ ac Beneficiorum uti & gaudere pacifice faciatis, distributionibus quotidianis tamen exceptis*.

Tertium tandem est, in Capitulis nimirum, in quibus extant tantummodo Canonici duodecim; non posse, nisi duos ex eisdem dicto Privilegio donari: & quatuor duntaxat, in iis quæ constant numero Canonicorum viginti quatuor, & sex in iis, in quibus numerus Superior occurrit. Ratio est, quia alioquin frigeret cultus Divinus, & supra modum ibidem imminueretur. Atque sic constitutum est Edicto anni 1594. quod ab ampliori Consilio ratum factum est atque comprobatum (*i*).

(*i*) Thomas sin. discipl Ecclesiast. 4. par. lib. 2. cap. 42. Sambovius t. 1. casu 23.

CASUS XI.

THEODOSIUS Canonicus de Ecclesia Toletana designatus est a Rege Hispaniæ, qui Supremus est ipsius Princeps, ut in Lusitaniam accederet legationem obiturus, aut internuntius extraordinarius futurus. Num potest, recta conscientia, demandatam sibi provinciam istam suscipere; & eam suscipienti numquid jure legitimo cedent pinguiores ipsius Præbendæ proventus?

RESPONS.

Declarat Concilium Tridentinum (*K*) inter caussas legitimæ absentiæ, recensendam esse ipsius Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem: *Evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*. Ideoque quemadmodum Theodosio prorsus liceret a sua Ecclesia sine peccato abes-

(*k*) Concil. Trid. cit. sess. 23. c. 1. de reform.

abesse, ejusdem iura ac privilegia vindicaturus, aut quo Concilio Generali seu Provinciali præsens interesset; eadem quoque ratione ipsi licet a suo Ecclesia recedere, cum ipsius Princeps aum habens rerum Regni sui gerendarum quocumque alio capaciorem, ipsum legat in Aulam alicujus potentissimi Principis. Atque ea potissimum ratio est, quod ejusmodi Provincia, qua par est sedulitate fungens plus utilitatis conferre censeatur, quam, si in Ecclesia sua rasidentiam haberet, & in Choro Divinis assisteret; adeoque strictæ sit omnino æquitatis eundem residentem haberi, & pinguioribus suæ Præbendæ fructibus gaudere.

CASUS XII.

Hipparco, emissa solemni Religionis professione in reformato quodam Monasterio; a quo pendent quamplurima eaque locupletissima Beneficia, communitas post unum ab illinc annum contulit simplicem Prioratum, cui reditus annuus anoectitur 2000. librarum, neque quidquam alterius oneris alligatur, quam trium privatarum Missarum per unamquamque hebdomadam celebrandarum. Num potest aut debet illuc sese conferre residentiam in dicto Prioratu servaturus?

Videtur eum non posse; siquidem virum vitæ Religiosæ addictum deceat arctissima in suo Claustro residentia. Aliunde vero videtur e contrario ei omnino incumbere præfatam obligationem; aut saltem ipsi licere in dicto Prioratu habere residentiam. Enimvero qua ratione ad verum accedere potest, a prædicti Beneficii fundatoribus Titulari immensa adeo bona assignata fuisse cum eo duntaxat onere, quod per unamquamque hebdomadam tres Missæ privatæ celebrarentur, neque præterea eidem incumberet ipsi Ecclesiæ serviendi in loco Beneficii sui necessitas?

R e s p o n s.

Nedum Religiosus mamoratus; ex eo quod titulo simplici Prioratus 2000. librarum census annui gaudere inceperit, teneatur ad residentiam in loco, in quo Beneficium istud positum est, solus habendam, quin immo nec potest ibidem residere, nisi delinquendo adversus prohibitorium Decretum Concilii Generalis Lateranensis tertii celebrati sub Alexandro III. anno 1179. quod Decretum ea ratione sic enunciatur (a): *Monachi .... nec singuli per villas & Oppida per quascumque Parochiales ponantur Ecclesias, sed in Majori Conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter seculares Homines spiritualium Hostium conflictum expectent: Salomone dicente (b):* Væ soli, quia cum ceciderit, non est qui sublevet eum.

(a) Conc. Lateran. III c. Monachi 2. de statu Monacharum & canon. Regular. l. 3. t. 35.
(b) Eccle. 4

Eoque fundamento fretus Honorius III. in sua Epistola ad Episcopum Venetiarum (c) idem prohibet ac declarat; etiamsi quidam Religiosi contrarium privilegium vellent sibi vindicare præ se ferentes aliquod Romanum Rescriptum, quod sibi indultum fuisse jactitarent, non propterea tamen eosdem inde juvari oportere, imprimis vero si nihil habeat ejusmodi Rescriptum clausulæ, qua Decreto Concilii expresse derogetur; ac præcipit, laudati sacrosancti Concilii Decretum religiosissime deinceps servari atque intactum custodiri. *Respondemus*, inquit memoratus Papa, *quod hujusmodi literas ab Apostolica sede non credimus emanasse, quod si per occupationem forsitan emanaverint, volumus per hoc derogari Concilio supradicto.*

(c) Hon. III. in c. ex p. 3. de Capellis Monachorum & aliorum Religiosor. l. 3. t. 37.

Idem Papa, in quadam Decretali, quam Archiepiscopo Burdigalensi inscribit occasione Religiosorum de ipsius Diœcesi, qui soli commorabantur in Prioratibus, quorum titulo gaudebant, sic habet (d): *Mandamus quatenus ipsorum Abbates, seu Priores, ut vel ipsos ad Claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deservire per Clericos seculares: vel alios Monachos eisdem associent, cum quibus possint vitam ducere regularem, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam compellas.*

(d) Idem in c. ad audientiam 4. eod.

Quæ rationum momenta indubitata prorsus & extra omnem controversiam posita manifestam efficiunt, quæ Hipparco inducitur in claustro suo remanendi, obligationem. Non ignoratur equidem, ea de re opposita passim occurrere exempla quamplurima: at nec etiam ignoratur, quin potius nimium sese prodit, in opprobrium ac dedecus Religionis, quam cito citius ejusmodi Religiosi Beneficiarii remittant de studio ac perseverantia eorum, quæ cum ipsorum vitæ instituto connectuntur arctissimis vinculis, peragendorum, ubi primum de suis Monasteriis recesserunt; quippe qui continua qua abripiuntur mentis aberratione, & secularium more vitam moresque componentes, ipsi seculares omnino efficiuntur.

R E S I G N A T I O.

RESIGNARE Beneficium, est illud voluntario dimittere in manibus Collatoris, cui, quantum in illo est, liberum omnino relinquitur juxta, quæ viguerunt antiquitus, instituta Canonica, aut ipsam Beneficii dimissionem acceptare, quo quidem in casu proprio Beneficio Beneficiarius spoliatur: aut eandem rejicere, obligando Beneficiarium ad illud sibi retinendum, quando sic ei videtur, ipsius Ecclesiæ utilitati ac commodo magis expedire.

Vocabulum istud, quod in rebus Beneficialibus ut plurimum usurpatur, aliquando accipitur pro renunciatione, aut dimissione pura ac simplici alicujus Beneficii: aliquando etiam pro renunciatione conditionata, hoc est confecta in favorem alterius cujusdam personæ: atque postremum istum sensum debet importare vox RESIGNATIO, quanquam non multum temporis ultra duo secula excesserit, ex quo altera ista Resignationis species usu recepta est.

Resignatio Beneficii potest ab aliquo fieri, vel quamdiu prospera gaudet valetudine, vel cum aliquo morbo detinetur, atque etiam sese sentit morte jamjam occupari: at Innocentius VIII. regulam constituit gravissimi prorsus ponderis ac momenti, quæ inter regulas Cancellariæ Romanæ decima octava recensetur, & appellatur *de infirmis Resignantibus*, quæque a primo suo exorsu in hoc Regno obtinuit, quoniam ut plurimum favere Episcopis in eo potissimum visa est, quod ea potissimum caveretur, ne adeo sæpe frustrarentur suo jure conferendi. Fert autem, cum Beneficiarius morbo detentus, ipsius morbi currente tempore, Beneficium suum resignavit, & morte corripitur intra viginti dies

integros computandos ab ipsa die confectæ resignationis, Beneficium fieri vacans ex obitu: & Provisiones ex ejusmodi resignatione obtentas, irritas prorsus esse ac nullius valoris.

Diximus: *Quæ a primo suo exorsu in hoc Regno obtinuit*: Dici namque his diebus hodiernis omnino potest, eandem nihil jam utilitatis atque roboris ibidem habere: quoniam usus invaluit ex stilo ordinario Curiæ Romanæ, ut eidem expressa verborum clausula consuetum fuerit derogare; modo ipsius derogatio non verteret in damnum Indultorum Cardinalium, qui juxta pactum, de quo inter eos convenit, post electionem Pauli IV. non possunt a Summo Pontifice præveniri, etiamsi non nisi Regia diplomata adhuc obtinuissent, sive soli sint Beneficii Collatores, sive conjunctim cum aliquo Capitulo isto jure potiantur, sive tandem sint ejusdem tantummodo Patroni. Verum nunquam licet mortem Beneficiarii defuncti celare, nec Cadaver obtegendo servare clanculum, quin etiam tanquam rei Capitalis agitur reus, quisquis horum alterutrum admittit.

Ex alia ejusdem Cancellariæ regula, quæ dicitur regula *de publicandis*, quæcumque resignatio fit caduca, cum ea Resignatarius publicam non fecit, & receptis e Roma provisionibus, sex menses abire permisit, ipse non curans se in possessionem induci: aut unum tantummodo mensem, si ei ab Ordinario fuerit provisum, & interjecto temporis istius spatio Resignans in possessione etiamnum extans decedat; tunc namque Beneficium censetur ex obitu vacasse. At vero si Resignanti adhuc vita suppetat; cedunt Resignatario tres anni integri, ad eum de possessione deducendum, qui numerandi sunt ab ipsa die confectarum in favore ipsius provisionum: intereaque Resignans fructus beneficii suos efficit, usque dum possessione fuerit a Resignatario expulsus; quemadmodum judicatum est ab ampliori Consilio Arresto ea de re lato 13. Aug. 1638. At tribus annis semel elapsis, Resignatario nullum jam cedit jus ad Beneficium, & ipsius Provisiones caducæ omnino evadunt atque nullius pretii, quoniam in eo casu Resignans censetur Beneficium possidere ex novo titulo; quem ei confert possessio triennis, secundum Regulam de *pacificis*, quæ ex Edicto an 1646 in Gallia recipitur.

Potest resignari vel in propria persona, vel per Procuratorem: at omnis Procuratio *ad resignandum* debet, 1. scribi coram uno Notario Regio, aut Apostolico, ac deinde referri in publicas tabulas. 2. Esse specialis; hoc est, auctoritatem faciens resignandi tale Beneficium tali personæ. 3. Eum, a quo conficitur ista procuratio, puberem factum esse, necesse est, id est ad annum ætatis decimumquartum expletum pervenisse. 4 Eam oportet proprio suo effectu donari intra annum a die, quo confecta fuit, numerandum, hoc est, si vi procurationis istius ipsa resignatio intra annum non subsequatur, procuratio fit caduca, & quasi rescissa habetur: adeoque, quæ post elapsum annum vi caducæ istius procurationis Provisio accessit, non potest vincere provisionem ei concessam, cui de eodem Beneficio fuit *per obitum* provisum 5 Semper potest revocari ac rescindi, *re adhuc integra*; hoc est, antequam Resignatio in Curia Romana admissa fuerit juxta formas servandas. 6. Quoniam Procuratio ministerium inducit omnino gratuitum atque ex benevolentia, solvitur per mortem illius, qui Procurationem fecit, aut per illius obitum, qui eandem sibi factam susceperat, juxta isthæc Imperatoris Justiniani verba (a). *Si, adhuc integro mandato, mors alterutrius interveniat, id est, vel ejus qui mandaverit, vel illius qui mandatum suscepit, solvitur mandatum.*

(a) §. 10. In stit. de mandato.

Potest procurator designari ac constitui non Ecclesiastica tantummodo persona, sed etiam Laica. Verum ut, quod inde posset emergere, incommodo occurratur, usu receptum est, ut, qui rebus in Curia Romana conficiendis præficiuntur, & vulgo dicuntur Expeditionarii, iis omnes designarentur Procuratores, ne scripta procuratio per obitum illius, qui Procurator indicatus fuisset, solveretur.

Ut nemini licet vim adhibere, qua sibi resignationem alicujus Beneficii extorqueat, nemini quoque succurrere potest puerilis infirmitas Designantis; adeoque quando minor est decem & octo annorum, & Beneficium resignavit, non implorato aut tutoris aut patris sui consensu, usus invaluit, ut ejusdem resignationis recisio ab eo postmodum confecta, rata habeatur, cum nullo alio Beneficio gaudet, ex quo vitæ necessaria sibi subministrentur, excepto casu, in quo beneficium abdicasset, quod ex genere suo discrepantiam cum alio ejusdem generis haberet. Verum post expletam istam ætatem Resignatio confecta sine dolo & sine corruptela non potest rescindi, cum semel in Curia Romana admissa est:

ſa eſt: quoniam ætas annorum decem & octo quantum ad iſtam rem tantummodo juſta ac legitima cenſetur.

Cum Reſignatio pura eſt atque ſimplex, & Reſignans animo habet eandem reſcindere, antequam a Collatore fuerit admiſſa; ipſius reciſio denuncianda eſt ipſimet Collatori: At vero cum reſignatio confecta eſt *in favorem*: ſatis eſt, ſi ejuſdem reciſio ipſi Notario, cujus miniſterium adhibitum eſt, denuntietur, aut eo abſente in ejus domicilium, vel etiam ipſimet Reſignatario, quemadmodum obſervat Mornacius (*a*). Quoniam vero poſſet contingere. Reſignatarium eſſe malæ fidei, & ſeſe e conſpectu abdere, eo fine ut ipſam denuntiationem declinaret; in eo caſu iſto potiſſimum remedio utendum eſſet, nempe quod Reſignans coram Notario uno ac duobus teſtibus ſignificaret, a ſe reſcindi reſignationem talis Beneficii confectam in favorem talis perſonæ: Quod non antea peragendum eſſet, niſi primum ſcriptis actis de perquiſito abſente.

(*a*) Mornac. in L. 41. tit. 2. lib. 12. & in l. 15. tit. 6. l. 17. digeſt.

Poteſt reſignans, antequam ſua reſignatio confecta in Curia Romana admittatur, Beneficium dimittere in manibus proprii Epiſcopi: quo quidem in caſu neceſſe eſt ipſius dimiſſionem Reſignatario ſignificari iiſdem formis adhibitis, quæ adhiberi ſolent in denuncianda aliqua reciſione.

Interdicunt Edicta, pœna impoſita, quod nullum atque irritum futurum ſit inſtrumentum, ne teſtes reſignationis adhibeantur Domeſtici, quæ coram Notario ſcribitur: Quod eſt intelligendum de iis, qui etiamnum ſunt in famulatu apud reſignantem tanquam ſuum Dominum, quique continuam habent in illius domo, a quo teſtes aſſumuntur, commorationem.

CASUS PRIMUS.

GRESCONIUS in animo habens quamdam, qua gaudebat, afferre fratri ſuo Ruperto Præbendam de eadem confecit in manibus Epiſcopi reſignationem *in favorem*. 1. Quoniam morbo pericoloſiſſimo laboranti per tempus non licuit mittere Romam. 2. Quia ea ratione voluit effugere impenſas, quæ ab aliquibus annis dimidio fere pluris increverunt, quaſque quaſi ſimoniam redolentes, aut ſaltem turpis ac iniqui quæſtus conditionem aliquatenus referentes habebat. Qua de re quæſtio duplex inſtituitur. Prior, utrum Epiſcopus potuerit ejuſmodi reſignationem admittere, & ea admiſſa, Ruperto Canonice ſit providendum. Altera, utrum legitime ſaltem Ruperto proviſum fuiſſet, ſi Greſconius reſignationem expreſſam in favorem non confeciſſet; ſed fidem ab Epiſcopo tantum exegiſſet, futurum ut Ruperto conferret Beneficium?

RESPONS.

Antequam propoſitam ſpeciem diſcutiendam aggrediamur, non erit abs re obſervare, quanquam ex ipſius hiſtoriæ monumentis compertum ſit, a plurimis Epiſcopis vitæ ſanctitate omnino conſpicuis futuros ſuos ſucceſſores deſignatos fuiſſe; cum percipiebant, id in utilitatem atque commodum ipſius Eccleſiæ plurimum vertere; reſignationes *in favorem*, primævis Eccleſiæ temporibus fuiſſe inauditas, & ne minimum quidem earum reperiri veſtigium in antiquo Jure, neque in collectione antiquorum Canonum, quæ perſcripta eſt a Gratiano, neque in corpore Decretalium publicatarum anno 1230. auctoritate Gregorii IX. nec etiam in Clementinis, hoc eſt, in Conſtitutionibus editis a Clemente V. & promulgatis a Joanne XXII. ſedente in Civitate Avenicorum? Siquidem S. Canones nunquam permiſerint Reſignantibus, ut ſibi ſucceſſoribus eligerent, & verbis expreſſis deſignarent in ſuis procurationibus *ad reſignandum*; Quoniam ejuſmodi electio videbatur Canonicis omnibus inſtitutis & doctrinæ ſanctorum Patrum penitus adverſari; ut patet ex iſta reſponſione, quam Papa Zacharias ſcripſit ad S. Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum (*b*): *De eo autem quod tibi ſucceſſorem conſtituere dixiſti: ut te vivente, in tuo loco eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta Patrum, eſſe monſtratur.*

(*b*) Zach. in-nae Petiti: 17. §. 2. 7. q. 1.

At quoniam, qui fertur in primis, hodiernus uſus, iis qui Beneficia ſua habebant ut familiaria & quaſi domeſtica bona, ab initio viſus eſt plurimum eo conducere, ut eadem inter conſanguineos perpetuarentur, aut amicis tranſmitterentur? Ejuſmodi reſignationes cunctis plaudentibus ubique obtinuerunt, præſertim vero a duobus retro ſeculis, e quibus ipſimet Summi Pontifices iiſdem per modum tolerationis aſſenſi fuere, ea potiſſimum incitati mente, quod ipſis Reſignantibus præ ceteris inſpecta penitius atque explorata eſſent, tum quæ ſuis Beneficiis annectebantur officia, tum ipſæ animi dotes, quibus debebant ſui ſucceſſores maxime commendari adeoque ea de cauſa poſſent tutiori prorſus atque ipſius Eccleſiæ utilitati & commodo congruentiori ratione eoſdem ſibi ſeligere ac deſignare.

Eſt fatendum tamen, reſignationes *in favorem* jure Divino nullatenus interdici, ſed jure duntaxat Eccleſiaſtico; *Renunciare autem Beneficio, ut detur alteri*, inquit S. Antoninus (*c*), *eſt ſimoniacum, quia prohibitum: ſcilicet ex jure poſitivo.* S. Raimundus de Peunafort (*d*) ait etiam; *Quædam ſunt ſimoniaca, quia prohibita: ſcilicet quæ per Conſtitutionem Eccleſiæ tantum ſunt ſimoniaca. ut cum quis renunciat Eccleſiæ, illa conditione, vel pacto, ut nepoti ſuo detur, vel alii.* Inde concludendum eſt, eſſe penes Summum Pontificem circa ejuſmodi ſimoniam legitime diſpenſare. Quippe conſtet, etiamſi non poſſit circa ea, quæ jure Divino ſunt prohibita, indulgere diſpenſationem, valere tamen ipſum ex plenitudine poteſtatis, qua gaudet: diſpenſare circa ea, quæ jure duntaxat humano interdicuntur, cum nempe in diſpenſando ipſummet Eccleſiæ commodum maxime ſibi proponit, ut colligitur ex quadam Decretali Papæ Paſchalis (*e*), quæ refertur in Corpore Juris, & ex iſtis verbis Innocentii III. (*f*) in alia Decretali Præpoſito ac Capitulo Cameracenſi inſcripta; *Secundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare*: Quod idem quoque habet Auctor Gloſſæ (*g*).

(*c*) S. Ant. 2. part. ſumm. Theol. tit. 2. c. 5. §. 14.
(*d*) Raim. in ſumm. l. 1. tit. 1. §. 1.

Quæ eadem poteſtas ipſis Epiſcopis non poteſt attribui quoniam illis ſtrictiſſime prorſus interdicitur quinquageſima octava Bulla S. Pii V. (*h*), data primo Aprilis 1568. Cujus rei ratio hæc eſt, quod in ejuſmodi reſignationibus ſeu commiſſionibus quædã ut modo dictum eſt, ex jure Eccleſiaſtico ſimonia intercedat; propterea quod, juxta Canones, quodcumque pactum dimiſſionibus, reſignationibus, atque Collationibus Beneficiorum accedens ſaltem videatur aliquid quæſtus ac commodi temporalis ei inducere, qui dictum pactum conficit, & reſignans in favorem alterius, conditionem ſuæ reſignationi appoſitam tanquam aliquam ſibi propriam utilitatem temporalem habere cenſeatur. Atque eo potiſſimum principio fretus Summus Pontifex Alexan. III. (*i*) ſcribens ad Epiſcopos Oxfordiæ & Vigorniæ, vitioſam quamdam reſignationem ex conventione, quæ eidem acceſſerat, omnino repudiavit. *Cumque compoſitionem iſtam auctoritate Apoſtolica peterent confirmari*,

(*e*) Paſchal. in c. Significaſti 4. de electione electi poteſt. lib. 1. tit. 6.
(*f*) Inn. III. in c. propoſuit 4. de conceſſione Præb. & Eccl. non vacantis l. 3. tit. 8.
(*g*) In his verbo, quæ per Conſtitutionem Eccleſ. ſimoniam inducunt, excuſatur auctoritas Papæ: quia poteſt diſpenſare in talibus Gloſſ. in cap. Cum pridem 4. de pactis lib. 1. tit. 35.
(*h*) S. Piu. V. in Bulla Quanta.
(*i*) Alex. III. in c. 1. c. Cum pridem de pactis.

ri, inquit, *nos eam non duximus admittendam, pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere*. Cui congruit Urbanus III. qui sic ait: *Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt; præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem continet semper simoniæ* (a).

(a) Urb. III. in c. quæsitum 6. de rer. permut. lib. 3. t. 19.

Jam vero non ea potestate gaudent Episcopi, qua valeant aliquam a labe Simoniæ purgare resignationem: Siquidem nec ipsis Legatis, qui dicuntur *a latere*, juris istius prærogativa concedatur. Solius est ergo Summi Pontificis talem exercere potestatem dispensando scilicet supra constitutam ab Ecclesia Legem generalem, neminemque facit unquam ejusdem suæ potestatis participem.

Manet igitur certissimum atque prorsus indubitatum, ut propositæ difficultati sua jam adjungatur responsio: 1. A Cresconio nullo jure potuisse auctoritatem Episcopalem implorari in conficienda sua in favorem Ruberti fratris sui resignatione; quoniam Episcopus nullam habet ejusmodi resignationis admittendæ potestatem; 2. Si ista resignatio comprobaretur & acceptaretur ab Episcopo, futurum ut eidem Ruperto perperam plane provideretur, & ipsius Beneficium esset impetrabile.

Quanquam inter omnes Superiores Ecclesiasticos solus Papa singulari juris istius prærogativa insigniatur, ut valeat resignationes *in favorem* & admittere & legitimas efficere; *In Gallia tamen multorum seculorum usu & consuetudine præscriptum est*, inquit celeberrimus Canonista Cabassutius (b), *ut tempore Regaliæ fiant Beneficiorum resignationes in alterius certæ personæ favorem coram Rege, qui solus ac pleno jure vacantia in Regalia Beneficia confert*. Quæ Beneficiorum resignationes intelligendæ sunt de iis Beneficiis, quæ non habent curam animarum annexam, & ab Episcopo pendent. Eandem, quam laudatus Cabassutius, observationem referunt e Jurisconsultis nostris Gallicis quamplurimi (c), atque inter alios Theveneau (d), qui primo quidem allegat isthæc verba Edicti Philippi de Valois Vincennarum mense Octob. 1334. Declaramus, ad nos „ ex Jure Regio rationeque nostri Imperii pertine„ re, concedere, atque conferre Præbendas & alia „ Beneficia jure & facto, aut jure duntaxat vacan„ tia, tunc temporis tantummodo, & cum incipit „ Regalia Sedium Archiepiscopalium atque Epis„ copalium, in quibus jus Regaliæ nobis vindica„ tur, exceptis nihilominus, quæ curam animarum „ annexam habent, Beneficiis, &c. „ Deinde memoratus Auctor (e), fusiori interpretatione prosequens, quousque Regaliæ jura sese extendant subjicit: " Hoc est, eadem omnino ratione, qua ipse„ met Episcopus perageret, si viveret; atque nihi„ lominus in ejusmodi materia Lex gaudet plenitu„ dine potestatis: Potest enim vero admittere resi„ gnationes *in favorem*, & beneficia conferre, ipsa „ incipiente Regalia: Et sic judicatum est Arresto 7. Maji 1601. Consulantur ea de re rationum momenta, quibus vindicantur Immunitates Gallicanæ Ecclesiæ (f); Potest quoque adiri Blondeau in additamentis suis ad Bibliothecam canonicam Bouchel (g), in quibus, ut stabiliatur jus, quod Rex habet, tempore Regaliæ, pleno jure conferendi, citantur ac referuntur ab Authore unum Arrestum 24. Maji 1350. aliud 11. Febr. 1351. & aliud 28. Apr. 1357. in causa collationis Præbendæ, ac dignitatis Thesaurarii de Ecclesia Laudunensi, confectæ a Rege in gratiam juris Cardinalis Rothomagensis, 10. Junii 1339. in plurimis aliis actorum instrumentis.

(b) Jo. Cab. jur. can. theo. & prax. l. 2. c.

(c) C. concentur. 1. qu. 6. Loget. lit. R c. 22.

(d) Theveneau l. 1. tit. 2. pag. 80. & seqq.

(e) Vide Donare & Conferro.

(f) Tom. 1. c. 16 n. 1. & seq. pag. 564

(g) Blondeau in v. Collatio pag. 261.

Quod spectat jus, quod Regi acquiritur, resignationum *in favorem* admittendarum, en qua etiam ratione de eo Fevretus loquitur (h); *Episcopi & Papæ vices implet* (*Rex*). " Jus namque Regium magis sem„ per eminet & latius extenditur, quam jus Ordi„ nariorum, quibus liberum non fit admittere sine „ abusu resignationes *in favorem*, cum e contrario „ Rex, tanquam Ordinarius ordinariorum, obti„ nente Regalia, confert ex procuratione, *ad resi„ gnandum in favorem*; Neque potest in suo Jure Re„ gio etiam ab ipso Papa præveniri, cui nec datur „ Beneficium vacans *in Curia*, in damnum Regaliæ, „ conferre " . Quod quidem Auctor præfatus con„ firmat suffragiorum testimoniis Joannis Galli; Philippi Probi, Cassodori, Molinæi, & Renati Chopin magni certe nominis Jurisconsultorum.

(h) Fevret tr. de abusu l. 2. c. 6. n. 14.

Adire quoque licet Horri in ipsius institutione ad Beneficialem praxim (i), qui plurima juris istius exerciti a Rege congerit exempla; Primum, quod occurrit, exemplum est resignationis Cantorum præfecturæ de Ecclesia Regia & Collegiali S. Stephani Trecensis, oblatæ atque confectæ a Joanne-Jacobo de la Bruyere in favorem Petri Paillot, 10. Maji. 690. in manibus Regis Collatoris Ordinarii & ex pleno jure Beneficiorum de laudata Ecclesia. Aliud etiam memorat exemplum resignationis *causa permutationis* cujusdam Abbatiæ, quam possidebat Claudius de Blampignon, pro alia quadam Abbatia, qua gaudebat Cæsar de Baudean de Parabere, factæ 10. Martii 1663. & aliam resignationem duarum Abbatiarum inter Michaelem de Marolles Abbatem de Eilleloin, & Gildardum Brunet Abbatem de nostra Domina des Mureaux Ordinis Præmonstratensis in Diœcesi Tullensi, conventam 30. Martii 1674.

(i) Claud. Heri Instit. ad prax. Benef. pag. 431. & 705.

CASUS II.

Crispinianus Parochus de S. Auberto confecit resignationem suæ Curæ in manibus cujusdam Abbatia, qui jure Patronatus in eamdem gaudet, in favorem Leonardi sui Vicarii. Num præfata resignatio Canonicis consentit institutis? Si vero dissentiat, numquid non posset ipsa ad eorumdem normam exigi, ex collatione quæ de eadem Episcopus concederet, adeo ut Leonardus ea ratione & vi prædictæ collationis legitimus titularis evaderet?

RESPONS.

Est profecto vitiosa, quæ confecta est a Crispiniano, species resignationis, duabusque potissimum de causis. Prior quidem est, quoniam non potest, nisi in manibus ipsius Summi Pontificis Beneficium *in favorem* resignari. Occurrit namque in ejusmodi resignatione simonia, propter eam, quæ ei accedit, pactionem; ut manifestum fit ex istis verbis Gregorii IX. (K). *Pactiones facta a vobis .... pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnis conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti*. Porro species ista simoniæ, quæ est ex Jure Ecclesiastico, non potest nisi a solo Papa, ceteris quotquot sunt Superioribus Ecclesiasticis exclusis, purgari.

(K) Greg. IX. in c. Pactiones. 8. de pactis lib. 2. tit. 35.

Altera causa, propter quam vitiosa est ac nulla, quam Crispinianus confecit in favorem Leonardi resignatio, est quod quæcumque resignatio etiam simplex non possit nisi in manibus ipsius Collatoris, neutiquam vero in manibus Patroni licet Ecclesiastici, canonice & valide fieri: quemadmodum aperte demonstratur ex istis verbis Alexandri III. scribentis ad Episcopum Tornacensem (l) *Universis personis tui Episcopatus sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ Diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, aut retinere, aut dimittere inconsulto*.

(l) Alex. III. in c. Admonet. 4. de renunc. l. 1. tit.

Ex quibus inferre est, 1. Resignationem, de qua agitur, non posse ex collatione, quam Episcopus Leonardo postmodum concederet, ad legitimam suam formam reduci; quippe non sit penes ullum Episcopum, purgare resignationem factam in favorem a pacto simoniaco, quod in eadem continetur. 2. A fortiori, istam resignationem futuram quoque nullam ac simoniacam; si Patronus, in cujus manibus confecta fuisset, foret Laicus; atque in eo casu suo Beneficio spoliandus esset Resignans; ut fertur in Decretali quadam, quam Innocentius III. (m) Archiepiscopo Civitatis Drontheim in Norvegia inscribit, in qua laudatus Papa ait, *Hi præterea, qui Beneficium Ecclesiasticum sibi collatum sponte in manum Laicam resignantes, illud denuo a Laico susceperunt, eodem sunt Beneficio spoliandi; licet resignatio talium facta nullam obtineat firmitatem*.

(m) Inn. III. in c. Quod in dubiis 8. eod. titul. & ibid. glossa.

Diximus, resignationem etiam puram ac simplicem, quæ communem sortitur dimissionis appellationem, fieri canonice non posse, nisi in manibus ipsius Collatoris. Qua de re observandum est, si confecta fuisset in manibus Patroni Ecclesiastici, futurum ut aliqua ratione corrigeretur ex provisionibus, quas Episcopus Resignatario concederet, viso præsen-

Digitized by Google

sentationis instrumento ejusdem dicti Patroni, adeo ut, renunciatione facta a Resignante juris, quod habebat in suo Beneficio per resignationem ab eo confectam, Patrono jus cedat ad illud idem præsentandi; & Collator possit, si sic ei libuerit, collationem suam donare, viso Patroni istius nominationis instrumento. Quemadmodum enim fert Glossa in eandem Decretalem (*a*): *Quantum ad Ecclesias, vel quantum ad Superiorem talis renuntiatio non tenet: quoniam Ecclesia, vel Superior potest illam repetere, si vult... sed ipse non potest eam repetere: & ita, quoad se tenet pactum* (scilicet resignantis) *quia etsi inutilis sit talis renuntiatio; tamen habet in se tacitum pactum, ne repetat* (*b*).

(*a*) Gloss. in cit. cap. Quod in dubiis. v. In manum Laicam.

(*b*) Sambovius to. 3. casu 82.

CASUS III.

Amandus, cum in periculosissimo morbo versaretur, resignavit suum Beneficium in Curia Romana, prima die Januarii in favorem Manlii; At vero cum morte sublatus fuisset post dies ab illinc quindecim, Sempronius qui ejusdem Præsentator erat, ad illud Julianum nominavit, qui obtentis ab Episcopo Provisionibus, in illius possessionem sese statim induci curavit. Resignatio confecta in favorem Manlii, qui provisiones expediri sibi obtinuit, estne Canonica & valida; adeo ut Juliano nullus de eadem justæ controversiæ locus accedat?

RESPONS.

Resignatio ab Amando facta in favorem Manlii nullius omnino roboris est; Legitima vero est, quæ in gratiam Juliani fuit impetrata provisio. Ratio est, quod Beneficium a Beneficiario ægrotante resignatum in favorem censeatur per obitum vacare, nisi per viginti dies integros a confecta resignatione Resignans vitam suam duxerit. Atque sic constitutum fuit decima octava Regula Cancellariæ Romanæ, quæ obtinet in Gallia, & istis verbis concipitur. *Item voluit* (Papa) *quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium, sive simpliciter, sive ex caussa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, sive ipsius Beneficii unioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ; & postea infra 20. dies, a die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit; ac ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur, per resignationem sic factam, Collatio hujusmodi nulla sit, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.*

Inde sequitur, cum ante viginti dies expletos Amandus obierit, nec vitam ulterius protraxerit, quam diebus quindecim a confecta sua resignatione, censeri Beneficium, quod possidet, per obitum vacare; siquidem ipsius resignatio admissa non fuerit in Curia Romana, ad quam, ut supponimus, publicus cursor præfatæ resignationis gerulus nondum pervenerat. Atque ita docetur a Rebuffo (*c*) qui observat, licet ista clausula: *Sive simpliciter, sive ex caussa permutationis*, quam Innocentius VIII. induxerat, a Juliano III. fuerit postmodum rescissa, nihilominus in Gallia eandem plurimum obtinere: quemadmodum colligere est ex Arresto quodam Supremi Senatus Parisiensis 12. Julii 1578. quod refert le Pretre (*d*); sic etiam Bengeus censet (*e*). Eandem quoque sententiam Sylvius amplectitur (*f*), & in una quadam ex suis Decisionibus 10. Decembris 1642. sic habet: *Ratio istius regulæ fuit, ne per renunciationes infirmorum defraudentur Ordinarii in conferendis Beneficiis vacantibus... ac insuper ut detur successio in Beneficiis, ac licentia libera disponendi de illis, sicut de bonis temporalibus.* Quam rationem postremam ipse etiam suggerit Rebuffus.

(*c*) Petr. Rebuffus. prax. Benef. part. 3. gl. 4. & 6. ad 18. Reg. Cancellariæ Rom.

(*d*) Le Pretre cent. 2. c. 39.

(*e*) Bengeus tract. 1. de Canonicis Institutionum conditionibus §. 10. n. 9.

(*f*) Fr. Sylvius resol. var. v. *Beneficium*.

Ex iis, quæ diximus, addendum, ut certior fiat dies obitus Resignantis, ejusdem oportere mentionem haberi in defunctorio catalogo Parochi, aut alterius Ecclesiastici Superioris loci, in quo de vita decessit; quemadmodum fertur Edicto Francisci I. dato anno 1539. (*g*), quo etiam edicitur 1. ut Domestici, qui sunt in famulatu apud Beneficiarium defunctum, teneantur ad ejusdem obitum quam diligentissime renuntiandum; iisdem, si præsenti (*h*) Edicto non pareant, pœna corporis indicta. 2. Ut qui Beneficiarii cadaver celant, pœnas morte pendant, si Laici fuerint (*i*), si vero Ecclesiastici, sint Beneficiorum defuncti possidendorum inhabiles, multisque præterea subjaceant pecuniariis, quas Judici visum erit iisdem irrogari.

(*g*) Edict. anni 1539. art. 40. & 51.

(*h*) Ibid. art. 54.

(*i*) Ibid. art. 55.

Tandem, ut explanandæ præsenti materiæ finis imponatur, animo tenendum est. 1. Isthæc verba Regulæ decimæ octavæ Cancellariæ Romanæ: *Quavis auctoritate conferatur*, usu non recipi in hoc Regno, quoad resignationes, quæ in manibus Ordinariorum conficiuntur; sed tantummodo quantum ad eas, quæ fiunt in manibus Summi Pontificis aut ipsius Legati: *Idque firmatur innumeris Supremarum Galliæ Curiarum judiciis, quibus ab Ordinario in vim resignationis Provisus excludit Provisum per obitum, qui contigerat intra 20. dies, factæ in morbo resignationis.* Quæ verba adhibentur a Cabassutio; qui in fidei argumentum allegat suffragia Paponis, Imberti, Duareni, Chopin, Charondæ, Pelei & Louet (*k*). Eam autem caussam affert laudatus Canonista, quod minus se se dedat in Resignationibus, quæ comprobantur auctoritate Ordinariorum, quam in iis, quæ Romæ peraguntur, fraudis alicujus struendæ locus. Eademque de caussa non requiritur in collationibus Ordinariorum exprimi Beneficia, quæ possidentur, sicut in collationibus, quæ a Summo Pontifice exhibentur, illud idem sub pœna, quod dictæ collationes irritæ prorsus ac nullæ futuræ sint, omnino præscribitur.

2. Sciendum quoque est, istam regulam nullius roboris esse, quoad resignationes admissas a Rege, cum ex jure Regaliæ confert; quemadmodum advertit Charondas le Caron (*l*). Neque etiam testante Rebuffo (*m*), locum habet, cum Resignans morte civili afficitur.

3. Cabassutius Rebuffi vestigio insistens quæstionem gravissimi prorsus ponderis instituit, de istis præfatæ Regulæ verbis. *De ipsa infirmitate decesserit*, & sic habet (*n*): *Si enim in infirmitate resignans, novo occurrente casu, decesserit, sive gladio, sive veneno, sive laqueo, sive ruina aliqua post paucos dies, ipsa valebit resignatio, quia de infirmitate non decessit. Itaque duo probanda sunt ad excludendum resignationis effectum. 1. Defunctum resignasse tempore infirmitatis suæ. 2. De eadem infirmitate interisse intra vigesimum admissa resignatione diem.*

4. Denique quando asseruimus irritam esse confectam ab Amando resignationem, sic assertio nostra intelligenda est, ut a Summo Pontifice nihil quidquam, in provisionibus laudato Resignatario concessis, regulæ *de infirmis resignantibus*, quæ sub appellatione communi regulæ viginti dierum ut plurimum circumscribitur, verbis expressis derogatum fuisse, supponatur. Enim vero contingente casu, quod in provisione concessa a Summo Pontifice, præfata derogatio enunciaretur, quemadmodum hodie exprimi solet in omnibus fere provisionibus, quæ Roma mittuntur in Galliam; constat omnino, eandem validam futuram esse ex ipso die accessus Cursoris; modo tunc temporis etiamnum vixisset Resignans: Præsertim vero, quoniam ejusmodi derogationes in Gallia locum obtinent; ut ibidem a Pontificatu Leonis X. incœperunt potissimum invalescere; quemadmodum observat Molinæus (*o*), qui ait: *Ante Leonem decimum decimum non solebat derogari huic regulæ, nisi cum maximis favoribus. Sed a tempore Leonis cœpit passim derogari tam in Italia, quam extra:* Quibus laudatus Jurisconsultus addit, ejusmodi derogationem valere etiam nihil obstante jure Graduatorum, in resignationibus simplicibus; ut locum habet jus, quo potest Summus Pontifex eosdem prævenire, juxta ipsissima verba famosi pacti. Verum non valet omnino obtinere in detrimentum Indultorum Cardinalium a pactione, communi consensu, inter eosdem conventa post decessum Pauli III. de eadem abolenda ab eo, qui inter eos Summus Pontifex seligendus foret; quam pactionem Paulus IV. post suam electionem revera comprobavit atque ratam effecit (*p*).

Ceterum quoniam plurimos Beneficiarios, aliosque Ecclesiasticos reperire est, quibus non sit compertum, in quonam ista regula maxime reposita sit,

(*k*) Jo. Cabassut. juris can theor. & prax. l. 2. c. 19. n. 8.
Et apud eum Papo l. 3. placitorum tit. 2 de infirmis resigno. 2. art. 2.
Imbertus in Enchiridio. v. *Regula Cancell. 20. diebus.*
Duarenus l. 8. de Benef. c. 2. §. 5.
Chopinus de Sacra Politia. l. 1. tit. 6 n. 3
Charondas l. 1. responsorum. c. 19. & lib. 1. pandectarum. c. 10.
Peleus lib. 2. actionum forensium c. 10.
Louet lib. 1. cap. 5.

(*l*) Charondas cit. lib. 1. pandect. c. 1.

(*m*) Petrus Rebuff. ad hanc regulam 18. gloss. 11.

(*n*) Joan. Cabassut. in loco cit. n. 11.

(*o*) Molinæus in Reg. de infirmit. §. 227.

(*p*) Idem ib. §. 163. & 165.

sit, & in quanam rerum circumstantia suum effectam consequatur; Juvat, quibus concipitur, hic loci verba referre & eadam interpretari; siquidem in hoc Regno recipitur & viget a tempore, quo fuit a Parisiensi Parlamentu acceptata atque in ipsius publicas tabulas relata 20. Novembris 1493.

En quibus verbis eaprimitur præfata Regula, quæ Auctores habet Innocentium VIII. & Julium II. atque inter eas, quæ Cancellariæ Romanæ propriæ sunt, decima octava recensetur. *Item voluit* (sua sanctitas) *quod, si quis in iafirmitate constitutus resigaaverit aliquod Beaeficium, sive simpliciter, sive ex caussa permutationis; & postea infra 20. dies (a die per ipsum Resigaantem præstandi coasensus computandos) de ipsa iafirmitate decesserit, ac ipsum Beneficium conferatur per resigaationem sic factam; collatio hujusmodi aulla sit, ipsumque Beneficium per obitum vacare ceaseatur.* Ex quibus verbis apertum est, in ista Regula tria potissimum occurrere, quæ ad materiæ præsentis substanriam omnino pertinent. Primum quidem, quod Resignans ipsa etiamnum infirmitate detineatur, cum scripto conficit procurationem *ad resignaadum*. Secundum vero, quod resigaatio sit completa & numeris omnibus absoluta; hoc est, admissa fuerit a Superiore, penes quem residet ejusdem acceptandæ legitima facultas. Tertium deuique, quod Resignans de infirmitate eadem decedat infra viginti dies completos, non quidem ab ipsa die scriptæ procurationis *ad resignandum*, ut (*a*) perperam intellexit Gomesius Auctor aliunde probatissimus; sed a die qua resignatio admissa fuit, computandos. Quam conditiouem præfatæ Regulæ Julius II. addidit; ut observat Molinæus in suo, quod in istam Regulam scripsit commentario, & post eum adverterunt ceteri quotquot sunt utriusque Juris Interpretes Gallici, qui in eandem interpretationes habuere; Qua quidem nondum vigente Regula Beneficiarii, qui *quamdiu viuerunt*, inquit Molinæus, *aunquam cedere voluerunt, morientes autem, velut supremo qaodam judicio & iastar cujusdam successionis hæreditariæ transmittere satagunt ia certam personam velut testameato institutam coatra Canones.* Quibus verbis licet quoque subjicere, eo etiam fine memoratam Regulam fuisse constitutam, ne *Ordiaarii nimium frustrentar jure suo.*

(*a*) Lud. Gomesius in Sum. ad hanc regulam. q. 29.
Molin. loco cit. §. 96.

Observandum est, Collatores Ordinarios isti Regulæ nullatenus obnoxios esse, quantum ad Beneficia, quæ conferunt in vim alicujus dimissionis, aut resignationis puræ & simplicis, quemadmodum statutum est quodam Arresto Parisiensis Parlamenti lato 14. Augusti 1542. & alio judicio dicto 23. Decembris ejusdem anni, quod utrumque Arrestum a D. Le Maitre in eodem Parlamento primatio Præside pronunciatum est. At vero eidem Regulæ subjiciuntur quoad permutationes, quas admiserunt, juxta Arrestum 14. Aprilis 1675. relatum a Blondeau in suis additamentis ad Bouchel. Ratio est, quia nou minus ligantur permutatione manus Ordinariorum, quam manus Papæ, resignationibus *in favorem*: Quod certo certius etiam constat, quando contingit, permutationem factam fuisse in damnum Indultariorum, Graduatorum, & Patronorum; ut idem Blondeau post Molinæum annorat (*b*).

(*b*) Idem ibi §. 110. & seqq.

Tandem nec locum habet memorata Regula, quantum ad Equites Melitenses, quoniam eorum commendæ, proprie loquendo, Beneficiorum naturam non retinent; *Hæc regula 20. dierum*, addit Molinæus (*c*) *aoa habet locam in Commendatariis Hospitalium S. Joannis Hierosolymitaai: quia non sunt Beneficia, &c.* Additque laudatus Auctor (*d*): *Hæc regula non pertinet ad Beneficium permutatum, quod forsan est de Patronata laico.* Alias observationes, quæ levioris sunt momenti, quasque legere est iu Bibliotheca Canonica Bouchel (*e*), & in additamentis; quæ Blondeau in eandem scripsit, silentio prætermittimus.

(*c*) Idem §. 321.
(*d*) Idem §. 322.
(*e*) Bouchel Biblioth. can. tom. 1. V. *Indulta*. p. 736. & seqq.

CASUS IV.

De cura S. Leodegarii, cujus collatio ad Episcopum Diœcesanum pleno jure pertinebat, & vacatio occurrerat, Patricius iu Curia Romana sibi provideri obtinuit, ad quam Cursorem extraordinarium festinanter miserat; & eandem Joanni contulit Episcopus. Utraque provisio fert eandem diem adscriptam. Numquid non est Patricius Joanni præponendus?

RESPONS.

Priusquam solvatur proposita difficultas, juvat istam observationem præmittere 1. Summum Pontificem ista juris prærogativa gaudere, quod juxta conventum Leonem X. inter & Franciscum I. Concordatum (*f*), valeat ordinariaa prævenire collationes. 2. Jus istud præveniendi non usque adeo extendi, ut non possit circumsceiptiones & quidem plurimas suscipere; quemadmodum postea advertemus.

(*f*) Concordat. tit. de mandatis Apostol. §. *Declarantes*.

Quibus positis, ad propositam quæstionem respondemus, Joanni Patricium esse præponendum: quoniam cum duæ provisiones eadem die inscribuntur, cui ab eo ex Collatoribus provisum est, qai eminentiori dignitate præpollet, is profecto præferendus est alreri, qui suam provisionem ab inferiori duntaxat Collatore impetravit: quod tamen intelligendum est 1. de casu, in quo dignosci non potest, quænam e duabus provisionibus sit anterior. 2. Et in quo neuter Provisorum in possessionem Beneficii venerit. Extante namque dubio, qui prior occupasset, foret alteri præponendus.

Quam decisionem ipse suggerit Bonifacius VIII. in una quadam ex suis Constitutionibus, quæ refertur in Sexto (*g*): *Si a Sede Apostolica, vel legato ipsius*, inquit præfatus Papa, *uai, & ab Ordinario alteri eodem die idem Beaeficium conferatur, nec appareat, quæ collatio fuerit prius facta; erit potior conditio possidentis. Si vero neuter possideat; is cai Sedes ipsa coatulit, vel legatus, propter conferentis ampliorem prærogativam, erit alteri præferendus.*

(*g*) Bonifac. VIII. in c. *Si a Sede* 31. de Præbend. & Digni. in 6. l. 3. tit. 4.

Duu scire operæ pretium est, Prius, per isthæc verba Bonifacii VIII. *vel legato*, non intelligendum esse simplicem nuncium Apostolicum; sed eum solum, qui diguitate & auctoritate Legati commendatur; quemadmodum observat Glossa in caput citatum. Alterum, jus præveniendi, quo Summus Poutifex gaudet, non habere locum, quando ante concessam ab eo Provisionem, Ordinarius jam inceperar suum jus exercere; puta, admittendo dimissionem Titularis, aut acceptando præsentatiunem a Patrono Ecclesiastico sibi oblaram (*h*); quanquam rem ipsam ex sua collatione integram non fecerit. Quæ duæ observatiunes Cabassutium auctorem sibi vindicant (*i*).

(*h*) Louet. lit. p. n. 35.
(*i*) Joan. Cabassut. cit. l. 2. c. 21. n. 2. 3. & 4.

Eadem est Juris prærogativa quantum ad Graduatum. Licet enim Papa possit eum prævenire, antequam Beneficium, quod suum futurum esse contendit, postulaverit; ut fatentur Rebuffus, Brodeau (*k*); & ceteri nostri Jurisconsulti, ipsa facta postulatione, nullus jam præveniendi locus ei relinquitur (*l*); ut verbis expressis habetur in Edicto Ludovici XIII. anno 1499. (*m*) promulgato.

(*k*) Petrus Rebuffus in Concordat. tit. de mandatis Apostol. §. *Statuimus*.
Brodeau in Louet. lit. P. n. 43.
(*l*) Idem Cabassut. ib. n. 5.
(*m*) Edict. anni 1499. art. 14.

Eadem quoque est conditio Indulrariorum. Non possunt Cardinales præveniri a Summo Pontifice ante sex menses quantum ad Beneficia, quæ pertinent ad ipsorum collarionem. Quod privilegium iisdem indulrum est a Paulu IV. & in ampliori Consilio fuit comprobatum; ut testantur Louet (*n*) & Chopin (*o*).

(*n*) Louet. lit. C. n. 35.
(*o*) Chopin de sacra politia. l. 2. c. 6. n. 1.

Tandem jure præveniendi Summus Pontifex non gaudet, quando collatio Beneficiorum ex communi jure inter eum, & ceteros Collatores dispertitur; quemadmodum ejusinodi distributio reperitur vigere in minori Britannia, in qua solus Papa Beneficia confert pleno jure per octo menses in anno, & Ordinarii conferunt per reliquus quatuor alios menses. Quod istud quoque observat præfatus Renatus Chopin (*p*). Quanquam istæ omnes observationes difficulratem, quæ instituta est, directe non atringant; cum ea tamen aliquam habent convenientiam; atque id animo persuasum fuit, futurum ut apud eos, qui sunt ejusmodi rerum Jurisprudentiæ eapertes, nihil quidquam injucunditatis haberet nostrum opus, si nostræ huic decisioni subjicerentur superiores annotationes.

(*p*) Idem ibi. l. 2. tit. 7. n. 21.

CASUS V.

Isaac, impetratam in Curia Romana Curam quam-

Digitized by Google

quemdam in forma commissoria, de eademque provisus, cum timeret ne sibi *visa* denegaretur ab Episcopo Dœcesano, qui non solet ullum concedere nisi iis, qui præclara eruditione & doctrina commendantur, cuidam Theologico Doctori sibi familiarissimo resignavit, non obtento suo *visa*, atque, *adeo possessione nondum adepta*. Num valet ista resignatio?

RESPONS.

Ut possit præsens difficultas tutiori ratione dissolvi; discutiendum est, ut Provisiones, quas Papa confert plerumque *in forma dignum*; hoc est, in forma commissoria, sint proprie dictæ provisiones, aut simplicia duntaxat mandata *de providendo*.

(a) Flam. Par. tr. de resign. Beacf l. 3. q. 1. n. 149. Brod. in Lou. l. P. n. 25 Fevret. tr. de abusu l. 3. c. 4. n. 12. Item Gonzales.

Extant plurimi notæ etiam insignioris Authores, quales sunt Flaminius Parisius, Brodeau in Louet, & Fevret (*a*), qui censent, ejusmodi provisiones non esse, nisi simplicia mandata *de providendo*; quæ Papa inscribit Episcopo, & ab Episcopo vere conferri Beneficium, cum exequitur formulam *& committatur Episcopo*, &c. Atque adeo *visa*, quod confert, esse veri nominis provisionem: ex quo principio Fevret infert, ei, qui obtinuit aliquod Beneficium ex Rescripto Romano in dicta forma concepto, non cedere jus ejusdem resignandi, antequam ei *visa* fuerit concessum; quoniam, inquit laudatus Author, jure nonnisi imperfecto gaudet: adeo ut si Resignatarius morte iorian corriperetur post admissam in Curia Romana procurationem *ad resignandum*, Beneficium non vacaret; & ejusdem titularis legitimus resignans, obtento suo *visa* ab Episcopo, remaneret.

(b) Reb. de mandatis Apost. & Clausula mandat.
(c) Concord. tit. de mand. Apost.
(d) Car. Mol. de verisimili notitia obitus n. 88.
(e) Concil. Trid. sess. 24. c. 19. de refor.

Verum ista opinio certissime falsa est 1. Quoniam ingens prorsus discrimen intervenit inter Provisiones Beneficiarias, & mandata *de providendo*; ut observat Rebuffus (*b*) & evincitur ex Concordato (*c*), mandata namque *de providendo*, nihil aliud sunt, quam gratiæ expectativæ, quæ versantur non quidem circa Beneficia etiamnum vacantia, sed tantum circa ea, quæ sunt aliquando vacatura; cum e contrario Provisiones ex resignatione, aut per obitum, Beneficium actu & de facto vacans intendunt, ut Molinæus annotat (*d*).

2. Est & aliud discrimen, quod occurrit inter Provisionem de aliquo Beneficio, & Mandatum *de providendo*. Quæcumque enim gratiarum expectativarum species abrogatæ fuerunt a Concilio Tridentino (*e*), iis exceptis, quæ pertinent ad Graduatos, Indultarios, & eos, qui Diplomate aliquo donantur ex Sacramento, ex fide jurata, & ex jucundo ad Diadema Regium adventu. Ergo Provisiones Beneficiorum, quæ a Summo Pontifice quotidie conceduntur in forma commissoria, *in forma dignum*, & quæ in Gallia recipiuntur absque ne minima quidem controversia, non simplicia, sunt mandata *de providendo*.

3. Potest aliud quoque discrimen afferri, nempe gratiam expectativam ex irregularitate, quæ cedit, penitus extingui. At vero jus quod quis adeptus est ad aliquod Beneficium ex Provisionibus Romanis, non extinguitur propter ejusmodi Canonicorum interveniens impedimentum, etiamsi eum inquisitiones & aliquod judicium postmodum fuissent subsecuta; quippe is, cui provisum est, possit ab istis sese absolvi impetrare, & obtento deinde suo *visa*, Beneficii possessionem inire. Inde colligitur, essentiam gratiæ, quæ indulgetur ex provisione, nullatenus consistere in *visa*: sed ipsum *visa* in partem ipsius executionis tantummodo venire, & esse duntaxat conditionem, sub qua ista gratia concessa est: hoc est, a solo Summo Pontifice conferri titulum, modo capax ejusdem Impetrans reperiatur: adeo ut si Episcopus *visa* denegaverit, Impetranti locus detur: si repulsam sit passus iniquam, ad Superiorem recurrendi.

4. In confirmationem eorum, quæ diximus, venire potest exemplum duorum, quibus de eodem Beneficio diversis temporibus provisum est. Posito namque quod alteri prima die mensis Januarii fuerit in Curia Romana provisum, & alteri ejusdem mensis die secunda, constat istum, quam plus adhibuerit diligentiæ, quo sese in possessionem induceret, nihilominus evincendum esse ab eo, cui prius provisum fuit. Unde meridiana luce clarius demonstratur, non igitur ipsum esse Episcopum, qui ex concesso *visa* confert, sed solum Papam, cujus authoritate conflatur ipsius Beneficii titulus, vi cujus is, cui provisum est, adipiscitur *jus in re*, cum e contrario ex simplici mandato *de providendo*, non acquireretur nisi *jus ad rem*, & quidem *ad rem indeterminatam*.

Atque ea sic ratione ponendum fuit in antecessum ac sedulo perpendendum præcedens principium, quo proposita quæstionis institutæ species tutius enodaretur. Jam facili prorsus negotio sese prodit, quæ ex dictis consecutio sequitur, nempe posse eum, cui in Curia Romana provisum fuit, *etiam non adepta possessione* alicui tertio resignare: quod etiam locum haberet, quanquam Resignans repertus ac judicatus fuisset ab Episcopo indignus cui *visa* concederetur, adeoque Isaac, de quo difficultas in casu proposito movetur, potuisse suo familiari amico valide resignare, licet neque Beneficii possessionem etiamnum adierit, nec de eodem nequidem *visa* fuerit ei concessum (*f*).

(f) D. du Perrai Jus Can. Galliæ l. 7. c. 8. n. 30. & seq. pag. 641.

CASUS VI.

BERNARDUS Parochus de S. Riquierio, summopere optaret suam Curam Benedicto sibi familiarissimo resignare, at quoniam novit, eum sæpe sæpius incidisse in secreta quædam incontinentiæ peccata, timet, ne possit tuta conscientia in ipsius favorem resignationem istam conficere. Num metus, quo sese exagitari experitur, fundamento aliquo non levi innititur?

RESPONS.

Si prædicto Parocho compertum sit, atque exploratum, Benedictum, qui olim in ejusmodi peccatum consueverat incidere, ad meliorem frugem sese sincero animi proposito recepisse, aliunde vero eundem iis omnibus dotibus, quæ Parochum decent, exornari, & persuasum sit, eum præ cæteris, quos novit, isto Beneficio digniorem esse, atque etiam ipsum ad majorem Ecclesiæ utilitatem esse prædictæ Curæ præficiendum: potest tuta omnino conscientia, Beneficium suum ei resignare: prætereita quippe peccata non valeant cautam afferre sufficientem, propter quam quis repellatur a possidendis Beneficiis, quibus etiam cura animarum annectitur, cum condigna satisfactione expiata fuerunt. Perpetrata fuerant a S. Augustino, quæ sua atrocitate erant fortasse graviora iis, quæ a Benedicto commissa sunt, nihilominus ipse post morum emendationem dignus habitus est, qui Episcopali dignitate insigniretur, atque revera postmodum factus est is, qui inter sanctissimos Præsules, & majora Ecclesiæ lumina recenseretur. Peccatum, quo sese S. Petrus constrinxit, Jesum Christum negando, nullatenus obstitit, quin Divinus iste Salvator eum constituerit Principem Apostolorum, & suæ Ecclesiæ caput visibile. At e contrario si Bernardus ne quidem moraliter certum haberet, Benedictum in melius immutatum fuisse, neque quidqnam ad utilitatem Ecclesiæ conferri, quod isti Curæ præponeretur, non posset, nisi Deo inde graviter prorsus offenso, in ipsius favorem propositam exequi resignationem, siquidem ultro, neque premente aliunde legitima aliqua causa, sese committeret periculo in Ecclesiam intromittendi indignum Pastorem, simul etiam eorum omnium peccatorum, quæ ab eo possent deinceps admitti, exhiberet semetipsum participem. En qua ratione de proposita difficultate censemus. Quam etiam sententiam hodiernus Author rerum Theologicarum intelligentissimus amplexus est (*g*).

(g) Sambov. to. 3. casu 19.

CASUS VII.

THARRUSIUS, Parochus S. Mauri, cum ruri periculose ægrotaret, ab assidente sibi suo Medico Genucio, qui solum in ista regione reperire erat, maximopere usus est, de sua Cura in favorem ipsius filii Guiberti resignanda, dubitanti vero sese suo Bene-

Beneficio spoliare significavit futurum, ut eum jam nec invisurus nec curaturus esset, nisi petitam gratiam indulgeret.

Quibus animo perpensis, tandem Tharrasius constituit istam resignationem conficere cum ea spe, quod posset nimirum, si prospera valetudo aliquando decurreret; eandem tempore opportuno rescindere. Verum cum de ista infirmitate decessisset, Guibertus In possessionem præfatæ Curæ sese curavit induci. An valeat ejusmodi resignatio, & Guibertus potestne absque ullo conscientiæ suæ dispendio prædictum Beneficium sibi retinere:

RESPONS.

Constat, quamcumque resignationem, mediantibus aliqua fraude, dolo, aut violentia, seu gravi metu, confectam nec valere, nec Canonicis consentire regulis. Habemus ex quadam Decretali Clementis III. (a) invictissimum argumentum, quo demonstratur, nullam admittendam esse resignationem, nisi quæ fuerit ex integra animi libertate, consensu liberrimo peracta. *Respondemus*, inquit laudatus Papa, *quod nulla ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium, multis forte expensis & laboribus acquisitum, quo sustentari debet facile sine magna causa sua sponte resignet; ideoque supervacaneum esse non credimus, causam resignationis diligenter inquiri: quam si forte probabilem; id est, non vi, nec metu, nec oppressione, nec interventu pecuniæ, nec promissione extoriam Judex invenerit .... (nisi replicatio canonica fuerit opposita) admittere non postponat.*

(a) Clem. III. in c. Super. 5. de renunciat. lib. 1. tit. 3.

Eoque principio potissimum innixus Summus Pontifex Alexander III. mandat in quadam Decretali inscripta Episcopo Vigorniæ in Anglia, ut Beneficiarius, qui Beneficio suo renuntiaverat, ne patrimonium suum amitteret, in illud restituatur, eique universa, quibus spoliatus est, omnino reddantur: allegata scilicet ista ratione, quod quæque metu aut vi fiunt, nullius possint esse roboris. *Unde, quia quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari, mandamus, quatenus prædicto R. cum integritate restituas universa* (b).

Item quoque statuit Innocentius III. (c) de quodam Ecclesiastico Anglico, qui beneficium suum ex inconcusso sibi iniquo metu dimiserat: *Quia vero*, ait iste Papa; *quæ vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis; mandamus; quatenus, si eundem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit & debuerit cadere in virum constantem ..... præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis.*

(b) Alex. III. in c. Abbas 2. de his quæ i. metusve causa fiunt l. 1. t. 40.
(c) Inn. III. in c. Ad audientiam 4. eod. t.

Quo quidem principio extra omnem omnino controversiam posito; concludimus, Guiberto de Cura S. Mauri perperam prorsus fuisse provisum; atque si Tharrasius etiamnum viveret, futurum, ut præfato Guiberto ex conscientia obligatio incumberet, ejusdem ei restituendæ, & Resignanti jus cederet, ejusdem repetendæ, implorata Regii Judicis authoritate, penes quem solum est in Gallia de possessione Beneficiorum cognoscere; aut quoniam Tharrasius decessit; ipsum teneri, ad dimittendam præfatam Curam in manibus Superioris legitimi: siquidem eum ipsi defunctus non resignaverit, nisi propterea quod timeret, ne morte forsan corriperetur, sese jamjam derelinquendum percipienda suo Medico patre Guiberti, si resignationi conficiendæ non assensus esset præsertim vero, cum ei alius non occurreret, quem posset sibi adhibere Medicum, & ea premente rerum angustia, in qua ei videbatur sibi omnino Medici ope esse opus, ut vitam redimeret, quam potiorem proculdubio habebat, quam bona temporalia Beneficiarius, de quo facit Decretalis Alexandri III. sermonem.

Diximus post Innocentium III. *metu gravi*, hoc est, ejusmodi qui possit cadere in virum constantem, eumque licet mente solida quatere; nam si metus esset omnino levis, puta, si in specie proposita Thatrasius eo loco constitueretur, in quo ei posset ab aliis Medicis succurri; ex ejusmodi metu ipsius resignatio non haberet, unde censeri nulla valeret; ut colligitur ex alia Decretali ab eodem Papa ad Episcopos Massiliensem & Agathensem scripta (d). Attamen quoniam, ut innuitur in instituta quæstione, quædam intercedit conventio saltem tacita inter Tharrasium, & ipsius Medicum; nullatenus nobis potest, quæ subsecuta est in favorem Guiberti, tanquam Canonica resignatio comprobari.

(d) Idem in c. Cum dilectus 6. eod. t.

Juvat observare, quæ modo diximus, locum etiam obtinere, quantum ad resignationes ex fraude Resignatarii aut cujuslibet alterius confectas, in eo tantum casu, quod dolus veram causam dederit conficiendæ resignationis; juxta sequens Juris effatum (e): *Cum dolus dat causam contractui .... non tenet contractus*. Et istud aliud Innocentii III. (f) *fraus & dolus alicui patrocinari non debent*. Quod idem quoque docent Cabassutius (g), & Author Colloquiorum Condomiensium (h), qui præsenti nostræ decisioni plane omnino consentiunt.

(e) Gloss. in c. Cum dilecti 5. de emp. & vendit l. 3 tit. 17. Item L. Et eleganter 7. ff. de dolo malo. l. 4 tit. 3.
(f) Inn. III. in c. Officii, 14. de testam, & ult. volunt. l. 3. t. 26.
(g) Jo. Cab. jur. can. theor. & prax. lib. 2. c. 18. n. 10
(h) Colloq. Condomien. to. 2. colloq 2. sect. 1.

CASUS VIII.

THEODULUS resignationem de Prioratu S. Melanii prima Februarii die 1709. in favorem Caroli confectam, die ejusdem mensis octava nondum in Curia Romana admissam, instrumento juxta consuetas formas scriptos, rescidit. Post biennium Theodulus Carolo Archetypum istius recisionis in manus tradidit, & consensit, ipsum vi Romanæ provisionis, quam post tres hebdomadas a confecta resignatione obtinuerat, in dicti Beneficii possessionem induci.

Carolus, postquam flammis dedit abrogationis præfatæ cum exemplar, tum, quæ sibi fuerat ab Accensu denunciata, descriptionem, adhibitis, quæ de more servandæ sunt, formulis dicti Prioratus adivit possessionem. 1. Estne ei legitime provisum? 2. Posito quod nulla sit ipsius Provisio, nonne potest ex triennii pacifica possessione postmodum invalescere?

RESPONS.

Non fuit legitime provisum Carolo de Prioratu, de quo quæstio instituitur: ratio est, quia Theodulus, ex confecta in favorem Caroli in manibus Papæ sua resignatione, eodem nulla ratione spoliatus est. Ut enim quis privata sua authoritate semetipsum non potest in Beneficium aliquod inducere; nec nisi accedentibus authoritate & consensu Superioris, cujus potissimum est de eodem disponere, valet illud idem, tanquam suum, assequi; sic neque etiam ei licet, eodem Superiore non consentiente, illud abdicare; ut colligitur ex Canone quodam excerpto de primo Concilio Niceno, quod refert Gratianus (i); indeque sequitur; cum juris proprii Resignantis semper remaneat Beneficium, quod resignavit, donec resignatio fuerit a superiore acceptata; locum ei relinqui; suæ resignationis rescindendæ, aut ut congruentius loquamur, abrogandæ, quam scripto dedit, procurationis ad resignandum, antequam admittatur: ut habetur ex dispositione cujusdam Constitutionis datæ a Clemente V. in Concilio Generali Viennensi, quam ad marginem indicamus (k): adeoque efficiendi, ut quam confecit, resignatio nullius roboris sit, & omni prorsus effectu careat: modo tamen caveat, suam rescissionem Resignatario significari, antequam Superior admiserit resignationem, & intra tempus ab Edicto præscriptum, quo eadem in publicas tabulas referenda est. *Si enim non fuerit sufficienter significata; tenebit postea ad missa resignatio; & inutilis erit renovatio*, inquit Cabassutius (l) Rebuffi, Charondæ, Canonistarumque aliorum opinioni, quantum ad eam rem, maxime inhærens (m).

(i) Concil. Nic. 1. c. 15. in can Non oportet 19. 7. q. 1.
(K) Clementina. Cum illustio. unica. de renunc. lib. 1. Clement. t. 4.

Si tamen Resignans impediretur a Procuratore, aut Resignatario, aut tandem ab ipso Collatore, sive dolo, sive etiam vi adhibita, quominus istam significaret denunciationem: valeret nihilominus ipsius recisio, sufficeretque, ut inde resignatio nulla redderetur, quemadmodum fertur in laudata Clementis V. Constitutione, *Nisi dolo Procuratoris effectum sit, ut non notificaretur revocatio*, addit Cabassutius, qui & ait; *Quin etiam, si Notarius non expedivit mandatum in manus Procuratoris; sufficere potest notificata revocatio ipsi Notario*. Eamdem causam subjicit; nimirum quod, juxta Edictum Henrici II. anni 1550. (n): Procurator nequeat a Collatore admitti, nisi scriptæ juxta requisitas formas suæ, pro-

(l) Jo. Cab. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 12. n. 6.
(m) Petr. Rebuff. 3. p. tit. de revocat. procurat. Charondas l. .. pandectarum c. 10.
(n) Edict. 1550. a. 2.

procurationis instrumentum præ se tulerit, quod quidem Notarius ei, post abrogationem sibi denunciatam, non potest jam in manus tradere.

Ex dictis patet, siquidem Theodulus resciderit suam procurationem *ad resignandum*, & ejusdem recisionem Carolo denunciari caverit, antequam executioni fuerit demandata; eum, qui Romæ sibi adhibuit istam procurationem, nulla rei istius gerendæ autoritate fuisse munitum. *Revocato autem mandato, non potest Procurator ullatenus resignare,* inquit, quem appellavimus, idem Canonici Juris interpres, *modo revocatio non solum præcesserit; sed etiam significata Procuratori fuerit, aut ipsi Collatori.* Unde, nihil obstantibus, quas curavit Procurator expediri, provisionibus, proprii Juris Theoduli remansit Beneficium, quo ipsemet antea gaudebat, atque adeo, ex simpliciter suppressa, quam ei denunciari jusserat, abrogatione, ab eo non potuit postmodum eodem Beneficio cedi in favorem Caroli: proindeque ipse Carolus non valuit, nisi ex injustitia prorsus aperta, in possessionem dicti Beneficii venire; cum eam possessionem absque legitimo titulo fuerit adeptus, & ex ea possessionis institutione Collatorem ordinarium jure de præfato Beneficio disponendi ac providendi, Theodulo defuncto, defraudaverit. En, quæ de prima proposita quæstione dicenda habebamus.

Quod spectat alteram, quæ instituitur, quæstionem, scilicet, num possit ejusmodi provisio ex beneficio pacificæ possessionis triennis postmodum invalescere: constat, ex possessione præfata neque provisiones, neque institutam de Beneficio possessionem a Carolo, valere ad legitimam formam ulla ratione reduci. Quoniam, quam Romana Cancellaria de trienni possessione constituit, regula locum non habet, nisi cum possessor titulo saltem colorato innititur. Jamvero Carolus nullo ejusmodi titulo gaudet; siquidem, quem præ se fert, omnino nullus sit. Ergo non potest, tuta conscientia, istum sibi Prioratum retinere, verum e contrario obligatur, ad eum abdicandum pure ac simpliciter in manibus Collatoris Ordinarii; aut saltem ad obtinendas in suimetipsius gratiam novas alias de eodem provisiones, postquam ejusdem possidendi redditus fuerit habilis & capax; quippe qui ex confidentia, quam cum Theodulo admisit, ad possidendum istud Beneficium inhabilis fuerit constitutus.

CASUS IX.

Josephus prima mensis Octobris 1709. Gabrieli fecit procurationem *ad resignandum*, cujusdam Prioratus, quem ei afferre volebat. Gabriel, ex officioso in Josephum suum Beneficum obsequio, non acriter institit dictæ procurationi Romam mittendæ, nolens, eum suo Beneficio tam cito spoliari; neque mercatori & Scambiatori Domini Papæ urgendæ ejusdem mandatum dedit, nisi secunda die mensis Octobris anni sequentis, adeo ut resignatio non fuerit a Summo Pontifice citius acceptata, quam 23. Octobris 1710. Num valet ejusmodi resignatio?

Respons.

Quæ fuerunt obtentæ in favorem Gabrielis in ea, quæ fertur in proposita specie, circumstantia, nullius sunt roboris provisiones: quoniam, quæ a Josepho procuratio facta est, caduca prorsus ex lapsu temporis evasit. Atque ea causa est, quod ejusmodi procuratio vim non habeat effectus sortiendi, nisi intra annum tantummodo; ut constituitur Edicto Henrici II. anno 1550. promulgato. Quam decisionem habet Eruditus quidam Canonista, qui sic ait (*a*): *Quæ itaque post annum fieret resignatio in ejus mandati vim, & subsecuta collatio, prorsus irritæ forent.*

(*a*) Joan. Cabassut. jur. can. theor. & prax. l. 2. c. 22. n. 7.

CASUS X.

Ovidius suam Curam Norberto resignavit; & resignatione in Curia Romana, secunda die Januarii 1708. admissa, ipse decessit tertia Julii sequentis die. Norbertus Beneficii possessionem ab ipsa die postera decessus sui Resignantis adeptus est. Episcopus vero ex altera parte de eadem Cura providit Theogeni, qui in ejusdem quoque possessionem die ab illinc octavo fuit inductus. Num legitima est, quæ in favorem istius postremi provisio successit?

Respons.

Canonica legitimaque est, quæ in gratiam Theogenis successit, provisio; Caduca vero ex lapsu semestris, adeoque nulla evasit, quæ Norberto concessa fuerat. Ratio est, quod quæcumque provisio sive nomine Summi Pontificis, sive ipsiusmet Ordinarii, inscripta, necessario publicari debeat per possessionem instituendam; nimirum quæ ab Ordinario data fuit, intra mensem ab ipsa die, quæ eidem adcribitur, computandum; quæ vero a Papa, intra sex menses; quod nisi sic factum fuerit, & Resignans nondum de possessione sui Beneficii depulsus decedat; provisio Resignatarii nulla fit, neque quidquam ei potest juris conferre. Ex quibus inferre est, siquidem Norbertus sex menses abire permiserit, Ovidio suo Resignante non expulso Beneficii possessione, & Ovidius ipse remanens etiamnum Beneficii sui possessor e vivis fuerit sublatus; ipsius provisionem irritam prorsus evasisse atque caducam, neque eum ullatenus juvari ex ejusdem possessione, quam inivit: Jure conferendi plane devoluto ad Episcopum, qui proprius est ejusdem Beneficii atque Ordinarius Collator: adeoque Theogenes legitimus est Beneficii Titularis.

Quæ decisio nititur una quadam ex Regulis Cancellariæ Romanæ, quæ dicitur: *De publicandis resignationibus*, cui nec etiam Summus ipse Pontifex potest derogare, juxta receptam passim in Regno Jurisprudentiam, quæ quantum ad eam rem, strictissime observatur, quo præcidantur infinitæ prope-modum fraudes & confidentiæ, quæ, ea cautione non adhibita, undequaque impune struerentur. Atque ea de causa, præfata Regula admissa fuit in Gallia, in qua vim Legis obtinet.

Est tamen observandum 1. futurum, ut non haberet locum, si dolus, metus gravis, aut violentia obstarent, ne Resignatarius possessionem adiret; atvero ex legis ignorantia, aut pusillari ætate, ipsius effectus non impediretur; quemadmodum judicatum est ab Ampliori Consilio 2. Januarii 1543. 2. Non antea decurrere incipere sex menses, quam ab ipsa die, qua resignatio in Curia Romana admissa est; non autem a die præstiti consensus a Resignante, vel ipsius Procuratore; juxta Arrestum 14. Julii 1541. quod refert Fontanon (*b*). 3. Notandum quoque est, secluso casu defuncti Resignantis, Resignatarium posse juvari sua provisione, & resignati Beneficii venire in possessionem intra triennium, quo quidem spatio temporis elapso, provisio nulla fit: negligentia siquidem Resignatarii, censeatur quasi quædam ipsius provisionis renunciatio tacita. 4. In eo casu liberum jam Resignanti non fieri, suum idem Beneficium eidem Resignatario iterum resignare, ut Decreto Urbani VIII. & Edicto de Antigrapho constituitur (*c*).

(*b*) Fontan. tom. 4. Edictorum. p. 493.

(*c*) Edict. de Antigrapho a. 20.

CASUS XI.

Papirius, Prior de S. Josse, cum misisset Romam suam procurationem causa resignandi sui Prioratus in favorem sui nepotis Galli, & Cursor illuc pervenisset 10. Octobris, dataque eodem die retenta; antequam provisiones expedirentur, Papa obiit. Numquid ista data potest Gallus juvari, ut a Papa futuro defuncti successore de eodem Beneficio obtineat sibi concedi provisiones?

Respons.

Quæ retenta est die, quo Cursor Romam accessit, data semper valet, quanquam ipsomet die, vel die postera Papa decedat. Ut namque Cabassutius ait (*d*), licet Papa exspiret, non exspirat ipsius Dignitas: quod facile probatur ex dispositione cujusdam Decretalis Alexandri III. scribentis ad Abbatem & Religiosos de Magno Monasterio, vulgo appellato Marmontier (*e*), atque eadem de causa Lex quædam de Digesto præcipit, *ut quod Princi-*

(*d*) Joan. Cabassut. jur. can. theor. & prax. l. 2. c. 31. n. fin.

(*e*) Alexand. III. in c. Quoniam. 14. de off. & potest. judicis deleg. lib. 1. tit. 29.

Principi relictum est, qui, antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione Divi Antonini, successori ejus debeatur (*a*). Ut pote qui eadem, qua defunctus Princeps, dignitatis eminentia fulgeat.

(*a*) L. Quod Principi. 56 ff de legatis 2. l. 32. tit. 2.

Dicendum est ergo, statim a confecta alterius Summi Pontificis electione, posse vi retentæ datæ in favorem Galli provisiones expediri.

CASUS XII.

Philemon in infirmitate constitutus, quamdam, qua gaudebat, Capellaniam simplicem in Curia Romana resignavit in favorem Laurentii. Cum vero convaluisset a sua infirmitate, Laurentius noluit neque ex resignatione ista commodi quidquam capere, neque vel etiam expeditas in sui favorem capessere provisiones. Philemon deinde post quatuor ab illinc annos in morbum lapsus, eandem Capellaniam suam ei iterum resignavit, nulla de resignatione priori facta mentione; & post mensem unum obiit, non revocata neque altera ista resignatione, neque etiam priori, quam confecerat. Laurentione, qui in possessionem istius Beneficii venit, fuit Canonice provisum?

Respons.

Quam confecit Philemon in favorem Laurentii, resignatio altera nullius omnino est valoris; atque adeo de Capellania præfata Laurentio nullatenus Canonice provisum est. Ratio est, quia, ut in dissolvenda superiori difficultate obiter diximus, qui Beneficium in gratiam alterius jam resignavit, non potest eidem altera vice idem Beneficium valide resignare, quando resignatio præcedens, quæ Romæ admissa fuit, non rescissa est, nisi de eo in supplicatione, quæ habetur apud Papam, aliquod verbum injiciatur; quo quidem in casu Resignatario incumberet, ante decessum Resignantis adire Beneficii possessionem: alioquin censeretur per obitum vacare.

Eam vero ob causam, postquam semel prior Resignatio admissa est, altera caret effectu, quod inde certissime induceretur hæreditaria successio Beneficiorum: quod cum sanctis Canonibus, tum plurimis Summorum Pontificum Decretalibus, quæ sufficit ad marginem indicare, penitus damnatur atque reprobatur (*b*).

Operæ pretium est nihilominus observare, si Philemon opportuno tempore ac servatis servandis, priorem resignationem abrogasset, antequam in Curia Romana fuisset acceptata; aut ipse Laurentius, ut primum novit in sui favorem istam resignationem accessisse, significasset instrumento bona fide ac coram Notariis confecto, nolle se eandem sibi vindicare; futurum in eo casu, ut valeret Philemon idem ei Beneficium altera quoque vice resignare. At eum tunc oporteret, in ejusdem possessionem, adhuc Philemone vivente, induci, alioquin Beneficium istud per obitum vacare certissime declararetur.

Dicimus: si Laurentius resignatum in sui favorem Beneficium bona fide rejecisset, repudiasset, quæ in suam gratiam exhibita fuisset, priori resignatione. Si enim Collusionis quid præ se ferret, ista detrectatio, altera, quæ accessisset, Resignatio sive pura & simplex, sive causa permutationis, Canonicis prorsus institutis dissentiret (*c*).

(*b*) Inn. II. in Conc. Rom. an. 1130. in can. Apostolica. 7. 8. q. 1 Conc. Pictaviens. in cap. Nullus. 1. de Præb. & Dignit. Alex. III. in c. Præsentium. 3. de filiis Presbyteror. Et in c. Conquerente. 4. & in c Ex transmissa. 7. & in c. Ad extirpandas. 11. ac passim eod. tit. Idem in c. Ad hæc. 15. de decimis. & in c. Consuluit. 15. de jure patronat. Inn. III. in c. Ad decorem. 5. de Institutionibus. &c.

(*c*) Sambov. t. 1. casu 25.

CASUS XIII.

Nemesius Parochus de S. Justino resignatam in Curia Romana suam Curam in favorem Leonis, voluntate postmodum immutata, dimisit pure ac simpliciter in manibus Episcopi proprii, die a discessu Cursoris septimo vel octavo. De eadem ab Episcopo statim provisum est Antonio, qui illico ejusdem adivit possessionem. Post duos menses Leo, suis provisionibus de Curia Romana acceptis, ab Episcopo *visa* petivit, cujus passus est repulsam. A Metropolitano autem, ad quem ea de re confugit, illud idem obtinuit in sui favorem expediri, posteaque possessionem adeptus est, cui plurimum obstitit Antonius. Qua de re quæritur utri Canonicæ provisionis jus succurrat?

Respons.

Leoni soli succurrit beneficium Canonicæ provisionis. Cum enim Nemesius in ipsius favorem confecerit in Curia Romana resignationem, neque suam procurationem *ad resignandum* rescinderit; profecto valet ipsius provisio, neque dimissione subsequenti, sed recisione tempore opportuno scripta; ac debita ratione denunciata potest tantummodo infirmari. Ideoque perperam provisum est Antonio; siquidem, quæ post tempus accessit, Nemesii dimissio nullius omnino sit nec roboris, nec momenti; atque ex conscientia obligatur, ad Curam cedendam Leoni, cui soli titulus legitimus suffragatur. Ita legitur conceptis verbis constitui in Constitutione Clementis V. cum præsens aderat Concilio Generali Viennensi anno 1311. celebrato. En ipsissima sunt præfatæ Constitutionis verba (*d*). *Cum illusio & variatio in personis Ecclesiasticis maxime sint vitandæ; præsenti Constitutione sancimus: ut, si quis ad cedendum Pontificali, vel alii cuilibet dignitati, vel Beneficio Procuratorem sponte ac libere constituerit, & ipsum ignorantem postmodum duxerit quomodolibet revocandum; teneat cessio facta per eum, antequam ad ipsius, vel illius, in cujus manibus cessio fuerat facienda, notitiam revocatio hujusmodi sit deducta* (*e*).

(*d*) Clementina unica. de renunciatione. lib. 1. tit. 4.

(*e*) Colloq. Condomen. t. 2. colloq. 2. sect. 2.

CASUS XIV.

Andronicus Prior de S. Genu, cum propter facinus ab eo perpetratum, pronunciata secundum formulas juris sententia, declaratus fuisset Beneficio suo repulsus ac privatus; de prædicta sententia provocavit ad Superiorem Judicem, deindeque Prioratum suum in favorem Ambrosii sui Nepotis in Romana Curia resignavit. Num ista resignatio alicujus roboris est ac pretii?

Respons.

Equidem quibusdam summæ atrocitatis facinoribus, puta Læsæ Majestatis in primo capite, Parricidii, hæresis (*f*), meditatæ cædis (*g*) & cœteris aliquibus ejusmodi pœna inuritur, ut Beneficiorum vacationem *ipso facto* inducant, absque eo, quod opus sit eadem, ex præcedenti sententia, vacantia declarari: in eoque casu, qui aliquod ex dictis facinoribus contraxit, nulla jam ei copia datur, de suo Beneficio disponendi; quoniam juris ipsius esse penitus desiit: adeo ut quicumque alius Ecclesiasticus habilis ad illud idem possidendum, jus haabeat agendi, quo sibi de eo provideatur, & in illius possessionem deinde veniendi, veritatem perpetrati criminis apud Judices cerissimis argumentis asserendo. At vero, cum facinori circumstantiæ desunt, quæ illud immane omnino efficiant, nec beneficii vacationem inducit, nisi *ipso jure*, atque adeo necesse est, juxta sanctissimos Canones (*h*) illud idem a Judice vacans declarari; superest adhuc Beneficiario damnato facultas de eodem disponendi, postquam de sententia adversus semetipsum pronunciata ad Judicem Superiorem appellavit: cum is sit provocationis proprius effectus, ut vim habeat suspensivam, quantum ad executionem alicujus sententiæ, donec eidem Judicis Superioris autoritas & robur accesserit, quemadmodum fertur in Decretalibus quamplurimis, & in jure Romano (*i*), præter quam in aliquibus Casibus ipso Jure Canonico prorsus ac distinctis verbis exceptis; puta cum res est de Censuris (*K*), aut etiam exclusis ipsis Principis legibus.

Quam decisionem tanquam genuinum Cabassutii fœtum apud eum reperire est in loco, in quo sic habet (*l*): *Criminum alia inducunt Beneficii vacationem ipso solo facto: alia vero, nonnisi per Judicis sententiam. Atque in his ultimis, non autem in prioribus illis, potest reus suo Beneficio apud Papam, vel legatum renuntiare in alterius favorem ante suæ condemnationis sententiam; quin etiam post sententiam, dummodo sit per appellationem suspensa. Quibus etiam casibus potest apud Ordinarium simpliciter resignare.*

(*f*) Cap. Quoniam. 1. & c. Cum secund. 19. de hæret. in 6. l. 5. t. 2.

(*g*) Inn IV. in c. pro humani. 1. §. 2. de Homicidio. in 6. l. 5. t. 4.

(*h*) Nicol. 1. in can. Studeat. 39 dist. 50. Inn. III. in c. Ex litteris. 10. de excessib. prælat. & subditorum. lib. 5. tit. 31. Cælestin. III. in c. Henricus. 11. de Cleric. pugnant in duello l. 5. t. 14.

(*i*) Alex. III. in c. Ad hæc. 30. de appellat. l 2. tit. 28. Lucius III. in c. Ad hæc 37. eod. tit. Leg. Unica ff. nihil novari appellat. interposita.

(*K*) Cit. c. Ad hæc. 37. Inn. III. in c. Pastoralis 53. de appellat.

(*l*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 7. c. 6. n. 4.

Eadem

Eadem quoque ratione decidit ipse Rebuffus (a); qui ait: *in Francia.. regnatio bona est, etiam ... si post privationem fuerit appellatum a sententia .... & ita obtinuit Episcopus Uticensis in magno Concilio per resignationem cujusdam scelesti privati: dummodo fiat mentio illius privationis & processus*. Idem etiam unanimi ore docent, quos babemus, ceteri Jurisconsulti, ut Probus, Boerius, Mainardus, Bengeus, atque Mornacius (b). Ea quibus inferre licet, ab Adronico potuisse Prioratum, quo gaudabat, in favorem Ambrosii ipsius Nepotis valide omnino resignari, postquam ab eo appellatum fuit de sententia, qua de eodem dejectus ac repulsus declarabatur; modo facinus, propter quod condemnatus est, iis non annomeretur, quæ Beneficiorum vacationem *ipso facto* inducunt, qualia sunt es, quæ ab ipso præsentis responsionis adito resignavimus: enim vero ut dicit Cabassutius: *In odium detestabiliorum criminum censetur vacare Beneficium ab ipso momento, quo fuit perpetratum* (c).

(a) Petr. Rebuffus praxi Benef. tit. de modis somittendi Beneficia n. 52.

(b) Prob. addit. ad Gloss. Pragm. sanct. tit. de Collat. v. Disponere addit. 33. Boerius de Courdigal. 200. Mainar. dec. Tolosan. 67. P pu. Notabilorum p. 3. l. 8 tit. 2. de in terdictis, & action. possess. Monarn. ad 3. ff. de his qui notantur infamia. Bengeus verat, cat amittitur Benef. §. 6. n. 10. 17. 18. & 19.

(c) Cabassut. l. 3. c. 10. n. 2.

CASUS XV.

Justinus Canonicus de Ecclesia Cathedrali Messunensi in gratiam Joaonis proprii sui filii, quem, de justo matrimonio, contracto antequam Ecclesiam ingrederetur, susceperat, Præbendam suam resignavit: an ista resignatio cum valida, cum Canonica est?

Respons.

Prædicta resignatio neque valida est, neque Canonica. Nam non potest Pater, ita statuentibus sanctissimis Canonibus, Beneficium suum in favorem proprii sui filii resignare Plurima Concilia istud districte omnino interdixerunt; atque inter alia Concilium Abricense anno 1172 celebratum sub Pontificatu Alexandri III. (d) cujus Decretum legitur conceptum istis verbis: *Filii Presbyterorum non ponantur in Ecclesiis Patrum suorum*. Concilium Labethense actum ab Episcopis Provinciæ Cantuariensis anno 1281. sedente Martino IV. (e) declarat vacantia pleno jure Beneficia, quibus ex resignatione Patrum suorum filii præficiuntur; *Cum a jure sit inhibitum*, inquiunt Patres, qui præfato Concilio aderant, *ut absque dispensatione Apostolica præficiantur filii Presbyterorum, aut Rectorum, in Ecclesiis, in quibus Patres eorum immediate, seu proxime ministrarunt, & constet, ipsa Beneficia vacare, si contrarium fuerit attentatum, præcipimus, ut Prælati de Ecclesiis sic vacantibus diligenter inquirant .... cautius præcaventes de cætero, ut Clerici ad hujusmodi Beneficia nullo modo admittantur*.

(d) Concil. Abrinc. c. 2. To. 10. Conc. Gener. Phil. Labbæ pag. 1460.

(e) Conc. Lambethens. c. 11. Tom. 11. Conc. pag. 1169.

Ea vero potissimum de causa, voluit Ecclesia, ejusmodi resignationes prorsus infirmari, *ne contra Justitiam in hæreditate Crucifixi, per surreptionem, locus pateat successioni*: quem admodum Concilium citatum loquitur. Atque revera eum sibi finem maxime proposuerunt Canones Conciliorum, Summorumque Pontificum Decretalia in prohibitoriis Decretis, quæ per universas passim ætates tulerunt dearcenda ista Beneficiorum hæreditaria quasi successione. Qua de re Innocentius II. qui vivebat antequam haberentur Concilia Abricense, & Labethense, ipse præsidens Romano cuidam Concilio anno 1139. sic statuit (f); *Autoritate Apostolica prohibemus, ne quis Ecclesias & Præbendas, Præposituras, Capellanias, aut aliqua Ecclesiastica officia hæreditaris jure valeat vindicare, aut expostulare præsumat. Quod si quis improbus, aut ambitionis reus attentare præsumpserit, debita pœna mulctabitur & postulatis carebit*. Quod quidem caput Disciplinæ Glossa confirmat (g) ex quadam Decretali, in qua Alexander III. ait (h): *Præsentium autoritate jubemus, ut filios Sacerdotum in Ecclesiis paternis ministrare, vel eas qualibet occasione obtinere nullatenus patiaris: sed ipsos ab Ecclesiis, in quibus Patres ipsorum ministrasse noscuntur, studeas penitus amovere*. Idemque prohibitorium interdictum habet laudatus Papa in plurimis aliis Constitutionibus, quas adire licet in Corpore Juris (i). Honorius III. sermonem faciens de Sacerdote quodam, cui nomen erat Virgilius, a quo possidebatur Cura, *quam nullo modo habuit ejus Pater*; jubet, ut nihil obstante dispensatione, quam ei indulserat Rhemensis Archiepiscopus tanquam in ea re, legatione Apostolica fungens, eadem privetur, adempto ei quocumque appellationis perfugio (K).

(f) Inno. II. in can. Apostolica 6. 8. q. 1.

(g) Gloss in cit. can. Apostolica par. Præbendas.

(h) Alexand. III. in c. præsentium 3. de filiis Presbyterorum. Ordinand. vel non l. 1. tit. 17.

(i) Idem in c. Conquerente 4. in c. Quoniam 10. & in c. Ad extirpandas 11. eod. tit.

(k) Honorius III in c. Dilectus 17. eod. t.

Est ergo extra omnem dubitationis aleam constitutum, non posse a Justino ipsius Præbendam resignari in favorem Joannis ipsius filii, quanquam ex legitimo toro progeniti, quia eo ipso pessumdentur Ecclesiastica Instituta, quæ ut plurimum invaluere, nisi, ex dispensatione legitima, id ei a Summo Pontifice permissum fuerit.

Cujus rei occasione observandum est, Canones multo strictiores, rigidioresque esse, quoad Spurius filios Beneficiariorum. Neque enim iis prohibetur tantummodo, ne possideant Beneficia, quæ sui Patres animo haberent in eorum favorem resignare, sed nequidem illis licitum sit, ulli alii Beneficio in eadem Ecclesia præfici, in qua Patres eorum ex titulo aliquo præponuntur; quemadmodum declaratur ab Innocentio III. (l) quanquam, juxta aliam Decretalem, quæ est Clementis III. (m) illud idem non interdicatur iis, qui ex legitimo matrimonio nati sunt, quod præcessit antequam eorum Patres Ecclesiasticis ordinibus insignirentur.

Concilium Tridentinum adhuc longius procedit (n); sic namque de filiis Spuriis conficit ista ratione Decretum; "Ut paternæ incontinentiæ memoria s locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis ubi eorum Patres Beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam Beneficium dissimile obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ Parentes eorum obtinent, aut alias obtinuerunt, habere. Quod si in præsenti Pater & Filius in eadem Ecclesia Beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum Beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium mensium spatium. Alias ipso jure eo privatus existat; & super iis quæcumque dispensatio subreptitia censeatur. *Quibus præfati Concilii Patres subjiciunt*; Ad hæc reciprocæ resignationes, si quæ posthac a Parentibus Clerici in favorem filiorum fiant, ut alter alterius Beneficium consequatur, in fraudem hujus Decreti & Canonicarum sanctionum factæ omnino censeantur; nec collationes secutæ vigore hujusmodi resignationum, seu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis Clericorum filiis suffragentur".

(l) Innoc. III. in c. Cum decorem 15. & in c. Ad abolendam. 18. eod. tit.

(m) Clem. III. in c. Ad hæc. 12. eod. tit.

(n) Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 15.

Tandem ne quid nobis eorum excidat, quæ maxime juvat, ea in materia, perspecta haberi, existimamus, addendum esse, a Canonistarum plerisque contendi, neque idem posse possideri a nepote Beneficium, quo ejusdem avus ex titulo potitus ac gavisus fuerat. Ita censet Author Glossæ in Canonem, quem citavimus (o), & eandem propugnat opinionem occasione cujusdam Decretalis Alexandri III., quam etiam allegavimus (p); Atque potissimum innititur plurimis Legibus Romanis (q), quæ ferunt, nepotes cum filiis indiscriminatim haberi sub communi liberorum appellatione. Cui opinioni Rebuffus (r) adhæret, qui in ipsius ejusdem patrocinium appellat Panormitanum, & Joannem de Anania, qui idem ut plurimum dicitur Archidiaconus, & testatur (s), ita passim judicari in supremis Galliarum Curiis.

(o) Gloss. in cit. can. Apostolica.

(p) Gloss. in c. Ad extirpandas supra cit.

(q) Leg. Liberorum. & L. Justa. ff. de verbor. signi.

(r) Petr. Rebuffus prax. Benef. de dispensat. super defectu natalium n. 25.

(s) Idem ibid. & tract. de pacific possess. n. 287.

CASUS XVI.

Flavius Prior de Calvomontio cogitat resignare suum Beneficium in favorem Titii sui Patris, qui defuncta sua uxore, Ecclesiasticæ vitæ amplexus est institutum. Num potest propositum exequi, non perfractis Legibus Canonicis?

Respons.

Non eadem est, in materia resignationis, conditio filii ad suum Patrem, quæ Patris erga suum filium. Licet enim vero, secundum Canones, non

Digitized by Google

possit Pater suum Beneficium in favorem proprii filii resignare, conceditur tamen filio, ut valeat de Beneficio, quo gaudet, conficere in favorem Patris sui resignationem. Ratio est, quod nusquam legatur Canon, quo istud interdictum fuisse reperiatur; quod sufficit, ut ejusmodi resignatio valeat atque comprobetur, quippe non possit reprobari, quasi rerum Beneficialium inducens hæreditariam successionem; siquidem Patres non succedant in bona filiorum, nisi reluctante quodammodo ordine naturali, & obstante plurimum communi ipsorummet voto, quo nimirum magis intendunt, eosdem habere viventes, & suorum bonorum post se relinquere successores; *Parentes ad bona liberorum ratio miserationis* (id est pietatis) *admittit*, inquit Lex (a), *& Parentum commune votum*.

Quæ ratio plurimos magni nominis Autores in nostram sententiam adduxit: atque inter alios Rebuffum (b), qui sic habet: *Non probibetur tamen Pater habere Beneficium filii: tum quod hoc non inveniatur expresse prohibitum, tum etiam, quia odiosum est. Ergo potius restringendum* (c) ..... *& quia etiam hoc verum est, ut filii thesaurizent parentibus, & eis Beneficia reservent*. Farinacius, Despeisseus & Cabassutius qui eos appellat, eandem quoque sequuntur opinionem (d).

Vide (Beneficium.)
(Beneficiarius.)
(Eques. Casus Renatus.)
(Confidentia.)
(Permutatio.)
(Provisio.)
(Simonia.)

(a) L. Scripto 6. ff. unde liberi & ibi Gloss. l. 18. t. 7. Item Leg. Nam etsi 15. ff. de inofficioso testamen. l. 5. t. 2. Et L. Jaliaaunam. §. Denique. ff. si quis omissa causa testament. &c. l. 29 t. 4.

(b) Petrus Rebuff. in prax. Benefic. p. 2. t. de dispens. super defectu natalium. n. 20

(c) Leg. Cum quidem ff. de liberis & posthumis hæredibus instituendis vel exhæredand. l. 28. t. 2.

(d) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 20. n. 7. & apud eum Farinac. decis. p. 4. t. 228 & Despeisseus tract. de Benef. t. 3. n. 4.

RESTITUTIO.

JUXTA S. Thomam (e), *Restituere, nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ* Indeque laudatus S Doctor sic habet: *Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quando scilicet res unius ab alio habetur, vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel in deposito, vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina, vel furto*. At quoniam ex simplici rei alicujus restitutione, ipsius conscientiæ securitati plerumque non consulitur sufficienti modo: & præterea necesse est, compensari quodcumque damnum proximo, ex injusta rei istius occupatione, fuit illatum, solent Theologi restitutionis naturam istis verbis explicare (f): *Restitutio est rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio, seu, tantidem refusio*.

(e) 2. 2. q. 62. a. 1. in corp.

(f) Tolm. p. 2. 2. n. 413.

Præceptum restitutionis est de necessitate salutis, ac potest tanquam affirmativum haberi, in eo quod, jubeat rem, quæ proprietario ablata est, vel contra ipsius voluntatem retinetur, eidem restitui, seu considerari potest tanquam negativum, in eo quod prohibeat, rem alienam proprietario nolente, atque inscio retineri.

Obligatio restitutionis semper incumbit, quando peccatum est contra justitiam proximo debitam.

Cum fuit inter plurimos ejusdem furti societas, aut cujuslibet alterius actus adversantis justitiæ, omnes in solidum obligantur ad restitutionem:

Inter eos omnes, quos urgere potest restitutionis obligatio, coriphæus omnium habetur, qui iniquus est rei possessor, cui deinde succedunt secundarii, qui fuerunt injustitiæ perpetratæ, aut detrimenti proximo illati socii atque participes, sive jubendo, suadendo, aut quoquo alio modo concurrendo.

Quando res in integra sua natura non perseverat, altera res ejusdem valoris restituenda est.

Quæcumque restitutio statim debet fieri, atque potest, nec licet eam differre, nisi ex aliqua gravissima & justa causa.

Cum ignoratur, cui sit restituendum, deficiente, cui restitutio fiat, pauperibus addicenda est.

Neque vero sola res, quæ possidetur inique, reddenda est, sed insuper, quæcumque detrimenta rei proprietario, ex ejusdem privatione, emerserunt, aut postea poterunt emergere, ei sunt in integrum rependenda; sic verbi gratia Joannes, Jacobo artifici, furto surripuit ferramenta, quibus in exercenda arte sua uti consueverat, atque, ex iniqua ista dictorum ipsius ferramentorum possessione, omnem ei vitæ ex opera sua sustinendæ locum, per integrum mensem interclusit, Joannes obligatur non tantum ad restituenda Jacobo ipsius ferramenta, sed etiam ad eidem rependendam omnem pecuniam, quæ ei obvenisset ex usu ipsius ferramentorum, si ea sibi potuisset adhibere.

Ut fama atque bonum nomen speciem boni pretiosioris & excellentioris constituunt auro, argento, cæterisque ejusmodi thesauris, eorumdem restitutio arctiorem ac prorsus necessariam inducit obligationem, eique, quantum possibile est, fieri debet, cui pretiosa ista bona ablata sunt per calumniam, aut per obtrectationem, per furtum, aut per aliam iniquam viam, quæcumque tandem esse possit.

Nullus disserendi finis esset, si, quidquid materiam restitutionis attinet, hic loci

Digitized by Google

loci recensere aggrederemur; aliunde vero se se, quasi iterato sermone, legentibus offerrent plurima ea de re principia, quæ copiose tractata passim recurrent in 224. Decisionibus, ex quibus præsens iste titulus conflatur. Istud tantummodo volumus imprimis observari, nimirum istam materiam plurimum omnino referre ad fidelium salutem, prætereaque propriam omnium hominum, cujuscumque status sint atque conditionis, esse omnino considerandam; hoc est, perinde pertinere ad Reges, sicut ad eorum subditos; ad Magnates, quemadmodum ad viros de plebeia fæce, ad locupletes, & ad egenos: ad Magistratus, Judices, cæterosque homines forenses, ad Mercatores, Negotiatores, Artifices, Dominos atque Dominas: Domesticos, Viros Ecclesiasticos, & personas Religiosas ac sæculares; uno verbo quascumque personas, personarumque conditiones, nulla adhibita exceptione. Quoniam ut omnibus Hominibus incumbit, quæcumque christianam charitatem decent, mutuis ad invicem officiis prosequi; ita eosdem necesse est invigilare, erga se se invicem observandis regulis christianæ justitiæ; quibus interdicitur, ne bonum alienum injuste accipiatur, aut detineatur, neque etiam proximo detrimenti quidquam importetur.

Attamen ex omnibus obligationibus, quibus astringuntur Christiani, quasque præscribit Divina Lex, solam restitutionis Legem reperire est, quæ perperam omnino custodiatur, adeo dira habendi cupidine moveantur, quotquot Religionis amore, propriæque salutis studio parum afficiuntur. Facile comprimuntur, quos ea de re, bona timidaque indoles offert, conscientiæ stimuli; conquiruntur, & undequaque quærentibus occurrunt infinitæ nimis, eæque prorsus futiles causæ pessumdandæ tantæ obligationis: ac sæpe contingit, non eam ante agnosci, quam cum vitæ finis instare sentitur. Quin etiam innumeros videas, qui falsum, ea in materia, pro vero præsumentes, alienis divitiis locupletes animo tranquillo miserrime moriuntur: atque, quod moveat majorem admirationem, ipsis Divitibus Magnatibusque, præ cæteris, incommodo est restitutionis necessitas, cui vix ac ne vix quidem unquam cedunt, præsertim vero, eum iis liberi sunt, quos animo habent aut intra conditionis statum sustinere, aut etiam cumulata pecunia ad gradum superiorem extollere. Et multi sunt inter eos, quos summa rerum angustia undequaque invaderet, si quidquid rei male partæ possident, omnino restituerent, quemadmodum olim dixit quidam Ethnicus sapientia sua commendandus, cum de Principibus sermonem haberet (a): *Si Principes justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi & armis occupaverunt, ad casas & egestatem reverterentur.*

(a) Cicero de Repub.

Ex dictis sequitur, summo admodum ac magis ordinaria saluti impedimento esse; iniquam rei alienæ possessionem: indeque etiam Confessariis, quibus animo est, digne fungi suo ministerio, grave prorsus atque omnino intricatum afferri negotium. Eaque potissimum de causa, ut penitius edocerentur, animoque magis obfirmato resisterent injustitiæ, & eorum expugnent pertinaciam, qui crimen injustitiæ admittunt, Concilia, Patres, atque in primis S. Augustinus tantopere commendaverunt arctissimam restituendæ rei alienæ necessitatem.

Verum, quod lugere satis non possumus, illud est nimirum, quod proxime elapso sæculo occurrerint Doctores mendacii atque iniquitatis, a quibus pervulgatæ sunt decisiones iis potissimum faventes, qui rem alienam iniqua possessione detinent, & prætextis falsis causis, se se ab obligatione restituendi omnino eximi contendunt. En decisiones, quæ præsentem materiam proxime atque immediate attingunt, quam hic loci sumus fusiori stylo prosecuturi: iis vero statim adjungetur propria sua censura, qua singulæ notatæ ac proscriptæ sunt ab Illustrissimis Cleri Gallicani Antistitibus, in suis Comitiis generalibus, anni millesimi septingentesimi: quæque legitur in Titulo X. in quo de furto tractatur.

PROPOSITIO XLVIII.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est, per pauca furta; quantumcumque sit magna summa totalis.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, perniciosa, & furta etiam gravia approbat.

PROPOSITIO XLIX.

Qui alium movet, aut indueit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

PROPOSITIO L.

Etiamsi Donatario perspectum sit, bona sibi donata a quopiam, ea mente ut Creditores frustrentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur & justitiæ regulis repugnant.

Prædictarum propositionum duæ priores jam antea fuerant a Doctoribus Universitatis Lovaniensis condemnatæ, nimirum prior, anno 1653. & altera anno 1657. & utraque postmodum a Summo Pontifice Innocentio XI. Tertiæ denique similiter notam censoriam inusserant Domini Vicarii Generales Illustrissimi Cardinalis de Rets Parisiensis Archiepiscopi (*a*), adeoque censura iisdem Propositionibus apposita anno 1700. cujus textum Latinum jam retulimus, cum de furto fecimus sermonem, non successit, nisi in censurarum antecedentium confirmationem.

(*a*) Vic. general. pag. 16.

CASUS PRIMUS.

ROMULUS vendidit Sergio equum, quem in ipsius potestatem nondum dedit, & cui morbus; ex culpa ejusdem Romuli, statim a confecta venditione incidit, unde de ejus pretio plurimum omnino detractum est: aut ipsemet equus ex inopinato quodam ac mere fortuito casu periit: aut tandem Judicis auctoritate occupatus est & fisco addictus, propter delictum a Romulo admissum, antequam dictus equus Sergio traditus fuisset. Num venditor præfatus ex conscientia tenetur ad damnum emptori in primo casu rependendum, si culpa ipsius fit tantummodo levis, hoc est, si ejusmodi non fuerit, quæ dicitur *lata culpa* ex negligentia notabili, & crassa proveniens? Eademne quoque ei incumbit obligatio, quantum ad duos alios casus?

RESPONSIO.

Existimamus, quantum ad propositum primum casum, ex conscientia induci Romulo obligationem exhibendæ Sergio damni compensationis. Enimvero, loquendo stricte, venditor tenetur ad reparationem damni, quod rei venditæ infertur, cum illud idem importatum est ex ipsius notabili culpa, *lata culpa*, vel etiam ex ea culpa, quam levem Leges appellant, *levis culpa*. Quæ communis est Jurisconsultorum sententia in quamdam Legem Digesti: (*b*) *Custodiam autem venditor talem præstare debet, quam præstant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet.*

(*b*) L. Custodiam. 3. ff. de peric. & commo o rei venditæ. l. 18. t. 6.

Quod pertinet autem ad fortuitos casus; ab iisdem quoque debet Romulus præstare rem venditam; si equus nonnisi conditione adjecta, fuerit venditus, neque completa conditione casus, qui in proposita specie enunciatur, advenerit. Ratio est, quod certo certius constet, contractum, cui accessit conditio *de futuro*, suspendi, nec nisi post completam conditionem, censeri integra ratione perfectum. Verbigr. si Romulus suum equum Sergio vendidisset, apposita ista conditione, modo sibi alius equus, quem expectaret ab emporio, ad quod, eundem emendi causa, aliquem misisset, adduceretur; tunc casu contingente, quod equus qui fuisset, adhibita ista conditione, venditus, ante præfinitum tempus, ex fortuito aliquo infortunio periret, ipsius damnum integrum in solum Romulum recideret: *Quod si sub conditione res venerit*, inquit Jurisconsultus Paulus (*c*), *si quidem defecerit conditio, nulla est emptio, sicut nec stipulatio. Quod si extiterit, Proculus necnon Octavenus emptoris esse periculum ajunt.* Verum, cum venditio omnino perfecta est, & suis numeris absoluta tunc ipsimet emptori damnum, ex fortuitis etiam, casibus irruens, imputatur: *Cum speciem venditam per violentiam ignis assumptam dicas, si venditionem nulla conditio suspenderat, amissæ rei periculum non te astringit*, inquit una alia Lex (*d*).

(*c*) L. Necessario. 8. ff. eod. tit.

(*d*) L. Cum speciem. 5. ff. eod. tit.

Idem quoque dicendum est, si priusquam equus a Romulo fuisset Sergio traditus, ex ipsius manibus occuparetur propter perpetratum ab eo aliquod delictum, & Judicis auctoritate fisco addiceretur. Quæ quæstio tertia est, quam proposita species enunciat.

Est eadem denique ratione judicandum, si Romulus fidem dedisset, futurum ut, intra constitutum quoddam temporis spatium, equum daret in potestatem Sergii, & ipse cum postea neglexerit eundem, tempore constituto, tradere, contingeret, equum aut penitus perire, aut, ex fortuito casu, damno aliquo affici. Tunc namque Romulum ipsum equi detrimentum astringeret, siquidem ex propria sua culpa moram interposuisset. Atque illud omnino patet ex sequenti Lege (*e*): *Si .... venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est .... moram venditori nocere*: quod plane congruit isti Canonici Juris regulæ generali (*f*): *Mora sua cuilibet est nociva.*

(*e*) L. Illud 7 & L. Quod si 14. ff. eod. tit. Item Leg. Si fundus. 33. ff. locati conducti l. 19. t. 2.

(*f*) Reg. 25. de reg. Jur. in 6.

Ea vero causa potest afferri, nimirum quod, cum res vendita remaneat in potestate venditoris, ipsi obligatio incumbat ejusdem servandæ, donec eam tradiderit, non tantum ea diligentia, quam in suis rebus adhiberet, verum etiam cum ea diligentia quam præstaret rei alicui sibi commodatæ; ut fertur in prima Lege, quam allegavimus, & ad eum pertinere debeat quæcumque negligentia seu culpa, in quam vigilans aliquis Pater familias non incideret (*g*). Cujus rei ratio aperta est. Venditionis enim contractus vertitur perinde in ipsam venditoris, ac emptoris utilitatem: *Ubi utriusque utilitas vertitur, ut in empto .... dolus & culpa præstatur* (*h*).

(*g*) Si venditor eam diligentiam adhibuisset in insula custodienda, quam debent homines frugi & diligentes præstare, si quid occidisset, nihil ad eum pertinebit Leg. Si vendita 11. ff. de periculo & commodo rei venditæ.

(*h*) L. Si ut certo. 5. §. 1. ff. commod. vel cont. l. 13 n. 6.

At e contrario si Sergius emptor moram adhibuisset accipiendi sui equi, sive post constitutum temporis spatium, quo tradendus erat in ipsius possessionem, sive, cum non esset præfixum tempus, post admonitionem ipsi a Romulo ipsius venditore denunciatam, in eo casu custodia equi nullatenus jam pertineret ad Romulum, neque damnum, quod eidem posset inferri; modo dolus nullus ex ipsius parte accederet: *Illud sciendum est*, inquit Lex (*i*) *cum moram emptor adhibere cœpit, jam non culpa, sed dolum malum tantum præstandum a venditore.* Quod idem docetur a Caballutio (*K*).

(*i*) L. Illud 17. ff. de peric. & com. rei venditæ. item L. Si quis 4. §. fin. ibid.

(*k*) Joan. Caballutius juris can. theor. & prax. l. 6 cap. 25. n. 6.

Existimamus, partium nostrarum potissimum esse, hic loci obiter observare, si res venditæ naturam earum rerum sortirentur, quæ consistunt in pondere, numero, seu mensura, & simul venumdatæ fuissent, nullo earundem peracto numero, neque servato pondere seu modo, constitutoque earundem certo quodam pretio, in eo casu futurum, ut ad solum emptorem pertinerent fortuiti casus emergentes, antequam eædem fuerint dinumeratæ, appensæ, aut modulo probatæ. Verum, si fuissent dinumeratæ, appensæ, aut modulo probatæ a venditore, & ab emptore, neque pretium conventum fuisset de iisdem simul sumptis, sed secundum pondus, modulum, aut numerum duodenum, tunc futurum ut ipsi venditori fortuiti casus incumberent, ex quibus earumdem inte-

interitus, aut damnum sequeretur. Quod etiam locum habere debet, si emptor pretium fecisset certo numero cadorum vini, constituto de unoquoque cado certo quodam pretio, & adhibita conditione, quod vinum foret prægustaturus: si namque vinum ante vitiaretur, quam prægustatum fuisset, totum illius damnum recideret in venditorem: quamquam emptor, ex impresso suo charactere, illud idem jam suum effecisset.

CASUS II.

Hubertus cum emisset a Marco decem modios tritici, ea Lege, quod constitutum unicuique modio pretium 150. librarum intra mensem foret repensurus; Marcus plurimum confidens ipsa pecunia sibi ab Huberto persolvenda, eamque habens quasi summam constituto tempore sibi certissime numerandam, alii emptioni nomen adscripsit suum, cujus solutionem non potuit præstare, quoniam Hubertus fidem datam non exsolvit: unde damnum ei emersit ex cessante lucro 1000. & amplius librarum, quas potuisset lucrari, si Hubertus eidem debitam pecuniam numeravisset. Qua de re quæritur, utrum Hubertus teneatur, ad solvendam Marco non eam tantummodo pecuniæ summam, quæ decem modiis tritici constituta est, sed etiam ad rependendum omne damnum, quod eidem fuit ex mora solutionis, illatum?

RESPONS.

Respondemus, Huberto non aliam obligationem induci, quam persolvendi pretii tritici, quod emit, & summo jure servato, ipsiusmet sortis præstandi legitimi fœnoris; eum vero neutiquam teneri, ad rependenda Marco neque damna, neque damnorum accessiones: siquidem eum nulla ratione incitavit, ad contrahendam illam emptionem, cujus occasione, quam alias consecutus fuisset, summam 1000. & amplius librarum non attigit. Atque ita statueretur ab omni æqui & boni æstimatore Judice, & revera fertur in quadam Lege Digesti, quæ ait (a): *Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras duntaxat præstabit, non omne omnino quod venditor, mora non facta, consequi potuit, veluti si negotiator fuit, & pretio soluto ex mercibus, plusquam ex usuris quærere potuit.* *Vide* EMPTIO Casus I.

(a) L. Venditor. fin. ff. de periculo, & commodo rei venditæ.

CASUS III.

Ogierius, qui in quadam statione, promovendi, quod ibidem fit, commercii causa, artem Proxenetæ profitetur, Paulum Mercatorem alieni-Senum adduxit ad Lucianum Negotiatorem Gallum, & se se interposuit in venditionem mercium Pauli conficiendam fide Luciani, quem virum esse solvendo pro certo affirmavit venditori. Tribus ab illinc mensibus argentariam fraudulenter dissolvit Lucianus, indeque Paulo integra eorum omnium, quæ ei vendiderat, jactura emersit. Numquid Ogierius tenetur ad illuc damnum Paulo resarciendum?

RESPONS.

Non tenetur præfatus Proxeneta, ad resarciendum Paulo ullum damnum, nisi culpam aliquam notabilem, quæ ei debeat imputari, admiserit. Ut enim vero Proxenetæ non obligantur, ad præstanda negotia, quibus conficiendis operam dant, sic nec iis incumbit, fidem propriam pro iis interponere, quibus aliquid aut commodari, aut eorum fide vendi, sunt auctores; licet operæ suæ mercedem rependi solitam ac debitam acceperint, atque etiam eos plurimum laudaverint, qui, constituto solutionis tempore, emunt: *Si Proxeneta intervenerit faciendi nominis, ut multi solent*, inquit Lex (b), *videamus an possit quasi mandator teneri? Et non puto teneri, quia hic monstrat magis nomen, quam mandat, tametsi laudet nomen. Idem dico, etsi aliquid philanthropii (c) nomine acceperit, nec ex locato conducto erit actio.*

(b) L. Si Proxeneta. 2. ff. de Proxenet. l. 50. t. 14.

(c) Philanthrop. humanitatem signific. unde Philanthropiquomiae aliquid accipere, est munusculum vel mercedulam, quæ benignitatis magis est, quam obligationis Glossa in cit. Leg.

Diximus: *Nisi culpam aliquam notabilem quæ ei debeat imputari, admiserit.* Si enim aliquam ejusmodi contraxisset culpam, jam de conditione ipsius aliud omnino judicium ferendum esset. Ideoque citata Lex subjicit: *Plane si dolo & calliditate creditorem circumvenerit, de dolo, actione tenebitur.* In quæ verba sic habet Glossa: *Non de solo dolo tenetur, sed etiam de lata culpa.*

CASUS IV.

Epiphanius bona fide possidet prædium quoddam, quod Balduinus, cujus hæreditatem acceptit mala fide possidebat. Qui verus est dicti prædii Proprietarius ab eo petit, illud idem sibi restitui: quin etiam prætendit, sibi deberi omnium omnino, qui percepti sunt fructuum restitutionem. Nonne sua bonæ fidei possessione juvatur, ut a restituendis fructibus valeat se se saltem subducere; ac præcipue si ex ipsius industria & labore eorumdem pleraque pars provenerit?

RESPONS.

Bona fides, qua nititur Epiphanius, eum non eximit ab obligatione restituendorum fructuum, quos percepit, magis quam ab obligatione ipsiusme prædii restituendi. Eadem namque Lex restitutionis hæredes possessorum malæ fidei urget, quæ ipsis incumbit, in quorum bona succedunt, quippe qui eorum personas sustineant, in eorum locum veniant, & quibus ipsi astringebantur, easdem contrahant obligationes, neque valeat hæredum bona fides extinguere malam fidem personarum, quas repræsentant, quod quidem apertum omnino fit ex istis verbis, quæ leguntur in Lege (d): *Hæredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est.* Et ex istis, quæ alia Lex habet (e): *Vitia possessionum a majoribus contracta perdurant & successorem Auctoris sui culpa comitatur.* Ex quibus inferre est, ex conscientia obligationem induci Epiphanio, restituendorum vero prædii proprietario fructuum, quos inde percepit, deductis nihilominus impensis legitimis & necessariis, quas contulit in ipsius cultum, & in percipiendos atque conservandos fructus inde provenientes, sicut etiam in sumptibus, quos adhibuisset, ut illud melius faceret, puta, si in dicto prædio aut plantavisset, aut ædificavisset (f).

(d) L. Litigator. 12. in fin. cod. de fructibus, & litium expensis. l. 7. tit. 51.

(e) L. Vitia. 11. cod de acquirenda, & retinenda poss. l. 7. cit. tit. 32.

(f) L. Si controversia. 9. cod. de evictionibus. Item L. 16. ib. l 8. tit. 45.

Quod pertinet ad illam rationem, quæ in instituenda quæstione innuitur, scilicet ex industria Epiphanii, potissimum provenisse pleramque fructuum partem, qui de dicto prædio percepti sunt, dicendum est ipsius nec laborem, nec industriam obstare, quominus proprietario fundi eorumdem restitutio debeatur; quoniam fundum necessario semper supponunt, ex quo fructus oriuntur, & isti fundo jus potissimum inhæret. *Omnis fructus non jure seminis, sed jure soli percipitur*, ait quædam Lex Digesti (g), quæ etiam addit: *in percipiendis fructibus magis corporis jus, ex quo percipiuntur, quam seminis, ex quo oriuntur, aspicitur. Et ideo nemo unquam dubitavit, quin si in meo fundo frumentum tuum severim, segetes, & quod ex messibus collectum fuerit meum fieret.*

(g) Qui scit. 25. ff. de usur. lib. 22. tit. 1.

Ceterum quanquam quæ hactenus diximus de restitutione fructuum, non accipiantur ordinarie, nisi de iis, quæ oriuntur ex fundis aliquibus, & rebus non moventibus, manet tamen pro certo, eadem intelligenda quoque esse de rebus moventibus, quæ habere possunt aliquos proventus, qualia sunt certa quædam animalia, quemadmodum equi, vaccæ, & verveces, ceteraque ejusmodi: quin etiam ea, quæ commercium ingrediuntur, & solent locari, puta, supellex aliqua, quam Aulæorum opifex consuevit elocare: *Si vestimenta, aut scyphus petita sunt*, inquit Lex (h), *in fructu hæc numeranda esse, quod, locata ea re, mercedis nomine capi potuerit.*

(h) L. Videamus. 19. ff. cod. tit.

CASUS V.

Bertulfus jugero vineæ nondum per annos tres aut quatuor gavisus, & fructibus inde provenientibus perceptis, de illius possessione a Raimundo deinde dejectus est, ex data sententia, qua dictus Raimundus declarabatur verus ejusdem esse Proprietarius. Num Bertulfo incumbit, ex debito conscientiæ, dictorum fructuum reddendorum obligatio, quanquam ex dicto judicio ad istam restitutionem non condemnetur?

RE-

RESPONS.

Respondemus, Bertulfum non obligari ad restituandos fructus, quos de prædicto jugero vineæ suos effecit, si quandiu eodem fuit potitus, bonæ fidei possessor eatiterit. Ratio est, quia *bonæ fidei possessor*, inquit Lex (*a*) *in percipiendis fructibus id juris babet, quod Dominis prædiorum tributum est*. Et ut iternm fert alia Lex (*b*): *Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est*.

(*a*) Leg. Qui scit. 25. §. 1. ff. de usuris.
(*b*) L. Bona fides 136. ff. de divers. Regul. Jur. antiq. l. 50. tit. 17.

Jamvero possessor bonæ fidai dicitur, quisquis ex legitima aliqua causa putat, se se proprietarium esse fuudi, quem possidet; sive eum emerit, existimans, eundem jure propriatatis cedera venditori, sive eum, vel ex donatione, vel ex aliquo alio justo titulo, fuerit consecutus: de cetero nihil edoctus de jure, quod vero illius proprietario suffragabatur.

Si Bertulfus igitur in isto casu constitutus sit, eum nullatenus urget restituendorum fructuum obligatio, ut habetur jam ex allegatis jamjam duabus legibus, quibus iuvat istam tertiam annectere (*c*): *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, sed omnes, quia quod ad fructus attinet, loco Domini pene est*.

(*c*) L. Bonæ fidai 48. ff. de acquiren. rerum Dominio lib. 41. t. 1.

At varo, si Bertulfus dictum vineæ jugerum mala fida possedarit, ex conseiantia tanetur, ad fructus quoscumqua perceptos, aut restituendos ipsi Raimundo, aut justo pretio eosdam exæquandos: *Certum est, malæ fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare*. Sic Laa decernit (*d*), sic jubet & ipsiusmet æquitatis naturalis dictamen.

(*d*) L. Certum est. 22. Cod. de rei vindic. l. 3. t. 32. Item L. Secundum 17. Cod. eod. tit. Et L. Mala fide. 3. cod de condict. ex Lege l. 4. t. 10.

CASUS VI.

HARMANUS emptam sibi quamdam domum, quam sui venditoris propriam esse putabat, per biennium bona fide possedit. Leander vero de longo itinare redua ipsius possessionem obturbavit, litemque ei intulit, ut ab eo eandem evinceret. Causa per annum integrum acta Hermanus tandem de possessiona dejectus est, dato ei predio recurrendi ad suum venditorem, ab eodemqua repetendi tum pretium istius domus, tum litis impendia, ceterorumqua damnorum sibi illatorum accessiones. Qua de re petitur, utrum Hermanus teneatur ex consciantia, ad referendum reditum, qui ea eadem anno tertio elocara provenit.

Videtur, eum ad ejusmodi restitutionem prorsus obligari: siquidem desierit ab ipsa die, qua Leaader incœpit ipsius possessioni obstare, remanere possessor bonæ fidei. Videtur autem ex altera parte, eum ah ista restitutionis neeessitate omnino eximi. Quanquam enim vero jure contendi possit, eum ab isto tunc temporis momento cessassa remanere bonæ fidei possessorem, nihilominus constat, non ideo factum fuissa malæ fidei possessorem, atque tunc cœpisse ad summum evadere possessorem, *non bonæ fidei*, quod medium quiddam constituit inter bonam fidem, ac malam fidem, cui præterea potest addi, etiam post litem intentam in eo bonam fidem perseverasle, propterea, quod ipsi postulatio Leandri legitima visa non fuerit, neque ullo juris fundamento innixa, & sibi succurrere ratus sit justas proprii juris tuendi ac propugnandi rationes atque defensiones?

RASPONS.

Ipsius æquitatis ast, ab Hermano referri Leandro, quos percepit proventus ea elocara domo, de cujus possessione decidit, qui quidem computandi sunt ab ipsissima die, qua Leander incœpit suam petitionem apud Judices instituere, neque potest quisquis Judex, qui integer rerum æstimator est, ab ejusmodi lege restitutionis eum efficere immunem. Quanquam enimvero concederetur, eum remansisse, quamdiu eausa acta fuit ac discussa, bonæ fidei possessorem, ista bona fide nihil quidquam posset juvari: siquidem ei vis inesse nequaat, ut etiam noceat vero proprietario, qui agit in repetendum jus suum: quod quidem evidenter demonstrare est ex istis verbis, quæ feruntur in Lege (*e*); *Litigator victus, qui post conventionem rei incumbit alienæ, non in sola rei redhibitione teneatur, nec tantum fructuum præstationem eorum quos ipse percepit, agnoscat; sed etiam eos, quos percipere potuisset, non quos eum redegisse constat exsolvat, ex eo tempore, ex quo re in judicium deducta, scientiam malæ fidei possessionis accepit*. Habemus ea digesto aliam quoque legem, in qua idem enunciatur (*f*).

(*e*) L. Litigator. 2. cod. de fructib. & litium expensis l. 7. t. 51.
(*f*) L. Præterea. 20. ff. de rei vindic. l. 6. t. 2.

Operæ pretium est observara, quantum pertinet ad proventus, qui per vicas accrescunt ac percipiantur: quales sunt obventiones portorii, Baci, aut fructus elocatæ domus: quod obtingit ipsa die, qua petitio apud Judices agitur, illius tertii fieri proprium qui bona fide detinebat. Adeo ut, si contingat, ipsius possessionem, medio solutionis tampore jam elapso, obturbari, ac deinde de possessione locatæ domus exturbari, media pars debitæ, pro trimestri domus coaductitiæ tempore pensionis eidem jure legitimo adjudicetur.

CASUS VII.

AUBERTUS & Jacobus cum in bona Arnoldi *ab intestato*, vei ea testamento succederent, & Albertus abesset ab annis decem & amplius, ea quibus in Indiam habet peregrinationem: Jacobus accepit sibi universam hæreditatem, & eadem per bienuium, hona fide gavisus fuit: ipse pro eerto habans, Aubertum, de quo nihil ab ejus discessu auditum fuerat, obiisse. Sed viator iste tandem redua, petit a Jacobo, non sibi tantum reddi debitam hæreditatis portionem, verum præterea quoscumque fructus, qui ex eadem provenerunt. Jacobus animo pertendit, siquidem bonæ fidei possessor eatiterit, ea solo bonæ fidei possessionis titulo, sibi prædictos fructus tamquam proprios ac vere suos accessisse. Numquid juri, quod sibi vindicat, ex aliqua ratione non succurritur?

RESPONS.

Quam superius constituimus in dissolvendo casu Bertulfus, a regula generali eacipiendus ast easus duorum cohæredum sive ex testamento, sive *ab intestato*, in quo alio absente, ab altero, qui sibi fingit priorem obiisse, invaduntur universæ hæreditatis bona, & quasi faventis sibi fortunæ privilegio, vindicantur. Neque enim bona sua fide quidquam juvatur, ut se se subducat a necessitate restituendi suo cohæredi reduci non tantum debitam hæreditatis portionem, sed etiam quoscumque proventus, quos inde percepit. Atque istud omnino Lea præcipit, quæ concipitur istis verbis (*g*): *Cohæredibus divisionem inter se facientibus juri absentis & ignorantis minime derogari, ac pro indivise portionem eam, quæ initio ipsius fuit in omnibus communibus rebus, eum retinere certissimum est. Unde portionem tuam cum reditibus arbitrio familiæ ercíscundæ percipere potes ex facta inter hæredes divisione, nullum præjudicium timens*.

(*g*) L. Cohæredib. 17. cod. familiæ ercíscundo lib. 3. t. 36. Item L. Inter. 44. ff. eod t. 1. 10. t. 2.

Ratio est, quod alicui hæredi non accedat ex proprio ipsius titulo, nisi jus ad portionem, quæ ei debetur, & portioni ipsius cohæredis accrescant fructus ea eadem provenientes: *Fructus autem omnes augent hæreditatem, sive antea aditam, sive post aditam hæreditatem accesserint*. Quæ verba ipsissima sunt legis (*h*): *Fructibus enim augetur hæreditas, eum ab eo possidetur, a quo peti potest*, ait alia Lex (*i*).

(*h*) Item 20. par. ff. de hæredit. petit.
(*i*) L. Si post. 2. cod eod. tit. Item. L. Non 22. 9. cod. famil. ercíscundæ.

Est tamen observandum, cum in præsenti casu, tum in aliis ejusmodi, qui in ea materia passim occurrunt, fructuum restitutionem non intelligendam esse, nisi deductis impensis necessario adhibitis iisdem percipiendis: quales sunt impensæ seminum, & agrorum excolendorum, & alii sumptus, qui conferendi sunt in colligendos fructus, eosdemque conservandos: quemadmodum alibi observavimus. Ut enim fert Lex (*K*): *Fructus eos esse constat, qui deducta impensa supererunt*. Id est, *hoc fructuum nomine continetur*, inquit alia Lex (*l*), *quod justis sumptibus deductis, superest*, quod eo magis æquitati consentaneum est, quod ipsis etiam possessoribus malæ fidei ista deductio impensarum ultro tribuatur (*m*): *Fructus intelliguntur, deductis expensis, quæ, quærendorum, cogendorum, conservandorumque gra-*

(*k*) L. Fructus 7. ff. soluto matrim l. 20. t. 1.
(*l*) L. Hæc fructuum. 1. cod. de fruct. & litium expensis.
(*m*) L. Si a Dominio. 36. par. fin. ff. de hæred. petitione. Item L. Plane. 52. ff. eod. tit.

Digitized by Google

gratia, fiunt, quod non solum in bonæ fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verum etiam in prædonibus.

CASUS VIII.

Aspasius, cum quatuor arationum jugera, per annos tres aut quatuor ex titulo earumdem donationis in gratiam suam præstitæ, buna fide possedisset, Romanus e Nova Francia reversus ipsius possessioni obstitit, atque ea de re actionem apud Judices intendit, ipsa jam incepta messe, & frumentis jam decisis de media dictorum Jugerum parte, quorum desectæ fasces, passimque per agrum dispersæ etiamnum jacebant. Aspasius postmodum causa cecidit, & ex pronunciata sententia, tum possessio, tum proprietas fundi Romano vindicatæ sunt: deinde petiit ipse Romanus ab Aspasio, sibi restitui frumenta, quæ eo anno, quo actionem intendit, percepta fuerunt. At vero, quoniam Aspasius non eum expertus est possessioni suæ obsistentem, quam in ipso tempore, quo colligendis agrorum fructibus operam dabat, contendit, sibi non induci conscientia, restituendorum eorumdem obligationem. Nonne jus ei favet?

Respons.

De frumento nondum desecto, quo tempore Romanus intendit actionem, nulla est omnino controversia. Ut namque fructus, quamdiu fundo inhærent, in partem ipsiusmet fundi censentur venire, cum Aspasius causa ceciderit, tenetur ad eos simul cum quatuor arationum jugeris, de quibus quæstio movetur, restituendos.

At non eadem est conditio de frumentis, quæ jam deciderat de duobus jugeris, antequam ei Romanus quidquam controversiæ commovisset. Eo enim ipso quod fructus a proprio fundo disjunguntur, partes ejusdem esse nulla jam ratiune censentur. Adeoque frumentum desectum legitimo jure cedit Aspasio, quippe qui bonæ fidei possessor etiamnum extaret, quo tempore illud idem demessuit: *Julianus ait: fructuarii fructus tunc fieri cum eos perceperit*, inquit Lex (a), *bonæ fidei autem possessoris, mox quam a solo separati sint*. Quod locum etiam obtinet, quanquam istius frumenti desecti fasces in ipso solo etiamnum remansissent, necdum ab Aspasio collecti fuissent, quemadmodum liquidum ac perspectum est ex duabus aliis legibus, quarum prior istis verbis enunciatur (b): *Etiamsi priusquam percipiat* (Fructus) *statim ubi a solo separati sint, bonæ fidei emptoris fiunt*.

En qua ratione altera exprimitur (c): *Perceptionem fructus accipere debemus, non si perfecte sint collecti, sed etiam cœpti ita percipi, ut terra continere se scilicet invicem*, (ait Glossa) *fructus desierint, veluti, si olivæ, uvæ lectæ, nondum autem vinum, oleum ab aliquo factum sit. Statim enim ipse accepisse fructum existimandus est.*

(a) L. Si fructuarius 13 ff. quibus modis usus fructus, vel usus amittitur l. 7. t. 4.
(b) L. Adeo & lui 48. ff. de acquirendo rerum Dominio l. 41. tit. 1.
(c) L. Si ejus 78. in fin. ff. de rei vendicatione lib. 6. tit. 1.

CASUS IX.

Alentius bona fide possidet ab annis duobus aut tribus duo arationum jugera, quatuor jugera cæduæ silvæ, & sex vaccas, quæ simul cum prædictis Theogeni jure proprietatis cedunt, ut ipsemet ab uno circiter mense agnovit. Cum itaque cernat, interruptam esse, qua gaudebat, bonæ fidei possessionem, ex eo quod ei sit omnino perspectum, ista omnia sua jam non esse, neque adeo juvari posse jure præscriptionis, quod certissime fuisset consecutus ex bona sua fide, si eadem esse continuavisset: ultro offert Theogeni, futurum, ut ei prædicta omnia restituat: verum Theogenes in eo secum non satis bene agi existimat, atque præterea vult, ut sibi ab Alcuino referantur eorumdem fructus, quibus potitus fuit a tempore, quo prædictorum possessione gaudet. Alcuinus bonæ fidei suæ causam prætendit, & fructuum restitutionem a sese procul repellere conatur. Potestne ab ista restitutionis obligatione sese in foro conscientiæ eximere?

Respons.

1. Tenendum est, quo proposita difficultas solvatur, duas fructuum species recenseri: alii quidem sunt naturales, alii vero ex industria habentur. Fructus naturales ii dicuntur, quos solum seu fundus ex se ipso ultro producit, nulla adhibita cultura. Qualia sunt Nemora, Pascua Montium, locorum dumetis & myricis abundantium, seu aliarum regionum Campestrium, quæ terra etiam inculta ex se fundit; Mala, Pirave, Glandes quern. & ceteri fructus, quæ ex se ipsis decidunt de arboribus plantatis in agris, aut in viridiariis, nec aliam operam requirunt, quam, quæ in iisdem colligendis ac percipiendis insumitur. Fructus vero, qui ex industria habentur, appellantur ii quos fundi non possunt ex se ipsis, nec nisi plurimo labore, sufficientique cultura accedentibus, procreare. Qualia sunt frumenta, vinumque, quæ terra non potest, nisi ex plurima cultura, producere. Talia sunt etiam Lac & Lana animalium; quoniam ejusmodi fructus non procreantur, nisi ex stabulo, ea, qua par est, diligentia, instructu ac mundato, ex congruenti pabulo, & vigili custodia animalium, neque ex iis quidquam quæstus ac emolumenti percipi potest, nisi adhibito labore multo in iisdem convertendis in usum necessarium, qui possit ad utilitatum accommodari, & lucrum referre.

2. Sciendum quoque est, cum quis possidet fructus naturales, nullo sibi succurrente titulo, aut suffragante gratuito duntaxat titulo, puta titulo donationis, ex simplici possessione ab eo non acquiri eorumdem Dominium: at vero si eos possideat ex titulo oneroso, verbi gratia, ex eo quod emerit fundum, qui eos producit, ab ipso acquiri eorumdem proprietatem per illud duntaxat spatium temporis, per quod dictum fundum bona fide possidet, ut expressis verbis fertur in una quadam lege, quam in sexta decisione citavimus (d). Verum ubi primum desinit ipsius bona fides, istos fructus non potest jam suos facere, & eorumdem Dominio decidit. Atque in eo sensu accipienda est Lex (e), in qua fertur, non acquiri Dominium, nisi fructuum, qui ex industria producuntur, non eorum vero, qui naturales appellantur. Enim vero citata Lex de eo potissimum intelligitur, qui possidet absque titulo fundum, ex quo fructus isti naturales procreantur: aut qui eundem non detinet, nisi vi tituli alicujus gratuiti.

(d) Cit. Leg. Bonæ fidei 48. de acquirendo rerum Dominio.
(e) L. Fructus 45. ff. de usuris l. 22. tit. 1.

Quibus positis. Respondemus, si Alcuinus res in præsenti specie, quam discutimus, memoratas, aut sine titulo, aut cum gratuito tantum titulo, possederit, qualis est titulus ex donatione, ab ipso non acquisitum esse, quam accidit, cæduæ silvæ Dominium: utpote species ista fructus, fructuum mere naturalium naturam sortiatur, neque ullam culturam exigat, nec ullum alium laborem, quam qui in ea cædenda insumendus est. At vero si ejus possessioni titulus onerosus accesserit, qualis est titulus ex emptione, ejusdem silvæ Dominium consecutus est, siquidem, ut supponitur, extiterit bonæ fidei possessor; atque in eo casu locum omnino habet ista regula Juris (f): *Cum de lucro duorum quæritur, melior est causa possidentis:* Verum si desierit ipsius bona fides, antequam ab eo perciperentur fructus, quos de ista cædua silva accepit, non fuit, unde potuerit eosdem ullo jure suos efficere; ac proinde ei obligatio importatur eorumdem restituendorum Theogeni, cui in eo casu simul cum suo fundo eodem proprietatis jure accedunt. Siquidem, cum isti fundo adhuc inhærent tempore, quo cessavit ipsius bona fides, ejusdem partes esse censentur: juxta isthæc verba Legis (g): *Fructus pendentes pars fundi videntur*: adeo ut ei tantummodo copia fiat, exigendi a proprietario, ut sibi refundantur legitimi sumptus, quos contulit in conservationem fundi & necessariæ alias expensæ. Quod si lignum cæsum non consumpserit, sed etiamnum apud se detineat, obligatur ad illud simul eum fundo proprietario reddendum: nisi illud in ipsius possessione per triennium integrum remanserit, continuata per idem temporis spatium ipsius bona fide: in eo namque casu ejusdem Dominium adeptus fuisset ex

(f) Leg. 128. § 1. ff. de diversis reg. juris antiq.
(g) L. Fructus 44. ff. de rei vindicat.

jure

Digitized by Google

jure præscriptionis, neque consequenter obligaretur ad ullam, quantum ad eum respectum, restitutionem.

Quod pertinet ad fructus, quos Alcuinus sibi vindicavit de duobus arationum jugeris, & de sex vaccis, quamdiu bonæ fidei possessor extitit, existimamus, quod si in propria sua natura etiamnum perseverent, neque eos cum eadem concomitante bona fide per triennium integrum possederit, tutius imo etiam probabilius esse, asserere, eorumdem non magis, quam fructuum naturalium ab eo non comparatum esse firmum, atque omnino immutabile dominium, & ipsi incumbere obligationem, eorumdem Theogeni restituendorum, eo ipso, quod ipsius bona fides cessat, aut si eos consumpserit, inde legem restitutionis urgere, ex quo locupletior factus est.

Quam quidem assertionem facile probare est 1. ex Lege quadam, quæ ait, illud discriminis interesse inter possessorem malæ fidei, & eum, quem non juvat bona fides, quod prior teneatur ad reddendos fructus consumptos & non consumptos; cum e contrario alteri non inducatur obligatio, nisi restituendorum eorum, qui adhuc in propria sua natura remanent: *Certum est*, inquit citata Lex (*a*), *malæ fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei vero extantes, post litis autem contestationem, universos*. 2. Justinianus idem decernit (*b*), cum dicit, fructus, quos percepit aliquis bonæ fidei possessor de fundo, quem emit, aut quem possidebat ea donationis titulo, ipsius proprios fieri, propter diligentiam & laborem, quæ in eodem excolendo adhibuit, atque adeo, cum verus proprietarius fundi innotescet, futurum, ut non possit repetere, ab eo sibi restitui fructus, quos consumpsit: *De fructibus ab eo consumptis agere non potest*. Ex quibus inferendum est, si possessor iste aliquos fructus etiamnum apud se habeat, qui consumpti non sint, eum ad eosdem referendos obligari: cum enim laudatus Imperator nonnisi eos, qui consumpti sunt, sua Lege excipiat, supponit, non eamdem conditionem esse, qui in propria sua natura extant.

(*a*) L. Certum est 22. Cod. de rei vindicat. l. 3. tit. 32.

(*b*) §. Si quis 35. Instit. de rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio l. 2. t. 1.

Quam tuemur opinionem plurimum confirmare potest laudata prima Lex in ipso aditu præsentis nostræ responsionis. Quantumcumque enim favere videatur possessoribus bonæ fidei, non ait tamen ipsis accedi Dominium absolutum fructuum, quos, durante sua bona fide, perceperunt, sed tantummodo, pene loco Dominorum eos esse, & suos interim facere fructus de fundo provenientes; usque dum verus proprietarius innotescat: *Fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit .... quod ad fructus attinet, loco Domini pene est*: quod est, scilicet bonæ fidei possessori non accedere Dominium absolutum integrum & irrevocabile fructuum, sed Dominium, quod tamdiu perseverat, quamdiu durat ipsius bona fides: neque eorumdem proprietatem ab eo haberi, nisi quoad usque verus fundi Dominus agnoscatur. Ex quibus sequitur, eum ergo obligari, ad restituendos isti Domino, non tantummodo naturales fructus, sed eos etiam, qui dicuntur ex industria, cum eos nondum consumpsit, aut legitime consecutus est ea jure triennis bonæ fidei possessionis: siquidem de utraque fructuum specie eadem omnino ratione citata Lex habet sermonem: *Non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, sed omnes*.

Verum equidem est, Legem *bonæ fidei* videri sententiæ nostræ omnino adversari, in eo quod ferat, fructus ei vindicari, qui cum fundum emerit, eundem bona fide possidet: eo ipso quod eosdem a fundo separaverit, & antequam eos consumpserit, quin etiam eos e solo collegerit: *Denique etiam priusquam percipiat, statim ubi a solo separati sunt, bonæ fidei emptoris sunt*. Ex quibus, qui repugnantem opinioni nostræ sententiam amplectuntur, concludunt, istis verbis, *fructus extantes*, quæ leguntur in Lege, *certum est*, non intelligendos esse, nisi *fructus ex arboribus adhuc pendentes*. Verum reponi potest, legem *bonæ fidei*, non esse interpretandam de Dominio perfecto & irrevocabili, sed de Dominio, quod rescindi potest, quodque, ut monuimus, non durat, nisi quamdiu bona fides extat. Ideoque isthæc verba: *Fructus extantes* non possunt interpretari: *Fructus pendentes*, quin totus invertatur sensus naturalis, quem præ se fert Lex: *Certum est*, & simul perperam misceantur fructus, qui in propria sua natura adhuc perseverant, cum iis qui dicuntur consumpti.

Nihilominus si præfatus bonæ fidei possessor consumpsisset fructus, qui appellantur ex industria, priusquam verum Dominum fundi, de quo eosdem percepit, agnoverit, non equidem tenetur ad rependendum justum eorumdem pretium, sed obligatur ex naturali æquitate, ut jam observavimus, ad reddendum illud, ex quo locupletior factus est, sive ex eo rem suam auxerit, aut, iis fructibus utendo, eandem duntaxat parserit. Ratio est, quod quamquam isti fructus in propria sua natura jam non extent, nihilominus extare videntur in suo pretio. Itaque, cum Leges ajunt, possessorem bonæ fidei non obligari ad restituendos ejusmodi fructus, quando eos consumpsit, (quod idem quoque S. Th. asserit,) (*c*) istud intelligendum est de iis fructibus, qui sic consumpti sunt, ut neque in natura sua, neque in pretio suo ullatenus perseverare censeantur.

(*c*) 2. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3

Quod quidem videtur posse omnino probari ex quadam Lege Digesti, quæ non facit tantummodo mentionem de fundo vendito (*d*), sed etiam de fructibus tum perceptis, tum consumptis, & conceptis omnino verbis habet, possessorem bonæ fidei, qui eos consumpsit, teneri ad illud restituendum, ex quo rem suam auxit: *Præde fructus suos non facit*, inquit Jurisconsultus Paulus, *sed auget hæreditatem ideoque eorum quoque fructus præstabit. In bonæ fidei autem possessore, hi tantum veniunt in restitutione quasi augmenta hæreditatis, per quos locupletior factus est*.

(*d*) L. Illud. 40. §. 1. ff. de hæred. petitione l. 5. t.

Equidem si considerentur isthæc verba quasi antecedentibus connexa, nihil quidquam possunt utilitatis habere, ad solvendam, quam agimus hic loci, quæstionem. In citata nemque Lege quæstio est, cuinam potissimum vindicentur fructus, quos bonæ fidei Possessor, ab intenta sibi a legitimo hærede actione de hæreditate evincenda, percepit. Imperator Adrianus Edicto jusserat, ut casu contingente, quod Possessor, re ultima cognitione judicata de possessione fundi dejiceretur, ipsi obligatio induceretur, fructuum ab ipsa die, qua vocatus fuisset in Judicium, restituendorum: cujus Edicti occasione difficultas quædam mota est quam necesse fuit enodari. Sic enim proponebatur. At vero si, verbi gratia, lis eo fine instituatur in possessorem, ut de possessione pecoris dimoveatur, & pecus, nondum finita causa, intereat: numquid Possessori incumbet pretii refundendi necessitas, si contingat, eum causa cadere? An ergo tenebitur præstare casus fortuitos, aut ipsa hæreditate cedendum erit nulla adhibita defensione, & antequam de ipsius possessione fuerit dejectus? Cujus difficultatis dissolvendæ causa, Lex, quæ modo appellata est (*e*), duas possessorum classes distinguit, nimirum eum, qui possidet ex violentia, & alterum, qui bonæ fidei possessor est, declaratque, debere quidem a priore casus fortuitos præstari, & restitui omnes fructus, verum non teneri alterum ad præstandos fortuitos casus, & ipsi liberum omnino esse, jus, quod proprium suumque esse contendit, tueri atque defendere, excusso omni metu præfati periculi, neque etiam obligari ad referendos fructus, nisi eos, per quos locupletior factus est: *Nec enim debet possessor aut mortalitatem præstare, aut propter metum hujus periculi temere indefensum jus suum relinquere*. Istud ergo potest ex allegata Lege tantummodo colligi, scilicet fructus Possessori bonæ fidei jam non accedere ab ipsa die, qua in eum actum fuit, ut de fundo dimoveretur: quoniam tunc desinit habere integram bonam fidem, & quanquam ei locus fiat, juris, quod sibi vindicat, probandi ac defendendi, ipsi tamen induci necessitatem, si judicio vincatur, restituendorum fructuum, quos ab illata sibi actione percepit, aut saltem eorum rependendorum, ea quibus consumptis, rem suam auxit. Verum de ista quæstione hic loci non agitur præcise, sed

(*e*) Leg. Illud cit.

de

de ea, qua quæritur, num, qui bona fide detinet aliquem fundum, teneatur, ad restituendos fructus, quos de eo fundo suos fecit, & consumpsit, antequam in eum actio instituereter, obligeturque ad illud referendum, ex quo factus est locupletior: quam quæstionem verbis distinctis neque citata Lex, neque ulla alia, attingunt.

Standum est ergo potius isti Juris effato, quod sic habet (*a*): *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.* Cui consentit ista Regula Juris Canonici (*b*): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.* Adeoque; si bonæ fidei possessori incumbat, referre fructus etiamnum extantes, cum ei innotescit verus Dominus fundi, quem detinebat; quemadmodum demonstratum est; sequitur, eadem quoque ratione similiter ei obligationem induci, illud rependendi, per quod factus est locupletior; siquidem isti fructus debeant censeri semper extare quantum ad justum suum pretium, & ad lucrum actuale, quod ex iisdem accedit bonæ fidei possessori: quod confirmari potest ista ratione, quod nempe fundus fructum afferat Domino suo perinde ac ipsi, a quo excolitur. Ideoque, ut isti fructus non eorum simpliciter retinent naturam, qui dicuntur *Industriales*, ac potiori ratione considerandi sunt tanquam mixti; quippe qui non proveniant tantum ex industria, labore & diligentia illius qui adhibet culturam; verum etiam ex ipsius soli, seu fundi feracitate; æquum est, eosdem in utriusque commodum collineare; hoc est, suadet naturalis æquitatis dictamen, ut legitimus proprietarius accipiat partem extantem, quæ de suo fundo producta est, sive in propria sua natura extet, sive in justo suo pretio perseverare censeatur; & Possessori bonæ fidei, qui prædictum fundum excoluit, accedat etiam illa portio, quam consumpsit, inde non factus ipse locupletior; ut debitum præmium, & justa merces ipsius industriæ, laboris, atque diligentiæ: neque est, unde valeat suam vicem cum aliquo jure dolere; potior namque est ipsius conditio, veri proprietarii conditione; siquidem, ex sua bonæ fidei possessione, non tantum habeat fructus etiam naturales, quos consumit; sed etiam non possit exerceri de iis, quæ aut dedit, aut dilapidavit, aut propria sua culpa permisit amitti tum de fundo, tum de fructibus: adeo ut, modo non fuerit locupletior inde effectus, eum nullius urgeat obligatio restitutionis: quoniam de iis fructibus non disposuit, nisi tanquam de re, quam proprio jure suam esse putabat, & quæ revera ipsius erat ex Dominio, quod in eadem fuerat consecutus, & ex quo facultatem habebat, de eadem pro sua voluntate disponendi, absque ulla reddendæ rationis obligatione; licet istud, quo gaudebat, Dominium rescindi posset utque revocari. *Quæcumque igitur sumptum fecerint*, inquit Lex (*c*), *sive quid dilapidaverunt, sive perdiderunt, dum re sua se abuti putant, non præstabunt*: Quibus omnibus præterea addendum est, in eo quoque gratissimam esse bonæ fidei possessoris conditionem, quod nullatenus teneatur, ad rependendos fructus, quos percepit & possedit per triennium integrum, etiamsi eos ante triennium elapsum consumpsisset, & inde rem suam fecisset majorem; quoniam ei legitime acquiruntur jure præscriptionis: quippe triennis possessio constituat rerum mobilium acquirendarum titulum plane sufficientem (*d*). Tandem inde etiam ei potissimum succurritur, quod de iis, quæ ab ipso restituenda venirent, jus habeat deducendarum impensarum legitimarum, quas, perseverante sua bona fide, contulit in culturam fundi, & fructuum conservationem, ac præterea eorum omnium detrahendorum, quæ pro mercede sui laboris & suæ industriæ jure legitimo vindicari contendit.

Cæterum monuimus, opinionem, quam jamjam demonstravimus, esse *tutiorem*, *quin etiam probabiliorem*: quod tamen non obstat, quin opposita sententia, quæ possessorem bonæ fidei subducit ab omni necessitate restituendorum fructuum, qui dicuntur industriales, quique adhuc extant, cum bona fides desinit, momentis adeo gravissimis innitatur; ut eadem silentio prætermittenda esse non existimemus. En igitur rationum argumenta, quæ sibi maxime vindicant ejusdem sententiæ patroni, quique propugnant, cuicumque bonæ fidei possessori accedere dominium absolutum, perfectum & irrevocabile omnium omnino fructuum industrialium: adeoque nullatenus obligari eundem, neque ad eos reddendos, neque ad eorum refundendum justum pretium, etiamsi ex iisdem evasisset fortuna ditior.

Primum rationis momentum petitur ex quadam Lege Digesti, quæ secunda est, quam in ipso præsentis decisionis ingressu citavimus (*e*). En quibus verbis enunciatur. *Fructus percipiendo uxor, vel vir ex re donata, suos facit: illos tamen, quos suis operis acquisierit, veluti, serendo. Nam si pomum decerpserit, vel ex silva ceciderit, non fit ejus, sicuti nec cujuslibet bonæ fidei possessoris: quia non ex facto ejus is fructus nascitur.* Quibus verbis aperta fit ista discriminis ac distinctionis ratio inter fructus naturales, & fructus industriales, quod Possessori bonæ fidei non accedant priores; sed tantummodo posteriores, *fructus ... suos facit*, quoniam, inquit Lex, ipsius industriæ, labori ac diligentiæ debentur: *Illos tamen, quos suis operibus acquisierit, veluti serendo*, & e contrario eidem non vindicentur fructus naturales: propterea quod non sint fructus ex ipsius labore, neque de ipsius industria: *Quia non ex facto ejus, is fructus nascitur.*

Secundum argumentum ducitur ex istis verbis, quæ habet Imperator de rerum divisione (*f*): *Si quis a non Domino, quem Dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliaque qualibet justa causa æque bona fide acceperit; naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura & cura. Et ideo si postea Dominus supervenerit, & fundum vindicet; de fructibus ab eo consumptis agere non potest.* Quæ legis dispositio fundatur in ipso jure Gentium, quod jure naturali confirmatur quantum ad eam rem, & consuetudine generali, quæ apud universas nationes passim frequentatur, quæque ita fieri præcipit, tanquam quid æquitati naturali omnino consentaneum, & cui non potest ullatenus merito contradici.

En, inquiunt prædictæ alterius sententiæ defensores, decisio verbis omnino luculentis concepta, & qua luce meridiana clarius evincitur, cuicumque possessori bonæ fidei accedere Dominium fructuum, quos percepit & consumpsit, sive evaserit inde locupletior, sive rem suam non fecerit majorem; adeo ut, (ajunt) si aliquibus legibus declaretur, a possessore bonæ fidei restituenda ea esse, per quæ ex fructuum perceptione factus est ditior, eædem non intelligendæ sint, nisi de fructibus naturalibus, neutiquam vero de iis, qui appellantur industriales: quemadmodum observat ipsamet Glossa (*g*).

Tertium probationis momentum nititur ea Jurisprudentia, quæ usu recipitur in supremis omnibus Galliarum Curiis, & viget etiam in Hispania; sicut ejus rei fidem facit Autor quidam Hispanus (*h*) qui asserit, in isto Regno nunquam solere, possessores bonæ fidei cogi ad ullam restitutionem fructuum, quos Jurisconsulti passim circumferunt sub appellatione industrialium. Unde infertur, quoniam *optima est legum interpres consuetudo*, qua nimirum regi consuevere universæ nationes (*i*), eidem adhæreri posse nulla inde iocussa conscientiæ Religione.

6. Tandem, qui istam sententiam sequuntur, prædictis rationum momentis adjiciunt robur duarum probationum, quæ subsequuntur. Prior quidem est, quod æquitati congruat, possessorem bonæ fidei fieri Dominum summum fructuum industrialium, quoniam, si fundum, de quo procreati sunt, non emisset, potuisset in aliquod aliud commercium pecuniam suam utiliter conferre, utque adeo oporteat, ex istis fructibus legitimam aliquam afferri ei compensationem; præterquam quod nec debeant ipsius cura, labor, & industria, sua mercede defraudari. Secunda vero est, si isti possessori bonæ fidei obligatio inducere-tur,

(*a*) L. 206. ff. de diversis Reg. Juris antiqui.
(*b*) Reg. 48. de regulis juris in 6.
(*c*) L. Si ergo. 25. §. 11. de hæred. petitione.
(*d*) Res quidem mobiles per triennium acquiruntur l. 2. instit. t. 6 §. 1.
(*e*) Cit. Leg. Fructus. ff. de usuris.
(*f*) Instit. l. 2. tit. 1. de rerum divisione. §. 35.
(*g*) Glossa in cit. §. 35. v. Fructus.
(*h*) Tho. Sanchez l. 2. cap. 23. n. 80.
(*i*) L. Si de interpretatione. 37. ff. de legibus Senatusque consultis. l. 1. tit. 3.

Digitized by Google

tur, illud restituendi, per quod ex perceptione fructuum rem suam ampliavit, nedum ipsius bonæ fidei merces rribuatur, quin imo pœna irrogaretur: propterea, quod ista obligatio importaret ei plurimos scrupulos, ingentesque omnino ambages, cum nempe discutiendum foret, quidnam potissimam emolumenti sibi comparare potuisset, quamdiu prædictorum fructuum perceptione fuisset potitus: quippe vel etiam ex bona sua fide non poterit requisitam diligentiam adhibere, in distinguendo prædicto emolumento ab eo, quod ex aliis suis bonis fuisset consecutus: cum utramque promiscuum nihil quidquam ad eam rem animum attendens habuerit.

En quibus potissimum gravioribus momentis ista altera opinio innitirur, quæ procul dubio sunt minime repudianda, & ejusmodi esse nobis videntut, quæ eandem reddant probabilem. Nihilominus, perpendendis illis necquicquam immorantes, existimamur, adhærendum esse priori, utpote quæ conscientiæ tutiori ratione consulat, & ad veritatem propius accedere videatur. Ita censet Author Colloquiotum Petrocoricensium (*a*).

(*a*) Colloq. Petrocor. t. 3. colloq. 7. q. 2.

C A S U S X.

Bertrandus, per biennium eum sex mensibus bona fide possedit viginti jugera cæduæ sylvæ, & unum stagnum, quæ propria eranr Barnabæ, qui quidem, postquam certissimis monimentis probavit, se eorum esse verum proprietarium, eorumdem possessionem pleno jure repetiit. Bertrando accessere ex cæsione prædictæ sylvæ, & ex captura piscium de dicto stagno mille ducentæ libræ, quas augeri atque ampliari curavit in commercio faciendo, ex quibus ei tandem lucrum tediit quadringentarum librarum. Barnabas ab eo petit, non sibi tantummodo teddi mille ducentas libras, tanquam justum pretium venditionis fructuum sui fundi, & æstimationem eorum, ex quibus fortuna ditior evasit; sed præterea exigit ad sese referri quadringentas libras, quæ ei, ex 1200. libris in commercio positis, obvenerunt. Num Bertrandur obligatur ad restituendas præsatas quadringentas libras?

R e s p o n s.

Respondemur, non obligari Bertrandum, ad restituendas quadringentas libras, quar, ex mille ducentis libris in commercio positis, consecutus est. Verum namque est, juxta tutiorem ac probabiliorem opinionem ei induci obligationem eorum restituendorum Barnabæ, quæ ipsius rei accesserunt ex perceptione fructuum de cæsione viginti jugerum sylvæ cæduæ, & de captura piscium stagni. At dissimile prorsus judicium ferendum est de quadringentis libris, quas lucratus fuit ex mille ducentis librir; sufficitque, ab eo ad Barnabam referri justum pretium fructuum, quos percepit. Cujus rei tatio est, quod lucrum quadringentarum librarum ex industria sua dumtaxat fuerit consecutur; non vero de fundo, cujur possessione gaudebar; nec istud emolumentum haberi possit, tanquam proprius ac naturalis fructus mille ducentarum librarum; siquidem, at docet S. Thomas, pecunia ex sua natura sit sterilis; Quod etiam locum haberet, quanquam Bertrandus malæ fidei possessor extitisset. Præterea monendum est, quin etiam Bertrando jus concedi, deducendarum legitimarum impensarum, quas impendit in colligendis ac percipiendis præfatis fructibus, & detrahendæ quoque justæ mercedis, quæ ipsius tum curæ, tam labori rependenda est. Quæ nostra decisio omnino consentanea est Legi, quæ sic habet (*b*): *Si rem distraxit, & ea pretio rem aliam comparavit, veniet pretium in petitionem hæreditatis; non res, quam in patrimonium suum convertit* (*c*).

(*b*) Leg. Sed etsi Lege. 25. §. 1. ff. de hered. petitione. lib. 5. tit. 3.

(*c*) Colloq. Petrocor. t. 3. colloq. 7. q. 1

C A S U S XI.

Sempronius Nauta anno proxime elapso deducens, periculo & damno Nicolai, naviculam quamdam sarcinis prorsus opulentissimis oneratam, sacculum adamantium impolitorum plenum, animo ejusdem sibi retinendi, clanculum surripuit. Post duos ab illine dies horrendum in modum sæviens incessit procella, quæ in causa fuit, eur nstaado salutem quæsiturus sese cum præfato sacculo in undas projecerit, quia naviculam suam jamjam submergendam esse cernebar; quemadmodum reipsa paulo post submersa est. At quoniam qua manu sacculum tenebat, sese sic impediti experiebatur, ut vix ac ne vix quidem innatare valeret, illud idem emisit, ne forsitan aquis ipsemet obrueretur; atque ita sese præstitit ab omni periculo tutum & incolumem. Qua de re quæritur, utrum præfatus Nauta teneatur, ad pretiam prædictorum adamantium Nicolao refundendum.

Videtur, posse contendi, istam ei induci obligationem; siquidem malæ fidei possessor extaret: Aliunde vero videtut, eum ad istam restitutionem neutiquam astringi; quippe navicula submersa, sacculum necessario oportuisset amitti, quanquam ab eo non fuisset furto sublatum.

R e s p o n s.

Licet Sempronius malæ fidei possessor extaret in casu proposito, ei tamen non incumbit obligatio, pretii adamantium Nicolao rependendi. Ratio est, quod ipse sacculi amissi, in quo continebantur prædicti adamantes, non sit, ut ajunt, causa efficiens; siquidem illud idem periisset, quamquam ab eo non subreptum, & in navicula relictum: adeo ut in ea circumstantia locum habeat istud effatum, *res perit* Domino rei (*d*).

(*d*) L. Pignus 9. Cod. de pignoratitia actione l. 4. t. 24.

Cui decisioni robur addi porest ex una quadam de (*e*) Legibus Digesti, in qua leguntur ista verba: *Si ea conditione navem conduxisti, ut ea merces tuæ portarentur, easque merces nulla Nauta necessitate coactas, in navem deteriorem, cum id sciret te fieri nolle, transtulit, & merces tuæ cum ea nave perierunt, in qua novissime vectæ sunt, habes ex conducto locato cum priore Nauta actionem ... imo contra si modo ea navigatione utraque navis periit, cum id sine dolo & culpa Nautarum factum esset*. Ex quibus verbis est inferendum, eadem omnino ratione Sempronium non teneri ad ullam restitutionem Nicolao præstandam; siquidem, etiamsi furto non surripuisset sacculum, idem cum navicula aliisque mercimoniis communi naufragio periisset (*f*).

(*e*) Leg. Si vehendo. 10. §. 1. ff. ad Legem Rhodiam de jactu lib. 14. tit. 2.

(*f*) Colloq. Condomens. t. 2. colloq. 13. sect. 3.

C A S U S XII.

Marinus, ab annis quinque, jugera vinearum quatuor, quorum Honoratus legitimus proprietarius est, mala fide possidet. At quoniam istæ vineæ male se habebant, cum easdem incœpit possidere; eas effecit multo meliores, cum novellis palmitibus eas augendo, tum propaginibus multis easdem frequentando. Animo deliberavit hodierna die Honoratum in possessionem restituere prædictorum quatuor jugerum, Ea autem de re, petitur, utrum teneatur ex conscientia, ad referendos omnes omnino fructus, quos percepit, aut eos tantummodo, qui Honorato obvenissent, ratione habita depravationis, qua istæ vineæ laborabant, cum easdem inique occupavit?

R e s p o n s.

Videtur, non tantum juxta conscientiam tutius esse; sed etiam probabilius, Marinum obligari, ad restituendos fructus quoscumque percepit ex ista optimitate. Eaque causa reddi potest, quod ista optimitas inhæreat ipsi fundo, cujus portio ita individua est, ut ab eo avelli nullatenus possit; adeoque non minus quam ipse fundur, legitimo Domino fundi vindicetur: Atque eam ob rem, cum juxta jus naturale constituatur, ut omnis fundus suo proprietario fructum reddat, fundus prædictarum vinearum cum suis optimitatibus Honorato debeat fructum afferre; qui quidem aliunde potuisset suas vineas eadem ratione aut etiam uberiori modo meliorare, si Marinus easdem inique non usurpavisset.

Quod igitur ex summo favore Marino tribui potest, illud nimirum est; quod ei liceat, de pretio dictorum fructuum detrahere necessarias impensas & sumtus utiles, quos adhibuit pastinandis, colen-

dis,

Digitized by Google

dia, & meliorandis quatuor jugeris vinearum; nrutiquam vero eas impensaa, quas fecisset aut oblectamenti sui causa, aut proprii commodi, quæque omnino forent supervacaneæ.

Quæ Decisio verbis expressis habetur in Lege quadam de Codice Justiniani, in qua Gordianus Imperator ea de re sic loquitur (a): *Malæ fidei possessores ejus, quod in rem alienam impendunt, non eorum negotium gerentes, quorum res est, nullam habeant repetitionem, nisi necessarios sumptus fecerint. Sin autem utiles, licentia eis permittitur, sine læsione prioris status rei, eos auferre* (b).

(a) Leg. Demum. 5. cod. de rei vindicat. lib. 3. tit. 32.

(b) Colloq. Petrocor. tit. 5. colloq. 7. q. 2.

CAASUS XIII.

Nebridius mala fide, hoc est, ex iniqua simul ac violenti occupatione, ex dolo, seu fraudulento emptionis titulo, possidet unum arationum, seu vinearum jugerum, quod jure proprietatis Justino cedit. Post tres annos ab usurpato dicto jugero, confessionem deponit, & promittit, futurum, ut dictum jugerum, abjecta omni cunctatione, restituturus sit. Verum Confessarius vult eam ei obligationem facere, nimirum ut, quod Justinus inde sibimetipsi comparavisset, lucrum præterea rependat. Quod penitus abnuit Nebridius causam scilicet dicens, quod, cum dictum fundum reliquerit incultum, nullos de eo fructus perceperit. Qua de re quæstio habetur, num Confessario possit probari allegata ejusmodi excusatio?

Rasponsa.

Constat, a Confessario Nebridii, quam causam iste prætendit, penitus esse repudiandam; & obligationem ei inducendam esse, restituendi Justino non solum jugerum fundi, de quo quæstio habetur; sed quodcumque præterea lucrum, quod (deductis expensis) de eo consequi legitime potuisset, si illud in possessione sua habuisset: Quod omnino patet ex quadam Lege Digesti (c), quæ verbis expressis ita fert: *Generaliter autem, cum de fructibus æstimandis quæritur, constat animadverti debere, non an malæ fidei possessor fruitus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset.*

(c) Leg. Si navis. 62. §. 1. ff. de rei vindicat.

Idem quoque alia Lege declaratur (d), quæ ea de re non minus luculenter sic habet: *Fructus non modo percepti; sed & qui percipi honeste potuerunt æstimandi sunt.* Et vero sic præfatæ Legis ipsimet æquitati naturali congruunt, ut nihil egeant conquisitis aliunde rationum momentis præterea confirmari: quippe nihil magis justum reperiri possit aut animo excogitari, quam rem alienam non solum restituere; sed præterea, quod illatum fuit proximo, detrimentum omnino resarcire; sicut in proposito casu, in quo Nebridius ex violenti sua usurpatione, aut sua fraude Justinum defraudavit fructibus, quos suos fecisset de proprio fundi sui jugero, si ei possidere & excolere licuisset. Incumbit ergo possessori malæ fidei prædicto ex conscientia necessitas præstandæ damni compensationis juxta æstimationem habendam, non quidem ratione servata facultatum atque industriæ iniqui istius possessoris, sed legitimi dantaxat proprietarii ac Domini.

(d) Leg. Fructus 33. ff. eod. tit.

Quam sententiam Sylvius (e) plurimum tuetur ac probat authoritate S. Thomæ (f), qui ea ratione sic loquitur: *Quædam vero res sunt, quarum usus non est earum consumptio; & talia habent usumfructum, sicut domus, & ager, & alia hujusmodi: & ideo si quis .... domum alterius vel agrum per usuram extorsisset; non solum tenetur restituere domum, vel agrum; sed etiam fructus inde perceptos; quia sunt fructus rerum, quarum alius est Dominus; & ideo ei debentur.* Et iterum alibi (g): *Quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat. Damnum enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quam debet habere .... & ideo homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit.* En quomodo Doctor Angelicus habet, & in alio quoque loco addit (h), ordinarie loquendo, non aliam obligationem esse, quam rei alienæ, quæ detinetur, restituendæ; *nisi forte per detentionem talis rei, alter sit damnificatus amittendo aliquid de bonis suis. Tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti.*

(e) Fr. Sylvius resol. v. Usura. 1.

(f) S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 3.

(g) Id Ibid. q. 62. art. 4. in corp.

(h) Idem ibid. cit. q. 78. art. 3. in corp.

Fatendum est tamen, si manifeste appareret, ipsimet etiam Justino de prædicto fundi jugero nihil fructuum accessurum fuisse; quanquam in ipsius potestate remansisset; futurum ut non posset inferri Nebridio, nisi obligatio fructuum, quos accepisset, quantumcumque modici fuissent, referendorum; non vero eorum omnium, quos potuisset, adhibita majori diligentia percipere.

CASUS XIV.

Guiraldus quondam Parochus de S. Guitatio, cum suam Curam pure ac simpliciter dimisisset, de eadem ab Episcopo fuit Fulcrando provisum. Guiraldus, qui in eadem Parœcia domicilium habet, & qui jampridem erga Fulcrandum omnino male animatus est, sic egit suis sermonibus, instigationibus & occultis artibus, ut non solum ab eo confidentiam ipsius Parœcianorum abalienaverit; sed etiam Matricularios induxerit, prætenso specioso prætextu æquitatis, atque utilitatis ipsiusmet fabricæ, ad litem iniquam ei inferendam, cujus primum fundamentum istud extitit, quod a præcedenti Matriculario Fulcrandus exegisset 60. libras, ultra quod sibi a fabrica debebatur: Quod supposititium ac falsum esse, postmodum comprobatum fuit.

Post exantlatas per annum fere integrum varias litium ambages, & omnimodas forenses tricas, Fulcrandus, quem unicum pacis ac concordiæ desiderium tenebat, obtulit conditionem rei, de qua contendebatur, arbitrorum judicio permitendæ, atque suum arbitrum statuit Archidiaconum Episcopi: At Matricularii, quibus aderant & Judex proprius loci, & Procurator Fiscalis, cum in eandem sibi factam conditionem descendissent, & promisissent futurum, ut die Dominica proxime sequenti compromisso Chirographum adscriberent, a prædicto Guiraldo postmodum deducti sunt, quominus subscriberent: neque tantummodo ad incœptam actionem sese retulerunt; sed etiam denegaverunt per duos annos solutionem stipendiorum atque honorariorum debitam Nicolao Vicario Fulcrandi, apud quem erat in convictu certo pretio annuæ pensionis 150. librarum constituto. Fulcrandus, qui summopere optabat, litem istam tandem comprimi, proposuit Matriculariis, præbere eorum, quæ contendebat sibi deberi a fabrica, præscriptam rationem: quæ quidem ad summam usque 400. librarum assurgebant, ea Lege, quod debitas a fabrica mercedes Nicolao rependerent, cui præ facultatum inopia, non licuerat hactenus pactam pensionem persolvere. Conditionem acceptaverunt Matricularii, & sibi præscriptam ab eo rationem debitorum Guiraldo discutiendam in manus dederunt, qui Guiraldus eandem imminutam voluit ad summam 150. librarum duntaxat præfigere; quanquam Fulcrando summa integra 400. librarum legitime prorsus deberetur. Cui decessioni Fulcrandus ipse animo pacis, ac desiderio compescendæ litis assensus est, ea conditione, quod quidquid Nicolao debebatur, eidem certissime numerarent. Verum obstinatio Guiraldi, & ipsius aversi animi tenacitas impedimento fuit, quominus rem istam conficerent atque complerent. Cujus rei occasione accessit Illustris Matrona quædam plurima sua pietate ac Religione illustrior, quæ dolens ejusmodi litem tantæ offensioni esse, obtulit summam 50. libr. in gratiam Fabricæ, nullo onere imposito, numerandam, modo litibus abstineretur. Quam, sub ea conditione, qui Matricularii vices actu gerebat, acceptavit: sed fidem datam, pecunia recepta, fefellit. Ex iniqua tandem adeo odiosa ratione agendi factum est, ut Nicolaus, suadente suo Parocho, Matricularios in judicium vocaret; & deinde juberet, in custodia poni reditus atque possessiones Fabricæ, ut solutionem honorariorum a duobus annis sibi debitam urgeret; & fidem fecerit Fulcrando, futurum, ut nunquam intenta a se ipso actione desisteret, nisi sibi præstita integra honorariorum suorum solutione. Nihilominus manus injectione paulo post ab eodem soluta, inscio prorsus Fulcrando, & Guiraldo plurimum instigante, qui Auctor fuerat, ei numerari quartam partem hono-

nariorum ipsi debitorum; ipse Fulcrandus coactus est, vicarium suum missum facere, ac proprio nomine jubere, in manibus Matriculariorum autoritate Judicis occupari, quidquid residuum supererat stipendiorum ac honorariorum præfato vicario suo persolvendorum: quæ quidem ei ex sententia Regii Judicis adjudicata fuerunt, de qua tanquam a Judice non legitimo pronunciata appellationem habere quasi ex abusu Guiraldus ausus est; qua appellatione postmodum ipsemet desistere coactus est, ne appellatione ista dementer adhibita detruderetur, & impensis damnaretur. De quibus omnibus quæstiones sequentes instituuntur.

1. Utrum Matricularii, & ipsemet Guiraldus non teneantur in solidum, ad restituendas Fulcrando omnes impensas, quas contulit in sustinendam litem prædictam, & ad eidem præstandam compensationem damnorum, quæ ei inde accesserunt?

2. Utrum qui Matricularii munus actu & de facto exercebat, cum ab Illustri Matrona 50. libræ donatæ sunt, non obligetur, ad reddendam eidem præfatam summam?

3. Num ipsimet Nicolao obligatio non inducatur, reparandi damni, quod Fulcrando intulit ex sua ab incœpta manus injectione discessione?

RESPONS.

Ex prædictis omnibus circumstantiis, quæ recensentur in proposita specie, manifestum est, in tota, quam Guiraldus adhibuit gerendo præfato negotio, agendi ratione gravissime omnino peccavisse, in eo quod ipsius agendi ratio tota adversetur tum æquitati, tum veri nominis charitati, quæ non tantum decet quemcumque Christianum, sed qua debet omnis Sacerdos potissimum commendari. Jus namque tam naturale, quam Divinum ei debent esse argumento certissimo, nunquam Christiano licere, sese alium erga proximum exhibere, quam vellet, erga seipsum proximum ipsum sese gerere; juxta isthæc verba, quibus olim Tobias proprium filium compellabat: *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias* (a). Et isthæc alia, quæ Jesus Christus ipsemet edocuit (b): *Omnia quæcumque vultis, ut vobis faciant homines, & vos facite illis.*

(a) Tob. 4. 16.
(b) Matth. 7. 12.

Jamvero, quæ rerum adjuncta insigniora occurrunt in agendi ratione Guiraldi, penitius inspiciamus.

1. Quidem, ut supponitur, ex averso illo animo, quem gerebat jampridem adversus Fulcrandum; ipse fuit quasi prima fax dissensionis ac dissidii, quæ commota sunt inter prædictum Parochum & ipsius Parœcianos, quos tandem induxit, ad inferendam ei litem prorsus iniquam sub eo prætextu, quod a Matriculario in munere tunc extante, ultra debitum pecuniæ summam percepisset: quod falsum esse postea comprobatum est.

2. Quem Fulcrandus præ se ferebat propriæ suæ utilitatis neglectum, & quo premebatur, sincerum pacis atque concordiæ desiderium ad ipsius perniciem Guiraldus agens denegavit probatas habere 400. libras, quæ ferebantur in præscripta ratione ab eo oblata; ac de iisdem tentavit, repugnante prorsus quacumque æquitatis Lege, 250. libras detrahere.

3. Obstitit instigationibus suis, ne Matricularii ex amicabili compromisso litem, quam eidem, nullo jure succurrente, intenderant, resecarent ac omnino comprimerent; quanquam Archidiacono promisissent, futurum ut die Dominica proxime sequenti præfato compromisso chirographum apponerent; indeque causa fuit, cur recrudescerent tum litigium, tum nova impendia, quibus ex perversis consiliis Guiraldi, Fulcrandus, animo invito ac plurimum reluctante, implicitus est.

4. Nedum consenserit, afferri Nicolao solutionem integram stipendiorum & honorariorum, quæ ei a duobus annis a Fabrica legitime debebantur; quin immo ipsum impulit, ad solvendam manus injectionem, suadendo, eorum quæ ei debebantur, quartam tantummodo partem numerari; eoque animo, ut eo usque eum redigeret, ne Fulcrando pensionis suæ pretium ex duobus annis residuum rependeret, & necessitas prædicto Parocho inferretur, ea de re cum Nicolao novæ alterius litis habendæ; ut revera postmodum contigit.

5. Fulcrandus cum obtinuisset, ex pronunciata a Regio Judice sententia, quidquid supererat honorariorum Nicolao a Fabrica debitorum sibi adjudicari in partem solutionis pensionum dicti Nicolai; Guiraldus de eadem habuit appellationem tanquam ex abusu & gravamine, contendens in ea re regium Judicem non esse legitimum; licet constet omnino, eum Judicem fuisse prorsus legitimum, quantum ad cognitionem rei, de qua judicium tulit; ut ipsemet Guiraldus agnoscere postmodum coactus est, ex sua appellationis iniquæ discessione.

6. Fulcrandus arguit falsi quidquid Guiraldus, aut Matricularii, eo instigante, asseruerunt animo pertendentes, eum a Matriculario ultra debitum percepisse summam 60. librarum; quod ipse Fulcrandus inexpugnabili probatione palam fecit, esse falsissimum.

Quæ quidem omnia sic odiosa sunt, adeoque repugnantia tum caritati, tum æquitati, ex parte Guiraldi & Matriculariorum, ut nullatenus vindicari possint ab aperta præfatarum virtutum violatione.

Sed Guiraldus ipse, cui, propter eminentem, qua insignitur, Sacerdotalem dignitatem, perspecta magis, ac explorata debet esse summa obligatio, quæ unicuique Christiano incumbit, earumdem virtutum colendarum, ea de causa graviorem procul dubio præ cæteris admisit culpam: præterquam quod, ut fertur in enunciata specie, ipsemet sollicitaverit, acriterque egerit, ut Matricularii Pastori suo litem istam inferrent, eorum animos adversus ipsum exasperaverit, pacem obturbaverit, qua concordi animo antea gaudebant, & perversis suis consiliis obstiterit, ne ex amicabili ac justa compositione inter eosdem reviviscere; tandemque causa fuerit omnium damnorum, quæ Fulcrando emerserunt, ex necessitate ei facta, litis adeo iniquæ repellendæ, adversus eos qui eamdem ei importaverunt. Ex quibus sequitur,

1. Guiraldo & prædictis Matriculariis in solidum, cæterisque deficientibus, eorum unicuique induci obligationem restituendorum isti Parocho omnium impendiorum, & expensarum, quæ coactus est conferre in propriam suam defensionem, & ut sese ab eorum vexationibus expediret, sicut etiam resarciendorum cæterorum detrimentorum, quæ inde perpessus est.

2. Ipsis tamen Matriculariis primario quidem ac magis præcipue prædictam obligationem incumbere, quantum ad ea omnia, quæ eorum nomine, ipsisque postulantibus, gesta fuere; & iis deficientibus, secundario ac per modum subsidii, Guiraldum eadem obligatione astringi: quoniam non nisi eo suadente, ac plurimum instigante, litem commoverunt: atque adeo cum ejusdem litis causa præcipua extiterit, eadem ratione, qua ipsi obligantur, tenetur ipsemet, ad præstandam compensationem totius damni, quod inde Fulcrando fuit illatum; juxta illud, quod a Gregorio IX. (c) in una quadam ex ejus Decretalibus ea de re constitutum legitur istis verbis: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu irrogantibus opem forte tulisti.... jure super his te satisfacere oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* Cui Decisioni plane consentit istud Canonici juris effatum (d): *Facientem & consentientem par pœna constringit.*

(c) Greg. IX. in cap. Si culpa. fin. de injuriis & damno dato lib. 5. tit. 36.

(d) Nicolaus in can. Notum 10. 2. q. 1.

3. A Matriculariis, quibus aderant tum Judex, tum Procurator Fiscalis, non posse prætendi excusationem bonæ ipsorum fidei, nec eorum supposititiæ ignorantiæ: Atque eo etiam minus, quod omnes conditiones amicabilis compositionis sibi a suo Parocho ultro oblatas respuerint.

4. Operæ pretium omnino esse observare, damnum, quod præstare tenentur suo Parocho in eos ipsos recidere debere, ac reparari proprio eorum argento, nullatenus vero sumptibus ærarii Fabricæ, quippe omni veri nominis æquitati adverse-

tur,

tur, reditus Ecclesiæ adhiberi explendis turbulentis animi motibus eorum, qui iisdem reditibus administrandis præficiuntur, quique eos debeant tractare cum eadem diligentia, æquitate ac integritate fidei, quibus proprias res suas regerent.

5. A Matriculario, qui 50. libras excepit ab Illustri Matrona, quæ pietate ac Religione sua tantopere commendatur, eidem ex æquitate esse restituendam istam summam pecuniæ; utpote, quæ donum illud in gratiam fabricæ ea tantum mente contulerit, atque verbis expressis adhibita ista cautione, quod quibuscumque litium ambagibus Fulcrando perperam prorsus intentis desisteretur, & ista conditio suum effectum ex parte Matriculariorum non fuerit sortita.

6. Tandem: Nicolaum non tantummodo obligari, ad rependendas Fulcrando debitas duorum annorum pensiones, si constitutum earum pretium, nomine ipsius Matricularii non persolverit; sed præterea, ad eidem refundenda omnia impendia, quæ præfatus Parochus adhibere coactus est ab tempore, ex quo manus injectionem factam in omnes reditus fabricæ rescidit; siquidem in ea re egerit adversus bonam fidem, nec steterit promissis, quibus sese erga Parochum astrinxerat, quem quidem ea ratione fraudavit tum ipsius debiti certitudine, tum facilitate ejusdem recuperandi.

CASUS XV.

Viginti jam anni abierunt, ex quibus Matthæus Rogerio commodavit 20000. libras, ex quibus res ipsius familiaris tota constabat. Rogerius cum eo pactus est, futurum, ut juxta usuram Edicto constitutam fœnus ei persolveret, quæ nimirum est, ut pecunia referat annuam pensionem usuris quincuncibus. Hoc est in præsenti casu, 1000. libras per unumquemque annum. Matthæus ab eo tempore per unumquemque annum 1000. prædictas libras semper percepit absque ullo conscientiæ suæ stimulo; ratus scilicet, id sibi prorsus licere absque ne minimo quidem periculo peccati, 1. Quia cernebat a multis, qui spectatæ integritatis viri habebantur, ejusmodi usuras ac fœnora percipi de sua pecunia, quam mutuam credebant. 2. Quoniam aliunde sibi non suppetebat, unde vitam sustineret, & ista summa vix ac ne vix quidem sibi sufficit, ut se suosque pro sua status conditione sustentet. Nihilominus cum ipsius confessario de prædicta usura renunciatum est ab eo, ea de re graviter fuit objurgatus; ac monitus, sibi obligationem incumbere, usurarum omnium, quas ex sua pecunia acceperat, restituendarum; adeoque sibi scribendam esse generalem apocham, qua faceret acceptam a Rogerio sortem ei commodatam; siquidem intra viginti annorum spatium sibi rediisset summam sortem adæquans. At vero quoniam, si Matthæus ejusmodi scriberet apocham, inopia sese cito citius aggravari experiretur, petit, num sibi non succurrat legitima aliqua ratio, qua possit sese reddere universæ præfatæ restitutionis immunem?

RESPONSIO.

Ipsamet ratio, quæ allegatur in proposita specie, quod nempe Matthæus bona fide juvetur, neque factus sit ex usuris, quæ percepit locupletior; siquidem ægre admodum conferrent in eum sustentandum; cum titulum possidendi legitimum jure gentium inducat, eum solvit, ab obligatione quidquam Rogerio restituendi. Ut namque S. Thomas de simili argumento habet (*a*), sermonem faciens de Beneficio, de quo Possessori inscio fuerat simoniace provisum; usurarum, quas quis bona fide percepit & consumpsit, restituendarum ex conscientia obligatio nulla est. *Si vero*, inquit laudatus S. Doctor, *eo nescente nec volente per alios alicujus promotio simoniace procuratur .... tenetur resignare Beneficium, quod est consecutus, cum fructibus extantibus. Non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit.* Quod idem quoque apertissime indicat Glossa in quandam Decretalem Celestini III. (*b*), cum ait, eum, cui de ipsius Beneficio lis intenditur, si caus-

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 9. ad 3.

(*b*) Gloss. in c. Gravis 12. de restit. spoliator. v. Fructus lib. 2. t. 13.

sa cadat, non obligari ad referendos nisi fructus, quos ab illata sibi actione suos fecit, & eos, qui tunc temporis in propria sua natura adhuc extabant: quoniam ab eo temporis momento Beneficium suum non possedisse bona fide censetur, sed eundem non teneri, ad eorum, quos antea perceperat, restitutionem: propterea quod bona sua fide tunc juvaretur. *Bonæ fidei possessor*, inquit Auctor memoratæ Glossæ, *tenetur restituere tantum extantes* (fructus) *ante litis contestationem & non consumptos. Post litis autem contestationem universos.* Atque istud Civili Jurisprudentiæ plane consentaneum esse reperitur, ut innuitur ipsa Lege (*c*), quæ distinctione facta Possessorum bonæ fidei, & possessorum malæ fidei, istis posterioribus inducit obligationem restituendorum omnium omnino fructuum, quibus fuere potiti; hoc est, tam extantium, quam consumptorum; prioribus autem e contrario extantium tantummodo referendorum: *Certum est, malæ fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei vero, extantes. Post litis autem contestationem, universos.* Quæ ipsissima sunt verba legis citatæ.

(*c*) L. Certum est 22. cod. de rei vindicat.

Præterea vero *Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est.* Quibus verbis illud exprimitur, quod Juris Regulæ loco est (*d*), atque juxta eam regulam Imperator Justinianus, quem jam alibi citavimus, declarat, cum quis a non Domino, quem Dominum esse putabat, aliquem fundum emit, vel ex donatione, seu qualibet alia ejusmodi legitima ratione accepit; fructus, quos inde percepit, ejusdem, propter ipsius bonam fidem, fieri proprios, idemque pro cultura & cura vindicari: *Et ideo*, inquit Laudatus Imperator, *si postea Dominus supervenerit & fundum vindicet: de fructibus ab eo consumptis agere non potest* (*e*).

(*d*) L. Bona fides 136. ff. de diversis reg. Juris antiqu.

Favent prorsus Matthæo, quæ huc usque disseruimus, & aperte demonstrant, eum in casu proposito nulla Lege restitutionis erga Rogerium constringi: si nihil ipsi residuum fuerit in propria sua natura extans eorum, quæ durante sua bona fide percepit; hoc est, quam diu persuasum animo habuit, nulla mota de contrario dubitationis hæsitatione, istas usuras sibi jure legitimo accedere; neque futurum, ut restituere cogeretur, nisi ea quæ postmodum excepisset, ab eo tempore, ex quo fuisset monitus, ejusmodi proventus esse fœneratorios ac prorsus illicitos.

Dicimus, *Nulla mota de contrario dubitationis hæsitatione*: Notandum namque est, quanquam ex suborto aliquo dubio, malæ fidei quis dici non possit; inde tamen interrumpi bonam fidem, & nasci quasi medium quoddam inter bonam & malam fidem: adeo ut, sicut alibi observatum est, ille evadat *Possessor non bonæ fidei*: quemadmodum advertit Glossa ad isthæc verba legis (*f*): *Potest dividi possessionis genus in duas species: ut possideatur aut bona fide, aut non bona fide.* Ad quæ verba sic habet Auctor citatæ Glossæ: *Non bona fide plus portat, quam si diceret, mala. Nam etiam dubitantem, sit sua, vel aliena res, continet, qui nec bonam, nec malam fidem habet.*

(*e*) Instit. lib. 2. tit. de rer. divisione. §. 35. supra cit.

(*f*) L. Possideri. §. 3. ff. de acquirenda vel amitt. poss. lib. 41. tit. 2.

Ceterum, ut de bona fide Matthæi certo certius constet, ab eo ipso inquirendum est, utrum ex ea, quam in animum induxerat, persuasione, nimirum istas usuras licitas esse atque legitimas, impeditus fuerit, quominus pecuniam suam in alium usum impenderet: si enim affirmaverit, si ejusmodi usuras illicitas atque iniquas habuisset, futurum fuisse, ut inde sibi compararet aut aliquem Magistratum, aut domum, aut aliquod prædium, sive nummos suos poneret in fœnore, sive eos tandem in aliqua negotiationis societate collocaret; indubitatum omnino ac certissimum argumentum est, eum non ex animi levitate aut iniqua quæstus illiciti cupidine eam partem esse secutum, sed bona fide prorsus egisse (*g*): quæ bona fides debet ei tituli loco esse, præterquam quod lucri cessantis titulo ei aliunde succurrat.

Tandem, etiam posito, quod Matthæo sive cuilibet alteri similes usuras percipiendi necessitas induceretur earumdem restituendarum; ab

(*g*) Sambov. to. 1. casu 99. 123. 132. & 206. Et to. 2. casu 10. 1 21. & 22. Et to. 3. casu 255. & 256.

ea necessitate subduci posset ea earumdem donatione sibi a Rogerio præstanda, aut jam gratuitò præstita: atque ut ea de se judicium sanum ac prudens intervenerit, necesse foret, in eo casu Matthæum sic animo comparatum fuisse, ut nisi ei liberaliter condonare eas Rogerius voluisset, earumdem rependisset ei integram restitutionem.

2. Rogerio ipsi cognitum atque exploratum fuisse, ea mente Matthæum sic affectum esse; & cum persuasum ei fuerit, ipsis libertati permitti, ut eas usuras persolveret, aut non persolveret, eum tamen voluisse easdem pendere, nullo sibi incusso metu, futurum fortasse, ut eum usuras non solventem Matthæus apud Judices urgeat, ad integram sortis solutionem. Si namque in ea, quam ponimus, hypothesi, Matthæus innueret Rogerio, sibi animo esse, aut pactas usuras excipere aut sibi sortem refundi; profecto sese inde proderet fœneratorem, & obligaretur ad restituendum: cum bona fide non juvaretur; & vel ex fœnore duntaxat intento, incumbat ei in præsenti casu restituendi necessitas; juxta isthæc verba Urbani III. (a): *Hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent .... judicandi sunt male agere; & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.* Sed hæc quasi non data opera, atque ex mera simpliciter occasione dicta sumantur, atque ad uberiorem, de qua in proposita specie tractatur, difficultatis annotationem (b).

(a) Urb. III. in c. Consuluit 10. de usuris L. 5.1.2.9.

(b) Colloq. Lucionens. tom. 2. Colloq. 44. q. 5. De Gener. Theol. moral. tom. 3. tract. 4. cap. 11. q. 3.

CASUS XVI.

Epimachius Regiis rebus tractandis præpositus, privatam rem familiarem ingentibus admodum fortunis locupletavit ex fœnore nummorum, quos plurimis mutuos dabat, nihil peccare in eo sese putans, quin imo, ea sibi inducta animi persuasione, istud commercii genus ut legitimum, sic etiam prorsus honestum esse ac licitum. Adeo ut inde divitias sibi fecerit omnino plurimas, sive reditus proprios cumulando, sive eosdem saltem magnopere comparcendo.

Daniel unus quidam ex ipsius filiis, qui simul cum aliis duobus sibi fratribus ab annis sex aut quinque paternam hæreditatem accepit, timet nec immerito, ne pars aliqua bonorum, ex quibus portio suæ hæreditatis augetur, proveniat de fœneratoriis pensionibus, quas suus Pater percepit; & proinde ne sibi necessitas alicujus restitutionis inducatur.

Nihilominus, ut ab eadem sese eximat, ait, non sibi videri, ulla restitutionis Lege sese constringi. 1. Quoniam ipsius Pater semper excepit ejusmodi usuras cum veri nominis bona fide, & persuasum habens ex ipsismet principiis suæ, quam sectabatur, Religionis, quæ protestantium propria est, istud omnino licere. Porro bona fides constituit legitimum titulum possidendi. Ergo prædictas usuras, suas fecit; atque adeo filiis ipsius nulla, quantum ad eum respectum, restituendi necessitas inducitur. 2. Quia usuræ sunt res mobiles. Jamvero Possessori bonæ fidei ejusmodi res, ex triennii possessione roborata titulo colorato, qui genuinus ac verus præsumitur, vindicari certissimi juris est. Ergo Daniel cæterique filii Epimachii, qui paterna bona, ab annis quinque aut sex, bona fide possederunt, eadem ex possessione sua plusquam triennii roborata ipso jure, quo gaudebant, capessendæ paternæ hæreditatis, præscripserunt. 3. Propterea quod extra controversiam omnem sit positum accessisse, ex legitima juris atque æquitatis ratione, plurimas usuras, sive propter damnum emergens, sive propter lucrum cessans, qua ratione vulgus Theologorum interpretatur, sive tandem propterea quod obtinuerit bona fide, quibusdam judiciis contra suos Debitores pronunciatis, adjudicari sibi usuras: quo quidem in casu nulla restitutionis Lex urget. Atqui, moraliter loquendo, non est possibile liberis prædicti viri qualcumque mutuas pecunias ab eo datas infinitis propemodum personis, diligenti & accurata consideratione excutere, ut certo certius dignoscatur, jurene aut injuria usuras inde perceperit: non tantum ex eo quod, etiamsi sibi noti forent quicumque suo Patri usuras rependerunt, rem istam non possent exploratam habere, quin inde suboriretur gravissima prorsus apud multos offensio, & æterna macula tum memoriæ ac famæ sui Patris, tum sibimetipsis, tum etiam futuris suis nepotibus inureretur. Daniel igitur petit, utrum ex allegatis rationibus, sufficienter non vindicetur ab obligatione restitutionis, cui metuit, ne subjaceat, propter portionem hæreditatis, quæ sibi contigit?

RESPONS.

Priusquam propositam difficultatem solvendam aggrediamur, operæ pretium omnino est, ponere duo principia, quæ sunt indubitatæ prorsus ac certissimæ fidei. Prius est, nimirum tunc urgere præceptum alienæ rei, licet bona consumpta sint, restituendæ, cum inde fortuna ditior aliquis factus est. Ea de re concordant omnes Theologi congruenter ad sequentia verba Legis (c): *Eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent* (condemnandos esse). Alterum principium est, possessori bonæ fidei proprietatem fructuum vindicari ex possessione triennii, cui robur accedit tituli verosimilis, aut colorati, sive fructus isti etiamnum extent, sive ex iisdem sit factus locupletior; ut colligitur ex ista Lege Imperatoris Justiniani (d): *Constitutionem super hoc promulgavimus; qua cautum est, ut res quidem mobiles per triennium .... usu capiantur.*

(c) L. Item 20. §. 6. ff. de hæredit. petit. Item Leg. Sed etsi. 25. §. 2. ff. eod. tit.

(d) Inst. L. 3. tit. de usucapionibus, & longi temporis præscript. §. Jure civili.

At quæstio est, quæ in controversiam adducitur a Theologis, scilicet, an principium istud generale locum obtinere debeat, quantum ad fœneratorios proventus. Alii namque affirmant, & sententiam suam probant ex regula sequenti (e): *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.* Alii vero negant, & acerrime contendunt, citatam Legem non eo fine fuisse constitutam, ut possessioni fœneratoriorum bonorum faveret: Siquidem usura quocumque jure reprobetur. Quibus ita præmissis.

(e) Argum. L. De pretio. ff. de publiciana in rem actione. lib. 6. t. 2.

Ad propositam difficultatem respondemus (f): & sententiæ posteriorum plurimum adhærentes statuimus, quoniam Daniel persuasum habet, portionis hæreditatis, quæ sibi contigit, partem constare ex pecuniis fœneratoriis, quas Epimachius ipsius Pater mutuas dedit; eum non debere sibi vindicare jus possessionis per triennium bona fide continuatæ, ut sese subducat a Lege restitutionis; siquidem plurimi Theologi propugnent, ex ejusmodi possessione neminem oportere juvari quantum ad fructus ex usura provenientes; atque adeo ipsi incumbere necessitatem restitutionis convenientis, non quidem iis præstandæ, quibus legitimo jure cedere deberet; cum et possibile non sit, eosdem notos habere, sed pauperibus; juxta quod docetur a S. Thoma, qui sic habet (g): *Si ille cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest; scilicet dando eleemosynas pro salute ipsius: sive sit mortuus, sive vivus præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda.* At vero quoniam, ut colligitur ex proposita specie, res est prorsus difficilis, determinare, utrum revera Danieli restitutionis alicujus obligatio inducatur; Quod ratione potiori, & prudentiam decet, & ipsius saluti consulit, isto potissimum consilio potest juvari, nimirum, ut primum sibi sumptis de hæreditate paterna vitæ necessariis, quod ejusdem reliquum habuerit, neque propriæ suæ vitæ sustentandæ omnino necessarium, cum animo satisfaciendi obligationi restitutionis, quæ sibi fortasse possec coram Deo induci, pauperibus eroget.

(f) Ambrov. t. 2. casu 100.

(g) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad. 3.

CASUS XVII.

Est hoc usu passim receptum, & generali quadam consuetudine, annuentibus atque plurimum faventibus omnibus Judicibus, comprobatum, ut in Pedemontio det unusquisque ad annum pecuniam suam fœnore tertium referente de centenario, absque eo quod, ex de re, ne tenuissimus quidem apud quemquam scrupulus residere videatur: propterea quod ab omni hominum memo-

ria

Digitized by Google

ria ibidem dictus usus invaluerit. Amedæus Taurinensis Civis, qui eadem, qua ceteri ejusdem Regionis incolæ, bona fide usum eumdem prosequitur, ex sermone cum Doctore quodam habito, monetur, ejusmodi pecunias mutuas esse omnino fœneratorias. Confessionem suam paulo post deponit, & indicat suo Confessario, sibi sincare constitutum ac deliberatum esse, pecuniam suam, ista conditione, nullatenus deinceps credere. Confessarius eum absolvit sacramentaliter; eumque facit fœnorum quæ sibi vindicavit restituendorum immunem. Nonne Confessarius iste perperam ac inconsulte egit, eum in prædictis circumstantiis solvendo Lege restitutionis?

Respons.

Equidem indubitati ac certissimi juris est, ei, quem ditiorem effecerunt feneratorii proventus bona etiam fide percepti, obligationem induci restitutionis. Nihilominus censet quidam hujusce nostræ ætatis Auctor (*a*), potuisse in casu proposito a Confessario Amedæi condonari ei in circumstantiis, quæ in instituenda quæstione enunciatæ sunt, restitutionis immunitatem: quoniam, siquidem obtinuerit in tota passim Regione ejusmodi usus, & usuræ prædictæ exciperentur, & ex omni ætatum memoria frequentatus sit, atque etiam sæcularium Judicum auctoritate comprobatus ac firmatus, videtur eos, qui usuras ejusmodi rependunt, censendos esse suis Creditoribus earumdam pleno atque integro consensu transmisisse dominium. Attamen cum usura quæcumque ipso Divino jure repudietur prorsus ac reprobetur, jureque tum naturali, tum Ecclesiastico condemnetur; neque proinde valeat unquam licita haberi; Dicendum est, tutius omnino ac consultius factum fuisse a Confessario præfato, si necessitatem restitutionis imposuisset suo pœnitenti, quantum ad plures, quas bona fide non consumpserat; & ab eodem debuisse ei obligationem induci non percipiendarum deinceps ejusmodi usurarum, & pecuniæ suæ mutuæ gratuito credendæ, aut arganti, quod ista conditione commodavisset, solutionis urgendæ; aut tandem refundendarum, quas a suis Debitoribus exegisset, schedarum seu simplicis Chirographi cautionum in legitimas fœnorum conventiones.

(*a*) Samb. to. 2. casu 132. pag. 241.

CASUS XVIII.

Ysabella, quæ a Martino suo Patre Luciano collocata est, & ab eodem summa 3000. librarum locata, audivit, ex fœneratoriis obventionibus divitiarum ac bonorum, quibus suus Pater gaudet, partem pleramque esse conflatam, aut etiam ipsamet compertum habet atque omnino certissimum. Qua de re petitur 1. utrum ex suborto simplici tantum dubio, teneatur, ad rem ipsam penitus inspiciendam, & ejusdem diligentius quærendam veritatem? 2. Utrum, si sibi rem ita essa constiterit, obligetur ad restiruendas 3000. libras, ubi primum sibi per facultates licuerit, posito quod suus Pater, qui etiamnum vivit & divitiis abundat, ipsemet non sit restiturus? 3. Utrum ei necessitas in præsenti incumbat, postulandi a Luciano suo conjuge, quippe qui sit bonorum communionis Dominus, ut restitutioni isti faciendæ suum præbeat consensum; & eodem abnuente, eandemne debeat suo testamento faciendam curare ac jubere. 4. Num, si contigerit, rem quæ est apud suum Patrem, iniquis rationibus non accessisse, nisi post assignatam ac numeratam suam dotem, obligatio nihilominus inducatur ei alicujus restitutionis?

Respons.

Respondemus cum erudito quodam Theologo (*b*) cum Ysabella dubium tantummodo habeat, num apud suum Patrem sit aliquid rei alienæ; ipsam nulla ratione teneri, ac certam facti fidem sibimetipsi faciendam, modo dubium ipsius sufficienti fundamento aliunde non roboretur; quinimo ei locum adesse conjiciendi 3000. libras, quarum ei dotem confecit, in ordinem rerum ipsius legitimarum esse recensendas: Siquidem dissipatis de fama istius viri rumoribus improbis, quos aliunde certa veritas non asserit, fides non sit levior adhibenda; secundum isthæc verba S. Augustini (*c*) *Facile est homini seu vera, seu falsa de altero homine credere*, quod idem quoque confirmat Auctor Glossæ (*d*), ex quadam Celestini III. Epistola Decretali (*e*). 2. Si prædictæ mulieri certo certius constiterit, bonorum, quibus suus Pater gaudet, partem pleramque iniqua ratione fuisse partam, neque eandem ab eo restitutam esse, ipsi non incumbit obligatio restituendi, nisi pro modo, qui consuetudine loci præscribitur, & post decessum sui Patris; hoc est, si juxta præfatæ consuetudinis dispositionem, debitis non constringatur, nisi simul ac conjunctim cum suis cohæredibus; non obligatur ad restituendum, nisi pro parte ac portione sua, idest, *pro rata*, parte tum confectæ sibi dotis, tum hæreditatis paternæ, quæ potuisset ei præterea obtingere. 3. Si ei restitutionis alicujus obligatio inducatur, neque velit ipsius maritus restitutioni faciendæ præbere consensum, non ei licet antea restituere, quam ipsius maritus e vivis migraverit; propterea quod ipse bonorum communionis Dominus constituatur; quo quidem in casu, siquidem incertum ei sit, num suo marito futura sit superstes, prædictæ restitutioni conficiendæ debet testamento cavere. 4. Tandem si dotem ei ipsius Pater antea constituerit, quam iniquis rationibus rem familiarem auxerit, nulla eam urget restituendi necessitas. At vero, contingente ejusdem Patris obitu, ipsi incumberet obligatio restitutionis præstandæ, quantum ad istam rem iniqua ratione partam, pro rata hæreditatis portione, quam acciperet, si sese ageret pro hærede, paternæ successionis alioquin nulla ratione teneretur in partem restitutionis vanire.

(*b*) Samb. to. 3. casu 218.

(*c*) S. August. Epist. 25. alias 40. in c.

(*d*) Gloss. in cap. Quoniam 22. 26. q. 7

(*e*) Celestin. III. in c. Super eo § de eo, qui cognovit consang. uxoris suæ, &c. v. Ut rumor.

CASUS XIX.

Elpidius & Mævius hæreditatem attigere Sempronii sui Patris, qui, postquam Regiis rebus tractandis more Publicanorum fuit diu præpositus, & argentariam deinde per decennium fecit, obiit, relicta sui fama, quod rationibus prorsus iniquis magnas opes aggregavisset. Petunt, utrúm sibi pro debito conscientiæ suæ liceat, omnem in integrum hæreditatem capessere, absque eo quod sibi necessitas incumbat, ejusdem partis alicujus per modum restitutionis pauperibus erogandæ; cum notos non habeant singulos, quibus suus Pater potuisset aliquam injuriam afferre?

Respons.

Quanquam Elpidio & Mævio obligatio inducatur, pauperibus erogandi superfluum bonorum, quibus eos Deus abunde cumulavit; non tamen tenentur (seclusis casibus urgentissimæ ac extremæ necessitatis), ad quidquam de suo necessario iisdem conferendum, ea potissimum de causa quod Sempronius eorum Pater Regiis rebus administrandis ut Publicanus, aut exactor fuerit præfectus, aut argentariam exercuerit. Ratio est, quia possunt Regia vectigalia citra scelus injustitiæ tractari, & argentaria sine usura exerceri; & ipsis liberis locus esse potest & quidem cum fundamento præsumendi suo Patri divitias ratione legitima accessisse; cum aliunde præsertim non suppetat, unde contrarium possit subodorari. Adeo ut, cum eis non nisi dubium ea de re luboriatur, quod nullo forte fundamento aliunde roboretur; ad eos potest ista regula juris accommodari: *De jure Divino & humano melior est conditio possidentis* (*f*).

Quæ quidem ad certiorem veritatem propius accedunt, cum vir ejusmodi Pauperibus donationes ingentes testamento legavit. Quoniam inde plurimus locus affertur conjiciendi, ipsummet ea in re conscientiæ suæ debito fecisse satis; quod suis liberis reliquit, bonum esse legitima omnino ratione partum (*g*).

(*f*) Alex. III. in c. Ad aures. de prescript. Item Regule 65. de reg. jur. in 6. L. Si debitor. 20. ff. de pignor. & hypoth. lib. 20. tit. 1. & Leg. 70. ff. de diversis reg. Juris antiq.

(*g*) Samb. to. 3. casibus 197. & 275.

CASUS XX.

Cassius, cum sibi uxorem adjunxisset Michaelam filiam Cræsi Argentarii locupletissimi, quæ

secum loco dotis suæ futuram attulit ei summam 30000. nummorum, post aliquot annos certissimum atque omnino exploratum habuit, socerum suum fuisse capsarium in Curia Regiorum vectigalium; atque tum ex isto officio, tum ex argentaria postmodum facta summas divitias, quibus abundat, tam suis usuris, quam rationibus aliis non æquioribus sibi fecisse. Quærit vir præfatus, num sibi necessitas alicujus restitutionis afferatur, ex dote suæ uxoris accepta, quæ rerum iniqua ratione partarum a Cræso pars erat, qui Cræsus, nulla facta restitutione, vitam finiit.

Ei pro certo affirmatum est, ipsi nullam ejusmodi incumbere necessitatem. 1. Propterea quod ex nuptialibus tabulis ista ei summa accessisset. 2. Quoniam eandem & accepit & bona fide sibi adhibuit hactenus, ipse omnino inscius tum usurarum tum illicitarum aliarum rationum, quibus Cræsus rem suam auxerat. Num prædictæ rationes non sufficiunt, ut eum a quacumque solvant obligatione restitutionis?

RESPONS.

Idem, qui modo laudatus est Theologus, & qui de simili difficultate consultus fuerat (*a*), respondet, prædictis equidem rationibus Cassium reddi immunem obligatione restituendarum usurarum, quas ex dote suæ uxoris percepit, quin etiam reddendæ portionis ipsiusmet dotis, quam bona fide consumpsisset; sed easdem nullatenus sufficere, ut eum solvant Lege restituendæ ipsius sortis principalis, quæ in ejus manibus etiamnum extat, neque necessitate rependendarum usurarum, quæ deinceps possent inde ei provenire, & quæ jam ei accessissent, ex quo tempore cessavit ipsius bona fides, cum primum exploratam habuit iniquam rationem, qua Cræsus rem suam ampliaverit. Cujus rei ratio aperta est. Considerare namque debet 30000. nummos, quos loco dotis uxoris suæ percepit, tanquam rem alienam, quam dotis loco non potuisset sine gravissimo peccato accipere, si de rei veritate tunc temporis ei constitisset, quamque nec sibi retinere absque iniquitate, nec in proprium quæstum ulla quavis ratione potest convertere. Prædictam igitur dotem actu debet de propriis manibus dimittere, si tuto fieri possit; & censet Theologus, quem appellavimus 1. ab eo deponendam esse integram summam in manus Michaelæ, ei significando, id ita a se agi, quoniam res aliena est, quam sine aperta iniquitate nequit in proprium usum ac commodum sibi adhibere. 2. Si eandem non possit tuto deponere in manus suæ uxoris; eam oportere ab eo in emendo aliquo fundo collocari nomine & in propriam suæ uxoris utilitatem, nullatenus vero nec suo, nec hæredum aut proximorum aliorum suorum nomine.

(*a*) Sambov. to. 2. casu 252.

Existimamus tamen, id tutius atque æquitati magis consentaneum esse, si notos habere nequeat singulos, quibus sit restituendum; ut aut Pauperibus, aut Ecclesiæ, quæ restituenda sunt, simul cum eo concurrente propria uxore, modo velit assentiri, ascribat juxta quod a S. Thoma docetur. Sed si noluerit assentiri, æquum non est ex propria sua sententia eum restituere. 1. Quoniam ei nullum jus cedit, invita sua uxore, disponendi de rebus dotalibus, quas ipsa ei ex matrimonio suo attulit. 2. Propterea quod non posset ex iisdem restituere, quin sese exponeret evidenti periculo ejusdem restitutionis iterum faciendæ, quippe, qui si suæ uxori superstes futurus esset, ei forsan necessitas induceretur prædictorum 30000. nummorum hæredibus uxoris suæ defunctæ refundendorum. Ex quibus concludimus, satis igitur futurum, quod Cassius repudiet istam dotem, de cetero dimissa cura Michaelæ, quantum ad eam rem debito propriæ conscientiæ satisfaciendi; siquidem aliter sese gerere non possit, quin sese conjiciat in periculum evidens notabilis omnino detrimenti, occasione rei, in qua ab omni prorsus culpa remotus est.

CASUS XXI.

BONAVENTURA, qui Catharinam uxorem sibi duxerat, mortuo; ipsius vidua certior facta est, suo marito obvenisse 2000. libras ex usuris, quas exegerat de pecuniis, quas mutuas quinque aut sex vicinis suis crediderat. Qua de re quæstio instituitur, num Catharina, quæ certissime scit, a suo Marito nulla restitutione iisdem fuisse satisfactum, teneatur ad reddendas præfatas 2000. libras.

RESPONS.

Si Catharina repudiaverit, quæ inter se & suum maritum intercedebat, bonorum communionem, atque eo defuncto, rem tantum suam exceperit: nulla ei restitutionis obligatio inducitur. At, si præter suam dotem, bona sui mariti aut integra, aut ex parte tantummodo habeat; tenetur ad impertiendum quidquid eorumdem apud se est, isti restitutioni in integrum faciendæ, si sibi sit, unde integrum restituere possit; aut ex parte duntaxat, si quod habeat, non assurgat ad summam usque 2000. librarum; imo propriam rem suam adhibere etiam debet, eidem restitutioni adimplendæ, si vivente suo marito, dictas usuras in proprium suum usum converterit. Verum si bonum quod attulit Bonaventuræ, ejusmodi fuerit, quod ad ipsius tum victum, tum cultum sufficeret; adeoque non facta sit locupletior utens istis usuris; ad nullam obligatur restitutionem, cum aliunde nullis rebus sibi de suo marito provenientibus potiatur.

Quæ decisio propria est antiqui cujusdam Auctoris; cujus opus inter opera S. Thomæ recensetur, & qui sic ait (*b*): *Uxor usurarii tenetur ad restitutionem pro marito defuncto secundum quod ad eam, bona male acquisita devoluta sunt; vel in quantum ipsa, vivente marito, talibus bonis usa est. Quod si nihil de talibus bonis ad eam devolvitur; vel si forte bonis, quæ in matrimonio attulerat, fructus erant sufficientes ipsius necessitatibus, & pro omnibus, quæ expendit in vita mariti; tunc non tenetur ad restitutionem aliquam faciendam; nisi fuerit usa rebus mariti in spe recompensandi, vel nisi aliquid alienum post mortem mariti sibi retinuit. Nihil autem est restituendum, nisi alienum.*

(*b*) Apud S. Thom. Opuscul 73. de usuris c. 17.

CASUS XXII.

HERMOLAUS negotiator inter res familiares suas habet pretium 1000. nummorum, quod conflatum est ex pecuniis, quas mutuas dedit Junio & Probo, quibus restituere nullatenus cogitat. Nonne potest ipsius uxor, inoffensa sua conscientia, eo inscio, aut etiam nolente, eosdem restituere?

RESPONS.

Quidam Auctor opusculi, quod S. Thomæ vulgo tribuitur, de proposita quæstione sic censet: *Sicut in adjutorium (uxor) est viro data ad generationem; ita ad rerum conservationem & multiplicationem honestam & utilem, & super hoc etiam ad salutis viri promotionem: Unde Apostolus* 1. Cor. 7. Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem: *Quare sicut de rebus propriis viri usurarii potest facere eleemosynas moderatas, viro ignorante & non prohibente, quia sic agit causam viri ad id quod tenetur, ad salutem suam promovendam ..... sic puto, sine præjudicio, quod possit facere restitutiones de rebus alienis, viro ignorante & non prohibente: quia sic agit causam viri*. En qua ratione loquitur laudatus Auctor (*c*), qui sequenti ratione prosequitur: *Si vero, viro prohibente ..... ita mulier fecerit, vel facere voluerit: jam non licet ei, quia sicut res sunt sub potestate viri, ita & uxor. Quare oportet, eam sic subditam viro obedire per omnia secundum Apostolum (d): Etsi non faciendo malum, tamen obedire debet, non faciendo bonum; quia non est necessarium ad propriam salutem. Unde si uxor non faciat, quod sibi videtur bonum, imputatur ei ad peccatum, sed ei qui hoc ei prohibet.*

(*c*) Apud S. Th. Opusc. 73. de usuris c. 17.

(*d*) 1. Petri 3.

Ex qua laudati Auctoris sententia sequitur, ab uxore Hermolai 1000. prædictos nummos, eodem prohibente, non posse Junio & Probo restitui; verum eo inscio, si alias non prohibuerit, eosdem ipsi licitum esse absque peccato, viris præfatis rependere.

Nihilo-

Nihilominus non existimamus, etiam in isto altero casu, eam copiam dandam esse uxori, ut suo viro inscio, possit restitutiones, ad quas iste obligatur, ipsa adimplere, sub eo prætextu, quod sic saluti sui mariti potissimum consulat. Namque si maritus iste permanserit obstinatus nolle rem alienam restituere, non inde coram Deo futurus est sanctior aut innocentior, si ejusdem, eo non consentiente, restitutio fiat. Si ergo Hermolaus animum obfirmaverit nolle, quas exegit a Junio & Probo, usuras restituere, ut supponitur in specie quam enodamus; profecto ipsius salutem minime juvaret earumdem restitutio clanculum præstita ab ejus uxore. Adeoque, quam præfatus Auctor allegat, ratio non est concludens. Præterea, quam sibi fixam adhibuit vir iste, non restituere proventus fœneratorios, quos de mutuis pecuniis percepit, mens uxori ipsius perspecta est atque explorata, eique proinde loco esse debet taciti cujusdam prohibitorii interdicti, quo impediri debet) ne privata sua auctoritate restitutionem istam exhibere præsumat. Quibus insuper juvat addere, ipsummet maritum bonorum communionis, quæ inter eum & ipsius conjugem instituitur, esse Dominum: atque adeo non licere uxori Hermolai de iisdem ad proprium nutum disponere, prætenso specioso prætextu alicujus boni operis admittendi, ad quod neque coram Deo, neque coram hominibus ullatenus obligatur.

CASUS XXIII.

Theobaldus, cum rationes suas cum Leandro conferret, atque ipsi remaneret debitor 200. librarum, quas non poterat impræsentiarum numerare; Aristarcus utrique communi necessitudinis & amicitiæ vinculo addictus, volens gratiam ab utroque simul inire, Theobaldo ultro obtulit commodandas 200. libras, ut eas Leandro persolveret. Quas quidem Theobaldus acceptatas, quo nomen suum expediret, in ipso temporis articulo Leandro numeravit. Verum Theobaldo, quarta ab illinc die, vita functo, nihil habente, unde contracta ab eo debita solverentur; Aristarcus exposuit Leandro, eum non latere 200. libras, quas acceperat, de proprio suo argento provenire, quod quidem ea tantum mente mutuum Theobaldo crediderat, ut de utroque bene mereretur; neque æquum esse in se ipsum jacturam istius summæ recidere. Numquid, ex conscientia, prædictæ summæ restituendæ Leandro obligatio importatur?

Respons.

Leander nulla omnino ratione obligatur, ad reddendas Aristarco 200. libras, quas percepit a Theobaldo, qui obiit nihil quidquam relinquens, unde debita ipsius persolverentur, & cui Aristarcus easdem commodaverat ab aliquot diebus antea ut utrumque sibi devinciret: Cujus decisionis ista nempe ratio est, quod ubi primum pecunia alicui mutua data est, eadem jure proprietatis eo ipso cedat ei, cui fuit commodata: quoniam ad eum ab eo, qui commodat, ejusdem transfertur dominium: Atque ea de causa præstatio dicitur a Latinis, *mutuum*, quod idem sonat ac, *ex meo tuum*, ut probare est ex istis verbis Imperatoris Justiniani (a): *Unde etiam mutuum appellatum est; Quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* Indeque sequitur, Theobaldum non satisfecisse Leandro, nisi ex pecunia, quæ vere ipsius propria erat ex ejusdem ei dominio legitime devoluto, propter mutuam ei pecuniam ab Aristarco creditam. Isti ergo nullum jus suffragatur, ut eandem possit a Leandro repetere neque in foro conscientiæ, neque in foro judicii in quo quod certissime constat, nedum ipsius petitio admittatur, quin imo potius exsibilaretur.

(a) Inst. l. 3. t. 15. quibus modis recontrahitur obligatio.

CASUS XXIV.

Ildefonsus commodatos Theophilo centum nummos ad annum unum, post elapsum temporis constituti spatium, sibi persolvi cum anxia festinatione ab eodem repetit; quoniam ipsi eorumdem opus est, & animo proposuit eos in commercium ponere, ut inde sibi lucrum afferatur. Est equidem apud Theophilum, unde summa ista solvatur; At quoniam cupit, ex ista pecunia sibi quæstum aliquem adhibere, quam in negotiatione facienda actu collocat; negat, eandem posse a se ipso Ildefonso refundi, prætexta causa, quod pecuniam ad manum non habeat; atque ita prædictam summam per triennium integrum servat, nec quicquam obstantibus cum æquitate, tum bona fide, certior aliunde factus nunquam fore, ut ea de re, suus Creditor velit ei litem inferre. Nonne obligatur in foro conscientiæ, ad restituendum Ildefonso, quodcumque sibi lucrum a duobus annis posterioribus ex prædictis 100. nummis accessit?

Respons.

Existimamus, Theophilo non induci obligationem restituendi Ildefonso omnem omnino quæstum quem sibi per istos duos annos potuisset ex propria pecunia afferre, si eandem ad manum habuisset; sed eum tantummodo quæstum, qui percipi solet ex commercio, quod facit: ratione nimirum habita non tantum laboris, industriæ & impensarum, quas necesse est conferre; sed etiam periculorum & infortuniorum, quæ possunt in ejusmodi commercio occurrere. Ita censet S. Thomas, qui sic habet (b): *Similiter dicendum est de eo, cui debitum non restituitur suo tempore; quia non tenetur restituere tantum, quantum lucrari potuisset; sed secundum æstimationem lucri, quod accidere consuevit, pensato labore & infortuniis etiam, quæ in lucro accidere alias possent. Quia lucrum non causatur tantum ex pecunia, sed ex industria & labore.*

(b) S. Th. in 4. d. 15. qu. 1. 5. qu. 1. ad 4.

CASUS XXV.

Maximinus, cum negotium amico ac familiari suo Joanni dedisset, quos ab Haberto mutuos acceperat, nummorum centum eidem deferendorum; Joanni viæ jam sese commisso, ut mandatum exsequeretur, occurrerunt Grassatores, qui eum centum nummis spoliaverunt. Numquid in Maximinum recidit fortuitus iste casus, adeo ut teneatur, ad centum alios nummos Huberto suo Creditori refundendos?

Respons.

Eadem ratione judicandum non est de aliqua restitutione, aut de aliquo debito, ad quod aliquis tenetur ex contractu, cum res de qua agitur in specie reddenda est; quia judicatur, cum ipsa res in individuo restituenda est. Quando namque contractus ex natura sua non exigit, ipsummet individuum reddi; sed speciem tantummodo; ut contingit in præstatione, quæ *mutuum* appellatur, in qua non incumbit Debitori commodatos sibi centum nummos eosdem in individuo restituere; sed summam duntaxat ejusdem valoris ac numeri; nunquam solvi potest obligatio restitutionis, aut debiti centum nummorum, nisi cum eadem summa ad Creditorem aut ad quemvis alium, Creditore mandante, pervenerit.

Ex quibus inferre est, in Maximinum recidere fortuitum casum, de quo agitur in proposita specie, & ex quo jactura centum nummorum secuta est; atque eum ex conscientia obligari ad centum alios nummos Huberto restituendos. Atque ita docetur ab erudito prorsus & nominis insignioris Doctore; cujus hæc ipsissima verba sunt (c). *Si ..... debitor, qui unicum illum transmisit, est debitor generis, ut nummorum, tritici, vini, olei, aliarumve rerum, quæ secundum individuam ac determinatam, seu singularem substantiam: sed secundum pondus, numerum, aut mensuram: tunc Debitor quantumvis culpæ expers, qui internuncio, etiam fidelissimo, mandavit,* & *hic fuit in itinere spoliatus, adhuc remanet obligatus. Ratio liquet: cum enim sit Debitor generis: non vero hujus aut illius specialis materiæ, quæ in transmissione fuit intercepta, hac ipsa pereunte, durat adhuc ejus obligatio: genus enim interire non potest. Leg.* Incendium. *Cod.* Si certum petatur. Idem

(c) Joan. Cab. Jur. can. th. & pr. l. 4. c. 25. n. 5.

quo

Digitized by Google

quoque docet Auctor Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ (*a*).

(*a*) De Gen. Th. mor. to. 6. tr. 8. c. 7. a. 20.

CASUS XXVI.

Theodatus & Flavianus, cum sese egissent pro hæredibus Beneficiarii Julii sui Patris, cujus universa hæreditas ad pretium usque 3000. duntaxat librarum assurgit, jam posuerunt 3500. libras in extinguendis debitis, quibus præfata hæreditas oppignerabatur. Post modum vero exploratum habuerunt ex privatis defuncti codicibus, ei accessisse 500. libras fœneratorias ex pecuniis, quas mutuas tribus aut quatuor quibusdam crediderat. Qua de re petunt num sibi necessitas ex conscientia inducatur, pro suo nomine hæredum sui Patris dictarum 500. librarum restituendarum, præsertim cum sibi sint ejusmodi bona, quibus possint istam præstare restitutionem?

Respons.

Quando filii paternam hæreditatem non acceperunt nisi nomine Beneficiariorum hæredum, non tenentur solvere nomina hæreditatis, nisi ratione habita proventuum, qui ipsis ex eadem accesserunt. Atque eam ob causam, licet aliunde gaudeant Theodatus & Flavianus opibus magnis, quas vel ex suo commercio sunt lucrati, aut ex testamento, vel donatione inter vivos confecta accepere; non eis tamen incumbit necessitas restituendi, ultra quod de bonis defuncti sibi vindicaverunt. Cum igitur plus debitorum extinxerint, quam de paterna successione res hæreditarias perceperunt, non est, unde eis obligatio inducatur restituendarum 500. librarum quas eorum Pater fœneratoriis artibus lucratus est: eademque de causa, si bona Julii subjecta fuissent voci præconis, neque sufficerent cunctis nominibus expediendis, præfatis hæredibus Beneficiariis nulla ratione necessitas afferretur debitorum, quæ superessent, dissolvendorum (*b*).

(*b*) Sambov. to. 3. cas. 232.

CASUS XXVII.

Clara utroque Parente orbata, de utriusque successione acceptis 8000. libris; animo meditatur vitæ Religiosæ institutum amplecti, sed certissime scit, maximam istius hæreditatis partem ex proventibus fœneratoriis conflari, quos suus Pater bona forsitan fide suos fecit. Qua de re quæstio habetur, utrum obligetur ex conscientia, ad restituendas istas usuras primis petentibus, & affirmantibus, easdem a defuncto ipsius Patre, de semetipsis exactas fuisse, & eorum fide, quidquid asserent numeratum fuisse ipsius Patri, illud refundendum: aut utrum, illæsa conscientia, possit prædictam summam integram, nihil percontata, qua ratione suus Pater suam fecerit, ad Monasterium transferre, quo animo habet ingredi?

Respons.

Si præfatæ virgini constiterit, aut etiam dubium tantummodo subortum sit quod legitimum habeat aliquod grave fundamentum, sibi a suo Patre bona male parta relicta fuisse; tenetur ex conscientia omnem, quam potest, adhibere diligentiam, ut de facti veritate certior efficiatur, & sibi tandem aperiatur, quænam sit paternæ hæreditatis portio, quæ rationibus iniquis fuerit extorta, & cujusnam pretii extare possit: si vero ei comprobetur, a quibusdam suo Patri solutas esse usuras; aliquas obligatur ad eas iisdem restituendas; neque inde, restituendi necessitate semetipsam liberaret, quod eas ad Monasterium, quo migrare cogitat, transferret: quippe non liceat de aliena re facere eleemosynas; quemadmodum docet S. Thomas (*c*), qui ait: *De talibus* (scilicet rapina, furto, & usuris) *Cum homo tenentur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest*. Verum non tenetur quidquam restituere illis, qui rem aliquam ab ea repetituri sunt, nisi probatas aliunde habeat tum eorum fidei, tum conscientiæ puritatem atque integritatem, si ad eorum testimonia non accedat aliud indubitatæ certitudinis argumentum.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 32. art. 7. in

Ceterum ei licet, quod sibi reliquum erit, Monasterio, in quo vult Religiosam vitam profiteri, afferre: etiamsi ei foret exploratum, aliquam ejusdem partem ex proventibus fœneratoriis esse coacervatam; nec eos notos haberet, quibus esset vindicanda restitutio; siquidem illud ea ratione adhibendo, in usum vere pium ac Religiosum impenderet, quod in eo quidem casu satis, ad propriæ conscientiæ consulendum: juxta Doctrinam laudati S. Thomæ (*d*), qui sic habet; *Si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus: debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in Eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda* (*e*).

(*d*) Idem 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3.

(*e*) Sambov. to. cas. 19.

CASUS XXVIII.

Amandus Antonio Tutor institutus perceptas quingentas libras usurariorum proventuum de proprio Pupilli sui argento, quod mutuum dedit, nonne potest restituere de proprio ære ejusdem Pupilli, ad conscientiæ suæ levamen & cautionem; siquidem ipsi Pupillo, non autem Amando accesserint; aut nonne sufficit, pupillum ab eo commoneri, cum referret administratæ tutelæ rationem, de facienda earumdem restitutione?

Respons.

Tutori præfato ex debito conscientiæ incumbit, de proprio suo argento, non autem de ære Pupilli sui Antonii 500. libras restituere. Debuit namque in legitimos usus impendere res pupillares, quas præ manibus habebat, sive in emendo prædia, sive in asserendas licitas usuras suo pupillo, ea de re primum pronunciato a Judice judicio ex sententia consanguineorum, aut amicorum ejusdem Pupilli: quod cum infectum reliquerit, tenetur ei præstare legitimas argenti ipsius usuras, adeoque remanet obligatus, ad usuras, quas de eodem argento percepit, iis, qui easdem ei solverunt, restituendas. Quod quidem aperte colligitur ex istis verbis Aurelianensis Edicti Januarii mense 1560. promulgati (*f*). „Tutores & „Curatores Minorum tenebuntur, statim atque „res pupillares descripto indice recognitæ fue„rint, diligentiam adhibere vendendis, aucto„ritate judicum accedente, rebus mobilibus, „quæ natura sua detrimento sunt obnoxiæ, & „pecuniæ inde provenienti simul cum ea, quam „invenerint præsentem atque numeratam, in „fœnore aut in prædiis comparandis collocandæ „ex sententia Consanguineorum & Amicorum: „pœna iisdem imposita, si præsenti Edicto non „pareant, usurarum dictæ pecuniæ proprio suo „nomine rependendarum „. En quæ constituta est Lex a Carolo IX. qua debita ipsius negligentiæ & legis violationi pœna Amando indicitur: adeo ut, cum solus culpam admiserit, solus quoque debeat, quod a se ipso peccatum est, corrigere (*g*).

(*f*) Ed. Am. c. 102.

(*g*) Sambov. to. 2. cas. 94.

CASUS XXIX.

Petrus, cum opus admodum haberet summa 3000. librarum, eam mutuam sumpsit a Matthæo sub ea conditione, quod eidem foret per triennium præfatæ summæ usuris extantibus fœnora rependurus. Matthæus, receptis, post constitutum tempus, tum sorte, tum usuris prædictis, in deponenda peccatorum suorum confessione, de perpetrata prædicta usura semetipsum incusavit. Confessarius obligationem ei indixit, istorum proventuum usurariorum restituendorum Pauperibus, animo pertendens, Petrum haud promereri, quamobrem ei iidem rependerentur; quoniam non debuerat eos Matthæo persolvere. Num Confessario jus non favet?

Respons.

Confessarius nec debuit, nec potuit istam Matthæo afferre obligationem, ut Pauperibus restitueret; quoniam ista restitutio jure peculiari soli Petro vindicatur. Cujus rei ratio est, quod secundum S. Thomam (*h*), isti soli mereantur eo, quod rependerunt, spoliari, qui, prohibente tum Divina tum humana Lege, aliquid dederunt; quales sunt, qui pecuniam donavere beneficii alicujus obtinendi sibi gra-

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5 ad 2.

gratia: (Quando) *ipsa datio est illicita & contra Legem*, inquit laudatus S. Doctor, *sicut .... qui simoniace aliquid dedit .... talis meretur amittere, quod dedit. Unde non debet ei restitutio fieri de his, & quia etiam ille qui accepit, contra legem accepit, non debet sibi retinere: sed in pios usus convertere.* Jamvero Petrus neque contra conscientiam, neque contra legem peccavit, solvendo Matthæo proventus fœneratorios propter 3000. libras, quas ab eodem mutuas acceperat. 1. Quoniam pecuniam suam, non nisi urgente admodum necessitate pressus, mutuam sibi sumpsit: nec, nisi fœnore accedente, Matthæus voluit eandem ipsi commodare. 2. Propterea quod ex omnibus legibus, quibus interdicitur usura, ulla nuspiam memoratur sive divina, sive humana, quæ illicitum faciat, ei, qui pecuniam mutuam accipit, suis necessitatibus subveniendi causa, usuram solvere. Non ergo promeretur, quamobrem ista restitutione frustretur; juxta sequentem Regulam Bonifacii VIII. (*a*) *Sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*. Quod etiam appellatus jam Angelicus Doctor alibi habet (*b*): *Inducere hominem ad peccandum nullo modo licet*, quæ ipsissima sunt ejus verba; *uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est ..... nullo modo*, addit idem paulo post, *licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis vel alterius*. Quod confirmat ex ista comparatione, quæ comprobari legitur in sacris paginis: *Sicut etiam licet ei, qui incidit in Latrones, manifestare bona, quæ habet, quæ Latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur: exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael* (*c*): Noli occidere nos; quia thesauros habemus in agro.

(*a*) Reg. 26. Reg. Jur. in 6.

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 78. a. 4. in corp.

(*c*) Jer. 41. 8.

Neque vero absre erit addere in favorem Petri, quanquam liberrime rependerit usuras Matthæo, eum tamen non ideo censeri proprietati illius, quod persolvit, in integrum omnino renuntiavisse: quoniam ejusmodi usuras non solvit cum plena voluntate, nec nisi accedente eo, quod Theologi ajunt *involuntarium mixtum*. Quam Doctrinam tenet Cajetanus (*d*), qui instituta comparatione inter eum, qui solvit usuram, & eum, qui nimiis instigationibus allectus ad ludendum, ex ipsa lusione pecuniam suam amittit, sic habet: *Sicut etiam aliquis solvit usuram: hujusmodi tamen voluntarium non transfert a se Dominium: quia, mixtum est (involuntario) & non omnino liberum*, Idem etiam verbis distinctis docet Reginaldus (e).

(*d*) Cajet. in 2. 2. q. 78. a. 3.

(*e*) Reginald. pr. fori pœnit. l. 10 de restit. n. 90.

CASUS XXX.

Falcidius, cum mutuas accepisset a Quintino 400. libras; & apud eum deposuisset ad debiti cautionem manuale horologium auro confectum, & monile beccatum; post aliquos menses Domus Quintini simul cum prædictis horologio manuali & moniali beccato quæ conservabat in suo secretiori cubiculo incendio combusta est aut eadem ei a Latronibus surrepta fuerunt. Numquid amissum istud pignus debet Quintinus præstare?

Respons.

Si ex casu mere fortuito manuale horologium auro confectum, & monile beccatum amissa fuerint, puta ex incendio excitato tonitru aut violentia Latronum; eorumdem jacturam debet Falcidius sustinere: quoniam, licet pignori obligata sint, eorum nihilominus Dominus remansit, hoc est, verus proprietarius; atque in eo casu locum habet istud principium (*f*), *Res perit Domino*. At vero si ex alia ratione pertinuerint; distinguendum est: namque si istud contigerit ex dolo, aut culpa etiam notabili, quæ apud Leges appellatur *lata culpa*, aut ex minori culpa, quæ a Jurisconsultis dicitur *levis culpa*, ex parte Quintini, qui eorumdem erat depositarius atque custos, eorum jactura debet in ipsum recidere & ab eo Falcidio præstari: contra vero ex eorumdem jactura nihil debet pati, si non provenerit, nisi ex *levissima culpa*, quam commiserit: atque adeo ei jure succurritur, ut possit integram 400. librarum solutionem urgere, & a Falcidio repetere. Ea autem ratio potest afferri, quod in omnibus contractibus, qui utrique parti perinde favent, quis non teneatur præstare culpas tantummodo levissimas, neque etiam casus mere fortuitos, sed dolum duntaxat duas priores culparum species, quæ sunt *lata* & *levis culpa*. Jam vero pignus utrique contrahentium parti favet ea ratione, qua Justinianus Imperator declarat sequentibus verbis (*g*): *Creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur, qui & de ea re, quam accepit restituenda, tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriusque gratia datur: & debitoris, quo magis pecunia credatur, & creditoris, quo magis ei sit in tuto creditum, placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam, exactam diligentiam adhibeat: quam si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit, securum esse nec impediri creditum petere*.

(*f*) Argum. leg. Pignus 9 Cod. de pign. actione l. 4. t. 24.

(*g*) Instit. lib. 3. tit. 15. quib. modis re contrahitur oblig. §. 4.

Quæ decisio consentit Regulæ Juris, in qua sic fertur (*h*): *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt. Quidam & dolum & culpam .... dolum & culpam, mandatum .... pignori acceptum, &c. in his quidem diligentiam*.

(*h*) L. Contractus 23 ff. de diversis reg. jur. antiq. 50. t. 10.

CASUS XXXI.

Gabinius, cum promisisset Gabrielæ futurum ut eam uxorem sibi adjungeret; in pignus datæ ei fidei, centum dupliones aureos ipsi ad manum tradidit; quanquam res sua tota constaret ex 200. tantummodo libris pecuniæ præsentis ac numeratæ. At paulo post animo ac voluntate immutatus absque ulla ea de re causa justa, fidem datam noluit exsolvere, & petivit Gabriela, sibi centum prædictos aureos dupliones restitui. Ista virgo reposuit, equidem sese animo esse dispositam, ad adimplendam fidem ex utraque parte factam, & quoniam, nulla extante causa, propositis ipse non stabat, sese non existimare, sibi ulla ratione incumbere obligationem centum duplionum aureorum ei restituendorum: quibus Gabinius ex altera parte objecit, donum, quod ei dederat, non censendum esse nisi conditionatum; hoc est, ea conditione tacita collatum, modo matrimonium sequeretur; & ratione penitus repugnare, omnino absurdum esse, consensisse media parte suarum rerum ac bonorum pure ac simpliciter ex donatione spoliari; prætereaque addidit, nihilominus ultro sese offerre, ad ei præstandum per modum compensationis damni, quam posset sibi vindicare, quidquid aut Judicum aut æqui rerum æstimatorum arbitrorum judicio ac sententia decerneretur. Qua de re quæritur, utrum Gabriela teneatur ex conscientia, acceptata conditione, quæ sibi proponitur, centum prædictos dupliones Gabinio restituere?

Respons.

Nulla Gabrielæ obligatio inducitur, in specie proposita, mille Librarum Gabinio reddendarum. Enimvero constat, a prædicto viro donum ei non fuisse concessum, nisi ad pignus cautionem juratæ fidei. Porro qui pignus fidei suæ tradit, aut cautionem sui promissi, censetur consentire se ejusdem privatione multari, si eandem, nulla justa causa accedente, postmodum fefellerit. Cum non permittit æquitas, consilium mutari cum alterius detrimento: juxta regulam istam Juris (*i*): *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*. Ergo Gabinius amittere debet centum dupliones, quos Gabrielæ largitus est: siquidem nolit fidem de futuro matrimonio ei factam exsolvere, neque ei adsit, ea de re, justa aliqua causa; neque quidquam possit in ipsa reprehendere.

(*i*) Reg. 33. reg. Jur. in 6.

Valeret equidem conditio, quam offert solvendi per modum compensationis ac reparationis damni, quidquid Judicis sententia, aut intelligentium Arbitrorum judicio æstimandum est, nisi compensationem ac reparationem præfatas ipsemet fixas reddidisset, ex constituto iisdem pretio ipsius summæ, qua ei in antecessum obtulit: at quoniam ex ista donatione, proprio suo gladio semet ipsum jugulavit, non alios inclamare, sed sibi soli debet imputare pecuniæ suæ jacturam: siquidem ipse solus culpam admiserit; secundum istam regulam juris Canonici (*k*): *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non*

(*k*) Reg. 86. ibid.

alius

Digitized by Google

aliis imputare. Neque locus ei ullus est, unde jure valeat ipsam Gabrielam incusare, quæ, quantum in se est, non abnuit perficere promissa, quæ ex utraque parte accesserunt (*a*): *Imputare non debet ei, per quem non stat, si non faciat; quod per eum fuerat faciendum*. Quæ verba continent aliam quoque Regulam juris. Ex quibus omnibus inferendum est, prædictam virginem nulla omnino constringi erga eum obligatione restitutionis.

(*a*) Reg. 41. ibid.

CASUS XXXII.

Henrica nobilis virgo, cum sibi pudorem extorqueri doleret ex violentia, quam Martialis in eam adhibuit; & deinde fuisset eidem minata, futurum ut eum rei capitalis reum ageret, nisi ei locum ipsius dotis habituram 2000. nummorum summam præberet, ex metu, quo correptus ipse fuit propter minas sibi ab eadem intentatas, eo adductus est, ut petitam summam ei largiretur. Nihilominus, quoniam nec perpetrati ab eo sceleris, nec violentiæ in eam adhibitæ, ne verbo quidem aut suspicione quemquam conscium fuisse, visum est; neque ipsa uterum ferebat: post quatuor ab illinc menses nupsit in divitias maximas eadem ratione, qua antea sperare potuisset; neque quidquam eorum, quæ facta fuerant, maritus ipsius subodoratus est. Nonne in eo casu obligatur, ad 2000. prædictos nummos Martiali restituendos, siquidem nihil damni passa sit ex iis, quæ inter ipsam & eum gesta fuere?

RESPONS.

Arbitramur, Henricam nulla omnino constringi Lege restitutionis, quin immo licet prorsus posse ab ipso, quos Martialis ei præbuit, 2000. nummos retineri; quanquam verum sit, si nondum eos percepisset, nihil ipsi juris affuturum eorumdem urgendæ solutionis, nisi primum dicto ea de re contra eum judicio: quippe quæ nihil quidquam damni, neque in propria sua fama, neque in bonis suis, ex crimine Martialis experta fuerit; ut supponitur, & virginis nomen semper retinuerit eo usque, cum in matrimonium collocata est. Quod quidem confirmari potest comparatione illius, cui necessitas induceretur, suppeditandi alicui viro vitæ necessaria, quamdiu summa rerum inopia afficeretur; quique easdem per aliquod tempus ei præbere neglexisset; quemadmodum enim ab ejusmodi necessitate solveretur, si vir prædictus nullis jam miseriis obrueretur, propterea quod istud debitum utpote personale ac subsidiarium cessavisset; & tamen, si in antecessum fuisset ei concessum, vir iste, licet locupletior factus, nulla teneretur obligatione restitutionis: sic eadem ratione, licet non obligaretur Martialis, ad dotem Henricæ constituendam etiam ex stricto jure, nisi in quantum ipsa nequivisset eandem sortiri nuptiarum conditionem, quam antea potuisset sibi merito proponere, & ista obligatio tunc desiisset ubi primum incongruens sibi matrimonium inivisset; attamen quoniam matrimonium ipsius præcessit solutio 2000. nummorum; ipsa nulla ratione tenetur nequidem petita ex debito conscientiæ, eosdem perceptos Martiali restituere. Sic sentiunt (*b*) Rodriguez & Petrus Navarra.

(*b*) Petr. Nav. l. 2. de rest. 4. p. c. 3. dubit. 4.

Neque est, unde objiciatur, iniquam prorsus esse duorum millium nummorum solutionem extortam ex metu Martiali incusso, ne ab Henrica rei capitalis reus ageretur. Quilibet enim metus quantumcumque gravis numquam rescindit neque donationem, neque promissum, neque quemcumque alium contractum licitum, quando ex rationabili causa incutitur; quemadmodum probat quidam magni nominis Auctore Societate Jesu (*c*) tum Legibus Romanis (*d*), tum unanimi Theologorum & Canonistarum consensu (*e*): *Convenit inter omnes*, ait laudatus Auctor, *si metus iste ex causa rationabili Titio incutitur ob culpam ejus, aut pœnam delicti, quod fecit; & Titius metu donat, vel promittit, vel se obligat; tenet obligatio, &c.* Atqui succurrebat Henricæ causa rationabilis, quamobrem Martiali metum istum injiceret; quippe quæ jure omnino posset in eum capitis accusare.

(*c*) Joan. Azorius Instit. Moral. p. 3. l. 4. c. 23.
(*d*) L. Continet 3. & leg. si Mulier. 21. §. Sed vim ff. quo metus causa gestum erit. l. 4. t. 2.
(*e*) Dom. Sot. in 4. d. 29. q. 1. art. 3. Jacob. Almain. in 4. d. 15. q. 2. Sylvest. de Prierio v. Metus q. 6. & 12.

Jure igitur potest in proprium suum usum convertere 2000. nummos, quos ipsi Martialis eo fine largitus est, ut semetipsum expediret ab ejusdem actione, quam postmodum potuisset sibi prorsus funestam experiri.

Quæ decisio congruit etiam sententiæ Reginaldi (*f*), qui ejusdem causam istam subjicit: *Quia nec injuria, a damno præcisa, nec periculum damni, hoc non secuto, reipsa inducit obligationem ad restitutionem; etiamsi illud, anteaquam transiret, potuerit deduci in pactum, sicut deduci solet periculum lucri cessantis aut damni emergentis, ut pro illo subeundo accipiatur pretium solvendum, sive damnum fuerit reipsa secutum, sive non.*

(*f*) Reginald. pr. for. Pœn. l. 10. c. 42. sect. 3. n. 350.

Addit equidem Auctor citatus, juxta opinionem cujusdam celebrioris notæ Hispani de Ordine S. Dominici, qui appellatur a Navarro (*g*), ejusmodi corruptorem, qui alicui virgini pudicitiam expugnavit, teneri ex æquitate ad aliquam compensationem ex judicio viri prudentis, *pro claustro virginitatis rupto, hoc enim perinde, ac cetera corporalia damna, æstimabile est pecunia, ideoque perinde compensandum est*. Tamen Navarrus (*h*) istam sententiam rejicit quantum ad præsentem nostram speciem; neque locum habere posse ait, nisi in casu, quo, cum vir aliquis ejusmodi virginem sibi duxit uxorem, postmodum cognovit eam defloratam fuisse; atque, ea de re, ægre admodum ferens, sese cum ea esse in matrimonio conjunctum, eandem aut derelictam habet, aut modis indignis accipit. *Quamvis judicio nostro, illa determinatio, seu resolutio* (Francisci a Victoria) *limitari debet, ut procedat, locumve habeat, quando maritus ejusmodi defectum* (*virginitatis*) *non deprehendit; imo existimat, se illam invenisse virginem*. Ex quibus sequitur, ut jam observavimus, non futurum fuisse, ut Martiali necessitas incumberet 2000. nummorum Henricæ numerandorum, nisi eosdem ei in antecessum rependisset; licet eos perceptos non teneatur præfata virgo eidem restituere propter rationem superius allegatam.

(*g*) Franc. de Victor. apud Nav. Man. c. 16. n. 19.
(*h*) Nav. loco cit.

CASUS XXXIII.

Anatolius, opera sua diei unius locata Leonidi, ad transportandas in locum quemquam remotum res admodum fragiles, ut specula, crystalla, & porcellanas raras ac singulares, & summa sua tenuitate pretiosissimas, quasdam ex eis suffregit; sive quia eam diligentiam ac provisionem non adhibuit, quibus quis alius eo solertior usus fuisset, sive ex fortuito lapidis alicujus lapsu, qui de quadam domo decidens eum per vicum transeuntem attigit: Numquid tenetur damnum inde Leonidi emergens eidem præstare?

RESPONS.

In contractu locationis obligatio semper inducitur (*i*), resarciendi damni provenientis non tantum ex gravi notabilique culpa, *lata culpa*, sed etiam ex ea, quæ in Jure dicitur *levis culpa*: quin etiam quibusdam in casibus, ut in casu, in quo Anatolius ponitur, culpa levissima præstari debet; verum nulla importatur obligatio reparandi damni, quod ex casu mere fortuito illatum est, qualis est lapsus inopinatus alicujus lapidis. Quam ob causam, si nullo signo apparenti ibidem indicaretur transeuntibus, in ea domo, juxta quam iter habebat, adesse Cœmentarios aut scandularios, & lapis ab ædificio ex se ipso disjunctus fuerit, aut ex perversa alicujus voluntate, seu quavis alia ratione derivatus, adeo ut ejusdem lapsum Anatolius non potuerit nec declinare, nec prospicere: ei nullatenus incumbit in isto altero casu quidquam Leonidi præstare: at vero, si prædicta specula, crystalla, seu porcellanæ ex ipsius culpa etiam levissima perfracta sint; obligatur ad compensationem damni, quod Leonidi inde accessit.

(*i*) L. Contractus 23. ff. de diversis reg. jur. antiqui.

Quæ nostra decisio apte quadrat ad Leges Civiles, quas loco tutissimorum principiorum in subjecta materia habemus. *Qui columnam transportandam conduxit*, ait una quædam ex laudatis Legibus (k), *si ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta fit, ita id periculum præstat, si qua ipsius, eorum-* que,

(k) L. si Merces 27. §. 7. ff. locat. conducti l. 19. tit. 2.

Digitized by Google

que, quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset.

CASUS XXXIV.

Alexis, cum Juvenali suo intimo commodavisset equum suum, ad proficiscendum Parisiis Auteliam; & Juvenalis fama accepisset, rem periculosissimam & aleis plenam esse, per silvam noctu transire; quod ibidem frequentia plurima grassatorum insidiantium excubaret; nihilominus eandem, collucente Luna, sub vesperum permeavit, quoniam sese sentiebat uti optimo equo, aliunde vero gladio uno, duobus sclopetis brevioribus, & uno brevioris tubi sclopeto instructus erat. Sed irruentes in eum tres grassatores, equum ei eripuerunt, post mortiferum vulnus eidem inflictum. Numquid istum casum mere fortuitum debet præstare; & integram equi jacturam sustinere, ejusdem pretium Alexi refundendo?

RESPONS.

Juvenalis tenetur, Alexi jacturam equi præstare. Ratio est, quia, cum præstatio, quæ dicitur *commodatum*, in gratiam cedit solius Commodatarii, quemadmodum in casu proposito, & fere semper contingit, tenetur præstare casus fortuitos, qui proveniunt ex ipsis culpa etiam levissima: vide casum 36. quanquam eidem imputandi non sint, quando sine ulla ejus culpa de improviso accedunt; nisi ad eos præstandos expressa stipulatione sese obligavisset; aut rem sibi commodatam pacto tempore non reddidisset, Quam decisionem Lex verbis disertis habet (*a*): *Commodatum autem plerumque solam utilitatem continet ejus, cui commodatur. Et ideo verior est quinti Mucii sententia existimantis & culpam præstandam & diligentiam, &c.* Cui Legi consentit jus Canonicum, ut patet ex istis verbis cujusdam Gregorii IX. (*b*) *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari.*

(*a*) L. Si ut certo. 5. §. 2. ff. commodati, vel contra, lib. 13. tit. 6.

(*b*) Greg. IX. in c. Cum gratia. unico. de commodato, lib. 3. tit. 15.

Jamvero manifestum est, Juvenalem in proposito casu culpæ non esse expertem, siquidem, nihil retentus fama, quam acceperat, periculum imprudenter adivit fortuiti casus, quem expertus est; aliunde vero remotum omnino videatur a prudentia viri sapientis, quod solus aliquam silvam de nocte permeare aggrediatur. Est igitur concludendum, obligationem ei induci, ex conscientia, pretii istius equi Alexio refundendi.

CASUS XXXV.

Albinus, cum mandasset Conrado viro prudenti & fidei omnino exploratæ, ut commodatum ei a Damiano equum vellet eidem reducere: Conradus lacessitus est in ipso itineris cursu ac meridiano tempore a grassatoribus, qui ei dictum equum eripuerunt. Quærit Albinus, utrum sibi ex debito conscientiæ incumbat, pretium amissi equi Damiano rependere; quanquam ex nulla sua culpa furtum istud accesserit: aut an Damianus ipse debeat istius equi jacturam pati?

RESPONSA.

Est hæc regula legibus comprobata, quod, cum quis tenetur ex aliquo pacto seu contractu, puta conductionis, commodati, precarii, atque depositi, certam quamdam rem individuo reddere; quemadmodum eundem equum, quem Damianus mihi commodavit, aut conduxit; seu quem ipsemet inveni, non ignorans, eum esse ipsius Damiani; obligatio non inducatur in foro conscientiæ neque ejusdem pretii et refundendi, cujus erat, neque casum fortuitum præstandi, ex quo res ista perit; antequam ad suum proprietarium pervenerit; quando fuit actum, ut ipsa res redderetur, & nulla culpa accessit: quoniam juxta naturalem æquitatem, quicumque fortuitus casus alicui rei accedens, in rei Dominum debet recidere.

Quam quidem decisionem juvat probare duabus potissimum legibus, quarum prior istis verbis concipitur (*c*): *Ad eos, qui servandum aliquid conducunt, aut utendum accipiunt, damnum, injuria ab alio datum, non pertinere procul dubio est: qua enim cura aut diligentia consequi possumus, ne aliquis damnum nobis injuria det?* En qua ratione posterior enunciatur (*d*): *Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum; ut non debuerit quis æstimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus diriperetur: tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.* Quam opinionem tuemur (*e*) Cabassutius plurimum confirmat ex una citatarum legum, & Decretali Gregoriana, quam in præcedenti decisione retulimus, atque ejusdem opinionis causam istam reddit: *Quia quoties, omni debitoris culpa seclusa, res debita perit, Domino suo perit.*

(*c*) L. Ad eos 19. ff. commodati. vel contra.

(*d*) L. Argentum. 20. ibid.

(*e*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 6. c. 25. n. 5.

Concludendum igitur est, in specie proposita non obligari Albinum, ad pretium istius equi Damiano referendum; siquidem Conrado eundem reducenti, vi etiam in eum adhibita ereptus fuerit atque extortus. Verum non eadem foret ratione judicandum, si, in ea re, culpam aliquam Albinus admisisset; verbi gratia, si ab aliquo sibi ignoto nomine Damiani commonitus fuisset de remittendo ipsius equo, & ipse dictis ignoti leviorem fidem adhibens ac nimium credulus eidem equum credidisset. In eo namque casu, si ab eo ignoto equus furto sublatus esset; Albinus debitu conscientiæ teneretur, ad pretium ejusdem Damiano præstandum. Quod potest evinci ex dispositione cujusdam legis (*f*), quam Glossa interpretans sic habet; *Quid, si mentitus est, dicens sibi rem tradendam, cum causa commonendi missus est, Respondeo; non nocet commodanti... quia est ei imputandum, qui credulus fuit* (*g*).

(*f*) L. Si me i. 22. ff. eod tit. & ibi glossa.

(*g*) De Gen. theol. mor. to. 6. tract. 4. cap. 7. n. 22.

CASUS XXXVI.

Paternus, dum Juliano accommodasset duo candelabra argentea, iste eadem cum vasis suis argenteis in arca clave obserata recondidit, quæ erat in inferiori quodam œco ad partem suæ domus anteriorem. Latrones, contortis atque evulsis duobus aut tribus clathris, quibus fenestra muniebatur, in eum œcum de nocte irrepserunt, & quæcumque in dicta arca recondebantur, abstulerunt. Paternus exigit a Juliano, pretium sibi refundi suorum candelabrorum. Julianus ait, sese de isto casu non teneri, & quidem eo majori fundamento, quod servandis ipsius parem diligentiam adhibuerit, quam propriæ rei suæ conservandæ; siquidem ista simul cum suis vasis argenteis recondidisset; & Latrones, omni nervorum nisu contortis de nocte ferreis clathris, quibus muniebatur locus, in quo argentum istud servabatur, illud omne dilapidaverint; eaque de causa in semetipsum non debere ejusmodi casum recidere, qui raro admodum ac difficile omnino contingit. Qua de re quærit, utrum in foro conscientiæ sibi obligatio incumbat istorum candelabrorum pretii Paterno restituendi?

RESPONS.

Ut sua sit tum propositæ difficultati, tum plurimis aliis ejusdem naturæ, responsio; distinguendæ sunt tres culparum species, quas quis potest admittere.

Prima appellatur a Jurisconsultis *lata culpa*, id est culpa ejusmodi, ut ei nulla possit excusatio vindicari, & cujus *latæ culpæ finis est*, ut fert ipsa Lex (*h*), *non intelligere id, quod omnes intelligunt.* Quando nimirum ad illud non attenditur, ad quod omnes vulgo solent attendere. Exempli causa, cum ignoto cuidam creditur res omnino pretiosissima, absque ulla gravi necessitate: quando mutua pecunia datur alicui, qui cognoscitur vir improbæ fidei, aut ære alieno obrutus, nec ejusmodi, qui solvere possit: quando quis in famulatu recipitur, aut in propriam domum admittitur, quem scitur, assuetum esse furari; aut tandem cum quis januam suæ domus noctu clausam habere negligit, aut in quibusdam ædibus commorans, in quibus inquilini plurimi aut nominis ignoti aut etiam suspecti habitant, cum petit urbem & foras egreditur partis domus, quam occupat, patentem januam relinquit.

(*h*) Leg. Latæ culpæ. 223. ff. de verborum significatione. li. 50. tit. 16.

Secun-

Digitized by Google

Secunda culpa ea est, quæ in Jure dicitur *levis culpa*, & ejusmodi est, cum quæ fieri solent ab iis, qui idem vitæ institutum tenent, ejusdemque sunt conditionis ac status, & intelligentes habentur, non fiunt; aut ea negliguntur, quæ ab iisdem nusquam contingit negligi. Verbi gr. cum aliquis Domesticus in famulatu recipitur; cujus si dei cognoscendæ atque exploratæ habendæ non multum quæstionis nec diligentiæ adhibitum est: Cum res peragi difficilis tentatur: quando iter faciendo transitur per silvam, ut iter brevius conficiatur; quamquam ex dissipato rumore auditum sit, ibidem sæpe numero grassari latrones: quando per messes aut vindemias aliquis indormit captandis quibusdam diebus opportunis, & deinde damnum patitur.

Tertia tandem est illa, quæ designatur *levissima culpa*, & admittitur, quando omnimoda cura atque diligentia non affertur, quam quis intelligentissimus ac diligentissimus afferret. Puta, cum non prævidentur quæcumque versutiæ ac machinationes, quas adhibere possent viri perversi, ut aut malis dolis noceant, aut latrocinentur.

Quibus præmissis, ultro sese offert responsio tum propositæ difficultati, tum cæteris omnibus, quæ, ea de re, eodem modo objici possent. Enimvero patet evidenter, Julianum non esse omnis omnino culpæ expertem, nec ea saltem culpa carere, quæ appellatur levissima; quippe vir intelligentissimus ac diligentissimus nunquam sinat, res tanti momenti ac pretii, quanti vasa argentea æstimantur, remanere in inferiori œco suarum ædium, qui quidem domum ingredientibus quibuscumque primum excipiendis vulgo destinatur, quique ex sua cum vico vicinitate facilius patet incursibus Latronum; sed easdem reponit atque conservat in loco tutiori, qui minus eorumdem propositis faveat, & tentaminibus accommodetur. Jamvero in contractu præstationis quæ dicitur *commodatum*, ille, in cujus solius gratiam & commodum contractus iste accessit, tenetur de præstando damno, quod ex ipsius culpa etiam levissima subortum est: ut declarat Imperatori Justinianus (*a*), qui vult, eam Commodatario induci obligationem, ut si res ipsi commodata ex ipsius culpa perierit, ab ipso sit restituenda. *Is qui utendum accepit*, inquit Laudatus Imperator, *sane quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare jubetur, nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantum suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterat eam rem custodire*. Quæ quidem plane consentanea sunt Decretali Gregorii IX. quam retulimus in responsione ad trigesimam quartam difficultatem (*b*). Ex iis licet inferre, siquidem Paternus nullum lucrum percepit de duobus suis candelabris Juliano commodatis, & istud commodatum e contrario totum factum fuerit in gratiam solius Juliani, certum esse, eorumdem damnum in Paternum non debere, sed ad Julianum tantummodo pertinere, cui proinde eorum pretii Paterno refundendi obligatio incumbit.

(*a*) Instit. l. 3. tit. 16. quibus modis re contrahitur obligatio. §. Item his.

(*b*) Greg. IX. in c. Cum gratia. un. de commodato.

CASUS XXXVII.

Germanus, audito nuntio, quod Landrici cui pannorum Propola sibi familiaris amicus jamjam proficisceretur ad exiguum iter decem circiter leucarum, commodandum ei equum obtulit, quem otiosum a tribus mensibus & ultra in equili retinebat; eumque rogavit, ut eumdem conscendere vellet, ad suum iter faciendum; quoniam timebat, ne morbus aliquis ex diuturna adeo laboris & exercitationis remissione ei tandem incideret. Conditionem a Germano sibi factam Landricus eo lubentiori animo acceptavit, quod ea ratione propriæ suæ pecuniæ parceret, quam in equo conductitio sibi adhibendo alioquin posuisset. Contigit autem in ipso itineris cursu equum vivulis laborare; 1 & Germanum, quem ejusmodi morbi species penitus latebat, neglexisse medicum quemdam equarium de eodem consulere, quem quidem equarium medicum obviam habuerat ipse leucæ quadrantis itinere distans ab urbe, quam petebat, aliunde ratus futurum, ut illuc opportuno tempore facile prorsus accederet, & ibidem Equarium medicum reperiret intelligentiorem ejusmodi rerum quam vulgus Equariorum Medicorum, qui pagos habitant, esse consuevit. Sed, eo nondum urbem ingresso, Equus occubuit. Qua de re, quæstio habetur, utrum Landricus ex conscientia teneatur ad pretium istius equi Germano refundendum?

1 Vivulæ certum morbum constituunt in quo glandulæ sub jugulo Equorum positæ, eo usque inflammantur atque tumeat, ut respirationem iisdem intercludant.

RESPONS.

Non existimamus, in proposita specie Landricum teneri, ad jacturam Equi resarciendam. Ratio est, quia culpa, quam admisit, earum sortitur conditionem ac naturam, quæ in jure levissimæ appellantur; quippe vir exercens artem, quæ ipsius propria est, non obligetur, ad habendam notitiam ejusmodi morborum extraordinariorum, quibus Equi aliquando corripiuntur; neque sciendum, inter eosdem & mortem tantam viciniam intercedere. Aliunde vero exiguum illud itineris intervallum, quo distabat ab urbe, & spes, quæ ei affulgebat adeundi atque consulendi medicum equarium, qui vir foret industriæ expertioris, constituunt duas circumstantias, quæ plurimam ei afferunt excusationem, atque adeo culpam ipsius efficiunt omnino levissimam. Præterea quando commodatum vertit in gratiam commodantis simul & in utilitatem commodatarii; commodatarius, in quem cadit culpa tantummodo levissima, non tenetur de damno, quod rei commodatæ infertur; ut Lex loquitur (*c*); quanquam obligaretur, ad illud idem reparandum, si ejus culpa aut notabilis, aut duntaxat levis eo sensu, quem explicavimus in superiori difficultate dissolvenda, ex judicio viri prudentis censeretur (*d*).

(*c*) L. In rebus 18. ff. commodati vel contra.

(*d*) De Gen. theol. moral. tom. 6. tract. 8. c. 5. quæstione 35.

CASUS XXXVIII.

Aurelius pallium sub titulo precarii commodavit Bernardo, cui ex imprudentia sua die ab illinc secunda furto surreptum fuit. Aurelius ejusdem pretium repetit a Bernardo. Istine ex conscientia obligatio inducitur ei pretium istud refundendi?

RESPONS.

Jam observavimus in trigesima sexta decisione, tres culparum species esse cum Jurisconsultis atque Canonistis distinguendas. Primam quidem, quæ dicitur ingens notabilis & *lata culpa*, quæ legitimam nullam admittit excusationem. Secundam vero, quæ minor est & appellatur *levis culpa*. Tertiam denique, quæ præcedente multo etiam levior est, & nominatur *levissima culpa*.

Quo posito respondemus cum celeberrimo Archiepiscopo Panormitano (*e*), eum, qui sub titulo præcarii rem aliquam accepit, non teneri de illius damno præstando, nisi damnum istud ex ipsius dolo aut lata culpa provenerit. Unde sequitur, si pallium, quod Bernardo surreptum est, non fuerit amissum nisi ex ipsius levi culpa in eo sensu, quem leges intelligunt, non obligatur in foro conscientiæ ad pretium ejusdem refundendum Aurelio. Licet enimvero ejusmodi contractus in gratiam solius commodantis accedat, non tenetur tamen præstare nec culpam levissimam, nec culpam, quam ajunt levem; quemadmodum teneretur in simili casu quantum ad commodatum, seu præstationem ad usum. Rationem vero istius rei Panormitanus eam assignat, quod nempe precarium possit rescindi atque revocari toties, quoties libuerit ei, qui rem dedit; sive eadem indigeat, sive non indigeat. *Trecarium utendum conceditur, quamdiu patitur, qui concessit*, inquit laudatus insignioris notæ Canonista, atque adeo sibi debeat culpam aut negligentiam illius, qui rem accepit, imputare.

Quæ decisio omnino concordat cum Lege in qua fertur (*f*): *Dolum solum præstat is, qui precario rogavit; cum totum hoc ex liberalitate descendat ejus, qui precario concessit; & satis sit, si dolus tantum præstetur. Culpam tamen* (latam) *dolo proximam contineri quis merito dixerit* (*g*).

(*e*) Panorm. in c. Precarium. 3. de precario. Decretal. lib. 3. tit. 14.

(*f*) L. Quæ situm 8. §. ff. de precar. lib. 43. tit. 26.

(*g*) Colloq. Condomens. tom. 1. colloq. 10. sect. 3.

C A-

CASUS XXXIX.

Meletius, cum petivisset a Leonardo, sibi, quamdiu ei liberet, aliquarum supellectilium, quibus sibi opus erat, usum gratuito permitti, & eidem in manus Leonardus tradidisset, easdem iste post unum mensem repetiit: & Meletius dixit quasdam causas, quominus easdem illi restitueret, quas Leonardus non habuit probatas. Post quatuor dies fures nocturni illas supellectiles surripuerunt, aut incendium fulgure excitatum easdem consumpsit. Leonardus nunc exigit, sibi earumdem pretium a Meletio refundi. Meletius causatur casum mere fortuitum, quo perierunt, quodque non debet præstare; si quidem ex sua culpa casus iste non contigerit. Utri perierunt?

Respons.

Prædicta species commodati proprie dictum precarii contractum constituit. *Precarium* (vero) ait Lex (*a*), *est, quod precibus petenti utendum conceditur, tamdiu quamdiu is, qui concessit, patitur*. Porro qui rem aliquam sub titulo precarii recepit, non tenetur præstare nisi dolum, aut culpam notabilem, quæ appellatur *lata culpa*, & dolo proxima censetur, ex ipsiusmet juris dispositione (*b*): *Lata culpa plane dolo comparabitur*. At quoniam, qui rei concessæ Dominus est (*c*), *& qui precario concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere*: neque ab eo, qui eandem recepit, potest prædicta res, eo invito retineri: sequitur, si res quacumque ratione perierit, eum, qui moram fecit ejusdem Proprietario restituendæ, quo tempore repetebat, obligari, ad jacturam illius præstandam, atque sic determinatur Lege, quam in discutienda præcedenti difficultate citavimus, in qua fertur (*d*): *Generaliter erit dicendum, in restitutionem venire dolum & culpam latam duntaxat. cætera non venire. Plane post interdictum editum oportebit & dolum & culpam & omnem causam venire: nam ubi moram quis fecit precario, omnem causam debebit constituere*. Ex quibus manifestum est, siquidem Meletius in proposita specie abnuerit, aut moram fecerit sine justa causa reddendarum Leonardo petenti prædictarum supellectilium, eum teneri de casibus quibuscumque quantumcumque fortuiti esse potuerint, & consequenter de pretio integro earumdem supellectilium restituendo.

(*a*) L. Precarium ff. de precario.

(*b*) L. Alver. sua ff. si mensu falsum modum dixerit lib. 11. 1. 6.

(*c*) Cit. Leg. Precarium. 2. parag. 2.

(*d*) L. Quæsitum. §. 2. cit.

CASUS XL.

Sejus, acceptata procuratione sibi facta ab Alberto, rerum ipsius sine ulla spe mercedis gerendarum, iisdem bona fide diligentiam atque curam semper adhibuit: sed cum aliqua tamen negligentia, quæ in causa fuit, quamobrem in persecutione cujusdam litis Alberto ducentarum librarum inferrentur impendia, quæ in rationem litis accessionum cedere non consueverint. Numquid Sejus obligatur, ad sostinendum illud damnum, & ducentas libras Alberto restituendas: quanquam ei pro labore & industria ipsius nulla merces repensa fuerit?

Respons.

Est hoc indubitati prorsus ac certissimi juris, ut Procurator seu Mandatarius aliquis, qui demandatam negotiorum mandantis gerendorum Provinciam ultro, nullaque sibi constituta mercede suscepit, teneatur ex debito conscientiæ, iisdem eadem tum diligentia tum cura invigilare, quam propriis suis rebus agendis vir sapiens ac diligens solet afferre sub pœna præstandi damni, quod potest ex ipsius negligentia inferri ei, qui mandatum dedit: quamvis non teneatur ad resarciendum illud, quod ex casu mere fortuito contigit. Quod expressis verbis sic declaratur Lege, quæ ait (*e*): *A Procuratore dolum & omnem culpam, non etiam improvisum casum præstandum esse juris authoritate manifeste declaratur*. Sejo igitur obligatio inducitur, damni, quod Alberto attulit ex sua negligentia, compensandi, eidem restituendo ducentas libras, quarum jacturam ei importavit ex impendiis inconsulte factis, quorum calculi non ducuntur in ratione expensarum inerenda; quanquam non nisi gratuito susceperit mandatum negotiorum ipsius gerendorum.

(*e*) Leg. A Procuratore 13. Cod. mandati vel contra L. 4. tit. 35.

Cujus rei ratio reddi potest, quod, licet uniuscujusque arbitrio permittatur, aut mandatum acceptare, aut illud idem abnuere; cum tamen acceptatum fuit, aut implendum sit aut idem opportuno tempore, quod congruat ipsius mandantis commodo, renuntiandum. *Mandatum non suscipere cuique liberum est, aut quam primum renuntiandum*, inquit Imperator Justinianus (*f*), *Nam nisi ita renuntietur, ut integra causa Mandatori reservetur eandem rem explicandi; nihilominus mandati actio locum habet: nisi justa causa intercesserit, aut non renuntiandi, aut intempestive renuntiandi*. Unde additur ab Imperatore jam jam laudato.

(*f*) Institut. l. 3. tit 27. de mandato. §. in quib. 8.

CASUS XLI.

Lucius mandat Titio propriarum suarum curam, & ut excolendam curet hæreditatem quamdam Mævii ipsius amici, qui commercii sui causa longam inivit navigationem. Mandatum Titius gratuito suscipit: Sed illud idem postea plurimum negligit; indeque Mævio damnum affert 1000. librarum. Num Titius peccavit ex sua negligentia; & ipsi ne incombit, prædictas 1000. libras etiam ipsi Mævio, quocum nulla ratione pactus est restituere?

Respons.

Quæ circumstantia peculiaris occurrit in proposita specie, non obstat, quominus eadem, qua præcedens, ratione dissolvenda sit. Respondemus igitur, Titium procul dubio peccavisse ex sua negligentia, non exequendo quod implere promiserat; atque adeo ab ipso, quod damnum ex neglecto mandato Mævio intulit, esse resarciendum. Quanquam enim vero nihil quidquam inter eum & Mævium stipulationis intercesserit, nec cum eo ulla ratione pactus sit; mediante tamen Lucio proprie dictam cum eo contraxit obligationem; ut apertum fit ex istis verbis Legis (*g*): *Mandatum inter nos contrahitur, si mea tantum gratia tibi mandem, sive aliena tantum .... aliena tantum, veluti, si tibi mandem, ut Titii negotia geras*: Atque adeo tenebatur, ad eandem diligentiam rebus Mævii afferendam, quam adhibuisset, si Mævius ipsemet istam ei fecisset Provinciam: quoniam alioquin Lucius eandem alteri demandavisset, qui eidem perficiendæ operam dedisset. Quod quidem probat quidam nominis commendatissimi recentior Jurisconsultus (*h*), ex ista Lege Digesti (*c*): *In damnis, quæ Lege Aquilia non tenentur, in factum datur actio*: & ex sequentibus verbis Imperatoris Justiniani (*K*): *Sed si non corpore damnum fuerat datum neque corpus læsum fuerit; sed alio modo alicui damnum contigerit, cum non sufficiat neque directa, neque utilis Legis Aquiliæ actio; placuit, eum qui obnoxius fuerit, in factum actione teneri*.

(*g*) L. Mandatum. 2. ff. mandati.

(*h*) D. Domat.

(*i*) Leg. si servum. 51. in fin. ff ad Leg. Aquiliam l. 2. tit. 2

(*k*) Institut. lib. 4 tit 3. de L. Aquilia §. ult. Item lib. 19. ff. de præscr. verbis

Est tamen observandum, quæ hucusque diximus, non intelligenda esse nisi de procurationibus aut mandatis, quibus aliqua Provincia verbis distinctis, & cum mente obligationis ex pacto inducendæ demandatur; non autem de eo, quod commendatur alicui per modum consilii vel simplicis rogatus, aut quamlibet aliam rationem, quæ non contineat mentem conventionis proprie dictæ ullatenus contrahendæ: & liberum omnino relinquat ei, cui aliquid commendatum fuit, illud idem perficere, aut dimittere: In eo namque casu, cui res aliqua simpliciter commendatur, ille mentem non habet, ejusdem quoquo modo præstandi eventus, inducendi sibi obligationem; neque qui rem commendat, ullatenus intendit ejusmodi ei afferre necessitatem, modo nullus ex ipsius parte dolus accedat (*l*). Quæ quidem observatio propria est Legis, quæ sic habet (*m*): *Cujus generis mandatum magis consilium est, quam mandatum: & ob id non est obligatorium: quia nemo ex consilio (accepto) obligatur: etiamsi non expediat ei, cui dabatur, quia liberum est cuique apud se explorare an expediat sibi consilium*. Eadem observatio ex alia etiam Lege desumitur, cujus en verba sunt (*n*): *Cum quidam talem Epistolam scripsisset amico suo: roga te*

(*l*) Cæterum si dolus, & callid tas intercessit, de do o actio competit. Leg. Consill. 47. ff de diversis regul. Juris antiq.

(*m*) L. Mandatum supra cit §. fin.

(*n*) L. Si vero. §. 10. ff. mandati vel contra.

commendatum habeas Sextilium Crescentem, amicum meum, non obligabitur manda i: quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est.

CASUS XLII.

BARTHOLIUS cum rogavisset Gildardum, ut tempore, quam fieri posset magis opportuno, pratum ipsius cædendum curaret. Gildardus procurationem sibi factam acceptavit: sed nedum primos sese offerentes bonos atque tempestivos dies, instar vicinorum suorum arripuerit, quin imo moram attulit octo decemve dierum; adeo ut, imbrium deinde copia affluente, plurimum inde detrimenti fœnis allatum sit. Qua de re quæstio instituitur, num coram Deo Gildardum aliquatenus urgent obligatio restitutionis alicujus Bartholio præstandæ, quanquam eam Provinciam non nisi ex ipsius simplici rogatu susceperit, nec nisi ex ista potissimum causa, ne ei videretur inofficiosus?

RESPONS.

Si gerendum istud negotium, quod a Bartholio propositum fuit, Gildardus gratuito susceperit, illud idem est, quod in Jure proprie appellatur *Mandatum*: Si vero Bartholius cum Gildardo pactus sit futurum, ut ei constitutam ipsius labori seu curæ mercedem quamdam afferret, & Gildardus eam acceptaverit; Illuc est contractus, qui dicitur *locatio operarum*; quam distinctionem Lex habet, in qua fertur (*a*); *Mandatum nisi gratuitum nullum est: nam originem ex officio neque amicitia trahit: Contrarium ergo est officio merces; interveniente enim pecunia, ad locationem & conditionem potius respicit*. Quo posito,

(*a*) L. Obligatio §. 4. ff. mandati vel contra l. 17. tit. 1.

Respondemus, æquitatis naturalis esse, cum agitur de mandato proprie dicto; hoc est, quando gratuitum est neque nisi solam mandatoris utilitatem intendit, Mandatarium, id est, eum, qui mandatum acceptavit, non teneri in eo casu nisi ad præstandas culpas, quæ appellantur notabiles & leves; non autem eas, quæ dicuntur levissimæ: Si tamen mandatum gratuitum non esset, aut etiam ipsiusmet Mandatarii spectaret utilitatem, obligaretur ad præstandas culpas etiam levissimas. Jamvero non potest vindicari Gildardus a culpa notabili, aut saltem culpa levi; ei ergo incumbit, quod intulit Bartholio ex sua negligentia, damnum resarcire: siquidem istius admodum interesset, occasionem opportunioris temporis datam non negligi; quippe ob oculos poneretur exemplum ipsorummet indigenarum, ad quod suam agendi rationem debebat Gildardus componere, ut negotium sibi mandatum sine periculo reprehensionis exequeretur.

Quæ decisio plane consentit dispositioni legum Civilium, atque earum imprimis, quas ad marginem indicatas videre est (*b*); & propria est etiam Domini de Genet (*c*).

(*b*) L. A Procuratore 23. & Leg. in re mandata. 21. cod. mandati vel contra l. 4. tit. 35.

(*c*) De Gen. tom. 6. tract. 8. c. 5. quæst. 45.

CASUS XLIII.

DRACONTIUS, postquam procurationem sibi factam à Clodio quorumdam ipsius negotiorum gratuito gerendorum, suscepit, eorumdem agendorum satietate defatigatus, curam deinde penitus abjecit: adeo ut Clodius, quem de sua voluntate immutata certiorem nullo modo fecerat, inde passus sit damnum 800. & amplius librarum, cujus rationem contendit, esse a Dracontio præstandam; propterea quod, si ei significasset, a se rerum ipsius curam omnino dimitti; iisdem gerendis accurandis cavisset, neque passus esset ejusmodi damnum. Numquid obligatur Dracontius, ad prædictum damnum reparandum etiam in foro conscientiæ?

RESPONS.

Non apparet, unde Dracontius obligationi damni, quod intulit Clodio, resarciendi, sese subducat. Quanquam enim qui Procurator constitutus est, contractam obligationem possit, cum ei causa legitima accedit (*d*): quinimmo nulla etiam accedente causa deponere; oportet nihilominus. 1. rem eo statu relinqui, quod ipse Mandator, vel per semetipsum, vel per alium, possit eandem agendam curare. *Sicut autem liberum est mandatum non suscipere*, ait Lex (*e*), *ita susceptum consumari oportet, nisi renuntiatum sit. Renuntiari autem ita potest; ut integrum jus Mandatori reservetur, vel per se, vel per alium eandem rem commode explicandi: aut si non: redundet in eum captio, qui mandatum suscepit*. 2. Ei incumbit, si fieri possit, suum Mandatorem, de voluntate sua mutata, facere certiorem. *Si vero intelligit, explere se id officium non posse*, inquit alia Lex (*f*), *id ipsum, dum primum poterit, debet mandatori nuntiare, ut is, si velit alterius opera utatur*. Alioquin præstare debet quæcumque ei detrimenta & detrimentorum accessiones advenerint: quoniam ipse curam abjiciens rerum, quas gerendas ex pacto susceperat: nec ei quidquam ea de re nuntians, censetur agere ex dolo & mala fide. *Quod si, cum possit nuntiare, cessaverit; quanti mandatoris intersit tenebitur, addit Lex citata*.

(*d*) Si .... valetudine, vel majore re sua distringatur. L. vel judicio. 20. ff. de procuratoribus & defensor. l. 3. tit. 3. tit. l.

(*e*) Leg. Si mandavero. 22. §. fin. ff. mandati, vel contra.

(*f*) L. Si quis 27. parag. 2. ff. cod. tit.

Diximus; *si fieri possit*, quoniam, si ex aliquo impedimento non posset ei voluntatem suam immutatam nuntiare: nihil præstare deberet, & detrimentum, quod inde sequeretur, censeretur accedere ex casu mere fortuito, qui ad solum Mandatorem pertineret. *Si aliqua ex causa non poterit nuntiare, securus erit*. Ut iterum fert Lex, quam modo citavimus.

CASUS XLIV.

GRATIANUM virum juniorem nobili genere natum, cum diem supremum Parisiis obiisset, Alphonsus ipsius fratris intimus amicus, humandum atque afficiendum sepultura curavit, & proprio suo ære 300. libras pro funerariis impensis persolvit. Verum hæres defuncti, cui visæ sunt istæ impensæ omnino enormes, & a communi funerariarum impensarum modo prorsus abhorrentes, easdem noluit Alphonso refundere, ac 150. libras duntaxat obtulit; Potestne recta conscientia, prædictarum 300. librarum denegare præstationem?

RESPONS.

Hæres Gratiani tenetur ex conscientia, ad integram 300. librarum summam Alphonso præstandam, si manifestum sit ex circumstantiis tum dignitatis & facultatum defuncti, tum ex usu communi Parisino & aliis ejusmodi; prædictos sumptus ab Alphonso non fuisse adhibitos, nisi prudenter & cum bona fide. Si vero contrarium subodorandi locus aliquis sese dederit; jure prorsus succurreretur hæredi præfato, ut de iisdem posset obtinere, aliquid detrahi atque deduci, ratione habita prædictarum circumstantiarum; neque teneretur in foro conscientiæ, ad restituendum Alphonso, quod impensum fuisset inconsiderate, ac præter debitos memoratarum circumstantiarum limites.

Quod usque adeo quadrat ad naturalem æquitate, ut Legibus Romanis ita determinatum fuerit quantum ad profanos ritus, qui, nondum Religione Christiana florente, in exequiis Romæ frequentabantur. *Hæc actio, quæ funeraria dicitur, ex bono & æquo oritur*, inquit una quædam ex citatis legibus (*g*), *continet autem funeris causa tantum impensam, non etiam cæterorum sumptuum. Æquum autem accipitur ex dignitate ejus, qui funeratus est, ex causa, ex tempore, & ex bona fide: ut neque plus imputetur sumptus nomine, quam factum est; neque tantum quantum factum est, si immodice factum est. Deberet enim haberi ratio facultatum ejus, in quem factum est, & ipsius rei, quæ ultra modum sine causa consumitur*. En qua ratione alia Lex ea de re loquitur (*h*): *Sumptus funeris arbitrantur pro facultatibus, vel dignitate defuncti*.

(*g*) L. Et si quis. 14. §. 6. ff. de religiosis & sumptibus funerum &c. lib. 11. tit. 7.

(*h*) Leg. Si quis. 12. parag. ff. cod. tit.

Enimvero foret prorsus iniquum, si vir nobilis prædictus non nisi re admodum paupercula gauderet, quod Alphonsus tenuitatis istius aliunde non ignarus, funeris ejus causa, sumptus adeo enormes fecit; sibique deberet imputare suam in ea re inconsiderantiam, & sustinere jacturam

illius,

illius, quod modum debitum, ex judicio viri prudentis & æqui rerum æstimatoris, prætergredi videretur; propterea quod sibimet ipsi privata auctoritate conferendos sumtus ab usu communi sic abhorrentes arrogavisset, juxta regulam istam Bonifacii VIII. (*a*). *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.*

(*a*) Reg. 25. de reg. juris in 6.

CASUS XLV.

Eustochius, cum profectus esset in Germaniam in comitatu cujusdam Principis, cujus familiæ Minister addicitur, & ipsius ædes sic essent ruinosæ, ut certissimam simul ac proximam ruinam portenderent, neque quisquam cogitaret iisdem fulturam aliquam adhibere: Sempronius eidem familiaris amicus eas fulciri undequaque curavit: ut ipse redux easdem, qua ratione congrueret, posset sarcire. At post octo dies ex irruente ventorum impetu & procellosa admodum tempestate prædictæ ædes penitus subversæ sunt: indeque factum est, impensas in earumdem fulturam a Sempronio collatas omni omnino carere utilitate. Ab Eustochio reduce Sempronius petivit, sibi refundi summam 120. librarum quam fulciendarum ipsius ædium causa de suo numeraverat: quam pecuniam Eustochius plane denegavit. 1. Quoniam istas impensas e cerebro suo nulloque mandante adhibuerat. 2. Propterea quod in ipsius utilitatem nulla ratione cessissent.

Qua de re, quæritur, utrum in ea detrectatione Eustochio jure succurratur.

Respons.

Arbitramur, nullo prorsus jure Eustochio succurri, in eo quod abnuat rependere Sempronio 120. libras, quas contulit in prædictarum ædium fulturam curandam. Enimvero ei, qui res alicujus absentis, necessitate urgente, ex benignitate & amica mente, curavit, ut occurrit in proposita specie, jus in integrum cedit, ut quidquid in eas res impendit, eidem refundatur. *Si quis absentis negotia gesserit licet ignorantis*, inquit Lex (*b*), *tamen quicquid utiliter in rem ejus impenderit, ... habeat eo nomine actionem*. Cui legi ista alia Lex congruit (*c*): *Quæ utiliter in negotia alicujus erogantur .... actione negotiorum gestorum peti possunt*.

(*b*) L. Si Quis 2. ff. de neg. gestis lib. 3. tit. 5.
(*c*) L. Quæ utiliter. 45. ff. eod. tit.

Jamvero quod Sempronius gessit, summæ admodum erat atque urgentissimæ necessitatis. Ergo tenetur Eustochius, ad eidem refundendas 120. libras, quas de proprio ære suo contulit, etiamsi proprio marte, nemineque mandante, impensam istam adhibuerit. Quam enim primo loco causatur, quod Sempronius, eo non jubente, egerit, ratio futilis est ac nullius omnino pretii: ut patet ex istis verbis ejusdem legis, quæ modo citata est: *Licet ignorantis*: & ex istis aliis Imperatoris Justiniani (*d*), *ex qua causa hi, quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur*.

(*d*) Instit. l. 3. tit. 28. de obligationib. quæ ex quasi contractu nascuntur. §. 1.

Neque potior aut validior est altera ratio, quam sibi vindicat. Licet enim effectum nullum, utilitatemque nullam habuerit impensa, quam Sempronius adhibuit: istud non imputandum venit ulli omnino culpæ Sempronii, sed casui mere fortuito, quem ab eo præstandum esse, contendi nullo jure potest; quemadmodum liquet ex sequentibus verbis legis cujusdam de Digesto (*e*). *Is autem, qui negotiorum gestorum agit, non solum si effectum habuit negotium, quod gessit, actione ista utetur: sed sufficit, si utiliter gessit, etsi effectum non habuit negotium, & ideo, si insulam fulsit .... etiamsi insula exusta est .... aget negotiorum gestorum*. Fert etiam ea de re alia Lex (*f*): *Sive hereditaria negotia, sive ea, quæ alicujus essent, gerens aliquis, necessario rem emerit, licet ea interierit, poterit, quod impenderit, judicio negotiorum gestorum consequi*.

(*e*) L. Sed an ultro. 10. §. 1. ff. de negot. gestis.
(*f*) L. Sive hæreditaria. 22. ff. eod. tit.

Quæ ea de re habent civiles Leges, confirmari omnino possunt ex ratione, quam affert Justinianus Imperator (*g*), his verbis: *Idque utilitatis causa receptum est, ut absentium, qui subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregre profecti essent, desererentur negotia, quæ sane nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem*.

(*g*) Instit. l. 3. tit. tit. 25.

Vide Casum sequentem.

CASUS XLVI.

Probus sciens, Rollandum suum Amicum a sex mensibus abesse, atque in eundem agi a Cajo apud Judices, ut obtineret, eum judicio condemnari, ad sibi solvendas 2000. libras, quas a Rollando sibi deberi falso contendebat, illius defensionem suscepit: licet ea de re mandatum nullum habuerit: quoniam sibi ad manum erat, unde facile comprobare posset, iniquam prorsus esse, quam Cajus instituerat, petitionem: & ægre ferebat pro sua in Rollandum animi benevolentia, eum ab ementiti nominis Creditore opprimi. At, postquam litem istam per menses aliquot sustinuit, & Rollandus obiit, ejusdem causam abjecit: atque ea ratione Cajo locum fecit obtinendi, pronuntiari juxta quod postulabat, & eidem abjudicari 2000. libras, quæ ei nulla juris ratione debebantur. Quæ quidem ubi primum hæredi Rollandi renuntiata sunt, ipse de Probo graviter questus est, & contendit bis diebus hodiernis, a Rollando tum detrimentum prædictarum duarum millium librarum, tum ceteras damnorum accessiones, quæ rei hæreditariæ Rollandi inde emerserunt, esse præstanda. Probus ex altera parte pro aris & focis propugnat, sese nulla ratione teneri ad ejusmodi præstationem. 1. Quia, cum Rollandus decesserit causa adhuc pendente, qua defunctum prosequebatur, animi benevolentia, quantum ad istam causam nullum jam locum habuit; siquidem, quæ res ipsius antea erat, facta sit propria ejus hæredis, quem ipse nullo loco habebat, & in quem nulla voluntatis inclinatione propendebat. 2. Propterea quod ipsi liberum esset, quam potuisset non exhibere, gratuitam operam interrumpere. Nunquid non favent Probo allegatæ rationes?

Respons.

Quas sibi Probus vindicat, rationes nullam ei possunt afferre legitimam excusationem. Quanquam enim Leges Civiles gerendæ rei alienæ onus nemini imponant, quando nulla peculiaris urget curandæ ejusdem obligatio, puta Tutoris, vel Curatoris: verum nihilominus est, ut in præcedentibus decisionibus fuit jam observatum, eum, qui rem alicujus absentis gerendam ultro propriaque voluntate suscepit, obligari ad eandem finiendam, neque ipsi liberum jam esse ejusdem abjicere curam & administrationem. *Tutori vel Curatori similis non habetur, qui, citra mandatum, negotium alienum sponte gerit*: inquit una quædam Lex de Codice (*h*) *quippe superioribus quidem necessitas muneris administrationis finem, huic autem propria voluntas facit*. Habet etiam alia Lex (*i*): *nova tamen inchoare, necesse mihi non est: vetera explicare ac conservare ne cessarium est*. Adeo ut, qui rem aliquam administrandam prædicta ratione suscepit, non possit eam deinde dimittere, quin eo ipso teneatur, quæ ipsius administrationem sequentur, incommoda præstare ei, ad quem prædicta res pertinet: *Æquum est*, ait iterum alia Lex (*K*), *ipsum actus sui rationem reddere, & eo nomine condemnari quidquid vel non, ut oportuit, gessit: vel ex his negotiis retinet*. Cujus rei rationem istam suggerit Imperator Justinianus (*l*), quod absens, cujus res agitur, in eum obligatus evadat, qui rem istam gerendam propria voluntate sua capessivit: atque ideo æquum sit, mutuam ex utraque parte intercedere obligationem, adeoque ab eo, qui rem administrat, ex sua quoque parte erga absentem prædictum contrahi obligationem. *Sicut autem is, qui utiliter gesserit negotia, habet obligatum Dominum negotiorum gestorum, ita & iste contra quoque tenetur, ut administrationis reddat rationem*.

(*h*) L. Tutori. 20. cod. de negotiis gestis l. 2. tit. 18.
(*i*) L. Nam & servius 21. §. 2. ff. eod. tit.
(*k*) L. Si quis 2. ff. eod. tit.
(*l*) Instit. l. 3. tit. 28. §. 1. de obligat. quæ quasi ex contractu nascuntur.

Dicendum est ergo, Probum debuisse semetipsum habere ratione prorsus eadem, qua sese considerasset, si fuisset a Rollando verbis expressis constitutus Procurator, & eandem diligentiam afferre rei, quam administrandam ex amico officio capessiverat, quam veri nomine Procurator adhibuisset; & quoniam præfatæ rei non dedit operam ex culpa etiam levi, ab eo præstandam esse ejusdem non fortunatum eventum, qui certissime

Digitized by Google

non contigisset, nisi rem susceptam deseruisset; siquidem, ut supponitur, ipsi adessent ad manum gravissima rationum momenta, quibus sufficienter poterat in aperto ponere iniquam Caji petitionem. *Secundum quæ super his quidem, quæ nec Tutor, nec Curator constitutus, ultro quis administravit, cum non tantum dolum & latam culpam, sed levem præstare necesse habeat, a te conveniri potest* (*a*).

(*a*) Leg. *Tutori*. cit.

Neque vero est, unde Probus dicat, ex morte Rollandi sibi factam esse liberam copiam administrationis incœptæ deserendæ. Eandem enim debebat urgere ac prosequi in gratiam hæredis defuncti; Siquidem istud esset quasi quoddam consectarium, ac necessaria quædam appendix obligationis ab eo contractæ, quam in prima ipsius origine considerare debebat, nullaque ratione habita ejus, quæ circa Dominum acciderat, immutationis. Atque sic determinatur ipsa Lege, quæ declarat (*b*): *Si, vivo Titio, negotia ejus administrare cœpi: intermittere, mortuo eo, non debeo..... nam quæcumque prioris negotii explicandi causa gerentur, nihilum refert, quo tempore consumarentur; sed quo tempore inchoarentur*. En qua iterum ratione loquitur alia Lex (*c*) *ait Prætor*: Si quis negotia alterius, sive quis negotia, quæ cujusque, cum is moritur, fuerint, gesserit, judicium eo nomine dabo.

(*b*) Leg. cit. *Nam & Servius*. § 2.

(*c*) Leg. *Ait Prætor*. 3. ff. de negotiis gestis.

Vide Casum antecedentem.

CASUS XLVII.

Valiero profecto in Provinciam remotam, in loco domicilii ipsius lis iniqua intentata est. Palemon ejus amicus, partes ipsius tuendas suscepit adversus eos, qui eum apud Judices persequebantur; quanquam ei a Valiero nullum ea de re factum sit mandatum. At in agenda ipsa causa, excidit ei, ex defectu cognitionis, notabilis culpa, aut quæ saltem iis annumeratur, quas Leges appellant leves; & ex qua Valiero plurimum affertur detrimenti. Nunquid, quod inde Valierus passus est, damnum præstare debet?

RESPONS.

Qui rei alicui gerendæ, aut partibus absentis alicujus amici sustinendis, ultro nemineque rogante, sese interponit, stricte atque ordinarie loquendo, obligatur ad reparationem damni, quod prædicto amico attulit, 1. si dolum aliquem adhibuerit, aut etiam admiserit aliquam culpam notabilem, quæ appellatur, *lata culpa*, & quam tanquam dolo proximam Jus considerat (*d*), 2. Cum videtur futurum fuisse, ut alius res ipsius agendas susciperet, & levem culpam commisit, accepta ista voce in eo sensu, quem sumus interpretati in trigesima sexta Decisione: Quod evidenter demonstratur ex Lege *Tutori*, cujus verba retulimus in dissolvendo casu præcedenti. Quin etiam addendum est, cum ex eo quod quis rebus alienis semetipsum interponat, alter impeditur & quidem intelligentior, quominus iisdem invigilet, tunc priori, qui sese interposuit, induci obligationem resarciendi damni, quod ex levissima etiam culpa fuit illatum: quemadmodum innuitur ex istis verbis Imperatoris Justiniani (*e*); *Ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem, nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet, si modo alius diligentior eo, commodius administraturus esset*. Habemus etiam quandam Legem Digesti, qua idem enunciatur (*f*). Ut concordant citatæ Leges cum ipsamet æquitate naturali, nihil est cur iisdem conquisitis aliunde rationum momentis adjiciendis immoremur.

(*d*) Lata culpa plane dolo comparabitur. Leg. *Adversus*. 1. ff si Mensor, falsum modum dixerit. lib. 11. tit. 6.

(*e*) Instit. l. 3. tit. 28. parag. supra cit.

(*f*) L. *Obligationes* 1. §. 4. ff. de obligationib. & actionibus l. 44. tit. 7.

Finem ergo jam facimus concludendo, si res Valieri derelictæ remansissent, neque quisquam voluisset ejusdem suscipere defensionem in lite prorsus iniqua, quæ ei inferebatur; Palemonem, qui earumdem curam animo benevolo egit, non teneri nisi de damno, quod accessit ex culpa gravi & notabili: at vero, si conjiciendi locus ei adesset, futurum, ut alius earumdem administrationem ac defensionem susciperet: æquum esse, siquidem in eo se se aliis potiorem habuerit, ab eo præstari non tantummodo culpam notabilem, verum eam etiam, quæ appellatur levis: Et tandem in eum quoque debere recidere culpam, quæ dicitur in Jure levissima, si in causa fuerit, cur alius in gerendis negotiis exercitatissimus atque intelligentissimus rerum Valieri curam non egerit:

Juvat quoque observare juxta Glossam (*g*), futurum etiam, ut quis teneretur præstare casus fortuitos. 1. Si negotiis alicujus pupilli tractandis sese immisisset, cujus causa plurimum omnino favoris admittit. 2. Si eo animo gerendæ rei alienæ curam sibi privata auctoritate sumsisset, ut rem istam inique usuparet. 3. Si negotium aliquod novum atque extraordinarium in alterius gratiam ipsiusque nomine proprio motu suscepisset, nullaque necessitate compellente: puta si eum inscium in aliquod commercium implicuisset (*h*). 4. Si casus fortuitus contigisset ex culpa, quam commisisset. 5. Si tandem moram aliquam injecisset: Secundum istam regulam Bonifacii VIII. (*i*) *Mora sua cuilibet est nociva*. Dicimus, *iniquam*, quoniam adest nobis alia regula Juris, quæ fert (*K*): *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri*.

(*g*) Glossa in Leg. *Si negotia* 21. ff. de negot. gestis.

(*h*) Proculus ait: Interdum etiam casum præstare debere: veluti si novum negotium, quod non sit solitus absens facere, eu nomine ejus geras veluti... aliquam negotiationem incundo: nam si quod damnum ex ea re secutum fuerit, te sequetur.

(*i*) Leg. *Si negotia*. cit.

(*k*) Regula 25. de regulis Juris in 6.

CASUS XLVIII.

Aristes, ex munificentia atque animi benignitate suscepta defensione causæ Claudii sibi familiarissimi absentis, cujus universæ possessiones fuerant in manum Regis inconsulto prorsus traditas: coactus est, ea de re, pecuniam mutuam constituto certo quodam fœnore, accipere; aut proprium suum argentum impendere, quod potuisset, in negotiatione facienda sibi lucrosum efficere. Qua de re quæstio habetur, num Claudius ex conscientia teneatur, ad sortem, quam de suo amicus ipsius numeravit, non tantummodo refundendam, sed etiam ad ipsas usuras, quas persolvit ei rependendas, aut ad aliquam conpensationem damni, quod ei emersit, ex proprio suo argento in ipsius Claudii utilitatem tanta liberalitate impenso?

RESPONS.

Claudio necessitas incumbit, non sortem tantummodo, quæ in propria ipsius re urgenda, posita fuit ab Ariste, sed etiam sortis ipsius, quam mutuam sumpsit, usuras eidem præstare, aut ei compensationem afferre damni, quod passus est, ex proprio suo ære, quod impendit, in detrimentum legitimi lucri, quod potuisset ex aliqua negotiatione percipere. Cujus rei ratio hæc est, quod æquitas non sinat, alicui amico inde damnum inferri, quod res amici sui ex animo mere benevolo gerendas atque curandas susceperit. Quod pertinet ad restitutionem sortis, nihil est prorsus, unde possit ambigi, quin ipsius necessitas inducatur Claudio: ut patet ex plurimis Legibus, quas in decisione superiori allegavimus, quasque hic loci iterato sermone referre omnino supervacaneum est. Quod attinet aut ad usuras quas Aristes solvit, aut ad compensationem damni, quod perpessus est, certissimum est, eum ad alterutrum obligari: juxta isthæc verba Legis (*l*): *Ob negotium alienum gestum, sumptuum factorum usuras præstari bona fides suasit*.

(*l*) Leg. *Ob negotium*. 58. cod. de negot. gestis.

CASUS XLIX.

Fabricius Gemmarum Mercator non habens, unde possit artem suam exercere, ipsa facultatum suarum inopia compellitur ad emendas, & vendendas gemmas in gratiam aliorum Mercatorum, ipsorumque nomine: a quibus, pro constituto sibi institoris salario, accipit de centussi dimidiam assem, absque eo, quod ex gratuita donatione emtorum consuevit, insuper ei accedere.

Paulinus Gemmarius adamantem quemdam ei dat in manus, illique mandat, ut eundem, si possit, vendat 6000. libris. Quem statim venalem ferens Fabricius indicat Barnabæ, qui de eodem non offert, nisi 43000. tantumodo libras: neganti vero Paulino, nec velle nec posse se dictum adamantem pretio ejusmodi constituto tradere, ab ipsa crastina die renuntiat, de eodem 4500. libras offerri 3. Paulinus annuit, sed nonnisi ægre admodum, eum

tan-

tandem istis Legibus haberi; nihilominus interea ei jubet, ut venalem eundem circumferat apud alios Mercatores, quo tentetur, num possit pretium ipsius augeri ad summam usque 5000. librarum, aut saltem 4800. & tamen, si pretium non possit majus inveniri, eum constituto 4500. librarum pretio cedat. Fabricius cernens, sese perinde, ac Barnabam, elegantiorum operum atque gemmarum esse Mercatorem, & persuasum habens futurum, ut istum adamantem possit deinde vendere 4800. librarum saltem pretio, eundem sibimetipsi clanculum adscribit pretio 4500. librarum, quas de proprio suo ære Paulino numerat, a quo pro debito sibi institoris salario recipit 140. libras. Post elapsos ab illinc octo seu decem dies gressum recipit apud Barnabam, quem certiorem facit, Paulino constitutum ac deliberatum esse, de suo adamante, nulla facta decessione, pretium 4800. librarum auferri. Barnabas igitur pactionem probat ista conditione, & pro solita institoris mercede 60. libras Fabricio rependit: adeo ut Fabricius, ex ista negotiatione, 500. libris numeratæ pecuniæ increvisse proprium suum peculium, gaudeat. At quoniam Paulino non declaravit, semetipsum esse emptorem: propterea quod ille nullam ei laboris mercedem assignavisset: aliunde vero neglexit, prædictum adamantem, apud alios Mercatores, ea ratione, qua Paulinus mandaverat, circumferre venalem; inde ei aliquid Religionis incussum est, & ea de re sermonem habuit cum suo Confessario, qui ipsum certum fecit, sibi videri, ab eo peccatum fuisse adversus justitiam; in eo præsertim, quod ducentas prædictas libras cum ab emptore, tum a venditore percepisset. Qua de re petit,

1. Utrum, ex mandato præfatum adamantem acceptum venundandum, potuerit in proprium suum quæstum sibimetipsi adscribere: Quod quidem putat absque dolo potuisse fieri; utpote qui, cum eadem perinde ratione, qua Paulinus ac Barnabas, sit Gemmarius, non nisi suo jure usus fuerit; juxta regulam istam Bonifacii VIII. *Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur* (*a*): Adeoque jure contendi non possit, ab eo damni quidpiam neque Paulino, neque etiam Barnabæ fuisse illatum: Secundum istud effatum Gregorii IX. *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit* (*b*).

(*a*) Reg. 55. ff. de reg. juris in 6.

(*b*) Greg. IX. in c. Cognoscentes, 2 de Constitutionibus.

2. Quærit, num in eo casu non potuerit exigere, aut recipere 200. libras, quæ sibi tum a Paulino, tum a Barnaba pro suo institoris salario solutæ fuerunt. Quod arbitratur quoque absque ulla omnino controversia fuisse licitum; siquidem sic habeat Glossa: *Nemo cogitur invitus de suo facere beneficium*: atque aliunde probatas habuerint Paulinus quidem venditionem, Barnabas vero emptionem.

3. Atque contingente casu, quod sibi restitutionis alicujus necessitas afferatur, cui potissimum adjudicanda sit; & quantam eandem esse oporteat?

RESPONS.

Antequam difficultas hic loci proposita nomine Fabricii discutiatur; loco principii certissimi statuendum est, habendam potissimum esse bonam fidem in rebus omnibus, quæ commercium humanum ingrediuntur, quasi primum caput omnium pactionum & mutuarum obligationum, quæ circa easdem intercedunt, *Nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est*, inquit Lex (*c*): ad quam propius accedit alia Lex: *Quid tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt servare* (*d*).

Quo quidem principio ut fidei certissimæ prorsus atque indubitatæ admisso, dicimus, cum Paulinus Fabricio fecerit mandatum vendendi sui adamantis, & pactus sit cum eo, futurum, ut pro debito institoris salario de centussi dimidiam assem ei persolveret: Fabricioque probatum fuerit ista conditione mandatum, inter eos accessisse veri nominis contractum, qui dicitur, *do ut facias*: Qualis est *locatio operarum*, quæ inter eos recensetur, qui a Jurisconsultis appellantur *innominati*: Quippe contractus, juxta veram ipsius naturæ explicationem, quam Lex de eo habet, nihil aliud sonet, quam *duorum, pluriumve in idem placitum consensum* (*e*). Obligationem igitur ex utraque parte inierunt conditionum, quæ isti pactioni appositæ sunt, summa cum fide exequendarum, *Contractus enim*, inquit Lex, *Legem ex conventione accipiunt* (*f*), seu quemadmodum loquitur Bonifacius VIII. in regulis Juris Canonici, *Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur* (*g*): hoc est, Legem sibi ex utraque parte constitutam habere sanctam atque inviolatam consenserunt: juxta isthæc verba alterius cujusdam Legis de Digesto (*h*). *Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus, id sequitur, quod actum est*. Jam vero Paulinus, quam dederat Fabricio, fidem inviolate præstitit, siquidem eum haberet, ut fidelem proxenetam, & ei tanquam Mandatario fidelissimo pactam mercedem rependit; contra vero Fabricius, quam cum Paulino contraxerat, obligationem non debita fide perfecit: quippe 1. semetipsum pro emptore gerendo, munus institoris abdicaverit, 2. Quoniam illud potissimum institoris alicujus officium est, ut lucrum promoveat sibi mandantis rem aliquam vendendam eadem diligentia atque cura, qua promoveret, si propria sua res ageretur; atque e contrario gerendæ rei Paulini sic indormiverit, ut suæ utilitati suoq; privato commodo totus incubuerit atque invigilaverit, cum nempe eum incitaverit, ad cedendum suum adamantem 2000. libris minus quam de eodem offerebatur, ea mente, ut easdem suas faceret, quemadmodum sibi 300. libras vindicavit, & præterea neglexerit eundem venalem indicare cæteris Mercatoribus eandem artem exercentibus, a quibus de eodem pretium majus forsitan acceptum fuisset: Quod ei tamen fuerat a Paulino verbis expressis demandatum: 3. Propterea quod in istis omnibus dolum adhibuerit, fucum suo Mandatori faciens, cui summa cum cautione dissimulavit, sese esse istius adamantis emptorem; & semper innuit, sese gerere tanquam fidelissimum integerrimumque institorem, atque eo potissimum animo, ut extorqueret a Paulino, ut revera extorsit, 140. libras pro suo institoris salario, quas certe Paulinus non rependisset, si rei veritatem habuisset perspectam & exploratam, quasque nec ipse Fabricius potuisset ulla ratione juris neque ab eo recipere: neque potiori jure quidquam ab emptore exigere & percipere.

(*c*) Leg. Ex empto. 11. ff. de act. empt. & vendit libi 19. seu tit. 18.

(*d*) Leg. Hujus 1. §. 1. ff. de pactis lib. 2. tit. 14.

(*e*) Cit. Leg. Hujus 1. ff. de pactis.

(*f*) Leg. Depositum 1. §. 6. ff. Depositi lib 16. tit. 3.

(*g*) Reg. 85. de reg. juris in 6.

(*h*) Leg. Semper. 34 ff. de reg. juris.

In exsequenda ergo conventione, quæ inter se & Paulinum intercesserat, Fabricius improbæ omnino fidei virum sese prodidit, & consequenter ipsam æquitatem læsit: siquidem nemini liceat, proprium suum dolum in privatam utilitatem convertere, ut declarat Alexander III. (*i*) & post eum Innocentius III. (*k*) qui dicit; *fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent*: neque ex alieno damno rem suam augere; quemadmodum ait Bonifacius VIII. in sequenti Regula Juris: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura* (*l*): atque adeo obligatio ei inducitur non tantum 300. librarum restituendarum, quas in damnum Paulini sibi vindicavit, cujus utilitatem intendere & qualibet ratione promovere in vendendo ipsius adamante, ex constituta ipsi ab isto Mercatore laboris mercede, ei potissimum incumbebat; verum nec etiam potest sese facere immunem ipsius, quæ ei affertur, necessitatis rependendarum eidem Paulino 140. librarum, quas sub prætextu salarii Institoris excepit; siquidem, ut observavimus, quisquis munus gerit Institoris, mandatarii, seu Proxenetæ teneatur ex stricto jure, ad exsequendum cum inviolata fide & summa diligentia, mandatum sibi factum a suo Mandatore, & ad agendam rem ipsius eadem ratione, qua propriis suis rebus operam daret: contra vero Fabricius ratione prorsus opposita sese gesserit, ut habetur ex dictis ipsius propriis in instituenda quæstione deratione agendi, quam erga Paulinum secutus fuit, qui aliunde cum eo non pactus est, nisi sub ista tacita conditione, ei de centussi dimidiam assem concedere.

(*i*) Alexandr. III. in c. Propositum 1. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

(*k*) Innoc. III. in c. Cum dilectus 8. de religiosis domib. & in c. Ad nostram 5. de empt. & vendit l. 3. tit. 17. & in c. Officii 14. de testam. lib. 3. tit. 26. Et Lucius III. in c. Adversus. 7. de immunit. Ecclesiæ l. 3. tit 49.

(*l*) Reg. 48. de reg. juris in 6.

Neque vero Fabricium juvat, quod nobis objiciat, Paulinum consensisse vendendo suo adamanti pretio 4500. librarum. 1. Namque, nonnisi ægre admodum, eidem ea ratione venundando, præbuit suum consensum, neque pretium istud ei fuisset probatum, si fraudem Fabricii notam habuis-

habuisset. 2. Quoniam, cum ei persuasum foret & quidem merito, omnem conventionem proprio verborum suorum sensu circumscriptam esse, neque ad eas res extendi posse, de quibus non cogitatum fuit: juxta isthæc verba legis: *Iniquum est perimi pacto, id de quo cogitatum non docetur* (*a*), in errorem vere inductus est ex mala fide Fabricii; atque ex ea ratione consensus, quo probavit, suum adamantem tradi pretio 4500. librarum, non sufficiens fuit, ut prædictus Mandatarius jure posset sibi proprias facere 300. libras, quæ isti pretio adjectæ fuerunt, *cum nullus sit errantis consensus*, ut fertur in Lege (*b*). *Quid* (enim vero) ait quædam alia Lex de Digesto, *tam contrarium consensui, quam error* (*c*)?

(*a*) Leg. Qui cum. 9. in fine ff. de transact. l. 2. tit. 15.

Ex dictis ergo facile est concludere, Fabricio nullatenus favere neque effatum Gregorii IX. neque ei adjunctam Glossæ interpretationem, sicut nec etiam 55. Juris Regulam, quam in suimetipsius patrocinium ipse Fabricius implorat, neque ex iisdem eum posse vindicari a mendacio, fraude, & injustitia, neque reddi immunem obligationis restituendarum Paulino quidem 300. librarum, quas sibi retinuit; Barnabæ vero 60. libras sibi ab eodem numeratas, quod Institoris agere vices non venditoris existimaretur.

(*b*) L. Cum ideirco. 9. cod. de juris & facti ignorantia lib. 1. tit. 18.

(*c*) L. Si per errorem 15. de jurisdict. omnium judicum lib. 2. tit. 18.

CASUS L.

Genesius, ærarii cuiusdam Principis quæstor perceptam a plurimis variisque villicis sui Domini summam 50000. librarum, quæ solvendis mercedibus ipsius Ministrorum ac famulorum Domesticorum destinabatur, occupavit per duos aut tres menses in negotiatione, aut argentaria, & ex ea lucrum accepit 4000. librarum. Potestne recta conscientia & remoto omni injustitiæ obice lucrum istud suum facere, aut nonne obligatur, ad illud idem Principi, cujus argentum est, ex quo provenit, restituendum?

RESPONS.

Potest omnino, ne minime quidem violata æquitate, quam quæstor prælatus de argento Principis sui Domini usuram sibi fecit retinere; modo occupando 5000. libras, nullum inde detrimentum neque Principi, neque iis attulerit, quorum pendendis mercedibus istud argentum destinabatur. Ratio est, quia industriæ ejus tantummodo lucrum ejusmodi tribuendum est, neutiquam vero ipsi pecuniæ, quæ cum natura sua sit fundus quidam ingratus atque omnino sterilis, nihil potest referre nec producere. Aliunde vero qui ejusmodi Ministrorum munus exercent, quas percipiunt, tenentur pecuniæ summas præstare; ideoque certas vades ab iis exigi plerumque consuetum est. Quibus prætere addendum est, non ipsos Principes seu Magnates latere, quæstores suos, qui ipsorum ærarium administrant, aliquando lucrosis ejusmodi obventionibus juvari; adeoque ipsos iisdem in eo videri tacitum consensum aliquatenus præbere.

Cujus decisionis Autor est ipse S. Antoninus, qui (*d*) propositam sibimetipsi ejusmodi difficultatem dissolvit istis verbis: „ Ad hoc dicendum, quod „ si communitas inde nil læda ur, seu Dominus „ illius pecuniæ, nec etiam personæ, quæ reci- „ pere debent sua salaria; quia scilicet tempore „ statuto eis solvitur integre; illud lucrum suum „ facit ratione suæ industriæ; & præcipue cum „ subest amissionis periculo sui. Unde & fi- „ dejussorem tales solent dare, & communitates „ hoc sciunt & tolerant: quia res est in nume- „ ro consistens & pondere, non obsignata, & sic „ non proprie depositum.

(*d*) S. Antonin. 2. parte summ. theol. tit. 1. § 5.

Eandem Doctrinam tenet S. Bernardinus Senensis (*e*). Sermonem enim habens de lucro usurarum, quod ex legitimo aliquo commercio accrescit, sic habet: „ res pro usuris soluta, non est lucrosa: „ quia scilicet fuerunt denarii, frumentum, vinum, „ vel oleum & similia; tunc sufficit restituere, quod „ receptum est. Unde secundum Alexandrum, „ Lombardum, & Thomam, & Raymundum, si „ usurarius ex pecunia usuraria negotiatus est & lucratus, vel inde prædia emit, & fructus percepit, non tenetur hæc restituere.

(*e*) S. Bernardin. Senensis serm 33. in Domin. 4. Quadragesimæ q. 3. tom. 1 p 185.

Primam rei istius rationem istam affert, quam ipsimet jam allegavimus: *quia* (nempe) *Primo tale lucrum non est pecuniæ fructus: sed humanæ industriæ actus*. Indeque sic concludit, lucrum ejusmodi lucranti ipsi cadere, non Domino pecuniæ, de qua lucrum accessit: *Atque possessio de tali pecunia empta, ementis est, & non ejus, a quo usura accepta fuit*.

Secunda ratio, qua laudatus Sanctus innititur, ista est, quod nimirum fœnerator, de quo loquitur, cui lucrum usurarium auctum est ex honesta aliqua negotiatione, remaneat semper obligatus ad præstandum periculum pecuniæ usurariæ, quam occupavit, & lucri, quod inde ei obvenit: *Cum jus pecuniæ per usuras extortæ, vel possessionis inde emptæ semper de jure ad periculum usurarii currat, & inamissibile sit ei, qui solvit usuram*. Atque adeo æquum sit, ei lucrum istud jure proprietatis accedere.

Tertiam istam rationem subjicit, 3. *quia, si usurarius cum denariis illis nihil fuisset lucratus, non teneretur, nisi ad illud, quod ex usuris pervenit ad eum, non autem amplius eo*. Idem debet institui ratiocinationis genus de difficultate, quæ in proposita specie enunciatur; siquidem utraque quæstio nomine tenus discrepet.

At contrarium asserendum est, 1. Si princeps, aut quilibet Dominus istius pecuniæ teneretur præstare periculum ejusdem jacturæ. In eo namque casu lucrum accederet Principi juxta istud Juris principium (*f*): *Commodum ejus debet esse, cujus periculum est*: deducta tamen tum mercede laboris ipsius quæstoris, tum expensa, quam in percipiendum istud lucrum contulisset. *Secus autem esset*, addit S. Antoninus (*g*), *si pecuniæ amissio subjiaret periculo communitatis vel Domini: quia tunc lucrum esset communitatis, seu Domini: deducta tamen mercede laboris illius eam exercentis*. 2. Si ex lucrosa ista Genesii negotiatione, qui operam suam conducunt, aut alii creditores Principis, quibus absolvendis, summa 50000. prædictarum librarum adduceretur, accepissent aliquid detrimenti, quod congruenti tempore solutionem non habuissent. „ Item si ex hoc exercitio sequeretur damnum creditoribus Domini vel communitatis; quia eis „ non solvitur statuto tempore, ex eo quod Ca- „ merarius pecuniam communitatis vel Domini in „ aliis tenet occupatam; tunc tenetur illis de „ omni damno: & peccat graviter, contra voluntatem eorum differendo solutionem.

(*f*) Instit. l. 3. tit. 24. de emp. & vend. § 3.

(*g*) S. Antonin. loco cit.

CASUS LI.

Amabilis sustinendam habens litem cum quodam homine, Bartholium assumit Patronum ad defendendam suam causam, eique in antecessum numerat decem dupliones aureos, quo sese ipsius orandæ causæ accingat. Bartholius instruendæ prædictæ liti ac penitus inspiciendæ totus incumbit & desudat, atque sese comparat ad causam dicendam; at plurimis sese præfatæ liti moris nectentibus, antequam causam dixerit, ipsa morte prævertitur. Amabilis contendit, ab hæredibus istius Patroni sibi restituendos esse decem dupliones aureos, quos ei in antecessum numeraverat, quosque in privatos suos Codices acceptos defunctus retulerat. Quam restitutionem hæredes plane repudiant. Utri Jus.

RESPONS.

Jus in integrum cedit hæredibus Bartholii. Quanquam enim vero, qui locat alteri operam suam, nihil debeat, ordinarie loquendo, accipere, cum ex casu fortuito ex sua parte contingente, impeditur, quominus, quod promiserat, exequatur; extat tamen Lex, ea de re, verbis expressis lata, qua Patroni generali isti Regulæ subripiuntur. *Divus Severus*, inquit citata Lex (*h*), *ab hæredibus Advocati, mortuo eo, prohibuit, mercedem repeti; quia per ipsum non steterat, quominus causam ageret*. Habet quoque alia Lex (*i*) *Advocati quoque, si per eos non steterit, quominus causam agant, honoraria reddere non debent*. Quod consentaneum reperitur isti interpretationi Glossæ:

(*h*) L. Præses. 1. ff. de variis & extraord. cognitionibus & c. § 13 l. 50. tit. 13.

(*i*) L. Qui operas 38. ff. locati conducti l. 19. tit. 8.

Glossæ: *Votum pro opere reputatur* (*a*): *Ubi deest tempus operandi, ita remuneratur quis pro sua voluntate, sicut pro opere.*

(*a*) Gloss. in can. Magna 5. de pœnit. dist. 1. v. pro opere.

Ex quibus rationum momentis ipsa luce meridiana clarius evincitur, nullo jure succursi Amabili in petitione, quam animo habet agere contra hæredes Bartholii de decem aureis duplionibus, quos in antecessum eidem persolverat; quippe, qui totus, antequam morte præoccupatus fuerit, ipsius cognoscendæ ac rimandæ causæ incubuisset, quam defendendam susceperat, omnino jam comparatus esset ad eandem agendam; & si ad eum statum perducta fuisset, quem judicium pronunciandum experebat, illam ptavisset, antequam supremum suum diem obiret (*b*).

Vide PATRONUS, Casus 2. 3. 6. & 7.

(*b*) De Gen. theol. moral. tom. 6. tract. 11. c. 6. q. 8.

CASUS LII.

HERACLIDAS Phocioni furatus triginta dupliones aureos, eosdem adhibuit in lusionem, ex qua retulit 500. libras. Obligaturne ex conscientia, ad restituendas 500. libras, præter triginta dupliones aureos; propterea quod lucrum 500. libratum ex pecunia ab eo surrepta accesserit?

RESPONS.

Respondemus cum Cabassutio (*c*), Heraclidem ex conscientia non obligari, ad restituendas 500. libras; sed triginta tantummodo dupliones aureos, quos furatus est: *Qui ex re aliena lucrum sua particulari industria retulit, quod Dominus rei non retulisset*, inquit laudatus Canonista, *potest sibi licita illud lucrum retinere, sive ex bona fide, sive ex male fide rem alienam possederit*. Cui propositioni generali præfatus Autor subjicit exemplum referens omnino, quæ proponitur hic loci, speciem particularem: *Similiter*, ait, *fur, qui ex aliena pecunia, sive per suam industriam, sive per fortunam suam, ut si pecuniam alienam ludo exposuerit, ex quo notabile lucrum sit consecutus, quod Domino, rem suam aut pecuniam possidenti, non obvenisset, potest sibi lucrum retinere. Ratio est, quia id lucrum est fructus ejus singularis industriæ aut fortunæ: hæc autem, cum sint personalia, si nullum pactum in oppositum intercessit, non fructificant, nisi soli personæ, in qua sunt.*

(*c*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. lib. 6. c. 16. n. 20.

Tandem prædictus Autor suæ sententiæ roboris & autoritatis plurimum mutuatur ea testimonio S. Thomæ (*d*), juxta Doctrinam cujus, qui rem alienam furatus est, non tenetur, nisi ad eandem restituendam, & ad compensandum damnum, quod ex ista injustitia illatum est; en quibus verbis loquitur memoratus S. Doctor. *Si talia fuerunt per usuram extorta, puta, denarii, triticum, vinum, aut aliquid hujusmodi: non tenetur homo ad restituendum, nisi id, quod accepit, quia id, quod de tali re est acquisitum non est fructus hujusmodi rei, sed humanæ industriæ: nisi forte per detentionem talis rei alter sit damnificatus, amittendo aliquid de bonis suis: tunc enim tenetur ad recompensationem nocumenti.* Ex quibus Cabassutius infert, istis quidem sic præstitis ab eo, qui rem alienam surripuit, eidem posse fructum propriæ industriæ, seu, ut ajunt, prosperam fortunam jure proprietatis cedere, nulla eum urgente, quantum ad istam partem, necessitate restitutionis.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 3. in corp.

CASUS LIII.

NEBRIDIUS, & Licinius, cum inter se societatem universalem omnium suarum rerum tam moventium, quam non moventium, cum actu exstantium, tum postea futurarum, nulla facta distinctione, neque adhibita exceptione, locum habituram per integrum decennium inivissent: post duos ab illinc annos contigit, ab amico quodam Nebridii dumum ei testamento legari, de qua perceptos, per quatuor aut quinque annos continuos, proventus suos in integrum fecit, ratus, ex iisdem Licinio nullam omnino vindicandam esse portionem. At Licinius, re postmodum explorata, vult istam ei inducere obligationem, ut, & domum memoratam in communem bonorum societatem redigat, & mediam partem annuarum conventionum, quas accepit de eadem conducta, ex tempore, ex quo domus istius gaudet possessione, referat. Quod quidam Nebridius plane recusat: & sua bonæ fidei possessione sese immunem esse fructuum restituendorum, quos ab isto tempore suos fecit. Nonne jus ei in integrum favet?

RESPONS.

Constat, quam sibi Nebridius plurimum vindicat, bonam fidem non sufficere, ut sese subducat ab obligatione, quæ sibi inducitur, referendi Licinio mediam partem fructuum, qui sibi ex ista conducta domo accesserunt. Eadem enim ratione differendum est de iis, qui societate conjunguntur, ac de cohæredibus; hoc est, cum quis inter eos in proprium suum usum rem aliquam societatis communem, quam suam esse putabat, sibi adhibuit: non præstat ipsius bona fides, unde reddatur immunis mediæ partis fructuum, quos ea eadem percepit, ei, quocum habet bonorum communionem restituendæ. *Si tecum societas mihi sit* (*e*), inquit Lex, *& res ex societate communes; quam impensam in eas feceris, quosvis fructus ex his rebus ceperis: vel pro socio, vel communi dividundo, me consecuturum & altera actione alteram tolli Proculus ait*: Ratio est, quia quemadmodum fertur in Lege (*f*): *In societate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium sunt continuo communicantur*: & cum societas est omnium bonorum, intelliguntur non ea tantum, quæ etiamnum extant; sed etiam ea, quæ postmodum quavis ratione acquirentur: generaliora siquidem verba nullam admittant exceptionem, nisi clausula aliqua excipiens verbis expressis de re quadam peculiari adhibita fuerit: *Cum specialiter omnium bonorum societas coita est: tunc & hæreditas & legatum, & quod donatum est, aut quaque ratione acquisitum, communioni adquiretur*. Quæ verba propria sunt alterius Legis (*g*), cui congruit omnino ista 3. (*h*). *Si societatem universarum fortunarum coierunt: idest, earum quoque rerum, quæ postea cuiqua adquirentur: hæreditatem cuivis eorum delatam, in commune redigendam.* Sic verbi gratia, si meorum universorum bonorum societatem cum Petro, & aliquis mihi, seu propinquitate seu familiaritate conjunctus ex donatione, vel ex legato mihi contulerit aliquod Prædium, quod ex errore juris ignoraverim, tum mihi tum Petro in commune credendum esse, & ipse solus eodem fuerim bona fide gavisus: nihilominus obligatio mihi inducitur, nihil obstante mea bonæ fidei possessione, portionis fructuum dedicto de dicto prædio obventorum, quæ ei contingere debet, Petro referendæ: quoniam jus, quod habebam in isto Prædio, in sola mea portione tantummodo continebatur: nec bona mea fides, quæ juris errore dumtaxat innitebatur, sufficienter juvabat, ut portionem illius, quocum mihi societas erat, mihimetipsi vindicarem: atque in ista potissimum hypothesi, decisio propositæ difficultatis habetur.

(*e*) L. Pro socio 38. §. 1. ff. pro socio l. 17. tit. 2.

(*f*) L. Societas 2. ff. eod. t.

(*g*) L. Et vero 3. §. 1. ff. eod. tit.

(*h*) L. Si societatem 73. ff. eod. tit.

CASUS LIV.

LEO crumenam invenit, in qua decem nummi aurei continebantur, in Parisio quodam vico, per quem continuum iter habet magnus populi concursus. Potestne eos sibi retinere, quippe qui notos eos habere nequeat, quorum propria sit ista pecunia: aut debetne eosdem restituere? An eadem quoque ratione judicandum est, si rem aliquam, quæ foret ingentis pretii, reperisset sive in vico publico, sive in quovis alio loco? & si restitutionis necessitas eum in isto casu urgeat: cui potissimum, & qua ratione debet restituere?

RESPONS.

Non potest, nisi præmissa aliqua distinctione, difficultati propositæ satisfieri. *Quædam enim sunt*, inquit S. Thomas (*i*), *quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus, sicut lapilli & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris, & talia occupanti conceduntur.* Quod etiam enunciatur in Jure Romano. *Lapilli*, in-

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

(a) L. Item 3. ff. de divisione rerum & qualitate l. 1. 3. 8.

inquit Lex (a), *gemmæ, cæteraque, quæ in littore maris invenimus, jure naturali nostra statim fiunt*. Si igitur aliquid ejusmodi fuisset inventum a Leone; illud idem posset jure legitimo suum facere; modo tamen ejusmodi res Princeps non sibi reservavisset, aut mandatum non dedisset certis quibusdam personis, cæteris seclusis, earundem conquirendarum: *Nam non deest Principibus potestas ea sibi reservandi, & quibusdam personis privilegium faciendi, ut in certis locis ea quærant*, ut loquitur Sylvius (b).

(b) Fr. Sylvius in cit. a. 5. S. Th. con. sr. 2.

Alia vero sunt, quæ inveniuntur, & ad aliquem pertinent, quales sunt crumena & decem nummi aurei, quos in vico publico Leo invenit. Jamvero ejusmodi res inventæ non possunt retineri, nisi cum animo eas restituendi illi, qui earundem proprietarius est, cum cognoscitur; alioquin, si retineantur furti crimen admittitur. Quæ quidem obligatio tantam convenientiam habet cum ipsis etiam jure naturali, ut eam Deus verbis expressis in veteri Lege commendaverit in universum quantum ad omnia, quæ reperiebantur. „ Non videbis bovem fratris „ tui aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo: etiamsi non est propinquus frater „ tuus nec nosti eum; duces in domum tuam & „ erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus & „ recipiat. Similiter facies de Asino, & de vestimento & de omni re fratris tui, quæ perierit, si „ inveneris eam: eam negligas, quasi alienam „. Et ipsissima sunt verba, quibus ista Divina Lex concipitur (c). Casus tamen excipiendus est, in quo persuasum foret, res istas pro derelictis habitas fuisse, & ab earum Domino, quo in iisdem gaudebat, abjectum fuisse jus proprietatis. In eo namque casu, qui eas invenisset, posset absque ne minima quidem injustitia, easdem sibi retinere & suas facere: nisi Lege aliqua prohiberetur: „ Quædam vero „ res, *addit Angelicus Doctor*, inventæ fuerunt de „ propinquo in alicujus bonis, & tunc si quis eas „ accipiat, non animo retinendi, sed animo restituendi Domino, qui eas pro derelictis non habet: non committit furtum. Et similiter, si pro „ derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet sibi eos retineat, non committit furtum. Alias „ autem committitur peccatum furti. Unde Augustinus dicit (d) in quadam homilia ..... Si „ quid invenisti & non reddidisti, rapuisti.

(c) Deuter. 22. 1. & seqq.

(d) S. August. ser. 1. 8. alias 19. c. 7. seu n. 8. de verbis Apost. in can. si quid. c. 14. q. 5.

Eadem quoque ea de re habet S. Hieronymus (e) quando ait, multos reperiri, qui, quod inveniunt suum esse putent, nec etiam sibi norunt, istud obligationis potissimum incumbere, ut diligenter inquitant, quis ejusmodi rei inventæ sit proprietarius, sed eos, qui talia sibi fingunt, prorsus errare, & rem inventam ista ratione sibi vindicantes furti semetipsos astringere. *Multi hoc peccato putant esse*, inquit laudatus Pater, *si alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo, peccatum hoc esse simile rapinæ: si quis inventa non reddat*. Et vero sententia ipsius naturalis æquitatis dictamini consentanea est, ut ea de re Legem ex professo tulerit antiquum Jus Romanum, quæ concipitur istis verbis (f): *Qui alienum quid jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur; sive scit, cujus sit: sive ignoravit. Nihil enim ad furtum minuendum facit, quod, cujus sit, ignoret*. Ex quibus omnibus aperte omnino evincitur, Leonem nullo jure prorsus tunni, ut quos invenit, decem nummos aureos sibi retineat; quamquam perspectum habere nequeat, cujus sint; jam superest inspiciendum, cui & quanam ratione, illum restituere oporteat.

(e) S. Hieron. in can. Multi ead. caus. & q.

(f) L. Falsus 43. §. 4. ff. de furtis, l. 47. t. 2.

Quando rei inventæ proprietarius innotescere non potest, res inventa debet in eum usum conferri, qui creditur ipsi magis prodesse, aut quem in ista hypothesi haberet gratiorem, ut ea ratione temporalis istius rei fructus spiritualis saltem redeat ad eum, qui ejusdem dominio gaudet. Hæc est ipsissima sententia, cui Theologi intelligentiores inhærent, atque inter alios S. Thomas (g), qui sic docet. *Si ille, cui fieri debet restitutio, sit omnino ignotus? Debet homo restituere secundum quod potest: scilicet dando eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive vivus, præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda*.

(g) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. a. 3.

S. Antoninus sermonem habens de re magni alicujus pretii inventa, qualis res est, de qua agitur in præsenti specie, sic habet: „ Qui res alienas inventas (h), quæ de propinquo fuerunt in bonis alterius, & non habentur pro derelicto, acceperit, ut sibi retineret, mortaliter peccavit: „ si est quid notabilis valoris, & tenetur nihilominus ad restitutionem ei, cujus est. Quod si „ per se nescit, & cujus sit, faciat publice denunciari in Ecclesia, & si nec isto modo reperiretur, cujus esset debet pauperibus erogari, nisi „ ipse inventor esse multum pauper: quia tunc „ posset cum licentia Episcopi, vel Pœnitentiarii sui, vel Confessoris illud sibi retinere, quandoscilicet non invenitur cujus est.

(h) S. Anton. 2. p. t. 2. m. c. 2. c. 15. §. 2.

Quam doctrinam tenet etiam S. Raymundus (i). *Pecuniam, vel aliam rem inventam debet reddere, si potest invenire illum, qui amisit*, inquit laudatus vir Sanctus de Ordine S. Dominici, ... *si vero non invenit, cum consilio & authoritate sui Pœnitentialis retineat, si pauper & egenus est: oret pro illo cujus fuit. Alias eroget pauperibus*.

(i) S. Raim. in sum. l. 2. de furtis §. 8.

Eodem modo sentiunt & S. Carolus Borromæus in undecima sua Synodo (K), & Catechismus Concilii Tridentini, cujus en ipsissima verba sunt (l): *Sunt igitur fures etiam, qui furto sublatas res emunt, vel aliquo modo inventas ..... retinent*. Quod probat eodem loco S. Augustini, quem ipsi jam allegavimus, & subjecit: *Quod si verum Dominus nulla ratione inveniri potest: illa sunt bona in usus pauperum conferenda*.

(k) S. Carol. act. Eccles. Mediol. p. 2. in Synod. XI. Dioec. in monitis Decretorum quæ ad sacramentalia pertinent. Decreto de rerum incert. restit.

(l) Catech. Concil. Trid. tit. p. de 7. præcepto §. 2.

Quibus authoritatum testimoniis juvat addere Decretalem quamdam Alexandri III. (m) Archiepiscopo Salernitano inscriptam, quo extra omnem omnino controversiam ponatur, quæ in eo casu inducitur obligatio restitutionis pauperibus præstandæ. In citata autem Decretali sic declarat laudatus Papa. *Sive ante, sive post interdictum nostrum, usuras extorserint: cogendi sunt* (usurarii) *per pœnam quam statuimus in Concilio* (Lateranensi 3.) *his a quibus extorserunt, vel eorum hæredibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde possint ipsi eas restituere*. Eadem ratione hic loci determinandum est, de obligatione, quæ in casu proposito Leoni afferitur.

(m) Alex. III. in c. Cum t. 5. de usuris l. 5. t. 19.

Quæ quidem obligatio restituendi Pauperibus eo potiori fundamento nititur, quod ipsius æquitatis sit ei potissimum restituere, cujus supremo dominio universa sunt, Idest Deo, cui restitutio exhibetur in persona pauperum, qui membra sunt Jesu Christi, secundum isthæc Evangelica verba (n): *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*.

(n) Matth. 25. 40.

Idem etiam uno ore docent Covarruvias, Sylvius, Authores Colloquiorum Condomiensium, & Theologiæ moralis Gratianopolitanæ (o), ingenique nubes aliorum.

(o) Didacus Covarruv. a. Leyva p. 3. relectionis c. peccatum §t. Sylvius in 2. 2. q. 66. a. 5 concl. 1. De Gen. Jhomos to. 6. ca. 5 c. 4. qu. 8. Colloq. Condom. sum. 5. Colloq. 35 sect. 1. Reginal. in prax. fori pœnit. l. 10. de restit. c. 14 nu. 191. Eo apud eum Sylvest. a Restitutio q. 6. 20 Henriquez de indulg. c. 14. a. 8.

CASUS LV.

Galterius, inventa crumena, in qua continebantur triginta dupliones aurei, diligentem habuit per sex menses & amplius inquisitionem de eo, cujus esset, absque eo quod sibi quidam ea de re potuerit innotescere. Consilium deinde petiit a suo Confessario: quem virum intelligentissimum omnes prædicant, ut sciret, quid sibi potissimum agendum esset. Author ei fuit iste Confessarius, ut Xenodochio Generali Civitatis de territorio, in quo crumenam præfatam invenerat, triginta dupliones aureos erogaret; Quod Galterius sine mora executus est. Verum ab uno mense renuntiatum ei fuit, istam pecuniam certo certissime esse Benedicti, qui eandem ab ipso revera repetiit; affirmanti vero, prædictam pecuniam a semetipso fuisse pauperibus erogatam, contra Benedictus dixit, ab eo non debuisse eo modo conferri, ipsique ex conscientia incumbere obligationem istius pecuniæ ei de proprio ære restituendæ, salvo eo quod ad Xenodochium qui pecuniam istam erogaverat, recurrere possit. Galterius petit, num vere teneatur in foro interiori, ad triginta dupliones aureos de proprio suo peculio Benedicto restituendos?

RESPONS.

Respondemus, Galterium non obligari ad triginta dupliones aureos, de quibus agitur, de proprio suo peculio Benedicto restituendos. Est namque principium istud juris omnino probatum tum S. Thomæ, tum cæteris Theologis, possessores bonæ fidei comsumtis alienis fructibus, non teneri nisi ad referendum id, ex quo facti fuere locupletiores. Porro Galterius in casu proposito trigiuta dupliones aureos inventos bona fide consumsit, neque quidquam lucri ex iisdem percepit; siquidem eos in integrum contulerit in pios usus, neque egerit in eo, nisi ex consilio Confessarii prudentis atque intelligentis: atque etiam post adhibitam omnino incassum per sex menses integros quamcumque diligentiam quæ moraliter possibilis erat. Ab omni igitur obligatione est tum coram Deo, tum coram hominibus, quantum ad eam rem expediendus.

Quæ decisio confirmari plurimum potest ex ista differendi ratione, quæ petitur ex quodam principio, quod S. Thomæ familiare est ac proprium. Restitutionis necessitas non urget, nisi duabus de csusis, scilicet, *ratione injustæ acceptionis*, & *ratione rei acceptæ*. Atqui Galterius non obligatur ad restitutionem, *ratione rei acceptæ*: siquidem inventæ pecuniæ possessor nulla jam ratione remaneat: quippe qui eam pauperibus bona fide erogaverit, sed nec tenetur ad restitutionem *ratione injustæ acceptionis*: quippe nullo modo ex inventa ista pecunia peccaverit; neque eandem in gratiam pauperum de propriis manibus deposuerit, nisi servatis omnino religiose statutis Ecclesiasticis: Hoc est, sedula prorsus atque diligenti facta inquisitione illius, cui restitutionem fieri oporteret, absque eo quod eum cognitum habere potuerit: Neque ista pecunia pauperibus erogata, nisi ex consilio illius, quem in ea re debebat præ aliis consulere. *Ille vero*, inquit eruditus quidam Interpres S. Thomæ (a), *qui in pauperes erogavit istiusmodi bona, non tenetur ad restitutionem quamvis adhuc extent: quia non ratione rei, ut quæ non sit in ejus potestate, nec ratione acceptionis, quia jam restituit eo modo, quo potuit ac debuit.*

(a) Fr. Sylvius in a. 2. q. 1. 62. 5. quæsito 5. concl. 4.

Cabassutius eandem sententiam sequitur. En qua ratione quæstionem istam sibimetipsi proponit (b). *Quæritur, si adhibita omni necessaria diligentia ad reperiendum rei restituendæ Dominum, cum hic reperiri non potuisset, solutio demum facta sit pauperibus, & postmodum Dominus, seu Creditor compertus fuerit, an hic quoque teneatur solvere, qui jam pauperibus solvit.* Cui quæstioni laudatus Canonista eo modo satisfacit. *Respondent unanimiter Doctores, nihil amplius ab illo deberi: quamvis præcedens obligatio fuisset ex delicto injustæ acceptionis: quia culpam suam purgavit, cum ad eam expiandam jam fecerit quidquid rationabiliter ab se poterat exigi.*

(b) Joan. Cabassut. juris cano. theor. & prax. l. 6. c. 20. d. 20.

Quibus prædictis addendum est cum Sylvio, quando verus proprietarius innotescit eorum, quæ pauperibus fuere donata, ipsum monendum esse, ea iisdem fuisse distributa, & pauperes etiam commonendos esse, eorum, quæ ipsis erogata sunt, apparere verum proprietarium: ut si eadem adhuc extarent, ipsi restituerentur. *Nihilominus si sine gravi incommodo potest, videtur debere monere vel pauperes, penes quos adhuc extant bona incerta, ut ipsi ea Dominis restituant, vel ipsos Dominos, ut sciant, a quibus ea repetere debeant.*

Quod idem videtur ad eos etiam posse extendi, qui cum primum quidem extiterint malæ fidei possessores, animo postmodum habent restituere quidque, habita pro virili parte diligenti inquisitione eorum, quibus restitutio sit facienda, nec iis cognitis, universas res restituendas in eleemosynas distribuunt: aut conferunt in alios pios usus, ex consilio sui Confessarii. Cum enim eorum mala fides tum ex pœnitentia, tum ex voluntate restituendi cessaverit, censendi non sunt pejoris conditionis quam ii, quibus bona fides semper adfuit: quemadmodum colligere est ex ipsamet dispositione Decretalis Alexandri III. quam in superiori decisione retulimus.

Cæterum permagni interest observare, cum quidpiam alienum seu bona, seu mala fide possidetur, & præmissa fuit quæcunque necessaria inquisitio, ut verus ejusdem proprietarius agnosceretur, neque reperiri potuit: cum ea potissimum cautione esse faciendam alicui Xenodochio, seu Conventui restitutionem, nec nisi apposita ista conditione, nimirum quod, si Dominus aliquando possit innotescere, eidem illud ipsum reddendum sit. Qua quidem cautione plurimum occurritur incommodis, quæ post factam restitutionem possent plerumque contingere. Quod consilium datur ab Auctore cujusdam opusculi (c), quod inter opera S. Thomæ recensetur, & eidem tanquam genuinum ipsius fœtum quidam adscribunt. En verba sunt Auctoris laudati: *Quod si forte ignorentur successores, & verisimiliter quibus facienda sit restitutio, nescitur, vel forte noscuntur esse in locis & regionibus longinquis, & sine spe reversionis & sine facultate mittendi ad eos... faciendum est de consilio Ecclesiæ, hoc tamen superaddito, quod debet ei Ecclesia promittere restitutionem faciendam, si necesse fuerit aliquando in futuro tempore per inopinatam reversionem ipsorum quibus de jure erat facienda* (d).

(c) Apud S. Thomam opusc. 73. de usuris c. 16.

(d) Colloq. Lucionens. to. 2. Colloq. 47. q. 3. De Gen. theol. mor. tom. 6. tract. 8 c. 7. q. 20.

CASUS LVI.

METALLUS inventum quendam sacculum, in quo recondebantur viginti quinque nummi cum aliquibus schedis primo ferenti solvendis, & universum istud recognitum Amici sui Fabii proprium, eodem ipso die ad eum misit per suum famulum cum obvii duo milites illud ipsum eripuerunt. Nam Metellus debet præstare casum istum fortuitum, & obligatur ex conscientia, ad pecuniam istam & pretium præfatarum schedarum, quæ in dicto sacculo continebantur, Fabio restituenda?

RESPONS.

Existimamus determinandum esse, Metellum ex nullo debito conscientiæ obligari ad istam restitutionem. Est enim hoc quasi quoddam naturali æquitatis consectarium, ut qui rem alienam bona fide, neque ex aliquo præcedenti delicto, possidet, ejusdem conditionis esse censeatur, ac vir aliquis, qui gerendæ rei alienæ sese ultro proprioque motu interposuisset: atque adeo ad restitutionem alteram condemnandus non sit, nisi eum ex ipsius culpa aliqua notabili res amissa fuit. Puta, si Metellus occurrenti sibi cuidam ignoto pauperi stipem ab eo emendicanti mandatum dedisset, sacculi cum schedis, & argento Fabio deferendi. Namque si prædictus pauper, quod sibi creditum fuisset a Metello, auferret, iste proculdubio deberet erga Fabium casum istum præstare; quippe nonnisi ex notabili admodum culpa res prædictæ amissæ fuissent, eas nimirum committendo fidei viri ignoti, quem cernebat summa omnino oppressum inopia: quod nullus sapiens unquam tentavisset. At vero ea ratione se res non habet in proposita specie, in qua ne levissimam quidem culpam Metellus admisit. Unde in eum non debet recidere casus fortuitus, qui contigit, sed in solum Fabium, juxta principium istud Juris (e): *Quoties, omni debitoris culpa seclusa, res debita perit, Domino suo perit* (f).

(e) Greg. IX. in c. Cum gratia. unico de commodato l. 3. t. 15.

(f) Fr. de Gen. theol. moral. tom. 6. tract. 8. c. 7. q. 20. cit.

CASUS LVII.

CRASSUS foricarum purgator, cum secessibus evacuandis operam daret, æneam quandam capsulam invenit, in qua erant aurei nummi quadraginta. Obligaturne ad eosdem restituendos, si in propriis suis necessitatibus eos insumserit: posito autem quod ejusmodi obligatio ei incumbat, cuinam debet restituere?

RESPONS.

Vir præfatus obligatur ad restituendos quadraginta nummos aureos, si ei persuasum fuerit, eosdem

dem sibi non accessisse jure legitimo, aut etiam si ea de re fuerit gravissimum aliquod dubium ei tantummodo subortum. Obligatio namque restituendi semper urget, quod ex mala fide acquisitum est, licet consumtum sit: & ex solo dubio bona fides tollitur. At vero si Crassus omnino persuasum habuerit, istam sibi vindicari pecuniam, quasi rem aliquam sibi jure Dominii ex prospera sua fortuna devolutam, & eandem bona fide consumserit: ad nullam tenetur restitutionem, nisi factus fuerit inde locupletior: in eo namque casu obligaretur ad illud restituendum, ex quo rem sibi fecisset ditiorem, licet ex ista restitutione futurum esset, ut ei grave aliquod incommodum inferretur. Atque hæc est ipsissima Doctrina S. Thomæ, quæ Legibus Romanis omnino consentanea est (*a*): & ita solvit præsentem quæstionem quidam notæ prorsus insignioris Sorbonicus Doctor (*b*).

(*a*) L. Item 20. § 9. L. *Si & rem.* 22. L. *Utrum* 23. L. *Sed & si.* 25. §. 1. ff. de hæreditatis petitione l. 5. t. 3.

(*b*) Sambovius tom. 2. Casus 137. Vid. tom. 3. Casu 255. & 256.

CASUS LVIII.

CALLISTRATES ex meditata cæde interfecto Mederico viro in sua arte prorsus exercitatissimo atque omnino solerte, qui ex sola sui laboris ope non tantummodo Patrem suum omnino egenum & redactum ad eas angustias, quibus vitam jam non poterat sustinere, sed præterea propriam suam uxorem, atque tenellum unum pusionem sustentabat, in sacramentali, quam habet, confessione factum a se homicidium accusat. Confessarius vult ei necessitatem facere alimentorum tum prædicto Patri, tum præfatis uxori, & parvulo defuncti subministrandorum. Callistrati equidem suppetunt sufficientes facultates, quibus possit impositæ sibi obligationi satisfacere, at onerosam adeo damni compensationem abnuit; atque contendit satis esse ad debitum conscientiæ implendum, si præsentibus necessitatibus trium istarum personarum provideat ex summa aliqua pecuniæ simul ac semel numeratæ, quam iisdem ultro offert persolvendam, excusso aliunde onere eorum, quæ ad ipsorum victum, & vestitum quotidiana necessitate recurrunt, iis ad omne tempus suppeditandorum. Num Confessarius debet ei obligationem inducere iisdem subministrandi, quæ necessaria sunt ad eorum sustentationem juxta conditionem ipsorum status; aut si factam sibi obligationem acceptare detrectaverit, eum absolutionis beneficio non donatum dimittere?

RESPONS.

Quando quis aliquem, absque necessitate inculpatæ semetipsius tutelæ, interfecit; obligatur coram Deo, ad resarciendum quidquid ex homicidio facto detrimenti subsecutum est, ratione habita ipsius æquitatis, & servata, quæ servanda est ex judicio prudentiorum atque sapientiorum æstimatione. Quoniam ergo constat, ut ponitur in proposito casu, ex solo laboris Mederici subsidio, atque ex sola ipsius industria ejus Patrem, uxorem, & tenellum pusionem, quibus nihil aliunde opis & facultatum aderat, fuisse sustentatos, atque iisdem a Callistrate ex homicidio facto omnem sustentationis locum ablatum esse; tenetur ex strictissimo jure, ad reparandum damnum, quod ipsis ex morte Mederici fuit allatum: atque adeo non tantummodo præsentibus eorum necessitatibus, sed etiam futuris angustiis, quibus aliquando futuri sunt obnoxii, succurrendum. *Si interfectus sustentabat aliquas personas*, inquit S. Antoninus post Scotum, quem ipse citat (*c*) *ut Patrem, filios & hujusmodi, operibus manuum suarum, tenetur interfector omnibus illis ad tantum, quantum illis abstulit, subsidii, propter occisionem ejus.*

(*c*) S. Anton. 3. p. summæ theol. t. 3. c. 2. § 2.

Quæ quidem præsentis difficultatis decisio simul & plurimarum aliarum eiusdem naturæ, quæ occurrere in ea materia possunt, propria esse debet. Exempli causa, si Medericus, ob mortiferum vulnus sibi tantummodo inflictum, sumtum 100. librarum in curationem vulneris sui fecisset, Callistrati primo quidem incumberet, ei, quem admisisset, sumtum refundere, deinde, quod ei ex vulnere emersisset, integram damni compensationem afferre: ut fertur in quadam Decretali desumta ex sacris paginis, in qua sic legere est; (*d*): *Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto: qui percusserit, operas ejus, & impensas in Medicos restituat.* Ita etiam si, qui fuerit interfectus, muneris alicujus dignitate insigniretur, quam jamjam aut venditurus erat, aut in gratiam sui filii abdicaturus, & istam dignitatem amitti ex ipsius morte contingat, qui eum interfecit obligatur ex conscientia, ad resarciendum damnum, quod filius inde aut hæredes defuncti perpessi sunt ex iniqua morte, quæ impedimento fuit isti dignitati aut vendendæ aut abdicandæ. Tandem si defunctus esset aut Patronus, aut forensis Procurator, aut vir rerum intelligentissimus, qui litem iniquam qua morabatur, sustinebat, & eo mortuo, ipsius uxor litem istam perdiderit, quoniam aut proprii sui juris erat ignara, aut impar erat tum malæ fidei, tum cavillationibus suæ partis adversæ retundendis, obligaretur homicida, ad reparandum integrum damnum, quod inde uxori defuncti vel ipsius hæredibus accederet; atque ita judicandum est de infinitis propemodum aliis casibus, in quibus Confessarius debet obligationem imponere damnorum, quæcunque esse possunt, resarciendorum ei, quem eorum auctorem aut homicidium factum, aut quævis alia ratio efficit, & eum, si factam sibi obligationem renuerit, beneficio absolutionis destitutum dimittere.

(*d*) C. *Si rixati* 1. de injuriis & damno dato ex Exod. 21. l. 5. t. 36.

Quæ huc usque disseruimus fundamentum sibi vindicant isthæc verba Gregorii IX. (*e*). *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.*

(*e*) Greg. IX. in c. *Si culpa.* 9. de injuriis & damno dato.

CASUS LIX.

PISISTRATES occurrentem sibi Clodionem, cui jamdudum infensus erat, adorsus est, & vibrato acinace manum ipsius præcidit. Num inde obligatur ad aliquam restitutionem. Atque ut paucis plurima conficiamus, instat ne restitutionis obligatio, cum res, ex qua sequi necessario videretur, est ejusmodi, quod per aliquid æquale non possit restitui?

RESPONS.

De proposita difficultate sic sentit S. Thomas, cum ait (*f*): *In quibus non potest compensari æquivalens; sufficit. quod ibi recompensetur quod possibile est .... & ideo, quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquod æquale; debet fieri compensatio, qualis possibilis est: puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri.* Obligatur ergo Pisistrates ad compensandum Clodioni damnum, quod ex ista detruncatione ei intulit, adeo ut, verbi gratia, si Clodion fuerit artifex, atque ex ista detruncatione non potuerit amplius eadem qua antea ratione labore suo victum sibi quærere, tenetur Pisistrates sub pœna peccati mortalis ad præstandum, si possit, integri, quod ex ista detruncatione experitur, damni compensationem. Et quoniam, quod patitur damnum qui mutilatus est, potest & ad ipsius familiam redundare, & tamdiu durare, quamdiu ipsemet duraturus est; qui ejusmodi damni auctor est, obligatur ad illud idem spectatum quantum ad præfatam circumstantiam reparandum. Quod ita docetur a S. Antonino (*g*) istis verbis: *Quantum ad secundum, scilicet de mutilatione, dicit Scotus, quod pro hujusmodi non est statuta pœna in Ecclesia, nisi pecuniaria, & ita debet respondere non solum damno, quod quis intulit per mutilationem pro toto tempore futuro, quo usurus quis esset membro abscisso, sed etiam expensis appositis in curatione, ut habetur cap.* Si culpa, *de injuriis & damno dato.... plus autem ponderanda est mutilatio pauperis, quam divitis, si magis egebat parte abscissa ad victum necessarium: puta, si abscissa est manus* dex-

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 3. ad 1. Item in 4. dist. 15. q. 1. a. 5. q. 2. ad. 2.

(*g*) S. Anton. 2. part. sum. theol. t. 2. c. 2. §. 2.

„ dextera scriptori, qui de illa arte vivebat. Tunc „ enim magis tenetur.

Idem quoque habet & stilo abundantiori prosequitur ista ratione S. Bernardinus Senensis (*a*): „ Talis mutilans (*secundum Scotum* (*b*) obligatur 1. „ ad expensas in curatione illius .... 2. Ad satisfa- „ ctionem impediti lucri pro toto futuro tempore, „ quo usurus erat illo membro ... 3. Ad satisfactio- „ nem afflictionis illius mutilati, quæ sibi perpetua „ est, cum vivere sine oculis, aut sine manu triste „ sit, & maximæ pœnæ. Propterea tenetur ei ad a- „ lia superimpendenda, ex quibus onera & tristitias, „ quas ex tali læsione incurrit, consolabilius atque „ levius ferre possit „. Subjicit deinde magis urgere obligationem restitutionis, quæ facienda est alicui egeno, quam viro diviti præstanda foret, & eandem ad familiam mutilati, si quid inde patitur detrimenti, esse extendendam. 4. „ Truncator dives tenetur, *inquit citatus Auctor*, alere „ a se truncatos, si alimoniis egeant. 5. Obligatur, „ ad satisfaciendum etiam consanguineis illius mu- „ tilati; puta, si ille scilicet cui manus ablata est, „ se & suos alebat, & uxorem, filios, patrem, & „ matrem, vel alios, quod nunc implere non po- „ test. Talis damnum inferens ad æqualia obliga- „ tur secundum judicium viri boni.

(*a*) S. Bernardin. serm. 36. in feria 3 post Dom. Quadr. art. 2 c. 2.
(*b*) Scotus in 4. dist. 15. q. 3.

CASUS LX.

PROTASIUS altæ nobilitatis vir, sed omnino libidinis immodicus, cum nec blanditiis nec verborum lenociniis potuisset Ameliam virginem quamdam claro genere natam atque in matrimonium proxime collocandam adducere, ad explendam suam turpissimam cupiditatem, ei nasum excidit, aut unum oculum effodit. Num in eo casu obligatur ad aliquam restitutionem?

RESPONS.

Nullus ambigendi locus est, si Amelia, ex eo quod in eum statum redacta sit, non possit nubere in divitias sibi eadem ratione congruentes, quas sperare potuisset, antequam deformaretur, quin Protasius teneatur, ad ei compensandum damnum, quod ei attulit, eidem conficiendo aliquam dotis accessionem, adeo ut ea ratione, in matrimonium ejusdem conditionis ire possit, in quod sibi licuisset antea collocari. Cui quidem asserendæ veritati sufficit vel ipsa sola Decretalis Gregorii IX. (*c*), quam in quinquagesima septima decisione superius retulimus.

Objici potest, ejusmodi defectus nullam assignari posse æstimationem; juxta isthæc verba Legis (*d*) *Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus, nullam recipit æstimationem*; Atque adeo nullam in eo casu faciendam restitutionem. Verum reponendum est, quemadmodum ait S. Thomas, cujus verba laudata sunt in præcedenti difficultate dissolvenda (*e*), cum non potest damnum, quod irrogatum est, ulla compensatione exæquari, istam compensationem nihilominus esse præstandam, qua ratione fieri potest, sive ab eadem illatæ injuriæ veniam, & damni condonationem obtinendo, ratione habita conditionis personarum, & ex judicio viri alicujus sapientis.

(*c*) Greg. IX. in c. Si culpa de Injuriis &c.
(*d*) L. Cum liberi fin. ff. de his, qui effuderint, vel dejecerint. l. 9. 1. 3.
(*e*) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2. supra cit.

Quod pertinet ad objectam Legem, facilis est responsio, dicendo nimirum, cicatricum & deformitatis, quæ corpori ex vulneribus inflictis inustæ sunt, eandem non posse constitui a Judicibus æstimationem, quæ assignatur pro expensis collatis in implorandam opem Medicorum & Chirurgorum, atque in usum medicamentorum, aut qua ratione æstimatur damnum, quod patitur aliquis in ejusmodi statu ex intermissione consueti sui laboris, aut ex alia parte: Cum enim vita hominis, & membra ipsius corporis quodcumque pretium excedant, justam æstimationem ex sententia Judicis recipere non possunt. At inde non impeditur Judex, quominus aliquam compensationem & possit & debeat pronunciare pro mutilatis, sive pro uxore & parvulis eorum, qui fuerunt occisi, quo possint inde juvari ad sustinendam animo tolerantiori jacturam, quam perpessi sunt, adjudicata iisdem aliqua quasi ipsorum damni compensatione, non quidem adæquante naturam ipsius damni, quod illatum est, siquidem nulla omnino æstimatione possit adæquari: sed servata aliqua proportione doloris illius, qui damnum istud expertus fuit. Atque ea potissimum de causa jubet alia Lex (*f*) homicidam condemnari, ad ingentem pecuniæ summam solvendam. „ Cum homo „ liber periit, damni æstimatio non fit in duplum; „ quia in homine libero nulla corporis æstimatio „ fieri potest, sed quinquaginta aureorum condem- „ natio fit. Inde est etiam, quod feratur in Exodo (*g*): „ Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mu- „ lierem prægnantem, & abortivum quidem fece- „ rit; si ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum „ maritus mulieris expetierit, & arbitri judicave- „ rint „. Jam vero fatendum est eam pœnam, quæ eo loci indicitur non habere locum justæ compensationis quantum ad infantem, cui præmatura mors illata est; quippe vita istius infantis nullam admittat justam æstimationem: Sed eo animo indici, ut Parentum infantis dolor aliquatenus possit inde levari (*h*).

(*f*) L. Præter. ff. de his qui effuderint &c. §. 5.
(*g*) Exod. 21. 22.
(*h*) Colloq. Condom. t. 1. Colloq. 21. sect. 2. Colloq. 15. Petroc. or. t. 5. coll. 7 q. 3. De Genet. t. h. mor. t. 6. tract. 8. c. 5. q. 20.

CASUS LXI.

ODO vir multis nominis, animo habens de Balduino viro omnino plebejo quærere vindictam, rumores falsos de eo disseminavit, affirmans sese ab eo fuisse suppilatum. Num ei incumbit, ad reparandum damnum, quod irrogavit Balduino, palam facere, quos de eodem sermones habuit veritati dissentire, atque ex propudiosa nimis palinodia imponere sibimetipsi calumniæ personam; posito autem quod verum in ea re dixerit, quænam eum in isto casu urgeret obligatio?

RESPONS.

Est hoc extra omnem omnino controversiam positum, si rumoribus aliquibus falsis Odo Balduini famam obscuraverit; ei induci obligationem palam faciendi, meras sycophantias esse, quos de eodem sermones disseminavit. Quippe qui ex generis sui claritudine non habeat, unde sese vindicet immunem reparandæ tantæ injuriæ, quantam viro prædicto intulit, cujus potissimum interest vir haberi, licet de plebeja fæce, spectatæ prorsus integritatis. Quam ob causam S. Thomas (*i*) disserens de eo, qui famam alienam inique obliteravit ex falsa aliqua criminatione, nulla adhibita exceptione ait: *Tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse.*

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2. item in 4. dist. 15. q. 1. a. 5. q. 2. ad 2.

At vero, si Odo verum dixerit, licet ex iniquitate prorsus & animo ultionis cupido, non potest quam ei notam inussit, delere, affirmando, falsum esse, quem habuit de eo sermonem. In eo namque mendacium diceret, quod nusquam ei licitum esse potest, neque etiam propter quodcumque bonum promovendum. Semetipsum ergo liberat sermonibus divulgando, se de Balduino male atque ex impetu animi non recto fuisse locutum, eumque in seipso inique prorsus diffamatum esse: aut denique si non possit ista ratione damnum, quod eidem attulit, sufficienter reparare: quoniam verbi gratia, ipsius furtum percrebuit omnium sermone, & ejusmodi certitudinis gradum attigit, quæ nulla jam potest eludi tergiversatione: tunc debet ei præstare damni compensationem. „ Tunc tenetur ad „ restitutionem famæ quantum potest, *addit Angelicus Doctor*, sine mendacio tamen; utpote di- „ cat, se malum dixisse, vel quod injuste eum dif- „ famaverit: vel si non possit famam restituere: „ debet aliter ei recompensare.

Observandum est, eum, qui proximo suo intulit infamiam vel ex calumnia, vel ex maledicto, non absolvi coram Deo, ex eo quod exhibeat ei famæ reparationem, quando fieri potest; sed obligari præterea, ad compensationem præstandam damni, quod ex infamia sibi inusta passus fuit, atque in causa sit, quamobrem ea de re nullus jam uti velit ejusdem opera, atque ei quilibet victus sibi quærendi locus eripiatur: Incumbit calumniatori, seu detractori, & quidem ex stricto conscientiæ debito, utpote qui revera sit, ut ajunt, ipsius damni causa efficiens, ejusdem afferre ei convenientem reparationem. Quod quidem vel ipsum naturale lumen suadet.

C A-

CASUS LXII.

Sabinio calumniam quamdam omnino atrocem Hyppolitus instruxit. Quam deinde radicitus diluit locupletissimis testibus ea de re imploratis, qui quidem eum ab objecto falso crimine quam maxime remotum esse testificati sunt, & quorum testificationibus accessit sententia, quæ ei in integrum famam restituit, & pœnam Hyppolito tanquam calumniatori infligit. Numquid præterea Hyppolitus adhuc obligatur, ad prædictam calumniam recantandam & expensas, quas Sabinius contulit, in suam defensionem, eidem refundendas?

Respons.

Siquidem Sabinius, quod sibi falsum crimen objectum fuerat, a semetipso plene removerit, & Calumniator fuerit Hyppolitus ex judicio denunciatus, debitamque Calumniatori subierit animadversionem, isti nulla ratione inducitur obligatio canendæ palinodiæ, si nihil Sabinium juvet ipsius retractatio. Sed extra controversiam positum est, eum ex conscientia teneri, ad resarciendum omne detrimentum, quod ei potuit in ista occasione inferre: atque imprimis, quas ad diluendum sibi falsum crimen impositum perferre coactus fuit, expensas quascunque restituendas.

Quæ decisio nostra proprium Authorem habet magni nominis Theologum, qui sic habet (*a*): *Si cum aliquem infamasti: sed is per evidentiam rei, vel per integritatem vitæ, vel per sententiam Judicis, aut aliter, famam suam recuperavit; non teneris ad famam ei restituendam: quia cessat damnum & inæqualitas, quæ per te erat facta: sicut si Petrus pecuniam sibi furto ablatam per seipsum recepit, non tenetur fur ad eam reddendam. Cæterum etsi infamator non teneatur his casibus ad restitutionem famæ: teneri tamen restituere damna, si qua inde sint secuta, & sumptus, si quos interim in recuperanda fama læsus fecerit, communis est sententia.*

(*a*) Fr. Sylvius in 2. 2 q. 62. art. 1. quæsito 9.

CASUS LXIII.

Farulfus vicinum suum Theocritum suggillavit & calumniatus est. Obligaturne ad reparandam injuriam, quam famæ ipsius intulit, etiam post condonatam sibi animo prorsus benigno istam injuriam, & verbis omnino expressis sibi factam a Theocrito veniam, atque liberaliter indultam, quæ ei præstanda erat, læsi honoris satisfactionem?

Respons.

Siquidem Theocritus homo sit privatus, ut supponimus, cujus fama nec Ecclesiæ nec Reipublicæ permultum refert, potest omnino condonare suo Calumniatori, quam ei præstare tenebatur, proprii læsi honoris satisfactionem: Eadem perinde ratione, qua posset eundem immunem facere, pecuniæ sibi ab eo surreptæ, vel mutuæ ei datæ restituendæ: In eoque casu Farulfo nulla necessitas affertur, pro injuria illata, Theocrito satisfaciendi, sed remanet obligatio ipsi Deo satisfaciendi per sinceram pœnitentiam, & quæ Christianam docet charitatem, vitæ rationis cum eo deinceps servandæ. Quam difficultatem eodem modo Sylvius (*b*) expedit, cum ait: *Sicut enim is cui est condonatum, ut per furtum ablata non restituat, & liber a restitutione; ita etiam infamator, cui infamatus obligationem restituendi rationabiliter condonavit* (*c*).

(*b*) Fr. Sylvius loco supra cit.
(*c*) Colloq Luconens. to. 2. Colloq 56. q. 2.

CASUS LXIV.

Clemens & Judas Mercatores & Cives Tolosani sese vexarunt invicem dictis probrosis, infecta ab altero alterius fama atroci omnino ac nefaria calumniatione. Clemens conditionem facit Judæ damni quod ei intulit, in integrum reparandi, si damnum quod sibi ex ipsius calumniatione fuit allatum, velit ipse etiam resarcire. Conditionem Judas respuit, quin imo pergit eum omni infamia aspergere, quoties de Clemente sermonem habendi locus & tempus recurrunt. Clementine nihilominus obligatio incumbit sub pœna mortalis peccati, famæ Judæ quam obliteravit, restituendæ?

Respons.

Arbitramur, cum Clemens & Judas sint paris uterque conditionis, eorumque crimina sint quoque paria; potiorem uni, quam alteri, non incumbere, necessitatem satisfactionis; & siquidem Judas nolit ullam præstare satisfactionem, ejusdem quoque posse Clementem vindicare semetipsum immunem; juxta regulam ab Innocentio III. constitutam; qui quidem sermonem faciens de marito & uxore, qui fecerant ex utraque parte adulterium, ait, eos qui ejusdem nequitiæ crimina aliqua commiserunt, posse a Lege satisfactionis, cui aliunde subjacerent, mutua compensatione subduci. *Cum paria crimina*, inquit (*d*), *compensatione mutua deleantur.*

(*d*) Innocent. III. in c. Tua fraternitas fin. de adulteriis & stupro l. 5. tit. 16.

Nihilominus, si nihil quidquam obstante, quod Judas nolit læsi honoris satisfactionem exhibere Clementi; iste prior satisfacere incipiat; eo ipso Judas coram Deo tenetur, ad famam ex sua etiam parte Clementi reparandam.

Cæterum constat utrique mutuam induci coram Deo obligationem, gratiæ sibi invicem faciendæ, & condonandæ, quam ex utraque parte inter se invicem contraxerunt, obligationis satisfaciendi: ut probant isthæc verba S. Augustini (*e*): *Quicumque convicio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læsit; meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit: & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere; si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt.*

(*e*) S. August. regula ad servos Dei n. 10. tom. 1.

Juvat potissimum observare 1. istam a nobis clausulam appositam fuisse: *Cum Clemens & Judas sint paris uterque conditionis, eorumque crimina sint quoque paria.* Si enim inæqualitatis aliquid notabilis intercederet inter eos, & uni damnum majus accessisset, quam alteri: qui majorem admisisset iniquitatem, non posset vindicare sibi jus exigendæ compensationis: quemadmodum docetur a Sylvio. 2. Quæstionem hic loci tantummodo esse de duobus falsis criminibus ex utraque parte jam intentis; si solus namque Judas Clementi calumniam instruxisset, nullo in casu liceret Clementi parem calumniam referre, sub prætextu notam ei inurendi viri omnino perditissimi, & odiosissimi sycophantæ. Neque enim vero, perhibente Scriptura Sacra, permittitur unquam reddere malum pro malo, nec injuriam pro injuria (*f*): *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto; sed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.* Quin imo Dominus noster J. Christus præcipit, ut nedum calumniantibus parem referamus calumniationem, quin potius pro iis etiam supplices manus ad Cælum attollamus (*g*): *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos* (*h*).

(*f*) 1. Petri 3. 9. & Rom. 12. 17.
(*g*) Matth. 5. 44.
(*h*) Colloq. Luconens. to. 2. Colloq. 56. q. 2. De Genet. theol. mor. tom. 6. tract. 6. c. 5. q. 26.

CASUS LXV.

Oliviarius, licet culpa carens, in judicium postulatus tanquam reus cujusdam rei Diodoro surreptæ, datum in se testem experitur quemdam Artum, quem inculpatæ vitæ & spectatæ sanctitatis virum habent omnes, qui tamen testimonio dicit, ab eo revera perpetratum esse furtum, de quo in eum accusatio conflatur; Oliviarius vero, qui ad manum adest fidei certissimæ instrumentum, ex quo potest invictissimo argumento probare, ab Arto in alia jam causa dictum esse falsum testimonium, illud idem in judicium profert, atque ea ratione notam ei inurit ad ignominiam sempiternam. Obligaturne coram Deo, ad reparandam injuriam, quam ipsius famæ intulit; si vero teneatur ad ejusmodi reparationem, quo potissimum modo potest eandem præstare?

Respons.

Ad propositam difficultatem respondetur, Oliviario nullam obligationem induci restitutionis famæ erga Artum exhibendæ: Enimvero cum sese sentiret opprimi ex falso testimonio viri istius, atque adduci in evidens periculum subeundi dam-

natorii

natorii judicii, ex quo sibi licet insonti, probrosum latronis nomen incurrendum erat; potuit absque ne minima quidem culpa ejusmodi testem ejerare, contra quem caussa rejectionis adeo justa sibi succurrebat: Siquidem in eo non ageret, nisi ex necessitate omnino urgente vindicandi sibi tum propriam vitam, tum proprii nominis honorem: Quod tamen dictum nolumus, nisi positis duabus potissimum conditionibus.

Prior est: Oliviario non adesse aliam rationem repellendæ criminationis. Si posset enim alio modo eandem a semetipso removere; nulla jam eum necessitas urgeret palam faciendi crimen istius falsi testis.

Posterior est: Quod vitium detegit, illius conditionis esse, quam sortiri affirmatur in enunciata specie; hoc est, ut possit argumento esse, Artum revera falsum esse testem. Si crimen namque foret ejusmodi, quod cum dicto ab eo falso testimonio nullam haberet communionem, neque quidquam Oliviarium juvaret ad propriam suimetipsius defensionem; illud idem nulla omnino ratione indicare posset absque peccato, nec nisi contracta inde obligatione compensandi damni, quod ei sine jure & necessitate attulisset; secluso tamen casu, quod ea de re verbis expressis interrogatus a Judice obligaretur, ad illud declarandum. Constat igitur, præmissis duabus conditionibus servatis ab Oliviario posse peccatum Arti fieri manifestum. *Si autem defectio criminis alieni*, inquit quidam Theologus prorsus insignis (a), *non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem; sive quia potes aliter eam tueri, ut juramento, vel testibus; sive quia tale crimen alienum detegere, est ad tuam defensionem impertinens; peccas contra justitiam, illud detegendo, & ad restitutionem obligaris.*

(a) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 2. quæsito 10.

CASUS LXVI.

Gracilianus certissime sciens, occultum furtum a Raouldo factum fuisse, Judicem adit eundem ad istum de furto delaturus, ut quam concepit, malam mentem satiet ipsius exitio. Eine inducitur obligatio, quod præfato viro damnum ex cupidine ultionis attulit, resarciendi?

Respons.

Certissimum est, nunquam obligationem induci faciendæ ullius restitutionis, cum nihil quidquam actum est contra justitiam; licet peccatum sit adversus caritatem. Atque hæc est propria S. Thomæ doctrina, quam cum eo tenet vulgus Theologorum. *Aliquis potest, alicui famam tripliciter auferre*, inquit laudatus Sanctus (b), *uno modo, verum dicendo & juste: Puta, cum aliquis crimen alicujus prodit, ordine debito servato; & tunc non tenetur ad restitutionem famæ, &c.* Porro si Gracilianus non conflaverit in Raouldum falsam accusationem, & ei sint ad manum invictissima argumenta, quibus palam faciat crimen, quod in ipsum molitur; nulla ratione lædit justitiam; quippe qui nihil proferat, quod a veritate sit alienum; & æquum sit pœnam debitam a viro facinoroso rependi: non obligatur ad ullam afferendam Raouldo reparationem: Sed tenetur tantummodo, ad expiandum per convenientem satisfactionem peccatum, quod commisit contra charitatem, quod nempe voluerit de proximo suo seipsum vindicare, eique ex concepto adversus eum odio afferre exitium. Ita censet Auctor Theologiæ moralis Gratianopolitanæ (c).

(b) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2.

(c) Fr. de Genet. theol. mor. tom. 6. tract. 8. cap. 5. q. 25.

CASUS LXVII.

Marcellum operis bombycini textorem de Civitate Lugdunensi, palam & in conspectu omnium habitum notabilis alicujus furti manifestum, quod Ambiani fecerat, inde se se receptum, ne debitas criminis sui pœnas ibidem daret, Eutropius rerum istarum conscius, Lugduni divulgavit, quo necdum pervenerat ne levissima quidem istius furti suspicio, neque, quantum omnino conjicere est, unquam pervenisset; quin etiam ipsis, qui ejus opera utebantur, indicavit. 1. Num ex ista famæ ipsius obtrectatione, & erepto eidem quocumque victus sibi quærendi loco, siquidem jam nemo reperiatur, qui velit ei nec confidere, nec operæ quidquam mandare, Eutropius peccavit? 2. Obligatur-ne ad aliquam reparationem Marcello præstandam?

Respons.

Iri non potest inficias, quin Eutropius gravissime peccaverit contra præceptum tum naturale, tum Divinum charitatis, quo prohibetur, ne quis alteri faciat, quod sibi fieri nollet, & præcipitur omnibus hominibus, ut se se tales erga alios gerant, quales alios cuperent erga semetipsos agere. Quæ quidem tum novæ tum veteris Legis Scripturæ potissimum commendant istis verbis (d): *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne ut aliquando alteri facias.* Et alibi (e): *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.*

(d) Tob. 4. 16.

(e) Luc. 6. 31.

Quin etiam Eutropius a peccato mortali ægre admodum vindicatur, consideratis, quæ in isto facto occurrunt, circumstantiis; siquidem, ut supponimus, nec bonum publicum, nec privata cujusquam utilitas locum dederint ipsius obtrectationi; neque eam videatur in ejus vitam conjecisse, nisi ex mala mente, atque lingua prorsus immoderata. Cujus rei ratio est, quod, quanquam verum sit Marcellum utpote propter furtum, quod fecit, publice diffamatum, propria sua fama excidisse, & quo antea gaudebat, ejusdem servandæ tum Ambiani, tum ubicumque terrarum, in quibus criminis ipsius sermo percrebuerat, jure spoliatum esse; non inde tamen sequitur, eodem jure spoliandum esse sine justa caussa in Regionibus remotis & locis plurima distantia dissitis, in quibus de ejus nequitia nihil quidquam auditum est, neque, ut plurimum conjicere est, ne verbum quidem unum unquam factum fuisset.

Nihilominus, si Marcellus fuisset in judicio furti convictus, & pœna aliqua capitali in ore omnium mulctatus; videtur futurum ut nulla Eutropio induceretur obligatio ullius reparationis eidem præstandæ, quod eum Lugduni fecisset infamem. 1. Quoniam publici juris est publici judicii notitia. 2. Propterea quod Lex potissimum intendat, publicam infamiam venire in partem pœnæ, quæ nocenti debetur, & ipsum famæ beneficio, quod promeruit amittere, & quo merito prorsus expers factus fuit ex damnatorio judicio, quod in eum datum est, omnino privari. Atque ea ratione censet Auctor Theologiæ (f) moralis Gratianopolitanæ, quem in suis assertionibus laxioris morum disciplinæ fautoris probro nullus unquam aspersit.

(f) De Genet. tom. 6. tract. 8. cap. 5. q. 27.

2. Si damnatorium ejusmodi judicium non fuerit datum in Marcellum, nulla ratione potest Eutropius vindicari ab obligatione resarciendi totum damnum, quod ex iniqua famæ viri istius obtrectatione, eidem attulit. Neque enim ideo se se facit immunem istius obligationis adimplendæ, quod contendat nil nisi verum ea in re a se ipso fuisse dictum: alioquin ex eodem prætextu quibuscumque obtrectatoribus posset afferri immunitas reparandi damni, quod ex immoderata sua lingua intulissent: quod nemo nisi omnino absurde dixerit.

Cui decisioni totus favet Merbesius; en namque qua ratione loquitur (g): *Quisquis hominem, alias ob sua crimina infamia notatum, sed sanctiore vita ad meliorem famam postliminio reversum, velut adhuc reum dedecorat, vel præterita ejus crimina apud inscios commemorat, sæpe lethali flagitio caritatem extinguit; sæpe etiam contra justitiam, ut puta, si inde, ullum in iisdem hærere flagitiis suspicio oriatur; & fraudetur lucro ipsi obventuro; vel eidem illi grave damnum emergat.*

(g) Merbes. q. 179. part. 2. conclus. 2. in fine pag. 634.

3. Denique, cum dicimus, Eutropium ex conscientia teneri, ad afferendam Marcello damni, quod ex ipsius culpa passus est, integram compensationem, id nolumus intelligi de pecuniaria tantummodo restitutione, sed etiam de ipsa nota, quam ejus famæ inussit, quantum possibile est, diluenda: atque in isto potissimum posteriori hoc opus, hic labor est. Neque enim potest ei famam restituere non loquendo verum, & aliquid asserendo, quod a perspecta sibi rei veritate vel tan-

tantillum recedat; quidquid inde possit accedere utilitatis: siquidem nec ullius commodi gratia liceat ne levissimum quidem unquam admittere mendacium: illud igitur, quod sit licitum, remedium in eo casu adhibendum superest, quod palam faciat, a semetipso inique prorsus actum fuisse, cum virum istum infamavit. Quod quidem solum remedium in ejusmodi rerum ambagibus, quibus undequaque premitur obtrectator, S. Thomas proponit ac suadet istis verbis: *Tertio modo, verum dicendo, sed injuste, puta, cum aliquis prodit crimen alterius, contra ordinem: & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen: utpote quod dicat, se malum dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit.* Quæ ipsissima verba sunt laudati Doctoris. Potest aliquando Christiana prudentia quasdam alias rationes suggerere; sed fatendum est easdem, ut raras esse, sic, quantum ad usum & praxim, esse omnino difficiliores.

CASUS LXVIII.

Bertoldus occultum quoddam crimen Natalis, nihil retentus ipsis Evangelicis de fraterna correctione institutis, divulgavit; atque illud idem certissimis argumentis sic fecit indubitatum, ut jam nullus ei superfit locus famæ, quam injuste adeo obliteravit, ullo modo eidem restituendæ. Potest-ne immo [illegible]am debetne amissam Natalis famam, ei conferendo quamdam pecuniæ summam, aliquatenus compensare?

Respons.

Videtur, extra omnem controversiam positam istud esse, quod Bertoldus non tantum possit, sed etiam debeat, quod ex sua obtrectatione Natali intulit, damnum summa aliqua pecuniæ eidem compensare. Sic sentit S. Thomas (*a*), qui docet, in ejusmodi casu compensationem præstandam esse aut pecunia, aut aliquo honore, aut aliquod commodum afferendo personæ, quæ infamata fuit, servata conditione personarum ex judicio viri alicujus prudentis; quod probat exemplo illius, qui, cum alicui brachium abstulit, obligatur, ad damnum illius pecunia aut alia quacumque ratione reparandum, siquidem brachium non valeat ei restituere: *Et ideo*, inquit memoratus S. Doctor, *quando id quod est ablatum non est restituibile per aliquid æquale; debet fieri compensatio, qualis possibilis est: puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque, secundum arbitrium boni viri.*

(*a*) 2. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2.

Idem quoque censet quidam nomine magnus Segoviensis Episcopus (*b*), qui dicit, in eo sibi consentire omnes, quotquot sunt Theologi, quorum communis hæc sententia est; honorem proximo injuste ablatum posse restitui pecunia cum offenso conventa, aut ipsi solvenda secundum æstimationem viri alicujus prudentis & intelligentis. *Consentiuntque omnes*, inquit laudatus magni nominis Canonista, *famam posse pecunia compensari; tametsi maximæ æstimationis fama sit. Sic etenim aurum est pretiosius argento: & tamen magnum pondus argenti prævalet parvo auri ponderi. Ex quo patet famam & honorem, ut res exteriores, hominum subjici arbitrio* (*c*).

(*b*) Didacus Covarruvias var. resol. l. 2. c. 2. n. 8.

(*c*) Colloq. Lucionens. t. 2. Colloq. 16. q. 3. De Gen. theol. mor. loco supra cit. q. 28.

CASUS LXIX.

Cleonicus, ab elapsis jam duobus aut tribus annis, cujusdam virginis famam, de qua cum aliqua ex vicinis suis sermo fortasse inciderat, contumeliose læsit; nupsit ab eo tempore virgo præfata & quidem iisdem conditionibus, quibus in matrimonium veniendi spes ei potuerat affulgere; atque ex quo viro juncta est, semper præluxit bonis moribus, & exemplo vitæ omnino Christianæ. Cleonicus, cui jam antea confitenti ex lapsu memoriæ exciderat de ista obtrectatione sermonem habere, in ultima sua confessione de eadem, tanquam de peccato, quod effluxerat e sua memoria, sese accusavit. Numquid debuit Confessarius obligationem ei imponere, vicinæ suæ adeundæ, & notæ, quam famæ virginis istius inussit, quantum fieri posset, diluendæ?

Respons.

Est hæc nostra opinio, plurimos nimirum esse casus, in quibus Confessarius Cleonici non debet ei imponere obligationem adeundæ vicinæ, apud quam probrosos habuit de præfata virgine sermones, eo fine, ut eum adducat, ad injuriam, quam ipsius famæ maledictis suis attulit, reparandam.

Prima est: si, quod in famam virginis istius conjecit, probroso dicto nihil vicina mota fuerit, quin potius pro more solito eandem in eodem loco semper habuerit, & virginem bene moratam existimaverit. In ista namque hypothesi, obligaretur ad rem restituendam, quam non abstulisset, &, quod non intulisset, damnum resarciendum; quanquam animo dedecoris eidem afferendi fuerit affectus. Quin etiam contingere posset, ut, dum malo remedium adhibere cogitaret, illud idem potius exulceraret, infigendo scilicet animo prædictæ vicinæ iniquiorem de ea, de qua fuerat antea oblocutus, opinionem.

Secundus est: si certum habeat, aut ipsi justa persuasionis caussa adsit, e memoria vicinæ effluxisse, atque penitus deletum esse, quidquid apud eam de fama & honore præfatæ virginis detraxit. Tunc etenim refricaret vulnus famæ ipsius incussum, quod quidem ad fortunatam adeo curationem venit, & cujus sic obducta est cicatrix tum ex lapsu memoriæ, qui vicinæ, ut supponitur, contigit, tum etiam ex modestissimis ipsius moribus, & virtutum Christianarum odore, quem ista virgo a tempore permulto jam expiravit; ut merito jam possit dici, nullam amplius ei damnum inde superesse; nullamque proinde eidem debere damni compensationem.

Tertius est: si malum, quod Cleonicus prodidit in dedecus istius virginis, prædicta vicina certissimum postea atque omnino exploratum aliunde habuerit: & conjiciat, quidquid boni posset in gratiam ejusdem virginis sermonis injicere, nihil quidquam juvaturum, ut præjudicatam de fama illius valeat auferre opinionem: quoniam ei constat de rei veritate, quam eidem aperuit. In isto namque casu impossibile omnino est, ullam ab eo fieri restitutionem.

Quartus denique casus, in quo Calumniator, aut obtrectator potest ab obligatione eximi damni, quod attulit proximo, resarciendi, est, cum non potest, nisi cum propriæ vitæ periculo, illud idem reparare; aut nisi gravissimum aliquod inde incommodum, vel in semetipsum, vel in sua redundare, experiatur. Si tamen ex calumnia vel ex obtrectatione periculum immineret vitæ proximi calumniati, Calumniatori incumberet obligatio reparationis, etiam cum propriæ vitæ periculo, eidem necessario præstandæ. *Is, qui per calumniam adegit innocentem ad famæ aut vitæ periculum*, inquit Cabassutius (*d*), *si non potest alia via sufficienter occurri: tenetur suam manifestare calumniam, etiam cum pari vitæ, aut honoris periculo; quia in pari caussa potior est innocentis, quam criminose diffamantis conditio.* Additque laudatus Canonista: *Hoc tamen intellige, modo suam declarando nequitiam liberaturus sit innocentem. Nemo enim tenetur ad inutile opus cum proprio gravi incommodo.*

(*d*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 6. c. 12. n. 2.

CASUS LXX.

Theophrastes cuidam Monasterio præpositus superior, cum audivisset, aliquem ex suis subditis apud alios disseminare Doctrinam non sanam, & eundem, juxta regulam Evangelicam, inter se & ipsum solum corripuisset, absque eo quod in melius mutatus se se deinceps a novellis inventionibus spargendis abstinuerit; eum indicavit universæ Communitati, tum ut pudore suffusus excitaretur, ad immutandam agendi rationem, &, quibus imbuebatur, errores abjudicandos; tum ut aliis caveret, ne seducti captiosis illius colloquiis, & perversis sermonibus pravas tandem imbiberent opiniones. Ei-ne obligatio inducitur, labis, quam apud inscios perniciosorum ejus dogmatum, ei inussit, ratione aliqua diluendæ?

Respons.

Nulli prorsus obligationi reparationis dictus Superior

tior subjacet erga suum subditum, cum, antequam eum, qualis esset, apud universam Communitatem pervulgaret, servandas in ejusmodi rerum circumstantia regulas cum justitiæ tum caritatis habuit inviolatas. Utraque etenim caussa, propter quam adductus fuit ad eum indicandum, nimirum ut consuleret propriæ emendationi prædicti subditi, & alios deterreret a perversa illius Doctrina, æquitatem omnino sapit. Fama namque nequissimi alicujus viri cum periculo salutis alienæ non est servanda. Quam decisionem habet quidam notæ prorsus celebrioris Interpres S. Thomæ (*a*), istis verbis: *Sic quando Judex, aut quivis alius Superior servatis debitis circumstantiis subditorum peccata occulta manifestat, vel ad eorum correctionem, vel ad aliorum exemplum, nulli restitutioni obnoxius est.* Deinde subjicit eruditus iste Theologus: *Similiter, si quis peccatum, aut defectus proximi denunciavit apud superiorem, pro ejus emendatione, secundum ordinem fraternæ correptionis; vel apud alios, pro vitando ipsorum periculo, quod alioquin eis immineret* (*b*).

(*a*) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 62. art 2. quæsito 10.

(*b*) Colloq. Condomens. t. 1. Colloq. 16. sect. 3. Colloq. Lucidon. tom. 2. Colloq. 56. q. 1.

CASUS LXXI.

Theotimus adamantem unum emit a Geoffrido pedissequo Marcelli, pretio trecentarum librarum; licet, eundem ab eo hæto ipsius sublatum fuisse furto, non ignoraret. Illum ab eo tempore donavit cuidam amico suo; neque jam habet in sua potestate. Numquid nihilominus obligatus semper remanet, ad prædictum adamantem, aut justum illius pretium Marcello restituendum, quamquam ejusdem possidendi non sibi vindicaverit beneficium?

RESPONS.

Rapinam emere non licet, ait Canon (*c*), *nisi ea intentione, ut, cui est ablata, reddatur.* Cujus rei rationem istam affert Innocentius III. cum præsens aderat Concilio generali Lateranensi (*d*), quod nimirum, qui rem aliquam accepit, quam sciebat furto sublatam esse, non possit ejusdem acquirere Dominium, licet per multorum manus diversis possessoribus jam transmissam, non posset proprietarius demonstrare, suam esse. *Sæpe contingit*, inquit præfatus Papa, *quod spoliatus, per spolia orem in alium re translata, dum adversus possessorem non subvenitur per restitutionis beneficium eidem spoliato; commodo possessionis amisso propter difficultatem probationum, juris proprietatis amittit effectum. Unde, non obstante Juris Civilis rigore* (*e*), *sancimus, ut, si quis de cætero scienter rem talem acceperit, cum spoliatori quasi succedat in vitium,* (*eo quod non multum intersit, quoad periculum animæ, injuste detinere, aut invadere alienum;*) *contra possessorem & hujusmodi spoliato per restitutionis beneficium succurratur.* In quæ verba Glossa dicit (*f*), rei, quæ semel injuste parta fuit, vitium transmitti omnibus in ejusdem possessione primo partori succedentibus: *Quia vitium rei sequitur omnem possessorem*, ut fert ipsa Lex (*g*), quam citata Glossa memorat: quod etiam manifestum omnino est ex illis verbis antiqui cujusdam Canonis (*h*), qui refertur a Gratiano: *Facto auctoris successio damnatur hæredis: inexpiabilis est enim venditi culpa mysterii.*

(*c*) Can. Rapinam. 5. 14. q. 5.

(*d*) Innoc. III. in c. Sæpe. 18. de restitutione spoliatorum. lib. 2. tit. 13.

(*e*) L. Cum a te. ff. de vi & vi armata.

(*f*) Gloss. in cit. c. Sæpe. v. In vitium.

(*g*) Vitia possessionum a majoribus contracta, perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitatur. L. Vitia cod. de acquirenda & retinenda possessione. l. 7. tit. 32.

(*h*) Can. Cito. 16. §. Vides. 1. q. 1.

Inde igitur inferendum est, cum Theotimus, quem furto sciebat fuisse a Geoffrido sublatum, adamantem emerit, ab eo procul dubio admissam esse injustitiam apertam, volendo nimirum sibi vendicare Dominium rei, quod non poterat ejusmodi ratione sibi acquirere, quamque rem invito ipsius vero Domino iniqua possessione retinent: atque adeo, ipso Geoffrido non restituente, eidem incumbere obligationem Marcello restituendi. *Dominium autem rei alienæ non transfertur nisi per Legem, vel per Domini voluntatem*, ait Sylvius (*i*), *& quando Dominium non est translatum, semper manet obligatio restituendi.* Ex quibus verbis palam & aperte demonstrantur quæ hic loci dicimus. Neque etenim. 1. Lex nullum facit Theotimo titulum, ex quo vindicare sibi valeat adamantis, quem emit, proprietatem; quin potius ei prohibet, ne rem, quam furto surreptam fuisse novit, sibi comparet; & præcipit, ut, qui eam ista ratione sic emit, eandem reddat vero Domino; nullo servato jure ei, qui cum mala fide eam acquisivit, repetendi a proprietario pretium, quo rem istam accepit. 2. Neque proprietarius ullum Theotimo præbet consensum; siquidem emtor iste malæ fidei adamantem prædictum, eodem invito, aut sibi retinet, aut cuidam alteri donavit. Cadit igitur in Theotimum injustitiæ culpa, & consequenter obligatio restitutionis. *Talis emtor*, subjicit laudatus Sylvius (*k*), *vere committit furtum, aut saltem est particeps furti. Ergo tenetur ad restitutionem sicut fur.*

(*i*) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 6. init.

(*k*) Idem cit. qu. 62. art. 6. quæsit. 1. conclus. 6.

CASUS LXXII.

Brutus furto sublatam Desiderio calamariam thecam argenteam vendidit Samsoni, qui eandem bona fide emtam post paucos ab illinc dies cuidam ex amicis suis dono dedit: aut venumdedit cuidam Aurifabro: aut tandem ex casu mere fortuito amisit. Samson audiens, istam calamariam thecam furto sublatam esse, obligaturne, saltem non restituente Bruto, ad pretium ejusdem Desiderio refundendum?

RESPONS.

Non obligatur Samson in casu proposito ad pretium calamariæ thecæ Desiderio restituendum. Neque enim (*l*), juxta Doctrinam S. Thomæ, ad restitutionem posset obligari, nisi vel *ratione injustæ acceptionis*, aut *ratione rei acceptæ*. Porro nulla eum urget restitutionis obligatio *ratione injustæ acceptionis*, siquidem, ut supponitur, tunc temporis bona fide juvaretur, quando rem istam pretio acquisivit, atque tamdiu, quamdiu eandem in sua potestate & possessione retinuit. Sed nec ad restitutionem tenetur *ratione rei acceptæ*; quippe qui eam aut alienaverit, donaverit, vendiderit, aut perdiderit, eadem remanente bona fide; atque adeo contendi non possit, rem alienam ab eo retineri. Quippe ejusdem omnino desierit esse possessor.

(*l*) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Quæ decisio plane concordat cum dispositione Legum civilium, quæ jubent, ut bonæ fidei possessor rem alienam ipsiusque fructus, seu proventus de eadem perceptos restituat. Enimvero præfatæ Leges semper supponunt, remanere etiamnum & actu apud possessorem bonæ fidei atque in ipsius potestate tum rem prædictam alienam, tum proventus ejusdem, qui ei accesserunt, & per quos factus est locupletior: *Si & rem & pretium habeat bonæ fidei possessor*, ait una ex citatis Legibus (*m*), *puta, quod eandem rem redemerit; .... oportet igitur, possessorem & rem restituere petitori, & quod ex venditione ejus rei lucratus est.* Extat alia Lex, cujus verba multo luculentiora de præsenti nostra difficultate leguntur. Habens namque mentionem de possessore bonæ fidei, qui perdidit, consumpsit, aut alienavit rem alienam, remanente sua bona fide, eum eximit ab omni restitutionis obligatione, & solummodo præcipit, ut diligenter inspiciatur, num prædicta res aliena ei fructus attulerit, ex quibus rem suam fecerit ditiorem, quo in casu, eosdem jubet ab illo referri & restitui. En ipsissima sunt præfatæ Legis verba (*n*): *Utrum autem omne pretium restituere debebit bonæ fidei possessor: an vero ita demum, si factus sit locupletior, videndum. Finge, pretium acceptum vel perdidisse, vel consumpsisse, vel donasse: & verbum quidem, pervenisse, ambiguum est: solum ne hoc contineret, quod prima ratione fuerit; an vero & id quod durat? Et puto, sequentem clausulam Senatus consulti ... sequendam esse, & si hæc sit ambigua: ut ita demum computet, si factus sit locupletior.* Ad quæ verba Glossa legem istam ratione magis aperta atque perspicua interpretans, ait: *Respondetur, quod non* (*tenetur*) *ex illa scilicet clausula, qua dicitur, quod bonæ fidei possessor non tenetur, nisi in quantum locupletior factus est.* Habemus tandem tertiam Legem (*o*), quæ eandem regulam inducit. *Certum est*, ait ista Lex, *malæ fidei possessores, omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei vero, extantes.* Quas omnes Leges approbavit & confirmavit Imperator Justinianus, qui dicit: *Si vero bonæ fidei possessor fuerit; non habetur ratio neque consumptorum, neque non perceptorum* (*p*).

(*m*) L. Si & rem. 22. ff. de petitione hæred. l. 5. tit. 3.

(*n*) L. Utrum. 23. ff. eod. tit.

(*o*) L. Certum. 22. Cod. de rei vindicat. l. 3. tit. 32.

(*p*) Lib. 4. Instit. tit. 17. de officio Judicis. §. 2. v. Etsi.

Quæ Jurisprudentia tota consentanea est sententiæ Theologorum, atque imprimis Doctrinæ Angeli Scholæ (*q*), qui contendit, non induci obli-

(*q*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

image
not
available

damni fuerit illatum ex ista summa pecuniæ eidem furto surreptæ; Tullio necessitas incumbit ejusdem damni in integrum reparandi; atque nititur hæc assertio nostra Doctrina S. Thomæ, quem ea de re alibi appellamus.

CASUS LXXV.

Didacius Capsarius apud Argentarium quemdam, infinitis propemodum, iis tamen omnino exiguis, factis furtis in damnum multorum, qui de rebus suis domesticis erant bene constituti; malis nimirum artibus corradendo unum assem de una persona, binos solidos de alia, nec furtis gravioribus, quam quatuor quinqueve solidorum unicuique personæ tantummodo surreptorum, constrictus; contendit, licet ista ratione rem satis ingentem sibi fecerit, sibi non induci, sub pœna peccati mortalis, obligationem quidquam restituendi; idque, tribus potissimum de caussis. Primam allegat, quoniam ex quibuscumque privatis personis, quibus res ejusmodi exiguas furtive subtraxit, nullam reperire sit, quæ damnum inde fuerit experta satis notabile, ut sibi restituendi necessitas, sub tanta pœna, ea de re possit afferri. Secundam vero, quod ad verum non accedat, ex iis quemquam sic animo affectum esse ut velit ei facere, sub nequiori ista conditione, reddendæ rei tam levis obligationem; siquidem *modicum pro nihilo reputatur*, ut memorat (*a*) S. Antoninus post S. Thomam (*b*), qui & ipse ait: *Illud, quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil:* Tertiam denique, quia sibi foret impossibile, debitam unicuique partem, caussa restitutionis, afferre; siquidem ex præfatis personis sibi ne vel una quidem innotescat. Nonne allegatæ rationes sufficientem ei vindicant, si noluerit restituere, culpæ lethalis immunitatem?

(*a*) S. Anton. 2. part Summ. theol. tit. 9. c. 10. § 1.

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3.

RESPONS.

Ostentatæ istæ rationes, quas sola divitiarum immoderata cupiditas Didacium docuit, nec possunt eum subducere ab obligatione, quæ ei omnino incumbit, furtivarum prædictarum rerum, quantumcumque levissimæ sint, restituendarum, nec eum non restituentem a peccato mortali vindicare. Neque enim quisquam inficias iverit, quin res illa ingens, quam sibi fecit ex repetitis istis, licet levioribus, furtis, ex aliena re conflетur; & iniquus sit alienæ rei possessor.

Quam primo loco arrogat sibi, restitutionis exceptio frivolam omnino caussam habet. Licet enim unaquæque persona, de qua pecuniam istam unoquoque exiguo furto corrasit, non fuerit inde experta damnum satis notabile, pro quo ipsi inducatur sub pœna Lethalis peccati restitutionis obligatio; negari tamen non potest, quin notabile prorsus & ingens damnum ad omnes istas personas privatas collective sumptas inde redundaverit; atque adeo, si prima laudata receptio a Didacio, quantum ad quemdam unum privatum, possit obtinere, non est cur ab eadem nequeat valere consecutio ducta a particulari, ad generale collective sumptum: ut pote quod isthæc leviora furta simul & collective considerata certissime vertant in gravissimum publicæ rei detrimentum; & proinde afferant ei, qui isthæc fecit, obligationem integræ restitutionis, etiam sub pœna mortalis peccati. Quibus addimus præterea 1. eum non posse vindicari ab obligatione restituendi in eo casu, quin eo ipso locus fiat & ipsimet, eorumdem furtorum continuandorum; & aliis, eorumdem faciendorum; atque sic posse contingere, ex ipsius exemplo perniciosam prorsus & omnino vitiosiorem propagari æmulorum successionem. 2. Potuisse in eandem personam a præfato Capsario leviora isthæc furta repetitis adeo vicibus admitti, ut eidem inde fuerit illatum notabilius surreptæ pecuniæ detrimentum; quemadmodum fieri plerumque consuetum est, cum in vendendo mensura falsa adulterinumque pondus adhibentur.

Neque vero pondere vincit allegata secundo loco ratio, quæ priore nititur, atque ex ea, quasi ex principio, naturali consecutione deducitur. Quanquam etenim fieri possit, unamquamque personam eo animo sic affectam non esse, ut velit Didacio facere, sub nequiori culpæ lethalis conditione, furtivæ rei, quam surripuit, utpote levioris sibi restituendæ obligationem; certissimum est, si compertum unicuique personæ foret, ex repetitis multoties istis levioribus furtis ditissimam viri istius factam fuisse fortunam, mentem eidem affuturam exigendæ ab eo istius restitutionis; quod quidem sic licet saltem conjicere, ex eo quod inde publicæ rei detrimentum notabilius accesserit.

Infirma tandem omnino est ratio tertia, & præ ceteris duabus prioribus minus habet probabilitatis; siquidem non ideo restituendæ rei alienæ quis constituatur immunis, propterea quod, quibus damnum intulerit, eos omnes non habeat perspectos; & juxta Doctrinam, quæ tum S. Thomæ, tum aliorum Theologorum propria est, teneatur in eo casu, ad restituendum Ecclesiæ vel pauperibus.

Atque nostræ decisioni plurimum roboris & auctoritatis potest afferre petita ex adulterino pondere & mensura dolosa comparatio. Enimvero si fieret unicuique libera facultas faciendarum sibi divitiarum ex levioribus furtis, nulla inde urgente obligatione restituendi, eadem ratione licitum foret in vendendo adhibere falsum pondus & falsam mensuram, & inde fortunam plurimum augere absque obligatione ullius restitutionis. Jamvero contendi nullatenus potest, nisi ex ignorantia omnino crassa, & manifesto prorsus errore qui nullam habet excusationem, falsum pondus, falsamque mensuram posse in vendendo adhiberi, quippe ex iisdem in publicam rem detrimentum omnino ingens derivetur. Eaque de caussa scripturæ sacræ eadem verbis districtissimis sic interdicunt (*c*), *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus*. Et iterum alibi (*d*), *statera dolosa abominatio est apud Dominum* (*e*). Eadem ergo ratione determinandum est de levioribus furtis, quæ quocumque alio modo committuntur.

(*c*) Deuteron. 25. 13.

(*d*) Proverb. 11. 1.

(*e*) Colloq. Condom. t. 1. Colloq. 15. sect. 3.

CASUS LXXVI.

Protogenes advertens, Hermannum vicinum suum agri jugerum frumento jamjam consevisse, convellendi atque per noctem evertendi seminis invenit rationem: adeo ut prædictus ager nihil fere quidquam Hermanno tempore messis reddiderit. Obligatur-ne ex conscientia, ad restituendum Hermanno tantum, quantum jugerum istud agri referre debuisset, & ratione habita pretii ejusdem, quod frumento tempore messis impositum est?

RESPONS.

Vir præfatus non obligatur in foro interiori, ad restituendum Hermanno æquale pretium, quo frumentum, quod jugerum istud agri reddere debuisset, fuisset per messes venumdatum. Istamque rationem S. Thomas affert (*f*), quod plurimis ex infortuniis contingere possit, ex aliquo agro non percipi eam frumenti copiam, quæ sperabatur. Verum obligatio Protogeni inducitur, tantum restituendi Hermanno, quantum jugerum illud sic seminatum ex judicio viri intelligentis & æqui rerum istarum æstimatoris referre consuevit. *Ille, qui suffodit semina*, inquit laudatus S. Doctor, *non tenetur ad tantum quantum agri fructus valituri erant; sed quantum ager sic seminatus, valere consuevit: quia multis de caussis potest impediri agrorum fructus*.

(*f*) S. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad 4.

CASUS LXXVII.

Geraldus pedissequus viri cujusdam nobilitate præstantis, surreptas identidem per annum integrum plurimas lagenas vini de cella vinaria sui Heri, simul cum sociis suis combibit; numquid obligatur, ad restituendam justam vini illius æstimationem?

RESPONS.

Licet res aliena consumpta sit, non urget inde minor obligatio restituendæ ejusdem æstimationis, quando cum mala fide consumpta fuit. Eaque de caussa Geraldus tenetur ad restitutionem

tem in casu proposito, simul cum sociis suis, qui ejusmodi furti socii fuerunt atque participes. Quod ita docetur a S. Thoma (*a*), qui eandem quæstionem sibimetipsi proponit istis verbis: *Utrum ille, qui rem alienam consumpsit, teneatur ad restitutionem?* Quam quidem quæstionem sic dissolvit; *Dicendum, quod tenetur. Cujus ratio est, quia quilibet tenetur ad faciendam justitiam alteri. Consistit autem justitia in quadam æqualitate. Unde nisi redintegretur æqualitas; non potest aliquis esse justus. Inæqualitas autem fuit, quod consumpsit rem non suam: & ideo oportet quod reddat.*

(*a*) S. Thom. quodlib. 12. ar. 25. in corp.

Vide Casum Blesilla 97.

CASUS LXXVIII.

Anselmus furatus est Nicasio colono quinquaginta modios excellentiuris tritici, quod dedita opera emerat ad seminandos agros suos, quos, propter istud furtum, conserere non potuit, nisi frumento viliori, quod minus quarta parte illius retulit, quod reddidisset frumentam furto sublatum. An ea tantummodo obligatio Anselmo inducitur, restituendi pretii justi quinquaginta prædictorum modiorum; an præterea reddendi quattam partem, quæ percepto frumento deerat? atque si propter alterius frumenti inopiam, Nicasius non potuisset agros suos serere; numquid Anselmus obligaretur ad restituendum, præter quinquaginta præfatos modios, quidquid aliunde frumenti agri isti reddidissent?

RESPONS.

Siquidem Anselmus furando quinquaginta modios tritici injuriam attulerit Anselmo non ratione tautum pretii istius frumenti, sed præterea omnium fructuum, quos reddidisset, si licuisset isti colono eosdem, ut animo statuerat, agros suos conserere; nullus profecto locus est ambigendi, quin ei obligatio adducatur, & quidem ex ipsius conscientiæ debito, quinquaginta modiorum tritici, quos furatus est, Nicasio non restituendorum tantummodo, aut juste eorumdem æstimationibus refundendæ; sed præterea reddendi quidquid frumenti triticum furto sublatum addidisset fructibus vilioris tritici, si colonus iste frumento illo excellentiori, quod sibi furreptum est, agros suos seminavisset (*b*). Eodem modo, si Nicasius propter illud furtum, non potuisset aliud triticum serere, procul dubio teneretur Anselmus, quidquid inde emergeret ai detrimenti in integrum præstare. Quod quidem omnino patet ex istis verbis Gregorii IX. (*c*). *Si culpa tua datum est damnum vel injuria irrogata .... jure super his satisfacere te oportet.*

(*b*) Sambov. t. 3. casu 220.

(*c*) Greg. IX. in cap. Si culpa. fin. de injuriis & damno dato.

CASUS LXXIX.

Michael, Protasius, Simeon & Victor, cum quattuor simul conspiravissent ad ducentos nummos Basilio surripiendos; prædicta pecunia apud Victorem deposita fuit: Basilius vero cum accepisset, Victorem, quem de se optime promeritum habebat, inter eos recenseri, qui injuriæ sibi irrogatæ socii fuerant ac participes, isti precibus omnibus petenti, veniam sibi dari, atque remitti restitutionis obligationem, condonavit ac indulsit significans ei, beneficiorum caussa, quæ ab eo olim acceperat, se se ei liberaliter concedere, quæ eum plurimum urgebat, restitutionis immunitatem. Qua de re quæstio habetur, utrum Michael, Protasius atque Simeon nihilominus remaneant in solidum semper obligati, ad præfatos ducentos nummos restituendos?

RESPONS.

Jam alibi observavimus, eum, qui rem furtivam habet in sua potestate, teneri præ ceteris ejusdem furti sociis ac participibus ad restitutionem; & postquam satisfecit, ceteros ipsius socios quos eadem in solidum urgebat obligatio restituendi ab ista jam obligatione liberari. Ex qua observatione concludendum est, si is adversus quem furtum commissum fuit, obligationem restituendi ei condonaverit, quem rei furto ablatæ novit solum esse possessorem; qui simul cum isto conspiraverunt, ad faciendum furtum, iis ab eo censeri fieri eandem gratiæ condonationem: quoniam, non nisi deficiente eo, qui rem furtivam iniqua possessiona detinet, & cum aut non vult, aut non potest restituere, ipsi restituere tenentur. Jamvero Victor habendus est in proposita specie, quasi functus obligatione restituendi, propter factam ei a Basilio condonationem: Atque adeo Michael, Protasius & Simeon censendi sunt etiam ab incumbente sibi restitutionis obligatione penitus absolvi. Quod aperte colligitur ex Lege (*d*), quæ sic fert: *Si ex pluribus obligatis uni accepto feratur; non ipse solus liberatur: sed & hi, qui secum obligantur. Nam cum ex duobus pluribusque ejusdem obligationis participibus uni accepto fertur; ceteri quoque liberantur: non quoniam ipsis accepto latum est: sed quoniam ipse solvisse videtur, is acceptilatione solutus est.*

(*d*) Leg. Si ex pluribus. 16 ff. de acceptilationibus. l. 46. tit. 4.

CASUS LXXX.

Tribonius Urbis cujusdam Præfectus dono recepit ceatum nummos, quos ei promiserat & donavit Metellas Publicanus generalis omnium ejusdem Urbis dominiorum, quo obtineret, de pretio eorum redemtionis per unumquemque annum 500. librarum extenuationem; quam quidem ei concessit, pacta nova alia redemtionis conventione ad tempus quinquennii. Num jure potest Tribonius istud sibi donum retinere, & nonne tenetur, ad aliquam restitutionem aut Urbi, aut ipsius dominorum redemtori præstandam?

RESPONS.

Quam indulsit Tribonius Metello de pretio redentionis extenuatio vel justam habet caussam, vel injustam: Si sibi fundamentum legitimum vindicet; debuit Tribonius eam Metello gratuito concedere, cui reddere proinde tenetur, quoad forum conscientiæ, aut ipsum donum, quod ab eo accepit; aut integram, & æquam doni ipsius æstimationem. Si ista extenuatio supra modum excedat, & caussam habeat iniquam, obligatur, ad restituendum non tantummodo donum; verum præterea, ad afferendam ipsimet Urbi damni, quod ei intulit, integram compensationem; Cum scilicet eam fraudaverit portione annuorum ipsius redituum, quod quidem damnum ex 500. libris per unamquemque annum extinctis pro tempore quinquennii, quo cum Metello conventio redemtionis durare debet, assurgit ad summam usque 2500. librarum.

Cui nostræ decisioni præbent tres potissimum caussæ fundamentum. Prima est, quod Judex teneatur coram Deo, ad restituendum donum, quod sibi ab alterutra litigantium parte collatam est, ut ab eo judicium, juxta jus sibi debitum, obtineret pronunciari; quoniam, inquit S. Augustinus scribens ad Macedonium (*e*), *Non ... debet Judex vendere judicium*; nec legitime potest pretio justitiam addicere; siquidem cujuscumque Judicis officium sit, judicium gratuito dicere. Porro Tribonius, ut pote præfectus Urbis, constitutus est Judex in iis, quæ pertinent ad extenuationem de pretio redemtionum, quas ejusdem Urbis Dominiorum redemtores apud eum persequuntur. Ergo tenetur ad restituendum Metello donum, quod iste Dominiorum Urbis redemptor ei attulit, ut ab eo consequeretur, indulgeri sibi istam extenuationem; siquidem ista extenuatio, utpote justam habens caussam, quemadmodum supponimus, ex strictissimo jure ei deberetur. Secunda est, quia quisquis Judex aliquam partem lædit iniqua aliqua sententia, obligatur, ad præstandam eidem parti integram damni reparationem. Atqui Tribonius, qui ex officio suo Præfecti Urbis, Judex præponitur inter Urbem & Dominiorum ipsius redemtorem, intulit ei notabile damnum, si Metello adjudicaverit, jure repugnante, de pretio ipsius redemptionis extenuationem. Ergo obligatur ad istud damnum resarciendum, tantum reddens ipsimet Urbi, quantum ei detrimenti ex ista iniqua extenuatione irrogavit.

(*e*) S. Aug. Ep. 153. alias 54. n. 23.

Digitized by Google

vix. Tertia denique ratio est, quod Judex recta conscientia non possit, quod sibi dono datum est, ad faciendam injuriam, suum facere; & obligetur, ad illud idem restituendum. *Cum autem judicia & testimonia, quæ nec justa, nec vera vendenda sunt*, ait iterum S. Augustinus, *iniqua & falsa venduntur: multo sceleratius utique pecunia sumitur: quia scelerate etiam a quamvis volentibus datur*. Atque in eo casu restituendum est Ecclesiæ, vel pauperibus: quoniam, qui pecuniam dedit, aut munus obtulit, ad fidem Judicis alicujus labefactandam, meretur vel pecunia sua, vel munere suo spoliari; siquidem alterutrum largiendo peccavit adversus justitiam commutativam; atque, ut advertit laudatus Pater, rubore prorsus suffunderetur, si manifestum fieret, istam pecuniam, vel munus istud, ad finem adeo propudiosum assequendum, ab eo fuisse exhibita.

Ex quibus inferimus, Tribonium igitur ex conscientia obligari, ad istud donum Metello restituendum; Si redemtor iste dominiorum Urbis non nisi sincero animi proposito illud ei donaverit, ut sibi rectum judicium obtineret; aut pauperibus erogandum, si Metellus illud donum eo fine dederit, ut sibi iniqua extenuatio adjudicaretur: Istum vero dominiorum Urbis redemtorem teneri ex sua parte, ad referendum Tribonio quod excedit justam de pretio suæ redemtionis extenuationem, quod ab ipso Tribonio ipsimet Urbi, cujus præfectus est, strictissimo jure venit restituendum. Quæ de præsenti difficultate disseruimus, non propria tantummodo doctrina S. Augustini; sed & ipsa S. Thomæ sententia plurimum innituntur (*a*).

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. 4. & 7.

CASUS LXXXI.

Romanus Dux atque Magister onerariæ cujusdam navis, cum jam navem appulisset ad conspectum portus Maeloviensis, cum sarcinis & mercibus, quæ Hieronymi simul erant & Basilii; At vellet impensæ parcere, quam ab eo conferri oportuisset, in adjungendum sibi alium navis gubernatorem; ipse tentans solus insinuare portui suam navem, ad scopulum allisus est; Indeque mercium illarum proprietariis damnum emersit mille nummorum & amplius. Obligaturne ex conscientia, ad afferendam iisdem istius damni compensationem?

RESPONS.

Non est, unde dubium moveri queat, quin Romanus teneatur ad damnum, quod illatum est Hieronymo & Basilio, resarciendum. Obligatur etenim omnis vector ad præstandum damnum, quod contigit ex defectu ipsius industriæ atque experientiæ; juxta regulam istam Juris (*b*): *Imperitia culpæ adnumeratur*. Cum ergo nondum foret usu sufficienti peritus, ut navem suam sine periculo ad portum appellendam solus susciperet, sibimetipsi debebat adhibere peritissimum aliquem Nauclerum, qui eandem in portum applicaret; qua quidem cautione cum non fuerit usus, quidquid inde emersit detrimenti resarcire eadem peraride ratione tenetur, quæ eum urgeret, si navis ab eo fuisset sine Gubernatore immissa in mare, & eadem orta tempestate periisset. *Si Magister navis sine Gubernatore in flumen navem immiserit, & tempestate orta temperare non potuit, & navem perdiderit, vectores habebunt adversus eum ex locato actionem*. Quæ propria sunt verba Legis (*c*). Addendum est præterea, eandem damni reparationem ab eo fore præstandam, si dum sibi liceret Nauclerum peritissimum assumere, imperiti opera usus fuisset; secundum istam aliam Legem (*d*): *Culpa non intelligitur, si navem petitam tempore navigationis trans mare misit; licet ea perierit; nisi si minus idoneis hominibus eam commiserit*.

(*b*) Reg. 174 ff. de diversis reg. Juris antiq. Item §. *Imperitia*. 7. Instit. de Lege Aquilia l. 4. tit. 3. Et Leg. *Idem* 2. §. 1. ff. ad Leg. Aquiliam.

(*c*) Leg. *Item* 13. §. 2. ff. locati conducti.

(*d*) Leg. *Utique*. 16. §. 1. ff. de rei vindicat. lib. 6. tit. 1.

CASUS LXXXII.

Gaspardus in privata quadam domo, in quam frequenter pedes ferebat, scutellam argenteam furatus est. Num ei obligatio infertur ex conscientia, ad eandem numerice scutellam, quam etiamnum habet in sua potestate, restituendam; aut nonne satis est, ab eo justam ejusdem referri pretii æstimationem; præsertim vero si, ad eam inaurandam, sumptus fecerit, ne ipsa agnosceretur?

RESPONS.

Quando res furtive sublata remanet adhuc in propria sua natura, restituenda est; ut enim habet S. Thomas (*e*); *Restituere nihil aliud est videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ*. Quod omnino congruit isti definitioni, quam Polmanus (*f*) accommodat, ad explicandam naturam restitutionis. *Restitutio est rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio*. Ut igitur restitutio est actus justitiæ commutativæ, necesse est, ab eo qui rem alienam occupavit iniqua possessione, illius proprietarium restitui in eandem conditionem, qua ante factum furtum gaudebat.

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5.

(*f*) Joann. Polmanus Breviar. Theolog. parte 2. n. 415.

En regula generalis, cui potissimum inhærendum est in materia restitutionis, sed quæ nihilominus admittit quasdam exceptiones. Quæ proxime contingit argumentum nostrum, eam tantummodo prosequentur. Nimirum quod non inducatur obligatio juxta conscientiam, ipsiusmet rei restituendæ, quando eidem accessere notabiliores optimitates; ut evidenter omnino probamus in sequenti decisione. Jamvero argenteæ scutellæ, de qua controvertitur in proposita specie, plurimum omnino pretiosioris ornatus ex ea, quam curavit Gaspardus eidem addendam, auratura accessit: Non ergo tenetur vir prædictus in ista rerum circumstantia, ad ipsam eandem numerice scutellam restituendam; satisque est, ab eo refundi justam ejusdem æstimationem, simulque quod pro illius manupretio datum est. Alioquin inde sequeretur, ab eo multo plus ultra debitum referri; & præfatæ scutellæ Dominum ex illa restitutione futurum cum ipsius injuria vel jactura locupletiorem; quod maxime repudiant duæ regulæ Juris, quas jamjam referemus in discutienda specie sequenti, quæ difficultatem attingit præsentis, quam absolvimus, fere similiorem.

Vide Casum sequentem.

CASUS LXXXIII.

Columbanus cum surripuisset Claudio tinnientem quamdam pendulam, quæ sibi indito bidui duntaxat motu agebatur, & cujus occulta duo organa confracta erant; in eandem novis aliis duobus occultis organis instruendam, & motum ipsius in motum quindecim dierum integrorum refundendum, atque ejusdem cum tabulam, in qua horæ describuntur, cum cardines inaurandos, sumptum admisit. Post elapsum ab illine aliquantulum temporis spatium, confesso furtum istud, voluit ipsius Confessarius imponere obligationem dictæ pendulæ Claudio restituendæ. Quod quidem Columbanus non abnuit, sed ea conditione, quod ei Claudius referret omnes impensas eidem adhibitas tam necessarias, quam utiles ac voluptuarias: quoniam dimidio plus ejusdem pendulæ pretium inde auctum est. Nonne potest recta conscientia exigere, prædictas omnes impensas sibi a Claudio refundi?

RESPONS.

1. Jure docemur, distinguendas esse tres impensarum species, scilicet earum, quæ in conservandam rem furtivam necessario conferuntur: *Impensæ necessariæ sunt, quæ si factæ non sunt; res, aut peritura aut deterior futura sit*, inquit Lex (*g*); earum, quæ ad ejusdem conservationem, si minus necessario, tamen utiliter conducunt: *Utiles... veluti arbusti pastinatione ultra quam necesse fuerat*. Et earum quæ neque necessitatem habent, neque utilitatem, sed mere voluptuariæ sunt, & caussa solius oblectationis admittuntur: *Voluptuariæ sunt, quæ speciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent, ut sunt viridia & aquæ salientes, incrustationes, loricationes*? (id est tabulas pictas, inquit Glossa) *Picturæ*.

(*g*) Leg. *Impensæ*. ff. de verborum significatione.

2. Leges Civiles licitum faciunt, ut qui rem alie-

alienam furatus est, repetat sumptus vere necessarios; eos vero, qui licet necessarii non sint, aliquid tamen habent utilitatis, recipiat de re furtiva, si sine læsione prioris illius status auferri possint. *Nullam habeant repetitionem* (fures) inquit Lex (*a*), *nisi necessarios sumptus fecerint. Sin autem utiles: licentia eis permittitur, sine læsione prioris status rei, eos auferre.*

(*a*) Leg. *Donum.* 5. cod. de rei vindicat. lib. 3. tit. 32.

Quibus in antecessum observatis, respondemus, posse omnino recta conscientia a Columbano repeti, sibi refundi a Claudio pecuniam, quam contulit in duo organa occulta, quorum inopi erat præfata pendula; & in addendum eidem motum quindecim dierum, pro motu bidui, quo antea donabatur, ut posset per istud temporis spatium periodicum cursum agere, absque eo quod opus esset, eam rursus contendi: Quippe prior impensa esset necessaria; nullum siquidem usum præbeat pendula; quæ suis occultis organis destituta est: Altera vero impensa plurimum eidem conferat utilitatis; & ex utraque impensa pretium ipsius pendulæ dimidio plus augeatur. Alioquin fatendum esset, si Claudius non obligaretur, ad istas duas impensarum species Columbano restituendas, futurum ut ipse Claudius posset, nullo jure violato, ex impensis Columbani rem suam facere locupletiorem: Quod plane repugnat ipsimet naturali æquitati, & constitutæ a Bonifacio VIII. regulæ (*b*), quæ sic habet: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*: Et isti aliæ regulæ Juris Romani (*c*): *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.*

(*b*) Reg. 48. de reg. Juris in 6.

(*c*) Leg. *Jure.* 206. ff. de diversis reg. Juris ant.

Quod pertinet ad auraturam, quam Columbanus addendam pendulæ curavit; ista potissimum esse debet loco voluptuariæ & superfluæ omnino impensæ, quam Columbanus non admisit, nisi caussa privatæ suæ oblectationis, quamque adeo amittere meretur.

Quæ hic loci huc usque dicenda habuimus, intelligenda sunt, modo Columbanus in judicio damnatus non fuerit, ad amittendas omnes prædictas impensas. Enimvero, si intenta in eum ea de re apud Judices caussa, ipsorum Judicum sententia damnatorium ejusmodi judicium in eum dictum fuisset; procul dubio obligaretur, ad subeundum istud judicium, & subjacendum isti damnatoriæ sententiæ, tanquam pœnæ sibi merito debitæ propter furtum, quod fecit; juxta isthæc verba, *Licet Dominus recuperaverit*: *Nihilominus fur ad pœnam furti, sive manifesti, sive non manifesti tenetur* (*d*).

(*d*) Arg. Leg. 1. *Qui vasa.* ff de furtis. lib. 47. tit. 2.

CASUS LXXXIV.

Ascanius furto sublatum a Bertino coccineum quoddam pallium, vendidit Gildardo, qui bona fide illud emit triginta libris, quique idem sibi per tres menses adhibitum cuidam ex amicis suis vendidit postea quadraginta quinque libris: Ei deinde renunciatum est, istud pallium ab Ascanio fuisse furto surreptum. Numquid nihil obstante, qua plurimum innitebatur, bona fide, cum urget obligatio alicujus restitutionis?

RESPONS.

Gildardus tenetur ex conscientia; ad referendum Bertino, non quidem integram quadraginta quinque librarum summam, quam de venditione prædicti pallii recepit; sed tantummodo quod ejusdem empti pretium excessit; hoc est libras quindecim. Cujus rei ratio est, quod quanquam ex ipsa, qua gavisus est, bona fide tum emendo, tum vendendo pallium istud, ejusdem integri pretii restituendi sit immunis; obligatio tamen ei inducatur, quod inde percepit, lucri reddendi. Siquidem iniquum sit, atque vel etiam ab ipsismet naturalis æquitatis Legibus omnino alienum, eum ex aliena re fieri locupletiorem, secundum duas regulas Juris in difficultate Superiori discutienda memoratas.

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 6.

(*f*) Joan. Cabassutius juris can. theor. & prax. l. 6. c. 17. n. 8.

Quæ præsens assertio nostra plane consentit Doctrinæ S. Thomæ (*e*), quem citat Cabassutius (*f*) in patrocinium sequentis, quam ea de re habet, decisionis: *Si quis, dum bona fide possidebat, rem alienam alteri vendiderit; ad id solum tenebitur, quod amplius acceperit, juxtam sanctum Thomam.* Indeque inferendum quoque est, si res furtive surrepta, vel donatione, vel lusione, seu quacumque alia ratione fuerit a possessore bonæ fidei alienata; eundem ad nullam prorsus obligari restitutionem, cum ei nihil inde quæstus accessit; atvero, si quid ei lucri inde devenisset, restitutioni tunc futurum obnoxium quantum ad perceptum ex eadem emolumentum. Exempli caussa, si dono sibi datum pallium, quod non putabat furtivum esse, alteri gratuito largitus fuisset; & ei donatarius munus aliquod ejusdem fere pretii ex grato animo rependisset; in isto casu obligaretur, ad reddendum accepti muneris pretium. Atque ita docetur a laudato Canonista, qui sic prosequitur: *Si quamvis rem illam alienam non habuit; aliam nihilominus æquivalentem daturus fuerat, aut aliter impensurus; restitutioni est obnoxius: quia sic dici potest factus fuisse locupletior. Si autem nihil ejus vice fuerat impensurus; non potest dici factus locupletior: ac proinde ad nihil tenebitur: nisi si donatarius ipsius aliquid ei per gratitudinem retribuerit: tunc enim hoc unum restituere tenebitur, in quo factus dici potest ex re aliena locupletior.* Quod citatus Auctor confirmat ex Lege Codicis Justiniani, & unanimi Doctorum omnium consensu. *Ita ex ratione & præscripto Juris docent Doctores unanimes post Legem primam Cod. de petitione hæreditatis, quæ restitutioni fructuum bona fide perceptorum adstringit possessorem, quoties inde ditior factus est, ac in rem ejus versum est, & fructus excesserint pretium curationis & operarum.* Interpretandæ vero sunt juxta genuinum Legis istius sensum, quotquot aliæ Leges de eadem materia tractantes eximunt ab obligatione restituendi bonæ fidei possessores (*g*).

(*g*) Leg. *Certum.* 13. cod. de rei vindicat. lib. 3. tit. 32. Lege *Mala fide.* 5. cod. de condictione ex Lege. l. 4. tit. 9. Leg. *Qui scit* 25. ff de usufru. l. 22. tit. 1. Leg. *Bona fides* 57. ff. de diversis reg. Juris ant. lib. 50. tit. 17. Institut lib. 4. tit. 27. de rerum divis.

Est ergo determinandum juxta memoratum principium, si coccineum pallium, de quo quæstio habetur, Gildardus ab Ascanio sibi gratuito donatum vendidisset quadraginta quinque libris, futurum ut idem Gildardus obligaretur ex conscientia, ad restituendam Bertino eandem pecuniæ summam, statim atque compertum haberet, istud pallium fuisse ei furtive ablatum: siquidem in eo casu, cum nihil pro pallio rependisset, ex pretio ejusdem venditi, quod recepisset, factus esset locupletior.

Quæ sumus ea de re prosecuti, firmissimis simul ac fusioribus omnino rationum momentis tractata reperiuntur apud Cardinalem Cajetanum in ipsius, quem scripsit in summam S. Thomæ Commentario (*h*).

(*h*) Cajetan. in 2. 2. q. 62. art. 6.

CASUS LXXXV.

Alphonsus furatus est Tribonio Patrono 50. volumina librorum *in folio*, quæ deponebantur Salmurii apud quemdam ipsius amicum, & eadem per mare vectanda Burdigalam curavit, quo post aliquot ab illinc menses commigravit. Cum ad festum Paschatis furtum suum fuisset confessus, & prædicta librorum volumina etiamnum haberet in sua potestate; Confessarius ei jussit, ut isthæc volumina remitteret Salmurium, solutis in integrum & vectionis eorumdem, & ceteris, quæ exportationis caussa necesse fuerit admitti, dispendiis. Qua de re quæritur, num coram Deo teneatur Alphonsus, ad restituenda prædicta quinquaginta librorum volumina in propria specie Tribonio, & curandum, eadem evehenda in ipsummet locum, ex quo illa eripuit, & in quo Patronus iste actu commoratur, atque sic impensas qualscumque dissolvendas, ut nihil inde Tribonio sumtus inferatur?

RESPONS.

Non est, unde in dubium adducatur, quin teneatur Alphonsus & quidem ex conscientia, ad quinquaginta volumina librorum *in folio*, qua ratione ipsius ei Confessarius injunxit, restituenda. Cum enim ex aliquo delicto perpetrato inducitur obligatio faciendæ restitutionis, ipsi potissimum incumbit in ipsomet loco, in quo delictum admisit, persolvere debitam restitutionem. *Redintegranda sunt omnia ex spoliatis*, inquit Papa Joannes I. (*i*), *& in eo*

(*i*) Joan. I. in can. *Redintegranda.* 3. q. 1.

in eo loco, unde abscesserant, funditus revocanda. Aut potius juxta eam, quæ isti Canoni apposita est a Correctoribus Romanis, annotationem: *Et in eoram, unde abscesserunt, potestatem funditus revocanda.*

Quod autem attinet ad impensas, ab iis in integrum sustinendis nulla ratione potest Alphonsus se se subducere; neque legitimam habet ea de re querelam, quippe qui propria sua culpa damnum istud experiatur; secundum regulam Juris Canonici, quæ fert (*a*): *Damnum, quod quisquis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Et istam aliam Romani Juris (*b*): *Quod quis ex sua causa damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.*

(*a*) Reg. 16. de reg. Juris in 6.
(*b*) Reg. 203. ff. de divers. regulis Juris ant.

Neque vero eadem ratione differendum foret de eo, qui rem alienam aut invenisset, aut bona fide possedisset. Neque enim tenetur ad perferendas in restituenda illa re ullas impensas; satisque est, si eandem reddat proprietario in ipsomet loco, in quo res ipsa reperitur (*c*).

(*c*) Colloq. Condom. t. 1. Colloq. 4. sect. 2. Fr. de Genet. theol. mor. t. 3. tract. 8. cap. 7. q. 15. & 16.

CASUS LXXXVI.

Theonillus ablatam furtive a Cornelio ovem unam in suum gregem aggregavit, & ab eadem postmodum suscepit aliquos agnos. Ei obligatio inducta est ovis restituendæ; cui obligationi satisfecit: Verum in dubio animus illius est, num præterea non teneatur ad agnos Cornelio restituendos. Quid eum agere necesse est, ut propriam conscientiam in tuto ponat?

Respons.

Certissimum est, fundamento non carere, quæ sibi Theonillus induxit, dubium seu Religionem, & illum omnino obligari ad reddendos agnos, de quibus quæstio instituitur. Neque enimvero res furtive sublata tantummodo restituenda est, sed præterea obligatio inducitur fructuum, quos ipsa fecit, simul cum eadem restituendorum, quando nimirum naturæ est producendis fructibus feracis. Quod facile colligere est ex Dectetali quadam Cælestini III. quam superius jam retulimus in casu Remigius (*d*); in qua sermo habetur de Religiosis quibusdam, qui ipsius auctoritatem imploraverant contra violentam usurpationem cujusdam Archidiaconi, ex qua plurimam eamque notabiliorem prorsus senserant ruinam: De ea autem laudatus Summus Pontifex sic determinat jubendo nimirum, ut prædictus Archidiaconus, quodcumque damnum iisdem intulit, sit reparaturus, neque tantummodo restituturus fructus & proventus, quos acceperat; verum etiam fructus & proventus quos ipsimet Religiosi suos fecissent, si possessiones, quas per vim occupaverat, iis licuisset servare ac retinere. Qua de re advertendum est cum Glossa (*e*), duas fructuum species recenseri. Aliosquidem, qui proveniunt ex industria, & labore illius, qui rem fructus illos producentem possidet, quale est luerum, quod percipitur de argento, & de ceteris, quæ usu consumuntur. Alios vero, quos ipsa res ex propria sua natura proprioque suo fundo sponte fundit: quales sunt fructus, quos aliquis ager, aut domus aliqua solet afferre. *Fructus industriales & naturales.* Quod omnino dilucide reperitur explicatum apud S. Thomam (*f*), qui inde colligit, iniquum ejusmodi possessorem non liberari, ex eo quod fundum ipsum reddat, sed præterea obligari ad fructus & proventus tum perceptos, tum producendos ex ipsa natura fundi restituendos; propterea quod ipsi iniquo possessori non vindicentur, sed ei potissimum cedant, a quo eosdem violenter abstulit. *Et ideo*, inquit Doctor Angelicus, *si quis domum alterius, vel agrum per usuram extorsisset: non solum teneretur restituere domum, vel agrum: sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerum, quarum alius est Dominus: & ideo ei debentur.* Ex quibus inferamus oportet, si quidem Theonillus in simili casu constituatur, ipsi profecto induci obligationem agnorum restituendorum Cornelio, cui jure legitimo proprietatis cedunt; quippè qui fructus sint ipsius ovis, quæ ei furtive sublata fuit, & quos suos fecisset, si ipsi licuisset eandem possidere; quod tamen sic (*g*) accipiendum est, ut quas fecit ipse, quasque Cornelius conferre necesse habuisset in pabulum ovis & agnorum, impensæ necessariæ deducantur.

(*d*) Celestin. III. in c. *Gravis*, 13. de restit. spoliat. l. 2. tit. 13.
(*e*) Gloss. in cap. *Gravis.* v. *Fructus.*
(*f*) S. Thom. 2-2 q 62. art. 3.
(*g*) Colloq. Lucionens. t. 2. Colloq. 45. l. 2.

CASUS LXXXVII.

Attalus mille libras Germano furtive surripuit, & librarum duo millia debet Theodoro: At quoniam ex duobus librarum millibus tota res ipsius tantummodo constat: atque adeo non potest, quæ sibi mutua data est, pecuniæ summam solvere simul, & quam furtive accepit, restituere; omnino peroptaret satisfacere Theodoro, quem summum amicum habet, & optime de seipso promeritum. Petit, num sibi liceat recta conscientia solutionem debiti prius vel etiam potius præstare, quam Legem restitutionis, qua erga Germanum astringitur, adimplere?

Respons.

Respondemus ea, quæ furtive fuerunt ablata, jure potiori restituenda esse, quam quod contractum est, æs alienum dissolvendum. Primum ergo necesse est, quam Attalus Germano furtive surripuit, rem ipsam reddi, deinde vero nominis quod fecit Theodoro, partem dimidiam expediri. Cujus rei prima ratio hæc est, quod de re aliena non possit quis propria sua debita persolvere; si vero non habeat, unde exeat ære alieno, ab eodem coram Deo absolvatur; juxta regulam istam Juris (*h*), *Impossibilium nulla est obligatio.* Et istam aliam Juris Canonici (*i*): *Nemo potest ad impossibile obligari.* Jamvero non habet, quod proprii sit juris sui, nisi peculium mille librarum; siquidem, quæ ei supersunt, millæ aliæ libræ pertineant ad Germanum, neque earumdem acquisierit unquam ulla ratione dominium. Eaidem igitur non potest addere mille libris, quæ sunt in sua potestata, ut se se ære alieno, quod erga Theodorum contraxit, in integrum liberet. Secunda ratio ea est, quam sumus in sequenti decisione prosecuturi, in qua tractamus de solutione, quæ præstanda est, debitorum legitime contractorum, jure potiori; quam, quæ importatur ex fœneratoriis obventionibus, obligatio restitutionis. Quæ quidem ratio proprium sibi vindicat Auctorem Gaugericum in ipsius annotationibus, quas confecit in summam Cajetani; & præsentis nostræ decisionis veritatem apertissime atque invictissime demonstrat. Quam ob caussam eandem allegatæ primo loco rationi annectere plurimum juvabit. Nihilominus si præ manibus etiamnum in propria sua specie extantes Attalus haberet eosdem numerice nummos, ex quibus, quam Germano furatus est, mille librarum summa conflabatur; certissimum est in eo casu futurum, ut necessario obligaretur ad eandem ipsi in integrum restituendam, nec quidquam ex ea detrahendum caussa solutionis Theodoro præstandæ, utpote quod dominium ejusdem nunquam fuerit consecutus, ut patet; neque adeo possit eam adhibere sibi ad diluendum æs alienum; quemadmodum docent Silvester, Graffius, Reginaldus, Cajetanus, Victotellus, & cæteri Theologi morales.

(*h*) Leg. Impossibilium. 145. ff. de diversis reg. Juris ant.
(*i*) Reg. 6. de regulis Juris in 6.

Quam decisionem mutuamur a S. Antonino (*K*), qui postquam asseruit, præmittendam restitutionem rei alienæ, ac præferendam esse fœneratoriis proventibus, qui percepti fuerunt, & quorum restituendorum obligatio incumbit, subjicit: *Quæ videntur rationabiliter dicta hoc excepto, scilicet quod debeat prius restitui rapina, furtum, & usura, quam debita licito modo contracta. Hoc enim esset offerre holocaustum de rapina. Sicut enim injuste acciperetur ab aliquo divite, ut daretur elemosyna pauperi, ut dicit Augustinus in can.* forte 14. *d.* 15. *Ita etiam injustum videtur de eo quod juste debetur alteri, pacta honesti mutui, vel emtionis, vel alicujus liciti contractus, restituat alienum: hoc enim esset rapere alienum: & non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ut Apostolus ad Rom.* 3. docet. Quam sententiam S. Bonaventura simul cum plurimis aliis Theologis amplectitur (*l*).

(*k*) S. Anton. 2. part. summæ theol. tit. 2. c. 2. §. 2.
(*l*) Joan. Medina de restit. q. 23. dub. 1. Michael Salonius in S. Th. 2. 2. q. 62 art. 8.

Idem etiam habet Auctor cujusdam Opusculi, quod legitur inter opera S. Thomæ: En sunt ipsissima

ipsissima

Digitized by Google

sissima verba laudati Auctoris (*a*): *Majori justitia restituenda sunt ablata, quam debita sint solvenda: cum in hoc impleatur justitia tollens injuriam factam Deo & proximo: sed in solutione debitorum nulla tollitur injuria, sed tantum solvitur justitia. Quare secundum hoc videntur prius restituenda ablata, quam solvenda debita.* Quod prædictus tamen Auctor de eo potissimum intelligit casu, in quo restitutio, quæ facienda est, clara, aperta ac determinata est ... *Quando restituenda, sunt clara & aperta & determinata per apertam confessionem restituentis, debent jure præcedere omnia debita* (*b*). Censet tamen Cajetanus, si quæ Lex aut aliqua consuetudo quibusdam in locis obtineret, qua contrarium determinaretur, eidem inhærendum fore (*c*), quod idem quoque Graffius observat (*d*).

(*a*) Apud S. Thomam opusc. 73. de usuris c. 18.

(*b*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 23. n. 6.

(*c*) Cajetanus in summa v. Restitutio. c. 8. n. 5.

(*d*) Jacob. de Graffiis decisio. aurear. lib. 2. c. 133. n. 3.

CASUS LXXXVIII.

VICTRICIUS furatus est Mauricio triginta dupliones aureos, viginti Joanni, quinquaginta Geminio, centum Mario, & Proculo centum. Argentum istud furtivum totum consumpsit, exceptis centum duplionibus aureis, quos Proculo furtive surripuit. Animo deliberavit, quantum poterit, quinque prædictis restituere: Atque ut propositum exequeretur, res suas, quas apud se residuas habebat, pretio librarum duorum millium venumdedit. At quoniam ex ista summa addicta centum duplionibus aureis, qui Proculo surrepti fuere, non conflantur nisi tria librarum millia; atque adeo minus centum duplionibus aureis habet, qui sibi necessarii sunt ad integram restitutionem eorum, quæ fuit furatus; quæstionem instituit, qua potissimum ratione dividendi sint trecenti dupliones aurei prædicti præfatis quinque viris, quibus injuriam & damnum attulit?

RESPONS.

1. Constat omnino, quos Victricius furatus est Proculo, centum dupliones aureos eidem ab eo primum esse restituendos, siquidem apud eum etiamnum extent in propria sua specie; neque ex eis quidquam cæteris quatuor esse dividendum; propterea quod ipsi soli Proculo legitimo prorsus jure proprietatis vindicentur. Ratio est, quod juris sit omnino certissimi, res adhuc extantes & quarum unus idemque Dominus permansit, necesse ei primum ac potiori jure restitui, cujus sunt, quam cæteris, quicumque esse possint, Creditoribus persolvi; Qui enim easdem aut iniqua possessione apud se detinet ex rapina, furto vel alia qualibet injusta ratione; aut etiam juste possidet, hoc est, ex deposito commodato ad usum, precario, locatione, seu titulo pignoris, earum Dominium proprie non fuit consecutus; neque iisdem proinde uti potest; nec ad debita sua dissolvenda, nec præstandas, ad quas obligatur, restitutiones; sed tenetur, ad eas vero istarum proprietario reddendas, *Hic ordo servari debet*, inquit Cabassutius (*e*), *ut primum res aliena, si secundum propriam substantiam extet, reddatur a quocumque teneatur.*

2. Victricius obligatur ad cætera, quæ ei supersunt, librarum duo millia quatuor reliquis restituenda; hoc est Mauricio, Joanni, Geminio & Mario, unicuique dividendo plus aut minus, majoris aut minoris detrimenti, quod eorum quisque sustinuit, ratione servata (*f*).

(*e*) Joann. Cabassut. supra cit. lib. 6. c. 23. n. 6.

(*f*) Fr. de Gen. theol. mor. t. 6. tract. 8. cap. 7. q. 5. Colloq. Condom. t. 1. Colloq. 17. sect. 3.

CASUS LXXXIX.

DONATUS cum milite quodam pactus est, futurum ut ei viginti nummos rependeret, postquam Petro sibi inimico fustem impegisset. Mandatum sibi negotium executus miles, pactam pecuniam a Donato repetiit: sed noluit Donatus solvere nisi partem istius pecuniæ tantummodo dimidiam. 1. Nonne ei obligatio inducitur ex conscientia, partis alterius superstitis eidem restituendæ. 2. Nonne potest præfatus miles istam pecuniam facere suam propter negotium istud a se se executioni demandatum, & propter periculum, quod adiit in eodem gerendo, cui quidem sese committere non dubitavit, tum ut pecuniam istam lucraretur, tum ut ab ipso Donato gratiam iniret?

RESPONS.

Certum est 1. Donatum non obligari ad perficiendum promissum, quo se se astrinxit erga militem, neque ad quidquam eidem rependendum, quoniam, ut Imperator Justinianus declarat (*g*): *Quod turpi ex caussa promissum est; veluti si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat, non valet.* En quibus verbis concipitur Lex una de Codice memorati Imperatoris (*h*); *Nullum enim actum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente Lege factum est: Illud quoque cassum atque inutile esse præcipimus.* 2. Non licere præfato militi quidquam sibi retinere eorum, quæ recepit a Donato, ad gerendum commissum sibi negotium vis ipsi Petro inferendæ.

Dicimus, non obligari Donatum ad promissum istud, quo se se erga militem astrinxit perficiendum; ut patet ex plurimis rationum momentis alibi memoratis (*i*). Et quæ supervacaneum est hic loci iterum referre. Lex ipsa naturalis, Lex Divina, & quæ tum ex Ecclesiastico tum ex civili Jure Leges emanant, ejusmodi conventiones detestantur, ac declarant prorsus irritas. Quin etiam iis, qui mandatum dederunt aliorum cædendorum, & multandorum, obligatio inducitur palam faciendi, quinam peccaverint, ut in eos severe animadvertatur: quemadmodum fertur in Edicto Francisci I. promulgato anno 1536. (*K*) nedum necessitas afferatur, mercedis alicujus iisdem rependendæ. Labor & difficultas, quæ vir facinorosus sentit in gerendo ejusmodi scelerato negotio, periculum, cui se se committit, & beneficium, quo animo intendit ultorem complecti, totidem sunt ipsius actus consectaria, quæ proinde naturam criminis retinent, quo ipse actus inficitur: atque adeo nedum præmium, quin potius severas omnino pœnas sibi vindicant. 2. Asserimus non licere præfato militi sibi juxta conscientiam retinere decem nummos, quos recepit; Atque e contrario teneri ad eosdem restituendos, non quidem Donato, qui cum eos rependerit tanquam mercedem facinoris perpetrandi, eodem jure, quo miles, qui illos percepit meretur, quamobrem iis defraudetur: Siquidem peccaverit uterque tum contra justitiam, tum contra caritatem. *Ubi autem & dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus: veluti si pecunia detur, ut male judicetur.* Quæ ipsissima sunt verba cujusdam Legis de Digesto (*l*). Est ergo restitutio pauperibus addicenda, aut in alios pios usus convertenda. Atque sic censet S. Thomas (*m*), qui varios explicans acquirendi modos, qui non sunt liciti, ea ratione loquitur: *Alio modo est aliquid illicite acquisitum, quia ille quidem qui acquisivit retinere non potest; nec tamen debetur ei, a quo acquisivit: qui scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia in qua dans & accipiens contra justitiam Divinæ Legis agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit; & debet in eleemosynas erogari; & eadem ratio est in similibus, in quibus datio & acceptio est contra Legem.* Et iterum alibi (*n*): *Aliquis dupliciter aliquid dat illicite. Uno modo, quia ipsa datio est illicita contra Legem ..... & talis meretur amittere quod dedit. Unde non debet ei restitutio fieri de his: & quia etiam ille, qui accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere.*

Quam ea de re S. Thomæ Doctrinam accuratius tenet S. Antoninus (*o*), & eam extendit ad casum, in quo Judex aliquis accipit pecuniam ad judicium dicendum non rectum; ad Notarium, qui pecuniam sibi oblatam percipit ad scribendum falsum atque supposititium aliquod instrumentum; ad testes, qui fidem suam patiuntur pecunia corrumpi, ut falsum dicant testimonium: & determinat prædictis ejusmodi omnibus incumbere, quidquid receperunt, in pauperes effundere.

(*g*) Lib. 3. Institut. tit. 20. de inutilibus stipulationibus. §. 24.

(*h*) Leg. Non dubium. 5. cod. de Legibus & constitut. Principum &c. lib. 1. tit. 14.

(*i*) V. Promissum Casus Scævola 7.

(*k*) Edictum anni 15. 36. c. 3. art. 9. Bouchel Biblioth. Juris Gallici. v. Injuria.

(*l*) Leg. Ubi autem. 3. ff. de condictione ob turpem caussam. l. 12. tit. 5.

(*m*) S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. in corp.

(*n*) Id. ibid. qu. 62. art. 5. ad 2.

(*o*) S. Anton. 2. part. sum. theol. tit. 2. c. 5. §. 17.

CASUS XC.

LAURENTIUS furatus est mille libras Theotimo, cujus copiæ coguntur omnino in angustum, & mille

le libras Fabio viro bene nummato. Non habet, unde restituat, nisi mille libras. Numquid eas debet Theotimo simul & Fabio ex æqua parte dividere; aut Theotimo propter angustias, in quas compellitur, easdem in integrum restituere?

RESPONS.

Circa propositam difficultatem hæc est sententia Auctoris cujusdam Opusculi, quod S. Thomæ vindicatur. *Si unus sit dives*, inquit, *& alter pauper & plus indigens his, de quibus restitutio facienda est; & æqualiter sit clarum in utroque; adhuc prius pauperi potest restitutio juste fieri, quam diviti; eo quod plus læsus est in ablatione suorum: & quia plus indiget* (a). Censemus ergo, Laurentium obligari ad mille libras, quas a Theotimo furtive abstulit, ei jure potiori, ut pote redacto ad terminos egestatis, restituendas, quam Fabio, qui de rebus domesticis est bene constitutus.

(a) Apud S. Thom. opusc. 73. c. 18.

CASUS XCI.

GABINIUS & Titius, quorum unicuique duobus annis diversis ducentas libras Nicolaus surripuit, afficiuntur æquali rerum suarum inopia, vel abundantia. Quanam ratione restitutionem oportet a Nicolao præstari, si nequeat ultra dimidiam partem furtivæ pecuniæ istius restituere?

RESPONS.

Quem appellavimus modo in superiori decisione, suam ea de re sententiam Auctor proponit istis verbis: *Si uterque sit æqualis conditionis, scilicet in paupertate vel divitiis, & æqualiter clarum sit de utroque, si uni prius facta sit injuria quam alteri, adhuc illi prius est restituendum* (b) *ordine juris naturalis, cui prius facta fuit injuria*. Debet ergo Nicolaus ad istud principium se se accommodare in casu proposito, quantum ad obligationem restitutionis, quæ ipsi affertur.

(b) Idem cit. c. 13.

Quam assertionem plurimum roborare est ex ista regula Canonici Juris (c), quæ sic habet: *Qui prior est tempore, potior est jure*. Quod intelligendum est adhibita ista clausula, *ceteris paribus*, quam prædictæ regulæ Glossa apponit (d): *Hæc regula locum habet in iis, quorum utriusque par est caussa*. Jamvero nullum caussæ conditionisve discrimen occurrit, ut supponitur, Gabinium inter atque Titium; Siquidem par utriusque sit vel paupertatis vel divitiarum conditio; neuterque diligentiam adhibuerit, ut pecuniam sibi furto surreptam recuperaret. Ergo Gabinio, cui primum injuria irrogata est, jure potiori, quam Titio, injuriæ satisfactio, damnique compensatio sunt exhibendæ.

(c) Bonifac. VIII. in reg. 54. de reg. Juris in 6.
(d) Glossa in cit. reg. v. *Qui prior*.

Dicimus: *Neuterque diligentiam adhibuerit &c.* Si namque Titius, licet nonnisi posterius injuriam passus sit, furem haberet compertum, ab eoque ducentas suas libras petivisset restitui, sive in judicio, sive privata tantummodo postulatione: Tunc obligaretur Nicolaus, ad easdem ei restituendas prius, quam Gabinio. Cujus rei ratio est, quia in eo casu, *utriusque par non est caussa*: Siquidem Titius prior egerit, ad rem sibi furtive surreptam recuperandam; & Gabinius siluerit, neque ea de re quidquam tentaverit. Eam autem regulam sequuntur tum Jurisconsulti, tum Canonistæ; ut videre est apud Navarrum & alios (e); *Vigilantibus jura succurrunt*. Existimamus tamen, si Gabinius & Titius ad eam rerum necessitatem, quæ dicitur extrema detruderentur, aut etiam ad eam necessitatis angustiam, quæ pene extrema foret, in isto casu restituendam pecuniam oportere utrique ea æqua parte dividi.

(e) Navar. Manual. c. 17. n. 63. v. *Secundo*. Sylvester Prierius. v. *Restitutio*. 6. qu. 9. & alii.

CASUS XCII.

GILDARDUS ab annis quinque mille libras a Ludovico callida ratione corrasas nunc animo destinatum habet restituere; quoniam vero Ludovicus ab eo tempore diem obiit supremum, neque ipsius hæredes potest habere compertos; adivit Rollandum, cui conscius est, solutam non fuisse a defuncto parem pecuniæ summam, quam debitam eidem ipse vita migrans reliquit; & ei conditionem obtulit, si vellet ei cedere, quod sibi debebatur, pro quingentis duntaxat libris, futurum, ut eas ipsi impræsentiarum numeraret; tradita sibi ad manum Chirographi cautione, quam ei Ludovicus confecerat, & præstito simul consensu, futurum, ut ipse quingentas superstites alias libras in proprium suum quæstum converteret, aut saltem in pios usus, qua ratione sibi videretur, conferret. Rollandus, qui rem sibi debitam omnino periclitari putabat, oblatam conditionem ultro prorsus atque alacriter acceptavit, & receptis quingentis libris, ei dedit ad manum syngrapham defuncti. Qua de re quæritur, utrum Gildardus ea ratione potuerit cum Rollando pacisci; adeo ut possit suas facere quingentas prædictas libras, quas iste gratuito concedere non dubitavit, nulla remanente quantum ad istam rem obligatione restitutionis?

RESPONS.

Non est, unde possit in dubium adduci, quin Gildardus in proposita specie potuerit, atque etiam ex conscientia debuerit Rollando, quem Ludovicus moriens suum Creditorem reliquerat, restituere. Quando namque qui rem alienam possidet, non potest eandem reddere neque Domino, cui jure proprietatis vindicatur, neque ipsius hæredibus; tenetur ad eam reddendam ipsius Creditoribus; siquidem succedant in jus sui Debitoris, cui restitutio, si fieri posset, esset præstanda. Quam sententiam tenent Sylvius, Sylvester de Prierio, Sayrus & Medina, quos præfatus Sylvius appellat in una quadam ex suis decisionibus anni 1617. (f). Verum non minus constat, omnino non potuisse, nisi violato prorsus omni jure, Gildardum cum Rollando transigere ea ratione, quæ fertur in enuncianda præsenti quæstione. Cum enim obligaretur ipse, ad integram summam mille librarum restituendam, & ipsi suppeteret, unde valeret prorsus satisfacere prædictæ obligationi, ut supponimus; non potuit ab ejusmodi Lege se se subducere sub prætextu debiti vilio:i pretio emendi; siquidem ei nulla legitima caussa adesset transigendi cum isto Creditore, cui tota ista summa legitima ratione cedebat; quique non assentiebatur ejusdem parti dimidiæ sibi tantummodo solvendæ, nisi quia persuasum habebat, sibi locum non dari ejusdem in integrum recipiendæ, aut saltem non nisi ægre admodum ejus solutionem recuperari posse, atque solum cum liberet Gildardo, adversus quem nullus sibi titulus prædictæ summæ repetendæ succurrebat. *Emere autem debitum Creditoris, secundum quod in casu proponitur, non est licitum*, inquit Sylvius. *Cum enim debitor teneatur, ac possit totam summam restituere, nullum habet justum titulum ita transigendi, & quod Creditori debetur vilius emendi. Immo deciperetur talis Creditor, persuasus quod totam summam sibi debitam non possit recuperare, vel non sine magna difficultate, & longa mora*.

(f) Fr. Sylvius resol. var. v. *Restitutio* 1. Sylvester. v. *Solutio* q. 4. Gregor. Sayrus l. 10. tract. 5. 6. 7.

CASUS XCIII.

REMIGIUS miles furatus est Martino equum, quam a quodam militari Doctore triginta duplionibus aureis mense Septembris emerat, quemque animo deliberaverat ad mensem usque Maji sequentis retinere, venditurus eundem tunc temporis, quo solent omnes equestrium copiarum Doctores equos sibi comparare, ut se se ad bellum expediant, quemque poterat, ut admodum verisimile est, in ejusmodi rerum circumstantia quinquaginta duplionibus aureis venumdare. Remigius, qui dictum equum ubi primum furto surripuit, statim vendidit, obligatur-ne ad triginta dupliones aureos, qui constituunt pretium emptionis, Martino non tantum restituendos; sed præterea alios viginti dupliones aureos, quos ex venditione sui equi per modum lucri retulisset?

RESPONS.

Obligatur ex conscientia prædictus miles, ad triginta dupliones aureos, quos Martinus pro pretio equi rependit, non tantum restituendos; verum præterea, ad afferendam Martino damni, quod ei induxit, compensationem, cum nempe eum spoliavit lucro, quod certissime facturus fuisset, si sibi licuisset suum equum, prout statuerat, ad mensem usque sequentis Maji custodire,

quo

quo quidem tempore multo pluris eum vendidisset, quam sibi constiterat.

Concordat omnino quod hic loci determinamus, cum sententia Auctoris Operis cujusdam, quod S. Thomæ tribuitur (*a*). En namque qua ratione loquitur de eo, qui furatus fuisset pullum equinum, aut vitulum, quem proprietarius deliberaverat custodire, usque dum attigisset annum perfectionis ætatis, & factus fuisset usui præbendo aptior. *Aliquis furatus est pullum equinum aut vitulum, quem verus Dominus usque ad annum perfecti valoris custoditurus erat. Sed fur statim vendidit, & liberavit se a furto. Quæritur, utrum fur teneatur restituere pulli valorem tantum, vel etiam æquivalorem?* Qua quidem quæstione sic proposita, subjicit, eum, qui furatus est præfatum pullum equinum, aut memoratum vitulum, obligari in eo casu, ad restituendam illius æstimationem sumptam ex pretio, quo eumdem vendidisset factum maturioris ætatis & anni perfectioris: *Quod videtur secundum jura allegata*; & idem judicium ferendum esse de ceteris omnibus ejusmodi .... *Si vero sint res, quæ oblatæ sunt, quæ ex sui natura possunt secundum naturam temporis augeri & crescere in pretio: tunc tenetur spoliator restituere pretium ipsarum rerum, quod valituræ erant secundum naturam rei & temporis*. Quod tamen intelligendum est: *Deductis expensis & periculo*, juxta viri alicujus prudentis atque intelligentis æstimationem.

(*a*) Apud S. Thom. opusc. 73. de usuris

Quæ sententia confirmari potest ex quadam Decretali Cælestini III. (*b*), in qua laudatus Papa de quodam Archidiacono, qui bona Monasterii cujusdam iniqua possessione retinebat, sic declarat. *Mandamus, quatenus prædictum Archidiaconum oblata prænominati Monasterii fratribus cum integritate restituere, damna plenarie resarcire .... compellatis, provisuri ut non tantum fructus a novo & violento possessore perceptos: Sed quos, si eis possidere fuisset licitum, possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem*. Quod omnino congruebat æquitati; siquidem ex violentia simul & injustitia præfati Archidiaconi factum esset, eos fructibus, quos alias potuissent percipere, fuisse defraudatos; ac proinde teneretur ad detrimentum, quod inde senserant reparandum; utpote quod ista damni compensatio non fuisset integra, nec ejus conditionis, qualem eam in simili casu laudatus Papa determinat esse oportere. Ex quibus facile est inferre, Remigium obligari ad justum pretium ejus, quem furatus est, Martino non tantummodo restituendum, sed etiam ad præstandam ei ratione, qua jamjam explicuimus totius damni, quod inde passus est compensationem (*c*).

(*b*) Cælestin. III. in c. Gravis 11. de restit. spoliat. l. 2. tit. 13.

(*c*) Colloq. Lucionens. t. 2. colloq. 45. q. 2. Colloq. Condomens. to. 1. colloq. 16. sect. 3.

CASUS XCIV.

ANDREAS, Gildardus, Ludovicus & Bertinus fructus de Oliviarii horto diripuere. Andreas auctor est istius rapinæ primarius, & ceterorum nocentissimus; quoniam jussit, aut mandatum dedit ceteris tribus, ut ad eamdem faciendam, operam ei suam præberent. Olivarius annuit eidem condonandæ gratiæ, quin etiam ipsi solvendo restitutionis, quæ ei incumbebat, obligatione. Numquid Gildardus, Ludovicus & Bertinus sunt quoque censendi eadem absolvi, quæ sibi inducebatur, obligatione restitutionis?

RESPONS.

Si Gildardus, Ludovicus & Bertinus fructus direptos non habeant in sua potestate; censentur obligatione restitutionis omnino liberari, ex condonatione facta ab Oliviario ipsi Andreæ auctori detrimenti coriphæo atque primario: præsertim vero si Oliviarius veniam Andreæ indulgendo significaverit, eam sibi mentem inesse, ut ceteri condonationis ejusdem sint participes. At si quis eorum prædictos fructus etiamnum in sua potestate retineat, remanet semper obligatus, ad faciendam Oliviario restitutionem: addendum est præterea, si Gildardus, Ludovicus & Bertinus soli fructus diripuerint ex jussu, seu mandato sibi dato ab Andrea; & Oliviarius iisdem gratiam fecerit, atque eos ab obligatione restituendi solverit; Andream auctorem istius furti primarium ac magis principalem, non ideo subduci ab ejusdem restitutionis obligatione, licet ceteris tribus condonatum fuerit; ni Olivarius non ignorans, Andream fuisse ejusdem furti socium ac participem, omnibus concesserit generalem verbis expressis conceptam restitutionis immunitatem. Atque ea ratione censet Auctor Theologiæ moralis Gratianopolitanæ (*d*).

(*d*) Fr. de Gen. theol. mor. t. 6. tract. 8. cap. 7. quæst. 3.

CASUS XCV.

FELIX & Godefridus furtive surreptum Floriano horologium manuale argenteum vendiderunt Norberto, qui illud idem ab ipsis furtive fuisse ablatum non ignorabat. Quis istorum trium priori ac potiori jure; quam alii duo, obligatur ad illud restituendum?

RESPONS.

Est hoc loco principii certissimi positum, eum, qui rei alicujus furtivæ malæ fidei possessor extat, obligari, ad eandem restituendam præ ceteris, qui ejusdem surripiendæ quoquo modo participes ac socii fuerunt. Incumbit ergo Norberto principaliter ac primario restituere Floriano manuale horologium, præ Felice & Godefrido, qui, non nisi secundario & loco Norberti non restituentis, obligantur ad restitutionem. *Si sciens emeris rem furtivam*, inquit celeberrimus quidam Avenionensis Professor (*e*), *Domino teneris restituere, etiam cum jactura soluti a te pretii*.

(*e*) Joa. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 6. c. 23. n. 4.

Quæ decisio plane consentit Doctrinæ S. Chrysostomi, qui sic habet. *Hoc autem*, inquit præfatus Pater (*f*), *sanciunt etiam Leges externorum, quæ, iis dimissis, qui rapuerunt & abstulerunt, ab illis jubent petere, apud quos tua esse inveneris. Si ergo eos quidem noris, quibus facta est injuria eis redde .... si autem ignoras; aliam tibi do vicem, nec te excludo a remedio, nempe ut egentibus omnia tua distribuas, & sic malum curabis*. Quibus addendum est, postquam iniquus rei furtivæ possessor eandem restituit; ceteros ejusdem furti participes ac socios manere ab omni prorsus obligatione restitutionis erga proprietarium absolutos.

(*f*) S. Chrysost. Hom. 15. in 1. ad Corinth. 5.

CASUS XCVI.

BLESILLA ancilla cujusdam Mercatoris, qui cellæ suæ vinariæ fidei ipsius concredidit administrationem, duas pintas vini furtive surreptas perunamquamque hebdomadam dedit Puero in officina ministranti, præter consuetam, quæ ei debebatur, portionem. Uter obligatur primario, ad restituendum, aut Ancillæ, quæ vinum furata est, aut pueri in officina ministrantis, qui illud idem bibit?

RESPONS.

Puero in officina ministranti, qui bibit vinum, primario incumbit pretium ejusdem restituere. Ratio est, quia qui rem aliquam furtivam mala fide consumpsit, habendus est quasi remanens etiamnum ejusdem possessor; juxta regulam istam juris Canonici (*g*): Pro possessore habetur, *qui dolo desiit possidere*. At, si restituere omiserit; in ancillam recidit obligatio restitutionis: tandemque, si alteruter restituat, alteri jam nulla remanet obligatio Mercatori quidquam restituendi: atque res ita se habet in ceteris omnibus casibus, in quibus concurrunt in idem detrimentum inferendum plurimi socii atque participes (*h*). Est tamen observandum, si Blesilla restituisset, & prædictus puer ei fidem fecisset, futurum, ut ipsi compensationem aliquam afferret, ipsum remansurum ex conscientia obligatum, ad fidem datam exsolvendam: atque vel eo potiori jure, quod prior teneatur, ad faciendam restitutionem.

(*g*) Reg. 36. de reg. Juris in 6.

(*h*) De Gen. theol. mor. t. 6. tract. 8. cap. 7. quæst. 2.

CASUS XCVII.

FULLONIUS furto sustulit a Joanne calamariam thecam argenteam, quam Titio deinde dono dedit, qui perspectum omnino habebat, eandem a Fullonio fuisse furtive surreptam. Titius eam post dies octo amisit. Uter obnoxius est restitutioni?

RE-

R e s p o n s.

Incumbit in solidum utrique & alterutri, altero non restituente, thecam istam calamariam argenteam aut ejusdem pretium Joanni referre; qui quidem Joannes proinde non obligatur ad discutiendum unum præ altero, & agendum adversus unum potius quam in alterum rei suæ repetendæ gratia; sed jus habet recurrendi ad alterutrum, prout sibi libuerit: beneficio discussionis, quod sibi possunt vindicare qui uni eidem civili debito in solidum (a) adstringuntur numquam obtinente quantum ad debita quæ ex delicto contrahuntur.

(a) Navalla Novimus. 99. c. 1. de duobus reis promittendi. Authentic. callar. 7. t. 11.

Ac primo quidem Fullonius obligatur ad restitutionem *ratione injuriosæ acceptionis*, & Titius *ratione rei* (acceptæ): Quæ sunt ipsissima verba S. Thomæ (b), qui rationem istam affert: nimirum quia *restitutio non ordinatur principaliter ad hoc, quod ille qui plus habet, habere desinat; sed ad hoc, quod illi qui minus habet, suppleatur. Unde in his rebus quas unus potest ab alio accipere sine ejus detrimento, non habet locum restitutio; puta cum aliquis accipit lumen a candela alterius. Et ideo quamvis ille qui abstulit, non habeat id quod accepit, sed in alium sit translatum: quia tamen alter privatur re sua, tenetur ei ad restitutionem, & ille qui rem abstulit ratione injuriosæ acceptionis, & ille qui rem habet ratione ipsius rei.*

(b) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 1.

Quod idem docet Sylvius (c), post Silvestrum Mozolinum, Navarrum, Baonesium, Sotum, Majorem, Medinam, Salonium & plurimos alios: *Qui rem alienam emit mala fide*, inquit S. Thomæ interpres, *tenetur eam vero domino restituere, etiam cum suo damno proprio: neque tantum rem ipsam, sed etiam omnes illius fructus perceptos, & eos qui tempore intermedio potuerant percipi. Quod si perierit sive cum culpa, sive sine culpa & fortuito, tenetur reddere æquivalens; idque juxta suum valorem, quo valuit eo tempore quo habuit.* Ex quibus verbis patet, Titium qui calamariam thecam argenteam mala fide emit, & deinde perdidit, non minus quam Fullonium qui eamdem abstolit furtive, obligari ad præstandam Joanni restitutionem.

(c) Fr. Sylvius in S. Th. cit. quæsito 5. conclus. 5. Et apud eum Silvester de Prierio v. Restitutio. 3. q. 7. Navarr. Manual. cap. 17. n. 19. Joan. Major. in 4. dist. 15. q. 10. & alii.

CASUS XCVIII.

Flaminius ab annis quinque vel sex viginti nummos aureos ab hero suo Cæsare furtim abstulit. Sincera vero pœnitentia motus paucis ab illinc diebus eosdem ad manum tradidit suo Confessario viro spectatæ omnino integritatis cui mandatum suplex dedit, ut eos vellet Cæsari restituere: Qui quidem ab ipsa die crastina iter ingressus eosdem ipsi delaturus, & summam istam habens ad manum, quo tempore parvi navigii subsidio flumen quoddam transibat, subito venti furentis impetu in undas excussus est, & ibidem submersus: atque adeo ex infortunio eodem viginti nummi aurei perierunt. Flaminius petit, an coram Deo teneatur ad sustinendam istam jacturam, & viginti nummos aureos alios Cæsari restituendos; atque utrum eadem sibi induceretur obligatio in simili casu, si vicibus pluries repetitis iteraretur?

R e s p o n s.

Respondemus, Flaminium ex conscientia obligari ad alios viginti nummos aureos in proposito casu Cæsari restituendos, atque eodem quoties recurrente, toties eamdem ipsi recurrere debitæ adimplendæ restitutionis æquam obligationem. Cujus rei ratio hæc est, quod in caussa restitutionis cujus affertur necessitas ex aliquo delicto perpetrato, numquam ejusdem immunitas accipiatur, donec res restituenda ad manus usque veri sui domini pervenerit: quoniam qui detrimentum aliquod intulit, *tenetur ad restitutionem non solum ratione rei, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis; etiamsi res apud ipsum non remaneat*: ut loquitur S. Thomas (d). Quam eamdem doctrinam S. Antoninus proponit istis verbis (e): *Si tamen vitium usuræ, vel furti, vel alterius damni est occultum, & restitutio occulto modo per se, vel per alium facienda est, ut non detegatur persona ... caveat etiam diligenter, quod cum per alium facit, ita faciat caute, quod is recipiat cui debet, & non ille sibi retineat, quia non esset liberatus.* Eadem ratione censet Cabassutius (f): *Si titulo injusto acceptionis (tenebatur), nullatenus liberatur debitor*, ait laudatus Canonista, *licet res in manibus internuntii absque dolo, sed casu fortuito deperierit. Ratio est, quia casum istum culpa præcessit debitoris; nisi enim alienum usurpasset, res ista non incidisset in illum casum quo supponitur periisse in aliena manu: pacto enim, vel culpæ, vel moræ præcedentibus casus etiam fortuitus imputatur, cap. finali. D. de deposito.*

(d) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. in corp.
(e) S. Anton. a Port. sum. theol. t. 2. c. 4. §. 1.
(f) Jorn. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 25. n. 4.

Juvat autem ea de re observare, si Flaminio Cæsari confesso suum furtum, iste designasset tamquam internuntium præfatum Confessarium; futuram jam prorsus disparem ipsius Flaminii conditionem. Ubi primum enim creditor internuntium eligit, censetur cum eo fieri una eademqua persona, atque in semet ipsum recipere, quotquot possunt contingere fortuitos eventus, tandemque acceptum ferre quidquid fidei ac manibus internuntii concredi mandavit (g).

(g) Colloq. Lucion. to. 2. Colloq 47. q. 3. Colloq. Condam. to. 9. colloq. 27 sect. 2. De Gen. theo. mor. to. 6 tr. 8. c. 7. q. 19.

CASUS XCIX.

Rufina cernens mortuum esse suum maritum absque eo quod pepererit, sacculum milla librarum & plurima scuta ad pretium usque quadringentarum librarum de communione bonorum avertit, opem ferente Angelica sua vicina, cui mercedis loco nummos aureos decem rependit. Angelicæ confitenti se se ei in ea re fuisse auxiliatam, debet ne Confessarius obligationem inducere decem aureorum nummorum solummodo restituendorum; an etiam Rufina ipsa non reddente, summæ furtivæ in integrum simul cum universis scutis præstandæ?

R e s p o n s.

Non tantummodo debet Confessarius Angelicæ inducere ei, quos recepit in pretium occultati furti nummorum aureorum decem restituendorum obligationem. Cum enimvero non minus quam ipsa Rufina concurrerit in furtum faciendum, profecto tenetur in solidum ad detrimenti totius quod emersit inde heredibus defuncti, compensationem: adeo ut, si Rufina nequeat aut nolit istius restitutionis obligationi satisfacere; Angelicæ incumbat ex conscientia necessitas eidem in integrum restituendi. Attamen si quod restituendum est, ipsa non posset totum refundere; saltem debet Confessarius eam obligare ad restituendos decem nummos aureos quos lucrata est, eique injungere, ut quam impensissime Rufinam impellat ad residuum quod ipsa debet iisdem heredibus congruenti restitutione de propriis manibus dimittendum.

CASUS C.

Guinebaldus colonus noctu petiit horreum Nicolai sui vicini cum animo ei furandi triticum. At quoniam nullus ei locus patebat illuc ingrediendi, nisi per fenestram paullo altiorem; suarum ovium custodi jussit, ut sibi scalas admoveret, & earumdem partibus infimis totus innixus hæreret, quamdiu fenestram ipsemet ascensu superaret; ac deinde sedulo excubaret, ne in furto faciendo deprehenderetur. Quæ quidem omnia ut mandata fuerant, omnino perfecta sunt; atque vicibus pluries repetitis extulit inde Guinebaldus modios frumenti duodecim. Post elapsos aliquot menses inopinata morte sublatus est, nulla facta restitutione, neque adhibita ulla cautione qua curaverit, a liberis suis istius furti prorsus insciis damnum istud resarciendum. Qua de re quæstio habetur, num prædictus ovium custos cui nihil quidquam ex isto furto quæstus accessit, quique furanti suo hero non tulit opem, nisi propterea quod timeret, ne ab eo, si parere recusasset, extruderetur,

nihilominus coram Deo obligetur, ad pretium furtivi frumenti Nicolao restituendum?

R E S P O N S A.

Manifestum est, predictum ovium custodem teneri ad pretium frumenti quod Guinebaldus furatus est restituendum; siquidem ad istud furtum admissum a suo hero mutuam operam suam vere ac proprie contulerit. Idem namque de Guinebaldo & istius ovium custode statuendum est, quod Lex (a) determinat de duobus qui furati sunt, & extulerunt unam trabem quam solus ex eis unus efferre non potuisset: eos nimirum in solidum obligari, aut ad eamdem restituendam, aut ad justum illius pretium refundendum: *Si duo, pluresve unum lignum furati sunt, quod singuli tollere non potuerint*, inquit citata lex; *dicendum est, omnes eos furti in solidum teneri; quamvis id contrectare, nec tollere solus posset: & ita utimur. Neque enim potest dicere, pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei universos: sic fiet singulos furti teneri.*

(a) L. Vulgaris 21. §. 9. ff. de furtis. l. 47. tit. 2.

Quod idem etiam docet S. Thomas (b), cum dicit, eum qui mutuam operam efficienter contulit ad faciendum furtum, licet in nullam partem lucri venerit, obligari ad restitutionem: quoniam concurrit in actum quo factum fuit, & socius fuit ac particeps injuriosæ acceptionis. *Ad restitutionem tenetur aliquis*, inquit, *non solum ratione rei alienæ quam accepit; sed etiam ratione injuriosæ acceptionis. Et ideo quicumque est caussa injuriosæ acceptionis, tenetur ad restitutionem.*

(b) S. T. 2. 2. q. 62. a. 7.

Sylvius laudati S. Doctoris fidus interpres eamdem doctrinam sequitur, & in exemplum affert, quam heic loci distringimus propositam speciem: *Sic caussa efficax est*, ipsius sunt appellati Theologi verba (c), *non solum ille qui exsequitur actionem, sed etiam is qui .... scalas, vel alia instrumenta subministrat ...., etiamsi non deessent alii qui fuissent idem facturi*. Et iterum: *Participans intelligi potest dupliciter; aut qui participat in crimine, tamquam socius furti, aut alterius maleficii, ut simul furando scalas fure ascendente sustinendo, excubias aliis furantibus agendo.... aut qui solum participat in præda, seu re furtiva.*

(c) Fr. Sylv. in S. Th. cit. in resp. ad 1. q. & de particip.

C A S U S CI.

NATALIS qui spuriam quamdam cellæ vinariæ Flori vicini sui clavem apud se clanculum habebat, per spatium sex circiter mensium ei furatus est ad mensuram usque dolii unius vini pretiosioris atque robustioris, quod inter lautas epulas quibus amicos suos istius furti prorsus inscios multoties excepit, largissime combibit. Florus ubi certum atque exploratum habuit, sibi damnum fuisse a Natali illatum, capitis eum accusare cœpit; quod quidem in caussa fuit: cur Natalis se se fugæ conjiciens deseruerit regionem istam, & in aliam non cognitam diffugerit. Qua de re proponitur, utrum in foro interiori præfatis Natalis tribus amicis inducatur obligatio Floro restituendi pro rata parte vini istius quod combiberunt?

R E S P O N S A.

Respondemus, in casu proposito tribus amicis Natalis nullam prorsus induci restitutionis obligationem. Ratio est, quod quando quis furtivæ alicujus rei quam furtivam ignorabat, bona fide fuit particeps, non teneatur ad eamdem restituendam, nisi cum ista remanet in propria sua specie, neque consumta fuit: at vero postquam bona fide consumta est; obligatio tantum affertur lucri quod ex eadem consumtu accessit restituendi. Unde sequitur, si præfati tres amici non combiberint cum Natali vinum quod iste Floro furatus est, nisi inter epulas quibus adhibiti sunt, atque in casibus extraordinariis, ut innuitur in præsenti quam expendimus specie; adeo ut nihil quidquam proprio suo vino ex ejusmodi conviviis comparserint; nullam iis inducendam esse obligationem satisfaciendi per aliquam restitutionem, propter bonam fidem in qua versabantur, cum vinum istud potaverunt. Verum si furti vel tantillum conscii fuissent, obligarentur in eo casu ad pretium vini quod cum mala fide consumsissent Floro restituendum. Atque eidem restitutioni locus esse debet, si cum solerent inter sumendos suos ordinarios cibos vinum bibere, suo vino parserint, vinum Flori cum bona etiam fide combibendo: tunc enim obnoxii sunt restitutioni pro ratione commodi quod inde perceperunt: quemadmodum evidenter habetur ex lege quæ declarat, bonæ fidei possessori incumbere id ex quo rem suam auxit, restituere (d): *Si fructus sit locupletior*. Quod quidem æquitati naturali consentaneum omnino est, quæ non sinit, quemquam ex aliena re fieri ditiorem; ut ait Bonifacius VIII. (e): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*: cui dicto plane congruit ista regula juris Romani (f): *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem* (g).

(d) L. Utrum 21. ff. de hereditatis petitione l. 5. t. 3.

(e) Reg. 48. de reg. juris in 6.

(f) L. Jure, 206. ff. de diversis reg. juris ant.

(g) Colloq. Condom. to. 1. coll. 24. sect. 2. Fr. de Goet. theolog. mor. to. 6. tract. 5. c. 7. q. 23.

C A S U S CII.

LEODABARTUS tria panni volumina de taberna Stephani noctu surrepta deposuit apud Flavianum suum consanguineum, qui eadem ipsi apud se custodire non dubitavit, & post dies octo reddidit. Qua de re quæstio est, utrum Flavianus quem furtum istud non latebat, teneatur ipso Leodeberto non restituente, ad pretiam panni Stephano persolvendum?

R E S P O N S.

Si quidem Flavianas furtivorum prædictorum panni voluminum fuerit conscius, eadem apud se custodienda acceperit, ac deinde latroni reddiderit, veri nominis est id quod appellatur rerum furtivarum celator atque receptor: adeoque tenetur in solidum simul cum eo qui eadem furatus est, ad integram detrimenti quod Stephano fuit illatum reparationem, utpote qui in illud idem inferendum efficienter concurrerit, furtum occultando, & furi tradendo; cum e contrario non debuisset illud de propriis manibus dimittere; sed potius providere, ut Stephano restitueretur. Atque illud potissimum infertur ex istis verbis sancti Augustini, quæ Gratianus refert in Canonem excerptum de Epistola quam laudatus sanctus Doctor scribit ad Macedonium, quæque recensetur inter opera præfati Patris juxta recentiorem editionem quinquagesima tertia, & juxta priscam editionem habebatur quinquagesima quarta (h): *Illud vero fidentissime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adjuvat, ac non potius subvertit atque opprimit.* En, ipsissimus est casus in quo Flavianus constituitur. Nam confugientem ad se Leodebertum admisit, nec quantum honeste potuit, ad restituenda furtiva tria panni volumina compellit: quin imo eadem apud se custodienda atque occultanda recepit, & in ipsius manus deinde reddidit. Est ergo secundum S. Augustinum socius furis, & rei furtivæ particeps, & consequenter in solidum cum Leodeberto obligatus ad integram totius damni quod Stephanus inde pertulit, præstandam compensationem (i).

(h) S. Aug. in can. Si res. v. §. 1. 14. q. 6.

(i) Colloq. Condomens. cit. & Fr. de Gen. loc. cit. quæst. 14.

C A S U S CIII.

NOATLIUS cum auctor fuisset Cajo, ut Joanni avunculo suo furaretur quingentas libras, commercii sui quod male se habebat juvandi gratia, & eidem in animum induxisset, omnino non posse aliter sustineri quam faciebat negotiationem; Cajus obfirmavit se consilium istud perniciosum sequi, salva restitutione earumdem facienda, si per facultates aliquando sibi liceret, Nobilius advertens, se se in peccatum letale ex dato ejusmodi consilio impegisse, & conjiciens, futurum ut suus Confessarius obligationem ei posset inducere dictarum quingentarum librarum restituendarum, consilium

suum

Digitized by Google

suum rescidit, & pro virili parte conatus est ab eodem exequendo Cajum avellere. At vero Cajus ipse, quem nimium movebant allegatæ a Nobilio rationes, propositi furti remansit omnino tenax, atque revera paulo post Avunculo suo prædictam summam defraudavit. Num in eo casu Nobilius obligatur, Cajo non restituente, ad quingentas istas libras Joanni rependendas?

RESPONS.

Est hoc loco principii constantis & omnino certissimi constitutum, ut qui rem iniquam suasit, teneatur ad integram totius detrimenti, quod ex suo consilio proximo intulit, restitutionem: *Tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator, ad restitutionem*, ait S. Thomas (a), *quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta*. Ut igitur Cajus furtum istud non fecit; nisi motus consilio, quod ei dederat Nobilius; nec nisi quoniam ex allegatis ab eo rationibus ad furandum maxime fuit adductus; iri non potest inficias, quin primum istud consilium vera causa sit furti, quod Cajus commisit, & cujus non aliam ob causam semetipsum astrinxit; quam quoniam alta ipsius mente remanserunt repositæ rationes ipsæ, quas Nobilius in medium protulerat, licet postea omnia fecerit & nihil intentatum reliquerit, quo contrarium in ipsius animum induceret; adeoque videtur, nulla ratione subduci posse Nobilium ab obligatione quingentarum librarum, Cajo non satisfaciente, restituendarum.

(a) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Potest hæc nostra assertio plurimum confirmari ex verbis sequentibus Sylvii (b): *Causa efficax est omnis ille, qui acceptionem injustam de se operatur; vel alteri sic cooperatur, ut ex ejus cooperatione sequatur injusta acceptio*. Et deinde postquam observavit, juxta Legem (c), nomine suasorum eos potissimum intelligendos venire, *qui hortantur, instruunt, promissionibus alliciunt, rationes ob oculos ponunt, quibus aliquis, ad nocendum proximo, inducitur*; sic prosequitur: *Tenetur autem isti ad restitutionem damni, ex suo consilio secuti, vel in integrum, vel in partem: quatenus consilio suo vel totius damni, vel partis causa fuerint*. Quod idem docent Azorius & Sayrus, atque prior appellatorum Auctorum suam sententiam probat auctoritatibus & testimoniis Innocentii IV. & Panormitani (d).

(b) Fr. Sylvius in S. Th. cit. in resp. ad 2.

(c) Consilium autem dare videtur, qui persuadet, & impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum. L. *Interdum*. 49. §. 3. ff. de furtis lib. 47. tit. 2.

(d) Joan. Azor. Instit. moral. part. 3. lib. 4. c. 11. v. *Tertio quæritur*. Greg. Sayrus Clavis reg. lib. 10. tr. 2. c. 8. n. 8.

Quo eodem principio freti alibi diximus, eum, qui fuit auctor, ut aliquis occideretur, incurrere in irregularitatem, licet postea consilium revocaverit, quando nempe ista consilii recisio suum non fuit effectum consecuta.

CASUS CIV.

SALOMON & Andreas secreti sui Bartholomæum fecere conscium, quod nempe Stephanum jamjam compilaturi essent. Cui eorum animi proposito Bartholomæus consensit, ac mirum in modum applausit; cuam adhibituri erant, ut cogitatum furtum feliciter succederet, rationem ingeniosam miratus est, summisque laudibus sustulit, quin etiam plurimum persuasit, ut incœptum graviter pertenderent. Numquid post factum furtum Bartholomæus eadem, qua illi, restitutionis urgetur obligatione?

RESPONS.

Respondendum est cum S. Thoma, non semper inferri ex quocumque consensu restitutionis obligationem, sed ex eo tantum, sine quo non subsequeretur injuriosa acceptio (e): *Consensus in eo, sine quo rapina fieri non potest*. Sic etiam ex quovis consilio, modo fraus & dolus absint, nec ex qualibet adulatione sequitur obligatio restitutionis: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, inquit Bonifacius VIII. (f) Verum importatur ex utroque obligatio ejusmodi tunc solum, cum furti faciendi causa fuerit efficax. *Non enim semper consilium, vel adulatio ...... est efficax causa rapinæ*, inquit S. Thomas; *unde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator, ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsecuta*.

(e) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp. supra cit.

(f) Reg. 62. de reg. Juris in 6.

Quam ob rem si Salomon, & Andreas, etiam non concurrentibus Bartholomæi consensu, consilio, vel adulatione, istud haberent obfirmatum, ut Stephano furarentur; in Bartholomæum nulla recidit obligatio restituendi. Verum e contrario, iisdem non restituentibus, præsatæ subjacet obligationi, si non, nisi interveniente atque impellente ipsius consensu vel consilio, furati fuissent. *In aliis autem causis enumeratis*, ait etiam alibi Doctor Angelicus (g), *non obligatur semper quis ad restitutionem, nisi in certis casibus, quando probabiliter credit, quod consilium suum fuit efficax, & quod alias injusta ablatio commissa non fuisset*. Ad quæ posteriora verba Cabassutius (h) observat, contingente dubio, num aliquis efficaciter concurrerit in damnum inferendum, probabilius esse, non satisfacientibus primariis ac principalibus auctoribus furti, obligationem ei incumbere restitutionis. *Certe enim verba ista*: Probabiliter credit, &c. *non certitudinem, sed dubitationem, & formidinem potius exprimunt*, ait laudatus Canonista post eruditum Segoviensem Episcopum (i), & tres alios Auctores, quos ibidem appellat. *Ratio est*, addit ille, *quia in dubio nemo præsumitur malum sua sponte facturus, Leg. merito. ff. pro socio. Unde infert Covarruvias, eum qui damnificavit, non fuisse damnificaturum; nisi id consilium, quod me dedisse certum & exploratum est, ipsum movisset*. Quæ verba, *certum & exploratum est*, innuunt, non inducendam esse damni compensationis afferendæ necessitatem, nisi adesset consilii dati certa atque explorata fides, & de eo dubium tantummodo suboriretur: quoniam *semper in dubiis benigniora præferenda sunt* (K): cui regulæ congruit ista alia regula Juris: *In re dubia benigniorem sententiam sequi, non minus justius est, quam tutius* (l).

(g) S. Th. in 4. dist. 15. q. 1. art 5. quæst. 3. in corp.

(h) Joan. Cabassut. juris can. Theor. & prax. l. 6. c. 15. n. 2.

(i) Didacus Covarruvias a Leyva in Clement. *Si furiosus*. part. 1. §. 2. n. 1.

(K) L. *Semper*. 56. ff. de diversis. reg. juris antiqui.

Advertendum tamen est in præsenti materia, generatim dici posse, eos, qui consilium dederunt etiam bona fide, & sine malo animo, teneri præstare culpam notabilem, atque etiam eam, quæ appellatur in Jure, culpa levis: atque adeo obligari ad resarciendum damnum, quod ex eorum consilio subsecutum est; cum illud nempe dederunt ex officii titulo, aut aliquod honorarium ab iis, quos consilio suo juverunt, receperunt. Quales sunt Patroni, forenses Procuratores, & ceteri ejusmodi. Neque enimvero quis eorum inhæret consilio, quam quia, dandi consilii causa, potissimum instituti videntur, & ea quæ consiliarios decet, mentis intelligentia, ac plurima sapientia commendari existimantur.

(l) L. 192. §. 1. ibidem. Et l. *Proxime*. 3. ff. de his quæ in test. delentur, &c. l. 28. tit. 4.

CASUS CV.

ULYSSES, cum indicavisset Jacobo, sese animo comparatum esse, ad nummos aureos centum Petro surripiendos; Jacobus auctor ei fuit, ut quinquaginta tantum ei furaretur, quod consilium Ulysses secutus fuit. 1. Jacobus ne obligatur ex consilio, quod dedit, ad quinquaginta nummos aureos, si non reddiderit Ulysses, Petro restituendos? 2. Petitur; utrum Jacobus, postquam Ulyssi dissuasit de centum nummis aureis Petro surripiendis, si persuaderet, ut eosdem a Paulo auferret, quoniam Petrus de rebus domesticis non bene constitutus est, & Paulus divitiis abundat; obligandus esset in foro interiori, ad faciendam Petro aliquam restitutionem?

RESPONS.

In priori casu Jacobus non potuit, nisi peccando contra justitiam. Ulyssem ejusmodi consilio juvare. Quamquam enim Petro pergratum fecerit in eo, quod Ulyssi de surripienda ei summa ingentiori dissuaserit; nihilominus injustitiam plurimum læsit in eo etiam, quod auctor ei fuerit, ut summam dimidio minorem furaretur; quoniam id exigebant tum justitia tum caritas, ut consilio prorsus opposito juvaret Ulyssem: siquidem nunquam liceat sub quocumque prætextu suadere rem fieri

fieri prohibitam tum naturali tum divino jure, & quæ ex natura sua prava est, atque perniciosa; secundum istam Apostolicam regulam; *Non .... faciamus mala, ut veniant bona (a)*.

(a) Rom. 3. 8.

Atque de altero casu est eodem modo determinandum; quippe manifestum sit, Jacobum ex consilio perverso quod dedit, causam efficientem esse furti, quod factum est in detrimentum Pauli; ac consequenter ipsum teneri, non satisfaciente illo qui furatus est, ad restituendum. Quod omnino manifeste colligitur ex plurimis textibus S. Thomæ superius relatis in decisionibus antecedentibus *(b)*.

(b) Fr. de Gen. theol. moral. tom. 6. tract. 8. c. 6. quæst. 8.

CASUS CVI.

Joannes & Petrus in bona successere sui patris Bernardi, qui paucis diebus, antequam vita migraret, furatus fuerat Placido centum nummos, quos etiam non reddiderat, & ex quibus nihil omnino quæstus senserunt; quoniam eosdem defunctus decoxerat. Qua de re quæstio habetur, utrum ex conscientia tum Joanni, tum Petro necessitas incumbat, prædictorum centum nummorum Placido restituendorum?

Respons.

Quamquam nihil quæstus habuerint Joannes, nec Petrus ex centum nummis, quos eorum pater surripuerat, nihilominus obligantur ad eosdem Placido restituendos. Namque, ut ait S. Thomas *(c)*; *Hæredes autem alicujus furti, obligantur pro furto patris, secundum jura canonica: etiamsi nihil ad eos de furto pervenerit, lite etiam non contestata cum patre*. Eam vero laudatus S. Doctor reddit rationem, quod peccatum patris, ad ipsius filium transeat, *quantum ad pœnam*: adeo, ut filius possit merito temporali aliqua pœna castigari, qualis est mulcta pecuniaria, propter delictum sui patris *(d)*: *Pœna temporalis, qua filius quandoque punitur, habet pro causa culpam in patre præcedentem*; inquit in alio loco memoratus S. Doctor.

(c) S. Th. q. 4. de malo. art. 8. resp. ad arg. 15.

(d) Idem de malo. q. 4. art. 8. ad 7.

Atque eadem ratione differendum est de proventibus fœneratoriis; ut declaratur ab Alexandro III. in una quadam ex ipsius Decretalibus *(e)*, istis verbis: *Tuæ igitur quæstioni litteris præsentibus respondemus, quod filii, ad restituendas usuras; ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra heredes extraneos credimus exercendum*.

(e) Alex. III. in c. Tuanos. 9. de usuris. lib. 5. tit. 19.

CASUS CVII.

Numerianus vir ditissimus, atque plurimæ caritatis, cum proximam imminere sibi mortem sentiret, animo deliberavit, suis rationibus ultima dispositione prospicere, & testamentum propria manu conscripsit, quo duo jugera vitium suarum uvæ generosioris cuidam Monasterio Religiosorum mendicantium, qui vitam agebant pauperem omnino, sed sanctam admodum & integram, pure ac simpliciter legavit.

Statim ab ipsius obitu Zenobius ejus filius manum injecit in dictum testamentum, illud idem tacitum ac celatum apud se caute retinuit, & præfatorum duorum jugerum possessione, quamdiu vixit, gavisus est. At post annos decem sese ferme morientem videns lecto funebri detentum; & conscientiæ stimulis plurimum omnino experiens, sese vexari atque opprimi, declaravit Jacobo & Juliano duobus suis filiis, isthæc duo vitium jugera jure proprietatis vindicari Religiosis, quibus a suo patre relicta fuerant testamento, quod ab iis in integrum legi jussit, & deinde tradidit in manus Jacobi; verbisque validioribus usus, quantum potuit, illis demandavit; ut eosdem quamprimum nullaque facta mora, inducerent in dictorum jugerum possessionem: quod quidem promisere, sese fore quam religiosissime executuros; verum Zenobii ipsius oculi vix premebantur ac claudebantur, cum perniciosum sui patris exemplum sequentes constituerunt, futurum, ut, quam ei fidem fecerant, non exsolverent; atque res hereditarias defuncti diviserunt inter se; & earum partitionibus accesserunt prædicta duo jugera vitium, quæ in erciscunda hereditate Juliano obvenerunt. Quo quidem mortuo post aliquot annos, nulla facta restitutione, eadem vitium jugera inter dividendas res defuncti ad unum ex coheredibus Jacobi jure hereditario devenere.

Tandem, Jacobus, qui periculoso morbo impræsentiarum occupatus, sacramentalis absolutionis beneficium non potest a Balduino suo Parocho consequi, nisi ea conditione, quod in integrum satisfaciat Religiosis; hac hodierna die statuit, integram iisdem afferre satisfactionem: at quoniam in exsequendo suo proposito plurimum laboris ac difficultatis experitur; propterea quod non habeat in sua potestate prædicta duo jugera vitium, & multum obsistentem eum patiatur, cui in portionem hereditatis obtigerunt; quæstionem proponit.

1. Quænam a semetipso sit potissimum ineunda ratio, ut propositum animo consilium feliciter exsequatur?

2. Utrum non possit transigere cum Religiosis; iisdem solvendo numeratæ ac præsentis pecuniæ quamdam summam, de qua cum ipsis simul, & cum eo qui detinet duo jugera vitium, quantum ad eorumdem justam æstimationem paciscetur, imposito tamen onere, quod, ut bene sit animæ Numeriani, quem in se beneficium agnoscunt, missam unam per unumquemque mensem sint celebraturi; & utrum, ejusmodi constituta cum iis conventione, ab omni erga eosdem obligatione restitutionis in perpetuum liberetur?

3. Num sibi incumbat in solidum cum ipso duorum jugerum iniquo possessore eorumdem præstare compensationem?

4. An, quantum ad perceptos ab ipsa morte Numeriani fructus, sibi quoque pariter inducatur in solidum obligatio, eorumdem integri pretii refundendi; si Religiosi noluerint eosdem ultro condonare?

Respons.

Patet vel ex sola rei ipsius in medium positione, Zenobium & duos ejus filios summæ prorsus injustitiæ affines esse; & quæ ad naturam sacrilegii propius accedit: siquidem bonum Ecclesiæ & pauperibus sacra quadam designatione destinatum sibimetipsis suum fecerint, & ejusdem usurpatione fuerint potiti. Quo quidem posito tamquam indubitata veritate: Dicimus 1. quantum ad primum quæsitum quod Jacobus instituit, ab ipso primum & ante omnia deponendas esse apud Notarium publicum authenticas tabulas testamenti, quod Numerianus suus Avus propria manu conscripserat; ut, qui gerendis rebus Religiosæ Communitatis, cui testamento legata sunt duo jugera vitium, Procurator præficitur, locum habeat ejusdem descriptionis ab ipso Notario recipiendæ, quæ fuerit ad ipsum Archetypi rationem expensa, aut saltem (ut consuetudinis est) auferendi capitis ab ipso testamento descripti, in quo legatum enuntiatur.

2. Zenobium non debuisse tantummodo filiis suis commendare, ut vitem restituerent, sed præterea, ut perceptorum omnium fructuum ab obitu Numeriani sui patris, *deductis expensis*, justam referrent æstimationem. Atque, quoniam ista duplex obligatio ejusdem perinde est necessitatis, non posse omnino neque Jacobum filium Zenobii natu majorem, neque eum, qui iniqua etiamnum possessione retinet duo vinearum jugera, cum ipsis Religiosis tuta conscientia transigere, nisi postquam iisdem certam atque exploratam fecerint genuinam ipsius rei veritatem, & iis locum dederint, quo valeant jus proprium persequi intendendæ etiam actionis in heredes Zenobii, & Juliani, & in ipsum quoque Jacobum, si propria sponte satisfacere recusarent.

Sed neque possunt cum ullo jure præfatis Religiosis onus inducere missarum duodecim, quas Jacobus proponit, celebrandarum, neque cujuslibet oneris alterius obligationem imponere, neque etiam eos impellere, ad acceptandam quamdam præsen-

tis

tis ac numeratæ pecuniæ summam, in locum pretii atque æstimationis prædictorum duorum vinearum jugerum; quin potius iis danda est optio, aut eorumdem possessionis ineundæ, aut acceptandæ summæ argenti, quæ offeretur, ad compensandam tum istorum jugerum, tum fructuum ex iisdem cum eorum jactura perceptorum justam æstimationem.

3. Ipsi Jacobo simul & iniquis duorum jugerum possessoribus incumbere in solidum, congruenti restitutione satisfacere Religiosis. Ideoque, si, tentatis quibuscumque Christianæ prudentiæ rationibus, ut iniquum eorumdem jugerum possessorem inducat ad restituendum pro portione rei detentæ, eo pervenire non potuerit; ei necessitas incumbit proprio privatoque nomine, ac de suo argento integram afferre restitutionem. Quod quidem eo magis ipsimet æquitati consentaneum est, quod ab obitu sui patris testamentum Numeriani sui avi tacitum atque celatum in sua potestate semper retinuerit, & etiamnum injuste retineat; indeque vera solaque causa sit totius damni, quod præfato Monasterio Religiosorum illatum est. Atque consentit prorsus hæc assertio nostra decisioni summi Pontificis Gregorii IX. *(a)* quæ sic fert: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti; ..... jure super his satisfacere te oportet*. Unde sequitur, ut sua sit ad quæsitum, quod in proponenda quæstione quarto loco fuit ab ipso Jacobo institutum, responsio; dicendum esse, eum non minus in solidum obligari, ad restituendum pretium integrum omnium fructuum quos isthæc duo jugera retulere *(deductis expensis)* ab eo tempore, quo celavit, & inique retinuit testamentum Numeriani, nihil obstante tum voluntate, tum jussu verbis omnino validioribus expresso sui patris, quin etiam ipsa promissione, qua sese patri lecto funebri detento adstrinxerat, futurum ut Religiosis debitum jus redderet. Quibus præterea est addendum, siquidem ipsius pater Numeriani filius ejusdem vineæ iniqua possessione per decem annos sit potitus, ipsum etiam teneri, ad restituendum iisdem Religiosis *pro rata portione hereditatis*; hoc est, ratione habita lucri, quod eidem inde obvenit, cum res hereditarias Zenobii sui patris cum Juliano suo fratre partitus est.

(a) Greg. IX. in c. *Si culpa*. fin. de injuriis & damno dato. lib. 5. tit. 36.

Vide CESSIO BONORUM. Casus HYPPARCHUS.

CASUS CVIII.

FRANCISCUS Negotiator Maclovienfis acceptas ex rationibus fœneratoriis 6000. libras ab annis decem, ex quibus usuram exercet, ad restituendas his hodiernis diebus animum adjecit. At, quoniam aliunde debet 4000. libras de reliquatione solvendorum mercimoniorum, quæ sua fide emit, & tota res ipsius ex 8000. libris solummodo constat; petit, utrum jure potiori teneatur ad restituendas usurarias 6000. libras, quam ad alia debita, quæ legitime contraxit, expendenda?

RESPONS.

Præfatus Negotiator obligatur, ad solvendas, quas reliquatur, 4000. libras, potius quam ad restituendos, quos accepit, usurarios proventus. Ita censet Cardinalis Cajetanus, qui sibi quæstionem istam proponit nimirum: *An, cum bona usurarii non sufficiunt, ad satisfaciendum debitis licite contractis (puta emtionis, conductionis, mutui honesti, & similium) & usuris; prius satisfaciendum sit debitis licite contractis; & de residuo usuris, quantum potest: an e contrario (b)?* Ad quam quæstionem eruditus iste Cardinalis respondet, satis innuere naturalis rationis dictamen, ab ejusmodi viro primum solvenda esse debita licite contracta ex mutuis honestis, aut legitimis aliis rationibus; ac deinde, si quid ei residuum superfuerit, usuras quas extorsit, esse restituendas. *Naturalis ratio dictat, quod restituenda sunt integre debita licite contracta ......* Nihilominus addit, solutionem debitorum ab ejusmodi viro non anteponendam esse restitutioni usurarum, nisi duabus potissimum conditionibus.

(b) Cajetan. in sum. v. *Restitutio* c. 8. n. 6. & 7.

Prima est, quod res usurariæ non exstent in propria specie: ut, si exstent pignora per usuram acquisita. Nam quia hujusmodi res sunt alienæ, hoc est domini pignoris; debent hæc prius restitui dominis reddentibus quod mutuo acceperant super illis pignoribus: & postea restitui debita licitorum contractuum.

Secunda conditio est, si ex ejusmodi contractibus licitis non est factus pauperior, ad reddenda priora usurarum debita; ut contingeret in dote promissa ..., aut ex pactione aliqua gratuita, quam cum aliquo fecisset, ex qua impediretur, ne usuras posset in integrum restituere. In eo namque casu prius essent usuræ restituendæ, quam alia debita rependenda. En istius rei rationem, quam affert. *Quia hujusmodi contractus supervenientes usurariis debitis non debent tollere, aut impedire jus illorum, quibus debent usuræ restitui. Constat autem, quod illorum jus tolleretur ex hujusmodi supervenientibus contractibus eo ipso, quod ex illis contrahens redditur impotens ..... ad restituendum usuras: quia, in restituendo hæc, id quod debebatur pro usuris, oporteret dari pro ipsis contractibus*.

Quas relatas duas conditiones plurimum laudat & approbat Graffius *(c)* qui, ut Navarrus, Cajetani sententiam amplectitur: sic autem ipse Navarrus habet: *(d) Æquum etiam nobis videtur quod Cajetanus ..... dicit, quod usurarius debet prius solvere quod debet per contractus licitos, quibus non est pauperior factus, quales sunt emtionis & mutui, quam usuras inique extortas, etiamsi ante illos contractus fuissent extortæ, ... debet tamen prius eas solvere, quam quod debet per contractus gratuitos, quibus pauperior est factus .... magis enim indubie debeo tibi quod mihi mutuasti, quam quod per usuram tibi ademi*.

(c) Jacob. de Graffiis decision. aurear. l. 2. c. 133. n. 8.

(d) Navarr. manual. c. 17. num. 53.

Silentio prætermittimus rationem, quam Cajetanus adhibet: quoniam non tam concludens nobis videtur, quam quæ a Gaugerico allegatur in annotationibus, quas in summam laudati Cardinalis composuit. *(e)* Hæc autem ratio, cur usurarius priori ac potiori jure debita debeat licite contracta, quam usuras perceptas restituere, est potissimum, inquit, quod naturalis æquitas suadeat, potius reddendum esse bonum ei, qui eodem invitus spoliatus est, quam ei, qui aliquatenus consentiens eodem caret. Jam vero apertum est, eum, v. gr. qui sua mercimonia fide alterius vendidit, censeri nullatenus consensisse, sibi pretium eorumdem defraudari: atque e contrario, *quod in solvente usuram*, inquit S. Antoninus, *(f) aliquo modo voluntas ejus cucurrit ad illam exspoliationem usuræ*. Non ipsius igitur æquitatis est, istum posteriorem proprio suo juri restitui, prius quam priori satisfactum fuerit. *Ratio præcipua videtur esse hæc, quod nimirum justitia dictet, ceteris paribus, ea esse restituenda, quæ, magis invito Domino, detinentur .... atqui debita contracta via emtionis, conductionis, mutui, &c. ordinarie detinentur, magis invito domino, quam usura: hoc enim habet communis hominum sensus. Ergo non est improbabile, illa prius esse restituenda, quam usuras*. Ista ratione sic disserit laudatus Theologus Hispaniensis, qui deinde subjicit: *Quæ ratio, eo quod non habeat locum in rebus furto, rapina, aut aliis illicitis modis ablatis: hinc fit, ut notanter auctor* (Cajetanus) *solum meminerit usurarum: nec enim verisimile est, cum idem dicturum de aliis istis debitis illicite contractis, quod de usura*. Siquidem ejusmodi debita ex furto, rapina, aut aliis illicitis modis contracta prius restituenda sint, quam expedienda, quæ ex licitis rationibus contracta sunt; ut demonstravimus in decisione superiori.

(e) Gaugericus ad cit. c. 8. sum. Cajetan.

(f) S. Anton. 2. part. tit. 2. c. 7. §. 1.

CASUS CIX.

MARTINUS iter suum pedibus repetens Aurelia Parisios, occurrit Benedicto, qui jamjam transiturus erat per silvam, quæ prioris illius civitatis sortitur nominis appellationem: ab eo Benedictus interrogatur, num sciat, in ista silva grassatores aliquos insidiari. Benedictus, qui odium occul-

tum jampridem gerit adversus Martinum, & cui tres latrones modo concurrerant obviam, e manibus quorum, nonnisi plurimum juvante, quem conscendebat, equo expeditissimo, in ipsa hora incolumis evaserat, eum certiorem facit, nullos ibidem adesse latrones, & istum transitum omnis omnino periculi esse expertem. Martinus per eamdem viam pergit, & paullo post incidit in eosdem tres latrones, qui eum male accipientes spoliant centum nummis, quos secum portabat. Nonne Benedictus obligatur ex conscientia, ad centum istos nummos Martino restituendos?

Videtur inde aliquam ei restitutionis importari obligationem. Si verum etenim respondisset, Martinus per istam silvam non transivisset, nec fuisset argento suo spoliatus: atque locus omnino est determinandi, sicut ei, qui falsum jurat in judicio, & ex falso testimonio, proximo damnum infert, incumbit, istud damnum resarcire; eadem ratione teneri eum, qui cuidam privato nocet ex suis falsis dictis, ad afferendum eidem damni compensationem.

At vero videtur ex altera parte, Benedictum in enuntiato casu ad nullam obligari prorsus restitutionem: quoniam non ex justitia, sed ex caritate tantummodo tenebatur, ad verum Martino significandum; præterquam quod vera causa efficiens furti, quod Martinus passus fuit, non alia sit, quam perversa voluntas, & violentia ipsorum grassatorum!

RESPONS.

Benedictus obligatur ad restituendos Martino centum nummos, quibus spoliatus est. Quod quidem probari potest ex ista argumentandi ratione, quam adhibet S. Thomas (a), tuetus ipsamet Apostoli doctrina, *Romanorum* 1. *Digni sunt morte non solum qui faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus. Ergo pari ratione consentientes debent restituere.* Manifestum namque est, Benedictum vere consensisse furto, quod Martinus passus est; quippe qui conjiciebat futurum, ut non posset, utpote pedestris, e manibus grassatorum insidiantium in silva sese eripere; neque affirmabat, ipsa rei veritate simulque conscientia ipsius plurimum reluctantibus, in ipso transitu nullum adesse periculum, nisi eo animo, ut eum adduceret in insidias, & ipse afficeretur damno, quod ei accessit. Est igitur causa furti, & proinde obligatur ad restitutionem, juxta isthæc alia verba memorati Doctoris Angelici: (b) *Quicumque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem.* Quod etiam locum habet, quamquam nonnisi istius injuriosæ acceptionis causa fuisset indirecta, Martinum nempe eo consilio non juvando, ex quo potuisset ab ejusmodi jactura sibi cavere. *Indirecte vero, quando aliquis non impedit cum possit & debeat impedire: vel quia subtrahit præceptum, sive consilium impediens furtum, vel rapinam.* Ipse est iterum S. Thomas, qui sic loquitur.

(a) S. Thom. 2. 2 q. 62. art. 7. argum. sed contra.

(b) Idem ibidem in corp.

Sylvius, qui tuetur eamdem opinionem in una quadam e suis decisionibus 24. Martii 1643. (c), eamdem confirmat isto argumento: *Qui fraude, dolo, mendacio impedit alterum a consecutione boni alicujus, tenetur ad restitutionem ei faciendam* ..... (Quod idem quoque docent Navarrus, & plurimi alii). (d) *Ergo*, concludit laudatus Sylvius, *& ille, qui similibus modis justitiæ oppositis, alterum impedit a bono; ille, consequendo; iste, retinendo.* Unde consequitur, juxta quod infertur ab auctore citato, siquidem Benedictus in causa vera sit, cur Martinus non potuerit, quos habebat, centum nummos servare ac retinere; ipsum ex conscientia teneri, ad eosdem ei restituendos.

(c) Fr. Sylv. resol. var. v. Restitutio. 5.

(d) Navarrus manual. c. 17. n. 73. Petrus Navarra l. 3. de restit. c. 5. n. 9. & alii.

Verum quidem est, a sancto Thoma sic asseri: *Non semper ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem ..... sed solum, quando incumbit alicui ex officio.* At isthæc de eo non intelliguntur, qui de rei alicujus magni momenti veritate inquisitus, falsum eo potissimum animo respondet, ut proximo detrimentum inferat. Cum enim exploratum habeat, futurum, ut mendacium quod dicit, perniciosum effectum inducat, ipsius effectus culpam contrahit, atque adeo obligatur ad malum, quod inde sequitur, compensandum. Adeo ut, quamquam ex justitia non incumberet Benedicto, sed tantum ex officio caritatis, Martinum certiorem facere de malo, quod eidem impendebat, si eum Martinus verbis expressis non interrogavisset de rei veritate; teneretur tamen ex justitia, quippe vellet respondere, ad eamdem illi significandam; neque in eo casu posset pro vero falsum ei suggerere, quin perversitatis ac violentiæ, quas iste a latronibus experturus erat, ea libenter sese participem; & fieret earumdem caussa saltem moralis ex suo mendacio, quo nimirum iisdem consentiebat, favendo prædictis latronibus, & ipsis tum locum, tum rationem præbendo centum nummorum eidem eripiendorum. Itaque perniciosa voluntas latronum non unica est caussa jacturæ, quam Martinus passus fuit, sed partialis tantummodo, quæ quidem mendacio Benedicti suffulta, inde ejusdem caussa totalis evadit. *Neque excusari potest*, addit Sylvius, *ex eo quod non tenebatur ex justitia manifestare fures, quod damnum non videatur ex mendacio secutum: sed ex perversa militum (furum) voluntate, & quod non positive nocuit: sed quasi negative, in quantum non profuit, cum prodesse posset: 1. Quia non tantum non manifestavit fures: sed eos occultavit, mendaciter negando, eos esse in itinere. 2. Quia damnum secutum quidem est ex perversa militum voluntate, sed cui ipse per mendacium cooperatus est. 3. Quia non habuit se negative, sed positive, mendacio nimirum, seu assertione juvando milites (fures), qui prædam exspectabant.*

CASUS CX.

THEODORUS & Mævia centum nummorum ex peccaminosa ratione quæstum unusquisque fecerunt. Nonne obligantur ad eos restituendos; siquidem ex peccato non accedat legitimus titulus, quo legitime, ac juste possit quidquam acquiri?

RESPONS.

Propositæ difficultati certa non potest assignari responsio, quin obvia præcedat variorum sensuum interpretatio, quibus subjicitur ista loquendi ratio: *acquirere ex peccato*. Scire ergo operæ pretium est.

1. Quando quis rem aliquam acquirit ex titulo aliquo legitimo, licet in eadem acquirenda peccatum intercedat; eum nulli omnino fieri obnoxium restitutioni. Exempli caussa, si Theodorus & Mævia suos unusquisque sibi fecerint nummos ex data sua opera in rem aliquam servilem diebus Dominicis & festis absque ulla necessitate urgente; si negotiatorum artem factitantes merces suas ex mero animo cupiditatis vendiderint; nulla tenentur lege restitutionis; quamquam istos nummos ex peccato comparaverint.

2. Quando quis recipit pecuniam sibi gratuito oblatam in pretium peccati, quod commisit, eum non obligari ad eamdem restituendam, si nulla lege tum divina, tum humana prohibeatur, eamdem ei dari, qui peccatum istud admisit. Verbi gratia, si Mævia centum nummos ab eo receperit, qui eam ad malum adduxit; non ipsi necessitas incumbit eorumdem restituendorum; quoniam nullam legem reperire est, quæ probibeat, pecuniam in eo casu donari; neque ipsa dictos centum nummos recipiendo, quidquam peccaverit adversus justitiam commutativam: *Alio modo aliquis illicite dat*, ait sanctus Thomas (e), *quia propter rem illicitam dat: licet ipsa datio non sit illicita: sicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde & mulier potest sibi retinere, quod ei datum est.* Quibus verbis consentit quod fertur in lege, quæ sic habet (f): *Quod meretrici datur, repeti non potest .... Illam enim turpiter facere quod sit meretrix; non turpiter accipere, cum sit meretrix.* Quæ verba de muliere libera & soluta a lege viri sunt accipienda: neque enim eadem est ratione judicandum de adultera, cujus crimen Civili Lege interdicitur, & punitur.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2.

(f) Leg. Idem 4. §. 3. ff. de condictione ob turpem vel injustam causam lib. 12. tit. 5.

Nihilominus quoniam ejusmodi lucrum, exse-

stan-

crandum omnino lucrum est; siquidem pretium sit ipsius perniciei animatum prostibularum; multo tutius saluti suæ consulerent, non sibi retinendo quæstum, quem de suis corporibus fecerunt, sed eumdem in pauperes effundendo, aut in usus alios pios conferendo, ad redimenda sua peccata, & justitiæ Divinæ satisfaciendum: atque vel etiam exstant magni nominis auctores, *(a)* qui contendunt, ejusmodi lucrum iniquum prorsus esse; neque proinde posse illud idem omnino retineri.

(a) Sambovina tom. 3. casu 148.

3. Eodem modo, cum aliquis cum alio pactus est, futurum, ut sit in præmium alicujus actus flagitiosi perpetrandi, quamdam ei pecuniæ summam repensurus, eum qui pecuniam istam in criminis mercedem recepit, nulli restitutionis ejusdem obligationi subjacere, nisi Lex ejusmodi pactiones nullas declararet, irritasque esse juberet, aut in iisdem aliquid occurreret, quod adversaretur justitiæ commutativæ: in eo namque casu, qui summam recipit, non potest eamdem facere suam vi conventionis, quæ accessit; siquidem nullius pretii, nec roboris sit ejusmodi conventio; atque adeo pecuniæ istius recipiendæ necessitas inducitur. *Si autem Lex probibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non lucrum; supposito actu*, ait rursum S. Thomas *(b)*, *tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit; tamen, tenendo, contra legem non facit: sicut cum de lenocinio, vel meretricio lucratur. Et idea hæc retineri possunt.*

(b) S. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. quæstiunc. 2. in corp.

Equidem objici potest, ejusmodi conventionibus, quæ bonis moribus adversantur, nullam inesse vim, antequam peccatum admissum fuerit: quoniam ex eadem nec induci, nec recipi potest obligatio flagitii perpetrandi; quin etiam non valere easdem post facinus admissum, neque sortiri ullum effectum in foro juditii; quoniam ibi respuitur quæcumque actio possit inferri circa pactam pecuniæ summam repetendam: sed respondetur, easdem nihilominus valere, quantum ad effectum ejusdem pecuniæ percipiendæ, atque retinendæ; quamdiu nullum exstabit judicium damnatorium in contrarium: atque in eo potissimum sensu legem licet interpretari, quæ sic habet: *(c) Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores sunt; nullam vim habere, indubitati Juris est*: & istam aliam: *(d) Si flagitii faciendi, vel facti caussa concepta sit stipulatio, ab initio non valet.*

(c) Leg. Pacta. 6. cod. de pactis. lib. 2. tit. 3.

(d) Leg. Si flagitii. 123. ff de verborum obligationibus. l. 4. cit. 9.

4. Quando quid comparatum est ex peccato, cui aliquid iniqui reperitur annexum; in eo casu importari restitutionis obligationem; puta, si Theodorus & Mævia centum suos nummos acquisierint ex rapina, furto, aut usura; iis inducitur obligatio eorumdem iis, a quibus istos nummos receperant, restituendorum.

5. Quasdam denique res esse, quæ ex certis quibusdam peccatis provenire possunt, quas, qui eas receperint, nec tuta conscientia retinere sibi possunt, nec iis restituere, a quibus receperunt; quoniam sunt prorsus indigni, quibus eædem valeant restitui. Atque hujusmodi sunt, proventus acquisiti ex simonia, quorum restitatio pauperibus, aut ipsi Ecclesiæ venit proprio jure vindicanda. Si Theodorus igitur & Mævia ex ejusmodi ratione centum suos nummos sibi confecerint; modo præfato ab iisdem sunt restituendi.

Quæ præmissa omnia plane congruunt ipsi doctrinæ Angeli Scholæ, cujus partium nostrarum esse arbitramur verba in integrum heic loci perscribere. En ergo qua potissimum rationem loquitur *(e)*: *Tripliciter potest esse aliquid illicite acquisitum. Uno enim modo id, quod illicite ab aliquo acquiratur, debetur ei, a quo est acquisitum: nec potest ab eo retineri, qui acquisivit: sicut contingit in rapina, & furto, & usuris .... Alio vero modo est aliquid illicite acquisitum, quia quidem ille qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, a quo acquisivit: quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam divinæ legis agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit; sed debet in eleemosynas erogari .... Tertio modo est aliquid illicite acquisitum; non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita: sed quia id ex quo acquiritur, est illicitum; sicut patet de eo, quod mulier acquisivit per meretricium: & hoc proprie vocatur turpe lucrum. Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei, sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra legem (* humanam. *) Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest.* Quibus sic positis, atque omni ex parte disquisitis, nullam jam existimamus difficultatem superesse circa dissolvendam, quæ de Theodoro & Mævia proponitur in præsenti specie, quæstionem; siquidem, ut perspectum fiat, an restitutioni sint obnoxii, nec ne; in eo tota quæstio versatur, cujusnam potissimum speciei sit peccatum, ex quo centum unusquisque nummos lucrati sunt; qua quidem specie semel cognita, restat, propositam quæstionem juxta ea, quæ jamjam e sancto Thoma retulimus, determinari ac penitus dissolvi.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. in corp.

CASUS CXI.

Optatus inter res de successione Gilberti provenientes in cujus bona hereditario jure venit, horologium manuale aureum pretii viginti quinque duplionum aureorum invenit, quod quidem ipsius fuisse, neque etiam ullum aliud, nulla ratione vidisse meminit. Eum non latet, Gilbertum factorum quorumdam furtorum plurimam omnino habuisse suspicionem. Aliunde vero nonnisi abjectus erat artifex, nec de rebus domesticis bene constitutus, neque adeo ejusmodi conditionis, ut horologium manuale tanti pretii sibi comparaverit. Habet igitur pro dubio nec quidem levi, ne manuale prædictum horologium a defuncto fuerit furtive surreptum. Num in eo casu tenetur, siquidem nullus sit, qui illud tamquam suum vindicet, ad pretium ejusdem pauperibus per modum restitutionis erogandum?

Respons.

Est hoc in Jure loco generalis principii receptum, in dubio benigne de eo judicandum esse, qui rem possidet, cujus proprietas in dubium vocatur: *(f) De jure * melior est conditio possidentis*, ait Alexander III. *Potior autem semper est conditio possidentis*, inquit S. Thomas *(g)*. At quoniam ex dubio præsertim graviori bona fides interrumpitur; Optatus, & quisquis alius ejusdem conditionis possessor obligatur ex conscientia, ad afferendam requisitam omnem diligentiam, ut sese reddat de rei veritate certiorem: quoniam alioquin in periculum ultro incurreret alienæ rei retinendæ: si vero ei innotescat, rem sibi non vindicari, eam oportet ab ipso sine mora restitui; siquidem, si de manibus eamdem non dimitteret, evaderet malæ fidei possessor, & furti semet ipsum adstringeret. At, si post habitam diligentem inquisitionem, quam prudentia permittit, non possit detegere, num Gilbertus prædictum manuale horologium fuerit furatus, censendus est in foro interiori jure possessoris bonæ fidei gaudere, & potest, deposito suo dubio tamquam omni prorsus fundamento carente, illud idem ut suum sibi legitime vindicare; juxta regulam juris modo memoratam. Ita censent auctores Colloquiorum Petrocoræ, & Condomii. *(h)*

(f) Alex. III. in cap. *Ad aures*. 6. de præscriptionibus. l. 2. tit. 26.

* *Canonico & etiam Civili.* Glossa in cit. cap. *Ad aures*. v. *De Jure*.

(g) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ad 9.

(h) Colloq. Petrocor. tom. 5. Colloq. 7 q. 2. Colloq. Condom. tom. 9. colloq. 14. sect. 2.

CASUS CXII.

Joannes, Jacobus, Petrus & Paulus unusquisque viginti millia librarum acceperunt de hereditate, quam Ludovicus suus pater iisdem moriendo reliquit. Ludovicus obligaverat sese pro quibusdam naturalibus debitis, & ex conscientia contractis, ad summam usque sex millium librarum, quas ante suum obitum non persolvit. Num obligatio quatuor ipsius filiis incumbit in solidum prædictorum debitorum dissolvendorum; adeo ut, Joanne & Jacobo abnuentibus in partem solutionis eorumdem venire, aut etiam præ facultatum inopia non habentibus, unde pro rata sua portione possint quidquam caussa solutionis afferre, Pe-

trus

Digitized by Google

trus & Paulus soli teneantur, ad universam summam in integrum dissolvendam?

RESPONS.

Ætatis nostræ quidam auctor, cujus mira eruditio & præclara doctrina sese produnt in decisionibus, quæ sub illius nomine commendantur *(a)*, quæstionem ejusmodi stilo tam facili tamque expedito dissolvit, ut eum in præsenti casu ducem ac magistrum habendum esse omnino duxerimus; siquidem, quam tenet, sententia tota concordet cum doctrina celeberrimi Covarruviæ, & ea, quæ plurimorum aliorum tum Canonistarum, tum Jurisconsultorum propria est, opinione.

(a) Sambovius tom. 2. casu 5. & 145.

1. Distinguimus ergo cum laudato auctore duo genera debitorum naturalium & ex conscientia contractorum, pro quibus aliquis defunctus tempore suæ mortis obligatus remanebat. Alia quidem proveniunt *ex contractibus vel quasi contractibus*; alia vero, *ex delictis, aut quasi delictis*.

2. Debita, quæ ortum habent *ex contractibus*, vel hypothecaria sunt, vel personalia.

3. Unusquisque heredum in solidum tenetur ad restitutionem debitorum naturalium atque contractorum ex conscientia, provenientium ex contractibus, pro quibus sese defunctus obligaverat, quando sunt hypothecaria; at, quando mere personalia sunt, unusquisque eorum non tenetur ad eadem solvenda, nisi ratione habita portionis, quam de hereditate percepit.

4. Quæ incumbit in solidum, obligatio fundatur in ipsamet hypotheca, quæ nihil aliud est, quam obligatio, qua fundum proprium debitor oppignerat erga suum creditorem, in ipsius tamen possessione continuans remanere. Quam ob rem, cum debita non sunt ex hypotheca, sed soli personæ inhærent, unicuique heredum non incumbit in solidum eadem dissolvere: sed tantummodo; *pro rata portione hereditatis*, ut jamjam observavimus.

5. Quam adhibemus inter hypothecaria & personalia debita, distinctio verbis expressis habetur non tantum ex Romanis Legibus, Jure moribus constituto, & ex Jurisprudentia, quæ passim obtinet apud supremas Curias; sed etiam ex ipso Jure Canonico; ut facile evincere est ex Decretali quadam Innocentii III. *(b)* in qua laudatus summus Pontifex scribens ad Aquinatem Episcopum declarat, uxoris doti quascumque res mariti esse oppigneratas. *Cum etiam bona viri sint pro dote tacite obligata, & cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem*. Quibus præterea addere licet, vel etiam ex ipso titulo, ex quo Decretalis allegata citatur, præfatam distinctionem omnino comprobari: siquidem constet hypothecam veri ac proprie dicti pignoris loco haberi. *Inter pignus autem & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest*, inquit Imperator Justinianus *(c)*: *Nam de qua re inter creditorem & debitorem convenerit, ut sit pro debito obligata, utraque hac actione continetur. Sed in aliis differentia est. Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori; maxime, si mobilis sit: aut eam, quæ sine traditione nuda conventione tenetur, propriæ hypothecæ appellatione contineri dicimus*. Neque quisquam id nobis vitio vertat, quod istum Juris Romani textum heic loci integrum exscripserimus, ut accuratius innueretur, in quonam potissimum discreparent & pignus, & hypotheca.

(b) Innoc. III. in cap. *Ex litteris*, 5. de pignoribus. & aliis cautionibus. lib. 3. tit. 21.

(c) Lib 4. Instit. de actionibus, tit. 6. §. 7.

6. Quod inter hypothecaria debita, & ea quæ sunt mere personalia, constituitur, discrimen adhibendum est loco regulæ ac principii tam quoad conscientiam, quam quoad forum externum: adeo ut quodcumque debitum, cui nulla hypotheca annectitur quantum ad forum externum, hypothecam quoque non inducat quantum ad forum conscientiæ. Quamquam enimvero habeant ex jure naturali quæcumque res, ut sint omnium hominum communes; inducta tamen est earum divisio legum humanarum auctoritate: unde, nonnisi accedente præfatarum legum auctoritate, de iisdem statuere ex venditione, dono, pignoris obligatione, vel hypotheca, nullatenus omnino quidquam possumus; quemadmodum edocemur a S. Augustino, *(d)* quando sic prosequitur: *Ecce sunt villæ. Quo jure defendis villas? divino, aut humano? Respondeant. Divinum Jus in scripturis habemus; humanum in legibus Regum. Unde quisque possidet? Nonne jure humano? Nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus: & pauperes & divites de uno limo fecit; pauperes & divites una terra supportat. Jure tamen humano dicit: hæc villa, mea est; hæc domus, mea; hic servus, meus est. Jure ergo humano, Jure Imperatorum. Quare? Quia ipsa jura humana per Imperatores, & Reges sæculi Deus distribuit generi humano .... Tolle jura Imperatorum: & quis audet dicere: mea est illa villa: aut meus est ille servus, aut domus hæc, mea est .... Noli dicere: quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones*. Ex quibus verbis licet inferre, non posse, nisi ex ipsa dispositione, & auctoritate legum, fundum quemquam oppignerari; adeoque, quando debitum aliquod neque lege scripta, neque moribus inducto ullo jure, declaratur hypothecarium; certissimum est, illud habendum esse ut mere personale tam in foro interiori, quam in foro externo. Atque re vera quidem, si distinctio, quæ adhibetur inter duas illas debitorum species, non obtineret, nisi quoad forum externum tantummodo; jam nulla cautio succurreret creditoribus, in quorum gratiam oppignerarentur possessiones: quoniam, cum sese cernerent haberi potiores creditoribus aliis anterioribus, quorum debita activa non nisi mere personalia forent; scrupulis exagitarentur, ac plurimum metuerent, ne iisdem injuste præponerentur; neque etiam tutiores essent quantum ad suum debitum: siquidem, cum nihil ex hypotheca sua, quantum ad forum conscientiæ, juvarentur, omni fere momento periclitarentur de recipiendo suo debito, ex eo quod recta conscientia non possent præferri simplicibus aliis creditoribus: adeo ut locus jam omnis tolleretur, quidquam, remoto omni periculo, commodandi, & acquirendi; nisi jus hypothecæ foret justum, & eamdem afferret cautionem, atque jus prioritatis idem, tum quoad forum conscientiæ, tum quoad forum judicii. Tandem neque magis in tuto reponeretur tam partorum, quam creditorum conscientia ex ipsa ratione, qua cavetur, bona subjici voci præconis etiam ex auctoritate Judicum; & ipsa prioritas, qua ibidem donantur creditores hypothecarii, præ chirographariis anterioribus, quantum ad solutionem, injustitiæ manifestæ prorsus argueretur.

(d) S. Aug. tract. 6. in Joann. n. 25. & 26.

Opponi possunt duo potissimum adversus hanc nostram decisionem; quibus sua mox adjungetur responsio, ut nihil amplius possit in præsenti materia desiderari. Prius est, nempe a defuncto debitore fuisse contractam personalem obligationem debitorum, quæ sibi incumbebant, dissolvendorum. Atqui personalis obligatio sese extendit ad possessiones illius, a quo contracta & suscepta fuit. Ergo, cum quæcumque possessiones defuncti oppigneratæ fuerint erga creditores, tunc temporis cum ipse adhuc viveret, non potuerunt, nisi cum eodem onere, transire ad heredes: juxta Juris istud effatum: *(e) Heredes onera hereditaria cognoscere ...... placuit*: quod eo præsertim fundamento nititur, quod defunctus, & ipsius heres, una eademque tantummodo persona *fictione Juris* esse censeantur *(f)*. Quin potius, si contrarium obtineret, conditio creditoris fieret pejor post obitum ipsius debitoris, quam erat antea.

(e) Leg. *pro hereditariis*. 2. cod. de hereditariis actionibus. lib. 4. tit. 16.

(f) Leg. *Heres*, 22. ff. de usurpationibus & usucapionibus. l. 41. tit. 3.

Ad quam priorem objectionem respondemus, istud quidem obligationis personalis proprium esse, ut sese ad quascumque possessiones debitoris extendat; & isto debitore mortuo, non posse ipsius possessiones, nisi cum eadem obligatione transmitti heredibus. At, quamquam ista obligatio tota in integrum in ipsa heredum communitate resideat; eamdem tamen in eadem communitate non residere, nisi modo dividuo; quippe eorum unicuique non inhæreat, nisi pro rata

portio-

Digitized by Google

portione hæreditatis, quam accipit; ut docet Cardinalis Cajetanus, *(a)* qui ait: *Cum enim obligatio omnium bonorum usurarii, ad usuras restituendas, non sit realis: sed ratione personæ ..... consequens est, quod, divisa persona usurarii in heredes, divisa quoque proportionaliter transeat ad heredes obligatio illa: ac per hoc nullus heres tenetur ex hoc, nisi secundum suam portionem.*

(a) Cajetan. tom. 2. opuscul. tract. 8. de usuris. q. 5.

Inde sequitur, obligationem, quam Ludovicus, cujus occasione proponitur præsens quæstio, contraxerat, sex millium librarum, quas debebat, dissolvendarum; dividendam esse inter Joannem, Jacobum, Petrum, & Paulum ipsius & filios, & heredes, pro rata portione bonorum, quæ singulis a Patre relicta fuerunt: quoniam *obligatio paterna dividitur in heredibus proportionaliter, sicut hereditas, quemadmodum & jus exigendorum*; ut loquitur præfatus Cardinalis: atque adeo unum ex eis solum aliorum loco & vice non remanere obligatum: siquidem unusquisque tantum pro sua portione contrahat istam obligationem: *Non ergo tota obligatio ad alterum transit heredem: & consequenter non tenetur in solidum*; ut idem Cajetanus prosequitur: qui & addit, creditori non esse, unde quæratur, & dicat, suam conditionem post obitum sui debitoris fieri pejorem, quam, cum ipse viveret: Quin potius melior evadit; siquidem ei remaneant semper obligatæ eædem possessiones divisæ inter quatuor hæredes; & præterea alia bona, quæ ipsi heredes acquirunt, & acquirere aliunde possunt, eadem obligatione ipsi etiam oppignorentur. *Obligatio illa bonorum quodammodo augetur, ... Pro quanto singulæ partes illius obligationis singulos heredes sic afficiunt; ut transeant in omnia eorum bona, etiam aliunde habita: ita quod omnia bona cujusque heredis undecumque illa advenerint, sint obligata ratione personæ, ad satisfaciendum pro illa parte obligationis, ex quo illam obligationem in se semel hic heres suscepit, hereditatem adeundo. Hæc enim est natura tacitæ obligationis bonorum ratione personæ, ut omnia bona illius, in quantum illius sunt, non absolute afficiat.* Quod quidem eruditus iste Auctor confirmat ista differendi ratione, repudiata prorsus sententia Glossæ *(b)*: *Filii tenentur, sicut & pater, obligatione scilicet personali omnium bonorum suorum. Sed in hoc est differentia, quod pater est tota illa persona; ac per hoc habet totam obligationem: quilibet autem heres, est pars illius personæ: & consequenter partem tantum obligationis subit. Et ideo, quemadmodum, vivente patre, omnia sua bona erant tacite obnoxia ratione personæ eis, a quibus extortæ sunt usuræ, quoad omnes usuras extortas: Sic divisa hereditate, bona omnia sunt tacite obligata ratione personæ eisdem, quoad partem usurarum, juxta portionem hereditariam.*

(b) Glossa in cap. Tua nos 9. de usuris.

Altera objectio, quæ potest opponi, ejusmodi est, nempe hereditatem heredibus jure proprietatis non vindicari, nisi post dissolutum æs alienum, pro quo oppignoratur; secundum eamdem Legem Codicis jam memoratam. Ergo antequam ipsa hereditas accipiatur, debita persolvenda sunt: atque adeo Joannes, Jacobus, Petrus, & Paulus priusquam quidquam attingere possint de successione Ludovici sui patris obligantur ad solvendas præfatas sexies mille libras.

Quæ objectio eadem fere ratione diluenda est, quam adhibuimus in refellenda præcedenti objectione, dicendo nimirum: cum quæstio est de debitis personalibus, heredibus conjunctim ac collectiva sumptis nullum jus cedere ad hereditatem capessendam, nisi postquam extincta fuerunt omnia debita, quibus eadem onerabatur; neque eorum unicuique jus inesse ad accipiendam portionem quæ de eadem hereditate sibi contingit, nisi postquam persolvit partem debitorum, ad quam obligatur pro rata portione istius hereditatis: At singulos heredes in solidum non teneri ad debitum in integrum persolvendum; siquidem istud eodem modo, quo ipsa hereditas, inter omnes dividendum sit.

Quæ huc usque sumus prosecuti, pertinent ad debita, quæ proveniunt *ex contractu*, *aut quasi contractu*. Superest, ut de iis aliquid dicamus, quæ contracta fuerunt *ex delicto*, *vel quasi delicto*. Ejusmodi debita, quæ defunctus reliquit, qualia sunt illicita fœnora, rapinæ, aut alii ejusmodi non legitimi proventus, non obligant in solidum heredes, juxta dispositionem Legum Civilium, nisi cum iis, quibus damnum inde illatum est, actionem instituerunt in defunctum, antequam decederet, nec aliter; nisi forte præfati heredes mutuam operam, ad delictum commissum contulissent: nulla de cetero obligatione unicuique eorum remanente, quam ut id restituant, quod ad unumquemque eorum pervenit, quando ea de re defuncto nulla lis apud Judices intentata est. Atque ita constitutum est Lege Codicis Justiniani *(c)*: *Post litis contestationem, eo qui vim fecit, vel concussionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto successores ejus in solidum; alioquin in quantum ad eos pervenit, conveniri juris absolutissimi est; ne alieno scelere ditentur.*

(c) Leg. Post litis contestat. un. cod. ex delictis defunctorum, &c. lib. 4. tit. 17.

Non congruit in ea re Juri Romano sententia Canonistarum. Volunt etenim, quantum ad usuras, unumquemque heredum in solidum teneri ad restitutionem; sive vivente adhuc defuncto, actio fuerit intenta, sive non fuerit, atque etiam licet ad eos usque non pervenisset, quod est restituendum. Ita determinatur ab Auctore Glossæ in antiquum quemdam Canonem de Concilio Agathensi excerptum *(d)*: *Hoc tamen teneas*, inquit, *quod secundum Canones, in contractibus & in delictis, sive aliquid pervenerit ad heredem, sive non: sive lis sit contestata cum defuncto, sive non, heres semper tenetur in solidum*. Quod probat ex quodam Canone desumto de Decreto Gratiani, & ex quadam Decretali *(e)*.

(d) Gloss. in can. Episcopus 34. 12. q. 2.

(e) Can. Si Episcopum. in fine 16. q. 6. Et cap. In litteris de raptoribus.

Suam sententiam Canonistæ plurimum etiam confirmant, circa obligationem istam in solidum, ex multis auctoritatum testimoniis, quorum præcipuorum loco tres Alexandri III. Decretales habentur. Earum primam inscribit Episcopo Exoniensi *(f)*, secundam Episcopo Placentino *(g)*, & tertiam Episcopo Claromontano *(h)*. Quin etiam laudatis Canonistis adhærent in ea re quidam nominis insignioris Theologi; quales sunt Major, Scelas, Lopez, & Sylvius. Idem quoque fertur in dispositione aliquarum consuetudinum Regni, qualis est consuetudo Normanniæ, quæ eodem modo quo consuetudo Parisiensis, statuit, ut heredes alicujus defuncti teneantur in solidum, ad ipsius debita solvenda sive hypothecaria, sive non; sive personalia aut realia, quæ provenerint aut *ex contractu*, aut *ex delicto*; ipsis indulto privilegio, ut qui solus solverit, possit ad coheredes suos recurrere, ab unoquoque eorum repetiturus partem solutionis pro rata uniuscujusque portione hereditatis.

(f) Alex. III. in cap. Ex præsentium 3. de pignoribus & aliis cautionibus.

(g) Idem in cap. Tua nos. supra cit.

(h) Idem in cap. In litteris. 5. de pignor. &c.

Nihilominus tenent oppositam opinionem plurimi alii, ut Cardinalis Cajetanus, Bannesius, Medina, Azorius, & Cardinalis Toletus; qui contendunt e contrario, obligationem in eo casu mere personalem esse, atque adeo unicuique heredi in solidum non incumbere restituere. Et censemus, cum aliunde non repugnat locorum consuetudo, istam alteram opinionem priori præferendam esse, duabus potissimum de causis.

Prior est, quod non possit propugnari, heredes alicujus defuncti obligari in solidum ad usuras restituendas, aut reddendum aliquem quæstum provenientem ex delicto, quin eo ipso ponatur, omnia bona istius ejusdem defuncti vel positive & verbis omnino expressis oppignorari, vel tacite saltem obligari erga creditorem, cui restituendum est. Porro non potest contendi, ipsis creditoribus Ludovici succurrere hypothecam expressam in ipsius bonis, ex eo quod, verbi gratia, eidem usuras rependerint. Certissimum namque est, non acquiri ejusmodi hypothecam, nisi ex expresso ipsorummet contrahentium consensu; atque ut conjicimus, inter eos qui præfatas usuras solverunt, & ipsum Ludovicum qui easdem extorsit, nullam accessisse conventionem. Neque potior est ratio

tio contendendi, ex aliqua tacita hypotheca eadem bona præfati defuncti obligari; siquidem ejusmodi species hypothecæ non nisi ex beneficio Legis acquiratur. Jam vero neque viget ulla Lex, neque ulla consuetudo, neque ullum Regium Edictum, quæ beneficium hypothecæ iis indulgeant, qui usuras solverunt, in ipsa bona fœneratorum. Nulla ergo cedit in gratiam creditorum Ludovici ne quidem tacita hypotheca, quantum ad usuras, quas iisdem ille debet, quæ se extendat ad possessiones, & bona quæ suis heredibus quatuor moriendo reliquit; quibus proinde nulla obligatio in solidum adducitur, earumdem usurarum restituendarum.

Posterior ratio est, quod opinio, quam Canonistæ, & qui iisdem consentiunt, tuentur, nullam sibi vindicet auctoritatem, quæ ipsis aperte faveat. Primus etenim Canon quem allegat Auctor Glossæ, ne verbum quidem unum injicit de obligatione in solidum. Secundus mentionem tantummodo facit de unico hærede, cui necessitatem inducit damni, quod Ecclesiæ defunctus intulerat restituendi. *Ab herede ejus*, (defuncti) *quæ injustæ ab eo ablata sunt, sine excusatione reddantur*. Quæ verba nullatenus attingunt casum, qui pertinet ad obligationem in solidum; siquidem ejusmodi obligatio plurimos coheredes aut debitores supponat. Sed neque etiam nisi de unico herede sermonem facit, quam laudati Auctores tantopere extollunt, prima Decretalis Alexandri III. Episcopo Exoniensi inscripta. *Mandamus quatenus ... filium ejus, qui ex successione ipsius patrimonii jus dicitur obtinere, moneas & compellas, ut ea ... restituat Ecclesiæ memoratæ*. Ipsissima verba sunt allegatæ Decretalis. Quam idem Papa Claromontano Episcopo inscribit, ne minimum quidem verbum habet de obligatione in solidum; sed tantummodo fert, quod heredes cujusdam defuncti, qui quamdam Ecclesiam combusserat, teneantur pro facultatum modo, ad reparandum damnum, quod præfatæ Ecclesiæ iste incendiarius attulerat. *Ut his quibus ille per incendium, vel alio modo, damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condigne sati sfaciant*: quibus verbis laudatus Papa utitur. Qui tandem scribens ad Episcopum Placentinum hæc tantummodo habet de filio cujusdam fœneratoris, quem eadem ratione vult compelli ad restituendum, quomodo ipsemet illius pater, si viveret, esset compellendus. *Respondemus, quod filii ad restituendas usuras, ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur:* Quibus verbis nulla obligatio in solidum innuitur: siquidem vel eadem ratione possent adhiberi in casu, in quo ageretur de creditoribus Chirographariis alicujus defuncti quoad ipsius heredes, licet eorum unicuique inducatur nonnisi tantummodo personalis obligatio, quæ nullam necessitatem in solidum importat universis solvendi, quod istis creditoribus debitum est. Apertum ergo atque omnino probatum manet, ex allegatis omnibus textibus nihil redundare in priorem istam opinionem neque roboris, neque auctoritatis; atque si detur, ei probabilitatis aliquid inesse, quantum ad restitutionem, saltem videri certum, quantum ad bona rationibus aliis iniquis male parta, unicuique heredum non incumbere restituere, nisi pro rata portione, quam de successione defuncti percepit.

Non alienum a proposito nostro ducimus, lectorem heic loci commonere, cum loquimur de fructibus usurariis, non intelligenda isthæc verba, nisi de fructibus immediatis; hoc est de ipsa usura, quæ extorta fuit ex commodato; non vero de ipsis proventibus, quos fœnerator potuisset percipere de pecuniis usurariis, quas ab iis recepisset, quibus argentum mutuum dedisset. Quamquam enim teneatur ad restituendas ejusmodi usuras; non tamen obligatur, ad restituendos ipsos proventus, quos ex istis usuris postmodum fecit. Exempli causa Ludovicus mille nummos usurarios recepit, quos posuit in negotiatione, & ex quibus sibi fundum mille nummorum confecit; ipsi non incumbit ex conscientia restituere fundum istum mille nummorum, sed mille tantummodo nummos iis, quibus debentur, rependere. Quod probat Covarruvias auctoritate Sancti Thomæ, Gabrielis Biel, Panormitani, Joannis Andreæ, Majoris, Ancharani, Angeli de Clavasio, Silvestri Mozolini, & quatuor aut quinque aliorum Jurisconsultorum, quos appellat (*a*).

(*a*) Didacus Covarruvias variar. resolut. l. 3. c. 5. n. 6.

CASUS CXIII.

Hyacinthus negotiator, civis Parisinus quadraginta millibus librarum potens, quas legitima ratione sibi fecit, & decem millibus librarum rei rationibus iniquis acquisitæ, decem millia librarum per modum legitimæ portionis Huberto suo filio natu minori, moriendo relinquit; & residuum suarum divitiarum ac possessionum, Judæ suo filio natu majori, testamento integrum legavit. Hubertus æqui bonique observantissimus, & justitiæ cultor insignis, ipsa meridiana luce clarius indicavit Judæ, ac manifestum fecit, ex quinquaginta librarum millibus, ex quibus successio sui patris conflatur, esse decem librarum millia, quæ provenerunt ex injuriosa prorsus & illicita acceptione, eumque pro virili parte fuit hortatus, ut eadem pro sua portione restitueret, ipse pro rata portione quam accepit de eadem hereditate, ad restituendum quoque, quantum ad semetipsum attinet, conferre ultro sese offerens. Judas quidquid sibi ab eo propositum est, ludibrio habuit atque contemptui, & animo pertendit, quam a patre suo acceperat, universam rem ex legitimis proventibus auctam fuisse, adeoque nolle se consentire faciendæ ulli restitutioni. Qua de re quærit Hubertus, utrum restitutionem abnuente suo fratre rependere, sibi incumbat, aut decem millia librarum in integrum præstare, aut ex iisdem partem tantummodo, *pro rata* sua portione perceptæ hereditatis?

Respons.

Decem millia librarum rei rationibus iniquis ab Hyacintho acquisitæ, quæ simul miscentur cum successione quinquaginta millium librarum, quam reliquit, non sunt rependenda, nec restituenda ab ipsis Huberto & Juda filiis & heredibus defuncti, nisi juxta dispositionem consuetudinis, cui subjiciuntur. Ut igitur præfata successio reperitur intra limites territorii, quod Parisiensi consuetudine regitur; Hubertus non obligatur ad satisfaciendum istæ, quæ sibi incumbit, restitutioni, nisi ea ratione, qua prædicta consuetudine constituitur. Jam vero ea potissimum ratione præscribit, ab heredibus alicujus defuncti debita ipsius esse dissolvenda, quæ fertur in sequentibus verbis (*b*). „ Heredes alicujus defuncti „ in pari gradu, tam quoad res moventes, quam „ quoad res non moventes, obligantur ratione suæ „ personæ, ad solvenda & expedienda debita, quæ „ ipsi incumbunt successioni, unusquisque pro ea „ parte & portione, quam accipiunt de hereditate „ ejusdem defuncti, cum in bona ipsius ex æquo suc„ cedunt (*c*). Attamen si quæ defuncti fuerint, ha„ buerint in sua potestate possessiones, quæ pro de„ bito fuerint a defuncto ex hypotheca obligatæ „ atque oppignoratæ, unicuique heredum induitur „ obligatio debiti in integrum persolvendi, rema„ nente ei jure recurrendi ad suos coheredes (*d*). „ Et quando succedunt, alii quidem in res moven„ tes, partas, & acquisitas; alii vero in bona patria; „ aut sunt Donatarii, vel Legatarii universales; te„ netur eorum unusquisque, ad conferendum ad so„ lutionem debiti, pro parte & portione, quæ uni„ cuique contingit. Neque plus tenentur contri„ buere ex sua parte, ratione portioni amplio„ ris, quam propter grandiorem ætatem refe„ runt, quam ceteri coheredes, quoad extin„ guenda personalia debita „. Hoc est: quodcumque emolumentum præ ceteris suis fratribus natu major habeat propter majorem suam ætatem, plura debita non persolvit, quam eorum unusquisque: quoniam ei sola Lex indulget id juris propter grandiorem ipsius ætatem; quod quidem jus, ut ait una quædam Lex Codicis, *est extra emolumentum successionis* (*e*): quod quidem omnino consentit Jurisprudentiæ nostræ; ut cernere est ex Arresto 14. Junii 1584. quod Robertus refert, ex alio Arresto 23. Augusti 1686. quod Louet citat;

(*b*) Consuetud. Parisiens. art. 332. alias 150.

(*c*) Ibid. art. 333.

(*d*) Ibid. art. 334.

(*e*) L. Neque 2. Cod. si certum petatur.

tat, & iterum ex alio 24. Maji 1576. quod etiam refert Montholon (*a*). Ex quibus evidenter colligitur, Hubertum qui non accepit a suo patre nisi librarum decem millia per modum legitimæ portionis, ex conscientia non obligari ad rem universam quæ male parta fuit, & quæ miscetur cum rebus hereditariis defuncti, in integrum restituendam: siquidem debitum non sit hypothecarium, sed tantummodo mere personale: adeoque non teneri ad restituendam nisi quintam partem decem millium librarum ceteris partibus illius quod obnoxium est restitutioni, ipsius fratri natu majori Judæ incombentibus.

(*a*) Robert. l. 4. rerum judicat. c. 13. Louet. lit. D. n. 19. De Montholon in suis Arrestis c. 37.

CASUS CXIV.

Caninius mandavit Diomedi famolo suo, ut saeculum mille librarum qui Joannis erat, foraretur. Afranius ipsi Diomedi fuit auctor, ut ea in re voluntati sui heri non dubitaret parere. Diomedes surripuit sacculum, & ne in suis manibus deprehenderetur, deposuit apud Mæviam Jacobo marito suo consentiente & utroque sciente rem esse furtivam. Tandem Julianus qui poterat & debebat impedire furtum, eidem obsistere non curavit; adeo ut unius ejusdemque furti sex simul occurrant participes. Cuinam potissimum ex istis omnibus primario incumbit restituere? & quinam, isto priore non restituente, primario tenentur eadem restitutionis obligatione?

Respons.

1. Si Mævia præfatas mille libras in suis manibus etiamnum habeat, ipsa præ ceteris primario obligatur ad restitutionem: *Cum plures in solidum restitutioni adstringuntur*, ait Cabassutius (*b*), *observandus est hic ordo, ut primum teneatur is qui rem habet adhuc in sua substantia, aut certe æquivalente, puta, si ex aliena re jam consumta factus est ditior*. Quod quidem concordat cum doctrina S. Thomæ (*c*), qui sic habet: *Ratione rei ... tenetur eam restituere, quamdiu eam apud se habet: quod habet ultra id quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei cui deest secundum formam commutativæ justitiæ*.

(*b*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 23. n. 2.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 62. art. in 6.

2. Mævia non restituente, præ ceteris ad restituendum Caninius primum tenetur: utpote qui sit caussa præcipua furti, ex mandato quod fecit Diomedi suo famulo, prædictarum mille librarum furtive surripiendarum: *Hoc vero non restituente*, subjicit appellatus Cabassutius, *tenetur secundo ordine is qui damnum alteri fieri mandavit, utpote caussa damni principalis: qui autem sub eo damnum fecerit, instrumentalis est caussa*: quod laudatus Canonista mutuatus est ex eodem S. Thoma (*d*), qui ait: ille qui *jubet, est principaliter movens. Unde ipse principaliter tenetur ad restituendum*. Et paullo post (*e*): *Principaliter tenetur ille qui est principalis in facto: principaliter quidem præcipiens; secundario vero exsequens*.

(*d*) Idem S. Th. cit. q. 62. art. 7. in corp.
(*e*) Idem ib. ad 2.

3. Non restituentibus duobus istis prioribus, Diomedes obligatur ad mille libras Joanni restituendas: *Tertio ordine venit qui alio mandante damnificavit*, subjicit Cabassutius.

4. Si tres præfati priores aut non potuerint, aut præfacte noluerint istam summam restituere; in eorum locum succedit Afranius, qui fuit auctor, ut furtum fieret. *Quamvis qui consuluit*, loquit citatus a nobis idem Canonista, aut, ut loquitur S. Thomas (*f*): *Consensus in eo, sine quo rapina fieri non potest*.

(*f*) Idem ibidem.

5. Licet Mævia summam furtivam de suis manibus jam dimisisset; ipsa tamen & ejus maritus, non restituentibus ceteris de quibus sumus locuti, adstringuntur restitutioni; siquidem injuriosæ acceptioni se se participes exhibuerint, furtum recipiendo & occultando: *Quinto ille qui sciens damnificantes recepit*; idem est Cabassutius qui semper prosequitur.

6. Julianus tandem pro ceteris omnibus, si non restituant, & vice quinque priorum obnoxius est restitutioni, si teneretur ex suo munere & officio ad obsistendum furto, & illud impediendum: *Sexto is qui cum teneretur ex justitia proprioque officio non impedivit damnum*. Quod etiam confirmat Canonista memoratus ex isto principio Apostoli (*g*): *Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*.

(*g*) Rom. 1. 32.

Dicimus: *Si teneretur ex suo munere, proprioque officio furto obstare*, juxta doctrinam S. Thomæ (*h*), qui dicit: *tenetur ille qui non obstat, cum obstare tenetur*. Neque enim subjaceret ulli restitutioni, nisi ipsi incumberet ex justitia, hoc est ex suo munere proprioque officio obsistere. Neque enim in eo casu peccavisset, nisi contra caritatem; ut Cabassutius observat: *Non semper ille .... tenetur ad restitutionem .... qui non obstat .... sed solum quando incumbit alicui ex officio sicut Principibus terræ*.

(*h*) S. Thom. loco citato.

Plurimum autem juvat heic loci subjicere 1. quamquam universis in solidum restitutionis inducatur obligatio; nihilominus, cum iniquus rei furtivæ possessor eamdem restituit; omnes ejusdem furtivæ rei participes, ab obligatione restitutionis liberari nequidem, eo excepto qui jussit, ut eadem injuriose acciperetur. 2. *Quando teneatur omnes & singuli in solidum*, inquit iste noster Canonista (*i*), *si ille restituit qui fuit damni caussa principalis; ad nihil teneatur caussæ minus principales neque erga personam damnificatam, neque erga auctorem damni præcipuum*. 3. *Sed si una ex minus præcipuis damni caussis restituit: caussæ principaliores teneantur indemnem facere illum qui restituit*. Eam vero rei istius rationem Cabassutius affert, quod ille qui caussa tantummodo minus principalis est, ipse cum restituit, succedat in jus & locum illios qui furtum passus est; quod quidem jus in eo potissimum consistit, ut possit ipsam rem furtivam ab eo qui furti caussa primaria est ac principalis, repetere: *Minus ... principalis caussa ex quo restituit, succedit in locum ejus qui damnum passus fuerat, ut jus habeat parem exigendi summam a præcipuo damnificante, cujus per suam solutionem negotium utiliter gessit*. *Leg.* Cum pecuniam. 45. *ff. de negotiis gestis*. 4. Tandem, si quis ex eis qui tantummodo sunt caussæ minus principales, obtinuisset ab eo cui restitutio facienda est, condonari sibi partem quæ sibi incombit, restitutionis; alios etiam qui tantum sunt caussæ minus principales, jam non obligatos fore, nisi ad restituendum quod unusquisque eorum obligatus fuisset ad conferendum de sua parte ad integram damni reparationem; ipsa deducta parte illius qui obtinuisset, ejusdem indulgeri sibi condonationem: quod tamen intelligendum est de obligatione in solidum.

(*i*) Idem Cabassut. loco cit. n. 2.

Ex quibus inferre est, si Mævia sacculum mille librarum in specie proposita Joanni restituat; ceteros omnes a lege restitutionis absolvi: atque eamdem ob caussam si Caninius qui furtum mandavit, rem furtivam reddat; Diomedem, Afranium, Jacobum & Julianum ejusdem restituendæ fieri prorsus immunes (*K*).

(*k*) Collo 7. Condomens. tom. 2. col. Inq. 27. sect. 1. Fr. De Gener. theol. mor. 6. tom. tract. 8. c. 7. quæs. 2.

CASUS CXV.

Silverius, Lampridius & Orontius sex unusquisque sirolas vini, suadente Jacobo, ceterisque duobus agentibus excubias, ne tres priores deprehenderentur, Gabrieli de nocte furati sunt. Qua de re quæstio instituitur, utrum damno ab uno ex eis in integrum reparato, ceteris inducatur immunitas cujuscumque restitutionis?

Respons.

Ad præsentis hujusce novæ difficultatis decisionem satis est, si quas ad calcem præcedentis decisionis subjecimus observationes iterata lectione ob oculos ponantur. Inde namque facile est inferre, cum Silverius, Lampridius & Orontius præcipui sint damni quod Gabrieli illatum est, auctores atque quasi promotores reales & physici; si Silverius istud damnum resarciat, Jacobum qui consiliarius fuit, & ceteros duos qui excubias agebant, ab omni prorsus restitutionis obligatione liberari: at Lampridio Orontioque incumbere, suam ejusdem furti partem atque portionem, ratione

Digitized by Google

tione habita damni quod attulerunt, & commodi quod retulerunt, Silverio rependere; quod omnino consentaneum est istis verbis legis (a): *Cum pecuniam ejus nomine solveris, qui tibi nihil mandaverat, negotiorum gestorum actio tibi competit: cum ea solutione debitor a creditore liberatus sit: nisi si quid debitoris intersuit, eam pecuniam non solvi*.

(a) L. Cum pecuniam 43. ff. de negotiis gest. l. 3. tit. 5.

Eadem ratione cum ii qui caussæ censentur principales, quales reperiuntur in proposita specie Silverius & ipsius duo socii, non possunt, aut nolunt restituere; & inter plurimos qui quasi caussæ tantum minus principales habentur, quales sunt Jacobus qui furti faciendi suasor fuit, & ceteri duo qui excubuerunt in casu de quo quæstio est, ex eis unus quidam restituit in integrum, ceteros obligari ad illi referendam damni compensationem, unumquemque pro rata parte restitutionis quæ sibi facienda incubuisset, si iste non satisfecisset: *Uno tamen restituente illi qui passus est damnum*, ait S. Thomas (b), *alius ei restituere non tenetur: sed illi qui sunt principales in facto, & ad quos res pervenit, tenentur aliis restituere qui restituerunt*.

(b) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. ad 2.

CASUS CXVI.

JAM abierunt septem aut octo anni, ex quibus Gabriel, Andreas & quatuor alii domestici concordibus animis, vicibusque pluries repetitis, summam quingentarum librarum Ferdinando hero suo spoliavere. Gabriel a paucissimis ab illinc diebus de prædicto furto semet ipsum accusavit in sacramentali Confessione. Ipsius Confessarius ei declaravit, ipsum in solidum obligari ad integram summam restituendam. Gabriel caussas attulit propter quas sibi videbatur, se se immunem esse ab ista restitutionis obligatione: 1. Quoniam non retulit de isto furto nisi viginti nummos pro parte sibi contingente. 2. Quod ad verum nullatenus accedat, Andream nec quatuor alios ejusdem furti socios atque participes ab annis septem aut octo non fuisse confessos istud peccatum; & certissimum esse videatur, futurum fuisse ut ab aliquibus saltem ex eis pro portione quam perceperunt, fuerit satisfactum: siquidem probabile non sit per tantum temporis spatium eosdem fuisse sacramentaliter absolutos, absque eo quod iis ejusmodi fuerit imposita obligatio restitutionis. 3. Quia posito quod eorum unusquisque teneatur in solidum ad integram prædictam summam restituendam; contingere posset, eamdem integram Ferdinando fuisse fortasse sexies restitutam: quod justitiæ prorsus repugnaret.

Gabriel quærit igitur, num allegatæ caussæ non sufficiant, ut se se ab integra præfata restitutione subducat?

RESPONS.

Jam sæpe sæpius observatum fuit, in disciplina morali principium istud haberi loco certissimæ prorsus & indubitatæ veritatis: nimirum quod quando in eamdem injustitiam plurimi concordibus animis conspiravere, resarciendæ ejusdem obligatio universis in solidum induceretur. Ex quo principio sequitur, non satis esse quod Gabriel quam de furto recepit, restituat tantummodo portionem; sed eum ex conscientia preterea teneri ad restituendum integrum furtum, si quos habuit, ejusdem injuriosæ acceptionis socii ac participes, unusquisque pro sua parte non satisfaciant. Qua de caussa quam primo loco caussatur ratio, nullatenus admittenda est, ut evincat, sibi non incumbere in solidum, ceteris non restituentibus, summam in integrum rependere. At neque potiori loco habetur secunda caussa quam affert; quin potius enimvero conjiciendi locus datur, aliorum neminem prædictæ restitutionis obligationi satisfecisse; licet ne uno excepto fidem fortasse fecerint omnes, futurum ut restituerint: nihil quippe rarius reperiatur, quam eos qui rem alienam acceperunt, eamdem restituendam sibi proponere, & propositi retinere perseverantiam, & eidem executionem adjicere. Sed quam rarissime illi occurrunt, & præsertim domestici, qui cum furati fuerint, valeant restituere: siquidem ejusmodi genus hominum soleat esse bonorum pauperrimum; & aliunde furtive non accipiant nisi ut sibi sit, unde habeant quod possint per luxuriam, aut lusionem statim effundere. Præterea vero licet addere, rem aliquam furanti fere numquam prodesse: *Male parta, male dilabuntur*. Quod Gabriel subjungit, allegando nimirum, ad verum nullatenus accedere, per diuturnum adeo temporis spatium suos ejusdem furti socios ac participes non fuisse furtum istud confessos, ruit penitus vel ipsius exemplo; quippe septem aut octo annos prætermiserit ipse furtum idem non confessus. Non potest denique ab obligatione restitionis istius se se expedire ex prætextu rationis quam tertio loco memorat: cum enim pro certo semper remaneat, factum fuisse furtum; certo certius quoque debet constare, illud idem fuisse reparatum; siquidem illud reparari ejusmodi sit necessitatis, quæ non admittat dispensationem. Itaque prætensa illa possibilitas ex qua propriam suam defensionem Gabriel nititur repetere, eum nec juvat, nec coram Deo absolvit. Ab eo igitur in ea rerum circumstantia quæ congruentior inveniri potest, ineunda ista potissimum ratio est, ut diligenter inquirat, ac quoquo modo se se faciat certiorem, num ab aliquibus; ex suis præfati furti sociis atque participibus, fuerit satisfactum: quo quidem in casu ei nihilominus obligatio incumberet, ipsi qui summam integram restituisset, quos de præfato furto recepit, nummos 20. rependere: posset tantummodo deduci de universa ista summa portio, quam præfatus iste aut alius quilibet Ferdinando restituisset (c).

(c) Sambovius tom. 3. Casu 215.

CASUS CXVII.

BLOSIO Christophori viri in sua terra patria invisissimi vineam ingresso, eamdemque jam depopulanti, & illius truncos confringenti atque evellenti, se se quidam alii quatuor forte fortuna prope vineam istam occurrentes adjunxerunt, & in eamdem vastationem inferendam toti, nihil tamen incitante prædicto Blosio, & pedibus & manibus incubuere: quorum exemplum alii duo sequentes sic egerunt, ut memorata vinea in ipsomet temporis momento in integrum vastata fuerit ac penitus exinanita. Qua de re quæstio habetur, utrum præfati septem viri teneantur omnes, in solidumque unusquisque, ad integrum damnum quod intulerunt Christophoro, eidem resarciendum?

RESPONS.

Si mutuo consensu conspiravissent omnes in prædictum delictum, absque omni dubitationis alea considerandi forent omnes, ut caussæ principales istius detrimenti, & universi tenerentur, singulique privato suo nomine in solidum ad illud idem resarciendum. Equidem mutuus iste consensus non omnino per se patet in specie proposita in qua non apertum est, alium ab alio excitatum fuisse ad vineam Christophori divexandam: at quoniam negari non potest, quin exemplum plurimum valeat ad inducendum in malum; & ubi plurimi socii in peccando adjunguntur non est dubium, quin in crimen cum effrenata magis protervitate exardescant: videtur, si concurrissent simul universi ad prædictam vineam, & omnes incubuissent in eamdem vastandam, licet singuli nonnisi proprio motu egissent; locum futurum contendendi, & quidem cum aliqua verisimilitudine, singulos in solidum obligandos fore ad præstandum damnum, ne quidem excepto eo qui ex propria sua sententia, nonnisi paucissimam injuriam irrogavisset. Quam opinionem S. Bernardinus amplectitur & proponit istis verbis (d): *Quia si multi ad rapiendum concurrunt, nec aliquem habent ducem: neque unus alium animavit magis quam alius eum: sed simul conveniunt ad rapinam? Ad hoc dicunt quidam, quod quilibet solum pro sua parte satisfacere obligatur... secundum autem Hostiensem tutius*, atque verius est, quod *quilibet in solidum obligatus intelligatur: quia ad rapinam concordes fuerunt*.

(d) S. Bernardin. serm. 33. in Dom. 4. Quadragesim. art. 2. c. 3. tom. 1.

Quam eamdem doctrinam tenet S. Raimundus: (e) en qua ratione sententiam ea de re suam aperit.

(e) S. Raim. in Sum. l. 2. tit. 5. §. 21.

Quid

Quid si plures fuerunt raptores, quasi pares: quia nullus induxit alium ad eundem, nec erat aliquis Dominus alterius, sed quilibet per se ivit? Ad hoc credo, dicendum, quod, si vadunt infimul quasi fit unus exercitus, quilibet tenetur in solidum. Cujus rei probationem istam subjungit: *Et ista ratio, quia in tali casu quilibet juvat alios, & facit eos fortiores. Ibi enim possunt dici squamæ sese prementes, de quibus Job. 41. Corpus illius, quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Facit ad hoc extra de homicidio* Cap. *ficut* dignum. *Et omnes sunt cooperatores. Quare quilibet tenetur in solidum.* Quoniam vero circumstantia quædam specialis occurrit in proposita specie in eo, quod ponatur, neque Blosium neque cæteros universos ad delictum patibus animis simul ferri, sed tantummodo per vices diversis temporibus concurrere; &, quanquam prioribus posteriores sese non adjunxissent, ab illis nihilominus vinea fuisset in integrum vastata ac radicitus exinnaniti; videtur, singulis in solidum non esse inducendam in eo casu restitutionis obligationem; satisque esse, si ab eorum unoquoque, quod intulit ex sua parte, portio quoque præstetur damni compensationis. Atque ita censet S. Raimundus, qui sic addit: *Alias si non iverunt simul, sed quilibet per se separatim faciebat damnum, quilibet tenetur pro eo, quod fecit.* Quod etiam docet ipsius interpres ad isthæc verba, *tenetur in solidum*, a quæ sic interpretatur (*a*): *Hoc intellige, quando unus sine aliis non auderet, vel non posset damnum inferre aliter quilibet tenetur tantum proparte damni quom intulit.*

(*a*) Joan. de Friburgo in cit. §. 21. verbo *Tenetur*, &c.

Atque doctrinam eandem exponit eadem ratione Cabassutius in eo ducem habens ac Magistrum sanctum Thomam, quem citat (*b*). *Si ex communi conjuratione*, inquit *laudatus Autor*, *plures socii ad unius Domus, aut villæ excidium concurrerint; & dum simul deprædantur, alius superveniens aliquam suppellectilem inde abstulerit: singuli ex numero conjuratorum obnoxii sunt restitutioni in solidum: qui vero deprædationi supervenerit, id solum tenetur restituere, quod seorsim diripuit: quia ipse unus causa est singularis damni, reliqui vero singuli per communem conspirationem; in totale damnum influxerunt.* En propemodum casus, de quo controverritur, Blosius namque solus vineam Christophori primum quidem ingreditur, & ejusdem & diripiendæ, constringendotumque truncorum illius initium facit. Interveniunt alii quatuor, qui idem, quod Blosius, habent odium in Christophorum, &, ipso Blosio nihil quidquam incitante, illius vineæ similem inferunt depopulationem. Alii duo sese denique proprio motu jungunt ad istos priores. Ibi nulla conspiratio, nullumque consilium meditatum Blosium inter, quatuor priores, qui sese ad eum adjungunt, & istos duos posteriores, deprehenduntur. Quilibet igitur non obligandus est, ad afferendam, nisi eam portionem, quod intulit ex sua parte, damni compensationis, nulla de cætero quemlibet urgente in solidum necessitate satisfaciendi. Iri tamen inficias non potest, quin tutius omnino conscientiæ consulatur, si singuli prædictorum sese haberent quasi in solidum obligatos, ad restituendum.

(*b*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 14. n. 2.

CASUS CXVIII.

Fulcos & ducenti cum eo fanatici, quorum Coriphæus erat atque princeps, Fanum S. Hyppoliti, facta conspiratione, mutuis ac concordibus animis expilaverunt ac totum diripuerunt. Fulcus pro parte sibi de præda contingente centum duplionum aureorum pretio manubias retulit. Repudiatis postmodum, quibus imbuebatur, pravis opinionibus, Catholicæ Religioni restitutus est, & animo adjecit portionem, quam fuit prædatu, restituere; quippe qui non possit, præ facultatum suarum inopia, quidquam amplius rependere. Quibusnam portionem debet restituere in ista rerum circumstantia, in qua nullatenus valet eos, quibus istud detrimentum intulit, perspectos habere, atque singulos exploratos?

RESPONS.

Juxta regulam a S. Thoma constitutam (*c*), *illi, qui illo modo* (scilicet in deprædatione civitum) *accipit, debet pauperibus illius villæ restituere, vel in alios usus communitatis illius Civitatis expendere secundum arbitrium Episcopi, vel eorum, ad quos pertinet cura illius Civitatis.* Quod pertinet ad ducentos alios qui Fanum prædictum, facta conspiratione cum Fulco compilaverunt, certissimum est, eorum singulos, quemadmodum ipsummet Fulcum, obligatos remanere ad reliquam, quod intulerunt prædictæ Civitati, damni reparationem.

(*c*) S. Th. in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstiunc. 4. ad 3.

CASUS CXIX

Petrus, cum scivisset, egregium quoddam possideri a Didymo Religioso professo, manuale horologium argenteum, quod ei frater ipsius dono dederat, nactus est occasionem, ejusdem ab eo furtiva ei manu subducendi, atque proveniens ex illius venditione pretium propriis suis necessitatibus abhibuit. Post tres ab illinc menses cum Petrum sui furti pœnituisset, preces suas ipse curavit, per interpositam personam, ad Dymum usque pervenire, quibus eum rogabat, ut sibi de facto furto gratiam faceret, quin etiam obligationem restitutionis vellet sibi condonare. Quod utrumque Didymus ei ultro annuit. Nonne ab omni Lege restitutionis Petrus inde coram Deo liberatur?

RESPONS.

Eadem est conditio condonationis alicujus debiti, quæ vere & proprie dictæ donationis. Atqui constat, quamcumque donationem esse nullam, cum ab iis conficitur, qui ejusdem conficiendæ non habent potestatem; quales sunt amentes, pupilli (*d*), illi qui in judicio interdicuntur, Religiosi professi, qui propter votum paupertatis, quo ligantur, nihil possunt jure proprietatis retinere, neque adeo donare. Unde sequitur, quam Petro Didymus indulsit, coram Deo iniquam prorsus esse condonationem, atque omnino nullam; & ipsum Petrum remanere semper obligatum ex conscientia, ad pretium justum istius manualis horologii, quod prædicto Religioso furatus est, Monasterio Didymi restituendum.

(*d*) Leg. *Pupillus.* ff. de acquirendo rerum dominio. L. *Filiusfamilias.* ff. de donationibus Et Leg. *Si minores.* cod. si minor. factos &c.

Dicimus: *Monasterio Didymi*: quoniam Religiosus professus nihil potest, nisi nomine Monasterii sui possidere; juxta vulgatum istud Canonici Juris effatum. *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio.* Quod plane congruit cuidam Canoni excerpto de octavo Concilio Generali Constantinopolitano, quod habitum est annis 869. & 870. relato in Decreto Gratiani (*e*), in quo sic legitur: *Abbati vel Monacho Monasterii servum non licebit facere liberum: qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest. Nam sicut seculi etiam Leges sonserunt, non potest possessio alieni, nisi a proprio Domino* (*f*).

(*e*) Concil. Constant. in can. *Abbati.* 12. dist. 14.

(*f*) De Gen. theol. mor. t. 6. tract. 8. c. 7. quæst. 12.

CASUS CXX.

Cassianus Mercator, adulterinum nummum aureum, loco genuini receptum bona fide & ex imprudentia, in solutionem venditarum mercium; uxori suæ jussit, cum genuinis aliis abea inferri in solutionem, cujus conficiendæ pre suam absentiam, dedit ei mandatum. Quæ quidem, quoniam ipsius animi intemperiem, quippe vir sit ingenio fervidus, plurimum reformidabat, facto sibi mandato paruit: Qua de re quæritur; num ipsi privato proprioque nomine incumbat, adulterinum istum nummum aureum restituere; aut satis sit, quod maritum suum moneat de obligatione, quæ ei inducitur, ejusdem restituendi?

RESPONS.

Ad restitutionem in proposito casu tum maritus, tum uxor in solidum tenetur, siquidem ex utroque fit vera causa injustitiæ & damni, quæ ei irrogata sunt, cui prædictus adulterinus nummus aureus traditus fuit. Primario tamen obligatur Cassianus ad restituendum, siquidem ex ipsius mandato fuerit illata injuria: Sed eo non satisfacien-

te, ipsius uxor obnoxia quoque est restitutioni, utpote quæ injuriam ipsamet irrogaverit. Quamobrem conscientiæ suæ non satis tute consuleret, nec debito, quod sibi incumbit, qua par est, ratione satisfaceret, si maritum rantummodo faceret certiorem de obligatione restituendi, quæ ei inducitur: In eorum probationem, quæ asserimus, nulla appellamus autboritatum testimonia: quoniam plurima jam allegata sunt in decisionibus antecedentibus, & speciatim in ea, quæ ordine recensetur centesima prima, cujusque species initium facit a verbo Caninius.

CASUS CXXI.

Sempronia Mæviæ filia natu major, cum plnrimos annos usui suæ Matris impendisset, nulla sibi repensa mercede; sed repetitis nibilominus promissionibus plurimis, futurum, ut ipsa, pro suo labore, suaque tam diuturni temporis opera, condignam referret aliquando mercedem; videns propriam suam Matrem stupore nervorum affectam, usuque linguæ jam privatam, sibi dextram premere, animum induxit, ab ea sibi ex ejusmodi indicio innui, triginta nummos aureos, qui in Cimeliarchio quodam, insciis duabus aliis suis sororibus recondebantur, sibi donari. Manum igitur in eosdem injecit, tanquam in pecuniam quam existimabat omni pro tas jure sibi aliunde debitam. Interea Mævia, nihil quidquam menti restituta obiit. Qua de re quæstio proponitur, num in eo peccaverit Sempronia, atque utrum ei jure legitimo cedat prædicta summa?

Respons.

Equidem Sempronia non peccavit contra conscientiam, quoniam in animum suum non induxit, quidquam in eo contra justitiam a se committi, neque inde Deum offendit: At vero peccavit contra Legem; Lex siquidem prohibeat, ne res aliena surripiatur. Porro triginta isti nummi aurei non cedebant Semproniæ jure potiori, quam duabus aliis ipsius sororibus. Quod enim signum memorat, ab ipsa Mævia sibi datum suisse ex prædicta manus pressione, nimis ambiguum est, ut quidquam inde juvari posset, præ duabus aliis suis sororibus; siquidem aliquis in eo infirmitatis statu positus, in quo Mævia constituebatur, possit premere manum, ut innuat, sibi spiritualem aliquam opem, aut subsidium aliquod afferri corporeum: aut signum istud adhibere, causa amicitiæ tantummodo significandæ, aut tandem alia de causa, quam cognoscere difficile est, aut etiam non possibile (a); quin etiam ista manus pressio contingere potest secundum ipsammet naturam ex motu, qui nervorum convulsione cietur, nequidem cogitante ipso infirmo. Quibus de causis arbitramur, obligari Semproniam ad portionem triginta nummorum aureorum, quæ suis sororibus contingit, iisdem restituendam, aut in dissolvenda legitima debita, quibus materna successio posset obnoxia esse eosdem conferre.

(a) Samb. to. 3. casu 139.

Cæterum ex ipsa, opera quam Matri suæ commodavit, Sempronia sibi non potest prætextum adhibere, neque authoritatem sibi facere, repetendi sui juris ex propria sententia. 1. Quoniam omnem operam, qua sua Mater indigee, cum potest filia, tenetur eidem gratuito præbere; istud enimvero & pietatem, & gratum animum omnino decet. 2. Propterea quod ad verum non videatur accedere, duas ipsius sorores compressis manibus sedisse, & totos dies desedisse in domo suæ Matris otiosas; quanquam ejusdem forte utilitatis ac momenti non fuerint præstita ab iisdem officia, cujus utilitatis ac momenti fuit opera, quæ ab earum sorore natu majore conferebatur.

CASUS CXXII.

Leodegarius, & Landricus argentariæ mensæ exercitores, in facienda sua negotiatione, usum inter se sæpe sæpius consociaverunt. Mortuo Landrico, Leodegarius indicavit hæredibus defuncti, sibi præ manibus relinqui res varias, quæ ipsi Landrico proprietatis jure cedebant, & easdem ipsis restituit, iisdem simul cum propria sua uxore asseverans, apud se nullam aliam rem remanere, quæ pertineret ad successionem defuncti. Obiit Leodegarius post quatuor ab illinc annos, & reliquit quatuor liberos, nimirum duos, quos de priore matrimonio susceperat, & duos alios de consequente alio matrimonio sibi procreatos.

Qui de priore thoro nati erant, portionem, quæ sibi de bonis paternis contingebat, a sua noverca repetierunt. Quæ dixit, equidem sese paratam esse, atque expeditam, ad eandem ipsis tradendam, sed putare se, ex conscientia sibi obligationem induci, iisdem palam faciendi, ab ipsa bonorum communione, quæ inter se & Leodegarium intercedebat, deberi mille nummos successioni Landrici, qui eosdem mutuos præfatæ communioni dederat sine scheda, nec Chirographi cautione; quosque sese certiorem esse, non fuisse ipsi Landrico restitutos: Atque, ut iis omnem dubitationis ansam eximeret, & eos de veritate rei istius faceret certiores, ipsa quoniam sibi vindicabatur dominium bonorum communionis, pro sua parte, quæ sibi incumbebat, quingentorum nummorum restituendorum initium fecit.

Isti liberi de priore matrimonio procreati quoniam persuasum habebant, istud debitum esse verum ac reale, in ipsius quoque solutionem ex sua parte venerunt. Et defuncta præfata muliere, non revocata sua priori declaratione, liberi de posteriori thoro, hoc est de matrimonio, quo ipsa cum Leodegario jungebatur, ortum habentes, cum affirmavisseut coram Judice, apud quem ea de re fuerant appellati, sibi nullatenus esse perspectum istud debitum, de quo impræsentiarum agitur, ex sententia juxta Juris formulas pronunciata, ab eadem, pro parte sibi contingente, solvenda fuerunt liberati.

Qua de re quæritur, utrum qua ratione absoluti sunt in foro externo a ferenda sua parte debiti istius, eadem in foro interiori vindicari quoque censendi sint?

Animo pertendunt, obligationis sibi nihil omnino incumbere, 1. quoniam nulla adversus se ratio affertur, nisi petita ex nuda ac simplici suæ Matris declaratione. 2. Propterea quod, posito, quod debitum fuerit reale, potuerit contingere, illud idem a Leodegario suo Patre, sua matre prorsus inscia, fuisse extinctum. 3. Quia sibi exploratum est, quoniam potissimum in statu sese commercium sui Patris baberet; neque tamen ulla ratione adverterunt, rem ipsius fuisse auctam eo tempore, quo narratur, prætensum istud commodatum locum obtinuisse.

Non diffitentur tamen, sibi nullam legitimam causam adesse suspicandi, quidquam in ea re intercessisse Matrem suam inter & hæredes Landrici collusionis.

Respons.

Siquidem ipsa Matris declaratio genuinam videatur referre veritatem, neque sit locus legitimus ipsi suspicionis injiciendæ, quod collusionem fecerit cum hæredibus Laudrici, quibus ipsamet pro sua portione quingentos nummos reddidit, & partem quingentorum aliorum nummorum residuorum, quæ incumbat liberis de priori thoro procreatis, ab iisdem afferendam curavit; videtur, nulla legitima ratione posse liberos de posteriore matrimonio ortos subduci a parte & portione istius ejusdem debiti, quæ ad eos pertinet, eodem jure restituenda; quippe qui ratione potiori teneantur, ad fidem babendam dictis, & declarationi suæ Matris, quam ipsi sui fratres paterni. Atque revera quidem illud a vero prorsus abhorret, quod Mater, cujus virtutem nulla unquam legitima suspicio violavit, voluisset, quibus fuisset nullatenus obnoxia, quingentos nummos restituere in damnum propriorum suorum filiorum, & obligationem inducere sine causa liberis sui Mariti præstandæ restitutionis, cui eosdem novisset non subjici. Inde etenim damnum ipsius filiis inferretur, non tantum in eo, quod eos spoliaret quingentis nummis, quos restituisset,

ſet, qui quidem in partem veniſſent bonorum quæ iiſdem poſt ſuum obitum reliquiſſet; ſed in eo etiam, quod eoſdem ſuo exemplo excitaviſſet, ad detrahendam eamdem ſummam de peculio bonorum paternorum, & eam alienæ ſucceſſioni tranſmittendam. Adducimor autem in eam ſententiam eo lubentius, quod mulier iſta deceſſerit, non revocata ſua declaratione; & fateantur ipſimet ejus liberi, ſibi nullam legitimam cauſam videri conjiciendi, inter illam & hærrdes Landrici quidquam in ea re acceſſiſſe colluſionis; ut revera nullus locus eſt ſubodorandi, ullam ne minimam quidem inter eos interceſſiſſe colluſionem (a).

(a) Samb. to. 3. caſu 233.

CASUS CXXIII.

Hombertus Bernardo, plurimiſque aliis debet grandem pecuniam, pro qua Creditores ipſius juſſerunt, univerſas illius poſſeſſiones tradi ſub cuſtodiam. At volens bene mereri de Bernardo, qui ex ipſius intimis familiaribus eſt, fuodo prædictarum poſſeſſioonum ei in iotegrum ſatisfecit. Quod quidem Creditores cæteri reſcientes, contendunt, Bernardo incumbere ex conſcientia, quidquid recepit, referre. Ipſi ſuccurrit certiſſima ratio, cujus ope ei datur immunitas nihl omnino referendi. Numquid poteſt iſtam ſibi vindicare ſine injuſtitia rationem?

RESPONS.

Bernardus recta conſcientia nullatenus poteſt, ab eo, quod ab Homberto recepit, referendo ſeſe ſubducere. Cujus rei ratio ultro ſeſe prodit. Poſſeſſiones enimvero, quæ traditæ ſunt ſub cuſtodiam, & provenientes inde fructus nullius ſunt juris ſpecialis Creditoris, ſed univerſorum ſont communes; & inde redire debet ad unumquemque eorum ſua portio, ratione habita juris, quod in iiſdem unuſquiſque habet, & prout a Judice determinabitur: Adeoque referendum eſt a Bernardo in fundum communem, quod ei ab Homberto in fraudem, & detrimentum ipſius aliorum Creditorum numeratum fuit: *Qui vere poſt bona poſſeſſa debitum ſuum recepit, hunc in portionem vocandum, exæquandumque cæteris Creditoribus. Neque enim debuit præripere cæteris poſt bona poſſeſſa, cum jam par conditio omnium Creditorum facta eſſet.* Quæ verba habentur in quadam Lege ds Digeſto (b), cui tota congruit, quæ apud nos obtinet, Juriſprudentia.

(b) L. Qui autem. 6. §. 7. ff. quæ in fraudem Creditorum facta ſunt, reſtituantur. lib. 42. til. 9.

Quod idem dicendum eſt, quando Debitor de ſuis bonis omnibus ultro ceſſit Creditoribus ſuis; ſiquidem in eo caſu, quemadmodum in præcedente, Creditoribus univerſis in commune vindicentur; & ex eis nullus poſſit, in damnam aliorum, ne minimam quidem eorum ſibi præripere portionem.

CASUS CXXIV.

Hildevertus, cum munus quoddam, quod vacare ſciebat, & ex quo reditum annuum 800. librarum poterat recipere, plurimis ſollicitationibus ambiviſſet; Stephanus eum rogavit, ad quem pertinebat eidem muneri præficere, quique animo jam adjecerat, Hildevertum eidem præponere, ne munus illud ei conferret; adeo ut de eodem alii fuerit gratificatus. Qua de re proponitur quæſtio, utrum non teneatur Stephanus, ad afferendam, quod intulit Hildeverto, detrimenti compenſationem?

RESPONS.

Quanquam veriſſime contendatur, tunc reſtitutionis incumbere obligationem, quando quis adhibitis fraudibus aut violentiis, vel etiam validiore atque ejuſmodi rogatu, quo potuerit induci perſuaſio, effecit, ne quis alius, qui jus habebat, ad conſequendum certum quoddam bonam, illud idem adipiſceretur; quoniam in ejuſmodi caſu graviorem prorſus admittit injuſtitiam, aut ſeſe ſaltem reddit illius injuſtitiæ participem ac cauſam efficientem, qui obligabatur, ad illud bonum ſeſe roganti concedendum: & licet vel etiam teneatur, ad reparandum damnum, quod intulit, impediendo nimiram, ne quis alius, qui nullo jure gaudebat, ad rem conſequendam, eandem obtineret: ſi eo fine acceſſerint minaciæ, aliquæ falſæ criminationes, ſeu quælibet aliæ ejuſmodi iniquæ rationes: nihilominus nulla incumbit obligatio reſtitutionis in iſto poſteriori caſu, quando non fuerunt adhibiti, niſi ſimplices rogatus: ratio eſt, quia rogatus ejuſmodi eum relinquunt, qui poteſt illud bonum conferre, omnino liberrimum, ut vel concedat, vel abnuat. Ex quibus inferre eſt, Stephanum in propoſita ſpecie nulli prorſus obligationi reſtitutionis erga Hildevertum aſtringi; ſiquidem iſti nullum jus ſuccurreret, ad conſequendum munus iſtud, quod tantis ſollicitationibus quærebat; aliunde vero non niſi ſimplices rogatus adhibuerit, quibus impediret, eum a quo munus iſtud pendebat, ne ei illud idem concederet. Attamen quanquam Stephanus nihil adverſus Juſtitiam offenderit; nihilominus peccavit contra Caritatem, ſi ſeſe præbuerit ſine cauſa in ſollicitationibus & commodo ipſius Hildeverto adverſarium (c).

(c) Colloq. Cond. tom. 1. Colloq. 14. ſect. 2.

CASUS CXXV.

Patricius, qui in Thomam odium jampridem gerit, cernens, jamjam eidem conferendam eſſe, aut etiam jam fuiſſe collatam quamdam Præbendam, qua dignus erat, impedivit Collatorem, ſeu Præſentatorem, ne eandem illi concederet; aut etiam obtinuit præſentationis, vel collationis inſtrumentum, quod in ipſius gratiam jam ſcriptum erat, revocari, atque reſcindi. Obnoxiuſne eſt alicui reſtitutioni ipſi Thomæ exhibendæ?

RESPONS.

Ut præſens difficultas ſolvatur, audiendus eſt Angelicus Doctor (d), qui ſic loquitur: *Aliquis poteſt impedire aliquem, ne habeat Præbendam, multipliciter: uno modo juſte: puta, ſi intendens honorem Dei, vel utilitatem Eccleſiæ, procuret, quod detur alicui perſonæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo injuſte, puta, ſi intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujuſmodi: & tunc ſi impedit, ne Præbenda detur digno, conſulens, quod non detur, antequam ſit firmatum, quod ei detur; tenetur quidem ad aliquam compenſationem: penſatis conditionibus perſonarum & negotii, ſecundum arbitrium viri ſapientis: non tamen ad æquale; quia illam nondum fuerat adeptus & poterat multipliciter impediri.* Et iterum alibi (e) *Si damnificet aliquem, impediendo, ne adipiſcatur, quod erat in via habendi; & tale damnum non oportet recompenſare ex æquo: quia minus eſt habere aliquid in virtute, quam habere actu. Qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem, vel potentiam: & ideo ſi adderetur ei, ut haberet hoc in actu; reſtitueretur ei quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum: quod non eſt de neceſſitate reſtitutionis... tenetur tamen aliquam recompenſationem facere, ſecundum conditionem perſonarum & negotiorum.*

(d) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4.

(e) Idem cit. q. 62. art. 4. in corp.

Idem S. Antoninus (f) docet, ſed poſteriora verba S. Thomæ, quæ modo retulimus, interpretatur, dicendo nimirum, cum laudatus Angelicus Doctor ait, quod, quando quis impedivit, ne Collator Beneficii illud ei conferret, qui eum illud rogabat: *Tenetur tamen aliquam recompenſationem facere*, &c. Id intelligendum eſſe, quando ſcilicet impedit ex odio atque ex malitia; quo quidem animo Patricius adverſus Thomam potiſſimum egiſſe deprehenditur. *Hoc intelligendum videtur*, inquit ſanctiſſimus Archiepiſcopus; *quando hoc faciat ex odio & malitia: Nam ſi faceret, ut ſibi, vel amico ſuo magis provideretur, quam illi; talis ſecundum Petrum de Palude in 4. nulli tenetur; quia nulli offert jus ſuum: nam illi nullum erat jus acquiſitum, & nemini facit injuriam, qui utitur jure ſuo: cuilibet enim licet ſe recommendare alteri.*

(f) S. Anton. 2. p. ſumm. theol. tit. 2. c. 2. § 6.

At, ſi Thomas jam haberet certo ſibi deſignatam Præbendam, de qua quæſtio agit; & Patricius ſine cauſa juſta obtinuiſſet ejuſdem Collationem aut præſentationem jam in ipſius favorem confectam revocari; ipſi jam in eo caſu incumberet afferre Thomæ tantumdem valentem damni compenſationem. *Si vere*, addit S. Thomas (g), *jam firma-*

(g) S. Th. cit. art. 2. ad 4.

tum sit, quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est, ac si jam habitam ei auferret; & ideo tenetur ad restitutionem æqualis; tamen secundum suam facultatem.

Vide decisionem præcedentem, & subseqnentem.

CASUS CXXVI.

Epimenides sciens, ab uno quodam ex amicis suis, scripto juxta formulas consuetas testamento, hæredem ex asse Lælium fuisse designatum, apud eum sic institit, ut eum tandem adduxerit, ad testamentum suum immutandum, & obtinuerit in illius locum sese suffici illius ex asse hæredem. Quo quidem amico defuncto, adivit Epimenides universam illius hæreditatem. Nonne tenetur ex conscientiæ debito, ad eandem Lelio vel in integrum, vel saltem ex parte restituendam, siquidem in causa fuerit, cur ipsa eadem ad illum tota non perveniret?

Respons.

Priusquam propositam difficultatem solvendam aggrediamur, juvat cum Cabassutio (a) quædam observanda præmittere, nimirum, quando quia impeditur, ne bonum istud adipiscatur, quod ipse quærit, aut quod alius vult ipsi concedere, non induci restitutionis obligationem, nisi concurrentibus simul tribus istis conditionibus.

(a) Jo. Cabass. jur. can. th. & prax. l. 6. c. 14. n. 6.

Tres autem simul requiruntur conditiones, ut alterius bonum impediens, inquit laudatus Canonista, *teneatur restituere; ita ut una, aut altera non sufficiat ad obligationem restituendi. Prima est, ut sic impeditus potuisset rem obtinere, nisi hoc impedimentum obstitisset.*

Secunda conditio est, ut impeditus potuisset juste rem consequi. Si enim juste rem obtinere non posset, is, qui impediverit, non tenetur restituere; cum non abstulerit jus alienum. Sic exempli causa, si impedio, ne beneficium detur alicui indigno, & in eo potissimum agam ex odio, quod gero adversus illum, nihil mihi incumbit obligationis ei restituendi quidquam; quoniam nihil in eo peccatum intercedit adversus justitiam, licet peccem contra charitatem, si ex odio potissimum obstem, ne beneficium consequatur.

Tertia denique conditio requisita est, ut impediverit per dolum & fraudem, aut mendacium aliamve quamlibet actionem justitiæ oppositam; qualis est calumnia, detentio personæ ne compareat, literarum illius interceptio, ne rem speratam prosequi possit, aut etiam vis illata, aut minarum intentatio in eum, qui erat bonum illud collaturus.

Quæ tamen observatio non intelligenda est, nisi de impedimento, quod opponitur ei, qui non habebat jus ad rem, quam impeditur, ne assequatur. Enimvero si jus aliquod ad eandem seu in eadem fuisset jam consequutus, qui obstaret sine justa causa, ne illam adipisceretur, obligaretur ad afferendam ei aliquam compensationem, licet etiam nullum dolum, nullamque rationem iniquam, sed sollicitationes duntaxat atque preces tantum adhibuisset. Quod Cabassutius jam laudatus etiam observat (b): *Ubicumque pene certam alioquin boni alicujus consecutionem aliquis frustraverit impediendo, puta, cum impeditus jus habebat in re, vel ad rem per justam promissionem, stipulationem, aliumve contractum, aut per electionem, præsentationem ... aliumve titulum, per quem datur actio ad rem petendam; in his casibus, quamvis impediens nullam vim aut fraudem adhibuerit, sed solas preces & suasiones, si justa non fuerit causa jus illud in rem acquisitum impediendi, tenetur impediens ad istius damni reparationem: quia hoc ipso peccavit contra justitiam, quod jus alteri acquisitum sine legitima causa frustraverit.* Quibus sic positis.

(b) Idem ibid. n. 8.

Respondemus, ad nullam restitutionem Lælio præstandam Epimenidem obligari, 1. quoniam nec violentia, nec fraude, nec minarum intentatione in suum amicum usus fuit, ut eum adduceret, ad suam dispositionem testamentariam invertendam. 2. Quia Lælius nullum jus fuerat consecutus in iis bonis vel ad ea bona, quæ testator præfatus animo decreverat ei legare, & post suum obitum relinquere. 3. Propterea quod ipsi eidem testatori libertas integra remaneret, & testamenti sui rescindendi, & ejusdem immutandæ dispositionis: *Restituendi nulla inest obligatio in eo, qui precibus, blandisque officiis, aut frequenti adhortatione citra vim & mendacium, mentem alicujus avertit ab instituendo illum hæredem, quem prius intendebat, aut a relinquendo legato, vel a donatione facienda.* Ita docemur ab erudito, quem appellavimus, Avenionensi Professore, qui paulo post subjicit (c): *Restituendi obligationi non est obnoxius ille, qui sine vi, vel fraude curavit, testamentum revocari & alium hæredem institui: quia nempe hæredes, neque Legatarii jus ullum habent ad successionem, quandiu testator est in vivis: quum sit libera testatori testamenti sui revocatio habeatque, ut jura loquuntur, deambulatoriam voluntatem usque ad mortem.* Quæ posteriora verba memoratus Author mutuatus est ex quadam Lege Digesti (d), quæ sic habet: *Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum spiritum.*

(c) Idem ibid. cap. 25. n. 6. & 10.

(d) L. Quod si 4 ff. de adimendis vel transferend. legatis vel fideicommiss. lib. 34. tit. 4.

Graffius eandem doctrinam sequitur ac proponit, & illud ipsum affert in exemplum, quod in specie proposita controvertitur (e): *Qui firmiter in animo suo constituit rem alteri dare*, inquit, *si ego mutavi illius voluntatem atque intentionem, non teneor ad aliquam restitutionem.* (Quod non asserit eruditus iste Religiosus, nisi in quantum impeditus ille alter & frustratus beneficio istius voluntatis atque intentionis nullum jus habuerit ad rem; atque ut impediam, ne eandem obtineat, nullam fraudem, nec violentiam, nec minarum intentationem adhibeam, neque agam ex odio.) Atque sic prosequitur: *Verbi gratia testator firmiter in animo suo decreverat legare Titio centum. Ego mutavi animum testatoris, ut mihi, vel amico relinqueret: non teneor ad restitutionem.* Istudque probat ex quadam Lege Codicis (f): *Ratio est, quia nullam illi irrogo injuriam, nec facio injustitiam, quia non aufero illi jus suum, cum nihil illi erat debitum. Secus autem, si vi, aut fraude mutassem animum testatoris.* Præiverant in eadem doctrina Govarruvias, Navarrus, & plurimi alii (g) sed eorum omnia referre testimonia res esset operosa nimia, gravioris que satietatis. Quamobrem hic dicendi finem jam facimus: atque hoc advertemus tantummodo, laudatum Graffium addere, si quis alium ex odio, meditatoque ei nocendi animo impediret, ne bonum illud obtineret, quod jamjam consecuturus erat, quodque, ut omnino conjicere est, nisi ille obstitisset, fuisset adeptus, tunc in eo casu alicui restitutioni subjacendum illum esse ex judicio viri alicujus prudentis: *In tali casu tenetur restituere damnum*, inquit Author quem jam citavimus (h), *non ex æquo, sed judicio boni viri: quia minus est habere rem virtute, quam actu, & poterat animus testatoris mutari.* Quod probat authoritate S. Thomæ, qui eandem doctrinam tenet (i), & una quadam Lege Digesti (k), quam ad marginem indicamus.

(e) Jacob de Graffiis dec. aurea l. 2. c. 151. n. 2.

(f) L. Judicium. final. cod. si quis aliquem testari prohibuerit, &c. lib. 6. tit. 34.

(g) Covarr. in leg. Peccatum p. 2 § 7. Navar. Manual. c. 17. n. 69.

(h) Graff. cit. loco n. 3.

(i) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 4.

(k) Leg. In summa, §. Idem. ff. de aqua pluviæ arcendæ. lib. 39. tit. 3.

CASUS CXXVIII.

Rex, cum Alexandrum magnæ alicui Provinciæ præposuisset, assignatis ei tum honorariorum, tum aliorum utilium jurium triginta librarum millibus, duo quoque librarum millia pensionis annuæ statuit Duci prætorianæ cohortis præfati Gubernatoris, qui, quoniam animo habet vindicare sibi prædicta librarum duo millia, nobilem quemdam Virum, quem suo jam tenet astrictum ministerio, prætorianæ isti cohorti præficit, & nihil quidquam ei de prædicta duorum millium librarum summa rependit; quanquam curet, in singulos annos apocham ab eo scribi, vi cujus ipsemet eandem simul cum suis honorariis de ærario Regio percipit. Alexander potestne tuta conscientia sibi tanquam suam asserere summam istam duorum millium librarum, absque eo quod ei incumbat, viro nobili, quem prætorianæ suæ cohortis

Ducis

Ducis titulo decoravit, quidquam restitutionis referre? Quæ eadem quæstio proponitur de Præfecto rei ærariæ, aut de alio quolibet ejusmodi Ministro, qui in rem suam vertit mille ducentarum librarum, quæ pro annuo stipendio ipsius primarii Præfecti assignantur, & a Rege persolvuntur, sub eo prætextu, quod istam summam impendat in pensiones annuas numerandas aliis Ministris, quos sibi adhibet quibusque ratione proprii sui officii debet de ære suo mercedes statuere convenientes?

RESPONS.

Non potest memoratus Provinciæ Rector, nisi summa cum injustitia sibi vindicare duo librarum millia, quæ Rex in stipendium prætorianæ cohortis Duci ipsius attribuit. Siquidem cum ipse Rex isti Gubernatori pinguissima honoraria statuat, & proprium stipendium ipsius Duci seorsum assignet; omnino conjiciendi locus affertur, illud potissimum intendi a Rege, ut Dux iste summa ista potiatur, nullatenus vero Gubernator, cui aliunde non minus dedecori, quam injustitiæ vertit, ut assignatam a Rege, Ministro inferiori mercedem, suam faciat (a). Quod idem determinandum est de eo, qui rei ærariæ præficitur.

(a) Sambovius tom. 3. casu 299.

CASUS CXXVIII.

DEMETRIUS nobilis Gallus, pro Imperatore gerens Pisonii munus Gubernatoris, præter nocturnas vigilias, diurnas etiam obiri excubias semper curavit a certis quibusdam viris, quos jubebat ad duo civitatis campanilia a prima luce, quoad contenebraret, per vices excubare, ut ab omni dolo caveretur & improvisa irruptione, & vicini Pagi, datis quibusdam signis, de transitu aut accessu hostium commonerentur, atque numerabatur ab unoquoque ex prædictis Pagis certa pecuniæ summa vigiliarum istarum impensis subventura. Nunc vero, cum jam pax confecta, rata promulgataque est inter Imperatorem & Turcas, atque sese receperunt isti posteriores in subjectas sibi regiones; Demetrio visum est istas excubias diurnas abolere, nec obiri nisi vigilias nocturnas, quamquam prædicti Pagi pergant eadem ratione, qua bello sæviente, consuetam conferre pecuniam: Indeque plurimum extenuantur stationum impensæ, & Demetrius collatitiæ istius pecuniæ residuum sibimet ipsi intercipit. Numquid potest istud residuum sibi retinere sine injustitia, & absque eo quod teneatur ad aliquam sive prædictis Pagis, sive ipsimet Imperatori, cujus dominio subsunt tum ista civitas, tum tota ibidem Regio adjacens, afferendam restitutionem; quippe qui gaudeat suis honorariis, quæ ad ipsam præcise diem solutionis accipit; aliunde vero nihil jam redundet utilitatis ex ista statione ad incolas locorum?

RESPONS.

De proposita difficultate nominis omnino celebrioris Doctor olim consultus (b) sic ei satisfecit, respondendo, nihil inesse juris præfato Gubernatori, retinendi sibi collatitiæ ipsius pecuniæ residui; siquidem ei, quatenus Urbis Gubernatori, certa assignentur honoraria, quæ ipsi accurate omnino persolvuntur. Censet tamen laudatus Theologus non expedire, ut Pagi civitati vicini a consueta pecuniæ collatione solvantur: atque ita, inquit, duabus potissimum de caussis. Prior quidem est, quod contributionis istius plurima ratio habeatur, in imperandis, iisdem, vectigalibus, ceterisque tributis, quæ leviora prorsus imponuntur, quam, non compensata eadem, exigerentur. Posterior vero, quoniam res esset fortasse periculosa, & gravioris incommodi, eos eximere de ista pecuniæ collatione, quæ aliunde non est nimium onerosa, quamque non ita facile forsitan foret postea inducere, tempore alterius belli denuo supervenientis. At ex altera parte, subjicit idem Theologus; nec expedire videri, residuam istam pecuniam Principi in ore atque oculis omnium referri, ne locus conquerendi populo detur, aut forte etiam commovendæ seditionis; sed convenientius esse, & ipsimet æquitati magis consentaneum, ut quidquid sibi residui præ manibus adest, dictus Gubernator pauperibus istorum Pagorum incolis clam eroget, iisdem subveniendi caussa, quantum ad solutionem vectigalium ipsis impositorum, aut ceterorum quibus gravantur tributorum; quibus deficientibus pauperibus incolis, illud in egentiores effundat, qui præ summa qua afficiuntur miseria, non referuntur inter ærarios; aut tandem si & isti & illi desint, illud impendat in subsidium aliorum vicinorum Pagorum, quibus majora, quam par est, vectigalia imponuntur.

(b) Sambovius tom. 3. casu 208.

En qua ratione censet Theologus, quem appellavimus. Hoc nimirum ei convenit nobiscum, quod non possit, nisi ex manifesta prorsus injustitia, Demetrius in rem suam convertere, quod ex præfata collatitia pecunia, de qua heic loci controvertitur, excurrit, & obligationi subjaceat restituendi quidquid inde suum effecit: At probari nobis nullatenus potest, ab eo posse continuari istam pecuniæ contributionem, neque, quas memoratus Doctor profert in medium, rationes ab eodem eo fine iniri. Quin potius existimamus, jam apud prædictum Gubernatorem habendam esse, ut omnimode iniquam istam, ut sese impræsentiarum habet, tributi collationem; atque adeo, aut ab eo abrogandam esse, aut saltem imminuendam; si polleat ea, quam requirunt ejusmodi abrogatio aut extenuatio, potestate; si vero res penes eum non fuerit, ab eo in ea re consulendum esse rationibus eorum, qui pecuniam istam conferunt, agendo nimirum apud Principem, eumque monendo, licet in prima sua institutione nihil nisi justum annexum habuerit ista contributio, & plurimæ fuerit utilitatis tum quantum ad rem Imperii publicam, tum quoad salutem civitatis & vicinorum populorum conservationem; iniquam tamen eamdem ex nimia quæ ei inest, immoderatione, postmodum factam fuisse; ab eo tempore, quo propter confectam & stabilitam pacem, hostes sese in proprias suas Regiones receperunt, nec jam Imperatorios agros incursant: adeoque nullam jam urgere caussam, neque quoad salutem Imperii, neque quoad conservationem civitatis & finitimorum Pagorum, quamobrem tributum adeo grave continuetur exigi, quale cogi inceptum est, ad Urbem custodiendam atque conservandam.

Si Princeps arbitrio Demetrii rem permiserit dijudicandam, & prout congruentius ei visum fuerit determinandam: debet tributum istud aut penitus abolere, aut saltem extenuare. 1. Quoniam, ut advertimus modo, ubi primum necessarium esse desiit, iniquum eodem instanti factum est. 2. Propterea quod nullo fundamento nitatur legitimo metus ille qui opponitur, ne recrudescente novo alio bello, possit nisi difficile admodum illud idem tributum denuo imperari, aut inde seditionis commovendæ locus populis afferatur. Ut enimvero præteritis temporibus iidem populi eidem sibi imponendo non obstitere; quo potissimum fundamento contenderetur, futurum ut eidem aliquando refragarentur? siquidem eorum unicuique debet esse perspecta, atque explorata necessitas ejusmodi impensæ tempore belli, præsertim quantum ad civitates positas in confinio hostilium agrorum; aliunde vero stationes ejusmodi atque continuæ excubiæ pluris referant ad ipsammet etiam uniuscujusque habitatoris conservationem & quietem, quam ad ipsam universi Imperii salutem. 3. Quia, siquidem omnes stipendiarii partem suam pro facultatum suarum modo, tributi istius sustineant; non foret ex æquitate consequens, pecuniam inde provenientem certis quibusdam per modum eleemosynarum potiori jure, quam ceteris vindicari. Et eamdem æquitas dictat, in universos, ex ista prædicti vectigalis abrogatione vel diminutione futura, commodum ac levamen redundare. 4. Quoniam denique multo videtur iniquius esse, a Pagis vicinis collatam istam pecuniam cedere Pagis remotioribus, qui nihil ad eamdem contributionem de peculio suo contulerunt.

CASUS CXXIX.

Aristides Tullium excitavit, ad corrumpendam mulierem. Obligatur ne ad afferendam Tullio aliquam damni reparationem?

RESPONS.

Nullatenus ambigendum est, quin Aristides omnino teneatur, quantum potest, ad damnum spirituale, quod intulit Tullio reparandum. Enimvero, si tenetur quis ad modicam pecuniam, quam proximo suo furtive surripuit restituendam; procul dubio districtius prorsus obligatur ad agendum pro virili parte vel per semet ipsum, vel per alios interpositos, ut, quem depravavit, e corruptis moribus traducat ad vitam emendatiorem: quippe præstent bona gratiæ, multoque sint pretiosiora universis orbis terrarum thesauris. Eum igitur oportet adhortetur ad agendam criminis, in quod ipsum induxit, pœnitentiam: si nihil exhortationibus suis apud eum profecerit, adhibeat rationes quascumque Christiana caritas & prudentia suggesserint; atque preces in primis ipse fundat; curetque, apud Deum ab aliis haberi, pro morum viri illius emendatione obtinenda, supplicationes. Atque ita docet subtilis Doctor *(a)*: *De isto dico*, quæ ipsissima sunt illius verba, *quod tenetur modo sibi possibili restituere sibi damnum, scilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam & ad actus virtuosos: & si sola inductio non sufficiat, quia facilius est pervertere, quam convertere: tenetur & per se orando, & per orationes aliorum procuratas impetrare illi conversionem, & per alios persuasores efficaces*. Eadem quoque ratione censet Auctor Colloquiorum Petrochoræ *(b)*.

(a) Scotus in 4. dist. 15. q. 3.

(b) Colloq. Petroch. tom. 1. Colloq. 7. q. 2.

CASUS CXXX.

Eustorgius jussit Raouldum suum filium, ut Lollii lumbos dolaret, ei nihilominus demandans, ut omnino caveret, ne ipsum interficeret, aut etiam privaret aliquo membro. Raouldus jussa paterna prætergressus est, & Lollium sic verberavit, ut eum humi prostraverit, aut insigniter mutilaverit. Numquid recidit in Eustorgium damnorum, quæ inde subsecuta sunt, integra compensatio?

RESPONS.

Juxta S. Thomam *(c)*. *Quinque ..... semper obligant ad restitutionem. Primo jussio: quia ille, qui jubet, est principaliter movens. Unde ipse principaliter tenetur ad restituendum*: & ut habet Alexander III. scribens ad Episcopum Exoniæ *(d)*, *cum is committat vere, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur*, Ex quibus inferre est, Eustorgium obligari, ad omnia damna, quæ ex delicto Raouldi sui filii provenere, reparanda.

(c) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

(d) Alex. III. in c. *Mulieres*. 6. §. 1. de sent Excommunicationis; &c. lib. 5. tit. 39.

Neque est, unde reponat, nihil quidquam a se filio suo Raouldo fuisse mandatum, ut Lollium occideret, vel mutilaret. Siquidem etenim filio suo fecerit iniquum adeo mandatum, tenetur, quodcumque damnum inde subsecutum fuit, præstare; quoniam locus ei plurimus adfuit conjiciendi atque etiam prævidere debuit, futurum ut Raouldus incalescens animi impotentia, & abreptus iræ furentis impetu posset ipsius mandati terminos facile prorsus excedere. Adeoque residet in eo omnis culpa, quod Lollius mutilatus fuerit, aut prostratus. Atque ea potissimum de caussa, qui auctores sunt ejusmodi mandatorum in irregularitatem incurrunt, quando, licet ipsis invitis ac prohibentibus, mors seu detruncatio sequuntur; quemadmodum declaratur a Bonifacio VIII. in una ex ipsius Constitutionibus *(e)*: *Is, qui mandat, aliquem verberari*, ait laudatus Papa, *licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare*.

(e) Bonifac. VIII. in c. *Is qui*. fin. de homicidio, &c. in 6. lib. 5. tit. 4.

CASUS CXXXI.

Macrobium, post factum Judæ suo famulo mandatum, ut adversarii ipsius Caii equum interimeret, postmodum pœnituit, &. quod inique dederat, jussum revocavit. At vero Judas nihilominus equum peremit, animum inducens, futurum, ut in rei veritate de hero suo in ea re bene mereretur. Num in eo casu incumbit Macrobio, pretium interfecti equi Caio restituere?

RESPONS.

Equidem qui dedit alteri mandatum irrogandæ alicui alii injuriæ, tenetur ad eamdem reparandam, si prius exsecutioni jussum fuerit, demandatum, quam revocatum; sed si revocatum antea fuerit, quam exsecutioni demandatum; nullatenus tenetur. Ita censet vulgus Doctorum: *Communiter concludunt Doctores*, inquit quidam insignioris notæ Canonista *(f)*, *eum, qui mandaverat, si ante damni exsecutionem mandatum penes mandatarium revocaverit; eximi ab onere restituendi .... sic enim satis superque cessat mandati præcedentis influxus*. Navarrus *(g)*, Toletus, Azorius, & ceteri eam rei istius caussam reddunt, quam affert idem, quem appellavimus modo, Canonista: *Mandatum .... datur in gratiam ipsius mandantis. Unde mandans, si retractet mandatum suum, re adhuc integra; retractat simul influxum suum, ideoque non tenebitur de damno sequenti: quatenus mandatum, cum versetur circa interesse mandantis, revocatio mandati revocat simul influxum, qui proficiscitur ex interesse mandantis*.

(f) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 16. n. 5.

(g) Navarr. Manual. c. 17. n. 233.

Inde sequitur, siquidem Macrobius, ut supponitur, revocaverit jussum seu mandatum, quod dederat Judæ, ut equum Caii interficeret, ipsum solum Judam obligari ad reparandum integrum damnum, quod Caio ex jactura ipsius equi fuit illatum; quippe qui ejusdem damni sola caussa sit; nec debuerit cum ullo iure animo præsumere, futurum ut rem gratam hero suo faceret, occidendo prædictum equum, post recisionem facti mandati verbis expressis sibi significatam.

CASUS CXXXII.

Henricus, cum Laurentio sericorum pannorum mercatori 2000. librarum commodavisset, & ex publico rumore audivisset, ab eo jamjam præ inopia dissolvendam esse argentariam; eum accersit, & commodatæ pecuniæ solutionem ab eo repetit. Laurentius nihil dissimulans ei fatetur ingenue, res suas omnino dilapsas esse, & consentit curare suas universas merces apud quemdam virum nobilitate præstantem & amicum suum exportandas, ac de earumdem vendendarum pretio proveniente, 2000. librarum ab Henrico retineri ea conditione, quod sit, quidquid excurrerit ex ista summa, in manus ejus traditurus: quod ita confectum est. At Laurentius nedum, quod sibi residuum de pretio suarum mercium supererat, impenderit in expedienda nomina, quæ fecerat, quin immo totum in lusionem atque liberiorem vivendi licentiam intra paucos dies effuderit, excepta summa quingentarum librarum, quam superstitem habebat in manibus Henrici, qui appellatus apud Judices ab uno quodam e creditoribus Laurentii caussam vincit ex auctoritate & gratia suorum amicorum, & istum creditorem obtinet impensis ac litis accessionibus damnari, quæ quidem ad summam similem usque quingentarum librarum assurgunt: qua de re quæritur, quid potissimum Henrico incumbat obligationis, qui quidem in tota illa quam secutus est agendi ratione, persuasum habuit, sese erga Laurentium gerere ex animo benigno prorsus, & sincera omnino caritate, nec putavit, quidquam a se ipso admitti iniquitatis?

RESPONS.

Siquidem Henricus sese socium ac participem immiscuerit mercimoniis Laurentii supprimendis, & injuriam intulerit creditoribus, in quorum fraudem & damnum fuerunt occultata; obligatur ex conscientia, ad afferendam iisdem damni compensationem, usque ad summam quam ille per luxuriam & lusum consumsit, & ipsam etiam quingentarum librarum summam, quæ in suis manibus relicta fuerat.

Quod pertinet ad duo librarum millia, quæ ei Laurentius debebat, si constaret in judicio, ab eo pecu-

pecuniam istam acceptam fuisse; damnaretur ad eamdem referendam, ut ipsa creditoribus universis divideretur, qui accederent ad contributionem ratione solidi unius pro unaquaque libra; neque ea tantum conditione liberaretur; praeterea namque in eum animadverteretur tamquam socium ac participem argentariae dissolutionis Laurentii, juxta dispositionem Edicti mensis Maii anno 1609. Atque istam decisionem eruditus quidam Theologus propriam suam vindicat (*a*).

(*a*) Sambovius tom. 3. casu 228.

CASUS CXXXIII.

CAPRASIUS Confessarius Titii, eidem intulit damnum centum nummorum, ex dato consilio, quod justitiae penitus adversabatur: exempli caussa, auctor ei fuit, ut summam ejusmodi restitueret; quamquam ei nulla restitutionis obligatio induceretur. Obligatur ne ad centum nummos Titio restituendos?

RESPONS.

Nos quidem non latet, de proposita heic loci difficultate, quotquot sunt, non sibi constare Doctores; quoniam vero Decretalis Gregorii IX. (*b*) nullum a restitutionis obligatione quemquam eximit, cum de iis sermonem facit, qui aliquam proximo irrogant injuriam; & laudatus summus Pontifex ibidem verbis generalioribus & omni exceptione majoribus declarat, universis incumbere coram Deo restituendi necessitatem; videtur ab ista obligatione Confessarios potiori jure, quam quoslibet alios, non esse subducendos. En ipsissima sunt memoratae Decretalis verba, quae jam in dissolvenda alia difficultate retulimus. *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti; aut haec imperitia tua, sive negligentia evenerunt: jure super his te satisfacere oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* Unde arbitramur, siquidem Caprasius Titio imposuerit suo poenitenti obligationem restituendorum centum nummorum in casu, qui nullam ei necessitatem restitutionis importabat, ipsummet obligari ad compensandum Titio damnum quod ei intulit; sive in eo egerit ex malitia, aut ignorantia culpabili; aut tandem ex imprudentia, quae nullam admittere possit caussam excusationis. Ratio est, quia Confessarii, cum regimini animarum praeponantur, nullam legitimam caussam excusationis possunt sibi quaerere ex sua ignorantia; vel negligentia; propterea quod nec debuerint, nec potuerint suscipere, quod exercent, formidandum adeo ministerium, nisi scientia praediti & doctrina saltem competente pollentes.

(*b*) Greg. IX. in c. *Si culpa*. fin. de injuriis & damno dato.

Atque ita censet S. Bernardinus Senensis, qui sic (*c*) loquitur: *Si quis ex officio suo tenetur a damno alterum defensare, vel praeservare, non tantum si ex malitia, verum etiam si ex notabili negligentia, vel incuria, aut imperitia, officio suo notabiliter indebita, contingit illum damnificari, cui sic tenetur, totum illud damnum restituere obligatur. Verbi gratia .... Medici & corporum & animarum, & maxime Confessores ignari & negligentes.* En tres rationes, quas hujus rei memorat. *Prima, quia tenentur talia praecavere. Secunda, quia unusquisque tenetur sufficienter scire & exsequi diligenter artem, quam profitetur; maxime quando vergit in periculum alterius error suus. Tertia, quia eorum imperitia & negligentia habent quamdam efficacem caussalitatem damnificationis illorum, juxta modum, quo privatio est caussa privationis.* Quod unanimiter quoque docent Baptista Trovamala, Angelus de Clavasio, Navarrus, Petrus Navarra (*d*) & plurimi alii.

(*c*) S. Bernardin. sermo. 34. in Dom. 4. Quadrag. c. 4. tom. 1.

(*d*) Bapt. Trovamala in Rosella.

Ang. de Clavasio in summa Angelica.

Navarr. Manual. c. 17. n. 22.

Petrus de Navarra lib. 3. de restitut. c. 4. n. 125.

Est tamen fatendum, si Confessarius aut Parochus, cui scientia competens inest, hoc est, ejusmodi, quae virum utcumque decet, qui tanto ministerio praeficitur, * erraverit, suum poenitentem efficiendo, cui obnoxius est, restitutionis immunem, aut ejusdem ipsi sine caussa inducendo necessitatem; sed ei nihilominus dando consilium, quali putabat, eum a semet ipso potissimum esse juvandum; eidem non videri incumbere obligationem reparandi damni, quod potest intulisse in praedictis rerum circumstantiis; modo caverit, exstante dubio, viros graves & pollentes eminenti doctrina consulere, nisi forte sibi eorumdem copia defuerit.

* Dicitur scientia competens, quae necessaria est, ad exsecutionem debitam ordinis cujuscumque, quem habet (*Clericus*).

CASUS CXXXIV.

THEOCRITUS vir privatus, instructus fistula ferrea & ignita, duobusque brevissimi modi sclopetis, atque suo gladio, simul cum quodam ex amicis suis, qui iisdem erat munitus armis, per quemdam vicum oppiduli in quo commorabatur, transiens, cum vidisset a quodam vicinum suum spoliari, non curavit latronem istum in fugam convertere, licet eumdem omnino facile potuisset, si libuisset, fugare, nec iter suum intermisit. Ei ne obligatio inducitur, fure non satisfaciente, damni, quod vicinus iste inde recepit, eidem afferendae compensationis?

RESPONS.

Constat quidem, Theocritum in eo gravissime peccavisse contra caritatis praeceptum, quo praecipitur, ut unusquisque, qua ratione se ipsum diligit, eadem & diligat proximum; atque adeo eum defendat, quando potest, adversus quoscumque eidem injuriam aliquam irrogantes: at quoniam homo privatus est tantummodo, neque, quantum ad rem istam, ulla praestans auctoritate, non obligatur ad reparandum damnum proveniens ex furto, quod sub ipsius oculis factum est: quoniam ex justitia non tenebatur ad illud idem impediendum.

Est haec decisio propria S. Bernardini (*e*), qui ait: *Si tamen ad hominis officium non spectat; & malis, seu aliorum damnis, cum possit, non obstat, licet mortaliter peccet, quia non diligit proximum, sicut se ipsum; non tamen satisfacere obligatur.*

(*e*) S. Bernardin. loco supra cit.

Quam eamdem doctrinam habet S. Thomas (*f*), quando ait, eum qui non manifestat latronem, aut non obstat quominus faciat furtum, cum impedire possit, non obligari ad resarciendum damnum, quod ab isto latrone illatum est, nisi cum ex officio tenetur ad obstandum vel impediendum; ut tenentur Principes, domini locorum, & Magistratus, qui publicae sunt auctoritatis depositarii eo potissimum fine, ut justitiam curent coli, & integram custodiri; aut cum ad impediendum tenentur ex aliquo pacto vel contractu, quales, qui mercede conducuntur ad aliquam injustitiam procul arcendam. *Non semper ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem*, inquit laudatus S. Doctor; *aut qui non obstat, vel qui non reprehendit: sed solum, quando incumbit alicui ex officio, sicut Principibus terrae, quibus ex hoc multum imminet periculum: propter hoc enim potestate publica potiuntur, ut sint justitiae custodes.* Cui doctrinae Doctoris Angelici adhaerent Sylvius & ceteri Theologi, excepto tamen Cajetano, qui quantum ad istud caput, partem paullo duriorem amplectitur.

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. ad 3.

Docet etiam alibi praefatus Angelicus Doctor, iis induci obligationem restituendi, qui, cum teneantur *ex officio*, non manifestant latronem: qualis est aliquis domesticus, qui finit, proprium suum herum exspoliari (*g*): *Similiter etiam mutus dicitur, qui ex officio reclamare tenetur, & non reclamat: nec tunc semper tenetur ad restitutionem, nisi operetur, ut fiat injusta oblatio: sed debet inducere illum qui abstulit; ut reddat.* Id est, si silentium ipsius vera caussa fuerit, cur factum sit furtum; adeo ut, si voluisset clamare, furtum factum non fuisset; in eo casu, fure non restituente, tenetur ipsemet ad restitutionem.

(*g*) Idem in 4. dist. 15. q. 1. art 5. quaest. 3. in corp.

Ceterum, quae huc usque sumus prosecuti, omnia sunt potissimum intelligenda de iis tantummodo, qui possunt impedire, ne furtum fiat: quoniam, ut fertur in Regula Juris: *Culpa caret qui scit, sed probibere non potest* (*h*).

(*h*) Leg. Culpa. 50. ff. de diversis reg. Juris ant. lib. 50. tit. 17. Item in corp.

At vero, qui potest furtum impedire, absque eo quod incurrat in aliquod notabile damnum, contrahit culpam, & ipsam etiam obligationem restitutionis, eo ipso quod furanti non obstat: cum ad obstandum ex debito justitiae teneatur, quemadmodum observatum fuit. *In moralibus enim*

enim is, qui potest ac debet malum impedire, censetur caussa illius, si ipso non impediente evenerit, inquit Sylvius, (a) qui sic addit: *Dico:* Potest ac debet. *Si enim non possit absque notabili detrimento, excusatur tam a restitutione, quam a peccato. Si autem possit, sed non teneatur ex justitia, excusatur a restitutione, quamvis non a peccato.*

(a) Fr. Sylvius in S. Th. cit. §. de muto non obstante, &c.

CASUS CXXXV.

Theodemirus rebus tum capitalibus, tum ordinariis præpositus Judex in quodam oppidulo de Provincia scit, a Juliano tutore Jacobi res pupillares usurpari ac diripi, absque eo quod quispiam audeat ei obsistere, & ipse, licet ea de re postulatus, negligit suam, impediendi illius caussa, interponere auctoritatem. Ipsi ne incumbit ex conscientia, quod inde emersit præfato pupillo, damnum integrum resarcire?

Respons.

Quæ protulimus in medium, cum præcedenti difficultati dissolvendæ curam impendebamus, propositæ huicce speciei expediendæ omnino sufficiunt: siquidem uno ore & verbis luculentissimis doceant S. Thomas, & S. Bernardinus Senensis, eos quibus ex officio muneris, quo funguntur, ut Theodemiro, incumbit comprimere facinorosos, suo præsidio tegere innocentes, viduas ac pupillos, & contrectatam justitiam defendere atque ulcisci: obligari, ad resarcienda damna quæcumque ex eorum tum negligentia, tum culpa proveniunt. Atque re vera quidem, ut ait summus Pontifex Joannes VIII. (b), *facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare .... & negligere, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere: nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Non est ergo, unde possit in dubium revocari, quin Theodemirus in solidum teneatur simul cum Juliano, ad damnum, quod, ex indigna prædicti Tutoris administratione, ipsius pupillo fuit illatum, in integrum restituendum.

(b) Joann. VIII. in cap. Facientis, 3. dist. 86.

CASUS CXXXVI.

Amaurius Parochus de Parœcia S. Rufi vidit, rem de Ærario seu Fabrica suæ Ecclesiæ divexari ac lacerari a Matriculariis, qui, quoniam plurima præstabant auctoritate, eamdem iniqua possessione audacter usurpaverunt, ipso nullatenus impediente, propterea quod metueret, ne in eorum incurreret offensionem, & cum iisdem susciperet inimicitias. Num ei incumbit, ipsis Matriculariis non satisfacientibus, quod sua recepit Ecclesia damnum integrum restituere?

Respons.

Ex principiis, quæ posuimus & demonstravimus ex doctrina S. Thomæ, & S. Bernardini ceterorumque, quos appellavimus, autorum in præcedentibus decisionibus, ipsa meridiana luce clarius evincitur, cum Amaurius regendis & administrandis, quæ sunt suæ Ecclesiæ, rebus primario ac præcipue præficiatur, atque ex officio teneatur ad consulendum earumdem conservationi; nullatenus dubitandum esse, quin ex suo silentio Matriculariorum suorum injustitiæ reatu sese constrinxerit; si quidem eos impedire posset, aut iisdem dissuadendo, saltem obsistere; quin etiam ei ex ipso jure succurreretur, ut posset ea de re legitimos Judices implorare. Incumbebat igitur prædicto Parocho præfatas rationes adhibere, sive paternis admonitionibus ob oculos istorum Matriculariorum ponendo, quam admittebant, manifestam iniquitatem, & eosdem etiam atque etiam adhortando plurimum ad eamdem reparandam; aut ipsis non resipiscentibus, recurrendo ad Episcopum, & eum rogando, ut suam vellet, in frangenda pervicacia prædictorum rei sacræ possessorum iniquorum interponere auctoritatem; aut tandem cum iisdem apud Judices agendo nomine usurpationis: quas quidem rationes inire, ut ex officio sui muneris tenebatur, cum ipse neglexerit, iri non potest inficias, quin ei simul cum ipsius Matriculariis in solidum inducatur obligatio damni, quod ab iisdem Ecclesiæ fuit illatum, resarciendi. (c)

(c) Colloq. Condomens. tom. 1. Colloq. 14. sect. 2.

Quæ decisio auctorem habet Cardinalem Hostiensem, (d) qui sic habet: *Pastor enim, qui tacet, vel dissimulat, consentire videtur:* quod probat commendandus omnino ac magni nominis iste Cardinalis ex egregiis istis Innocentii I. verbis relatis a Gratiano (e): *Negligere quippe cum possis deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

(d) Hostiens. in c. Quamvis. 40. de reg. Juris apud Gregor. IX.

(e) Innoc. I. in can. Error. 3. dist. 83.

CASUS CXXXVII.

Timoleon non alia, quam Parisini civis dignitate decoratus, cum vocatus fuisset in judicium, testimonium de facto quodam furto dicturus, quidquid ea de re ad suam notitiam pervenerat non fuit testificatus, suoque silentio impedivit, ne damnum integrum restitueretur. Obligatur ne ex conscientia, si primarius auctor istius furti non satisfaciat, ad ipsum damnum, quod ex eo furto subsecutum est, resarciendum?

Respons.

Respondet subtilis Doctor, quem in eo S. Bernardinus citat, ac ducem habet, (f) ejusmodi testem teneri ad restituendum quidquid de damno reparandum superest, nisi periculum aliquod notabile, puta vitæ amittendæ, aut jacturam bonorum patiendi, ex testificatione ipsius ei immineret. Non potest ergo Timoleon vindicari ab obligatione restituendi totius damni, si qui furtum fecit, illud in integrum non resarciat; siquidem, ut supponitur, ipsius silentium in caussa fuerit, cur non sit reparatum.

(f) Bernardin. loco supra cit.

Ea autem hujusce rei ratio potest afferri, quod, cum fuerit in judicio interrogatus, obligaretur non tantummodo ad obediendum Judici, & genuinam rei totius aperiendam ei veritatem, tum ut ipsius judicium queribundum intendentis commodis serviret, tum ut ipsius utilitati publicæ rei, quæ perversos exigit puniri, potissimum consuleret; sed præterea quoniam utpote vocatus testis, quoddam quasi muneris officium sustinebat, ex quo ei incumbebat simul cum Judice agere, ut cui debebatur, jus redderetur. *Tertio non manifestando; & hoc secundum Scotum*, inquit S. Bernardinus, *cum quis requisitus in judicio, ut sententialiter res furto sublata, vel aliter injuste detenta posset restitui domino suo; & tamen veritatem dicendo, non imminet sibi periculum status, seu personæ suæ. Talis, inquam, non manifestando, omne damnum quod inde sequitur, læso satisfacere obligatur .... Ex hoc patet, quod negans in judicio testimonium perhibere in alterius detrimentum, ei ad restitutionem recepti damni obligatus est.*

CASUS CXXXVIII.

Palladio, cum fuisset de re quadam, quæ ab anno & amplius acta erat, testificatus, excidit aliquid falsi, quod verum nihilominus existimabat, de quadam circumstantia, ex qua jactura centum nummorum emersit parti, quæ carebat omni prorsus culpa. Numquid ex lapsu suæ memoriæ excusatur a peccato mortali, & eximitur ab obligatione damni istius restituendi?

Respons.

Si lapsus iste memoriæ non sit fucatus, atque ex mera humani animi infirmitate proveniat; Palladioque, post præviam diligentem recognitionem, persuasum fuerit, nihil quidquam veritati ex ipsius testimonio dissentire; non potest, ea de re, peccati mortalis teneri manifestus, Sic docet S. Thomas, qui ait (g): *Quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ, quod reputat se homo quandoque certum esse de eo, quod falsum est: si aliquis hoc cum debita solicitudine recogitans, æstimet, certum esse de eo, quod falsum est: non peccat mortaliter hoc asserens; quia non dicit falsum testimonium per se & ex intentione, sed per accidens contra id, quod intendit.*

(g) S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 4. ad 2.

Eamdem etiam doctrinam habet S. Antoninus (h), qui, relatis prædictis verbis S. Thomæ, sic subjicit. *Sed nec teneiur ad restitutionem damnum passo.*

(h) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 1. c. 19. §. 7.

Ob-

Observandnm vero est, cnm S. Thomas isthæc verba apponit: *Cum debita sollicitudine recogitans*, ab ipso potissimum innui, ei, qui ex defectu diligentis eorum recogitationis, quæ sibi manifestanda occurrunt, licet præter mentem ac voluntatem, falsum testificaretur, inducendum esse peccati prorsus gravioris reatum, neque ab obligatione restituendi eumdem fore ideo subducendum: *Non autem excusaretur a peccato*, addit S. Antoninus, *si ex impræmeditatione & negligentia, etsi non ex malitia, diceret falsum: nec etiam, ut videtur a restitutione, si inde proximus damnum incurreret*, Quod probat ipsa Decretali Greg. IX quam retulimus in decisione centesima trigesima.

Finem ergo dicendi facimus concludendo, si Palladius caverit diligenter attendere ad falsum quod dixit, testimonium, neque falsum, nisi ex simplici lapsu memoriæ proveniente ex mera ipsins humani animi infirmitate, sit testificatus, eum culpa carere, neque obligari ad restitutionem; quemadmodum uno ore docent (a) Cardinalis Cajetanus, Dominicus Soto, Sylvester de Prierio, Navarrus, Reginaldus, Cabassutins, & nubes ingens aliorum autorum tum Theologorum, tum Canonistarum.

(a) Cajet. in S. Thom. cit. Dom. Sot. l. 5. de justitia. q. 7. art. 4. ad 1. Sylvester v. Testis q. 5. Nav. Man. c. 25. n. 40. Val. Reginald. pr. fori pœnit. l. 34. c. 3. sect. 5. num. 41. Joan. Cab. Jur. can. th. & pr. l. 5. c. 5. n. 4.

Nihilominus juvat advertere, si Palladius, aut quilibet alius testis postmodum agnosceret, sese non suisse vere nec recte testificatum, futurum, ut ipsi incumberet partem, quæ in culpa est, & in cnjus gratiam testificatus est, commonere, nt adversæ suæ parti, quod inde damnum sensit, integrum restitueret, & illa parte satisfacere nolente, teneretur, ad testificationem coram Judice revocandam, modo posset, nullo notabili damno accedente, eandem rescindere: Qua de re foree operæ pretium, eum agere ex consilio unius aut plurimorum Patronorum, quos ornarent cumulsta prudentiæ virtus, & plurima rerum intelligentia.

CASUS CXXXIX.

Tribonianus Judex rerum forensium intelligentissimus, cum perspectum haberet, e snis Collegis plerosque legatione suisse corruptos, & animis suis adjecisse, de re msgni momenti, sententiam ferre iniquam, abstinuit adesse decisioni litis, quæ dijudicanda erat, ne sorte iisdem displiceret ex adversa sua sententia, aut in illius offensionem caderet, cui savere animo proposuerant; quanquam ei persuasum esset, futurum suisse, nt iisdem potuisset manisestam facere, ex rationum momentis omnino validioribus atque inconcussis, injustitiam quam admittere intendebant. Nnm obligatur coram Deo, ad reparandum damnnm, quod pars læsa tecepit ex iniqua ista sententia, quam alii Judices tulerunt?

RESPONS.

Ut Tribonianus tenebatnr ex officin muneris, quo Insignitur, adesse decisioni causæ, de qua quæstio est, & pro ipsius dignitate Judicis, ei incumbebat, necessario suscipere causam eorum defendendam, quibus jus succurrebat, nisi aliunde ex aliqua legitima causa impediretur, videtur, eum obligari, ad præstandum damnum, quod Pars Læsa sustinuit, & cujus autores sunt ipsius Collegæ, primarii atque principales, neque tantummodo quod non obstiterit, pront ipsius tum conscientia, tnm officium exigebant, injustitiæ, qnam ab iisdem jamjam admittendam esse prævidebat; sed etiam propterea quod omnino valeret eandem impedire propter plurimam, qua præstat, mentis intelligentiam, & uberiorem, quibus instructus etat, copiam validissimorum atque inconcussorum argnmentorum. Quapropter, siquidem officio ac ministerio suo desuetit, abstinendo a serenda sententia, ex mere hnmana consideratione, & vires addiderit injustitiæ ex sua absentia, & suo silentio, æquum est, in ipsum in solidum recidere simul, & in eos, qui jndicium dixerunt non rectum, integram provenientis inde detrimenti compensationem.

Quibus addendum existimamus, eandem quoque fore inducendam obligationem, si Tribonianus, cum simul cum aliis sedisset causa dijudicandæ litis, & sese suisset expertus singulariter sentientem, ut aliis obsecundaret, in eorum sententiam discessisset: siquidem, docente Apostolo (b): *Digni sunt morte non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Tenet eandem senrentiam Sylvius, (c), cnjus istam subjicit rationem, quia nimirum: *In moralibus... is qui potest ac debet malum impedire, censetur causa illius, si, ipso non impediente, evenerit.*

(b) Rom. 1. 32.

(c) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 62. a. 7. §. de mutuo non obstant.

CASUS CXL.

Lysidio litigante cnm Mævio super proprietate cujusdam domus, septem Judices, ad quos pertinet de eorum controversia ferre senrentiam, cum forent Lysidio inimicissimi, quod iisdem in alia jam causa litem inrendisset, Mævio domum unanimi sententia adjudicaverunt; licet persuasum omnino haberent, eandem Lysidio jure proprietatis vindicari. An omnibus & singulis incumbit, Lysidio præstare restitutionem?

Conveniunt, quatuor, qui primi sententiam dixerunt, istam induci obligationem: at contendnnt tres posteriores, sese ullatenus esse restitutioni obnoxios: quoniam, inquiunt, nihil virium ex sua sententia judicio accessit, quod effectum suum consecutum snisset; licet etiam pro Lysidio sententiam dixissent: adeoque cum non influxerint efficienter in injustitiam, sese non obligari, ad resarciendum detrimentum, quod præfato viro inde illatum est. Nonne legitima est ista ratio, quam sibi potissimum vindicant?

RESPONS.

Tres Judices, qui ordine posteriori sententiam pro Mævio tuletunt, non minus, quam quatuor priores snbjacent obligationi Lysidio restituendi: quanquam enimvero prioribus istis præfata obligatio primario, & antequam alios urgeat, inducatur, nihilominus, si non restituant, eadem ratione in alios posteriores secundario recidit. Ita determinatur a Cabassutio, (d) qui sic loquitur: *Si per injustum judicium reus innocens damnatus fuit omnium Judicium suffragiis, illi, qui ultimi dedere suffragium post completam requisitum ad sententiæ validitatem numerum suffragiorum, videtur nihilominus obligari ad restitutionem*. Esm vero rationem affert, quod isti tres posteriores ex ipsa lege justitiæ tenerentur, non tantum ad suffragandum Lysidio, verum etiam, ad commonendos quatuor illos priores de injusto eorum judicio, & ad suadendum iisdem, domum, de qua contendebatur, ipsius omnino esse propriam. Peccaverunt igitur contra justitiam, & consequenter obnoxii sunt restitutioni erga partem læsam, si ceteri priores non restituant: *Licet enim*, subjicit laudatus Canonista, *a primis suffragatoribus jam sufficienter & efficaciter fuerat præbitus influxus, sperari tamen poterat, ut posteriores suffragatores admonendo quæ sui erant officii, & suffragium suum recusando, adduxissent priores, qui jam opinati sunt, collegas, ad revocanda injusta suffragia. Hoc, inquam, casu supernumerarii suffragatores restituere tenentur: quia non tantum ex justitia tenebantur rectam dare consilium, sed etiam admonendo, si fieri posset, revocare injusta collegarum judicia*. Quod quidem Cabassutius non determinat, nisi fultus autoritate Navarri (e), qui iisdem innitirur rationum momentis.

(d) Joan. Cab. jur. can. th. & pr. lib. 6. c. 16. n. 2.

(e) Navarr. Manual. cap. 17. n. 21.

CASUS CXLI.

Alphius tres aureos dupliones recepit, ad quidpiam saciendum, ad quod aliunde obligabatur. Tenetur ne ad summam istam ei, a quo eandem accepit, restituendam?

RESPONSA.

Certum est, Alphio incnmbere, præsatos tres aureos dupliones, ei, qui sibi eosdem dedit, restituere, si rem aliunde teneretur ex justitia gerere ac conficere: verbi gratia, si cum esset Judex, summam istam receperit, ad ferendam sententiam, si appellatus, ut testimonium diceret, testificationem pretio addixerit, & negaverit testimonium dicere, nisi sibi deferretur aliqua pecunia, præter mercem ipso jnre debitam pro ipso actu vadimonii obeundi, & pro damni compensatione ex itinere, qnod eo fine suscipitur, emergentis. Si, cum aliquam pecuniæ summam,

mam, aut quamlibet aliam rem invenerit, quæ foret aliena, nolit eandem restituere, nisi sibi prius repenso aliquo pretio, licet nihil impensæ in eandem conservandam contulerit. Si debens aliquam summam exigat, de eadem sibi certam quamdam partem condonari priusquam solvat. Si, depositam habens apud se aliquam pecuniam, aut rem aliam, necessitatem afferat deponenti solvendorum sibi trium duplionum aureorum, aut rependendæ sibi majoris aut minoris argenti summæ, sub prætextu diligentiæ & operæ suæ in custodiendo deposito, quamquam illud apud se custodiendum receperit, nulla pacta mercede, & ex mera, quæ decet amicos, animi benevolentia. Constat, tum in prædictis casibus, tum in ceteris omnibus hujusmodi, in quibus incumbit ex justitia aliquid facere, nihil posse nec exigi, nec recipi, ad illud faciendum, quin omnimodæ restitutionis obligatio inducatur. Ratio est, quia, quod ea sic ratione fuit receptum, non est oblatum nisi invite, & cum eo potissimum amico, ut iniqua quæque vexatio desugeretur: quodque, proprie loquendo, qui præmium aliquod in ejusmodi casibus exigit, quod suum non est quadam ratione vendat, aut potius proximo nonnisi partem debiti tantummodo rependat.

Ex dictis sequitur, eadem quoque consequentia rationis obligationem induci, restituendi quidquid receptum est, ne res aliqua ageretur, a qua facienda abstinere, ex legibus ipsius æquitatis incumbebat. Atque etiam, licet ista obligatio sequeretur vel ex ipso tantum charitatis officio, nihilominus qui dedisset aliquid, jure juvaretur, ut pecuniam a se ipso inique extortam repetere posset, quemadmodum ex ipsa Juris dispositione verbis luculentis habetur (*a*). Quæ decisio plane consentit doctrinæ, quam amplectitur autor colloquiorum Condomiensium (*b*).

(*a*) Leg. Omne t. ff. de condicione ob turpem, vel injustam caus. l. 22. t. 5. Leg. Quod evitandi 7 Cod. de condict. ob turpem causam l. 4. t. 7.
(*b*) Colloq. Condom. to. 2. Colloq. 15. sect. 2.

CASUS CXLII.

Fulgosius de Cura sibi provideri ab Episcopo quodam obtinuit, plurimum agente ipsius Cubiculario, cui rependit summam trecentarum librarum, quam ei sese daturum promiserat, modo negotium istud de prædicta Cura sibi obtinenda sub illius manus prospere succederet. Qua de re quæritur. 1. Utrum ipsi Fulgusio incumbat ex conscientia beneficium istud restituere? 2. Utrum prædictus Cubicularius teneatur, ad trecentas libras Fulgusio restituendas?

RESPONSIO.

Est hoc indubitati ac certissimi Juris principium, quod nullus possit jure sibi retinere, quod alienum acquisivit, invito Domino. Quod ipsum docet S. Thomas (*c*) his verbis: *Nullus potest licite retinere id quod contra voluntatem Domini acquisivit, puta, si aliquis dispensator de rebus sui Domini daret alicui contra voluntatem & ordinationem Domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset.* En principium, quod ponit S. Thomas, & quo utitur in dissolvenda proposita difficultate, ad lendo nimirum, siquidem ipse Dominus noster J. C. Jus verum, ac supremum dominium habeat in universa bona suæ Ecclesiæ, & præceperit Prælatis, qui ipsius nomine eadem administrant, atque dispensant, ut spiritualia gratis concederent, ab iis, quibus eadem offeruntur, non posse licite nec recipi, nec retineri, si propter aliquod temporale ipsis conferantur. Ex quibus inferuntur duo perinde certissima. Prius quidem ipsis incumbere, quod ea ratione consecuti sunt, restituere beneficium, ut liberum collatoribus relinquatur, de eodem eo modo disponendi, quo Dominus noster ordinavit. Alterum, pecuniam, quæ ejusdem obtinendi gratia repensa fuit, restituendam esse, non quidem ei, qui eandem rependit: siquidem meritus sit, quamobrem eadem spoliaretur, sed ipsi J. C. hoc est, pauperibus, qui sunt ipsius membra, aut in alios pios usus impendendam. En verba sunt præfati Doctoris Angelici: *Dominus autem cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matthæi* 10. *Gratis accepistis: gratis date. Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest.*

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. in corp.

Et iterum alibi (*d*): *Alio vero modo est aliquid illicite acquisitum, quia ille quidem qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, a quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit, sicut contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam legis Divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in Eleemosynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet & datio & acceptio est contra legem.*

(*d*) Idem ibid. q. 32. art. 7. in corp.

Quæ doctrina Angeli Schulæ, omnino propria est tum Conciliorum, tum Patrum, & consentanea prorsus ipsi doctrinæ plurimorum summorum Pontificum, ac nominatim S. Gregorii Magni, Paschalis I. Alexandr. II. Greg. VII. & Innocentii II. quorum decreta Gratianus (*e*) refert in primo Corporis Juris Canonici volumine.

(*e*) Causa 1. tota qu. 1.

CASUS CXLIII.

Artemius, quadam Præbenda gaudebat, de qua sibi non fuerat canonice provisum, quoniam, ut obtineret de eadem ei provideri, decem nummos aureos ipsius Pater, eo inscio, donaverat. Qua quidem Simonia, post binos annos ab inita ejusdem Præbendæ possessione, ei renuntiata, eandem, ut propriæ suæ conscientiæ consuleret, dimisit in manus Collatoris. Ei ne præterea incumbit, quos percepit & consumpsit, priusquam ei innotesceret irritas esse suas provisiones, fructus restituere?

RESPONSIO.

Si fructus de sua Præbenda provenientes Artemius perceperit & consumpserit, nihil factus inde locupletior, hoc est, nullo confecto sibi inde peculio, ad nullam obligatur restitutionem. Est hæc enim regula Juris apud omnes passim & ubique recepta, quod *fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sint, nisi ex his locupletiores extiterint*, inquit Lex (*f*). Si igitur nihil inde residui superfuerit Artemio post acceptum suum necessarium victum & vestitum, sive propterea quod ipsa Præbenda sit exigui ac pauperis reditus, sive quia superfluum istius Præbendæ in legitimum usum contulit, non tenetur ad restitutionem. At vero procul dubio ad eadem teneretur, si factus fuisset inde locupletior, hoc est, si ipsi etiamnum adessent præ manibus fructus, qui inde superfuissent, aut eorum pretium, aut si in iisdem consumendis rem suam & comparsisset, & reddidisset ea ratione cumulatiorem.

(*f*) Leg. Senatus consultum 2. cod. de petitione hæred. l. 3. t. 11.

CASUS CXLIV.

Josephus Simoniam quandam non culpabilem a se ipso commissam non agnovit, nisi sex mensibus a tempore, quo eamdem admiserat, cujus quidem gratiam sibi fieri, ac de Beneficio, quod jam possidebat novo alio diplomate sibi iterum provideri postmodum obtinuit. An obligatur, nihil obstante quod fuerit in integrum restitutus, ad restituendas ducentas libras, quas de prædicto Beneficio percepit, necdum consumpsit?

RESPONSIO.

Siquidem constet, scriptam primum in gratiam Josephi provisionem esse nullam, propterea quod vitio Simoniæ licet non culpabilis, quam ipsemet admisit, inficiatur, non est unde quidquam possit dubitationis afferri, cum victum ac vestitum sibi quæsiverit de fructibus beneficii, quin teneatur ex conscientia, ad restituendas ducentas libras, quas in manibus suis etiamnum habet superstites: quippe sit extra omnem dubitationis aleam constitutum, possessorem alicujus Beneficii, cujus titulus vitiosus ac nullus est, non posse suos facere fructus de eodem provenientes: utpote qui ex ipsa sua restitutione Jus non habeat, nisi iisdem postea gaudendi, nullatenus vero consequatur effectum, qui sese ad præteritum tempus extendat. Nihilominus certum est, ipsi præberi locum recurrendi ad Summum Pontificem, & habita apud eum ea de re supplicationem, quæ rei veritatem diligenter exponat, obtinendi, ab eodem sibi condonari fructus perceptos, necdum consumptos (*g*).

(*g*) Sambov. t. 2. casu 31.

CASUS CXLV.

Decanus & Canonici de quadam Ecclesia Collegiali sese simoniæ crimine innodaverunt, conferendo Præbendam Julio, qui provenientes de eadem fructus per annum integrum percepit, quanquam sibi perspecta foret Simonia, quam iidem commiserant. Potest ne aut debent-ne fructus, quos de præfata Præbenda sibi vindicavit, Ecclesiæ prædictæ restituere?

RESPONS.

Respondemus cum S. Thoma (*a*), si culpam simoniæ de qua quæstio nunc est, admiserint non omnes Canonici, sed ex eis tantummodo aliqui; fructus, quos Julius de sua Præbenda percepit cum mala fide, ab eodem posse restitui præfatæ Ecclesiæ, in qua Præbendam obtinet, adeo ut nihilominus nihil quidquam commodi ad ipsos ejusdem simoniæ conscios ac participes inde redeat; excipienda tamen est portio quotidianarum ac manualium distributionum, quas recepit in damnum & injuriam Canonicorum, qui ejusdem simoniæ nec conscii fuerunt nec participes. Ipsi namque incumbit, eandem ipsis restituere; siquidem æquitatis non sit, ipsos illa portione fraudari, propter peccatum suorum Collegarum. Atvero si in eandem simoniam conspiraverint omnia prædicti Capituli membra, obligatur, ad restituendum alteri Ecclesiæ, vel pauperibus erogandum. *Pecunia, vel possessio, vel fructus simoniace accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt, non obstante quod Prælatus, vel aliquis de Collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa; quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen, quod, quantum fieri potest, ipsi qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si vero Prælatus & totum collegium sunt in culpa; tunc debet, cum authoritate superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.* En qua ratione S. Thomas dissolvit propositam quæstionem.

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4.

CASUS CXLVI.

Fortunatus Sacerdos Prior de S. Pantaleone per sex menses integros omisit Breviarii recitationem. Numquid obligatur ex ista prætermissione, ad restituendos aliquos fructus de suo beneficio, ex quo percipit centum libras annui reditus?

RESPONS.

Si Prioratus de S. Pantaleone nullum inducat particulare officium persolvendum a Titulari; constat, ex eodem importari saltem recitandarum precum Canonicarum obligationem; atque adeo Fortunato incumbere, ut restituat dimidiam reditus annui sui partem, eo quod omiserit per sex menses obligationi prædictæ satisfacere. Quæ quidem veritas non alia confirmatione indiget, quam ea, quæ colligitur ex Constitutione Bonifacii VIII. (*b*), in qua laudatus Papa ait, Beneficium Beneficiario conferri propter officium, ad quod obligatur. *Officium .... propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur*: Quod quidem non tantummodo intelligendum est de Divino Officio persolvendo; sed etiam de muniis omnibus aliis, quæ naturæ ipsius Beneficii annectuntur; quemadmodum declarat Concilium Tridentinum sermonem habens de Parochis non habentibus actualem residentiam in suis Parœciis (*c*). Consuli possunt, quæ ea de re alibi disseruimus in dissolvenda non absimili difficultate.

(*b*) Bonifac. VIII. in cap. *Quia per ambitiosam*. de rescriptis in 6. lib. 1. tit. 3.

(*c*) Conc. Tr. sess. 23. de reform. c. 1.

Vide V. Beneficiarius. Casus Ericius.

CASUS CXLVII.

Godefridus vir nobilitate præstans obtinuit, de tribus aut duobus Beneficiis simplicibus provideri Francisco suo alteri filio annos nato undecim tantum aut duodecim, qui studiorum causa Gymnasium etiamnum frequentat; licet exploratum haberet, eum nullo vitæ Ecclesiasticæ instituti studio teneri. Franciscus, quem nullum juvat vitæ Clericalis studium, ut satis ipsemet experitur, qui, reluctante plurimum animo, de Beneficiis, quibus gaudet, provisus fuit, quique propter suam ætatem nondum legitimam eadem non potest dimittere, nisi consentiente suo Patre, qui vult, ab eodem ista retineri, ad annum usque decimum sextum Breviarium nullatenus persolvit, quo quidem anno, cum suus Pater obierit, sua Beneficia statim abdicavit. Qua de re, quæstio proponitur, utrum coram Deo teneatur ex prætermissa Canonicarum precum recitatione, ad restituendos fructus de prædictis beneficiis provenientes, licet ipse eosdem non perceperit, sed suus Pater eos administraverit?

RESPONS.

Videtur in proposita specie, Franciscum non obligari ad restitutionem fructuum qui de Beneficiis suis obvenere; siquidem de iisdem ipsi invito provisum fuerit; eadem non retinuerit, nisi quia propter ætatem non legitimam sibi non licebat eadem dimittere, tum propterea quod nondum proprii sui juris esset, tum etiam quia non audebat suis Beneficiis renuntiare, ne veniret in offensionem sui Patris; qui aliunde certo certius obtinuisset, quam ille de iisdem intendisset conficere, resignationem, aut abdicationem in Judicio pronuntiari nullam, ac penitus rescindi; & tandem neque provenientes inde reditus ipse perceperit, neque administraverit.

Nihilominus, quanquam Francisco nulla restitutionis obligatio inducatur ex prætermissa recitatione Breviarii, nullum dubium est, cum ipsius Pater, adversante prorsus omni jure provenientes ex prædictis Beneficiis fructus suos effecerit, quin ipsius hæredibus incumbat eorumdem in integrum præstare restitutionem, atque adeo ipse Franciscus obligetur, utpote hæredes inter locum habear, ad eosdem restituendos *pro rata portione hæreditatis*, eadem ratione, qua teneretur, quantum ad usurarios proventus, aut quantum ad debita, quibus post obitum Godefridi ista successio deprehenderetur oppignerari. Cæterum, si Franciscus ea mentis intelligentia præditus fuerit, qua potuerit ei fieri sufficienter perspecta perversa sui Patris in ea re agendi ratio, ut conjiciendi locus plurimus datur, ipsius prætermissionem non omni prorsus carere culpa intendimus affirmare.

CASUS CXLVIII.

Bertrandus Canonicus de Cathedrali quadam Ecclesia per sex menses absentatus, nec proinde lucratus quotidianas ac manuarias distributiones, easdem tamen exegit, a Quæstore Capitularis ærarii sibi persolvi. Cæteri Canonici ipsius Collegæ, qui eum summo loco habent, ultro annuerunt earumdem ipsi concedi integram condonationem. Numquid ea de causa subducitur ab omni lege restitutionis?

RESPONS.

Quæcumque condonatio seu gratia, quæ fit contra Juris dispositionem, omnino nulla est, juxta regulam istam Bonifacii VIII. (*d*). *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Porro plurimi recensentur Casus, quos ad marginem indicamus (*e*), in quibus jus prohibet; scilicet in odium culpæ commissæ, atque ut impediatur, quominus in eandem fiat lapsus facilis ex ipsa facilitate fraudandæ obligationis restitutionis, quæ incumberet, ne condonatio adhibeatur: atque inter istos casus locum obtinet, qui memoratur in specie proposita: & expressis verbis indicatur a Concilio Tridentino (*f*), quod præcipit, ut Canonici, cæterique Ecclesiastici, quibus obligatio inducitur assistendi publico officio, pro ratione temporis, quo ab eodem fuerint absentati, suis distributionibus careant, nulla facta eorum Collegis licentia earumdem ipsis condonandarum, nec vel etiam ullius partis remittendæ. *Reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa; his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum quod incipit*: Consuetudinem, *quod sancta Synodus in usum revocat*. Ex quibus inferendum est, a Bertrando non posse recta conscientia sibi vindicari, quam ipsius ei Collegæ annuerunt, condonationem; siquidem, cum eidem recipiendæ sit inhabilis, ejusdem concedendæ nullatenus habeant potestatem: adeoque nihilominus ei incumbat, restituere distributiones, quas percepit pro tempore sex mensium, quo Choro non interfuit: quas quidem erogare debet Ecclesiæ, vel pauperibus.

(*d*) Reg. 64. de reg. Jur. in 6.

(*e*) Nulla via in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura 1 Gr. X. in c. *Exigit*. 2. de censib. &c. in 6. l. 3. t. 20. Item Bonif. VIII. in c. *Felicis* 3. eod t. Si quid autem contra constitutionem præsentem receperit, ad ipsius restitutionem integ. teneatur; nulla eorum quibus restitutio facienda fuerit remissione ullatenus profutura eidem. Bonif. VIII. in c. *Statutum* 22. §. 7. de rescriptis in 6. Donec illi, a quibus extorserint, plane satisfecerint de pecunia sic extorta nullis remissionibus super hoc valituris. Clem. V. in Clementina *Nolentes*. 2. de Hæreticis. l. 5. t. 3.

(*f*) Conc. Tr. sess. 24. de ref. c. 12.

CA-

CASUS CXLIX.

Gordius Canonicus, cum precibus Canonicis oscitanter sine ulla attentione nec actuali nec virtuali, sed cum continua voluntariaque mentis evagatione per sex menses integros adsuerit: numquid, considerato summo jure, teneatur ad restitutionem fructuum suæ Præbendæ pro ratione prædicti totius temporis?

Respons.

Circa propositam difficultatem distrahuntur Autores in contrarias sententias. Plurimi, qui nominis omnino sunt insignioris, quales S. Antoninus, Paludanus, Medina, Gabriel Biel & Toletus, opinantur, licet præfatus Canonicus gravissime peccaverit, ei tamen in casu proposito nullius restitutionis induci obligationem. Hoc nimirum fulti principio, quod, cum attentio in oratione sit actus internus, Ecclesia de eadem non possit judicare, neque consequenter in eos decernere pœnas, qui in orando carent attentione.

Quorum tamen opinioni subscribendum esse non existimamus: siquidem opposita sententiam multo profecto probabilior nobis videatur, eaque de causa suos sibi defensores vindicat plurimos magni nominis Autores tum Theologos, tum Canonistas, quales sunt Gersonius, Navarrus, Barbosa, Petrus Navarra, & quatuor alii, quos Cabassutius appella (*a*) ipse præfatorum sententiæ totus ad hærens: *Oppositam vero opinionem*, inquit laudatus laudandusque plurimum Professor, *quamvis graves quisque habeat assertores, sanctum Antoninum, Medianam, Paludanum, Grabriel Biel, Toletum, &c. non teneri ad restitutionem; minime admiserim*. Deinde, ut ipsum, quo nituntur prædicti Autores, fundamentum penitus evertat, subjicit: *Quod vero pro fundamento prætexunt, Ecclesiam non præcipere internos actus, quamvis alicubi verum sit, ut jejunio, cujus obligationi per solam materialem abstinentiam satisfieri potest, non tamen in omnibus id verum est; præsertim circa orationes, de quarum essentia est actus internus & elevatio mentis in Deum, quæ propria est orationis definitio*. Constat saltem, Ecclesiam, præcipiendo certos quosdam actus externo, puta, adesse sacris, certis quibusdam indictis diebus, aut divinum officium persolvi, id potissimum intendere, ut, qui Deum decet, cultus ei exhibetur ex istis actibus, atque adeo prædicti actus eliciantur cum ea pietate, interiorique attentione, ac mentis elevatione, sine quibus ipse nec vere coleretur, nec, nisi labiis, honoraretur. Sic etiam quando Ecclesia præcipit annuam Confessionem, & Paschalem Communionem omnibus utriusque sexus fidelibus, indirecte præcipit iisdem atque necessaria quadam consequentia, actus Pœnitentiæ interioris, ac Religionis, quibuscum debent ad prædicta sacramenta accedere, adeo ut, si satis haberent confessionem oretenus tantummodo deponere, aut nulla prævia præparatione Corpus Christi sumere, absque dubio sit, futurum ut Ecclesiastico præcepto nullatenus satisfacerent; quemadmodum alibi demonstravimus, cum de præfatis Sacramentis habebamus sermonem. Indeque est, quod Lateranense Concilium Generale quartum habitum sub Innoc. III. an. 1215. (*b*) obligationem attentionis, & sinceri cultus cum præcepto recitationis officii Divini jungat istis verbis: *Penitus jubemus districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote*. Ad quæ verba Glossa sic habet: *Studiose quantum ad Officium oris: devote quantum ad officium cordis*.

(*a*) Joan. Cab. Jur. can. th. & pr. lib. 6. c. 14. n. 14.

(*b*) Conc. Lateran. IV. in cap *Dolentes*. 9. de celebratione Missarum, &c. l. 3. t. 41.

Ex quibus concludimus, siquidem Gordius non nisi corpore, & sine attentione nec actuali nec virtuali, Divino interfuerit officio, eum censendum esse, quasi qui nulla ratione eidem adfuisset, atque adeo non esse subducendum ab obligatione restituendi *pro rata* temporis ratione, quo attentione caruit: utpote alienum omnino sit a justitia, ei vindicari reditum, qui nonnisi iis destinatus est, qui Deo & Ecclesiæ, vacando precibus publicis, digne ministrarent.

CASUS LX.

Pompilius Collator cujusdam præbendæ, cui annectitur annuus 500. librarum reditus, eam contulit Jacob, qui eadem non est admodum dignus, quemque potiorem habuit Joanne, qui eandem plurimis sollicitationibus ambiebat, & ornatus erat præclaris omnino meritis ac singulari virtute. Nonne tenetur ad restituendum Joanni tantum, quantum referebat Beneficium; siquidem contra justitiam peccaverit?

Respons.

Præfatus Collator ad nullam obligatur in casu proposito restitutionem. Ratio est, quia quemadmodum ex violato præcepto charitatis nulla restitutionis sequitur obligatio, sic etiam neque ex violata justitia tantummodo distributiva, cujus istud munus proprium est, ut distribuat onenera, officia, mercedes, & pœnas: quoniam in ejusmodi distributione quod alteri defertur, totum juris est ipsius deferentis. Jamvero Pompilius non læsit nisi justitiam distributivam; quoniam Præbenda Joanni nullo jure proprietatis vindicabatur, neque ad eandem ne minimum quidem jus habebat. Non ergo tenetur ad tantumdem valens eidem restituendum.

Est hoc igitur juris certissimi ac prorsus indubitati principium, quod tenet S. Thomas cum ceteris passim Theologis, (*c*); nempe non urgere restitutionis obligationem, nisi cum violata fuit justitia commutativa; quæ, docente Cabassutio (*d*), post laudatum S. Thomam (*e*), consistit: *In æqualitate dati & accepti....& rem cum re æquo pensans, secluso omni personarum respectu; atque ita æqualitatem Arithmeticam observant* (*f*).

Istam vero rei istius causam afferunt Azorius (*g*) & ceteri, quod reddendo quod debetur ex justitia commutativa, non restituatur proximo, nisi quod suum est, contra vero in iis, quæ pertinent ad ceteras virtutes, eidem, quod nostrum est, concedamus: *Omnia quidem officia morum*, ait Cabassutius (*h*), *a duabus virtutibus pendent, charitate & justitia... atque ita, quamvis eleemosynæ præceptum obliget non raro ad mortalem culpam, illius tamen omissio non astringit ad restitutionem... inde sequitur, si defectu eleemosynæ pauper interiit, non teneri quicquam restituere illium, qui peccaverat, eleemosynam recusando, solum enim violavit charitatem*.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 4. in corp.

(*d*) Joan. Cab. jur. can. th. & prax. l. 6. c. 2. n. 1.

(*e*) S. Thom. loco cit. a. 2. in corp.

(*f*) Ex Aristot. lib 5. Ethics ad Nichomach. c. 3. & 4.

(*g*) Joann. Az. 3. p. l. 4. c. 12. q. 3. sub. fin.

(*h*) Joann. Cab. loco c. c. 1. 12. 3. & 15.

Addit deinde laudatus Doctor: *Insuper, si Princeps aut Magistratus, neglecto digniore, contulit officium digno, non tenetur digniori restituere, quia deliquit contra solam distributivam justitiam, quæ restitutioni non obligat: nisi per accidens conjungeretur huic aliqua violatio justitiæ commutativæ*,

Quam quidem decisionem propriam sibi vindicat Soto, Adrianus, Navarrus, & Covarruvias, quos cum plurimis aliis citat laudatus Cabassutius (*i*), habet quoque suos asseclas Bannesium, Toletum, Turrianum, & alios multos nominis omnino commendatioris Theologos (*K*); atque confirmari potest ex uno principio, quod licitum est etiam adhibere dissolvendis infinitis propmodum aliis difficultatibus. Nimirum, juxta communem Theologorum sententiam, non nisi e tribus potissimum causis oritur obligatio restituendi. Prima quidem, quod res aliena detineatur, licet incœperit sine peccato possideri: quemadmodum, quando quis hæres inter res hæreditarias defuncti rem aliquam reperit, quam putat in partem successionis venire, quamque postmodum deprehendit, fuisse depositam apud defunctum vel eidem commodatam. Secunda vero proficiscitur ex acceptione injuriosa rei alienæ, ut contingit ex usura & furto. Tertia denique ortum habet ex legitima conventione, hoc est, ex aliquo contractu. Jamvero Pompilius, ex nulla recensitarum causarum, tenetur ad restitutionem erga Joannem: quippe Joannes non habeat neque *jus in re*, neque *jus ad rem*, quantum ad Præbendam, de qua quæstio instituitur, nec etiam prædictus Collator ex aliqua conventione cum eo iniverit ejusdem ipsi conferendæ obligationem.

(*i*) Idem ibid. n. 6.

(*k*) Bannesius in 2. 2. q. 62. art. 2. dub. 12. Turrianus disp. 9. dub. 1. n. 5. & alii.

Sufficit ergo, piacularem ab eo lui pœnam ob iniquum suum delectum, quo contulit Præbendam

Jaco-

Jacobo, qui eadem minus dignus erat, neglecto Joanne, qui eadem erat multo dignior. Vide Navarrum (a).

(a) Navarr. Manual. c. 17. n. 72. & 73.

CASUS CLI.

SOPHRONIUS Canonicus regularis, percipiens ad vitæ suæ tempus pensionem, aut gaudens Cœnobitico quodam Officio, vel Beneficio, & confecto sibi de suis parsimoniis peculiolo 3000. librarum; illud totum dono dedit Margaritæ filiæ sui fratris vel suæ sororis, quæ Margarita annum ducit ætatis suæ, a decimo quinto, ad decimum sextum tantummodo. In eam vero pecuniæ summam, quam custodiendam tradiderat Matri suæ, manibus injectis ipsius Pater, vir in rebus suis egentissimus, aliunde vero earumdem tuendarum omnino imperitus, illam intra paucos menses decoxit; & paulo post diem obivit supremum. Margarita, quæ intra eundem annum & in matrimonium fuit collocata, & vidua facta est, petit, num sibi non incumbat, ex debito suæ conscientiæ, prædicta 3000. librarum Ecclesiæ, vel pauperibus restituere, licet inde nihil sibi commodi quidquam accesserit. Dubium ea de re inde ei potissimum inducitur, quod audierit, non licere Religioso, qualis ipsius Avunculus erat, qui voto paupertatis ligatur, aliquid sibi proprium habere, neque adeo de quacumque pecuniæ summa, quam comparcere potuisset, ulla ratione disponere?

RESPONS.

Multum omnino discriminis statuendum est inter Religiosum, qui simplici gaudet pensione, & eum, qui possidet Cœnobiticum quoddam officium, aut aliquod Beneficium. Qui enim pensionem percipit, ejusdem non habet administrationem; neque de ea potest, nisi cum licentia sui Superioris regularis disponere; qui quidem Superior eandem non potest concedere, nisi in quantum vergit ad permittendam præfatæ pensionis dispositionem pro iis, quæ vitæ necessaria sunt; & debet cavere, ut quod inde residuum superest, in necessitates Ecclesiæ, vel Monasterii, si egeant, impendatur, vel pauperibus erogetur: quin etiam debet iste Superior impedire, quantum potest, ne Religiosi sibi subditi pensionibus, suis privatis necessitatibus subventuris, ac per proprias suas manus percipiendis, gaudeant, atque efficere, ut quotquot ejusmodi sunt, in Communionem bonorum Monasterii referantur. Quod autem pertinet ad eum, qui possidet aliquod Cœnobiticum officium, aut aliquod Beneficium, eidem annexos reditus administrat, ac de iis disponere potest ea ratione, qua Beneficiarii sæculares possunt de fructibus suorum Beneficiorum disponere.

Quibus in antecessum positis, scire operæ pretium est, ut propositæ difficultati sua sit responsio; utrum Beneficiarii .... habeant dominium in reditibus suorum Beneficiorum, aut utrum eorumdem sint tantum administratores, ac meri dispensatores. Si fuerint istorum redituum proprietarii; possunt iisdem uti, prout sibi libuerit, absque eo quod peccent contra justitiam, licet iis abuterentur; quanquam in eo violarent .... charitatem qua plurimum obligantur, ad id quod eorumdem superfluum est, in pauperes effundendum. Unde sequitur eos, quos eorumdem fecerunt participes, nulli obnoxios esse restitutioni. At vero si dictorum redituum sint tantum administratores, ac meri dispensatores, ut omnino persuasum habemus, & alibi demonstrâmus ratione, qua ut nobis videtur, pertinacissimus quisque pervincatur, id solummodo juris eis relinquitur, ut de iisdem statuant, quantum ad solas vitæ suæ necessitates, hoc est, ad honestum suum victum & vestitum: Siquidem quod inde reliquum est, debeat jure cedere Ecclesiæ vel pauperibus, utpote quod sit eorum patrimonium: Si vero præfati Beneficiarii istis reditibus ad alium finem utantur, furti se astringunt, & quamdam sacrilegii speciem in se suscipiunt, juxta ipsissima verba cujusdam antiqui Concilii (b), quod de iis sic habet: *Quoniam hoc sacrilegium est & par crimini Judæ furis, qui sacras oblationes asportabat & furabatur.* Cui consentiunt Concilium Carthaginense tertium, & Bracarense celebratum anno 572. (c).

(b) Concil. Rhemens. in c. Inquirendum. 4. de peculio Clericorum lib. 3. tit. 25.

(c) Concil. Carthag. III. can. 49. Concil. Bracaren. in can. Quicumque. 2. 12. q. 4.

Sed quanquam existimemus, alteram istam opinionem indubitatam esse simul atque certissimam, non ideo tamen censemus, Margaritæ, quæ receperat ab Avunculo suo Sophronio 3000. librarum, quas iste sibi confecerat ex suis parsimoniis, obligationem induci earumdem restituendarum, modo summam istam cum bona fide receperit, ac putans, ab eo posse eandem sibi legitime donari: quod conjici plurimum potest ex ipsa juvenili ætate, quam tunc temporis agebat, atque ex eo quod infinitos propemodum homines reperire sit, quibus etiam persuasum est, Beneficiariis jus dari, de reditibus suorum Beneficiorum perinde, ac de propriis rebus suis familiaribus, disponendi. Ratio est, quia secundum doctrinam S. Thomæ, & cæterorum, quotquot eum secuti fuere Theologorum, nulla urget obligatio illius restituendi, quod bona fide receptum fuit, ac consumptum; quando res inde nec auctior evasit, nec locupletior. Jamvero Margarita recepit bona fide 3000. librarum, de quibus agitur, ut jure ac merito supponitur. Inde nihil facta est ditior: neque ipsamet prædictam summam consumpsit; siquidem in eam ipsius Pater manus injecerit, a que eandem in integrum decoxerit. Quibus præterea addendum est, locum adesse præsumendi, ab ipsius Avunculo ei non fuisse collatum munus istud; nisi tanquam pauperi, atque eo potissimum fine, ut facilius atque commodius in matrimonium ipsa collocaretur; siquidem eum latere non posset, ipsius Patrem esse rerum suarum perditorem; atque adeo nullam spem affulgere, futurum, ut ipse aliquando cogitaret propriam filiam nuptui convenienti collocare. Quo quidem in casu nihil obligationis incumberet Margaritæ, quidquam de prædicta summa restituendi, etiamsi aliquid ei commodi inde accessisset. Tandem contendi potest licet ipsa pecuniam istam immediate receperit; nihilominus eandem censendam esse ab ipsius Patre fuisse perceptam: Siquidem filia quindecim annos nata non ea potestate præstet, qua valeat donum ejusmodi acceptare, ac sibi retinere. At priori rationis argumento, ut omnino persuasibili ac enodandæ præsenti difficultati aptissimo, standum esse ducimus, quippe vel solum sufficiat, ut memorata virgo subducatur ab omni restitutionis obligatione (d).

(d) Sambovius tom. 3. casu 137.

CASUS CLII.

ADRIANUS per vindemiam locavit Bertaldo dolia, quæ vitiosa esse sciebat, ac tota penitus carie depravata. Bertaldus cum in eadem vinum suum immisisset, illud omnino subito in iis vitiatum est, aut ex iisdem totum effusum. An Adrianus peccavit mortaliter, & eine inducitur obligatio damni, quod inde Bertaldus expertus fuit, in integrum resarciendi?

RESPONS.

Non est ambigendum, quin Adrianus in casu proposito mortaliter peccaverit. Qui enim rem aliquam vitiosam elocat, tenetur, ad monendum conductorem de vitio, quo res ista inficitur, & redditur inutilis ad usum, cui vult eandem adhibere: Atque præterea, quod inde detrimentum accedit conductori, tenetur ipse ad resarciendum in integrum.

Ita censet S. Antoninus (e) qui refert ejusmodi exemplum. *Si (quis) locat rem vitiosam scienter, puta, domum ruinosam, vel equum claudicantem, vel aliquid defectuosum; peccavit mortaliter*, inquit laudatus Sanctus Archiepiscopus; *si inde secutum est, vel verisimiliter sequi poterat notabile damnum conductori: & tenetur ad satisfactionem de damno subsecuto .... & hoc, quando tale vitium .... ignorabatur a conductore.*

(e) S. Antonin. 2. parte sum. theol. tit. 1. c. 15. §. 9.

Ratio quæ afferri potest, est, quod eadem sit natura locationis, quæ contractus emptionis, atque venditionis. Etenim *iisdem .... juris regulis consistit*, ut loquitur Imperator Justinianus (f). Quemadmodum igitur qui rem aliquam vitio quidem occulto, sed notabili tamen depravatam vendit, tenetur, ad

(f) Inst. tit. l. 3. tit. 25. init.

ad illud idem manifestandum emptori, & alioquin subjacet obligationi totius, quod inde patitur, damni restituendi; sic etiam ei, qui rem aliquam locat, eadem obligatio inducitur, si quid ejusmodi vitii in re locata occurrerit ejusdem indicandi conductori. Ut colligitur 1. ex quadam Lege, quæ refert speciem omnino eandem ac illam, quæ hic loci proponitur (*a*). En laudatæ Legis verba: *Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit; tenebitur in id quod interest; nec ignorantia ejus erit excusata .... t aliter atque si saltum pascuum locasti, in quo herba mala nascebatur. Hic enim, si pecora, vel demortua sunt, vel etiam deteriora facta; quod interest præstabitur, si scisti, Si ignorasti; pensionem non petes.*

(*a*) Leg. Si addes 19. §. 1. ff. locati cond. lib. 19. tit. 2.
2 Vide Casum sequentem.

Quæ quidem confirmari possunt ex alia Lege (*b*), quæ circa præsentem, quam discutimus, difficultatem luculenta prorsus atque omnino decretoria est; sic namque illa fert: *Qui sciens vasa vitiosa commodavit*, inquit laudata Lex, *si ibi infusum vinum, vel oleum, corruptum, effusumve est; condemnandus eo nomine est*. Quoniam ex commodato non detrimentum, sed commodum potius proximo debet accedere. Quod quidem a fortiori verum est, quantum ad rem locatam; siquidem ex mercede, quæ inde percipitur, lucrum proveniat,

(*b*) Leg. in reb. 18. § 3. c. commodati. l. 13. t. 7.

CASUS CLIII.

At vero si putaverit Adrianus, vitiosa dolia, quæ Bertaldo locavit, sana esse ab omni vitio, numquid præstare tenetur damnum, quod conductor inde sensit: Si autem non teneatur, potest-ne, quam ei Bertaldus promisit, locationis etiam exigere mercedem?

RESPONS.

Respondemus, si bona fide, sua dolia locaverit Adrianus, nulla sibi data legitima causa subodorandi, eadem esse vitiosa; atque ea locando Bertaldo, simpliciter elocaverit, ac qualia sese habebant, non eadem præstando ab omni vitio sana atque integra, sed ei liberum faciendo, ut illa ex omni parte ac penitus inspiceret, quin etiam, si ei liberet, eorumdem faceret periculum; in eo casu non obligatur, ad compensandum damnum, quod Bertaldus inde recepit; siquidem nullatenus ejusdem causa sit, neque ei possit ipsius ignorantia culpæ vertere. Adeo ut Bertaldus sibi tantum imputare debeat damnum, quod inde subsecutum est. Nihilominus, quoniam isthæc dolia usum præbere non poterant, cui destinabantur, non debet Adrianus pactam cum Bertaldo pro locatione repetere mercedem.

At e contrario, si memorata dolia locaverit Adrianus tanquam ab omni vitio sana & eadem integra præstiterit, tenetur ad resarciendum damnum: cujus quidem reparationis obligationem in semetipsum ultro suscepisse, ex ista præstandi auctoritate censetur; 1. Quoniam non debeat inconsulto rem vitiosam præstare bonam ac suis omnibus numeris absolutam, eandemque, ut sanam ac perfectam locare; nisi sibi prius certo certissime constaret, eam nullo vitio laborare. 2. Propterea quod contractus locationis in gratiam cedat utriusque contrahentis, atque utrumque etiam astringat ex culpa etiam levi; ut ait S. Antoninus (*c*): *In hoc etiam contractu venit culpa levis, cum gratia utrinsque celebratur*. Quamobrem ex eo ipso, quod non adhibuerit omnem diligentiam, quam attulisset vir prudens, ut sese certiorem faceret, num dolia, quæ locabat, mendosa forent ac vitiosa, necne; & eadem locaverit, non monendo Conductorem, eadem non fuisse a se ipso probata; tenetur ad reparandum damnum, quod prædictus Conductor inde passus est; atque in eo sensu intelligenda sunt isthæc verba Legis, quam citavimus in præcedenti decisione, *si quis dolia* vitiosa &c. & hæc alia verba Glossæ (*d*): *Ille tenetur* (damni) *sive scienter, sive ignoranter locet, vel vendat vas corruptum.*

(*c*) S. Antonin. 2 part. tit. 1. cap. 13. § 6.

(*d*) Glossa in can. Iret. 34. de pœnitent. dist. 3. v. Vase.

CASUS CLIV.

Daniel vitium addidit pudicitiæ Joannæ, virginis annos natæ decem & octo, injectis ei subdolis aliquando futuri matrimonii promissionibus, atque violentis in eam usus instigationibus.

Obligatur-ne ad aliquam restitutionem; præsertim cum de ista vitiatione rumoris aliquid afflare jam incœperit? Num etiam teneretur, ad aliquam injuriæ compensationem, quanquam nec fraudem, nec vim adhibuisset?

RESPONS.

Multum discriminis intarest inter duas illas rationes, quibus pudicitia virginis alicujus attentatur. Si namque Daniel non defloraverit Joannam, nisi quia sese depudicari ultro consensit, neque dolum struxerit, neque ei vim attulerit, sed ipsa nihil quidquam, aut minime saltem adversata sese totam ei statim permiserit; ad nullam omnino erga ipsam obligatur restitutionem; quippe qui nihil in eo peccaverit contra justitiam; juxta regulam istam Juris (*e*): *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus*. Atque ita docent Sylvester Mozolinus, Dominicus Soto, Navarrus & Toletus post S. Antoninum (*f*). Verum e contrario si ei vim attulerit, aut usus sit aliqua fraude, aut urgentes adeo instigationes adhibuerit, ut locum sum violentiæ tum fraudis habere censeantur, quo destinatum animo perversum consilium exequeretur; non est, unde dubitationis quidquam moveri possit, quin teneatur, ad satisfaciendum injuriæ, quam ei irrogavit; sive eam assumendo sibi in uxorem (*g*), si ipsa exegerit, & ipse proprii sui juris fuerit, neque nimia conditionum inæqualitas aliunde obsistat; præsertim vero quando rumor attentatæ pudicitiæ jam prodiit foras; sive ei pecuniam aliquam largiendo, quæ dotis locum suppleat, & ratione cujus nubere possit eodem convenienti modo, quem sperare potuisset, antequam cum eo in crimen succumberet (*h*): Atque sic adhibitis istis circumscriptionibus, ac in eo potissimum sensu accipienda est ista Lex Exodi relata in quadam Decretali (*i*): *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Si Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt*: Et hæc alia Deuteronomii (*K*), quæ perinde ac præcedens, violentiam ac fraudem accessisse supponit vitiationi: *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit: dabit qui dormierit cum ea Patri puellæ 50. siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam, &c.*

(*e*) Reg. 27. de reg. juris in 6.

(*f*) S. Anton. 2. part. sum. theol. t.1. 3. §. 1.

(*g*) S Greg. in c. Pervenit, de adulteriis, & stupro lib. 5. tit. 16.

(*h*) Colloq. Petroch. tom. 1. Colloq. 7. q. 1. Colloq. Condomens. tom. 2. Colloq. 15. sect. 2.

(*i*) Exod. 22. 16. & 17. refertusque in cap. Si seduxerit. 1. de adulteriis, & stupro lib. 5. tit. 16.

(*k*) Deuteron. 22. v. 28. & 29.

CASUS CLV.

Constantina liberum unum ex adulterio peperit, qui simul cum aliis liberis habetur, quasi natus ex justo matrimonio. Debetne Confessarius ipsius obligationem ei inducere, illud ipsum manifestandi vel suo marito, vel isti libero; quo sic remedium afferat injuriæ, quam alii inde passuri sunt: vel tandem, quibus ei conditionibus impositis, debet ei concedere beneficium sacramentalis absolutionis?

RESPONS.

Antequam propositæ difficultati satisfaciendum sit, juvat indubitatum ac generale principium proponere, quod ipso naturali jure innititur, nimirum obligari neminem ad inurendam sibi metipsi infamiam. Ex quo principio sequitur, Constantinam non teneri ad manifestandum suum peccatum, neque suo marito, neque suo libero non legitimo, nec quibuslibet aliis, nec tandem legitimis suis hæredibus, quicumque esse possint, sub prætextu reparandi damni, quod iisdem ex suo adulterio intulit. Quod quidem suadetur vel ex ipso solo lumine naturali: enimvero, si accurate loqui voluerimus, tunc non urget obligatio restituendorum bonorum ordinis alicujus inferioris, cum ipsa reddi non possunt, nisi cum jactura cujusdam boni superioris ordinis. Porro quemadmodum æterna salus, & ipsa vita constituunt bona multo pretiosiora atque excellentiora ipsius famæ prærogati-

va;

vâ; ita etiam longe præstat multoque potius ac superius est bonum nomen, ipsis temporalibus bonis ac rebus familiaribus, juxta sapientis istud effatum (a): *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Atque ideo in plurimis antiquis Canonibus quos Gratianus refert in suo Decreto (b), ii perhibentur majori culpa conscii, qui notam inurunt injuriosam alienæ famæ, quam qui aliena furantur ac diripiunt. *Deteriores sunt, qui Doctorum vitam moresque bonos corrumpunt, his qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt*; inquit unus quidam ex laudatis Canonibus.

Quæ diximus, plurimum authoritatis ac roboris recipiunt ex suffragio Innocentii III. qui declarat in una ex suis Decretalibus (c), mulierem, quæ marito suo puerum fraudulenter subdidit, vel quæ liberum unum ex occulto adulterio peperit, ad pœnitentiam admittendam esse; quanquam ex metu impediatur, quominus peccatum suum manifestet: quod est intelligendum de metu justo, qualis est metus infamiæ (d): *Quoniam igitur postulas edoceri*, ait laudatus Papa scribens ad quemdam Cardinalem, *utrum ei hac fraude durante, sit pœnitentia injungenda; respondemus quod sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda, ita nec illi debet pœnitentia denegari*. Ratio est, quia non posset scelus suum prodere, quin eo ipso sibi infamiam inureret, ac famam suam obliteraret, quæ, ut advertimus, thesaurus est ipsis temporalibus bonis excellentior ac multo pretiosior; & de qua curam habendam esse, monet Sapiens istis verbis (e): *Curam habe de bono nomine: Hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni*.

Quibus testimoniis addere licet sententiam duorum commendandi nominis Canonistarum. En quomodo loquitur prior, qui Fagnanus est (f), *Cum mulier non habet unde restituat ∴ tunc conferatur & taceat*. Alterius testimonium est, Didaci Covarruviæ, qui sic habet (g): *Creberrimo omnium consensu responsum est, mulierem adulteram, quæ ex adulterio filium peperit, non teneri id revelare marito, ut hoc modo filium excludat a mariti hæreditate, & ea veris hæredibus restituatur*. Indeque præfatus Prælatus sic infert. *Ab hac tamen obligatione restituendi mulier ipsa liberatur, ex eo quod restitutio fieri non potest absque manifesta jactura famæ & mortis periculo, majusque damnum sequeretur restituenti, quam commodum ipsi, cui restitutio facienda est*. Eandemque opinionem defendit etiam quantum ad casum, qui nulli mortis periculo foret obnoxius. (h).

Et vero mulier ejusmodi revelans suam turpitudinem indigna esset, cui fides adhiberetur, atque haberetur ut legitimus in foro exteriori filius adulterinus, nihil quidquam obstante, quod eum ex adulterino sanguine natum fuisse affirmaret; quemadmodum docet Glossa istis verbis (i): *Ipsa non potest detegere suppositionem: quia ei non crederetur, obstante præsumptione, quæ habetur ex matrimonio; quod filius natus sit ex nuptiis*. Illudque probat ex quadam Lege Digesti (k): Idem quoque docet Panormitanus: *Propter hoc*, inquit (l), *allegato textum valde notabilem in Lege Miles §. defuncto, de adulteriis, ubi probatur, quod licet probetur uxorem fuisse adulteram tempore conceptionis filii, ex quo etiam illo tempore jacebat cum marito, præsumitur potius filius mariti, quam adulteri, favore filiationis*. Quod idem etiam docet Azorius (m).

Præterea, licet incumberet adulterino filio, quod jam recepisset restituere aut a quacumque re percipienda abstinere; modo fidem vellet dictis suæ matris adhibere (n): Constat tamen, eum neutiquam obligari, ad credendum iis, quæ sibi a suo Patre & sua matre memorarentur contra favens sibi constantis matrimonii præjudicium; nisi aliunde rei ipsius veritas argumentis adeo certis atque inconcussis constaret, ut iisdem refragandi nullus jam locus dari posset: quod quidem videtur moraliter impossibile. Nihil igitur utilitatis habet ejusmodi confessio, neque alium effectum consequi potest, quam inurendæ igno-

(a) Proverb. 22. 1.

(b) Can. Ex merito. 13. Et can. Deteriores 3. 15. 6. qu. 1. Et can. Facta. 21. 9. q. 3.

(c) Inn. III. in c. Officii. 9. de pœnitentiis & remissionibus. l. 6. t. 38.

(d) Leg. isti. 8. ff. quod metus causa gestum erit. l. 8. t. 2.

(e) Eccl. 41. 15.

(f) Prosper. Fagnan. in cit. c. Officii. n. 4.

(g) Didacus Covarr. t. 1. part. 1. relectionis c. Peccatum, de reg. Juris.

(h) Idem ib. num. 6.

(i) Gloss. in cap. Officii. cit. v. Deneganda.

(K) Leg. Filium. ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt lib. 1. tit. 6.

(l) Panor. mit. in cap. Per tuas, de probationibus n. 2.

(m) Joann. Azorius instit. moral. 3. p. l. 5. c. 6. qu. 4.

(n) Tolet. Instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 12.

miniæ confitenti, inducendi opprobrii ipsius marito & ipsius familiæ, & commovendi discordiam, odium, zelotypas suspiciones & similia alia mala. Ut ergo non potest præfata mulier obligari, ad solvendum, aut restituendum aliquod debitum cum jactura propriæ suæ libertatis, sese servituti addicendo; siquidem antiqua Lex (o) nova Lege fuerit abrogata; cui deinde, quantum ad eam rem Leges Civiles (p) consensere; dicendum est, neque etiam teneri, ad revelandum suum adulterium in damnum proprii sui honoris, qui procul dubio longe præstat ac multo magis æstimabilis est, quam ipsius libertas, quique non magis, quam ipsius libertas, pretio pecuniæ potest æstimari.

Quæ huc usque retulimus, rationum momenta ipsissima sunt, quibus potissimum innititur S. Antoninus in sua summa Theologica (q), ex qua textum sequentem excerpsimus, qui licet stilo paulo longiori procedat, ejusmodi tamen est, quem non possumus prætermittere: *Ubi immineat aliquod horum periculorum*, inquit laudatus sanctus, *non debet revelare marito. Primum periculum est infamiæ, scilicet mulieris. Secundum periculum est scandali. Tertium periculum est mortis. Quartum periculum est improbabilitatis. Primum periculum est infamiæ, scilicet mulieris: quia hoc totaliter revelando, cum esset antea bonæ famæ, se ipsam pessime & turpissime diffamaret; quod quidem magnum periculum est mulieri. Nam ∴ turpius ac periculosius in honestis infamia ingerit notam: Secundum periculum est scandali, scilicet viri & consanguineorum atque amicorum ejus, si illis hoc innotesceret malum. Nam non solum apud se turbarentur ex eo, sed vix ex tunc possent cum ea amicitiam & pacem ac concordem societatem habere; imo forte maritus dimitteret; & non valentes forsitan continere, utrique adulterium perpetrarent, & sic innumerabilia mala & irrecuperabilia inter eos orirentur. Tertium est periculum mortis, scilicet uxoris & suæ spuriæ prolis, atque adulteri sui: nam probabiliter timere posset, quod ejus maritus, sive quicumque alius, dum occidere alium quæreret, necaretur. Secundum Scotum in quartum concurrentibus dictis tribus periculis, quæ videntur valde probabilia & in pluribus valde evenientia, non debet talis mulier suo Conjugi revelare, & propter bonum incertum restituendum hæreditatibus, talibus periculis se exponere manifeste. Quartum propter periculum improbabilitatis. Nam nec vir, nec filius, nec etiam publicus Judex mulieri hoc revelanti credere obligatur, nisi probet dicta sua per infallibilia signa, aut per violentas probationes, aut per idoneos testes*. Hæc ille. Quæ eadem leguntur apud Angelum de Clavasio (r).

Nihilominus, si vir ea virtute ac sapientia foret ornatus, quæ mulieri afferrent moralem certitudinem de rei veritate detegenda, absque ullo periculo scandali nec incommodi ipsi imminente, videtur futurum locum contendendi cum Sancto Antonino, obligandam fore in eo casu, ad eandem ipsi in integrum aperiendam, ut ea ratione fieret ei copia consulendi æquitati ac justitiæ, quam reddere debet suis liberis legitimis. Quin etiam posset ista obligatio matris extendi ad spurium usque suum filium, si vir factus, & plurima Religione ac pietate non fucata præstans, ipsi locus adesset subodorandi, futurum, ut ipsius dictis vellet fidem habere, & totum sese devoveret Deo per vota Religionis alicujus, aut alia quacumque ratione paternæ hæreditati renuntiaret; sed Sanctus Antoninus prædictam exceptionem non admittit, nisi in casu, quo Mulier apud suum Maritum & alios suspicionem gravissimam jam haberet susceptæ prolis adulterinæ, & simul etiam omnes memoratæ circumstantiæ concurrerent; *Aliquando vero*, subjicit laudatus Sanctus Archiepiscopus, ... *tenetur mulier revelare, videlicet si hæc tria concurrant simul: Primum, si apud Maritum & alios super hoc fortis & gravis suspicio impressa esset, & occasio dubitandi taliter: 2. Si eu cer-*

(o) Levit. 25. 39. 4. reg. 41.

(p) Ob æs alienum servire liberos Creditoribus, jura compelli non patiuntur. L. Ob æs Cod. de actionib. & obligationibus l. 4. t. 20.

(q) S. Antonin. 2. part. t. 2. c. 7. §. 4.

(r) Angelus V. Adulterium n. 4. 5. & 6.

ex certis, ac sufficientibus causis potest, & debet vehementer & valde probabiliter credi, quod nil de primis periculis supradictis hic subsequeretur, aut cresceret, sed potius minueretur. 3. Si firmiter præsumat, quod filius bonis mariti voluntarie cedet. Sed si parvulus est filius, cessat ista ratio: quia mittere potest Maritus ad Hospitale illum ∴ his autem tribus concurrentibus revocari deberet & posset. Sed vix ista concurrunt, & rarissime præsumendum, quod concurrant.

Quæ posteriora verba sapientem offerunt ac plenam omnino prudentiæ considerationem. Verissimum namque est, perrarum prorsus esse ac moraliter impossibile, prædicta tria simul, eodemque tempore concurrere, ac præsertim a marito, cujuscumque virtutis esse supponatur, tranquilla ac serena fronte plurimaque cum benignitate atque charitate recipi ejusmodi confessionem: quamobrem præfatæ mulieri nec jubere, nec etiam auctores esse vellemus, ut rem ejusmodi detegeret; siquidem talis declaratio non possit, nisi animum unius Mariti cum acerbissimo doloris sensu offendere: atque ipsi scimus, quanto exitio fuerit mulieribus quibusdam imprudentibus, quod in eo casu nimiam habuerint Maritorum suorum immeritæ virtutis fiduciam. Concludimus ergo, Confessarium Constantinæ sufficienter prorsus acturum esse, si pœnitentiam ei injungat, quæ peccati ipsius atrocitati congruat, nec ei obligationem inducat detegendæ propriæ turpitudinis. *Competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet injungi*, inquit Inn. III. in Dec. quam allegavimus, neque quid amplius præfatus Summ. Pont. quantum ad prædictum casum exigit.

CASUS CLVI.

FERRANDUS habuit adulterinam prolem ex Berta uxore Theodori. Obligaturne ex conscientia, vice ipsius Matris, ad reparandum damnum, quod inde emerget, aut jam emersit liberis, vel legitimis hæredibus prædictæ conjugis, & ipsius Mariti?

RESPONS.

Si constiterit, liberum istum ortum esse ex adulterio, quod cum Berta Ferrandus commisit; nullatenus ambigendum est, quin Ferrandus teneatur ex conscientiæ debito, ad compensandum quidquid detrimenti Theodoro, & ipsius liberis legitimis, vel ipsis deficientibus, ejusdem hæredibus aut jam accessit, aut deinceps accessurum est; sive ratione habita necessariarum impensarum, quas necesse fuit conferre in ipsius prolis adulterinæ victum, & vestitum, vel collationem; sive propter portionem de hæreditate Theodori jam acceptam ab isto libero, vel ab eodem deinceps accipiendam.

Ita censet S. Antoninus (a), *de adultero autem, cujus est filius*, inquit S. Archiepiscopus, *dicendum videtur, quod si scit, vel credit verisimiliter, illum esse suum, ubi Mater ipsa satisfacere non valet: videtur, quod teneatur de expensis educationis patri putativo: quia causam efficacem dedit tali damno.* Quod quidem memoratus Sanctus probat ex Decretali Gregorii IX. qui consultus de difficultate quadam circa restitutionem faciendam, sic habet (b): *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti ∴ jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* Quibus plane consentit regula juris, quæ fert (c): *Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*: quæ regula depromitur e quadam Lege Digesti (d) idem prorsus enunciante. Isti autem effato tota congruit ipsa Glossa (e).

(a) S. Anton. 2. part. sum. theol. tit. 2. c. 7. §. 7.

(b) Greg. IX. in c. si culpa fin. de injuriis & damno dato.

(c) Idem ibidem.

(d) L. Qui occidit. 30. §. 3. ff. ad L. Aquiliam. l. 9. t. 2.

(e) Glossa in c. Presbyter. 7. de homicidio voluntario, vel casuali.

Addit S. Antoninus, 1. Adulterum obligari ad restituendum quidquid de bonis Mariti proles adulterina percipit: *de hæreditate, vel dote si dotaretur a putativo, teneri videtur ad arbitrium boni viri, attenta sua facultate.* 2. Obligationi prædictæ secreto satisfaciendum esse, ne, causa restitutionis semel divulgata, gravissima subsequerentur incommoda: *Quæ tamen satisfactio occulte fieri debet, cum sine periculo manifestari non possit.* 3. Tandem sic habet memoratus Auctor: *Si autem dubitat adulter ex eo, quia levis est mulier, & cum aliis adulteratur; vel etiam, quia ipsa adultera dubitat, utrum sit ejus, vel Mariti ∴ gravari non videtur de restitutione. Indecens est enim, ut in re dubia certa detur sententia, ait Gregorius* (f). En qua ratione difficultatem propositam præfatus S. Archiepiscopus Florentinus expedit.

(f) In Can. Habuisse, dist. 33

Objici potest cum quodam Theologo (g), istum adulterum non esse causam proximam damni, quod attulit ipsius adulterina proles; adeoque non obligari ad illud idem reparandum. At respondendum est, falsissimum esse, Adulterum minus esse causam damni proximam, quam ipsius prolis Matrem: atque, siquidem fatente eodem Theologo, ipsa Mater teneatur ad illud resarciendum, non minorem induci Adultero damni compensandi obligationem. Verum etiam dato, quod istius damni non foret nisi causa remota, nihilominus, si non valeat ipsa Mater satisfacere, ipsi potissimum incumbit illius vice afferre congruentem detrimenti reparationem. Ratio est, quod adulterium sit causa unica, cur damnum istud illatum fuerit; &, siquidem adulterium habeat naturam criminis, & prohibeatur quibuscumque Legibus; obligationem inducat iis omnibus, qui reatum ipsum contrahunt subsequentium inde damnorum, quasi ex necessaria quadam consequentia, reparandorum. Eaque potissimum de causa Bonifacius VIII. (h) sic habet de eo, qui mandasset aliquem verberari, & cui mors illata fuisset ex inflictis ei vulneribus, licet mandans expresse inhibuisset, ne occideretur. *Is, qui mandat aliquem verberari, (licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si Mandatarius, fines mandati excedens, mutilet vel occidat, cum mandando in culpa fuerit; & hoc evenire posse, debuerit cogitare.* Ex quibus inferendum est, sicut Mandator censetur in isto casu vera causa mortis istius hominis, perinde ac ille, qui eumdem ultra modum verberavit, & cui commendatum omnino fuerat, ut ab inferenda morte penitus abstineret; quamquam non sit, nisi causa remota istius occisionis; sic etiam, quamquam vere posset contendi adulterum non esse nisi causam remotam detrimenti, quod ex ipsius crimine subsequitur; non ideo tamen dimittendam, ac repudiandam esse nostram sententiam, qua plurimum pertendimus, ipsum, non satisfaciente muliere, obligari ad satisfaciendum per integram damni compensationem. Siquidem non minori fundamento damnum istud veniat ei computandum, quam ipsius hominis male mulctati mors, ei, qui mandavit, illum verberari, imputatur.

(g) Dom. Sotus lib. 4. de Just. & Jure q. 7. art. 2.

(h) Bonifac. VIII. in can. Is qui fin. homicidio in 6.

Diximus: *non satisfaciente muliere*, ipsi etenim Mulieri primario incumbit satisfacere. Quamobrem si sufficientibus bonis sit potens, quorum Dominium habeat, & de quibus possit ad libitum disponere; obligatur coram Deo, ad eadem impendenda in prædictam damni compensationem; ut evicimus in præcedenti decisione. Verum si nullis bonis gavisa fuerit; non obligatur, nisi ad pœnitentiam agendam, & pro virili parte agendum apud Patrem adulterinæ prolis, ut ab eo, quæ sibi incumbit, obtineat suppleri satisfactionem.

CASUS CLVII.

ALEXANDER, cum ex adulterio, quod cum Antonia uxore Ludovici commisit, prolem habuerit, sibi proposuit ac constituit, quod ex suo peccato cæteris legitimis liberis Ludovici fuit illatum, congruentem afferre damni reparationem: quamdiu Ludovico vita etiamnum suppetit, atque adeo prius, quam suus filius Adulterinus cum eis fuerit hæreditatem partitus. Verum incertum est, qua ratione, & cuinam sit restiturus. Si namque Ludovico satisfaciat, & Ludovicus deinde decesserit, filius adulterinus portionem de hæreditate defuncti non tantum attinget; sed etiam partem suam referet de ea, quam præstiterit, damni compensatione. Si liberis ex justo matrimonio natis restitutionem rependat; rependet immerito fortasse: quoniam dictus adulterinus filius potest mortem obire, antequam Ludovicus ipsius putativus Pater vitæ finem impleat; atque in eo casu damnum omnino foret minus ac multo levius; siquidem non excederet ultra victum & vestitum prædicti liberi ad diem usque vitæ ipsius inprenium. Quonam potissimum consilio a suo Confessario juvandus est? Quantam

esse

esse jubebit, quam ille ei imponet, restitutionem? Cuinam vero auctor erit ut restituat?

RESPONS.

Nec rationi nec æquitati videtur consentire, quod Alexandro obligatio inducatur, nunc actu & de facto restituendi filiis legitimis tantum, quantum filius adulterinus accepturus est de successione Ludovici sui Patris putativi, postquam eandem licuerit adire; siquidem possit iste filius decedere prius, quam Ludovicus diem supremum obierit, in eoque casu restitutio futura esset omnino nimis excedens: verum diligenter inquirere debet, quantæ fuerint impensæ, quas Ludovicus contulit in sustentandum & educandum istum filium, ratione habitæ ipsius status conditionis, & eundem in matrimonium, aut quacumque alia ratione collocandum. Si namque jam collocatus sit, favet occasio restituendi in integrum quidquid Ludovicus expendit, ut eo usque eum adduceret; atque præterea sic animo decet esse comparatum, ut postmodum reparetur totum damnum, quod accessurum est ipsius legitimis hæredibus, si deinceps contingat, memoratum filium adulterinum simul cum ceteris filiis ex justo matrimonio natis in partem hæreditatis venire, aut si fuerit solus, ab eo universam adiri successionem in damnum eorum, quibus jure legitimo cedere deberet.

Atque ista prorsus ratione Navarrus propositam dissolvit difficultatem (*a*): *Itaque*, inquit laudatus Canonista, *omnia resolvendo, dicendum, quod si persona obligata ad hoc restituendum, accesserit ad Confessarium, priusquam pater putativus moriatur; debet se informare, quantum expenderit in filio putativo educando, vel forsan dotem aut sponsalitiam largitatem ei tradendo, vel in literarum studiis sustentando; & sic quam & quantam mercedem meruerit filius putativus a suo patre putativo, & habita horum ratione præcipiat illi personæ, ut id residuum quod Patri debetur ei restituat; persuadeatque illi, ut concipiat propositum restituendi cui oportuerit id quod præfatus filius putativus de bonis patris putativi acquisiturus est, si supervixerit illi.*

(*a*) Navarr. Manual. c. 16. n. 36.

CASUS CLVIII.

Si præfatus Alexander, quo tempore conditionem faciendæ restitutionis ultro offert, ipsam animam agere jam incipiat, quo potissimum modo poterit istam adimplere restitutionem, ut juste simul atque convenienter satisfaciat? Si enim restituat filiis legitimis, aut ceteris hæredibus tantum, quantum iisdem damni poterit adulterinus suus filius inferre, non modo propter impendia, quæ Ludovicus ipsius Pater putativus huc usque contulit in illius educationem, sed etiam propter partem bonorum, quam post Ludovici mortem accepturus est; nec justa videtur neque conveniens ipsa restitutio: quoniam nulla ratione certum est, futurum, ut neque Ludovico, neque legitimis ipsius filiis puer prædictus sit remansurus superstes. Quid ergo facto opus est, ut Confessarius possit Alexandri jam animam agentis conscientiæ tuto consulere?

RESPONS.

Confessarius Alexandri non ei debet inducere obligationem damni, quod incertum est, quodque nec legitimi filii Ludovici, nec ceteri ipsius hæredes nunquam fortasse sentient, reparandi. Primum ergo necesse est, ut ipsum subjiciat obligationi damni, quod certo certius est, compensandi, hoc est refundendi quidquid jam sumtus Ludovicus recte fecit in adulterinum filium. Ceterum, quod pertinet ad damnum dubium & incertum, oportet, ut eum obliget ad illud idem resarciendum juxta æstimationem, quæ haberetur ex judicio viri prudentis, intelligentis, & nulla alia ratione nisi illius, quod ex æquitate ducitur, incorrupte atque integre agentis, pensato tamen dubio, ut inde determinari possit, num major aut minor statuenda sit damni compensatio. Atque hæc istius rei caussa est, quia quod Leges non definiere, definiendum venit potissimum *judicio viri prudentis*; ut evincere licet non tantum ex Legibus Romanis (*b*), sed etiam ex quadam Decretali, quam Alexander III. inscribit Episcopo Carnotensi, in qua laudatus Papa ait (*c*), quam alicujus delicti pœnam Canones non determinant, a Judice statuendam esse *pro delicti qualitate & caussæ*. Unde inferendum est *a simili*, in ejusmodi casu, qui hic loci proponitur, standum quoque esse judicio viri prudentis & æqui rerum æstimatoris.

(*b*) L. *Si servus*. 1. § 2. ff. de jure deliberandi. l. 28. tit. 8.

(*c*) Alex. III. in c. *De causis*. 4. de officio & potestate Judicis delegati. lib. 1. tit. 29.

Cui decisioni sententia Navarri tota favet istis verbis (*d*): *si præfata persona pœnitens est mortis periculo propinqua, relinquat aliis filiis, ut duxit Sotus* (*e*), *non tantum, quantum deberetur eis, si jam hæreditatem accepissent, una cum illis filius putativus; sed tanto minus, quanto minoris æstimari debent bona post Patris putativi mortem illi quærenda, ob illam dubietatem, an acquisiturus sit, necne: idque facere poterit meliorando, ut Jurisconsultorum vulgus loquitur, alios filios de illa bonorum parte, quam, cuicumque volet, libere potest relinquere juxta varias variorum Regnorum Leges.*

(*d*) Navar. Manual. cit. c. 16. n. 50

(*e*) Dom. Sotus l. 3. de just. & jure q. 7. art. 2.

CASUS CLIX.

Geruntius ex deflorata quadam virgine susceptum liberum unum secreto curavit in Xenodochium puerorum expositiтiorum admitti, tum ut ea ratione malo exemplo occurreret, tum ut ipsius virginis honori ac famæ consuleret. Obnoxiusne est obligationi necessariorum impendiorum, quæ tum in victum, tum in vestitum pueri istius admissa sunt, prædicto Xenodochio restituendorum?

RESPONS.

Quoniam omnia Xenodochia in gratiam Pauperum & derelictorum maxime instituuntur & dotantur; iri non potest inficias, quin Geruntius sit cujuscumque faciendæ restitutionis immunis, si pauper ipse cum sit, non habeat, unde possit puero, quem ex depudicata virgine suscepit, vitæ subsidia suppeditare: Siquidem pauperis Patris sortem pauper ipse filius sequi censendus sit. At e contrario si is fuerit, qui possit de propria substantia, quod conferre necesse est in sustentandum & educandum suum filium, subministrare; proculdubio non potest, nisi ex manifesta prorsus injustitia, onus istud a semetipso inclinare in Xenodochium, & tenetur, ad quidquid impendiorum faciet in victum vestitum & alia vitæ necessaria istius pueri eidem refundendum. Ita docet S. Antoninus (*f*), qui sic loquitur: *Qui etiam filios per adulterium, vel fornicationem acquirunt, sed ad occultationem peccati & ad tollendum scandalum mittunt ad hospitalia, tenentur illos alere expensis suis & eis providere si possunt*. Quod idem etiam habet Navarrus (*g*), ut jam observavimus alibi, in discutienda alia fere ejusmodi difficultate, ubi demonstravimus, reditus ac bona Xenodochiorum destinari sustentandis & alendis pauperibus, atque id potissimum intendisse eos, qui eadem assignatis reditibus instituere, aut piis suis contributionibus ac eleemosynis sustinent, non quidem ut reditus eorum in nutriendos eos conferantur, qui victum sibi possunt & debent aliunde quærere; sed eos tantummodo, qui cum vere egeant, miserandumque in modum habeantur pro derelictis, nulla alia ratione possunt sibimetipsis succurrere. *De Xenodochiis & aliis similibus locis*, inquit Summus Pontifex Eugenius (*h*), *per sollicitudinem Episcoporum, in quorum Diœcesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur.*

(*f*) S. Antonin. sum. theol. part. 2. tit. 2. c. 24. in fine.

(*g*) Navarr. Manual. c. 16. n. 48.

(*h*) Eugen. in cap. *De Xenodochiis*. De Religiosis domibus &c. l. 3. tit. 36.

CASUS CLX.

Septem aut octo creditores cum quoddam Mæviæ prædium obtinuissent, reali manus injectione poni in custodia, & illud idem, constituto annuo reditu duorum millium ducentarum librarum judiciaria formula elocavissent; Titius unus ex eis ægre ferens, dictum prædium jam ab annis sex in custodia positum vendi non posse, obstantibus nimirum, quæ in suum patrocinium ipsa impetraverat a Consilio sanctiori sibi concedi, diplomatibus, & plurimis litium ambagibus, quas ipsa adhibuerat, ut ejusdem venditioni moram & impedimentum injiceret; conditionem prædictæ mulieri fecit agendi, ut ipsi, pacto pretio quadraginta millium

librarum, ceteris Creditoribus insciis, adjudicaretur suo ementito nomine Caji, quo cautionis caussa reciperet antigrapham.

Conditionem oblatam a Titio Mævia lubens acceptavit; atque ut eum cautius adduceret ad eandem exsequendam, fidem ei fecit, semetipsam obligando privata sua syngrapha, futurum, ut in ipsius tantummodo gratiam, quam intenderat; assignari sibi tamquam viduæ per consuetudinem ususfructus quindecim millium lib. sortis actione desisteret, modo eo agente, prædium prædictum pro pretio, quod proposuerat, sibi adjudicaretur; atque etiam ipsa consentiret, quod antea ipse emerat, & de quo repetendi memorati ususfructus sibi jus cedebat; prædium S. Blandini pleno atque integro jure possessionis ei remansurum; jus illud sibi servans in alio prædio, quod etiam manus injectione reali positum in custodia fuerat, necdum venditum erat aliquando, quantum ad istud caput exercendum.

Titius, ut conditionem propositam exequeretur, summopere precatus est, ut quoties licitatores aliqui die indicta conveniebant, auctionis præconia in alium diem extollerentur: ac tandem, cum una quadam die ipse solus adesset, qui faceret licitationem appositis plurimis forensibus Procuratoribus, qui simulantes, se se nomine variarum personarum licitari; nihilominus cum eo colludebant, judiciariam adjudicationem intercepit ea ratione in gratiam Caji, quem Mævia interposuerat, constituto pretio quadraginta millium librarum juxta eam, quæ inter se & ipsam accesserat, conventionem.

Ceteri vero Creditores ubi primum fuerunt de ista adjudicatione facti certiores, gravissimam querimoniam habuerunt; & contenderunt, prædium istud multo minus suo pretio venditum fuisse: quod ut manifestum facerent; obtinuerunt, futurum ut in rem præsentem veniretur, ac quæstio deinde eadem de re institueretur, & quoniam suspicabantur, sub ementito nomine Caji in gratiam Mæviæ confectam fuisse adjudicationem; obtinuerunt; sibi ab Ecclesia per solemnem & sacram admonitionem succurri, quo valerent probationes & argumenta rei istius undequaque quærere; & eo pervenire, ut præfatum prædium sub nomine Mæviæ iterata adjudicatione juxta formulas juris venumdaretur; verum sive ex gratia & auctoritate Titii & Mæviæ, sive quoniam isti Creditores metuebant, ne ex illa nova controversia obnoxii futuri essent magnis pecuniæ intertrimentis, aliunde vero incerti erant; num res feliciter succederet; ab eadem ulterius urgenda penitus abstinuerunt: adeo ut Mævia prædicti prædii possessionem retinuerit. At quia non habuit; unde solveret pretium adjudicationis in manibus Custodis depositorum; iste Custos egit, ut iterum venderetur præfatum prædium nomine Caji, quem interposuerat Mævia, cui Vir nobilissimus occurrit, qui prædium istud omnino sibi mire conveniens emit pretio sexaginta millium libr. & ipsi Mæviæ præterea assignavit pensionem duorum millium quingentarum librarum, ad quam se se obligabat ad ipsius vitæ tempus persolvendam.

Mævia istis emolumentis non contenta, præterea curavit, jus, quo gaudebat circa concessum sibi ex dispositione consuetudinis usumfructum, collocari in prædium, quod supererat vendendum. Sed non favente sibi, quæ obtinebat in regionibus istis, consuetudine, non potuit ipsa, quantum ad prædictum jus, nisi in ordinem & locum posteriorum Creditorum recenseri; neque etiam, ipsis fundis non sufficientibus, solutionem recipere. Qua de re recurrit ad Titium, & nihil obstante, quam ipsi scripserat, privata syngrapha, qua quantum ad eum pertinebat; usufructu suo desistebat, eum in judicium venire, facto ei vadimonio, jussit ut condemnaretur ad ei persolvendum, quidquid ei consuetudo concedebat ususfructus. Titius ad defendendam suam caussam, syngrapham ipsius allegabat; verum post exantlatas plurimas tricas forenses, sciens, istam syngrapham nihil in judicio sibi profuturam, cum ea pactus est, futurum ut ei numeraret septem millia libr. præsentis pecuniæ, quam summam ei persolvendo nihilominus testificatus est; tandem futuram esse ad onus ipsius conscientiæ, quod nimirum istam pecuniam reciperet, adversante omnino bona fide illius, quæ accesserat ex utraque parte præcedentis conventionis. Sed Mævia reposuit Titio; sibi nihil religionis esse pecuniam istam recipere, quin potius, nihil quidquam impediente prædicta ista conventione; sibi debere in integrum cedere universam debiti solutionem; neque se se eo, quod præterea excurrebat, desistere; nisi propterea quod sibi exploratum esset ex negotio secum gesto ei detrimenti plurimum emergere; propterea quod ei superessent ultra duodecim millia libr. de creditis posterioribus ceterorum Creditorum nominibus, quorum non posset, fundis non sufficientibus, percipere solutionem.

Neque tamen alienum erit observare, cum Titius advertisset; se se urgeri ad solutionem prædicti ususfructus; eum sic egisse, ut ipsemet obtinuerit, de ceteris aliquibus possessionibus Mæviæ, quæ non erant in manum Regis traditæ, sibi persolvi summam quindecim millium lib. quæ ipsam adæquabat summam ususfructus; ipsa Mævia ceterisque omnibus Creditoribus prorsus insciis; atque ea ratione ei accessisse integram solutionem illius, quod ei debebatur ex credito anteriore nominibus aliorum Creditorum; quin etiam octo millium libr. præterea excurrentium, quæ deducenda veniebant ex duodecim millibus libr. ei debitis ex credito posteriore. Quibus præmissis, quærit Titius,

1. Utrum in foro conscientiæ teneatur præstare ceteris Creditoribus illud, quo minus suo pretio venditum fuit istud prædium?

2. Utrum sibi incumbat referre in gratiam eorumdem creditorum, quæ supersunt, & veniunt in partem ususfructus concessi Mæviæ libr. octo millia. Quatuor vero rationes subsequentes allegat; ut se se subducat ab istius Lege restitutionis.

Primam nimirum; quod licet fecerit cum Mævia totum istud negotium per collusionem, non alio tamen fine egerit; nisi ut utilitati suæ propriæ serviens, simul etiam rebus consuleret ceterorum creditorum. Tot namque cavillationes adhibuerat Mævia adversus eos a plurimis annis, ut eo pervenire non potuissent, quo obtinerent; ejus prædium memoratum venumdari, quod quidem, cum judiciaria locatione, nonnisi constituta annua duorum millium ducentarum libr. pensione, fuisset elocatum, deterius in dies fiebat; præsertim vero ædes Clientelares, quæ maxime dilacerabantur atque omnino erant ruinosæ. Adeo ut sit verisimile prorsus, futurum fuisse ut, nisi prædicta conventio inter se & Mæviam intercessisset, prædium ipsius etiamnum remansisset venale.

Secundam vero caussam allegat, quod cum ususfructus, qui Mæviæ viduæ cedit ex dispositione Consuetudinis, nulli sit obnoxius manus injectioni, proprii Mæviæ juris esset; adeoque valeret ipsa vel eundem in integrum donare, vel ex parte tantummodo, cui sibi videretur ac liberet; proindeque potuerit ei partem illius condonare, absque eo quod esset, unde ceteri Creditores possent ulla ratione isti condonationi obstare.

Tertiam dicit; quia suadet hoc ipsum naturalis æquitatis dictamen, ut Creditores alicujus, qui alieno ære obrutus est, & cujus possessiones reali manus injectione in custodia ponuntur, eidem relinquant, unde possit in sua rerum angustia vitam sustentare. Quamquam ergo verum esset, profuisse Mæviæ prædictam collusionem; nihil quidquam in ea re foret, quod possent alii Creditores jure reprehendere.

Quartam denique rationem subdit, quod equidem Mævia suum prædium sexaginta libr. millibus vendiderit; prætereaque obtinuerit, sibi a Partore constitui ad vitæ suæ tempus duorum millium quingentarum librarum pensionem; sed illud emolumentum ipsius industriæ sit attribuendum & fortunæ, quibus scilicet agentibus, ei occurrit vir nobilissimus, cui mire conveniebat prædium, quod nisi se se dedisset adeo fortunatus eventus, atque si præconis voci fuisset ex judiciaria sententia subjectum,

jectum; ad immensum istud pretium nunquam assurrexisset. Praeterea vero Titius addit, posito quod ex adjudicatione non collusoria pretium praedii in summam quinquagiota quinque millium libr. exarsisset, (quod nullatenus ad verum accedit), Maeviae semper juris istud succurrisse, ut inde sibi retineret quindecim millia libr. in solutionem sui ususfructus: neque ex iisdem superfuisse superstitem, nisi summam quadraginta millium libr. omnibus Creditoribus ex aequo dividendam.

Respons.

Est haec nostra opinio, Titium obligari ad praestandum ceteris creditoribus Maeviae non tantummodo damnum, quod ex sua collusione ac mala fraude iisdem intulit, ad summam usque, in quam potuisset exardescere pretium istius praedii, si bona fide, creditoribusque universis consentientibus, servatisque consuetis formulis judiciariis illud ipsum fuisset adjudicarum; verum etiam ad refundenda iisdem omnia pecuniae detrimenta, quibus obnoxii fuerunt ex cullusione, quam adhibuit in fraudulentu praefati praedii adjudicatione. Quod apertum fiet ex ipsa rationum confutatione, quas plurimum laudat, ut se se faciat, quae sibi incumbit, restituendi obligationis immunem.

Neque vero illius est pretii ratio, quam primo loco causatur. Ultro namque fatemur, ex collusoria ista, quam conficiendam curavit, adjudicatione, paululum quid ceteris Creditoribus accessisse solutionis. Verum istud, quod ipsi perceperunt, multo minus est eo, quod percepissent, si praedium justo suo pretio venditum fuisset. Jamvero res est manifesta, illud praedium sub ementitu confictoque numine Caji multo minus suo vero pretio Maeviae adjudicatum fuisse; siquidem ipsa illud ipsum primo quidem emtum sibi paulo post vendiderit fere ultra dimidium pretii, quo sibi consisterat; hoc est, redeunte sibi lucro viginti millium libr. quantum ad sortem, & constitata sibi ad vitae suae tempus duorum millium quiogentarum libr. pensione, quae aestimanda est pretii quindecim millium libr. sortis principalis eadem accepta usuris dextantibus, pruut solent accipi umnes aliae ejusdem conditionis pensiones. Titius ergu damnum istud intulit ceteris Creditoribus ex mala fraude ac collusione, quam, lecum agente Maevia adhibuit, nedum ex fraudulenta ista adjudicatione, ut falso supponit, rebus eorum consuluerit. Igitur obligatur ad illud idem resarciendum.

Aliunde licet daretur, aedes Clientelares istius praedii omnino dilacerari ac ruinosas esse; neque forsitan fuisse futurum, ut nonnisi post longum admodum tempus praedium istud venumdaretur; nihil inde Titius juvatur, siquidem ista venditio non illius tantum interesset, neque posset in ea re agere ex sola sua sententiu, nec nisi consentientibus verbis expressis universis aliis Crediruribus juxta sequentem regulam juris (a): *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

(a) Reg. 29. de reg. juris in 6.

Sed, quam secundo loco profert, rationi nihil majoris ponderis adjicitur. Licet etenim conveniat, proprii juris mulieris viduae esse usumfructum, qui ei de bonis ipsius Mariti conceditur, & de eodem, quidquid ei libuerit, posse ab ipsa, cui visum fuerit, donari; nihil inde Titius potest in suum patrocinium inferre quantum ad propositam speciem; siquidem omnino constet, quam ei condonationem octo millium librarum Maevia indulsit, non habendam esse ut meram munificentiam, sed quasi consectarium quoddam subsequens ex iniqua ac fraudulenta, quae inter utrumque in fraudem & injuriam ceterorum creditorum accesserat, conventione.

Quod autem vir praefatus subjicit, nimirum istam sibi condonationem indultam fuisse a Maevia cum eo potissimum animo ut duodecim millium libr. jacturae, quae sibi aliunde emergebat, & quarum solutionem non poterat habere, propterea quod sibi deberentur ex credito posteriore ceterorum creditorum nominibus, compensationem reciperet; jugular se suis verbis & sua confessione. Quum enim veteri creditores juvarentur hypothecario jure, quod ea, qua gaudebat ipse potius & antiquius erat, hypotheca, nihil ipsi juris cedebat de bonis ac possessionibus Maeviae solutionis accipiendae crediti. Quibus praeterea licet addere, ex calliditate ac secretis artibus ei jam accessisse de aliis praediis Maeviae, quae non ponebantur in custodia, solutionem quindecim millium librarum.

Tertia vero caussa, quam sub praetextu pietatis extollit, non magis quam praecedentes, conferunt, ad eluendam ipsius iniquam agendi rationem. Etenim licet juxta naturalis ipsiusmet aequitatis dictamen verum sit, creditores alicujus, qui demersus est aere alieno, & cujus possessiones reali manus injectione undequaque ponuntur in custodia, non posse eundem fraudare, unde valeat in ipsa rerum inopia, qua premitur, vitam sustentare, secundum isthaec verba legis (b): *Nec enim fraudandus est alimentis quotidianis*; ad ipsum tamen Titium non pertinebat, illud officium aequitatis erga Maeviam adimplere, sed ad universos alios Creditures, quibus id muneris simul cum eo concordibus animis perficere potissimum incumbebat. Quamobrem censetur in culpa esse, quod solus ipse ex sententia proprioque suo marte illud attentaverit: *Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet*, inquit Bonifacius VIII. (c) Praeterquam quod auxilium, quod eam juvabat, multo plus aequo vitae ipsius necessarium excederet; ut facile est ex jam dictis evincere.

(b) L. *Qui bonis*. 6 ff. de cessione bonorum. lib. 42. tit. 3.

(c) Reg. 19. de reg. Juris in 6.

Quarta denique ratio, qua Titius innititur, ut procul a se se dimuveat obligationem resarciendi damni, quod ex sua cum Maevia collusione ceteris creditoribus intulit, futilis omnino est, ac nullo certo argumento videtur admittenda. Ut quid enim attribuatur tum industriae tum fortunae praefatae mulieris, quod virum Nobilissimum repererit, qui voluerit sibi acquirere praedium ipsius pretio sexaginta millium libr. eique praeterea ad ipsius vitae tempus constituere duorum millium quingentarum libr. pensionem? Nonne creditoribus perinde ac ipsi mulieri se se poterat vir ille nobilissimus offerre? siquidem praefato emtori praedium istud prorsus conveniret; nunne locus datur conjiciendi, futurum fuisse, ut pro comparando sibi dicto praedio, quantum pretii mulieri dedit, tantumdem crediroribus rependisset? Atque cum ab annis plurimis poneretur in custodia ex reali manus injectione, numquid res eum poterat aliqua ratione latere? Quin potius tandem nunne est, unde videatur ad ipsam rei veritatem magis accedere, eundem praedicti praedii emendi gratia fuisse venturum in eorumdem conspectum; aut oblaturum se se fuisse saltem, ut inter faciendas auctiones, suum ipsemet pretium constituere posset ubi primum habuisset unde pretium istud persolveret; quemadmodum habuit reipsa paulo post completam fraudulentam adjudicationem? Nedum igitur ceteris Crediruribus incumbat acceptum referre Titio, quod septem librarum millia numeraverit Maeviae in partem solutionis ususfructus, qui ei conceditur de bonis ipsius Mariti, qua quidem summa deducta e quadraginta millibus librarum, quas ipsa dedit in pretium praedii sibi emti sub interposito numine Caji, pretium istius praedii redigeretur ad triginta tria millia librarum; quin potius ipse Titius obligatur ad offerendam iis totius damni, quod ex sua collusione iisdem induxit, compensationem, & refundenda quaecumque ipsis inde emerserunt legitima pecuniae intertrimenta. Quod etiam locum haberet, licet concederetur, in ea re nihil ab eo actum fuisse nisi bona fide, & remoto quocumque animo injuriae iisdem facessendae: utpote constet, quod quis ex alterius facto damnum patitur, sive contigerit ex dolo, sive ex aliqua culpa etiam levi, ab auctore suo reparandum esse juxta isthaec verba legis (d): *Injuriam autem hic accipere nos oportet, non quemadmodum circa injuriarum actionem, contumeliam quamdam: sed quod non jure factum est; hoc est contra jus.... itaque injuriam hic accipimus, culpam datam, etiam ab eo, qui nocere noluit.*

(d) L. *Sed & si*. 5. §. 1. ff. ad Leg. *Aquiliam*.

CASUS CLXI.

Herculus rerum Domesticarum cujusdam Ducis ac Paris præpositus Procurator, sarcinatori cuidam proponit conditionem istam, quod; si voluerit tum suas, tum uxoris suæ vestes sine ulla spe mercedis concinnare, eum præ ceteris electurus sit; ut vestes heri sui, totiusque ipsius familiæ tradat ei conficiendas. Conditionem oblatam sibi lubenti animo sarcinator acceptat, & ab annis septem vel octo perficit. Numquid præfato Procuratori inducenda est obligatio alicujus restitutionis erga prædictum Sarcinatorem?

RESPONS.

Jam observavimus alibi, obtinere hoc apud universos passim Theologos tamquam certissimum atque omnino indubitatum principium, nunquam restitutioni locum esse, nisi cum adversus commutativam justitiam directe vel indirecte peccatum fuerit. In eo igitur tota quæstio vertitur, num Herculus virtutem istam aliqua ratione violaverit. Quod quidem in casu proposito nullo modo nobis comprobari videtur. Quamquam etenim in ipsa rei veritate jure possit contendi, illum non debuisse exigere a Sarcinatore, ut ei vestes concinnaret gratuito ex animo memori illius lucri, quod sibi afferebatur ex vestibus tum ipsius heri, tum totius ejus familiæ conficiendis, non ideo tamen peccavit adversus justitiam. 1. Quoniam Sarcinator nedum receperit aliquod damnum ex sua, quæ inter eum & Procuratorem memoratum accessit, conventione; quin immo magnum ac plurimum omnino lucrum inde habuit in pretium exigui istius emolumenti, quod ad Herculum rediit. 2. Propterea quod nihil caussæ subesset Herculo, quamobrem illum haberet ceteris Sarcinatoribus potiorem. 3. Quia nullum dolum adhibuit, ut illum adduceret ad conditionem, quam ei ferebat, acceptandam. Ex quibus colligendum venit, lucrum istud, quod inde sibi fecit dictus Procurator, honestum equidem non esse, & propria nominis appellatione donandum esse illius, quod dicitur *turpe lucrum*, quoniam nullum ei jus cedebat ejusdem sibi exigendi; quippe ministro ejusmodi incumbat ex debito tum proprii honoris, tum propriæ conscientiæ eos sempre habere potiores absque ullius privati commodi nec respectu, nex exactione, quos noverit officiis hero suo præstandis aptiores: nihilominus nullam ei obligationem inducendam esse quidquam afferendi restitutionis Sarcinatori, qui potuit & voluit exiguum illud emolumentum rependere ex grato animo beneficii, quod sibi conferebatur. Cui quidem decisioni, quæ auctorem habet insignem Theologum (*a*), subjicimus, nos nullatenus intendere eandem nostram facere, nisi quatenus constiterit, Herculum plurimum cavisse, ne prædictus Sarcinator quidquam exigeret præter mercedem sibi debitam tum pro manupretio, tum pro ipsa vestium suppeditatione. Si quid enim ab ipsis per collusionem, quantum ad eam rem, factum fuisset; utrique obligatio in solidum incumberet satisfaciendi per congruentem restitutionem.

(*a*) Sambovius tom. 3. Casu 224.

CASUS CLXII.

Fuldradus animo habens virginem quamdam sibi consanguineam, cujus tota res constat ex duobus tantummodo librarum millibus, in matrimonium collocare, eandem Eusebio proposuit, & affirmavit, ipsi rei omnino expeditæ, nec aliquatenus intricatæ, esse sex librarum millia, quamquam sibi contrarium prorsus innotesceret. Eusebius, qui Fuldrado totus confidebat, consensit, futurum ut præfatam virginem sibi uxorem adjungeret; verbis nihilominus expressis significans, nunquam futurum, ut eandem in matrimonium esset ducturus, nisi rem istam secum afferret. Fuldradus cum iterum, & quidem adhibito juramento, eidem confirmavisset, ipsi virgini vere tantumdem esse divitiarum; sponsalia celebrata sunt. Eusebius vero, detecta postmodum fraude, quam Fuldradus ei struxerat, ab eo petiit, sibi restitui quatuor libr. millia, quæ deerant doti virginis memoratæ. Fuldradus reposuit, in ejusmodi materia nullum locum esse restitutioni, & ipsi licitum prorsus fuisse, quin etiam eum oportuisse, priusquam eandem sibi adjungeret uxorem de facultatibus ipsius se se reddere certiorem. Utri jus?

RESPONS.

Eusebio jus in integrum succurrit. Omnes enim qui fraudem alicui injiciunt, aut injicientibus opem ferunt, suadendo vel simulando, quemdam matrimonio maturum locupletiorem esse ac familiaris rei copiis magis pecuniosum, quam extat in ipsa rei veritate, sub eo prætextu, quod ipsi locus offeratur nubendi in divitiis majores, quam nuberet, si constaret, ipsi tantum esse res admodum pauperculas nimiumque modicas, non modo fraudis ac mendacii, sed etiam injustitiæ reatum contrahunt, adeoque restitutioni fiunt obnoxii erga personam, cui subdolis suis artibus fucum fecerunt; quando ex eorum testimonio matrimonium subsecutum est, neque alias unquam subsecutum fuisset. Atqui Fuldradus imposuit Eusebio in ipsius animum inducendo false, suæ consanguineæ rei omnino expeditæ esse sex librarum millia, quamquam pro certo haberet, rem, quæ ei erat, totam non assurgere ultra summam duorum millium libr. neque Eusebius consensit venire in istud matrimonium, nisi plurimum innixus ipsius testimonio, & quia totus in eo confidebat, quin etiam apertis verbis indicavit, futurum ut nisi rem istam haberet, nunquam animo adjiceret eam sibi adjungere uxorem; tandem matrimonium non contraxit, nisi ex repetita iterataque asseveratione, qua Fuldradus ei affirmavit, & adhibito etiam juramento confirmavit, vere ac certissime ipsi esse duo millia nummorum: igitur culpam fraudis, perjurii atque injustitiæ simul admisit, & obligatur, ad afferendam Eusebio quatuor millium libr. quæ deerant doti, quam accepturus erat, cum virginem istam sibi adjungeret uxorem, compensationem (*b*).

Neque vero, ut præsens hæc nostra decisio roboretur, necesse est aliunde conquirere auctoritatum testimonia, quam ex suffragio Gregorii IX. quod jam multoties imploravimus in aliis ejusmodi difficultatibus enodandis. En ipsius verba sunt. (*c*) *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti... jure super his satisfacere te oportet.* Adest quoque nobis quædam Lex de Digesto depromta (*d*), quæ ita fert: *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.* Quæ prorsus sufficiunt, ut aperta fiat ac manifesta, quæ Fuldrado necessitas inducitur damni, quod intulit Eusebio, in integrum reparandi; siquidem non occasionem eidem tantummodo præstiterit, sed ipsius fuerit caussa efficiens ex sua mala fraude, suoque perjurio.

(*b*) Sambovius tom. 3. Casu 232.

(*c*) Greg. IX. in cap. Si culpa. fin. de Injuriis & damno dato. l. 5. tit. 36.

(*d*) L. Qui occidit. 30. §. 3. ff. ad Legem Aquiliam. lib. 9. tit. 2.

CASUS CLXIII.

Eustasius Rodolpho commodavit quingentas libras sub Chirographi cautione, cui subscripsit unus tantummodo Notarius, nullis secum adhibitis testibus. Creditore simul & debitore defunctis, reperta est inter titulos & instrumenta Rodolphi debitoris ista chirographi cautio. Godefridus ipsius testamenti Curator eandem subductam tradidit in manum Joannis filii Eustasii; Joannes eadere sumpsit a forense suo Procuratore consilium, qui ei dixit, si nulla apocha appareret, qua probaretur, istam Chirographi cautionem dissolutam fuisse, ab ipso proculdubio posse de hæredibus Rodolphi ejusdem exigi solutionem, sed operæ pretium esse, ut prius caveret, eidem secundo loco ab altero Notario subscribi, quod quidem consilium Joannes secutus, quamquam anni jam decem abiissent a confecta illa Chirographi cautione, solutionem quingentarum libr. ab hæredibus Rodolphi petiit, & adversus eosdem obtento damnatorio judicio, percepit.

Qua de re quæritur 1. num Godefridus recta conscientia potuerit istam Chirographi cautionem tradere in manus Joannis? 2. Utrum Joannes peccaverit, sequendo bona fide sibi datum a Procuratore

ratore suo consilium; hoc est, cavendo, Chyrographi cautioni secundo loco ab altero Notario subscribi, & vi damnatorii judicii, quod in hæredes Rodolphi dari obtinuerat, solutionem exigendo quingentarum librarum? 3. An posito, quod recta conscientia non potuerit earumdem exigere solutionem, teneatur ad istam summam iis restituendam, simulque litis impendia, quæ sustinuerunt, ut sese ab eadem solvenda subducerent? 4. Utrum Notarius, qui secundo loco prædictæ Chirographi cautioni subscripsit, absque peccato potuerit subscribere; & quid ei potissimum obligationis incumbat, posito quod absque peccato subscribere non potuerit? 5. Godefridus obnoxiusne est alicui restitutioni? 6. Si prædictæ Chirographi cautioni contigisset, a duobus Notariis fuisse subscriptum, cum inter Titulos & instrumenta Rodolphi occurrit; Joannes filius Eustasii, cui locus omnino adesset subodorandi, aut ipsam eandem a Rodolpho dissolutam fuisse, aut ab Eustasio gratuito condonatam; Obligareturne in eo casu, ad quingentas libras, quas ab illis recepisset, hæredibus Rodolphi restituendas, & eo non satisfaciente, num recideret in Godefridum, qui eandem in ipsius manus tradidisset, ejusdem obligatio restitutionis?

RESPONS.

1. Godefridus non potuit absque peccato & absque injustitia nec subducere, nec tradere Joanni Chirographi cautionem quingentarum librarum, quæ mortuo Eustasio, inter titulos & instrumenta Rodolphi reperta est. Animo namque debebat præsumere, eandem vel dissolutam fuisse a Rodolpho debitore Eustasii, vel eidem ab ipso Eustasio gratis condonatam; siquidem alioquin nusquam contigisset, eam in ipsius manus pervenisse: Adeoque nullo jure cessisse Joanni filio atque unico hæredi Eustasii, in cujus manus illam proinde nullatenus potuit, nisi violatis justitiæ Legibus, tradere. Unde sequitur, Joanni non licitum fuisse, eandem sibi vindicare, neque ejusdem exigere ab hæredibus Rodolphi solutionem; quanquam nihil in eo egerit, nisi ex consilio sui Procuratoris forensis: quippe consilium istud perniciosum sit prorsus simul & injustum; & sub cujus prætextu non possit conjici, illum egisse bona fide; præsertim vero, quod caverit secundo loco præfatæ Chirographi cautioni ab altero Notario subscribi post decem annos a die eidem apposita, in qua quidem re Notarium istum apertæ falsitatis conscium faciebat atque participem. Obligatur igitur coram Deo Joannes, non tantum ad restituendas hæredibus Rodolphi quingentas libras, quas ab iisdem extorsit vi instrumenti informis; quod nusquam obtinuisset in judicio, nisi in illud cautum fuisset, intrudi prædictam falsitatem; verum etiam ad refundenda iisdem tum omnina pecuniæ intertrimenta, quæ ipsis induxit, tum quidquid aliunde, ea de re, illis fuit illatum detrimenti. 2. Neque etiam potuit Notarius, nisi ex mortali peccato & manifesta prorsus injustitia, secundo loco prædictæ Chirographi cautioni post decem annos a die eidem apposita subscribere; adeoque tenetur in solidum simul cum Joanne ad eandem restitutionem; siquidem efficiens ac vera causa sit totius damni, quod ex falsitate, quam commisit, hæredibus Rodolphi emersit. 3. Quod idem extendendum est ad Godefridum quantum ad obligationem restituendi, quæ ipsi quoque in solidum inducitur; quippe qui sit primarius Autor injustitiæ, in quam cæteri impegerunt. 4. Denique dici potest, quanquam contigisset præfatæ Chirographi cautioni a duobus Notariis fuisse subscriptum, cum reperta est inter titulos & instrumenta Rodolphi, eandem nihilominus non potuisse, nisi ex summa perfidia, manifestaque injustitia, ipsi Joanni a Godefrido tradi: quoniam, ut jam advertimus, eo ipso quod Creditor e manibus suis dimisit titulum sui crediti, & titulus iste pervenit in manus debitoris, omnino locus est præsumendi, eundem vel a debitore fuisse solutum, vel eidem a Creditore gratuito condonatum. Quæ nostra decisio tota prorsus sibi consentientem habet sententiam insignis omnino Theologi, (a) & nititur Decretali Gregorii IX. cujus verba retulimus in discutienda præcedenti difficultate (b).

(a) Sambo. tom 3. Cas. 203.

(b) Greg. IX. in cit. c. Si culpa. de injur. & damno dato.

CASUS CLXIV.

Macæus, cum mutuas credidisset Florenti quadringentas libras ad suum proprium nutum solvendas ex ipsius simplici Syngrapha, earumdem ab annis tribus & amplius non petiit solutionem; quoniam ab eo tempore secum invicem, amico animo semper egerunt, & aliunde eisdem nullatenus egebat. At vero, suborta deinde inter eos aliqua controversia, Florentem tandem jussit apud Judices appellari, ut affirmaret, num in rei veritate non ei deberet quadringentas libras. Florens, sibi in animum inducta persuasione, suam Syngrapham a Macæo fuisse amissam, debitum negavit. Macæus, cum noluisset ipsius Syngrapham exhibere, eo animo ut ex cumulatis judiciariis formulis plurima litis impendia ei interrentur, atque ea ratione sibi vindictam quæreret, eadem tandem prolata in summis suæ causæ angustiis, obtinuit, dari in suum debitorem judicium damnatorium, quo condemnabatur ad solutionem rei judicatæ, & multabatur impensis, quæ ad summam usque centum quinquaginta librarum assurgebant. Qua de re quæstio habetur utrum Macæus, qui prædictas impensas exegit sibi refundi, non teneatur, ad easdem Florenti restituendas; utpote qui non, nisi ex malefica voluntate, & animo ultionis cupido, eidem impensas ejusmodi attulerit.

RESPONS.

Respondemus, Macæum non obligari, ad restituendas Florenti centum quinquaginta libras, quibus eundem obtinuit damnari, & quarum ab eodem exegit solutionem; quanquam tota ea in re plurimum peccaverit adversus Christianam caritatem. Ratio est, quia præfatus debitor sibimetipsi damnatorium istud judicium ex sua mala fraude ac perversa fide paravit, inficiando, reluctantibus nequicquam ipsa rei veritate, propriaque sua conscientia, debitum quadringentarum librarum, quas a Macæo mutuas acceperat, & ipse potuit illud idem judicium defugere quantum ad litis impendia, fatendo nimirum in judicio ipsam rei veritatem; quemadmodum ad eandem confitendam tenebatur. Adeo ut sibimetipsi debeat, quod inde recepit, damnum imputare; juxta sequentem regulam Canonici juris (c): *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare.*

Quoniam vero iniquum foret, aliquid lucri ex propria sua fraude atque vindicta redire ad Macæum; secundum istam aliam regulam, quæ autorem habet Innocent. III. (d) fraus & dolus alicui patrocinari non debent: quin immo suadeat ipsiusmet æquitatis dictamen, ab eodem pœnam propriæ suæ fraudis ac vindictæ esse rependendam atque luendam; *æque enim in omnibus fraus punitur*; ut loquitur Lex (e); non potest recta conscientia retinere sibi centum quinquaginta libras impendiorum, quæ sibi obtinuit adjudicari; exceptis legitimis impensis, quas de suo fecit, in ipso causæ exordio, si tamen aliquas bona fide admiserit. Atque adeo ei incumbit easdem centum quinquaginta libras pauperibus erogare, aut in alios pios usus impendere, eadem ratione, qua aliqua pecunia, quæ ex simonia provenit, in pauperes effundenda est, aut in pios usus conferenda, nec ex eadem quidquam debet apud eum remanere, qui recepit, nec ei, qui dedit, restitui; juxta doctrinam S. Thomæ (f), qui sic habet: *Alio modo est aliquid illicite acquisitum: quia ille quidem; qui acquisivit, retinere non potest: nec tamen debetur ei, a quo acquisivit: quia contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit; sicut contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam Divinæ Legis agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit: sed debet in Eleemosynas erogari.*

(c) Bonif. VIII. in Reg. 86. de regulis juris in 6.

(d) Inn. III. in c. Officii. 14. testam. &c. l. 3. t. 26. Et in c. Cum dilectus. 8. de religiosis Domibus &c. l. 3. t. 36. Et in c. Ad nostram. 5. de empt. & vendit. l. 3. t. 17.

(e) L. In fraudem. 45. ff. de jure fisci. l. 49. t. 14.

(f) S. Th. 2. 2. q. 32. art. 7. in corp.

CASUS CLXV.

Theodorus filius familias annum agens decimum quintum, Canonicus de Ecclesia Cathedrali Mirapiscensi, resignavit suam Præbendam in favorem Jacobi etiam filiifamilias annum ætatis ducentis a decimo sexto ad decimum septimum, retenta sibi quadringentarum librarum pensione. Ædes ipsius Canonicæ, quæ resignationi non potuerant esse obnoxiæ, Juliano vicissitudinis atque ordinis jure obtigerunt; qui quidem, inita earumdem possessione, sic eas dilaceratas ac ruinosas invenit, ut jusserit, Theodorum in jus vocari, quo condemnaretur, ad ei solvendas impensas, quas in easdem sarciendas necesse erat conferre; nisi mallet ipsemet eas reparare: atque quoniam Theodoro, utpote filiofamilias, nulla paterna bona adhuc obvenerant, post decem menses denuntiari Jacobo curavit, sese in ipsius manibus intercedere tum solutioni pensionis, tum redhibitioni, quam de eadem Theodoro posset afferre: qua de re Jacobus in judicio negavit, agente nimirum atque instigante suo Patre, nihil sese Theodoro debere. Julianus, qui Jacobum habebat ut sinceræ atque integræ fidei virum, judicium ursit contra Theodorum, & obtinuit eum damnari, ad solvendam sibi summam quingentarum librarum pro sarciendis prædictis ædibus, cujus quidem summæ nihil quidquam recepit solutionis, propterea quod Theodorus interea morte fuerit correptus.

Qua de re quæritur, quid obligationis incumbat Jacobo in ea, quæ hic loci ponitur, hypothesi? Nonne tenetur ex stricta conscientia, ad quingentas libras, quas Theodorus ei debebat persolvere, Juliano numerandas? Nonne etiam obligatur ex falsa sua declaratione, ad restituendas Juliano omnes impensas litis, quam in judicio fuit persecutus, quæ etiam ad similem usque summam assurgunt quingentarum librarum?

RESPONS.

Ad propositam difficultatem respondemus, si Jacobus declarationem prædictam ediderit, eidemque licet falsæ, cum plena animi advertentia, atque integra libertate, subscripserit, eum obligari ex stricta conscientia, ad solvendas Juliano omnes impensas, quas in sarciendas ædes Canonicas ipsi, post resignatam a Theodoro Præbendam, obventas, necesse erit conferre, juxta laudatam in centesima quinquagesima nona decisione Gregorii IX. (a) Decretalem. At vero, si præfatam declarationem invitus, atque suo Patre plurimum cogente, ediderit; aut voluntario tantum, propterea quod ipsius Pater ei imposuerit, illi falso suadendo, nihil quidquam de pensione Theodori superesse persolvendum; non tenetur, ad restituendum Juliano, nisi pro rata portione, quam de hæreditate paterna accepit, si eandem ipse solus hæreditario jure non adiverit, atque, quod pertinet, ad complendam in integrum prædictam restitutionem, satis est, ipsius cohæredes ab eo excitari, atque impelli, ad suam partem prædictæ restitutionis Juliano faciendæ ferendam, *pro rata portione hæreditatis*.

(a) Greg. IX. in c. si culpa de injuriis &c.

Eadem ratione statuendum est ac determinandum, quantum ad litis impendia, quæ reciderunt in Julianum ex prædicta falsa declaratione, in causa, quam in Theodorum intendit ac persecutus est. Incumbit namque ei universa eidem refundere, si falsam istam declarationem ediderit cum plena libertate, atque integra tum falsitatis ipsius, tum eorum omnium, quæ inde poterant consequi, cognitione; verum, si eandem nonnisi invitus significaverit, aut quoniam in negotiis tractandis minime versatus erat, neque adeo prævidere poterat, quæ gravissima inde sequerentur incommoda, propterea quod nec ætatem nec mentis captum adhuc attigisset, quibus eisdem cognoscendis esset aptus, & ipsius Pater tunc administraret reditus ejus Præbendæ, & imposita eidem onera persolveret, aut quia tandem ab eo acceperat, nihil jam residuum de pensione Theodoro deberi; non inducitur ei obligatio restitutionis quantum ad ipsam etiam partem, nisi pro rata portione hæreditatis, quam attigit.

Cæterum quæ huc usque diximus, non intelligenda sunt, nisi de legitimis impensis, hoc est, de impensis, quas necesse fuit a Juliano conferri post significatam a Jacobo falsam declarationem, nullatenus vero de iis, quæ præcessissent, neque etiam de iis, quæ ei quasi per accidens accessissent, puta, si Theodorus ex mera cavillationis prurigine causam in semetipsum juxta formulas juris intentam a Juliano, transtulisset ad aliud Tribunal; in eo etenim casu Jacobus nulla ratione foret obnoxius restitutioni ejusmodi impensarum erga Julianum, quippe qui nec ipse, nec ipsius Pater iisdem aliquam occasionem dedissent: & Theodoro tantum incumberet, eas restituere; propterea quod, adversante ipso jure, quod debebat, remota omni cavillatione, afferre Juliano, litis ad alios Judices translatione fuisset usus. Atque ea ratione quidam nominis omnino commendandi Theologus propositæ speciei non absimilem difficultatem expedit (b).

(b) Sambov. t. 3. Casu 84.

CASUS CLXVI.

Athanasius summa rerum aggravatus inopia, conspiranteque consensu Carcerarii sui amici, cui promisit unicum nummum aureum, simulans, sese datum fuisse in custodiam propter debitum trecentarum librarum, quod contraxit, paucis diebus ante solemnia Paschatis in carcerem sese confert eo fine, ut aliquid sibi subsidii quærat ex Matronis, quæ caritatis piis institutionibus præficiuntur, quæque juxta prædictos dies consueverunt eos invisere, qui in carcere detinentur: & ex eis quosdam eu ittere de custodia. Atque revera quidem cum accessissent præfatæ Matronæ in carcerem, eundem visitant, atque motæ miserabili rerum illius statu, & mala fortuna, qua sese opprimi, dictis ad misericordiam commovendam paratis, eis comminiscitur, rogant, creditorem ipsius accersi, ut cum ipso ea de re veniant in collusionem. Athanasius quemdam virum sibi fidelem ad easdem mittit, in cujus gratiam confictam suam Syngrapham pro trecentis libris jam antea de industria scripserat, qui consentit, simulatum istum vinculis traditum e custodia emitti, sibi numeratis præsentis pecuniæ centum quinquaginta libris, & postquam iisdem in manus dedit scriptam generalem apocham, qua fidem faciebat, sibi solutam in integrum fuisse commentitiam illam summam trecentarum librarum: atque statim a præfato viro referuntur 150. libræ ad Athanasium; qui easdem suas facit ac sibi vindicat.

Qua de re petitur 1. Utrum Athanasius absque peccato mortali potuerit dolum præfatum commoliri? 2. Utrum ei incumbat dictam summam restituere, & cuinam potissimum addicenda sit ista restitutio?

RESPONS.

Quod Athanasius composuit, dolosum mendacium, ut summam pecuniæ destinatam emittendo de custodia alicui, qui vere ac realiter in carcere detineretur, nullatenus habere potest eorum, quæ mendaciuncula dicuntur, naturam ac conditionem. Quin immo naturam contrahit gravissimæ omnino falsitatis, cui vel etiam ex ipsamet interposita publica fide plurimum ponderis ac roboris adjicitur. Non est igitur, unde possit in dubitationem adduci, quin prædictus ille vir, qui sese simulavit, in custodiam datum fuisse, mortaliter peccaverit in casu proposito. Quod quidem eo magis veritati consentaneum esse videtur, quod ex suo mendacio sibi subduxerit 150. libras, quas præpositæ piis institutionibus caritatis prædictæ Matronæ nullatenus intenderunt ipsi simpliciter tanquam pauperi erogare, sed eo tantum animo, quod eum haberent quasi vere ac realiter vinculis traditum; adeo ut, si prædicti viri fraus ipsis explorata fuisset, certissimum sit, nedum ei pecuniam istam largitæ fuissent, quin potius futurum fuisse, ut aut ei pœnam debitam inducerent, aut indignabundæ cum ignominia eum expellerent. Obligatur ergo, ad restituendam istam summam, siquidem eandem, ad-

ver-

versante prorsus omni jure, suam fecerit, atque tota impendenda est in emittendos e custodia pauperes, qui vere ac realiter in carcerem fuere detrusi, juxta propositum animo consilium, quod habuerunt personæ quæ istam pecuniam erogaverunt.

Quæ decisio fundamentum mutuatur a duabus regulis Juris, quæ sequuntur, quarum prior sic habet: *Fraus & dolus*, inquit Innocentius III. *alicui patrocinari non debet* (*a*). Porro fraudis conscius Athanasius, nequit igitur quidquam ex sua fraude sibi facere lucri. Altera Bonifacium VIII. auctorem, qui sic ait: (*b*) *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*: nam, ut fert Lex, (*c*) *Jure naturæ æquum est, neminem cum alius detrimento & injuria fieri locupletiorem*. Jamvero Athanasius rem sibi confecit ex centum quinquaginta libris quas accepit cum detrimento & injuria eorum, qui vere ac realiter in carcere detinebantur, quibus gravissimum damnum intulit; siquidem quidam ex eis potuissent, adhibita eadem summa, e vinculis educi.

(*a*) Inn. III. in c. Officii de testam. & ultimis voluntatibus l. 3. c. 26. 11 Item Alex. III. in c. Audivimus. 3. de collusione detegenda l. 5. t. 22.

(*b*) Reg. 48. de Reg. Juris in 6.

(*c*) L. Jure. 206. ff. de diversis regulis Juris antiq. l. 50 t. 17.

CASUS CLXVII.

Vinebaldus, cui suppetit, unde pro sua conditione vitam valeat honeste sustentare, sed cui depressus & abjectus animus est, qui totus desidia torpens totos dies in roganda stipe consumit, ut laborem fugiat, & victum sibi quæritet absque sollicitudine, & difficultate, obligaturne ad restituendum, quidquid sibi confecit ea ratione peculioli? Atque posito, quod ista ei obligatio inducatur, cuinam & qua ratione debet restituere?

RESPONS.

Non est ambigendum quin Vinebaldus in specie proposita sit obnoxius restitutioni. Cujus rei ratio per se patet: neque enim, nisi ex adhibita fraude, quidquid sibi stipis erogatum est, acquisivit, siquidem manifestum sit futurum fuisse, ut, qui ei eleemosynis suis succurrere properaverunt, procul-dubio ab eroganda ei sua pecunia abstinerent, si exploratum habuissent illum mendicitati non esse assuetum, nisi ex effrena libertate, desidia, & avaritiæ sorde. Quamobrem Catechismus Concilii Tridentini (*d*) ait ejusmodi falsos ac ementitos mendicantes habendos esse ut proprii ac veri nominis latrones: *Furtum præterea facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant*. Ex quibus inferendum est, Vinebaldum, & quotquot sunt, ejusmodi commentitios egenos coram Deo teneri, quidquid sibi confecerunt ea ratione peculioli, non quidem iis, qui stipem eis erogaverunt, etiamsi possent, sed iis, qui vere indigent, restituere: quoniam ii, a quibus eleemosynas receperunt, id potissimum intenderunt, ut a semetipsis ad legitimos & veri nominis pauperes pro suo in Deum amore, pecuniæ, quam largiebantur, dominium transferrent: atque adeo Vinebaldus sic restituens iis, qui realiter affliactantur inopia, nihil aberrabit a proposito, quod intenderant, qui ei suis eleemosynis subvenire sese existimaverunt (*e*).

(*d*) Catech. Rom. p. 3. de 7. præcepto n. 17.

(*e*) Colloq. Condom. to. 1. Colloq. 15. sect. 1 De Gen. Theol. mor. to. 6. tr. 8. c. 5. q. 57.

CASUS CLXVIII.

Damianus Notarius obligationem usurariam contractam inter Gildardum & Paulum, qui nec noverunt legere, nec literas exarare, ministerio suo comprobavit atque confecit, quo quidem obligationis instrumento Gildardus sese adstringebat, ad usuram, quæ terminos ipsius æquitatis transcendebat, Paulo suo Creditori persolvendam. Numquid non incumbit ipsi Damiano, si Paulus non satisfaciat, summam, quam ab eo extorsit, Gildardo restituere?

RESPONS.

Existimamus, si Damiano perspecta ac cognita fuerit ipsa usura, quam Paulus exigebat, & cujus solutionem ex prædicto obligationis instrumento sibi providebat, eum, jure servato, restitutioni esse obnoxium, si Paulus ipse non restituerit; quin etiam mereri, quamobrem a munere suo deinceps exercendo repellatur, & pecuniaria mulcta plectatur, juxta Edictum Ludovici XII. datum an. 1510. (*f*) Ratio est, quia præfatus Notarius, ejusmodi instrumentum scribendo, injustitiæ Pauli sese conscium reddidit atque participem, adeoque tenetur simul cum illo in solidum, ad eandem reparandam, atque id æquitati videtur eo magis consentire, quod Damianus in prædictam usuram efficienter concurrerit; siquidem, cum neque Gildardus, neque Paulus novissent nec legere, nec literas exarare, adeoque non possent mutuam inter se contrahere obligationem ex simplici syngrapha, neque ex privato suo chirographo, instrumentum a prædicto Notario confectum fœneratorio contractui vires addiderit, atque effecerit, ut posset deinde Creditor pactam usuram exigere.

(*f*) Edictum anni 1510. a. 65.

Dicimus, *jure servato*; excipiendus etenim occurrit casus, in quo Notarius iste, non nisi rogante ac plurimum instigante Gildardo, qui redactus ad summam rerum suarum angustiam, inde sese expedire alia ratione non poterat, quam subeundo impositam sibi a Paulo iniquam usuræ conditionem, contractum usurarium ministerio suo comprobavisset atque confecisset. In eo namque casu, siquidem Damianus nullo alio fine egisset, nisi ut Gildardo beneficium afferret, eique præberet opem emergendi ex dura illa, qua premebatur, necessitate, non obligaretur ex conscientia ad restitutionem, licet proculdubio peccaret mortaliter ex eo quod falsitatem simul admitteret atque perjurium. Quæ omnia fere ad verbum mutuamur a Sancto Antonino (*g*), qui posita sibi ista quæstione: „ Utrum tales Notarii teneantur ad restitutionem usurarum, de „ quibus confecerunt instrumenta (scienter): *Sic* „ *deinde prosequitur*: Si scienter faciunt, faciunt „ instrumenta, vel chartas de debito usurarum, „ ac si esset legitimum debitum, puta, quia facit quis instrumentum, quod Martinus mutna„ verit Petro centum, hinc ad annum restituen„ dos, cum sciat, non mutuasse nisi octoginta, vel „ nonaginta, ... tunc tenetur in solidum, si ipsi u„ surarii non restituant. Quibus subjicit, quam apposuimus, exceptionem istis verbis. „ Et hoc nisi „ facerent in favorem receptionis mutui: puta, quia „ ille aliter non volebat mutuare, & Petrus multum indigebat, nec poterat aliter sibi providere. „ Tunc enim non tenetur Notarius. Peccaret ta„ men mortaliter hoc faciens: quia perjurium in„ curreret, faciens instrumentum falsum & in „ fraudem usurarum (*h*).

(*g*) S. Anton. 2. p. sum. th. t. 1. 90. §. 6.

Addit præterea laudatus S. Archiepiscopus, futurum ut Notarius nulli subjaceret obligationi restitutionis, si ferret instrumentum expressam de ipsa usura mentionem: „ Si autem in instrumento est „ facta expressa mentio de usura, tunc non tenetur „ ad usuram restituendam „. Cujus rei causam istam reddit: „ Et ratio, quia non efficaciter cooperatur ad illud. Nam potest qui mutuum acce„ pit ad usuram in judicio se juvare, ut non sol„ vat „. Quod tamen sic intelligit, modo, quæ recipitur in regione, consuetudo ejusmodi usurariæ obligationi robur & auctoritatem non addat. Si namque ex ipsa consuetudine pondus acciperet, non satisfaciente fœneratore, ipse teneretur ad restitutionem? *Verum ubi consuetudo esset, quod per talia instrumenta cogerentur homines ad solvendam usuram, frivolatas a debitoribus, tunc teneretur: quamvis consuetudo sit iniqua, & statutum quod super hoc esset*.

(*h*) Fr. Sylv. in a. 2. q. 78. r. 3. quæsito 2. conclus. 4. Colloq. Lucionens. tom. 2. colloq. 41. q. 2. De Gen Th. mo. to. 5. tt. 4. c. 15. q. 3.

Juvat etiam ea de re istud potissimum observare nimirum, quando contrahentes norunt legere ac scribere, & Notarius, iis postulantibus, instrumentum confecit, absque eo quod fœneratorem ulla ratione incitaverit, ad argentum suum fœnori dandum, videri, restitutionis ei non esse inducendam obligationem; quippe qui non sit in eo casu, ut advertit quidam notæ celebrioris Theologus, (*i*) ipsius usuræ causa efficiens, liceatque utrique contrahenti, absque ipsius ministerio, ex simplici syngrapha, cui debitor subscriberet, eandem exercere.

(*i*) Sambov. tom. 1. casu 141. & tom. 2. casu 146.

CA-

CASUS CLXIX.

Marculfus Notarius damnum aliquod intulit Juliano, ex eo quod imperite scripserit quoddam instrumentum. Eine ex debito conscientiæ incumbit, afferre prædicti damni compensationem?

RESPONS.

Præfato Notario incumbit, *ex quasi delicto*, damnum, quod intulit Juliano, in integrum resarcire. Namque, ut ait Glossa, (a) tenetur ea callere, quæ pertinent ad suum officium: atque si conficiat ex eorumdem ignorantia contractum aliquem illicitum, aut non servatis, quæ legibus inducuntur formulis, instrumentum quoddam imperite scribat unde sequatur aliquod incommodum, obligatur ad illud idem reparandum: quoniam non debet exercendo muneri sese immiscere, nisi eodem fungi perite velit, & possit: absque eo quod ex ipsius imperitia quidquam injuriæ sive rebus publicis sive privatis personis accedat; alioquin jure præsumitur, in quam incurrerit, cum officio suo deest, pœnam in semetipsum subeundam sponte velle suscipere.

(a) Gloss. in L. Quecumque 2. cod. de Tabulariis, scribis, &c. l. 10. t. 69.

CASUS CLXX.

Eligio cum esset grex quadringentorum vervecum, qui diligenter custodiebatur a quodam Pastore, & Pastor ille per vim fuisset abductus a quodam militum Ductore, qui cum suis militibus forte fortuna transibat per locum, in quo grex depascebat, ac miles conscriptus: omnes verveces irruerunt in segetes Medardi. Qui quidem ab Eligio petit, sibi afferri compensationem damni, quod ipsius verveces propriis suis segetibus intulerunt. Eligius vero contendit sese nullatenus teneri præstare illud damnum, propterea quod neque ex sua culpa, neque ex incuria sui Pastoris effecta fuerit ista vastatio. Utri Jus, & quidnam incumbit Eligio obligationis?

RESPONS.

Equidem ipso jure Medardo succurritur, ut valeat ab Eligio damni, quod sibi inductum est, exigere compensationem: istud etenim legibus tum Canonicis, tum Civilibus cautum est, ut Dominus animalium, quæ vastitatem effecerunt, teneretur, ad eandem reparandam, aut ad ipsa animalia iis, quibus damnum illatum est, cedenda: *Si animalia tua nocuisse proponas*, inquit Gregorius IX. in quadam ex suis Decretalibus: (b) *Nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum*. At 1. quoniam eo potissimum fine prædictæ leges latæ fuerunt, ut puniretur negligentia dominorum animalium, qui non student, ea, qua par est, diligentia, arcendis suis animalibus ab inferenda injuria proximo, & constat in casu proposito, nec ipsius Eligii, nec ejus ovium custodis ulli culpæ, nec vel & minimæ incuriæ posse damnum de quo quæstio est, imputari: videtur, juxta naturalis ipsius æquitatis dictamen, ei non esse inducendam obligationem resarciendi istius damni, saltem quo usque ad istam injuriæ compensationem ex sententia Judicis fuerit condemnatus. Ratio autem ista potest afferri, quia, juxta regulam Bonifacii VIII. (c) *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. 2. Quia non incumbit obligatio restituendi, nisi ratione rei alienæ, quæ injuste detinetur, aut ratione iniquæ injuriæ, quæ fuit irrogata, aut tandem ratione alicujus contractus. Atqui in ea, quam discutiendam impræsentiarum habemus, specie, Eligius neque culpam ullam admisit, neque ullius injustitiæ reatum contraxit, neque quidquam accepit emolumenti ex vastatis illis a suis vervecibus segetibus: aliunde vero nullum contractus pactum nec tacitum nec expressum inter eum & Medardum intercessit. Ad nullam igitur obligatur compensationem damni, nisi ad eandem fuerit ex sententia Judicis condemnatus. Licet etiam tertiam causam subnectere, quæ proprio suo pondere præcedentem, si non vincit, saltem exæquat. Nimirum, quod, si morte correptus fuerit Eligius, neque hæredes ipsius habuerint in sua potestate nec Pastorem, nec gregem vervecum, Medardus non posset in eos nomine damni, de quo querimoniam instituit, habere actionem. Non tenetur igitur Eligius ad illud compensandum. Si quid etenim obligationis ea de re in illum caderet, in ipsius hæredes eadem quoque ratione recideret, quum iidem simul cum defuncto unicam eamdemque personam sustinere censeantur (d), & eo ipso quod ejusdem bonorum ac jurium participes esse incipiant, eodem tempore iisdem, quibus defunctus subjacebat, fiant oneribus obnoxii (e).

(b) Greg. IX. in c. Si culpa fin. de injuriis &c.

(c) Reg. 49. de Reg. Juris in 7.

(d) L. Hæres. 22. ff. de usurpationibus & usucapionibus l. 41. t. 3.

(e) Collo. Condomaes. tom. 2. Colloq. 1. Colloq. 14. sect. 2. De Gen. Th. mor. 10. 6.

CASUS CLXXI.

Carpophoræ cum esset grex Armentitius qui per agros pascebatur, & Armentarium somnus arctior fuisset complexus, prædictus armentorum grex in quemdam locum sese immisit, in quo Carpophoras non habebat jus compascendi, aut tempore quo Jus istud liberum jam nulli permittebatur, vel sese intulit in seminarium novellarum arborum, in quo quadrupedes fecerunt pauperiem omnino magnam. Numquid in foro conscientiæ Carpophoræ incumbit in prædictis casibus aliqua necessitas damni compensationis?

RESPONS.

Non est unde videatur, Carpophoram posse ab obligatione resarciendi damni, quod in memoratis casibus ipsius armentum induxit, aliquatenus vindicari. Æquitatis namque est, ab eo præstari tum injuriam, quam prædictum armentum inferre potest, tum culpam ipsiusmet armentarii, quem custodiendo gregi suo præponit: *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, actio ex lege 12. tabularum descendit*, inquit Lex (f): *De his, quæ per injuriam depasta contendis, ex sententia legis Aquiliæ agere minime prohiberis*, ait alia Lex (g). Actio vero, quam habet, cui injuria irrogata est ab armento prædicto, in eo consistit, ut possit urgere judicium damnatorium in proprietarium seu possessorem pecudis, quo condemnetur ad afferendam ei damni, quod acceptum est, integram reparationem, ut colligitur ex ista alia lege (h): *Si quid ea ex re damnum cepit, habet proprias actiones*.

(f) L. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur l. 9. t. 1.

(g) L. de his. fin. Cod. de L. Aquilia. l. 3. t. 35.

(h) L. Quintus 30. §. 2. ff. ad L. Aquiliam Item L. 1. cod. de fund. & salt. rei dominicæ. Et L. 2. ult. cod. de pasc. publ. & privat.

Atque ea de re usus invaluit ex quibusdam, quæ obtinent in Regno, consuetudinibus, ut, qui pecudem alienam in proprio suo agro reperit, ei permittatur ex privata sua auctoritate agere, eandem apud se retinendo per aliquantulum temporis, quo sibi possit esse argumento injuriæ irrogatæ: quanquam istud idem verbis expressis Jure Romano prohiberetur (i).

(i) Qui pecus alienum in agro suo deprehenderit, non jure id includit. c. L. Quintus.

Quæ decisio consentientem sibi vindicat Legem Exodi (K), in qua sic legitur: „Si læserit quispiam „agrum, vel vineam, & dimiserit jumentum suum „ut depascatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet „. Quamquam etenim Carpophoras suum ipsemet Armentum de industria non induxerit in prædicta loca, de quibus mentio fit in proposita specie, eo fine, ut iisdem inferret vastitatem, obligatur nihilominus ad præstandum damnum, quod iis inde accessit, siquidem, ut jam monuimus, ipse præstare teneatur eorum diligentiam, quibus curam committit custodiendorum armentorum suorum, & in eum recidere debeat, quidquid ex eorum incuria detrimenti contingit.

(k) Exod. 22. 5.

Juvat tamen plurimum observare, cum Carpophoras nihil per se ipsum concurrerit in damnum, quod ex illa prædictorum animalium incursione subsecutum est, ei nullam induci ex conscientiæ debito reparandi ejusdem obligationem ipso facto, sed tantummodo postquam judicis sententia ad illud idem resarciendum condemnatus fuerit. Quod probare licet 1. ex ipsis legibus, quas modo retulimus, quibus id tantum conceditur iis, qui damnum passi sunt, ut jure valeant in eos actionem intendere, qui præstare tenentur tum damnum irrogatum a suis Armentis, tum Armentariorum, qui iisdem custodiendis præficiuntur, incuriam. 2. Quoniam præfatæ Leges sunt tantummodo pœnales. Atqui cujuscumque pœnalis Legis conditio est, ut non,

nisi

Digitized by Google

nisi post datam a Judice damnatoriam sententiam, obligare possit. Atque ista potissimum ratione nituntur Innocentius IV. Aretinus, Joannes de Anania, qui dicitur ex alia nominis appellatione Archidiaconus, Felinus, Decius, Jason, & alii, quos appellat, ac sequitur Azorius (*a*). Eamdem etiam doctrinam habent Petrus de Navarra, Rebellus, Lessius, Filiucius, & Bonacina, qui præcedentes citat (*b*).

(*a*) Joan. Az. inst. mor. p. 3. l. 4. c. 8.
(*b*) Sonac. tr. de rest. disp. 1. q. 3. puncto 8. proposit. 2.

CASUS CLXXII.

Taurus, quem Stephanus habebat, noveratque, damnosum esse atque immanem, simul cum aliis de eodem Pago pecudibus in publicis pascuis compascens, equum, aut aliquod aliud animal Renati cornu percussit, atque interfecit. Obligaturne Stephanus ex stricta conscientia, ad damnum, quod inde Renatus accepit, restituendum, etiam antequam, ad illud idem compensandum, ex sententia judicis, condemnatus fuerit?

Respons.

Quamquam nullum in eum datum fuerit a Judice damnatorium judicium, nihilominus Stephanus obligatur ad afferendam Renato detrimenti, quod eidem taurus intulit, compensationem. Ratio est, quia culpa non caret, quod ferum damnosumque ejusmodi animal sibi retinuerit, & illud simul cum aliis in pastum propulerit cum periculo detrimenti alieni. Atque ea ratione fuit determinatum a Gregorio IX. qui sic declarat (*c*): *Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi, ea dando passis damnum, velis liberare teipsum: quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverant nocere, fuissent; & quam debueras, non curasti diligentiam adhibere*. Tenetur ergo Stephanus ad restituendam Renato ipsius equi, aut cujusvis alterius animalis cornu sui tauri percussi & occisi justam æstimationem, licet in eum Renatus non agat, ut, ad pretium ejusdem rependendum, condamnetur sententia Judicis: siquidem non possit propugnari, damnum istud absque ejus culpa etiam admodum notabili contigisse.

(*c*) Greg. IX. in c. si culpa fin. de injuriis & damn. dato.

Quæ decisio eo magis extra omnem omnino controversiam reponitur, quod sequenti antiquæ Legi de Exodo mirum in modum consentire deprehendatur (*d*): *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit; vendent bovem vivum & dividant pretium. Cadaver autem mortui inter se dispertient. Sin autem sciebat, quod bos cornupeta esset ab heri & nudius tertius, & non custodivit eum Dominus suus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet*.

(*d*) Exod. 21. 5. & 16.

CASUS CLXXIII.

Palamedes Lupum apud de servabat, quem ex rei ipsius insolentis studio summa cum diligentia retinebat inclusum. Quod quidem animal, cum quadam forte die septum suum confregisset, atque ferum erupisset, gregi vervecum Juliani maximam fecit jugulationem. Num tenetur Palamedes ad damnum istud resarciendum?

Respons.

Si Lupus iste evaserit ex aliquo fortuito casu, & absque culpa Palamedis, non ei incumbit damnum, quod illatum est gregi vervecum Juliani, restituere. Licet namque sit hoc legibus cautum, & vel ipsa naturali æquitate constitutum; ut, cum alicui quædam animalia nocuerunt, eorum Dominus injuriam irrogatam reparare teneatur, etiam nondum accedente sententia Judicis, quando damnum ex ipsius culpa etiam levissima subsecutum fuit; quemadmodum evicimus in præcedentibus decisionibus; non eadem tamen ratione judicandum est de fero aliquo animali, quod, disrupta sua custodia, evasit, & aliquod attulit detrimentum. Ratio est, quod ubi primum erupit, illius Dominio subjacere desierit, in cujus possessione ac potestate antea remanebat; siquidem in primam suam libertatem ex sua fuga restitutum fuisse censeatur. *Cum vero evaserit custodiam nostram, & in libertatem naturalem se receperit, nostrum esse desinit*, inquit Lex (*e*).

(*e*) L. Quod enim 3. §. 2. ff. de acquirendo rerum domin. l. 41. t. 1.

Dicimus autem: *non eadem ratione judicandum esse* de ejusmodi animali, quod evasit: quoniam, si ferum non fuerit animal ex ingenita sibi natura, licet aliquatenus damnosum esse possit; ille, cujus Dominio subest, tenetur, quod dederit, præstare detrimentum. Exempli causa, si canis, qui transeuntes morsu corripere consuevit, cum catena non retinetur, effugerit, & alicui damnum inferat, illius Dominus damnum tenetur præstare, juxta Legem, quæ sic habet: *Si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit, & alicui damnum dederit; si contineri firmius ab alio potuerit, vel si per eum locum induci non debuit; hæc actio cessabit, & tenebitur, quia canem tenebat* (*f*). Ratio est, quia Canis, quantæcumque fuerit asperitatis, non censetur esse ferum animal; siquidem domum sui Domini semper repetere consueverit. Si tamen qui damnum ab eodem recepit, illud sibi propria sua culpa accivisset, puta quia provocavisset atque lacessivisset istud animal; in eo casu Dominus damnum præstare nulla ratione teneretur.

(*f*) L. si quadrup. 1. 6 ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

Addideramus præterea, Palamedi non incumbere damnum, quod Julianus sensit, restituere; si Lupus sine ejus culpa evaserit: puta, si quis, cujus culpam Palamedes non teneretur præstare, custodiæ, in qua lupus includebatur, januam aperuerit. In eo etenim casu in eum non debet recidere damnum, quod ex fuga lupi subsecutum fuit; ut colligetur ex sequenti Lege (*g*): *In bestiis autem propter naturalem feritatem hæc actio locum non habet; & ideo, si ursus fugit, & sic nocuit: non potest quondam dominus conveniri: quia desinit Dominus esse, ubi fera evasit. Et ideo si eum occidi, meum corpus est*: quod etiam confirmatum ab Imperatore Justiniano reperitur (*h*). At vero si fugisset animal ex incuria Domini, aut illius, cujus culpam contrahere tenetur; jam in eo casu positum est extra omnem dubitationis aleam ipsi, ea, qua monuimus, ratione inducendum esse detrimentum, quod intulisset, reparationis obligatione (*i*).

(*g*) L. si quadrupes cit. paragh. 10.
(*h*) Inst. l. 4. t. 9. init.
(*i*) Joan. Az. inst. mor. p. 3. l. 4. c. 8. Ad Covar. Joa. Medin. &c.

CASUS CLXXIV.

Ansberti Ducis ac Paris Franciæ Dominio subest quædam silva, quæ magnam habet Cervorum, Cervarum, atque Aprorum abundantiam, ex quorum incursione in vicinos agros, iisdem depopulatio ingens infertur, atque eorumdem fructus diripiuntur, ac exinaniuntur. Eum ex ipsius Clientibus sex rustici supplicibus verbis oraverunt, ut damnum inde iisdem emergens vellet restituere, aut eis permittere, ut eos interficerent, vel saltem ex agris suis abigerent. At utrumque negavit Ansbertus, pertendens, id sibi juris esse, ut in sua silva feras ejusmodi fulvas sibi servaret ad venationem, quæ ex indubitato ac certissimo jure ad sese tota devolvitur. Quæstio habetur; utrum prædictus Dominus ex prædicta detrectatione peccaverit adversus Justitiam; & num obnoxius non sit afferendæ memoratis rusticis congruenti & justæ damni compensationi?

Respons.

Ad propositam difficultatem expediendam non aliunde videtur, hauriendas esse rationum & argumentorum probationes, quam ex ipsissimo fonte sacrarum Scripturarum, quæ sic habent (*K*): *Si læserit quispiam agrum, vel vineam ... pro damni æstimatione restituet*. Neque enim Divina ista Lex quemquam excipit; sed Magnates simul & viros plebejos ex æquo complectitur. Quando igitur contingit, ab illis vastitatem inferri segetibus, vineis, atque aliis fructibus suorum Clientum, sive ex propria culpa, ut quandoque cum venantur; sive ex injuria ferarum fulvarum, quæ in eorum silvis abundant; cum nempe prohibent rusticis, ne easdem interficiant, nec nequidem fugent, obligantur jure naturali ad damnum, quod inde subsequitur, restituendum. Ratio est, quia jure conservandarum ejusmodi ferarum, ac privilegio præser-

(*k*) Ex. 22. 5.

Digitized by Google

tim venationis non gaudent, nisi relaxationis atque oblectationis suæ gratia, cui numquam sese dare iisdem licet cum injuria & damno suorum Clientum. Neque vero ne quidem ipsismet Regibus visum est tutum esse, sibi regulam adhiberi, quæ præsenti morali doctrinæ, quam hic loci proponimus, vel tantillum adversaretur; siquidem, si fides habeatur testimonio Tilletii in ipsius historia, quam inscripsit de Regibus Franciæ in capitulo novissimis diebus nostrorum Regum, in quo sermonem fecit de testamento, quod Philippus Pulcher confecit 17. Maji 1311. & de eo, quod a Philippo Longo scriptum est 26. Augusti 1321. narrat, ambos præfatos Reges existimasse, sibi ex stricto conscientiæ debito incumbere, summam pecuniæ ingentem suo testamento legare, ut reipsa legaverunt, rusticis, qui Regiis silvis possessiones continentes & adjunctas habebant; ut ea ratione reciperent, quam passi fuerant ex incursione ferarum fulvarum, injuriæ reparationem. Porro, si vel ab ipsis Regibus propositum est exemplum adeo insigne justitiæ, quam suis subditis tribuere tenentur; quonam prætextu posset Ansbertus vindicari ab obligatione, quæ ei inducitur, referendæ suis Clientibus, enormis adeo damni, injuriæque tam apertæ, compensationis?

Ex istis igitur juvat inferre, Ansbertum in casu proposito teneri ex stricta conscientia, ad restituendum quidquid prædictis Rusticis accessit detrimenti, ex excursione ferarum fulvarum suæ silvæ in eorumdem agros, atque possessiones. Quod absque dubitatione asserimus auctoritate Petri Blesensis nomine & doctrina Doctoris omnino commendabilis innixi, qui quidem in detestandum adeo scelus injustitiæ verbis istis validioribus invehitur, quibus Episcopum Vvigorniensem sic alloquitur (*a*): *Illud absurdum detestandumque dicitur, quod effracta Ecclesiarum immunitate & dignitate sacri ordinis conculcata, quidam Principes terræ de sola immunitate cogitant ferarum, & hominibus gemontibus, inter serviles angarias, Cervi, Capreoli, Damæ, & Lepores privilegio summæ libertatis exultant. Pauperum segetes & hortos impune depascunt; nec est, qui eos arcere præsumat. Lex enim funesta homines hodie, non solum de captione ferarum, sed de simplici captionis suspicione condemnat.* Quam ob causam Insignis quidam Canonista (*b*) fidenter asserit, ejusmodi Dominos, qui sese tante injustitiæ reatu constringunt, nulla ratione posse a mortali peccato excusari. *Qui per feras nocet ... prædiis proximi; eo invito*, inquit, *peccat mortaliter, etiamsi postea cumulatissime damnum restituat: & consequenter oportet, cum non solum pœnitere & confiteri, quod non sufficienter, vel non debito tempore restituerit damnum illatum, sed etiam quod intulerit illud invito Domino.*

(*a*) Petrus Blesensis tr. de Institut. Episcopi ad Vvigorniensem Episc. (Edit. Paris. an. 1667. fol. 154.

(*b*) Navarr. Man. c. 17. n. 225.

CASUS CLXXV.

Pamelius advertens, suas segetes, quæ proximam quamdam silvam contingebant, a feris fulvis in integrum de nocte depasci; excogitavit fossas in altitudine perducere ibidem in quodam diverticulo, atque in aliis locis aliquibus, per quæ conjiciebat transire, ut ad segetes ipsius accederent; at contigit, Matthæum vinitorem iter suum per istud idem diverticulum, primis sese intendentibus tenebris, forte fortuna habentem, nec oculis percipientem quamdam e prædictis fossis, quæ foliis, ramalibus, atque ramusculis tantum obcæcabatur, in eamdem dedicisse præcipitem, indeque ei perfractum fuisse cum uno crure brachium unum; qua de re lecto detentus ultra tres integros menses, nihil potuit quidquam ex labore suo sibi lucri facere, ad vitam suam sustentandam. Pameliusne tenetur damnum, quod ex prædicto infortunio Matthæus recipit, tum ex impensis in propriam suam curationem admissis, tum ex cessante lucro, quod ex consueto labore suo sibi confecisset, præstare, ac restituere?

RESPONS.

Videtur, nullum adesse locum in dubium adducendi, quin Pamelius teneatur ad afferendam Matthæo universi damni, quod ipse passus est ex infortunio, de quo in proponenda quæstione sermo habetur, integram omnino compensationem. Primo namque jure nullo gaudebat, quo posset in silva, quæ sibi nullo titulo proprietatis cedebat, foveas fodere. Secundo licet potuisset id juris sibi merito vindicare; non propterea procul esset ab omni culpa, siquidem fodisset fossas in iis locis, per quæ, qui pedibus eunt, suum iter consueverunt habere. Quam decisionem præbet una quædam ex Legibus Digesti sequentibus verbis contentam (*c*): *Si fossam feceris in silva publica; & bos meus in eam inciderit: agere possum hoc interdicto: quia in publico factum est.* En etiam qua ratione declarat alia Lex (*d*): *Qui foveas, ursorum, cervorumque capiendorum causa, faciunt, si in itineribus fecerunt: eoque aliquid decedit, factumque deterius est; Lege Aquilia obligati sunt.*

(*c*) L. si alius 7. §. 8. ff. quod vi, aut clam. c. 41. t. 24.

(*d*) L. qui foveas, 28. ff. ad L. Aquiliam.

CASUS CLXXVI.

Adolphus cum sereno cœlo supposuisset ignem culmis ac stipulis, quæ fuerant in proprio suo agro relictæ superstites, ut eumdem faceret meliorem; ex irruente subito vento flammæ exagitatæ pervaserunt ad segetes ejus vicini, quæ prædictis stipulis adjunctæ erant atque continentes, easque in integrum hauserunt. Num in ipsum Adolphum recidere debet damnum, quod dicto vicino ex incendio prædicto emersit; quamquam illud ex casu mere fortuito contigerit?

RESPONS.

Leges Civiles eximunt onere reparandi ejusmodi damni (*e*), quando qui suis stipulis subjecit ignem, omnem diligentiam adhibuit, ne proximis segetibus incendium inferretur; atque adeo, cum stipulis suis sereno cœlo flammas supposuerit, non tenetur præstare casum fortuitum, qui contigit ex irruente subito venti impetu: *At si omnia, quæ oportuit, observavit, vel subita vis longius ignem produxit, caret culpa*; ut fertur in lege, quam ad marginem indicamus. Quam sententiam quoque Panormitanus amplectitur (*f*).

Attamen ejusmodi facilitatem probare nulla ratione possumus. Casus etenim, quem sequitur tantum damnum, prævideri potuit, atque debuit. Neque res fuit summæ adeo difficultatis, ut Adolphus ab eodem in proposita specie caveret, sive colligendo stipulas, & eas in cumulum congerendo, sufficiente servata inter easdem & segetes vicini sui distantia; aut easdem non ante inflammando, quam messes in integrum abiissent. Unde censemus, siquidem Adolphus ista præcavere omiserit, teneri eum, ad damnum, quod vicino suo ex prædicto incendio accessit, præstandum. Quæ decisio videtur (*g*) sacris scripturis tota consentire, in quibus, neque distinctione, neque exceptione ullatenus admissis, hæc habentur: *Si egressus* (proserpendo) *ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit.* Quem locum sic interpretatur Cornelius a Lapide (*h*): *Jubet enim hæc Lex, ut si quis negligentia sua igni a se excitato male advigilarit: nec caverit, ne proserperet: itaque factum sit ut ignis spinas, quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno.*

(*e*) L. qui occidit. 30. §. 3. ff. ad L. Aqu.

(*f*) Panorm. in c. si egressus 5. de injuriis & damno dato.

(*g*) Exod. 22. 6.

(*h*) Cornel. a Lapide in cit. cap.

CASUS CLXXVII.

Nicasius, cum ex incuria ipsius palea, quæ servabatur in horreo Juvanalis, ignem concepisset, atque exinde ejusdem Domus, facto incendio, tota perierit; obligaturne, ad restituendum istud damnum, si nonnisi ex culpa ipsius levissima contigerit?

RESPONS.

Constat futurum, ut in foro exteriori Nicasius, ad restituendum damnum, quod in casu proposito intulit Juvenali, condemnaretur, licet nonnisi provenisset ex ipsius culpa levissima. Ut enim permagni interest, summa diligentia casus ejusmodi præcaveri; qui iisdem occasionem præbet

vel

vel etiam ex incuria levissima, tenetur afferre injuriam passo damni compensationem. *In Lege Aquilia & levissima culpa venit*, inquit Lex (*a*); quin etiam jus Romanum jubeat, ut, qui in eo casu non haberet, unde damnum restitueret; pœna corporali afficeretur. *Qui ædes, acervumve frumenti, juxta domum positum combusserit, vinctus, verberatus, igni necari jubetur: si modo sciens, prudensque id commiserit. Si vero casu, id est, negligentia, aut noxiam † sarcire jubetur: aut si minus idoneus sit: levius castigatur*. Ita fert alia Lex (*b*). Extat tandem ea de re Lex tertia, qua statuitur, ut tum ei, qui eo quod obdormiverit, causa est, cur Domus sit combusta, tum etiam ei, cui cura commissa erat, ne eadem combureretur, & ea cujus negligentia combusta est, utrique perinde restituendi damni obligatio inducatur. *Si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormisset, & villa fuerit exusta*, inquit citata Lex (*c*), *Neratius scribit: ex locato conventum præstare debere; si negligens in eligendis ministeriis † fuit. Cæterum si alius ignem subjecit fornaci: alius negligenter custodierit, an tenebitur, qui subjecerit? Nam qui custodiit nihil fecit: qui recte ignem subjecit, non peccavit. Quid ergo* (est); *Puto, utilem competere actionem tam in eum, qui ad fornacem obdormivit, quam in eum, qui negligenter custodiit: nec quisquam dixerit in eo quod obdormivit, rem eum humanam passum; cum deberet vel ignem extinguere, vel ita munire, ut evagaretur.*

(*a*) L. In Lege 44. ff. ad Leg. Aquiliam. lib. 9. tit. 2.

† Noxiam, id est damnum. Glossa.

(*b*) L. Qui ædes. 9. ff. de Incendio, &c. lib. 47. tit. 9.

(*c*) Leg. Si servus 27. §. 9. ff. ad L. Aquiliam. † Id est, Ministeriis, ut fert parva Glossa,

Dicimus, futurum ut Nicasius in foro judicii condemnaretur, ad restituendum damnum, juxta Leges allegatas. At non arbitramur, istud ei obligationis incumbere in foro conscientiæ, antequam ad restitutionem damni fuerit ea judiciaria sententia condemnatus; quod quidem asserimus duabus potissimum de causis: Prior est, quod naturalis æquitas suadet, pro modo delicti pœnæ modum irrogandum esse; ut declarat Cœlestinus III. in una quadam ex suis Decretalibus (*d*): *Nec pœna sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum*. Cui in eo consentiunt plurimi alii summi Pontifices, & Auctor Glossæ (*e*). Quamobrem, cum plurimum levitatis habeat delictum seu culpa Nicasii, & ejusmodi sit, in quam vel etiam viri justi ac sancti possunt incidere; innuit naturalis æquitas, ejusdem ab eo pœnam expendi levissimam; atque adeo tantum adeo damnum ab eo non esse restituendum, in pœnam culpæ adeo exiguæ, & in quam potest etiam sapientissimus quisque impingere. Altera ratio est, quia, sicut in materia contractuum & votorum nulla inducitur obligatio, nisi iisdem conficiendis verus consensus, plenaque animi advertentia accesserint; eadem ratione potest contendi, neque etiam alicujus damni restituendi necessitatem coram Deo incumbere, nisi voluntarie fuerit illatum.

(*d*) Cœlestin. III. in c. Quæsivit. 2. de his, quæ fiunt a majore parte capituli. l. 3. tit. 11.

(*e*) Alex. III. in c. Etsi 9. de Judiciis. Honorius III. in c. Ex quæ 8o. de statu Monachorum Et ibi Glossa. Glossa in c. Quanto 47. de sent. Excommunicationis &c. At in c. Provida. 24. de electione in 6. Et in Extravagante Postulavit. Joan. XXII.

Nihilominus, quoniam ex culpa Nicasii data fuit occasio comburendis ædibus Juvenalis, naturalis æquitas exigere videtur, ut in reparatione damni veniat ex aliqua saltem parte pensanda ac determinanda ex judicio prudentis viri, justique rerum æstimatoris, pro ratione & circumstantiis ipsius culpæ. Atque sic censet Auctor Colloquiorum Condomiensium (*f*).

(*f*) Colloquior. Condom. tom. 2. Coll. 13. sect. 2.

CASUS CLXXVIII.

Cum vicina, quæ propius contingebat ædes Titii, tota domus arderet, & earumdem fastigium flammæ jam lamberent; vicinos, ita, sentientibus quotquot aderant, conjicientes, si pervaderet incendium ad ædes Titii, futurum ut eodem quoque incendio suæ ædes comburerentur, domum Titii excusserunt; atque dejecerunt. Num præstare tenentur damnum, quod Titius inde recepit?

R e s p o n s.

Respondemus, prædictos vicinos ad nullam prorsus obligari erga Titium damni reparationem. Considerari namque debent ejusmodi eventus, ut fortuiti omnino casus, quorum damnum in eos debet recidere tantummodo, qui eodem afficiuntur: *Quod dicitur damnum injuria datum Aquilia persequi, sic erit accipiendum*, inquit Lex (*g*), *ut videatur damnum injuria datum, quod cum damno injuriam attulerit: nisi magna vi cogente fuerit factum, ut Celsus scribit circa eum, qui, incendii arcendi gratia, vicinas ædes intercidit. Nam hic scribit, cessare Legis Aquiliæ actionem. Justo enim metu ductus, ne ad se ignis perveniret, vicinas ædes intercidit: & sive pervenerit ignis, sive ante extinctus est; existimat, Legis Aquiliæ actionem cessare.*

(*g*) L. Si quis 49. §. 1. ff. ad L. Aquiliam. lib. 9. tit. 2.

Verum tamen est, summo jure servato, vicinos Titii jus non cessisse ejusdem ædium privata auctoritate intercidendarum, quoniam ejusmodi rem non licet præsumere, nisi necessitate urgente, quæ spectet ad publicam utilitatem, cujus privati isti homines non erant judices legitimi; siquidem eidem consulere pertineat ad solos disciplinæ politicæ præfectos ac ministros. At vero si in eo casu, qui controvertitur, abessent præfati Ministri, & qui populus illuc in magna frequentia confluxisset, judicaverit, summæ admodum urgentisque necessitatis esse, ut memoratæ ædes everterentur; jure omnino potuerunt privati isti homines easdem excutere atque dejicere, absque eo quod ulli eorum cuiquam incumbat damnum, quod proprietarius inde patitur, resarcire.

Cujus ejusdem necessitatis exemplum, ex qua nulla obligatio importatur illius reparandi damni, quod ea voluntario etiam facto alicujus inductum est, suppeditatur iterum ab alia Lege, (*h*), quæ simul plurimum roboris adjicit iis omnibus, quæ circa propositam difficultatem hucusque sumus prosecuti. En ipsissima sunt verba laudatæ Legis: *Labeo scribit, si cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius; & nautæ funes præcidissent: si nullo alio modo, nisi præcisis funibus, explicare se potuit: nullam actionem dandam. Idemque Labeo & Proculus & circa retia piscatorum, in quæ navis inciderat, æstimaverant*. Quoniam nimirum ejusmodi casus sunt mere fortuiti, ea quibus damnum, quod sequitur, ab eo tantummodo debet ferri, qui illud idem patitur.

(*h*) L. Quemadmodum. 29. §. 3. ff. eod. tit.

CASUS CLXXIX.

Medardus proprietarius, seu principalis conductor quarumdam ædium positarum in vico publico urbis Parisiorum, cum tabulam quamdam collocandam curavisset extra fenestram secundæ contignationis; in qua florea quædam vasa sustentabantur: prædicta tabula licet firmiter retenta, violento furentis venti impetu abrepta est, & decidit in quosdam juxta domum istam tunc temporis transeuntes, inter quos unus gravissimum omnino vulnus recepit. Obligatur ne dictus Medardus, ad reparandum damnum, quod vir præfatus accepit; licet contigerit ex casu mere fortuito, quem non prævidit?

R e s p o n s.

Quamquam viro illi transeunti per vicum, nonnisi ex mere fortuito casu vulnus illatum fuerit; nihilominus obligatur Medardus, ad eidem afferendam unive si damni, quod ea inflicto sibi vulnere passus est, quæ constituetur a Judice, compensationem. Ratio est, quia Disciplinæ politicæ Leges violavit, quibus prohibetur, ne quidpiam extrinsecus ponatur aut suspendatur supra vicos & loca, per quæ transiri consuetum est, quod decidere possit, & proximo detrimentum inferre. Quod quidem apertissime potest evinci ex unaquadam Legum digesti, qua ea de re omnino luculenta est (*i*); en quibus verbis concipitur: *Prætor ait: ne quis in suggrundia; protectove supra eum locum, quo vulgo iter fiet, inve quo consistetur, id positum habeat, cujus casus nocere cui possit. Qui adversus ea fecerit, in eum solidorum decem in factum judicium dabo. Si servus, insciente domino, fecisse dicetur, aut æstimationem dari, aut noxæ dedi jubebo*. Ipsissima sunt verba Edicti Prætoris, quæ Lex memorata refert, ac deinde sic interpretatur: *Hæc verba*, ne quis, *ad omnes pertinent*

(*i*) L. Si vero. 5. §. 6. 7. 8. 10. & 12. ff. de his, qui effuderint vel dejecerint. l. 9. tit. 3.

vel inquilinos, vel Dominos ædium, sive inhabitent sive non, habent tamen aliquid expositum in his locis. Postea ea ratione prosequitur ejusdem edicti interpretationem, quantum ad isthæc verba: *positum habeat: Positum habere etiam is recte videtur, qui ipse quidem non posuit: verum ab alio positum patitur. Quare, si servus posuerit: Dominus autem positum patiatur: non noxali judicio Dominus, sed suo nomine tenebitur*.

At, quoniam non solis Romanis Legibus, quantum ad eam rem, adhæremus; sufficit adire Disciplinæ politicæ Leges & Edicta, quibus idem omnino prohibetur, & pecuniaria mulcta iis indicitur, qui incidunt in casum indicatum in specie proposita; etiamsi nihil inde cuiquam emergeret detrimenti: atque in eo potissimum consentit usus noster usui, qui Romanorum Imperatorum constitutis inductus fuerat (*a*).

(*a*) Coercetur autem qui positum habuit; sive nocuit id, quod positum erat, sive non nocuit. Cit. L. Si vero. §. 11.

Diximus; *Quæ constituetur a Judice*; propterea quod ex conscientiæ debito Medardo non incumbat ipso facto reparare damnum, quod contigit ex casu prædictæ tabulæ, & memoratorum valorum; sed tantummodo postquam in eum datum fuerit ea de re judicium damnatorium, ob rationes allegatas superius in responsione ad casum Carpophoræ.

CASUS CLXXX.

Blandina Theodati Parisini Civis ancilla, aut privatus aliquis ipsius ædium conductor liquoris aliquid per fenestram inconsulto projecit, qui quidem delapsus in vestem cujusdam Matronæ, eam integram infecit, atque inquinavit. Num Theodatus erga prædictam Matronam tenetur, quod eidem aut Blandina, aut præfatus inquilinus attulit, damnum præstare?

RESPONS.

Naturalis æquitas non patitur, in quemquam immeritum animadverti. Quamobrem pœna non nisi ei, qui culpam ipsemet contraxit, irroganda est. *Pœna suum auctorem teneat*, inquit Papa Bonifacius VIII. (*b*) nihilominus Leges Civiles imputant ipsis Dominis, quod ex incuria eorumdem domesticorum Ministrorum, qui etiamnum apud illos sunt in famulatu, damnum provenit. *Habitator suam, suorumque culpam præstare debet*: inquit una ex dictis Legibus (*c*). Unde, si servus aliquis quidpiam in damnum alienum per fenestram projiciat; Lex Civilis jubet, ut illud idem ab ipso Domino restituatur; quamquam res evenerit *insciente Domino*, ut loquitur Lex allegata in præcedenti decisione. Quod verbis expressis fertur in alia Lege sequenti (*d*): *Si in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo consistetur, dejectum, vel effusum quid erit, quantum ex ea re damnum datum, factumve erit, in eum, qui ibi habitaverit, in duplum judicium dabo*. Quod locum habet non tantummodo quantum ad vicos, plateas, cæteraque loca omnia publica; verum etiam quoad loca alia privata, per quæ consuetum est iter fieri; quemadmodum eadem Lege declaratur.

(*b*) Bonifac. VIII. in c. Si compromissarius. 37. de electione & electi potest. in 6. l. 1. tit 6.
(*c*) Leg. Hoc edictum. 6. §. 2. ff. de his, qui effuderint &c.
(*d*) L. Prætor. 1. ff. eod. tit.

Nihilominus, quoniam nonnisi pertinent ejusmodi Leges ad disciplinam politicam atque externam; vere dici potest, cum Dominus culpæ, quam admisit suus servus, aut quilibet alius de numero eorum, qui sunt ipsius Domestici, & in ædibus, quas ipse occupat, actu commorantur, neque conscius est, neque nulla ratione particeps, eum ad nullam in foro conscientiæ teneri damni compensationem, donec ad eamdem fuerit in judicio condemnatus: atque etiam in eo casu jure juvari, ut possit ad eum recurrere, qui prædictam culpam commisit, & cui incumbit ex ipso jure naturali damnum, quod ex eadem fuit subsecutum, restituere. *Cum autem Legis Aquiliæ actione propter hoc quis condemnatus est*, inquit Lex (*e*), *merito ei, qui ob hoc, quod hospes, vel quis alius de cœnaculo dejecit, in factum dandam esse Labeo dicit adversus dejectorem: quod verum est*.

(*e*) Cit. L. Si vero. 5. §. 4. eod. tit.

Ex dictis sequitur, 1. Blandinam ex debito conscientiæ obligari, ad restituendum damnum, quod recepit illa Matrona, cujus vestem infecit atque inquinavit. 2. Theodato ipsius Domino nullam imputari in foro conscientiæ ejusdem damni resarciendi obligationem, donec eadem ei ex sententia Judicis fuerit irrogata. 3. In eo etiam casu ei succurrere actionem in ipsam Blandinam.

CASUS CLXXXI.

Polibius, cum duodecim anates feras retibus captas apud se per unum mensem servavisset; ac nutrivisset in septo quodam diligenter admodum clauso, januam istius custodiæ obmisit ancilla ejus obserare: atque in vicinum stagnum prædictæ anates evolaverunt. Post aliquos ab alinc dies ex una sclopeti amplioris emissione Cajus ex supra memoratis anatibus sex occidit. Quarum ab eo Polybius statim repetiit restitutionem aut solutionem: verum eamdem ipsi Cajus omnino negavit. Num iste nititur aliquo Juris fundamento?

RESPONS.

Nulla omnino ratione Cajus tenetur, neque ad prædictas sex anates Polybio restituendas, neque earum pretium. Licet namque jure gentium earumdem verum Dominium Polybius eo ipso acquisiverit; quo primum incœpit easdem possidere; quoniam nullius antea juris erant, juxta hæc Imperatoris Justiniani verba (*f*): *Feræ igitur, bestiæ, & volucres & pisces; id est, omnia animalia, quæ mari, cœlo & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint; jure gentium statim illius esse incipiunt*: nihilominus earumdem proprietatem non retinuit nisi eo tempore, quo easdem possedit; & earumdem desiit esse Dominus eo ipso, quo evolaverunt & sese in naturalem libertatem receperunt. In eo etenim casu juri potestatique primi occupantis rursum fiunt obnoxiæ. *Quidquid autem eorum ceperimus*, ait Lex loquens de feris animalibus (*g*) *eo usque nostrum esse intelligitur, donec nostra custodia coercetur. Cum vero evaserit custodiam nostram, & in naturalem libertatem se receperit: nostrum esse desinit & rursus occupantis fit*. Cui consentiunt plurimæ aliæ Leges, atque imprimis, quæ sequitur (*h*): *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos nostros effugerit, vel ita sit in conspectu nostro, ut difficilis sit ejus persecutio*.

(*f*) Lib. 2. Instit. tit. 1. §. 12.
(*g*) Leg. Quod enim. 5. §. 2. ff. de acquirendo rerum Dominio. l. 4. tit. 1.
(*h*) L. Naturalem. 5. ibid.

At non eadem ratione judicandum est de cæteris animalibus cicuratis atque Domesticis, quales sunt communes Anates, Gallinæ Indicæ, Anseres, atque etiam Columbæ. Quamquam etenim posteriora ista animalia, aves sint minus cicuratæ, non tamen feræ censentur, nisi cum, ut antea consueverant, desinunt ad columbarium domini sui revolare.

Operæ pretium quoque est observare, in ordinem ferorum animalium recensendas esse apes, quarum proinde examina nullius sunt juris, donec in alvearibus concludantur; & in primam suam libertatem restituuntur, ubi primum ex alvearibus, in quibus inclusæ retinebantur, evolaverunt, absque eo quod proprietarius jure possit eos sibi tanquam suas asserere.

CASUS CLXXXII.

Conradus, cum sibi in domo sua in horto suo aqua opus esset, ibidem fodendum puteum curavit, qui plurimis fontibus undequaque scaturiens, copiam aquæ dedit ingentem; sed puteum vicini sui, aut fontem, qui plurimam afferebat abundantiam aquarum ipsius usibus necessariarum exarescit. Numquid obligatur, ad afferendam vicino prædicto, qui ea de re gravissimam habet querimoniam, aliquam damni reparationem?

RESPONS.

Immerito prorsus vicinus iste Conradi conqueritur, neque quidquam ei in proposito casu debetur damni compensationis: nam 1. licet proprietario novum ædificium, quod sibi libuerit, in proprio suo fundo exstruere, modo animus absit nocendi proximo, & adsit urgens aliqua necessitas. 2. Quia penuria aquæ, quæ contingit puteo vicini, proprie loquendo, casus mere fortuitus est, quem debet pati: aut cursus ipsius naturæ consectarium est, in quem rem ipsam restituere jus habet, qui ipsi

rei

rei affert mutationem. Quod tamen sic intelligendum est, modo non afferatur ista mutatio, vel istud novum ædificium non exstruatur, prohibente aliqua Lege, vel Consuetudine, aut aliquo tandem titulo eidem adversante.

Quæ decisio fundamentum mutuatur a Lege, quæ sic habet (*a*): *In domo mea puteum aperio, quo aperto, venæ putei tui præcisæ sunt: an tenear? Ait Trebatius, non teneri me damni infecti: neque enim existimavi, operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua jure meo usus sum.*

(*a*) L. Fluminum. 24. §. 12. ff. de damno infecto lib. 39. tit. 2.

Diximus: *Modo animus absit nocendi proximo, & adsit urgens aliqua necessitas.* In eo namque casu culpam contraheret, si novum istud ædificium cum malo animo exstrueret; juxta quod declaratur alia Lege sic fereote (*b*); *Marcellus scribit, cum eo, qui in suo fodiens, vicini fontem avertit, nihil posse agi, nec de dolo actionem. Et sane non debet habere; si non animo vicino nocendi, sed suum agrum meliorem faciendi id fecit.* Adeo ut in memorato casu posset in ipsum Conradum, vicinus actionem intendere, quo justam sibi damni compensationem, quam non potest ullo jure Judex denegare, ab eo præstari ex damnatorio aliquo judicio obtineret. Siquidem æquitas non patiatur, Judicem alterius malitiæ nec indulgere, nec favere: *Neque malitiis indulgendum.* Ut habet Lex superius allegata (*c*)

(*b*) L. Sicut. §. 12. ff. de aqua & aquæ pluviæ arcendæ lib. 39. tit. 3.

(*c*) Leg. *In fundo.* 38. ff. de rei vindicat. l. 6. t. 1.

Potest iterum hæc nostra decisio plurimum confirmationis ac roboris accipere ex seotentia Cabassutii, (*d*) qui, principio isto, quod apad omnes passim recipitur atque comprobatur, in probationem ejusdem rei memorato, *non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo*, quod principium autorem habet Innocentium III. & legitur in (*e*) una quadam ex ipsius Decretalibus, quam inscribit Episcopo Florentino; addit, ab antiquo quodam veteris Ecclesiæ Doctore plurima, quæ depromuntur ex sacris paginis, in coofirmationem ejusdem veritatis exempla cumulari. Eo qua ratione habet laudatus magni nominis Oratorii Sacerdos. *Bona fide & conveniente moderatione .... simul concurrentibus, excluditur peccatum: & nulla est damni alieni reparandi obligatio. Inter sanctos veteris Ecclesiæ Patres hoc ipsum luculenter docet admirandus ille Sanctus Petrus Alexandriæ Episcopus & Martyr in suo Canone* XIII. *Idque firmat pluribus ex scriptura deductis exemplis.*

(*d*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 24. n. 6.

(*e*) Innoc. III. in cap. *Cum Ecclesia.* 31. de Electione & Electi potest. lib. 1. tit. 6.

Plurimas alias probationes silemus, quas laudatus autor repetit ex legibus Digesti & Codicis, ut prædictam coufirmet decisionem; satisque habemus unicam tantummodo legem referre, ex qua luculenter evioci videtur, posse quempiam proprio suo jure uti etiam in damnum sui vicini, & in qua fertur, eum, qui murum exstruxit, ut averteret aquas de suo fundo, ad nullam prorsus erga vicioum suum obligari damni compensationem, licet propter constructum istum murum aquæ in fundum ipsius effundantur: *Idem Labeo ait*, quæ ipsissima suot verba citatæ legis, (*f*) *Si vicinus flumen, vel torrentem averterit, ne aqua ad eum perveniat: & hoc modo sit effectum, ut vicino noceatur, agi cum eo pluviæ aquæ arcendæ non posse: quæ sententia verior est, si modo non hoc animo facit, ut tibi noceat, sed ne sibi noceat.* Ex quibus recte colligitur, siquidem Conradus in horto suo, vel in area sua solu propriæ suæ utilitatis gratia, puteum aperuerit, neque quidquam in eo intenderit nocere vicino suo, eum posse proprio suo jure uti absque ullo peccato, & absque ulla, quæ ei incumbat ea de re, damni reparandi necessitate.

(*f*) Leg. *In summa* 2. §. Idem Labeo. ff. de aqua & aquæ pluviæ arcendæ.

CASUS CLXXXIII.

Tarbulus, cum ex una sclopeti brevioris emissione Sylvestro vulnus gravissimum ac periculosissimum intulerit non quidem ex meditata malitia; sed ex ea, quæ oeminem sapientem nec diligentem decet, imprudentia atque culpa; petit utrum sibi coram Deo, necdum accedente sententia Judicis, incumbat obligatio reparandi damni, quod isti viro ex præfato vulnere inductum est?

Respons.

Censet Innocentius IV. (*g*) Virum in iis rerum circumstantiis positum, in quibus Tarbulus reperitur, ad nullam obligari damni compensationem. Sic autem habet laudatus Summus Pontifex in suo, quod scripsit in Decretales Commentario. *Si autem culpa, vel negligentia sua dedit quis damnum; ut si bene non cohibuit ignem, ne ad domos aliorum vagaretur, tunc tenetur actione legis aquiliæ... sed tamen in foro pœnitentiali non videtur, quod teneatur, ad emendam damni: & pœna est ei imponenda de negligentia, non pœna de damno... Lex autem Civilis, quæ intendit circa conservationem patrimoniorum, constituit, quod etiam ad restitutionem damni tenetur. Item bene fatemur, quod si aliquo modo intenderet per ignem dare damnum, etiam tunc in foro pœnitentiali condemnaretur, & idem dico, si non intenderet, sed lata culpa esset, ut si ignem projiceret in domum planam stipula.* En qua ratione censet appellatus Summus Pontifex.

(*g*) Innoc. IV. ad libr. 5. Decretal. tit. 12. de homicidio. cap. *Sicut dignum.* v. 4. & 5.

Cujus tamen sententiam plurimi non infimi nominis interpretes non sequuntur: propterea quod illa, quam statuit, distinctio ipsam Decretalem, in quam interpretationem habet, non vindicet sibi consentientem. Sermonem enimvero generalem facit de quacumque culpa, nulla adhibita exceptione, neque facta levem inter culpam, & eam, quæ gravis est distinctione.

Istam vero sententiam Innocentii IV. celeberrimus (*h*) Archiepiscopus Panormitanus miratur omnino singularem; quin etiam dubitat admodum, num in ea rerum circumstantia necessario sit adhibenda forum interius inter & exterius distinctio; siquidem Lex, ut verbis concepta legitur in Decretali, *si culpa*, rationi prorsus consentanea sit. *Hoc dictum Innocentii est valde singulare*, inquit, *de quo multum dubito, quod forus animæ debeat discrepare a foro contentioso: cum hæc Lex sit valde rationalis.* Addit præterea memoratus autor in suo, quod composuit in eandem Decretalem, *si culpa*, commentario. *Nota primo ex textu*, ait celeberrimus iste Canonista, (*i*) *quod ex sola culpa, seu negligentia, tenetur quis ad satisfactionem damni, etiam de jure Canonico; quantumcumque non habuit voluntatem damnificandi. Et cum hæc litera loquatur indistincte de culpa, seu negligentia: debet intelligi de qualibet culpa: quia indefinita æquipollet universali. Ergo, quod in hac actione legis aquiliæ venit levissima culpa de jure Canonico, sicut de jure Civili, ut infra Leg.* Aquilia. *ff. ad legem aquiliam: & dicitur levissima culpa, quando diligentissimus homo scivisset præcavere .... & facit iste textus, sic intellectus contra opinionem Innocentii in caput* sicut dignum, De homicidio; *& dixi in cap.* Si egressus ... *ut etiam in foro animæ teneatur ad emendam; licet ex levissima culpa damnum illatum sit: quia, cum hæc sit Lex Principis, & valde rationabilis & non sit mera pœna, ex parte damnum passi deberet observari etiam in foro animæ. Nec obstat cap.* Inebriaverunt. 15. *q.* 1. *super quo fundat se Innocentius: quia ibi est mera pœna; sed hic est interesse ex parte patientis damnum.*

(*h*) Panorm. in cap. *Si egressus.* 3. de injuriis &c.

(*i*) Idem in cap. Si culpa. fin. de injuriis & damno dato.

Quæ quidem Panormitani dicta confirmari possunt ex sequenti Juris effato, quod Glossa refert istis verbis; (*k*) *Ubi Lex non distinguit, etiam nec nos distinguere debemus.* Unde sequitur, siquidem Gregorius IX. in Decretali *si culpa*, nulla ratione distinguat inter varias culparum species, nullam quoque eidem ab Innocentio IV. apponi debuisse distinctionem. Concludimus ergo, Tarbulum in proposita specie coram Deo teneri, etiam nondum accedente sententia Judicis, ad integrum damnum, quod eidem ex inflicto ex ipsius imprudentia vulnere accessit, Sylvestro restituendum. (*l*)

(*k*) Glossa in cap. *Cum contingat.* 36. de officio delegati. v. *Probationibus.* in addit. Item argum. Leg *De pretio.* 2. ff de publicana in rem actione.

(*l*) De Gen. Theol. mor. tom. 6. tract. 8. c. 5. q. 50.

CASUS CLXXXIV.

Si decederet Tarbulus, num in ipsius hæredem recideret restitutionis ejusdem obligatio?

Digitized by Google

R e s p o n s.

Existimat S. Raimundus, futurum ut, quæ inducebatur defuncto obligatio restitutionis in præcedente specie, in ipsius hæredem eadem recideret (a). *Ut autem circa hæredes materia latior habeatur*; inquit sanctissimos iste de Ordine S. Dominici Religiosus, *nota, quod quilibet hæres, sive filius, sive extraneus, non distincto, utrum raptoris, vel alterius, tenetur jure Canonico ad omnia debita defuncti persolvenda: sive fuerint ex contractu, vel quasi*: (puta ex totela, aut administrata aliena re, nullo ea de re accepto mandato,) *Sive ex maleficio*, (ut ex furto, homicidio, aliisve criminibus ejusmodi,) *vel quasi* (verbi gratia, ex imperito vel imprudenti judicio, seu ex eo quod illatum fuerit ex aliqua culpa alienum detrimentum,) *Sive pervenerit res illa, pro qua debitum fuit contractum, ad eum, sive non, sive lis fuerit contestata cum defuncto, sive non*. Quod laodatus Autor plurimis Canonibus ac Decretalibus probat, nimirum; 16. *q.* 1. (Can.) si Episcopus. *Extra de pignoribus*. (cap.) ex præsentium. De solutionibus *c.* 1. *& de usuris*. (cap.) toa nos. *Et de raptoribus*. (cap.) in litteris. *Et de sepulturis. c. ult & de sententia excommunicationis*. (cap.). A nobis. 2. in fine, *& argum. ff.* de condictione furtiva (Legis) si pro fure. *§.* Condictio.

(a) S. Raim. in sum. l. 2. n. 5. §. 24.

Ex quibus omnibus autoritatum testimoniis, quæ eo loci citat laudatus insignioris notæ Canonista, unicam allegabimus tantummodo Decretalem *Tua nos*, ex qua colligitur, consultum ab Episcopo Placentino Alexandrum III. quanam potissimum ratione agendum esset com filiis & hæredibus fœneratorum, quibus res illicita ratione partæ a suis autoribus hæreditario jure accesserant; respondere, eos eodem modo compellendos esse, ad restituendum quo ipsimet defuncti fuissent compellendi. En sunt verba laudati Papæ. *Tuæ igitur quæstioni literis præsentibus respondemus, quod filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur. Id ipsum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum*.

Ratio est, quia prædicti filii seo hæredes in bona defuncti succedendo, succedere etiam aliqua ratione censentur in vitium, quo defunctus in acquirendis istis rebus sese constrinxerat; juxta sequens Juris adagium (b): *hæredis succedentis in vitium par habenda fortuna est*, adeoqoe obligantur, ad illud idem diluendum ex congruenti, quæ illis debetur, qui damnom inde fuere passi, restitutione; juxta aliam istam regolam (c), *ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet*: quippeconstet, quanquam iojustitiæ, quam defunctus admisit, oullatenus fuerint participes, quin potios ejusdem omnino sint inscii, ipsis nihilominus ejusdem reparandæ obligationem eo ipso induci, quo eam incipiunt habere perspectam; qoippe qui hæredum nomine gaudeant atque beneficio, ut declarator ista alia Lege (d): *Cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit*. Quod eo usque verom est, ut Leges Civiles eandem obligationem importent ipsis etiam furiosis & Infantibus; licet ejusmodi sint, qoi non possint eorom injustitiæ fieri participes, quorum hæreditatem adiverunt (e): *Condictione ex causa furtiva & furiosi & Infantes obligantur, cum hæredes necessarii extiterunt; quamvis cum eis agi non possit*. Enimvero, ot quis damnoum ab aliquo illatum præstare teneatur, sofficit eum in ipsius bona hæreditario jure successisse: *Hæredes conveniuntur ex maleficio defuncti, licet nihil pervenerit ad eos, quamvis lis contestata non fuerit cum defuncto, cum ad eos bona defuncti pervenerint*. Ita fertur in Glossa (f).

(b) L. Litigator 2. Cod. de fructibus & litium expensis. l. 7. t. 5.

(c) L. ex qua 195. ff. de diversis reg. juris antiq.

(d) L. Cum hæres 11. de diversis & temporalib. præscript. &c.

(e) Si condictione 2. ff. de condictione furt. l. 3. t. 2.

(f) Glossa in c. Parochiano. fin. de sepulturis v. Sed ejus hæredes. l. 3. t. 28.

Observandum vero venit circa isthæc verba S. Raimundi, quæ allegavimus; *Sive lis contestata fuerit, sive non*, eadem non esse accipienda, nisi de sola damni reparatione, de quo pars offensa querimoniam habet; neutiquam vero de mulcta seu pœna pecuniaria, ad quam ipsum hæredem obligari nulla ratione censemus, nisi, dum adhuc ei vita suppeteret, qui damnum intulit, eadem in judicio postulata fuisse; quo qoidem in casu eidem ferendæ foret obnoxius, juxta Legem, quæ sic declarat: (g) *Omnes pœnales actiones post litem inchoatam etiam ad hæredes transeunt*. Atquæ hæc est rei istius causa, quod quæcumque pœnalis actio proveniens ex delicto, nunquam in ipsum hæredem delinquentis competat, juxta certissimam atque omnino inconcussam joris regulam sequentem (h): *Est enim juris certissima regula, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem rei non competere*.

(g) L. Omnes 26. ff. de actionib. & obligat. l. 44. t. 7.

(h) Institut. l. 4. t. 12. de perpetuis & tempor. actionibus, &c. §. Non autem.

Jam inferendum superest, si Tarbulus decederet non reparata injoria, quam ex negligentia sua irrogaverat, futurum, ut ipsius hæredi iocumberet eidem satisfacere, priusquam quidquam posset de ipsius hæreditate sibi vindicare. Quæ decisio autores habet Covarruviam, ceterosque plurimos, qui sententiæ S. Raimundi insistunt (i).

(i) Didacus Covarruvias a Leyva l. 3. variar. resolut. c. 2. n. 7. Colloq. Lacionens. t. 2. Colloq. 45. q. 1. De Gen. Thmor. t. 0. tr. 8. c. 5. qu. 5.

CASUS CXXXXV.

Ephiotus advertens ædes Tulli vicini sui omnino ruinosas esse, atque ex earumdem caso propriis suis ædibus plurimum forsitan inferendum esse detrimenti, eundem jussit appellari, de iisdem vel demoliendis, vel saltem solciendis, ot a quocumque periculo tutus esset. At ex nimia mora, quam Tullius attulit, ædes concideruot, & in eandem ruinam secum traxerunt partem plurimam ædiom, quas Ephidios occupabat: indeque ei damnum emersit ultra librarum sex millia, propter plurima tabellarum, operumque scolptilium genera, quæ confracta fuerunt atqne penitus depravata. Tollio ne inducitur obligatio sex milliom librarom damni Ephidio restituendi.

R e s p o n s.

Si Tullio facultates adessent, per quas ei licebat, quod imminebat ædibus Ephidii, pericolo ratione aliqua occurrere, & noluerit, seu moram fecerit, tenetur, quod inde recepit Ephidios, præstare detrimentum, juxta isthæc verba cujusdam Legis de Digesto (K): *In eum, qui neque caverit, neque in possessione esse, neque possidere passus erit, judicium dabo, ut tantum præstet, quantum præstare eum oportere, si de ea re ex decreto meo, ejusve, cujus de ea re jurisdictio quæ ea re est, cautum fuisset*: adeo ot nihil quidquam ea de re veniat imminuendum. *In hac stipulatione venit, quanti ea res erit*, inquit alia Lex (l). At vero, si præ facultatum penuria Tullius non posset aut proprias suas ædes resarcire, aut in iisdem fulciendis quidqoam sumptus facere, & declaravisset in suis responsis ad significatam sibi ab Ephidio denuntiationem, sese non habere, unde posset eidem ullatenus satisfacere, sed ab eo sese precibus petere, ot qoas, in eum rem impensas conferre necesse foret, vellet ipsemet de suo in antecessum suppeditare, offerendo, futurum ut in pecuniæ ab eo numeratæ cautionem sua domus oppignerata remaneret, & rejecta ab Ephidio ista conditione, ipsa domos cecidisset, videtur naturalis æquitatis esse, ot Tullius ab ea damni compensatione, quam Ephidius sibi deberi contendit, aut omnino solvatur, aut præfatæ compensationi justus saltem modus ex sententia Judicis alicujus æqui rerum æstimatoris adhibeatur.

(K) L. Prætor 7. ff. de damno infecto l. 39. tit. 2.

(l) L. In hac 28. ff. eod. t.

Quod pertinet ad tabellas atque opera sculptilia, quæ, ut habetur in exponenda qoæstione, confracta fuerunt atque penitus depravata, Leges, qoæ juris & æquitatis sibi potissimum vindicant fundamentum, non patiuntur eorumdem jacturam ad strictos apices æstimari: quoniam, ut quidam superflui, eorumdem usus habetur, adeoque non ejusdem pretii debet esse, cojos habetur usos eorum, quæ necessaria sunt ad vitam sustentandam: qualis est domos: *Ex damni infecti stipulatione*, ait Lex (m), *non oportet infinitam vel immoderatam æstimationem fieri: ut puta, ob tectoria & ob picturas. Licet enim in hæc magna erogatio facta est, attamen ex damni infecti stipulatione moderatam æstimationem faciendam: quia honestus modus servandus est, non immoderata cujusque luxuria subsequenda*.

(m) L. Ex damno 40. ff. eod. tit.

Quæ hic loci habemus, iis non adversantur quæ alibi docemus, ubi sermonem facimos de construendo aut reparando intergerino pariete cui vicinus picturas curaverat induci, & ex cujus demolitione nihil ei joris tribuitur, ut quidquam possit exigere

Digitized by Google

gere damni compensationis: quoniam utitur proprio suo jure, de quo nullatenus potest cum eo contendi, qui parietem curat aut exstrui; & sine ejus culpa prædictæ picturæ pereunt. At vero Tullius in casu, de quo quæstio est, tenetur in culpa, proindeque debet Ephidio congruentem afferre damni compensationem.

Addi denique potest occasione propositæ difficultatis, si ruinosa aliqua domus cadat ex fortuito casu, puta ex eluvione seu venti impetu, postquam a vicino de eadem sarcienda proprietarius appellatus fuit, istum posse condemnari ad afferendam vicino suo damni compensationem, si domus ipsius ex alterius casu damnum aliquod receperit, nec ruinosa domus deciderit, nisi propterea quod eadem omnino dilaceraretur: *Idem ait*, inquit Lex (*a*): *Si damni infecti ædium mearum nomine tibi promisero. Deinde hæ ædes si vi tempestatis in tua ædificia eeciderint, eaque diruerint, nihil ex ea stipulatione præstari, quia nullum damnum vitio mearum ædium tibi contingit, nisi forte ita vitiosæ meæ ædes fuerint, ut qualibet, vel minima tempestate ruerint. Hæc omnia vera sunt*:

(*a*) L. *Fluminum*. 24. §. 10. ff. eod. tit.

CASUS CLXXXVI.

Mauro & Adriano simul trusatili pila colludentibus in area quadam spatiosa, Bernardus iter habens juxta dictam aream, trusatili pila, quam Maurus immiserat, secundum crus ictus est, indeque gravissimo vulnere affectus, adeo ut necesse habuerit per dies integros quindecim lecto detineri, & in vulneris sibi inflicti curationem Chirurgum accersere: qua de re contendit a Mauro sibi præstandam esse damni compensationem. 1. Ei restituendo libras duodecim, quas in solvendum stipendium Chirurgo debitum expendit. 2. Rependendo ei similem pecuniæ summam, quam ex suo labore fuisset lucratus. Maurus vero negat quidquam ei compensationis afferre. 1. Quoniam animum non habuit, ei quidquam vulneris infligendi; & infortunium istud censendum est, ut casus omnino fortuitus, quod nulla proinde ratione præstare tenetur. 2. Propterea quod Bernardus videns in Sphæristerio trusatili pila ludi, dum iter suum habebat, sibimetipsi cavere deberet. Numquid ex prædictis duabus rationibus non solvitur ab obligatione duplicis istius, quam ab eo repetit Bernardus, damni compensationis?

RESPONS.

Est hoc loci certissimi indubitatique principii receptum, ut, quod ex alterius facto damnum quis patitur, sive contigerit ex imprudentia vel ignorantia culpabili, seu tandem ex aliqua alia culpa quantumcumque levi, ab eo reparandum veniat, qui locum eidem attulit. Quod quidem patet ex Lege, quæ sic declarat (*b*): *Injuriam autem hic accipere nos oportet, non quemadmodum circa injuriarum actionem, contumeliam quandam: sed quod non jure factum est, hoc est contra jus ... igitur injuriam hic damnum accipiemus, culpa datum etiam ab eo, qui nocere noluit*: In quo citata Lex consentit alii sequenti (*c*): *Interdum injuriæ appellatione damnum culpa datum significatur, ut in Lege Aquilia dicere solemus*.

(*b*) L. *Sed et si*, 5. §. 1. ff. ad L. Aquil. lib. 9. tit. 2.

(*c*) L. *Injuria* 1. ff. de injuriis & famosis libell. lib. 47. tit. 10.

Ex quibus infertur, Maurum obligari, ad restituendum damnum, quod ex sua imperitia, vel inconsiderantia intulit Bernardo, siquidem verum sit, in ea re ab eo fuisse ei illatam injuriam; & vacando ludo, qui detrimentum proximo poterat afferre, censendus sit culpa non carere, juxta isthæc verba alius istius Legis (*d*): *Lusus quoque noxius in culpa est*. Quod locum etiam haberet, quanquam ipsius culpa earum culparum naturam retineret, quæ appellantur in Jure levissimæ (*e*). At vero non ita judicandum foret de eo, qui Sphæristerium permeans imprudenter eo ipso tempore, quo trusatili pila ibidem luditur, pila jam immissa sauciaretur. Ut namque innoxium omnino foret illius factum qui prædictam pilam nullo cum animo nocendi jaculatus fuisset, æquum non esset, illum teneri, ad præstandum ejusmodi casum, qui illius tantum imprudentiæ veniret imputandus, qui voluisset ultro eundem adeo intempestive adire: *Si, cum alii in campo jacularentur, servus per eum locum transierit, Aquilia cessat*, ait Lex (*f*), *quia non debuit per campum jaculatorium iter intempestive facere. Qui tamen data opera in eum jaculatus est, utique Aquilia tenebitur*.

(*d*) L. *Nam lusus*. 19. ff. ad L. Aquil.

(*e*) L. Aquilia & levissima culpa venit. L. in Lege 44. ff eod. tit.

(*f*) L. *Item* 9. §. fin. ff. eod. tit.

CASUS CLXXXVII.

Stephanus dupliones, nummosque aureos sæpe sæpius bona fide acceptos, quibus, quod ab Edictis statuitur, pondus deerat, eadem quoque bona fide dedit quibusdam Mercatoribus qui eosdem etiam in alios transferebant, quasi fuissent legitimi ponderis, & absque eo quod expenderentur, licet minus suo pondere legitimo quatuor aut quinque micas aliquando haberent. Num ea de re inducitur ei obligatio alicujus restitutionis.

RESPONS.

Non existimamus, quando generalis usus obtinuit, ut non expenderentur nummi aurei, sed reciperentur atque eadem ratione in commercio faciendo per manus vulgo transferrentur, ut aliquando vidimus, & etiamnum videmus fieri; quidquam religionis neque scrupuli iis incutiendum esse, qui nummos aureos præfata ratione de propriis manibus in alienas manus dimiserunt; neque adeo Stephano ea de re ullius restitutionis inducendam esse obligationem. Atque hæc potest afferri ratio, quod usus prædictus consensum tacitum sibi passim vindicet, tum eorum, qui nummos istos in solutionem offerunt, tum eorum, qui eosdem acceptant; adeoque nemini quidquam injuriosum inde accedat; juxta regulam istam Jure Romano maxime comprobatam (*g*): *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt*: imprimis vero quando generalis ejusmodi usus auctoritatem mutuatur ex tacito consensu & tolleratione Principis, qui eidem non obstat, quique certissime obstaret, si quid ea in re sibi videretur vel ipsi Regno, vel publicæ rei accedere detrimenti (*h*).

(*g*) L. *Nemo*. 188. ff. de diversis reg. Juris antiq. lib. 50. tit. 17.

(*h*) Sambov. t. 3. casu 19.

CASUS CLXXXVIII.

Tremerius centum libras olim furatus est a quodam, cujus sibi nec nomen, nec mansio, nec patria perspecta sunt. Quid facto opus est, ut conscientiæ debito satisfaciat?

RESPONS.

Dicendum est, Tremerium ab obligatione restituendæ summæ, quam furatus est, nullatenus liberari; quanquam eum non noscat, cui jure proprietatis cedat prædicta pecunia; sed eandem ab eo, qua ratione potest, esse restituendam; hoc est, eam conferendo in pios aliquos usus, ac potissimum in Eleemosynas eo fine, ut illius, a quo furatus est, æternæ saluti prosit, si vita adhuc ei suppetat; aut si decesserit, juvet ipsius animæ quietem. Ita censet S. Thomas: (*i*) *Si ille cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus*, inquit laudatus S. Doctor, *debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in Eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus, præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda*. Et alibi; (*k*) *Quando incertus est dominus rerum ablatarum, pauperes sunt hæredes: & ideo non deobligatur a debito restitutionis, nisi det pauperibus pro anima illius, cui restitutio debebatur, adhibita tamen prius diligentia debita*.

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.

(*k*) Idem in 4 dist. 15. q. 1 a. 5. q. 4. ad 2.

Alexander III. apertissime favet huicce præsenti nostræ decisioni in Decretali, quam inscribit Archiepiscopo Salernitano. (*l*) Declarat etenim, fœneratores, qui non possunt eos detegere vel perspectos habere, quibus injuriam irrogaverunt ex usuris suis ab iisdem extortis, nec ipsorum hæredes, ulla ratione cognoscere, obligari ad restituendum pauperibus: *Fraternitati tuæ respondemus*, inquit laudatus Papa, *quod sive ante, sive post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per pœnam, quam in Concilio* 1 *statuimus, eas his, a quibus eas extorserunt, vel eorum hæredibus restituere: vel his non superstitibus, pauperibus erogare; cum juxta*

(*l*) Alex. III. in c. *Cum tu*. 5. de usuris l. 5. tit. 19.

1 Scillicet Later. III. anno 1179.

verbum

verbum Beati Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Atque idipsum idem jam antea docuerat S. Hieronymus, qui sic habet: (*a*) *Nemo qui rapit, moriens si habet, unde reddat, salvatur. Si eorum, quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ vel pauperibus tribuat.*

(*a*) S. Hieron. in can. Nemo. 14. q. 1.

C A S U S CLXXXIX.

Rigobertus ducentas libras debet Dominico, qui ab annis septem aut octo commigravit Aspahamum in urbem Regni Persarum principem, quacum ei nullus est usus. Quidnam obligationis ei incumbit, ut suam conscientiam in tuto ponat?

R e s p o n s.

Vir prædictus obligatur, ad ducentas libras Dominico transmittendas, si sibi suppetat aliquis mensarius, aut alia quædam ratio, cujus ope possit easdem ad eum commode transferre: si vero res ista sit admodum perdifficilis, nec tentari possit, quin ei magnum inde detrimentum inferatur, sive propter usuram permutandæ pecuniæ nimium ingravescentem, sive propter quamlibet aliam causam aut tandem ejusmodi sit, cui tuto confidere nequeat; ab eo deponenda est istius pecuniæ summa apud aliquem, cujus fides sibi sit explorata; intereaque debet vel per semetipsum, vel per alios certis nuntiis monere de ea re Dominicum, ut possit jubere eandem a depositario recipi. Ita censet S. Thomas, (*b*) qui sic habet: *Si vero ille sit multum distans, debet sibi transmitti quod ei debetur: & præcipue, si sit res magni valoris, & possit commode transmitti: alioqui debet in aliquo tuto deponi, ut pro eo conservetur, & domino significari.*

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.

Addit idem S. Doctor alibi 1. (*c*) *Si sit res magni valoris; debet sibi transmittere, si potest commode: nec obstat damnum, quod de remissione patitur: quia ipse sibi causa fuit, injuste auferendo. 2. Si autem transmittere non possit, vel res non sit magni valoris, potest eam dare propinquis illius, si habet; vel alicui Cœnobio, si non habet propinquos, cum protestatione tali, quod ei reddere teneantur, si requisiverit, vel unquam comparuerit.*

(*c*) Idem in 4. dist. 15. q. 1. art. 5 quæst. 4. ad 2.

Quod S. Thomas, docet quantum ad impensas, quas admitti necesse est, ut aliqua pecunia, vel quidvis aliud injuriose acceptum proprietario transmittatur; hoc ipsum tenet Cardinalis Cajetanus ejusdem S. Doctoris fidus interpres. (*d*) Postquam enim vero recensuit opinionem Scoti & Richardi, (*e*) qui opinantur, non induci tunc restitutionis obligationem, cum, ut eidem fiat satis, ejusmodi veniunt sumtus impendendi, qui rei ipsius restituendæ æquent pretium ac æstimationem; contendit, eorum opinionem veram non esse, nisi quando restitutionis obligatio causam non habet injustam rei ipsius acceptionem; sed, quando res fuerit injuste accepta, incumbere ei, qui injuste abstulit, iis omnibus sumtibus obnoxium fieri, quos impendi necesse est, ut ipsa eadem res ad dominum perveniat; iniquum utpote sit, cum propria sua re spoliari ex eorum iniquitate, qui eandem abeo injuste abstulerunt: *Mihi autem videtur distinguendum*, ait laudatus insignioris notæ Cardinalis, *de causa restitutionis: an scilicet fuerit acceptio injusta; ut furtum, rapina, usura & hujusmodi; vel sine injustitia; ut inventio, successio, mutuum, depositum & hujusmodi. Nam si tenetur ad restitutionem ratione furti & similium: tenetur ad expensas etiam in quadruplum, si aliter non potest facere, quod res reddatur domino. Et ratio est, quia dominus rei ex eo quod passus est furtum non debet damnificari. Constat autem, quod damnificaretur, si propriis expensis deberet recuperare rem sibi ablatam. Cum ergo ipse non teneatur ad expensas, & fur teneatur ad iterato statuendum dominum rei in possessione: consequens est, quod fur teneatur per accidens, scilicet propter accidentem distantiam, ad plus damni sustinendum, quam intulerit alteri .... quia tenetur ad consummatam restitutionem, quæ per accidens requirit expensas .... nec debet dominus, qui non potuit rem suam ablatam ferre secum, pati: pateretur autem, si sint ejus voluntate rem suam pauperi, aut alteri daret.* Deinde, quantum ad casum acceptionis non injustæ, sic prosequitur. *Si vero tenetur ad restitutionem ratione acceptionis non injustæ: tunc cessante mora, fraude, atque injuria, quoad hoc, recessu debitoris: non tenetur debitor, ad damnum subeundum propter restitutionem faciendam: etiamsi ipse se absentaverit: quia jure suo utebatur, se absentando propter negotium, aut commodum, quando non erat obligatus significare creditori, seu domino, suum recessum.*

(*d*) Thomas De Vio Cardin. Cajet. in S. Thom. cit.

(*e*) Scotus & Ricardus in 4. dist. 15.

C A S U S CXC.

Clotarius damnum mille nummorum illatum Festo cur non restituat *hic & nunc*, tres potissimum causas allegat. Primam quidem, quod, cum vir sit nobilis, & tres liberos susceperit, nimirum unicum filium duasque virgines teneræ etiamnum ætatis; non possit obligationi prædictæ, nisi cum suo gravissimo incommodo, satisfacere; quin etiam, nisi periculo sese committat illius rerum angustiæ, qua non possit vel ipsa vitæ necessaria sibimetipsi suppeditare, & propriis suis liberis educandis consulere, quos ad mendicitatem cernere detrusos eum plurimum omnino puderet. Secundam vero, quoniam, etsi sibi impræsentiarum suppeteret, unde posset prædictos mille nummos Festo restituere; putat, non operæ pretium esse futurum, ut eosdem ei reddat, propterea quod vir sit omnium libidinum maculis publice notatus, qui, licet rem suam jam fere totam abliguriverit, & lusionibus atque luxuriis decoxerit, nihilominus ejusdem vitæ perditissimæ proposito tenaciter insistit; adeoque, si summam istam præ manibus haberet, eandem intra paucos dies ratione eadem certissime foret dilaceraturus. Tertiam denique, quia sibi moraliter impossibile est restitutionis istius debitum adimplere, quin proprium suum peccatum reddat manifestum; ac proinde semetipsum infamia aspergat. Numquid ex prædictis causis conscientia Clotarii coram Deo liberatur?

R e s p o n s.

Existimamus, ex allegatis causis posse coram Deo Clotario succurrere legitimam excusationem. Earum vero quamlibet juvat seorsum expendere.

Atque quæ se primo loco offert, omnino legitima est. Quando namque qui obnoxius est alicui restitutioni, eandem non potest, nisi cum gravissimo suo incommodo præstare; neque ei, cui restitutio debetur, ejusmodi incommodum ex mora suæ sibi rei restituendæ, inducitur: iste juxta regulas ipsius christianæ caritatis moræ eidem ultro consentire præsumendus est. Quod probat S. Antoninus, (*f*) autoritate Doctoris subtilis hoc modo: *Ratio hujus est, scilicet quod talis restitutio possit differri: quia secundum Scotum .... creditor, id est, qui debet habere, magis debet velle in hujusmodi casibus, ut maximum incommodum, seu damnum ejus, qui habet restituere, evitetur in modica restitutionis dilatione, quam suum incommodum modicum, vel damnum ex carentia ad tempus suæ rei.* Et paulo post laudatus Sanctus Archiepiscopus primam rationem allegatam in proponenda quæstione memorat ut locum obtinentem legitimæ prorsus excusationis. *Alius casus est*, inquit, *quando ex hujusmodi restitutione subita sequi posset mors spiritualis, seu peccatum mortale probabiliter, restituendo, vel familiæ ejus: puta restituendo quæ habet aliena, ad tantam venit paupertatem, vel miseriam, quod non potest vivere, vel providere filiis de victu & vestitu: & cum sint alicujus nobilis conditionis, mendicare nimis erubescunt, ab amicis sufficientiam non inveniunt: laborare nesciunt, vel non possunt: quia parvuli, vel infirmi: & sic restituendo, exponitur periculo ipse cum familia sua furandi, vel prostituendi filias, vel desperationis, ubi retinendo alienum, cum ipso ex industria sua providet & parcit sibi & familiæ, & disponitur ad satisfaciendum paulatim.*

(*f*) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 2. c. 8.

Digitized by Google

sim. Hoc sentire videtur Scotus in 4. Henricus in 6. quodlibeto. q. 24.

(*a*) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 64. art. 8. quæsito 3. conclus. 4.

Sylvius, (*a*) agens de viro ejusmodi, qui supponitur in præsenti specie, eamdem etiam opinionem amplectitur. *Similiter*, inquit, *si prius non solebat ex mendicato vivere, sed honestam artem exercebat, vel in statu honesto erat, potest ea retinere, quæ omnino videt esse necessaria, ut secundum illum statum pristinum parce vivat juxta Bannesium & Salonium. Ratio est, quia nemo tenetur restituere cum tanto detrimento status, juste acquisiti, ut ab eo decidat.* Quam eamdem doctrinam tenet quoque Cabassutius. (*b*)

(*b*) Joann. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. c. c. 09. n. 2.

Est hoc autem quod permagni intereft observare, nimiram, si is, cui restitatio debetur, eodem angustiæ atque necessitatis casu prematur, quo ille afficitur, qoi subjacet obligationi restitutionis, ejusdem faciendæ isti potissimum obligationem importari; quemadmodum docetur a Sylvio: (*c*) *Si quis vero, inquit, non potest statim restituere, aut debita solvere, sine ne abili detrimente suarum rerum, vel sui status juste acquisiti: potest restitutionem, sive solutionem differre, donec sine tali detrimento id possit: modo tamen ipse Creditor non patiatur ejusmodi damnum. Quæ clausula ideo additur, quia debitor etiam cum magno suo damno tenetur statim restituere, vel debita solvere, si alioquin crediter pateretur gravem jacturam: extra casum enim extremæ, aut quasi extremæ necessitatis in pari causa damni, potior esse debet conditio creditoris*: Quod idipsum etiam habet Cabassutius (*d*).

(*c*) Fr. Sylvius loc. cit. conclus. 3.

(*d*) Cabassut. lib. 4. cit. c. 12. n. 3.

Isthæc verba apponantur a laudato Theologo: *Extra casum extremæ aut quasi extremæ necessitatis*: Quia, juxta sententiam illius, *Probabile est, debitorem valde gravi necessitate naturæ, licet non extrema, laborantem, posse differre restitutionem: etiamsi creditor in simili necessitate versetur: quia talis necessitas est vicina extremæ, in qua proinde etiam melior videtur esse conditio possidentis.*

Quam secundo loco Clotarius allegat, ratio eamdem quoque, sicut præcedens, præ se fert causam legitimæ excusationis. Potest enimvero restitutionem recte differre vel etiam ipse, qui præ manibus etiamnam habet, unde satisfaciat, cum ex facienda restitutione mortale peccatum aliquod quasi necessario consequendum est. Atque ita docet S. Antoninus in ipso loco, quem jam citavimus, ubi sic prosequitar: *Tunc tenens non est detentor injustus; nam & depositum debet redditione strictissima, cum repetitur, reddi ... & tamen invito domino, voluntate inordinata cum repetit, ut cum eo malum faciat sibi, vel alteri, potest retineri. Et Augustinus dicit, quod multa bona sunt præstanda invitis, dum eorum potius utilitati, quam voluntati consulitur.* Ex quibus idem Sanctus Archiepiscopus infert, in istis casibus, in quibus ex restitatione majus damnum, quam ex mora & dilatione restitutionis sine dubio conjicitur imminere; non urgere *hic & nunc* restituendi obligationem. Puta si cui debetur restitutio, perspectam sit, eum usarum re sibi restituta, in publicum detrimentum, aut, si fuerit gladius, qui sit restituendus, eodem ab eo aliquem esse interficiendum. *Est ergo unus casus*, ait, *cum imminet ex hujusmodi restitutione subita periculum damni incomparabiliter prævalentis damno, quod inde habet creditor ex carentia rei suæ: puta, cum ipse creditor habendo illam rem, seu pecuniam, quam quis de suo retinet; magis posset repugnare & prævalere contra bonum commune. Nam tunc, secundum Richardum in 4. non tenetur illud restituere illi; sed fideliter reservare, ut restituat sibi, vel hæredibus suis, quando hoc fieri poterit sine præjudicio boni communis; vel deposita re, illud ita ordinando & providendo, quod tempore suo restituatur.*

Tertia denique ratio, quam Clotarius causatur, ut, cui obnoxius est, possit differre restitutionem, est etiam omnino admittenda, modo veritati consentiat, nec fictitia sit. Namqae, ita docente laudato S. Antonino, cam ille, qui rem aliquam furtivam injuriose abstulit, non potest hic & nunc eamdem restituere neque per semetipsum, neqae per aliam interpositam personam, nisi cam periculo propriæ suæ infamiæ, ex conscientia non obligatur ad restitutionem. Ratio est, quia junta dictum istud sapientis (*e*): *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.* Quoniam ergo tenetur unusquisque propriam suam famam conservare; potest differri restitutio eo usque, donec ipsa fieri possit remoto quocumqne famæ & honoris discrimine... *Idem videtur dicendum*, idem S. Antoninus prosequitur, *cum ex subita restitutione ille, qui restitueret rem ablatam per furtum, vel aliud vitium, detegeretur & inde infamaretur: cum fama sit quid nobilius, quam substantia temporalis .... Cum ergo quilibet debeat providere conservationi famæ suæ.... potest talis differre restitutionem ad tempus, quo non deprehendatur in crimine & diffametur: si aliter provideri non potest.*

(*e*) Proverb. 22. 1.

Atque ea potissimum de causa summus Pontifex Innocentius III. (*f*) declarat, mulierem matrimonio junctam non obligari, ad prolem, quam ex adulterio peperit, marito suo manifestandam, quantamcumqae inde possit detrimenti ipsis liberis de justo matrimonio natis, cæterisve ejus hæredibus accedere; propterea quod ipsa non posset nec detegere rei veritatem, nec afferre remedium incommodo & injustitiæ, quæ inde subsequenda sunt, nisi propriam suam famam obliterando, quæ quoddam bonum est ordinis omnino pretiosioris, ac multo excellentioris atque superioris cæteris omnibus bonorum divitiarumque thesauris. Quibus præterea licet addere, id juberi ac dictari justitia naturali, ut rem furtivam inter atque rem restituendam æqualitas servetur. Porro si, in restituenda furtiva re aliqua, incumberet propriam suam famam devovere, atque ejusdem ferre dispendium, procul dubio omnino læderetur ac violaretur æqualitas; siquidem, ut advertimus, bonum nomen ipsa sua excellentia præstet cæteris bonis fortunæ, Ergo, cum constat, non posse restitutionem afferri in casu proposito nisi cum jactura proprii nominis atque honoris, ejusdem faciendæ nulla necessitas importatur.

(*f*) Innoc. III. in c. Officii, 9. de pœnit. & remissionibus l. 5. tit. 38.

Quibus ita positis, censemus 1. Clotarium impræsentiarum non obligari, nisi ad defraudandum de suo quidquid pro virili parte sibi licebit inde comparcere, ut sibi suppetat, unde possit, restitutioni, cui obnoxius est, paulatim satisfacere: aut si nihil queat seponere, propterea quod iniquioribus limitibus eoram, quibus non potest ipsa vita carere, coangustetur, eam sic oportere esse animo affectum, ut sincerum propositum concipiat in integrum restituendi Festo, si sibi detur aliquando locus, vel ex contingente aliqua successione, vel ex qualibet alia ratione, potiendi fortuna minus coarctata, & habendi, unde possit satisfacere debito restitutionis. 2. Si solvendo esset debitum, restitutionis quo constringitur & obligatur erga Festum; & vir iste pergeret sese in Libidines consuetas immergere, ac rem suam exhaurire; futuram ut posset afferre moram prædictis mille nummis eidem restituendis; quoadusque vitæ genus & agendi rationem immutavisset; adhibita nihilominus quam dictare suadereqae potest prudentia vere Christiana, quacumqua cautione, ne fidei filiorum aut hæredum facienda restitutio committatur; ne mandatis ea de re sibi factis forte deessent: cui incommodo ut occurreret, operæ pretium foret, ut deponeret istam pecuniæ summam apud quosdam viros perspectæ omnino fidei atque integritatis, quo suo tempore vel ad ipsum Festum, vel, eo mortuo, ad ipsius hæredes posset pervenire: aut ut faciendæ aliquando prædictorum mille nummorum restitutioni vel testamento, vel quolibet alio scripto instrumento provideret, quod viribus & effectu nullatenus posset defraudari; modo prædicta tentari possint absque propriæ ipsius famæ dispendio; quemadmodum facile prorsus tentari possunt remoto quocumque ejusmodi periculo, si caveat, adhibere sibi tertium aliquem virum probum, qui rem tacitam secum habens, restitutioni prædictæ satisfaciat.

G A-

Digitized by Google

CASUS CXCI.

Artemidoros Notarius Regius, cui filius est unicus tantummodo, natus annos viginti, atque ab ipsa sua infantia mente alienatus, & paralysi tentatus; rem suam totam habet intra quatuor librarum millia coarctatam; atque ex ejusdem summæ debito in alienis variorum quorumdam nominibus est. Petit, num sibi recta conscientia liceat, in prædicto fundo pensionem alimentariam suo filio jure potiori constituere, quoam creditoribus suis satisfaciendo, prædicta nomina dissolvere?

RESPONS.

Censet Cabassutius (a), in ejusmodi casu posse prorsus aliquem patrem ex alimentaria qudam pensione vitæ sui filii subsidiis providere. *Pensio alimentaria pupillorum, aut etiam adultorum filiorum honestæ conditionis, sed corpore vel mente impotentium, ex bonis paternis, aut etiam maternis, præferenda est aliis quibuscumque creditoribus præcedentibus.* Atque in argumentum rei istius affert laudatus Canonista quamdam legem de Digesto (b), qua fertur, nullam moram interponendam esse obligationi consulendi vitæ necessariis, atque alimoniis propriorum filiorum. *Si pupillus ex contractu suo non defendatur*, inquit Ulpianus in legem citatam, *ideoque bona ejus creditores possidere cœperint: diminutio ex his bonis fieri debet vescendi pupilli causa.*

(a) Joan. Cabass. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 13. n. 5.

(b) L. Si Pupillus 18. init. ff. de privileg. Creditorum lib. 42. tit. 6.

Enimvero in eo repositum est officium, quod ex ipso jure naturali incumbit Parentibus ejusmodi filiorum, qui alioquin remanerent omni vitæ subsidio nudi atque spoliati, & quibuscumque extremæ miseriæ incommodis paterent. Atque ita plurimis Arrestis Parisiensis Parlamenti comprobatum fuit, atque confirmatum. Qua de re duo potissimum memorat Georgius Louet (c), quorum unum latum est in primario supremi Senatus Tribunali 14. Augusti 1599. pro duabus virginibus filiia Domini des Arpentis, quibus alimentaria pensio jure ptiori ac potiori adjudicata est, quam cautum fuerit solutioni creditorum earumdem defuncti Patris; licet nullatenus nec corpore nec mente forent impotentes: alterum vero pronunciatum est pro filio quodam, qui suæ mentis non erat compos, anno 1604.

(c) Louet lit. A. n. 17.

CASUS CXCII.

Fulgosius, eum animo suo jam adjecisset, ducentas libras, quas ab eodem fuerat furatus, Frederico restituere; accidit, suum proprium Patrem in summa quarumcumque rerum inopia versari; de qua eumdem nulla alia ratione liberare potest, nisi in ejusdem gratiam adhibendo ducentas libras, quæ pertinent ad Fredericum. Numquid potest ad aliud tempus earumdem differre restitutionem, ut indigenti suo Patri possit aliquid levaminis afferre.

RESPONS.

Non est, unde possit in dubium afferri, quin Fulgosias possit in proposito casu adhibere sibi ducentas libras, quas Frederico jamjam erat restituturus, ut suo Patri subsidio veniat, si necessitatis extremæ patiatur augustias, neque possit eidem alia ratione subvenire. Potest etenim, atque etiam debet in ejusmodi casu ex aliena re ei opem afferre & auxilium; siquidem tunc sint omnia jure naturali communia. At, secluso prædicto casu, qui rarissime contingit, idipsum ei nulla omnino ratione licet, quinimo tenetur, ad prædictam furtivam summam Frederico restituendam. Ita deciditur a S. Thoma, qui sic habet: (d) *Aliquis de hoc, quod est sibi propriam debet magis satisfacere parentibus, vel his, a quibus accepit majora beneficia. Non autem debet aliquis recompensare benefactori de alieno: quod contingeret, si quod debet uni, alteri restitueret: nisi forte in casu extremæ necessitatis, in quo posset & deberet aliquis etiam auferre aliena, ut Patri subveniret.*

(d) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5 ad 4.

CASUS CXCIII.

Valdradus debet Natali summam duorum millium librarum sibi mutuam ab eo creditam, & cujus Chirographi cautionem scripsit, qua se adstringit, futurum, ut eamdem ei pecuniæ summam intra tres menses restituat. Quod quidem tempus eum integrum abierit, Natalis eum acriter urget de solutione præstanda: quam Valdradus alioquin afferre nullatenus potest, nisi tum domo sua, tum mercimoniis viliori prorsus pretio venditis; & omnino notabili damno inde sibi consequenter emergente. Numquid nihilominus, nihil obstante damno, quod inde accepturus est, obligatur ex conscientia, ad satisfaciendum Natali; præsertim vero si Natalis ex mora solutionis, tantum ejusmodi damnum non experiatur?

RESPONS.

Equidem nedum in foro exteriori valeret, quam Valdradus allegat, causa, quin potius tanquam futilis & omnino frivola repudiaretur. 1. Quoniam, si in judicio foret admittenda; eadem sese certissime juvarent quotquot fere reperiuntur debitores, ut moram solutionis creditoribus suis injicerent: quod maximum prorsus importaret incommodum, & publicæ rei damno totum omnino cederet. 2. Quia in foro judicii conditio creditoris potior habetur ipsa conditione debitoris, & Judex semper animo præsumit, Creditori solutionem urgenti damnum hic, & nunc emergere ex detrectatione debitoris, vel ex mora, quam ipse sibi postulat concedi: atque ea potissimum de causa solent eidem usuræ debitæ pecuniæ adjudicari, quoad usque solutionem ejusdem integram acceperit. At vero non ita se res habet in foro conscientiæ, quod ipsa rei veritate & æquitate omnino innititur: quando namque non suppetit debitori, unde suo creditori satisfaciat nisi cum suo notabili damno, ut contingit in proposito casu; potest, nihil inde violata justitia, differre debiti solutionem. Ratio est, quod creditor ipso jure naturali teneatur, ad agendum cum suo debitore eodem modo, quo eum secum sese gerere in simili casu peroptarat. Ut ergo extra omnem controversiam positum est, futurum ut, si ipsemet foret debitor, nollet urgeri de præstanda debiti solutione cum suo notabili detrimento; censendus quoque est nolle cum suo debitore juxta strictos Juris apices sese gerere. Ex quibus licet inferre Valdradum non obligari hic & nunc ex conscientia, ad prædicta duo librarum millia, quæ debet Natali, restituendu; siquidem ei per præsentes, quibus potitur, facultates non liceat eadem solvere, nisi maximo ei inde emergente damno, quod nec ipse Natalis in eadem rerum circumstantia positas vellet experiri. Nihilominus si Natalis ex solutionis mora eidem damno vere futurus esset obnoxius, tunc incumberet ipsi Valdrado eidem satisfacere, nihil obstante proprio, quod inde ei inferretur, detrimento, ne illud idem creditori suo facesseret: *Quia proculdubio in pari causa melior hac in re debet esse conditio creditoris, utpote domini, quam ejus, qui alienum ob suam penuriam detinet.* Quam istius rei Cabassutius reddit rationem (e).

(e) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 21. n. 3.

Cœterum observare plurimum juvat, si debitum ex furto, vel quolibet alio delicto provehiret; futurum ut debitor obligaretur ad præstandum integrum damnum, quod inde creditori accederet, etiamsi debitori justa succurreret caussa, quamobrem *hic & nunc* non restitueret. Eamque observationem laudatus auctor subjicit istis verbis: *Si ex delicto: tenetur debitor illa omnia damna & jacturas compensare creditori: quamvis illa dilatio fundetur in rationabili causa, sitque tune temporis licita. Ratio est, quia hæc omnia damna ortum habent ex anteriore delicto, quo debitor quivis obligatur, omnia inde emergentia damna compensare.*

CASUS CXCIV.

Duodecim societate conjuncti in quibusdam operibus ad modum Sinensem & generis omnino recentioris, atque exquisiti conficiendis, cum necesse haberent, sibi privilegio succurri Regio, cum apposita clausula quadam sibi utili mandatum istud faciunt Juvenali, qui eorum societati adoptatur; quod nempe Ducissam de S. Paulo, quæ plurima gratia valet apud Principem & ad cujus gratiam

atque

Digitized by Google

atque benevolentiam, ipsemet facilem habet receptum, supplex adeat ab eadem petiturus, ut ipsa eo fine velit agere, quo privilegium istud iis indulgeatur; simulque eam rogaturus, ut quod ex animo beneficii memori, quod ipsa præstitura est, munus offerre constituerunt 15000. librarum, illud ipsum gratum habere non dedignetur; insuper ipsi Juvenali facta copia etiam prædictæ summæ aliquid amplius adjiciendi, si sibi ita expedire videretur. Juvenalis hoc ipsum mandatum exequendum ultro acceptat, & conditionem 15000. librarum prædictæ Ducissæ offert: verum ipsi eidem significat sese sperare etiam futurum, ut ipsa ei de iisdem velit aliquam partem largiri. Propositum sibi negotium sub prædictis legibus gerendum acceptat Ducissa, & gratiam petitam obtinet. Cui Juvenalis stipulata 15000. librarum defert, atque ab eadem recipit 3000. librarum tanquam ex gratuita liberalitate, quam ipsa ei vult ultro rependere. Numquid non legitime cedit Juvenali prædicta summa?

Videtur non legitime cedere; qui enim societate cum aliis junctus est, nonnisi ipsius societatis utilitati atque commodo consulere debet, in negotiis gerendis, quæ sibi ab aliis suis sociis demandatur.

At ex alia parte: 1. Juvenalis non obligatur ad gratiam & auctoritatem, qua plurimum valet, apud prædictam Ducissam, in eorum utilitatem gratis impendendas. 2. Societas consentit abalienandæ in integrum prædictæ summæ 15000. librarum; ea conditione, quod exoptato privilegio gauderent, adeoque nihil ipsius interest, quod ipsa eadem vel ipsi Ducissæ, vel quibuslibet aliis accedat. 3. Juvenalis multa & magna molitus est, & plurima itinera habuit tum ad aulam, tum ad alia loca, ut res ista sub manus ex sententia societatis succederet; quod suo præmio, suaque mercede procul-dubio non debet defraudari, quacumque ex parte afferantur. 2. Verum, qua potissimum sese juvari putat, ratio est, quod, cum aliquis munus quoddam affert alicui Aulico, qui plurima auctoritate valet, ut agat, ad obtinendum aliquod donum, aut privilegium a Principe, soleat, qui munus recipit, ejusdem sibi offerendi quamdam largiri portionem, sive quartam, sive tertiam ipsius partem. Qui quidem usus pervulgatus est, & passim recipitur apud plerosque aulicos: aliunde vero cum Juvenalis nihil verbis apertis exegerit a præfata Ducissa, cui tantummodo satis habuit significare, quis soleret in iis rerum circumstantiis usus obtinere; & penes eamdem esset, plus aut minus eidem largiri, aut etiam nihil omnino rependere; videtur, quam sponte tradidit, ac dono dedit Juvenali, prædictam summam 3000. librarum tanquam munus omnino gratuitum, ac mere voluntarium esse considerandam.

RESPONS.

Non alia ratione considerandus est Juvenalis in specie proposita, quam quasi simplex institor aut mandatarius societatis, qui mandatum voluntario suscipit rerum ipsius societatis gratuito gerendarum, & consulendi communi eorum commodo, qui in eamdem instituendam simul cum ipso venerunt: jamvero Mandatarius ejusmodi, aut voluntarius Procurator tenetur ex conscientia ad providendum rei, & communi interesse suorum sociorum, atque iisdem opem pro virili parte gratis afferendam: *mandatum, nisi gratuitum, nullum est*, inquit Lex; (*a*) *nam originem ex officio, atque amicitia trahit*: atque ea de re mandatum, quod gratuito suscipitur, differt a contractibus locationis & conductionis: *Contraria ergo est officio merces: interveniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius respicit*. Debuit igitur Juvenalis suæ societati renuntiare, summam 12000. librarum tantummodo fuisse ab ista Ducissa acceptatam; quippe constet omnino, quamquam ipsius Socii copiam ei fecerint, eidem summæ etiam 15000. librarum offerendæ, vel pecuniæ amplioris, si opus esset; eosdem tamen præsumendos esse id potissimum intendisse, ut minus donum eidem afferretur, si sufficiens ac probatum haberet; quemadmodum reipsa contigit. Ratio est, quia *in mandato consideranda est intentio mandatis*, inquit Daoiz (*b*) post Glossam; adeoque prædicta 3000. librarum jure censentur ipsimet Societati, nentiquam vero Juvenali cedere; siquidem iste animo benevolo & amico susceperit res ipsius Societatis gerendas.

(*a*) L. Obligatio, §. 4. ff. Mandati. l. 17. tit. 1.

(*b*) Daoiz v. Mandatum. 1. Gloss. in c. Super eo. 15. de officio deleg. v. Intentio.

Quod revera eo usque verum est, ut, post obtentam gratiam, fateri suis sociis prorsus erubuisset, sibi ea ratione lucrum obvenisse 1000. nummorum; quoniam, si hoc ipsum iisdem innotuisset, certissime eum arguissent, quasi qui defuisset tum bonæ fidei, tum æquitati, quæ tanquam individuæ comites semper debent quibuscumque conventionibus adesse: ut declarat ista alia Lex de Digesto: (*c*) *Bona fides, quæ in contractibus exigitur, summam æquitatem desiderat*: sed præterea obligationem ipsi induxissent eorum in Ærarium commune referendorum; ad quam obligationem subeundam in quibuscumque Tribunalibus condemnatus fuisset, in quibus nullatenus comprobatur, quidquam inter societate junctos inæqualitatis haberi; juxta principium istud Glossæ: (*d*) *Iniquum est inter Socios, quod unus consequatur plus, quam alter*. Quod citata Glossa mutuata est a quadam lege de digesto, (*e*) quæ idem fert; cui præterea addendum venit, si prædicta Ducissa noluisset agere, ut privilegium præfatum indulgeretur, nisi facta sibi conditione 16000. librarum rependendarum; profecto non futurum fuisse, ut ipse vellet de suo 1000. libras adjicere; sed econtrario futurum fuisse, ut exigeret eamdem sibi summam a societate numerari. Quoniam ergo jure juvaretur, ut, qui de summa 15000. librarum detracti sunt, mille nummos ipse sibi vindicaret: atque hoc perversæ fidei genus habetur, ut veri nominis furtum, secundum isthæc verba Legis alterius: (*f*) *Si tibi centum dedero, ut eu Titio dares, tuque non dederis* (vel in integrum, vel ex parte, quod unum idemque consideratur,) *sed consumpseris; & mandati, & furti teneri te Proculus ait*.

(*c*) L. Bona fide. 31. ff depositi, vel contra, l. 16. tit. 3.

(*d*) Gloss. in can. Decimas 5. 16. q. 7. v. Honorabilius.

(*e*) L. Verum 41. 3. 5. ff. pro Socio l. 18. t. 2.

(*f*) L. Si mandavero. 22. §. 7. ff. mandati vel contra l. 17. tit. 2.

Neque vero, quas Juvenalis opponit in contrarium, rationes eum sufficienter juvant, ut subducatur ab obligatione 3000. nummorum suis sociis refundendorum; Primum etenim, quamquam inspecto summo jure, non teneatur ad impendendum quidquid apud prædictam matronam auctoritatis ac gratiæ plurimum habet; illud ipsum tamen eo ipso ei incumbit, ubi primum ad agendum apud eam ultro sese obligavit; & promisit, nihil fraudis ac violentiæ accedente ex parte suorum sociorum, futurum ut quidquid apud illam valeret auctoritate, societati potissimum valeret; *Nam obligatio mandati in consensum contrahentium consistit*, inquit Jurisconsultus Paulus in lege: (*g*) *Mandatum suscipere nemo cogitur, sed post susceptum, necesse est adimplere*; ait Daoiz; (*h*) & rursum alibi: (*i*) *Mandatum, ex quo quis suscipit, necesse habet consummare*. Quod probat ex ipsa Glossa.

(*g*) L. Obligatio, 1. ff. eod. 1.

(*h*) Daoiz v. Mandatum, 4. post Gloss. in c. Joannes 19. de testamentis, v. Mandatum.

(*i*) Id. v. Mandatum, 2. Gloss. in c. Publicato 58. de Election. &c.

Quam secundo loco Juvenalis allegat, ratio nullam præ se fert causam utilitatis, nec commodi, quantum ad ipsum Juvenalem; verum etenim est, ipsius societatem consensisse 15000. librarum abalienandis, modo res ex voto succederet, & privilegium sibi concedi obtineretur; at falsissimum est, eamdem abalienandæ prædictæ summæ verbis absolutis consensum præbuisse; hoc est, vel in gratiam prædictæ matronæ; vel in commodum cujuscumque alterius; siquidem vel ipsa luce meridiana clarius evincatur ex ipsissimis verbis, quæ socii præfati adhibuerunt; eos præcise ac determinate, seclusis quibuslibet aliis, ad solam Ducissam intendisse ac respexisse.

Nec valet tertia ratio, ut Juvenalem efficiat immunem restitutionis; verum etenim est, acceptum ab ipsa societate referri oportere quidquid expensæ contulit in itinera facienda, in conducendas sibi vecturas, cæteraque hujusmodi. *Impensa facta per socium, occasione societatis, societati imputantur*, inquit Bartholius in summario legis cujusdam. (*K*) *Si quid unus ex sociis necessario de suo impendit in communi negotio*, ait alia Lex (*l*) *judicio societatis servabit*. Sed nonnisi modicum quid expensæ admisisse potuit,

(*k*) Barth. in L. Cum duobus, 52. ff. pro Socio lib. 7. tit. 2.

(*l*) L. Si unus 67. §. 2. ff. eod. tit. L. Si vero. 12. ff. Mandati, & Leg. Si mutuam 56. §. 4 ff. eod. tit.

quam

quam inter, & summam secreto retentam nulla intercedit proportio.

Quarta ratio, qua sese potissimum juvari præfato viro videtur, usum sibi vindicat iis tantummodo familiarem, qui quidquid ad quæstum quaque ratione collineare aptum putant, habent venale; certissimum namque est, gratiam atque auctoritatem non eam retinere rerum conditionem, quæ commercium ingrediuntur, & iis, a quibus ex venditione conferuntur in quæstum, non aliud accedere, quam quod *turpe lucrum* appellatur: ejusdemque restituendi incumbere obligationem, quemadmodum declaratum est a sacra Facultate Theologica Parisiensi in 89. Doctrinæ ipsius articulo, qui concipitur istis verbis: *Qui gratia & auctoritate, qua pollent apud Magnates, Magistratus, aliosve abutuntur ad quæstum, ut aliis Dignitates, Munia, Honoris gradus, vel aliqua officia procurent, peccant, & restitutionis lege tenentur.* Ex quibus inferendum est, Juvenalem non potuisse sese immiscere ejusmodi propudioso atque illicito commercio; siquidem deberet sese virum integrum ac fidum erga suam societatem præbere, & obligaretur ad consulendum ejusdem rei communi, eique sine ullo fuco significandum, istam Matronam satis sibi habuisse summam 12000. librarum; deinde vero si visum fuisset iis, quibuscum inivit societatem, ei mercedem rependere prædictorum 1000. nummorum ex grato animo, tum ipsius operæ & laboris, tum collati in societatem officii, eosdem potuisset absque dubio sibi vindicare atque retinere; juxta quod fertur in lege ibidem ad marginem indicata (a).

(a) L. Si remunerandi, a. ff. mandati, &c.

CASUS CXCV.

Cræso locupleti admodum Publicano, cum imperata fuissent a Curia exactionum, 800. millia librarum; & persuasum esset, sibi dimidio plus impositum fuisse; ipse Paulinam adivit, quæ plurima pollet apud Principem auctoritate, atque gratia, eamque supplicibus verbis oravit, ut vellet operam suam ponere in procuranda ei imperati tributi diminutione, conditionem ipsi ferens rependendarum ei 10000. librarum pro unaquaque 100. millium librarum summa, quam ipsa obtentura fuerit, ei condonari. Paulina obtinuit, remitti dimidiam partem tributi, quod Cræso fuerat imperatum, a quo mercedem retulit 40000. librarum. Nonne Paulina potest prædictam summam absque peccato suam facere, eamdemque sibi retinere?

Istis autem rationibus in eo culpa sese carere, ipsa animum inducit, 1. quia nulla alia re familiari fere gaudet, nisi pensione 8000. librarum, quam ex Regio dono percipit, bonæ, fortisque operæ causa, quam suus Maritus dum viveret, in ipso, quo fungebatur primarii Ducis ac principis exercitus, munere ipsi Regi præstitit, & totius familiaris rei ipsius in duobus bellis novissime confectis exhaustæ. 2. Quoniam præfatæ pensionis solutionem nonnisi ægre admodum, & sæpe sæpius ex parte tantummodo recipit, propter enorme illud debitum pondus, quo Regnum opprimitur; quin etiam sibi imminet ejusdem abrogatio & integra exstinctio, aut saltem notabilis omnino illius extenuatio; ut plurimis aliis ejusmodi pensionibus contigit. 3. Quo quidem sese dante casu, omni, qua valet apud Principem, auctoritate sibi potissimum valere necessarium haberet; adeoque eamdem impendendo gratis in gratiam Cræsi, sibimetipsi injuriam inde afferret, quod ipsa, qua pollet, auctoritate in proprium suum usum jam posset nullatenus convertere; utpote Principi persuasum sit, eam non sese gratuito profundere, in officium ejusmodi viro præstandum: Numquid non fundamento legitimo nituntur allegatæ rationes?

RESPONSA.

Est hoc indubitati certissime principii loco positum ac receptum, quod non possint legibus emptionis & venditionis nisi ea potissimum subjici, quæ ex usu ordinario, qui inter homines plurimum obtinet, commercium ingrediuntur: Porro ab omni commercio procul amandantur favor, auctoritas, atque beneficia; igitur nulla ratione possunt eadem neque vendi, neque emi. Atque illud ipsum jam in præcedenti decisione confirmavimus, ac demonstravimus 89. Doctrinæ articulo, quam juris publici fecit sacra Facultas nostra Parisiensis adversus eos, *qui gratia & auctoritate, qua pollent apud Magnates . . . . abutuntur ad quæstum.* Quo quidem sufficienter dissolvuntur, atque quasi comminuuntur in pulverem futiles illi prætextus, quorum velamento Paulina nititur obtegere, quod ex impensa sua auctoritate in gratiam Cræsi retulit, lucrum propudiosum. Enimvero sit ipsa divitiis potens, aut egens; ipsius, qua gaudet, pensio perseveret, aut Principis Edicto abrogetur, annihiletur, aut imminuatur, isthæc nihil quidquam ad præsentem quæstionem pertinent: quippe, qua sibimetipsi sustentandæ valere apud Principem necessarium habet, auctoritas eam nulla possit ratione juvare, ut quæ natura sua commercio prorsus interdicuntur, eadem & negotietur, & in quæstum turpem conferat. Quod si timeat, ne sibi aliquando apud Principem, quam pollet, auctoritate futurum sit opus, nec eamdem possit in usum alterius impendere, quin ex eadem inde consenescente sibi detrimenti quid emergat; nihil obstat, cur eam sibi soli non totam servet, siquidem ei nihil obligationis inducatur ejusdem conferendi, ut ipsi Cræso prosit.

Aliunde vero, siquidem isti erga Regem a suprema Curia 800. millia librarum fuerint imposita, plurimum causæ est, cur conjiciatur, merito in eum animadversum fuisse ista mulcta, seu propter iniquas, quibus populum vexavit, exactiones, seu propter lucrum non legitimum, quod in administrandis rebus publicis corrasit; atque sic præsumendum est eo potiori jure, quod, quando Rex, aut Regis nomine judices præpositi ejusmodi hominum generi pecuniarias mulctas tam ingentes indicunt, iisdem semper residuum supersit, quod & ultra eorumdem vitæ necessarium, & qua eos decent, tum sortem, tum originem infinite propemodum assurgat.

Quod quidem ex ipsomet allegato Cræsi exemplo sic manet probatum, ut nullus ea de re locus tergiversationi relinqui videatur; siquidem supponatur 1. Cræsum Publicanum fuisse prorsus locupletiorem. 2. Ipsi a Curia vexationum, imperatis 800. millibus librarum, procul dubio residuum ac superstes servatum fuisse, unde sufficienter posset vitam suam honeste, atque pro modo conditionis suæ sustinere; siquidem nunquam soleant ejusmodi mulctæ pecuniariæ a Judicibus irrogari, nisi ab iisdem perspecta antea fuerit, ac penitius explorata illius, cui tributum imperatur, facultatum ac bonorum diligens accurataque descriptio, quæ ab ipso etiam recognita sit tanquam justa ac vera, adhibito etiam sacramento, fuerit affirmata; prætterquam quod res occultæ, quas celant, & sub ementitis nominibus sibi retinent, ad ingentes omnino summas plerumque consurgunt. 3. Quamquam nihil bonorum fuisset Cræso relictum, ipsi superesse ex ea, quam in ejus gratiam Paulina obtinuit, condonatione trecenta sexaginta millia librarum, quæ referunt decem & octo millia librarum, reditus annui, præter illud, quod de cæteris bonis aliunde ei suppetit, post pecuniariam mulctam in integrum persolutam.

Id igitur in animum inducere non possumus, potuisse 40000. librarum a Paulina legitime percipi, nec perceptas ab eadem posse licite retineri; juxta isthæc verba memorati superius articuli Doctrinæ: *Peccant, & restitutionis lege tenentur.*

Quod idem dictum volumus de Procuratore rerum domesticarum alicujus viri præpotentis, qui nimirum accedente Corollario, quod ajunt gallice *ut pot de vin*, id est, aut ingenti pecuniæ summa, aut dono magni alicujus pretii obtinet, alicui conferri, aut aliquod argentarii coarctoris munus, aut aliquam conductionem, vel officium quoddam, vel quamdam delegatam jurisdictionem; at-

que

Digitized by Google

que ita de Infinitis propemodum hominum generibus : quippe res sit extra omnem omnino controversiam posita , quotquot sunt ejusmodi quæstus , totidem esse injuriosas prorsus atque illicitas acceptiones; adeoque, quibus quaqua ratione cesserunt , iisdem incumbere eos restituere , a quibus acceperunt.

CASUS CXCVI.

Ribierius deposuit apud Augustinum summas pecuniæ plurimas , ex quibus universis exsurgit summa integra 3500. librarum , quam apud se depositam fuisse , tradita eidem chirographi cautione , Augustinus non tantummodo testificatus est ; verum etiam præterea scripto retulit in suam ephemeridem ipsos dies, quibus sibi creditæ fuerunt prædictæ summæ; quas inter alias apposuit tres summas , unamquamque quingentarum librarum ; primam quidem , receptam 2. Januarii ; secundam vero 23. Februarii ; tertiam tandem 20. Martii.

Post sex ab illinc menses, Augustinus reddidit ex memoratis pecuniæ summis quinque summas, ex quibus efficiebatur summa 3000. librarum ; at videns , a Riberio sextam quæ supererat & constabat ex quingentis libris , quamque referre caverat in suam ephemeridem tamquam receptam 20. Martii , nullatenus repeti ; ipsi declaravit , apud se se præterea prædictam summam ei superesse debitam , atque restituendam. Quam Ribierius acceptare dubitavit , quoniam cautissime servavit omnes syngraphas , quas Augustinus scripserat , neque sextam aliam syngrapham apud se se ullatenus reperit.

Augustinus vero , cui persuasum est , sextam illam pecuniæ summam a se se non fuisse in suam ephemeridem immerito scripto relatam ; quique aliunde diligentiam omnimodam adhibet tractandis propriis suis rebus domesticis, quibus tantummodo totum se se devovet; de recipienda prædicta summa 500. librarum iterum atque iterum Ribierium ursit; qui toties negavit eamdem accipere: propterea quod non alias syngraphas haberet, nisi quinque tantummodo schedas , quas omnino dissolverat ex integra scripti in iisdem argenti solutione ; neque quidquam juvante , quam apud semet ipsum habuerat, diligenti rei istius inquisitione , ut in memoriam suam aliquando revocaret ejusdem indicatas circumstantias , eo usque pervenire nequivisset, quod fieret certior, sibi sextam illam pecuniæ summam deberi : quin prorsus remaneret ea de re semper omnino incertus. Numquid, posita ista hypothesi, potest , quas Augustinus vult ei restituere, recipere 500. libras prædictas?

RESPONS.

Existimamus, a Ribierio deponendam esse, quam ea de re animo concepit , religionem ; & percipi posse, quas restituendas Augustinus offert , quingentas libras: atque censemus ita, tribus potissimum de caussis.

Prima est: quod ad verum nullatenus accedat, nec facile sit illud sibi in animum inducere , ab aliquo referri in propriam suam ephemeridem quamdam pecuniæ summam , quam nulla ratione debet ; siquidem rem scriberet propriæ suæ caussæ prorsus adversantem, cui quisquis consuevit , quam negotiis alienis , curam afferre diligentiorem.

Secunda vero est : quia , cum articulus iste scripto recenseatur in codices diurnos Augustini, argumentum inde habetur certissimum , ab eodem , Ribierio deberi memoratam summam 500. librarum : Porro, quod certissimum est argumentum, potiori jure valere debet , quam simplex dubium & lapsus memoriæ Ribierii. Atque re vera quidem facilius credere est , atque majori cum æquitate locus adest conjiciendi , aut ab Augustino, cum a Ribierio recepit prædictam summam, scriptam non fuisse ea de re syngrapham eidem Ribierio tradendam; aut si scriptam tradiderit , eamdem ab ipso Ribierio sive ceteris inutilibus scriptis permixtam, sive qualibet alia ratione amissam fuisse. Quæ ratio nititur principio sequente : *Contra scribentem facit fidem scriptura ipsius* (a). Et isto alio adagio: *Scripturæ in dubio standum est*. Quod ex ipsa Glossa deducitur (b).

(a) Danie in Lexico Juris Canon. v. *Scribere*. Id. ibid. v. *Scriptura*. n. 3

(b) Glos. a c. *Illo vos*. 4. de pignoribus, v. *Ex forma*. l. 3. tit. 21.

Tertia tandem est , quod , ut fert proposita hypothesis , Augustinus sit vir miræ omnino diligentiæ in propriis rebus suis familiaribus administrandis , quibus solis totus invigilat , totoque animo devovetur ; quique adeo censendus est nihil, nisi ipsi veritati consentaneum , scripto mandasse; præsertim vero in re, quæ sibi plurimum nocuisset, si vel ungue tenus ab ipsa rei veritate dissensisset.

Quibus rationibus eo lubentiori animo stamus, quod in dubio , ad eas potissimum rationes attendendum sit , quæ & communi hominum sensu , & ipso vero sunt propiores , atque simul magis concordant cum usu rerum ordinario, qui solet præsertim ab unoquoque rei familiaris administrandæ petito frequentari; adeo ut plurimum censeamus , ad præsentem materiam accommodari omnino posse dictum illud Alexandri III. de dubio circa rem aliam suborto: *In ejusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum*. Quod principium familiare sibi vindicat quidem non infimi nominis de Regno Navarræo Doctor (c) , a quo illud idem probatur ex quadam Decretali laudati summi Pontificis (d), qui suppeditat ea de re luculentum exemplum.

(c) Stephan. Dois. in Lexic. Juris can. v. *Dubium*. n. 1.

(d) Alex III. in c. *Cum sint*. 19. de Decimis. l. 3. tit. 30.

CASUS CXCVII.

Emilianus, cui 500. librarum summa adest præsentis ac numeratæ pecuniæ, animo habens, eamdem sibi servare integram ; & advertens aliunde , futurum ut nummi quibus affingitur valor centum solidorum , per spatium unumquodque bimestre , ex variis de pretio eorumdem decessionibus, imminuerentur , donec justum suum pretium , quod ad tres libras cum solidis decem determinatur, attigissent; Joannem adivit intimum sibi amicum , eumque rogavit , ut vellet ipsius pecuniam acceptare, quo ejusdem imminutionem declinaret , atque aliquem fidum invenire , qui eamdem , juvandæ negotiationis suæ caussa, non renueret in commercio ponere, de eademque, quibus debebat, præstare solutiones. Joannes ex suo animo bene faciendi Emiliano, atque ut ipsius pecuniam servaret intactam ab imminutione 150. librarum , quod passus fuisset ex proximis, quas subodorabatur , de pretio nummorum decessionibus , quæ re ipsa deinde contigerunt ; eidem dixit , lubenti animo a se se acceptari prædictas 500. libras, sed ea conditione , quod sibi non incumberet eidem præfatam summam numero eamdem restituere, nisi post elapsos aliquot menses ab ultima de pretio nummorum decessione quæ post quindecim aut sexdecim ab illinc menses erat obventura : quod libentissime fuit ab Emiliano comprobatum. A quo Joannes recepit 500. libras, & scripto retulit in diurnos suos codices , a se se Emiliano deberi dictam summam , quam sibi ab eodem traditam acceperat , ne proximis de pretio nummorum decessionibus futurus esset obnoxius; atque sibi induci obligationem , præfatæ summæ numero ejusdem in illius manus post ultimam diminutionem restituendæ, juxta pactionem quæ ea de re inter se & Emilianum oretenus accesserat.

Post decem circiter aut duodecim ab illinc dies, Joannes ipse petiit ab amico sibi quodam , ut vellet suscipere tum memoratas 500. libras, tum simul etiam numerosiores alias pecuniæ summas ; quas laudatus amicus tradidit suo Notario , qui pecuniam istam in res proprias conficiendas totam impendit ; præmissa quoque ista conditione, quod non obligaretur ad eamdem , nisi post ultimam diminutionem , reddendam.

Postea vero , cum incredibilis facta esset argenti inopia , & nequivisset Notarius ne minimam quidem pecuniæ sibi ab amico Joannis creditæ partem refundere : Joannes , cui aliunde obvenit summa 2000. librarum , statim cœpit referre trecentos aut quadringentos nummos, quos receperat a variis quibusdam, eadem ratione, caussa & conditionibus iisdem quibus ab ipso Emiliano ;

quibus etiam scripta ea de re propria manu syngraphas tradiderat, quas voluit rescindere ac dissolvere præsenti numerata pecunia, ut de eorumdem manibus easdem reciperet.

Nihil jam Joanni supererat solvendum præter 500. libras Emiliano refundendas: quas de industria in sacculum quemdam recondidit cum animo earumdem ei intra quatuor aut quinque dies restituendarum, sperans, futurum ut sibi ille intra prædictum istud spatium temporis occurreret; verum, ab ipsa die postera, pretium nummorum quod ad tres libras cum decem solidis determinatum fuerat, iterum auxit ad valorem usque 4. librarum; adeoque lucrum inde accessit librarum circiter 50. Qua de re quæritur, utri, Joanni scilicet an Emiliano, lucrum cedere debeat?

RESPONS.

Lucrum inde proveniens debet ad ipsum Joannem redire. Ratio est: 1. quia, recipiendo 500. libras, in semet ipsum suscepit, quæ de pretio earumdem contigerunt, decessiones; & quamquam nummi fuissent ad tres usque libras imminuti, nihilominus obligatus fuisset ad eamdem 500. librarum summam Emiliano præstandam. 2. Quoniam non habendus est ea in re tamquam simplex procurator, qui debet *rem mandantis utiliter gerere*. Præterquam quod enim ea, qua ratione petiverat Emilianus, ipsius rei utiliter consuluerit; poterat prædictam pecuniam conferre in dissolvenda propria debita; aut eamdem mutuam credere alicui negotiatori, seu cuilibet alteri: tandem penes eum omnino erat vel eam abalienare, aut, qua ratione voluisset, eam undequaque diffundere; siquidem locus alioquin non adfuisset agendi, ut ad Emilianum intacta ab omni diminutionis damno, atque integra rediret: adeo ut in casu proposito non posse iri inficias, quin Emilianus istam pecuniæ summam, vere ac proprie loquendo, ex quadam quasi commodati specie alienaverit, eo ipso quod eamdem tradiderit Joanni ea conditione, ut ab eo numero eadem sibi post ultimam de pretio nummorum decessionem integra restitueretur: & quin ipse Joannes, qui, nonnisi eamdem abalienando, potuit intactam atque integram ab omni diminutione servare Emiliano, considerandus sit quasi debitor mutuatarius; adeoque ei jus succurrat, ut possit jure sibi vindicare lucrum ex ipso nummorum incremento proveniens, quamdiu dictam pecuniam apud se se, vel in sua potestate habuerit; siquidem tunc temporis res fuerit, cujus dominio gaudebat, quæque consequenter ei debebat fructum referre. Quod vero observatur, nempe Joannem animo jam adjecisse reddere Emiliano 500. prædictas libras, quin etiam easdem jam eo fine fuisse in sacculum quemdam reconditas; non obstat quo minus Joannes earumdem semper retinuerit dominium; siquidem de manibus ejus dimissæ nondum essent, & easdem semper deberet Emiliano, qui necdum etiam ab eo easdem repetierat. Adeo ut, quemadmodum obligatus fuisset, ad referendam prædictam pecuniæ summam, etiamsi contigisset ab eo fuisse præfatum sacculum furto sublatum; eadem etiam Juris ratione æquum est, quidquid incrementi pretio nummorum de repente accessit, in ipsius lucrum vertere.

CASUS CXCVIII.

DIOGENES pauperrimus homo rusticanus, cum ad extremam usque necessitatem se se detrudi fuisset expertus tempore, quo urgebat rei frumentariæ inopia, neque sibi ab aliquo ne tenuissima quidem stipis erogatione subveniretur; eo usque miseriæ devenit, ut fuerit coactus, ne fame periret, farinam de horreo cujusdam sibi vicini pistoris furtive surripere per aliquot menses. Cui quidem inopiæ cum successisset copiosissima messis, tum ex eleemosynis quas recepit, tum ex proprio suo labore congessit, unde posset vitam suam sustentare; quin etiam, unde sibi liceret farinam quam furatus fuerat, prædicto pistori qui de rebus domesticis bene constitutus est, restituere: at ipsius Parochus eum monuit, se se non existimare, in eo casu quidquam obligationis ei restitutionis importari. Potest ne, recta conscientia, consilio sui Parochi stare; aut ei ne incumbit, restituere justam farinæ istius æstimationem?

RESPONS.

Non est, unde vocetur in dubium, quin Diogenes tuta conscientia possit, quo Parochus ipsius eum juvavit, sequi consilium: quamquam enimvero in eo recte se se gereret, si pistori, quod ab eo furtive surripuit, restitueret, siquidem aliunde per præsentes quibus potitur, facultates ei liceat; nihilominus verum est, erga eumdem in specie proposita nullius obligationi restitutionis esse obnoxium. Cujus rei caussa est, quod, farinam surripiendo in iis quibus premebatur, extremæ necessitatis angustiis, aliunde pistori non incumbente eadem necessitate extrema, nihil accepit, nisi quod poterat ex ipso jure naturali sibi recipere; quemadmodum docetur a S. Thoma (*a*), qui sic habet: *quia per talem necessitatem efficit suum id, quod talis accipit ad sustentandam propriam vitam*. Quam sententiam unanimi consensu tenent Gabriel (*b*), Angelus (*c*) & ceteri quotquot sunt Theologi morales.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. ad 2.
(*b*) Gabriel in 4. dist. 11. q. 2. art. 2.
(*c*) Angelus v. *Furtum*. q. 37.

Est tamen unum, quod observare necesse est: nimirum si Diogenes, quam a Pistore furto abstulit farinam in integrum non consumsisset, futurum, ut, quidquid inde sibi superesset, vel in horreum ipsius referre, vel alia quacumque ratione restituere teneretur: quod idem, extendendum est ad quamlibet quoque aliam rem quæ furtive fuisset accepta, urgente extrema necessitate, quæque, eadem jam non perseverante, in propria sua specie reperiretur apud eum qui eam acceptisset, exstare; quoniam, ut ait Merbesius (*d*): *Necessitas id dumtaxat juris surripienti tribuit, ut rebus ad vitam propagandam necessariis, & ex alieno surreptis utatur; non autem, ut earum proprietatem, depulsa necessitate, sibi vindicet ... ideoque nemini dubium est, quin vir necessitatem passus, & ab ea liberatus, rem acceptam & exstantem, suo domino & ratione rei acceptæ, etsi non ratione acceptionis, restituere teneatur*.

(*d*) Merbesius part. 2. Sum. Christ. q. 161. n. 21. versu, *Distinguendum est*, p. 60.

CASUS CXCIX.

ERALDUS vir nobilitate præstans de Parœcia S. Ygoini, cum deprehendisset in suis maturis segetibus octo seu decem porcos qui pertinebant ad Robertum, quos inde non poterat, nisi cum ingentiori earumdem eversione, abigere; ex iisdem duos occidit unica sclopeti amplioris emissione.

1. Peccavit ne? 2. Eine inducitur obligatio ex conscientia, refundendi eorumdem pretii Roberto, qui eorum custodiæ neminem præposuit, ut procul arcerentur ab omni inferenda vastitate?

RESPONS.

1. Censemus nullatenus ambigendum esse, quin peccaverit Eraldus, privata sua auctoritate duos Roberti porcos occidendo: siquidem in ea re se se propriæ suæ caussæ constituerit judicem, adversante potissimum isto Juris effato: *Nec in sua caussa potest quis esse judex* (*e*). Quin etiam prohibente lege, quæ ait: *Generali lege decernimus, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere* (*f*); dum præsertim ei licebat judicis auctoritatem ea de re implorare, & ab eo obtinere, sibi congruentem adjudicati damni compensationem. Debebat igitur satis habere, aut abigere de suis segetibus porcos Roberti, quemadmodum proprios suos porcos expulisset; si sic fieri poterat: aut in eum agere nomine injuriarum, & restitutionis damni quod inde passus fuisset. Atque ita agendum esse Lex pronuntiat, quæ sic habet: *Quamvis alienum pecus in agro suo quis deprehendisset, sic illud expellere debet, quomodo, si suum deprehendisset; quoniam si quid ex ea re damnum cepit, habet proprias actiones* (*g*).

(*e*) Gloss. in can. *De Ordinandis*. 8. 23. q. 5. v. *Prase*. Item Gloss. in c. *Irrefragabili*, 13. off. ordin. l. 1. tit. 31. a. *Cessaverint*. & verbo. *Super hoc delegatus*.
(*f*) L. *Generali*. unic. Cod. Ne quis in sua caussa judicet & lib. 3. tit. 5.
(*g*) L. *Quintus*. 39. § 1. ff. ad L. Aquiliam. l. 9. tit. 2.

2. Nihilominus; si damnum quod Eraldus accepit ex illata ista a prædictis animalibus segetibus suis eversione, exæquetur cum justo pretio duorum

por-

porcorum, quos occidit; ad nullam erga Robertum restitutionem obligatur, quantum ad forum conscientiæ; siquidem constet, ab ipso Roberto damnum istud sibi ex conscientia venire præstandum; atvero si minus, aut majus damnum ex prædicta vastitate fuerit subsecutum; potuit, ita docente Baldo, inclusos prædictos porcos apud se retinere, quoad usque a Judice sibi justa fuisset adjudicata damni reparatio, vel ex amicabili compositione ea de re pactio inter se & Robertum intercessisset. Quod omnino congruit sacris etiam scripturarum paginis, legum institutis, & dispositioni Juris Canonici; ut colligere licet ex textibus ibidem ad marginem indicatis (*a*) & istis Gregorii IX. (*b*) verbis: *Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum: quod tamen ad liberationem non sufficit; si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent, & quam debueras, non curasti diligentiam adhibere.*

3. Si per Consuetudinem quæ recipitur in Provincia, unicuique liceat suum proprium jus in ejusmodi casu sibimetipsi vindicare: nihil Eraldo obligationis incumbit, nisi, quæ ab ipsa Consuetudine determinatur; quoniam Consuetudini legitime inductæ vis inest legis, juxta dictum illud S. Augustini scribentis ad Casulanum (*c*). *Mos populi Dei, & Instituta Majorum pro lege tenenda sunt.* Et ist hæc alia verba Justiniani, quæ referuntur in Canone (*d*). Diuturni mores consensu utentium approbati, legem imitantur. Jam vero vigent in Gallia plurimæ Consuetudines, quibus ea ratione agi permittitur. Exempli causa, quæ in Borbonio agro obtinet (*e*) fert, si a prima die Augusti usque ad vindemias in integrum confectas aut porci in vineis, aut capræ deprehendantur, futurum ut confiscentur, & dimidia confiscationis una pars Domino jure justitiæ gaudenti cedat, altera autem prædictarum vinearum proprietario; si vero non possint in eosdem manus injici, futurum ut possint occidi, atque inter prædictum utrumque ex æqua parte dividi. Iis, quæ modo diximus, totus Navarrus (*f*) adhæret; en autem qua ratione propositam dissolvit difficultatem: *Qui aliquod animal domesticum in prædio suo damnum inferens occidit, aut graviter percutit, restituere debet; quia non est ei jus id faciendi; sed solum expellendi ab eo, & includendi, donec de damno dato Dominus ejus monitus satisfaciat, nisi consuetudo... vel aliquod statutum contra disponeret.*

Præterea censemus, posse etiam in casu proposito Eraldum ab omni restitutionis obligatione subduci, si, querimonia ea de re instituta a Domino animalium, in judicio pronunciata sententia fuisset, qua ab omni præstanda damni compensatione absolveretur: Jure namque gaudet Judex pœnæ in eum irrogandæ, cujus porci damnum intulerunt proximo, & ille, contra quem judicium dictum est, obligatur, ad eidem sese subjiciendum.

Tandem videtur, illud prorsus ab æquitate abhorrere, quod ei restitutionis imponatur obligatio, qui seu jaculando lapides, seu canem in prædicta animalia lacessendo, de suo agro abigit; si eadem animalia, eo prorsus insciente neque intendente, ex præcipiti suo in aquas lapsu, vel alia qualia qualibet ratione sibi mortem ultro proprietaverint; utpote jure non possint in ejusmodi casu ei imputari, quæ appellatur in Jure, *culpa lata*; quamque Jurisconsulti habere non dubitant ipsi dolo vicinam: *Animalium vero casus, mortes, quæque sine culpa accidunt... a nullo præstantur*, ait Lex (*g*); neque eadem abigendo quidquam aliud agat, nisi quod proprio suo jure utatur: *Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur*; ut declarat alia Lex (*h*): *Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet*: inquit iterum quædam regula juris (*i*); adeoque contigisset occisio prædictorum animalium præter ipsius voluntatem, neque ex ullo meditato consilio, ut supponimus; atque consequenter absque eo quod, ex ejusmodi casu, culpam ullam contraxisset, juxta isthæc verba sequentis alterius regulæ Juris: *Fraudis interpretatio semper in Jure civili, non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur* (*K*).

(*a*) L. Lege Aquilia, cit. L. Quintus. ff. eod. & L. Si laeserit. 4. de Injuriis & damno dato. §. Ceterum. 16. Institut. de L. Aquilia. l. 4. tit. 3.

(*b*) Greg. IX. In c. Si culpa fin. de injuriis & damno dato.

(*c*) S. Aug. in can. In his. 7. dist. 21.

(*d*) Justinian. in can. Diuturni mores. 6. dist. 12.

(*e*) Consuet. Borbon. cap. 32. art. 527.

(*f*) Navarr. Man. c. 17. n. 120.

(*g*) L. Contractus. 23. ff. de reg. Juris. l. 50. tit. 17.

(*h*) L. Nullus 55. ff. eod. tit.

(*i*) L. Nemo 151. ibid.

(*K*) L. Fraudis 79. ibid.

CASUS CC.

Sisinnius Dominus de quadam Parœcia, cum deprehendisset *in flagranti delicto*, Lucianum Rusticum intra limites prædiorum suorum clientelarium venantem, seu columbas suas occidentem; in eundem manus injecit, &, quo instruebatur, sclopetum ampliorem sese in modum bacilli colligentem ei detraxit, minis eidem intentis, futurum ut eum urgeret in judicio, quo tum ad indictam ea de re mulctam pecuniariam, tum ad subeundas, quæ ferebantur in Edictis, animadversiones, condemnaretur. Quibus minis Lucianus omnino perterritus ei reposuit, ultro sese consentire, ab eo retineri suum ampliorem sclopetum, quin etiam eidem numerandorum duorum duplionum aureorum obtulit conditionem, ne ab eo ea de re apud Judices appellaretur. Conditionem oblatam Sisinnius probavit & acceptavit. Nonne obligatur ad præstandam Luciano aliquam restitutionem?

RESPONSIO.

Arbitramur, quos Sisinnio Lucianus persolvit, duos dupliones aureos prædicto Domino de Parœcia non legitime cedere. Ratio est, quia præfata pecuniæ solutio censenda est locum habere mulctæ pecuniariæ, quam per modum satisfactionis de sua culpa Lucianus tradit in manus Sisinii. Jamvero quæcumque mulcta pecuniaria nunquam debetur, nec proinde potest exigi, nisi postquam a Judice fuit inflicta. Unde sequitur, siquidem Sisinnio non liceat, in propria sua causa fungi auctoritate, juxta principium istud: *Nec in sua causa potest quis esse Judex*; (*l*) ab eodem non posse privata sua auctoritate sibi vindicari memoratam pecuniæ summam, antequam a Judice Luciano fuerit imperata. Attamen fatendum est, si sibi a Luciano fuisset illatum damnum, quod ad prædictam sibi ab eo traditam pecuniam ex æquo attingeret, futurum ut eandem sibi retinere posset, quasi venientem in justam, quod recepisset, damni compensationem; absque eo quod ea de re necessarium foret, intervenire Judicis auctoritatem.

Quod pertinet ad ampliorem Sclopetum sese in modum bacilli colligentem; nulla ratione censemus, ejusdem in casu proposito Luciano restituendi Sisinnio incumbere obligationem, duabus potissimum de causis.

Prima, qua in eam sententiam plurimum adducimur, est, quod, siquidem Lucianus ex nullo jure possit suum in ejusmodi casu sibi Sclopetum ampliorem adhibere; quin etiam illud ipsum ei non liceat attentare, quin animadversionibus quæ Edictis ea de re indicuntur, obnoxius evadat; quæ quidem animadversiones omnino graviores sunt, quantum ad eos præsertim, qui columbas Dominorum Parochialium occidunt: censeatur: quippe qui Edicta perfregerit, eidem sibi detrahendo consensisse, atque eo potiori jure, quod fuerit in flagranti delicto deprehensus; namque alioquin, si prædictus Dominus repertum ejusmodi Sclopetum ampliorem apud Rusticum, quem Rusticus ille suæ domi non habuisset nisi propriæ suæ tutelæ causa, occupavisset: proculdubio teneretur ad eundem ei restituendum: atque vel etiam, si renueret, ad prædictam restitutionem condemnaretur juxta pronunciatum 26. Januarii 1666. ab Aquisextiano supremo Senatu quoddam Arrestum.

Secunda ratio, qua prior omnino confirmatur est, quia amplioris ejusmodi Sclopeti sese in modum bacilli colligentis usus severe prorsus interdicitur, nec quidem ejusmodi venditare liberum permittitur: adeo ut Dominus, cui Rusticus occurrit ejusmodi Sclopeto instructus, possit, absque ulla controversia, eundem privata sua auctoritate, neque ea de re ulla sententia Judicis necessario accedente, comminuere ac penitus demoliri.

(*l*) Glossa in c. de Occidendis s. v. Pro se 23. q. 5.

CA-

CASUS CCI.

Andronicus Parochus de S. Clemente accersitus ad excipiendam confessionem Gerardi, qui post habitas solemnes Monitorii denunciationes, ut manifestus furti 1000. libr. quod illatum fuerat Gabrieli excommunicatus erat, & in extremis constitutus; eum sacramentaliter absolvit tum ab ipsius peccatis, tum ab excommunicationis vinculo; data ab eo simplicibus tantummodo verbis fide, futurum ut præfato viro prædictas mille libras, simul cum ceteris litis accessionibus restitueret. Verum Gerardus post horas ab illinc quatuor vel quinque, quæ eum ab ipsa postera die sepulchro addixit, phrenitide correptus non potuit datam fidem exsolvere. Qua de re quæritur, utrum Andronicus peccaverit, & teneatur ad quodcumque damni, quod ex delicto Gerardi emersit Gabrieli, eidem restituendum?

RESPONSIO.

Summus Pontifex Innocentius III. scribens ad Abbatem de Santa Genovefa, & ad Cancellarium Parisiensis universitatis; (a) declarat, eum, qui vinculo excommunicationis innodatur, absolvendum non esse nisi imposita eidem obligatione damni, quod intulit parti læsæ, in integrum restituendi: *Non credimus satisfieri congrue, ut relaxetur sententia* (interdicti vel excommunicationis,) *nisi sufficiens præstetur emenda*, ait laudatus Papa; quibus verbis potissimum fulci Doctores communi consensu docent, Confessarium, qui sacramentaliter absolvit in proposito casu, non adhibita diligenti cautione, qua sese faciat certiorem de congruente & integra satisfactione, quam excommunicatus ejusmodi debet tum ipsi Ecclesiæ, tum offensæ parti præstare; peccare mortaliter contra justitiam & instituta Ecclesiastica; adeoque coram Deo obligari ad damnum, quod inde Proximus recipit, in integrum restituendum.

(a) Innoc. III. in c. Ex parte. 23. de verborum significatione. l. 5. tit. fin.

Suæ vero sententiæ plurimum auctoritatis atque roboris auctores prædicti mutuantur ex antiquo quodam Canone deprompto ex Concilio Generali decimo, quod inter Concilia Lateranensia secundum recensetur, in quo Innocentius II. (b) sermonem faciens de quodam incendiario, declarat, futurum ut qui eundem præsumpserit absolvere non antea compulsum ad reparandum damnum, quod intulit, Archiepiscopus, vel Episcopus ipsemet eidem damni compensationi fiat obnoxius, & per annum integrum ab Episcopali officio summotus: *Excommunicetur*, inquit, *& si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura, nec absolvatur, nisi prius, damno, cui intulit, secundum facultatem suam resarcito, juret, alterius ignem non appositurum.... Si quis autem Archiepiscopus, vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, & per annum ab Officio Episcopali abstineat.* Quibus verbis alienum omnino foret opponere, agi potissimum in citato Concilio de iis, quæ pertinent ad judiciarias externi fori formulas; neque enim minor obligatio Confessario inducitur in foro pœnitentiali agendi, ut Jus proximo reddatur, quam Judici, in foro externo.

(b) Innoc. II in can. Pessimam 32. 23. q. 8.

Juvat igitur inde concludere, Andronicum ex peccato gravissimo tum ipsi justitiæ, tum officio, quod sibi incumbebat, prorsus defuisse; atque si Gabriel nequeat quidquid damni recepit, quod sibi non fuit restitutum, recuperare; non posse prædictum Parochum ab obligatione ejusdem in integrum resarciendi ulla ratione vindicari; quippe qui ex imprudentia sua, nimiaque, quam adhibuit, facilitate, in causa unica sit, cur non fuerit eidem satisfactum, & plurimum deceret tum ipsam æquitatem, tum illud obsequium, quo sese totum debebat Ecclesiasticis institutis morigerum præbere, quod Gerardo imponeret obligationem restitutionis, quam promittebat, nulla data mora hic & nunc adimplendæ; aut saltem, si non posset in ipsomet temporis articulo præstari; quacumque necessaria ratione saltem præcavendi atque consulendi executioni datæ suæ fide, priusquam eum sacramentaliter absolveret; quæ quidem plurimum confirmationis possunt recipere ex eorum exemplo, qui quoniam indormierunt rerum enunciatarum in aliquo Monitorio detegendæ veritati ex suo silentio in causa sunt, quamobrem queribunda pars damnum patiatur; neque enim potest ullatenus in dubium vocari, siquidem contrahant causam damni, quod eadem experitur, quin ipsis incumbat, illud idem in integrum compensare; quemadmodum docet S. Carolus in suis ad Confessarios institutionibus, juxta principium, quod S. Thomas adhibet (c), de iis agens, qui sunt obnoxii obligationi restitutionis; quo quidem principio plurimum innititur Illustrissimus d'Aranthon d'Alex olim Genevensis Episcopus in Pastoralibus suis enodationibus, (d) in quibus summopere demandat Confessariis suæ Diœceseos, quatenus subditos sibi populos curent prædictam obligationem docere: atqui quisquis Parochus, cui excidit non imponere alicui, qui in eadem rerum circumstantia reperitur, in qua ponitur Gerardus, præstandæ in ipso temporis articulo restitutionis obligationem, non minus damnum infert parti querimoniam habenti, quam qui omittit eandem, quibus indiget, sibi compertorum indiciorum auxilio juvare; quin etiam jure contendi potest, eundem sese majori culpa constringere, propter eam, qua Ecclesia eum instruit, in ipsum excommunicatum, qui ipsius opem implorat, auctoritatem in ejusmodi circumstantia rerum exercendam.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 6.

(d) D. d'Aranthon d'Alex Episcopus Genevensis, tom. 2. part. 3. tit. 6. cap. 13.

CASUS CCII.

Tatianus 20000. Librarum fœnori dedit Jacobo usuris quincuncibus; cui Jacobus inde retulit per integrum quinquennium annuam 1000. librar. pensionem; quo quidem elapso tempore prædictam pensionem extinxit, refusa Tatiano sortis ipsius integra præstatione. Cum primum de fœnoris ratione pacti sunt, neque per totum quinquennii tempus, quod subsecutum est, & per quod Jacobus pecuniæ fœnori acceptæ pensionem 1000. libr. quolibet anno persolvit; neque etiam quando Jacobus integram refudit Tatiano sortis 20000. libr. præstationem; nulla de decimo denario, quem tunc temporis Regi solvere Proprietariis incumbebat, neutrius mentem subiit cogitatio; adeo ut de sorte quam Tatiano rependit, nihil quidquam Jacobus ea de re deduxerit. Post elapsum aliquid temporis a confecta ista sortis præstatione, Tatianus, cum secum reputavisset, sibi per unumquemque annum pensionem mille librarum fuisse numeratam, non restituta Jacobo parte pro decimo denario obtingente, quæ ad 100. libras assurgebat, & timeret, ne ejusdem ei rependendæ sibi induceretur ea de re ex conscientia obligatio, sibi inde religionem adesse, ei significavit; cui respondit Jacobus, equidem futurum fuisse, ut sibi decimus denarius in mentem non veniret; verum nihilominus, si putaret, sese obligari, ad eundem illi referendum, sese ad eundem recipiendum omnino paratum esse. Qua de re quæritur, utrum Tatianus teneatur ad restituendas Jacobo prædictas illas decimi denarii partes, quæ pro prædicto quinquennio summam efficiunt quingentarum librarum?

RESPONSIO.

Antequam propositæ quæstioni sua sit responsio, observandum est, in Edicto, quod usum denarii decimi induxit, ferri, futurum ut privatus unusquisque possessionum suarum decimam partem Regi persolvat, & possit eandem partem de pensionibus, quas suis Creditoribus numeraturus est, eo ipso, quo easdem solvet, deducere. Ipsissima est summa legis.

Quo posito, jam eo recidit quæstio, utrum Jacobus in ea, quam Regi tradidit, suarum possessionum descriptione, recensuerit 20000. librarum sortis, quas mutuas acceperat a Tatiano, & fecerit mentionem de 1000. libris, quas ejusdem sortis usurarum loco ei persolvebat; necne. Si nec recensuerit, nec mentionem fecerit, & Regi decimam bonorum suorum partem attulerit, Tatianus decimum denarium ei præstare tenetur, tanquam quid ei legitima ratione debitum. Si vero & recensuerit

& men-

& mentionem fecerit; ei circa decimum denarium tributum imperatum erit, deductione facta istius decimi denarii de ceteris ipsius bonis; quo quidem in casu non incumbit Tatiano eumdem illi restituere, siquidem in prædicta hypothesi nihil quidquam ea de re Regi persolverit.

Aliunde vero, si Tatianus in ea, quam pro Rege descripsit suorum bonorum ratione, complexus fuerit 20000. librarum, quas mutuas Jacobo credidit; & juxta descriptam ab eo rationem decimus denarius eidem impositus sit; nihil restituere Jacobo debet, siquidem alioquin bis persolveret, quod prorsus alienum est ab intento & dispositione Edicti, quo decimus denarius Regi attribuitur.

Tandem si denarius iste decimus neque a Tatiano, neque a Jacobo sit solutus, ex eo quod non exactus fuerit ab eo, qui ejusdem coactioni præpositus erat; sic affectus animo debet esse Tatianus, ut, ubi primum exigetur, Regi persolvat.

CASUS CCIII.

Fratnactus mira dicendi facundia Patronus omnino præstantissimus, delatam ad sese caussam, quam iniquiorem prorsus existimabat, orandam suscepit, atque eamdem sic defendit, illa qua plurimum pollere consueverat, adhibita arte, quæ ex captiosis & fallacibus cavillationibus, hypothesibusque a veritate alienis, atque ad errorem injiciendum accommodatis, vel pessimis ac desperatissimis caussis similitudinis veri rationem obtendit; ut in judicio superaverit. Numquid tenetur ex conscientia, summoque jure inspecto, ad viginti dupliones aureos, quos inde mercedis honorariæ loco retulit, restituendos?

Respons.

Patet omnino, viginti prædictos aureos dupliones a præfato Patrono, adversante prorsus omni jure, receptos fuisse; atque adeo necessario venire restituendos. Neque, ut demonstretur nostra decisio, necesse est, opem ac suffragium implorari Theologorum moralium; siquidem verbis conceptis expressa legatur apud S. Augustinum, (a) in ipsius epistola ad Macedonium, in qua dicit, ejusmodi Patronum iniquitati ac mendacio patrocinatum fuisse, judici fucum fecisse, innocenti justitiamque sibi vindicanti vim intulisse; atque, si nihil eidem obligationis induceretur, quod a suo cliente recepit, honorarii restituendi; jam ab omni restitutionis obligatione, quotquot clanculum furantur, fore subducendos: *Si justitia sincerius consulatur*, inquit laudatus Pater, *justius dicitur advocato: redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam caussam oppressisti, de falsitate vicisti ... quam cuiquam in quolibet officio militanti. redde quod accepisti, quando, jubente judice, cuicumque caussæ necessarium hominem tenuisti; ne resisteret, vinxisti; ne fugeret, inclusisti ... sed illud cur advocato non dicitur, in promtu est: quia scilicet ita non vult homo repetere, quod Patrono, ut male vinceret, dedit: sicut non vult reddere, quod ab adversario, cum male vicisset, accepit: quis tandem Advocatus, aut ex Advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti: & redde adversario tuo quod, me agente, inique abstulisti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ rectissime pœnitet, etiam hoc facere debet: ut, si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem: nisi forte restituendum est alienum, quod per furtum clanculo aufertur; & restituendum non est, quod in ipso foro; ubi peccata puniuntur, decepto judice, & circumventis legibus obtinetur.*

(a) S. Aug. Ep. 153. alias 54. n. 25.

Confirmari potest ista decisio ex consequente, quod (b) S. Thomas infert ex istis sacrarum paginarum verbis (c): *Impio præbes auxilium; & ideo iram Domini mereberis*. Ex quibus verbis sic S. Doctor arguit: *Sed Advocatus defendens caussam injustam, impio præbet auxilium: ergo peccando iram Dei meretur*. Probat iterum suam sententiam sequenti argumento, quod fundamenti loco doctrinam Apostoli sibi potissimum vindicat (d): *Illicitum est alieni cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, sive qualitercumque consentiendo; quia consilians & coadjuvans, quodammodo est faciens: & Apostolus dicit ad Rom. 1. Quod digni sunt morte non solum qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Atqui, prosequitur S. Doctor, *manifestum est autem, quod advocatus auxilium & consilium præstat ei, cujus caussæ patrocinatur*. Deinde sic concludit: *Unde si scienter injustam caussam defendit, absque dubio graviter peccat; & ad restitutionem ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit*.

(b) S. Th. 2.2. q. 71 art. 3. in arg. Sed contra.

(c) 2. Paralip. 19.

(d) S. Th. ibid. in corp.

Quam eamdem & auctoritatem, & argumenti rationem Bellarminus mutuatur a S. Thoma (e), ut, quam heic loci veritatem asserimus, inconcussam efficiat atque omnino certissimam; eodemque modo ea de re Merbesius (f) argumentatur. Est ergo jam extra quamcumque dubitationis aleam positum, Farinacium obligari, ad honorarium quod pro prædicta caussa agenda recepit, non tantummodo restituendum; verum præterea, si qui inique caussam suam abstulit non satisfaciat, ad afferendam ipsius vice integram damni, quod adversaria pars inde sensit, compensationem.

(e) Bellarm. l. 2. de arte bene moriendi. cap. 2.

(f) Merbes. tom. 3. part. 2. q. 191. Conclus. 7.
Navar. Man. c. 25. n. 28.

CASUS CCIV.

Heraclides Advocatus auctor fuit Ludovico suo clienti, qui cum Antonio litigabat, ut alicujus rei veritatem negaret, de qua a judice interrogandus erat, illumque monuit, si eamdem fateretur, certissime futurum ut caussa caderet. Ludovicus secutus est Heraclidis consilium, & caussam obtinuit: tenetur ne prædictus Advocatus, non satisfaciente Ludovico, ad damnum quod ex perverso suo consilio Antonio intulit, resarciendum?

Respons.

Priusquam propositam quæstionem ingrediamur, est ponendum principium omnino constans, atque tum Jure Canonico, tum Jure Romano maxime comprobatum; scilicet eum, cujus consilio furtum aliquod admissum est, ejusdem furti eadem ratione teneri manifestum, qua si ipsemet illud idem fecisset: *Consilio ejus quoque furtum admitti videtur* (g), ait Justinianus Imperator; *Si culpa tua datum est damnum*, inquit Gregorius IX. (h), *jure super his satisfacere te oportet*.

Quo tamquam indubitato semel posito, respondemus, si quidem Heraclides ex suo, quo Ludovicum adjuvit, iniquiore consilio caussa sit totius damni quod Antonius passus est, ipsi simul cum Ludovico in solidum obligationem importari ejusdem in integrum reparandi; si contingat, a Ludovico, qui prædicti damni caussa principalis est atque primaria, non præstari ea de re congruentem damni compensationem.

(g) §. Ope. Institut. de obligat. quæ ex delicto nascuntur. lib. 4. tit. 1.

(h) Greg. IX. in c. Si culpa, fin. de injuriis & damno dato.

Habet hæc præsens decisio auctorem, Interpretem cujusdam Constitutionis Innocentii IV. cum ederat Concilio generali Lugdunensi (i). Cujus interpretis en ipsissima verba: *Scire .. debes, quod Advocatus, qui docet clientulum, falsum respondere, tenetur adversario illius damna resarcire, quæ ab hoc pertulit; puta in onere probandi, vel amissione caussæ ... unde solent Advocati dicere clientibus: si hoc confitearis, caussam perdes, nec dicunt: si negaveris, animam perdes*.

(i) Gloss. in c. Statuimus. 2. de confessis. in 6. v. Statuimus.

CASUS CCV.

Hyginus ex meditata cæde, cujus Petrus & Jacobus soli fuere testes oculati, Paullum Renati patrem occidit. De prædicto homicidio, Renato postulante, quæstio in Hyginum instituta est, atque ea de re Petrus & Jacobus simul cum plurimis aliis apud judicem appellati sunt, testificaturi veritatem; at ex eis nullus Hyginum in crimen memoratum adduxit. Qua de re quæritur, utrum Petrus & Jacobus, qui rei veritatem non sunt testificati, quemadmodum pro testimonio veritati

dicendi obligatio iisdem importabatur, tum coram Deo, tum coram hominibus, non teneantur ad restitutionem erga fiscum, ad quem major pars bonorum Hygini devoluta fuisset, postquam idem fuisset capite damnatus?

RESPONS.

Ut quæ sese offert heic loci discutiendæ difficultati possit majori cum perspicuitate satisfieri; quædam in antecessum principia præmittenda sunt.

Primum est: quod Lex mere pœnalis inducta quidem Civilium Magistratuum potestate, sed quæ de consensu saltem tacito ejusdem potestatis neque usu recipitur, neque invaluit; nihil quidquam in foro conscientiæ inducat obligationis: *Lex in nihilo recepta, in nihilo obligat*, inquit Navarrus (*a*). Rationem autem subdit Gratianus (*b*), quod Lex quidem ex sua promulgatione naturam legis adipiscatur; verum, ut luculenter demonstrant Decius (*c*) & Felinus, præterea sit necesse, ut vim habeat obligandi, confirmari eamdem eorum acceptione, ad quos potissimum pertinet; quæ quidem ejusdem acceptio, juxta usum receptum in Gallia, ex ejusdem perscriptione in commentarios supremæ Galliarum Curiæ fieri consuevit. *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur: sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ Leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium ipsæ Leges confirmantur.*

(*a*) Navarr. Man. c. 23. n. 62 v. *Decimo.*

(*b*) Gratian. §. *Leges.* ad can. *In istis.* 3. dist. 4.

(*c*) Decius in c. 2. de constitut. & Felinus in c. de treuga & pace. n. 13.

Secundum: quod, cum semel Lex aliqua fuerit juxta receptum usum promulgata, secundum conscientiam vim obligandi sortiatur, atque etiam ex conscientia cuilibet incumbat eidem sese subjicere; ut ex ipsissimis verbis S. Pauli S. Thomas evincit.

Tertium: quod aliqua Lex possit recipi, atque invalescere quantum ad certa quædam capita; quantum vero ad alia nec obtinere, nec vim obligandi habere: quo quidem in casu, quantum ad posteriora capita non obligat.

Quartum: quod Lex eo ipso desinat obligare, quo fuit ab ipso Legislatore abrogata, aut ex aliqua contraria consuetudine, quæ & justa sit, & legitime præscripta.

Quibus positis, respondemus, Petrum & Jacobum in casu proposito nullius restitutionis erga fiscum obligationi subjacere; quoniam Lex pœnalis, qua bona alicujus capite damnati fisco addicuntur, nusquam obtinet, neque usu recipitur, donec ea de re sententia judicis accesserit. Atque ea ratione Navarrus non absimilem difficultatem dissolvit istis verbis (*d*); *Testis, qui in judicio legitime interrogatus super crimine, ob quod bona publicantur, negat veritatem, propter quod reus absolvitur, non tenetur ad restituendum fisco, quod ad eum pertineret, si damnaretur ... tum quia non debetur in animæ foro ante condemnationem ..... tum quia leges humanæ, præsertim pœnales, non ligant potissimum in animæ foro, nisi quatenus sunt receptæ ... & nullibi ulla lex damnari jubens aliquem publicatione bonorum, ita est recepta, ut ante damnationem bona ad fiscum deferantur.*

(*d*) Navarr. c. 25. n. 15.

Atque iis, quæ ea de re habemus, auctoritatis plurimum addi potest ex Glossa (*e*), in quemdam Canonem, qui legitur in Decreto Gratiani. Ipsa namque tamquam quid extra omnem prorsus controversiam supponit, ejusmodi pœnam non deberi, nisi postquam fuerit ab ipso judice inflicta. Quam Navarrus Glossam eamdem allegans addit præterea, non eadem ratione deberi damnum seu reparationem damni, quod extrinsecum est atque remotum, qua debetur damnum quod intrinsecum est atque proximum; quod confirmat una quadam ex Legibus Digesti (*f*), in qua fertur, venditorem qui constituto tempore rem venditam omisit tradere, teneri quidem ad afferendam emtori congruentem damni reparationem, quantum ad ipsam rem: *Quæ*, (utilitas temporis,) ita Lex ipsa loquitur, *modo circa ipsam rem consistit*. Nullatenus vero quantum ad id, quod ipsi rei extrinsecum est; ut, verbi gratia, in quantum prædictus emtor potuisset de eadem fructum percipere, si sibi fuisset opportuno tempore tradita: *Neque enim*, prosequitur Jurisconsultus Paullus in allegata Lege, *si potuit ex vino, puta, negotiari & lucrum facere, id æstimandum est non magis, quam si triticum emerit, & ob eam rem, quod non sit traditum, familia ejus fame laboraverit.*

(*e*) Gloss. in c. *Fraternitas.* ii. 12. q. 2. v. *Cum argumento.*

(*f*) Leg. *Si sterilis.* 2. §. *Cum per venditorem.* 3. ff. de act. empt. & vendit. lib. 19. tit. 1.

CASUS CCVI.

CHRISTIANUS, qui erat male animatus erga Religiosos reformati cujusdam Ordinis, propterea quod litem amisisset, quam in eosdem intenderat; sic egit apud Paullum, qui ab annis decem solus in monasterio frater erat, qui sarcinatoris artem exerceret, quo eumdem adduceret ad egrediendum de prædicto monasterio, & aliud mitioris observantiæ ingrediendum; ut frater iste, post dispensationem obtentam de Curia Romana, consilium ipsius secutus fuerit atque exsecutus: Obligatur ne ex conscientia ad aliquam restitutionem erga monasterium, in quo præfatus Religiosus commorabatur?

RESPONS.

Non existimamus, posse Christianum vindicari ab obligatione damni compensationis exhibendæ prædicto monasterio, cui damnum intulit, in eo quod summæ utilitatis Religiosum ab eodem abduxerit, & inde toti Communitati necessitas incumbat alterius sarcinatoris operæ jam deinceps conducendæ, donec sese offerat aliquis similis Religiosus & eo industriæ devenerit, quod possit eadem ratione partes Paulli sustinere.

Ratio est, quod sit prorsus evidens, Christianum non peccavisse tantummodo contra caritatem, quæ ei omnino quamcumque ultionis cupidinem interdicebat; sed præterea contra justitiam, in eo quod ex perversa sua voluntate damnum intulerit prædicto monasterio prorsus ingens. Obligatur ergo ex conscientia ad agendum, vel ut prædictus Religiosus in suum monasterium redeat, si hoc ipsum in ejus animum inducere queat; vel ut illuc ingrediatur Religiosus alter, qui eodem usui ibidem esse possit; seu tandem ad, quidquid inde senserit damni prædicta communitas, de proprio suo ære restituendum: *Quis enim negaverit*, ait Merbesius (*g*), *cum peccare contra justitiam, qui cuipiam monasterio vel Ordini subtrahit personam, ad quam, & in qua, per solemnem legitimamque Professionem jus habet ... Ergo quisquis illum suo monasterio vel Ordini subduxerit, violavit justitiam, atque adeo tenetur ad restitutionem.*

(*g*) Merbes. summ. Christ. tom. 1. part. 2. q. 172. Conclus. 3. pag. 619.

Ceterum observandum est, in eo præsertim residere atrocitatem peccati, quo sese Christianus constrinxit, quod in caussa sit, cur Paullus in quamdam quasi speciem Apostasiæ inciderit, ejurando Ordinem, cui sese ex libera solemnium votorum emissione totum devoverat, & in quo per decem annos summa cum fidei, tum constantiæ perseverantia fuerat commoratus, ut transvolaret ad alium Ordinem, in quo liberius viveret, & mitiori laxiorique observantiæ subjiceretur sub specioso nimis prætextu dispensationis, quæ nullo nititur legitimo fundamento, nullaque juvante justa caussa, obtenta est.

CASUS CCVII.

VICTORICO famoso trapezitæ sunt tres Vicarii, Paullus, Petrus atque Claudius, qui singuli de mercede sibi rependenda cum eo pacti fuerunt; nempe Paullus de pretio quadringentarum librarum. Petrus, de mercede trecentarum librarum, & Claudius, constituto ducentarum librarum pretio; Petrus & Claudius non minus operæ suæ præbent; quam Paullus, ac persuasum habent omnino, non sibi minus, quam ei, mercedis loco rependendas esse quadringentas libras. Quo quidem fundamento fulti sibimet ipsis, quod ex sententia propria metiuntur, jus propria quoque auctoritate vindicant, & de nummis quos Victorici nomine administrant, ad summam usque quadringentarum librarum clanculum corradunt. Num tenentur ex summo jure, ad corollarium istud quod sibi per unumquemque annum accipiunt, restituendum?

RESPONS.

Non erubuerunt quidam Theologi morales docere, domesticos in ejusmodi casu positos nullius restitutionis obligationi erga suos heros subjacere: *Famuli & famulæ possunt surripere occulte heris ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod accipiunt*: ipsissima sunt verba, quibus concipitur propositio recentiorum istorum Auctorum, quæ ab Episcopo Gandavensi oblata est Theologicis Doctoribus de universitate Lovaniensi anno 1657. ut de eadem dicerent doctrinalem sententiam, quam sic enuntiaverunt: *Hæc assertio falsa est, naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta, ac domesticam pacem perturbans, eo vel potissimum, quod ista compensatio ipsorummet famulorum & famularum judicio relinquatur.*

Quam contagiosam omnino doctrinam Episcopi Gallicani virgula quoque censoria notaverunt, atque inter alios Illustrissimus Ludovicus-Henricus de Gondrin Senonensis Archiepiscopus, qui eamdem contentam in famoso opere, cui titulus inscribitur: *Apologia in gratiam Theologorum Moralium*: in quadam Synodo quam habuit, damnavit. En verba, quæ leguntur ibidem ad paginam 80. per modum objectionis, ac responsionis.

Objectio. *Omnes Theologi Morales ac Jesuitæ*, ait Auctor, *docent, licitum esse famulis, qui de mercedibus suis expostulant, privata sua auctoritate de bonis suorum herorum tantum sibi vindicare in quibusdam casibus, quantum necessarium esse ipsis videtur, ut pro modo operæ suæ mercedem suam compensent.* Responsio. *Quas Theologi Morales præscribunt servandas, conditiones si recte serventur*, ipse est Auctor Apologiæ laudatæ qui loquitur, *nihil adeo nefarium habet ista compensatio, nihil, quod offendere debeat heros bene affectos; nihil, quod dissentiat Ecclesiasticorum Patrum sententiis, atque inter alios doctrinæ SS. Ambrosii & Augustini*. En ut sese habet Censura, quam inussit Synodus Senonensis (a): *Hæc doctrina, quibuslibet additis restrictionibus, perniciosa est; pacem familiarum perturbat; famulorum fidem labefactat; sanctis Patribus, Ambrosio & Augustino falso, imperite & injuriose affingitur.*

(a) Censura 10.

Quas censuras renovavit Congregatio generalis Cleri Gallicani habita anno 1700. in fano S. Germani in Laya, ibidemque propositio, quam retulimus, damnata fuit (b) istis verbis: *Hæc propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat*. Quæ concordant omnino cum doctrina sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, quæ sententiam ea de re sic proposuit (c): *Furti rei sunt famuli, qui heris suis bona surripiunt, ad compensandam operam, quam mercede de qua conventum est, majorem judicant.*

(b) Convent. general. Cleri Gallicani ann. 1700. art. 10. proposit. 46.

(c) Art. Doctrinæ S. Facultatis. Theol Parif. 1. part. art. 82.

Ex quibus concludimus, Petrum & Claudium obligari ad restituendum Victorico, quidquid ultra mercedem de qua cum eo pacti fuere, surripuerunt.

CASUS CCVIII.

ALBERTUS vir summa nobilitate præstans, cum amisisset suum horologium manuale argenteum; de Barnaba suo pedisequo statim habuit ejusdem sibi surrepti suspicionem; neque succurrentibus ullis ea de re indiciis, tum uxori suæ, tum suis liberis atque ceteris suis famulis certissime affirmavit, prædictum pedisequum esse unicum furti facti auctorem; licet a vero in ea re procul aberraret. Obligatur ne, ad veniam de falsa ista criminatione petendam a Barnaba, ut in pristinum honoris atque fidei nomen præfatum puerum restituat?

RESPONS.

Constat, Albertum recta conscientia non posse se se subducere ab obligatione reparandi honoris, quem Barnabæ injuste eripuit; sed non exigit illa reparatio, ut sic se se erga eum submissius gerat; siquidem obligationem ejusmodi satisfactionis nec Christiana prudentia, nec ipsamet justitia ullatenus imponant; alioquin jam contendendum esset, in simili casu teneri Episcopum, aut Communitati alicui regendæ Præpositum superiorem, ad veniam etiam ab inferiori Clerico petendam; virum vel etiam præpotentem, a viliori suo puero; patrem a suo filio; aut magistrum, vel etiam a minimo suorum discipulorum; quod nonnisi prorsus absurde dicatur: siquidem ejusmodi damno subveniri possit infinitis propemodum aliis rationibus, & quæ & magis decent, nec minus conducunt ad inustam alicujus inferioris famæ labem omnino detergendam.

Sufficit ergo, quam eidem irrogavit, ab eo sic injuriæ satisfieri. 1. Declarando coram iisdem personis, nonnisi ex temeraria prorsus ac leviori suspicione eum a se se facto furto oneratum fuisse. 2. Eumdem sic in quacumque circumstantia excipiendo, ut palam fiat, nedum eum habeat contemtui aut ei diffidat, quin potius ei sese totum confidere. 3. Conditionem ei faciendo ipsius famulatus & operæ sibi rursus adhibendorum, si jam eum dimiserit.

Eadem fere ratione determinandum est de superiore quodam regendo Ecclesiasticorum alicui Collegio præposito, qui famam alicujus e suis subditis obliteravit; ac de quocumque alio ejusmodi Prælato, cui non induci debet obligatio ei satisfaciendi, cujus famam attrivit, nisi iis rationibus adhibitis, quæ eum in periculum auctoritatis & gradus quibus insignitur, non adducant; quemadmodum fatetur Merbesius (d), qui diversas ea de re proponit rationes istis verbis: *Potest quippe superior illi* (inferiori) *exhibere varia bonorum & benevolentiæ signa. Potest illum verbis amicioribus compellare, & declarare tam signis quam factis, se illum non aspernari; immo magni facere, & data occasione in frequenti cœtu honorificam ei sedem assignare; sua communicare mensa; & ita passim sese cum illo gerere, ut bonos quem ille sibi injuste ademtum expostulare poterat, ex cordatorum judicio illi affatim restitutus esse censeatur*. Indeque sic infert: *Et hæc est insignis regula servanda a patribus erga filios, a Dominis erga servos, a Magistris erga discipulos, a Nobilibus erga plebeios.*

(d) Merbes, Sum. Christ. tom. 1. part 7. q. 178. Conclus. 1.

Quæ decisio confirmari potest auctoritate S. Augustini (e), qui scribens ad Moniales quasdam: quæ animo adjecerant, primariam suam superiorem omni gradu summovere, quæque ea de re plurima cum offensione omnia miscuerant atque perturbaverant; ait, aliquando non oportere, ut superiores sese submittant in nimiam humilitatem, ne qua iisdem opus est ad subditorum regimen, auctoritatem enervent. *Quæcumque convicio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu, alteram læserit*, inquit laudatus Pater, *meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit ... Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subjectas, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.*

(e) S. Aug. 211. alias 109. n. 14.

CASUS CCIX.

PYSANDER, qui ab annis triginta philosophicis lectionibus excipiendis dabat operam in universitate Parisiensi, tunc temporis non juvabatur nisi 330. librarum annua pensione, quam sibi succurrendam tum ad suum victum, tum ad cultum & habitationem per unumquemque annum a patre suo percipiebat; adeo ut, finiente ipsius cursu philosophico, solvendo non fuerit suo professori, juxta eum qui tunc in prædicta universitate usum obtinebat, honorarium 24. nummorum, prædictusque professor ne quidem illud ab eodem umquam exegerit, atque ipse apud suum patrem in Provinciam sese receperit. Amplexus postea vitæ Ecclesiasticæ institutum Beneficium obtinuit, cujus reditus additus ceteris possessionibus, quas obtulit ei Divina Providentia, summam efficit quasi 250. librarum census annui; indeque ei suppetit omnino, unde possit suis debitis satisfacere.

Qua de re petit, utrum, posita prædicta hypothesi, sibi incumbat ex debito conscientiæ, quos, demen-

demenso suo cursu philosophico, non potuit rependere suo Professori, præfatos 24. nummos ejusdem hæredibus restituere?

RESPONS.

Non existimamus, ad istam restitutionem Pysandrum ex stricta conscientia teneri; quamquam, generaliter loquendo, professoribus jus tunc temporis adesset, exigendi honorarii, atque agendi in judicio, ut, qui solvendo erant, ad illud idem ipsis rependendum condemnarentur.

Ista autem ratione potissimum innitimur, quod, nonnisi ab iis quibus suppetit unde solvere possint, prædictum honorarium veniat ipsis professoribus ex stricto jure rependendum; alii vero tamquam pauperes habendi sint, quibus sub eo respectu tradendæ sunt gratuito ab iisdem lectiones: atqui Pysander debuit tamquam pauper tunc temporis haberi; siquidem ei non suppeteret, nisi quod ei tum ad victum, tum ad ceteras ipsius vitæ necessitates desiderabatur. Ergo tunc temporis ei nullatenus incumbebat, prædictum honorarium suo professori rependere.

Neque est, unde quis objiciat, ab eodem jam posse illud idem impræsentiarum persolvi; si enim tunc obligationi prædictæ non subjiceretur, neque nunc eidem obnoxius evasisse censendus est, juxta dictum illud Juris, quod refertur in Glossa: *Obligatio semel extincta non reviviscit*, (a) quod quidem dictum Glossa citata repetit ex Epistola S. Augustini ad Bonifacium, (b) & ex una quadam e legibus Digesti; (c) seu potius ut rectius loquamur, quoniam, cum ex illa rerum pauperie quam tunc experiebatur, ab illa obligatione fuerit præstitus immunis, quæ ceteris inducebatur, quibus per facultates licebat eidem satisfacere; ex ipsius immutatione faventioris fortunæ non potest eidem obligatio importari, quam re vera numquam contraxit. Præterea vero addendum est, nedum Pysandri professor eum apud judices appellaverit, ut ad honorarium sibi persolvendum, eum obtineret condemnari; ne quidem ei verbum umquam in familiari congressu incidisse de suo honorario ab eodem exigendo; quod quidem sufficienti argumento est, licet negativo, eumdem ab ipso consideratum tunc fuisse quasi pauperem, atque inter eos recensitum, quos ex officio suo sibi incumbebat gratis erudire; si tamen gratis dici possit; siquidem ab eo jam tempore gauderent singuli professores certis quibusdam reditibus seu pensionibus, quæ eis attribuebantur de reditu generali, quem per unumquemque annum nuntiatus afferunt quatuor Nationibus, ex quibus constat Facultas artium; habendis loco mercedis & pretii pro eo, quod erudiendos curent Bursarios, Domesticos Collegiorum, atque eos qui inter externos non habent, unde queant consuetum honorarium rependere: adeo ut professor Pysandri, qui assignatam sibi partem contingentem de prædicto generali reditu percepit, nullum jus habuerit, ab eodem exigendi honorarium, quod ipse præ facultatum angustia nullatenus poterat rependere. Unde sequitur, Pysandrum ad nullam restitutionem obligari erga heredes professoris; quippe qui nulla ratione eidem neque damnum, neque injuriam intulerit.

Potest hæc nostra decisio plurimum confirmari ex multis Decretalibus, quæ passim prohibent, ne magistri, seu professores quidquam exigant ab auditoribus, qui præ suarum facultatum tenuitate non habent, unde congruens honorarium afferant; & jubent, ut eorum mercedi Beneficiis aliquibus, seu quacumque alia ratione consulatur: *Ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur; per unamquamque Cathedralem Ecclesiam, magistro qui Clericos ejusdem & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium assignetur, quo docentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam.* Quæ verba sunt Alexandri III. cum præsens aderat Concilio Generali Lateranensi (d). Quod idem quoque commendavit Innocentius III. in quarto Generali ejusdem nominis Concilio (e). Eaque potissimum de caussa, ut locus omnis adimeretur Professoribus quidquam exigendi, summopere præcaverunt prædicta Concilia, atque laudati summi (f) Pontifices, constitutis ea de re severioribus omnino pœnis, ut potestas atque licentia docendi iisdem gratuito concederetur, ne sub prætextu, quod, nonnisi pretio pecuniæ prædictam potestatem consecuti fuissent, exigerent summo jure, nullaque adhibita distinctione, ab omnibus suis auditoribus honorarium debitum, atque consuetum sibi rependi.

(a) Gloss. in C. *De cetero*. 31. de sent. Excommunic. &c. *Exceptionis*. 1. de litis contestatione in 6. v. *Finita* 1. 2. tit. 3.

(b) S. Aug. in c. *Quæris* 129. §. *Potest*. de consecrat. dist. 4.

(c) Leg. *Qui res*. 9.. ff. de solutionibus, & liberat. §. 8.

(d) Conc. Lateranen. III. c. 18. in c. *Quoniam*. 1. de Magistris &c. l. 5. tit. 5. n.

(e) Innoc. III. in c. *Quia*. 4. eod. tit.

(f) Conc. Lateranens. utramque, citatis locis: & Alex. III. in c. *Prohibeas*. 2. & in c. *Quanto*. 3. eod. tit.

CASUS CCX.

Corentinus, lecto quodam libello in urbe Tolosa publice affixo, quo Jacobus promittebat triginta minas ei, qui ipsi restitueret divitem admodum adamantem pretii 2000. nummorum, quem in templo S. Saturnini perdiderat; sic eum adamantem, adhibita omni diligentia, undequaque conquisivit, ut in uno quodam e subselliis prædicti templi re ipsa tandem invenerit. Statim adivit Jacobum, a quo petiit triginta minarum promissarum solutionem, fide ei facta, futurum ut, accedente ista conditione, neque aliter, ipsius ei restitueret adamantem. Jacobus præ gaudio recuperati sui adamantis, & timens, ne Corentinus, quem nullo modo noverat, eumdem ei reddere denegaret; eidem solvit præsentis ac numeratæ pecuniæ minas triginta, ac deinde Corentinus in manus ipsius tradidit prædictum adamantem.

Confessarius Corentini religionis aliquid ei incussit, quod, nondum restituto Jacobo ipsius adamante, triginta minas exegisset. 1. Dixit ille; propterea quod, cum res aliena possidetur, incumbat eamdem domino vero restituere, absque ulla mercedis exactione. 2. Quoniam tenuis ille labor quem impendit in quærendum istum adamantem, nonnisi tenuissimam prorsus mercedem exigit; adeoque eum sibi videri obligatum ad prædictas triginta minas Jacobo restituendas.

Cui reposuit Corentinus, Jacobum se se voluntario, ac publice, nemineque suadente, adstrinxisse, ad sic benigne ei faciendum, qui ipsius adamantem forte fortuna repertum eidem foret restiturus; adeoque, cum sibi donum istud ex mera benignitate fuerit oblatum, non videre se, quanam de caussa sibi, ea de re ne levissima quidem umbra religionis posset adhiberi. Utri Jus?

RESPONS.

Est hoc nobis omnino persuasum, futurum ut, quam de præsenti difficultate amplectimur, infinitis propemodum qui in eodem, quo Corentinus, casu vel occurrunt, vel occurrere maxime peroptarent, sententia nostra non admodum arrideat; at quoniam nos minime juvat iisdem placita loqui, respondemus, ab ipso Corentino prædictas triginta minas esse Jacobo restituendas, utpote easdem ab ipso exegerit, antequam ejus ei adamantem traderet; quin etiam verbis expressis significaverit, futurum ut, nonnisi iisdem numeratis, ac sibi solutis, illum ei restitueret.

Ratio est, quod nullus possit absque crimine rem alienam, *invito domino*, sibi retinere: quæ quidem veritas inconcussis adeo Patrum Ecclesiasticorum argumentis constat, ut eidem probandæ superfluum omnino sit immorari. Jam vero manifestum est, ipso Jacobo invito, ejus adamantem a Corentino fuisse retentum, neque eidem affuisse animum, eum ipsi reddere, nisi postquam triginta minas ab eo recepisset. Jacobus igitur easdem ei non rependit ex mera benignitate, sed propterea quod metueret, ne adamante suo fraudaretur, & Corentinus qui ei ignotus erat, & in quem ex nullis indiciis agere poterat, eumdem ab eo auferret, ac sibi retineret. Quæ heic loci habemus, congruunt prorsus sententiæ sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, quæ in 90. e suis articulis Doctrinæ, ea de re sic exponit mentem suam: *Si bonorum deperditorum dominus non innotuerit post diligentem inquisitionem, ea sunt eroganda pauperibus, aut in alios pios usus convertenda; nec inventori, nisi titulo paupertatis vindicanda*. Ex quibus sequitur, si quidem ipsi Corentino com-

comperţum esset, Jacobum esse verum Proprietarium illius adamantis, quem invenerat in Templo S. Saturnini; eum ex quocumque prætextu non potuisse sese subducere, ab obligatione ejusdem ei reddendi absque ulla mercedis exactione.

Equidem (atque in eo potissimum tota residet fundamenti ratio, quod sibi potest Corentinus vindicare,) Jacobus ex Libello publice affixo promiserat loco mercedis triginta minas ei, qui ipsius adamantem foret ipsi redditurus, quem amiserat; sed nec merito contendi potest, istam ab eo ex plena atque integra libertate propositam fuisse conditionem, siquidem causam inde suam habuerit, quod prorsus timeret, ne sibi omnino amitteretur; utpote sit extra omnem controversiam positum, si sibi spes affulsisset ejusdem sibi recuperandi absque ejusmodi promissione, nunquam futurum fuisse, ut ad eandem exsolvendam sese obligaret. Est igitur a vero prorsus alienum, solutionem triginta minarum ex mera benignitate proficisci, atque præstitam fuisse; quin immo manifestum est, easdem nonnisi eo animo ab eo numeratas fuisse Corentino, ut sese ab iniqua vexatione, quam sentiebat, ab eo sibi inferri, impediret; cum nimirum prætracte denegabat, nisi adimpleta conditione, quam legerat in libello publice affixo, adamantem restituere. Quibus præterea juvat addere, non ultra quadrantes aliquos in eundem disquirendum impensum fuisse temporis spatium, quod nullam prorsus habet cum ea, quam exegit, pinguiori ad eo mercede proportionem. Obligatur ergo ad prædictas triginta minas Jacobo restituendas; atque ipsius arbitrio donum, quodcumque rependere ei visum fuerit, permittendum, seu nihil quidquam ei referendi mercedis.

Quam sententiam nostram Covarruvias probat auctoritate Panormitani contra Cardinalem Hostiensem: *ab Hostiensi* (inquit) (a), *discedens Panormitanus non immerito; etenim tenetur quis rem alienam inventam Domino restituere lege justitiæ*. Quod confirmat egregiis istis verbis S. Augustini: (b) *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.... Qui alienum negat, si posset, & tolleret*. Ex quibus infert laudatus Episcopus Segoviensis, id, quod inventum fuit, esse gratuito reddendum: *Igitur gratis id facere debet*. Idipsumque probat ex quadam lege de Digesto, quæ sic habet: *Qui alienum quid jacens, lucri faciendi causa, sustulit, furti obstringitur*. (c) Atvero, si illud idem recipiat cum animo restituendi, ait nulla posse ratione condemnari, quanquam in eadem restituenda sibi proponat aliquam mercedem percipiendam, sed ei tamen nihil juris competere ejusdem exigendæ: (d) *Quid ergo, si εὕρετρα* (e) *quæ dicunt, petat; nec hic videtur furtum facere; etsi non probe petat aliquid*. Confirmat etiam suam sententiam memoratus Episcopus ex auctoritate Bartholi: (f) *Unde Bartholus ... scribit propter restitutionem rei alienæ, quæ inventa fuerit, nihil juste peti posse, nec accipi*.

(a) Covarruvias, part. 2. relect. regulæ Peccatum de reg. Juris in 6. §. 5. n. 2.
(b) S. Aug. in can. Si quid. 6. 14. q. 5.
(c) Leg. Falsus 43 §. Qui alienum. 4. ff. de furtis lib. 47. tit. 2.
(d) §. 9.
(e) Cujus interpretatio est: Pretium inventionis Glossa ibid.
(f) Bartol. in d. § Qui alienum.

At quoniam habendi cupiditas huicce nostræ decisioni plurimum adversatur, eandem iterum expedit confirmari ex Doctrina S. Augustini, atque ex subjecta oculis facti cujusdam historia, cujus testis fuerat oculatus. Sic narrat laudatus Pater, postquam verbis omnino validissimis asseruit, rem alienam, quæ inventa fuit, Proprietario, quando innotescit ex obligatione strictissima venire restituendam: *Dicam quid fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis: tam pauper, ut proscholus esset Grammatici, sed plane christianus: quamvis ille esset Paganus Grammaticus; melior ad velum, quam in cathedra, invenit sacculum, nisi forte me numerus fallit, cum solidis ferme ducentis; memor legis proposuit pittacium publice, reddendum enim sciebat, sed cui redderet, ignorabat. Proposuit pittacium publice, qui solidos perdidit, veniat ad locum illum, & quærat hominem illum. Ille, qui plangens circumquaque vagabatur, invento & lecto pittacio, venit ad hominem: & ne forte quæreret alienum, quæsivit signa: interrogavit sacculi qualitatem, sigillum, solidorum etiam numerum. Et cum omnia ille fideliter respondisset, reddidit quod invenerat. Ille autem repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit solidos 20. qui noluit accipere: obtulit vel decem, noluit accipere: saltem rogavit vel quinque acciperet, noluit ille. Stomachabundus homo projecit sacculum, nihil perdidi, ait, si non vis a me aliquid accipere: nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus! Theatrum mundus: spectator Deus victus tandem ille, quod offerebatur, accepit: continuo totum pauperibus erogavit: unum solidum in domo sua non dimisit* (g):

(g) S. Aug. serm. 178. olim 19. de verbis Apostoli, c. 7. seu n. 8.

Quantum heu vir ille pauperrimus, de quo sermonem facit S. Doctor, discordat Corentino, de quo quæstio est in specie proposita! Negat prior ille ac præfracte denegat id accipere, quod sibi ab eo offerebatur, qui perditos 200. nummos recuperaverat; quanquam voluntario prorsus atque liberrime idipsum ab eo sibi offerretur; Corentinus vero ab adamante offerendo Jacobo summa cum cautione penitus abstinet; quin id primum maxime intendit, ut pinguiorem prorsus exigat sibi mercedem, quam vult ante sibi vindicare atque asserere, quam reddiderit inventum adamantem, eique verbis nullatenus ambiguis significat, futurum ut, nonnisi traditis sibi triginta minis, eundem ei nunquam restituat.

Sed, si Corentinus primo quidem adamantem in manus Jacobi dare incœpisset, & deinde ei Jacobus ex mero liberoque benignitatis animo rependisset mercedem triginta minarum, nullis antea præmissis nec mercedis petitione, nec de eadem ullo pacto sive tacito, sive verbis expresso, in eo casu donum illud Corentino legitime cederet, ut ipse fatetur Covarruvias, qui finem imponit suæ decisioni, sic concludendo: *Tametsi apud me certissimum sit, posse recipi juste & retineri quod fuerit datum ob rei inventæ restitutionem, modo saltem conjecturis quibusdam appareat Dominum id libere dedisse & sponte*: licet rectius ageret, si nihil reciperet, nisi fortasse mercedem prædictam haberet, quasi stipis erogationem, qua ob rerum suarum tenuitatem vere indigeret.

CASUS CCXI.

Fregaultus Avunculus & tutor Mariæ ac Ludovicæ, Ludovicam ad Religionem compulit, adhibitis ea de re plurimis minis atque violentiis, quin etiam multis injuriis ac contumeliis, propterea quod nulla voluntatis inclinatione in eandem propenderet, & ipsa ad deformitatem insignis esset. Num in eo casu inducitur ei restitutionis aliqua obligatio; & erga quem potissimum ad restitutionem potest obligari?

RESPONS.

Ut proposita difficultas dissolvatur, admittendum est principium, quod apud omnes certissimum est, atque prorsus indubitatum; nimirum libertatem rem esse adeo excellentem ac pretiosam, ut nullum ei quantæcumque pecuniæ pretium possit ullatenus exæquari, juxta regulam juris, quæ sic fert: *Libertas inæstimabilis res est* (h); eandemque ceteris quibuscumque rebus esse multo potiorem, quemadmodum habet alia regula (i). *Libertas omnibus rebus favorabilior est*. Atque ea de causa, juxta constitutas a primis Imperatoribus Paganis leges, poterant equidem Patres propriis suis filiis vitam adimere, non libertatem (K). *Libertati tantum a Majoribus impensum est*, inquit Constantinus Imperator, *ut Patribus, quibus jus vitæ in liberos, necisque potestas olim erat permissa (l), libertatem eripere non liceret*.

(h) Reg. 106. ff. de reg. juris.
(i) Reg. 164. ff. eod. tit.
(K) L. Libertati. 10. cod. de patria potest. lib. 8. tit. 47.
(l) L. in suis in fin. ff. de liberis & posthumis hæredibus instituendis l. 28. tit. 2.

Quo posito, manifestum est, admitti non posse peccatum, quod justitiæ apertius adversetur, quam alicui libertatem eripiendo: Porro quodcumque peccatum adversatur justitiæ, restitutionis inducit obligationem; proindeque Fregaultus ex obligatione strictissima tenetur, ad Ludovicam in plenam atque integram libertatem restituendam.

1. Palam faciendo, eandem, adversante prorsus omni jure, inclementer a sese fuisse tractatam, seu timorem eidem incussum fuisse, ut compelleretur ad ingrediendum aliquod vitæ Religiosæ institutum.

2. Ean-

2. Eandem certiorem efficiendo, posse libertime omnino ipsam de Monasterio discedere, in quod ipsa, eo cogente, sese compegit; modo, si vota Religionis invita emiserit, ipsi per tempus etiamnum liceat votis suis refragari, & ipsa velit iisdem repugnare; quin etiam eidem locum atque copiam faciendo, tum Superiori legitimo, tam Episcopo causarum proponendarum, cur nullius roboris sit, quam emisit, Religiosa professio.

3. Conditionem illi sarendo, ejusdem apud se recipiendæ, atque plurima tum benignitate, tum charitate excipiendæ.

4. De proprio suo ære refundendo quidquid Monasterio concessum, seu persolutum fuit, sive susceptionis causa Novitiarum habitus, sive solemnis votorum nuncupationis gratia; salvo eo, quod, quidquid impendendum ab eo fuisset in ipsius victum, ceteraque vitæ necessaria, si apud illum convixisset, veniat inde deducendum (a).

(a) Merbesius, sum. Christ. tom. 2. part 2. q. 273. Conclus. 2.

CASUS CCXII.

Lactantius Mercator 1000. libras Josepho etiam Mercatori mutuas credidit anno 1680. a quo Chirographi cautionem ea de recepit recognitam atque comprobatam coram Notario, cui dies numeris arithmeticis apponebatur. Lactantius cum neglexisset præfatæ summæ urgere solutionem ad diem usque, quo Josephus obiit, & timeret, ne Jacobus filius unicus defuncti e castris reducis ab aliquibus mensibus, in quibus sub signis Regiis duodecim aut quindecim stipendia meruerat, & cui penitus ignotum erat, qua ratione sese haberent res familiares sui Patris, cujus tamen jam adiverat hæreditatem, ipsius debitu 1000. libr. eum defraudaret, vindicato sibi jure præscriptionis; in locum istorum numerorum arithmeticorum 1680. istos alios suffecit 1689. posteriore numero arithmetico o in numerum 9. immutato; atque ex adhibita illa fraude Jacobo eripuit omnem locum afferendi sibi præscriptionis privilegii, eundemque obligavit ad prædictam pecuniæ summam sibi rependendam. Qua de re quæritur, utrum in foro interiori non teneatur ad afferendam Jacobo aliquam restitutionem?

Respons.

Habet hoc constantissimæ veritatis rationem, quod nunquam absque peccato possit supposititia schedula, seu falsum quodcumque aliud instrumentum nec confici, nec supponi, ut fertur 99. doctrinæ articulorum sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, hoc modo: *Qui schedulam, aut aliud quodcumque instrumentum amiserit, cujus defectu lite foret evincendus, falsum conficere, aut supponere non potest absque peccato*. Est igitur extra omnem tergiversationem poctum ex illa, quam admisit, falsitate, Lactantium gravissime prorsus peccavisse, immutando nimirum veram diem, qui Josephi Schedulæ fuerat appositus, & Jacobum Josephi filium, atpote bona fide gaudendem, neque rerum Patris habentem notitiam, potuisse sine peccato sibi jus asserere præscriptionis, quo sese subduceret ab obligatione prædictarum mille librarum persolvendarum. Nihilominus censemus, non obligari Lactantium ad easdem ei restituendas; Ratio est, quod prædicta summa jure naturali ei debeatur; nec falsus ille dies, quem ascripsit, veritatem ipsius instrumenti nec imminuerit, nec annihilaverit; sed tantummodo posset ipsi Jacobo, qua maxime fuisset juvatus, omne præscriptionis intercludere perfugium.

CASUS CCXIII.

Euphraisius Notarius Creditor Barnabæ recepta ex una solutione summa 2000. librarum deducenda de ampliori summa 6000. librarum, quam ei mutuam tradiderat, scripta ea de re Chirographi cautione, cui prima dies Januarii 1660. numeris arithmeticis ascribebatur; urgendæ solutioni 4000. librarum residuarum ad ptimam usque Martii diem anni 1692. indormivit; quoniam eum habebat, qui prorsus solvendo foret, & copiosam pecuniæ summam augescere intendebat eo fine, ut illum postmodam adduceret ad sibi cedendum per modum solutionis spatiosissimum quoddam pratum optime sibi conducens; verum, cum apud se reputavisset, jam annos altra triginta abiisse, ab ascripta die ipsius Chirographi cautioni, & futuram ut posset ipse Barnabas in propriam defensionem allegare jus præscriptionis; de numero arithmetico o numeram 9. eraravit, ut palam fieret, ipsius Chirographi cautionem non esse, nisi 23. annis cum duobus mensibus antiquiorem; adeoque juri præscriptionis nondum obnoxiam. Barnabas vero, cum obtinuisset, exhiberi sibi ipsummet suæ Chirographi cautionis instrumentam Archetypum, perspects, quam Euphrasius admiserat, falsitate, propriam Chirographi cautionem falsam esse asseruit; sed, post sustentam litem per tres annos, de intenta falsæ Chirographi cautionis accusatione submotus est, & damnatus, ad solvenda tum quæ superenat, 4000. librarum, tum 1000. libras, ad quas æstimatæ fuerant tam damni compensationes erga Euphraisium, quam ceteræ litis ipsius accessiones; quod quidem in integrum ad assem unum sibi rependi, ac solvi, dictus Euphraisius exegit. Qui, quoniam Jubilæi tempus aderat, & indulgentiarum ipsius participem sese reddere maxime peroptabat, quemdam adivit Confessarium, cui genuinam totius rei veritatem aperuit. Advertens autam, dictum Confessarium ei nulla ratione favere, ad eum accuratissime retulit, Barnabæ exploratum omnino fuisse, sesa de propria Chirographi cautione, summæ 4000. librarum etiamnum remanere reliquatorem, eandem ab eo, in causa, falsi fuisse potissimum insimulatam, ut iisdem eum, allegato jure præscriptionis, defraudaret; adeoque propriæ ipsius culpæ imputandum esse, quod lite fuisset evictus; atque consequenter non existimare, sibi quidquam obligationis induci erga ipsum restitutionis; siquidem nec litis accessiones, nec interesse debitam sibi summam ullatenus excederent: quid potissimum incumbit ab ipso Confessario ea de re determinandum?

Respons.

Censemus, ingens prorsus discrimen esse statuendum inter 4000. librarum sortis, & mille libras interesse, ac litis accessionis; quod etenim pertinet ad 4000. librarum; siquidem deberentur Euphraisio, qui easdem mutuas Barnabæ tradiderat, & ejusmodi debitum juris sit naturalis, potest, recta conscientia, summam istam sibi retinere; quanquam ex iniquiori omnino ratione solutionem ipsius fuerit consecutus, atque in eo peccatum admiserit gravissimum, quodque ultimo etiam supplicio, præsertim quantum ad Miuistrum publicum, qualis est Notarius, mereretur expiari. Verum ratione diversa prorsus judicandum est de 1000. libris interesse & accessionis litis; incumbit namque Euphraisio, qui easdem adjudicari sibi in judicio obtinuit, & deinde recepit, eas ex conscientiæ debito restituere Barnabæ; siquidem constet a prædicto Notario falsitatem insignem admissam fuisse ex immutata die, quæ Chirographi cautioni fuerat apposita; atque inde locum dederit Barnabæ eandem falsitatis arguendi, ut revera arguit, adeoque ei damnum, quod passus est, ex illa depravatione Chirographi cautionis intulerit, juxta sequentem regulam juris; *Qui occasionem dat, damnum dedisse videatur* (b), quam Gregorius (c) omnino comprobatam habet. Quoniam apertum est, nisi Barnabas istam suæ Chirographi cautionis depravationem deprehendisset, numquam futurum fuisse ut eandem falsitatis argueret. Inde igitur originem sumpsit illa novissima causa, quam in Euphraisium intendit, qui nullum ea ista parte debet commodum percipere, secundum illud aliud effatum Innocentii III. *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*

(b) L. Qui occidit. §. in hac ff ad Leg. Aquilinm & Leg Nihil ad L. Corneliam de sicariis

(c) Greg. IX. in c. Si culpa fin. de injuriis & damno dato. l. 5. tit. 36.

debent (a). Equidem non diffitendum est, quantum ad ipsam rei veritatem, jus omnino caussæ Euphrasii subvenisse; sed non ideo solutus ab omni restitutionis obligatione censendus est: neque enim, quidquid sibi vindicet æquitatis, caussæ illi defensionibus iniquis succurrendum est: atque in eo potissimum condemnandus Euphrasius; siquidem, quam ipsemet adscripserat, falsam diem, veram esse pro aris & focis assereret. Prætereaque addimus, quin etiam ipsum Euphrasium obligari ad præstandum atque refundendum Barnabæ, quidquid impensarum contulit in defendendam ac vindicandam, quam in judicio intenderat falsæ chirographi cautionis accusationem.

(a) Innoc. III. in c. Officii. 14. de testam. & in c. Cum dilectus. 8. de Religiosis Domibus. lib. 3. tit. 36.

CASUS CCXIV.

Pothinus sex libras recepit pro eo, quod aliqua de re vocatus in judicium ab ipsomet Judice, dixisset testimonium. Num tenetur, quod recepit restituere?

RESPONS.

Potest proposita quæstio in duos, eosque diversos sensus accipi. In priorem quidem, nimirum quod Pothinus pro testimonio jam dicto vel dicendo prædicta summa fuerit donatus. In posteriorem vero, nimirum quod eadem pecuniæ summa per modum justæ compensationis impensarum quas facere coactus est, atque ex sententia Judicis ei fuerit adjudicata.

Si Pothinus sex libras receperit ab alterutra parte, aut ab alia quacumque persona, tamquam pretium testimonii quod dixit; certissimum est eum ex stricta conscientia teneri ad easdem restituendas, siquidem peccaverit contra justitiam; cum non potiori jure liceat testi aliquam sibi pecuniæ summam tamquam pretium sui testimonii vindicare, quam Judici suam sententiam vendere: *Non ideo debet Judex vendere justum judicium*, inquit S. Augustinus (b), *aut testis verum testimonium, quia vendit Advocatus justum patrocinium ..... Cum autem judicia & testimonia, quæ nec justa nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur; quia scelerate etiam, quamvis a volentibus*. Eaque de caussa Lex *Julia*, quæ refertur in Decreto Gratiani, quod recognitum fuit, emendatum, typis mandatum ac publicatum jussu Gregorii XIII. anno 1580. (c) prohibet, ne quis admittatur ad testificandum; *qui vel ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse judicatus vel convictus erit*. Affert autem Covarruvias (d) rationem istam, quia *ad justitiam pertinet, quod quis verum testimonium dicat, quoties a Judice vocatus in testem fuerit; idque dicere omnino tenetur*. Quam rationem confirmat auctoritate S. Augustini, in Canone jam jam allegato.

(b) S. Aug. Ep. 153. alias 54. ad Macedonium. n. 23. in canon. *Non sane*. 15. 14. q. 5.
Item in can. *Non licet*. 71. 11. q. 3.

(c) In can. *Si testes*. 3. §. *Lege Julia*. 4. q. 2. & 3.

(d) Covarruvias Relect. in reg. *Peccatum*. de reg. juris in 6. part. 2. §. 3. num. 2.

Sed neque propterea Pothinus obligatur ad dicendum propriis suis impensis testimonium. Ideoque quidquid sumtus & laboris impendit, jure venit ab eo præstandum, quo postulante, dicturus testimonium apud Judicem appellatus est; adeo ut, si verbi gratia, longiori distantia dirimantur tum locus ipsius domicilii, tum locus in quem se se recipiendus est, ut se se coram Judice sistat, neque eo usque pervenire possit, nisi factis aliquibus expensis seu victus, seu vecturæ caussa; aut si profiteatur aliquam artem, atque pro testimonio dicendo necesse fuerit operam diurnam interrumpi; æquum est, eidem afferri ea de re justam compensationem, prout ab ipso Judice fuerit imperata: *Pro labore tamen & expensis factis in ferendo testimonio, justam mercedem potest testis exigere & recipere*; addit Covarruvias, qui in patrocinium suæ sententiæ Adrianum (e) & Medinam appellat. Quod quidem plurimum roboris accipere potest ex comparatione Judicis, cui quamquam incumbat ex officio, jus unicuique gratuito tribuere; licet nihilominus, si aliunde de Principis ærario seu sumtibus publicis sufficiens honorarium non ministretur, justum pro modo laboris atque operæ præmium exigere ac recipere (f).

(e) Adrianus, quodlibet. 10. art. 1. & Joannes Medina, de restitut. q. 15. col. 10. & seq.

(f) L. *Sed & loci*. 4. §. 8. *In judicio*. ff. finium regundorum. l. 10. tit. 1.
Innoc. III. in c. *Cum ab omni*. 10. juncta glossa. v. *Gratis studeantis*. de vita & honest. Cleric. lib. 3. tit. 1.
Bonif. VIII. in cit. c. *Statutum*. ff. *Assessorem*. l. 11. de Rescriptis in 6.

Atque re vera quidem ita declaratur a Bonifacio VIII. in una quadam ex ipsius Constitutionibus, quæ refertur in sexto (g); in qua, postquam constituit, non esse vocandos testes a Judice, nisi tunc cum caussæ status requirit, sic prosequitur: *Sed nec tunc nisi a producente competentes, vocato pro testimonio, veniendo, stando, & redeundo, faciat ministrari expensas*.

(g) Bonif. VIII. in d. c. *Statutum*. 11. §. *Proferendo*. de Rescriptis in 6. lib. 1. tit. 3.

Cui etiam rei consuluerunt leges Civiles, ut colligitur ex Canone, qui citat legem Codicis Justiniani, titulo *de testibus* (h) istis verbis: *Venturis autem ad judicium per accusatorem, vel ab iis per quos fuerant postulati, sumtus competentes ministrentur*.

(h) Citat. can. *Si testes*. §. *Liberi*. 4. q. 3. ex Cod. l. 4.

CASUS CCXV.

Fulcinius vexatum quemdam equum Jacobo de nocte surripuit, quem furtive sic acceptum repentina mors sustulit post horas ab illinc quatuor aut quinque. Obligatur ne ex conscientia, ad pretium illinc Jacobo restituendum?

RESPONS.

Circa propositam difficultatem auctores in contrarias sententias distrahuntur.

Alii quidem dicunt, si res furtiva quæ periit in manibus furis, ex eodem casu quo sublata est, in manibus ipsiusmet proprietarii perinde interiisset; furi non incumbere pretium illius restituere; quoniam, ajunt, quamquam eamdem furando, mortaliter peccaverit; nihil tamen quidquam nec caussæ nec occasionis præstitit, ut eadem periret; siquidem in cujuscumque potestate fuisset, futurum esset haud dubie, ut casu eodem interiret.

Contendunt e contrario alii, eo ipso quo quis rem aliquam injuriose accepit, vel ex ipsa injuriosa acceptione fieri eumdem obligationi restitutionis obnoxium; licet aliunde constaret, etiamsi eam non fuisset furatus, futurum fuisse, ut in manibus proprietarii, perinde ac in manibus furis periret.

Priorem sententiam Covarruvias amplectitur, quæ etiam defensores habet Decium, Jasonem & quosdam alios quos citat; & post expositam alteram opinionem, sic habet (i): *Ego tamen contrariam opinionem veriorem esse opinor in animæ judicio: quippe qui videam ratione naturali furem, raptorem, & denique rei alienæ occupatores teneri tantum Domino injuriam passo restituere damnum, quod per acceptionem iniquam ei illatum fuerit. Hæc etenim est vera æqualitas & justitiæ ratio, ne quis, ex alterius injuria, damnum in propriis rebus patiatur: quod divus Thomas ... & alii Theologi, restitutionis obligationem a jure naturali deducentes, idem præmittunt: quo fit, ut raptor, fur vel violentus rei alienæ occupator, ad rei æstimationem minime teneatur post ejus interitum, si eadem res eodem modo foret apud dominum peritura; nec eam ante interitum dominus esset venditurus*. Et paullo post: *Re peremta penes injustum ejus occupatorem, quique cum injuria & scelere a domino habuit, eodem modo quo penes Dominum fuerit peritura, restitutionis obligationem extingui, etiam quoad æstimationem, probat Textus elegans in lege*, Item si &c.

(i) Covarruvias in Reg. *Peccatum* par. 2. §. 6. n. 1. Et apud eum Decius, & alii.

Cujus tamen Hispani Canonistæ opinioni adhærendum esse non putamus in præsenti materia; quippe quæ furi favens, laxarum opinionum contagionis vicinior aliquatenus esse videatur. Æquiori igitur simul ac tutiori ratione conscientiæ consuletur, si ab ipsa regula quam verbis sequentibus S. Thomas (K) proponit, nullatenus deflectatur: qui rem furtivam accepit, *tenetur ad restitutionem, non solum ratione rei, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis; etiamsi res apud ipsum non remaneat*. Atque ea doctrina laudati S. Doctoris potissimum fulta sacra Facultas Theologica Parisiensis declarat, in 8. suorum Doctrinæ articulorum, nulla adhibita neque exceptione neque distinctione, furem obligari ad rem furtivam restituendam, si etiamnum penes eum exstet: aut si dimiserit, ejusdem justam æstimationem: *Furti, ra-*

(K) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 6. in corp.

ti, rapinæ ..... & aliorum contra justitiam delicto-rum rei .... obligantur ad restitutionem. Quæ ipsissima sunt verba citati articuli (*a*).

(*a*) Art. Doctrinæ S Facult. Theologiæ Par. 1. part, art, 83.

Objici potest: 1. ex jure naturali non importari restitutionis obligationem, nisi cum injuria proximo fuerit irrogata; adeoque furi de quo heic loci agitur, nihil induci restituendi obligationem; siquidem nihil contulerit ad interitum prædicti equi, qui posita nostra hypothesi, ut periit in eo loco in quem (eum Fulcinius adduxerat), eadem ratione in equili Jacobo servatus interiisset. 2. De præsenti casu perinde statuendum esse, ac de eo in quo depositarius aliquis constitueretur, apud quem res deposita periisset ex casu mere fortuito; ut licet probare plurimis legibus de Digesto; atque ex ista comparatione inferendum esse, sicut prædictus depositarius in simili casu non obligaretur ad restituendam ipsius rei depositæ æstimationem; ita furem de quo quæstio est, nullo potiori jure teneri in proposita specie ad pretium equi restituendum. Ea, quantum nobis videtur, quæ possunt in patrocinium Fulcinii vindicari, validiora rationum momenta.

Ad propositam primo loco objectionem respondendum est, vel ipsummet actum prædicti furis in se ipso consideratum juri naturali omnino repugnara, atque vel ex ipso solo ab eo præstandum esse predicti equi pretium; licet præter suam mentem, nihil inde lucri perceperit; adeoque eo ipso quod Fulcinius prædictum equum furatus fuerit, ipsum, nulla distinctione, exceptioneve apposita, omnino teneri ad restitutionem erga Jacobum; quamquam dictum animal, post furtum factum, ex mere fortuito casu perierit: siquidem ex ipsomet actu iniquiori quem commisit, caussam contraxerit, cui quemcumque casum fortuitum præstare teneretur; quoniam, eumdem aliciendo, merito præsumendus sit, in ambiguos quoslibet casus ultro descendisse. 2. Propterea quod, cum obligatio restitutionis, quæ incumbit ei qui rem alienam accepit, tamdiu perseveret, quamdiu proprietarius manet eadem spoliatus; ille censeatur semper esse *in mora solvendi*, juxta isthæc verba legis (*b*): *Semper enim moram fur facere videtur*. Quibus consentit Lex, quæ postremo loco legitur in eodem titulo, ex quo præcedens depromitur (*c*): quod idem etiam fert alia Lex de Codice Justiniani (*d*); quibus legibus aliæ plurimæ possent addi, si necesse foret.

(*b*) L. *In re furtiva*. § 1. ff. de condi ct. one furtiva. lib. 13. tit. 1.
(*c*) L. *Licet*. fin. ff. eod. tit.
(*d*) L. *Ante*, fin. Cod. eod. tit. lib. 4. tit. 8.

Ad alteram objectionem respondetur, plurimum interesse furem inter & depositarium: neque enim peccat depositarius, neque quidquam iniquitatis admittit, acceptando depositum; quin potius amicam operam præstat. Æquitatis igitur est, in eum non recidere rei depositæ interitum, cum sine ejus culpa eamdem perire contingit. At vero, siquidem fur culpam contrahat, & justitiam offendat eo ipso quo furtum facit; eadem justitia exigit etiam, ut quoscumque casus fortuitos quibus res furto ablata perire potest, præstare teneatur: *Si vero ab initio fuit malæ fidei*, inquit Glossa (*e*), *omnino tenetur de casu: etiamsi eodem modo periisset apud alterum*. Quare, quam Covarruvias allegat, ut ejusmodi furem ab omni restitutionis obligatione subducat, prima Lex nihil eum prorsus juvat; siquidem de depositario potissimum, de fure vero nullatenus faciat mentionem; neque possit inter utrumque institui ulla justa comparatio, ut jam jam observavimus. Aliam quoque Legem citat laudatus Canonista, quæ minus etiam quam præcedens, ipsius opinioni favet; siquidem unicum tantummodo casum attingat, in quo ponuntur ii, qui, quam suam esse asserunt, rem aliquam, propria sua auctoritate, incussisque tum metu tum violentia, occupaverunt, neque voluerunt differre, quoadusque Judex ea de re tulerit sententiam: quod quidem ad præsentem difficultatem nihil quidquam facit.

(*e*) Glossa in Leg. *Item si*. 15. ff. de rei vindicat.

Præterea vero juvat addere, istud apud ipsummet Covarruviam rationem obtinere constantissimæ veritatis, obfirmatæ communi S. Thomæ ceterorumque Theologorum omnium consensu, nimirum quod fur seu quilibet rem alienam injuste detinens, quidquid inde proximo detrimenti accedit, restituere teneatur. Porro nonne cum jure plurimo contendi potest, ab ipso Fulcinio aliquid caussæ collatum fuisse ad equi prædicti interitum? siquidem extra omnem dubitationis aleam positum sit, postquam eum furtive accepit, nihil aliud ipsum intendisse, quam in fugam præcipitem se se conjicere, ne deprehenderetur ac furti manifestus teneretur. Jam vero non potuit haud dubie in ejusmodi fugam se se dare præcipitem, quin equum calcaribus acriter agitaret, atque eum vehementer incitaret; adeo ut ea ratione eidem properaverit interitum; siquidem aliunde jam laboraret istud animal morbo, qui eidem virium imminutionem attulerat, & illud efficiebat sustinendis ejusmodi violentis agitationibus minime prorsus idoneum.

Quæ decisio concordat cum doctrina Petri de Ancharano celeberrimi Bononiensis Jurisconsulti ac discipuli Baldi (*f*), Joannis a Medina (*g*) Hispani Theologi, atque Glossæ in duas Leges ibidem ad marginem indicatas (*h*). Quin etiam Legis prioris textus ea de re satis luculentus est, adeo ut superfluum sit ad ipsius interpretationem recurrere: fert namque, eo ipso quo rei alicui restituendæ obligatio inducitur, licet eam perire contingat apud injustum ejusdem possessorem, in ipsum integrum ejus damnum recidere debere: *Quod te mihi dare oportuerat, si id postea perierit, quam per te factum erit, quominus id mihi dares: tuum fore id detrimentum*. Quæ ipsissima sunt verba laudatæ legis. Atqui negari non potest, quin in ipsomet articulo temporis quo Fulcinius equum furatus est, in obligationem venerit ejusdem Jacobo restituendi, & eadem obligatio ad mortem usque prædicti animalis necessario perseveraverit. Ejusdem igitur damnum ac jacturam ferre debet, & restituere proprietario veram ipsius æstimationem.

(*f*) Ancharan. in Reg. *Peccatum*. opposit. 3.
(*g*) Joann. a Medina de restit. q. 6.
(*h*) Glossa in Leg. *Item si*. 15. §. fin. ff. de rei vindicat. lib. 6. tit. 1. Et in Leg. *Quod te*. 5. ff. de rebus creditis si certum petatur. l. 12. tit. 1.

CASUS CCXVI.

Papyrio, viro mediocri prorsus genere prognato, defuncto; Jacobus heres ipsius *ab intestato*, inter res moventes defuncti manuale horologium argenteum pretii quadraginta librarum invenit: at quoniam certissime novit, a Papyrio proprio suo usui numquam adhibitum fuisse prædictum manuale horologium; dubitat num sibi non inducatur in foro conscientiæ obligatio justam ejusdem restituendi pauperibus æstimationem. Numquid ai ipsius Confessarius prædictam obligationem debet inferre?

Respons.

Responsioni, 1. præmittenda est duplicis dubitationum generis distinctio. Primum dubitationis genus, illius est quæ legitimam caussam sibi vindicat. Alterum vero, illius quæ nullo sufficienti fundamento nititur.

2. Præmittendum quoque est principium illud certissimum, scilicet quod *in rebus ad salutem pertinentibus, nefas sit certis incerta præponere*. Quæ ipsissima sunt verba, quibus concipitur sextus articulus Doctrinæ sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis (*i*), quam hausit ex ipsis fontibus S. Augustini.

(*i*) S. Facult. Theolog. Paris. 1. part. art. 6.

Quibus positis, censemus, si Jacobus versetur in dubio, quod nullo sufficienti fundamento nitatur, & persuasum habeat, cum prædicti manualis horologii sit bona fide factus dominus atque possessor, illud idem absque peccato a se se posse retineri, nec obligari se se ad illud restituendum, post adhibitam sufficientem diligentiam, qua possit de rei ipsius veritate evadere certior: ejusdem restituendi nullam ei inducendam esse obligationem. Quæ præsens assertio nostra consentit omnino doctrinæ cujusdam celeberrimi nominis Auctoris, qui loquendo de dubio quod nullum sibi vindicat legitimum fundamentum, quodque *speculativum* appellat; & de dubio cui legitima caussa dubitationis annectitur, quod *Practicum* dicit,

(a) Merbes sum. Christ. 1. tom. p. 2. qu. 167. fol. 615 col. 1.

cit, sic habet (*a*): *Constat apud omnes, eum, qui contra dubium speculativum dumtaxat agit, non peccare, modo contra dubium prædictum nihil agat: Unde qui possidet aliquam rem Dominii titulo, licet dubitet, eam rem suam esse, & ad eum pertinere, tamen non est dubius practicus, quippe qui existimet, in hoc dubio posse justissime eam rem per eum possideri titulo Dominii: nec interim, donec appareat, quod aliena sit, teneri ad restitutionem:* Sic etiam censent Adrianus (*b*) citatus ab Authore laudato, Covarruvias, & Joannes Medina (*c*).

(b) Adrian. in 4. c. de præscription. Quolib. 2. v. Ad primum confirmationem.

(c) Covar. in reg. Possessor. de reg. Jur. in 6. p. 2. §. 7. n. 5. Jo. Medina de restit. q. 17.

(d) Alex. III. in c. Ad aures 6. de præscript. lib. tit. 26.

(e) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2.

Quæ sententia nititur hoc effato generali; nimirum in dubio potiorem habendam esse illius conditionem, qui rem possidet, de cujus proprietate venitur in dubium. *De Jure Canonico, & etiam Civili* (addit Glossa) *melior est conditio possidentis*, inquit Alexander III. (*d*), *potior autem semper est conditio possidentis* (*e*), ait S. Thomas; adeo ut eandem dare, seu vendere possit, modo, quo agitur, dubium emptori, seu donatario ingenue proponat; atque in eo casu possit Partor eam emere, & Donatarius eandem acceptare; si uterque animum inducat, ita fieri licitum esse: *Itaque hanc rem, ratione hujus dubii speculativi bona fide quæsitam, & præmissa diligenti inquisitione, an sit furtiva, necne: poterit is eam alteri vendere, aut donare: modo emptorem, aut Donatarium admoneat hujus dubii, quod ipse habeat: alioquin, si non admonuerit, tenebitur in damnum, quod ex hac emptione, vel donatione, emptori, vel Donatario emerserit* (*f*).

(f) Merbes. ead. col. 2.

At vero si Jacobus in dubio versaretur, quod sibi legitimam causam vindicaret; hoc est, cum fundamento dubitaret, an sibi retinere prædictum istud horologium manuale liceret: nullatenus illud idem posset suum efficere; quoniam tunc contra proprium suæ conscientiæ dictamen ageret. Quod nusquam licitum est, secundum Apostolicum istud dictum (*g*), *Omne, quod non est ex fide*, (id est, ex conscientia ad fidem accommodata,) *peccatum est*. Et in hæc verba S. Thomæ (*h*), textum citatum S. Pauli interpretantis: *Omne, quod est contra fidem, vel contra conscientiam, peccatum est: etsi ex genere suo bonum esse videatur*. Et alibi (*i*). *Quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra Legem.*

(g) Rom. 14. v. fin.

(h) S. Thom l. 3. in cit. c. in fin.

(i) Id. quodlib. 8. art. 13.

Ad cujus principii normam Jacobus in proposita specie propriam suam conscientiam, ipsius vero Confessarius suam decisionem debet exigere.

CASUS CCXVII.

CANDIDIANUS locuples Rusticus, volens, quo suus secundus filius ardebat, studio sequendi vitæ Religiosæ institutum in quodam Religiosorum mendicantium Monasterio plurimum favere, atque obsecundare: pactus est cum superiore, & Religiosis, qui jure suffragii gaudebant in Capitulo, futurum, ut ante professionem Religiosam ab eo emissam, 2500. libras Monastorio afferret, præter summam 300. librarum persolvendam pro integro anno probationis ipsius: quæ quidem omnia fuit, licet cum plurimis conscientiæ stimulis, executus.

Numquid tum prædictus superior, tum ipse Religiosorum Conventus ex conscientia obligantur, ad præfatam summam restituendam, & eandem ne debent ipsi Candidiano rependere?

RESPONS.

Est hoc generale principium, neque ulla ratione controversum, scilicet quoties aliqua pecuniæ summa nullo prorsus jure debita recipitur, toties ejusdem restituendæ induci obligationem: atqui certissimum est, neque præfato superiori, neque memorato Religiosorum Conventui ullum jus succurrisse, quo legitime possent, quas iisdem promiserat, recipere 2500. libras a Candidiano: siquidem easdem ipse prædicto Conventui neque gratuito, neque simpliciter ex animo benevolo largiretur, sed ea tantummodo adjecta conditione, quod suus filius ibidem ad solemnem votorum nuncupationem admitteretur, atque ita ageret adversus id, quod non solum institutis Ecclesiasticis strictius interdicitur: sed ipsis etiam verbis Domini nostri tantopere commendatur (*k*), *Gratis accepistis, gratis date*, quibus

(k) Matth. 10. 28.

significatur, quodcumque spirituale est, qualis est Religiosa Professio, gratis prorsus esse concedendum. Ergo Monasterium, cui prædicta summa injuste accessit, obligatur necessario, ad eandem restituendam.

Verum ista restitutio nullatenus debet in utilitatem ipsius Candidiani vergere, siquidem, ut in proponenda specie observatur, suam pecuniam mala fide rependerit, ex acerbissimis illis conscientiæ stimulis, quos experiebatur, & ex quibus peccati reatum contrahebat, quod iisdem nihil quidquam obstantibus, rem admitteret tum contra propriam suam conscientiam, tum contra eam qua inbuebatur, notionem Ecclesiasticorum Institutorum, quibus eadem ei severe omnino interdicebatur. Est ergo restitutio prædicta vel pauperibus eroganda, vel in pios aliquos usus impendenda, absque eo quod nec superiori, nec Religiosis ullatenus liceat, privata sua authoritate, de eadem quidquam in utilitatem sui Conventus subducere; quippe foret iniquum, eos, utpote tanti criminis conscios, in ejusmodi casu propriæ suæ causæ sese constituere Judices.

Atque quæ huc usque ea de re habuimus doctrinam S. Thomæ, cujus propria verba referuntur alibi, sibi vindicant omnino consentientem: Aliter vero determinandum esset, si Candidianus bona sua fide fuisset adjutus, hoc est, existimavisset, sibi licere, offerre prædictas 2500. libras, absque ullius simoniæ periculo, ut omnino contingere potest imprimis viro Rustico, qui non ea novit, quæ pertinent ad Instituta Ecclesiastica, & cui ex officio nulla ratione incumbit, de iisdem erudiri: in eo namque casu, atque in aliis, quotquot ejusmodi possunt occurrere, ei potissimum restituendum est, a quo pecunia tradita fuit; ut idem asseri de eo potest qui, receptis quinquaginta duplionibus aureis, ut iniquis vexationibus desisteret, quibus intendebat Beneficiarium aliquem opprimere: ipsi eidem Beneficiario prædictam restituere summam tenetur: propterea quod licite posset eandem illi donare, ut sese ab iniquiori vexationum hujusmodi ratione subduceret: quamquam qui eam receperit, ejusdem percipiendæ nullo jure fuerit gavisus.

CASUS CCXVIII.

AUDRIA mulier vidua, mater quinque liberorum, quorum secundus adulterinus est, cum sese urgeri periculosissimo morbo adverteret, nec posset istud adulterinum exhæredare, quoniam lege prohibetur: statuit eos omnes ad sese accersere, atque in animum inducens, futurum ut ea potissimum ratione valeat propriæ suæ conscientiæ consulere, eandemque levare ab onere injustitiæ, quam cæteris quatuor irrogabat, si dictus adulterinus cum iisdem veniret in æquam portionem hæreditatis, eos sic affatur: Equidem vos omnes ipso jure naturæ tanquam filios meos, ipsa peperi, amore complector: at vestrum unus est, quem, fervente ipsa juvenili ætate, infeliciter enixa sum ex adulterio: Jam agite inter vos; atque communi consilio deliberate, num placeat, ut, quis inter vos ille sit, indigitem: an potius expediat, ut mutuam injuriæ condonationem, quam ex adulterina prole cæteri sunt accepturi, vobis invicem indulgeatis. Quibus inopinatis verbis omnes pariter perculsi, communi consensu constituunt, magis expedire, ut Mater non manifestet adulterinum, ipsi vero consentiant sibimetipsis indulgendæ mutuæ damni, quod quatuor legitimis emerget, ex dividenda in partes æquas hæreditate condonationi. Numquid non ea ratione Audriæ conscientia coram Deo liberatur?

RESPONS.

Alciatus (*l*) narrat, tentatam olim fuisse a muliere quadam vidua prædictam rationem, ut, quæ sibi inducebatur, damni restituendi filiis filiis legitimis, quod accepturi erant ex dividenda cum adulterino, quem ipsa pepererat, hæreditate, obligationi satisfaceret: quam cautionem plurimum ipse comprobat, atque habet ejusmodi, ut inde conscientiæ matris ipsius sufficienti ratione fecisse consultum, omnino ei videatur.

(l) Alciat. l. 3. de præsump. l. 9. de paner. c. 12.

Nihilominus potiorem habendam esse ducimus sententiam Celeberrimi Covarruviæ Hispalensis Episcopi, opinione ipsius Alciati. En quibus potissimum verbis ipsimet suam proponit decisionem: *Nec mihi placet cautela, qua usam fuisse viduam quamdam refert Andreas Alciatus .... ea quippe vidua, cum plures liberos haberet, quorum unus esset adulterio conceptus: eis accersitis ad mortem veniens, dixit: Filii mei, unus vestrum natus est ex adulterio: & ideo bona Mariti mei detinet indebite; ego vero priusquam ex hac vita migrem, ne moriar in hoc peccato, eum vobis nuncupare intendo, nisi vos invicem remiseritis omne jus, quod habet alter adversus alterum. Tunc filii, cum quilibet de se ipso dubitaret, mutuo se ipsos ab eo onere absolverunt, & liberarunt, jusque invicem sibi remiserunt. Nam licet ejusdem cautelæ meminerit Joannes Major* (a); *tamen per eam minime tollitur damnum illatum ex adulterio, nec fit liberatio sufficiens.* Eam vero rationem subdit Eruditus Episcopus his verbis: *Siquidem mutua hæc absolutio spontanea non est, sed coacta: is etenim filius, qui legitimus est, nullum ex ea commodum habet, sed damnum patitur; nec id remisisset, si certo sciret, alterum fratrem adulterio conceptum fuisse: imo coactus metu, ne forsan ipse a matre spurius manifestaretur, eidem liberationi consensit, qui consensus sufficiens non est* (b).

(a) Jo. Major. in 4. dist. 15. q. 17.

(b) Covarr. to. 1. relict. c. Peccatum de reg. Jur., in 6. part. 1.

Atque revera quidem duplex ille metus tum plurimi dedecoris adeundi, tum hæreditatis amittendæ, sic censendus est juniores animos afficere, ut inde nihil ejusdem relinquatur libertatis, in indulgenda sibi invicem mutua condonatione; quippe manifestum sit, si iis, qui legitimi sunt, ipsius rei veritas innotesceret, futurum ut penitus abstinerent ab exhibendo ejusmodi consensu.

Quæ nostra opinio plurimum confirmari potest: 1. Ex istis verbis Glossæ (c) *metus continet in se vim*. 2. Ex sequenti dicto Alexandri III. (d), quo præcedenti principio roboris & authoritatis multum adjicitur: *Quæ metu & vi fiunt, debent in irritum revocari*. Atque ex iis, quæ Glossa habet in Decretalem laudati summi Pontificis (e): *Si quis per metum amissionis rerum suarum aliquid faciat ... potest repetere quod tali modo fecit, vel abjuravit: & intelligatur de talibus rebus, sine quibus vita corporis amittitur, vel patitur gravem jacturam*. 3. Ex testimonio Authoris Glossæ in quemdam Canonem, quem Gratianus attribuit S. Alexandro, quantum ad nominis appellationem. Primo (f); qui sic ait. *Canon hic tria æquiparat, vim, metum, & fraudem*.

(c) Gloss. in c. Super eo 4. de Renunciatione l. 1. tit. 9. v. Metu

(d) Alex. III. in c. Abbas 2. de iis, quæ vi metusve causa fiunt l. 1. tit. 40.

(e) Gloss. ib. v. Constitu.

Gloss. ibid. v. Per metum.

(f) Alex. I. in can. Si quidquid. 1. 15. q. 6.

CASUS CCXIX.

Desiderius cum constitueretur irregularis *ex delicto occulto*, ab ordinario collatore obtinuit, sibi provideri de cura S. Godardi, de qua per binos annos percepit reditus, atque pensiones, licet nullam in eadem servaverit residentiam, neque vel etiam, per totum illud spatium temporis, Breviarium recitaverit. Obtulit deinde summo Pontifici suam supplicationem, in qua fateri atque exponere erubuit tum suæ residentiæ defectum, tum recitationis Breviarii prætermissionem; ibidem enunciata tantummodo irregularitate, qua ligabatur, ac postulans, sese in integrum restitui, sibique simul indulgeri fructuum condonationem. Quod ultro concessit summus Pontifex.

Num, quantum ad conscientiam, tutus est atque securus?

Respons.

Liquet vel ex ipso solo propositæ quæstionis textu, a præfato Desiderio recta conscientia percipi non potuisse reditus de cura S. Godardi; atque ita tribus, iisque diversis, potissimum de causis.

Prima quidem: quod constitueretur irregularis ex delicto, priusquam de eadem ei provideretur.

Secunda, quoniam in prædicta cura non habuit residentiam, ibidem officiis, quæ Parochum decent, functurus ea ratione, quæ ei incumbebat, & sub pœna integræ fructuum restitutionis.

Tertia: quia prætermisit Breviarii recitationem, ad quam, sub eadem pœna restitutionis, obligabatur. Atqui nonnisi primam causam exposuit in sua supplicatione, cæteras vero duas prorsus reticuit, quæ tamen majoris culpæ reatum importabant, ipsumque postulata gratia reddebant prorsus indigniorem, & ad eandem concedendam summum Pontificem effecissent procul dubio difficiliorem: quod igitur obtinuit, subreptitium est, atque nullius effectus, rescriptum. Sic verbis expressis determinatur ab Innocentio III. scribente ad Pictaviensem quemdam Canonicum: *Nos igitur*, inquit laudatus Papa, *inter eos, qui per fraudem, vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem, vel ignorantiam litteras a nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam, nullum ex istis litteris commodum consequantur*, &c.

Cui decisioni luminis ac roboris plurimum addit illius comparatio, qui vinculo trium variarum simul excommunicationum innodatus est, in quas diversis ex causis incurrit; si namque tantum petierit, a prima excommunicatione sese absolvi, nullo injecto verbo de cæteris duabus, constat, quanquam a prima excommunicatione absolvatur, remanere tamen eum tum secundæ, tum tertiæ vinculo ligatum, donec ab iisdem quoque de integro fuerit absolutus; ut monemus alibi, cum de prædicta censura sermonem ex professo habemus; ac quemadmodum verbis expressis definitur ab Innocentio III. in una quadam ex ipsius Decretalibus, quam inscribit Archiepiscopo, Decano, & Præfecto cantorum de Ecclesia Lugdunensi (g), in qua declarat, quemdam Archidiaconum *ob duplicem causam excommunicatum*, a quo nonnisi una tantum excommunicatio fuerat enunciata, manere semper excommunicatione ligatum, propterea quod duplicem causam, ob quam in prædictam censuram incurrerat, non enunciavisset. Cujus rei rationem istam profert Author Glossæ, *quia per subreptionem absolutio est obtenta* (h), & deinde sic subjicit: *Quot enim sunt excommunicationes, tot debent esse absolutiones, sicut quot sunt accusationes, tot & absolutiones*.

(g) Inn. III. in c. cum pro causa 17. de sent. Excom.

(h) Gloss. in cit. c. v. Tanquam

Licet etiam ea de re adhibere comparationem alicujus, qui trium diversæ pecuniæ summarum debitor est, quique, ut condemnetur ad solutionem primæ summæ, apud Judicem appellatur: licet enim eidem, numerata præsenti pecunia, satisfecerit, quin etiam, si sic supponere velimus, ipso præsente Judice, a quo consequenter ea de re solutus ac liberatus juxta judiciarias formulas sit declaratus, remanet nihilominus ex alia duplici causa in ære alieno, donec duas alias superstites summas dissolverit, eodemque modo fuerit iisdem solutus ac liberatus, ut observat celeberrimus Jurisconsultus Paulus (i): *Cum eadem res ab eodem mihi debeatur, singulas obligationes singulæ causæ sequuntur, nec ulla earum*, scilicet *obligationum, vel causarum*, addit (k) Glossa, *alterius petitione vitiatur*.

(i) In L. Eadem 14. §. 2. ff. de except. rei judicatæ l. 44. tit. 2.

(k) Gloss. ib. v. Earum.

Est ergo eadem ratione de Desiderio judicandum, ac definiendum; siquidem fructus de cura S. Godardi suos efficere jure non potuerit, ob triplicem, eamque diversam causam, cujus de prima tantummodo in sua supplicatione apud summum Pontificem sermonem habuit: neque etiam ab eo potuisse veram obtineri eorumdem condonationem, eumque, quantum ad eam rem, remansisse eadem, qua antea, vinculi conditione ligatum: hoc est eorumdem restituendorum obligatione. Cui sententiæ Navarrus adhæret (l), eamque probat plurimis tam Canonici, tum Civilis Juris textibus: atque multis rationum momentis, quorum istud potissimum est, quod scilicet ejusmodi rescriptum subreptitium sit, in eo quod Desiderius reticuerit duas maximi momenti causas, quæ quidem enunciatæ simul cum prima prorsus obstitissent, ne summus Pontifex prædictam fructuum condonationem annueret, aut eum saltem reddidissent, ad eandem concedendam, difficiliorem; ut jam dictum est: atque revera quidem non est, unde merito conjiciatur, fructuum condonationem, quæ ei fuit a summo Pontifice indulta quantum ad defectum legitimi tituli; sese extendere ad duas alias causas: quippe quæ nulla ratio summo Pon-

(l) Navar. l. 2. consl. 15. n. 5. & 6.

Pontifici innotuerint, adeoque in easdem nullatenus potuerit intendere.

Istud igitur Desiderio potest ad summum concedi, nimirum quod vi rescripti, quod obtinuit, incœperit fieri novus prædicti Beneficii legitimus Titularis, & ejusdem fructus facere suos pro tempore futuro ab ipsa die numerando, qua ei a summo Pontifice præfata gratia indulta est; at quantum ad fructus jam ab eo nullo jure perceptos, eos non possit, nisi novo alio legitimo rescripto accedente, sibi vindicare.

Neque propterea existimamus, ut nostrum adoptandum esse illud, quod acutius, quam verius Navarrus excogitavit, nimirum siquidem Beneficii vacantis fructus futuro successori cedere consueverint, & Desiderius vi sui rescripti quodammodo sibi succedat, aut saltem ultimo Titulari, eosdem posse ab eo legitime retineri: Primo namque, ratio, qua Canonista laudatus innititur, usui passim in Gallia recepto penitus adversatur. Secundo, quoniam alioquin Desiderius ex propria sua fraude, atque injustitia commodum perciperet: quod & ab ipsa æquitate alienum est, & ab illo juris effato, quod autores habet Innocentium III. & Lucium III. quo sic fertur (*a*), *Fraus & dolus alicui patrocinari non debeat.*

(*a*) Lucius III. in c. Adversus 7. de Immunitate Ecclesiasticarum l. 4. t. 49. Innoc. III. in c. Officii. 14. de test. & in c. Cum dilectus. 8. de Religiosis Domibus.

CASUS CCXX.

Anatolius, qui furtive surripuit 500. libras Henrico Abbati Commendatario de S. Paulino & parem pecuniæ summam Gordiano Patri familias, utramque prædictam summam vult & potest restituere; at in dubio est, num iisdem ipsis debeat istam exhibere restitutionem. Ratio est, quia totus uterque ab annis pluribus incumbit in exhauriendas res suas lautissimis epulis, venatione, lusione, atque omni Luxuriarum omnium genere; quin etiam iidem ipsi mutuam undequaque pecuniam sibi conquirunt, ut habeant, unde possint in impensas prorsus insipientes, profusioresque dissolutiones pro more consueto abire, absque eo quod spes affulgeat, futurum ut, quam eis animo habet restituere, collocent utiliori ratione pecuniam. Quid in ista rei circumstantia eum agere potissimum opus est?

RESPONS.

Quemadmodum non expedit ei restituere gladium, qui præsumitur eodem usurus, ad occidendum aliquem, aut alicui vulnus infligendum; eodem modo videtur, determinandum esse quantum ad propositum casum. Siquidem etenim Anatolius restituendo 500. libras prædicto Commendatario Abbati, rationem eidem offert, istam summam impendendi in nefarios abusus; easdem debet potius Ecclesiæ restituere, vel erogare Pauperibus, utpote Beneficiarius Ecclesiasticorum redituum sit solummodo dispensator, & eosdem Ecclesiasticos reditus soleant SS. PP. appellatione patrimonii Pauperum designare: *Si Prælatus est dilapidator rerum Ecclesiæ*, inquit Cajetanus (*b*), *&, experientia teste, dilapidavit etiam hæc: non ei, sed illi Ecclesiæ, quæ est vera Domina, restitutio in foro conscientiæ fieri potest, & debet.*

Cui sententiæ, quam propriam suam facit, Navarrus (*c*) addit: *Convertendo restituendas res in utilitatem illius Ecclesiæ, habito, si fieri commode potest; (ut servetur etiam omnis justitiæ modus), consensu superioris.* Quod idem (*d*) docet Merbesius.

Idem quoque definiendum est circa restitutionem, quæ debetur Gordiano: nam cum sit profligator, & totam rem suam inique adeo diffunditer; debet Anatolius illius uxori, si prudens atque sapiens ipsa fuerit, 500. libras restituere: *Quid, si ipse Dominus sit rerum suarum dilapidator*, inquit Gaugericus in Cajetanum (*e*), Navarris vestigiis insistens, *eritne tunc res sua ei restituenda? Respondendum est, restitutionem eo casu posse, imo debere fieri uxori illius.* Atque rationem istam memoratus Hispanus Autor proponit, quia *deficiente viri prudentia circa rem Domesticam, pertinet ad uxorem de bonis communibus disponere.* Adhibita tamen sequenti exceptione: *Si tamen id fiat, ut quoad esse potest, caveatur omnis perturbatio regiminis Domestici*, si nimirum contingeret rem istam ab ipsius marito rescisci. Verum in proposita eo loci specie non est, unde timeri possit hujus generis perturbatio, quinque secreto prorsus fieri possit prædicta restitutio. Quam eandem opinionem Merbesius (*f*) amplectitur: *Marito enim*, inquit, *familiam sua prodigalitate labefactanti; succedit mulier in administratione familiæ, modo nihil obstet: & regiminis Domestici perturbatio caveatur.*

(*b*) Cajet. in summa, v. Restitutio c. 4. n. 2.

(*c*) Navarr. Man. c. 17. n. 29.

(*d*) Merbes, to. 1. p. 2. q. 184 Conc. 1.

(*e*) Gauger. v. Furtum. tit. quibus casibus liceat uxori &c.

(*f*) Merbes loco cit.

CASUS CCXXI.

Alfierus Diaconus annum ætatis suæ vigesimum tertium agens cum sex mensibus, cum de Beneficio. Cura ei provisum fuisset, non curavit, ad sacerdotium sese intra annum promoveri, & prædicto Beneficio perrexit gaudere, illiusque reditibus ac fructibus per aliud integrum bienium potiri; quo tempore elapso illud idem in Curia Romana resignavit in favorem Renati sui fratris Sacerdotis, & Parochi de alia quadam Parœcia tenuioris admodum reditus. Qua de re habetur quæstio: 1. Utrum Alfierus prædictam resignationem potuerit in favorem sui fratris valide conficere: atque utrum post elapsos prædictos tres annos de memorato Beneficio Canonice fuerit Renato provisum? 2. An ei non incumbat ex debito conscientiæ, quos de præsata Cura percepit, integros fructus restituere?

RESPONS.

Ut proposita primo loco difficultas expediatur, scire operæ pretium est, tertium Concilium Lateranense habitum sub Alexandro III. (*g*), & relatum in Capite, *quia nonnulli*, jubere, ut ad ejus generis Beneficium *talis persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere: quod si aliter fuerit ...... quod contra sanctos Canones accepit amittat.* Gregorius X. cum adesset Ludgunensi Concilio (*h*), Lateranense Decretum confirmavit, ac voluit, ut quæ in eorum gratiam, qui nondum annum 25. attigissent, præstitæ essent, Beneficiorum CurarumCollationes ipso jure viribus omnino carerent, quanquam nulla præcedens accessisset monitio, & absque eo, quod opus esset sententia Judicis: ut observat Joannes Andreas (*i*): *Determinas, collationes de Parochialibus Ecclesiis, his, qui non attigerint 25. annum de cætero faciendas, viribus omnino carere.* Quæ præcedentia duo Decreta Concilium Tridentinum (*K*) authoritate sua firmat atque comprobat; præcipitque, ut collatio quæcumque: non obstante interdictio, quod in prædictis Decretis continetur, confecta fuerit, nullius omnino nec roboris sit, nec effectus: *Aliter autem facta collatio, sive provisio omnino irritetur.* Ex quibus sequitur, siquidem Alfierus posset sacrum Presbyteratus ordinem suscipere post sex menses, a collata sibi Cura, & neglexerit non modo intra primum annum pacificæ suæ possessionis ad sacerdotium promoveri, sed præterea per duos etiam alios annos Beneficium sibi retinuerit: dicendum esse, eum eodem privatum evasisse *ipso jure*; & absque eo, quod, ut eodem spoliaretur, opus fuerit, quantum ad forum conscientiæ, ulla monitione præcedenti, neque ulla declaratoria sententia, adeoque nullo jure eum gavisum fuisse, quo potuerit illud idem via simplicis Resignationis transferre ad Renatum, cui proinde de eo prædicta ratione non fuit legitime provisum.

Quod pertinet ad alterum quæsitum, censemus: 1. Alfierum obligari ad fructus, quos de Beneficio per duos annos posteriores recepit, omnino restituendos, quippe ejusdem non extiteeit legitimus Possessor: 2. Quin etiam ad eos restituendos, quos per primum annum percepit, si de eodem Beneficio sibi concessas provisiones eo fine, atque animo acceptaverit; quod intra annum ad Presbyteratus ordinem non ascenderet: cum æquitas non patiatur, quidquam utilitatis ei ex propria ipsius fraude accedere; quam commisit, acceptando scilicet cum mala fide, quæ ei de prædicta Cura Provisiones offerebantur.

Ita decidit Bonifacius VIII. (*l*), qui sic habet: *Si promoveri ad Sacerdotium non intendens, Parochialem*

(*g*) Conc. Lat. III. sub Alex. III. c. 3. in c. Quia nonnulli 4. de Cler. non resident. l. 3. tit. 14.

(*h*) Greg X. in 2. Conc. Lugd. in c. Licet. 14. de elect. in 6.

(*i*) Jo. Andr. in Gloss. ad cit. c. Licet. v. Ceno.

(*K*) Conc. Tr. sess. 7. c. 3 de refor.

(*l*) Bonif. VIII. in c. Commiss. 35. de elect. in 6.

lem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus, (nisi, voluntate mutata, promotus fueris), teneberis ad restitutionem fructuum eorundem, cum eos receperis fraudulenter.

Advertendum autem est, de industria a nobis addita fuisse isthæc verba: *Si Alfierus neglexerit ad Presbyteratus gradum intra annum ascendere, eum evadere proprio suo Beneficio* IPSO JURE *spoliatum*; Constat namque, si nequivisset ex aliquo legitimo impedimento promoveri ad sacerdotium (*a*), puta vel ex aliquo morbo, qui tempore Ordinationis eum corripuisset, vel ex absentia Episcopi; futurum profecto ut Beneficio suo non caderet; ut declarat laudatus Papa in allegata jamjam Constitutione, cujus en ipsissima verba sunt: *Annus autem hujusmodi, (qui a tempore illo incœpit, quo ipsius regimen commissum tibi extitit, & possessionem ejus pacificam, habuisti; vel per te stetit, quominus haberes eandem,) tibi non currit, si promoveri justo impedimento detentus, infra tempus hujusmodi nequivisti.*

(*a*) Gloss. ib.

Quæ rationum momenta non indigent roborari suffragio Canonistarum; qui omnes uno ore, quam proponimus ibidem, doctrinam passim laudant atque prædicant, ipso Navarro testante (*b*). Istis tamen juvat iterum aliud annectere, quod profert Felinus, qui ait, eum, qui in eo, quo Alfierus, casu constituitur, hoc est, qui absque ullo titulo per biennium aliquo Beneficio gavisus est, posse cum eo comparari, qui ad ejusmodi Beneficium obrepisset. Porro qui per vim occupavit aliquod Beneficium, fructus ejusdem Beneficii nunquam potest suos efficere: ergo tenetur omnino Alfierus, ad restituendos fructus, quos recepit, eadem prorsus ratione, qua obligaretur, ad eandem restitutionem, qui contra Leges Beneficium aliquod adeptus fuisset.

(*b*) Navar. h. t. Conf. de rescr. Conf. 12. n. 9. & 10.

CASUS CCXXII.

EMERICUS cum recepisset præstationem decem millium librarum octo diebus antequam nummi de pretio suo decederent, & adverteret, inde sibi plurimam istius pecuniæ diminutionem imminere: prædictam summam convertit apud quemdam Negotiatorem argentarium in Chartaceas Schedas a tribunis ærariis persolvendas. Justinus vero, qui quantum conjicere est, de pecunia quadam ingenti solvenda, quam debebat, urgebatur, conditionem illi tulit, prædictarum Chartacearum schedarum juxta eum, qui iisdem intrinsece affixus erat, valorem accipiendarum, ac de iis certi cujusdam fœnoris ei afferendi pensionis annuæ 500. librarum: quanquam tunc temporis jam ejusmodi Schedis Chartaceis sic inciperetur subdiffidere, ut earumdem pars usque tertia amitteretur. Emericus nesciens, qua potissimum ratione collocare posset suas Chartaceas Schedas absque notabili illarum detrimento, conditionem sibi factam a Justino ultro acceptavit, & contractus fœnoris coram Notariis confectus est, cujus pensionem Emericus per biennium integrum percepit. Justinus, in sese alieno ære expediendum, prædictas Chartaceas Schedas impendit: sed postmodum omni asseveratione affirmavit Emerico, sibi damnum emersisse ad tertiam usque earumdem partem: eumque rogavit, ut vellet ei justam ea de re afferre compensationem. 1. Emericus obligaturne, ad fidem ipsius Justini dictis habendam? 2. Eine incumbit, quam ab eo petit, justam afferre damni compensationem, 500. libras, quæ in ipsius fœnoris contractu enunciantur, ad earundem usque partem tertiam penitus recidendo? 3. Debetne, eandem ob causam acceptam ei referre tertiam partem 1000. librarum, quas pro pensionibus duorum prædictorum annorum ei attulit?

RESPONS.

De proposita difficultate parum convenit apud omnes Doctores: Habent plurimi Chartaceas ejusmodi Schedas, quasi speciem mercis quandam; cujus æstimatio de pretio, quod eidem inesse consuevit juxta communem usum, ac de damno, quod iis accedit, qui illam emerunt, potissimum desumenda est: atque juxta, quam sequuntur, opinionem, Emptori nullatenus incumbit, quidquid inde lucri potuit ex industria sua colligere, restituere.

Aliis placet alia de ea re sententia: & contendunt, ejusmodi lucrum habere fœnoris non legitimi rationem: neque potest iri inficias, quin istorum posteriorum opinio, quantum ad conscientiam, tutior sit: siquidem justitiæ, quin etiam ipsi naturali juri prorsus adversetur, aliquem, cum injuria proximi, atque ex alieno damno, fieri locupletiorem: *Jure naturæ æquum est*, inquit regula juris Romani, *neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem* (*c*). Cui jus Canonicum totum ea de re consentit: ut colligitur ex sequenti Regula, quæ authorem habet Bonifacium VIII. *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura* (*d*). Quo posito.

(*c*) Reg. 106. ff. de diversis reg. Juris antiqui.

Respondemus posteriori isti sententiæ plurimum adhærentes: 1. Si Emericus dederit argentario Negotiatori prædictam 10000. librarum pecuniam pro una, vel plurimis Chartaceis Schedis continentibus eandem summam, & juxta affixum iisdem valorem intrinsecum acceptis; ab eo potuisse, (siquidem nihil inde ad eum lucri redierit) easdem fœnori dari Justino, constituta 500. librarum annua pensione: quod fœnus Edicto consentaneum est quantum ad usuras, quæ constituuntur in possessionibus privatorum: atque si Justinus deinde jacturam aliquam de prædictis Chartaceis Schedis ex earumdem usu passus fuerit: non imputandum esse ulli culpæ Emerici, cui proinde nulla obligatio inducitur, quidquam ea de re Justino præstandæ compensationis.

(*d*) Reg. 48. de reg. Juris in 6.

2. Verum, si Emericus ab argentario Negotiatore receperit, verbi gratia 15000. libras in Chartaceis Schedis, sub eo nempe prætextu, quod tunc temporis damnum de iisdem emergeret ad tertiam usque earumdem partem: æquum non esse, ei accedere lucrum tertiæ istus partis in damnum Justini, qui eandem tertiam earum partem amisit: modo de jactura constet, aut etiam Emericus ex legitimis rationibus persuasum habeat, ab eo damnum istud acceptum fuisse. In eo igitur casu tenetur, ad reparandum damnum, quod Justinus passus est, & de quo querimoniam habet, sive de constituto fœnore 500. librarum resecando tertiam partem, perinde ac de 1000. libris, quas pro pensionibus duorum annorum percepit: sive quamcumque ei refundendo aliam ejusdem damni compensationem.

3. Si Justinus nequiverit Emerico, quam supponit sensisse de tertia parte valoris intrinseci prædictarum Schedarum, jacturam facere perspectam atque exploratam, Emericum non obligari summo jure servato, ad fidem ipsius dictis habendam: nisi ipsemet ex gravissimis aliunde rationum momentis convincatur, Justinum in eo nihil loqui, quod a veritate sit alienum.

3. Tandem, si Emericus receperit 15000. libras in Chartaceis Schedis pro decem millibus librarum pecuniæ præsentis, quam Argentario Negotiatori rependit, & easdem Schedas absque damno collocaverit, & nihil ei obligationis importetur quantum ad Justinum, teneri tamen eum ad restitutionem tertiæ prædictæ partis erga eum, qui damnum istud receperit, si possit innotescere; vel si ignoretur, ad prædictam partem aut pauperibus erogandam, aut in alios pios usus conferendam.

RESPONS.

HILDEBALDUS filius familias rixatus cum Henrico, sic ei fustem in caput impegit, ut necesse fuerit, calvariam ipsius a Chirurgo terebra perforari, &, post octo, decemve dies, prædicto vulnere decesserit. Quod infortunium ubi pervenit ad aures Framburgi Patris Hildebaldi, & eidem renunciatum fuisset, agente muliere vidua Henrici, comprehensionem ipsius filii jam a Judice decretam fuisse, atque contra eum fiduciaria sententia eidem ducentas libras fuisse adjudicatas: ipse suo filio fugam aperit, ne comprehendatur, & pœnas luat homicidii. Qua de re prædicta vidua jubet, ipsummet Framburgum apud Judices venire, & contendit, eum condemnandum esse, ad prædictas 200. libras non tantummodo solvendas, sed etiam ad refundendas tum ipsius operæ Chirurgi mercedem, tum fune-

funerarias impensas, Framburgus poteſtne repellere actionem in ſemetipſum inteotam in judicio, ut ſeſe ſubducat ab obligatione ſolvendi, quæ proveniunt ex delicto ſui filii, impenſas: atque ſi contingat, eum a Judice litis iſtius, quam ei vidua præfata intulit, cundemnari, ad eaſdem perſolvendas: poteſt-oe recta conſcieotia, & remota omni iujuſtitia, tum ipſam executionem judicis, tum prædictarum impenſarum ſolutionem declinare?

Respons.

Jore tam naturali, quam Divino interdicitur, ne recidat in Patrem culpa filii. Ita docet Scriptura ſacra (*a*), quæ ſic habet: *Anima quæ peccaverit, ipſa morittur: Filius non portabit iniquitatem Patris; neque Pater iniquitatem filii. Juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum.*

(*a*) Ezech. 18. 20.

Atque eo potiſſimom principii fundamento fultua Alexaoder III. (*b*) declarat, Patrem ad nullam pecuniariam mulctam obligari, propter homicidium ſactum ab ipſius impubere filio, quæcumque obtineat contraria conſuetudo. Unde ſequitur a fortiori, eum minos etiam teneri ad ejuſmodi mulctam, ſi factum fuerit homicidium ab ipſius filio, qui ſit ætate provectior. Eaqae etiam de cauſa prohibent Romanæ Leges, ne puniatur filius ob delictum Patris, ac conſtituunt, ut qui culpæ conſcius eſt, ſolus pœnam ferat, quam ex nefario ſuos actu ſibi paravit: *Namque unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur* (*c*): inquit Calliſtratus in Lege. Judex ergo non poteſt niſi ſolum Hildebaldum condemnare ad ſolutionem pecuniæ, quæ ex fiduciaria ſeotentia viduæ adjudicata ſuit, & ad refundendas impenſas, damni compenſationes, atque intereſſe, quæ poſtulata ſunt ab eadem vidua, & ad ſubeundam pœnam capitalem, quæ venit ipſi homicidio, quod fecit, juxta Leges rependenda.

(*b*) Alex. III. in c. Referente, fin. de de lictis pueror. l. 5. tit. 23.

(*c*) L. Crim. 26. ff. de pœnis l. 48. tit. 19.

Neque juvat, quod Framborgus fugæ ſui filii conſuluerit, & objiciatur, eum prorſus obligari ad eumdem exhibendum, aut ad impenſas, litis acceſſiones, atque intereſſe illius vice perſolvenda; ſiquidem vel ex ipſo naturali jure licitum ſit Patri, quio imo Patris officium ſit, providere tum ſaluti, tum libertati proprii ſui filii: aliunde vero iſte ipſios cuſtodiæ non fuerit a Judice commiſſus, cum ooere ejuſdem repræſeotandi.

Quod manifeſtum omnino fecit Jnlianus Peleus io ſuprema Pariſienſi Curia Patronus (*d*) ex Arreſto quodam ejuſdem ſupremæ Curiæ pronunciato, 4. Septembris 1604. in ſimili cauſa, pro Joanne Bobie, cujus cauſam deſendendam ſuſceperat, & cui vidua Joanois Cadet intendebat imputare immoderatas injurias, atque verborum contumel as ſoo propr o marito inflictas a Jacobo, & Georgio Bobie, filiis prædicti Joannis, qui omnimode ſolutus, atque immunis tum ab iiſdem injuriis, & contumeliis, tum ab ipſa morte, quæ ſuerat ſubſecuta, memorato Arreſto pronunciatus eſt, atque declaratus.

(*d*) Quæſt. Illuſt. q. 4.

LEANDER, &c.

Vide.

- *Emptio.*
- *Adulterium.* CASUS.
- *Advocatus.* CASUS. { CAMILLUS. SALLUSTIUS. LENTULUS. POMPONIUS. }
- *Dux.*
- *Contractus.*
- *Compenſatio.*
- *Donatio.* CASUS. { MAGDALENA. ANTONINUS. AGOARDUS. EUDOXIA. OMERUS. }
- *Bellum.*
- *Judex.* CASUS. { MANILIUS. THUCYDIDES. EDMUNDUS. LITIGIUM. CASIMIRUS. }
- *Intereſſe.*
- *Poſſeſſio.* CASUS ultimus.
- *Commodatum mutuum.*
- *Commodatum ad uſum.* CASUS MARTIALIS, & ſequentes.
- *Societas.*
- *Tutor.* CASUS. { ARISTARGUS. SALVINUS. CASSANDER. AVIRCIUS. SYMMACUS. ELPIDIUS. }
- *Venditio.*
- *Uſura.*

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

EN qua ratione definitur *Restitutio in integrum*, quæ loquendi modus est in Jure familiaris: *Restitutio in integrum, est prioris Juris redintegratio, & in pristinum statum requisitio*, (Judicis auctoritate facta) (*a*).

Doujatius in recentiori, quam edidit, Canonici Juris institutione (*b*) ejusdem naturam ista alia ratione explicat, quæ paucioribus equidem verbis concipitur, sed nihilominus eumdem, quem definitio præcedens, sensum præ se fert: *In integrum restitutio, est rei, vel causæ redintegratio*.

Istud remedii genus inductum Jure Romano quoddam constituebat auxilium, quo Prætor, qui eadem ratione, qua Prætor Urbanus consuevit in Gallia nostra, officio Judicis proprii fungebatur, eos potissimum juvabat, qui de aliqua sibi irrogata injuria ex quibusdam, quæ confecerant, instrumentis, merito conquerebantur, quique eos in statum pristinum, quo gaudebant antea, restituebat. Quo subsidio nusquam tamen opus erat, quando prædictum instrumentum vitio aliquo laborabat, ex quo, juxta Juris ipsius dispositionem, rescindebatur, atque viribus omnino carebat.

Est hoc usu receptum in Gallia, ut a solo Principe possit indulgeri Restitutio in integrum; quemadmodum observat Rebuffus. Quam concedere consuevit, confectis in officina Diplomatica quibusdam Regiis Diplomatibus, quæ dicuntur *Litteræ possessionis*, & Regiis Judicibus semper inscribuntur, ad quos proinde spectat cognoscere, num, quod iisdem occasionem, atque causam dedit, justitiæ simul, atque veritati consentiat.

Quæ Regia ejusmodi Diplomata summæ omnino sunt necessitatis in Gallia, ut quis in integrum restituatur; licet etiam ipsummet instrumentum, de quo querimonia habetur, ipso jure nullum foret, atque prorsus irritum: neque enim ullum est vitium, quo quodcumque possit instrumentum rescindi, nisi aut ex aliquo Edicto, aut ipsa consuetudine, verbis expressis effectum ejusmodi habere demonstretur.

Quæ Restitutioni in integrum locum dare consueverant, istæ potissimum recensentur causæ: 1. Violentia: 2. Metus gravis, & minæ ab eo intentæ, quem penes est auctoritas, ut possit, & cui vis inest ingenii, ut easdem exequi velit: 3. Fraus, seu personalis illius dolus, quocum contractum fuit: 4. Pupillaris ætas, quando notabilis aliqua, & manifesta læsio accessit: & non aliter. 5. Absentia ex justa aliqua necessitate; 6. Atque error facti.

Ecclesia, & Regnum conditioni Pupillorum censetur semper subjici. Eaque de causa declarant Alexander III. & Innocentius III. (*c*). Si quid damni receperit Ecclesia ex culpa Episcopi, aut illius negligentia, cui potissimum incumbit ejusdem commodis atque utilitati consulere; ipsi jus omnino succurrere, ut possit petere, sese in integrum restitui; etiamsi petitionem intenderet in aliam Ecclesiam, quemadmodum declarat laudatus Summus Pontifex Innocentius III. (*d*) juxta quod jam antea constitutum fuerat ab Honorio III. (*e*). Quod usque adeo verum est, ut possit etiam recurrere ad viam restitutionis; quamquam in eo ageret adversus judicium, vel etiam ab ipso Summo Pontifice pronunciatum; ut iterum quoque declarat Innocentius III. (*f*).

Quando minor aliquis obtinuit, sese in integrum restitui; ipsius sponsoros nihil inde recipiunt commodi, atque nihilominus obligari semper remanent: Quod æquum est, quoniam plurimus conficiendi locus est, nunquam futurum fuisse, ut qui contraxit cum minore, cum eo contraheret, nisi sponsor aliquis pro eo sese obligavisset: At ratio diversa est, secluso casu pupillaris ætatis: Siquidem, ubi primum primarius, ac principalis contrahens in integrum fuit restitutus, eo ipso sponsores ab omni prorsus obligatione liberentur.

Cum alicui damnum emersit ultra mediam partem ex aliqua venditione, puta, si quo tempore confectus est contractus venditionis, domus aliqua valeret triginta millia librarum, atque emptor de eadem nonnisi pretium quatuordecim millium librarum persolverit, potest obtinere litteras rescissionis, ac petere, sese in integrum restitui. At nihilominus id conceditur emptori, ut aut receptis suis quatuordecim millibus librarum, domum cedat, aut, quod excurrit ejusdem pretium, reliquum pecunia numerando, eamdem sibi retineat; Ex altera vero parte privilegium restitutionis nunquam indulgetur emptori; sed

soli

(*a*) Polm. p. 2. 2. n. 402.

(*b*) In lib. 1. Decret. tit. 41. p. 69.

(*c*) Alex. III. in c. Requ. 1. Inn. III. in c. Cum venissent. 2. de in integr. rest. l. 1. tit. 41.

(*d*) Inn. III. in c. Auditis. 3. eod. tit.

(*e*) Hon. III. in c. Coram. 7. eod. tit.

(*f*) Id. Inn. III. in c. Tum ex lit. 5. eod. tit.

soli venditori reservatur, nisi casus intercedat pupillaris ætatis, aut alicujus doli personalis ex parte venditoris. Cujus discriminis hæc est ratio, quod ex urgente aliquando necessitate venditor cogatur male vendere; contra vero nihil subesse causæ possit emptori, cur carius emat; nisi cupido, quæ eum incessit, sibi comparandi ipsius rei proprietatem.

Cum agitur de venditione rerum mobilium, aut jurium hæreditariorum, venditor non admittitur ad postulandum, indulgeri sibi privilegium restitutionis in integrum (*a*). ((*a*) Louet. lit. H. n. 8.)

Neque etiam locum habet ipsa restitutio, quando res aliqua non movens vendita est, atque ex Decreto coacto adjudicata (*b*). ((*b*) Brodeau in Louet. lit. D.)

Juxta Edictum anni 1510. (*c*), quod datum est Lugduni a Ludovico XII. ((*c*) Art. 44.) & Edictum Francisci I. quod confectum est Villieri-Costreti mense Augusti 1539. &c. (*d*). ((*d*) Art. 134.) Decem anni tantummodo conceduntur computandi ab ipsa die, quæ adscribitur instrumento, de quo querimonia habetur; aut si vis aut fraus adhibitæ fuerint, numerandi a die, quo violentia cessaverit, vel fraus innotuerit; quantum vero ad minorem, decennium a die tantummodo ipsius justæ, ac legitimæ ætatis incipit decurrere. In provinciis autem, quæ post publicata prædicta, Edicta, Regno fuerunt additæ; quatuor anni solummodo tribuuntur, ut quis possit petere, sese in integrum restitui; quod temporis spatium præfinitur in jure Romano ab Imperatore Justiniano (*e*). ((*e*) Leg. fin. cod. de temp. in integrum restit.)

CASUS PRIMUS.

GORGIAS minor 25. annis, cum vendidisset Claudio domum quamdam anno 1700. & suæ tutelæ factus agnovisset, ex ista venditione sibi notabile damnum emersisse; postulavit, prædictam rescindi venditionem, ac sese restitui in integram domus possessionem, pretium, quod de eadem a Claudio sibi solutum fuerat; eidem præstando. Nonne illius petitio justa est, quocumque tempore ab eo intendatur?

RESPONS.

Contendi nullatenus potest, minorem propriæ suæ tutelæ factum quocumque tempore admittendum esse ad postulandum, sese in integrum restitui adversus instrumenta, quæ durante pupillari sua ætate, confecit; neque enim minores, qui volunt, post decennium elapsum a justa, atque legitima sua ætate, agere, ut in integrum restituantur, jam admitti possunt ad repugnandum ejusmodi instrumentis; quamcumque læsionis causam queant allegare. Ita constitutum est Edicto ((*f*) Edict. 1510. ar. 46.) XII. anno 1510. (*f*), & duobus aliis Edictis, ((*g*) Edict.) quæ promulgata sunt a Francisco I. annis 1535. (1535. c. 8 ar 30.) & 1539. (*g*), quoniam præfatis Principibus om- (Edict. 1539. ar.) nino videbatur, illud potissimum interesse publi- (134.) cæ rei, ne facultas accipiendarum litterarum rescissionis perpetua redderetur; sed summæ prorsus esse necessitatis, ut eadem determinaretur ad primum tantummodo decennium ab ipsa justa, legitimaque ætate decurrens: quo nimirum ea ratione domestica pax inter familias plurimum servaretur, & quæcumque novorum dissidiorum, ac litium quasi recrudescentium causa radicitus evel- ((*h*) D. Brillon, Dict. Arrestorum, v. Transactio n. 147. & 148.) leretur. D. Brillon Arrestum quoddam refert (*h*), juxta præfatam dictorum Edictorum dispositionem ea de re pronunciatum a Supremo Parisiensi Senatu 27. Augusti 1664. Aliud etiam simile memorat latum a Supremo Senatu Tolosano 1666. referente D. Volusan.

Qua de re observandum est: 1. Juxta scriptam ab Auctore institutionis ad Jus Gallicum adnota- ((*i*) Tom. 2. p. 449.) tionem (*i*), litteras rescissionis aliquando concedi post elapsum decennium: cum ab eo postulantur, qui manifestis indiciis evincit, ex parte illius, quocum contraxit, vim accessisse seu dolum personalem; quo quidem in casu non ante decennium incipit decurrere, quam ab ipsa die, qua primum illius violentia desierit, 2. Majorem seu eum, qui propriæ suæ tutelæ factus est, ubi primum exhibuit in judicio suas litteras rescissionis, easdemque obtinuit ratas haberi, earumdem beneficio non posse jam, nisi contentiente parte adversaria, desistere.

Jam igitur inquirendum est, quonam tempore Gorgias, sese in integrum restitui postulaverit: namque, si verbi gratia, post unum annum a confecto cum Claudio contractu venditionis, justam atque legitimam ætatem attigerit, neque eidem fuerit refragatus, nisi anno 1712. nullo jure juvatur, ut possit sese in integrum restitui, postulare, & Claudio jus succurrit, ut ejusdem domus, quam emit ab eo, remaneat pacificus possessor: Verum si restitutionem suam fuerit persecutus, antequam decem priores anni ab ipsius ætate justa ac legitima abierint, admittendus est ad suam petitionem, probando, sibi damnum emersisse ex contractu venditionis., Nihilominus, si Claudius aliquam in sese culpam injustitiæ susceperit ex emptione prædictæ domus, remanet obligatus ad eamdem compensandam, atque omnino restituendam.

CASUS II.

DAMIANUS annum agens ætatis suæ vigesimum, necdum adeo sui juris, quamdam repudiavit hæreditatem contortorum negotiorum ambagibus, plurimoque ære alieno, ut ei videbatur, nimis implicatam. Quam Leander, qui post eum proximus hæres veniebat, acceptavit, & tum plurimo suo labore, tum vendita rerum ejusdem pleraque parte, expedivit, atque venditionis pretium, in dissolvendum æs alienum, ac tollendas quascumque negotiorum ambages, impendit. Damianus propriæ suæ tutelæ factus vult hodiernis diebus adhibere sibi beneficium restitutionis in integrum, & quidquid egit circa repudiatam hæreditatem, rescindere, ut possit eamdem capessere. Numquid potest, nihil inde violata justitia, Leander ei obsistere, atque contra litem, quam ei vult de ea re inferre, sese vindicare?

RESPONS.

Jure omnino potest Leander Damiano resistere quantum ad illud jus, quod animo habet sibi vindicare: quoniam nullo legitimo fundamento innititur. Verum etenim est, futurum fuisse, ut Damiano jus succurreret, quo, juxta Leges impetraret, penitus rescindi, quam confecerat, renunciationem, si restitutionem suam in integrum remanentem etiamnum re integra fuisset persecutus secundum Legem, quæ sic habet (*K*): *Minores viginti quinque annis, non tantum in his, quæ ex bonis propriis amiserant: verum etiam, si hæreditatem sibi delatam non adierint, posse in integrum restitutionis auxilium postulare, jamdudum placuit*. At, siquidem res integra jam non remaneat, & Leander expediverit hæreditatem ab omnibus negotiorum ambagibus, atque aere alieno; æquum est, illum fructu sui laboris, ac suæ diligentiæ gaudere:

((*K*) Leg. Minores. 1. cod. si ut omiss. hæreditatem vel bonor. possess. vel quid aliud acquirat, l. 2. t. 39.)

dere: & Damianum eodem defraudari. Ita definitur hac alia Lege (*a*): *Scævola noster ajebat: Si quis juvenili ætate dictas omiserit, vel repudiaverit hæreditatem, vel bonorum possessionem; siquidem omnia in integro sint; omnimode audiendus est. Si vero, jam distracta hæreditate, & negotiis finitis, ad paratam pecuniam laboribus substitui veniat; repellendus est*, Quæ citata Lex ut æquitati naturali consentit, sic etiam ad Jurisprudentiam nostram tota prorsus accommodatur; quemadmodum demonstrat D. Domat in suo, quem scripsit, de Legibus tractatu (*b*).

(*a*) Leg. quod si Minor. 24. §. 2. ff. de Minorib. 25. annis, l. 4. t. 4.

(*b*) D. Dom. Leg. Civil. &c. l. 4. tit. 6. sect. 2. n. 12.

CASUS III.

Cestius annos natus vigintiduos tantummodo, acceptavit, atque adivit locupletissimam hæreditatem, & quo ipse laborabat, ære alieno in integrum dissoluto, partim de pretio venditarum ejusdem rerum mobilium, partim de proprio suo argento; ut ea ratione res immobiles omni onere ac debito deliberatæ, atque expeditæ sibi remanerent; post unum ab illinc annum, pleraque pars dictarum hæreditariarum rerum penitus dilapsa est, ac periit ex incendio, aquarum effusione, aut cæteris similibus; Qua de re Cestius animo habet postulare, ut sua prædictæ hæreditatis acceptio in integrum rescindatur; quo sibi locus fiat, a Creditoribus istius hæreditatis recipiendi, quidquid iisdem persolvit. Numquid jure potest petitionis illius actionem intendere?

Respons.

Non potest, nisi violato prorsus omni jure prædictus minor ageret, ut actus, quo præfatam hæreditatem accepit, rescindatur. Ratio est, quod dum eamdem adivit, nihil tentaverit, nisi quod quilibet prudens ac sapiens tentavisset, aut tentare debuisset, neque ex imminutione rerum hæreditariarum, quam attulerant casus mere fortuiti, & cui nec etiam occurrere potuissent viri prudentissimi, atque intelligentissimi, ei jus tribuatur, obligandi Creditores, ad ei refundendum, quidquid de proprio ipsius ære, causa solutionis, acceptum ab eo retulerunt: quoniam non receperunt, nisi quod sibi legitimo jure deberetur, quodque exigere potuissent sibi persolvi de pretio rerum hæreditariarum, quas jure omnino valebant hastæ subjicere, antequam prædictis fortuitis casibus dilaberentur; nisi Cestius istam hæreditatem accepisset: aut nisi eadem ab eo accepta ei vindicata, quam diligentiam adhibuissent, ut debiti solutionem acciperent, ipse, iisdem satisfaciendo, impedivisset.

Quæ decisio probari potest istis verbis cujusdam è Legibus Digesti (*c*), cui receptus apud nostram Gallorum gentem usus omnimode consentit. *Si locupleti hæres extitit, & subito hæreditas lapsa sit, (puta) prædia fuerant, quæ Chasmate perierant; insulæ exustæ sunt; servi fugerunt, aut decesserant: Julianus quidem libro 46. sic loquitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem apud Julianum notat cessare in integrum restitutionem. Neque enim ætatis lubrico captus est, adeundo locupletem hæreditatem: & quod fato contigit, cuivis Patrifamilias, quamvis diligentissime, possit contingere.*

(*c*) Leg. v. 11 part. 5. ff. de minor. 25. annis, l. 4. t. 4.

CASUS IV.

Theodebertus minor, annos natus decem & octo mutuatus a Landrico equum pretii minarum quinquaginta, eodem sic præter modum abusus est, ad longa continuaque itinera conficienda, ut eum ipsi reddiderit omnino deploratum, atque deperditum. Landricus, petita ab eo congruenti ea de re damni compensatione, promissionem scriptam obtinuit, qua se se obligabat, ad equum alium pretii viginti minarum ei restituendum: verum propriæ suæ tutelæ factus noluit fidem scripto suo factam exolvere, allegando pupillarem suam ætatem, atque ei verbis expressis significavit: si eum ea de re in judicium vocaret, futuram, ut adversus suam promissionem impetraret litteras rescissionis. Qua de re quæritur, utrum recta conscientia possit Theodebertus adhibere sibi litteras rescissionis, iisdemque eo fine uti, ut, quam scripto dedit, fides in integrum rescindatur?

Respons.

Respondemus, Theodebertum non posse sine injustitia sese subducere a fide, quam dedit, exsolvenda: neque proinde adhibere sibi litteras rescissionis, ut eadem nullius nec momenti nec roboris esse declaretur. Ratio est, quia Leges non intendunt pupillis subvenire auxilio rescissionis, quo restituantur in integrum, nisi in eo casu, in quo læsionem acceperunt, aut quaqua ratione decepti fuerunt: nusquam vero in eo casu, in quo vel alicui fraudem injiciunt, vel injuriam irrogant: *Cum errantibus, non etiam fallentibus minoribus publica jura subveniant*. Quæ ipsissima sunt verba cujusdam Legum Codicis Justiniani (*d*): *Deceptis, non decipientibus opitulatur* (Senatusconsultus,) ait alia Lex (*e*). *Si ... damnum injuria dedit, non ei subvenietur*, inquit iterum alia Lex (*f*). Jamvero palam fit, in specie proposita ab ipsomet Theodeberto fuisse damnum irrogatum Landrico: neque eum quidquam injuriæ fuisse passum. Obligatur ergo ad illud idem reparandum: atque adeo Landrico præstandam, de qua cum eo pactus est, legitimam damni compensationem. Quod allegatæ modo posteri Legi plane consentaneum est, in qua sic legitur: *Nunc videndum, minoribus in contractibus captis dumtaxat subveniatur; an etiam delinquentibus: ut puta, dolo aliquid minor fecit in re deposita, vel commodata, vel alias in contractu: an ei subveniatur, si nihil ad eum pervenit? Et placet in delictis, minoribus non subveniri, nec hic itaque subvenietur* (*g*).

(*d*) Leg. si in 2. Cod. si minor se majorem dixerit, &c. l. 2. t. 42.

(*e*) Leg. Et prim. 2. part. 5. ff. ad Senatusconsult. Vellejan. l. 16. tit. 1.

(*f*) Leg. si ex causa, part. 2. ff. de minorib. 25. annis.

(*g*) Cit. Leg. si ex causa cod. part. 2. init.

CASUS V.

Andreas natus annos sexdecim, sed bonis Maternis sat bene constitutus, demandat Claudio sibi conjuncto vinculis propinquitatis curam unius duplionis aurei per unumquemque mensem, ad sustentandum vitam sui Patris, subministrandæ: Quod Claudius exequitur. Verum Andreas factus legitimæ, ac justæ ætatis, in præfactum Claudium animo habet litteras rescissionis implorare, ut se se subducat a pecunia, quam ille, eo jubente, de suo impendit, eidem refundenda, prætexta nimirum ista causa, quod pupillus etiamnum foret, quando curam istam ei demandavit. Numquid nihil inde læsa conscientia, potest ad ejusmodi auxilium recurrere?

Respons.

Censemus, recta conscientia non posse Andream in casu proposito litterarum rescissionis beneficio sese juvare. Cum etenim aliquis pupillus, qui petit, se se restitui in integrum adversus actum aliquem, quem confecit: nihil allegat, quod possit aut propriæ ipsius ætatis Juvenilis inconsiderantiæ, aut fraudi ei structæ imputari: neque quidquam egit, nisi quod vel proprio ejus commodo conferebat, vel pertinebat ad ipsius officium: nulla ratione sibi conferre potest ex implorata sibi restitutione in integrum: quoniam eamdem non solent Leges minoribus indulgere, nisi cum propter puerilem suam ætatem, & imperitiam, atque experientiæ defectum, aut etiam rationis ac consilii inopiam, aut ipsi semetipsos fallant, aut ab aliis decipiantur: *Non omnia, quæ minores annis viginti quinque gerunt, irrita sunt; sed ea tantum, quæ, causa cognita, ejusmodi deprehensa sunt: ut si ab aliis circumventi, vel sua facilitate decepti, quod habuerunt, amiserint, aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserint; aut se oneri, quod non suscipere licuit, obligaverint*. Ita fertur in una quadam Legum Digesti (*h*). Atqui nihil Andreas egit in proposita specie, quod ipsius aut officio, aut commodo adversaretur. Quin etiam ei ex stricto officio incumbebat, suo Patri indigenti subvenire, eique vitæ necessaria subministrare: siquidem ei per facultates liceret ejusmodi officio satisfacere: atque, si eidem defuisset, potuisset vel etiam in Judicio, ad idem adimplendum, condemnari: ut colligitur ex istis verbis legis (*i*): *Filia tua, non solum reverentiam, sed etiam subsidium vitæ, ut exhibeat tibi, Rectoris Provinciæ auctoritate compelletur*. Non ergo potest, nisi ad-

ver-

(*h*) Leg. non omnia 44. ff. de minorib. 25. annis.

(*i*) L. Filia cod. de patr. potest. l. 8. t. 46.

Digitized by Google

versante quacumque Justitia, sese subducere, a restituenda integra pecunia, quam Claudius, eo jubente, ad vitæ subsidium ipsius Patris, de suo contulit.

CASUS VI.

Agapius annis vigintiquinque minor, facta cum Antonio, dante fidem Ludovico, pactione de re quadam, quam poterat, absque ullo negotio, impetrare, rescindi; literarum rescissionis, beneficio donatus est, vi quarum sententia restitutionis in integrum pronunciata est. An Ludovici fides inde expeditur?

RESPONS.

Certum est, beneficio restitutionis, quo solvitur obligatio, quam Agapius contraxerat, non expediri fidem, quam Ludovicus ipsius fidejussor dedit, nisi, quam contraxit Agapius, obligatio dolum aliquem annexum habeat ex parte Antonii, aut quodlibet aliud vitium, ex quo idem effectus consequatur, quem ipsa vis importaret. Quo quidem in casu beneficio restitutionis in integrum Ludovcius eadem ratione, qua ipsemet Agapius juvaretur. Ita definiunt sex variæ leges. En quibus verbis 1. concipitur (*a*): *Si ea quæ tibi vendidit possessiones, interposito decreto Præsidis, ætatis tantummodo auxilio juvatur; non est dubium, fidejussorem ex persona sua obnoxium esse contractui: verum, si dolo malo apparuerit, contractum interpositum esse; manifesti juris est, utrique personæ, tam venditricis, quam fidejussoris consulendum.*

(*a*) L. si ea 2. Cod. de fidejuss. minor. l. 2. tit. 23.

Sic fert secunda Lex (*b*): *Postquam in integrum ætatis Beneficio restitutus es, periculum evictionis emptori, cui prædium ex bonis paternis vendidisti, præstare non cogeris: sed ea res fidejussores, qui pro te intervenerunt, excusare non potest. Quare mandati judicio, si pecuniam solverint, aut condemnati fuerint, convenieris, modo, si eo quoque nomine restitutionis auxilio non juvaberis.* Quibus duabus relatis legibus sex aliæ omnino consentiunt: quamobrem nihil juvat earumdem textus hic loci præscribere (*c*).

(*b*) L. Postquam 1. Cod. eod. tit.

(*c*) L. Marcellus 25. ff. de fidejussor. & Mandatoribus l. 46. t. 1. L. si a reo 70. §. 4. ff eod. t. L. Exceptiones 7. in fin. ff. de Except. & præscript. & præjudiciis l. 44. t. 1. L. In causæ cognition. 13. ff. de minoribus 25. annis l. 4. t. 4.

CASUS VII.

Gedovinus, cum, adhibita in se vi, sibique plurimis intentis minis, prædium quoddam Julio de eadem Paræcia Domino coactus fuisset vendere, & Julius illud idem in solutionem alicujus pecuniæ, quam ei debebat, Gualterio cessisset; mortuo Julio, literarum rescissionis auxilio sibi subveniri, obtinuit; atque petivit, a Gualterio sibi dictum prædium restitui. Cui Gualterius respondit, prædium illud non ab eo, sed a Julio sese recepisse, ad cujus hæredes recurrere poterat, si sic ei expedire videretur. Gedovinus ei denunciavit, futurum ut prædium illud restituere deneganti ei, ea de re, litem intenderet. Poteștne ei, nondum actione intenta hæredibus Julii, litem inferre, nihil inde violatis legibus justitiæ?

RESPONS.

Respondemus, Gedovinum posse primo quidem ad Gualterium recurrere, eique inferre actionem. Obtinet namque rescissionis beneficio, non in eos tantummodo, qui locum eidem dederunt ex sua violentia, seu qualibet alia injusta ratione, aut in eos, qui eosdem repræsentant; verum præterea contra tertium quemlibet possessorem, quanquam nihil quidquam de sua contulerit ad violentiam seu fraudem adhibitam; servato tamen ei jure ad eos recurrendi, a quibus rem, quam possidet, accepit: *In hac actione*, ait Lex (*d*), *non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecit. Sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim; & ex hac re eum, qui convenitur, etsi crimine caret, lucrum tamen sensisse.*

(*d*) L. Item 14. §. 3. ff. quod metus causa. Et L. Metum. 9. §. 1. ff. eod t. l. t. 4. 2. Item L. non interest 5. cod. eod. t. l. 2. t. 19.

Indeque licet inferre, nullum jus Gualterio succurrere, quo possit obstare, ne Gedovinus in integrum restituatur, & sese recipiat in possessionem sui prædii, restituendo pretium, quod ei de ejusdem venditione accessit (*e*); neque ei copiam fieri nisi recurrendi ad ipsum Julium, aut ad ipsius hæredes; ut iterum colligitur ex alia lege, quæ sermonem habens de minore 25. annis, sic ait (*f*): *Interdum autem restitutio & in rem datur minori, id est, adversus rei ejus possessorem: licet cum eo non sit contractum. Puta rem a minori emisti, & alii vendidisti, potest desiderare interdum adversus possessorem restitui, ne rem suam perdat, vel re sua careat.*

(*e*) Quidquid ad eum pervenit, vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex alio contractu, hoc debet restit. L. qui restituitur unica. cod. de reputationibus quæ &c. l. 2. t. 47. Item L. quod si 24. §. 4. ff. de minorib. 25. annis.

(*f*) Cit. L. in causæ cognitione. Item L. Magis 5. §. 15. ff. de rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt &c. l. 27. t. 9.

Cujus occasione difficultatis venit observandum 1. futurum ut ipsius hæredes Gedovini eodem rescissionis auxilio juvarentur; quemadmodum fertur in alia lege de Digesto; *Non solum minoris, verum eorum quoque, qui reipublicæ causa absfuerunt. Item omnium, qui ipsi potuerunt restitui in integrum, successores in integrum restitui possunt: & ita sæpissime est constitutum* (*g*). 2. Jus restitutionis in integrum, quamcumque præ se ferat causam, decennii præscriptione amitti, quod temporis spatium numeratur, quantum ad eos, qui justam ac legitimam ætatem attigerunt, ab ipsa die, quæ apponitur instrumento, de quo querimonia habetur, quantum vero ad Pupillos, ab ipsa die, qua propriæ suæ tutelæ facti sunt: ut fertur in Edictis: ac potissimum in Edicto, quod Ludovicus XII. dedit Lugduni mense Junii 1510. cujus en ipsissima verba sunt (*h*): „ Sanximus & sancimus, ut quæcumque rescissiones „ contractuum, distractorum, atque quorumlibet „ instrumentorum, quæ causam habent ex dolo, „ fraude, captione, frustratione, metu, seu violentia, quantum ad mediam ultra justi pretii partem, continuo lapsu temporis decennis tum in „ subditis nobis Regionibus, quæ jure moribus inducto reguntur, tum in iis, quæ scripto Juri „ subjacent, præscriptioni deinces futuræ sint obnoxiæ „. Atque in Edicto Francisci I. dato Villieri-Costreti mense Augusti 1539. (*i*). In eoque usus, qui apud nostram Gallicam gentem plurimum invalescit, dissentit usui, qui Romanis legibus inducebatur (*k*), juxta quas non ultra quatuor annos sese poterat beneficium restitutionis seu rescissionis, extendere.

(*g*) L. non solum. 6. ff. de in integrum restitut. l. 4. t. 2.

(*h*) Ed. anni 1510. art. 46.

(*i*) Edict. an. 1539. art. 134.

(*k*) L. Supervacuum fin. cod. de temporib. in integr. restitut. &c.

CASUS VIII.

Federicus Remigio tutor adscriptus, cum vendidisset Samsoni domum, quæ proprii sui pupilli erat, ut de ejusdem pretio, quo tenebatur dictus Pupillus, æs alienum dissolveret: & Samson præfatæ domus possessione per annos sex aut quinque gavisus fuisset: Remigius proprii sui factus Juris, possessioni Samsonis obstitit: atque cogitat his hodiernis diebus postulare confectam a Federico venditionem omnino rescindi. Num, quod sibi vindicat, Jus aliquo fundamento nititur?

RESPONS.

Antequam propositæ difficultati sua adjungatur responsio, plurimum juvat observare, alienationem fundorum, seu rerum non mobilium, quæ pertinent ad minores 25. annis, Legibus omnino interdici: sive ab iis conficiatur, sive ab eorum Tutoribus atque Curatoribus, quacumque prætexta causa (*l*), sive permutationis, sterilitatis fundi, seu cujuscumque rationis alterius. Adeo ut, cum aliqua necessitas omnino urget, rem aliquam pupilli non moventem alienari, ad extinguenda debita, quæ omnino solvenda sunt: qui quidem casus solus esse potest, in quo eandem vendere licitum sit: Oportet 1. ut ejusdem alienatio ex sententia Judicis impetrata fuerit, *Ob æs alienum tantum causa cognita, præsidiali Decreto prædium rusticum minoris provinciale distrahi permittitur*, inquit Lex (*m*).

2. Ut prædictorum debitorum solutio sic urgeat, ut nulla possit omnino ratione differri, quin inde pupillo damnum ingens emergat. *Quod si forte æs alienum tantum erit*, ait alia Lex (*n*), *ut ex rebus cæteris non possit exolvi: tunc Prætor Urbanus ... adeatur, qui pro sua religione æstimet, quæ possint alienari, obligarive debeant, manente pupillo actione, si postea potuerit probari, obreptum esse Prætori.*

3. Ut res non alienetur, nisi in casu, in quo non possit æs alienum ulla alia ratione dissolvi: quemadmodum citata Lex declarat, ac præterea evincicitur ex ista alia sequenti (*o*): *Non passim Tutori sub obtentu æris alieni permitti debuit venditio: Namque non esse viam eis distractionis tributam: Et ideo Prætori arbitrium hujus rei Senatus dedit, cujus officio*

(*l*) Leg. Imperatoris 1. Et leg. si fundus 13. de reb. eorum, qui sub tutela vel cura sunt &c. l. 27. t. 9. Leg. non solum 4. cod. de prædiis & aliis rebus minorum. Et leg. Lex quæ cod. de administrat. Tutorum, &c.

(*m*) Leg. Ob æs 12. cod. de prædiis, & aliis reb. minorum, &c. l. 5. t. 71.

(*n*) Leg. Imperatoris supra cit. §. 2.

(*o*) Leg. Magis 5. §. 9. ff. de rebus eorum &c. l. 2. t. 9.

ficio imprimis convenit, hoc excatere, an aliunde possit pecunia, ad extenuandam æs alienum, expediri.

3. Ut priusquam sententia Jodicis decreta fuerit abalienatio, constet, nec pecuniam numeratam adesse, nec res moventes, nec exigenda nomina, nec annuos reditus, nec fructus vel extantes, vel aliquando percipiendos, nec denique quamcumque aliam rem, ex cujus pretio possit satisfieri debito Creditoris, de quo solvendo pupillus, vel ipsios Tutor tantopere urgetur. *Quærere ergo debet*, addit eadem Lex, *an pecuniam pupillus habeat: vel in numerato, vel in nominibus, quæ conveniri possunt; vel in fructibus conditis; vel etiam in reditaum spe atque obventioanm. Item requirat, num aliæ res sint præter prædia, quæ distrahi possint, ea quorum pretio æri alieno satisfieri possit. Si igitur deprehenderit, aon posse aliunde exolvi, quam ea prædiorum distractione, tunc permittet distrahi, si modo urgeat Creditor, aut usurarum modus parendum æri alieno suadeat.* Quamobrem necesse est, a Tutore Judici exhiberi rerum pupillarium recognitionem, simul etiam ab eo referri sommatim brevem tum accepti, tum expensi rationem; ot ipsi Judici veritas fiat omnino perspectior: *Jubere debet* (Prætor) *edi rationes, itemque synopsim bonorum pupillarium* (*a*).

(*a*) Cit. Leg. Magis.

5. Tandem ut, inter fundos pupillares, it tantummodo vendantur, qoi sunt pretii minoris; & postquam eorumdem venditio judiciaria sententia decreta fuerit, præmissis dilationibus legitimis, atque consuetis denunciationibos conficiatur, ut ad eos, quorum posset interesse, rumor ejusdem perveniat; ac denique pretium inde proveniens in dissolvenda nomina pupilli impendatur.

Ex qoibus dictis patet, formulas servandas in venditione rerum non mobilium alicujus pupilli, easdem esse, quæ consueverunt adhiberi in faciendis præconiis, & voci præconis aliis bonis subjiciendis; qoæ si prætermittantur, inconsulto prorsos ac temere res pupillares emuntur; siquidem copia relinquatur pupillo agendi, ut quidquid alioquin tentatum fuerit, penitus rescindatur: Ut habetur ex ista alia Lege (*b*). *Tutor, argentibus Creditoribus, rem pupillarem bona fide vendidit, denuntiante tamen Matre & emptoribus. Quæro, cum urgentibus Creditoribus distracta sit, nec de sordibus tutoris merito quippiam dici possit; an pupillus integrum restitui possit? Respondi cognita causa æstimandum: nec idcirco, si justum sit restitui, denegandum id auxilium, quod Tutor delicto vacaret.*

(*b*) Leg. Tutor. 47. ff. de minoribus &c. l. 4. tit. 4.

Quibus præmissis locum habentibus indubitati atque certissimi principii, circa propositam difficultatem asserimus, si Federicus Tutor Remigii vendiderit Samsoni domum sui Pupilli privata sua autboritate, neque servatis formulis servandis, quacumque bona fide sese io eo gesserit; Remigio jus subvenire, ut possit postulare, sese litterarum rescissionis auxilio juvari adversus venditionem confectam a suo Tutore; atqoe eandem penitus rescindi, si visum ei fuerit sibi plus accedere commodi ex eadem recuperata, quam ex pretio ejuidem sibi retento: Atque ab eo posse Tutorem non tantummodo, sed ipsum etiam Tutorem, ea de re conveniri. *Manet actio pupillo*, inquit Lex (*c*), *si postea poterit probari obreptam esse Prætori. Sed videndam est utrum in rem, aut in personam dubimas ei actionem: & magis est, ut in rem detur, non tantum in personam adversus Tutores, sive Curatores.*

(*c*) Cit. Leg. Magis §. 15.

Hic observabimus obiter, si Samson Partor prædictæ domus pupillaris, eidem accessionem adjunxerit, aut ad eandem sarciendam, expensas vel necessarias, vel utiles cootulerit; futurom ot Remigius non posset in integrum restitui, quin easdem ei præstaret: quoniam æquum non est, eas accedere pupillo in damnum emptoris; præsertim vero, si Tutor ipsius, auctorem rei venditæ sese constituisset, & altaa foret solvendo: In eo namque caso pupillo soccorreret actio adversos ipsios Totorem pro damnis & interesse, si quædam inde sibi posset jure indicare. *Vendentibus Curatoribus minoris fundum, emptor extitit Lucius Titius, & sex fere annis possedit, & longe longeque rem meliorem fecit: Quæro, cum sint idonei Curatores, an minor adversus Titium emptorem in integrum restitui possit?* Eo quæstio, quam Lex propooit, quam deinde verbis seqoentibus expedit (*d*): *Respondi, ea omnibus quæ proponerentur, vix esse eum restituendum, nisi maluerit omnes expensas, quas bona fide emptor fecisse approbaverit, ei præstare, maxime cum sit ei paratum promptum auxilium, Curatoribus ejus idoneis constitutis.* Cæterum si minus suo pretio legitima prædicta domus vendita suisset, & minori non adesset præsens pecunia, qoam Partori præstaret; saltem æquitas exigeret, ab eodem Partore pupillo referri pretii legitimam accessionem.

(*d*) Leg. Intra 30. §. 1. ff. de minoribus 25. an. &c.

Quæ eo usque habuimus, non suot intelligenda quantum ad ætatem, nisi de iis, qui regunt or consuetudinibus, apud quas, ut in consuetudioe Parisiensi, ii tantummodo habentur majores atque propriæ suæ tutelæ facti, qui vigesimum quintum ætatis annum expleverunt.

R E U S.

VOX REUS designat quemvis crimine maculatum: sed in foro exteriori Reus proprie dicitur.

Quædam erimina vocantur status; quædam Publicum; aliaque privatos lædunt. De criminibus & pœnis Reorum differunt libri 47. & 48. Digestorum, quos ideo Imperator Justinianus denominat *duos terribiles libros* (*e*).

(*e*) Leg. Tanta. 2. post .nit. Cod. de veteri jure enucleando l. 1. tit. 17.

Prior liber de criminibus & delictis privatis differit; & alter de criminibus publicis sic a lege expresse denominatis, & quorum, juxta jus Romanum, quivis privatus poterat esse delator Liber IX. Codicis, & quinque primi tituli 4. Justiniani Institutionum libri idem perlustrant argumentum. Tandem 5. Decretalium Gregorii IX. loquitur de criminibus & processibus criminalibus.

Plura crimina, *ipso jure*, Reos privant Beneficiis, quibus fruuntur. Ut crimen læsæ Majestatis, assassinii, hæresis publicæ, simoniæ & falsi.

Quivis Reus conscientia tenetur suum Judici confiteri crimen, quando perfecta, aut semi perfecta adest convictio in eum, ut docet sanctus Thomas.

Quum Reus mortem subit, crimen extinguitur, & hæres ejus tenetur adhuc ad interesse parti civili debitum.

Digitized by Google

Reus juxta D. le Petre, accusatione adversus eum facta, de bonis disponere nequit donatione, aut alio modo (a): Sed Ricardus ei adversatur, dicens dispositionem ipsi nondum damnato esse licitam, solo crimine læsæ Majestatis excepto, quod videtur æquitati convenientius.

(a) Mandat. Parlam. Parisien. 20. Maji 1509.

Impuberes numquam censentur rei, ac proinde non puniuntur.

Pater in solidum non tenetur ad reparationem civilem, filio suo reo licet puberi impositam.

Quicumque Reus judicari potest a Judice loci, in quo crimen perpetratum secundum Mandatum criminale 1670. (b) & Jurisprudentiam omnium Parlamentorum.

(b) Mandat. crimin. 1670. art. 1.

Nostro usu, Reum potest pars læsa prosequi circa damna sua, & interesse, aut retributionem civilem jacturæ a crimine emergentis; & Apparitor publicus circa pœnam debitam.

Privatus crimen commissum denuntiare potest: sed Apparitor publicus solus potest esse delator * & reum cujuscumque criminis, aut delicti, quod Publicum lædit, potest criminaliter prosequi: ut furtum, latrocinium, peculatus, aliudque Societatis ordinem intervertens, ut rebellio; aut Religionem, ut impietas, blasphemia, desperatio manus sibi violentas consciscentium, aliaque quædam crimina, quorum nomen silentio prætermittendum.

* Vide Accusator.

Hic Apparitor publicus jure, hanc exerit potestatem, etiamsi pars læsa abstineret a processibus.

Cur privatus non possit esse delator, ratio est, quia Religio Christiana in nova lege, tradens Principibus, & eorum Ministris jus ulciscendi, & puniendi, prohibet privatis omnem vindictam.

Hæc sunt præcipua præcepta hujus argumenti.

CASUS PRIMUS.

EPHIDIO & & Manlio unanimibus in surripienda re Jacobi, Ephidius ejus petit domum, e qua Manlius prior marsupium 50. dupliones capiens exportabat. Epidius octiduo post carceri includitur. Judex hac de re eum interrogat, quam acriter negat, nixus solis conjecturis, non sufficientibus ad ejus condemnationem. Judex rursus interrogat de ejus sociis. Teneturne conscientia dicere Manlium furatum esse, certior factus restitutos quatriduo post Jacobo 50. dupliones?

RESPONS.

Cum Manlius restituerit rem Jacobo surreptam, Ephidius Judici dicere non tenetur. Ratio est, quia Judex jure cognoscit reos criminis propter rem publicam aut privatam Jacobi. Rei autem publicæ non interest in casu proposito, cur reus in suo crimine non persistens illud rependit: Jacobi etiam non interest, cum a Manlio re surrepta restituta, non superest quærendi locus. Hæc decisio convenit cum sententia Navarri, & Bail. Observandum tamen est Ephidio non licere, ut contra veritatem dicat, & sibi quærendam rationem respondendi, sine mendacio, quæ Manlio non noceat.

CASUS II.

EUSTOCHIUS surreptis Juliano 100. coronatis, ob hoc furtum morti addictus, novit effugere e carcere arte, & sine ulla violentia: potuitne absque peccato, & sic vitare justam a legibus impositam pœnam?

RESPONS.

Arbitramur illum potuisse e carcere effugere in illis circumstantiis, sine ullo peccato. Hæc est Doctrina S. Thomæ (c), qui postquam sibi objecisset Reum posse Judici, qui eum jure condemnavit, conscientia resistere; aut illis, qui volunt in eo sententiam Judicis exequi, quum fuga licet mortem effugere, & videtur, hoc licito, illud pariter esse licitum; respondet huic objectioni, dicens, neminem condemnari, ut sibi mortem inferat ipse, sed solum illam pati: ideo non tenetur ad id, quod sequitur mors, ut manere in loco, e quo certo deducetur ad ultimum supplicium, attamen jure demnanatus tenetur non resistere sibi mortem infligentibus, quia resisteret auctoritati publicæ, & justis principis legibus. *Nullus ita condemnatur*, inquit Angelicus Doctor, *quod ipsa sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur; quod est manere in loco unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est eum pati; sicut etiamsi aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur; non peccat, si cibum occulte sibi ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere*. Hæc doctrina Sancti Thomæ communis est Theologis, imprimis Cardinali Cajetano, Dominico Soto, Bonnes, & Sylvio eos laudanti (d).

(c) S. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2.

(d) Silv. in cit. a. 4. quæsto 2. concl. 4.

Sic respondimus casui proposito, in quo menti observatus gnarus, e carcere effugeret arte & sine ulla violentia; nam si evadere nequiret absque vi Ministris carceris, aut eorum domesticis illata: non esset absque peccato, quia hæc violentia injuriam auctoritati publicæ, & legibus eam severis pœnis interdicentibus, faceret: quidam Auctores eum captivum existimant non posse sine peccato ad fugiendum fores effringere, aut claustra carceris, innixi Mandatis ea prohibentibus, & legi dicenti (e): *De his, qui effracto carcere evaserunt, sumendum supplicium divi Fratres Æmilio Tironi rescripserunt. Saturninus etiam probat, eos, qui de carcere eruperunt, sive effractis foribus, sive conspiratione, cum cæteris qui in eadem custodia erant, capite puniendos*. Nihilominus plures docti Theologi, Cajetanus, Dominicus Soto, Ludovicus, Bannes, Salonius, Azorius, & Sylvius, eos citans (f), oppositæ favent sententiæ. *Quia reus carcerem effringens*, inquit ultimus Theologus, *utitur jure, quod habet ad fugiendum, & nulli facit injuriam; neque enim carceres, neque compedes sunt injuriæ capaces; ipsis autem justitiæ ministris nihil (ut supponitur) facit*. Hæc etiam sententia Merbesii (g), quem, proculdubio, nemo Moralis laxioris accusabit.

(e) L. de his 1. ff. de effractorib. & expilatorib. l. 47.

(f) Sylv. loco cit. quæst. 2.

(g) Merbesius Sum. Christ. t. 1. q. 109. conclus. 6.

CA-

CASUS III.

Carpophoro, surreptis vicino 5000. libris noctu; in flagranti delicto deprehenso postea ad mortem a Judice damnato, insistunt duo amici, ut se ad locum supplicii ducendum defendat, certiorem eum facientes, se adjuturos fore ut evadat e manibus justitiæ ministrorum. Potestne sine peccato, saltem mortali, illis obedire, & eorum consilium effectui dare?

Respons.

Constat Carpophorum juste condemnatum non posse sine peccato lethali eam adhibere violentiam, qua effugiat mortem: *Aliquis damnatur ad mortem dupliciter*, ait S. Thomas (a), *uno modo juste; & sic non licet damnato se defendere; licitum enim est Judici eum resistentem impugnare. Unde relinquitur, quod ex parte ejus sit bellum injustum unde indubitanter peccat.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 69. art. 4. in corp.

Hæc doctrina S. Thomæ consentit cum doctrina Apostoli scribentis in Epistola sua ad fideles Romanos (b), omnes subesse Potestatibus supereminentibus, quia nulla est Potestas nisi a Deo, & quæ sunt in terra ab ipso ordinatæ: ac proinde resistentes Potestatibus, resistunt Dei ordini ipsius, & contrahunt justam condemnationem. His Apostolus addit Principem esse Ministrum Dei ad nos tuendos, & defendendos, si bonum faciamus: sed si male agimus, timendum nobis est, quia frustra ensem non fert, cum sit Minister Dei ad ultionem, & pœnam reorum. Inde concludit S. Paulus homines necessario iis subdi non solum propter pœnam, sed & propter conscientiam. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac; & habebis laudem ex illa: Dei enim Minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat; Dei Minister est, vindex in iram ei qui malum agit: ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Sylvius (c) huic innititur Apostoli loco, probaturus id, quod S. Thomas profert hanc in difficultatem.

(b) Rom. 13. 1. & seqq.

(c) Sylv. in cit. loc. a. 2.

CASUS IV.

Epiphanius contumacia ad mortem damnatus ob assassinium, & a tribus Lictoribus, quibus ejus captura demandata, secutus, illis restitit viva vi. Potuitne absque peccato, ut vitaret carcerem, aut saltem mortem?

Respons.

Distinguendum est, nam Epiphanius aut juste, aut injuste damnatus fuit. In primo casu ipsi non licebat se defendere: *Aliquis damnatur ad mortem dupliciter. Uno modo juste; & sic relinquitur quod ex parte ejus sit bellum injustum. Unde indubitanter peccat*, ait S. Thomas (d), sed in secundo ipsi defensio sui licita erat, ut licet repellere latronum vim. *Alio modo condemnatur quis injuste, & tale judicium simile est violentiæ latronum*, addit Sanctus..... *& ideo sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis Principibus*. S. Thomas addit illum excipiendum casum, in quo defensio ingens causaretur scandalum, & gravis metueretur seditio. *Nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur*. Vide vocem *occidere*, ubi indicatur modus jure se defendendi.

(d) S Th. 2. 2. q. 69. art. 4. in corp.

CASUS V.

Landri consors furti, damnatus in quinquennium ad triremes, illud a duobus annis complevit, sed destitutus amicis, & tutela, detinetur in triremi ut remigio addictus: Gabrielis, Matrona illustris, vult ejus liberationi inservire, & ejus in gratiam decem nummos aureos offerre ei, qui apud triremis Præfectum requisita valet auctoritate: sed duo timet: primum, ne hic illicitam adhibeat viam illum ad remos damnatum liberandi: secundum, ne remigio adductus, videns domi, redux, duos aut tres liberos, quos uxor suscepit a viro nobili, qui eam, ipso absente, corruperat, facinus capitale patret, ultionem sumpturus de uxore, aut viro nobili. Matrona quærit quid sibi faciendum eo in metu?

Respons.

Si hæc Matrona illustris persuasum habeat eum, cui decem tradit nummos aureos ad obtinendam Landri libertatem, illicitam adhibiturum rationem, veritati aut legi naturali, divinæ, aut humanæ, contrariam uti voti compos fiat: aut Landri, e triremi egressum, sævitiam adhibiturum in suam uxorem, aut virum nobilem, qui eam, ipso captivo, corruperat, aut alias illum proximo nociturum; non debet conferre ad ejus libertatem: sed si solum sit dubia, aut contrarium ipsi sit notum: potest eam exercere charitatem in gratiam hujus scelesti. Ipsi ergo perquirendum, quoad poterit, 1. quænam adhibenda sit ratio, qua educatur e triremi. 2. Quodnam ipsius ingenium, & quid possit redux in corruptam uxorem, & sic ei insistere viæ, quam prudentia Christiana, & charitas suggerent ipsi.

Cætrrum observandum illum, cujus ope Gabrielis utitur, jure non exigere decem nummos aureos promissos, ut auctoritatem, qua valet apud Præfectum triremium, remuneretur: cum constet auctoritatem non esse mercaturam, ut probamus referendo 89. Doctrinæ articulum, quam Facultas Sacra Theologiæ Parisiensis promulgavit (e) 4. Augusti 1717.

(e) 1. Part. art. 89.

CASUS VI.

Rodogunus, seditionis publicæ consultus, damnatus est ad virgarum supplicium, ad lilii floris notam inustam, & ad exilium perpetuum extra Jurisdictionem Parlamenti Parisiensis, aut triremes per quindecim annos. Hinc Ministri Domini contendunt mortem subiisse civilem inprimis exilio perpetuo, ac proinde ejus bona Fisco devoluta. An jus ipsius suppetit?

Respons.

Hæ omnes pœnæ quamvis ignominiosissimæ, homini non inferunt mortem civilem. Ideo hi Ministri errant, & nullo gaudent jure in bona Rodoguni, licet Provinciam incoleret, in qua confiscationis locus esset. Nam damnatio ad mortem, aut ad remos perpetuos, aut ad exilium perpetuum extra Regnum mortem producunt civilem rei: omnibus aliis pœnis, quibuscumque, non orbantibus hominem dominio bonorum, & desinentibus solum in infamia publica, quam incurrit. Hoc adeo constanter verum, ut nullus Jurisperitus ea de re litiget, & proinde nullo indiget argumento, quo fulciatur.

Diximus, *etiamsi incoleret Provinciam, in qua esset confiscationis locus*. Nam advertendum esse districtius civilium institutorum sequentes, in quibus confiscatio in usu non est, ut & in regione Juris scripti exceptis criminibus læsæ Majestatis, divinæ & humanæ, & monomachiæ: & juxta alia instituta, recipitur circa certa quædam bona.

Hic observandum in consuetudinibus civilibus, quæ confiscationi locum non dant, damnatum ad pœnam, qua moritur civiliter, non posse vendere, aut statuere, de suis bonis alio modo: sed illico post damnationem transeunt ad ejus hæredes legitimos, quibus jus possidendorum competit, quasi revera vita cessisset naturaliter. Hoc observat D. Argou (f).

(f) Instit. au Jus Gall. L. 3. c. 39.

REVE-

REVELARE.

Vide CORRECTIO.

IMPEDIMENTUM in Genere. Casus VIII. & sequentes.

RIXA.

Vide INJURIA. Casus ultimus.

ROGATIONES.

VOcabulum: ROGATIONES; verbum est, juxta usum Ecclesiæ solitum adhiberi, ad significandos tres dies obsecrationum solemnium atque publicarum, quæ immediate ante Festum Ascensionis Domini nostri Jesu Christi fundi consueverunt, quibus treis diebus servatur abstinentia a carnibus, & habentur solemnes supplicationes in quibus recitantur magnæ Litaniæ, ad petendam a Deo veniam peccatorum, ad eumque orandum, ut tum suas gratias, quibus adjuvari fideles indigent, tum largam suam benedictionem effundat in fructus terræ, qui, cum sint tunc temporis adhuc teneriores, innumeris propemodum iisque nimium deplorandis infortuniis patent ex quibus fames & summa rerum inopia aliquando sequuntur.

Allegamus in prima nostra decisione Decretum Aurelianensis Concilii primi, quod ineunte sexto seculo habitum est, ex quo colligitur, obtinuisse jam tunc temporis Rogationum solemnia, verum Authorem suum vindicant quæ per illos dies habentur, supplicationes S. Mamertum Episcopum Viennensem in Delphinatu, qui easdem eo fine induxit, ut quæ dictæ Civitati videbatur portendi ex horribili ac sæpius iterato terræ motu, ex ululatibus atque nimium horrificis vociferationibus, & ex spectris, quæ omnibus ac singulis Oppidanis terrorem incutiebant ac trepidationem, precibus iracundia Divina flecteretur; quanquam aliis videatur |, S Leonem ductum consilio laudati sancti Episcopi jussisse anno 442. ut pius ille plurimumque laudandus usus servaretur, qui jam invaluerat in quibusdam Ecclesiis Gallicanis, eadem ratione, qua Romæ servabatur; atque eidem annecteretur parvarum Litaniarum cantus, atque tandem voluisse S. Gregorium Magnum, ut istis supplicationibus magnæ Litaniæ cantarentur, atque sacra effigies S. Lucæ iisdem deferretur propter gravem pestilentiam, qua tunc temporis Urbs Roma conflictabatur. Atque revera quidem S. Avitus Viennensis Episcopus in Delphinatu, S. Gregorius Turonensis, & S. Cæsarius Arelatensis (*a*) testantur, jam labente quinto sæculo in omnibus fere Ecclesiis obtinuisse usum prædictarum supplicationum atque solemnium obsecrationum, at vero genus istud cultus Religionis familiare sibi potissimum vindicabat Delphinatus, ut quæ in populos regionis istius sævire maxime videbatur ex continuis terræ quassationibus ex frequentibus incendiis, quæ ex improviso contingebant, ex grassante pestilentia, ex flebili vocum horrendarum mugitu, quo aër undequaque personabat, ex nocturnis horrendisque tumultibus, & ex innumeris aliis flagellis, quibus attentabantur, divinæ iracundiæ portentum procul averteretur. Neque prædictis omnibus finis constitutus est, nisi plurimum agentibus fervidis S. Mamerti precibus, atque interveniente voto *Rogationum*, quod Deo suscepit, ad justitiam ipsius placandam.

(*a*) S. Avitus hom de Rogat. Edict. Sirmund. S. Cæsar. Arelat. serm 37. S. Greg. Turon. l. 2. hist. c. 34.

Colligitur etiam, multo postea, hoc est, anno 813. actum fuisse Moguntiaci Concilium (*b*), in quo constitutum est, ut per tres dies Rogationum magnæ Litaniæ cantarentur, atque in habendis iisdem diebus supplicationibus, nudis pedibus incederetur cum magno contritionis animo, atque habitu præ se ferente summæ humilitatis tum modestiæ indicia. Quod D. Baillet in suo secundo tomo, pag. 91. secundæ partis ex certissimis monumentis evincit.

(*b*) Concil. Mogunt. c. 3.

Jam ab ineunte nono sæculo usus invaluerat, ut triduum istud festum ha-

beretur, eadem ratione, qua tunc consueverat haberi integra Paschalis hebdomada. At ejusmodi dies festos Concilium Trevirense congregatum anno 1549. in dimidia festa deinde convertit, quæ meridiano tempore terminabantur: quemadmodum nostris jam temporibus obtinuit, ut solemnia diei octavæ Festi Corporis Christi, & Commemorationis Defunctorum, ad horam etiam eandem finem acciperent.

Quod pertinet ad generales supplicationes, quas tum in Triduo Rogationum, tum in aliis temporibus habere consuetum est, illarum usus vetustate antiquissimus est, quin etiam non immerito contendi potest, earumdem prioris originis vestigia quædam in lege veteri adumbrata sese offerre, in qua legentium oculis subjicitur illa solemnis supplicatio, quæ, & Davide jubente, habita est cum religione plurima, & exquisito cœremoniarum apparatu, quando Rex ille sanctissimus, comitante tum Sacerdotum atque Levitarum omnium, tum totius Israelitici populi magna caterva, fœderis arcam e domo Obededom in sanctam Civitatem transtulit (a)

(a) Paralip. 16. 3. & seqq.

Pristinis olim temporibus, atque plurimum adhuc fervente, quam S. Mamertus induxit, prima Rogationum Constitutione, jejunium strictissimum per triduum istud solitum erat observari; ita testantibus Alcimo, Avito, & Sidonio Apollinari, qui sic habet: *In bis supplicationibus jejunatur, oratur, fletur;* (b) quemadmodum determinatum atque constitutum fuerat ab Aurelianensi Concilio primo, quod jussu Clovis congregatum est undecimo Julii anni 511. & cui præsentes adfuere Archiepiscopi Burdigalensis, Auscitani, Bituricensis, atque Rhotomagensis, cum Episcopis viginti septem, at sensim sine sensu de priore illo fervori æstu remissum est, qui totus ad meram ac simplicem abstinentiam a carnibus deinde fuit astrictus: adeo ut obligatio jejuni nostris jam temporibus penitus cessaverit, neque quidquam necessitatis importet sub pœna peccati mortalis.

(b) Sidon. Apollinar. l. 5. Ep. 14.

CASUS PRIMUS.

Sigonius ab aliquibus mensibus ex Italia redux in Galliam, carnibus usus est per triduum Rogationum, in eo putans omni peccato, saltem quod mortale sit, omnino sese carere. Ea de re plurimum ei Religionis oblatum est, quin etiam in animum ipsius tentatum est inducere, eum, quoties carnem comederat istis diebus, toties incidisse in mortalia peccata. Excusationem inde sibi prætendi dixit. 1. Quod vel etiam Romæ prædictis diebus carnibus vesci consuetum sit; adeoque, ab iisdem abstinendi, non possit urgere obligario sub pœna peccati mortalis. 2. Quia non extat ea de re ullam præceptum Ecclesiæ, quo necessitas inducatur ejus generis abstinentiæ servandæ; adeoque, qui frequentari solet in Gallia, usus istius abstinentiæ habendus est, ut actus pietatis omnino gratuitas. Nonne prædictæ rationes justam ac legitimam causam veritatis sibi vindicant atque æquitatis?

Respons.

Nullatenus ambigendum est, quin Sigonius, utpote generalis usus, qui frequentatur in Gallia, nulla ratione inscius, mortaliter peccaverit, cum illum eundem violavit ac perfregit, carnibus vescendo per totum triduum Rogationum. Cujus nostræ decisionis prima ratio est, quod in plerisque Diœcesibus vigeat Ecclesiastica Lex, quæ obligationem a carnibus per illud triduum abstinendi, inducit. Secunda vero ratio est, quia, quanquam etiam præfata obligatio ex lege Diœcesana non importaretur, ad eandem tamen servandam abstinentiam Sigonius, quantum ad conscientiam, atque sub pœna peccari mortalis obligaretur ex illo usu generali, qui passim in toto Regno Gallorum a plurimis retro sæculis invalescit, in quo vel etiam pristinis olim temporibus, juxta quod testantur Sidonius Apollinaris (c) & Decretum primi Concilii Aurelianensis (d), strictissimum jejunium servari consuetum erat: siquidem constet, ejusmodi Consuetudini, communi totius Ecclesiæ Gallicanæ consensu, legitime constitutæ atque comprobatæ vim inesse legis; adeoque non minus ipsa servanda sit, quam Lex, quæ etiam ex scripto descenderet: *Quæ longa consuetudine comprobata sunt*, fert una quædam legum Digesti (e), *ac per plurimos annos observata velut tacita Civium conventione, non minus, quam ea, quæ scripta sunt, jura servantur.* Habet etiam alia Lex, quæ mox allegatam immediate præcedit (f): *Diuturna Consuetudo, pro lege & Jure in bis, quæ non ex scripto descendunt, observari solet.* Quod idem quoque tandem constituit Justinianus Imperator istis verbis: *Ex non scripto jus venit, quod usus approbavit. Nam diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur.* (g) En qua ratione Leges loquuntur de consuetudine, quantum ad res temporarias & seculares. Ex quibus inferendum est, laudandum aliquem usum, quem induxit atque comprobavit Ecclesia, strictioris quoque Legis vim sortiri quantum ad fideles; ut evincitur ex Epistola S. Gregorii Magni ad S. Augustinum Apostolum Angliæ (h).

Quæ decisio plurimum confirmari potest exemplo usus jejunii Sabbati, qui Romæ solitus erat, testante S. Ambrosio, servari, nec Mediolani servabatur: ut ipsemet scripsit ad S. Augustinum, qui significavit, induci obligationem moris uniuscujusque Diœcesis, ad quam accedebatur, servandi (i): *Cum Romam venio, invenio, jejuno Sabbato. Cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quempiam tibi.* Quam responsionem S. Ambrosii ipsemet S. Augustinus refert: ex qua liquidum ac manifestum omnino fit, non posse, nisi multa cum offensione, adeoque non sine crimine, violari usum, quem Ecclesia sanctissime induxit: hoc est, quem unanimis consensus Episcoporum, qui præcipui sunt ejusdem Pastores, comprobavit, & universus cœtus fidelium, qui eorum regimini committuntur, observat.

(c) Sidon. Apollinar. l. 5. Ep. 14.

(d) Rogationis; id est Litanias ante Ascensionem Domini, ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari cum triduano jejunio Conc. Aurel. I. an. 511.

(e) L. Sed & ea. 35. ff. de legibus &c. lib. 1. tit. 3.

(f) L. Diuturna. 34. ibid.

(g) Lib. 1. Institut. tit. 2. §. 9.

(h) S. Greg. Ep. 1. In Can. Novit. 9. dist. 12.

(i) S. Aug. In Can. Illa. 11. dist. 12.

SA-

Digitized by Google

SACRAMENTA.

Vocabulum istud genericum est, atque solet in diversos sensus accipi. 1. namque significat aliquando rem absconditam. Qua de re plurima exempla habentur in sacris paginis tam veteris, quam novi Testamenti: *Non abscondam a vobis Sacramenta Dei*, inquit Sapiens (*a*). Angelus Raphael Tobiam alloquens, nomine etiam istius appellationis, *Sacramentum*, designat, quod paulo post dicit *occultum sermonem*: *Sacramentum Regis abscondere bonum est*, inquit, *opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est* (*b*). Daniel sermonem faciens de somnio, quod Nabuchodonosor Rex Babylonis evolvi sibi volebat, appellat *Sacramentum*, illud quod statim vocat, *mysterium*, *ut quærerent misericordiam a facie Dei*, *super Sacramento isto*, inquit textus Sacer, qui deinde sic addit: *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est* (*c*). Apostolus, in sua Epistola ad Ephesios, mentionem habens de proposito, quo Deus constituit homines per Jesum Christum ad salutem adducere, eadem quoque voce utitur: *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis* (*d*). Tandem S Joannes loquens de visionis intelligentia, quæ fuerat ipsius oculis objecta, narrat, eandem sibi ab Angelo, quem ad eum Deus miserat, explicatam fuisse verbis istis: *Quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & bestiæ, quæ portat eam* (*e*).

(*a*) Sap. 6. 24.

(*b*) Tob. 12. 7.

(*c*) Dan. 2. 17. & 19.

(*d*) Ephes. 1. 9. & Colos. 1. 26. & 27.

(*e*) Apocal. 17. 7.

2. Vocabulum idem accipitur etiam pro signo rei alicujus absconditæ juxta illud Apostoli (*f*). *Sacramentum hoc magnum est*: *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Quibus verbis innuit S. Paulus, matrimonium esse signum prorsus excellens unionis absconditæ ac sanctissimæ, quæ Christum inter & Ecclesiam intercedit.

(*f*) Ephes. 5. 32.

Vox ista accepta in generali sensu, cui subjiciuntur Sacramenta tam Legis naturæ, & Legis Mosaicæ, quam ea quæ sunt novæ Legis propria, definitur istis verbis; *Sacramentum est signum rei Sacræ*. Quæ verba Polmanus ista ratione sic interpretatur (*g*): *Sacramentum*, *quia sacrat & practice sanctificat suscipientem*, *dedicando & consecrando illum cultui Divino*. *Signum divinitus institutum & practicum rei sacræ*, *sanctitatis moralis*, *legalis*, *aut formalis*. Verum quoniam alienum est a proposito nostro, ut quidquam attingamus de Sacramentis, quæ duæ Leges priores sibi vindicaverunt, & loqui præsertim intendimus in hocce præsenti titulo de solis Sacramentis Legis Evangelicæ, nihil hic loci, nisi quæ pertineant ad isthæc posteriora, subjiciemus.

(*g*) Polm. part. 2 n. 112.

Fide docemur, septem esse Sacramenta, nimirum Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinationem sacram, Matrimonium, atque Extremam unctionem. De quorum propriis unicuique, diversisque effectibus nihil sermonis hic loci habemus, quoniam eosdem fusius explicamus, cùm de unoquoque eorum agendi locus sese offert in plurimis titulis hujusce operis.

Sacramentorum Auctor solus est Jesus Christus: quoniam solus potuit annectere simplicibus signis gratiam habitualem & sanctificantem, atque iisdem indere virtutem producendi cæteros effectus, qui uniuscujusque eorum proprii sunt: Siquidem admirabilis illa potestas alium auctorem vindicare sibi nequeat, nisi Deum Supremum tum gratiæ tum naturæ rectorum.

En igitur, quæ de Sacramento solet asserri, definitionem: *Sacramentum novæ Legis*, *est invisibilis gratiæ signum visibile*, *ad nostram sanctificationem divinitus institutum*. Signum est, at signum practicum, quod significat operans ex opere operato, hoc est, ex indita sibi virtute producens gratiam, quæ quanquam externis sensibus nec percipiatur, nec eosdem possit afficere, realis tamen est, habitualis atque sanctificans; quoniam sanctum justumque efficit peccatorem, qui ad Sacramentum digne accedit. Signum tandem est, quod divinitus institutum est; siquidem Auctorem habeat ipsum Jesum Christum, Deum simul atque hominem, nec alium nisi ipsum possit ulla ratione sibi vindicare.

Materia Sacramentorum tota posita est in rebus corporeis ac permanentibus; Qualia sunt Aqua naturalis, in Baptismo; Panis & vinum, in Eucharistia; Atque Oleum infirmorum, in Extrema unctione: seu consistit in actibus sub sensum cadentibus, qui ad proprium suum effectum, accedente forma, determinantur; Quales sunt Contritio, Confessio & satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

Forma Sacramentorum constat ex verbis, quæ proferuntur ab eorum-

dem Ministro, aut ex aliquo alio signo tantumdem valente: verba expressa summæ sunt omnino necessitatis, quantum ad sex priora Sacramenta; & quantum ad Matrimonium, signum aliquod tantumdem valens.

Solent Theologi distinguere uniuscujusque Sacramenti materiam duplicem. Primam nempe, quam appellant materiam remoram quæ, v g est in Baptismo aqua elementaris: alteram vero, quam ajunt materiam proximam, quæ est, exempli causa, in eodem Sacramento, admotio atque usus aquæ, hoc est ablutio.

Materiæ remotæ vicem ac locum supplent peccata pœnitentis in Pœnitentiæ Sacramento; materiæ vero proximæ locum tenent ipsius pœnitentis actus, scilicet Contritio, Confessio, atque Satisfactio.

Habet Extrema unctio oleum infirmorum loco materiæ remotæ, unctionem vero, qua Sacerdos infirmi corpus inungit, pro materia proxima.

Applicandæ sunt in eodem temporis instanti, moraliter loquendo, tum materia, cum forma Sacramentorum Si Pœnitentiæ atque Matrimonii Sacramenta excipiantur, in quibus longior aliqua, quam in aliis, potest mora temporis adhiberi.

Materiæ & formæ mutatio essentialis ipsum Sacramentum efficit nullum: non item quæ tantummodo accidentalis est.

Præter adhibendam in Sacramento materiam & formam, ad ejusdem quoque substantiam pertinet & essentialiter requiritur intentio Ministri, adeo ut omnino necesse sit, adesse Ministro intentionem actualem, aut saltem virtualem conferendi Sacramentum, quale Jesus Christus instituit, & Ecclesia consuevit administrare. Qua de re operæ pretium est ea consulere, quæ disseruimus de Titulo, *Intentio*.

Theologis etiam placet Sacramenta dividere, in Sacramenta vivorum, & Sacramenta mortuorum. Sacramenta vivorum ea esse dicunt, quæ suscipienda sunt in statu gratiæ: qualia sunt Confirmatio, Eucharistia, Ordo, Unctio extrema, & Matrimonium, & quæ novam aliam gratiam producunt. Sacramenta vero mortuorum ea sunt, quæ primam gratiam conferunt iis, qui eadem nunquam donati fuere, qualis est, Baptismus: aut quæ in istam primam gratiam restituunt eos, qui eadem ex aliquo peccato actuali exciderunt, quale est Pœnitentiæ Sacramentum.

Tria potissimum admittunt in unoque Sacramento, nimirum, *Sacramentum tantum*, *res Sacramenti tantum*, *& Sacramentum & res* Per isthæc verba, *Sacramentum tantum*, Sacramentum intelligunt a proprio suo effectu abstractum. Per isthæc alia, *Res Sacramentum tantum*, ipsummet effectum Sacramenti significant, per alia vero posteriora, utrumque simul junctum indigitant.

Sacramenta gratiam conferunt *ex opere operato*, ut fert loquendi scholasticus usus: hoc est: *ex vi operis*: neque ratione habita, nec virtutis Ministri, nec meriti suscipientis, sed ex propria ipsique Sacramento indita virtute; quando nimirum digne sanctèque suscipitur: neque vero eam tantummodo, quæ habitualis estque sanctificans, gratiam producunt, sed præterea gratias proprias ac peculiares, actuales & ad necessitates privatas eorum, qui ad eadem bene dispositi accedunt, accommodatas: tandemque præter prædictas diversarum gratiarum species, quas omnia Sacramenta conferunt, tria recensentur, nempe Baptismus, Confirmatio, & Sacra Ordinatio, quæ imprimunt in anima characterem indelebilem, quo distinguitur a ceteris hominibus, qui eadem suscipit, aut quo destinatur atque consecratur, ad obeundas ac peragendas res Sacras.

Ex quibus huc usque dictis jam superest inferendum, si tanta laudum effusione summam atque infinitam Dei misericordiam palam benedixerit Propheta Regius, atque in Cælum usque extulerit, quod Solem & Lunam creaverit, qui nobis interdiu noctuque vicibus alternis collucerent; *Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus* (a): quanto magis collaudandam a nobis esse supremam illius misericordiarum amplitudinem, quod posuerit in terra Ecclesiæ suæ firmamentum, cui decus addidit Sacramentorum, quæ totidem luminarium nobis loco sunt, e quibus lumen mutuamur, ut inter spissas hujusce mundi tenebras ambulemus, quæ nobis etiam commonstrant veram, atque unicam viam, per quam ad perpetuam lucem pervenitur, & tutiora conferunt auxilia, quibus ad eam usque perveniamus, si iisdem, ut par est, uti voluerimus. Enimvero nostra jam Sacramenta non in nudis simplicibusque tantum figuris reponuntur, ut Sacramenta veteris legis, quæ S. Paulus appellare non dubitat *infirma & egena elementa* (b), eadem ratione, qua Lex ipsa vetus nec etiam aliud

(a) Psal. 135.
(b) Galat. 4. 9.

aliud quid erat, nisi *umbra futurorum* in nova lege, quemadmodum habet laudatus Apostolus (*a*): at Sacramenta, quibus Lex gratiæ gloriatur, signa sunt, quæ, quod significant, operantur, hoc est, gratiam sanctificantem producunt in anima eorum, qui eadem suscipiunt cum iis dispositionibus, quibuscum convenit ad eadem accedere. Ab ipsa prima nativitate habemus, quod filii simus Adami per peccatum, & statim ab eo, quod inter Sacramenta primum est, accipimus, quod filii Dei nominemur & simus per gratiam. Equidem remanet etiam in nobis post Baptismum infirmitas prioris nativitatis, verum confertur in Sacramento Confirmationis nervosa quædam firmitas athleticumque robur, quo, plurimum corroborata in nobis fide, Christiani perfectiores evadimus: sed quoniam robur illud in nobis ut plurimum facile flaccescit, licet nobis illud idem redintegrare, ac quodammodo suscitare, accepto vivificante pane sacrosanctæ Communionis, in qua cibum nostrum sumimus propriam carnem ac verum sanguinem Jesu Christi. Si vero robur illud infelici aliquo casu totum penitus deperdiderimus, adest nobis, unde in illud idem in integro ex Pœnitentiæ Sacramento iterum restitui possimus. Ut ex fætifica illa facultate, quam sibi a natura inditam homo accepit, ad generationem aptus est, atque habet ex concupiscentia, ut ejusdem effrænata nimis appetentia ferveat, Deus ipse providit, unde posset, citra peccatum, propensionis illius pruriginì satisfacere, matrimonium instituendo, quod Jesus Christus ad sacramenti dignitatem postmodum evexit, cui gratias eas annexuit, quibus possent omnino juvari, qui jugum subeunt connubii; si quis vero studio perfectioris, atque altioris vitæ instituti adduci sese experiatur, & velit assumere sibi Jesum Christum tanquam pretiosiorem hæreditatis suæ portionem, ei succurritur Ordinis sacramento, cujus virtute gratias consequitur, quibus potissimum indiget, ut ipsi Christo totus devoveatur, atque fidelis in omnibus exhibeatur Ecclesiæ minister. Tandem, quoniam infinitis propemodum morborum tentationibus sumus obnoxii, atque, præsertim cum iidem ingravescunt, summopere nobis opus est auxilio, quo possimus rebus tam adversis opponere fortiora pectora, quodque valeat peccatorum nostrorum reliquias delere, animis vires addere, ne mortis imminentis horroribus frangamur, quin etiam prosperam valetudinem nobis afferre, quando sic videt Deus æternæ nostræ saluti expedire, auxilium istud in Sacramento Extremæ unctionis nobis subministratur. Adeoque in quacumque ætatis, temporis conditionique circumstantia constituamur, sic inde nobis subvenitur, ut ex uno Sacramentorum uberrimo fonte, quibus vexari possumus, malorum atque miseriarum omnium remedia tutissima sentiamus. Atque ejusmodi sunt effectus, eaque virtutis admirabilitas Divinorum illorum septem Canalium, quos instituit Jesus Christus, qui est sapientia infinita, ex quibus in nos profluunt ipsius gratiæ fontes atque misericordiæ beneficia.

(*a*) Coloss. 2. 17.

Tractanda quædam superessent de augusto illo cæremoniarum apparatu qui solet adhiberi in iisdem fidelibus administrandis, & quæ, ad nos usque, fere omnes ab Apostolica traditione derivaverunt: at quoniam de iisdem, occasione captata, sumus acturi plurimis in locis hujusce nostri operis, in quibus de quolibet Sacramento sermo recurrit, quin etiam de iis jam ex professo egimus in Titulo, *Cæremoniæ Sacramentales*; nihil necessitatis esse putamus, quamobrem quidquam ea de re impresentiarum subjiciamus.

Unum addemus tantummodo, nimirum omnes preces, omnesque cæremoniarum ritus, quibus utuntur Sacramentorum ministri, ab Ecclesia eo fine inductas fuisse, ut tum eorum effectus, tum dispositiones, quibuscum suscipienda sunt, & obligationes, quas suscipientes contrahunt, significarentur.

CASUS PRIMUS.

RENAULDUS, qui pro certo habet Felicem suum Parochum esse cujusdam criminis conscium, atque in eodem perseverare, quærit, num sibi liceat, absque peccato, ab eo suscipere Pœnitentiæ Sacramentum & sacram Communionem, quin etiam utrum possit de iisdem administrandis sibi eū urgere?

RESPONS.

Si Felix nec declaratus fuerit ab officio summotus, nec denuntiatus excommunicatus, nec de gradu dejectus, sed in suo ministerio toleretur, potest Renauldus absque peccato prædictum utrumque Sacramentum ab eo suscipere. Quoniam quandiu Parochum istum ut ministrum suum Ecclesia complectitur & agnoscit, Renauldus communicat cum Ecclesia, communicando cum ipsius Ministro, nec fit ullo modo criminis ejus particeps. At vero si ab Ecclesia non toleraretur in suo ministerio, hoc est, ab officio summoveretur, aut foret denuntiatus excommunicatus, aut tandem de suo gradu dejectus, in eo casu Renauldus, ab eo suscipiendo Sacramenta, peccatum contraheret. Ita deciditur a S. Thoma (*b*), qui sic habet: *Ille qui ad Sacramentum accedit, suscipit Sacramenta a Ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona: sed in quantum est Minister Ecclesiæ, & ideo quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit Sacramentum non communicat peccato ejus, sed communicat* Eccle-

(*b*) S. Th. 3. Part. summæ q. 64. art. 6 ad 2. item in 4. dist. 24. qu. 1. a. 3. q. 5. ad 4.

Ecclesia, quæ eum tanquam Ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur, puta, cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat is, qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius.

Quæ doctrina Angeli scholæ consentit decisioni Summi Pontificis Nicolai I. (a) respondentis ad consultationem Bulgarorum circa difficultates, de quibus ab iisdem fuerat consultus, quas inter ista proponebatur, scilicet, utrum eis liceret de manu Sacerdotis adulteri Sacram suscipere communionem. Iis etenim declarat laudatus Papa, ab eo, quantumcumque sit nefarius, eandem omnino suscipi posse, modo non fuerit Episcoporum judicio reprobatus; hoc est, modo etiamnum ab Ecclesia toleretur, neque fuerit ab administrandis Saramentis remotus; *Idcirco ab eo, asqueque judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est; quoniam mali, bona administrando, se tantummodo laedunt.* Quod probat comparatione petita a cerea face: *Et cerea fax*, prosequitur, *accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat*. Indeque concludit, posse igitur absque ne tenuissimo quidem scrupulo ab ejusmodi Sacerdote Sacram percipi Communionem ... *Sumite ergo intrepidi ab omni Sacerdote Christi mysteria.*

(a) Nicol. I. in Can. Sciscitantibus, &c. 15. q. 8.

Cum Nicolao I. totus concordat Summus Pontifex Lucius III. (b) circa non absimilem difficultatem, conditionemque addit maximi prorsus momenti, nimirum quo crimen Sacerdotis nec notum sit, nec ipsius operis evidentia pervulgatum: *Sine dubitatione itaque teneatis*, ait, *quod a Clericis, & Presbyteris, quanquam fornicariis quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica*. En quæ dicenda habemus de proposita priori loco quæstione.

(b) Luc. III. in c. Vestra 7. de coheb. cleric. mulierum l. 3. 2. 2.

Quod pertinet ad alteram, quæ instituitur, scilicet, utrum Renauldus possit Parochum suum da Sacramentis sibi administrandis urgere; respondemus, eum posse absque peccato, cum legitima necessitas adest, ad ipsum recurrere, atque ut eadem sibi administrentur, ministerium ipsius implorare, mopo Parochus iste, ut jam observavimus, ab Ecclesia toleretur; quanquam aliunde compertum habeat, eundum versari in habitu peccati mortalis. Verum conscientiæ suæ non satis consuleret, si remoto casu necessitatis, requireret ipsius ministerium. Nihilominus, quoniam, agente Divina gratia, in unico puncto temporis ex peccatore potest aliquis evadere sanctus, & justus, posset etiam Renauldus extra dictum casum necessitatis cum inducere, ad aliquid ordinis sui peragendum, immutata nempe conscientia, & quæ mentem ipsius antea subierat, de perverso ejus statu cogitatione procul abjecta: modo sibi persuadere posset ex legitima aliqua causa, eum esse plane emendatum atque ad frugem meliorem receptum; puta, si eum videret ingemiscentem, priori suæ vitæ perversæ lacrymas dantem, pectus tundentem, aut alia quavis externa ratione dolorem ob errata sua interiorem cordis prodentem: *Quamdiu Minister Ecclesiæ, qui est in mortali, ab Ecclesia sustinetur*, inquit S. Thomas (c), *ab eo Sacramenta recipere ejus subditus debet: quia ad hoc est ei obligatus. Sed tamen præter necessitatis articulum, non esse tutum, quod eam induceret, ad aliquid sui Ordinis exequendum, durante tali conscientia, quod ille in peccato mortali esset, quam tamen deponere posset, quia in instanti homo a Divina gratia emendatur.*

(c) S. Thom. ubi supra quest. 3. ad 5.

Rationem vero istam affert Sylvius laudati S. Doctoris fidus interpres (d), quia, quantumcunque sit exploratum, eam in habitu peccati mortalis esse, *a Ministro quantumvis malo, licet communiter recipere, & petere Sacramenta, imo & ipsum inducere ad ea ministranda, quamdiu toleratur ab Ecclesia, si ipse sit talis, utpote Pastor, cui incumbat ex officio illa ministrare, petens autem sit Parochianus. Tunc enim, qui petit, utitur jure suo, & petit rem bonam, quam alter potest, & debet bene facere. Dixi* communiter: *quia, si æque commode possit haberi Sacramentum ab eo, qui sine peccato ministrabit, ex charitate prætermittendus tunc est is, qui noscitur a peccato non recedere. Nec obstat, quod sit Parochus, a quo habet jus petendi; quia charitas dictat, non esse utendam jure suo, quando inde sequitur gravis proximi læsio, & tua parum interest, an ab eo petas, an ab alio* (e).

(d) Fr. Sylv. in 3. p. sum. S. Th q. 64. ar. 6. quæsito 3. conclus. 2.

(e) Colloq. Lucionens. to. 3. colloq. 5. q. 3. & to. 4. colloq. 3. q. 2.

CASUS II.

SI FELIX non esset Parochus, sed ordinarius tantummodo Confessarius Renauldi, numquid iste posset ab eo suscipere Sacramentum aliquod, licet pro comperto haberet, illum Sacerdotem esse in statu peccati mortalis?

RESPONS.

Quidam notæ prorsus insignioris Interpres S. Thomæ (f) censet, si prædictus Sacerdos aliunde nulla censura sit innodatus, ad eum posse Renauldum accedera, Sacramentum illud ab eo suscepturum, modo primo quidem, ejusdem suscipiendi præceptum urgeat, ut contingere potest tempore quindenæ Paschalis, aut ingravescentis alicujus morbi, quantum ad Sacramenta Pœnitentiæ atque Eucharistiæ. Secundo, si Sacerdotis alterius non adsit copia, quem præsumat esse in statu gratiæ. Tertio, si dictus Sacerdos, quem novit esse in statu peccati mortalis, jam paratus sit, ad illud administrandum, Sacramentum, quod ab eo petiturus est, puta, si nunc actu & de facto sedeat in tribunali pœnitentiæ, ad confessiones accedentium excipiendas. Quas tres conditiones exigit laudatus Duacensis Professor, & quibuscum docet, in casu proposito licere, ab ejusmodi Sacerdote petere Sacramenta. En ipsius verba sunt: *A Ministro malo tolerato, cui non incumbit ministrare Sacramenta, licet ea petere, & recipere, quando est rationabilis causa petendi, & ipse paratus est ministrare; quia tunc est sufficiens causa negligendi peccatum ejus.* Quod probat comparatione illius, cui cum opus sit argento, licitum est ab usurario mutuam pecuniam petere, quando eum novit sic animo dispositum, ut unicuique primo petenti fœneretur argentum: *Qua ratione excusatur*, inquit, *qui mutuum petit ab usurario*. Deinde subjicit, si quæ desit ex præfatis conditionibus, jam ei non licere; nisi peccando, a prædicto Sacerdote petere Sacramentum; propterea qnod in isto casu præberet illi occasionem Deum offendendi: *Quia cum is ex officio non teneatur, nec tu habeas jus petendi ab illo, non debes ei offerre occasionem peccandi. Si paratus quidem sit, sed causa rationabilis desit, neque tunc licet ab eo petere, quia hoc esset dare illi occasionem peccandi; quamvis enim sit paratus, non tamen hic & nunc peccaret, nisi iste hic & nunc peteret.*

(f) Fr. Sylvius in 3. par. sum. S. Th. q. 64. a. 6. quæsito 3. conclus. 2.

Diximus: *Si prædictus Sacerdos aliunde nulla censura sit innodatus*. Si namque propter aliquod atrocissimum scelus ei nota aliqua censoria manifeste fuerit inusta, aut ipse de corpore Ecclesiæ resectus sit, jam nulla ratione licet ad eam accedere Sacramenta ab eo suscipienda: quoniam in eo casu non censeretur tolerari, atque, siquidem Ecclesia ab iisdem ministrandis eum summovisset, peccatum etiam contraheretur, vel ex eo solo, quod absque necessitate legitima per ipsius ministerium eadem sumereutur, quemadmodum jam evicimus ex auctoritatum testimoniis, quæ retulimus in superiori decisione, quibus addere licet testimonium illud Gregorii IX. (g): *Etsi quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum, constet esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari, quia quantum ad alios, etiam in casu proposito* (scilicet concubinatus) *suspensus non est, nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit*. In eoque sensu Canon illum accipiendus est (h), in quo Gregorius VII. fidelibus interdicit, ne præsentes adsint Divinis officiis, quæ celebrantur ab Ecclesiasticis scortatoribus. Neque enim laudatus Papa intelligit nisi publicos scortatores, ut evidenter colligitur ex plurimis aliis Canonibus (i).

(g) Greg. IX. in c. Quæsitum &c. de cohabit. cleric. & mulierum.

(h) Greg. VII. in can. Si qui 15. dist. 81.

(i) Alex. II. in c. Præter. &c. dist. 32. Nicolaus II. in can. Nullus 5. eadem dist.

Vide { ABSOLUTIO. CONFESSIO. PAROCHUS. }

SACRI-

Digitized by Google

SACRILEGIUM.

PEr verbum, SACRILEGIUM, proprie loquendo intelligitur, cum aliquis rebus quibusdam sanctis vel sacris abutitur, ad faciendas easdem profanas, sive quando quis iisdem utitur ad usus natura sua flagitiosos, qualia sunt veneficia atque incantamenta, sive usus isti non aliunde criminis sortiantur conditionem, quam ex eo quod res ad Religionem Divinumque cultum omnino consecratæ, ad profanum usum convertantur. Quod quidem Polmanus (a) egregie prorsus complectitur in ista definitione: *Sacrilegium est violatio rei sacræ.*

(a) Polman. p. 2. n. 993.

Jam vero, quæ consecrantur tum ad cultum Divinum, tum ad Religionem, rerum enumerantur tres species diversæ.

Quarum prima res ejusmodi continet, quæ sunt ex propria sua natura sanctæ, qualia sunt sacramenta & scriptura sacra, vel quæ Deo dedicantur, aut ab Ecclesia destinantur cultui, qui tum Deo, tum Religioni exhibendus est: qualia sunt vasa sacra, vestimenta, quæ proprio suo usu destinantur altarium ministerio, seu quæcumque aliæ res, quæ adhibentur ad exornationem templorum.

Secunda species sibi vindicat personas sacras, quales sunt, qui sacris ordinibus initiati sunt, & personæ Religiosæ.

Tertia vero recenset loca sancta, qualia sunt ea in quæ conveniunt Fideles, ad exercendam suam Religionem, seu quæ iisdem sepeliendis reservantur. Quamobrem sacrilegium admittitur.

1 Profanando scripturam sacram atque sacramenta; cum scilicet aliquis iis abutitur, eadem suscipiendo, aut administrando indigne, aut alia quacumque ratione polluendo.

2 Contumeliose habendo Crucem, quæ Redemptionis nostræ pretiosum est vexillum, seu sacras effigies Jesu Christi, Beatæ Virginis, vel Sanctorum.

3. Indigne sese gerendo erga sanctas Reliquias.

4. Conferendo ad seculares atque profanos usus vestimenta, quibus consueverunt Ecclesiastici indui, dum divinis rebus peragendis vacant, aut ceteras res, quæ templorum aut altarium exornationi destinantur: seu quæ particulari quadam consecratione vel ipsi Deo, vel cultui supremo, quo maxime Deus colendus est, ab Ecclesia dedicantur: qua quidem in re sacrilegii crimen olim cantraxit Rex Balthazar (b), quando voluit, ut, quæ de Templo Jerosolymitano Nabuchodonosor suus Pater abstulerat, vasa sacra apponerentur, ad bibendum in illo convivio, quo Magnates Imperii sui excepit, quod quidem scelus ultio Divina statim in ipsummet sacrilegum expiavit.

(b) Daniel. 5. 2. & 3.

5. Committitur quoque sacrilegium, percutiendo Clericum aliquem in sacris ordinibus constitutum, aut Religiosum aut Monialem, seu cum injurioso quodam facinore in eosdem sæviendo: quo quidem in casu, vel ipso solo facto in excommunicationem incurritur, ut verbis expressis declaravit Innocentius II. in Concilio Lateranensi anni 1139. (c): seu tandem quando vel ab ejusmodi personis impudicitiæ crimen admittitur, vel cum iisdem impudicum quid attentatur.

6. Tandem sacrilegii crimen suscipitur ex indigno atque profano abusu Altarium, Ecclesiarum seu Templorum, Cœmeteriorum, aliorumque sacrorum locorum, sive in iisdem indecorum quid agendo, quod dedeceat reverentiam iis debitam, vel propter eam, quæ eis inest, sanctitatem, vel propter divinum cultum, cui destinantur: quemadmodum, verbi gratia, quando fit ibidem homicidium (d), seu vel etiam aliqua tantum detruncatio, vel aliquis percutitur cum effusione sanguinis (e), vel etiam res aliqua profana furtive surripitur, aut in prædictis locis profani conventus habentur, qualescumque esse possint, aut ibidem sceleris aliquid perpetratur, aut aliquis denique denunciatus excommunicatus ibidem sepulturæ traditur (f).

(c) Conc Later. in cap Si quis suadente 29. 17. q. 4.

(d) Inn. III. in c. Proposuisti. 4. de consecrat. Ecclesiæ &c. l. 3. tit. 4.

(e) Idem in c. Consuluisti. 7. eod. t.

(f) Greg. IX. in c. Ecclesia fin. eod. tit. Bonif. VIII. in c. Si Ecclesiam unica eod. tit. in 6. l. 3. t. 21.

CA-

CASUS PRIMUS.

VITELLIUS, accepto furtive, in quodam Templo, horologio manuali argenteo, quærit, utrum furtum istud naturam contraxerit sacrilegii: numque sibi incumbat, verbis expressis in confessione, quam habiturus est declarare, a seipso præfatum furtum, in loco sacro, factum fuisse?

RESPONS.

Res est extra omnem controversiam posita, in eo Vitellium sese crimine sacrilegii constrinxisse. Enimvero, ut habet summus Pontifex Joannes VIII. in Canone quodam qui refertur in Decreto Gratiani (a), potest aliquod furtum triplici ratione naturam concipere sacrilegii. Primo quidem, quando sacra res aliqua surripitur de loco sacro, quale est templum. Secundo vero, cum profana res aliqua de sacro loco furtive accipitur, atque is casus est de quo agitur in proposita specie. Tertio denique cum de profano quodam loco sacra res aliqua aufertur: *Similiter sacrilegium committitur, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro*. Ex quibus verbis inferendum est, siquidem, furtum, quod fecit Vitellius, ex circumstantia loci speciem immutaverit, propterea quod furtum istud admiserit in loco sacro, atque in eo peccatum occurrat, quod virtuti Religionis adversetur, siquidem Religio obligationem inducat summæ reverentiæ habendarum rerum sacrarum: eum teneri omnino, ad illud idem in sacramentali Confessione declarandum.

(a) Joan. VIII. in can. Quisquis 21. 17. q. 4.

CASUS II.

POLYCARPUS cum testamento suo reliquisset summam 300. librar. in necessitates Fabricæ Parœciæ suæ impendendam, Faustinus ipsius hæres in ejus testamentum manus injecit, & ne compelleretur, ad istam pecuniam in ærarium Ecclesiæ referendam, illud idem flammis tradidit comburendum; num potest cum aliquo fundamento propugnari, injustitiæ, quam in ea re commisit, annexam esse labem sacrilegii, quod in Confessione sacramentali teneatur indigitare?

RESPONS.

Est hoc principii loco, loquendo generaliter, habendum, quod, ubi res aliqua, quæ legitimo jure cedit alicui Ecclesiæ, defraudatur, culpa contrahatur sacrilegii, atque 300. libræ, quas Polycarpus Fabricæ suæ Parœciæ testamento legaverat, proprii juris istius Ecclesiæ factæ sunt, eo ipso, quo Polycarpus decessit: Faustinus ergo non potuit easdem sibi retinere, quin ipso facto incurrerit in crimen sacrilegii, & obligatur ex stricto debito conscientiæ, ad habendam in sua Confessione expressam hujusce circumstantiæ mentionem; siquidem in ea re non occurrat tantummodo furtum, sed præterea quædam alia peccati species, quæ sacrilegium appellatur, & virtuti Religionis opponitur: juxta dictum illud S. Thomæ (b): *Est speciale peccatum, & opponitur Religioni*. Atque ea de re, qui crimen ejus generis admittit, non dicitur *sacrilegus*, nisi quia *sacra legit, id est furatur*, ut loquitur S. Isidorus Hispalensis (c). Habet hæc nostra decisio S. Gregorium magnum autorem, & refertur in Decreto Gratiani verbis istis (d): *Sacrilegium & contra leges est si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis suis tentaverit compendiis retinere*. Sacrilegos etiam eos esse, judicat quidam alius Canon, qui temerario ausu res Ecclesiasticas usurpant (e): *Damnamus & sacrilegos esse judicamus*. Cui consentit doctrina S. Thomæ, qui inter varias species sacrilegii, in quas aliquis impingere potest, eam potissimum recenset qua quis Ecclesiam aliquam defraudat iis quæ destinantur vel ejusdem exornationi, & ipsius sarto tecto integroque ædificio, vel subministrandis ejus Ministris, quæ tum ad eorum victum, tum ad eorum cultum necessaria sunt (f). Sic etiam fertur in Concilio Agatensi (g): *Clerici, aut sæculares (id est, Laici*, inquit Glossa) (h) *, qui obligationes parentum, aut donatas, aut Testamenta relictas, retinere præstiterint, aut id, quod ipsi donaverint Ecclesiis, vel Monasteriis, crediderint auferendum... velut necatores pauperum quousque reddant, excludantur Ecclesiis*; id est, ut habet citata Glossa (i), quanquam sacrilegii culpam contraxerint, non tamen excommunicantur *ipso jure*, sed merentur, quamobrem excommunicationis sententiæ subjiciantur *Argumentum, quod sacrilegi non sunt ipso jure excommunicati*.

(b) S. Th. 2. 2. q. 99. art. 2. in corp.

(c) S. Isidor. l. X. Etymolog. c. 18.

(d) S. Greg. in can. Sacrilegium 4. 17. q. 4.

(e) Can. Omnes. §. 17. q. 4. Can. Sicut 12. ead. causa & q. Joan. VIII. in can. Quisquis, 21. ibid.

(f) S. Th. 2. 2. q. 99. a. 3. in c.

(g) Conc. Agatens. in can Clerici. lib. 13 q. 1.

(h) Gloss. v. Seculares.

(i) Gloss. v. Excludantur.

SALTATIO.

SALTATIO vox, secundum Menagium, in suo Lexico etymologico, & Bochartum, derivatur a *tanza*, voce Arabica idem significante, aut ab Italica *danza*, aut a Germanica *dantz*, saltatio; aut *dantzen* saltare; hoc est ludere, gradu ire, se flectere, se incurvare, & erigere in numerum.

Variæ distinguuntur saltationes, sed nostrum non est de iis nunc dicere, & quæ dicenda haberemus non immutarent decisiones proponendas, adeoque ea singulatim enarrare inutile est.

Saltatio non est ex se criminalis, nec illicita, ut probat hoc Sapientis effatum (k): *Omnia tempus habent, tempus plangendi, tempus saltandi*, & sancto Regi David ipsi actus Religiosus fuit saltatio coram Arca fœderis, qua summum demonstrabat gaudium de ejus introitu in urbem Hierosolymam, ubi Templum erat in monte Sion exstructum (l): *Michol filia Saul, prospiciens per fenestram, vidit Regem David subsilientem & saltantem coram Domino*. Diversæ circumstantiæ, cum saltatione conjunctæ, eam non raro faciunt criminalem. Sapientis est Christiani ab ea abstinere. Ethnici ipsi perspicacissimi eam damnaverunt palam, teste Catone, qui putavit L. Murenam nolle insigniore afficere injuria quam exprobrando coram omnibus eum in Asiam missum ibi saltasse. Teste etiam Cicerone, dicente, insanos solum, aut immodico obrutos vino saltare: *Nemo saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto*. In posterum videbimus Patrum sententiam hoc in argumento.

(k) Eccl. 3. & 4.

(l) 2. Reg. 6. 16.

Omnibus fidelibus summa in saltando adhibenda est moderatio, sed potissimum modesti Ecclesiastici est ab omni abstinere saltatione: cum omnia ejus

acta

acta exemplo sint ceteris, fidelibus, & teneatur eos moderatione, & animo in se attento, nunquam cum saltatione convenientibus ædificare. Hanc ob rem Clemens V. in Concilio Generali Viennensi promulgavit data opera Constitutionem, ut cohiberet Clericos dissolutos qui infami corruptione inter eos vigente, cum Sæcularibus saltabant cum multa verorum fidelium offensione (a). Hæc morum dissolutio eo precessit, ut Sacerdotes ipsi saltarent eo die quo primam celebraverant Missam, & necessaria fuit auctoritas Judicum Sæcularium, qua huic atrocissimo abusui modus imponeretur. Arrestum Parlamenti Parisiensis, an. 1547. a Filliucio (b) relatum prohibuit eum. Idem abusus in Albigensi continuavit plaga ad an. 1604. usquequo Alphonsus ab Elbene, Episcopus Albigensis; eum abrogavit in Synodo, hanc ob rem coacta (c).

(a) Clemens V. in Clement. Gravi. 1. de celebrat. Miss. l. 8. t. 24.
(b) Filliuc. p. 2. t. 1. c. 5.
(c) D. Brillon Diction. Arrest. v. Danses. n. 2.

Ut saltationes publicæ, nomine *baladoire*, usitatæ diebus Dominicis, & præsertim diebus Festis in Patroni honorem, aliisque solemnibus Festis, damnosæ magis sunt privatis; Curia Suprema Conventuum Claromontii in Arvernis eas interdixit Arresto 14. Decembris 1665 mulcta 100. librarum omnibus Dominis judicibus Superioribus, eas permittentibus, imponenda.

In memorialibus Cleri libris (d) videre est multa Mandata Regum Galliarum, & multa Arresta similia, declaratione Regis 16 Decembr. 1698. in tabulas Parlamenti publicas relata 31 ejusdem mensis, confirmata. Item multa consulenda Concilia, & præ ceteris tria in margine laudata, omnibus Ecclesiasticis saltationes privatas strictissime interdicentia (e) Eas Sæcularibus ipsis damnosas indicavit Sacra Theologiæ Parisiensis Facultas Articulo 73. primæ partis sui doctrinæ Corporis, damnatis Comœdiæ adsidentibus & addit: *Idem judicandum de choræis, quæ vulgo blas vocantur, cetera vero saltationum genera periculosa* Idem dicendum de choræis, & in genere omnes saltationes habendæ sunt damnosæ.

(d) Memorl. Cleri tom. 1. tit. 2. c.
(e) Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de reform. Conc. Mediol. I. Conc. Burdigal. an. 1581. c. de vita & moribus Clericorum.

Dicemus in ultima decisione de currentibus & circumagentibus se in extento fune.

CASUS PRIMUS.

Maria Anna filia virtute prædita, quandoque in societate ad saltandum trahitur, Religioni id habet, & sic corde affecta ut ne minimum quidem peccatum veniale velit patrare libens, quærit num quædam sit saltatio ab omni aliena peccato?

Respons.

Si menti obversetur saltatio ut remissio animi & oblectatio, ne fractus & demissus evadat nimia intentione & nimia vitæ sanctitate, affirmamus eam ab omni peccato alienam, modoadsint omnes circumstantiæ requisitæ, quibus culpa vacet saltatio. Prima, ut saltantes saltent decenter, modeste & sine malo exemplo, nam alias non abesset peccatum, ut, v. gr. si Ecclesiasticus aut Religiosus, admodum levis saltaret. Secunda, ut fiat tempore lætitiæ, ut in nuptiis aut genialibus diebus, quorum Scriptura (f) nobis illustre suppeditat exemplum, referens Mariam, Aaronis & Mosis sororem, egressam, cum aliis mulieribus saltantibus, seorsim a viris, canendo hymnos in laudem Domini, populo Dei victore & Ægyptiis mari rubro immersis: *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua*, ait scriba sacer, *egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris*, &c. Huic addendum exemplum David (g) qui, Religione & pietate motus; saltavit coram Arca fœderis: *David saltabat totis viribus ante Dominum*. Tandem tertia conditio, qua saltatus peccato caret, est, ut honestum sancte observetur circa cantilenas, gestus, locum, tempus, aliasque circumstantias adjunctas. Id habemus ex S. Thoma. En locum integrum (h). *Quia enim impossibile est semper agere in vita activa & contemplativa, ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, & ut homo promptius vacet ad opera virtutum, & tali fine fiat de ludis cum aliis circumstantiis, erit actus virtutis, & poterit esse meritorius, si gratia informetur: istæ autem circumstantiæ videntur in ludo choreali observandæ (i). Ut non sit persona indecens, sicut Clericus, vel Religiosus, ut fit tempore lætitiæ, ut liberationis gratia, vel in nuptiis & hujusmodi, ut fiat cum honestis personis, & cum honesto cantu, & quod gestus non sint nimis lascivi, & si quæ hujusmodi sunt.*

(f) Exod. 15. 20. & 21.
(g) 2. Reg. 6. 14.
(h) S. Th. in c. 3. Isaiæ.
(i) Item Albert. Magn. in 4. sent. dist. 16. q. 43.

Hæ sunt conditiones, quas requirit S. Thomas in saltatione ut careat peccato, & sine quibus foret haud dubie mendosa & damnanda: quapropter addit: « Si autem fiant ad provocandum lasciviam, & secundum alias circumstantias, constat, quod actus vitiosus est », Quam ob causam S. Chrysostomus ait (k) Dæmonem interesse saltatibus lascivis, ludis ipsi pergratis, & quorum ope animas facilius perdit: *Ubi saltus lascivus, ibi Diabolus certe adest... his tripudiis Diabolus saltat*. S. Ambrosius (l), dicens de saltatione a qua tres conditiones, a S. Thoma notatæ, absunt, eam asserit comitem voluptatis, & impudicitiæ; *Deliciarum comes atque luxuriæ, saltatio*. Et alibi (m) dicit ebrium & insanum saltare. Hinc Theologus Ordinis S. Francisci dicit (n) choreas, aut saltationem, esse circulum, cujus centrum est Diabolus, aliique Dæmones circumferentia. « Chorea mundana est circulus cujus centrum est Diabolus, » & circumferentia, ejus Angeli circumstantes. Unde, infert nullam saltationem esse sine peccato: *Et ideo raro, aut nunquam sine peccato fit*. Perraro in saltatione concurrunt omnes conditiones, ac proinde est sine culpa: idcirco Sapiens gravi de causa hortatur vitandas esse saltatrices, ne lenocinia earum perdant animam (o): *Cum saltatrice ne assiduus sis... ne forte pereas in efficacia illius*. Mirari igitur non subit si Patres Ecclesiæ adeo inclementer in hoc oblectationis genus dixerint, cum circumstantiis loci, temporis, & personarum diversi sexus evadit ut plurimum vitiosa. Mariæ Annæ, de qua in quæsito proposito interest, ut in se ipsa circumstantias illas excutiat, & advertat num quidam saltatus fiat condemnandus, quo in casu purganda est peccato; cum, ut diximus, saltatio non sit ex se vitiosa, & solis adjunctis circumstantiis evadat mendosa.

(k) S. Chrysost. Hom. 49. in Matth.
(l) S. Ambros. l. 2. de pœnit. c. 6. & l. 4. Epist. 30.
(m) Idem lib. 3. de virg.
(n) Conr. Clingius in Catech. Catholic. l. 4. c. 14.
(o) Eccl. 9. 4.

CASUS II.

Severianus, Parochus oppiduli Provinciæ, non ignarus in amplitudine suæ Parœciæ fere omnibus diebus Dominicis & Festis convenire masculos & filias, palam saltantes in compitis post divina officia, & cantantes plerumque cantilenas venereas, quarum verba pudorem & modestiam sæpe lædunt, aut ad æquivoca, & in cassum acer in suis moralibus Evangelii interpretationibus clamavit adversus illam consuetudinem, negavit tandem absolutionem iis qui ad pœnitentiæ tribunal accesserunt, & in melius mutari neglexerunt multoties; sed hac severitate male audiens apud plerosque Parochianos, quærit num has possit sufferre saltationes, aut num debeat insistere in ablegandis sine absolutione iis qui negabant bonam recipere frugem, aut qui, postquam sæpe spoponderint iis abstinere, continuo aderunt illis conventibus, & saltabunt?

RESPONSIO.

Antequam huic fiat difficultati satis, præsupponendum est certissimum præceptum, nempe, quod dies Dominici & Festi solidi consecrantur cultui divino & sanctificationi fidelium; constituuntur ad satisfaciendum precibus aliisque pietatis exercitiis pro peccatis quibus operam dederunt reliquis diebus; destinatur studio rerum spiritualium, hoc est precibus, officiis divinis celebrandis, auditui verbi divini, piorum librorum lectioni, & aliis bonis operibus, juxta usus vitæ necessarios, & ingenium cujusque, & tandem destinantur in primis adorando Deo, celebrandis Religionis Mysteriis, honorandis & invocandis Sanctis, colendæ societati, quæ inter Sanctos in cælo & justos in terra intercedit, & studio imitandi Sanctos & se addendi exemplis virtutis quam expresserunt. Hic est finis solemnitatis illorum dierum, & modus eos celebrandi.

Hoc posito, dicimus nunquam vacare peccato eos, quovis nomine qui polluunt dies Dominicos & Festos ludis & resocillationibus mundanis, periculosis, aut scandalosis, ut sunt saltationes publicæ a juvenibus diversi sexus habitæ; hæ oblectationes efficacius valent avocare mentem & cor a contemplatione rerum divinarum, quam labor, aut commercium; persuasum sit, insumentes hoc tempus sanctum male, populo Dei veteri sontiores esse, qui huic se astrinxit violationi, & cui Deus denuntiavit per Prophetam (a) se horrere solemnitates male servatas: " Kalendas vestras, & solemnitates vestras odit anima mea, facta mihi sunt molesta. *Et alibi* (b): Odi & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum: *Et iterum* (c): Convertam festivitates vestras in luctum; Id est, execror dies festos vestros, quos institui, quia non sunt mei, neque meo inserviunt honori, sed vestri, sunt indigna pollutione vestra & vita dissolutiore. Sic interpretatur Tertullianus (d): Vestra Sabbata odit anima mea, *vestra dicendo, quæ secundum libidinem suam, non secundum Religionem Dei celebrando, sua jam, non Dei, fecerant.*

(a) Isai. 1. 14.
(b) Amos 5. 21.
(c) Ibid. c. 8. 10.
(d) Tertul. l. 2. contra Marcion. c. 22.

Dicendum est igitur, Parochum, de quo in quæsito proposito, teneri conscientia ut omnibus viribus resistat huic malæ consuetudini, imo absolutionem neget nolentibus ab ea abstinere, aut demonstrantibus suis in peccatum iteratis lapsibus promissa falsa & fide nulla digna. Experientia patefacit omnibus Confessariis quot pariant peccata hæ societates marium cum fœminis. Oculorum contuitus, risus immodici, verba ambigua, desideria libidinis, cantilenæ turpes & liberiores, licentiæ in usum tunc receptæ, ad peccatum trahunt & sæpissime peccatum mortale quosvis præsentes: inde dicunt Patres, in Concilio Parisiensi, an. 1212. Pontifice Innoc. III. habito, coacti, majorem esse culpam in hisce saltatibus exercendis, quam in aranda terra sancto die Dominico: *Teste Gregorio, melius est die Dominico arare, vel fodere, quam choræas ducere.*

In cassum reponens in quæsito proposito agi de saltantibus post divina officia. Totus dies est æque sacer: si non licet post celebrata officia divina operibus instare servilibus ex eo quod labor a rebus avertat spiritalibus, eo minus insistendum cantionibus profanis & saltatibus; quia longe magis valent oblivionem Dei & rerum omnium spiritualium inducere quam difficillimus labor, aut commercium operosissimum. Ideo S. Augustinus diu ante Concilium modo citatum dixerat minus peccatum laborare die Festo, quam adesse his saltationibus lascivis. Hanc ratiocinationem instituit S. Thomas (e): En ejus verba: " Quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale: ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Festo, quam qui aliud opus licitum facit. Unde Augustinus ait in libro de decem chordis ": Melius faceret Judæus in agro suo aliquod utile, quam si in theatro seditiosus existeret, & melius fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis suis impudice saltarent.

(e) S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.

Cum dictis omnino consentiunt plura Concilia: Laodicenum (f), Sancto Silvestro habitum saltationes interdicit, & in nuptiis. " Non oportet Christianos ad nuptias venientes, se turpiter & indecore gerere, vel saltare, sed modeste cœnare & prandere, ut decet Christianos ". Concilium Toletanum III. an. 589. Pelagio II. collectum (g) impiam decernit consuetudinem saltandi in solemnitatibus sanctorum, & Sacerdotibus & Magistratibus injungit ut abrogationi hujus perniciosi usus sit intenti per totam Hispaniam. Exterminanda omnino est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit: populi qui debent ad officia divina attendere, saltationibus & turpibus invigilant canticis; non solum sibi nocentes, sed & Religiosorum officiis. Hoc etenim ut ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum & Judicum a Concilio sancto curæ committitur ". Aliud Concilium Romæ an. 826. Eugenio II. coactum (h) agens de mulieribus, Ecclesiam petentibus, ut potius occasionem saltandi quærant quam orandi, dicit eas domum redire cum majoribus peccatis, cum accesserint ad Ecclesiam cum minoribus. " Sunt quidam, & maxime mulieres, qui festis ac sacris diebus atque Sanctorum natalitiis, non pro eorum quibus delectantur desideriis advenire, sed ballando, turpia verba decantando, choreas tenendo & ducendo, similitudinem Paganorum peragendo advenire procurant. Tales enim, si cum minoribus veniant ad Ecclesiam peccatis, cum majoribus revertuntur.

(f) Conc. Laodicen. can. 53.
(g) Conc. Tolet III. c. 23. in can. Irreligiosa. 2. de consecrat. dist. 3.
(h) Conc. Rom. sub Eugenio II. c. 35.

Concilium Provinciale Rothomagense an. 1581. (i) deflens dissolutos fidelium mores in diebus Festis, dicit Diabolum preces vertisse in saltatus, & institutiones in scurriles jocos *Diabolus eleemosynas vertit in crapulas, orationem in choreas, & concionem in scurrilitatem.* Plura alia Concilia Provincialia uno animo damnant saltationes in diebus Dominicis & Festis, ut Rhemense an. 1583. (K) Turonense eodem anno (l); Bituricense an. 1584. habitum (m); Aquense in Provincia an. 1585. (n), Aquileiense an. 1596. Clemente VIII. collectum (o); Mediolanense I. (p) in quo S. Carolus omnino interdicit saltatus in his sacris diebus. *Choreæ, saltationes in urbibus, suburbiis, oppidis, vicis, aut usquam omnino, ne agantur.* Burdigalense anno 1624. habitum (p) innovans Decretum primi, an. 1583. collecti, arctè inhibet ludos & saltatus, tanquam avocantes animum fidelium ab attentione rebus spiritualibus addenda tempore illo sacro. *Ut igitur dies festi contemplationi rerum cælestium, & illuminandis fidelium animis instituti, a populo sancte custodiantur, neque ullis comessationibus, ludis, choreis, & aliis excessibus profanentur, Decretum ultimi* (Concilii) *Provincialis innovantes, præcipimus illud ab omnibus observari.*

(i) Conc. Rotho an. 1581. t. de cultu divino in genere c. 4.
(K) Conc. Rhem t. de diebus Festis a. 5.
(l) Conc Turon. tit. de Festorum cultu.
(m) Conc. Bitur. tit. de invocat. sanctorum. &c.
(n) Conc. Aquense tit. de festorum dierum cultu.
(o) Conc. Aquilei. tit. de fest. dierum sanctificat.
(p) Conc. Mediol. 1. de fest. cultu.

Reges Galliæ, Legum Ecclesiasticarum Patroni, multa Edicta Conciliis consentanea ediderunt. Franciscus I. Diplomate 7. Januarii 1526. ad Præfectum Urbanum, & ad Meldenses, Sylvanectenses & Valesienses Baillivios misso, prohibet omnes saltationes publicas diebus Dominicis & Festis. Hoc interdictum iterat Carolus IX. Edicto mensis Januarii 1560. (q) & Henricus III. Edicto mensis

(q) Conc. Burdig. t. de festis.

Maji

Digitized by Google

Maji 1579. (*a*). Hoc confirmatur Edictis Ludovici XIII. an. 1610. & Ludovici Magni 16. Decembris 1698. in Actis Parlamenti 31. ejusdem mensis perscripto, relato in exscriptis Actis rei gestæ a cœtu generali Cleri Gallici an. 1700. (*b*). His addendum Arrestum Consilii de rebus ad Regnum pertinentibus, 1666. promulgatum 14. Decembris 1665. editum in Curia Comitiorum, & plura alia in Parlamento relata 15. Octobris 1588. & 3. Septembris 1667. omnia saltationes publicas diebus Dominicis vetantia, juxta Decreta Conciliorum laudatorum, quorum plura interminantur anathemata non obedientibus.

(*a*) Juxta. Blesen. a. 28.

(*b*) Pag. 97.

Hæc decisio, cui forte inhæsimus diutius, continet præcepta, mundanis ingrata, & hanc ob rem fulcienda rationibus, quibus nihil objici possit. Nunc superest conclusio, qua quicunque auctoritate valentes, in foro exteriori & in foro interno nihil non agant ut pereat consuetudo, Paganismum potius redolens quam Religionem Christianam, eo facilius exequentur Pastores, quo Edicta Regum & Arresta Curiarum Supremarum favent eorum zelo, ut vidimus.

CASUS III.

Julius, in ampla Urbe clarus suo ingenio, & facultate oblectandi populum argutiis, facetiis, & variis dexteritatibus & præstigiis, volens Jubileum obtinere, Onesiphorum adivit, Parœciæ Confessarium, & se insimulavit saltasse & in fune extento circumegisse, vocesque quasdam æquivocas, honestum palam non lædentes, protulisse refocillationis causa. Onesiphorus interpellans. nisus est animum inducere ut arti valediceret mundanæ, ipsi & præsentibus nocivæ: sed Julius, vivens ope artis suæ, nec ullam callens aliam, qua victum quærat, respondit Onesiphoro se non teneri conscientia ut suæ nuncium mittat arti, quum alia ratione vivere nequeat: Leges Principis neminem ab ea arcere, contra a Judicibus Politicis emanasse sæpe Edicta faventia sibi, & tandem nullum Confessarium hac in re eum anxisse, saltem negando absolutionem. Quæritur 1. num rationes, quibus innititur Julius, eum excusent, & num Confessarius possit absolvere, confessione nullum obicem ponente? 2. Num præsentes, qui nolunt abstinere ab iis spectaculis, in posterum possint absolutione admitti ad Jubileum.

RESPONSIO.

In Sermone hujus tituli præliminari diximus de saltatione in genere, antequam duabus propositis fiat difficultatibus satis, sciendum est *funambulum* sic a Terentio post Messalam Corvinum dictum, constantem ex *funis* & *ambulo* vocibus aut *petauristam*, secundum Varronem, aut tandem *neurobaten* & *schœnobatem*, juxta Suetonium in lingua Græca idem sonantes, esse eundem per extentum funem duobus palis oppositis alligatum, septem aut octo pedibus a terra altum, cum vel sine libramento.

Funambulus dicitur se circumagere, cum in fune laxo, quem movet a dextra ad sinistram, & a sinistra ad dextram, varias agit dexteritates, sive faciendo quod illi dicunt *est rapade* & *double est rapade*: sive dejectum fingendo hæret poplite, calce, mento & collo, aut alia ratione.

Hæc est idea talium ludorum. Qui pleniorem hujus argumenti cognitionem acquirere avent, consulant doctum opus D. de la Mare, *Tractatus de Politia* inscriptum (*c*). Nunc perpendamus an liceat absque peccato hujusmodi spectaculis se oblectare: Respondemus 1. hanc artem esse illicitam & eam exercentibus ab ea abstinendum esse penitus, quum nequeat cum præcipuis Christiani officiis congruere.

(*c*) D. de la Mare l. 3. t. 3. pag. 431. & seq.

Primum principium, cui hæc innititur decisio, deducitur e Scriptura. Divus Paulus, ad primos fideles Corinthios scribens (*d*), jubet eos omnia referre ad Dei gloriam: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis, omnia ad Dei gloriam facite*. Hanc doctrinam Apostolicam sequuntur, Thomas, & Theologi celeberrimi & oculatissimi, eam, non tanquam consilium, sed tanquam verum præceptum habentes, ut innumeri Theologiæ Doctores, his Apostoli verbis nixi docuerunt, „ instar præcepti necesse est, ad Deum tanquam „ ad ultimum finem, referre actus humanos, non „ solum interpretative, sed etiam actu, aut saltem virtualiter. Actus humani ad Deum, tanquam ad finem ultimum, non solum interpretative, sed etiam actu, aut virtualiter, ex „ præcepto debent referri “. Hæc eorum verba.

(*d*) 1. Cor. 10. 31.

Potestne asseri saltantibus & in fune se circumagentibus, & spectatoribus animum esse ut placeant Deo, & gloria eum afficiant debita, huic jucunditatis se dare? Potestne affirmari eos de eo cogitare in loco & in cœtu, cupiditati & desiderio explendis apprime idoneo? *An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic, ubi nihil est de Deo*: ait Tertullianus (*e*), contra perspicuum est constatque inter omnes, funambulum hac turpi arte vanitati & cupiditati solum satisfaciendæ intentum, & pecunia spectatores quærere tantummodo novi desiderium & voluptatem. Sed ulterius progrediamur, & supponamus aliquem hanc oblectationem ad Deum, tanquam ad finem ultimum referre, potestne credere, sine ignorantia alta & cæcitate summa, hoc sacrificium fore Deo gratum? Non sufficit Deo offerre actum ut ipsi placeat: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* ait Apostolus (*f*), debet ab ea abesse peccatum: hoc competit solitis spectacula profana & stricte ab Ecclesia interdicta aliorum subjicere oculis, nec ad illud aliquid conferentibus. Nam iis indulgere oblectationibus impossibile est, nec cupiditati se dare, quum, ut docet Tertullianus (*g*), posita est in voluptatibus visus & auditus æque ac in amore divitiarum, honorum & immoderati potus. “ “ Nam, sicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, „ ira & voluptatis concupiscentia est ..... species „ autem voluptatis .....spectacula..... ubi enim vo„luptas, ibi & studium, per quod scilicet voluptas „ sapit ..... nemo ad voluptatem venit sine affectu „ sine casibus suis patitur “. Solum, inquit, spiritualibus voluptatibus Christianus debet affici. Et quænam voluptates gratæ, quas Deus omnibus Fidelibus delibandas præbet abunde? Nonne Jesum Christum eos morte sua reconciliavisse cum Patre, Deum iis patefecisse veritates æternas, & revocare ab erroribus; tot crimina antea patrata condonasse, & parere fastidium & contemptum omnium quæ mundo placent & voluptati sunt. “ Quid tam jucundius quam Dei Patris & „ Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, „ quam errorum recognitio, quam tantorum re„tro criminum venia? Quæ major voluptas quam „ fastidium ipsius voluptatis; quam sæculi totius „ contemptus “; Hæ voluptates & spectacula Christianis digna, voluptates æque sanctæ & perpetuæ ac gratuitæ: *Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum Sancta, perpetua, & gratuita*. His utendum Christiano, illæque ad Deum, tanquam ad fontem & finem ultimum, referendæ, & si abutatur, ingrati animi vitio afficit ejus bonitatem infinitam: *Cur tam ingratus es*, addit idem Author (*h*), *ut tot & tales voluptates a Deo contributas tibi, satis non habeas, neque recognoscas?* Ea spectaculis sæculi Deo ingratis deducendum est cum eodem Tertulliano ea esse Diaboli figmentum & ipsi soli placere: *Nihil non Diaboli est, quicquid Dei non est, vel Deo displicet. Hoc est pompa Diaboli, adversus quam signaculo fidei ejeramus* *. Hoc adeo perspicuum est inter omnes, ut juxta eundem Auctorem; eum dicerent Ethnici Christianum, qui omnia repudiavit spectacula: *Atque hinc vel maxime intelligunt factum Christianum de repudio spectaculorum*.

(*e*) Tertul. de spectaculis c.

(*f*) Cor. 6. 15.

(*g*) Idem ib. c. 25.

(*h*) Idem ib. c. 29.

* Id est jeuramus, abjuramus, renuntiamus atque abdicamus. Pamelius.

Non est necesse dicere Tertullianum omnibus illis in locis spectacula & theatria apparatus in animo habuisse; nam loquitur 1. de omnibus spectaculis. 2. Funambulis nonne sunt theatra ut & Comœdis? Nonne agunt fabulam quam *comicam denominant* ipsi? Pernotus est eorum sermo dissolutus, insanorum amorum fabulæ & verba indecentia cor auditorum corrumpentia. Quam odiosa igitur sit

hæc

Digitized by Google

hæc ars quibus superest aliquid Religionis & pudoris, hæc dicenda videntur ex primo principio, quo nititur nostra decisio.

Secundum principium, quo fulcitur nostra sententia est, res per se licita potest evadere illicita & interdicta, ob periculum peccati, circumstantiis suis adjuncti. Exempli gratia, fatentur omnes, juramentum esse licitum, & actum religiosum, modo, tres, quas exigit Jeremias Propheta (*a*) adsint conditiones, ut videbimus: attamen Jesus Christus illud indistincte vetat his Evangelii verbis (*b*): *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, ... sit autem sermo vester, est, est; non, non, quod autem abundantius est, a malo est*. Ratio, quam affert Sanctus Augustinus, est imminere periculum ne falsum juretur, potissimum cum mos est juramento dicta affirmare (*c*). *Ita ergo præcepisse Dominum intelligitur, ne juretur; ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur, & alibi* (*d*), *in novo Testamento dictum est, ne omnino juremus, quod mihi quidem propterea dictum videtur, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare, immane peccatum est*. Hæc in ultima verba Auctor Glossæ id cum judicio observat. *Argumentum, quod quandoque prohibetur aliquid non propter se, sed propter aliud quod inde sequi potest*: Quod probat Canone ex Scriptis Sancti Hieronymi deprompto (*e*), alio ex Scriptis S. Isidori Hispalensis a Gratiano excerpto (*f*), & aliis hujusmodi argumentis.

Huic principio patrocinatur aliud exemplum ab Apostolo suppeditatum, dicente (*g*), si quem Fidelem vocat ad convivium Infidelis, omnino potest sine scrupulo cibos edere appositos, sed si quis dixerit illos cibos idolis oblatos esse, ab eorum esu abstinendum, ne offendat eum qui indicavit. *Si quis vocat vos Infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate: nihil interrogantes propter conscientiam: si quis autem dixerit, hoc immolatum est Idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius*. Tertium addemus exemplum, nempe, ludos militares, & certamina, verbis depravatæ latinitatis *torneamenta* dicta, & quæ Gotofredus II. Baro Privilli Galliam introduxit an. 1066. (*h*) severe interdicta a Concilio Generali Lateranensi III. (*i*) & ab Alexandro Papa III. sub cujus Pontificatu habitum est an. 1179. quia plures athletæ, vires, & dexteritatem ostentaturi, vitam miserrime finiebant.

Nemo autem diffiteri potest, per extentum funem eunti & in eo se circumagenti imminens esse periculum vitæ, aut saltem vulneris mortiferi; aut corporis casu effracti, cum ad cadendum sufficiat vertigo aut caligatio a motu suborta, aut pura mentis evagatio, nata debili imaginatione, aut subita spectatorum clamore, qui eum lapsurum putant, eo temporis intervallo, quo casum fingit, & se continet, capite deorsum sub fune pensili. Ut igitur nunquam licet ejusmodi mali periculum subire, arbitramur 1. periculum illud adeuntem non posse peccato mortali purgari, ac proinde deponendam ipsi esse hanc artem, alias non posse debite absolutionem & Jubilæum obtinere. 2. Omnes spectatores pecunia sua incitantes ad se oblectandum primo sermonibus dissolutis & verbis æquivocis & indecentibus, graviter peccare, cum, ut ait Tertullianus (*K*), vero Christiano sit horrori quicquid lædit morum sanctitatem, nec possit lubens audire sine peccata: *Quod si nobis omnis impudicitia exsecranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet?* Sed etiamsi Auctor nullos proferret sermones dissolutos, & auditorum oppleret aures scurrilitate & facetiis jocosis (quod perrarum) non possent audire cum affectu sine peccato. „ Cum etiam scurrilitatem & omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus: *addit idem Actor*, cur æque liceat videre, quæ facere flagitiosum est „; Tandem spectatores, pecunia sua non solum ad scurrilem dicacitatem & sermones licentiosiores, sed & ad periculum mortis conferunt.

Ceterum dicta hactenus de funambulis & in fune se circumagentibus demonstrant, proculdubio, idem indubitanter constare plenius de uxoribus & filiabus eorum, eandem exercentium artem: quippe exercentes violant omnes regulas pressius sexui, a decore, modestia & pudore præscriptas, ac latenes si Romani, licet Ethnici, meretriciam personam saltatricibus imposuerint, ut testatur a Rochefort (*l*), quid cogitassent de iis quæ audacter in publicum prodeuntes, interioribus feminalibus, e materia levi factis, vestitæ, circumagunt se in fune, si suo, ut nostro ævo visæ fuissent.

(*a*) Jerem. 4. 2.
(*b*) Matth. 5. 34. & 37.
(*c*) S. Aug. in can. Ita 5. 22. q. 1.
(*d*) Idem in Can. In Novo 3. & in Can. Non est ibid.
(*e*) Can. Noli te 2. 2. XI. q. 3.
(*f*) Can. Ideo. 25. dist. 17.
(*g*) 1 Cor. 10. 27. 28 & 30.
(*h*) Du Cange v. Torneamenta.
(*i*) Conc. Lateran. III c. 20. Fallens. 1 & 2. Ad audientiam. 1. de torneamentis l. 5. D 13.
(*K*) Tertull. loc. c. c. 17.
(*l*) Cæsar Rochefort Diction general & curios. v. Saltatio.

SARCINATOR.

Vox gallica *Tailleur*, plurimes sortitur intellectus. 1. Namque solet usurpari, juxta eum, qui obtinet, monetalem usum. Ista nominis appellatione donatur Minister ille generalis, qui monetalibus omnibus officinis in toto Gallorum Regno diffusis præponitur, eodemque nomine designantur inferiores alii ministri, qui singuli singulis urbibus destinantur, iu quibus nummi cuduntur. Prior Minister distribuit omnes pungiunculos effigiei, & matrices, quibus uti debent ministri posteriores.

2. Dicitur idiomate Gallico *Tailleur de pierre*, ille qui lapides secat atque ita disponit, ut in ædificandum aliquod opus Architecturæ possint venire.

3. Appellatur etiam gallice *Tailleur*, qui vestes sive virorum, sive mulierum concinnat, latine vero *sartor*, aut *sarcinator*, atque in eo sensu posteriori tantummodo vocem istam *Tailleur*, accipimus in hocce præsenti titulo, in quo de iis potissimum agitur, quæ sarcinatoribus vel licent, vel interdicuntur.

CASUS PRIMUS.

Hubertus muliebris sarcinator ejusmodi vestes ab anno conficit, quas sibi solent induere pleræque virgines ac mulieres his hodiernis temporibus, quibusque pectus illarum ultra modum adeo nudatur, ut inde facile possint homines in peccatum induci; Plurimum adhortatur est eum ipsius Confessarius, ne vestes ejusmodi deinceps concinnaret, at ei respondit, non posse se, ab ejusmodi vestibus conficiendis abstinere, quia eo ipso, quam dare consuevit, opera quotidiana penitus imminuatur, ejusdemque denique fiat omnino vacuus, quoniam novus ille mos ubique fere jam obtinuit, adeoque quin inde sibi periculum immineat, in eam rerum angustiam cito citius deveniendi, qua sibi locus omnis eripiatur propriæ suæ vitæ sustentandæ: num potest prædictus sarcinator, ad quem sese conformare incœpit, novum prædictum morem recta conscientia retineta?

Re-

R E S P O N S.

Antequam propositæ difficultati sua sit responsio, ponendum est tanquam indubitatum principium, extare quasdam artes seu quædam artificia, quæ non possunt omnino citra peccatum exerceri; qualis est ars, quæ tota reposita est in effingendis aut fabricandis Idolis: vel in quibuscumque rebus conficiendis, quæ natura sua pertineant ad cultum idololatriæ: quando eo fine conficiuntur, ut fictis numinibus colendis quaqua ratione possint inservire. Ratio est: quia res ejusmodi ex seipsis atque directe impellunt ad peccatum: at vero quædam aliæ artes, seu alia quædam artificia vigent, quæ sine peccato possunt factitari, quanquam possit inde aliquando consequi peccatum: quoniam opera, quæ conficiuntur ab iis, qui tractant ejusmodi artes, ex se ipsis non conducunt ad peccatum: Tales sunt eorum artes, qui dant operam armis fabricandis atque poliendis, & aliæ hujusmodi. Quod principium autorem habet Sanctum Thomam, qui sic habet (*a*): *Si quæ ars est ad facieadum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi; puta, si quis fabricaret idola, vel aliqua, ad cultum idololatriæ pertinentia: Si qua vero ars sit cuius operibus homines possunt bene, & male uti, sicut gladii, sagittæ &, alia hujusmodi, usus talium artium non est peccatum.*

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4.

Quo posito principio, possumus asserere, Duce nostræ ætatis insigniore quodam Theologo (*b*), posse citra peccatum ab Huberto muliebres vestes concinnari, quales indui consueverunt ab aliquo tempore; quoniam certissimum est, easdem ex propria sua natura non inducere ad impudicitiam, neque obstare, ne mulieres, & virgines possint, ut decet, suum pectus alia ratione velare. Adeoque non ipsarum penitus vitio vestium, sed animo potius inverecundo, ostentationis cupido, ac plurimum depravato, cui mirum in modum addicuntur, imputandum est, quod nudatas mammas suas expudorata fronte ostendant.

(*b*) De Sté. Beuve tom. 3. cas. 185.

C A S U S II.

Sergius sarcinator, petente Matrona, curam suscepit emendarum ipsius nomine duodecim aut quindecim ulnarum serici panni, ad eidem tum pallam, cum supparum inferius, concinnanda; quas quidem panni totidem ulnas reperit apud certum quemdam Mercatorem, & inter eos convenit pro unaquaque ulna de pretio 8. librarum; at quoniam advertit, prædicti panni unam ulnam simul cum dimidia quantum ad tincturam peccare, de pacto universo pretio nummum unum, consentiente Mercatore, deducit. Sergius apud se redux eam rationem assequitur, ad vestem prædictæ Matronæ conficiendam, memorati panni ita secandi, ut, quod tincturæ vitio fœdatur, intra pallæ sinus obvolvat. Qua de re quæritur, utrum possit sine injuria repetere, partem istam vitiosi panni sibi a Matrona persolvi eodem pecuniæ pretio, quo ei panni ejusdem reliquum persolvendum est, & nummum sibi retinere tanquam industriæ suæ mercedem?

R E S P O N S.

Non existimamus, quod, consentiente Mercatore, Sergius in casu proposito deduxit, in rem ipsius atque commodum posse legitima ulla ratione vertere; in eamque sententiam adducimur plurimis potissimum de causis.

Prima quidem ducimus ex ipsamet illius definitione, quod *Mandatum* dicitur, hoc est, res quæ committitur alicui gerenda. En quibus verbis concipitur (*c*); *Mandatum est, conventio, qua roganti fides datur procurandi aliquid sine mercede*, ut alibi fertur (*d*), *Mandatum, est conventio, qua is, qui quid rogatur, procuratoris animo id se recipit gratuito daturum facturumve*. Seu tandem, ut habet Glossa (*e*): *Mandatum, est officium gratuitum ab eo, qui susceperit, exhibendum.* Quibus prædictis definitionibus patet, mandatum quodcumque necessario committendum atque suscipiendum esse sine mercede. *Mandatum, nisi gratuitum, nullum est*, inquit Lex (*f*) 22. *Nam originem ex officio atque amicitia trahit.* Alioquin jam non esset veri nominis mandatum; sed contractus locationis, qui solet appellari *locatio operarum*, juxta prædictam eandem Legem, quæ sic subjicit: *Contrarium est ergo officio merces: interveniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius respicit.* Ex quibus colligere licet siquidem Sarcinator, de quo quæstio controvertitur, quod ei Matrona dedit emendi sibi serici panni, Mandatum acceptaverit, ab eo debuisse illud gratuito peragi, eademque ratione rem istam tractari, qua revera egisset, si res ad propriam ipsius causam pertinuisset, absque eo quod posset quidquam inde sperare mercedis: adeoque liceret ei retinere sibi aliquid secreti emolumenti, de prædicto panno, quod emit. Adeo ut, cum sese aliter gesserit, damnum præstare teneatur ipsi Matronæ, quæ ei negotium gerendum mandavit, juxta principium illud, quod habetur ex dispositione alterius Legis (*g*). *Mandatarius decipiens mandantem, tenetur mandati* (actione). Atque ea de causa liberum unicuique permittitur mandatum sibi factum aut acceptare aut omnino denegare. *Voluntatis est enim suscipere mandatum* (*h*); ut loquitur Imperator Justinianus (*i*): *Mandatum non suscipere, cuilibet liberum est.*

(*c*) Rub. t. 1. lib. 17. ff. mandati, vel contra.
(*d*) Rub. tit. 35. lib. 4. cod. mandat. &c.
(*e*) Glossa 3. Mandat. 9. t. 27. l. 3. instit.
(*f*) Leg. obligatio §. 2. ff. mandati, vel contra.
(*g*) Leg. Si mandavero. 42. ff. cod. tit.
(*h*) Leg. In commodato. 17. §. 3. ff. commodati, vel contra l. 23. t. 7.
(*i*) Lib. 3. Instit. t. 27. de Mandato §. 11.

Altera ratio, qua plurimum innititur, est, quia in suscipiendo aliquo mandato, *intentio mandantis consideranda est*, ait Glossa in duas Decretales ad marginem indicatas (*k*). Jam vero manifestum est, non intendisse, nec tacite, nec verbis expressis, ipsam Matronam, quæ mandatum prædictum Sergio dedit, ut quidquam lucri in emendo dicto panno capesseret: quin potius plurimus conjiciendi locus adest, si prævidisset, ejusmodi lucrum occultum ei cessurum ex panno quantum ad tincturam vitioso, quod in ipsius usum adhibiturus esset: futurum profecto fuisse, ut ipsamet pannum sibi necessarium emisset, aut ejusdem emendi mandatum fecisset cuivis alteri, cujus fidem habuisset exploratiorem. Ergo prædictus Sarcinator, invita præfata Matrona, lucrum istud sibi vindicavit; adeoque plurimum violatis tum justitia, tum fide, quibus debebat ipsius mandatum exequi.

(*k*) Glossa in c. mandatum 18. de rescript. t. 1. 3. item Gloss. in c. Super 15. de officia delegati.

In exponenda quæstione innuitur, fortasse jus illud ei cessisse, ut pecuniam istam tanquam debitam industriæ suæ mercedem potuerit clanculum sibi retinere. At respondendum est, eum totum, utpote Mandatarium, incumbere debuisse in illud potissimum, ut quidquid industriæ valebat, converteret in ipsius Matronæ commodum. Videtur etenim certissimum, non alio fine eam ipsius opera fuisse usum in emendo suo panno, quam quia persuasissimum habebat, virum ejusmodi, qui Sarcinatoris artem exercet, industria majori valere, & esse justi pannorum pretii æstimatorem magis expertum, quam alius quicumque, cujus adhibere sibi potuisset ministerium. Ipsius igitur industria consideranda est in præsenti casu, tanquam ipsius personæ necessaria individuaque comes: nihil proinde lucri inde sumere sibi potuit in damnum prædictæ Matronæ: Aliunde vero, quæ tantum extollitur, ipsius industria non innititur in prædicto casu, nisi fraude, qua usus est, pannum vitiosum scilicet sic obvolvendo, ut posset panni ab omni vitio sani atque integri rationem præ se ferre. Industriam igitur ejusmodi nullatenus potuit in proprium suum commodum convertere: siquidem fundamentum suum ex injustitia fraudeque potissimum ista repeteret.

C A S U S III.

Arnoldus Sarcinator, vestem Hieronymi confecit, cui adhibuit bombycem, globulos, limbos, assutum intrinsecus vesti pannum, aliasque minutiores suppeditationes, quæ omnia emit apud quemdam Seplasiarium librarum 37. pretio: Verum quoniam in iisdem emendis temporis omnino plurimum insumpsit: exegit, ab eo sibi rependi summam 40. librarum, tum ut ereptæ sibi operæ sumeret compensationem, tum etiam propterea quod prædictas minutiores suppeditationes parvo sibi curaverit

RESPONS.

Idem prorsus asserendum est de sarcinatoribus, qui retinent ejusmodi particulas recisamentaque pannorum, ac de iis, qui plurima minutiora furta faciunt, eaque ratione rem suam efficiunt locupletiorem. Ut enim in emendo ac vendendo justum pretium rerum desumendum est ex communi hominum æstimatione, cum pretium illud non est aliqua publica autoritate statutum: neque res vendi possunt ultra justum suum pretium consuetum, & communi usu vulgatum; sic etiam, quando sarcinatores pro suo manupretio recipiunt, quæ eidem affigi solet, mercedem: non possunt in proprium suum commodum convertere, quæ sibi supersunt, pannorum recisamenta, sub prætextu damni quidpiam compensandi, eo quod ipsorum manupretio satis congruo merces non rependatur. Aliunde vero, siquidem consentiant, futurum ut, interveniente consueto pretio, suam operam elocent: exigit bona fides, ut, quem inierunt cum iis, qui eorum utuntur opera, exequantur contractum tacitum *do ut facias*, absque eo quod eis ulla ratione liceat, quam cupiditas suggerit, prætensam justitiam sibimetipsis autoritate privata vindicare. Concludimus igitur, nullatenus posse a Jovio, nisi consentientibus iis, quorum juris sunt, quæ supersunt, pannorum recisamenta retineri (*a*).

Nec juvat illud, quod prædictus sarcinator allegat in propriam suam excusationem, nimirum abs sese temporis & operæ plurimum insumi in emendis pannis, neque sibi ea de re mercedis quidquam unquam accedere: ut enimvero jam observavimus alibi, * ipsa merces tum operæ, quam dant sarcinatores ejusmodi rebus emendis, temporisque quod in iis insumunt, censetur omnino rependi cum ipsa pecunia, quæ pro eorum manupretio persolvitur. Quamobrem Jovius, cui notus omnino est generalis ejusmodi usus, qui ubique passim obtinet, non potest, sine injustitia, compensationem occultam ea de re sibi sumere: neque revera est ullus sarcinator, qui vel animo adjiciat, vel ausit inter colligendas suas rationes recensere eum articulum, qui spectet ad illud tempus, quod sibi ereptum est: propterea quod nimirum sit ei omnino persuasissimum sese quantum ad eam rem nullatenus esse audiendum.

(*a*) Colloq. Condom. to. 1. colloq. 25. sect. 3.

* Vide secundam decisionem.

CASUS VI.

MATTHIAS sarcinator rogatus a Sebastiano ut vellet sese comitem adjungere cum eo accessurum ad aliquem pannorum propolam, quo ei auxilio foret in emendis decem pannorum ulnis, quas sibi conficiendæ vesti vult adhibere, illum deducit ad quemdam Mercatorem, qui vendit Sebastiano ulnam panni duabus libris ultra carissimum pretium, cui rei Matthias non audens obstare, patitur virum prædictum defraudari, sive propterea quod Mercator ipsius sit intimus amicus, sive quia pecuniam illi debet de pannis, quæ ab eo proprio suo nomine emit. Obligaturne prædictus Sarcinator ad aliquam restitutionem erga Sebastianum?

RESPONS.

Prædictus Sarcinator simul cum Mercatore tenetur in solidum, ad restituendum Sebastiano. Cujus rei ratio ultro patet: ipse etenim est author damni, quod Sebastianus passus fuit: siquidem eo ipso, quo cessit ipsius precibus, semetipsum tacite, & consequenter obligavit, ad agendum, ne quacumque ratione in emendis suis me cibus circumveniretur: Siquidem eum fugere nullatenus posset, non alio fine sese a Sebastiano rogari, ut tum sua præsentia, tum suo consilio ei adesset, nisi potissimum, ne quo sibi opus erat, pannum cariori pretio emeret. Est ergo indubitatum, eum esse omnino culpabilem juxta principium istud S. Thomæ (*b*): *Dare alicui occasionem periculi, vel damni, semper est illicitum*. Quod quidem principium innititur Decretali quadam Gregorii IX. (*c*), in qua fertur sic: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti .... jure super his satisfacere te oportet*. Neque quidquam e proprio suo silentio recipit excusationis: quippe qui obligaretur ad loquendum, ut fraudi & injustitiæ Mercatoris locum omnem eriperet: & merito dici possit, eum vere favisse ac succurrisse Mercatori ex suo silentio, ut venderet iniquiori pretio suas merces Sebastiano, a quo non fuerat appellatus, nisi, ut de justo earumdem pretio sincere atque aperte judicaret. Quin etiam dicendum est, ipsius silentium considerandum esse quasi realem utrique neminis fraudem juxta sequentia verba S. Thomæ (*d*): *Fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius*. Quoniam vero peccatum ejus generis adversatur justitiæ: obligatur, ad illud damnum, quod Matthias inde sensit, reparandum: si Mercator, cui eadem obligatio principaliter atque primario inducitur, nullam ea de re præstet ei damni compensationem (*e*).

Vide EMPTIO. Casu XVIII.

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3. in corp.

(*c*) Greg. IX. in c. si culpa fin. de injur. & damno dato l. 5. t. 36.

(*d*) S. Thom. cit. q. 77. a. 1. in corp.

(*e*) Fran. de Gen. th. mor. to. 1. t. 3. q. 4.

SCANDALUM.

SIc solent Theologi Scandalum definire (*f*), *Scandalum, est offendiculum spirituale quo quis offendit & in peccatum ruit*.

Scandalum vel est activum, vel passivum; hoc est aut oblatum, aut acceptum.

Placet iisdem Theologis hæc definitio scandali, quod activum dicitur, quæ sibi potissimum vindicat authoritatem Tertulliani (*g*)! *Dictum vel factum minus rectum, proximo præbens occasionem ruinæ spiritualis*: Qua quidem in definitione interponenda sunt isthæc verba, *omissio dicti vel facti*. Quanquam enim istud ex natura sua non habeat conditionem peccati, quod aliquod prætermittatur aut taceatur: potest tamen contingere, propter quasdam circumstantias in eo peccatum aliquod intercedere, si nimirum urgeat obligatio vel aliquid loquendi, vel aliquid faciendi, ne proximo præbeatur locus offensionis.

1. Cum dicitur, *proximo præbens occasionem ruinæ spiritualis*: supponendum est, personam, quæ præbet occasionem offensionis, intendere potissimum vel dedita opera, vel interpretative saltem, locum offensionis afferre proximo: quanquam contingere possit, futurum ut ipsius actus apud eum nullam habeat offensionem.

2. Si dedita opera scandalum intendatur; tunc scandalum apertum est,

(*f*) Polm. p. 2. 2. n. 254.

(*g*) Tert. l. de velandis virg. c. 8.

dimittenda. Debet ergo prædictus Parochus isti potissimum principio stare. Adeo ut non magis attendendum sit ad querimonias, & murmurationes eorum, apud quos bonum illud opus rationem habet scandali, quam sapiens aliquis Paterfamilias eruot conquestiones, in quas sese effundit filiorum suorum intemperies, dum eorum vitia reprehendit; seu eadem animi tranquillitate, qua quis industriæ prorsus expertæ Medicus perfert querelas & offensas alicujus ægri, cui assidet, & cui præscribit, quas exigit necessitas medicinas validiores, fastidiumque maxime moventes.

CASUS II.

Leodegarius, & Damasus uterque contendunt, ad Curam S. Jacuti sibi cedere jus legitimum: Leodegarius quidem, ex resignatione, quæ in romana Curia requisito tempore admissa est, Damasus vero, vi suorum graduum. Ambo simul accedunt ad ineundum Curæ istius possessionem. Conspiratione quasi facta conclamitant omnes Paræciani velle, Damasum sibi præponi Pastorem, tumultuoseque, quin etiam vi adhibita, obsistunt possessioni a Leodegario instituendæ; quanquam jure gaudeat omni comparatione superiori. Num obligatur, ad cedendum jure suo, cum aliunde compertum habet, non posse alioquin scandalum impediri?

Respons.

Si palam fiat, non alioquin futurum, ut scandalo finis imponatur, nisi Leodegarius proprio suo jure desistat, atque ita Leodegarius ipsemet pro certo conjecerit; existimamus, ei ex debito conscientiæ induci obligationem, renunciandi proprio suo juri; quantumcumque legitimum atque indubitatum esse possit. Qua quidem in decisione ducem nobis proponimus S. Basilium (a), qui docet, cum de re quapiam agitur, quæ proprii nostri juris est, quamque facere, vel prætermittere, in potestate nostra omnino positum est; nobis incumbere, eandem interrumpere, vel penitus etiam dimittere, si eam persequi non liceat, nisi cum aliena offensione; atque nostra memoria potissimum esse repetendum, Dominum nostrum etiam voluisse solvere tributum (b), ut scandalum vitaret, quod ex ejusdem detrectatione fuisset obortum. Memorat etiam S. Doctor, in confirmationem luæ sententiæ, exemplum S. Pauli (c), qui testificatur fidelibus urbis Corinthi, potius futurum, ut maluit in æternum a comedendis carnibus abstinere, quam iisdem vescendo, suis fratribus esse offensioni, & scandalo; quique in Epistola sua ad Romanos (d) ait, præstare, non comedere carnem nec vinum bibere, nec quidquam aliud facere, quod proximo possit offensionis ac ruinæ spiritualis afferre occasionem. Denique S. Basilius addit, Christiano satis esse debere, ut caveat ab omni inferendo scandalo in iis, quæ ipsius arbitrio permittuntur, quod exploratum habeat, a Jesu Christo hoc ipsum penitus fuisse nobis interdictum. *Quod autem meminendum sit in his, quæ videntur posita esse in potestate nostra, pati, ut frater noster scandalizetur, docet præceptum Domini, quo in universum modus interdicitur scandalizandi, quando dicit:* videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, &c.

(a) S. Basil. cit. interrog. 64.

(b) Matth. 7.

(c) 1. Corinth. 8.

(d) Roman. 14.

Quæ sententia confirmari potest Decretali quadam Clementis III. (e), qui consultus de Canonico Regulari, qui post suam mortem deprehensus fuerat alicujus peculioli manifeste proprietarius, atque fuerat in ipso Templo sepulturæ traditus, declarat, indignum prorsus fuisse Religiosum ejusmodi, qui sepulturæ Ecclesiasticæ decoraretur honoribus, jubetque, cadaver ipsius defossum terra erui, ac de loco sancto projici, modo nulla suboriatur inde offensio; alioquin, si periculum immineat scandali, in loco sacro relinquendum esse: *Respondemus, quod ille Canonicus non tantum fuit Christiana sepultura privandus, verum etiam si sine magno scandalo potuit fieri, de ipsa projici dignus est Ecclesia.* Unde facile est inferre, siquidem Leodegarius non possit uti jure suo, nisi cum periculo maximi scandali, eum obligari, ad illud idem penitus dimittendum, juxta principium istud S. Thomæ (f), qui ait, quod scandalum *quandoque vere est peccatum mortale: sive quia committit actum peccati mortalis, sive quia contemnit salutem proximi, ut si pro ea conservanda, non prætermittat aliquis facere quod sibi libuerit.* Prætereaque addimus, si Leodegarius inceptum acriter persequeretur, & eo perveniret, ut invitis suis Parœcianis, Curam consequeretur; futurum ut vitæ conditionem iniret, in qua nedum prodesset Ecclesiæ, quin potius alienum omnino sese proderet: quippe sit moraliter impossibile, aliquem Parochum propriis suis ovibus prodesse, cum ab illius persona animo sunt aversissimo, & regimen illius non sustinent, præceptionesque, quibus eas informare contenderet, fastidiunt.

(e) Clem. III. in can. super. 4. de Stat. Monachor. &c. l. 3. t. 35.

(f) S. Th. 2. 2. q. 43. a. 4.

CASUS III.

Agobardus Parochus de quadam Ecclesia Parœciali, quorumdam fructuum decumam partem percipit ex jure sibi acquisito vi Consuetudinis omni hominum memoria antiquioris, aut Instrumentorum omnino legitimorum. Qua de re palam & aperte offenduntur omnes illius Parœciani: qui eum arguentes avaritiæ, quod jus prædictum sibi retineat, in ipsum fastidiosius atque impotentius ubiq; debacchantur. Num tenetur ex conscientia ad desistendum jure prædicto, & temporaneum istud emolumentum plane dimittendu cum alioquin non detur, qua ratione scandalum istud, quod a tributis jam annis, ex quibus Parochus est, perseverat, cessare possit?

Respons.

Est hæc nostra sententia, non obligari ullo modo Agobardum in casu proposito, ad cedendum jure suo. Ratio est, quia stricte loquendo, non dominus est Ecclesiasticorum redituum, quos de sua Cura percipit, sed tantummodo depositarius; atque sub eo respectu tenetur, eorumdem percipiendorum integrum Jus successoribus suis transmittere. *Circa temporalia bona distinguendum est*, ait S. Thomas (g), *aut enim sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa: sicut bona Ecclesiæ committuntur Prælatis & bona communia quibuscumque Rei publicæ Rectoribus & talium conservatio, sicut & depositorum, imminet his, quibus sunt commissa ex necessitate: Et ideo non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia: quæ sunt de necessitate salutis.*

(g) S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 8. in corpo. c. Item in 4. d. 38. q. 2. art. 4. qu. 7. in corp. Et in 1 p. ad Rom. c. 14. lect. 3.

Quin etiam, licet Agobardus eorumdem foret veri nominis proprietarius, non tamen obligaretur ex conscientiæ debito, ad eosdem dimittendos. Neque enim nobis incumbit, cedere bonis temporalibus, dominio quorum gaudemus, iis, qui scandalum inde accipiunt, quod eadem penes nos ipsos retinere velimus: si scandalum procedat ex eorum malitia, ut inde procedere in proposita specie facile prorsus evincitur; at verum est tantummodo, si scandalu ex eoru ignorantia aut infirmitate suboriantur, inde nobis induci quandoque obligationem, eorumdem in ipsorum gratiam dimittendorum: cum alioqnin scandalum impediri non potest aut saltem iisdem palam faciendi, injuria omnino eos in offensione impingere, & futurum ut insigni prorsus in quitate sese constringerenr, si bonis istis temporalibus aliquando eorum culpa defraudaremur. *Temporalia vero bona*, addit iterum laudatus Angelicus Doctor, *quorum nos sumus Domini, dimittere, & tribuendo si penes nos ea habemus, vel non repetendo, si apud alios sint, quandoq; quidem debemus, quandoque autem non; si enim scandalum oriatur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum. tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum sedandum, scilicet per aliquam admonitionem. Aliquando vero scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisæorum, & propter eos qui scandala concitant non sunt temporalia dimittenda:* Eamque rationem istius decisionis subjungit Sanctus Doctor, *quia hoc & noceret bono communi. Daretur enim malis rapiendi occasio: & noceret rapientibus: quia retinendo aliena; in peccato remanerent:* quam

rationem laudatus Sanctus confirmat istis S. Gregorii verbis, quæ ibidem refert; *Quidam, dum temporalia a nobis rapiunt, solammodo sunt tolerandi: quidam vero æquitate servata prohibendi, non sola cura, ne nostra subtrahantur: sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant.*

CASUS IV.

Arnaldus Episcopus Larissæus in Thessalia dolens, usum exercendi non legitimi fœnoris ex Consuetudine quadam antiqua, publica atque generali, in tota sua Diœcesi passim invaluisse; eandem suà Diœcesim invisurus percurrens, plurimis in Parœciis in enormem abusus istius proluviem ea, qua decet Episcopum, animi firmitate verbisque validissimis insurrexit. Quibus nimium offensi quamplurimi, doctrinam ejus, ea de re, tanquam perversæ novitatis fœtum habuerunt, illius personam injuriose diffamaverunt, in eum concitaverunt odium publicum, atque sic egerunt, ut non potuerit tantum proficere, quantum profuisset, nisi obstitisset iniquum eorumdem scandalum. Numquid, nihil obstantibus tum prædicto scandalo, tum deplorandis illis effectibus, qui scandalum sequi consueverunt, in vitium istud eodem studio, quo incœpit, potest invehi pergere; aut debetne incœpto desistere, ne deterius aliquid inde subsequatur?

RESPONS.

Non debet prædictus Episcopus in ista rerum circumstantia prædicandæ veritatis incœpto desistere: siquidem ejusmodi scandalum iniquum sit, nulloque legitimo fundamento nitatur; atque, ut advertit S. Thomas, quem jam appellavimus (*a*), Pharisaici scandali naturam omnino sortiatur, quod Pharisæi nimirum sumpserunt occasione salutaris illius doctrinæ, quam Jesus Christus Judaico Populo dispensabat. Oportet ergo ut Arnaldus Dominum nostrum imitetur, qui, renunciantibus suis Discipulis, Phariseos ex ipsius doctrina scandalizari, sic respondit (*b*): *Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum, Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Debet igitur Episcopus pergere insectari verbis omnino validioribus abusum ejusmodi: qui a divinis humanisque Legibus perinde sic alienum est, atque eos minime curare, qui insurgunt in Evangelicas veritates; quidquid inde suboriri possit offensionis.

(*a*) S. Th. in 4 d. 38. q. 2. a. 4 Quæst. 2. in corp. Item. 3 p. q. 42. a. 2.

(*b*) Matth. 15. 14.

Fundamentum autem mutuatur hæc præsens assertio nostra ex egregiis illis verbis S. Gregorii Magni (*c*): *In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur: utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur.*

(*c*) S. Greg. Homil. 7. in Ezech.

1. Quoniam, ut observat S. Thomas, siquidem scandalum istud passivum sit duntaxat non activum, non peccat qui eidem præbet occasionem: licet peccent qui illud eidem immerito sumunt: „Potest tamen esse scandalum „passivum sine peccato ejus, & cujus facto „aliquis scandalizatur, sicut cum aliquis scan„dalizatur de his, quæ alius bene facit (*d*).

2. Propterea quod, ut laudatus S. Doctor docet (*e*): *Bonum commune .... semper præferendum sit bono privato.* Ex quo principio sequitur, si Arnaldus ex concionibus, quas habet adversus usuram, offerat aliquem locum offensionis ac scandali; nullam inde coram Deo culpam imputari, utpote Jesus Christus ipsemet ex nulla sua culpa causam dederit scandalo, quemadmodum jam diximus modo, & juxta quod ab Isaia Propheta pronuntiatum fuerat istis verbis (*f*): *In lapidem autem offensionis & in Petram scandali duabus domibus Israel (erit) in laqueum & in ruinam habitantibus Jerusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent & conterentur.*

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 43. art. 2 in corp

(*e*) Idem 2. 2. q. 68 a. 1. ad 3.

(*f*) Isai. 8. 14.

CASUS V.

Apollonius Judex Regius, cum constitueretur in rerum statu quodam iniquiori, in quo ei incumbebat ex officio exercere actum justitiæ occasione civici cujusdam motus, sed quem non poterat præstare, quin ingens omnino scandalum inde nasceretur; maluit ab eodem exercendo penitus abstinere. Num actum ejusmodi potuit, tuta conscientia, prætermittere?

RESPONS.

Justitia actus est, ait S. Thomas, *reddere unicuique quod suum est* (*g*). Jamvero potest Judex aliquis duplici modo prædictum actum exercere, ut prosequitur laudatus Doctor. „Dupliciter au„tem redditur unicuique quod suum est; *inquit*, „uno modo, quando datur ei illud, quod sibi „directe utile est: ut pecunia, vel argentum, „vel aliquid hujusmodi, quod sibi sine peccato „denegari non potest. Unde quantumcumque „scandalum debeat sequi, Judex debet facere, „quod jus suum isti reddatur. *Deinde sic subjun„git*: Alio modo, quando opus justitiæ, quod „ad petitionem alicujus redditur, non directe „cedit in bonum petentis, sed magis in bonum „Reipublicæ: sicut patet in illatione pœnarum, „quibus pax in Republica conservatur, malefa„ctoribus repressis. Unde si Judex, qui curam „Reipublicæ gerit, videt ex inflictione pœnæ „majus incommodum Reipublicæ provenire, po„test pœnam, vel prætermittere vel mitigare; „nec alicui in hoc facit injuriam: quia ipse per„sonam Reipublicæ gerit: & hoc etiam facere „debet: quia ex officio tenetur utilitati Reipu„blicæ providere. Hoc autem contingit præci„pue, quando Princeps, vel aliqua multitudo „est in causa, aut aliquis de cujus pœna ti„metur, ne Schisma sequatur.

(*g*) S. Th. in 4 sent. d. 38. q. 2. a. 4. qu. ad 2.

Potest iis, quæ S. Doctor habet hic loci, robur addere principium, quod alibi statuit (*h*), nimirum infligendas esse pœnas eo fine tantum ut remedium afferant malis, quibus expiandis indicuntur: ideoque iisdem in tantum annexam esse justitiæ rationem, in quantum ipsis malis medentur. Unde sequitur, si nascantur ex pœnis inflictis grandiora mala, pœnis istis jam nullam vindicari justitiæ rationem. *Pœnæ infliguntur ut medicinæ quædam, ad cohibenda peccata. Et ideo in tantum habent rationem justitiæ, in quantum per eas peccata cohibentur. Si autem per inflictionem pœnarum manifestum sit, plura & majora peccata sequi: tunc pœnarum inflictio non continebitur sub justitia.*

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 43. a. 7. ad 1.

Ex quibus principiis inferendum est, si prævidert Apollonius, futurum ut ex repressis malefactoribus in casu proposito turbæ periculosiores excitarentur; eum potuisse, nihil inde violata sua conscientia, abstinere ab infligendis iisdem pœnis, quas promeriti fuerant: quippe deceat aliquando prudentiam Judicis, malum aliquod obscure ferre atque ad tempus dissimulare, cum illud idem cohiberi non potest nisi cū periculo majoris alicujus incommodi; eamque in ejusmodi circumstantiis rationem agendi tenere, quæ magis expedit bono atque utilitati Reipublicæ. At ratione omnino diversa judicandum foret, si casus urgeret reddendi alicui viro privato jus, quod ad eundē directe pertineret. Enimvero tunc necessario prorsus incumberet Judici, illud idem ei omnino reddere, quidquid inde subsequi posset offensionis.

CASUS VI.

Briandus propositum animo consilium ingrediendi Capuccinorum Ordinis institutum, cum jamjam executurus esset, statim ipsius Pater, Mater, consanguinei cæterique plurimi sumpserunt inde locum, & occasionem offensionis omnino quamplurimæ, propterea quod eundem, utpote filiumfamilias unicum ac dilectum, nobilique aliunde genere natum locupletissimo matrimonio conjuncturi jamjam essent. Potestne Religionem in eo casu amplecti, nihil obstante, quod scandalum inde, quantumcumque possit esse, consequatur?

RESPONS.

Equidem aliquando potest subesse legitima quædam causa scandalo, quod inde sumitur, quia filius aliquis adjicit animo, nihil quidquam obstantibus suis Parentibus, aliquam ingredi Religionem. Verbi gratia; si pater ad angustam rerum

sua-

suarum pauperiem redigeretur, & filius, cum posset, sequendo vitæ sæcularis conditionem, ex suo labore suave industria eidem, quantum ad vitæ necessaria, subvenire; nihilominus vellet eundem habere derelictum, ut sese Religionis alicujus instituto devoveret; merito prorsus inde sumeretur scandalum, modo nihil jam aliunde subsidii prædicto Patri superesset, nec filio remanenti in sæculo periculum evidens salutis æternæ immineret: Siquidem ista obligatio tum jure naturali, tum jure divino filio cuivis inducatur, consulendi in ejusmodi hypothesi vitæ necessitatibus sui Patris aut suæ Matris. At, siquidem Briandus sit vir nobilitate præstans, & ipsius Pater sit de rebus suis domesticis abunde cumulateve constitutus: Habendum est, quod oritur in proposita specie, scandalum tanquam irreligionis & impietatis eorum fœtus, qui eodem sese sinunt offendi atque abripi, ex nimia præproperaque illa, qua plurimum effervescunt, mundi, futilium que tum honorum sæcularium, tum bonorum fortunæ cupidine: destinatumque animo consilium ipse potest exequi, nihil quidquam retardatus ejusmodi scandalo, quod, quantum ad eum spectat; mere passivum est. Quod hic loci asserimus concordat omnino cum doctrina S. Thomæ, cujus en sunt ipsissima verba (a): *In eo, qui Religionem vult intrare distinguendum est: quia aut sibi timet de periculo salutis imminente, si in sæculo remaneat, & tunc debet omnibus modis obviare periculo vitæ, scandalo non obstante: si autem non immineat & voto non obligatur, debet pro vitando justo scandalo parentum, quibus subvenire tenetur, ad tempus suspendere propositum perfectionis, ut præceptum impleat pro suo tempore de honorandis Parentibus: & postmodum consilium tempore magis idoneo. Si autem scandalum proveniat quorum, vel aliorum, sit irrationabile: tunc accedit ad scandalum Pharisæorum. Unde tunc propter scandalum non debet prætermittere bonum propositum.*

(a) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 2. a. 4. q. 2. ad 2.

Juvat autem observare, si Briandus voto aliquo sese obligavisset ingrediendæ Religionis, futurum ut, ad eandem amplectendam, non jam ex consilio Evangelico, sed ex stricto prorsus præcepto teneretur, cui deesse nec locus ei daretur etiam ex cujuscumque scandali periculo. *Sed si voto obligatus sit*, addit S. Thomas, *jam de consilio, factum est præceptum: & ideo nullo modo propter scandalum dimittere debet.*

C A S U S VII.

ATHENOBIUS Mariam uxorem suam non solum osculatur, sed & eam in partibus pudibundis aliquando tangit, Claudio & Antonio virtutis modicæ viris præsentibus, ac etiam, illam ipsius uxorem esse, nescientibus: Unde hi concupiscentiæ motibus aguntur, iisque assensum præbent. Quæritur, an lethaliter peccet Athenobius, peccato scandali: licet, ad peccandum, Claudium & Antonium inducere non intendat?

R e s p o n s.

Graviter peccare Athenobium, certum est. Quamvis enim forte sine culpa sic erga uxorem sese gerere posset, ubi nullus testis adesset, modo id fieret in ordine ad actum conjugalem: non potest tamen sine peccato scandali id agere, cum quis præsens est & attendit. Non enim solum peccatum, verum etiam quod peccati similitudinem refert, inducit scandalum.

Huic responsioni aperte favet Angelicus Doctor (b), postquam enim dixit, scandalum esse *dictum, vel factum præbens occasionem ruinæ*, subjunxit; *Dictum, vel factum alterius potest esse dupliciter. Uno modo, per se: alio modo, per accidens. Per se quidem; quando aliquis suo malo verbo, vel facto, intendit alium ad peccandum inducere vel etiamsi ipse hoc non intendat: & ipsum factum est tale quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum: puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati: & tunc ille, qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ. Unde vocatur scandalum activum.*

(b) S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. ad 4. Idem in 4. dist. 38. q. 2. art. 2. q. 3.

Cur autem in casu proposito graviter peccet Athenobius, hæc ratio desumi potest ex eodem S. Thoma, quia scilicet, neglecta proximi salute, ab actu alias licito non abstinet. *Quandoque vero*, inquit, *est peccatum mortale sive quando committit actum peccati mortalis; sive quando contemnit salutem proximi, ut, sibi pro ea conservanda non prætermittat aliquid facere, quod sibi libuerit.*

Ea quidem de causa, quanquam primis Ecclesiæ fidelibus nusquam vetitum fuisset, Idolis immolatas carnes edere; Paulus tamen Apostolus (c) iis vesci prohibet; ne aliis offendiculo sint, qui ex infirmitate, & ignorantia judicant eos sic Idolis cultum deferre. "Videte autem, *inquit*, ne forte hæc licentia ve-
„ stra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis
„ viderit eum, qui habet scientiam, in Idolio
„ recumbentem: nonne conscientia ejus, cum
„ sit infirma, ædificabitur ad manducandum
„ Idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia
„ frater, propter quem Christus mortuus est? Sic
„ autem peccantes in fratres & percutientes con-
„ scientiam eorum infirmam, in Christum pecca-
„ tis. Quapropter si esca scandalizat fratrem
„ meum; non manducabo carnem in æternum,
„ ne fratrem meum scandalizem

(c) 1. Cor 8. v. 9. & 10. & seq.

C A S U S VIII.

LUDOVICA virgo modestissima, miraque omnino oris ac vultus dignitatis, perspectum habet Claudium amore ipsius ardere non pudico, & singulis fere diebus adesse in Templis, ad quæ ipsa accedit, ut intersit rei divinæ, atque in ambulacro quodam, in quod sese frequenter confert cum muliere quadam sibi consanguinea. Obligaturne ex conscientia, modo nulla mala mente ducatur, ad pedem domo nullatenus efferendum, ne Claudio facessat occasionem ruinæ spiritualis, cum non eam lateat, quoties ipsam obviam habuerit, incidisse eum fere toties in mortale peccatum?

R e s p o n s.

Animum inducere non possumus, Ludovicam obligari ex conscientia, ad abstinendum ab Ecclesia, aut ab ambulacro, in quo consuevit sese conferre: licet conjiciat futurum ut Claudius ibidem pro more solito possit adesse. Enimvero ut habet S. Ambrosius (d), naturalis illa vultus & oris majestas nullam sortitur rationem nec criminis, nec culpæ, neque coram Deo mulier peccatorum conscia est, in quæ vir aliquis illius intuitus incidit, modo nullam præbeat ipsa eum voluntariam culpabilemq; occasionem; neq; quidquam eo fine agat, ut sese conspicientes inordinato sui amore irretiat. *Nihil enim ad nos*, ait laudatus Pater, *si pereuntibus oculis aut ætas expetitur, aut pulchritudo. Ars desit, nullum est crimen decoris. Illecebra facessat, inoffensa est species & formæ & gratiæ.*

(d) S. Ambr. l. 3 Epist.

Diximus: *Modo nullam præbeat voluntariam culpabilemq; occasionem peccandi*. Neque enim alioq; vindicari posset a peccato, & censeretur peccatorum causam contrahere quæ committerentur ab eo, qui eam libidinose concupisceret. Puta, si frequentioris ac licentiores oculos ipsa Ludovica, dedita opera, in Claudium immitteret, cujus exploratam habet animi depravationem; aut, ut oculos ipsius captaret, in cute curanda, corporeque exornando nimio plus operaretur, sibique cultum adhiberet nec modestum, nec congruentem illi decoro, quod ejus generis virgo debet servare; procul dubio peccaret, atque semetipsam peccatorum prædicti viri redderet omnino participem.

C A S U S IX.

NECESSARIO futurum est, ut ingens omnino publicumque scandalum erumpat ex facinore quodam, quod a Titio perpetratum est, & cujus rumor hac hodierna die per totam late viciniam percrebrescet. Cui quidem scandalo facile potest Cajus occurrere, prætendendo eidem aliquam excusationem ope mendacii alicujus officiosi. Potestne rationem istam adhibere, ut tanto malo prævertat, simul etiam infinitis aliis

pro-

Digitized by Google

propemodum peccatis mortalibus, quæ inde consequentur.

Videtur, hoc ipsum nullo modo licere Gaio, siquidem mendacium Divina lege prorsus interdicitur. Aliunde vero, rationem istam iniri ab eo posse, omnino videtur; siquidem e duobus malis, quod levius est accipi potest, ut illud, quod gravissimum est, devitetur. Porro certissimum est, publicum aliquod scandalum esse malum omni comparatione superius simplici mendacio officioso, quod levissimum est tantummodo peccatum. Quidni igitur licitum non foret alterius istius ope obstare priori?

R e s p o n s.

Constat, nulla omnino ratione dici licite posse mendacium; quantumcumque leve esse supponatur: ut invictis rationum momentis alibi demonstravimus, cum locus se dedit disserendi de ista materia: siquidem iri non possit inficias, quinejusmodi mendacium sit peccatum, nec ita docente Apostolo, liceat usquam ne minimum quidem malum admittere, etiam sub prætextu boni alicujus promovendi, quantumcumque esse possit (a): *Numquam malum est faciendum propter bonum, quod inde sequitur*, ait Author Glossæ in quemdam Canonem, quem Gratianus excerpsit de Decretali quadam Papæ Nicolai (b), & alibi passim. Non ergo licet Gajo, quidquam adhibere mendacii in proposito casu sub prætextu nimis specioso boni quidpiam omnino ingentis afferendi, impediendo non præfatum scandalum, tum omnia quæ secutura sunt inde graviora prorsus incommoda.

(a) Rom. 3. 8.

(b) Gloss. in can. Nosse 1. 30. q. 2. v Copulati item in can. forte 3. 14. q. 1.

Neque quidquam in eo asserimus, cui non tota faveat quam sibi propriam vindicat Angelus scholæ, Doctrina: sic enim habet (c): *Homo aliquod peccatum veniale committere, ne alius peccet mortaliter, non tenetur, nec bene facit committendo.* Et paulo post; *Nullus autem debet Deum offendere parum, ne alius offendat multum.* Rationemque subdit laudatus S. Doctor, *quia homo debet in infinitum Diligere Deum, quam proximum.* Indeque sic infert. *Et ideo nullus debet facere peccatum veniale, ad vitandum scandalum; dummodo actus ex tali causa factus, peccatum veniale remaneat.* Quam conditionem consulte omnino subjungit S. Thomas. Si namque quod rationem habet venialis peccati, veniale esse desineret in prædicto casu, jam prorsus liceret, quin etiam virtutis actus exerceretur, ea ratione occurrendo scandalo, quod certo certius imminere cognosceretur. Exempli causa, si eidem occurri posset otioso quodam verbo, quod istius finis gratia proferretur: nedum aliquid mali committeretur, quin potius summi omnino boni rationem præ se ferret usus ejusmodi remedii; quoniam ejusmodi verbum eo fine prolatum, ea ratione desinit otiosum esse, proindeque peccatum. Quod exemplum adhibetur ab eodem S. Doctore. *Contingit, tamen*, inquit, *aliquem actum ex tali causa factum, non esse peccatum veniale, quod alias veniale esset, sicut dicere verbum otiosum, iam enim non esset otiosum, cum non careret causa piæ utilitatis.*

(c) S. Th. in 2. 2. q. 43. a. 2. 4 & ad 2.

Ut nostræ huic decisioni majus lumen accedat, juvat assignare, quinam potissimum esse debeat sensus istius vulgaris adagii, quod allegatur in defensionem Gaii: Nimirum, *e duobus malis eligendum esse, quod minimum est, ut illud, quod gravissimum est, devitetur*; quod quidem effatum dicimus, deprompium esse ex octavo Concilio Toletano, quod habitum est anno 653. & refertur in quodam Canone; qui legitur in Decreto Grationi (d), nec intelligendum esse, nisi de casu, in quo necessitas quædam inevitabilis agendi potissimum urget. *Duo mala*, inquiunt Patres antiqui istius Concilii, *licet sint omnino cautissime præcavenda, tamen, si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit; id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare.* Porro Gaius in eo casu certissime non constituitur; siquidem nulla necessitas mentiendi ei inducatur, & penes eum

(d) Conc. Tolet. VI. t. c. 2. in can. duo mala 1. d. 37.

omnino sit addere. Nihil ergo juvat, quod ex illo perverse accepto effato aliquid ei defensionis afferre tentetur. Habet hæc assertio nostra patronos Sylvestrum de Prierio (e), plurimosque alios autores, quorum textus referre, plus satietatis moveret, quam utilitatis: siquidem eadem ratione, qua S. Thomas, præsentem istam materiam omnes prosequantur, neque quisquam Author, quem noverimus, ea de re sententiam oppositam amplectatur.

(e) Sylvest. v. Scandal. q. 3. § quintum 8. & alii communiter.

Vide MANDACTUM.

CASUS X.

ADELARDUS ortu Sinensis, conditione vero serviens apud Regem Sinensis Imperii, cui ex proprio sui ministerii officio incumbit, Principem istum sustentare, cum pedibus Idolorum suorum provolvitur, atque in aliis occasionibus quæ nihil ad Religionem referunt, Christianâ fidem amplexus perrexit operam eandem ei præbere. Num peccat Adelarus in obeundo ejusmodi ministerio?

R e s p o n s.

Non sufficit, obtendi cuidam actui aliquam mali similitudinem, ut qui eundem exercet, inde censeatur aliquam culpam contrahere, quando subest ei legitima quædam ejusdem exercendi necessitas, ac præsertim summopere cavet, ne ab iis, quibus posset videri prædictus actus dignus reprehensione, ignoretur ejusmodi necessitas: Atqui Adelardus non exercet suum ministerium, nisi ex legitima causa: 1. Namque tuto non posset illud idem denegare Regi Pagano, sub eo prætextu, quod fuisset Christianam Religionem amplexus; siquidem periculum mortis forsitan adiret, aut rerum suarum jacturæ, aut offensæ supremi sui Principis, ex detrectatione eum juvanti consueto suo Ministerio, cui aliunde nihil ex natura ipsius inest criminis; quippe cuivis liceat alteri præbere manum adjutricem, ne forte sese submissius infl ndo proruat in terram.

Non potest igitur inuri nota veri criminis ministerio, quo fungitur Adelardus vel etiam in ipso casu, qui proponitur.

Qua de re nobis succurritur luculento prorsus scripturæ sacræ testimonio; ibidem etenim habemus (f), Naaman, quem Deus per ministerium Elisæi sui Prophetæ mundum ab omni leprarum labe reddiderat, cum declaravisset, sese jam animo adjecisse, futurum ut victimas non ulterius immolaret nisi Deo Israelitarum, nec alium, præter ipsum, adoraret: *Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam Diis alienis, nisi Domino*, quanquam remaneret Gentilis & incircumcisus; nec moris Judaici sequeretur institutum, summæ omnino Religioni habuisse, quod eadem, qua consueverat antea ratione pergeret sustentare Regem Syriæ suum Dominum, qui creditur fuisse Benadab, quotiescumque sese necessitas offerebat, ac præsertim quando dictus Princeps eorum Remnon Idolo suo sese adoraturus abjiciebat: quo quidem scrupulo mirum in modum jactatus adivit Prophetam, de dubitatione, qua scindebatur ipsius animus, consilium ab eo sumpturus: *Hoc autem solum est*, proposuit ille Propheta, *de quo depreceris Dominum pro servo tuo: quando ingredietur Dominus meus templum Remnon, ut adoret: et illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remnon, adorante eo in eodem loco*; (hoc est, si me ipsum incurvavero sustentans Regem, quando ipse adorat Remnon,) *ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Cui protinus ademit scrupulum Propheta istis eum allocutus tantummodo verbis: *Vade in pace*; hoc est, scrupulo jam tuo ne torquearis amplius: Perge, quam cœpisti, operam eandem Regi tuo præbere: adeo ut isthæc verba sonent declarationem simplicem, qua nimirum Elisæus ei significat, ei prorsus licere, quo fungebatur antea, consuetum ministerium pergere; quoniam nihil eo quidquam occurreret, quod posset ullo jure reprehendi: *Unde quod ait Elisæus*, VADE IN PACE, *non est vox dispensantis, sed declarantis, licitum esse, quod faciebat*;

(f) 4. Reg. 18. & seqq.

quam

quam verborum istorum Merbesius tradit interpretationem (*a*): Aut hoc certe quem nullus dixerit unquam fuisse nec æquivocationum, nec aliarum partium remissioris morum disciplinæ fautorem.

(*a*) Merbes. sum. Christ. q. 156. Concl. unic. to. 1. p. 2. pag. 588.

Est autem necessarium observare cum Cornelio a Lapide (*b*), circa Naaman, animo non esse fingendum, rem aliquam non licitam ab eo Ministro Prophetæ fuisse propositam; hoc est, licentiam pergendi supremo cultu latriæ adorare simul cum Rege Idolum Remnon; ut immerito contendit Gregorius de Valentia (*c*); & isthæc verba: *Vade in pace*, non habuisse locum, nisi ambiguæ cujusdam atque obscuræ responsionis, quam accipiendam, prout ei liberet, arbitrio Naaman Propheta subjiciebat: enim vero fuisset in eo usus dissimulatione omnino reprehendenda in negotio Religionis, & mendacio, quod os Propheticum omnino dedecorasset; siquidem ea ratione comprobavisset, ac tacite saltem permisisset, quod in nova lege tanquam scelus nefarium perversissimamque hæresim in Priscillianistis Ecclesia postmodum detestata est: Proindeque sic accipiendam esse vocem istam, *adorare*, quam adhibet Naaman, qua ratione laudatus Cornelius a Lapide eandem interpretatur istis verbis: *Nota ergo*, inquit, *adorationem hanc Naaman non fuisse proprie dictam: sic enim fuisset impia & idololatrica; sed impropriam, scilicet incurvationem corporis, vel genuflexionem obsequii causa, ut scilicet Regem ex officio sibi commisso fulciret & sustentaret in templo, ut & alibi facere consueverat; quod facere non poterat, nisi Rege genuflectente, ipse pariter genuflecteret:* Quod prædictus Autor probat hebraica illa voce שחה *schacha*, quæ nihil aliud sonat, quam *se incurvare*, ut interpretatur Arias, & confirmari potest textu Græco, qui fert προσκυνῶν, quod significat, *procumbere & inclinare se*.

(*b*) Cornel. a Lapide, in 4. Reg 5. 17.

(*c*) Greg. de Valen. Disp. 2. ad 3.

Atque revera quidem is usus in Regionibus istis obtinebat, ut Reges adhiberent sibi virum aliquem apud se gratiosum & acceptum, cujus humero solebant incedentes inniti, quemadmodum observat R. P. Dominus Augustinus Calmet Religiosus de Ordine S. Benedicti de Congregatione S. Vanni & S. Hydulphi, a quo citatur in istius rei exemplum Joram Rex Israel de quo narratur (*d*): *Respondit unus de Ducibus, super cujus manibus Rex incumbebat*, &c. Ex quibus verbis infert Cornelius a Lapide: *Erat ergo hæc ejus adoratio non religiosa, sed politica & Civilis*: qualis nimirum adoratio Abraham, de qua memoratur in Genesi (*e*) & adoratio Jacob (*f*), de qua facit sanctus Paulus mentionem; adeo ut Naaman nullam inde præberet occasionem scandali neque Magnatibus, neque cæteris Aulicis de comitatu Regio, siquidem non eos lateret, ab ipso fabulosorum Deorum cultum palam repudiatum fuisse, neque eum sese nonnisi eo fine provolvere, nisi ut suo Domino consuetam, ordinariam, ministerioque, quo fungebatur, annexam operam præberet: aliunde vero cadere scandalum in eos nulla ratione posset; ut pote qui forent omnes cultui fictorum Numinum addicti: quemadmodum uno ore docent Abulensis, Lyranus, Burgensis, Cajetanus, Serarius, Sanchez, Salianus & Suarez (*g*), quos omnes appellat Cornelius a Lapide, qui textum quemdam Tertulliani (*h*) omnino luculentissimum allegat in conformationem superioris interpretationis, quam hic loci referimus non data quidem opera, sed quasi per transennam, ne lectoribus locus erroris relinquatur ex vocis istius amphibologia, *adorare*.

(*d*) 4. Reg. 7. 2.

(*e*) Gen. 23. 7.
(*f*) Hebr. 11. 21.

(*g*) Suar. de fide tract. 1. Disput. 14. sect. 4. n. 3.
(*h*) Tertul. lib. de Idololatr. c. 15.

Cæterum plurimum juvat subjicere, quæ habuimus hucusque de Adelaro, non esse intelligenda, nisi quatenus officio suo fungens nullam offensionis ansam præbet nec Sinensibus Christianis, nec aliis illud idem conspicientibus, aut aliunde rescientibus; neque enim usquam licet, esse scandalo proximo suo, juxta dictum illud Apostolicum (*i*): *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Et istud aliud (*k*) *Bonum est, non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur*: Ratio est, quia, quanquam nihil habeat criminis ex natura sua corporis inflexio, crimine tamen non caret, eo ipso, quod non possit sine periculo scandali fieri; propterea quod, ut docet S. Paulus (*l*), ab ipsa vel etiam peccati specie prorsus abstinendum sit: *Ab omni specie mala abstinete vos*.

(*i*) 1. Cor. 8. 13.

(*k*) Rom. 14. 21.

(*l*) 1. Thess. 5. 22.

CASUS XI.

Savinus Sacerdos, cum navigationi sese commisisset, a maritimis prædonibus Algeriæ comprehensus, & deductus in publicam custodiam, in qua consueverunt isti Barbari Christianos captivos detinere, ad eas usque rerum angustias devenit, ut nil, nisi carnes muria conditas, haberet comedendum; quas quidem carnes isti infideles ei apponebant de industria per quadragesimale tempus, in contemptum Religionis, quam profitebatur; Cum primis diebus de prædictis carnibus paululum quid comedisset, inde Fideles gravissimi scandali sumpserunt occasionem: Numquid in eo casu debuit, ab iisdem prorsus abstinere, quanq; ne ei quidem frustulum panis offerretur: Atque obligatusne erat, ad veniendum etiam in discrimen propriæ suæ vitæ, periculo nimirum imminente, quod alioquin fame foret evidenter absumendus?

RESPONS.

Exemplum Eleazari præfracte detrectantis (*m*) quæ sibi in contemptum Judaicæ Religionis apponebatur, comedere porcinam carnem, & generosum illud animo propositum, cujus ad mortem usque constanter retinuit perseverantiam, vitæ potius amittendæ, quam fidelibus ejusmodi facinore scandali locum incutiendi, plane sufficiunt, ut inde perspectum ac manifestum fiat Christiano, qui constituitur in eo rerum statu, in quo Savinus versari supponitur, cum potius juvare, adducere vitam in extremum, quam ejusmodi scandali locum afferre. Ratio est, quia juxta S. Thomam (*n*); *nullus debet scandalum activum committere*. Quod Dominicis istis verbis potissimum innititur (*o*): *Væ mundo a scandalis: necesse est enim, ut veniant scandala: Væ tamen homini illi, per quem scandalum venit*.

(*m*) 2. Mach. c. 6. & 7.

(*n*) S. Th. in 4 dist. 38. q. 2. art. 4. q. 1.
(*o*) Matth. 18. 7.

Quod etiam verum est, quanquam Proximus non nisi ex ignorantia, aut infirmitate scandalum acciperet: siquidem ex natura sua habeat quodcumq; scandalum activum, ut malum sit; atque ita docet S. Thomas quando ait (*p*): *Etiam, quæ habent similitudinem malitiæ, vitare debemus: quia scilicet non possemus servare coram hominibus absque scandalo eorum*.

(*p*) S. Th. in 1. ad Thessal. 5. 22.

Quod tamen intelligendum est, quando quis, quod infirmorum judicio videtur præ se ferre speciem mali, non urgente necessitate inevitabili, & sine legitima causa agit; si namque ejusdem agendi causa subsit aliqua rationabilis, satis est, eum cavere, ut qui scandalum inde sumunt, edoceantur, & quantum fieri potest, errore suo liberentur. Quod si suggestis ab eo rationibus isti stare noluerint, in eo jam casu non tenebitur, ab actu prædicto abstinere; quoniam actus ille non jam sortietur oblati scandali, seu activi rationem, sed quod inde sequetur, scandalum erit acceptum, id est passivum, cujus proinde culpam nulla jam ratione contrahet.

Quam eandem doctrinam suam facit Estius eruditus sacratum scripturarum Interpres, & proponit istis verbis (*q*): *Si qui, sive fideles, sive Infideles, per infirmitatem scandalum ex ejus facto sint passuri, durante scandalo abstinendum est, etiam cum vitæ, seu valetudinis periculo. Par ratio, ut cederet ejusmodi comestio in detrimentum honoris Divini; ut si carnes efferantur in contemptum Religionis, aut legis Divinæ vel Ecclesiasticæ, quemadmodum olim Eleazaro seni, & 7. Fratribus Machabæis, quorum martyria describuntur L. 2. Machab. c. 6. & 7.* (*r*). Atque casus ipsissimus est, in quo Savinus constitutus fuisse supponitur.

(*q*) Estius in 1. ad Corint. c. 8.

(*r*) Apud Merbes. to. 2. p. 2. q. 158. pag. 593.

Ut nobis videtur, præcipuas, quæ pertinent tum ad activum, tum ad passivum scandalum, difficultates fuisse sufficienter explanatas atque dilucidatas; dicendi de ista materia finem faciemus. quoniam quæ ea de re proponi possent, novæ aliæ difficultates facile possunt expediri atque dissolvi principiis, quæ statuimus, & iisdem authoritatum testimoniis, quæ passim in præcedentibus undecim decisionibus referuntur.

SCRU-

SCRUPULUS.

SCRUPULUS, est hæsitatio, & quidam angor, quo scinditur animus, & tota anima jactatur absque legitimo ullo fundamento, *Scrupulus, est anxietas, futili ratione nixa*, inquit Polmanus (*a*).

(*a*) Polm. p. 2. n. 374.

Ad efficiendum scrupulum, ita docente prædicto Theologo, tria potissimum concurrunt.

Primum quidem. defectus fundamenti rationabilis, quod ab eo non potest distingui, quod legitimum est.

Secundum vero, metus, quo quis sine causa torquetur, ne incidat in aliquod peccatum, aut aliqua ratione desit officio suo.

Tertium denique, quod præcedentis quoddam consectarium est, agitatio; perturbatio, atque stimulus conscientiæ.

Scrupulus actum ipsum, circa quem versatur, potest vel præcedere, vel subsequi, vel eidem etiam addere sese comitem. Est ipsius animæ morbus quidam omnino importunus ac maxime deplorandus, cuique fugiendo nimium diligentiæ potest nunquam opponi, quemadmodum ipsi sumus edocti longo rerum usu, cui anni quinquaginta sex & amplius vindicantur.

Speramus futurum ut, quæ passim occurrunt in sequentibus decisionibus regulæ atque principia ab intelligentissimis conscientiarum Moderatoribus probentur Quamobrem operæ pretium esse non ducimus, de isto argumento fusius hic loci disserere.

CASUS PRIMUS.

BASILINA mulier pietatis ac Religionis plurimæ animum experitur a tribus mensibus, agitari perturbarique infinitis propemodum, iisque variis malis cogitationibus, potissimum vero contra Religionem & fidem, modo probrosis in res sacras maledictis, quibus per moram temporis etiam notabilem mens ipsius afficitur, modo dubitationibus importunis, quæ ei metum incutiunt, ne mortale quid admiserit in iis, in quibus ne quidem sæpe sæpius venialis culpa deprehenditur; indeque plurimum detinetur de facultate, quam ei fecit suus Confessarius, ad sacram Communionem per singulas hebdomadas bis accedendi, sibi vindicanda; quin etiam impeditur aliquando, jubente necquicquam prædicto Confessario, ne Christi corpus sumat certis quibusdam diebus. Qua de re quæritur, 1. utrum aliquid in eo culpæ contrahat, præsertim, quando cogitationibus illis horrendis mens ipsius tota discinditur. 2. Utrum sapienter agat abstinendo a sacra Communione, ex illa nimirum intima persuasione, quod peccaret, si non ante confessa ad eandem accederet. 3. Tandem, utrum possit, licet præscriptam a Confessario suo sibi negare sacram Communionem?

RESPONSIO.

Antequam institutis hic loci tribus quæstionibus fiat satis, quædam præmittenda sunt principia, quibus simul etiam poterunt facili negotio dissolvi quæcumque difficultates, quæ proponi possunt circa materiam scrupuli, de qua potissimum expedit, omnes Confessarios erudiri, præcipue vero eos, quibus regimen Monialium, & aliarum ejusdem sexus personarum concreditur.

Dicimus ergo: 1. Tenendum esse, quid sint opinio, dubitatio, & scrupulus, & quidnam inter ista tria discriminis intercedat?

Opinio, quædam est cognitio, qua quidem mens imbuta judicat, rem aliquam esse licitam, vel non licitam; adeoque vel admitti posse, vel debere prætermitti, cui tamen cognitioni formido quædam comes adjungitur, ne, quod in contrarium judicaretur, verum sit: *Opinio autem*, inquit S. Antoninus (*b*), *est acceptio unius partis cum formidine alterius; ita tamen quod ad illam, quam formidat, non habetur ratio expressa: formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis.*

(*b*) S. Anton. 1. p. tit. 3. c. 10. §. 9.

Opinionum variæ species recensentur; verum non est, cur de iisdem hic loci sermonis aliquid injiciamus, siquidem stylo satis fusiori materiam istam alibi excutiamus (*c*).

Dubitatio, ait Navarrus (*d*), *est cognitio duarum rerum contrariarum, neutram earum judicando veram*. Quod idem etiam docet S. Antoninus (*e*). Hoc est, absque eo quod aliquid videatur causæ subesse, cur in partem negantem potius, quam in affirmantam inclinetur, adeo ut incertus ac quodammodo suspensus inter utramque partem animus teneatur.

(*c*) V. Opinio.
(*d*) Navarr. Man. c. 27. n. 279.
(*e*) S. Anton. loco cit.

Scrupulus acceptus in eo sensu, quem intelligunt Theologi, qui de rebus moralibus agunt, hoc est, pro quadam anxietate conscientiæ, definitur a Sancto Antonino (*f*), Dubitatio, quæ comitem habet quandam formidinem nullo justo fundamento fultam, & nascentem ex incertis atque levibus conjecturis. *Scrupulus ex levibus conjecturis, seu mediis, & multum debilibus movetur ad unam partium*, & mentem discindit, metumque incutit, ne ibi peccatum occurrat, ubi ne peccati quidem umbra deprehenditur, quamobrem ille veri nominis scrupulosus est, juxta Bonacinam (*g*), *qui dubitat ex levibus fundamentis, seu indiciis & motivis*, utrum res aliqua rationem habeat peccati, aut etiam qui ea dubitatione transiit in errorem conscientiæ, sese, cum reipsa careat peccato, peccati tamen existimando conscium; ut docet idem S. Antoninus (*h*); indeque palam fit, in quo potissimum differant & scrupulus & simplex dubitatio; atque si nusquam liceat, rem aliquam agere, de qua dubitatur cum fundamento, quod sit peccatum, agendum esse e contrario contra scrupulum, & cum eo quasi belligerandum, ut tandem penitus vindicatur: quoniam nonnisi levibus conjecturis, futilibusque prorsus causis innititur; atque sic sese debat gerere scrupulosus, sive ex diligenti proprii judicii investigatione, aut præterita sua experientia perspectum atque exploratum habeat, suam dubitationem veri nominis scrupulum esse; sive, rem ita se habere, ab intelligenti rectore doceatur.

(*f*) Idem ibi.
(*g*) Bonacina t. 1. disp. 2. q. 4. punct. 8. n. 1.
(*h*) S. Anton. loco cit.

2. Scrupuli possunt ex tribus variis causis procedere. Prima est, ipsemet homo, qui nequidem de incutiendo sibi scrupulo cogitans, scrupulo tamen locum præbet ex propria corporis sui temperatione, & ratione agendi: secunda quandoque est ipse Deus: Tertia denique est etiam aliquando Diabolus. Qua de re fusiorem subjicere juvat explicationem.

Dici-

Dicimus, residere utplurimum in ipsomet homine causam propriam scrupulorum; enimvero, ut observat S. Antoninus (*a*), & cum eo Gerson (*b*) atque plurimi alii Doctores, scrupulus sæpe sæpius concipitur in aliqua persona ex frigida ipsius atque melancholica constitutione. Ratio est, quia ejusmodi constitutio naturalem ei quamdam propensionem inducit ad timorem & ad dubitationem ex inordinata nimirum cerebri dispositiona, in cujus anteriori parte sedem habet vis imaginandi, a qua mutuatur intellectus rerum sansibilium species: quiquidem intellectus sæpenumero judicat, rebus istis peccati rationem inhærere, quandoeasdem ab ista facultata recipit sub obtentu salsarum specierum.

(*a*) S. Anton. 1. p. tit. 3 cap. 10. §. 9. cit.
(*b*) Gerson de diversis tentationibus Diaboli.

Causatur autem ista scrupolositas, sive pusillanimitas, inquit S. Antoninus .... *quandoque ex complenione ad timorem idonaa, ut est complexio frigida, puta in fœminis, vetulis, & melancholicis: timor enim naturaliter secundum Damascenum, cor constringit, sicut & frigida constringunt, & congelationem faciunt, ad quem motum contractionis imaginatio movetur a timoris dispositione; ita ut concipiat quis aliquod esse futurum malum, & per consequens fugiendum; Quandoque causatur pusillanimitas, seu scrupulus en ægritudine maniaca, vel melancholica*: ait idem S. Archiepiscopus, *quæ est infirmitas capitis, per quam læditur imaginatio, & quandoque ratio: Unde Galenus & Avicenna dicunt, quod mania, est infectio anterioris cellulæ capitis cum diminutione Imaginationis; melancholia vero, est infectio mediæ cellulæ capitis cum diminutione rationis*. Cui S. Antonino ea in re Navarrus, Rodericua, Bonacina, Reginaldus, & cæteri omnes Authores adhærent. Quibus præterea addendum est cum eodem Sancto, quod *aliquando vero procedit pusillanimitas, seu scrupulus, en reginimis corporalis negligentia, scilicet per nimiam abstinentiam, vigilias, & ejusmodi*: Quod S. Archiepiscopus probat ex quodam S. Hieronymi textu. Contingit etiam, eodem scrupulorum morbo aliquem laborare.

1. Quando, cum sit ingenio nimis obtuso, animum suum adjungit ad legendos libros, qui cartas in materias attingunt captum ipsius omnino superantes, aut eum horrore profundentes, quales occurrere possunt libri, in quibus, quæ pertinent ad gratiam & prædestinationem, scribuntur, qua quidem in materia videntur ei plurima quasi præter modum rigidiora, atque ab ipsa Doctrina tum Jesu Christi, tum ipsius Ecclesiæ prorsus aliena.

3. Cum inconsulto quodam inordinatæ pietatia fervora exæstuans, spirituales exercitationes, & quosdam pœnitentiæ labores proprio suo marta, nemineque consulto, aggreditur; fingens alioqnin æterna salute sese periclitari.

3. Quando rationa prorsus humana & nimis imperfectiori incumbit in contemplationem rerum sanctarum, quæ sub expressa rerum corporearum imagine repræsentantur; quales sunt effigies infantis Jesu Christi, aut nudi Crucifixi, vel imagines B. Virginis, aut sanctorum; agente nimirum mentis ipsius debilitate, atque infirmitate imaginationis, adeo ut, quemadmodum advertit Gerson (*e*), de cogitatione pia & sancta, in cogitationem impuram & ipsis rebus sanctis injuriosam protinus abripiatur.

(*e*) Gerson. tract. de discretis exercitiis Devotorum simplicium.

4. Quando subtili nimis inquisitione conscientiam propriam introspicit, atque rimatur non solum absque necessitate, sed sæpe sæpius suo Confessario dissuadente; & quæ jam diligenter confessus est, peccata memoria revolvit: tunc etenim peccatorum suorum atrocitate atque multitudine, quibus nullum veniæ relinqui locum, plurimum suadente Diabolo, ei videtur, sic horrore perfunditur, ac quasi pondere quodam obruitur, ut nedum cum integra firmaque animi confisione ad divinam misericordiam confugiat, tanta desperatione potius afficiatur, quod Deum jam non habeat, nisi tanquam judicem inexorabilem ac vindicem.

Procedit aliquando causa secunda scrupulorum ex ipso Deo, qui quasdam electas animas amat humiliores simul ac perfectiores efficere scrupulorum ope atque plurimarum mentis anxietatum, quatenus sunt tentationes, quibus easdem vult probare, ab omnique labe detergere eadem perinde ratione, qua probatur aurum in fornace ac purificatur. Cujus rei insigniora sunt exempla sanctus Bonaventura licet magnum Ecclesiæ lumen foret ac percelebris ejusdem Doctor; S. Dominicus, de quo sermonem habent, quanquam non indicato ejus nomine, S. Antoninus, & Sylvester, sancta Catharina Genuensis, sancta Magdalena de Pazzis, S. Ignatius de Lojola, & plurimorum nubes ingens aliornm Sanctorum.

Si ejusmodi fuerint animæ, quæ remiserint pietatis ardorem, intendit ea ratione easdem ad servorem axacuere, iisque, qua plurimum diligendua est, inspirare sanctæ dilectionis amorem. Sic censet sancta Theresia in Epistola ad Laurentium de Cepede sunm fratrem (*d*); sic etiam Jacobus Alvarea de Paz Hispanus e Societata Jesu (a); & Author Libri, cui titulus est, *Christianus interior* (*f*). Quorum proprios tentus legere est citatos a R. P. Gillotte Religioso Pœnitante de Tertiano Ordine S. Francisci in ipsius Libro, qui inscribitur: *Moderator conscientiarum scrupulosarum* (*g*).

Tertia denique causa scrupulorum sæpe sæpius est Diabolus, qui nihil non tantat, & quaqua ratione agit ut timidiores animas inducat ad peccandum, aut conscientiæ quiete saltem defraudet, & quod bonnm operantur, ipse aliqua labe imperfectionis inficiat; aut iisdem denique desperationem salutis affarat: Atque in eo feliciter aliquando procedit, movendo jactandoque melancholicos humores, ac species imaginationis; & imbecilli intellectui speciem rebus inductam omnino contrariam offerendo; Unde timidiori animæ metus incutitur ex horribili nimium illa cognitione, quam ei injecit imaginatio propria, & videtur, ei ex eadem grande nimis accessisse peccatum; quoniam non novit ex æquo matiri plurimam illam distantiam, qua dirimuntur & consensus & simplex cogitatio; atque ea ignorantia utrumque habet promiscuum, animum inducendo, eo ipso, quo ei cogitationis aliquid perversæ vis imaginandi ad vivum expressit, eidem consensum ex culpa sua supervanisse, quanquam reipsa toto pectore, omnique ope atque opera eam abhorruerit: *Causatur & aliquando scruplus en tantatione Diabolica*: ait iterum S. Antoninus (*h*), *potest enim Diabolus, Deo permittente, movere melancholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest, aut turbari ad timorem inordinatum. Unde & Avicenna dicit, quod quibusdam Medicis visum est, quod melancholia contingat a Dæmonio*.

(*d*) S. Theres. Epist. 32. editione Benzelensi. 1680.
(*e*) Alvarez de victoria tentationum p. 3. c. 12.
(*f*) Christianus interior tract. de vita porgative principio 4. §. 18.
(*g*) Moderator scrupolosorum conscientiarum. pag. 7. & 8. tertiæ edit. anni 1709.
(*h*) S. Antoni. cit. §. 2.

Ex dictis colligitur evidenter, ad officium prudentis & sapientis animarum Moderatoris illud potissimum pertinere, ut totus incumbat, in inquirendam veram causam scrupulorum, quibus suus pœnitens torquetur: Atque ea de re necesse est 1. ab eo maxime totum animum adjici, ad deprehendendum, quinam sit ipsius corporis habitus, quod ingenium, quæ naturales animi propensiones? 2. Quam agendi rationem præteritis temporibus duxerit: utrum moderatus atque temperans fuerit in omnibus vitæ suæ partibus; an moribus perditis ac depravatis? Quando namque compertum ei sit, eum ejusmodi esse, quod natura sit timidus & melancholicus, aut tudem gerat atque sine lumine animum, vel saltem hebetatum parumper & obtusum aliquatenus ingenium: conjicere potest ex ipsius habitudine, vel ante acta vita omnino procedere, quibus torquetur, scrupulos. Si vero vir sit, qui vitam antea ex virtutis præscripto egerit verique nominis Christianam, nec ex propria sua constitutione sit melancholicus, nec atra bili percitus; aliunde vero vena ai sit ingenii benigna; jam locus datur existimandi, scrupulos, quibus discinditur, quasdam esse tentationes, quibus eo fine Deus utitur, ut eum ad sanctitatis apicem usque magis

Digitized by Google

gis ac magis perducat; aut quas permittit, ut condigniori pœna peccatorum, quibus præteritam vitam contaminavit, expiandorum ei præbeat occasionem, si flagitiose vixerit.

Tandem illud nobis persuasissimum est, sæpenumero contingere, scrupulis, quibus fideles jactantur, qualibet ex causa procedant, Diabolicæ tentationis aliquid immisceri; quoniam perpetuus ille nostræ salutis adversarius non nihil semper molitur in perniciam nostram, omnesque nervos ætatis industriæque intendit, ut animi nostri sensus saltem excutiat, animarumque turbet pacem, quæ Sancti Spiritus donum est quam pretiosissimum plurimumque conducens ad salutem fidelium juvandam.

Eu quæ nobis visa sunt ad propositum nostrum pertinera circa propositam materiam scrupulorum, ut aliquatenus innotescerent eorum tum natura, tum causæ atque effectus; indeque prudens Confessarius hauriret congruentiora remedia, quibus iisdem succurrere, tutius simul atque facilius expediret.

Quibusquidem sic præmissis, jam responsiones aggredimur, quibus institutis in specie proposita quæstionibus faciendum satis est, dicendo nimirum. 1. Basilinæ nihil prorsus accedera peccati ex horrendis illis cogitationibus, quibus invita mens illius agitatur; modo easdem detestetur, ut detestari reipsa supponitur: Siquidem consensus, sine quo non potest sensus nocere, pendeat ab arbitrio voluntatis, non ab imaginationis impetu, quæ cœca quædam est facultas nullo libertatis arbitrio flecti possibilis. 2. Eam non agere prudenter, privata sua authoritate, proprioque suo marte a Communione sacra sese abstinendo; sed, quibus jactatur, angores animi ab ea suo Confessario esse ingenue proponendos, atque in ea re sicut & in aliis præstandam esse omnimodam obedientiam: Verum nihilominus, si tempore, quo consulendi sui Rectoris ei copia deest, vere persuasum haberat, futurum ut, ad sacram synaxim accedendo, mortaliter peccaret: perperam prorsus eam acturam esse, si nihil ista animi dispositione retardata, sacram Corporis Christi non dubitaret accipere Communionem; siquidem ageret contra propriam suam conscientiam; adeoque in eo casu ei incumberet, eo usque Communionem prætermittare, quoad vel a suo Confessario, vel ab alio quovis intelligentissimo viro sumpsisset ea de re consilium. Quod quidem evidenter probatur: 1. Authoritate S. Thomæ (a), qui docet, licet nihil peccetur adversus Legem, quando peragitur aliqua actio, posse tamen peccatum inde procedere, quod eadem actio contra conscientiæ dictamen admittatur: 2. Decretali quadam Innocentii III. (b) scribentis ad quendam Carthusianorum Priorem, occasione cujusdam Religiosi de eodem Ordine, qui in dubio, quo agitabatur, num Episcopus, a quo receperat sacrum Subdiaconatus Ordinem, Simoniacus esset, ut ei renuntiatum fuerat, necne; non audebat nec functiones exercere prædicti Ordinis, nec ad Diaconatum ascendere. Qua de re laudatus Summus Pontifex sic declarat: *Respondemus, ut in Ordine suscepto secure ministret: Sed contra conscientiam ad superiores Ordines non ascendat, ne forte ædificet ad gehennam; sicut, ex eo quod conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem hujusmodi sit collapsus; quam utique non evadet nisi deponat errorem.* 3. Eam non posse abstinere se a sumendo Corpore Christi, cum jubet ipsius Rector, quin in peccatum impingat inobedientiæ, & sese prodat nimiæ sui fiduciæ consciam, agendo nimirum ex propria sua sententia, & animo pertinaci potiorem habendo proprium suum sensum, ipso sui Superioris judicio. Quod tamen asserere non intendimus, nisi quatenus supponimus, eam non incidisse in novum aliud peccatum, ex quo jussum illud accepit a suo Confessario.

(a) S. Thom. quodlib. 8. a. 6. ad 3.

(b) Inn. III. in c. Per tuas 35. de simon.

CASUS II.

Synesius pietate quidem vir insignis, sed ultra modum scrupulosus, timet, ne peccatum quoddam, quod arbitratur esse mortale, in Sacramentali Confessione, quam habuit ab annis fere duobus, prætermiserit. Numquid contendi potest, eidem obligationem induci ejusdem declarandi; cum accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ; adeo ut si illud non aperuerit, novum aliud peccatum committat, & nullam efficiat suam Confessionem?

Respone.

Quo penitius expediantur, quæ ea de re sese solent offerre, difficultates; in antecessum ponendum est. 1. juxta Sylvestrum de Priario (c), scrupulum non inniti nisi levibus admodum conjecturis, quibus mens inclinatur ac movetur, ad fidem alicui rei adhibendam, aut de eadem dubitandum. *Scrupulus* ..... inquit laudatus Author, post Albertum Magnum, quem ipse citat, *est motio ad unam partium contradictionis ex levibus & multum debilibus conjecturis*. 2. Scrupulum, ut jam observatum est, procedere aliquando, quin etiam frequentius ex constitutione quadam frigida atque melancholica, cui vis naturalis inest ad timorem incutiendum, & quandoque etiam ex Diabolica tantummodo perversitate. *Causatur* (scrupulositas) *primo ex complexione ad timorem idonea, ut frigida & melancholica. Item ex Diabolica tentatione.* Quæ verba sunt laudati superius Authoris, a quo recensentur ejusdem animi morbi quatuor aliæ causæ naturales quidem, sed tamen minus ordinariæ.

(c) Sylvest. v. Scrupulus. &c. init.

Quibus positis, respondemus, si Synesius, qua par est, requisita cum diligentia studuerit deponendæ, de qua quæstio est, Confessioni, ut ex ipsius pietate conjiciendi locus affertur; eum existimare debere, de peccato, cujus occasione tantis animi angoribus conficitur, a se non fuisse prætermissum in Sacramentali Confessione sermonem; adeoque sibi non incumbere, illud idem iterum declarare in prima Confessione, quam habiturus est. Ita censet Cardinalis Cajetanus (d), qui ait: *Medicina autem particularis contra præteritorum peccatorum reconfessionem, est habere credulitatem propriam, quod de illo peccato confessus sit pro certitudine, ita quod non amplius confiteatur, & in hoc acquiescunt consilio meo omnes scrupulosi timorem Dei habentes, qui Confessionem suam diligenter perfecerunt.*

(d) Cajetan. in summ. v. eod. n. 3.

Neque est, unde quis opponat, futurum ut Synesius contra propriam conscientiam ageret, consilium sequendo, cujus author est eruditus Cardinalis, quem appellavimus: Quod etenim in moralibus dicitur *conscientia*, est, *quando judicium de agendo, aut non agendo firmatum est in unam partem potius quam in alteram oppositam*, ut loquitur quidam Author nominis omnino notoque prorsus insignioris (e). At vero *scrupulus non est judicium, sed potius apparentia & argumentum contra judicium*: quemadmodum habet Navarrus (f). Adeo ut nihil causæ sit, cur dicatur, aliquem scrupulosum, qualis Synesius supponitur, agere contra propriæ conscientiæ dictamen in præsenti specie, quam expedimus: sed solummodo, eum agere contra, nihilque obstante mentis perturbatione & animi anxietate, quam propter scrupulum suum experitur, aut ex infirmitate suæ timidioris imaginationis, aut forte etiam ex perversitate ac tentatione Diabolica: Hoc est, proprie loquendo, non agit, nisi contra scrupulum, qui animum ipsius jactat ac quodammodo scindit, atque eo usque se effert, ut ei quoque tranquillitatem ac pacem animæ eripere possit, cujus bono gaudere tantopere juvat unumquemque Christianum. Cui quidem, ut occurrat tanto malo, hoc uno remedio succurritur, nimirum ut judicio consilioque sapientiorum atque intelligentiorum assentiatur: Quæ quidem assensio vere locum supplet ipsius conscientiæ, quin imo ipsissima est ejus conscientia, juxta quam eum agere, potissimum expedit; atque ita sese gerendo, finget modum suum agendi ad consilium celeberrimi Gersonis, quod a S. Antonino refertur verbis sequentibus (g), *Consilium salubre est, frequenter agere contra scrupulos leves & tepidos, vitando eos ad aliorum judicium, quatenus ex consuetudine fiat homo robustus, solidus & tranquillus.*

(e) Valerius Reginaldus prax. fori pœnit. l. 13. c. 11. n. 107.

(f) Navarr. in can. Si quis autem de pœnit. dist. 7. n. 17. Et post eum Regin. cit.

(g) Gerson. tract. de reg. moralibus. Apud S. Antonin. 1. part. tit. 3. c. 10. §. 10.

CA-

CASUS III.

Haimonius spectatæ virtutis & singularis exempli Sacerdos, cum audierit, suum Episcopum animo adjecisse, eum ampliori numerosiorique cuidam Monialium cœnobio præponere Confessarium, inter quas eum non fugit, plurimas extare, quæ gravissimos importunioresque scrupulos jampridem patiuntur; priusquam provinciam sibi demandatam suscipiat, cui quidem exequendæ, timet, ne minus idoneus sit; petit 1. quæ potissimum animi dotes, quænamve facultates deceant Confessarium ejusmodi personis præficiendum? 2. Quænam iisdem debeat remedia præscribere.

Respons.

Ut eorum conditio, qui scrupulis agitantur, est admodum miseranda, tum propter urentes animi angores, quibus conficiuntur, tum propter interiorem conscientiæ suæ perturbationem, quam fere continuam experiuntur; iisdem procul dubio opus est eo rectore, qui sit perspicacissimus, & consummata rerum intelligentia ornatissimus. Jamvero nobis videtur, primam istam dotem in Confessario prædictis personis præficiendo requirendam esse, nimirum ut quasi paternis teneræ charitatis visceribus eosdem complectatur, adeo ut cum iis agat semper plurima cum benignitate, tum patientis animi tolerantia: nec ei aliquid unquam excidat, quod aut fastidium sapiat, aut plurimæ, quæ ei ab iisdem infertur, importunitatis satietatem; *Non autem debent scrupulosi dure corripi*, ait S. Antoninus (*a*), *sed animari, ad deponendum pusillanimitatem & scrupulum*. Eum oportet præterea prudentiorem esse ac intelligentiorem, summaque cum diligentia totum in eorum scientiam incumbere, quæ pertinent ad materiam scrupulorum; atque potissimum intendere, ut sibi perspecta fiat & penitus exalorata vera causa, quæ iisdem originem & locum affert; quo possit deinde convenientiora adhibere principia, quibus eosdem regi plurimum expedit.

(*a*) S. Anton. 2. p. tom. 3. c. 10. §. 10.

Quod pertinet ad remedia, quibus ejusmodi personis debet succurrere; hoc primum omnium, cæterisque prorsus omni comparatione excellentius est, ut suadeat suis Pœnitentibus necessitatem summam omnimodæ ac cææ cujusdam obedientiæ, quantum ad ea omnia, quæ Divinæ legi nec aperte nec certo certius adversantur; siquidem, ut jam in alia decisione monuimus, vix possit unquam scrupulosus suum animi morbum exuere, qui consiliis Rectoris sui non stat, sibique vel etiam sumit ut sese ejusdem velit judicem constituere: qua de causa Rosellus ait scrupulosum alloquens. *Obedi duntaxat, & mundaberis ab hac lepra, sicut a sua mundatus est Naaman, obediens Elisæo*. Etvero, addit Author memoratus pietate omnino insignis. *Profecto omnium tentationum & passionum gravissima animæ ægritudo, est conscientia scrupulosa, quæ nec admonitionibus spiritualis Medici acquiescit, nec facile medicinale consilium admittit* (*b*).

(*b*) Rosell tr. seu prax. deponendi conscientiam in dubiis & scrupulis, &c præfat. ad lectorem scrupulosum.

Secundum vero remedium in eo positum est, quod conscientiarum scrupulosarum rector pro virili parte agat, ut scrupulosis persuasionem tandem afferat, eos esse veri ac proprii nominis scrupulosos; ubi namque eo usque perventum fuerit, quod convincantur, istas animi anxietates, quibus plurimum uruntur, non esse, nisi meros scrupulos; sic efficientur, ut proposita sibi remedia facilius admittant, & adhibeant multo lubentius: Eadem perinde ratione, qua quis infirmus, qui certo certius novit, sibi periculum mortis imminere, sese dociliorem præbet in adhibendis sibi remediis, quæ ab ipsius Medico ei præscribuntur; cum e contrario si sibi fingerent isti Pœnitentes, pro sese pugnare rationem, nec suis scrupulis deesse legitimum fundamentum; consilia, quibus a suo Confessario juvarentur, in eo casu parvipenderent; suæque insaniæ præfracti retinerent perseverantiam: Porro scrupulosus quilibet, in eam sese persuasionem adduci, sinere debet, nimirum laborare sese morbo scrupulorum: 1. si ea de re a proprio suo Confessario, quem virum habet summa rerum intelligentia præditum, certior efficiatur. 2. Si animum sentiat impiarum, turpium, ridicularumque cogitationum plurima farragine perturbari, ex quibus vereatur, ne peccatum aliquod sibi contigerit, licet easdem abhorreat & penitus detestetur. 3. Si dubium ei facile suboriatur, ne peccaverit in rebus omnino levissimis, in quibus, nec vel etiam a viris pietate commendatissimis nequidem minima species culpæ deprehenditur. 4. Si, postquam ab aliquo intelligentiori sumpsit consilium, nihilominus, quas experiebatur antea, discindi pergat iisdem mentis anxietatibus, ac, licet consilium sibi datum sequatur, eodem semper agitetur metu, ne forte in eo etiam peccatum aliquod committat. 5. Si quædam imperfecta tantummodo, aut leviores aliquas culpas veniales pro consueto suo more confiteatur tanquam horrenda peccatorum monstra, quanquam rem ita sese non habere, fuerit a suo Rectore multoties admonitus. 6. Si quod sibi dubium fingit, nihil difficultatis præ se ferre sapientibus videatur. 7. Si, cum pie viveret atque contenderet, ad summam cumulatamque virtutem ascendere; quæ horret hodiernis diebus, ut totidem peccata; tunc temporis haberet, ut prorsus indifferentiora. En quibus potissimum indiciis quis sese potest reddere certiorem, num sit vere scrupulosus. Atque prædictas observationes exscripsit de Tractatu Alvarezii de Paz (*c*) Reverendus Pater Columbanus Gilotte Religiosus Pœnitens de Tertiano Ordine S. Francisci (*d*). Tradit easdem etiam ea de re regulas Rosellus Carthusianus, quibus quinque alias subjungit in suo, quem scripsit de ista materia, tractatu (*e*); Addit Alvaresius de Paz, si prædictus ille scrupulosus ex aliquibus prædictis indiciis compertum habeat, sese veri nominis esse scrupulosum: oportere, ut imitetur Medicos, qui, quanquam longo rerum usu edoceantur, & quantacumque præstent artis, quam exercent, intelligentia; cum tamen urgentur aliquo gravissimo morbo, cæterorum Medicorum consiliis & regimini sese totos permittunt: hoc est, debeat ad suum Medicum spiritualem confugere, & quæ judicat expeditiora, atque ad removendos scrupulos ipsius, aptiora, ex ejusdem præscripto remedia recipere, sibique scrupulose nimis adhibere.

(*c*) Jac. Alv. de Paz de victoria tentationum. l. 1. part 3.

(*d*) R. P. Columb Gilotte, moderator conscientiarum scrupulosarum c. 3.

(*e*) Rosell. Prax. deponendi conscientiam. in dubiis & scrupulis. c. 4 pag. 51.

Præbet tertium remedium adversus scrupulos, plurima Divinæ misericordiæ fiducia: neque enim ut plurimum excruciat conscientia scrupulosa, nisi quia Deus animo fingitur quasi Judex acerrimus vindex scelerum, qui non novit ignoscere: cum sit e contrario semper habendus tanquam pater, cui fons inest bonitatis atque misericordiæ, quique sic animo comparatus est, ut confugientibus ad se, & quos peccatorum suorum sincere pœnitet, faciat ultro gratiam.

Quartum remedium est, ne nimis frangatur animus ex iterato lapsu in peccata, quæ leviora sunt ac tantummodo venialia: siquidem facili negotio possit quis iisdem sese levare, eliciendo actum amoris, fidei, spei, aut cujus libet alterius virtutis: aliunde vero ejusmodi peccata non habeant ex ingenita sua natura, ut ei gratiam eripiant, qui in eadem incidit: quemadmodum definitum est ab Ecclesia in suo Tridentino Concilio congregata.

Quintum remedium est, ut scrupuli nihil pendantur & contemnantur, præsertimque cogitationes malæ, quando mentem subeunt eamque perturbare incipiunt: atque summa cum diligentia procul ab animo arceatur, quidquid iisdem potest locum afferre. Cujus quidem adhibendi remedii author est Gersonius (*f*), qui sic docet: *Frequenter autem hæ impiæ cogitationes melius vincuntur, si eas nihil pendimus aut curamus; sed in aliis rebus occupamus animum, quam si eas nitamur vi propellere. Intendant scrupulosi, quod talia non curent, neque multum cum his litigent; sed potius irrideant dicentes cum illo Patre, in vitis Patrum*: Immunditia Tua Super Te Daemon Dominus Mihi Adjutor: Non Te Timebo. Quam Gersonii sententiam laudat comprobatque Sanctus Antoninus (*g*), isthæc alia verba ejusdem authoris referendo: *Mille surgunt apud aliquos scrupuli, more canum oblatrantes, & la-*

(*f*) Gerson. tr. de diversf. tentatioib. Diaboli.

(*g*) S. Anton. cit. §. 10.

& lacerare minantes ipsos, qui volunt ire per viam Dei, quos convincere & compescere melius quam per contemptum nequimus.

Sextum in eo positum est, at quæcumque devitetur cum scrupulosis familiaritas; quia, ut S. Antoninus observat: *Unus scrupulosus facit alium scrupulosum* (*a*).

(*a*) Id. 2. q. 5. 3. c. 20. §. 9.

Septimum est, ut ad sacram Communionem sæpius accedatur, quanquam antea non habita fuerit confessio peccatorum; modo nihil in eo attentetur inconsulto Confessario; quanam enimvero tutiori ratione pervenitur ad pacem, quam ipsummet pacis authorem, & Deum totius consolationis in sacra Communione recipiendo?

Octavum remedium est, lectio Scripturarum Sacrarum assidua: *Debet quis assiduus esse in lectione Scripturarum*, inquit S. Antoninus (*b*), de scrupulosis habens sermonem: *Unde Hieronymus ad Nepotianum*: SCRIPTURAS SAEPIUS LEGE; IMO DE MANU TUA NUNQUAM SACRA LECTIO DEPONATUR. Cui quidem remedio vult S. Archiepiscopus, tanquam omnino necessariam subjungi frequentem orationem: *Orationis devotæ continuatio .... præcipue oratio valet, ad tollendum scrupulos, prout procedunt a tentatione Diaboli*. Quod evincit sex textibus tum Veteris, tum Novi Testamenti.

(*b*) S. Anton. loc. cit. §. 10. l.

Proponuntur etiam a Rossello octo alia remedia contra scrupulos (*c*); At, quæ modo suasimus, videntur nobis ejusmodi esse, quæ plane sufficiant cuilibet viro sapienti, quantumcumque scrupulis discindatur; ut ex ejus generis morbo convalescat.

(*c*) Rossell. cit. tract. c. 13. per tot.

CASUS IV.

ACARIUS religiosissimus quidem Sacerdos, sed quem importuna nimis scrupulorum phalanx solet undequaque circumvenire; confessionem deponens apud Ferdinandum rerum plurimarum, quibus aliquid inesse mali suspicabatur, & quas peregerat; non potuit eum certiorem facere, utrum propriam conscientiam, prius quam ad agendum sese determinaret, obfirmaverit; quoniam modo, sibi persuasionem inducebat illud malum esse quod agebat, modo, quæ propriam suam mentem subierat ea de re, cogitationi prorsus obtinebatur. Quid agendum Confessario potissimum incumbit, quonam vero consilio juvandus Acarius?

RESPONS.

En ipsissimus plane est, qui solet ut plurimam sese offerre, casus contortus omninoque importunus, & difficultas, quam at Confessarii gravissimam experiuntur, sic etiam graviori labore consueverunt expedire. Quod ut enodetur utrumque, eo potissimum modo, qui prudentiam & rationem decere maxime nobis videtur, agendum est, nimirum ut, quemadmodum docet Theologus quidam magni certe nominis, & primi prorsus Ordinis (*d*) Sorbonicus Doctor, qui pro sua, qua plurimum ornatus est, modestia noluit, inscribi suum nomen Operi cuidam, cui titulus est, *Praxis Sacramenti Pœnitentiæ*, discrimen ingens constituatur rationem inter & vim imaginandi; fieri namque potest, vim nostram imaginandi perturbari, gravissimoque persundi horrore, dum rationi nostræ compertum est, nihil horroris imminere, nihilque causæ timoris: „ Si, verbi gratia, locus „ aliquis præceps ope alicujus tabulæ transeundus „ occurrat; inquit inclytus iste Auctor; licet ratio certo certius suadeat, tabulam istam satis firmam esse, sufficienterque latam, ut per eam „ absque periculo possit transiri; timorem nihilo„ minus imaginandi vis objicit, & ejusmodi for„ midines infert, ut eidem cedere cogatur ratio, „ quoniam in eam nulla potestate præstat, nul„ loque jure gaudet summi imperii „.

(*d*) Dom. Habert. pr. Sacr. Pœnit. tract. 1. c. 7.

Memorat etiam vir maxime commendandus eorum exemplum, qui, per noctis obscurum, spectrorum phantasmata reformidant; quanquam enimvero persuasum omnino habeant, pavores, quibus percelluntur, vanos esse, ac meras aberrantis animi delirationes, quin etiam eosdem ipsimet considerent ut totidem suæ mentis infirmitates, quas summopere gerunt abditas, ne derideantur; eos tamen vix superare possunt, imo nec superant semper, nec nisi plurimis animi anxietatibus exagitati sustinent; si vero tandem eo usque perveniant, at adhibita multa rationis suæ contentione, soli noctu remaneant; nihilominus propriæ suæ imaginationis impetu correpti singulis momentis jactantur ac perturbantur, quasi reipsa sese ipsius spectrum aliquod objiciendum esset: Hoc est, etiamsi habeant ex propria sua ratione, ut sibi persuadeant, nihil causæ esse, cur metuant; ex imaginatione tamen sua id experiuntur, ut ne momento quidam, agitatione & metu valeant esse vacui; Denique vero ratio vincit ipsam eorum imaginationis infirmitatem.

En prosequitur laudatus insignioris notæ Theologus, genuina hæc est imago scrupulosi, qui Deum timet & vere amat; vir enimvero ejusmodi, ratione sua convincitur, nihil occurrere peccati in faciendo seu prætermittendo hoc vel illo opere; atque eo fundamento potissimum innixus illud idam vel facit, vel omittit: Nihilominus timore percellitur, ne quidpiam peccati sibi in eara excidat, quoniam ipsius imaginatio perturbatur ac quodam horrore gehennæ perfunditur, cujus imaginem ad vivum expressam ipsius constitutio ex insita natura in timorem propensior, quasi sub oculos ejus indesinanter subjicit; adeo ut, nihil obstante intima animi sui persuasione, nihil etiam juvante, quam mutaatur ex propria sua conscientia, notitia securitatis omnino certa atque explorata, futili quodam timore, cui nulla justa causa succurrit, detineatur, indequa interiori illa pace, quacum agere deberet, penitus defraudatur. Igitur ea adumbrata illa forma, quæ similitudinem omnino refert scrupulosi, Ferdinandus debet suum pœnitentem scrupulosum agnoscere, & subodorari, quos exponit, animi anxietates & timores non procedere ex defectu Divini amoris, sed ex infirmitate ipsius imaginationis, atque ex constitutione, quæ in timorem natura sua propensior est; præsertim vero cum deprehendit, prædictum Sacerdotem iisdem scrupulis & montis angoribus excruciari, quantum ad alias res diversas; Qua de re certiorem eam efficere debet & pro virili parte eniti, ut inde scrupulis, quibus discinditur, afferat levamen, & conscientiæ possit restituere tranquillitatem; atque præsertim caveat oportet, ne quidquam ejus dubitationibus oblecandet aut assentiatur, quin imo javat, eam maxime agere, ut in ipsius utilitatem vertat, quidquid determinaverit, & idoneum seperiatur, ad evellendum et conceptum animo timorem: quippe, si sese gereret alioquin in ejusmodi rerum conditione, scrupulis Acarii pertinaciam adderet, eosque redderet prorsus immedicabiles.

CASUS V.

LAUMERUS Sacerdos omnino scrupulosus in animo habens peccatorum suorum generalem deponere confessionem, semetipsum Officium Breviarii persolventem sæpe sæpius interpellat, ut, quæ memoriæ ipsius tunc temporis occurrunt, peccata referat scripto in suas tabulas; quoniam experientia novit, cum eadem prætermittit in ipso temporis articulo scripto mandara, non posse fo eousque potea redire, ut ad memoriam eorum sese iterum revocet: Numquid in eo reprehendendus est, præsertim si hoc animo fixum habeat, idem prorsus esse, aut eadem negligere scribera, aut eadem oblivisci velle?

RESPONS.

Priusquam propositæ quæstioni fiat satis, non erit abs re alienum observare, istam opinionem omnium fere scrupulosorum propriam esse, ut animo sibi fingant, suis scrupulis afferri levaminis plurimum ex ineunda generali peccatorum suorum confessione: quanquam in præcedentibus suis confessionibus nullum mortale peccatum sese reticuisse certissime sciant, nec sibi de fuisse quamcumque diligentiam, ut iisdem, qua potuerint,

accu-

accuratiori ratione omnibus numeris ac partibus absolutam afferent perfectionem: Atque in eo stolide prorsus hallucinantur: quoniam experientia comprobatur, statim ut functi sunt ejusmodi Confessione generali, in tranquillo ac tuto non sese sistere magis eorum conscientiam, & quam scrupulorum suorum occasione experiuntur, animi perturbationem ea ratione, nedum imminuatur, quin potius exasperari. Quamobrem non debet prudens Confessarius eos admittere ad conficiendam generalem confessionem, nisi certissimis argumentis demonstretur necessitas ipsius iisdem permittendæ.

Qua præmissa observatione, jam accedimus ad speciem propositam, & respondemus, nullatenus comprobari nobis posse Laumerum, aut quemcumque alium, cui ex officio incumbit Divinum officium persolvere, obligari, ad recitationem illius interrumpendam, ut peccata, quæ redeunt ad ipsius memoriam, referat in suas tabulas, quin imo nec censemus, ita sese posse eum gerere absque peccato: utpote nunquam licitum sit animum suum ultro avocare a recitando Divino officio, cui cum intento animo maxime vacandum est, sub prætextu boni quidpiam perficiendi: cum bonum illud potest eadem ratione, temporeque opportuniori postmodum peragi. Unde dictum illud est omnino falsissimum, scilicet, hoc ipsum idem esse, negligere in ista rerum circumstantia peccata scripto mandare, & eadem oblivisci velle: quanquam enimvero quandoque contingat, eum non posse se, ad memoriam peccatorum iterum postea revocare, nec aperire eorumdem aliqua in confessione, quæ ipsius memoriæ tunc temporis occurrebant: non minus tamen isthæc ei ignoscentur in Sacramento Pœnitentiæ, quam alia, quorum confessionem habuit explicitam: Quod quidem omnino concordat cum Doctrina Concilii Tridentini, quod sic declarat (a): *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur.*

(a) Concil. Trid. sess. 14. c. 5.

In nostram vero sententiam eo lubentius adducimur, quod, si toleraretur illa libertas, quam sibi Laumerus sumit peccatorum suorum scribendorum, quo tempore vacat officio Divino persolvendo: inde locus daretur voluntariæ mentis evagationi, quæ tandiu perseverare sæpe sæpius posset, quamdiu recitando suo officio operam impertiret: quoniam in illud certissime Diabolus totus incumberet, ut memoriæ ipsius omnia peccata per vices repræsentaret, quo nimirum, & ipsius imaginationi perturbatio plurima ea ratione afferretur, & qui necessarius est, ad bene orandum, intentus animus ei omnino totus abriperetur.

CASUS VI.

Ysambergia mulier virtute singulari prædita, quæ consuevit unoquoque octavo die ad Sacramenta accedere, sed in eo potissimum vitiosa, quod conscientiam gerat omnino scrupulosissimam, fere nunquam confiteatur, quin iterum, ac etiam ad tertiam usque vicem recurrat ad suum Confessarium, vel culpam aliquam confessura, quæ ei ex lapsu memoriæ exciderat, vel aliquid luminis additura, unde quædam circumstantiæ peccatorum, de quibus Sacramentalem absolutionem recepit, multo clariores quam prima vice efficiantur, & ipsi Confessario manifestiores. Qua de re quæritur, utrum præfatus Confessarius, qui ei interdixit, ne secunda vice ad eum accederet: tum charitati, tum proprio suo officio non deesset, si eandem inauditam dimitteret iis præsertim diebus, quibus ipsa Sacram Corporis Christi Communionem receptura est?

Respons.

Siquidem, ut supponitur, Ysambergia vitam agat ex virtutis ac pietatis præscripto, & Confessarius agnoverit, eam iterum atque etiam ad vicem usque tertiam non reverti, nisi ut culpas admodum leviores confiteretur: debet primo quidem & antequam quidquam aliud sibi proponat, nisi jam in eo, quod ei incumbit, officio fecerit satis: 1. Eam docere differentiam, quæ mortale peccatum inter, & veniale intercedit: ne possit ea de re causam ignorantiæ prætexere. 2. Eandem admonere, licet obligatio necessario prorsus inducatur, peccatorum omnium, quæ certo creduntur, aut conjiciuntur esse mortalia, sigillatim in confessione enumerandorum; eandem tamen necessitatem non incumbere, quantum ad culpas veniales, quoniam earumdem venia non in Sacramento Pœnitentiæ tantum obtinetur: sed præterea condonatur atque indulgetur ex actibus fidei, spei, amoris, contritionis, humilitatis, ex oratione, jejunio, eleemosyna, & aliis ejusmodi virtutibus, aut bonis operibus; ut alibi jam observavimus. 3. Necessarium quoque equidem esse, omnes, & singulas enunciari peccatorum mortalium species, cum eorumdem speciem aut immutant, aut notabiliter efficiunt graviorem; sed necesse non esse circumstantias illas exprimi, quæ in istum ordinem non recensentur. 4. Quæ quidem cum præstiterit Confessarius, pro virili parte debet eniti, ut ipsa tandem animo comprehendat, non enarrando tantummodo singula sua peccata, futurum ut eorumdem veniam consequatur, sed potius eorumdem ipsam vere pœnitendo, animoque sincera fide destinando, in eadem deinceps non incidere. 5. Denique prædictus Confessarius sic agere debet, ut Ysambergiæ persuadeat, postquam habuit ingenuam atque candidam peccatorum suorum confessionem, quam præcessit sufficiens examen conscientiæ, & de Tribunali pœnitentiæ pedem extulit; in illud tantummodo incumbere, eam juvare, nimirum ut toto animo, totaque cogitationem sese convertat in salutaria consilia, quibus ei auxilio esse conatus est; nec quidquam aliud sibi proponat, quam qua potissimum ratione possit sanctæ dignæque Communionis sese reddere participem; de cætero dimissis misericordiæ Salvatoris peccatis quibuscumque, quæ ex memoria ipsius potuissent excidere, iisdemque perpetua oblivione obrutis.

Postea vero, si Ysambergia animo obstinaverit, velle se iterum redire post absolutam confessionem, Confessarius ex altera parte debet obfirmare se, nolle ei ullatenus aures præbere; ac præscribere, ut ipsa, cum animo quieto ac obedienti, accedat ad Sacram Communionem. Sic sese gerendo, nedum nobis videatur charitati, proprioque suo officio deesse; quin potius censemus, futurum ut in eo sapienter agat, & animum prædictæ mulieris a scrupulorum anxietatibus tutiori faciliorique ratione revocet ad tranquillitatem.

CASUS VII.

Lucia est virgo, quæ scrupulis adeo discinditur, occasione Confessionum, quas habuit; quin etiam Confessionis cujusdam generalis peccatorum omnium ac singulorum ante actæ suæ vitæ, quam deposuit, adhibitis eidem tum majori diligentia, tum exquisitioribus animi dispositionibus, quas potuit; ut nulla jam quiete, nullaque conscientiæ tranquillitate gaudeat a sex mensibus, & ultra, nec ulla spes ei tranquillitatis affulgeat, nisi postquam novam aliam confessionem rursum expediverit, quæ pacem possit animo ipsius afferre, & quæ in præteritas ejus confessiones irrepserunt, vitiis mederi; in quibus, ait ipsa, nec sufficientem adhibuit diligentiam singulis variisque peccatorum suorum circumstantiis enunciandis, neque aliunde de iisdem veram experta fuit cordis contritionem. Ipsius Confessarius, a quo supplex ipsa petit ex tribus mensibus, & ultra, ut ei gratiam facultatemque annuat novæ alterius confessionis generalis habendæ, nonne debet ex officio charitatis levamen istud ei indulgere, ut quibus a tanto tempore jactatur, omnes anxietates, atque animi perturbationes tandem exuat?

Respons.

In eo potissimum versatur nodus propositæ difficultatis, ut determinetur, quanam animi prudentia debeat Confessarius in proposito casu sese gerere. Quam sumus ab annis 55. & amplius edocti, longa rerum istarum experientia nos in eam partem impellit, ut asseramus, Confessarium Luciæ non debere sese ullatenus præbere lenem precibus, quibus urgetur de copia facienda novæ generalis alterius iterandæ confessionis; siquidem omni-

omnino constet, nedum ea ratione scrupulis ipsius mederetur, quin potius certissime futurum, ut inde exasperarentur, ac quodammodo perpetuarentur; atque, si prædictus Confessarius ex indulgentia molliori, quam ipsa vult habere, confessionem exciperet; cito citius experiretur importunioribus, quam antea, precibus eandem sibi gravem atque molestam, ut iterum licentiam extorqueret, novæ generalis alterius confessionis rursus suscipiendæ; adeo ut, etiamsi incredibili patientia uteretur, & permitteret, ab ipsa decies usque repeti confessionem eandem; procul dubio videret, sese nihil profecisse, & postquam suæ pœnitenti plurimum operæ ac laboris incussisset, nihil inde curationis accessisse ipsius malo, quod e contrario magis ingravesceret, atque in pejus augeretur. Cujus quidem rei vidimus ipsi plurima exempla, atque ut cætera sileamus, unum tantummodo subjiciemus, nimirum personæ cujusdem ingenium habentis in numerato, quæque inter homines spectatissimæ virtutis, & vitæ sanctissimæ famam fuerat consecuta, quæ tamen eo usque nunquam potuerat pervenire, ut ex generalibus Confessionibus iterum atque iterum repetitis, animo suo pacem afferret, quam frustra quærebat ac sollicitabat ex ejusmodi confessionum iteratione, & quæ tandem ab annis fere 20. nihil aliud egerat, quam sese totam dare frequentibus examinibus conscientiæ, quæ prosequebatur identidem cum animo novæ generalis alterius confessionis iterandæ, absque eo quod tamen ne semel quidem, per totum illud temporis spatium, nec ad Sacramentum Pœnitentiæ, nec ad Sacram Communionem accesserit, sub eo prætextu, quod sanctis illis dispositionibus, quæ Sacramentum istud utrumque plurimum decent, sese sentiret omnino vacuam ac plane destitutam. Atque ista potissimum ratione, ut jam advertimus, Diabolus seducit animas sub specioso prætextu Religionis larvatæ, & pietatis, cui nequidem inest ipsius pietatis externa species.

Igitur Confessarius Luciæ nihil facultatis debet ei concedere, nisi 1. prosequendi suas confessiones ordinarias.

2. Debet eidem omnino interdicere, ne sese ad easdem habendas, disponat, adhibitis longioribus propriæ suæ conscientiæ examinibus; quin etiam prudenter sese geret, si tempus eidem præfiniat, per quod debeat in seipsam descendere, & perscrutari propriam conscientiam; ac de cætero longioris examinis ipse pro sua charitate velit supplere vices, eam aliquatenus interrogando de peccatis, in quæ posset incidisse, si sic expedire videatur, quo perfectior inde, & accuratior ipsius confessio reddatur, & ipsa habeat, quam ex charitatis animo curam ipsius animæ gerit Confessarius exploratiorem.

3. Ei quoque debet severius prohibere, ne peccata anteactæ vitæ ullatenus animo volvat, nec iisdem subtilius recognoscendis animum intendat: siquidem ista potissimum ratione vanæ atque infinitæ propemodum species animo recurrent, quibus mens inquinatur ac percellitur; atque etiam impeditur, ne studeat præsenti vitæ rationi, ut par est, recognoscendæ, eidemque Confessario suo, qua ratione requiritur, penitius evolvendæ; refert enim scrupulosa conscientia similitudinem canalis alicujus ex ima sui parte admodum lutulenti, cujus aquæ superficies, quamdiu lutum non movetur, limpida pellucidaque decurrit; sed cujus aqua, eo ipso quod lutum agitatur, putrida fit atque omnino turbulenta: Sic etiam, quando quis scrupolosus eo usque pervenit, ut animo deliberaverit abstinere jam ab importunis, & anxiis illis inquisitionibus in propriam suam vitam, quæ præcessit, eo purior ac tranquillior est ipsius conscientia; at e contrario, quando præteritarum suarum sordium lutum vel paululum quid exagitat, eo magis eadem fœdatur atque perturbatur.

Juvat nihilominus observare, si Lucia, aut persona quævis alia scrupulosa foret in mortalia quædam peccata propensior, & a completa sua ultimo loco generali Confessione retinuisset eorumdem perseverantiam, videri in eo casu, futurum ut Confessarius posset ei permittere, ut novam aliam Confessionem repeteret, ad vitium præcedentis abstergendum; si judicaret, eam inde potuisse esse nullam, quod sincerum emendationis propositum adjunctum non haberet: At nequidem eam indulgentiam adhibere deberet, nisi postquam in melius fuisset mutata, atque iisdem incœpisset per dignos ac sinceros fructus pœnitentiæ satisfacere: alioquin omnino nullatenus.

Sed tandem, ut ipsa radix scrupulorum, plurimarumque animi anxietatum, quibus Lucia discinditur, aut quivis alius scrupulosus jactari potest, resecetur ac penitus evellatur; hoc potissimum valet remedium, (ne dixerimus unicum est) nimirum, ut jam monuimus, procul abjecto quocumque proprio sensu, se omnino ac quasi cæca quadam mente arbitrio Confessarii totum permittere: siquidem certissimum sit, etiamsi consiliis suis aperiendis aliquatenus erraret, nunquam futurum, ut ipsius pœnitenti coram Deo erroris culpa imputaretur, exceptis iis rerum articulis, in quibus ratio certo certius deprehenderetur. Quod quidem principium habet omnino familiare S. Bernardus, qui sic ait (a): *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim in te est, utrum per se, an per suos Ministros, sive homines, sive Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus? Sed homines, inquit, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es, præsertim cum teneas de Scripturis* (b): *Quod labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt, quia Angelus Domini exercituum est? Requirunt, dixerim, Legem, non quam vel authentica illa Scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit: De hujusmodi quippe nec Præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est; sed quid ita latere aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrum nam Deus sic, aut aliter forte velit? Si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur; a quo denique Divina potius consilia requirentur, quam ab illo, cui tradita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum, in his, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus.*

(a) S. Bernar. l. de præcept. & dispensat. cap. 9.

(b) Malach. 2. 8.

Ut infirmetur probationis argumentum, quod ex prædictis verbis conficitur, proponitur hæc objectio, scilicet, infinitos extare propemodum viros scrupulosos, quibus non potest semper adesse copia adeundi, ac consulendi Confessarium, ut ab eo discant, num scrupuli, quibus agitantur occasione vitæ suæ rationis præteritæ, legitimam habeant causam, necne: sive sit inquirendum, an confessio quam deposuerint fuerit valide: sive discutiendum, utrum quasdam peccatorum suorum circumstantias sufficienter expresserint, atque aperuerint: sive quid aliud ejusmodi proponendum: neque etiam, ut ab eo sciscitari possint, utrum hoc vel illud opus licitum sit, an interdictum: illisque nihilominus aliquando adesse necessitatem urgentem agendi, adeoque sese determinandi, ad agendum cum periculo peccandi: At respondendum est, 1. distinguendos esse duplicis generis scrupulosos: Alios quidem, quorum adeo timida est conscientia ut ne minimum quidem peccatum vellent ex destinato committere: Alios vero, qui numero sunt pauciores, nec conscientiam gerunt adeo strictam, sed perversæ suæ voluntatis inordinatis motibus aliquando sese sinunt abripi: quandoque ex simplici fragilitate humana, quandoque ex impatientia animi impetu, quo jugum ferre renuunt suorum scrupulorum, atque ex quadam quasi desperatione.

Quod pertinet ad scrupulosos prioris ordinis: quas animo concipiunt, dubitationes, ut meri scrupuli sunt considerandæ: & debet Confessarius iis injungere, ut easdem omnino deponant, quantum ad ea, quæ spectant ad vitam eorum ante actam,

atque animum inducant, si quidem præcedentibus suis confessionibus omnimodam quam potuerint, adhibuerint diligentiam, iisdemque fuerint bona fide perfuncti, & rite dispositi eo modo, quo supponimus; sibi plurimum adesse caussæ, cur existiment, e sua memoria non excidisse peccata, quorum occasione tantopere perturbantur; siquidem, si forent mortalia, ad verum non accedat, ipsis eadem non fuisse penitus explorata, adeoque nec in Sacramentali Confessione declarata.

Quod ad alios attinet, eamdem cum iis servandam esse rationem agendi, etiam arbitramur; cum manifestum habetur, eorum dubitationibus deesse rationabile fundamentum. At si revocarent in suam memoriam, cum actum illum perpetraverunt, occasione cujus anguntur; sese plane ignorasse, an peccati mortalis rationem annexam haberet; aut obligatio induceretur aperiendi in confessione circumstantiam aliquam quæ peccati speciem immutabat, aut malitiam ipsius in eadem specie gravissime prorsus augebat; & cum postea hoc ipsum rescivissent, dubitarent, num sibi incumberet, de iisdem habere confessionem explicitam; constat, si quidem ejusmodi dubitatio legitimam caussam sibi vindicet, futurum ut obligarentur, ad eidem dubitationi standum, ac de ea sese accusandos in proxima sua confessione; neque tamen idcirco tenerentur, quas habuissent, durante ejusmodi ignorantia non culpabili repetere confessiones, neque etiam confessionem generalem peragere.

Verum tandem eo semper redit scopus assertionis nostræ, nimirum quod scrupulosus omnino teneatur ad obediendum suo Confessario. Atque illud ipsum est, quod Gersonius docuit (a), cum ait, non posse a scrupuloso sui rectoris imperium detrectari, quin eo ipso sese prodat superbiæ nimiæque sui fiduciæ conscium; ex eo quod proprium suum sensum judicio sui superioris habeat potiorem; & quin sese committat periculo vitam agendi cum plurima perpetuaque mentis ac conscientiæ perturbatione: *Caveas ad extremum, ne, dum quæris securitatem, nec illam adipiscaris, in gravem tuas dijudicationis, & præsumtionis foveam*: Quæ ipsissima sunt celeberrimi Doctoris quem appellavimus, verba. Cujus eamdem sententiam Ylambertus etiam sequitur (b): *Stet scrupulosus consilio viri docti*, inquit, *nec apud se examinet, utrum bene, an male consuluerit; sed cæca veluti obedientia ei obtemperet, sicut etiam debet Confessario, in iis, quæ circa scrupulos occurrent, credere*. Quod idem etiam omnino commendant Navarrus, S. Antoninus, Silvester, uno verbo quotquot sunt ceteri Doctores. En quod præcipue valet, remedium, quodque maxime idoneum est, ad scrupulos radicitus evellendos. Jure ergo RR. PP. Carmelitæ de cœnobio Carentonensi, gallice Charenton, veritatem prædictam asseruerunt in una quadam e suis Thesibus 6. Maii 1692. conceptam istis verbis: *Ad evellendos scrupulos, unicum requiritur & sufficit remedium, ut sapienti Doctori in omnibus, etiam contra proprium lumen obediant scrupulosi*.

(a) Gerson. tract. de præparat. ad Missam, confideratione 3.

(b) Ylambert. in primam 2. d spur. ali. art. 9. de tract. act. intero. per ordinem ad conscientiam. Navarrus. Rodriguez. S. Anton. Silvester, & alii.

CASUS VIII.

Demetrias, Monialis, lecto libro quodam in quo fusius describebatur, quonam intento animo persolvendum esset divinum officium; inde facta est adeo scrupulosa, ut sæpe sæpius eadem verba, versusque eosdem, quin etiam easdem horas integras iterata recitatione repetat; animum inducens, sibi defuisse intentum illum animum, qui requiritur ad illud idem laudabiliter ac digne recitandum officium: unde impeditur ut plurimum, quominus possit fungi aliis officiis, quæ Religionis propria sunt.

Armandus Sacerdos continuam patitur a sex mensibus, eadem de re, mentis anxietatem & conscientiæ perturbationem; atque ponit in persolvendo suo Breviario quinque vel sex continui temporis horas, quandoque etiam longius temporis spatium; indesinenter repetens eadem verba, versus eosdem, ac frequenter etiam easdem horas integras, nihil obstante, quod ipsius Confessarius pro virili parte egerit, ut eum ab ejusmodi scrupulosa & inutili repetitione deduceret: adeo ut iis animi angoribus adeo violenter excrucietur, ut eos jam non possit superare, nec modo suis aliis officiis fere quotidie desit, sed etiam sæpe numero noctes agat insomniosus?

Qua potissimum ratione cum ejusmodi personis agendum est? Numquid eximendæ sunt ab obligatione persolvendi divini officii?

Respons.

Quæ Moniali de qua sermo habetur in proposita specie, superior præficitur, omnino debet ei prohibere, ne quidquam submissa voce repetat, quamdiu cum Choro suum officium persolvit. Si vero eam non possit eo adducere, ut in recitando divino officio Chorum sequatur; & præpositæ isti Primariæ expedire videatur, ut eidem copiam indulgeat, ejusdem recitandi privatim; severius interdicere debet, ne quidquam omnino repetat; atque ut omnis repetitionis ei locum tutius eripiat, oportet, ut eidem comitem adjungat aliam Monialem, cui verbis expressis mandet ac strictius omnino commendet, ne patiatur, quidquam prorsus a Demetriade repeti; præcipiat vero scrupulosæ prædictæ Moniali, ut dicto comitis istius alterius Monialis audiens sit atque omnimode obediens; palamque faciat, eidem a sese dari cujuscumque recitationis alterius officii divini immunitatem. At vero, si rationes prædictæ spem fallant prosperi successus; & propter violentiam scrupulorum quibus exagitatur, non possit qua par est, animi tranquillitate ceteris Religionis officiis perfungi; aut inde notabiliter immutetur sive corporis ipsius constitutio, sive mentis illius sedes; potest atque etiam debet ipsa primaria eamdem omnino eximere ab obligatione persolvendi divini officii; præsertim vero accedente tum consilio, tum consensu superioris; donec tentationis ejusmodi importuniores anxietates penitus exuerit; atque in eum statum revocata fuerit, in quo possit cum necessaria animi tranquillitate persolvere divinum officium. Ita censet nominis omnino ac notæ percelebrioris quidam Theologus (c).

Quod pertinet ad Armandum, si eo usque non possit adduci, ut ex incitamento obedientiæ aliter recitet suum Breviarium; nihilque alioquin succedant, quæ ab ipsius Confessario rationes ineuntur ac tentantur; neque importuna illa scrupulorum phalanx animum ipsius circumvenire cesset: censemus, futurum ut operæ pretium fiat, si a Romana Curia dispensationis rescriptum impetretur, vi cujus, ratione habita illius status in quo constituitur prædictus Sacerdos, cuique a Confessario summa fide describetur, eximatur ab obligatione recitandi divini officii: Quod quidem dispensationis rescriptum Confessarius idem, seu quilibet alius exsequetur in sacro Pœnitentiæ Tribunali, injungendo præfato Sacerdoti quædam satisfactionis opera, quæ in orationibus vocalibus non consistant. Neque vero futurum est, ut e Pœnitentiaria Romana circa dispensationem ejusmodi repulsæ quidquam accipiatur; siquidem non absimiles dispensationes ipsi ex eodem Tribunali emanatas olim obtinuerimus in gratiam certorum quorumdam Sacerdotum, qui in eodem miserabili rerum statu constituebantur, cui subjici supponitur Armandus: sed nec prius genus istud remedii a nobis adhibitum est, quam experti fuerimus, atque nihil proficientes tentaverimus, quæ in rerum natura ad ejus generis morbum accommodari cognoscuntur, quascumque diversi regiminis rationes; & a plurimis Doctoribus quos intelligentissimos Parisiis habebamus, sumserimus ea de re consilium.

(c) Sambovius tom. 2. casu 251.

SECRETARIUS.

SECRETARIUS, quædam est nominis appellatio plurimarum diversi ordinis personarum communis.

Dicuntur sanctioris Consilii Secretarii, quatuor illi in Regno Gallorum Ministri, qui singuli per illum mensem qui unicuique tribuitur atque assignatur, scribunt ac expediunt gratiosa Diplomata, quibus ex beneplacito Regio quis aliqua gratia aliquove beneficio donatur; & per quorum manus transeunt quæcumque Litteræ, quæ vel nomine Regis scribuntur, vel ipsimet inscribuntur.

Est etiam alius Ministrorum Ordo, qui solent appellari *Secretarii de sacro cubiculo*, *& Secretarii de secretioribus Consiliis*, quorum ministerium in eo positum est, ut ipsi Regi in scribendis ipsius Litteris auxilio suo subveniant.

Eadem quoque donantur nominis appellatione Secretariorum Regiorum, illi Ministri, qui sigillorum Regiorum expeditis Actis suum Chirographum subscribunt.

Secretariorum titulo hodiernis hisce diebus decorantur illi, qui sortiebantur olim appellationem Scribarum famulantium vel apud Senatores, vel apud alios primarios atque insigniores de turba togata Magistratus; quorum proprium illud officium est, ut scripto in pauca referant summam instrumentorum litium, quæ disponendæ sunt, ut de iis sententia feratur.

Tandem suos habent Episcopi Ministros, quibus Secretariorum appellatio tribuitur, quique vel Clerici sunt, vel Laici, atque eo potissimum ministerio funguntur, ut, quæ pertinent ad episcopalem jurisdictionem, Acta & Rescripta publica quæcumque conficiant, iisdemque sigillo ac Chirographo episcopali munitis inferius subscribant. Atque circa posteriores istos tantummodo Secretarios versarur potissimum totus præsens titulus: in quo discutitur, quid iisdem, juxta Tridentinum Concilium & Edicta Regum Franciæ, mercedis atque operæ pretii loco veniat jure legitimo rependendum?

CASUS PRIMUS.

DOMINICUS Secretarius Episcopi Atriensis enormia prorsus exigit salaria atque jura impositiva, pro expediendis provisionum Beneficialium diplomatibus, Litteris dimissoriis vel Ordinationis, aliisque ejusmodi Actis; quemadmodum etiam pro jure sigilli Episcopalis apponendi, quod accepit ab Episcopo sub titulo conductionis. Nonne in eo peccat; quin etiam Episcopus, qui horum omnium non est inscius, nonne contrahit inde crimen iniquioris omnino exactionis?

RESPONS.

Non potest in dubitationem adduci, quin Dominicus gravissime peccet, & Episcopus, quo sciente atque consentiente immo etiam participe, quippe impositiva ejusmodi jura ei elocet unde enormes illæ exactiones extorquentur, gravissimo quoque peccato sese coram Deo constringat: siquidem, quæ ea de re tum a Concilio Tridentino, tum Edictis Regum Franciæ, quibus placuit & comprobatum est Tridentinum Decretum, constituta sunt, perstringat.

En quibus verbis Patres in Tridentino Concilio congregati ea de re declarant (a). *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ; nec pro Litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de caussa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri quovis prætextu accipiant. Notarii vero in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro singulis Litteris dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec Episcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri, decernit; contrarias taxas ac statuta & consuetudines etiam immemoriales quorumcumque locorum, (quæ potius abusus & corruptelæ, simoniacæ pravitati faventes, nuncupari possunt,) penitus cassando & interdicendo. Et qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant.*

(a) Concil. Triden. sess. 21. c. 1. de reformat.

En verba, quibus concipitur Edictum Blesense, quod Henricus III. promulgavit mense Maii 1579. (b) & quibus laudatus princeps ita comprobat, quod mox retulimus, Decretum Concilii quoad omnes ipsius partes, ut ejusdem integram quasi descriptionem referre videantur. „ Episcopi, „ & alii Collatores Ordinarii, seu eorumdem Vicarii ac Ministri nihil poterunt exigere, quibuscumque colore & prætextu adhibitis, pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, litteris dimissoriis & testimonialibus, sive pro sigillo, sive alia quacumque de caussa, nisi sponte oblatum: servato tamen jure mercedis cujusdam assignandæ, pro Litteris dimissoriis & testimonialibus, loco salarii scribarum, quod non poterit excedere decimam unius aurei partem; quod quidem nec obtinebit locum, nisi quantum ad eos, quibus pro exercendis suis officiis nullum operæ pretium, nullumque emolumentum constitutum est; atque etiam absque eo, quod inde lucri quidquam Episcopis neque aliis Collatoribus directe, vel indirecte provenire possit; nihil obstantibus in contrarium quibuscumque statutis, usibus & consuetudinibus; atque in eos qui deprehendentur aliquid accepisse, vel etiam donasse, iisdem pœnis animadvertetur, quæ contra simoniacos ipso jure infliguntur „.

(b) Edict. Blesens. art. 20.

Quibus nihil expressius haberi potest ad condemnandas iniquiores quas Dominicus extorquet exactiones; simul etiam propudiosam illam dissimulationem, qua Prælatus ipsius in iisdem, turpis lucri gratia, connivet.

SE-

S E C R E T U M.

SUb appellatione SECRETI, res in præsenti titulo indigitatur, de qua, regulariter loquendo, silentium omnino religiosum agendum est, ejusdem participe nemine prorsus admisso.

Habitum semper fuit secretum in quibuscumque Regnis atque Imperiis, tamquam res magni adeo ponderis ac momenti, ut ex monimentis Historiæ publicis ad nos usque pervenerit, Foscarini summum Magistratum Reipublicæ Venetorum, qui illud idem caute tacitum non presserat, fuisse gradu dignitatis suæ cum ignominia privatum atque spoliatum, propriis nec etiam fratribus, nec e consanguineis ipsius quoquam, qui præsentes affuerunt deliberationi Senatus, nihil obstantibus, nihil etiam eidem, ea de re, ne verbum quidem unum renuntiantibus; quemadmodum refertur in historia vitæ Henrici IV quam Matthæus præscripsit (*a*). Quam eamdem secreti violationem consueverant Ægyptii severius etiam vindicare: testante namque Pausania, in una quadam ex eorum legibus ferebatur, futurum ut excideretur eorum lingua, qui secretum aliquod de rebus Regni invidiosa proditione detegerent. Merito prorsus igitur Angelus Raphael sic monuit Tobiam: *Sacramentum Regis abscondere, bonum est* (*b*). Indeque est, quod, juxta dictum illud maximi certe momenti, Ludovicus XI. solitus esset hæc verba profundere: ipsum vel etiam petasum meum flammis comburendum traderem, si, qnod in capite meo versatur, illius secreti foret ulla ratione particeps. Atque sic semper habuere summo loco secretum viri vel etiam sapientissimi: *Quantum bonum*, inquit Seneca (*c*), *ubi sunt preparata pectora, in quæ tuto secretum omne descendat*.

(*a*) Matthæus tom. 2. lib. 4.

(*b*) Tob. 12. 7.

(*c*) Senec. l. 7. de Benef.

Enimvero constat, legibus veræ ac firmioris amicitiæ constitutum hoc ipsum esse, ut quod amici duo gerunt in pectore suo secretius ac magis intimum, mutua cum animi fiducia secum invicem communicent; quoniam ex ipsius amicitiæ jure debent omnia inter eos fieri communia: at exigit prudentia, nullum admitti secreti ullius participem, nisi eum, cujus exploratissima est tum fides, tum summa concrediti secreti taciturnitas, quique pro certo habetur in ordinem eorum amicorum recensendus, de quibus Sapiens loquitur, qui linguam in pectore retinent abditam, non pectus apertum in lingua gerunt. Sed inspiciamus, quanam potissimum lege teneamur, ad fidem secreti servandam, & utrum obligatio ejusmodi nullam prorsus admittat exceptionem.

Obligatio servandæ legis secreti ex ipso naturali jure derivatur: Indeque est, quod summa omnino cum religione semper reticendum sit. Ita docet S. Thomas (*d*). Ab ista tamen regula duo potissimum casus juxta doctrinam præfati S. Doctoris excipiendi sunt.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2.

Prior casus est, quando compertum habetur ex concredito secreto, crimen ab aliquo perpetrandum animo cogitari contra Principem, vel in detrimentum boni publici, vel etiam in perniciem hominis alicujus privati.

Posterior casus spectat impedimenta Matrimonium dirimentia, quæ non alia ratione, quam via secreti innotescunt. At secretum confessionis nullam omnino patitur exceptionem. Neque enim casus ullus, quicumque sit, fingi potest, in quo necessitas inducatur alicui Confessario, revelandi vel directe vel indirecte, quod ipsi declaratum est in Confessione; quanquam etiam peccarori denegasset beneficium absolutionis; ut evidenter demonstramus in titulo *Confessarius* 2.

CASUS PRIMUS.

GEminius certo certius novit, crimen quoddam secreto fuisse perpetratum a Mævio, ex quo nihil prorsus incommodi potest neque in publicum, neque in privatum bonum redundare: ipsius Superior, aut Judex, qui hoc ipsum subodoratur, potestne recta conscientia, non agens tamquam Judex, nec servatis quæ more consueto servandæ sunt formulis Juris, illi præcipere, ut prædictum illud crimen ei retegat; & ipsi ne Geminio incumbit, eidem, si præcipiat, obedire?

Respons.

Prædictus superior aut Judex nullatenus potest, nisi peccando, jubere Geminio, ut ei revelet crimen, in quod Mævius incidit in casu proposito; &, si quid eidem ea de re præceperit, non obligatur, ad ipsius voluntati parendum. Atque ita propositam quæstionem dissolvit S. Thomas istis verbis (*e*): *Præceptum alicui factum a Prælato suo de peccato alterius publicando in eo casu in quo publicari non debet, potest fieri vel in judicio, vel extra judicium. Si extra judicium, peccat præcipiens; nec ille, cui præcipitur, obedire tenetur.* Addit postea S. Doctor: *Si autem in judicio, ordine juris exigente,*

(*e*) S. Th. in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. quæst. 1. ad 5.

gente, Judex alicui præcipiat, ut peccatum suum vel alterius confiteatur; non peccat præcipiendo, quia ipse non exigit, sed accusans, cui Judex jus reddere debet: & tunc tenetur quis confiteri, ad præceptum Judicis, peccatum suum vel alterius; vel appellare, si contra ordinem juris ei præcipiatur: & tunc publicans peccatum occultum vitat majus malum, scilicet disciplinæ juris enervationem.

CASUS II.

Corsinianus muliere cælebs annos natus 33. viginti millibus nummorum rei familiaris locuples, quique nullatenus est in ære alieno, Leodegundam ancillam suam per tres annos fuit ludificatus, atque prolem ex eadem suscepit, absque eo quod ipsius intemperantia pervulgata fuerit; licet ejusdem apud quasdam personas habuerit aliquam suspicionem. Post aliquot ab illinc annos, cum ab eo Leodegunda recessisset, nupsit in divitias satis congruentes cum Claudio, qui nihil ad hodiernam usque diem de fortuna ipsius rescivit; atque quosdam ex eo liberos peperit ab annis sex, ex quibus matrimonio conjunguntur.

Corsinianus sese correptum videns assiduo febris pertinacis æstu quo postmodum absumtus est; tradidit in manus Gerardi Parochi de sua Parœcia suique Confessarii, parvulam quamdam crumenam de bombycino sutino violaceo, proprio suo annulo sigillari obsignatam, in qua recondebantur 40. nummi aurei, qui fuerant non ita pridem percussi, & quorum unicuique valor inerat 30. librarum; & postquam secreti nusquam efferendi legem imposuit Petro, Joanni & Jacobo suis familiaribus, qui ibidem aderant & ei fidem fecerunt, futurum ut rem tacitam religiose tenerent; eum rogavit, ut juxta mentem quam ei aperuerat in sua confessione, vellet de prædicta crumena disponere. Defuncto Corsiniano, ipsius heredes qui adverterant, apud eum dictam crumenam exstare nudius tertius antequam in morbum incideret, & quibus compertum erat, in eadem recondi plurimos ejusdem speciei nummos aureos; eam, adhibita diligentia quacumque, exquisiverunt; sed nec eam, nec unum quidem ex prædictis aureis nummis recentioris fabricationis invenientes, de Guillelmo suspicionem habuerunt, quod, utpote cum esset defuncti familiarissimus amicus, & frequenter eum invisisset diebus novissimis ipsius morbi, crumenam istam furtive subduxisset: Qua de re, succurri sibi Monitorio obtinuerunt, quod curaverunt palam denuntiari; indeque contigit, a duobus falsis testibus dictum fuisse adversus eumdem testimonium verbis prorsus validissimis conceptum, atque ejusmodi ratione perscriptum, ut vel ex ipso solo testimonio possit a supremo senatu condemnari, ad quem causa quam ei ea de re intenderunt, delata est; adeoque inde veniat in magnum prorsus discrimen tum suorum bonorum, tum propriæ suæ famæ atque honoris.

Ex altera vero parte sermonis aliquid afflavit inter plurimas ejusdem loci personas, istam pecuniæ summam Leodegundæ destinatam fuisse, atque eidem a Parocho traditam: de qua quidem re nihil certum nec exploratum haberi potuit; quoniam nec Petrus, nec Joannes, nec Jacobus adfuerunt, cum ista crumena Leodegundæ fuit tradita; adeoque rei istius non fuerunt oculati testes: aliunde vero dictus Parochus, nulla prævia ejusdem rei declaratione facta, decessit. Qua de re, proponitur quæstio, utrum Petrus, Joannes & Jacobus, qui testes affuerunt tunc temporis cum depositum Parocho concreditum fuit, teneantur ex conscientia ad fidem secreti, cujus participes effecti fuere, cujusque obligationem ex promisso suo contraxerunt erga Corsinianum, in eo casu servandam; quidquid inde damni Guillelmo possit emergere; aut utrum teneantur ad veritatem detegendam, licet inde damnum fortasse recideret in Leodegundam, quæ jam omnino suspecta est de percepto lucro ex prædictis 40. nummis aureis; & tum apud publicum, tum apud suum etiam maritum infamaretur, & condemnaretur uterque, ad prædictos nummos aureos, quamquam injuste prorsus, restituendos; aut nihil obstante periculo, quod imminet heredibus defuncti Parochi; ne forte ab heredibus Corsiniani apud Judices appellentur condemnandi; vel ad restitutionem prædictæ crumenæ, prædictorumque nummorum aureorum; vel ad indicandum eum usum, in quem Parochus istam pecuniam contulerit; & revelandum, si id eis innotescat, depositum istud fuisse traditum Leodegundæ, quæ inde plurimum infamaretur, propter improbissimos rumores, qui de præterita ipsius incontinentia disseminati sunt.

RESPONS.

Est hoc principii certissimi loco habendum, nimirum, generaliter loquendo, servandæ fidei secreti alicujus concrediti obligationem ex ipso jure naturali derivare; adeoque licere numquam, eamdem violari, etiam sub prætextu obediendi superiori legitimo, sive ecclesiastico, sive sæculari: quam doctrinam tenet ex professo S. Thomas (a), cum ait: *Nullo modo tenetur ea* (sub secreto commissa) *prodere, etiam ex præcepto superioris, quia servare fidem, est de jure naturali.* Quæ quidem doctrina egregio illo Sapientis effato potissimum innititur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum* (b). Quam secreti legem adeo religiosam habebant veteres etiam Imperatores Romani, ut duxerint, incumbere sibi necessitatem, severioribus omnino pœnis indictis, interdicendi suis omnibus subditis, ne cum Persis haberent ullum commercium extra fines locorum, quos præscripserant; ne, sub prætextu commercii, de detegendis ac curiosius exquirendis secretioribus nationis istius consiliis suspecti forent; & morte eos afficerent, qui res secretiores pertinentes ad ipsum Imperium suis hostibus invidiosa proditione revelabant (c).

Atque ex eo fundamento, juxta Sylvium (d), licet benignius interpretari superioris mentem; & conjicere, eam nullatenus ejusmodi esse, ut velit obligare ad violandam fidem secreti; de quo servando Lex acceptata est; quoniam superior, quicumque sit, numquam quid exigere jure potest ab inferiore suo, quod æquitati jurique naturali repugnet & adversetur: *Nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali*, ut loquitur S. Thomas; nihilominus tum iste laudatus Angelicus Doctor, quam ceteri qui post ipsum floruerunt Theologi volunt, ab ista regula communi prorsus eximi casum, in quo res versatur circa bonum publicum spirituale aut temporaneum, aut etiam spectat ad interesse notabile hominis alicujus privati. Et vero, sicut juramentum, quo Deus ipse testis invocatur affirmatæ veritatis, eo fine non fuit inductum, *ut esset iniquitatis vinculum*, quemadmodum aiunt S. Augustinus (e), Innocentius III. Bonifacius VIII. & Glossa; ita etiam fides quæ datur de servando secreto, nusquam inducit obligationem in detrimentum præceptorum, quæ pertinent vel ad justitiam vel ad caritatem, ad quam obligamur erga publicum aut etiam erga proximum in individuis consideratum; quemadmodum decluratur a memorato Summo Pontifice Bonifacio VIII. (f): siquidem unicuique incumbat proximo suo pro parte virili & juxta rationem præsentem, quantum potest, subvenire; secundum isthæc verba sacrarum paginarum (g): *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* In eumque sensum accipienda sunt sequentia verba S. Ambrosii: *Non semper promissa omnia solvenda sunt* (h).

Porro Petrus, Joannes atque Jacobus in ejusmodi casu constituuntur; siquidem non possint, quam Corsiniano dederunt de reticendo secreto fidem servare, quin inde damnum omnino ingens ac prorsus iniquissimum, tum quoad suas res, tum quoad propriam suam famam, Guillelmus patiatur. Eorum ergo silentium gravissimi peccati rationem haberet, & plurimum offenderent tum justitiam, tum caritatem; si virum innocentem cum tela falsæ criminationis adhærent, quique jam-

jam

(a) S. Th. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.

(b) Proverb. 11.

(c) L. *Mercatores.* 4. de commerciis & Mercatorib. l. 4. tit. 63. L. *Omne.* 6. ff. de re militari. l. 49. tit.

(d) Sylvius resol. var. v. *Secreta num revelanda.*

(e) S. Aug. in can. *Inter.* 22. q. 4. Innoc. III. in c. *Quanto.* 18. de jure jurando. l. 2. tit. 24. Bonif. VIII. in cap. *Consuetud.* in 6. & ibi Glossa, v. *Vinculum.*

(f) Bonifac. VIII. in cap. *Quamvis.* 2. pactis in 6. l. 1. tit. 18.

(g) Psalm. 81. 4.

(h) S. Ambros. in can. *Non semper.* 12. 22. q. 4.

Digitized by Google

jam eorumdem pondere totus obruendus est, indefensum desererent, cum suo testimonio possunt eidem auxilio esse, atque turpissimi criminis falsam criminatiouem ab eo penitus amovere; indicando nimirum crumenam, & quidquid in eadem auri recondebatur, data fuisse ab ipsomet Corsiniano in manus Gerardi ipsius Parochi, mandato eidem facto, ut, juxta eam mentem, quam ipsi in Confessione aperuerat, ipse vellet de iisdem disponere; atque ex declaratione ejusmodi locus eis offertur, non tantum consulendi famæ, & honori ipsius Guillelmi: sed etiam eidem afferendi occasionem, unde ipse valeat partes sibi adversas compellere, ad præstandam ei, quod inique recepit, legitimam damnl compensationem; nihil inde periculo imminente, turpitudinis notam inurendi vitæ ipsius Leodegondæ.

At, forsan quis inquiet, certissime futurum est, ut Judex, qui Petrum, Joannem, & Jacobum erit interrogaturus, eosdem urgeat, agentibus scilicet & plurimum requirentibus hæredibus defuncti, de indicando usu, in quem Parochus crumenam istam & aurum in eadem contentum impendit; ut actionem habeant in haeredes ipsius Parochi, vel in ipsam Leodegondam, vi cujus ab iisdem valeant tum ipsam crumenam tum praedictos nummos aureos repetere. Verum adest in promptu responsio; siquidem etenim nec Leodegondae, nec alii cuiquam tradi depositum istud viderint; ipsis illud incumbet declarandum tantummodo, scilicet nihil sibi jam superesse, quod addere possint suo testimonio; & cum Gerardum semper habuerint ut virum spectatae prorsus integritatis, sibi persuasissimum esse, eum officio suo non defuisse quantum ad executionem Iussorum Corsiniani.

Si tandem Judex interrogatis alias addiderit interrogationes de eo, quod iisdem notum esse potest circa rumores, qui divulgati sunt, nimirum a Corsiniano praedictos nummos aureos apud Parochum eo animo depositos fuisse, ut ad Leodegondam pervenirent: iis omnino responsis insistandum est, scilicet, ut jam monuimus, sese nec affuisse, nec vidisse, pecuniam illam alicui tradi; Gerardum eis non renuntiasse, in quem potissimum usum eandem impendisset, imo nec quidquam, ea de re, ab ipso debuisse renuntiari; quippe qui, quatenus Confessarius defuncti, depositum istud recepisset; quod vero pertinet ad rumorem, qui percrebuit, eundem potuisse malitiute vel inconsulte de Leodegonda disseminari; & ejusmodi sermonum saepe saepius non alium autorem esse, quam vel unicum virum imprudentem tum opprobria fingere, tum concipere sinistras opiniones asuetum, cujus dictis adhibent reliqui fidem leviorem: atque in eo nihil asserent, nisi quod ab Innocentio III. fuit jam antea, ea de re observatum (a) istis verbis: *Dictum unius facile sequitur multitudo*. Quod prorsus concordat cum istis aliis verbi S. Augustini in ipsius Epistola ad Comitem Bonifacium: *Facile est omni, seu vera, seu falsa de altero hominem credere* (b). Atque quidquid tandem de sermonibus istis esse possit, pertinere ad officium Judicis, eorumdem veritatem, vel falsitatem aliunde penitus exquirere: siquidem ipsi eosdem nulla ratione agnoscant. Quo quidem responso altero tres prædicti testes nullam injuriam nec Leodegondæ, nec propriæ suæ conscientiæ irrogabant: quoniam, cum nihil certi, nec explorati ea de re habeant, nisi ex auditione inani atque omnino incerta, nedum teneantur, ad testimonium suum inde fulciendum, quin potius eis incumbit levioris adeo incertiorisque fundamenti nullam in dicendo testimonio rationem habere: siquidem ex testimoniis ejusmodi nihil certi quidquam in Judicio conficiatur, neque quidquam utilitatis haberi possit, nisi ut iniquiores litium ambages inde vel emergant, vel inextricabiles perpetuæque reddantur, & personæ, cui male dictatur in vulgus, nota turpitudinis inuratur ad ignominiam sempiternam.

(a) Innoc. III. in c. cum in Juventut. 22. de purgat can. l. 5. t. 34.
(b) S. Aug. Ep. 235. alias 50. n. 4.

Nec denique periculi quidquam amplius imminebit ex testimonio prædicto ipsis hæredibus defuncti Parochi, & quocumque periculo liberabuntur, affirmando, eorum, de quibus interrogantur, esse sese prorsus inscios; atque, si Gerardus a defuncto receperit aliquod depositum, nullatenus dubitare se, siquidem res ista fuerit quasi Confessionis appendix, quam defunctus habuerat: quin ipsius voluntates religiose fuerit executus, cujus rei nullatenus incumbit eis indicia producere, quæ sint exploratiora.

CASUS III.

Edmundus, cum acceperit, de servando ea de re secreto primum quidem facta fide, futurum ut Diodorus horreo vicini sui faces inferret: num tenetur ad fidem concrediti sibi secreti, quam ex promisso dedit, servandam: aut potestne sine peccato illud idem retegere, atque iis indicare, qui possunt obstare ejusmodi incendio?

Respons.

Verum est equidem, vi juria naturalis eam obligationem induci, ut secretum servetur: neque adeo quemquam ullatenus esse, sive Judicem, sive quemcumque alium cujusvis authoritatis gradu, qualibetve potestate superioris insignitum, qui possit afferre cuiquam necessitatem illius ejusdem revelandi: At istud generale principium locum non habere censendum est, nisi quantum ad ea, ex quibus nihil infertur damni nec communitati, nec etiam ipsius Communitatis individuis. In eo namque casu, quando, quod quis animo destinavit in perniciem alterutrius, propositum nondum perfectum est, potest quin immo debet secretum aperiri: utpote charitatis præceptum sit etiam de jure tum naturali, tum Divino, strictioremque procul dubio importet obligationem ipsa fidei servandæ circa secretum necessitate. Ex quibus sequitur, nedum Edmundus teneatur in casu proposito, ad fidem concrediti sibi secreti servandam, aut ei peccatum aliquod ex declaratione ejusdem immineat, quin potius ex conscientia eum obligari, ad illud idem revelandum: ut, quod Diodorus secum meditatur ex inflammando horreo vicini sui damnum inferre, impediat (c).

(c) Colleq. Cond. tom. 1. Col. 4. sect. 3.

CASUS IV.

Gentianus inimicissimus Gabrieli, cum animo adjecisset, prima die Martii proficisci, ad commigrandum in regionem longinquam; Paulo suo amico, commendata ei fide de secreto sibi servando, confidenter animum suum credidit, futurum ut per ipsam noctem, quæ suæ discessionis diem erat præceisura Gabrieli surriperet sacculum quoddam ducentorum nummorum aureorum, quod certo certius novit, esse in secretiori quodam cubiculo, in quod facilius omnino sese potest inferre. Numquid potest Paulus, nihil inde peccando contra fidem de servando secreto, Gabrielem monere non tantummodo de furto, quod in ipsius damnum Gentianus facturus est: verum etiam eidem præterea ipsius Gentiani nomen indicare?

Respons.

Paulus potest, & debet Gabrieli furtum, quod intenditur, renuntiare; non vero, nisi peccando omnino gravissime manifestare, furtum istud esse a Gentiano committendum. Ratio est, quia revelari non potest aliquod secretum pertinens ad detrimentum alienum, nisi cum eo tantum animo, ut, quod accessurum est, damnum devitetur atque removeatur. Porro potest omnino facillime Paulus impedire damnum, quod Gabriel experiretur ex furto, cujus propositum Gentianus animo destinavit: absque eo quod ei manifestet, ipsummet Gentianum futurum esse furti istius autorem: siquidem sufficiat, ab eo virum istum commoneri, ut de secretiori cubiculo, in quo illud servat, sacculum suum ducentorum nummorum aureorum in tutiorem alium locum transferat. Debet ergo nomen Gentiani omninu tacere, ut ipsius famæ consulat, quam alioquin frustra, nullaque exigente legitima causa, extingueret, si Gabrieli nomen

ejus

ejus judicaret. Cui quidem assertioni nostræ totus favet Navarrus fultus potissimum isto principio, quod a Doctrina S. Thomæ mutuatus est (a): *illa enim Lex inviolabilis esse omnibus debet, ut quoties . . corpus, & res familiaris proximi servari possunt, alterius fama salva, id omnino fiat.* Quod idem docet Reginaldus in sequenti consilio, quo lectores suos juvat (a): *Meminisse vero oportet, quod etiamsi revelandum sit secretum, ad obviandum damnis ingruentibus ..... revelationem tamen ita faciendam esse: ut illud solum præcise manifestetur, quod satis fuerit, ad obviandum iisdem damnis.* Indeque memoratus Autor sic infert: *Quare si ad id sufficiat revelatio delicti committendi sine revelatione personæ; hæc reticenda erit.*

(a) Nav. in can. Sacerdos de pœnit. d. 6. n. 24.

(b) Regl. 24. c. 6. n. 1. 1.

CASUS V.

Paschalis, cum Renato commisisset sub fide servandi secreti, futurum ut ipsa die postera plebeculam vici, in quo commorabatur, incitaret, ad rebellandum adversus coactores, seu procuratores Regiis juribus exigendis præpositos, & destinatum animo propositum perfecisset; suspicionem habuit, quod esset Auctor seditionis, & in vinculis cohibitus est. Postea vero in eum inquisitum est, atque vocati fuerunt in jus quamplurimi, inter quos ipse Renatus appellatus est, qui veritatem istius rei testificarentur. Num Renatus obligatur ex stricto debito conscientiæ, ad revelandum Judici, quod ei Paschalis commisit sub fide secreti, quod eidem a sese religiose servandum fore pollicitus est.

Respons.

Renatus tenetur in proposito casu, ad manifestandum Judici, qui eum juxta formulas juris interrogat, quidquid ei, licet imposita secreti servandi lege, Paschalis commisit. Cujus rei ratio est, quod ex ejusmodi crimine damni plurimum redundet non ad publicum tantummodo, sed etiam ad multos homines privatos, in eoque notabilis omnino injuria irrogetur autoritati Principis, cujus solius est ista juris prærogativa, ut absque omni controversia possit, cæteris exclusis, exigere tributa; adeoque pertineat ad officium Quæsitoris criminalium quæstionum, ut de authoribus ejusmodi criminum sese faciat certiorem, quo deinde possit jus reddere ei, cui debetur, & immane adeo scelus vindicare: absque eo quod liceat iis, ad quos ejusdem notitia potuit quacumque ratione pervenire, abstinere se a veritate manifestanda, sub prætextu servandi secreti, cujus lege neutiquam in eo casu tenentur.

(c) S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

Atque ita docetur a S. Thoma (c), qui postquam asseruit, nunquam posse violari in nullo omnino casu secretum, quod non alia ratione innotescit, quam via sacramentalis Confessionis, subjungit, violari tamen illud idem posse quantum ad propositum casum. En, quæ ea de re Sanctus Doctor habet, verba sequentia. *Circa ea vero, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam venerint, homo ea manifestare tenetur: puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel temporalem, vel in grave damnum alicujus personæ; vel si quid est aliud hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando: & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum: quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet, &c.*

(d) S. Aug. l. de mend. c. 21. seu n. 13.

Opponi potest adversus hanc nostram assertionem exemplum Firmi Tagastensis Episcopi, qui, testante S. Augustino (d), cum requireretur a Ministris Imperatoris cujusdam Pagani, ut eis indicaret, ubinam commoraretur vir quidam, quem comprehendere jussi erant: audacter respondit, nec mentiri sibi licere, nec detegere illis, ubinam vir ille versaretur: & maluit ab iisdem inclementer haberi, quam secreti legem perfringere. At reponendum est, exemplo memorato nihil prorsus evinci posse, quod iis, quæ docentur a S. Thoma, ne minime quidem adversetur. Nec enim refertur, virum prædictum ullius criminis conscium fuisse: si certo criminis aliquid contraxisset; forte crimen ipsius ejusmodi erat quod nec damnum inferebat publico, nec ulli cuiquam privato nocebat. Atque revera quidem de eodem viro S. Augustinus sic scribit: *Ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quam servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret.*

(e) S. Hier. in Chronico ad an. 375.

S. Hieronymus (e) memorat etiam exemplum cujusdam Sacerdotis, qui mortem potius sustinuit, quam potuerit adigi, ad manifestandum ac prodendum virum quemdam nomine Octavianum, qui apud eum latitabat. At ex isto exemplo non magis quam ex præcedente quidquam inferri potest: siquidem nec in eo etiam habeatur mentio, laudatum virum fuisse criminis alicujus suspicione notatum.

Quæ quidem exceptiones locum etiam debent obtinere, quanquam, qui secreti legem subeundam acceptavit, vel etiam accedente juramento, promissionem suam confirmavisset: Ratio est, quia jusjurandum in eo casu interveniens non modo temerarium est, sed præterea injustum: adeoque nullam potest inducere obligationem juxta sequentem regulam Juris (f): *Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum sacramentum.* Quod etiam confirmari potest istis verbis venerabilis Bedæ (g): *Si aliquid forte nos incautius jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum: libere illud consilio salubriore mutandum noverimus, ac magis, instante necessitate, pejerandum nobis, quam, pro vitando perjurio, in aliud crimen gravius esse divertendum.*

(f) Reg. 58. de reg. juris in 6.

(g) Beda in can. si aliqu. 16. 22. q. 4. Item in can. si aliquid 16. ib. & Alex. III. in c. insinuavit. 18. de test. & attest. l. 2. t. 20.

CASUS VI.

Mutius Cæsari conditionem offert, aperiendi ei secreti cujusdam magni momenti ea lege, quod illud eadem ratione sit servaturus, ac si recepisset ex Confessione. Quod quidem sic a sese servandum promittenti Cæsari Mutius secretum suum indicat. Numquid Cæsar obligatur, ad illud eadem fide reticendum, quasi non aliunde sibi, quam sub sigillo confessionis innotuisset?

Respons.

Quanquam ut plurimum non expediat impositam ejusmodi secreti legem acceptare; dicendum tamen est, siquidem Cæsari non, nisi facta ista conditione, secretum fuerit commissum, induci ei obligationem ejusdem eadem cum religione atque fide servandi, ac si illud habuisset ex ipsa Confessione. Ita docet S. Thomas (h), qui sic ait: *Homo non de facili debet recipere aliquid hoc modo, sub secreto Confessionis) si tamen recipiat, ex promissione tenetur hoc modo celare, ac si in Confessione haberet: quamvis sub sigillo Confessionis non habeat.*

(h) S. Th. in 4. d. 21. q. 3. a. 2. qu. 2. ad 2.

Est tamen excipiendus 1. Casus, in quo ageretur de causa Religionis, aut boni publici: neque enim tunc imcumbit servare secretum: quemadmodum docet alibi Doctor Angelicus appellatus. 2. Quanquam etiam res sub secreto commissa non pertineret etiam, nisi ad aliquod privatum duntaxat incommodum, puta ad aliquod furtum, quod quis facere meditaretur, qui foret ejusmodi rei particeps etiam ex secreto tantum, secundum regulas charitatis obligaretur, ad eum commonendum, qui eandem ei commisisset, ipsumque a perverso animi proposito deducendum; si vero vellet ejusdem pertinacem retinere perseverantiam, ad renuntiandum ei, cui damnum ex cogitato furto immineret, salva tamen fama nocentis. Ratio est, quia tunc non inducitur obligatio præstandæ fidei de secreto servando, quando non potest nocens adjuvari, nisi in damnum innocentis; *Quia potior est conditio insontis:* neque solvendum est promissum de secreto reticendo, quando non potest exolvi, nisi in detrimentum charitatis; ut colligere est ex Canone quodam, in quo fertur (i): *In malis promissis rescinde fidem ..... impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* In eumque potissimum sensum procul dubio sunt accipienda isthæc verba S. Ambrosii (K): *Non semper promissa omnia solvenda sunt.*

(i) Isidor. in can in malis. 5. 22. q. 4.

(k) S. Amb. l. 3. de offic. le. 12. in can. ususquisque 8. in can. non semper 12. ead. causa & quæst.

CA-

CASUS VII.

Vincentius Canonicus de Cathedrali Ecclesia Thianensi, eum præsens adesset Capitulo, in quo suffragiorum Collectione concurrebatur, ad eligendum Decaoum, & audivisset e suis Gollegis quuldam omnino fastidiose dicentes de uno quodam eorum, qui ibidem proponebatur in vaeantem dignitatem sufficieadi; hoc ipsum eidem, qui summns ipsius amicus est, renuntiavit. Num potuit recta conleientia illud efferre, nee violata lege de secreto Capituli servando?

Respons.

Constat, a Vincentio non potuisse sine crimine perjurii ipsius amico revelari fastidiosam illam rationem, qua quidam ex ipsius Collegis de eo, congregato Capitulo, susurraverat. Cajus decisionis ratio ultro patet: neque enim ullus Cnnonicus ad ineundam possessionem admittitur, nec frater recipitur, nisi pustquam sese jurejutando obligavit, ad servandum secretum, quantum ad ea, quæ dicuntur, aut peraguntur in Capitulo, in quo loquitur unusquisque prout affectus est, fretus nimirum illa bona fide servandi secreti, quam promiserunt singuli, ea quibus Capitulom constat, etiam accedente solemai jurejurando, quando recepti fuerunt, atque in gremium fratrum aggregati. Atque revera quidem si Csnonicis liceret, quidquid in suis conventibus peragitur, revelare; quidquid ibidem sermonis ac deliberationis habetur, extemplo divulgaretur, publicique juris statim fieret; indeque gravissima prorsus incommoda sequerentur; ac sæpe sæpius contingeret, futurum ut qui iisdem adsunt, vel timiditate, rerumque humanarum respectu, vel nimio studio serviendi temporibus abrepti, prorsus abstinerent a ferenda, cum ingenua sinceraque fide, lua sententia circa res, quæ quandoque pertinere possent ad eausam sui Collegii communem, & cum eadem habere summæ utilitatis ac maximi prorsus momenti rationem (a).

(a) Samb. tr. 3. casu 31.

CASUS VIII.

Basilius secretum quoddam, quod est ingentis omnino ponderis ac momenti, fidei concredidit Melchioris, qui Religiosus est de Rsformato quodam Ordine. Chrysostomus Melchioris Regularis superior, præcepit illi, ot secretum illud ei detegeret. Nom ipse Melehior obligatur ex conscientia, ad obediendum in ea re suo superiori; aut potestne sine peccato secretum prædictum eidem manifestare?

Respons.

Propositam difficultatem S. Thomas (b) omnino perspicue dissolvit. Primo namque statuit tanquam principium constans ae indubitatum, quod autoritate S. Bernardi confirmat (c); Religiosum nempe, summo jure considerato, non obligati, ad obediendum suo superiuri, nisi quantum ad ea quæ directe, vel indirecte saltem pertinent ad Regulam & observantiam Ordinis sui propriam; hoc est, quantum ad ea, quæ vel in regula conceptis verbis exprimuntur, vel ad eam aliqua ratione referuntur. *Sufficiens obedientia est*, inquit, *ut Religiosus obediat suo Prælato de his, quæ ad regulam pertinent; vel directe, sicut ea quæ sunt scripta in regula: vel indirecte, sicut ea quæ ad hæc reduci possunt sicut ministeria exhibenda fratribus, & pœna pro culpis inflicta.*

(b) S. Thom. quodl. 1. a. 15. in corp.
(c) S. Bern. l. de dispens. & Præcepto.

Quo principio præmisso, descendit in quæstionem propositam, & ad eandem respondet, adhibita distinctione secreti, quod non licet servare, propterea quod vergat in damnum alieaum; & illius, quod non potest sine crimine prodi. *Est enim aliquod secretum*, prosequitur ille, *quod illicitum est celare: sicut quod in periculum vergit aliorum, quibus aliquis cavere tenetur ... ad præceptum ergo Prælati tenetur Religiosus tale secretum pandere: etiamsi promisit, se non revelare: dicente Isidoro: in malis promissis rescinde fidem: nisi forte in confessione audierit, quia tunc nullo modo esset revelandum.*

De genere vero altero secreti sic addit idem S. Thomas: *Est autem aliud secretum, quod de se celari potest sine peccato: & tale secretum Religiosus nullo modo Prælato præcipienti pandere debet, si sit fidei sua commissum: peccaret enim, frangendo fidem commissi.* Quod plane consentit huic Sapientis effato (d) *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana. Qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* In quæ verba Doctor Angelicus sic habet (e): *Revelare secreta in malum personæ, est contra fidelitatem: non autem, si revelentur propter bonum commune, quod semper præferendum est bono privato.*

(d) prov. 11. 13.
(e) S. Th. 2. 2. q. 68. a. 1. ad 3.

CASUS IX.

Hieronymus Seminarii cujusdam Ostiarius, eui, quæ commorantibus ibidem inscribuntur, omnes litteræ reddi eonsueverunt; ex mera animi euriositate summam earumdem detegendi, aliquas ex eis resignat, quas, postquam legit, rursum obsignat tanta dexteritate, ut neutiquam possit, easdem resolutas fuisse, deprehendi. Numquid io ea re peccat contra Legem secreti?

Respons.

Non obsignantur litteræ, nisi potissimum eo fine, ne quæ in iisdem scribuntur, quos nihil juvat, possit adeo seorum notitia pervenire. Quamobrem Glossa ad quandam Dectetalem, quam Innocentios III. inseribit Archiepiscopo Senoneosi, fert in eum, qui temeritatis eo devenit, ut aliquas litteras resolvat, animadvertendum esse eadem pœna, quæ falsarium maneret. *Ideo est puniendus, tanquam falsarius* (f). Quam sententiam Navarrus amplectitur, cui subjungit istud probationis argomentum (g), quod confirmat hoc principio S. Thomæ (h): *Facere injustum ex genere suo est peccatum mortale*: Ex quo sic memoratus author infert: *Regulariter omnis injustitia est peccatum lethale secundum Thomam ..... at qui aperit litteras, peccatum injustitiæ committit: tollit enim jus alterius, scilicet aperiendi litteras, tam mittenti, quam ei, cui mittuntur.* Ergu. Præterea veru Cannoista laudatus addit, publicæ fidei magni prorsus interesse, ut, quo litteræ solent obsignari, sigillum sit quodam modo sacrosanctum, ac inviolatum semper remaneat. Tacemus firmiora rationum momenta, quibus prædictus Author, quæ sibimetipsi eontra propriam suam assertionem opponit, objecta septem vel octo eomminuit in pulverem: & concludimus, ab Hieronymo sine peccato non posse resolvi litteras, quæ fidei ipsius oon euncreduotur, nisi ut integræ reddantur iis, quibus inscribuntur; quin etiam futurum aliquando, ut posset plurimis in casibus ipsius peccatum evadere mortale, ae potissimum cum inde periculum aliquod notabile eum aliquo iusto fundamento posset imminere, vel ei, qui litteras prædictas scripsisset, vel ei eui inscribuntur, sive quantum ad famam alterutrius, sive qaantum ad summam earumdem litterarum, quam ousquam efferri utriusque causæ aliunde plurimum interesset.

(f) Glos. in c. cum olim 3. de officio & potest. Judeleg v. sigil. in violanti.
(g) Nav. in Can. Sacerd. pen. de pœn. q. 6. n. 10. & seqq.
(h) S. Th. 2. 2. q. 59. art. 4. in corp.

Neque tamen ideo intendimus damnare eum usum, qui frequentari solet in plorimis Communitatibus tum Regularibus, tum Sæcularibus; nimirum in quibus Superior pro nutu suo legit litteras, quæ vel ad inferiores ipsius, vel ab ipsis inferioribus mittuotur: quoniam usus ejusmodi non ioductus est nisi ex eausis omnino sapientissimis, & plerumque maxime spectantibus tum ad publicum ipsius Communitatis commodum, tum ad proptiam eorum singulorum, ex quibus ipsa constat, otilitatem; aliunde vero, utpote eorum nemini sit ignotus, ab omnibus censetur approbari, ab omnibus etiam eidem consensus unanimis ultro præberi videtur. Præterea vero addimus, ne quid eorum desit, quæ ad perfectiorem subjectæ materiæ intelligentiam necessaria sunt; plurimis in casibus alicui privato prorsus licere, ut possit absque peccato litteras nomini alterius inscriptas aperire; puta, quando eas non resolvit, nisi ex consensu expresso, aut omnino probabiliter præsumpto vel eorum, qui easdem scribunt, vel eorum, quibus eædem inscribuntur; aut non aperit, nisi eo potissimam ani-

Digitized by Google

animo, ut a sese removeat aliquam injustitiam, vel damnum aliquod notabile, cujus inferendi sibi gravissimam habet suspicionem: Censemus etiam, nec arguendum esse peccati neque maritum aliquem qui litteras suæ conjugi inscriptas relinit, neque Patrem, a quo litteræ ipsius liberis inscriptæ aperiuntur: Siquidem certissimum sit, aliquando plurimi prorsus interesse, ut ad utrumque eorum quæ in iisdem scribuntur, integra notitia perveniat. Qua quidem in assertione duces sequimur Cardinalem Cajetanum; Sylvestrum Mozolinum, Fumum, Navarrum, Reginaldum, cæterorumque Authorum nubem ingentem (a).

Vide | Confessarius I.
Impedimenta *Matrimonii generatim*, Casus VIII. & seqq.
Correctio *fraterna*.
Monitorium.

(a) Cajet. in sum. v. Litter &c. Sylv. de prierio v. Falsar. q. 1. Bart. Fumus In Armilla. v. eod. Nav. supr cit. & Man c. 18. n. 53. & alii. Regin. l. 24. per fori pœni n. 129.

SEPULTURA.

Vocabulo SEPULTURÆ subjiciuntur notiones quatuor, eæque omnino diversæ, ut observat Daoiz (b)

Accipitur etenim 1. pro loco ipsius sepulturæ: 2. Pro ipsa sepultura, qua quis fuit ibidem affectus; 3. Pro jure sepulturæ, quo quis gaudet, ut sepulturæ tradatur in certa quadam Ecclesia 4. Pro officio, seu ministerio, quod exercetur, cum fidelibus defunctis honores Ecclesiasticæ sepulturæ tribuuntur (c).

Eum locum quocumque tempore sepultura etiam apud ipsos Paganos obtinuit, ut si fides Historicis adhibeatur, in plurimos Centuriones Romanos constitutum fuerit capitis judicium, ex eo quod militibus, qui ceciderant in prælio, sepeliendis indormivissent (d). Antiqui Patriarchæ, quales Abraham, Jacob, Joseph, Tobias, & qui inter Sanctos insigniores extitere, propriis suis corporibus sepulchro condendis vel etiam ipsi religiosissime consuluerunt: & opprobrii prorsus ingentis loco semper habitum est, sepulturæ honoribus carere. Atque ea potissimum de re *sacris Canonibus institutum est*, inquit Innocentius III. (e), *ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint*: Indeque est, quod Canones, ut institutum illud Ecclesiasticum religiosius observandum curent, volunt, ut locus ipse sacer, in quo sepultus fuerit aliquis denunciatus excommunicatus, aut persona nominatim interdicta, excidat etiam sua consecratione, pollutusque fiat atque profanus, & cadaver hominis ejusmodi, si distingui possit a corporibus aliorum fidelium, eodem loco defossum eruatur. Ita præcipitur ab eodem Summo Pontifice (f).

Parochi possunt absque ulla simoniacæ labis suspicione honorarium aliquod pro sepeliendis defunctis exigere, quo eis inde suppetat aliquod subsidium ad propriam eorum sustentationem; quo quidem in capite Articulus xv. Aurelianensis Edicti fuit Edicto Blesensi revocatus. At vero quidquid olet sordidam exactionem fuit quacumque temporis ætate penitus interdictum, & consideratum tanquam aliquid simoniæ omnino vicinum (g).

Quisquis habet factionem testamenti, jure quoque gaudet, eligendi sibi suæ sepulturæ locum in qua ei libuerit Ecclesia vel Seculari vel Regulari (h). Verum si nihil ea de re caverit, ipsius corpus sepeliendum est in Parœcia loci, intra cujus fines decessit (i).

Juxta Canones antiquos nullus funerandus est in Ecclesia; sed tantummodo sub templi porticu, vel in propylæo, vel in cœmeterio. Atque ita constitutum fuit in Concilio quodam, quod Namnetum habitum est anno 890 & refertur in Decreto Gratiani. En ipsius verba sunt: *Prohibendum est etiam (k). secundum Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur* (homines) *sed in atrio, aut in porticu, aut in exhedris Ecclesiæ: intra Ecclesiam vero . . . . : . nullatenus sepeliantur*. At non obtinuit ubique hoc interdictum, neque fuit ab omnibus observatum; siquidem aliqua etiam Concilia gratiam istam vel ipsismet Laicis indulserint, ut possent intra Ecclesiam sepeliri (l).

(b) Daoiz in indice. juris Pontific. v. sepultura.

(c) Gloss. in Can. Clerici 22. 13 q. 2.

(d) Valer. Max. l. 9. c 18. Diodor. Siculus, l. 23. antiquitat.

(e) Innoc. III. in c. sacr. 12 de sepulc l. 3. t. 28.

(f) Id ib. & in c. Consuluisti 7. de consecr. Eccl. eñ &c. l. 3. t. 11. Et Alex. III. Eq. 40.

(g) Can. Dictum est 106. 1. q. 1. Can. Questa fe't in. & 3. in q. 13. q. 2.

(h) Al III. in c. cum liber. fit 6. de sepulturis.

(i) Bon. VIII. in c. animar. 1. & in c. seq. § 1. de sepultur in 6.

(k) Can. præcipiend 15. §. 2. 13. q. 2.

(l) Conc. Mogunt c. 52. an. 813. in Can. Nullus. 18. ead. causa, & quæst.

CASUS PRIMUS.

Landericus ab annis plurimis divulgatus ut impius in Deum obtrectator, concubinus atque plurimæ assiduæque crapulæ deditus, cuidam indulgens perpotationi nimium festinanter mortuus est, nullo dato pœnitentiæ signo: Debetne Parochus de Parœcia ipsius cadaveri ejus tribuere Ecclesiasticæ sepulturæ honores, ut iisdem cohonestantur, qui Christiane pieque decedunt?

RESPONS.

Licet Landericus obrutus vino decesserit, aut quovis alio modo, ob eam, quam inducare consoeverat, animi duritiem ne verbo quidem injecto de confessioue peccatorum; Parochus authoritate privata non potest eidem denegare sepulturam Ecclesiasticam: Qoamobrem juvat, priosquam sepeliatur, ut Episcopum suum de prædicto mortis genere, vel viva voce, vel litteris consulat, & quæ renunciata sibi ab eo jussa receperit, diligenter exeqoator; Si vero non potueriot ad eum tempore congruenti pervenire; debet defuncti cadavet sepelire in loco Sancto, adhibitis cum cantu publicis precibus, aqoa benedicta, Groce, funeralibus cereis, & cœteris ceremoniarum ritibus, qui de more frequentantur.

Ratio est, quia nemo censetur in Gallia nota publici peccatoris infamatus, nec potest in quemqoam animadverti tanquam in peccatorem publicum, nisi declaratoria aliqoa sententia intercesserit, & fuerit ab Ecclesiastico Judice in fontem pronunciata.

CASUS II.

Tuatatum defunctum in viculo quodam de Parœcia S. Galli pendente, ingentis leucæ spatio distante ab Ecclesia Parœciali & tempore, qoo solet byems acrius sævire, Vicarius de prædicta Parœcia sepelivit in loco quodam, qui non fuerat Episcopali authoritate nec consecratus, nec sepulturæ depotatus; sed in quo nihilominus habitatores plurimi de memorato viculo jam suerant inhumsti, tom propter lnngiorem & viculi istius & Parœcialis Ecclesiæ distantiam, tum quia viæ reddebantur hyemali præsertim tempore fere omnino inextricabiliores. Nom ita sese gerere potuit memoratus Vicsrius absque peccato?

RESPONS.

Quamqoam juxta Romanas Leges, quasadire licet in Glossa (a), aliquis locus eo ipso dicatur ac censeatur religiosus, quo in eodem aliquis mortuus sapultos est; non tamen ejusmodi consecrationis rationem adeptus judicatur secundum Canones, nisi suerit authoritate Diœcesani Episcopi consecratus, atque sapulturæ deputatus. *Locus, si Pontificali authoritate est sepulturæ deputatus, religiosus est*, inquit Sylvester (b), *etiamsi nullus sit ibi sepultus .... si vero non est sic deputatus; secundum Canones non est religiosus, etiamsi sit ibi aliquis sepultus.*

Quod idem observat Innocentius IV. ad quamdam Decretalem Innocentii III. (c) *terra sit sacra, vel religiosa authoritate Pontificis*, inquit Glossa, *non eo eo, quod mortuus infertur ad locum* (d). Eamdem doctrinam sequuntur Cardinalis Hostiensis, & Bartholius, quos appellat idem Sylvester (e), qui remittit ad illod, quod enonciator in Pastorali, quantum ad ritum & cæremouiam consecrationis alicujus cœmeterii. Angelus de Clavasio idem etiam docet (f), & quæcumque ea de re differit, a Sylvestro integra transcribuntur.

(a) Glossa in c. Abolendæ. 23. de sepulturis v. Sepultura.

(b) Sylvest. Sepulturæ. init.

(c) Innoc. IV. in d. c. Abolendæ. 13. de sepulturis. L. 3. t. 28.

(d) Gloss. in c. In Ecclesiastic o 30. 13 q. 2. v. Si terram.

(e) Sylvest v. Cœmeterium n. 3.

(f) Angelus de Calevel. v. Sepultura. init.

Ex quibus omnibus facile colligitor, non potuisse sine gravissimo peccato Turibium a Vicario de Parœcia S. Galli in loco, qui fertur in instituenda quæstione, sepeliri; neque etiam peccato carere tolerationem Paroch, qui passus est, ibidem affici sepultura alios fideles; siquidem ei incumberet secondum Ecclesiastica instituta, iisdem honores sepulturæ tribuere in ipso Parœcialis Ecclesiæ Cœmeterio; atque, si nimis difficulras obstaret, ab Episcopo licentiam obtinere, novi alterius Cœmeterii ia ipso viculo, de quo sermo fit in expouenda præsenti specie, ex ipsa Pontificali authoritate instituendi ac solemni ritu consecrandi.

CASUS III.

Patronius Parochus de Parœcia S. Eulaliæ jure gaudens cadaverum suorum Parœcianorom in Cœmeterio vicinæ alterius Parœciæ sepeliendorum, proprium suum ius vendendum proposuit Parocho de dicta altera Parœcia. Quod Parochus iste, Matriculariis suis consentientibus, acceptavit, & pro juris cessione summam 120. librarum Petronio persolvit; quo pretio pecuniæ accedente, iste proprio suo jure plane destitit. Nihil-ne vitiosi olet prædicta vanditio?

RESPONS.

Jus, quo Petronius gaudebat sepeliendorum soorum Parœcianorum defunctorom in Cœmeterio de vicina Parœcia, quiddam importat, quod mere spirituale est, atque Ecclesiasticum; nec proinde potest ullatenus ingredi commercium juxta SS. Canones: Quam doctrinam propriam sibi vindicat Innocentius IV. in suo, quem composuit in Decretales, Commentario (g): Quod idem quoque docet Archidiaconus (h), totum in eo consentiens decisioni, quam habet Gregorius IX in una quadam ex suis Decretalibus (i), in qua sic declarat: *Pactiones factæ a vobis ... pro quibusdam spiritualibus obtinendis (cum in hujusmodi pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare) nullius penitus sunt momenti.*

Cujus decisionis ista potest reddi ratio, quam affert Glossa (K), *quia hujusmodi pactiones simoniam inducunt*; aot saltem simoniæ contrahunt gravissimam omnino suspicionem.

Non potuit ergo Petrooius, nisi gravissimi prorsos peccati sese faciens participem, vendere jus sepulturæ, quod proprium ipsius non erat, sed Ecclesiæ, cui Parochus præficitur; nec potuit jos idem emi a Parocho de vicina Parœcia. *Sepultura, id est, jus sepulturæ, vendi non potest ... unde licet in uno Cœmeterio multæ Ecclesiæ possint habere jus sepeliendi suos .... tamen una non posset alteri vendere suum jus.*

(g) Innoc. IV. in cit c. Abolendæ. 13. de sepultur c l. 3. t. 5.

(h) Archidiac. in d. cap. Abolendæ.

(i) Greg. IX. in c. pactiones fic. de pactis. l. 1. t. 35.

(K) Gloss. ibid. v. Cessare.

Vide (Parochus. / Excommunicatio. / Simonia.)

SERVITUS.

Hæc vox SERVITUS in triplici sensu accipitur 1. Ad designandum subjectionem voluntariam famuli erga herum suum.

2. Ad designandam subjectionem necessariam seu coactam Jure gentium introductam contra naturæ ordinem, juxta quam omnes nascimur liberi; per quam subjectionem Servus libertate sua spoliatus alieno dominio aut patrocinio subjiciuntur.

3 Ad designandum onus alicui fundo vel domui in favorem ejus, qui non est proprietarius, alligatum, talia sunt jura itineris, luminis, e puteo vicini aquam hauriendi: Et in illo sensu ususfructus, usus, & habitatio sunt veræ servitutes. De ista tertia specie servitutis hic agitur.

Servitus est activa, aut passiva: Servitus activa & realis de qua hic loquimur, definitur a Polmano (l): *Jus, quo res immediate habet aliam rem sibi obnoxiam*. Jurisconsulti duas alias servitutis species distinguunt: Prior quæ per-

(l) Polman. Part 2. n. 319.

pertinet ad Urbis ædificia ab ipsis vocatur *servitus Urbana*. Posterior *servitus Rustica*.

(a) Idem n. 332.

Prior sic a Polmano definitur (a); *Servitus Urbana est jus, quo prædium Urbanum habet aliud sibi obnoxium*. Tale est jus, quod habet Proprietarius domus deducendi aquas e suo tecto stillantes in vicini sui aream, aut impediendi, ne vicinus stillicidia suæ domus in illius aream erivet. Tale est præterea jus Proprietarii domus, quam reædificat trabem aut ligna supra murum domus contiguæ stabiliendi, aut impediendi, ne vicinis per nimiam ædificii altitudinem lumini officiat.

Ab eodem Authore Rustica, aut prædialis servitus definitur: *jus quo prædium Rusticum habet aliud obnoxium*. Tale est jus transitus per fundum alienum ad suum, tale est jus vehendi, tale est jus ducendi per fundum vicini equos, boves, aut alia similia animalia, tale etiam est jus aquæ ductus per vicini alveos.

Cum jus servitutis sit odiosum, debet aliquo inniti titulo, ita ut juxta Articulum CLXXXVI. consuetudinis Parisiensis nullo temporis lapsu, etiam centum annorum, non possit acquiri jus servitutis.

Qui ampliorem Regularum quamdam Juris Communis speciem stabilientium explicationem desiderabunt, consulant nonum ejusdem Consuetudinis Titulum. *De Servitutibus* &c. & Articulos 115 & 116.

CASUS PRIMUS.

GENESIUS Dominus Parœciæ a Sancto Servino dictæ habens jus vehendi per fundum Petri, vult adstringere Petrum ad reparationem itineris ita interrupti & inextricabilis, ut per illud vehicula transire non possint. Petrus vero respondet Genesium, si suo Jure uti velit, ad reparationem istius rupti itineris teneri. Quæritur uter teneatur.

RESPONS.

Qui debet servitutem, tenetur equidem permittere, ut opera necessaria ad reparationem Locorum servituti obnoxiorum fiant, sed non propriis impensis opera tenetur præstare, nisi forte propter ipsum servitutis titulum teneatur, aut propter possessionem, quæ ex parte illius, cui debetur servitus, tituli locum habeat. *In omnibus servitutibus*, inquit Lex (b), *refectio ad eum pertinet, qui sibi servitutem asserit, non ad eum, cujus res servit*. Genesius igitur non habet jus obligandi Petrum ad reparanda propriis impensis loca, per quæ jus transvectionis habet, & si suo jure Genesius uti velit, debet ipse suis sumptibus non Petrus iter reficere, nisi præ manibus titulum habeat, vi cujus Petrus ad refectionem itineris teneatur, aut nisi tituli loco sibi possessionem habeat.

(b) L. Et si forte. 6. §. 2. ff. si servitus vindicetur &c. lib. 8. tit. 5.

CASUS II.

NIZIERUS, cui est ampla domus, cujus pars propter servitutem pariete vicini suffulta est, illum vicinum cogere vult, ut proprio ære istum parietem jamjam casurum reficiat, & etiam ut faciat omnes impensas necessarias ad fulcienda laquearia, & tectum ipsius domus. Vicinus Nizieri domus & laquearia & tectum fulcire renuit, dicitque se dumtaxat teneri mediam contribuere partem sumptuum ad parietis, quo suffulta est domus, refectionem necessariorum. Utri ratio suffragatur?

RESPONS.

Vicinus debet ferre onera sumptuum omnium, qui ad restitutionem muri quo fulta est Nizieri domus, necessarii sunt. Nam cum murus is esse debeat qui sufficiat ad ferendam Nizieri domus partem, illum reparare, imo redintegrare, si necessitas postulet, tenetur. *Etiam servitute, quæ oneris ferendi causa imposita erit, actio competit; ut & onera ferat, & ædificia reficiat ad eum modum qui servitute imposita comprehensus est*. Hæc sunt verba legis (c). Eadem de re alia Lex loquitur, ut sequitur (d): *Eum debere columnam restituere, quæ onus vicinarum ædium ferebat, cujus essent ædes, quæ servirent, non eum, qui imponere vellet*. Quod tamen intelligendum est, dummodo nimio onere murus non fuisset vitiatus, aut eversus. Nam in illo casu, qui nimiam molem imposuisset, murum reficere, aut reparare suis sumptibus teneretur, & insuper damna & interesse proprietario domus refundere. *Si paries communis opere abs te facto in ædes meas se inclinaverit*, ait alia Lex, (e) *potero tecum agere jus tibi non esse parietem illum ita habere*.

(c) L. Et si forte 6. §. 2. ff. si servitus vindicetur &c. Item L. Sicut. 8. ibid.
(d) L. cum 33. ff. de servit. Urbanorum prædiorum l. 3. t. 2.

Habemus adhuc aliam legem, quæ præsentem difficultatem expresse solvit. Sic habet (f): *Quoties communis parietis vitio quid acciderit, socius socio nihil præstare debet; quod si, quia alter compresserat, vel oneraverat, idcirco damnum contigit, consequens est dicere detrimentum hoc, quod beneficio ejus contigit, ipsum sarcire debere*. Quod autem spectat ad sumptus necessarios ad fulciendam domum, aut etiam ad destruendam partem muro superimpositam; eos Nizierus, qui domus proprietarius est, solus suppeditare tenetur. Ita statutum est lege, quæ dicit (g) *sicut autem refectio parietis ad vicinum pertinet; ita fultura ædificiorum vicini, cui servitus debetur, quamdiu paries reficitur, ad inferiorem vicinum non debet pertinere; nam, si non vult superior fulcire, deponat, & restituet, cum paries fuerit restitutus*.

(e) L. Si cum 14. §. 1. ff. si servitus vindicetur &c.
(f) L. Ex damni 40. § 1. ff. de damno infecto. lib. 39. t. 2.
(g) L. Sicut. 8. ff. de servitus &c.

Animadvertendum est, si in casu proposito alteruter sumptus, etiam notabiles, fecisset ad murum decorandum, verbi gratia, pretiosissimis picturis incrustandum, sumptuum jacturam in eum cadere, qui murum picturis decoravit; ut habet Lex (h): *Parietem communem incrustare licet ...*, *sicut licet mihi pretiosissimas picturas habere in pariete communi. Cæterum si demolitus sit vicinus & ex stipulatu actione damni infecti agatur* (i) *non pluris, quam vulgaria tectoria æstimari debent: quod observari & in incrustatione oportet*.

CASUS III.

MARCELLINUS habet domum, cujus murus jure servitutis ædificium vicini sustinere debet. Ad istum murum ruinosum reficiendum vicinus Marcellinum vocavit. Marcellinus modico bono fruens, & necessario ad muri refectionem sumptui ferendo impar; vicino declaravit se malle dimittere proprietatem fundi, in quo murus exstructus est. An dimittere potest, ita ut a Marcellino cogi non possit ad reficiendum, aut reparandum murum?

RESPONS.

Constat Marcellinum vicino suo dominium fundi, in quo extructus est murus, dimittentem non teneri ad muri refectionem aut reparationem. Ratio est, quia non ipsa Marcellini persona servituti obnoxia est, sed dumtaxat fundus, quem possidet: Adeo ut Marcellinus, derelicto fundo, a suo

vi-

vicino cogi non possit ad reficiendum aut reparandum murum. Hoc æquitas naturalis exigit, exigit & Lex, quæ ait (a): *Evaluit Servii sententia in proposita specie, ut possit quis defendere jus sibi esse cogere adversarium reficere parietem ad onera sua sustinenda. Labæo autem hanc servitutem non hominem debere, sed rem: denique licere domino rem derelinquere scribit.*

(a) Et si forte. 6. §. 2. ff. si servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.

CASUS IV.

Durandus servitutis jure, poterat aquam e fundo Caroli ducere, quod jus viginti nummis præsentibus Paulo vicino suo vendidit. Carolus isti cessioni intercessit, & cursum aquæ deflexit, ut impediret, ne Paulus ea uteretur. An jus habet impediendi?

Respons.

Carolus jus habet se isti cessioni opponendi, quia Jus suum Durandus Paulo concedere non poterat; ratio est, quia legibus statutum est, eum qui jus habet capiendæ aquæ in suæ hæreditatis utilitatem, jus istud ad neminem transferre posse neque venditione, neque commutatione, neque cessione pure gratuita. Qui enim servitutem debet, eam debet ad utilitatem illius, cui debetur; adeo ut, statim atque servitute uti desinit, qui eam debet, eam debere quoque desinat. *Per plurium prædia aquam ducis quoquomodo imposita servitute*, inquit Lex (b) *nisi pactum vel stipulatio etiam de hoc subsecuta est, neque eorum cuivis, neque alii vicino poteris haustum ex rivo cedere*. Idem statutum est alia lege, quæ addit, eum qui istud servitutis jus habet, ad unam fundi sui partem ad aliam uti eo non posse. *Ex meo aquæductu, Labæo scribit cuilibet posse me Vicino meo, commodare: Proculus contra; ut ne in meam partem fundi aliam, quam servitus acquisita sit, uti ea possim: Proculi sententia verior est* (c).

(b) L. Cum essent. 33. §. 1 ff. de servitutibus prædiorum rusticorum lib. 8. tit. 3.

(c) L. Ex meo. 24. ff. eod. tit.

CASUS V.

Pamphylus habet domum Balduino vicino suo duplici servitute adstrictam. Priorem ob servitutem Pamphilus non potest domum suam altius tollere, ne scilicet altitudo Lumen domus Balduini impediat. Ob posteriorem domus Pamphili stillicidia domus Balduini recipere debet. Pamphilus priorem servitutem summa 300. librarum redemit: posterioris nulla facta mentione in instrumento, cui ambo subscripserunt. Pamphilus postea domum suam, additis duobus tabulatis, altius sustulir; Balduinus videns domum altiorem sua domo tolli, opus interpellavit, prætendens domum Pamphili non posse tolli tam alte, ut stillicidia impediantur. Pamphilus contra dicit se posse domum suam ad nutum extollere, cum extollendi sine ulla restrictione licentiam 300. libris emerit, posterioremque servitutem censeri debere extinctam. An recte ratiocinabatur Pamphilus?

Respons.

Hanc difficultatem Romanæ solverunt leges, a quibus non est recedendum, quando nihil in contrarium aut a Principibus, aut a Consuetudine patriæ statutum est; leges autem Romanæ habent, quod, quando fundus duplici servituti obnoxius est, sicut in specie proposita, & quando proprietarius fundi servientis unam e duabus servitutibus, nulla facta mentione alterius, redimit, isti proprietario non liceat libertatem acquisitam protendere, nisi salvo alterius servitutis jure. Unde sequitur Pamphilum posse quidem domum suam a priori servitute liberatam usque ad quamdam altitudinem extollere, sed non tam alte ut stillicidia domus Balduini impediantur. Balduinus enim renuncians priori servituti, posteriori non censetur renunciasse: quia Pamphilus domum suam extollere potest usque ad quamdam altitudinem, quin ista altitudo noceat servituti, propter quam domus vicinæ stillicidia recipere debet. *Si domus tua ædificiis meis utramque servitutem deberet*, inquit Lex, (d) *ne altius tolleretur, & ut stillicidium ædificiorum meorum recipere deberet, & tibi concessero, jus esse invito me, altius tollere ædificia tua; quod ad stillicidium attinet sic statui debebit, ut, si altius sublatis ædificiis tuis stillicidia mea cadere in ea non possint; ea ratione altius tibi ædificare non liceat. Si non impediantur stillicidia mea, liceat tibi altius tollere.*

(d) L. Si domus. 21. ff. de servitutibus Urbanorum prædiorum.

Præsentem difficultatem ita solvit peritus Jurisconsultus Regius Advocatus in præsidiali Curia Claromontana in Arvernis (e).

(e) Domat. Leg Civil. juxta ordinem naturalem tom. 1. edit. in 4. pag. 425.

CASUS VI.

Blastus habet jus ducendi Jumenta per campum Renati, sed decem abhinc annis suo jure non usus est, viam publicam commodiorem licet longiorem seligens; postea cum suo jure uti voluisset, Renatus obstitit, dicens illum a tali jure per præscriptionem excidisse, an injuste agit Renatus?

Respons.

Jus servitutis legitimam pati potest præscriptionem, quando ille ad quem pertinet, per decennium inter personas intra eamdem provinciam commorantes, aut per viginti annos inter personas in diversis provinciis habitantes, uti cessavit. Localis tamen Consuetudinis habenda est ratio. *Ut omnes servitutes non utendo amittantur*, inquit Lex (f), *non biennio; quia tantummodo solis rebus annexæ sunt; sed decennio contra præsentes, vel viginti spatio annorum contra absentes.*

(f) L. Sicut 13. cod. de servitutibus, & aqua. Item L. Cum talis. fin. cod. eod. tit. lib. 3. tit. 34.

Sed hoc intelligendum est de servitutibus aliquam actionem ex parte eorum quibus debentur postulantibus, verbi gratia de jure transitus, ut in specie proposita, de jure capiendi aquam, & aliis similibus juribus, quæ *non utendo* amitti possunt (g). Unde concludimus jus transitus per prædium Renati contra Blasium cui isto jure decem ab hinc annis non usus est, quamvis præsens esset, & uti potuisset si voluisset, fuisse præscriptum; & consequenter Renatum posse claudere iter per quod Blasius antea transiverat. Cum enim præscriptio legibus tum civilibus tum Canonicis in odium negligentiæ possessorum, & ad occurrendum variis litibus, quæ proculdubio moverentur, familiarumque pacem perturbarent, statuta sit: quod per præscriptionem acquiritur, legitime acquiritur. Aliæ servitutes, quæ consistunt in eo quod locorum status stabilis efficiatur, innovationesque impediantur, in eo quod exempli gratia, ædificium altius extolli non possit, ne lumen vicini ædificii impediatur, præscribi non possunt, nisi superveniat status locorum mutatio, quæ per omne tempus ad præscriptionem necessarium perseveret, servitutemque extinguat, quæ mutatio superveniret, si proprietarius domus servituti obnoxiæ, istam domum contra servitutem debitam altius tolleret, & sic mutuatam domum per omne tempus ad præscriptionem requisitum pacifice possideret. Hoc clarissime explicat Lex, cujus verba referre non erit supervacaneum (h). *Hæc autem jura similiter, rusticorum quoque prædiorum, tempore non utendo, pereunt; nisi quod hæc dissimilitudo est, quando non omni modo pereunt non utendo: sed ita, si vicinus simul libertatem usucapiat: veluti si ædes tuæ ædibus meis serviant, ne altius tollantur, ne luminibus mearum ædium officiatur: & ego per statutum tempus fenestras meas perfixas, vel obstruxero; ita demum jus meum amitto, si tu per hoc tempus ædes tuas sublatas habueris. Alioquin si nihil novi feceris, retineo servitutem.*

(g) L. Nam satis. 6. §. 1. ff. quemadmodum servitutes amittantur lib. 8. tit. 6.

(h) L. Hæc autem. 6. ff. de servitutib. Urban. prædiorum.

Vide Dos Cas. 55.

Digitized by Google

S Y L V A.

IN hoc titulo exponimus diversas Sylvas, ut altam, & excelsam Sylvam, quæ crescit per quadraginta annos: & cæduam Sylvam quæ cæditur pro more nono quoquo anno; aut juxta usum in quibusdam regionibus receptum, quindenis quibusque annis, in quibus cæsura ipsa differtur ad viginti annos, pro Sylva fabricæ ferrariæ destinata: materies aut utilis ædificiis: lignum foco aptum, sive recens, sive ratibus per flumina advectum: mortuum lignum, & lignum mortuum.

Sylvæ quædam sunt Regis: aliæ Societatum Ecclesiasticarum, tam sæcularium, quam Regularium, & aliæ privatorum.

Quia Abbates, aliique Beneficiarii sunt solum administratores bonorum Beneficiis suis annexorum, iis non licet suas altas, & excelsas cædere Sylvas, sine licentia a Rege impetrata formulis requisitis; id est, sine Diplomatibus jure, ac merito in tabulas publicas relatis. Non possunt ipsas cæduas Sylvas cædere, non vocatis Saltuariis Judicibus (*a*). Quam in rem videre est Edictum Henrici II. mensis Februarii 1550. Aurelianense (*b*) & Blesense (*c*): Testimonia Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ (*d*): & Edictum Aquarum, & Sylvarum a Ludovico XIV. promulgatum (*e*).

(*a*) De la Guessiere tom. 2. 4. c. 19.
(*b*) Art. 29.
(*c*) Art. 33.
(*d*) Tom. 2. c. 12. n. 66.
(*e*) Art. 23.

Sylva alta, & excelsa censetur res non movens: hinc ante cæsionem subjacet redhibitioni gentilitiæ, sed non manus injectioni, excepta reali dicta.

Cædua Sylva censetur res mobilis, imo ante cæsionem; & hanc ob caussam subest manus injectioni, & non redhibitioni gentilitiæ; eadem est ratio Sylvarum altarum, & excelsarum, post earum cæsionem. Consulendi sunt sexdecim Auctores a D. Brillon laudati (*f*), & Decreta, quæ ex illis depromsit circa jus usus sylvarum, & jus usuariorum.

(*f*) D. Brillon. Dictio. Arrest. v. *Sylva*. n. 77. & seqq.

Possessionem, & dominium Sylvarum cognoscunt Baillivii, ut depopulationes, & Sylvarum strages cognoscunt Domini peculiares Aquarum, & Sylvarum.

CASUS PRIMUS.

ULYSSES, miser Rusticus, cum uxore, & quinque liberis minoribus, premitur necessitate hyemandi sine igne, neque edendi quicquam cocti; quia non est ei facultas emendi ligni. Ipsi suasum est petere noctu Sylvam vicinam, quæ Regis est, & aliam, cujus Proprietarius est Dominus loci, & legere lignum ad usum in sua egestate. Ratio consilii hujus est. 1. Quia hæc necessitas, qua per hyemem urgetur, extrema esse videtur, cui proinde sine peccato occurrere potest hoc modo. 2. Quia harum Domini Sylvarum censentur consentire, ut miser, ad tantam redactus inopiam, legat lignum, minus damnosum, alias censendi sunt dissentire sine ulla justa caussa. 3. Quia non eadem est ratio sylvarum, ac segetum, aut aliorum fructuum, quos terra culta producit: & videntur pauperes natura eorum partis participes esse. Ulysses quærit num possit conscientia parere isti consilio?

RESPONS.

Ante responsionem, distinguenda sunt duo ligni genera, ad difficultatem propositam. Primum vocatur *lignum mortuum*, hoc est, lignum aridum; sive rectum, sive decussum, & lapsum, quod potest solum igni inservire. Secundum nominatur *mortuum lignum*, ut saliles, morsalices, sambucus, spinæ, alni, genistæ, juniperi, & rubi: quæ duo ligni genera, & novem *mortui ligni* species exprimuntur in veteribus chartis Normanniæ Ludovici X. an. 1313. aut 1314. & cujus Carolus V. meminit in suo Edicto 5. Julii 1376. & Franciscus I. in Edictu mensis Martii 1515. cujus hæc sunt verba: *Ut ab ævo discrimen intercessit in Consuetudines designantes significationem vocum mortui ligni, & ligni mortui, denotando lignum mortuum id, quod mortuum est, & siccum, sive subsistens* (*g*), *aut decussum, & denotando mortuum lignum certum lignum viridi subsistens, ut plus cædatur, declaratur quod sic intelligatur, ut dictum est, & mortuum lignum id non esse, ut dictum, ac declaratum est, ut decretum est in charta ad Normannos de hoc edita a Rege LUDOVICO an. 1314. super interpretatione & nominatione dicti mortui ligni, & sic exponetur, & declarabitur in casibus occurrentibus, & occurrendis, speciatim quoad terram Normanniæ.*

(*g*) Subsistens, id est, viride, rectum & trunconizum, & succum e terra hauriens Latine *Arbor nixa stirpibus* Dict. universf. de Funetiere v. *Lignum*.

Aliud Edictum ejusdem Regis Francisci I. 4. Octobris 1533. habet etiam lignum mortuum, *intelligetur, & designabitur lignum aridum subsistens, aut jacens: & his verbis*, mortuum lignum, *intelligetur & significabitur arbor salix, morsalix, spina, puine, sambucus, alnus, genista, & juniperus, & non alia* (*h*).

(*h*) Fontanon. tom. 2. pag. 257. & 265.

Hac distinctione posita, respondemus ad difficultatem propositam, dicentes. 1. Nullum exstare Regis Edictum, quo miseris rusticis liceat legere *lignum mortuum*, neque *mortuum lignum* in sylvis, quæ usui non sunt destinatæ. Unde sequitur Consuetudinem solam illius patrocinari, ut hoc legant lignum; & hæc Consuetudo, quatenus legitima, debet niti consensu manifesto, aut tacito Dominorum Sylvarum.

2. Egestatem Ulyssis tamen esse tantam, ut possit sine peccatu legere, ad suam levandam inopiam, in sylvis memoratis in quæsitu, lignum mortuum aut vepreta, ut spinas, rubos, & aliud *mortuum lignum*, modo depopulatio inde non oriatur ingens. Ratio est, quia Domini censentur hoc in casu consentire; & adversarentur immisericordes, imo inhumani (*i*).

(*i*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 163.

CASUS II.

BARTHOLOMÆUS & Lucia, matrimonio conjuncti, communia fecerunt decem jugera cæduæ sylvæ; sed Lucia fato functa sine prole, anno ante cæsionem hujus sylvæ, Bartholomæus hujus cæsionis partem capere intendit, anno ante mortem Luciæ peractæ, pro tempore conjugii, quia socia ipsi erat cum fato functa. Estne ipsi jus? Et si

ipsi

Digitized by Google

ipsi denegatur, potestne inferre litem hæredibus Luciæ, ut Judex sibi addicat?

R E S P O N S.

Ante hujus quæstionis decisionem, observandum est 1. In quibusdam Religionibus cædi sylvas cæduas decimo quoque anno: & in aliis quindenis quibuscumque annis.

2. Sylvas fabricæ ferrariæ destinatas plerumque cædi vicesimo quoque anno.

Ex his observationibus sequitur sponso superstiti esse jus, & commodum maximum in his sylvis; nec æquitati & justitiæ convenire, ut in quæsito proposito, Bartholomæus privetur parte, quam exigit post cæsionem sylvarum. Alias dicendum foret, si uxor vita functa fuisset decimo octavo, aut decimo nono anno post conjugium, societati nullum esse commodum, quando, sylva fabricæ ferrariæ destinata, matrimonium fuisset dissolutum sex mensibus, aut anno ante cæsionis diem: quod omnino videtur justitiæ repugnare. Quapropter existimamus eum, si hæredes uxoris Bartholomæi nolint conferre rationem commodi nascentis ex cæsione sylvæ, quam communem fecerant Lucia, & ipse, posse eos vocare in jus, ut sibi adjudicetur emolumentum *pro rata* temporis societatis.

Nostram firmat sententiam judicium arbitrale 17. Decembris 1696. dictum a D. Balincourt in Parlamento Parisiensi Senatore, & a D. Riparfond, & Braquet, peritis Causidicis in eodem Parlamento, qui dixerunt eam sylvæ partitionem esse faciendam pro tempore (*a*).

(*a*) D. Brillon v. lignum n. 9.

Observandum est tamen, Bartholomæo obeunte mortem intermedio tempore, parentem ejus hæredem, non posse jura, quibus gaudebat, repetere, ut judicatum fuit Consulto Parlamenti 7. Septembris 1569. relato a le Vest (*b*), cum marito soli sit jus, exclusis ejus hæredibus.

(*b*) Le Vest Arrest. 101.

C A S U S III.

M a u b e r t u s, agricola, cui est domus, & horreum in pago Sancti Joannis, & incola, intendit se jure deducere lignum ad sua in integrum restituenda ædificia necessarium, e sylva ampla, quæ est integra communis pagi istius. Alii incolæ contradicunt, & tuentur ipsi solum esse jus lignationis in sylva. Cui est jus?

R E S P O N S.

Quum hujus sylvæ dominium est communis hujus pagi incola quisque jus habet lignationis in sylva, & licet educere quidquid necesse est, præterea ad ædificium suum instaurandum. Ideo incolarum pagi S. Joannis contradictio est mala, illique sine injustitia, imo damno cujusve arcere nequeunt Maubertum ab usu cujusve arcere nequeunt Maubertum ab usu juris sibi in hanc sylvam communem parti.

Et quidem sic judicatum fuit Consulto Parlamenti Divionensis 1. Martii 1632. a Bouvot relato (*c*), qui hujus est sententiæ, & huic innititur Consulto: & sane hæc sylva non potest censeri communis nisi ad levamen, & commodum privatorum. Trunci autem vetustarum arborum æque sunt renovandis ædificiis ruinosis necessarii, ac rami ad focum sedendo. Igitur nulla est ratio coarctandi ad solam lignationem eos, quibus præterea necessarium est aliud lignum, reædificandis, aut instaurandis aptum ædibus, quas habent in pago, cujus est sylva.

(*c*) Bouv. t. 2. v. Communitate qu. 55.

Hæc confirmatur decisio alio Parlamenti Divionensis Consulto 29. Martii 1686. quo Curia judicavit Vicanum privatum, qui pistoria opera faciebat, posse lignum carpere commune, non solum ad lignationem, sed & ad pistoris dulciarii opera coquenda (*d*). Nemo non fatetur necessitatem instaurandarum ædium longe majorem esse, quam coquendorum pistoris dulciarii operum: quum absolute nequeamus esse sine domicilio; & facile abstineamus a pistoris dulciarii operibus.

(*d*) Taisand. in cons. Burg. t. 13. a. 6. n. 3.

C A S U S IV.

J u l u s, Sancti Gordiani Abbas, in sylvis altis, & excelsis, ab Abbatia pendentibus, aliquot jugera vult cædere, ut lucrum inde emergens suum faceret. Num illi licet auctoritate propria?

R E S P O N S.

Abbati huic non licet istam sylvam altam, & excelsam decutere; nam Beneficiarius non est dominus bonorum Beneficio annexorum, nec quicquam suscipere potest, quod ejus fructum minuat, quum alias damnum successoribus inferret.

Sunt plura Consulta, tam antiqua, quam recentia, a multis Parlamentis pronunciata dictis consentanea.

Primum est parlamenti Tolosani 13. Februarii 1513. quod omnibus interdicit Beneficiariis cæsionem altarum, & excelsarum sylvarum.

Secundum est Parlamenti Britanni 27. Septembris 1554. a du Fail relatum Consultum, (*e*) quo interdicta fuit Abbati Sancti Meen cæsio sylvarum altarum & excelsarum Abbatiæ.

(*e*) Du Fail l. 2. c. 2

Tertium est ejusdem Parlamenti Tolosani 20. Julii 1556. quod eamdem, ac primum habet interdictionem.

Quartum est an. 1556. quo Henricus II. Consilio assidens, decernit capitale vadimonium contra omnes Clericos, qui sylvas altas & excelsas cæciderunt (*f*).

(*f*) Henr. II. progymnasm. Arrest. 38.

Quintum est ejusdem Parlamenti Tolosani 12. Augusti 1558. quod inter icto vetuit emptionem sylvarum altarum & excelsarum a *Clero*, sine Diplomate Regio a venditoribus impetrato, quod facultatem det eas cædendi, aut vendendi; hoc Diploma debet ratum fieri a Parlamento, juxta Edictum ab Henrico II. promulgatum mense Februarii 1558. & Aurelianense an. 1560. Eadem interdicta in Clericos repetiverunt Diplomata Regia an. 1571. rata facta a Parlamento Parisiensi, mense Augusto ejusdem anni, & a Tabula marmorea mense Novembri sequenti: & statuta violantes ad suum non amandantur Judicem, juxta Consultum in Quæsitorum tribunali latum 15. Februarii 1625. (*g*)

(*g*) D. Brillon. v. lignum.

Alia Diplomata Regia evulgata sunt mense Junio 1579. & Martio 1583. quæ edicunt de vetustis arboribus a tempestate & vi ventorum decussis statuere Clericos Beneficiarios: quatenus usufructuarios posse in suum commodum solum, & residuum Ecclesiæ esse. Qua de re videndus Paponius (*h*).

(*h*) Papon. p. 1362.

Denique de la Guessiere (*i*) Decretum Parlamenti Parisiensis refert, hanc in rem latum in comitiis Campaniæ 13. Maji 1569. contra Capitula & Societates Ecclesiasticas, quod interdicit cæsionem ullius sylvæ altæ & excelsæ, ad instaurationes necessarias sine Saltuariis Judicibus præsentibus.

(*i*) De la Guessiere t. 2. l. 2. c. 19.

SIMONIA.

(a) S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3.
(b) S. Anton. 2. p. t. 1. c. 5. §. 1.

Sanctus Thomas (a) definit SIMONIAM istis verbis; *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*. Quam definitionem sic interpretatur S. Antoninus (b); *Studiosa dicitur, id est deliberata: nam sola deliberatione rationis potest committi istud peccatum, sed non punitur judicio Ecclesiæ; nisi procedat ad extra*.

Quando definitur a Sanct. Thoma Simonia, *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale*; nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus.

Addit laudatus S. Doctor: *Vel spirituali annexum*: Quales sunt reditus, & fructus Beneficiorum, & quale est jus iisdem gaudendi. Neque enim ii tantummodo simoniaci sunt, qui voluntatem studiosam gerunt emendi aliquid mere spirituale, puta gratiam, aut quodlibet aliud donum Spiritus Sancti: verum etiam ii, qui suam pecuniam, vel quid aliud tantumdem valens pro aliquo spirituali nonnisi eo animo offerunt, ut illud spirituale convertant in suum temporale commodum; quemadmodum *Simon magus* (qui), inquit Urbanus II. (c), *non Spiritum sanctum, quo ipse erat indignus, sed donum Dei emere voluit; ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fieret, multiplicatam pecuniam lucraretur*. Atque inde est, quod, quando S. Petrus verbis istis eum allocutus est: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*; illum nonnisi avaritia, gloriæque, & honorum cupiditate arguerit: *Nec Apostolus*, subjicit laudatus Papa, *emptionem Spiritus Sancti, quam bene fieri non posse noverat: sed ambitionem quæstus talis, & avaritiam, quæ est Idolorum servitus in eodem Simone exhorruit, & eum maledictionis jaculo percussit*.

(c) Urb. 2. in c. Quæsitum 5. & Inn. III. in Cum olim 7. de rerum permutatione. l. 3. t. 18.

Sive temporale, quod offertur, detur tanquam pretium Beneficii, sive tantummodo, ut incitamentum ad illud idem obtinendum; Simoniæ crimen perinde contrahitur; quemadmodum declaravit Innocentius X. damnatorio judicio, quod 2. Martii 1679. dedit in duas propositiones, quibus contrarium asserebatur.

Simoniæ duæ sunt species. Una quidem Divino jure prohibita; Altera vero, jure tantum Ecclesiastico.

Quæ jure Divino Simonia prohibetur, est, cum datur res aliqua temporalis ad rem aliquam acquirendam, quæ suapte natura spiritualis est: qualia sunt Sacramenta: aut quæ rei alicui spirituali annexa est; qualia sunt Beneficia, & Vasa sacra.

Simonia juris Ecclesiastici ea est, quæ Canonibus tantummodo prohibetur, & cum, etiamsi præcise non detur temporale pro spirituali, aliquid tamen admittitur, quod idem fere est, ut, quando quis auctoritate sua privata Beneficium, cujus titulo gaudet, pro alio Beneficio permutat: Siquidem ejusmodi permutatio plurimis Summorum Pontificum Decretalibus interdicatur (d). Talis etiam foret emptio alicujus officii, seu ministerii, quo jus obtinetur Ecclesiasticæ jurisdictionis exercendæ. (e).

(d) Urb. II. in can. Salvator 8. 1. q. 3. Alex. V. in c. Ad nostram 21. de simonia l. 5 t. 3. Idem in c. Præ ea, 1. sive Prælati vices, l. 5. t. 4.
(e) S. Greg. in Can. Sunt nonnulli. 1. 4. 1. c. 1.

Quæ Simoniarum duæ species iterum dividuntur in Simoniam mentalem, Simoniam conventionalem, atque Simoniam realem.

Simonia mere mentalis; hoc est, quæ suum effectum non sortita est, rota posita est in sola voluntate perversa ejusdem committendæ, nullo præterea accedente actu externo, qui vel verbis expressis, vel tacite significetur.

Simonia conventionalis ea est, in qua præter perversam voluntatem, quam quis jam antea gerebat, accedit aliqua conventio culpabilis, sive sit verbis expressa, sive tantummodo tacita: Qua de re scire operæ pretium est, si ejusmodi Simonia non esset, nisi mere conventionalis, neque ei suus effectus accessisset; quoniam, verbi gratia, ejusdem pœnituit, & ipsa fuit revocata, ac rescissa; tunc non incurri in pœnas latas adversus Simoniacos; At vero, si suum effectum habuerit ex parte alterutrius contrahentis, seu paciscentis; tunc eam non esse tantum considerandam, tanquam mere conventionalem.

Simonia realis, ea est, in qua conventio Simoniaca, de qua fuit conventum, ex utraque parte completur; dando nimirum temporale pro spirituali.

Explicabimus postea tres alios diversos modos, quibus committitur illa Simonia, quæ dicitur *a manu, ab obsequio, & a lingua*, de qua sermonem facit S. Gregorius relatus in Canone ad marginem indicato (f). Qua de re possunt etiam adiri S. Petrus Damianus (g), Gregorius VIII. (h), & S. Thomas (i).

Est tandem ultima species Simoniæ, quæ dicitur confidentialis, quæ omnino specie diversa est ab iis, de quibus sumus locuti, quamque Pius IV. (K) & Sanctus Pius V. ut perniciosissimam damnaverunt, ac præterea declaraverunt, Beneficiarios, qui sunt ejusdem conscii atque participes, spoliandos esse suis Beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, fierique ad quævis alia possidenda, nisi interveniente legitima aliqua dispensatione, prorsus inhabiles.

(f) Greg. VIII. Ep. ad Collat. Episcopos Cardinales.
(g) L. 7. Reg. Ep. 84.
(h) S. Th. d. 4. in sent. a. 25.
(i) In Bulla Romanum 87.
(k) In Bulla Intoler. 85.

Quæ

Quæ simoniæ speciesconsistit in pacto vel verbis expresso, vel tacito, cedendi in gratiam alterius tertii Beneficium, quod obtentum est, aut aliquam partem fructuum de eodem percipiendorum, seu ei, qui Beneficium contulit, seu cuivis alteri, quem designaverit, rependendi (a).

(a) S. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3.

Innotescent ex sexaginta novem decisionibus, quæ subsequuntur, tum innumeri propemodum, variique casus, in quibus incurri potest in crimen simoniæ, tum quas pœnas jus decernat adversus simoniacos. Verum, ut ea de re uberior etiam intelligentia habeatur; necesse est scire, quid senserit Clerus Gallicanus congregatus in Regiis ædibus S. Germani in Laya anno 1700. Quod quidem facile colligere est ex censura, qua Illustrissimi nostri Gallicani Præsules notaverunt tres propositiones perniciosissimas, atque scandalosissimas, quas in medium proferre quidam auctores ausi fuerunt, ad vindicandos ab omni prorsus peccato, in iis etiam casibus, quibus ne locus quidem tergiversandi ullatenus relinquitur, eos, qui Beneficia ope simoniæ consequuntur. En igitur & propositiones, & censura, quæ iisdem inusta fuit.

PROPOSITIO LXIX.

Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

PROPOSITIO LXX.

Date temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur, tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

PROPOSITIO LXXI.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

CENSURA.

Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ : Hæresim Simoniacam sacra Scriptura, Canonibus, & Pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis, sive intentionis directionem, inducunt.

Quarum propositionum prima jam antea fuerat a Sacra Facultate Theologica Parisiensi, & tandem a Summo Pontifice Alexandro VII. condemnata. Secunda vero, atque tertia etiam jam fuerant notatæ censura a Lovaniensibus Doctoribus anno 1657. atque a Summo Pontifice Innocentio XI. postmodum quoque reprobatæ fuerunt.

CASUS PRIMUS.

POTAMONIUS Episcopus Gallicanus suffragans Parisiensis, cum ad eum pertineret collatio Beneficii cujusdam ingentis, annexam habentis curam animarum, & vacantis, animoque suo adjecisset, illud idem non concedere nisi ei, quem foret comperturus digniorem: inter illos, qui visi sunt ipsi magis idonei & capaces, ad illud possidendum, sex potissimum electis Sacerdotibus declaravit, futurum, ut conferret prædictum Beneficium ei ex eis, qui in concursu, cui vult, illos omnes adesse die 15. mensis proxime sequentis, sese præ cæteris exhibiturus est eruditione doctrinaque superiorum. Sedulius unus ex seu prædictis, qui timet, ne Sylvanus unus ex competitoribus, propter suam, qua plurimum valet, præclaram eruditionem atque doctrinam tum ipsi, tum cæteris præcellat: centum ei dupliones aureos offert, ea conditione, quod ad concursum non sit præsens adsuturus. Quam oblatam sibi pecuniam, simulque impositam legem Sylvanus accepit, & Beneficium assequitur Sedulius. Num in ea conventione, & quæ conventionem secuta est, executione occurrir aliqua simonia? Intercederetne etiam aliquod Simoniæ vitium, si Sedulius, ad impediendum, ne veredi conducerentur Sylvano, qui cursorem extraordinarium Romam festinavisset, prædicti Beneficii impetrandi causa, antequam concursus haberetur, quandam pecuniæ summam alicui veredariorum præbitori tradidisset?

RESPONS.

Sufficit vel etiam simplex notitia definitionis Simoniæ, qualem eam tradit atque explicat S. Thomas, quem jam multoties appellavimus, ut apertum fiat in primo casu veri nominis occurrere realem Simoniam. Ecquid enim vero nonne palam fit, a Sedulio prædictum Beneficium non obtentum fuisse, nisi quia Sylvano rependit pecuniam, ut illud idem consequeretur; quanam ergo ratione, quonamve prætextus velamento posset a simoniæ vitio vindicari: siquidem in eo potissimum reposita sit essentia simoniæ, ut tradatur pecunia, vel quodlibet aliud pecuniæ pretio æstimandum, sive hoc ipsum consideretur ut pretium, vel incitamentum, sive etiam ut gratuita compensatio, ut ad aliquod Beneficium perveniatur, aut ut res aliqua spiritualis, vel quæ spirituali annectitur, possit obtineri? Ut nihil ea de re dubitationis superesse queat, consulenda sunt auctoritatum testimonia, quæ retulimus in decisionibus, quæ lectoribus inferius occurrent, quæque hic loci referre supervacaneum est: atque revera quidem Sedulius Sylvano dando centum dupliones aureos, nihil aliud agit, quam in rei veritate ab eo emere jus, quod iste competitor propter summam, qua præstat, meritorum excellentiam

tiam

tiam videtur sibimetipsi iam asseruisse ad Beneficium, quod ipse Sedulius sperabat, a sese obtinendam fore, quodque reipsa sibi obtinet, ea ratione illum removendo a concursu. Non potest igitur a simoniæ vitio ullatenus excusari.

Quod pertinet ad alteram casum, in quo Sedulius largitione corrupit fidem alicujus veredariorum præbitoris, vel alicujus cursoris, ut obstaret, ne supplicatio sui competitoris Romam opportuno tempore perveniret, censemus de eo eadem ratione judicandum esse, ac de priori casu; siquidem vera locus sit propugnandi, a prædicto viro non obtineri Beneficium, nisi quia pecuniam tradidit eo potissimum fine, ut moram afferret cursori, quem Sylvanus suus competitor animo habebat Romam properare; neque ab eo alia ratione prædictum Beneficium obtineri: quæ quidem abunde sufficiunt, ut coram Deo Simoniæ, injustitiæque conscius esse convincatur.

Ut, quod hic loci de proposita utraque difficultate asseruimus, lectori perspectius fiat; juvat tantum adire, qui ea de re disseruerunt insigniores Theologos, ac potissimum Doctores de Sacra Facultate Theologica Parisiensi, qui omnes unanimi consensu docent sequentes propositiones.

Exigere, dare, accipere, aut promittere aliquid temporale pro Beneficio Ecclesiastico obtinendo, sive per modum pretii, sive per modum motivi, aut gratuitæ compensationis, simoniæ crimen est. Quibus verbis utuntur plerique Theologi Parisienses, ad doctrinam suam ea de re exprimendam. *Qui munus aliquod, aut officium data pecunia, aut alia re pretio æstimabili sibi comparat ea intentione, ut Beneficia obtineat, Simoniacus est.* In prædictis propositionibus ne verbum quidem unum occurrit, quod non comminuat in pulverem, intercluso quocumque tergiversationis aditu, vana frivolaque ingenii acumina adinventa ab illis indulgentioribus laxioris moralis disciplinæ fautoribus, qui toti incubuerunt in eo potissimum, ut & hominibus placentia proponerent, & eorum cupiditatibus obsequerentur. Finem igitur dicendi facimus reverendis adeo auctoritatum testimoniis innixi, & concludimus, siquidem in duobus propositis casibus Sedulius nihil aliud intenderit suam pecuniam tradendo, quam ratione tam reprehendenda pervenire ad Beneficium, quod appetebat; eum vera Simoniacum esse; ac mereri, quamobrem subeat pœnas, quæ Simoniacis ipso jure inducuntur.

CASUS II.

THEOPOMPA designatus Archiepiscopus Maerdinæ Urbis Mesopotamiæ, (quæ sub appellatione Diarbekjam circumfertur), nec valens ullum dignitati suæ manus annexum exercere, quin primo quidem summam 10000. librarum præsentis, ac numeratæ pecuniæ Mehemeti Bacha Turcæ, prædictæque Provinciæ præfecto persolverit, potestne sine periculo incurrendi in crimen simoniæ dignitatem istam Archiepiscopalem ea ratione consequi?

RESPONS.

Prædictus casus nec fictus est, nec de industria excogitatus; vidimus ipsi Parisiorum Archiepiscopum quemdam de iisdem tum Regione, tum Urbe, cui sacra peragenti pluries ministravimus, qui ad istam civitatem accesserat, ut eniteretur ex stipis erogationibus, quas accipiebat, pecuniam illam ingentem conflare, quam ab eo Provinciæ Præfectus exigebat. Quamobrem abs re non est alienum, ut difficultati propositæ faciamus satis, cujus enodatio potest aliunde afferre utilitatem non mediocrem doctrinæ Christianæ præconibus apud populos Orientis, inter quos casus prædictus sæpe sæpius occurrit.

Ut propositam ergo difficultatem dissolvamus, respondemus, utendum esse distinctione. Nam vel Theopompa electus fuit legitime ab Episcopis comprovincialibus Maerdinæ, aut ab aliis electionis jure gaudentibus, vel non fuit legitime electus: si legitime fuerit electus: acquisivit *jus in re*, hoc est jus obtinuit potiendi illa dignitate; potuitque statim a confecta sua electione, eaque confirmata, in possessionem venire prædictæ dignitatis, & annexas eidem functiones exercere, juxta illud, quod definitur in Decretali Alexandri III. (*a*), quæ data est a Præfato Papa in tertio Concilio generali Lateranensi, atque in plurimis aliis Decretalibus, quæ ibidem ad marginem indicantur. Adeo ut nec Provinciæ præfectus, nec alius quivis infidelis minister possint nisi ex vexatione prorsus apertissima impedire, ne consecretur, & in possessionem suæ dignitatis inducatur; nec quidquam ab eo exigere, at utriusque licentiam sibi fieri obtineat; si vero non possit alioquin jure sibi acquisito uti, nisi pecuniæ summam solvendo, quam Mahemes ab eo exigit, ei profecto licet, absque periculo contrahendi criminis ullius Simoniæ, eamdem persolvere: ut ea ratione sese expediat ab iniquiori illa vexatione, qua torquetur, quamque alioquin non potest ullatenus vitare. At e contrario, si non fuerit legitime electus, & Mehemeti largitur istam pecuniæ summam eo fine, ut dignitatem Archiepiscopalem prædictam adipiscatur, manifestum est, ex nimia illa, qua fervet, ambitione eum incidere in Simoniam realem; atque ea ratione incurrere in pœnas, quas SS. Canones Simoniacis indixerunt, quippe qui non sit in eo minus reprehendendus, quam Jason frater Oniæ, Menelaus, & Lysimachus, de quibus sermonem faciunt sacræ Scripturæ (*b*) qui dignitatem Summi Pontificis Judæorum numerata præsentique pecunia sibi comparaverunt.

Quæ nostra decisio roborari confirmarique plurimum potest ex usu, quem Imperatores auctoritate sua prorsus abutentes, olim induxerunt in Ecclesiam, exigendo, & cogendo sibi ab iis rependi quamdam pecuniæ summam, qui fuerant electi Summi Pontifices, priusquam coronarentur. Qui perversus usus, ac violentiæ plurimæ coactus per multa sæcula steterunt ad Pontificatum usque Sancti Gregorii Magni. Ut etenim tunc temporis non persolvebant Summi Pontifices pecuniæ summam, quæ ab ais exigebatur, nisi ut se se redimerent a manifesta vexatione, atque licentiam obtinerent exercendarum functionum, quæ supremæ eorum dignitari annectebantur, quæ libertas ac licentia eis omnino antea denegabatur; certissimum est, ab iis nullam Simoniam commissam fuisse, cum solvebant pecuniam, quæ ab eis iniquius ea ratione exigebatur: ac consequenter idem rationis argumentum extendendum esse ad Archiepiscopum, de quo quæstio proponitur; si, quemadmodum supponimus, ex præscripto Canonum fuerit electus, sicut electus ille fuerat, quem Parisiorum vidimus ab annis ultra quinquaginta.

(*a*) Alex. III. in c. Cum in cunctis & in c. Nosti. 9. de elect. &c. §. cum vero, l. 1. t. 6. Inn. III. in c. Qualiter. 17. & in c. Nihil est 44. eod. t. in c. Cum jamdudum 18. de præb. l. 3. t. 5.

(*b*) 2. Machab. 4.

CASUS III.

PONTITIANUS Sacerdos, Doctor, & Professor Theologicus, vir singularis omnino pietatis & præclara eruditione commendatissimus præsentatus fuit ad Curam de S. Rufo ab Irenæo, qui ejusdem est Patronus Præsentator. Requisivit deinde suum *visa* ab Episcopo, ut in possessionem prædictæ Curiæ veniret: at præfatus Prælatus illud ei denegavit ex falsa, & iniquiori suspicione, quod sanam Doctrinam non teneret. Pontitianus repulsam ejusmodi habens, tanquam injustam vexationem, ab eadem sese posse expedire, ratus est pecuniam aliquam largiendo; quod quidem executus est, dando scilicet secretario Episcopi viginti nummos aureos,

reus, qui sic egit, ut ipsi collationem & *visa* prædictæ Curæ concedi obtinuerit. Nonne ista pecuniæ largitio quamdam olet speciem Simoniæ?

RESPONS.

Non sufficit, ab aliquo jus acquisitum esse, postulandi, sibi conferri quoddam Beneficium, quod quidem jus appellari solet *jus ad rem*, ut ipse possit a vexatione quantumlibet injusta se se redimere. Præterea omnque oportet habeat *jus in re*: hoc est jus Beneficio potiendi. Atqui Pontitianus ex instrumento suæ præsentationis nullum adipiscitur jus gaudendi Beneficio, ad quod nominatus est: quippe qui jus ejusmodi non valeat; nisi ex Institutione Canonica, obtinere; id est, ex collatione Episcopi, juxta regulam istam juris: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine Institutione Canonica obtineri*. Ad quam regulam Glossa, (*a*) sic habet. *Instituere autem, est jus Canonicum in Ecclesiastico Beneficio tribuere, & jure communi ad Episcopum spectat* (*b*): Quibus addit, istis verbis: *non potest licite*, significari summam omnino necessitatem Institutionis Canonicæ, & vocabulum *licite* non considerandum esse nisi quatenus adjunctum ex abundanti, *superabundat*. *Id enim dicimus posse*, prosequitur citata Glossa fulta auctoritate S. Augustini (*c*): *quod licite possumus*. Jamvero de eo convenit, in quæstione proponenda, quod Ponticianus eo jure non gaudeat, quod dicitur *jus in re*: siquidem non ante potuerit ab Episcopo Canonicam suam Institutionem obtinere, quam fuerit viginti nummos aureos ipsius Secretario largitus. Non ergo locus ei fuit, cur repulsam istius Prælati consideraret ut injustam vexationem, a qua se se redimere, accedente pecunia, sibi liceret: utpote jus ei aliunde succurreret, implorandi auctoritatem Metropolitani, ut ab eo obtineret, quod ab Episcopo sentiebat, injuste sibi denegari.

Ex quibus inferendum est, siquidem conferri sibi Curam non obtinuerit, nisi tradendo pecuniam Secretario, ab eo commissum fuisse simoniæ crimen, simul etiam promeritas fuisse pœnas quascumque, quibus Ecclesia solet in simoniacos animadvertere, quæ, ut apertum erit in dissolvendo casu Telemacus, in eo consistunt; ut 1. nullæ sint atque prorsus irritæ provisiones. 2. in Excommunicationem incurratur. 3. in suspensionem. 4. in nullam habilitatem illius possidendi Beneficii, quod transactum est. 5. & in obligationem restituendi fructus, qui de eodem percepti fuerunt: ut fusius alibi observavimus.

(*a*) Gloss. in reg. Beneficium. 1. de reg. Juris in 6. v. Licite.
(*b*) Callixt. in can. Nullus omnino. n. 16. q. 7.
(*c*) S. Aug. in can. Faciat. 11. 22. q. 2.

CASUS IV.

JODAS animo habens obtinere quamdam Curam vacantem, cujus Juvenalis erat Præsentator, & certo sciens, Juvenali nummorum opus esse, ut qua morabatur, litem repelleret: ei dono dedit triginta nummos aureos eo fine, ut benevolentiam ipsius sibi conciliaret, & eum induceret ad concedendum sibi prædictum Beneficium, licet illud ab eo verbis expressis non petivisset. Quod reipsa Juvenalis, ut gratiam referret, ei concessit, atque jure ipsius præsentationis Judas obtinuit, de eodem sibi provideri, ac deinde in possessionem illius se se induci. Num in eo contraxit aliquam culpam simoniæ?

RESPONS.

Constat, ut crimen admittatur simoniæ, non necessarium esse dare temporale pro spirituali, aut vice versa, tamquam pretium, quo spirituale ratione eadem ematur, quæ frequentari solet in contractu venditionis & emtionis. Sufficit etenim pro spirituali dari temporale, vel pro temporali spirituale, tamquam motivum, aut tamquam principalis finis, & non gratuito.

Ratio est, quia hæc est propria simoniæ natura atque essentia, quod quis velit obtinere spirituale, mediante aliquo temporali, vel aliquid temporalie adipisci per aliquid, quod spirituale sit: ut docet S. Bonaventura (*d*), qui proposita sibi ista quæstione, num simoniacus sit hæreticus: respondet, eum veri nominis hæreticum esse, si, cum vendit, aut emit rem aliquam spiritualem, eam judicet pretio pecuniæ æstimabilem, atque ejusmodi, ut cum aliqua re temporali possit exæquari, at alioquin non esse hæreticum, quamquam sit simoniacus, & in ipsius simonia quædam avaritiæ spes contineatur, quæ perniciosissima, ac maxime abominanda est, cum scilicet; *Ille, qui emit, & vendit spiritualia, non credit, quod gratia Dei per pecuniam comparetur, sed tamen ardens avaritia nititur aliquid assequi, vel impetrare per pecuniam, quod ad humanam spectat dispensationem: & non est peccatum fidei, sed morum, quoniam talis peroptime novit, & male facit*. Quæ verba Laudatus S. Cardinalis adhibet. Ex quibus sequitur juxta doctrinam illius, satis esse, ut quis simoniacus censeatur, ab eo aliquid spirituale dari non gratuito: aut temporale non donari, nisi ad obtinendum spirituale tamquam finem principalem. Atque ipsissima est doctrina S. Thomæ (*e*): addendum est præterea juxta mentem Patrum octavi Concilii Toletani, quod celebratum est anno 652. satis fuisse, ut quis anathematis opprobrio subjiceretur, ab eo datum fuisse aliquid temporale, quo facilius ad sacerdotium promoveretur (*f*).

(*d*) S. Bonavent. in 4. dist. 25. art. 2. q. 4.
(*e*) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2. in corp.

Denique ut decisionis hujusce veritati robur adjiciatur, commemorari potest auctoritas summorum Pontificum Alexandri VII. & Innocentii XI. Quorum prior suo decreto condemnavit 24. Septembris 1665. perniciosam istam propositionem, quam quidam Theologi morales non erubuerant asserere in gratiam simoniacorum (*g*). *Non est contra Justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Dedit etiam etiam Innocentius XI. decretum 2. die Martii 1679. quo quidem inter 65. propositiones morales, quas reprobavit, fulmine percussit sequentes, quæ numero recensentur 45. & 46. verbis istis quadragesima quinta concipiebatur: *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium: sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra*. En etiam qua ratione se habet quadragesima sexta propositio, quæ condemnata est: *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale. Imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis*.

Quas detestandas propositiones duas, quæ videntur aliunde quasi quamdam innuere repugnantiam in istis verbis: *gratuita compensatio*, & illis aliis: *tamquam principale motivum*, Sancta sedes eo potiori jure condemnavit, quod fundamenti, principiique loco haberentur a quibusdam recentioribus moralibus Theologis, ad propugnandum, rem esse in praxi fere non possibilem, ullam admittere simoniam: siquidem, juxta doctrinam illorum, nunquam possit occurrere ulla simonia, modo mens dumtaxat absit, rem temporalem exæquandi cum re spirituali. Quod omnino legitur in famosa illa *defensione Theologorum moralium*, (*h*) quæ condemnata est a Facultate Theologica Parisiensi 16. Julii 1658. tamquam *falsa, temeraria, scandalosa, atque quasi fenestram aperiens omnibus cujusvis generis simoniis, quæ divino juri adversantur* (*i*). Est præterea notandum præter simoniam jure divino interdictam, extare etiam quamdam alterius simoniæ speciem, quæ jure tantum Ecclesiastico prohibetur, & propter quam solam plurimis in casibus incurri potest in pœnas latas adversus simoniacos.

Ex dictis igitur vel ipsa meridiana luce clarius patet, Judam semetipsum reddidisse conscium simoniæ realis, atque incurrisse in omnes pœnas, quæ simoniacis indicuntur: quippe qui 30. nummos aureos Juvenali non fuerit largitus, nisi ex principali motivo ab eodem obtinendi Curam, quam ab eo accepit.

(*f*) Quicumque deinceps propter accipiendam sacerdotii dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit Anathematis opprobrio condemnatum; atque a participatione Christi Corporis & Sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Conc. Tol. 8. in can. Reperiuntur. 7. 1. q. 1.
(*g*) Propositio damnata ab Alex. VII. die 24. sept. 1665.
(*h*) Apologia moralium Theolog. pag. 62.
(*i*) Colloq. Condom. tom. 2. colloq. 3. sect. 1.
De Gen. Theol. mor. tom. 2. cap. 2. n. 2.

CASUS V.

ANTONINUS Præsentator Curæ de S. Vendelio, vir aurum appetens immoderatiori cupiditate, præ-

prædictam Curam vacantem offert Landrico, ea lege, quod ei largiatur 50. nummos aureos. Qui quidem Landricus existimans, se se in iis esse intelligentissimum quæ spectant ad simoniam, & persuasissimum habens, futurum ut in simoniæ crimen incideret, si postulatos nummos aureos donaret: satis habet eosdem illi, etiam adhibito jurejurando, promittere: nihilominus animo prorsus destinans, futurum ut promissa non exolveret. Antonius promissis fidens, ei tradit instrumentum præsentationis, quam in ipsius gratiam confecit: vi cujus iste suas impetrat provisiones, & se se inducit in possessionem prædicti Beneficii. Verum Antonio postmodum ab eo requirenti, ut vocis fidem exhiberet, respondet sibi non licere, quos ei fuit pollicitus, rependere 50. nummos aureos: quoniam sibi renunciatum est a se se promissa non posse servari, quin semetipsum simoniaca labe inficiat, & consequenter suas provisiones nullas efficiat. Qua de re quæritur, utrum vel ex solis promissis, quorum quidem Landricus fidem dedit, sed quibus stare ei animus nullatenus erat, constituatur conscius alicujus simoniæ?

RESPONS.

Nullus est ambigendi locus, quin Landricus & Antonius se se reddiderint in casu proposito criminis simoniæ conscios & participes. Cujus assertionis ratio aperta est. Etenim juxta doctrinam S. Thomæ (*a*), essentia simoniæ tota in eo reposita est, ut obtineatur Beneficium, aut quidvis aliud spirituale, interveniente vel pecunia, vel qualibet alia re temporali: ut jam monuimus in decisione præcedenti. Porro sive res illa temporalis nunc actu & de facto detur, sive tantummodo promittatur, semper verum est, acquiri spirituale, ipso temporali interveniente, quando spirituale obtinetur vi datæ fidei temporalis aliquando tradendi, neque accedente promisso, illud spiritnale non obtineretur: ut contingit in specie proposita, in qua Landricus non potest consequi Beneficium, quod eidem Antonius offert, nisi data fide, futurum ut illi dono donaret 50. nummos aureos. Uterque igitur perinde simoniacus est, neque alia ratione differunt utriusque crimina, nisi quia crimen simoniæ, fallaciæ perjuriique criminibus Landricus cumulat.

(*a*) S. Thom. 2. 2. tom quæst. 100.

Indeque est, quod Ecclesia non prohibuerit tantum, ne pecunia daretur, ad obtinenda Beneficia: sed ne vel etiam promitteretur: ut colligimus ex Concilio quodam, quod Urbanus II. labente undecimo sæculo in Apuliam indixit, & cui præsentes adfuerunt 70. Episcopi, & duodecim Abbates. Qui Prælati sic loquuntur: *Sanctorum Patrum sententiis consona sentientes, Dei & Apostolorum ejus parte præcipimus, ne quis ulterius dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione impenso, vel precibus, Episcopalem nitatur assequi dignitatem; nec ullus eam prætaxato tenore indulgeat. Hoc idem etiam de omni Ecclesiastica dignitate, vel officio, Apostolicæ potestatis auctoritate præfigimus. Alias & dator & acceptor proprii ordinis dignitate priventur.* (*b*)

Atque eodem principio fultum octavum Concilium Toletanum relatum in Canone, quem in decisione præcedenti laudavimus, (*c*) eum declarat anathematis opprobrio condemnatum, qui propter accipiendam Sacerdotii dignitatem aliquod temporale præmium obtulisset.

(*b*) Conc. Melphitan. sub Urbano II. Anno 1090. Can. 1.

(*c*) Conc. Toletan. VIII. in cit. can. *Reperiuntur*. 7. prima q prima.

Quæ eadem veritas confirmationem iterum accipit ex quadam decretali, quam Alexander III. inscribit Archiepiscopo Toletano, (*d*) de quodam Episcopo, qui, ut sibi assereret suffragia cujusdam Archidiaconi, & alterius alicujus Clerici, quibus agentibus, eligi posset Episcopus, utrique promiserat, futurum ut iis Beneficia conferret, in qua laudatus summus Pontifex declarat, eos omnes esse simoniacos, &, quæ simoniacis indicuntur, iisdem pœnis esse mulctandos. *De hoc autem*, inquit, *quod Episcopus Exoniensis* (*e*), *Archidiacono Beneficia, & cuidam Clerico ante electionem suam Prioratum dicitur promisisse, ut uterque consentiret eidem: tuæ prudentiæ respondemus, quod, si manifestum est, eumdem Archidiaconum & Clericum ob caussam illam promissa recepisse: aut exinde confessi fuerint in Jure, vel legitime convicti, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi; si vero id manifestum est, nec tamen inde convicti, vel confessi fuerint: sed tantum publica laborant infamia: eis Canonica purgatio debet indici, in qua si defecerint, tamquam auctores tanti sunt sceleris puniendi.*

(*d*) Alexand. III. in cap. *De hoc* 11. de simonia, &c. lib. 5. tit. 3.

(*e*) Imo. Exoniensis, inquit Pithou, ad cit. c.

Denique Sanct. Carolus volens occurrere dolis omnibus, qui poterant adhiberi, ut ad Beneficia perveniretur, præcipit in suo primo Concilio Mediolanensi, quod habitum est anno 1565. (*f*), ut Episcopus Beneficiarios jurejurando adigat, quo per Sancta Evangelia affirment, nihil nec a semetipsis, nec a quacumque persona interposita fuisse neque datum, neque promissum Præsentatori, Collatori, seu cuicumque alii, nihilque commodatum, conductum, aut debiti remissum, ut pervenirent ad Beneficia, ad quæ præsentati fuerant, vel electi, aut de quibus eis provisum fuerat. En Decretum laudati Concilii: *Neminem autem, vel præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus provisum prius admittant aut instituant Episcopi, quam infra scriptum jusjurandum ab eo exegerint.*

(*f*) Conc. Mediol. I. part. 2. tit. 11. quæ pertinent ad collat. Beneficiorum.

En formula jurisjurandi. *Ego N. præsentatus, vel electus, &c. ad Beneficium N. Juro per sacrosancta Dei Evangelia, quæ meis manibus tango, neque me Beneficii obtinendi caussa, aut ut ad id præsentarer, vel nominarer, &c. neque quemquam alium meo nomine, aut consentiente, vel sciente me, quidquam Collatori Patrono, seu alii cuiquam ea de caussa promisisse, vel apud quemquam deposuisse, neque mutuo dedisse, vel locasse, vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remisisse aut relaxasse: nec de domibus, terris, prædiis, reditibus ejus Ecclesiæ, fructibusve, decimis, aut oblationibus ejusdem præteritis, præsentibus ac futuris, donationem, remissionem, locationem me fecisse, promisisse aut inivisse, aut alium, mandante vel consentiente me, promisisse, fecisse, aut inivisse. Ita me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.*

CASUS VI.

ALBERTUS Titularis de Capellania S. Albini, cum studio vitæ Clericalis se se nullatenus duci sentiret, indicat Ludovicæ suæ Materteræ, a se ipso, qua gaudebat, Capellaniam jam jam fuisse in favorem Brunonis sui Consanguinei simpliciter ac pure resignatam. Petit ab eo Ludovica, num intendat ab ea pro collato beneficio quidpiam accipere: reponit iste, nihil se ab ea, ea de re, expetere, neque cum aliqua spe mercedis a se confectam fuisse prædictam resignationem: Post dies ab illinc octo vel decem Albertus accedit ad suam Materteram, eamque rogat, ut velit ei, quibus ipsi opus est, centum nummos accommodare. Ludovica, consulto prius consentienteque suo Confessario, commodat ei præfatam pecuniæ summam: qua de re petit, utrum, cum pecuniam istam Alberto crediderit per illud temporis intervallum, quo etiamnum licebat ei suam resignationem rescindere, non inciderit in aliquam simoniam?

RESPONS.

Si Ludovica nulla ratione nec verbis expressa, nec tacita, cum Alberto pacta fuerit, nec, commodando eidem 100. nummos, eum induxerit, ad promittendum, futurum ut, quam de sua Capellania in favorem Brunonis ipsius filii mox præstiterat, non rescinderet resignationem: nec simoniacam labem contraxit, nec ne vel minimum quidem peccatum: siquidem animo recto, ab omnique commodi temporalis cupiditate puro se se gesserit: neque mutuum suum argentum dederit, nisi suadente suo Confessario. At vero, si pecuniam istam Alberto commodavisset sibimetipsi secreto proponens ea ratione obstare, ne suam resignationem revocaret: simoniæ mentalis se se consciam effecisset: licet ea de re nihil inter eos conventionis accessisset: quod idem asserendum quoque est de Alberto: si nimirum sic animo comparatus esset,

esset, ut, Ludovica nolente ei commodare prædictos centum nummos, suam resignationem rescidisset: Verum in eo casu neuter incurrisset in nullam ex pœnis Canonicis, quæ simoniacis indicuntur: quoniam in easdem nunquam incurritur propter simoniam mere mentalem (*a*), ut postea observabimus.

(*a*) Sembovi. ut. 2. casu 47.

CASUS VII.

ATTILIUS Sacerdos sese dedit in ministerium Eleemosynarii apud quemdam Administrum Regni, id potissimum intendens, ut, post aliquos annos in prædicto ministerio completos, agente viro isto nobilissimo, abbatiam aliquam assequeretur. Officiis suis egregie functus est per integrum decennium; ac, præter 400. libras annui stipendii, quod percipiebat, ultra 1000. libras de patriis suis rebus per illud spatium temporis impendit, tum in facienda plurima itinera, quæ ei ex officio suo incubuit habere, ut in aula versaretur cum prædicto Regni administro, tum ut munditer se haberet propter ministerium, cui addicebatur. Tandem consecutus est Abbatiam, cui census annuus 400. librarum annectitur. At inde cepit eum aliqua religio, quod ea ratione fuisset istud Beneficium adeptus, & quærit, num sua agendi ratio simoniam aliquatenus non redoleat?

RESPONS.

Existimamus, futurum ut posset ab omni prorsus simoniæ vitio vindicari Attilius, si sibi tanquam primarium ac magis principalem finem proposuisset, cum primum sese dedit in ministerium Eleemosynarii apud administrum Regni prædictum, ipsius rebus domesticis consulere, quantum ad ea, quæ pertinent ad spirituale regimen, & quibuscumque officiis, quæ ministerio suo annectuntur, egregie summaquecum fide perfungi; quamquam secundarium ac minus principale finem habuisset, futurum fortasse aliquando, ut sic sese digne laudabiliterque gerens mereretur, quamobrem aliquod Beneficium obtineret. At, siquidem id primario ac potissimum intenderit, ut supponitur, ut ad aliquod Beneficium sibi viam aperiret, tum ipso ministerio, quo perfuncturus erat apud virum illum nobilissimum, tum etiam sumptibus extraordinariis, quos eo fine admisit, ut ei gratior fieret, quosque procul dubio non fecisset, nisi fuisset innixus spe ad destinatum animo propositum aliquando perveniendi: nullus ambigendi locus superesse debet, quin ista ratio, qua fuit usus, ut obtineret Abbatiam, quam vir ille nobilissimus eidem attulit, simoniam omnino redoleat. Tenendum enim est, totuplici modo posse simoniæ peccatum admitti, quotuplex recensetur diversa simoniæ species. Porro sicut hoc primum caput est simoniæ generatim consideratæ, ut Beneficium non detur gratuito, sic eo ipso, quod quis aliquid temporale rependit, ad illud idem consequendum, simoniæ labem contrahit; sive pecuniam donet, aut quidvis aliud tantumdem valens; quod S. Gregorius Papa dicit *munus a manu*: sive laudes, assentatiunculas, seu preces adhibeat; quod appellat *munus a lingua*: sive tandem operam suam eo fine præbeat; quod laudatus summus Pontifex vocat *munus ab obsequio*. Quæ quidem omnia prosequitur in Canone quodam, quem Gratianus refert (*b*), & in quo sic legitur: *Cum justum virum describeret Propheta, ait* (Beatus) qui excutit manus suas ab omni munere. *Neque enim dicit*: qui excutit manus suas a munere; *sed adjunxit*; ab omni: *Quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa*: *munus a manu, pecunia est*; *munus a lingua, favor*.

(*b*) S. Gregorius in c. Sunt nonnulli. 114. 1. q. 1. Isai. 33.

Quæ quidem varia munerum genera quascumque varias res temporales complectuntur, quæ dari possunt, ad obtinendam rem aliquam spiritualem, ut observat S. Thomas; & simoniæ crimen omnino contrahitur, eo ipso, quod quis, adhibito vel etiam uno ex tribus istis variis munerum generibus, aliquod Beneficium consequitur. En verba sunt, quibus doctrinam suam ea de re S. Doctor proponit (*c*). *Simonia .... consistit in emptione & venditione spiritualis, vel eorum, quæ sunt ei annexa. Emptio autem vel venditio consistit, non solum in datione & acceptione pecuniæ; sed omnium rerum, quarum potest pretium numismate mensurari. In his enim est liberalitas, secundum Philosophum: constat autem, quod in eisdem est liberalis datio & venditio, quæ est ei contraria: omnis autem temporalis commodi pretium potest numismate mensurari*. Indeque laudatus S. Doctor sic infert; *& ideo quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquod spirituale, vel annexum, simoniam committit. Bonum autem temporale*, addit idem Doctor Angelicus, *quod potest aliquis ab alio expectare, vel est ex parte animæ, sicut amicitia, aut favor; & quantum ad hoc est munus a lingua: vel ex parte corporis, sicut aliquis actus corporaliter exercitus: & quantum ad hoc est munus ab obsequio. Vel est aliquid exteriorum bonorum; & sic munus a manu*; qualis est aliqua largitio pecuniæ. Tandem concludit idem Sanctus, posse aliquem tribus prædictis modis sese reddere conscium ac participem simoniæ; *quantum ad primum*, inquit, *committitur simonia per munus a lingua; quia lingua opinionem exprimit & gratiam conceptam: quantum ad secundum, per manus ab obsequio; quantum ad tertium, per munus a manu*.

(*c*) S. Tho. in quartum dist. 25. q. 3. art. 3. in corp.

Beatus Cardinalis Petrus Damianus Ostiensis Episcopus (*d*) eamdem materiam prosequitur stylo tam perspicuo, tam firmis rationibus, rationeque adeo commovendis animis idonea, in quadam Epistola, quam scribit ad alios Cardinales, Episcopos Collaterales S. Sedis; ut confidamus futurum, ut non displiceat lectoribus, quæ ea de re habet, hic loci eorum oculis subjici. En igitur qua ratione loquitur interpretando textum Isaiæ, quem citat S. Gregorius, in quo Propheta ait, oportere, ut vir manus suas ab omni munere excutiat; & vacuas omnino servet atque puras. *Plane prophetica sententia sic exponitur, ut tria dicantur munerum genera, scilicet, munus a manu: munus ab obsequio: munus a lingua. Siquidem munus a manu, pecunia; munus ab obsequio, obedientia subjectionis: munus a lingua, favor adulationis: & cum ab unoquoque horum manus excutiendas Propheta denunciet; omnibus his manus implicasse convincitur, qui nanciscendæ dignitatis ambitu potestatum sublimium castra sectatur. Nam dum in vehiculis acquirendis, diversorumque sumptuum apparatibus non modica summa profunditur, hic procul dubio datæ pecuniæ obnoxius invenitur*. Addit idem S. Cardinalis: *Qui etiam nulli dubium, quin & obsequium præbeat, cui factus assecla sub tanto laboris & itineris fasce desudat. Postremo, dum Domino suo blandiri, ejusque voluntati congruere per omnia nititur, sæpe ipsi quibusdam adulatoriis favoribus assentatur*. Deinde sic arguit idem B. Petrus Damianus. *Porro autem quisquis in dandis, accipiendisve dignitatibus Ecclesiasticis, una dumtaxat earum, quæ prædictæ sunt, peste corrumpitur, simoniacæ hæreseos teneri crimine judicatur*. Concluditque vir sanctissimus hoc modo: *Quam ergo sui afferent excusationem, qui licet verbis non contraxerint venalis pacta commercii; operatione tamen, non uno, sed omnibus hic probantur laqueis irretiti: verumtamen jactant se & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigere daturos. Sed dic mihi, o Clerice, quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii, hujusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberet; numquid postmodum constanter assereres, te, quod acceptum est, justo pretio comparasse? Diceres enim, & non fortassis impudenter astrueres, carius emi, dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum sumptus expenderem, quam si semel præfixæ quantitatis pecuniam numerarem*. Denique sic finem ea de re dicendi facit laudatus S. Cardinalis. *Nequaquam ergo sibi innocentiam spondeant, & a simoniacæ hæreseos maculis*

(*d*) S. Petr. Damiani. Epist. ad Collaterales Episcopos Cardinales.

culis se mundos esse confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis honoribus per subjectionis & obsequii quædam quasi talenta persolvunt. Plurimum tamen juvat meminisse, quæ eo loci prosequuntur præfati SS. Doctores, non esse intelligenda, nisi de iis, qui eo potissimum animo sese alicui ministerio astringunt apud potentiores & magnates, ut Beneficium aliquod ea ratione consequantur.

Est observandum, 1. Circa tres simoniarum species, de quibus agit S. Thomas, Jus non accipiendum esse, nisi de sola simonia *a manu*, cum quæstio est de subeundis pœnis Canonicis, quæ statuuntur ibidem adversus simoniacos: adeo ut in casu, quo simonia tantum procedit *a lingua*, vel *ab obsequio*, non incurratur in pœnas, quas Jus simoniacis indixit, neque adeo impetrabilia fiant eorum Beneficia. 2. Nihilominus eum, qui consecutus est aliquod Beneficium, adhibita ea simonia, quæ dicitur *a lingua*, vel ea, quæ nominatur *ab obsequio*; veri nominis titularem illius non esse in foro interiori conscientiæ & coram Deo; atque consequenter ab eodem non posse prædictum Beneficium tuta conscientia nec resignari, nec retineri; nisi licentiam ea de re a suo Confessario ex causa aliqua legitima obtinuerit, vi nimirum juris, quo gaudet Confessarius unusquisque, ut penitus inspiciat interiora facta sui Pœnitentis, de iisdemque ferat judicium.

CASUS VIII.

Lucilius Sacerdos ac Theologus Doctor apud quemquam Episcopum ingressus est, ministerio functurus Vicarii Generalis, vel Doctrinæ Christianæ Præconis apud populos universæ prædicti Episcopi Diœceseos, id sibi proponens tanquam principalem finem, futurum ut totus sic incumbens functionibus ejusmodi, quæ sunt mere spirituales, possit ea ratione consequi aliquam ex Dignitatibus vel Præbendis, quæ annexæ sunt Ecclesiæ Cathedrali. Num finis ille quamdam simoniam, quoddam-ve vitium non habet annexum?

Respons.

Quod intendit animo Lucillus vitio certissime non caret; quoniam, ut ait S Bernardus (*a*), naturalem rerum ordinem invertit, adhibendo res spirituales, ut media, quorum ope perveniat ad temporale, & ea ratione referendo finem ad media; cum e contrario media sint fini subjicienda; hoc est, ipsi Deo & Ecclesiæ famulando, ut habeat, unde valeat sustentari; cum potius eo potissimum fine vita sustentanda sit, ut & Deo, & Ecclesiæ dignus famulatus exhibeatur. *Qui .... Evangelizat, ut manducet, perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur*, inquit laudatus Sanctus. Eaque de causa sic docet S. Thomas (*b*): *Clericus, qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter retributiones, quas recipit, tanquam finem sui operis, committit simoniam*. Quæ ipsissima sunt verba memorati Doctoris Angelici, qui iterum alibi sic habet (*c*): *Si enim hujusmodi distributiones recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum; simoniam committit, & ita mortaliter peccat*.

(*a*) S. Bernard. de vita & moribus Clericorum. c. 5.

(*b*) S. Thom. quodl. 5. art. 21. in corp.

(*c*) Idem quodlib. 8. q. 6. a. 11.

Ex quibus idem inferri debet de iis omnibus, qui eo animo ducti, eoque fine primario ac magis principali quodammodo accensi, sunt in ministerio vel apud aliquem Episcopum, vel apud alium quemlibet, ad quem pertinet nominatio, seu collatio plurimorum Beneficiorum; quamquam eorum ministerium totum in officiis mere spiritualibus repositum sit; quando scilicet id potissimum ac super omnia sibi proponunt, ut possint ea ratione sibi viam aperire ad aliqua beneficia.

At e contrario, si id animo maxime, primarioque intendant, ut & Divinam gloriam juvent, & ipsius Ecclesiæ prosint, dum obsequium ei impendunt, a quo sperant sese consecuturos esse aliquod Beneficium; profecto non potest iis simoniæ crimen imputari; quamquam finis eorum minus principalis, qui dicitur a Theologis *intentio secundaria*, eo etiam collimare possit, ut aliquod Beneficium inde simul adipiscantur; quemadmodum ait idem S. Thomas, qui sic concludit (*d*): *Ergo dicendum, quod, si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum & ad spiritualia ordinatum; puta, ad Ecclesiæ utilitatem, vel Ministrorum ejus auxilium; ex ipsa devotione obsequii redditur dignus Ecclesiastico Beneficio, sicut & propter alia bona opera, unde non intelligitur esse munus ab obsequio*. Deinde subjicit, judicandum fore omnino contrarium, si, quod impendunt, obsequium totum nec verteret, nec ordinaretur directe ac primario ad gloriam Dei, aut ipsius Ecclesiæ utilitatem. *Si vero sit inhonestum obsequium & ad carnalia ordinatum: puta, qui servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel Patrimonii sui, vel aliquid hujusmodi; erit munus ab obsequio, & est simoniacum*.

(*d*) Idem 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2.

Vide inferius in præsenti titulo Casum: *Quidam Episcopus*.

CASUS IX.

Sidonius Episcopus Travisiensis contulit Præbendam de sua Ecclesia Cathedrali cuidam suo nepoti, & aliam de eadem Ecclesia Præbendam alteri cuidam sibi consanguineo, id maxime sibi proponens tanquam principalem finem, ut ea ratione majorem in capitulum teneat authoritatem, inter cujus membra plurimos experitur a sese omnino diversos, quin etiam, ut inde tota sua gens insigniori claritudine splendescat: Numquid in eo peccatum aliquod admisit simoniæ mentalis?

Respons.

Habentur apud S. Thomam (*e*) ejus generis intentiones tanquam omnino simoniacæ. Ideoque nullatenus ambigendum est, quin Sidonius simoniacam labem contraxerit, conferendo prædictam utramque Præbendam tum suo nepoti, tum suo consanguineo, propter finem illum principalem, quem supponitur intendisse. En quomodo loquitur S. Thomas: *Ille, qui dat ratione consanguinitatis præbendam alicui principaliter; aut intendit bonum temporale illius, cui datur, & non alterius, & sic peccat graviter; sed simoniam non committit; quia non vendit, cum nihil accipiat: aut intendit aliquod bonum in se ipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc & nobilitetur domus sua; vel quod ipse in consanguineis sit fortior; & sic ipse aliquid accipere sperat, pro spiritualia dat; & simoniam committit; & reducitur ad id munus, in quo continetur commodum, quod ex tali datione sperat*.

(*e*) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 7.

CASUS X.

Didacius, Decanus de Ecclesia Cathedrali Marburgensi, temporalibus quibusdam Beneficiis complexus est Jacobum Canonicum de eadem Ecclesia, & quosdam alios ex suis Collegis cum eo potissimum animo, ut eos sibi redderet propitios atque favorabiles, & in partes suas ea ratione traheret; non quidem in eo quidquam ad privatum suum commodum attendens; sed id intendens tantummodo, ut tum consulat Divinæ gloriæ, tum Ecclesiam juvet, & proximi salutem, in deliberationibus ac conclusionibus, quæ habentur in Capitulo, in quibus Jacobum, & prædictos alios Canonicos sibi sæpe sæpius adversatos fuisse, expertus est: Nonne in eo incidit in aliquam simoniæ speciem?

Respons.

In ejusmodi casu S. Thomas (*f*) ne simoniæ quidem umbram agnoscit; En qua ratione suam ea de re sententiam aperit in sua quarta quæstione quodlibertaria. *Si Beneficiis temporalibus aliquis aliquem alliciat, ut eum favorabilem sibi reddat, non intendens gloriam propriam, sed gloriam Dei & proximi salutem, laudabile est .... Deus etiam aliquos temporalibus beneficiis allicit, ad bene agendum. In Ecclesiis etiam, quibusdam temporalium distributionibus alliciuntur aliqui, ad Ecclesiæ defer-*

(*f*) S. Thom. quodl. 4. art. 33. in corp. Item opusc. 17. c. 13.

serviendum: non quod præmium accipiunt; sed sunt quædam secundario illectiva, ad serviendum Deo Quam eamdem doctrinam idem S. Doctor iterum habet in suo decimo septimo Opusculo, in quo sic ait: *Si qua alia Beneficia terrena alicui conferantur, ut ex hoc ejus familiaritate captata provocetur ad melius, non est illicitum; esset autem illicitum, si aliqua pactio, vel conventio interveniret, alioquin si non liceret aliquem per temporalia Beneficia provocare ad aliquod spirituale bonum; illicitum esset, quod in quibusdam Ecclesiis quædam distribuuntur his, qui ad Divinum officium accedunt.* Quibus rationum argumentis omnino patet, Didacum in proposita specie in nullum prorsus incidisse simoniæ peccatum, in qua, quemadmodum supponimus, nulla pactio, nullaque conventio intervenit illum inter & eos, quibus beneficia quædam temporalia eo fine contul.t, ut eosdem totos sibi devictos adjungeret.

CASUS XI.

QUIDAM Episcopus habet apud se quemdam Ecclesiasticum ab eleemosynis, qui ei plurimum ab annis multis impendit obsequium, & cui maxime peroptaret, propter præstitam ab eo bonam operam, Beneficium aliquod conferre. Potest-ne ejusmodi mercedem ei rependere absque periculo incurrendi in aliquod simoniæ peccatum?

RESPONS.

Ut solvatur proposita difficultas, distinguendum est cum S. Thoma (*a*) duplicis generis obsequium, quod potest quis Eleemosynarius Episcopo suo exhibere: Prioris generis obsequium, illud est, quod ordinatur ad spirituale; hoc est, ad Divinam gloriam, vel ad utilitatem Ecclesiæ, vel ad auxilium ejus Ministrorum; ut sunt obsequia, quæ impenduntur ab Officialibus, Promotoribus, Vicariis Generalibus, Prædicatoribus, & aliis ejusmodi; posterioris generis obsequium illud est, quod nullatenus ordinatur ad res spirituales; Quale foret obsequium, quod prædictus Eleemosynarius exhiberet Episcopo, quantum ad administrationem ipsius rei familiaris, aut rerum ipsius consanguineorum, vel quantum ad agendas apud Judices causas, quæ familiæ ejus aliqua ratione interessent.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad primum.

Quibus præmissis, respondemus cum laudato S. Doctore, ex obsequio, quod ordinatur ad res spirituales, nedum aliquis Eleemosynarius, aut alius quivis Ecclesiasticus, efficiatur indignus, cui conferatur aliquod Beneficium Ecclesiasticum, quin potius eum inde reddi omnino digniorem: At non eadem ratione judicandum esse de quolibet generis alterius officio sive obsequio: neque enim Episcopus potest ejusdem mercedem absque simonia persolvere, conferendo aliquod Ecclesiasticum Beneficium; Siquidem in eo casu jam pro temporali spirituale rependeretur. Abstinemus a perscribendis hic loci verbis ipsissimis S. Thomæ; quoniam eadem jam fuere relata superius in casu *Lucillus*, cum respondebamus ad aliam difficultatem, quæ in propositam speciem proxime attingit.

Quæ præfatus Doctor Angelicus docet quantum ad eos, quorum obsequium refertur ad res spirituales, plane concordant cum sententia S. Gregorii magni, cujus propria verba Gratianus refert in Canone: (*b*) *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes*, inquit memoratus Papa, *Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere; ut qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt, digne nostris provisionibus consolentur.*

(*b*) S. Greg. Papa in can. Ecclesiasticis 67. 12. q. 2.

Quod autem idem S. Thomas asserit de aliis, a quibus non impenduntur nisi temporalia ac quasi profana obsequia, confirmatum reperitur 1. Decretali quadam, quam Alexander III. inscribit Eboracensi Archiepiscopo (*c*), in qua dictus Papa declarat, non posse sine Simonia dari, promittive Beneficium aliquod Ecclesiasticum, ad compensandum aliquod obsequium, quod sit mere temporale. 2, Concilio Remensi, quod actum est a Cardinale Borbonio & ipsius Comprovincialibus Episcopis anno 1683. & postmodum a Gregorio XIII. comprobatum, (*d*) in quo leguntur sequentia verba: *Si quis Beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem conferat, Simoniacus esse censeatur.* Unde colligitur, quanti intersit, ab Episcopis, atque aliis quibuscumque, ad quos pertinet Ecclesiastica Beneficia dispensare atque conferre, congruentes assignari mercedes in gratiam eorum Ecclesiasticorum, qui apud illos famulantur; ne forte stipendiis careant, & intendant potissimum Beneficia consequi tanquam debitas obsequiis suis mercedes. Quo quidem consilio maxime juvantur a S. Carolo Borromæo in ipsius Provinciali Concilio primo Mediolanensi: (*e*) *Monemus*, ait laudatus S. Archiepiscopus, *& obtestamur Episcopos, aliosque, quibus est jus conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti Beneficia Ecclesiastica, tanquam suæ operæ & laboris pretium præcipue sibi proponant.*

(*c*) Alexand. III. in cap. cum essent. 12. 22. de simonia, &c.

(*d*) Conc. Rem. tit. 20. de simoniacis & fiduciar. n. 7. 1.

(*e*) Conc. Mediol. 1. part. 2. tit. Quæ pertinent ad collat. Beneficiorum.

Vide quartam decisionem.

CASUS XII.

ALEXANDER Abbatia quadam gaudet, quæ reditibus quidem tenuior est, sed jure plurimarum collationum omnino insignior. Ut ei sunt multi consanguinei, quorum res penitus angustæ sunt, nec valet omnium necessitatibus subvenire; adjecit animo dare Prioratum quemdam, cui 1000. nummorum census annuus annectitur, & cujus occurrit vacatio; Joanni suo consanguineo, quem novit esse beneficentissimum amicum, sibi præcipue proponens, futurum ut, cum ab eo receperit tam pingue Beneficium, ipsius familiam ex animo tum grato tum benevolo sit sustentaturus; cujus quidem rei nisi spes ei affulgeret, prædictum Beneficium alteri concederet. Nonne laborat aliqua simoniaca labe finis ille, quem intendit; adeo ut eam ob causam debeat impediri, quominus de præfato Prioratu disponat in favorem Joannis?

RESPONS.

Equidem in eo non occurrit veri nominis Simonia, quod quis cuidam sibi consanguineo Beneficium gratuito conferat ob eam præcise, qua propendet in illum, voluntatis inclinationem; siquidem pro collato Beneficio nihil quidquam rependatur; & in ea re reperiatur tantum *illicita & carnalis collatio*, ut loquitur S. Thomas (*f*). Nihilominus tunc veri nominis est Simonia, quando Beneficium confertur, accedente pacto, quin etiam vel sola intentione principali movente, futurum ut is, cui de eodem providetur, sit collatoris consanguineorum necessitatibus aliquando subventurus. Non potest igitur Alexander, nisi discedens a recta conscientia conferre Joanni prædictum Prioratum cum ea intentione, quod ipsius consanguineis in summa rerum angustia constitutis provisurus sit. *Si tamen aliquis dat Beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel intentione ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.* Quæ decisio & ipsissima verba sunt laudati Doctoris Angelici.

(*f*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2.

CASUS XIII.

ARCHAMBALDUS Præsentator Curæ de S. Celerino quemdam Sacerdotem ad prædictum Beneficium nominavit rationem habens tantummodo cujusdam sibi familiaris amici commendationis, de cætero nullatenus attendens ad proprium illius meritum, in cujus gratiam a sese Beneficium postulatum est. Numquid præfatus Præsentator ex ejusmodi nominatione non impegit in simoniæ vitium, præsertim, si fuerit is Ecclesiasticus, qui Beneficio sit omnino indignus?

RESPONS.

Nullatenus ambigit S. Thomas, (*g*) quin occurrat in proposito casu manifesta simonia. Sic enim ea de re propriam suam mentem aperit: *Munus a lingua dicitur, vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit; vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur; & ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit: videtur autem hoc principaliter intendere* qui

(*g*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.

qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipsum factum est simoniacum.

Fatendum est tamen, si, cui de Beneficio providetur, vere dignus fuerit, tunc omnem prorsus abesse simoniæ speciem; licet eidem Beneficium non conferatur, nisi propter preces alienas, & alicujus amici commendationem; quia subest causa legitima, nimirum meritum illius, cur ei Beneficium concedatur: nihilominus, si nec ad ipsius meritum attenderetur, & Beneficium non conferretur, nisi præcipue propter favorem & respectum tantummodo humanum, & propterea quod haberetur commendationis solius cujusdam amici ratio; sicut supponitur contigisse in præsenti, quam discutimus, specie, vel ex sola vitiosa intentione, quæ intenderetur, incurreretur in peccatum simoniæ. Quod etiam docet Angelus Scholæ, cum sic addit: *Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum: quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse simonia in intentione: si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum.*

Quam eandem doctrinam fusius etiam alibi laudatus S. Doctor exponit (*a*), quam fuerat mutuatus a S. Gregorio Magno, (*b*) in ipsius Epistola ad Antonium Subdiaconum, in qua sic habet de electione ad quoddam Beneficium. *Illud quidem præ omnibus tibi curæ sit, ut in hac electione nec datio quibuscumque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant.* Quod idem etiam in alio loco repetit (*c*), scribens ad quemdam Numidiæ Primatem, cui nomen erat Adeodatus. Eam vero rei istius rationem affert in libro nono suarum institutionum moralium, (*d*) quod assentatiunculæ, favor, benevolentia, & obsequia, quæ præstanda sperantur ex eorum parte, quibus conferuntur gratiæ spirituales, veri pretii loco sint, quod percipitur in solutionem rei alicujus, quæ fuerat fide vendita; quam ob causam debent imprimis cavere Beneficiorum dispensatores, si justitiæ velint consequi meritum, ut & suas manus, & suum animum excutiant ab omni favore humano, & quocumque proprii commodi respectu. *Tres vero sunt acceptiones munerum*, inquit laudatus Sanctus Papa, *ad quas ex fraude festinatur. Munus namque a corde, est captata gratia a cogitatione. Munus ab ore, est gloria per favorem. Munus a manu, est præmium per donationem. Sed justus, quippe ab omni munere manus excutit: quia in eo, quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere donationem quærit.* Licet etiam audire, quod ea de re prosequitur S. Hieronymus in commentario, quem scripsit in Isaiam Prophetam. (*e*)

(*a*) Idem in quartum dist. 25. q. 3. art. 3. ad 4.
(*b*) S. Greg. lib. 2. Epist. 22.
(*c*) Idem eis. lib. 2. Epist. 48.
(*d*) Item lib. 9. moral. c. 17.
(*e*) S. Hieron. in c. 57. Isaiæ.

CASUS XIV.

Jeremias Collator Beneficii cujusdam illud concessit Leofrido viro prorsus dignissimo, id potissimum intendens, ut, quæ sibi rependenda videbatur ob electam ejusmodi personam, omnium bonorum approbationem, laudationem atque existimationem inde consequeretur. Qua de re quæstio proponitur, utrum, quod prædictus Collator contraxit ex sibi proposito tam vitioso fine, peccatum censeri non possit ipsius esse simoniæ labes?

Respons.

Si Jeremias id sibi proposuerit tanquam finem primarium atque principale, quemadmodum supponitur, ut sibi colligeret humanam existimationem; crimen admisit Simoniæ mentalis; siquidem in eo casu dici non possit, ab eo concessum gratuito fuisse Leofrido prædictum Beneficium. Ita asseritur a S. Thoma (*f*): *Qui enim dat aliquod spirituale pro favore vel laude acquirenda, non est dubium, quia simoniam committat.* Quæ propria sunt S. Doctoris verba, qui in eo totus consentit S. Gregorio Papæ (*g*) condemnanti, ut simoniaci, quicumque pro humana tantum gratia, & cum eo animo, ut ab hominibus laudentur, sacros ordines conferunt. *Sunt nonnulli*, ait laudatus Pater, *qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur; atque de largitate eadem, laudis tantummodo retributionem quærunt: hi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis nummum expectant favoris.* Jam vero eadem ratione, quantum ad præsentem materiam, judicandum est de Beneficiis, ac de sacris ordinibus; quippe sint utrobique res vere spiritales, quæ consequenter & gratuito, & sine mercedis ullius temporalis intuitu conferendæ sunt.

(*f*) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 4.
(*g*) S. Greg. in c. sunt nonnulli 114. prima q. prima.

CASUS XV.

Junianus cogitans quamdam assequi capellaniam Sacerdotalem, quam suus avunculus possidebat, & cujus aliquando consequendæ spem ei faciebat; ex consilio suscepit quoscumque Sacros ordines, ut posset impetrare, de eadem sibi provideri: atque inde sibi suppeteret, unde viveret tum facilius tum fortunatius. Num ipsius intentio fuit ab omni vitio simoniacæ labis expurgata?

Respons.

Concilium Tolosanum (*h*) celebratum a decem & octo Episcopis sub Pontificatu Victoris II. regnante vero Henrico I. Rege Galliarum, anno 1056. sic habet: *Statuit item Sancta Synodus, ut si quis Clericorum, adipiscendæ Abbatiæ causa, Monachus effectus fuerit .... ad ipsum honorem, ad quem aspirabat, nullatenus accedat; quod si præsumpserit, excommunicetur.* Quæ ipsissima sunt verba memorati Concilii, cujus Decretum confirmatum fuit post tres ab illinc annos a 113. Episcopis congregatis in quodam Romano Concilio, quod habitum est sub Nicolao II. (*i*) *ut nullus habitum Monachi suscipiat*, inquiunt PP. citati Concilii, *spem aut promissionem habens, ut Abbas fiat.* Ex quibus videtur, inferri posse *a pari*, non licere Clerico juxta rectam conscientiam, agere, ut ad Sacerdotium promoveatur cum eo tantum animo, ut Beneficium aliquod adipiscatur; atque adeo Junianum non potuisse sine peccato Sacrum Præsbyteratus ordinem suscipere cum eo potissimum animo, ut in eum statum se constitueret, in quo posset ei provideri de Sacerdotali Capellania, cujus aliquando possidendæ spem ei avunculus ipsius injiciebat. Ita censet quidam insignioris notæ Canonista, (*K*) qui contendit, eos, qui non suscipiunt ordines nisi ut Beneficium aliquod obtineant, sese constituere conscios Simoniæ saltem mentalis; indeque obligari ad peccatum ejusmodi per satisfactionem convenientem expiandum, licet ipsis obligatio non inducatur, renuntiandi Beneficio, quando de eodem eis fuit provisum. *Sic videmus*, inquit Eruditus iste Canonici Juris interpres, *Clericum sæcularem, qui ordines suscipit, ut Beneficium consequatur, simoniam committere saltem mentalem, quæ non obligat, ad Beneficii dimissionem, sed tantummodo, ad satisfaciendam Deo per pœnitentiam; nisi pactum præcesserit, ut cap. finali de simonia.*

(*h*) Concil. Tolos. can. 5. (Labbe tom. 9. Concil. col. 1050.)
(*i*) Conc. Rom. an. 1059. Can. 7. (Labbe tom. 9. Conciliorum pag. 1100.)
(*K*) Fagnanus in primum lib. Decretalium part. 2. in cap. Cum ad nostram, de electione &c. num. 19.

Atque ea de causa Synodus Exoniensis acta a Petro Quivil civitatis ejusdem nominis Episcopo, anno 1287. regnante Eduardo I. Rege Angliæ, vacante vero sede Romana propter obitum Honorii IV. eos omnes adhortatur, qui spirant ad Sacros Ordines, ut cautissime in semetipsos descendant, animum penitius inspecturi, quo potissimum in ea re ducuntur, iisdemque notum facit, ab ipsis non posse, sine peccato simoniæ, Sacros Ordines suscipi, si id sibi tantum proposuerint, ut sibi de quibusdam Beneficiis a proprio suo Episcopo provideatur. En ipsissima prædicti Concilii verba: (*l*) *Item ad propriam recurrant conscientiam, quo fine ad Ordines aspirent, ut Deo & Ecclesiæ virtuosius & gratiosius famulentur; non pro temporali quæstu, nec Beneficiis a suis Ordinatoribus extorquendis; quoniam tales simoniacos reputamus.*

(*l*) Conc. Exoniens. c. 8. de ordine in genere.

Quæ tamen ad eos extendenda non sunt, quibus Beneficium non habetur, nisi ut medium quoddam, ad inserviendum Ecclesiæ; quique nihil aliud intendunt, quam Divinam tantummodo gloriam, & salutem proximi; sed de iis dumtaxat intelligenda sunt, qui eadem ratione, qua Junianus, in Beneficiis

ficiis

ficiis Ecclesiasticis potissimum consectantur temporalia commoda, divitias aut honores, qui iisdem annectuntur, & toti collimant, ut inter ista bona temporalia possint abunde lascivire. Neque enim isti possunt suscipere Sacros Ordines cum animo consequendi alicujus Beneficii, quin quamdam quasi Simoniam admittant, in eo quod spiritualibus utantur, ad temporalia capessenda; atque ea ratione consequenter prodant, ut observat S. Augustinus (*a*), a se ipsis temporalia pluris æstimari, quam spiritualia; siquidem: *Quæcumque res propter aliud quæritur*, inquit laudatus Pater, *sine dubio inferior est, quam id propter quod quæritur; & ideo illud primum est, propter quod istam rem non quæris, non ista res, quam propter illud quæris; Quapropter, si Evangelium & Regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & posterius Regnum Dei.*

(*a*) S. Aug. l. 2. de serm. Domini in monte. c. 16. seu num. 51.

Quod idem habet verbis prorsus expressis S. Bernardus (*b*) de iis, qui non promoveri se se desiderant ad gradus Ecclesiasticos, nisi eo potissimum intuitu, ut habeant hujusce vitæ necessaria. *Quisquis ea intentione gradus Ecclesiasticos, & ministeria Sanctuarii quærat*, inquit, *ut sine curis sæculi in sanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter & proximorum operetur salutem, orationis studio deditus & verbo prædicationis; nam si eos eo quærit aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria; evangelizat, ut manducet; & perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur.*

(*b*) S. Bernard. declamat. in hæc verba: Ecce nos, &c.

Uno verbo, ejusmodi genus hominum ex sua vitiosa nimis perversaque animi intentione ostendit, Ecclesiasticæ vitæ rationem a se ipso considerari, non quidem ut sanctitatis & virtutum omnium exemplar; sed tantummodo ut medium quasi quoddam perveniendi ad vitam commodiorem; *Cujus quidem rei argumento est*, ut ait Catechismus Concilii Tridentini (*c*), *quod, nisi aliquod opulentum Ecclesiasticum Beneficium iis deferatur, nullam sacri Ordinis cogitationem habeat.*

(*c*) Catech. Conc. Trid. de Sacram. Ordinis n. 7.

CASUS XVI.

Palladius Parochus de S. Lamberto conditionem offert Lucio prædictæ suæ Curæ eidem resignandæ ea Lege, ut ei refundat 20. libras, quas ipse de suo solvit pro suis provisionibus e Curia Romana recipiendis; & centum libras, quas Forensi suo Procuratori numeravit, pro litis cujusdam impensis, qua, prædicti sui Beneficii occasione, prorsus inique detinebatur.

Petit, num sibi non liceat, absque periculo tum injustitiæ, tum simoniæ, quam in ipsa rei veritate de proprio suo argento impendit, utramque prædictam pecuniæ summam a Lucio recipere: cum Lucius ultro consentiat, futurum ut, statim atque subscripserit procurationi *ad resignandam* in ipsius favorem, totam ipsi rependat prædictam pecuniam?

(*d*) S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 5.

RESPONS.

Quam repetit a Lucio pecuniam non potest prædictus Parochus sub quocumque prætextus velamento recipere, quin se se simoniæ realis manifestum efficiat; siquidem in eo casu pecunia foret medium, quo Beneficium Lucio transmitteretur: cum alioquin Palladius nolit, nisi conditione interveniente prædictæ pecuniæ sibi refundendæ, suum in ipsius favorem resignare Beneficium. Atqui, juxta S. Thomam (*d*), ibi simonia est, cum adhibetur pecunia tanquam medium, quo perveniri possit ad aliquam rem spiritualem obtinendam, quale est Beneficium. *Simoniacam esset .... sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* Quæ propria sunt laudati S. Doctoris verba. Vitiosa ergo est ac prorsus illicita ejusmodi conventio, nec potest sine simonia compleri: quippe omnis conventio, cujuscumque naturæ & conditionis esse queat, eo fine conflata, ut Beneficium aliquod obtineatur, a septem diversis Summis Pontificibus omnino severius interdicatur, nimirum (*e*), a Bonifacio I. Alexandro III. Cælestino III. Lucio III. Urbano III. Innocentio III. atque Gregorio IX. in octo ex ipsorum Decretalibus, inter quas ex illa Decretali, quam Alexander inscribit Episcopis Exoniensi & (*f*) Vigorniensi, indubitatum & omni tergiversatione superius habemus ea de re argumentum. In ea namque agitur de Clerico quodam, qui de Beneficio litigat cum quibusdam Religiosis, quibuscum pactus erat, futurum ut eodem desisteret ea conditione, quod ei persolverent tres argenti besses, ad impensas præstandas, quas ipse contulerat, ad illud idem impetrandum: Qua de re cum supplicationem apud Papam habuissent tum dictus Clericus, tum Religiosi præsari, quo sua ab eo conventio comprobaretur; laudatus Summus Pontifex eorum petitionem ut illicitam repudiavit istis verbis: *Cum pridem Procurator Prioris & Monachorum de Aera, & P. Clericus pro caussa, quæ inter eos prædictum P. ac fratrem ejus .... vertebatur super Ecclesia & Capella de L. ad nostram præsentiam accessissent, inter se convenerunt, quod eidem P. pro expensis, quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur; & idem P. liti cederet, & a Monachorum infestatione cessaret: eamque compositionem auctoritate Apostolica peterent confirmari; nos eam non duximus admittendam pro eo quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* Et vero, si tolerarentur ejusmodi conventiones, sic ad simoniam aditus undequaque panderentur, ut ejusdem impunius admittendæ locus ex omnibus istis prætextuum velamentis acciperetur, quinetiam litium communi consensu nectendarum, quarum velo criminis ejusmodi turpitudo ut cautius sic etiam callidius obtegeretur.

(*e*) Bonifac. I. in Can. *Quam pio.* 2. c. q. 2. Alexand. III. in Cap. *Constitutus.* 4. & in cap. *Super.* 7. de transactionibus l. 1. tit. 36. Et in cap. *Cum pridem.* 4. de pactis cit. lib. 2. tit. 35. Cælestinus III. in c. *Præterea.* 20. de transact. Lucius III. in cap. *Præterea.* 9. eod. tit. Urban. III. in cap. *Quæsitum.* 5. de rerum permutatione. lib. 3. tit. 19. Innoc. III. in cap. *Tua nos.* 34. de simonia &c. l. 5. tit. 3. Gregor. IX. in cap. *Passione.* 8. de pactis.

(*f*) Alex. III. in cit. c. *Cum pridem.*

Ceterum, si Palladius impenderit 20. libras, pro suis provisionibus, & centum libras, quantum ad expensas litis cujusdam, quam sustinuit; abundam recepit de fructibus Beneficii, quo gavisus est, compensationem: Aliunde vero, siquidem pecuniam istam non contulerit, nisi ad propriam suam utilitatem; æquum non est, eandem ei a Lucio suo Resignatorio præstari.

CASUS XVII.

Rutilius Parochus de S. Eucherio duas novas Cameras ædibus Curialibus adjecit, & emptum quemdam hortum aliis Curæ fundis addixit, Beneficium deinde suum in favorem Cæsaris resignavit ea conditione, quod ab isto Resignatario sibi refunderetur summa 600. librarum, quam, in exstruendas prædictas duas Cameras, impendit; & summa 100. librarum, quam in pretium empti horti persolvit. Nihilne vitii reprehendendum est in ista resignatione?

RESPONS.

Manifestum est, prædictam resignationem esse omnino simoniacam. Duæ etenim prædictæ Cameræ, & hortus memoratus jure proprietatis ipsi Beneficio cedunt, atque in ejusdem partem veniunt. Beneficium igitur ipsummet emitur, proprie loquendo, cum pecunia traditur pro ista accessione Curialibus ædibus adjuncta, & pro horto, quem ipsemet Rutilius Curialibus fundis, vel ex ipso etiam contractu emptionis, addixit. Præterea vero, si prædictæ duæ Cameræ necessariæ non fuerint, atque eas ad suam tantummodo privatam utilitatem curaverit construendas: nullo jure potest, quas in accessionem ejusmodi contulit, impensarum præstationem accipere. Si autem non tantum ei forent utiles, sed etiam omnino necessariæ ad ipsius habitationem, incumbebat ipsius Parœcianis easdem propriis suis impensis extruendas curare, ut statutum est Arresto Supremi Senatus Parisiensis 12. Decembris 1540. Et alio Arresto Supremi Senatus Britanniæ minoris 22. Augusti 1556. & etiam duobus aliis Arrestis Parlamenti Tolosani 16. Februarii 1639. & 25. Maji 1643. quæ omnia prædicta Arresta concordant cum Edicto Blesensi, Edicto Melodunensi (*g*), Declarationi mensis Februarii 1651. & Declarationi 18. ejusdem mensis 1661. (*h*). Denique si necesse tantum esset, ædes curiales reparari, vel iisdem accessionem adjungi aliquam; pertinebat etiamtum ad ipsum Parochum, tum ad ipsius Parœcianos simul subvenire necessariis ea de re .. pensis, juxta

(*g*) Edict. Blesense art. 52. Edict. Melodun. art. 3.

(*h*) Commentarios. Cleri tom. 2. p. 223.

ta quod fertur in Edicto citato Blesensi, in præfata Declaratione anni 1661. & in Arresto perscriptionis 18. Julii 1664. (a). Adeo ut, sive prædictas impensas vel ipse solus fecerit, vel ipsius tantummodo Parœciani, vel denique tum ipse tum ipsius simul cum eo Parœciani; manet semper certissimum, ei nihil juris cedere, quo possit prædictarum impensarum a suo Resignatario repetere solutionem. Uno tandem verbo quæcumque conventio intervenit in rebus Beneficialibus, damnanda est atque simoniaca, quemadmodum in præcedenti decisione demonstravimus, nisi fuerit a summo Pontifice comprobata, quem solum penes est, purgare a simonia, quæ est juris Ecclesiastici. Quæ decisio proprius fœtus est Auctoris Condomensium Colloquiorum (b).

(a) D. Brillon Dictionar. des Arrests. v. Æ. des Curiales. n. 2. & seqq.

(b) Colloq. Condom. to. 2. collo. 3. sect. 1.

CASUS XVIII.

Statylius resignatam in sui favorem a proprio suo Avunculo Curam de S. Petro ex conditione acceptavit, quod Pauperibus Parœciæ foret 200. libras erogaturus; quam quidem conditionem executus est. Numquid habet aliquid simoniacæ labis ista conventio?

RESPONS.

Nullum dubium esse debet, quin omnino simoniaca sit ejusmodi resignatio. Primo, quoniam quæcumque conventiones, cujuscumque conditionis ac naturæ sint, exceptis iis tantummodo, quæ pertinent ad onera ipsimet Beneficio annexa, reddunt resignationes, permutationes, & dimissiones prorsus illicitas atque simoniacas; ut evicimus in decima sexta decisione ex octo Decretalibus, quas ibidem citavimus: & penes est solum Papam eas ab omni simoniæ vitio expurgare. Secundo, quia, quanquam ejusmodi conventio sit de re laudabili ac natura sua licita; non potest tamen in materia beneficiali sine peccato simoniæ accedere: propterea quod Eleemosyna, licet sit aliquid religiosum ac pium, contineat rem temporalem, quæ pretio pecuniæ æstimabili est, de qua proinde stipulatio nulla esse potest, ad consequendum Beneficium, quin inde peccatum simoniæ contrahatur. Ita censet Cabassutius (c). *Licet enim*, ait laudatus Canonista, *sint hæc pietatis opera; habent tamen materiam temporalem, pretio æstimabilem: & si fiant ex pacto consequendi rem sacram, in simoniam degenerant*. Indeque est, quod S. Gregorius citatus in Canone ibidem ad marginem indicato (d), sequentia verba prosequatur: *Nimis ergo declinandum est, dilectissimi fratres, sub obtentu Eleemosynæ, peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est, propter peccata, Eleemosynas facere; aliud, propter Eleemosynas, peccata committere*. Cui S. Papæ totus consentit Alexander II. qui verbis expressis ejusmodi conventiones sequenti ratione detestatur atque reprobat (e); *Constituimus & eodem modo firmamus, ut nullus cujuscumque gradus Clericus, pro Ecclesiæ Beneficio, aliquid audeat conferre, aut Fabricæ Ecclesiarum, vel donariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum; quia, teste scriptura (f), qui aliquid male accipit, ut quasi bene dispenset, potius gravatur, quam juvatur*.

(c) Joan. Cabassut juris. can. theor. & prax. l. 5. c. 3. n. 5.

(d) S. Greg. in can. Non est. 27. 1. q. 1.

(e) Alex. II. in can. Ex multis. 9. 1. q. 3.

(f) Proverb. 21. & Eccl. 34.

CASUS XIX.

Telemacus & Saturninus ab anno & ultra litigant inter se de Cura S. Calvomontis, ad quam contendit uterque, sibi dari jus, quod, eorum Advocatis ita sentientibus, indubitatum est & omni controversia superius. Quidam utriusque communis amicus litem componit, suadendo, ab iisdem pactionem iniri, in qua fertur 1. futurum ut Telemacus proprium suum jus cedat Saturnino per modum permutationis cum simplici Capellania S. Ludovici, quæ pendet e Laico Patronatu, cujus titulo Saturninus quidem non gaudet; sed ad cujus dimissionem se se obligat, ad accipiendam ab eo, qui ejusdem possessor est, & Telemaco præstandam, ac deinde eidem afferendam nominationem Præsentatoris. 2. futurum præterea, ut Saturninus rependat viginti nummos aureos, ad solvendas expensas legitimas, quas in urgendam istam litem impendit.

Qua de re quæritur 1. utrum ista pactio Canonibus consentiat. 2. Utrum non possit tandem contendi, prædictos viginti nummos aureos non fuisse solutos a Saturnino, nisi ut se se ab iniqua illa vexatione, quam ei Telemacus inferebat, expediret. 3. Utrum, posito, quod ista ratio non sufficiat, ad impediendum, ne pactio sit simoniaca; propter suam, qua plurimum juvati sunt, bonam fidem, non vindicentur a pœnis, quæ latæ sunt in simoniacos, atque ab obligatione fructuum restituendorum; siquidem uterque in prædictas conditiones eo potissimum animo descenderit, ut & pacis bonum consequerentur; & longioris litis importunas ambages prorsus rescinderent?

RESPONS.

Respondemus, 1. prædictam pactionem nullatenus fuisse conflatam juxta normas a Canonibus præscriptas; omnis namque permutatio, ut sit Canonica, debet esse de duobus Beneficiis, quibus ex utraque parte fuerint provisi compermutantes, atque tunc temporis, cum permutant, actu gaudeant; sicut colligitur ex dispositione plurimarum Decretalium, ac præsertim ex Decretali, quam Innocentius III. inscribit Coloniensi Archiepiscopo (g), relata in decimum nonum titulum tertii libri Decretalium. Atqui Saturnino non fuit ullatenus de Capellania S. Ludovici provisum, neque eadem tunc temporis, cum permutavit, ille non actu gaudebat: ibi igitur non occurrit veri nominis permutatio; sed resignatio tantum, seu cessio juris, quo Telemacus desistit, pacto verbis expressis adhibito, futurum ut Saturninus Resignatarius agat, ut ad Capellaniam S. Ludovici, quam Titularis dimissurus est nominetur; ac præterea, futurum ut idem Saturninus viginti nummos aureos Telemaco, prætensa caussa præstandarum ei, quas sustinuit, expensarum, persolvat; quod quidem aperte simoniacum est; ut colligitur ex Decretali Urbani III. (h), qui sermonem faciens de non absimili conventione, sic habet. *Quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continet semper simoniæ*. Allegari etiam ea de re potest Decretalis Alexandri III. quam in integrum descripsimus in dissolvendo casu *Palladius*, & in qua præsens, quam inspicimus, quæstio prorsus luculenter deciditur (i); ut etiam omnino explanatur a Lucio III. (K), qui sermonem habens de Prælato quodam, qui consenserat, ab amico quodam suo pecuniam ingentem tribui Canonico cuidam, qui simul cum aliquibus aliis ex suis collegis ipsius electioni totus adversabatur, quique ea ratione deductus fuerat, ne eidem ulterius obsisteret; declarat prædictum Prælatum in simoniæ crimen incidisse, atque adeo eum oportuisse potius, se se ab omni regimine Ecclesiastico abstinere, ne in periculum veniret æternæ damnationis. *Respondemus*, eum alloquitur laudatus summus Pontifex, *quod multum tibi consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor: nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*. En casus fere referens eandem speciem, de qua agitur in præsenti quæstione: nam Saturninus contendit cum Telemaco super jure, quod iste propugnat, inesse sibi ad Curam S. Calvomontis; quo quidem jure Telemacus non desistit, nisi promisso Saturnini accedente, futurum ut sub prætextu præstandarum impensarum, quas in sustinendam litem adhibuit, viginti nummos aureos persolvat; prætereaque pro ea, qua valet apud Præsentatorem, auctoritate & gratia agat, ut ad Capellaniam quandam nominetur. Saturninus ergo non evadit prædictæ Curæ pacificus Possessor, nisi propter pecuniam, quam Telemaco largitur; & propter fidem, quam eidem facit, futurum ut eum efficiat prædictæ Capellaniæ possessorem. Se se igitur manifeste facit simoniæ realis conscium.

(g) Innoc. III. in c. *Cum universorum*. 8. de rerum permut.

(h) Urban. III. in c. *Quæsitum*. 5. de rerum permutat.

(i) Alex. III. in c. *Cum pridem*. supra cit. de pactis.

(k) Lucius III. in c. Matth. 23. de simonia, &c.

Quæ prætenditur ratio, ut Saturninus possit aliquam habere excusationem, supponendo scilicet,

cet, ab eo non fuisse datam pecuniam Telemaco, nisi, ut quam inique patiebatur, ipsius vexationi semetipsum eriperet, nihil aliud est, quam ementitus quidam prætextus, quo propriam suam culpam nititur obtegere. Neque enim unquam licet, in materia Beneficiali, sese redimere a vexatione, nisi cum aperte injusta est. Atqui certum est, ex parte Telemaci nihil eidem iniquioris vexationis accessisse, siquidem, ut de eo convenit in proposita specie, jus, quod uterque sibi asserebat, perinde videretur bonum ac justum, quin etiam, quos ex utraque parte consuluerant, advocatis ita sentientibus, omnino indubitatum, neque ulli prorsus obnoxium controversiæ. Poterat igitur uterque sine ulla injustitia proprium suum jus persequi, propriamque suam causam acriter defendere, absque eo quod merito posset alteruter de vexatione alterius conqueri.

Atque ita prorsus disserit quidam celebrioris omnino notæ Theologus (a) de difficultate non absimili, quam anno 1618. dissolvit. *Ostenditur*, ait, *non esse excusandus ob redemptionem vexæ, quia bis non censetur vexare, qui juste prosequitur id, ad quod habet jus: & consequenter neque is vexam redimit, qui tollit impedimentum, quod alius juste, justisque ac bonis rationibus ponebat*. Cui decisioni mirum in modum favent tum, quæ propria est S. Thomæ (b) doctrina, tum sententia Sylvestri Mazolini, Malderi Antverpiensis Episcopi (c), & cæterorum quotquot ea de re scripserunt.

Quod pertinet ad bonam illam fidem, qua potissimum juvari Telemacus & Saturninus in conflando suo pacto supponuntur; constat, non eos propterea eximi pœnis subeundis, quæ latæ sunt adversus simoniacos in Constitutione Pauli II. 23. Novembris anni 1464. confirmata autoritate subsequentis alterius Bullæ Pii V. primæ diei Aprilis 1566. (d). Quæ quidem pœnæ in eo consistunt, nempe in Excommunicatione, suspensione, rescissione Provisionum, inhabilitate ad possidendum Beneficium, circa quod pactum simoniacum accessit, & obligatione restituendi fructus perceptos, a quibus pœnis nullatenus expedire sese valent Telemacus nec Saturninus, prætenso quanquam suæ, quam jactitant, bonæ fidei specioso velamento; siquidem illa bona fides ignorantiæ culpabilis & crassæ fundamento duntaxat innitatur, quæ quidem ejusmodi ignorantia nec eis excusationem affert a simoniæ peccato, nec pœnarum, quæ peccatum illud consequuntur, immunitatem.

(a) Fr. Sylvius resol. var. v. *Beneficium*. 2. tom. 5.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.

(c) Sylvester de Prierio. v. *Simonia*. q. 3. Reg. 4. Malderus dubio 27. de simonia.

(d) Paulus II. in Extrav. *Cum detestabile*. 1 de simonia.

CASUS XX.

Bartinus & albertinus simul contendunt a sex mensibus super Cura quadam, cui 1200. librarum annuus reditus annectitur. Tres ex una parte primi prorsus ordinis Advocati censent, jus, quo Bertinus innititur, esse luculentissimum; tres ex altera parte alii Advocati ferunt idem judicium de jure, quod Albertus asserit, ad illud idem Beneficium sibi vindicari: At quoniam Albertus propter facultatum suarum angustiam non potest litis longioris moras sustinere, conditionem offert Bertino, futurum ut, accedente summa quinquaginta duplionum hispanicorum, jure suo prorsus cedat. Oblatam sibi conditionem Bertinus acceptat, & largitur Alberto prædictam pecuniam, a quo recipit statim juris ipsius cessionem. 1. Nonne aliquid simoniacæ labis occurrit in illa amicabili compositione? 2. Si e contrario Bertinus Alberto suum jus concederet ea conditione, quod Albertus ei rependeret quinquaginta minas sub prætextu præstitorum ab ipso in prædicta Cura Pastoralium muniorum per sex integros menses, & quoniam nihil adhuc percepit de fructibus annuis, qui prædicto Beneficio annectuntur, aliquid ne occurreret in prædicta conventione, quod posset cum aliquo jure reprehendi?

Respons.

Pactum, quod inter se Bertinus & Albertus iniverunt, vi cujus Albertus proprio suo juri renuntiat in favorem Bertini, accedentibus quinquaginta duplionibus hispanicis, quos ab eodem isto recipit Albertus, vitiosum est ac manifeste simoniacum. Ratio est, quia jus, quod aliquis habet ad aliquod Beneficium, non potest æstimari pecuniæ pretio, siquidem sit res mere spiritualis, quæ proinde non potest absque simonia, mediante aliquo pecuniæ pretio, comparari; ut jam alibi monuimus atque demonstravimus. At non eadem omnino ratione judicandum est de quæstione, quæ secundo loco proponitur, & omnino specie diversa est ab ea, quæ priori loco instituta fuit: quoniam, licet nulla ratione possit Bertinus nec exigere, nec recipere quinquaginta prædictos dupliones, propterea quod præcise jus suum Alberto concedat: jure tamen succurritur, ut eosdem repetere valeat tanquam sibi omnino legitime debitos, quod per sex menses quasi Titularis deservierit Curæ, cui 1200. librarum reditus annus annectitur. Si namque nihil de fructibus dicti Beneficii perceperit, ut supponitur: æquum est, ei afferri solutionem ipsius Curæ reditibus accommodatam. At non debet Bertinus quidquam mentionis scribere in conventione, quam paciscitur pro concedendo jure suo, de conditione quinquaginta minarum sibi persolvendarum, ut quæcumque simoniæ suspicio; & minima vel etiam umbra devitetur. Oportet igitur, jus suum cedat pure ac simpliciter, sibi nihilominus servata facultate, quæ sibi legitimo jure debentur, quinquaginta minas postea repetendi: si vero postmodum denegaverit Albertus juris ei reddere, potest juxta consuetas juris formulas in eum agere, ut ad solutionem condemnetur. Cujus rei ratio potissimum ista potest afferri, quod Bertinus ex proprii sui juris cessione commodum illud capesseret, recipiendo hic & nunc quinquaginta minas pro sua portione redituum annovorum, quod non obligaretur ad expectandum, donec fructus illi annui fuerint ab Alberto collecti ac percepti, neque veniret in discrimen infortuniorum, quæ contingere possunt, antequam eosdem Albertus perceperit, quod quidem commodum, cum pecuniæ pretio sit æstimabile, ipsius cessioni consequenter labem simoniacam importaret; præterquam quod Bertinus fortuitis ac quotidianis Curæ prædictæ obventionibus jam gavisus fuerit per illud tempus, per quod eidem inserviit; & justum sit, emolumenti istius rationem haberi, ipsumque in eorum partem venire, quæ deberi sibi contendit.

CASUS XXI.

{ Jacobus resignans in favorem Joannis cum conditione reservatæ sibi 400. librarum pensionis.
Joannes Resignatarius. }

Jacobus resignavit in favorem Joannis Curam de S. Andrea, retenta, sibi de reditibus ejusdem Curæ pensione 400. librarum. Post tres ab illinc menses Petrus Parochus de S. Paulo permutavit suam Curam cum Joanne pro Cura de S. Andrea, quæ fuerat ei a Jacobo resignata. Verum, ne Petrus remaneret obligatus, ad prædictam 400. librarum pensionem, post Joannis obitum, Jacobo persolvendam, si contingeret, futurum ut prius, quam Jacobus, decederet, quamdam rationem adhibuit in permutando, quam quidam ex amicis ipsius Doctor excogitavit eique proposuit, quæ nimirum in eo reposita erat. 1. Ut sibi retineret de sua Cura S. Pauli 300. librarum pensionem, quam Joannes suus compermutans ei persolveret. 2. ut consentiret privato quodam scripto, cui protinus in eadem hora propria sua manu subscriberet, quodque deponeretur apud præfatum doctorem, futurum ut ista 300. librarum pensio non quidem sibimetipsi, sed Jacobo pro Joanne solveretur. 3. ut sese obligaret eadem syngrapha seu privato scripto, ad summam 100. librarum per complementi modum unoquoque anno Jacobo præterea rependendam. 4. ut denique Petrus agnosceret, futurum ut quam sibi retinuisset, pensio 300. librarum non sibi numeraretur nisi per id spatium temporis tantummodo, per quod pensio 400. librarum Jacobo persolveretur. Quod quidem in integrum juxta conventionem obtinuit.

1. Quæritur, utrum prædicta conventio non contineat aliquam labem simoniæ: atque, si simoniaca sit, utrum necesse sit, a Joanne & Petro Romam mitti, ad obtinendum rescriptum tum absolutionis, tum condonationis fructuum; & utrum interea non possint ab Episcopo Diœcesano in integrum restitui, atque absolvi, quantum ad illud, quod possint suas exercere functiones, quoadusque ad eos pervenerit obtentum atque expeditum prædictum rescriptum; ut ea ratione occurrant scandalo, quod alioquin certissime consequeretur.

2. Utrum, posito, quod in prædicta conventione nihil simoniacæ labis interveniat; Petrus non debeat Jacobo solvere prædictam 400. librarum pensionem, priusquam ipse Jacobus agat in eum, ut in judicio condemnetur, ad eandem persolvendam, non quidem vi pactionis ac privatæ syngraphæ, quæ fuit deposita, sed tantummodo quia, cum sit titularis, incumbit ei eandem solvere, quanquam non teneatur ex sua privata pactione, ad eam in integrum, sed solum quantum ad quartam ejusdem partem, numerandam.

3. Utrum, posito quod condemnetur, ad illam in integrum persolvendam; Petrus non possit exigere 300. librarum pensionem, quam de Cura S. Pauli sibi retinuit, licet eandem sibi non retinuerit, nisi ea conditione, quod Jacobo tum pro seipso, tum pro Joanne, qui ex utraque parte suum pactum ut Canonicum habuerunt, persolveretur. Videtur namque, futurum omnino ut justitiam æquitatemque decet, quod Petrus recta conscientia posset præfatam exigere pensionem, siquidem non intenderit Joannes ipsius compermutans, ut in eum recideret integræ pensionis 400. librarum solutio; sed quartæ partis tantummodo: & quando pactum accessit, si Petrus subodoratus fuisset, rem aliter sese habere, nunquam permutavisset, nec præbuisset suum consensum clausulis, quæ enunciantur ac stipulatione feruntur in suo scripto privato. Adeo ut, si Petrus non posset repetere pensionem 300. librarum, eo gravius læderetur, quod ab omni spe nudus omnino remaneret, siquidem constet, nunquam futurum ut possit Romæ obtinere, sibi novam aliam pensionem institui neque in Dataria, neque in Pœnitentiaria. Aliunde vero, si titulus, quo gaudet Petrus, sit vitiosum, quantum ad pensionis institutionem; non posset omnino recta conscientia agere in Joannem, ut condemnaretur ad illi compensationem afferendam pensionis 400. librarum, cujus mentionem nullam habuit in conventione permutationis, quæ ex utraque eorum parte accessit: quanquam nihilominus si prædicta conventio sit simoniaca, eadem perinde simoniaca labe Petrus & Joannes constringantur.

4. Observandum autem venit, Jacobum, qui vi prædictæ conventionis solutionem recepit a Joanne summæ 300. librarum, & a Petro summæ centum librarum, (quemadmodum inter illos conventum fuerat;) quippe prædictam pecuniam acceptam soli tantummodo Joanni scripto fecit, ultro concessisse centum libras per unumquemque annum de sua pensione 400. librarum; satisque habuisse, quod trecentarum tantummodo librarum pensio sibi deinceps persolveretur. Qua de re quæstio proponitur, in cujus gratiam Petri nimirum aut Joannis ista condonatio concessa censenda sit, posito quod eorum conventio vitio simoniæ inficiatur?

5. Si 400. librarum pensio Jacobo fuerit a solo Petro rependenda, nec potuerit recta conscientia Joannes solvere 300. libras pacto constitutas; ut ea de re inter ipsum & Petrum convenerat; petitur, quid jam facto sit opus. Ab annis etenim jam plurimis pactum ex utraque parte cum bona fide locum & effectum habuit; & Joannes 300. libras Jacobo solvit, cui Petrus alias superstites 100. libras numeravit, juxta, quod, insciente Jacobo, pactum inter eos accesserat. Num in eo casu locus occurrit alicujus faciendæ restitutionis? Si vero occurrat, a quo potissimum, cuive, & qua ratione ejusmodi restitutio præstanda est.

6. Nunc in animo Petrus habet cum Titio permutare; sed quoniam Titius non vult prædictæ permutationi consentire, nisi posita conditione, quod Jacobus ei condonaturus est centum libras de sua pensione, sicut eandem summam tum Joanni, tum Petro remisit: Petrus quærit, num jam ab hodierna die, & antequam cogitatam ex utraque parte permutationem fuerint executi, possit rogare Jacobum, ut velit eandem condonationem in favorem Titii futuri ipsius successoris prorogare; & scriptam ea de re ipsi tradere cautionem.

7. Si, quæ Joannem inter & Petrum intervenit, conventio Simoniam oleat; petitur, utrum Petrus, in quem solum ea de re Religio incessit, quique etiam, ut propriæ suæ conscientiæ tutius consuleret, jam in antecessum obtinuit, a Romana Pœnitentia sibi succurri rescripto absolutionis; teneatur, ad Joannem suum compermutantem ea de re commonendum, qui semper versatur in bona sua fide.

8. Denique, posito quod Petrus teneatur, aut ultro velit commonere Joannem de Simonia, si quæ tamen in prædicta conventione vere deprehendatur; atque indicet, sibi jam per conscientiam non licere, prædictas 300. libras ulterius exigere, nec etiam tolerare, easdem deinceps persolvi Jacobo, qua ratione fuerat in memorato privato scripto conventum; quæritur, num Petrus recta conscientia possit, præfatæ pensionis accipere solutionem; aut saltem permittere, ut eadem, sicut antea, Jacobo ab ipsomet Joanne rependatur; modo Joannes ipse ex animo benefico, seu pro sua in Petrum benevolentia, velit ejusdem continuare solutionem?

RESPONS.

Primo quidem & in antecessum monemus, conventionem de qua quæstio instituitur, esse manifeste simoniacam; quemadmodum aperte colligitur ex Decretalibus septem summorum Pontificum, quas superius allegavimus, in enodando casu *Palladius*, in quibus declarantur prorsus illicitæ atque evidenter simoniacæ quæcumque conventiones, quæ præsentationibus, collationibus, resignationibus atque permutationibus Beneficiorum accedunt: nisi sanctæ sedis auctoritate ratæ fiant ac comprobentur. Quibus prædictis Decretalibus Concilium Provinciale Rothomagense habitum anno 1581. & cui præsidebat Cardinalis Borbonnius nominis ejusdem Civitatis Archiepiscopus (*a*) in integrum omnino consentit, quando sic ea de re declarat: *Omnes pensiones & pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus.*

(*a*) Concil. Roth. tit. de Episc. & cap. n. 2.

Quæ cum ita se habeant, jam venimus ad singula quæstionum capita, quæ in enunciata specie proponuntur, & censemus.

1. Summopere opus esse, ut Petrus atque Joannes impetrent a summo Pontifice tum suam absolutionem, & fructuum perceptorum condonationem, tum suam quoque in integrum restitutionem: atque interea, donec receperint e Roma suum rescriptum posse ab iisdem autoritatem implorari Diœcesani Episcopi eo fine, ut ab eodem obtineant licentiam obeundorum suorum Pastoralium muniorum, quam quidem iis facere penes ipsum est, quantum ad præsentem ejusmodi casum; siquidem ab iis obeundis non possent per spatium aliquod temporis notabile abstinere, quin & occasionem offensionis præberent suis Parœcianis, & sibimetipsis infamiæ notam incurrerent, quo quidem in casu non est, unde conjiciatur, summum Pontificem velle, ut ejusmodi potestas sibi reservetur, quæ ex natura sua olim erat proprii juris Episcoporum: præterquam quod potestatis prærogativa, qua donatur summus Pontifex, quantamcumque habeat extensionem, ad eum non pertineat, nisi ut eandem exerceat, ad promovendam tum fidelium salutem, tum Ecclesiæ ipsius utilitatem, nullatenus autem in ipsorum & ruinam & destructionem, sicut docemur ab Apostolo, dum sermonem facit de spirituali potestate eorum omnium, qui proponuntur Ecclesiæ Pastores (*b*).

(*b*) Corinth. 10. 8. Ephes. 2. 12. & 13. 1. c.

2. Petrum non posse sese subducere obligationi pen-

pensionis 400. librarum Jacobo in integrum solvendæ, licet inter ipsum & Joannem conventum fuerit, futurum ut quartam ipsius tantummodo partem persolveret. Quum etenim Jacobus non resignaverit suam Curam de S. Andrea, nisi cum clausula sibi retinendæ pensionis 400. librarum, accipienda est prædicta pensio de fructibus ac reditibus ipsiusmet Beneficii, in qualcumque manus deinde transeat. Ideoque ipsa cautio, quam Petrus adhibuit erga Joannem, qua scilicet non suscepit in seipsum, nisi quartam solummodo pensionis partem persolvendam, nullius roboris est quantum ad Jacobum, nec quidquam obstare potest juri, quo gaudet, 400. librarum summæ, de fructibus, qui proveniunt ex reditibus Curæ ipsius de S. Andrea, in integrum percipiendæ; siquidem eam non resignaverit Joannit, nisi verbis expressis adjecta ista clausula, nullatenus vero aliter.

3. Cum certum maneat, quæ inter Petrum & Joannem accessit, conventionem esse simoniacam; & eorum pactum, quo inter eos conventum fuit, futurum ut Joannes in reditibus Curæ S. Pauli trecentarum librarum pensionem Petro constitueret, ut ea ratione aliquam ex parte reciperet compensationem pensionis 400. librarum, ad quam persolvendam remanebat obligatus erga Jacobum, caducum omnino sit atque proinde nullum, Petro nullum jus inesse, quo possit u Joanne repetere 300. librarum solutionem; licet enim Joannes eodem, quo ipsemet, simoniacæ labis peccato detineatur; liquidum semper est, titulum, quo gaudet, nullius prorsus esse roboris; quippe nunquam licitum sit, pensionem in ullo beneficio institui, nisi interveniente summi Pontificis auctoritate; quin etiam illicitum semper sit, inconsulto legitimo Superiore, eodemque non consentiente nec approbante, aliquam perfici beneficiorum permutationem; sicut apertis verbis definitum est ac constitutum ab Innocentio III. in una quadam ex ipsius Decretalibus, quam inscribit Archiepiscopo Senonensi (a), si tamen eam licentiam faceret, quod a Pœnitentiaria Romana Petrus obtinuit rescriptum, ut Joannes continuaret ei 300. librarum pensionem persolvere, in eo casu posset omnino Petrus, illæsa sua conscientia, eandem percipere.

(a) Innoc. III. in cap. *Cum olim.* 7. de rerum permutatione l. 3. tit. 19.

4. Quod pertinet ad spontaneam illam 100. librarum per unumquemque annum relaxationem, quas Jacobus condonavit, satis habendo sibi persolvi 300. libras pro 400. librarum pensione, quam sibi reservaverat resignando suam Curam de S. Andræa in favorem Joannis; existimamus. eandem convertendam esse in lucrum atque commodum solius Petri; siquidem Ecclesiastica pensio nihil aliud sit, quam reservata retentaque portio quædam fructuum provenientium de Beneficio aliquo, quæ quidem ab eo percipitur, qui in illud idem Resignanti successurus est. Ut ergo Petrus Jacobo successit in Curam de S. Andræa, atque ejusdem factus fuerit titularis, æquum est, siquidem pensio in fructibus inde provenientibus assignata sit, in ipsius utilitatem tantum cedere, quod de eadem pensione postmodum detrahitur; cum aliunde manifestum sit, eam esse mentem ipsius Jacobi, qui prorsus inscius est conventionis, quam Joannes & Petrus inter se privatim inierunt; atque nulla etiam sit ejusmodi conventio, utpote quæ locum non habuerit nisi vi pacti, quod aperte simoniacum est. Nihilominus videtur nobis, si juxta textum atque dispositionem rescripti quod a Romana Pœnitentiaria fuit impetratum Petro liceret pensionem 300. librarum a Joanne exigere, propter copiam, quæ ibidem fieret Joanni ejusdem ei persolvendæ; futurum profecto æquitatis ac justitiæ, ut servata proportione, pensionem imminueret, quæ sibi a Joanne numeraretur.

5. Siquidem in solum Petrum, utpote titularem Curæ de S. Andræa recideret onus persolvendæ Jacobo pensionis 400. librarum, & exegerit ipse, per unumquemque annum a Joanne sibi numerari 300. libras, sub prætextu percipiendi aliquam prædictæ pensionis compensationem; eum fieri restitutioni obnoxium; siquidem titulus, vi cujus exegit istam pecuniæ summam, omnino nullus sit, ut jam observatum est. At, quoniam, ita docente S. Thoma, quæ præstanda occurrit, cum agitur de simonia, restitutio est eroganda pauperibus, vel in usum Ecclesiæ convertenda, non debet Petrus eandem exhibere Joanni, sed eam impendere vel in eleemosynas, vel in alios quosdam pios usus, ac potissimum in utilitatem ipsius Ecclesiæ, seu pauperum de Parœcia S. Pauli, cum Joannes istam pecuniæ summam extraxerit de fructibus prædicti Beneficii, & nisi ita contigisset, potuisset ac debuisset eandem conferre, ad subveniendum necessitatibus suorum egenorum Parœcianorum, aut propriæ suæ Ecclesiæ modicis reditibus supplendum.

6. Licere Petro, ut a Jacobo petat, in favorem Titii, quocum jamjam permutaturus est, quas antea condonaverat ipsi Petro, 100. librarum prorogari relaxationem; ipsiusque ea de re consensum cautionis causa scripto confirmari; siquidem ejusmodi condonatio ex arbitrio solius Jacobi pendeat, & tota collimet in commodum Titularis, atque onerum, quæ incumbunt ipsimet Beneficio, diminutionem. Verum nihilominus, si Petrus prædictam condonationem nonnisi ea conditione obtineret, quod propositam cum Titio foret executurus. permutationem, & alioquin Jacobus nollet, istam pecuniam de sua pensione detrahi; profecto pactum illud simoniaca labe vitiaretur.

7. Petrum ex stricta conscientia teneri, ad Joannem de ea, quam simul commiserunt, simonia commonendum; posito quod Joannes illud ignoret. Alioquin namque in causa esset, cur veraretur in ejusmodi ignorantia, quæ nullam admitteret excusationem, & possessionem retineret Beneficii, de quo ei nullatenus fuit ex Canonum præscripto provisum; adeoque remaneret in evidenti periculo damnationis æternæ.

8. Denique, postquam Petrus Joannem certiorem fecerit, sibi jam recta conscientia non licere, 300. librarum ab eo recipere pensionem, nec consentire, eandem ab ipso persolvi Jacobo, qua ratione fuerat inter eos ea de re conventum in privata eorum pactione; si Joannes nihilominus velit ex animo benefico, & pro sua in Petrum benevolentia, ejusdem continuare solutionem; posse omnino eandem a Petro percipi; modo eam Joannes ei solvat de patriis suis rebus, neutiquam vero de fructibus aut reditibus sui Beneficii, qui toti impendendi sunt in pios duntaxat usus, acceptis inde prius iis, quæ tum ad victum, tum ad honestum Titularis cultum necessario pertinent.

C A S U S XXII.

Frodulfus Religiosus, titulus gaudens Capellaniæ de S. Josso, cui reditus annuus annectitur 200. tantummodo librarum, petivit ab Abbate suo, atque dimissa in illius manibus prædicta sua Capellania, obtinuit Prioratum quemdam 800. librarum census annui, qui jamjam vacaverat. Quod ubi rescivisset Gilbertus ejusdem Monasterii Religiosus, obtulit Frodulfo Prioratum alterum 1500. librarum annui reditus, quem possidebat; sed qui positus erat in Provincia longinquiori, ea conditione 1. Quod apud Abbatem eo fine ageret, ut qui 800. libras refert, Prioratum obtineret in ipsius favorem, utpote dictus Prioratus ei magis conduceret: 2. Quod ei præterea constitueret pensionem 300. librarum, quo posset angusto minus vivere. Frodulfus Abbatem convenit, & indicatam Gilberti propositionem ei probat ea tamen conditione, quod desideratam a dicto Gilberto pensionem 300. librarum non foret persoluturus de reditibus Prioratus 1500. librarum, sed de quadam pensione reditus ejusdem, quæ ei relicta fuerat ab ipsius matre moriente, & constituta erat in certis quibusdam prædiis, quæ remanerent ipsi Gilberto, ad cautionem ipsius pensionis, addicta atque oppignorata. Quam conditionem cum primum Frodulfus acceptavisset, cum Gilber-

Gilberto deinde juxta prædictam legem pactus est, & conventioni simul cum Notariis, qui eam confecerant, ex utraque parte subscripserunt: atque in ipsomet articulo temporis Frodulsus Gilbertusque pure ac simpliciter dimiserunt in manibus sui Abbatis, nimirum Frodulsus suam capellaniam 200. librarum, Gilbertus vero suum Prioratum 1500. librarum. Qui quidem Abbas Prioratum 800. librarum Gilberto contulit, & Prioratum 1500. librarum, quem Gilbertus possidebat, Frodulso transmisit. Nonne simoniam olet casus propositus, licet ibidem superioris consensus intervenerit?

RESPONS.

Nullatenus ambigendum est, quin prædicta conventio plurimis de causis simoniaca sit.

1. In eo simoniaca labes occurrit, quod Frodulsus, nonnisi specie tenus, pure ac simpliciter dimiserit suam Capellaniam 200. librarum, nec nisi adhibito pacto, accedenteque conditione, quod suus Abbas ei conferret Prioratum 1500. librarum, quem Gilbertus in ipsius manibus dimissurus erat, cujus etiam dimissionem ipse Gilbertus non tradidit nisi ea conditione, quod Abbas ei concederet Provisiones de Prioratu 800. librarum, quem Frodulpho promiserat, atque præterea dictus Frodulsus propter ipsius dimissionem ei persolveret mere laicam 300. librarum pensionem: Ex quibus omnibus sequitur, Frodulsum, Gilbertum & Abbatem omnes eodem modo incurrisse in pœnas latas adversus simoniacos in *Beneficio* vi Constitutionis Pauli II. datæ 23. Novembris 1464. (*a*), & locum obtinentis in Gallia.

(*a*) Paulus II. in Extravag. Cum detestabile. 2. de simon. Lib. 5. Extrav. t. 1.

2. In eo etiam peccat ista conventio, quod in eadem feratur de pensione 300. librarum expressa stipulatio: finis etenim, propter quem prædicta pensio conceditur Gilberto, qui nimirum est, ut ei sit, unde minus anguste vivere possit, prorsus adversatur voto paupertatis, quod emisit in solemni sua professione, ut satis aperte colligitur ex dispositione Concilii Tridentini (*b*). Præterea vero vitiosa in eo etiam est prædicta conventio, quod in ea enuncietur, Abbate suadente, futurum ut prædia, in quibus mater Frodulsi pensionem ad vitæ tempus ei constituit, remaneant ipsi Gilberto, ad cautionem ipsi persolvendæ pensionis quam exegit, hypotheca quadam speciali addicta atque oppignerata. Enimvero Gilbertus ea ratione transit in proprietatem istius pensionis, propter hypothecam specialem, quæ ei tribuitur in prædictis prædiis, quæ proprietas Religioso crimini vertitur propter paupertatis votum, quo ligatur, & condemnatur non tantum ab Innocentio III. in quadam Decretali, quam inscribit Abbati & Monachis de Monasterio Civitatis Sublaco in Campania Romana (*c*), verum etiam a memorato Concilio Tridentino, cujus Decretum concipitur istis verbis: *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus, possidere vel tenere: sed statim ea superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructum vel usum, administrationem aut commendam: mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat.*

(*b*) Concil. Trid. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 2.

(*c*) Inn. III. in cap. Cum ad Monaster. 6. de statu Monac. & Canon. Reg. l. 3. t. 35.

Neque quidquam Frodulsum Gilbertumque juvat, quod in propriam suam defensionem jactitent autoritatem & consensum sui Abbatis: nullo namque jure gaudet ullus Abbas, quo valeat cum suis Religiosis ea in re dispensare. *Nec æstimet Abbas*, inquit Innocentius III. in Decretali modo citata, *quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare*; rationem autem istam laudatus Papa subjicit, quia cujuscumque proprietatis abdicatio eadem ratione, qua ipsamet continentia, pertinet ad essentiam instituti Religiosi.

Tandem habet etiam illud vitii atque injustitiæ prædicta conventio, quod Frodulsus privata sua autoritate, neque requisito ea de re consensu Communitatis, disponat de fructibus memoratorum prædiorum, qui nullo prorsus jure proprietatis ei cedunt, sed soli Monasterio: siquidem, utpote Religiosus constituatur inhabilis ad quidquam acquirendum sibi proprium sive emptione, donatione, sive quocumque alio modo, &, juxta illud effatum Aurelianensis primi Concilii, quod habitum est anno 511. (*d*). *Omnia, quæ acquisierit* (Monachus) *ab Abbatibus auferantur, Monasterio secundum regulam profutura*. Frodulsus ergo non potuit transmittere Gilberto jus percipiendi prædictas 300. libras, quanquam ejusmodi cessioni consensus ipsius superioris intervenerit; cum nulli superiori Regulari liceat ejus generis cessionem autoritate sua comprobare ac ratam efficere (*e*).

(*d*) Concil. Aurel. 1. in c. Abbates 16. 18. q. 2.

(*e*) Samb. t. 3. casu 91.

CASUS XXIII.

Ausonius resignavit suam Curam de S. Lucia in favorem Simeonis, cum clausula retinendæ sibi 400. librarum pensionis, ad cujus solutionem asserendam, Simeon ei dedit civicam cautionem: quanquam nihilominus pactum illud accesserit sub beneplacito Papæ. Ibine occurrit aliqua simonia?

RESPONS.

Licet secundum instituta Canonica, prædes, ad cautionem Beneficialium pensionum, nunquam sint nec exigendi, nec accipiendi; tamen, cum iidem non exiguntur, nec accipiuntur, nisi sub beneplacito Papæ atque ipso consentiente & approbante, in eo nulla committitur simonia. Ratio est, quia, juxta doctrinam S. Thomæ (*f*), *Quæcumque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia a Papa, hæc enim sunt, quæ dicuntur esse juris humani, vel juris positivi*. Quæ ipsissima sunt verba laudati Doctoris Angelici (*g*). Atqui certum est, si quæ reperiatur in casu proposito simonia, eandem non esse nisi juris Ecclesiastici. Potest ergo Papa eandem tollere, accedente nimirum ipsius dispensatione: Unde sequitur siquidem Ausonius non exegerit nec acceperit prædem, qui solvendo foret, ad cautionem persolvendæ suæ pensionis, nisi interveniente Summi Pontificis beneplacito, nec illum, nec ipsius Resignatarium Simeonem ullo jure posse tanquam simoniacos condemnari. Sic censet quidam recentior Author, cujus decisiones ipsi præ manibus habemus (*h*).

(*f*) S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 3. in corp. & a. 4. in corp. & ad 3. & quodlib. 4. q. 8. a. 23. in corp.

(*g*) Cit. a. 23.

(*h*) Samb. t. 2 casu 122.

CASUS XXIV.

Mainfridus Clericus prima Tonsura initiatus cum instituisset ac reditibus assignatis dotavisset unam Præbendam in Collegiali quadam Ecclesia, eo consilio, ut Capitulum eandem illi conferret, de eadem revera fruit provisum. Nonne in eo commisit aliquam simoniam?

RESPONS.

Proposita difficultas facili negotio dissolvitur authoritate Decretalis cujusdam Innocentii III. (*i*), in qua laudatus Papa respondens ad similem quæstionem, quam ei proposuerat Decanus de Ecclesia Bellovacensi, aperte declarat, non posse sine simonia Clericum admitti in Canonicum, qui fundum aliquem in favorem alicujus Ecclesiæ assignans ac donans, intendit ea ratione fieri Canonicus. *Si tamen*, inquit, *is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, culpabiles judicantur*.

(*i*) Inn. III. in c. Tua nos 34. de sim. &c.

Atque revera quidem, si Clericus ejusmodi non donet Ecclesiæ temporale nisi eo consilio ac fine, ut perveniat ad aliquam dignitatem spiritualem, seu Ecclesiasticam, atque si Capitulum ipsum non recipiat in Canonicum, nisi propter commodum illud temporale, sese produnt criminis simoniæ saltem mentalis aperte conscios, juxta Doctrinam S. Thomæ, cui plurimum in eo favet Decretum celeberrimi Concilii Chalcedonensis, quod celebratum est anno 451. relatum ab Alexandro II. scribente ad Clerum & Populum Lucensem, ex cujus ejusdem

dem nominis Civitate laudatus Summus Pontifex oriundus erat (*a*).

(*a*) Alex. II. in Can. *Ex multis*. 9. 1. 2. 3.

Equidem Innocentius III. asserit, quod, *si vero pure ac sine pacto, vel conditione qualibet* (Clericus ille) *offerat, rogans humiliter & ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda*; (adeo ut licet ei Præbenda denegaretur, bona sua nihilominus largiretur.) *& Clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant; hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis*. Modo aliunde Canonici sic essent animo dispositi, ut illum in fratrem admitterent, licet eorum Ecclesiæ nullam afferret donationem. At in casu proposito Mainfridus non offert suum bonum temporale nisi cum eo potissimum animo, ut Præbendam adipiscatur. Ideoque nullatenus adduci potest in dubitationem, quin sit vere Simoniacus. Fagnanus olim Secretarius Sacræ Congregationis Cardinalium Interpretum Tridentini Concilii eandem sententiam amplectitur, cum sic ait (*b*): *Nota esse simoniam, fundare, vel dotare Canonicatum, vel alind Beneficium Ecclesiasticum, eo pacto, ut Beneficium illud sibi conferatur ... unde cum quidam Clericus non ita pridem sua bona patrimonialia contulisset pro erectione Archipresbyteratus in Cathedrali Ecclesia cum reservatione juris patronatus, eo pacto adjecto, ut possit se ipsum præsentare, & non alias; consultus ab eodem Clerico, respondi, erectionem & institutionem inde secutam fuisse simoniacam & nullam per hanc Decretalem*: (nimirum illam Decretalem, in quam scribit, citatam superius ad marginem;) *& opus esse nova erectione & provisione Sedis Apostolicæ, quam postea idem Clericus impetravit a S. D. nostro Urbano VIII.*

(*b*) Fagnan. in c. *Tua nos*. 34. de simonia. n. 3. & 4.

Cui quidem decisioni plurimum roboris adjici potest ex specie omnino simili. Quæ scilicet eorum est, qui Religionem ingredientes, secum res patrias suas in eandem afferunt cum eo meditato consilio, ut possint aliquando vel Beneficium aliquod, vel Prælaturam aliquam regularem adipisci. Nam etiamsi nullum ineant pactum, nullamve simoniacam conventionem, nihilominus se se vitio pravitatis simoniacæ constringunt; quemadmodum declaratum est a Concilio Basileensi celebrato anno 1431. & qui ea ratione consequuntur, sunt Beneficiis omnino spoliandi. Patet vel ipsa meridiana luce clarius, allegatam ejusmodi speciem quam apprime posse ad præsentem, quam inspicimus, speciem accommodari (*c*).

(*c*) P. Thomassin. Discipli̇n. Eccles. part. 4. lib. 2. cap. 13.

Vide sequentem Decisionem.

CASUS XXV.

Polydorus, cui cupido consequendi Canonicatum de Cathedrali Ecclesia Burdigalensi incesseret, sciens Patricium de prædicta Ecclesia Canonicum sic animo comparatum esse, ut Præbendam suam foret cum aliquo Beneficio simplici permutaturus; ut destinatum animo consilium assequeretur, quamdam Capellaniam fundavit, quam assignatis eidem reditibus ad summam usque 600. librarum census annui, dotavit, quæque ei deinde collata est. Postea prædictam Capellaniam obtulit Patricio pro Præbenda ipsius permutandam; quod quidem ultro Patricius annuit, & permutatio secuta est. Polydorus petit, num in ista permutatione non occurrat ex sua parte aliqua simonia vel aliquod peccatum?

RESPONSIO.

Absque dubio Polydorus in proposita specie se se simoniacæ pravitatis labe fœdavit: ut enim jam probavimus in discutienda præcedenti difficultate; Ille se se simoniæ peccato constringit, qui Beneficium eo consilio dotat eaque conditione, ut sibi conferatur. *Constitutione itaque, & præsenti Decreto firmamus*, inquit Alexander II. (*d*) in confirmando Decreto Concilii Calcedonensis, quod refertur a Gratiano (*e*). *Sicut olim prædecessores nostri fecisse noscuntur, ut nullus deinceps Episcoporum Beneficium Ecclesiæ, quod quidam Canonicam vel Præbendas seu etiam ordines vocant, pro aliquo pretio vel munere Clericis audeat unquam conferre ... Constituimus ... & eodem modo firmamus, ut nullus cujuscumque gradus Clericus pro Ecclesiæ Beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum, vel donatariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum*. Atqui Polydorus non potuit instituere ac dotare Capellaniam, de qua quæstio est, cum animo ejusdem aliquando permutandæ pro Præbenda Patricii, quin illud potissimum intenderit, nimirum ut sibi conferretur; cum alioquin eandem non potuisset permutare: Ergo ipsius fundatio simoniaca est, & permutatio illius, omnino vitiosa.

(*d*) Alexand. II. in cit. can. *Ex multis*. 9. 1. q. 3.
(*e*) Concil. Calced. in can. *Si quis*. 5. 1. q. 1.

Licet plurima alia ea de re adire rationum momenta, quæ depromuntur ex Decretali Innocentii III. atque ex iis, quæ Fagnanus habet in suo in Decretalem eandem Commentario, quæ retulimus in præcedenti Decisione, quæque proinde iterum hic loci perscribere foret omnino supervacaneum. Addemus tantummodo in eorum confirmationem, quæ ibidem adduximus in medium, quamdam Bullam Pauli IV. quæ, inter eas, quarum auctor est iste Papa, numero recensetur duodecimo, & fuit data die 27. Novembris 1557. quæque plurimum potest ad præsentem casum accommodari; sic etenim in citata Bulla laudatus summus Pontifex (*f*) declarat: *Decernimus, quod de cetero omnes & singuli ... qui ... Beneficia animo & intentione ea postmodum in favorem aliorum, etiam quantumvis idoneorum & bene meritorum, cum simili pensione, aut commodo, aut etiam sine eo, resignandi, obtinere procuraverint, cujuscumque status, gradus, ordinis & conditionis existant ... excommunicationis & Anathematis ac maledictionis æternæ sententiam, a qua, nisi a nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; nec non privationis omnium & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura & sine Cura ... pœnam de ipso, absque alia desuper facienda declaratione, incurrant*.

(*f*) Paulus IV. in Bulla. *Inter ceteras curas*.

Polydorus præterea vel ex solo prædictæ Bullæ textu configitur, propterea quod memoratam Capellaniam non eo animo dotaverit, ut postquam de eadem sibi fuisset provisum, eam retineret, sed ut eam in permutationem Patricio transmitteret; adeoque in eum casum inciderit, qui secundum dispositionem præfatæ Bullæ excommunicationis anathemati obnoxius est.

Denique Polydorus in eo quoque reprehendendus est, quod egerit, ut, quam possidere dignus non erat, Capellania sibi conferretur. Ut namque quis aliquo Beneficio dignus censeatur, oportet, eum non tantum posse, sed & animo sincero velle eidem servire; ut evidenter colligitur ex Decretali, quam dedit Innocentius III. cum adesset Concilio Oecumenico Lateranensi, quod congregatum est anno 1215. (*g*) in qua laudatus Papa declarat, cum aliqua Beneficia conferuntur Ecclesiasticis, qui iisdem digni sunt, oportet, *ut Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum*, cui consentit Gregorius IX. scribens ad Episcopum Argentoratensem (*h*), qui sic habet. *Cum ... illi sint in Ecclesia idonei reputandi, qui servire possunt & volunt*. Atqui Polydorus agens, ut sibi provideretur de Capellania, quam fundavit, nullatenus cogitavit eidem servire, quin potius animo versabatur ac constitutum ei erat, eam permutare statim pro Præbenda Patricii, quam appetebat. Quæ quidem omnia graviora sunt, quam ut possit in dubium vocari, quin Polydorus graviter omnino peccaverit; quin etiam se se reddiderit simoniæ conscium. Potest quoque Cabassutius ea de re consuli simul cum Melchiore Pastore (*i*), a quo refertur Arrestum quoddam pronunciatum a Provinciali Parlamento, quo declaratur simoniaca, quæ, simili fundatione juvante, fuerat confecta, permutatio.

(*g*) Innoc. III. in c. *Grave*. 29. de Præbendis, & dignit. lib. 3. tit. 5.

(*h*) Greg. IX. in c. *Super*. 35. eod. tit.

(*i*) Cabassut. Jur. can. theo. & prax lib. 5. c. 4. n. 4. Melch. Pastor. lib. 3. tit. 11. Du Casse Prax. Jurisdict. Ecclesiast. voluntariæ. c. 5. §. 4. Colloq. Condomens. tom. 2. Colloq. 2. sect. 3. Sambovius t. 2. Casib. 34. 41. & 52. D. Gen. theol. mor. tom. 2. tract. 2. cap. 3. quæst. 5.

CASUS XXVI.

Sempronius titulo gaudens Capellaniæ simplicis de S. Aura, quæ fundatur in Ecclesia Cathedrali Ruremundæ, cum animo adjecisset eandem

dem cum Theodato pro alia Capellania tenuioris reditus permutare; expertus est, adversari sibi Capitulum de prædicta Ecclesia, ad quod spectat jus utramque prædictam Capellaniam conferendi, quodque memoratam permutationem prorsus repudiavit, propterea quod vi tituli præfatæ Capellaniæ fuisset ad sacrum subdiaconatus ordinem promotus. Quam difficultatem Pater Theodati volens penitus resecare, offert, futurum ut in propriis suis bonis titulum instituat in favorem Sempronii, ut ipsius Capellania nullius jam tituli quasi hypotheca oppigneretur; & Capitulum rogat, ut isti rei velit suum præbere consensum. Num oblata prædicta conditio Canonicis institutis consentit, & vacat omni simoniæ peccato?

RESPONS.

Licet, summo jure considerato, possit beneficio Tituli Clericalis onus eximi per institutionem Tituli paterni; modo superioris auctoritas ejusmodi immutationi accedat; in animum tamen nostrum inducere non possumus, approbandam esse ut Canonicam, quam Theodati Pater proponit, conditionem. Ratio est, quia, quanquam Theodatus nihil donet nihil-ve promittat Sempronio rei temporalis, ut cogitatam permutationem perficiat; sufficit, ut simoniæ labem contineat, ab aliquo tertio, qui ipse est in casu proposito Pater Theodati, medium exhiberi, quo prædicta permutatio possit locum habere. 1. Quoniam conditio, quam offert, tituli constituendi in favorem Sempronii, beneficium importat, quod est mere temporale & pecuniæ pretio prorsus æstimandum. 2. Quia non offert Sempronio, futurum ut in ipsius gratiam titulum dictum instituat, nisi eo fine ut permutatio, quam suus filius & Sempronius sibi proposuerunt, negotio faciliori conficiatur; atque adeo, si permutatio, medio isto accedente, absolveretur, jure omnino dici posset, eandem non obtinuisse nisi propter illud temporale, quod Pater Theodati compermutanti proprii sui filii largitus fuisset; atque proinde ab ipso actum fuisse, ut suus filius consequeretur Beneficium Ecclesiasticum, propter temporale donum, quod Sempronius accepisset; quod quidem nullatenus potest a simoniacæ pravitatis vitio vindicari.

Cui nostræ sententiæ Doctrina S. Thomæ suffragatur (*a*). Asserit namque S. Doctor, quod, cum agitur de Beneficio & simonia, *nomine emptionis & venditionis, intelligitur omnis contractus non gratuitus*: Hoc est, quæcumque conventio, qua, quod spirituale est, aut spirituali annexum, datur pro aliquo temporali, & pecuniæ pretio æstimabili, cujuscumque naturæ esse possit. *Malitia siquidem simoniæ*, inquit Silvius (*b*), *in hoc consistit, quod res temporalis, quæ, comparatione rei spiritualis, est vilis & nullius momenti, tradatur in commutationem & quasi appretiationem seu æstimationem rei spiritualis. Hoc enim est, eam tradi, quasi pretium rei spiritualis*. En plane hoc ipsissimum est, quod intendit Pater Theodati, cujus conditio, quam proponit, continet conventionem non gratuitam, siquidem, nisi accedente permutatione quam Sempronius conficiendam offert cum Theodato, nequidem cogitaret, eidem ejusmodi proponere conditionem; neque eandem ei ferat nisi eo fine, ut ad eam perveniat, & proprio suo filio, ex ejusmodi dono temporali, afferat Capellaniam Sempronii, quæ annexo sibi reditu annexo pinguior est ipsa Capellania, cujus titulo Theodatus insignitur.

(*a*) S. Thom. q. 100. art. 4. ad 5.

(*b*) Fr. Sylvius resolut. var. v. Simonia. 4.

CASUS XXVII.

PRIORATUS de S. Amabili, cui 5000. librarum census annuus annectitur, quique pendet ab Abbatia de S. Cyrillo Cisterciensis ordinis, sic conducit Monasterio ordinis alterius, intra cujus prædiorum limites ponitur; ut Religiosi, ex quibus constat prædicti Monasterii Capitulum, animo destinaverint, illum eundem sibimetipsis unire. Cui unioni tum Abbas, tum Capitulum Regulare de S. Cyrillo consenserunt ea conditione, ut Communitas de præfato Monasterio foret in favorem Abbatiæ perpetuam annuamque 300. librarum constituta pensionem. In quam quidem conditionem lubenter descendit tota Communitas, atque ea ratione conventionis contractus locum ex utraque parte obtinuit. Qua de re quæstio habetur, utrum nihil simoniacæ labis contineat ac vitii prædicta conventio; adeo ut licite possint tum Abbas, tum ipsius Capitulum de S. Cyrillo percipere vel conventam istam pensionem, vel integram ejusdem sortis præstationem?

RESPONS.

Abbatia de S. Cyrillo nec prædictam pensionem; nec integram ejusdem sortis solutionem potest percipere vi contractus conventionis, quem Abbas & Religiosi de prædicta Abbatia cum Abbate & Religiosis de altero Monasterio pepigerunt. Contractus etenim prædictæ conventionis aperte simoniacus est, adeoque non potest nec habere locum, nec effectum ullum inducere. Ratio est, quia jus quo potitur ista Abbatia, circa Prioratum de S. Amabili, res est mere spiritualis. Porro non potest, sine simonia, res aliqua spiritualis, interveniente vel aliqua pecunia, vel adhibito pacto cujusdam solvendæ pensionis neque vendi, neque concedi. Quod quidem docetur a S. Thoma (*c*) sequentibus verbis: *Res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari*; & plurimis auctoritatum testimoniis depromptis e scriptura sacra fusius ab eodem demonstratur (*d*).

(*c*) S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1. in corp. & art. 4. & seq.

(*d*) Sambovius t. 3. casu 28.

CASUS XXVIII.

CAJETANUS, cui provisum fuit de Præbenda annexa Cathedrali Ecclesiæ Andegavensi, se se offert Capitulo in ejusdem possessionem inducendum, ad quam ineundam non prius admittitur, quam persolverit summam 200. librarum, quam vulgo ajunt *jus sacræ trabeæ*, quæque ab omni hominum memoria consuevit in ista Ecclesia numerari ab omnibus Canonicis, antequam in possessionem veniant suarum Præbendarum. Cajetanus vir omnino religiosus timet, ne inde in aliquam simoniam inciderit; & petit, num timor ille, quo conscientia sua scinditur, fundamento aliquo gravi fulciatur?

RESPONS.

Nihil juvant rationum argumenta, ad dissolvendas difficultates; cum suprema Ecclesiæ auctoritate fuerunt eædem omnino explanatæ. Quapropter, in decidenda proposita difficultate, nonnisi ipsissima verba Tridentini Concilii adhibebimus (*e*). *In pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis & Parochialibus, ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, aut alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ vel beneficii, canonicatuum aut Præbendarum vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes-ve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur. Hæc cum sancta Synodus detestetur; mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant*. Ex quibus verbis sequitur evidenter, non licere Canonicis, qui jus illud exegerunt a Cajetano, sine labe conscientiæ 200. libras prædictas inter se distribuere: quippe hoc ipsum condemnetur ut simoniacum ex istis verbis Innocentii II. (*f*), qui vel etiam prohibet, ne eis in circumstantiis ullus cibus exigatur. *Nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus ante, vel post, a quoquam exigatur, vel ipse dare præsumat; quoniam simoniacum est: sed libere & absque diminutione aliqua, collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur*: siquidem Concilium Tridentinum ejusmodi non toleret consuetudinem, nisi ea conditione, ut, quidquid perceptum inde fuerit, illud totum ab ipso Capitulo in pios usus impendatur. Quæ quidem eadem Consuetudo jam antea condemnata

(*e*) Concil. Trid. sess. 4. de reform. c. 4.

(*f*) Innoc. II. in c. 2. Si quis. sin. 1. q. 3.

mnata ac reprobata fuerat a tertio Concilio Oecumenico Lateranensi (*a*) celebrato anno 1179. sub Alexandro III. a Concilio ejusdem nominis quarto habito anno 1215. sub Innocentio III. atque a Gregorio IX. ut colligi potest ex tribus Decretalibus, quas ibidem ad marginem indicamus.

(*a*) Conc. Lateran III. can. 7. in cap. cum in Ecclesiæ, 9. de simonia. &c. Conc. Lateran. IV. can. 66. in Ad Apostolicam, 42. eod. tit. Greg. IX. in c. Jacobus, 44. eod. tit.

Debet igitur ista pecunia in utilitatem ipsius Ecclesiæ tantummodo vertere, aut ad alios pios usus conferri, ut constituitur a Concilio Tridentino, & ut statutum est Arresto supremi Parisiensis Senatus lato anno 1540. in causa provocationis tanquam ex abusu a Capitulari quodam statuto de Cathedrali Ecclesia Turonensi, quo quidem statuto ferebatur, futurum ut integer reditus Canonicatus vacantis, in damnum recentioris Titularis, priori anno Ecclesiæ cederet, ad ipsius reparationes, atque Divini cultus amplificationem: atque prædicto Arresto Provocans, qui contendebat, memoratum statutum abusivum esse, appellatione sua submotus est, & declaratus non admittendus; quemadmodum refertur a Carolo Fevret in ipsius de abusu tractatu. Cui decisioni favent Felinus (*b*), Abbas, qui a prædicto citatur, & Navarrus (*c*), qui observat, aliquatenus fuisse derogatum a Concilio de ꝑeo, quod Alexander II. ea de re determinaverat in Canone, quem Gratianus refert (*d*).

(*b*) Fel. Sandeus. in c. De Francia de sponsalibus &c. n. 18.

(*c*) Navarrus. l. 5. Consil. de pœnitent. & remiss. consil. 38. n. 5.

(*d*) Alex. II. in c. Ex multis 9. 1. q. 3.

C A S U S XXIX.

Ovidius vacantem quemdam Prioratum, cujus Diodorus est Collator, animo plurimum intendens obtinere, & certissime sciens, Lucillum amicum intimum Diodori nihil non omittere, ut in eum mala officia in ista occasione conferat, nititur conatus ipsius infringere, obicemque, quem iste ponit, prorsus removere, dono ei donans manuale quoddam horologium, cui theca aurea inest. Quod Lucillus cum acceptavit, cessat resistere Ovidio, qui deinde dictum Prioratum ab ipso Diodoro facile consequitur. Ovidius, cui incussa est ea de re religio, propter donum scilicet, quod obtulit Lucillo, ut obicem removeret, qui forsitan obstitisset, ne beneficium istud assequeretur, petit, num in eo peccaverit, atque utrum alicujus simoniæ sese inde reddiderit conscium?

R E S P O N S.

Videtur dissolvi posse proposita difficultas auctoritate Decretalis Lucii III. (*e*) in qua laudatus Papa consultus a Prælato quodam, quem maxima pars Canonicorum jure suffragii in Capitulo gaudentium elegerat in Episcopum, ut sciret, quid sibi facto opus esset, propterea quod aliquis ex ipsius amicis largitus fuisset pecuniam cuidam, qui ipsius electioni pro virili parte adversabatur, ne, si diutius eumdem sibi adversantem experiretur, electionis beneficio caderet; sic respondet, præfatum alloquendo Prælatum: *Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum; respondemus, quod multum tibi consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens*: nihil prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.

(*e*) Lucius III. in c. Matthæus 23 de simonia &c.

Nec est, unde quis objiciat, isthæc verba, *multum tibi consulis*, non sonare præceptum, sed simplex tantummodo consilium, adeoque Lucio III. non omnino visam fuisse electionem istius Prælati tanquam aperte simoniacam. Neque enim laudatus summus Pontifex utitur prædictis verbis, nisi quia agebatur de peccato occulto, de quo non potest Ecclesia judicare, juxta dictum illud Tridentini Concilii (*f*): *Ecclesia... de occultis non judicat*: ac proinde penes eum non erat consulenti verbis apertis præcipere, ut Beneficium suum dimitteret: ideoque satis habet eum monere, nihil ab eo rectius posse peragi, quam eidem prorsus renuntiando; siquidem ista eum obligatio omnino maneret; secundum quod declaratur ab Alexandro III. in una quadam ex ipsius Decretalibus (*g*): quam quidem obligationem revera Lucius III. satis indicat, cum addit, non expedire, ut, pro commodo temporali, salus æterna in discrimen adducatur.

(*f*) Conc. Trid. sess. 24. de reformat. matrim. c. 1.

(*g*) Alexand. III. in c. Ex tua. 30. de simon. &c.

Atque ita prædictam objectionem Glossa diluit (*h*). *Licet dicatur*, Consulis, *hoc ideo dicit*, ipsius sunt verba, *quia etiam peccatum occultum erat. Unde illum expresse non poterat prohibere, nisi consulendo: necessitatem tamen imposuit, si vult salvari; quia nisi renuntiet, salvari non potest, ut dixi supra, eodem* (tit. cap. tuæ) *& hoc idem dicit littera in fine*.

(*h*) Glossa in cit. cap. Matthæus v. Consulis.

Concludimus igitur, & asserimus, cum manifestum sit, ab Ovidio Prioratum in proposita specie dictum obtentum fuisse offerendo munus manualis horologii aurei Lucillo, qui ei prius omnino adversabatur; & ab eo ei munus illud collatum fuisse, antequam quidquam juris ad istud Beneficium fuerit adeptus; merito contendi posse, revera præfatum Prioratum non fuisse ei concessum a Diodoro, nisi propter munus illud, quod donatum est eidem Lucillo familiarissimo Collatoris memorati Prioratus amico; adeoque collationem ipsius vitio simoniacæ pravitatis omnino laborare (*i*). Quod quidem fit apertissimum ex textu S. Thomæ, quem in integrum exscribimus in sequenti decisione, in quo S. Doctor plane docet, numquam licere, quidquam offerri sub prætextu sese redimendi ab iniqua vexatione, nisi, cum jam ad Beneficium jus aliquod comparatum est.

(*i*) De Gen. theol. mor. tom. 2. tract. 2. c. 1. quæst. 4. & 5.

C A S U S XXX.

Cum a Capitulo Frisingensi Bartholomæus fuisset ex præscripto Canonum electus Episcopus; & quatuor vel quinque Canonici in eumdem male animati obstitissent sine ulla legitima causa, ne induceretur in possessionem suæ dignitatis Episcopalis; providit, ut eisdem 100. minæ secreto donarentur, quo, ea ratione, ab iniquis suis consiliis deducerentur: quo sic facto, isti revera ab injusta sua intercessione abierunt; & Bartholomæus in possessionem inductus est, Num in eo commisit aliquam simoniam?

R E S P O N S.

Est extra omnem profecto positum controversiam, futurum fuisse, ut Bartholomæus simoniam realem aperte committeret, si prædictas centum minas quatuor vel quinque præfatis Canonicis ante dedisset, quam assecutus fuisset jus in Frisingensi Episcopatu, hoc est prius quam, servatis, quæ de jure servanda sunt, fuisset electus; siquidem ipsius pecunia effecisset, ut perveniret ad dignitatem Episcopalem; quæ res est omnino spiritualis. At, quoniam non largitus fuit suam pecuniam, nisi postquam fuerit Canonice legitimeque electus; nihil omnino simoniæ commisit: propterea quod istam dignitatem non sit proper suam pecuniam consecutus, neque eamdem rependerit nisi, ut sese potissimum expediret ab iniquiori prorsus vexatione, quæ sibi, molestiæ duntaxat exhibendæ causa, sine ullo fundamento inferebatur.

Quæ nostra decisio tota consentit Doctrinæ Angeli Scholæ (*K*), qui habet: *Antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel Præbenda, per electionem vel provisionem, seu Collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam, ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere*.

(*K*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Item. in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæst. 2. ad 7.

Vide sequentem decisionem, in qua eadem difficultas fusiori stilo discutitur.

C A S U S XXXI.

Cum Christiano fuisset de Cura S. Albini provisum: Cecilius ipsius interturbavit possessionem; & litem ei intulit contendens, sibi jus ad eamdem vindicari. Cui eidem Christiano litem quoque alteram concordi cum Cecilio animo ac voluntate Epigonius intendit, molitus in eum falsum crimen, cui, pro sua atrocitate, pœna depositionis debetur. Quam duplicem vexationem Christianus excussit, datis Cecilio, totidemque Epigonio, viginti minis. Num in eo se se constrinxit aliqua simonia, vel aliquo peccato?

Res-

Digitized by Google

RESPONS.

Quæ sumus prosecuti, in dissolvenda præcedenti difficultate, sufficiunt, ut, quæ hic loci proponitur, possit penitus enodari. Si namque jus, quod Christianus habebat in Cura, cujus extabat possessor, legitimum esset, atque indubitatum; potuit, sine ulla simoniæ labe, & sine peccato, vel pecuniæ pretio, vel quacumque alia ratione sese expedire ab illa duplici vexatione, quam ei Cecilius & Epigonius intulerant. At vero, si jus ipsius nec legitimum, nec indubitatum foret; sed supposititium, aut vel etiam tantummodo dubium; non potuit, nisi simoniace, removere pecuniæ pretio impedimenta, quæ sibi ab iisdem allata fuerunt. Ita censet S. Thomas, ut colligere licet ex ipsius textu, quem memoravimus in præcedenti decisione. Quam eamdem quoque sententiam S. Antoninus amplectitur (*a*), in eo totus insistens vestigiis S. Thomæ: *Ratione redimendæ vexationis*, ait laudatus S. Archiepiscopus, *& antequam jus acquiratur alicui in Beneficio, vel dignitate, non licet dare* (pecuniam), *ad redimendam vexationem suam. Alias simonia est. Sed postquam fuerit adeptus* (beneficium) *& jus sibi acquisitum; vexationem sibi injuste factam super Ecclesia, vel Beneficio, vel dignitate, licet pecunia redimere*. Quod idem docent Rebuffus (*b*) & Panormitanus ab eo citatus (*c*); quorum prior recensitus innititur quadam Decretali Cœlestini III. (*d*) quæ tota nostræ Doctrinæ favet.

(*a*) S. Anton. 2. part. sum. theol. tit. 1. c. 4. §. 2.

(*b*) Petrus Rebuff. prax. Benefic. de simoniaca resignat.

(*c*) Panormit. in c. Cum pridem. de pactis.

(*d*) Cœlest. III. in c. Dilectus. 28. de simonia. &c. lib. 5. tit. 3.

Potest adversus hanc nostram assertionem objici, quod definitur a Lucio III. in una ex ipsius Decretalibus (*e*), in qua declarat cuidam Prælato, quia jam electus a maxima parte Canonicorum, qui jure suffragii gaudebant in Capitulo, consenserat, ab uno quodam ex amicis suis pecuniam dari paucissimis Canonicis, qui adversabantur ipsius electioni; ipsum oportere Episcopali suæ dignitati renuntiare, ne veniat in periculum damnationis æternæ. Ex qua summi Pontificis decisione colligitur, quamquam prædictus Prælatus verum jus fuerit assecutus, siquidem electus fuisset a majori parte Canonicorum; atque in eo casu Canonicis institutis ipsius electio consentiret; eum nihilominus a præfato summo Pontifice condemnari tanquam simoniæ conscium. Unde videtur, inferri posse, non ergo licere, redimere vexationem; licet acquisitum sit jus legitimum atque prorsus indubitatum; quale jus illud erat, quo dictus gaudebat Prælatus.

(*e*) Lucius III. in cap. Matthæus. 23. de simonia &c.

Ad quam objectionem affertur responsio prima hæc, quam Glossa suggerit (*f*), nimirum tanquam certum ponendum esse, paucioribus istis Canonicis jure suffragii donatis in Capitulo, qui resistebant electioni prædicti Prælati, procul dubio subiisse legitimam aliquam causam, cur, eamdem jure nullam esse, contenderent: quo quidem in casu pars major vincere non debet partem minorem, ut verbis omnino expressis declaratur a Generali Concilio Lateranensi (*g*), quod statuens, ut electio confecta *a majori & saniori parte Capituli* tanquam valida ac legitima habeatur, istam clausulam excipientem apponit: *nisi a paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & ostensum*. Adeo ut, cum prædicti Prælati jus non esset indubitatum, sed ad summum dumtaxat dubium, non sit, unde mirum videatur, si ipsius agendi ratio summo Pontifici non comprobetur: siquidem nunquam liceat pecuniæ pretio vexationem excutere, nisi, cum Jus acquisitum est, quod indubitatum sit, & supra omnem omnino controversiam positum. *Licet pauci essent*, ait prædicta Glossa, *poterunt tamen se opponere: quod forte erant contempti... vel aliam exceptionem poterant opponere electo: forte quod erat maritus corruptæ; & ita jus habebant contradicendi. Unde nihil eis dare debuit: & quia, eo sciente & non contradicente, pecunia data est, simoniacus est*.

(*f*) Glossa in c. Matthæus v. Paucis.

(*g*) Conc. Lateran. II. t. in cap. Cum in cunctis. tit. de his quæ fiunt a majori parte Capit. lib. 3. tit. 11.

Altera responsio authores habet Navarrum (*h*), Rebuffum & plurimos alios Canonistas qui ajunt, jure prorsus a prædicto Papa declarari, non debuisse Prælatum istum consentire pecuniæ ab amico suo eo fine tradendæ, ut, quam patiebatur licet injuste, redimeret vexationem: quoniam tunc temporis jus sufficiens nondum fuerat ex sola sua electione consecutus in dignitate Præsulis: quippe jus istud non evadat constans atque indubitatum, nisi postquam electio Canonica confirmata est, aut electus obtinuit Canonicam institutionem sui Beneficii: hoc est, uno verbo habebat forsitan quidem *jus ad rem*; sed nondum *jus in re*; atque adeo non poterat, de qua conquerebatur, vexationi pecuniæ pretio sese eripere; utpote non liceat sese ab injusta vexatione redimere, nisi cum obtinetur *jus in re*, hoc est, jus quæsitum, ut loquitur (*i*) S. Raimundus. Quæ igitur petitur ex Decretali Lucii III. objectio nihil probat adversus Christianum; siquidem, ut supponit, ei jam fuisset legitime provisum de Cura, de qua Cecilius ei litem intulit; & jam adeptus *jus in re*, jus quæsitum, posset omnino ab injusta vexatione sese expedire, quæ sibi afferebatur. Quam rationem subjicit Glossa, quando sic habet (*K*): *Qui recipit, simoniam committit, qui dat, nullum jus acquirit; sed dat, ut jus acquisitum retineat, vel redimat, quod licitum est. Argum. 1. q. 3.* (Can.) *quæsitum est, & infra, de usuris. c. 1.*

(*h*) Navarrus Manual. c. 23. n. 102.

(*i*) S. Raimundus in sum. l. 1. tit 1. §. 20. de simonia.

(*k*) Gloss. in c. Dilectus 28. de simonia v. Restituere.

Atque ex eodem prædicto principio, possunt infiniti propemodum alii casus dirimi, verbi gratia: 1. Utrum Graduatus, qui dotibus pollet quibuscumque necessariis, cujusque litteræ nominationis seu tituli numeris suis omnibusque partibus absolvuntur; sed cui Tabularius publicarum tabularum denegat sine ulla legitima causa, eoque animo ut pecuniam aliquantulum ab eo ea de re extorqueat, ipsius litteras in prædictas tabulas referre; possit sine ulla simoniæ labe sese ab iniquiori illa vexatione redimere, prædicto Tabulario summam aliquam pecuniæ rependendo, eaque ratione eum impediendo, ne malis cavillationibus ei molestiam diutius facessat. Quamquam etenim necesse sit juxta Edictum, titulos ipsius in publicas tabulas referri, ad eorum tamen substantiam atque essentiam non pertinet ut illuc referantur; potestque in judicio agere in ipsummet scribam, ut condemnetur ad eosdem in publicas tabulas referendos, constitutam ei ea de re solvendo mercedem: præterquamquod ex titulis illis in publicas tabulas relatis nihil Graduato novi juris accedat; siquidem ut supponitur, jus illud jam fuerit omnino integrum assecutus.

2. Utrum Patronus proprio suo jure ab Hæreticis injuste spoliatus, possit sine simonia pecuniam eis aliquam largiri, ut sese restituat in illius possessionem; modo aliunde non valeat illud idem recuperare.

Cæterum, quoniam sæpe-sæpius contingit, in occasionibus ejusmodi nimio plus unumquemque propriæ suæ cupiditati servire, atque vel ignorantia, vel auri sacra fame proruere passim in simoniacam pravitatem; potius juvat, sese a nulla redimere omnino vexatione, nisi consulto prius Episcopo Diœcesano, ab eodemque obtento ea de re consensu. Atque hoc ipsissimum est, quod præcipitur a S. Carolo Borromæo in ipsius Provinciali primo Mediolanensi Concilio, (*l*) in quo Cardinalis iste sanctissimus prohibet, ne quis redimere pecunia præsumat vexationes etiam in casu jure permisso, nisi Prælato ipsius approbante.

(*l*) Conc. Mediol. I. tit. quæ pertinent ad Collat. Benefic.

Necesse est etiam observare, ut nihil eorum prætermittamus, quæ ad abundantiorem hujusce materiæ pertinent intelligentiam, circa crimen, quod objicitur alicui Beneficiario eo fine, ut Beneficio suo spolietur; si crimen illud verum sit, atque ita immane, ut vel ex eo ipso Beneficiarius indignus suo Beneficio constituatur; non ei prorsus licere, ut ab illa excusatione sese per aliquam pecuniam intervenientem expediat. *Vexationem sibi injuste factam super Ecclesia, vel Beneficio, vel dignitate, licet pecunia redimere; sed non justam vexationem; ut, si juste accusaretur, & hujusmodi.* Ita determinatur a S. Antonino, post S. Thomam, quem ipsemet in suum ea de re patrocinium appellat (*m*).

(*m*) S. Anton. loco supra cit.

CASUS XXXII.

Narcisso cum de Præbenda quadam de Ecclesia Cathedrali fuisset ab Episcopo canonice provisum, Palemon vir, ad negotia tum impedienda, tum expedienda, callidus, plurimaque valens authoritate, eundem injuste perturbavit, litemque ei intulit, quam Narcissus non poterat repellere nisi cum ingentibus pecuniæ interrrimentis, quibus ipsius tenuiores facultates nullatenus sufficiebant. At Episcopus, qui peroptabat, ut Narcissus Canonicus remaneret, cujus etiam intererat aliunde, moderate tractare Palemonem; istum rogavit, ut lite desisteret, eique fidem dedit, futurum ut in eo casu eum institueret suum vicarium Generalem, atque suum officialem: Quod quidem Palemon acceptavit, & reliquit Narcissum præbendæ, qua gaudebat, pacificum possessorem, eo ipso, quod sese sensit nova sua dignitate insignitum. Nihilne habet ista compositio, quod possit cum aliqua ratione reprehendi?

Respons.

Demonstravimus in præcedentibus decisionibus, juxta doctrinam S. Thomæ, vexationem, interturbatam possessionem, seu litem injustam, considerandas esse, quasi quid veri nominis mere temporale; siquidem prædictus S. Doctor doceat, licere, ab ejusmodi rebus sese pecuniæ pretio redimere: quod quidem haud dubie non assereret, si prædicta haberet, ut aliquid spirituale; siquidem liceat nunquam, nec temporale quid, pro re spirituali, nec spirituale aliquid pro re temporali rependere. Unde sequitur evidenter, cum dignitates vicarii Generalis & officialis sint res mere spirituales, non potuisse sine simonia Palemonem ab Episcopo iisdem insigniri, accedente pacto seu conditione, quod, quam intenderat Narcisso, iniquiori lite desisteret, &, quæ eum cœperat urgere, vexationem dimitteret (a). Ideoque Narcissus potest remanere suæ Præbendæ pacificus possessor, nihilque, quantum ad conscientiam, perturbationis admittere.

(a) Fr. de Gen. theol. mor. 4. 2. tract. 1. c. 2. quæst. 8.

CASUS XXXIII.

Melchior Clericus initiatus prima Tonsura 50. nummos aureos, qui pertinent ad Titium Abbatem, fidei suæ commissos recepit, quos eidem restituere jampridem detrectat. Qui quidem Abbas aliqua ratione volens eum inducere, ad eosdem sibi restituendos, ei contulit quemdam Prioratum, qui 500. libras census annui referre consuevit: quem Melchior acceptavit, & paucos post ab illinc dies ei reddidit prædictos nummos aureos 50. Numquid Titius potuit ejusmodi rationem adhibere ad suam pecuniam de manibus Melchioris recipiendam absque eo quod simoniacam labem contraheret?

Respons.

Non potuit Titius, nisi simoniacam in pravitatem incurrens, conferre Melchiori prædictum Beneficium cum eo potissimum animo, ut eum induceret, ad quinquaginta nummos aureos, quos ei debebat, sibi restituendos, siquidem eo in casu pro temporali daretur res spiritualis. Ita deciditur a S. Thoma (b), qui sic habet: *Non est autem dubium, quod simoniam committeret, si quis aliquid spirituale debitori suo daret, ut, quod suum est, recuperaret.*

(b) S. Th. in 4. dist. 25. qu. 3. art. 3. ad 4.

CASUS XXXIV.

Vincentius ab aliquot annis gaudens titulo cujusdam Prioratus, qui reddebat ei 4000. libras census annui, cum eum Ecclesiasticæ vitæ satietas teneret, apud se constituit, uxorem sibi conjungere Mariam hæredem ditissimam, quæ est in tutela Pauli proprii sui Avunculi Sacerdotis. Ut res felicius succedat, innuit Paulo, futurum ut in ipsius favorem suum resignet Prioratum. Paulus intendens principaliter assequi Beneficium istud, prædicto matrimonio præbet consensum: Vincentius illud Beneficium in ipsius favorem resignat in Curia Romana, & post octo vel decem dies Mariam ducit in matrimonium. Potest ne tanquam simoniaca condemnari ista tum Vincentii, cum Pauli agendi ratio, atque contendi, Paulum incurrisse in pœnas Canonicas latas adversus eos, qui vel simoniæ, vel confidentiæ criminis conscii sunt?

Respons.

Quæ proponitur in enunciato casu, species ita frequenter his hodiernis diebus obtinere consuevit apud eos maxime, qui generis aliqua claritudine præcellunt: ut, quamquam facillime posset dissolvi, putaverimus, operæ pretium facturos nos esse, si silentio eandem non prætermitteremus: quoniam nihil jam apud viros sæculares resistere deprehenditur ea de re ne tenuissimi quidem scrupuli, modo possint ea ratione ad ditissimas nuptias convolare.

Respondemus igitur, esse hoc prorsus indubitatum, scilicet quamcumque conventionem sive verbis expressis enunciatam, sive tacitam resignandi Beneficium cum eo potissimum animo ac fine principali, ut ea ratione commodum aliquod vel temporale, vel pretio pecuniæ æstimabile, obtineatur, inducere tum resignanti, tum resignatario labem simoniæ realis, seu conventionalis, quemadmodum jam evicimus plurimis Canonibus atque Decretalibus, quæ retulimus in præcedentibus decisionibus, ac potissimum in discutiendo casu *Palladius*, in quo probavimus authoritate Bonifacii I. & suffragio variarum octo Decretalium, omnem conventionem, quæ non accedente Ecclesiastica approbatione, in rebus Beneficialibus intervenit, considerandam esse ut aperte simoniacam.

Jam vero Vincentius non resignavit in favorem Pauli suum Prioratum, nisi cum eo potissimum animo ac principali fine, ut inde reciperet ingens prorsus temporale commodum, nimirum conjungendæ sibi uxoris omnino ditissimæ. Adeo ut vere dicatur, ab eo Beneficium suum Paulo datum fuisse pro re temporali, quod plane idem est, ac si illud idem præsenti numerataque pecunia ei vendidisset: *Cum enim omne temporale in pecuniam possit redigi; omne tale nomine pecuniæ continetur* ut loquitur Celeberrimus Cardinalis Hostiensis (c), qui, quod ipse sic asserit, probat auctoritate S. Augustini relata a Gratiano in ipsius Decreto (d), quam eandem etiam laudat S. Antoninus in ejusdem effati confirmationem (e). Igitur inciderunt ambo simul in simoniæ peccatum. Siquidem omne Beneficium Ecclesiasticum sit aliquid spirituale, vel annexum spirituali, secundum doctrinam tum S. Thomæ, tum Theologorum Canonistarumque omnium, quorum plurima jam alibi laudavimus auctoritatum testimonia, quibus operæ pretium esse ducimus hic loci adjungi suffragium S. Antonini, quod sic se habet (f). *Dicuntur etiam spiritualia, vel annexa spiritualibus .... cura animarum, ingressus monasterii, vel religionis: Ecclesia seu Beneficium simplex, vel curatum: Præbenda, dignitas Ecclesiastica ... & alia hujusmodi. Permutatio dignitatis, vel Beneficiorum Ecclesiasticorum pro commodo temporali. Igitur exigere, vel exactus solvere, aut promittere, aut pacisci pro aliquo spirituali prædictorum consequendo pro pecunia, seu pro re, quæ pretio potest æstimari, alias ipsum spirituale habere non posset, expressa simonia est.* Quibus in verbis omnino redditur casus, in quo Vincentius constituitur, qui quidem non pervenit ad matrimonium, quod contraxit cum Maria, nisi accedente resignatione sui Prioratus, quam in favorem Pauli præstitit.

Diximus, ambos simul ex utraque parte incidisse *in simoniæ peccatum*. Neque enim simoniacæ pravitatis Vincentius potiori jure, quam Paulus arguendus est; siquidem iste suum consensum non præbuerit filiæ sui fratris vel suæ sororis Vincentio collocandæ, nisi cum eo potissimum animo ac fine principali, ut ea ratione Prioratum ipsius assequeretur, cui rei alioquin, ut supponimus, non consensisset (g); atque similiter Vincentius non resignavisset in favorem ipsius suum Beneficium, si noluisset assentiri prædicto matrimonio. Quod quidem apertissime probatur ista definitione simoniæ confidentialis, quam tradit Cardinalis Hostiensis (h) *Simonia, est spiritualium, vel annexorum spiritualibus, præcedente pacto promissionis, conditionis*

(c) Hostiensis in c. Non satis. 8. de simonia &c.

(d) S. Aug. in can. Totum. 6. 1. q. 9. 3. 3.

(e) S. Ant. 2. part. summæ theol. tit. 1. c. 4. §. 2.

(f) Idem ibid. §. 3.

(g) Idem ibid. §. 3.

(h) Hostiensis in c. Tuas. 31. de simon.

modi, servitii, pretium, vel cujuscumque temporalitatis receptio, seu donatio. Asserendum est itaque, ambos simul ex utraque parte incurrisse in pœnas Canonibus constitutas adversus simoniacos; siquidem, quam contraxerant fuerint executi, conventionem.

Nihilominus observandum est, si Paulus sic animo fuisset dispositus, ut matrimonio, de quo agitur, consensurus esset, etiam non prælucente spe Prioratus a Vincentio consequendi, sive quia fuissent ei probatæ tum res ipsius, tum bona animi indoles, sive propterea quod ex qualibet alia legitima causa ad illud idem matrimonium inclinavisset, & quanquam pro certo habuisset, futurum ut Vincentius promissis non staret, perinde matrimonio suum exhibuisset consensum, nobis videri, eum non esse arguendum simoniæ, quod cum eo animo probatam habuisset ipsius Prioratus resignationem, quoniam, ut ait Cardinalis Hostiensis (*a*): *Gratis potest recipi, quod gratis offertur.* At vero quoniam sæpe sæpius contingit, in ejusmodi circumstantiis unumquemque proprio suo studio favere; atque perrarum admodum esse, ejusmodi animi dispositiones occurrere, quæ sint ab omni cupiditatis contagio puræ prorsus, ac plane defæcatæ; aliundeque talibus resignationibus plurimum inesse pessimi exempli, indeque locum dari sinistris suspicionibus atque iniquioribus judiciis, nunquam sunt, regulariter loquendo, nec approbandæ, nec suadendæ.

(*a*) Hostiens. in can. Cum tantum 36. de simon.

CASUS XXXV.

Tichonius, cum in possessionem venisset cujusdam Canonicatus, de quo fuerat ei provisum, per unum digitalium singulis Canonicis 20. distribuit, ex quibus Capitulum constat, juxta consuetudinem in suo Capitulo receptam, atque ab omni hominum memoria frequentatam. Nonne in eo aliquid simoniacum occurrit?

RESPONS.

Equidem Alexander III. scribens ad Strigoniensem Archiepiscopum (*b*) sic declarat: *In accipiendis vel dandis muneribus tria sunt maxime attendenda, personæ, scilicet dantis & recipientis, qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus.... si ipsa etiam persona electi offerat ordinatori, vel consecratori suo electuarium, vel de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant; non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.*

(*b*) Alex. III. in cap. Etsi quæstiones. 18. de sim.

Nihilominus constat, quanquam in foro exteriori Ecclesia non præsumat, munera modici istius pretii ejusmodi esse, quæ voluntatem recipientis inclinare vel movere non debeant, ad conferendum Beneficium, tamen si recipiens ex prædictis ejus generis muneribus inducatur, ad illud idem concedendum, aut donans intendat, iisdem incitari Collatorem ad donandum sibi beneficium, neutrum omnino posse a simoniæ peccato vindicari: *Recurrendum est in talibus ad intentionem, & ex intentione ista considerantur*, ut loquitur Bernatdus de Botono in sua glossa in Decretalem allegatam (*c*).

(*c*) Bernard. de Botono in cit. c. Etsi quæstiones v. Constat. &c.

Atque ea potissimum de causa consulta sacra Congregatio Tridentini Concilii, num Consuetudo, de qua habetur sermo in specie proposita, digitalium nempe distribuendorum Canonicis, postquam novus Titularis in possessionem inductus est suæ Præbendæ, fuisset interdicta tum a Concilio Tridentino (*d*), tum Bulla *Durum* S. Pii V. Cardinales, ex quibus prædicta congregatio constabat, responderunt, eandem interdictam fuisse, quemadmodum testatur Fagnanus (*e*). Ratio est, quia quanquam prædicta munuscula non afferri consueverint, nisi post obtentam Collationem atque possessionem institutam, non sunt tamen consideranda quasi gratuita, nec tanquam dona sine ullo pacto oblata; quoniam Consuetudo vim habet, locumque quasi tenet coactionis atque pacti: unde sacra Congregatio declaravit, munuscula ejusmodi, quæ dantur in istis rerum circumstantiis, a Concilio Tridentino (*f*) damnata fuisse ut simoniaca, aut quasi simoniacam pravitatem redolentia, ut testatur Fagnanus (*g*): *Sed potest dici munus illud non sponte offerri vel donari, sed jure Consuetudinis cogente, quia donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur* (*h*)..., *Unde non mirum, si ea Consuetudo a Concilio & Constitutione Pii V. sublata fuerit.* Quæ ipsissima sunt verba laudati Canonistæ.

(*d*) Conc. Trid. sess. 24. c. 14. de refor.
(*e*) Fagnan. c. Tua nos de simon. n. 38.
(*f*) Concil. Trid. sess. 24. c. 14. de ref.
(*g*) Fagn. loco cit.
(*h*) l. Donari ff. de Reg. Juris.

Nec animo debet illius, quod observavimus, excidere memoria nimirum, *modo prædicta munuscula sint pretii tam modici, ut voluntatem recipientis inclinare, vel movere non censeantur, ad conferendum ordinem.* Quod de conferendis beneficiis, ac de sacris ordinationibus est perinde intelligendum: quanquam etenim aliquando censeantur ejusmodi munuscula esse adeo exigua, ut non valeant collatorem inducere ad conferendum Beneficium, si res, quantum ad externum forum, consideretur, in foro tamen interiori, de quo non potest Ecclesia judicare, quoniam, quæ ibidem fiunt, occulta sunt ac soli Deo cognita: (Ecclesia) *non judicat de occultis* (*i*); occurrere potest simonia, si vel donantis, vel recipientis intentio vitiosa sit, ac largitionibus istius generis corrupta; ut explicat S. Thomas (*k*) atque revera quidem, ita observante S. Hieronymo, potest quis simoniacus evadere ex munusculo etiam tenuiori, vel obolorum quinque, qui sicli quartam tantummodo partem efficiunt, de quo scripturæ mentionem habent (*l*); adeo ut idem prorsus possit judicari de peccato simoniæ, ac de furto aut usura; quemadmodum enim potest quis furti se se astringere in rebus etiam minoribus, secundum isthæc verba S. Hieronymi: *Fur autem non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur: Non enim id, quod furto ablatum est; sed mens furantis attenditur ... quantumcumque quis abstulerit, furti crimen incurrit* (*m*). Ac sicut usuræ crimen admitti potest, juxta S. Ambrosium (*n*) & Urbanum III. (*o*) licet res, quæ recipitur propter commodatum, pretii sit omnino modici; ita potest quis simoniæ culpam contrahere, si Beneficium aliquod Ecclesiasticum conferat, propter munusculum aliquod, quantumcumque modicum esse possit.

(*i*) Inn. III. in c. Sicut 33. de simonia. Item Urban. II. in canon. Erubescant. dist. 32. Conc. Trid. cit.
(*k*) S. Th. in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 1.
(*l*) 1. Reg. 9. l. Hieron. in can. Judices. 23. 1. q. 1.
(*m*) S. Hier. in can. Por. fin. 14. q. 6.
(*n*) S. Ambr. l de Tobia. c. 14. in can Plerique. 3. 14. q. 3.
(*o*) Urb. III. c. Consuluit. 10. de usur.

CASUS XXXVI.

Sylvinus Solsoniensis Episcopus in Catalania, & Alexander Episcopus Vicquacensis contendunt de juribus collationis & inspectionis circa Parœcialem quamdam Ecclesiam, quæ posita est in Confinio eorum Diœceseos. Post litem per sex integros menses agitatam, transactionem confecerunt, juxta quam fertur, futurum ut Sylvinus jure quidem Collationis, Alexander vero jure sit gavisurus inspectionis. Numquid simoniacum aliquid habet ejusmodi conventio?

RESPONS.

Ut casus propositus simul & alii plurimi, qui possunt in præsenti materia occurrere, solvantur, loco principii statuendum est, duo potissimum requiri, ut, quæ inter Partes intervenit, conventio labis simoniacæ sit immunis.

Prius, est auctoritas superioris legitimi.

Posterius, ut nunquam pro spirituali detur aliquid temporalis: quibus ita positis.

Respondemus, quæ Sylvinum inter & Alexandrum accessit, transactionem omni prorsus carere simonia: 1. Quoniam fuit ab ipsisme superioribus transactum. 2. Quia alteri non rependitur ab altero res temporalis pro re spirituali, quippe mere spiritualia sint jura tum Collationis, tum inspectionis, adeo ut non alteri concedatur ab altero nisi res spiritualis, pro re quæ eadem ratione spiritualis est.

At vero non ita judicandum foret, atque ibidem esset veri nominis simonia, si contendentibus duobus quibusdam de una, eademque re, alter alteri donaret aliquam rem temporalem eo fine, ut ab eo rem aliquam spiritualem obtineret: Exempli causa, si litigantibus Episcopo ac Domino cujusdam Parœciæ de jure Patronatus circa Curam ejusdem loci, lis dirimeretur, interveniente ista transactione, quod nimirum Episcopo dictus Dominus cederet jus Patronatus, & Domino concederet Episcopus quamdam silvam cæduam, quæ de

Bene-

Beneficio antea pendebat; neque enim silva cædua, quæ quiddam est mere temporale, potest absque simonia donari pro jure Patronatus, quod est aliquid omnino spirituale. Sic etiam Episcopus, ac Dominus alicujus Parœciæ, qui simul invicem contendunt super aliquo jure venationis, aut piscatus non possont litem suam componere transigendo, futurum, ut Episcopo jus venationis ea lege remaneat, ot inde eidem Episcopo sit inducenda obligatio conferendi filio prædicti Domioi, quæ primum vacatura est, Præbendam; cum enim jus venationia, aut piscatus sit res temporalia, non potest dari pro Beneficio, quod res est, aut spiritualis, aut annexa spirituali. Sic etiam si Petrus & Paulus Sacerdotes sibi jus vindicantes ad unum sdemque Beneficium paciscantur, futurum, ut Petrus cedat jus suum, atque quidquid ejusdem spei præsumit Paolo, ea conditione apposita, quod Paulus sit acturus, ut ei afferat quædam annua sacra in perpetuum facienda, quorum fundatio refert 300. libras censua annui, in eo casu occurrit manifesta simooia; siquidem Petrus cedat jus spirituale pro re temporali; hoc est pro mera procurationæ, quæ reddere debet 300. libras ei, qui eamdem habet. Ita quoque Religiosi de aliquo Monasterio & Matricularii suum officium actu exercentes io aliqua Parœciali Ecclesia, invicem litigantes de jure præsentandi ad curam, non possunt sine simonia transigere, ac pacisci, futurum, ut jus cedat Matriculariis ex conditione, ut Religiosi de fructibus ejusdem Beneficii, seu de reditibus Fabricæ pensionem annuam centum librarum sint percepturi. Ratio est, quia rem temporalem acciperent Religiosi pro jure spirituali, quod dimitterent. Tandem Ecclesiasticus aliquis gaudens titulo simplicis alicujus Prioratus pendentis ab Abbatia quadam, de qua Monachi asferunt, ut suum tractum quemdam decimarum, ex quibus fere integer conflatur reditus, qui Prioratui ipsius annectitur, oon potest cum iisdem privata sua auctoritate transigere, futurum, ut Monachis decimæ cedant, ipsi vero Monachi conferant beneficium quoddam, quod vacat; quamquam etenim jus decimarum, & Beneficium sint duæ res spirituales; omnino requiritur, eorum transactionem non accedere, nisi sob beneplacito legitimi Superioris, ipsoque eamdem expresso suo consensu approbante. Quod idem dicendum est de omnibus conventibus, quæ ferunt, futurum, ut alter contendentium in favorem alterius assignet pensionem. Denique memorari possunt multa alia ejusdem generis exempla, ac quæ retulimus, & pertinentia ad similes difficultates, quibus dissolvendis idem adhibetur principium.

C A S U S XXXVII.

Joannas, cum beneficiom quoddam fuisset consecotus, accedente pretio centum nummorum, quos solvit; peccatum suum deinde confessus est, atque fuit a censuris absolutus. Nonne potest, recta conscientia, prædictum beneficium retinere, eodemque gaudere, excusso prorsus omni scrupulo: si vero jam fuerit illo potitus, fructus inde provenientes num suos efficit?

R e s p o n s.

Etiamsi Joannes fuerit tum a peccato suo, tum a censuris eidem annexis absolotus, noo potest tamen recta conscientia, quod per viam simoniacam adeptus est, retinere Beneficium, atque sub pœna peccati mortalis obligatur, ad illud idem prorsus dimittendum, ne quidem ei relicta facultate ejusdem nec resignandi, nec permutandi, servata tamen copia Superiori legitimo eidem de eo iterum providendi ea ratione, qua vitium prioris provisionis omnino suppleatur; si sic ei visum fuerit expedire utilitati Ecclesiæ: tenetur etiam, ad restituendos fructus inde provenientes, quoniam eosdem nou potuit in proposito casu suos efficere: *Si aliquis scienter & propria sponte simoniace accipiat .... Ecclesiasticum Beneficium*, ait S. Thomae (a), *non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet .... beneficium resignet cum fructibus inde perceptis; sed etiam ulterius punitur &c.* Cu-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.

Pentes Tom. III.

jus rei rationem affert laudatus S. Doctor, cum dicit (b), eos, a quibus Beneficia conferuntur, eorumdem non esse nec Dominos, nec proprietarios; sed simplices tantommodo dispensatores, ac proinde iis non licere de iisdem contra voluntatem atque ordinationem Domini nostri disponere, cum jusserit (c) spiritualia, qualia Beneficia sunt donari gratuito. Unde sequitur, in iisdem vel donandis, vel accipiendis pro re aliqua temporali, prorsus agi contra voluntatem illius, qui eorumdem Dominus constituitur supremus. Adeoque, qui eadem prædicta ratione consecutus est, nullatenus potest ea retinere; siquidem nusquam licitum sit rem aliquam alienam, invito ipsius Domino, retinere. *Nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit*, ait laudatus Angelus Doctor, *puta, si aliquis dispensator de rebus Domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem Domini sui: ille, qui acciperet, retinere non posset: Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & Ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matthæi 10. gratis accepistis, gratis date, & ideo qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest.*

(b) Idem. ib. in corp.

(c) Matth. 10. 8.

Eaque de causa S. Pius V. plurimique alii summi Pontifices declaraverunt simoniacos *in Beneficio*, non taotum inhabiles ad retinenda Beneficia, quæ per simoniam adepti sunt; sed etiam ad quæcumque alia Beneficia possidenda, quæ quis vellet iisdem conferre: *Qui Beneficium, aut officium Ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit*, inquit Sanctus Pius V. in sua quinta Bulla 23. Novembris 1566. (d) *Illis similiter si ipso jure privetur ...... & perpetuo sit inhabilis ad ea & quæcumque alia Beneficia Ecclesiastica obtinenda.*

(d) S. Pius V in Bul. Cum Primum §. 5 7. die 23. Nov. 1566.

Quæ quidem Doctrioa locum etiam habet quantum ad eum, cui de aliquo Beneficio fuit simoniace provisum, quamquam nullatenus fuerit simoniæ nec conscius, nec particeps: quo tamen in casu non tenetur ad restitutionem fructuum, quos bona fide consumpsit; sed eorum tantummodo, qui io sua natura ac specie etiamnum remanerent.

Si vero, eo nesciente, nec volente, per alios alicujus promotio simoniace procuretur, inquit supra laudatus Sanctus Doctor (e); *Caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare Beneficium, quod est consecutus, cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit.*

(e) Idem S. Thom. cit. art. 6. ad 2.

Quæ diximus de obligatione restituendorum fructuum, qui percepti fuere, sunt intelligenda quoque de fructibus, qui percipi potuissent, ac deboissent, deductis tamen impensis legitime factis fructuum perceptorum causa, qui etiamnum extant, & exceptis fructibus, qoi in utilitatem Ecclesiæ collati fuissent. *Tenetur*, addit S. Thomas, *ad restituendos fructus, non tantum perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuerunt a possessore diligenti: quod tamen intelligendum est de fructibus illis, qui supersunt, deductis expensis factis causa fructuum: exceptis fructibus illis, qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ.*

Paulus II. in sua Coostitutione data 23. Novembris 1464. præter alias pœnas, in quas occurrunt *ipso facto* simoniaci, declarat etiam ab iisdem non acquiri fructus de Beneficio (f) provenientes, quod per simoniam consecuti fuerunt; & eos obligari, ad perceptos fructus restituendos: *Nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percipit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus*. Quæ Constitutio fuit a Pio IV. & S. Pio V. postmodum confirmata.

(f) Paul. II. in Extrav. Cum detestabile 2. de simon. §. 5. tit. 2

Eadem restitutionis obligatio quantum ad ejusmodi fructus verbis expressis etiam probatur aothoritate Alexandri III. in Decretali quadam, quam inscribit Archiepiscopo Toletano (g). & auctoritate S. Gregorii Magni scribentis ad Rhotomagensem Archiepiscopum (h) de eo, qui fuit

(g) Alex. III. in c. De hoc 1. de sim. &c.

(h) S. Greg. in c. Si quis 1. 1. q. 3.

ex interveniente aliqua simonia consecutus Beneficium.

CASUS XXXVIII.

Victorius Pater Petri volens agere, ut suus filius simplex aliquod Beneficium obtineret, ad illud dem consequendum, illo prorsus inscio, pecuniam largitus est. Post unum ab illinc annum rescivit Petrus, quam suus Pater admiserat, simoniam: 1. Teneturne ad dimittendum suum Beneficium, aut ad agendum in Curia Romana, ut sibi de eodem nova institutione iterum provideatur? 2. Num incurrit in pœnas Canonicas latas adversus simoniacos?

RESPONS.

Siquidem Petrus, quam suus Pater commisit, simoniæ fuerat nullatenus particeps, quin etiam eamdem nonnisi post unum annum resciverit, non est, unde contendi possit, ipsum incurrisse in pœnas adversus simoniacos pronunciatas a Paulo II. (a); cum iniquum foret, aliquem puniri, cum culpa vacat. Nihilominus vero obligatur ad renunciandum suo Beneficio, quoniam ipsius provisiones nullæ sunt. Quæ sumus in præcedenti decisione prosecuti, possent abunde sufficere ad veritatis hujusce confirmationem; sed addemus tamen alias probationes, quibus non minus inest roboris.

(a) Paul. III. in cit. Extravag. Cum detestabile. 2. de simonia.

Prior desumitur ex Decretali quadam Clementis III. (b). En qua ratione Summus ipsemmet Pontifex quæstionem refert, de qua consulitur, quæque propositi casus omnino consimilis est: *Ex insinuatione tua nobis innotuit: Quod Pater tuus, interveniente pecunia, olim tibi Præbendæ Beneficium acquisivit: cumque ad annos discretionis perveniens accepisses Dominicæ crucis signum, dictam Præbendam in manu Præpositi, & fratrum libere resignasti. Sed iidem tibi compatientes, de novo in suum Canonicum elegerunt: ita quod per electionem istam postremum locum in Choro & in aliis obtineres.* En ea de re quod a prædicto Summo Pontifice determinatur: *Respondemus, ut indulgentia, quam fratres tui misericorditer tibi fecisse noscuntur, contentus existens, ratione primæ receptionis nihil audeas in ipsa Ecclesia vindicare.*

(b) Clement. III. cap. Ex insin. 26. de simon &c.

Altera probatio legitur in alia quadam Decretalis (c), in qua Cœlestinus III. eadem ratione similem difficultatem dissolvit; atque evidenter colligitur ex utraque prædictorum summorum Pontificum responsione, licet Beneficiarius non sit particeps illius simoniæ, quæ inscienre eo, commissa est, ipsius tamen titulum esse prorsus nullum; adeoque non posse Beneficium ab eodem retineri, nisi postquam impetraverit novam illam provisionem, seu Canonicam institutionem.

(c) Cœlestin. III. in cap. Nobis 27. eod. tit.

Quæ quidem obligatio, quæ Petro inducitur sui Beneficii dimittendi, non habenda est ut pœna, quam ipse promeritus fuerit; sed tantummodo tanquam consectarium quoddam vitii, quo titulus ipsius inficitur. Nam, ut ait S. Thomas, (d), *ad hoc, quod aliquis privetur eo, quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ: puta; cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest.* At vero, ut possit ex dispensatione in suum Beneficium simplex restitui: non necesse est, eum Romam recurrere: sed ad proprium dumtaxat Episcopum, siquidem culpam non contraxerit simoniæ, quam ipsius Pater, insciente eo, & clanculum commisit. Namque verum est, penes solum Papam esse, cum eo dispensare, qui simoniæ voluntariæ conscius est, ut fertur in Canone (e), qui depromptus est e Concilio quodam, quod fuit Placentiæ celebratum anno 1095. & legitur in Decreto Gratiani: sed quantum ad simoniam, cujus culpam Beneficiarius non contraxit, Episcopus jure gaudet dispensandi, postquam tamen laudatus Beneficiarius in ipsius manibus pure, ac simpliciter dimisit Beneficium, quod simoniace consecutus est: *Dispensare cum eo, qui est beneficiatus, simoniace scienter, solus Papa potest*, ait S. Thomas (f), *in aliis autem casibus potest etiam Episcopus dispensare; ita tamen, quod prius abrenuntiet, quod simoniace acquisivit: & tunc dispensationem consequatur.*

(d) S. Th. 2. 2. q. 1. 0. art. 6. ad 3.

(e) Can. quicumque. 1. 3. q. 5.

(f) S. Thom. cit. art. 6. ad 7.

Cui doctrinæ S. Thomæ favent ea in re Decretales summorum Pontificum, ac præcipue Decretalis Gregorii IX. (g) qui sic habet: *Si alicujus electionem propter simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente, commissam, contigerit reprobari, cum eo super prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest Episcopus dispensare; quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex Beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem Episcopi dispensatio toleretur.* Prædictæ etiam consentiunt Doctrinæ Decretales (h) Clementis III. & Cœlestini III. atque Concilium Tridentinum (i).

(g) Gregor. IX. in cap. Si alicujus 59. de elect. &c. l. 1. tit. 6.

(h) Clem. III. in cit. c. c. Ex insinuatione. Cœlestin. III. in cit. cap. Nobis de simonia &c.

(i) Concil. Trid. sess. 21. c. 6.

CASUS XXXIX.

Urbanus Sacerdos ordines sacros suscepit ex simonia, quam ipsius Pater, eo prorsus ignorante commisit: nonne potest sine peccato, functiones ordinum suorum exercere, postquam de veritate illius, quod factum est, certius evasit?

RESPONS.

Quamquam Urbanus susceperit Ordines ex simonia, quæ eo nec volente, nec sciente commissa est: non potest tamen eorumdem exercere functiones, postquam ei innotuit simonia, quam suus Pater commisit: *Si vero eo nesciente, nec volente*, inquit S. Thomas (k), *per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem ordinis executione.* Rationem vero subjicit S. Doctor, quam in alio rei argumento jam retulimus, nimirum, quia, quod contra voluntatem sui Domini receptum fuit, non potest retineri. Atqui quando quis pecuniæ pretio promovetur ad aliquem ordinem, illum ordinem suscipit contra voluntatem Domini nostri, cujus Episcopi simplices sunt tantummodo Ministri: siquidem J. C. sic præceperit (l): *Gratis accepistis, gratis date.* Ex quibus inferendum est, eum, qui sic fuit promotus ad Ordines, nullo jure gaudere, quo valeat Ordinum suorum functiones exercere, licet eosdem absque peccato receperit: *quia nullus*, inquit laudatus Angelicus Doctor (m), *potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit .... Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & Ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur.* Atque ea potissimum de causa Paulus II. in sua Constitutione, quæ relata est in præcedenti Decisione, eos omnes declarat *ipso jure* suspensos, qui fuerunt ad ordines simoniace promoti, nulla adhibita distinctione inter eos, qui simoniam compertam habuerunt ante suam Ordinationem, & eos, quibus non fuit nisi postmodum explorata. Sententiam S. Thomæ fuerunt in eo amplexi Felinus Sandeus, Avila, Sylvest. (n), plurimique aliæ notæ prorsus insignioris Doctores. Non possumus attamen, nec debemus dissimulare, plurimos alios, ut Navarrum, Sayrum, Suarezium, & Bonacinam abire in contrariam sententiam (o). At quoniam conscientiæ sine controversia minus tute consulit, Doctrinæ Doctoris Angelici potissimum stamus.

(k) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

(l) Matth. 10.

(m) S. Th. cit. art. 6. in corp.

(n) Felin. in c. Per tuas de simonia, Avila 3 p. disp. 5. dub. 9. Sylvest. de Prierio v. Suspensio n. 7.

(o) Navarr. Manual. c. 25. n. 68. Greg. in clavi Regia. Suarez lib. 4. de simon. c. 56. n. 9. & de censur. disp. 31. sect. 1. & 4. n. 4.

CASUS XL.

Clodius legitimo titulo gaudens cujusdam Prioratus, quem possidet ab annis decem, ex interveniente simonia jamjam alterum adeptus est. Numquid priori privatur *ipso jure*, perinde ac posteriori?

RESPONS.

Placet Authoribus quibusdam illa sententia (p), juxta quam Titularis ejusmodi fit ipso jure privatus non beneficio tantum, quod simoniace consecutus fuit: sed iis etiam omnibus, de quibus eidem antea Canonice provisum erat. Eaque ratione potissimum innituntur, quod Paulus II. verbis expressis declaret in Constitutione, quam dedit 24. Novembris 1464. (q) eos omnes, qui sese simoniæ peccato constringunt, *ipso jure* incurrere

(p) Colloq. Condom to. 2. Colloq. 3. sect. 2.

(q) Paul. III. in Extrav. Cum detestabile 2. de simon. l. 5 Extravag. com. tit. 2.

currere in pœnas quascumque contra simoniacos antiquo Jure decretas: *Nos ... omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, & interdicti sententias, censuras, & pœnas dudum a Romanis Pontificibus prædictis contra simoniacos quomodolibet latas :... confirmantes & innovantes Apostolica authoritate, &c.* Quæ ipsissima verba sunt Bullæ laudati summi Pontificis. Atqui jus antiquum, inquiunt prædicti Authores, privat generaliter omnes simoniacos omnibus Beneficiis, quibus ante suam simoniam gaudebant: quod probant Decretali quadam Innocentii III. (*a*), quam iste Papa inscribit Canonicis Bethleem in Palæstina, qua declarat quemdam Canonicum omnibus suis Beneficiis privatum, propterea quod simoniam in electione quadam commisisset.

(*a*) Inn. III. in c. Super a. de confessis. lib. 2. tit. 18.

Quam laudatorum authorum opinionem amplecti tamen non possumus, & contrarium potius sequentes contendimus, in specie proposita Clodium ipso jure spoliatum non fieri priori Prioratu, quem, ante simoniam commissam in acquirendo altaro, canonice fuerat consecutus.

Atque ita docet Navarrus (*b*), qui explicans quintam Bullam S. Pii V. quæ per isthæc verba incipit: *Cum primum*, & quæ data fuit primo die Aprilis 1566. (*c*) sic habet. *Illa extravagans non habet locum in Beneficiis ante simoniam adeptis.*

(*b*) Nav. l. 5. consiliorum de sim. c. 92. (*c*) 1. Pius V. in Bull. Cum primum 5. §. 8. in magno Bullar. to. 2. p. 250.

Primamque rei istius rationem affert, *tum quia de ipsis non facit expressam mentionem*, aliunde vero cum sit Lex pœnalis, restingenda est ad proprium suum sensum, nec ad latiorem interpretationem extendenda.

Secundam vero rationem sic reddit: *Tum quia inhabilitas & irregularitas post Beneficium quæsitum incursa, non inducit vacationem illius pro jure & ante sententiam Judicis.* Quod probat exemplo homicidii & irregularitatis inde provenientis, vi quorum Beneficiarius non sit suo beneficio spoliatus, nisi post sententiam declarantem, eum spoliatum esse, juxta doctrinam Innocentii IV. in ipsius in Decretales commentario (*d*), qui ait: *Nam in homicidas, & irregulares cadere potest jus cujuslibet dignitatis, quia etiam juste habent eam si cum eis fuerit dispensatum, & etiam dispensatione juste tenent prædicti dignitates suas, quousque renuntient, vel deponantur.* Cui authoritati Navarrus adjicit pondus ac robur Decretalium duarum (*e*), prioris quidem, quæ authorem habet Alexandrum III. posterioris vero, quæ sibi vindicat Innocentium III.

(*d*) Inn. IV. ad c. Cum nostris 6. de concess. præbendæ, vel &c. sub litt.

(*e*) Alc. III. in c. Clericis §. ne Clerici, vel Mon. &c. l. 3. t. 5. Inn. III. in c. Ex Errari 10. de excess. Prælatorum l. 5. t. 3. Et ib. Panorm.

Tertia ratio, qua Doctor laudatus innititur, sic se habet; *Tum quia*, inquit, *non est recedendum a jure antiquo, nisi quatenus per novum exprimitur.* Quod verbis conceptis enunciatur in una quadam e legibus codicis (*f*), quam ibidem ad marginem indicamus. Porro Jus antiquum simoniacum spoliat beneficiis, quæ fuit legitime consecutus, antequam in simoniam inciderit, atque in eo prorsus hallucinantur, qui tenent opinionem contra quam pugnamus: neque enim Innocentius III. aperte loquitur in Decretali, quam allegant, de Beneficiis ante simoniam acquisitis; atque, etiamsi verba laudati Papæ possent in istum sensum accipi: non inde posset inferri, Beneficia ejusmodi fieri ipso jure vacantia & ante sententiam judicis ea de re declaratoriam; siquidem Canonicus Bethleem, de quo agitur in ista Decretali, ibidem non declaretur spoliatus omni tum Beneficio, tum officio, nisi vi sententiæ, quam in eum fert laudatus summus Pontifex, & postquam suum crimen ipsamet confessus est coram Judice, qui in eundem primum inquisiverat. *Nos, quoniam vitium hujusmodi prosequi volumus, ut debemus, ipsum per definitivam sententiam duximus ab omni Beneficio & officio Ecclesiastico deponendum.* Ipsissima sunt verba laudati summi Pontificis.

(*f*) L. præcipimus cod. de appellat.

Quartam rationem memoratus canonista subjungit istis verbis: *Sed & præfata extravagans videtur intelliganda, ut non censeatur habere locum in foro conscientiæ ante sententiam: 1. Tum quia pœna non ligat conscientiam ante illam inflictam*, & declaratum priusquam fuerit a Judice, in eandem reum incurrisse, quod probat Glossa in canonem quemdam Decreti Gratiani (*g*).

(*g*) Glossa in can. Fraternit. 23. 12. c. 2. V. Com arg.

Quinta ratio est, quia cum agitur de materia pœnali, & Lex non satis aperta est, eam benignius interpretari debemus, atque in sensum minus strictum accipere juxta regulam istam Juris (*h*): *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*, & istam aliam (*i*): *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt*, & istam aliam (*K*) *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius quam asperandæ.* Quæ regula tota congruit Juri Canonico (*l*), quod eandem sibi adoptavit.

(*h*) Ulpia. in reg. 9. ff. de div. reg. jur. an. Lib. 50. tit. 17. (*i*) Gaius in reg. 56. ib. (*k*) L. Interp. 42. ff. de pœn. Lib. 48. t. 19. (*l*) Can. Pœnæ 18. de pœnit. dist. 1.

Sexta & ultima ratio, quæ Navarro fundamenti loco est, quo potissimum suam sententiam suffulcit, est, quia *in dubio pœna per verba futuri temporis statuta non censetur ipso jure imposita, & pœna præfatæ* (nimirum in Bulla) *per verba futuri temporis exprimuntur.*

Quibus rationibus addi potest alia decisio laudati Canonistæ (*m*), in qua fusiori stilo determinat sensum, in quem accipienda est Bulla Pii IV. & Bulla S. Pii V. quæ superiorem confirmat; quantum ad pœnas prædictis duabus Constitutionibus adversus simoniacos statutas, Suarezius, Avila, Bonacina, & Cabassutius a quo memorati citantur Authores (*n*) circa præsentem difficultatem idem sentiunt, quod Navarrus, & iisdem rationibus innituntur, sicut etiam Gangericus in suis annotationibus in summam Gajetani (*o*), & Corradus post Glossam, & Lessius ab isto citatus (*p*).

(*m*) Nav l. 5. Cons. de Constit. Cons. 12.

(*n*) Suarez de Religione t. 3. 4. c. 56. n. 30 &c. 58. n. 3. Avila de censur. p. 5 disp. 5. sub fin. Bonacina de sim. disp. 1. qu. 7. pun. 2. diffic. 1. n. 5. & 2. Cabass. jur. can. th. & prax. l. 4. c. 8. n 7. (*o*) Gangeric. ad v. Simon. 2. de pœnit. simoniæ v. Cæterum. (*o*) Picthue Corrad. prax dispen. Apostol. l. 4. c. 10. n. 9. & 10. apud eum Cl. in c. Fraternitas, 12. q. 2. & Less. l. 2. c. 35. Dub. 26. (*q*) S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.

Vide POSSESSIO, Casus I.

CASUS XLI.

GERUNDIO jam jam ad Beneficium quoddam promovendo, Joannes ipsius inimicus ex animo malefico dat aut promittit pecuniam ei, qui jam jam erat ei beneficiam istud collaturus, ut Gerundius, qui rei istius inscius prorsus est, Beneficio excidat; aut, si Gerundius de illa re certior est, pro virili parte simoniæ Joannis totus obsistit, neque eidem ullatenus consentit, num in eo casu tenetur ad Beneficium, quod sibi fuit ea ratione collatum, dimittendum!

RESPONS.

Juxta Doctrinam S. Thomæ (*q*), non obligatur Gerundius ex conscientia, ad Beneficium suum in proposito casu dimittendum: *Tenetur resignare Beneficium*, ait laudatus Sanctus ... *nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit tunc enim non tenetur ad renuntiandum; nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum.*

Quæ sententia confirmari plurimum potest authoritate summi Pontificis Cœlestini III. (*r*), qui de iis sermonem faciens, qui promoti fuerunt ad Beneficium aliquod, ex interveniente pecunia, quæ promissa fuerat Electoribus, sic declarat: *Consultationi tuæ breviter respondemus, quod, nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda.* Glossa ad verbum *malitiose*, rationem istam affert, quia *malitiis hominum non est indulgendum*. Quod tamen contingeret, si malitia Joannis in causa foret, cur Gerundius excideret suo Beneficio. Author allegatæ Glos. subjungit, æquum non esse, virum innocentem ex alterius malefica voluntate lædi! *Alterius odio alius prægravari non debet.* Quas rationes omnes probat quatuor Decretalibus, & duabus Romanis legibus de Digesto & Codice depromptis, quas referre supervacaneum esse ducimus, quoniam ipsa res satis evidenter patet.

(*r*) Cœlest. III. in c. Nobis 27. de simon. &c.

CASUS XLII.

ROLLANDUS ex occulta, quam commisit simonia Curam quamdam assecutus est, atque ab annis tribus ejusdem gaudet pacifica possessione: nonne potest sibi vindicare privilegium, quo ei succurritur ex regula *de triennali possessione*, qua velatur ac pla-

Digitized by Google

plane tollitur vitium tituli colorati, si vero ejusmodi privilegio uti non possit, & teneatur, ad renuntiandum suæ Curæ, obligaturne, ad fructus, quos per prædictum triennium percepit, per quod totus assiduusque incubuit in omnibus muneribus præfato Beneficio annexis obeundis, restituendos?

RESPONS.

Quando pacifica Beneficii alicujus possessio fuit per tres annos integros continuata, & aliunde titulus adest coloratus, est hæc equidem triennalis possessionis prærogativa, ut quæcumque vitia diluat ac penitus tollat, quibus prædictus titulus illicitus efficiebatur ac non legitimus, sive peccet secundum formam, sive vitium illud proveniat ex parte Titularis aut ipsius etiam Collatoris, adeo ut recta conscientia liceat eo Beneficio potiri, ut refert regula *de triennali possessione*: & famosum pactum, quod Leonem X. inter & Franciscum I. (*a*) initum fuit. Atque generali prædictæ regulæ stare consuetum est in Gallia; verum casus excipitur simoniæ. *Absque simoniaco ingressu*, ait præfata Regula, cujus ejusdem exceptionis Molineus in Regula *de publicandis*, facit mentionem (*b*) *Ingresso per simoniam non prodest triennalis possessio pacifica*, inquit laudatus Jurisconsultus. Ratio est, quam ut possit tolerari aut legitimam habere excusationem. Ideoque, quanquam Rollandus per multos annos possedisset suam Curam, nihilominus obligaretur, ad eidem renuntiandum: siquidem sit illud prorsus indubitatum, non posse ab ullo Beneficiario recta conscientia Beneficium nec obtineri, nec possideri sine Canonica institutione, quemadmodum declarat Bonifacius VIII. in sequenti Regula Juris (*c*): *Beneficium Ecclesiasticum non potest sine institutione Canonica obtineri*. Jam vero titulus per simoniam acquisitus, nec Canonicus est, nec censeri potest coloratus, quin potius certo certissime nullus est atque illicitus, ut declaratum Paulo II. in constitutione jam toties allegata (*d*). Ergo consequenter Rollandus debet Beneficium suum dimittere: nec potest illud recta conscientia retinere, etiamsi illud idem per annos usque quinquaginta possedisset, atque obligatur ad fructus quoscumque inde perceptos restituendos, quemadmodum apertissimum est ex argumentis & probationibus, quæ retulimus in trigesima prima decisione, quæ incipit per illud verbum, *Joannes*.

(*a*) Concord. tit. de pacif. possess.

(*b*) Car. Molineus in reg. De publicandis n. 30.

(*c*) Reg. 1. de reg. jur. in 6.

(*d*) Paul. II. in com. Extravag. Cum detestabile de simonia.

Observant tamen Canonistæ plurimi, ut Gomesius (*e*), Rebuffus, Bonacina, atque Cabassutius, eum, qui pervenit ad aliquod Beneficium ope alicujus simoniæ, quam, eo insciente, alii commiserunt, & cum possidet illud Beneficium per triennium integrum bona fide, posse sibi vindicare Regulam Cancellariæ Romanæ de possessione triennali, & juxta ejusdem privilegium Beneficium illud sibi retinere: at vero, si prædictus Beneficiarius resciret istam simoniam antequam in integrum abiisset triennium, jam futurum ut obligaretur ad illud idem dimittendum vel in manibus Papæ, vel duntaxat in manibus proprii Diœcesani Episcopi, qui potest, si sic expedire visum ei fuerit, eadem nova institutione de eodem iterum providere, quemadmodum de eo convenit apud Canonistas & Jurisconsultos, atque inter alios, apud Durandum, Joannem Andream, Navarrum, Zeroiam, de Selva, & plurimos alios (*f*), & sicut Cabassutius illud probat non solum eorum suffragio, verum etiam authoritate Glossæ (*g*), quæ ait, in eam sensum accipiendum esse aliam Decretalem, quæ videtur eidem aliquantulum adversari (*h*). Equidem fatendum est, nec Concordatum, nec regulam *de triennali possessione*, neque Molineum attingere in casum, de quo quæstio instituitur, sed loqui tantummodo de iis qui contraxerunt culpam simoniæ. Nemo tamen iverit inficias, quin sententia, quam sumus amplexi, tuties omnino consulat conscientiæ.

(*e*) Lud. Gomesius ad Reg. de Triennali poss. q. 12. Petr. Reb. de pacificis possess. n. 2. & Jo. Cabass. juris can. th. & prax. l. 5. c. 8. n. 3.

(*f*) Gaill. Durandus spec. l. 2. tit. de div. sent. formis.

(*g*) Gloss. in c. De simon. ordinatis 22. de simonia, &c. Et in c. Ex insinuatione. 25. eod. tit.

(*h*) Nobis fuit sit eod. tit.

CASUS XLIII.

Si quis Episcopus sese sentiret implicitum occultæ cujusdam simoniæ peccato, propterea quod recepisset 1000. libras ab homine, cui, prædicta interveniente pecunia, curam aliquam contulisset, obligareturne ad recurrendum ad summum Pontificem, seu saltem ad suum Metropolitanum, ut obtineret absolutionem a censuris, & solveretur irregularitate, an potius a proprio suo Confessario posset tum absolvi, tum in integrum restitui?

RESPONS.

Posset omnino prædictus Episcopus & quidem valide tum absolvi, tum in integrum restitui a quocumque Confessario, quem sibi vellet ad hoc assumere: gaudet etenim eo jure Episcopus ex Decretali Gregorii IX. (*i*), quæ sic fert: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis superioribus, nec non minoribus prælatis exemptis, ut etiam præter sui superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem*. Non esset ei igitur opus recurrere ad summum Pontificem, adeoque a fortiori nec ad proprium suum Metropolitanum; siquidem juxta Concilium Tridentinum (*k*), ipsemet jure gaudet absolvendi in integrum & restituendi in ejusmodi casu proprios suos Diœcesanos, hoc est, cum crimen occultum est, sive per semetipsum absolvat ac restituat, sive per Sacerdotem a sese ad hoc delegatum: *Liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos Diœcesi suæ per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari*. Quæ verba sunt memorati sacrosancti Concilii. Excipit tamen S. Antoninus unum casum, ut jam alibi observavimus, cum egimus de confidentia: *Excepto*, inquit laudatus S. Archiepiscopus, *in sententia lata a superiori, puta ab Archiepiscopo, contra suffraganeum suum .... ab hujusmodi enim* (censuris) *non potest absolvere talis Confessor electus*.

(*i*) Gr. IX. in c. Ne pro dilatione fin. de pen. & remiss. l. 5. tit. 38.

(*k*) Conc. Tr. sess. 24. c. 6. de refor.

CASUS XLIV.

Humbertus Diaconus simoniæ peccatum admisit ex intentione, qua animo proposuit dare centum nummos ad Beneficium quoddam obtinendum: at vero ejusmodi simonia nonnisi fuit mentalis, quoniam suum non habuit effectum, numquid nihilominus subjicitur pœnis adversus simoniacos constitutis?

RESPONS.

Antequam respondeatur præsupponendum est 1. simoniam, juxta definitionem, quam tradit S. Thomas, esse deliberatam voluntatem emendi, aut vendendi rem spiritualem, aut spirituali annexam, hoc est, eandem consequendi quacumque ratione non gratuita. 2. Tres distingui simoniarum species, nimirum mentalem, conventionalem, atque realem. Simonia mentalis, ea est, quæ tota consistit in sola intentione, nec ad effectum usque transit: aut, si suum consequatur effectum, ita contigit ex nullo quocumque interveniente pacto nec explicito, nec etiam implicito. Conventionalis, est ea, quæ conficitur ex pacto, quod nihilominus a Partibus non perficitur. Tandem simonia realis, ea est, quæ consistit in executione conventionis vel verbis expressæ, vel tacitæ, cum alteri danti temporale alter rependit spirituale.

Quibus in antecessum positis, ad propositam difficultatem respondemus, & dicimus, certissimum esse, ita docente S. Thoma (*l*), non incurri in pœnas latas adversus simoniacos ex sola simonia mentali: quanquam etenim inde quis veri peccati constituatur conscius coram Deo, qui profunda novit peccatoris, non tamen censetur in foro exteriori constringi peccato simoniæ, adeoque pœnarum eidem constitutarum immunis est, quas alioquin subiisset, si peccatum ipsius innotuisset Ecclesiæ, hoc est; intentionem criminis, quam sibi proposuit, consecuta fuisset executio: *Quoad Deum sola voluntas facit simoniam*, inquit

(*l*) S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 6.

Digitized by Google

cuit Doctor Angelicus, *sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus obrenuntiare tenetur, sed debet de mala intentione pœnitere.*

Quod idem præfatus Sanctus probat etiam alibi (a) hoc textu sacrarum paginarum: (b) *Homines judicant ea, quæ foris patent, sed Deus intuetur cor.* Ac deinde sic subjicit: *Et ideo in simonia & in omnibus aliis peccatis, ex sola voluntate efficitur aliquis peccator secundum reatum pœnæ, quæ ad judicium Dei pertinet, sed non quantum ad reatum pœnæ, quæ pertinet ad judicium Ecclesiæ: unde Homicida voluntate incurrit reatum pœnæ æternæ, sed non irregularitatem vel excommunicationem, vel aliquid hujusmodi, & similiter dicendum est de simonia.*

(a) Idem in 4. dist. 25. q. 3. ar. 1. q. 1. ad 1.
(b) 1. Reg. 19.

Ex quibus sequitur. Hubertum in nullam Canonicam pœnam incurrisse, satisque esse, quod confiteatur & eum pœniteat peccati sui. Navarrus Pœnitentiarius Romanus, Filliucius, qui per longum omnino tempus suas lectiones Theologicas in eadem Civitate tradidit, & quasi sub ipsis etiam oculis Papæ sua Theologica opera composuit, Gomesius, Zerola, & Cabassutius simul cum plurimis aliis Doctoribus Doctrinæ S. Thomæ ea in re inhærent, ac testantur eum usum potissimum obtinere tum in Pœnitentiaria, tum in Tribunali Romæ (c).

(c) Nav. Man. c. 23. n. 104. Ludov. Gomes. reg. Canc. de triennali poss. q. 11. Zer. p. v. Simonia c. 7. Jo. Cabass. jur. can. theo. & prax. l. 5. c. 8. n. 1.

CASUS XLV.

Evandrum viginti minarum Bonaventuræ donatarum pro Capellania simplici, quam ab eo obtinuit, pœnituit, ipseque, eade re peracta pœnitentia, novas provisiones accersivit e Roma, & curavit a censuris, in quas incurrerat, sese ibidem absolvi. Bonaventura, quantum ad eum spectabat, obtinuit etiam a Censuris absolutionem, atque Evandro prædictas viginti minas restituit: nonne sunt ambo simul quantum ad conscientiam, securi?

Respons.

Non existimamus Bonaventuram nec Evandrum securos esse debere quantum ad suam conscientiam; neque enim viginti minæ fuerunt a Bonaventura ipsi Evandro restituendæ, siquidem ad eum ipsæ nulla ratione pertinerent, sed addicendæ fuerunt Ecclesiæ, cui jure debent ejusmodi restitutiones cedere, quemadmodum patet ex Decretali quadam Alexandri III. scribentis ad Archiepiscopum Toletanum (d), quando tamen asserimus, eas Ecclesiæ jure quodam peculiari cedere, animo non habemus pauperes excludere, qui ejusdem digna adeo membra sunt, nec etiam alios pios usus. Ratione vero ista potissimum innitimur, cu Bonaventura non potuerit Evandro præstare prædictam restitutionem, quæ etiam S. Thomæ sibi vindicat authoritatem (e), quando nimirum sic ait: *Alio vero modo est aliquid illicite acquisitum, quia ille quidem, qui acquisivit, retinere non potest: nec tamen debetur ei, a quo acquisivit, quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit, sicut contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam divinæ legis agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet, & datio & acceptio est contra legem.* Hæc manet ergo Evandro obligatio restituendi nimirum vel Ecclesiæ vel Pauperibus viginti minas, quas ei Bonaventura reddidit; quin etiam videtur, locum omnino esse contendendi, Evandro prorsus denegante restitutionem istam exhibere, Bonaventuræ esse supplere vices ipsius, restituendo partem pecuniæ summam Ecclesiæ vel Pauperibus; siquidem constet, cum male restituerit, eum censeri nullatenus restituisse, atque adeo, quæ ipsi antea incumbebatur, eandem obligationem remanere.

(d) Alex. III. in c. De hoc 21. de simon. &c.

(e) S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. in corp.

CASUS XLVI.

Bercarius Religiosus emit pretio pecuniæ, seu alia quacumque largitione, suffragia quorumdam e suis confratribus, ut eligeretur sui ordinis Provincialis, atque revera Provincialis ea ratione factus est. Numquid in majorem excommunicationem *ipso facto* incurrit: licet prædicta dignitas simplex tantummodo sit officium, non Beneficium?

Respons.

Non adducendum est in dubium, quin Bercarius incurrerit *ipso facto* in excommunicationem, ut verbis expressis fertur in Constitutione Pauli II. data 24. Novembris 1464. (f), in qua laudatus Papa, postquam sic declaravit: *Nos ..... omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, privationis & interdicti sententias, censuras, & pœnas a Romanis Pontificibus.... contra simoniacos quomodolibet latas ....confirmantes & innovantes*, addit: *Per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, officiis Ecclesiasticis, aut quibusve Beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur ....statuentes præterea, quod universi & singuli ....qui, quomodolibet dando, vel recipiendo, simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente, non possint absolvi, præterquam in mortis articulo constituti.* Quibus verbis patet, a laudato summo Pontifice inter simoniacos *ipso facto* excommunicatos eos recenseri, qui sese simoniæ reddiderunt conscios in electionibus, quæ peraguntur in Monasteriis, perinde ac, quæ in aliis locis habentur, & quantum ad dignitates, ad quas promoventur, eadem ratione, qua, qui promoventur vel ad ordines, vel ad Beneficia, quemadmodum observant (g) Cardinalis Cajetanus, Fumus, Navarrus, Cabassutius, & alii, quos postremo loco citatus Auctor recenset. Unde sequitur, ipsum actum electionis Bercarii esse *ipso jure* nullum; adeoque ipsum, oportere eidem renuntiare, ipsam suam dignitatem, vel officium Provincialis ultro prorsus abdicando.

(f) Paul. II. in Extrav. Cum detestabil. c. 2. de simon.

(g) Caj. in sum v. exion m. c. 30. Barb. Fumus in aurea armilla. v. eod. ... Nav. Man. c. 23. n. ... & ... 17. n. 106. Jo. Cabass. jur. can. th. & pr. l. 5. c. 8. n. 5. & alii.

CASUS XLVII.

Valerius Clericus initiatus prima Tonsura, natus annos viginti quinque, videns, eum esse Regis morem ordinarium, ut in distribuendis Beneficiis, eos potiores haberet, qui operam suam apud eum præbere studebant, munus emit eleemosynarii, seu primarii sacello Regio præfecti, eo potissimum animo, ut aliquam deinde consequi ea ratione posset Abbatiam. Quæstio proponitur, utrum sese simul duplicis simoniæ peccato non constrinxerit, unius quidem, quæ realis est, nimirum ex empto prædicto Ecclesiastico officio, alterius vero, quæ mentalis est, ex intentione, quam sibi proposuit in illo officio emendo, scilicet ea ratione perveniendi ad aliquod Beneficium?

Respons.

Munus Eleemosynarii Regii potest vel in seipso considerari, vel relative ad principalem finem, qui intenditur in eodem emendo. Si in seipso consideretur, & abstrahendo ab intentione Emptoris, videtur, propugnari posse, licere prorsus illud idem emere, modo nihil spirituale deprehendatur eidem annexum: alioquin nullatenus emi potest absque simonia. Dicimus, modo nihil muneris spiritualis annexum prædicto officio deprehendatur; de eo namque controvertitur quæstio, quæ certe suam habet difficultatem & quidem non mediocrem; siquidem Regii eleemosynarii sese considerent ut vicarios Primarii Galliarum eleemosynarii, ac contendant, sibi quatenus ipsius vicariis prærogativam juris istam concedi, ut possint, absente suo capite, dependenter ab ipsius authoritate in Aula Curionias exercere functiones, ipsum suum caput habentes ut ordinarium Aulæ Episcoporum, quocum corpus quoddam efficiunt, cui jurisdictioni Episcopi Diœcesani vindicant immunitatem vi privilegiorum iisdem a summis Pontificibus indultorum.

At e contrario propugnant tum Episcopi, tum Parochi, Magnum ac primarium eleemosynarium non esse Aulæ Episcopum: vel etiam ab ipso Rege, totaque Regia domo Episcopum & Parochum

k–

loci, in quo Rex ordinariam habet residentiam, ut suos legitimos solosque Pastores agnosci; atque adeo tum ipsum Primarium eleemosynarium, tum alios ordinarios eleemosynarios non censendos esse de familia Regia, nisi quantum ad ea, quæ non spectant ad ordinem & Ecclesiasticam jurisdictionem, quod quidem probant, convellendo fundamenta, quibus prædicti Ministri nituntur immunitatem suam suffulcire.

Primum, quod allegant Primarius eleemosynarius, & ordinarii eleemosynarii, fundamentum est, quod magnus Hispaniensis eleemosynarius fuerit institutus Episcopus Aulæ privilegio, quod eidem concessit Paulus V. seu Bulla 17. Februarii 1614. Prætereaque addunt, hoc idem privilegium indultum fuisse quantum ad Regna Portugalliæ, Neapolis, & Siciliæ, quemadmodum quidam antiquus Auctor (*a*) testatur, & persuasissimum esse debet, gaudere pari privilegio magnum eleemosynarium Galliæ.

(*a*) Turturel. l. de Capellis & Capell. Reg. c. 76. & 77.

Reponunt Episcopus Diœcesanus & Parochus hoc uno verbo, in præsenti hujuscemodi materia non valere argumentum *a pari*, quippe privilegia juri communi adversentur. Quod omnino consentit Regulæ Bonifacii VIII. quæ sic fert (*b*): *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*. Subjiciunt etiam ea, quæ spectant ad materiam odiosam, non esse extendenda ultra sensum verborum, quæ eandem enunciant, juxta sequens istud aliud ejusdem Summi Pontificis effatum (*c*): *Odia restringi .... convenit*.

(*b*) Bon. VIII. reg. 28. de regul. jur. in 6.

(*c*) Idem ib. reg. 15.

Secundum fundamentum, quo magnus eleemosynarius innititur, est, quod succedat in vicem illius Ministri, qui olim dicebatur *Apocripharius*, seu Archicapellanus, cujus jurisdictioni totus Clerus de familia seu Aula Principis subjiciebatur: *Apocripharius autem*, ait Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis (*d*), *quem nostrates Capellanum, vel Palatii custodem appellant, omnem Clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat*. Et alibi (*e*): *Apocripharius autem, idest, Capellanus, vel Palatii custos & Camerarius semper intererant. Idcirco cum summo studio tales eligebantur aut electi instruebantur .... Hildainus qui Apocripharius fuit, appellatur Ecclesiasticorum Magister a Lupo Ferrariensi Epist.* 100. *ad eundem*.

(*d*) Hincmar. epusc. 14. n. 16.
(*e*) Idem ib. n. 32.

Respondet Diœcesanus Episcopus & Parochus Apocripharium nunquam ea authoritate valuisse in Regum Galliæ Palatiis vi ullius Romani privilegii, sed ex delegata tantummodo jurisdictione ab Episcopis, quorum consensu promovebatur ad prædictam dignitatem, ut observat Florens (*f*), unde sequitur, ejusmodi potestatem non esse magno eleemosynario Gallico in Clerum Sacelli Regii attribuendam: siquidem his hodiernis temporibus, cum nominetur atque instituatur, non accedente consensu Episcoporum, ab ipsis non censeatur istam authoritatem mutuari.

(*f*) Florens. dissert. select. juris can. c. 2.

Tertium denique fundamentum, quod sibi vindicat Magnus eleemosynarius, est, ipsa possessio, qua jam pridem gaudet, quamque probat ex antiquis tabulis suorum antecessorum, ac potissimum Caroli d'Humieres annos 1559. & Jacobi Amyot an. 1560.

Episcopi vero Diœcesani & Parochi in contrarium arguunt, ex allegata possessione nihil juris ei tribui, non solum quia nullum sibi vindicant titulum, adeoque non habenda sit nisi ut injusta possessio atque usurpatio, sed etiam, quia non est pacifica, atque vel ipsis hodiernis temporibus contradicta fuit ab illustrissimo Parisiensi Archiepiscopo, qui rite etiamnum rem divinam exequitur, præsente ibidem Rege, ornatus propriis omnibus suæ dignitatis insignibus, atque ab aliis Prælatis, in quorum Diœcesi Rex aliquando commoratus est: sicut etiam ab ipsis Parochis, qui conspiratione quasi facta, omnes acerrime propugnaverunt, ejusmodi usum omnino inordinatum esse atque perversum, & a communi jure, cui revera adversatur, prorsus alienum.

Verum est equidem, inter authentica Sacrarii Carnotensis (*g*) reperiri Bullas, quibus Clemens VI. facit copiam eleemosynariis Regis ac Reginæ absolvendi eorum tum famulos atque domesticos, tum eos, qui sunt de eorum comitatu. Sed Episcopi merito prorsus respondent, ex ejusmodi gratia non sufficienter probari jurisdictionis Episcopalis immunitatem.

(*g*) Tit. Bullæ Papales.

Quæ quidem responsiones sic validiores videntur, ut mirum esse non debeat, si Auctor, qui scripsit pro defensione Juris, quod sibi vindicant Magni Primariique elemosynarii (*h*), sic tamen fateri coactus fuerit. Nihilominus, ut quæcumque difficultas plane resecetur, & tollatur conscientiæ omnis omnino locus scrupuli, existimo, satius esse futurum, quod a Summo Pontifice Bulla ea de re obtineretur, quemadmodum Rex Philippus III. unam obtinuit in gratiam sui Magni Capellani, qui Episcopus est totius Aulæ.

(*h*) Du Peirat de antiquitatibus Capellæ & a sacelli Reg. Gal. c. 87.

Ex quibus omnibus concludimus, & asserimus, si eleemosynarii Regii, ex speciali privilegio Summi Pontificis, nulla donentur spirituali potestate, neque habeant ex sua institutione, ut functiones Ecclesiasticas sive Ordinis, sive jurisdictionis jure valeant exercere, posse omnino absque simonia emi ejusmodi officia. At vero si Magnus eleemosynarius fuerit Episcopus Aulæ, & eleemosynarii ordinarii sint ipsius Vicarii, & eo vel præsente, vel absente, jure possint Ecclesiasticas peragere functiones, jam emi non posse sine simonia prorsus apertissima. Quod sic probari potest 1. authoritate Summi Pontificis Paschalis (*i*), qui sic habet: *Nullus igitur emat Ecclesiam, vel Præbendam vel aliquid Ecclesiasticum*. 2. Authoritate Urbani II. (K), qui de quæstione ita consultus: *Utrum vendere Ecclesiasticam rem sit simoniacum*! Respondet istis verbis: *Hoc simoniacum patenter colligitur*.

(*i*) Paschal. 2. can. si quis 71. q. 3.
(*k*) Urb II. in can. Salvator. 1. q. 3. & 1. ead. causa & q.

Nec est, unde objiciatur, officia Regiorum eleemosynariorum nec esse stabilia, nec perpetua: siquidem sic habeant Provisiones, futurum scilicet ut, qui iisdem insigniuntur, functionibus ita annexis non fungantur nisi per illud tantummodo tempus, quo Regi libuerit; adeoque eos non esse nisi Vicarios simplices ad nutum amovendos. Est idem namque judicium de quocumque Vicarii munere ferendum, ac de Beneficio Ecclesiastico: cum neutrum possit unquam absque simonia pecuniæ pretio acquiri, ut evidenter colligitur ex Decretali quadam Alexandri III. (*l*), qui scribens ad Herfordiensem Episcopum in Anglia, ait; „ Mandamus „ quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercen„ do, sive pro Vicariis assignandis .... nullam pecuniam exigatis. Cui congruit alia Decretalis (*m*), quam laudatus Papa Cantuariensis Archiepiscopo inscribit. Quæ eo usque diximus, indubitatiora etiam sunt, si Regiis eleemosynariis ex eorum officio jus cedat, ut possint certis quibusdam diebus, præsente Rege sacra celebrare.

(*l*) Alex. III. in c. ad nostr. ar. de simon. &c.
(*m*) Idem in c. licet 3. depræn l. 5. t. 38.

Jam discutienda superest quæstio proposita, considerata emptione muneris eleemosynarii relative ad intentionem, quæ in eodem emendo animo observatur. Quæ difficultas ut possit tutius enodari, distinguendi sunt cum S. Thoma (*n*) fines duplicis generis, nimirum, finis principalis ac primarius, & finis secundarius vel minus principalis. Qui non emant ejusmodi munus nisi cum principali fine, ut ope sui ministerii Beneficium aliquod adipiscantur, non minus reputandi sunt simoniaci, quam simoniacus foret Canonicus aliquis, qui, cum adest Divino officio, sibi proponit finem principalem adipiscendi pecuniam? quæ simoniæ species nominatur tum a S. Gregorio Papa, tum a S. Thoma (*o*) *manus ab obsequio*. At vero, si tanquam finem principalem intendant, suo ministerio digne laudabiliterque perfungi, eodem emendo sese peccato simoniæ nulla ratione constringunt; licet finem secundarium ac minus principalem habeant, ad aliquod Beneficium perveniendi, ut docet Author Glossæ (*p*).

(*n*) S. Thom. quod l. 8. q. 6. a 21.
(*o*) S. Greg. in can. sunt non. nulli 114. 1. q. 1. S. Th. in 4. d. 25. q. 3. a. 3. in corp.
(*p*) Gl. in can. hoc ad nos d. 59. in can. Consuluit. & in can. quid proderit d. 74. in c. cum essent de simon. &c. in c. cum ad nostr. de elect. &c. & in cap. unic. de cler. non resident in 6.

Nititur hæc doctrina Canone quodam antiquo deprompto ex Epistola Summi Pontificis Zozimi ad Isichium Episcopum Saloniensem in Dalmatia, quæ refertur in Decreto Gratiani (*q*), & alio Canone (*r*), in quo Cœlestinus I. scribens ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ declarat, Ecclesiasticis illud licere, ut in Ecclesiis Deo serviant spem si-

(*q*) Zozim. in can. Officia 2. d. 59.
(*r*) Cœlest. I. in cit. can. Consuluit d. 74.

bi

Digitized by Google

hi proponendo dignitates ibidem institutas assequendi. Quin etiam vult Gelasius Summus Pontifex (*a*), *ut hac ratione constricti honorem, quem fugerant, appetere nitantur & quæstum:* Quocum concordat S. Gregorius Magnus (*b*), qui ait: *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere; ut qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt, digne nostris provisionibus consolentur.*

(*a*) Gelasius in cit. can. Consuluit. q. 7.

(*b*) S. Greg. in can. Ecclesiast. cap. 67. 12. q. 2.

Quibus ita positis, Valerius debet in seipsum diligenter, ac coram Deo inquirere, 1. Utrum emendo munus Eleemosynarii Regii, persuasum habuerit, ex eodem sibi jus dari, quasdam functiones spirituales vel Ecclesiasticas exercendi. 2. Utrum sibi proposuerit, in eodem emendo, tanquam finem principalem ea ratione pervenire ad aliquod Beneficium. In utroque namque casu, certissimum est, eum in simoniæ peccatum incidisse, atque obligari ad renuntiandum suo muneri; at vero si e contrario persuasum ei fuerit, ut sufficientis ei locus aderat persuasionis, nihil prædicto muneri annexum esse functionis Ecclesiasticæ, neque sese eidem immiscuisse cum intentione principali consequendi aliquid Beneficium, non arguendus est simoniæ, licet secundariam intentionem habuerit, tum Deo tum Regi famulando, aliquod Beneficium aliquando promerendi. Ipsius igitur interest, se ipsum ea de re diligenter expendere, ac meminisse, a seipso quidem homines falli posse, Deum vero nullatenus: Quæ decisio Auctorem habet quemdam primi prorsus Ordinis Theologum, & Sorbonicum quemdam Professorem (*c*).

(*c*) Samb. to. 2. casu 53.

CASUS XLVIII.

Theotimus cogitat emere munus Ordinarii Regii Capellani. Deterret eum quidam & ipsius amicus ab illo proposito, quod animo suo destinavit, ista nimirum adductus persuasione, quod illud idem absque simonia non possit emere. Quærit, num suus amicus jure eum ab isto proposito nitatur dimovere, nihil obstante consuetudine contraria, quæ passim & ab omni ætate obtinet, emendorum ejusmodi munerum, absque eo quod Religioni quisquam illud habeat?

RESPONS.

Siquidem Regiis Capellanis ex officio munerum, quibus decorantur, hæc inducatur obligatio, ut præsente Rege, sacra celebrent, quin etiam ista functio sit quædam juris prærogativa ipsorum muneribus annexa; Constat munus illud a Theotimo non posse pecuniæ pretio legitime comparari, quin sese simoniacæ pravitatis labe inficiat, cum munus illud omnino sit Ecclesiasticum: Siquidem sacris Canonibus interdicatur, ne quidquam Ecclesiasticæ rei acquiratur pecuniæ pretio, ut patet ex iis, quæ citavimus in antecedenti decisione. Quin etiam plurimi Canones extant, quibus verbis expressis prohibetur, ne munus ullum ematur, cujus functiones in eo tantummodo consistunt, ut temporale Ecclesiæ alicujus administretur, qualia olim erant munera Procuratoris, Defensoris, seu Administratoris, quemadmodum fertur in secundo Canone Concilii Chalcedonensis, cui præsentes adfuerunt 630. Episcopi anno 451. En ipsius laudati Canonis verba sunt, qualia referuntur a Gratiano (*d*): *Si quis Episcopus .... promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium, vel quemquam omnino, qui subjectus est regulæ pro suo turpissimi lucri commodo; is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit.* Qui quidem Canon explicatur ab Urbano II. in alio quodam Canone, quem refert Gratianus: (*e*), in quo prædictus Papa declarat, per hæc verba, *quemquam omnino, qui subjectus est regulæ*, intelligendos esse, *Archipræsbyterum, Archidiaconum, Canonicum, Monachum, vel quemlibet Ecclesiastico mancipatum officio*. Quod confirmat plurimis Scripturæ Sacræ textibus, auctoritate memorati Concilii Chalcedonensis, & suffragio S. Augustini.

(*d*) Concil. Chalced. in can. si quis 8. 1. q. 1.

(*e*) Urb. II. in can. Salvator 8. §. 2. 1. q. 3.

Cui responsioni roboris potest addi plurimum ex Decretali, quam Alexander III. inscribit Episcopo Herfordiensi in Anglia (*f*), cujus verba ea de re aperta sunt ac plane decretoria. Inferendum ergo nobis est, 1. Nullatenus posse, sine reali simonia, Regii Capellani munus a Theotimo pretio pecuniæ comparari, siquidem illud munus sit aliquid omnino mere spirituale: cum ex sit prædicti Ecclesiastici præcipua functio, ut sacra peragat.

(*f*) Alex. III. in cap. ad nostr. 21. de simon. &c.

2. Contractum emptionis, quem conficeret, futurum prorsus nullum; quippe contractus omnis simoniacus, sit plane non legitimus, & nullius effectus. Cæterum quod modo diximus, de eo, qui munus emit capellani, asserendum quoque est de eo, qui pecuniæ pretio munus Clerici capellæ acquirit; genus etenim illud muneris absque controversia est Ecclesiasticum, non tantum propterea quod functiones eidem annexæ in eo positæ sint, ut Altari serviat; verum etiam quia ut quis illud possit possidere, necesse est, eum prima Tonsura Clericali initiatum esse. Ideoque non potest acquiri pecunia sine simonia reali, non magis quam munus Capellani.

CASUS XLIX.

Theotimus, qui simoniæ peccatum commisit ex emptione muneris capellani Regii, quod pecuniæ pretio sibi comparavit; illud idem peccatum suo Confessario aperuit, qui ei renuntiavit, eum incurrisse *ipso jure* in excommunicationem majorem, & eum remisit ad ipsius Episcopum, ut ab eodem absolveretur. Nonne prædictus Confessarius recte egit ea ratione sese gerendo?

RESPONS.

Certissimum est, antiquos Canones, quibus excommunicatio statuitur in pœnam simoniæ *in officiis Ecclesiasticis*, non pronuntiare, ea de re *ipso jure* incurrit in excommunicationem: quippe excommunicatio *ipso jure* nonnisi jure recentiori fuerit inducta, ac tantummodo in pœnam simoniæ commissæ, *in ordine, aut in beneficio*; nullatenus vero in pœnam illius simoniæ, quæ aliter committitur, ut in casu proposito. Unde sequitur, Theotimum non incurrisse in istam censuram *ipso jure*; adeoque necessarium non esse, eum ad suum Episcopum recurrere, ut a suo peccato absolvatur. Præterea addere licet, eum nequidem inhabilem constitui, ad possidendum istud munus; quanquam illud acquisiverit pretio pecuniæ; qua ratione inhabilis constitueretur ad possidendum Beneficium, aut ad aliquem exercendum ordinem, ad quæ fuisset simili ratione promotus? quippe jure nulla determinetur inhabilitas quantum ad ejusmodi casum. Satis est ergo, eum confiteri proprio suo Ordinarioque Confessario peccatum, quod commisit emendo suum munus. Atque ea de re ab ipso peragi pœnitentiam (*g*).

(*g*) Samb. to. 2. casu 51.

Nihilominus observandum est, quando asserimus, excommunicationem latam non fuisse nisi in simoniacos *in ordine aut beneficio*, animo non esse, excludere eam, quæ pronunciata est ab Urbano IV. quæque legitur in corpore Juris (*h*); in quo laudatus Papa sic habet: *Tam dantes, quam accipientes, hujusmodi excommunicationis .... sententiis, eo ipso decernimus subjacere: a quibus (præterquam in mortis articulo) absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.* Quibus verbis innixus Sylvius ait: *Quando aliquis simoniace Religionem ingreditur, tam dantes, quam recipientes, incurrunt excommunicationem ipso facto* (*i*).

(*h*) Urb. IV. in c. sane de simpl. l. 5. extr. com.

(*i*) Sylvius in 2. 2. q. 100. a. 6. l. 2. concl. 5.

(*k*) S. Ant. 3. p. sum. Th. t. 24. c. 67. Sylv. v. simp. q. 15. in fin. & v. Excom. n. 7. n. 5. & apud eum Archid. Felinus in cap. quoniam 4 de simon. Lessius l. 2. c. 3. dub. 23. n. 131. Nav. Man c. 23. n. 111. v. 4. C.b. jur. can. th. & pr. l. 3. n. 17.

Verum equidem est, a S. Antonino, Sylvestro, Felino, Archidiacono, Navarro, Lessio, Cabassutio, & aliis quibusdam (*k*) contrariam opinionem defendi, ac propugnari, constitutionem Urbani IV. revocatam fuisse, eidemque esse temperamentum adhibitum a Martino V. quantum ad excommunicationem latam adversus Moniales simoniacas. S. Antoninus inter alios testatur, sese ab Auctoribus locupletissimis accepisse, sic fuisse declaratum a Martino V. Nihilominus

nus Sylvius non stat ejusmodi famæ, atque auditioni, quod tamen fundamentum unicum est, quo fulciuntur omnes Auctores prædicti; & ait, siquidem nullum reperiatur ejusmodi Decretum, neque ulla Constitutio Martini V. nec in magno Bullario, nec alibi: neque ab eorum quopiam fiat fides, a sese Decretum ejusmodi vel Constitutionem lectam fuisse, vel visam; standum esse Constitutioni Urbani IV. & propter solam ignorantiam non culpabilem, aut bonam fidem tantummodo posse eos excommunicationi sese eripere, qui simoniam committunt quantum ad suum in Religionem ingressum. *Quia tamen eam Bullam, seu declarationem Martini non reperimus, neque ullus est, quantum quidem sciri potest, qui asserat se eam legisse, vel vidisse; ideo si Moniales veram simoniam committerent in alicujus ad suam Congregationem admissione: non credimus, quod excommunicationem evaderent, nisi forte per ignorantiam, aut bonam fidem possent excusari*. Quam Sylvii sententiam amplectitur Dominus Godeau Venciensis Episcopus in sua morali Christiana (*a*) Parisiorum post ipsius obitum typis impressa. Eamdemque sequitur Dominus Sangermanus agendo de simonia. Tandem addit Cabassutius ex auditione, quam accepit a Sylvestro ab Innocentio VIII. & Clemente VII. Constitutionem Urbani IV. fuisse mitigatam, atque prorsus idem esse declaratum, quod Martinus V. declaraverat, sed ea de re nullam affert probationem. Atque revera quidem nihil ea de re reperimus in decem & novem constitutionibus Innocentius VIII. nec in quadraginta & una constitutionibus Clementis VIII. quæ in primo tomo magni Bullarii referuntur.

(*a*) D. Ant. Godeau. moral. Christian. l. 4. c. 21. tom. 2. D. de S Germain. Exam gen. omnium vitæ conditionum c. 6. p. 14.

Quamquam hæc observatio nonnisi quadam ex accessione pertinet ad propositam speciem: operæ pretium facturos nos esse rati sumus, si eam silentio non prætermitteremus, ut nihil, quod attineret ad intelligentiam hujusce materiæ, posset ulterius desiderari.

CASUS L.

SYLVESTER, cum promotus fuisset ad sacrum Presbyteratus Ordinem ex interveniente quadam pecuniæ summa, quam dedit; peccatum suum confessus ab eodem fuit absolutus. Potestne deinde, sine scrupulo, rem divinam peragere?

RESPONS.

Non sufficit, quod Sylvester crimen simoniæ, quo sese constrinxit, fuerit confessus, ut possit sacra licite celebrare: atque ita censemus pluribus de causis: 1. Quoniam per commissam ejusmodi simoniam incidit in excommunicationem majorem, quæ gravissimam pœnam constituit, quæ fuerit *ipso facto* lata in simoniacos *in ordine* vel *in Beneficio*. 2. Propterea quod qui sese criminis ejusmodi conscium efficit, incidat præterea in suspensionem, atque in interdictum: ut declarat Paulus II. in sua constitutione, quam multoties jam allegavimus (*b*), in qua Papa præfatus renovando & confirmando omnes censuras, & omnes pœnas statutas contra simoniacos a Summis Pontificibus, qui illum præcesserunt, sic ait: *Apostolica auctoritate declaramus, quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, a suorum sint ordinum executione suspensi*. Atque citata constitutio fuit confirmata a S. Pio V. cujus Bulla habet adscriptam primam diem Aprilis anni 1556. (*c*) & quinta recensetur in magno Bullario. Quam doctrinam proponit etiam S. Thomas (*d*), qui ait: *Si dicatur Simoniacus ex hoc, quod recipit ordinem per simoniam; non recipit executionem, & est ipso jure suspensus & quoad se, & quoad alios: & punitur ulterius per depositionem, quando constiterit de crimine Judicii*.

(*b*) Paul. II. in extravag. cum detestabile 2. de simo. l. 5. Extrav. c. 2.

(*c*) S. Pius V. in Bul. cum pr. §. 6.

(*d*) S. Tho. in 4. d. ft. 25. 3. art quæsti. unc. 3. in corp.

Necesse est ergo, Sylvestrum, in quas incurrit, censuris primum quidem absolvi, deinde suo peccato, antequam possit vel sacra celebrare, vel aliquam aliam ordinum suorum exercere functionem: alioquin incideret in irregularitatem, ut evidenter colligitur ex integro titulo *de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante* (*e*).

(*e*) Lib. 5. Decret. l. t. 25.

CASUS LI.

Qui præest Colloquiis Ecclesiasticis, quæ habentur in Diœcesi Rupellensi, proposuit Ecclesiasticis, qui aderant primo Colloquio, quod ibidem habitum est, quæstionem istam; scilicet, utrum possit Summus Pontifex ex plenitudine potestatis, qua gaudet, omnem omnino speciem simoniæ tollere, atque abolere: licitum illud reddendo, quod, ipsius nec auctoritate, nec dispensatione intervenientibus, non liceret nisi simoniace peragere: qua de re diversæ fuerunt sententiæ. Quid de proposita quæstione sentiendum?

RESPONS.

Est hoc indubitatum apud omnes Theologos, non posse Summum Pontificem vi plenitudinis illius, qua gaudet, potestatis, ab omni omnino specie simoniæ purgare. Neque enim ex ulla quacumque dispensatione potest efficere, ut, quod jure tum divino, tum naturali simoniæ labem continet, licitum sit: neque ea valet auctoritate, nisi quantum ad solam simoniam, quæ juris est Ecclesiastici.

Ea autem ratio potissimum afferri potest, quod jus tum naturale tum divinum proficiscatur ab ipso naturalis æquitatis fonte, & divina voluntate innitatur, quam voluntatem divinam, naturalemque æquitatem immutare penes nullum est penitus hominem: jus vero humanum, Ecclesiasticum, aut Civile non fulciatur nisi voluntate humana, seu hominis Legislatoris, quæ immutationi omnino obnoxia est: *Omnis Lex proficiscitur a ratione & voluntate Legislatoris*, inquit S. Thomas (*f*). *Lex quidem Divina & naturalis, a rationabili Dei voluntate: Lex autem humana a voluntate hominis, ratione regulata*. Ideoque qui populis regendis præponitur, qualis est Summus Pontifex in iis, quæ pertinent ad spirituale, jure quidem gaudet, quo possit immunitatem afferre circa Leges humanas, utpote quæ non fuerint nisi ab ipsis hominibus constitutæ: *Ille, qui habet regere multitudinem*, ait laudatus S. Doctor (*g*); *habet potestatem dispensandi in Lege humana, quæ suæ auctoritati innititur*. At non attigit ipsa eadem ejus potestas ad dispensationem usque Legum Divinarum, in quas nihil habet auctoritatis & quibus ipsemet subjicitur. *In præceptis juris Divini, quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret*.

(*f*) S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 13. in corp.

(*g*) Idem ib. a. 4. in corp.

Juxta quod principium idem Doctor Angelicus (*h*) differens de potestate Summi Pontificis ait, quod *Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia; ita scilicet; quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia a Papa. Hæc enim sunt, quæ dicuntur juris humani, vel juris positivi. Circa vero ea, quæ sunt juris Divini, vel juris naturalis, dispensare non potest: quia istam habent efficaciam ex institutione Divina*. Quod usque adeo verum est, ut alibi sic doceat (*i*): *Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo .... & ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de reditibus Ecclesiæ alicujus, non careret vitio simoniæ*. Quod quidem asserendi locus nullus foret: si verum esset, ipsi potestatem inesse efficiendi, ut quod de se simoniacum est, vitio simoniacæ pravitatis cesset esse obnoxium.

(*h*) Idem quodl. b. 4. a. 13. in corp.

(*i*) 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7.

CASUS LII.

Cum Nicasius & Gildardus Sacerdotes primo quidem pensavissent unusquisque in semetipsius gratiam pro Officio Æditui de quadam Ecclesia Parœciali, cui officio de more annectitur obligatio Sacramenta tum Sacrosanctæ Eucharistiæ, tum Unctionis extremæ infirmis ministrandi: Gildardus deinde cum Nicasio pactus est, futurum, ut ei asseveret eorum suffragia, qui promiserant sese ipsi Gildardo suffragaturos, ea conditione, quod postquam foret tum a Parocho, tum a Matriculariis admissus,

repen-

rependeret ei modicam aliquam suorum stipendiorum seu emolumentorum portionem: quod juxta conventionem effectum obtinuit. Qua de se petitur: 1. Utrum peccaverint ambitiose sibi unusquisque eorum prosequendo prædictum Officium? 2. Utrum non oleat simoniam, quæ inter eos postmodum accessit, conventio? 3. Si sese aliqua labe simoniaca inde vitiaverint, num incurrerint in pœnas Canonicas, quibus Ecclesia solet in simoniacos animadvertere?

RESPONS.

Circa speciem, quæ proponitur, dicimus, 1. Nullatenus licere, Officium aliquod, cui Sacramentorum administratio annectitur, nec ambire, nec ambitiose prosequi; adeoque neque Nicasium, neque Gildardum, quantum ad eam rem posse ab omni prorsus peccato vindicari. 2. Conventionem, quæ inter eos accessit, juxta quam Gildardus fidem fecit Nicasio suo Competitori, futurum ut ei afferret suffragia suorum amicorum, ut certo certius officium illud assequeretur, ea Lege, quod inter se dividerent stipendia atque emolumenta, quæ Nicasius inde percepturus est, esse plane simoniacum, ut apertum est ex Concilio Chalcedonensi, & illius interpretatione, quam tradit Urbanus II. cujus adire licet verba in quadragesima decisione, cui S. Thomas etiam totus consentit (*a*) 3. Nicasium & Gildardum non inde tamen incurrisse in pœnam ullam Canonicam; quoniam, ut jam asseruimus alibi, non incurritur jure in pœnas latas in simoniacos nisi ab iis tantummodo, qui simoniaci sunt *in ordine* vel *in Beneficio* sicut observatur (*b*) a Sylvestro Mozolino, Cardinali Toleto, Navarro, & plurimis aliis. Consule superius additam observationem de simoniacis quantum ad ingressum in Religione in Casu *Theotimus* 48.

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. in corp.

(*b*) Sylvester v. Simonia. q. 39. Et Tolet. Instruct. Sacer. l. 5. c. 9r. §. 4. Navarr. Manual. cap. 23. n. 110.

Ind sequitur, a Nicasio dimittendum esse istud Officium Æditui, siquidem eodem ex simonia, quam commisit, se se omnino prodiderit indignum: cum hoc genus Ecclesiastici ministerii quoddam quasi sit Vicarii munus, quod non potest recta conscientia retineri, quando fuit ad illud ratione simoniaca perventum, ut docetur a Navarro, qui ait: *De emente, conducente, vel per alium quemlibet contractum non gratuitum quærente vicarium, & quamvis Jurisdictionem vel potestatem spiritualem, etiam ad tempus Episcopi vel Parochi, vel cujuslibet alius Beneficiarii, respondeo in summa, … primo, quod committit simoniam cap.* Licet *de Præbendis. Et cap.* Ad nostram *de Simonia. Secundo, quod meretur privari sed non ipso jure privatur officio Clericali, secundum Hostiensem, Panormitanam & communem … Tertio quod ipso jure talis Contractus est nullus, & consequenter non quærit talem vicarium, & ita tenetur eam relinquere, ut juste pæniteat, argum. Cau.* Si res 14. *q.* 6. Recentior quidam nostræ ætatis Theologus eandem Navarri sententiam secutus est (*c*).

(*c*) Sambovius t. 2. casu 34.

CASUS LIII.

SABINIANUS Parochus de S. Verano dupliones aureos exegit a Salvio, ut eum admitteret in Vicarium de sua Parœcia. Num in eo commisit aliquam simoniam; si vero aliquid occurant simoniæ, num ejusdem etiam Salvius est particeps atque conscius?

RESPONS.

Certissimum est, Sabinianum & Salvium ambos contraxisse simoniæ peccatum. Cujus veritatis assertioni probandæ sufficiunt ipsa, quæ retulimus in præcedenti decisione atque in aliis plurimis, authoritatum testimonia. Papa Paschalis (*d*) apertissime damnat eos, qui emunt non tantum aliquod Beneficium, sed etiam quodcumque Ecclesiasticum qualecumque sit. Urbanus II. idem prohibet (*e*), & declarat emptores ejusmodi plane simoniacos. Atque ita, juxta Chalcedonense Concilium, quod citavimus in responsione ad Casum *Theotimus*, cujus proinde verba iterum hic loci perscribere nihil juvat, neque etiam verba Alexandri III. (*f*) scribentis ad Herfordiensem Episcopum, quæ circa propositam difficultatem omnino luculenta sunt, quæque licet adire in eandem decisionem. Nec minus luculentus est idem Summus Pontifex in alia quadam e suis Decretalibus, quam inscribit Archiepiscopo Cantuariensi, quamque etiam allegavimus quidem, sed ipsias verba non retulimus (*g*), En qualia se habent: *Accepimus, quod Archidiaconi Conventrensis Episcopatus …,. a Vicariis denarios, ut eos in Ecclesiis cantare permittunt, exigere non formidant & alia agunt, quæ Canonicis obviant institutis, & de radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur ….. mandamus, quatenus Archidiaconis prædicti Episcopatus hoc districtius interdicat. Si autem contravenire præsumpserint, eos appellatione cessante, Ecclesiasticis censuris compellas.* Quæ duæ Decretales constituunt præcipua fundamenta, quibus Navarrus innititur, ad asserendam eandem sententiam, quam hic loci propugnamus, ut colligere licet ex fine præcedentis decisionis.

(*d*) Paschal. in can. *Si quis* 7. 1. q.

(*e*) Urban. II. in can. Salvator. 8. §. 1. ead. causa & q.

(*f*) Alex. III. in cap. Ad nostrum 22. de simonia. &c.

(*g*) Idem in cap. licet. 3. de pœnis.

CASUS LIV.

CAPITULUM & sex Canonici qui extant in Ecclesia Collegiali de S. Urbano, duos Clericos qui sunt ultra numerum, aggregaverunt in suum Collegium & cooptaverunt, confecto ea de re contractu coram duobus Notariis, ut venirent unusquisque ex ordine suo in partem obventionum & emolumentorum atque officiorum prædictæ eorum Ecclesiæ, iisdemque gauderent, cum occurret vacatio alicujus muneris Habituati, ea conditione, ut dictorum Clericorum quisque, cum recipietur, summam 200. librarum Canonicis cessuram sit soluturus. Qua de re quæritur: 1. Utrum prædicta Conventio & ipsius executio vitio simoniacæ labis inficiantur. 2. Utrum eadem Conventio labem simoniæ contineret, si Contractus enonciaret, futurum ut pecunia, de qua stipulatio accessit, licet impendenda in augendos ipsius Ecclesiæ reditus. 3. Utrum Canonici possint Clericos, quos ipsi ea ratione sic receperunt, excludere ab omni reditu suæ Ecclesiæ: quippe non fuerunt ultra numerum aggregati, nisi interveniente illa conditione, in quam ipsimet ultro descenderunt. 4. Utrum, posito quod contractus sit simoniacus, Beneficia Canonicorum tanquam caduca possint obtineri. 5. Num in eo casu alia Beneficia, quæ fuerunt postmodum consecuti, possint quoque jure caduci impetrari. 6. Utrum in isto etiam casu prædicti Clerici de Ecclesia S. Urbani expellendi sint, atque utrum locus eorum censendus sit vacuus & obnoxius impetrationi?

RESPONS.

Respondemus, duce quodam insignioris notæ Theologo, cui non absimilis difficultas olim proposita fuit (*h*), & dicimus. 1. Inhærere procul dubio tum prædictæ conventioni, tum ejusdem executioni labem simoniæ manifestissimam. Ratio est, quia, in aliquam Ecclesiam cooptari in Clericum ultra numerum, ut ibidem Ecclesiasticæ functiones exerceantur, & perveniatur ad munus Habituati, & in partem obventionum emolumentorumque eidem annexorum, cum ipsius occurret vacatio vel ex obitu, vel ex abdicatione unius eorum, qui ibidem etiamnum ut habituati degunt, est res omnino mere spiritualis. Atqui non potest nisi simoniace pecunia recipi pro spirituali aliqua re rependenda, ut alibi probamus doctrina S. Thomæ (*i*), in dissolvendis aliis ejusdem naturæ difficultatibus. Ergo prædicti Canonici non potuerunt absque peccato simoniæ recipere pecuniam a duobus prædictis Clericis, quos ultra numerum in suam Ecclesiam, accedentibus conditionibus, quæ feruntur in exponenda quæstione, cooptaverunt.

(*h*) Sambovius, casu 83. t. 3.

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1. 3. & 4.

2. Prædictum contractum futurum nihilominus simoniacum, etiamsi ibidem enuntiaretur, futurum ut pecunia, de qua stipulatio intervenit, foret impendenda in ipsius Ecclesiæ reditus augendos. Neque enim licet, adhibito ejusmodi prætex-

Digitized by Google

textu, nec alio quocumque, vendere rem spiritualem: ac proinde ejusmodi contractus propria sua natura nullus est, nec potest ullam inducere contrahentibus obligationem, *quia nullum est vinculum iniquitatis.*

3. Siquidem prædicti Canonici, nonnisi futuros ultra numerum, prædictos duos Clericos admiserint, istos posse ab iisdem excludi ab omnibus reditibus, emolumentis & obventionibus eorum Ecclesiæ; quippe qui non fuerint recepti ea conditione, ut eorumdem participes efficerentur, quamdiu remanerent ultra numerum, sed tantummodo postquam ad aliquod Habituatorum munus pervenissent.

4. Præbendas sex prædictorum Canonicorum non posse jure caduci impetrari, propterea quod contractus ejusmodi intervenerit. Cujus rei hæc vera ratio est, quia, quam in eo commiserunt, simonia non pertinet ad Beneficium; & ex sola simonia *in ordinem* vel *in Beneficio*, potest alicujus simoniaci Beneficium tanquam caducum impetrari.

5. Eadem ratione, alia Beneficia, quæ prædicti Canonici fuissent, post confectum contractum, assecuti, nec etiam futura jure caduci impetranda.

6. Prælatos duos Clericos esse de Ecclesia S. Urbani expellendos, ut prorsus indignos, qui locum ibidem habeant, & perveniant ad munus Habituatorum: utpote qui in eandem aggregati fuerint ratione non legitima, & vi contractus, qui *ipso jure* nullus est. At, quanquam indigni sint, qui locum istum sibi retineant, nihilominus eos ideirco non constitui inhabiles ad Beneficia, de quibus posset eis postmodum provideri; siquidem simonia, quam commiserunt, non sit circa Beneficium.

CASUS LV.

FABIANUS Parochus de S. Balduino pecuniam solet accipere, cum sacramenta Parochianis suis administrat. Nonne in eo simoniæ peccato sese constringit, qui vero pecuniam ei rependunt, possuntne pecuniam istam citra peccatum donare?

RESPONS.

(a) S. Th. in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 1. in corp.

S. Thomas docet (a), non posse citra simoniæ peccatum pecuniæ pretio conferri sacramenta. Cujus Doctrinæ suæ tres subjicit rationes. *Cum sacramenta contineant & causent gratiam*, inquit, *non possunt licite emi, aut vendi, propter tria. Primo, quia dispensator sacramenti non est Dominus, sed Minister. Emptio autem debet fieri a Domino rei.*

2. Quia pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans illud, quod emitur: gratiæ autem non potest commensurari ulicui corporali.

3. Quia gratia ex hoc nomen accepit, quod gratis datur. Unde contra rationem gratis facit, qui sacramenta gratiæ quasi venalia tractat.

Nihilominus, quoniam non possunt nisi a Ministris Ecclesiæ sacramenta fidelibus dispensari, & æquum est, quin etiam necessarium, istis Ministris, quæ necessaria sunt ad eorum sustentationem a populo suppeditari, juxta dictum illud Apostolicum (b), *nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, de Altari participant?* Idem ea de re sentiendum est, quod Doctor Angelicus, qui alibi sic habet (c): *Sic ergo dicendum est, quod accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari: quia consuetudo non præjudicat juri naturali, vel divino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cujus pretium potest pecunia æstimari … accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum.* Quorum quidem rationem affert laudatus S. Doctor, sequentia verba subjungendo: *Non enim sumitur, tanquam pretium mercedis; sed tanquam stipendium necessitatis. Unde super illud 1. ad Timoth. 5. qui bene præsunt Presbyteri &c. dicit Glossa Augustini: accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino.* Et iterum alibi (d) *vendere quod spirituale est pro hujusmodi actibus, aut emere simoniacum est. Sed accipere, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundum ordinationem Ecclesiæ & consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamen, quod desit intentio emptionis, vel venditionis; & quod ab invitis non exigatur per spiritualium substractionem, quæ sunt exhibenda: hoc enim haberet quandam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licitæ possunt statutæ & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus & valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente.*

(b) 1. Cor. 9. 13.

(c) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. in corp.

(d) Idem cit. q. 100. art. 3. in corp.

En qua ratione S. Thomas excutit totam istam difficultatem. Unde sequitur, cum Fabianus non exigat nec recipiat pecuniam tanquam pretium gratiæ sacramentorum, sed tanquam justam mercedem suo ministerio debitam, ab ipso nullatenus committi simoniæ peccatum.

Quæ doctrina Angeli Scholæ est ipsius Ecclesiæ propria. Licet namque tertium Generale Concilium Lateranense anno 1179. sub Alexandro III. congregatum, quod potissimum intendebat omnes consuetudines, quæ simoniam sapiebant, quasque quædam cupiditatis & avaritiæ prurigo in administrandas res sanctas induxerat, abolere ac penitus resecare, nulla facta distinctione, prohibeat; ne quidquam exigatur etiam pro mortuorum exequiis, & benedictionibus nubentium, adeo ut iisdem pauperes frustrentur; nihilominus quartum Concilium ejusdem nominis Oecumenicum, cui præsens Innocentius III. præerat anno 1215. ea de re loquitur iisdem fere verbis, quibus S. Thomas; sic etenim habet (e): *Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt & extorquent; & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam Laici laudabilem consuetudinem erga Sanctam Ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere sub prætexta Canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: Statuentes, ut libere conferantur Ecclesiastica sacramenta, sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.*

(e) Conc. Lateran. IV. can. 66. in cap. Ad Apostolicam. 42 de simonia. &c.

Quod Decretum secutum fuit Rhotomagense Concilium actum anno 1581. (f). En etenim qua ratione mentem ea de re suam aperit: *Non tantum ingrati animi, sed contra naturæ debitum & jus Divinum nitentis & corrupti esse judicamus, dispensanti Sacramenta, ad salutem requisita, non suppeditare victui necessaria & operæ pretium & laboris mercedem non reddere. Scriptum est enim: Non alligabis os bovi trituranti, &c. … Proinde noverint omnes Christiani, non libertatis esse, sed debiti, ministranti Sacramenta atque alia spiritualia stipendium aliquod solvere, unde vivat.*

(f) Concil. Rhotomag. tit. de Curatorum & aliorum Presbyterorum ac Parochianorum officiis. n. 20.

Quin etiam Reges memorata Decreta defenderunt, suaque auctoritate plurimum vindicaverunt, ut colligere licet ex Edicto Blesensi (g), in quo Henricus III. cum percepisset, Aurelianensis Edicti, quod promulgaverat Carolus IX. anno 1560. verba ea de re esse generaliora, articulum, qui in materiam istam attingebat, rescindit. En qua ratione loquitur. "Volumus „ ac jubemus ut Parochi tum de Urbibus, tum „ de locis aliis quibuscumque, conserventur in „ possessione juris percipiendarum oblationum, „ & gaudendi juribus aliis Parochialibus, quas „ consueverunt accipere ex antiquis ac plurimum „ laudandis consuetudinibus, nihil obstante Aurelianensi Edicto, de quo quantum ad eam „ rem, derogavimus ac derogamus."

(g) Edict. Blesens. art. 5.

Eodem principio, eademque ratione comprobari potest usus donandi, vel recipiendi honorarii alicujus pro conficiendo sacrificio, quemadmodum ab Angelico Doctore docetur (h).

(h) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4. Et 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6.

Minus etiam difficultatis illud habet, teste laudato

dato S. Doctore, quod aliquid recipiatur pro nuptiis celebrandis, quoniam, inquit, matrimonium non est tantummodo considerandum, qua ratione Sacramentum est, sed etiam ut Contractus Civilis, & quatenus institutum *in officium naturæ*. Unde concludit, quanquam licite non possit exigi pecunia præcise pro ipsa nuptiali benedictione, nec sub respectu Sacramenti, licere tamen temporalis aliquid exigere, matrimonio considerato sub respectu Civilis Contractus, & quatenus *in officium naturæ* fuit institutum. En ipsissima sunt verba S. Thomæ (*a*): *Matrimonium non est solum Sacramentum, sed etiam naturæ officium. & ideo ex illa parte, qua est Sacramentum in dispensatione Ministeriorum Ecclesiæ consistens; non cadit sub emptione, sed ex illa parte qua est in officium naturæ, nihil prohibet pro matrimonio pretium accipere, vel conditionem de re temporali accipienda interponere, sicut nec in aliis civilibus, & corporalibus.* Atque adeo Parochus omnino potest, recta conscientia, ab iis, qui sese Matrimonio conjungendos offerunt, jus exigere quod consuetudine fuit inductum, aut ab Episcopo constitutum est, dirigendo nimirum suam intentionem juxta memoratam S. Thomæ distinctionem, ac relative ad illud, quod matrimonium sit Contractus Civilis, & *in officium naturæ institutum.*

(*a*) Idem in 4. cit. quæstione 2. ad 2.

C A S U S LVI.

Jacobus Parochus de S. Amando rogatus, ut quemdam baptizaret infantem, baptismum ei conferre noluit, nisi sibi pecuniæ totidem rependeretur, quantum exigere solebat pro unoquoque baptismate, quod administrabat. Qua de re quæritur: 1. Utrum possit, quod exegit, argentum esse sine simonia numerari? 2. Utrum, posito quod istud non liceat, possit prædictus infans offerri primo occurrenti Laico, ab eodem etiam ibidem præsente præfato Parocho, baptizandus?

R E S P O N S.

Propositam difficultatem S. Thomas (*b*) dissolvit, & asserit, siquidem nunquam liceat pecuniam dare pro pretio Sacramenti Baptismatis, in eo casu eadem esse ratione sese gerendum, qua ageretur, si prædictus Parochus foret absens, adeoque si, qui ei baptizandus offertur, infans constituatur in periculo mortis, ab ipso Patre, vel ab eo qui curam ejus gerit, eum esse baptizandum, aut curandum, eumdem a primo occurrente, ibidem etiam prædicto Parocho præsente, baptizari: At si casus mortis infanti non immineat, & copia fiat, antequam baptismus ei conferatur, recurrendi ad superiorem, authoritatem illius esse eadere prorsus implorandam (*c*) *In casu necessitatis quilibet potest baptizare, & quia nullo modo est peccandum, pro eodem habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset, qui baptizaret: unde ille, qui curam gerit pueri, in tali casu licite potest eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari.* Quibus præterea S. Doctor addit, quod si non adesset ibidem aqua, in eo casu aliquis *posset tamen licite aquam a Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale.* Et quoniam opponi posset, aquam, quam prædictus Parochus offerret, futuram consecratam ex admistione sacri Chrismatis, & Sacerdotali benedictione: adeoque futurum ut emi ipsa non posset absque peccato: sic respondet laudatus Sanctus Doctor (*d*): *Quia aqua non est Sacrum quid, sed & si sit sanctificata, non operatur ad Baptismum, de necessitate ejus emitions, quasi sanctificata, sed quasi aqua: & ideo non emit aquam sanctificatam, sed aquam.* Addit denique idem S. Doctor: *Si autem esset adultus, qui Baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari. Quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro Baptismo dare: sed potius absque Baptismo decedere, suppleret enim ei ex Baptismo flaminis, quod ei ex Sacramento deesset.*

(*b*) S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 2.

(*c*) Idem in 4. dist. 25. c. 3. art. 2. qu. 1. ad 3.

(*d*) S. Thom. in 4. dist. 25. qu. 2. art. 2. qu. 5. ad 2.

C A S U S LVII.

Renatus Sacerdos delegatus ab Episcopo Diœcesano, ad Fabium ab excommunicatione, in quam incurrerat, absolvendum, antequam eum absolveret, ab eodem quamdam pecuniæ summam exegit: num potuit eandem exigere absque, eo quod simoniaca pravitate sese constringeret?

R E S P O N S.

Nullum omnino dubium est, quin prædictus Sacerdos sese simoniaca labe infecerit, si pecuniam istam exegerit a Fabio pro indulgenda gratia absolutionis, at vero, si eandem ab eo non exegesit, nisi ut pœnam illi peccato debitam, propter quod in excommunicationem incurrerat, nihil prorsus commisit simoniæ. Quam distinctionem suggerit Sanctus Thomas: (*e*) *Pecunia*, ait Laudatus S. Doctor, *non exigitur ab eo, qui absolvitur, quasi pretium absolutionis: hoc enim esset simoniacum, sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus.* Et iterum alibi: (*f*) *Pro absolutione non debet exigi pecunia: sed tamen ei, qui absolvitur potest imponi pecuniaria pœna: unde licet exigere quasi peccati pœnam.*

Nihilominus, quoniam illud nimiam cupiditatem olet, atque inde consequi potest facile multorum offensio non levis, nequaquam approbandum est: quam ob causam S. Thomas subjicit: *In quo tamen cavendum est, ne talis exactio magis cupiditati, quam correctioni ascribatur.*

(*e*) Idem 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3.

(*f*) Idem in 4. dist. 25. q. 2. art. 12. quæst. 2. ad 6.

C A S U S LVIII.

Polichronius Episcopus Albensis solet exigere nummum unum, & aliquando quidpiam amplius pro unaquaque dispensatione, quam suis indulget Diœcesanis: num ista res potest omni penitus carere simonia?

R E S P O N S.

Præcipit Episcopis Concilium Tridentinum, ut quas (*g*) concedunt dispensationes gratis indulgeant; hoc est, ne pecuniæ quidquam inde percipiant, quod in eorum quæstum vergat: quoniam dispensare, actus est potestatis Ecclesiasticæ ac spiritualis, quæ eis fuit gratuito concessa, quamque proinde debent omnino gratis exercere, juxta verbum illud Evangelicum: (*h*) *Gratis accepistis, gratis date*. Polichronius ergo non potest citra simoniæ peccatum sibi quidquam lucri sumere de dispensationibus, quas indulget. Quam decisionem Cabassutius habet, (*i*) cum ait: „ Pro certo statuendum est, nihil posse exigi, vel dari in pretium dispensationis nec summo ipsi Pontifici, „ cum dispensatio sit actus Ecclesiasticæ, & spiritualis potestatis, quæ non potest citra simoniam „ juri divino oppositam pecunia compensari.

Observat tamen Canonista Laudatus, & quidem consulte prorsus, ab Episcopo posse sine ullo peccato postulantibus dispensationes quamdam pecuniæ summam ex præscripto rationis, & æquitatis ordinatam imponi, modo eandem nullatenus sibi vindicare præsumat, sed aut in utilitatem ipsius Ecclesiæ aut in subsidium pauperum impendat; atque in eo sensu Tridentini Concilii decretum accipiendum est. „ Sana hac voce, subjungit autor ille memoratus, *gratis*, non vetat (Concilium) onus imponere erogandi eleemosynam pauperibus, vel Ecclesiæ, sed hoc solum prohibet, ne ipse Prælatus „ in dispensatione lucrum sibi suisque captet.

(*g*) Conc. Trid. sess. 25. c. 18.

(*h*) Matth. 10. 8.

(*i*) Joan. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 3. c. 8. n. 6.

C A S U S LIX.

Tussanus Doctor Theologus præpositus ab Episcopo, perpendendæ eorum eruditioni ac doctrinæ, qui, ut instituantur Parochi, accedunt, sæpe sæpius ab unoquoque Parocho, cujus eruditionem ac doctrinam expendit, recepit unum nummum, in pretium tum temporis, tum laboris, quæ in prædicto munere peragendo posuit; nonne in eo quædam occurrit species simoniæ?

RESPONS.

Nun potuit prædictus alienæ Doctrinæ Judex pecuniam istam recta conscientia recipere, nec ante, nec post tentatam eorum eruditionem, qui ad eum accesserunt, ut ad Beneficia promoverentur. Quin etiam, cum ejusmodi simonia sit realis, Concilium Tridentinum sic declarat: „Caveantque (Examinatores) ne quidquam prorsus occasione „hujus examinis, nec ante, nec post accipiant: „alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quam alii „dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi di„missis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam an„tea ubtinebant, & ad alia inpostsrum inhabiles „reddantur „: Quæ verba sunt ipsissima laudati Concilii.

CASUS LX.

Eustrates Sacerdos calicem habens tres ponderis besses pendentem, cujus bes unusquisque, additu manu pretiu, pretii erat librarum triginta quinque, eum Hieronymo vendidit, pretio 135. librarum, propterea quod iste consecratus esset, & nisi fuisset consecratiune donatus, Hieronymu incubuisset iter decem leucarum suscipere, ut eum secum deferret consecrandum. Num ejusmodi venditio vacat umni simoniæ vitiu?

RESPONS.

Non licuit prædictu sacerdoti Calicem, de quo quæstio proponitur, ultra veram illius æstimationem Hieronymu vendere ratiune cousecrationis, qua donatus erat, quin sese constriugeret realis simoniæ peccato, quæ divino jure prorsus interdicta est. Cum enim consecratio Calicis sit quidpiam mere spiritale, nec æstimanda est preriu pecuniæ, nec in quocumque casu potest ingredi commercium: „Vasa sacra *ait S. Thomas (a)*, nullo modo ratio„ne consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro „consecratione eorum aliquid plus exigatur. Ta„men in necessitate Ecclesiæ possunt vendi ex par„te ejus, quod in eis non est spirituale, scilicet ma„teria auri, & argenti. Et tunc, si venduntur Eccle„siasticæ personæ, possunt integra vendi. Si autem „venduntur aliis non ad usum Ecclesiæ, debent „prius frangi præmissa oratiune, ne sancta ab a„liis tractentur, quam a ministris Ecclesiæ.

CASUS LXI.

Callitus quam tenebat desiderium adipiscendi quamdam sacrarum Reliquiarum thecam argenteam plenam Sanctorum ossibus, quam Metellus possidebat, cum de eadem duas minas eidem obtulisset, Metellus eam ei cessit pro constituto prædicto pretio. Nonne aliq; simonia cum habet ista venditiu?

RESPUNA.

Est idem judicium ferendum de vendita ista sacrarum Reliquiarum theca, quod S. Thomas statuit de venditione vasorum sacrorum, hoc est, quemadmodum potest, absque simonia vas aliquod sacrum vendi justo pretio, quod materia valet, ex qua constat, nec vendi potest aut emi carius ratione suæ consecratiunis, quin inde incurratur in simoniam; ita posse vel emi, vel vendi aliquam sacrarum Reliquiarum thecam, modu nec ematur nec vendatur ultra pretium justum materiæ, ex qua conflatur. Quoniam, si pretium excederet valorem materiæ, simoniacum foret: siquidem, quod ulterius excurreret, non posset dari nisi ratione reliquiarum saerarum, quæ in eadem continerentur: quæ quidam Reliquiæ, cum sint aliquid rei sacræ, non possunt pretio pecuniæ ullatenus æstimari. Atque hoc ipsum est, quod fuit omnino strictissime prohibitum a IV. Generali Concilio Lateranensi, cui præsidebat Innocentius III. cujus Decretum legitur in corpore Decretalium (b). Quod idem quoque plurimis sæculis ante celebrationem præfati Concilii prohibuerunt Imperatores Honorius atque Theodusius, ut colligitur ex una quadam ex eorum legibus in Codice relata (c), quæ concipitur istis verbis: *Nemo Martyres distrahat; nemo mercetur*. Ad quæ verba Glossa notat in Græco legi *ουδεις αγιων λειψανα πιπρασκετω*, *id est nemo Sanctorum reliquias mercetur*.

Quæ decisio tota consentit communi omnium tum Theologorum, tum Canonistarum Doctrinæ (d). At operæ pretium est observare, de eo apud eos convenire, scilicet, prursus licere Reliquias sacras emere, cum eo fine emuntur, ut manibus infidelium, hæreticorum ve eripiantur; eadem ratione, qua licet pecuniam duuare, ut quis ab iniqua vexatione, quam patitur occasione Beneficii alicujus, de quo sibi fuit legitime pruvisum, sese possit expedire.

CASUS LXII.

Germana, cum accessisset ad Monasterium de S. Gertrude, exigenti Communitati persolvit 250. libras loco pensionis, quæ per annum suæ probationis decurrerat, quanquam prædictum Monasterium magnis admodum opibus abundaret. Nonne in eo simoniacum aliquid occurrit?

RESPONS.

Constat, in eo nibil quidquam uccurrere simoniacæ pravitatis, quoniam virgo Novitia jure non gaudet, sese sustentandi Monasterii sumptibus, in quo Religiosæ probatiunis curriculum peragit, quibuscumque divitiis, & opibus valeat illud Monasterium: cum jus ejusmodi non acquiratur nisi ex solemni Religionis voturum nuncupatione. Quamobrem, quando Concilium Tridentinum prohibet, ne quidquam ante Religiosam professionem emissam donetur, excipit quæ necessaria sunt tum ad victum tum ad vestitum currente tempore probationis. „Sed neque ante professionem, excepto victu, „& vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, „quo in probatiune est, quocumque prætextu a pa„rentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Mo„nasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur (e).

CASUS LXIII.

Anataseta in animo habens Religionem ingredi in quodam Monasterio Monialium de ordine S. Bernardi, fuit a Primaria, & Communitate prædicti Monasterii ad probationem admissa, confecto prius inter præfatas Moniales, & ipsius Patrem juxta formas consuetas contractu, quo stipulatione verbis expressis concepta fertur: 1. Præter summam 300. librarum, quam ipse numeraturus est loco pensionis, quæ decurret per annum probationis suæ filiæ, futurum etiam, ut teneatur ad solvendas impensas tum Medicorum; tum medicaminum, quibus ipsi fururum opus est, occurrente casu, quod currente prædicto anno, morbum aliquem contrahat. 2. Si per eundem annum ipsa decedat, futurum quoque, ut summam 300. librarum Monasterio mamorato persolvat, tam pro aliis expensis, quæ durante ipsius morbo fuerint factæ, quam pro funerariis impensis ipsius exequiarum. Num prædicta stipulatio vitio caret simuniæ?

RESPONS.

Nibil simoniacæ labis habet conventio, de qua quæstio est in proposita specie. Neque etenim ulla ratione spectat ad coaptationem Aubiergiæ in Religionem, nec ad eandem ad solemnium Religionis votorum uuncupatiunem admittendam. Adeo ut præfata virgo non consideranda sit per curriculum suæ probationis, nisi ut alia persona quæcumque privata, quæ, pacta aliqua mercede, de sæcularis alicujus Communitatis mensa convivaretur. Sicut igitur Pater aliquis obligaretur ad præstandas prædictæ Communitati impensas omnes conferendas in curandum morbum suæ filiæ, & funerarias expensas, si ipsa morbo eodem absumeretur; sic etiam justum est, Religiosæ Communitati refundi sumptus ejusmodi ac prædictas impensas, cum aliqua ibidem virgo morbo corripitur, aut decedit intra annum suæ probationis; siquidem Religiosa Communitas non sit pejoris conditionis, quam quælibet alia sæcularis Communitas (f).

CA-

(a) S. Th. in 4. d. 25. q. 3. a. 1. q. 3. ad 3.

(b) C. cum ex eo. fin. de reliquiis, & veneratione sanctorum l. 3. t. 45.

(c) L. Nemo. 2. cod. de sacrosanctis ecclesiis &c. lib. 1. 3.

(d) Fr. Suarez. to. 1. de Religione l. 4. c. 14. n. 24. Abb. in c. Cum ex eo Sylvester de Prierior. Reliquiæ Joan. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 3. c. 4. n. 2. &c.

(e) Conc. Trid. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 16.

(f) Sambov. to. 2. casu 50.

CASUS LXIV.

PETRONILLA cupiens institutum sequi vitæ Religiosæ in Monasterio quodam locupletissimo, Primariam, quæ eidem præponitur, adit; & mentem ei suam ea de re aperiens, offert omnia bona sua donare Monasterio, quæ quidem illius bona consistunt in prædio quodam luculentissimo, quod reddere consuevit 1000. nummos census annui. Primaria ex unanimi suæ Communitatis consensu eam recipit factamque ab eadem conditionem acceptat, & peracto probationis illius anno, ad solemnem Professionem admittit. Nonne in toto prædicto negotio simoniacum aliquid occurrit?

RESPONS.

Ne simoniæ quidem umbra deprehenditur in toto illo negotio, si recta fuerit ex utraque parte intentio, & ab omni fæce terrenæ cupiditatis expurgata. Ratio est, quia nunquam fuit ab Ecclesia prohibitum, ne, quod Monasteriis ultro, nemineque exigente, ab ingredientibus Religionem offertur, acceptetur. Quin potius ejusmodi donationes habuit semper ut omnino legitimas, quemadmodum apertum est ex Regula S. Benedicti (a): unde declarant Episcopi congregati in postremo Provinciali Concilio Rhemensi; quod habitum fuit a Cardinali de Guisse anno 1583. & confirmatum atque approbatum a summo Pontifice Gregorio XIII. 30. Julii anni sequentis (b): *Approbamus tamen, & laudamus eleemosynas; etiam copiosas, ab ingredientibus sponte collatas.*

Diximus; *si recta fuerit ex utraque parte intentio, & ab omni fæce terrenæ cupiditatis expurgata*; hoc est, modo: 1. Petronilla non intendat propter bonum, quod sese donaturam offert, inducere Communitatem, ad illam recipiendam. 2. Nec Primaria Monasterii, nec Moniales, ex quibus cum eadem constat Communitas, Petronillam admittant ad solemnem votorum nuncupationem, propter bonum, quod secum Monasterio affert; sed potius eam gratis admittant ad professionem emittendam, acceptando ipsius donum, propter sufficientes, ipsius animi dotes, quippe nunquam Ecclesiæ probatæ fuerint ejusmodi donationes, nisi quatenus cum eo animo conficiuntur. Atque hoc ipsum Celeberrimus Cantor de Ecclesia Parisiensi (c) aperte prorsus explicat istis verbis; „ Sit quod aliquis accedens ad Ecclesiam vel Monasterium dicat: offero me, & mea huic Ecclesiæ, vel Monasterio, ad serviendum in eo perpetuo. Si sine distinctione recipitur, sanus erit ingressus ejus: si autem plura, quam oblata, ab eo exiguntur, vel si distinguatur inter sua & illum; ut sua scilicet sint causa, cur recipiatur, vitiosus erit ingressus, si autem inter sua & illum distinguatur ut scilicet ille sit causa, cur sua cum ipso recipiantur: sanus & licitus erit ingressus.

Juvat observare, personas, a quibus exhibentur ejusmodi donationes, stipulari non posse, futurum ut ipsæ donationes eas sequantur, si discedant e Monasterio, in quo professionem Religiosam emittunt, & in alios conventus transeant: quæ enim sic donata fuerunt, bona non personæ, quæ eadem donavit, sed ipsi Monasterio cedunt jure proprietatis. Qua de causa, si timet, ne possit in ipsa domo; in qua profitetur, residentiam perpetuam servare: oportet, ut donationi, quam Monasterio largitur, pensionem ad vitæ suæ tempus adjiciat, quæ possit sibi persolvi in Monasterio, in quod sese aliquando recipiet (d).

(a) Reg. S. Benedicti. c. 59.

(b) Conc. Rhem. de simoniacis & fiduciariis. c. 20.

(c) Petrus Cantor. verbi abbreviati. c. 38.

(d) Samborius t. 1. casu 58.

CASUS LXV.

EUTREPIA, cum accessisset ad Monasterium quoddam, ut ibidem ad Religionem admitteretur, non potuit ad solemnem Religiosorum votorum nuncupationem recipi, nisi fide prius facta, futurum ut ipsa nummos 1000. persolveret, quos reipsa numeravit. Renuntiatum ei postmodum fuit ab ipsa commissum esse peccatum simoniæ: qua de re quærit, num ita se res habeat?

RESPONS.

Priusquam proposita solvatur difficultas, scire omnino interest, quod juxta S. Thomam (e): „ Cum possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis; sed ut habeat Monasterium, unde ei possit providere: & ideo non committitur simonia. *Quam eamdem doctrinam iterum alibi proponit* (f). Pro ingressu Monasterii, *inquit*, non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium, Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat, ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiunt Monasterii opes.

Eam autem doctrinam S. Thomas stabilit authoritate cujusdam antiqui Canonis, qui Authorem habet Bonifacium I. scribentem ad universa Monasteria de Diœcesi Calaritana in Sardinia (g) quem adire licet in Gratiani Decretum: Glossa (h) ad quamdam Innocentii III. Decretalem eandem sententiam tenet, quando sic ait: “ Posset dici, quod si ita pauperes sunt, quod non possunt ibi alias aliquo modo aliquem recipere, quia non haberent ibi victum, sub hac forma... possent recipi: non habemus, quid demus tibi pro victu: nisi tu portes tecum, unde vivas: dum tamen hoc non dicatur in fraudem, & sine aliquo pacto. *Quam doctrinam suam etiam efficit S. Raimundus* (i); Credo, *inquit*, quod possunt dicere: non sufficiunt nobis (*redditus*) Libenter suscipimus te ad spiritualia: ad temporalia non possumus, nisi habeamus plures possessiones: & tunc ille offerat se, & sua.

S. Bonaventura (K) in sua Apologia pro Monialibus de Ordine sanctæ Claræ, postquam sic initium dicendi fecit: *Quadruplex est forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque*. Nimirum primo: pro Deo: hoc est, nec propter pecuniam, nec cum pecunia. Secundo loco, cum pecunia quidem, non vero propter pecuniam; adeo ut, persona, quæ sese offert propter ipsum amorem Dei nihilominus admitteretur; etiamsi nihil quidquam omnino secum afferret, deinde sic prosequitur laudatus S. Cardinalis: “ Tertia, quando quis recipitur, non pro pecunia; nec tamen reciperetur sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum recipiunt, in necessitatibus corporis providere: cum tenues facultates domus vix sufficiant jam receptis; nec ad eos audeant plures recipere, & istos suis necessitatibus spoliare, ita quod talis persona, quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur ..... Et hoc non est impurum: licet non appareat forsitan pulchrum “. Et postquam asseruit, ibi semper occurrere simoniam, quando Monasterium aliquod, tenue licet, recipit aliquem propter ipsius pecuniam, cum e contrario non sit recipienda pecunia, nisi propter personam; addit; “ Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent, unde eam pascerent; non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet “. En quam tenent doctrinam Viri Sancti, Theologi, & Canonistæ, quibus congruunt plurima Concilia, atque inter alia (l) Concilia Senonense anni 1528. Mediolanense anni 1565. & Turonense.

Qua semel in antecessum posita ac stabilita veritate, facili negotio dissolvitur difficultas, quæ proponitur circa modum, quo Eutrepia Religionem ingressa est. Est namque positum extra omnem prorsus controversiam, simoniacum plane esse ipsius ingressum, si Monasterium, in quo professionem emisit, cum facultatibus sufficientibus valeat, quibus, tum alimenta tum cætera vitæ necessaria ministrare possit iis, qui illuc accedunt, ut ibidem admittantur, pro ea recipienda 3000. libras exegerit.

Quod omnino fit apertum ex authoritate IV. Concilii Generalis Lateranensis (m), quod habitum est a 412. Episcopis sub Innocentio III. En enim qua ratione loquitur; *Quoniam simoniaca labes*

(e) S. Th. in 4. q. 25. q. 2. a. 24. quæstiuncula 2. ad 7.

(f) Idem 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4.

(g) Bonifac. I. in can. Quam pio. 2.

(h) Glossa in c. Quondam de simonia, &c. v. paupertatis.

(i) S. Raimund. in sum. l. 1. t. 1. §. 21.

(K) S. Bonaventura libello Apologetico in eos qui Ordini Fratrum minorum adversantur. q. 18.

(l) Conc. Senon. an. 1528. conc. Med. 1. & conc. Turon. de Monialibus.

(m) Conc. Lateran. IV. sub Innoc. III. c. 64. in c. Quoniam. 40. de simonia &c.

bet usque adeo plerasque Moniales infecit, ut via aliquas sine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare; ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, statuentes, ut quæcumque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. Deinde prædictum Concilium sic statuit quantum ad eas, quæ, nondum promulgato prædicto Decreto, præfata ratione receptæ fuerunt: *De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita ducimus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur; quod si forte propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commode collocari; ne damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in iisdem Monasteriis dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis.* Jubent denique laudati Sacrosancti Concilii Patres, ut memoratum suum Decretum eadem ratione quantum ad Regulares, quantum ad Moniales locum, & effectum obtineat. *Hoc etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus observandum:* En qua ratione Ecclesia mentem suam aperit in famoso producto Concilio, cujus Decretum ita perspicuum est, ac definitum, ut nulla prorsus indigeat interpretatione.

Addemus præterea; 1. Statutum illud omnino consentire Decreto, quod II. Concilium Nicænum (a) celebratum anno 787. sub Pontificatu Adriani I. jam eadem de re fecerat. “ In
„ tantum inolevit avaritiæ facinus in Rectores Ec-
„ clesiarum, *ipsa verba sunt Concilii proxime lau-*
„ *dati*, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur
„ Religiosi, viri atque mulieres obliviscentes
„ mandatorum Domini, decipiantur, & per au-
„ rum introitus accedentium tam ad sacratum
„ Ordinem, quam ad Monasticam vitam effi-
„ ciant. Unde fit, ut quorum initium improba-
„ bile est, omnia sint projicienda, ut Magnus
„ ait Basilius; neque enim Deo per Mammonam
„ servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc
„ faciens; siquidem Episcopus vel Abbas exti-
„ terit, vel quilibet de sacrato Collegio; aut
„ desinat, aut deponatur juxta secundam regu-
„ lam Sancti Chalcedonensis Concilii; Abbatis-
„ sa vero ejiciatur de Monasterio, & tradatur in
„ alio Monasterio ad subjectionem.

(a) Concil. Nicænum II. Act. 8. Can. 19.

2. Hoc idem statutum concordat etiam cum quadam Decretali, quam Alexander III. inscribit (b) Episcopo Herfodiensi in Anglia occasione Abbatis, & Monachorum de quodam Monasterio, quos suspensos declarat; quod, ad Sacerdotem quemdam in suum ordinem aggregandum, aliquam pecuniæ summam recepissent, & vult, ut prædictus Sacerdos in aliud Monasterium discedat. En verba sequuntur laudatæ Decretalis: *Quoniam ergo factum hujusmodi periculosum videtur; mandamus Abbatem, & Monachos, ad restituendam pecuniam præfato Fr.* Præsbytero, *tam indigne acceptam, compellas: & Abbatem & Majores personas Monasterii pro tanta pravitatis excessu ab officii executione suspendens, præcipias dicto F. ut in alio Monasterio in habitu Monastico Deo studeat, deservire.*

(b) Alex. III. in cap. Veniens 19. de simonia, &c.

3. Quadrat quoque Decretum superius allegatum ad aliam Decretalem, quæ Authorem habet Clementem III., (c), & refertur in Corpus Juris; atque ad alias plurimas Decretales (d), quas compendii causa, satis est ibidem ad marginem indicare.

4. Quibus prædictis authoritatum testimoniis addi tandem potest pondus Concilii Francofordiensis, quod actum est anno 794. Concilii Turonensis sub Alexandro III. anni 1163. Concilii Senonensis anni 1485. Et Concilii in eadem Provincia a Cardinali du Prat anno 1528, congregati (e).

(c) Clem. III in c. De Regularibus. 25. eod. tit.
(d) Innoc. III. in cap. Dilectus. 30. eod. tit. Greg. IX. in cap. Mandato fin. eod. tit.
(e) Concil. Francf. can. 16 Conc. Turon in cap. Satis 8. de simonia Conc. Senonens. an. 1485 art. 1. cap. 3. Conc. Senonens. an. 1528. part. 2. c. 18. Decreto de moribus.
(f) S. Anton. 2 part. summ. theol. tit. 1. c. 5. §. 12.

Qua quidem ex prædictarum authoritatum tanta nube concludimus cum Sancto Antonino Archiepiscopo Florentino (f), inordinatum prorsus ad perversum in Ecclesia eum usum esse, ut nonnisi personæ, quibus suppetit, unde nummos plurimos secum afferant, ad Religiosam professionem admittantur. Quod quidem ait laudatus Sanctus, eo magis deplorandum est quod, quo locupletiora sunt Monasteria, eo summæ pecuniarum ingentiores ab iis exigantur, qui ibidem sese recipi petunt. *Secunda* (conclusio) *quod si Monasterium sit abundans; nullus debet ibi esse tractatus de temporalibus in receptione: & hoc est contra communem abusionem: quia quanto Monasterium est abundantius, tanto volunt & majores dotes.* Atque revera quidem, cum secundum communem omnium tum Theologorum, tum Canonistarum, committatur peccatum simoniæ, quando pro spirituali, vel pro spirituali annexo recipitur aliqua res temporalis, & Monasterium non possit censeri aliquid recipere nisi pro spirituali; quoniam, siquidem opibus ac possessionibus abundet, habet, unde temporalia possit receptis ad Religiosam professionem subministrare, & tenetur, ad eadem iis suppeditanda eo ipso, quod de redditibus suis bene constitutum sit, ut præcipiunt Concilia; sequitur quidquid exigit, prætexta causa sustentationis, illud idem ab eo sub emen**tito** prætextu prorsus exigi; quemadmodum contingeret Patri alicui bene nummato, qui emendicaret, unde posset eum sustinere, quem pauperem esse simularet, quemque, utpote filium suum obligaretur, ad gratuito sustentandum de proprio ære suo.

Quamquam prædicta omnia argumenta sint omni omnino tergiversatione superiora, neque ulli obnoxia controversiæ, forte non displicebit, hic loci sese offerre iterum unum aliud quoddam authoritatis testimonium, quod summa dignum est veneratione ac reverentia. Veterem quamdam intelligimus Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis decisionem, quæ refertur a Dionysio Richel, ad annum 1471. (g). En eam exscribimus, qualem legimus in ipso prædicti Authoris Archetypo. “ Quia nuper mota est controversia
„ inter aliquos Doctores super decisione hujus
„ quæstionis, utrum in aliquo Monasterio fœ-
„ minarum liceat recipere aliquam fœminam ul-
„ tra numerum personarum, quæ de bonis Mo-
„ nasterii commode sine penuria possunt susten-
„ tari, & a persona recipienda, oblatis gratis
„ spiritualibus, exigere temporalia: instantiusque
„ a nobis Magistris in Facultate Theologiæ, Pa-
„ risiis congregatis, quæsitum est, ut in ea re
„ consilium dare, & super ejusdem quæstionis
„ determinatione quid sentimus, dicere vellemus.
„ Nos autem ad pacem conscientiarum & ædi-
„ ficationem animarum pro viribus laborare cu-
„ pientes, ea, quæ nobis super his videntur,
„ in modum sequentem exponere duximus. Im-
„ primis dicimus, quod attento tenore Consti-
„ tutionis Apostolicæ felicis recordationis Papæ
„ Bonifacii VIII. incipientis: *Periculoso* (h)
„ de statu Regularium libro sexto, non licet re-
„ cipere aliquam fœminam in aliquo Monaste-
„ rio non mendicantium, ultra numerum persona-
„ rum, quæ de bonis Monasterii sine penuria
„ sustentari possunt: nec in hoc oportet appo-
„ nere illum terminum commode; cum in tex-
„ tu ipsius Constitutionis non ponatur: & illud
„ dicimus non licere, ubi non habetur de hoc
„ consuetudo communis, & diuturna, quam Pa-
„ pa scira, & tolerare verisimiliter creditur, &
„ per quam posset præfatæ Constitutioni esse de-
„ rogatum. Idem dicimus, quod a fœmina reci-
„ pienda in Monasterio, oblatis gratis spiritualibus,
„ non licet exigere temporalia pro ipsis spirituali-
„ bus, tanquam pretium spiritualium, vel annexo-
„ rum spiritualibus, faciendo commutationem unius
„ pro altero. Dicimus ulterius, quod ubi Monaste-
„ rium est ita tenue, quod fœmina, quæ recipi pe-
„ tit, non posset de bonis ipsius Monasterii susten-
„ tari sine penuria; oblatis gratis spiritualibus, &
„ receptione personæ libere facta ad spiritualia,
„ si persona illa sic recepta habeat bona tempo-
„ ralia, de quibus juxta consuetudinem Regionis
„ potest disponere, & ea Monasterio conferre;
„ tunc potest ab ea aliquid peti solum pro neces-
„ sitate sui victus sine fraude: ut habeat Monaste-
„ rium, unde sibi providere possit: & hoc non
intel-

(g) Dionys. Carthusianus l. 2. de simonia initio.

(h) Bonifac. VIII. in c. periculoso. 1. §. 10. de statu Regularium &c. in 6.

„ intelligendo de exactione coactoria, ita quod „ ejicitur, si non dederit, sed quod in omnibus „ servetur debitus modus, & recta intentio, & „ quod hoc habeat locum, ubi est consuetudo com- „ munis, & diuturna sicut supra dictum est, per „ quam & ante dictæ Constitutioni Bonifacii, & „ alteri Urbani V. incipienti: *Ne in vinea Domini*, „ prohibenti, hujusmodi temporalia ab ingredien- „ tibus Monasteria quovis modo peti, vel exigi „ derogatum existit. Tutius tamen est, quod ni- „ hil petatur, vel exigatur, nec in hujusmodi „ Monasteriis ultra numerum earum, quæ sine „ penuria sustentari possunt, aliqua fœmina reci- „ piatur, & si aliqua petit recipi, dicatur ei, „ quod Monasterium non potest eam recipere; quia „ non habet, unde ipsam valeat sustentare.

(a) Dion. Carthus. l. c. a. 1.

Cui celeberrimæ decisioni totus congruit (a) Dionysius Carthusianus; post relatas etenim ab ipso Constitutionem Bonifacii VIII. & Constitutionem Urbani V. quas citant prædicti Doctores, ponit primo loco, ac statuit illud principium: *Secundum Philosophum in Ethicis ἐπιείκεια necessaria est in Legibus humanis, in quibus magis attendendum est ad causam, quæ movet Legislatorem, quam ad verba Legis*; quod probat istis verbis S. Hilarii (b): *Non sermoni res, sed rei debet sermo esse subjectus. Quod principium ubi laudatus insignis prorsus pietatis Auctor asserit, sic habet: Intentio autem prædictarum Constitutionum, primæ videlicet, videtur esse, ne graventur Monasteria per nimiam, & immoderatam personarum receptionem, & tandem, deficientibus temporalibus, deficiant spiritualia, quæ sine eis subsistere nequeunt, & ita si aliqua habens & comportans sufficientiam temporalem pro victu, vestitu, aliisque vitæ necessariis recipiatur; non læditur intentio Legislatoris, sed cum ea ampliatur salus animarum. Secundæ autem Constitutionis intentio esse videtur, ne exigatur aliquod temporale a persona recipienda, tanquam pretium Religionis: quod esset manifeste simoniacum. Secus autem, si exigatur aliquod temporale ex aliis causa, & intentione, scilicet pro necessaria sustentatione personæ recipiendæ, cui Monasterium de suis bonis non sufficit providere.*

(b) S. Hilarius l. 4. de Trinit.

Quamquam hæc præsens decisio nostra longius jam processerit, non possumus tamen omittere quasdam hujusce materiæ necessario subjiciendas observationes, tum ut ipsa fiat apertior, tum ut etiam, quæ possent opponi difficultates penitus resecentur, aut scrupuli conscientiæ tollantur, qui circa eamdem possent recrudescere.

(c) Samb. t. 3. casu 97.

(d) Conc. Arelat. VI. c. 8. Conc. Mogun. c. 19. Con. Tur. III. c. 31. Concil. apud sanctam Macram hodie Fimes c. 4. Bonif. VIII. in c. periculoso, de statu Regularium in 6. Concil. Tr. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 3. Con. Med. 1. p. 3. t. de Monialium numero. Con. Rhotom. t. de Monast. n. 31. Concil. Rhem. tit. de Reg n 22 Con Bitur. t. 37. can. 10. Conc. Aquens. t. de Monial. Conc. Tol. p. 2. c. 7. 10.

Primum, quod juvat observare, (c) est, quod teneantur Superiores, ac Præpositi Monasteriorum Monialium privilegio immunitatis sive donatarum, sive eodem non gaudentium, ad definiendum, quis esse debeat Monialium numerus, ratione habita redituum ordinariorum Monasterii, tum eleemosynarum, quæ de more consueverunt eidem eidem erogari, & quorum ope valent tam quoad victum, quam quod vestitum honeste sustentari. Ita enim fuit constitutum (d) ab Arelatensi Concilio sexto anno 813. celebrato: a Concilio Turonensi tertio ejusdem etiam anni, a Concilio Moguntino anni ejusdem, a Concilio, quod apud sanctam Macram (hodie Fismes) habitum est anno 881. sub Joanne VIII. a Tridentina Synodo œcumenica, a Mediolanensi Concilio Primo, quod actum est an. 1565. a Concilio Rhotomagensi anni 1581. a Bituricensi, quod anno sequenti fuit habitum; ab Aquensi in Provincia, quod Concil. congregatum est anno 1585. & a Tolosano, quod fuit anno 1590. celebratum.

Secunda observatio, quæ summopere perpendenda est, in eo potissimum reponitur, quod ut tutius agnoscatur, num Monasterium sit de reditibus suis bene, an male constitutum; necesse sit ea deducere, quæ possunt esse superflua, non tantummodo quantum ad ædificia, & cæteras vitæ commodioris accessiones, quæ parum juvant: sed etiam quantum ad sumptus, cibarios, & supellectilia, quæ vel Domestica sunt, vel cedunt in usum sacrarii. Quibus deductis, si nihil superfit, nisi quod necessario conducit tum ad victum, tum ad vestitum Religiosarum personarum, quæ jam in Monasterio degunt, & ipsi Monasterio nihil aliunde suppetat, unde possit aliis providere, quæ postulant, sese ad Religionem admitti; potest quantum ad eam rationem asseri, Monasterium penuria angustiaque suarum rerum omnino affici: quod quidem nec juste, nec vere diceretur, nisi prædicta penitus circumciderentur; quin potius Monasterium conferret summas pecuniarum ingentiores, in ædificia sumptuosiora, vel supervacua, in epulas delicatiores, ac nimis exquisitas, in supellectililia vel pretiosiora, vel quæ munditiam præseferrent exquisitiorem, quin etiam in ornamenta Ecclesiæ pretio nimis impenso parata.

Quibus prædicta ratione definitis ac semel recisis, facili negotio dissolvuntur infinite propemodum difficultates, quæ aliquin forent omnino difficiliores ac intricatiores; posita namque deductione, quam indicamus, Præposita Monasterii simul & Moniales facile possunt ac debent sese accommodare ad præfiniendum suum numerum in deliberationibus, quæ habentur de postulantibus admittendis. Nam 1. si, juxta præfinitum ac determinatum semel certum qui sustentari potest, numerum Monialium, superfuerit locus aliquis vacuus; non potest tuta conscientia rejici virgo aliqua, quæ sese offert ad religionem recipienda, si aliunde præ se ferat indubitata quædam vocationis ad prædictum Religionis institutum indicia, & cæteris præstet animi dotibus, quibus eam ad sustinendum ac sequendum illud vitæ institutum, pollere necesse sit, licet nec ipsa, nec parentes ipsius dotis nec pensionis quidquam afferent. 2. Si nullus sit locus vacuus; & virgo aliqua petat, se ultra numerum admitti; nulla summo jure considerato obligatio inducitur ejusdem recipiendæ; & Monasterii Primaria de sententia Consilii sui potest, etiam inconsulta sua Communitate, eamdem dimittere; recipi tamen ipsa potest, modo secum afferat sufficientem ac certam ad vitæ suæ tempus pensionem, cujus ope Monasterio non sit oneri, quemadmodum docetur a S. Thoma; quem in primo hujusce decisionis ingressu citavimus. Dicimus: *Modo secum afferat sufficientem ac certam ad vitæ suæ tempus pensionem.* Si namque prædicta ista pensio in perpetuum institueretur, aut ultra modum exigeretur paulo pinguior sub eo prætextu, quod præterita damna, & detrimenta, quæ Monasterio emersissent, forent resarcienda: ibidem occurreret simoniæ labis vitium, quippe quæ, cum fuisset exacta vel ab ipsa virgine, vel ab ipsius Parentibus, non posset dici causa solius compensationis oblata Monasterio: sed reipsa intuitu virginis ipsius in Religionem ingressus (e); quod tamen dictum volumus, iis omnibus integris, quæ possent ultro afferri, & gratuito, nullaque interveniente nec exactione, nec stipulatione, donari Monasterio vel ab ipsamet virgine, vel ab ipsius Parentibus. Ut etenim jam observatum est, ejusmodi donationes possunt, remoto prorsus omni simoniæ periculo, & confici, & acceptari.

(e) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.

Tandem, ut omnis eximatur locus scrupulo, circa pensionem, qualem eam conveniat exigere a virgine, quæ ultra numerum admittitur, est accommodanda tota ratio agendi ad acceptorum & expensorum rationes, quæ præteritis annis acceptæ fuerunt, quibus potissimum constabit, quid sumptus factum fuerit per annum, vel plurimos annos, & juxta regulam istam definiendam pensio, quæ exigetur: adeo ut, si viginti Moniales extiterint in Monasterio, & in impensas verbigratia 10000. librarum per singulos annos abierit; singulis Monialibus cessurus sit sumptus 500. librarum per annum quemque: adeoque futurum sit, ut merito prorsus exigi possit a postulante pensio 500. librarum, atque ita servata peræqua proportione.

Cæterum interest hoc scire, nimirum a Rege Galliarum in ipsius Edicto dato 28. Aprilis 1693. cu-

cujus auctoritas a supremo Senatu comprobata fuit 8. Maii ejusdem anni, plurima ea de re constituta fuisse, quibus potissimum standum est. Primum statutum fert, futurum, ut Monasteria possint exigere: & 500. libras pensionis ad vitæ tempus Parisiorum, & 350. libras alibi, nec quidquam ulterius, quæcumque possit causa prætendi; quod quidem statutum decretum est in gratiam Carmelitarum Monialium, Religiosarum de Visitatione, & aliarum fundatarum atque institutarum ab anno 1600. Secundum statutum habet, futurum, ut Moniales queant recipere duo millia librarum loco supellectilium domesticorum, vestium, cæterarumque ejusmodi necessitatum; quod quidem sic obtenturum est quantum ad Parisios: & 1200. libras, quantum ad alia loca. Tertio statuto constituitur, si Parentes non possint certas pensiones instituere, licere accipere ad summum octo millia librarum, aut prædia seu res non moventes tantumdem valentes, quarum æstimatio indicetur a viris æstimatoribus, qui fuerint a Regiis Judicibus deputati; atque ita quantum ad prædictas urbes, & sex millia librarum, quantum ad alia loca. Quartum statutum vult, ut dotes assignatæ ante annum 1693. atque ab anno 1667. imminuantur juxta dispositionem præsentis Edicti; si sic fuerit a Patribus, matribus &c. postulatum intra sex menses a die, qua præsens Edictum in tabulas supremi Galliarum Senatus relatum est. Atque ita memorat Horri (a).

(a) Claudius Horri institut. ad praxim Beneficialem & Ecclesiasticam pag. 833.

CASUS LXVI.

DIONYSIUS dedit mille nummos, qui a se ipso exigebantur, antequam admitteretur ad Religiosam Professionem in quodam Monasterio, cujus loca sunt sufficienti redituum assignatione dotata: sed cujus præcipuas partes majoris ædificii necesse erat, fere in integrum sarcire, quas quidem in sarciendas tota prædicta pecunia collata fuit. Dionysius in ea re bona fide egit, nec putans, sese ullo peccato inde constringere, 1. Quoniam noverat eum ibidem invalescere usum, ut nullus admitteretur, nisi constituto sibi fundo quodam, qui dotis locum obtineret, sicut in plurimis aliis Religiosis domibus, ut Postulantes pro parte sua ad istas refectiones conferrent. 2. Quia ei significatum est, pecuniam istam, quæ ab eo exigebatur, tantum esse addicendam prædictis refectionibus, quæ aperte erant necessariæ, atque urgentes. Qua de re petit 1. Utrum, nihil obstante sua bona fide, peccaverit in eo moraliter? 2. Num, propter commissam prædictam simoniam, incurrerit in aliquas pœnas Canonicas?

RESPONS.

Ipsa bona fides Dionysii, cui præterea illud fundamento erat, quod novisset, eum usum tum in prædicto Monasterio, tum in infinitis propemodum aliis invalescere, ut dos exigeretur a postulantibus, priusquam ad Religiosam Professionem admitterentur; ipsique comperta esset illa necessitas urgens, quæ Monasterio incumbebat, Religiosas ædes restituere; eum prorsus vindicat a peccato mortali; adeoque ab excommunicatione majori, siquidem in eam nunquam possit incurri, nisi propter mortale peccatum, atque in eo tantum casu, in quo peccato mortali pertinacia adjungitur, quemadmodum declaratur a Concilio Meldensi, quod habitum fuit anno 845. (b), istis verbis: *Anathema est æternæ mortis damnatio; & nonnisi pro mortali debet imponi crimine; & illi, qui aliter non potuerit corrigi.* At vero si ignorantia Dionysii fuisset voluntaria aut crassa, adeo ut, ex sua bona fide non vindicatus esset a peccato mortali; existimamus, in eo casu nec propter eamdem bonam fidem fore vindicandum ab excommunicatione: qua de re consulenda sunt ea, quæ sumus prosecuti in observatione superius apposita in fine decisionis casus *Theotimus*.

(b) Conc. Meldens. in can Nemo 41. 11. q. 3.

CASUS LXVII.

DOMITILLA Religiosa Novitia in Monasterio S. Bertini, cum jamjam professionem erat emissura, postulat a Rollando suo Patre, ut de dote ipsius cum Primaria simul & communitate prædicti Monasterii paciscatur. Ab eo exigitur dimidio plus, quam necesse est, quamque, pro dote instituenda in gratiam unius Monialis exigere consuetum est. Qua de re conditionem fert rationi perinde, ac æquitati omnino consentaneam, quæ prorsus respuitur; quoniam compertum est, eum opibus abundare, atque votis omnibus peroptare, ut sua filia vitæ Religiosæ sequatur institutum. Tandem quidquid exigitur a seipso, ille concedit, propterea, quod aliam non possit inire rationem; & timeat, ne, sibi neganti in impositas conditiones descendere, reddatur sua filia, quæ præ se fert incredibile studium, in prædicto Monasterio professionis emittendæ. Non latet Rollandum, prædictas Moniales peccare omnino graviter, & sese apertæ simoniæ prodere conscias. Quæritur, num eadem ratione, qua ille, pravitatis simoniacæ contraxerit vitium?

RESPONS.

Est hoc extra omnem controversiam positum, sanctis Canonibus, quibus ingressus simoniacus in Religionem interdicitur, non minus dantes perstringi, quam recipientes, atque ab iisdem ex utraque parte coram Deo perinde contrahi simoniæ peccatum. Ideoque, si Monasterium S. Bertini sit adeo tenue; ut Domitillam non possit gratis admittere; ipsa Domitilla, vel ipsius Pater ejus nomine potest pacisci de instituenda ad vitæ tempus pensione, quæ sufficiat ad ipsius victum & vestitum tam per adversam, quam per prosperam illius valetudinem, & ad cætera. Monasterii onera, eorum habita ratione, & proportione servata; aut non instituendo pensionem, numerare quamdam pecuniæ summam accommodatam ad rationem, qua solent extingui pensiones ad vitæ tempus. Non est ergo in dubitationem adducendum, quin Rollandus sese simoniaca labe infecerit in casu proposito: siquidem in duplum solverit, quod noverat necessarium esse, ac conveniens ad instituendam in gratiam suæ filiæ dotem legitimam; neque ignorare posset, illud, quod ab eo ulterius exigebant Moniales S. Bertini, non sibi imponi nisi tanquam pretium recipiendæ Domitillæ, non vero causa ejusdem sustentandæ, atque ei cæterorum suppeditandorum vitæ necessariorum; quippe eum non lateret, vel dimidium illius, quod concedebat, omnino ad prædicta sufficere. Quam decisionem suggerit celeberrimus quidam Theologus Parisiensis (c).

(c) Sambovius tom. 1. casu 50. & seq.

CASUS LXVIII.

AMBROSIUS plurima gratia valens apud Gustavium unum e Proceribus Aulæ, qui gratiosissimus est apud Regem, ad eum adivit, eumque supplicibus verbis oravit, ut apud Regem vellet agere, quo ei concederetur in favorem cujusdam ex ejus filiabus aliquis locus Monialis in quodam Monasterio, in quo prædictus Princeps jus nominationis obtinet, vel aliqua Abbatia in gratiam ipsius filii, & verbis de industria paratis eidem innuit: futurum, ut ei dono daret tabulam quamdam pretii 200. nummorum aureorum, quam noverat; ab eo cupide prorsus appeti. Gustavius petitum a Rege locum prædictum, vel præfatam Abbatiam obtinuit; Ambrosius vero dono dedit memoratam tabulam. Qua de re quæstio habetur? 1. Utrum Gustavius recta conscientia potuerit acceptare istud donum, postquam prædicta filia nominata a Rege ingressa fuit, ac recepta in Monasterium; 2. Utrum, posito, quod illud acceptare nefas fuerit, teneatur ad illud Ambrosio restituendum?

RESPONS.

Censemus, agendi rationem tum Ambrosii, tum Gustavii, plane esse simoniacam; quoniam inter eos tacite saltem intervenit quoddam pactum, quod effectum suum obtinuit ex dono ab Ambrosio Gustavio dato, & ab isto eodem acceptato. Quod quidem cum se sic habeat; Gustavius obligatur ad restitutionem tabulæ, vel justi ejusdem pretii, quod est 200. nummorum aureorum, non quidem ipsi præstandam Ambrosio: quoniam ista restitutione sibi exhibenda indignum prorsus sese sua, quam com-

Digitized by Google

commisit, simonia reddidit, juxta isthæc verba S. Thomæ (*a*). *Nec potest repetere pecuniam, quam turpiter dedit: licet alius injuste detineat.* Sed secundum ejusdem S. Doctoris sententiam, vel Ecclesiæ, vel pauperibus erogandam.

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 100 a. 6. ad 1.

Quod idem asserendum est quantum ad Abbatiam, quam Gustavius obtinuisset in favorem filii Ambrosii, accedente conditione tacita, quam iste eidem tulisset, futurum, ut ei de memorata sua tabula, vel de quacumque alia re temporali gratificaretur, foret etenim in proposita specie impetratio Abbatiæ ipsius aperte simoniaca, & Gustavio eadem induceretur ex conscientia obligatio restitutionis: Atque ut ea de re nihil possit suboriri dubitationis, animo tenendum est, quadruplici modo simoniam aliquam posse contrahi.

Primus modus, est: cum simonia committitur tum ab ipso Collatore, tum ab eo, cui de beneficio providetur, quando nimirum ab isto postremo pecunia, vel quidvis aliud tantumdem valens alteri datur, ad aliquod beneficium ab eodem obtinendum (*b*). Secundus modus est: quando Collator confert Beneficium pro pecunia, vel quacumque alia re temporali, quam recipit a tertio quodam, vel etiam eo insciente, cui Beneficium confertur: ut apertum ac manifestum habetur ex duabus Decretalibus, quæ leguntur in corpore Juris, quarum unam sibi vindicat Clemens III. alteram vero Cœlestinus III. (*c*). Tertius modus est; cum contrahitur simoniæ peccatum ab eo solo, cui de beneficio providetur: quando scilicet, inscio Collatore largitus fuit vel pecuniam, vel rem aliam quamlibet ei, quo plurimum agente, Beneficium adeptus est. Ut evidenter colligitur ex duobus Canonibus ibidem ad marginem indicatis, (*d*) quorum prior authorem habet Nicolaum II. posterior autem Urbanum II. qui sederunt ambo in sede Romana, currente undecimo sæculo. Quartus denique modus est: cum vel ab amico, vel a consanguineo illius, cui de Beneficio provisum fuit, pecunia vel donum aliquod amico collatoris fuit donatum: ut etiam habetur ex citatis canonibus; atque ipsissimus casus est, de quo agitur in proposita specie, in quo Pater illius, qui de Beneficio providetur a Rege, dedit tabulam pretii 100. nummorum aureorum Gustavio, qui propter plurimam gratiam, qua valebat apud Regem, agit, interveniente nimirum prædicto dono, ut ipsius filius Abbatiam quamdam consequeretur.

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1. in corp.

(*c*) Clem. III. in c. Ex insinuatione. 26. de Simonia, &c. Cœlest. III. in c. Nobis 27. eod. tit.

(*d*) Nicol. II. in can. statuimus. 107. 1. q. 1. Urban. II. in can. Si quis. 108. ibid.

Ex quibus inferendum venit. 1. Ambrosium qui dedit tabulam, esse peccati simoniæ conscium: 2. Gustavium, qui eamdem recepit esse quemdam simoniæ sequestrum; 3. utrumque incurrisse in excommunicationem; 4. si alteruter, vel ambo simul Clerici forent, futurum ut incidissent in suspensionem; 5. Provisionem scriptam in favorem filii Ambrosii plane esse nullam, ut patet ex Constitutione Pauli II. quæ refertur in primo titulo quinti libri Extravagantium Communium, (*e*) atque ex Doctrina S. Thomæ (*f*) qui sic habet. *Qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest. Similiter autem simoniaci, tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores aliis pœnis puniuntur; scilicet infamia & depositione, si sint Clerici, & excommunicatione, si sint Laici; ut habetur 1. q. 1. can.* Si Episcopus. Nunc ad ea veniamus, quæ contra nostram decisionem possunt opponi: quid vero ad ea responderi possit, inspiciamus juxta doctrinam unius cujusdam insignis ætatis nostræ Theologi (*g*).

(*e*) Paulus II. Extravag. Cum detestabile de simonia.

(*f*) S. Th. cit. q. 100. art. 6. in corp.

(*g*) Sambovius tom. 3. Casu 92.

Primum, quod objici potest, est, si prædicta Abbatia fuisset Ambrosii filio resignata? futurum fuisse, ut ad eamdem jus obtineret vi resignationis a Titulari confectæ: adeo ut Rex non posset alium nominare. Unde concluditur: cum pecunia, vel quidvis aliud temporale datur pro obtinendo Regio consensu, illud præcise ac directe non donari pro Beneficio acquirendo, si quidem ad illud idem jus jam sit acquisitum.

At futilis & infirma illa objectio facile prorsus refellitur, non tantum ex jam dictis in recensendo quarto modo, quo potest aliqua simonia committi: sed etiam, quia falsissimum est, ab eo, in cujus favorem fuit Beneficium aliquod consistoriale sub beneplacito Regio resignatum, jus obtineri ad illud idem Beneficium vi solius resignationis, necdum Regia accedente approbatione: quamquam etenim Rex non possit alterum nominare, quamdiu vivit Resignans; non tamen tenetur ad nominandum Resignatarium; quin immo jure gaudet cujus alterius nominandi, eo ipso, quod occurret vacatio Beneficii ex obitu Titularis Resignantis, absque eo quod possit resignatarius eidem ullatenus obsistere: neque de ea re cum ullo juris prætextu conqueri. Tunc etenim resignatio seu dimissio fit ipso jure nullius effectus: siquidem effectum suum non consecuta fuerit conditio, qua accedente, confecta est; hoc est, siquidem eam Rex noluerit eamdem approbatione sua nec acceptam habere, nec ratam efficere.

Secundum, quod opponi potest, est, solam Regiam nominationem non censeri actum esse spiritualem: sed solam tantummodo, quæ a Summo Pontifice conceditur, Institutionem: adeoque non committi simoniam, ex eo quod quis istam nominationem; vel pecunia, vel aliquo dono interveniente, consequatur.

Ad quam objectionem respondendum est, Regiam nominationem veri nominis esse spiritualem actum: si namque jus nominandi ad aliquod Beneficium, non foret spirituale; inde sequeretur, 1. futurum, ut posset vendi & emi Jus Patronatus non vendita nec empta Gleba, cui inhæret: quod tamen abhorret prorsus a vero, & omnino alienum est a Decretalibus Summorum Pontificum; & ab unanimi tum Theologorum, tum Canonistarum consensu. 2. futurum etiam, ut Electores sua suffragia vendere possent, cum jure non gaudent collationis; quod tamen absque controversia simoniacum est (*h*).

Tertia, quæ proponi potest, objectio, est: ab ipsis etiam Summis Pontificibus quondam datam fuisse quamdam pecuniæ summam Imperatoribus suæ ætatis; ut electionem suam obtinerent confirmari: nec legis istius immunem fuisse vel etiam ipsummet S. Gregorium Magnum, siquidem pecuniam Imperatori Mauritio donaverit, quamquam noluisset summum acceptare Pontificatum. Unde infertur, nullam igitur in eo occurrere simoniam, ut vel pecunia, vel donum aliquod rependatur pro obtinendo Regio consensu, vel Regia nominatione ad aliquod Beneficium.

(*h*) Toto t. de simonia, &c.

Respondemus fatentes, equidem verum esse, a Regibus Gothorum, qui Arianam sectabantur hæresim, fictitium illud jus usurpatum fuisse, ac per vim occupatum, ut sibi arrogarent prærogativam confirmandæ electionis Summi Pontificis, atque ea de re summam pecuniæ quamdam exigendi; Ecclesiamque iniqua ista tyrannide oppressam per aliquod temporis spatium ingemuisse, ut observat quidam antiquitus author in suo, quod in septem pœnitentiales Psalmos composuit, commentario, (*i*) quod ab aliquibus S. Gregorio vindicatur. At, siquidem prædictus author, asserat, in eo usu detestandam prorsus simoniam occurrisse, quam, verbis adhibitis validioribus, omnino condemnat, & cui notam hæreseos etiam inurit; & summus prædictus Pontifex adeo laudandus fuerit inconsultus confirmatus, atque vel in ipso temporis intervallo, quo litteram exaraverat eo animo, ne confirmaretur, quæ a Romano præfecto fuit intercepta, a quo alia littera in contrarium, eo inscio, exarata est, qua ipsius confirmatio postulabatur: non potest cum aliqua similitudine veri contendi ab ipso datam eo fine fuisse pecuniam, ut istam confirmationem obtineret, quippe qui e contrario sese abdidisset, ne sibi vis inferretur, ut consecraretur Summus Pontifex. Atque revera quidem nec a Joanne Diacono, qui vitam sanctissimi prædicti Papæ scriptis mandavit, nec a quoquam vitæ ipsius scriptore uspiam memoratur, ipsum pecuniam dedisse, quo confirmari suam ele-

(*i*) Apud S. Gregor. Papam in Psal. 5. penitent. v. 9.

nus Sylvius non stat ejusmodi famæ, atque auditioni, quod tamen fundamentum unicum est, quo fulciuntur omnes Auctores prædicti; & ait, siquidem nullum reperiatur ejusmodi Decretum, neque ulla Constitutio Martini V. nec in magno Bullario, nec alibi: neque ab eorum quopiam fiat fides, a sese Decretum ejusmodi vel Constitutionem lectam fuisse, vel visam; standum esse Constitutioni Urbani IV. & propter solam ignorantiam non culpabilem, aut bonam fidem tantummodo posse eos excommunicationi sese eripere, qui simoniam committunt quantum ad suum in Religionem ingressum. *Quia tamen eam Bullam, seu declarationem Martini non reperimus, neque ullus est, quantum quidem sciri potest, qui asserat se eam legisse, vel vidisse; ideo si Moniales veram simoniam committerent in alicujus ad suam Congregationem admissione: non credimus, quod excommunicationem evaderent, nisi forte per ignorantiam, aut bonam fidem possent excusari.* Quam Sylvii sententiam amplectitur Dominus Godeau Venciensis Episcopus in sua morali Christiana (*a*) Parisiorum post ipsius obitum typis impressa. Eamdemque sequitur Dominus Sangermanus agendo de simonia. Tandem addit Cabassutius ex auditione, quam accepit a Sylvestro ab Innocentio VIII. & Clemente VII. Constitutionem Urbani IV. fuisse mitigatam, atque prorsus idem esse declaratum, quod Martinus V. declaraverat, sed ea de re nullam affert probationem. Atque revera quidem nihil ea de re reperimus in decem & novem constitutionibus Innocentius VIII. nec in quadraginta & una constitutionibus Clementis VIII. quæ in primo tomo magni Bullarii referuntur.

(*a*) D. Ant. Godeau. moral. Christian. l. 4. c. 21. tom. 2. D. de S. German. ærea geo. omnium vitæ conditionum L. 6. §. 1.

Quamquam hæc observatio nonnisi quadam ex accessione pertinet ad propositam speciem: operæ pretium facturos nos esse rati sumus, si eam silentio non prætermitteremus, ut nihil, quod attineret ad intelligentiam hujusce materiæ, posset ulterius desiderari.

CASUS L.

SYLVESTER, cum promotus fuisset ad sacrum Presbyteratus Ordinem ex interveniente quadam pecuniæ summa, quam dedit: peccatum suum confessus ab eodem fuit absolutus. Potestne deinde, sine scrupulo, rem divinam peragere?

RESPONS.

Non sufficit, quod Sylvester crimen simoniæ, quo sese constrinxit, fuerit confessus, ut possit sacra licite celebrare: atque ita censemus pluribus de causis. 1. Quoniam per commissam ejusmodi simoniam incidit in excommunicationem majorem, quæ gravissimam pœnam constituit, quæ fuerit *ipso facto* lata in simoniacos *in ordine* vel *in Beneficio*. 2. Propterea quod qui sese criminis ejusmodi conscium efficit, incidat præterea in suspensionem, atque in interdictum: ut declarat Paulus II. in sua constitutione, quam multoties jam allegavimus (*b*), in qua Papa præfatus renovando & confirmando omnes censuras, & omnes pœnas statutas contra simoniacos a Summis Pontificibus, qui illum præcesserunt, sic ait: *Apostolica auctoritate declaramus, quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, a suorum sint ordinum executione suspensi.* Atque citata constitutio fuit confirmata a S. Pio V. cujus Bulla habet adscriptam primam diem Aprilis anni 1556. (*c*) & quinta recensetur in magno Bullario. Quam doctrinam proponit etiam S. Thomas (*d*), qui ait: *Si dicatur Simoniacus ex hoc, quod recipit ordinem per simoniam; non recipit executionem, & est ipso jure suspensus & quoad se, & quoad alios: & punitur ulterius per depositionem, quando constiterit de crimine Judicii.*

(*b*) Paul. II. in extravag. cum detestabile 2. de simo. l. 5. Extrav. c. 2.

(*c*) S. Pius V. in Bul. cum p. § 4.

(*d*) S. Tho. in 4. dist. 25. q. 3. art. quæsti. ad 3. in corp.

Necesse est ergo, Sylvestrum, in quas incurrit, censuris primum quidem absolvi, deinde suo peccato, antequam possit vel sacra celebrare, vel aliquam aliam ordinum suorum exercere functionem: alioquin incideret in irregularitatem, ut evidenter colligitur ex integro titulo *de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante* (*e*).

(*e*) Lib. 5. Decretal. t. 27.

CASUS LI.

QUI præest Colloquiis Ecclesiasticis, quæ habentur in Diœcesi Rupellensi, proposuit Ecclesiasticis, qui aderant primo Colloquio, quod ibidem habitum est, quæstionem istam; scilicet, utrum possit Summus Pontifex ex plenitudine potestatis, qua gaudet, omnem omnino speciem simoniæ tollere, atque abolere: licitum illud reddendo, quod, ipsius nec auctoritate, nec dispensatione intervenientibus, non liceret nisi simoniace peragere: qua de re diversæ fuerunt sententiæ. Quid de proposita quæstione sentiendum?

RESPONS.

Est hoc indubitatum apud omnes Theologos, non posse Summum Pontificem vi plenitudinis illius, qua gaudet, potestatis, ab omni omnino specie simoniæ purgare. Neque enim ex ulla quacumque dispensatione potest efficere, ut, quod jure tum divino, tum naturali simoniæ labem continet, licitum sit: neque ea valet auctoritate, nisi quantum ad solam simoniam, quæ juris est Ecclesiastici.

Ea autem ratio potissimum afferri potest, quod jus tum naturale tum divinum proficiscatur ab ipso naturalis æquitatis fonte, & divina voluntate innitatur, quam voluntatem divinam, naturalemque æquitatem immutare penes nullum est penitus hominem: jus vero humanum, Ecclesiasticum, aut Civile non fulciatur nisi voluntate humana, seu hominis Legislatoris, quæ immutationi omnino obnoxia est: *Omnis Lex proficiscitur a ratione & voluntate Legislatoris*, inquit S. Thomas (*f*). *Lex quidem Divina & naturalis, a rationabili Dei voluntate: Lex autem humana a voluntate hominis, ratione regulata.* Ideoque qui populis regendis præponitur, qualis est Summus Pontifex in iis, quæ pertinent ad spirituale, jure quidem gaudet, quo possit immunitatem afferre circa Leges humanas, utpote quæ non fuerint nisi ab ipsis hominibus constitutæ: *Ille, qui habet regere multitudinem*, ait laudatus S. Doctor (*g*); *habet potestatem dispensandi in Lege humana, quæ suæ auctoritati innititur.* At non attigit ipsa eadem ejus potestas ad dispensationem usque Legum Divinarum, in quas nihil habet auctoritatis & quibus ipsemet subjicitur. *In præceptis juris Divini, quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.*

(*f*) S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 3. in corp.

(*g*) Idem ib. a. 4. in corp.

Juxta quod principium idem Doctor Angelicus (*h*) disserens de potestate Summi Pontificis ait, quod *Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia; ita scilicet; quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia a Papa. Hæc enim sunt, quæ dicuntur juris humani, vel juris positivi. Circa vero ea, quæ sunt juris Divini, vel juris naturalis, dispensare non potest: quia ista habent efficaciam ex institutione Divina.* Quod usque adeo verum est, ut alibi sic doceat (*i*): *Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo . . . . & ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de reditibus Ecclesiæ alicujus, non careret vitio simoniæ.* Quod quidem asserendi locus nullus foret: si verum esset, ipsi potestatem inesse efficiendi, ut quod de se simoniacum est, vitio simoniacæ pravitatis cesset esse obnoxium.

(*h*) Idem quodlib. 4. a. 13. in corp.

(*i*) 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7.

CASUS LII.

CUM Nicasius & Gildardus Sacerdotes primo quidem pensavissent unusquisque in semetipsum gratiam pro Officio Æditui de quadam Ecclesia Parœciali, cui officio de more annectitur obligatio Sacramenta tum Sacrosanctæ Eucharistiæ, tum Unctionis extremæ infirmis ministrandi: Gildardus deinde cum Nicasio pactus est, futurum, ut ei afferret eorum suffragia, qui promiserant sese ipsi Gildardo suffragaturos, ea conditione, quod postquam foret tum a Parocho, tum a Matriculariis admissus,

repen-

rependeret ei modicam aliquam suorum stipendiorum seu emolumentorum portionem: quod juxta conventionem effectum obtinuit. Qua de re petitur: 1 Utrum peccaverint ambitiose sibi unusquisque eorum prosequendo prædictum Officium? 2. Utrum non oleat simoniam, quæ inter eos postmodum accessit, conventio? 3. Si sese aliqua labe simoniaca inde vitiaverint, num incurrerint in pœnas Canonicas, quibus Ecclesia solet in simoniacos animadvertere?

RESPONS.

Circa speciem, quæ proponitur, dicimus, 1. Nullatenus licere, Officium aliquod, cui Sacramentorum administratio annectitur, nec ambire, nec ambitiose prosequi; adeoque neque Nicasium, neque Gildardum, quantum ad eam rem posse ab omni prorsus peccato vindicari. 2. Conventionem, quæ inter eos accessit, juxta quam Gildardus fidem fecit Nicasio suo Competitori, futurum ut ei afferret suffragia suorum amicorum, ut certo tertius officium illud assequeretur, ea Lege, quod inter se dividerent stipendia atque emolumenta, quæ Nicasius inde percepturus est, esse plane simoniacum, ut apertum est ex Concilio Chalcedonensi, & illius interpretatione, quam tradit Urbanus II. cujus adire licet verba in quadragesima decisione, cui S. Thomas etiam totus consentit (a) 3. Nicasium & Gildardum non inde tamen incurrisse in pœnam ullam Canonicam; quoniam, ut jam asseruimus alibi, non incurritur jure in pœnas latas in simoniacos nisi ab iis tantummodo, qui simoniaci sunt *in ordine* vel *in Beneficio* sicut observatur (b) a Sylvestro Mozolino, Cardinali Toleto, Navarro, & plurimis aliis. Consule superius additam observationem de simoniacis quantum ad ingressum in Religione in Casu *Theatimus* 48.

(a) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1. in corp.

(b) Sylvester v. Simonia. q. 39 Fr Tolet. Sstruct. Sacer. l. 5. c. 91. §. 4. Navarr. Manual. cap. 23. n. 111.

Ind sequitur, a Nicasio dimittendum esse istud Officium Æditui, siquidem eodem ex simonia, quam commisit, se se omnino prodiderit indignum: cum hoc genus Ecclesiastici ministerii quoddam quasi sit Vicarii munus, quod non potest recta conscientia retineri, quando fuit ad illud ratione simoniaca perventum, ut docetur a Navarro, qui ait: *De emente, conducente, vel per alium quemlibet contractum non gratuitum quærente vicarium, & quamvis Jurisdictionem vel potestatem spiritualem, etiam ad tempus Episcopi vel Parochi, vel cujuslibet alius Beneficiarii, respondeo in summa, ... primo, quod committit simoniam cap.* Licet *de Præbendis. Et cap.* Ad nostram *de Simonia. Secundo, quod meretur privari sed non ipso jure privatur officio Clericali, secundum Hostiensem, Panormitanum & communem ... Tertio quod ipso jure talis Contractus est nullus, & consequenter non quærit talem vicariam, & ita tenetur eam relinquere, ut juste pœniteat, argum. Can.* Si res 14. *q.* 6. Recentior quidam nostræ ætatis Theologus eandem Navarri sententiam secutus est (c).

(c) Sambovius t. 1. casu 34.

CASUS LIII.

SABINIANUS Parochus de S. Verano duplicones aureos exegit a Salvio, ut eum admitteret in Vicarium de sua Parœcia. Num in eo commisit aliquam simoniam; si vero aliquid occurrant simoniæ, num ejusdem etiam Salvius est particeps atque conscius?

RESPONS.

Certissimum est, Sabinianum & Salvium ambos contraxisse simoniæ peccatum. Cujus veritatis assertioni probandæ sufficiunt ipsa, quæ retulimus in præcedenti decisione atque in aliis plurimis, authoritatum testimonia. Papa Paschalis (d) apertissime damnat eos, qui emunt non tantum aliquod Beneficium, sed etiam quodcumque Ecclesiasticum qualecumque sit. Urbanus II. idem prohibet (e), & declarat emptores ejusmodi plane simoniacos. Atque ita, juxta Chalcedonense Concilium, quod citavimus in responsione ad Casum *Theotimus*, cujus proinde verba iterum hic loci perscribere nihil juvat, neque etiam verba Alexandri III. (f) scribentis ad Hersurdiensem Episcopum, quæ circa propositam difficultatem omnino luculenta sunt, quæque licet adire in eandem decisionem. Nec minus luculentus est idem Summus Pontifex in alia quadam e suis Decretalibus, quam inscribit Archiepiscopo Cantuariensi, quamque etiam allegavimus quidem, sed ipsius verba non retulimus (g), En qualia se habent: *Accepimus, quod Archidiaconi Conventrensis Episcopatus ..... a Vicariis denarios, ut eos in Ecclesiis cantare permittant, exigere non formidant & alia agunt, quæ Canonicis obviant institutis, & de radice cupiditatis & avaritiæ prodire videntur ..... mandamus, quatenus Archidiaconis prædicti Episcopatus hoc districtius interdicat. Si autem contravenire præsumpserint, eos appellatione cessante, Ecclesiasticis censuris compellas.* Quæ duæ Decretales constituunt præcipua fundamenta, quibus Navarrus innititur, ad asserendam eandem sententiam, quam hic loci propugnamus, ut colligere licet ex fine præcedentis decisionis.

(d) Paschal. in can. Si quis 7. 1. q.

(e) Urban. II. in can. Salvator 8. §. 1. ead. causa & q.

(f) Alex. III. in cap. Ad nostrum 21. de simonia. &c.

(g) Idem in cap. licet. 3. de pœnit.

CASUS LIV.

CAPITULUM & sex Canonici qui extant in Ecclesia Collegiali de S. Urbano, duos Clericos qui sunt ultra numerum, aggregaverunt in suum Collegium & cooptaverunt, confecto ea de re contractu coram duobus Notariis, ut venirent unusquisque ex ordine suo in partem obventionum & emolumentorum atque officiorum prædictæ eorum Ecclesiæ, iisdemque gauderent, cum occurret vacatio alicujus muneris Habituati, ea conditione, ut dictorum Clericorum quisque, cum recipietur, summam 200. librarum Canonicis cessuram sit soluturus. Qua de re quæritur: 1. Utrum prædicta Conventio & ipsius executio vitio simoniacæ labis inficiantur. 2. Utrum eadem Conventio labem simoniæ contineret, si Contractus enunciaret, futurum ut pecunia, de qua stipulatio accessit, licet impendenda in augendos ipsius Ecclesiæ reditus. 3. Utrum Canonici possint Clericos, quos ipsi ea ratione sic receperunt, excludere ab omni reditu suæ Ecclesiæ: quippe non fuerint ultra numerum aggregati, nisi interveniente ista conditione, in quam ipsimet ultro descenderunt. 4. Utrum, posito quod contractus sit simoniacus, Beneficia Canonicorum tanquam caduca possint obtineri. 5. Num in eo casu alia Beneficia, quæ fuerunt postmodum consecuti, possint quoque jure caduci impetrari. 6. Utrum in isto etiam casu prædicti Clerici de Ecclesia S. Urbani expellendi sint, atque utrum locus eorum censendus sit vacuus & obnoxius impetrationi?

RESPONS.

Respondemus, duce quodam insignioris notæ Theologo, cui non absimilis difficultas olim proposita fuit (h), & dicimus. 1. Inhærere procul dubio tum prædictæ conventioni, tum ejusdem executioni labem simoniæ manifestissimam. Ratio est, quia, in aliquam Ecclesiam cooptari in Clericum ultra numerum, ut ibidem Ecclesiasticæ functiones exerceantur, & perveniatur ad munus Habituati, & in partem obventionum emolumentorumque eidem annexorum, cum ipsius occurret vacatio vel ex obitu, vel ex abdicatione unius eorum, qui ibidem etiamnum ut habituati degunt, est res omnino mere spiritualis. Atqui non potest nisi simoniace pecunia recipi pro spirituali aliqua re rependenda, ut alibi probamus doctrina S. Thomæ (i), in dissolvendis aliis ejusdem naturæ difficultatibus. Ergo prædicti Canonici non potuerunt absque peccato simoniæ recipere pecuniam a duobus prædictis Clericis, quos ultra numerum in suam Ecclesiam, accedentibus conditionibus, quæ feruntur in exponenda quæstione, cooptaverunt.

(h) Sambovius, casu 53. t. 3.

(i) S. Th. 2. 2. q. 10. art. 1. 3. & 4.

2. Prædictum contractum futuram nihilominus simoniacum, etiamsi ibidem enuntiaretur, futurum ut pecunia, de qua stipulatio intervenit, foret impendenda in ipsius Ecclesiæ reditus augendos. Neque enim licet, adhibito ejusmodi prætex-

textu, nec alio quocumque, vendere rem spiritualem; ac proinde ejusmodi contractus propria sua natura nullus est, nec potest ullam inducere contrahentibus obligationem, *quia nullum est vinculum iniquitatis*.

3. Siquidem prædicti Canonici, nonnisi futuros ultra numerum, prædictos duos Clericos admiserint, istos posse ab iisdem excludi ab omnibus reditibus, emolumentis & obventionibus eorum Ecclesiæ; quippe qui non fuerint recepti ea conditione, ut eorumdem participes efficerentur, quamdiu remanerent ultra numerum, sed tantummodo postquam ad aliquod Habituatorum munus pervenissent.

4. Præbendas sex prædictorum Canonicorum non posse jure caduci impetrari, propterea quod contractus ejusmodi intervenerit. Cujus rei hæc vera ratio est, quia, quam in eo commiserunt, simonia non pertinet ad Beneficium; & ex sola simonia *in ordinem* vel *in Beneficio*, potest alicujus simoniaci Beneficium tanquam caducum impetrari.

5. Eadem ratione, alia Beneficia, quæ prædicti Canonici fuissent, post confectum contractum, assecuti, nec etiam futura jure caduci impetranda.

6. Prælatos duos Clericos esse de Ecclesia S. Urbani expellendos, ut prorsus indignos, qui locum ibidem habeant, & perveniant ad munus Habituatorum: utpote qui in eondem aggregati fuerint ratione non legitima, & vi contractus, qui *ipso jure* nullus est. At, quanquam indigni sint, qui locum istum sibi retineant, nihilominus eos idcirco non constitui inhabiles ad Beneficia, de quibus posset eis postmodum provideri; siquidem simonia, quam commiserunt, non sit circa Beneficium.

CASUS LV.

FABIANUS Parochus de S. Balduino pecuniam solet accipere, cum sacramenta Parœcianis suis administrat. Nonne in eo simoniæ peccato sese constringit, qui vero pecuniam ei rependunt, possuntne pecuniam istam citra peccatum donare?

RESPONS.

(a) S. Th. in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. in corp.

S. Thomas docet (a), non posse citra simoniæ peccatum pecuniæ pretio conferri sacramenta. Cujus Doctrinæ suæ tres subjicit rationes. *Cum sacramenta contineant & causent gratiam*, inquit, *non possunt licite emi, aut vendi, propter tria. Primo, quia dispensator sacramenti non est Dominus, sed Minister. Emptio autem debet fieri a Domino rei.*

2. *Quia pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans illud, quod emitur ubi gratia autem non potest commensurari alicui corporali.*

3. *Quia gratia eo hoc nomen accepit, quod gratis datur. Unde contra rationem gratis facit, qui sacramenta gratiæ quasi venalia tractat.*

Nihilominus, quoniam non possunt nisi a Ministris Ecclesiæ sacramenta fidelibus dispensari, & æquum est, quin etiam necessarium, istis Ministris, quæ necessaria sunt ad eorum sustentationem a populo suppeditari, juxta dictum illud Apostolicum (b), *nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, de Altari participant?* Idem ea de re sentiendum est, quod Doctor Angelicus, qui alibi sic habet (c): *Sic ergo dicendum est, quod accipere pecuniam pro spirituali sacramentorum gratia, est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari: quia consuetudo non præjudicat juri naturali, vel divino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cujus pretium potest pecunia æstimari ... accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum.* Quorum quidem rationem affert laudatus S. Doctor, sequentia verba subjungendo: *Non enim sumitur, tanquam pretium mercedis; sed tanquam stipendium necessitatis. Unde super illud 1. ad Timoth. 5. qui bene præsunt Presbyteri &c. dicit Glossa Augustini: accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino.* Et iterum alibi (d) *vendere quod spirituale est pro hujusmodi actibus, aut emere simoniacum est. Sed accipere, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia secundum ordinationem Ecclesiæ & consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamen, quod desit intentio emptionis, vel venditionis; & quod ab invitis non exigatur per spiritualium substractionem, quæ sunt exhibenda: hoc enim haberet quandam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licitæ possunt statutæ & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus & valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente.*

(b) 1. Cor. 9. 13.

(c) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 2. in corp.

(d) Idem cit. q. 100. art. 3. in corp.

En qua ratione S. Thomas excutit totam istam difficultatem. Unde sequitur, cum Fabianus non exigat nec recipiat pecuniam tanquam pretium gratiæ sacramentorum, sed tanquam justam mercedem suo ministerio debitam, ab ipso nullatenus committi simoniæ peccatum.

Quæ doctrina Angelicæ Scholæ est ipsius Ecclesiæ propria. Licet namque tertium Generale Concilium Lateranense anno 1179. sub Alexandro III. congregatum, quod potissimum intendebat omnes consuetudines, quæ simoniam sapiebant, quasque quædam cupiditatis & avaritiæ prurigo in administrandas res sanctas induxerat, abolere ac penitus resecare, nulla facta distinctione, prohibeat, ne quidquam exigatur etiam pro mortuorum exequiis, & benedictionibus nubentium, adeo ut iisdem pauperes frustrentur; nihilominus quartum Concilium ejusdem nominis Oecumenicum, cui præsens Innocentius III. præerat anno 1215. ea de re loquitur iisdem fere verbis, quibus S. Thomas; sic etenim habet (e): *Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt & extorquent; & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam Laici laudabilem consuetudinem erga Sanctam Ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere sub prætextu Canonicæ pietatis. Quopropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: Statuentes, ut libere conferantur Ecclesiastica sacramenta, sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.*

(e) Conc. Lateran. IV. can. 66. in cap. Ad Apostolicam. 42. de simonia. &c.

Quod Decretum secutum fuit Rhotomagense Concilium actum anno 1581. (f). En etenim qua ratione mentem ea de re suam aperit: *Non tantum ingrati animi, sed contra naturæ debitum & jus Divinum nitentis & corrupti esse judicamus, dispensanti Sacramenta, ad salutem requisita, non suppeditare victui necessaria & operæ pretium & laboris mercedem non reddere. Scriptum est enim: Non alligabis os bovi trituranti, &c. ... Proinde noverint omnes Christiani, non libertatis esse, sed debiti, ministranti Sacramenta atque alia spiritualia stipendium aliquod solvere, unde vivat.*

(f) Concil. Rhotomag. tit. de Curatorum & aliorum Presbyterorum ac Parochianorum officiis. n. 46.

Quin etiam Reges memorata Decreta defenderunt, suaque auctoritate plurimum vindicaverunt, ut colligere licet ex Edicto Blesensi (g), in quo Henricus III. cum percepisset, Aurelianensis Edicti, quod promulgaverat Carolus IX. anno 1560. verba ea de re esse generaliora, articulum, qui in materiam istam attingebat, rescindit. En qua ratione loquitur. „ Volumus „ ac jubemus ut Parochi tum de Urbibus, tum „ de locis aliis quibuscumque, conserventur in „ possessione juris percipiendarum oblationum, „ & gaudendi juribus aliis Parochialibus, quæ „ consueverunt accipere ex antiquis ac plurimum „ laudandis consuetudinibus, nihil obstante Aurelianensi Edicto, de quo quantum ad eam „ rem, derogavimus ac derogamus.

(g) Edict. Blesens. art. 5.

Eodem principio, eademque ratione comprobari potest usus donandi, vel recipiendi honorarii alicujus pro conficiendo sacrificio, quemadmodum ab Angelico Doctore docetur (h).

(h) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. ar. 2. quæstiunc. 2. ad 4. Et 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6.

Minus etiam difficultatis illud habet, teste laudato

dato

Digitized by Google

dato S. Doctors, quod aliquid recipiatur pro nuptiis celebrandis, quoniam, inquit, matrimonium non est tantummodo cunsiderandum, qua ratione Sacramentum est, sed etiam ut Contractus Civilis, & quatenus institutum *in officium naturæ*. Unde concludit, quanquam licite non possit exigi pecunia præcise pro ipsa nuptiali benedictione, nec sub respectu Sacramenti, licere tamen temporalis aliquid exigere, matrimonio consideratu sub respectu Civilis Contractus, & quatenus *in officium naturæ* fuit institutum. En ipsissima sunt verba S. Thomæ (*a*): *Matrimonium non est solum Sacramentum, sed etiam naturæ officium & ideo ex illa parte, qua est Sacramentum in dispensatione Ministrorum Ecclesiæ consisten; non cadit sub emptione, sed ex illa parte qua est in officium naturæ, nihil prohibet pro matrimonio pretium accipere, vel conditionem de re temporali accipienda interponere, sicut nec in aliis civilibus, & corporalibus*. Atque adeo Parochus omnino potest, recta conscientia, ab iis, qui sese Matrimonio conjungendos offerunt, jus exigere quod consuetudine fuit inductum, aut ab Episcopo constitutum est, dirigendo nimirum suam intentionem juxta memoratam S. Thomæ distinctionem, ac relative ad illud, quod matrimonium sit Contractus Civilis, & *in officium naturæ institutum*.

(*a*) Idem in 4. cit. quæstione. 2. ad 2.

CASUS LVI.

Jacobus Parochus de S. Amando rogatus, ut quemdam baptizaret infantem, baptismum ei conferre noluit, nisi sibi pecuniæ totidem rependeretur, quantum exigere solebat pro unoquoque baptismate, quod administrabat. Qua de re quæritur: 1. Utrum possit, quod exegit, argentum ei sine simonia numerari? 2. Utrum, posito quod istud non liceat, possit prædictus infans offerri primo occurrenti Laico, ab eodem etiam ibidem præsente præfato Parocho, baptizandus?

Respons.

Propositam difficultatem S. Thomas (*b*) dissolvit, & asserit, siquidem nunquam liceat pecuniam dare pro pretio Sacramenti Baptismatis, in eo casu eadem esse ratione sese gerendum, qua ageretur, si prædictus Parochus foret absens, adeoque si, qui ei baptizandus offertur, infans constituatur in periculo mortis, ab ipso Patre, vel ab eo qui curam ejus gerit, eum esse baptizandum, aut curandum, eamdem a primo occurrente, ibidem etiam prædicto Parocho præsente, baptizari: At si casus mortis infanti non immineat, & copia fiat, antequam baptismus ei conferatur, recurrendi ad superiorem, authoritatem illius esse ea de re prorsus implorandam (*c*) *In casu necessitatis quilibet potest baptizare, & quia nullo modo est peccandum, pro eodem habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset, qui baptizaret: unde ille, qui curam gerit pueri, in tali casu licite potest eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari*. Quibus præterea S. Doctor addit, quod si non adesset ibidem aqua, in eo casu aliquis *posset tamen licite aquam a Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale*. Et quoniam opponi posset, aquam, quam prædictus Parochus offerret, futuram consecratam ex admistione sacri Chrismatis, & Sacerdotali benedictione: adeoque futurum ut emi ipsa non posset absque peccato: sic respondet laudatus Sanctus Doctor (*d*): *Quia aqua non est Sacrum quid, sed & si sit sanctificata, non operatur ad Baptismum, de necessitate ejus existens, quasi sanctificata, sed quasi aqua: & ideo non emit aquam sanctificatam, sed aquam*. Addit denique idem S. Doctor: *Si autem esset adultus, qui Baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari. Quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro Baptismo dare: sed potius absque Baptismo decedere, suppleret enim ei ex Baptismo flaminis, quod ei ex Sacramento deesset*.

(*b*) S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 2.

(*c*) Idem in 4. dist. 25. c. 3. art. 2. qu. 2. ad 3.

(*d*) S. Thom. In 4. dist. 25. qu 2. art. 2. qu. 3. ad 2.

CASUS LVII.

Renatus Sacerdos delegatus ab Episcopo Diœcesano, ad Fabium ab excommunicatione, in quam incurrerat, absolvendum, antequam eum absolveret, ab eodem quamdam pecuniæ summam exegit: num potuit eandem exigere absque, eo quod simoniaca pravitate sese constringeret?

Respons.

Nullum omnino dubium est, quin prædictus Sacerdos sese simoniaca labe infecerit, si pecuniam istam exegerit a Fabio pro indulgenda gratia absolutionis, at vero, si eandem ab eo non exegerit, nisi ut pœnam illi peccato debitam, propter quod in excommunicationem incurrerat, nihil prorsus commisit simoniæ. Quam distinctionem suggerit Sanctus Thomas: (*e*) *Pecunia*, ait Laudatus S. Doctor, *non exigitur ab eo, qui absolvitur, quasi pretium absolutionis: hoc enim esset simoniacum, sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus*. Et iterum alibi: (*f*) *Pro absolutione non debet exigi pecunia: sed tamen ei, qui absolvitur potest imponi pecuniaria pœna: unde licet exigere quasi peccati pœnam*.

(*e*) Idem 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3.

(*f*) Idem in 4. dist. 25. q. 2. art. 12. quæst. 1. ad 6.

Nihilominus, quoniam illud nimiam cupiditatem olet, atque inde consequi potest facile multorum offensio non levis, nequaquam approbandam est: quam ob causam S. Thomas subjicit: *In quo tamen cavendum est, ne talis exactio magis cupiditati, quam correctioni ascribatur*.

CASUS LVIII.

Polichronius Episcopus Albensis solet exigere nummum unum, & aliquando quidplam amplius pro unaquaque dispensatione, quam suis indulget Diœcesanis: num ista res potest omni penitus carere simonia?

Respons.

Præcipit Episcopis Concilium Tridentinum, ut quas (*g*) concedunt dispensationes gratis indulgeant; hoc est, ne pecuniæ quidquam inde percipiant, quod in eorum quæstum vergat: quoniam dispensare, actus est potestatis Ecclesiasticæ ac spiritualis, quæ eis fuit gratuito concessa, quamque proinde debent omnino gratis exercere, juxta verbum illud Evangelicum: (*h*) *Gratis accepistis, gratis date*. Polichronius ergo non potest citra simoniæ peccatum sibi quidquam lucri sumere de dispensationibus, quas indulget. Quam decisionem Cabassutius habet, (*i*) cum ait: „ Pro certo statuendum est, nihil posse exigi, vel dari in pretium dispensationis nec summo ipsi Pontifici, cum dispensatio sit actus Ecclesiasticæ, & spiritualis potestatis, quæ non potest citra simoniam juri divino oppositam pecunia compensari.

(*g*) Conc. Trid. sess. 25. c. 18.

(*h*) Matth. 10. 8.

(*i*) Joan. Cabass. Jur. can. theor. & prax. l. 5. c. 6. n. 6.

Observat tamen Canonista Laudatus, & quidem consulte prorsus, ab Episcopo posse sine ullo peccato postulantibus dispensationes quamdam pecuniæ summam ex præscripto rationis, & æquitatis ordinatam imponi, modo eandem nullatenus sibi vindicare præsumat, sed aut in utilitatem ipsius Ecclesiæ aut in subsidium pauperum impendat; atque in eo sensu Tridentini Concilii decretum accipiendum est. „ Sane hac voce, subjungit autor ille memoratus, *gratis*, non vetat (Concilium) onus imponere erogandi eleemosynam pauperibus, vel Ecclesiæ, sed hoc solum prohibet, ne ipse Prælatus in dispensatione lucrum sibi suisque captet.

CASUS LIX.

Tussanus Doctor Theologus præpositus ab Episcopo, perpendendæ eorum eruditioni ac doctrinæ, qui, ut instituantur Parochi, accedunt, sæpe sæpius ab unoquoque Parocho, cujus eruditionem ac doctrinam expendit, recepit unum nummum, in pretium tum temporis, tum laboris, quæ in prædicto munere peragendo posuit: nonne in eo quædam occurrit species simoniæ?

RESPONS.

Non potuit prædictus alienæ Doctrinæ Judex pecuniam istam recta conscientia recipere, nec ante, nec post tentatam eorum eruditionem, qui ad eum accesserunt, ut ad Beneficia promoverentur. Quin etiam, cum ejusmodi simonia sit realis, Concilium Tridentinum sic declarat: „Caveantque (Examinatores) ne quidquam prorsus occasione „hujus examinis, nec ante, nec post accipiant: „alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quam alii „dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi di„missis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam an„tea obtinebant, & ad alia inpostarum inhabiles „reddantur „: Quæ verba sunt ipsissima laudati Concilii.

CASUS LX.

EUSTRATES Sacerdos calicem habens tres ponderis besses pendentem, cujus bes unusquisque, addito manu pretio, pretii erat librarum triginta quinque, eum Hieronymo vendidit, pretio 125. librarum, propterea quod iste consecratus esset, & nisi fuisset consecratione donatus, Hieronymo incubuisset iter decem leucarum suscipere, ut eum secum deferret consecrandum. Num ejusmodi venditio vacat omni simoniæ vitio?

RESPONSIO.

Non licuit prædicto sacerdoti Calicem, de quo quæstio proponitur, ultra veram illius æstimationem Hieronymo vendere ratione consecrationis, qua donatus erat, quin sese constringeret realis simoniæ peccato, quæ divino jure prorsus interdicta est. Cum enim consecratio Calicis sit quidpiam mere spiritale, nec æstimanda est pretio pecuniæ, nec in quocumque casu potest ingredi commercium: „Vasa sacra *ait S. Thomas (a)*, nullo modo ratio„ne consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro „consecratione eorum aliquid plus exigatur. Ta„men in necessitate Ecclesiæ possunt vendi ex par„te ejus, quod in eis non est spirituale, scilicet ma„teria auri, & argenti. Et tunc, si venduntur Eccle„siasticæ personæ, possunt integra vendi. Si autem „venduntur aliis non ad usum Ecclesiæ, debent „prius frangi præmissa oratione, ne sancta ab a„liis tractentur, quam a ministris Ecclesiæ.

(a) S. Th. in 4. d. 25. q. 3. a. 1. q. 3. ad 1.

CASUS LXI.

CALLIPUS quem tenebat desiderium adipiscendi quamdam sacrarum Reliquiarum thecam argenteam plenam Sanctorum ossibus, quam Metellus possidebat, cum de eadem duas minas eidem obtulisset, Metellus eam ei cessit pro constituto prædicto pretio. Nonne aliq. simonia cum habet ista venditio?

RESPONSIO.

Est idem judicium ferendum de vendita ista sacrarum Reliquiarum theca, quod S. Thomas statuit de venditione vasorum sacrorum, hoc est, quemadmodum potest, absque simonia vas aliquod sacrum vendi justo pretio, quod materia valet, ex qua constat, nec vendi potest aut emi carius ratione suæ consecrationis, quin inde incurratur in simoniam; ita posse vel emi, vel vendi aliquam sacrarum Reliquiarum thecam, modo nec ematur nec vendatur ultra pretium justum materiæ, ex qua conflatur. Quoniam, si pretium excederet valorem materiæ, simoniacum foret: siquidem, quod ulterius excurreret, non posset dari nisi ratione reliquiarum sacrarum, quæ in eadem continerentur: quæ quidam Reliquiæ, cum sint aliquid rei sacræ, non possunt pretio pecuniæ ullatenus æstimari. Atque hoc ipsum est, quod fuit omnino strictissime prohibitum a IV. Generali Concilio Lateranensi, cui præsidebat Innocentius III. cujus Decretum legitur in corpore Decretalium (*b*). Quod idem quoque plurimis sæculis ante celebrationem præfati Concilii prohibuerant Imperatores Honorius atque Theodosius, ut colligitur ex una quadam ex eorum legibus in Codice relata (*c*), quæ concipitur istis verbis: *Nemo Martyres distrahat; nemo mercetur*. Ad quæ verba Glossa notat in Græco legi *οὐδεὶς ἁγίων λειψάνων πραγματευέσθω*, *id est nemo Sanctorum reliquias mercetur*.

(b) C. cum ex eo. fin. de reliquiis, & veneratione sanctorum l. 3. t. 46.

(c) L. Nemo. 2. cod. de sacrosanctis ecclesiis &c. l. 1. 2. 8.

Quæ decisio tota consentit communi omnium tum Theologorum, tum Canonistarum Doctrinæ (*d*). At operæ pretium est observare, de eo apud eos convenire, scilicet, prorsus licere Reliquias sacras emere, cum eo fine emuntur, ut manibus infidelium, hæreticorum ve eripiantur; eadem ratione, qua licet pecuniam donare, ut quis ab iniqua vexatione, quam patitur occasione Beneficii alicujus, de quo sibi fuit legitime provisum, sese possit expedire.

(d) Fr. Suarez. to. 1. de Religione l. 4. c. 14. n. 24. Abb. in c. Cum ex eo Sylvester de Prierio v. Reliquiæ Joan. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 6. n. 3. &c.

CASUS LXII.

GERMANA, cum accessisset ad Monasterium de S. Gertrude, exigenti Communitati persolvit 250. libras loco pensionis, quæ per annum suæ probationis decurrerat, quanquam prædictum Monasterium magnis admodum opibus abundaret. Nonne in eo simoniacum aliquid occurrit?

RESPONS.

Constat, in eo nihil quidquam occurrere simoniacæ pravitatis, quoniam virgo Novitia jure non gaudet, sese sustentandi Monasterii lumptibus, in quo Religiosæ probationis curriculum peragit, quibuscumque divitiis, & opibus valeat illud Monasterium; cum jus ejusmodi non acquiratur nisi ex solemni Religionis votorum nuncupatione. Quamobrem, quando Concilium Tridentinum prohibet, ne quidquam ante Religiosam professionem emissam donetur, excipit quæ necessaria sunt tum ad victum tum ad vestitum currente tempore probationis. „Sed neque ante professionem, excepto victu, „& vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, „quo in probatione est, quocumque prætextu a pa„rentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Mo„nasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur (*e*).

(e) Conc. Trid. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 16.

CASUS LXIII.

AUBIERGIA in animo habens Religionem ingredi in quodam Monasterio Monialium de ordine S. Bernardi, fuit a Primaria, & Communitate prædicti Monasterii ad probationem admissa, confecto prius inter præfatas Moniales, & ipsius Patrem juxta formas consuetas contractu, quo stipulatione verbis expressis concepta fertur: 1. Præter summam 300. librarum, quam ipse numeraturus est loco pensionis, quæ decurret per annum probationis suæ filiæ, futurum etiam, ut teneatur ad solvendas impensas tum Medicorum; tum medicaminum, quibus ipsi futurum opus est, occurrente casu, quod currente prædicto anno, morbum aliquem contrahat. 2. Si per eundem annum ipsa decedat, futurum quoque, ut summam 300. librarum Monasterio memorato persolvat, tam pro aliis expensis, quæ durante ipsius morbo fuerint factæ, quam pro funerariis impensis ipsius exequiarum. Num prædicta stipulatio vitio caret simoniæ?

RESPONS.

Nihil simoniacæ labis habet conventio, de qua quæstio est in proposita specie. Neque etenim ulla ratione spectat ad coaptationem Aubiergiæ in Religionem, nec ad eandem ad solemnium Religionis votorum nuncupationem admittendam. Adeo ut præfata virgo non consideranda sit per curriculum suæ probationis, nisi ut alia persona quæcumque privata, quæ, pacta aliqua mercede, de sæcularis alicujus Communitatis mensa convivaretur. Sicut igitur Pater aliquis obligaretur ad præstandas prædictæ Communitati impensas omnes conferendas in curandum morbum suæ filiæ, & funerarias expensas, si ipsa morbo eodem absumeretur; sic etiam justum est, Religiosæ Communitati refundi sumptus ejusmodi ac prædictas impensas, cum aliqua ibidem virgo morbo corripitur, aut decedit intra annum suæ probationis; siquidem Religiosa Communitas non sit pejoris conditionis, quam quælibet alia sæcularis Communitas (*f*).

(f) Sambov. to. 2. casu 30.

CA-

CASUS LXIV.

Petronilla cupiens institutum sequi vitæ Religiosæ in Monasterio quodam locupletissimo, Primariam, quæ eidem præponitur, adit; & mentem ei suam ea de re aperiens, offert omnia bona sua donare Monasterio, quæ quidem illius bona consistunt in prædio quodam luculentissimo, quod reddere consuevit 1000. nummos census annui. Primaria ex unanimi suæ Communitatis consensu eam recipit factamque ab eadem conditionem acceptat, & peracto probationis illius anno, ad solemnem Professionem admittit. Nonne in toto prædicto negotio simoniacum aliquid occurrit?

RESPONS.

Ne simoniæ quidem umbra deprehenditur in toto illo negotio, si recta fuerit ex utraque parte intentio, & ab omni fæce terrenæ cupiditatis expurgata. Ratio est, quia nunquam fuit ab Ecclesia prohibitum, ne, quod Monasteriis ultro, nemineque exigente, ab ingredientibus Religionem offertur, acceptetur. Quin potius ejusmodi donationes habuit semper ut omnino legitimas, quemadmodum apertum est ex Regula S. Benedicti (a): unde declarant Episcopi congregati in postremo Provinciali Concilio Rhemensi; quod habitum fuit a Cardinali de Guisse anno 1583. & confirmatum atque approbatum a summo Pontifice Gregorio XIII. 30. Julii anni sequentis (b): *Approbamus tamen, & laudamus eleemosynas; etiam copiosas, ab ingredientibus sponte collatas*.

(a) Reg. S. Benedicti. c. 59.

(b) Conc. Rhem. de simoniacis & fiduciariis. c. 20.

Diximus; *si recta fuerit ex utraque parte intentio, & ab omni fæce terrenæ cupiditatis expurgata*; hoc est, modo: 1. Petronilla non intendat propter bonum, quod sese donaturam offert, inducere Communitatem, ad illam recipiendam. 2. Nec Primaria Monasterii, nec Moniales, ex quibus cum eadem constat Communitas, Petronillam admittant ad solemnem votorum nuncupationem, propter bonum, quod secum Monasterio affert; sed potius eam gratis admittant ad professionem emittendam, acceptando ipsius donum, propter sufficientes, ipsius animi dotes, quippe nunquam Ecclesiæ probatæ fuerint ejusmodi donationes, nisi quatenus cum eo animo conficiuntur. Atque hoc ipsum Celeberrimus Cantor de Ecclesia Parisiensi (c) aperte prorsus explicat istis verbis; „ Sit quod aliquis accedens ad Ecclesiam vel Monasterium dicat: offero me, & mea huic Ecclesiæ, vel Monasterio, ad serviendum in eo „ perpetuo. Si sine distinctione recipitur, sanus „ erit ingressus ejus: si autem plura, quam oblata, ab eo exiguntur, vel si distinguatur inter sua & illum; ut sua scilicet sint causa, „ cur recipiatur, vitiosus erit ingressus, si autem „ inter sua & illum distinguatur ut scilicet ille „ sit causa, cur sua cum ipso recipiantur: sanus „ & licitus erit ingressus.

(c) Petrus Cantor. verbi abbreviati. c. 38.

Juvat observare, personas, a quibus exhibentur ejusmodi donationes, stipulari non posse, futurum ut ipsæ donationes eas sequantur, si discedant e Monasterio, in quo professionem Religiosam emittunt, & in alios conventus transeant: quæ enim sic donata fuerunt, bona non personæ, quæ eadem donavit, sed ipsi Monasterio cedunt jure proprietatis. Qua de causa, si timet, ne possit in ipsa domo; in qua profitetur, residentiam perpetuam servare: oportet, ut donationi, quam Monasterio largitur, pensionem ad vitæ suæ tempus adjiciat, quæ possit sibi persolvi in Monasterio, in quod sese aliquando recipiet (d).

(d) Samborius t. 1. casu 58.

CASUS LXV.

Eutrepia, cum accessisset ad Monasterium quoddam, ut ibidem ad Religionem admitteretur, non potuit ad solemnem Religiosorum votorum nuncupationem recipi, nisi fide prius facta, futurum ut ipsa nummos 1000. persolveret, quos reipsa numeravit. Renuntiatum ei postmodum fuit ab ipsa commissum esse peccatum simoniæ: qua de re quærit, num ita se res habeat?

RESPONS.

Priusquam proposita solvatur difficultas, scire omnino interest, quod juxta S. Thomam (e): „ Cum „ possessiones alicujus loci Religiosi non sufficiunt „ ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo „ qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis; sed ut habeat Monasterium, unde ei possit providere: & ideo non committitur „ simonia. *Quam eamdem doctrinam iterum alibi proponit* (f). Pro ingressu Monasterii, *inquit*, non „ licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium, „ Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod „ non sufficiat, ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, „ sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ „ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non „ sufficiunt Monasterii opes.

(e) S. Th. in 4. q. 25. q. 2. a. 24. quæstiuncula 2. ad 7.

(f) Idem 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4.

Eam autem doctrinam S. Thomas stabilit authoritate cujusdam antiqui Canonis, qui Authorem habet Bonifacium I. scribentem ad universa Monasteria de Diœcesi Calaritana in Sardinia (g) quem adire licet in Gratiani Decretum: Glossa (h) ad quamdam Innocentii III. Decretalem eandem sententiam tenet, quando sic ait: „ Posset „ dici, quod si ita pauperes sunt, quod non possunt ibi alias aliquo modo aliquem recipere, „ quia non haberent ibi victum, sub hac forma... „ possent recipi: non habemus, quid demus tibi pro victu: nisi tu portes tecum, unde vivas: dum tamen hoc non dicatur in fraudem, „ & sine aliquo pacto. *Quam doctrinam suam etiam efficit S. Raimundus* (i); Credo, *inquit*, „ quod possunt dicere: non sufficiunt nobis (*reditus*) Libenter suscipimus te ad spiritualia: ad „ temporalia non possumus, nisi habeamus plures „ possessiones: & tunc ille offerat se, & sua.

(g) Bonifac. I. in can. Quam pio. 2.

(h) Glossa in c. Quondam de simonia, &c. v. pauperatis.

(i) S. Raimund. in sum. l. 1. t. 1. §. 21.

S. Bonaventura (K) in sua Apologia pro Monialibus de Ordine sanctæ Claræ, postquam sic initium dicendi fecit: *Quadruplex est forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque*. Nimirum primo: pro Deo: hoc est, nec propter pecuniam, nec cum pecunia. Secundo loco, cum pecunia quidem, non vero propter pecuniam; adeo ut, persona, quæ sese offert propter ipsum amorem Dei nihilominus admitteretur; etiamsi nihil quidquam omnino secum afferret, deinde sic prosequitur laudatus S. Cardinalis: „ Tertia, quando quis recipitur, non pro pecunia; nec tamen reciperetur „ sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum „ recipiunt, in necessitatibus corporis providere: „ cum tenues facultates domus vix sufficiant jam „ receptis; nec ad eos audeant plures recipere, & „ istos suis necessitatibus spoliare, ita quod talis „ persona, quæ sic recipitur, si abundaret locus, „ sine pecuniis reciperetur ..... Et hoc non est impurum: licet non appareat forsitan pulchrum „. Et postquam asseruit, ibi semper occurrere simoniam, quando Monasterium aliquod, tenue licet, recipit aliquem propter ipsius pecuniam, cum e contrario non sit recipienda pecunia, nisi propter personam; addit; „ Ubi vero pecunia recipitur „ propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent, unde eam pascerent; non „ videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet „. En quam tenent doctrinam Viri Sancti, Theologi, & Canonistæ, quibus congruunt plurima Concilia, atque inter alia (l) Concilia Senonense anni 1528. Mediolanense anni 1565. & Turonense.

(K) S. Bonaventura in libello Apologetico in eos qui Ordini Fratrum minorum adversantur. q. 18.

(l) Conc. Senon. an. 1528. conc. Med. 1. & conc. Turon. de Monialibus.

Qua semel in antecessum posita ac stabilita veritate, facili negotio dissolvitur difficultas, quæ proponitur circa modum, quo Eutrepia Religionem ingressa est. Est namque positum extra omnem prorsus controversiam, simoniacum plane esse ipsius ingressum, si Monasterium, in quo professionem emisit, cum facultatibus sufficientibus valeat, quibus, tum alimenta tum cætera vitæ necessaria ministrare possit iis, qui illuc accedunt, ut ibidem admittantur, pro ea recipienda 5000. libras exegerit.

Quod omnino fit apertum ex authoritate IV. Concilii Generalis Lateranensis (m), quod habitum est a 412. Episcopis sub Innocentio III. En enim qua ratione loquitur; *Quoniam simoniaca la-*

(m) Conc. Lateran. IV. sub Innoc. III. c. 64. in c. Quoniam. 40. de simonia &c.

bes usque adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare; ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, statuentes, ut quæcumque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. Deinde prædictum Concilium sic statuit quantum ad eas, quæ, nondum promulgato prædicto Decreto, præfata ratione receptæ fuerunt: *De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur: quod si forte propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commode collocari; ne damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in iisdem Monasteriis dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis.* Jubent denique laudati Sacrosancti Concilii Patres, ut memoratum suum Decretum eadem ratione quantum ad Regulares, quantum ad Moniales locum, & effectum obtineat. *Hoc etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus observandum*: En qua ratione Ecclesia mentem suam aperit in famoso prodacto Concilio, cujus Decretum ita perspicuum est, ac definitum, ut nulla prorsus indigeat interpretatione.

Addemus præterea: 1. Statutum illud omnino consentire Decreto, quod II. Concilium Nicænum (*a*) celebratum anno 787. sub Pontificatu Adriani I. jam eadem de re fecerat. “ In tantum inolevit avaritiæ facinus in Rectores Ecclesiarum, *ipsa verba sunt Concilii proxime laudati*, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur Religiosi, viri atque mulieres obliviscentes mandatorum Domini, decipiantur, & per aurum introitus accedentium tam ad sacratum Ordinem, quam ad Monasticam vitam efficiant. Unde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sunt projicienda, ut Magnus ait Basilius; neque enim Deo per Mammonam servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens; siquidem Episcopus vel Abbas extiterit, vel quilibet de sacrato Collegio; aut desinat, aut deponatur juxta secundam regulam Sancti Chalcedonensis Concilii; Abbatissa vero ejiciatur de Monasterio, & tradatur in alio Monasterio ad subjectionem.

(*a*) Concil. Nicænum II. Act. 8. Can. 19

2. Hoc idem statutum concordat etiam cum quadam Decretali, quam Alexander III. inscribit (*b*) Episcopo Herfodiensi in Anglia occasione Abbatis, & Monachorum de quodam Monasterio, quos suspensos declarat; quod, ad Sacerdotem quemdam in suum ordinem aggregandum, aliquam pecuniæ summam recepissent. & vult, ut prædictus Sacerdos in aliud Monasterium discedat. En verba sequuntur laudatæ Decretalis: *Quoniam ergo factum hujusmodi perniciosum videtur; mandamus Abbatem, & Monachos, ad restituendam pecuniam præfato Fr.* Præsbytero, *tam indigne acceptam, compellas: & Abbatem & Majores personas Monasterii pro tantæ pravitatis excessu ab officii executione suspendens, præcipias dicto F. ut in alio Monasterio in habitu Monastico Deo studeat, deservire.*

(*b*) Alex. III. in cap. Veniens 19. de simonia, &c.

3. Quadrat quoque Decretum superius allegatum ad aliam Decretalem, quæ Authorem habet Clementem III., (*c*), & refertur in Corpus Juris; atque ad alias plurimas Decretales (*d*), quas compendii causa, satis est ibidem ad marginem indicare.

4. Quibus prædictis authoritatum testimoniis addi tandem potest pondus Concilii Francofordiensis, quod actum est anno 794. Concilii Turonensis sub Alexandro III. anni 1163. Concilii Senonensis anni 1485. Et Concilii in eadem Provincia a Cardinali du Prat anno 1528, congregati (*e*).

Qua quidem ex prædictarum authoritatum tanta nube concludimus cum Sancto Antonino Archiepiscopo Florentino (*f*), inordinatum prorsus ac perversum in Ecclesia eum usum esse, ut nonnisi personæ, quibus suppetit, unde nummos plurimos secum afferant, ad Religiosam professionem admittantur. Quod quidem ait laudatus Sanctus, eo magis deplorandum est quod, quo locupletiora sunt Monasteria, eo summæ pecuniarum ingentiores ab iis exigantur, qui ibidem sese recipi petunt. *Secunda* (conclusio) *quod si Monasterium sit abundans; nullus debet ibi esse tractatus de temporalibus in receptione: & hoc est contra communem abusionem: quia quanto Monasterium est abundantius, tanto volunt & majores dotes.* Atque revera quidem, cum secundum communem omnium tum Theologorum, tum Canonistarum, committatur peccatum simoniæ, quando pro spirituali, vel pro spirituali annexo recipitur aliqua res temporalis, & Monasterium non possit censeri aliquid recipere nisi pro spirituali; quoniam, siquidem opibus ac possessionibus abundet, habet, unde temporalia possit receptis ad Religiosam professionem subministrare, & tenetur, ad eadem iis suppeditanda eo ipso, quod de reditibus suis bene constitutum sit, ut præcipiunt Concilia; sequitur quidquid exigit, prætexta causa sustentationis, illud idem ab eo sub ementito prætextu prorsus exigi; quemadmodum contingeret Patri alicui bene nummato, qui emendicaret, unde posset eum sustinere, quem pauperem esse simularet, quemque, utpote filium suum obligaretur, ad gratuito sustentandum de proprio ære suo.

(*c*) Clem. III in c. De Regularibus. 25. eod. tit.
(*d*) Innoc. III. in cap. Dilectus. 30. eod. tit. Greg. IX. in cap. Mandato fin. eod. tit.
(*e*) Concil. Francf. can. 16 Conc. Turon. in cap. Sæpe 8. de simonia Conc. Senonens. an. 1485 art. 1. cap. 1 Conc. Senonens. an. 1528. part. 2. c. 18. Decreto de moribus.
(*f*) S. Anton. 2 part. summ. theol. tit. 2. c. 5. §. 18.

Quamquam prædicta omnia argumenta sint omni omnino tergiversatione superiora, neque ulli obnoxia controversiæ, forte non displicebit, hic loci sese offerre iterum unum aliud quoddam authoritatis testimonium, quod summa dignum est veneratione ac reverentia. Veterem quamdam intelligimus Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis decisionem, quæ refertur a Dionysio Richel, ad annum 1471. (*g*). En eam exscribimus, qualem legimus in ipso prædicti Authoris Archetypo. “ Quia nuper mota est controversia inter aliquos Doctores super decisione hujus quæstionis, utrum in aliquo Monasterio fœminarum liceat recipere aliquam fœminam ultra numerum personarum, quæ de bonis Monasterii commode sine penuria possunt sustentari, & a persona recipienda, oblatis gratis spiritualibus, exigere temporalia: instantiusque a nobis Magistris in Facultate Theologiæ, Parisiis congregatis, quæsitum est, ut in ea re consilium dare, & super ejusdem quæstionis determinatione quid sentimus, dicere vellemus. Nos autem ad pacem conscientiarum & ædificationem animarum pro viribus laborare cupientes, ea, quæ nobis super his videntur, in modum sequentem exponere duximus. Imprimis dicimus, quod attento tenore Constitutionis Apostolicæ felicis recordationis Papæ Bonifacii VIII. incipientis: *Periculoso* (*h*) de statu Regularium libro sexto, non licet recipere aliquam fœminam in aliquo Monasterio non mendicantium, ultra numerum personarum, quæ de bonis Monasterii sine penuria sustentari possunt: nec in hoc oportet apponere illum terminum commode; cum in textu ipsius Constitutionis non ponatur: & illud dicimus non licere, ubi non habetur de hoc consuetudo communis, & diuturna, quam Papa scire, & tolerare verisimiliter creditur, & per quam posset præfatæ Constitutioni esse derogatum. Idem dicimus, quod a fœmina recipienda in Monasterio, oblatis gratis spiritualibus, non licet exigere temporalia pro ipsis spiritualibus, tanquam pretium spiritualium, vel annexorum spiritualibus, faciendo commutationem unius pro altero. Dicimus ulterius, quod ubi Monasterium est ita tenue, quod fœmina, quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius Monasterii sustentari sine penuria; oblatis gratis spiritualibus, & receptione personæ libere facta ad spiritualia, si persona illa sic recepta habeat bona temporalia, de quibus juxta consuetudinem Regionis potest disponere, & ea Monasterio conferre; tunc potest ab ea aliquid peti solum pro necessitate sui victus sine fraude: ut habeat Monasterium, unde sibi providere possit: & hoc non

(*g*) Dionys. Carthusianus l. 2. de simonia initio.
(*h*) Bonifac. VIII. in c. periculoso. 1. §. 10. de statu Regularium &c. in 6.

intel-

„ intelligendo de exactione coactoria, ita quod
„ ejicitur, si non dederit, sed quod in omnibus
„ servetur debitus modus, & recta intentio, &
„ quod hoc habeat locum, ubi est consuetudo com-
„ munis, & diuturna sicut supra dictum est, per
„ quam & ante dictæ Constitutioni Bonifacii, &
„ alteri Urbani V. incipienti: *Ne in vinea Domini*,
„ prohibenti, hujusmodi temporalia ab ingredien-
„ tibus Monasteria quovis modo peti, vel exigi
„ derogatum existit. Tutius tamen est, quod ni-
„ hil petatur, vel exigatur, nec in hujusmodi
„ Monasteriis ultra numerum earum, quæ sine
„ penuria sustentari possunt, aliqua fœmina reci-
„ piatur, & si aliqua petit recipi, dicatur ei,
„ quod Monasterium non potest eam recipere; quia
„ non habet, unde ipsam valeat sustentare.

(a) Dion. Carthusf. l. c. a. 1.

Cui celeberrimæ decisioni totus congruit (a) Dionysius Carthusianus; post relatas etenim ab ipso Constitutionem Bonifacii VIII. & Constitutionem Urbani V. quas citant prædicti Doctores, ponit primo loco, ac statuit illud principium: *Secundum Philosophum in Ethicis ἐπιείκεια necessaria est in Legibus humanis, in quibus magis attendendum est ad causam, quæ movet Legislatorem, quam ad verba Legis*; quod probat istis verbis S. Hilarii (b): *Non sermoni res, sed rei debet sermo esse subjectus. Quod principium ubi laudatus insignis prorsus pietatis Auctor asserit, sic habet: Intentio autem prædictarum Constitutionum, primæ videlicet, videtur esse, ne graventur Monasteria per nimiam, & immoderatam personarum receptionem; & tandem, deficientibus temporalibus, deficiant spiritualia, quæ sine eis subsistere nequeunt, & ita si aliqua habens & comportans sufficientiam temporalem pro victu, vestitu, aliisque vitæ necessariis recipiatur; non læditur intentio Legislatoris, sed cum ea ampliatur salus animarum. Secundæ autem Constitutionis intentio esse videtur, ne exigatur aliquod temporale a persona recipienda, tanquam pretium Religionis: quod esset manifeste simoniacum. Secus autem, si exigatur aliquod temporale ex aliis causa, & intentione, scilicet pro necessaria sustentatione personæ recipiendæ, cui Monasterium de suis bonis non sufficit providere.*

(b) S. Hilarius l. 4. de Trinit.

Quamquam hæc præsens decisio nostra longius jam processerit, non possumus tamen omittere quasdam hujusce materiæ necessario subjiciendas observationes, tum ut ipsa fiat apertior, tum ut etiam, quæ possent opponi difficultates penitus resecentur, aut scrupuli conscientiæ tollantur, qui circa eamdem possent recrudescere.

Primum, quod juvat observare, (c) est, quod teneantur Superiores, ac Præpositi Monasteriorum Monialium privilegio immunitatis sive donatarum, sive eodem non gaudentium, ad definiendum, quis esse debeat Monialium numerus, ratione habita redituum ordinariorum Monasterii, tum eleemosynarum, quæ de more consueverunt eidem eidem erogari, & quorum ope valent tam quoad victum, quam quod vestitum honeste sustentari. Ita enim fuit constitutum (d) ab Arelatensi Consilio sexto anno 813. celebrato: a Concilio Turonensi tertio ejusdem etiam anni, a Concilio Moguntino anni ejusdem, a Concilio, quod apud sanctam Macram (hodie Fismes) habitum est anno 881. sub Joanne VIII. a Tridentina Synodo œcumenica, a Mediolanensi Concilio Primo, quod actum est an. 1565. a Concilio Rhotomagensi anni 1581. a Bituricensi, quod anno sequenti fuit habitum; ab Aquensi in Provincia, quod Concil. congregatum est anno 1585. & a Tolosano, quod fuit anno 1590. celebratum.

(c) Samb. t. 3. casu 97.
(d) Conc. Arelat. VI. c. 8. Conc. Mogun. c. 19. Con. Tur. III, c. 31. Concil. apud sanctam Macram hodie Fimes c. 4. Bonif. VIII. in c. periculoso, de statu Regularium in 6. Concil. Tr. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 3. Con. Med. 1. p. 3. t. de Monialium numero. Con. Rhotom. t. de Monast. n. 31. Concil. Rhem. tit. de Reg n. 22 Con Bitur. t. 37. can. 10. Conc. Aquens. t. de Monial. Conc. Tol. p. 2. c. 7. 30.

Secunda observatio, quæ summopere perpendenda est, in eo potissimum reponitur, quod ut tutius agnoscatur, num Monasterium sit de reditibus suis bene, an male constitutum; necesse sit ea deducere, quæ possunt esse superflua, non tantummodo quantum ad ædificia, & cæteras vitæ commodioris accessiones, quæ parum juvant: sed etiam quantum ad sumptus, cibarios, & supellectilia, quæ vel Domestica sunt, vel cedunt in usum sacrarii. Quibus deductis, si nihil superfit, nisi quod necessario conducit tum ad victum, tum ad vestitum Religiosarum personarum, quæ jam in Monasterio degunt, & ipsi Monasterio nihil aliunde suppetat, unde possit aliis providere, quæ postulant, sese ad Religionem admitti; potest quantum ad eam rationem asseri, Monasterium penuria angustiaque suarum rerum omnino affici: quod quidem nec juste, nec vere diceretur, nisi prædicta penitus circumciderentur; quin potius Monasterium conferret summas pecuniarum ingentiores, in ædificia sumptusiora, vel supervacua, in epulas delicatiores, ac nimis exquisitas, in supellectililia vel pretiosiora, vel quæ munditiam præseferrent exquisitiorem, quin etiam in ornamenta Ecclesiæ pretio nimis impenso parata.

Quibus prædicta ratione definitis ac semel recisis, facili negotio dissolvuntur infinite propemodum difficultates, quæ alioquin forent omnino difficiliores ac intricatiores; posita namque deductione, quam indicamus, Præposita Monasterii simul & Moniales facile possunt ac debent sese accommodare ad præfiniendum suum numerum in deliberationibus, quæ habentur de postulantibus admittendis. Nam 1. si, juxta præfinitum ac determinatum semel certum qui sustentari potest, numerum Monialium, superfuerit locus aliquis vacuus, non potest tuta conscientia rejici virgo aliqua, quæ sese offert ad religionem recipienda, si aliunde præ se ferat indubitata quæ jam vocationis ad prædictum Religionis institutum indicia, & cæteris præstet animi dotibus, quibus eam, ad sustinendum ac sequendum illud vitæ institutum, pollere necesse fit, licet nec ipsa, nec parentes ipsius dotis nec pensionis quidquam afferent. 2. Si nullus sit locus vacuus; & virgo aliqua petat, se ultra numerum admitti; nulla summo jure considerato obligatio inducitur ejusdem recipiendæ; & Monasterii Primaria de sententia Consilii sui potest, etiam inconsulta sua Communitate, eamdem dimittere; recipi tamen ipsa potest, modo secum afferat sufficientem ac certam ad vitæ suæ tempus pensionem, cujus ope Monasterio non sit oneri, quemadmodum docetur a S. Thoma; quem in primo hujusce decisionis ingressu citavimus. Dicimus: *Modo secum afferat sufficientem ac certam ad vitæ suæ tempus pensionem*. Si namque prædicta ista pensio in perpetuum institueretur, aut ultra modum exigeretur paulo pinguior sub eo prætextu, quod præterita damna, & detrimenta, quæ Monasterio emersissent, forent resarcienda: ibidem occurreret simoniæ labis vitium, quippe quæ, cum fuisset exacta vel ab ipsa virgine, vel ab ipsius Parentibus, non posset dici causa solius compensationis oblata Monasterio: sed reipsa intuitu virginis ipsius in Religionem ingressus (e); quod tamen dictum volumus, iis omnibus integris, quæ possent ultro afferri, & gratuito, nullaque interveniente nec exactione, nec stipulatione, donari Monasterio vel ab ipsamet virgine, vel ab ipsius Parentibus. Ut etenim jam observatum est, ejusmodi donationes possunt, remoto prorsus omni simoniæ periculo, & confici, & acceptari.

(e) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.

Tandem, ut omnis eximatur locus scrupulo, circa pensionem, qualem eam conveniat exigere a virgine, quæ ultra numerum admittitur, est accommodanda tota ratio agendi ad acceptorum & expensorum rationes, quæ præteritis annis acceptæ fuerunt, quibus potissimum constabit, quid sumptus factum fuerit per annum, vel plurimos annos, & juxta regulam istam definiendam pensio, quæ exigetur: adeo ut, si viginti Moniales extiterint in Monasterio, & in impensas verbi gratia 10000. librarum per singulos annos abierit; singulis Monialibus cessurus sit sumptus 500. librarum per annum quemque: adeoque futurum sit, ut merito prorsus exigi possit a postulante pensio 500. librarum, atque ita servata peræqua proportione.

Cæterum intereſt hoc scire, nimirum a Rege Galliarum in ipsius Edicto dato 28. Aprilis 1693.

cujus auctoritas a supremo Senatu comprobata fuit 8. Maii ejusdem anni, plurima ea de re constituta fuisse, quibus potissimum standum est. Primum statutum fert, futurum, ut Monasteria possint exigere: & 500. libras pensionis ad vitæ tempus Parisiorum, & 350. libras alibi, nec quidquam ulterius, quæcumque possit causa prætendi; quod quidem statutum decretum est in gratiam Carmelitarum Monialium, Religiosarum de Visitatione, & aliarum fundatarum atque institutarum ab anno 1600. Secundum statutum habet, futurum, ut Moniales queant recipere duo millia librarum loco supellectilium domesticorum, vestium, cæterarumque ejusmodi necessitatum; quod quidem sic obtenturum est quantum ad Parisios: & 1200. libras, quantum ad alia loca. Tertio statuto constituitur, si Parentes non possint certas pensiones instituere, licere accipere ad summum octo millia librarum, aut prædia seu res non moventes tantumdem valentes, quarum æstimatio indicetur a viris æstimatoribus, qui fuerint a Regiis Judicibus deputati; atque ita quantum ad prædictas urbes, & sex millia librarum, quantum ad alia loca. Quartum statutum vult, ut dotes assignatæ ante annum 1693. atque ab anno 1667. imminuantur juxta dispositionem præsentis Edicti; si sic fuerit a Patribus, matribus &c. postulatum intra sex menses a die, qua præsens Edictum in tabulas supremi Galliarum Senatus relatum est. Atque ita memorat Horri (a).

(a) Claudius Horri Institut. ad praxim Beneficialem & Ecclesiasticam pag. 833.

CASUS LXVI.

Dionysius dedit mille nummos, quia se ipso exigebantur, antequam admitteretur ad Religiosam Professionem in quodam Monasterio, cujus loca sunt sufficienti redituum assignatione dotata: sed cujus præcipuas partes majoris ædificii necesse erat, fere in integrum sarcire, quas quidem in sarciendas tota prædicta pecunia collata fuit. Dionysius in ea re bona fide egit, nec putans, sese ullo peccato inde constringere, 1. Quoniam noverat eum ibidem invalescere usum, ut nullus admitteretur, nisi constituto sibi fundo quodam, qui dotis locum obtineret, sicut in plurimis aliis Religiosis domibus, ut Postulantes pro parte sua ad istas refectiones conferrent. 2. Quia ei significatum est, pecuniam istam, quæ ab eo exigebatur, tantum esse addicendam prædictis refectionibus, quæ aperte erant necessariæ, atque urgentes. Qua de re petit 1. Utrum, nihil obstante sua bona fide, peccaverit in eo moraliter? 2. Num, propter commissam prædictam simoniam, incurrerit in aliquas pœnas Canonicas?

RESPONS.

Ipsa bona fides Dionysii, cui præterea illud fundamento erat, quod novisset, eum usum tum in prædicto Monasterio, tum in infinitis propemodum aliis invalescere, ut dos exigeretur a postulantibus, priusquam ad Religiosam Professionem admitterentur; ipsique comperta esset illa necessitas urgens, quæ Monasterio incumbebat, Religiosas ædes restituere; eum prorsus vindicat a peccato mortali: adeoque ab excommunicatione majori, siquidem in eam nunquam possit incurri, nisi propter mortale peccatum, atque in eo tantum casu, in quo peccato mortali pertinacia adjungitur, quemadmodum declaratur a Concilio Meldensi, quod habitum fuit anno 845. (b), istis verbis: *Anathema est æternæ mortis damnatio; & nonnisi pro mortali debet imponi crimine; & illi, qui aliter non potuerit corrigi.* At vero si ignorantia Dionysii fuisset voluntaria aut crassa, adeo ut, ex sua bona fide non vindicatus esset a peccato mortali; existimamus, in eo casu nec propter eamdem bonam fidem fore vindicandum ab excommunicatione: qua de re consulenda sunt ea, quæ sumus prosecuti in observatione superius apposita in fine decisionis casus *Theotimus*.

(b) Conc. Meldens. in can Nemo 41. 11. q. 3.

CASUS LXVII.

Domitilla Religiosa Novitia in Monasterio S. Bertini, cum jamjam professionem erat emissura, postulat a Rollando suo Patre, ut de dote ipsius cum Primaria simul & communitate prædicti Monasterii paciscatur. Ab eo exigitur dimidio plus, quam necesse est, quamque, pro dote instituenda in gratiam unius Monialis exigere consuetum est. Qua de re conditionem fert rationi perinde, ac æquitati omnino consentaneam, quæ prorsus respuitur; quoniam compertum est, eum opibus abundare, atque votis omnibus peroptare, ut sua filia vitæ Religiosæ sequatur institutum. Tandem quidquid exigitur a seipso, ille concedit, propterea, quod aliam non possit inire rationem; & timeat, ne, sibi neganti in impositas conditiones descendere, reddatur sua filia, quæ præ se fert incredibile studium, in prædicto Monasterio professionis emittendæ. Non latet Rollandum, prædictas Moniales peccare omnino graviter, & sese apertæ simoniæ prodere conscias. Quæritur, num eadem ratione, qua ille, pravitatis simoniacæ contraxerit vitium?

RESPONS.

Est hoc extra omnem controversiam positum, sanctis Canonibus, quibus ingressus simoniacus in Religionem interdicitur, non minus dantes perstringi, quam recipientes, atque ab iisdem ex utraque parte coram Deo perinde contrahi simoniæ peccatum. Ideoque, si Monasterium S. Bertini sit adeo tenue; ut Domitillam non possit gratis admittere; ipsa Domitilla, vel ipsius Pater ejus nomine potest pacisci de instituenda ad vitæ tempus pensione, quæ sufficiat ad ipsius victum & vestitum tam per adversam, quam per prosperam illius valetudinem, & ad cætera Monasterii onera, eorum habita ratione, & proportione servata; aut non instituendo pensionem, numerare quamdam pecuniæ summam accommodatam ad rationem, qua solent extingui pensiones ad vitæ tempus. Non est ergo in dubitationem adducendum, quin Rollandus sese simoniaca labe infecerit in casu proposito: siquidem in duplum solverit, quod noverat necessarium esse, ac conveniens ad instituendam in gratiam suæ filiæ dotem legitimam; neque ignorare posset, illud, quod ab eo ulterius exigebant Moniales S. Bertini, non sibi imponi nisi tanquam pretium recipiendæ Domitillæ, non vero causa ejusdem sustentandæ, atque ei cæterorum suppeditandorum vitæ necessariorum; quippe eum non lateret, vel dimidium illius, quod concedebat, omnino ad prædicta sufficere. Quam decisionem suggerit celeberrimus quidam Theologus Parisiensis (c).

(c) Sambovius tom. 1. casu 50. & 205.

CASUS LXVIII.

Ambrosius plurima gratia valens apud Gustavium unum e Proceribus Aulæ, qui gratiosissimus est apud Regem, ad eum adivit, eumque supplicibus verbis oravit, ut apud Regem vellet agere, quo ei concederetur in favorem cujusdam ex ejus filiabus aliquis locus Monialis in quodam Monasterio, in quo prædictus Princeps jus nominationis obtinet, vel aliqua Abbatia in gratiam ipsius filii, & verbis de industria paratis eidem innuit: futurum, ut ei dono daret tabulam quamdam pretii 200. nummorum aureorum, quam noverat; ab eo cupide prorsus appeti. Gustavius petitum a Rege locum prædictum, vel præfatam Abbatiam obtinuit; Ambrosius vero dono dedit memoratam tabulam. Qua de re quæstio habetur? 1. Utrum Gustavius recta conscientia potuerit acceptare istud donum, postquam prædicta filia nominata a Rege ingressa fuit, ac recepta in Monasterium; 2. Utrum, posito, quod illud acceptare nefas fuerit, teneatur ad illud Ambrosio restituendum?

RESPONS.

Censemus, agendi rationem tum Ambrosii, tum Gustavii, plane esse simoniacam; quoniam inter eos tacite saltem intervenit quoddam pactum, quod effectum suum obtinuit ex dono ab Ambrosio Gustavio dato, & ab isto eodem acceptato. Quod quidem cum se sic habeat; Gustavius obligatur ad restitutionem tabulæ, vel justi ejusdem pretii, quod est 200. nummorum aureorum, non quidem ipsi præstandam Ambrosio: quoniam ista restitutione sibi exhibenda indignum prorsus sese sua, quam com-

commisit, simonia reddidit, juxta isthæc verba S. Thomæ (*a*). *Nec potest repetere pecuniam, quam turpiter dedit: licet alius injuste detineat.* Sed secundum ejusdem S. Doctoris sententiam, vel Ecclesiæ, vel pauperibus erogandam.

(a) S. Th. 2.2. q. 100 a.6.ad 1.

Quod idem asserendum est quantum ad Abbatiam, quam Gustavius obtinuisset in favorem filii Ambrosii, accedente conditione tacita, quam iste eidem tulisset, futurum, ut ei de memorata sua tabula, vel de quacumque alia re temporali gratificaretur, foret etenim in proposita specie impetratio Abbatiæ ipsius aperte simoniaca, & Gustavio eadem induceretur ex conscientia obligatio restitutionis: Atque ut ea de re nihil possit suboriri dubitationis, animo tenendum est, quadruplici modo simoniam aliquam posse contrahi.

Primus modus, est: cum simonia committitur tum ab ipso Collatore, tum ab eo, cui de beneficio providetur, quando nimirum ab isto postremo pecunia, vel quidvis aliud tantumdem valens alteri datur, ad aliquod beneficium ab eodem obtinendum (*b*). Secundus modus est: quando Collator confert Beneficium pro pecunia, vel quacumque alia re temporali, quam recipit a tertio quodam, vel etiam eo insciente, cui Beneficium confertur: ut apertum ac manifestum habetur ex duabus Decretalibus, quæ leguntur in corpore Juris, quarum unam sibi vindicat Clemens III. alteram vero Cœlestinus III. (*c*). Tertius modus est; cum contrahitur simoniæ peccatum ab eo solo, cui de beneficio providetur: quando scilicet, inscio Collatore largitus fuit vel pecuniam, vel rem aliam quamlibet ei, quo plurimum agente, Beneficium adeptus est. Ut evidenter colligitur ex duobus Canonibus ibidem ad marginem indicatis, (*d*) quorum prior authorem habet Nicolaum II. posterior autem Urbanum II. qui sederunt ambo in sede Romana, currente undecimo sæculo. Quartus denique modus est: cum vel ab amico, vel a consanguineo illius, cui de Beneficio provisum fuit, pecunia vel donum aliquod amico collatoris fuit donatum: ut etiam habetur ex citatis canonibus; atque ipsissimus casus est, de quo agitur in proposita specie, in quo Pater illius, qui de Beneficio providetur a Rege, dedit tabulam pretii 100. nummorum aureorum Gustavio, qui propter plurimam gratiam, qua valebat apud Regem, agit, interveniente nimirum prædicto dono, ut ipsius filius Abbatiam quamdam consequeretur.

(b) S. Th. 2. 2. q. 100. art. 1. in corp.

(c) Clem.III. in c. Ex insinuatione. 26. de Simonia, &c. Cœlest. III. in c. Nobis 27. eod. tit.

(d) Nicol.III. in can. statuimus. 107. 1. q. 1. Urban. II. in can. Si quis. 108. ibid.

Ex quibus inferendum venit. 1. Ambrosium qui dedit tabulam, esse peccati simoniæ conscium: 2. Gustavium, qui eamdem recepit esse quemdam simoniæ sequestrum; 3. utrumque incurrisse in excommunicationem; 4. si alteruter, vel ambo simul Clerici forent, futurum ut incidissent in suspensionem; 5. Provisionem scriptam in favorem filii Ambrosii plane esse nullam, ut patet ex Constitutione Pauli II. quæ refertur in primo titulo quinti libri Extravagantium Communium, (*e*) atque ex Doctrina S. Thomæ (*f*) qui sic habet. *Qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest. Similiter autem simoniaci, tam vendentes, quam ementes spiritualia, aut etiam mediatores aliis pœnis puniuntur; scilicet infamia & depositione, si sint Clerici, & excommunicatione, si sint Laici; ut habetur 1. q. 1. can.* Si Episcopus. Nunc ad ea veniamus, quæ contra nostram decisionem possunt opponi: quid vero ad ea responderi possit, inspiciamus juxta doctrinam unius cujusdam insignis ætatis nostræ Theologi (*g*).

(e) Paulus II. Extravag. Cum detestabile de simonia.

(f) S. Th. cit. q. 100. art. 6. in corp.

(g) Sambovius tom. 3. Casu 92.

Primum, quod objici potest, est, si prædicta Abbatia fuisset Ambrosii filio resignata, futurum fuisse, ut ad eamdem jus obtineret vi resignationis a Titulari confectæ: adeo ut Rex non posset alium nominare. Unde concluditur: cum pecunia, vel quidvis aliud temporale datur pro obtinendo Regio consensu, illud præcise ac directe non donari pro Beneficio acquirendo, si quidem ad illud idem jus jam sit acquisitum.

At futilis & infirma illa objectio facile prorsus refellitur, non tantum ex jam dictis in recensendo quarto modo, quo potest aliqua simonia committi: sed etiam, quia falsissimum est, ab eo, in cujus favorem fuit Beneficium aliquod consistoriale sub beneplacito Regio resignatum, jus obtineri ad illud idem Beneficium vi solius resignationis, necdum Regia accedente approbatione: quamquam etenim Rex non possit alterum nominare, quamdiu vivit Resignans; non tamen tenetur ad nominandum Resignatarium; quin immo jure gaudet cujus alterius nominandi, eo ipso, quod occurret vacatio Beneficii ex obitu Titularis Resignantis, absque eo quod possit resignatarius eidem ullatenus obsistere: neque de ea re cum ullo juris prætextu conqueri. Tunc etenim resignatio seu dimissio fit ipso jure nullius effectus: siquidem effectum suum non consecuta fuerit conditio, qua accedente, confecta est; hoc est, siquidem eam Rex noluerit eamdem approbatione sua nec acceptam habere, nec ratam efficere.

Secundum, quod opponi potest, est, solam Regiam nominationem non censeri actum esse spiritualem: sed solam tantummodo, quæ a Summo Pontifice conceditur, Institutionem: adeoque non committi simoniam, ex eo quod quis istam nominationem; vel pecunia, vel aliquo dono interveniente, consequatur.

Ad quam objectionem respondendum est, Regiam nominationem veri nominis esse spiritualem actum: si namque jus nominandi ad aliquod Beneficium, non foret spirituale; inde sequeretur, 1. futurum, ut posset vendi & emi Jus Patronatus non vendita nec empta Gleba, cui inhæret: quod tamen abhorret prorsus a vero, & omnino alienum est a Decretalibus Summorum Pontificum, & ab unanimi tum Theologorum, tum Canonistarum consensu. 2. futurum etiam, ut Electores sua suffragia vendere possent, cum jure non gaudent collationis; quod tamen absque controversia simoniacum est (*h*).

Tertia, quæ proponi potest, objectio, est: ab ipsis etiam Summis Pontificibus quondam datam fuisse quamdam pecuniæ summam Imperatoribus suæ ætatis; ut electionem suam obtinerent confirmari: nec legis istius immunem fuisse vel etiam ipsummet S. Gregorium Magnum, siquidem pecuniam Imperatori Mauritio donaverit, quamquam noluisset summum acceptare Pontificatum. Unde infertur, nullam igitur in eo occurrere simoniam, ut vel pecunia, vel donum aliquod rependatur pro obtinendo Regio consensu, vel Regia nominatione ad aliquod Beneficium.

(h) Toto t. de simonia, &c.

Respondemus fatentes, equidem verum esse, a Regibus Gothorum, qui Arianam sectabantur hæresim, fictitium illud jus usurpatum fuisse, ac per vim occupatum, ut sibi arrogarent prærogativam confirmandæ electionis Summi Pontificis, atque ea de re summam pecuniæ quamdam exigendi; Ecclesiamque iniqua ista tyrannide oppressam per aliquod temporis spatium ingemuisse, ut observat quidam antiquitus author in suo, quod in septem pœnitentiales Psalmos composuit, commentario, (*i*) quod ab aliquibus S. Gregorio vindicatur. At, siquidem prædictus author asserat, in eo usu detestandam prorsus simoniam occurrisse, quam, verbis adhibitis validioribus, omnino condemnat, & cui notam hæreseos etiam inurit; & summus prædictus Pontifex adeo laudandus fuerit inconsultus confirmatus, atque vel in ipso temporis intervallo, quo litteram exaraverat eo animo, ne confirmaretur, quæ a Romano præfecto fuit intercepta, a quo alia littera in contrarium, eo inscio, exarata est, qua ipsius confirmatio postulabatur: non potest cum aliqua similitudine veri contendi ab ipso datam eo fine fuisse pecuniam, ut istam confirmationem obtineret, quippe qui e contrario sese abdidisset, ne sibi vis inferretur, ut consecraretur Summus Pontifex. Atque revera quidem nec a Joanne Diacono, qui vitam sanctissimi prædicti Papæ scriptis mandavit, nec a quoquam vitæ ipsius scriptore uspiam memoratur, ipsum pecuniam dedisse, quo confirmari suam ele-

(i) Apud S. Gregor. Papam in Psal. 5. pœnitent. v. 9.

electionem obtineret, verumetiam, posito, quod aliquam pecuniam ea de causa donavisset, non ideo sese simoniaco ullius pravitatis infecisset peccato; siqnidem, cum ex præscripto Canonum rite fuerit electus, vere summus Pontifex esset institutus, absque eo quod nllatenus necessarium foret ipsius electioni quidquam authoritatis adjici ex ejusmodi confirmatione, ut legitime consecraretur, neqne pecuniam, quæ tunc temporis pro Imperatore exigebatur, persolvisset, nisi præter suam voluntatem, atque eo tantum fine, ut ab iniqua, qua pressus fuisset, vexatiune, sese posset expedire. At non ita se res habet quantum ad difficultatem, quæ hic loci proponitur circa Ambrosium, siquidem iste rependat donum pretii 200. nommorum aureorum, ad obtinendum titulum, quo nullo jure gaudet, quemque nun potest, nisi interveniente dono, consequi, de quo Gustavia gratificatur.

Quarto randem objicitur, ejusmodi nominationem juris Regni non esse pruprium; nec Regi competere nisi ex simplici concessione.

Sed arguimus in contrarium, falsissimam esse istam propositionem. Rex etenim jure gaudet, nominaudi ad prædicta generis istius Beneficia vi famosi pacti, quod inter Leonem X. & Franciscum I. annu 1516. Bononiæ conflatum est, ac proinde Rex ejusdem possessione gaudeat ab annis ultra 200. nullatenus eadem unquam interturbata a Curia Romana. Aliunde vero, si cum aliqua juris specie de prædicto jure posset fieri Regi controversia, sub eo prætexru, quod Regi non competeret nisi ex simplici cuncessiune; inde sequeretur, futurum ex eadem ratiune liceret cum Summo Pontifice contendere super jure percipiendarum in Galliæ Regno annatarum; siquidem nec etiam eodem gaudeat, nisi ex concessione, quæ exprimitur in laudato famoso Pactu, quod Sanctam Sedem inter, & Regem Galliarum intervenit.

CASUS LXIX.

Justina, cum haberet quamdam magni prorsus momenti litem, cujus judicium instabat, quibusdam Pauperibus, quos ut viros spectatæ virtutis habebat, eleemosynas erogavit, ut supplices ad Deum manus attullerent, tum ipsius causa, tum ut ipsius res feliciter succederent. Num in eo nou occurrit aliqua species simoniæ?

Respons.

(a) S. Tho. in 4. d. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 9.

Constat juxta Doctrinam S. Thomæ (a), cum otationes sint spirituale quidpiam, easdem nec emi posse, nec vendi pecuniæ pretio: Verumtamen potest alicui peconia dari, ut in partem ipsius orationum ac precum veniatur; quoniam ista pecunia non donatur tanquam pretium ipsarum precum; sed tanquam aliquid, quo persona incitatur, ad orandum gratuito ac lubentius in gratiam illius, a quo pecuniam istam recipit; & impetrentur hac eleemosyna temporali, quæ erogatur ex virtute Religiunis, atque ut eadem præcipienti Deo præstetur obsequium, bona spiritualia, hoc est, gratiæ, benedictiones, & vita eterna, quas loco mercedis ipse Deus iis promittit, qui suis bonis temporalibus pauperes adjuvant. *Oratio est spiritualis*, ait Angelus scholæ, *quæ ea spirituali devotione efficaciam habet, & aliquid spirituale debet in ea peti. Unde nullo modo debet sub pretio poni; nec illi, qui dant pecuniam pauperibus, ut pro eis orent, orationem emunt; sed animos pauperum alliciunt ad orandum pro se; & eos sibi faciunt debitores*. Et iterum alibi (b): *Illi, qui dant eleemosynam pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere, sed per gratuitam beneficientiam pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis, & charitate orent.*

(b) Idem 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3.

Justina igitur in proposito casu nullo sese simoniæ peccato coustrinxit; quippe quæ eleemosynam erogaverit ex animo charitatis, atque eo potissimum fine, ut excitaret pauperes, quibus eamdem dedit ad offerendas Deo suas preces animo lubentiori & gratiori pro salute ipsius animæ, & pro fortunato rerum ipsius eventu.

CASUS LXX.

Balduinus Judex Regius paciscitur de quadam pecuniæ summa, quam recipit pro ferenda quadam sententia. Potestne asseri, eum sese simuniæ conscium efficere ex prædicta pecuniæ tum conventiune, tum receptione? An eadem ratione se res habet de teste, qui pecuniam recipit, ad dicendum de veritate rei alicujus testimonium, & de Advocato, qui pecuniam exigit, ad causam aliquam actitandam, aut sententiam suam de re quapiam aperiendam?

Respons.

Ingens prorsus discrimen constituendum est inter tres illas prædictarum personarum species. Judex etenim obligarur ex officio ad Jus reddendum, cui debetur; neque potest illud sine crimine vendere; quin etiam sine vitio simouiæ, si sit Judex Ecclesiasticus. Sic etiam testis, cum ex conscientia teneatur ad obediendum Judici, qui ei præcipit, ut rei veritatem ei indicet, obligatur ad eamdem ipsi aperiendam, qnandu juxta judicii formas interrogatur, adeo ut ei liceat suum testimonium vendere sine magno peccato. Sed Advocato non incumbit nec causam gratis agere, nec de re, de qua consulitur, sine quodam honorario sententiam dicere.

Quam distinctiunem suggerit S. Thomas (c), qui ait: *Judex officio suo tenetur judicium reddere. Similiter etiam quilibet tenetur ex hoc, quod est judicio subditus, ad verum testimonium reddendum. Sed Advocatus non tenetur patrocinium suum causæ præstare, nec Jurisperitus dare consilium. Et ideo, sicut dicit Augustinus ad Macedonium*: Non debet Judex vendere verum judicium, aut testis verum testimonium; quia Advocatus vendit justum patrocinium, & Jurisperitus verum consilium. *Non enim Advocatus vendens justum patrocinium, justitiam vendit, quæ est spiritualis, sed actum suum; & similiter dicendum est de consilio jurisperiti. Sed Judex vendendo verum judicium, simoniam committit, si sit spiritualis judex; alias non committit, sed graviter peccat: & simpliciter dicendum est de teste*. Quud idem S. Doctor etiam alibi docet (d) de Judice in eo etiam casu, in quo Judex nonnisi res levioris pretii recepisset. *Apud Deum, qui cor videt, simonia est & in parvis & magnis muneribus, si animus judicis ex eis flectatur*. Quæ ipsissima sunt laudati Doctoris verba.

(c) S. Thom. in 4. dist. 25 q. 3. a. 2. q. 2.

(d) Idem ib. art. 3. ad 1.

Fatetur tamen iste Doctor Angelicus, quantum ad testem, ab eo posse juste omnino pecuniam recipi, non quidem pro vero, quod dicit testimonio, sed pro mercede justa, quæ labori ipsius atque operæ debetur (e). *Testes accipiant non quasi pretium testimonii, sed quasi stipendium laboris, expensas, vel ab utraque parte, vel ab ea, qua inducuntur: quia* nemo militat stipendis suis unquam, *ut dicitur* 1. *ad Corinthios 9*. Juxta prædicta principia, & memoratas distinctiones judicium tum de Balduino, tum de aliis ferendum est, de quibus agitur in proposita specie.

(e) Idem, 2. 2. q. 71. a. 4. ad 3.

Vide
(BENEFICIUM.)
(BENEFICIARIUS.)
(COLLATIO.)
(CONFIDENDIA.)
(DIMISSIO.)
(LITTERÆ DIMISSORIÆ.)
(JUS CADUCI seu DEVOLUTUM.)
(PATRONUS.)
(PERMUTATIO & RESIGNATIO.)

SI-

Digitized by Google

SINUS.

THEOLOGI consueverunt vocem istam per metaphoram adhibere, ad significandum locum illum quietis, in quo reponuntur animæ, postquam ex hominum vita demigraverunt. Atque in eo sensu dicitur : quiescit in sinu Abrahæ (*a*): hoc est, in sede quietis æternæ, in qua tuto , atque in perpetuum perfrui licet gratiis, ac magna nimis illa mercede, quas Deus repromisit Abrahæ Patri omnium vere credentium, & iis omnibus, qni sunt ipsius filii secundum Spiritum. At vox ista secundum genuinum suum sensum, & notionem, in qua eamdem accipimus in hocce præsenti titulo , significat externam partem corporis, cui in personis sexus alterius adhærent mamillæ : *Sinus est pars illa corporis , quæ est intra pectus, brachiorum complexum* . Quam ejus definitionem tradit De Rochefort in suo generali Dictionario (*b*), eamque fuit ab alio Authore , quem citat, mutuatus .

(*a*) Luc 15 22. & 23. [&] Matth. 8. 11.

(*b*) De Rochefort. dict. General. v. Sinus.

Sinus mulieris, qui aliter dicitur *pectus* , constituit ipsius corporis quamdam partem, quam pudor præcipit, semper velari , adeo ut possit absque controversia affirmari, mulierem, quæ adeo fronte expudorata est, ut pectus nudarum gerat , nullatenus habendam esse nec castam, nec honestam . Atque hoc ipsum jamjam sumus in toto hocce titulo penitius expensuri.

CASUS PRIMUS.

AGAPIA cujusdam Aulici Proceris uxor, ut sese accommodet ad generalem usum , qui fere passim obtinet apud omnes illustriores Matronas: vestes induere consuevit ab anteriori parte sic patentes, ut pectus habeat omnino nudatum. Num potest propter invalescentem ejusmodi consuetudinem a peccato vindicari ; cum nihil in eo sibi proponit aliud , nisi proprio suo marito placere ; neque animo habet, nisi non videri vestita ratione singulari, & quæ sit a communi personarum tum sui sexus , tum sui ordinis consuetudine aliena ?

RESPONS.

Priusquam propositam difficultatem dissolvendam aggrediamur,tria potissimum præmittenda sunt

Primum ; eam esse viris dissolutis familiarem ac consuetam loquendi rationem, ut, ad excusandum suum peccatum, causentur consuetudinem,cum Divinæ,vel Ecclesiasticæ Legi parere recusant, quasi consuetudo foret ipsa veritate vel potentior vel superior, quippe consuetudo sine veritate nihil aliud sit, quam vetustas erroris: ut dicitur a S. Cypriano, quia refertur in Decreto Gratiani (*c*) : *Consuetudo , quæ apud quosdam irrepserat , impedire non debet , quominus veritas prævaleat , & vincat . Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est* . Quæ verba sunt laudati S. Martyris, qui iterum alibi sic habet (*d*) : *Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem* .

(*c*) S. Cyprian can. Consuetudo. 8. dist. 8.

(*d*) Idem in can. Si solus.

Secundum : hoc certissimi juris esse debere , quod quæ jure tum naturali,tum divino interdicuntur, nunquam possint ex contraria consuetudine fieri licita: quoniam vero prædictum jus est immutabile nec potest ullatenus variari , non valent vi consuetudinis cujuscumque etiam generalis aboleri in qnoquam casu , nec de medio tolli . *Nulla consuetudo*, ait S. Antoninus, (*e*) , *quantumcumque generalis , vel antiqua sit , potest præjudicare , seu tollere id , quod est de Lege naturali , seu etiam divina , quoad moralia præcepta*. Quod laudatus S. Archiepiscopus probat plurimis Canonibus , qui referuntur a Gratiano (*f*).

(*e*) S. Anton. 1. p. summ. theol. tit. 16.

(*f*) Tota dist. 81. cit.

Tertium denique : posse aliquando legitimis de causis vi consuetudinis derogari de jure positivo humano , quo nova quædam obligatio nobis inducebatur, ad quam antea non obligabamur.

Quibus tribus principiis indubitatis, ac summæ penitus veritatis in antecessum positis , respondemus, Agapiam & omnes mulieres, quæ palam incedunt pectus nudatum gerentes, non posse vindicari a peccato, vi consuetudinis etiam generalis Regionis, in qua degunt , quam vulgo causari consuevere. Ratio est, quia ex jure tum naturali, tum Divino tenentur ad servandas regulas pudoris, ac decoris Christiani, a quibus prorsus abhorret ejusmodi consuetudo . Numquam ergo licitum esse potest mulieribus, ut usum sequantur adeo perversum atque inordinatum: nt enim ait S. Clemens Alexandrinus (*g*) *Nullo modo permittendum est mulieribus ; ut nudam aliquam corporis partem offerant viris: ne ambo prolabantur ; hi quidem , ut qui ad videndum incitentur: Illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant*.

(*g*) S. Clem. Alex Pedagogi l. 2. c. 2.

Quæ decisio Authorem habet S. Antoninum (*h*), qui sic loquitur: *Si enim de usu patrio est, ut mulieres deferant vestes, versus collum scissas, & apertas usque ad ostentationem pectoris , & mamillarum ; ...... valde turpis & impudicus est talis usus : & ideo non servandus ...... non sequaris turbam in malum, ait Dominus in veteri Lege* (*i*).

(*h*) S. Anton. 2. part. sum. theol. tit. 4. c. 5. Par. 3.

(*i*) Franc. de Gen. theol. mor. tom. 2. r. n. 1. c. 17. q. 4. & 7.

Atque hoc ipsum non asserit præfatus sanctissimus Archiepiscopus, nisi vestigiis insistens Tertulliani (*K*) qui materiam eamdem verbis omnino gravissimis atque acerrimis insectatur. En qua ratione compellat mulierem quamdam ejusdem , ac illa Agapia, naturæ atque indolis. *Tu es Diaboli janua: Tu es Divinæ Legis prima desertrix . Tu es , qui eum suasisti , quem Diabolus aggredi non valuit , tu imaginem Dei , hominem , tam facile elisisti .... Omnia ista damnatæ , & mortuæ mulieris impedimenta sunt: quasi ad pompam funeris constituta .... Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum . Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit , dici. Ille in auro , & argento , & gemmis , & vestibus deputatur : ille in cura capilli , & cutis , & earum partium corporis, quæ oculos trahant: Alteri ambitionis crimen intendimus : Alteri, prostitutionis*.

(*K*) Tertul. de habitu mulieri.

CASUS II.

LEOCADIÆ Matronæ nobili, cum accessisset ad Cœlestem mensam Sacrosanctæ Communionis cum pectore præter modum nudato, & vultu tum fucato, tum maculis sericis exornato ; Alexander ipsius Parochus Sacram Communionem denegavit in ore, atque oculis omnium : Quæ quidem repulsa graviter eam offendit , ac de eadem tanquam de injuria, ac contumelia sibi imposita verbis prorsus acerrimis cum Episcopo conquesta est. Alexanderne culpam aliquam contraxit ex illa plurima offensione , quæ fuit prædictam repulsam subsecuta ?

RESPONS.

Nullam Alexander prorsus contraxit culpam ex illa plurima offensione, quæ in prædicta rerum circumstantia suborta fuit; quoniam nonnisi, quæ ipsius erant officii, præstitit, & soli Leocadiæ culpæ venit imputanda ista plurima offensio. Consentitque hæc assertio nostra doctrinæ S. Caroli Borromæi (*a*), qui strictius omnino prohibet, ne mulieres, nec virgines ad Sacram Communionem admittantur, quæ eo usque animo sunt inverecundo, ut cum nudo pectore, vultuque maculis sericis illito, ac cæteris ornatus profani, pompæque sæcularis indiciis non erubescant ad eamdem accedere: siquidem e contrario illuc non sit accedendum nisi cum plurima summæ Religionis, singularis exempli pietatis, ac veræ Christianæ humilitatis significatione, atque cum eo corporis habitu, qui demonstret summum horrorem ab omni falsæ, & inanis gloriæ cultu, quem aperte adeo Dominus noster detestatur, ac reprobat ex illo humilioris conditionis statu, in quo obscurum sese quodammodo ac velatum voluit constituere in augustissimo Sacrorum nostrorum Altarium mysterio. En quibus verbis loquitur Sanctus Cardinalis, quem ipsi jamjam appellavimus: *Hæc Parochus præmonebit & curabit, ut summa reverentia fideles accedant, & sumant .. mulieres ...... non fuco, aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut ne præter faciem quidquam cernatur, &c.* Et alibi: (*b*) *Mulieres quælibet, cujuscumque status, aut conditionis sint, ad Sacram Communionem non accedant cum fuco, pigmentis, &c.*

(*a*) S. Car. act. Eccl. Med. p. 4. Instr. de Sacr. Euch. tit. de præparat. Corporis to. 3. pag. 25. & seq.

(*b*) Idem ibid. instr. de Sacram. comm. p. 611.

SOCIETAS.

SOCIETAS est pactio in licitis, & honestis contracta a duobus, aut pluribus, qui congerunt simul pecuniam, aut quidvis aliud, pretio pecuniæ æstimandum, ut commodius percipiatur majus lucrum.

Dicimus 1. *in licitis & honestis*. Nam Societas non est pactio, a duobus latronibus contracta, dividendi inter se surrepta. Ea pactione probis moribus, & Legibus adversante.

2. *Qui congerunt simul pecuniam suam* &c. quia spes Societatis sit paciscentibus communis: ita ut quisque particeps sit lucri, aut jacturæ futuræ.

3. Additur denique: *Ut commodius percipiatur majus lucrum*: Quod denotat scopum Sociorum, qui Societatem ineunt.

Duæ distinguuntur præcipuæ Societates: Prior contrahitur commercio pecorum: Posterior pecunia Mercatori credita, aut quavis alia re pretio æstimanda.

Tres requiruntur natura conditiones, ut legitima sit Societas.

Prima, qui pecuniam, aut aliud quid confert ad Societatem, periculum sortis subeat, & creditum non liceat ipsi certum habere, nec ex eo ullum percipere lucrum: Quia naturæ Societatis repugnat lucrum percipere sine discrimine sortis, ut patet ex mente Legis in margine laudatæ (*c*). Hoc prohibet Bulla *Detestabilis*, quadragesima quinta Sixti V. 25. Octobris 1586. Quisque Socius dividit solum cum aliis lucrum, quod Societas peperit. Idque pro rata sortis suæ.

(*c*) Leg. si non fuerint. 29. ff. pro Socio Par. 2. l. 17. tit. 2.

Secunda: Quivis Socius aliquid pretio æstimabile conferat ad Societatem, sive pecuniam, merces, laborem, industriam, aut quid hujusmodi.

Tertia: Æqualitas diligenter servetur: ita ut alius præ alio non lædatur, & lucrum, jactura, impendia, & detrimenta communicent inter omnes Socios, pro rata cujusque sortis. Absque his tribus conditionibus nulla est genuina Societas.

Animadvertentur in triginta decisionibus sequentibus aliæ conditiones, requisitæ in Societate pecorum, & perpendetur futilis subtilitas trium contractuum, a quibusdam Casuistis ficta. En propositionem ab his Auctoribus allatam, & censuram a Clero Gallico dictam in Cœtu 1700.

PROPOSITIO LIV.

Contractus mohatra, (*id est, ille contractus, quo a Mercatores res majori pretio, ab eodem, stante eo Contractu, minori pretio præsente pecunia redimuntur*) licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum Contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

Censura hujus propositionis, quatuorque aliarum de usura illi conjunctarum; quas videre est in Titulo Usura, est concepta verbis sequentibus.

CENSURA.

Hæ propositiones, in quibus mutato tantum mutui & usuræ nomine, licet res eodem recidat, per falsas venditiones, & alienationes, simulatasque societates. aliasque ejusmodi artes, & fraudes vis divinæ legis eluditur, Doctrinam continent falsam, scan-

scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto, & non scripto contrariam, jam a Clero Gallicano reprobatam, Conciliorum ac Pontificum decretis sæpe damnatam.

Ceterum observare interest in contractu Societatis nullum Socium sine usura tutam posse sibi præstare sortem a consortibus: tunc enim erga se societas speciosa est, & usura re simulata, & palliativa nomine specioso Societatis, ut jam dictum est.

CASUS PRIMUS.

Reynerius, gemmarius solers, societatem coit cum Raymundo ad quatuor annos. Raymundus ad eam 20000. libras, & Reynerius solam adhibuit industriam, & totam consumpsit summam emptione gemmarum, consentiente Raymundo, hujus commercii ignatio. Hæ 20000. libræ sic consumptæ intra quadriennium pepererunt 10000. libras, lucrum, quod in æquas diviserunt partes juxta pactionem. Ea societas estne legitima, & Reynerius potestne, sine injustitia, dividere cum Raymundo hoc lucrum?

RESPONS.

Ea societas est licita, & Reynerius potest sine peccato cum Raymundo dividere lucrum inde natum. Verum nonnulli autumarunt Jurisperiti hujusmodi societatem non posse componi duas ob rationes. Prima, quia inquiebant, industria viri tanti esse nequit quanti pecunia, ab alio collata ad spem societatis, ac proinde qui solam adhibuit industriam, sine injustitia nequit in æquas partiri partes lucrum cum eo, qui pecuniam credidit. Secunda, quia, cessante, societate nullum forte aderit lucrum: quo in casu qui pecuniam credidisse, nihil perciperet nec perderet, dum alius amisisset tempus, industriam, & curam: qua in re nulla videtur justitia, quum æquitas abest.

Et quidem Jus Civile fuit huic patrocinatum societati in lege Codicis (a), quæ habet: *Societatem, uno pecuniam conferente, alio operam, posse contrahi magis obtinuit*. Imperator Justinianus idem statuit his verbis (b), *Ita coiri posse societatem non dubitatur ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit*. Ratio, quam affert, est, quia industria, & opera pecuniam non conferentis ad societatem habent locum præsentis pecuniæ: *Quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet*; & persæpe unius industria utilior est societati alterius pecunia: *Quia sæpe quorumdam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti*.

(a) L. Societatem 1. cod. pro sociol. 4. tit. 37.
(b) L. 1. Te... tit. ... pat. De illa. de societate.

Reipsa duæ rationes contrariæ nullius ponderis sunt: nam quoad primam, tantum abest ut industria unius Socii nunquam tanta sit quanta alterius pecunia, ut sæpe, sicut ait Justinianus, pretiosior sit pecunia, quæ, utpote natura sterilis, nihil ex se generans, sola industria, & opera fœcunda sit. Secunda quoque admitti nequit: nam, si jactura eveniat, eam debet qui tempus, curam, operam, industriam adhibuit, solus pati, quum hæc ipsi sunt spes in societate, & res perit Domino rei. Hoc fusius deducemus in decisione sequenti (c).

(c) Colloq. Condomens. tom. colloq. 32. sect. 1.

CASUS II.

Raymundus, pecunia præsenti dives, & commercii ignarus, contrahens, ad quadriennium, societatem cum Reynerio, Mercatore Gemmario, tradidit 2000. libras ipsius in manus, & Reynerius solam intendit industriam, & curam. Tempore societatis elapso, & remanentibus in mercimonio solum 2000. libris absque lucro, Raymundus contendit se eas jura in æquas dispertiri partes, ut industriæ & curæ, alias sibi inutilium, damnum præstet. Raymundus contra ait hanc compensationem esse nimiam, & stricte nullam deberi Reynerio, in casu proposito: utri jus?

RESPONS.

Antequam huic fiat difficultati satis, observandum est societatem esse æquam quatuor his legibus, Primo, socii faciant commune destinatum ad societatem, pecuniam, merces, aut aliud æquipollens. Secunda; jactura, & lucrum e societate emergentia sint sociis communia. Tertia, quisque pro rata collati participet lucrum (d). Quarta denique, quisque subeat privatim periculum jacturæ sortis ad societatem collatæ.

(d) L. Si non fuerint. 29. & L. Verum 23. ff. pro socio. l. 17. tit. 2.

Hoc posito, respondemus, quum industria, cura, & opera Reynerii æque pretiosæ fuerint ac pecunia a Raymundo collata, & quisque subeat periculum jacturæ concrediti in societate, jacturam industriæ, & operarum Reynerio soli ferendam esse, quum eæ sortis locum habent, & eamdem ob rem Raimundo licere summam resumere integram sine ulla divisione cum Reynerio: *Ad justam societatem quatuor requiruntur*, inquit Cabassutius (e), *quatenus ut singuli subeant damna, & expensas pro rata quoque eorum, quæ ex parte sua contulerunt: atque seorsim totam incurrant jacturam eorum quæ in sortem contulerunt: ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ suæ periculum subeat, si absque socii culpa levi, aut lata pereat: si vero salva pecunia nihil obveniat lucri: socius alter, qui suum laborem, vel industriam contulit, subeat solus jacturam industriæ sui laboris; pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt.*

(e) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. c. 6. c. 13. n. 3.

Ratio hujus decisionis est quia pecunia, a societate collata, solius est ejus qui eam contulit, ut docet S. Thomas, & post eum Sotus, Cardinales Cajetanus, & Toletus, Navarrus, Azorius, permultique alii (f), ait Doctor Angelicus, *qui committit pecuniam suam, vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ, sed remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur.* Unde Cabassutius concludit (g), jure agitur eum qui pecuniam in sortem societatis contulit, eam recuperare, si supersit: *Si pecunia pereat, perire illi debet qui eam contulit, ergo si supersit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum.* Cap. qui sentit onus: *De reg. jur. in 6. & secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda leg.* Secundum naturam (h) *ff. eodem titulo.* Addit hic doctus Professor Avenionensis sic decretum fuisse a Bulla Sixti V. 21. Octobris 1586. quadragesimaquinta ejus magno in Bullario (i): *His adde Sixtum V. in extravagante.* Detestabilis avaritiæ: *Ita sancire sortem finita societate tradendam esse illi, qui eam contulit, si extat.*

(f) S. Th. 2.2. qu. 78. art 2. ad 5 Domin. Soto l. 6. q. 6. ad 2. Cajet. in summa v. Societas Fr. Tolet. instit. Sacerdot. l. 5. c. 4. Azorius 3. part. l. 9. c. 3. q. 1. &c. 5. q. 1. Navarr. Manual. c. 17. n. 2. 3.
(g) Cabass. loco cit. n. 7.
(h) Cabassut. loco cit. n. 7.
(i) Sixt. V. in Bulla Detestabilis 45 Bullar. mag. tom. 2. pag. 557.

Observandum tamen 1. Hic sic intelligendum post impendia ad bonum societatis commune facta ab eo, qui tantum adhibuit industriam, & curas, ei refusa, ut, verbi gratia, expensas in itineribus, aut aliter, ut declarat idem Pontifex (K), & præscribunt leges (l). 2. Eum, qui ad societatem contulit tantum sortem propriam, hoc est, curas & industriam, si sic inter partes convenerit, resumpturum mediam sortem alterius, aut si usus sit generatim receptus, & observatus in regione contractus posset eff. Qui dari pactum, aut se ad hunc usum componere: *Sicubi tamen*, addit Cabassutius (m), *contraria vigeret consuetudo, aut aliter inter partes convenerit, id poterit servari.*

(K) Idem ib. § 2.
(l) Leg. Secundum 6. & leg. si quis 67. ff. pro soc. 0.
(m) Cabassut. loc. cit. n. 4.

CASUS III.

Athenodorus, & Landrius se contulerunt in societatem officinæ suscipiendam. Prior, peritus opifex, in societate adhibuit tantum operam & industriam, posterior contulit 1200. libras præsentes. Ambo amici, & bona fide versantes non stipulati sunt quæ pars lucri cuique esset in societate aut quam jacturæ partem quisque ferret, si eveniat. Societas per triennium sic subsistit, postea simultates inter se habuerunt, & in ratione subducta lucrum habuerunt 1000. libras, de cujus divisione vehe-

mcn-

menter rixati sunt: nam Landrius voluit tres percipere quadrantes ob pecuniam præsantem ad societatem collatam. Athenodorus contra postulat ut totum lucrum in æquas dividatur partes inter se, quum sine sua industria, & operibus suis, pecunia Landrii nihil peperisset: quomodo instituenda est hæc divisio ut justitia servetur?

RESPONS.

Quando partes lucri aut jactura non fuerunt assignatæ pacto societatis, æquales sint sociis partes: nam ubi pactio non distinguit, uni non amplius lucrum nec major jactura esse debet quam alteri: *Si non fuerint partes societatis adjectæ, æquas eas esse constat*, habet lex (*a*). Unde sequitur Athenodoro, qui non contulit pecuniam ad societatem cum Landrio contractam, dimidium tamen fore; quia industria, labor, & cura eodem pretio habentur, ac pecunia ab altero collata, quum sæpe soleat industria, & cura socii magis prodesse societati quam alterius pecunia, ut probavimus respondentes ad primam difficultatem: ita ut inferendum sit Landrium, qui 12000. libras contulit præsentes, & non ignorabat Athenodorum solum adhibere industriam, & laborem, tacite consensisse partes lucri esse æquales inter se, quam nihil stipulatus ast contrarii si voluisset. Hanc in rem videre ast leges in margine indicatas.

(*a*) Leg. Si non fuerint, 29. ff. pro socio.

Ratio hujus decisionis est quia, ut partes lucri in societate evadant æquæ, non ast necesse socium quamvis tantam pecuniæ vim aut industriam adhibere, quantam alter confert, sed ex majori pecuniæ vi ab uno collata aut utiliori industria ab altero intenta, eorum sors potest æquari paritate commodorum a diversis collationibus paciscentium. Quod manifestum est ex duabus primis legibus, in prima decisione citatis, & quibus concordat hæc alia lex (*c*); *Societas autem coiri potest, & valet etiam inter eos, qui non sunt æquis facultatibus: cum plerumque pauperior opera suppleat, quantum ei per comparationem patrimonii deest*.

(*b*) Leg. Si non fuerint cit. leg. Quid enim 30. ff. pro socio §. At quidem to. instit. de societate L. 3. t. 26.

(*c*) Leg. Societatem 5. §. 1. ff. pro socio.

CASUS IV.

Geranus Licinio confert ad societatem 3000. Coronatos, lege lucri admodum modici, quia ei tutam præstat sortem, & totum sibi sumit periculum. Gerani Confessarius hunc culpat contractum, vultque ut rescindat, sed Geranus duas causatur rationes. Prima hoc in ratiocinio includitur, in contractu *commodati*, depositi, aut locationis, licet convenire inter me, & paciscentes, ut jactura rei commodatæ, depositæ, aut locatæ, ne sit lapsura in me, licet non transferam dominium hujus rei commodatario, depositario, & inquilino, & semper verus permaneam ejus dominus. Exempli gratia, licet mihi commodare librum Joanni, ea lege ut, si pereat, imo sine ejus culpa, mihi sit pretium soluturus, quamvis meus sit. Cur igitur mihi, conferenti per modum societatis Licinio 3000. Coronatos, non licuerit mediocre percipere lucrum, licet eorum periculum non subeam, dominium semper penes me sit, modo saltem periculum quod suscipit, ei præstem, concedens amplius lucrum in societate. Hoc Gerani ratiocinium nonne est æquum?

Secunda, cui innititur, ratio est, quia, quum non transferat dominium 3000. Coronatorum cautione sortis a Licinio præstita, non dicitur esse *mutuum*: quia natura hujusmodi mutui dominium rei mutuatæ transfertur mutuanti. Probatur exemplo commodati, locationis, depositi, in quo cautione rei commodatæ, locatæ, aut depositæ, non transfertur dominium; hæc secunda nonne est quoque legitima?

RESPONS.

Non diffitemur auctores inclytos, ut Cardinalem Hostiensem, censere eam societatem esse licitam. In eam iverunt sententiam nonnulli Recentiores (*d*), qui putant, pacto societatis contracto, secundum licita contrahi, nempe, cautionem sortis, minus percipiendo lucrum pro rata periculorum, quæ suscipit acceptator.

(*d*) Colloq. Condomens. to. 1. colloq. 10. sect. 4.

Innituntur Theologis, & Canonistis, a Doctore, quem vidimus Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarii Vicarium, laudatis (*e*), & ad auctoritatem Sixti V. ipsis objectam, quæ penitus adversatur eorum sententiæ; quia hic Pontifex pacta improbat omnia, quibus dator sortis cautionem habet, respondent Bullam hujus Pontificis non esse usu receptam in Gallia ut, & aliis in regionibus pluribus, in quibus consuetudo valet contraria. Addunt 1. esse articulum disciplinæ, & politicæ meræ. 2. Natura societatis pericula, & damna non esse inter socios communia, sed conditione non naturali, quod probat, inquiunt, ipsa pacti societatis definitio, quæ hoc silet. 3. Judicandum esse de societate ut de commodato, deposito, & locatione, quibus in pactis commodatarius, depositarius, & inquilinus, licet non gravati casibus fortuitis sine eorum culpa evenientibus, possint tamen suis recidere periculis secundo pacto; ita societatis pactum natura stare, etiamsi adjungatur cautio sortis. En paucis omnia fundamenta, quibus suam auctores hi firmant sententiam, juxta quam Geranus, in casu proposito, non est damnandus sortis cautionem habendo a Licinio.

(*e*) Lud. Bail. 3. part. tripli. cis examinis de exam. peccatorum.

Huic non volumus suffragari sententiæ, & arbitramur eam non posse defendi, quod clare demonstraturum imus, primum labefactando horum Auctorum rationes.

1. Dicimus ergo Geranum non valere hoc inire pactum conscientia, quia est fœneratorium: sed ante discussionem rationum objectarum, referre statim juvat incentiva Bullæ Sixti V. quadragesimæquintæ (*f*), quia melius erit judicium de momento difficultatis propositæ. Hic Pontifex ab initio Constitutionis dicit insatiabilem habendi cupiditatem eo usque homines excæcare, ut eos in laqueos Dæmonis detrudat variis fraudibus & dolis, quibus utitur ut eos dulcedine lucri speciosa perdat, cui inhiat, & quo blanditur.

(*f*) Sixt. V. in Bulla Detestabilis supra cit.

„ Detestabilis avaritiæ ingluvies & insatiabilis
„ lucrandi cupiditas, malorum omnium radix, us-
„ que adeo excæcat mortalium mentes, ut multi
„ avide lucro inhiantes in laqueos & insidias Dia-
„ boli misere incidant, irrepit enim versute & cal-
„ lide antiquus humani generis hostis per varios
„ dolos & fallacias, & incautos homines quæstus
„ dulcedine captos ac delinitos opprimit.

Postea hic Summus Pontifex apponit exemplum Societatum vitiosarum, præcipue Societatis, quam perpendimus, in qua alter Socius sortem suam salvam fore cavet ab altero, sine periculis, & damnis futuris, imo certam percipiens summam in singulos annos, & menses contra æquitatem. „
„ Multi speciosum, & honestum Societatis no-
„ men suis fœneratitiis contractibus prætexendo,
„ hoc quasi colore, & fuco mercatoribus, opi-
„ ficibus negotiatoribus, & aliis personis super
„ eorum mercibus .... aliisque rebus ac bonis pe-
„ cunias suas aut alias res Societatis nomine
„ conferunt, vel greges, armenta, aut certa ani-
„ malia agricolis, seu terrarum cultoribus, pa-
„ storibus, aliisque rusticis, seu quibusvis perso-
„ nis dant in societatem, ea conditione, ut sors
„ ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale,
„ tam pecuniarum, quam animalium, & rerum
„ salvum semper, & integrum existat, pro eo
„ qui non industriam aut operas, sed anima-
„ lia aut res hujusmodi in societatem confert,
„ atque omne periculum, & damnum ab altero
„ Socio recipiente sustineatur ..... eosdemque
„ Socios ..... ad sortem seu capitale, restituen-
„ dum, quicumque tandem casus, & rerum e-
„ ventus consequatur, pacto & obligatione ob-
„ stringunt: simulque etiam certam lucri quan-
„ titatem, & summam veluti tot pro quoli-
„ bet centenario in singulos annos aut menses
„ per alterum Socium durante Societate, sol-
„ vendum præfiniunt ac præscribunt „. Denique hic Pontifex omnes hujusmodi contractus damnat verbis adeo claris & urgentibus, ut, post ejus decisionem, miremur Casuistas ejus auctoritatem infringentes. En ejus verba. „ De attri-

butæ

tributæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones, posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu per quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res Societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, ac integrum a Socio recipiente restituatur; sive ut de certa quantitate, vel summa, in singulos annos aut menses, durante Societate, respondeatur. Statuimusque hujuscemodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios, & illicitos posthac censeri debere.

Ea decisio Sixti V. non respicit meram disciplinam, aut solam politicam externam, ut falso supponitur, sed articulum Ethicæ momentosissimum, cui se accommodare expedit, a quo Leges Regni non sunt alienæ.

Patroni sententiæ adversæ contendunt omnibus Sociis damnum, aut lucrum esse commune non ex natura Societatis, sed ex conditione isti pacto non ingenita, quod firmant definitione ipsa Societatis. Sed facilis est responsio definitioni, quæ concipitur: nam quando Societas dicitur pactum a pluribus initum, quo quisque aliquid facit commune, ut lucrum fiat commune: *Duorum, pluriumve conventio conferentium aliquid in communem usum, vel quæstum* (*a*); sequitur necessario, quod juri naturæ innititur, quemvis aliquid commune facientem nomine Societatis, subire pericula & damnum eventura pro quæstu; nam alias nulla esset æquitas, justitiæ commutativæ ingenita, quod huic convenit juris regulæ (*b*): *Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.* Sic disserit Sylvius, postquam dixit Societatem, ut sit legitima, habere rem justam, & honestam, & suam conferentem pecuniam ejus subire pericula, ita ut si pereat, ipsi pereat soli; addit necessario æqualitatem tum in lucro, cum in damno esse servandam inter Socios. *Ut in omnibus servetur æqualitas inter Socios pro quantitate partium in Societatem collatarum; ac proinde qui æquales sortes dederint, æqualiter lucrum participent; qui inæqules, pro rata: & simile judicium de damno, quod vel æqualiter, vel proportionaliter est dividendum pro æqualitate vel proportione sortium.* En expositionem definitionis pacti Societatis, alias non accuratæ: definitionis nomen non adhibet, sed dicit: *Describi autem po est Socie as, quod sit duorum, &c.*

(*a*) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 18. ar. 9. concl. 3. Jo. Polmanns Breviar. Theol. pag 322.
(*b*) L. Secundum ff. de reg. Juris Lib. 59. t. 17.

Tantum abest, ut hic doctus Professor, & Vice-Cancellarius Universitatis Duacensis autumet commune lucrum, & damnum non esse genuinæ Societati congenitum, ut tractans ex professo, quam agitamus quæstionem, allatis quatuor quinqueve rationibus, quibus innituntur adversæ sententiæ Patroni, eas arguat fusissimis & firmis rationibus, & demonstret nulli Socio licere conscientia, ut salvam fore sortem ad Societatem collatam sibi caveat, & necessario ipsi subeunda sint pericula, & damna sicut quæstus: quod firmat auctoritate Bullæ Sixti V. cujus textum descripsimus; & defendit hunc Pontificem non tantum damnare tanquam fœneratitia pacta Societatis, in quibus alter Socius sortem suam sibi fore salvam ab altero cavet, contracta in fraudem Legum Ecclesiasticarum, & ad vitandas pœnas in fœneratores latas; sed generatim damnare ea pacta in se & ex eorum natura, quemcumque in finem contracta.

Idem censet Scotus (*c*), Bannes (*d*), Azorius (*e*), qui dicit: *Meo judicio*, Pontifex (Sixtus V.) *condemnare videtur, tanquam fœneratitiam, & usurariam, per se talem Societatem: eam enim fœneratitiam, & usurariam appellat.* Addit Navarro placuisse, ut Pontifex licitam declarasset cautionem sortis; sed contrarium dixit: *Optabat Navarrus, ut Pontifex declararet tale pactum in Societate licitum esse, & justum; at contrarium Pontifex declaravit, ac definivit.* Tandem idem Sylvester, quinque, sexve alii Auctores, quos laudat (*f*).

(*c*) Dom Sot. lib. 6. q. 6
(*d*) Dom. Bannes in 2. 2. q. art. 4.
(*e*) Jo. Azor. instit. morel. part. 3. l. 9. c. 4.
(*f*) Sylvest. v. Societas q. 1. & apud eum Azor. Accursius, Angelus de Perusio, Goffredus, Calderinus & alii.

Et quidem Pontifex hujusmodi Societates futuras damnat: sed jam contractarum executionem prohibet: id est, repetere sortem, quæ sine recipientis culpa periisset, aut exigere, eo in casu, quæstum ab eo, qui eam præstitisset salvam, pollicitum: quo patet palam hunc Pontificem pactum illud reprobare tanquam illicitum, & fœneratitium per se.

Diximus quasi per transennam Sylvium noluisse accuratam pacti Societatis definitionem apponere, ideo aliam proponimus, hanc scilicet, *Societas est damni, & lucri ex consensu facta communicatio honesta, & justa.* Hæc est inter alios Juris periti definitio (*g*), quæ indicat commune lucrum, & damnum esse naturam genuinæ Societatis: & contra communicationem non requiri tanquam conditionem non congenitam.

(*g*) Argum. tituli Pro socio 2. lib. 17. Digestorum.

Superest respondendum ad duas rationes in gratiam Gerani appositas in quæsito proposito. Dicimus igitur priorem rationem nullius esse ponderis, & Gerani Confessarium suo facere officio satis, volentem, ut contractam cum Licinio societatem dissolveret, quum sit fœneratitia, ut demonstravimus, & probatum imus auctoritate Sancti Antonini (*h*), quæ dixerat, secundum mentem Glossæ in Canonem, e scriptis S. Ambrosii depromptum (*i*), societatis pactum, in quo conferens pecuniam Mercatori ad negotiandum, aut opifici ad laborandum, paciscitur, aut præcipue intendit suam sortem non venire in dubium, & quæstum ab eo percipere, esse vitiosum, & illicitum: hoc pactum, inquam, esse fœneratitium, & societatem nunquam esse legitimam nisi periculum sortis incidat in eum, qui contulit: addit non idem esse judicium de aliis contractibus: nam licet possit aliquod adjungi pactum præter id, quod vulgo postulant, quo recipiens sibi sumit periculum; non potest idem affirmari de pacto societatis: quia imponere omne periculum recipienti pecuniam collatam est repugnare non solum ei, quod res postulat, sed & naturæ genuinæ societatis. En Sancti Antonini verba: *Et si Hostiensis velit defendere, quod etiamsi damnum suscipiet in se recipiens, talis societas est licita...... quia in aliis contractibus valet pactum appositum præter naturam contractus, ut damnum spectet ad suscipientem, ut in commodato, & similibus: & sic tenet ex vi pacti: quia contractus ex conventione legem accipiunt: & tamen Azo, & Accurs. in dicta lege* (*k*) *tenent contrarium, quia talis non est vera societas, cum sit contra ejus naturam. Societas enim est quædam fraternitas ff. pro socio leg. Si verum. Unde sequatur, quod tale pactum non sit præter, sed contra naturam contractus. Unde non valet.... de natura enim contractus societatis est, quod partes sint æquales, nisi aliud sit dictum. Unde opinio Hostiensis in hoc non est tenenda, cum non sit æqua; sed opinio contraria, quam tenet Goffredus & Joannes Calderinus. Dicit enim Goffredus:* Vis, quod sit vera societas? fac ut damna, & lucra sint communia.

(*h*) S. Anton. 2. par. sum. theol. t. 1. c. 7. §. 37.
(*i*) Glossa in can. Plerique 3. 14. q. 3.
(*k*) Leg. Si non fuerint 29. ff. pro socio.

Verum ut distinctius exponatur hoc discrimen inter pactum societatis, & alios contractus, dicendum est, licet quasi ex se periculum libri commodati, Equi locati, aut summæ depositæ, incidat in ejus rei Dominum; tamen ex natura hujusmodi pactorum, commodantem, locantem, aut deponentem rem, semper subire hujus rei periculum: nam natura *commodati* est concedere gratis usum rei commodatæ sine dominii jactura, natura locationis est concedere usum rei locatæ justo pretio, natura depositi est custodire rem depositario propriam. Ideo sicut in pacto locationis, stipulari nequit, inquilinum non usurum re locata; & in deposito, eum, cui creditur, non custoditurum; quia talia pacta horum naturam contractuum evertunt, non potest stipulari, in societatis pacto, conferentem ad eam sortem non aditurum ejus pericula: contra naturam contractus socius quæstum percipit, si non subeat discrimen sortis ad societatem collatæ. Hæc dicenda nobis erant ad labefactandam priorem rationem, cui Geranus præsumitur, ut a se declinet usuram in casu proposito.

Posterior non majoris est ponderis priore; nam in contractibus commodati, locati & depositi cautio fortis non est causa; ut is, cui commodatur, locatur, & deponitur res, possit de ea pro lubitu statuere, quod tamen est Dominii natura: non eadem est ratio pacti societatis, in quo Licinius, qui a Gerano accepit 1000. Coronatos, & eos salvos ipsi præstitit, solus omne periculum subiens, is est Dominus hujus summæ, qui potest aut emere, quas volet, merces, aut alii commodare, aut in ludum effundere; aut donare, nec Geranus ab eo petere potest eosdem 1000. Coronatos: Licinius solum tenetur ei æqualem rependere summam; imo Geranus nequit ex æquo pacisci, ut Licinius hanc impendat pecuniam ad hanc, aut illam emptionem: quia usu pecuniæ non distincto ab ejus Dominio, ut observat S. Thomas, ubi primum usus concessus fuit, censetur Dominium concessum, ac proinde nequit sine injustitia præpedire usum, quem volet. Unde inferendum est eam cautionem, in societatis pacto, & esse verum mutuum, nomine societatis coloratum, ut observat Glossa a S. Antonino laudata (a); ac proinde Geranus, cui Licinius salvos præstitit 1000. Coronatos, nullum percipere potest quæstum sine usura; quam, juxta Doctrinam S. Thomæ (b), S. Augustini (c), omniumque Thelogorum & Canonistarum, ex mutuo nullus quæstus emergere potest sine fœnore.

(a) Gloss. cit. cans Plerique v. Negotiatoribus.
(b) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5.
(c) S. Aug. in in can. Si fœneraveris, 2. 14. q. 3.

CASUS V.

Lazarus cum Lysimacho contraxit societatem, cui tradidit 1000. Coronatos, quibus adjunctis pari summæ ad hanc societatem collectæ a Lysimacho, negotiaretur, qua inter eos convenit quemque subditorum fortis suæ periculo; & quæstum ac damnum fore communia & paria. Postea Lazarus Bauduino, amico proponit hanc conditionem, se, si velit salvos præstare 1000. Coronatos, ad societatem cum Lysimacho collatos, cum tenui lucro certo; ipsi cessurum suum lucrum, quod e societate percepturus est; quod, etiamsi incertum, probabiliter erit amplissimum. Bauduinus hanc conditionem oblatam habet gratam. Eorum conventio est ne legitima, & licita?

RESPONS.

Existimamus cum Auctore nomini (d) Lazaro non licere, ut a Bauduino, nec a Lysimaco ipso caveat sibi salvos fore 1000. Coronatos ad societatem cum Lysimacho collatos, quum sine iniquitate ullum quæstum e societate carpere nequit, nisi periculum 1000. Coronatorum subeat. Ita ut cesset jus Dominii, ubi primum pecunia non venit in dubiam aleam. Ad summum posset solum jus suum societatis concedere. Verum sicut evertitur penitus cautione fortis, quam Bauduinus præstat, & nullum amplius discrimen ipsi subeundum est; videtur Lazarus, concedens omnia jura Bauduino, suscipienti discrimina 1000. Coronatorum; non posse e societate fructum facere, quæ ipsi non est amplius societas realis, & vera, quum cautione, a Bauduino ipsi concessa, cessat participare jacturam, aut periculum. Sed etiamsi Lazaro liceret hoc conventum contrahere cum Bauduino, inde non sequitur constauter ipsi licere idem pacisci cum Lysimacho, quum esset verum mutuum, non vero societas cum eo contracta, esseque ars, ac fraus qua celaret fœnus, ut patet ex omnibus argumentis in quarta decisione allatis.

(d) De Gen. theol. mor. to. 3. tr. 4. c. 14. q. 3.

CASUS VI.

Maximianus confert 10000. libras præsentes ad societatem; quam init cum Bertrando, parem summam conferente. Inter Bertrandum, imperitum commercii, quod factitat Maximianus, & socium convenit de quadam summa, quam quovis anno ipsi soluturus est Maximianus, etiamsi deesset quæstus in commercio, ob periculum fortis quod suscipit. Bertrandus hoc in casu, nonne potest summam, de qua inter se, & Maximianum convenit recipere?

RESPONS.

Bertrando non licet, hoc in casu, percipere quæstum ratum, de quo inter ipsum, & Maximianum convenit. Nam prætendens periculum fortis non potest convenire cum Socio de summa certa, & determinata, quæ habet locum lucri, etiamsi abesset Socio quæstus. Ratio est, quia conditio, qua Bertrandus cum Maximiano contrahit, naturam Societatis evertit, quæ nec stare, nec vera esse Societas potest, nisi ambo participent damnum futurum, ut & lucrum percipiendum, sicut in præcedentibus demonstravimus decisionibus, & patet ex ipsa societatis definitione jam illata: *Societas est damni & lucri ex consensu facta communicatio honesta & justa*. Si vero Bertrando salva esset certa summa determinata, quæ vicem lucri haberet, quam Maximianus perderet, aut ipsi deesset lucrum, non posset dici societate, & commodis conjunctus cum eo; quum commodum fixum, ope illius conventionis perceptum, non esset fructus commercii, ad quod pecunia fuit collata; sed summa certa a Maximiano soluta ob usum 10000. Librarum, quod constituit fœnoris crimen, juxta hæc Sancti Thomæ verba (e): *Secundum se est illicitum pro usu pecuniæ accipere pretium, quod dicitur usura*. Pontifex Sixtus V. distincte reprobat hoc pactum Constitutione 21. Octobris 1586. cujus verba in quarta recensuimus decisione, quæque nunc repetere non juvat.

(e) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 1. in corp.

Nec juvat quoque dicere, Bertrando, fortis suæ discrimen subeunti, licere de certo convenire lucro minori pro incerto quæstu, probabiliter amplissimo. Nam hic contractus, qui non est vera Societas, est solum mutuum, nomine Societatis coloratum, & solo fortis discrimine non est sat juris ad percipiendum hoc commodum ex pecunia mutuata, ut definivit Gregorius IX. in Decretali (f). Ratio est, quia ex justa conjectura, qui tradidit pecuniam, ea contulit mente, ut ex mutuo fructum caperet, & susceperit fortis periculum, ut strictius mercatorem mutuantem compelleret ad hoc commodum concedendum, in quo non abest usura, ut docet Auctor Opusculi inter Sancti Thomæ opera inserti; ipsique adscripti (g). Hæc decisio concordat sententiæ Colloquiorum Luconensium Auctoris, (h) & S. Bernardino (i), qui dicit: *Si intendit habere lucrum, & non damnum, usura est*.

(f) Greg. IX. in c. Naviganti fin. de usuris Lib. 5. tit.
(g) Apud S. Th opusc. 73 de usuris c. 6.
(h) Colloq. Lucon. tom. 2. coll. 19. q. 3.
(i) S. Bernardinus serm. 10 in feria 6. post Dom. 4. Quadrag. c. 3.

CASUS VII.

Nicander, & Pamphilus speciem Societatis instituerunt. Nicander 8000. Libras contulit præsentes; & Pamphilus industriam, & operas adhibuit. Nicander potest ne absque injustitia, & usura Pamphilo salvam præstare certam summam fixam in partem quæstus, quem pariet Societas.

RESPONS.

Respondemus, Nicandrum in casu proposito, posse Pamphilo salvam præstare certam summam definitam, quæ in contractu eorum vicem quæstus habeat.

Sed ut certiores dicti fiamus, memores simus ejus, quod alibi diximus, scilicet. 1. Societas est conventio (k) duorum; aut plurium in licitis, & conferentium pecuniam, aut industriam, & operam, aut quidvis aliud pretio æstimandum (l) in usum communem, aut ampliorem quæstum: 2. Duplex est Societas: altera pecorum, ut vaccarum, avium, aliorumque hujusmodi animalium. Altera creditur pecunia Mercatori, ut fructum faciat commercio. 3. Quævis Societas legitima tria complectitur.

Primum: ut conferens pecuniam, aut aliud fortis discrimen subeat: *Ut pecunia, in Societatem collata, subjaceat periculo sam conferentis*, inquit Sylvius (m), *ita nimirum, ut si pereat; illi, qui eam contulit pereat*. Ita ut quivis Socius participet lucrum, ut & damnum, & nequeat ipsi esse fors, nec quæstus salvus: ut Sixtum V. qui sic definit, vidimus (n), & in hoc præsertim conventio Societatis differt a pacto mutui: nam in So-

(k) Lib. 17. Digest. tit. 6. Lib. 3. Institut. tit. 26.
(l) F. Sylv. in 2. 2. q. 78. art. 2. conclus. 3.
(m) Idem ibid. Item Navarr. man. c. 17. n. 153. Azorius, part. 3. l. 9. c. 2. & alii.
(n) In supra cit. Bulla detestabilis data die 21. Oct. 1586.

Societate, quilibet Socius permanet collati Dominus, & nemini transfert dominium, quum in mutuo dominium rei commodatæ a commodante transferatur mutuanti. Quapropter, si pereat res, illi, cui commodata est, soli pereat. Sic docet S. Thomas, qui dicit: „Ille qui mutuat pecuniam transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat. Unde ille cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam. Et tenetur eam restituere integre, unde non debet amplius exigere ille qui mutuavit. Sed ille qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum Societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum; sed remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur; & ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expetere, tanquam de re sua.

Secundum requisitum in Societate legitima est, ut quilibet Socius conferat aliquid, sive pecuniam, pecora, merces, aut industriam.

Tertium, denique: ut æqualitas justitiæ servetur; idest, lucrum jactura & expensæ sint omnibus Sociis communia pro rata collati ad societatem; ita ut plus conferens majorem quæstum aut jacturam habeat, & minus conferens, minus lucrum aut damnum carpat. *Tertia* (conditio) *ut in omnibus servetur æqualitas inter Socios pro quantitate partium in Societate collocatarum*, inquit Sylvius (a) *Ac proinde qui æquales sortes dederint æqualiter lucrum participent; qui inæquales pro rata, & simile judicium est de damno, quod vel æqualiter, vel proportionaliter est dividendum pro æqualitate vel proportione sortium.* Quod consentit legi (b), quæ habet: *quoniam cum societas contrahitur, tam lucri quam damni communio initur*, & huic alii (c) *iniquissimum enim genus Societatis, ex quo quis damnum, non etiam lucrum spectet.*

(a) Fr. Sylv. in cit. 3. 2.

(b) Leg. si non fuerint 29. §. 2. ff. eod. tit.

(c) Leg. si non fuerint 29. §. 2. ff. eod. tit.

His principiis omnibus positis, tanquam necessariis ad decisionem difficultatis propositæ, ceterarumque omnium hanc in rem objiciendarum, respondemus ad casum, quo quæritur: num Nicandro liceat lucrum certum & fixum Pamphilo, industriam ac operas conferenti ad Societatem, salvum præstare: & dicimus manifestum esse ex prædictis, horum duorum contractum non esse conventionem veræ Societatis, quum inter eos nulla sit vera communicatio lucri & damni; sed contractum locationis, dictum *locationem operarum*, quo Pamphilus commodat Nicandro operam curas & industriam, in quo nihil patet illiciti nec iniqui, modo omne periculum aut damnum eventurum in solum incidat Nicandrum, qui semper 8000. Librarum ab ipso collocatarum dominus permanet (d).

(d) Collaq. Cond. t. 1. col. 30. sect. 3. De Gen. 10. 1. tr. 4. c. 12. q. 4.

CASUS VIII.

EMMANUEL, dux opificii tapetum nova arte textorum, debet Margaritæ 10000. Libras, quas ab ea mutuas sumpsit in commercium. Advertens Margarita nullum fructum pecuniæ, rogat Emmanuelem aut ut sibi restituat pecuniam aut eam adhibeat Sociam in opificio sex denariolis pro libra. Emmanuel vult eam sibi adjungere Sociam, & instrumentum signo privato consignatum scribit, consentiens se eam admittere sociam conditione proposita; eam participaturam lucrum e commercio proventurum sex denariolis pro libra, eam adituram discrimina societatis, & participaturam damnum futurum pro rata summæ in societate collocatæ.

Hæc pericula, quæ sequuntur damna, sunt 1. Constitutione opificii innixa soli Regis privilegio Rex eam potest infectam facere improviso; quo in casu societas in gravem conjiceretur confusionem propter sumptus immodicos, quos Emmanuel & novem alii consocii fecerunt in ædificia, emptiones plurium mercium arti idonearum, in mercedem locorum opportunorum; præterquam quod pecunia arcæ communis vacaret fructu. 2. Bellum potest instare & diuturnum esse: quo in casu permodica ipsis esset venditio tapetum quos texunt: 3. Exteri Alienigenæ valent hujusmodi opificia instituere quæ ipsis ruinosa admodum forent.

Margarita, hæc omnia iniens pericula, intendit se rei esse consortem. Sed scrupulus ex eo exurgit quod Emmanuel, consentiens cum suis consociis, præfinivit, instrumento cum ea consignato, lucrum e societate percipiendum, ad summam 1200. librarum in singulos annos; ut vitentur tricæ rationis quotannis putandæ. Quæ longioris inquisitionis & difficilis foret, præsertim mulieri, commercii, & longe magis societatis insciæ: ideo Margarita quærit, num possit, illæsa conscientia, percipere 1200. lib. quovis anno, secundum conventionem.

RESPONSIO.

Ut propositæ fiat difficultati satis, faciendum est, num exempli causa dentur triplicia pericula in quæsito memorata, aut an pericula desinant ad hæc tria: nam si triplicia pericula apponantur tanquam exempla omnium discriminum futurorum, & Margarita ex æquo teneatur subire reliqua omnia pro rata partis in societate collocatæ; societas est legitima, & potest participare quæstum obventurum. Si vero instrumentum ab ipsa consignatum, habet eam participaturam damnum hac triplici ratione eventurum & non aliud, societas est illegitima & iniqua. Nam cuivis societatis pacto natura inhæret ut omnes socii omnia adeant discrimina & participent omnes damnum futurum, quisque pro rata partis ad societatem collatæ: ita ut lucrum, alias perceptum, esset fœneratorium. Ipsi igitur perpendenda sunt instrumenti verba, & exequendum prædictum ad illæsam servandam conscientiam.

Quoad quæstum certum ad 1200. libras præfinitum, consentientibus partibus, ut fugerent tricas & curam inquirendæ rationis ipsi gravissimæ, quia commercii & societatis inscia est omnino, existimamus, posita societate legitima modo jam exposita, ipsi licere sine scrupulo 1200. libras capere in singulos annos de quibus inter se & Emmanuelem convenit suo & aliorum nomine. Ratio est, quia quæstus major incertus sine injustitia transit & determinatur ad quæstum minorem certum. Hæc omnia S. Thomæ (e) Sylvii, & reliquorum Theologorum Doctrinæ consentanea, ut & quadragesimæ quintæ Constitutioni Sixti V. quorum auctoritates plures recensuimus.

(e) S. Th. 2. 2. cit. q. 78. a. 2. ad 5. Fr. Sylvius ib.

CASUS IX.

GOSSELINUS adhibuit Andream socium in duplici commercio tritici & vini. Eorum societas, ad quam ambo summam contulerunt æqualem, habet, ut Gosselino bessis lucri in frumenti commercio, & tertia damni in vini commercio sit pars. Hæc societas estne justa, & Gosselino licuitne sic pacisci absque peccato, nec adstricto ad ullam restitutionem Andreæ præstandam.

RESPONSIO.

Hæc societas est æqua: nam penes socios est convenire, ut uni sit majus lucrum quam damnum, & contra alteri sit majus damnum quam quæstus: quod ita interpretandum ut si in pluribus commerciis aut societatibus, lucrum huic quidem adest, illi vero damnum, quæstus censeatur quod deductis expensis superest. *De illa sane conventione quæsitum est*, inquit Justinianus (f), *si Titius & Seius inter se pacti sunt, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia, ad Seium duæ partes damni, lucri tertia, an rata debeat haberi conventio. Quintus Mucius contra naturam societatis talem pactionem esse existimavit, & ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpicius, cujus sententia prævaluit, contra sensit: quia sæpe quorumdam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliori in societatem admitti.* Hæc verba: *sæpe quorumdam ita pretiosa opera, &c.* demonstrant inæqualibus Sociorum partibus fieri justam posse societatem, in qua convenit ut uni amplius sit lucrum quam alteri. Hinc inferendum, si industria, opera, & gratia Gosselini, aut pericula, quæ adit in mari, aut alias, multum prosint societati, & Andreas nihil præter for-

(f) §. De illa inst. l. 3. t. 26. de societate, item leg. Mucius 30. ff. pro socio.

tem creditam, æqualem Gosselini sorti, conferat, juris esse ut Gosselinus majus illo lucrum percipiat. Quod sic dilatandum, videlicet, Gosselinus sibi hoc majus arroget lucrum ex eo quod deductis omnibus damnis, in duplici societatis commercio illatis supererit, ut idem ait Imperator his verbis (a): *Quod tamen ita intelligi oportet, ut si in alia lucrum, in alia damnum illatum sit, compensatione facta, solum quod superest intelligatur lucro esse*. Quod concordat huic Digestorum legi (b): *Neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto*.

(a) cit. leg. de illa.

(b) cit. leg. Mucius.

CASUS X.

Oldradus Antonius Gabriel & Bernardus se contulerunt in societatem exsiccandæ paludis. Oldradus præter partem in societate collocatam, aliorum parti coæqualem postea in antecessum præstitit 15000. libras, rogantibus aliis, ea lege ut quisque intra annum suam refunderet partem. Antonius cum solvendo non fuisset, intendit Oldradus sibi totam suam summam e sorte communi esse percipiendam; contra duo disceptant, & volunt defungi solutione propriæ partis, seorsim a parte Antonii. Cui jus?

Respons.

Oldrado est jus: nam quum socius in antecessum suppeditat in commodum societatis, quivis tenetur eum salvum præstare pro rata: quando solutionem summæ percipere nequit ab alio, quia solvendo non est, aut aliam ob causam, jure refundetur e sorte societatis, quia in ejus commodum suppeditavit summam in antecessum, & lucra ut & damna communia sunt. Ita ut priusquam ullum e societate percipiant fructum Gabriel & Bernardus; Oldrado dissolvendæ sint 15000. libræ, & postea superfluum lucrum dividendum sit inter se & duos socios: *An, si omnes socii solvendo sint*, habet lex (c), *quod a quibusdam servari non potest: a cæteris debeat ferre* (socius); *sed Proculus putat, hoc ad cæterorum onus pertinere, quod ab aliquibus servari non potest, rationeque defendi posse, quoniam cum societas contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur*.

(c) si unus 64. ff. pro soc. 66.

CASUS XI.

Florus, Mercator Gemmarius, societatem cum quatuor ejusdem mercimonii mercatoribus contraxit; quilibet ad sortem societatis communem confert gemmas pretio 1000. librarum. Quatuor Flori consortes ei demandant iter in Hispaniam, ut vendat merces communes pretio & modo commodis utiliori. Florus duobus Mercatoribus Hispanis vendit carbunculos adamantesque pretio 25000. librarum, & in solutionem admittit chirographa intra quadrimestre permutanda cum pecunia. Hi duo Mercatoribus, qui ea consignaverunt, foro cedunt argentario, & solvendo non sunt duobus post mensibus. Florus teneturne solus hoc damno?

Respons.

Si duo Mercatores, qui chirographis compararunt carbunculos ac adamantes, a Floro sibi venditos, innotuissent aliis ejusdem mercimonii Mercatoribus, & Florus nullo modo dubiam haberet eorum bonam fidem & solvendo, damnum 25000. librarum in ipsum non est incidendum solum, sed in omnes consortes; ita ut Floro cum quatuor ceteris, cuique, pereant 5000. libræ. Hoc requirit æquitas naturæ, sicque definit lex quæ habet (d) *Magistri societatum pactum & prodesse & obesse constat*. Magister autem societatis dicitur is, cui ut Floro, demandatur cura præcipua mercium omnibus consortibus communium, ut habet hæc alia lex (e): *Cui præcipua cura rerum incumbit, & cui magis quam cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi Magistri appellantur*. Sicut igitur venditio, a Floro cum duobus Hispanis mercatoribus exæquata solutione, intra quadrimestre, consignata in chirographis, posset quam maxime sibi & quatuor consortibus prodesse; convenit ut cum sine ejus culpa ipsis obfuerit argentariæ dissolutione duobus post mensibus edita, damnum ex æquo incidat in se & consortes; quum sit eventus mere fortuitus quem præstare non debet.

(d) Leg. Item 14. ff. de pactis l. 2. t. 14.

(e) Leg. Cui præcipua 57. ff. de verbor. signific. l. 50. t. 16.

CASUS XII.

Lombardus & Jacobus se contulerunt in societatem commercii, Jacobus suscepit iter in Provinciam consentiente Lombardo, in commodum societatis; latrones ei iter facienti surripuerunt sarcinas & pecuniam ad iter necessariam, eum & servum comitem vulnerarunt. Redux, voluit ut compensaretur sorte societatis jactura pactuum sibi illata, & pecunia quam impendit, ut curarentur vulnera sibi & domestico inflicta; Lombardus contra intendit. Cujus est jus.

Respons.

Jacobi est jus: nam quum hoc damnum ipsi, res societatis gerenti, incubuit, convenit ut compensetur expensis sortis communis; cum hoc damnum ipsi occurrerit sine culpa sua. *Quidam* * *sagariam negotiationem coierunt*, habet lex (f), *alter eorum ad merces comparandas profectus in latrones incidit, suamque pecuniam perdidit, servi ejus vulnerati sunt, resque proprias perdidit: Dicit Julianus damnum esse commune: ideoque actione pro socio damni partem dimidiam agnoscere debere, cum pecuniæ, quam rerum ceterarum quas secum non tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas proficisceretur. Sed & si quid in medicos impensum fuit, pro parte socium agnoscere debere rectissime Julianus probat, proinde, si naufragio quid periit, cum non alias merces, quam navi solerent advehi, damnum ambo sentient. Nam sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet, quod non socii culpa contingit*.

* Sagariam id est, salis vel sanctus eam vel vilium vestium a titat Gloss.

(f) Leg. cum duob. §. 5. 4. ff. pro socio.

Observare interest hanc legem indicare pecuniam ad sumptus itinerarios, & commodum societatis necessariam. Unde sequitur, si Jacobus gestavisset pecuniam in suam rem privatam, occasione itineris suscepti, qua latrones eum spoliassent, Lombardus non teneretur, Jacobus jure non compensaretur sorte societatis, sed damnum ipsi incumberet soli.

Observandum quoque, non sat esse, ut pecunia societati pereat, ut consors, in cujus manibus periit, eam solum destinasset, in societate collocandam. Nam conferri & communem fieri est necesse. Ideo cujus pecuniæ prius ipsi surreptæ damnum solius ipsius, non vero societatis, esset damnum. Sed communes factæ, & in pericula societatis translatæ, tum a latronibus ereptæ, damnum commune inter consortes. Hoc decernit alia lex, quæ habet (g). *Item Celsus tractat: si pecuniam contulissemus ad mercem emendam, & mea pecunia periisset: cui perient ea? Et ait; si post collationem evenit ut pecunia periret quod non fieret, nisi societas coita esset utrique perire; ut puta, si pecunia cum peregre portaretur ad mercem emendam periit. Si vero ante collationem, postea quam eam destinasses tunc perierit, nihil eo nomine consequeris, inquit, quia non societati periit*.

(g) Leg. si id 58. §. 1. ff. eod. t.

CASUS XIII.

Guerinus & Julus, vini Negotiatores, ad quatuor annos se contulerunt in societatem vini. Guerinus pluries in Campaniam, Burgundiam, & Occitaniam profectus est, empturus vina ad quæstum societatis. Ejus longæ ipsius rei familiari intulerunt damnum 1200. libras excedens, cui providere non voluit; & plures privati, quibus vini copiam vendere solebat, noluerunt ab ipso comparare postea, odio societatis cum Julo eorum inimico contractæ: qua de re quæritur an omnia damna, ob societatem sibi illata, sint resarcienda expensis sortis communis, aut an Julus possit sine injustitia ei denegare compensationem?

Respons.

Constat Guerino non esse jus ut resarciantur hujusmodi damna expensis sortis societatis, sicque Julus possit, illæsa justitia ipsi denegare partem, Ratio est, quia hi eventus oriuntur a Guerini consilio peculiari, nihilque attinent ad commodum sociorum commune: ita ut habendi sint eventus fortuiti, penitus a societate alieni, ac proinde in Guerinum solum incidendi, Et eamdem ob caussam si Guerinus lucra fecisset specialia occasione societatatis, vel in itineribus suis, vel alias, Julo nullum esset jus quidquam consequendi. *Non consecutierum actione pro socio Labeo ait*, habet lex Digestorum (a), *quia id non in societatem, quamvis propter societatem impensum sit: sicut si propter societatem eum heredem quis instituere desiisset, aut legatum prætermisisset, aut patrimonium suum negligentivo administrasset. Nam nec compendium quod propter societatem ei contigisset, veniret in medium; veluti si propter societatem heres fuisset institutus, aut quid ei donatum esset.* Guerino igitur incumbunt soli hujusmodi damna, quæ declinare poterat, societatem cum Julo non contrahens, & quæ sibi dare debet, quum ea prævidit, aut prævidere debuit, attamen lubens ea adivit,

(a) Leg. Socium. 60. ff. §. 1. ff. pro socio.

CASUS XIV.

Fanateto & quinque consociis, cum esset navis onusta permultis mercibus, quarum para non mediocris, Fabricio propria, fuit ablevanda in naviculam, ut navis tutius introduceretur in fluvium quo vehitur ad portum; & navicula fuerit excussa vento improviso: Fabricius intendit jacturam mercium suarum fore communem quinque consociis. An est ipsi jus ut merces, in navi relictæ, sint adjumento?

Respons.

Quum merces Fabricio ablevatæ fuerint in commodum omnium, procul dubio est ei jus exigendi; ut relictæ in navi sint adjumento, & damnum in naviculam transvectarum sit quoque omnibus communis. Sic decidit Lex (b), quæ habet: *Navis onustæ, levandæ caussa, quia intrare flumen vel portum non poterat cum onere, si quædam merces in scapham trajectæ sunt, ne aut extra flumen periclitaretur, aut in ipso estio vel portu; eaque scapha submersa est: ratio haberi debet inter eos, qui in navi merces salvas habent, cum his qui in scapha perdiderint; perinde tamquam si jactura facta esset.*

(b) Leg. Navis. init. ff. de lege Rhodia. de jactu.

CASUS XV.

Rodulphus & Samson societatem commercii contraxerunt, cui contigit damnum ingens imprudentia Rodulphi cujus culpa est natura *culpa levis*, ut in Jure vocatur. Samson tenetur ne participare hoc damnum, & ejus partem injicere potest ne conscientia Rodulphus?

Respons.

Samson non tenetur participare hoc damnum. Nam in societate, socius damnum inferens sua culpa, sive gravi quæ dicitur *lata culpa*, sive tenui quam Leges vocant *levem culpam*, & qua abest a peritis artis, aut perfunctorie res agitur quæ solet diligenter fieri, ut quando per messes levis est cura diei aprici, cui succedit pluvia, is, inquam, tenetur solus damno Societati illato: quia, etiamsi studio accuratissimo non adstrictus, tenebatur tamen tantam commodorum suorum & Socii, quantam propriorum curam habere.

Si vero culpa Rodulphi esset *culpa levissima*, ut Jurisperiti & Leges perhibent; id est, vitium accuratissimi studii, quod in re sua solet omitti: Samson teneretur parte damni: reo hujusmodi culpæ totum damnum incumbere non debet, ut manifestum est ex his Imperatoris Justiniani verbis (c): *Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est: sufficit enim talem diligentiam in communibus rebus adhibere Socium, qualem suis rebus adhibere solet.* Hicque Imperator aam affert rationem proxime: *Nam qui parum diligentem Socium sibi adsumit; de se queri, sibique hoc imputare debet.*

(c) Lib. 3. Instit. tit. 26. §. 9. fin.

Dictis addimus, ex principio, Socium debere quandoque præstare casum fortuitum, cui occasionem præbuit ejus neglectus: aaempli gratia, si surrepta fuerit summa pecuniæ Societati communis, aut quid aliud cujus custodia ipsi incumbebat, & curam eamdem non habuit ac suæ rei. Est decisio Legis, quæ habet (d): *Quod si a furibus surreptum sit, proprium ejus detrimentum est; quia custodiam præstare debuit qui æstimatum accepit. Hæc vera sunt & pro Socio erit actio: si modo Societatis contrahendæ caussa poscenda data sunt, quamvis æstimata.* Id quoque censet Cabassutius (e).

(d) Leg. Cum duobus. 52. §. 1. ff. pro Socio lib. 17. tit. 2.

(e) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. lib. 6. §. 13. n. 4.

CASUS XVI.

Paullus, Andreæ consocius in commercio, bonum Societatis amisit sua negligentia, pretio 3000. Librarum, cujus custodiam sibi sumserat. Andreas vult ut illud præstet. Sed pro se dicit curis immensis auctam fuisse Societatem 2000. Libris & plus, dum minor ipsi incumbebat diligentia, sicque longe minorem comparasset quæstum; ac proinde juri compensationis locus esse debet. Andreæ non jus est ut imponat Paullo totum damnum 300. Librarum sine ulla ratione ampli lucri quod Societati intulit & quod medium participat Andreas?

Respons.

Andreæ est jus, & potest conscientia, ad normam rationis loquendo, imponere Paullo soli damnum 300. Librarum, non obstante 2000. Librarum quæstu; quas ejus diligentia summa comparavit Societati. Ratio est, quia Socius augere tenetur Societatis sortem quovis lucro possibili sine spe compensandorum damnorum sibi obvenientium culpa sua, nomine quæstuum quos attulit. Hanc difficultatem sic decidit Lex, quæ habet (f): *Non ob eam rem minus ad periculum Socii pertinent quod negligentia ejus periisset, quod in plerisque aliis industria ejus Societas aucta fuisset: & hoc ex appellatione Imperator Antoninus pronuntiavit. Et ideo si Socius quædam negligenter in Societatem egisset; in plerisque aut Societatem auxisset, non compensatur compendium cum negligentia, ut Marcellus libro sexto Digestorum scripsit.*

(f) Leg. Non ob eam. 25. & leg. Et ideo 26. ff. pro Socio item leg. 23. 1. ff. eod. tit.

Diximus Andream posse hoc damnum imponere Paullo, *ad normam rationis loquendo*, Leges enim laudatæ sunt apertæ. Attamen si hoc damnum occurrisset sine ullo dolo aut culpa gravi Paulli, levi vero præ immenso quæstu sorti Societatis illato; videtur æquitati consonum ut Andreas non agat summo jure, & Socio totum damnum det.

CASUS XVII.

Medericus, Negotiator aulæorum, & tres alii ejusdem artis, consocii, emerunt omnem supellectilem in inventariis duorum genere illustrium, & partem postea vendiderunt parciculatim variis. Medericus, advertens eorum unum non admodum exactum, putavit omnium interesse ut publica impetraretur venditio a Magistratu, ut in recensione: quod fecit præsentibus & consciis tribus Sociis, sine ulla intercessione. His venditis, aliquod apparuit damnum quod alii Mederico voluerunt inponere; quia proprio motu & sine eorum consensu manifesto fecerat. Medericus defendit contra illis licite & necessario esse facto intercedendum, posito quod displiceret; ac proinde, omissa intercessione, censeri annuisse, quam ob caussam damnum incidere in eos & in se debebat. Medericus nonne legitima nititur intentione?

Respons.

Certum est Socium nihil posse in sorte communi suscipere sine consensu consociorum; & si quid moliatur, cuique jus esse intercedendi & prohibendi: *Sabinus ait in re communi neminem dominorum jure facere quidquam invito altero posse*, habet Lex

Digestorum *(a)*, *unde manifestum est prohibendi jus esse*. Ratio est, quia quorum interest in eadem re, melius est jus prohibendi, quam innovantium. *In re enim pari potiorem caussam esse prohibentis constat*, addit eadem Lex.

(a) Leg. Sabinus. 28. ff. de communi dividundo. lib. 10. tit. 3.

Nihilominus mutatione aut innovatione ab altero Socio facta, præsentibus & consciis omnibus consociis, sine eorum intercessione, singuli tenentur simul ac innovator; quum juxta Juris regulam, silentium servatum, quando non est tacendum, vicem consensus habet. *Qui tacet, consentire videtur (b)*. Unde sequitur, in casu proposito, consocios Mederici, præsentes, facto non intercedentes, ut ipsis licebat, si voluissent, censeri jure consensisse; ac proinde teneri facto, licet damnoso. Sic decidit eadem Lex laudata, quæ adjungit *(c)*: *Sed etsi in communi prohiberi Socius a Socio, ne quis faciat, potest: ut tamen factum opus tollat, cogi non potest: si, cum prohibere poterat, hoc prætermisit*. Ita ut tres consocii Mederici nequeant jure in eum agere, ut ipsi imponatur damnum a venditione publica generatum. *Sin autem facienti consensit, nec pro damno habet actionem*, habet eadem Lex, quæ concordat huic Bonifacii VIII. regulæ *(d)*: *Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus*.

(b) Reg. 33. de regulis juris in 6.

(c) Cit. Leg. Sabinus.

(d) Reg. 27. de reg. juris in 6.

CASUS XVIII.

LAMBERTO est fundus, quem vult locare, aut in societatem conferre, instructus quatuor equis, sex bobus, decem vaccis, & grege quater centum ovium. Henricus sese offert ad annuum vectigal ei attribuendum, nudo & sine pecore, pretio quater centum Coronatorum, aut ad solvendas 1500. libras, ea lege ut Lambertus pecora sit per quoddam tempus relicturus, de quo inter eos conveniet: quo elapso Henricus ea restituet juxta æstimationem instituendam. Lambertus potest ne hanc secundam gratam habere propositionem, sine usura?

RESPONS.

Certum est, Lambertum hanc secundam nequire propositionem sine usura gratam habere. Ratio est, quia iste mutuat Henrico pecora; quum eorum dominus permaneat, sine ullo discrimine, quod ipsi adeundum esset, si vera foret societas.

Nec juvat Lambertum objicere, pecora æque fructum producere ac fundum; ac proinde si fundo annuum vectigal possit assignari, item pecori, quæstu menstruo aut annuo. Magnum enim intercedit discrimen inter locationem fundi, & locationem pecorum; quia fundi locatio non est mutuum, locatore semper fundi domino, nec in recipientem transferente dominium; quod ita certum, ut, si agri eluvione aquarum perirent, damnum in solum locatorem, non vero conductorem incideret: sed locatio pecorum, in æstimationem concessorum, est merum mutuum, quo recipienti transfertur pecorum dominium, cui, prout volet, statuere de iis licet, solvendo ea juxta æstimationem. His addendum, secundum legis dispositionem *(e)*, æstimationem pro venditione valere: *Æstimatio venditio est (f)*. Dominium autem rei venditæ transfertur venditionis vendentis in emtorem. Quam ob caussam accipiens rem in æstimationem solus subit pericula. *Si æstimata res data sit*, habet alia Lex *(g)*, *omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem se præstaturum recepit*. Manifestum est igitur non esse judicandum a locatione pecorum Henrico data a Lamberto ad locationem agrorum: & quamvis ei liceat quæstum capere annuum e locatione fundi, nullum licet percipere e locatione pecorum, quæ ad tempus in suo fundo relinquit.

(e) L. Æstimata. 51. ff. soluto matrim. l. 24. tit. 3.

(f) Leg. Plerumque. 10. § 5. ff. de jure dotium. lib. 23. tit. 3.

(g) L. Ut certo. 5. §. ff. commodati vel contra. lib. 13. tit. 6.

Nec juvat quoque objicere, hoc pecus habendum esse instar rei Henrico locatæ a Lamberto, ac proinde jure quæstum percipiendum, ut ex æquo locato. Nam quodvis pecus censetur quum conducitur ad quemdam usum; ut quum conducuntur boves vel equi ad vectandum aut arandum; non vero ad usum fructus a pecoribus, quæ locari non licet, producti, ut vaccæ, oves, aliaque hujusmodi. Ratio est, quia conducens boves ad colendum fundum, aut equum ad vectandum, aut ad iter faciendum, tenetur eosdem boves locatos aut eumdem equum locatum restituere, uno verbo, eadem animantia. Sed quum pecora accipiuntur in æstimationem, ut quæstus, quem pariunt, percipiatur; non tenetur absolute restitutione ipsissimorum animalium; sed pretii solum quo æstimata sunt, aut alia ejusdem pretii; ut jam dictum: in hoc sita est natura *mutui*, ut habet Lex *(h)*.

(h) Leg. Mutuum. 2. §. 2. ff. de creditis rebus si certum petatur. lib. 12. tit. 1.

Addamus ingens interponi discrimen inter equum, verbi gratia, qui locatur, & inter pecora, quæ conceduntur in æstimationem: nam hic equus, aut quidvis aliud conductitium, teritur usu a conductore; sic aliquem comparare fructum est justum: sed pecora attributa in æstimationem non teruntur, nec deteriora fiunt a dante; quum recipiens tenetur, juxta æstimationem, reddere parem numerum æqualis pretii, aut saltem pretium æstimatione præfinitum *(i)*.

(i) De Gen. theol. mot. tom. 1. tract. 4. c. 13. quæst. 4. 5. & 6.

CASUS XIX.

LENTULUS attribuit ad triennium in æstimationem 500. oves & 20. vaccas villico, ea lege ut hæc pecora teneretur, elapso tempore, restituere juxta æstimationem habitam; aut ei persolveret pretium; & præterea suppeditaret in singulos menses certum numerum lactis, casei aut lanæ. Hoc pactum est ne legitimum?

RESPONS.

Constat societatis pecorum contractum, qui dicitur *redditio bestiæ*, esse iniquum, quando dans nullum subit periculum, paciscens conventum, quo recipiens tenetur ei restituere, elapso tempore, suam sortem juxta æstimationem habitam, & dans nihil potest accipere ultra sortem præcipuam, quum in vera societate, omnes socii participent damnum aut quæstum: ac proinde pactum a Lentulo & villico contractum non est vera societas. Ratio est, quia habendum est hoc pactum tamquam mutuum, aut tamquam venditio. Si mutuum est, est feneratitium quum nullus possit percipi quæstus e mutuo, sine usura: & si venditio est, nihil potest sine injustitia percipi pretii præter æstimationem. Merito autem dicitur mutuum implicitum & nomine societatis coloratum. Quando enim dans sua præbet pecora in æstimationem, liber est recipienti eorum usus pro libitu, ita ut possit ea vendere, nec teneatur pretium solvere, si nolit danti restituere parem numerum æqualis pretii: sic idem ac si dans mutuaretur recipienti summam pecuniæ ad quam abit æstimatio. Dicitur etiam venditio, quum, secundum leges *(k)*, æstimatio sit venditio, hoc est, ei aliqua ratione æquipolleat; quo in casu dans solum potest percipere pretium pecorum sine ullo alio quæstu. Hæc decisio consentit Concilio Mediolanensi, I. a S. Carolo Borromeo an. 1565. habito.

(k) L. Æstimata. 51. ff. soluto matrim. l. 24. tit. 3. L. Plerumque. 10. ff de jure dotium. lib. 23. tit. 3.

Hoc posito, dicendum est Lentulum, qui villico assignavit in æstimationem pecora, nihil posse ab eo accipere nec lacticinia, nec lanas, nec quid aliud, nisi ad justum pretium pascuorum, si ipse, non vero villicus, ea præbeat: alias nequit purgari usura, ut patet ex rationibus in decisione præcedenti allatis *(l)*.

(l) Colloq. Lucon. tom. 2. colloq. 4. q. 9. Fr. De Gen. c. 13. cit. quæst. 2. & 3.

CASUS XX.

GENUCIUS suppeditat sex boves, duodecim vaccas, & triginta porcos Theoderico, qui suscipit ut fundum agrorum meliorem faceret, ea lege 1. ut ea sit nutriturus, tectum præbiturus & curaturus. 2. Ut Genucio sit traditurus medium auctum horum animantium. Hæc societas nonne est feneratoria?

RESPONS.

Ne hic contractus sit feneratitius, duabus conditionibus in quæsito proposito designatis tertia subjungenda est: videlicet, Genucius suscipiat periculum animalium suorum, ita ut pereuntia, sine culpa Theoderici, pereant sibi soli, nec villicus par-

participet damnum obventurum. Hæc tertia conditio duabus aliis apposita, hunc contractum facit licitum; quia tunc est vera societas.

Hæc est decisio S. Thomæ (*a*), cujus verba in secunda decisione recensuimus ad aliam rem; & concordat Constitutioni Sixti V. pluribus vicibus jam laudatæ (*b*), quam videre est in secundo Magni Bullarii Tomo.

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.

(*b*) Sixt. V. in Bulla *Detestabilis*. 45. mag. Bullarii tom. 2. p. 557.

CASUS XXI.

Appius tradit Benedicto agricolæ duodecim vaccas, sex equos & gregem quater centum ovium nomine societaris duabus legibus: Prima, ut Benedictus solus sit pecorum periculum aditurus; & tempore de quo convenit elapso, Appio sit restituturus parem numerum æqualis pretii, aut sit soluturus pecunia, juxta æstimationem statutam. Secunda, ut dum Benedictus sibi sumit pecorum discrimen, & tenetur Appio restituere sortem collocatam, locatione finita; Appius eum remuneraturus longe ampliorem sit cessurus quæstum a pecore producendum, quam ipsi foret proprius sine hac prima lege cui subjacet: Appius potest ne hoc inire pactum licite, quum periculo quod suscipit Benedictus, pretium imponitur, eumque compensat majorem partem in Societate relinquens quam alias liceret?

Responsio.

Dicta Societas est eadem ac memorata in decisione præcedenti. Dicimus igitur eam esse feneratoriam, usura nomine mercedis colorata; ac proinde Appio non licere, tuta conscientia, hunc cum Benedicto instituere contractum.

Ratio est, quia conventio qua pecoris periculum subit Benedictus, & tenetur sortem Appio salvam præstare, penitus evertit naturam contractus Societatis, quo dans omnquam sortem fore salvam sibi cavere potest, nec compellere recipientem ut quod perit sine sua culpa, sibi pereat; nam constat eum debere quod sua perit culpa præstare, ut ait Imperator Justinianus (*c*): ita ut hac lege injusta, dicta Societas fiat verum mutuum, quum per æstimationem, Appius transferat dominium animalium, Benedicto adstricto ad restituendum Appio, non eadem quæ accepit, sed alia æqualis pretii, aut pretium ipsum præsente pecunia: quod est natura mutui, ac veræ Societatis naturam evertit, in qua danti subeundum est semper discrimen sortis præcipuæ, nec unquam recipienti imponendum, nisi hoc in casu solum quo fraus aut supina ejus negligentia adesset. Unde sequitur cum nullus plane potest percipi quæstus ex mutuo sine usura, Appium nequire e pecore capere, quod tradidit Benedicto, cujus est totum lucrum; quum omne adeat periculum ipse, non vero Appius, nihil periclitans. Nemini licet carpere fructum e Societate, vera quidem & legitima, si sors ejus non periclitetur; penitusque necesse est in Societate ut lucrum & damnum sint communia inter omnes Socios.

(*c*) Lib. 3. Instit. tit. 26 de societate. §. fin.

In quarta decisione videre est dicta consentire Constitutioni Sixti V. & doctrinæ S. Thomæ, S. Antonini, ceterorumque a nobis laudatorum (*d*).

(*d*) De Gen. Theol. mor. tom. 2. tract. 4. cap. 14. quæst. 13.

CASUS XXII.

Desiderius dedit Philberto sex boves ad quinque annos, lege 1. Ut pro suscipiente sibi sit sumturus totum horum animalium damnum, si contingat irruptinne hostium, fulmine, aut morbis propriis. 2. Ut Philbertus sit alios eventus futuros præstiturus; & suum sit futurum alere, curare & custodire hos boves tamquam suos. 3. Ut sit Desiderio largiturus a messe, in quemque bovem, octo tritici modios, simul æstimatos undecim Libris. 4. Ut quinquennio excurso, sex boves futuri sint vendendi, & pretium in æquales partes dividendum inter duos. Hæc Societas est ne legitima?

Responsio.

Prima & secunda legibus heic indictis contractus sit iniquus: nam jactura boum, illata ab irruptione hostium, fulmine, aut tandem morbis propriis, in dantem recidere debet; præterea tenetur solus omni alio damno aut detrimento; quod absque lata recipientis culpa potest obvenire. Sic decrevit Concilium Mediolaoense I. (*e*) quod habet: *In Societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet; omnes casus etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit, nisi id alterius Socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit .... Si autem animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit.* Quod concordat Bullæ Sixti V. (*f*) & decisioni Cleri Gallici, Meloduni an. 1579. coacti (*g*).

(*e*) Conc. Mediol. I. part. 2. tit. 61. de usu.

(*f*) Sixt. V. in cit. Bulla *Detestabilis*. §. 2.

(*g*) Constit. Conventus Melodunensis tit. de usuris.

Sed ut melius concipiantur partes Desiderii & Philberti, sciendum est primum, hoc commercium includere duos contractus; hunc quidem venditionis, illum vero locationis. Venditionis contractu, recipiens quovis anno comparat quintam partem pretii boum: Locationis contractu, dans locat in solidum boves recipienti ad primi anni finem usque, quo devoluto, recipiens fit quinti denarii dominus. Idem dans postea locat solidum, infra quintum denarium recipienti ad secundi anni finem usque, quo tempore, obtinet recipiens quintum denarium alterum. Locat postea solidum infra quintos denarios duos ad tertii anni terminum usque, a quo hic recipiens quintum denarium tertium adipiscitur: item locat solidum infra quintos denarios tres ad quarti anni finem usque, & tunc recipiens quintum denarium quartum: & denique solidum locat infra quintos denarios quatuor ad quinti anni, qui est ultimi locationis, finem usque; quo elapso comparat recipiens quintum denarium quintum.

Secundo, sciendum est dominium rei transferri in emtorem a venditore venditione; & hoc dictum extra dubium esse, nempe, damnum rei necessario in dominum incidere, quum non obvenit dolo vel fraude tertii cujus interest. *Quoties, omni debitoris culpa seclusa, res debita perit, domino suo perit*, inquit Gregorius IX. (*h*) Sed non est idem judicium in locatione; nam dominus, locans rem, ejus dominium inquilino non transfert, sed usum solum.

(*h*) Greg. IX. in cap. *Cum gratia*. Unico de commodato. lib. 3. tit. 15.

Ex his principiis inferendum, Desiderium, juxta Justitiæ regulas, dantem, teneri detrimento boum perfecto, quod dolo aut fraude Philberti non obvenit, excepta Philberti re parta; hoc est, excepto quinto denario, post primum annum elapsum: quintis denariis duobus, post secundum: quintis denariis tribus, post tertium: & sic de ceteris annis sequentibus.

Addimus contractum, cujus meminit quæsitum, esse illicitum lucro quod Desiderius percipit, quod videtur enorme. Nihilominus ut sannm feratur judicium de æquo lucro, faciendum est arbitratu peritorum proborum, qui perpendant quod licite ipsius sit, tum venditione, tum locatione, pro expensis curis & operis Philberti, ut & commodo, quod idem recipiens e sea bobus percipit, quinquennio Societatis durante (*i*).

(*i*) De Sainte Beuve. tom. 3. cas. 253.

CASUS XXIII.

Ladislaus dives, & Servasius agricola, se conferunt in Societatem animalium ad quinquennium, ingrediendo a trimestre: & convenit inter eos quemque collaturum decem boves aut vaccas, & gregem quingentarum ovium. Tempus, quo ineunda erat Societas, cum venisset, Servasius nequit suam conferre partem, tum ob defectum pecuniæ, ad emtionem boum aut vaccarum necessariæ, tum ob morbom, qui, in oves suas grassans, fere omoes necavit. Ladislaus pollicetur solus suppeditare 1000. oves, ac 20. boves aut vaccas, dummodo dimidium hujus pecoris Servasio mutuatum, & dimidium, ejus pars, æstimanda fuerit æquo pretio a peritis, de quibus inter eos convenict.

Æsti-

Æstimatione instituta Ladislaus mutuatur Servasio quingentas oves, & decem boves & vaccas, pretio æstimationis, quod Servasius gratum habet; & vi Societatis contractus, Servasius pollicetur 1. se curare totum pecus, & alere, & tectum præbere. 2. In mercedem & compensationem, convenit cum Ladislao sibi fore soli omnem ad ipem, arationem & fimum; & Societate finita, ambo, divisuros pro æqua portione augmentum animalium, 3. Et damnum, quod acciderit sine alterutrius culpa, ambobus fore commune pro æqua & dimidia parte, 4. Sed ante visum pecoris augmentum & ejus divisionem, Servasium Ladisloo restiturum quingentas oves, ac decem boves, aut vaccas, sibi mutuo datas, pretio æstimationis ab ineunte Societate institutæ; & insuper lucrum divisum iri pro æqua portione. Hic Societatis Contractus, dictus *Chapsel* vel *Cheptel*, vacat ne usura?

RESPONS.

Hic Societatis Contractus est legitimus, & ab eo abest omnis usura, modo quingentæ oves & decem boves aut vaccæ a Ladislao bona fide fuerint mutuo datæ Servasio, ex hypothesi, Nam quum vi hujus mutui dimidium solidi in Societate sit Ladislao proprium, æquum est ut apta rationem quæstus aut damni, mutuo datum a Servasio refundatur; sicque si totum pecus fuerit 1200. Coronatis æstimatum, Servasius teneatur in primis restituere Ladislao 600. postea si spes Societatis abeat ad 1400. Coronatos, quæ augmento aucta fuit 200. Servasio sunt 100. dandi pro dimidio auctus, & reliqui centum sibi servandi: & contra si æstimatio spei in Societate abeat tantum ad 1000. Coronatos, Ladislaus, qui 600. mutuo datos sumsit, tenetur Servasio tradere centum Coronatos pro dimidio ducentorum, ad quos abit damnum, quod per quinquennium irrepsit in pecus, morbo, aut aliis eventibus fortuitis, sine Sociorum culpa.

Nihil in Contractu hoc est adversum quadragesimæ quintæ Bullæ Sixti V. (*a*) cujus verba in decisione quarta recensuimus. Similiter consentaneum est Concilio Mediolanensi I. & Conventui Melodunensi, in proxima decisione laudatis, & Concilio Provinciali Burdigalensi an. 1583. (*b*). Et quidem Ladislaus & Servasius non peccant in regulas Societatis licitæ & æquæ, & eorum conventiones nullo evertunt modo conditiones legitimas.

(*a*) Sixt. V. in Bulla *Detestabilis*. cit.

(*b*) Concil. Burdig. c. 29. de usuris & illicitis Contract.

Sed ut nullum supersit dubium ad hanc difficultatem juvat respondere ad objectionem, quæ dictis opponitur: hæc est. Numquam potest, inquiunt, lucrum quæri propter mutuum, absque peccato usuræ. Ladislaus autem, dans in casu proposito, mutuo dedit Servasio quingentas oves, ac decem boves aut vaccas, quæ faciunt dimidium suum in Societate, aut (quod coincidit) mutuo dedit pecuniam ad emtionem pecoris, & Servasius recipiens, licet per hoc mutuum præbeat dimidium sortis in Societate, pollicetur pascere, custodire & tectum præbere toti pecori, & operam dare necessariam ut conservetur & fructum pariat; & tamen capit dimidium totius quæstus, vi juris Societatis. Dicendum est igitur hunc dantem capessere dimidium quæstus, propter mutuum dimidii sortis, Servasio concessi; & hic quæstus e mutuo effluens non potest vacare usura.

Respondemus ad hanc objectionem, falsum esse quod intenditur in quæsito proposito, dantem percipere dimidium quæstus ob mutuum recipienti datum. Nam constat eum percipere ex animalibus suis, quæ contulit in Societatem cum recipiente, cui relinquit æqualem quæstum propter aliud dimidium pecoris quod idem contulit recipiens. Falsum est quoque recipientem solum suscipere curam, custodiam, alimentum, expensas & tectum animalium; quum sat confert dans de se, privans quæstu lacticiniorum, adipum, fimorum & arationis, qui solet percipi ex ovibus, bobus & vaccis; ac deferens totum recipienti, cui hac via sat mercedis est ob alimentum & operas quæ ipsi incumbunt. Si forte recipienti non sat compensationis esset hac ratione, dans teneretur ad illum remunerandum legitime.

Concludimus igitur, quæstum quem Ladislaus percipit a Societate, non plane manare a mutuo quod Servasio dedit: sed a pecore proprio. Nequit igitur damnari usuræ, quamvis sit verum, talem quæstum fore feneratorium in dicta Societate, in qua socius mutuo dedisset alteri totam sortem: nam hoc in casu tota sorte salva per mutuum, nullum subiret periculum, nec posset sine usura participare lucrum, quod eo in casu totum recipientis esset. Sic judicat Auctor Colloquiorum Lucionensium (*c*),

(*c*) Colloq. Lucion. tom. 2. colloq. 40. q. 2.

CASUS XXIV.

PATERNUS locat Clementi sex vaccas ac sex equas ad triennium; lege 1. Ut primo anno Paternus gravatus erit jactura aut depravatione animalium, si accedat sine culpa Clementis. 2. Ut duobus annis sequentibus Clementis fuerit tota jactura aut damnum, quod obveniet sine sua culpa. 3. Ut hac ratione Clementi fuerint tertiæ partes duæ quæstus, quem pariet Societas per duos posteriores annos, quæ pro compensatione valeant ob periculum hujus jacturæ quod subiit. Qua in re quæritur, num hic Societatis Contractus a *Chapsel* possit tolerari tamquam licitus in Provincia in qua consuetudo generalis illi patrocinatur post hominum memoriam; & hic usus stat justitia sæculari, quia dans contentus est tertia partu quæstus per secundum & tertium annos, & recipienti concedit duas alias tertias partes?

RESPONS.

Constat contractum esse feneratitium, eo quod Paternus Clementi totam imponit jacturam aut depravationem animalium per duos posteriores annos Societatis, licet obveniant eventibus mere fortuitis & sine sua culpa. Nam Paternus, dominus rei, integram debet solus ferre jacturam, quæ absque recipientis culpa contingit, juxta hoc Juris dictum, *res perit domino*, cui patrocinatur Gregorius IX. in Decretali jam citata (*d*).

(*d*) Greg. IX. in cit. cap. *Cum gratia*. unico de commodato.

Huic quoque fundamento innixus Sixtus V. in sua quadragesima quinta Constitutione, in sequenti decisione afferenda, reprobavit & damnavit, tamquam feneratoriam, eam Societatem, quam jam hujusmodi dixerant sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi I. an. 1565. habito, & Episcopi Gallici in Conventu generali Melodunensi, an. 1579. quorum videre est decreta superius in responsione ad Casum *Desiderius*.

Lucrum majus, quod Clementi concedit Paternus, nomine jacturæ compensandæ quam adit secundo & tertio annis, nequit eum contractum usura liberare; quum juxta naturam cujusvis Societatis contractus res pereat domino.

Consuetudo inolita post hominum memoriam, a summis Magistratibus Provinciæ in qua hæc Societas est usu recepta, nequit quoque usuram amovere ab hujusmodi contractibus; hæc consuetudo cum sit perniciosa & fraus manifesta, numquam toleranda. *Perniciosa consuetudo nequaquam est recipienda*, inquit Concilium Toletanum IV. an. 633. coactum (*e*). *Consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti*, inquit Pontifex Innocentius III. (*f*); & diuturnus hic usus non minus reos efficit eum sequentes, neglectis Ecclesiæ regulis. *Diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget* (*g*), ait Alexander III. in Concilio Turonibus habito an. 1163. Nam, licet consuetudo non vitiosa, a longo recepta tempore, magni sit ponderis; numquam tamen obstare potest rationi aut legi, ut dicit Imperator Constantinus (*h*): *Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est: verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem*. Hæc verba hujus legis Imperialis, e qua Gratianus fecit Canonem sui Decreti (*i*), quæque consentit his sancti Augustini verbis (*k*): *Ratio & veritas consuetudini præponenda est*.

(*e*) Conc. Tolet. IV. can. 6.

(*f*) Innoc. III. in cap. *Ad nostram*. 3 de consuetudine. lib. 1. tit. 4.

(*g*) Alex. III. in cap. *Sane*. 8. de simonia.

(*h*) Leg. *Consuetudinis*. 2. Cod. quæ sit longa consuetudo. lib. 8. tit. 53.

(*i*) Can. *Consuetudinis*. 4. dist. 11.

(*k*) S. Aug. lib. 4. de bapt. contra Donat. 1. 5. in can. *Frustra*. 7. dist. 8.

Op-

Opponenda igitur sunt iis, qui volunt hujusmodi consuetudinem usura vacuam, hæc Gregorii VII. verba (a). Si objicias consuetudinem, memento Jesum Christum dixisse, se esse, non consuetudinem, sed veritatem, & ut verbis Sancti Cypriani utar, veritatem semper anteferendam consuetudini, vetustissimæ quidem & generalissimæ: & usum quemvis contrarium abolendum. *Si consuetudinem fortassis opponas; advertendum, quod Dominus dicit*: Ego sum veritas & vita (b): *non dixit: Ego sum consuetudo, sed* veritas. *Et certe, ut beati Cypriani utamur sententia, qualibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui est contrarius, abolendus.*

(a) Greg. VII. in can. Si consuetudinem. 5. dist. 8.

(b) Joann. XIV. 6.

Addere juvat, ut confirmentur dicta, stricte interdixisse Edictum Ludovici XII. editum Blesis mense Martio 1499 (c) omnibus Tabellionibus ne ullum scriberent contractum usurarium; „ Interdiximus & prohibuimus interdicimus & prohibemus quibusvis Tabellionibus, ne ullum „ contractum fœneratorium scribant, pœna privandæ dignitatis & mulctæ arbitrariæ „. Unde sequitur quoslibet Tabelliones Provinciæ, quorum meminit quæsitum, non posse excipere, absque peccato, contractum Societatis *a Chaptel*, de quo verba facimus (d).

(c) ad. Lud. XII. art. 65. Fontenon. to. 4. p. 706.

(d) V. de Gen. Theol. mor. t. 10. 4. c. 13. q. 10.

C A S U S XXV.

Valerianus præbuit Paulo, nomine Societatis, ad sexennium, armenta aliudve majus pecus, lege. 1. Ut Paulus illud sit nutriturus, & quavis alia ratione curaturus; & traditurus Valeriano quatuor tritici modios, quatuor libris æstimatos, quoque anno, pro quolibet animali. 2. Ut Paulus duodecimam partem sortis sit sumpturus uno quoque anno 3. Ut sexennio elapso sors & augmentum sint inter eos dividenda. Hæc Societas est ne licita.

R e s p o n s.

Hic contractus, quibusdam in Provinciis dictus *Gazaille d' Arregues*, qui non est mera & nuda Societas, sed mixta, quia venditionem continet, est licitus, modo omnia in Societatibus *Gazaille* requisita occurrant, sine additione iniquarum conditionum. Cuivis autem contractui *Gazaille*, ut sit legitimus, tres sunt conditiones, quarum prima hæc, jactura animalium, sine recipientis culpa pereuntium, unice incidit in dantem, quo sublato, contractus foret fœneratorius, ut demonstravimus auctoritatibus S. Thomæ, Concilii Mediolanensis I. Sixti V. (e), Conventus Melodunensis, & Concilii Burdigalensis, quibus consentaneæ sunt consuetudines Bituricenses Borboniæ, & Nivernenses (f). Secunda conditio, recipiens sit fidus: 1. in non mutandis animalibus. 2. In iis servandis, ne decessio interveniat: 3. In supputandis bona fide lucris cum dante. Tertia denique, æquitas servetur in divisione quæstuum, ita ut recipientis lucrum æquivaleat curis, industriæ, & expensis faciendis, & dans æquam lucri partem percipiat quatenus animalium dominus, & teneatur jactura pereuntium sine culpa recipientis. Hæc est sententia docti Theologi (g).

(e) Sixt. V. in cit. Bulla Detestabilis. 43. §. 2.

(f) Consuet. Bitur. tom. 1. cir. 17. art. 10. Consuetud. Borbon. tom. 2. c. 25. p. 401. Consuet. Nivern. c. 21. art. 3. & 25.

(g) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 120. 127. 141. 142. & 144.

C A S U S XXVI.

Sylvano, qui gregem 400. ovium contulit in Societatem cum Roberto, agricola, contractam juxta omnia requisita, Robertus dixit desinente Societate deesse viginti, quæ morbo perierant: Sylvanus contendit eas ejus periisse culpa: quomodo dirimenda est hæc contentio juxta conscientiam.

R e s p o n s.

Regula observanda hæc est: recipiens probet viginti oves, quæ desunt, finita Societate, periisse sine sua culpa. Hoc censent Coquille in Commentario ad consuetudinem Nivernensem: „ Quoad „ custodiam pecoris, qua tenetur recipiens, puto „ ipsi probandum se non esse in culpa, si jactura „ aut mors contingat *Leg.* si creditor *v.* vel non „ probat Cod. *de pignoratitia actione.* „ (h) Quoad „ diligentiam accuratam, qua tenetur recipiens pecus *a Chaptel*; puto ipsi probandum se penitus „ officio functum fuisse; ac proinde probandum „ quovis in casu a se abesse culpam. *Argument. Legis* §. Sed etsi ff. *de Magistratibus conveniendis* (i). Manduit ad consuetudinem Bituricensem idem censet, quum teneatur custodia, inquit hic Jurisperitus de recipiente dicens, *Habet custodiam, debet diligentiam*. Non est igitur dubium, addit, quin reus censeatur, nisi palam faciat innocentiam, qua non sit officiosus. *Qui enim excipit, probare debet quod excipitur Leg.* Si pactum ff. *de probationibus* (k). Unde concludimus, si Robertus non probat viginti oves periisse sine sua culpa, Sylvano licere, illæsa conscientia, pretium exigere, si aliunde contrarium non pateat (l).

(h) Cod. lib. 4. tit. 24.

(i) Leg. In ordinem. §. 24. ff. de Magistrat. conveni. lib. 27. tit. 8.

(k) Dig. l. 22. tit. 3.

(l) De Sainte Beuve tom. 2. caso 149.

C A S U S XXVII.

Barnabas sibi Socios adjungit tres pannorum textores; unus fato fungitur. An mortuus finem imponit Societati, a Barnaba aut ejus hæredibus, cum duobus Sociis contractæ?

R e s p o n s.

Societas quæcumque stat coitu eorum qui se invicem in numerum Sociorum cooptarunt, plerumque industria, opera, & auctoritate unius Socii. Ideo dicendum est mortem unius finire eam ex se, & interturbare inter superstites, nisi ut habet Lex (m), inceptam persequi Societatem conveniat inter omnes superstites. *Morte unius Societas dissolvitur, & si consensu omnium coita sit, plures vero supersint, nisi in coeunda Societate aliter convenerit*: aut inter omnes Societatem contrahentes convenerit eam permansuram, non obstante hac morte: quo in casu hæres defuncti, si vellet, ejus partes susciperet, & persequeretur Societatem ut habet alia Lex (n), *Plane si hi, qui Sociis hæredes extiterint, animum inierint Societatis, in ea hæreditate, novo consensu, quod postea gesserint, efficitur, ut in pro Socio actionem deducatur.*

(m) L. Actione 65. § 9. ff. pro socio l. 17. tit. 2.

(n) L. Plane. 37. ff. eod. tit.

Observandum est. 1. Idem esse judicium de morte civili ac de naturali; quum morti addictus civili non valeat agere, & ejus bona fisco publicata sunt; ac proinde in societate habendus instar fato functi. *Publicatione quoque distrahi societatem diximus: quod videtur spectare ad universorum bonorum publicationem, si socii bona publicentur: nam cum in ejus locum alius succedat, pro mortuo habetur.* Hæc verba alius legis (o) Digestorum, ab Imperatore Justiniano firmatæ (p).

(o) L. Actione 65. §. 10. ff. pro soc.

(p) Pers. tr. 27. Instit. eod. tit.

Observandum est quoque, non esse omnino judicium idem de societatibus Villicorum aut redemptorum operis: nam hujusmodi in societatibus duæ sunt diversæ sponsiones; prior est omnium sociorum, qui sibi invicem pollicentur. Posterior est eorumdem sociorum, qui lucratori pollicentur, aut ei cujus opus suscipiunt, & ex hac secunda sponsione ad hæredes defuncti socii motos transeuntes, *ex conducto actionem etiam ad hæredem transire palam est*, ut habet Lex (q), sequitur sponsione communi cum sociis superstitibus devinctos inter se coalescere. Quapropter hæc connexio, licet non sit vera societas, æque ac connexio eorum qui sese lubentes cooptarunt in numerum sociorum, hoc efficit tamen ut hæredi Villici conditionibus locationis adstricto jus sit etiam dicam scribere in villicationem ad consulendum suo commodo; hæc sponsio & hoc jus distinguunt eum ab hæredibus alius generis sociorum, quia excludi nequit a villicatione, etiamsi dica fuisset scripta ante morem socii in cujus bona venit. Sic judicat inclytus Auctor, qui leges Romanas in ordinem naturalem redegit (r), & firmat hanc distinctionem duabus legibus Digestorum, quarum prior his concipitur verbis (s): *In societate vectigalium nihilominus manet societas, & post mortem alicujus.* Ex quo patet hæredibus superstitibus non licere societatem abdicare a morte alicujus ob sponsionem quam contraxerunt singuli societate cum eo, cujus prædium conduxerunt. Posterior spectat hæredem. En quod habet

(q) L. Sed addes 19. §. 7. ff. locati conducti lib. 19. t. 2.

(r) d. Domat. 1 l. de jostra ord. nat. lib. 1. tit 8 sect 2 o. 5.

(s) L. Adeo 5. ff. pro soc.

Digitized by Google

(a) L. Verum ed. 63. §. 8. ff. eod. tot.

bet (a): *Licet enim (hæres) socius non sit, attamen emolumenti successor est; & circa societates vectigalium, ceterorumque, idem observamus: ut hæres socius non sit, nisi fuerit adscitus; verumtamen non emolumentum societatis ad eum pertineat; simili modo & damnum agnoscat, quod contingit sive adhuc vivo socio vectigalis, sive postea, quo non similiter involuntaria societate observatur.* Vide Hæres.

Operæ pretium duximus has duas observationes apponere decisioni nostræ, ut huic rei majus affulgeat lumen, & ne dicta affigerentur quibusvis sociis indistincte.

CASUS XXVIII.

Patricius & Romanus 1000. Coronatos singuli contulerunt in societatem; Patricio vita functo anno ante finitam societatem uno, Romanus contendit societatem, cujus exitus non arridet transire ad hæredem Patricii; sed hic hæres non vult omnino inire. Utri jus?

RESPONSIO.

Ex jam dictis in responsione ad difficultatem proximam patet hæredem Patricii nulla teneri ratione ad persequendam societatem de qua quæstio est: nam certo contractus hujusmodi societatis dissolvitur morte socii, & juxta normam loquendo, non transit ad hæredem, imo hæredem ex asse, licet hic hæres participet lucrum aut damnum, juxta ac defunctus, præteritum. Ratio, quam affert Imperator Justinianus, est, quia contrahens societatem cum alio se ipse respicit unice, & solus eligit sibi socium. *Qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit* (b). Hæres igitur Patricii merito non vult inire societatem, quam Romanus cum eo contraxerat (c).

(b) L. h. 3. Instit. tit. 26. §. 5.
(c) Colloq. Cond. tom. 1. colloq. 18. sect. 1.
(d) Bonac. de contrac. disp. 3. q. 6 pu. ult. 33.

Ea est sententia Bonacinæ (d), qui rationem apponit hanc, quia contrahens societatem respicit ingenium & industriam, propriam socio, qui eligitur, & sæpe ignoratur industria hæredis futuri. *Ratio est*, inquit hic Doctor, *quia in societate eligitur industria personæ: ignoratur autem, qualis futura sit industria hæredis.*

Diximus cum eodem Auctore, *juxta normam loquendo*. Nam observat quosdam casus peculiares esse excipiendos a regula generali. Hujusmodi est, exempli gratia, hic, quo duo se conferunt in societatem percipiendorum tributorum Principi debitorum; hæres socii defuncti, hoc in casu tenetur continua persecutione societatis & executione clausularum & conditionum.

CASUS XXIX.

Galerius & Servius se contulerunt in societatem merchimonii lanarum, & inter eos convenit ut hæredes societatem continuam facerent, si alter decesserit vita. Galerius moritur sex post mensibus. Ejus hæredes tenenturne, inviti societatem persequi cum Servio, aut si velint eam persequi, Servius teneturne, invitus, eam facere continuam?

RESPONSIO.

Ut fiat satis quæsito proposito, tria sunt ponenda dicta certa.

Primum: societas contrahitur consensu omnium sociorum, qui se eligere & gratos habere mutuo debent. *Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus*, ait Justinianus (e), & hanc ob causam dicitur fraternitas (f): *Cum societas jus quodammodo fraternitatis habeat*, habet Lex.

Secundum, sequela primi, est, secundum Leges, hæredes sociorum non sunt socii, *quamvis hæres socius non fit*, habet alia Lex (g) *nec heres socii succedit*, habet alia Lex (h): quam ob causam societatem ad tempus præfinitum contractam finit mors alterius socii; ut habet eadem Lex (i).

(e) Lib. 3. Instit. tit. 23. de obligat. ex consensu.
(f) L. Verum 63. parag. In hæredem. 8. ff. pro socio lib. 17. tit. 2.
(g) L. Eadem parag. 8.
(h) L. Actione 65. parag. 9. ff. eod. tit.
(i) L. cit. parag. 9. Item L. 52. parag. 9. ff. eod. tit.

Tertium denique, conventione clara, qua inter socios conveniret ut societas fieret continua post mortem cum hæredibus, non tenentur stricte nec socii superstites, nec hæredes defuncti ad persequendam societatem. *Adeo morte socii solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus, ut hæres etiam succedat societati.* Hæc verba legis (k).

(k) L. Adeo. 59. ff. eod. tit. Item L. Nemo. 35. ib.

Ex his tribus dictis facilis est conclusio. Hæredes Galerii non censentur societate conjuncti cum Servio, vi conventionis inter Galerium & ipsum pactæ; & penes ipsos est societatem non inire; & Servius non tenetur eos adsciscere, etiamsi postularent, ita ut societas nequeat continua esse inter Servium & ipsos sine novo consensu mutuo.

CASUS XXX.

Eutropius & Valentinus contraxerunt societatem, lege. 1. Ut Eutropius 10000. libras sit collaturus ad sortem & Valentinus sit solum adhibiturus industriam, curas, & operas. 2. Ut pericula & expensæ sint futura communia inter se, & participaturi sunt lucrum & damnum pro æqua portione.

Eutropius, ignarus commercii quod habet Valentinus, & timens ne amittat 10000. libras, petit postea a Valentino ut sibi salvas eas præstet; & ei simul pollicetur, in mercedem periculi quod suscipiet, tres partes lucri spe habendi, pro duabus partibus solum, quas perciperet, si periculum non subiret, quod Valentinus gratum habet.

Tandem Eutropius, qui spe lucraturus est decem pro centum hoc pacto, proponit emptionem quæstus incerti, admodum verisimilis, minore pretio certo & præfinito, nempe, quinque pro centum quo contentus erit, nec tenebitur Valentinus edere rationes, nec procedere ad inquisitionem expensarum in societatis commodum factarum, neque lucri alias dividendi, quod etiam placet Valentino. Ita ut Eutropius, his variis conventionibus, sibi salvas habeat 10000. libras, & 500. libras lucrum in singulos annos quocumque successu Societatis: & Valentino, qui nullam contulit pecuniam ad Societatem, erit verisimile lucrum 15. aut 20. pro centum. Hoc potestne esse sine usura?

RESPONSIO.

En re quod dicitur tres contractus, ad unicum redacti qui pervulgati sunt apud Casuistas, & quorum iniquitatem damnavit Sixtus V. quadragesima quinta Bulla 21. Octobris 1486. (l), cujus hæc verba. „Reprobamus & damnamus quoscumque contractus, conventiones, & pacta in posterum ineunda, quibus cavebitur sors præcipua iis, qui tradiderint, nomine Societatis; pecuniam, animalia, quodcumque detrimentum aut damnum contingat; & quibus pollicebitur in singulos menses, aut annos, certam summam solvendam, durante Societate. Mandamus hujusmodi contractus conventiones & pacta censeri fœneratitia & illicita, & stricte interdicimus, quibuscumque hujusmodi Societates his conditionibus in posterum contrahendas, quæ usuræ injustitiam redolent„. *Hujusmodi mali contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latius serpat .... tollere cupientes, de attributæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus, & reprobamus omnes & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu per quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res Societatis nomine tradentibus; ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum a Socio recipiente restituatur; sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durante Societate, respondeatur. Statuimusque ut hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios & illicitas posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in Societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci & concordare; neque etiam, sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, Socios qui ea recipient, ad sortem, seu capitale salvum & integrum ubi illud fortuito casu perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare, ac ne de cetero Societa-*

(l) Sixt. V. in Bulla Detestabilis 45. §. 1.

tes

tes ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districte interdicimus, & prohibemus.

En verba Summi hujus Pontificis, qui generatim, & fine exceptione, aut distinctione dicens fœneratitia omnia pacta, & conventiones, quibus cavetur sortem salvam fore tradentibus pecuniam aliis, aut quidvis aliud, nomine societatis, damnat ex consecutione evidenti, & necessaria, quoscumque, salvam præstantes secundo contractu sortem præcipuam iis, quicum Societatem iniverunt. Et quidem hic Contractus secundus, & tertius labefactant penitus primum; quum nulla unquam sit Societas legitima, qua Socii non participent juxta damnum, atque lucrum, ut dicit Sixtus V. Unde sequitur, quum Eutropius integras servet 10000. libras, præter quæstum quinque pro centum, quodcumque Valentino obveniat damnum; manifestum esse, eum hoc non percipere lucrum ullo Societatis jure; quum nulla sit vera inter eos; sed solum vi mutui Valentino commissi, nomine specioso Societatis; ut apparet ex his Sylvii verbis (a): *Qui enim sic uni tradit mille aureos, & eidem pro illorum assecuratione numerat quinquaginta; paciscitur que de lucro sexaginta: quid aliud faciat, quam mutuare mille, quinquaginta ut recipiat... ille sexaginta?*

(a) Fr. Sylvius 2. 2. q. 78. art. 2. conclus. 1.

Bullæ Sixti V. adjungimus Bullam S. Pii V. 19. Januarii 1569. (b) & 79. in Magno Bullario, qua hic Sanctus Pontifex occupavit uno verbo omnia falsa acumina patrocinantium tribus contractibus. Nam sic mentem aperit: Nullas dicimus omnes conventiones, quæ directe, aut indirecte imponunt casus fortuitos iis, quibus natura contractus non incumbunt: *Conventiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus*. Tribus autem Contractibus conferens pecuniam imponit casus fortuitos recipienti, qui ex contractus natura iis non tenetur. Ergo hæc Bulla damnat aperte secundum ex tribus contractibus.

(b) S. Pius V. in Bulla Cum onus §. 4.

Juxta doctrinam ab his Sixti V. & S. Pii Constitutionibus statutam, inclyta Facultas Theologiæ Parisiensis in censura famosæ Apologiæ Casuistarum, & in censura, edita an. 1664. Libri, qui inscribitur, *Amadeus Garmenius*, (nomen suppositititum) damnavit hanc propositionem: Si contractui Societatis apponatur contractus, quo sors cavetur, & venditionis lucri incerti pro lucro certo; vi trium horum contractuum, licet exigere lucrum certum cum cautione sortis præcipuæ, & hanc dicit propositionem falsam, scandalosam ducentem ad fœnus, & varias aperientem vias illud colorandi, & violandi justitiam, & charitatem: *Doctrina harum propositionum falsa est, scandalosa, inducens ad usuras committendas, variasque aperit artes eas palliandi, justitiam, & charitatem violandi, & a sacra Facultate jam damnata*. Hæc sunt censuræ verba. Auctoritatibus adeo fortibus, & venerandis non putamus addendos permultos Theologos, quorum verba recensere in promptu esset.

Observare interest nonnullos Casuistas, sententiæ contrariæ patronos, ut Majorem, Sylvestrum, Navarrum, Cajetanum, Bonacinam, pluresque alios, arbitratos esse, Bullam Sixti V. non dicere cautionem sortis præcipuæ, & commoda stipulata, usuram juri naturali, & divino contrariam; & solum has conventiones declarare suspectas usuræ. Unde concludunt, non habendos esse duos posteriores contractus, tanquam prohibitos a jure Ecclesiastico, in locis tantum, in quibus hæc Bulla promulgata fuit, & usu recepta, quum vero hoc in Gallia non factum, nequit ligare pœna peccati.

Ut hoc falsum argumentum evertatur, & demonstretur hunc Pontificem eos contractus dixisse contrarios juri naturali, & divino, ipsa sunt legenda solum verba ejus: nam indicant aperte committere eos fraudem, & dolum, quo Dæmon irretit avidissime inhiantes divitiis terrestribus, & inducit hac via ad usuram committendam, odiosam Deo, & hominibus, a Sacris Canonibus damnatam, & charitati Christianæ adversam: *Irretit enim*, inquit hic summ. Pontifex, *versute & callide antiquus humani generis hostis per varios dolos, & fallacias; & incautos homines quæstus dulcedine captos, & delinitos opprimit; atque eo perducit, ut seipsos in usurarum voraginem, Deo, hominibusque odiosam, sacris Canonibus damnatam, & Christianæ charitati contrariam, fœde emergant; & dum vanas, & terrenas divitias quærunt, veras ac cœlestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audivimus, hoc malum in quasdam Provincias pervasisse. Nam multi speciosum, & honestum Societatis nomen suis fœneratitiis contractibus prætexendo hoc quasi colore, & fuco mercatoribus, opificibus, & aliis personis... pecunias suas, aut alias res Societatis nomine conferunt, &c.* Ex verbis ita certis, & urgentibus nequit ullum superesse dubium, quominus usura, quam hic Pontifex prohibet Constitutione, damnetur jure naturali & divino.

Addimus hanc Bullam damnare, dicere fœneratorias quascumque conventiones, & pacta, quibus alter Socius sibi cavet salvam fore sortem præcipuam cum fœnoribus, nec ullum subit periculum. Sive ergo salva sit unico Societatis contractu, aut aliis conventionibus appositis, adest usura, ut docet S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi I. & ejus exemplum secutus inclytus conventus Cleri Gallici, Meloduni habitus, & Concilium Burdigalense an. 1583 Juxta atque S. Antoninus, Florentinus Archiepiscopus, Cardinalis Caietanus, Dominicus Sotus, & Azorius, quibus suffragatur Sylvius, jam alibi laudati omnes. Et re sin hoc esset, sequeretur nullam fore usuram, nam facillime vitaretur, tradendo Mercatori pecuniam, quicum conveniret de cautione sortis, & certi lucri præfiniti, sine inquisitione lucri, aut damni: & hoc colore crasso tribueretur usuræ fœdissimæ nomen speciosum Societatis.

Casuistæ trium contractuum Patroni ulterius progressi sunt. Nam confugerunt ad Leges Civiles, ut infringerent Leges Dei, & Ecclesiæ. En secundum ratiocinium: *Lex si non fuerit* (c) habet, posse cavere pacto salvam fore sortem præcipuam in Societate, & fructum percipere, nec participare damnum. Sed eorum ratiocinium directe, væ illis, opponitur eidem Legi, cui inniti volunt. Sic enim habet: *Ita coiri Societatem posse, ut nullius partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit. Cassius putat, quod ita damnum valebit, ut & Sabinus scribit, si tanti sit opera, quanti damnum est. Plerumque enim tanta est industria Socii, ut plus Societati conferat, quam pecunia; id est, si Socius naviget solus, si solus peregrinetur, pericula subeat solus*. Hæc verba illustris Jurisconsulti Ulpiani ad hanc Legem, in quibus tantum abest, ut sors possit licite fieri salva pacto in Societate, ut contra excludat quodcumque hujusmodi pactum; quum declaret contrahi unico in casu, in quo industria Socii æque pretiosa, ac jactura summæ ab altero collatæ ad Societatem: cum reipsa industria Socii plus quandoque Societati conferat, quam pecunia alterius. Inde patet ex mente Legis non posse in quibuscumqpe Societatibus salvam esse sortem pacto; sed solum in ea Societate, in qua lucro & damno communibus, industria unius est utilior, aut saltem æque pretiosa, ac pecunia alterius: quo in casu non æquum est, ut eam adhibens industriam, quæ locum sortis habet, participet periculum pecuniæ alterius: quia si hoc esset, prævaleret periculum quæstus in Societate, licet uterque idem contulisset pretium, ex hypothesi; ita ut, dicta affigiendo casui, de quo in quæsito proposito agitur, Valentinus periclitaretur tres partes in Societate cum Eutropio contracta, scilicet, industriam, operas, & curas, insuperque partem sortis Eutropii, quam ei salvam præstitit, & cujus periculum suscepit, dum Eutropius nihil periclitaretur: quod penitus aboleret æqualitatem, in qua sita est natura justitiæ, necessario observandæ inter Socios in Societate Legitima.

(c) L. Si non fuerint 29. §. 1. pro socio lib. 17. tit. 2.

Sic Lex objecta vult, ut lucrum e Societate perceptum semper æquivaleat periculo; ac proinde qui

qui nullum subit periculum, nullum percipiat quæstum.

Hi Auctores tertium objiciunt argumentum, deductum *a simili*. Hoc est: Industria quandoque plus confert quam pecunia alterius; pecunia item sæpe pretiosior est industria. Ergo ut in primo casu, potest percipi quæstus sine periculo pecuniæ ab altero ocio collatæ, ita percipi potest ex pecunia collata sine ullo damno, quum industria est pretiosa, & modicum periculum subeundum.

Hæc objectio solidi nihil babet. Nam ut ei fiat satis, dicendum est pecuniam natura esse sterilem, nec ullum ex se ferre fructum, cum sola utentis industria eam faciat fœcundam. Quapropter conferens tantum pecuniam ad Societatem, percipit quæstum, subiens sortis periculum: Cum hoc periculum sit pretio æstimandum, æquum est, ut plus, vel minus accipiat pro ratione periculi, ut docet Sanctus Thomas (*a*). Similiter quando diximus, adhibenti solum industriam licere quæstum percipere, etiamsi non subeat periculum sortis ejus, qui pecuniam contulit, quum industria justa, atque pecunia Sociis est pretiosa, verum esse, quia periclitatur industriam, curas & operas; Si commercii exitus non sit felix, & damnum sit ferendum. Nam quum periclitetur industriam, & operam, quæ æqualis, aut pluris pretii sunt pecunia, quam Socius ad Societatem contulit, convenit, ut sibi non majus, & Socio soli sit periculum sortis, e qua nullo in casu licet ullum accipere quæstum; quamcumque mercedem concedat, ut removeat periculum pecuniæ, cum solo periculi nomine ipsi liceat percipere.

Perpendamus quartum argumentum, cui innituntur Patroni trium contractuum, qui id depromunt e Decretali ab Innocentio III. ad Archiepisc. & Archidiaconum Genuensem scripto (*b*), in quo hic Pontifex, consultus de dote, quæ non erat in tuto penes maritum, quia erat pauper, respondet satis habendam cautionem, quam maritus præstabit, aut saltem tradendam summam in manus Mercatoris, nomine Societatis, ut maritus percipiat lucrum honestum, quo possit matrimonii onera ferre. Hic autem Pontifex, inquiunt, non sic respondisset, si putasset non fuisse licitum sortem dotis præcipuam salvam præstare; quum abduceretur e manibus mariti, quia non erat in tuto; cui incommodo obviare nequibat, quam supponendo Mercatorem suscepturum hujus summæ periculum, & intermedio tempore soluturum fœnus æquum, & honestum, compensando se quæstu, quem Societas pareret. *Mandamus*, ait Innocentius III. *quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest cautione præstari; vel saltem alicui mercatori committi; ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii sustentare*.

Respondemus hoc Decretale nullo patrocinari modo cautioni sortis præcipuæ ad Societatem collatæ. Nam dicit tantum credendam esse in Societate Mercatori summam dotis, ut maritus percipiat lucrum honestum, quo possit hac via matrimonii ferre onera. Quæstus autem non esset legitimus, si fœneratorius esset; profecto esset usurarius, si Mercator summæ ad Societatem collatæ periculum susciperet, quum repugnet naturæ Societatis, ut alter Socius caveat sibi salvam fore sortem, & interim quæstum accipiat talis contractus, quum sit mutuum per speciem Societatis coloratum, e quo nequit absque usura percipi ullum fœnus, aut lucrum. Quod probavimus auctoritatibus extra omne dubium positis.

Dicendum est igitur Innocentium III. ne verbum quidem de sortis cautione efferentem, sic loqui, supponendo, tanquam verum, sortem hujus dotis longe magis fore in tuto in manibus Mercatoris nulla re indigenti, quam mariti egeni, qui verisimillime nequidem vadem solvendo, & legitimum habere ad præstandam salvam summam apud eum relictam; quum usu frequentiori pauper consumat pecuniam, cujus Dominus est, quam Mercator, nullius rei indigens, amittat eam commercio, & prudentiæ sit e duobus incommodis minus eligere, Sic interpretatur Panormitanus hoc Decretale (*c*): *Respondeo*, inquit hic Professor Duacensis, *non voluisse* (Innocentium III.) *ut dos assecuraretur, præsertim per eumdem illum Mercatorem, qui eum susciperet ad negotiandum: sed ejus intentio fuit, ut committeretur mercatori ad negotiationem, unde verisimiliter speraretur lucrum, quod ad onera matrimonii sustentanda valeret: neque refert, quod hoc fuisset exponere dotem periculo. quia cum maritus esset delapidator, dos erat securior apud mercatorem, negotiis, atque adeo periculis quidem, sed simul etiam lucris exposita, quam apud ejusmodi maritum*. Addere juvat tenuitatem trium contractuum nondum ævo Innocentii III. nec Sancti Thomæ fuisse effictam.

Denipue huic fusæ decisioni finem imponimus discussione alius objectionis, opponendæ ad probandum cautionem sortis esse licitam in societate. Desumitur ex collatione contractus societatis cum commodato, aut deposito. Licet, inquiunt, cavere sibi salvam fore sortem in duobus posterioribus contractibus, ut apparet ex Jure (*d*). Cur non liceret in contractu societatis?

Respondeo collationem non esse parem, sicque consecutionem deductam non esse legitimam: ratio est, quia, uti dicimus alibi, non est natura commodati, aut depositi, ut commodans, aut deponens rem, semper teneatur tanquam Dominus hujus rei: quapropter potest convenire cum suscipiente, ut sit periculum subiturus: sed contra hujusmodi pactum actus evertit naturam societatis, ut alibi probavimus, ubi aliis argumentis interseruimus legem, quæ habet (*e*): contractum societatis præ se ferre fraternitatem: *Cum societas jus quoddam fraternitatis habeat*. Unde sequitur, quum sors fratrum exigat, & justia velit, ut non possint inter se dividere parentis hæreditatem sine ferendis pro æqua portione oneribus: socii non contrahunt instar fratrum, nec observant æqualitatem justitiæ, quum alter cavet sibi salvam fore sortem præcipuam, & tamen participat lucrum sine participandis periculis societatis; hujusmodi contractu differente a *mutuo* nomine tantum. Hoc est ratiocinium Sancti Antonini (*f*), quem jam laudavimus ad aliam difficultatem huic accedentem (*g*).

Vide MUTUUM, USURA.

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5.

(*b*) Inn. III. in c. per vestras 7. de donat inter virum & uxorem lib. 4. t. 20.

(*c*) Panorm. in cit. c. per vestras.

(*d*) In c. Cum gratia, unico de commodato lib. 3. tit. 15. in c. Bona fides fin. de deposito cod. lib. t. 16.

(*e*) L. Verum 63. ff. pro socio.

(*f*) S. Anton. 2. par. summæ theol. tit. 1. 8. c. 9. 37.

(*g*) Jo. Azor. inst. moral. l. 9. par. 3. c. 3. q. 6. &c. 4. & 5. De Gan. th. mor. t. 1. tr. 4. c. 14 Colloq. Lucon. to. 2. colloq. 10. q. 3. Colloq Petrocori. to. 5. colloq. 6 q. 1. De Sainte Beuve tom. 3. cas. 195. & to. 6. cas. 131.

SOLLICITATOR. *Vide L.* 15.

SOLVERE.

SOLVERE, juxta sensum naturalem, sibi vult tradere alicui, quæ illi debentur; sive ob mutuum, emptionem, mercedem, aut aliter.

Quemadmodum debita differunt natura, cum alia sint privilegio donata, alia pignoratitia, & alia simplicia, vel chyrographaria; ita sunt variæ regulæ observandæ in solutione pendenda, ut solutio sit certa, nec periculum adsit solvendi bis idem. Quod exponemus in aliis Titulis, & præsertim DEBITI JURARE & PROMISSI, quos consulere est necesse, ut bene concipiatur hoc argumentum.

CA-

CASUS PRIMUS.

LANDRADUS cum dedisset legitimam auctoritatem scriptam recuperandarum plurium summarum sibi debitarum, & irritam fecisset suam auctoritatem scriptam uno post mense; Gratianus tamen ea usus recepit 300. libras, quas Joannes debebat Landrado. Joannes nihil-ne debet amplius Landrado, & quidem in foro conscientiæ?

R e s p o n s.

Joannes male solvit Gratiano 300. libras, si innotuerit ipsi rescissio auctoritatis scriptæ a Landrado facta: & hoc in casu eam non solvit summam solutione quam Gratiano præstitit. Contra vero si ignoraverit hanc rescissionem, & bona fide solverit Gratiano 300. libras cognitas, sciens Gratianum esse Landradi Procuratorem, ex eo quod eum auctoritate scripta legitima instructum videret, sine rescissione adjuncta, censetur re solvisse Landradum ipsum, & nihil ei debet amplius, tum in foro conscientiæ, cum in foro exteriori: adeo ut sibi tribuat quod Joanni debitori cognoscendam non dederit rescissionem auctoritatis scriptæ, quam Gratiano præbuerat, cui summam non præstitisset commonitus. Quod facile probatur his legis verbis (a) *Sed & si quis mandaverit, ut Titio solvam, deinde vetuerit eum accipere: si ignorans prohibitum eum accipere, solvam liberabor: sed si sciero, non liberabor*. En aliam legem, quæ eandem definit difficultatem his verbis (b): *Si Titium omnibus negotiis meis præposuero, deinde vetuero eum ignorantibus debitoribus administrare; debitores, ei solvendo, liberabuntur. Nam is qui omnibus negotiis suis aliquem præponit, intelligitur etiam debitoribus mandare, ut procuratori solvant.*

(a) L. Vero. 12. §. 2. de solutionib. & liberat. l.46.t.3.

(b) L. Qui hominem 34. §. 3. eod. tit.

CASUS II.

ANDREAS debet Titio 1. Summam 500. librarum, mutuo datarum, quarum chirographum scripsit, 2. 400. libras, Mævio vade. 500. libras, quas salvas præstitit pigneratis ædibus. 4. Alias 900. libras, fœnus parientes, vi sententiæ quam in eum dici curavit. Omnibus his summis abeuntibus ad 1800. libras: Andreas Titio solvit deducendas 900. libras, quod nulli summæ privatim addictum fuit; postea Tito fœnora 400. librarum dictarum exacturo Andreas solvere non vult, dicens 900. libras jam solutas, deducendas de tota summa debita debere primum addici dictæ summæ 550. librarum, pigneratis ædibus præstitarum. Contra Titius contendit suum esse 900. libras affigere, quibus volet summis, & primum summæ 600. librarum, quam præstat salvam, solum ejus Chirographum. Titio nonne est jus?

R e s p o n s.

Titio non est jus. Nam quando debitor varias debet creditori suo summas, ipsius est in arbitrio solvere quas vult summas, nec & creditori est jus solutionem abnuendi, modo sit integra. *Quoties quis debitor pluribus causis unum debitum solvit*, habet lex (c): *est in arbitrio solventis dicere quid potius debitum voluerit solutum, & quod dixerit, id erit solutum: Possumus enim certam legem dicere ei, quod solvimus*. Et debitor, præstans pecuniæ summam indistincte, & deducendam de pluribus, quas debet, quod solvit potest dicere solutam, quam volet summam, & eodem modo quo Creditor, debitoris locum habens, rem ageret suam, qui procul dubio debitor, vellet solutas eas esse summas, quæ majori sunt oneri; id est, solvere primum summas fœnus parientes aut pigneratitias. Hoc æquitati naturali videtur consentaneum; sic etiam decidit eadem lex jam allata, quæ subjungit (d): *Quoties vero non dicimus id, quod solutum sit, in arbitrio est accipientis, cui potius debito acceptum ferat: dummodo in id constituat solutum, in quod ipse si deberet, esset soluturus, quoque debito se exoneraturus esset si deberet*. Sic habet lex, istam rationem subjungens, æquitatis esset ut creditor debitoris rem, ut suam agat. *Æquissimum enim visum est, creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret*, Quod firmat alia lex his verbis: (e) *Hæc res efficiet, ut in duriorem causam semper videatur* (creditor) *sibi debere accepto ferre: ita enim & in suo constitueret nomine*. Addimus tandem tertiam legem, quæ idem habet (f): *In his vero qui præsenti die debentur constat, quotiens indistincte quid solvitur, in graviorem causam videri solutum*, Sic Ulpianus loquitur in hac lege.

(c) L. Quoties. 1. ff. de solutionibus & liberat.

(d) Leg. ult. §. 2.

(e) Leg. Cæterum. 5. ff. eod. tit.

(f) Leg. in his 5. ff. eod. tit.

Concludimus igitur Andream affigere 900. libras, quas Titio solvit, deducendo summæ 500. librarum, pigneratis ædibus acceptarum, & 400. librarum de quibus fœnus dabat prius præstito fœnore cujus dies exiit, addictio cum fiat sorti fœnus parienti, postquam solutum est, ut habent complures leges in margine notatæ (g).

(g) Leg. In his e.r. §. 2. Leg Titia, 48. ff eod. tit. Leg. In cui. §. 21. ff. ut in possessione legatorum, vel fideicom. causa esse liceat. Leg. Cum & sortis 35. ff de pignoratitia actione, vel contra.

(DEBITUM.)
Vide (HYPOTHECA.)
(RESTITUTIO.)

S O M N I U M.

SOMNIUM, inquit Richelet, est motus vis imaginandi, quæ dormientis in sensibus exprimit formam rei efficta conformem: & hoc vestigium quandoque est adeo impressum, ut homo, quamvis somno obrutus, terreatur, juxta hoc Jobi verbum (h): *Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties*: ut distincta efferat verba, & respondeat interrogantibus: ut cachinnetur, aut ira percitus loquatur; aut e lecto surgat aliquid exterius facturus: ut fertur de quodam Stoico, nomine Theon, quem memorat Aristoteles (i), & Dupleix post eum (K) in tractatu de vigilia, & somno. Novimus, & noscimus etiamnum hujusmodi homines plures.

(h) Job VIII. 14.

Historia præbet exemplum mirum vestigii vividi quod imprimunt somnia in vi imaginandi. Afer quidam, nomine Cessellius, cum somniasset, alto pressus somno se invenisse, ingentem auri infecti vim in specu prope Carthaginem, ita persuasum habuit esse verum, ut migraret Romam, moniturus Neronem, qui misit triremes in Africam ut auferrent hujus Thesauri umbram. Sed tandem Cessellius, assidua reputatione, accepit merum esse somnium, & fame mortem sibi conscivit ne morte plecteretur tanquam impostor ab hoc sævo Imperatore.

(i) Aristot. de somno, & vigilia c.2. Cœlius Rhodiginus l. 30. lection. antiq. c. 4.

(k) Dupleix pag. 87.

Plerumque somniorum causa est noster habitus corporis; Inde voluptati deditus somniare solet quæ voluptate afficiunt; violentus vindictam: atra bile percitus tragica: Poeta poesin, & avarus opes.

Quandoque oriuntur ab objectis, quibus vis imaginandi vehementer affecta fuit interdiu: animæ dormienti cum liceat fingere solum chimæras, & deliramenta.

Ortum etiam ducunt a Dæmonis malitia, malos ob fines quos fingit.

Non diffitemur quorumdam auctorem esse Deum; qui patefecit quibusdam in occasionibus mysteria, & voluntatem hominibus: ut ostendemus in sequentibus Jacobi, Josephi, plurimorumque aliorum somniantium exemplis.

Pleraque somnia (exceptis inspiratis a Deo) sunt tot ideæ vanæ, & inanes, quibus nequaquam est credendum. *Ubi multa somnia, plurimæ sunt vanitates*: inquit Sapiens (*a*) quæque inducunt in errorem eos, qui fidem adhibent. *Multos enim* (*b*) *errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis* Ideo Propheta Jeremias iis attendere vetat (*c*): *Ne attendatis ad somnia vestra, quæ somniatis*: & Scriptura accenset impietatibus Regis Manassis fidem, quam adhibebat somniis: *Observabat somnia* (*d*). Deus quandoque permittit somnia comprobari experientia. Et ideo Socrates, Nero, Galba, Caracalla, Domitianus, Gensericus, Constans, & Aristodamus somniarunt diem mortis, si Dupleix fides (*e*); & Mauricius somniavit sibi mortem illaturum militem, quod re evenit. Valerius Maximus (*f*), Herodotus (*g*) aliique Historici plura alia afferunt exempla. Vespasianus in Achaja somniavit dormiens se fore felicem, quando Neroni excidisset dens: quod factum est promotione sua ad imperium aliquanto post, ut recenset Goeffreau (*h*). Videre est alia hujusmodi exempla apud Ciceronem (*i*), & complures alios, quos referre non juvat.

(*a*) Eccl. V. 6.
(*b*) Eccl. XXXIV. 7.
(*c*) Jerem. XXIX. 8.
(*d*) 2. Paral. XXVIII.
(*e*) Dupleix de somniis. pag. 202.
(*g*) Valer. Max. l. 1. cap. 7.
(*h*) Goeffreau lib. 7. Hist. Rom. vita Vespasiani.
(*i*) Cicer. l. 2. de divinat. n. 57. Maxim. 9. l. 1. c. 8. &c.

CASUS PRIMUS.

Marsilius, cum accepisset variis somniis præteritis nonnulla sibi evenisse, postea addit aliis suis somniis fidem; & studet, eorum interpretatione, certos prævidere eventus, quos timet aut desiderat. Religio ipsi fuit incussa; & dictum est eum peccare graviter; hanc divinationis speciem esse vanam & noxiam. Quærit num hoc sit verum?

RESPONS.

Ut decidatur hæc difficultas, supponendum est quadruplicia esse somnia diversa, quorum quædam sunt bona, alia vero mala.

Quorumdam Auctor est Deus, qui quandoque Angelorum ministerio patefacit quædam hominibus: *Spiritualis autem causa*, inquit S. Thomas, (*K*), *est quandoque quidem a Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus revelat in somniis*. Quibus somniis proinde adhiberi fidem, eaque sequi necesse est, quando sancte constat Deum esse eorum Auctorem: quod cognoscendum dat evidenter lumine interiori, quo illustrat mentem ejus, qui est in usu.

(*k*) S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 6. in corp.

Hujusmodi somnia memorat Liber Numerorum (*l*), in quo dicit Deus: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini: in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Et de quibus loquitur Jobus, dicens (*m*): *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor inter homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit* (Deus) *aures virorum: & erudiens eos instituit disciplina*. Scriptura nobis plura suppeditat exempla. Nam Patriarcha Josephus cognovit in somniis (*n*), fore ut ipse præemineret fratribus suis: Deus eadem via revelavit Nabuchodonosori casum futurum, prout Daniel ipsi declaravit (*o*). Tres Magi eadem sunt moniti via ne redirent ad Herodem, viso & adorato Jesu Christo Bethlehem (*p*). Sanctus Josephus Beatæ Virginis sponsus accepit etiam in somnio sibi fugiendum esse quamocyus in Ægyptum (*q*). Tacemus plura alia exempla, totidem argumenta hujus veritatis indubitata.

(*l*) Numer. XII. 6.
(*m*) Job XXXIII. 15. & 16.
(*n*) Genesc. XXXVII. 5.
(*o*) Dan. II. 1. & seq.
(*p*) Matth. II. 12.
(*q*) Ibid. 13.

Alia somnia mere naturalia ortum ducunt ab habitu corporis somniantis; & hanc ob causam, ut observat S. Thomas, ea attenduntur in ægris, ut melius sit judicium de eorum dispositione; iis, quibus bilis prævaleat aliis humoribus, objiciuntur frequentissime certa somnia, quæ fere nunquam phlegmaticis obversantur. *Quandoque vero*, adjungit S. Thomas, *causa intrinseca somniorum est corporalis; nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conveniens tali dispositioni: sicut homini, in quo abundant frigidi humores occurrunt in somniis, quod sit vel in aqua, vel nive: & propter hæc Medici dicunt intendendum esse somniis ad cognoscendum interiores dispositiones*.

Aliorum causa ordinaria est, studia, cogitationes, & desideria, in mente versata interdiu, & sæpius repetita in vi imaginandi per somnum varias pariunt species: *Interiorum autem somniorum causa est duplex*, sic pergit Angelicus Doctor, *una quidem animalis, in quantum scilicet occurrunt homini phantasia in dormiendo, quæ ejus cogitatio & affectio fuit immoderata in vigilando*. Quapropter Sapiens dicit ingentes curas sequi somnia (*r*) *multas curas sequuntur somnia*.

(*r*) Eccl. V. 2.

Alia tandem nascuntur malitia & dolo Dæmonis: *Quandoque vero operatione aliqua phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura revelant his, qui cum eis habent pacta illicita*: quod hic generis humani hostis exequitur incredibili facilitate: *Ingerunt* (dæmones) *nobis cogitationes & somnia*, inquit S. Augustinus (*s*), *atque id fit mira facilitate*. De hujusmodi somniis verba facit Scriptura, (*t*) quæ dicit somnia & fallacia visa multos induxisse in errorem, *multos enim errare fecerunt somnia, exciderunt sperantes in illis*. Quam quidem ob causam Deus vetuerat populo suo fidem adhibere auguribus, somniaque observare (*u*). *Non augurabimini, nec observabitis somnia*. Et alibi (*x*): *nec inveniatur in te, qui.... observet somnia*.

(*s*) S. August. Epist. 9. alias 116. num. 3.
(*t*) Eccl. XXXIV. 7.
(*u*) Levitic. XIX. 26.
(*x*) Deuter. XVIII. 10.

Hoc posito, videtur causis somniorum adeo æquivocis, & incertis erga nos, adeo diversis in se & multiplicibus non facilis adhibenda esse fides; quia difficillime vera dignoscitur. Nam quandoque Dæmon in somnio pollicetur opus & res prosperas terrestres inhiantibus earum usui. Quandoque aliis minatur res adversas, & infortunia; constanti animo irretiendi homines diversis objectis quæ offert variis partibus, quibus novit infirmos. Hoc docet S. Gregorius Magnus dicens (*y*): *Cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto, & ex impulsu veniant, facilius non elucet, sæpe namque malignus spiritus his, quos amore vitæ præsentis vigilantes intercipit, prospera etiam dormientibus promittit: & quos formidare adversa considerat, eis hæc durius somnii imaginibus intentat: quatenus indirectam mentem diversa qualitate afficiat: eumque, aut spe sublevans, aut deprimens timore confundat*.

(*y*) S. Greg. lib. 8. moral. in cap. VII. Job c. 13.

Non est mirum, si malus spiritus ita agat cum vulgo hominum; quum, ut dicit idem San. Pontifex (z), studeat omnibus viribus corda Sanctorum movere, ut facilius decipiat. *Sæpe autem etiam Sanctorum corda afficere somniis nititur, ut ab intentione cogitationis solida ad tempus saltem, momentumque deriventur: quamvis ipsi protinus animum ab illusio-*

(*z*) Idem ib.

illusionis imaginatione discutiant; sed hostis insidians quos vigilantes minime superat, eos dormientes gravius impugnat. Hæc verba Patris illius, quibus patet aperte, Dæmone causa somniorum frequentissima, hominem ut plurimum addici superstitioni noxiæ, quum ei fides est, cognoscendos intendit per ea eventus fortuitos, ad quos natura non referuntur. Hoc dicit S. Thomas (a): *Si autem hujusmodi divinatio* (per somnia) *caussetur ex revelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa; quia ad hoc invocantur, vel tacita; quia hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere: erit divinatio illicita superstitiosa.*

(a) S. Thom. cit. art. 6. in corp.

Merito igitur divinatio somniorum generatim prohibetur, non solum locis Scripturæ allatis, sed & pluribus Conciliis, præsertim Ancyrano, Parisiensi, & Mediolanensi. Ancyranum Concilium an. 314. habitum (b) perhibet, interprete Isidoro, nomine *Mercatore* aut *Peccatore*, observantes somnia & auguria pœnitentiam acturos per quinquennium. *Qui auguria, vel auspicia, sive somnia, sive divinationes quaslibet, secundum morem Gentilium, observant.... Confessi, quinquennio pœnitentiam agant secundum regulas antiquitus constitutas.* Parisiense, hujus nominis VI. an. 829. coactum (c) sic habet: *extant & alia perniciosissima mala, quæ ex ritu Gentilium remansisse dubium non est, ut sunt... somniatorum conjectores, quos divina lex irretractabiliter puniri jubet.* Mediolanense hujus nominis I. a Sancto Carolo an. 1565. habitum (d) mandat Episcopis Provinciæ ut amoveant & puniant quascumque divinationes, sive inspectis ineamentis corporis, sive somniis, aut aliter eductas: *Omnem divinationem ex aere, aqua, terra, ex inanimatis, ex unguium, & lineamentorum corporis inspectione, ex sortibus, somniis, mortuis, aliisque rebus, quibus per Dæmonum significationem incerta pro certis affirmantur ... & hujus generis reliqua, per quæ curiosorum & imperitorum hominum mentes facile decipiuntur; coerceant, & ejiciant.*

(b) Concil. Ancyranum can. 23.

(c) Conc. Parif. VI. lib. 3. c. 2. de diversorum parriciboribus.

(d) Concil. Mediolan. I. part. 1. tit. 10. de Magicis artibus, &c.

Concludamus igitur, responsuri ad casum peculiarem propositum de Marsilio, hunc qui serio intendit cognoscere, & prævidere casus fortuitos, bonos aut malos somniis, se adstringere superstitiosæ divinationi, vanæ & noxiæ, Scriptura, Concili, & Patribus damnatæ (e).

(e) Colloq. Lucon. to. 1. Coll. 5. q. 2. Coll. Petroc. to. 4. colloq. 5. q. 1.

CASUS II.

LACTANTIUS, semper castissimus somniat sæpe pudicitiæ contraria, & imaginatur in altissimo somno turpissima patrare. Nonne peccatum, saltem veniale, admittit?

RESPONSIO.

Constat, ut in decisione proxima animadversum (f), Dæmonem esse plerorumque auctorem malorum somniorum menti impressorum noctu; verum æque elucet ejus malitiam & effectus malos, quos in nostra vi imaginandi, nostroque corpore, gignit, nunquam ex se nocere: *Cum visis corporalibus Diabolus fallit*, inquit S. Augustinus (g), *nihil obest, si judificet animam spirituali visione imaginibus corporum, ut putet corpus esse quod non est, nec aliquid obest animæ.* Hoc restringit iste Pater ad nullo consentientes modo; ideo adjungit proxime hæc verba: *Si perniciosæ persuasioni non consentiat.*

(f) Exstat in Lexico.

(g) S. Aug. de Genes. ad lit.

Certum est enim hominem, qui consensit ejus causæ & modo nocenti, nec ante somnum sincere resipuit, esse reum; quum quicumque vult causam censetur velle effectum quem parit, ex consensu omnium Theologorum.

Dicimus, *modo nocenti*, nam facile insurgunt pessima somnia, causa voluntaria; innocenti tamen orta; exempli gratia, Medico, Chirurgo, Casuistæ, Confessario, qui legissent libros, aut habuissent sermones, unice intervenientes propriæ eruditioni; aut sanationi corporis vel animæ proximi quo in casu hæc somnia, aut impuritates corporales, per somnum noctis sequentis impressa, non sunt ipsis vitio vertenda, quia causa non est noxia.

Vide SUPERSTITIO.

SORTILEGUS.

SORTILEGUS dicitur is, qui de potestate Dæmonis persuasus, studet aliquid operari artibus Diabolicis, utens fascinis & Sortilegiis: qua in re videre est Delrio in *disquisitionibus magicis*: & Bodinum in *Dæmonomania*, in qua fusus & doctus est sermo de Sortilegis.

Criminis Sortilegii & magicæ artis execratio est tanta ut Deus velit ut iis dediti exscindantur tanquam vita indigni: *Omnia enim hæc abominatur Dominus: & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo* (h).

(h) Deuter. XVIII. 12.

Famosissimus Sortilegus, aut Magus, cujus meminerunt Actus Apostolici (i), est incantator Simon, ex urbe Gytta oriundus, qui Romæ se exhibebat in aera sublatum, currui igneo insidentem, instar avis volantem, qui pro lubitu obrutum effugiebat: qui in aere homines specie vivos fingebat: qui flammas trajiciebat, illæsus qui bifrons videbatur, ut alter Janus; prout testatur Auctor Constitutionum Apostolicarum (K), & Arnobius (l) quique tandem tot prodigia exercebat adeo mira, *arte Dæmonis*, ut Senatus Romanus eum in album suorum retulerit Deorum.

(i) Act. VIII. 9.

(K) L. 2. & 6. constit. Apost. c. 6.

(l) L. 2. ad versus Gentiles.

Quovis ævo exstiterunt istiusmodi homines; nam ubique adeo corrupti sunt ut deserant Deum, dedituri totos impetui affectuum suorum, quique digni sunt quos Deus tradat servituti & malitiæ Dæmonis: ii fuerunt primo Gentiles Ephesii, qui, oratione S. Pauli conversi, tradiderunt omnes libros sortilegii & magices, quo nomine eos insigniunt Venerandus Beda, & Oecumenius, ut palam igni subjicerentur, ut re consumpti fuerunt jubente eodem Apostolo (m).

(m) Act. XIX. 19.

CASUS PRIMUS.

IDACIUS, junior Parochus, audit confitentem Parochianum, qui declarat se exercuisse 15. vel 20. vicibus Sortilegium & Magicen intra annum, eumque precatur, ut interroget de toto hoc argumento; quia nescit scite loqui. Quid faciendum Idacio qui neminem unquam audivit hujus criminis reum, & quæstiones ipsi proponendæ?

RESPONSIO.

1. In primis huic Parocho sciendum est, vocem Sorti-

Sortilegium esse vocem universalissima, plures Sortilegii & magices complectentem species, quas omnes includit hæc definitio a S. Bonaventura concepta; *Sortilegium est divinatio per sortes*, (*a*) Et alibi. *Divinatio est superstitiosa investigatio præscientiæ futurorum*. (*b*) Hinc, secundum eundem Sanctum Doctorem *Sortilegus est, qui sub nomine strictæ Religionis, divinationis scientiam profitetur, vel ex inspectione aliquarum Scripturarum prædicit futura*: Quod ex S. Isidoro Hispalensi excerpsit (*c*), in Canone Decreti Gratiani laudato (*d*), qui idem dicit, & ferme iisdem verbis.

2. Has diversas species esse 1. Astrologiam Judiciariam, qua quis, Dæmone seductus, in animum imperitæ multitudinis inducere studet, & factum, id est, prosperam aut adversam fortunam, curriculum vitæ, & varios eventus faustos aut infaustos, ejus comites, unice pendere a siderum vi felici aut infelici. 2. Necromantiam, *quæ est divinatio facta in cadaveribus mortuorum*, sic loquitur S. Bonaventura (*e*), a Necron, *quod est mortuus*, Montia *divinatio*. 3. Geomantiam *quæ est divinatio facta in terra*, inquit Doctor Seraphicus. 4. Hydromantiam, *quæ est divinatio facta in aqua*, dicit idem Doctor. 5. Aeromantiam, *quæ est divinatio facta in aere*. Idem S. loquitur, prout in sequentibus 6. Pyromantiam, *quæ est divinatio facta in igne*.

(*a*) S. Bonav. in opusculo De centiloquio, seu Breviloquio Theologiæ t. 6. Pag. 203. col. 1.
(*b*) Idem in centiloquio 1. p. sect. 29. t. 6.
(*c*) S. Isidor. l. 8. Etymol. c. 9.
(*d*) Idem in can. Sortilegi 2. 26. q. 1.
(*e*) S. Bonav. cit. sect. 29.

3. Maleficium, factum quibusdam ligaminibus, ut noceat proximo, quod describit S. Bonaventura his verbis: *Maleficium est peritia, per quam mulieres faciunt aliquas ligaturas in damnum vel incommodum alicujus*. Et hoc maleficium aliis exercetur artibus.

4. Insuper *Sortilegium*, proprie dictum, quod nihil aliud est, juxta vim vocum ipsarum, quam *ratio divinandi per sortes*: continuo laudamus S. Bonaventuram, qui subjungit: *Usus tamen divinationis fuit in Testamento. Sorte etiam usi sunt Apostoli ante Spiritus Sancti plenitudinem*.

5. Alias etiam esse divinationes præcipuas, distincte exprimit is Sanctus Cardinalis his verbis: *Est quæ exta vel intestina pecudum inspicit: est quæ in aris idolorum a dæmonibus responsa accipit ..... est quæ omnia observat*, Augurium, sic dictum *ex garritu avium*. Fascinum, aut præstigias, quo evocantur falsa objecta & quædam alia.

6. Tucio denique sciendum omnem divinationem esse nocentem, complectique pactum expressum, aut saltem tacitum cum Dæmone: *Est autem omnis divinatio, deceptio, & delusio Diabolica; ideo maledicta a Deo, & ab Ecclesia interdicta*, inquit S. Bonaventura, *nec potest ea ex voluntario commercio quisquam uti sine peccato*. En rationem quam apponit: *Aut enim est ibi peccatum infidelitatis, dum aliquid Divinum Diabolo attribuitur, quod deest: aut est peccatum idololatriæ, utpote in oblationibus & sacrificiis, aut est peccatum inobedientiæ, quia fit contra prohibitionem Dei & Ecclesiæ*.

Verbis hujus Sancti addamus horrorem, quam Deus populo testatus est suo ob hujusmodi crimina: quod legere est in Exodo (*f*) Levitico (*g*), & in Deuteronomio (*h*), in quibus se esse deleturum, in eorum introitu in Terram promissam, Canaanæos, Amorrhæos, aliosque populos infideles ob abominationes, quas patrabant, consulentes Hariolos, sortilegos, & incantatores, quorum crimina jam tum morte erant plectenda, ut postea mandarunt Leges Imperatorum Romanorum tum Ethnicorum, cum Christianorum, tandem permultæ Leges Ecclesiasticæ, id est Canones & Concilia, quæ recensere longius foret; & quorum quædam videnda in Decreto Gratiani, districte admodum interdicunt hanc artem Diabolicam, ut prohibuerunt plures Reges Christianissimi pluribus Edictis, quorum amplissimum, & sapientissimum fuit Edictum Ludovici Magni editum Versaliis mense Julio an. 1682.

(*f*) Exod. XXII. 18.
(*g*) Levit. XIX. 31 &c. XX. 6. & 27.
(*h*) Deuter. XVIII. 9. & seq.

His veritatibus positis, & Idacio iis persuaso, ut par est, primo compellere debet Pœnitentem, ut rusticum, ut designet singulare peccatum quod arguit, & quoad poterit circumstantias declaret. Secundo debet ipsum rogare 1. Num contraxerit pactum expressum ac ore prius cum Dæmone, quoad hoc pactum, quam in re situm sit; quem in finem, quo modo, quibus cum circumstantiis, ad quod tempus & quibus conditionibus, tam a se, quam a Dæmone: num hoc pactum contineat blasphemiam, impietatem aut hæresim, & postea compellere ut illud infringat, lacerans instrumentum in quo scriptum est, ejurans Dæmonem, & rediens ad Deum sincera pœnitentia. 2. Num usus fuerit ad crimen, quod arguit, admittendum; quænam sint, quis exitus, & potissimum num aliquod contigerit damnum proximo sive in ejus vita, valetudine aut bonis. 3. Quibus intulit hoc damnum, & qua ratione effecit. 4. Num interfuerit cœtui aliorum Sortilegorum quid fecerit & quod actum sit contra Deum, Religionem, Ecclesiam, Proximum, aut Castitatem. En quæ exigenda a charitate, prudentia, & diligentia hujus Parochi junioris, cui postea incumbendum omnibus viribus ut hovem errantem ad Deum adducat & illum acriter moneat quam gravia sint ejus peccata, & quanti intersit ut resarciat ea diuturna & rigida pœnitentia.

CASUS II.

Flavianus, captivus, postulatur sortilegii. Indicia in eum sunt 1. in depositione correorum, 2. in translatione e domo sua in cœtum sortilegorum, qui solet dici *Sabbatum*; In eo quod figura unguis impressa in quadam corporis parte videtur, quæ sensu caret.

Mauricius 1. Judex hujus rei, & inscius quæ sententia sit dicenda, quærit 1. Num constet dari hodie veros Sortilegos: quod admodum incertum judicat; quum nonnulla, inquiunt, Galliæ Parlamenta neminem unquam damnatum distincte ob casum Sortilegii, a maleficio secreti. 2. An duo Flaviani correi sint testes admittendi in eum. 3. An posito quod sint testes admittendi & interim, sufficiant in hoc crimine, ut damnetur reus. 4. Num translatio e loco in locum sit indicium Sortilegii certum. 5. An signum unguis, impressum brachio aut alii corporis parti eamque sensus expertem sit argumentum, aut saltem semiplena probatio sortilegii?

Respons.

1. Negari nequit dari Sortilegos, quum Scriptura eorum meminerit aperte variis in locis (*i*), & permulta Concilia, tum vetera, cum recentiora eos damnant, & in aliis Nicænum Generale I. Sancto Sylvestro habitum initio IV. sæculi (*k*) Laodicenum (*l*) vetustius adhuc. Narbonense (*m*) an. 589. coactum Pelagio II. quod mandat ut Sortilegi fustibus cædantur palam, & veneant postea instar mancipiorum, & pretium eorum pauperibus erogetur. Quibus addendum Tullense II. an. 860. Tousi hujus Diœcesis oppido habitum, ut indicat Epistola hujus Concilii ab Hincmaro scripta (*n*). Posteriora Galliæ Concilia de iis verba faciunt (*o*), Rhemense an. 1583. Burdigalense eodem anno, Turonense eodem etiam anno, & Bituricense anno proximo collecta, quatuor illa a Pontifice Gregorio XIII. probata. Quomodo igitur diceretur hodie non dari Sortilegos; quum singulis diebus dominicis excommunicentur etiamnum in oratione ad populum in Evangelium inter Missam Parœcialem, ex mandato ab omnibus Episcopis præscripto in Ritualibus, juxta Concilia tum vetera, cum recentiora.

2. Dicimus correos Flaviani cum eo ejusdem criminis accusatos admitti non posse testes in eum de translatione ipsius e domo sua in locum qui supponitur esse Sabbatum. Quod probatur verbis veteris Canonis in Decreto Gratiani allati (*p*), quo patet eas translationes dictas meras esse. Dæmonis fraudes, quibus nulla est fides adhibenda. En locum, licet prolixum, dignum tamen qui totus excerpatur. *Illud etiam non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres, retro post satanam conversæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur se nocturnis horis cum Diana, Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam*

(*i*) Exod. XII. 18. &c. IX. 11. Deut. XVIII. 2. Paralipom. XXXIII. 6. Jerem. XXVII. 9. Dan. II. 2. Malach. III. 5.
(*k*) Con. Nicæn. c. 20.
(*l*) Conc. Laodic. can. 36.
(*m*) Concil. Narbon. can. 14.
(*n*) Apud Philipp. Labbe Concil. Gen. to. 8 col. 716.
(*o*) Concil. Rhem. tit. 6. de sortilegiis &c. c. 6. Conc. Burdig. c. 3. Conc. Turon tit. de matr. Concil. Bituric. t. 40.
(*p*) Con. Episcopi 26. q. 5. §. 1. & 2.

quasdam bestias; & multarum terrarum spatia, intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus, velut Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinam hæ solæ in perfidia sua periissent, & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt ..... Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas, populo Dei omni instantia prædicare debent, ut noverint, hæc omnia falsa esse, & non a divino, sed a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari, si quidem ipse Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cum mentem cujuscumque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illico transformat se in diversarum species personarum atque similitudines, & mentem quam captivam tenet in somnis deludens, modo læta, modo trista, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quæque deducit; & cum solus spiritus hoc patitur; infidelis mens hoc non in animo, sed in corpore evenire opinatur.

Quamvis hic Canon re in nullo legatur Concilio Ancyrano, ut adnotant Correctores Romani, exstat tamen in opere vetustissimo (*a*), teste Patre Labbeo; & ejus auctoritati innixi sunt permulti Doctores inclyti, qui probant hujusmodi translationes ut plurimum esse Dæmonis fallacias. Illustrissimi Doctores sunt 1. Auctor libri, cujus titulus *de spiritu & anima*, qui sancti Augustini operibus interseritur, quique verissimillime est Alcheri, ut observarunt R.R. P.P. Benedictini (*b*), qui ferme ipsissima hujus veteris Canonis verba recenset, & sententiæ suffragatur. 2. Cardinalis sanctus Xistus, vulgo dictus *Joannes de Turrecremata* (*c*), qui defendit quoque translationes aliaque facta memorata esse totidem falsa, soli Dæmonis malitiæ innixa. *Omnia ista phantasmata a maligno spiritu Fidelium mentibus inferuntur, nec credendum est, quod ea quæ apparent in phantasia, in virtute corporali accidere.* 3. Joannes Salisberiensis, Joannes Baptista a Porta Alciatus, Camerarius, Ulricus Molitor, ac tres quatuorve, quos laudat Delrio (*d*), qui idem docent omnes, quamvis hic illustris Jesuita contrariam abeat in sententiam cum pluribus aliis quos laudat, quorumque nonnulli, quos procul dubio non legit, ut Cardinalis de *Turrecremata*, Sylvester Cajetanus (*e*), ei non faveant, primo dicente contrarium quod isti volunt, duobusque aliis dicentibus eam translationem, licet quandoque sit realis & corporalis, quod negare nolumus, quum Scriptura (*f*) nobis argumenta præbeat, plerumque tamen esse falsam & mendacem: quod sat est ad decisionem difficultatis in quæsito proposito relatæ.

(*a*) In libello sexdecim librorum partialium l. 6. c. 6. Apud Philip. Lab. t. 1. Concil. Gener. col. 2. 476.

(*b*) Alcherus lib. de spiritu & anima c. 28. apud S. Aug.

(*c*) Joan. de Turrecremata in can. Episcopi cit. n. 2. & 4.

(*d*) Joan. Salisber. lib. 2. Polic. reres c. 27. in fin. Joan. Bapt. a Porta l. 2. Magia naturalis. Philip. Camerarius extremo opere succisive c. 77. Alciat. lib. 8. Parerg. c. 22. Ulri. Molitor de Pythonissis mulier. c. 8. & alii apud Mart. Delrio disquis. Magic. l. 2. q. 16.

(*e*) Joan. de Turrecrem. loc. cit. Sylvester de Prierio v. *hæreses*. 3. q. 6. Cajet. 2. 2. q. 95. art. 3.

(*f*) Dan. XIV. 35. Math. IV. 5. & 8. Luc. IV. 5. & 9.

Existimamus igitur ex verbis Canonis allati & testimonio horum omnium Auctorum inferendum, hac traslatione ut plurimum falsa, & perraro reali ac corporali, correos Flaviani, ejusdem criminis accusatos, esse dicturos in eum falsum testimonium, aut saltem habendum esse illud tanquam dubium & incertum, quamvis id crederent verum & certum, ac proinde eorum testimonium non esse admittendum a Judice, sicque Mauricio, Flaviani Judici, ejus nullam esse habendam rationem, nisi ipsi sint alia indicia constantia.

3. Verum est duos testes integros, nec ejusdem criminis accusatos, testimonio dicturos translationem in Sabbatum & abominationes quæ peragi intenduntur, tanquam vera, realia & corporalia, non sufficere ad damnandum reum; sed qui sunt hoc testimonium dicturi, quum certe hæc omnia sint falsa, & malitia Dæmonis facta, ut jam demonstravimus; aut observentur per somnum sine ulla Dæmonis opera.

4. Translatio, non falsa, immo vera, realis & corporalis, e domo Flaviani in locum dicti Sabbati, in quo abominanda committuntur, esset argumentum sortilegii certum: sed Judex non esset damnaturus reum nisi sibi certa essent translationis veræ argumenta; & difficillime concipitur sibi fore indubitata. Nam etiamsi duo Flaviani correi assererent se illum vidisse in sabbato, eum edisse, bibisse & saltasse secum, eorum testimonium niteretur testimonio sensus corporei, id est visus: quod testimonium admittendum est posito 1. Organo hujus sensus bene affecto. 2. Medio, quo visa percipiuntur, non immutato a Dæmone. 3. Spatio legitimo inter visa & organum: Atqui persuasum est hoc organum sortilegi male affici præstigiis a Dæmone genitis in vi imaginandi quam adeo invertit, interturbat, evertit, ut altissimo obrutus somno Sortilegus præsentes habeat res a veris omnino aliena, & patet actu videre re nunquam visa. Sed etiamsi translatio in sabbatum foret realis, fatendum est Dæmonem fascinare, pro lubitu, oculos translatorum, & effingere eos, quos volet homines, eaque visa, quæ volet; quum se transmutet ipse in eas, quas vult, figuras, ad recipiendos homines, & illudendum eorum ignorantiæ & debilitati.

Sic ratiocinatur inclytus Doctor Germanus, qui olim profitebatur Jus Francofurti (*g*) in suis Dissertationibus legalibus.

5. Quoad figuram unguis impressam corpori & partem, cui hæc nota est apposita, sensus expertem, dicimus dari multiplicia signa natura impressa corpori, sine ulla Dæmonis opera, ac proinde hanc notam non esse argumentum certum, neque semiplenam probationem sortilegii. Et quidem nemo nescit matres, quarum prægnantium, vis imaginandi vehementer afficitur quodam viso, imprimere ut plurimum notam corporibus infantium. Pars corporis, cui hæc inest nota, sensus expers, non Theologis, sed Medicis est perpendenda. Quicquid dicendum habemus hac de re, est, experientia innotescere, corpora esse infirma, quorum quamdam partem natura destituat sensu sola infirmitatis caussa. Judici igitur hæc pars sensus expers non est habenda tanquam argumentum sortilegii constans; nisi præterea alia sint argumenta indubitata, hoc oriri ab opera Dæmonis: sed non putamus unquam hujusmodi argumenta haberi (*h*).

(*g*) Strykius in dissertationibus legalibus edit. an. 1664.

(*h*) De Sainte Beuve to. 5. cas. 171.

SPONSALIA.

SPONSALIA de futuro nihil aliud sunt quam promissio matrimonii futuri mutua, facta inter duos ad contrahendum habiles: *Sponsalia sunt futuri matrimonii mutua promissio acceptata inter personas habiles*. Est definitio Polmani (*i*).

Dicimus, *ad contrahendum habiles* id est, 1. Qui sint ætatis congruæ scilicet septem annorum ad minimum. 2. Qui, præter hanc ætatem usu rationis polleant sufficienti. 3. Quibus nullum sit impedimentum dirimens, aut non cessans sine immunitate, ut votum simplex castitatis aut Religionis. Alias inhabiles essent ad contrahenda valide sponsalia.

Sponsalia celebrantur inter puberes, aut impuberes absolute aut certis legibus, modo sint possibiles, licitæ & honestæ.

Ut matrimonium est penitus liberum, desponsatis convenire non licet de pœna pecuniaria, solvenda a negante contrahendum Leges canonicæ & civiles ex æquo damnant hujusmodi pacta ut libertati matrimonii adversa (*k*).

(*i*) Polman. breviar. Theolog. 3. part. n. 482.

(*k*) Greg. IX. in c. Gemma. 29. de sponsalibus.

Impuberibus, a suis parentibus desponsatis, pubertatem hoc est, filiabus duodecimum annum completum, & pueris quartum & decimum itidem perfectum assecutis, jus est refragandi suis sponsalibus; sed quando alteruter hanc nondum attigit ætatem, alteri expectandum donec fuerit eam consecutus impuber, antequam desistere possit, & tunc, quando ambo sunt puberes, alter potest, altero invito renunciare (a).

Quum impuber, & puber, vel duo impuberes, contrahunt verbis de præsenti, & *malitia*, id est, *congrediendi potestas*, *in eis non supplet ætatem*, eorum præsumpto matrimonio est vis verorum sponsalium, & parit impedimentum dirimens honestatis publicæ (b): quod nullo viget modo in matrimonio clandestino a Concilio Tridentino, nec in contracto cum consensu ficto, cum nunquam fiant sponsalia absque consensu vero (c).

Sponsalia, jure jurando confirmata, possunt dissolvi 1. consensu mutuo desponsatorum (d).

2. Nimia alterutrius absentia (e); hoc est, triennii absentia, juxta sententiam Glossæ.

3. Introitu alterutrius in Religionem (f).

4. Cooperatione in Ordinem sacrum (g).

5. Matrimonio, valide postea, licet illicite, contracto, cum alia persona (h).

6. Fornicatione alterutrius sequente, quo casu innocenti soli licet matrimonio renuntiare promissioni matrimonii factæ alteri (i).

7. Impedimento dirimente inter eos interveniente, scil. affinitatis exempli gratia, si alter crimen fornicationis admiserit cum cognato aut cognata alterius in primo aut secundo gradu.

8. Deformitate aut infirmitate insigni & diurna; scil. lepra, qua alteruter laborat (k). Idem dicendum quando magna supervenit mutatio sive in Religione, sive in honore, sive in bonis.

9. Simultate Capitali inter desponsatos interveniente (l).

Hæc sunt præcipua hujus argumenti effata, quæ pluribus explanabuntur verbis in sexaginta decisionibus sequentibus.

(a) Alex. III. in cap. *De illis.* 2. de despons. impuber. l. 4. tit. 2.
(b) Innoc. III. in c. *Tua nobis.* 14. eod. tit.
(c) Innoc. III. in c. *Tua nos duxit.* 26. de sponsal. &c. & matrimonii.
(d) Idem. in c. *Præterea.* 2. eod. tit. lib. 4. tit. 1.
(e) Alex. III. in c. *De illis.* 5. ibid.
(f) Alex. III. in cap. *commissum.* 16. ibid.
(g) Bonifac. VIII. in cap. *Quod votum.* unic. de voto in 6.
(h) Innoc III. in c. *Sicut ex* de spons. & matrim.
(i) Idem in c. *Quemadmodum.* 22 de jurejuran. lib. 2. tit. 24.
(k) Cit. c. *Quemadmodum.*
(l) Lucius III. in cap. *Requisivit,* 7. de spon.

CASUS PRIMUS.

ELOI, Theresiam, puellam, annum sextum cum sex mensibus agentem, desponsavit Josepho coætaneo. Hæc Sponsalia sunt ne valida, & potest-ne esse peccatum mortale in illis contrahendis ante hanc ætatem?

RESPONS.

Sponsalia, quæ, ut Nicolaus I. in Responso ad Bulgaros dicit (m), nihil aliud quam promissio mutua se conjungendi in matrimonium, data libere inter duos diversi sexus, non sunt valida ante septimum annum completum, sicut declarant Alexander III. & Innocentius III. in pluribus Decretalibus (n), quibus Leges concordant Romanæ (o).

Nihilominus si infantes septem annis minores superant judicium & cognitionem septennium, adeo ut sciant ipsi obligationem, quam contrahunt (quod in praxi admodum rarum) Sponsalia forent valida in foro interiori, sic dicit sanctus Thomas (p) dicens: *In sponsalibus etiam si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habent robur, quia secundum Philosophum in secundo Physicorum, quod parum deest, nihil deesse videtur. Hæc autem propinquitas a quibusdam determinatur tempus seu mensium, sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus, quam in aliis.* Et rursus (q) *Ante primum septennium nulli contractui homo aptus est, & ita nec in sponsalibus, sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittendum in futurum præcipue de his ad quæ ratio naturalis inclinat magis, non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non habet firmam voluntatem: & ideo possunt tali tempore contrahi sponsalia.* S. Antoninus (r) Covarruvias (s) Glossa (t) Cardinalis Hostiensis, Sylvester & plures alii idem docent; & revera si matrimonium in foro conscientiæ validum est ante pubertatem, hoc est, ante quartum & decimum annum completum in filiis, & duodecimum in filiabus, quum *malitia supplet ætatem*, prout dicunt Canonistæ, id est, quando illis est ante hoc tempus congrediendi potestas (u); potiori ratione Sponsalia valida sunt censenda, ubi primum infantes, ante tempus a Canonibus definitum contrahent, judicio, quo obligationis naturam sciant ipsi, pollent. Igitur juxta has regulas judicandum de validitate aut nullitate Sponsalium Josephi cum Theresia: adeo ut, juxta illas, nulla sint *ipso jure*, quum nondum septimum compleverint annum (x), nisi eo valeant quo quid contrahunt capiant, judicio. Hæc ad primum responsum.

Quoad secundam quæstionem, arbitramur peccatum esse mortale in contrahendis sponsalibus ante septennium completum, tum ab infantibus cum notitia sufficienti interdicti Ecclesiæ contrahentibus, cum a parentibus spondentibus: nam violatur Lex ejusdem Ecclesiæ in re momentosissima: *Districtius inhibemus*, ait Nicolaus Papa (y), *ne aliqui, quorum uterque vel alter ad ætatem, Legibus vel Canonibus determinatam, non pervenerit, conjungantur.* Et interdictum Ecclesiæ generale, circa matrimonium, & circa Sponsalia, cui patrocinatur usus ubique receptus, & natura innixus rationi, quæ approbationi sufficienti ineptis non permittit contractum. Attamen quia perraro infantes noscunt leges ab Ecclesia latas hanc in rem, & parentes urgenti necessitate tempus iisdem a legibus præscriptum præoccupant: hoc in casu non peccant lethaliter, ut hac probatur exceptione a Pontifice Nicolao adjuncta: *Nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, ut pote bono pacis, talis conjunctio toleretur.*

(m) Nicolaus I. in can. *Nostrates.* 1. 30. q. 5.
(n) Alex. III. in cap. *Litteras.* 4. in cap. *Accessit* 5. de despons. impuberum. l. 4. tit. 2. In c. ad *dissolvendum.* 11. eod. tit. & Innoc. III. in c. *ex parte.* 24. de restitut. spoliator. lib. 2. tit. 13.
(o) L. *Sponsalibus.* 14. ff. de sponsal.
(p) S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 7.
(q) Idem ibid. in Corp.
(r) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 17.
(s) Didacus Covar. a Leyva de spons. part. 2. c. 2.
(t) Gloss. in c. *Juvenis.* 3. de Sponsal.
(u) Isidor. in c. *Literas.* 3. de Sponsat. impub.
(x) Alex. III. in cap. *Literas.* 4. eod. tit.
(y) Nicolaus I. in c. *Ubi.* 2. eod. tit.

CASUS II.

BRIANDUS & Gabrielis uxor, Joannem puerum, sex annos cum quatuor mensibus natum, desponsaverunt Ludovicæ. Joannes tenetur-ne, usum rationis assecutus, quod parentes pro eo pacti sunt, ratum habere, aut potest-ne sine peccato sponsalibus repugnare.

RESPONS.

Cum, ut modo dictum, sponsalia, ante septennium pacta, *ipso jure* sint nulla, constat infantes ante hoc tempus a parentibus desponsatos, nulla ratione teneri ut illa habeant postea rata; hoc aperte declarat Alexander III. in multis Decretalibus in decisione præcedenti laudatis (z), & post eum

(z) Alex. III. in tit. c. *Literas.* 4. & in c. *Accessit.* 5. de despons. impub.

Boni-

Bonifacius VIII. in quadam Constitutione in sexto relata (*a*), quibus congruit Nicolaus I. dicens (*b*): *Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium. Ergo qui pueris dans puellas in cunabulis, & e converso, nil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis consentiat, etiamsi pater & mater hoc voluerint & fecerint.* Ratio est, quia, quamvis pater possit puerum despondere, ad matrimonium tamen cogere nequit. *Cum in matrimonio sit quædam quasi servitus perpetua*, ait Sanctus Thomas (*c*) *non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis.*

(*a*) Bonifac. VIII. in cap. *si infantes*. eod. tit. in 6.
(*b*) Nicolaus I. in can. Ubi non. 30. q. 2.
(*c*) S. Thom. in 4. dist. 29. art. 4.

Sed si hic filius, prudentem consecutus ætatem, habeat quod a patre pactum ratum, tenetur executione, & ad id sufficit ratihabitio tacita, modo absit metus; eo enim in casu viget hæc Juris regula (*d*) *Qui tacet, consentire videtur.* Hoc effatum certum in casu qui tacentis utilitatem spectat, nec, ubi contradicendum pacto pro se, contradicit & silet, alias hic filius non obligatur nisi honestate & decoro; hæc est mens Decretalis in margine indicatæ (*e*). Ita ut pueri, a parentibus desponsati ante prudentem ætatem, obligantur solum contrahere matrimonium quum ad pubertatem venerint, nec ei retragentur quod parentes pro iis sunt pacti *Porro ex sponsalibus*, ait Bonifacius VIII. (*f*) *quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, aut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur .... & est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes, vel etiam ignorantes eadem Sponsalia post scientes, ratificaverint tacite vel expresse: alias ex sponsalibus pro contractis a parentibus pro filiis nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit.* Ex dictis patet, Joannem, prudentem consecutum ætatem, nec ratum quod parentes pro eo pacti sunt, sine ullo peccato posse effectui non dare.

(*d*) Reg. 43. de regul. juris in 6.
(*e*) Hormid. in cap. Tua. 1. de despons. impub. 6. tit. 2.
(*f*) Bonifac. VIII. in cap. *si infantes*. unic. de despons. impub. in 6.

CASUS III.

Joannes & Maria, septennium superantes, sed nondum congruo valentes rationis usu, a parentibus communibus desponsati sunt. Hæc Sponsalia sunt ne valida, cum hoc vitio?

Respons.

Hæc Sponsalia non sunt valida. Ratio est, quia non est plane judicandum de validitate Sponsalium ex contrahentium ætate minore vel majore, sed ex legitimo consensu. Quemadmodum igitur Sponsalia, licet ante septennium completum contracta sunt valida, cum contrahentibus sat rationis & judicii est ut quod faciunt, sciant & obligationem suam, ita sunt invalida, cum octavum complentibus annum, aut superantibus non est judicium, quo obligationem capiant suam.

Nostra nititur sententia auctoritate Sancti Thomæ (*g*), dicentis, perfectiorem requiri usum rationis ad contrahenda valide Sponsalia, quam ad peccatum mortale perpetrandum. Ratio quam affert est, quia in sponsalibus requiritur consensus in futurum, quod majus est consensu in actum præsentem. *Ad peccatum mortale*, ait, *sufficit etiam consensus præsens; sed in sponsalibus est consensus in futurum. Major autem discretionis ratio requiritur ad providendum in futurum, quam ad consentiendum in actum unum præsentem. Et ideo ante homo potest peccare mortaliter, quam possit se obligare ad aliquid in futurum.* Nemo autem asserere potest eum prius peccare lethaliter, quam usu rationis polleat. Igitur Sponsalia non possunt ante contrahi valide, quam perfectus adsit usus rationis.

(*g*) S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 2.

CASUS IV.

Vitellius & Fulvia, intra decimum & undecimum annum desponsati sunt. Fulvia, pubertatem assecuta, vult consensum datum sine ulla ratione revocare. Potest-ne absque peccato?

Respons.

Quamvis impuberes desponsati non possint se consensu in sponsalibus legitime contractis dato liberare, possunt tamen pubertatem assecuti. Idcirco Fulvia, duodecimum complens annum, potest consensum revocare, & a Judice Ecclesiastico sponsalium, quæ impuber contraxerat, dissolutionem obtinere.

Sic decidit Alexander III. in duobus Decretalibus, ad Episcopum Bathoniensem in Anglia missis (*h*); En verba primi. *De illis qui infra annos aptos matrimoniis sponsalia contrahunt, sive uterque sive alter reclamet antequam ad annos matrimonii aptos pervenerint, & postulent separare; non sunt ullatenus audiendi. Si vero alteruter istorum ad annos pubertatis pervenerit, infra eosdem annos altero existente, cum sponsalia contrahuntur; si is qui minoris ætatis est, cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari.* Sic se habet alterum hujus Pontificis Decretum: *Respondemus quod pro eo quod ante nubiles annos conjugalem consensum non habent, usque ad legitimam ætatem exspectare tenentur; & tunc aut confirmetur matrimonium, aut (si simul esse noluerint) separentur.* His summus Pontifex eam addit sapientem exceptionem: *Nisi carnalis commixtio ante intervenerit, cum interdum illa tempus anticipare soleat pubertatis.*

(*h*) Alex. III. in cap. De illis 7. de despons. impub. & in c. A nobis. 8. eod. tit.

Sanctus Thomas (*i*) idem docet, de sponsalibus puerorum a parentibus contractis, dicens his verbis. *Si ante annos pubertatis fiat contractus sponsalium per alium, ambo vel alter reclamare possunt; unde tunc nihil est actum ..... & ideo sponsalia quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad debitam ætatem venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire his quæ per alios facta sunt.*

(*i*) S. Thom. in 4. dist. 27. q. 4. art. 2. ad 2.

CASUS V.

Angelica, octennis, desponsata Bernardo, triennio post suum revocavit consensum; sed annos pubertatis consecuta non confirmavit retractationem. Nonne validus est, etiamsi non iteretur?

Respons.

Licet quidam Auctores autument retractationem ante annos pubertatis prolatam suum sortiri effectum simul ac holos annos attigerit quis, nec quicquam fecerit quo judicetur persistere in consensu; quia inquiunt, hæc retractatio in voluntate reponitur & censetur in ea perstare, hanc non putamus opinionem carere difficultate; nam invalidum fuisse constat hunc consensum ante pubertatem revocatum, jure eum nullum declarante in duobus Alexandri III. decretis in decisione præcedenti laudatis, & proinde abolere contractum aut consensum mutuum matrimonii non valet juxta Bonifacium VIII. dicentem in regulis Juris (*K*) *Utile per inutile non debet vitiari.* Hæc igitur retractatio nulla non modo obligationem mutuam Angelicæ & Bernardi destruere, sed & ullum post pubertatem sortiri effectum nequivit, si Angelica, hos annos consecuta, non firmaverit, juxta hanc Juris regulam: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit* (*l*); & aliam: *Non prostat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum* (*m*) Innovanda igitur hæc retractatio a puella ut stet post pubertatem, saltem tacite & ratione qua Bernardus eam immutato esse animo percipiat.

(*k*) Reg. 37. de reg. l. juris in 6.
(*l*) Ibidem. reg. 18.
(*m*) Ibidem. reg. 31.

CASUS VI.

Marcellus & Cæcilia, ambo undecim nati annos, a parentibus desponsati fuerunt, & jurejurando matrimonii consensum firmarunt. Potest-ne alter, annos pubertatis assecutus, consensum revocare.

Re-

Digitized by Google

RESPONS.

Hic consensus sine crimine non revocatur, ut declarat Alexander III. ad Episcopum Pictaviensem scribens (*a*), quem jubet corripere Ecclesiæ censuris impuberem, matrimonii ita juramento firmati consensum implere nolentem: *Quia igitur prædicto* (impuberi) *periculosum est contra suum juramentum venire*, ait hic Papa, *fraternitati tuæ mandamus quatenus, si hoc tibi constiterit, eum moneas; & si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis Censuris compellas, ut ipsam* (etiam impuberem) *nisi rationabilis caussa obstiterit, in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

(*a*) Alex. III. In cap. *Ex literis.* de Sponsal. & matrim.

Lucius III. temperavit severitatem Censurarum, iis sufficiendo simplicem exhortationem illo in casu, quia e matrimoniis coactis gravissima oriuntur incommoda. Hæc ejus verba (*b*): *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda* (mulier) *cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

(*b*) Lucius III. in cap. *Requisivit.* 17. eod. tit.

Objicitur: Juramentum idem est ac actus aut contractus, cui adjungitur, quoad vim obligandi, ut habet lex Codicis (*c*) *Quæ enim differentia est in hujusmodi exceptione*, ait hæc Lex, *sive jusjurandum positum est, sive non, sive in fœneratitiis cautionibus, quam in aliis instrumentis, quæ talem exceptionem recipit?* Contractus igitur impuberum præsumitur hac sola lege pactus: *Nisi factus pubes resilierim.* Jusjurandum igitur non est censendum alia lege præstitum, sed respondemus uno verbo cum Covarruvia, docto Segoviæ Episcopo (*d*), Jus aliud statuisse, & ejus instituto inhærendum.

(*c*) Leg. *Indubitati.* fin. Cod. de non numerata pecunia lib. 4. tit. 30.

(*d*) Didac. Covarr. a Leyva de Sponsal. part. 1. c. 5. §. 1.

CASUS VII.

PASCALIS & Agatha, intra decimum-octavum & vigesimum annum desponsati mutuo, tenentur-ne, pœna peccati mortalis, mutuum contrahendi matrimonii consensum adimplere, nullam causantes legitimam rationem?

RESPONS.

Priusquam fiat quæstioni propositæ satis, præsupponendum consensum, in sponsalibus ad obligandum datum, juxta jus, esse liberum, mutuum, & acceptatum, aliquo signo indicatum externo, & a paribus spondendo pactum: *Liberum*, quia obligat & sine consensu voluntatis obligare nequit: *Mutuum*, quia alias non esset contractus, quum nihil aliud quam *pactio duorum pluriumve in idem placitum consensus*; ut dicit Lex (*e*), & nemo censetur velle se Sponsione ligatum cum alio, nisi ipse se obliget, potissimum in actu oneroso & in matrimonio. *Acceptatum*, quia non alio animo censetur Sponsione obligari sua quam ea lege ut alter acceptet: *Aliquo signo declaratum exteriori*, quia non pateret satis alias ei cui spondetur. In hoc ista Sponsio differt a voto, intus concepto, absque ullo signo sensibili, Deo perfecte notis voventis corde & voluntate. Diximus, *juxta jus*, quia constat spondentem cum animo se obligandi, non obstante alterius, cui spondet, silentio, vere teneri, si alter sponsionem nondum revocatam acceptet, modo hic fidens perstet liber.

(*e*) Leg. *Hujus.* 1 §. 2. ff. de pactis.

Hoc posito, dicimus si in quæsito proposito, sponsalia fuerunt valida, & ab utroque bona fide contracta, Pascalem & Agatham teneri mutuo, ut, pœna peccati mortalis, contrahenda de facto promissum conficiant, cum, ut supponitur, nullam causantur rationem legitimam.

Hoc indubitanter probat non modo auctoritas Innocentii III. ad Episcopum Exoniensem scribentis (*f*), dicentis eos qui in matrimonium consenserunt *commonendos esse, & modis omnibus inducendos, ut præstitam fidem observent*; sed & strictius Alexandri III. auctoritas (*g*), qui privatum consensum in matrimonium jurejurando firmatum effectui dare nolentem, mandat Episcopo Pictaviensi, compellere excommunicatione, ut fidem præstitam & consensum sponsæ datum observet. En verba: *Mandamus, quatenus .... eum moneas; & si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis Censuris compellas, ut ipsam* (*nisi rationabilis caussa obstiterit*) *in uxorem recipiat.* Pœna autem excommunicationis nunquam infligitur nisi in peccatum mortale, *nonnisi pro mortali debet imponi crimen*; sic ait Concilium Meldense an. 845. habitum (*h*), huic concordat Glossa (*i*), in Decretali ab Innocentio III. ad Abbatem S. Genovevæ Parisiensis misso: Istud Ecclesia sapientissime statuit, cum nulla majori pœna affici possunt rei, ut patet verbis hujus Concilii: *anathema est æternæ mortis damnatio*: & idem observat S. Augustinus in Canone Decreti Gratiani laudatus (*K*) *Qua pœna*, ait, *in Ecclesia nulla major est*. Statuit igitur aperte alterum desponsatum non fallere fidem alteri sine peccato mortali. Revera hodierna Ecclesia non utitur hac terrenda Censura, in casu proposito, sed monita potius adhibet quam minas, juxta consilium Lucii III. (*l*) qui Alexandro III. successit, sed peccatum est mortale: ea mente severitati anteponit lenitatem ut a matrimonio invito & coacto graves amoveantur exitus, *cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere*. Hanc rationem affert hic ultimus Pontifex, innixus eximio S. Leonis effato (*m*) a Gratiano relato. *Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*

(*f*) Innoc. III. in cap. *Praeterea.* 2. de sponsal. & matrim.

(*g*) Alex. III. in cap. *Ex literis.* in eod. tit.

(*h*) Concil. Meld. in Can. *Nemo.* 41. 11. q. 6.

(*i*) Glossa in cap. *Ex parte.* 23. v. *Pio.* de verb. significatione.

(*k*) S. Aug. L. de corrept. & Gratia c. 15. in Can. *Corripiantur.* 17. 24. q. 3.

(*l*) Lucius III. in c. *Requisivit.* 17. de sponsal. & matrim.

(*m*) S. Leo Epist. 85. alias 87. in Can. *Principatus.* 25 1. q. 1.

Revera sponsalia sunt pactio a desponsatis facta in re maxima. Obligatio mutua ex ea promanans est igitur maxima, & propterea violatio iniqua non potest esse levis, cum destruit bonam fidem, violatque, justitiæ commutativæ adversatur, immo honori a Fidelibus Ecclesiæ & ejus Legibus præstando: hinc dicit Sanctus Augustinus (*n*), committentibus illud peccatum pœnitentia expiandum: *Si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita.*

(*n*) S. Aug. in c. *Duobus.* 1. de sponsa duorum l. 4. tit. 4.

Dicta hactenus confirmantur Decreto Concilii Eliberitani an. 305. habiti (*o*), quo jubetur ut ea mentita fides, dicta crimen grave, puniatur privatione communionis per tres annos. En verba: *Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione. Si tamen idem sponsus vel sponsa in illo gravi crimine non fuerint* (*p*) *deprehensi, excusati erunt parentes.*

(*o*) Concil. Eliberit. Can. 54. in Can. *Si quis.* unico 31. q. 3.

(*p*) Apud Yvoem & in originali abest negat. Correct. Rom. ad cit. Can.

Haud mirum ideo, Sanctum Thomam, Sanctum Antoninum, Paludanum, Dominicum Sotum, Silvestrum de Prierio, Covarruviam, Cardinalem Toletum (*q*), & innumeros Auctores eandem unanimes docuisse doctrinam. Non laudamus hic locos Paludani & aliorum, utpote consentaneos his Sancti Thomæ verbis: *Ex tali promissione* (sc. sponsalium) *obligatur unus alius ad matrimonium contrahendum; & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat.*

(*q*) S. Thom. in 4. dist. 27 q. 2. art. ad 2. S. Anton 3. part. Summ. Theol. tit. c. 18. §. 1. Fr. Sylvius in supplem. 3. par. Sum. S. Thom. q. 43. art. 1. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 7. c. 21. & 22. Sylvester. v. *Sponsalia.* Dom. Sotus in quartum Didac. Covar. de sponf. part. 1. c. 4. n. 3.

CASUS VIII.

HIERONYMUS Justinæ desponsatus fuit metu gravi, & viro constanti labefactando apto; immo coactus juramento consensum in matrimonium huic filiæ præstitum firmare, vocando Deum testem sinceritatis simulatæ. Hæc sponsalia suntne valida in foro interno conscientiæ?

RESPONS.

Theologi dissentiunt hac in difficultate. Quidam arbitrantur Sponsalia esse valida, quia quivis conscientia tenetur quodlibet servare jusjurandum cum potest absque peccato. Hieronymus autem in casu proposito sine peccato in Deum servare juramentum. Tenetur ergo ducendo Justinam.

Hi Theologi probant suam opinionem & rationem, innixi, auctoritate Alexandri III. in Decretali ad Archiepiscopum Senonensem scripto (*r*) dicentis circa juramentum metu gravissimo extortum: *Non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Huic addendum aliud Decretum (*f*) ejusdem Pontificis, literis ad Episcopum Vigiliarum in Apulia dicentis, eum qui juravit de solvendo fœnore, teneri ad ejus solutionem. *Debitores ad solvendas usuras, quibus se obligaverunt, cogi non debent. Si vero de ipsorum solutione juraverint, cogendi sunt* Domi-

(*r*) Alex. III. in cap. *Si vero* 8. de jurejurando, & ibi Glossa v. *Meruerunt.* lib. 2. tit. 24.

(*f*) Idem in cap. *Debitores.* 6. eod. tit.

„ Domino reddere juramentum. “ Sic effatur hic Papa, sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus & Covarruvias Segoviensis Episcopus (*a*) hanc defendunt opinionem.

(*a*) S. Anton. 2. p Sum. Th. t. 1. c. §. 1. Didac. Covarr. in 2 p. 5. n. 4.

Alii, & Dominicus Sotus (*b*), melius tuentur, ut videtur, contrariam sententiam, & probant Decreto Alexandri III. ad Vvigorniensem Episcopum inscripto (*c*), cui hic Pontifex declarat omnia quæ fiunt vi vel metu esse jure nulla. *Quæ metu & vi fiunt de jure debent in irritum revocari*. Hinc illi Auctores ea esse nulla, ut & juramentum, quo confirmata concludunt. Ac revera sunt irrita, quia matrimonium ipsum tali metu contractum est nullum, nec validum evadit pari metu perfectum. Hi Auctores sententiam tuentur voto Religionis solemni: nam certo votum hoc metu gravi susceptum est nullum, sic id Pontifex Alexander III. promulgat in alio Decreto (*d*). Votum Religionis solemne, inquiunt est æque præstans, ac jusjurandum: Igitur jus jurandum, pari metu præstitum, est nullum.

(*b*) Dom. Sotus in 4. d. 29. q. 1. a. 3. §. Ad de spon. c. 3. §. Illud deinde.
(*c*) Alex. III. in c. Abbas 2. de his quæ vi, metusve causa fiunt l. 1. t. 40.
(*d*) Idem in c. Prelatum 2. eod. t.

Ex comparatione, ab obligatione usurarum juramento solvendarum desumpta, dicendum Pontificem non compellere ad earum solutionem plane tanquam jurejurando debitarum, quum condemnat accipientes ad restitutionem perceptarum. “ Et „ cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas re„ stituendas sunt Ecclesiastica severitate, si neces„ se fuerit, compellendi “. Sed intenditur ut debitores eas solvant, non modo ad honorem Deo, in testem promissi vocato exhibendum, sed & ne videantur perjuria favere, & aliis juramento perfringendo præbeant occasionem, ita clare dicit idem Pontifex (*e*) cui innituntur Sanctus Antoninus & Covarruvias. “ Nec nos alicui dare materiam vo„ lumus veniendi contra juramentum proprium, „ ne auctores perjurii videamur. Hanc ob rem tutissimum putamus ut Episcopum adeat Hieronymus ut immunitatem a juramento obtineat.

(*e*) Alex. III. in c. Si vero.

CASUS IX.

Titia a parente desponsata Camillo, & assensa solo ejus admodum severo metu, vellet nunc non adimplere consensum. Potestne abstinere sine peccato, sola ratione illius metus?

Respons.

Licet forum externum non attendat ad metum reverentem, ut indicant plures Leges Romanæ (*f*) videtur tamen in foro conscientiæ ille sufficere ut purgetur Titia, potissimum ingens, ut ex quæsito proposito patet, quod exhibet parentem filiæ in eam sævientem, & filiam consensisse in sponsalia cum Camillo ad vitandam patris admodum sævitiam, qui metus metui gravi est affinis?

(*f*) L. Metum 5. & L. Nec timorem. 7. ff. quod metus causa testum erit l. 4. tit. 2.

Dictum confirmamus argumento, quo utitur Navarrus, (*g*) nempe, in fœminam major cadit metus propter debilitatem sexus, quam in virum, ac proinde minor metus sufficit ne adimpleat promissum. *Quia minor metus sufficit in fœmina*. Id ait Cov. (*h*) probans Glossa (*i*) dicente: *Minor tamen metus magis excusat fœminam quam virum*. Id etiam affirmant Panormitanus, Cardinalis Joannes Antonius a Sancto Georgio, vulgo nomine *Præpositi* laudati.

(*g*) Navarr. l. 1. Cons. de iis vi &c. Cons. 10. n. 3.
(*h*) Didac. Covarr. de matr. p. 2 c. 3. §. 4. n. 16.
(*i*) Gloss. in v. Cum locum 14. de sponsalib &c. v. Metus.

Navarrus aliud addit argumentum, exemplum liberti, de quo Lex (k), qui promittit patrono alicui, in damnum jacturam libertatis metu reverenti adductus, & dicit tale promissum non obligare, & esse tanquam nullum. Huic fundamento innititur alia Glossa (*l*) dicens, mulierem, quæ metu & reverentia mariti immodico alienavit & opignoravit rem suam, posse alienationem revocare: *Mulier, quæ rem suam vendidit, vel hypotecavit, si renuntiavit metu vel reverentia, revocare* (potest). Ratio Auctoris hujus Glossæ est quia non debet differre reverentiam immodicam a metu: *Reverentia nimia & metus, paria*.

(k) L. jusjurandum 1. §. 3. & 4. ff. quarum rerum actio non datur l. 44. t. 5.
(*l*) Glossa in leg. cit.

Noster juris Canonici peritus inde concludit, filiam inductam solo metu & reverentia nimia patris nec aliter, posse suum revocare consensum (*m*). „ „ Non omnis præsentia patris, quam constat ali„ quam reverentiam inducere in filium sufficit ad „ rescindendum vel annullandum actum, sed illa, „ ob quam fit, qui alioquin nullatenus fieret. Unde sequitur Titiam excusari, saltem in foro conscientiæ, si non adimpleat consensum, quia consensit in sponsalia inter se & Camillum contracta auctoritate patris sui, cui contumaciter resistere non est ausa, ob nimiam severitatem, & libera in ea non consensisset.

(*m*) Navarr. loc. cit. nu. 4.

CASUS X.

Ambrosio Paulæ desponsato coram sua Parocho & patentibus communibus; Paula, quæ non consensit interne sed externe; & postea non vult perficere matrimonio consensum fictum, sistit de sacramento pœnitentiæ. Quid agendum est hac in re Confessario quem adit?

Respons.

Constat ea sponsalia in foro conscientiæ esse nulla, in quo Deus intuetur internum & cor hominis, juxta hæc eximia Sancti Gregorii Magni verba (*n*): “ Humanæ aures verba nostra talia „ judicant, qualia foris sonant: divina vero ju„ dicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Idem asserit Innocent. III. in suo Decretali (*o*). Quum Paulæ non fuit animus se obligandi in matrimonium cum Ambrosio, & consensit in sponsalia exterius & ore tenus, non est dubium quin sint nulla, licet in foro exteriori, in quo judicium fertur de animo ex verbis, censeatur valida. Unde sequitur filiam non teneri plane, ut vi illorum sponsalium consensum impleat, contrahendo matrimonium cum eo cum quo non intendit se obligare; sed quia *ex causa potest una pars contractus tolli, alia remanente*, ut dicitur in Jure (*p*), tamen tenetur conscientia, ob fraudem & injuriam illatam Ambrosio, quem fefellit, aut scandalum quod pareret ejus negatio; aut si non possit induci, saltem tenetur cum eo convenire de justa compensatione si velit exigere, ita ut Confessarius Paulæ alterutri obligatione cedere nequeat. Hæc est sententia Sylvii (*q*); “ Ut „ sponsalia sint valida, *ait hic doctus Theologus*, „ promissio nuptiarum debet esse vera deliberata, „ signis exterioribus expressa, libera, mutua. Ve„ ra, quia promissio facta, qua quis simulate pro„ mittit, non habens vere animum promittendi; „ non est veri nominis promissio. Quamvis au„ tem ejusmodi simulator non obligetur vi spon„ salium, quæ nulla sunt, obligatur tamen ad „ contrahendum vel componendum cum persona „ cui illusit, tum propter injuriam ei factam, „ tum propter scandalum.

(*n*) S. Greg. in Can. Humanæ 13. 22. q. 5.
(*o*) Innoc. III. in c. Tua nos 26. de Sponsalib. & matrim.
(*p*) Argum. Legis si convenerit 56. c. 6. pactis l. 2. t. 14.
(*q*) Fr. Sylv. in suppl. S. Th. q. 13 a. 3. in f.

CASUS XI.

Victorius & Maria, quorum sors & fortuna ferme pares, desponsati sunt; sed consensus Victorii in matrimonium fuit fictus, nec ei alio animo datus quam ut facilius peccaret cum illa, sine ulla intendit eum perficiendi. Qua de re quæritur, num iste, corrupta acta hac filia, quæ in infamiam accessit per viciniam, conscientia omnino eam ducere teneatur, posito quod nolit justam damni compensationem?

Respons.

Ex dictis in responsione præcedenti constat Victorium non teneri ad matrimonium cum Maria, vi sponsalium cum ea contractorum, cum nulla sunt vitia veri consensus. Nihilominus plane tenetur ad id, quia stupravit eam, fidem matrimonii obtendens, & non modo eam seduxit, sed & infamiæ notam inussit & publico fuit scandalo: injuria solo matrimonio resarcienda, cum nullam aliam velit accipere compensationem minorem, revera injustæ ejus famæ labi detergendæ ineptam; ac sane nisi hoc esset, fraus verteret auctoris commodo: quod repugnat æquitati naturali & effato Juris ab Innocentio III. statuto (*r*), *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*. Quum igitur sors Victorii & Mariæ eadem, eorum fortuna ferme par, & Victorius nullam habeat legitimam rationem, quæ eum eximat a matrimonio cum Maria quam fefellit, illexit in stuprum & offendit crimine cum ea patrato, putamus nihil eum eximere ab ea ducenda in uxorem.

(*r*) Innoc. III. in c. Officii 12. de testam. &c. & in c. Cum dilectus 8. de religiosis &c. l. 3. t. 26. & 36.

CA-

CASUS XII.

Atilius, voto castitatis perpetuæ nuncupato, cum Juritta sponsalia contrahit & juramento consensum in matrimonium firmat. Teneturne illum perficere non obstante voto præmisso?

Respons.

Sanctus Antoninus, eamdem sibi objiciens difficultatem, ei respondet, dicens, voto præmisso sponsalia fieri non solum illicita, sed & invalida: *Si præcedit votum sponsalia*, ait hic Sanctus Archiepiscopus, *tunc impedit & dirimit etiam sponsalia de futuro jurata.* Ratio quam affert est, quia eo in casu jusjurandum est injustum & illicitum, cum juret facere contra votum & promissum Deo nuncupatum ... *Quia hoc casu juramentum est illicitum, cum juret facere contra id quod voverat.* Unde concludit ei, qui sic juravit, juramentum non esse servandum: *Unde non est observandum.* Hoc probat auctoritate Sancti Augustini (*a*), sic dicentis: *juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis ... seu cujuscumque criminis*: idem dicit Innoc. III. ad Regem Aragoniæ scribens (*b*):

Hæc est decisio Cælestini III. (*c*) qui, cuniultus simili de difficultate, respondet ne dum is homo possit eum consensum complete illudque juramentum servare, ut contra stricte teneatur votum fideliter solvere, & piacularem luere pœnam ut jusjurandum temerarium & injustum: *Cum simplex votum*, ait hic Pontifex, *apud Deum non minus obliget quam solemne, pro eo quod juravit temere, pœnitentiam agat, & votum quod Deo fecit studeat observare* (*d*).

Vide Fornicatio *cas.* Callistratus.

(*a*) S. Aug. in can. Inter 22. q. 4.

(*b*) Innoc. III. in c. Quia personam 18. de jurejurando.

(*c*) Cælestin. III. in c. Rursus 6. qui Clerici, vel vovientes matr. contrah. possunt lib. 4. 16.

(*d*) Joan. Cabass. jur. can. theor. & prax. lib. 3. c. 27. n. 10 & alii communiter cum Panormit. in cit c. Rursus 6. 3.

CASUS XIII.

Julianus, Ursulæ desponsatus, potestne conscientia emittere votum castitatis perpetuæ, ut sic abstineat a complendo consensu in matrimonium ipsi dato?

Respons.

Auctores admodum dissentiunt hac in difficultate, hi quidem negativam defendentes, illi vero affirmativam tuentes.

Priori innixi auctoritati Sancti Antonini (*e*), autumant votum simplex castitatis, sponsalia sequens, ea non impedire nec dissolvere; & sic illud nuncupantem votum nihilominus teneri ad complendum consensum, contrahendo matrimonium, aut ad id addicendum solemnibus Religionis institutis: *Aut sponsalia præcedunt votum*, ait Sanctus Antoninus, *& tunc votum non impedit vel dirimit sponsalia; sed eo casu cogi debet vel votum solemnizare, scilicet profitendo in Religione, & sic soluta essent sponsalia: vel sponsalia prosequi, id est, contrahere matrimonium.*

Horum Doctorum sententia innititur Decreto Alexandri III. (*f*) in quo hic Pontifex mandat ut pœnitentiam agat mulier, quæ vivente matrimonium cum viro sibi desponsato, emiserat votum castitatis simplex, & in casu fuit ut aliam duxerit; & hic Pontifex declarat hoc nuncupantem votum patrasse peccatum *de fide mentita*. Glossa addit istam mulierem, desponsato devinctam, ad matrimonium cogi posse, nisi jam duxisset aliam.

Patroni sententiæ affirmativæ, nempe votum posterius esse validum, & dirimere sponsalia præmissa, observant prudenter duas regulas a Sancto Antonino positas, ad solvendas ejusmodi difficultates, videri labefactantes sententiam nedum ut firment: nam votum est strictius sponsalibus. Et has regulas. *Prima regula est, quoties contrahuntur duo vincula æqualis potentiæ incompossibilia primum præjudicat secundo. Secunda regula est, si duo vincula disparis potentiæ incompossibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte.* Unde videtur concludendum contra id quod concludit Sanctus Antoninus

(*e*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 10. 5. 2. The Mor. Gratianopol. c. 4. p. 2. s. e. t. n. 5. Colleg. Lucon. tom. 9. collo. 4. q. 1. Colleg. Condom. tom. 2. colloqu. 14. p. 2. Navar. Manual. c. 22. n. 27. item Hostiensis, Innoc. & Joan. Andreas in c. Rursus 6. qui Cler. vel voventes &c. Barthol. Fumus in Armilla v. Matrimonium 6. a Joann. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 3. c. 27. n. 10 &c.

(*f*) Alex. III. in cit. c. Rursus.

id est, Julianum posse, in casu proposito, abstinere a complemento consensus in matrimonium cum Ursula, & debere votum persolvere suum, quippe obligatio, in Deum voto contracta, est strictior ea, quam contraxerat cum filia ista simplici consensu in matrimonium, vinculo fortiori debilius repellente, juxta regulam Sancti Antonini, & effatum ab Innocentio III. constitutum in pluribus Decretalibus (*g*).

Hanc secundam sententiam firmat consensus in matrimonium, qui semper censetur hac lege tacita datus: *Nisi Deus me ad sanctiorem vitæ statum vocaverit.* Extra controversiæ aleam est, cælibatum longe digniorem & sanctiorem matrimonio, sic definivit Concilium Tridentinum (*h*) his verbis: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum statui virginitatis vel cælibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.*

Auctoritas Sancti Thomæ (*i*) tanta est ut silentio non sit prætermittenda: Principiis hujus Doctoris, plures inclyti Theologi statuunt sententiam, quam amplectimur. Sic loquitur Sylvius (K): *eam majus sit vinculum voti, quam promissionis homini factæ, etiamsi juramento confirmetur, cumque in sponsalibus intelligatur.* Nisi contingat notabilis mutatio vitæ in melius, *post beatum Thom. q. 53. art. 1. ad primum ..... dicendum existimamus, quod votum simplex sponsalibus superveniens ea dirimit, ut proinde simul ac a ter id intellexerit, possit cum alio inire sponsalia.* His addit Theologus iste, devinctum tali voto, a sponsalibus emisso, non teneri ad matrimonium cum sibi desponsata, etiam si addiceret sententia juridica: *Si vovens trahatur in judiciam debet absolvi .... Quod si condemnaretur, non esset in conscientia obligatus parere.* Denique Auctor, melius veritatem suæ sententiæ firmaturus, respondet Decreto Alexandri III. contrariæ sententiæ fundamento, dicens, hunc Pontificem compellere ad pœnitentiam *pro fide mentita* mulierem, quæ voverat, solummodo quia votum nuncupatum fraude & mala fide, ut hoc nomine desponsatum non ducat, nec sincero intendat animo continentiam servare. Hoc aperte demonstrat immunitas ab hoc Pontifice concessa, ut nubat, non obstante voto, ob periculum incontinentiæ, *Sed cum Pontifex*, addit idem Theologus, *non solum pro fide sponsa mentita, sed etiam pro voto violato jubeat imponi pœnitentiam; secundum est quod votum emiserat, eo tantum fine, ut non cogeretur illi sponso copulari, cum interim non esset ad continentiam plene resoluta. Unde, quia periculum erat fornicationis; dispensatum est ut matrimonium posset inire.*

Alii Sancti Thomæ Commentatores eamdem habent doctrinam ac Sylvius, & præsertim Paludanus, Richardus, Sotus, Major, & Cajetanus (*l*).

Objicitur in hanc difficultatem. Non licet, quod potest nuncupari votum, cujus complementum nocet proximo, & tale votum esset votum iniquitatis. Sed respondendum votum castitatis perpetuæ, ab altero desponsato emissum, non esse injustum, & alteri non esse justum querendi ansam, &c. Quia, ut diximus post Sylvium, sponsionem matrimonium alteri, censetur semper spondere hac lege tacita: *Nisi Deus me ad sanctiorem vitæ statum vocaverit*: alioquin dicendum foret, contra decisionem Ecclesiæ (*m*), conjugato non licere matrimonium, invito sponso, relinquere, profitendo votum Religionis solemne, ante completum matrimonium. Dicendum ergo est, cum matrimonium ipsum contrahatur sola hac lege tacita, & hanc ob causam Ecclesia bimestre concedat tempus ad deliberandum de optione Religionis (*n*) potiori ratione eamdem le em subintelligi utrinque in contractu sponsalium, ac proinde Ursulæ non esse quærendi causam quod Julianus desponsatus voto suo reliquerit matrimonium, & statum vitæ perfectiorem & sanctiorem elegerit, cum in eo simul fecerit, quam quod ipsa facere potarat.

(*g*) Innoc. III. in c. Veruntamen de convers. conjugat. l. 3. tit. 32. in cap. Veniens 122 de sponsal. & matrim. & in cap. Sicut. 22. eodem tit.

(*h*) Conc. Trid. sess. 24. de matr. can. 10.

(*i*) Supplem. S. Thom. quæ 53. art. 1. ad 1. idem in 4. d. 38. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1.

(K) Fr. Sylv. in suppl. cit. art. 1. Et apud eum Ricard. & Dominicus Sotus.

(*l*) Petr. Pal. in 4. dist. 38. q. 3. art. 2. Ric. de Med. dist. 38. dist. 27 a. 1. q. 3. Dom. Sotus in dist. 4. c. 3. q. Ver. Joannes Major. dist. 38. q. 3. Card. Cajetanus v. Votum c. 4.

(*m*) Alexand. III. in c. Verum 2. de convers. conjugat. lib. 3. tit. 32.

(*n*) Idem in c. Ex publico 7. cod. t.

2. Hisce

2. Hisce omnibus rationibus addendum effatum Theologorum (*a*), probatum a Navarro ipso, quamvis sententiæ, quam defendimus, contrario, sponsalia fieri dissoluta *per aliquid novo supervenient, quod si præcessisset, non fuissent contracta* sic fatur hic Juris Canonici peritus (*b*). Liquet autem, si votum præcessisset sponsalia, ea non fuisse valide contracta: ergo hoc votum posterius pariter est causa sufficiens ea dirimendi.

(*a*) Fr. Sylvius supra cit. a. 3.

(*b*) Martin. Navar. Manual. c. 22. n. 58. cit.

CASUS XIV.

Rutilius, Paulinæ desponsatus, patravit peccatum fornicationis cum filia, agnata in tertio gradu cum desponsata. Impedimentum affinitatis, quam sic contraxit cum Paulina, facitne sponsalia nulla?

Respons.

Constat affinitatem, hoc crimine contractam, rescindere sponsalia, ut declarat Innocentius III. in duobus Decretalibus, ad Archiepiscopum Vesuntinum & Magdeburgensem inscriptis (*c*), & ut docet S. Thomas (*d*).

Nihilominus cum Concilium Tridentinum reduxerit ad secundum gradum inclusive impedimenta dirimentia, a crimine nascentia, dicimus sponsalia, a Rutilio cum Paulina contracta, non evasisse nulla, peccato perpetrato cum cognata hujus filiæ, cum, ut habet quæstio, sit illi affinis ultra secundum gradum, ac proinde affinitas cum Paulina contracta, nullum pariat impedimentum dirimens inter ipsum & illam. En verba Decreti, hanc in rem traditi a Concilio Tridentino. „ Sancta Synodus ... impedimentum quod „ propter affinitatem ex fornicatione contractam „ inducitur, & matrimonium postea factum dirimit; ad eos tantum, qui in primo & secundo „ gradu conjunguntur, restringit. In ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem „ matrimonium postea contractum non dirimere.

(*c*) Inn. III. in c. Fraternitatis 7. & in c. Veniens 9. de eo qui cognovit consang. uxoris suæ, vel sponsæ l. 4. t. 13.

(*d*) S. Th. in 4. d. 27. q. 2. a. ad 4.

CASUS XV.

Hugo, desponsatus Theresiæ, ad declinandas nuptias, deliberate & malitiose inducit impedimentum dirimens, peccato fornicationis cum matre aut sorore hujus filiæ perpetrato. Eximiturne coram Deo a consensu in matrimonium illi dato, ob impossibilitatem nuptiarum ex impedimento dirimente, per peccatum cum ea concepto?

Respons.

Quando impedimentum dirimens intercedit inter contrahentes sponsalia, aut intervenit postea, ut memoratum in quæsito proposito, sponsalia vere fiunt nulla, ut docet S. Thomas (*e*), & ut statuunt Alexander III. ad Episcopum Pictaviensem scribens, & Urbanus III. in Decretali ad Archiepiscopum Burdigalensem misso (*f*).

Nihilominus, in casu proposito, Hugo non eximitur penitus a consensu, quia, juxta regulas a Jure, tum Canonico, cum Civili statutas, reus doli & fraudis, instar Hugonis, commodum percipere nequit, ut probavimus duobus Decretalibus Innocentii III. respondentes ad undecimam difficultatem. Constat igitur eum coram Deo teneri ad resarciendum malum, pro viribus, quærendo a Superiore legitimo immunitatem huic impedimento requisitam, & ducendo Theresiam, ea impetrata; aut tandem si impetrare nequeat, sat compensando alia via, *judicio viri prudentis*.

(*e*) S. Th. loc. proxime cit.

(*f*) Alex. III. in cap. Veniens 2. de eo, qui cognovit consang. uxoris suæ vel sponsæ. Et Urb. III. in c. Super a. in consanguin. & affinit.

CASUS XVI.

Luciano & Marcellina desponsatis, Marcellinam invaserat rumor publicus, Lucianum cum sorore peccatum impudicitiæ admisisse. Potestne negare complementum consensus in matrimonium, non perspecta rumoris hujus veritate aut falsitate?

Respons.

Existimamus Marcellinam posse conscientia negare complementum consensus in matrimonium Luciano desponsato dari, licet impedimentum dirimens, ex crimine Luciani ortum, sit incertum: sufficit enim constare inter omnes, *& famam tamen loci hoc habere*, ut dicit Urbanus III. ad Archiepiscopum Burdigalensem scribens (*g*).

Hæc est decisio Sancti Raymundi & Cardinalis Hostiensis, a Sancto Antonino laudatorum (*h*), qui dicit: „ In novem casibus solvuntur sponsa- „ lia de jure & sine peccato, secundum Raymun- „ dum .... Nonus, secundum Hostiensem, si fama „ habeat quod inter eos sit aliquod impedimentum „ & de fama doceatur „. Quod Sanctus Archiepiscopus probat Decretali (*i*) Innocentii III. ad Abbatem, & Religiosos Sancti Zenonis in Dalmatia scripto, cui addenda auctoritas Sancti Thomæ, dicentis, *ad hoc probandum solam famam sufficere propter scandalum vitandum* (*k*). Hæc ratio Doctoris Angelici est prudentiæ plena: nam vulgus, proclive ad temere de aliis judicandum, & ad damnandum simplici suspicione ductum, certissime offenderet tale matrimonium & nullum haberet. Subjungimus Marcellinam, si hac in circumstantia nuberet Luciano, lubenter contrahere matrimonium nullum; quod non posset sine grandi peccato.

(*g*) Urb. III. in c. Super proximo cit.

(*h*) S. Anton. 3. part. Summ. Th. t. 1. de sponsal. c. 18. paragr. 1.

(*i*) Inn. III. in c. Cum inter 13. de sententia & re judic. l. 2. t. 27.

(*k*) S. Th. in 4. d. 27. q. 2. a. 3. ad 4.

CASUS XVII.

Optatus, Rosinæ desponsatus matrimonium postea contraxit cum Isabella. Potuitne sine peccato mortali, imo valide, non obstantibus sponsalibus præteritis, quibus refragandi nulla ipsi fuit causa justa?

Respons.

Certum est Optatum peccare mortaliter in casu proposito, ut manifeste liquet responsione ad septimam difficultatem nostram, & ut apud omnes Doctores, qui hanc agitarunt quæstionem, convenit: sed matrimonium contractum nihilosecius est validum. Ratio est, quia, simul ut alter desponsatus contrahit matrimonium cum alio, sponsalia fiunt nulla, *ipso jure*, ut docent sanctus Thomas, sanctus Antoninus, & omnes Theologi & Canonistæ, ita ut nequeant impedire validitatem matrimonii cum alio contracti. „ Si aliquis alicui „ mulieri fidem fregerit pactionis, *ait Sanctus Augustinus* (*l*), non debet aliam ducere; si aliam „ duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita. Maneat tamen cum illa, quam duxit: non „ enim rescindi tantum debet Sacramentum.

Idem clare decidunt Innocentius III. & Gregorius IX. in Decretalibus notatis in margine (*m*). Quapropter Sanctus Thomas (*n*) dicit eo in casu nullum necessario intervenire judicium, quo sponsalia declarantur nulla, quia evadunt *ipso jure*. Quod etiam dicit S. Antoninus post sanctum Raimundum (*o*).

(*l*) S. Aug. in c. Duobus 1. de sponsa duorum.

(*m*) Inn. III. c. Sicut 22. de sponf. & matrim. Greg. IX. in c. Si inter. 31. & in c. Adolescens. sin. eod. tit.

(*n*) S. Th. in 4. d. 27 q. 2. a. 3 in corp.

CASUS XVIII.

Theophrastus Catharinæ desponsatus fuit, postea fidem ei datam fregit ducendo Antoniam. Hæc e vita decendit post mensem. Theophrastus viduus, tenetur ne adhuc ad contrahendum matrimonium cum Catharina, etiamnum virgine?

(*o*) S. Anton. 3. part. summ. Th. t. 1. c. 18. par. 2. & apud eum sanct. Raimundus.

Respons.

Hic non tenetur plane ad ducendam Catharinam, vi sponsalium cum ea contractorum. Ratio est, quia evaserunt nulla *ipso jure*, matrimonio postea contracto cum Antonia, ut patet duobus Decretalibus (*p*), quorum hoc Innocentii III. illud vero Gregorii IX. videre est in Corpore Juris. Attamen tenetur obligatione naturali, quam peperit pactio: namque licet hæc sponsio non potuerit impleri, dum matrimonium cum Antonia extitit, redit ejus vis ad tempus, quo potest valere, quia non excidit penitus quoad illam, sed solum suspensa matrimonio postea contracto.

(*p*) Inn. III in c. 6. Sicut 22. de spons al. & matrimon. Greg. IX. in c. Si inter. 31. eod. tit.

Quod potest probari exemplo professi solemniter Religionem, inscia uxore; nam superstes, non potest ducere aliam; sed revera tenetur persolvere votum, quod licet suspensum cohabitatione, cui adstringebatur, non obstante voto, etiam-

etiamnum, viget in se, & compellit eum, qui novit ad persolvendum, ubi primum liber est morte uxoris. Sic statuit Alexander III. ad Archiepiscopum Pisanum scribens (a). Ideo dicendum, in casu proposito obligationem Theophrasti ad ducendum Catharinam non expirasse penitus quoad se, quamvis expiraverit quoad desponsatam, sed solum suspensam, & liberum teneri ad complendum, si Catharina velit.

(a) Alex. III. in cap. Quidam 3. de convers. conjugat.

Hæc est decisio docti Theologi (b), cujus hæc sunt verba: „ Obligatio quam generant (sponsalia) variis casibus evenientibus.... potest solvi... „ secundus casus est, quando alter desponsatorum „ contrahit matrimonium cum alio. Alter vero „ propter insolubilitatem matrimonii, non potest redire ad sponsam. Sed si contingat illam „ uxorem mori, tenebitur priorem accipere, si „ illa valet, non vi sponsalium, quæ jam sint, „ sed ratione promissi quod antea, propter mutationem materiæ de licita in illicitam, non „ poterat impleri.

(b) F. Sylv. in supplem. S. Th. q. 43. a. 3.

CASUS XIX.

Sponsalia a Theophrasto contracta cum Catharina fuerunt clandestina. Generantne obligationem ei parem de qua in decisione præcedenti generaliter loquendo; compelluntne pœna peccati mortalis, ut publica, & solemnia, ad ineundum matrimonium, cum nulla adest abstinendi legitima causa?

Respons.

Constat sponsalia clandestina æque valida esse ac publica, ac proinde utraque eamdem parere obligationem. Ratio est; quia Concilium Tridentinum rescissis solum matrimoniis clandestinis censetur legi veteri non derogasse, quoad validitatem sponsalium clandestinorum, juxta decimam quintam Juris regulam, quæ sic habet (c): *Odia restringi & favores convenit ampliari*; & hoc Juris Romani statutum (d). *A jure veteri non discedendum, nisi per novum exprimatur*: aut ut dicit Auctor Glossæ (e): *A jure veteri non recedimus, nisi in quantum reperitur expressum*. Quemadmodum igitur Concilium Tridentinum non exigit distincte præsentiam Parochi & testium ad validitatem sponsalium, non est dubium quin clandestina ipsa sint valida coram Deo, ac proinde compellant, pœna peccati mortalis, contrahentes ad ea implenda; quum nulla ipsis est causa legitima, qua abstineant.

(c) Bonifac. VIII. in reg. 15. de regulis jur. in 6.
(d) L. Præcipimus. 31. cod. de appellat. l. 7. tit. 62.
(e) Glossa in Clementina Multorum. 1. §. 3. de hæret. v. Contra eos l. 5. tit. 3.
(f) Fr. Sylv. in supplem. Sancti Th. q. 43. a. 2.

In hac decisione sequimur sententiam Sylvii (f), En verba ejus: „ Cæterum, an clandestine contrahantur sponsalia, an publice, nihil refert ad „ valorem. Synodus enim Tridentina de illis nihil decrevit. Non est autem recedendum a jure veteri, nisi quatenus fuerit expressum in novo. Quamvis ergo tum ex consuetudine, tum „ ex *Statutis* Synodalibus oporteat ea contrahere „ coram Parocho & testibus, in loco sacro, juxta „ caput sextum tit. de matrimonio in prima synodo Provinciali Cameracensi; aliter tamen „ contracta sunt valida.

Attamen sponsalia clandestina neque consulenda, neque ad praxim revocanda sunt, & contra permagni interest congruere cum consuetudine Ecclesiæ generali, quæ vult ut semper contrahantur coram proprio Parocho & quibusdam testibus, ad plura repellenda incommoda, ex clandestinis oritura; & præterea non præsumuntur, in foro exteriori, sponsalia valida; nisi sponsiones matrimonii scripto mandentur coram quatuor genere proximis duabus partibus, licet infima conditione & fortuna Edicto Ludovici XIII. an. 1639. (g) interdicente omnibus Judicibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, ne alia ratione quam scripto mandata admittantur a quibusvis.

(g) Edict. 1639. a. 7.

CASUS XX.

Cajetano & Magdalena desponsatis, Cajetanus violat consensum sine ulla causa; & pura inconstantia ducit Bertham; postea Magdalena init matrimonium cum Joanne. Quinque aut sex mensibus post Joannes & Bertha vitam finiunt, adeo ut Cajetanus & Magdalena evadant liberi. Quæ de re quæritur num Cajetanus, qui primus fidem fregit, teneatur conscientia ad ducendam Magdalenam, qui prius fuerat desponsatus quam duceret Bertham?

Respons.

Reipsa quidam Auctores affirmativam tuentur sententiam; sed negativam existimamus veriorem, ac proinde Cajetanum non teneri in casu proposito, ad ducendam Magdalenam. Hæc est Paludani sententia (h). Hic doctus Theologus rationem subjungit, obligationem, quam sponsus contraxerat cum sponsa, omnino perire matrimonio alterutrius, ita ut, juxta ejus sententiam, postquam Cajetanus duxisset Bertham, & Magdalena nupsisset Ioanni, Cajetanus solvatur obligatione; non plane quia matrimonium iniit contra fidem Magdalenæ præstitam; sed quia Magdalena, nubens Joanni, abdicavit jus quod Cajetani sponsio fuerat ei largita: & censetur ei cessisse obligationem se ducendi uxorem. Obligatio autem, destructa penitus semel, postea reviviscere nequit, *Obligatio semel extincta, non reviviscit*. Sic loquitur Glossa in Decretali Alexandri III. (i): quod consentit pluribus Canonibus & pluribus Decretalibus, ad Auctore hujus Glossæ laudatis.

(h) Petrus Palud. in 4. d. 28. q. 3.
(i) Gloss. in c. De cætero 11. de sent. ex com. v. Suscepturus, & in cap. Exceptionis 2. de litis contest. in 6. v. Finita sexti l. 2. tit. 3.

CASUS XXI.

Vincentius, anno, natus quindecim, & Sebastiana quatuordecim, pares conditione, consenserunt mutuo in matrimonium coram Parocho suo insciis parentibus. Teneturne conscientia perficere consensum, præsertim secuta fornicatione?

Respons.

Distinguendum. Si parentes illorum puberum non adversentur consensui mutuo in matrimonium implendo, constat eos conscientia teneri complemento. Sed si parentes adversentur, sive quia sua, aut puberum interest, quorum debent damnum avertere, & commodum promovere, eorum consensus caret effectu, nec eos ligat: quod eo justius videtur, quo ii, qui nondum *sui juris*, hoc est, Domini sui & actionum, non possunt prudenter sibi utile aut noxium discernere. Quam etiam ob causam ipsis statuuntur Tutores & Curatores, deficientibus parentibus, ut curent eos & bona; & leges illis adimunt facultatem statuendi de alterutro, donec certam assecuti sint ætatem, qua possint ipsi agere & in sua potestate habere & malum & commoda.

Quod dicimus est verum, licet peccatum fornicationis admiserint post sponsiones suas, ita ut Vincentius nulla alia ratione possit efficere promissum Sebastianæ, cum alii subest. Existimamus tamen eum teneri justitia & scandali causa promisso implendo, ubi primum penes eum erit, ac proinde sibi exspectandum, donec ætatem a lege requisitam attigerit, si illi, quibus subjacet, nolint aliter consentire.

Nostram confirmat sententiam hoc, nempe, ante Concilium Tridentinum sponsalia, secuta fornicatione, fiebant verum matrimonium, imo in foro conscientiæ, ut videre est in pluribus Pontificum Decretalibus (K). Unde inferendum, juxta mentem Ecclesiæ, eum *qui copulam perfectam habuit cum desponsata*, teneri conscientia eam ducere simul ac penes ipsum est, nec ipsi ulla adest legitima abstinendi causa.

(k) Alex. III. in c. Veniens 15. de spons. & matrimon. Greg. IX. in c. is, qui 30. & in c. Adolescens. fin. eod. t.

CASUS XXII.

Protais, Luciæ desponsatis, fidem ipsi datam fregit, & recentia contraxit sponsalia cum Elisabeth, eaque firmavit juramento. Teneturne, in foro conscientiæ, complementum posterioris consensus anteponere priori, propter jusjurandum?

Respons.

Sponsalia, ut jam diximus, imponunt conscientiæ matrimonium contrahendum, licet non firmentur jurejurando. Nam, ut dicit verus Auctor, in vivis an. 400. (l) Deus nullum vult intercedere discrimen inter veritatem, quam juramentum semper

(l) Chromatius in can. Juramenti 12. a. 22. q. 5.

per

per comietur, & veritatem, quæ semper insit simplicibus verbis, perjurii perfidia & mendacio ipsi exosis: *Dominus inter juramentum & loquelam nostram, nullam vult esse distantiam: quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium.* Quapropter Protais tenetur Luciam ducere, non obstante consensu, jurejurando præstito Elisabeth firmato: hoc recentiori consensu hocque juramento pugnantibus cum justitia Luciæ debita, ac proinde nullis, nec valentibus coram Deo ligare, quum juramentum non sit vinculum iniquitatis: *Cum juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum*, ut loquitur Innocentius III. ad Regem Aragoniæ scribens (*a*). Nulla igitur ipsi habenda ratio posterioris sponsionis, juxta hæc Canonis verba (*b*): *in malis promissis rescinde fidem... impia est enim promissio, quæ scelere adimpletur.*

(*a*) Inn. III in c. *Quia personam*. 18. de jurejurando l. 2. tit. 24.
(*b*) Isidor. in c. *In malis*. 13. 22. q. 4.

Hæc est decisio S. Raymundi a Pennafort, Cardinalis Hostiensis, & Ricardi de Mediavilla a sancto Antonino iis suffragante laudatorum (*c*); ut & Alberti Magni, Paludani, Silvestri, Covarruviæ, Joannis Andreæ, & complurium tum Theologorum, tum Canonistarum (*d*).

(*c*) S. Anton. 3. p. sum. th. tit. 2. c. 4. paragraph. 1. & apud eum S. Raymun. Hostiens. & Ricard. de Mediavilla.
(*d*) Albertus Magnus in 4. dist. 27. ar. 14 Petr. Palud. ib. q. 2. Abb. Inn. & Joann. Andr. in c. *Sicut*. 22. de sponsal. &c.

Vide Casum sequentem.

CASUS XXIII.

Eduardus, annis natus triginta, ac proinde Dominus sui & actionum, Euphemiæ desponsatus, postea spopondit matrimonium Faræ cum juramento, & cum ea peccavit illam obtendens sponsionem. Utram tenetur ducere?

Respons.

Respondemus, sancte loquendo, Eduardum teneri Euphemiam ducere, quia injuria, in Faram illata, nequit desponsatam privare jure ipsi pacto sponsalibus præmissis, ab utraque parte contractis bona fide, quæ, ut contractus onerosus, compellunt ex æquo utramque partem ad iis satisfaciendum, nec possunt illa repudiare fraude, aut mala fide.

Nec juvat objicere Eduardum sponsionem roborasse jurejurando, quia hoc juramentum est injustum, & nequit eum, qui præstitit, ligare, ut demonstravimus in decisione præcedenti, & ut probari potest statuto Decretalis, ab Innocentio III. ad Episcopum Bellovacensem missi (*e*): hinc dictum Venerandi Bedæ, relatam in Canone Decreti Gratiani (*f*): *Si aliquid forte nos incautius jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriore mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum nobis, quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum.* His congruunt ea verba sancti Hieronymi eximia, dicentis veritatem, judicium, & justitiam non esse a juramento disjungenda (*g*): *Animadvertendum hos habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam; si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* Justitia autem non inest in juramento Eduardi, quum se adstringit Faræ concedere, quod jam Euphemiæ spopondit; nec veritas in eo occurrit; nam, ut dicit S. Augustinus (*h*): *Homines falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur.* Unde sequitur ipsi non servandum esse jusjurandum, quia non observando minus mali facit, quam fieret ejus observatione; & sic imitandum Regem David, qui cum jurasset necem Nabalis, consilium mutavit, non obstante juramento (*i*): *Juravit David temere*, ait sanctus Augustinus, *sed non implevit jurationem majori pietate. De duabus peccatis elegit minus.*

(*e*) Inn. III. in cap. *Cum contingat*. 28. de jurejur.
(*f*) Beda in canon. *Si aliquid*. 6. 2. 2. q. 4.
(*g*) S. Hieron. in can. *Animadvertend*. 2. 22. q. 2.
(*h*) S. Aug. in can. *Homines*. 3. eadem causa & q.
(*i*) S. Aug. in can. *Juravit*. 4. 22. q. 4.

Objicitur auctoritas S. Antonini, sententiæ jamjam allatæ adversi, quando dicit (*K*): *In novem casibus solvuntur sponsalia de jure & sine peccato... Septimus quando, sponsus vel sponsa contrahit cum altero viro per verba de præsenti, vel etiam per verba de futuro, & sequitur carnalis copula. Peccavit talis tamen mortaliter, quod fidem fregit.* Sed hoc sancto Archiepiscopo, scribente ante Concilium Tridentinum: ævo, quo, ut observavimus, sponsalia fiebant verum matrimonium, secuta fornicatione inter desponsatos; ut sententia ejus hodie non admittitur, cum hoc sanctum Concilium agnoscit matrimonium, contractum coram proprio Parocho & testibus (*l*).

(*k*) S. Anton. 3. part. sum. theol. tit. 2. c. 15. §. 1.
(*l*) Petr. Palud. Dominic. Sot. Did. Covarr. de sponsal. 2. p. c. 8. 3. &c.

Vide Casum præcedentem.

CASUS XXIV.

Silvester non spopondit, verbis asserentibus, Mariæ se ipsam, sed solum non aliam ducturum. Num hæc sponsio eum astringit coram Deo ad eam ducendam?

Respons.

Complures Auctores, a docto Covarruvia laudati, existimant sponsionem, verbis in quæsito proposito conceptam, non continere sensum conditionalem, sed simplicem exceptionem; ita ut sensus ejus verus & naturalis sit: *Nunquam aliam, sed te solam ducam uxorem.* Unde hi Auctores concludunt eam sponsionem conscientia compellere ad contrahendum matrimonium.

Nihilominus ut hæc sponsio concipitur verbis negativis, non putamus eam compellere Silvestrum in casu proposito, si velit manere cœlebs. Ratio est, quia hæc elocutio sensum conditionalem complectitur, quasi haberet: *Si ineam matrimonium, nunquam aliam, sed te solam ducam uxorem.* Ea autem elocutio non comprehendit consensum actualem & absolutum, nisi alias adsint quædam circumstantiæ peculiares, quæ indicant eam mentem, qua homo reapse spondet matrimonii contractum. Covarruvias, fuse hanc agitans quæstionem (*m*), & pondus addens, exemplis multis evidentissimis, sententiæ suæ, quam tuemur, concludit his verbis: *Ex quibus audacter opinor nec matrimonium, nec sponsalia per verba supra concepta contrahi: tota namque ratio negativa est, eaque hunc sensum habet: promittentem contracturum matrimonium cum illa fœmina, seu illam habiturum in uxorem, si conjugalem vitam promittens elegerit: non tamen promittit se absolute conjugalem statum electurum; eritque promissio sponsaliorum sub conditione, si conjugalem vitam promittens elegerit. Poterit tamen se continere, atque in cœlibatu vivere, nec reus erit fractæ promissionis.*

(*m*) Didac. Covarruv. 4. Leyv. de matrim. p. 2. c. 2. paragr. 2. n. 9. & seq. contra Jo. Andream. Card. Abbatem & Prapositum in c. *Ex parte de sponsal. & matr.* & contra Alex. de Imol. Cons. 210. t. 5. Sylv. v. *Matrimonium*. q. 10. [illegible] Cons. 6. 2. vol. col. 4. & alios.

Ut major lux huic affulgeat difficultati, juvabit apponere duo præcipua exempla ab hoc Canonista adducta. En primum: *Si enim quis promittat non alienare domum extra familiam, non promittit se omnino alienaturum intra familiam, nec ponit hæc negativa oratio quidquam ex seipsa.* En secundum: *Item, si Cæsar promittit non gerere hoc anno bellum, nisi contra Turcam, non promittit ex hac oratione se gesturum hoc anno bellum contra Turcam; sed tunc dictio nisi resolvitur in conditionem hoc pacto: Si bellum gesturus est hoc anno Cæsar, illud promittit gerere contra Turcam; non tamen promittit pure illud gerere.* Alia prætermittimus silentio brevitatis caussa. Ceterum Covarruvias hanc amplexatur sententiam post Paludanum (*n*).

(*n*) Petr. Palud. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. col. 2.

CASUS XXV.

Aubinus, Mariæ, Joannæ, & Martinæ Parens, una ex tribus filiabus Barnabæ desponsat; Barnabas peccat cum Martina. Quam Aubinus, hujus peccati conscius, tenetur illi in matrimonium dare?

Respons.

Hic nullam tenetur dare Barnabæ in matrimonium. Nam 1. non tenetur illi collocare Martinam, quia peccatum ab ea commissum, parentis sui libertati nocere nequit. Nec Mariam, nec Joannam, immo, quando vellet, non posset, quia, peccato cum Martina patrato, contraxit impedimentum dirimens affinitatis cum duabus ejus sororibus; impedimento; ex nefario coitu, emanante, ad secundum usque gradum in-

elusive progrediente, ut declaravit Concilium Tridentinum (*a*). Aubinus igitur solvitur omnino promisso, Barnabæ pacto, cui nullum est querendi jus, quum culpa sua exciderit jure suo, & si aliquod suff rat damnum, id sibi tribuendum, juxta hanc Bonifacii VII. regulam (*b*): *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare*. Observandum est, si Barnabas cum Martina non peccasset, nec cum aliis, & Aubinus Mariam ei offerret, eum promisso exsolutum iri, si Barnabas eam nollet, aliamque vellet; quia, ut supponitur, electio e tribus patris, non Barnabæ est. Fatendum est expedire, in casu proposito, ut Aubinus Martinam offerret Barnabæ, ad pervertendos effectus incontinentiæ in Martina, cui difficulter alius esset maritus.

(*a*) Concil. Trid. sess. 24. de matr. c. 4.

(*b*) Reg. 86. de regul. juris in 6.

CASUS XXVI.

Gabinius & Sylvia desponsati sunt ea Lege clara, ut matrimonium prius non compleretur quam Gabinius creatus & aggregatus foret Consiliarius Supremæ Curiæ Parisiensis. Gabinius postea curat se cooptari in numerum Consiliariorum Supremæ Curiæ Rothomagensis. Sylvia potest ne conscientia relinquere matrimonium?

Respons.

Quando sponsalia sunt contracta Lege clara, licita & honesta, non adimpleta, possunt tuta conscientia dissolvi. Ratio est, quia tenent secundum mentem spondentis. Quando autem Lege clara contrahuntur, non aliu animo devinciunt quam supposito conditionis stipulatæ implemento: *Stante conditione, stat promissio; & non stante, non stat*, ait Sanctus Thomas (*c*). Quod probari potest 1. Auctoritate Alexandri III. ad Archiepiscopum Palermitanum scribentis (*d*), qui declarat desponsatum non teneri matrimonio cum desponsata, si nolit donare quod tempore stipulato solvendum promiserat: *Si vero*, ait hic Pontifex, *aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstitit: Ego te in uxorem accipiam, si tantam mihi donaveris; reus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere quod sibi dari petiit, non accipiat in uxorem*. 2. Duobus aliis Decretalibus (*e*) Urbani III. & Innocentii III. idem decernentium: quod valet, etiamsi penes desponsatum non sit summam solvere promissam. Hæc est sententia vulgaris Theologorum & Canonistarum celeberrimorum (*f*).

(*c*) S. Th. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. in corp.

(*d*) Alex. III. in c. *De illis* 3. de condit. appositis in despons. &c. l. 4. tit. 5.

(*e*) Urb. III. in c. *Super* 5. Et Inn. III. in cap. *Per tuas*. 6. eod. tit.

(*f*) Hostiens. in cap. 1. de sponsa duor. Joan. Andr. in eod. c. *De illis*. Fr. Sylv. in supplem. S. Thom. q. 43. art. 3. Tolet. Instr. Sacerd. l. 7. c. 21 Angel. de Clav. Silv. de Prierio]. Domin. Sot. Nav. &c.

Idem dicendum, quando altera pars præterfluere sua culpa sinat tempus ad celebrandas nuptias conventum, & aperte stipulatum, non solum ad se adornandum matrimonio, sed & ad finibus circumscribendam obligationem mutuam. Quod clare decernit idem Pontifex Innocentius III. in Decretali (*g*): Nam is, per quem non stetit quominus contraheret, solvitur obligatione eum tenente; licet culpa sua author moræ teneatur contrahere si alter velit, imo potest tempus, a partibus definitum, elapsum: *Si ex parte ejus non defuit, quin matrimonium impleret*, inquit S. Thomas (*h*), *potest licite alteri nubere sine aliquo peccato*.

(*g*) Inn. III. in cap *Sicut*. de sponsal. & matrim.

(*h*) S. Th. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 6.

Ex his argumentis perspicitur, quando altera pars conditionem aperte stipulatam non implet, alteram simul eximi obligatione: hanc ob causam Sylvia potest conscientia relinquere matrimonium cum Gabinio, quum conditionem inter eos stipulatam noluerit adimplere, curando ut Consiliarius alius supremæ Curiæ crearetur, quam Parisiensis.

Diximus: *Lege clara*, quia conditio tacita & subintellecta actum conditionalem non efficit nullum, ut habet Lex (*i*). Revera si sponsalia, lege mentali & tacita contracta, censerentur conditionalia, sequeretur Titium Berthæ desponsatum hac lege tacita: *si non fuerit fornicata*, posse, post eorum solutionem, ducere valide & licite Mariam Berthæ sororem, quia, ut statuit Bonifacius VIII. (*k*) sponsalia, quibus adjecta est conditio, impedimentum dirimens honestatis publicæ non generant. Absurdum autem est, Titium posse, in pari casu, Mariam accipere, quum certissime ejus sponsalia cum Bertha hoc generassent impedimentum, ac proinde inire valide nequiret matrimonium cum Maria.

(*i*) L. *Conditionum*. 99. ff. de condit. & demonstrat. &c. lib 35. tit 1.

(*k*) Bonifac. VIII. in cap. unico de sponsal. &c. in 6.

CASUS XXVII.

Palladius Dianæ desponsatus fuit, ea lege, ut se poculo efficeret sterilem, cui consentit Diana. Num uterque tenetur promissa exequi mutuo ineundo matrimonium?

Respons.

Hæc sponsalia sunt absolute nulla, ac proinde neutri imponunt obligationem contrahendi matrimonium. Hæc decisio Gregorii IX. cujus verba hæc (*l*): *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites... matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu*. Idem docet S. Antoninus (*m*): *Si vero*, inquit, *conditio sit... contraria bonis matrimonii, ut: Accipiam te, si veneno sterilitatem procures, tunc sponsalia non contrahuntur*.

(*l*) Greg. IX. in c. *Si conditiones*. fin. de condit. appositis in despons. &c. l. 4. tit. 5.

(*m*) S. Anton. 3. part. sum. Theol.

Sanctus Thomas idem docet Commentario in quartum Magistri sententiarum Librum (*n*), & hæc legimus in Supplemento tertiæ partis Summæ Theologicæ; en ejus verba: *Distinguendum est, quia aut est conditio honesta; ut cum dicitur: Accipiam te, si parentibus placeat, & tunc, stante conditione, stat promissio, & non stante, non stat. Aut est inhonesta, & hoc dupliciter: quia aut est contraria bonis matrimonii, ut si dicam: Accipiam te, si venena sterilitatis procures, & tunc non contrahuntur sponsalia: aut* &c. Commentarii hujus Sancti Magistri sententiarum eamdem sequuntur verbotenus doctrinam (*o*).

(*n*) S. Th. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. in corp. ad 4. Et in suppl. 3. part. sum. Theol. q. 43. art. 2. in in corp.

(*o*) Dom. Sotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. concl. 3. Fr. Sylv. in suppl. S. Th. q. 43. art. 1. quæsit. concl. 3. & alii communiter.

CASUS XXVIII.

Theodebertus despondit Paulinæ coram Parocho & Parentibus utriusque; sed Paulinæ privatim indicavit se non accepturum eam alia mente, quam ea lege sibi fœnoris exercendi & faciendorum furtorum sit adjutrix. Num hæc sponsalia in foro conscientiæ sunt valida, ita ut Theodebertus ducere Paulinam teneatur?

Respons.

Conditiones bonis moribus contrariæ, etiamsi non adversentur tribus bonis matrimonii, censentur nullæ *ipso jure*, & nullo modo eæ respiciendæ, ut & impossibiles. Idcirco sponsalia, ea lege contracta, sunt valida, si considerentur tanquam nulli annexa conditioni, & absolute; modo non intenderit præcise judicium cohibere, usque ad complementum conditionis. Quapropter Theodebertus, si eo fuerit animo, devincitur sponsalibus cum Paulina contractis, & proinde tenetur eam ducere, quamvis ejus commercio usurario & furtis consentire nolit.

Gregorius IX. sic hanc dirimit difficultatem in Decretali, jam relato in responsione ad difficultatem præcedentem; hic enim Pontifex, postquam dixisset de conditionibus bonis matrimonii contrariis, & ejus substantiam destruentibus, hæc subjungit verba (*p*): *Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus* (matrimonii) *pro non adjectis haberi*. Quod intelligi debet non solum quoad forum externum, sed & quoad forum conscientiæ, *quando re vera fuit consensus*, ut loquitur Sylvius (*q*) hujus Decretalis sensum exponens.

(*p*) Greg. IX. in c. *Si conditiones* fin. de condit. apposit. &c.

(*q*) Sylv. infra hic citando loco.

Ea est doctrina S. Thomæ (*r*), dicentis: *Si autem fiat promissio sub conditione... aut est conditio honesta... aut est inhonesta... ut si dicam: Accipiam te, si furtis meis consentias; & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio*. Et paulo post: *Conditio illa, quæ apponitur, non tollit matrimonii libertatem, quia si est inhonesta, debet tolli*. S. Antoninus, Richardus, Durandus, Sylvius, & alii Theologi, & Canonistæ idem docent unanimes (*s*).

(*r*) S. Th. in 4. sup. cit. dist. 27. qu. 2. art. 2. in corp. & ad 4.

(*s*) S. Anton. 3. part. sum. Theol. tit. 1. c. 18. §. 2. Richi in 4. dist. 28 art. 2. q. 2. Durand. ib. q. 2. ad 2. Fr. Sylvius in suppl. S. Th. q. 43. art. 2. quæsit. 1. conclus. 4.

C A-

CASUS XXIX.

Gilberta Petro desponsata, facie & statura eleganti, aliquandiu post fit gibba casu improviso, amittit colorem variolis, quibus turpissima evasit, aut tandem oculos, vel oculum perdit. Num potest conscientia detrectare matrimonium propter quodpiam vitium a sponsalibus adnatum?

Respons.

Petrus potest sine peccato negare complementum consensus in matrimonium Gilbertæ præstiti, in casibus notatis in quæsito; nam omnis mutatio insignis, post sponsalia nascens, quæ prævisa ea impedivisset, sufficit ad dissolvendam obligationem. Vitia autem modo dicta, omnia hujusmodi videntur esse, ac proinde Petrus censetur solutus obligatione sponsalibus contracta cum Gilberta. Ratio, quæ afferri potest, est, quia si ad eam accipiendam cogeretur, metus foret gravis, ne matrimonium contractum fastidio, quod ea mutatio parere supponitur, malos sortiretur exitus, secundum hoc Lucii III. (a) statutum: *Cum coactiones difficiles soleant habere exitus*; atque ne Petri amor, qui debet esse spiritualis & Christianus inter sponsos, abeat in contemptum & animum aversum, fragilitate, & debilitate humana.

(a) Luc. III. in c. Requisivit 17. de sponsal. & matrim.

Hæc decisio congruit sententiæ Summorum Theologorum & Canonistarum illustrissimorum. *Si ante contractum matrimonium*, inquit sanctus Thomas (b), *aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum nimis debilitet, ut epilepsia vel paralysis, aut eum deformet, ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, vel aliquid hujusmodi.... possunt sponsalia dirimi, ne sibi invicem displiceant, & matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur*. His subjungit, ut objectioni faciendæ occurrat: *Nec pro pœna punitur aliquis, sed ex pœna damnum reportat, quod non est inconveniens* (c).

(b) S. Th. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 3.

(c) Jo. Cabas. Jur. can theo. & prax. lib. 3. c. 16. n. 3. Sylvest. v. sponsal. q. 6.

Hanc decisionem firmare potest Decretale, ab Alexandro III. ad Archiepiscopum Genuensem datum (d), in quo hic Pontifex statuit sponsalia, licet juramento roborata, posse dissolvi his in casibus: *Si post juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret*.

(d) Alex. III. in c. Quemadmodum 25 de jurejur. l. 2. c. 24.

His auctoritatibus S. Antoninus & complures alii amplexati sunt sententiam (e): *In novem casibus solvuntur sponsalia de jure, & sine peccato*, ait hic sanctus Archiepiscopus, post Raimundum, quem laudat.... *Tertius est, si alter sponsorum post contracta sponsalia incurrat lepram, aut paralysim, amittat oculum aut nasum, seu quicquam turpius ei eveniat*. Idem asserit Sylvius, ac dicit in genere, *notabilis deformitas* (f).

(e) S. Ant. 2. p. sum. Theol. tit. 1. c. 18. §. 1.

(f) Fr. Syl. in Supplem. S. Thom. q. 43. art. art. 3.

Juvat observare non eamdem esse penitus rationem deformitatis, quæ desponsato eveniret, nisi turpissima admodum augeret alienum desponsatæ animum. Ratio est, quia inter homines forma mulieris, non viri inspicitur.

CASUS XXX.

Clodio solemniter cum Francisca desponsato, scribitur, & subscribitur tabula nuptialis, secundum quam Franciscæ afferendi sunt decem mille coronati Clodio, sed domus, præcipua pars dotis, igne adusta fuit die ante celebrationem nuptiarum; qua de re Clodius eam non vult accipere, obtendens huic filiæ tenuissimam superesse facultatem. Potestne absque peccato in hac perstare recusatione?

Respons.

Existimamus Clodium posse absque peccato manere in recusatione ducendi Franciscam in casu proposito, juxta hoc præceptum generale: spondens alteri semper censetur nolle sponsionem quam ea Lege *nisi mutatio notabilis acciderit*. Ita ut, eveniente notabili mutatione in persona aut facultate, quæ sponsionem impediisset, prævisa; solvatur promisso suo, ut docent S. Thomas, Sylvius, Navarrus, & plures alii (g) post Panormitanum. Mutatio autem facta in facultate Franciscæ post sponsalia, est certe notabilissima; & ex intercessione, qua Clodius init matrimonium cum ea, constat eum non spopondisse, si ipsi prævisum fuisset incendium desponsatæ: *Quod si fuisset prævisum, verisimiliter non fuissent contracta sponsalia*. Hoc tamen est cum quibusdam Auctoribus excipiendum, *nisi dos ad levanda matrimonii onera sufficiens remaneat*, quod apponunt Covarruvias & Glossa (h), id est, qui in casu Clodii est, non potest abstinere a nuptiis cum desponsata.

(g) Suppl. S. Th. q. 41. a. 3. ad 3. & ibi Sylv. Panorm. in c. Quemadmodum de jurej. 25. n. 4. Navarr. c. 22. n. 27. Abelius Medul. Theol. c. 8 sect. 6. &c.

(h) Covar. de sponsal. 2. p. c. 5 n. 4. & 7. Gloss. in c. Quemadmodum cit. v. Oculos.

CASUS XXXI.

Polvato & Eleonora desponsatis, atque Eleonora paciscente Polybio afferre bis mille coronatos, huic filiæ, aliquanto post, obvenit hæreditas materteræ quæ ei reliquit 45000. libras. Idcirco dives ultra 50000. libras, & sibi assumptura longe ditiorem Polybio, non vult ei nubere. Potestne absque peccato in sua manere detrectatione, & alibi longe ditiori nubere?

Respons.

Non existimamus, in casu proposito, Eleonoram posse conscientia & sine peccato perstare in recusatione implendi consensum in matrimonium Polybio, ac proinde alibi nubere. Ratio est, quia alter desponsatorum, ditior ante contractum matrimonium, post sponsalia, non potest queri ob aliquam mutationem realem, quæ in persona aut fortuna alterius supervenerit; quum mutatio hoc in casu ipsam spectet; *in quam proprie loquendo, non fertur ejus consensus*. Hinc præsumi non debet voluisse contrahere hac lege generali, ut plurimum subintellecta, & in decisione præcedenti notata: *Nisi mutatio notabilis supervenerit*; hac lege, non de se, sed de eo, cum quo contrahitur, intelligenda. Unde concludimus eam, quum nulla deterior mutatio, sive in Polybio, sive in ejus opibus supervenerit, ac proinde Eleonoræ de eo querendi non sit causa, non posse, sine peccato, rejicere matrimonium cum eo, licet post sponsalia majorem habeat rem, quam antea.

CASUS XXXII.

Praxedis, Blasio desponsata, accipit eum evasisse hæreticum; sed aliquando post pertæsum criminis reverti ad Ecclesiam damnatione hæresis publica. Teneturne ei nubere hac in circumstantia?

Respons.

Existimamus Praxedem non teneri conscientia ad nuptias cum Blasio celebrandas in circumstantia indicata in quæsito; ratio, quæ adjungi potest, est, quia non teneretur, si peccatum copulæ carnalis admisisset, ut perspicuum est ex his verbis Innocentii III. ad Archiepiscopum Genuensem scribentis (i): *Pro fornicatione, quam postea perpetraret* (sponsa) *eam dimittere posset, non obstante hujusmodi juramento*: Quod utrumque spectat desponsatum, ut docent Sylvester, Toletus, Sylvius, Cabassutius, Navarrus (k), & complures alii Auctores, omnes auctoritate Innocentii III. nixi. Unde sequitur eam potiori ratione non teneri, quum hæresi fornicationis spiritualis se adstrinxit, ut docet Sanctus Augustinus, dicens: *Quamlibet noxiam superstitionem, fornicationem esse* (l). Quod docet Sanctus Antoninus, in præcedenti decisione relatus, Sylvius, & Navarrus, quibus adjungendus Panormitanus, a Covarruvia, qui ei suffragatur, laudatus,

(i) Inn. III. in cit. c. Quemadmodum 25. de jurejur.

(k) Sylv. v. Sponsalia, q. Tolet. instruct. sac. l. 7. c. 25. n. 1 § Undecimus Sylv. in Supplem. q 41. art. 3. § 7. Jo. Cabas. l. 3. c. 17. n. 3. Navarr. Manual. c. 22. n. 27.

(l) S. Aug. in can. Idololatria, 5. 28 q. 1.

Nostra sententia confirmatur ex eo, quod hæresis sit gravius peccatum fornicatione, ac proinde quemadmodum insons non tenetur consensui Sponsalibus contracto, satisfacere; quamvis reus peccati fornicationis pœnitentiam egerit, minus teneatur promissum exequi consensum, quando alter in hæresim lapsus est, licet postea videatur rejecisse. 2. Insons non tenetur, juxta regulas prudentiæ, ei fidere damnationi & contra potest conjicere eum, qui suam ejuravit Religionem,

passurum esse frangi eadem, cui succubuit, tentatione: & ex eo conjectura fit justior, quod ipsi in dubium veniat damnatio ejus sincera, & metuat, ne commodum temporarium aut improbus amor prævaleant amori Religionis, & salutis ejus, qui eam ejuravit.

CASUS XXXIII.

Danielis desponsata Damaso, tanto eum prosecuta est odio, ut nolit ei nubere. Poteſtne conscientia cœlebs manere, aut alteri nubere?

RESPONS.

Quando novus amor propendet a levitate personæ, non est causa justa reclamandi pacto, & ejus exitum abnuendi. Quapropter huic Juris regulæ (*a*): *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*; & huic alii (*b*) *quod semel placuit, amplius displicere non potest*, hoc in casu tota est sua amplitudo & vis. Nihilominus si novus amor in tantum abeat odium, ut metuantur gravissima matrimonii incommoda, quod contraherentur; dicendum post Cardinalem Hostiensem, Danieli in quæsito proposito, petendam esse a judice Ecclesiastico dissolutionem sponsalium cum Damaso contractorum; quia non debet imminens subire periculum vitæ agendæ cum viro, quem odit, & qui contemptus, vicissim eam habebit odio. Eadem ratione petenda est ipsi facultas nubendi cum alio, cum quo vivere possit in illum amore & in pace: & Ecclesia improbante Matrimonia coacta ob malos eorum exitus, Officialis procul dubio ferret sententiam, ejus petitioni consentaneam: huic soli viæ est ipsi insistendum, quia ipsi non auctoritate privata, sed Ecclesiastica solum licet Sponsalia dissolvere, ut docent Cardinalis Hostiensis, Joannes Andreas, Navarrus, Gabassutius, & alii permulti (*c*).

(*a*) Reg. 33. de regul. juris in 6.
(*b*) Reg. 21. ibid.
(*c*) Nav. Manual. c. 22. n. 27. §. Undecimo. Et apud eum Hostiensis Cabassut. l. 3. c. 17. n. 3.

CASUS XXXIV.

Lamberto & Henrica desponsatis, Henrica vitam arctiorem asperioremque ingressa est octiduo post. Anne sic Sponsalia evaserunt nulla *ipso jure*?

RESPONS.

Auctores multi (*d*), ut Sylvester de Prierio, Navarrus, Toletus, Dominicus Sotus, Joannes Major, & Joannes Andreas, existimant Sponsalia, in casu proposito, fieri soluta *ipso jure*: Ita ut necessaria non sit solemnis votorum nuncupatio ad rescindendum consensum desponsatorum in Matrimonium.

Rationes eorum 1. Quia Spondens alteri censetur teneri hac lege tacita: *Nisi Deus me ad sanctiorem vitæ statum elegerit*. 2. Quia alias nullum intercederet discrimen inter obligationem, ex simplici consensu in Matrimonium orientem, & vinculum ipsum Matrimonii; quum matrimonium ipsum *per verba de præsenti* contractum, potest solemni votorum nuncupatione dissolvi ante complementum ejus, ut declarat Alexander III. (*e*). Ergo, concludunt Auctores, solemnis votorum nuncupatio, ad solvendum sponsalium vinculum, non est necessaria; sed solus in Religionem introitus sufficit, ut a promisso solvatur; hac Sponsione longe minus stringente, quam consensu in Matrimonium, licet raro solum habito, & nondum perfecto. 3. Addunt introitum in Religionem & votum continentiæ simplex, haberi in jure tanquam causam eorumdem effectuum, & aliqua ratione vis æqualis: ut probatur verbis, quibus utitur idem Pontifex Alexander III. in Decretali (*f*), ad Episcopum Lucensem scripto. Votum autem simplex, saltem quando Sponsalia antecedit, ea rescindit, ut definivit Cœlestinus III. (*g*): Idem igitur dicendum de introitu in Religionem, & hic sensus affigendus est collationi Alexandri III. in Decretali modo laudata: *Sicut simplex votum Matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum; ita habitus, sine professione susceptus, ne contrahatur, impedit, sed contractum nequaquam dissolvit*. Hæ sunt rationes & argumenta, quibus hi Auctores suam statuunt sententiam.

(*d*) Sylvest. v. Sponsalia Nav. Man. c 22. n. 26. Fr. Tol. Instr. Sac. l. 7. c. 21. Jo. Major in q. dist. 28. q. 3. casu 10. Dom. Sotus ib. dist. 27. q. 2. art. 5. ad 5. & alii.
(*e*) Alex. III. in c. Ex publico 7. de convers. conjugat.
(*f*) Idem in c. Consuluit 4. qui Clerici, vel vovent. matr. contrah. possunt. Lib. 4. tit. 6.
(*g*) Cœlest. III. in c. Rursus 6. eod. tit.

Nihilominus existimamus, cum pluribus Theologis celeberrimis, ut Paludano, Durando, Alberto Magno, Ricardo, Covarruvia, & Sylvio (*h*), id solum de eo intelligi, qui in vulgari hominum Societate vivit, & non de eo, qui vestem Religionis induit, qui censetur vere solutus obligatione profitendi actu Religionem solemniter. Adcirco, *si tamen egrederetur* (inquit Sylvius) *antequam sua compars inierit Sponsalia cum alio; sic egressus teneretur eam in Matrimonium accipere, partim vi Sponsalium præcedentium, quæ fuerant rescissa sine culpa remanentis in sæculo, partim ratione injuriæ, si ad illudendum eam deseruerat*. Sic procul dubio interpretatur Sanctus Antoninus (*i*): nam dicit hanc in rem: *In novem casibus solvuntur Sponsalia de jure, & sine peccato, secundum Raimundum. Primus est, si alter Sponsorum transit ad Religionem: quod etiam facere potest contracto Matrimonio de præsenti, & nondum consummato, etiam altero invito, & si ille, qui manet in sæculo, solvitur a Sponsalibus, & etiam a Matrimonio*. Hæc verba, *quod etiam facere potest &c.* manifeste indicant hunc Sanctum Archiepiscopum, quando dicit, *Solvuntur Sponsalia de jure... si alter Sponsorum transit ad Religionem*, non loqui de solo introitu in Religionem, sed de ejus professione solemni, quum alias dicere nequiret Matrimonium non consummatum dissolvi nam; constat solum introitum non solvere, sed professioni solemni actuali hanc esse vim, & sine qua sartum, ratumque manet.

(*h*) Petr. Pal. in 4. dist. 27. q. 2. n. 23. Durand ib. q. 3. Rich. Middeleton. ib. ar. 2. q. 4. Albert. Magn. ib. ar. 16. Didac. Covarr. de spons. 2 p. c. 5. n. 12. Fr. Syl. in supp. S. Th. q. 41. art. 3. init. Bart. Fumus in aurea Armil. & alii.
(*i*) S. Ant. 3. sum. Theol. tit. 1. c. 18. §. 2.

Supplementum tertiæ partis Summæ Sancti Thomæ (*k*) sic etiam interpretatur, quando verba fiunt de obligatione ex consensu in Matrimonium oriente, quæ, inquit, introitu in Religionem extinguitur tanquam morte Spirituali: *talis promissio solvitur per mortem spiritualem*. Simplex autem introitus in Religionem nunquam in Jure, nec alibi dicitur mors spiritualis: nam revera mundo valedicit professione solemni, quæ sola facultatem in eum redeundi arripit. Ergo Sanctus Thomas indicat introitum, quem sequitur professio: hæc etiam subjungit verba, *ut dicetur*, quibus ad quæstionem 61. amandat (*l*), ubi docet mulierem posse solemniter profiteri Religionem, ante consummatum Matrimonium, nam status, quem tunc init, est mors spiritualis, quo vivit Deo soli. *Religio est quædam mors spiritualis, qua aliquis sæculo moriens vivit Deo*. Unde aperte liquet eum significare professionem actualem in casu, de quo hic agitur, ut & in quæstione, ad quam amandat his verbis, *ut dicetur*. Et quidem modo dictum in eadem quæstione 61. repetit (*m*): *Non intelligitur mortuus sæculo per Religionis ingressum, quousque professionem emiserit*. Hanc interpretationem affiximus primo loco, e quadragesima secunda quæstione depromptо.

(*k*) Suppl. S. Th. q. 42. art. 3. ad 1.
(*l*) Ibid. q. 61. art. 2. in Corpor.
(*m*) Cit. q. 61. tit. 3. ad 2.

Ut elucidetur hæc difficultas, juvat tribus respondere argumentis, quibus nituntur sententiæ contrariæ patroni.

Dicimus igitur ad primum, verum est, eum qui consensu in matrimonium devincitur, existimari ligatum hac lege: *Nisi Deus me ad sanctiorem vitæ statum vocaverit*, sed defendimus æque verum esse eum, qui se ad statum vitæ perfectiorem novit vocatum, censeri optionem ab eo factam actu, perpetuo. Solus autem Religionis ingressus non est vinculum perpetuum status religiosi, nam, proprie loquendo, mutatio status non est induere vestem Religionis, quum Novitius possit a postero die exuere, & ad sæculum redire: conditio subintellecta igitur debet de statu stabili & meliore vita perseverante intelligi, cui addicit professio solemnis: alias inconstantia aut studium malum multorum illis faveret, & contra noceret desponsato, in sæculo manenti. Nullius igitur ponderis primum, quod objicitur, argumentum.

Secundum non stringit pressius primo: quia, posito, quod solus Religionis ingressus non sufficiat ad rescindenda *ipso jure* sponsalia, & necessario ei ad-

adjungatur professio solemnis, ut tuemur; præterea intercedit ingens discrimen inter obligationem sponsalibus contractaoi, & obligationem a matrimonio rato & nondum consecto orientem: nam obligatio sponsalium ex se potest dissolvi, & pluribus in casibus cessare, imo solo consensu desponsatorum mutuo. Sed matrimonium ratum & nondum consummatum potest dissolvi solo in casu a Jure observato, nempe actuali professione Religionis solemni, & hoc discriminen sufficit, cum asseri nequeat absolute necessariam esse differentiam generalem & omnimodam inter sponsalia & matrimonium ratum, sed nondum perfectum, imo certum est in pluribus utrumque coovenire.

Denique tertium argumentum, quo prioris sententiæ Auctores nittuntur, non probat quod intendunt; proponunt enim exemplum simplicis voti quod fuit ante sponsalia, & hic agitur de voto & Religionis ingressu ea secutis. Fatemur sponsalium ab una parte, & ab altera voti aut in Religionem introitus vim quandoque conferri inter se; sed hoc probat sententiam quam defendimus. Nam si eorum vis est æqualis, quomodo posset nnius vis frangere & rescindere alterius vim? Nonne potius sequitur prius vinculum vincere posterius, nempe introitus in Religionem, juxta hanc S. Antonioi regulam (*a*): *Quoties contrahuntur duo vincula æqualis potentiæ incompossibilia, primum præjudicat secundo.* Et quidem, si soli Religionis ingressui ea esset vis *ipso jure* & ex se, nulla fide hominis sufficeret, ut solveretur suo consensui in matrimonium, ingressus in Monasterium, postea exitus sibi opportunus, quod manifeste justiriam petverteret, bonam fidem & probos mores destrueret, & fraudem suam quæstuosam haberet, contra regnlam Innocentii III. dicentis (*b*): *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

(*a*) S. Anton. 3. part. sum. theul. tit. 1. c. 28. §. 2.

(*b*) Innoc. III. in c. Ex tenore, 16. de rescriptis lib. 1. tit. 3.

Concludamus igitur, cum Jus nullibi faveat sententiæ adversæ, solum Religionis ingressum non sufficere ut spoosalia legitime contracta dissolvantur, ac proinde Henricam, de qua in quæsito proposito sermo, semper teneri ad celebrandas nuptias cum Lamberto, ubi primum e Monasterio exitura est & depositura vestimentnm Religionis: & contra Lambertum penitus solvi suo pacto, illo diè quo Henrica vestem Novitiatus induit; quum, ingressa in Religionem, censeatur ipsi absolute concessisse consensum inter eos contractum.

CASUS XXXV.

Alexander Hortensiæ desponsatus, fregit ei fidem sine ulla causa, & subdiaconatum secepit. Sponsalia solvuntutne *ipso jure*?

Respons.

Constat sponsalia solvi *ipso jure*, in casu proposito. Quod probatur 1. Quia, ut sæpissime dictum, spondens alteri censetur teneri hac lege tacita; *Nisi Deus me ad sanctiorem vitæ statum vocaverit*, ut dccet Sylvius (*c*). Quia subdiaconatus continet castitatem ei annexam, ut declarat Bonifacius VIII. (*d*) his verbis: *Quod votum dici debeat solemne, ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti ... præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis aut per professionem ... factam alicui de Religionibus per sedem Apostolicam approbatis.* Unde sequitur noo amplius per Alexandrum stare ut consensus in matrimonium Hortensiæ datus adimpleatur, etiamsi vellet, & utrumque penitus solvi a consensu mutuo; quippe omnis Ordo Sacer, ut hodie subdiaconatus, est impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, nr declarat Joannes XXII. (*e*) & post duos Pontifices Concilium Tridentinum (*f*), quod dicit: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos .... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto .. anathema sit.*

(*c*) Fr. Sylvius in suppl. 3. part. sum. S. Th. q. 43. art. 1.

(*d*) Bon. VIII. in cap. Quod votum. unic. de voto & voti redemptione in 6. lib. 3. tit. 20.

(*e*) Joa. XXII. in extravag. 3. Antiquæ. de voto & voti redempt. tit. 6.

(*f*) Conc. Tr. sess. 24. can. 9.

Hæc omnia consentiunt veteri Juri, ab ævo S. Leonis statuto, & sæculis sequioribus confirmato, a S. Gregorio Magno, a Concilio Constantinopoli habito in regia Imperatoris, *in Trullo*, nomine *Quini Sexto*, & a Nicolao I. (*g*). Ea est Doctrina S. Thomæ (*h*), cui pariter suffragantur Theologi & Canonistæ (*i*).

(*g*) S. Leo in c. Omnium. 1. dist. 32. S. Gr. in can. Ante. 2. dist. 31. & in can. Multorum 2. & in can. Si qui. 5. & in can. Subdiaconis 9. ead. dist. Quini. Sexta Synodus c. 6. in can. Si quis 7. ib. Nicolaus I. in can. De illo 4 ib.

(*h*) S. Th. in 4. d. 37. q. 2. art. 1. in corpore.

(*i*) Patr. Palud in 4. dist. 37. q. 1. n. 21. Dom. Sotus ib. q. 4. art. 5. Propositus in c. De illis, 3. de sponsal. & matri. Sylvest. v. sponsalia. q. 10. Navarr. man. c. 22. n. 29. & alii communiter.

CASUS XXXVI.

Germana, Paulino desponsata, quem credebat virtute & modestia præditum, accepit, paucis diebus, esse violentum, & animi perciti, & sæpe pro re vili irascentem. Teneturne coram Deo, ad promissum absolvendum, non obstante hoc vitio?

Respons.

Hæc causa proculdubio ex iis, quæ Germanam arcuissent a consensu sponsalium cum Paulino si innotuisset, ideo existimamus sufficere ut eximatur a nuptiis. Hoc probatur dispositione Constitutionis Alexandri III. in quarto Decretalium libro relatæ (*k*). Ea est Sylvii sententia: nam variis causis legitimis drimendorum sponsalium accenset hanc decimam. *Decimus* (Casus) *quando magnum vitium alterutrius innotescit, prius ignotum.*

(*k*) Alex III. in c. Veniens. 3. qui Clerici, vel voventes &c.

Ex eo confirmatur nostra sententia, quod hoc vitium sufficeret ad petendam solutionem ipsam matrimonii quoad thorum & cohabitationem, si maritus sævitiam jungeret suæ animi impotentiæ, quod non raro fit. Unde multo magis concludendum filiam, licet jam desponsatam, non posse matrimonio conjungi viro, a quo forte se cerneret divulsam, ad sui ingens damnum, aut cum quo agenda esset vita perturbationis & dolorum plena, incommodis & injuriis, quæ verisimiliter passura esset; & quidem si deformitas corporis notabilis est justa causa solutionis sponsalium, cur insigne animi vitium non sufficeret ad refragandum consensui contracto? Nec juvat objicere vitium hoc non esse murationem, quæ sponsalibus intetvenit, ac proinde ejus rationem non esse habendam; nam hoc vitium, quatenus vitium debet inspici, quia in jure, *aliquid supervenire, & aliquid de novo apparere*, censetur idem, ur *non esse*, & *non apparere* (*l*). Cardinalis Toleti, Navarri, plurimumque aliorum eadem est sententia (*m*).

(*l*) L. in lege 77. ff. de contrahen. empt. l. 18. tit. 1.

(*m*) Fr. Toletus. Instruct. Sacerd. l. 7. n. 61. Navarr. man. c. 22. n. 27. & apud eum Panorm. in cap. Veniens cit. Thom. Sanchez. l. 1. de sponsal. disp. 58. n. 1.

CASUS XXXVII.

Cassiodoro & Columba desponsatis, Athanasius vim intulit Columbæ, quæ nullo modo consensit crimini. Cassiodorus, ejus conscius, potestne hoc nomine denegare nuptias Columbæ?

Respons.

Existimat doctus Canonista (*n*), cum pluribus aliis (*o*), desponsatum, eo in casu, posse nuptias denegare desponsatæ, quia jujuria & dedecus filiæ recideret in eum, si eam acciperet: quod hic Auctor probat auctoritate Glossæ (*p*) quæ idem censet & nititur veteri Canone e Capitularibus Caroli Magni deprompto (*q*), en verba: *Raptor pœnitentia publica mulctetur: raptæ vero, si eam sponsus recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur*: quem Canonem confirmat aliud (*r*), quo licitum est sponso consensum perficere vel negare complementum. Verum existimamus hos Canones esse intelligendos de stupro aliis, non sponso cognito, & quando solus hujus est conscius, nec ipsi ullus infamiæ metus, non posse juste ex eo casu suum ejurare consensum & negare nuptias celebrandas: alias sponsæ imponeret pœnam criminis, cujus supponitur insons sine ulla alia causa justa, quum flagitii penitus occulti labes non posset aspergi: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*, inquit Bonifacius VIII. (*s*).

(*n*) Navarr. loco cit.

(*o*) Sylvest. v. sponsalia. q. 7. & apud eum Joan. Andreas Covarr. de sponf. part. 1. c. 3. n. 2 & apud eum idem Joann. Andreas. Abbas & Imola.

(*p*) Gloss. in c. Quemadmodum 25. de jurejur. v. Occulta.

(*q*) Can. Raptor. 33. 27. q. 2. & ibi. Gloss.

(*r*) Can. Statutum. 34. eadem causa & quæst.

(*s*) Reg. 23. de reg. juris in 6.

Quod dicimus potest confirmari ex eo quod marito viro non licet discedere ab uxore, quoad thorum, obtendendo eam per vim fuisse stupratam. Cur igitur liceret sponso frangere fidem

sponsæ insonti, & cujus facinus occultum? Hæc igitur mens affigenda est Sylvio, Navarro, Toleto & Auctori Glossæ, quæ Canones laudat, memorantes stuprum cognitum, quod infamiæ notam inurit sponso, qui matrimonium init cum filia apud omnes sic infamata. Hic etiam Canones imponunt reo pœnitentiam publicam, quæ tunc & etiamnum hodie injungitur ob peccatum notum.

Hæc decisio consentit sententiæ S. Antonini (*a*), qui postquam dixisset cum Cardinali Hostiensi, quando alter sponsorum fornicationem admisit, alterum non teneri nuptiis, hanc subjungit exceptionem: *Pro fornicatione vero non voluntarie commissa, puta si sponsa violenter ab alio cognita fuit, secundum Hostiensem non debet repelli sponsa:* quod debet intelligi, ut jam dictum, de facto occulto; nam cognitum infamiæ notam inurit; ideo, quatenus cognitum, cogi non posset sponsus promissa absolvere: *vir etiam cogi non debet ducere talem*, subjongit idem S. Archiepiscopus.

(*a*) S. Anton. 3. part. sum. theol. tit. 1. c. 18. §. 1.

Observandum tamen, si Columba gravida fieret vi sibi illata ab Athanasio, Cassiodorum non teneri nuptiis, ut occultum foret hoc facinus; nam si duceret, censeretur pater infantis futuri; & hic infans quatenus legitimus succederet bonis ejus & Colombæ: quod omnino repugnaret æquitati.

CASUS XXXVIII.

Si Columba voluntariam admiserit fornicationem ante sponsalia, Cassiodorus sponsus ejus conscius peccati potest-ne in conscientia negare ei nuptias, cum idem peccatum non patraverit?

RESPONS.

Distinguendum: nam si Cassiodoro innotuit peccatum Colombæ die sponsalium cum ea contractorum, hoc nomine nuptias ei nequit amplius negare, quia censetur eo in casu ipsi non solum condonasse culpam, sed & infamiam futuram. Sed si accepit post sponsalia, non tenetur contrahere matrimonium cum ea. 1. Quia secundum S. Thomam (*b*) non posset eam accipere sine irregularitate & inhabilitate recipiendi Ordines, si aliquando posit aut velit eos recipere, cui incommodo non tenetur subjacere. 2. Quia infamia Colombæ reapse recideret in eum, fornicatione non occulta. 3. Quia Columba mala agendi ratione debet ei esse eo suspectior incontinentiæ & infidelitatis, quo eventus externi, a crimine vulgo producti, velo matrimonii, facilius tegi possunt. 4. Quia metus est ne qui peccavit cum filia non celet perpetuo peccatum, & sic aliquando infamiæ nota ipsi inuratur. 5. Quia sponsus censetur velle spondere filiæ hac lege tacita: *Modo incontinentiæ rea non fueris*; ut patet ex Glossa, (*c*) cum moraliter certum sit eum non daturum illi fidem, si ei dedecus impressum, vel eam corruptam nosset. Ea est Navarri sententia (*d*).

(*b*) S. Th. in 4. dist. 31. q. 1. art. 1. ad 7.

Innocentius III. (*e*) ad Archiepiscopum Genuensem scribens; sic hanc definivit difficultatem: *Quemadmodum si vir mulieri jurasset, quando contraxit cum illa, quod eam semper pro legitima uxore teneret, pro fornicatione quam mulier antea commisisset, non posset eam dimittere; sed pro fornicatione quam postea perpetraret, eam dimittere posset, non obstante hujusmodi juramento, quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio: si videlicet in legem conjugii illa non peccaret; ita si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem.* Hæc leguntur verba in Decretali hujus Pontificis, intelligenda ea notione quam indicavimus: id est, distinguendo fornicationem sponso cognitam, die quo spopondit desponsatæ, & de qua hic dicit summus Pontifex, & fornicationem quam ignorabat (*f*).

(*c*) Gloss. in c. Quemadmodum 25. de jurejur.
(*d*) Navarr. Man. c. 22. n. 47.
(*e*) Innoc. III. in cit. cap. Quemadmodum.
(*f*) Th. Sanchez l. 1. de sponsal. disp. 43. conclus. 3. n. 4. & apud eum Baptista Trovamala in Rosella. Angelus de Clavasio. Joan. Taguatius, vulgo Tabiena Barthol. Fumus in Aurea Armilla. Anton. de Corduba. Dom. Sotus, Barthol. a Ledesma Vivaldus & Ludovic. Lopez.

CASUS XXXIX.

Victoria accepit Romanum sponsum admisisse ante sponsalia peccatum fornicationis. Potest-ne in conscientia ei negare nuptias?

RESPONSA.

Hoc in casu non videtur eadem libertas desponsatæ æque facile ac sponso concedenda: 1. Quia peccatum desponsati præteritum labem desponsatæ non aspergit. 2. Quia peccato ante sponsalia commisso, non potest dici peccasse *contra fidem desponsationis*. Nihilominus si accurate perpensis variis circumstantiis loci, temporis & personarum, verisimilis metus sit ne in idem relabatur flagitium sponsus post matrimonium, desponsata potest ei negare nuptias. Victoriæ igitur prius expendendum, an Romanus iis sit in circumstantiis, quam refragetur sponsalibus cum eo contractis. Hoc fuse docet Sanchez (*g*).

(*g*) Th. Sanchez loco cit. conclus. n. 9.

CASUS XL.

Tullia novit Rusticum sponsum stuprum admisisse post sponsalia contracta. Potest-ne ei nuptias negare?

RESPONS.

Extra controversiæ aleam est, ut sponso licet negare desponsatæ nuptias quæ fidem fregit stuprum faciendo post sponsalia; item desponsatam conscientia non teneri nuptiis, cum sponso, quando, post desponsationem in idem lapsus est flagitium, utroque ex æquo reo & puniendo ob eam perfidiam. Ideo Tullia nullo tenetur modo nubere Rustico in casu proposito, com certum sit alterum non alio animo despondere alteri, quam hac lege tacita, *modo continentiam servaveris*, & præterea insontem merito inspicere reum, tanquam suspectissimum incontinentiæ imposterum, & tandem alteri e duobus, qui non servat fidem a se præstitam, nullo jure exspectandum complementum promissi facti secundum regulam Juris Canonici, quæ habet (*h*); *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cum fidem a se præstitam servare recusat.*

Ea est decisio S. Antonini (*i*), qui dicit: *In novem casibus solvuntur sponsalia de jure & sine peccato ... Sextus (casus), si alter eorum fuerit fornicatus post sponsalia: in quo casu licet alteri repellere fornicantem.* Tacemus non solum Paludanum, Panormitanum, Covarruviam, & complures alios Auctores a Sanchez laudatos & quibus suffragatur (*K*), sed & (*l*) Sylvestrum de Prierio, Cardinalem Toletum, Navarrum, Sylvium & Cabassutium, quorum sententiæ decisio nostra omnino concordat.

(*h*) Reg. 75. de reg. juris in 6.
(*i*) S. Anton. 3. part. sum. theol. l.

Tandem hæc decisio confirmatur auctoritate Innocentii III. qui declarat in Decretali ad Archiepiscopum Gennensem scripto (*m*), desponsatum censeri fidem matrimonii pollicitum esse desponsatæ hac lege: *Si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit*: Æquitas enim vult ut ex æquo spectet utrumque. Stuprum autem post sponsalia factum est crimen fidei matrimonii inter desponsatos datæ e diametro oppositum, & efficit rerum incontinentiæ suspectum in posterum. *Ex hoc*, inquir S. Thomas (*n*), *efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum. Ideo potest sibi præcavere unus contra alium sponsalia dirimendo.* Hæc est causa admodum legitima & sufficientissima solvendæ desponsationis; nam, ut observat idem Pontifex, maritus ipse potest ab uxore sibi infida discedere quoad thorum & cohabitationem. Unde multo magis sponsus non tenetur accipere in uxorem, nec sponsa virum eum, qui ante matrimonium contractum fidem violavit.

(*k*) Th. Sanchez l. 1. desspon. disp. 15. concl. 3. & apud eum Palud. Abbas, Covarr. Ludov. Lopez, Vivaldus, & alii.
(*l*) Sylvest. v. Sponsalia q. 7. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 7. c. 32. n. 3. § Undecimus Navarr. Man. c. 22. nu. 7. Sylvius in suppl. q. 43. art. 3. §. Septimus. Cabassut. Juris. cantheor. & prax. l. 3. c. 17. n. 3.
(*m*) Innoc. III. in cap. Quemadmodum 25. de jurejur.
(*n*) S. Th. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 7.

CASUS XLI.

Sylvia Emmanueli desponsata, Luciano permisit quasdam licentiores agendi rationes, ut oscula lasciva aut tactus impudicos. Ob hoc dontaxat potest-ne requirere solutionem sponsalium?

RES-

RESPONS.

Hoc sufficit Emmanueli ad urgendam solutionem sponsalium cum Sylveria contractorum. Ratio est, 1. Quia filia eas permittens licentiores agendi rationes, inspicienda est merito tanquam incontinentiæ suspecta. Quia ea liberior agendi ratio est desponsato contumeliosa. 3. Quia si hic sponsus prævidisset desponsatam adeo facilem his licentioribus agendi rationibus in se concedendis, conjiciendum est, nunquam illi fidem sponsurum. Sanchez (a) hanc sibi objicit difficultatem, & ei respondet his verbis: *Potest vir a sponsalibus recedere, si post fœmina tactus impudicos alterius, ut amplexus & oscula patiatur: quia est notabilis mutatio, idque in magnum viri dedecus cedit. Item quia hujusmodi fœmina dicitur impudice vivere, legatumque sibi relictum ea lege ut caste & honeste vivat, amittit, ut cum Baldo probat Covarruvias* (b).

(a) Th. Sanch lib. 1. desponf. disp. 55. concl. 6.

(b) Didac. Covar. 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. n. 3.

CASUS XLII.

ISIDORI Apollinæ desponsati, cui juramento promisit se eam ducturum, consuetudo cum ea subsequens præbuit ei ansam peccatum fornicationis committendi cum ea. Postea metuens, ne hæc filia, quæ faciles seductioni præbuit aures, ipsi foret infida post matrimonium, decrevit virum esse Religiosum, & consilii sui participem fecit Confessarium suum. Quid agendum Confessario? Debetne consentire Isidori consilio?

RESPONS.

Confessarius Isidori non debet, nec potest consentire consilio ingrediendi in Religionem, quia perficere nequit sine consensu claro & libero Apollinæ. Prima ratio est, quia hoc consilium æquitati adversatur, quæ coram Deo compellit eum ad resarciendum injuriam huic filiæ illatam; quod absolute loquendo effectui dat contrahendo matrimonium cum ea & illud consummando, nisi alia quædam causa urgens & justa eum eximat, ut fornicatio post cum alio admissa, aut alia compensatio ipsi sufficiat: obligatio enim farciendæ infamiæ corruptione huic filiæ illatæ, quæ est juris naturalis, anteponitur Professioni Religiosæ, quæ est consilii tantum; Juramentum fidei adjunctum arctius eum astringit ad eam perficiendam. Ulterius progredimur: nam si Isidorus in casu proposito vovisset ingredi Religionem, votum solvere nequiret absque peccato mortali, probrum Apollinæ impressum non eripiendo; quia votum non injustitiæ, sed justitiæ vinculum, (c) nunquam potest adquid injusti adigere. Hinc dicit vetus auctor a Gratiano laudatus (d) *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta Decretum: quod incaute vovisti, ne facias: impia est enim promissio quæ scelere adimpletur*. Quod Bonifacius VIII. paucioribus exprimit verbis (e): *In malis promissis fidem non expedit observari*.

(c) S. Aug. in can. Inter. 22. q. 4.

(d) Ibid. in Can. In malis. 5. ead. causa & quæst.

(e) Reg. 69. de reg. juris in 6.

Secunda ratio primæ innixa, est. 1. Quia secundum S. Antoninum (f), quando duæ contrahuntur obligationes dissociabiles & æqualis vis, prima destruit secundam, & debet ei prævalere, *Prima regula est: Quoties contrahuntur duo vincula æqualis potentiæ incompossibilia, primum præjudicat secundo*. 2. Si duæ obligationes inæqualis sunt vis, & hæc illius vim superat longe, ut votum solemne Religionis supereminet sponsalibus; semper majorem, licet posteriorem aliis præficere necesse est. *Secunda regula est, si duo vincula disparis potentiæ incompossibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte*. Quod hic S. Archiepiscopus probat Decretali Gregorii IX. (g), in quo utraque regula clare statuitur.

(f) S. Anton. 3. part. sum. theol. lib. 1. c. 28. §. 2.

(g) Greg. IX. in c. Si inter. 31. de sponsal. & matr.

In quæsito autem proposito duæ obligationes non sunt æqualis vis, aut, ut melius dicam, unica obligatio non juris naturalis resarcitur injuria virgini illata dedecoris labe, simulatione desponsationis, & professio Religionis est simplicis consilii. Unde concludendum Isidorum necessario teneri ad implendam sponsionem & servandum juramentum Apollinæ præstitum. Ea est sententia Sanchez (h), & complurium aliorum, quos laudat.

(h) Thom. Sanchez l. 1. de sponsal. disp. 44. concl. 1. & alii apud eum.

CASUS XLIII.

QUANDO Isidorus peccavit cum Apollina sponsa, causa refragandi sponsalibus erat justa ipsi, noscenti post ea contracta illam stuprum fecisse cum Jacobo exempli gratia. An continuo tenetur eam ducere, nec posse intrare Religionem?

RESPONS.

Peccatum præcedens ab Apollina perpetratum hoc in casu non sufficit Isidoro ut ingrediatur Religionem, & continuo tenetur eam ducere. Ratio est, quia peccans cum ea, conscius primi peccati censetur illi condonasse & concessisse jus expetendi sponsalium solutionem, ac proinde illi præfidere nequit. *Sponsus accedens carnaliter ad sponsam, censetur remittere jus rescindendi sponsalia ratione præcedentis causæ ignoratæ, vel subsequentis, si illius causæ tempore copulæ conscius erat*. Sic loquitur doctus Jesuita Hispanus (i), qui suam firmat sententiam collatione duorum matrimonio conjunctorum, quorum alter adulteratur, alter vero conscius concedit usum matrimonii; nam simul ut insons, criminis conscius requirit aut præstat debitum conjugale, excidit penitus jure discedendi, & censetur ei peccatum condonasse, & remisisse injuriam ipsi illatam. Unde sequitur idem de Isidoro dicendum, qui fornicatione cum ea facta, conscius idem jam fecisse cum Jacobo peccatum, innovavit & corroboravit hoc facto primam sponsionem.

(i) Th. Sanchez l. 1. de sponf. disp. 66. concl. 1. & 2. Et apud eum Ludovic. Lopez, Corduba & alii.

CASUS XLIV.

PUBLIUS Justinæ desponsatus in hæresim lapsus est. Num huic filiæ jus est sponsalium solutionem postulandi ut alii nubat?

RESPONS.

Certum est illi hoc esse jus: nam quando sponsorum alter in hæresim aut infidelitatem labitur, aut magus vel veneficus fit, alter sine injustitia negare potest complementum matrimonii. Ratio est, quia ipse matrimonio conjunctus potest legitime quoad thorum & cohabitationem relinquere horum reum criminum; ut docet S. Augustinus in Decreto Gratiani laudatus (k). Unde sequitur potiori ratione matrimonio non conjunctum coram Deo non teneri ad sibi adjungendum horum reum criminum; quum, jam matrimonio conjunctus, posset eam relinquere, & teneretur quibusdam in casibus, ut dicit idem Sanctus (l). Justina ergo potest & debet Publio negare nuptias in quæsito proposito, cum hæreticum connubio jungere non liceat Catholico, ut alibi demonstravimus.

(k) S. Aug. in can. Idololatria 5. & in can. Non solum. 6. 28. q. 1.

(l) Idem in cit. can. Non solum.

Sanctus Antoninus, Archiepiscopus Florentinus (m) novem casibus, in quibus sponsalia licet rescindere, accenset hunc sextum: *Sextus*, inquit, *si aliter eorum fuerit fornicatus post sponsalia: in quo casu licet alteri repellere fornicantem... & hoc de fornicatione carnali, & multo magis de spirituali, scilicet hæresi vel infidelitate*.

(m) S. Anton 3. part. Sum. Theol. tit. 1 c. 18. §. 1. cit.

Hæc sententia nititur effato jam a nobis constituto doctrina S. Thomæ omniumque Doctorum, tum Theologorum cum Canonistarum; nempe, quum notabilis supervenit mutatio in persona aut bonis alterius sponsorum, alter non tenetur fidem perficere. Quæ autem mutatio gravior & major quam veræ Religionis (n)?

(n) Panorm. in cap. Quemadmodum. supra cit. Fr. Sylvius in supplem. qu. 43. art. 3. Petr. Palud. in 4. dist. 28. q. 3. a. 19. Navarr. Man. c. 22. n. 17. Fr. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 7. c. 21. Sylv. de Prierio v. Sponsalia q. 10. §. Septimo. Dom. Sotus &c.

CASUS XLV.

RENAUDUS, Michaelidi desponsatus post sponsalia stuprum fecit cum Nicolaide: Peccavit etiam Michaelis cum Gervasio, & peccatum mutuum utrique innotescit. Hoc in casu potestne Renaudus Michaelidem rejicere, quia ejus crimini, quam suo, majus inest scandalum & gravior infamia?

RESPONS.

Renaudo & Michaelide ex æquo ejusdem infidelitatis reis, alter non potest alterum repellere, cum nihil alteri, cujus ipsemet sit reus, objicere possit: nam hujus eadem est ratio ac mariti & uxoris, qui adulterati sunt, quo in casu maritus negare uxori

ri suæ nequit debitum conjugale, nec ab ea discedere, etiamsi flagitium uxoris crimine mariti sit gravius. Item quamvis fornicarioni sponsæ major, quam stupro sponsi adhæreat infamia, huic fidem revocandi dictam non est jus, cum re & coram Deo æque reus sit ac sponsa.

Dictum confirmatur hac Juris regula, jam a nobis relata (*a*): *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cum fidem a se præstitam servare recusat*; & hoc Inocentii III. effato (*b*); *Cum .... paria delicta mutua compensatione tollantur*. Ea est sententia docti Paludani (*c*), quamvis adversetur quibusdam Theologis (*d*).

(*a*) Reg. 75. de reg. jur. in 6.
(*b*) Innoc. III. in cap. Intelleximus. 6. de adult. & stupro, & ibi Gloss. in v. Sponte.
(*c*) Patr. Palud. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. n. 17. v. Quarto.
(*d*) Thom. Sanchez l. 1. de spons. disp. 51. n. 9. & apud eum Henriques. l. 11. de matrim. c. 14. n. 6.

CASUS XLVI.

Gennadius Carolinæ desponsatus stuprum fecit occultum cum Joanna post sponsalia; ac proinde conscia peccati Carolina nuptias ei posset denegare. Gennadius reus potest ne Carolinam, sine ulla alia legitima causa adjuncta, compellere ad nuptias celebrandas, si gravetur?

Respons.

Respondemus Gennadium posse Carolinam adigere ad fidem datam præstandam; nam, licet reus, non tenetur sua sponte obire pœnam pro peccato sibi imponendam, potissimum quia non incurrit *ipso jure*, & Judicis est infligere pœnas, ut probat Glossa (*e*) pluribus Canonibus & Decretalibus. Desistens autem matrimonio in se adverteret ipse privatione commodi. Igitur quemadmodum filia, non virgo, & cujus peccatum occultum, non tenetur ob hoc matrimonio desistere quod sponsus cum ea contraxit, licet, conscius peccati re non teneretur ipsa, imo potest eum invitum compellere ad fidem datam præstandam; Ita Gennadius in casu proposito potest Carolinam impellere ad desponsationem perficiendam, non obstante peccato occulto, quum alias nulla causa legitima eximere queat.

(*e*) Glossa in c. Sicut 9. de Judæis & Saracenis v. Sine judicio. & in contrar. Antiquæ Joan. xxii. v. ast consentiendum.

CASUS XLVII.

Hermogenes, legitimo desponsatus modo Ameliæ, hanc filiam in fornicationem lapsam, post sponsalia, noluit accipere in uxorem, & matrimonium iniit cum Adriana, non curans Judicem Ecclesiasticum pronuntiare sponsalia Ameliæ dissoluto. Peccatne mortaliter?

Respons.

Quamvis Hermogenes ad literam non servaverit regulas Ecclesiæ ordinarias, non putamus eam culpam peccatum mortale habendam, nisi comes sit aut sequatur scandalum gravissimum. Asseri potest minori incommodo sponsalia dissolvi quandoque ea ratione, quam repetendo solutionem in foro exteriori. Exempli gratia, si Hermogenes persuasum haberet Ameliam, post sponsalia, stuprum fecisse, & auctoritate privata matrimonium iniens, vellet hujus filiæ honori prospicere, peccatum ejus non evulgando cujus argueret coram Judice: tunc enim observaret præceptum charitatis, quod vetat proximi famam lædere. Ea est sententia Sylvestri (*f*), a Navarro, ipsi suffragante, laudati (*g*).

Certum est tamen Hermogeni facile fuisse ut obediret Ecclesiæ regulis, & simul prospicere Ameliæ honori, ei clam aperiendo sibi pernotum crimen ab ea factum, & illi consulendo ut a Judice Ecclesiæ postulet ipsa solutionem sponsalium; eo enim in casu Hermogene libenter consentiente, Judex diceret sententiam conformiter Ameliæ petitioni, nec huic filiæ nota infamiæ inureretur, & huic viæ Hermogenes debebat potius insistere, quam ducere aliam auctoritate privata, ut comprobavit.

(*f*) Sylvester de Prierio v. sponsalia. q. 11. in fine.
(*g*) Navarr. Man. c. 22. n. 28. & 27.

Ceterum observare necesse est dicta intelligi de sponsalibus publicis: nam constat sponsalia clandestina & occulta posse per se dissolvi; quando justa est causa, nec necessario ad Ecclesiam recurrendum, ut docet Sylvius (*h*) cum duobus Canonistis modo laudatis.

(*h*) Fr. Sylvius in suppl. S. Thom. q. 43. art. 3. in fine Sylvest. & Navar. locis cit.

CASUS XLVIII.

Medardo Julittæ desponsato est causa legitima, qua desponsationem non absolvat. Tenetur ne, causa omnibus nota, recurrere ad Judicem Ecclesiasticum ut solutionem sponsalium roget, & omittens est ne reus peccati?

Respons.

Auctores quidam, Sylvester & Navarrus (*i*) tuentur ad solutionem sponsalium necessariam non esse auctoritatem Judicis Ecclesiastici, quam adest causa, justa & notoria, nisi sit scandali metus. Ratio, quam nonnulli apponunt Doctores, est quia de sponsalibus judicandum ut de pacto consociationis. Auctoritas autem Judicis, inquiunt, non est necessaria ad pactum consociationis tollendum: sponsalia igitur possunt solvi sine ullo Superioris Ecclesiastici judicio. *Quin & generaliter dici potest, ait Navarrus (K), quod in nullo casu, in quo causa dissolvendi sponsalia est manifesta, tam quoad veritatem, quam quoad justitiam, prædicta Ecclesiæ auctoritas non requiritur: quia tales ab ipso jure dissolvuntur.*

(*i*) Sylvester de Prierio v. sponsalia q. 21. Navarr. ait. & apud eum Hostiensis, in sum. de sponsalib § fin. & Joan. Andr. in c. De illis de condit. appositis &c.
(*k*) Navarr. Man. c. 22. n. 18.

Alii Auctores, quorum sententiam putamus priorum sententiæ anteponendam, docent non posse sponsalia sine peccato dissolvi, valide contracta, nisi auctoritate Judicis Ecclesiastici, exceptis casibus, de quibus dicemus in sequentibus.

Ea est sententia Glossæ in Decretali Innocentii III. (*l*), quæ probat alio Decretali ab Alexandro III. ad Episcopum Bathoniensem scripto (*m*), in quo hic Pontifex, agens de desponsato ante pubertatem, & repugnante sponsalibus, postquam hanc attigit ætatem, dicis ea posse dissolvi auctoritate Ecclesiæ. *Si is qui minoris ætatis est, cum ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit consentire, judicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari.* Sic disserit hic Pontifex. Et quidem hoc observatur nunc in omnibus fere Diœcesibus, juxta institutum complurium Conciliorum, & præcipue Carnutensis an. 1520. habiti.

(*l*) Glossa in c. Ex parte 14. de restitut. spoliat. v. Nondum liber. tit. 13.
(*m*) Alex. III. in c. De illis 7. de desponsat. impub. Lib. 4. tit. 2.

Primaria ratio, cui hæc innititur sententia, est cum sponsalia sint inchoatio Sacramenti matrimoni, *sponsalitium inchoatio quædam est conjugii*, ut dicit Cardinalis Cajetanus (*n*), ea esse æque Juris publici ac separationem conjugii. Separatio autem conjugii quoad thorum & cohabitationem simul, est jurisdictionis fori publici, nec potest effectum sortiri auctoritate privata, sed solum Ecclesiastica, ut mandat vetus Concilium Agathense an. 106. (*o*) Ergo contractus sponsalium potest solum solvi causa justa & ab Ecclesia probata, ut manifeste patet Decretali Clementis III. (*p*).

(*n*) Thom. de Vic. Card. Cajet. in 2. 2 q. 154 art. 4.
(*o*) Conc. Agath. in can. Sæculares 3. 13. q. 2.
(*p*) Clem. III. in c. Duo pueri ra. de desp. impub.

Nihilominus in certis casibus solutis *ipso jure* auctoritas Judicis Ecclesiastici non est absolute necessaria ad solutionem sponsalium. Primum est, quando alter sponsorum statum amplexus est Religiosum. Secundus, quando alter Matrimonium cum alio contraxit, ut notat Glossa (*q*), quæ habet: *Sponsalia dissolvi debent judicio Ecclesiæ tantum, nisi fortius vinculum superveniat, puta Matrimonium cum alio, vel votum solemne; quia tunc ipso jure solvuntur.* Quod ponit in Decretali Gregorii IX. (*r*) & in Canone cujus verba aliud efficiunt Decretale, legendum in compilatione ejusdem Pontificis jussu edita (*s*).

(*q*) Gloss in c. 13. cap. De illis 7 de despons. impub. v. Judicio Ecclesiæ.
(*r*) Greg. IX. in cap. Si inter 3. de sponsal. & matrim.
(*s*) Can. Duobus fin. 27. q. 2. &c. Duobus 1. de sponsa duorum.

Sanctus Thomas (*t*) quando dicit: *In omnibus prædictis casibus sponsalia dirimuntur, sed diversimode: quia in duobus, scilicet cum quis ad Religionem confugit, & cum alter conjugium cum altero per verba de præsenti contrahit ipso jure sponsalia dirimuntur: sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiæ.* S. Antoninus (*u*), & post eum Baptista Trovamala in Summa, cujus titulus Rosella, adjungunt tertium casum, cui dirimendo existimant necessariam non esse auctoritatem Ecclesiæ, nempe quando fornicatio est manifesta. Alii quartum attexunt, scilicet cum post sponsalia deprehenditur impedimentum dirimens cognationis aut affinitatis. Denique alii quintum annectunt, videlicet cum sponsus Sacro initiatus fuit Ordine.

(*t*) S. Thom. in 4. dist 27 q. 2. art. 3. in corp. Item quodlibet 4 art. 13. ad 19.
(*u*) S. Anton. 3. part. sum. Theol. tit. 1. c. 11. §. 1. in fine. Et Bapt. Trovamala in Rosella v. sponsalia n. 9.

Omittendum non est Sylvium indicare post San-

Ctum

(a) Si sponsalia omnino essent clandestina, etiam sine jud. Ecclesiæ possunt dissolvi.

ctum Antoninum (a), quum sponsalia sunt omnino occulta, nec cum ritu contracta coram Parocho, necesse non esse, ut dissolutio a Judice judicetur, cum nullum inde scandalum oriri possit, & præterea Ecclesia non judicet de sibi ignotis.

CASUS XLIX.

Adriana, Eduardo desponsata, & aliquanto post lapsa in stuprum cum Arnaldo, Eduardus ei significavit coram Parocho se desponsationem cum ea contractam revocare, quia ipsi erant indicia manifesta infidelitatis. Num sufficit hæc significatio; & Parochus an censetur hac in re Superior legitimus?

RESPONS.

Significatio, ab Eduardo indicata sponsæ, non sufficit ad solutionem sponsalium. Ratio est, quia Superior legitimus hac in re solus habetur Episcopus, aut ejus Officialis, aut alius ab eo delegatus: Parochus censeri nequit Judex competens hac in re; quia destitutus omni jurisdictione in foro exteriori, nullum potest dicere judicium Juridicum. Ea est decisio illustris Paludani (b), cui suffragantur Sanchez, Aloysius Riccius, & alii.

(b) Petr. Pal. in 4 d. 27 q. 1. n. 28. qu. 1. sub finem concl. 5. Th. Sanchez l. 1. de sponf. disp. 69. concl. ult.

CASUS L.

Philogonius & Lævia, qui consenserunt in Matrimonium coram Sacro Sacramento, & juramento firmarunt mutuum consensum, vocando testem Jesum Christum præsentem, postea consuetudine clandestina usi sint plurimum, & peccarunt simul pluribus vicibus. Parentes Philogonii, hujus consuetudinis moniti, eum Moguntiis transmiserunt Taurinum, obtendentes eum commercio suo daturum operam. Philogonius, profecturus innovavit Læviæ consensum, quæ affirmavit se præstituram in fide ei data. Frequentes Taurini morans dedit litteras ad hanc filiam per biennium, semper affirmans se illi fore fidum; sed postea sex circiter anni elapsi sunt sine ullis litteris aut nunciis ab eo acceptis. Qua de re quæritur num, his in circumstantiis, possit sine crimine perjurii, sine longiori mora & sine monitis, ad Philogonium missis nubere ad divitias maximas sibi præientes, & num, si possit, absolute sic, ut obtineat laxamentum jurisjurandi?

RESPONS.

Lævia, quæ speravit per longius tempus complementum fidei sibi a Philogonio datæ, nec a sex annis ullos ab eo accepit nuncios, potest sine peccato nubere præsenti, nec tenetur eum monere, quia jure merito conjicit illi novum esse amorem, & remisisse jus eam ducendi. Et quidem nec Canones, nec Leges neminem compellunt, hoc in casu, ad longum tempus.

Verum est Leges definivisse biennium in gratiam absentium, qui in eadem habitant Provincia; & triennium (c) in gratiam absentium, qui in duabus morantur Provinciis dissitis: sed nulla longius requirit tempus. Ita ut, etiamsi leges Romanæ hunc in articulum usu essent receptæ in patria Læviæ, nunc omnino solveretur sua sponsione, & posset alii nubere, cum non tres, sed sex anni & plus effluxerunt, nec juste devinciatur per vitam ea desponsatione, cui facere per eam non stetit satis.

(c) Leg. sæpe 2. Cod. de sponsal. & leg. Liber. 2. Cod. de repud. l. 5. t. 17.

Huic decisioni patrocinatur Decretale Alexandri III. ad Archiepiscopum Palermitanum scriptum, in quo statuit hic Pontifex, quando promittentes jurejurando accipere uxores, e regione exeunt, iis insciis, has mulieres posse, sine longiori mora, aliis nubere. *De illis autem*, inquit hic summus Pontifex (d), *qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea, iis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferrentes; hoc tibi volumus innotescere, quod liberum est mulieribus ipsis...ad alia se vota transferre.*

(d) Alex. III. in c. de illis, 5. de sponf. & matrim.

Verum est Philogonium e terra non exivisse, Lævia inscia, sed vicissim octennium speravit completum, & patienti animo per sex annos caruit ejus fama, & ægre tulit se ipsi non esse cordi, quum nullas dederit litteras, nec quicquam de eo accepit tamdiu. Æquum est igitur, ut ipsi perfecta concedatur facultas nubendi præsenti, id est, non teneretur Philogonium monere consilii, nam, si teneretur, verum non diceretur sibi hanc esse libertatem designatam his Decreti verbis: *liberum erit mulieribus ipsis...ad alia se vota transferre*: his verbis consensum absentis excludentibus, ut & reditum, ut observant doctissimus Episcopus Segoviensis, Covarruvias, & Sanchez (e), qui subjungit alias filiam subire periculum incontinentiæ mora longiore & iniqua; præterea occasionem forte fugere, ne nubat ad opes maximas.

(e) Didac. Covarr. a Leyva p. 1. variar. ref. de sponf. in cit. c. de illis §. 1. n. 7. Th. Sanch. l. 1. de sponf. disp. 44. n. 6 & plures alii apud eum.

Tandem Læviæ non est necesse obtinere a superiore Ecclesiastico laxamentum jurisjurandi, nisi desponsatio apud omnes innotuisset, nec alteri posset nubere sine scandalo (f). Quod indicat idem Decretale, a nobis laudatum, in quo non mandat Pontifex, ut, in eo casu, mulier impetret laxamentum jurisjurandi, sed solum, si per eam steterit, ne matrimonium perfectum fuerit, pœnitentiam peccati agat: *Recepta de perjurio pœnitentia, si per eam stetit, quominus fuerit matrimonium consummatum.* Eamdem fere decisionem annexuit Sylvius huic difficultati 28. Augusti 1643. (g).

(f) Idem Sanchez ib. n. 18. Dom Sot. in 4 d. 27. q. 2. art. 5 Basilius Pontius l. 12. c. 28. & alii.

(g) Fr. Sylv. ref. var. v. Matr. 17.

CASUS LI.

Ludovicus & Lydia cum consenserint in matrimonium mutuum intra semestre consummandum ad summum, Ludovicus per annum circiter Lydiam non invisit, nec ei testatur, sive viva voce, sive litteris, se perstare animo fidem datam præstandi; Lydia, tam negligenti irata, spondet alii, sed Ludovicus, accipiens, intercedit matrimonio contrahendo contra fidem sibi datam. Teneturne conscientia ejus cedere intercessioni?

RESPONS.

Lydia non tenetur deferre intercessioni, quam Ludovicus posuit matrimonio, cum alio contrahendo: 1. Quia tempus, quod fixerat cum hac filia tanquam terminum suæ desponsationis effluxit, nec quicquam molitus est ad fidem præstandam. 2. Quia, neglecta tamdiu Lydia, urgentissima est conjectura eum alio esse animo, & illam spernere, ac proinde illi remisisse sponsionem. Ea est decisio Innocentii III. (h) qui dicit: *Ubi terminus apponitur, ultra terminum non tenetur ad contrahendum: alias nihil operaretur appositio termini.* Cui congruunt Glossa (i), Sylvester de Prierio, Navarrus, Sylvius, & Sanchez, qui, præter sanctum Thomam, laudat quindecim Auctores tum Theologos, cum Canonistas, omnes idem docentes, & inter alios, sanctum Antoninum, Paludanum, & Dominicum Sotum (K).

(h) Inn. III. in c. sicutaa. de sponf. & matrim.

(i) Glos. in cit. c. sicut v. terminum. Sylvest. v. sponsalia q. 10. §. quinto Nav. man. c. 22. n. 27 Fr. Sylv. in suppl. S. Th. q 43. a. 3. Th. Sanchez l. 1. de sponf. disp. 54. n. 4.

(k) S. Ant. 3. p. sum. th. t. 1. c. 18. §. 1. in fine Pet. Pal. in 4. d. 27. q. 1. ar. 3. cas. 4. n. 20. Dom. Sotus ib. q. 2. art. 5. cas. 5

CASUS LII.

Sebastianus, Monicæ desponsatus, abivit negotiaturus aut iter facturus in regione admodum dissita, huicque ne verbum quidem dixit filiæ, & abest a longissimo permultis annis tempore. Monica potestne, hoc in casu, petere a Superiore legitimo solutionem sponsalium, & facultatem alii nubendi?

RESPONS.

Monica potest haud dubie solutionem sponsalium cum Sebastiano contractorum requirere, quum regionem secesserit remotam, ea inconsulta, nec ejus consensu ab ea impetrato, & jam diutissime abest. Ea est decisio expressa Alexandri III. in Decretali ad Archiepiscopum Palermitanum data, & legenda in Responsione ad quinquagesimam difficultatem, quæ huic convenit. Albertus Magnus, sanctus Thomas, sanctus Antoninus, Panormitanus, Navarrus, Sylvius, Toletus (l), & innumeri alii idem unanimes docent.

(l) Alb. magn. in 4. d. 27. a. 16. casu 2. S. Th. ead d. q. 2. a. 3. ad 2. S. Ant. cit. loc. Panor. in c de illis; de sponf. & matr. Nav. man. c. 22. n. 26. Fr. Sylv. in suppl S Th. q. 43. a. 3. Fr. Tolet. instr. sacerd. l. 7. c. 21.

CASUS LIII.

Si Sebastianus petivisset regionem non admodum dissitam a loco, in quo Monica certam sedem habet, possetne etiam rogare sponsalium solutionem, si abiisset absque ejus consensu?

Re-

RESPONS.

Videtur hoc in casu justum, ut moneat sponsum reducem, aut saltem ei innueret juxta formam, si non redox definito tempore esset, in matrimonium bene collocaturam; & runc, si negligeret reditum, posset adire Judicem Ecclesiasticum, ut sua auctoritate definiret tempus congruens, quo elapso sine Sebastiani responso nec satisfactione præstita mandato Judicis ipsi in manus dato, censeretur illi concedere sponsionem & efficere facultatem alii nubendi: Hæc est sententia sancti Antonini, qui postquam dixisset præsenti, secundum sanctum Raimundum, non esse ultra biennium exspectandum absentem, juxta leges Civiles, subjungit posse judicem tempus contrahere, præfiniendo diem reditus: cui consentit Cardinalis Hostiensis (a) i *Tamen, secundum Hostiensem, Judex poterit prolongare, vel abbreviare tempus, inspecta qualitate personarum.*

(a) Ant. cit. 3. p. t. 2. c. 15. §. 1.

Necesse est observare, si in duobus casibus præcedentibus, sponsus abesset, consentiente sponsa, tunc, secundum quosdam Auctores, (b) observandam esse dispositionem legum Romanarum in decisione quinquagesima laudatarum, quæ significant, si sponsus moretur, saltem ut omnes ajunt, in eadem Provincia, quam incolit sponsa, nec certa sit notitia sedis, ipsi expectandum esse per biennium ejus reditum; & si in alia commoretur Provincia, per triennium manendum esse: cui sententiæ adversantur plures alii inclyti Doctores (c), & ex illis Cardinalis Joannes Antonius a sancto Gregorio, Major, Dominicus Sotus, Didacus Covarruvias a Leyva, Angelus de Clavasio, & complures alii, qui tuentur non esse districtius his obediendum legibus, idque statuendum a Judice Ecclesiastico, ut dicit Cardinalis Hostiensis; quod videtur multo magis justitiæ & rationi consentaneum. Id est quoque usu receptum in Gallia.

(b) Henr. Card. Episc Hostiensis in cit c. de illis 5. de spons. & matr. Joan. And. ib. Syl. de Prier. v. spons q. 10. § 4. & alii.

(c) Prop. in cit. c. de illis. Joan. Major. in 4. d. 27. q. 3 cas. 10. Dom. Sot. ib. q. 4. a. 5. casu. 10. D. d. Cov. de spons. 2. p. c. 3. §. 7. Angel. de Cl. v. spons. & alii.

CASUS LIV.

Sempronio & Simonida a septem aut octo mensibus desponsatis, Sempronius dicit quidem se Simonidam ducturum, sed varia obtendens semper protrahit. Simonida, hoc in casu, potestne fidem perdere, & alii nubere, tandiu delusa falsis hujus viri dictis?

RESPONS.

Respondemus, ut res firmiter procedat & ex regulis justitiæ, in casu proposito, Simonidæ vocandum Sempronium, sponsum, ad superiorem legitimum, & judicio ejus obediendum, sive morando tempore præstituto, sive nubendo alii sine ulteriori mora, si hic Superior ipsi eam concedat facultatem. Sententia nititur nostra hoc Glossæ effato (d): *Nec sua causa quis potest esse Judex*: quæ legi concordat, quæ habet (e): *Lege generali decernimus neminem sibi esse Judicem*: æquum enim non est, ut in quæsito, in quo sponsalia sunt valida quæ nullo jure rescindit nulla Simonida. Si cujus interest, sibi jus dicat ipse, sine refugio ad auctoritatem superioris, cujus est dignoscere.

(d) Gl. in c. de occid. 6. 21. q. 5 v. pro le.

(e) Lex. gen. unic. cod. ne quis in sua caus. judicet, vel jus sibi dicat.

CASUS LV.

Florinus peccavit cum Constantia. Pater hujus filiæ advertens eam gravidam, frustra omnem movit lapidem, ut eam duceret. Sed quia Florinus, eam accepturus, non corruperat, & præterea longe nobiliori genere erat natus, semper restitit acriter omnibus tentationibus hanc in rem adhibitis, dicens, ut rejiceret nuptias, parentes suos, quibus placere pluris intererat nunquam consensuros. Tandem pater filiæ promisit Florino se tantam dotem additurum filiæ, ut parentes sibi adjumento esse non foret necesse; pollicitus est sincere & aperte sa Constantiam ducturum, coram Parocho spopondit & corroboravit juramento, Deum vocando testem sinceri promissi. Quo præstito, ursit patrem per plures menses, sine successu, Qua de re quæritur num Florinus teneatur conscientia, præsertim ob juramentum, hanc accipere filiam in uxorem, licet pater ejus promisso non steterit; & offerat tertiam dotis promissæ partem?

RASPONS.

Existimamus Florium, in quæsito proposito, non teneri conscientia ad ducendam Constantiam. Ea est sententia Sylvii, cui 22. Januarii 1616. proposita fuit similis quæstio (f). Ratio, quam apponit hic doctus Theologus, est, quia qui pollicetur & promissum firmat juramento, intendit se devinctum hac lege tacita, qua opponens aliud promissum facturus est, ut promissa appareant, quo deficiente censetur nolle; *quia solum promisit, eorum præviis attractus promissionibus*, inquit hic auctor.

(f) Fr. Syl. ref. variar v. Promissio matrimonii.

Navarri (g) eadem est sententia: nam verbis dicit claris, promissum non obligare, cum is, cui factum est, promisso non facit ipse satis, & quod vera fuit causa promissi. *Si altera pars*, inquit hic Canonista .... *pro sua parte non impleat id, cujus causa promissio facta est*: quia, ait paulo post, si qui pollicitus est, prævidisset nullam executionem promissi mutui, nequaquam pollicitus esset. *Judicio prudentis viri, consideratis negotii circumstantiis, nequaquam promisisset, si illud præcogitasset.*

(g) Nav. man. c. 18. num. 7.

Angelus de Clavasio (h), & Sylvester de Prierio (i) idem docent cum pluribus aliis. Navarrus & Sylvius suam firmant sententiam his verbis Decretalis Pontificis, ad Regem Galliæ scribentis (K): *Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento vel fidei obligatione, interposita conditione, firmasses, aliquatenus teneris, si constat, eum conditioni minime paruisse.* Verum hæc verba supponunt Regem illum promisisse cum conditione, & in quæsito, cui respondemus, videtur Florinus promisisse & jurasse absolute: sed evidentissime patet, ut notat Sylvius, causam qua promisit juramento se Constantiam ducturum, esse promissum mutuum a patre filiæ factum, quod proinde habet pro conditione, saltem tacita, quod sufficit. *Quamvis enim Titius eum juramento promiserit sine conditione*, inquit hic Theologus, *causa tamen, quæ eum induxit, vel habet rationem cujusdam tacitæ conditionis in ipsius intentione, vel est ejusdem virtutis.*

(h) Angel. de Clav. v. Juram. 5. q. 17. & 18.

(i) Sylv. v. Juramentum 4. q. 22.

(k) Cap pervenit 3. de jurejur. l. 2. t. 24.

CASUS LVI.

Antonius & Reinelda desponsati, amicitia mutua aliquanto post oblanguescente, consenserunt mutuo non plus ultra, & remiserunt vicissim consensum sponsalibus contractum. Num potuerunt sine peccato desistere sua auctoritate privata & sine judicio Superioris Ecclesiastici?

RESPONS.

Duo hi potuerunt consensum mutuum, sponsalibus contractum, licet juramento firmatum libenter remittere. Quod definivit Innocentius III. ad Episcopum Exoniensem scribens (l)? *Si autem se ad invicem admittere voluerint*, inquit hic Pontifex, *ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habeat, videtur, quod ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.*

(l) Inn. III. in c. præterea 2. de spons. & matrim.

Ratio, quæ subjungi potest, est quia fides & jusjurandum censentur præstita ad amborum commodum mutuum. Ideo simul ac libere & sine ulla coactione nec fraude innuunt remittere fidem mutuam, & eam habere utilem, fides & juramentum non amplius ligant.

Hæc decisio ista nititur Juris regula (m): *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Quod intelligitur de quibusvis contractibus, excepto matrimonio, indissoluto, quia Sacramentum est, exprimens 1. Unionem hypostaticam naturæ divinæ, & humanæ, indivisam, juxta hæc verba: *Quod semel assumpsit, nunquam dimittit.* 2. Unionem Jesu Christi cum Ecclesia, etiam indissolutam, juxta alia Domini nostri verba

(m) Reg. 1. de reg. jur. apud Gr. IX. l. 5. Dec. t. 4.

ba (a): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*. Sanctus Thomas, Sanctus Antoninus, Paludanus, Panormitanus, Durandus, Covarruvias, Navarrus, Toletus (b), consent idem quod statuimus.

Verum nonnulli Auctores (c) asserunt juramentum esse in caussa, ne sponsalia solemniter contracta, sic solvantur solo partium consensu. Sed hoc constat quando promissum ad instar juramenti præstitum, directe ad Deum, & indirecte solum ad hominem tendit, ac si Antonius diceret: *Tibi promitto, mi Deus*, aut: *promitto Deo me ducturum Raineldam in uxorem*: hoc enim in casu Raineldæ non esset facultas dissolvendi fidem Antonii: *Tunc ille, cui promittitur*, inquit Sanctus Thomas (d), *non potest absolvere promittentem: quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo*. Ideo hoc in casu qui sic ligatus est, superiorem Ecclesiasticum adire debet ut sua solvatur fide: & quidem ex regulis in Ecclesia usu receptis, dispensati in quibusvis promissis, suum remissuri consensum mutuum, Officialem debent convenire ut pronuntiet solutionem sponsalium, ut probamus synodo Carnutensi ann. 1526. cui adjungimus Synodum Parisiensem ann. 1557. quæ, excommunicationis pœna, alium prohibet usum; quod intelligitur solum de casibus, in quibus sponsalia publica & solemnia non rescinduntur *ipso jure*; prout adnotat sanctus Thomas (e), tunc enim non est necessaria Judicis sententia.

(a) Matth. 28. v. fin.
(b) S. Th. in 4. d. 27. q. 2. a. 3. ad 5. S. Ant. 3. p. sum. Th. t. 1. c. 18. §. 1. Petr. Pal. in 4. d. 27. q. 1. n. 28. Nicol. de Tudesch. Ar. Panor. in cit. c. Prat. Durandus in 4. eod. d. 27. q. 3. Cov. 1. p. de sp. c. 5. nu. 1. Navar. Man. c. 22. n. 27. Fr. Tolet. Inst. sacer. l. 5. c. 21. &c.
(c) Sylv. de Prierio v. sp. Dom. Sot. & Joan. Med.
(d) S. Th. 2. 2. q. 89. ar. 9. ad 2.
(e) Idem in 4. cit. d. 27. q. 2. art. 3. in corp.

CASUS LVII.

HUBERTO & Andreide desponsatis, Andreis, quam Hubertus a postero sponsalium die donaverat horologio manuali pyxidi argenteæ incluso, & texto denticulato tenui ob triginta dupliones, renuens postea ei nubere; Hubertus, qui hæc largitus est munera ad instar arrhabonis fidei suæ, contendit eam teneri ad restitutionem. Tenetur ne conscientia? Num etiam teneretur, si vellet ei nubere, & ipse nollet ex inconstantia?

RESPONS.

Dicimus, ad primam quæstionem, Andreidem procul dubio teneri conscientia ad restituendas arrhas ab Huberto acceptas, si renuenti illi nubere sit caussa legitima, ut, exempli caussa, peccatum fornicationis contra fidem sponsalium factum, quo in casu non teneretur ad restitutionem earum, quum hoc in casu nollet jure ei nubere, & censeretur, violatione fidei lubens amittere arrhas concessas.

Quoad secundam quæstionem, constat Hubertum, renuentem sine causa legitima fidem exsolvere, perdere munera Andreidi oblata vi sponsalium & in futurum matrimonium. Ea est decisio legis (f) cum qua sentiendum, legibus Ecclesiasticis nihil oppositi statuentibus. Quod etiam docet sanctus Antoninus (g), qui eidem legi, in margine indicatæ, innititur. *Arrhæ sponsalitiæ*, inquit hic Sanctus Archiepiscopus, *ab ea parte quæ caussam præstat ut nuptiæ non sequantur, amittuntur. Receptæ vero restituuntur in duplum*. Quæ postrema verba intelliguntur, solum *post condemnationem a Judice latam*. Si ampliora desiderentur argumenta hujus decisionis, videndus Sanchez, qui fuse disserit hac de re (h) & laudat permultos Doctores, idem sentientes.

(f) Leg. Arrhis 3. cod. de sp. & arr. sp. & prox. l. 5. t. 1.
(g) S. Ant. 3. p. sum. Th. t. 1. c. 18.
(h) Th. Sanc. l. 1. de sp. disp. 36. & disp. 68. n. 10. Et qui cum eum Hostien. Abb. Præposi. Ang. Syl. Cov. & alii plur.

CASUS LVIII.

MARTINUS & Joanna desponsati sunt; & certam sunt stipulari pœnam, ferendam ab alterutro qui alterius rejiciet connubium; Martinus non vult ad matrimonium procedere. Joanna nonne exigit jure ut hanc ferat pœnam, in solutionem mille librarum sitam?

RESPONS.

Joanna non exigit jure ut hanc solvat pecuniæ summam Martinus. Ratio est, quia quævis pœnæ stipulatio, sive pecuniaria aut alia, quæ supervenit inter duos consentientes in matrimonium mutuum, est nulla.

Primum argumentum, quod subjungi potest, deducitur a legibus Romanis, quarum decisiones merentur observantiam: *Venerandæ Romanæ leges*, inquit Pontifex Nicolaus I. (i) Sic habet hanc in rem quæ lex digestorum (k): *Respondent ex stipulatione quæ proponeretur: cum non secundum bonos mores interposita sit agenti exceptionem doli mali obstituram: quia inhonestum visum est vinculo pœnæ matrimonia obstringi, sive futura, sive jam consecuta*. En verba legis recentioris (l): *Libera matrimonia esse antiquitus placuit: ideoque pacta ne liceret divertere, non valere, & stipulationes, quibus pœnæ irrogantur ei qui, quæve divortium fecisset, ratas non haberi constat*.

Secundum desumitur argumentum a jure Canonico, quod hac in re convenit cum legibus Civilibus, & eas firmat. Quod videre est Decretali Gregorii IX. (m) qui dicit: *Cum itaque libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda: mandamus quatenus, si ita est, eumdem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica censura compellat*. Hi Textus adeo clari, ut nulla indigeant explicatione, & demonstrant aperte alterum sponsorum, nolentem matrimonio se conjungere cum altero licet destitutum caussa, non teneri ad ferendam inter se stipulatam pœnam.

Gregorius IX. & leges laudatæ indicant, rationem qua hujusmodi stipulationes sunt nullæ, statuentes eas perfectæ matrimoniorum libertati repugnare. Et quidem illæ alterum sponsorum compellerent ad alterum ducendum, metu pœnæ inter se stipulatæ patiendæ, & aut cognatus, hanc pœnam ejus nomine stipulatus cogeretur ad eam obeundam. Idcirco, licet juramento firmatæ, nunquam tenent, nec in foro interiori, nec in exteriori; cum non liceat jusjurandum servare præstitum ob rem a legibus Ecclesiasticis vetitam, nec efficiendam sine peccato saltem veniali.

Eamdem huic difficultati decisionem apponit S. Thomas (n): *Quandoque autem*, ait hic sanctus Doctor, *apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ: & tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat; nec potest exigi pœna ab illa ab eo qui non vult matrimonium complere*. S. Antoninus sequitur sanctum Thomam dicentem (o). En verba ejus, quibus decisioni finem imponimus: *licet sponsalia possint contrahi sub conditione promisse pecuniæ, non tamen potest pecunia promi ti per modum pœnæ: & si promissa fuerit, non tenet promissio: nec potest peti, ut si dicatur: Nisi tecum contraxero, dabo tibi centum marchas: nam conjugia debent esse libera* (p).

(i) Nicol. I. in can. ita 1. 30. q. 3.
(k) Leg. Titia 133. ff. de ver. obl. l. 45. t. 1.
(l) Leg. Libera 2. cod de inutilib. stip. 1. 8. tit. 39.
(m) Gr. IX. in c. Gemma 29. de sponsal. & matr.
(n) S. Th. in 4. d. 27. q. 2. ar. 3. ad.
(o) S. Anton. 3. p. sum. th. t. 1. c. 18. init.

CASUS LIX.

DIONYSIUS, re admodum tenui, desponsaturus Nœlidi, filiæ ditissimæ, stipulari intendit fore ut, si conjugium non impleatur fine peccato, quod in ipso residet, teneatur detrimentum, ex lucro cessante oriundum, resarcire, hoc est, privatione commodi, quod illud peperisset matrimonium, si completum fuisset. Hæc stipulatio est ne æqua?

RESPONS.

Hanc stipulationem esse iniquam certum est, nec Nœlidem teneri ad damnum eo modo resarciendum. 1. Quia nullum habet jus commodum hoc ante celebrationem nuptiarum. 2. Quia ea stipulatio perfecte adversatur libertati, qua conjugia contrahi debent; cum ea forsan, a qua alter peteret hanc damni compensationem, consentiret in matrimonium, invita & metu coactionis. Et quidem absolute loquendo stipularetur pœna pecuniaria, quæ nunquam licita est in matrimonio, ut jam demonstravimus. Sanchez hac de re copiosissime disserens (q), & sententiam, quam tuemur probans innumeris auctoritatibus, quas recensere piget, idem subjungit argumentum (r): *Ne timore pœnæ coacte ineatur* (matrimonium), & dicta firmat his Decretalis Gregorii IX. verbis, jam relatis: *Cum itaque libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio, propter pœnæ interpositio-*

(p) Panor. in cit. c. Gemma Barthol. in l. Titia cit. Caj. v. sp. Fr. Syl. in supp. S. Th. q. 43. ar. 1. & apud eum Cam. an. 1601. Ang. de Clav. Covar. & alii communiter.
(q) Th. Sanc. l. 1. de sp. dis. 30 21. & 30.
(r) Idem cit. d. sp. 30. conclus. 2.

positionem, sit merito improbanda: mandamus, quatenus si ita est, eumdem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica censura compellas (*a*).

(*a*) Gr. IX. in c. *Gemma* ap. de spon. & matrim.

CASUS LX.

JULIA, Thomæ desponsata, potest ne pecuniæ summam accipere, ob damnum, quo eam afficit Thomas, injuste rejiciens nuptias?

RESPONS.

Non dubium quin Julia jure accipiat per modum damni compensationis pecuniæ summam a Thoma oblatam. Nam æquum est, exempli gratia impensas legitimas, ob sponsalia factas, refundi a negante, sine justa caussa, & fidei complementum; & desiderans conjugium potest hanc ob rem ad Judicem vocare renuentem, & ab eo accipere summam, cui renuens addicetur sententia latura. Diximus: *per modum damni compensationis*, id est, posito Juliam re affectam fuisse damno reali: nam si nullum sit passa detrimentum, nihil a Thoma exigere aut accipere potest.

Vide { DONATIONEM. IMPEDIMENTUM MATRIMONII IN GENERE. FORNICATIONEM. }

STABULARIUS.

STABULARIUS is est, qui cauponam occupat, id est, domum, aut tabernam, ad quam viator divertit & cibo utitur, pretio soluto.

Hi Caupones persæpe præstare debent sarcinas & alia viatoribus apud se divertentibus propria.

Dicimus *persæpe*; quia quandoque occurrunt circumstantiæ, eos ab hoc officio eximentes: exempli caussa, si viator mane exeat cubiculo, & clavem tradat Stabulario, hic præstare debet pecuniam aut sarcinas in eo sitas, & ablatas; potissimum si sera non fuit depravata, sed si viator is clavem seræ inhærentem, aut januam cubiculi patentem reliquerit, nec ejus monuerit Stabularium, non habet actionem in eum, & damnum suæ debet tribuere imprudentiæ, immo conjicere licet ipsum petita avertisse.

Quia hi Stabularii sæpe impares sunt ipsi officio suo faciendo, & illis necessaria est opera vicariorum & domesticorum, æquum est ut bonam præstent eorum fidem, ut & familiarium: *Caupo*, habet Lex (*b*), *præstat factum eorum, qui in ea caupona, ejus cauponæ exercendæ caussa, ibi sunt*. Alia Lex hanc subjungit rationem: *quia is, qui eos bujusmodi officio præponit, committi eis permittit* (*c*).

Stabularius non modo tenetur culpa, in Jure dicta, *lata & levi*, sed & *levissima*, & eximitur solis casibus fortuitis, quibus vigilantia occurrere nequit: *Hoc edicto omni modo qui recepit tenetur, etiamsi sine culpa ejus res perierit, vel damnum datum est, nisi si quid damno fatali contingit*. Sic habent Leges (*d*), quæ hanc apponunt rationem: *Maxima utilitas est bujus Edicti: quia necesse est plerumque eorum fidem sequi, & res eorum custodiæ committere; neque quispiam putet graviter hoc adversus eos constitutum. Nam est in ipsorum arbitrio, ne quem recipiant; & nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus adversus eos, quos recipiunt, coeundi; cum ne nunc quidem abstineant bujusmodi fraudibus* (*e*).

Dicta intelliguntur de eo quod geritur in caupona; nam si hi domestici alibi furta facerent, Stabularius non teneretur (*f*). Vide titulos *Caupo & Caupona*, qui in pluribus conveniunt.

(*b*) Leg. unica §. fi. ff. furtis adver. Nautas, Caupones Stabul. lib. 47. t. 5.
(*c*) Leg. *Ait Prætor*. 1. paragr. 3. ff. Nautæ, Caupo. &c. l. 4. t. 9.
(*d*) Leg. *Et ita* 3. §. 1. ff. idem t.
(*e*) Cit. Leg. *Ait Prat*. 1. §. 1. ff. eod. t. Item Leg. *Nautæ* 5. eod. tit.
(*f*) Leg. *Debet*. fin. ff. eod. tit.

CASUS PRIMUS.

ALBERTUS, in Gallia iter faciens, devenit in Cauponam, a Macæo occupatam, in qua pernoctat. Equo stabuli præposito & vidulo ancillæ, in cujus erant claves cubiculorum, commissis; accipit postero die mane ignotum noctu venisse, & stabulo non clauso, equum subduxisse; advertit etiam suum vidulum reclusum, e quo subtractum textum denticulatum viginti duplionum; qua de re postulat Macæum, intendens ipsi surrepta præstanda esse, & teneri ad solutionem pretii. Macæus contra tuetur se non debere Alberti equum subductum præstare. 1. Quia Stabularius non tenetur damno ejus custodiæ non commissi, ut declarat Pius IV. in Bulla 10. Decembris 1563. (*g*), his verbis: *Statuimus & ordinamus .... quascumque merces, pecuniam summas & alias res & bona .... per eosdem hospites & advenas, ac alios albergatorios sibi quomodocumque & qualitercumque furto subtracta & sublata fore, asserentes ac prætendentes, a dictis hospitibus, albergatoribus, & cauponibus .... nisi illa prius per eosdem advenas, ac hospitalarios, & albergatorios eisdem hospitibus, albergatoribus, & cauponibus in custodiam data & consignata fuerint, minime repeti: nec eosdem hospites .... desuper conveniri, capi, arrestari, incarcerari, detineri, aut quoquo modo realiter, vel personaliter molestari ac vexari posse, neque debere*. 2. Quia furtum non fecit domesticus ejus, sed ignotus, qui, ipso inscio, irrepsit domum noctu. 3. Quia equus fuit stabulo inclusus, quod capiebat aliorum equos viatorum & proprium, nec poterat tutiori committere loco, ac proinde non debet detrimentum pati.

(*g*) Pius IV. in Bulla *Cum sicut* §. 1. to. 2. Bullar. mag. p. 101.

Macæus tuetur etiam se non debere textum denticulatum, furto sublatum, præstare, quia Albertus illud in custodiam sibi non consignavit: huic addit eum nullam equi & viduli mercedem dare.

Qua de re quæritur, num Albertus jure exigat hæc duo furta a Macæo, qui non est in culpa?

R E-

Respons.

Priusquam difficultati propositæ fiat satis, præsupponendum est effatum certum : nempe, intercedit semper pactum expressum, aut tacitum, inter Viatorem & Stabularium, quo Stabularius tenetur Viatorem recipere, & omnia propria ipsi servare; & Viator impendia solvere. Quod probatur Lege, quæ habet (a): *Ait Prætor : Nautæ, Caupones, Stabularii, quod cujusque salvum fore receperint, nisi restituent, in eos judicium dabo.*

(a) Leg. *Ait Prætor.* 1. ff. *Nautæ*, Caupones, Stabularii ut recepta restituant. lib. 4. tit. 9.

Dicimus, *pactum expressum aut tacitum*. Nam solet esse tacitum, illudque parit Viatoris introitus in cauponam, & depositum quod suum est, sive in manus Stabularii ipsius, aut cauponæ præpositi trada-. Hoc videre est ex his ejusdem Legis verbis: *Sunt quidam in navibus, qui custodiæ gratia navibus præponuntur, ut ναυφύλακες (b), & Diætarii. Si quis igitur ex his receperit; puto in exercitorem dandam actionem: quia is, qui eos hujusmodi officio præponit, committi eis permittit* (c).

(b) Id est, navium custodes. Glossa in leg. cit.

Hoc effato posito, dicimus Albertum jure exigere a Macæo duo furta in ædibus hujus Stabularii commissa. Ratio est, quia quivis Stabularius tenetur facto domesticorum, quos domui præfecit. Ideo quum Albertus equum in manus stabulo præpositi dederit, & vidulum in custodiam consignarit ancillæ in cujus manu sunt claves cubiculorum; Macæus debet ipse privatim præstare, salvo recursu ad domesticos (d). *Caupo præstat factum eorum, qui in ea caupona, ejus cauponæ exercendæ causa ibi sunt*, habet Lex, quæ subjungit : *Item eorum, qui habitandi causa ibi sunt ... namque Viatorem sibi eligere Caupo vel Stabularius non videtur, nec repellere potest iter agentes; inhabitatores vero perpetuos ipse elegit, qui non rejecit : quorum factum oportet eos præstare.* Cui omnino consentit Lex præcedena.

(c) Cit. Leg. *Ait Prætor.* §. 32.

(d) Leg. *In eos.* un. §. fin. ff. furti adversus Nautas, Caupones &c. lib. 47. tit. 5.

Prima ratio, qua hic Stabularius non putat se debere equi pretium Alberto, non est admittenda. Nam, ut demonstravimus, Stabularius tenetur facto domesticorum, & servare diligentissime rem Viatoris apud se diversantis, sive in suas traditam manus, sive creditam iis quos custodiæ præposuit; ita ut præstat leviores culpas eorum. *In locato-conducto culpa, in deposito dolus dumtaxat præstatur : at hoc edicto omnimodo qui recepit, tenetur, etiamsi sine culpa ejus res periit, vel damnum datum est; nisi si quid damno fatali contingit.* Sic habet alia Lex Digestorum (e) : & ea est mens Bullæ Pii IV. æquitati cui Leges innituntur, consentaneæ.

(e) Leg. *Et ita.* 3. §. 1. ff. Nautæ, Caupones, &c.

Secunda ratio quam Macæus subjungit, prima non est justior. Nam licet Stabulario non compensetur in specie custodia rei in caupona depositæ, sed cibus solum & habitatio Viatorum; tamen tenetur eamdem curam ac diligentiam adhibere, ac si præcise compensaretur horum custodia; quia est accessio & sequela necessaria commercii sui: & quia necessario ipsi fidendum, omnium interest ut accurata utatur diligentia, & furta in suis commissa ædibus præstet; quum alias ipse facere impune posset. *Quia necesse est plerumque eorum fidem sequi, & res custodiæ eorum committere*, habet Lex: *Nec quisquam putet graviter hoc adversus eos constitutum. Nam est in ipsorum arbitrio, ne quem recipiant; & nisi hoc esset statutum materia daretur cum furibus adversus eos quos recipiunt, coeundi; cum ne nunc quidem abstineant hujusmodi fraudibus* (f). En tandem aliam Legem, probando dictum non ineptam (g): *Nauta & Caupo & Stabularius mercedem accipiunt, non pro custodia; sed Nauta, ut trajiciat vectores; Caupo, ut Viatores manere in caupona patiatur; Stabularius, ut permittat jumenta apud eum stabulari : & tamen custodiæ nomine tenentur.*

(f) Cit. Leg. *Ait Prætor.* §. 1.

(g) Leg. *Nauta.* 5. ff. eod. tit.

Observandum est tamen, dictum heic de officio, quo Stabularii tenentur præstare domesticorum factum, intelligi de eo quod in caupona evenit ipsa, ut in casu proposito : ac proinde, si stabuli præpositus apud Macæum exivisset, oppressurus Albertum in via qua iturus est, & eum spoliasset equo aut quavis alia re; Stabularius non deberet præstare, ut videre est ex dispositione Legis, quæ agens de Navarcho, habet (h): *Debet exercitor omnium Nautarum suorum ... factum præstare. Nec immerito factum eorum præstat; cum ipse eos suo periculo adhibuerit. Sed non alias præstat, quam si in ipsa nave damnum datum sit. Ceterum si extra navem, licet a Nautis, non præstabit.*

(h) Leg. *Debet.* fin. ff. eod.

Ceterum, dicta hactenus de Stabulariis pariter respiciunt alia exercentes commercia publica, ut exercitores & muliones, qui debent suam non solum præstare culpam, quasi navigarent sine nauclero, sed & culpam Vicariorum & domesticorum suorum in officio suo faciendo, sive malitia, sive imprudentia, ut manifestum est ex permultis Legibus, quas brevitatis caussa, indicare (i) nobis est satis.

(i) cit. Leg. *Ait Prætor.* §. 2. & 3. cit. Leg. *Debet*, & leg. *Titia.* 3. ff. eod. tit. Leg. *Utilitatem.* 1. § 2. ff. de exercitatoria actione lib. 14. tit. 1. Leg. 13. §. 1. & 2. Leg. 25. §. 7. ff. locati conducti lib. 19. tit. 2. Leg. *Utique* 16. §. 1. ff. de rei vindicatione. lib. 6. tit. 1. Leg. *Idem.* 8. §. 1. ff. de lege Aquilia lib. 9. tit. 1. Leg. *Æquum* 2. Leg. *Institor* 3. Leg. *Cuicumque* 5. §. 1. & 2. & leg. *Institor est.* 18. ff. de institoria actione. lib. 14. tit. 3. & § 7. instit. de lege Aquilia.

Vide Cauponam.

STRUMÆ.

STRUMÆ, Scrofæ, & Sodellæ, est morbus, situs in tumoribus sanguineis plenis humorum frigidorum, qui partibus corporis insunt glandulosis, ac præsertim faucibus. Eas sæpe creat usus aquæ vividioris aut frigidioris. Ideo hic morbus est admodum frequens in Hispania. Auctor quem memorat Hofmannus (k), scripsit Deum tribuisse quibusdam Regibus donum sanandi strumas: interim nullus in Europa hoc sibi arrogat donum: soli Regi Christianissimo tribuendum est, ut cernere est in duabus decisionibus sequentibus. Nam Rex Angliæ eo intendit gaudere dono vi juris falsi & commentitii in Regnum Galliæ: non sibi sumit quoque.

CASUS PRIMUS.

Tibuartus habuit septem ordine masculos ex uxore Angadrema; Marculum septimum, sacerdotio initiatum, adire solent incolæ terræ vicinæ quicumque, strumis laborantes, ut istum expellerent morbum ejus tactus & benedictio: innixi sententiæ in universum receptæ, qua septimo masculo est donum sanandi eum. Nonne est abusus destruendus?

Respons.

Hæc praxis videtur abusus: hæc dicta virtus, a vulgo tributa septimo masculo, est vaga & sine auctore. Etquidem, si septimus masculus emendaret strumas, hoc haberet vel ex virtute naturali, vel ex dono supernaturali, a Deo ipsi concesso. Non autem ex virtute naturali: nam asseri nequit septimi masculi naturæ quidquam inesse, quo possit sanitatem istam reddere; alias supponendum foret conceptum ejus aut ortum hanc impressisse vim modo extraordinario; quod persalsum: ars Medica nihil unquam agnovit in eo alienum a ceteris

(k) Beemannus notit. dignit. illust. dis. form. 5. c. 2. apud Hofman. v. *Strumas.*

ante eum natis. Non etiam ex dono Dei supernaturali: Nam Ecclesia & Traditio numquam par agnovit donum in septimis masculis. Historia, tum sacra, cum profana, tacet omnino. Nullus Auctor mentionem fecit; & præterea constat experientiam non patrocinari vulgi sententiæ hac de re, quum nulla sanatio ab iis patrata, appareat comperta.

CASUS II.

Catullus a sex annis & plus laborans strumis, cum accepisset Deum Regi Galliæ fuisse largitum vim supernaturalem & donum peculiare eos curandi, in conspectum hujus Principis se dedit, ut & plures alii ægri; & perfecte sanatus est a morbo, quem Rex sola tetigit manu, quasdam efferendo voces. In hoc nonne est superstitio, aut abusus?

Respons.

Hic æger nullius superstitionis aut abusus reus est, in casu proposito. Nam donum quo gaudent Reges Christianissimi, sanandi ægros strumis, est gratia singularis, a Deo ipsis concessa per unctionem sacram, die quo Corona imponitur, effusam. Sic docet vetus Auctor (*a*), qui, testis oculatus hujus doni in Ludovico VI. Pingui nomine, qui Philippo I. parenti successit, 29. Julii 1108. his exprimit verbis. *Quid quod Dominum nostrum Ludovicum Regem consuetudinaria uti videmus prodigio? Hos sane qui scrofas circa jugulum aut uspiam in corpore patiuntur, ad tactum ejus, superaddito crucis signo, vidi catervatim, me ei cohærente & etiam prohibente concurrere, quos tamen ille ingenita liberalitate ad se manu obuncans, humillime consignabat.* Postea subjungit Regem Philippum parentem hoc quo fruebatur, dono fuisse frustratum peccatis suis. *Cujus gloriam miraculi, cum Philippus pater ejus alacriter exerceret, nescio quibus incidentibus culpis amisit.*

(*a*) Guilbert. l. 1. de pignoribus Sanctorum c. 1.

Gulielmus de Nangis (*b*), qui vitam S. Ludovici scripsit, idem in hoc opere præstat testimonium in gratiam Regum Galliæ. Sic enim, de hoc loquens S. Rege, fatur. „ In tangendo infirmitates, quæ vulgo scrofellæ vocantur, super quibus curandis Franciæ Regibus Dominus contulit gratiam singularem, pius Rex modum hunc, præter Reges ceteros voluit observare: cum enim alii Reges prædecessores sui, tangendo solummodo locum morbi, verba ad hæc appropriata & consueta proferrent, quæ quidem verba sancta sunt atque Catholica, nec facere consuevissent aliquod signum crucis, ipse super aliorum consuetudinem hoc addidit, quod, dicendo verba, super locum morbi sanctæ crucis signaculum imprimebat, ut sequens curatio virtuti crucis attribueretur potius quam Regiæ dignitati.

(*b*) Gull. de Nangis apud Fr. du Chesne de Scriptoribus Historiæ Francorum tom. 1. pag. 369.

Stephanus de Conti, Monachus Corbejensis, ejusdem mentionem habet doni supernaturalis, a Deo collati in Regem Galliæ, qui, suo ævo, postquam manu dextera tetigisset ægros in loco morbi, se colluebat aqua, quam hi ægri jejuni hauriebant novem continuis diebus, & certissime sanabantur sine alio remedio. En ejus verba: *Prædicti Reges singulares, quilibet ipsorum fecit pluries miracula in vita sua; videlicet sanando omnino de venenosa, turpi & incommoda scabie, quæ Gallice vocatur* Ecrouelles: *modus sanandi iste est. Postquam Rex audivit Missam, offertur ante eum vas aquæ plenum; statim tunc facit orationem suam ante altare, & postea manu dextera tangit infirmitatem & lavat in dicta aqua: infirmi vero accipientes de dicta aqua, & potantes per novem dies jejuni cum devotione, sine alia medicina omnino sanantur; & est rei veritas, quod innumerabiles sic de dicta infirmitate fuerint sanati per plures Reges Franciæ.*

Auctor, qui nobis hæc præbuit testimonia (*c*), laudat opus vetus, cujus mentionem habet Camusat in Miscellaneis historicis, & cujus excerptum legitur in testimoniis Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ (*d*) his verbis: „ Pariter Francorum Rex Christianissimus ad solam manus tactum certos infirmos sanare est assuetus, & gesta ipsa miracula Prophetarum exemplo secundum Joannem Andræam. „ Hic Joannes Andræas, scribens an. 1330. testatur hoc donum supernaturale nostrorum Regum Commentario suo in Decretale Pontificis Honorii III. (*e*) his verbis: *Quædam vera* (miracula) *procedunt ex dono Dei, ut in Rege Franciæ & in Prophetis.*

(*c*) De Sainte Beuve, tom. 1. cas. 170.

(*d*) Testimon. Libertat. Eccles. Gallic. tom. 1. c. 3. p. 25. secunda editione. 1651.

(*e*) Joan. Andræas in cap. Venerabili. 52. de testibus & attestat. lib. 2. tit. 20.

Alius denique Auctor, decimi tertii sæculi, qui dicitur Gilles Romanus, cujus opus extat apud S. Thomam (*f*), hujus meminit doni cœlestis, a Deo concessi Regibus Christianissimis, & affigit unctioni sacræ, qua fuerunt semper affusi a Clodovæo. En verba ejus: „ Cujus sanctitatis etiam argumentum assumimus ex gestis Francorum & beati Remigii super Clodovæum Regem primum Christianum inter Reges Francorum, & delatione olei desuper columbam, quo Rex præfatus fuit inunctus, & inunguntur posteri signis & portentis ac variis curis apparentibus in eis ex unctione prædicta.

(*f*) Apud S. Thom. de regimine Principum. l. 2. c. 16. opusc. 20.

En testimonia perantiqua & illustrissima in gratiam doni supernaturalis, a Deo collati in Reges Christianissimos; & plura alia silentio prætermittimus (*g*).

(*g*) Lud. Ba'l. de triplici exam. part. 2. q. 7. pag. 163.

SUPERSTITIO.

NUSQUAM leguntur in Veteri Testamento nec vox *superstitio*, nec verbum *superstitiosus*: sed occurrunt passim plurimis in locis Novi Testamenti, ut in Actis Apostolorum, & in Epistola S. Pauli ad Colossenses (*b*).

(*b*) Act. 17. 22. & 25. 19. Coloss. 2. 23.

S. Thomas (*i*) explicat istis verbis naturam *superstitionis*. *Est vitium, secundum excessum, Religioni oppositum, eo quod cultum adferat; vel ei, cui non oportet: vel eo modo, quo non oportet.* Ex quibus verbis Doctoris Angelici Polmanus istam, quam tradit, composuit superstitionis definitionem: *Superstitio est veri, falsive numinis cultus vitiosus*; & istam aliam, quæ sic se habet: *Falsa religio, exhibens cultum numini indebito, vel indebitum vero* (*K*).

(*i*) S. Thom. 2. 2. q. 92. art. 1.

(*K*) Polman. part. 2. 2. n. 537.

Per hæc verba: *falsa Religio*, intelligit, ut S. Thomas, *vitium, Religioni oppositum per excessum; sicut irreligiositas (quæ est opposita) per defectum.*

Vulgaris hæc est hujusce primæ speciei superstitionis divisio in idololatriam, divinationem, vanam observationem & artem magicam.

Idololatria, est divinus cultus exhibitus alicui creaturæ, quæ ut Deus habetur; atque illa Creatura dicitur Idolum; hoc est, falsum alicujus ficti numinis simulacrum: qua de caussa dicit Apostolus (*l*): *Scimus, quia nihil est idolum in mundo; & quod nullus est Deus, nisi unus.*

(*l*) 1. Cor. 8. 4.

Potest

Potest hæc Idololatria signis externis manifestari, vel intus duntaxat abscondi, aut simul & intus residere, & extrinsecus manifestari: quo quidem in alterutro casu semper occurrit mortale peccatum.

Divinatio definitur istis verbis: *Futurorum contingentium*, id est, *provenientium a causa indeterminata, prædictio*; neque ista nominis appellatione donatur, nisi, quia proprius est actus solius Dei, secundum istud Isaiæ (*a*) *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*: adeo ut qui sibi sumit, ut tamquam certa divinet, quæ futura sunt ac contingentia, aut etiam præsentia, quæ cognitionem hominum fugiunt, atque Angelorum, sibi velit impie prorsus arrogare cognitionem, quæ solius est juris Divini, quamque nititur ope Dæmonis assequi, hoc est, eundem invocando vel nominatim, vel tacite, atque implicite

(a) Isai. 41. 23.

Solet dividi divinatio plurimas in species, quas prosequemur in hujus tituli decursu.

Definitur observatio vana verbis istis (*b*) *Observantia vana est eventus fortuiti superstitiosa consideratio, mediive inefficacis adhibitio ad consequendum certum effectum*; hoc est, in eo consistit observatio vana, ut modus quidam adhibeatur, cui nulla vis inest ordinaria, nec a suapte natura indita, nec proveniens ex Divina, Ecclesiasticave institutione, effectus, qui inde speratur, certissime producendi.

(b) Polman. ibi n. 979.

Quamquam ista superstitionis species habeat ex propria sua natura, ut sit mortale peccatum, secundum isthæc verba Regii Prophetæ (*c*): *Odisti observantes vanitates supervacue*: potest nihilominus aliquando duntaxat evadere veniale peccatum, sive ex defectu sufficientis observationis, sive propter simplicitatem, bonam fidem, aut ignorantiam illius, qui eandem adhibet, puta, si miles aliquis ex ignorantia scapulare aliquod assidue gereret, quoniam ei dictum fuisset cum asseveratione, modo illud idem semper indueret, nunquam futurum ut læderetur, aut, si læderetur aliquando, futurum nunquam, ut inconfessus ex vulneribus moreretur.

(c) Psal. 30. 7.

Tandem ars magica superstitiosa ea est, quæ definitur: *Ratio operandi mira ope dæmonis, per signa ab eo instituta*: aut, *invocatio dæmonis expressa, vel implicita ad miri operis patrationem* (*d*).

(d) Polm. ibi n. 986.

Dicitur, *mira*, non vero, *miracula*: siquidem nec Dœmon, nec ipsius administri ulla potestate valeant edere veri nominis miracula; sed quædam tantummodo, quæ videntur insolita, & animos adstantium admiratione defigunt; quoniam eos latet, quæ sit eorundem vera causa.

Ex quibus patet, posse superstitionis esse duplex objectum contrarium; nimirum cultum falsi numinis, aut cultum, qui vero Deo exhibetur ratione indebita, & opposita cultui, quocum ipsi serviendum est: *qui Divino instituto, rationique est dissentaneus*, addit Polmanus: atque de superstitione sub altero isto respectu considerata agitur in hoc præsenti titulo.

Jam vero cultus iste, vel falsus est, vel supervacuus. Prior a Theologis definitur (*e*): *Veri Dei cultus non verus*: quia *falsus est in se*, qualis illa est cultus species, qui in eo consistit, ut confingantur falsa miracula sub prætextu vel honorandi Deum, vel agendi, ut ab aliis ei summi tribuantur honores: *vel in sua significatione*, qualis ille cultus foret, quo veteres observarentur Judaicarum Cæremoniarum ritus, qui intendunt in Messiam venturum. Quæ species cultus annexum semper habet mortale peccatum.

(e) Polman. ib. n. 941.

Posterior definitur (*f*): *Veri Dei cultus ab illius instituto alienus*: hoc est, cultus, qui a communi usu, Doctrina, & Ecclesiastico instituto prorsus abhorret; qualis est oratio quædam, quæ funditur adjunctis quibusdam vanis circumstantiis, quæ nullatenus referuntur ad honorem & cultum, qui Deo debentur; puta oratio, quam quis sibi fingit non recitandam nisi certis quibusdam diebus, aut constitutis quibusdam horis, aut ex qua non putat effectum nullum sese consecuturum esse, nisi eadem certis quibusdam repetitis vicibus iterata, aut ab ejusdem fine illius exordio sumpto, & ab illius initio fine eidem imposita, vel tandem eadem recitata cum quodam corporis habitu, vel sese ad Occidentem potius, quam ad Orientem convertendo.

(f) Ib. n. 942.

D. Thiers composuit in quatuor Tomis quemdam de superstitionibus tractatum: in cujus primo vel etiam duntaxat Tomo variarum superstitionum exempla congerit usque ad trecenta, vel quadringenta, quorum pleraque spectant ad morbos tam hominum, quam animalium curandos: quæque in eo potissimum consistunt, ut quædam, nullis prolatis verbis, fiant: alia vero, fun-

fundendo certas quasdam orationes. vel pronunciando quædam vocabula Græca, Latina, Gallica, Hebraica, aut quæ sub intelligentiam nullatenus cadunt.

Generatim loquendo, superstitiones omnes, cujuscumque sint speciei, primo Decalogi præcepto interdicuntur: *Omnes superstitiones intelliguntur prohiberi in hoc quod dicitur: Non habebis Deos alienos coram me.* Quæ verba sunt S. Thomæ. Quod idem etiam declarat Eboracense Concilium, quod an. 2466. celebratum est. Ratio est, quia quæcumque superstitio necessario continet aliquod pactum cum Dæmone saltem implicitum, vel tacitum, quemadmodum verbis expressis docent S. Augustinus (*a*) & S. Thomas (*b*) Cui quidem doctrinæ tota consensit sacra Facultas Theologica Parisiensis in octavo Censuræ articulo 19. Septembris 1498. qui refertur a Gersonio.

(a) S. Aug. l. 2. de Doctrin. Christ. c. 20. & c. 22.
(b) S. Th. 1. 2. q. 122. a. 2. ad 3.

CASUS PRIMUS.

FLORENTIUS Parochus de S. Petro sequitur antiquum quemdam usum, non tantum ab antecessoribus suis, verum etiam a plurimis Diœcesanis Parochis frequentatum; qui nimirum ejusmodi est, ut ipsius Ecclesiæ Clavis igne rubescens admoveatur ad caput Boum, Canum, cæterorum-ve animalium, ne rabiem contrahant, vigente scilicet in tota passim Provincia generali illa consuetudine, ut capitibus animalium Clavis alicujus Ecclesiæ, quæ sub invocatione S. Petri dedicatur, applicanda eadem ratione curetur: qui quidem usus solet ut plurimum obtinere tum in toto Avenionensi Comitatu, tum apud multas Gallarum Provincias; aliquo eo quod quidam in ea re vitii, aut dignum reprehensione deprehendatur; potest-ne prædictus usus tanquam superstitiosus condemnari?

RESPONSIO.

Usus prædictus plurimam prorsus olet superstitionem. Quonam etenim fundamento propugnari potest, virtutem eam inesse Clavi alicujus Ecclesiæ, quæ Deo consecratur sub invocatione & Patrocinio S. Petri, ut potiori jure, quam Clavis alicujus Ecclesiæ, quæ sub invocatione cujusvis alterius Sancti dedicatur, aliquod animal aut a contrahenda rabie defendat, aut a contracta liberet? Quo jure fingi potest, posito, quod ejusmodi Clavi tanta vis indita sit, futurum ut; si frigida admoveretur, omni jam virtutis efficacia careret? An inde nimirum, quod jactitata illa tanta virtus sit quid calori ignis necessario connexum? Si namque contendatur, istam clavem non agere, nisi interveniente deprecatione S. Petri; jam, eandem calidam admoveri, prorsus inane est; siquidem non major inde S. Petro honor accedat. Sed iterum, qua de causa animo pertenditur, clavi alicujus Ecclesiæ de S. Petro tribui tantam ejusmodi virtutis efficaciam, & eandem Ornamentis, aut etiam Sacris Vasibus, quæ in usum cedunt ejusdem Ecclesiæ, denegari?

Censemus igitur, si talis usus non præ se ferat vanæ superstitionis argumenta omnino indubitata, aut cultus saltem inanis ac supervacui; procul dubio plurimum adesse locum existimandi, eundem esse superstitioni vanæ aut inani saltem ac supervacuo cultui proximum, neque quidquam aliud esse, nisi quoddam erroris figmentum, cui nullum aliud fundamentum succurrit, quam ex ignorantia fidelium, aut sordida turpis lucri cupiditate, qua flagrant quidam Ecclesiastici nimia populorum simplicitate atque credulitate abutentes.

Posset etiam, ut videtur, in eundem locum ac ordinem recenseri prædictarum superstitionum, usus, qui quibusdam in locis frequentatur, adhibendi sibi primum nummum, qui Crucifixo fuit oblatus in Parasceve: consuetudo sese tangendum offerendi septimo infanti masculo, ut ex illa tactione strumæ penitus sanentur, & plurimæ ejusmodi, quæ passim occurrunt usuum variorum consuetudines.

Existimamus ergo, futurum profecto, ut Florentius Parochus de S. Petro sese sapientius gereret, si consuetudinem ejusmodi de sua Parœcia plane tolleret ac resecaret, modo possit id ipsum tentari absque periculo concitandæ offensionis in Populo, qui consuevit insitas penitus habere vanas generis istius superstitiones; atque, quo facilius ac felicius res succederet; operæ pretium esse futurum, ut ad suum Episcopum recurreret, & jussa sibi ab eodem renunciata exequeretur. Nihilominus, si eo usque nulla ratione pervenire possit, ut eandem totam extinguat propter obstinatiorem ignorantis populi pertinaciam; eam partem debet potissimum amplecti, ut eandem toleret; quod absque peccato fieri ab eo posse præsumimus, usque dum Ecclesia ea de re judicium suum tulerit; siquidem, qui consuetudinem ejusmodi sequuntur, non committant inde peccatum saltem mortale propter suam, qua scilicet excusantur, bonam fidem atque simplicitatem; cum scilicet ex se non habeat ejusmodi consuetudo, ut sit vera superstitio potius, quam quod solet sub appellatione supervacui cultus circumferri.

Cui decisioni favet sententia Cardinalis Cajetani (*c*), qui ea de re sic habet: *Adverte, quod multa observantur in his, quæ pro Dei reverentia aguntur, quæ superstitiosa apparent; & tamen fiunt, & dicunt, se excusari, quia habent talem devotionem.* En, quod memoratur ab erudito ipso Cardinali, exemplum. *Verbi gratia, patientes contractionem nervorum accipiunt primum Carlinum oblatum a se ipso in parasceve, cum adoratur; & ex eo fit annulus, qui gestatus valet contra illam passionem: dicunt, quod habent devotionem ad hoc; quia sic didicerunt & experiuntur... videntur ergo simplici corde similia credentes & facientes ex devotione, excusandi; quia non peccant, aut venialiter tantum; ex quo principale, puta; quod divina assistat virtus, potest sustineri, licet nesciant aliam reddere rationem, quare has conditiones, quæ vanæ sunt, observant; nisi quia sic acceperunt a majoribus. Difficile est enim confutare, quod seniorum traditione & auctoritate firmatum vulgares acceperunt. Non sunt tamen hæc extendenda, sed prudenter declaranda: ab his arcendi homines, ubi fructus speratur, ut deteriora eveniant; videtur enim hæc sic simplici corde ex devotione facta valde imperfecte, Superstitionem sapere* (*d*).

(c) T. Devi. Card Cajet. in 2. 2. q. 96. art. 4

(d) Collo. Petrocor. to. 4. Coll. 3. qu. 2. Samborius t. 2. casus n. 1.

CASUS II.

VALENTINUS, qui nomen gerit viri singularis omnino pietatis, aliquos ægros sanavit, recitando Evangelium secundum S. Joannem, *In principio*, quinquies *Pater & Ave Maria*, cum quibusdam aliis adjunctis orationibus. Nunquid inde Superstitionis alicujus arguendus est?

RESPONSIO.

Illud non potest dici superstitiosum, quod plurima cum reverentia Divinum nomen invocetur, aut certa quædam oratio recitetur, quam Ecclesia comprobat: modo non aliunde speretur effectus aliquis optatus, nisi ex sola Dei bonitate, unicaque ipsius omnipotentia: atvero, si aliter expectaretur profecto contraheretur peccatum superstitionis. „ Etiam proferre verba divina, aut invocare Divi-

(a) S. Thom. 2. 2. qu. 96. art. 4. ad 1.

divinum nomen, ait S. Thomas (*a*), *si respectus habeatur solum ad Dei reverentiam, a qua exspectatur effectus, licitum erit. Si vero habeatur respectus ad aliquid aliud vane observatum, illicitum erit.* Et paullo post: (*b*) *Eadem ratio est de portatione reliquiarum: quia, si portentur ex fiducia Dei & Sanctorum quorum sunt reliquiæ, non erit illicitum: si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum; puta quod vas esset triangularis, aut aliquid aliud hujusmodi, quod non pertineat ad reverentiam Dei & Sanctorum, esset superstitiosum.*

(b) Idem ib. ad 3.

Ex quibus inferre licet, si Valentinus in orationibus quas consuevit recitare, nihil aliud intendat, quam debitum Deo obsequium exhibere, nec nisi ab ipsius suprema bonitate sanationem ægrotorum sperare, in quorum gratiam prædictas fundit preces; eum nullo jure posse superstitionis argui: at ejusdem conscium omnino censendum eum esse, si verbi gratia confidat, futurum ut ex certis quibusdam orationibus, potius quam ex aliis quibuslibet, suum effectum consequatur; aut si eumdem speret ex certis quibusdam vicibus, quibus recitaverit orationes; quasi ei persuasum foret, nihil sibi profuturas, quantum ad optatum effectum, orationes quæ per totidem vices non recitarentur.

Atque his potissimum de caussis generaliter asseri potest, formulas orationum singularium esse de superstitione prorsus suspectas, si ex iisdem potius, quam ex quacumque alia postulatus effectus speretur, præsertim vero cum ab Ecclesia non comprobantur. Ratio est, quia plurimus datur locus conjiciendi, effectum qui inde sequitur, procedere a dæmona, qui summa cum industria totus in illud semper incumbit, 1. ut fideles deterreat ab ordinariis consuetudinibus quæ ab Ecclesia comprobantur, & alias quasdam eis suggerat quas auctoritate sua non approbavit; quo ea ratione eos faciat ab ejus mente & institutis prorsus alienos: 2. ut afferat privatis personis occasiones, e quibus efferantur superbia, & inanibus ac vanis studeant inquisitionibus: 3. ut se se transformet in angelum lucis, quo facilius decipiat simplices ac credulos. Indeque est, quod Petrus Simon episcopus Iprensis de sententia sui consilii damnaverit tamquam illicitum, ac interdixerit ut omnino superstitiosam, quamdam orationem, quantum ad sanationes quas afferebat, quam solebat quidam dux militum adhibere ad sananda vulneta suorum militum; quamquam illa oratio foret pria prorsus ac religiosa, si sola verba considerentur quibus ipsa concipiebatur. En qualia referuntur a Delrio (*c*): *Per Jesum Christum, cum Christo Jesu, & in Christo Jesu, tibi Deo Patri omnipotenti, omnis honor & gloria in unitate sancti Spiritus in omnia sæcula sæculorum. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum,* &c. *omnipotentia Patris, sapientia Filii, virtus Spiritus Sancti, sanet hoc præsens vulnus & defendat ab omni malo.* Amen Jesus. *Domine mi Jesu Christe, credo per noctem sacræ feriæ quintæ, in cœna, post lavatos a te pedes Apostolorum tuorum, acceptum fuisse panem in sanctas ac venerabiles manus tuas, benedictum, fractum ac datum tuis sanctissimis Discipulis, te dicente; Accipite & manducate: Hoc est enim corpus meum: similiter acceptum fuisse calicem in sanctas manus tuas; & gratias a te actas fuisse; & eamdem illis a te fuisse datum, te nimirum dicente: Accipite & bibite: Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

(c) Delrio disquisit. magic. lib. 3. p. 2. q. 4. sect. 9.

Supplex rogo te Domine mi Jesu Christe, ut velis hocce vulnus & præsens malum sanare per isthæc sacrosancta verba, per eorum efficaciam ac virtutem, & per meritum sanctissimæ tuæ Passionis. Amen Jesus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen Jesus. En qualis se habet ista oratio, quæ licet omnino pia videatur, nihilominus interdicta fuit omnibus episcopi præfati diœcesanis; quod quidem interdictum ipse Delrio vindicat plurimis ex caussis. Primo: quoniam non est penes homines privatos, proprio suo marte privataque sua auctoritate novas invenire formulas orationum; quippe inventa ejusmodi ab usu ipsius Ecclesiæ sint prorsus aliena, quæ prohibet in suis libris Ritualibus, ne recens adinventæ preces ad avertendos morbos adhibeantur; nec sinit, adhiberi nisi benedictiones, exorcismos & orationes, quibus auctoritatis & approbationis suæ pondus addiderit. Secundo: quoniam in eo Deus tentatur, quod contendatur, certæ cuidam orationis formulæ vim eam inesse, ut quoties libuerit alicui personæ privatæ eamdem recitare, statim inde gratia quædam curationum instar miraculi consequatur. Atque re vera quidem, si propius preces inspiciantur, quibus usi sunt viri Sancti; cum stupendas illas ac miraculis plenas patravere sanationes; numquam deprehendetur, eos usos fuisse eadem orationis formula; sed eorum unusquisque suam fundebat orationem, prout sibi, divino Spiritu afflante, suggerebatur. Tertio: propterea quod in prædicta formula memorentur verba consecrationis Corporis & Sanguinis Jesu Christi, quamquam nihil connexionis habeant cum effectu qui inde sperabatur ab illo militari Duce, qui eamdem eo fine proferebat, ut suos sanaret milites; & sacrosancta illa verba fuerint ad finem prorsus diversum instituta; adeoque in ejusmodi conferantur usum, qui toto cælo aberrat ab illa mente, quam habuit Dominus noster, quando eadem pronuntiavit.

Narrat etiam Bodin factum aliud, quod heic loci referre non est a proposito nostro alienum; siquidem apprime conducat ad materiam de qua agitur in proposita specie. In eo describitur historia cujusdam mulieris, cui nomen erat Barbara Durea, quæ confessa fuit, sa se a diabolo accepisse verba, quæ memorantur a laudato Bodin in ea, quam de ista muliere scriptis mandavit, historia sequentibus verbis: (*d*) *Barbara Dorea, quæ decreto Curiæ sententiam Præfecti sancto Christophoro ad Sanlisium confirmante, cremata fuit 19. Januarii 1577. fatebatur, se iis quos fascinaverat, medicinam fecisse diffissa columba & ægroti stomacho imposita cum his verbis: In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Domini Sancti Antonii, & Domini Sancti Michaelis Angeli, curari possit ab hoc malo: & mandavisse, ut novem diebus missam in Templo illius vici curarent celebrari.*

(d) Bodin. lib. 3. Dæmonomaniæ c. 5.

Quæ quidem exempla eo potissimum animo memoravimus, ut inde confirmaretur, quæ de Valentino prosecuti sumus; & manifestum fieret, in prædictas ejusmodi singularium orationum formulas gravissimam ut plurimum cadere suspicionem superstitionis.

CASUS III.

Nicephorus vir militaris, cum jamjam ad bellum profecturus erat, nomen suum dedit sacro cuidam de scapulari sodalitio, quoniam fuerat ei facta plurima fides, atque persuasum ipsimet erat, pro certo futurum, ut omnibus qui prædictum scapulare gerunt, & sacro præfato sodalitio addicti, singulis diebus recitant quinquies *Pater & Ave*, gratiam reservari de vita numquam demigrandi, nisi cum beneficio sacramentalis confessionis. Nonne vir prædictus aliquam inde contrahit culpam superstitionis?

Respons.

Nullatenus ambigendum est, quin Nicephorus apertæ superstitionis culpam contraxerit, cum ex falsa illa persuasione quam animo induit suo, nomen dedit sacro de scapulari sodalitio.

Quamquam etenim usus gerendi scapularis eadem ratione, qua consuetudo recitandi Rosarii B. Virginis, fit pius ac laudandus, si consideretur dumtaxat ut externa significatio cultus illius interioris, qui exhibetur sanctissimæ Virgini, & tamquam tessera quædam qua revocatur in memoriam propositum illud, quod fuit animo destinatum

privatas aliquas preces quotidie recitandi, aut religiosa quædam opera perficiendi: nihilominus constat, in eo occurrere errorem omnino condemnandum, si animo fingatur, prædictis annecti vim & efficaciam certissimi cujusdam antidoti, quo procul arceatur quivis repentinæ mortis accessus, nisi primium præcesserit sacramentalis confessionis beneficium: quod quidem privilegium prorsus fictitium est ac delirantis animi merum figmentum, quippe cui nec divina suffragentur promissa, nec succurrat loco fundamenti ullius viri sancti doctrina, neque cujusquam orthodoxi doctoris; ac tandem nec penes summum Pontificem, nec penes ipsam Ecclesiam sit ejusmodi prærogativam ulli cuipiam facere; utpote hoc ipsum divini sit omnino juris, ac summi ipsius dominii.

Quamobrem defleri nimium nusquam potest ignorantia crassa, qua laborant infiniti propemodum homines hebetiores ac plane rudes, qui non gestant scapulare, nisi cum eo potissimum animo atque fine; quique nedum ex ejusmodi praxi reddantur attentiores, ad fugiendum peccatum; quin potius facilius ac frequentius in illud proruunt ex solicitatione dæmonis, qui iisdem imponit, eosque promissis ac fallaci spe circumvenit, futurum ut ipsis sufficiens temporis spatium certissime concedatur, quo possint ante suum obitum confiteri; quamquam sæpe sæpius, quo momento magis inopinata est, morte corripiantur.

CASUS IV.

Miroclem, qui vir est omnino celebratus ex plurimis remediis non vulgaribus, quorum ope novit febrem, intestini plenioris morbum, & dentium dolorem depellere; tres ægroti caussa morborum quibus affligebantur, adiverunt; scilicet Ludovicus qui febricitabat, quemque ille febre liberavit ab ipsa die prima, admota ad ipsius pugni brachiique commissuram quadam herba per tres varias vices unius circiter horæ spatio a se se invicem disjunctas: Antonius, qui ex intestino pleniori gravissime laborabat, quemque in ipso temporis articulo ab omni penitus dolore levavit, verbis quibusdam idiomate peregrino prolatis, & *Pater* postmodum recitato: Et Petrus qui dolorem dentium voce queribunda dolebat, quemque eadem ratione reddidit cujuscumque doloris immunem, dentem ei dando, qui fuerat alteri cuidam propter similem dolorem evulsus; & curando eumdem ad dentem admoveri, qui ei dolorem inurebat.

Irenæus aliorum fere similium non vulgaris usus remediorum peritus est, quibus morbos depellere tentat a bovibus, vaccis, equis, canibus atque ovibus. Eorum Parochus prædictas ejusmodi sanationes condemnat, ac contendit in iisdem contineri pactum tacitum cum dæmone: Irenæus ex altera parte asseverat, nihil quidquam in iis occurrere, quod vel etiam pacto sit proximum; nihil se se in iisdem fingere; a se se cum intentione recta ac bono animo remedia quæ novit, adhiberi, eoque fine dumtaxat, ut Beneficium in eos conferat qui ipsum adeunt, absque ne minima quidem mercede; atque ei moribundum patrem suum eorumdem tradidisse notitiam qui quidem, prius quam vita migraret, voluit eum docere præclara mistorum singularium remediorum rationem, ut haberet unde posset pauperibus rusticis qui in ipsius vicina degunt, ex animo caritatis subvenire. Ambo prædicti petunt, num in eo peccent quod ea qua dictum est, mente singularem præfatorum remediorum usum adhibeant?

RESPONS.

Ut sua sit difficultatibus propositis responsio, simul etiam plurimis aliis quæ circa præsentem materiam proponi possunt; asserimus, duce S. Thoma (*a*), posse res naturales, absque ne minima quidem umbra vel superstitionis vel etiam peccati, adhiberi ad certos quosdam effectus producendos, cum illud habetur compertum; nimirum iisdem virtutem inesse eorumdem producendorum, atque res illæ cum animo recto ac simplici adhibentur. Si sit ergo Mirocli persuasum, illi prædictæ herbæ quam admovet pugni brachiique commissuræ, virtutis efficaciam illam quam jactitat esse inditam; procul dubio nullatenus inde condemnandus est, quod eamdem ad usum ad quem conferre solet, adhibeat. At vero si quæ figuræ aut certi quidam characteres eidem adjungantur; si quæ verba aut inanes aliquæ observationes in ipsius usu interveniant, ex quibus satis manifestum sit, nihil quidquam effectum qui speratur, juvari, saltem considerato ordinario rerum ordine; profecto contrahitur culpa superstitionis: atque inde potissimum condemnandus est idem Mirocles quantum ad sanationes quas exsequitur. Quanam etenim naturali ratione cohæret inter se morbus intestini plenioris, & quædam quæ profert verba nusquam intelligi possibilia, quibus tamen inesse vim & efficaciam quamdam vult persuadere sub eo prætextu, quod iisdem continuo contextu dominicalem addat orationem? Quæ virtus inhærere potest denti, quem quis sibi jusserit evelli præ nimio quem ille inurebat, dolore, ut in ipso temporis momento dolorem quo quis alter dens laborat, coerceat? Hæc omnia ergo manifestam prorsus sapiunt superstitionem; cum constet, omnes rationes vanas nullamque proportionem habentes, quæ adhibentur ad sanationem vel hominibus vel animalibus afferendam, esse omnino superstitiosas ac criminosas, juxta eam quæ sanctorum propria est, doctrinam. *Cum tribulatione quapiam affligamur*, inquit S. Basilius (*b*), *ad omnia potius, quam ad ipsum Deum recurrimus. Unus tibi pusio ægrotat? Quaquaversum circumfers oculos, requirens incantatorem, aut certe eum, qui supervacaneos vanosque characteres seu figuras puerorum innocentium collo circumliget: in quacumque necessitate imminente deprehenderis, verbo tantum te ostendis Deum refugium habere; re autem ipsa ex inutilibus vanisque rebus auxilium adsciscere.*

S. Augustinus sic etiam ait (*c*): *Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat.* Subditque ea de re exempla, designando varios modos, quibus ut plurimum solent exerceri superstitiones: *Sive in præcantationibus; sive in quibusdam notis, quos caracteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis atque illigandis, vel etiam aptandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas aut etiam manifestas, quæ mitiore nomine physica vocantur; ut quasi non superstitione implicare, sed natura prodesse videantur.*

Cui quidem antiquorum Ecclesiæ Patrum doctrinæ S. Thomas (*d*) totus consentiens, prædictas vanas observationes condemnat istis verbis: *Si naturaliter non videantur posse tales effectus caussare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hoc effectus caussandos tamquam caussæ; sed solum quasi signa: & sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita. Unde Augustinus dicit* (*e*): Alliciuntur dæmones per creaturas, delectationibus pro sua diversitate diversis; non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quæ cujusque delectationi congruunt; per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, &c. Subjicit deinde paulo post Doctor Angelicus: *Si simpliciter adhibentur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem; non est superstitiosum vel illicitum. Si vero adjungantur characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcumque observationes variæ, quas manifestum est naturaliter efficaciam non habere, erit superstitiosum & illicitum.*

Jure prorsus ergo superstitionis arguuntur a suo Parocho tum Mirocles, tum Irenæus; si casus tamen excipiatur, in quo Mirocles febrem depellit: atque totus in eo concordat prædictus Parochus cum Concilio Tolosano, quod habitum est a Francisco Cardinali de Joieuse nominis, ejusdem civitatis Archiepiscopo, & ab aliis Episcopis Provincialibus anno 1590. sub Pontificatu Sixti V. Sic namque præcipit laudatum Concilium (*f*): *Quæ ignorantia simplicitateque hominum superstitiose depellendorum morborum, aliarumque rerum inanes observationes temere*

(*a*) S. Thom. cit. 2. 2. q. 96. art. 2. ad 3.

(*b*) S. Basil. in Psalm. 45.

(*c*) S. Aug. l. 2. de Doctr. Christiana, c. 20. seu n. 30.

(*d*) S. Th. cit. art. 2. in corp.

(*e*) S. Aug. l. 21. de civit. Dei c. 6.

(*f*) Conc. Tolosan. 1590. part. 4. de hæreticis, magis & astrologis. c. 12. sess. 5.

temere irrepserunt, eas omnes frequenti adhortatione, adductisque rationibus Confessarii & Concionatores a populorum animis evellere, & ab iis declinari curabunt. Quæ verba sunt ipsissima memorati Concilii.

Concilium aliud antiquius congregatum Rhotomagi 15. Decembris anni 1445. sub Raouldo Roussel prædictæ civitatis Archiepiscopo (*a*) de iis qui memoratarum superstitionum conscii deprehendentur, sic statuit: *De aliis autem sortilegiis & aliis superstitionibus; puta, Carminatoribus, & brevia ad collum hominum & equorum, seu alibi suspendentibus, ordinat hæc sancta Synodus, quod pœna jejunii & carceris unius mensis puniantur pro prima vice. Si vero perseveraverint, pœna graviori ad arbitrium Episcopi compescantur.*

(*a*) Conc. Rhotomag. an. 1445. c. 6.

Quin etiam Concilium Mediolanense primum sub S. Carolo Borromæo (*b*), jubet, ut ejusmodi personas *Episcopi acriter puniant, & e societate fidelium exterminent.* Severius etiam omnino condemnantur a Concilio Burdigalensi primo, & a Generali Conventu Cleri Gallicani acto Meloduni anno 1579. (*c*).

(*b*) Conc. Mediol. I. Constitut. part. 1. tit. 10.

(*c*) Conc. Burdigal. I. tit. 7. de magicis artibus. Conventus Melodunens. eod. tit.

Uno verbo ferendum est idem judicium de quibuscumque aliis vanis observationibus, qualescumque sint, cum ad aliquem effectum adhibentur, quocum naturalem nullam habent proportionem. Atque ejusmodi sunt inanes illæ observationes, quæ sub appellatione vulgari circumferuntur *artis notoriæ*, de qua arte sic loquitur S. Thomas (*d*): *Ars notoria est illicita & inefficax. Illicita quidem est, quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam; quæ non habent secundum se virtutem caussandi scientiam; sicuti inspectione quarumdam figurarum & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi.*

(*d*) S. Th. cit. q. 96. art. 1. in corp.

Tales sunt etiam observationes dierum, qui supponuntur esse vel fortunati vel infortunati, & quoti lunæ diei, ad observationem cujus periodi contractus accommodantur, disponuntur itinera, & alia quæcumque determinantur quæ sunt agenda, in quas acerrimis omnino verbis invehitur S. Chrysostomus (*e*); ut etiam S. Ambrosius, S. Augustinus, & Nicolaus I. (*f*). Atque ex prædictis criminosis superstitionibus illud potissimum oritur, quod audimus his nostris temporibus, quotidie frequentari 1. Scilicet, quod ancilla die veneris ingredi novum famulatum horreat: 2. Quod tempus amœnum vel infaustum futurum conjiciatur, ex tempore vel sereno vel pluvioso, quod occurrerit in die festo alicujus Sancti memoriæ dedicato: 3. Quod existimetur, futurum ut infaustæ forent nuptiæ, quæ die veneris celebrarentur: 4. Quod fingatur, quando tredecim accumbunt mensæ, futurum ut unus ex eis intra eumdem annum decedat: 5. Quod infans qui nascitur operto capite pellicula quadam, futurus sit omnino fortunatus. Unde sumsit originem vulgatum illud proverbium: *Cum tegumento capitis prodiit in mundum*, ad prosperam fortunam alicujus significandam: 6. Quod aliquis ex morbo convalescens in alteram ejusdem morbi tentationem non sit lapsurus, si pro prima vice pedem e domo die veneris efferat: 7. Quod quibusdam herbis certa quædam virtus non insit, nisi quando die Nativitatis S. Joannis decerptæ fuerunt: 8. Quod non expediat iter aliquod aggredi ipso die quo sæviit aliqua tempestas, aut luna visa est in certo quodam statu: 9. Quod vinea non sit instituenda anno currente intercalari; & sexcentas alias observationes ejusdem generis omnino vanas ac prorsus absurdas, de quibus jure dici potest cum S. Augustino (*g*): *Totum hoc ad eosdem ipsos dæmones pertinet, ludificatores animarum sibimet subditarum, & voluptuaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes.* Neque re vera quidem quidquam sunt aliud memoratæ superstitiones, nisi relicta quædam pristinæ gentilitatis vestigia, & quasi quædam idololatriæ species, ut observat Origenes (*h*), & post eum S. Gaudentius Brixiensis Episcopus (*i*): neque potest iri infitias, quin pactum quoddam cum dæmone saltem implicitum annexum habeant, ut jam advertimus, & quemadmodum declaravere Doctores S. Facultatis Theologicæ Parisiensis 19. Septembris 1398. istis verbis: *Intendimus, pactum esse implicitum in omni superstitiosa observatione, cujus effectus non debet a Deo, vel a natura rationabiliter exspectari.*

(*e*) S. Chrysostomus in not, qui novilunia observant.

(*f*) S. Amb. in c. 4. Epist. ad Galatas. S. Aug. Epist. 55. alias 119. c. 7. seu n. 12. & seq. Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum art. 35.

(*g*) S. Aug. lib. 10. de civit. Dei. c. 13.

(*h*) Orig. lib. 3. in Job.

(*i*) S. Gaud. delect. 2. nod. tract. 4.

Sapienter igitur ac merito prorsus tertium concilium Turonense celebratum anno 813. mandat Parochis, ut fideles admoneant, ne se se sinant decipi prædictis ejusmodi superstitionibus, & eos edoceant earumdem pravitatem. En qua ratione concipitur illius ea de re decretum (*k*): *Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint, magicas artes incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre; non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis, quidquam mederi, vel ligaturas ossium vel herbarum, cuiquam mortalium adhibitas prodesse; sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.*

(*k*) Conc. Tur. III in can. Admoneant. 25. 26. q. 7.

Qui fusiorem ea de re dissertationem legere amabunt, possunt adire Sylvium (*l*), qui prædicta prosequitur stilo prorsus abundantiori in una quadam e suis decisionibus, quam dedit 30. Novembris 1642. in qua, postquam plurimam istius generis superstitionum farraginem recensuit, sic subjungit: *Hæc autem omnia esse superstitiosa & magica, doceri potest ex ista regula. Dum aliqua fiunt ad eos effectus habendos, ad quos neque valent naturaliter, neque ex Dei aut Ecclesiæ instituto sunt ad ejusmodi ordinata, procul dubio superstitiosa sunt & magica. Talium enim effectus, cum non exspectentur ex caussa naturali; quandoquidem nulla sit caussa, quæ naturaliter valeat eos caussare; nec etiam exspectentur a Deo: nam Deus nec per se, nec per Ecclesiam quæ spiritu Dei regitur, talia ordinavit ad habendos ejusmodi effectus restat, ut exspectentur a dæmone.* Quæ regula, quam proponit Sylvius, quamque sequuntur Hessellius, Cardinalis Toletus, Navarrus (*m*) & vulgus Theologorum atque Canonistarum, plurimum juvare potest ad similes ejusmodi difficultates quæ circa præsentem materiam possunt proponi, penitus enodandas.

(*l*) Fr. Sylvius, resolut. var. v. Sortilegium. 2.

(*m*) Joan. Hessellius in Decalog. c. 5. Fr. Tolet. Instruct. Sacerd. lib. 4. c. 14. Navarr. Manual. c. 13. n. 25.

CASUS V.

CHRYSOSTOMUS habitator de Parœcia S. Benignæ timens, ne canis quidam cujus morsu fuerat apprehensus, rabidus foret: & auditione ista accepta, nimirum benedicto pani virtutem inesse liberandi ac defendendi a rabie, quando summa cum pietatis reverentia sumebatur; rogavit suum Parochum, ut particulam aliquam benedicti panis vellet ei præbere, quam cum eo potissimum fine comedit. Num potuit absque peccato Parochus ei particulam ejusmodi eo fine comedendam præbere? Potuitne etiam eidem ejusdem panis frustum donare, ut uni cuidam e suis vervecibus quem idem canis momorderat; edendum offerre?

RESPONS.

Potuit absque peccato, Chrysostomi Parochus ei præbere frustum aliquod panis benedicti ea de caussa, propter quam a se se petebatur; & licuit Chrysostomo illud etiam summo cum pietatis obsequio propter eumdem finem comedere. Ratio est, quod hæc virtus pani benedicto tribuatur, ut non prosit ad solam dumtaxat animarum salutem, sed etiam ad ipsam corporum sanitatem; ut apertum est ex ipsismet verbis, quæ in benedicendo pane solet Ecclesia adhibere: *Ut omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem* (*n*), quemadmodum fert vulgaris librorum ritualium formula: *Ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra morbos & universas inimicorum insidias tutamentum.* Quæ formula benedictionis ab ultima antiquitate ad nos usque derivavit. Occurrit etenim in quadam Remensi Synodo, quæ fuit ab Hincmaro celebrata anno 874. (*o*) verbis sequentibus concepta: *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne, Deus benedicere digneris hunc panem tua sancta & spirituali benedictione, ut sit omnibus cum fide & reverentia ac gratiarum tuarum actione sumentibus, salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & universas cunctorum inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum*

(*n*) Ritual. Parisiens. tit. de bened. panis.

(*o*) Synod. Remens. c. 7. apud Philip. Labbe tom. 8. Concil. pag. 57.

minum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit & dat vitam ac salutem mundo & tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen. At vero concedi non potest, licere quidquam de benedicto pane offerre verveci, vel cuilibet alii animali, quod fuisset morsu rabidi canis apprehensum: quippe panis benedictus ab Ecclesia non destinetur nisi ad usum fidelium, nullatenus vero ad sanitatem animalium; ut satis aperte colligitur ex relatis modo verbis. Atque ita deciditur a quodam insignioris notæ Theologo (*a*).

(*a*) Sambovius tom. 2. casu. 18.

CASUS VI.

Quintinus Nauta cernens Delphinos in superficie maris supernatantes atque in gyros euntes, indubitanter prædicit, brevi futurum, ut terribilis sæviat tempestas. Et Euphemianus quidam rusticanus, cum circa mediam noctem audivisset prope januam suarum ædium canem ululantem, & corvum crocientem; in animum inducit suum, & asseverat, brevi futurum, ut aliquis e suis vel consanguineis, vel vicinis decedat. Num ambo viri memorati conscii sunt superstitionis, aut peccati quod dicitur divinatio ex auguriis vel præsagiis?

Respons.

Ex dictis in superiori decisione de superstitionibus in universum, proposita difficultas facilius omnino quidem dissolvitur: at quoniam heic loci quæstio proponitur de quadam singularis superstitionis specie, quæ consistit in divinatione ex auguriis; operæ pretium esse ducimus, lucis iterum aliquid eidem materiæ afferre.

Asserimus igitur, in proposita specie Quintinum non esse condemnandum propter illud, quod ex prognosticis Delphinorum prædicit. at Euphemianum arguendum esse superstitionis. Distinguendum namque est auguriorum seu præsagiorum duplex genus: sive ea ex avibus accipiantur, sive ex aliis quibusvis animalibus, ex plantis aut ex quibuslibet aliis rebus vel animatis vel inanimatis. Alia naturalia sunt, alia vero nullatenus naturalia.

Auguria naturalia, ea sunt quæ pendent ab ordine, quem Deus in natura rerum instituit, quæque solent homines ex rerum quarumdam eventu conjicere, aut ex quibus ipsi longa tutissimaque rerum experientia subodorari norunt futuros eventus, qui semper inde sequi consueverunt. Atque ejusmodi est præsagium, quo Quintinus innititur: cum scilicet illud pro comperto atque explorato habeant, quotquot maria percurrere assueti sunt, in quocumque tempore, quocumque maris tractu, quibuscumque cæli variis inclinationibus, cum jamjam in proximo est, ut incessat aliqua tempestas, solet Delphinos in aquarum superficie supernatare, atque se se in gyros circumagere. Quæ generis istius auguria, ex quibus certi rerum eventus præsagiuntur, qui solent procedere ex caussis necessariis & nullatenus liberis, omnino licita sunt, & accipi possunt remoto quocumque superstitionis periculo; quoniam res ex quibus prædicta ejusmodi habentur auguria, eadem juxta rerum ordinem certissime portendunt. Sicut, cum cernuntur hirundines verno tempore; inde certo certius inferri potest, futurum ut frigus omnino remittat ad tempus usque, quo sunt eædem in priorem suam regionem revolaturæ.

Cujus quidem rei præbet argumentum scriptura sacra, quando sic ait (*b*): *Milvus in cælo cognovit tempus suum: Turtur & Hirundo & Ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

(*b*) Jerem. 8. 7.

Auguria, quæ naturalia non sunt, & quæ apte dici possunt artificialia, pendent e contrario ab insana mentis hominum impiorum vel ignorantium deliratione, & sunt vera vestigia ad nos usque perpetuata superstitionum, quæ apud omnes paganos antiquitus obtinuerunt, de quibus sic testatur quidam ex ipsorum historicis (*c*): *Apud antiquos, non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto.* Quam ob caussam non potest absque crimine iisdem haberi fides, nec eadem adhibere licet ad prædicendum, quod pendet vel a divino nutu, vel ab humana voluntate, aut ad suscipiendas vel omittendas res quasdam, quibuscum auguria prædicta nullam habent convenientiam naturalem. Indeque est, quod plurimis in locis scripturæ sacræ eadem condemnent: Sapiente nimirum fidem faciente, ista non esse nisi vanitates atque mendacia: (*d*) *Divinatio erroris & auguria, mendacia & somnia malefacientium, vanitas est*; Deoque eadem interdicente sua Lege, quam dedit antiquo populo suo. (*e*) Qua de re consulendus est S. Thomas (*f*), qui plurima cum eruditione fusiorique stilo prosequitur omnes difficultates, quæ pertinent ad prædictum genus divinationis.

(*c*) Valerius Maxim. lib. 1. c. 1.

(*d*) Eccl. 34. 5.

(*e*) Non augurabimini. *Levit.* 19. 26. Non inveniatur in te, qui observet auguria. *Deuter.* 18. 10.

(*f*) S. Thom. 2. qu. 2. 95. art. 7. in corp.

Jure prorsus ergo quidam antiquus auctor, quem S. Bonifacius Moguntinus archiepiscopus censuit esse sanctum Augustinum, & cujus opus a plurimis eruditioris notæ Criticis attribuitur sancto Cæsario episcopo Arelatensi sic declarat: (*g*) *Auguria nolite observare, nec in itinere positi aliquas aviculas attendite; nec ex illarum cantu diabolicas divinationes annuntiare præsumite. Nam qui prædictis malis, id est, caragis & divinis, auspicibus vel philacteriis & aliis quibuslibet auguriis crediderit, etsi jejunet, etsi oret, etsi jugiter ad Ecclesiam currat, etsi largas eleemosynas faciat, etsi corpusculum in omni afflictione suum cruciaverit; nihil ei proderit, quamdiu illa sacrilegia non reliquerit, quia illa impia sacrilegii observatio ista omnia bona obruit & evertit.* Manet ergo certissimum, non posse ab Euphemiano auguriis adhiberi fidem, de quibus agitur in proposita specie, sine peccato prorsus ingenti, neque posse absque crimine, insania & aperta omnino insulsitate, attendi ad cantum sive volatum avium, ad ululatum animalium, neque ad alia similia, ad sumendum inde præsagium ullum alicujus eventus, quicumque esse possit faustus vel infaustus: quippe constet, quamquam clamori aut ululatui animalium nihil caussæ naturalis subsit, quam eorum instinctus; dæmonem nihilominus plerumque iisdem uti ad animos simplicium errore circumveniendos. *Instinctus hujusmodi*, ait S. Thomas, (*h*) *caussantur... etiam ex dæmonibus, qui utuntur hujusmodi operationibus brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus.* Unde sic concludit: *Ergo dicendum, quod omnis hujusmodi divinatio si extendatur ultra illud, ad quod potest pertingere secundum ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, est superstitiosa & illicita.* Cui quidem doctrinæ totus consensit S. Carolus Borromæus, in primo Concilio Provinciali quod habuit paulo post Tridentinum Concilium celebratum, (*i*) in quo sic ait: *Pœnas sumant Episcopi de iis omnibus, qui in itineris susceptione aut cujusvis rei institutione vel progressione, dies, tempora & momenta observantes, quadrupedum voces, avium garritum aut volatum notantes.... suscipiendi operis felicitatem augurantur.*

(*g*) Apud Sanct. August. serm. 78. de temp. n: 1. & 5. in append. alias serm. 124. de temp.

(*h*) S. Th. cit. art. 7. in corp.

(*i*) Conc. Mediol. I. constituit part. 1. c. 10. de magicis artibus. &c.

CASUS VII.

Placidia mulier omnino addicta cultui B. ac sanctissimæ virginis, serotinas preces frequentans, quæ dum funduntur, adorationi fidelium exponitur sacrosanctum Sacramentum; solet orationes suas habere coram imagine quadam virginis, quæ cernitur in uno quodam sacello de eadem Ecclesia, in quo fama est, plurima ac celebrata nimis edita fuisse miracula. Nonne condemnanda est præfata mulier tamquam conscia crassæ prorsus atque intolerandæ superstitionis, quippe quæ potius amet suas orationes fundere coram imagine prædicta, quam ante majus Altare, in quo venerandum Eucharistiæ Sacramentum adorationi publicæ subjicitur?

Respons.

Certissimum est, si Placidia se se transferat in conspectum istius imaginis, ut ibidem preces suas fundat, considerata tantummodo B. Virgine tamquam advocata quæ plurimum valet apud Deum, nullatenus autem eamdem habendo, ut ipsi Christo Jesu potestate parem, neque ipsius coæqualem; non sese prorsus, unde possit ulla ratione, superstitionis

nis argui; siquidem in eo casu nihil sentiat, quod ab Orthodoxa fide sit alienum; ac sese, eam esse judicans, quæ ex propriorum suorum inopia non audeat ipsummet Jesum Christum compellare suis deprecationibus, possit ex animæ abjectissimo humilitatis, atque vero intimoque propriæ egestatis sensu, ad Sanctissimam virginem confugere, eamque orare, ut sese deprecatricem interponens apud suum Filium, ei velit ipsius preces offerre, & ab ejus infinita bonitate gratias ac virtutes impetrare, quibus ei opus est. At e contrario, si nihil curaret orationes suas habere coram Augustissimo Sacramento, atque tota tantum confideret, non quidem in Christo Jesu, sed sanctissima virgine; profecto in manifestum errorem impingeret, & illam speciem superstitionis admitteret, quæ omnino criminosissima est, atque omnibus anathematibus percutienda.

Quæ quidem sic ultro aperta sunt, ut nihilo-nus sit iisdem ullius adjicere pondus auctoritatis.

(Astrologia divinans.)
Vide (Impedimentum Impotentiæ.)
(*casus* 16.)
(Somnium.)

SURDUS & MUTUS.

Duplices sunt Surdi. Alii quidem toto audiendi sensu carent, adeo ut ipsum campanæ sonum audire nequeant, licet ei sint proximi. Illi vero non sunt ita destituti audiendi sensu, ut sibi dicta audire nequeant, modo voce admodum clara alloquamur, imo voce mediocri, ipsis dicendo in aurem ope cornu. Vidimus, & audivimus confitentes plures utriusque generis.

Alia est surditatis species dicta spiritualis, de qua David loquitur, dicens nonnullos aures occludere inspirationibus Spiritus Sancti: *Noluit intelligere, ut bene ageret* (a): Sed hic titulus restringitur ad surditatem corporalem.

(a) Ps. 35. 4.

Vox *Mutus* derivatur a Græco μύθης, aut a verbo *mutire*, quod denotat conatum hominis muti, quo cogitata loqui vult, has efferendo syllabas *Mumu*.

Attis, Crœsi, Lydorum Regis, filius, licet natus mutus, tanta opera naturali enixus est, ut videns militem hostem, suum Parentem in recessu Basilicæ latentem, interempturum die quo Cyrus Persarum Rex expugnavit Sardes Lydiæ Metropolim, ejus lingua soluta, exclamaverit hæc efferens verba: Cohibe, miles, ne manus parenti meo inferas.

Probamus in hoc Titulo Ecclesiam non excludere Surdos & Mutos natos a communicatione Sacramentorum ad eorum salutem necessariorum.

CASUS PRIMUS.

Pamphili, surdi & muti nati periculosissimo affecti morbo, parentes celeriter accersunt Lucianum Parochum, eumque rogant ut absolvat illum. Hic Parochus advertens neminem salvari sine fide; & Pamphilum, surdum & mutum natum, convenienti ejus cognitione non imbutum, quærit num liceat eum absolvere & si sit licitum num posit corpus Christi in Viaticum illi præbere?

Respons.

Verum est nullum adultum salvari sine fide, juxta hæc Evangelii verba (b): *Qui vero non crediderit, condemnabitur*. At boni Theologi est dicere Surdos & mutos natos a summa Dei bonitate impetrare donum fidei, quum se componunt ad normam rectæ rationis & luminis naturalis; nec in corde suo suffocant desideria eruditionis, quæ inspirat. Nam aut Deus eos illuminat ipse interius; aut utitur ope cujusdam causæ secundæ, id est, aut Angelorum aut hominum ministerio. Ea est Sancti Thomæ doctrina (c), quæ penitus convenit credendis de infinita Dei bonitate, volentis ut omnes salventur homines, & salvantis re omnes adultos, qui nullum saluti obicem ponunt: *Hoc enim ad divinam providentiam pertinet*, ait hic Sanctus Doctor, *ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem: dummodo ex parte ejus non impediatur; si autem taliter nutritus* (scil. in sylvis) *ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali; certissimum est quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium Act. X.*

Eamdem hic Sanctus Doctor edocet alibi doctrinam (d). *In his quæ sunt necessaria ad salutem, nunquam Deus quærenti suam salutem deest vel defuit; nisi ex culpa sua. Unde explicatio eorum quæ sunt de necessitate salutis, vel divinitus prævidentur homini per prædicatorem fidei . . . vel per revelationem: qua supposita, in potestate liberi arbitrii est, ut in actum fidei exeat.* Hæc verba hujus Sancti Doctoris, qui sententiam hauserat istam ex scriptis Sancti Augustini, hac deredicentis istis verbis (e): *Intelligebant* (S. S. Cyprianus & Ambrosius) *paucissimis esse donatum ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Deum, vel per Angelos cœlorum doctrinam salutis accipiant multis, vero id esse donatum, ut Deo per homines credant.* Hic Pater edocet alibi eadem (f), ubi de Evangelio differens ait non alia erudiri ratione de eo quam opera hominum; illudque probat Apostoli verbis, dicentis in sua ad Galatas Epistola (g); *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici sed per revelationem Jesu Christi.*

Theologi eidem inhærentes principio, quo Sanctus Thomas suam stabilit doctrinam, dicunt surdum & mutum, qui suscepit Baptismum, a Deo erudiri interius de credendis quibusvis, modo lumen non extinguat peccato mortali. Alexander Halensis id censet (h): *de surdo vero oportet dici, quod si lumen gratiæ non fuerit extinctum per peccatum, cum pervenerit ad perfectam ætatem, gratia baptismalis docebit eum de omnibus, vel implicite, vel explicite credendis, scilicet ut credat quicquid credit Ecclesia, si conferre potest & percipere quid sit Ecclesia. Si autem non; potest sanctificatio baptismalis sufficere ad salutem sibi, sicut parvulo.*

Unde concludimus, si Pamphilus baptizatus quædam præbuerit indicia exteriora suæ fidei, ut vitam vere Catholicam, professionem veræ Religionis exteriorem, celebrationem divinorum Officiorum modestiam & reverentem, Lucianum Parochum, non temere credere eum esse institutum inspiratione divina, aut ministerio Angelorum, ac proinde ei gratiam absolutionis concedere, præsertim si quoddam pœnitentiæ signum exhibeat, nec ipsam denegare ei Sacram Communionem, si prodat

(b) Mc. XVI.

(c) S. 1. q. 14. de verit. a. 11. ad 1.

(d) Idem in 3. sent. d. 25. q. 2. a. 1. ad 1.

(e) S. Aug. l. de dono perseverantiæ c. 19. seu n. 48.

(f) Id. lib. de corrept. & gratia c. 5. seu n. 8.

(g) Galat. II. 12.

(h) Alex. Halensis 3. p. q. 82. memb. 5. art. 3. fol. 302.

prodat notas adorationis & reverentiæ in hoc augustum Mysterium, & his signis exterioribus significet se spiritualem hunc cibum secernere a materiali. (*a*) Modo enim hujusmodi homines doceantur veritates, quas Catechismus Diœcesanus docent de hoc augusto Sacramento, non conjiciendum est Deum & Ecclesiam perfectiorem exigere eruditionem; quum primis in sæculis Ecclesia ad communionem Corporis & sanguinis Jesu-Christi admittebat infantes ipsos ubera sugentes: consuetudo, quæ etiamnum viget in Ecclesia Græca, testibus Arcudio & Leone Allactio, illustribus Auctoribus Græcis, & quam plures Ecclesiæ Latinæ peculiares observabant duodecimo in sæculo. Sed omissis argumentis e vetustate desumptis, quæ dictis patrocinentur, notum est hodienum concedi Sanctum Viaticum ægris, qui, postquam quæsiverint, mente defecerunt, quum administrari potest sine ullo irreverentiæ periculo.

(*a*) Colloq. Petticor. to. 4. coll. 3. q. 1. De Sainte Beuve to. 2. cas. 10. 95. & 151. & to. 3. cas. 17.

CASUS II.

Clodionis Parochi in Parœcia est adolescens surdus & mutus, cujus saluti non providet, obtendens eum nulla posse ratione edoceri ad salutem necessaria. Hic Parochus nonne peccat?

RESPONS.

Existimamus Clodionem gravissime peccare, quum certum sit natum surdum & mutum posse congruente imbui scientia præcipuarum Religionis veritatum, varia adhibendo signa docendis consentientia. Nam ut verba sunt lingua qua aures afficiuntur, ita alia signa sunt loquela oculorum, *signorum igitur, quibus inter se homines sua sensa communicant*, inquit Sanctus Augustinus (*b*), *quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad animum, paucissima ad cæteros sensus*. Sicut igitur eruditur verbis mutus, non surdus, ita mutus & surdus, difficilius quidem, imbuitur signis & gestibus convenientibus, modo oculis non priveiur: signis institutis ut pateant & innotescant, docente Sancto Augustino (*c*), aliis cogitata & cognita. *Nec ulla causa est nobis significandi, id est, signi dandi, nisi ad depromendum & trajiciendum in alterius animum, quod animo gerit is qui signum dat*. Et quidem, adjungit hic Sanctus, bruta ipsa patefaciunt aliis naturæ sensa .... *Habent etiam bestiæ inter se signa quibus produnt appetitum animi sui. Nam & gallus gallinaceus, reperto cibo, dat signum vocis gallinæ, ut accurrat, & columbus gemitu columbam vocat*. Cur igitur homines, usu & auxilio rationis pollentes, nequirent cogitata nota facere signis & gestibus; & faciliorem oculato licet loquela & auditu privato, cognitionem præbere.

(*b*) S. Aug. l. 2. de Doct. Christi. n. 3.

(*c*) S. Aug. l. c.

Atqui ratio imbuendi nobis aptissima videtur usus imaginum, quæ præsertim objiciunt 1. Creationem hominis. 2. Ortum Jesu Christi. 3. Ejus adorationem a Pastoribus & Magis exhibitam. 4 Præcipua miracula per vitam mortalem edita. 5. institutionem sacræ Eucharistiæ. 6. Præcipuas Passionum & Crucifixi ipsius circumstantias. 7. Ejus Resurrectionem. 8. Ejus ascensum in cœlum. 9. Descensum Sancti Spiritus die Pentecostes. Quatuor ultimos hominis fines, scil. Mortem, Judicium, Paradisum & Infernum: hæ imagines sunt surdo & mutuo objiciendæ seorsim ordine prænotato: & apponendi sunt gestus cuique convenientes, tanquam aptissimi producendis actibus adorationis, reverentiæ, timoris, gaudii, doloris aliorumque hujusmodi, qui adjuncti toti cultui exteriori, qnem vident Deo & Sacræ Eucharistiæ a Fidelibus præstitum, valent sat eos imbuere momentosissimis Religionis Mysteriis, adjuvante Dei gratia, ipsis non defutura, modo peccatis obicem non ponant, ut jam auctoritatibus reverendissimis demonstravimus.

Hæc decisio concordat ei quod statutum est in Colloquiis Diœcesis Andegavensis mense Julio an. 1704. habitis (*d*).

(*d*) olloq. Andegavens. mens. ulio. 1704.

SUSPENSIO.

SUSPENSIO, Vox Ecclesiastica, est censura Ecclesiastica, qua Clericus, peccati ingentis reus, punitur privatione usus Ordinis, aut Officii, aut administrationis Beneficii, id est, possessionis, aut perceptionis fructuum illi annexorum, sive ex toto, aut ex parte, sive ad tempus, aut in sempiternum: *Suspensio*, inquit Polmanus (*e*), *est censura, privans Clericum usu Ordinis, Beneficii, & Officii Clericalis ex toto, vel ex parte*.

(*e*) Polm. 3. p. n. 403.

Ex hac definitione distinguenda est triplex suspensio, scilicet Ordinis, Officii, & Beneficii Prima privat Officiis actualibus Ordinum receptorum. Secunda privat usu Jurisdictionis, ceterorumque omnium Clerici officiorum, ratione cujusdam Beneficii, aut Muneris Ecclesiastici. Tertia privat fructibus, tum amplis, & decimis, cum distributionibus, ut & aliis commodis huic Beneficio, aut muneri annexis.

Hæc triplex suspensio potest simul exprimi sententia Superioris, & tunc suspensio vocatur totalis, alias partialis dicitur.

Priorem sic definit Polmanus (*f*), *Suspensio totalis, est censura privans Clericum usu Ordinis, Beneficii, & Officii Clericalis simul*, & posteriorem, *Suspensio partialis est censura, privans Clericum usu Ordinis tantum, vel Beneficii, Officiive tantum*. Utraque est mera pœna, quia finis præcipuus est punitio criminis ab eo, in quem incidit, perpetrati.

(*f*) Ib. n. 404.

Suspensio *ab Ordine superiore tantum* non extenditur ad suspensionem ab Ordinibus inferioribus. Sic Sacerdos, suspensus solum *a celebratione Missæ* potest licite munia Subdiaconi, & Diaconi obire, quod veteri innititur Ecclesiæ usui, quæ pluribus in Conciliis Sacerdotes, in pœnam peccatorum, redigebat ad simplicem usum Ordinum inferiorum. Sed huic e diametro opponitur suspensio ab usu Ordinis inferioris: nam ex æquo ad suspensionem ab usu Ordinis superioris extenditur, adeo ut Clericus, a Diaconatu suspensus, nullum possit gerere Ordinem superiorem, sine irregularitate, quod hac nititur Juris regula: *Cui non licet quod minus est, nec ei licere debet, quod est majus*: in primis, quum Ordinem gerere superiorem nequit sine quodam actu Ordinis inferioris, ut legere Epistolam aut Evangelium in Missa; officia quæ sunt Subdiaconatui aut Diaconatui propria.

Exi-

Existimat Polmanus (*a*) Sacerdotem, a Diaconatu suspensum tantum, posse verisimiliter officia Sacerdotii obire, quæ eum non tangunt, ut concionem habere, administrare Sacramenta Baptismi solemnis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ Unctionis.

Supensio affixa ei qui eam incurrit, inhæret quamcumque aliam petat Diœcesin: & propterea Concilium Antiochenum (*b*) interminatur Episcopo pœnas gravissimas, qui isti Clerico permittit in sua Diœcesi fungi officiis Ordinum, a quibus suspensum declaravit Episcopus Diœcesanus: & is est etiamnum Ecclesiæ usus. Quod ita est, ut declaratus *a Beneficio* suspensus judicio juridico, eamdem ob caussam suspendatur a Beneficiis quæ alia in Diœcesi habet: quia hic Beneficiarius, ob suam sedem subditus Episcopo qui eum declaravit suspensum, & hac suspensione ut jam diximus, ipsi inhærente, majore non valet facultate administrandi Beneficia aliis in Diœcesibus, quam in Diœcesi in qua sedet, sita.

Addendum est translatione aut permutatione necessario supponente jus ad Beneficium, Beneficiario suspenso non licere secundum Canones transferre aut permutare; quum ipsi non liceat sine jure, cujus usu eum privavit suspensio. Interim ex Jurisprudentia Parlamentorum Gallicorum, potest, licet sententia spoliatus, transferre, donec privatus fuerit judicio definitivo. Eadem Jurisprudentia favet quoque usui fructuum.

Clericus suspensus fit *ipso* jure 1. in Diœcesibus Gallicis, in quibus Episcopi hanc statuerunt pœnam in eos qui se institui curarunt titulo simulati Beneficii, aut titulo paterno ficto: alias non incurrunt suspensionem, licet eo in casu latam a Bulla *Romani* Pontificis S. Pii V. quia hæc Bulla in hoc regno non est usu recepta, ut observat Cabassutius (*c*) & ut indicat decisio D. de Sainte Beuve (*d*).

2. Ineundo sacros Ordines ante ætatem legitimam, aut extra tempus præstitutum a Canonibus, aut sine litteris dimissoriis Episcopi Diœcesani.

3. Eodem die duos ineundo Ordines sacros.

4. Sacrum ineundo Ordinem ante Ordinem sacrum ipsi inferiorem, ut Diaconatum ante Subdiaconatum; aut Sacerdotium ante Diaconatum (*e*). Eadem est ratio eorum, qui mulctati excommunicatione: aut rei simoniæ in quemdam veniunt Ordinem (*f*).

5. Qui, alio in eorum locum suffecto furtive, subreptitie ad examen, postea curant ut instituantur (*g*).

6. Curando ut creentur ab Episcopo qui notorie est excommunicatus, suspensus aut interdictis denuntiatus (*h*).

7. Suscipiendo Ordines ab Episcopo, qui abdicavit Episcopatum & officia Episcopalia (*i*).

8. Suscipiendo Ordinem post contractum, licet non consummatum matrimonium (*K*).

9. Quivis Sacerdos sæcularis: aut Regularis, celebrans matrimonium aut benedictionem adhibens nuptialem alius Parœciæ hominibus, sine licentia Parochi aut Episcopi contrahentium (*l*).

Hæ sunt præcipuæ Juris suspensiones. Plures alias silentio prætermittimus, quas videre est in corpore Juris Canonici, tacentes latas a statutis & edictis Episcoporum.

Videre quoque est in textibus heic laudatis, quibus in casibus Regulares incurrunt suspensionem (*m*).

Quicumque suspensi *ab Ordine*, & quibusdam fungentes Ordinis sui officiis peccant mortaliter, & incurrunt irregularitatem (*n*).

Ad hæc sciendum, præter pœnam: quam incurrunt violantes suspensionem ab usu Ordinum, præter peccatum mortale eos incurrere irregularitatem.

Observandum est nos dicere: suspensionem ab usu Ordinum. Nam suspensio a jurisdictione litigiosa non ponitur irregularitate: quum simplex Clericus, qui nullos suscepit Ordines, eam exercere potest. Eadem est ratio eorum, qui, suspensi *a Beneficio*, ejus tamen percipiunt fructus, faciunt locationes aut aliis hujusmodi funguntur officiis ei annexis: nam, licet illis non liceat sine gravi peccato, non incurrunt tamen irregularitatem. Navarrus & vulgus ceterorum Canonistarum asserunt idem de eo, qui, suspensus ab Officio concionem habendi, violat suspensionem: quia, inquiunt, hoc ministerium non adhæret Ordini ita, ut quandoque nequeat utiliter credi simplici Clerico tonsura insignito, ut illustre exemplum nobis præbuit Dominus Abbas Gaillard, qui, nullo constitutus in Ordine, conciones habuit, cum licentia

(*a*) Id. ibid. n. 408.

(*b*) Cap. *Postulasti* 14. de foro competenti lib. 2. tit. 2.

(*c*) L. 5. c. 16

(*d*) Tom. 1. cap. 24.

(*e*) Innoc. III. in cap. *Tua littera.* unic. de Clerico per saltum promoto. l. 5. tit. 29.

(*f*) Innoc. III. in cap. *Per tuas.* 37. de

(*g*) Alex. III. in cap. *Veniens* 1. Et Cælest. III. in c. *Innotuit.* 3. de eo qui furtive ord. suscepit. l. 5. tit. 30.

(*h*) Urban. II. in can. *Si quis a Simoniacis.* 108. 1. q. 1.

(*i*) Alex. III. in cap. *Requisivit.* & Greg. IX. in c. *Cum Clericis.* 2. de Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiavit. Lib. 1. tit. 13.

(*K*) Joan. XXII. in Extravag. *Antiqua.* unic. de voto tit. 6.

(*l*) Conc. Tri. sess. 24. c. 1.

(*m*) Clement. *Monasteriorũ.* 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. l. 3. tit. 4. Clem. in c. *Religiosi.* 1. de privilegii. l. 5. tit. 7. Conc. Viennens. in *Religiosi.* 1. de decimis &c. l. 3. tit. 13.

(*n*) Innoc. IV. in cap. *Cum æterni.* 1. de sentent. & re judicata in 6. lib. 2. tit. 14. Idem in cap. *Cum medicinalis.* 1. de Excom. in 6. lib. 5. tit. 11. Fagnan. in c. *Si quis Presbyter.* de Clerico excommunicato ministrante.

licentia multorum Galliæ Antistitum, ad octogesimum usque annum, in omnibus Missionibus, quas in eorum confecit Diœcesibus.

CASUS PRIMUS.

ARCHAMBAUDUS Citta-Nova, urbis Istriæ, Episcopus, nominatim declaratus suspensus *ab Ordine*, vel *a Jurisdictione*, quia contulerat Diaconatum & Sacerdotium eodem die in subdiaconum Diœcesanum, potest ne hoc non obstante fungi quibusdam officiis Episcopalibus?

RESPONS.

In Jure duo diversissima sunt Ordo & Jurisdictio. Ideo quia pœnæ canonicæ sunt odia, quæ limitantur; suspensus *ab Ordine* numquam censetur suspensus *a Jurisdictione* (*& vice versa*,) nisi jurisdictio necessario affigatur vinculo usui Ordinis, ut Sacramento Pœnitentiæ, quod Sacerdoti, *ab Ordine* suspenso, non licet administrare.

Dicendum igitur ad difficultatem propositam, Archambaudum solummodo suspensum *ab Ordine*, non posse reapse pontificali pompa celebrare, nec Ordines conferre, nec consecrare Ecclesias, nec Altaria; quia hujusmodi officia sunt potestatis Ordinis, quo supponitur suspensus: sed potest facere partes Jurisdictionis Episcopalis, ut proponere ad Beneficia, & ea conferre quorum collatio a se pendet, probare Confessarios, dicere suspensionem, interdictum & excommunicationem, & ab iis absolvere in foro exteriori tantum; quia hæc omnia officia, non Ordinis, sed Jurisdictionis sunt partes.

Contra, declarato suspenso solum *a Jurisdictione* licet facere quasvis partes Ordinis, non vero partes Jurisdictionis. Verum addere interest, Episcopum *a pontificalibus* suspensum, 1. non posse *cum apparatu* pontificali celebrare, etiamsi ei liceat sine ullo ornatu pontificali, & modo celebrandi sacerdotibus solito; id est, sine mitra, sine pallio, & alio apparatu Episcopis proprio, ut videre est illustre exemplum in Concilio, a Leone IX. Rhemis collecto an. 1049. Rege Henrico I. in quo Patres hujus Concilii Episcopo Nannetensi, quatenus simoniaco remoto, permiserunt fungi solum officio Sacerdotis, ut hæc habent verba. *Accedens denique* (Episcopus) *Nannetensis, confessus est genitorem suum, Episcopum fuisse civitatis, & in ejus vita donum Episcopi se percepisse, mortuoque illi subrogatum per largitionem pecuniæ: qua propter judicio Synodi, sublato annulo & pastorali pedo, privatus est Pontificali ministerio, condonato ei intervenientibus Episcopis tantummodo Presbyteratus Officio*. 2. Non posse confirmationem conferre, nec ullum Ordinem, nec consecrare Ecclesias, Altaria, Calices. Hæc est sententia Panormitani & Silvestri de Prierio, eum laudantis (*a*), & Auctoris, qui collegit & in lucem edidit Colloquia Andegavensia (*b*): qui, iisdem innixus principiis, dicit: 1. Sacerdotem suspensum *a celebratione Missæ*, posse Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ administrare, concionem habere, fungique officiis Diaconi & Subdiaconi, modo non sit suspensus *a Sacerdotio*. 2. solummodo suspensum *ab excipiendis Confessionibus*, posse celebrare & administrare alia Sacramenta. 3. Parochum, a partibus Parochi suspensum, posse in sua Parœcia celebrare, modo non sit Missa Parochialis: posse quoque Officium canere divinum cum aliis, modo Choro non præsit: & sic de ceteris.

(*a*) Silvester v. *Suspensio*. q. 5. & apud eum Panorm.

(*b*) Colloq. Andeg. mensis Augusti. 1702. q. 1. p. 249.

Observare juvat nullam suspensionem in Episcopum incidere, nisi nominatim denuncietur, uti alibi dicimus.

CASUS II.

METRODORUS Parœciæ ruralis Parochus in popinam divertit ut basilico victu duos exciperet amicos, contra Edictum Episcopi, omnibus Clericis cauponam interdicentis, pœna suspensionis *ipso facto*, ad semestre, & a quo absolvendi facultatem sibi servavit. 1. Peccat ne mortaliter? 2. Est ne suspensus non solum ab usu sacrorum Ordinum, sed & ab omnibus Parochi partibus? 3. A quo potest absolvi in foro Pœnitentiæ?

RESPONS.

Antequam huic fiat difficultati satis, sciendum est 1. Suspensionem, in genere, esse censuram, qua Clericus privatur usu Ordinum & Beneficii, ex toto, aut tantum ex parte, ad sempiternum aut ad tempus præstitutum, in pœnam peccati grandis ab eo commissi. 2. Triplicem esse suspensionem (*c*). Prima, dicta *ab Ordine*, eum privat usu præsenti partium susceptorum Ordinum. Secunda, dicta *ab Officio*, eum privat officiis Beneficii aut Muneris, quo gaudet in Ecclesia, causa impositis. Tertia, a Theologis atque Canonistis dicta *a Beneficio*, Clericum privat Officio & Jurisdictione Clericalibus, ipsi demandatis ex Beneficio & Munere, de quo est provisus; immo fructibus, saltem ex parte, quando Beneficium est sacerdotale: Episcopo de parte statuere valente in gratiam præpositi qui fungetur muneribus Sacerdotii.

(*c*) Navarr. Manual. c. 27. n. 154.

Hoc posito, respondemus 1. Metrodorum peccavisse mortaliter, ut probatur his S. Gregorii verbis (*d*): *Si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abjiciatur*. *In libro Regum* (*e*) *legitur*: Qui non obedierit principi, morte moriatur, *& in Concilio Agathensi, quod anathematizetur*. Ex quibus verbis videtur hæc inobedientia esse peccatum mortale, quum pœna anathematis non infligatur in minus peccatum, ut habet Concilium Meldense, an. 845. habitum, in Decreto Gratiani relatum (*f*): *Anathema est æternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine*.

(*d*) S. Greg. in cap. *Si quis*. 2. de majoritate & obedientia. lib. 1. tit. 33.

(*e*) Reg. 13.

(*f*) Concil. Meldens in can. *Nemo*. 41. 11. q. 3.

Dicimus secundo, suspensionem verbis comprehensam generalibus, & sine ulla restrictione, aut distinctione, debere ad triplicem suspensionem, de qua diximus, extendi, ac proinde Metrodorum revera privari omnibus officiis Clericalibus, & omnibus juribus Beneficii sui ad tempus a Decreto Episcopi præfixum, qui solus eum potest in integrum restituere ante elapsum semestre: quo elapso, censura jure cessat: & hic Parochus qui implevit sibi impositam pœnam, iterum sua munia obtinet, sine ulla prævia absolutione, qua in integrum restituatur. Sed observandum est 1. Eum, solummodo suspensum *ab Ordine*, servaturum eo in casu (*g*) alia jura Beneficii sui: & illorum usum ei licere sine irregularitate, quam incurrunt transgressores censuræ quicunque. 2. Sacerdotem suspensum ab Ordine Diaconi, censeri suspensum ab Ordine superiori, sacerdotio, nisi contrarium clare & aperte pateret ex ipsis sententiæ verbis. Prima quæ afferri potest, ratio est, quia indignus Ordine inferiore longe indignior est superiore. *Qui indignus est inferiore Ordine, indignior est superiore* (*h*). Secunda: quia omnes Sacerdotii partes sunt nobiliores & eminentiores partibus Diaconatus, ut officia Diaconatus superant præstantia partes Subdiaconatus: & eam ob rem, cui munia Diaconatus interdicta, censetur privatus jure usus Sacerdotii. *Cum majora intelliguntur illis probibita, quibus vetita sunt minora*: sic dicit Innocentius III. ad Episcopum Londinensem scribens (*i*): quod sic intelligitur, quum majus necessario connectitur cum minore, ut in hoc casu Ordo superior supponit inferiorem, quatenus ejus basin. *Hoc tam intelligitur*, inquit Bonacina (*K*), *quando majus habet connexionem cum minori, tunc quia superior Ordo est adnexus inferiori, & supponit inferiorem tamquam fundamentum*. Idem dicunt Cardinalis Toletus, Sayrus, Reginaldus, Ugolinus, Henriquez pluresque alii.

(*g*) Navarr. tit. cap. 27. n. 160.

(*h*) Leg. *Qui indignus*. 4. ff. de senatoribus lib. 1. tit. 9.

(*i*) Innoc. III. in cap. *Cum illorum*. 32. de sent. excom. Lib. 5. tit. 39.

(*K*) Bonacin. tract. de censuris, disput. 3. puncto 2. n. 7. tom. 1.

Hæc decisio consentit sententiæ Auctorum doctorum Colloquiorum Lucionensium & Andegavensium (*l*), aliisque Doctoribus modo laudatis.

(*l*) Colloq. Lucion. tom. 7. colloq. 19. q. 2. Colloq. Andegav. mensis Julii 1712. q. 4. p. 257.

CASUS III.

DOMINICUS, Sancti Aubini, in Diœcesi Trecorensi Parochus, invisens Parochum in Diœcesi Veneta, ad cauponam in amplitudine posterioris Diœcesis sitam, divertit, non obstante Statuto proprii Episcopi, omnibus Clericis interdicentis ejus introitum ad propinandum, pœna suspensionis *ipso facto*. Num hanc incurrit censuram?

RE-

RESPONS.

Dicendum est, Dominicum in casu proposito non incurrisse suspensionem. Nam sciendum est longum interesse discrimen inter obligationem sententia & mandato peculiari contractam, atque illam, cui quis subest statuto. Quia obligatio sententia & jussu contracta personalis est, ac proinde ei quocunque pergat, inhæret, modo superioris, qui dixit sententiam, jurisdictioni subjaceat (a). Unde sequitur, Sacerdotem a superiore legitimo interdictum juridice continuo perstare interdictum, licet in aliam secedat Diœcesim. At eadem non est ratio obligationis, cui subjicitur statuto. Statutum enim Diœcesanum est lex territorio Diœcesis affixa, ac proinde obligans solum re sedem habentes in eo: ita ut qui extra limites statutum non servant, non incurrant pœnam, transgressoribus impositam. Quod patet ex Constitutione Bonifacii VIII. (b), in qua hic dicit Pontifex, statuto ab Episcopo in sua Diœcesi promulgato, quo excommunicatos declarat furtum facientes; subditum Diœceseanum rem proximi surripientem alia in Diœcesi non incurrere excommunicationem. *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint excommunicationis, sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes, minime ligari noscuntur; cum extra territorium dicenti non pareatur impune*. Idem judicium est de aliis censuris, ut dicit Actor Colloquiorum Condomensium (c).

(a) Clemens III. in cap. A nobis 21. de sent. excom. &c. Lib. 5. tit. 39.

(b) Bonifac. VIII. in cap. Ut animarum de Constitutionibus in 6.

(c) Colloq. Condom. to. 2. colloq. 1. sect. 2.

CASUS IV.

GERASIMUS Cenomanensis Diœcesis Sacerdos demigravit in Diœcesim Vasaticam, in qua Clericis ingressus in cauponam interdictus est pœna suspensionis *ipso facto*. Sede paulo post ibi fixa, cibum cepit in caupona, & præbuit quibusdam amicis, ignorans tabernam Clericis interdictam hac pœna in illa Diœcesi. Num ignorantia eum purgat coram Deo, & præstat salvum a suspensione & irregularitate, si postea celebraverit?

RESPONS.

Constat ignorantiam tum juris Clericalis, cum facti, non affectatam nec nocentem purgare omnibus censuris, ut declarat Bonifacius VIII. his verbis (d) *Ut animarum periculis obvietur sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina*. Unde sequitur Gerasimum, qui paucis a diebus sedem fixerat in Diœcesi Vasatica, & pro tempore merito conjicitur nequivisse de statutis in ea promulgatis quærere, non incurrisse censuram, in Clericos popinantes latam.

Ratio hujus Decisionis, quæ afferri potest, est, quia censura non incurritur sine prævia monitione legitima; Ecclesia eas inferente solum in contumaces, ut declarat Concilium Meldense, in prima Decisione laudatum, agens de excomunicatione in specie (e). Ideo Innocentius III. in Decretali, quod promulgavit in Concilio Lateranensi generali (f), & post eum Innocentius IV. (g) declarant monitionem necessario præire ut valide infligatur censura; Gerasimo autem ex hypothesi non innotuit interdictum a statuto, de quo agitur, latum, nec se pœnam incurrisse Clericalem arbitratus est, quia cibum sumpserat in taberna. Non est igitur habendus suspensus, nec irregularis, quia postea celebravit ignorantia nec crassa, nec supina affectus.

Dictis patrocinandum est his verbis Decretalis, a Gregorio IX. missis ad duos Ecclesiæ Pragensis Canonicos (h), qui se non habentes suspensos, celebraverant postea bona fide: *Quia tempore suspensionis celebrastis ignari; vos reddit ignorantia probabilis excusatos*. Quem in rem Glossa habet (i): *Non est hic aliqua dispensatio necessaria, quia nesciebant se suspensos, unde non peccaverunt*.

Cabassutius idem censet cum pluribus Auctoribus, quos laudat Sylvester, Mozolinus, Navarrus, Sylvius & Sanchez (k).

(d) Bonifac. VIII. in cap. Ut animarum 2. de Constit. in 6. Lib. 1. tit. 2.

(e) Conc. Meldens. in c. 1. can. Nemo 41. 11. q. 3.

(f) Innoc. III. in cap. Sacro 48. de sent. excomm. &c.

(g) Innoc. IV. in cap. Romana 5. eod. tit. in 6.

(h) Greg. IX in cap. Apostolicæ 9. de Clerico excom. deposito vel interdicto ministrante lib. 5. t. 27.

(i) Glossa ibi v. Probabilis.

(k) Joan. Cabass. juris canon. theor. & prax. l. 5. c. 13. n. 5. Sylvester de Prierio v. Excommunicatio 9. 3. Navarr. Manual. c. 27. n. 16. Fr. Sylvius n. 1. 2. q. 76. art. 1. Thom. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 13. Suarez. de censuris dis. 4. n. 8.

CASUS V.

ELEAZAR, Giennæ Episcopus, promulgavit Edictum, quo in universum interdicit omnibus in Ordinibus constitutis divertere ad cauponam pœna suspensionis *ipso facto*. 1. Hieronymus, Acolythus divertit, num est ab Ordinibus suspensus? 2. Est ne irregularis, quia postea partibus est functus?

RESPONS.

Juxta rationis normam, dicendum est Hieronymum non incurrisse suspensionem, nec irregularitatem. 1. Quia juxta usum loquendi receptum Clericus dicitur in Ordinibus constitutus, quando primum, nomine sacrum, hoc est subdiaconatum, suscepit. 2. Quia pœnæ quæ sunt odia, non debent ampliari juxta hanc regulam Bonifacii VIII. (l) *Odia restringi, & favores convenit ampliari*.

Quum Episcopo liceat statuto includere Clericos majores, & minores, tutius est hanc ut & minores, in difficultatem, eum, consulere, ab eo quærere mentem statuti, & ad ejus decisionem se accommodare, nam solius est Legislatoris mentem legis aperire, ut habet lex Romana, in margine laudata (m), & dicunt Aristoteles & Plato (n).

(l) Reg. 15. de regul. juris in 6.

(m) Leg. Inter 1. Cod. de legibus.

(n) Aristot. l. 2. Ethicorum Plato de Regno.

CASUS VI.

VOCONIUS, modico diffisus ingenio, vigilantiæ Episcopi fucum fecit, & die Ordinationis adjungens se Diaconis sine ullo prævio examine Ordinibus initiari curavit. Nonne incurrit suspensionem *ab Ordine*.

RESPONS.

Non est dubium quominus Voconius incurrerit suspensionem, ut patet ex Decretali Cœlestini III. (o), qui verba faciens de tribus Clericis qui furtive Ordines susceperant, non obstante interdicto, ab Episcopo pœna excommunicationis ipsis dicto, ait: *Respondemus, quod Ordinati in susceptis Ordinibus de juris rigore ministrare non debent*. Addit hic Pontifex, volentibus statum suscipere Religiosum Episcopum concessurum postea immunitatem necessariam, utpote dignis: *Si... ibidem* (in Religione) *laudabiliter fuerint conversati, processu temporis cum eis poteris de nostra licentia dispensare ut postmodum susceptorum Ordinum executione lætentur*.

Idem legitur in duobus Decretalibus aliis Pontificis Alexandri III. (p) Cabassutius (q), ceteri quæ Canonistæ hanc probant decisionem iisdem auctoritatibus jam relatis.

Ceterum patet ex istorum Pontificum verbis, eum, qui sic Ordines suscepit, posse immunitatem obtinere ab Episcopo.

(o) Cœlest. III. in cap. Innotuit 3. de eo qui furtive Ord. suscept. lib. 5. tit. 30.

(p) Idem in c. Cum. H Lector. 2. de & Alex. III. in c. Veniens eod. tit.

(q) Cabassut. juris can. theor. & prax. L. 5. c. 16. n. 25.

CASUS VII.

MUMMOLUS Diœcesanus Diensis suscepit subdiaconatum ab Episcopo Grassensi, ementitis dimissoriis Episcopi proprii. Num incurrit suspensionem *ab Ordine*?

RESPONS.

Mummolum existimamus incurrisse suspensionem; nam patet ex veteri Concilio Aureliæ habito Pontifice Vigilio sedente an. 549. a 50. Episcopis, & 20. Procuratoribus Episcoporum absentium (r), istum Clericum esse hac puniendum censura: *Ut nullus Clericum seu Lectorem alienum sine sui cessione Episcopi, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare*, inquiunt Patres hujus Concilii; *quod si quis hanc Constitutionem fuerit quacumque præsumptione transgressus memoratæ personæ, eo, cui sunt debitæ, seu Ecclesiastico jure, seu proprio revocatæ... ab honore, vel Officio suscepto, juxta arbitrium sui Pontificis suspendantur; Episcopus vero qui ordinaverit, sex mensibus Missas tantum facere non præsumat*.

Verum est vocem, *suspendantur*, non notare suspensionem *ipso jure*: sed supponere tantum

(r) Conc. Aurelian. V. can. 5.

necessario intervenire sententiam juridicam: sed legimus in Bullario magno Constitutionem Pii II. (*a*) quæ hanc imponit suspensionem *ipso jure* Clericis, qui susceperunt sine veris dimissoriis: *Statuimus & ordinavimus quod omnes & singuli qui .... absque dimissoriis Litteris .... ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint*. Adjungit hic summus Pontifex, si constituti sic in Ordinibus faciant partes suorum Ordinum temere, in irregularitatem labi, *eo ipso irregularitatem incurrant*. Alia Sixti V. Bulla (*b*). 5 Junii 1589. firmat præcedentem, & easdem imponit pœnas, de quibus sibi servat absolutionem & immunitatem.

(*a*) Pius II. in Bulla Cum ex Sacrorum 7 die 17. Nov. ann. 1461. §. 1.

(*b*) Sixti V. in Bulla Sanctum 91. §. 3. & seqq.

Verum est quoque, hanc Pii II. Bullam non fuisse promulgatam, nec proinde hoc in Regno receptam ex formulis solitis; sed sat receptam usu, qui, ut prudenter observat Auctor Colloquiorum Andegavensium (*c*), consentit, hoc in Disciplinæ articulo menti Concilii Aurelianensis V. laudati, & cujus statutum clare confirmatum est ab ultimo Concilio generali (*d*), his verbis; *Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei ... permittatur, nisi ejus probitas & mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus* (*e*).

(*c*) Colloq. Andegav. mensis Sept. 1712. q. 2.

(*d*) Conc. Tr. sess. 23. c. 8. de reformat.

(*e*) Statut. Synod. Rupell. 1710. Colloq. Lucon. Agat. & Andegav. &c.

CASUS VIII.

Cyriacus vicesimum-tertium agens annum, cum sex mensibus, ope falsarum Baptisterii literarum suscepit Sacerdotium. Incurrit-ne suspensionem? Si vero incurrerit, & crimen ejus sit omnibus notum, & celebraverit hoc in statu, a quo absolvi potest?

Respons.

Certum est, Cyriacum incurrisse jure suspensionem, & si eo in statu celebraverit esse irregularem; nam ætas legitima ad veniendum in Sacerdotium est vigesimus quintus annus inchoatus. *Nullus in posterum ... ad Ordinem Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur*, ait Concilium Tridentinum (*f*): & sine peccato mortali & lapsu hanc in censuram nequit suscipere ullum alium Ordinem sacrum ante ætatem a Canonibus requisitam, *peccat mortaliter*, inquit doctus Canonista (*g*), *qui ordinatur ordine sacro extra tempora a Jure statuta, vel ante legitimam ætatem ... & est ipso jure suspensus, & si Ordine utitur, fit irregularis*. Quod probat septima Bulla Pii II. 17. Novemb. 1461. (*h*) in qua fatur hic Pontifex his verbis: *Auctoritate Apostolica hac Constitutione perpetuo valitura statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli, qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia .... ante legitimam ætatem ... aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, a suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint, & si hujusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant*.

(*f*) Conc. Tr. Sess. 23. de reformat. c. 12.

(*g*) Navarr. Manual. c. 25. n. 79.

(*h*) Pius II. in Bulla Cum ex sacrorum. §. 2.

Hac constitutione & Decreto Concilii Tridentini in Gallia usu receptis, Cyriacus debet absolvi a censura, & honorem ac gradum reddi ad munia suorum Ordinum. At etiamsi Navarrus, Romæ scribens, Pœnitentiarius dicat Pontificem solum dispensare hoc in casu, *in quo solus Papa dispensat*: nihilominus constat hunc Sacerdotem posse absolvi legitime, & restitui ab Episcopo, si crimen foret occultum, ut Cabassutius probat Bulla Clementis VIII. *Verumtamen*, inquit Canonista (*i*) *Clemens VIII. in Bulla incipiente*, Romanum Pontificem debet, *redigit* (hanc suspensionem) *ad dispositionem Concilii Tridentini. Itaque potest Episcopus in hac suspensione, si sit occulta, dispensare*. Quod jam docuerant Barbosa, pluresque alii priores hoc Canonista recentiori. *Notatur ad hoc* inquit Barbosa (*K*) *posse Episcopum dispensare, ut ad Sacerdotium promoveatur. Verum in irregularitate, quam qui contraxit, exercendo ordines, quos non habebat, solum summum Pontificem dispensare posse ut ad altiorem promoveatur ordinem .... si vero delictum sit occultum: tunc Episcopus dispensare poterit ut alios suscipiat*, *per Concilium Tridentinum sess. 24.* Sed quando culpa est omnibus nota ut proponitur in quæsito de Cyriaco, recurrendum est necessario Romam, & immunitas impetranda ab ipsa Curia Romana: nam, hoc in casu non sufficeret immunitas a Pœnitentiario imo ab Episcopo, utraque ad forum interius restricta, & in casibus occultis secundum Decretum Concilii Tridentini. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & in suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare* (*l*).

(*i*) Joan. Caballut. cit. lib. 5. c. 10. n. 6. & apud eum Sayrus &c.

(*k*) August. Barbosa in tit. de Clerico non ordinato ministrante.

(*l*) Conc. Tr. sess. 24. c. 6. de reform.

CASUS IX.

Mutius Acolytus copiam sibi fecit Subdiaconatus ab Archiepiscopo suscepti, qui Episcopatu abiverat suo & partes reliquerat Episcopales, & de cujus Episcopatu alius fuerat provisus ac venerat ipse in possessionem. Num incurrit suspensionem?

Respons.

Hic Acolytus in suspensionem incidit. *Suspenditur ab ordine suscepto*, inquit Cabassutius (*m*), *quis quis ordinem sacrum susceperit ab Episcopo, qui Episcopatui & ordinis Episcopalis usui renunciavit, & hæc suspensio reservatur Papæ*. Quod probari potest Decretali Alexandri III. (*n*), qui consultus de quæstione huic æquipollente, respondet ei his verbis: *Sane si ab eodem* (Episcopo) *sacros ordines scienter quis receperit: quia indignum se fecit, executionem officii non habebit. Ubi autem non scienter, poterit* (*nisi crassa & supina fuerit ignorantia*) *discretus Pontifex dispensare*. Idem docet Ducasse (*o*), & addit hoc crimen Pontifici reservatum.

(*m*) Joan. Cabass. juris can. theor. & prax.

(*n*) Alex. III. in c. Requisivit. 1. de ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui lib. 1. tit. 13.

(*o*) Fr. Ducasse, tract. de jurisdict. Eccles. fiast. volunt. c. 12. n. 4.

CASUS X.

Hombertus e Diœcesi Basileensi oriundus, apud Episcopum Sedunensem commoratus ut Domesticus per octennium, Subdiaconatum suscepit ab hoc Antistite sine dimissoriis literis a Basileensi Præsule impetratis. Episcopi Sedunensis tribus post mensibus fato functi successor Hombertum elegit a largitionibus, & postquam biennio ministrasset, creavit eum Diaconum, & Sacerdotem. Qua de re quæritur num Hombertus decennio commoratus apud duos Episcopos potuerit sine incursa suspensione suscipere Ordines ab iis absque dimissoriis literis ab Episcopo Diœcesano missis.

Respons.

Duas quæsitum habet difficultates a se invicem distinctas, ad quas seorsum est respondendum. Ad priorem dicimus Hombertum non incurrisse suspensionem jure, quia suscepit subdiaconatum ab Episcopo Sedunensi sine dimissoriis ab Episcopo Basileensi scriptis, quum per octennium fuerit ejus Domesticus. Ratio est, quia secundum Concilium Tridentinum (*p*), Episcopo licet conferre Ordines licite Domestico per triennium completum commorato; etiamsi non sit diœcesanus, & destituatur dimissoriis a proprio Episcopo datis. *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus*. Hæc Concilii verba.

(*p*) Conc. Tr. sess. 23. c. 9.

Ad posteriorem dicimus, Diaconatum & Sacerdotium, ad quæ eum admisit successor hujus Episcopi, cujus erat a biennio tantum familiaris, nequivisse suscipere per dispositionem istius Concilii, concedentis hoc privilegium Episcopis in gratiam extraneorum post ministerium triennio completo præstitum, quod ipsorum successores respicere nequit: privilegio quatenus odio, restringendo ad ipsamet verba, juxta hanc Juris regulam (*q*), *odia restringi .... convenit*. Verum est tamen Hombertum licite creatum fuisse Diaconum & Sacerdotem a successore Episcopi Sedunensis, a quo Subdiaconatum susceperat, ut a proprio Domicilii Episcopo, modo actu commoraretur in

(*q*) Reg. 15. de regulis juris in 6.

Diœce-

Diœcesi sedunensi, ut hæc supponitur re esse illi sedes; ac præterea sincerus esset animus eam habendi perpetuam; ita ut Ordines duos fraude non susceperit, ne se a Jurisdictione Episcopi Basileensis subduxerit. Nam alias foret suspensus jure, ut docet Navarrus, æquipollenti respondens difficultati (*a*). Ratio quam hic apponit Canonica est, quia tempus minus sufficit ut quis jus Domicilii nanciscatur, & fiat subditus Episcopo sedis, in qua institutus est. „ Per quæ probatur contrahere quem Domicilium „ in loco, ubi constituit habitare, animo perpetuo „ habitandi, vel manendi ibi, etiamsi parvo tempore manserit: quia per mansionem talem quæritur Domicilium etiam momento temporis, ut „ post alios tradit Philippus Francus in cap. *Nulla*. De temp. ordin. ubi loquitur de Domicilio, „ quod sufficit per illum textum ad effectum faciendi se subditum Episcopo, ad hoc, ut ordinari possit ab ipso ratione Domicilii; quod per „ illum textum est unus modus, per quem quis „ sortitur forum & subjectionem Episcopi ad Ordines suscipiendos „. Sic Navarrus consentit legi, quæ habet (*b*): *In eodem loco singulos habere Domicilium non ambigitur, ubi larem rerumque ac fortunarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet.*

(*a*) Navar. l. 1. consil. de temp. ord. cons. 8.

(*b*) L. Cives 7. Cod. de incol. l. 10. t. 39.

CASUS XI.

Martinus, in Diœcesi natus Auscitana, vitaturus severum Antistitis examen, copiam sibi fecit minoris Canonicatus in Diœcesi Aturensi, solo animo suscipiendi Sacerdotium ab Episcopo Beneficii, in fraudem jurisdictionis Archiepiscopi Ordinarii, & iterum repetendi Diœcesim Auscitanam: quod effecit post susceptum & præstitum Ordinem Sacerdotii, & translatam nepoti Præbendam, antequam venisset ipse in possessionem. Nonne potest haberi suspensus, jure: quia sic Ordines suscepit?

RESPONS.

Arbitramur Martinum, sic creatum Sacerdotem sine dimissoriis a suo Antistite scriptis, & animo se ab ejus jurisdictione subducendi, incurrisse censuram, a Concilio Tridentino latam in eos qui suscipiunt Ordines ab alieno Episcopo. En Decreti hujus sancti Concilii verba (*c*): *Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat .... Ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus*. Nec juvat Martinum pro se dicere quod fuerit creatus a proprio Beneficii Episcopo; nam, juxta sententiam periti Theologi (*d*), hic Episcopus non censetur, hoc in casu, ejus Episcopus; quia iste Canonicus sua est usus Præbenda, solo animo se a jurisdictione Antistitis subducendi, & iniquum est ut fructum capiat e fraude juxta hanc Juris regulam, ab Innocentio III. latam (*e*). *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*. Ratio est, quia, ut ait Glossa, qui quid facit in fraudem legis, ipsam transgreditur legem, (*f*) *qui facit in fraudem legis, contra ipsam videtur facere.*

Huic decisioni pondus addit sacra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, quæ, ab Episcopo Cadurcensi quæsita, respondit 7. Octobris 1662. his verbis: „ Congregatio Concilii sæpius declaravit, tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci Beneficii, si tamen adeptus sit Beneficium in fraudem, esse male promotum, ac si in susceptis ordinibus ministraverit, irregularitatem contrahere: etenim an ipsa „ fraus intercesserit, ex legitimis conjecturis ad „ præscriptum juris esse dignoscendum. „ Hinc sequitur Martinum in suspensionem lapsum esse & incurrisse irregularitatem, quia illo in statu gessit susceptos ordines. Ipsi ergo est Romam recurrendum, & exponendum tempus, per quod partes fecit Sacerdotales, ut absolvatur & restituatur. Si vero ejus delictum omnino sit occultum, potest a proprio Episcopo absolvi de suspensione & restitui de irregularitate, quoad forum interius solum, juxta Decretum Concilii Tridentini, in octava Decisione laudatum.

(*c*) Con. Tr. sess. 23. c. 8. de reform.

(*d*) De Sainte Beuve tom. 1. cas. 14.

(*e*) Innoc. III. in c. Officii. 24. de testam. & ult. vol. l. 3. t. 26. & in c. cum dilectus 8. de Religio. sis Domib. ut Episcopo sint subjectæ l. 3. Cod. t. 36.

(*f*) Gloss. in c. quanto 26. de privileg. & excessibus privil. v. In fraudem l. 5. t. 33.

CASUS XII.

Manilius, Diœcesis Andegavensis Sacerdos, cum venisset Parisios sine potestate exeundi ab Episcopo suo data, finxit ementitam octiduo post adventum, cujus ope celebrandi licentiam habuit, & postea in Ecclesiam S. Pauli se admitti curavit, in qua quotidie sacrum facit sex abhinc mensibus. Patefacta falsitate, Confessarius dixit eum incurrisse suspensionem *ipso facto*, duas ob rationes. Prima, quia ementitam fingere exeundi potestatem, est casus reservatus, cui annectitur hæc censura in Diœcesi Andegavensi. Secundo, quia, juxta duodecimum articulum statutorum Synodalium, ab Eminentissimo Cardinali de Noailles Archiepiscopo Parisiensi editorum 2. Januarii 1697. Sacerdos celebrans in Diœcesi quindenis diebus post adventum, sine licentia legitima, fit suspensus *ipso facto*. Licentia autem, Manilio ab Eminenti concessa, legitima censeri nequit, quia ope ementitæ exeundi potestatis habuit. Huic Confessario nonne est jus? Videtur. Nam ut immunitas Romana obreptione aut subreptione impetrata est nulla, sic hæc licentia est nulla, quum sit obreptitia.

RESPONS.

Hic Sacerdos non incurrit suspensionem *ipso facto* in quæsito proposito. Nam 1. non incurrit suspensionem ab Episcopo Andegavensi statutam; quia falsitatem finxit, cui suspensio annectitur extra limites Diœcesis hujus Episcopi, & statutum aut mandatum Episcopi obligat solum qui re sunt intra terminos suæ jurisdictionis, ut declarat Bonifacius VIII. in Constitutione, quæ habet (*g*): „ Statuto Episcopi, quo in omnes „ qui furtum commiserint, excommunicationis „ sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesin committentes minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune „.

(*g*) Bonifac. VIII. in c. ut animat fin. de constitut. t. 6.

2. Manilius non incurrit quoque suspensionem, duodecimo articulo statutorum Synodalium Diœcesis Parisiensis notatam. Nam hanc incurrunt censuram qui, quindecim diebus sedis commorati celebrant & Missarum honorariorum capiunt sine licentia Archiepiscopi. Hic autem re eam obtinuit; nam etiamsi mens Eminentiæ, hoc statutum ferentis, fuerit, ut concederet quibus exeundi potestas esset ab Episcopo Diœcesano subscripta; licentia tamen celebrandi est vera & legitima, verbis absolutis & sine restrictione concessa. Ratio est, quia auctoritas rata hujus licentiæ non pendet per se ex potestate exeundi tanquam a causa; quum constet concedi a Superiore, seorsum ab illo instrumento, quo destituitur petens, cum expedire judicat: ideo statutum Synodale Parisiense non habet licentiam, sine *exeundi potestate* concessam, fore nullam. Inspicienda ergo *exeundi potestas* tanquam simplex conditio, sine qua non solet superior facile largiri licentiam celebrandi: quia persuasam habere vult Jure probitatem Sacerdotis, eam petentis, & certiorem eum facit *exeundi potestas*, quando ut moris est, commendat eum.

Licentia igitur, Manilio impetrata, est realis & vera, quamvis obreptitie habuerit, fucum faciens. Hinc concludendum istum Sacerdotem non accenseri celebrantibus Missam mercedis causa, sine licentia, quorum meminit duodecimum statutum Synodale Parisiense; nam censura & irregularitas odiosæ semper sunt restringendæ ad ipsa Legis verba, & nullatenus ampliandæ, secundum hanc regulam Bonifacii VIII. *Odia restringi .... convenit*. in decima decisione laudatam (*h*). Et hanc aliam: *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. Ita ut pœnæ in reum statutæ in casu peculiari nequeat esse locus in alio; *proprium casum* (pœnæ) *non excedunt*, inquit Gratianus (*i*).

(*h*) Cit. reg. 15. de reg. jur. in 6. Reg. 49. ibid.

(*i*) Gratian. p. atque adeo de pœnit. d. 13. ad can. 18.

Collatio immunitatum Rumanarum, quæ nullæ sunt, quando obreptitiæ aut subreptitiæ extant, cum licentia celebrandi, Sacerduti cuncessa ope ementitæ *excundi potestatis*, est iniqua: quia hæ immunitates, a Puntifice impetratæ, quia jus hujusmodi declarant, ut habent Decretalia in margine indicata (*a*). Sed non est eadem ratiu licentiæ, de qua hic agitur, quum nullus Canon, nullum statutum Synodale, nullum Mandatum Ordinarii, licentiam celebrandi Sacerdoti vera *exeundi potestate* destituto, concessam declaret nullam.

(*a*) Innoc. III. in c. super. 20. de rescript. 1 3 t 3. c. quia circa 6. de consanguinitate & affin. l. 4. t. 14. Bonifac. VIII. in c. si motu 23. de preb. in 6. l. 3. t. 4.

Ex præsenti difficultate observandum est hunc Sacerdotem, si adulterinam scripsit licentiam, lapsum esse in casum duodecimi statuti Synodi Parisiensis, ac proinde incurrisse irregularitatem, si celebrasset: quia revera diceretur celebrasse sine licentia. Sed uihil inde concludendum contra nostram decisionem; quum ut jam diximus: *Proprium casum a jure determinatum pœnæ non excedunt*: & in Legibus pœnalibus, quum agitur de criminibus diversis: *Non valet argumentum a minori ad majus.*

Ceterum a perito Theolugo difficultate quadam in hanc decisionem objecta cunsuluimus nostros Superiores, qui eam probaruut.

CASUS XIII.

FAUSTINUS, Sacerdos non observatis cæremoniis in Ecclesia usu receptis in celebrandu Sacru Sacramento, declaratus est suspensus a muneribus Sacerdotii sententia Officialis. Postea fecit solemniter pattes Diaconi. Num incurrit irregularitatem?

RESPONS.

Suspensus ab Ordine superiuri ea de causa non censetur suspensus ab aliis Ordinibus inferioribus, ac proinde Faustinus incurrit irregularitatem in casu proposito. Ratio est, quia censura, quatenua odiusa, non debet ampliari ultra ipsissima verba, & in pœuis quoad fieri potest, benigna interpretatiu est facienda, ut habet hæc juris Rumani regula; *In caussis pœnalibus benignius interpretandum est* (*b*): Navarrus idem censet (*c*): *Sacerdos*, inquit, *suspensus ab Officiis Sacerdotalibus, administranda in Ordine inferiori non peccat: neque est irregularis.*

(*b*) Leg. Factum §. 2. ff. de diversis reg. jur. ant. l. 10. v. 17.
(*c*) Navarr. Manual. c. 17. n. 163.

CASUS XIV.

OCTAVIANUS, Ecclesiæ Collegiatæ Canonicus declaratua fuit suspensus a *Beneficio*. Num amittit titulum Beneficii hac censura?

RESPONS.

Certum est Octavianum suspensiune, quam incurrit, nun amittere jus Præbendæ, sed solum jus administrandi toto tempore quo ipsi inhærebit ista censura. Hoc aperte probatur dispositione Constitutiunis Nicolai III. (*d*), in qua hic mandat Pontifex ut Electures, electione perfecta, non tradentes in electorum manus electionis instrumentum, suspendantur *a Beneficiis* per triennium; & si audeant quid moliri in hanc censuram, priventur *ipso jure* Beneficiis. *Ceterum*, inquit hic summus Pontifex. „Si eligentes electiones „ ipsas concorditer, vel in discordia celebratas, „ infra octu dies, postquam commode potuerunt, „ electis præsentare distulerint, ipsos qui culpabi„ les in hoc extiterint, (quoad se) a processus „ prosecutione totaliter excludentes, umnibus Be„ neficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus „ electione agitur, obtinent, per triennium con„ tinuum, ex tunc inchoandum, vulumus eo „ ipsu fore suspensos: ad quæ, si infra illud tem„ pus, se propria temeritate vel alio quæsito co„ lore ingesserint, illis ipso jure perpetuu sint pri„ vati.„ Ex quibus verbis patet: 1. Beneficiarios electores servare jus Beneficiorum, non ubstante suspensione, & perdere hac censura solum usum juris, ut possint ea elocare & reditus suos facere. 2. Ea tunc amittere, si eam violare auderent.

(*d*) Nicol. III. in c. capientes 22. de elect. &c. in 6. l. 1. t. 6.

CASUS XV.

GUIDO, Sancti Gregorii Parochus, suspensus *a Beneficio* declaratus per annum advertens se tamdiu nun esse percepturum fructus, accepit permutatiunem cum Canonicatu sibi ublatam, in cujus possessiunem venit, vel nepoti suu Parochiam transtulit. Potuitne permutare, aut transcribere valide, imu licite?

RESPONS.

Hoc principium certum supponendum est, Beneficiarium, licet simplex suspensiu *a Beneficio* eum non privet jure Beneficii, ut probavimus in responsione ad casum *Octavianus*, & semper prius jus servet, spoliari usu juris, & administratione fructuum Beneficii, excepta parte vitæ sustentandæ necessaria.

Hoc posito, dicimus, si quis stat Juri Canonicu, Guidonem non potuisse Parochiam permutare, nec eam transferre licite aut valide, quum sic de Beneficio statuere nequiverit sine juris sibi parti usu; ac proinde absque violatione suspensionis *a Beneficio*, qua ligabatur, spoliabitur hujus usu juris; eamdem ub rem is Beneficiarius percipere nequit fructus Beneficii, excepta modica parte, sibi ad victum omnino necessaria, si aliunde non suppetat vivendi facultas: *Tamen modicam sustentationem debent tunc habere*, ait Glussa in Decretali Innocentii III. (*e*): *Ne ex toto egeant; sed si tales suspensi a Beneficio haberent patrimonium, vel aliud unde vivere possent, tunc ex Beneficio nihil habere deberent.* Dictum Auctoris hujus Glussæ item valet, si Beneficiarius, suspensus declaratus in pœnam obstinati animi, nollet ad meliorem redire frugem, & negligeret petere absulutionem suspensionis: tunc enim contumacia voluntaria indignus foret qui ullos caperet fructus a Beneficio. Colloquiurum Andegavensium Auctor vult ut is Beneficiarius valide nequeat locare fructus Beneficii; cui cuntradicit Sylvester, huic innixus Glossæ (*f*).

(*e*) Gloss. in c. cum Wintoniensis 23. v. admiserant de elect.

Ac scire permagni interest, Beneficiarium, ex usu in Gallia recepto, simpliciter suspensum *a Beneficio*, qui a jure Beneficii nun fuit remutus, nec eo spoliatus sententia Juridica, posse Beneficium transferre cui volet, aut permutare cum alio, proventus administrare, eos locare & percipere.

(*f*) Gloss. in c. Cum Wintoniensis cit.

CASUS XVI.

BRARCHIUS, Floriupolensis Parochus, suspensus *ab Officio* fuit declaratus a Judice Ecclesiastico Diœcesis. Potestne, hac gravatus censura, fructus Beneficii percipere ut prius?

RESPONS.

Difficultas in eo sita est, si suspeusus *ab Officio* censeatur suspensus *a Beneficio*: qua in re dissentiunt Auctores. Nam quidam tuentur affirmativam: & huic Pontificis Bonifacii VIII. effatu innituntur (*g*): *Beneficium ...... propter Officium datur*. Aut ut habet Concilium Constantiense (*h*): *Beneficia propter officia conceduntur*. Unde concludunt suspensum *ab Officio* censendum esse suspensum *a Beneficio*, secundum hanc juris regulam (*i*) *Ad accessorium naturam sequi congruit principalis*: Ac proinde cum officium sit caput rei, ac Beneficium accessio solum, suspensus a Beneficio est quoque suspensus ab Officiu; sicque jure nequit percipere fructus, qui, inquiunt, hoc in casu sunt Ecclesiæ aut pauperum.

(*g*) Bonifac. VIII. in cap. Quia per ambitiosam fin. de rescriptis in 6. l. 1. t. 3.
(*h*) Concil. Constantiense sess. 43. decr. de dispensat.
(*i*) Reg. 42. de regul. jur. in 6.

Alii contra autumant suspensum *ab Officio* solum nunquam censendum esse sulpensum *a Beneficio*: Ac proinde ipsi non licere fructus Beneficii percipere, suosque facere modu, quem Canones Beneficiariu concedunt; id est, quantum ad victum & cultum decorum necessarium: reliquum cum sit jure puniendum, etiamsi nulla gravaretur censura: quod hac lege limitandum, ut alium committat Clericum qui Beneficii munia præstet debita, quum alios fructus capere nequiret: cum constet fructus Beneficii respicere Beneficiarium *ratione Officii*.

Hæc

Hæc posterior sententia nobis verior videtur. Nam ut pluribus diximus vicibus, dictum Juris certum & apertum est. Voces quamdam indicantes pœnam, non sunt extendendæ nltra significationem naturalem (*a*): *Vires sententiæ ultra intentionem proferentis non se extendunt*, inquit peritus Canonista: cui concordat hæc juris Romani regula (*b*): *Expressa nocent: non expressa non nocent*, ut reliquæ in decisionibus præcedentibus jam relatæ. Adde, quod in dubio benignior legis interpretatio semper anteponenda est notioni strictæ (*c*): *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt*: Quod verum est in casibus hujusmodi, in quibus infligendæ sunt pœnæ æque graves ac censuræ, ut probavimus respondentes ad duodecimam difficultatem. Quapropter Canones varias distinguunt suspensiones; & suspensioni *ab Officio* addunt suspensionem *a Beneficio*, cum declarant Clericum utraque gravatum; ut apparet in Decretali ab Innocentio III. ad Archiepiscopum Lugdunensem scripto (*d*), & in alio (*e*); in quibus idem Pontifex dicit: *Mandamus quatenus ... Archipresbyterum Lucanum & G. Sacristam ... ab Officio & Beneficio denuntietis esse suspensos*. Alexandri III. Bonifacii VIII. & aliorum Pontificum eadem est mens (*f*): *Ceteri vero*, ait Bonifacius VIII. *ab Officio & Beneficio .... noverint se suspensos*. Quod necesse non foret, si suspensio ab Officio in se haberet suspensionem a Beneficio.

Sententiam nostram firmant alia Decretalia, quæ quandoque alterutram suspensionem imponunt. Sic Decretale Innocentii III, qui loquens de Clerico vino dedito dicit (*g*), eum puniendum suspensione ab Officio vel suspensione a Beneficio. *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent, & se a vino ... si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, ab Officio vel Beneficio suspendatur*. In his manifesta est mentio alterutrius duarum suspensionum. Aperte alterutram distinguit aliud Decretale ab eodem Pontifice ad Archiepiscopum Senonensem missum his verbis (*h*): *Licet ergo Ecclesiastica Constitutio tales ab Officio tantum usque ad purgationem canonicam doceat suspendendos: quia eum etiam a Beneficio propter immunitatem criminis suspendisti, nolumus improbare .... purgatione vero recepta, Beneficium ei restituere non postponas. In pœnam autem familiaritatis illius, quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum ab Officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur ..... quod si forsan in purgatione defecerit, eum Ecclesiasticæ disciplinæ mucrone percellas, & ab Officio & Beneficio depositum ad agendum pœnitentiam in arctum Monasterium detrudere non omittas*.

(*a*) Petr. de Ancharano in Clem. *Cupientes*. de penis apud S. Ant. 2. p. Sum. Theol. tit. 27. c. 4.
(*b*) Reg. 197. ff. de diversis regulis juris antiqui.
(*c*) Leg. *Semper*. 56. ff. eod. tit.
(*d*) Innoc. III. in cap. *Tuarum*. 21. de privilegiis & excessib. privilegiat. l. 5. tit. 33.
(*e*) Idem in cap. *Tam litteris*. 33. de testib. & attestationib. lib. 2. tit. 2.
(*f*) Alex. III. in cap. *Capellanum*. 1. de secundis nuptiis lib. 4. tit. fin. Bonifac. VIII. in cap. *Præsenti*. 9. de officio Ordinarii in 6. lib. 1. tit. 16.
(*g*) Innoc. III. in cap. *A crapula*. 14. de vita & honest. Cleric. lib. 3. tit. 1.
(*h*) Idem in cap. *Inter*. 10. de purget. Canonica lib. 5. tit. 34.

Glossa (*i*), distincte & fuse nominans varias suspensionum species, concludit ab exemplis jam citatis non confundendas duas de quibus heic agitur, nec primam in se habere secundam. *Videtur quod suspensus ab Officio, non per hoc sit suspensus a Beneficio; alias superflue adderetur secunda, si includeretur sub prima*. Hæc ejus verba. Verum addit 1. Cardinalis Hostiensis mentem eam non esse de suspensione *ab homine*, sed solum de suspensione a jure dicta: cui adversantur alii Canonistæ. 2. Complures alios Doctores limitare mentem hujus Cardinalis, defendentes suspensionem juris *a Beneficio* vigere, quando suspenditur *ab Officio* ob crimen ingens, ob infamiam, ob grave scandalum, aut tandem ob caussam ingentem quamcumque; alios vero Auctores excludere infamiam & scandalum. At sunt sententiæ privatæ in quibus nihil certi potest statui. Ita ut tutior & justior basis sint effata, quibus nostra innititur sententia, qua ad litteram interpretamur voces suspensionem nominantes sine ulteriori significatione, & quemadmodum suspensus solum *a Jurisdictione* non est profecto suspensus *ab Ordine*; ita suspensus tantum *ab Officio*, non est *a Beneficio*: quod intelligendum est *quoad ea quæ dantur non interessenti divinis Officiis*, ut inquit Navarrus (*k*). Ceterum rationes a patronis sententiæ contrariæ objectæ, non sunt urgentes; quia in censuris ratiocinium est irritum, quando jus nihil certi statuit.

(*i*) Glossa in Clementina *Cupientes*. de pœnis v. *Suspensi*. lib. 5. tit. 8.
(*k*) Navarr. Manual. c. 27. n. 260.

CASUS XVII.

GERVASIUS Sancti Faroni in Diœcesi Meldensi Parochus, & sancti Ludovici in Diœcesi Parisiensi, Prior incurrit Meldis suspensionem *a Beneficio*. Hæc suspensio ab episcopo Meldensi dicta, incidit ne in Gervasium, quatenus Prioratum gerentem in Diœcesi Parisiensi?

RESPONS.

Distinguendum: nam aut suspensio quam incurrit Gervasius, lata fuit in eum *per modum statuti*, aut *per modum sententiæ*. Si in eum lata fuit *per modum statuti*; id est si sit statutum in Diœcesi Meldensi, universim dicendo suspensos *a Beneficio* quoscumque qui admiserunt peccatum cujus Gervasius est reus, suspensio non incidit in eum, quatenus Prioratum gerentem in Diœcesi Parisiensi: nam suspensio aut alia censura a statuto lata, includitur in territorio jurisdictionis Episcopi qui statutum evulgavit, & nullum sortitur effectum extra terminos illius territorii; ut declarat Bonifacius VIII. in Constitutioue inserta in sexto (*l*). At si suspensio fuerit in Gervasium lata *per modum sententiæ*; id est, si Judex ecclesiasticus dixerit in eum sententiam indistincte ac generatim, districte & sin elimitatione; hæc censura recte afficit & gravat quocumque secedat: ac proinde eum ligat & labitur in eum, quatenus Prioratum sancti Ludovici ceteraque omnia Beneficia in aliis Diœcesibus gerentem. Ratio est, quia ubi Jus non distinguit, non est distinguendum, juxta hoc Juris dictum (*m*): *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*.

Ubicumque autem Jus memorat suspensionem a Beneficio, non distinguit Beneficia in propria Diœcesi sita a Beneficiis in aliis Diœcesibus positis; sed dicit verbis generalibus & absolutis: *Ecclesiasticis Beneficiis noverint se suspensos*, ut loquitur Alexander III. cum interesset Concilio Lateranensi an. 1179. (*n*): cui consentiunt plura Decretalia quæ easdem suspensiones *a Beneficio* memorant iisdem verbis generalibus & indefinitis, sine ulla distinctione unius Beneficii aut plurium, nec locorum in quibus sunt sita. Idem igitur judicium est ferendum de suspensione *a Beneficiis*, lata *per modum sententiæ*, cum exprimitur verbis generalibus, & sine distinctione nec limitatione: ita ut ejus eadem possit esse ratio, ac suspensionis *ab Ordine*, quæ verbis generalibus lata & sine distinctione Ordinis quem respicit, censetur quosvis complecti Ordines indiscriminatim, & cujusvis usum tollere. Eamdem ob caussam Clericus declaratus suspensus verbis generalibus, & sine distinctione Ordinis, Beneficii, Officii, censetur re suspensus ab omnibus.

(*l*) Bon. VIII. in cap. *Ut animarum*. fin. de constit. in 6. l. 1. tit. 2.
(*m*) Argum. leg. *De pretio*. ff de Publicana in rem actione. lib. 6. tit. 2.
(*n*) Alex. III. in cap. *Cum in cunctis*. 7. §. fin. de elect. & electi potestate. l. 1. t. 6. Item Clem. IV. in c. *Sæpe*. 2. de tempor Ord. & qualit. ordinant in 6. l. 1. tit. 9.

Diximus: *Si suspensio in Gervasium fuerit lata* per modum sententiæ *indistincte* &c. Nam alias premenda foret significatio litteralis & naturalis vocum sententiæ suspensionem imponentis, nec proferenda ultra genuinam significationem: & hac de caussa sententia Gervasium dicens tantum suspensum a Beneficio Parochiæ, non pateret ad Prioratum sancti Ludovici in Diœcesi Parisiensi situm.

Vide Casum sequentem.

CASUS XVIII.

MARCULFUS Parœciæ ruralis in Diœcesi Vauri Vicarius, declaratus juridice suspensus *ab Ordine*, & *Beneficio*, & *Officio* ob improbam rationem, illico decessit & petivit Burdegalam ortus locum. Quærit num extra jurisdictionem Episcopi Vauri perstet ita gravatus hac censura, ut non liceat celebrare sine irregularitate?

RESPONS.

Istam difficultatem aperte decidit Concilium Antiochenum anno 341. habitum laudatum in De-

Decreto Gratiani (*a*) quod habet, Clericum quem Episcopus proprius dixit suspensum ab Officio, permanere hac gravatum censura in quamcumque aliam secedat dioecesim, & hoc vetus Concilium minatur gravissime objurgandos a sedente Concilio Episcopos, permissuros eum Clericum officio fungi suo in amplitudine dioecesium suarum. En Decretum: *Si quis Presbyter vel Diaconus, vel quilibet Clericus .... post evocationem sui Episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit; omni modo ab Officio suo deponi debere... si vero propter hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, & ipse a communi Synodo poenam merebitur increpationis, tamquam Ecclesiastica jura dissolvens.*

(*a*) Concil. Antioch. in c. *Si quis.* 24. 7. quaest. 1.

Auctor Glossae in hunc Canonem idem docet (*b*): *Si ab uno Episcopo quis suspenditur*, inquit, *ubique habendus est suspensus .... quia quantum ad Officium sententia jus facit*. Ratio quam alibi affert idem Auctor (*c*) est, quia quum sit unica Ecclesia Catholica, suspensus in Ecclesia particulari censetur ex aequo suspensus in quavis alia. *Arg. quod qui est suspensus in una Ecclesia, & in altera; quia cum sit tantum una Ecclesia, non potest esse partim intra & partim extra Ecclesiam*. Addendum est suspensionem efficere ea gravatum inhabilem partibus suis faciendis: Inhabilis autem in una sede, est ubique similiter: & in eo genuinum intercedit discrimen inter suspensionem & simplex interdictum: simplici interdicto, juxta Navarri mentem (*d*), non efficiente Clericum penitus inhabilem officiis vetitis faciendis. Dictum a nobis statutum accommodando Marculfo, dicendum est huic Vicario non licere sine crimine & irregularitate fungi officiis Burdegalae aut alibi, prius quam in integrum restitutus fuerit, & qua gravatur suspensione sit absolutus (*e*).

(*b*) Glossa in eit. c. *Si quis.* v. *Alius*.
(*c*) Glossa in can. *Quisquis.* 14. q. 5. v. *Communicet*.
(*d*) Navar. Manual. c. 87. n 1, 2.
(*e*) Colloq. Condom. to. 1. Colloq. 5. ect. 1. Colloq. Andegav. mensis Aug. 1712. q. 2. pag. 253.

CASUS XIX.

Eleonorus Dioecesis Noviodunensis Sacerdos ab Episcopo suo declaratus suspensus *ab Ordine & Officio*, copiam sibi fecit Parochiae sancti Eutropii in Dioecesi Suessionensi. Num collatio est canonica?

RESPONS.

Antequam propositae difficultati fiat satis, sciendum est 1. Quid sit Beneficium. 2. Quem in scopum concedatur. 3. Cuinam possit concedi.

Dicimus igitur Beneficium nihil aliud esse, quam jus a Pontifice aut Episcopo constitutum, percipiendi quaedam bona Deo dicata, collatum Clerico ad quoddam Officium spirituale: nam bona Ecclesiastica conceduntur, ut Deus colatur & Ecclesia aedificetur, sive celebrando sacram Missam, recitando Horas Canonicas, administrando sacramenta, aut fungendo quovis hujusmodi Officio, ut habet Concilium Constantiense generale, & ut declarant plura Decretalia aut Constitutiones Pontificum alibi laudatae. Unde inferendum est, Beneficium legitime concedi digno qui bene fungatur officio & ministerio illi annexo. *Inferiora Beneficia ecclesiastica personis dignis & habilibus conferantur*, inquit Concilium Tridentinum (*f*): quod non est intelligendum de sola scientia congruente, sed & de integritate & probitate morum. Nam, ut ait Clemens V. (*g*) debet esse vitae ac morum inculpatorum exemplum, ut sit dignus qui de Beneficio provideatur: *Vitae laudabilis & conversationis honestae*; quas dotes Innocentius III. jam diu indicaverat requisitas in eligendo ad Beneficium. *Sane adjicimus*, inquit hic summus Pontifex (*h*), *ut illos repraesentare procurent quos vel conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Praelatorum*.

(*f*) Conc. Tr. sess. 7. c. 3. de reformat.
(*g*) Clemens V. in Clementina *Cum ei*. 1. de concess. praebendae &c. lib. 3. tit. 3.
(*h*) Innoc. III. in c. *In Lateranensi*. 31. de praebend. & dignit.

His verbis, tamquam minime dubiis, positis, facile concludendum, Eleonoro censura gravato ac proinde his vacuo dotibus, & declarato indigno, qui fungatur officiis Ordinum & ministerii, collationem Curae sancti Eutropii qua gaudet in alia Dioecesi, non posse canonicam nec legitimam esse.

Veritas hujus decisionis firmatur responsione quam Innocentius III. Decano Ecclesiae Coloniensis dedit (*i*) in Decretali ad eum scripto, in quo nullam dicit collationem Beneficii excommunicato concessi, & Collatores suspendit a jure conferendi in posterum. Unde concludendum *a simili* eamdem esse rationem collationis Clerico *ab Ordine & Officio* suspenso concessae. Haec consecutio justa innititur alio ejusdem Pontificis Decretali, in quo electionem Clerici suspensi reprobat tamquam illegitimam & nullam, his verbis (*K*): *Quia nobis constitit electionem ipsam a suspensis & de suspenso etiam celebratam, eam justitia cassamus exigente*.

(*i*) Idem in c. *Postulastis* 7. de Clerico excom. deposito vel interdict. ministrante l. 5. tit. 27.
(*K*) Idem in c. *Cum dilectus*. 8. de consuetud. l. 1. t. 4.

Tandem difficultatem quam agitamus, manifestissime decidit alius Pontifex Caelestinus III. (*l*) qui consultus, num Clericis suspensis denominatis in poenam inobedientiae, licuisset canonice habere Beneficia, & durante suspensione eorum provisionem sibi comparare, (is est casus Eleonori) respondet his verbis: *Quia utrum Beneficia sic recepta possint rationabiliter retinere, nos consulere voluistis: respondemus quod non licet eis illa quae habuerunt Beneficia, vel quae postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere*.

(*l*) Caelest. III. in c. *Cum bona*. 8. de aetate & qualit. praeficiend.

Verum Pontifex meminit Clericorum qui erant suspensi denominati: *In eos fecit sententiam suspensionis promulgari*: Et spoliantur Beneficiis sententia juridica. Ast in inobedientes summo Pontifici & pertinaces tribus abhinc annis necessario ferendum erat judicium, quo gravissime damnarentur. Hic Pontifex mandat, ut ad poenae cumulum accedat privatio Beneficiorum ante suspensionem adeptorum: *Unde Baranensi Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia & contemptu apostolico, Beneficiis quae habent, non differat spoliare*. Quapropter praecise & potissimum erant privandi sententia cum formulis requisitis dicta; quum non essent *ipso jure* spoliati iis, quia simpliciter inciderant in suspensionem.

CASUS XX.

Maclo sancti Marci Parocho denominato suspenso *a Beneficio*, collatus est aliquanto post Canonicatus. Num de eo legitime provisus est, non obstante suspensione?

RESPONS.

Dicendum est, Maclo declarato suspenso *ab omni Beneficio*, idest suspensione verbis generalibus & absolutis, & sine ulla distinctione, exceptione aut limitatione, immo tacita concepta, illum hac censura fieri indignum qui novum adipiscatur Beneficium, quia Beneficium conceditur ad Officium, cui est ineptus hac suspensione licet occulta: quod aperte firmat Constitutio Innocentii III. in margine notata (*m*). Ast si sententia eum declaravit solum suspensum a Parochia sancti Marci, potuit canonice de Praebenda ipsi collata provideri. Ratio est, quia leges poenales semper sunt benignius interpretandae, ut demonstravimus plurimis regulis tum juris Canonici, cum juris Romani laudatis in decisionibus anterioribus: nec juvat in hac repetere in qua suffragamur Auctori colloquiorum Condomensium (*n*).

(*m*) Innocent. III. in c. *Cum dilectus*. 8. de consuetudine.
(*n*) Colloq. Condom. tom. 1. colloq. 5. sect. 2.

CASUS XXI.

Leporius sancti Evremondi Parochus, declaratur suspensus *a Beneficio*, tenetur conscientia suam ejurare Parochiam. Potest ne ex ejus resignatione pensionem percipere, & suspensione nonne irrita sit creatio pensionis?

RESPONS.

Suspensio Beneficiorum non efficit inhabilem usui pensionis. Ideo Leporius potest in fructus Parochiae pensionem reponere, si ipsi liceat eam retinere; hoc est si meruit servitiis anterioribus, & si res necessaria est ad victum honestum: hac lege omnes expetuntur pensiones a Pontifice: *Subventionis caussa, & ne resignans nimium pateretur dispendium ex sua resignatione*. Haec verba

Sup-

Supplicationis in procurationibus *ad resignandum* insertæ; hocque notat Glossa in Decretali Innocentii III. (*a*).

Ratio ob quam pensio potest colligi e Beneficio in gratiam Clerici suspensi est, quia pensio admodum a Beneficio discrepat. Nam Beneficium supponit necessario Officium, & est ejus accessio, quia conceditur propter Officium, ut dicit Concilium Tridentinum, & declarat Bonifacius VIII. cujus verba in alia decisione recensentur. Contra pensio non postulat ut Beneficiarius Officii munibus fungatur, neque illum iis fungendi præbet jus. Quapropter creationem pensionis irritam facere nequit suspensio, neque Beneficiorum usui inhabilem, modo alias sit ea dignus.

(*a*) Glossa in c. *Cum VVintoniensis*. 25. v. *Admiserant*. de electione, &c.

CASUS XXII.

Philostratus contracto cum Titia conjugio, suscepit Subdiaconatum & Diaconatum ea inscia. Num incurrit suspensionem, quæ eum evocet ab Officiis Ordinum? 2. Si incurrit suspensionem, a quo potest absolvi?

RESPONS.

Difficultatem hanc decisam habet Constitutio Joannis XXII. 1. Decembris 1322. cum hic Pontifex esset Avenione (*b*) in qua declarat conjunctos matrimonio licet nondum consummato, tunc suscipientes sacros Ordines, incurrere suspensionem, *ipso jure*, tam Ordinis, quam Officii & Beneficii. En verba Constitutionis: *Auctoritate Apostolica districtius inhibentes, ne quispiam durante matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de Sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris Canonibus noverit convenire. Quod si secus a quoquam forsitan attentatum fuerit, ordinamus, quod nec matrimonio soluto in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad aliquod Beneficium vel Officium ecclesiasticum valeat promoveri*. Hic addit Pontifex talia temere ausos posse solum absolvi a sancta sede nisi profiteantur solemniter Religionem ante consummatum matrimonium; quo in casu Episcopus absolvet a censura. *Quo casu Diœcesanus super præmissis & singulis præmissorum cum eo dispensare valeat*. Philostratus igitur in suspensionem incidit, & non consummato cum Titia matrimonio ingrediatur in Religionem: *Ad ingressum hujusmodi* (Religionis approbatæ) *sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus & induci*. Idem summus Pontifex sic loquens addit: si Clericus ingredi in Religionem penitus nolit, ab Episcopo compellendum esse censuris ad consummandum matrimonium, si mulier velit: *Quod si forsitam renuerit adimplere, ipsum si sponsa ejus institerit, per censuram ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare*.

(*b*) Jo. XXII. in Extrav. *Antiquæ*. unica de voto & voti redempt. t. 6.

Sylvius hanc firmat decisionem eadem Constitutione (*c*): *Qui uxore non consentiente nec caussam divortii dante, recipit sacrum Ordinem, mortaliter peccat; & nisi Religionem profiteatur neque potest etiam soluto matrimonio actum Ordinis exercere, neque ad superiorem ascendere, neque Beneficium aut Officium Ecclesiasticum obtinere*, &c. Cabassutius verbo tenus Sylvio suffragatur (*d*).

Idem Sylvius observat, universim loquendo, eum non teneri introitu Religionis, quia Joannes XXII. dicit solum eum esse enixe monendum: *Instanter moneri præcipimus*: & si nolit, eum esse ad matrimonii consummationem compellendum, si sponsa velit: *Sic ordinatus*, inquit hic Theologus, *ante consummationem matrimonii potest libere ad Religionem transire: non videtur tamen ad hoc obligatus; nam Joannes XXII. præcipit eum instanter moneri ad Religionis ingressum; quod si facere noluerit, per censuras compelli ad reddendum uxori petenti debitum*. Ceterum du Casse (*e*) fatetur hanc suspensionem Pontifici reservatam; sed de Sainte Beuve æstimat Episcopo licitam esse dispensationem in regno Galliæ.

(*c*) Fr. Sylv. in sup. 3. Th. q. 53. art. 4. conc. 2.

(*d*) Joan. Cabasut. juris c. theor. & prax. lib. 5. c. 26. n. 6.

(*e*) Du Casse Prax. jurisd. Ecclesiast. volunt. cap. 12. n. 4.

CASUS XXIII.

Bertulfus Diaconus aut Sacerdos relicta domicilii provincia, in aliam se recepit, & palam matrimonio concubinam sibi conjunxit: num suspensio adhæret ejus crimini?

RESPONS.

Diaconus hic suspensionem incurrit juxta Concilium Romæ anno 1059. habitum a 113. Episcopis aliisque legatis. Sic nomine omnium disserit Nicolaus II. in Decreto ad Archiepiscopos, Abbates, reliquosque Clericos Galliæ scripto. *Quicumque sacerdotum, diaconorum & subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi Leonis Papæ de castitate Clericorum concubinam palam duxit, vel ductam non reliquit; ex parte Omnipotentis Dei, auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Paulli præcipimus, & omnino contradicimus, ut Missam non cantent, neque Evangelium pronuntient, neque Epistolam ad Missam legant, neque in Presbyterio ad divina Officia cum his qui præfatæ institutioni obedientes fuerunt, maneant, neque partes ab Ecclesia recipiant* (*f*). Eadem est Antonii Augustini, Tarraconensis Archiepiscopi, peritissimi Hispani Canonistæ, doctrina (*g*) super Canonem Concilii Neocæsariensis, in Decreto Gratiani citatum (*h*), in duobus aliis Conciliis, Parisiensi, & Moguntino, suffragio Martini Bracarensis Archiepiscopi, Burcardi VVormatiensis Episcopi, Ivonis Carnotensis & Panormitani.

(*f*) Apud Phillipp. Labbe t. 9. Conc. Gen. col. 1096.

(*g*) Ant. Aug. Ep. juris 11. 3. part. lib. 38. t. 13. c. 3. pag. 219.

(*h*) Concilii Neocæs. in can. *Presbyt.* 9. dist. 28.

CASUS XXIV.

Nydphidius Sacerdos sæcularis interfuit matrimonio Joannis cum Maria, idque celebravit sine licentia sponsorum Parochi ut & Ordinarii loci: non ne incurrit suspensionem?

RESPONS.

Constat illum Sacerdotem incurrisse suspensionem, a qua solvere eum potest Episcopus contrahentium Parochi, ut habet Decretum clarum Concilii Tridentini (*i*) & Rituales Episcoporum libri. En Decreti verba: *Si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit; ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur*.

(*i*) Conc. Tr. sess. 24. de ref. matrim. c. 1.

CASUS XXV.

Parmenianus Religiosus apostata callide suum fefellit Episcopum, & suscepit tres Ordines majores, ab apostasia non restitutus in integrum. 1. Num incurrit suspensionem? 2. Si incurrerit, a quo potest valide absolvi?

RESPONS.

Is Apostata sic, durante apostasia, ordinatus, incurrit suspensionem ab Ordinibus *ipso jure*, a qua censura eum potest absolvere solus Pontifex, cui reservatum est, hoc in casu, manifeste. Hoc præcise decisum ostendit Decretale ab Honorio III. ad Archiepiscopum Lugdunensem scriptum (*K*). En verba: *Respondemus, quod Monachus aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in Ordine suscepto*. Ea est decisio periti Doctoris, Canonici, Archidiaconi, Vicarii Generalis & Officialis Condomensis (*l*).

(*k*) Honor. III. in c. *Consultationi*. tit. de Apostatis & reiterant. baptisma. l. 5. tit. 9.

(*l*) Du Casse Prax. jurisd. Ecclesiast. volunt. cap. 12. n. 4.

CASUS XXVI.

Basilius in examine ad sacerdotium rejectus, sibi conciliavit cubicularium Episcopi, qui eum ad ordinationem admitti curavit duodecim nummis aureis pollicitis & præstitis. Num incurrit suspensionem?

RE-

RESPONS.

Præter alias pœnas canonicas in Simoniacos decretas *in Ordine*, profecto hic Diaconus incurrit ſuſpenſionem. Quod habet Conſtitutio Paulli II. (*a*) 24. Novembris 1464. qui dicit: *Declaramus, quod omnes illi qui ſimoniace ordinati fuerint, a ſuorum ſint Ordinum exſecutione ſuſpenſi*. Cabaſſutius (*b*) hac potiſſimum auctoritate firmat deciſionem iſtam. Hæc ſuſpenſio Pontifici reſervatur. Quapropter Epiſcopus abſolvere nequit, niſi delictum ſit occultum.

(*a*) Paul. II. in Extravag. *Cum deteſtabile*. 2. de ſimonia l. 5. extravag. com.
(*b*) Jo Cabaſſ. Juris can. theo. & prax. l. 5. c. 36. n. 13.

CASUS XXVII.

BOLESLAUS majori gravatus excommunicatione ob ſacerdotem graviter percuſſum, ſuſcepit Subdiaconatum ante abſolutionem, conſcius ſibi non licere abſque crimine. Num incurrit ſuſpenſionem?

RESPONS.

Decretale Innocentii III. corpori juris inſertum hanc quæſtionem diſtincte deciſam habet (*c*), hoc Pontifice dicente in caſu propoſito ſuſcipientem Ordinem ſacrum *ipſo jure* incurrere ſuſpenſionem. Huic potiſſimum rationi innititur Cabaſſutius (*d*): *Qui ſcienter Ordinem in excommunicatione ſuſcepit*, ait hic Canoniſta, *ſuſpenſus eſt ab Ordine ſic ſuſcepto, cap.* Cum illorum. *de ſentent. excommunic. ubi quoque hæc ſuſpenſio reſervatur Papæ*. Et quidem ſic diſſerit Pontifex in Decretali: *Si fuerint ſæculares Clerici, a ſuſceptis Ordinibus cenſemus in perpetuum deponendos...... tam Archiepiſcopi, quam Epiſcopi abſque mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali diſpenſandi facultatem ſe noverint non habere: quibus etiam eſt abſolutio talium interdicta; cum majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita ſunt minora*. Quæ in poſtrema verba Gloſſa habet (*e*): *Minora vocat abſolutionem; majora diſpenſationem: & ita cui prohibetur minus, & majus prohibitum intelligitur. 74. diſtinct.* (can.) *Illud*.

(*c*) Innoc. III. in cap *Cum illorum*. 32. de ſent. excom. &c. lib. 5. tit. 39.
(*d*) Joan. Cabaſſ. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 26. n. 14.
(*e*) Gloſ. in cit. cap. *Cum illorum*. v. *Minor*

CASUS XXVIII.

In BARTHOLOMÆUM Sacerdotem grandis criminis reum Judex ſæcularis ex concluſionibus Procuratoris Regum, aut Judex eccleſiaſticus ex dictis Promotoris, dixit capitale vadimonium, aut decrevit comprehenſionem. Poteſt ne continuas facere partes Clericales ante ſui purgationem?

RESPONS.

Longum intervenit diſcrimen inter effectus duplicis decreti. Nam ſicut decretum comprehenſionis ſtatuitur in crimen graviſſimum & dura dignum pœna, tanto Clericum afficit dedecore, ut eum privet facultate fungendi officiis miniſterii & Beneficii, ſi habet, etiamſi provocaviſſet, aut decretum dicendi cauſſam obtinuiſſet; prout habent verba (1) Edicti menſis Aprilis 1695. (*f*) quoad juriſdictionem eccleſiaſticam: *Et Clerici provocaturi a decretis comprehenſionis, nullis poterunt fungi officiis Beneficiorum & miniſterii vi decretorum dicendæ cauſſæ ſibi partorum, donec provocationes ultima cognitione judicatæ fuerint, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut eorum Officiales alias ſtatuerint*. At hanc non incurrit interdictionem ſolo capitali vadimonio, multo minus ſola in jus vocatione qua admittatur ad cauſſam dicendam: hanc juris interdictionem pariente capitali vadimonio quoad Judices ſæculares aut ſummos Magiſtratus; quod ad alios non transferendum juxta hanc juris Romani regulam (*g*): *In pœnalibus cauſſis benignius interpretandum eſt*; & hanc juris canonici (*h*): *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*: quod conſentit his verbis Canonis a Gratiano citati (*i*) ex lege Digeſtorum depromti (*K*): *Pœnæ legum interpretatione molliendæ ſunt, potius, quam exaſperandæ*.

Hujuſmodi decretorum effectuum diſcrimen innititur diſcrimini inter utrumque intercedenti. Nam decretum comprehenſionis habet, ut *reus comprehendatur, & tutius cuſtodibus ſtipatus deducatur in carcerem*; quod infamiæ notam inurit reo, ac proinde efficit inhabilem exſequendis officiis ſacris miniſterii ſui, immo indignum qui provideatur de Beneficio, ut dicit D. Brillon in Lexico Edictorum (*l*) in quo laudat decretum Parlamenti Burdegalenſis, dictum 18. Auguſti 1688. in Joſephum Riviere, comprehendendum decretum, transſcribentem Prioratum. At vadimonii per ſe obeundi denuntiatio eſt proprie loquendo in jus vocatio, aut addictio ad vadimonium obeundum & dicendum non per procuratorem, ſed per ſe; quod infamiæ notam Clerico non inurit ut decretum comprehenſionis. Hæc deciſio penitus convenit ſententiæ docti auctoris, qui longo uſu munus Officialis geſſit, & qui opere in lucem edito demonſtravit ſe hujus rei peritiſſimum (*m*).

(*f*) Edict. 1695. art. 40.
(*g*) Reg. 197. §. 2. de diverſ. regulis Juris antiqui.
(*h*) Bon. VIII. in reg. 15. de regulis juris. in 6.
(*i*) Can. *Pœna*. 18. de pœnit. diſt 1.
(*k*) Leg. *Interpretatione*. 42. ff. de pœnis. lib. 48. tit. 19.
(*l*) D. Brill. Diction. Arreſtor v *Beneficium* n. 9.
(*m*) Du Caſſe tract. juriſd. contentioſæ. c. 9. n. 2.

Objicitur. Secundum Edictum (*n*) decretum vadimonii capitalis includit jure interdictionem Judicum. Unde inferendum *a ſimili* videtur: ergo includit interdictionem Clericorum, ex identitate rationis, ut probatur (*o*) legibus & his docti Juriſconſulti verbis: *Caſus quos nectit paritas æquitatis & identitas rationis, non ſunt quoad juris diſpoſitionem ſeparandi*.

Sed futilem eſſe objectionem facile demonſtratur. Nam conſtat, ut peritus probat Canoniſta (*p*), argumentum *a ſimili* non valere in legibus pœnalibus: quia pœnæ *proprium caſum non excedunt*, ut fatetur Gratianus (*q*), nec pœna caſus ad alium proferenda ſpecie cujuſdam paritatis: *Pœnalia jura loquentia in certo caſu non debent extendi ad alium caſum non expreſſum*. Hæc ſunt verba illuſtris Doctoris Hiſpani (*r*), hoc dictum probantis Conſtitutione Bonifacii VIII. (*ſ*) aliiſque textibus. Sicut lex pœnam interdictionis decernens in Judices ad vadimonium capitale vocatos, nullius meminit alius; nihil inde inferendum eſt in Clericos pari in caſu ſitos. *De pœnis non arguimus ad ſimilia* (*t*). Præterea pœnæ diverſæ ſunt in pari caſu, juxta diverſam perſonarum conditionem: *Pœnæ diverſæ ſtatuuntur propter diverſitatem perſonarum*: ut poſt Gloſſam dicit idem Doctor Hiſpanus (*u*). Ideo cum maximum intercedat diſcrimen inter Judices & privatos, Clericos aut ſæculares; mirari non ſubit, ſi pœnæ in priores ſtatutæ non cenſeantur pari in caſu latæ in poſteriores.

(*n*) Tit. 10. 21.
(*o*) Leg. *Non poſſunt*. 12. de legibus &c. l. tit. 3. Oldradus in argum. legis *Illud*. 32. ff ad legem Aquiliam. lib. 9. tit. 2.
(*p*) Navarr. in can. *Pœna*. 18. de pœnit. diſt. 1. n. 3.
(*q*) Gratian. §. *Atque adeo*. ad can *Pœna*. cit.
(*r*) Stephan. Daoyz indice juris Pontificii v. *Pœnalis*.
(*ſ*) Bonifac. VIII. in cap. *Quamquam*. 18. de elect. n. 6.
(*t*) Gloſſa in reg 49. de reg. juris in 6. v. *in pœnis*.
(*u*) Idem Daoyz v. *Pœna*. n. 29. & Gloſſa in can. *Si res*. 1. 14. q. 6. v. *Diverſitas*.

Inſuper leges objectæ nihil faciunt ad quæſtionem quam heic agitamus. Prima enim memorat judicia in tribunalibus ſæcularibus pronuntiata: *Is qui juriſdictioni præeſt*, habet hæc lex, *ad ſimilia procedere, atque ita jus debet*: & ratio quam affert eſt, quia quum omnes caſus de quibus Judex debet judicare, non deſignantur in legibus, componendum eſt judicium ad id quod affinius eſt rei decidendæ. Sed nihil facit hoc ad noſtram difficultatem in, qua ſcire expedit, num cenſura ſit ſupponenda in caſu cujus non meminit jus. Secunda lex memorat ſententiam damnationis a Judice ferendam in eum qui certum admiſit furtum. Sic ad rem noſtram nihil facit.

Ex dictis concludimus Bartholomæum, comprehendendum decretum, cenſendum eſſe interdictum ab officiis miniſterii ob infamiam ex illo decreto manantem; ſed ſi ſimplex vadimonii per ſe obeundi denuntiatio ſit, non eſſe habendum interdictum; quia in toto Jure nulla hujuſmodi decernitur pœna eo in caſu; nec ſine ineptia ſupponi poteſt, quum non exprimatur, juxta regulam quæ habet: *Expreſſa nocent* (*x*), hæcque Gloſſæ verba (*y*): *Pœna non debet imponi, niſi exprimatur* (in jure) *quod ſit imponenda*.

Advertere tamen intereſt in Diœceſibus quibuſdam, ut in Pariſienſi, inſeri juſſum Epiſcopi in inſtrumento vadimonii per ſe obeundi denuntiationis Clerico miſſæ, quo interdicitur exſecutio officiorum Ordinis ſui: quo in caſu ſe habere debet tamquam re ſuſpenſum; & nequit interdictum violare ſine irregularitate.

(*x*) Reg. 155. ff. de diverſis regulis juris ant. lib. 50. t. 17. Item Gloſſa in cap. fin. de procuratoribus v. *Expreſſi*. & in c. 5. de ſponſal. & matrim. in 6. v. *Conditionem*. in fine. Item Bonif. VIII. In cap. *Is qui*. 18. de ſent. excom in 6. l. 5. tit. 11.
(*y*) Gloſſa in cap. fin. de jure patronat. v. *Ex vi*.

CA-

(1) Vide *Menda* Pontaſ. Obſerv. 111. num. LXXXIII.

C A S U S XXIX.

Pomponius, Sanctæ Avoiæ Parochus, quasdam exactiones sordidas commisit in administratione Sacramentorum & in sepulturis, non obstante Diœcesis statuto, eas interdicente, pœnis Juris, omnibus Parochis; tres Parochi eum urserunt coram Officiali, qui tulit sententiam qua damnatus est restituendorum duorum duplionum, cum inhibitione celebrandi per mensem; qua de re quæritur num hæc inhibitio genuina sit censura, ita ut celebrans ante mensem elapsum incurrat irregularitatem?

R e s p o n s.

Ut decidatur hæc difficultas, nosse sat est quid sit censura, & quid sit Suspensio. En definitionem censuræ a Navarro conceptam (*a*): *Censura, qua alicui personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officii, vel Beneficii Ecclesiastici in totum vel in partem, in certum tempus, vel in perpetuum, quoad partem ob suam culpam, a Judice vel a lege*. Aut ut dicit Sylvius (*b*): *Censura* (est) *Juris Ecclesiastici pœna, in tempus correctionis, aut satisfactionis imposita*.

(*a*) Navarr. Manual. c. 2.

(*b*) Fr. Sylv. 3. p. summ. S. Thom. q. 22. init.

Suspensionis definitio a Sylvestro Mozolino concepta (*c*), est censura Ecclesiæ, qua interdicitur Clerico exercitium Officiorum Ordinum, aut muneris Ecclesiastici, sive a jure, sive a superiore prolata legitimo: *Suspensio est censura Ecclesiastica, qua interdicitur aliquod officium Ecclesiasticum, vel exercitium competens certæ personæ Ecclesiasticæ aliquando a jure, vel ab homine prolata*. Quo recidit hæc sancti Antonini definitio (*d*): *Suspensio est inhabilitas ad Ordinum vel officiorum executionem, ex aliquo impedimento*. Hæcque Cardinalis Toleti (*e*) *Suspensio est censura Ecclesiastica, privans usu Ecclesiastici officii aut Beneficii*.

(*c*) Sylvest. de Prierio v. Suspensio n. 1.

(*d*) S. Anton. 2. part. summ. Theol. t. 27. c. 2. init.

(*e*) Fr. Tolet. instruct. Sacerd. l. 1. c. 42. n. 2.

Ex his definitionibus facile concludimus 1. Inhibitionem, Pomponio dictam ab Officiali, celebrandi per mensem, esse genuinam censuram Ecclesiasticam, qua Superior legitimus interdixit in præstitutum tempus, *in certum tempus*, exercitium partis officiorum Ordinis Sacerdotalis *quoad partem*; id est, celebrare Missam in pœnam culpæ ab ipso admissæ *ob culpam suam* 2. Hanc censuram esse suspensionem; quia *prohibitio Divinorum est suspensio*; ut loquitur Fagnanus (*f*), & est pœna qua Ecclesia aufert Clerico facultatem fungendi officiis, *privans usu Ecclesiastici officii*, inquit Toletus, *qua interdicitur aliquod officium Ecclesiasticum, vel exercitum competens* &c. ait Sylvester. Primarium, maximum, & sanctissimum Sacerdotis officium est Sacram celebrare Missam; pro certo est igitur eum, de quo in quæsito agitur, re suspensum esse per mensem, nec posse ante mensem elapsum celebrare sine irregularitate.

(*f*) Prosper. Fagnan. in c. Accusatum de simon. n. 3.

Auctor Colloquiorum Andegavensium (*g*) nobis contradicit: Nam dicit suspensionem, ad præfixum tempus determinatam, non censendam esse genuinam censuram proprie, sed solum simplicem pœnam. Ejus ratio est, quia censura est pœna medicinalis, qua utitur Ecclesia ut vincatur contumacia ejus in quem fertur, & compellatur ad obedientiam Ecclesiæ debitam; quum hujusmodi suspensiones *ad tempus* sint mera pœna ob culpam antecedentem imposita, cessans cum tempore præstituto, nec sit necessario obtinenda a Superiore ulla absolutio. Unde hic Auctor concludit eum qui hujusmodi violat inhibitionem, peccare revera gravissime, sed non incurrere irregularitatem.

(*g*) Colloq. Andeg. mensis Julii 1712. q. 3.

1. Lubentes fatemur suspensionem *ad tempus* esse pœnam ob culpam antecedentem impositam: sed Auctor horum Colloquiorum fateri quoque debet, suspensionem perpetuam aut verbis absolutis & sine determinato tempore latam, esse similiter pœnam, utramque medicinalem; suspensionis ad præfixum tempus latæ scopum similiter esse, ut compellatur ad obedientiam reus & contumacia ejus puniatur, ac proinde nullo differre modo a perpetua, quam hac circumstantia qua limitatur ad certum tempus: quam Ecclesia judicat majori pœna non esse dignam. Utraque igitur est genuina suspensio; in eo hæc ab alia distans, quod effectu perpetuæ non cessante, semper necessaria est absolutio ut reus restituatur: contra vero effectum suspensionis ad tempus cessare simul ac tempus effluxit, ac proinde absolutionem tunc non esse necessariam.

2. Addendum est, omnes ferme Auctores, hanc censuram definientes, observare manifeste, eam posse a superiore ferri aut in æternum, aut solum in limitatum tempus: ut videre est apud Sylvestrum, Navarrum, Toletum, Grassium, Cabassutium, Bonacinam, Sayrum, Avilam, Suarez, Valentiam, Auctorem Colloquiorum Lucionensium, Ugolinum, Auctorem Libri, cujus titulus est *Theoria & praxis Sacramentorum, Censurarum, & Monitoriorum*, impressi Parisiis an. 1713. (*h*) aliique plures, qui loquuntur omnes de suspensione proprie dicta, & tanquam genuina censura, ac proinde qui fatentur eam non violari sine irregularitate, quamvis Superior imposuerit tantum in tempus determinatum.

(*h*) Sylvest. v. Suspensio q. 1. P. Quantum. Navarr. Manual. cap. 27. n. 191. Tolet. l. 1. c. 44. n. 3. Jacob. de Grassis decis. aurear. l. 3. c. 35. n. 2. Jo. Cabass. l. 3. c. 10. n. 1 Colloq. Lucon c. 7. pag. 106. Bonac. de cen. disp 3. punct. 1. & apud eum Sayrus, Avila, Suar. Valentia & alii Theor. & Praxis &c. 10. 8. p. 382.

C A S U S XXX.

Olivarius, Diaconus declaratus suspensus ab officiis Ordinum per trimestre, sententia Officialis, functus est solemniter officiis Diaconatus, ut primum trimestre effluxit, sine prævia absolutione suspensionis, quam incurrerat. Num potuit sine irregularitate?

R e s p o n s.

Existimamus Olivario licuisse licite fungi officiis Ordinum post tempus suspensionis elapsum, sine necessaria absolutione hujus censuræ; ratio est, quia non eadem est suspensionis ratio ac excommunicationis: nam excommunicatio nunquam cessare potest nisi absolutione Superioris legitimi, quum suspensio *ad certam tempus* vigeat solum in tempus a sententia determinatum; & cessat per se ubi primum effluxit tempus: *Suspensio aliquando aufertur absque absolutione nulla*, ait Cardinalis Toletus (*i*), *in quo ab excommunicatione differt, quæ nunquam absque absolutione tollitur. Quando enim suspensio est ad tempus aliquod imposita, tempore transacto cessat suspensio absque absolutione: & suspensus potest exercere id in quo suspensus erat, etiam sine absolutione .... ista procedunt de suspensione temporali, tam jure quam ab homine, impleto tempore suspensionis*. Idem ducet Navarrus (*K*): *Suspensio*, inquit, *tam lata ab homine, quam a jure, quæ certo tempore aut facto aut omissione facti alicujus terminatur, tollitur lapso tempore & adveniente termino ipso facto absque ulla absolutione*.

(*i*) Fr. Tolet. instruct. Sacerd. l. 1. c. 46. n. 1.

(*K*) Navarr. Manual. cap. 26. n. 201.

Alius doctus Canonista recentior eandem amplectitur sententiam, is Zeger Bernardus Van Espen, in Libro cujus est titulus: *Jus Ecclesiasticum universum* (*l*): En verba: *Suspensio autem ita ad tempus limitata, ultra tempus non durat, sed lapso tempore expirat, etiam sine Judicis absolutione*: quod probat Glossa & consensu Doctorum, *quemadmodum docent communiter Doctores post Glossam* (*m*).

(*l*) Zeger Bernar. van. Espen. Jus Eccles. univ. p. 3. t. 10. de pœnis & censuris Eccl. 15.

(*m*) Glossa in c. Sacro 48. de sent. excom. & per mensem & in Clement. Si Beneficiorum 1. de decimis v. Donec. lib. 3. t. 8.

C A S U S XXXI.

Laurentius, Sacerdos Lugdunensis Parisiis incurrit in suspensionem, quia interdictum, a statuto Diœcesis latum, violavit, postea demigravit Lugdunum. Qua de re quæritur 1. Num possit eum ab hac censura absolvere Antistes Diœcesanus sine consensu Parisiensis Præsulis? 2. An lapso in irregularitatem quia in suspensione celebravit, necessario sit recurrendum ad Pontificem ut in integrum restituatur?

R e s p o n s.

Respondemus ad primam difficultatem, Laurentium posse a suspensione, quam incurrit Parisiis, absolvi ab Archiepiscopo Lugdunensi, Antistite diœcesano; quum non moretur amplius in Parisiensi Diœcesi, & in Lugdunensi sedem fixerit. Ratio est, quia Episcopus domicilii habet locum ejus qui tu-

lit

Digitized by Google

lit legem, cujus infractione quis incurrit suspensionem (a).

(a) De Sainte Beuve tom. 2. cas 31. & to. 2. cas 70. & 104.

Hoc docent Innocentius IV. Glossa, Jacobus de Graffiis, Gregorius Sayrus, Reginaldus, pluresque alii quos laudant (b) Sic quæstionem proponit postremus Auctor: *Utrum Episcopus possit absolvere suum subditum, qui se transtulit ad aliam Diœcesim, ibique fecit contra legem continentem censuram latam ab Episcopo illius Diœcesis ad quam se transtulit v. g. Utrum Archiepiscopus Mediolanensis possit absolvere civem Mediolanensem, qui se transtulit Novocomum, ibique Moniales invisit, cum Novocomi lata sit excommunicatio, vel suspensio contra visitantes, vel alloquentes Moniales*: Respondet his verbis: *Respondeo, Archiepiscopum Mediolanensem, vel eum, qui habet specialem facultatem absolvendi a censuris hic Mediolani, posse prædicto civi Mediolanensi absolutionem impendere.* Ratio quam hic affert Doctor est, quia hic est usua communis, & congruentem præbet jurisdictionem hoc in casu: *Ratio est, quia usu id videtur receptum .... usus autem & consuetudo conferre solet jurisdictionem; & est legitima legum interpres, quando dubitatur de mente Legislatoris.* Addit Concilium ipsum Tridentinum huic patrocinari usui: *Qui videtur expressus in Tridentino* (c) *iis verbis* etiam sedi Apostolicæ reservatis: *Ex quibus verbis a fortiori colligitur, Episcopis concessam esse facultatem absolvendi a casibus inferiorum* (Papa) *Prælatorum*. Bonacina ita decidit hac lege; *Modo illa censura lata sit per statutum, vel per sententiam generalem*, & excipit casum, quo censura fuisset lata sententia speciali & juridica in Clericum: quia tunc, inquit, censura est publica, & absolutio potest solum denuntiari a Præsule ipso qui sententiam tulit, aut ab Antistite superiore aut a successore: *Quia jurisdictio ratione causæ inchoatæ permanet apud illum qui excommunicavit, alioquin jurisdictiones confunderentur*; quod ante Bonacinam diaerunt sex Auctores, quos laudat; & de Sainte Beuve idem censet (d), ut & Auctor Colloquiorum Andegavensium.

(b) Inn. IV ad c. quoniamdam 2. de solutionibus l. 5. tit. 2. Glossa in Clem. Multorum 1. de hæreticis l. 5. tit. 3. Jacob. de Graffiis decis. aurear. l. 4 c. 25. n. 70. & alii apud eos. Bonacc. tract. de censuris com. disp. 2. q. 3. punct. 2.

(c) Concil. Trid. sess 24. c. 6. de refor.

(d) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 70. p. 145. Colloq. Andeg. mensis Augusti. 1710. q. 4. p. 251.

Dicimus ad secundam difficultatem idem esse judicium irregularitatis a Laurentio contractæ in casu proposito. Id censet Theologus in margina laudatus (e), quod firmatur auctoritate Innocentii IV. quem Federicus de Senis vocat Monarcham juris divini & humani, *monarcha juris divini & humani*, & quem Paulus de Castro nominat Patrem veritatis, *cum ipse sit pater veritatis*: nam is doctus Pontifex docet (f) Episcopo licere violatores propriæ Constitutionis solvere sine ulla distinctione censurarum & irregularitatis: Joannes Andreas id sentit quod Sylvester, qui dicit (g): *Tenet* (Innocentius IV.) *quod Conditori Canonis licet contra suam Constitutionem dispensare etiam sine causa, & idem Joannes Andreas.*

(e) De Sainte Beuve loc. cit.
(f) Inn. IV. ad c. Cum ad Monasterium. 6. de statu Monachorum &c.
(g) Sylvest. de tiarin v. Dispensatio q. 12.

Sed observare refert Theologum prædictum non sibi constare circa dispensationem hujus irregularitatis, quando evasit publica, *quando in tota vicinia nulla tergiversatione celari potest*: aut quando ad forum contentiosum delata fuit: nam in dicit decisionibus citatis, secundum Concilium Tridentinum & usum in Ecclesia Gallica receptum, hoc in casu recurrendum esse ad Pontificem ut legitima sit dispensatio, quod non probat; & alibi eamdem tractans rem (h), tuetur, Episcopum Diœcesanum posse eum in integrum restituere, licet irregularitas a Sacerdote contracta simili in casu omnibus innotuisset. Rationes, quas affert, sunt 1. Quia hujusmodi restitutiones Pontifici reservari non indicat Concilium Tridentinum. 2. Quia Innocentius IV. in duobus Decretalibus (i), in Concilio Generali Lugdunensi I. an. 1245. habito, statutis, non dicit has irregularitates sanctæ reservari sedi, & casum indigitat peculiarem de pœna Judicis Ecclesiastici, qui suspensionem, qua gravabatur, violavit. 3. Quia nonnulli Canonistæ idem censent cum eo. 4. Quia hæc reservatio, quatenus odiosa, debuisset in Jure exprimi: quod concordat his Glossæ verbis (K), quæ de potestate Episcoporum agens, habet: *Ubicumque non est eis prohibita dispensatio, ibi possunt dispensare*: dictum Decretali Alexandri III. probatum (l), & alio Innocentii III. & allegat duodecim variorum casuum exempla, in quibus Episcopo licet dispensare, quia Jus ipsi non aufert aperte facultatem ut non tollit specialiter in casu peculiari de quo agitur, ac proinde quo non debet; quum Jurisdictio Episcopalis & disciplina Ecclesiastica confunderentur juxta hæc Sancti Pontificis verba (m); *Si sua unicuique Episcopo non servatur jurisdictio, quid aliud agitur, nisi ut per nos per quos Ecclesiasticus custodiri debuit Ordo, confundatur?* Idem Theologus quintam subjungit rationem, nempe quia ea Pontifici annexa reservatio gravissimos posset parare conscientiæ scrupulos.

(h) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 69.
(i) Inn. IV. in c. Cum æterni 1. de sent. & re judicata in 6. & in c. Cum medicinalis 1. de sentent. excom. &c. in 6.
(k) Glossa in 5. Nisi rigor. 1. q. 7. v. In plerisque.
(l) Alex. III. in c. Porro 1. de Cleric. pugnant. in duello l. 5. tit. 14. Inn. III. in c. Nuper 29. de sentent. excomm. &c.
(m) S. Greg. in can. Pervenit 39. 11. q. 3.

Eminentissimus Cardinalis de Noailles, Archiepiscopus Parisiensis, non abs re exemit dubium hac de re conceptum, suo mandato an. 1709. (n) Sic mentem aperit, post mentionem Concilii Tridentini factam, (o) sine ulla distinctione irregularitatis occultæ aut notæ: „ Declarat porro D. Archiepiscopus suæ intentionis non esse hanc iis delictis quibus in Statutis Synodalibus, aliisve decretis suis censura aliqua ipso facto incurrenda irrogatur, pœnam imponere, ut ii qui ob delicta ista in censuram inciderint, violata hac, quod absit, censura in irregularitatem ejusmodi incidant; propter quam necesse sit recurrere ad summum Pontificem: quare ad D. Archiepiscopum pertinet in iis irregularitatibus dispensare, quæ exurgunt e violata censura aliqua, neque a Jure, neque a Conciliis, neque a summo Pontifice, sed ab ipso D. Archiepiscopo lata. v. g. Si quis Sacerdos non hujus Diœceseos ob Missam in hac Diœcesi post dies ab accessu suo quindecim, absque licentia D. Archiepiscopi celebratam suspensus ipso facto rursum ante receptam absolutionem celebraverit „.

(n) Mandat. Emin. Card. Archiep. Paris. de casibus reservatis. de dispens. in irregularitatibus n. 3.
(o) Conc. Tr. sess. 24. de reformat. c. 6.

Vide IRREGULARITATEM. Cas. 67.

CASUS XXXII.

Hieronymus, Sancti Aalasii Parochus, declaratus suspensus ab Ordinibus, officio & Beneficio, sententia ab Officiali Diœcesano lata, provocavit ad Metropolitanum aliquanto ante Jubilæi instaurationem, præsumens sententiam esse perversam. Sed prævidens tempus ad obtinendum Jubilæum præscriptum transactum iri, antequam judicium definitivum habere possit, & sincere avens illum obtinere; quærit num possit absolvi *ad cautelam*, ut usus habet in excommunicationis casu, ut celebrare, imo suis fungi Officiis possit in utilitatem spiritualem Parochianorum; qui alias omnes ægerrime obtinerent Jubilæum, quia ipsi deest Vicarius?

RESPONSIO.

Hic Parochus *ad cautelam* absolvi potest a Metropolitano aut a Proto-vicario; ut probat Decretale Honorii III. qui ad Decanos Ecclesiarum Bituricensium & Carnutensium scribens (p) ait, Episcopum Genomanum ab Officiis suspensum declaratum ab Archiepiscopo Turonensi, ejus Metropolitano, a se absolutum fuisse *ad cautelam*, quia juraverat coram Procuratore Metropolitani se obedituram præscriptis, si reus esset: *Nos sententiam relaxavimus ad cautelam*, ait hic Pontifex, *ipso Episcopo in præsentia dicti Procuratoris præstante corporaliter juramentum quod parebit mandatis, quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit; si constiterit ipsum in eo, quo fuit lata prædicta sententia culpabilem extitisse.*

(p) Honor. III. in c. Venerabili. 52. de sent. excommunicationis &c.

Verum observare interest cum Doctor Carcassonensi, postea Condomensi Officiali (q): 1. Hieronymum, aut quemvis alium similiin casu, debere, ut absolutionem obtineat *ad cautelam*, Metropolitano exponere sententiam in se latam esse nullam, aut quia post legitimam provocationem lata fuit, posito vero, aut saltem probabili, aut quia errore nititur intolerabili; aut quia fuit a Superiore, non suo legitimo Judice, dicta; aut quia, si esset, ipse erat excommunicatus aut suspensus a Jurisdictione; aut saltem quia alia adest

(q) Fr. Ducasse tract. de jurisd. Eccles. cont. c. 21. n. 2.

causa

causa justa, aut specie æqua visa (*a*): & postea parti diem dicere hanc in rem ad Metropolitanum.

(*a*) Glossa in c. Præsenti supra cit. v. Ad cautelam. Hostiensis in c. Solet. 1. de sent. excom. in 6.

2. Ipsi non esse sat hanc exponere nullitatem, petitioni præterea enim necessario adjungenda est ratio, saltem summarie, quæ dicitur *Probatio semiplena*. Exempli gratia, si sententia post provocationem lata fuisset, duo perpendenda forent. Primum, si provocatio esset, & hoc probetur summatim. Secundum, si esset legitima: quod Supplici probare non incumberet, quia hæc circumstantia est caput rei, sine cujus judicio Superior major potest ad hanc procedere absolutionem. Hoc manifestum est ex duabus Innocentii IV. Constitutionibus (*b*), in Concilio Generali Lugdunensi sedentis. Si pars ad vadimonium obeundum denuntiata intercederet absolutionis impetrationi, & intra octiduum, tempus a Jure præstitutum, probaret censuram fuisse inflictam *pro causa manifesta*, Metropolitanus jure nequiret absolvere *ad cautelam* supplicem. Hæc cautiones sapienter statutæ fuerunt, ne rei censuras declinent Ecclesiasticas, nec efficiant Ordinariorum jurisdictionem irritam aut contemptu dignam nomine simplicis quæsiti quod exponerent, ita ut si Superior major *in limine litis* concederet absolutionem *ad cautelam*, non observatis omnibus his cautionibus, hujus solum foret usus illi qui adeptus esset, ut *stet in judicio*, 1 non vero ut pristinum in statum restituatur.

(*b*) Innoc. IV. in c. Solet 1. in c. Venerabilibus 7. §. Si ex causa. & §. Similiter. & ibi Glosſ. cod. tit. in 6.

1 Stet in jure aut judicio, stare in judicio est sistere se judicio, quod declarato excommunicato sententia non licet sine prævia absolutione ad cautelam.

3. Denique hoc etiam observandum. Supplex prædem det, aut cautionem convenientem, qua, si causa cadat in rei cardine, executurus sit omnia sibi mandanda, tum ut peccatum expietur, cum satisfaciat parti suæ, si verbis claris decernit idem Pontifex in prima Constitutione laudata (*c*).

(*c*) Innoc. IV. in c. Solet. cit.

Ex præsenti difficultate addemus, hujusmodi ut Glossa adnotat in Constitutionem Gregorii X. (*d*) absolutionem posse etiam admitti, quum est interdictio propria, qua durante interdictus est suscipiendis sacramentis inhabilis; etiamsi non eadem sit ratio interdictionis in urbem aut Parœciam statutæ, quæ absolvi nequit *ad cautelam*, ut declarat idem Pontifex Gregorius X. his verbis (*e*) *Præsenti generali declaramus Edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti sententias, in civitates, castra, vel quælibet alia loca, sive terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere*. In quod Glossa laudata habet: *Quid, si feratur non generaliter in loca, sed specialiter in personam? Dic, quod bene poterit fieri relaxatio ad cautelam argumento a contrario istius literæ: quia specialiter interdicto omnia Sacramenta negantur ante absolutionem: & sic idem quod in excommunicato*. Ratio hujus discriminis est, quia in interdictione generali non est necessitas urgens, ut in interdictione propria; quia durante interdictione generali administrantur Sacramenta ad salutem necessaria, & peraguntur quoque Officia divina modo a Jure præscripto in Constitutione clara Bonifacii VIII. designato (*f*). Qui plura volent de diversis suspensionibus, consulant Glossam, quam in margine indicamus (*g*), quæ permultas recenset, & potissimum dictas *a Jure*.

(*d*) Glossa in c. Præsenti 10. de sent. excom. in 6. v. Generaliter. lib. 5. tit. 11.

(*e*) Greg. X. in c. Præsenti.

(*f*) Bonifac. VIII. in cap. Alma. fin. de sent. excom. &c. in 6.

(*g*) Glossa in Clemen. Cupientes. 3. v. Suspensi. de pœnis l. 5. tit. 8.

CASUS XXXIII.

Aloysius & Hilarius Canonistæ quæstionem agitantes, nempe, num Clericus quandoque possit declarari suspensus ob alterius culpam, & sine sua culpa, convenire nequiverunt de hac difficultate: hoc quidem affirmativam, illo vero negativam defendente, nixo Juris regula, quæ habet: *Sine culpa non est aliquis puniendus*, & exemplo excommunicationis; quæ nullo in casu valide dici potest in innoxium. Utri jus?

Respons.

Priori, qui affirmativam defendit, est proculdubio, & attulit consentaneum Doctrinæ S. Thomæ (*h*), qui exemplum excommunicationis objectum evertit, & dicit longum intercedere discrimen inter pœnam excommunicationis & suspensionis; quia suspensione non privatur usu bonorum spiritualium Ecclesiæ communium, nec ab ejus resecatur Corpore, ut excommunicatione, & sic collatio est iniqua. *Suspensio*, inquit Doctor Angelicus, *non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati; unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum Regnum supponitur interdicto pro peccatis Regis; & ideo non est simile de excommunicatione & suspensione*. Huic alia adjungitur ratio, nempe, quia in re pœnali non argumentatur nec concluditur *a simili* sine frequenti absurdo.

(*h*) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. q. 2. ad 1.

Sancti hujus Doctoris sententia pluribus innititur Decretalibus; in primis Decretali Honorii III. ad Episcopum & Archidiaconum Legionensem in Hispania misso (*i*), in quo hic declarat Pontifex, filium tredecim natum annos, qui contra Ecclesiæ regulas, creatus fuerat Diaconus ab alio Episcopo, permanere suspensum ab Officiis Diaconatus, usquedum ætatem, a Canonibus præfixam attigerit; idque odio Episcopi illius, & ut pudore suffunderetur: *Quem ab executione Officii Diaconi usque ad ætatem legitimam in injuriam suspendimus Ordinantis*. Hæc verba summi Pontificis. In quod Glossa habet: *Nota quod aliquis punitur odio alterius*. Quod firmat decimo-octavo & decimo nono Concilii Sardicensis Canonibus, & Concilio Toletano IX. a Gratiano citatis in suo Decreto (*K*).

(*i*) Honor. III. in c. Vel non est compos. 12. de temp. Ordinat. l. 11. t. 2.

(*k*) Conc. Sardic. in can. Illud. 1. dist. 71. Conc. Tolet. IX. in can Decrevimus. 32. 16. q. 7.

Huic rationi apponitur aliud Decretale Alexandri III. ad Archiepiscopum Toletanum scribentis (*l*), in quo videntur Clerici, qui bona fide susceperunt Ordines Diaconatus aut Sacerdotii ab Episcopo, quem dignitatem Episcopalem abdicasse ignorabant, suspensi ab Ordinibus, & non licet illis fungi nisi post legitimam dispensationem, non obstante ignorantia non noxia, qua susceperunt eos: *Licet probabilis sit ignorantia, necessaria tamen est dispensatio: quia, cum in talibus Ordinator non haberet executionem Officii sui, eam aliis conferre non potuit .... quia quod non habet, dare non potest*. Sic interpretatur Auctor Glossæ (*m*). Gregorius IX. idem dicit de iis, qui inscii susceperunt Ordines ab Episcopo excommunicato (*n*).

(*l*) Alex. III. in c. Requisivit. 1. de Ordinatis ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui l. 1. tit. 21.

(*m*) Glossa in cit. c. Requisivit. v. Ignorantia

(*n*) Greg. IX. in c. Cum Clericis. fin. cod. tit.

Superest respondendum ad Juris regulam objectam, ex qua probatur non licere sine injustitia punire innoxium. Dicimus igitur hanc regulam non restringi ad solum casum, in quo pœna infligeretur sine causa justa & æqua; in casu autem Decretalis Honorii III. solus ætatis, a Canonibus statutæ, defectus est causa maxime legitima, ut privetur Ordinatus exercitio Ordinis suscepti: Bonifacius VIII. aperte dicit in Juris regula objecta, cujus pars fuit tantum allata; *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus* (*o*). Glossa exemplis pœnæ patiendæ sine culpa, quum quædam adest causa justa, accenset exemplum ejus qui scortum duxisset, nam etiamsi nullum fecerit peccatum ducens, est tamen bigamus & incurrit irregularitatem, quæ sufficit ne Ordines suscipiat, mortua uxore.

(*o*) Bonifac. VIII. in reg. 23. de reg. juris in 6.

Tacemus quatuor aut quinque hujusmodi exempla, quibus Auctor hujus Glossæ probat, eam esse hujus regulæ Juris mentem.

(Abbatissa Cas. V.)
(Appellatio Cas. XI.)
(Interdictum.)
(Ordo.)
(Titulus.)

SUSPICIO.

SUSPICIO est mens dubia de bona vivendi ratione, aut probitate alicujus, qua iniquum fit judicium: *Suspicio est intellectus propensio ad assentiendum* (*a*). Vox, *propensio*, denotat, auctore Polmanno, motum intellectus imperfectum, qui re non assentitur, sed ad assensum propendet ob aliquam veri speciem. *Motus imperfectus intellectus non assentientis, sed ad assentiendum inclinati; quia videt aliquam veri speciem, sublucentem in una parte, qua in altera non apparet.*

Suspiciones malæ, hoc est, fundamento carentes legitimo, damnantur a S. Paulo, & accensentur invidiis, rixis, contentionibus, & blasphemiis. *Invidia, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ.* (*b*)

1. Observandæ sunt cum S. Thoma (*c*) triplices suspiciones, aut tres gradus diversi suspicionis. *Est autem triplex gradus suspicionis.*

Primum est, quum dubium invadit ex levibus indiciis de probitate proximi. Hoc est fragilitatis humanæ quod perraro vitatur.

Secundus est, quum admittitur quodam cum dubio conjunctum, tanquam certum, alium esse malum, aut malum admisisse facinus, licet leves tantum adsint conjectiones Textum S. Thomæ de his duobus primis gradibus recensemus in tertia decisione

Tertius denique est, quum Judex damnat reum ex aliqua suspicione: quod peccato mortali purgari nequit. *Tertius gradus est, cum aliquis Judex ex suspicione procedit ad condemnandum. Et boc directe ad injustitiam pertinet. Unde est peccatum mortale.*

2. Observandum est etiam malum facile dicere, alium esse malum: Et hoc nobis vult sapiens (*d*) indicare dicens: *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.*

3 Major est propensio suspicionis in eum, quem odio, quam in eum, quem amore & pretio prosequimur: *Cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso; quia unusquisque faciliter credit quod appetit.* Hæc etiam verba S. Thomæ.

(*a*) Polm. par. 2. 2. n. 699.

(*b*) Tim. VI. 4.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 60. art. 3. in corp.

(*d*) Eccl. X. 3.

CASUS PRIMUS.

BERENICE, mater familias suspicatur, filiam natura hilaris admodum animi permittere licentiores agendi rationes adolescenti, vicini filio, qui eam ardenter amare videtur, & ex hac suspicione, cujus levissima sunt indicia, acriter prohibet filiæ ne unquam sola sit cum adolescente, hucusque sapientissimo. Nonne peccat graviter suspicione iniqua?

RESPONS.

Non putamus Berenicem esse peccati, levis quidem, damnandam, quum suspicio in casu proposito spectans malum antevertendum, non sit illicita, & cautio pars prudentiæ. *Necessaria est cautio ad prudentiam, ut sic accipiantur bona, quod vitentur mala,* prout dicit S Thomas, (*e*), quod eo verius, quo malum frequentius esse solet. *Malorum, quæ homini vitanda occurrunt,* ait Doctor Angelicus (*f*), *quædam sunt, quæ ut in pluribus accidere solent & talia comprehendi ratione possunt, & contra hæc ordinatur cautio, ut totaliter vitentur, vel ut minus noceant.* Atqui frequentissime amicitia honesta ipsa, qua adolescentes diversi sexus se invicem prosequuntur, utut sapientes, desinit brevi in amorem criminosum & inordinatum, quum licet solos esse una. Nemo nescit quam frequentia sint ea exempla, & quam funestæ eorum consecutiones. Inde tantum abest ut suspicionis iniquæ sit damnanda Berenice, ut contra sit laudanda ejus prudentia & cautio, qua filiam eripiat e periculo, in quod ne incidat timet, confabulationem permittendo ipsi soli cum adolescente, quem novit illam amare.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 49 art. 8. in corp.

(*f*) Idem ibid. ad 3.

CASUS II.

DOMICIUS, cum percepisset Amatam uxorem, nimio ardere amore in Fargeau vicinum, tantam habuit suspicionem in eam, ut vehementer propendeat eam deserere, saltem quoad thorum. Potest-ne absque peccato?

RESPONS.

Antequam fiat satis, distinguenda est cum Glossa (*g*) triplex suspicio; prima est temeraria, id est, concepta sine fundamento legitimo, quæ nequit purgari a peccato. *Triplex est suspicio,* dicit Sanctus Antoninus (*h*), *prima est temeraria.* De hac prima suspicione loquitur vetus Canon, quem Pontifici Melchiadi adscribit Gratianus, in q 10 dicitur: *Neminem condemnetis ante verum & justum judicium: nullum suspicionis arbitrio judicetis. Sed primum probate & caritativam proferte sententiam, & quod vobis non vultis fieri, alteri nolite facere* (*i*).

Secunda est probabilis, & potest excusari & purgari de peccato. *Secunda est probabilis,* pergit idem Sanctus: *Et hæc purgationem inducit, non autem prima.* Videre est exemplum ipsissimum in Canone e Concilio Ilerdensi deprompto in Decreto Gratiani allato (*K*), suspicionis conceptæ de vita Parochi.

Tertia denique est violenta dicta, *tertia est violentia, quæ condemnationem inducit;* id est, nititur violentis conjectionibus, & vehementer inducit condemnationem ejus de quo suspicio est. Hoc posito.

Dicimus, Domicio, si suspicio ejus sit temeraria aut solum probabilis, non licere absque peccato relinquere uxorem, imo quoad thorum; sed si suspicio sit violenta, nec possit ab uxore impetrare ut vitam agat sapientem, quæ eludat malam suspicionem quamlibet, potest sine crimine eam relinquere quoad thorum juxta Doctrinam Sancti Hieronymi (*l*), in Canone laudati, qui habet: *Ubicumque est igitur fornicatio, vel fornicationis suspicio;* libere

(*g*) Glossa in can. Dixit. 32. q. 1. v. Suspicio.

(*h*) S. Ant. 3. part. tit. 9. c. 12.

(*i*) Can. Primo 15. 2. q. 1.

(*k*) Conc. Ilerdens in can. Presbyter. 13. 2. q. 5.

(*l*) Hieron. in c. 19. Matt. in cit. can. Dixit 2. 32. q. 1.

(a) Gloss. in d. can. v. Suspicio.

libere uxor dimittitur, nam, ut ait Glossa (*a*), *pro eodem reputatur fornicatio & fornicationis suspicio; nam probata suspicione probata est fornicatio*. Jus Romanum eo processit hac in re, ut marito permiserit ex sola suspicione violenta fidei uxoris, occidere eum qui audebat versari cum ea in domo sua, aut in domo uxoris, aut in caupona, aut in domo suburbiorum urbis, tribus vicibus iteratis monitus coram tribus testibus (*b*), ita ut leges habuerint violentam suspicionem sicut crimen ipsum. Interim eas non afferimus quasi probaremus, ea Lex nobis injusta, crudelis, inhumana, & cuivis Christiano debet esse odio, quum ipsi viro non liceat vitam eripere uxori, licet deprehenderet *in flagranti delicto*, ut probamus alibi rationibus, quibus nihil potest objici.

(b) Authent. Si quis. Cod. ad leg. Juliam de adulteriis. lib. 9. tit. 9.

CASUS III.

Arsacius, advertens duos adolescentes, nimia consuetudine & licentioribus agendi rationibus una utentes, persuasum habet, aut violentam habet suspicionem eos libidinose vivere. Habendum ne est judicium, aut suspicio ejus temerarium, & peccatum mortale?

Respons.

Judicium iniquum de vita proximi non est peccatum, nisi sit plane temerarium, ait S. Thomas (*c*); sed judicium, levissimo nixum fundamento, & perfectum de re magna est peccatum mortale, quia proximi, qui contemnitur, caritati adversatur.

(c) S. Thom. quodl. 12. a. 34.

At non idem est judicium de suspicione; quia suspicio non est judicium, sed quid ei affine, & imperfectum. Ideo non est ex se peccatum mortale, licet fiat postea, legitimo destitutum fundamento, & de re ingenti, invidia aut odio; quia tunc affectus voluntarius excæcat, ut non advertatur iniquitas suspicionis & rationum ejus ineptarum. *Judicium autem de personis*, ait S. Thomas, *licet quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum; nisi quando est omnino temerarium ... sed quando ex levi re judicium procedit firmum in corde, aliquando est peccatum mortale: quia est cum contemptu proximi. Suspicio autem est quid imperfectum in genere judicii: & ideo est imperfectus motus: & ideo non est mortale ex genere; quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale*.

Hinc Arsacius non peccat mortaliter suspicione de mala duorum adolescentium vita concepta, de quia in quæsito proposito agitur, si soli inhæreat dubio. Nam, ut ait Doctor Angelicus (*d*); *Primus quidem* (suspicionis) *gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat: & hoc est veniale & leve peccatum: pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur*. Si vero, præter hanc suspicionem, judicium firmum & præfinitum conciperet de licentiori vita ex levibus conjectionibus, non purgaretur peccato gravissimo. *Secundus gradus*, adjungit S. Thomas, *cum aliquis pro certo* (*aliqua tamen hæsitatione admista*, apponit Cajetanus,) *malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis, & hæc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi*.

(d) Idem 2. 2. q. 60. art. 3. in corp.

Discrimen quod inter judicium temerarium & meram suspicionem interponimus, eo nititur, quod judicium temerarium sit omnino voluntarium; & injustitia nulla possit probari ratione legitima; quum suspicio oriri soleat ex errore intellectus, qui credit rationes suspicionis de mala cujusdam vita sufficere ut nostro faveant dubio; ac proinde peccati, non mortalis, sed venialis solum damnari potest, quum rationes non sufficiunt: quia ea suspicio tunc est tentatio humana, inter homines adeo usitata, ut ægre vitari queat. Quod probatur his S. Augustini verbis (*e*): *Ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, imo assidue non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita; ita ut Apostolus diceret* (*f*): Tentatio vos non apprehendat nisi humana. *Quid enim tam humanum, quam non posse inspicere cor humanum; & ideo non ejus latebras scrutari; sed plerumque aliud, quam id quod ibi agitur, suspicari?* Et quidem dicendum est suspicionem non ex malitia determinata aut odio in proximum, sed ex debilitate ingenii non perspicacis ortam, eum insigni non afficere injuria.

(e) S. August. tract. 90. in Joan. n. 1.

(f) 1. Cor. X. 13.

TACTUS.

Nolumus hic dicere de tactu, in genere, qui permultis in casibus potest esse absque ullo peccato. Nec nobis est mens dicere de tactu, qui ex se provocat ad peccatum fornicationis: sed solum de tactibus, inter desponsatos, aut conjugatos habitis, quorum quidam sunt mortales, alii veniales, alique ab omni immunes peccato. Pauca, quæ sumus in decisionibus sequentibus dicturi, sufficient ad discernendum illicitum & licitum, nec necesse erit hic specialiorem instituere narrationem.

CASUS PRIMUS.

Firminus, frequentius Mariam, sibi desponsatam invisens, illi sæpe blanditur, tangens ejus faciem, manus & brachia, imo figens oscula cum quadam delectatione breviori, sed sine ulla intentione mala. Potestne asseri eum peccare mortaliter in hoc?

Respons.

Auctores varias abeunt in sententias circa difficultatem propositam. Alii volunt desponsatos lethaliter peccare, si delectatio sit ingens, & persistat, etiamsi tactus afficerent solum partes corporis honestas, quales sunt facies & manus. Duabus nituntur rationibus. Prima, quia delectatio morosa est de se peccatum mortale, ut probat ejus definitio, hæc est, *ipsa carnis titillatio cum quadam spirituum genitalium commotione, adjuncta complacentia positiva ad illam post advertentiam*. Secunda, quia, etsi verum sit consensum huic delectationi adhibitum, si levis & imperfectus, posse, etiamsi perraro, esse solummodo peccatum veniale, tales tamen licentiæ fere nunquam adhibentur sine periculo incontinentiæ: quia, quamvis desponsati ad legitimam fovendam amicitiam iis uti velint; delectatio, quæ ab iis natura non separatur, eos sæpius efficit reos peccati mortalis. Cardinalis Cajetanus in Commentario ad S. Thomam, (*g*) hanc acriter tuetur sententiam, illamque fuse confirmat.

(g) S. Thom. de Vio Cajetan. in 2. 2. q. 154. art. 4.

Alii contra defenderunt, illos tactus, illaque oscula inter desponsatos non esse peccata mortalia, *modo absit omnino periculum pollutionis & consensus omnis impudici*.

Non improbantes omnino utrorumque sententiam, credimus distingendum esse, & dicendum ejusmodi licentias inter ipsos desponsatos habitas, esse peccata mortalia, cum sunt carnales, & quorum propensio vulgo in iis excitat mala desideria solo aditu ad sexum alium, quia hæc propensio corrupta est ipsis evidens incontinentiæ periculum, cui nemo unquam se permittit absque peccato mortali, juxta hæc Sapientis verba, (*b*) *qui amat periculum, in illo peribit*. Sed si contra illi nonnisi perraro his se dedunt malis desideriis ejusmodi in occasionibus, & iis obsistere sint solli-

(b) Eccl. 3. 27.

solliciti, ut videtur, peccati mortalis non sunt accusandi. Ratio est, quia ut S. Thomas (a) expresse docet, ejusmodi licentiæ non sunt de se peccatum lethale, nec evadunt illicitæ nisi animo corrupto iis utentium, & periculo, quo imminet lapsus in incontinentiam. *Possunt enim hæc absque libidine fieri*, inquir hic sanctus, *vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam.* Supponimus autem Firmino non esse mentem corruptam; & periculum, in quo implicatur, non videtur periculum incontinentiæ proximum, sed solummodo remotum, respectu status, circumstantiæ desponsatam spectanti, convenientis: quæ circumstantia videtur ipsi esse rationabilis causa agendi cum ea modo teneriori & blandiore quam alias illi liceret.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 154. art 4.

Cardinalis Toletus (b) hanc adoptat sententiam. Nam postquam dixerat, *oscula, tactus, complexus ob carnalem delectationem esse peccata mortalia, quamvis homo non intendat copulam, sed solum delectationem carnalem, ex his insurgentem .:. quia talis delectatio ex se ad copulam ordinatur*; illico addit: *liceret tamen ista inter sponsos, dummodo non esset periculum probabile pollutionis, tunc enim esset mortale, etiam inter conjuges.*

(b) Franc. Toletus Instruct. Sacerd. l. 5. c. 14. n. 2.

Navarrus (c) eandem adoptat sententiam. Sic enim mentem aperit, (desponsari) *quamvis sponsalia tantum de futuro contraxerint, licet eis non liceat copula, sine proposito saltem antea in matrimonium consentiendi, neque hodie post Concilium Tridentinum sessione 24. in Decreto de matrimonio cum tali proposito, licite tamen possunt non solum se cernere & alloqui & frui gaudio & voluptate, quæ inde nascitur, sed etiam se osculari mutuo, amplecti & tangere se tactibus, qui de se non sunt impudici, & frui voluptate, quæ oritur ex eis, sine voluptate tamen ampliori.* En rationem, quam offert: *sponsalia enim, quæ initium matrimonii sunt, faciunt facultatem fruendi voluptate præambula voluptati matrimoniali .:. quæ tamen* (determinatio) *intelligenda venit .:. quando id fit cum cautela ne contingat pollutio, nec periculum probabile illius incurrendæ vel consentiendi in eam.*

(c) Navarr. Manual. c. 16. n. 11. Et in can Si qui. de Pœnit. dist. 1.

Sylvius idem etiam docet post plures alios Auctores, quos laudat (d) quibus addimus Bail. (e) Sed dictis non obstantibus priorem patet sententiam esse solam in praxi tutam, & Confessario prudenti & sagaci nunquam cedendum esse respectu occasionum & circumstantiarum, in quibus Firminus & Maria, ipsi desponsata, versantur. Miseria & fragilitas humana tanta est, ut summus sit metus ne ejusmodi homines tandem in fortiorem incidant tentationem, & ei succumbant, eas sibi permittentes licentias, quæ ex se ad lapsum agunt; & quas, sub specioso sponsaliorum nomine, sibi putant licere. Longo Confessionalis usu, quem a quinquaginta-quinque annis, & ultra habemus & malis sequelis, quas ex his præmaturis blanditiis ortas vidimus, tenemur hoc consulere Confessariis, qui, lumine aut prudentia destituti, levius ad rem adeo delicatam & momentosam attendunt.

(d) Franc. Sylvius in 2. 2. q. 154. a. 4. conclus. 4. Et apud eum Gabriel, Scotus Joan Mulanus Jacob. de Grafiis, Sanchez. Joan. Azorius p. 3. l. 3. c. 23. & alii.

(e) Lud. Bail. de triplici examine, p. 2. quæsito 11.

Conjugatus qui libidinosa oscula, tactus aut amplexus impudicos erga conjugem habet, toties lethaliter peccat, quoties ex iis pollutio extra vas debitum accidit; illiusve periculum proximum sibi, aut compari imminet: secus vero uterque venialiter duntaxat offendit; ac ne venialiter quidem, qui citra libidinis appetitum talia conjugi, ad actum conjugalem eo modo se comparanti, in se permittit, cum hujusmodi tactus & oscula, quasi dispositiones & præludia licita sint, illius saltem respectu, qui citra voluntariam libidinem illa patitur; dummodo mensura debita ac modus conveniens observetur. Ratio est, quia cum licitus est finis, licita sunt & media, & cui licet operis consummatio, licet profecto & ejus inchoatio. Cum ergo actus conjugalis licitus sit, præludia illa pariter censenda sunt esse licita.

Hanc quæstionem ita solvit Sanctus Antoninus (f), cujus hæc verba sunt: *Sextus* (Casus in quo conjuges peccant mortaliter) *est quando conjux voluptatem prævenit & provocat diversis modis, ut manibus, vel cogitationibus, vel utendo calidis & incentivis, ut possit plures coire. Hoc tamen non simpliciter intelligendum est, sed quando in talibus præparatoriis propter se delectatur, sicut si confricationibus impudicis membra attrectando, sequatur pollutio extra vas debitum, non est dubium, quod est mortale: quia omnis pollutio extraordinaria est peccatum mortale, quando vigilando procuratur. Idem videtur, si diu insistat in hujusmodi, non intendendo venire ad actum conjugalem, sed finem in his ponere. Sed, si quis causa generandæ prolis, vel vitandæ fornicationis in se, vel in socio, aut debitum reddendi, cum alias sit impotens, se provocet esu, vel potu calefactivorum, aut osculis & amplexibus, quibus etiam animalia se provocant, ut columbi & ursi, vel aliquibus aliis tactibus, in quibus non quærit propter se delectari, sed solum ad actum illum præparari, non videtur peccatum: quia licet juvare naturam corporis ad obediendum rectæ rationi. Item, si hoc facit, ut sit potens cognoscere propter delectationem, quam nollet cum alia experiri, tunc gravius peccat, præveniendo delectationem, non tamen mortaliter, quia non quærit in hac provocatione delectari, sed in actu conjugali. Unde videtur idem specie, quod de fine.* Hæc ille. Quod autem attinet ad delectationes morosas, inter conjuges habitas, certum est, illicitas esse, quando ad copulam statim habendam non referuntur. Delectatio enim venerea, etiam inter conjugatos, est illicita, nisi ad copulam tendat. Unde a fortiori sponsus de futura copula, cum sponsa habenda, sine peccato morose delectari nequit; uti nec vidua de præterita olim cum viro habitâ.

(f) S. Anton. 3. Part. sum. Theolog. tit. 1. c. 20. §. 6.

Porro in his discutiendis ac discernendis non mediocri prudentia opus est Confessario. Sæpius enim adest proximum pollutionis periculum extra vas debitum; cum præsertim in partibus pudendis extra tempus, & locum opportunum fiunt hujusmodi tactus. Itaque caveat necesse est, ne in his tolerandis facilior, quam par sit, existat.

Huic nostræ responsioni expresse adstipulantur Cajetanus, Toletus, Dominicus Soto, Sylvester, Fumus, Navarrus, Sylvius & alii complures (g).

(g) Cajetan. v. *Matrimonium* c. *De usu matrim.* Toletus Instruct. Sacerd. l. 5. c. 11. n. 1. Et l. 7. c. 25. Dom. Sotus in 4. dist. 32. a. 4. Sylvius in supplem. q. 49 a. ult. Nav. Man. c. 16 n. 42. Sylvester de Prierio. Bartholomæus Fumus in aurea Armilla, &c.

TENTATIO DEI.

TENTARE sumitur ut plurimum in Sacris paginis ad significandum *Probari* fidem vel virtutem alicujus, in eoque sensu dicitur, Abraham a Deo fuisse tentatum (b). *Tentavit Deus Abraham*, cum ei præcepit, ut Isaac unigenitum suum ei immolaret: volens nimirum in eo ipsius tum fidem, tum obedientiam explorare; ut inde plurimi meriti locus ei daretur, ac majori cum firmitate atque robore prædictis virtutibus insistendi, simul etiam propositum ætatibus subsecuturis relinqueretur in famoso illo Patriarcha luculentissimum & numeris omnibus absolutum virtutum earumdem exemplar.

(b) Gen. 22. 1.

Memoratur etiam alibi (i), Judaicam gentem a Deo variis in locis, diversisque rationibus tentatam fuisse: Quod in eum sensum semper accipiendum est, quem aperit Apostolus S. Jacobus istis verbis (k): *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est: Ipse autem neminem*

(i) Exod. 16. 4. Deuter. 13. 3.

(k) Jac. 1. 13.

neminem tentat: unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus. Verum, quæ sumus in hocce præsenti Titulo tractaturi, nullatenus in ejusmodi speciem tentationis attingunt.

Quod hic loci dicimus, *Tentare Deum*, est, proprie loquendo, facere, vel dicere rem aliquam absque legitima ulla causa, cum eo animo, ut explorentur & probentur ipsius potestas, bonitas, vel quodlibet aliud ex Divinis ejus attributis; & cum deliberata voluntate ea negligendi vel etiam rejiciendi, quæ sese ultro offerunt, ut ipsa res ex sententia succedat; vel est, petere a Deo absque succurrente ullo legitimo fundamento rem aliquam, quam ipse non promisit: Puta, si verbi gratia, vir aliquis eo temeritatis atque imprudentiæ deveniret, ut sese ultro offerret periculo incidendi in aliquod præcipitium, nolens illud nequidem paululum effugere, & dimissa Deo cura, illum ab ejusmodi præcipiti lapsu defendendi.

Quam quidem tentationis speciem Dæmon ausus est ipsi Domino suggerere, cum eum sollicitavit, ut, si vere Dei filius esset, sese de fastigio Templi deorsum daret præcipitem: *Mitte te deorsum* (*a*), cui Jesus Christus respondit (*b*): *Scriptum est enim: Non tentabis Dominum Deum tuum.* (*a*) Matt. 4. 6. (*b*) Deut. 16. 6.

Atque in ejusmodi peccatum impegerunt Israelitæ, quando dixerunt (*c*): Tentemus, utrum Deus sit omnipotens, atque utrum sit in medio nostrum, necne? Unde factum est, ut locus, in quo tunc castrametabantur, nomen acceperit Tentationis. *Et vocavit nomen illius: Tentatio, quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* Cujus etiam criminis sese conscium plurimis in occasionibus reddidit populus iste nimium infidelis atque ingratus, & cujus pœna Deus tunc temporis noluit eum in Terram promissam introducere; *Tentaverunt me jam per decem vice, Non videbunt Terram, pro qua juravi Patribus eorum* (*d*). (*c*) Exod. 16. 7. (*d*) Nu. 14. 28. & 23.

Jure prorsus ergo peccatum illud a Theologis definitur istis verbis: *Tentatio Dei ... est dictum, vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum, ab eo temere expectatum* (*e*). Polmanus, qui prædictæ definitionis est Author, eamdem explicat, afferendo, per isthæc verba: *Dictum vel factum*, hæc alia intelligenda quoque esse, *omissio dicti vel facti*. Per isthæc alia: *Ad capiendum de Deo experimentum*, priora accipienda esse, *ad capiendum*, additis istis, *expresse, vel implicite*; Et isthæc alia: *De Deo*, adjungendo etiam *ejusve attributo*; Neque etenim omne divinum attributum quidquam aliud est, quam ipsemet Deus. In posteriori ista voce *experimentum*, necessario continetur finis, qui in illo experimento intenditur, nimirum sciendi, num vere Deus aliquis existat, cui omnia sint perspecta atque explorata, qui possit omnia quæcumque facere, & sit in promissis suis fidelis. Subsequentia hæc alia verba: *Per extraordinarium effectum*, innuunt, effectum expectari, non quidem ex naturali rerum ordine, & cursu ordinario, quem Deus instituit; sed ex eventu prodigioso ac pleno miraculi, quique juxta naturæ vires ordinarias a Creatura nequit ullatenus procedere. Tandem posterioribus istis verbis: *Temere expectatum*, significatur nihil subesse legitimæ causæ, cur effectus ejusmodi speretur; neque enim tentaretur Deus, si legitima causa succurreret, cur posset expectari; puta, si, verbi gratia, ageretur ex afflante Divino Spiritu, aut fundamentum aliquod daretur ex Divinis promissis; aut agendi necessitas sic urgeret, ut nullatenus adesset locus non agendi; aut ipse Deus edendorum miraculorum donum concessisset; aut denique res ageretur, quæ vel ad Divinam gloriam, vel ad defendendam Religionem, vel ad ipsius Ecclesiam vindicandam aliqua ratione pertineret: Qua quidem in re plurima veri nominis intelligentia judicioque prorsus peracerrimo opus est, ne in eo, quod suscipitur, aliquis error subrepat. Nunc inspiciendum est stilo continuo, quænam sit species prædicti peccati, atque utrum possit aliquando rationem habere peccati tantummodo venialis. (*e*) Polman. part. 2. 3. n. 990.

CASUS PRIMUS.

Scipio iter habens Aureliam ex simplici tantummodo curiositate, certo certius accidit, in publica via sylvæ, per quam transit, insidiari latronum ingentem catervam, qui solent omnes illac transeuntes spoliare atque interficere: Nihilominus obstinat animo viam suam progredi, licet nulla urgente necessitate, ac negligit ex illa via publica divertere sese totum Providentiæ Divinæ committendo. Potestne cum aliquo fundamento contendi, Deum a prædicto viro tentari, & eumdem in eum peccare, quippe qui nullis sit instructus armis ad propriam suam defensionem, aliunde vero generoso non admodum equo insideat?

RESPONS.

Quando ergo, inquit S. Thomas (*f*): *Propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divinæ auxilio in suis petitionibus vel factis; hoc non est Deum tentare: dicitur enim in 2. Paralipomenon*: Cum nos ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. At vero, quando nulla (*f*) S. Thom. 2. 2. qu. 97. art. 3. Incorp. item in 4. sen. dist. 31. qu. 1. art. 3. in corp.

necessitas instat aut rei ipsius utilitas, quemadmodum occurrit in proposita specie, tunc Deus tentatur modo saltem interpretativo: siquidem illud idem prorsus agatur, quod plane gereretur, si voluntas adesset deliberata eundem ex professo tentandi. *Quando vero*, subjicit laudatus S. Thomas, *hoc agitur absque utilitate & necessitate, hoc est interpretative Deum tentare: unde super illud Deuteronomii 6.* Non tentabis Dominum Deum tuum, *dicit Glossa*, Deum tentat, qui habens quod faciat, sine ratione committit se periculo, experiens, utrum possit liberari a Deo. Ex quibus sequitur, siquidem esset penes Scipionem viam suam ulterius non progredi, aut, si nollet susceptum iter dimittere, deflectere in viam aliam diversam, aut qualibet alia tandem ratione sese ab imminenti periculo liberare; & eidem periculo se se sine necessitate nec utilitate commiserit; certissimum esse, Deum ab eo fuisse in prædicta rerum circumstantia tentatum, ex eo quod vitam suam imprudenter adduxerit in periculum evidens, ex quo non poterat nisi quodam quasi miraculo incolumis evadere: quoniam tunc vere tentatur Deus, *quando prætermittit homo facere quod potest ad pericula evadenda, respiciens solum ad auxilium Divinum*, ut loquitur idem Angelicus Doctor (*a*). Quamobrem vir prædictus contraxit proprie dictum peccatum; siquidem non possit Deus ista ratione tentari sine peccato: quemadmodum rursum ab eodem S. Doctore docetur, cum ait, genus istud peccati esse Religioni prorsus oppositum. *Manifestum est autem, quod tentare aliquem, ad irreverentiam ejus pertinet: nullus enim præsumit tentare eum, de cujus excellentia certus est. Unde manifestum est, quod tentare Deum, est peccatum Religioni oppositum.*

(*a*) Idem cit. art. in argum. *Sed contra*.

CASUS II.

Arnobius Parochus de Parœcia S. Liouberæ exhortationem Sacram habens ad suos Parœcianos in hæc verba Deuteronomii: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, quæ referuntur in Evangelio primæ Dominicæ intra Quadragesimam occurrentis; asseruit, a quocumque, qui tentat Deum, committi mortale peccatum. Numquid ista propositio cum veritate concordat?

RESPONS.

Arbitramur in ejusmodi ratione tentandi Dei peccatum occurrere, quod natura sua mortale est: quoniam peccatum est summæ prorsus irreverentiæ in Deum, ab eo sperare, aut velle, ut Divinæ suæ Providentiæ Leges immutabiles invertat, ad serviendum arbitrio suæ Creaturæ. Atque ita docetur a S. Augustino (*b*), occasione Abrahami, cum dicit, a prædicto S. Patriarcha Deum tentatum fuisse, si, nolens adhibere sibi rationem, quæ se se ultro dabat; propriæ vitæ suæ consulendi, in cujus amittendæ periculum incurrebat, propter dignitatem formæ, qua præcellebat ipsius uxor Sara; commisisset soli Divinæ Providentiæ curam illum a periculo, quod imminere sibi putabat, incolumem efficiendi, animo obstinans nolle sibimetipsi illa ratione cavere, quam ei prudentia suggerebat. *Pertinet autem ad sanam Doctrinam*, inquit laudatus Pater, *quando habet quid faciat homo, non tentare Dominum suum*: Quod quidem probat tribus celeberrimis exemplis.

(*b*) S. Aug. lib. 22. contra Faustum. c. 36.

Primum exemplum desumitur ab Apostolis, quibus ipse Salvator præcepit, ut sibi fuga consulerent adversus suos oppugnatores, licet omnino potuisset sola sua potentia servare ab omni periculo incolumes, si sic ei placuisset. *Neque enim & ipse Salvator non poterat tueri Discipulos suos, quibus tamen ait*: SI VOS PERSECUTI FUERINT IN UNA CIVITATE; FUGITE IN ALIAM (*c*).

(*c*) Matth. 10. 23.

Secundum exemplum petitur ab ipsamet agendi ratione Jesu Christi, qui, *cum potestatem haberet ponendi animam suam* (*d*); *nec eam poneret, nisi cum vellet, in Ægyptum tamen infans portantibus Parentibus fugit* (*e*); ne scilicet in partem veniret generalis illius Innocentium internecionis, quam Herodes jusserat. Deinde laudatus sanctus Doctor infert, inde Dominum nostrum voluisse significare homini, ei non licere tentare Deum, neglectis mediis humanis, quæ sibi a Divina Providentia offeruntur. *Idem tamen fugiendo, latendo, hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, ut, quod cavere oportet, evadat.*

(*d*) Joann. 10. 18.

(*e*) Matt. 2. 14.

Tertium tandem exemplum, affert idem S. Doctor, quod in S. Paulo habetur, qui, ne videretur velle tentare Deum, libenter consensit, iis, qui voluerunt illum demittere corbis ope de mœnibus Civitatis, in qua tunc temporis degebat, ut manibus inimicorum suorum se se eriperet, quamquam omnipotentiam Salvatoris nequaquam in dubium revocaret.

Denique S. Augustinus redit ad prædictum exemplum Abrahami; & ait, licet ei persuasissimum fuerit, Deo nihil esse, quod non sit possibile; eum tamen usum fuisse, ad servandam suam vitam, ratione, quæ sine periculo peccati se se ei sponte offerebat; ne Deum tentaret. *Ne Deum tentaret, fecit quod potuit.*

Diximus, peccatum istud habere ex natura sua, quod mortale sit, quale foret alicujus peccatum, qui motus ex falsa confidentia, quam ipse sibi finxisset, adhuc speraret futurum ut eum ad tempus anni reliquum vita maneret, & tamen negligeret præterita sua crimina per condignam pœnitentiam expiare; aut futurum ut ei Deus vitam servaret, licet nullo cibo curaret ipse eandem sustentare.

Quam igitur Arnobius asseruit, propositio omnino verissima est, quanquam in aliquibus casibus prorsus extraordinariis peccatum istud possit aliquando nonnisi fieri veniale, nimirum ex quibusdam peculiaribus circumstantiis, quæ gravitatem illius imminuunt, atque in caussa sunt, cur, qui in illud incidit, minorem inde culpam contrahat, quam alioqnin contraheret.

CASUS III.

Diadocus junior Beneficiarius, qui jampridem animum gerit a quodam e suis Collegis prorsus alienatum, solet suas omnes preces fundere, quin etiam Divinum Officium recitare absque ulla quacumque animi præparatione. Nonne dici potest, Deum in ea re ab eo tentari; siquidem illud non faciat, quod potest ac debet, ut mereatur, quamobrem a Deo suæ preces exaudiantur?

RESPONS.

S. Thomas (*f*) agitans quæstionem non absimilem, asserit ab eo, qui sicut Diadocus, nullam animi præparationem affert, quando orat, tentari Deum saltem interpretative; siquidem eadem ratione se gerat, qua ab eo ageretur, qui de industria animo destinaret tentare Deum; sperando scilicet, suas preces exaudiendas esse: quanquam illas fundat sine ullo pietatis ac Religionis sensu; sine reverentia erga Deum, & sine ulla attentione. En ipsissima verba laudati S. Doctoris. *Ille, qui ante orationem animam suam non præparat, dimittendo, si quid adversus aliquem habet, vel alias ad devotionem se non disponendo, non facit, quod in se est, ut exaudiatur a Deo: & ideo quasi interpretative tentat Deum.*

(*f*) S. Thom. 2. 2. qu. 97. art. 3. ad 2.

Rationemque subjungit istam, quod vir ejusmodi suis indignis precibus Deum compellans, in eum agat ex damnanda omnino confidentia, & sine venerabunda illa animi reverentia, quæ ei debetur; quasi Deus obligaretur, ad ipsum exaudiendum labiis quidem orantem, corde vero nullatenus gementem; aut quasi Deus posset ei suæ tum caritatis, tum misericordiæ beneficia indulgere, quamdiu conservat in intimo suo pectore quamdam inveteratam a suo proximo cordis alienationem. *Hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet, ut homo præsumptuose & sine debita diligentia se habeat in his, quæ ad Deum pertinent; dicitur enim* .... (*g*). SOLLICITE CURA TE IPSUM PROBABILEM EXHIBERE DEO. *Unde hujusmodi tentatio irreligiositatis species est.*

(*g*) Ad Timoth. 2. 15.

TESTA-

TESTAMENTUM.

VOX TESTAMENTUM passim legitur plurimis in locis Sacrarum Paginarum, in quibus ut plurimum accipitur pro significando fœdere, & pacto, vel sensum innuit & Legis promissum (*a*): Atque ea de caussa Sacra Scriptura per analogiam appellatur *Vetus Testamentum* & *Novum Testamentum*, quia Deus illius potissimum ope voluntatem suam voluit hominibus, quantum ad omnia eorum officia diversa, revelare. Verum hæc nominis appellatio ratione quadam speciali Scripturæ illius propria est, quam dicimus Novum Testamentum; quoniam Jesus Christus proprio suo Sanguine obsignavit, & confirmavit morte sua novum fœdus, ac plurimas, quas repromisit diligentibus se, voluntatemque suam summa cum fidelitate exequentibus, mercedes (*b*).

Si prædicta vox in proprio suo sensu sumatur, & qua ratione hic loci intelligimus, *Testamentum* nihil aliud est, quam declaratio illius, quod Testator vult post obitum suum fieri: *Et voluntatis nostræ sententia de eo, quod per mortem nostram fieri volumus*. Quæ vulgaris est definitio Testamenti, sive, *ultima voluntatis dispositio .... seu ordinatio*, ut Polmanus loquitur (*c*).

Ex tribus potissimum cognoscitur, an validum sit aliquod *Testamentum*, an vero nullum. Primum, est qualitas Testatoris. Secundum, est conditio illius, in cujus favorem cedit vel ex integro, vel aliqua tantummodo parte Testamentum. Tertium, exterior illius instrumenti forma, quæ continetur Testamentum.

Sicut apud Romanos nullus habebat factionem *Testamenti*, nisi foret Civis Romanus ac liberæ conditionis, sic etiam apud nostram Gallicam Gentem, ut quis jure possit prædictæ factionis gaudere, eum oportet, vel esse natura Francum, vel ex Regio Diplomate Francorum privilegio donari.

Filiis-familias etiamnum extantibus *sub patria potestate*, ne quidem accedente consensu sui Patris, licebat testari, juxta Romanas Leges, exceptis iis, qui bona quædam vel in militia, vel in foro sibi paraverant, quæ quidem bona dicebantur *peculium Castrense*, & *peculium quasi Castrense*. Atque hæc Jurisprudentia locum etiam obtinet hisce nostris temporibus in Gallia apud Regiones, in quibus jus potestatis Paternæ conservatum fuit, & quæ ad normam juris scripti reguntur.

Non permittitur impuberibus, ut Testamentum conscribant, quoniam judicio minus firmo præditi sunt. Quod idem a fortiori extendendum est ad imbecilles, & mente captos (*d*). Idem etiam constituitur de iis, qui civili morti addicuntur.

Privatur eadem facultate quisquis a natura surdus & mutus (*e*); at, si sit tantummodo surdus, vel dumtaxat mutus testari potest, modo sciat literas exarare: cujus rei consentit jus moribus inductum.

Juxta jus Romanum cæcus habet factionem Testamenti: ac præter septem Testes, qui requiruntur ad illius auctoritatem ac fidem, præterea necesse est, aut ibidem unum Notarium adesse, aut saltem acciri quemdam alium octavum Testem, qui scribat, atque legat alta voce Testamentum tum coram Testatore, tum præsentibus ibidem omnibus Testibus (*f*).

Secundum Parisiensem consuetudinem non conceditur, ut quis disponat de suis rebus moventibus, ac bonis partis, nisi vigesimum ætatis annum expleverit; neque de quinta parte patriorum bonorum, nisi post annum ætatis vigesimum quintum; at quando Testator nullis rebus moventibus gaudet nec bonis partis, ei licet de quinta paternorum bonorum parte disponere, postquam annum ætatis suæ vigesimum complevit (*g*). De ceteris consuetudinibus, propterea quod ea de re aliæ ab aliis prorsus discrepent, satis est igitur, hoc unum ab unoquoque retineri, nimirum consuetudini Regionis, in qua degit, potissimum esse insistendum, tamquam Legi, cui parere tenetur.

Juxta receptum apud Gallicam nostram gentem usum, non licet quidquam Testamento legare Monasteriis, quæ non sunt ex Regiis diplomatibus instituta.

Monasteria, qualiacumque sint, ac licet jure Regiorum diplomatum instituta, sunt inhabilia prorsus, ad acceptanda legata, quæ iisdem ab eis relinquerentur, qui, cum sunt novitii, volunt de suis bonis disponere: quod verbis expressis fertur in Edictis Aurelianensi (*h*), & Blesensi (*i*).

Ex jure moribus apud Gallos inducto, nihil Testamento legari potest, nec

(*a*) Genes. 49. 33. Exod. 29. 20. & 30. 26. Deuter 29. 1. & seq. Josue 24. 25. & 26. & 27. Eccl. 45. 30. & 47. 13. Psalm. 73. 20. Isai 24. 13. Malach. 3. 1. Matth. 26. 28. Marc. 7. 8. Galat. 3. 15. 16. & 17. Hebr. 9. 15. 16. & 17. &c.

(*b*) Hebr. 9. 15.

(*c*) Polman. part. 2. a. n. 5. 5.

(*d*) §. 1. & 21. Institut. quibus non est permissum, &c.

(*e*) Leg. *Discretis*. §. 10. cod. qui Testam. facere possunt, vel non, lib. 6. tit. 22.

(*f*) Leg. *Hac consultissima*. 8. cod. eod. tit.

(*g*) Consuetud. Parif. art. 293. & seq.

(*h*) Art. 10.

(*i*) Art. 28

Notario, nec Parocho seu Vicario, qui recepit Testamentum, nec etiam Testibus, qui eidem subscripserunt (a), qua quidem in re discordant nostræ consuetudines a Legibus Romanis, quæ satis habebant ejusmodi testibus denegare facultatem, qua possent ipsius instituti testatoris hæredes.

Tutores, Curatores, & eorum Filii, durante vita sui Patris, non gaudent facultate recipiendi legati quidquam a suis minoribus vel pupillis, donec administratæ tutelæ rationes suas retulerint; quod ita constituitur Edicto anni 1539. (b) & Declaratione anni 1549. Observat tamen Ricardus, a Parlamenti prædictæ Legis exsceptione exclusos fuisse Patres, qui tutores propriis suis filiis præficiuntur (c), sicut etiam ab eadem regula excipiuntur honorarii tutores.

Secundum Parisiensem consuetudinem (d) nec maritus, nec uxor possunt quidquam sibi invicem Testamento, legare, verum plurimis aliis consuetudinibus ista facultas iisdem libera permittitur quibusdam in casibus, & certis conditionibus appositis.

Ut possit quis aliquod sibi vindicare legatum, satis non est, eum ad illud idem habilem fuisse, quo tempore Testamentum factum est: præterea namque requiritur, eum ad illud etiamnum remanere habilem, cum decedit Testator; nisi Legatum quasdam conditiones haberet adjunctas, quo quidem in casu sufficeret, Legatarium habilem ad illud fieri, quo tempore conditio incideret, ut observat D. Argou post Godefridum ab eo citatum (e). Quod pertinet ad qualitatem & quantitatem bonorum, de quibus disponere Testatori permittitur, consuetudines ea de re secum invicem non concordant.

Quantum vero est de solemnitatibus necessario servandis in instrumento alicujus Testamenti, est hæc constans ac indubitata regula, nimirum eas dumtaxat observandas esse, quæ secundum usum regionis quæcumque sit, in qua Testamentum confectum est, præscribuntur, nulla ratione habita formularum illarum ac solemnitatum, quæ frequentari solent in regione, in qua testator suum habet domicilium ordinarium, aut in loco, in quo bona ipsius posita sunt. Atque ita docetur a Ricardo (f). Adeoque in regionibus, quæ jurisdictioni subjiciuntur Parlamentorum Tolosani, Gratianopolitani, & Aquisextani, requiritur ex præscripto Juris Romani, ut Testamentum conficiatur coram septem testibus, & ab iisdem ei subscribatur sicut ab ipso testatore, si usum habeat apponendi proprium suum chirographum; aut ab octavo teste, si usum non habeat: adeo ut nullatenus opus sit accersere ministerium Notariorum, si non lubeat illud idem adhibere; si vero sit e testibus aliquis, qui subscribere nesciat, necesse est, dictari Testamentum Notario cuidam, qui memoret in ejusdem instrumento, prius appellatis prædictis testibus juxta dispositionem edicti, ut subscriberent; talem ac talem declaravisse, se se subscribendi esse prorsus imperitos.

Licet etiam secretum Testamentum scribere, inclusum involucro quodam, cui sigilium testatoris apponatur, deinde illud idem apud aliquem Notarium deponere, præsentibus ibidem septem testibus a testatore requisitis, atque in eo casu necesse est, a Notario scribi in ipsomet involucro, apud se a tali, præsentibus ibidem talibus testibus requisitis atque vocatis, quadam tali die depositam fuisse chartam quamdam obsignatam, quam declaravit esse, quod propria sua manu conscripsit, aut aliena manu scribi curavit, Testamentum, quod ut ita factum constaret, petivit Testator scriptum a Notario instrumentum, & a testibus subscriptum, quos rogavit, ea de re velle testificari, atque ea de re prædicto instrumento tum suum chirographum, tum propria sua sigilia apponere, quod quidem fuerunt executi cum ipsomet Testatore simul ac Notario, adhibito ab unoquoque eorum tali sigillo. Qua de re operæ pretium est observare: 1. Non esse omnino necessarium, ab unoquoque Testium proprium adhiberi sigillum, quippe qui possint omnes eodem uti sigillo: 2. Si Testator non habeat usum apponendi propria manu suum Chirographum, illius vice subscribendum esse ab octavo aliquo teste: 3. Liberam relinqui copiam cuicumque Patri, qui animo destinavit de suis rebus in favorem filiorum suorum disponere, scribendi propria manu suum Testamentum, non servatis omnibus prædictis formulis, iisdemque filiis suis indicandi, quam velit, unicuique eorum cedere, portionem; immo etiam; si sic ei placuerit, addendi aliquod aliud legatum. Verum, si Testamentum prædictum animo postmodum adjiciat rescindere, nullatenus illud ei conceditur nisi ea lege, quod aliud Testamentum con-

(a) Ricard. tract. de Donationibus. l. 1. c. 3. n. 10.

(b) Art. 13.

(c) Ricard. tract. de Donationibus. l. 1. c. 3. sect. 9.

(d) Art. 282.

(e) D. Argou. Instit. ad jus Gallicum. t. 1. lib. 1. cap. 12. pag. 287.

(f) Ricardus de Donat. part. 1. cap. sect. 1.

conficiat juxta solemnitates omnes consuetas, aut declaret coram septem testibus, prædictum Testamentum a seipso fuisse declaratum (*a*).

En, quæ vigent, in regionibus subjectis jurisdictioni trium Parlamentorum mox memoratorum, variæ conficiendi Testamenti rationes, in quibus potissimum obtinentur, quæ præscribuntur jure Romano, formulæ Observat tamen D. Argou, inter opiniones, quas Doctores tenent, eam esse tutissimam ac certissimam, quæ docet, ab eo, qui nec legere novit, nec scribere, non posse confici Testamentum secretum; quoniam, cum nescit legere, licet possit nomen suum exarare, facile possit in errorem induci ab eo, cujus, ad scribendum suum Testamentum, ministerium imploraret: atque in eo sensu, inquit iste, prædictæ opinionis defensores contendunt, esse intelligenda verba Legis sequentia (*b*). *Si litteras Testator ignorat*.

Ceterum priusquam de prædicto testamenti genere dicendi finem faciamus, plurimum juvat observare, circa Testamenta, quæ conficiuntur in regionibus ad normam scripti Juris regii consuetis, necessario prorsus requiri, ut valida sint: 1. In iisdem hæredem aliquem institui, qui defuncto succedat in omnia quæcumque ipsius jura tum activa, tum passiva: 2. Institutum hæredem ejusmodi Testatori vivere superstitem. 3. Ab eodem acceptari successionem: alioquin testamentum fit prorsus caducum ac nullius roboris, quantum ad omnia quæ in eo continentur; si tamen hæres successionem ex fraude repudiaret, ut eadem tamquam *ab intestato* cujuscumque oneris ex legato vacua transmitteretur vel suo patri, vel alii cuilibet, quocum de prædicta renunciatione deliberavisset, in eo casu nulla ratio renunciationis istius haberetur: quoniam *fraus & dolus alicui patrocinari non debent*, ut loquitur Innocentius III. (*c*): & quemadmodum fertur in Lege *æque enim in omnibus* fraus punitur (*d*): 4. Quamquam ex repudiata ab hærede successione institutio nulla fiat ac omnino caduca: quæ Testamento caventur Legata ac fidei commissa nihilominus obtinere, & persolvenda esse ab hærede, in quem *ab intestato* transfertur hæreditas; modo Testamento apponatur clausula, quam ajunt codicillarem, quæ in eo potissimum consistit, ut declaretur a Testatore, si contingat, suum Testamentum suo fraudari effectu, neque prout Testamentum obtinere, se se velle, ut vim consequatur codicilli, ac donationis propter obitum. Ratio est; quia, ut disponeretur de summis aliquibus pecuniæ, vel de quibusdam rebus moventibus, necesse non erat ea de re conscribere testamentum: cum satis fuisset adhiberi codicillos. Atque prædicta ista cautio ut plurimum observatur in testamentis, quæ conficiuntur in regionibus subjectis scripti Juris dispositionibus.

Plurimas de materia Testamentorum, quæ scribuntur in regionibus ad normam scripti juris regi solitis, egregias adnotationes adire licet apud eruditum illum Jurisconsultum, qui Auctor est *Institutionis ad jus Gallicum* (*e*), a quo, quas modo subjecimus, observationes sumus mutuati. Illud addemus tantummodo: 1. Quando Testatoris deest vel tempus, vel copia conficiendi alterius Testamenti, quo prius scriptum rescindat, ipsi licere facili prorsus negotio illud irritum ac nullum facere, delendo nempe nomina eorum omnium hæredum, qui in eodem indigitantur, aut totum ipsummet Testamentum expungendo, quod ea ratione caducum evadit atque nullius effectus. 2. Hoc esse receptum apud consuetudines fere omnes, quæ in Regno Galliarum vigent, ut nulla sit opus hæredis institutione, ad validum efficiendum aliquod Testamentum, quin etiam Testatori nullatenus liceat eum hæredem instituere, qui sit a consanguinitate illius alienus: atque ea de caussa dispositiones caussa mortis factæ in Regionibus usu consuetudinum regi consuetis, non sunt Testamenta proprie dicta, sed simplices tantummodo codicilli.

Juxta jus Romanum: 1. Valebat Codicillus declarata tantum voluntate Testatoris coram quinque testibus, nullisque adhibitis aliis solemnitatibus. 2. Non potest verbis expressis ex simplici Codicillo nec transmitti, nec adimi successio: at vero potest nihilominus tacite transmitti ex *fidei commisso*, rogando nimirum eum, qui vel hæres institutus est, vel *ab intestato* pervenit ad hæreditatem, ut alicui, qui designatur, successio restituatur (*f*). 3. Constituitur, eum, qui non habet factionem Testamenti, nec habere quoque factionem Codicilli (*g*). 4. Ab una eademque persona posse plurimos confici Codicillos, modo sibi invicem non adversentur; si vero sibi invicem adversarentur, futurum jam ut posterioribus standum esset (*h*). 5. Codicillum posse referri vel ad

Testa-

(*a*) Authent. *Inter liberos* cod. de Testam.

(*b*) Reg. *Has consultissima*. 21. de Testamentis. lib. 6. tit. 23.

(*c*) Innoc. III. In cap *Officii*. 24. de Testamentis.

(*d*) Leg. *In fraudem*. 45 ff. de jure fisc. lib. 49. tit. 4.

(*e*) Pag. 291. & seq.

(*f*) Leg. *Hæreditatem*. 2. cod. de Codicillis. Instit. de Codicillis. § 2.

(*g*) Leg. *Cum proponatis*. 1. de Codicillis. lib. 6. tit. 36.

(*h*) Leg. *Ante tabulas*. 5. ff. eod. tit. Lib. 29. tit.

Teſtamentum anterius, vel illud nullatenus revocari. Si cum priori Teſtamento nullam habeat connexionem, caſu contingente quod Teſtamentum nullum atque irritum declaretur, nihilominus Codicillum obtinere. At, ſi aliquam habeat cum eo connexionem, jam omni quocumque fraudari effectu (a).

(a) Leg. Ra-pro. 1. Cod. de Codicillis.

In Regionibus Gallicis, quæ reguntur ex jure moribus inducto, Codicilli, hoc eſt, quod ſub appellatione *Teſtamentorum* improprie dicta circumfertur, vel conficiuntur coram publico miniſtro, vel tantummodo ſunt olographi: utrumque Codicillorum genus perinde validum eſt. Prioris generis Codicilli varias requirunt formulas ex parte illius, qui eos recipit, & quantum ad numerum, ætatem, ac qualitatem Teſtium. Juxta Pariſienſem conſuetudinem, Teſtamentum debet confici coram duobus Notariis, aut unico tantum Notario, cui duo teſtes adjungantur, aut recipi a Parocho Teſtatoris aut ab ipſius Vicario generali, cui tres adſint Teſtes, vel tandem a Parocho ſeu Vicario, cui Notarius adjungatur (b). Debent Teſtes eſſe maſculi, annum ætatis ſuæ vigeſimum expleviſſe, nec Legatarii. Eſt præterea neceſſe, verbis expreſſis in inſtrumento ferri, Teſtamentum fuiſſe Notariis, Parocho, ſeu Vicario dictatum atque ſuggeſtum a Teſtatore, & eidem Teſtatori relectum præſentibus ibidem prædictis Notariis, Parocho, ſeu Vicario ipſius generali, & Teſtibus; deinde eidem Teſtamento ſubſcribi tum a Teſtatore, tum a Teſtibus; aut cauſſam, cur ipſi non potuerint ſubſcribere, ab eo ibidem referri, qui recepit Teſtamentum. En quæ ſervanda ſunt, ut ex præſcripto laudatæ conſuetudinis aliquod Teſtamentum ſit validum ac eſſentialibus ſuis partibus abſolutum. At formulas alias diverſas plurimæ aliæ conſuetudines requirunt, & unicuique conſuetudini ſuæ Regionis ſtare debet unuſquiſque, ut jam monuimus; ac potiſſimum meminiſſe, illud admodum eſſe ſummæ neceſſitatis, ut ipſiſſima verba adhibeantur, quæ ipſamet conſuetudine præſcribuntur atque exprimuntur, neque alia verba, licet idem ſonantia, futura ſufficientia ad efficiendum validum aliquod Teſtamentum, quemadmodum ſtatutum eſt plurimis Arreſtis ſupremarum Curiarum.

(b) Conſuet. Pariſ. art. 289.

Equidem verum eſt, currente decimo tertio ſæculo plurima celebrata fuiſſe Concilia, qualia ſunt Arelatenſe Anno 1234. Avenionenſe anno 1282. & Bituricenſe anno 1286. quibus prohibitum eſt omnibus omnino perſonis, ne Teſtamentum ullum conficerent, niſi præſente ibidem Parocho, non ſolum propter faciendas rerum alienarum injuſte acceptarum reſtitutiones, aut reparanda damna, quæ fuerant illata proximo; ſed eo præſertim fine, ut Teſtatores ea ratione impedirentur, quominus legata Teſtamento relinquerent Albigenſibus, qui tunc temporis adverſus Eccleſiam inſurrexerunt. At obſolevit uſus iſte jam a plurimis ſæculis.

Licet ea de re ſermo noſter diffuſior proceſſiſſe fortaſſe videatur, non poſſumus tamen aliquid non ſubjicere de Teſtamentis, quæ militaria dicuntur: propterea quod eamdem vim conſequantur in Gallia, quam olim apud Romanos. Addemus igitur. 1. Militibus immunitatem tribui ſervandarum prædictarum omnium formularum, quantum ad Teſtamentum conficiendum, cum nimirum illud perficiunt in ipſo temporis actu, quo militari alicui vacant expeditioni: ac ſufficit, ut validum cenſeatur, illud certo certius conſtare, ſcilicet ejuſmodi fuiſſe voluntatem Teſtatoris.

Dicimus in ipſo temporis actu, quo militari alicui vacant expeditioni, ſeu, ut loqui vulgo amant, quo tempore educti ſunt ad militares expeditiones. Neque etenim prædicto privilegio donantur milites præſidiarii, aut ii, qui in hiberna dimiſſi ſunt.

2. Supremi Senatus Regionum ſcripti juris tamquam rata ac legitima habent ejuſmodi Teſtamenta, atque ut valida reputentur, ſatis eſt, ab iis, qui eidem conficiendo Teſtes adfuere, ſe ſe recipere apud primarium Ducem Legionis, eidem voluntatem defuncti militis declaraturos, quam quidem præfatus Dux curat ſcriptis mandari: excipienda tamen ſunt Parlamenta Pariſienſe, & Burdigalenſe, quibus jam non comprobatur probatio Teſtamenti militaris a ſolis tantummodo Teſtibus miniſtrata, quæ quidem probatio jure Romano quondam admittebatur.

3. Qui fuerunt capite damnati propter crimen aliquod militare, jure gaudent conficiendi ſui Teſtamenti; eadem etiam facultas conceditur filiis familias militibus, quantum ad eorum peculium militare.

3. Jus Romanum, quocum ea omnia concordant, quæ jam jam obſervavimus, præſcribit etiam, ut milites poſſint ex ſimplici Codicillo hæredem aliquem inſti-

instituere, sive quantum ad integra sua bona, sive quantum ad aliquam solummodo partem eorumdem; atque Testamentum ejusmodi vim habet, quamquam in eodem ne verbum quidem unum de liberis Testatoris injiciatur.

5. Militare Testamentum omni robore atque quocumque effectu fraudatur post elapsum unum annum ab obtenta a milite Testatore sua missione: si vero propter facinus aliquod indignum fuerit aliquis miles exauctoratus, eo ipso Testamentum ejus fit omnino caducum ac nullius roboris.

6. Quisquis Minister, cui incumbit ex officio sequi militares copias, jure gaudet factionis militaris Testamenti: atque ejusmodi sunt rebus militaribus præfecti, rerum militarium curatores, & ceteri similes.

De iis, quæ pertinent ad executionem Testamentorum, nihil hic loci agemus; quoniam in hujusce tituli decursu istam materiam attingemus. Sed oculis subjicienda sunt quædam alia principia, quæ responsionem ad sequentem casum antecedunt.

CASUS PRIMUS.

Haldvinus Junior pupillus annos natus tredecim cum sex mensibus, & eruditus ab iisdem Doctoribus, quibus Martialis utebatur, cum incidisset in morbum quam periculosissimum, suum Testamentum fecit, quo post mortem suam legat prædicto Martiali libras 300. Ipsius frater, cui soli tota cedit ex hæreditario jure illius hæreditas, contendit, præfatum Testamentum omnino nullum esse, adeoque sese non obligari, ad illud legatum persolvendum, Ei-ne jus favet?

Respons.

Antequam speciales casus, qui pertinent ad materiam Testamentorum, excutiendos aggrediamur, juvat quædam in antecessum ponere principia ac statuta aliqua generalia, quæ publici juris fecit D. Bretonnier insignis omnino ac commendationis notæ Advocatus in suprema Galliarum Curia, in eximio illo opere, quod nuper in lucem edidit, & cui titulum inscripsit: *Collectanea redacta juxta literarum ordinem, præcipuarum Juris quæstionum, de quibus varie judicatur in variis Regni Tribunalibus, &c.* (a) A quo quidem Auctore lumen plurimum accipientes ac quasi nostrum facientes, dicimus ergo: 1. Ex præscripto Romani juris, ætatis annum, qui requiritur ad Testamentum valide faciendum, esse pubertatis ætatem, id est, annum 14. expletum quantum ad Mares, & 12. etiam expletum quantum ad fœminas (b). 2. Legibus Romanis admitti tria genera Testamentorum, scilicet, Testamentum nuncupativum, solemne, atque olographum. Nuncupativum illud dicitur, quod fit viva voce, cum Testator declarat suam ultimam voluntatem coram septem testibus, ut fertur quadam Lege Imperatoris Justiniani (c). Quæ species Testamenti, quanquam gravissimis prorsus incommodis obnoxia, quæ contingere possunt ex absentia, morte, memoriæ lapsu, seu etiam ex corrupta fide aliquorum e testibus prædictis, nihilominus invalescit ac frequentatur in tota passim Jurisdictione Parlamentorum Tolosani, atque Grationopolitani. Testamentum solemne, cui nominis etiam appellatio tribuitur mystici, seu secreti, & occlusi atque obsignati; Lege quadam Imperatorum inductum fuit Theodosii nimirum & Valentiniani (d), debetque confici coram eodem numero Testium, qui debent omnes eidem proprium suum chirographum subscribere, & sigillum suum apponere involucro prædictæ speciei Testamenti, quod scribatur, & cui subscribatur a Testatore; quo quidem nesciente literas exarare, illud scribi, eidemque subscribi oportet ab octavo Teste, qui in eo casu potest prorsus illius vice chirographum suum adscribere: atque sic necessario servanda prædicta, ut, quibusdam e prædictis formulis deficientibus, nullum omnino sit Testamentum. Quod secundum Testamenti genus usu recipitur apud plurimos supremos senatus, sed ratione penitus diversa. In Parlamentis namque Tolosano & Aquiseutano, qui litteras ignorant non habent factionem Testamenti, quod fiat Testem aliquem octavum accersendo: Quæ tamen facultas eisdem conceditur in jurisdictione Parlamenti Burdigalensis; cum e contrario in Regionibus ad normam scripti juris regi consuetis, quæ subjectæ sunt jurisdictioni supremi Parisiensis Senatus, necesse sit, ejusmodi conficiendo Testamento præter septem Testes unius Notarii ministerium adhiberi.

Tandem Testamentum olographum, quod est illud, quod quis sola sua facit auctoritate privata, & absque eo quod ullatenus necesse fit, prædictas eidem accedere formulas, usu recipitur in omnibus Regionibus, quæ jure moribus inducto reguntur, atque etiam in iis locis, in quibus obtinet jus scriptum, & quæ obnoxia sunt jurisdictioni supremi Senatus Parisiensis (e), modo tria potissimum in eodem scribendo serventur. Primum est: quod scriptum non præ se ferat rationem simplicis memorialis libelli aut nudi tantummodo consilii; sed eam habeat formam, quæ Testamento congruat. Secundum est, quod integrum exaratum fuerit, eique sit subscriptum propria manu Testatoris. Tertium est: ut caveatur, ne super illius auctoritate oriatur aliquando controversia quædam, quod eidem dies adscribatur, & locus ibidem exprimatur, in quo confectum fuerit a Testatore. Postremam istam Testamenti speciem Edictum anno 1629. (f) promulgatum auctoritate sua roboraverat, non imposita Lege formularum, quæ in aliis scribendis Testamentis requiruntur servandarum; atque illud Edictum fuerat in plerisque Parlamentis Galliarum præscriptum. Nihilominus illius nullam habent rationem Parlamenta, quæ juxta formam scripti Juris judicant, nec admittunt olographa Testamenta tanquam legitima, nisi duobus in casibus. Quorum: prior est: quando scribuntur a patre & matre, ad suas hæreditarias res, quas relinquunt, inter filios ac liberos suos dividendas. Posterior vero, cum agitur de legatis piis Ecclesiæ, vel Pauperibus Testamento relictis.

Atque juvat occasione præsentis hujusce materiæ subjicere pauca de Testamento mutuo, quod locum habere potest inter conjuges, & frequentatur passim in toto Galliarum Imperio, licet ratione quantum ad illius executionem prorsus diversa. Quando semel prædictum Testamentum confectum est, atque eidem fuit subscriptum: 1. Jam non licet, illud idem rescindi ab alterutro conjugum, non consentiente altero, nisi caveatur, ad formam juris alteri denuntiari instrumentum illius improbationis: 2. Cum alteruter decessit, qui superstes relinquitur, illud idem non valet improbare nec revocare, nisi in eo casu, quod res in eodem statu adhuc integræ remaneant, in quo tunc temporis extabant, quo Testamentum confectum est; sed ista Lex ex officio pietatis ac Religionis inducitur nihilominus, ut illud exequatur quantum ad ea, quæ pertinent ad exequias primi decedentis & funerarias impensas, etiamsi nihil novæ mutationis accessisset. At non invalescit idem usus in Parlamento Tolosano, Vesuntino, Gratianopolitano, & Burdigalensi, in quibus obtinet illa consuetudo, ut alteruter possit ad nutum Testamentum nude ac simpliciter revocare, nulla ei imposita necessitate agendi, ut alteri ipsius improbatio denuntietur.

Hoc

(a) D. Bretonnier v. *Testamentum.* pag. 432.

(b) Leg. *Qui ætate.* 5. ff. qui Testamenta facere possunt, &c. l. 28. tit. 1.

(c) Leg. *Hac consultissima.* 8. cod. qui Testament. facere possunt, &c. lib. 6. tit 22.

(d) Leg. *Hac consultissima.* 21 cod. de Testamentis, &c. l. 6. tit. 23.

(e) Henryc. tom 2. l. 5. q. 2.

(f) Art. 126.

Hoc unum discrimen occurrit, quod juxta Jurisprudentiam, quæ servatur in supremo Senatu Burdigalensi, qui Testamentum illud rescindit post obitum alterius, eo ipso fit spoliatus omnibus commodis atque emolumentis, quæ ei accesserant ex Testamento illius, qui prior decessit, in pœnam suæ levitatis.

3. Denique nec alienum erit a proposito nostro hic loci subjungere, apud jus Romanum haberi quoque sermonem de Testamentis, quæ fiunt tempore grassantis ac sævientis pestis, de quibus nullam fecimus mentionem in præmissa hujusce tituli præfatione. Ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano permittitur, ut, durante illo luctuoso tempore calamitatis, pleræque resecentur, quæ servandæ sunt in aliis temporibus, solemnitates, sed ea de re nihil determinant nisi verbis prorsus generalioribus, nec quidquam habent, quod in eam rem ex professo attingat. *Adversus timorem contagionis, quæ Testes deterret, licet aliquid de jure laxatum est*, ait Lex (a), *non tamen prorsus reliqua Testamentorum solemnitas perempta est*. Inde Jurisprudentia supremorum Galliæ Senatuum diversa prorsus effecta est. Parlamentum etenim Burdigalense statuit omnem omnino immunitatem in ejusmodi tempore solemnitatum omnium, quæ jure Romano præscribuntur, servandarum. Nequidem exigit, a Testibus videri Testatorem, nec ipsius Testamento subscribi; satisque est, ibidem adesse duos Testes sive mares, sive fœminas, absque eo quod necessarium sit, nequidem ab ipso Testatore nec a Testibus subscribi Testamentum. Parlamentum Gratianopolitanum, a quo nihil quidquam aliud exigitur, nihilominus præscribit, ut, si Testator a contagioso morbo recreetur, novum aliud Testamentum intra annum conficiat, in quo solemnitates aliunde servandæ serventur. Verum e contrario, nullam ex requisitis solemnitatibus omitti, permittit Supremus Senatus Parisiensis. Plurima adhuc occurrunt observanda circa materiam Testamentorum, qualia sunt clausula Codicillaris; juxta quam quinque Testes sufficiunt ad validitatem Testamenti, in quo exprimitur, clausula derogans, hæredis institutio, portio legitima hæreditatis, & falcidia. Sed remittimus Lectorem ad tractatum, ex quo depromsimus, quas præmisimus, observationes, quæ videntur nobis sufficere ad eorum intelligentiam, quæ dicenda supersunt circa difficultates omnes, quas sumus expedituri.

(a) L. *Casus* 8. cod. de Testament. &c.

Quibus positis, dissolvendam jam aggredimur difficultatem, quæ proponitur occasione Testamenti confecti ab Harduino, & asserimus, illud habendum esse loco certissimi principii, scilicet nullum esse omnino quodcumque Testamentum, si ab eo fuerit scriptum, qui non habebat illius factionem. *Si quæramus, an valeat Testamentum*, ait Lex (b), *in primis animadvertere debemus, an is, qui fecerit Testamentum, habuerit Testamenti factionem*. Jamvero quisquis annum pubertatis nondum attigit, omnino inhabilis est ad faciendum Testamentum: Ergo Testamentum Harduini nullum est ex defectu pubertatis; siquidem annos non sit natus nisi tredecim cum sex mensibus, nec annus pubertatis attingatur, nisi cum annus ætatis decimus quartus expletus est, quantum ad mares; & duodecimus etiam excursus, quantum ad fœminas. En qua ratione legitur ea de re in Jure Romano (c): *Qua ætate Testamentum vel masculi, vel fœminæ facere possunt, videamus. Verius est in masculis quidem quartum decimum spectandum; in fœminis vero duodecimum completum*. Ratio est, quam affert Imperator Justinianus, quia impuberes non habent judicium satis firmum, nec satis solidum, ut possint conficere instrumentum tanti momenti (d). *Testamentum facere non possunt impuberes*, inquit, *quia nullum eorum animi judicium est*.

(b) L. *Si quæramus* 4. ff. qui Testamenta facere possunt &c. l. 28. t. 1.

(c) L. *Qua ætate*, 5. ff. cod. tit.

(d) L. §. *Præterea*. 1. Instit. quibus non est permissum facere Testam. lib. 2. tit. 12.

Ceterum operæ pretium est observare, in ejusmodi materia servandum esse ad strictos apices litteræ, quod de eadem præscribitur jure moribus inducto in Provinciis, in quibus conficitur Testamentum, in quarum pleraque parte consuetudines non permittunt masculis, ut testentur, nisi cum annum ætatis vigesimum expleverunt, & fœminis, quando annum ætatis decimum octavum excurrerunt, quantum ad bona, quæ non sunt patria; ac volunt, ut tam mares quam fœminæ non possint disponere de suis bonis patriis, nisi post annum ætatis vigesimum quintum expletum.

Consuetudo Parisiensis (e), cui consentiunt consuetudines Aurelianensis, & Caletensis, ita fert: „ Ad testandum quantum ad res moventes, bona „ parta & acquisita non moventia, necesse est an„ num expletum esse vigesimum. Et ad testandum „ quantum ad quintam partem bonorum patrio„ rum, oportet annum excursum esse ætatis vige„ simum quintum. Tamen (f) si Testator non ha„ beat nec bona moventia, nec bona parta nec „ acquisita non moventia; potest in eo casu Te„ stamento disponere de quinta portione bonorum „ suorum patriorum postquam attigerit annum „ ætatis vigesimum completum.

(e) Consuet. Paris. art. 295.

(f) Ibid. art. 294.

Pleræque aliæ consuetudines Regni Gallici in eo concordant cum Parisiensi consuetudine: exceptis quibusdam, quibus ætas Testatoris determinatur ad annum decimum octavum; & quibusdam aliis, quales Arverna, Valesiensis & Calvomontensis; quæ nihil de illa ætate definiunt: quo quidem in casu standum est dispositioni Juris Romani, ita sentientibus Tournet & Troncon ad prædictum articulum, & Ricardo in suo tractatu de Donationibus (g). Nihilominus exigit e contrario Carondas, ut in eo casu stetur consuetudini Parisiensi, siquidem ista civitas sit Imperii Galliarum urbs princeps. D. de Ferriere refert octo Arresta, quæ lata fuerunt juxta sententiam Tournet, in Commentario, quem dictus de Ferriere scripsit in Parisiensem consuetudinem: Primum pronunciatum est 7. Januarii anni 1581. Secundum, 10. Aprilis 1600. Tertium, anno 1601. Quartum, 28. Februarii 1615. Quintum, 24. Maji 1632. Sextum, 11. Januarii 1641. Septimum, 19. Junii 1670. Et octavum, 9. Septembris 1673. Extant tamen plurima alia Arresta, quibus constitutum fuit, ut Parisiensis consuetudo sola obtineret in Regionibus juri moribus inducto subjectis, in quibus ætas Testatorum non determinatur: ac potissimum unum latum 5. Julii 1636. unum aliud 23. Augusti 1652. unum aliud 3. Septembris 1671. & aliud 5. Aprilis 1672.

(g) Ricardus tract. de Donat. p. 1. n. 183.

CASUS II.

DIOMEDES adhuc impubes fecit suum Testamentum, quo legat 1000. libras Lucæ suo amico. Post annos quatuor aut quinque ab illinc decedit annum ætatis pubertatis consecutus, nec confecto iterum suo Testamento. Lucas petit suum legatum ab hærede Diomedis, qui præstationem illius denegat sub eo prætextu, quod Testamentum sit nullum, propterea quod Testator non haberet factionem Testamenti tunc temporis cum illud scripsit, nimirum propter defectum ætatis, quæ requiritur Legibus. Lucas autem ex altera parte contendit, siquidem Diomedes per plurimos annos vixerit, postquam pervenit ad annum pubertatis, nec suum improbaverit Testamentum, illud ab eo censendum esse tacite comprobatum atque ratum effectum. Numquid non Lucæ jus favet?

RESPONS.

Lucas nullo juris fundamento nititur in petitione sui legati, quam urget; nec inducitur obligatio hæredi Diomedis illius eidem præstandi. Ratio est, quod legatum istud ab origine sua vitiosum sit atque nullum. Neque etenim ullum usquam esse potest legatum legitimum, nisi valeat Testamentum, quo legatum relinquitur. Atqui Testamentum ab impubere factum nulla prorsus valet auctoritate; ut monuimus in præcedenti decisione; adeoque donationes quæcumque causa mortis ibidem enunciatæ, nullum omnino consequi possunt effectum.

Nec quidquam Lucam juvat, quod opponat Diomedem non decessisse, nisi plurimos annos, postquam attigit ætatem pubertatis; & cum nullum aliud novum Testamentum de integro fecerit, eum censeri illud approbavisse tacite ac ratum effecisse, quod ante pubertatis ætatem confecerat. Manet etenim certissimum, Testamentum illud esse nullum, nec posse

posse fieri validum ex illa ratione, quam Lucas allegat, ut aperte colligitur ex Lege, quæ ait (*a*): *Si filiusfamilias aut pupillus ∴. tabulas Testamenti fecerit, signaverit; secundum eas bonorum possessio dari non potest; licet filiusfamilias sui juris, aut pupillus pubes ∴. factus decesserit: quia nullæ sunt tabulæ Testamenti, quas is fecit, qui Testamenti faciendi facultatem non habuerit.*

(*a*) Leg. *Si filius familias.* 19. ff. qui Testam. facere possunt, &c.

Atque revera quidem defectus ætatis, propter quem prædictum Testamentum ab origine sua nullum fuit, non potest corrigi ex solo tempore subsequente, secundum istam regulam juris (*b*): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Et istam aliam (*c*): *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Quas quidem regulas Bonifacius VIII. deprompsit ex Regula Juris Romani quæ sic fert (*d*): *Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Adeo ut legatum Testamento relictum a Testatore in favorem cujusdam amici, sit prorsus nullum, quando Testamentum, quo legatum illud relictum fuit, ab initio non valuit; quanquam Testator postmodum consecutus fuerit testandi facultatem: defectus etenim facultatis, propter quem inhabilis erat ad testandum, quo tempore Testamentum conficit, non deletur ex facultate, quam postmodum adipiscitur, quæque tempori, quod præcessit, nullam prorsus affert mutationem; ut patet ex alia Lege Digesti (*e*). Cæterum quod hic loci habemus de impubere, ad quemvis alium extendendum est, qui nondum pervenit ad ætatem, quam vel jus scriptum, vel jus moribus constitutum determinat, ut quis valeat testari valide.

(*b*) Bonif. VIII. in reg. 64. de regulis juris in 6.
(*c*) Idem ib. reg. 18.
(*d*) L. *Quod initio* 29. ff. de diversis regulis juris antiqui. l. 50. t. 17.
(*e*) Leg. *Catoniana.* 1. ff. de reg. Catoniana. Lib. 34. tit. 7.

CASUS III.

LEANDER filiusfamilias annos natus viginti, sed etiamnum patriæ subjectus potestati fecit Testamentum, quo duo millia librarum Ferdinando & Gastoni relinquit: prædictum ne Testamentum valet saltem in foro conscientiæ?

RESPONS.

Testamentum Leandri nullatenus valet nequidem in foro interiori: Qui etenim adhuc patriæ potestati subjiciuntur, filiifamilias nulla gaudent faciendi Testamenti facultate, etiam, præscribente ita Jure Romano, accedente sui Patris tum licentia, tum consensu; quemadmodum declaratur ab Imperatore Justiniano (*f*): *Hi, qui alieno juri subjecti sunt*, inquit, *Testamenti faciendi jus non habent, adeo quidem ut, quamvis parentes eis permiserint, nihilomagis jure testari possunt.*

(*f*) L. 1. Institut. tit. 12. quibus non est permissum facere Test. init.

Casum nihilominus excipit prædictus Imperator, in quo ejusmodi filii familias sibi paravissent aliquod peculium vel castra sequendo, vel occasione militiæ, *peculium castrense*, vel in foro, nimirum officium exercendo Judicis, Advocati, Procuratoris, & quodcumque aliud ejusmodi munus, quod Jurisconsulti consueverunt appellare, *peculium quasi Castrense*; nam facultatem habent Testamento disponendi de prædictis bonorum duobus generibus, etiam non consentiente suo Patre. In eoque prædictæ Constitutioni favet Doctrina Bonifacii VIII. (*g*) *Filius familias pro anima tamen sua præter ipsius* (Patris) *assensum, nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat, aliquid judicare non potest*: hoc est, secundum interpretationem Gloss. ad verb. *judicare, aliquid in ultima voluntate relinquere: judicium enim hic sumitur pro ultima voluntate.* Qua de re notandum est, isthæc verba Bonif. VIII. *præter ipsius assensum*, significare in foro saltem interiori Testament. confectum a filio familias, consentiente suo Patre, valere quantum ad ea quæ pertinent ad pia legata, ut innuunt isthæc alia verba, *pro anima tamen sua.*

(*g*) Bonif. VIII. in cap. *Licet.* 4. de sepulturis. in 6. l. 3. t. 12.

CASUS IV.

ARSENIUS, qui factus est *sui juris*, ingressus Monasterium quoddam Carthusianorum positurus ibidem disciplinæ Religiosæ tirocinium; ibidemque admissus ad solemnem emittendam Professionem; post annum suæ probationis expletum, pridie quam profiteretur, testatus est in favorem quorundam e suis consanguineis, & amicis familiaribus. Valet ne istud Testamentum?

RESPONS.

Nullatenus ambigendum est, quin valeat Arsenii Testamentum: neque etenim Religiosi constituuntur inhabiles ad testandum, nisi postquam fuere solemniter professi: ideoque, quoniam, ut ait Concilium Tridentinum (*h*), *Habitus non facit Monachum*: quanquam religiosum habitum induant, currente tempore suæ probationis, iis tamen relinquitur libera facultas disponendi de suis bonis sive ex donatione inter vivos, sive ex Testamento: Ratio est, quia non censetur quis mortuus mundo, nisi ex valide emissa Religiosa Professione.

(*h*) Concil. Trid. sess. 14. c. 6. de reform.

Verum equidem est, ab Imperatore Justiniano fuisse constitutum (*i*), bona eorum, qui Religionem ingrediebantur, fieri Dominii ipsius Monasterii, in quo recipiebantur, neque illis amplius liberam permitti copiam de iisdem disponendi, illo tantum jure gaudentibus eorum filiis propriis, ut valerent de iisdem portionem suam tantummodo legitimam accipere: at sic se res non habet juxta receptum apud nostram Gallicam gentem usum; in Gallia etenim est hoc in usu positum, ut bona illius, qui Religiosum aliquod institutum amplectitur, propria non tantum fiant illius Monasterii, quod ingreditur, sed nequidem ille possit de iisdem Testamento disponere in favorem illius domus Religiosæ, cum illa ei tantummodo fiat facultas, ut de iisdem disponere valeat in favorem suorum consanguineorum, aut aliarum personarum, antequam solemnem emittat votorum suorum nuncupationem, qua quidem semel emissa, ipsius Testamentum statim suum effectum consequitur. Quod evidenter habetur ex dispositione Blesensis Edicti, quod datum est mense Maji anni 1579. ab Henrico III. qui jubet (*k*), ut juxta Tridentini Concilii Decretum (*l*), solemnis Religiosorum ac Monialium Professio non possit nisi post annum decimum sextum expletum emitti, & ei, qui ante tempus prædictum profiterentur, etiam possint intra tres primos menses professionem eorum subsequentes testari. *Professio tam Religiosorum, quam Monialium, ait laudatus Princeps, non emittetur ante decimum sextum annum ætatis expletum, poteruntque, qui prædictum ætatis annum nondum consecuti professi fuerint, disponere de bonis suis, ac successionibus jam obventis, aut aliquando obveniendis tum in directo limite, tum in transverso cognationis gradu, in gratiam illius e suis consanguineis, vel alterius cujusvis, prout ipsi libuerit: non tamen in favorem ullius Monasterii nec directe nec indirecte* (*m*); atque ita post tres menses ab eo temporis puncto, quo pervenerint ad prædictum ætatis annum decimum sextum.

(*i*) Ipse quidem sciat.... res.... quascumque habuerit, dum in Monasterium intrabat, eas Dominii esse Monasterii. *Nov.* 5. c. 5.
(*k*) Edict. Blesens. a. 28.
(*l*) Concil. Trident. sess. 25. de Regular. & monialib. c. 15.
(*m*) Item. Edict. Aurelian. art. 19.

CASUS V.

FRECULFUS Sacerdos, cujus non alia sunt bona, quam quæ fuit consecutus ex Beneficiis, quibus ab annis viginti atque amplius gavisus est, petit, num sibi per rectam conscientiam liceat, quidquid possidet bonorum, vel suis consanguineis vel suis amicis Testamento legare.

RESPONS.

Jam alibi monuimus, sermonem facientes de donatione, quæ potest confici quantum ad Ecclesiastica bona, a quocumque, qui tutius consulere amat propriæ suæ conscientiæ, non posse de prædictis bonis disponi, nisi in gratiam ipsius Ecclesiæ vel Pauperum: quoniam Testatores Beneficiarii nulla ratione sese debent habere tanquam Beneficiorum suorum proprietarios, sed tantum ut eorumdem administratores atque dispensatores, quemadmodum certissimis jam argumentis demonstravimus ex autoritate plurimorum Conciliorum, Canonum, ac Decretalium atque textuum depromptorum ex Patribus Ecclesiasticis, ceterisque sacris scriptoribus: *Ecclesiasticorum bonorum sunt Episcopi dispensatores vel procuratores*, ait S. Thom. specialiorem habens de Episcopis sermonem, (*n*) quam propositionem confirmat laudatus S. Doctor testimonio S. Augustini verbis istis: *Dicit enim Augustinus ad Bonifacium*: Si privatum possidemus, quod nobis sufficiat, non sunt illa bona nostra, sed illorum, quorum procura-

(*n*) S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7. in corp.

curationem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.

Atque nihil in eo novitatis S. Thomas asseruit; ipsiusque Doctrina plane concordat cum antiquis ac perpetuis Institutis Ecclesiæ: En namque qua ratione habet quidam Canon (*a*) excerptus de numero eorum, qui dicuntur Apostolici ac relatus a Gratiano: *sint manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habet proprias, & manifestæ dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere, nec sub occasione Ecclesiasticarum rerum, ea, quæ Episcopi esse probantur, intercidant: & justum est apud Deum pariter & homines, ut nec Ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum Pontificis; nec Episcopus, vel ejus propinqui sub obtentu Ecclesiæ proscribantur; & in causas incidant qui ad eum pertinent, morsque ejus injuriis malæ famæ subjiciatur.*

(*a*) Can. *sint manifestæ*, 21. 12. q. 1.

Cui Constituto adeo sapienti Concilium Antiochenum celebratum anno 341. (*b*) totum consentit; en verba sunt ipsissima laudati Concilii: *Manifestæ vero sint, quæ pertinere videntur ad Ecclesiam cum notitia Presbyterorum & Diaconorum: ut, si contigerit, Episcopum migrare de sæculo certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant; nec, quæ propriæ probantur Episcopi, sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ: justum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, ut sua Episcopus, quibus voluerit, derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ.*

(*b*) Concil. Antioch. 11. can. 24.

Atque juxta Decretum tam justum, eoque fine ut nullus tergiversandi locus relinqueretur, ac penitus occurreretur omnibus, quæ possent ea de re moveri, controversiis Ecclesiam inter & Ecclesiasticorum consanguineos, Concilium Tertium Carthaginense habitum anno 397. (*c*) sic sancivit atque declaravit: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus, vel Clericatus sui agros, vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti, Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprii aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod ipsorum proposito congruit.*

(*c*) Concil. Carthag. III. can. 49. in can. *Placuit*. 1. 12. q. 1.

Quam eandem sententiam S. Hieronymus (*d*) aperte profitetur, cum sic habet: *Jugillat non solum illius temporis sacerdotes & principes, sed nostri quoque, qui ditiores fiunt sacerdotes dignitate, & præter quæ sibi Domini dispensatione debetur, tolluntur a pauperibus per violentiam, vel sub honoris nomine divites spoliant, ut ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas nihil debeant derelinquere, nisi quod sibi a parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est sacerdos, quam venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus & sanctis fratribus & domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum; ut reddat ea, quæ Domini sunt, Domino suo.*

(*d*) S. Hieron. l. 14. in Ezech. ad cap. 46.

Proponitur nobis hujusce principii tanti ponderis famosum exemplar in Epistola quadam S. Gregorii magni scribentis ad filium cujusdam Episcopi (*e*), qui contendebat, id sibi vindicari juris, ut sine ulla distinctione posset in dominium venire bonorum omnium, quæ fuerant a moriente suo Patre derelicta: præcipit namque ei S. Papa, ut sine mora egrediatur ex Episcopalibus ædibus, simulque prohibet, ne quidquam inde auferat rerum nec mobilium, nec immobilium; quas præfatus Episcopus ex bonis Ecclesiasticis sibi paraverat. En quibus loquitur verbis: *Quod & Episcopium ipsius Ecclesiæ hactenus detineas, & occasione blandiaris, ut Episcopi patris tui vestes tibi vel alia, quæ in Episcopio inventa sunt, applices; & ideo, si ita est, & ab Episcopio te præcipimus sine mora recedere, & quidquid prædictus Pater tuus Episcopatus sui tempore de proprio Ecclesiæ constiterit conquisisse, ne tollas: quia & sacris Canonum legibus esse noscitur definitum, ut in his, quæ antistes Episcopatus tempore acquisiverit, non alius, nisi sola succedat Ecclesia.*

(*e*) S. Greg. lib. 9. Ep. 14.

Quibus omnibus consentiunt omnino Concilium Agathense relatum a Gratiano, (*f*) Concilium sextum Parisiense congregatum anno 829. (*g*), & Concilium œcumenicum Lateranense tertium habitum anno 1179. (*h*) & Paschalis II. scribens ad Episcopum Augustodunensem, (*i*) sic autem eadem de re declarat Alexander III. in (k) Decretali quadam, quæ refertur in Corpore Juris: *Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt; viventes tamen & sui compotes moderate valent aliqua de bonis ipsis: non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in ægritudine constituti.* Quod idem etiam repetit laudatus Papa (*l*) in alia Decretali quam inscribit Episcopo Bilegliense in Apulia.

(*f*) Concil. Agath. c. 48. in can. *Episcopi* 19. 12. q. 1.
(*g*) Conc. Paris. 6. c. 6.
(*h*) Conc. Lateran. III. sub Alexand. III. can. 15. in c. *Cum in Officiis* 7. de Testament. &c.
(*i*) Paschalis II. Ep. 38.
(k) Alex. III. in c. *Ad hæc* 8. de Testament. &c.
(*l*) Idem in c. *Quia nos* 9. eod. tit.

Quibus omnibus Testimoniis addi potest synodus Coloniensis acta anno circiter 1300. a Vvichboldo Archiepiscopo Civitatis ejusdem nominis (*m*), quæ est quam maxime consentiens Decretali Alexandri III. En verba sunt quinti illius statuti. *Clerici bona, maxime immobilia, & quæ per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum Testamenti, sive alias non transferant ad nepotes suos, aut ad alios suos consanguineos; sed relinquant ea Ecclesiæ, a qua sunt profecta, sed intuitu eleemosynæ pauperibus Religiosis & piis locis, & illis, qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, juxta servitii meritum de mobilibus dare possunt. De aliis vero bonis, quæ ex hæreditate, artificio, vel doctrina, vel alias non ex bonis Ecclesiasticis ad Clericos pervenerint, Clerici possunt disponere pro suo arbitrio.* Atque quotquot futuri sunt sibi non parentes, Ecclesiasticos prædictum idem statutum declarat excommunicationis pœnæ subjacere: *Excommunicamus & Excommunicatos denuntiamus omnes Clericos, qui bona mobilia Ecclesiarum, filiis suis, nepotibus vel consanguineis, seu aliis conferunt, vel in ipsos transferunt.*

(*m*) Synodus Coloniens. sub. Vvichboldo. statuto 5. Apud Labbe tom. 11. Concil. p. 1441. col. 2.

Denique vel ipsæ leges etiam Romanæ legibus Ecclesiasticis in eo consentaneæ sunt. Eademque ratione prohibent Ecclesiasticis, ne Testamento disponant de bonis Ecclesiæ; ut colligitur ex Constitutione quadam Imperatoris Justiniani: ac constituunt, eadem bona non possideri ab ipsis, nisi quatenus Depositariis, administratoribus, vel dispensatoribus; adeoque eorumdem proprietatem transferri ab iis neqaquam posse in quamcumque personam, siquidem ipsa proprietate nequidem ipsi non gaudent, juxta regulam istam juris. (*n*) *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* En ipsissima verba Justiniani referimus: (*o*) *De his vero Episcopis, qui nunc sunt, vel futuri sunt, sancimus, nullo modo habere eos facultatem testandi, vel donandi, vel per aliam quamcumque excogitationem alienandi quid de rebus suis, quas, postquam facti fuerint Episcopi, possederint & acquisierint vel ex testamento, vel donationibus, vel ex alia quacumque causa, exceptis duntaxat his, quæ ante Episcopatum a parentibus & theiis, hoc est patruis vel avunculis, & a fratribus ad ipsos pervenerunt, perventuræque sunt. Quæcunque enim post ordinationem ex quacumque causa, extra præfatas personas, ad ipsos pervenerunt, ea jubemus ad sanctissimam Ecclesiam, cujus Episcopatum tenuerint, pertinere, & ab ea vindicari & evinci nulla alia persona potestatem habente ex eo proprium aliquid auferre lucrum.*

(*n*) Reg. 79. de reg. juris in 6.
(*o*) Leg. Omnem 41. cod. de Episc. & clericis §. 2.

Fatemur nihilominus, eam jurisprudentiam in Gallia passim jampridem obtinere, ut possint Ecclesiastici de suis omnibus bonis, nulla facta distinctione, testamento disponere; & ipsorum hæredes iis decedentibus intestatis in eadem succedere. Attamen Stephanus Poncher, Parisiensis Episcopus in sua Synodo anni 1503. nulla veteris

istius

illius consuetudinis habita ratione, sic statuit; *Prohibemus Clericis, eorum rebus male uti, & bonis eorum Ecclesiasticis testari, & legare aliis locis & personis, quam eorum Ecclesiis, si voluerint sacrilegium & ultionem evitare divinam, sicuti sacris functiones prohibuerunt.*

Nec minus acriter perstringit Cabassutius (a) eamdem consuetudinem, cum de ea verba facit; siquidem illam tanquam perniciosam, atque Beneficiariorum æternæ saluti prorsus adversantem condemnet. *Sed non obstat perversa illa consuetudo*, inquit, *quominus, qui de proventibus Ecclesiasticis in res profanas disponunt, sive inter vivos, sive per ultimas voluntates, peccent mortaliter, & æternæ damnationis se obstringant. Valide quidem hoc fieri videmus, ut per ultimam voluntatem Clerici de fructibus acquisitis Beneficiorum disponant extra pias caussas; atque in his etiam succedant intestatis Clericis sanguine propinquiores. Licite tamen; ac citra dispendium salutis æternæ ita disponere de hujusmodi fructibus Clerici non possunt, nisi de solis illis, quos parcius vivendo, sibi asservarunt, cum potuissent absque peccato propriis usibus statui suo convenientibus, eosdem impendere.* Quæ etiam exceptio a prædicto auctore heic loci apposita, suos habet, & primi quidem ordinis, adversarios.

(a) Joan. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 3. n. 4. & 6.

Bernardus van-Espen (b), postquam abundantiori stilo materiam istam excussit, atque attentissimo animo penitus inspexit, tandem concludit istis verbis: *Sicuti ergo electio ad Beneficium Ecclesiasticum minus digni, omisso digniore, non reprobatur, quantum ad forum contentiosum; quamvis eligens in foro conscientiæ incurrat peccatum acceptationis personarum, & violationis justitiæ distributivæ sit reus ... Ita testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in usus profanos, aut favorem consanguineorum non indigentium, non reprobantur, sive non declarantur invalida in foro contentioso propter odia litium; sed non eximunt ipsos disponentes ab injustitia, dum proventus Ecclesiasticos simili modo dispensant contra intentionem offerentium, & naturam ipsorum bonorum.*

(b) Zegerus Bern. van. Esp. jus Eccles. univers. P. 2. tit. 32. c. 7. n. 32. & seqq.

Ceterum, quæ Cabassutius habet eo loci, & interdictum quod ea de re fert Synodus Parisiensis, in eo sunt intelligenda sensu, quem innuit Alexander III. (c), qui ait: *Licet autem mobilia per Ecclesiam acquisita, de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint; consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his pauperibus & religiosis locis, & illis qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua, juxta servitii meritum, conferantur.* Neque enim habet prædicta consuetudo quidquam, quod ab Ecclesiasticis alienum sit institutis. Quod idem quoque constituunt Synodus Nemausensis habita anno 1284. & Synodus Coloniensis anno 1300. celebrata. (d)

(c) Alex. III. in c. Relatum 12. de testam. &c. l. 3. tit. 26.

Post tantam testimoniorum indubitatæ adeo fidei, ac supra omnem omnino controversiam positorum nubem, censemus, Freculfum de quo quæstio proponitur, posse quidem testamento disponere de bonis Ecclesiasticis quæ consecutus est, in gratiam suorum vel amicorum vel consanguineorum, si egeant, modo eis non relinquat, unde divitiis abundent; sed tantummodo tantum, quantum iis absolute necessarium sit, ut vitam suam possint sustentare: at, si nullatenus egeant, futurum jam, ut de iisdem disponeret, ratione, quæ foret ab institutis Ecclesiasticis omnino aliena.

(d) Synod. Nemaus. an. 1284. tit. de test. & Synod. Colon. ann. 1300. cap. 5.

Fatendum tamen est, absque nequidem vel minimo peccandi periculo tam Episcopos, quam quoscumque alios Beneficiarios posse de portione bonorum Ecclesiasticorum disponere testamento in favorem eorum, qui operam suam illis contulerunt, sive fuerint ipsorum domestici, sive alii quique, vel pro solvenda iisdem debita mercede, vel ut inde, si sint pauperes in necessitate constituti, ab illa rerum omnium inopia liberentur quemadmodum definitum fuit a Concilio (e) Toletano quarto, quod actum est ann. 633. verbis istis: *Quicumque Episcopi suffragio* * *cujuslibet aliquid Ecclesiasticæ utilitatis providerint* (alicui) *& pro eo quodcumque commodum in remunerationem promiserint; promissi solutionem eos exsolvere oportebit ... quia, sicut Paullus ait:* (f) Dignus operarius mercede sua. Atque ita docet Fagnanus (g) post Covarruviam Seguviensem Episcopum (h), & Navarrus ab isto citatus.

(e) Concil. Tolet. IV. c. 36. in can. Quicumque 68. 12. q. 2.

* Id est, qua suffragium præstitit, Ecclesiæ, consilio, vel auxilio Gloss. in can. *suffragio*.

(f) 1. ad Timoth. 5.

(g) Prosp. Fagnan. in c. *Si quis*. 3. de peculio Cleric. n. 22.

(h) Didacus Covarr. a Leyva in c. *Officii* 14. de testam. &c. n. 10. & apud eum Navarrus.

Tandem addendum etiam est licere prorsus Ecclesiastico non Beneficiario, qui bonum quod possidet, adeptus est ex præstita sua opera Ecclesiæ, quacumque ratione eamdem præstiterit, de eodem absque conscientiæ suæ dispendio testamento disponere; cum constet, eos qui illud ei contulerunt, nihil aliud intendisse, quam ut ejusdem proprietarius evaderet; præterquam quod genus istud boni non sit considerandum nisi ut fructus ac præmium ipsius laborum. Ita censent Fagnanus, (i) Major, & Navarrus. Atque ea de caussa laudatus Cabassutius (k) etiam excipit bona, quæ proveniunt ex distributionibus quotidianis seu manualibus; quæ quidem opinatur; posse testamento legari, non dissimili ratione, qua ipsa bona quæ ex hereditate patria proveniunt, juxta sententiam plurimorum magni nominis Canonistarum, quos appellat (l). *Distributiones autem*, inquit, *cum persolvantur quasi merces, & stipendium quotidianæ operæ ac laboris*, cap. *de cetero*. De Clericis non residentibus. Et cap. *Licet*. De Præbendis, *nec in fructibus computari debent, nec habent obligationem annexam, ut ad opera pia prorsus applicentur, non magis quam bona patrimonialia, aut ex caussis profanis quæsita, communiter tradunt Doctores.*

(i) Prosp. Fagn. in c. *Si quis sane*. 5. de test. 23. & apud eum Joan. Major. in 4. dist. 24.

(k) Idem Cabassutius cit. c. 24. n. 6.

(l) Philipp. Decius cons. 280. col. 1. Petr. Anchæranus in Clem. *unde concessio*. Præbenda, &c. q. 5. Rota dec. 231 in novis. Petrus Rebuff. tr. de nominat. q. 9. n. 35. & seqq. S. Anton. summ. Theolo. p. 3. c. 1. §. fin. Sylv. de Prierio. v. Clericus q. 4. & Velit.

CASUS VI.

Firminus, cui judicis auctoritate fuerat interdictum bonorum administratione, propterea quod foret prodigus, cum decessit, repertum est inter illius tabulas atque instrumenta testamentum quoddam, quo plurima legata suis amicis relinquebat: num valet illud testamentum?

Responsio.

Constat, nullum omnino esse Firmini testamentum, si fecerit illud ab eo tempore, ex quo fuit ei administratione bonorum interdictum. *Is, cui Lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest; & si fecerit, ipso jure non valet*, inquit lex quædam de Digesto (m). Verum Jure Romano comprobantur testamenta, quæ fuerant a prodigis prius facta, quam eis fuisset interdictum bonorum administratione, ut colligitur ex prædicta eadem lege, quæ sic subjungit: *Quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit.* Quod ab Imperatore Justiniano confirmatum est (n) istis verbis: *Testamentum ... quod ante fecerit* (prodigus) *quam interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est.* Quin etiam Imperator Leo testamenta prodigorum auctoritate sua rata fecerat, quæ facta fuerant post eorum interdictionem, cum rationi congruebant eorum testamentariæ dispositiones.

(m) Leg. *Is cui* 18. ff Qui test. facere possunt &c. item §. 2. Instit. Quibus non est permissum facere testam.

(n) Instit. l. 2. tit. 23. Item prodigus 2.

Quæ apud Gallos invalescit Jurisprudentia, Constitutioni postremi istius Imperatoris penitus adversatur: quantumcumque enim justæ videantur testamentariæ dispositiones, quas jusserunt prodigi post suam interdictionem, semper censentur nullius esse roboris, nec auctoritatis. Atque etiam contendunt quidam Jurisconsulti (o) æquius esse simulque tutius ad conservandam pacem ac concordiam familiarum, quod testamentum a prodigo factum sive ante, sive post ipsius interdictionem, omnino nullum habeatur. Cujus rei tres afferunt rationes; primam quidem, propterea quod isti prodigo non fuerit interdictum bonorum administratione, nisi propter prodigam illius agendi rationem, quæ præcessit ipsius interdictionem, & propter quam juste promeruit, quamobrem spoliaretur jure de suis bonis

(o) Domat. leg. Civ. in suo ordine naturali l. 1. de test. tit. 1. sect. 2. 6.

nis testamento disponendi, ut jam eorumdem alienandorum, atque etiam administrandorum facultate spoliatus est. Secundam vero, quia eadem ratio, quæ vult, ut testamentum quod a prodigo factum est, post ipsius interdictionem, nullius sit auctoritatis: suadet quoque, illud idem esse nullum, si factum fuerit ante ipsius interdictionem. Locus etenim adest plurimus, & quidem cum fundamento conjiciendi, ab ejusmodi hominum genere non animo destinari ut plurimum facere testamentum, nisi ad hoc excitentur ab aliis ejusdem perditissimæ vitæ sociis, quibus hoc solum animo est ut, quæ sua sunt, quærant. Tertiam denique, quod ab eo tempore, ex quo prodigus fecisset suum testamentum, posset contigisse ea rerum immutatio tum in ipsius familia, tum in statu bonorum ipsius, ut opus esset, testamentum in alium dispositionis ordinem reduci: Quod tamen nulla ratione fieri posset, siquidem, cum ei sit interdictum bonorum administratione, jam inhabilis foret ad afferendam testamento suo ullam mutationem ex testamento alio de integro conficiendo.

Quæ tamen rationes nec satis indubitatæ, nec ad convincendum satis idoneæ nobis probantur, ut iis absque distinctione stare proponamus. Facturos igitur operæ pretium esse putamus, si, justum medium quoddam sequentes, asserimus, in eo Romanis Legibus insistendum esse, constitutæ ab iisdem Jurisprudentiæ quantum ad eam rem, ac probanda, tamquam legitima, testamenta prodigorum, cum eorum interdictionem præcesserunt. 1. Quando certitudo moralis adest, non fuisse diem, quam par est, antiquiorem iisdem adscriptam; qualia sunt testamenta, quæ confecta fuere coram ministris, atque testibus, qui juxta dispositionem Edictorum, & Arrestorum requiruntur. 2. Quando justæ continentur in iisdem testamentariæ dispositiones, ac potissimum, quando, quo tempore testator suum fecit testamentum, nondum effuse vivebat.

Quod probari potest regula juris, quæ fert, id quod semel valuit, semper valere, licet contingat postmodum, illud idem jam valide non posse confici. (a) *Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent; licet ille casus exstiterit, a quo initium capere non potuerunt*. Ideoque sequens illud effatum legis, in quo sic habetur: (b) *Quæ in eam caussam pervenerunt, a qua incipere non poterant, pro non scriptis habentur*; generaliter non est verum, & sæpe sæpius in errorem inducit: Exempli caussa, matrimonium aliquod non fit nullum propter dementiam, quæ vel marito vel uxori supervenit; nec contractus venditionis, aut donationis ab eo confectus, cui postmodum interdicitur bonorum administratione. Quemadmodum igitur prodigus aliquis non constituitur inhabilis ad gerendas res suas, nec ad disponendum de iisdem pro suo arbitrio, quoad usque eidem fuerit juxta judiciarias formulas interdictum bonorum administratione; & nisi sententia qua denuntiatur ei bonorum administrationem interdici, simul etiam rescindat, quidquid huc usque fuerit ab eo confectum; sed tantummodo rationem eorum habeat, quæ possent ab ipso deinde confici; qua de caussa jus ei denegaretur faciendi ante suam interdictionem testamentum justum ac rationabile, ac præsertim si perditissimam illam vitam nondum duceret, quo tempore illud confecit.

Eadem igitur ratione judicandum est in casu proposito de testamento Firmini, ac de testamento illius, qui cum testatus fuisset adhuc mentis compos, postmodum incidisset vel in insaniam, vel in furiam; ac dicendum, sicut testamentum ejusmodi viri semper validum est, quamquam in insaniam lapsus fuerit, postquam illud fecit; ita etiam testamentum Firmini, & cujusvis alterius prodigi, eadem ratione debere validum censeri: quando tum rationi, tum æquitati consentaneum est, & factum fuit, ante quam judicium latum fuisset, ei bonorum administrationem interdici. Quod etiam magis constat, quando non adsunt indicia certissima, testatorem illius tunc temporis jam incepisse acta prodige atque effuse vivere.

(a) Leg. In ambiguis 85. par. 1. ff. de diversis reg. juris antiqui.

(b) Leg. Si mentalium. 3. par. fin. ff. de his quæ pro non scriptis habentur. Lib. 14. tit. 8.

Quibus addamus præterea, juxta jus Romanum ei, qui tantummodo surdus erat, aut tantummodo mutus, non competiisse testamenti factionem; ac nihilominus, si prædicta alterutra, vel etiam utraque infirmitas postmodum superveniret, post testamentum confectum, illud legitimum ac ratum habitum fuisse, ut habemus ex duabus legibus, quarum prior verbis istis concipitur (c): *Surdus, mutus testamentum facere non possunt: sed si quis post testamentum factum, valetudine, aut quolibet alio casu mutus, aut surdus esse cœperit: ratum nihilominus permanet testamentum*. Posterior, quæ sumitur de jure novo, fert: (d) *Sancimus, si quis utroque morbo simul laboret, id est, ut neque audire, neque loqui possit, & hoc ex ipsa natura habeat: neque testamentum facere, neque codicillos, neque fideicommissum relinquere, neque mortis caussa donationem celebrare concedatur ... Ubi autem & hujusmodi vitii non naturalis, sive masculo, sive feminæ accidet calamitas; sed morbus postea superveniens, & vocem abstulit, & aures conclusit: si ponamus hujusmodi personam litteras scientem, omnia quæ priori interdiximus, hæc ei sua manu scribenti permittimus*.

Ex quibus licet inferre, si ejusmodi corporis infirmitates, quæ superveniunt alicui qui testatus est, quod præcessit ipsius testamentum non reddant nullum: asserendum quoque esse, ex infirmitate animæ qua quis corripitur, non posse reddi nullas ac sine auctoritate illius testamentarias dispositiones, cum aliunde sunt justæ, & rationabiles ac mandatæ scriptis juxta formas jure requisitas, antequam inhabilis ad easdem jubendas fuerit denuntiatus: Quod a fortiori dicendum est, si eas dispositiones testamento jusserit, antequam in istam infirmitatem incideret.

(c) Leg. Qui in potestate 6. par. 1. ff. qui testam. facere possunt, &c. lib. 28. tit. 1.

(d) Leg. Discretis. 10. Cod. qui testamenta facere possunt vel non. Lib. 6. tit. 22.

CASUS VII.

Ælius, cum ab annis duobus incidisset in dementiam, sed lucida tamen intervalla quædam haberet, in quibus agit ut vir omnino mentis compos, suum testamentum fecit. Potest ne testamentum illud, ut validum haberi?

Respons.

Si prædictum testamentum factum fuerit ab Ælio juxta requisitas formas, atque durante lucido intervallo, quod sufficiens fuerit, ut ipse posset aperire atque indicare suam voluntatem cum perfecta mentis intelligentia atque integra libertate, & testamentum illud inceperit, atque absolverit durante prædicto intervallo: nullatenus ambigendum est, quin valeat; ut colligi potest ex dispositione Legis Digesti, quæ ait: (e) *In eo qui testatur, ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est*. De eo namque modo eodem judicandum est, ac de ægro lapso in phrenitidem, quam febris æstus excitat, qui restitutus sanæ suæ menti satis temporis habet ad testandum; si quidem constet, in ejusmodi casu valere factum a prædicto ægro testamentum, licet postquam illud fecit, statim phrenitide iterum correptus decedat. *Si vero voluerit in dilucidis intervallis aliquod condere testamentum, vel ultimam voluntatem*, inquit quædam alia lex, (f) *& hoc sana mente inceperit facere, & consummaverit, nullo tali morbo interveniente, stare testamentum, sive quamcumque ultimam voluntatem censemus; si & alia omnia accesserint, quæ in hujusmodi actibus legitima observatio requirit*. Alibi etiam jus antiquum confirmavit Imperator Justinianus hoc articulo: (g) *Furiosi autem si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur*.

(e) Leg. In eo. 2. ff. qui testament. facere possunt, &c.

(f) Leg. Furiosum. 9. qui testament. facere possunt, vel non. Lib. 6. tit. 22.

(g) Instit. L. 2. tit. 12. par. 1.

CASUS VIII.

Lysimacus, cum sit natura mutus, sed non surdus, fecit suum testamentum, quo Juvenali legat 500. libras: verum Alexander ip-

fius hæres contendit, actionem sibi dari, ut possit petere a judicibus, illud idem nullum pronunciari; quo valeat a legato solvendo sese subducere. Num, quod sibi vindicat, jus aliquo fundamento nititur?

RESPONS.

Jus, quo sibi succurri contendit Alexander, omnino justum est, si, quo tempore Lysimacus testatus est, litterarum foret imperitus; Ratio est, quia mutus simul, & literarum imperitus, non potest nisi quibusdam signis aperire mentem suam; at vero, si litteras sciret, apertum est, ipsius testamentum esse legitimum; siquidem potuerit voluntatem suam certo certissime indicare scriptis significatam. *Sin vero aures quidem apertæ sint, & vocem recipientes*, inquit Lex, (*a*) *lingua autem ejus penitus præpedita, licet a veteribus Auctoribus sæpius ad hoc variatum est, attamen, si hunc peritum esse litterarum proponamus; nihil prohibet eum scribentem hæc omnia facere, sive naturaliter, sive per interventum morbi, hu'usmodi infortunium ei accesserit, nullo discrimine, neque in masculis, neque in fæminis in omni ista constitutione servando.*

(*a*) Leg. Discretis 10. cod. qui testam. fecere possunt, vel non.

Cujus assertionis hæc est ratio, quod testamentum nihil aliud sit, quam declaratio voluntatis Testatoris; nec ista declaratio accedere debeat ex interrogatis alterius personæ; adeoque non possit valere testamentum, nisi Testator ipsemet propriam suam voluntatem aperiat; ut docet Molinæus (*b*) vestigiis insistens plurimorum Jurisconsultorum, qui eamdem sententiam amplectuntur: atque refert Chopin (*c*) pronunciatum a supremo Parisiensi Senatu 27. Octobris 1595. Arrestum quoddam, quo sic fuit judicatum pro hæredibus Arnouldi de Cabatblanc, contra eos, quos prædictus ille vir instituerat legatarios, licet ipsius testamentum non tantummodo præsente ibidem uno Notario confectum fuisset, verum etiam coram D. Amalby Senatore, & D. de Saygnes summo Procuratore Parlamenti Burdigalensis, quos memoratum Parlamentum legaverat, ut ibidem præsentes adessent, ita requirente præfato Cabatblanc, qui suum ea de re libellum supplicem obtulerat, propter quamdam paralysim, qua ipsius lingua omnino præpediebatur.

(*b*) Carolus Molin. consil. 34. & alii plures ad leg. Pamphil. 39 §. Propositum ff. de legatis 3.

(*c*) Renatus Chop. n. 21. & 22.

Nihilominus juvat observare, extare circa casum ejusmodi alium aliud Arrestum latum in primario Tribunali Senatus supremi Parisiensis 19. Augusti 1683. quo pronunciatur validum testamentum quoddam, factum 14. Martii anni præcedentis, & receptum a Faverjon notario, præsentibus ibidem octo testibus; quamquam Testator, cui nomen erat Petrus Rossignol, non posset loqui, nec proferre nisi istæc duo dumtaxat verba, *ita & non*. Quod testamentum in integrum refertur a Domino de Ferriere in ipsius in consuetudinem Parisiensem Commentario (*d*).

(*d*) Claud. de Ferriere consuetud. Parif. t. 3. pag. 344.

CASUS IX.

VINDONIUS thoro non legitimo natus fecit testamentum, quo relinquit amico suo Blasio duo millia librarum: post ipsius obitum ministri fisco Regio præpositi volunt manus injicere in omnes illius possessiones tamquam jure proprio Regi cedentes; ac denegant Blasio solutionem prædictorum duorum millium librarum: Num possunt ita sese gerere absque injustitia?

RESPONS.

Equidem, si quis spurius decedat nullis relictis liberis de justo matrimonio natis, & sine prævia ulla suorum bonorum dispositione testamentaria; ipsius successio tota atque integra Regi vindicatur ex jure, quod gallice ajunt *de batardise*: quoniam, cum nullo legitimæ consanguinitatis vinculo conjungatur, non potest quoque habere legitimum ullum hæredem, qui ei intestato succedat; juxta istæc verba legis: (*e*) *si Spurius intestato decesserit, jure consanguinitatis, aut agnationis, hæreditas ejus ad nullum pertinet*. Quod ab Imperatore Justiniano fuit confirmatum istis verbis: (*f*) *vulgo quæsitos, nullos habere agnatos, manifestum est*. At vero, si præfatus spurius de justo matrimonio liberos susceperit; eidem intestato pleno jure succedunt, si autem aliquam jusserit testamentariam dispositionem, omnino valet. Unde concludimus, siquidem Vindonius testatus sit, a ministris fisco ppæpositis non posse, nisi violato prorsus omni jure, Blasio denegari, quæ ei legata fuerunt, duorum millium librarum præstationem.

(*e*) Leg. si Spurius 4. ff. unde cognati lib. 3. tit. 9.

(*f*) §. vulgo 4. inst. de successione cognatorum lib. 3. t. 5.

CASUS X.

HILARINUS, postquam fecit suum testamentum, quo plurima legata reliquit, tum suis consanguineis, tum suis amicis, deinde commisit facinus quoddam, in cujus pœnam datus fuit ad remum perpetuum, ipsius omnibus bonis fisco addictis; Num ex illo statu, in quo constituitur, ipsius testamentum nullum evadit, præsertim si de sententia, qua condemnatus fuit, provocaverit?

RESPONS.

Est hoc extra controversiam omnem positum, quod is, qui vel capite damnatus est, vel ad aliam quamlibet pœnam, cui annexa sit omnium illius bonorum confiscatio, non tantummodo sit inhabilis ad faciendum ullum testamentum; verum etiam quod nullum sit illud testamentum, quod potuisset facere, antequam damnatorium ejusmodi judicium accederet. *Si cui aqua & igne interdictum sit*, ait lex (*g*), *nec illud testamentum valet, quod ante fecit, nec id, id quod postea fecerit*.

(*g*) Leg. Ejus 8. §. 1. ff. qui testam. facere possunt &c. Item Leg. Si inrotens 1 §. 2. ff. de legatis Et Leg. Si quæ 6. § 5. ff. de injusto, rupto & irrito test. facto lib. 28. tit. 3.

At non minus certum est, si vir iste condemnatus a damnatorio judicio, quod in se latum est, provocaverit, testamentum, quod postmodum fecit, vel quod jam fecit, ratum ac validum stare, usque dum judicium, a quo provocaverit, ultimo ac decretorio judicio fuerit confirmatum; ac proinde, si decedat, antequam provocationi judicium accesserit, non fraudandum esse effectu suo ipsius testamentum. *Provocationis remedio*, ait lex, (*h*) *condemnationis extinguitur pronunciatio*. Ratio est, quia in materia criminali, proventionis remedio effectus extinguitur judicii damnatorii, ut probatur ex verbis legis citatæ, & confirmatur iterum ista alia lege sequenti: (*i*) *Si quis, cum capitali pœna, vel deportatione damnatus esset, appellatione interposita, & in suspenso constituta fati diem functus est, crimen morte finitum est*.

(*h*) Leg. Accusatorem 12. §. fin. ff. ad Senatusconsultum Turpilianum lib. 48. tit. 16.

(*i*) Leg. Si quis fin. cod. si reus vel accusator mortuus fuerit lib. 9. tit. 6.

Ex quibus sequitur, quemadmodum in mortuum reum aliquem jam nullum potest ferri judicium damnatorium (exceptis quibusdam criminibus, quale est crimen perduellionis, cujus accusatio, etiam mortuo reo, urgetur) ipsius statum remanere eumdem, qualis erat antequam judicium damnatorium pronunciatum fuisset. *Si quis in capitali crimine damnatus, appellaverit*, fert alia lex digesti, (*K*) *medio tempore, pendente appellatione fecerit testamentum, & ita decesserit; valet ejus testamentum*. En etiam qua ratione loquitur alia lex, quæ eamdem exceptionem a nobis appositam memorat: (*l*) *Ex Judiciorum publicorum admissis non alias transeunt adversus hæredes pœnæ bonorum ademptionis quam si lis contestata & condemnatio fuerit secuta, (excepto repetundarum, & majestatis judicio, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur) adeo ut Divus Severus, & Antoninus rescripserint, ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, aut manu mittere eum posse*.

(*K*) Leg. Qui a latronibus 13. §. 2. ff. qui testamen. facere possunt, &c.

(*l*) Leg. Ex judiciorum 20 ff. de accusationibus & inscriptionibus l. 48. tit. 2.

Ex dictis patet, si Hilarinus decedat post interpositam a damnatorio judicio, quod in eum pronunciatum est, provocationem, ipsius testamentum esse validum, ac nullatenus esse executione sua defraudandum, quoad usque ultimo decretorioque alio judicio fuerit condemnatus; at vero, si moriatur, priusquam provocaverit, aut postquam ultimo, ac decretorio judicio, quæ in eum pronunciata est, damnatoria sententia

confirmata fuerit, ipsius testamentum, licet ipsa sententia antiquius, nullius esse nec roboris, nec auctoritatis.

CASUS XI.

Domnus Joseph de Moncada Hispanus, cum in Galliam peregrinaturus accessisset, ibidemque fuisset morbo correptus, suum fecit testamentum, & ab ipsa die postera decessit: valetne ipsius testamentum?

Respons.

Non valet confectum a præfato peregrino testamentum, nisi jure Gallorum a Rege ex Regio diplomate donatus fuerit: ut enim, juxta civiles leges, quilibet peregrinus constituitur inhabilis ad quidquam ex testamento recipiendum: (a) sic etiam, quamdiu degit extra suam patriam, nulla ratione potest valide testari.

(a) Leg. Qui deportantur 1. Cod. de hæredid. inst. lib. 6, tit. 24.

Quæ regula generalis aliquas tamen admittit exceptiones: Prima obtinet quantum ad peregrinos, qui vel liberos habent, vel alios consanguineos, qui vel natura Galli sunt, vel Gallorum privilegiis fuerunt ex Regiis diplomatibus adscripti: istis namque decedentibus possunt prædicti peregrini succedere frequentantes nundinas Lugdunenses: nam secundum edicta Regum Gallicorum data annis 1463. 1569. & 1583. factionem habent testamenti, & ipsorum hæredibus facultas relinquitur, iisdem intestatis succedendi. Tertia pertinet ad Habitatores quarumdam extranearum Regionum, quibus a Galliarum Regibus collatum est jus Regnicolarum, hoc est, naturalium Gallorum, quales sunt omnes oppidani urbis Avenionis, & habitatores Vindascini comitatus, quibus istud privilegium indultum fuit ex Regio diplomate Ludovici XII. 8. Maji 1479. ut notat Joannes Bacquet: (b) qui que proinde possunt sibi comparare ac possidere quæcumque bona mobilia, vel immobilia inter limites Imperii Gallici, ac pro suo arbitrio de iisdem disponere in eorum favorem, quibus sibi libuerit gratificari; sicut iis etiam permittitur, ut ibidem quæcumque munera, atque officia exerceant, Beneficiis, ac Dignitatibus gaudeant, uno denique verbo juribus iisdem, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, atque onerum vacationibus potiantur, quibus ipsissimi Franci naturales donantur, nulla eis imposita legis necessitate obtinendi, vel postulandi a Principe alia diplomata peculiaria, ut fertur in quodam Arresto Consilii de rebus ad Regnum pertinentibus 5. Augusti 1698. (c).

(b) Joan. Bacquet. tract. de jure obventitio, Gallice d'Aubaine, c. 7.

Quæ diximus de privato aliquo peregrino, locum non habent quantum ad eos, qui legatorum munere funguntur: constat etenim, in quacumque Regione degant, eos gaudere facultate testamenti faciendi; ut de eo convenit apud omnes Gallicos Jurisconsultos (d) juxta Legem, quæ ait: (e) *qui apud externos legatione funguntur, possunt facere testamentum*; quod locum quoque habet: *etiamsi sint capti, cum capi non debuerint*.

(c) Fr. de Gessac. Breviar. de instit. Justiniani, tit. 11. n. 9.

(d) Joan. Tanmas D'Ation. Civili & Canon. V. legatus. Bouvot tom. part. 3, V. testator q. 3.

(e) Leg. Quia latronibus 13. §. 1. & ib. glossa V. funguntur ff. qui testamen. facere possunt.

CASUS XII.

Gerbertus natus in Hollandia, ibidem facit suum testamentum: post tres ab illinc menses Massiliam commigrat, ibique plurimum negotiatus, ac lucratus multas divitias, moritur. Ipsius frater, cui cedit ex hæreditario jure universa illius hæreditas, nonne jure gaudet, ex Hollandia in Galliam sese transferendi, ad hæreditatem ejus adeundam, quippe testamentum ipsius prius factum fuerit, quam peregrinus fieret?

Respons.

Frater Gerberti jure quidem potest, quæ positæ sunt in Hollandia, res hæreditarias a defuncto relictas percipere; sed nullatenus valet sibi vindicare bona, quæ Massiliæ constituuntur, aut in alio quocumque loco, qui sint intra limites Regni Gallici; quoniam, juxta leges, quæ apud istud Regnum obtinent, omnia bona peregrini alicujus, qui jure Gallorum ex Regio diplomate non fuit donatus, ipsi Regi vindicantur; quamquam testatus fuerit, etiam antequam sese extra patrios limites recepisset; siquidem istud testamentum nullatenus valeat quantum ad illum respectum: neque a prædicta regula excipiantur, nisi ii, de quibus fecimus in præcedenti decisione sermonem.

CASUS XIII.

Petilianus habens duos nepotes, filios utriusque fratris sui, quibus nomen erat Joannes, fecit suum testamentum, quo declarat, Joannem filium fratris sui a sese institui universæ suæ hæreditatis ex asse legatarium. Quo mortuo, quilibet eorum contendit, sese eum esse, qui legatarius est testamento prædicto designatus, atque ut istam controversiam componerent, pacti sunt, futurum, ut inter se res hæreditarias memoratas successionis ex æquo dividerent. At Martinus, cui jus succurrit intestato defuncto succedendi, contendit, in eo casu integram ad sese devolvi successionem: Qua de re petitur, num quod suum jus esse sibi vindicat, ad ipsum revera devolvatur.

Respons.

Est hæc servanda regula generalis in materia testamentaria, ut, cum verba, quibus Testator usus est in instituendo suo hærede, sic obscura, atque ambigua sunt, ut facile non dignoscatur ex iis, quem potissimum voluerit instituere; inde nulla fiat ipsius institutio; siquidem tute non possit suum effectum consequi; atque ex ipsa verborum ambiguitate, quibus ipsa jure cedere deberet institutio, ii potissimum ab hæreditate excluderentur. Videtur ergo æquitati congruere, ut cui vindicabatur tanquam hæredi soli intestati Petiliani successio universa, ipsa eadem in proposita specie a Martino percipiatur. Neque enim vero contendi potest, utrumque filium fratris utriusque defuncti esse simul ipsius hæredes, vel ex asse legatarios; utpote vel ex ipsissimis verbis testamenti ejus apertum fiat, eam ipsi mentem non adfuisse, nisi ut unicum tantummodo designaret: neque etiam locus est contendendi, alium jure potiori esse institutum ex asse nomen Joannes; & ambo sint eadem ratione nepotes Testatoris. Tandem nec afferri potest, unum quidem esse legitimum hæredem, alterum vero cohæredem; cum semper sit incertum, cui potissimum titulus hæredis competat; & titulus cohæredis immediati alicujus defuncti non possit acquiri ex solo illius consensu, cui nequidem certo certius vendicatur titulus hæredis, aut universi legatarii.

Quæ decisio omnino æquitati consentanea est, & legibus roboratur istis verbis: (f) *Quoties non apparet, quis hæres institutus sit, institutio non valet: quippe evenire potest, si testator complures amicos eodem nomine habeat: & ad designationem nominis singulari nomine utatur: nisi ex aliis apertissimis probationibus fuerit revelatum pro qua persona testator senserit*. Quam eamdem sententiam amplectitur Glossa. *Seius habens plures amicos*, quorum quilibet nominabatur Titius, *instituit Titium hæredem; & ita non apparet, de quo Titio senserit: certe institutio non valet*. Sic ipsa loquitur; atque in istis verbis ipsissima species refertur, quam tunc discutimus.

(f) Leg. In tempus 62. §. 1. ff. de hæred. instituendis. lib. 28. tit. 5.

Primo quidem observavimus, præsentem decisionem intelligendam dumtaxat esse de casu, in quo non potest dignosci, quis ille sit, quem voluerit Testator designare. Si namque id posset aliqua ratione detegi, & alteruter amborum nepotum Petiliani posset certissimis argumentis evincere, se eum esse, quem voluit Testator significare; ipsi profecto vindicarentur bona Petiliani; atque eadem foret ratione judicandum

dum, si testator erravisset in designando nomine, vel cognomine, & aliunde constaret de persona, quam intendisset: quo quidem in casu nullius rationis nec momenti foret error ejusmodi, ut ipsa lege declaratur: quæ sic habet: *(a) sive in nomine vel in prænomine, seu cognomine, seu agnomine, testator erraverit; nec tamen, de quo senserit, incertum sit, error hujusmodi nihil officit veritati.*

(a) Leg. Si in nomine. 2. C. de testam. & quemadmodum testamenta ordinentur. lib. 6. tit. 23.

CASUS XIV.

Cum Bonifacius duas tabulas sui testamenti scripsisset, iisdemque tempore eodem manu propria subscripsisset, & ex eis unam deposuisset in manus unius amici sibi cujusdam nullo munitam nec obsignatam sigillo; post ipsius obitum repertum est, tabula testamentaria quam deposuerat, Mathurinum ipsius ex asse legatarium institui; alia vero, quam apud se servaverat, designari sub eodem legatarii titulo Medardum. Num duplex illud testamentum, cui nullum aliud aliunde vitium inest, valet? Si valeat, uter amborum futurus est ex asse legatarius defuncti? aut uterque simul eritne legatarius?

Respons.

Quidam notæ prorsus insignioris Jurisconsultus, in laborioso atque omnino perutili opere, quod publicavit, in quo reduxit Leges Civiles in eorum naturalem ordinem *(b)*, censet, valere ejusmodi testamentum; si quidem ex ejusmodi variatione duæ testamentariæ tabulæ fieri possint. Rationemque istam affert, quod variatio ejusmodi possit aliqua ratione justa ac legitima ex parte testatoris inniti: qualis illa ratio subesse potest, nimirum, ut occultæ remanerent dispositiones unius ex ejus tabulis testamentariis, quamdiu non occultabat dispositiones in alia tabula contentas. Considerandæ sunt ergo ambæ prædictæ tabulæ testamentariæ, tamquam solum atque unicum testamentum: adeo ut tum Mathurinus, tum Medardus ex æquo debeant esse universæ hereditatis a defuncto relictæ legatarii, atque ex æqua portione eamdem inter se dividere. Habemus legem quamdam in Digesto, quæ de peculiari isto casu prorsus apertissima est. En ipsissima sunt ejus verba: *(c) Sed etsi in duobus Codicibus simul signatis alios, atque alios heredes scripserit, & utrumque exstet, ex utroque quasi ex uno competit bonorum possessio: quia pro unis tabulis habendum est, & supremum utrumque accipiemus.*

(b) D. Domat. to. 3. pag. 17. edition. in 4.

(c) Leg. Tabulas. §. 6. ff. de bonorum possessionibus secundum Tabulas lib. 37. tit. 11.

Præter D. Domat, licet etiam in patrocinium hujusce decisionis appellare Bonacinam, *(d)* a quo plurimum ipsa comprobatur: asserit namque, quando duo legatarii *re tantum* occurrunt conjuncti, ut conjunguntur in præsenti nostra specie, unicuique suam partem debere cedere de legato, quod iis relinquitur; quin etiam, portionem ab uno repudiatam, alterius portioni esse adjungendam. En verba sunt auctoris laudati: *Tunc contingit conjunctio* re tantum, *quando eadem res relinquitur duobus sub diversa verborum clausula: at, si dicatur:* Fundum meum Mediolanensem lego Petro: Eumdem fundum Mediolanensem lego Paullo: *In hoc casu datur jus accrescendi: quia eadem res in solidum relinquitur utrique. Consequenter, si unus non acceptet, seu non consequatur partem suam, alter consequitur totum; sive legatum factum sit utrique in eodem testamento, sive uni in testamento: alteri in Codicillo.* Qui laudatus Canonista citat, ut suæ sententiæ patronos, Mulsesium, *(e)* & quatuor alios Doctores.

(d) Bonacina de contract. disp. 3. q. 17. puncto 8. §. 5.

(e) Molsesius in summ. p. 2. tract. 23. c. 5. n. 70. & seq. & alii.

CASUS XV.

Dominicus testamento suo jussit, ut Daniel unus e suis heredibus primariis, cui legat prædium quoddam 2000. librarum census annui, teneretur ad concedendum Deodato alteri ipsius heredi prædium 500. librarum reditus, quod est prioris prædii appendix, quodque putabat a sese esse legitime acquisitum. Postquam Daniel tradidit Deodato prædictum prædium, contigit, minorem quemdam

justæ ac legitimæ ætatis factum a Deodato prædium illud evicisse, utpote quod in partem illius bonorum olim venisset. Deodatus contendit, a Daniele sibi legatum prædium esse præstandum; Daniel vero pernegat, id obligationis sibi incumbere: utri jus?

Respons.

Respondemus, si Dominicus testamento suo jusserit, ut istud prædium Deodato per modum partitionis accederet, hoc est, suas possessiones inter duos prædictos heredes distribuerit, & Danieli reliquerit prædium 2000. libr. reditus annui, abstracto inde prædio, quod voluerit, in portionem illius hereditatis Deodato cedere; certissimum esse, casu contingente quod Deodatus sine sua culpa possessione dicti prædii submoveatur, Danielis esse illud idem ei præstare. Ratio est, quod singulis coheredibus sua quælibet hereditatis portio debeatur ex eodem jure ac tituli fundamento, quod omnium commune est: ideoque debet esse eadem eorum conditio, quantum ad tutam partium conditionem, quæ illi obveniunt: *Judex familiæ erciscundæ, ait, Lex, (f) curare debet, ut de evictione caveatur his, quibus adjudicat.*

(f) Leg. Heredes. 25. §. 21. ff. familiæ erciscundæ. lib. 10. tit. 2. Item, Leg. Si familia. 14. c. eod. tit. lib. 3. tit. 14.

At vero, si tum ex ipso testamenti contextu, tum ex ipsismet verbis quibus concipitur, deprehendatur, prædium a Dominico non tradendum fuisse Deodato, nisi ut simplex, quod ei relinquebatur, legatum; Daniel heres nihil quidquam tenetur præstare, postquam Deodatum induxit in prædicti prædii possessionem, quæcumque postmodum obtineat contra legatarium evictio: *Evictis prædiis*, inquit lex *(g)*, *quæ pater qui sua dominam esse crediderit, verbis fideicommissi filio reliquit, nulla eam cum fratribus & coheredibus actio erit. Si tamen inter filios divisionem fecit, arbiter conjectura voluntatis non patietur, eum partes coheredibus prælegatas restituere, nisi parati fuerint &, ipsi patris judicium fratri conservari.*

(g) Leg. Cum Pater. 77. §. 8. ff. de legatis & fideicom. 2. lib. 31. tit. 1.

Nihilominus observandum est, si, casu obtinente evictionis, qui evincit a legatario, teneatur ad pretium ipsius evictæ rei restituendum; pecuniam inde provenientem esse legatario vindicandam: quoniam in dispositione qua testator jusserat, ut legata res accederet, necessario continetur voluntas, ut illius pretium saltem consequatur, quemadmodum fertur in alia lege *(h)*.

(h) Leg. Qui solidum. 78. §. 1. ff. eod. tit.

CASUS XVI.

Marcus habens duos filios, nempe Joannem annos natum 25. & Gildardum annum ætatis agentem 12. utrique sua bona divisit, & juniori dedit prædium referens 600. lib. reditus annui, ac præterea mandavit natu majori, ut eidem justam ac legitimam ætatem consecuto traderet 1000. nummos volens, ut interea prædicti prædii reditibus gaudeat, ea conditione, ut singulis annis loco pensionis sui fratris ducentas libras persolvat. Joannes cum post tres aut quatuor annos ab obitu Marci sui patris decessisset, & filium unicum suum heredem reliquisset: tutor præpositus ipsius filio contendit, jus quo Joannes gaudebat percipiendorum de memorato prædio redituum, præfato filio legitime esse transmissum ex morte patris ipsius, adimplendo conditionem ducentarum librarum pro pensione Gildardi persolvendarum: at ex altera parte tutor Gildardi pertendit, integram possessionem istius prædii ad suum pupillum ex morte Joannis ejus fratris pleno jure devolvi: qua de re quæstio proponitur utri prædictorum tutorum jus faveat?

Respons.

Habemus hujusce difficultatis enodationem in ipso jure plane explicatam, ex qua colligitur, in specie proposita, occurrente natu majoris obitu, priusquam Gildardus ipso junior ad justam legitimamque ætatem pervenerit; ex ipsius morte possessionem prædii qua defunctus gaudebat, penitus

tus cessare: adeo ut non possit eadem ad heredem transferri, quem defunctus reliquit, Ratio est, quia; quamquam ista possessio continuavisset ad tempus usque, quod testamento patris eorum Marci fuerat præfinitum, ei tamen concessa non erat, nisi tamquam personale beneficium annexum curæ, quam habere tenebatur tum sustentationis tum educationis sui fratris junioris. Quamobrem incitamentum quo Marcus adductus fuerat, quodque personæ filii sui natu majoris alligaverat, cum finierit ex obitu ejusdem filii natu majoris, jus prædii retinendi censendum quoque est cessatum atque penitus extinctum; siquidem testator communis eorum pater nonnisi eo animo gratiam istam ei concessisset. En qua ratione Lex ea de re loquitur: (a) *Pater duos filios æquis ex partibus instituit heredes, majorem & minorem, qui etiam impubes erat, & in partem ejus certa prædia reliquit, & cum quatuordecim annos impleverit,* (quæ ætas ipsa erat. qua tutela finiebat, juxta jus Romanum:) *certam pecuniam ei legavit, idque fratris ejus fidei commisit, a quo petiit in hæc verba:* a te peto, fei, ut ab annis duodecim ætatis ad studia liberalis fratris tui inferas matri ejus annua tot, usque ad annos quatuordecim, eo amplius tributa fratris tui pro censu ejus dependas, donec bona restituas, & ad te reditus prædiorum illorum pertineant quoad perveniat frater tuus ad annos quatuordecim: *Quæsitum est, defuncto majore fratre, herede alio relicto, utrum omnis conditio percipiendi reditus fundorum anniversaria præstetur, alia, quæ præstaturus esset, si viveret Seius, ad heredem transierint, an vero id omne protinus ad pupillum & tutores transferri debeat? Respondit secundum ea quæ proponerentur, intelligitur testator, quasi cum tutore locutus, ut tempore quo tutela restituenda est, hæc quæ pro annuis præstari jussisset, percipiendisque fructibus finiantur: sed cum major frater morte præventus, omnia quæ relicta sunt, ad pupillum & tutores ejus confestim post mortem fratris transisse*. Quæ citata lex tuta favet, quæ viget apud gallicam nostram Gentem, Jurisprudentiæ. (b)

(a) Leg. *Lierto*. 21. §. n. de annuis legatis, lib. 33. tit. 1.

(b) D. Domat, loco supracit. tom. 1. pag. 38. edit. in 4.

CASUS XVII.

Firmilianus vir opulentissimus, & cujus tota res consistit in præsenti pecunia, atque in aliis instrumentis domesticis mobilibus, cum per annos septem aut octo vitam cum Luciana duxisset omnino perditissimam ac flagitiosissimam, eamdem omnium bonorum suorum heredem ex asse suo testamento constituit, in damnum quinque aut sex e suis consanguineis, qui de rebus suis anguste penitus ac male constituti sunt, & quibus, juxta leges, ipsius successio debeat tota cedere. Possunt ne, nihil deflectentes a recta conscientia ultimæ voluntati Firmiliani obsistere, atque agere, ut ipsius testamentum irritum pronuncietur, ac penitus rescindatur?

Respons.

Quinque vel sex consanguineis heredibus ipso jure constitutis hereditatis Firmiliani prorsus licet, sine ullo conscientiæ eorum dispendio, agere apud judices, ut ipsius testamentum totum improbetur; testamentum etenim ejusmodi totum alienum est ab æquitate naturali, ab honestate, & a bonis moribus: æquitati quidem naturali dissentit, quæ non sinit propriis consanguineis ullum extraneum sine gravissima caussa præferri, ac potissimum cum eorum res accisæ sunt & male se habent: honestati vero bonisque moribus, quippe quæ non patiantur, premium crimini constitui, adeoque ab eo tantis beneficiis ornari mulierem, qui cum ea perditissime ac flagitiosissime vixerit; siquidem id perferri nullatenus queat, quin inde plurimis mulieribus occasio præbeatur, proprium suum corpus publicandi, prælucente nimirum iis ejusmodi spe, quod sibi sua pudicitia prostituta ex ære alieno lucrum aliquando sit comparatura.

Iisque de caussis Jus Romanum statuebat, ne Milites ullatenus valerent quidquam suo testamento legare mulieribus, quarum nomen, turpis ac sinistra suspicio violabat: *Mulier in quam turpis suspicio cadere potest, nec ex testamento militis aliquid capere potest*, ait lex (c). *Mulierem*, inquit alia lex, (d) *quæ stupro cognita in contubernio militis fuit, & si sacramento miles solutus intra annum mortem obierit, non admitti ad testamentum jure militiæ factum; & id quod reliquum est, fiscum pertinere proxime tibi respondit.* Porro, quemadmodum ceteris quibuslibet non minor inducitur obligatio quam militibus, accommodando vitam suam ad normam tum bonis moribus tum honestate præscriptam, apertum est, extendendam eamdem esse legem ad testamentarias quascumque dispositiones, a quibuslibet hominum generibus ordinentur.

(c) Leg. *Miles*. 41. §. 1. ff. de testamento militis. lib. 29 tit. 1.

(d) Leg. *Mulierem*. 14. ff. de his, quæ ut indignis offeruntur. Lib. 34. tit. 6.

CASUS XVIII.

Marius, cui nulli legitimi liberi de ejus cum Theresia matrimonio sunt superstites, sed tantummodo consanguinei, quibus ipsius successio vindicatur; petit, num recta possit conscientia heredem, vel universum suum legatarium, Appium instituere, quem suscepit ex adulterio *constante matrimonio*, aut ex incestu, quem commisit cum quadam virgine, quæ erat ei in tertio vel quarto gradu sanguine conjuncta.

Respons.

Omnes liberi, qui, juxta modum loquendi Juri familiarem, *spurii* dicuntur, hoc est, qui de patre & matre nati sunt, quibus non licebat inter se matrimonium contrahere tunc temporis, cum prædicti liberi prodierunt in lucem, quoniam vel cum aliis matrimonio jam conjuncti erant, aut sibi invicem in prohibito cognationis gradu cohærentes; nullatenus possunt a suo patre vi cujuscumque testamenti ipsius institui heredes; quippe qui legibus prohibeantur & ab iisdem omni beneficio secludantur in odium criminis, quod locum attulit eorum nativitati: *Qui ex damnato sunt coitu, ab omni prorsus beneficio secludantur*, inquit lex (e).

Nihilominus verum est, patribus ejusmodi liberorum ex obligatione juris naturalis incumbere, juxta facultates suas eorum sustentationi provideri: siquidem, ut fert alia lex (f), *Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat, sed & is, qui abjicit, & qui alimonia denegat*. Atque hoc ipsissimum est, quod iisdem Clemens III. commendat in una quadam e suis Decretalibus (g) occasione viri cujusdam, qui decem liberos ex adulterio susceperat: *Solicitudinis tamen tuæ intererit*, ait laudatus Papa, *ut uterque liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret*.

Ex quibus inferimus, non licere Mario quidquam amplius Appio suo filio, præter necessaria tum ad ipsius victum, tum ad honestum ejus cultum providere; ac si quid ultra quacumque ratione ei relinqueret, futurum ut Appius non posset illud sibi retinere in damnum legitimorum heredum Marii, quibus ad restituendum illud idem merito condemnaretur: Quoniam, ut habet summus Pontifex Joannes VIII. (h) scribens ad Imperatorem Ludovicum Mitem: *Quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur*; & ad succedendum suo patri inhabilis constituitur legibus Civilibus, quæ in eo justissimæ sunt, atque adeo eadem ratione quantum ad forum interius obligant, qua quantum ad forum exterius, juxta isthæc verba S. Thomæ: (i) *Leges positæ sunt humanitus ..... Siquidem justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ a lege æterna, a qua derivantur*. Cui doctrinæ favent antiqua Ecclesiastica Instituta (K). Habet hæc nostra decisio plurimos magni nominis auctores patronos, quorum doctrina passim commendatur ut probatissima (l).

(e) Authent. *Licet*. Cod. de naturalibus liberis, & matribus eorum. lib. 5. tit. 27.

(f) Leg. *Necare*. 4. ff. de agnoscendis liberis, &c. lib. 25. tit. 30.

(g) Clem. III. in cap. *Cum haberet*. 5. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, lib. 4. tit. 7.

(h) Joan. VIII. in can. *Vides*. 10. dist. 10.

(i) S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. in corp.

(K) Leo IV. in Can. *De Capitulis*. 9. & in Can. *Vestram*. fin. dist. 10. Gelasius in Can. *Quis*. 11. Et in Can. *Certum est*. 12. ead. dist.

(l) Colloq. Condom. tom. 2. Colloq. 13. sect. 1. De Gen. Theol. mor. tom. 1. tr. 7. c. 4. q. 2. & 4.

CA-

CASUS XIX.

Anatolius, scripto juxta formulas usu servandas ac jure requisitas testamento, quo Stephanum suum ex asse heredem impositis quibusdam conditionibus instituebat: alterum rursum fecit post unum ab illinc annum, quo constituit etiam Antonium suum universum legatarium, imposito ei onere, Petro quidem persolvendarum 300. librarum, Paullo vero librarum 600. Antonius, Petrus & Paullus ante Anatolium obierunt; qui & ipse decessit post tres ab illinc menses, nihil prorsus immutato altero suo testamento. Qua de re quæritur, num, quod primo loco scripserat, testamentum non reviviscat; atque adeo, utrum Stephanus, qui ibidem erat heres ex asse designatus, non debeat ista juris prærogativa gaudere; cum alterum testamentum caducum jam factum fuerit atque omnis exsecutionis loco defraudarum propter mortem eorum, in quorum gratiam Anatolius illud secundo loco fecerat.

Respons.

Si scriptum secundo loco ab Anatolio testamentum quantum ad formam peccaret, non posset illud, quod priori loco præcessit, rescindere; at, si formulis omnibus jure vel consuetudine requisitis foret instructum, certum est, futurum ut, illo interveniente, prius nullum redderetur: *Tunc autem prius testamentum rumpit*, inquit lex, *(a) cum posterius rite perfectum est*; quamquam posterius istud testamentum suo fraudetur effectu, sive ex obitu eorum in quorum gratiam scriptum fuerat, sive ex eorum renuntiatione, sive tandem propterea quod constituantur inhabiles ad ullum inde fructum percipiendum, quo tempore decedit testator. Unde sequitur, cum testamentum priori loco scriptum ab Anatolio, nullum factum fuerit ex interveniente posteriore, quod ab eodem scriptum est juxta formulas requisitas post unum ab illinc annum; & istud posterius nullum effectum obtinuerit propter obitum Antonii, Petri & Paulli; Stephano, qui priori testamento legatarius universus constitutus fuerat, nihil juris relinqui, ex quo possit inde ullum sibi vindicare emolumentum; adeo ut tota successio defuncti testatoris soli cedat heredi legitimo, qui eidem intestato debet ex pleno jure succedere.

Cui decisioni favet Justinianus Imperator *(b)*, qui ait: *Posteriore testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur; nec interest, exstiterit aliquis heres ex eo, an non: hoc enim solum spectatur, an aliquo casu exsistere poterit. Ideoque si quis aut noluerit heres esse, aut vivo testatore, aut post mortem ejus, antequam hereditatem adiret, decesserit; aut conditione, sub qua heres institutus est, defectus sit; in his casibus paterfamilias intestatus moritur; nam & prius testamentum non valet, ruptum a posteriore; & posterius æque nullas habet vires; cum ex eo nemo heres exstiterit.*

Quæ legum dispositio inde fundamentum mutuatur, quod pro nutu suo testator possit ultimas suas voluntates immutare. *Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum spiritum: (c)* Et novissima ipsius voluntas priore semper potior habeatur *(d)*: *novissima enim voluntas servatur*.

Quæ asserimus de testamento, quod juxta requisitas solemnitates secundo loco scriptum est, sunt etiam intelligenda de eo, quod appellatur militare, ad quod conficiendum jus non præscribit, ut observentur omnes solemnitates ad strictos juris apices, quæ necessario sunt ad aliud testamentum faciendum servandæ *(e)*: sicut nec adhibentur in testamento, quod tempore pestis sævientis scribitur.

Atque circa materiam præsentem advertendum est, a regula generali, juxta jus scriptum, casum excipiendum esse, in quo Testator, cum priori testamento aliud heredem instituisset, quam eum, qui debebat eidem intestato succedere; posteriore designavisset istum heredem; in eo namque casu posteriori testamento licet irrito prius revocatur, modo id in eo tantummodo cautum sit, ut fuerit coram testibus quinque confectum. Sic illa lege constituitur, quam jam citavimus, *(f)* cui consentanea est ista alia lex Codicis: *(g) Nisi forte posterius vel jure militari sit factum; vel in eo scriptus est, qui ab intestato venire potest: tunc enim & posteriore non perfecto superius rumpitur.*

(a) Leg. *Tunc autem*, 2. ff. de injusto, rupto & irrito facto testam. lib. 28. tit. 3.

(b) §. *Posteriore*, 2. Instit. quibus modis testamenta infirmentur. lib. 2. tit. 17.

(c) Leg. *Quod si*. 4. ff. de adimendis vel transfer. legatis. &c. lib. 34. tit. 4.

(d) Leg. *Translatio*. 6. ff. eod. tit.

(e) Cit. Leg. *Tunc autem*. Item Leg. *Casus*. 8. Cod. de testamentis, & quemadmodum testamenta ordinentur. Lib. 6. tit. 23.

(f) Cit. Leg. *Tunc autem*.

(g) Leg. *Hac consultissima*. 2. in fin. Cod. de testamentis, &c.

CASUS XX.

Hidulfus, colonus sese cernens oppressum morbo gravissimo, facit suum testamentum coram uno Notario, præsente ibidem amico quodam, qui solus testis eidem adjungitur, quo testamento legat Fabiano quidem summam 50. librarum; Natali vero suo amico summam centum librarum; & consanguineo cuidam in gradu remoto libras 200. Quo testatore mortuo, ipsius filii negant, velle sese prædicta legata persolvere, propterea quod, inquiunt, nullum omnino sit illud testamentum; cum Legibus Gallici Regni cautum sit, ne testamentum valere censeatur, nisi fuerit confectum coram duobus Notariis; aut saltem coram uno Notario, cui duo testes adjungantur; vel denique nisi recipiatur a proprio Parocho, cui quatuor præterea testes adhibeantur *(h)*: unde concludunt, siquidem testamentum Hidulfi sui patris non fuerit confectum nisi coram unico Notario cui testis aderat unicus tantummodo; illud nullius prorsus roboris esse censendum, neque ex eo quidquam proinde sibi induci obligationis. Quæstio habetur, num prædictis liberis jus succurrat, atque utrum recta conscientia possint sese a tradendis præfatis tribus legatis subducere.

Respons.

Exstant plurimi Auctores tam Theologi, quam juris tum Canonici, tum Civilis interpretes, *(i)* qui censent, testamentum vi juris naturalis nihilominus valere; licet in eo deesse reperiantur vel una, vel plurimæ solemnitates legibus præscriptæ.

Quam suam opinionem probant præfati Doctores; 1. Lege quadam Codicis *(K)*, in qua fertur, adversus eum, qui tradidit fideicommissum, quod sibi fuerat ab aliquo moriente mandatum, ea de re non succurrere actionem heredibus defuncti; quamquam in testamento defuncti de eo nihil sermonis occurrat; neque posse ab eo rem repeti, quam dedit; quoniam non ipsa tantummodo considerand sunt verba testamenti, sed inspicienda præterea est voluntas testatoris, quam debet ille testificari, qui concreditum fuerat fideicommissum. *Frustra ab heredibus ejus* (defuncti) *de ea re quæstio tibi movetur; cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* 2. Auctoritate Imperatoris Justiniani *(l)*, qui statuit, si quis moriens heredi suo mandatum fecerit, ut alicui, quem ille eidem indigitavisset, rem aliquam traderet; & heres deneger rem illam in manus illius deponere sub eo prætextu, quod ea de re nihil in testamento caveatur, aut quia testamentum illud nullum est ex defectu solemnitarum quæ Legibus præscribuntur; esse *necesse eum* (heredem) *habere, vel jusjurandum subire, quod nihil tale a testatore audiverit, vel recusantem ad fideicommissi vel universalis, vel specialis solutionem coarctari; ne depereat ultima voluntas testatoris fidei heredis commissa.* Quæ ipsissima verba sunt Imperatoris laudati. Ex quibus inferunt Auctores appellati, ad illud leges potissimum attendere, ut testatorum voluntas perficiatur; atque adeo solemnitates, quas ipsæ constituerunt, nihil aliud esse, quam simplices tantummodo cautiones, quas omnino necessarias judicaverunt, tum ut de earum auctoritate certo certius constaret, tum ut dolis & fraudibus occurreretur, quæ possent adhiberi, ut ultimæ voluntates alicujus morientis exsecutione sua defraudarentur: proindeque, si verbis expressis non ratum faciant testamentum, in quo desunt prædictæ solemnitates ac formulæ; inde

(h) Edict. Blesens. art. 63.

(i) Dom. Sotus. l. 4. de just. & jure. q. 5. Portus de Arragonia in 2. 2. de justitia. q. 62. valet. Reginaldus prax. fori pœnit. lib. 25. n. 105. Abbas in cap. *Quia plerique*. de immunit. Ecclesiæ. Petrus Ancharanus in Reg. *Possessor*. de Reg. Juris in 6. S. Anton. sum. theol. ad cit. cap. *Quia plerique*. Innocentius in cap. *Quod sicut*. de Electione &c. Bartholus, tract. de minorit. c. 3. Jason. in Leg. *Si non fortem*. init. ff. de condict. indebit.

(k) Leg. *Etsi*. 2. Cod. de fideicommissis. lib. 6. tit. 42.

(l) Lib. 2. Institut. tit. 23. de fideicom. hereditatibus. §. fin.

Inde præsertim fieri, quod fraudem aliquam in eo subodorentur: atque consequenter, cum nihil ambigitur de voluntate testatoris, induci obligationem ejusdem exsequendæ, licet vitiosum sit ipsius testamentum; siquidem nihil magis consentiat æquitati naturali, quam ut cuilibet liberum permittatur, ut de suis rebus possit, qua sibi ratione libuerit, & in gratiam illius qui sibi magis placuerit, disponere; quemadmodum ait laudatus Imperator istis verbis: (*a*): *Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.*

(*a*) Lib. 2. Institut. tit. 1. de rerum divisione. § *Per traditionem*. 4.

En, fatemur, rationum argumenta, quæ videntur certe ponderis esse omnino gravioris: nihilominus iis opponuntur alia rationum argumenta, quæ nec suo pondere sunt inferiora, nec ad convincendum minus idonea; quibus vel etiam multo luculentius favent Civiles Leges, quæ aperte declarant, testamentum censendum esse ut non factum, cui deest aliqua solemnitas requisita: *Imperfectum testamentum sine dubio nullum est*, inquit Imperator Justinianus (*b*). Quod idem ex professo constituitur una quadam e Legibus prædictis, in qua fertur: (*c*) *Non subscriptum autem a testibus, ac non signatum testamentum pro infecto haberi convenit.* Quæ citata lex non excipit a constituta ista regula, nisi unicum dumtaxat casum, qui spectat ad liberos ipsius testatoris in quorum gratiam imperfectum etiam testamentum effectum suum debet obtinere; nequaquam vero in nullius alterius favorem, quicumque esse possit.

(*b*) Lib. 2. Instit. 17 §. *Ex eo*. 7.

(*c*) Leg. *Hac consultissima*. 21. Cod. de testam. &c.

Equidem verum est, id potissimum intendi Romanis Legibus, ut voluntas testatoris perficiatur: at nullatenus verum est easdem constituendo formulas ac solemnitates, quas præscribunt, ut ratum fiat aliquod testamentum, ad nihil aliud attendisse, quam ut fraudibus occurreretur, quarum ope posset illius effectus impediri. Constat etenim, illas præterea voluisse certas regulas constituere, quibus posset illud idem legitime confici: quibus quidem regulis, utpote quæ fuerint a superioribus præscriptæ, æquum ac necessarium est, subditos parere.

Videtur ergo hæc altera opinio priore potior habenda: ultro namque fatemur, occurrere plurima, quæ, licet ad normam ac præscriptum Legum non accommodata, nihilominus valent saltem plurimis in regionibus; qualia sunt matrimonia filiorumfamilias, invitis eorum patribus aut matribus, tutoribus vel curatoribus, contracta. Talia sunt etiam matrimonia celebrata, non prævitis solemnibus futurarum nuptiarum denuntiationibus, vel non obtenta temporis ab Ecclesia prohibiti dispensatione: qua de caussa summus Pontifex Innocentius III. scribens ad Pisanum Archiepiscopum (*d*), ait: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* At de eo etiam consentiendum est, nempe, cum lex præscribit aliquam formam quæ necessario debet alicui instrumento accedere, nec illa forma observatur, omnino nullum esse ejusmodi instrumentum: atque in eo sensu intelligenda est ista regula juris (*e*): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*; & lex, quæ ait (*f*): *Mutata forma prope interimit substantiam.*

(*d*) Innoc. III. in cap. *Ad Apostolicam*. 12. de Regularibus & transeuntibus ad Religionem. lib. 3. tit. 31.

(*e*) Reg. 64. de reg. Juris in 6.

(*f*) Leg. *Si quis*. 3. ff. ad exhibendum.

Jam vero facili negotio dignoscitur, quandonam forma requiratur, tamquam pertinens ad substantiam alicujus instrumenti: Nam qua lege constituitur, semper occurrit clausula rescindens, quæ declarat illud instrumentum toties irritum esse, quoties in eo præscripta formula omittitur; atque hoc ipsum deprehenditur in præsenti, quam inspicimus, difficultate. Est hæc etenim lex totius Galliarum imperii lata in Edicto Blesensi, quod in proponendo casu allegatur, ut omne testamentum, quo valeat, necessario recipiendum sit, quemadmodum observatum est, a duobus Notariis, aut saltem ab uno Notario, præsentibus ibidem duobus testibus, aut tandem a proprio Parocho, vel ipsius Vicario, qui sit ex litteris Vicarii Generalis institutus; quæ fuerint, ut par est, in publicas tabulas relatæ; cui Parocho, vel Vicario testes quatuor adjungantur: unde sequitur, testamentum Hidulfi esse nullum, quippe quod peccet quantum ad formam suam essentialem.

Quæ nostra sententia confirmari potest Decretali quadam Alexandri III. (*g*), in qua, quamquam laudatus summus Pontifex moneat judices, quibus illam inscribit, ne sententiam ferant ad strictos Legum Civilium apices omnino accommodatam, cum agitur de testamentis factis propter pias caussas, hoc est, in favorem Ecclesiæ, vel xenodochiorum; licet in iis desiderentur quædam formulæ legibus præscriptæ, atque ut rata ac valida denuntient istius generis testamenta; jubet nihilominus, ut eadem nec rata nec valida comprobent, nisi cum confecta fuerint coram duobus aut tribus testibus. *Mandamus*, inquit, *quatenus, cum aliqua caussa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges; sed secundum Decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis*: Exigitque in alia quadam Decretali, quam inscribit Episcopo Hostiensi (*h*), eumdem numerum testium adhiberi debere ad conficiendum quodcumque aliud testamentum. At prædictæ Decretales non debent apud nos, absolute loquendo, vim obtinere statutorum. Inhærendum enim est Legi Principis, juxta quam, testamentum irritum est. Quam sententiam Sylvius tenet (*i*), cui etiam adhæret celebertimus Covarruvias, qui eamdem probat plurimis auctoritatum testimoniis stilo fusiori deductis (*K*), ac refellit omnino copiose atque luculenter rationum argumenta, quæ ab iis proferuntur, qui tuentur sententiam oppositam.

(*g*) Alex. III. in Cap. *Relatum*. 11. de testamentis &c. lib. 3. tit. 26.

(*h*) Idem in Cap. *Cum esses*. 10. eod. tit.

(*i*) Fr. Sylvius resol. variorum. v. *Contractus*. 2. resp. ad quæsitum. 2.

Quoniam vero videtur ista difficultas plurimis intricata nodis, non abs re futurum esse putamus, quod intermedia quædam inter opinionem utramque sententia excogitaretur, qua statueretur, in foro quidem conscientiæ judicandum esse in eorum favorem, qui possidere deprehenduntur, donec sententia Judicis circa testamentum intervenerit, si super eo moveatur aliqua controversia; cum ea sit intentio Legum, ut possessio iis vindicetur, qui eamdem bona fide retinent, quoadusque jura ab iisdem præsumta discussa plenius fuerint, atque ultimo ac supremo judicio determinata: atque adeo non induci obligationem legatario, vel heredi rem restituendi, quam possidet ex testamento informi, quando revera voluit testator, ut eidem ipsa relinqueretur; siquidem ad verum prorsus accedat, ex possessione illo jure roborata, quod, juxta Patronos propositæ priori loco sententiæ, ex isto imperfecto testamento consecutus est, posse in foro interiori exsurgere jus sufficiens, vi cujus possit ejusdem rei sibi retinere possessionem, quemadmodum in aliis casibus, qui nimiam præ se ferunt difficultatem & obscuritatem (*l*). At ex altera parte non impediantur heredes naturales, quominus agant in ipsum testamentum, atque super ejus auctoritate in judicio contendant; licet sint de voluntate testatoris omnino certiores; & unicuique proinde permittatur, ut jus suum pro bona sua fide defendat. Sic censet Cabassutius (*m*), qui, præsenti difficultate in utramque partem agitata tandem concludit, justo prædicto medio potissimum standum esse. *Si tamen lis intentetur*, inquit eruditus iste Professor, *standum erit ultimæ ac supremæ Judicis sententiæ*. Quam eamdem partem plurimi etiam Auctores amplectuntur (*n*).

(*K*) Covarruvias in c. *Cum esses*. de testam. n. 14. De solemnibus testamentis & testibus. t. 1. pag. 30. *Colloq. Condom. tom.* 2. *Coll.* 1. *sect.* 4.

(*l*) Lucius III. in cap. *Ex litteris*. 3. de probationibus. lib. 2. tit. 10.

(*m*) Joann. Cabassut. in jurican theor. & prax. lib. 6. c. 5.

CASUS XXI.

Honoratus, scripto testamento, quo rebus Placidi unius e suis consanguineis plurimum providebat, voluntatem paullo post immutavit, & cum declaravisset duobus aut tribus quibusdam, jam omnino nolle se, ut prædictum testamentum locum obtineret, cœpit alterum facere: sed non potuit illud absolvere, quamquam ad finem illius fere pervenisset, & morte correptus est, priusquam eidem chirographum suum apposuisset. Qua de re habetur quæstio, utrum, nihil obstante prædicta declaratione, quam viva voce significavit, & ex iis quæ modo scripserat, uberius confirmavit; prius testamentum roboris sui firmitatem obtineat; ac debeat effectum suum consequi, præsertim quantum ad placidum?

(*n*) Sayro de just. & jure lib. 4. q. 5. art. 3. Bannes. disp. 3. ad q. 62. Ludovic. Bela puncta de furto ex damna data. casu 3. Thom. Sanchez lib. 4. consil. c. 3. Collaq. Petracor. tom. 5. colloq. 6. q. 2.

R e-

Digitized by Google

Respons.

Existimamus, nec ex declaratione, quam Honorius significavit, nec ex posteriore testamento, quod incepit scriptis mandare, nequaquam posse rescindi, nec aboleri, quod scripserat priori loco testamentum. Ut enim habet Auctor operis cujusdam, quod reperitur inter opera S. Chrysostomi, (a) *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Atqui, quod testamentum valeat, non habetur ex sola voluntate Testatoris, sed ex solemnitatum formulis, ac conditionibus, quæ jure requiruntur. Ergo non potest irritum fieri, nec rescindi, nisi per aliud instrumentum, in quo prædictæ earumdem formularum, ac solemnitatum conditiones rite fuerint observatæ; juxta regulam istam a Bonifacio VIII. constitutam; (b) *utile non debet per inutile vitiari*. Ex quibus infertur, siquidem nec Declaratio, quam Honorius habuit, nec informis tabula posterioris testamenti, quod animo adjecit conficere, non sufficiant juxta dispositionem juris, ad rescindendum instrumentum tam solemne, tantique momenti, ac testamentum legitimum; priori ipsius testamento robur totum conservandum esse, ac locum consequendi proprium suum effectum nihil obstante, quod sensum ea de re contrarium iis ostenderit, qui memorantur in specie proposita, nec adversante testamento, quod scriptis jam inceperat mandare; cum jure nihil quidquam uspiam conferatur auctoritatis neque ejusmodi declarationi, neque ejus generis scripto, adversus instrumentum tanto robore firmatum: Quod quidem confirmari potest ista alia regula præfata Summi Pontificis Bonifacii VIII. (c) *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*. Quam Decisionem suggerit Dominus de Genet (d), qui eamdem accommodavit ad sequentem Legem Imperatoris Justiniani. *Ex eo autem solum non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere: usque adeo, ut & si quis post factum prius testamentum posterius facere cœperit, & aut morte præventus, aut quia eum ejus rei pœnituit, id non perfecerit; divi Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulæ priores jure factæ irritæ fiant, nisi sequentes jure ordinatæ, & perfectæ fuerint; nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est.*

(a) Auctor Operis imperfecti in Math. apud S. Chrysost. in Cen. Omnia 4. 27. q. 2. & c. Omnis de Regulis Juris in antiq.

(b) Reg. 37. de reg. Jur. in 6.

(c) Reg. 52. ib.

(d) De Gen. synopsis Instit. Justiniani l. 2. tit. 17. n. 2. to. 2. Theol. Moralis.

CASUS XXII.

Sixtus Parisinus Civis, cum dictavisset suum testamentum, idemque curavisset scribi propria manu Antonii sui amici, atque ei subscripsisset, post dies ab illinc paucos decessit. Ipsius hæredes controversiam Legatariis faciunt de plurimis legatis, quæ prædicto testamento reliquit, propterea quod, juxta legem a Principe constitutam, non tantum instrumenti ipsius contextui subscribendum sit a Testatore, verum etiam ipse totus propria ejus manu scribendus sit, pœna alioquin imposita, quod ipsum instrumentum vitiosum, ac nullum habeatur. Numquid possunt hæredes prædicti præfatorum legatorum sub ejusmodi prætextu denegare tuta conscientia solutionem?

Respons.

De proposita difficultate variæ sunt Doctorum opiniones ut superius jam monuimus. Sylvester Monolinus (e), & cum eo alii quidam censent, valere testamentum, ex eodemque juxta conscientiam hæredibus obligationem induci solvendorum legatorum, etiamsi Testator in eo solemnitates, vel formulas legibus præscriptas omiserit, quin etiam licet illud nonnisi viva voce factum fuerit.

In aliam sententiam ex adverso oppositam discedunt alii Auctores, ut Covatruvias, atque plurimi alii, quos laudatus Hispanus Episcopus appellat: Quamquam autem in eorumdem sententiam abeat Sylvius, (f) opinatur nihilominus, ut probabilem posse defendi priorem opinionem.

(e) Sylvest. de Prierio v. Testamentum c. q. 5. §. Quartum.

(f) Fr. Sylv. resol. var. v. Testamentum 4. resp. ad 1. quæsitum.

Juxta receptum apud nostram Gentem usum; absolute necessarium est, testamentum, quod non conficitur a Notariis, *scribi in integrum propria manu Testatoris, eidemque ab eo subscribi*, ut fertur in Consuetudine Parisiensi, (g) ad cujus normam plurima fuerunt a Supremo Parisiensi Senatu pronunciata arresta, quibus irrita denuntiata sunt testamenta, in quibus prædictus formulæ defectus occurrebat. Quorum duo referuntur a D. de Ferriere (h) in ipsius in præfatam Consuetudinem Commentario, prius quidem latum secundo Maji 1601. alterum vero pronunciatum in primario Tribunali die Lunæ 8. Martii 1638. quo confirmabatur sententia Ballivii Ambianensis, qui declaraverat quoddam testamentum irritum ex defectu chirographi Testatoris, quamquam, quo tempore illud fecit, eum attigerit pestilentia; atque illud idem ex fenestra sui cubiculi propter contagionis periculum Notariis dictavisset.

(g) Consuet. Parisiens. art. 289.

(h) D. de Ferriere in Consuet. Paris. t. 3. pag. 351.

Quæ Jurisprudentia Regum Gallicorum Edictis inducta est, ac potissimum Edictis Aurelianensi anni 1550. & Blesensi (i) anni 1579. quibus cautum est, atque Notariis injunctum, ut curent, quæcumque sunt confecturi, tum ab ipsis partibus, tum a testibus, omnibus instrumentis sive testamentis, sive cœteris quibuslibet apponi chirographum, *alioquin tum contractus, tam testamenta, sive alia quæcumque instrumenta nullius sint nec roboris, nec effectus*. Quæ ipsissima verba sunt Edictorum memoratorum.

(i) Edict. Aurelian. ar. 185. Edict. Blesen. art. 63. & 563.

Juvat nihilominus observare, prædictorum Edictorum articulos, quantum ad Chirographum testamentis adscribendum, non fuisse receptos in aliquibus Gallici Regni Parlamentis, ut in Tolosano Parlamento, & in supremo minoris Britanniæ Senatu, quemadmodum notat prædictus Consuetudinis Parisiensis scriptor; atque adeo standum esse usui, qui servatur in jurisdictionibus Parlamentorum, in quibus invaluit Jurisprudentia contraria.

Ex dictis colligitur, cum Sixtus, de quo quæstio proponitur, subjiciatur jurisdictioni supremi Parisiensis Senatus, in quo plurimum obtinent Edicta Aurelianense & Blesense, habendum esse illius testamentum ut nullum; siquidem illud propria manu non scripserit, qua ratione præscribitur Consuetudine Parisiensi, quæ quidem verbis expressis jubet, ut Testator proprio suo testamento non tantummodo subscribat; sed & ipsius contextum integrum manu propria scribat: atque ita procul dubio judicaretur in foru judicii externo. Et revera quidem narrat D. Brillon (K) pronunciatum fuisse a supremis Senatoribus rubris togis indutis Arrestum quoddam in causa, quæ fuerat inscripta Decreto Consilii 21. Martii 1581. occasione cujusdam legati, quod fuerat pauperibus relictum anno 1559. a viro quodam, cui nomen erat Jacobus Prestjan, testamento quidem, cui propria sua manu subscripserat, sed quod aliena famuli ipsius manu totum fuerat scriptum; quo quidem Arresto testamentum illud declaratur vitiosum, nec legitimum, quamquam in eo contineretur causa pii legati. Addit præterea memoratus Auctor, idem judicatum fuisse mense Januarii anno 1586. ut licet legere in Bibliotheca Canonica Bouchel. (l) item alio Arresto, quod latum est 7. Februarii 1622. alio, 22. Februarii 1638. & alio, 31. Januarii 1645.

(K) D. Brillon Diction. Arrestorum. v. Testamentum n. 137. 139. 143. 144.

(l) Ludovic. Bouchel Biblioth. Can. v. Testamentum.

CASUS XXIII.

Sidonius habens domicilium suum in Pago quodam sex circiter Leucas ab Urbe distanti, & posito intra limites Jurisdictionis consuetudinis Parisiensis, fecit suum testamentum coram Vicario suæ Parœciæ, præsentibus ibidem quatuor locupletissimæ fidei testibus, qui eidem suum apposuerunt chirographum, Parocho Pago absente, in quo nullus instituitur, nec residentiam habet Notarius. Num valet istud testamentum; & ipsisne hæredibus incumbit ex officio conscientiæ, illud idem executioni mandare; præsertim cum perspectam & exploratam habeant voluntatem ipsius Testatoris.

Ra-

RESPONS.

Sidonii testamentum ratum est, atque validum, si Vicarius, a quo receptum fuit, habeat litteras institutionis Vicarii generalis, quibus sit ab ipsius Parocho subscriptum, & quæ fuerint in publicas Fori sæcularis tabulas relatæ: In eo namque casu personam proprii sui Parochi gerit, ac repræsentat, penes quem de jure est, ut valeat omnia quæcumque testamenta recipere; modo tres ei testes adjungantur juxta Parisiensem Consuetudinem: (*a*) alioquin nullius roboris est, secundum eam, quæ apud nostros Gallos invalescit, Jurisprudentiam, qua prædicta formula requiritur ad illius authoritatem: *Obligabuntur prædicti Parochi*, ait Consuetudo Parisiensis, (*b*) *ad concedendas litteras Institutionis Vicarii Generalis; easdemque curandum referri in publicas Tabulariorum forensium Regiorum tabulas, quantum ad Paræcias intra limites urbium constitutas, & in quibus sedet aliquis Regius Judex; quantum vero ad alia loca, in tabulas ordinarii eorumdem locorum Fori, priusquam Vicariis jure gaudeant ullius recipiendi testamenti*. Ex quibus verbis inferre licet, non esse quidquam obligationis, quamobrem hæres Sidonii ad strictos litterarum apices, atque summo considerato jure, demandent executioni, quas providit in suo testamento, dispositiones, si Vicarius, quo præsente, confectum fuit, non sit ex litteris ejusmodi institutus.

(*a*) Consuet. Parif. art. 289.

(*b*) Idem art. 290.

Nihilominus verum est, extare rationum argumenta, quæ videntur esse ponderis prorsus gravissimi, & quibus opinio contraria videtur plumum roborari, ut jam diximus in decisione vigesima; quin etiam hic loci quædam ex eis subjiciemus, quæ nondum allegata fuerunt. Gregorius IX. (*c*) verbis expressis declarat obligationem induci solvendorum legatorum, licet nullo sole minori testamento jussa fuerint, sed mera tantummodo declaratione verbis ipsius Testatoris simpliciter expressa. *Cognovimus*, ait laudatus Summus Pontifex, *quod moriens uxor redempti concham argenteam nudis verbis jussit venundari, & suis dari libertis; & scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquisse; in quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri*. Atqui patet in proposita specie, quiddam occurrere, quod nudis tantum verbis expressa a Testatore declaratione simplici multo locupletius est; siquidem præterea scriptum accedat, cui tum chirographum, tum testimonium a Sacerdote & quatuor fidei locupletissimæ testibus apponitur. Plurimas alias Decretales, Legesque Romanas memoravimus, quæ prorsus favent iis, quæ Gregorius IX. eo loci declarat. Sic etiam ea de re S. Antoninus habet: (*d*) *Nota, quod, cum quis sanus; vel infirmus, qui est sanæ mentis, ultimo disponit de bonis suis, de quibus potest disponere, per simplicem scripturam, vel verba solum, non violentatus; vel circumventus; sed libere sine Notario, & testibus debitis: standum est ejus tali dispositioni in foro conscientiæ, & hæredes, quibus hoc constat, certudinaliter tenentur ad observandum illud: etiamsi prius per solemne testamentum aliter disposuerat*.

(*c*) Greg. IX. in Cap. Judicante 4. de testam. &c.

(*d*) S. Antonin. 3. pa rt. summ. theol. tit. 10. art. 3.

En auctoritatum testimonia, quibus simul & iis, quæ superius laudata sunt, debetur equidem plurima veneratio: At Jurisprudentia nostra frequentata passim in omnibus Gallici Regni Curiis supremis nullum sibi fundamentum vindicat, neque ex Decretalibus summorum Pontificum, neque ex legibus Romanis, neque ex opinione Doctorum, qui degunt ultra montes, sed ex sola voluntate Principis manifestata par publicam legem, quæ fuerit & comprobata, & acceptata, vel ipsa Consuetudo, quæ apud varias Provincias invalescit, loco regulæ nobis esse debet in ipso etiam interiori conscientiæ foro quantum ad dispositionem bonorum temporalium testamento ordinatam.

CASUS XXIV.

ROMUALDUS fecit suum testamentum coram uno Notario; & duo quidam, qui tunc temporis viri erant vitæ prorsus integerrimæ, eidem tanquam testes subscripserunt: At unus ex iisdem, facto postmodum homicidio, capite fuit damnatus, vel datus ad remum perpetuum; alter vero factus est omnino insanus. Numquid nihilominus prædictum testamentum retinet roboris sui firmitatem?

RESPONS.

Ad propositam quæstionem respondemus, nihilominus stare Romualdi testamentum, non obstante prædictorum duorum testium status immutatione: sufficit etenim, ut valeat aliquod testamentum, testibus, qui eidem subscripserunt, eam conditionem competiisse, quæ in illis requiritur, tunc temporis, cum ibidem adfuerunt; licet postmodum iis aliquid accedat, unde fiant ad hoc ipsum aliquatenus inhabiles. Ita lege constituitur, quæ fert: (*e*) *Conditionem testium tunc inspicere debemus, cum signarent, non mortis tempore: si igitur tunc, cum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possint: nihil nocet, si quid postea eis contigerit*. Quod idem fit apertum ex dispositione alterius legis, quam adire licet in codicem Justiniani (*f*).

(*e*) Leg. Ad testium 22 §. 1. ff. qui testam. facere possunt &c. l. 28 tit 1.

(*f*) Leg. Testes 1. Cod. de testam. &c. l. 6. tit. 3.

CASUS XXV.

VERANUS Civis Macloviensis, qui rem totam, qua gaudet, retulit ex negotiatione, cuique nulli sunt Consanguinei, nisi in gradu cognationis remotissimo, quibuscum nullo necessitudinis vinculo conjungitur, facit suum testamentum quo liberum omnino permittit Henrico antiquo suo, atque intimo amico, ut, ipsemet quemcumque libuerit, ejus hæredem, vel ex asse legatarium instituat cum onere piorum quorumdam legatorum solvendorum. Post dies ab illinc octo, mortuo Verano, Henricus constituit Benedictum in quinto consanguinitatis gradu cum defuncto conjunctum. Num valet istud testamentum, & Jus-ne Benedicto cedit successionem Verani?

RESPONS.

Equidem verum est, eum usum in regionibus quibusdam invalescere, ut possit aliquis sibi quemdam eligere, cui potestatem facit disponendi de suis bonis, atque, ea de causa nomine suo, quemcumque libuerit, instituendi hæredem. Atque hoc ipsum permittunt Hispanæ leges, cum in Regno Hispaniæ usus obtineat, ut cui commissa fuit a defuncto cura ipsius testamenti conficiendi, quem Hispani consueverunt appellare, *Cometido a fezer testamento*, is valeat quemcumque voluerit hæredem defuncti nominare, non ei tamen permissa potestate semetipsum instituendi (*g*). At ejus generis testamentum, juxta receptam apud nostros Gallos Jurisprudentiam, nequaquam ratum habetur. Neque enim in Gallia testamentum ullum, ut ratum ac validum admittitur, nisi illud solummodo, in quo verbis expressis continetur propria voluntas testatoris circa dispositionem illius bonorum, non vero aliena voluntas: Neque revera quidem illud videtur nec æquitati, nec prudentiæ esse consentaneum, ut institutio hæredis alii permittatur, quam ei, qui vult de propriis suis bonis disponere; quoniam facile posset contingere, mandatarium abuti potestate, quæ ei relinqueretur a Testatore; utendo non legitime bonis, quæ fuissent ejus dispositioni commissa, præterquam quod, qui ab ejusmodi mandatario designaretur, beneficium istud magis acceptum referret ei, a quo fuisset hæres defuncti constitutus, quam vagæ, atque incertæ voluntati ipsiusmet defuncti.

(*g*) Leg. 11. per tot. Et additam. ed. leg. Alphonsi IX. Part. 6.

Atque in eo Juri Romano consentit, quæ apud Gallicam gentem jurisprudentia frequentatur; En namque qua ratione quantum ad eam rem concipitur una quædam lex deprompta de legibus digesti. (*h*) *Illa institutio, quos Titius voluerit, ideo vitiosa est, quod alieno arbitrio permissa est: nam satis constanter veteres decreverunt testamentorum jura ipsa per se oportere: non ex alieno arbitrio pendere*.

(*h*) Leg. Illa. 32. ff. de hæredibus instituendis l. 28. tit. 5.

Asse-

Afferendum ergo eſt, teſtamentariam diſpoſitionem Verani, qua poteſtatem Henrico fecit, ſibi conſtituendi heredem aut legatarium univerſum, eſſe penitus vitioſam ac inordinatam; atque adeo nullum jus Benedicto ſuccurrere, quo valeat in poſſeſſionem bonorum defuncti venire (a) cum damno conſanguineorum, qui propinquiori cognationis gradu cum eo conjunguntur.

(a) D. Domat. L. Civil. &c. tom. 3. pag. 301. Edition. in 4.

CASUS XXVI.

Simeon commorans intra limites juriſdictionis Pariſienſis Tribuni, propter anguſtias temporis coactus heic & nunc ſuum ſcribere teſtamentum, nec ad manum habens teſtes quos adhibere ſibi vellet; illud ſcribendum mandat cuidam Notario de vico in quo ipſe habitat, cui teſtem unum adjungit quemdam juniorem annos natum tredecim, ſimul cum ejuſdem junioris matre & matertera, a quibus ſuo teſtamento facit ſubſcribi. Num validum, ac ratum eſt ejuſmodi teſtamentum?

Respons.

Ad auctoritatem afferendam teſtamento Simeonis nullatenus ſufficiunt prædicti teſtes. 1. Namque conſtituuntur impuberes prorſus inhabiles ad dicendum in præſenti materia teſtimonium. (b) 2. Nec valent quoque mulieres teſtamento conficiendo loco teſtium adeſſe: *Mulier in teſtamento quidem teſtimonium dicere non poterit*, ait lex (c): Quod ſtatutum robur novum accepit ex recentiore Jure Romano, in quo Juſtinianus Imperator (d) ſic conſtituit: *Neque mulier, neque impuberes ... poſſunt in numero teſtium adhiberi*. Rationem vero ſubdit Gloſſa quantum ad mulierem, quia nimirum eſt *fragilis, & corruptibilis*.

(b) L. *Hac conſultiſſima*. 21. C. de teſtam. & quemadmodum teſtamenta ordinentur. Lib. 6. tit. 23.

(c) Leg. *Qui teſtamento*. 20. §. 6. ff. Qui teſtam. facere poſſunt &c. Lib. 28. tit. 1.

Exigit Conſuetudo Pariſienſis (e), ut, qui teſtis adhibetur in aliquo teſtamento, annos ſit natus 20. nec inter legatarios recenſeatur; *ſint prædicti teſtes idonei, ſufficientes, mares & annos 20. nati, nec legatarii*. Patet ex iſta voce, *mares*, juxta memoratam Conſuetudinem mulieres etiam non magis poſſe ſcribendo aliquo teſtamento loco teſtium adeſſe, quam ſecundum leges Romanas (f), quibus vel etiam in iis regionibus inſiſtendum eſt, in quibus conſuetudines nihil ea de re ferunt expreſſum; ut obſervat D. de Ferriere in Conſuetudinem Pariſienſem. (g)

(d) §. *Teſtes*. 6. Inſtitut. de teſtam. ordinandis. Lib. 2. tit. 10.

(e) Conſuet. Pariſienſ. art. 289.

(f) Citat. §. *Teſtes*, & L. cit. Qui teſtamento.

(g) Claud. De Ferrier. tom. 3. pag. 341. n. 11.

Neque vero abs re erit advertere, exiſtimaſſe tum ipſam Gloſſam (h), tum plurimos Doctores, mulieres adhiberi poſſe loco teſtium in faciendis Codicillis; qui, licet ſint quædam quaſi voluntatis ultimæ ſpecies, non requirunt tamen ejuſmodi ſolemnitates quas exigunt teſtamenta, in quibus adeo poſſunt mulieres in numero teſtium adhiberi, ſaltem in iſtis regionibus; quarum Conſuetudines nihil ea de re determinant. At reponendum eſt, 1. Neque Gloſſam, neque ſententiam prædictorum Doctorum ullatenus inniti legis auctoritate. 2. Nuſpiam occurrere legem, vi cujus iſta prærogativa mulieres gaudeant, atque, ſi quidem legibus excludantur quantum ad teſtamenta, cenſendas quoque eſſe quantum ad codicillos excludi; cum ſecundum ipſammet Gloſſam mulier ſit & *fragilis*, & *corruptibilis*. 3. Quæ apud Galliam obtinent, teſtamenta licet poſſint non haberi, niſi tamquam codicilli juris Romani, habere nihilominus ſolemnium veri nominis inſtrumentorum rationem, qualis ineſſe poterat teſtamentis, de quibus jus memoratum facit mentionem: quamquam enim in teſtamentis conficiendis noſtris temporibus apud noſtram Gallicam gentem, quæ antiquitus obſervabantur ſolemnitatum formulæ, jam adhiberi ceſſaverint: jure moribus inducto, aliæ ſucceſſerunt, quibus non minus ſolemnia redduntur, quam teſtamenta ſcribi conſueta in regionibus juri ſcripto ſubjectis: quod quidem ſic obſervatur a Scriptore toties jam appellato in Conſuetudinem Pariſienſem.

(h) Gloſſa in Leg. fin. Cod. de Codicillis. v. *Quinque teſtes*.

Juvat ergo Concludere, teſtamentum Simeonis irritum prorſus eſſe, ac nullius roboris ex defectu nimirum teſtium idoneorum. Nam quod ſpectat ad illum juniorem, qui natus eſt annos tantummodo tredecim, nihil in eo peculiaris eſt difficultatis, ſiquidem, ut quis valeat teſtamento ſcribendo teſtis adeſſe, cum oporteat juxta Conſuetudinem Pariſienſem ad annum ætatis vigeſimum perveniſſe. Sed neque ulli obnoxium eſt controverſiæ illud, quod attinet ad matrem & materteram ejuſdem junioris, cum eadem Conſuetudine mulieres abſque exceptione prorſus interdicantur. Memorat ea de re D. de Ferriere Arreſtum, quod refert Tournet, quodque pronuntiatum fuit 8. Maii 1599. circa Pentecoſten a ſupremo Pariſienſi Senatu, quo nullum declaratur teſtamentum quoddam, cui mulier una ſubſcipiſſet, complens numerum trium teſtium, qui cum Parocho (i) ſeu Generali ipſius Vicario debent adeſſe præſentes.

(i) D. de Ferriere. Ibid. n. 13.

Ceterum plurimi intereſt hoc meminiſſe; ſcilicet teſtes adhiberi nequaquam valere in ſcribendo aliquo teſtamento, nec mente captos, nec infames, nec publicos feneratores, neque etiam eos qui legatarii ſunt. Immo nec ipſi etiam Religioſi poſſunt loco teſtium ibidem adeſſe, juxta Arreſtum Pariſienſis Parlamenti latum in prætorio Primarii Tribunalis 29. Martii 1659. (k). Nihilominus iidem in regionibus ad normam ſcripti juris regii conſuetis admittuntur, ut notat Guido Papa (l); qui fidem facit; vidiſſe ſic judicari in ſuprema Gratianopolis Curia, in qua munere Senatorio inſigniebatur. Quod idem quoque Paponus teſtatur (m) in ſuis Arreſtorum collectatteis, in quibus unum recenſet pronuntiatum anno 1469. Et Cambolas ſimiliter aſſerit, (n) eum invaleſcere uſum apud ſupremum Senatum Toloſanum. Atque re vera quidem videtur, iſta prærogativa eos potiſſimum fore donandos tum in regionibus ex præſcripto Conſuetudinum ſolitis regi, tum in iis locis in quibus ad normam ſcripti juris degitur; ſiquidem ipſum vitæ ſanctiſſimæ quod ſequuntur, inſtitutum eos in rei veritate digniores præ ceteris efficiat, qui veniant in ultimæ voluntatis alicujus teſtatoris teſtimonium: ſed in ea re ab uſu qui frequentatur, nullatenus recedendum eſt.

(k) Idem ibid. n. 8.

(l) Guido Papa q. 517.

(m) Papon. L. 9. tit. 1. n. 32.

(n) Cambolas lib. 5. c. 37.

CASUS XXVII.

Chrysantus ſuum condidit teſtamentum, quo prohibet Leoni filio fratris ſui, vel ſororis ſuæ, atque ſuo jure Legum heredi primario, ne poſt ipſius obitum hereditatem ejus adeat ex beneficio rerum hereditariarum recenſionts, ſibi animo fingens futurum ut inde tum famæ, tum memoriæ ſui nominis dedecoris plurimum inureretur; atque præterea clauſulam addidit, contingente caſu, quod ipſius hereditatem ea ratione cerneret, a ſeſe ſuo conſanguineo Bertrando ſummam relinqui 2000. librarum. Poſt ipſius deceſſum Leo ſeſe tulit pro herede Beneficiario: qua de re Bertrandus exigit, ſibi ſummam 2000. librarum perſolvi. Num inducitur obligatio Leoni ex conſcientia prædicti legati eidem tradendi?

Respons.

Nihil inducitur obligationis Leoni 2000. librarum Bertrando perſolvendarum. Ratio eſt, quod Chryſantus non potuerit obligare Leonem ad ſuam hereditatem nude ac ſimpliciter adeundam, hoc nimirum obſtante, quod præſcribitur diſpoſitione Legum, quæ liberum faciunt heredi cuicumque, ut ſucceſſionem aliquam non niſi ex beneficio recenſionis cernat, cum ſic ei videtur propriis ſuis rebus congruere. Unde ſequitur, cum conditio quam ſuo heredi Chryſantus impoſuit, apertiſſime diſſentiat Litteræ, menti atque intentioni Legum: neque eam in ſuo teſtamento ſcripſerit, niſi eo animo, ut inanis ac falſæ gloriæ ſtudio quo ducebatur, aut animi ſui levitati ſatisfaceret; eamdem ut nullam habendam eſſe, aut tamquam non appoſitam in teſtamento, juxta principium iſtud Juri familiare: (o) *Nemo poteſt in teſtamento ſuo cavere, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant*. Cujus præfati principii rationem iſtam Gloſſa ſubjicit: *Quia privati hominis voluntatem plus virium habere non oportet, quam leges*. Verum res ita ſe non haberet, ſi quæ-

(o) L. *Nemo*. 55. ff. de Legatis & fideicommiſſis. 1. Lib. 30. tit. 1.

ſtuu

Digitized by Google

ftio proponeretur de diſpoſitione teſtamentaria, quæ de diſpoſitione legis non derogaret, niſi quantum ad aliquam peculiarem circumſtantiam, quæ non adverſaretur intentioni legis, aut quæ procederet ex aliquo motivo, quod iſta lex non improbaret; etenim ejuſmodi teſtamentaria diſpoſitio licet videretur ipſi litteræ legis ex adverſo aliquatenus oppoſita; ut obſervat D. Domat in ſuo eximio Opere legum Civilium in ſuum ordinem naturalem diſpoſitarum. *(a)*

(a) D. Domat. tom. 3. p. 416. edit. in 4.

CASUS XXVIII.

Leidradus vir nobilis habens filium natu majorem, qui, ſpretis conſiliis quibus eum ſæpe ſæpius adjuvit, nec quidquam obſtante interdicto, quod eidem verbis expreſſis ſignificavit artem Comædi ſeu Hiſtrionis ſecutus eſt, vel ſeſe ad turbam perditiſſimorum hominum adjunxit; fecit teſtamentum, in quo prædictum filium exheredem ſcripſit, & alteri ſuo filio integram ſuam hereditatem relinquit. Numquid iſte poteſt prædictam ſucceſſionem in integrum recta conſcientia ſibi retinere, nihil ejuſdem cum præfato ſuo fratre participans?

RESPONSIO.

Eſt hoc extra controverſiam omnino poſitum, poſſe, quam ei reliquit ipſius pater ex ſuo teſtamento, totam hereditatem ab altero filio ſine injuſtitia retineri; quoniam cauſſa, cur filius natu major exheres ſcriptus fuerit, juſta eſt: ut probari poteſt ex Conſtitutione quadam Imperatoris Juſtiniani, *(b)* qui, poſtquam declaravit, non licere patri, matri, avo, nec proavo, ut exheredent ſuos filios, niſi de gravi cauſſa; ſequentes cauſſas deſignat tamquam legitimas: *Si præter voluntatem parentum inter arenarios, vel mimos ſeſe filius ſociaverit, & in hac profeſſione permanſerit; niſi forſitan etiam parentes ejuſdem profeſſionis fuerint.* Et iterum: *ſi cum maleficis hominibus, ut maleficus verſatur.*

(b) Novella 115. c. 3. §. 4. & 10.

Ceterum operæ pretium eſt obſervare, quo ſimul expediantur plurimæ aliæ difficultates ejuſmodi, quæ proponi poſſent, recenſeri in prædicta Conſtitutione plurimas alias cauſſas juſtas, propter quas permittitur patri, matri, vel ceteris aſcendentibus, ut aliquem liberum exheredent. Prima eſt, *(c) ſi eos in criminalibus cauſſis accuſaverit, quæ non ſunt adverſus Principem, ſive Rempublicam.* Secunda, *(d) ſi novercæ ſuæ ... filius ſeſe immiſcuerit.* Tertia, *(e) ſi quemlibet de prædictis parentibus inclauſum eſſe contigerit ... & in ſua eum noluerit fidejuſſione ſuſcipere, vel pro perſona, vel pro debito, in quantum eſſe, qui petitur, probatur idoneus.* Cui tertiæ cauſæ ſequentem exceptionem Imperator Juſtinianus ſubjicit: *Hoc tamen, quod de fidejuſſione cenſuimus, ad maſculos tantum liberos volumus pertinere.* Quod idem conſtituit, cum contingit, quemlibet ex prædictis opprimi ſervitute. *(f)* Quarta: *(g) ſi alicui ex prædictis parentibus, volenti ſuæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem ſecundum vires ſubſtantiæ ſuæ pro ea præſtare, illa non conſenſerit: ſed luxurioſam degere vitam elegerit.* Quinta: *(h) ſi quis de prædictis parentibus furioſus fuerit, & ejus liberi vel quidam ex his obſequium ei, & curam competentem non præbuerint.* Sexta: ſi liber iſte vim adhibuerit, aut quamlibet aliam injurioſam agendi rationem, ut impediret, ne quis e ſuis prædictis parentibus conderet teſtamentum: *(i) ſi convictus fuerit aliquis liberorum ex eo: quia probibuerit parentes ſuos condere teſtamentum.* Septima denique, *(k) ſi quis de prædictis parentibus Orthodoxus inſtitutus, ſenſerit ſuum filium, vel liberos non eſſe Catholicæ fidei; nec in ſacroſancta Eccleſia communicare ... licentiam habeant pro hac maxima cauſſa ingratos eos, & exheredes in ſuo ſcribere teſtamento.*

(c) Ib. §. 3.
(d) Ib. §. 6.
(e) Ib. §. 8.
(f) Ib. §. 13.
(g) Ib. §. 11.
(h) Ib. §. 12.
(i) Ib. §. 9.
(k) Ib. §. 14.

Eſt addenda quoque octava cauſſa exheredationis, quæ locum habet in Gallia: quæ nimirum eſt: quando quis filius invitis ſuis parentibus, ſeu tutoribus vel curatoribus contrahit matrimonium; niſi filius, anno ætatis expleto trigeſimo, conſenſum ab iiſdem ſcripto requiſiverit. „ Volumus, ait „ Henricus III. in Edicto Bleſenſi, *(l)* ut: quæ „ jam ſancita fuerunt Edicta contra filios, invitis „ ſuis parentibus, tutoribus, & curatoribus matrimonium contrahentes, obſerventur; quin etiam „ obtineant illa Edicta, quibus in ejuſmodi caſibus „ permittuntur exheredationes. „ Quibus poſterioribus verbis laudatus Princeps potiſſimum innuit Edictum promulgatum ab Henrico II. anno 1556. quo verbis apertiſſimis eadem injungitur pœna: quod quidem Edictum renovatum fuit, atque confirmatum a Ludovico XIII. in ipſius Edicto anni 1639. *(m)*

(l) Edict. Bleſenſ. art. 41.
(m) Edict. ann. 1639. art. 2.

CASUS XXIX.

Sylvanus filius de juſto matrimonio Joannem inter & Mariam contracto natus, cum ex negotiatione lucri plurimum retuliſſet, & ſeſe jam jam moribundum in lecto jacentem ſentiret, ſcripſit ſuum teſtamentum, quo proprium ſuum patrem exheredavit; propterea quod vitam ipſius matris petiviſſet veneno, quod ei infudit, & quo pæne fuit interemta; aut quoniam eum voluit perdere, contexta in eum apud judices capitali criminatione, quæ nec ad Principem, nec ad Rempublicam ſpectabat. Num valent prædictæ cauſæ, ut poſſit ſine peccato ſuum patrem exheredem ſcribere, qui ipſi jure Legum heres eſt unicus ac primarius?

RESPONSIO.

Allegatæ duæ cauſæ perinde plane ſufficiunt, ut inde jus fiat Sylvano eripiendi ſuo patri, vel cuilibet alteri aſcendenti, ſuam hereditatem: ut declaratur ab Imperatore Juſtiniano in una quadam ex ipſius Conſtitutionibus iſtis verbis: *(n) Si contigerit autem, virum uxori ſuæ ad interitum, aut alienationem mentis dare venenum: aut uxorem marito; vel alio modo alterum vitæ alterius inſidiari; tale quidem utpote publicum crimen conſtitutum ſecundum leges examinari, & vindictam legitimam promereri decernimus: liberis autem eſſe licentiam nihil in ſuis teſtamentis de facultatibus ſuis illi perſonæ relinquere, quæ tale ſcelus noſcitur commiſiſſe.* Comprobatur etiam altera cauſſa tamquam legitima in allegata eadem Conſtitutione. En ipſius verba ſunt: *(o) Si parentes ad interitum vitæ liberos ſuos tradiderint, citra tamen cauſſam, quæ ad Majeſtatem pertinere cognoſcitur.*

(n) Novella 115. c. 4. §. 5.
(o) Ib. §. 1.

Atque ratione eadem judicandum eſt: 1. *(p) ſi venenis aut maleficiis, aut alio modo parentes filiorum vitæ inſidiari probabuntur.* 2. *(q) ſi pater nurui ſuæ ... ſeſe immiſcuerit.* 3. Si adhibita vi, aut alia quadam injurioſa nec licita agendi ratione, prohibuerit ſuum filium condere teſtamentum. *(r) Si parentes filios ſuos teſtamentum condere prohibuerint in rebus, in quibus habent teſtandi licentiam.* 4. Denique *(ſ), ſi liberis vel uno ex his in furore conſtituto, parentes eos curare neglexerint .... his caſibus etiam cladem captivitatis adjungimus.*

(p) Ib. par. 2.
(q) Ib. §. 3.
(r) Ib. par. 4.
(ſ) Ib. par. 6. & 7.

At juvat plurimum obſervare, in prædictis omnibus non ſatis eſſe, quod teſtator enuntiet cauſſam ob quam exheredat eum, cui jure legum tamquam heredi legitimo ſucceſſio ipſius vindicatur. Ut enim eſt hoc indubitati principii, quod accuſatio ſit prius certis argumentis afferenda, quam admittatur: eſt omnino neceſſarium probari cauſſas exheredationis, quemadmodum fuit ſapientiſſime cautum ab eodem Imperatore Juſtiniano *(t)*, de exheredandis liberis faciente ſermonem.

(t) Cit. Novella 115. & 21. §. fin.

CASUS XXX.

Cum Mucius ſuo teſtamento caviſſet, ut ſuæ ſint ædes vendendæ, &, quod ex iiſdem accedet pretium, ſit totum in eleemoſynas ac pios alios uſus impendendum: Gallus, cui ejuſdem executio mandata fuit, videns, ipſas ædes vendi non poſſe niſi dimidio minus ſuo juſto pretio, propter ſævientis belli tempus; & ſpem prælucere ejuſdem belli cito citius ad ſummum anno proxime ſequente pacis nomine componendi; valde peroptaret ad præfatum uſque tempus differre

ferre prædictarum ædium venditionem, quo quidem spes est, futurum ut multo cariori pretio sine dubio vendantur; ut recipiens ex iisdem venditis pecuniæ summam ampliorem sibi suppetat, unde possit largiores eleemosynas effundere, quibus magis sublevetur ipsius anima testatoris. Eine licet prædictarum ædium venditionem ad propositum usque tempus tuta conscientia differre?

RESPONS.

Gallo, cui commissa fuit executio Testamenti Mucii, nequaquam permittitur, ut in tantum tempus differat memoratarum ædium venditionem, sub prætextu quod ex iisdem pretio cariori venditis suppetat ei summa pecuniæ pinguior in largiores eleemosynas effundenda ad animæ defuncti majorem afferendam allevationem. Cujus rei ratio hæc reddi potest, quam suggerit S. Thomas (*a*), nimirum *quia ex tarditate eleemosynarum sequitur retardatio remedii, quo forte defunctus indiget*. Concluditque Laudatus S. Doctor: *Ergo videtur, quod hujusmodi retardatione gravetur defunctus, potius quam juvetur*.

(*a*) S. Thom. quodlib. 6. art. 12. in Argum. sed contra.

Equidem, prosequitur idem Sanctus, *in mora modici temporis non videtur esse magnum periculum: unde si executor per modicum tempus eleemosynam dare differat, ut, rebus defuncti melius venditis, ampliores eleemosynas dare possit, laudabiliter hoc facit. Si vero e converso*, loqui pergit appellatus Doctor Angelicus, *per multum tempus* (quale foret anni spatium) *differat eleemosynas distribuere, ut non multo ampliores eleemosynas faciat; non videtur esse absque culpa; quia forte defunctus a Purgatorio liberaretur, in quo existenti remedium suffragiorum maxime necessarium erat*.

Ex quibus inferri posse videtur, Gallo nullatenus licere, ut in annum integrum differat solutionem piorum legatorum, quæ Mucius voluit persolvi de pretio ex suis venditis ædibus proveniente, sub eo prætextu, quod si pax intra annum obtinuerit, futurum sit, ut largiores eleemosynas erogare possit ad Testatoris animæ levamen. Præterquam quod enim mora illa temporis sit nimis longior, ut jam advertimus, potest contingere, inanem esse spem illius; ac futurum, ut exardescente bello ædes fiant deteriores, aut etiam pretio plurimum minuantur. At vero, si tandem prædictæ ædes non possent nisi viliori pretio vendi propter penuriam emptorum, atque defuncto spiritualia quædam remedia fuissent aliunde subministrata, jam agendum esset ex præscripto prudentiæ Christianæ, stando nimirum consilio vel proprii sui Prælati, vel Pastoris, vel quorumdam aliorum prudentissimorum virorum. Ideoque S. Thomas decisioni suæ merito subjungit: *Hoc autem requirit prudentis executoris examen, ut scilicet consideratis dilatione temporis & conditione personæ, quæ creditur citius vel tardius liberanda, & etiam quantitate augmenti eleemosynarum, faciat quod videbitur expedire defuncto*.

CASUS XXXI.

NICOLAUS, qui depositarius erat testamenti Publii Civis Parisini, eodem resignato ac lecto post mortem testatoris, vidit, ejusdem sese in eo scribi executorem, atque ibidem relinquit Paulino legatum librarum 3000. Nicolaus extemplo solvit illud legatum tum ex animo mere benefico, tum ut nomini defuncti decus plurimum conciliaret.

Quod ubi post unum ab illinc mensem Bertinus hæres Publii rescivisset, ei dixit, nunquam futurum, ut patiatur, ab ipso in rationes hæreditariarum rerum prædicti legati solutionem induci, propterea quod Paulinus anno proxime elapso fuisset a supremo Burdigalensi Senatu capite damnatus in pœnam singularis certaminis, in quod sese proruerat: qua quidem ex condemnatione capitis ad sibi vindicandum istud legatum prorsus inhabilis constituitur. Bertinus jurene potest prædictum articulum in rationes Nicolai relatum non comprobare, nihil obstante bona fide, qua fuit adjutus, cum memoratam pecuniæ summam Paulino persolvit?

RESPONS.

Respondemus, jus omnino favere Bertino in eo quod nolit, quam inconsiderate præstitit Paulino, 3000. librarum solutionem in rationes Nicolai relatam comprobare.

1. Namque, quando Nicolaus legatum istud tradidit, nondum venerat in possessionem bonorum defuncti: siquidem non possit testamentarius Executor prius hæreditatem aliquam occupare, quam curaverit, rerum hæreditariarum indicem describi; quemadmodum hæc ei lex imponitur juxta Parisiensem Consuetudinem (*b*), & testatoris hæredes ibidem præsentes adsuerint, aut debita ratione sint illuc vocati; cum eorum intersit, habere tum bonorum, tum debitorum tam activorum, quam passivorum defuncti, cujus successio sibi vindicatur, notitiam perspectam, atque penitus exploratam, ut si contingeret, hæreditatem illis oneri esse, possint eam sibi de bonis partis portionem tantummodo retinere, quam Consuetudo eis tribuit (*c*).

(*b*) Consuet. Parisiens. art. 297.

2. Quoniam testamentarius Executor non debet legata persolvere, (*d*) nisi prius hæredi renuntiet: quinam sint legatarii; atque ita potissimum quatuor de causis.

(*c*) Ricard. tract. de Donationibus. part. 2 cap. 1. Gloss. 7

(*d*) Id. ibid. Gloss. 7.

Prima quidem: quia absolute necessarium est, ejusmodi legatarios esse, qui constituantur habiles ad eadem recipienda: quam habilitatem non habet, v. g. conjux, cui maritus, prohibente consuetudine, legatum reliquit; Extraneus, aut vir quidam addictus morti civili; qualis est Paulinus in specie proposita.

Secunda vero, quæ priore non est minoris momenti: quoniam Testator potest plus legavisse, quam ei Consuetudine permittitur; aut successio sic potest oneribus debitorum gravari, ut necessitas afferatur, in judicio agendi, ut ex legibus æquitatis eadem inter ipsum, & legatarios componantur.

Tertia: quoniam tot possent legata testamento juberi, ut iisdem successio tota foret absumenda, si in integrum persolverentur: atque in eo casu jus hæredi cederet, urgendi in judicio eorumdem imminutionem.

Quarta denique: quia justæ causæ possunt hæredi succurrere, propter quas petat, a judicibus rescindi defuncti testamentum. Ex quibus omnibus videnter patet, a Nicolao perperam prorsus fuisse Paulino traditum prædictum legatum; atque, siquidem præfatus legatarius constitueretur inhabilis, ad ejusdem solutionem accipiendam, Executorem prædictum propriæ suæ culpæ imputare debere jacturam istius pecuniæ; cum possit Bertinus eandem in ipsius rationes relatam non comprobare.

CASUS XXXII.

EMILIANUS Sacerdos aut Religiosus de reformato quodam ordine, scriptus fuit testamentarius Executor Mævii sui consanguinei: Potestne, remoto omni peccandi periculo, munus istud in se ipsum suscipere, & prædictum testamentum valide ac juste exequi?

RESPONS.

1. Respondemus, si sæcularis sæcerdos Emilianus fuerit, ab eo posse curam executionis testamentariæ sibi a Mævio demandatam suscipi. Licet etenim antiqui juris dispositione prohiberetur Ecclesiasticis, ne curam illius executionis testamentariæ in seipsos susciperent; illa tamen facultas iisdem libera novo jure permittitur; quemadmodum colligitur ex Decretali quadam, quam Gregorius IX. inscribit Gallico cuidam Episcopo (*e*), quæ Decretalis refertur in corpore juris, in qua Laudatus Papa mandat præfato Prælato, ut invigilet executioni testamentorum, cujus curam in seipsos susceperant Clerici sæculares, Laici, atque etiam ipsi Religiosi. *Mandamus*, inquit, *quatenus executores Testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa*

(*e*) Greg. IX. in cap. Tua nobis. 17. de testam. & ultimis voluntatibus lib. 3. tit. 6.

ipsa fideliter & plenarie in usus prædictos, monitione prævia compellas.

2. Dicimus, ex ejusdem Juris Canonici dispositione, posse Religiosis etiam committi testamentariam executionem, iis exceptis, quibus ejusmodi munus interdicitur peculiaribus ordinis eorum Constitutionibus. Quod quidem probatur non tantummodo Decretali modo citata; sed etiam Constitutione Clementis V. (*a*), qua iisdem ista potestas conceditur, ea nihilominus conditione: 1. Quod licentiam sui superioris Regularis ea de re sint obtenturi, quemadmodum jam antea fuerat a Bonifacio VIII. constitutum (*b*): 2. Quod rationem sint relaturi administrationis suæ coram Episcopo Diœcesano, ad quem pertinebit, male testamentarias executiones tractantibus debitas pœnas irrogare, *Statuimus*, inquit laudatus Papa, *quod tales*, (Religiosi) *etiamsi Prælationis fulgeant officio, locorum ordinariis debitam reddere*, (*c*) *ipsique ordinarii ab iisdem absque dolo, fraude, seu negligentia de susceptæ executionis officio teneantur exigere rationem: illos, quos circa id deliquisse reperierint, in aliorum exemplum, pœna debita, quocumque non obstante privilegio, puniturі.* Ex quibus concludimus, si statutis, seu Constitutionibus ordinis reformati, in quo Emilianus professus est, non interdicatur Religiosis, ne curam suscipiant testamentariarum executionum: ei prorsus licere, curam executionis testamentariæ sibi a Mævio commissam gerere.

(*a*) Clement. Religiosis unic. de test. & ultim. voluntatib. l. 3. t. 3.

(*b*) Bonifac. VIII. in c. Religiosus. fin. eod. t. in 6. l. 3. t. 11.

(*c*) Rationem teneantur. addit Glossa.

Extant nihilominus quidam Jurisconsulti, qualis D. de Ferriere in Consuetudinem Parisiensem, (*d*) & alii quidam, quos appellat, qui censet, quoniam Religiosi sunt inhabiles ad effectus Civiles, & Executori testamentario incumbit, administrationis suæ referre rationes, & solvere, quod ei præ manibus potest superesse residuum, cui quidem obligationi omnia ipsius bona subjiciuntur: hæredes defuncti posse prorsus, ut suis propriis rebus tutius provideant, obstare, ne Religiosus ullus in seipsum provinciam istam suscipiat, quanquam eandem jam cum licentia sui superioris acceptavisset: at vero alii sunt, qualis Troncon, qui in oppositam ea de re sententiam discedunt: Quidquid sit, semper inhærendum est tum usui, tum Consuetudini, quæ in Regionibus quibuslibet obtinet: atque meminisse juxta receptum apud Gallos usum, non apud Episcopos, sed apud solum fori Civilis judicem testamentariarum executionum rationes esse referendas.

(*d*) D. de Ferriere tom. 3. pag. 428. n. 12.

Vide LEGATA.

TESTIS.

DICITUR *testis* ille, qui testimonium de eo dixit, quod vel vidit, vel audivit sive ad accusandum aliquem reum, sive ad eundem extra culpam ponendum. *Testis*, inquit Polmanus, *is est, qui asseveratione sua rei fidem facit.*

Sunt testes, vel fidei locupletissimæ, quique nulla de causa rejici possunt, vel nullius fidei, quique aliqua de causa possunt, repudiari, & quibus locus est criminis alicujus objiciendi, ex quo nota infamiæ inuratur, aut vitii, propter quod eorum testimonium non est admittendum; sive vitium illud hoc habeat *ex natura rei*, qualis est defectus rationis in ipso teste; aut ex dispositione juris; puta, quando allegatur atque certissimis argumentis demonstratur, ab eodem teste jam antea fuisse dictum in judicio falsum aliquod testimonium, aut pecunia eum corruptum esse (*e*), aut alia quavis ratione. Omnes causæ criminales testium auditione, iterata eorumdem interrogatione, ac cum reo compositione consueverunt instrui.

(*e*) L. Testium fides. 3. & tota t. ff. de testibus l. 22. t. 5.

Testis, quicumque sit, non potest ab eo reo repudiari, a quo non fuit ante iteratam interrogationem improbatus; hoc est, quando post suam cum reo compositionem in dicto testimonio perseverat; nec potest variationis essentialis argui nec quantum ad testificationem, nec quantum ad suam cum reo compositionem.

Falsi testes pœnæ talionis subjiciebantur in veteri lege (*f*) in qua legitur: *omnino facietis ei (falso testi) quemadmodum molitus fuerat facere fratri suo: ut tollas malum de medio tui.* Ab Ægypiis constitutum erat, ut ejusmodi testes falso testimonio pœnas morte expenderent, ita referente Diodoro Siculo (*g*) Est etiam more positum in Gallia, ut capite condemnentur, quando eorum testimonium contra aliquem innocentem vergit in mortem ipsius: sed in aliis casibus pœnis levioribus afficiuntur. Nihilominus Edictum Francisci I. anni 1539. cujus auctoritatem supremus Senatus comprobavit, decernit pœnam mortis adversus testes quoscumque circa quamcumque materiam: at non observatur ad strictos literæ apices quantum ad civiles materias, in quibus leviores a Judicibus pœnæ tantum irrogantur.

(*f*) Deuter. c. 9. 19.

(*g*) Diodor. Siculus Bibliot. L. 31. c. 3.

In materia rerum Civilium non admittuntur Parentes ad quartum usque cognationis gradum ad dicendum testimonium tam in foro Ecclesiastico, quam in foro sæculari, sive pro suis consanguineis, sive contra: Casibus exceptis, in quibus quæstio habetur de ætate, vel propinquitatis vinculo, quantum ad matrimonium contrahendum. Nihilominus ad gradum cognationis ab ipsis judicibus aliquando attenditur in quibusdam materiis, atque in certis quibusdam rerum circumstantiis.

Proba-

Probatio recipitur ex testificatione testium, quantum ad pecuniæ summam 100 libris inferiorem, juxta dispositionem Molinensis Edicti (*a*), quanquam chirographi cautionem, seu syngrapham sui Debitoris Creditor in judicio proferret, &c, qui huc usque obtinuerat in contrarium, usus proscriptus est, suadentibus Parlamenti Tolosani Legatis, qui exposuerunt in solemnibus trium Ordinum Comitiis, omnino interesse, ut in materia conventionum locus non daretur probationi ex testificatione testium; sed in rebus tantummodo, quæ forent gravioris alicujus momenti, juxta quam eorum suasionem Rex Edictum prædictum tulit.

(*a*) Edict. mensis 1566. a. 54.

At Beneficiarius nullus esse potest sine Canonica institutione, nec etiam ullus admittitur ad instituendam querimoniam in materia Beneficiali, nisi titulis prius exhibitis. Verum sic se res non habet quantum ad profanam materiam, in qua sæpe sæpius judicium intervenit post auditam simplicem testium testificationem. Hoc solum observandum est, in materia simoniæ probationis alicujus initium, quæ repetatur ex scripto, secundum Edictum Molinense (*b*) necessario præmittendum esse. Quamobrem non auditur, qui Beneficium aliquod tanquam caduceum impetravit, cum nihil aliud probationis arguit, quam ex testibus producendis: quoniam alioquin quam paucissimi reperirentur Titulares, qui possent suis Beneficiis tuto gaudere. Quando tamen lis secundum formulas extraordinarias fuit instructa, judex testium testificationis debet aliquam habere rationem.

(*b*) Art. 54.

Testis nec vocatus, nec veri testimonii dicendi Sacramento coram judice obligatus, nunquam ad dicendum in judicio testimonium admittendum est. A qua tamen regula casus excipitur, in quo quis, qui jam in judicium appellatus fuit, ibidemque præsens adest, obligatur a Judice ad testificandum de rei alicujus veritate. Tunc enim ipsius testimonium, licet dictum non prævia vadimonii denuntiatione, aut in jus vocatione, non est suspectum (*c*).

(*c*) Menard. l. 4. c. 87.

In Gallia coguntur Ecclesiastici, pigneratis eorum bonis Clericalibus, ad se se tanquam testes eoram judice sistendos testimonium dicturos sive in materia Civili, sive in causa Criminali, juxta Edictum mensis Augusti anni 1670. (*d*) promulgatum.

(*d*) T. 6. a. 3.

Non licet Judici judicium in aliquem reum ferre damnatorium ex simplici testis unius testificatione: ad ejusmodi namque judicium duo saltem testes requiruntur, juxta isthæc scripturæ (*e*): *Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*. At ex testimonio duorum testium oculatorum, prudentum, nec suspectorum, nec improbatorum exurgit numeris omnibus absoluta probatio. Atque illud stricte prorsus observatur in Jurisprudentia tam Ecclesiastica, (*f*) quam sæculari. Quin etiam ipsis Paganis istud principium fuit comprobatum ut apertum fit ex istis verbis Senecæ (*g*): *Uni testi, etiam de minore scelere non creditur*: Atque vel etiam *in criminalibus*, inquit Mornacius, (*h*) *si testis ante repetitionem obieris, irritum manet testimonium*. Ita pronunciatum fuit a supremo Parisiensi Senatu, Arresto 20. Martii 1510 quod refert Paponus (*i*). Sic etiam judicatum est a Parlamento Britanniæ minoris Arresto 30. Aprilis 1554. quod du Fail (*k*) memorat.

(*e*) Deuter. 19. 14.

(*f*) Alex. III. in c. Licet 10. Cælestin. in c. Nobis, 28. & Innoc. III. in c. Licet. 47. de testibus. L. 2. t. 20.

(*g*) Seneca l. 7. controvers.

(*h*) Mornacius in L. 1. ff. de testibus fol. 836.

(*i*) L. 9. t. 1. n. 11

(*k*) L. 3. c. 173.

CASUS PRIMUS.

FLORIANUS Rollandum interfecit. Nemini crimen istud innotuit, nisi ipsius fratri, uxori, & Confessario, cui peccatum suum confessus est in Tribunali Pœnitentiæ, qui tres simul omnes prædicti in judicium vocati fuerunt, ad testimonium adversus eum dicendum; num iisdem inducitur ea stricta conscientia ejusmodi obligatio?

RESPONS.

Nequaquam prædicti tres obligantur ad testimonium adversus Florianum dicendum: ut enim filiorum incumbit adversus Patrem suum testificari nec Patri, contra proprium suum filium (*l*); sic etiam æquitati naturali congruit, a fratre proprium fratrem non accusari, nec ab uxore maritum, nisi res agatur de casibus prorsus extraordinariis & privilegiatis, & in prædictis casibus obligatio testificandi dispositione legum, quæ in loco domicilii vigent, ejusmodi personis necessario inducatur: *Lege Julia publicorum judiciorum cavetur*, ait quidam Canon de Decreto Gratiani (*m*), *ne invito denuncietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrinove natum, eosve, qui priore gradu sint*.

(*l*) Testis idoneus Pater filio, aut filius Patri non est, Parentes & Liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt Can. Si testes 3. 4. q. 2. & 3. Item Glossa in c. Cum nuntius. v. Repellendi de testibus, &c.

(*m*) Cit. Can. 3. testes. 3. 4. q. 2. & 3.

Quod pertinet ad Confessarium, est hoc indubitali principii, ac extra controversiam prorsus omnem constitutum, cum secundum doctrinam S. Thomæ (*n*), tum juxta communem omnium Theologorum sententiam, cum ei res aliqua non innotescit nisi ex sigillo confessionis, nunquam posse eandem ab ipso in quocumque casu declarari: Quia, cum eam non acceperit nisi ex ista ratione, non censetur eandem quatenus homo rescire, sed tantummodo quatenus Dei vicem occupans; eaque de causa non solum ipsi licet plane denegare testimonium in ejusmodi casu dicendum, sed etiam negative respondere ad interrogata, & affirmare sibi nihil ea de re esse per-

(*n*) S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

Digitized by Google

spectum, absque eo quod possit ei mendacii nota ulla ratione inuri: siquidem ad ipsam mentem ac intentionem Judicis accommodet sua responsa, aut saltem ad mentem & intentionem, quam ipse Judex interrogans sibi debet proponere; cum jure valeat præsumere, Judicem illum, a quo interrogatur, nec usque adeo injustum esse nec imperitum, ut velit ipsum obligare ad eam rem aperiendam, quam nonnisi ex sigillo confessionis accepit. 2. Quoniam nullum penes est hominem, obligatione generis ejusmodi sigilli quam religiosissime servandi solvere Confessarium. Quæ quidem prædicta omnia mutuamur a doctrina S. Thomæ. " De illis, *inquit*, quæ homini sunt „ commissa in secreto per Confessionem, nullo „ modo debet testimonium ferre; quia hujusmo„ di non scit, ut homo, sed tanquam Dei Mini„ ster; & majus est vinculum sacramenti quoli„ bet hominis præcepto. " Licet ea de re inspicere, quam acerrimis ac validioribus argumentis veritatem istam propugnet atque fulciat Cardinalis du Perron in sua ad Regem Britanniæ majoris responsione (*a*).

(*a*) Cardinal. du Perron. Respons. ad Regem majoris Britanniæ. p. 652.

CASUS II.

BABYLAS homicidium occultum fecit, in trucidando viro quodam mendico: nihilominus jam invalescit adversus eum semiprobatio; quapropter necesse habuit ea de re Tullium intelligentissimum Patronum adire, ab eo sumptu us consilium, qua scilicet potissimum ratione sese gereret in ejusmodi negotio, in quo agebatur de propria sua salute. Post secundum, ab illm diem Tullius appellatus est apud Judices, ad testimonium de iis, quæ circa factum istud noverat, ferendum. Num obligatur, ad dicendam adversus Babylam testificationem, ex eo quod in eundem jam obtinuerit semiprobatio?

RESPONS.

Tullius non obligatur ad dicendum testimonium contra Babylam, in proposita specie, in qua res non spectat præcise, nec ad damnum aliquod publicum, nec ad damnum privatum, quod etiamnum possit vel devitari, vel resarciri: atque ita docetur a Navarro (*b*), a quo septem allegantur causæ, propter quas quis constituitur immunis obligationis testimonii dicendi, licet eo fine fuerit in judicium appellatus, quarum causarum hæc postrema recenletur: *Quod per solam consultationem pro consilio habendo novit*.

(*b*) Navarr. Manual. c. 25. n. 64. & in can. Inter. II q. 3. Conclus. 6. n. 22.

Sic etiam habet Merbesius Navarri sententiæ totus adhærens: " (*c*) Testis non tenetur oc„ cultum proferre crimen, si illi, vel consilii, „ vel auxilii petendi gratia, patefactum fuerit „ ad procurandam malefactori vel animæ, vel „ corporis, vel utriusque salutem, quæ ob ad„ missum crimen periclitatur, etiamsi de autore „ esset infamia, vel semiplena probatio, quæ Ju„ dici scilicet probabilem suspicionem, sive opi„ nionem de perpetrato scelere ingeneraret.

(*c*) Merbes. tom. 1. sum. Christ. pag. 3. 292. Conclus. 4. n. 3.

CASUS III.

ERMELIUS, cum peculatus accusaretur, petivit a Paulo, ne contra eum diceret testimonium, cujus rei fidem dedit ei Paulus, & promissis suis etiam addidit jusjurandum, testem invocando Deum, nunquam futurum, ut adversus eum quidquam testificetur. Paulus a Judice paulo post appellatur, ad testimonium ferendum, de eorum veritate, quæ sibi circa prædictam accusationem innotuerunt. Obligaturne ad standum suo jurijurando, nihil aperiendo, quod possit impositam Ermelio criminationem aggravare, aut teneturne, nihil suo jure jurando retardatus, quam novit integram rei veritatem reserare?

RESPONS.

Jusjurandum, quo sese Paulus astrinxit, plane temerarium est, injustum, atque illicitum: neque proinde potest illud idem sine novo peccato servare. Adeo ut Judex omnino jure valeat ab eo exigere, ut veritatem aperiat, & ipsi incumbat, nulla habita sui juramenti ratione, eandem in integrum ex debito conscientiæ detegere. Quod evidenter probatur ex Decretali quadam Alexandri III. scribentis ad Exionensem Episcopum (*d*), in qua Laudatus Papa declarat, ab isto Prælato sine ulla dubitatione in testimonium dicendum admittendos esse Clericum, & plurimos alios adversus quemdam Sacerdotem: licet eos omnes jurejurando adegisset, futurum ut adversus eum non testificarentur. " Injungimus... ut eos, qui sunt „ juramento adstricti... in testimonium recipere „ non postponas. *Ad quæ verba Glossa sic habet* „ (*e*): Non obstante juramento tali, quod ini„ que fuit extortum, jurabunt dicere veritatem „ super negotio principali; cum illud juramen„ tum illicitum fuerit, & sine peccato servari non „ posset: cum celare veritatem sit peccatum mor„ tale. " Quod Auctor prædictæ Glossæ cujusdam auctoritate Canonis evincit, in quo fertur. " Quis„ quis metu cujuslibet potestatis celat veritatem, „ (*Glossa* (*f*) *subjicit*, tunc scilicet, cum indu„ citur in testem) iram Dei super se provocat, „ quia magis timet hominem, quam Deum. Uter„ que reus est, & qui veritatem occultat, & qui „ mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, „ & iste nocere desiderat (*g*). " Idem etiam Innocentius III. (*h*) declarat occasione cujusdam Archiepiscopi, qui simoniæ fuerat accusatus a quodam Canonico, quique plurimos e consanguineis ipsius fide sacramenti obligaverat, ne testimonium adversus eum dicerent. Tandem Gregorius IX (*i*) celerorum summorum Pontificum ea de re determinationi totus consentit.

(*d*) Alex. III. in c. Intimavit. 18. de test. & attestat.

(*e*) Gloss. in d. c. v. Juramento.

(*f*) Gloss. ib. v. Occultat.

(*g*) Can. Quisquis. 80. 17. q. 3.

(*h*) Inn. III. in c. Constitutis. 25. de testib. & attestat.

(*i*) Greg. IX. in c. Olim. 26. de accusat. l. 5. t. 1.

Cujus decisionis prima hæc est ratio, quod officium sive munus testis pertineat ad jus publicum. Porro non licet viro cuidam privato, publico juri nec renunciare, quodcumque jusjurandum ea in re interveniat, quemadmodum aperte declarat Innocentius III. in una quadam e suis Decretalibus quam inscribit Archiepiscopo Pisano (*K*), juxta plurimos textus tum Juris Canonici, tum Juris Romani, quos citat auctor Glossæ in allegatam decretalem (*l*) Eandem doctrinam Abbas amplectitur (*m*).

(*K*) Inn. III. in c. si diligenti. 22. de foro compet. l. 2. t. 2.

(*l*) Abb. in d. c. intimavit. initio.

(*m*) Inn. III. in c. ut famæ 35. de sent. excom. L. Fum. qu. ff. de injuriis. L. Ita vulneratus. ff. ad legem Aquiliam. L. Si longius ff. de judiciis &c

Secunda ratio est, quia alienum est a bonis moribus, quod quis inducatur ad celandam illam veritatem, quam aperire publicæ utilitatis interest; siquidem alioquin inulta impunitaque plurima crimina relinquerentur, advertentibus istis verbis Laudati Papæ (*n*): " Cum... publicæ „ utilitatis intersit, ne crimina remaneant impu„ nita & per impunitatis audaciam fiant, qui „ nequam fuerant, nequiores.

(*n*) Gloss. in d. c. Si diligenti in exposit. casus, & v. Pacto privatorum.

CASUS IV.

CONTIGIT ab aliquibus diebus ab Augusto, qui nomen deculque gerit viri sapientissimi, occulte facinus quoddam fuisse perpetratum, cui pœna mortis, aut saltem remi legibus Principis constituitur. Jacobus ipsius vicinus propinquior solus est, cui facinus istud innotescat, neque apud alium quemquam sceleris illius habet suspicionem... Paulus rerum capitalium Judex, qui eidem infensissimus est, in animum inducens, futurum ut ipsius vitam maculis aspergat, si crimen prædictum ei imputet in eum agit, requirente Regio Procuratore cujus libelli supplicis virtute jubet, quatuor ex vicinis ejusdem in judicium venire, inter quos Jacobus appellatur, ad testimonium in eundem Augustum ferendum. Tres ex prædictis ipsius vicinis ad interrogata responsuri vadimonium jam obierunt, ac declaraverunt, ad se se ne minimam quidem ejus rei notitiam pervenisse, nec vel etiam ulla ratione sese suspicari, Augustum esse sceleris prædicti conscium. Jacobus, qui jamjam ad interrogata ejusmodi responsurus est, petit, num sibi coram Deo obligatio inducatur, indicandi Judici memorato, prædictum virum esse revera criminis istius conscium?

RESPONS.

Jacobo nullatenus inducitur obligatio ex debito conscientiæ, genuinæ rei ipsius veritatis, de qua quæstio proponitur, Judici rerum capitalium aperiendæ: ratio est, quia nullus obligatur ad te-

testimonium in reum aliquem ferendum, nisi quando juxta formulas judiciarias, atque ex præscripto juris a Judice inquiritur; hoc est, cum res, de qua quis interrogatur, est evidens, aut saltem, quando reus in infamiam venit circa rem, de qua quæstio habetur: quemadmodum apertum est ex decretali quadam Innocentii, quam ad marginem indicamus. (*a*) Atqui crimen prorsus occultum est in proposito casu: nec in Augustum quidquam ea de re cadit infamiæ, nec vel etiam levissimæ suspicionis. Siquidem Judex in eum non inquisiverit, nisi quia totus incumbit in ipsius perniciem. Jacobus ergo potest abstinere ab ullo testimonio adversus eum ferendo. Atque sic deciditur a S. Thoma (*b*), qui ait: *Si requiritur testimonium alicujus subditi auctoritate superioris, cui in his, quæ ad justitiam pertinent, obedire tenetur; non est dubium, quin teneatur testimonium ferre in iis, quibus secundum ordinem Juris testimonium ab eo exigitur; puta in manifestis & in his, de quibus infamia præcessit. Si autem exigatur ab eo testimonium in aliis, puta in occultis, & de quibus infamia non præcessit, non tenetur ad testificandum.*

(*a*) Innoc. III. in cap. Inquisitionis 21. §. ad hæc de accusationib. l. 5. tit. 5.

(*b*) S. Thom. q. 70. art. cit. 1. in corp.

Quam eamdem partem sequuntur plurimi Auctores (*c*) tum Theologi, tum Canonistæ, in oppositam licet abeant Dominicus Soto, & Azorius.

Casus tamen excipiendus est, in quo resarciendum foret damnum omnino notabile, quod reus injuste intulisset; aut impediendum, ne ab eodem aliqua injuria sive publico, sive cuidam viro privato importaretur. Sic censent S. Thomas & alii, quos ibidem ad marginem indigitamus.

(*c*) Joann. Cabassut. jur. can. theor. & prax. l. 4. c. 4 num. 7. Morbes. sum. Christ. tom. 2. 2. p. q. 296. conc. 10. Et apud eum Sylvester de Prierio v. Testi. Petrus Navar. l. 2. de restit. c. 4. n. 167. & 168. Fr. Tolet. in instruct. sacerd. l. 5. c. 40. n. 1. & 2. Reginaldus prax. fori poenitentialis l. 24. c. 3. sect. 5. Joan. a Cruce. & alii.

C A S U S V.

THOMAS in jus vocatur, ad testimonium de rei alicujus veritate dicendum, de qua inquiritur in Henricum. Potest-ne recta conscientia denegare suum testimonium de prædicta veritate ferendum coram Judice, a quo secundum ordinem juris interrogatur, propterea quod ab ipso reo, interposita fide secreti, quidquid ea de re sibi innotescit, fuerit commissum, quam quidem fidem secreti religiose servandam esse putat?

R E S P O N S.

In solvenda proposita difficultate, quam S. Thomas adhibet, distinctione utendum est: (*d*) Sic enim habet Laudatus S. Doctor: *Circa ea vero, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur; puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ; vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando; & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum; quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet.* In eumque sensum accipienda sunt isthæc verba cujusdam Decretalis (*e*), quæ Merbesius in errorem inductus a Gratiano, S. Augustino perperam attribuit, quæque S. Isidoro vindicanda sunt. *Uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.*

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

(*e*) S. Isidor. l. 3. de sum. bono c. 59. in c. falsidicus 1. de crimine falsi l. 5. t. 20. & in can. Quisquis 8. 11. q. 3.

Nihilominus omnino operæ pretium est observare, illud, quod ea de re asseritur a S. Thoma, intelligendum esse de casu, in quo crimen nondum perpetratum est, & cujus executio potest impediri ex ejusdem declaratione: (*f*) Si namque scelus jam admissum sit; nec jam agatur, nisi ut, qui ejusdem conscius est debita poena afficiatur; videtur, in eo casu nullam induci obligationem illud detegendi, cujus notitia, nonnisi interposita fide secreti naturalis, accepta est. Sed incumbit tamen ejusmodi testi reum monere, ut quam citocitius, quod proximo potest irrogavisse, resarciat detrimentum, eique minitari, nisi damnum compenset, cum possit, futurum alioquin, ut adversus eum ferat testimonium.

(*f*) De Gen. Theol. mor. tom. 6. tract. 4. c. 3. q. 2.

Subjungit Angelicus Doctor, si quod alicui amico sub fide Secreti commissum est, nullum inferat alicui damnum; prædictum amicum nullatenus in eo casu teneri, ad illud idem detegendum. Quod eadem ratione est extendendum ad advocatum, Forensem Procuratorem, medicum, chirurgum, obstetricem, & ad quemvis alium, cui criminis alicujus conscius animum suum confidenter aperuisset; quemadmodum observatur a Cabassutio. (*g*) Cujus rei ratio est, cur scilicet amicus prædictus non obligetur, ad illud declarandum, quod non novit nisi ex fide secreti, nec ad obediendum in eo casu neque Judici, neque cuicumque alii Superiori; quod, quando obligatio inducitur fidei Secreti ex ipso naturali jure servandæ, penes nullum quemquam esse queat contrariam injungere obligationem. *Quandoque vero sunt talia*, ipsissima sunt verba S. Thomæ, *quæ quis prodere non tenetur, unde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris, quia servare fidem est de jure naturali: nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali.*

(*g*) Joan. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 4. c. 5. n. 1.

Est igitur inferendum, si crimen, de quo in judicio inquiritur in Henricum, nec publico, nec privato cuiquam noceat; aut si alterutri fuerit injuriosum, jam sit ab ipso Henrico perpetratum; nec jam agatur nisi eo fine, ut poenæ ab eodem repetantur: Thomam ex debito conscientiæ nullatenus obligari, ad ferendum adversus eum testimonium; siquidem ipsius rei notitia ad eum nonnisi, interposita secreti fide, pervenerit, neque etiam incumbere rem aliquam sub secreto commissam aperire, cum secretum pertinet ad rem aliquam, quæ fieri debet, & ex cujus executione nihil injuriosum nec publico, nec privato cuiquam accessurum est.

C A S U S VI.

Si Thomæ necessitas incumbat ad interrogata Judicis respondendi, qui ei detrectanti respondere vel carcerem, vel graviorem aliquam aliam poenam minitetur; nec alioquin, nisi respondendo, possit intentas sibi minas effugere: qua ratione, cum teneatur ad fidem secreti servandam, injunctam sibi testimonii dicendi legem potest eludere? Licet-ne ei in ejusmodi rerum angustiis constituto, aliquam adhibere mentalem restrictionem?

R E S P O N S.

1. Respondemus, nullam verborum ambiguitatem, nec mentalem restrictionem a Thoma posse sine peccato, quin etiam sine perjurio, adhiberi. Ratio est, quod testis interrogatus a Judice juxta consuetum juris ordinem, quique in jure-jurando quo ab ipso Judice astringitur, testem Deum invocat, futurum ut genuinam ipsius rei veritatem detegat; nihil possit contra propriam suam conscientiam proferre; siquidem alioquin veritati deesset; & teneatur, in responsis, quæ Judici ministraturus est, sese accommodare ad sensum, juxta quem ab eodem interrogatur, quoniam *quacumque arte verborum quisque jurat*, inquit Canon, (*h*) *Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit*. Unde sequitur, eum, qui quacumque arte aut verborum ambiguitate in ejusmodi casu respondendo utitur, esse fallacem simul ac perjurum. *Dupliciter autem reus fit: quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit*: subjicit idem Canon: In quæ verba Gratianus, qui refert istam auctoritatem in suo Decreto, sic habet: (*i*) *Deus autem duplicitatis aspernator simplicem intentionem utriusque considerat; & tam ex parte recipientis, quam ex parte præstantis* (juramentum) *verborum artem aspernatur, & odit*.

(*h*) Isidorus in Can. Quicumque. 22. q. 5.

(*i*) Gratian. §. Ex his. ibid.

2. Quod cum ita sit, siquidem Thomas in eo casu constituatur, in quo vinculo secreti servandi tenetur; necesse est, adhibeat, quidquid potest ei Christiana prudentia suggerere, ut caveat, ne illud idem aperiat. *Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur* (K): sive nihil intentatum relinquendo, quo sese possit ex aliqua probabili causa a jurisdictione Judicis præfati subducere; aut ad alium superiorem Judicem provocando, sive sese affirmando respondere, nihil sibi suppetere, quod

(k) Reg. 20. de Reg. Juris in 6.

quod de iis, de quibus a Judice interrogatur, quidquam possit aperire; aut, si fieri possit, per aliquod tempus ab eo loco sese procul absentando: At tandem, si nihil eum prædicta omnia juvent, & subodoretur, ex sua pertinaci detrectatione periculum evidens imminere sibi indignorum quorumdam modorum; aut inducendæ sibi necessitatis testificandi; ab eo detegenda est nuda ac genuina rei ipsius veritas, cum non teneatur ad fidem servandam secreti; nec ad eamdem ullatenus obligavisse se censendus sit, nisi sub tacita conditione, quod futurum sit, ut eam sine notabili damno possit religiosam ac sanctam habere; alioquin vero nullatenus reprehendi possit, ex eo, quod detegat Judici, quando in ea necessitate constituitur, ut ipsi interroganti respondeat, juxta regulam istam Juris: (a) *Quod quis mandato Judicis facit, dolo facere non videtur; cum habeat parere necesse*. Quam eamdem sententiam Cabassutius cum plurimis aliis amplectitur. (a)

(a) Reg. 24. lib.
(b) Joann. Cabass. JurisCan. theo. & prax. l. 4. c. 5. n. 2.

C A S U S VII.

Henricus, cum sit testis oculatus, Gualterium ab Hieronymo fuisse interfectum, ex qua cæde damnum prorsus ingens accessit familiæ defuncti, vocatur in judicium, ut de genuina rei ipsius veritate ferat coram Judice testimonium. Qua de re quærit 1. num sibi incumbat eamdem aperire. S. Hieronymus non interfecerit Gualterium, qui prior in eum impetum fecit, nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec alioquin valens propriæ suæ consulere saluti, 2. Num obligaretur, ad testimonium dicendum in eo casu, in quo, cum solus foret testis furti cujusdam, quod factum fuisset a Joanne, sibi compertum esset, illud idem a Joanne non fuisse commissum, nisi ea titulo justæ alicujus compensationis?

R e s p o n s.

Existimamus, in propositis duobus casibus Henrico nihil obligationis induci, ferendi contra Hieronymum, vel Joannem testimonium: Ratio est, quod Hieronymus ex homicidio, quod commisit; non sit promeritus, quamobrem alicui capitali pœnæ subjiceretur; nec Joannes ex furto, quod fecit; quippe constet, a neutro eorum in utroque casu, nihil fuisse peccatum saltem mortaliter, Hieronymus quidem non peccavit, cum jure vel ipso naturali liceat propriam suam vitam adversus alicujus aggredientis impetum defendere, quin etiam eumdem interficere, cum alioquin eidem providendi nullus alius locus offertur, ut alibi demonstramur; * & ab ipsa proprii corporis tutela omnis interficiendi animus abest. Sed neque Joannes etiam peccavit mortaliter; cum permittatur usus compensationis, clanculum scilicet accipiendo; quod cum injustitia detinetur a debitore nolente illud restituere, quando aliter non potest de manibus ipsius recuperari.

* Vide Occidere.

Ideoque, siquidem Hieronymus nullum vitium ex interfecto Gualterio contraxerit; cujus vim atque impetum non poterat alioquin, nisi cum periculo proprii sui capitis, effugere; Henricus coram Deo non obligatus, ad testimonium adversus eum occasione prædicti homicidii ferendum: atque eadem est ratione judicandum de Joanne, qui nullius culpæ conscius est, quod usus fuerit via compensationis, ad recuperandum suum, quod non poterat ulla ratione recipere. (c)

(c) Nav. Manual. c. 25. n. 46.
(d) Joann. Cabass. JurisCan. theor. & prax. l. 4. c. 5. n. 1.

Quam decisionem tradit Cabassutius (d); qui ait: *Non teneatur aliquis testificari, etiam requisitus, citatus, & sub pœna excommunicationis obtestatus ..... qui scit rem, de qua inquiritur, factam fuisse sine culpa saltem mortali, at si qui furti accusatur, rem subripuerit titulo justæ compensationis, aut homicidium, de quo inquiritur, fuisse factam cum moderamine inculpatæ tutelæ*.

C A S U S VIII.

Si Henricus & ipsius frater soli testes citati a Judice, qui ab eis exegit Sacramentum, quo obligentur ad indicandam veritatem circa cædem factam ab Andrea; a quo trucidatus fuit Augustus; simpliciter testificentur; Augustum ab Andrea necatum fuisse, nec addant, Augustum priorem aggressum esse, nec ab Andrea fuisse eumdem interfectum, nisi per modum defensionis, atque ut ipse incolumis evaderet; peccant-ne mortaliter, & perjurii ne culpam contrahunt ex tacita ejusmodi circumstantia; quin etiam ipsis-ne incumbit, quod inde subsecutum fuit, damnum integrum resarcire?

R e s p o n s.

Prædicti duo testes conscii sunt mortalis peccati, simul & perjurii: Intentio namque Judicis, ad quam testimonium dicentes tenentur responsa sua componere, est ejusmodi, nimirum ut obligentur ad aperiendam rei veritatem, tam ad aggravandam criminationem reo impositam, quam ad eumdem extra omnem prorsus criminis accusationem ponendum, atque hæc ipsis inducitur obligatio ea jure jurando, cui sese adegerunt; *Uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat*, ut fert quædam Decretalis, cujus ea errore, cui locum dedit Gratianus, a Merbesio verba contra rei veritatem tribuuntur S. Augustino, quorum tamen S. Isidorus auctor habetur. (e) Sed neque etiam dubium esse potest, quin teneantur ad resarciendum quodcumque subsecutum inde fuit detrimenti, ea tacita scilicet ejusmodi circumstantiæ veritate? quippe qui eumdem silentio prementes, peccaverint adversus justitiam.

(e) Isidor. L. 3. de sum bono c. 59. in c. Quisquis c. de crimine falsi Lib. 5. item in can. Quisquis. tit. 20. l. 11 q. 3
(f) Joann. Caboss. juris can. theor. & Prax. l. 4. c. 5. n. 2.

Quæ decisio sibi vindicat Auctorem, eruditum quemdam Canonistam; (f) qui sic habet. *Indubitatum est calumniosum testem, aut falsum, aut per veri suppressionem in præjudicium partis, quamvis nihil falsum positive protulisset, ut, si silueris ream; contra quem testificatus est, fortasse primum injusta conquerentis aggressione lacessitum, non modo peccare mortaliter, tum propter injustitiam, tum ratione perjurii; sed etiam teneri ad reparationem damni*. Quam eamdem doctrinam Reginaldus tenet (g) Farinacii, Mariani, Socini, Fagnani, plurimorumque aliorum celeberrimorum auctorum vestigiis insistens: (h)

(g) Valerius Regin. praxi fori pœnitent. l. 24. c. 7. sect. 9. n. 103.
(h) Farin. prax. crim. part. 2. q. 57. n. 213. Socinus & alii in d. c. Falsidicus.

C A S U S IX.

Masculfus, qui Lucium accusat, quod occiderit Paulum, producit testes Jacobum & Joannem: qui testificantur, Lucium esse homicidii istius conscium; duo alii testes fidei perinde locupletis, ac Jacobus & Joannes ex altera parte pro testimonio dicunt. Lucium omni prorsus culpa carere, & Paulum a Stephano fuisse interfectum. Nonne potest Judex & recta quidem conscientia Lucium extra criminationem ponere, eumque omni crimine solutum dimittere ex duorum posteriorum testium testificatione? præsertim vero, si quatuor prædicti sint omnino dignitate pares?

R e s p o n s.

S. Thomas de proposito casu sic habet: (i) *Si in talibus omnino discordaverint testes actoris & rei, si sunt æquales numero, & pares dignitate, statur pro reo: quia facilior debet esse Judex ad absolvendum, quam ad condemnandum*.

(i) S. Th. 2. 2. q. 70. a. 2. ad 2.

C A S U S X.

Siranus a Felice arguitur in Judicio Paulum occidisse. Quos Felix producit testes, Jacobus & Joannes testificantur equidem communi testimonio, eum esse conscium istius homicidii: verum Jacobus affirmat, illud idem ab eo fuisse factum quodam die Lunæ, qui in primum mensis incidebat; Joannes vero dicit, Paulum a Sirano quodam die Martis, fuisse occisum: vel Jacobus declarat, interfectum eum fuisse in certa quadam domo: Joannes autem ex altera parte ait, cædem prædictam a Sirano fuisse factam in via domum præfatam proxime contingente. Num licet Judici duobus tantummodo stare prædictis testimoniis, & juxta eadem allegata damnatorium in Siranum

ab-

absque ullo suæ conscientiæ dispendio ferre judicium?

R E S P O N S.

Asserendum est, nequaquam a Judice posse recta conscientia Siranum condemnari, tanquam homicidii, de quo quæstio est in specie proposita, conscium: Neque enim satis validum est, neque sufficienter plenum aliquod testimonium, ut vi illius possit Judex damnatorium in aliquem reum ferre testimonium, quando *discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis*, ait S. Thomas, (a) *quæ variant substantiam facti; puta in tempore, vel in loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam testimonii: quia si discordant in talibus; videntur esse singulares in suis testimoniis, & de diversis factis loqui; puta, si unus dicat, hoc factum esse tali tempore vel loco; alius alio tempore vel loco; non videntur de eodem facto loqui*. Porro in ea, quæ proponitur specie, Jacobus & Joannes non sibi invicem constant in testimoniis suis; cum Jacobus testificetur, a Sirano Paulum occisum fuisse die quodam Lunæ primo certi cujusdam mensis, aut interfectum fuisse in tali domo, quam designet; & Joannes affirmet e contrario, prædictam cædem perpetratam esse die quodam Martis, aut factam in via, quæ domum designatam proxime contingit. Si Judici igitur nulla alia succurrant probationis argumenta, non potest in Siranum pœnam capitis decernere, quæ constituitur Homicidis.

(a) S. Tho. cit. q. 70. a. 2. ad 2.

Cui decisioni favet Lex relata in Decreto Gratiani, (b) quæ etiam jubet, ut testes, *qui falso, vel varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a Judicibus competenter puniantur*.

(b) Cau. 8. te. Res. 3. §. 20. 4. q. 3.

C A S U S XI.

Jacobus & Joannes, quos testes tantummodo producit Laurentius adversus Lucium, quem arguit, quod interfecerit Albertum: discordant circa circumstantias quasdam, quæ nihil equidem pertinent ad substantiam facti; sed cum esdem aliquatenus conjunguntur. Jacobus etenim interrogatus de tempore & loco, testificatur, cum Lucius Albertum occidit, cœlum fuisse pluviosum; & domum, in qua cædes prædicta facta est, fuisse recens constructam, sive coloribus obductam. Joannes e contrario, asserit, clarum tunc temporis solem resplenduisse; neque in prædicta domo quidquam apparuisse vestigii, quod aut recens constructa esset, aut coloribus obducta. Judexne potest, nihil obstante illa testimoniorum varietate, condemnare Lucium ad eamdem pœnam subeundam, quam Homicidæ promerentur?

R E S P O N S.

Respondemus, in casu proposito posse prorsus ac debere Lucium a Judice condemnari. Ratio est, quia, ut ejusmodi circumstantiæ levioris omnino sunt momenti quantum ad ipsam substantiam facti; sæpe sæpius contingit; iisdem nullatenus affici testes, quorum alionde tota animi attentio fertur ad ipsummet factum, quod propriis suis oculis viderunt perpetrari. Ideoque non debet Judex ejus generis testimoniorum discordiam multum perpendere, in quam facile prorsus incidere homines consueverunt, sive ex defectu memoriæ, sive quoniam leviores ejusmodi circumstantias non attenderunt, quæ videbantur ad ipsam facti substantiam nulla ratione referendæ, de quo potissimum testimonium erant dicturi.

Atque ipsissima est sententia, quam S. Thomas amplectitur, (c) cum ait: *si vero sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti; puta, si tempus fuerit nubilosum, vel serenum, vel si domus fuerit picta, aut non, aut aliquid hujusmodi; talis discordia non præjudicat testimonio, quia homines non consueverunt circa talia multum sollicitari: Unde facile a memoria elabuntur*. Additque præterea laudatus S. Doctor: *Quin imo aliqua discordia in talibus facit testimonium credibilius, ut Chrysostomus dicit super Matthæum*; (d) *quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis, viderentur ex condicto eumdem sermonem proferre*. Nihilominus memoratus Angelicus Doctor ea de re propriæ suæ sententiæ non adeo pertinaciter adhæret, quam ut nolit, hoc ipsum tum prudentiæ, tum sapientiæ justi alicujus judicis relinqui discernendum. *Quod tamen prudentiæ judicis*, ait ille, *relinquitur discernendum*.

(c) S. Tho. a. a. q. 70. art. 2. ad 2.

(d) S. Chry. sost. 2. in Matth.

C A S U S XII.

Si Jacobus & Joannes testificentur, Albertum quidem a Lucio fuisse interfectum; & alteruter dicat, suæ memoriæ satis non occurrere nec diem, nec locum; alter vero, tum diem, tum locum designet; Numquid nihilominus potest judex in Lucium damnatorium judicium constituere?

R E S P O N S.

Quæstionem propositam S. Thomas (e) dissolvit, asserendo; posse reum in ejusmodi casu a judice condemnari; rationemque istam reddit, quia *non præjudicatur testimonio, si unus dicat, se non recordari, & alius asserat determinatum tempus vel locum*. Quæ igitur occurrit inter testimonia prædictorum duorum testium dissimilitudo, qui criminationem impositam Lucio ex æquo aggravant, non debet obstare, quominus judex ei decernat pœnam Homicidis debitam.

(e) S. Thom. supra cit. art. 2 ad 2.

C A S U S XIII.

Petrus & Paulus ambo simul existimatione damnati propter falsitates & improbissima facinora, quæ sæpe sæpius admiserunt, & in quorum pænam judiciarias subiverunt animadversiones; soli sunt testes, qui testificentur adversus Joannem, qui reus in jus ducitur criminis homicidii. Num potest Judex servato summo jure, ex dicto ab iisdem testimonio, Joannem condemnare?

R E S P O N S.

Est hoc in jure receptum loco generalis principii, quod testes ejusmodi debeant esse, ut nulla ratione arguantur; atque ea de causa declarat Eugenius III. ut nullam sententiam quamdam, quæ quorumdam testium infamia notatorum testimonio intervenerat, quorum aliqui tanquam latrones aut perjuri divulgabantur. (f) Idem constituitur a Gregorio IX. (g); atque Canonibus antiquis perjuri denuntiantur infames & inhabiles ad ferendum testimonium: (h) Eademque etiam de causa judex nullatenus attendere debet testimonium Testium, qui fuerunt vel pecunia, vel quoquo alio modo corrupti, ut declarat Innocentius III. scribens ad Episcopum Bellovacensem, (i) quod idem quoque de eo statuit, qui criminis ejusdem est particeps, quo ipse reus accusatur. (k) Eamque etiam ob rem propinquiores consanguinei secundum dispositionem juris habentur ut omnino suspecti, nec ultra ratione in judicium ad testimonium dicendum admittendi. (l) Indeque etiam est, quod juxta decisionem Gregorii IX. qui criminis alicujus reus in judicium ducitur, licet ejusdem nondum manifestus teneatur, non debet recipi, ad ferendum adversus alium testimonium. (m)

(f) Eugen. III. in Ex parte 7. de testibus & attest. L. 2. tit. 20.

(g) Greg. IX. in cap. Testimonium 54. eod. tit.

(h Can. Quicumque 18. 6. q. 1.

(i) Alex. III. in c. sicut 9. de testibus, &c.

(k Idem in c. veniens. 19. ib. Idem in c. Personas. 20. ibid.

(l) Idem in c. In Litteris. 24. eod. tit.

(m) Greg. IX. in Can. Non debet. 56. eod. t. c.

Ex quibus sequitur, si Judici, de quo quæstio proponitur; nulla alia succurrant probationis argumenta, quam ea sola tum Petri, tum Pauli testificatione; Joanni locum afferendum esse, eosdem arguendi viva quidem voce rejectionis suæ causas asserendo, non scripto, & quas habet ea de re, probationes proferendo secundum Jurisprudentiam Arrestorum: nec licet in eo casu judici reum condemnare ad pœnam capitis, quæ constituitur crimini, quo insimulatur.

Necesse tamen est observare, principio generali quod modo stabilimus, suas nihilominus aliquando dari exceptiones: neque enim obtinet quantum ad crimen Majestatis, quemadmodum consentit ea de re Innocentius III. scribens ad Priorem de S. Victore, & ad duos Canonicos; (n) quo quidem in casu possunt in testes admitti, ut judicatum est a supremo Parisiensi Senatu, ita referente Papo-

(n) Innoc. III. in cap. Licet 31. de simonia. Lib. 1. tit. 3. §. cum igitur.

Digitized by Google

pono (*a*), nisi, quemadmodum observat Glossa Joannis Andreæ (*b*), criminis ejusdem conscii sint, atque participes.

(*a*) Papon. L. 9. t. 3. n. 40. (*b*) Joann. Andreas in cap. Mediatores. 1. de testibus, &c. in 6. §. Nota unum.

CASUS XIV.

QUIDAM Theologus, & Canonista quidam de quæstione ista disseruerunt, nimirum, an aliqui possint casus occurrere, in quibus vel unius tantummodo testi sit habenda fides, & in quibus sufficiat ipsius testimonium?

Negativam Theologus tenuit, oppositam vero Canonista. Utri ejus.

RESPONS.

Si res agatur de quibusdam, quæ fuerint in foro contentioso denunciata, Theologo jus favet. Neque enim ullum judicium juxta juris ordinem ferri potest ex unius tantummodo testificatione, siquidem, ipso vel etiam testante Jesu Christo, saltem duorum in ejusmodi judicio necesse sit, testimonium accedat. *In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* (*c*)

(*c*) Matth. 18. 16.

At vero, si quæstio sit de casibus extrajudiciariis: constat ejus generis occurrere quamplurimos, in quibus vel unius tantummodo testis testimonium sufficit, ad alicujus rei fidem asserendum.

Primus scilicet est, cum nullius damno vertit ejusmodi testimonium. *Licet autem communiter non sufficiat unus testis*, ait S. Antoninus, (*d*) *in quibusdam tamen casibus statur testimonio unius, & primo in his, quibus non fit alteri præjudicium.*

(*d*) S. Ant. 3. p. t. 9. c. 11.

Exempla vero subjicit hujusce rei laudatus S. Archiepiscopus, *puta, cum dubitatur de aliquo, an sit baptizatus: an Ecclesia sit consecrata; an aliquis petierit Confessorem, & hujusmodi*. Quibus quidem in casibus vel unius etiam testimonio fides adhibenda est.

Secundo cum (in casu nempe vel dubii, vel litigii) *hoc est de consensu partium*, prosequitur S. Antoninus, *ut unius stetur testimonio, cum & testimonio adversarii stari possit. Item cum quæritur, an aliquis sit emendatus de crimine; statur testimonio sacerdotis.* (*e*)

Tertio, *Item in correctione fraterna super persona caritativa correctione.* (*f*)

(*e*) Glossa in c. Testimonium 94. v. In hoc casu de testibus & attestationibus & in c. Nuper. 51. eod. t. v. Nisi juratus. (*d*) Cap. In omni 8. ib. & ibi Glossa.

CASUS XV.

Cum Ulbertus, qui vir est invisus omnibus suis vicinis, Vinebaldum indignis modis accepisset, eumque fuisset contumeliis insecutus, duo de prædictis vicinis, qui sunt testes ejusmodi contumeliarum, nemine requirente, atque ultro venerunt in judicium; testimonium ea de re dixerunt. Numquid ratum est eorum testimonium; atque nonne potest Judex, eorumdem audito testimonio, virum prædictum condemnare?

RESPONS.

Constat, ratum non esse, quod latum fuit a vicinis Ulberti, testimonium, neque ex solo eorumdem testimonio Judici, eum ad ullam pœnam subeundam condemnare. Ratio est, quia necesse est, testi constitui libello vadimonium, eumdemque sese coram judice jurejurando obligare, futurum ut genuinam aperiat rei de qua testificaturus est, veritatem: alioquin nihil quidquam juvat ipsius testimonium. *Nulli, quantacumque religionis fuerit, creditur, scilicet in causis: nisi juraverit*, ait S. Antoninus, (*g*) *ad essentiam enim dicti testis, ut sit validum* (ejus dictum) *requiritur juramentum & coram judice competente examinatio ejus*. Quæ verba laudatus S. Archiepiscopus mutuatus est e Decretali quadam summi Pontificis Honorii III. (*h*), qui sic statuit: nullius testimonio, quantumcumque Religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. Quam eamdem quoque Doctrinam proponit Bouchel in sua Gallici juris Bibliotheca, (*i*) in qua præscribit integrum, quem Guillelmus Jaudin scripsit in testes, atque inquisitiones, tractatum, (*k*) quo quidem in tractatu prædictus Auctor evincit ex quadam authentica codicis Justiniani, (*l*) quemcumque testem, ut possit audiri, primum quidem ac præ ceteris omnibus oportere in judicium, constituto vadimonii libello, vocari ad dicendum testimonium, sive de mandato Judicis, sive ex simplici vadimonii denuntiatione, prout vel stilo atque usu curiæ, in qualis est, requiritur. *Nam*, ait ille, *si testis, non sibi constituto vadimonio, nec ulla parte postulante ultro sese in testimonium ferendum interponeret, illius adversarius præsumeretur, in quem gessit, ac pro virili parte nititur testificari, adeoque suspectus haberetur, atque extra omnem omnino controversiam repellendus. Quod confirmat authoritate Glossæ ac Bartoli testimonia.* (*m*) Adeo ut, si quidem Lex omnibus testibus interdicat, ne nisi vocati, sese offerant ad testimonium ferendum; eorum testimonium alioquin dictum nullius debeat esse roboris; juxta sequens illud effatum Imperatorum Theodosii ac Valentiniani: (*n*) *ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia: sed pro infectis etiam habeantur.*

(*g*) S. Ant. 3. p. t. 9. c. 11 §. 1. in fin. (*h*) Honor. III. in c. Nuper. 51. de testibus & attestat. L. 2. t. 20. (*i*) Bouchel. Biblioth. Gallici juris v. Testis. (*k*) Jaudin. t. de testibus & inquisitionibus, c. 2. (*l*) Auth. Rogatic. de testibus authentic. L. 4. t. 20.

(*m*) Glossa & Bartolus in L. Post legatum §. his vero ff. de his, quibus ut indignis, &c. & L. Quæ omnia §. sed si adversarius ff. de procuratoribus. (*n*) In L. Non dubium est. 5. C. de Leg. &c. L. 1. t. 14.

CASUS XVI.

ARISTIDES falsum testificatus est atque in sua cum reo compositione testimonio jam dicto firmus adhæsit, dicens a Justino fuisse Ludovicum interfectum; cujus quidem testificationi, cum accedant quam gravissimæ conjecturæ, quamquam Justinus omni prorsus careat crimine, jamjam futurum est, ut iste reus capite certissime condemnetur. Qua de re quæstio proponitur, utrum falsus iste testis ex conscientia teneatur ad revocandum, quod tulit testimonium, ut vitæ Justini consulat, quamquam illud idem revocare non possit, quin in periculum ipsemet certo certius incurrat ejusdem pœnæ subeundæ, tanquam falsus testis?

RESPONS.

Nequequam dubium est, quin Aristides ex conscientia teneatur, atque etiam cum proprii sui capitis discrimine, ad testimonium, quod dixit, revocandum, ut condemnationi Justinum eripiat. *Si ex falsa depositione reus versetur in periculo vitæ*, ait Cabassutius, (*o*) *tenetur testis, sicut & calumniosus accusator Judicem certum facere de calumnia & falsitate, omnemque operam adhibere, ut reum eripiat, etiam cum periculo propriæ vitæ*. Rationemque istam Canoaista laudatus affert, his verbis: *Nam in pari crimine potior est innocentis conditio, quam calumniatoris, aut alterius, qui sua malitia immeritum hominem in id periculum adegit.*

(*o*) Joann. Cabassut. juris c. theor. & prac. L. 4. c. 5. n. 6.

Qui præfatus Auctor in sua decisione nonnisi vestigiis aliorum insistit, qui eum præcesserunt, quales sunt Dominicus Soto, Medine, Navarrus, Covarruvias, Azorius, & Reginaldus; qui omnes unanimi consensu doctrinam eamdem amplectuntur. (*p*).

CASUS XVII.

JOSSELINUS in jus vocatus ad ferendum testimonium de rei alicujus veritate, quam certissime noverat nullius prorsus esse momenti; coram Judice falsum testificatus est. Potest-ne contendi, peccatum ipsius esse mortale?

RESPONS.

Omne perjurium, quod ab aliquo teste coram judice committitur, habet rationem peccati mortalis. Atqui Josselinus, falsum testificando, perjurium admittit testem ad testimonium ferendum, nisi postquam eum adegit sacramento, futurum ut verum diceret; Josselinus ergo nulla ratione potest a perjurio vindicari; neque proinde a peccato mortali. Aliunde vero vir prædictus non potuit ferre falsum testimonium, quin peccaret non tantummodo contra veritatem, quin etiam ipsum Deum, quem testem appellavit suo sacramento, vellet constituere mendacii defensorem: sed præterea, quin offenderet simul tum justitiam, tum publicam fidem. Atque ea ratione propositam difficultatem S. Thomas dissolvit: (*q*) *Falsum testimonium*, ait, *habet triplicem deformitatem. Uno modo ex perjurio quia*

(*p*) Sotus in 4. de just. & jure q. 6. a. 3. ad 4. dub. 3. Medina in c. de rebus restituend. q. 3. causa 4. ad 4. Navar. Manual. c. 25. n. 37. Didacus Covarruvias a Leyva ad reg. Peccatum 2. p. n. 6. v. Tertio. Valerius Reginaldus prax. fori pœnit. 24. c. 7. sec. 9. n. 267. &c.

(*q*) S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 4. in corp.

quia testes non admittuntur, nisi jurati, & ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo, ex violatione justitiæ, & hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut & qualibet injustitia... Tertio modo, ex ipsa falsitate. Et iterum alibi: (*a*) *Juramentum est duplex, quoddam, in quo aliquis percepit se jurare, & tunc, si falsum jurat, credo, quod semper peccet mortaliter, sive sit juramentum solemne, sive non solemne, & præcipue, quando percipit esse falsum quod jurat.* Atque hoc idem ipsum docet Cardinalis Cajetanus in suo commentario in summam theologicam laudati S. Doctoris (*b*) in quo veritatem prædictam probat fusioribus rationum argumentis.

(*a*) Idem in 3 dist. 39 q. un. art. 3 quæstiuncula. 2. in corp.

(*b*) Thomas de Vio Card. Cajet. in 2. 2. q. 89. art. 7.

CASUS XVIII.

Robertus, & Antonius in jus vocati, ad ferendum coram Judice testimonium de eo, quod noverunt circa quoddam homicidium, cujus Petrus accusatur, & premente eos necessitate conficiendi longam itineris longinquioris peregrinationem, adeunt unusquisque suos Notarios coram iisdem suum ea de re dicturi testimonium, ac declarant, sese propriis oculis vidisse, prædictum crimen a reo perpetrari, qui quidem testimonio suo postquam subscripserunt, illud idem Judici per certum nuntium mittunt, & navem conscendunt. Judexne prædictus potest ex conscientia, quæ Legibus constituitur Homicidis, ad eandem pœnam subeundam, ipsum Petrum ex duplici sic dictu testimonio condemnare?

Responsio.

Nullum dubium est, quin prædictus Judex ex conscientia non possit ejusmodi ferre judicium. Testificatio namque testium quantumcumque sit indubitata, non ad hoc sufficit, quod ex eorum testimonio in judicio conficiendum est, nisi ipsa fuerit lata coram judice: & ipsi prius ab ipsomet judice jusejurando obligati, futurum ut veritatem nudam detegant, ab ipso eodem interrogentur, (*c*) quemadmodum legibus & Edictis Regum Galliæ nostræ præscribitur. Quod habetur ex lege Digesti, (*d*) in qua sic legitur: *Divus Hadrianus Junio Rufino Proconsuli Macedoniæ rescripsit, testibus se, non testimoniis crediturum. Verba Epistolæ ad hanc partem pertinentia, hæc sunt. Quod crimina objecerit apud me Alexander Apro, & quia non probabat, nec testes producebat; sed testimoniis uti volebat, quibus apud me locus non est: nam ipsos interrogare soleo, quæ remisi ad Provinciæ Præsidem, ut is de fide testium quæreret; & nisi implesset, quod intenderat, relegaretur.* Et paulo post, *Gabinio quoque maximo idem Princeps in hæc verba rescripsit: alia est auctoritas præsentium testium; alia testimoniorum, quæ recitari solent.*

(*c*) Jurisjurandi Religione testes, priusquam perhibeant testimonium jamdudum arctari præcipimus. Leg. jurisjurandi. v. Cod. de testibus. Item adict. an. 1667. tit. 22 art. 9

(*d*) Leg. Testium. 3. §. 3. & 4. ff. de testibus. lib. 22. tit. 5.

Quidquid ergo a Judice necesse est in ejusmodi rerum statu præstari, illud in eo consistit, ut vel sese in eum locum transferat, in quo testes prædicti sese receperunt, si possit iisdem occurrere; (*e*) vel munus istud alteri judici demandet pro tempore & ratione, quibus Patriæ leges & receptus usus hoc ipsum ipsi permittunt.

(*e*) Leg. personæ. 75. ff. de jurejur. lib. 12. tit. 2.

CASUS XIX.

Debetur Desiderio ab Ambrosio summa 95. librarum. Desiderius, cum sibi non sit nec chirographi cautio, nec ulla syngrapha, de propria manu Ambrosii, petivit, sese in judicium admitti, ad suum debitum subsidio probationis asserendum, & testem produxit Godefridum, qui nonnisi cum ipsius filia per verba de futuro conjungitur; duos e suis consanguineis in gradu cognationis remotiori, & quemdam domesticum veterem famulum. Num debet judex ex prædictorum testimonio condemnare Ambrosium, ad memoratam pecuniæ summam Desiderio persolvendam?

Responsio.

Respondemus, quantum ad Godefridum, illum esse testem, cujus testimonio Desiderius nihil in casu proposito juvatur; quoniam inter eos, qui vel sanguine, vel aliquo sunt affinitatis vinculo conjuncti cum iis, quorum res, de qua testimonium ferendum est, interest, quos prohibetur, in testes admittere; ii potissimum recensendi sunt, qui ratione simplicium duntaxat sponsaliorum sunt affines (*f*).

(*f*) Generali appellatione sponsum quoque filiæ contineri placet. Leg. in legibus. 5. ff. de testibus.

Quod spectat ad duos consanguineos Desiderii, distinguendum est; vel enim continentur intra gradus legibus determinatos; vel constituuntur in gradu remotiori. In priori casu, nihil possunt Desiderio prodesse suo testimonio; sed in posteriori, sine dubio possunt. Jam vero juxta receptum apud Gallorum gentem usum, quem constituit Edictum mensis Aprilis anni 1667. (*g*) Testificatio consanguinitate vel affinitate cum partibus conjunctorum, ad liberos usque cognatorum, qui de sanguine patruelium fratrum progeniti sunt, comprehensos, in civilibus causis tanquam spuria repudiatur, sive prædictis partibus prosit, sive iisdem noceat. Eodemque modo censet Avila apud Cabassutium. (*h*) Unde inferendum est, si prædicti duo cum Desiderio consanguinitate conjuncti, reperiantur intra gradus memoratos; nullius perinde eorum testimonium esse momenti, ac illud, quod Godefridus perhibuit; nec licere judici vi prædicti eorum testimonii pro Desiderio pronunciare; at judicium pro eodem ferre absque omni omnino controversia potest, si fuerint in remotiori cognationis gradu constituti.

(*g*) Edict. an. 1667. tit. 22. art. 11.

(*h*) Cabass. Can. jur. theor. & prax. lib. 4. c. 5. n. 1.

Tandem, quantum est ad antiquum illum Desiderii domesticum famulum, dicendum est, servato juris ordine, juxta leges ipsius testificationem esse penitus rejiciendam. *Testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit*, inquit lex; (*i*) *etiam jure Civili domestici testimonii fides improbatur*, fert alia lex. (*k*) Atque hæc potissimum ratio est, quod periculum semper immineat, ne Dominus domestici eum quaqua ratione cogat, ad testimonium pro se ferendum. *Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, ut testes fiant.* Qua ratione alia quoque lex habet. (*l*) In eoque prædictæ Leges omnino quadrant ad Canonicas Constitutiones, ut colligere licet ex verbis apertissimis Canonum, quos ibidem ad marginem (*m*) indicamus.

(*i*) Leg. Testes. 24. ff de testibus.

(*k*) Leg. Etiam. 3. Cod. eod. tit.

(*l*) Leg Idonei. 6. ff. eod. tit.

(*m*) Can. Consanguinei. Can. Accusatores. 1. Can. Constituimus 9 3. q. 5. Conc. Carthag. 4 in Can. Testes. 5. Can. Si testes. 3. 4. q. 3.

In causa tamen criminali crimen excipiendum est imminutæ majestatis, & quodlibet aliud facinus, quod Publico injuriosum est; quemadmodum observatur a Cabassutio. (*n*) Præterea notandum est, domesticum ad testimonium pro Domino suo ferendum admitti: 1. cum quæstio est de facto aliquo domestico, quod alioquin ægre admodum potest ex testimonio extraneo comprobari. Sic censet Mornacius (*o*), qui citat ea de re Arrestum, quod 9. Augusti 1612. pronunciatum est. 2. Quantum ad facinorum casus, quæ fuerint intra domesticos parietes noctu perpetrata, sive adulteria, cædes, furta aut alia ejusmodi, ut advertit Papon (*p*); quod quidem Juri Romano prorsus consentaneum est (*q*).

(*n*) Idem Cabassut. loc. cit.

(*o*) Mornac. in l. 3. [illegible] ff. 48.

(*p*) Papon. l. 9. tit 2. n 28.

(*q*) Authent. Ut liceat. &c. Relata in leg. 8. Cod. de Repudiis.

Cæterum, est hoc indubitatum, ex testimonio unius tantummodo testis, quæcumque dignitate fulgeat, & cujuscumque fidei excellentia præstet, nequaquam posse confici sufficiens probationis argumentum, nec in quæstione criminali, nec in materia civili. *Similimodo sancimus*, fert una lex, quam allegavimus in præcedenti decisione (*r*) *at unius testimonium nemo judicum in quacumque causa facile patiatur admitti: & nunc manifeste sancimus, ut unius omnimodo testis responsio non audiatur, etiamsi præclaræ Curiæ honore fulgeat.* Adeo ut in omnibus casibus, in quibus argumentum probationis e testimonio testium petitæ recipitur, necesse sit, duorum saltem intervenire testimonium; quod plane sufficit, nisi, quantum ad speciales aliquot casus, quam Princeps constituerit, testes numero plures lege requirantur: *Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt; pluralis enim locutio duorum numero contenta est,* (*s*) ut loquitur alia lex.

Lib 5. tit. 27.

(*r*) Cit. Leg. Jurisjurandi. 9. §. 1. Cod. de testibus.

(*s*) Leg. Ubi 12. ff. eod. tit.

Est addendum prætérea, ut aliquod testimonium sufficiat, illud esse oportere certum, neque ulla ex parte vacillans, aut dubium, secundum istæc verba legis alterius: (*t*) *Testes, qui adversus fidem suam testationis vacillant, audiendi non sunt.* Ideoque, quemadmodum testis, qui nihil novit de aliquo crimine, nisi quod accepit ex auditione fidei nullius autorum, non obligatur ad testificandum adversus eum, qui reus ejusdem insimulatur: (*u*) sic

(*t*) Leg. In testimoniis. 2. ff. eod. tit.

(*u*) J. Cabass. loc. cit.

etiam

Digitized by Google

etiam ipsius testimonium nullatenus habendum est ut legitimum ac sufficiens. En quæ observanda potissimum esse duximus ad intelligentiam hujusce materiæ præsentis uberiorem.

CASUS XX.

MAUGERIO habitatore de Parœcia Sanctæ Boviæ, & Luperco Parocho de Parœcia eadem, litigantibus super proprietate silvæ cæduæ cujusdam, cujus Maugerius est possessor; Judex pronunciavit ac jussit, ut possessori incumberet possessionis suæ tempus ex dictis testium asserere. Quatuor testes testificantur, eum gaudere ab annis 30. proprietate prædictæ silvæ; asseveranter ajunt sex alii, jam annos obiisse ultra 40. a quo tempore prædictam silvam possider. Debetne Judex, nihil obstante præfatorum testium discordia, memoratæ silvæ proprietatem adjudicare Maugerio?

RESPONS.

Primum omnium, in quod Judex totus incumbere debet, est, ut pro virili parte nitatur, si possit, dicta præsatorum decem testium ad concordiam revocare. *Si autem plures testes contradicunt pluribus testibus, sive omnes, sive productis ex eadem parte, sive ex opposita partibus*; ait S. Antoninus (*a*), *Judex, si poterit, concordabit testimoniorum contrarietatem, sicut Augustinus concordat dicta Evangeliorum.*

(*a*) S Ant. 3 part. tit. 9. c. 2. §. 2.

Si vero prædicta testimonia concordare ad invicem nullatenus possint; juxta testificationem sex testium pronunciare debet, nisi iisdem habendi sint potiores alii quatuor propter suam dignitatem & mores suos integerrimos; vel istorum testimonium testificatione sex aliorum testium ex evidenti aliqua circumstantia propius ad verum accedere videatur. *Si non potest testimonium concordare*, addit idem Sanctus, *testimonium plurium prævalebit; nisi ex altera parte sit tanta dignitas personarum, quod merito debeat præjudicare numero, vel nisi pauciores dicent verisimiliora & aptiora negotio, vel quod per pauciores plura probantur, quam per plures ... tunc prævalet testimonium paucorum.*

En, quod ea de re subjicit S. Antoninus, exemplum: *ut, si plures probant, me possedisse rem 40. annis; pauciores probant possedisse per 50. annos: & ultra hoc, titulum possidendi.*

Quæ decisio eadem omnino est, quam ea de re tradit Innocentius III. (*b*) qui sic habet: *Ad multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium qualitatem & ad ipsorum deposita, quibus potius Lux veritatis assistit.* Atque juxta principium istud idem summus Pontifex, ad quem confugerant Episcopi Londinensis & Eliensis, ut ab eodem discerent, quid facto opus esset, ad componendam quamdam litem, quæ inter quemdam Archidiaconum & Religiosos quosdam intervenerat; sic declarat: *Mandamus, quatenus, si testes utrimque producti ejusdem honestatis & æstimationis extiterint; cum constet testes Monachorum esse testibus Archidiaconi numero pauciores; pro Archidiacono sententiam feratis. Si vero testes ex parte Monachorum producti, tantæ præeminentiæ fuerint, quod eorum auctoritas aliorum sit merito multitudini præferenda* ;(addit Glossa: *vel saltem coæquanda*) *quia tunc judicabitur pro reo* (*c*) *ab impetitione Archidiaconi absolvatis eosdem.*

(*b*) Inn. III. in c. In nostris 32. de testit. & attest.

(*c*) Gloss. in d. c. in nostra. v. Præferenda.

CASUS XXI.

HIEROPHILUS Parochus de S. Guilaino Diœcesis Tornacensis, matrimonium quoddam celebravit, cui præsentes non adfuerunt nisi duo tantummodo testes, adversante nequicquam Edicto mensis Martii 1697. quo Ludovicus Magnus declarat, futurum ut matrimonia coram quatuor testibus celebrentur; atque ea, quæ cum pauciori numero testium celebrabuntur, sint non valide contracta: tentatum est adversum eum asserere, eum in eo peccavisse mortaliter: quin immo contendit ille, ne quidem a se ipso fuisse commissum veniale peccatum. 1. Quia Concilium Tridentinum, quod, quantum ad istud Disciplinæ caput, passim obtinet intra limites omnes Gallici Regni, nonnisi testes duos exigit, ut matrimonium aliquod valeat; adeoque, considerato summo jure, sibi non incumbit, ad ejusdem celebrationem superiorem numerum testium accersere. 2. Quoniam Lex mere humana, quale est allegatum Edictum, non potest obligare sub pœna peccati mortalis: Propterea quod virum Ecclesiasticum illud maxime deceat, ut stet constitutis ab Ecclesia Legibus potiori ratione, quam Legi Civili, quæ ad easdem non quadrat. Quæritur, num Hierophilus in proposito casu non possit ex prædictis rationibus a mortali peccato vindicari?

RESPONS.

Quanquam verum sit, matrimonium valere, cum fuit coram proprio Parocho, præsentibus ibidem testibus tantummodo duobus, celebratum; siquidem ex istis tota forma constet, quam Concilium Tridentinum exigit; nihilominus censemus, non potuisse sine peccato mortali propositum matrimonium coram duobus duntaxat testibus ab Hierophilo celebrari, contra dispositionem Edicti Regii, quod legis locum atque vim in toto Galliarum Regno passim obtinet, utpote quod æquitati sit prorsus consentaneum, ibidemque promulgatum fuerit atque, nemine contradicente, receptum: Ratio est, quia, licet Edictum istud Lex omnino sit mere humana, non potuit tamen præfatus Parochus eidem non parere; quoniam est hoc prorsus indubitatum, ex Legibus humanis obligationem importari sub pœna peccati, quin etiam aliquando sub pœna peccati mortalis, ut evincere licet ex plurimis rationum argumentis, quæ leguntur apud S. Thomam. (*d*) Jamvero ut dignoscatur, utrum prædictæ Leges obligationem sub pœna peccati mortalis inducant, earumdem expendenda sunt: 1. Materia: 2. Verba: 3. Pœna in eos lata, qui iisdem non obtemperant.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 90. art 3. & 6. & q. 95. art. 4. 2. 2. q. 60. art. 5. & q. 67. art. 1.

1. Si materia Legis sit gravissimi momenti; strictam atque absolutam inducit obligationem; atque gravissimi momenti certo certius esse judicatur, non solum, quando pertinet ad bonum publicum, sed etiam, cum in illud potissimum intendit; ut caritati, justitiæ, pietati atque Religioni consulat; quemadmodum docet antiquus quidam insignioris notæ Canonista: (*e*) Porro materia prædicti Edicti tota vergit in communem utilitatem, nec alium sibi finem proponit, quam ut in familiis omnibus, justitiam, pacem, atque caritatem integras inviolatasque conservari provideat, efficiendo nimirum, ut matrimonia ex præsentia testium numero plurium certiora reddantur ac indubitatiora, & Liberorum status, qui ex iisdem nascentur, tutius asseratur. Atque revera quidem hoc ipsum ipsemet Rex declarat inter causas Edicti sui, quas recenset, istis verbis: „Cum fuerit cautum a sacro Sanctis Conciliis, tanquam quid solemne pertinens ad substantiam Sacramenti Matrimonii, ut illud idem contrahentibus præsens proprius Parochus adesset; invigilaverunt Reges antecessores nostri plurimis Edictis instituto tam sapienti quam strictissime servando, & ex quo poterant adeo utiliter impediri illæ nimium infelices conjunctiones, quibus quies perturbatur, & decus obsolescit plurimarum familiarum ratione scilicet affinitatum, quæ etiam sunt motum corruptione, quam conditionum disparitate turpiores. „ At, quoniam non sine sensu doloris quam maximo cernimus, nec justitiam æquitatemque dictarum Legum, nec plurimam, quæ debetur utrique Potestati, a qua ortum habent, reverentiam, nihil quidquam *huc usque* sufficienter obstitisse libidinosorum ejusmodi motuum impetui, quo juniores in matrimonia ejus generis abripiuntur, & turpis lucri gratia, sæpe sæpius testes, quin etiam Sacerdotes occurrere, qui suum ministerium perinde ac suam fidem prostituant, ad illud, quod tum in Religione, tum in Civili societate sanctissimum habetur, communi quasi consensu violandum; existimavimus, operæ pretium facturos nos esse, si constitueremus verbis expressioribus „ quam

(*e*) Abbas in cap. Clerici. de vita & honest. Clericorum.

„ quale deberet esse domicilium, ut requiritur, ut „ quis possit, quatenus habitator de aliqua Parœcia, contrahere matrimonium; ac pœnas statueremus, quarum justa severitate possent deinceps „ aboleti penitus fallaciæ, quibus uti præsumpserunt interpositæ personæ, corruptique testes, „ tum ut concederentur dispensationes, tum ut matrimonia celebrarentur, atque retinerentur in „ debito suo officio Parochi, aliique Sacerdotes „ tam Sæculares, quam Regulares, qui quidem obliti characteris, dignitatis & excellentiæ, quas iisdem Ecclesia constituit, Leges ac regulas ipsimet perfringunt. Quibus de causis, &c.

En habentur ex prædictis veræ causæ, propter qua Rex animo suo adjecerit, ferre Legem, da qua quæstio est, quantum ad omnia loca imperio suo subjecta; ex quibus causis vel ipsa luce meridiana clarius evincitur, quantum prædicta Lex communis utilitatis intersit. Unde sequitur, eandem perfringere non licere, nisi ex peccato protsus gravissimo.

2. Si verba, quibus Lex concipitur, sensum istum importent, nimirum eam esse Legislatoris mentem, ut strictam inducat suis subditis obligationem; locus est existimandi, cum aliunde materia legis istius est maximi momenti, eam violari non posse sine mortali peccato. Porro hoc ipsum apertissimum efficiunt ipsa verba, quibus prædicta Lex enunciatur; en etenim qua ratione prosequitur. „ Qua „ quidem re in nostro Consilio adducta in deliberationem, atque de ipsius sententia, ac nostra certa scientia, plena potestate, auctoritateque Regia, præsenti nostro Edicto constituimus & sanximus, constituimus, sancimus, volumus, ac „ nobis placet, ut dispositiones sacrorum Canonum, & Edicta Regum antecessorum nostrorum, „ quæ pertinent ad matrimoniorum celebrationem „ — quam religiosissime serventur — Eoque fine „ injungimus omnibus Parochis atque aliis Sacerdotibus, quibus incumbit celebrare matrimonia ut diligenter inquirant, priusquam cæremonias eorumdem aggrediantur, atque præsentibus „ ibidem, qui iisdem celebrandis adsunt, ex testimonio quatuor testium fidei locupletissimæ, „ quibus certum fixumque sit domicilium . . . . „ de domicilio simul atque de ætate & conditione eorum, qui matrimonium contrahunt . . . . „ curentque post celebratum matrimonium, ejusdem instrumentis, quæ conficientur, a prædictis subscribi, &c.

Ex quibus verbis apertum est, Regem non hortari tantummodo, ut suum servetur Edictum, sed absolute jubera, ut ad strictos litterarum apices suum consequatur effectum tam ex parte omnium nubentium, quam ex parte omnium Parochorum, aut aliorum Sacerdotum, a quibus eorum matrimonia celebrantur. Ex quibus iterum inferendum est, Legem ejusmodi tam justam, tam necessariam, adeoque communi bono consulentem non posse sine gravissimo peccato perfringi.

3. Denique, quando Lex severiores pœnas indicit parere recusantibus, nullum dubium esse potest, quin legislator intendat obligare subditos ad summam strictissimamque ajusdem observationem. Atqui quæ pœna severior excogitari potest, quam, ut contrahentes matrimonium contra dispositionem prædicti Edicti in numerum & ordinem recenseantur eorum, qui concubinas habent, ex declarato nimirum eorum matrimonio non valide contracto, & filii eorum spurii reputentur; quemadmodum jam antea verbis expressis ferebatur in Edicto Blesensi, (a) quod confirmatur Edicto Ludovici Magni, quod simul roboris plurimum adjicit Edicto anni 1666. (b) & Edictis Ludovici XIII. anni 1629. & 1639. (c).

(a) Edict. Blesens. art. 40.
(b) Ed'ct. an. 1606. art. 12.
(c) Edict. an. 1629. art. 12. & 1639. artic. 1.

Illud jam duntaxat superest, nimirum ut paucis refellamus rationis argumentum, quod Hierophilus tertio loco proponit, ut sese peccati mortalis in casu proposito vacuum efficiat; quanquam, quæ superius eade re habuimus, abunde sufficiant, ad illud idem simul cum prioribus in pulverem comminuendum. Allegat igitur, viro Ecclesiastico nequaquam incumbere ex debito conscientiæ, se accommodara ad dispositionem Legis Civilis, atqua eam eidem induci duntaxat obligationem, ut tantummodo stet institutis ab Ecclesia Legibus: Cui respondemus, si Leges excipiantur, quæ alianæ sunt a juribus & immunitatibus, seu privilegiis Ecclesiasticis, quæ confirmantur a supremis Principibus, & de quibus sermo susior habetur in tertio Tomo Commentariorum Cleri Gallicani, constare, non minus obligari viros Ecclesiasticos quam ceteros quoscumque vitæ privatæ homines, ad obtemperandum Civilibus Legibus. Quanquam enim vere viri Ecclesiastici sint Ministri Jesu Christi, atqua ipsius Ecclesiæ, tamen, ut Laici, veniant in partem politici Regiminis, ejusdemque censentur essa membra. Æquum igitur est, eos eidem congruere eadem ratione, qua convenit partem aliquam ad suum totum quadrare; totam scilicet rationem agendi suam ad ipsius Leges componendo: *turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens*; inquit S. Augustinus in libro tertio suarum confessionum: (d) atque hæc ipsissima obligatio iisdem imponitur ex præscripto Canonum. Indeque est, quod & ipsimet Summi Pontifices tanta sollicitudine olim invigilaverint Imperii Legibus observandis; ut facili negotio evincitur ex plurimis Canonibus, qui referuntur a Gratiano: (e) atque etiam plurimas difficultates sibi propositas earum Legum auctoritate expedierint; cujus rei exemplum occurrit in Decretali quadam Lucii III. qui scribens ad Episcopum Patavinum, irritum omnino denuntiat quidquid in certo quodam negotio fuerat, adversantibus Legibus Civilibus, confectum. (f) Quod idem quoque Gregorius IX. exequitur in alia Decretali, (g) in qua penitus improbat, atque omnino rescindit sententiam quamdam, quæ fuerat ab Ecclesiastico aliquo Judice pronunciata, propterea quod illa cum Legibus Imperatorum non concordaret.

(d) S. Aug. in can. Qua contra a. distinct. 8.
(e) Nicol. I. in can. Leges 1. dist. 10. Leo IV. in can. de Capitulis, & in can. Vestram 15. ib. Gelasius I. in can. Quia autem 11. & in can. Certum est ibid.
(f) Luc. III. in cap. Intelleximus 1. de Novi operis Nunciatione. Lib. 5. tit. 32.
(g) Greg. IX. in cap. tuno. 1nit n. de Arbitris. Lib. 1. tit. 43.

Vide IMPEDIMENTUM EX MATRIMONIO CLANDESTINE CONRACTO PROVENIENS. Casus 25. & 26.

T H E O L O G U S.

QUI THEOLOGUS dicitur, ille est, qui cum sit Laurea Sacræ (b) Theologiæ Doctoris insignitus, eligitur inter Canonicos, atque tum nuntiando Divino verbo, tum tradendis theologicis lectionibus aliis Canonicis, qui sacræ istius Scientiæ sunt imperiti, præponitur.

(b) Edict. Aurelianens. art. 8.

Erat olim præcipuum munus illud atque Episcopis ipsis familiare, ut de rebus Divinis ad populum dicerent: eo etiam ut nequidem ulli Sacerdoti permitteretur, ut, iisdem præsentibus, nihil quidquam de verbo Divino sine eorum licentia publici sermonis haberet. Verum, crescente nimis fidelium multitudine prodigiosa, indeque necessario multiplicatis eorumdem sollicitudinibus, ac ipsimet variis undequaque & assiduis occupationibus distenti, aliis

etiam

etiam accedentibus legitimis causis, coacti sunt adhibere sibi subsidium Sacerdotum ad implendum Divini verbi ministerium. Quin etiam, progrediente temporis successu, judicaverunt hoc pertinere ad summam Fidelium utilitatem, ut aliquos constituerent in suis Ecclesiis, qui ibidem munus exequerentur ordinariorum Divini verbi præconum: atque curaverunt, iisdem ad vitæ necessaria competentem reditum assignari, qua ratione explicamus in responsione ad Casum, qui secundo loco proponitur in decursu præsentis Tituli, in qua, quæ pertinent ad Institutionem Theologorum, & ad eorum officia præcipua, historico stilo complectimur.

Præbendæ, quæ Theologis jure peculiari reservantur, & quibus appellatio communis Theologicarum ea de re potissimum vindicatur, juri Graduatorum obnoxiæ sunt, ac præsertim ab eo tempore, ex quo sic fuit a supremo Parisiensi Senatu constitutum Arresto pronunciato 17 Februarii 1642. in causa Præbendæ Theologicæ de Bellovacensi Ecclesia; quemadmodum jam observavimus in Titulo, GRADUATUS. Indeque, quantum videtur, repetit suum fundamentum ejusmodi jurisprudentia, quod nempe conjiciatur, sufficientes dotes inesse Graduato, ad implendum Divini verbi ministerium.

Ceterum, qui munus implendum Theologi suscipit, eum oportet non esse tantummodo rerum Theologicarum, ac præsertim earum, quæ pertinent ad moralem disciplinam, peritissimum, sed præterea requisitis aliis dotibus instructum esse, quæ conducunt, ad verbum in publico plurima cum fandi copia faciendum; qualia sunt, latera firma, validaque corporis constitutio, clara vox, ac omnimode ad dicendum accommodata, & memoria tenax; cum exemplo prælucere tum integritate morum, tum vivendi ratione, quam nulla sinistra suspicio violare possit; eumque tandem nullo lucri turpis intuitu duci in iis omnibus, quæ spectant ad tam augustas adeoque Sacras altissimi hujusce ministerii functiones. Quas prædictas egregias dotes Summus Pontifex Honorius requirit in Doctore, & paucissimis istis verbis complectitur. *Qui velut stellæ, in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire* (a).

(a) Honor. III. in c. super fin. de Magistr. &c. lib. 5. tit. 5.

CASUS PRIMUS.

URANIUS Episcopus de quadam intra limites Imperii Gallici constituta Diœcesi, cum in prædicta sua Diœcesi neminem haberet Laurea Sacræ Theologiæ Doctoris insignitum, quem eum esse judicaret, qui posset Munus Theologi in ipsius Ecclesia Cathedrali laudabiliter sustinere, ad illud idem exequendum designavit Paulum Canonici Juris Doctorem, virum, ut præclaræ prorsus eruditionis, sic etiam virtutis omnino spectatissimæ. Numquid hoc ipsum tentare potuit juxta mentem ipsius Ecclesiæ, & quæ ab eadem ea de re constituantur, instituta?

RESPONS.

Neque tertio, neque quarto Concilio Lateranensi (b, quæ Concilii Basileensis celebrationem præcesserunt, usquam cautum fuit, ut in Theologo requireretur ejusmodi laurea Doctoratus, sed tantummodo constitutum est, ut Episcopi curarent ejusmodi muneri præficiendos viros ea doctrina, morumque integritate præditos, ut illud idem exequi digne summaque cum laude possent. Neque vero quidquam ea de re magis expressum occurrit apud Concilium Tridentinum: (c) adeo ut merito possit asseri, lauream in Sacra Theologia Doctoralem Ecclesiæ visam fuisse, quantum ad rationem istam, prorsus indifferentem; satisque esse, quod Theologus, quem putavit esse necessario instituendum, ceteris dotibus insigniretur, quæ in eo requiruntur, qui nuntiando Divino verbo, seu tradendis Theologicis Lectionibus præponeretur; quemadmodum revera reperiuntur infiniti propemodum in plurimis insignioris notæ Congregationibus tum Sæcularibus, tum Regularibus, in quibus, ut plurimum, ad Lectiones Theologicas tradendas adhibentur, qui rerum sunt Theologicarum peritissimi; quanquam ad nullum nec Doctoris, nec Baccalaurei Gradum fuerint unquam in aliqua ex Universitatibus Regni promoti.

(b) Conc. Lateran III. & IV. c. 10.

(c) Concil. Trid. sess. 5. c. 1. de Reform.

Nihilominus Fagnanus (d) loquens de Cremonensi Episcopo, narrat, cum prædictus Prælatus nullum in sua Diœcesi reperiret Theologiæ peritum, qui foret idoneus ad Theologi munus exequendum, ab eo Canonistam ejusmodi muneri fuisse præpositum, quanquam tamen dubitaret, an id sibi liceret? Qua de re laudatus Auctor, qui depositarius erat Codicum Sacræ Congregationis, fidem facit, nihil in iisdem occurrisse sibi decisionis, quod probaret, aut improbaret istam ab Episcopo prædicto præstitam nominationem, sed annotationem tantum appositam ibidem a Cardinali Alciato, qua fertur, non potuisse Canonistam in Theologum ab Episcopo constitui: addit præterea, sibi legenti subjectam fuisse aliam annotationem, qua enunciatur quædam ea de re decisio a Cardinali de S. Sixto proposita, istis verbis: *si non invenitur Theologus, facta diligentia non solum in loco, sed etiam extra, poterit non solum Canonistæ assignari, sed cuilibet.*

(d) Fagnanus in C. Quia nonnullis. 4. de Magistris &c. l. 5. tit. 4.

Equidem verum est, si loqui velimus ad strictos juris apices, Theologum esse debere, aut Laurea Sacræ Theologiæ Doctorali insignitum, aut in eadem Facultate designatum saltem Doctorem; ut præscribitur Basileensi Concilio, Pragmatica, Concordato, atque Edicto Aurelianensi, quæ referuntur in sequenti Decisione, & consequenter ad istud principium juxta Probum (e) in Pragmaticam citatum a D. Brilon, (f) Theologus non potest resignare suum Beneficium nisi Doctori, aut Licentiato, seu Baccalaureo Sacræ Theologiæ formato, ut ajunt.

(e) Prob. tit. de collationibus § 10. v. De alio.

(f) D. Brillon. v. Theologus n. 2.

Existimamus, in præsenti specie potuisse prorsus ab Uranio, absque eo quod quidquam in eo tentaverit adversus mentem Ecclesiæ, nec Legem ab eadem, quantum ad istud caput constitutam, eligi Paulum in Theolog. suæ Ecclesiæ; siquidem duabus essentialibus dotibus polleat, ad munus istud exequendum, nimirum præclara eruditione, pietateque omnino singulari; atque prædictus Prælatus aliunde reperire non potuerit in sua Diœcesi ullum Sac. Theologiæ Doctorem, quem præfato muneri judicaret idoneum.

Consentit hæc assertio nostra sententiæ Rebuffi in ipsius in Concordatum Commentario (g), in quo ait, Præbendam, cujus occurrit vacatio, conferendam esse Doctori Sacræ Theologiæ, si vero non inveniatur, Doctori Canonici Juris (h). Nihilominus

(g) Rebuff. tit. de Collation.

(h) D. Brillon. v. Theolog. n. 2.

non

non diffitendum est, quin casus ille videatur parumper metaphysicus præsertim in Gallia, in qua passim occurrunt infiniti propemodum Doctores, ac Licentiati in Sacra Theologia, & in qua proinde facile est cuicumque Episcopo, in cujus Diœcesi ejusmodi virorum penuria est, aliquem ex vicina Diœcesi accersere, aut etiam directe confugere ad ipsammet Sacram Facultatem Theologicam Parisiensem, ut ab ea petat virum aliquem idoneum, ad officium ejusmodi sustinendum, juxta receptum atque passim observatum in toto Regno usum, in quo certum est, numquam futurum, ut Canonistæ, cui de Theologica aliqua Præbenda fuisset provisum, ejusdem adjudicaretur possessio, rejecto vel Doctore, vel Licentiato Sacræ Theologiæ, qui sese ad eamdem possidentem offerret.

CASUS II.

Fulgentius Theologus de Metropolitana Taurinensi Ecclesia consuevit per quinque circiter menses intra varias uniuscujusque anni tempestates absentari de loco suæ residentiæ. Ea vero ratione potissimum innititur, quod Theologus non teneatur adesse Choro, propter obligationem nimirum, quæ Theologis omnibus incumbit Sacras orationes quibusdam diebus habendi, & lectionum Theologicarum tradendarum. Unde concludit, sibi igitur non imponi jugum continuæ residentiæ. Num contendi potest, Fulgentium a recta conscientia nullatenus discedere, præsertim, cum absentatur tempore Quadragesimali aut Adventus, per quod ab omni Sacra oratione vacat, quoniam ab Archiepiscopo atque a capitulo vicibus alternis designantur Extranei Prædicatores, qui divini verbi ministerio per totam prædicti temporis spatium perfungatur?

RESPONS.

Non est, unde possit ulla ratione contendi, Fulgentium in specie proposita tutiori conscientia gaudere. Eadem etenim obligatio residentiæ Theologis omnibus inducitur, quæ cæteris Canonicis.

Atque ut ea de re nihil relinquatur dubitationis, tenendum est, Theologos habere suam primam institutionem in Ecclesiis Metropolitanis a Concilio quarto Lateranensi, quod actum est anno 1215. sub Innocentio III. (*a*), quemadmodum eamdem postmodum acceperunt, quantum ad alias Ecclesias Cathedrales, & a Concilio Basileensi, quod celebratum fuit anno 1438. (*b*). Porro en ipsissima verba Decreti posterioris istius Concilii, quibus eorum officia atque obligationes disertissime significantur. *Ordinat hæc Sancta Synodus, quod... quilibet Collator ipsarum Præbendarum teneatur & debeat Canonicatum & Præbendam, quam primum facultas se obtulerit & inveniri poterit, uni Magistro, Licentiato, vel in Theologia Baccalaureo formato conferre; qui... onus residentiæ ac lecturæ & prædicationis subire voluerit; quique bis, aut semel ad minus per singulas hebdomadas, cessante legitimo impedimento, legere debeat: & quoties ipsum in ejusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli in substractione distributionum totius hebdomadæ puniri possit; & si residentiam deseruit, de alio provideatur.*

(*a*) Concil. Lateran. IV. c. 11.
(*b*) Concil. Basileens. cit. sess. 11.

Famosa Pragmatica Caroli VII. confecta in Comitiis Ecclesiæ Gallicanæ, quæ fuerunt coram Rege ac Principibus anno 1437. Biturigis habita; Et concordatum, quod initum est, & cui subscriptum fuit (*c*) Bononiæ anno 1516. a Cardinalibus quidem Aconensi, atque de Santiquatro, nomine summi Pontificis Leonis X. a Cancellario vero Duprat, pro Francisco I. quodque refertur in Concilio Lateranensi V. (*d*) atque tandem perscriptum fuit in tabulis supremi Senatus Parisiensis 22. Martii 1517. ac Regiis diplumatibus comprobatum & confirmatum 23. Maji sequentis, concordant in integrum cum Decreto Concilii Basileensis, quemadmodum etiam Edictum Aurelianense (*e*) promulgatum a Carolo IX. anno 1560. quo obligantur omnes Theologi ad sacram orationem ad populum habendam non tantummodo diebus Dominicis, verum etiam festis solemnioribus, atque lectiones publicas de Scriptura Sacra ter per unamquamque intra annum hebdomadam tradendas; quibus absque controversia innuitur, iisdem necessario imponi onus personalis atque continuæ residentiæ, cujus quidem obligationem eis importari, eadem semper ratione judicaverunt quotquot extant in Galliarum Regno Curiæ supremæ, ac nominatim Parisiense Parlamentum; ut colligitur ex famoso quodam Arresto, quod memorat Bouchel (*f*), prununciato 14. Novembris anni 1587. pro capitulo Suessionensi, postulante ac requirente D. Faye Regiarum causarum OEcumenico Patrono, contra Andræam Pacquet Suessionensem Theologum, qui actione submotus est ac libello supplici, quem obtulerat curiæ, ut sibi copia fieret Parisiorum commorandi ad Festum usque Purificationis proxime sequentis tantummodo, quo posset interea laurea Doctoratus ibidem insigniri. Quibus tot rationum argumentis indubitatis adeo, ac tanta dignis veneratione, ne minimus quidem ambigendi locus permittitur, quin Fulgentius nequeat absque conscientiæ suæ dispendio jugum excutere residentiæ, quantum ad locum, in quo ratione sui Beneficii domicilium habere tenetur. Quod pertinet ad causam, quam allegat, cur sese contendat esse residendi oneris immunem, ex sequenti decisione jamjam apertum erit, quam sit ulla inanis, ac omni prorsus fundamento carens.

(*c*) Pragm. Sanction. t. de Collationib. §. Ordinat 1. Concordat. eod. t. §. Statuimus.
(*d*) Concil. Lateran. V. sess. 11.
(*e*) Ed. Aur. a. 8.
(*f*) Lauren. Bouchel. Biblioth. Can. Gallicani for v. Theol.

CASUS III.

Felicianus, cui provisum fuit de Theologica Præbenda Ecclesiæ Eboracensis, consuevit per dimidiam temporis partem officio Canonico non interesse sub eo prætextu, quod ista obligatione ratione sui Beneficii sit omnino solutus, ex eo quod teneatur ad orationes Sacras ad Populum habendas, adeoque studio vacandum, quod sacras istas conciones excudat. Numquid quantum ad conscientiam tutus est, ac securus?

RESPONS.

Est hæc officii Theologi pars præcipua, ut de Divino verbo dicat ad populum, & tradendi lectionibus incumbat, ut demonstravimus in decisione superiori: atque juxta principium istud, debet præsentiam suam in Divinis componere, quibus quidem sic deficientibus, tum Concilio Basileensi, tum concordato, præsens semper adesse non censetur, nisi causa necessitatis studiorum. Extant quædam in Galliarum Regno Ecclesiæ, quales Meldensis, Constantiacastrensis, atque aliæ plurimæ, in quibus consuevit Theologus singulis octo diebus sacras habere conciones. Aliæ vero reperiuntur, ut Parisiensis, in quibus ejusmodi conciones nonnisi quater intra annum a Theologo habentur, nimirum diebus Dominicis Septuagesimæ, prima & quarta Adventus, & quarta intra Quadragesimam. Sunt aliæ denique, in quibus usus viget, ut Theologi teneantur ad theologicas lectiones proponendas Ecclesiasticis illarum Ecclesiarum, in quibus instituuntur. Arresto quodam 4. Januar. 1657. Regiensis Theologus condemnatur ad dicendum de verbo Divino semel per singulos menses, & ad lectiones habendas ter per unamquamque hebdomadam sub pœna fructuum eidem de beneficio, quo gaudet, adimendorum, & Canonicis obligationem inducit iisdem sub eadem pœna assistendi. Adeoque nullatenus asseri potest, posito, quod usus varii prædicti legitimi sint, omnes Theologos obligari ad præsentiam in Divinis æqualiter assiduam, siquidem aliis incumbat multo magis, quam aliis, studio vacare. Ex quibus conficimus, si Felicianus a Choro non absit, nisi cum necessitas eum urget studio vacandi, ut quæ potissimum incumbit Theologo, Officii parti faciat satis, eum, quantum ad conscientiam, tutum prorsus esse atque securum, ac censendum esse præsentem in Divinis eadem ratione, ac si revera Choro interesset. En, quibus hæc nostra decisio potissimum innititur præcipuas rationum momentas.

Primo quidem, ut jam monuimus in dissolven-

da præcedenti difficultate, Theologi fuerunt, quantum ad Ecclesias Metropolitanas, ab œcumenico Concilio Lateranensi quarto (*a*) constituti, quo quidem Concilio determinatum est; præter Magistros, qui fuerant in singulis Cathedralibus Ecclesiis restituti a Concilio ejusdem nominis tertio, quod celebratum fuit sub Alexandro III. (*b*) ut in singulis Metropolitanis Ecclesiis unus Theologus institueretur. *Sane Metropolitana Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes, & alios in Sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur*. Quæ ipsissima sunt memorati Concilii verba, quibus addit: *Assignetur autem cuilibet Magistrorum a Capitulo unicus Præbendæ proventus, & pro Theologo a Metropolitano tantumdem: non quod propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdin reditus ipsius percipiat, quamdin perstiterit in discendo*. Ex quibus inferendum est, si Theologus gauderet reditu unius Præbendæ ipsius officio annexo; quamquam tunc temporis nec fuerit titularis, nec proinde ipsius incubuerit officio Canonico adesse; æquum non esse, propterea quod hodiernis temporibus sit titularis, ut revera nunc est, eidem imponi gravius onus, cum totus insudat in implendis officii sui partibus, nimirum Sacras conciones habendi, atque proponendi lectiones, ipso onere, quod ei fuit impositum a prima ipsius institutione.

(*a*) Cit. c. 32.

(*b*) Concil. Later. III. c. 18.

Habemus ex Basileensi Concilio aliud probationis argumentum disertioribus verbis adhuc conceptum, ac multo luculentius; jubet etenim, ut ejusmodi Theologus instituatur in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & titulo gaudear unius Præbendæ, absque eo quod nihilominus a Choro abesse censeatur, cum iis vacat, quæ pertinent ad ipsius officium Theologi. *Verumtamen*, inquiunt Patres istius Concilii (*c*), *ut liberius studio vacare possit, nihil perdat, cum absens fuerit a Divinis*. Quibus verbis nihil magis expressum desiderari potest, ut probetur, Theologo vindicandas esse omnes distributiones quotidianas, quamquam Divinis non intersit, quando ab iisdem non abest, nisi necessitatis studiorum causa, ut vel Sacras conciones habeat, vel suas Lectiones proponat. Sic disserit Guymierus (*d*) qui sic habet: *Etiam de distributionibus quotidianis* (nihil perdat, *quæ dicantur tantum interessentibus horis divinis, per verbum* nihil, *quod est universale negativum, nihil excludes: de grossis enim fructibus non erat dubium; alias enim nihil novi concederet ista Constitutio; nam censetur Canonicus Theologalis supplendo pro lectura, aut prædicatione, non solum esse præsens; sed etiam residere & interesse Divinis*.

(*c*) Concil. Basil. sess. 31.

(*d*) Guymer. in Prag. t. de collat. §. 21. v. nihil perdat.

Rebuffus (*e*) in hæc verba Pragmaticæ: *Habetur pro præsente*, adverrit in Concordato ferri verba pro Theologo adhuc expressiora, quam in Pragmatica; & ait, quod in contrarium a Capitulo conficeretur statutum, futurum ut inordinatum, atque nullius roboris esse pronunciaretur, quod probat Arrestis duobus latis a supremo Parisiensi Senatus. En verba sunt Auctoris Laudati: *sunt verba addita ultra Pragmaticam, & sunt verba rationabilia, nam, qui abest a Civitate, causa studiorum, dicitur esse in Civitate .... & has distributiones recipiet, etiam non obstante statuto Canonicorum in contrarium, quod valet in præjudicium istius Theologi, cum inferior Legem Superioris tollere non possit .... (f) ut fuit alias prolatum Arrestum in hoc Senatu contra Canonicos Rhemensis Ecclesiæ, qui sic statuerant contra Theologum anno* 1523. *die* 4. *Januarii*. Quibus idem Author addit præterea monitum illud: *Vide Arrestum contra Canonicos Carnutensis Diœcesis pro Theologo latum hoc anno* 1544. *quia solent ignari Canonici hos doctos & probos odio prosequi, & litteratos*.

(*e*) Petrum Rebuff. in Concordat. t. de collationib. §. 2. v. habeant.

(*f*) Clemen. ne Romani de elect. &c.

Tandem Concilium Tridentinum, quod institutionem Theologorum ut jam obtinentem admittit (*g*), nihil pronuntiat circa distributiones quotidianas, quod iisdem ullatenus adversetur; & Sacra Congregatio Cardinalium prædicti Concilii Interpretum in his, quæ pertinent ad Mores, & ad Disciplinam, pro iisdem fert sententiam, ita referente Barbosa (*h*),,; Dubitatum fuit, an obtinens ,, Theologalem, impeditus studio & lectione ad ,, ejusmodi Præbendam spectante, lucrari possit ,, distributiones & emolumenta quæcumque perso- ,, naliter interessentibus dari solita, etiamsi Choro ,, non inserviant ,,. Quibus verbis eruditus iste Canonista refert quæstionem, quæ dissolvenda proponebatur. Posteaque sic prosequitur: *Et censuit* (Sacra Congregatio) *distributiones lucrari; sed quoad alia emolumenta, consulendum Sanctissimum & visum fuit, ea etiam deberi ex identitate rationis. Refert in collectaneis ad dictum caput primum num.* 33. *& de Canonicis c.* 27. *n.* 34. *& seqq.* (*i*).

(*g*) Concil. Trid. sess. 5. de ref. c. 1.

(*h*) August. Barbos. sum. Apost. decisionum Collect. 95. n. 11.

(*i*) Samb. to. 3. casu 44.

CASUS IV.

Ferdinandus Theologus de Cathedrali Ecclesia Cremonensi, cum sibi permissis induciis, vacationis causa, fuisset gavisus, ut reliquis Canonicis solent indulgeri; vocatus a proprio suo Episcopo, duos integros menses insumpsit in quadam missione, ut ad aliquas urbes ac vicos quosdam de Diœcesi sacras haberet orationes, atque per illud temporis spatium commisit quemdam Divini verbi Præconem, qui vice illius omnibus Dominicis sacras conciones ad Populum faceret, qua ratione ipsimet Theologo incumbit. Numquid in eo casu potest quotidianas distributiones absque ullo conscientiæ scrupulo sibi vindicare?

RESPONS.

Obtinet hæc regula tanquam omnino indubitata quod nempe a Lege generali Canonibus constituta non sint excipiendi nisi casus tantummodo, quos immunitatis privilegio donari, jus ipsummet declarat: *Ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus* (K). Porro Lex, id est, Concilium Basileense, & Tridentinum, Pragmatica, nec concordatum non excipiunt casum, in quo Theologus a proprio suo Episcopo adhiberetur, ad Sacras orationes faciendas in ipsius Diœcesi extra Cathedralem Ecclesiam. Ergo nec prædictus casus excipiendus est, nec asserendum, ei licere tuta conscientia percipere distributiones quotidianas, nec eas, quas sub appellatione manualium circumferre consuetum est, per tempus ejusmodi absentiæ; quamquam in proprium suum locum concionatorem alium suffecerit: siquidem alioquin inde directe adversaretur Legibus constitutis ab Ecclesia; quæ, cum Theologos instituit, iisdem simul induxit obligationem residendi, & impositis sibi officiis per seipsos fungendi; quemadmodum evidenter habetur vel ex ipsis verbis Concilii Basileensis, quæ retulimus in prima decisione. Enimvero, si Canonicis non liceat alios Ecclesiasticos in suum locum subrogare, qui nomine ac vice eorum Divinis intersint, ut alibi demonstravimus; Quonam fundamento Theologi pertenderent, sibi liberum fieri, ut alios prædicatores committant in suum locum, cum possunt suis officiis per se ipsos satisfacere? Atque in ea re sententiæ Theologi cujusdam magni nominis inhæremus, (*l*) qui docet, ab Episcopo non adhibendum esse Theologum ad ejusmodi functiones, qui easdem in se suscipiens, non potest censeri præsens, neque adeo suas distributiones omnis imminutionis expertes lucrari. Vide casum sequentem.

(*k*) Arg. L. de pret. §. ff. de Publio in rem. act. l. 6. t. 2.

(*l*) Samb. to. 3. casu 44.

CASUS V.

Lucilius Theologus, jus habens Præbendæ in Ecclesia Metropolitana Mechliniensi, animo adjecit suum beneficium resignare in favorem filii fratris sui vel sororis suæ, qui quidem annum ætatis attigit requisitum, ut ei possit de eodem provideri, & cujus aliunde pietas omnibus nota ac perspecta est, sed, qui nihilominus nudus est tum Scientia, tum cæteris dotibus necessariis, ad proponendas lectiones, & Sacras conciones faciendas. Potest-ne prædictus iste destinatum animo propositum tuta conscientia exequi; cum aliunde certo certius noscat, futurum ut, a præfato filio viri prorsus idonei in ipsius locum substituantur, qui imposita ei quatenus Theologo officia rite, laudabiliterque pro eo perficiant?

RES-

Digitized by Google

RESPONS.

Eadem ratione differendum est de præsenti difficultate, ac de ea, quæ proponeretur circa quemdam singularis prorsus pietatis Sacerdotem, in cujus favorem vellet quis beneficium cum cura animarum resignare, licet exploratum haberet, eumdem nec Scientia, nec cæteris dotibus in Pastore requisitis ullatenus esse instructum, sub eo prætextu, quod curarre, ab idoneo aliquo Vicario vices suas suppleri. Porro nullo cum jure contendi potest, licere tale Beneficium prædicto ejusmodi Sacerdoti resignare; cum constet, omnem Sacerdotem, vel etiam summa laude pietatis insignem, omnino indignum esse, qui cæteris Pastore præficiatur, eo ipso, quo minime idoneus est ad instruendum, regendum, atque pascendum gregem sibi a Deo commissum. Sic nec etiam ulla cum ratione potest propuguari, licere Lucilio, Præbendam Theologicam, qua gaudet, nisi ex peccato gravissimo in favorem filii fratris sui, vel sororis suæ, resignare; siquidem manifestum ei sit, eumdem prorsus ineptum ac mancum esse ad officia eidem annexa laudabiliter, ac rite adimplenda. Neque vero abs refuturum est, ut, quæ modo asseruimus, comprobentur, ac plurimum roborentur, hic loci referre verba cujusdam insignioris notæ Professoris Avenionensis, qui Scribebat anno circiter 1684, quique de Theologis facit ex professo Sermonem. En qualia se habent: *Quia vero, dicente Apostolo:* Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi, *abusus passim in hoc regno invaluit, ut his provisi Præbendis, eas vel cum aliis commutent, vel cum onere pensionum assignent in eorum favorem, qui munia docendi, & prædicandi, vel numquam, vel rarissime persolvunt. Meminerint, quicumque sic agunt, aut agentibus favent, & opitulantur, quale Judicium apud Christum Ecclesiæ sponsum, & animarum tremendo sanguine redemptarum Zelatorem, immineant, qui sanctissimas œcumenicorum Conciliorum provisiones circa Cleri, & Christianæ plebis per Divini verbi prædicationem, & sacrarum Litterarum expositionem eludunt & abolent, solo retento Theologalis Canonici nomine, & stipendiis sine spirituali usu, aut fructu.*

Vide (*CANONICUS.*
(*DISTRIBUTIONES.*

THESAURUS.

PRÆDICTÆ voci quinque subjiciuntur variæ notiones. 1. Namque adhibetur aliquando, ad significandam quamdam Jurisdictionem, qualis obtinet una Parisiorum in foro Regio, quæ dicitur: *Curia quæstoriæ jurisdictionis*, gallice *Chambre du Tresor*, ad quam eorum cognitio, quæ spectant ad Regium Dominium. 2. Solet etiam usurpari pro significando illo loco, in quem defertur pecunia proveniens e vectigalibus, ac cæteris reditibus Regiis quique ea de causa fortitur nominis appellationem *Thesauri*, seu potius ærarii Regii. 3. Sumitur per metaphoram ad significandam quamcumque rerum pretiosarum sive sacrarum, sive profanarum suppellectilem. Eaque de re consueverunt istæ voces passim circumferri: *Thesaurus sacer de S Dionysio*. *Thesaurus seu Tabularium Regii juris auctoritatum*, & *instrumentorum*, id est locus, in quo servantur ac custodiuntur omnes tabulæ, atque omnia instrumenta gravioris alicujus momenti, quæ pertinent ad Regia jura: aut ad exprimendas quasdam dotes, quæ vel excellentia sua sunt admirabiles, vel omnino raræ ac singulares. 4. Dicitur quoque *Thesaurus Ecclesiæ*, de præclara illa multitudine meritorum Corporis illius Mystici; cujus quidem Jesus Christus est Caput. Viri vero sanctitate præcellente sunt membra. 5. Tandem appellatur in sensu proprio *thesaurus*, vetus depositio Auri, argenti, aut cujusvis alterius pretiosæ rei in aliquo loco reconditæ, quæ invenitur absque eo, quod possit Illius ejusdem Proprietarius innotescere, jexta definitionem, quam de eodem tradit Lex, quæ ad marginem indicatur, & cujus propria verba referuntur in decisione, quæ primum in hoc præsenti Titulo tenet locum.

Allucinantur profecto, nec orationem Christianam prædicant, qui ajunt, Thesauros non inveniri, nisi ex casu mere fortuito, aut cæca quadam agente fortuna. Inventio etenim ejusmodi est potissimum referenda ad aliquam supremam intelligentiam, qua res aliqua regitur, ac movetur; determinaturque ad rem aliam licet natura diversam, ut inde effectus idem exurgat. Atque ita docetur a S Augustino, (a) quando sic habet: " Nos enim eas causas, quæ (a) S. Aug. l. 5. de Civ. Dei c. 9. n. 4.
„ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non esse dicimus
„ nullas; sed latentes easque tribuimus, vel Dei veri, vel quorumlibet spiri-
„ tuum voluntati; ipsasque naturales nequaquam ab illius voluntate sejungi-
„ mus, qui est author omnis, conditorque naturæ.

Quoniam vero in decisionibus, quæ sequuntur, explicamus, quænam circa Thesauros viguerit Juris Romani Jurisprudentia, quęnam autem in Galliarum Regno jam obtineat; nihil hic loci de præsenti materia fusius subjiciemus.

CASUS PRIMUS.

Gautierus conductor sex jugerum arationum, quæ pertinent ad Gabrielem Parochum de S. Framburgo, agros prædictos exarans invenit 200. numeros aureos, inter quos aliqui nonnisi ab annis tribus, aut quatuor cusi fuerunt. Num censendi sunt habere rationem thesauri, adeo ut Conductor, qui eos invenit, Parochus & Ecclesia, quibus arationes prædictæ jure proprietatis cedunt, & Fiscus Principis possit de iisdem singulis suam sibi partem vindicare?

RESPONS.

Equidem verum est, illud, quod propria nominis appellatione thesaurus dicitur, non ei cedere, in cujus fundo reperitur, quoniam verus ejusdem non est possessor; *is enim, qui nescit, non possidet thesaurum: quamvis fundum possideat*, ait Lex (*a*), *nulla possessio acquiri, nisi animo & corpore potest*, inquit alia Lex (*b*). At contendi nequaquam potest, 200. nummos aureos, quos Gautierus invenit in agris Ecclesiæ de S. Framburgo, censendos esse habere proprie dictam thesauri rationem; sed considerandos esse tanquam quid veniens in partem boni alieni, quod quis amisit, & cui rerum illarum inest natura, de quibus S. Thomas sic habet (*c*): *res inventæ, quæ fuerunt de propinquo in alicujus bonis*. Nam, cum ex prædictis nummis aureis quidam non cusi fuerint, nisi ab annis tribus aut quatuor, inde manifeste arguitur, nonnisi ab eodem spatio temporis totam istam pecuniæ summam amissam fuisse; adeoque nullo jure potest haberi tanquam thesaurus. Neque etiam locus ullus est conjiciendi, ab eo, qui Dominus illius est, proprietatem ejusdem fuisse sponte dimissam; quoniam non censetur quis derelinquere, nisi quod non vult jam in numero suorum bonorum retinere.

(*a*) L. possideri 3. §. 13. ff. de acquirenda vel amitt. possessione l. 41. t. 2.
(*b*) L. Quemadmodum 8. ff eod t. t.
(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. in corp.

Quæ quidem prædicta suam recipiunt confirmationem ex ista definitione thesauri; quæ traditur a Lege (*d*); *Thesaurus est, vetus quædam depositio pecuniæ: cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat.* Atqui, quos Gautierus invenit, ducenti nummi aurei non sunt *vetus depositio pecuniæ; cujus non extat memoria*: quippe quidem ex eis novissime cusi fuerint. Nec asserendum quoque est, nullum jam esse prædictæ summæ Dominum, *ut jam Dominum non habeat*: quin potius existimandum est a suo Domino eamdem fuisse amissam, vel in eo loco absconditam, in quo Gautierus eam invenit ut nimirum illam sibi tutius conservaret, atque ut caveret, ne sibi surriperetur: adeoque non posse censeri rationem habere veri nominis thesauri; *alioquin*, addit citata Lex, *si quis aliquid, vel lucri causa, vel metus, vel custodia condiderit sub terra: non est thesaurus.*

(*d*) L. nunquam 31. §. 1. ff. de acquirendo rerum dominio lib. 41. t. 1.

Ex quibus sequitur, verum prædictæ pecuniæ proprietarium summis proculdubio votis optare, ut eadem sibi restitueretur; ac futurum, ut ipsi Gautiero incumberet, eam ipsi reddere, si sibi innotesceret; at vero, si eum nequeat noscere, nihilominus ipsum obligari ad eamdem; qua ratione potest, restituendam, sive eam erogando pauperibus, aut in alios pios usus eo animo impendendo, ut possint ejusdem Domino prodesse. Si ille, cui fieri debet restitutio, sit omnino ignotus, *inquit S. Thomas* (*e*) *in enodando casu non absimili*, „ debet homo restituere, secundum quod potest: scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus, promissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui est restitutio facienda ". Cui S. Doctori consentit S. Bernardinus Senensis (*f*), qui hujusce rei post Doctorem subtilem rationem istam suggerit. " Quia, secundum Scotum, qui non potest temporaliter reddi, debet ei spiritualiter satisfieri.

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 67. a. 5. ad 1.
(*f*) S. Bernardin. Senens. Serm. 13. in Dominicam quart Quad. a. 3. c. 1. to 2.

Doctrinam laudatorum sanctorum religiose Navarrus amplectitur. En ipsissima ejus verba sunt; (*g*) *Pecuniam dispersam per agrum, ... restituere tenetur, quia non est thesaurus ...... Idem est de illo, qui aliquam pecuniam metu bolli occultatam, aut quo melius servaretur, repositam invenit: quia proprie non est thesaurus .... quare nullum jus sibi acquirit, qui eam invenit: imo tenetur restituere illi, qui abscondit, aut ejus hæredibus. Leg.* Authore *ff. de rei vindicat. aut pauperibus; quod si non facit, mortifere peccat, si ex conjecturis apparet, non multum temporis fluxisse, ex quo posita fuit.*

(*g*) Navarr. Man c. 17. n.

Non abs re tamen erit, advertere, si Gautierus ipse indigeat, posse ab ipsius Confessario partem inventæ pecuniæ, aut etiam integram ipsammet summam eidem addici, post præviam tamen diligentissimam inquisitionem, qua ratione convenit, habitam, neque ullatenus innotescere vero ejusdem proprietario; *Si ipse indigens foret*, ait S. Bernardinus (*b*), *eam rem retinere potest.*

Cæterum illud præterea observandum addemus occasione propositæ difficultatis, Leges Romanas velle (*i*), ut qui Thesaurum invenit alieno fundo, ejusdem sibi partem dimidiam vindicet; reliquam vero cedat Domino fundi. Quod fuit ab Imperatore Justiniano confirmatum (*k*); at vero, si thesaurum istum in proprio suo fundo reperit, integer eidem accedat cum oneribus, quæ Legibus Patriis in ejusmodi casu imponuntur. Differt etenim usus, qui recipitur apud nostram Gallorum gentem quantum ad Thesauros, a Jure Romano; ac standum est ad strictos litteræ ac verborum apices etiam in foro conscientiæ. Edictis ea de re a Regibus Galliarum constitutis, juxta quorum dispositionem thesaurus repertus in fundo alieno dividendus est in tres partes, quarum prima ei, a quo inventus est, accedit, secunda fundi proprietario, tertia tandem Domino jus habenti Altæ Justitiæ vindicatur. Sed si repertus fuerit ab ipsomet fundi proprietario in ipsius fundo, jure omnino potest ejusdem partem dimidiam sibi retinere, alteram vero tenetur Domino concedere, ut ajunt Chopin, Carondas, & Papon (*l*), a quibus refertur Arrestum quoddam juxta Jurisprudentiam prædictam 29. Julii 1570. pronunciatum; Atque contingente casu; quod, qui thesaurum invenit; eos non moneat, quorum res interest; in eum agitur tamquam in reum causæ Capitalis, ut statutum est Arresto Parlamenti Gratianopolitani lato 24. Junii 1613. relato a Basset (*m*), qui citatur a D. Brillon in ipsius Dictionario Arrestorum.

(*b*) S. Bern. loco cit.
(*i*) Leg. Nemo unic. C. de Thesauris l. 10. t. 15.
(*k*) §. Thesaurus Instit. de rerum divisione l. 2. t. 1. & leg. unic. cod. de thesaur. §. 59. L. 7. ff. sol. matr. Novel. Leon. 51.
(*l*) Carondas Le Caron l. 3. respons. 20. Renat. Chopin l. 2. Domini Gallici t. 5. a. 31. Papon. l. 13. t. 7. n. 2.
(*m*) D. Brillon v. Thesaurus num. 15. Basseto 2. l. 7. t. 10. c. 1.

CASUS II.

Sigebertus, cum totum incumberet in fossa quadam in altitudinem perducenda, summam 1000. librarum invenit, quæ in terra altissime simul & a tempore plurimo defodiebatur; potestne, absque ullo conscientiæ suæ dispendio, pecuniam istam sibi retinere, eamdem habens, ut aliquid, cujus jam nullus extat Dominus, quodque proinde potest primi illud occupantis juris, ac dominii fieri?

RESPONS.

Ut sua sit propositæ difficultati responsio, distinguendum est; Sigebertus namque vel invenit prædictum thesaurum in proprio suo fundo, vel in alieno. Si in proprio fundo, jure potest illum sibi vindicare, quasi quid, cujus ad sese totum devolvitur dominium. Atque ita docet S. Thomas, sententiæ suæ probationem repetens ex Parabola XIII. Capitis S. Matthæi (*n*); *Propter quod*, inquit, *in Parabola Evangelii dicitur Matth. 13. de inventione thesauri absconditi in agro, quod emit agrum, quasi ut haberet jus possidendi totum thesaurum*. At si thesaurum illum repererit in alieno fundo, ei non vindicatur, nisi pars ejusdem dimidia, altera autem cedit ejusdem fundi Domino.

(*n*) S. Th. 2. 2. q. 66. a 5. ad 2.

Ratio est, juxta Theologos, quia thesaurus ejusmodi a tempore tam remoto, ut plurimum remansit absconditus, ut locus omnino sit conjiciendi, eos, ad quos pertinere deberet, jam vitæ non superesse superstites; adeoque nullius jam esse eumdem censeri, juxta definitionem, quam ejusdem Lex tradit istis verbis (*o*); *Thesaurus est*

(*o*) L. 31 ff. de acquir. rerum dominio.

vetus

tus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam Dominum non habeat. En qua ratione ea de re differit Doctor Angelicus: *(a) Eadem ratio est de thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non est aliquis possessor, nisi quod secundum Leges Civiles tenetur inventor dare medietatem domino agri, si in alieno agro invenerit.*

(a) Id. ibid.

En generalis regula, quæ ea de re constituitur a S. Doctore. At quoniam monet ibidem, habendam esse Legum Civilium rationem, ad easdemque normam agendi totam esse componendam; meminisse juvat, quæ in Regno Gallorum invaluit, Jurisprudentiam præscribere, ut qui absconditum in agro alieno quemdam thesaurum invenit, non possit sibi retinere, nisi partem ejusdem tantum tertiam; tertiam quoque aliam partem afferat fundi proprietario, & tertiam partem posteriorem vel Regi, si degat aut fundus exstet intra limites prædii aut dominii regii, vel domino jure gaudenti Altæ Justitiæ, si fundus exstet intra limites clientelaris ipsius prædii, vel dominii: atque in eo recedimus a jurisprudentia, quæ fuerat Romano jure constituta, juxta quam de inventis ejusmodi Thesauris alia prorsus ratione statuebatur, Principe (b) nimirum in partem veniente Thesaurorum tantummodo, qui in ipsius fundo reperiebantur, ceterorum vero nullatenus admisso participe.

Est præterea observandum, quæ apud Gallos obtinet ea de re Jurisprudentiam, nullo fundamento regii Edicti fulciri, quo tertia prædicta pars Regi tribuatur, sed Arrestis dumtaxat Curiarum supremarum, quæ fuerunt, agentibus regii dominii Ministris, pronuntiata, quibus prædicta partitio in tres partes jubetur; nimirum inter eum qui thesaurum invenit in alieno fundo, inter ipsius fundi proprietarium, & Regem vel Dominum, cui jus altæ justitiæ vindicatur: Cui dispositioni pleræque consentiunt Consuetudines; quæ vim Legis apud nos obtinent.

(b) Leg. un. Cod. de Thesaur. Cod. Theodos. de Thesaur. §. 39. Institut. de rerum divisione. Leg. 3. §. penult. & ult. ff. de jure fisci.

TITULUS CLERICALIS.

VOX TITULUS in decem varios sensus potest accipi. 1. Designat aliquando Beneficium Ecclesiasticum. In eoque sensu vocabulum illud intelligitur in antiquo Canone quodam, qui refertur a Gratiano, (c) & in Concilio, quod Placentiæ fuit anno 1095. sub Urbano II. (d) celebratum.

2 Juxta stilum Jurisprudentiæ familiarem *Titulus* sumitur aut pro Contractu, aut pro quolibet alio conditionis ejusdem (e) Instrumento, aut pro vel etiam ipso jure, quod quis habet vel in re quapiam, vel ad rem sive sæcularem, sive Ecclesiasticam. In eoque sensu definitur a Polmano, istis verbis: *Titulus, est radix & fundamentum juris prætensi, unde oritur, & in quo fundatur possessio, dominium, aliudve jus, quod prætenditur.* (f)

3. Usurpatur, ad significandam operis alicujus Inscriptionem, aut eam, quæ rei alicujus fronti imponitur, ut ipsa indicetur. Atque in eo sensu quandoque dicitur de aliquo Libro, qui nullo loco habetur, nihil in eo, quod alicujus pretii sit, præter ipsius Titulum occurrere; atque ex istis verbis: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum*, Titulum componi Crucis Salvatoris Nostri Jesu Christi.

4 Sensum etiam importat, *Qualitatis, Dignitatis, Gradus, conditionis Dominii* seu *Distinctionis*. Qualis est, exempli caussa, Titulus *Christianissimi* quem sibi Rex Gallorum attribuit: Titulus *Catholici*, qui Regi Hispaniæ defertur, & Titulus *Sanctitatis*, qui summo Pontifici vindicatur. Solet etiam usu recipi hæc loquendi ratio, *Titulus* Ducis, Marchionis, Comitis, aut Baronis: *Titulus* Præsidis, senatoris, doctoris, & aliorum ejusmodi.

5. Prædicto vocabulo notio juris aliquando subjicitur; ut, cum sic usu circumfertur ista dicendi formula: Nec iniquo titulo vir ille eruditus celebratur.

6. *Tituli* appellatione donatur, quod plurima ad eamdem materiam pertinentia complectitur. Atque ita vulgo aiunt, quinquaginta Libros Digesti, duodecim Codicis, & quatuor Institutorum, in *Titulos* dividi.

7. Quæ vox etiam familiaris est usui Monetali, qua nimirum indicatur intrinseca ipsa vel auri, vel argenti æstimatio. Adeoque, juxta varia terrarum Imperia, in quibus nummi cuduntur, *Tituli* vel pretio superant, ut in Gallia, vel pretio imminuuntur, quemadmodum in Alemannia.

8. In usu Typographico *Titulus* nihil aliud sonat, quam tenuissimum quoddam lineamentum Litteræ cuidam inscriptum, ut, brevitatis alicujus vocabuli caussa Litteræ alterius vicem ac locum suppleat.

9. Vox, *Titulus*, etiam adhiberi consuevit in usu venatico, ad significandum locum, in quo stant subsidiarii Canes, ut in feram, cui intercipiendæ studetur, cum tempus sese dederit opportunum immittantur.

10 Tandem appellatur *Titulus Sacerdotalis*, instrumentum, quo manifestum fit, Ecclesiastico, qui postulat, sese ad sacros Ordines promoveri, sufficienter suppetere, unde possit sese sustentare; in eumque sensum tantummodo sumimus heic loci prædictam vocem.

Titulus consistit, vel in reditu Beneficiali, vel in certa quadam parte boni de

(c) Can. Episcopi. 3. dist. 80.

(d) Conc. Placent. in Can. Sanctorum. 2. dist. 70.

(e) Leg. Hunc titulum. 1. ff. de postulando. lib. 3. tit. 1. Leg. Non est ambiguum. 9. Cod. familiæ erciscundæ lib. lib. 3. tit. 26.

(f) Polm. part. 2. n. 2. 365.

ni de patrimonio, vel in qualibet alia re temporali, quacumque fuerit legitima ratione acquisita.

Non permittitur, ut Beneficium, quod loco *Tituli* habetur, possit resignari, exceptis quatuor casibus specialibus, quos in decursu hujusce tituli explicabimus.

Quando *Titulus* positus est in alia boni specie; (1) juxta Edictum Aurelianense requiritur, (*a*) ut verus ac cujuscumque fraudis immunis coram Judice proprio a quatuor habitatoribus loci affirmetur; atque ita, quantum ad Parisiensem Diœcesem, ad summam usque 150. librarum annui reditus, quam quidem proprio suo nomine privataque auctoritate præstare tenentur. Qua de re observandum est, eamdem adhibendam esse formularum solemnitatem, quantum ad Titulos inferioris, vel superioris pretii, quos exigere consuetum est his nostris temporibus in Diœcesibus quibusdam, pro majori vel minori ibidem eorum abundantia, quæ sunt ad vitam necessaria, aut eorumdem penuria, vel difficultate, aut eorumdem caritate, vel utilitate, ut observatur in primo Tomo Commentariorum Cleri. (*b*)

Fert laudatum Edictum Aurelianense, fundum in quo Titulus constitutus est, posse numquam abalienari; neque obnoxium esse ullis obligationibus, nec ullis hypothecis, quæ incœperint ab eo tempore, ex quo Clericus fuerit ad sacros Ordines promotus, quamdiu nimirum vivit prædictus Clericus. Atque vel etiam ea de re supremus Senatus Parisiensis declaravit Arresto mensis Decembris 1693. ipsam Tituli Clericalis solemnem denuntiationem nocere creditoribus anterioribus, qui eidem non intercedebant; quantum vero ad creditores posteriores, satis esse, quod Titulus in publicas tabulas referretur, nec opus esse alia denuntiatione. Constituitur alio Arresto, quod fuit 29. Maii 1504. pronuntiatum, pensionem loco Tituli Clericalis institutam censeri, Clerico vivente, obtinere fundi rationem; adeoque ipsi non posse induci obligationem sortis ejusdem accipiendæ.

Addit præterea prædictum Edictum, (*c*) futurum ut Episcopus, qui alioquin acturus est, teneatur, ad vitæ necessaria ei, quem ad Ordines sine titulo promoverit, tamdiu subministranda, quamdiu eidem de Beneficio sufficienti non providerit; quin etiam futurum, ut possit, ad eadem suppeditanda, obligari per traditionem suorum redituum temporalium sub Regiam Custodiam; qua quidem in re concordat istud Edictum cum Jure Canonico, ut cernere est apud Decretales Alexandri III. & Innocentii III. quas ibidem indicamus; (*d*) quæ ipsæ etiam antiquo Juri consentiunt, quod continetur in Decreto Gratiani. (*e*)

Atque ea potissimum de caussa Parisiense Parlamentum tulit Arrestum in Indice Pictonico 15. Junii 1643. quo pronuntiatur, donationem cujusdam fundi exhibitam ab Antonio de Chantelouve, Clarissimo viro Joanni de Chantelouve ipsius consanguineo habendam ipsi loco *Tituli Clericalis*, non posse ab ipsomet donatore revocari; quamquam postmodum suscepisset liberos. Quod Arrestum legitur in primo Tomo Commentariorum Cleri, quem superius jam allegavimus (*f*), & in quo Caussæ dictiones a duobus utriusque Partis Advocatis ea de re habitæ in integrum exscribuntur.

(*a*) Art. 12.

(*b*) Pag. 1851.

(*c*) Art. 13.

(*d*) Alex. III. in c. *Episcopus*. 4. Et Innoc. III in c. *Ecclesia*. 10. de Constitutionibus. lib. 1. tit. 2. & in c. *Cum secundum*. 16. de Præbend. &c.

(*e*) S. Hieron. in Can. *Clericos*. 6. 1. q. 2. & in C. *Quoniam*. fin. §. *Clericos*. 16. q. 1.

(*f*) Ibid.

CASUS PRIMUS.

TUSSANUS Clericus prima Tonsura initiatus, sese ad Ordinem Subdiaconatus promoveri obtinuit, oblato Titulo fraudulento, in eo quod Amico cuidam sibi titulum constituenti, scripto fidem fecerit, numquam futurum, ut ab ipso eumdem exigeret: Nonne inde incurrit in aliquam pœnam Canonicam?

RESPONS.

Nos quidem non latet, quosdam auctores occurrere (*g*), qui censent, eum usum invalescere in Gallia; ut Clericus, qui sacrum Subdiaconatus ordinem suscipit vi fraudulenti ac suppositi falso tituli, non incurrat inde in pœnam suspensionis, nisi prædicta pœna statuto alicujus Diœcesani Synodi, aut speciali mandato Episcopi fuerit denuntiata. *Nec propterea suspensus est ab exsecutione Ordinis*, ait Baile, (*h*) *quamvis etiam cum falso titulo ordinatus sit, saltem in Gallia, in qua talis suspensio non habet locum, nec publicata est Bulla Urbani VIII. quæ incipit:* Secretis æternæ Providentiæ. 11. *Decemb.* 1624. *& qua suspenduntur in perpetuum, promoti cum falso titulo, aut cum fiduciario, cum quis pollicitus est, se restituturum bona contenta in titulo, etiam Beneficio non adepto.* Verum laudatus Doctor, quem olim vidimus vices gerentem Propœnitentiarii in Ecclesia Parisiensi, consentit nihilominus, suam sententiam non omnino esse certam, quando sic addit: *Mira autem est diversitas auctorum in hac controversia.* Cabassutius e contrario (*i*), postquam asseruit, Clericum in casu proposito incurrere in suspensionem, addit etiam sed dubitanter, eum non videri in Gallia in eamdem incurrere. *Suspenditur Clericus*, ait citatus auctor, *recipiens Ordines ficto patrimonio, vel Beneficio ex Decreto Pii V. incipiente:* Romanus. *Hæc suspensio*, inquit *Bonacina*, (*k*) *videtur Episcopo reservata: cui addo, non videri in Gallia receptam.*

Non existimamus tamen, prædictam sententiam posse ullo rationis momento defendi, quippe quæ

(*g*) Lud. Baile. Sambovius. tom. 1. *Casu* 24.

(*h*) Lud. Bail. tripl. examin. part. 1. de examin. Pœnitentium. q. 15. §. 8.

(*i*) Joan. Cabassut. juris Can. theor. & prax. l. 5. c. 26. n. 4.

(*k*) Bonacina disput. 3. punct. 5. §. 1. n. 1.

(1) Vide *Menda Fantas.* Observ. III. num. LXXXVII.

pe quæ penitus adverfetur juri, quod refertur in Decretali quadam Innocentii III. *(a)*, in qua proponitur exemplum promiffi cujufdam culpabilis, quo Clericus fefe obligat, ad nihil umquam exigendum de Titulo, qaem eidem amicus aut confanguineus quidam inftituit, ut ad Ordines obtineat fefe promoveri; & fufpenfionis, in quam ex prædicta agendi ratione incurrit, atque irregularitatis, in quam incidit, fi nihilominus, nec confecutus legitimam difpenfationem, Ordinum fuorum exfequatur functiones. En qua ratione fe res habet. Quidam volens ad Subdiaconatum promoveri, nec habens titulum, rogavit Parochum quemdam fuum amicum, ut unum affignaret ei in redittbus fuæ Curæ; nolenti vero prædicto Parocho titulum ejufmodi eidem conftituere, ne teneretur poftea ad aliquam portionem de bonis fuæ Curæ ei concedendam, Clericus fidem fecit, numquam futurum ut quidquam ab eo ea de re repeteret, animo fcilicet inducens fuum promiffum omni prorfus culpa carere: Qua de cauffa, quod a Parocho fupplex petebat, gaudens obtinuit. *Per tuas litteras intimafti*, inquit fummus Pontifex, *quod, cum D. Lator præfentium vellet in Subdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet, quemdam Presbyterum exoravit, ut ipfum ad Ecclefiæ fuæ titulum præfentaret; quod cum ille facere recufaret, ipfe illi firmiter repromifit, quod numquam, fi præfentaret eumdem in Ecclefia fua, aliquam peteret portionem; & fic ad præfentationem ejus extitit Ordinatus; nec fe in hoc egiffe aliquid illicitum intellexerit.* Cujus occafione rei declarat laudatus Papa, a prædicto Subdiacono graviffime prorfus fuiffe peccatum ex ejufmodi conventione, quæ inter eum & Parocbum intervenerat; neque eidem licere functiones exercere Subdiaconatus, ad quem fic promutus fuerat, nec ad gradum Diaconatus afcendere, nifi prius difpenfationem a S. Sede obtinuerit. *Nos inquifitioni tuæ taliter refpondemus, quod, nifi cum eo fuerit mifericorditer difpenfatum; nec ad fuperiores Ordines, nec in fufcepto debet Ordine miniftrare.* En quibus verbis concipitur decifio laudati fummi Pontificis.

(a) Innoc. III. in cap. *Per tuas* 57. de Simonia. &c.

Quod idem etiam Gregorius IX. *(b)* ftatuit in alia Decretali, in qua verbis expreffis fic habet: *Si quis ordinaverit, feu ad Ordinem præfentaverit aliquem, promiffionem feu juramentum ab illo recipiens, quod fuper provifione fua non inquietet eumdem; Ordinator, a collatione; præfentator vero, ab exfecutione Ordinum per triennium; & Ordinatus ab Ordine fic fufcepto, donec difpenfationem fuper hoc per Sedem Apoftolicam obtinere meruerint, noverint fe fufpenfos.*

(b) Greg. IX. in cap. *Si quis.* 45. eod. tit.

Nec quidquam juvat, quod allegatis Decretalibus, Decretalis opponatur, quam Innocentius III. infcribit Epifcopo Zamorenfi in Hifpania *(c)*: quoniam in eadem laudatus Papa non attingit, nifi cafum quemdam fingularem, qui totus ab iis differt, in quibus, inicio Epifcopo, dolus occurrit. Atque re vera docet Fagnanus *(d)*, eamdem de Jure antiquo nullatenus derogare. *Tutior & falubrior videtur opinio*, inquit, *ut pœna fufpenfionis non fit fublata per hanc Decretalem*: quod probat communi teftimonio plurimorum Canoniftarum, *(e)* atque rationum momentis omnino firmiffimis, quæ referre heic loci non vacat, ne longius quam par eft, procedat hæc præfens noftra decifio; & quoniam aliunde licet facili prorfus negotio eadem apud ipfofmet Auctores adire. Præterquam quod prædictæ duæ Decretales innitantur antiquo Jure, quod fuerat inductum auctoritate Concilii Chalcedonenfis *(f)* celebrati anno 451. relati vero tum a Gratiano, tum ab Urbano II. cum præfens interat Placentino Concilio, quod habitum eft anno 1095. & refertur a laudato Gratiano *(g)* in ipfius Decreto iftis verbis: *Sanctorum Canonum ftatutis confona fanctione decernimus, ut fine titulo facta ordinatio irrita habeatur.*

(c) Innoc. III. in cap. 1. *Cum fecundum.* 16. de Præbend. & dignit. lib. 3. tit. 5.

(d) Profper Fagnan. in cit. cap. *Cum fecundum.* n. 65.

(e) Anton. de Butrio. Philip. Decius. & Navarrus, Confult. de temp. ordin.

(f) Conc. Chalcedonenfe. can. 6. in can. *Neminem.* 1. dift. 70.

(g) Urbanus II. can. *Sanctorum.* 2. eadem dift.

Quos antiquos Canones *(h)* Tridentinum Concilium auctoritate fua plurimum confirmavit. *Statuit fancta Synodus*, inquiunt Patres memorati Concilii, *ne quis deinceps Clericus fæcularis ..... ad facros Ordines promoveatur; nifi prius legitime conftet, eum beneficium Ecclefiafticum, quod fibi ad victum honefte fufficiat, pacifice poffidere.. Patrimonium vero, vel penfionem obtinentes ordinari pofthac non poffint, nifi ... eo quoque prius perfpecto, patrimonium illud, vel penfionem vere ab eis obtineri; taliaque effe, quæ eis ad vitam fuftentandam fatis fint: Atque illa deinceps fine licentia Epifcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poffint; donec Beneficium fufficiens fint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poffint: antiquorum Canonum pœnas fuper his innovando.*

(h) Conc. Trid. Seff. 21. de reform. c. 2.

Auctoritas etiam atque plurima confirmatio eidem antiquo Juri poft celebratum Concilium Tridentinum additæ fuerunt: 1. a S. Pio V. *(i)* in ipfius 75. Bulla, quæ fert adfcriptam diem 14. Octobris 1568. in qua, poftquam retulit Decretum memorati Concilii, eidem inhæret, ac fic declarat: *Statuentes & decernentes, promotiones .. etiam cujufvis licentiæ, illis ab Apoftolica fede ... conceffæ prætextu factas, exfecutione prædictorum Ordinum omnino carere; nullafque prorfus & irritas exiftere; ficque promotas perfonas in altaris minifterio miniftrare non poffe: quin immo, miniftrantes privilegiis, exemtionibus, immunitatibus & aliis gratiis Clericis conceffis, omnino privari; & irregularitatis, aliafque in dicto Decreto contentas pœnas eo ipfo incurrere, a quibus, nifi a Romano Pontifice, vel in mortis periculo, minime abfolvi poffint.* Quæ ipfiffima funt verba conftitutionis laudati fummi Pontificis. 2. Jus antiquum confirmatur etiam a Sixto V. in ipfius 91. Bulla, (k) quæ data eft 5. Januarii 1589. & Bulla Urbani VIII. quæ inter eas, quæ ab ifto Pontifice promulgatæ funt, numero 35. eft, & de qua Bail facit mentionem.

(i) S. Pius V. *In Bulla Romanus.* §. 4.

(K) Sixt. V. in Bulla *Sanctum.* §. 2. & 3. Vide Bullam. *Romanum.* 40. Clem. VIII. die 28. Febr. 1595.

Sacra Congregatio Cardinalium a Pio IV. primum quidem inftituta ipfius Bulla, alias 81. 2. Augufti 1564. confirmata vero a Sixto V. ipfius 74. Bulla incipiente ab iftis verbis, *Immenfa (l)*, ac poftmodum iterum confirmata a S. Pio V. anno 1566. verbis etiam difertiffimis declarat, ejufmodi Clericum, qui fuum Epifcopum ex confictoto titulo decepit, ipfo jure fufpenfum effe, carereque Ordinum exfecutione. *Die 27. Novembris 1610. Sacra Congregatio Concilii, propofito fuprafcripto dubio, omnium fententiis cenfuit, hoc cafu pœnam fufpenfionis ante Concilium non fuiffe correctam, & hodie a Tridentino Concilio effe innovatam: & propterea hujufmodi Clericum, qui, adhibito dolo, confictoque titulo, ordinatorem decepit, effe ipfo jure fufpenfum, carereque ordinum exfecutione.* Quibus verbis Fagnanus loquitur, qui Secretarius erat prædictæ Congregationis. *(m)*

(l) Bullar. magn. tom. 2. pag. CXI.

(m) Profper. Fagnan. in cit. cap. *Cum fecundum.* n. fin.

Sententiam eamdem tenet Navarrus. *(n) Noftra fententia fufpenditur*, ait laudatus Canonifta, *qui ordinatur cum patrimonio, vel alimentis promiffis; vel donatis ab aliquo pactus, antequam ordinaretur, fe non petiturum, poftquam ordinatus fuerit.* Cui Navarro Cardinalis Toletus adhæret *(o)*. En qua ratione habet: *Quinta (juris fufpenfio) habetur cap.* Si quis ordinaverit, *de fimonia. Ubi Ordinans, vel præfentans aliquem ad Ordinem, & ab eo promiffionem, vel juramentum recipiens, quod fuper promiffione fua eumdem ordinatus non inquietabit, fufpenfi funt per triennium; ordinans quidem, a collatione Ordinum; præfentans vero, ab exfecutione; & fic Ordinatus, ab Ordine fufcepto in perpetuum: nec poffunt hi tres difpenfationem, nifi a Sede Apoftolica, hujus fufpenfionis obtinere.* Quidam ætatis noftræ Doctor, qui vices implevit Generalis Vicarii Carcaffonenfis, ac deinde Canonicus exftitit, fimul etiam Archidiaconus, Vicarius Generalis, atque Officialis Condomienfis, & cui perfpectiffimus erat ufus, qui ea de re in Gallico Regno fervandus eft, idem docet, *(p)* quemadmodum etiam Auctor Theologiæ moralis, quæ vulgo dicitur Gratianopolitana. *(q)*

(n) Navar. Manual. c. 27. n. 158.

(o) Fr. Tolet. instruct. sacer. lib. 1. c. 48. n. 5.

(p) D. Ducaffe prax. Jurifdictionis Ecclefiaft. volunt. cap. 12. n. 4.

Tandem, juxta Canonicam iftam Jurifprudentiam, plurimi notæ commendatiffimæ Prælati Gallicani, quantum ad iftud caput Difciplinæ, ftatuta ex profeffo tulerunt, quibus adhæfere conftitutionibus fummorum Pontificum, quas allegavimus, decla-

(q) De Gene theol. moral. tom. 5. aut part. 2. tom. 4. tract. 8. cap. 3. q. 9.

Digitized by Google

declarando *ipso facto* suspensos eos quoscumque, qui temeritatis atque audaciæ eo devenirent, ut oblato fraudulento titulo, sacros reciperent Ordines. Atque ea ratione declaratum est ab Eminentissimo Cardinali de Noailles, Archiepiscopo Parisiensi, ipsius mandato 2. Januarii 1709. istis verbis: *Suspensionem reservatam incurrit ipso facto, qui ordinatur ... supposito ad majores Ordines requisito.* (*a*) Post tantam tantæ auctoritatis testimoniorum nubem in animum nequaquam inducimus, posse cum vel minima quidem juris specie contendi, licitum fuisse in proposito casu Tussano, ex confisto titulo promoveri ad Subdiaconatum, absque eo quod inde inciderit in suspensionem.

(*a*) Mandat. Eminent. Card. Lodov. Anton. de Noailles. Archiepisc. Parisiens. de casibus reservatis, 4. Nonas Jan. 1709. tit. censuræ. quæ reservat. D. Archiep. n.

CASUS II.

Anistius sese disponens ad Subdiaconatum jam jam recipiendum, exhibet titulum patrimonii 150. librarum annui reditus: at nequidem sufficit ipsemet prædicti tituli fundus, ad extinguenda debita, quæ suus ei pater reliquit, quæ saltem assurgunt ad quatuor librarum millia. An judicandum est, ipsius titulum esse falsum?

Respons.

Distinguendum est: Debita namque Anistii vel ex jure contracta sunt hypothecæ, vel non contracta; si fundus ipsius tituli pro iisdem debitis oppigneretur, procul dubio judicandum est, ipsius titulum fraudulentum esse ac proinde nullum; quoniam in isto casu jus ipsius creditoribus cedit, ut fundum ipsum sub manum Regis tradant, ac deinde obtineant, eumdem sibi loco solutionis adjudicari, adeo ut Anistius omnis tituli nudus ac vacuus remaneret, præter mentem atque intentionem Ecclesiæ, ac Decretum Concilii Tridentini (*b*). Verum, si debita nullius alterius conditionis sint, quam eorum, quæ vulgo dicuntur chirographaria, ipsius titulus nihilominus valet, quamquam ejusdem fundi pretio, debita ad quæ obligatur, longius excurrant; quoniam ipsius creditores nullatenus possunt eum cogere, ad illum eumdem vendendum, neque agere, ut sibi addicatur. Ita censet Bonacina, (*c*) qui docet in primo casu eum, qui suscipit Ordines, suspensum ipso jure fieri; eamque reddit rationem, quod sit manifestum, ipsius titulum nullatenus esse realem, sed tantummodo imaginarium ac fictitium, siquidem ex institutione tituli Clericalis, non possint creditores spoliari jure hypothecæ quo gaudent, quantum ad bona in quibus prædictus titulus constituitur. Quæ quidem opinio non solius tantummodo Bonacinæ propria est; quippe qui eamdem suam non faciat, nisi Navarri, Suarezii, Garsiæ, atque Flaminii Parisii, quos ipsemet appellat, vestigiis insistens. Quorum doctorum sententiam Bail amplectitur, (*d*)

(*b*) Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de reformat.

(*c*) Bonacin. de Sacram. disp. 8. quæst. unic. puncto. 5. n. 34.

(*d*) Bail. part. 3. de examin. Pœnitent. q. 15. v. *Quod si.* pag. 627.

CASUS III.

Astierus, qui vi tituli patrimonii fuit ad sacerdotium promotus, contendit, sibi jus fieri, sese recipiendi extra suam Diœcesim absque litteris, quæ vulgo dicuntur *exeat*, ad exercendas Vicarii functiones; hoc est, absque licentia sui Episcopi; atque ait, sibi nequaquam posse obligationem inferri serviendi Ecclesiæ intra suam propriam Diœcesim, in qua nullum possidet Beneficium. Num, quod sibi vindicat, jus aliquo legitimo fundamento innititur?

Respons.

Verum est quidem, Panormitanum in suo, quod scripsit in duas Innocentii III. Decretales (*e*) commentario, existimare, eum, qui fuit ordinatus non vi Beneficialis tituli, sed ex titulo dumtaxat patrimonii, non posse invitum retineri in sua propria Diœcesi, atque ei prorsus licere, inconsulto suo Episcopo, in alienam Diœcesim discedere: *Nam patrimonium non ligat eum; cum respectu illius non sit obligatus officiare certam Ecclesiam.*

(*e*) Panormitanus in c. *Tuis.* 23. n. 7. & in c. *Cum jam.* 18. de præbendis, &c. Id. in c. *Fraternitati,* 5. de Clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda L. tit. 4.

Nihilominus locum jam non debet hodiernis hisce temporibus obtinere, quæ inter Titulum Beneficii, & Patrimonii titulum excogitata est distinctio; ab eo præsertim tempore, ex quo Tridentinum Concilium, cujus Decretum usui passim in Gallia frequentato consentit, verbis apertissimis declaravit, quod *patrimonium vero, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum* (*f*). Cui quidem decreto totum consentaneum est aliud ejusdem Concilii (*g*) Decretum, quo constituitur absque ulla distinctione facta prædictorum generis duplicis titulorum, ut omnes, qui ordinati sunt, æqualiter incumbant, ac alligentur ministerio Ecclesiastico intra Diœcesim proprii sui Episcopi, *cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus; qui si locum, inconsulto Episcopo, deseruerint, ei sacrorum exercitium interdicatur.*

(*f*) Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de reform.

(*g*) Id. sess. 23. c. 16. de reform.

Quibus Decretis, cum accedat præterea robur universæ consuetudinis, evidenter demonstratur, nequaquam defendi posse jus, quod suum esse Astierus asserit, neque ei licere ex sua propria Diœcesi in alienam migrare, Vicarii munus ibidem obiturus, non requisito ea de re prius Episcopi sui consensu.

CASUS IV.

Vitalis Acolytus de Prioratu quodam provisus fuit ratione quidem simoniaca, sed cujus nec particeps, nec conscius ullo modo fuit, siquidem eamdem non ante resciverit, quam venerit in prædicti Beneficii possessionem. Qua de re quæstio instituitur, utrum, cum aliunde non possit vi tituli prædicti Prioratus ad Subdiaconatum promoveri sese, curare, nihil quidquam impediente simonia; quam scit a patre suo fuisse commissam, ut illum eumdem in gratiam illius assequeretur?

Respons.

Respondemus, licet Vitalis nullatenus fuerit particeps simoniæ, quam ipsius pater adhibuit, ut obtineret, eidem de Prioratu provideri; atque proinde in nullam Canonicam pœnam incurrerit; eum tamen non posse sese offerre, ut vi ejusmodi tituli ad Ordines promoveatur. Ratio est, quia titulus ille plane nullus est, ut patet ex duabus Decretalibus, una quidem, quæ auctorem habet Clementem III. alia vero, quæ auctorem sibi vindicat Cælestinum III. relatis in corpore Juris (*h*), quibus evidenter patet, omnem titulum simoniaca ratione obtentum, nullum omnino esse; quamquam ei cui provisu fuit, nullatenus innotuerit. Rationem vero istam affert S. Thomas, (*i*) quod hujuscemodi titulus non modo nullus censeatur ratione peccati, quod commissum est ab eo, qui simoniam admisit; sed etiam quia fuit injuste acquisitus. *Ad hoc, quod aliquis privetur eo, quod accepit*, inquit laudatus S. Doctor, *non solum est pœna peccati; sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ; puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest*: Quod principium deinde accommodans ad casum specialem simoniacæ provisionis, sic prosequitur; *Si vero eo nesciente nec volente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur ... tenetur resignare Beneficium, quod est consecutus, cum fructibus exstantibus.* Nihilominus Vitalis potest novam iterum Prioratus provisionem obtinere, eodem prius pure ac simpliciter dimisso; ac deinde illum eumdem sibi loco legitimi tituli adhibere. (*K*)

(*h*) Clem. III. in cap. *Ex insinuatione.* 26. & Cælestinus III. in cap. *nobis.* 27. de Simonia &c. lib. 5. tit. 3.

(*i*) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

(*K*) Sambovius tom. 1. Casu 33.

CA-

CASUS V.

Balthazar quadam gaudet præstimonia 200. Librarum census annui; poteſtne illa eidem eſſe loco tituli Sacerdotalis?

Respons.

Hic opus eſt diſtinctione: extant etenim præſtimoniæ quædam; quarum poſſeſſores in perpetuum inſtituuntur, aliæ vero, quibus poſſunt Poſſeſſores *ad nutum* ſpoliari. Si præſtimonia perpetua fuerit; hoc eſt, ejuſdem Poſſeſſor non poſſit ex illius poſſeſſione dimoveri; eidem eſſe poteſt loco legitimi tituli; at vero ſi eadem adimi poſſit *ad nutum*, & poſſeſſor queat ex illius poſſeſſione dimoveri: nullatenus ei permittitur, ut eamdem ſibi tituli loco adhibeat; ſiquidem continuo periculo ejuſdem privationis ſemper ſubjaceret, ac proinde ſine titulo remanendi, adeoque ſine eorum ſubſidio, quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt; cui incommodo occurrere Eccleſia ſemper intendit, nolens in ordinem ſuorum Miniſtrorum admittere, niſi eos potiſſimum, qui paupertatem expellere poſſent. Ex quibus concludimus, ſi qua Balthazar gaudet præſtimonia, fuerit ſtabilis atque perpetua, eamdem poſſe ei eſſe loco legitimi tituli ad Sacros Ordines ſuſcipiendos; at vero ſi ſit revocabilis, ab eadem ejuſdem vices nequaquam poſſe ſuppleri. Quæ deciſio tota quadrat ad ſententiam cujuſdam non infimi nominis Hiſpani Doctoris (*a*).

(*a*) Garcias de Beneficiis t. 1. p. 2. c. 2. nu. 122.

CASUS VI.

Henricus Epiſcopus Tuders, videns, Julianum Clericum prima Tonſura initiatum, cujus virtutem atque eruditionem habet prorſus exploratas, ac perſpectas, omni facultate nudum deſtitutumque eſſe, ex qua poſſit ſibi de titulo providere ad Ordines ſuſcipiendos; poteſtne eum ad Ordines promovere, ſeſe obligando ad conferendum eidem officium, ſive Beneficium aliquod competens in ſua Diœceſi, quod ipſi loco eſſe poſſit tituli ſacerdotalis?

Respons.

Poteſt abſque dubio prædictus Epiſcopus Julianum ad omnes Sacros Ordines promovere, obligando ſeſe vel verbis expreſſis, vel tacite, ad eidem providendum de officio aliquo Eccleſiaſtico, quod ſufficiat ad illius ſuſtentationem, quemadmodum conſtitutum eſt a Mechlinienſi Concilio, quod habitum fuit an. 1570. ſub Pontificatu S. Pii V. (*b*) En ipſius Decretum; *Poſſint nihilominus Epiſcopi ob Eccleſiæ neceſſitatem quoſdam ætate, & moribus idoneos, etiam ſine titulo ad Sacros Ordines promovere, cum conditione tamen, quod illis de congruo titulo providebunt*. Quæ conditio fundamentum ſuum habet in Conſtitutione Bonifacii VIII. (*c*) in qua fertur, Epiſcopum in eo caſu teneri ad conferendum ei, quem ſic ordinaverit, aliquod Beneficium, quod ei tituli locum ſuppleat; *Si Epiſcopus .... ad Sacros Ordines promoverit quempiam titulum non habentem: ei ...... tenebitur vitæ neceſſaria miniſtrare, donec ſibi eum, vel alium, de competenti Beneficio ſit proviſum*. Atque eadem ratione diſertis verbis jam fuerat præcautum ab Innocentio III. in una ex ipſius Decretalibus (*d*); quam inſcribit Epiſcopo Zamorenſi in Hiſpania. Atqui quemadmodum prædictis Conſtitutionibus non ſtatuitur; ut de aliquo Beneficio ei provideatur, qui ſic fuit promotus ad Ordines, niſi ut habeat, unde poſſit ſuſtentari, & ab indigentia ſeſe ſubducere; merito poteſt aſſeri, Epiſcopum, qui eidem ſubminiſtrat vitæ neceſſaria, eidem providendo de aliquo ſufficienti Eccleſiaſtico officio, ſatisfacere ipſius Eccleſiæ menti, & intentioni, quam ſummi Pontifices ſibi propoſuerunt in Decretalibus, quas ea de re ſcripſerunt; atque hoc ipſiſſimum revera eſt, quod jam fuerat a Concilio Lateranenſi III. declaratum anno 1179. in quo Alexander III. ſic loquitur; *Epiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit: tamdiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet, niſi talis ordinatus de ſua, vel pater a hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere* (*e*). Non ergo abſoluta obligatio Epiſcopo inducitur, conferendi Beneficium ei, quem ad Ordines ſine certo titulo promovit, ut obſervat Gloſſa ad iſtud verbum, *ſubſidium*; ſatiſque eſt, quod ei ſubminiſtret vitæ neceſſaria ex aliquo officio Eccleſiaſtico, quemadmodum rurſum exprimitur in alia Decretali (*f*).

Eſt addendum præterea cum Fagnano (*g*), ſi ſuo defuerit Epiſcopus officio quantum ad eam rem, ipſius incumbere Succeſſori eidem ſatisfacere. *Collige*, ita laudatus Auctor, *ſucceſſorem teneri .... ex facto defuncti .....* alioquin Eccleſiaſticus ejuſmodi ad ipſos inopiæ, mediocritatiſque terminos ſeſe redactum experiretur. *Ne Clericus cogatur in opprobrium ordinis Clericalis mendicare*, Res Eccleſiæ certe probroſa, & de qua conqueritur S. Hieronymus iſtis verbis; (*h*) *Mendicat infelix Clericus in plateis; & civili operi mancipatus, publicam a quolibet depoſcit alimoniam, & quidem ex eo deſpicitur cunctis Sacerdotale officium, dum miſericordia deſolatus, juſte putatur ad hanc ignominiam deveniſſe*. Quam eamdem doctrinam tenuerunt plurimis ſæculis ante Fagnanum Innocentius IV. Cardinalis Hoſtienſis, Joannes Andreas, Antonius de Butrio, Cardinalis Zabarella, Petrus Ancharanus, & Joannes de Anania (*i*).

(*b*) Concil. Mechlinen. de ordinand. c. 5. apud Labbe to 25. Concil. gener. p. 794.

(*c*) Bonif. VIII. in c. Si Epiſcopus 37. de præbend. & dignit. in 6.

(*d*) Inno. III. in c. Cum ſecundum 16. de præbend. & dignit.

(*e*) Alex. III. in Concil. Later. in c. Epiſcopus 4. eod. tit.

(*f*) C. Non liceat. 2. ibid.

(*g*) Fagnan. in c. accepimus 23. de ætate & qualit. & ordin. præficiend. n. 12.

(*h*) S. Hieron. in can. Diaconi ſunt 21. §. 5. diſt. 93.

(*i*) Inn. IV. & ſex alii in d. c. accepimus.

CASUS VII.

Didymus Religioſus Profeſſus de familia S. Franciſci ſeſe offert Epiſcopo Subdiaconum ordinandum; poteſtne Epiſcopus eumdem licet titulo carentem inter ordinandos admittere?

Respons.

Poteſt Epiſcopus Didymum inter ordinandos admittere; ad Religioſos namque non ſpectant Canones, quibus conſtituitur, futurum ut Eccleſiaſtici Sæculares non poſſint ad Ordines promoveri, niſi iiſdem de competenti titulo, ſive Beneficii, ſive patrimonii, vel donationis provideatur; cum ſolus titulus Religionis quantum ad eam rem ſufficiat, modo juxta Conſtitutionem S. Papæ Pii V. Religioſus, qui petit, ſeſe ad Ordines admitti, præ ſe ferat conſignatam litteris ſui Superioris Regularis teſtificationem, qua certum fiat, ab eodem emiſſam fuiſſe Religioſam poſſeſſionem; & prædictus Religioſus aſſerat, adhibita etiam juriſjurandi Religione, coram Epiſcopo, atque ſcripto ea de re confecto, cui propria manu ſubſcribat, a ſeſe nemine cogente, ſed ſponte prorſus eamdem emiſſam fuiſſe. Quam quidem cautionem vult S. Carolus Borromæus ab Epiſcopis adhiberi, quantum ad Religioſos, qui ſeſe offerunt ad Sacros Ordines; *Ut quod Summus Pontifex Pius V.* * inquit Laudatus S. Cardinalis in ſuo ſecundo Concilio Provinciali habito Mediolani an. 1569. (*k*) *in explicatione Decreti Concilii Trid. quod eſt ſeſſ. 22. cap. 2. conſtituit, executionem habeat Epiſcopus, ne Clericum ullum regularem, neque ſæcularem, qui Regularium more in communi vitæ diſciplina ſit, Beneficiumque Eccleſiaſticum non habeat, Ordinibus Sacris adſcribat, niſi a Superiore fidem ille attulerit, ſe Religionis, cui ille adſcriptus eſt, profeſſionem confeciſſe: juratuſque affirmet ſcripto manu ſua ſubſignato coram Epiſcopo, ſe id ſponte feciſſe, aut ratum habuiſſe. Illud autem ſcriptum in Archivio aſſervandum Epiſcopus curet*.

Cui cautioni, quam S. Carolus adhiberi juſſerat, Clerus Gallicanus in ſuis generalibus comitiis annorum 1628. 1635. & 1645. (*l*) novum aliud addidit conſtitutum, quod ſic; " Quoniam experientia ſæpe ſæpius comprobatum eſt,
„ plurimos Regulares variis de cauſis exturbari,
„ atque expelli de Monaſteriis & Communitatibus Religioſis, poſtquam ſub titulo communionis ac paupertatis Religioſæ fuerunt ad Ordines promoti; atque eoidem e prædictis Monaſteriis exeuntes fieri quocumque certo titulo prorſus deſtitutos, in opprobriumque Eccleſiæ remanere pauperes, ac indigentes, quod quidem

* Pius V. pridie Idus Octob. 1568.

(*k*) Conc. Medi lan. 2. t. 1. decreto 23.

(*l*) Comitia generalia an. 1645. art. 28.

„ dem totum alienum est a Sanctissimis Decretis: „ Ut occurratur incommodo præfato, curabunt E- „ piscopi, antequam ullum Religiosum ad Ordi- „ nes Sacros admittant, istam potissimum obliga- „ tionem a Monasterio, cui dictus Religiosus ad- „ dicetur, suscipi ut eumdem retineat, atque apud „ se conservet, ut eidem inde discedenti quacum- „ que de causa, aut sub cujuscumque prætextus „ velamento, provideat de vitæ necessariis. Si „ vero prædictum Monasterium nullis fundis, „ nec certis reditibus dotetur stipulatione ista ap- „ posita, cavebit Episcopus, ne prædictus Reli- „ giosus inde possit expelli, nisi de sua, aut sui „ Vicarii Generalis sententia.

Atque constitutum illud tam sapiens idem prorsus est, quod fuerat jam determinatum a duobus Provincialibus Conciliis, quorum prius est, Rothomagense Concilium anni 1581. authoritate Gregorii XIII. firmatum atque comprobatum (*a*). Alterum vero est, Concilium Burdigalense anni 1624. (*b*) in quo reperitur sequens istud Decretum? *Regulares autem quicumque sine litteris Superiorum suorum, quibus constet, eos vota Religionis emisisse, non ordinentur. Promoti vero, si ab hujusmodi Superioribus pro criminis exigentia puniri conveniat, & urgeat necessitas, ne possint tamen habitu Religionis privari; ita ut extra Monasteria in contemptum Ecclesiæ dejiciantur mendicaturi: sed intra eorumdem Monasteriorum septa detineri, puniri, & sustentari: & ad id prædicti Superiores per ordinarios compellantur.*

(*a*) Concil. Rothomag. tit. de Monasteriis §. 14.

(*b*) Concil. Burdigal. t. de ordine c. 4. §. 4 de subdiaconis in fin.

Quæ eadem disciplina fuit simili quoque ratione constituta in Ecclesia Aquensi in Provincia ut habetur ex statutis Synodalibus auctoritate Illustrissimi Cardinalis Grimaldi confectis (*c*).

(*c*) Statut. Synodal. Eccles. Aquensis de ordinat. p. 21

CASUS VIII.

BENIGNUS, cum promotus fuisset ad Ordines sub titulo simplicis cujusdam Capellaniæ referentis 300. libras census annui, nec quidquam præterea bonorum haberet, unde sese posset sustentare: eamdem resignavit in Curia Romana in favorem Hieronymi filii fratris sui, vel sororis suæ, ut eidem foret loco etiam tituli, nullo verbo injecto in Procuratione sua ad resignandum, prædictum Beneficium sibi loco esse tituli Sacerdotalis: ea de re Religionis ei aliquid incussum est. Quin etiam tentatum fuit ei persuadere, resignationem ejusmodi nullius prorsus esse roboris quantum ad forum conscientiæ. Qua de re petit, utrum revera non potuerit sine peccato prædictam conficere resignationem, atque verum sit, eamdem quantum ad forum conscientiæ, nullam omnino esse?

RESPONSIO.

Patet ex Decreto, quod Concilium Tridentinum ea de re constituit (*d*), non tantummodo a Benigno perperam prorsus actum fuisse, quod prædictam Capellaniam in favorem filii fratris sui, vel sororis suæ resignaverit, siquidem ei loco esset tituli Ecclesiastici; & aliunde nihil ei suppeteret nec de bonis Ecclesiasticis, nec de patrimonio, unde sese sustentaret: verum præterea resignationem ejusmodi tanquam omnino nullam censendam esse quantum ad forum conscientiæ, juxta laudatum Decretum. En ipsius verba sunt; *Id vero resignare beneficium non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constiterit, quod aliunde vivere possit: & aliter facta resignatio nulla sit.*

(*d*) Concil. Trid. sess. 21. de ref. c. 2.

Atque juxta memoratum decretum Concilium Mechliniense actum anno 1607. sub Pontificatu Pauli V. (*e*) sic statuit: *Juret deinceps quilibet ordinandus ad titulum .... Beneficialem, quod titulum, quem pro sua promotione exhibet ..... non resignabit .... nisi ei de alio sufficienti titulo sit prospectum: neque tunc quidem aliter, quam scitu & consensu Episcopi in litteris ipsius resignationis .... exprimendo.* Quæ ipsissima sunt verba Concilii laudati.

(*e*) Concil. Mechliniens. ann. 1607. t. 9. c. 8.

Diximus, resignationem ejusmodi, ut nullam censendam esse, juxta Tridentinum Decretum. Neque enim Romæ admissa fuit, nisi quia obreptitia erat; quoniam præsumitur, eamdem a summo Pontifice prorsus repudiatam fuisse, si rei veritas ei innotuisset. Quod quidem ita conjiciendi locus datur potior; quod Romæ semper consuetum sit istam verborum formulam apponere: *aliunde vivere habens*, omnibus provisionibus, quæ consequenter scribuntur ibidem ad eorum resignationes, qui mentionem faciunt, resignatam a se Beneficium sibi tituli loco esse addictum.

Decreto Concilii nihilominus adhibentur temperamenta quædam, etiam in iis regionibus, in quibus vim legis obtinet.

Primum quidem: quando non resignatur Beneficium nisi cum conditione retinendæ congruæ alicujus pensionis.

Secundum; cum permutatur pro alio Beneficio, quod sit aut æqualis reditus, aut pinguioris.

Tertium: quando resignans aliunde gaudet sufficienti Beneficio.

Quartum denique: cum suppetit ipsi Resignanti de bonis temporalibus sufficienter, unde possit honeste sese sustentare. Siquidem etenim in isto posteriori casu possit Acolytus quisquis ad Sacros Ordines promoveri, quamquam eidem loco tituli non provideatur nisi de bonis patrimonii, modo sufficiant ad ipsius sustentationem, ut declaratur ab Innocentio III. scribente ad Vesuntinum Archiepiscopum; (*f*) potest eadem ratione resignare Beneficium, in quo titulus ipsius constituitur, quando aliunde suppetit ei, unde possit honeste sese sustentare: atque eodem modo disserendum est, quantum ad alios tres casus supra memoratos: siquidem nihil in iis ageretur, quod nec Concilii menti, nec ipsius Ecclesiæ intentioni adversaretur, cum Ecclesia non induxerit necessitatem titulorum Ecclesiasticorum, nisi ut mendicitatis incommodo eriperetur, cujus quidem periculo nullatenus obnoxii sunt quantum ad quatuor casus, quos a regula generali subducimus.

(*f*) Inn. III. in c. Tuis 24. de præbend. & dignit.

At observandum est, Decretum illud non obtinere in Gallia quantum ad illud caput, quod resignatio nempe nulla sit: ut notat D. Brillon in suo Dictionario Arrestorum, (*g*) in quo sic loquitur: Qui fuit ad Ordines promotus sub titulo sui Beneficii, licet aliunde nihil habeat, unde sustentetur, potest illud eidem resignare, atque is usus frequentatur in Gallia, nihil obstante, quod in contrarium fuerit a Tridentino Concilio constitutum ... atque quamquam prædictus usus stilo ministrorum Datariæ totius adversetur, qui solent signaturis indultorum *extra tempora* sub titulo Beneficiorum, clausulam istam semper apponere: *Constituto prius, quod idem Orator Capellaniam hujusmodi vere realiter & pacifice possideat, & Capellaniæ hujusmodi fructus ad congruam sui sustentationem sufficiat.* Quam eamdem observationem habuerant Sollier in Melchior, Pastor & Pinsson (*h*) ante D. Brillon, qui addit, (*i*) ita judicatum fuisse Arresto Parisiensis Parlamenti in Urbe Turonum tunc temporis sedenti quod 16. mensis Aprilis 1592. pronuntiatum est. At, quamquam Arresta supremarum Curiarum non infirment ejusmodi resignationes; saltem manet certissimum, ab iis, qui sic resignant, peccari quam gravissime; siquidem in eo perfringant unum ex institutis Ecclesiasticis, quæ ut antiquitate sua, sic etiam plurima sapientia omnino commendatissima sunt: ac sese faciant sine causa, sine necessitate, obnoxios periculo vitæ, in opprobrium status Ecclesiastici, quæ sibi superest, in summa rerum inopia transigendæ.

(*g*) D. Brillon Dictionar. Arrestorum v. Resignatio nu. 292.

(*h*) Sollier. in Melchior. Pastor. l. 1. t. 3. Pastor. lib. 3. t. de renunciat. n. 14. Pinsson. de titulo Beneficiorum n. 10.

(*i*) D. Brillon. ibid. nu. 291. & v. Titulus n. 107. n. 109.

Neque a proposito nostro futurum est alienum, quod occasione propositæ difficultatis subjiciamus unam observationem, nimirum, si verbi gratia Petrus de titulo aliquo, Benigno providisset, apposita verbis expressis conditione, quod locum non foret habiturus, nisi ad illud usque tempus, quod ei fuisset de competenti aliquo Beneficio provisum, futurum jam, ut Benignus, postquam sibi de Beneficio aliquo provideri obtinuisset, jure nequaquam posset prædictum titulum exigere; vel etiam resignato præfato suo Beneficio; cujus rei ratio est, 1. quod conditiones, de quibus in contra-

trahendo fuit ex utraque parte conventum, quantum ad contrahentes vim legis obtineant, ut colligitur ex istis verbis regulæ juris (*a*) quam Bonifacius VIII. deduxit ex una quadam de Legibus Digesti: (*b*) *Contractus ex convento legem accipere dignoscuntur*: Adeoque, cum Petrus sese non obligaverit erga Benignum, nisi sub clausula conditionis ejusmodi: jam non teneretur, ad ei continuandam in eo casu, de quo eidem providisset, tituli solutionem. 2. Quoniam in ea, quam ponimus, hypothesi, Beneficium, quod quis Ecclesiasticus consequitur, eidem sit loco proprie dicti tituli, quem non potest dimitere nisi de consensu verbis expressis concepto sui Episcopi, qui quidem Episcopus nequidem eumdem ei præbere debet, si non suppetat ei aliunde, ex quo sibi possit providere de vitæ necessariis; proindeque Benignus suæ culpæ dumtaxat imputare deberet, quod Beneficio suo proprio marte, auctoritateque privata renunciavisset juxta istam aliam Juris Canonici regulam: (*c*) *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.*

(*a*) Bonif. VIII. in reg. 85. de reg. Juris in 6.
(*b*) L. Depositum 1. par. 6. ff. depositi, vel contra. Lib. 16. tit 3. Item I. Si ut certo. par. 2. ff. commodati &c. Lib. 13. t. 6.
(*c*) Reg. 86. de reg. jur. in 6.

CASUS IX.

Achilles, cum obtinuisset, ad Subdiaconatum, ac deinde ad alios ordines sese promoveri sub titulo patrimonii 100. Librarum reditus annui, quem eidem Anselmus ipsius Pater instituit in prædio quodam; & Anselmus post annos ab illinc septem vel octo prædium illud idem Briando vendidisset, non ei indicato, quod ei oppignoraretur pro titulo Clericali proprii ipsius filii; prædictus Achilles, ne Patri suo molestiam faceret, noluit venditioni, quæ de eodem prædio confecta fuerat, intercedere. Qua de re petitur, 1. Utrum Achilles peccaverit, non impediendo, ne suus titulus Clericalis sic abalienaretur. 2. Utrum non possit recta Conscientia in ipsum Briandum agere, ut ab eo sibi prædictæ 100. Libræ pensionis annuæ persolvantur, quin etiam usuræ septem aut octo annorum, quarum nunc contigit solutionis tempus, relicta ei facultate recurrendi in alia bona; quæ suus Pater per obitum suum reliquit?

Respons.

Ad quæstionem primo loco institutam respondemus, siquidem Achilles noluerit intercedere venditioni prædii, in quo titulus ipsius constitutus erat, ob eam tantummodo causam, quod retentus fuerit plurima veneratione, qua suum Patrem prosequebatur; atque etiam, ne eidem aliquam molestiam inferret; posse omnino asseri, eum in eo omni prorsus culpa carere.

Quantum ad alteram propositam quæstionem, dicimus, Achillem posse, remota prorsus omnis injustitiæ nota, in ipsummet Briandum agere; ab eoque exigere solutionem centum librarum pensionis annuæ, non tantummodo sibi deinceps præstandam; sed etiam usurarum, quæ sibi debentur, si jus consuetudinis in Provincia receptum eidem non obstet quantum ad posterius istud caput. Ratio est, quod omnis titulus Clericalis hoc habeat ex natura sua, ut nequaquam possit abalienari, juxta Edictum Aurelianense (*d*) mensis Januarii 1560. in quo Rex Carolus IX. postquam prohibuit Episcopis, ne quemquam sine certo titulo promoveant ad Sacerdotium, sic prosequitur: Item „ declaravimus, reditum temporalem prædicti „ tituli nequaquam ulla de causa posse abalie- „ nari, nec fieri obnoxium ullis obligationibus „ nec hypothecis ab eo tempore, ex quo Cle- „ ricus fuerit ad Sacerdotium promotus, nec „ toto illo tempore, quo vitæ superstes relictus „ fuerit.

(*d*) Edict. Aurelian. art. 12.

Atque ea potissimum de causa Concilium Provinciale Senonense anni 1528. (*e*) jubet, ut tum a donatoribus titulorum, tum ab ipsis etiam donatariis jusjurandum adhibendum deinceps foret, inter sese nullum accessisse pactum, nullamve conventionem eorumdem restituendorum, ac prædicti tituli censerentur nulli abalienationi prorsus obnoxii; aut saltem alienari non possent sine expresso Diœcesani Episcopi consensu, quamquam etiam Ecclesiastico copia bonorum sufficiens adesset, ad vitam suam sustentandam. Quod fere idem cavetur a Narbonensi Concilio (*f*), quod anno 1551. celebratum est. Concilia Cameracense quidem anni 1565. (*g*), & Mechliniense constituunt etiam, titulos clericales a propria sua natura habere, ut abalienari nullatenus possint; In eamque sententiam abeunt quotquot sunt apud nos notæ commendatissimæ Jurisconsulti, quales D. le Pretre, D. le Maitre, du Ferne, (*h*) Bellordeau, a quo citatur ea de re Arrestum juxta jurisprudentiam istam a supremo minoris Britanniæ Senatu 16. Februarii 1604. pronunciatum, & Bardet; a quo memoratur aliud Arrestum supremi Parisiensis Senatus 7. Julii 1622. Quibus omnibus rationum momentis addendum est ponderis loco famosum aliud Arrestum latum a Parisiensi Parlamento 15. Junii 1643. & exscriptum in primo tomo commentariorum Cleri (*i*), pro Joanne de Chantelouve, cui Antonius de Chantelouve ipsius consanguineus titulum instituerat, quem volebat rescindere, contra quem pronuntiatum est damnatorium judicium ad hoc, quod suum donatarium permitteret, prædicti tituli beneficio pacifice gaudere. Tandem extat aliud Arrestum mensis Augusti 1664. contra tertium quemdam pastorem, qui per annos ultra 30. possederat bona Sacerdotali titulo cuidam addicta. (*K*)

(*e*) Concil. Senonens. can. 4. & 5.
(*f*) Concil. Narbonens. can. 8.
(*g*) Concil. Cameracen. art. 7.
(*h*) Le Petre 1. centur. cap. 3. Le Maitre cap. 23. de præconiis. Du Fresne l. 4. c. 25. Bellordeau p. 2. controv. 20. Bardet to. 1. l. 1. c. 100.
(*i*) Commentar. Cleri. to. 1. pag. 851.
(*K*) D. Brillon. Diction. Arrest. v. Titulus. n. 97.

CASUS X.

Polybius vir viduus, cui Liberi nulli supersunt, miram optimam indolem Josephi, cujusdam acolythi, filii pauperis hominis rusticam, in eum istam caritatem exercuit, ut titulum clericalem eidem constitueret 150. librarum pensionis annuæ, quo posset illius ope promoveri ad Subdiaconatum. Josepho autem jam facto Subdiacono atque etiam Diacono, Polybius, qui ad secundas nuptias cum Athalia convolaverat, suscepit unum liberum, qua de re Josephum monuit, ut, quam in ipsius gratiam præstiterat, jam revocaret donationem, quæ aliunde nulla ipso jure esse debebat ob natum sibi liberum unum. Josephus ex altera parte ei demonstravit, inde sibi obicem poni, ne posset ordinari Sacerdos; at Polybius propositi tenax remansit, propterea quod ipsius bonum esset omnino modicæ tenuitatis, atque aliunde ex ipso jure naturali sibi potiori jure incumberet, utilitati atque commodis proprii sui liberi, quam alieni, consulere. Jure ne potest, ac conscientia recta debet-ne suam donationem rescindere.

Respons.

Verum est equidem, cum aliquis Donator suscipit de justo matrimonio liberos, nec tempore confectæ donationis ullos habebat, ei jus istud cedere, ut quam præstitit, possit penitus rescindere donationem; quoniam animo non est præsumendum, istam eidem mentem affuisse, ut in damnum suorum liberorum donationem suam exequeretur. *Si unquam*, ait Lex, *libertis patronus filios non habens, bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus: & postea susceperit Liberos: totum quidquid largitus fuerat, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio.* (*l*)

Confirmatur vero principium istud naturalis æquitatis alia quadam Digesti lege, quæ auctorem habet celeberrimum Jurisconsultum, Paulum, (*m*) & agendi ratione plurimorum Episcoporum sanctitate commendatissimorum, ac potissimum S. Augustini Hiponensis Episcopi, atque Aureliani Episcopi Carthaginensis, de quo laudatus Pater sermonem facit istis verbis: *quam laudabile factum Sancti & Venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis! Quomodo os implevit omnium, qui sciunt, laudibus Dei! Quidam enim, cum filios non haberet neque speraret, res suas omnes... donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei postea: & reddidit Episcopus: nec etiam opinanti illi qui donaverat.* Addit deinde S. Augustinus plurimum laudans atque approbans beneficam illam virtutem Laudati Sanctissimi Episcopi,

(*l*) Constantinus & Constantius in leg. Si unquam S. C. de revocandis donat.
(*m*) Paulus in L. Cum Avus 102. ff. condit. & demonstrat. lib. 35. tit. 1.

scopi, ab eo nihil in ea re fuisse gestum, nisi quod juxta dictamen naturalis æquitatis agere tenebatur. *In potestate habebat Episcopus non reddere: sed jure fori, non jure poli* (*a*).

(*a*) S. Aug. in canon. Quicumque sin. 17. q. 4.

Nihilominus est hæc status Ecclesiastici prærogativa, eidemque is honor præstitus, ut non omnibus temporibus Ecclesia semper judicaverit necessario congruere, in eomdem sine certo titulo posse neminem admitti: hoc est, quin ab Episcopo ministerio Ecclesiæ alicujus alligaretur, ex qua posset sic accipere vitæ necessaria, ut ab omni mendicitatis periculo vindicaretur, nec ex ejusmodi vitæ genere foret instituto quidem tam sancto, dedecori, ipsius vero Ecclesiæ, opprobrio. Quod colligitur ex antiquo Canone quodam, quem Gratianus refert in suo Decreto (*b*) & ex alio Canone Concilii Chalcedonensis, in quo sic legitur: (*c*) *Neminem absolute ordinari: nec Præsbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in Ordine Ecclesiastico: nisi specialiter in Ecclesia Civitatis, vel Pagi, vel monasterio is, qui ordinatur, designetur*. Reperitur idem Canon in Decreto Gratiani, a quo ibidem redditur secundum Isidori Mercatoris interpretationem. (*d*)

(*b*) Canon. Episcopi. 3. dist. 80.
(*c*) Concil. Chalcedon. act. 15. can. 6. (Gentiano Hervet. interprete.)
(*d*) Canon. Neminem. 1. dist. 70.

Quoniam vero progressu sæculorum magis ac magis aucta est multitudo fidelium, & numerus crevit Ministrorum Ecclesiasticorum, prout opus erat Ecclesiæ eorumdem regimini providere, atque tandem numerum Ecclesiarum privatarum multo superabat numerus Ministrorum Ecclesiasticorum, quibus omnibus vitæ necessaria de reditibus prædictarum Ecclesiarum subministrari non poterant; visum est Concilio Lateranensi, quod fuit habitum sub Alexandro III. permittere Episcopis, ut ad Ordines illos promoverent, quibus suppeteret de titulo patrimonii, vel de reditu aliunde certo ac stabili, unde sese possent honeste sustentare. En ipsissima sunt verba decreti, quod ea de re statutum fuit, qualia leguntur in corpore Decretalium (*e*): *Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministres, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet: nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere*.

(*e*) Concil. Later. sub Alex. III. in c. Episcopus, 4. de præbend. & dignit. lib. 3. tit. 5.

Qua de re venit observandum: 1. Quamquam in laudato Concilio non nisi de Diaconis ac Presbyteris habeatur mentio, eamdem nihilominus ad Subdiaconos extendendam esse, quemadmodum statutum est ab Innocentio III. (*f*) 2. Si Episcopi constitutæ regulæ non inhæreant, ipsis incumbere, de suo subministrare iisdem vitæ subsidia, donec occasio sese dederit iis providendi de aliquo Beneficio, vel officio Ecclesiastico competenti.

(*f*) Inn. III. in c. Cum secundum. 16. §. inde est. eod. t.

Denique, Tridentinum Concilium novo alio Decreto caput prædictum disciplinæ confirmavit atque roboravit, istis verbis: *Statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus Sæcularis .... ad sacros Ordines promoveantur: nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere ... patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint: nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: eoque quoque perspecto, patrimonium illud, vel pensionem, vere ab eis obtineri; talinque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps, quod sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint: donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti: vel aliunde habeant, unde vivere possint: antiquorum Canonum pœnas super his innovando*. (*g*).

(*g*) Concil. Trid. sess. 21. de ref. c. 2.
(*h*) Edict. Aurelianen. art. 12.

Edictum Aurelianense (*h*) prædictum Decretum auctoritate sua tacite confirmat, inducendo illud idem Disciplinæ caput, ac titulo patrimonii prærogativam eamdem, idemque privilegium adjiciens, quibus gaudet titulus ille, qui mere clericalis est, declarando nimirum utrumque perinde stabilem esse, neque ulla de causa posse abalienari: Quod iterum fulciri ac roborari reperitur plurimis Conciliis Provincialibus Galliarum; ne nominatim Conciliis Remensi, (*i*) ac Turonensi tertio.

(*i*) Concil. Rem. 4. can. 20.
(*k*) Concil. Turon can. 24.
(*l*) Concil. Camerac. cit. de ministeriis Ecclesiast. c. 4.

Quin etiam Concilium Cameracense actum anno 1565. requirit ad tutiorem cautionem, ut, qui titulum exhibet, sese ea in re jurisjurandi religione adigat: (*l*) *Jure autem promovendum, non alienaturum a se hujusmodi titulum patrimonialem; nisi aliunde sit sibi provisum. Agaturque etiam civili potestate, ut edicto caveatur, ne hujusmodi titulus alienetur*.

Quæ utique omnia prorsus concordant cum Jure Romano, juxta quod nequidem promittebatur, ut deduceretur Falcidia, id est, quarta pars bonorum, quæ fuerant Ecclesiæ legata. *Quomodo enim ferendum est*, ait Imperator Justinianus, *hoc, quod in Sacrum venerit, per Falcidiam, vel aliam occasionem, minui?* (*m*) Quod idem fertur in Authentica quadam, quam habemus in codice ejusdem Imperatoris, istis verbis: *similiter Falcidia cessat in his, quæ ad pias causas relicta sunt*. (*n*)

(*m*) Leg. Si quis ad declinandum. §. 2. C. de Episcopis & Clericis.
(*n*) Authentica Similiter. cod. ad L. Falcid. l. 6. tit. 50.

Ex quibus argumento a fortiori conficiendum est, quod datum fuit alicui Clerico loco tituli Clericalis, nequaquam debere ullo in casu revocari, neque etiam imminui sub illo omnino prætextu, etiam legitimæ alicujus portionis vel partis ejusdem cujusdam. Atque reipsa sic judicatum fuit a Parlamento Parisiensi 3. Aprilis 1620. ita postulante D. Taloo tunc temporis Advocato Regio Generali.

Quod idem quoque determinatum est alio arresto pronuntiato ab Illustrissimo Præside Mole 15. Junii 1643. relato in Ephemeride Audientiarum (*o*) lato in indice Pictaviensi, ita postulante laudato Advocato Generali, pro clarissimo viro Joanne de Chantelouve, contra Antonium de Chantelouve ipsius consanguineum, qui eidem cesserat prædia quædam, quæ ipsi futura erant loco tituli, quique eumdem in jus venire, vadimonio constituto jusserat, ut in eum ferretur sententia, qua confecta donatio nulla esse declararetur, sub eo prætextu, quod a tempore prædictæ donationis exhibitæ liberos suscepisset; quinque tandem provocatione submotus est, quam opposuerat sententiæ judicis locorum, qui primum quidem edixerat, ut partes de ipso jure disceptarent.

(*o*) Ephem. Audent. pag. 393. anni 1618.

Ea vero causa, qua potissimum fulciuntur tum laudata sanctissima decreta, tum allegata arresta; est, ut jam monuimus: *ne panem ostiatim mendicare cogatur infelix Clericus, in opprobrium & dedecus ordinis*, quemadmodum fertur in Concilio Narbonensi, quod actum est anno 1551. (*p*) aut ne ei necessitas inferatur sordinæ cujusdam artis exercitio victum quærendi in dedecus suæ conditionis, & Ecclesiæ ipsius opprobrium, ut declaratur a Patribus Concilii Tridentini verbis istis: *cum non deceat eos, qui divini ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere*.

(*p*) Concil. Narbon. tit. 2. can. 9.

Ut ergo propositæ difficultati sua responsio jam accedat, asserimus Polybio nullum jus reliqui, quo possit, quam Josepho largitus est, rescindere donationem: licet liberum unum de matrimonio suo altero susceperit; itaque eidem consequenter litem intendere, ut obtineat, suam eamdem donationem, nullam atque irritam, in judicio denuntiari: Siquidem prætensum illius jus intentioni Ecclesiæ, quantum ad istud disciplinæ caput, atque Jurisprudentiæ arrestorum, quibus illa disciplina roboratur plurimum, totum penitus adversetur.

CASUS XI.

Ursinus plebejus vir, commorans in Provincia quadam, in qua vectigalia personalia sunt, cum Sacerdos ordinatus fuisset, oblato titulo quodam, quem pater ipsius ei constituerat in prædiolo quodam clientelari 100. librarum reditus annui, juxta eam, quæ in ipsius Diœcesi frequentatur, titulorum clericalium taxationem, ac sese sentiret urgeri a Regiis publicanis, quantum

Digitized by Google

ad solutionem jurium quorumdam, quæ Rex jubebat exigi a viris plebeiis, qui prædia clientelaria possidebant; ab eorumdem solutione sese subduxit, asserendo nimirum, prædictum illud prædiolum, saltem quandiu viveret, esse habendum, ut bonum quoddam Ecclesiasticum, siquidem illud idem ipsi esset loco tituli Sacerdotalis. Qui quidem Publicani in eundem agere desierunt ab eo tempore, sive quia animum induxerant, ab eo nihil sibi quidquam ea de re deberi, sive quia vel sunt obliti, vel neglexerunt illum præterea urgere. Poteſtne, quoad conscientiam, tutus atque securus remanere, cum nihil quidquam jurium prædictorum persolverit?

RESPONSIO.

Quidam notæ prorsus commendatioris Theologus (a), de eadem olim difficultate consultus, eam habet paucis verbis responsionem, asserendo, modo Ursinus sic actu sit animo comparatus, ut prædicta jura sit statim persoluturus, ubi primum a sese exigentur, si constet, in rei veritate eadem esse persolvenda, aut tutum prorsus ac securum, quantum ad conscientiam, remanere, quanquam eorundem solutionem eluserit: ad ipsos namque Publicanos hoc pertinet, nimirum ut detrectantem eum solvere, apud Judices appellent, in eumque agant, ut judicio condemnari eundem ad solvendum, obtineant, si jura, quæ Regi vindicari de dicto prædiolo contendunt, ipsi revera debeantur. Ratio est, quod non certo certius constet, id Regem intendere, ut in casu proposito prædicta ejusmodi jura exigantur. In eamque sententiam eo lubentius adducimur, quod Concilia, Decretales Summorum Pontificum Edicta Gallicorum Regum, atque nubes prorsus immensa Arrestorum supremarum Curiarum Gallici Regni omnibus omnino faveant, quibus provisum est de titulis Sacerdotalibus tam patrimonialibus, quam subsidiariis; cum ipsius Ecclesiæ intersit tum utilitatis, tum honoris causa, qui eidem ascribuntur, Ministris, suppetere de ministerio, quod exhibent, unde sese possint honeste sustentare, neque eos ad probrosæ mendicitatis terminus detrudi.

(a) Sambovius tom. 1. casu 200.

TONSOR.

Vide DIES, TUM DOMINICOS, TUM FESTOS.

TONSURA.

S. HIERONYMUS ait, (b) duo Christianorum esse genera, quorum alii se se cultui Divino speciali ratione mancipant, aliis dimittentes, quæ pertinent ad sollicitudinem & operosam rerum secularium implicationem. Eaque de causa latino quidem idiomate dicuntur *Clerici*, græco autem κλῆρος; quo vocabulo significatur sors, hæreditas aut pars, ad indicandum, eos a Deo potissimum esse quadam quasi specie sortis electos: *Inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id est sorte electi; omnes enim Deus in suos elegit*. Aut quoniam ipsimet Deum sibi tanquam suam sortem, suamque portionem hæreditatis assumunt; quemadmodum jamjam videbimus, hoc ipsum a laudato Sancto alibi verbis expressis enunciari (c).

Corona vel *Tonsura*, quam gestant, caracter est ac nota Regiæ potestatis spiritualis, quam consequuntur in regendis aliis fidelibus, ac semetipsos ad normam Christianarum virtutum accommodando; eosdem erudiendo arte coercendi adversas, quas experiuntur, a ratione animi sensuum commotiones, & cupiditatibus suis imperandi, non præceptis tantummodo, sed etiam bonorum exemplorum effuis, quibus iisdem debent potissimum prælucere. En ipsissima verba sunt Patris, quem appellavimus modo: *Hi nempe sunt Reges: idest, se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo Regnum habent, & hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis, est temporalium omnium depositio (d). Si enim κλῆρος; græce, sors latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino.*

Christiani alii vocantur *Laici*, a verbo græco, λαὸς, *populus*; neque ab istis easdem perfectas cumulatasque virtutes exigit Religio, quas a Clericis; possuntque omnino salutem æternam consequi, modo aliunde studeant ex præscripto vitæ Christianæ sese genere: *His licet temporalia possidere .. uxorem ducere: terram colere: inter virum & virum judicare: causas agere: oblationes super altari apponere: decimas solvere, & ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint* (e).

Ex Tonsura quis Clericus initiatur, & quanquam ipsa eadem non habeat rationem alicujus Ordinis, sed simplicis duntaxat cæremoniæ, quam Ecclesia instituit; est tamen dispositio, ac quasi Janua, quæ conducit ad Ordines. Atque docetur a Polmano (f) in ista definitione, qua Tonsuræ naturam explicat istis verbis: *Tonsura est Carimonia sacra, qua per Capillitii circumcisuram baptizatus Clericus eligitur in Clerum.*

Primam suam originem Tonsura repetit secundum Isidorum, (g) & Concilium Aquisgranense (h), a consuetudine, quam frequentare Nazaræi consueverant, qui, postquam continentiam servaverant, ac tempus sui voti com-

(b) S. Hieron. in can. Duo sunt. 7. 12. q. 1.

(c) Idem in can. Clericus 5. ead. c. & q.

(d) Idem cit. canon. Duo sunt.

(e) Idem ib.

(f) Polman. part. 1. n. 457.

(g) Isidor. l. 2. de offic. c. 4.

(h) Concil. Aquisgran. anno 816. cit. apud Labbe tom. 7. Conciliorum pag. 1313.

complovesant, afferebant in Sacrificium Deo suos capillos, quos radebant; ut colligitur ex istis Scripturæ Sacræ verbis: (a) *Tunc radetur Nazaræus ante ostium Tabernaculi fœderis Cæsarie consecrationis suæ: tolletque Capillos ejus, & ponet super ignem, qui suppositus est sacrificio pacificorum.* A qua quidem consuetudine usus derivavit radendi capitis, cum votum aliquod emittebatur, ut legitur in Actis Apostolorum, (b) ad significandum ea Cæremonia, animo esse, quæcumque vitia, in quæ propendebatur, penitus abolere ac radicitus extirpare.

Igitur, juxta Nazaræorum exemplum, ab ipsius etiam Apostolicis temporibus Tonsura cœpit locum obtinere. Nihilominus Tostatus opinatur, primam ejusdem institutionis causam eam fuisse, quod jusserint Antiocheni, ut capilli verticis S. Petri per irrisionem raderentur, quod opprobrium laudatus Apostolorum Princeps ob amorem Jesu Christi summo cum gaudio sustinuit, ac voluit etiam, ut ejusmodi contemptus in ipsius Domini gloriam totus verteret ex institutione Tonsuræ: *Petrus Apostolus*, ait S. Gregorius Turonensis, (c) *ad humilitatem docendam, desuper caput tonderi instituit*: ex quo factum est, ut plurima omnino Concilia statuerint, ab omnibus Clericis tonsuram deferri, comamque circumcidi (d).

Nullum potest Ecclesiasticum ministerium exerceri, nullumque possideri Beneficium, nisi Tonsura primum quidem suscepta, quemadmodum fertur Bituricensi Concilio, quod habitum est anno 1031. (e) atque eo, quod fuit Montis pessulani anno 1214. celebratum. (f).

Numquam admittitur Clericus prima tonsura initiatus, ad petendum aliquod Beneficium, aut super eodem contendendum, nisi prius exhibuerit Archetypum suarum Literarum Tonsuræ, juxta Edictum Molinense: (g) Quod etiam servatur, licet eo tantum ageretur fine, ut de deserto vadimonio sententia Judicis exposceretur: neque usu recipiuntur in Gallia Pontificia Rescripta; quibus posset de obligatione earumdem exhibendarum dispensari. Qua de re memorat Bouchel (h) Arrestum Parisiensis Parlamenti 3. Decembris 1624. contra Sacerdotem quemdam pronunciatum, qui suis Litteris Tonsuræ munitus non erat, quanquam statum suum sufficienter assereret ex omnibus suis Litteris Ordinis, quas in medium proferebat. Nihilominus, si fuissent ipsæ eædem vel ex incendio, vel ex naufragio, vel alia quacumque ratione amissæ, locus daretur easdem ex argumento probationis evincendi (i). Quin etiam Bouchel (K) refert Arrestum supremi Senatus Parisiensis 25. Maji 1315. quo Ecclesiasticus ejusmodi immunis declaratur obligationis proferendarum Litterarum Tonsuræ, atque præstito a sese ea de re jurejurando, servatur in possessione Beneficii cujusdam, de quo ei actio intendebatur post possessionem triginta vel quadraginta annorum. Nihilominus occurrente casu vel intrusionis, vel Simoniæ, nihil quidquam ex simili Arresto conscientia juvaretur, ut alibi dicemus.

Juxta jus antiquum, annus ætatis septimus sufficiens censebatur, ut quis prima tonsura posset iniciari, ut habetur ex secundo Concilio Toletano, quod actum est anno 531. (l) ex veteri quodam Canone, qui depromptus est ex certa quadam Epistola Papæ Zosimi, (m) & ex dispositione cujusdam Constitutionis Bonifacii VIII (n) Quod sic stetit ad seculum usque decimum sextum. (o) Verum his hodiernis temporibus a plerisque Gallicanorum Episcoporum annus, qui sit ætatis provectioris, & merito quidem, exigitur: cum ætatis annum habenti tantummodo septimum, ei nondum adsit animi judiciique maturitas, qua idoneus censeatur, ad amplectendum vitæ conditionisque tam sublimis institutum. Cæterum, ut quis possit tonsura Clericus initiari, eum necesse est,

1. Literarum tum exarandarum, tum legendarum peritum esse, ac præcipuorum articulorum fidei cognitione imbutum.

2. Sacro Confirmationis oleo esse inunctum. Atque hoc ipsum a Concilio Tridentino requiritur. (p)

3. Tandem, vult Concilium Rothomagense, quod habitum fuit anno 1582. (q) ut, qui sese prima tonsura offert initiandum, præ se ferat consignatum literis sui Parochi testificationem, qua certum fiat, eum de justo matrimonio ortum esse, ac Apostolorum symboli peritum.

Nonnisi penes est solum proprium Episcopum, Tonsuram suo Diœcesano conferre: adeo, ut, qui ab alieno Episcopo Tonsuram suscepit, teneatur ad Litteras a Summo Pontifice obtinendas, quæ appellantur *perinde valere*, quibus Summus Pontifex eum autoritatis gradum adjicit Tonsuræ, quem consecutus fuisset, si collata fuisset ab Episcopo proprio, qui quidem, quantum ad

Tonsu-

(a) Num. 6. 18.
(b) Actor. 18. 23. & 21. 24.
(c) S. Greg. Turonens. l. 1. de gloria Martyr. cap. 28.
(d) Conc. Tolet. IV. anno 633. can 41. Conc. Trid. sess. 23. c. 18. &c.
(e) Conc. Bituric. can 7. Apud Labbe tom. 9. Conc. pag. 866.
(f) Concil. Monspell. can. 4. ib. tom. 11. col. 108.
(g) Art. 55.
(h) Bouchel. Biblioth. Canon. tom. 2. pag. 647. col. 2.
(i) Chorier. in Jurisprudent. Guidonis Papæ pagina 18.
(k) Biblioth. can. t. 1. Elect. pag. 510.
(l) Conc. Tolet. 2. in can. De his 5. dist. 37.
(m) Zosimus in can. In singulis 3. dist. 77.
(n) Bonifac. VIII. in c. Nul. as. fin. de temporib. Ordin. & in 16. l. 1. tit. 9.
(o) Concil. Narbon anno 1515. can. 4.
(p) Conc. Trid. sess. 23. c. 3. de reformat.
(q) Concil. Rothom. tit. de Episcop. officiis.

Tonſuram, nullus alius eſt, quam Epiſcopus originis, quidquid jactitet Rebuſtus in contrarium (*a*).

Ex iteratione Tonſuræ non inducitur irregularitas. Ita ſentiunt Doctorum plerique; atque ea ratione ſic judicatum fuit ab Ampliori Concilio, Arreſto ea de re pronunciato 17. Octobris 1673 quod refertur a De la Guſſiere. (*b*) Quod inde ſuum repetit fundamentum, quia nimirum, ut jam monuimus, Tonſura non eſt Ordo, ſed prævia duntaxat diſpoſitio, & quædam quaſi præparatio Sacris Ordinibus præmittenda: unde licet inferre, id potiſſimum in ſuſcipienda Tonſura ſibi proponendum eſſe, ut ſpecialiori ratione tum Chriſto Jeſu, tum ipſius Eccleſiæ tota vita conſecretur, neutiquam vero, ut inde bona temporalia cumulentur, aut via ſeſe offerat ad comparandas dignitates, & ſecularium honorum vanitates. Unde ſequitur, graviſſime peccari prorſus ab iis Parentibus, qui ſuos filios impellunt ad eandem ſuſcipiendam, cum in eo ſeſe gerunt nihil curantes, utrum a Deo vocentur ad ejuſmodi vitæ Eccleſiaſticæ inſtitutum, ad quod ſæpe ſæpius eos impellunt, non niſi propter cauſas omnino profanas; unde fit, ut Eccleſiæ non afferant niſi miniſtros indignos, qui nedum eidem deinde proſint, ac cum laude ſerviant, quin potius immoderata ſua agendi ratione, ac plurima, qua toti inquinantur, labe vitiorum eidem ſunt ſimul & dedecori & opprobrio.

Legere licet apud Bouchel, quanam potiſſimum forma ſcriptas eſſe oporteat Litteras Tonſuræ ut auctoritatem habeant (*c*).

(*a*) Rebuff. Prax. tit. de Clericis.

(*b*) De la Guessier tom 4. l. 7. cap. 19

(*c*) Bouchel v. Tonſura. Pag. 61. & ſeqq.

CASUS PRIMUS.

GUERICUS Subdiaconus & Canonicus de S. Paulo nunquam ſolet nec tonſuram Clericalem, nec circumciſam comam deferre: Poteſt ne inde argui peccati mortalis?

RESPONS.

1. Dicimus, omnino conſtare, viris Eccleſiaſticis omnibus, qui ſacris quibuſdam Ordinibus inſigniuntur, aut aliquo gaudent Beneficio, induci obligationem & quidem ex conſcientia, tum tonſuræ, tum comæ circumciſæ deferendarum, quemadmodum facile evincitur: 1. Ex iſtis verbis cujuſdam antiqui Canonis, (*d*) qui refertur in Decreto Gratiani, *Probibete, fratres, per univerſas regionum veſtrorum Eccleſias, ut Clerici, juxta Apoſtolum comam non nutriant, & deſuper caput in modum ſpberæ radani*. 2. Ex alio Canone, qui excerptus fuit e Concilio quodam acto anno 572. & refertur a Gratiano, qui quidem ſeſe ſic habet (*e*): *Nec oportet, Clericos comam nutrire & miniſtrare: ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundum Aaron, talarem veſtem induere, ut ſint in babitu ornato*. 3. Ex Alexandro III. ſcribente ad Cantuarienſem Epiſcopum iſtis verbis: (*f*) *Clerici, qui comam nutriunt, etiam inviti a ſuis Arcbidiaconis tondeantur*. Quod idem jam fuerat antea a Concilio quarto Carthaginenſi conſtitutum. (*g*) 4. Ex Gregorio IX. in una quadam ex ipſius Decretalibus (*h*), & ex S. Carolo in ipſius Concilio quinto Mediolanenſi anni 1579. (*i*) in quo confirmat Decretum, quod ea de re jam ſtatuerat in ſuo primo Provinciali Concilio anno 1565. congregato. Ac denique ex Concilio Rothomagenſi habito anno 1581. ex Generalibus Gallicani Cleri Comitiis, quæ habita ſunt Meloduni, ex Concilio Rhemenſi celebrato anno 1583. & Burdigalenſi anni ejuſdem; Ex Concilio Aquenſi anni 1585. & alio Concilio Burdigalenſi, quod fuit actum anno 1624. (*k*).

2. Locus eſt aſſerendi, ab iis, qui prædictis Decretis refragantur, mortaliter etiam peccari, ſi eorum inobedientia ſeſe protrahat ad longioris alicujus temporis ſpatium. Ratio vero iſta poteſt afferri, quod Gregorius IX. in ſua Decretali modo citata jubeat, ut, *ſi quis ex Clericis comam relaxaverit, anathematа ſit*. Quæ ſunt ipſiſſima illius verba. Atqui nunquam poteſt locum habere excommunicatio, niſi quantum ad peccatum, quod ſit natura ſua mortale. Ut enim vero fertur in Concilio Meldenſi, quod actum eſt anno 845. (*l*) *Anathema, eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine*. Quod pertinet ad Coronam Clericalem, eadem ratione præſcribunt tum antiqui Canones, tum Decretales, ut ipſa deferatur, qui jubent comam circumcidi. Si poſſit ergo quandoque fieri mortale, eorum peccatum, qui comam nutriunt ac relaxant, ſequitur, eadem ratione accedere etiam ad mortale, peccatum eorum, qui nolunt congruentem ſuo Ordini deferre coronam Clericalem.

(*d*) Gan. Probibete 21. diſtinct. 23.
(*e*) Can Non liceat. 23. ead. diſt.
(*f*) Alex. III. in cap. Clericus 7. vita, & honeſt. Clericor. lib. 3. t. 1.
(*g*) Concil. Carthag. IV. in C. Clericus 5. eod tit.
(*h*) Greg. IX. in c. Si quis 4. eod. tit.
(*i*) Conc. Mediol. 5. Conſtitut part. 3. tit 4.
(*k*) Concil. Rothom. tit. de Curatorum &c. officiis c. 9. Conventus Melodun. de ſacr. Ordin. §. Tres cauſæ. Conc. Rheme. t de Clericis in genere. Con. Burdigal. cap. 21. de vita, & moribus Clericor. Concil. Aquenſ. t. de vita & honeſt. Cleric. Burdigal. an. 1624. c. 13.
(*l*) Concil. Meldenſ. in can. Nemo. 41. n. 12. q. 3.

Ut prædictis ſuum jam robur adjungatur, memorabimus præterea Decretum Concilii Ravennatenſis, quod habitum eſt anno 1286. (*m*), quo Patres laudati Concilii judicaverunt, id prorſus expedire ut, mulcta pecuniaria iis indiceretur, qui, inter Eccleſiaſticos ſuæ ætatis, Leges ea de re ab Eccleſia conſtitutas parvi pendebant. En quibus verbis Decretum iſtud enunciatur; *Licet ſit Canonica ſanctione ſtatutum, excommunicentur Clerici arma portantes, & ut babitum, coronam & tonſuram deferant congruentem, & ſæpe Eccleſiarum Prælatis juriſdictionem babentibus Clerici noſtræ Provinciæ moneantur, ne in præmiſſis excedant: eorum tamen parvi pendentes monitionem, non videntur de excommunicatione curare: volentes prædictos ſpiritualia vincula contemnentes temporali pœna ab bis compeſci .... Statuimus, ut, ſi quis de cætero poſt publicationem Concilii compertus fuerit .... habitum, coronam vel tonſuram incongruentem portare notabiliter, pro vice qualibet in quinquaginta ſolidos condemnetur*.

En, quæ circa propoſitam difficultatem in genere poſſumus proferre, rationum momenta, ex quibus inferre licet, cum Guericus nunquam ſoleat neque tonſuram, neque comam circumciſam deferre, quibus potiſſimum exterioribus ſignis vir Eccleſiaſticus a Laico ſecernitur; locum omnino eſſe, cur ſeſe habeat ut conſcium peccati mortalis, atque eo potiori jure; quod Eccleſiaſticas Leges non tantummodo contemnat, neque ſanctitatem ſui ſtatus duntaxat violet, quem plurimum dedecorat; ſed præterea fidelibus, ac nominatim Eccleſiaſticis ordinatis atque compoſitis plurimam afferat offenſionem (*n*).

(*m*) Concil. Ravenn. rubrica 3.

(*n*) F. de Gen. Theol. moral. tom. 2. tract. 1. c. 8. qu. 5. Colloq Condomenſ. tom. 2. Colloq. 5. ſect. 1.

CASUS II.

MÆVIUS prima tantummodo tonſura Clericus initiatus, neque ullo Beneficio gaudens, petit, num ſibi incumbat, ex debito conſcientiæ, Divinum aliquod officium perſolvere, aut eidem aliquando intereſſe?

RESPONS.

Clericis prima tonſura duntaxat initiatis Eccleſia nullam inducit obligationem, recitandi ullam partem officii Breviarii, neque perſolvendi ullas alias peculiares preces, cum nec Beneficio ullo gaudent, nec Clericali aliqua penſione; unde ſequitur, ſiquidem Mævius in ejuſmodi caſu conſtituatur

stituatur, eum nullatenus obligari vi ullius Ecclesiastici præcepti, ad ullum Divinum officium, quodcumque sit, persolvendum. Verum, quod spectat ad illud, quod assistat publicis officiis Ecclesiæ. Est hoc extra omnem prorsus controversiam positum, eam eidem obligationem imponi saltem quantum ad dies tum Dominicas, tum festas. En quæ verba facit ea de re Synodus Aquensis habita sub Illustrissimo Cardinali Grimaldi nominis ejusdem Civitatis Archiepiscopo: (a) *Clericali tonsura initiatos illam semper deferre, & in habitu Clericali continuo incedere: Dominicis, & diebus festis cum superpelliceo in Ecclesia Parochiali deservire & Sacerdotibus ministrare præcipimus & jubemus. Si secus fecerint, privilegiis Clericatus sui non gaudere, & ab Ordinibus ac Beneficiis rejiciendos, tanquam inhabiles declaramus*.

(a) Synod. Aquens. §. 72.

Quod quidem statutum eo justius atque prudentius est; quod Clericus initiatus prima tonsura non minus teneatur ad Ecclesiæ serviendum in statu Clericali, quam Religiosus Novitius, ad subeundas & exercendas regulas Religionis; quam ingressus est, quamque animo habet aliquo profiteri; siquidem Clericalis status, est quædam quasi tirocinii species in eorum gratiam ab Ecclesia instituta, qui nituntur ad sacros Ordines. Jam vero absurde prorsus quis contenderet, non obligari Religiosum aliquem Novitium, ad assistendum Choro diebus saltem tum Dominicis, tum festis, neque ad exercendas regulas Instituti Religiosi, quod vult amplecti. Nec etiam igitur a ratione atque æquitate minus alienum est, quod quis velit Clerico tonsura initiato eam immunitatem facere, quod Divinis Officiis nequidem prædictis diebus intersit, quibus etiam ipsis Laicis quatenus Christianis obligatio ejusmodi imponitur.

Atque revera quidem qua ratione locus Episcopo daretur, prædictorum Clericorum habendi fidem perspectam ac penitus exploratam quantum ad ministerium iis Ordinibus annexum, quos iisdem postmodum conferret, ac subodorandi futurum ut vitæ rationis imitatione dignæ, suoque statui omnino congruentis perseverantiam retinerent, si ab ipso eorum primo in Ecclesiam ingressu eosdem perspiceret, sese totos agendi rationi devovere, quæ Disciplinæ Ecclesiasticæ penitus repugnaret?

CASUS III.

Theophanes, eum ei Prioratus cujusdam incessisset cupido, qui plurimum ei conveniebat, eo potissimum fine sese Clericali tonsura curavit initiari, ut sibi de eodem provideretur, nullatenus animo habens ad superiores status Ecclesiastici gradus ascendere: In eo ne sese grandioris alicujus peccati conscium exhibuit?

Respons.

Quanquam ex suscepta semel tonsura Clericali, non omnino necessitas importetur, quod vitæ reliquum impendat, in Clericali militia transfigendi, nihilominus constat, vel ex eo ipso incurri in peccatum quam gravissimum, quod sine animo in statu Clericorum perseverandi Clericalis tonsura suscipiatur: 1. Quoniam Episcopo mendacium dicitur impudentissimum, atque ipsi Ecclesiæ imponitur in re momenti prorsus maximi, animum scilicet occultando, destinatumque menti propositum obscure ferendo, cum primum sese locus dabit, ab ipsius Ministerio discedendi, vel etiam in ipso temporis instanti, quo solemni testimonio ipsasque ad Aras affirmatur, eam esse voluntatem, ut ad extremum usque spiritum, eidem speciali consecratione devovearur, & Christus Dominus tanquam pars hæreditatis accipiatur, ideoque merito possunt in indignos ejusmodi violatores cœremoniæ tam sanctæ contorqueri illa verba Principis Apostolorum (b): *Non es mentitus hominibus, sed Deo*; ac locus est asserendi, eos, qui ex ejusmodi dolo vitæ Ecclesiasticæ institutum aggrediuntur, non ingredi per verum ostium; siquidem ad Ecclesiam, adhibita fraude, viam sibi aditumque parent, & omnis omnino semper iisdem aditus ad eandem intercluderetur, juxta Decretum Concilii Tridentini (c) si, quam ferunt in intimis pectoribus eorum Episcopo perversa mens innotesceret. Adeoque jure possint dici, juxta verbum ipsiusmet Christi Jesu, (d) fures ac latrones, quibus peccatum eo gravius vindicatur, quod sint domestici: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, ille fur est & latro*. Ex quibus omnibus locus datur, inferendi, Theophanem peccavisse mortaliter ex Clericali tonsura cum animo tam alieno ab ipsis institutis Ecclesiasticis suscepta: quippe qui nequaquam intenderit sese totum Ecclesiæ ministerio devovere, sed potius eandem propriis suis commodis adhibere, ac summa cum aviditate persequi temporalem reditum Beneficii, quod sibi proponebat, utendo Clericali tonsura tanquam humana mere ratione, cujus ope posset ad illud pervenire, nihil aliunde sollicitus de ratione aliquando a sese referenda apud ipsummet Deum, fraudulentæ illius promissionis, qua testificatus est, a sese Jesum Christum tanquam hæreditatis suæ portionem eligi, & quidquid rerum terrenarum cupiditatis est, penitus dimitti.

(b) Act. 5. 4.

(c) Prima tonsura eos initientur, de quibus probabile non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse Conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 4.

(d) Joann. 10. 8.

Cui nostræ decisioni robur addi potest ex Decretis plurimorum Conciliorum, puta ex Decreto Concilii Mexicani in America acti anno 1585. comprobati 27. Octobr. 1589. a Summo Pontif. Sixto V. ac pro prima vice typis mandati anno 1622. quo quidem, ut perniciosæ adeo consuetudini, occurreretur, sic constituitur: (e) *Nullus nisi prius juramento præstito de intentione permanendi in habitu Clericali, admittatur; nec ad primam tonsuram promoveatur*: Quod idem juramentum exigitur Tarentino Concilio, quod, agente Cardinali Cajetano, congregatum est (f). Statuit vero Concilium Provinciale Toletanum quartum Actum anno 656. sub Pontificatu Summi Pontificis Vitaliani (g), ut peccatum ejusmodi excommunicationis censura puniatur. *Quisquis autem*, ajunt Patres prædicti Concilii de junioribus Clericali tonsura initiatis habentes mentionem, *vel abolitione tonsuræ, vel secularis vestis assumptione detectus fuerit attigisse transgressionem, & excommunicationis censuram accipiat, & Religioni semper inhæreat*. Tandem fertur in statutis Ecclesiæ Remensis an. 1633. (h) Sicut canibus, qui filiorum est, panis non est projiciendus, nec spiritualia danda sunt amatoribus seculi, ita etiam nec conferendam esse Clericalem tonsuram, nisi iis, quos probabile est, aliquando ascensuros ad superiores Ordines, Quibus omnibus auctoritatum testimoniis Theophanes aperte condemnatur, ac manifestum fit, quam ab Ecclesiæ mente sit aversus perversus ille animus, quem gerit. Cæterum, cum iidem male sic affecto de prædicto Prioratu non sit tantummodo provisum, sed ipsemet egerit, ut sibi provideretur, non ei licet illum eundem recta conscientia retinere.

(e) Concil. Mexican. l. 1. tit. 4. §. 2.

(f) Concil. Tarent. tit. 26. c. 2.

(g) Concil. Tolet IV. can. 6.

(h) Statut. Rem. Eccles. c. 13.

CASUS IV.

Mathurinus, qui in irregularitatem incurrit ex matrimonio bis contracto, cum factus esset viduus, animo adjecit instituti Ecclesiastici rationem amplecti, sese obtulit, ut Clericus initiaretur prima tonsura, non indicata, qua tenebatur, irregularitate, in illud tempus differens ab eadem obtingere dispensationem, cum sese accingeret, ad recipiendos tum minores Ordines, tum Subdiaconatum. Num potuit id exequi, non violato Ecclesiastico interdicto, quo irregulares excluduntur a numero & Ordine Ministrorum Ecclesiæ, juxta isthæc verba Leonis IX. (i): *Nec Laicus non virginem sortitus uxorem aut bigamus ad Clericatum petest ascendere*?

(i) Leo IX. in can. Seriatim. 34. dist. 32.

Respons.

Pendet ab alia difficultate propositæ quæstionis decisio, quæ difficultas in eo posita est, nimirum, utrum tonsura sit in numerum Ecclesiasticorum Ordinum recensenda: circa quam variæ sunt tum Theologorum, tum Canonistarum sententiæ; prioribus scilicet contendentibus contra senten-

Digitized by Google

sententiam posteriorum, Tonsuram non esse Ordinem, sed tantummodo simplex *præambulum ad Ordines*, ut loquitur S. Thomas, ac meram tantummodo cæremoniam, quæ ab Ecclesia instituta est.

Canonistæ, quemadmodum Joannes Andreas, Joannes de Anania, Felinus Sandeus, Covarruvias, atque alii plurimi nituntur istis verbis cujusdam Decretalis Innocentii III. cuidam Archiepiscopo Rothomagensi inscriptæ (*a*): *Per primam tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam* (Abbatibus solemniter benedictis & Presbyteris, *Clericalis Ordo* (ipsorum Monachis) *confertur*. In quæ verba Glossa sic habet (*b*): *Quidam dixerunt*) Psalmistarum; idest, primam Clericalem Tonsuram) *non esse ordinem: sed eorum opinio corrigitur h c in fine, ubi dicitur, quod per primam tonsuram Clericalis Ordo confertur*.

Theologi vero (*c*), quibus etiam adhærent nominis commendatissimi quidam Canonistæ, quos Fagnanus appellat (*d*), plurima e contrario sibi vindicant rationum momenta, quorum novem præcipua hic loci jamjam subjecturi sumus.

Primum repetitur ex antiquo Canone quodam, in quo recensentur Ordines varii, quos admittit Ecclesia, nulla ibidem de Tonsura Clericali facta mentione. En quibus verbis concipitur (*e*): *Si quis Episcopus esse meretur, sit primum Ostiarius: deinde Lector: postea Exorcista: inde sacretur Acolythus, demum vero Subdiaconus: deinde Diaconus, & postea Presbyter*, & *exinde, si mere ur, Episcopus ordinetur*.

Secundum desumitur ex Leone IX. (*f*) qui sermonem habens de minoribus Ordinibus, non memorat, nisi *Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos &c.* ne uno quidem injecto verbo de Tonsura.

Tertium præbet Romana quædam Synodus acta anno 324. a Sylvestro, in qua mentio habetur de singulis Ordinibus, & eorum officiis, qui fuerint ad eosdem promoti, absque eo quidquam fiat de Tonsura sermonis. En ipsius verba (*g*): *A Subdiacono usque ad Lectores, omnes subditi sint Diacono ..... Porro Pontifici, Presbyter, Presbytero, Diaconus: Diacono, Subdiaconus: Subdiacono, Acolythus: Acolytho, Exorcista: Exorcistæ, Lector: Lectori, Ostiarius ..... in omni loco repræsentant obsequium*. Quamquam autem tria prædicta rationum argumenta sint tantummodo negativa, nihilominus authoritatis sunt omnino gravissimæ, ad evincendum, simplicem tonsuram nunquam fuisse considератam ut habentem rationem Ordinis: cum certum sit, si eidem accederet ejusmodi prærogativa, nunquam futurum fuisse, ut eandem silentio prædicti antiqui Canones omisissent.

Quartum probationis argumentum innititur ista ratione, quod nimirum ex singulis Ordinibus specialis atque distincta quædam potestas iis accedat, qui ad eosdem promoti fuerunt, quemadmodum probat S. Gregorius Magnus authoritate S. Pauli (*h*): *Singula Ecclesiastici juris officia singulis cuique personis singulatim committi jubemus*, ait laudatus Pater; *sicut enim in uno corpore multa membra habemus* (*i*), *omnia autem membra non eundem actum habent: ita in Ecclesiæ corpore, secundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu alii conferendum est hoc officium: alii comittendum est illud*. Quod plane concordat cum eo, quod constitutum est a Concilio Tridentino (k). Porro officium Psalmistæ, quod plerique Canonistarum volunt ad dignitatem Ordinis tollere, Christianorum omnium commune est, inquit S. Bonaventura; siquidem in eo totum sit constitutum, ut laudes Divinæ, adhibito cantu, persolvantur (*Psalmista; idest Cantor*) (*l*), neque tantummodo ad eos, ex quibus Chorus constat, sed ad omnes etiam fideles pertineat illa eadem potestas. Ergo prædictum istud officium nulla ratione potest considerari tanquam Ecclesiasticus aliquis Ordo, qui sit a quatuor aliis Ordinibus non Sacris separatus atque distinctus, eaque de causa non Ordinis consequitur appellationem, sed Officii tantummodo. Ita differit S. Thomas (*m*): *Psalmistatus non est Ordo*, inquit; *sed Officium ordini annexum. Quia enim Psalmi cum cantu pronunciantur, ideo dicitur Psalmista & Cantor. Cantor autem non est nomen Ordinis specialis: tum quia cantare pertinet ad totum Chorum: tum quia non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiæ Sacramentum, tum quia officium quoddam est, quod inter Ordines largo modo accepto, computatur quandoque*. Atque in eum omnino sensum, proprie loquendo, sunt accipienda verba Innocentii III., quibus potissimum innituntur opinionis oppositæ Defensores, & quidam Canones, in quibus de Psalmistis, seu Cantorum officio mentio occurrit (*n*).

(*a*) Innoc. III. in cap. Cum contingat de ætat. & qualit. & ordine præficiendor. l. 1. tit. 14.
(*b*) Glossa. ibid. v. Abbatl.
(*c*) S. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. artic. 2. quæstiunc. 2. & in supplement. qu. 40. art. 2. & art. 3. in arg. sed contra. S. Bonavent. Albertus Magnus, Petrus Paludanus. Domin. Sotus, Robert. Bellarminus, & alii communiter.
(*d*) Prosp. Fagnan. in cit. c. Cum contingat. n. 12.
(*e*) Can. Illud. 2. dist. 77.
(*f*) Leo IX. in c. 3. Seriatim. supr. cit.
(*g*) Can. a Subdiacon. 5. dist. 93.
(*h*) S. Gregor. In can. Singula. 10. dist. 89.
(*i*) Rom. 12.
(*k*) Concil. Trid. sess. 23. c. 4. & can. 6. de Sacram. ordinis.
(*l*) Concil. Carthag. IV. c. 10. in can. Psalmista. 20. dist. 23.
(*m*) S. Thom. cit. q. 2. ad 5.

Quintum rationis momentum, quod in medium adducunt Theologi, fundamentum mutuatur ab ipsius autoritate Concilii Tridentini (*o*), quo declaratur, nonnisi ad solum Episcopum pertinere Ministris Ecclesiasticis Ordines conferre, Porro id vel ipsa quotidiana experientia comprobatur, quod, *Psalmista, idest Cantor, potest absque licentia Episcopi, sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi: dicente sibi Presbytero, vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes*: Quæ ipsissima verba sunt Concilii quarti Carthaginiensis, (*p*) ex quibus sequitur, istud ergo officium non esse veri nominis Ordinem, sed simplex tantummodo Ministerium, quod annectitur Ordini Lectoris, ipsiusque omnino proprium est.

Sextum, quod adhibet Autor supplementi S. Thomæ, (*q*) sic se habet: Juxta quod fertur Pontificali Romano, (*r*) ab Episcopo *nullus Ordo datur, nisi in Missæ celebratione. Sed corona datur, etiam absque Officio Missæ* (nimirum in quocumque loco & tempore, atque in hora quacumque. *Ergo non est Ordo*, juxta mentem Ecclesiæ, sed simplex ac nuda tantummodo cæremonia, quoddamque præambulum ad Ordines.

Septimum est, quia, ut etiam argumentatur Autor prædictus supplementi S. Thomæ: *Præterea in collatione cujuslibet Ordinis fit mentio de aliqua potestate data: non autem in collatione Coronæ. Ergo non est Ordo ... sed ad ipsum potius præambulum*.

Octavum in eo consistit, quod nullum extare possit Sacramentum sine materia nec forma, ut Conciliis tum Florentino, tum Tridentino (*s*) fuit definitum, & materia Ordinis in eo reposita sit, quod Episcopus præbet Ordinando tangendum, ut declaratur ab Eugenio IV. (*t*). Jam vero nihil porrigit Episcopus ab eo tangendum, cui confert tonsuram Clericalem. Ergo nullum ei confert ordinem: Linteum etenim amiculum, quo Clericus tonsura initiatus induitur, ad quemdam potius congruentem decentiam offertur, quam ad strictam nullam necessitatem.

Tandem Theologi nonum adjiciunt rationis momentum, nimirum, quam tuentur, sententiam esse Tridentino Concilio plane consentaneam, quod quidem, quoties de tonsura Clericali verba facit, de ea sic sententiam suam aperit, ut manifestum prorsus fiat, ab eo ipsam non Ordinis loco haberi, quin potius ab aliis Ordinibus omnino distingui, ac præcipue, cum de Sacramento Ordinis agens, (*u*) ait: *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, &c.* Quibus verbis simplex tonsura apertissime distinguitur a minoribus Ordinibus, tamquam ab iisdem omnino diversa, *aut etiam*. Quam distinctionem certissime non apposuisset, si eam eadem ratione, qua prædictos Ordines, consideravisset. Enimvero, cum tantopere commendatur a laudato Concilio, ut pristinus usus ille exercendorum, quæ uniuscujusque Ordinis propria sunt, officiorum in Ecclesiam revocetur, potissimum optat, ut prædictus usus reviviscat Ordinis quidem initium sumendo ab officio Diaconi, ad officium Ostiarii, & ab unoquoque proprium Ordinis sui officium adimpleatur, ne verbo quidem vel minimo injecto de iis, qui prima tonsura dumtaxat initiantur: *Ut Sanctorum Ordinum, a Diaconatu ad Ostiariatum, functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermissæ, in usum juxta Sacros Canones revocentur ...... Illius pristini moris restituendi*

(*n*) Cit. can. Psalmista Can. Cleros. 1. dist. 21. Can. Perfectis dist. 25 & cit. cap. Cum contingat.
(*o*) Concil. Trid. cit. sess. 23. cap. 4. & Can. 7. de Ordine.
(*p*) Concil. Carthag. IV. in cit. can. Psalmista.
(*q*) Supplem. 3. part. sum. S. Thomæ q. 40 art. 5. arg. sed contra.
(*r*) Pontifical. Rom. rubrica de Ordin. conferend.
(*s*) Concil. Florent. in Decr. Eugen. IV. §. 5 Concil. Trid sess. 14 de Sacrament. Pœnit. & Extr unctionis c. 2.
(*t*) Eugen. IV. cit. Decreto §. Sextum Sacramentum.
(*u*) Concil. Trid. sess. 23. de reformat. c. 6.

desiderio flagrans Sancta Synodus decernit, &c. Quæ verba Concilium laudatum adhibet (*a*), quibus sufficienter innuit, sibi perspectum penitus fuisse, iis, qui simplici tantummodo tonsura initiantur Clerici, nullas proprias competere functiones; siquidem certissime cavisset etiam, ut iisdem earumdem exercendarum, quemadmodum aliis, induceretur obligatio. Atque revera quidem sic, referente Fagnano, qoi ejusdem erat Secretarius, a Sacra Congregatione sæpe sæpius declaratum est, cujus rei citatus Autor tria potissimum subjicit exempla (*b*).

(*a*) Concil. Trid. cit. sess. 23 c. 17. de reformat.

(*b*) Prosper. Fagn. in tit. cap. Cum contingat. n. 37. 38. & 39.

Longius abiret ac tædium fortasse afferret propositæ difficultatis ulterior consideratio; videnturque nobis allegata rationum momenta tum ponderosa satis, tum ad convincendum sufficienter idonea, ut a communi sententia non recedamus tot tantique nominis Theologorum, inter quos quidam sanctitate suæ vitæ meruerunt, cur ab Ecclesia Cœlitibus annumerarentur. Qua de causa concludimus, ut propositæ speciei sua sit responsio, posse merito quidem propugnari, nequaquam a Mathurino violatum fuisse interdictum Ecclesiæ, licet irregularitatis vinculo tunc temporis ionodaretur, neque eadem absolutus fuerit, cum prima tonsura Clericus initiatus est. Irregularitas etenim nihil aliud est, quam inhabilitas ad recipiendum, vel exercendum aliquem Ordinem, juxta vulgarem illius definitionem. Adeo ut, cum simplici tonsuræ non competat Ordinis prærogativa, sed ratio nudæ tantum Cæremoniæ, quæ loco dispositionis recipiendis Ordinibus præmittitur; non possit jure contendi, ideo eum sese Ecclesiæ non obedientem præstitisse; quanquam nihilominus verum sit, ab eo perperam prorsus aliunde factum fuisse, quod irregularitatis suæ vinculum Episcopo non indicaverit, a quo procul dubio non accepisset tonsuram, prius quam suam ab eodem irregularitatis vinculo fuisset consecutus dispensationem.

CASUS V.

Sostenes Patronus præsentator simplicis cujusdam Capellaniæ positæ in Ebroicensi Diœcesi, eandem obtulit Gerardo Bajocis oriundo, qui commoratur ab annis decem & amplius in Diœcesi Lexoviensi. Quoniam vero nondum prima tonsura Clericus initiatus est, petit, num sibi liceat quemcumque voluerit e tribus prædictis Episcopis adire, ab eo tonsuram recepturus?

Respons.

Equidem solet in jure triplex Episcoporum propriorum ordo distingui: nimirum Episcopus originis, Episcopus Beneficii, & Episcopus Domicilii. At illa distinctio locum habere non intelligitur nisi quantum ad Ordines, nequaquam vero quantum ad tonsuram, de qua nihil fertur in Jure quantum ad propositam quæstionem. Ratio, quæ potest afferri, est, quod cum tonsura censeatur prima dispositio tum ad Beneficia, tum ad Ordines, Episcopus loci, in quo situm est Beneficium, ad quod contendit qui nondum suscepit tonsuram, nullo jure gaudeat, quo possit eandem illi conferre, quidquid sentiat Rebuffus in contrarium (*c*): siquidem non censendus sit Episcopus proprius Beneficii, nisi quantum ad eos, quibus de eodem jam fuit provisum, & quibus proinde Clericalis tonsura jam collata est, quæ quidem collationi Beneficiorum necessario præmittenda est. Gerardus igitur non potest Episcopum Ebroicensem adire, tonsuram ab eodem recepturus.

(*c*) Petr. Rebuff in praxi Benefic. de Clericis, a quibus, & quomodo ordinatur.

Sed neque Gerardus valet ad eandem tonsuram ab Episcopo Lexoviensi promoveri; quoniam jure Canonico non admittuntur Episcopi Domicilii, quantum ad Laicos, sed tantommodo quantum ad Ecclesiasticos. Atqui Gerardus etiamnum numeratur inter Laicos, quippe qui nondum fuerit prima tonsura Clericus initiatus. Eadem igitur initiari non potest, nisi a solo tantum originis Episcopo, qui Episcopus est Bajocensis.

CASUS VI.

Raymundus, cum natus esset in Diœcesi Trecoriensi, ibidemque fuisset propter urgentem necessitatem a suo Parocho salutaribus aquis ablutus, in Diœcesim deinde Venetensem translatus est mammis nutriendus, in qua fuerunt eidem Sacri Baptismatis ritus suppleti, indita ei Raymundi nominis appellatione. Post annos ab illinc duodecim vel quindecim ex literis dimissoriis Episcopi Venetensis fuit ab Episcopo Rhedonensi ad tonsuram promotus. Jam animo habet ad superiores Ordines ascendere, & quærit: 1. Num tonsura Clericali valide fuerit initiatus: 2. Num sibi liceat ad Acolythatum, & Subdiaconatum suscipiendos sese offerre vi literarum dimissoriarum ejusdem Venetensis Episcopi, in Diœcesi cujus & sui nominis appellationem, & salutarium Baptismi cæremoniarum complementum accepit; aut sibi necessario incumbat litteras dimissorias obtinere ab Episcopo Trecoriensi, in cujus Diœcesi fuit in lucem susceptus?

Respons.

Est primo loco principium istud tanquam indubitatæ fidei ponendum, non licere, nisi a proprio Episcopo suscipere tonsuram, ut declaratur a Bonifacio VIII. in una quadam ex ipsius Constitutionibus (*d*), istis verbis: *Cum nullus Clericum Parochiæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare; Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus.* Quod idem constituitur tum a Concilio Tridentino (*e*), cum ab Urbano VIII. in ipsius Constitutione 21. Decembris 1624. (*f*) quam refert Barbosa, in qua habetur, futurum ut Episcopus, qui tonsuram Clericalem ei conferret, qui ipsius Diœcesanus non erit, eadem ratione maneat suspensus, qua, si sine dimissoriis litteris contulisset Ordines. Jam vero proprius Episcopus, juxta jus novum, est vel Episcopus originis, vel Episcopus Beneficii, vel Episcopus Domicilii, ut patet eadem Constitutione Bonifacii VIII. in qua præterea additur: *Seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, Domicilium in eadem*; quanquam usus invalescat in Galliis, ut alius non habeatur proprius Episcopus, quam Episcopus originis.

(*d*) Bonifac. VIII. in cap. Cum nullus. 3. de tempor. Ordinationum, & qualit. Ordinandorum in 6. lib. 1 tit. 9.

(*e*) Concil. Trid. sess. 23. de reformat. c. 8.

(*f*) Urbanus VIII. in Bulla. Secretis. apud August. Barbosam. de officio, & potest. Episcopi pag. 2. alleg. 8.

At duæ sunt opinionum diversitates, quantum ad Episcopum originis: Extant etenim Autores quidam, qualis Rebuffus, & cum eo aliqui, qui censent, eum non tantummodo proprium Episcopum esse censendum, in cujus Diœcesi quis in lucem editus est, quamvis ibidem non fuerit baptizatus, sed etiam eum, in cujus Diœcesi baptizatus est, quanquam ibidem non ortus. At nullus reperitur Autor, quem noverimus, qui contendat, eum habendum esse ut proprium Episcopum, in cujus Diœcesi quis nec ortus nec baptizatus est, sed solius nominis appellatione, sacrorumque Baptismi rituum complementum duntaxat accepit. Quæ cum ita se habeant, sequitur, Raymundum non debuisse ab Episcopo Venetensi promoveri ad tonsuram, neque proinde ab Episcopo Rhedonensi vi dimissoriarum Literarum Episcopi Venetensis.

Nihilominus quoniam tonsura nec Ecclesiasticis Ordinibus annumeratur, neque adeo ullum imprimit characterem, ut monuimus ac demonstravimus in quarta decisione, in qua probavimus ex communi Theologorum sententia, eidem non competere nisi simplicis tantummodo Cæremoniæ prærogativam, non intendimus asserere, eandem nullius penitus esse nec roboris nec momenti, quod fuerit ab alio, quam a proprio Episcopo, collata, cum nihil ea de re Jus ferat, quod sit certum ac determinatum. Quapropter existimamus, prorsus expedire, quantum ad propositam speciem, ut, cum dubium sit, an valeat tonsura, quam Raymundus accepit, eidem ad majorem cautelam ab Episcopo Trecoriensi denuo conferatur, quo quidem sic præstito, ei jam absque dubio licebit, ab Episcopo suo Sacros Ordines suscipere.

Super-

Supereſt tamen aliquid difficultatis, vel etiam in caſu, quod in propoſitam partem diſcedatur. Quæ nimirum eſt, quod, ſi Raymundus conſequeretur, aut fuiſſet jam adeptus aliquod Beneficium, locus forſitan eſſet, cur in eum ea de re lis intenderetur in foro exteriori: Cui quidem incommodo non alio remedio juxta Navarrum ſuccurreretur (*a*), quam accedente ex parte proprii Epiſcopi tonſuræ ab altero Epiſcopo collatæ comprobatione, atque ut ajunt, ratihabitione: aut, ut docet Gamachæus (*b*), quam proprio Epiſcopo approbante, quod ab altero Epiſcopo factum fuiſſet, ſervando quod præſcriptum eſt ab Urbano II. ſcribente ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum (*c*), de eo, qui non fuit ab Epiſcopo ſuo proprio ordinatus; hoc eſt, perſpecto prius, utrum iſta gratia dignum ſeſe Raymundus ex moribus ſuis emendatiſſimis exhibuerit, injunctaque ei congruente pœna ſatisfactionis, qua poſſit aliquatenus ſatisfacere Eccleſiæ, quam offendit, rationem agendi ſuam non componendo ad normam Legum ipſius Diſciplinæ: „ Si tamen „ eorum probabilem vitam id indulgentiæ perſpe- „ xeris promereri .... injuncta ſatisfactionis gra- „ tia, propter Eccleſiam, quam offenderunt, con- „ grua pœnitentia. Quæ laudati ſummi Pontificis ipſiſſima ſunt verba. At remedium, quod omnium tutiſſimum adhiberi poteſt, illud eſt quod Rebuffus proponit (*d*): „ Unde, inquit citatus „ Canoniſta, ſi quis a non ſuo Epiſcopo tonſuram „ ſumpſerit ſine Dimiſſoriis, cautela eſt, ut im- „ petret Literas *perinde valere* a Papa, ut illa ton- „ ſura perinde valeat, ac ſi data & conceſſa a ſuo „ fuiſſet Epiſcopo, & hoc, antequam alios ſu- „ mat Ordines, & antequam ei conferatur benefi- „ cium & hoc, a Papa, & non a Pœnitentiariis, „ qui ſuper hoc diſpenſare non poſſunt. Cap. 1. in fine de temporibus Ordinationum.

(*a*) Navarr. l. 1. Conſil de temp. Ordinat. Conſil. 1. ad 4.
(*b*) Gamachæus de Sacram. ordinis c. 15.
(*c*) Urbanus II. in Can. Lugdunenſis 82. 9. q. 2.
(*d*) Petrus Rebuff. prax. benefic. p. 1. de literis dimiſſoriis n. 5.

Ex quibus inferamus, in partem tutiorem debere Raymundus abire, quæ nimirum eſt: 1. ut denuo ſumat tonſuram ab Epiſcopo Trecorienſi, qui ipſius eſt proprius Originis Epiſcopus, quo ſcilicet excutiat locum ſcrupuli quantum ad forum conſcientiæ, tam circa dubium de validitate tonſuræ, quam ab alieno Epiſcopo ſuſcepit, quam circa Superiores Ordines, ad quos deſiderat aſcendere. 2. Quo ſeſe ſubducat ab omni lite, quæ poſſet ei inferri in foro exteriori, quantum ad poſſeſſionem alicujus Beneficii, quo forſitan gauderet, ut obtineat a ſummo Pontifice reſcriptum, quod vulgo dicitur *perinde valere* (*e*), antequam ei de eodem provideatur, quemadmodum annotat D. Brillon in ſuo Dictionario Arreſtorum (*f*), in quo refert etiam de ea re Arreſtum Amplioris Conſilii 17. Octobris 1673. quo judicatum fuit tonſuram omnino poſſe ſine periculo Irregularitatis iterari: unde robur accedit iis, quæ ſuperius aſſeruimus.

(*e*) Sambov. to. 2. Caſu 18.
(*f*) D. Brillon. Dictionar. Arreſtor. v. Tonſura. n. 23. & 32.

Vide ORDINES, Caſibus 18. & 19.

TRANSACTIO.

TRANSACTIO, inquit Domatus (*g*) eſt pactio duorum, vel plurium ad prævertendam aut finiendam litem, componentium diſſidia, mutuo conſenſu, modo de quo inter eos convenit, quodque ſpei lucrandi, cum perdendi periculo conjunctæ, quiſque anteponit.

Hæc vox quoque paucioribus definitur verbis a Polmano (*h*): *Tranſactio* inquit, *eſt conventio oneroſa, qua res dubia & incerta componitur inter partes*; Dicit: *res dubia & incerta*, quia, quando jus Partis eſt certum & manifeſtum, altera tranſigere nequit, ſecundum hæc Legis verba (*i*): *Qui tranſigit, quaſi de re dubia & lite incerta, neque finita tranſigit*.

Tranſactione igitur finitur aut prævertitur lis, qua deſiſtit a jure controverſo concepto, aut ſat habet gaudere ſolum parte, aut quandoque acquirit totum. Sic ſi mihi lis eſt de ſumma petita, tranſigo cum petitore, ex quo ſolvo, vel ſolutionem polliceor, vel a petitione exſolvor, aut ex toto, aut ex parte.

Tranſactio nunquam diſſidium componit, de quo non cogitarunt contrahentes, juxta hæc Legis verba (*k*): *iniquum eſt, perimi pacto id, de quo cogitatum non docetur*, ſed illud ſolum de quo inter Partes convenit verbis manifeſtis, aut ejus conſequens neceſſarium. Tranſactio *quæcumque ſit*, habet alia Lex (*l*), *de his tantum, de quibus inter convenientes placuit, interpoſita creditur*.

Quando lis eſt cum duobus de eadem re cum alterutro licet tranſigi, pactaque cum eo contracta nequeunt alteri prodeſſe. Quod aperte his Legis Codicis indicatur verbis, *Neque pactio, neque tranſactio, cum quibuſdam ex curatoribus, ſive tutoribus facta, auxilio cæteris eſt, in his quæ ſeparatim communiter necgeſſerunt, vel gerere debuerunt*. Et eadem de cauſa licet mihi tranſigere cum ſponſore debitoris mei, fidem ſponſoris expediendo, quod debitori nequit eſſe adjumento contra me (*m*).

Cuivis tranſactioni eſt auctoritas rei judicatæ: quia vicem habet judicii eo valentioris, quo contrahentes libere conſenſerint: *Non minorem auctoritatem tranſactionum, quam rerum judicatarum eſſe, recta ratione placuit*, habet alia Lex (*n*).

Licet, imo ſolet convenire in tranſactione de pœna in eum qui nollet explere quo in caſu pœna exigi poteſt ab alio. Ea eſt deciſio Legis, quæ habet: *Promiſſis tranſactionis cauſa non expletis, pœnam in ſtipulationem deductam, ſi contra factum fuerit, exigi poſſe conſtat*.

Quævis tranſactio evadit nulla fraude, quæ dat ei cauſam (*o*), quod cum cæteris omnibus contractibus habet commune, in quibus adeſt dolus: *Cum dolus*

(*g*) D. Domat. l. Civil. l. 1. t. 13. ſect. 13 n. 1.
(*h*) Polman. p. 2. 2. n. 508.
(*i*) Leg Qui tranſigit. 1. ff. de tranſact. 2. t. 15.
(*k*) L. Qui cum tutorib. c. in fine, & leg. Cum Aquiliana 5. ff. eod. t.
(*l*) C. L. Qui cum tutoribus §. 1.
(*m*) L. & poſt rem 7. §. 1. ff. de tranſact.
(*n*) L. Non minorem. 20. Cod. de tranſact l. 2. t. 4.
(*o*) Leg. Sub prætextu 19. Cod. de tranſact. & leg. Qui cum tutorib. 9. §. 2. eod. tit.

(a) Gloss. in c. Cum dilecti 5. de empt. & vendit. l. 3. t. 17.
(b) Can. III. in c. Officii 34. de testam. &c. l. 3. t. 26. & in c. Cum dilectus 8. de relig. domibus l. 3. t. 36.

dolus dat causam contractus .... non tenet contractus (a): quippe iniquum est auctor fraudis emolumentum capiat, juxta hoc Innocentis III. effatum: (b) *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.*

Jus testamento partum stat semper, non obstante quavis transactione contraria, cum hærede contracta, quando hoc latebat jus tempore transactionis. & deinde patescit testamento hactenus occulto. Sic, exempli gratia, debebam Titio 2000. Libras, transegi cum Mævio ejus hærede, & solvi testamentum apparet, & deinde habet defunctum mihi concessisse hanc summam; jus mihi est rescindi transactionem contractam, etiamsi Titium latuisset testamentum. Ratio est, quia ignorantia facti, quod scire non teneor, mihi vitio verti nequit, nec proinde obesse, ut docet Gratianus (c), & probant complures Leges (d).

(c) Can. Tabernæ 12. 1. 4. §. Notandum
(d) L. Imperatores 3. §. 2. & 3. Ob hisce. & L. Non est 12. ff. de transact.

Perinde non esset, si ageretur de transactione generali de omnibus controversis juribus & rebus mutuis partium contracta, & postea alter contrahens recuperaret quoddam jus novum sibi acceptum: tunc enim transactio staret. Quod stabilit Lex, quæ habet.: *Sub prætextu specierum post repertarum, generali transactione finita* (idest ea quæ *sunt finita*, ait Glossa) (e) *rescindi prohibent jura.*

(e) Cit. L. Sub prætextu 29. Cod. de transact.

Contrahens, inducens se transactione fuisse læsum, non est ad querelam admittendus; nam hujusmodi læsiones compensandæ sunt utilitate qua lis finitur hac via, & prævertitur incertus eventus. Præterea aperiretur via innumeris novis litibus iterum intendendis, nomine læsionis: quod tamen sic intelligendum, si nullus fuerit, ex hypothesi, dolus.

Transactio, e contracta litis causa, quæ ignorabatur judicata, est nulla, si lis coram Supremo Principe fuerit judicata: nam eo in casu nulla supererat lis tempore quo fuit contracta: verum si judicata sit in Jurisdictione subalterna e qua proinde provocari liceat, debet suum sortiri effectum, quis lis non censetur finita, & incertus eventus semper stat (f). Ex his principiis dirimendæ sunt difficultates, quæ fiunt circa transactionem.

(f) L. Ex post rem 7. & leg. post. rem 11. ff. de transact. & L. Elegantes 23. §. 1. de condictione indebiti l. 12 t. 6.

CASUS PRIMUS.

Tiburtius, & Philibertus, litigantes de pluribus rebus, quisque sua defendit jura ardentissimo studio, & potissimum Tiburtius, contendens Philibertum sibi plures debere summas, & præ ceteris de ratiuncula 1200. reliquum Librarum, transegerunt universim ad omnes finiendas lites, quo Philibertus hunc ob articulum pollicitus est solutionem 1000. Librarum Tiburtio, qui ex sua parte reliquis omnibus controversis juribus renunciavit, per solutionem hujus summæ, quam numeratam accepit. Sed Philibertus post mensem quasdam detexit apochas, ex quibus patet se de hoc capite 600. reliquum Librarum debere solum. Nonne licet petere ob læsionem incumbentem, transactionis rescissionem?

RESPONS.

Quando transigenti uni incumbit læsio dolo alterius: at si, destitutus jure, quod habet pars adversa, deleret quod defendere non licebat, verum est transactionem esse nullam, eumque in suum redire jus, ubi primum patescit veritas: *Si per se, vel per alium, subtractis instrumentis, quibus veritas argui potuit, decisionem litis extorsisse probetur*, habet Lex (g), *siquidem actio superest replicationis aux lio doli mali, pacti exceptio removetur.*

(g) L. Sub prætextu 9. Cod de transact. l. 2. t. 4.

Iterum constat, renunciantis, transactione peculiari, cuidam juri testamento sibi parto, cujus erat inscius, transactionem illam carere effectu, etiamsi hæres, cum quo transegit, ejus pariter esset inscius, ut habent plures aliæ Leges (h).

(h) L. Imperatores 3. §. 1. ff de transact. L. Ob hisce & leg. Non est 12. ff. eod. t. l. 2. t. 15.

Sed eadem non est ratio transactionum generalium, ut ejus de quo in quæsito proposito agitur. Nam quando transigens absque alterius dolo fuit læsus, & solum quia ipsi omnia non erant instrumenta ad suum defendendum jus necessaria; ea transactio stat. Ratio est, quia partium mens fuit compensatione uti, omniaque controversa jura mutua extinguere: *Sub prætextu specierum post repertarum, generali transactione finita, rescindi prohibent jura*, habet alia Lex (i). Judicandum est igitur damnum, quod Philiberto ingruit, compensandum esse utilitate finiendarum litium cum Tiburtio, quæ utilitas habenda est maxima, effectusque solitus transactionum ut tollantur lites; sic dicit Auctor Glossæ (K): *Recta & naturalis causa transactionis fuit timor litis*. Et quidem, si hujusmodi transactiones liceret labefactare, locus daretur novis litibus, frequenter recurrentibus, quod amovere omnium interest. Hoc quoque præstiterunt Leges Romanæ, nostraque Edicta (l), ut observat Domatus (m) in eximio Opere Legum Civilium in ordinem naturalem redactarum, qui hanc probat decisionem Edicto Caroli IX. an. 1560.

(i) L. Sub Prætextu 29. Cod. eod. l. 2. &c. leg. 19.
(k) Gloss. in leg. Cum te 2. v. Recti causa C. de transact. lib. 2.
(l) L. Lucius 78 §. fin. ff. ad senatus consultum Trebellianum l. 36. t. 1. Adjectum an 1560.
(m) D. Domat. L. civil. juxta ordinem nat. in 2. pag. 418. & ejusd. edit. in 4. & pag. 242. edit. in fol.

CASUS II.

Frobertus, & Natalis, litigantes ab hinc anno, de successione inter se dividenda, amboque litigationis pertæsi, transegerunt simul controversias, ad eas finiendas, & Frobertus remisit plura capita ponderis: sed transactione subscripta, acceperunt cognitorem litis, & relatorem his terve definivisse prius litem secundum Frobertum. Nihilominus ex transactione Froberto, qui eam subscripserat, damnosiore, quam sententia dicta, contendit eam carere effectu: Natalis e contra defendit eam valere, non obstante sententia interposita, inscio utroque. Cui jus?

RESPONS.

Transactio, post litem judicatam, in suis partibus, contracta debet suum sortiri effectum, quum sententia non est dicta in jurisdictione suprema, & appellandi datur locus: „ Post rem judicatam, *habet Lex* (n) transactio valet, si vel „ appellatio intercesserit, vel appellare potue„ rit. *Alia Lex habet etiam* (o): Post rem judi„ catam, etiamsi provocatio non est interposi„ ta, tamen si negetur, judicatum esse, vel ignorari potest, an judicatum sit, quia lis adhuc sub„ esse possit, transactio fieri potest. Ratio, quæ afferri potest, est quia lis poterat diu protrahi provocatione ab una parte interposita, & eventus erat incertus.

(n) L. Et post rem 7. ff. de transact.
(o) L. Post. rem 11. Init. ff. eod. t.

Si vero sententia, coram Tribunali Summo dicatur, ac proinde provocandi locus detur, debet transactio carere effectu: quum, eo in casu, nulla superesset lis, tempore transactionis, & transactio fuit, quia supererat lis, nondum decisa, ex hypothe-

Digitized by Google

pothesi, & neutri erat transigenti jus partiam; quod tamen re non erat, quum transactio fuit contracta: sic interpretata alia Lex habet (a); "Si post „ rem judicatam quis transegit, & solverit, repe„ tere potest. Idcirco quia placuit transactionem „ nullius esse momenti: hoc enim Imperator An„ toninus cum divo patre suo rescripsit. Eadem Lex aperte nostram firmat sententiam, adjungens: „ Quid ergo, si appellatum, vel hoc ipsum incer„ tum sit, an judicatum sit, vel an sententia va„ leat? magis est ut transactio vires habeat; tunc „ enim rescriptis locum esse credendum est, cum „ de sententia indubitata, quæ nullo remedio at„ tentari potest, transigitur.

(a) L. Elegan. ter 23. §. 1. ff. de condictione in debiti l. 12. t. 6.

Concludamus igitur & dicamus, si sententia inter Frobertum & Natalem lata possit provocari ad Tribunal superius, eorum transactio vigere debet; quia hac sententia jus partium non fit indubitatum & qui vicit potest causa cadere coram Tribunali summo, si vero controversiæ fuerunt definitæ a sententia Curiæ Supremæ juxta Edicta lata; auctoritate Judicum vincendus est error, aut ignorantia, quibus laborabant transigentes; ambo cum transegerint, alterque jus suum cesserit, supposuerunt periculum, aut incertum, quod, sententia peremptoria lata, non supererat. Ea est decisio D. Domati (b), ex qua semper pari in casu adhærendum est sententiæ latæ, salva actioue quam læsus habet libello civili in judicatum, posito quod possit, & legitimum sit jus.

(b) D. Domat L. Civili. junto ord'nat l. 3. de transf tit. 13. sect. 4. n. 7.

CASUS III.

Richardo. Archidiacono Ecclesiæ Metropolitanæ Tarraconensis, cujus dignitati præbenda annectebatur, emortuo, Mauricius & Paulinus, hic provisus in Curia Romana, ille ab Ordinario, litigant cujus erit hoc Beneficium. Sed quia uterque de jure suo dubitat, inter eos convenit transactione ante litis sententiam contracta, ut Mauricius sit futurus Archidiaconus, & Paulino præbendam cessurus; postea uterque in possessionem Beneficii venit, non Capitulo, nec ullo alio intercedente, Quæritur num hæc transactio sit legitima?

RESPONS.

Constat hanc transactionem esse illegitimam & nullam. Nam privatorum non est inter se dividere duo Beneficia annexa; solius Superioris legitimi est ea disjungere; *Qui Ecclesias unire possunt*, ait doctus Professor Lovaniensis (c), *iidem & uniones dissolvere. Unde Episcopum uniones, dissolvere posse, nemo negat.* Ideo debuerunt Mauricius & Paulinus eum adire, ut diceret eos non esse canonice provisos, & juxta dissolutionis sententiam quisque provideatur; quo neglecto, constat eorum transactionem esse vitiosam, imo simoniacam, & divisionem duorum Beneficiorum esse nullam; nec proinde illis gaudere (d).

(c) Zeger. Ber. van. E. spen. jus ecclesiast. univers tit. 29. de unionibus benefic. c. 4. de dissolu. unionis nu. 5.

(d) De Sainte Beuve tom. 1. cas. 39.

CASUS IV.

Nereus, Comes & Dominus Fundi Sancti Basilii, & Andreas, litigantes ab appendicibus prædii beneficiarii nobilis, convenerunt amice transactione quam contraxerunt, qua Andreas destitit a controversis juribus lege ut Nereus ipsi duos traderet equos venerando cervo aptos. Nereus, cui sex hujusmodi erant in equili, duos destinabat Andreæ, sed sex simul incendio combustis, contendit se non teneri ad emendos alios Andreæ, qui e contra defendit eum teneri. Huic est ne jus, & Nereus teneturne, conscientia, ad duos alios emendos & tradendos Andreæ?

RESPONS.

Si Nerus solum sit pollicitus, transactione cum Andrea contracta, ipsi duos ex suis equis, nec sit in *mora solvendi*, quum incendium evenit casu mere fortuito, liberatur obligatione cum Andrea contracta. Ratio est, quia, quando corpus debetur certum, non constans pondere, nec mensura, nec quantitate, obligatio debitoris fit extincta, quum corpus perite fortuito sine sua culpa, modo debitor non sit in mora; sic decidit Pomponius (e).

(e) L. Si mihi 32. ff de solu. & libert. L. 46. tit. 3.

Dicimus; *non constans pondere, nec mensura, nec quantitate*, ut duo modii vini, triginta tritici modii aut viginti Coronati; tunc enim debitor non liberatur obligatione, quamvis vinum, triticum, aut argentum pereant quocumque casu fortuito; quia res promissa non periit, quia debitor duorum vini modiorum, 30. tritici modiorum, non debebat hos ipsissimos duos modios aut triginta modios potius quam duos alios aut triginta alios modios; species semper stat certa hoc in casu, quamvis corpus speciale sit incertum.

Sed ut non patet, in quæsito proposito, Nereum pollicitum fuisse Andreæ traditionem duorum ex suis equis, & Andream petivisse generatim duos equos, constat Nereum non solvisse eum damno sex equorum, licet accideret sine sua culpa, quum neuter designaverit hos vel illos equos, sed transactionem habere verbis generalibus; *duos equos venando cervo aptos*. Tenetur igitur, conscientia, ad emendos duos alios & Andreæ tradendos.

Vide ABBAS, Casus VII.

TRIBUTUM ANNUUM.

Tributum annuum nihil aliud est quam vectigal a Principe subditis impositum, ad eminentiam fovendam & onera Regni sustinenda destinatum: *Vectigal*, inquit Polmanus (f) *est census impositus subditis, ad Principis dignitatem, impendiæve communia sustinenda*.

(f) Polman. p. 2. 3. nu. 643.

Ortum ducit a Sancto Ludovico, qui tributum exegit a subditis, bello transmarino in gratiam Religionis Christianæ suscepto: & tunc impositum fuit consentientibus tribus Ordinibus. Ludovicus XI. tanto usus est imperio, ut in posterum Ordines non fuerint convocati. Carolo VII Rege annexum fuit Ordini Populari, hoc est, Ignobilibus: Et hodie, in Concilio Regis limitatur summa imponenda. Postea Rex jubet Thesaurarios primarios in XXIII. Regni Generalitatibus constitutos, exigere summam in Curiis Generalitatum, quæ tributum describunt, statutam. Insuper, Thesaurarii descriptiones instituunt de quavis Curia, quas ad Consilium Regis mittunt; Et Rex iterum jubet quamque Curiam, mandans Electis, ut summam exigant præstitutam, quam rursus partiti sunt in quodvis Oppidum & Vicum Curiæ suæ, & mittunt indicem quotæ partis notatum, ad quamlibet Parœciam, cujus Incolæ unum pluresve Collectores eligunt, ut summam exigant impositam.

Æquitas hujus tributi in dubium revocari nequit. Nam, quum Regnum com-

componat Corpus, cujus quilibet privatus est pars, ut subsistat, necesse est ut quisque pro virili conferat ad ejus conservationem, onera & expensas, bonum commune Corporis hujus spectantia: ut bellum; ad victum & cultum familiæ Principis necessaria: Legationes: solutio omnium Ministrorum publicorum: Viæ regiæ: Navigatio maritima, conservatio Pontium & Molium fluminum, aliaque hujusmodi.

Hæc Tributa sunt varia: sed hic agitur de iis, quæ dicuntur *Tributa annua*, quæ usu recipiuntur in plerisque Regni Provinciis.

Dividitur *Tributum annuum* in Capitale, & Reale.

Prius est illud, quod quisque solvit ex omnibus rebus, tum mobilibus, tum immobilibus, & ex industria: quod Lex vocat *Tributum capitis* (*a*).

Posterius exigitur ex quotis partibus, quarum hæc res attingit immobiles, illa vero res industria partas, quarum fit quandoque unica quota pars.

Insuper, aliud est Tributum annuum, quod proprie est Tributi augmentum; Latine dicitur *Tributi accessio*. Henricus II. illud constituit, ut augeret militum stipendium.

Alia Tributa, exacta in quibus versantur vinum, sal, annona aut merces, tempore quo hoc tributum solvendum est, dicuntur Subsidia, Portoria, Salaria, Vectigalia, mercium evectus &c.

Tributa Realia fundorum usu recipiebantur apud Romanos: *Qui agrum in alia civitate habet*, ait Lex (*b*) *in ea civitate profiteri debet in qua ager est, agri enim tributum in eam civitatem debet levari, in cujus territorio possidetur*. Alia tributa exigebantur etiam ut apud Leges est fides.

Omnia hæc Tributa sunt necessaria & æqua ex se, cum Jesus Christus dixerit ipse Principi ea esse solvenda: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari* & Apostolus dicit, teneri conscientia. Quapropter fraudantes ea injustitiam admittunt, quam dicunt crimen Leges Romanæ: *Fraudati vectigalis crimen*. Et nostra Edicta puniunt confiscatione aliisque pœnis auctores hujus fraudis; Polmanus sic eam definit: *Pensio taxata super rebus in Provinciam civitatem invectis*.

(*a*) L. Aetatem; ff. de censibus lib. 50. tit. 15.

(*b*) L. Forma 4. §. 2. ff. de censibus.

(*c*) L. Omnium 6. Cod. de vectigalibus & commissis & toto tit. ff. de publicanis & vectigalibus l. 9. l. 61. & l. 39. tit. 1.

Stipendiariorum res ita Principi addicuntur, ut tributum cuivis alii debito anteponatur privato, non speciale habendi privilegium. *Fiscus semper habet jus pignoris*, habet Lex: *Respublica creditrix omnibus Chirographariis creditoribus præfertur*, habet alia Lex.

Plures non subsunt tributo annuo: hi quidem sola dignitate: ut Clerici, nobili genere nati: imo plures Ministri, ob munerum dignitatem: Illi vero privilegiis privatis, sibi soli quandoque adhærentibus, & quandoque ad posteros euntibus.

Quædam merces sunt etiam privilegio donatæ, hoc est, de quibus nullum exigitur tributum, ut Libri, quædamque aliæ a Principe immunes dictæ, sive in quibusdam locis, sive in toto Regno.

Qui plura volent hanc in rem, consulant Domatum de jure publico disserentem.

CASUS PRIMUS.

Hombertus & Arnaldus, miseri rustici, tributorum descriptioni aut impositioni præpositi, Jacobo oppidi ditissimo non ausi sunt imponere summam, pro rata rerum jure solvendam, sed dimidio minorem, unde cæteri Incolæ superfluo ab ipso solvendo prægravati sunt.

Qua de re quæritur 1. Num peccaverint. 2. Num, posito peccato, teneantur, conscientia remunerari pro viribus reliquos incolas? Existimant sibi licuisse, absque injustitia, Jacobo minorem imponere pecuniæ summam, ac proinde non teneri ad remunerandos alios Incolas. Prima ratio est, quia conduxerunt Jacobo ædes, & pleraque prædia, quibus gaudent; ipsi debent biennale fœnus, & iis minabatur solutionem summo jure exigendam, totam eorum rem in custodia ponendo, si majorem auderent imponere summam. Secunda est, quia victum quærunt, continuo ipsi laborantes, & iis interminatur se in futurum eorum operas non adhibiturum; quod ad summam redigeret inopiam. Tertia; quia anteriores hujus provinciæ præpositi majorem ipsi non imposuerunt summam, & antiquo insistunt indici. Quarta; quia Jacobus minatur se domicilium fixurum in Provincia vicina, in qua sibi sunt ampla prædia, si eamdem ipsi non imponant summam; unde damnum accresceret sodalitati, quæ portione Tributi annui, quod solvit, prægravaretur. Quinta; quia compensationi aliis Incolis debitæ, satisfaciendum esset Jacobo, non vero ipsis, quibus non prodest modica impositio, quibusque damno est ut, & cæteris. Sexta denique: quia, in descriptione Tributi annui agunt, quatenus sodalitatis Legati, quæ non nescit Jacobo longe minus, quam par est, imponi tributum, & quia non est conjiciendum hujus Sodalitatis, eos eligentis & legantis, mentem esse ut teneantur, pœna restitutionis, augere tributum Jacobi, ut & quorumdam Judicum stipendiariorum, quinque asses solventium, pretio, quo habentur, & metu eos lædendi. Hæ rationes nonne Homberto, & Arnaldo purgandis pares sunt?

RESPONS.

Hæ singulæ rationas Homberto, & Arnaldo ab injustitia liberandis impares sunt. Ratio est, quia quilibet describendo tributo aut privatis imponendo præpositi tenentur Edictis, & Mandatis imponere justitia diligentiori, quo ad fieri poterit, pœna restituendi oppressos iniqua impositione. Edictum Aurelianense, a Carolo IX. an. 1460. statutum (a) apprime consentit. En verba. " Injungimus quibuslibet Ministris, tributis describendis Præpositis, & Collectariis nostrorum tributorum, ut nostros levent subditos miseros, tum ratione exigendi Tributi, & ea eo enatorum, cum solutiona, pœna præstandi nomine privato, ... quibuslibet stipendiariis sua imperabitur stipendii pars, fortiore minus juvante, & quotam solvere partem cogentur, pœna solvendarum a Tributis describendis Præpositis, & Collectariis summarum, quibus miseri prægravabuntur subditi. Edictum Blesense (b) idem habet: " Injungimus quibuslibet Ministris, inquit Henricus III. aliisque præpositis, & præponendis subditorum nostrorum Tributis describendis, & distribuendis, ut cum pari æqualitate sublevent pauperes, nulli faventes .... pœna transferandi ea in ipsissimos tributis describandis præpositos ". Et Edictum denique an. 1614. (c) vult ut nullus stipendiarius sit immunis, consentientibus ipsis loci Incolis: quod firmavit Declaratio an. 1634.: (d) in qua Ludovicus XIII. his utitur varbis: Nullus Tributorum annuorum erit immunis simplici Parœcianorum consensu, neque ab iis mancipata certis summis quævis Tributa damno aliorum; cuique Incolæ pars impetabitur pro rata facultatum. His omnibus addeudum ast Edictum an. 1600. (e) quod habet, eosdem, qua bonos, fore in futurum tributis describendis Præpositos, & Collectarios in aodam muneris sui anno, Ea sunt hujus Edicti verba, quæ impediaut quominus pauperibus, & tenuibus pars imponatur major quam par ast, ne procedant eorum Tributa.

(a) Edict. Aureli. art. 122. & 123.

(b) Edict. Bles. a. 342.

(c) Edict. 1614. a. 13.

(d) Declarat. 1634. a. 32.

(e) Edict. 1600. a. 32.

Edicta Regum nostrorum nituntur Legibus Romanis, quæ perhibent, justitiam, in æqualitate sitam, diligeuter observari in partiendis vectigalibus: *Ita ut relevato onere rei, quod imminet fatigatis* habet Lau (f), *translatio in eos; qui integris viribus floreat, & ad scriptio tributorum æqua lance dividatur*, & quæ mandant ut contra facientes pœnas luant: *Per æquatores ac discussores*, habet alia Lea (g), *si incurrerint culpam negligentiæ, vel gratiæ, non solum honoram jacturam, verum etiam annonarum in quadruplum mulctam subire debebunt*.

(f) L. Productu. Cod. de fundis patrimonialibus &c. l. 13. t. 58.

(g) L. Per æquatores c. Cod. de censibus &c. l. 11. t. 5.

Unda concludendum Hombertum, & Arnaldum proprio, & privato nomine teneri, & insolidum deficiente Jacobo, compensara incolas vicl prægravatos, modico Tributo ipsi imposito; quum dimidio majus ei imponendum, & solvendum erat, & hanc ob causam primus tenetur prægravatis restituera damnum, quod ipsi prosait soli, & Homberto, & Arnaldo, si jam restituerint, aut postea restituant, eo deficiente.

Rationes, a Præpositis tributis describendis allatæ eos coram Deo non purgant injustitia perpetrata: qnia nunquam licet iniquitatem facere. Præterea amovere poterant mala, quibus interminabatur eos Jacobus, monenres per se, vel per alios rei ærariæ, & judiciariæ in provincia Præfectum, vel Ministros Regios tributo præpositos, injustitiæ qua afficiuntur miseri Incolæ modica Jacobi impositione, ut ei ex officio imperent summam, qaam licite valebat solvere. Si hoc non sunt usi auxilio, non sunt ideo immunes iniquitatis in jus naturæ, ac Edicta Mandataqae Regum nostrorum illatæ.

Periculum solvendi quod debent Jacobo, sequa videndi ajus vexationibus expositos in odium justitiæ, qua ipsi summam imposuissent majorem, non est ipsis excusatio; quum Christiano, juxta Evangelium patiendum ast cum gaudio justitiæ causa, & metus mali temporalis nemini valet unquam faveta peccanti. Præterea si vexatio, quam Jacobus iis minabatur, esset iniqua, iis erat facultas flagitandi auxilium Ministrorum Judicum, qui tenentur ea officio quibuslibet petentibus, & dignis illud concedere.

Ad examplum antecessorum in munere imponendi tributa, qui minorem, quam par erat, imperarunt summam Jacobo aut aliis divitibus, non erae iis componendum: quum ante actum aperte advertatur jure naturæ, & Legi Principis, interdicenti manifastissime quibusvis Præpositis tributis describendis reliquisque Ministris eorum impositioni præfectis favere divitibus detrimento pauperum.

Minis, quibus Jacobus seu Parœcia emigraturum dixit, si majus imponeretur tributam quam prius, opponendum est. 1. Hoc forsitan non eventurum. Nam licet id Jacobus sit interminatus fortasse ax peivatis rationibus aliud domieilium non habebit. 2. Etiamsi hoc fieret, præstare non deberent Sodalidati damnum inde proventurum; quum ipsi non essent in culpa, sed e contra partes suas exercuissent.

Denique verum est Hombertum, & Arnaldum asse legatos Sodalitatis Incolarum, quatenus describendis tributis præpositos, hauc vero provinciam esse demandatam, ut describant duce Justitia & nutu Principis, ut observetur jubentis, pœna restituendi prægravatis, ut habeut omnia Edicta allata. Incassum igitur intendnnt Sodalitatem censendam esse adversa mente affectam: nam summo jura, juata hanc Juris regulam (h), *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*: par esset ut eos faceret certiores deliberatio voluntaria, & unanimis ab omnibus Sodalitatis membris subscripta potissimum a pauperibas quorum plurimi interest, ac ut gratia in deliberatione habita a Jacobo accepta feratur, in cujus gratiam fuerat lata; alias conjiciandum est mentem Sodalitatis consentire jusso Principis, & justitiæ regulis, vatantis a divitibus in pauperes declinare. Adde Edictum anno 1614. prohibens ne faveat consensui ipsi a Sodalitate Incolarum pari in casu præstito.

(h) Reg. 29. de reg. jus. in 6.

Concludamus iterum Hombertum, & Arnaldum teneri in solidum restitutione totius damni quo cæteros affecerunt Incolas, Jacobo negligente, qui prior tenetur.

CASUS II.

Gerardus, ditissimus Sanctæ Claræ Parœcianus, solitus, quindenuis ab hinc annis, & plus, solus imponere Tributum, a quovis privato solvendum, unanimi totius Sodalitatis consensu, imperavit nonnullis affinibus, & amicis partem dimidio minorem, qnam imponeuda, & solvenda ipsis erat. Petrus, & Paulus, munus tributis describendis Præpositorum, & Collectariorum agentes debent ne præstare hanc iniquitatem, cujus non sunt participes?

RESPONS.

Nullum est dubium quin præstara debent Petrus, & Paulus, negligente Gerardo, iniquitatem ab eo commissam. Ratio est, quia describendis tributis Præpositis, & Collectariis est facultas solis illa imponandi, ut aperte perhibent Edicta, Mandata, & Declarationes, & præsertim Edictum anno 1634. (i) Declaratio 17. Junii anno 1635. ratum habitum in Parlamento 15. Julii ajusdam anni: octiduo post nominationem secundum Declarationem 12. Februarii 1665. & Decretum ratihabitionis 21. Junii sequentis. Petro ac Paulo igitur non per mittendum stat ut Gerardus ullusva alius imponeret tributum, & cum permiserint, præstare debent omnes iniquitates factas, & cansentur illarum auctores, juxta hanc Bonifacii VIII. regulam: (k). *Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per seipsum*: quod concordat Gregorii IX. dicto, dicenti (l) eum, qui dat causam damno proximum prementi videri veram ejus caulam: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerant*

(i) Edict. 1634. a. 40.

(k) Reg. 72. de Reg. jur. in 6.

(l) Greg. IX. in c. Si culpa fin. de injuriis & damno dato l. 5. t. 3.

ram

Digitized by Google

vum, jure super his satisfacere te operteat. Huic consentanea est Lex, habens (a): *Qui occasionem praestat, damnum fecisse videtur.*

(a) Lex, qui occidit 30. §. 3. ad leg. aquil. lib. 9. t. 2.

Distaeo maxis velent quo hi duo Collectarii tenerentur, conscientiae, Gerardi iniquitati obviare; cumque neglexerint reverentia humana, metu aut alias, censentur consensisse, ac proinde subsunt poenae restitutionis, juxta hoc Nicolai I. dictum (b): *Facientem, & consentientem par poena constringit.* Ratio est, quia non obstantes ne alius aget in re nostra, quando nostrum est officium, & per nos fiat, aut actione rerum habentes factum, censemur ei mandare; *Semper qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur; sed & si quis ratum habuerit quod gestum est, obstringitur mandati actione.* Ea est Juris Romani regula (c).

(b) Nicol. I. in ex Notum 10. 3. q. 1.

(c) Lex, Semper 60. ff. de diver. regulis juris ant. lib. 50. tit. 17.

CASUS III.

Petrus an. 1713. Tributis describendis Praepositus, & Collectarius in Parecia S. Boneti, cum Joanne, & Ludovico, ac proinde eorum Socius in describendis tributis anni proximi, egestate pressus fuit petere Provinciam remotam, ita quae messi operam det ut lucretur quo proprium solveret tributum, seque sustentaret ac familiam per hyemem proximam: ante discessum mandevit amico, quem probum putabat virum, curam suas sustinendi partes, eo absente, & praecepit nequid faciat iniqui. Sed redux accepit plures egenos valde fuisse praegravet os, & divitibus summam impositem fuisse longe minorem quam par erat; non valuit tamen adv. ttere an amicus cum Joanne, & Ludovico contulisset ad hanc injustitiam, quia, eo reduce, e vita decessit. Qua de re quaerit num teneatur restitutioni?

R e s p o n s.

Petrum, absentem tempore, quo descriptio imponendorum Tribut rum inst tuenda erat, ex causa leg tima ut necessitate victum quaerit endi ad sui famil aeque sustentationem per hyemem, per quam pluribus opera vite non est, di endum nulla teneri restitutione. In quaesito proposito qua, ut ait S. Gregorius Magnus (d) *Item, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit*: Cum quo coincidit haec Bonifacii VIII. regula (e): *Imputari non debet ei, per quem non fiat, si fecit quod per eum fuerat faciendum.* & hic excusatione eo dignior est, quo mandaquit amico, cujus probitatem habebat perspectam, curam suas sustinendi partes, eo absente, & prudenter praecepit nequid faciat iniqui. Nam jure conjicere licet amicum suo functum esse officio, neque participem fuisse iniquae impositionis praeditae; quod sat est alleviandae conscientiae, quum praesens, suo fecisset officio satis mentem verbis apriens aliis Tributis describendis Praepositis secundum jus, nec praestitisset deinde injustitiam ei iis irrogatam, prout integer Judex non praestaret quod admisissent alii Judices collegae, dicentes sententiam iniquam, ipso diffidente (f).

(d) S. Greg. in c. Cognoscentes 15. de constitutionib. l. 1. tit. 2.
(e) Reg. 4. de reg. juris in 6.

(f) De Sainte Beuve to. 3. cas. 214.

CASUS IV.

Ex usu quindennis abhinc annis, & ultra recepto in Parecia S. Columbae, ditissimi duobus tantis minus solvunt tributum, omnesque egeni valde praegravantur. Dionysius unicus Collectarii haeres, qui in vivis erat dennis abhinc annis, quaeritur num teneatur restituere egenos Incolas, hac iniquitate pressos per annum quo parens fuit Tributis describendis Praepositus, & Collectarius?

R e s p o n s.

Dionysium, in casu proposito non autumamus teneri restitutioni: ratio est, quia persuasum non habet egenos Incolas, annuente parente, praegravatos fuisse, & de dubio debiliori affecto, judicium gratum est ferendum, juxta hanc Juris regulam (g): *In obscuris minimum est sequendum.* Hanc quae aliam (h): *Semper in dubiis benigniora praeferenda sunt.* Sed insuper licet dubium amovere & conjicere parentem suo functum esse officio tempore quo tributorum describendorum cura fuit demandata, & iniquitatis tum admissae non fuisse participem: *Qui in alterius locum succedunt*, habet Lex (i), *justam habent causam ignorantiae, an id quod peteretur, deberetur* (k).

(g) Reg. 30. de reg. juris in 6.
(h) Lex Semper 56. ff. de diversis reg. juris ant.

(i) Leg. Qui in alterius 42. ff. eod. tit.
(k) De Sainte Beuve to. 3. cas. 214.

CASUS V.

Maximinus, Causidicus ditissimus, habitans in Oppido vectigali, cui plerique loci Incolae debent, hi quidem pecuniam eut triticum, mutuo datum, illi vero pensiones annuas, solvit 20. Libras in tributum, licet commode soluturus sit 200. Libras. His Incolis, tum debitoribus, & ejus ope utentibus, cum aliis, metuentibus ne ejus iram in se concitent, non eudentibus majorem imponere summam; estne, tuta conscientie, solvens 20. Libras quovis anno, & nonne tenetur coram Deo majorem sibi imponere summam, quam jure solvere velet pro rete facultatum suarum, poena restituendi praegravatis?

R e s p o n s.

Videtur, in quaesito proposito, Maximinus teneri, in foro conscientiae, sibi imponere summam 200. Librarum, quam commode solvere valet, nec ipsi imponunt tributis describendis Praepositi aut Collectarii, non ausi ex rationibus in quaesito memoretis, & constet hisce rationibus non motos ei hanc impositures esse summam. Sic tenendum est eum, hac in occasione, fontem esse juxta ac rem suam, tributi aequi fraudandi causa, subducentes, qui tenentur Sodalitati Incolarum restituere superfluum solvendorum. Sic docet Sylvester Mozolinus (l): *Qui tiqu talliam licite exiguntur,* inquit, *totius subditi illicite eas defraudant, occultando bona sua, vel aliter, & restituere his, qui damna passi sunt, sive sint communitas, sive cives; aut pauperibus, si sibi ignorant .... si autem licite talliant, aut imponant: cives bona mobilia, vel immobilia occultantes aut fingentes ea minus valere, aut se habere debita, ut eis minus imponatur, fiunt fures.* Si igitur occultantes bona sua, majoris tributi vitandi causa, tenentur compensare gravatos; quo fundamento excusandus est dives, vix decimam partem summae, jure solvendae; persolvens, seque liberens a solvendo legitimo tributo, quia eum pauperibus metuendum efficit auctoritas, & malum quo eos afficere potest.

(l) Sylvest. de Prierio v. Gabella 4. q. 5.

CASUS VI.

Sex summi Magistretus urbiculae S. Lamberti, assignantes tributa, aestimationes, eliasque impositiones, commutarunt a biennio trienniove antiquum morem imponendi tributum pecori, inibi copioso, quod maximus proventus, cum tributo imponendo praedis solum, quae mutetio est damnosissima incolis pauperibus, qui opibus dest tuti, comparare nequeunt equos, nec boves, nec vaccas, nec oves; estque utilissime sex his Ministris, pluribusque eliis divitibus pecore quibus pauci sunt fundi. Quaeritur hac de re num his Ministris licuerit, conscientia, hanc instituere mutationem, & si non licuerit sine injustitia, num teneantur compensare pauperes Incolas?

R e s p o n s.

Ut huic fiat difficultati satis, sciendum est an sex Ministri eam instituerint mutationem auctoritate privata aut legitima. Si euctoritate fuerint usi legitima, & sic intenderint Sodalitatis bonum, non sunt damnandi injustitia, nec proinde cogendi ad aliam compensationem pauperibus Incolis patientibus praestandam; quae bonum publicum est semper privato ente ponendum. Sed si eum, solum jure fuerint usi quo Incolae in eorum fide deposuerunt descriptionem tributi, non licuit iis hanc inducere mutationem, quia adversatur Juri Romano, & dispositioni plurium Decretalium Camerarum Supremarum, nisi instituerint, monente & consentiente tota Sodalitate, juxta regulam Juris, quae habet, rem communem esse ab omnibus approbandam (m): *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Nihilominus si cum

(m) Bonifac. VIII. reg. 29. de reg. juris in 6.

eum instituerint, inconsultis Incolis, bona usi sint fide, & intenderint bonum promovere commune; videntur non compellendi ad compensandum læsos, licet casu ipsis prosit. Si vero econtra hanc induxerint mutationem auctoritate privata & mala fide, intendentes proprium commodum, damno pauperum, quibus non est pecus; aut modicum, dum ipsis est multum; & hac via intenderint se a tributis, antea pecori impositis, exsolvere; non est dubium, quin eo in casu, teneantur compensare eos qui passi sunt, aut patiuntur, sive pauperes, sive divites. Ea est decisio docti Thelogi, Ethicæ peritissimi, cujus decisiones sunt apud omnes (a).

(a) De Sala te Beuve Tom. 3. Cas. 215.

CASUS VII.

ALEXANDER, magnam habens auctoritatem in Aula, cum obtinuisset a Ministro, ut Parœcia Sancti Claudi, cujus est Dominus, solveret 1200. non vero 2400. Libras, ut antea, significavit tributis describendis Præpositis aut Collectariis, hac impetrata diminutione, intendisse, ut suis parcerent Villicis, & tenuis imponeretur summa; Qua de re Collectarii, monentibus & consentientibus plerisque Incolis, imposuerunt cuique villico 30. Libras, gratum testaturi animum de gratia, quam Alexander Parœciæ comparaverat. Certum est tamen cuique Villico, ejusdem gratiæ participi, commode licuisse 100. Libras persolvere. Tributis describendis Præpositi, an injustitia affecerunt reliquos Incolas, qua eos compensare teneantur?

RESPONS.

Cum eodem Thelogo in responsione ad præcedentem difficultatem laudato respondemus (b) Tributis describendis Præpositos & Collectarios Parœciæ Sancti Claudi, iniquitatem fecisse, imponendo Villicis Alexandri summam minorem, quam par erat, diminutione non æquivalente diminutioni aliorum Incolarum. Ratio est, quia omnes Regis aut ejus Ministri, huic Parœciæ concedentis 1201. Libras diminuendi tributi, profecto ea fuit, ut ditributio fieret ex æquo, & potissimum in pauperum gratiam, non vero ut hujus Domini Villicis magis, quam aliis prodesset. Collectarii igitur se gesserunt contra mentem Principis & contra jus; ac proinde tenentur, negligente Alexandro ac ejus Villicis, resarcire damnum, quod prægravatis incubuit. Quod patet ex Decretali Gregorii IX. & Lege in secunda Decisione allata, in qua videre est.

(b) Idem ibid. Cas. 214.

Nec juvat dicere, ut culpa ab his amoveatur Collectariis, eos modicum imposuisse tributum gratos se Alexandro præbentes; ac egisse, monentibus & consentientibus pluribus Parœcianis: nam beneficii memoria non est recolenda transgressione legum justitiæ, & insuper non est, quod rependatur. Atqui 1. injustitia, in quæsito proposito, est manifesta. 2. Per tributis describendis Præpositos non stabat gratum testari animum Alexandro auctoritate privata, ac sine consensu totius Sodalitatis, præsertim pauperiorum Incolarum unanimi, quatenus quorum interest plurimi, juxta hanc Juris Canonici regulam in decisione præcedenti allatam (o): *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Tenentur igitur, conscientia, resarcire damnum prægravatis illatum, nisi a cæteris obtineant Incolis ratihabitionem gratiæ Villicis concessæ.

Observandum est tamen Collectarium teneri restitutione, ut resarciat injustitias in distribuendis tributis commissas, juxta ordinem in restitutionibus servandum; id est, teneri 1. Negligentibus iis, quibus iniquitas profuit. 2. Post eos, qui minis, aut alias ad id compulerunt; & post hos Collectarium. Addimus hanc obligationem in solidum singulos spectare.

CASUS VIII.

RUFFINUS, filiam suam Francisco, genere nobili orto, collocans; ei constituit speciosum prædium 2000. Librarum pensionis, & ab eo Epistolam accipit, ex qua advertitur solvere re 1500. Libras: & hac arte se eximit a tributo annuo, quod huic prædii quartæ parti incumbendum erat. 1. Teneturne restituere Incolis loci. 2. Franciscus & Tabellio, qui Epistolam conscripsit, tenentur ne, eo negligente? Ruffinus defendit se non teneri, quia in multo ære alieno est, & præterea persuasum habet sibi tantum incumbere tributum quantum imponendum & solvendum est: ex quo Franciscus & Tabellio tuentur se igitur non teneri?

RESPONS.

Ruffinus, dominus prædii 500 Librarum pensionis, tenetur conscientia, restituere incolis quartam partem tributi annui, quod prædio 2000. Librarum proventus imponendum est. Nam æquum non est, ut gaudens hac quarta parte subtrahat Sodalitati indicationem tributi annui pro rata, juxta hoc Innocentii III. dictum (d): *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*. Hancque Bonifacii VIII. aliam (e): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injustitia, vel jactura*, quæ regula jure naturæ nititur, ut habet hæc Lex (f): *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*.

(d) Inn. III. in c. Officii 14. de testam. &c. lib. 3. t. 26.
(e) Reg. 48. de reg. juris in 6.
(f) L. 206. ff. de diver. reg. jur. antiq.

Ruffini, re gerentis se esse in multo ære alieno: & tantum solvere tributum, quantum incumbit, rationes non sunt admittendæ: 1. Quia potest prædii partem vendere, ut exeat ære alieno, si aliter satisfacere nequeat. 2. Quia tributum annuum est debitum privilegio donatum, & præ omni alio, solvendum Regi. 3. Quia iniquum est, ut fit judex in sua causa: *Nec in sua causa potest quis esse Judex* (g) Lex est generalis. *Lege generali decernimus neminem sibi esse judicem* (h). Quia conjiciendum est nomen, quo partem tributi annui subducit, esse falsum: quum tributis describendis præpositi, quo a parte ipsi impetrata, existimaverint majorem quam solvere intendit, summam esse imponendam, quum ampliores, quam præ se fert, sint ipsi facultates.

(g) Gloss. in can. de occiden. c. 21. q. 5. v. Prole.
(h) L. Generali unica C Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat.

Dicendum est nobili genere ortum, concordi voluntate fautorem fraudis, quæ Ruffinus plane exsolveretur a tributo annuo debito de quarta parte, ex æquo teneri restitutione, deficiente socero: si vero bona usus sit fide, nec particeps consilii soceri, non tenetur.

Denique idem judicium est ferendum de Tabellione, qui Epistolæ instrumentum conscripsit: nam si bona conscripsit fide, nolens Ruffini fraudi patrocinari, cujus mala mens eum latebat, nec malos prævidet eventus, secuturos hanc Epistolam; nulla tenetur restitutione: quia non censetur, eo in casu, causa damni futuri, juxta hoc Sancti Gregorii Magni verbum (i): *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*.

(i) S. Greg. in c. Cognoscentes 2. de constit. lib. 1. t. 2.

CASUS IX.

In Colloquio Ecclesiastico hæc agitata fuit quæstio: videlicet, num Principibus, quorum Ministri & familiares sunt tributi annui immunes gratia speciali, a Rege iis concessa, liceat sine injustitia Antonium inserere indici, quem ad supremam rei tributariæ Curiam est facultas mittendi, insigniendo eum nomine & privilegio Ministri aut Familiaris, quamvis eum ab omni eximant famulitio, nec ulla mercede eum compensent. Hi quidem defenderunt Principibus licere, quia per eos stat admittere ministrum aut Familiarem pro lubitu; & famulitii imunem reddere, mercede non compensanda. illi vero contrariam obiverunt in sententiam: num prioribus jus?

RESPONS.

Prioribus non est jus, nam constat his Principibus neminem licere sine injustitia inserere indici Ministrorum, qui non sit juxta verba Edictorum Mandatorum & Declarationum. Atqui Edicta & Declarationes perhibent gavisuros immunitate tributorum annuorum famulantes re in domo horum Principum, & merentes stipendia 60. ad minimum Librarum; tandemque scriptum testimonium fidum Thesaurarii, qui solverit, exhibentes. En verba Edicti Aurelianensis, mensis Janua-

(a) Edict. Aurel. art. 125.

rii anno 1560. (a)„ Ministri nostri, aut nostræ „ honoratissimæ Matronæ & Matris, nostrorum „ carissimorum Fratrum, nostræ carissimæ Sororis Reginæ Mariæ, nostrarum carissimarum Materterarum Ducissarum Ferrariæ & Sabaudiæ, „ habebuntur immunes, si inserantur indici Familiarum & Ordinariorum, famulantium re & „ merentium stipendia, Officio adnexa, sine fraude, & Thesaurarius scripto testabitur nomine „ propria manu subscripto „. His utitur verbis Carolus IX. eo Edicto.

(b) Ed. Blesens. 1579.

Henricus III. aliis non utitur verbis in Edicto Blesensi, mensis Maji an. 1579. (b)„ Ministri „ nostræ familiæ, ait hic Princeps, & Reginæ „ nostræ honoratissimæ Matronæ & Matris, nostræ carissimæ & dilectissimæ Sponsæ Reginæ, „ nostrorum dilectissimorum Fratrum & Sororis „ Ducis Andegavensis, Regis & Reginæ Navarræ, nostrarum carissimarum & dilectissimarum „ Sororum uxori Reginæ Scotiæ & Yssabellæ, „ Viduarum Galliæ, non erunt immunes imponendorum tributorum, nisi inserantur indicibus Familiarium & Ordinariorum, ad minimum stipendia viginti Coronatorum merentium, & re famulantium, de quibus Thesaurarii scripto testabuntur nomine propria manu subscripto, sine fraude, pœna in se transferenda.

Declaratio 8. Septembris 1610. a Parlamento approbata, idem habet his verbis: „ Posthac nemo nostororum Ministrorum, aliorumque Principum, & Principissarum gaudeat immunitate tributorum annuorum, licet, in album detentorum referantur, & inserantur indicibus ad summam rei tributariæ Curiam missis, nisi de trimestre, obeundo munus .... Et ut amoveantur fraudes & fallaciæ olim introductæ ab iis, qui eo solum fine nomen Ministri quæsiverunt, ut gauderent immunitate tributorum annuorum, quique famulatitio vacant, volumus, ut Incolæ locorum, „ in quibus hujus nominis versabuntur Ministri, „ imponant & imperent ipsis, ut & aliis subditis „ ignobilibus dicta tributa & contributiones.

(c) Ed. 1614. 23. art. 1.

Edictum 1614. idem quoque perhibet his verbis (c): „ Nemo Ministrorum Familiarium domus „ nostræ, cæterorumque omnium domesticorum „ insertorum & merentium in indicibus ad nostras „ supremas rei tributariæ Curias emissis, gavisurus nostris privilegiis, erit immunis de collatione nostrorum tributorum, nisi mereant in dictis „ indicibus stipendia ad minimum 60. Librarum, „ nisi re famulentur, juxta articulum 342. Edicti Blesensis. Edicti 1634. (d) & Declarationis 20. Maji 1645, probat 24. Septembris ejusdem anni, eadem est interpretatio.

(d) Ed. 1634. 8. art. 20.

Hæc omnia Edicta sunt consentanea Edicto Caroli VI. Parisiis edito 16. Januarii 1386. quod habet, privilegia commensalium domus Regiæ in .... immunitates vectigalium, aliorumque sortitura effectum in gratiam stipendium merentium ordinarium, & re indici insertorum (e).

(e) Acta Parlamenti a. fol. 117. Acta fisci curiæ Ed. fol. 99. versu Occitan. qlutei anno 20. fol. 140. Acta Castelleti. Lib. sub. ant. fol. 170. D. 2. Marc. a 11. de politic.

Concludimus igitur Antonium, cujus meminit quæsitum propositum, non posse immunitate tributi annui gaudere, & illicite insertum indici, ad summam rei tributariæ Curiam misso. 1. Quia ipse actu non famulatur Principi, qui eum destinavit. 2. Quia nullum habet stipendium. 3. Quia ipsi esse nequit scriptum testimonium fidum quo Thesaurarius Principis vero testatur scripto, illum re famulari & merere stipendia. Adde Principem, qui hanc concedere gratiam intendit, abusurum ea, quam Regis mensest, solis concedere veris Ministris & Familiaribus, non vero aliis, nomen tantum præse ferentibus; ac proinde hic Princeps damnum inferret Incolis loci, in quo Antonio est domicilium, & teneretur resarcire, aut injuria afficeret domesticum, in cujus locum inique substitueretur Antonius in indice.

Indicat quæsitum Principi licere quem volet admittere Domesticum, & famulitii immunem facere, mercedem non compensando. Verum respondemus 1. Principi, eo in casu, non esse licitum a famulitio eximere: quia hoc prohibetur, excepto casu ægritudinis Domestici, a Judice & Procuratore Regis certioratæ, aut Fiscali loci, & instrumento subscripto a Tabulario, ut habet Edictum 1614. (f) & 1634. (g), 2. Expertes stipendiorum nullo iure gaudere immunitate, ut perhibent Edicta & Declarationes jam laudatæ (h).

(f) Edict. 1614. art 27. (g) Edict. 1634. art. 31. (h) De Sainte Beuve tom. 1. casu 11c.

CASUS X.

Marcella, cui sunt 150. Libræ pensionis, pessime solutæ, per 20. annos tributo gravi 100. Libraunm persoluto, patefecit Collectariis Tributorum annuorum Parœciæ an. 1700. se recepturam esse ad Alexin filium, alius Parœciæ vicinæ Parochum, nec tributum annuum ei in posterum impositum iri, excepto anno proximo, secundum verba Edictorum. Illo anno solvit tributum, & declarationem iteravit Syndico Procuratori & Incolis Parœciæ, e qua exibat & adivit filium suum, qui eam inscribi curavit cathalogo Parœciæ, cujus erat Parochus, imponique 15. Libras: Alexis pollicitus est matri erogare 12. Libras, quæ cum aliis summis restaurandæ Ecclesiæ Parœcialis destinatis sumerentur, ea lege, ut tributum matri suæ nunquám imponeretur. Incolæ gratum testari animum optantes de curis & impendiis a Parocho factis in Ecclesiam suam, eo lubentius acceperunt conditionem. quod notum esset Parochum brevi venturum in possessionem alius Curæ, in qua tributum non solvebatur, & quam Marcella petitura erat & filium invisura.

1. Alexis nihil ne facit, quod afficiat conscientiam?

2. Marcella estne tuta conscientia, quod tantum solverit 15. Libras per octennium decenniumve?

3. Num licuit per Syndicum procuratorem, nonnullosque amicos exigere immunitatem impositi tributi, cui suberat in prima Parœcia, licet non obtinuerit sententiam, quæ diceret ejus nomen ex indice expunctum iri, formulam quam Electi absolute necessariam putant desiderantibus immunitatem tributi annui?

4. Marcella, quæ tempore statuti decuncis fidelem facultatum suarum indicem tradidit Jacobo fratri, his declarationibus excipiendis præposito, & a qua nihil fuit petitum; quia declaratio forte non venit ad eos, quibus illa æstimanda erat, licet Jacobus asserat se eam tradidisse, aut forsan periisse, solvit solum decuncem in aliis locis, in quibus ipsi sunt facultates, nec solvit ob fundum, quo fruebatur in loco, in quo declarationem porrexerat. Nonne tenetur, eo in casu, restitutione?

RESPONS.

Non arbitramur Alexin quicquam fecisse in conscientiam in casu proposito. Ratio, cui innitimur, est 1. quia bona usus est fide, & sine ulla fraude, nec alia via illicita. 2. Quia Incolæ inspicientes Parochi virtutem & operam, quam navabat saluti eorum, optarunt ipsi testatum habere gratum animum, imponentes Marcellæ ejus matri summam tenuissimam pro tributi annui portione; quod, nedum iniquum, econtra laude dignum est.

Dicta de tributo annuo veriora sunt de decunce, quæ ut reliqua tributa aut indicatione, petenda est ab eo, cui demandatur provincia recuperandi & recipiendi; nam quum Iacobo exhibuerit declarationem, a rei judiciariæ in Provincia Præfecto, aut ejus Legato propositæ recipiendis Incolarum declarationibus, & Jacobus asserat se tradidisse exactuto decuncem ab eo, præstare potest in bona fide, qua usus est, juxta Juris regulam, quæ habet (i): *Contra eum qui Legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda*. Adde decuncem, quam non solvit, non illabi in alios Incolas, Regi solventes solum sibi impositam, nec teneri ea, quam nonnulli non solvuntoun, sive oblivione, sive aliter. Sed Regem affectura injuria præsto solvat necesse est, quum eam petiturus sit is, cui recuperandi cura mandatur.

(i) Idem reg. 57. ib.

Circa sententiam solutionis, quam Marcella non curavit dici, quia necessarium non crediderat,

exi-

existimamus omissionem hujus formulæ non spectare forum interius; & quum palam fecit Incolis duabus vicibus repetitis, se demigraturam esse e prima Parœcia, & ex Edicto solvit tributum anno declarationem secuto, non teneri conscientia, ad solvendas 100. Libras, quæ ipsi impositæ erant, quarum immunitatem obtinuerunt sollicitationes quorumdam amicorum; *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, ait Bonifacius VIII. (*a*).

(*a*) Idem Bonif. Reg. 16. ibid.

T U T O R.

IMPERATOR Justinianus (*b*) tutelam definit his verbis, ut & J. Consultus Servius: *Est tutela, ut definit Servius, vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui, propter ætatem, se defendere nequit, jure civili data ac permissa*: hanc adjungit definitionem *Tutoris*: *Tutores autem sunt qui eam vim ac potestatem habent*

Vox, *Minor*, designat eum qui vigesimum quintum non complevit annum, ac qui nondum se gerere valens, operamque dare administrandis & conservandis facultatibus & juribus, eget ope Tutoris aut Curatoris, juxta hæc Legis verba: *Tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponitur* (*c*) Hæcque alia Imperatoris Justiniani (*d*): *Masculi, puberes, & feminæ viri potentes usque ad vigesimum quintum annum completum curatores accipiunt: quia, licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint.*

Tutela per se est proximiori cognato deferenda. Sed, quia dantur vitia ab hoc munere excludentia, aut causæ legitimæ immunem reddentes, nominatur alius cognatus aut propinquitate conjunctus, aut, iis absentibus, extraneus (*e*), & quando opus est, plures Tutores præponuntur minori (*f*).

Parens ex se tutor est liberorum minorum. Lex hanc apponit rationem: *Quis enim talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum: vel cui alii credendum res liberorum gubernandas, parentibus derelictis* (*g*).

Licet parentibus nominare liceat Tutorem liberis, alius quandoque nominatur, quum legitima adest causa mutandi (*h*).

Secundum nostram Jurisprudentiam, nullus Tutor satisdare tenetur, nec in Jure Romano nominari a parente (*i*): si tamen e re sua judicet vadem offerre, quia quærit conservationem minoris opum, præferendus est, nisi alius eligendi esset causa, ob vitium minoribus inhærens, aut aliter.

Tutor quicumque confirmandus est in foro a Judice tutelæ Minoris, id est, Domicilii minoris (*K*), sed secundum usum nostrum, nominatus a parente confirmandus est a Judice, assensu cognatorum.

Tutor a Judice confirmatus juret necesse est in foro se impleturum officium, & promoturum res minoris in omnibus (*l*).

Antequam in administrandis minoris rebus se immisceat Tutor, primo index describendus est autoritate Judicis, ut sciat quæ cura ipsi demandetur. Si quid tamen improvisi aut urgentis fieret ante indicem descriptum, tutori liceret consulere ei, prout opus: *Nihil itaque gerere ante inventarium factum eum oportet, nisi id quod dilationem, nec modicam, exspectare possit* (*m*).

Indice descripto omnia jura chartæque in manus Tutoris reponenda sunt, ut sibi sint auxilio in rebus minoris (*n*): prædia vero locanda sunt post eorum promulgationem, & assensu cognatorum, & si nullus adsit villicus, Tutor iis gaudeat juxta conditiones, de quibus inter eum & cognatos minoris convenerit, qua in re diffidemus a Jure Romano, ut & in supellectili: nam Edictum Aurelianense (*o*) exigit ut statim ab indice descripto Tutores & Curatores vendant auctoritate Judicum inutilem minori, & nomine caducam, ac pretio hoc solvantur debita patientis, si adsint, aut comparetur pensio, aut prædium assensu cognatorum, aut amicorum, *ex moribus prædia idonea comparentur* (*p*): pœna præstandi damnum quod minori immineret. Interim ut difficilis quandoque occurrit legitimus ejus usus, Tutori solet, monentibus & consentientibus cognatis, limitari tempus ut sit usui. Qua de re observandum est, sibi non esse comparandam, nec per se, nec per alium, ut habent Leges (*q*).

Circa usum denariorum pupillarium, aut cujusdam rei difficultati ob noxiæ, moris est nostri, ut Tutori nihil sit suscipiendum sua auctoritate sola, sed quærenda sit a Judice nominatio quorumdam cognatorum, aut iis absentibus, aliorum, quorum arbitrio tenetur stare: nam eorum arbitrio probatur aut improbatur gestum, & huic fundamento innitenda est potestas, auctoritas & administratio Tutoris: alias incumberet præstare ipsissimo & privato nomine,

(*b*) §. 1. & 2. Instit. de tutel. & l. Tutela est 1. §. 1. ff. de tutel. l. 26. tit. 1.

(*c*) L. Quia Personæ 14. ff. de testam. tutel. lib. 26. t. 2.

(*d*) Instit. de Curator. l. 1. t. 23.

(*e*) L. Legitimæ 1. ff. de legit. tutor. lib. 26. tit. 4. l. Sive 1. ff. de tutor. & curator. datis &c. C. lib. 5. leg. t. 1. ordinem 1. §. 10. ff. de Magist. conveni l. 27. tit. 8. & leg. Quæro 32. ff. de testam. tutela.

(*f*) Leg. Cum quidam, 2. ff. de tut. & curat. datis &c. l. Si plures 3. & l. Decreto 24. §. 1. ff. de administ. & peric tutorum l. 26. t. 7.

(*g*) Leg. cum Furios. 7. C. de curat furiosi l. 5. t. 70.

(*h*) L. Tutelæ 1. & l. Quod dicitur 4. ff. de testam. tutela t. Utilitat. 10. ff. de confirmando tutore &c. l. 26 tit. 3. & cit. l. Decreto.

(*i*) L. Testament. 17. ff. de test. tut.

(*K*) L. Magist. unic. C. ubi petantur tutor. & curat. t. 5. t. 32. toto t. ff. de confirmando tutor. vel & curat. t. 1

(*l*) Nov. 72. c. fin.

(*m*) l. Tutor. 7. ff. de administ. & peric. tutor. & leg. Veteris fin. C. arbitr. tut. t. 5. t. 51.

(*n*) Cit. Reg. Veteris fin. §. 1 Cod. eod. t.

(*o*) Art. 102.

(*p*) leg Tutores 24. Cod. de administr. tutor. &c.

(*q*) leg. Pupillus 5. §. 1. & 3 ff. de auctoritate & consensu tutorum &c. l. 26. t. 8.

mine, quo gessisset proprio motu, aut neglexisset, in detrimentum & injuriam minoris (*a*). Item ex eodem consequitur principio generali necessario Tutori, si lis minori intendatur, aut in tertium litem agere necesse putet Tutor, standum esse eorum arbitrio quos consulere licet.

Si minori desint facultates, aut non sufficiant ad victum cultumque, Tutor non tenetur implere de suo: *Si egeni sunt pupilli, de suo eos alere tutor non compellatur*, habet Lex (*b*).

Tutor, qui rem bene gessit, non tenetur præstare malos eventus: *Sufficit tutori bene & diligenter negotia gessisse*, habet alia Lex, *etsi eventum adversum habuit, quod gestum est* (*c*) perinde est de casibus fortuitis: *Tutoribus vel Curatoribus fortuitos casus, adversus quos caveri non potuit, imputari non oportere sæpe rescriptum est* (*d*).

Quum minori sunt plures contutores, quorum administratio est communis, omnes & singuli privatim adstringuntur minori in solidum, quodcumque inter se contraxerint pactum adversum (*e*): nihilominus minori, majorenni exigenti rationes, inquirendus est prius quisque seorsim de sua administratione, quam transferat in eos qui non gessissent: nisi nonnulli essent non solvendo (*f*).

Minor, majorennis, nullo instrumento, seu transactione, seu apocha, potest valide eximere Tutorem a referenda ratione. Sic usu apud nos receptum est.

Fundi singuli Tutoris oppignerantur minori a die quo accepit tutelam (*g*).

Quum Mater liberorum Tutrix iterum nubit, nec illis Tutorem dari curavit, nec rationem edidit, nec complevit aut salvum præstitit ipsis debitum, singulæ facultates secundi viri oppignerantur eis, tam de præterito, quam de futuro (*h*): optandum foret ut hic usus adeo æquus diligentius observaretur postea.

Quum Tutor non est solvendo, Minor, majorennis, nequit Judicem, qui eum nominavit, rogare ut præstet: nam nominans eum confirmavit nominationem cognatorum, & audivit jusjurandum Tutoris nominati: qua in re noster usus legibus adversatur Romanis (*i*).

Tutoris vita functi hæredes omnia adeunt pericula, iisdem subsunt oneribus (*k*): imo si hæres tutelæ gerendæ esset par, teneretur de rebus ipsi pernotis, aut jam a Tutore defuncto actis, usquedum novus Tutor fuisset electus (*l*), & sic hic hæres ultro se tutelæ gerendæ immisceat ipse, eadem ipsi incumbat cura, quæ impendebat defuncto, quatenus tutori (*m*).

Tutor, cui minor, majorennis, e sua ratione debet pignori omnium minoris fundorum (*n*): privilegio donatur ad solutionem summarum expensarum ad recuperandas & conservandas res pupillares.

Tutelam finit minoris majorennitas (*o*); Tutor tamen debet continuam dare operam rebus, quas deserere nequiret sine damno majorenni minori illato, & prospicere cuivis negotio, quod dilationem non patitur, donec rationes ediderit; aut saltem in manu reposuerit jura & instrumenta ad se defendendum necessaria (*p*), & perinde est in casu mortis minoris; tutor enim tenetur hæredi, usquedum hic eum exsolvere a tutela possit.

Tutelam finit quoque Tutoris mors civilis, ut & minoris, sed in casu mortis civilis minoris, Tutori gerenda est jugis administratio in gratiam eorum, quibus rationes erunt reddendæ.

Denique, tutelam finit depulsio juridica Tutoris, quæ a pluribus oriri potest, sive prævaricatione, mala fide, aut negligentia supina (*q*).

Uxor suorum solum potest esse tutrix liberorum: *Feminæ tutores dari non possunt; quia id munus masculorum est*, habet Lex (*r*): Avia potest quoque nepotum tutrix esse, ut mater liberorum: imo tutela potest secundo imponi viro (*s*).

Homo quadam laborans valetudine notabili, qua rebus nequit attendere suis, ab omni tutela est eximendus: ii sunt surdi, cæci, muti, paralytici, fatui, aliique hujusmodi (*t*)

Minor nunquam dari potest tutor (*u*).

Vir septuagesimum complens annum potest a se tutelam amovere (*x*); *excusantur a tutela & curatoria qui 70. annos compleverunt*, habet Rex: si vero hæc

(*a*) L. Cetere 1. 5. & L. Ita autem 5. ff de admin. tut. L. de omnibus 1 ff. de tut. & rationib. distrahend. &c. l. 27.
(*b*) L. Jus 3. §. fin ff. ubi pupillus educari vel morari debeat, &c. l. 67. t. 1.
(*c*) L. Quid ergo 3. §. 7. ff. de contraria tutelæ & utili action l. 27. tit. 4
(*d*) L. Tutoribus 4. C. de peric. tutor. &c. l. 5. t. 38.
(*e*) L. Si Plures 38, §. 1 ff. de administr. & periculo tutor. L. Si divisio 2. c. 1. Cod de dividend. tutela &c. lib. 5. tit. 52.
(*f*) L. Licet fin. C. de dividen. tutela &c. & L. De omnibus 1. §. 9. ff. de tutela & rationibus &c.
(*g*) L. Pro officio 20. C. de administr. tutor vel curator. &c. lib. 5. tit. 37. Leg. Ne lucrum 5. In fin. Cod. de Curatore furiosi &c & Nov. 118. cap. 5. in fin t. 5. tit. 70.
(*h*) Si mater. 6. Cod. in quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahit. lib. 8. tit. 15.
(*i*) L. adversus 4. Cod. de Magistratib. conven. lib. 5. t. 75.
(*k*) L. Fater 2. & leg. Hæredes fin. C. de hærd. tut. lib. 5. t 54. L. Nomina 2. C. arbitr. tutelæ, &c.
(*l*) L. Quamvis 1. ff. de fidejussor. nominator. & hæredib. tut. lib 27. tit. 7.
(*m*) L. Cum ostendimus. ff. idem tit.
(*n*) L. Rem præsent. fin. §. 1. C de rei uxoriæ actione &c. lib. 5. tit. 3.
(*o*) Instit, quibus mod. tutela finitur & L. Si Curat. tutor 1. C. quando tutor vel curator esse desinant l. 5. t. 60. (*p*) Leg. Tutores unica C. ut causæ post pubertatem adsit tutor lib. 5 t. 48. (*q*) L. Tutor 3. §. 5. ff. de suspect. tut. lib. 26. tit. 10. L. Impuberib. 7. § fin. eod. tit. &c. (*r*) L. Feminæ fin. ff. de tutelis l. 26. t. & 2. Leg. Feminæ 1. ff. de reg. jur. l. 50. tit 17. (*s*) L. si Pater 3. C. de contrario judic tutelæ l. 5. t. 58. (*t*) L. Tutelæ 1. ff. de tut. L. Adgn 10. §. 1. de legi t. tut. l. 26. t. 4. l. Luminib. unic. C. qui morb. excus. l. 5. t. 67 l. Hereun. 10. fin. ff. de excusat. l. 27. t. 6. & instit. §. 7 eod tit. (*u*) §. 13. Instit. de excusat. tutor. vel curat. l. 1. tit. 25. & L. Nemo fin. Cod. de legit. tutela lib. 5. tit. 30. (*x*) L. A tutela 2. ff. de excusat. §. 13. & l. Patnt. unica C. qui ætate se excusant. lib. 5. t. 68.

hæc ætas durante tutela, compleretur, hoc non faceret ad immunitatem: *excessisse autem oportet 70. annos tempore illo quo creantur*; si tamen huic 68. verbi gratia, vel 69. annos agendi quatuor liberorum cura demandaretur; videtur æquitas exigere, ut Judex eum tutelæ immunem faciat.

Quibus quinque liberi legitimi sunt, vivi, exsolvuntur a tutela, imo liberi filiorum & filiarum emortuorum, his accensentur: sed plures liberi filii & filiæ habentur unum caput: *quotcumque autem avo nepotes fuerint ex uno filio, pro uno filio numerantur* (*a*). Eo in casu non computandi sunt liberi post acceptam tutelam sublati.

Is cui tres jam incumbunt tutelæ, tribus administrationibus diversis regendæ, non est ad quartam acceptandam compellendus, *tria onera tutelarum dant excusationem*, habet lex, *tria autem onera sic sunt accipienda, ut non numerum pupillorum plures tutelas faciat; sed patrimonium separatio* (*b*). Sic uniex tutelæ administratio foret gravior, secundæ negotio a tutore admitteretur (*c*).

Quando minoris parens odio prosecutus est capitali eum, qui nominaretur tutor; is est eximendus, si odium ad mortem usque perductum sit (*d*).

Universim loquendo, æquum est ut minoris tutor nominatus geret tutelam eo affectu, quo minori prosit: quapropter prudentis est judicis non confirmare nominationem tutoris male animati erga minorem, aut ejus familiam; sive litibus gravissimis in quibus ageretur de dignitate aut majore minoris rerum parte; sive malo hujus minoris affectu in propinquos cognatos ejus qui dandus esset tutor; hoc perhibent plures Leges eorumdem titulorum laudatorum.

Excusatur ab accipienda tutela, donatus privilegio immunitatis, Edicto aut Declarationi Regiæ innixo, non vero alias: sed observandum est, privilegium nominationi posterius, non exsolvere a tutela eum, qui postea illud impetravit (*e*).

Clerici, in Majoribus Ordinibus constituti, non compelluntur ad accipiendam tutelam nec curatelam; sed iis licitum est accipere tutelam orphano rum cognatorum: quod consentit Juri Romano (*f*).

Quilibet, qui, nominatus tutor, provocavit de clectione a Judice inferiore ad superiorem, tenetur tutelam gerere donec comparaverit immunitatem (*g*).

Ubi primum tutelam accepit vir, non licet exigere solutionem excusatio ne quam non apposuit (*h*): sed licet excusari alia de causa post acceptationem orta, ut jam notatum (*i*).

Consulendus hanc in rem Domatus, e quo exprompsimus pleraque scita (*k*).

(*a*) L. A tutela 2. ff. de excusat. lib. 27. t. 1. & leg. Qui ad tutelam 3. C. qui num. liberor. lib. 5. tit. 66.
(*b*) L. Tria onera 3. ff. de excus. cit. L. A tutela 2. §. fin. ib. & leg. Si tres unic. C. qui num. tutelar. se excusent. lib. 5. t. 69.
(*c*) L. Si in 30. §. 4. ff. de excusat.
(*d*) §. 3. Instit. de excus. tut. & l. Si duas 6. §. 17. ff. de excus.
(*e*) L. Tutor. 26. ff. de excus.
(*f*) L. Sancimus 52. C. de Episc. & Cleric. & Novell. 123. c. 6.
(*g*) L. Tutorem 39. ff. de administ. & peric. tutor &c. & l. Si plures 3. §. 6. ib.
(*h*) L. Tutor. 22. C. Si tut. vel curator falsis alleg. excus. sit lib. 5. t. 63. & leg. Non tantum 37. paragr. 5. ff. de excusat.
(*i*) Post suscep. 44. ff. de excus.
(*k*) O. Dom. l. civil. lib. 2. l. civil. lib. 2. tit. 1. sect. & seq.

GASUS PRIMUS.

Theotimus electus Tutor Honorati, poeri triennalis, & cujus parens erat Procurator Castelleti Parisiensis, descripto indice omnium hujus minoris facultatum, ferme totam servavit supellectilem, & præ ceteris peripetasmatum seriem trigiota ulnas ambitu colligentem, post annum a tineis admodum corrosam, & ut & chlamydem e panno Angelico confectam, arcæ inclusam: Qua de re quæritur, utrum Theotimus damnum illud Minori debeat præstare, an vero minori illud damnum sit?

Respons.

Minori non est ferendum hoc damnum; non enim satis est Tutorem accurate describere facultates minoris, ut eum ad id compellunt Leges (*l*), par est insuper, ut, cum inter eas res sint quæ perire, aut deteriores fieri valeant, vendat ess fine mora, & paret earum pretio rem minori utilem: ita ut, omittens per diuturnum tempus, teneatur proprio nomine, de damno futuro. *Si Tutor cessaverit in distractione earum rerum, quæ tempore deperennt: suum periculum facit*, habet Lex (*m*): *debuit enim confestim Officio suo fungi .... non quidem præcipiti festinatione, sed nec memoratoria cunctatione*.

Unde concludimus Theotimum debere Honoratu, pupillo, quodvis damnum ab inertia ortum qua corruptæ sunt res in quæsito memoratæ; quum post tantam dilationem non essent vendendæ.

Hoc firmat Edictum Aurelianense a Carolo IX. 9. Januarii 1560. promulgatum (*l*), quod habet: „ Tutores & Curatores Minorum tenebuntur, con„ festim ab indice facultatum pupillis suis pro„ priarum descripto, vendere auctoritate Judi„ cum supellectilem perituram, & acquirere „ pensionem aut prædium, assentientibus cognatis & amicis, denariis collectis cum numerata pecunia quæ adfuerat, pœna a se solven„ di fœnus summæ.

Excipiendæ tamen sunt res mobiles, quarum usus juvat minorem, ut pecus conductitium, cupæ ad upus vinarium necessariæ, aliaque hujusmodi; nam tutor, ea vendens magnum inferret damnum pupillo: Hoc patet ex dispositione plurium Legum (*o*).

Excipitur quoque 1. Supellex, corruptioni noo subjacens, & minoris dignitatem decens, ut tabulæ pictæ Majorum, currus & ejus instrumentum, aliaque ejusmodi. 2. Alia supellex minori majorennitatem assecuturo utilis, qui majorennis, parum carius emere teneretur.

(*l*) Tutores vel Curator. non qui fuerint ordinarii sub præsentia publicatam perfuncram inventariam rerum omnium & instrumentor. solemniter facere curabunt, t. Tutores 24. C. de administr. tutor. l. 5. t. 37.
(*m*) L. Tutor. 7. §. 1. ff de administr. & periculo tutorum &c. lib. 26. tit. 7. Item l. Sancimus fin. §. fin. C. eod. tit.
(*n*) Ed. Aurel. art. 102.

(*o*) Leg Lex quo 22. in fic. C. de administrat. tutorum.

CASUS II.

Hortensius, Tutor Eugenii minoris, quindenos nati annos, & cujus reditus annuus est 3000. Librarum, 1500. Libris, quovis anno, aluit & educavit pupillum, ceteraque tutelæ onera necessaria tulit. Eugenius, majorennitatem adeptus, petiit ab Hortensio rationes, qui retulit, & qui, cum probasset se impendisse 500. Coronatos, quolibet anno, ipsius causa, obtulit solutionem superflui, per quindenos annos, quibus tutelam gessit, abeuntis ad 15000. Libras, quas collegit e reditibus ejus. Verum Eugenius, intendens eum male usum fuisse pecunia, in eum inquisivit, eumque damnare curavit fœnoribus e

Digitized by Google

propria ipsius pecunia solvendis. Qua de re quæritur num Eugenio liceat conscientia, hæc excipere fœnora, & suum facere fructum, si Hortensius actu seposuerit 100. Coronatos quovis anno sine eorum usu?

RESPONS.

Priusquam fiat difficultati propositæ satis, quædam observanda ex quibus decisio manat.

Primum, juxta normam dicendo, tutor tenetur, ex legibus, pecunia pupillari, e vendita supellectili, nominibus actuosis, redemptis pensionibus, aut alias collecta, parare prædia aut pensionem annuam in minoris emolumentum, ut ejus crescat reditus: quo neglecto, tenetur fœnora a se solvere: *Si post depositionem pecuniæ comparare prædia Tutores neglexerunt*, habet Lex (*a*) *incipient in usuras conveniri: Quamquam enim a Prætore, cogi eos oportet ad comparandum: tamen si cessent, etiam usuris plectendi sunt, tarditatis gratia, nisi per eos factum non est quominus compararent*.

(*a*) L. Tutor. 7. §. 3. ff. de administr. & periculo tutorum &c.

Diximus, *juxta normam dicendo*, quia forte nulla affulget occasio certa utiliter pecunia utendi, quo in casu Tutor ab illa occupatione eximeretur, modo sibi rite præcavisset, id est, diligentiam adhibuisset, & instrumenta ederet sententiæ eorum quos consulere tenebatur, ex quibus pateret usui fuisse locum. Hoc probant duæ Leges, quarum prior e Codice Justinianeo excerpta, his concipitur verbis (*b*): *Si pecuniam pupillarem neque idoneis hominibus credere, neque in emptionem possessionum convertere potuisti: non ignorabit Judex usuras ejus a te exigi non oportere*. Posterior e Digestis deprompta, idem habet; en ejus verba (*c*): *Si Tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, quod non erat qui crederet, pupillo vacabit*.

(*b*) L. Si pecuniam 1. C. de usuris pupillaribus lib. 5. tit. 59.

(*c*) Leg. complures 10. §. fin. ff. de adminiftr. & periculo tutorum.

Secundum. Usura pecuniæ pupillaris non ducitur in Tutorem a die quo eam accepit: nam legitimum conceditur tempus ut ea utatur, quod majus, aut minus ex variis circumstantiis summarum & difficilis usus, quam in rem Tutoris est sibi præcavere sententia cognatorum minoris. Summas e parsimoniis natas ad congerendas solet limitari tempus & ad summam faciendam, nempe, triennium quodque ut plurimum, ex usu nostro: & semestris mora ut ejus fiat usus. *Usuræ a Tutoribus non statim exiguntur*, habet eadem Lex modo laudata; (*d*) *sed interjecto tempore ad exigendum & collocandum duorum * mensium, idque in judicio tutelæ servari solet: quod spatium seu laxamentum temporis tribui non oportet his qui nummos impuberum vel adolescentium in suos usus convertunt*.

(*d*) Cit. Leg. Tutor. § 11.

* id est, Duorum.

Ex his duobus notatis manifeste patet Hortensium non debuisse per decennium quo tutelam Eugenii gessit, servare 1560. Libras e parsimonia coactas, quas quovis anno habuit, nec ullam adhibuisse diligentiam ut in usus pupilli converteret juxta usum & post dilationes prædictas, & quia neglexit, jure damnatus fuit usuris Eugenio debitis, quas, tuta conscientia, capere licet. *Ita autem depositioni pecuniarum locus est*, habet Lex (*e*) *si ea summa corradi, id est, colligi possit, ut comparari ager possit. Si enim tam exiguam esse tutelam facile probatur; ut ex nummo referto prædium puero comparari non posset: depositio cessat: quæ ergo tutelæ quantitas depositionem inducat, videamus, & cum causa depositionis exprimatur, ut prædia pupillis comparentur: manifestum est, ut ad minimas summas non videatur pertinere: quibus modis præfiniri generaliter non potest; cum facilius causa cognita per singulos possit examinari*.

(*e*) L. Ita 5. ff. eod. tit.

* Nota, ex usu Juris Romani, Tutorem teneri pecuniam pupillarem e parsimonia natam deponere: sed ex usu nostro est penes Tutorem, nec tenetur deponere.

CASUS III.

ARISTARCHUS, Ambrosii Tutor, qui quæstuosos facere tenetur 1000 nummos Coronatos, pupillo proprios, accepit fœnus juxta usuram Edicti mero mutuo quod Julio dedit quolibet anno, non aliam habens viam faciliorem ac certiorem ea utendi pecunia, quam tenetur quæstuosam facere pœnam solvendi a se fœnus. Tenetur-ne has usuras restituere fœneratorias? Videtur teneri, quum licite non sint pupillo partæ, & ipse sit in culpa? Videtur alia ex parte non teneri, quia locupletior non evasit; his fœnoribus non in suum, sed Ambrosii quæstum conversis?

RESPONS.

Si Aristarcho perspectum sit sibi, conscientia, non licere eum usum pecuniæ pupillaris, sicque sublesta fuisse fide, tenetur proprio nomine restituere fœnora, quæ a Julio accepit: nam absolute dicere non est eum non evasisse locupletiorem, quum Edictum Aurelianense (*f*) exigat ut Tutores teneantur pecuniæ pupillaris usuris, quum legitimus non fuit ejus usus, ac proinde restituendæ sunt ipsis propria fortuna, in pœnam culpæ admissæ; alias locupletiores evaderent, eas non restituentes.

(*f*) Ed. Aurel. art. 102.

Sed si Aristiarchus bona fuerit fide, minime dubius se male agere, & sincerus fuerit animus quæstuosus faciendi 1000. Coronatos usu legitimo, si scivisset Tutoribus interdictum eum pecuniæ pupillaris usum; dicere est ex principio a S. Thoma statuto, non teneri conscientia, restituere propria pecunia: quum defendi possit, eo in casu, non factum ditiorem: bona fide eum a restitutione exsolvente, nec permittente ut pauperior evadat: ea est sententia Auctoris Doctorum Colloquiorum Luconensium (*g*).

(*g*) Colloq. Lucon. tom. 2. colloq. 31. qu. 3.

CASUS IV.

SALVINA, vidua, 3000. Libras in manu habens, liberis suis, quatenus parentis hæredibus, proprias, quorum est Tutrix, compulsa a Judice ut rationibus referat, non solum sortem, sed & fœnora, hanc summam credit mutuam Nummulario simplici chirographo, & fœnus habet 150. Libras quovis anno in liberorum suorum emolumentum, non putans se male agere: quia ex Consuetudine generali regionis id est in usu hujusmodi in occasionibus. Quadriennio post secundo nubit Lamberto Negotiatori, qui quatenus Societatis Dominus continuas bona fide percipit easdem usuras ab eodem Nummulario, non ea tamen mente ut ita apud eum stet hæc summa: sed e contra rogans eam obnixe, animo eam faciendi quæstuosam in propria negotiatione, quam nequivit ab eo retrahere, nec voluit sententiam erogare damnatoriam in eum ne inimicitias cum eo susciperet.

Qua de re quæritur 1. Num Salvina teneatur, conscientia, has usuras restituere fœneratorias Nummulario: 2. Num a se perceptas restituere teneatur Lambertus? 3. Num minores similiter teneantur, absentibus matre & socero.

RESPONS.

Articulus 102. Edicti Aurelianensis in prima decisione allatus hæc aperta habet verba: minoribus licet fœnus propriæ pecuniæ percipere. Unde concludendum minores Salvinæ æquo & bono niti, percipientes 3000. Librarum fœnus, sive via legitima & fœneratoria perceptum a matre & socero: nam a matre perceptum via legitima ipsis esset ejus possessio licita quatenus fructus sortis, cujus sunt domini. Sic contra perceptum via fœneratoria par ipsis est jus habendi ab ea nec, tenentur quærere rationem qua ductum fuit: quum lege teneatur, quatenus tutrix, id solvere, cum neglexerit forte parare prædia aut possessionem annuam, aut ad societatem conferre cum negotiante aut alio. Hoc posito nulla tenentur restitutione in casu proposito.

Ex responsione ad præcedentem difficultatem patet Salvinam a restitutione eximendam esse ob bonam fidem, qua ex hypothesi usa est has percipiens usuras fœneratorias, & quia non evasit ditior, suas non faciens, & ex hypothesi nostra legitimum adhibuisset usum, si se male agere putasset.

Idem dicimus de Lamberto, secundo Salvinæ viro: nam ejus bona fides & sincerus animus retrahendi 3000. Libras a Nummulario ut legitimum faceret quæstum minoribus, eum quoque exsolvit a restitutione, quamvis senten-

tiam

tiam impetrare neglexerit damnatoriam fœnore in Nummularium, hanc restituere summam nolentem ut ex jure tenebatur. Ea est decisio inclyti Theologi, olim Sorbonensis Professoris (*a*).

(*a*) De Saibeuve to. 3. cas. 243.

CASUS V.

Cassander, Jeremiæ Tutor, cum deterius fieri permisisset jugerum vitium, pupillo proprium, non *lata*, sed *levi culpa*, quæ media est inter latissimam & levissimam. Tenetur-ne, conscientia, resarcire damnum quod Jeremiæ incubuit?

RESPONS.

Hic Tutor resarcire tenetur damnum culpa sua licet levi, illatum pupillo. Hoc aperte decidit vicesima tertia Juris Romani regula his verbis (*b*): *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam .... dolum & culpam ... tutela, negotia gesta: in his quidem & diligentiam.* Et quidem Tutor tenetur, conscientia, patrisfamilias vices explere in utilitatem pupilli quamcumq; id est, ea uti prudentia & affectu quo prosequeretur liberum bonus paterfamilias. Atqui Cassander huic defuit; quum culpam admiserit, quæ, licet levis, eum efficit sontem, hoc in casu. Nam culpæ levis sontem esse, prout omnes interpretantur Leges, nihil aliud est quam agere aut omittere quod prudens, peritus & studiosus vir non ageret aut non omitteret in re, de qua agitur.

(*b*) Leg. contractu 23. ff. de diversis reg. jur. ant. l. 50. t. 17.

CASUS VI.

Avircius affecit damno Dionysium pupillum culpa levissima. Tenetur-ne id resarcire?

RESPONS.

Respondemus hunc Tutorem non teneri, conscientia, in casu proposito, ad resarciendam injuriam qua affecit Dionysium pupillum. Nam in tutela tenetur solum culpa, a Jure dicta *lata culpa*: hoc est, culpa maxima, & a Legibus dicta *levis culpa*.

Quapropter, quando constat culpam, damnum generantem, esse levissimam, non tenetur resarcire, nisi auctor culpæ aperte convenisset eam præstare; ut observant hæc Legis verba (*c*): *Nisi, si quid nominatim convenit, vel plus, vel minus in singulis contractibus. Nam hoc servabitur quod initio convenit legem enim contractui dedit.* Nobis est alia Lex quæ habet hanc in rem verba clara & definitiva. En verba (*d*) *Quidquid tutoris dolo, vel lata culpa aut levi, seu curatoris, minores amiserint, vel, cum possent, non acquisierint, hoc in tutelæ, seu negotiorum gestorum, utile judicium venire non est incerti juris.* Hæc apponenda est ratio; sat est ut Tutor eamdem adhibeat curam in administrandis pupilli rebus quam præbere solet bonus paterfamilias in suis, ut habet hæc alia Lex (*e*): *a tutoribus & curatoribus pupillorum eadem diligentia exigenda est circa administrationem rerum pupillarium, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide præbere debet*: ac proinde culpa non tenetur levissima; quum in eam bonus paterfamilias incidere queat inculpatus.

(*c*) Leg. Contractu supra cit. ff. de diversis reg. juris ant.

(*d*) Leg. quidquid 7. Cod. arbitrium tutel. l. 5. t. 51.

(*e*) Leg. a tutorib 33. ff. de administ. & periculo tutor. &c. Item leg. de omnib. 1. ff. de tutela & rationib. distrahend &c. l. 27. t. 3.

CASUS VII.

Symmachus & Faustinus, Cyrilli Tutores nominati a testamento parentis, confirmati sunt a Judice, assentientibus hujus minoris cognatis. Faustinus, cui convenit cum Symmacho ut tutelam gereret, eamque ipsi imposuisset Symmachus 300. Libris collatis, dilapidavit infra biennium fere totam rem pupillarem, evasitque non solvendo. Cyrillus, majorennitatem adeptus, contendit Symmachum teneri in solidum cum Faustino præstare administrationem tutelæ, ac proinde resarcire damnum quod intulit infidelitas & mala Faustini gestio. Symmachus e contra defendit se non teneri ex toto: quum nihil tractaverit, & ad summum sibi præstandum esse dimidium, quum duo essent, & jure Faustinum, Contutorem, teneri altero dimidio solum. Cujus est jus?

RESPONS.

Distinguendum. Nam nominatione duorum Tutorum, vel cuique seorsim annexum est munus & administratio, vel onus fuit commune. Priore in casu, unus alterius administratione non tenetur, *in divisionem autem administrationo deducta*, habet Lex (*f*) *sive a Præside, sive a Testatoris voluntate, unumquemque pro sua administratione conveniri potest* (adolescens) *periculum invicem Tutoribus seu Curatoribus non sustinentibus*. Sed res aliter se habet in posteriore casu; quia eadem administratione pluribus imposita singuli tenentur in solidum, quodcumque pactum inter se contraxerint. *Si divisio administrationis inter Tutores, sive Curatores, in eodem loco seu provincia constitutos facta necdum fuerit* habet etiam Lex (*g*) *licentiam habet adolescens & unum eorum eligere, & totum debitum exigere*.

(*f*) Leg. si divisio 2. Cod. de dividend. tutela &c. l. 5. tit. 52.

(*g*) Leg. si divisio cit. Item leg. de omnib. 1. §. 11. & 12. ff. de tut. & rationib. distrah. l. 27. t. 3.

Dicendum igitur, Symmacho & Faustino simul Contutoribus Cyrilli nominatis sine administrationis distinctione, Symmachum toto teneri damno quod in minore intulit Faustinus: *Sin vero*, habet eadem Lex, *ipsi inter se res administrationis diviserunt, non prohibetur adolescens unum ex his in solidum convenire.* Eadem est decisio illius Legis, (*h*) quæ habet. *Si quidam ex his* (qui non administrarunt) *idonei non sint, onerabuntur sine dubio cæteri: nec inique, cum singulorum contumacia pupillo damnum in solidum dederit.* Id concordat nostro usui ut patet pluribus Decretis, a Paponio & Garonda allatis, a D. Brillon laudatis in Lexico Arrestorum (*i*). Observandum est; si Faustinus satis dedisset in se tutelam recipiens, Cyrillo licere Symmachum convenire post discussionem facultatum fidejussoris, & non solvendo dictum.,, Usque adeo autem ad Con-,, tutores non venitur, *habet Lex* (*k*), si qui sint sol-,, vendo Contutores, ut prius ad ... fidejussores ve-,, niatur.

(*h*) Leg. si plures 38 § 1. de administr. & peric. tutor. &c.

(*i*) D. Brillon Lex Arrest. 2. Tutor. n. 146. & 147.

(*k*) Cit. leg. de omnibus §. 15.

CASUS VIII.

Aventinus, tutelæ sibi impositæ partibus præpeditus, emit Officium, cujus Edictum primigenium largitur hujus muneris, ceterorumque hujusmodi immunitatem; postea significavit se deponere tutelam, & desit ejus partes agere. Num licet hac via se eximere?

RESPONS.

Aventino, cui munus, cum tutelæ immunitate conjunctum, est delatum, non est facultas abdicandi impositum ante Officium partum & acceptum, nec proinde ejus partes negligendi. Ratio est, quia mens Principis non est ut hæc immunitas partes officii jam exercentibus concedatur, sed solum tribuatur iis, qui nondum iniverunt privilegium, quo inviti non compellantur ad accipiendum. Hoc Juri Romano (*l*) consentit, quod ex eo Legem tulit expressam, his conceptam verbis: ,, Tutor petitus ante decreti diem, si aliquod ,, privilegium quærit: recte, petitionem insti-,, tutam excludere non poterit.

(*l*) Leg. Tut. 28. ff. de excusationib. l. 27. t. 1.

CASUS IX.

Leontius, Tutor Alphonsi nominatus, non obstantibus rationibus, quibus se eximebat, provocavit ab electione, legitimam obtendens causam ne tutelam acciperet. Quæstione per trimestre instituta in minoris cognatos, qui eum elegerant, obtinuit sententiam qua exemptus est. Sed quia, intermedio tempore, noluit pupilli rem curare, qui centum amisit Coronatos, ut præstet quæritur: Tenetur-ne hunc minorem præstare indemnem?

RESPONS.

Arbitramur, Leontium ad Alphonsum, cujus nominatus fuit tutor, remunerandum teneri. Nam, sicut plurimi interest ut pupilli statim cura habeatur necessaria, & ejus res administretur, nominatus tutor, licet nolit ejus partes exercere, & agat in

in sui nominationem, tamen censetur tutor, & pro-v suis tenetur partes implere, donec sententia fuerit exsolutus juridica; quum alias minor ejusque facultates negligerentur inter contentionem, diu fortassis indecisam. Hæc decisio, consentire censetur æquitati naturali, & Legi, quæ habet (*a*): *Ipso jure tutor est, & antequam excusetur*. Habet alia Lex (*b*): *Tutor datus adversus ipsam creationem provocavit: hæres ejus postea victus præteriti temporis periculum præstabit*. Ratio quam affert, est, *quia non videtur levis culpa, contra juris auctoritatem mandatum tutelæ Officium detrectare*. D. Brillon Arrestum Parlamenti Parisiensis conformiter latum 27. Aprilis 1534. recenset (*c*).

(*a*) Leg. Si is 31. ff. eod. t. de excusat.
(*b*) Leg. Tutores 39. §. 6. ff de admin. & peric tutorum &c.
(*c*) D. Brillon. Lez. Arrest. v. Tut. n. 5 & 6.

CASUS X.

Elpidius, filiusfamilias, annos 35. complens, at paternæ potestati adhuc subjacens, nominatus est Tutor Florentini, lustrici filioli, cujus rem ferme totam decoxit. Florentinus, majorennis, cum agnovisset quam male se haberent res suæ, & Elpidium tutorem non solvendo, contendit hodie ut parens ejus præstet damnum quod tulit. Parens hujus Tutoris tenetur-ne?

Respons.

Ut huic fiat difficultati satis distinguendum est, Nam si parens Elpidii simpliciter consensit, id est, non intercessit ne tutor Florentini foret filius, præstare non debet damnum quod hic tulit minor juxta hæc Legis verba (*d*): *nec multum videri in hoc casu facere patris scientiam & consensum ad obligandum eum in solidum*. Quod Glossa interpretatur sensu modo edito: *Consensum hic accipere oportet pro taciturnitate & patientia patris*.

(*d*) Leg. Lucius 21. ff. de administ. & perdc. tutor. &c. & ibi gl.

Si vero hujus Tutoris parens se administrandis minoris rebus admiscuerit, & ipse, filii nomine, tutelam gesserit; aut filius gesserit parentis jussu & ope; tacitam contraxit obligationem, qua præstare debet damnum quod Florentinus tulit. *Si filius familias a prætore datus sit*, habet Lex (*e*), *si quidem pater tutelam agnovit, in solidum debet teneri: si vero non agnovit, duntaxat de peculio. Agnovisse autem videtur, sive gessit, sive gerenti filio consensit, sive omnino attigit tutelam*.

(*e*) Leg. si filius fam lias 7. ff. de tutel. l. 26. t. 1.

CASUS XI.

Pelagius, Tutor Joannis nominatus testamento Hieronymi, Negotiatoris Telonensis & parentis minoris, hac clausula, qua non est præstiturus eventum in gratiam Joannis gesti de consilio matris ejus, litem adortus est iniquam nomine pupilli, monente & consentiente palam matre. Victo & impendiis damnato, Joannes majorennis noluit in ratione a Pelagio edita comprobare expensas urgenda lite factas, nec damnum secutum, ita ut ex hac contentione sint in litem ituri: Pelagio contendente hoc damnum in pupillum illabi, quum consentiente matre tractaverit: Joannes nonne tenetur conscientia comprobare Pelagio hunc articulum, impendiisque ac damno, de quibus agitur, gravari?

Respons.

Joannes, in quæsito proposito, non tenetur Pelagio comprobare articulum, de quo lis est. Nam jure non tenetur culpa Tutoris, licet e malo matris consilio perpetrata, in quod sibi non erat abeundum, cum eruditi Causidici, aliique judicandæ liti æquæ aut iniquæ pares, adhibendi essent in consilium, illique insistendum. Ea est Legis decisio, (*f*) quæ habet: „ Pater tutelam filiorum consilio matris geri mandavit, & eo nomine tutores liberavit. Non idcirco minus officium tutorum integrum erit: sed viris bonis conveniet, salubre matris consilium admittere. Tametsi neque liberatio tutoris neque voluntas patris, aut intercessio matris, tutoris officium infringat.

(*f*) Leg. Ita 5. §. 8. de administ. & peric. tutor. &c. l. 26. t. 7.

Nec juvat Pelagium inducere testamentum parentis pupilli. Nam re conjiciendum est testatorem in animo habuisse consilium filio utile, non vero exitiosum, aut damnosum. Igitur, ut dictum, ipsi alius rerum peritus in consilium erat adhibendus; non ignorans mulierem juvando imparem ea in occasione. Ideo negligenti ipsi præstandus est malus litis, perperam nomine pupilli illatæ, eventus, juxta Legem (*g*), quæ habet: „ De omnibus, quæ fecit tutor, cum facere non deberet; item de his, quæ non fecit, rationem reddet hoc judicio.

(*g*) Leg. de omnib. 1. ff. de tutelæ & rationib. distrahend. &c.

Hæc decisio Juris nititur scito, quod fert auctoritatem tutoris non esse obstaculo quin pupillus læsus eo, quod tutor, bona fide, gessit, reheretur (*h*): *Tutor in re pupilli tunc domini loco habetur, cum tutelam administrat: non, cum pupillum spoliat*. Ea sunt verba Legis Digestorum, cui apponenda est hæc alia Lex (*i*) Codicis Justiniani: „ Minoribus 25. annis, etiam in his quæ præsentibus tutoribus vel curatoribus in judicio, vel extra judicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumventi sunt, placuit.

(*h*) Leg. qui fund. 7. §. 3. ff. pro empt. l. 41. t. 5.
(*i*) Leg. Minorib. 2. Cod. si tutor vel curator intervener. l. 2. tit. 24.

CASUS XII.

Annibal Tiburtium, genere propinquum virumque probum, testamento nominavit Tutorem Theodorici, filii unigeniti. Sed, eo emortuo, quinque sex ve cognati ausi sunt huic minori alium adscribere tutorem Licet-ne illis, tuta conscientia?

Respons.

Constat licere his quinque sex-ve cognatis, legitima causa motis, alium Theodorico instituere Tutorem, observando tamen regulas apud nos usu receptas, ex quo tutor quicumque est nominandus & confirmandus a Judice tutelæ minoris, id est, proprio, quod hic agit Judex, monentibus cognatis. Nam, etiamsi, secundum Jus Romanum, Tutor, testamento patris nominatus, sit cuivis aliis anteponendus, & genere proximus, omissa hac nominatione (*k*) Gallica Jurisprudentia, in regionibus in quibus viget Jus Consuetudinarium, penitus non inhæret nominationi testamento patris minoris dictæ, neque proximæ affinitati, licet hoc naturæ propius videatur (*l*); Sed ex usu fit ad Judicem accessus ut coram ipso tutor eligatur minori instituendus, nulla ratione habita designati a patre, nec genere proximi, quum legitima adest causa alium eligendi; ut si ille dotibus boni tutoris destituatur, sive ob corruptos mores, sive imperitiam ingenitam, sive non solvendo, sive ex aliis legitimis rationibus non accipiendo tutelam. Hic usus, a Decretis Curiarum supremarum comprobatus, consentit ipsi juri Romano, in quo est Lex, quæ habet (*m*): *Utilitatem pupillorum Prætor sequitur, non scripturam testamenti, vel codicillorum. Nam patris voluntatem Prætor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum, quæ ipse prætor de tutore comperta habet*. En alteram Legem, huic consentaneam (*n*: *Quamvis autem ei potissimum se tutelam commissurum Prætor dicat, cui testator delegavit: Attamen non nunquam ab hoc recedet; ut puta, si pater, minus penso consilio, hoc fecit, forte minor 25. annis, vel eo tempore fecit, quo iste tutor bonæ vitæ, vel frugi videbatur, deinde postea idem cæpit male conversari, ignorante testatore: vel si contemplatione facultatum ejus res ei commissa est, quibus postea executus est*.

(*k*) Leg. lega 1. ff. de testamentaria tutela l. 26. t. 2. Leg. 6. ff. de legitim. tut. Cod. l. tit. 4. Novell. 118. c. 5.
(*l*) Leg. leg. 1. ff. de legit. tutoribus.
(*m*) Leg. utll. 10. ff. de confirmand. tut. vel curatore l. 26. t. 3.
(*n*) Leg. si pl. 3. §. 3. ff. de administ. & peric. tutorum, &c.

CASUS XIII.

Quibusdam dissidiis de eo quod Gratianus sit solvendo interpositis, qui Germani nepotis tutor erat eligendus; Godefridus scripto testatus est eum esse solvendo, unde electus fuit. Sed cum esset non solvendo, & Germano ingens intulerit damnum inter gerendam tutelam; Germanus majorennitatem adeptus, actionem in Gratianum intendit, & non solvendo agnovit, contendit Godefridum teneri damno quod Gratianus intulit. Qua de re quæritur num Germanus jure Gode-

fri-

fridum urgeat, & compellat ad præstandum damnum, Gratiano illatum?

R e s p o n s.

Germano licet urgere Godefridum, & repetere ab eo damnum, quo eum effecit Gratianus non solvendo, tutor. Leges enim, æquitati naturæ innixæ, fuerunt ut qui testati sunt tutorem esse solvendo, pro ipso spondeant, ac si fide sua esse jussissent: *Eadem causa videtur affirmatorum*, habet Lex (a) *qui scilicet cum idoneos esse tutores affirmaverint, fidejussorum vices sustineant*:

(a) Leg cum ostendim. 4. §. 3. ff. de fidejussor. & nominatoribus, & hæred. tutor. & cur. l. 27. t. 7.

C A S U S XIV.

Arnulphus, tutor Alexandri, cui 1000. Libræ, a patrino legatæ, sunt proventus annuus, parte earum, intra tutelæ tempus, suppeditavit fratri & sorori pupillis, inopia laborantibus, alimenta necessaria: Alexander majorennitatem adeptus, noluit hoc ferre expensum in ratione ab Arnulpho oblata: licet ne jure negate comprobationem.

R e s p o n s.

Alexander inique negat, si Arnulphus tutor sibi licite præcaverit. Nam minor, quilibet, majorennis factus, non modo tenetur ferre, in ratione tutelæ a tutore edita, expensum, sui, reique suæ causa (b), sed & ad præbenda patri, matri, fratribus & sororibus alimenta necessaria factum, ut perhibet Lex, quæ habet (c): *Aliud est, si matri forte aut sorori pupilli tutor, ea quæ ad victum necessaria sunt, præstiterit, cum semetipsa sustinere non possit: nam ratum id habendum est*. Alia Lex idem præcipit his verbis (d): *Existimo & si contra Magistratuum decretum tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit, cum hæc aliter ei contingere non possent, nihil eo nomine tutelæ judicio pupillo, aut substitutis pupilli præstare debere*.

Observandum tamen est nostrum usum penitus non convenire his Legibus. Tutoribus enim, ex nostra Jurisprudentia, hujusmodi expensæ non sunt faciendæ, nisi a Judice mandatæ. Idcireo, quando dicimus Alexandrum inique negare, hoc tenendum si Arnulphus providerit ut Judex ordinaverit expensas ad præbenda sorori & fratri pupilli ad victum necessaria factas.

(b) Leg. contrarium 1. §. 4. ff. de contraria tutela & utilitatione l. 27. t. 4.
(c) Leg Tut. 3. §. 2 ff. de administr. & peric. tutorum, &c.
(d) Leg Qui filium 4. in fin. ff. ubi pupillus educ. vel morari debeat &c. l. 27. t. 2.

C A S U S XV.

Titius, Andronii tutor, minori præbuit in antecessum sumptus, ad 1200. Libras abeuntes, hic minor majorennitatem assecutus, statim mutuas accepit a Mævio 3000. Libras cui prædium unicum, sibi proprium, oppignoravit. Aliquanto post Mævio, manu in hujus proventus prædii injecta ut solverentur 3000. Libræ, Titius intercessit; contendens sibi prius summam esse solvendam. An æquum est ut Mævio anteponatur, cui pignus est speciale jure suo in prædium?

R e s p o n s.

Æquum est ut Titii summa prior solvatur: nam, quemadmodum minoris pignus naturale est facultates tutoris de debito administrationis causa (e), ita tutoris pignus est facultates pupilli de sumptibus legitimis in antecessum suppeditatis ejus gratia: *Hoc autem causæ mutuæ sunt actiones*, ait Imperator Justinianus (f). Hæc hypotheca consequitur natura administrationem tutoris, estque accessio obligationis mutuæ inter tutorem & minorem contractæ. Quod palam facit hæc alia Lex (g): „ Ut plenius dotibus subveniatur, quemadmo- „ dum in administratione pupillarum rerum & in „ aliis multis juris articulis tacitas hypothecas in- „ esse accipimus, ita & in hujusmodi actione da- „ mus ex utroque latere hypothecam.

Hoc posito, Andronius tradere nequivit Mævio prædium in hypothecam, quæ minuat hypothecam tacitam Titii quatenus tutoris, quia eum cuivis alii creditori anteponit. Addendum, præter hanc hypothecam tacitam, tutori esse privilegium speciale de summis in antecessum præstitis ad conservanda bona aut nomina activa pupilli, & hinc aliis quibusvis creditoribus anteponendum esse in bona & nomina ejus,

(e) Aresta Parlam. Dix. 7. Mart. 1703. Bouvot to. 2. v. Hypothec. & discussio q. 27.
(f) §. 2. Inst. de obligationib. quæ ex quasi contractu nascuntur l. 3. t. 28. Item t. si quis 5. §. 1 de obligationibus & action. l. 44. t. 7.
(g) Leg. Rem in præsenti un. §. 1. Cod. de rei uxoriæ action. l. 5. t. 13

C A S U S XVI.

Domitius cum nominasset testamento Theophilum, tutorem Vincentii unigeniti sui, 18. annos nati, & significasset se eum eximere a ratione tutelæ reddenda, Theophilus electus & confirmatus fuit, consentientibus cognatis, auctoritate Judicis, tutelamque gessit ad Vincentii majorennitatem usque, qui postea voluit ab eo rationem exigere. Qua de re quæritur, num Theophilo, quem gestio tutelæ non incusat probri, non liceat se immunem facere; quum paternis testamentum eximat eum penitus; & num Vincentio liceat sine injustitia in negantem intendere actione ut compellatur ad rationem referendam?

R e s p o n s.

Rationem edat Tutor adeo necesse est, ut ad id teneatur, quamvis pater minoris eum absolverit ab ea testamento, eum filii tutorem nominans. Ratio est, quia alias mala gestio & fides plurium tutorum pœnas non darent, quod bono omnium damnosissimum, & a bonis moribus alienissimum. Ea est decisio Legis, quæ habet (h): *Quidam decedens filiis suis dederat tutores, & adjecerat; eosque anclogistos* • *esse volo. Et ait Julianus, tutores nisi bonam fidem in administratione præstiterint, damnari debere, quamvis testamento comprehensum sit, ut anecloglsti essent* ... *& est vera sententia. Nemo enim jus publicum remittere potest hujusmodi cautionibus, nec mutare formam antiquius constitutam*.

(h) Leg. Ita 5. 7. ff. de administ. & per tut. &c. • Anecloglsti id est, immo. reddendæ rationis Gl. in d. leg.

Vincentio igitur licet jure Theophilum urgere: eumque addicere rationi referendæ. Nam forte Domicius hunc eximit tutorem a ratione edenda; ut testaretur fiduciam & probitatem quam habebat in eo, & erravit in judicio ejus æquo, aut Theophilus tunc re vir probus postea malæ frugis, & perverse administravit tutelam, quod re innotescet quando accusatam gestionis tutelam edet.

Hic considerationem dicta firmantem apponemus. Etiamsi minor, majorennis factus, cum tutore transegisset, de administratione tutelæ, eique scripsisset apocham aut quodlibet illud instrumentum, quo eum dixisset solutum directe vel indirecte, antequam hic tutor formulis usitatis rationem retulisset: hoc non juvaret tutorem, & ejusmodi instrumenta semper essent a probis moribus aliena, & doli suspecta a tutore, qui jure censendus esset pupillo occultasse suo verum locum rei ejus: quum, ut dictum, penitus pernosci queat sola ratione a tutore edenda. Hoc apud nos est in usu, licet duabus Legibus Romanis in margine citatis adversum (i).

(i) Leg. Act. 4. & leg. cum te 5. Cod. de transaction. l. 2. t. 4.

C A S U S XVII.

Gennadius, Armandi tutor, consentientibus pupilli cognatis, agebat litem, in ejus gratiam, ut ipsi adjudicaretur hæreditas 2000. Coronatorum, de qua lis erat, iniqua, & meris cavillationibus nixa & vita decessit lite nondum decisa. Armandi cognati nominare alium tutorem neglexerunt per semestre, quo pars adversa hæreditatem sibi adscribi curavit: Gennadii hæredes, ejusque cognati, licet huic pares, pro eo dicere operam non navarunt. Hic minor, majorennitatem assecutus, a tutoribus hæredibus rationem repoposcit, & contendit ipsis compensandum damnum litis. Hæredes defendunt, se, quamvis in bona Gennadii venerint non esse tamen pupilli tutores, juxta hanc Legis regulam (K): *Sciendum est nullam tutelam hæreditario jure ad alium transire*. Ac proinde non teneri ejus gerere rem, nec pro lite vigilate. Num his hæredibus est jus?

(k) Leg. Tutela 16. §. 1. ff. de tutel. l. 26. t. 1.

R e-

RESPONS.

Gennadii hæredibus non est jus. Nam, quum pro Armando dicere pares essent, absente defuncto, & ageretur de re magna & urgentissima, tenebantur ei navare operam, donec alius fuisset electus tutor, aut cognati alias providissent, adeo ut, si neglexerint mala fide, ut odio, aut vindicta, aut eorum negligentia fuerit crassissima, præstandum sit ipsis damnum Armando illatum. Sic definit Lex his verbis (a): *Quamvis hæres tutoris tutor non est, tamen ea quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem, si legitimæ ætatis & masculus sit, explicari debent, in quibus dolus ejus admitti potest.* Idem patet ex hac alia Lege (b): *Hæredes tutorum ob negligentiam, quæ non lata culpæ comparari possit, condemnari non oportet.* Quibus ex verbis constat, si negligentia hæredum sit supina & damnanda, & patrocinari minori pares essent, aut alias providere, eos non eximi a præstando damno quod culpa eorum illatum est.

(a) L. quamvis 1. ff. de fidejussor. & nominat. & hær. tut. & cur. l. 27. t. 7.
(b) L. Hæredes 1. Cod. de hæred. tut. vel curat. l. 5. t. 53.

Probatur responsio hæc exemplo tutoris ipsius quia tutela non eximitur, ex quo cessavit. Nam omnia tutelam attingentia deserere nequit, sed semper tenetur iis continuam dare operam quæ sine damno obventuro negligere non valeret, & providere ei quod nullam patitur cunctationem donec gestionis rationem retulerit, aut antequam edat, chartas instrumentaque necessaria restituerit ei, cujus erat tutor, ut suis attendat rebus; *Tutores*, habet Lex Codicis (c), *qui necdum administrationem ad curatores transtulerunt, defensioni causarum pupillarium assistere oportere sæpe rescriptum est. Et ideo, sicut proponis, instrumenta, quibus asseri possunt causæ provocationis, etiamnum hi, quorum meministi, apud se detinent, aditus Præses Provinciæ periculi sui eos admoneri præcipiet*: Unde concludendum, quamvis, absolute, tutela destinat morte tutoris *finitur* (tutela) *morte tutoris*, (d) hæredem tutoris gerentem defuncti personam, teneri negotiis, quæ habebat is cujus partes sustinet; cum in ejus bona ut & munera, venerit, quamvis, juxta normam dicendo tutela cesset morte tutoris, juxta ac majorennitate minoris, quia hujusmodi res sunt accessio tutelæ, & hæredi sunt implendæ, absente ac emortuo tutore; *Quasi connexum sit hoc tutelæ officio*, ut habet Lex (e)

Sed quavis alia re, quæ vivo tutore, licet, ipso negligente, non fuit inchoata, hæredes non tenentur erga minorem, quia, ut habet Lex (f); *negligentia propria hæredi non imputabitur*. Insuper in re tutelari, standum est variis usibus, statutis & probatis jure Consuetudinario, in Provinciis, in quibus viget. Nam consuetudini, ut Legi obtemperandum est ipso in foro conscientiæ.

(c) L. Tut. un. Cod. ut causæ post pubertatem; adsit tutor. l. 5. t. 48
(d) L. Nisi 4. ff. de tutel. & rationib. distrahend &c. l. 27. t. 13. Item §. 3. Inst. quibus modis tutel. finitur. L. 1. t. 25.
(e) L. Ita 5. §. 5. ff. de admin. & petic. tutor. &c. t. 26. t. 7.
(f) L. cum ostendim. 4. §. 1. de fidejuss. nominat. & hæred. tut. & curatorum.

VECTIGALIA.

HOc in titulo statuimus dicta, quorum quinque eos attingunt quorum est imponere vectigalia, quibus de causis & quo tempore, & sextum respicit obligationem, qua tenentur vectigales solvere, juxta hæc Domini nostri verba: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari* (g): hæcque Apostoli: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis .. reddite ergo omnibus* (*Principibus*) *debita. Cui tributum, tributum cui vectigal, vectigal* (h), & hæc obligatio, conscientiæ officium, necessitati inevitabili horum adjumentorum ad bonum commune innixum violari quibusdam in casibus nequit absque peccato mortali, ut exponemus. Hinc juxta jus Romanum, fraudare vectigalia est crimen, juxta hæc Legis verba (i): *Fraudatis Vectigalis crimen*.

(g) Matth. XXII 21. Marc. XII. 17. & Luc. XX. 25.
(h) Rom. XIII. 5.
(i) L. fraudati 8. ff. de Publicanis & vectigal &c. l. 39. t. 4.

Triplex distinguitur tributum aut vectigal, quorum hæc quidem sunt omnibus communia, illa vero a solis exiguntur ignobilibus.

Primum imponitur personis pro rata facultatum, tum moventium, cum non moventium, & emolumentorum industria comparatorum: quod dicitur Vectigal Capitale.

Secundum solis imponitur fundis, nulla personarum habita ratione, quod vocatur Vectigal eale.

Tertium denique levatur de rebus mobilibus, nulla personarum ratione habita, ut vectigal sali, vino, ligno, aliisque annonis & mercibus imposita.

Impositum capitale Vectigal 1. mandatur a Principe, summam in toto Regno imponendam limitante. 2. Hæc summa tota dividitur in viginti tres Regni Generalitates, & Galliæ Thesaurarii, primarii Ministri, iterum dividunt in centum sexaginta novem Curias, & quævis Curia tertiam instituit divisionem, quæ dicitur *Tributorum descriptio*, eamque mittunt in Civitates Oppida & Vicos, in quibus Præpositi partibus tributi capitalibus imperandis scribunt Indices, in quibus cuique imponitur summa solvenda pro facultatibus.

In imponendo Vectigali eali idem observatur ordo quavis in Civitate, Oppido, aut Vico Provinciæ in qua usu recipitur: idque pro ratione imponendorum hæreditatibus in descriptionibus, quibus insunt, sitis: quod est officium huic rei Præpositorum.

Denique Vectigal annonis & mercibus, ei subjacentibus, impositum levatur in locis qua transeunt, aut venales sunt juxta earum naturam, aut secundum numerum, pondus vel mensuram, & Instituta Principis, tributa Indicibus limitantia, quæ habent portorium quod pro singulis mercimoniis solvitur.

Diximus, *subjacentes*, nam quædam sunt liberæ, ut Libri.

Victis

Vectigalia capitalia imponuntur in loco ſedis cuilibet familiæ capiti, cujuſcumque ſexus, pro ratione facultatum, induſtriæ, & poteſtatis; & hanc ob cauſam, conjugibus, a viris non ſejunctis, non imperatur pars tributi quum viri ſoli ſunt capita familiæ, pars tributi ipſis imponitur, non ſolum pro propria, ſed etiam nxorum fortuna.

Vectigalia realia imponuntur in locis ipſis, in quibus poſiti ſunt fundi, licet abſint Domini. Hoc in uſu erat apud Romanos: *Is, qui agrum in alia civitate habet, in ea civitate profiteri debet, in qua ager eſt. Agri enim tributum in eam civitatem debet levari, in cujus territorio poſſidetur.* (a). Ejuſmodi Vectigalia ſolvenda ſunt, non ſolum a Dominis; ſed etiam ab oppignoratoribus, uſufructuariis, & villicis, & veteris fundipoſſeſſoribus, quorum bonis præſtanda eſt ſumma impoſita, ſive divites, ſive pauperes ſint, quum hic fundus cenſeatur ſimpliciter addictus & oppignoratus in hoc Vectigal.

(a) Leg. Forma 4. §. n. ff. de cenſibus l. 50. t. 15.

Quoad vectigalia & tributa, quæ levantur ab annonis & mercibus, dominis; fraude, eorum ſolutionis vitandæ cauſa, utentibus, detectis; merces actu & re addicuntur fiſco. Quapropter tum ipſi, cum hæredes, tenentur jacturam ſubire. *Fraudati vectigalis crimen*, habet Lex, *ad hæredem ejus, qui fraudem contraxit, commiſſi ratione tranſmittitur* (b).

(b) Cit. Fraudati ff. de publ. & vectig. &c.

Hoc eſt edictum conſtans & regula generalis. Vectigales quicumque carceribus nequeunt includi ob vectigalia, niſi delictum ſit comes. Et quidem, ſi res ſeſe aliter haberet, omnes carceres brevi impleret inhumanitas præpoſitorum levandis vectigalibus, & tributis.

Aliud vectigal, nomine *denarii conceſſionis*, non inditur Theſauro Regio, ſed inſumitur in uſibus civitatum neceſſariis: ſive in pavimento & expurgandis viis, ſive in ſartis tectis, mœnibus, aliiſque impenſis hujuſmodi, quod tantum exigitur cum licentia Regis clara, tum ut amoveantur abuſus, committendi a præpoſitis huic exactioni & uſui deſtinato, cum quia indirecte conferunt ad Principis commodum, cujus intereſt, ut omnes civitates ſint bene moratæ & perbono habeantur loco. Clerici, Nobiles, & Miniſtri non ſecernuntur a civibus, quando toti Civitati hoc imponitur tributum: ſinguli ex æquo ſubſunt.

CASUS PRIMUS.

Mauricius, negotians variis in Provinciis intra, & extra Regnum, fecit ſibi copiam vectigalia fraudandi, quæ ſolvuntur pro portorio mercium ſuarum, eas traſportare per itinera avia, aut quibuſdam ſtratagematibus Diribitorios Præfectos fallens. Licet ne ſine peccato, præſertim quia, inquit, vectigalia ſunt enormia, & præterea autumant boni Auctores Legem vectigalium eſſe pœnalem, ac proinde ea deberi ad ſummum, poſtquam iis addixerit illos, quibus impoſita fuerunt?

RESPONS.

Ut bene concipiatur æquitas vectigalium, credimus, neceſſario indicare, quibus conditionibus ſint legitima. Cabaſſutius quinque apponit, a Cardinale Cajetano excerpta (c).

(c) Joann. Cab. Juris can. th. & pr. l. 6. c. 29. n. 2.

Prima: Exigenda ſunt a Poteſtate ſuprema in Statu politico, ſive præſit onus, aut plures. *Prima conditio*, inquit hic Canoniſta, *eſt legitima poteſtas, quæ debet eſſe ſuprema in ſtatu politica; hoc eſt, in Principibus & Rebus publicis Superiorem non agnoſcentibus.* Ratio, quam affert, eſt, quia Princeps, Superiorem non agnoſcens in terra, gaudet poteſtate, a populo, poſt Deum oriunda. Æquum eſt igitur, ut populus neceſſaria ad ſortem & dignitatem ſuſtentandam præbeat.

Secunda: Vectigalia cauſa nitantur legitima, & Princeps non poſſit non licite exigere. *Secunda conditio eſt, ut vectigal, ſeu tributum, ſit ob juſtam cauſam, cui aliter provideri commode non poſſit*: id eſt, quum Princeps emineat ad protegendum populum, & amovendas miſerias & ærumnas, hic populus tenetur ſuppenditare neceſſaria tributo ſolvendo.

Tertia, quæ neceſſario conſequitur ſecundam; Vectigalia legitimæ correſpondeant neceſſitati Principis: *Tertia conditio, ut vectigal neceſſitatem non excedat: qua enim parte excedet, tranſiliet fines juſtæ inſtitutionis, & injuſtum erit.*

Quarta, quæ ſecundam rurſus conſequitur: Princeps non abutatur vectigalibus, quæ a ſubditis exigit, *Quarta: ne inſumatur in alienos uſus, ut in prodigas legationes, voluptuarios Principis ſumptus, qui modum excedant, aliaſve inutiles expenſas*, Et hanc ob cauſam Principes vectigalia exigentes ad fovendum luxum, libidinem, effuſionem, & voluptatem, ſunt coram Deo nocentiſſimi, juxta hoc Sancti Auguſtini eximium verbum (d): *Remota juſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* Inde ait Sanctus Thomas (e), exigentes vectigalia iniqua teneri iis reſtituere, qui ea ſolverunt: & eo nocentiores eſſe, quo juſtitiam violent publicam, ad cujus conſervationem conſcenderunt in ſublimem locum, quo eminent. „Tales Reges & Principes ad reſtitutionem tenentur, „ſicut & latrones, & tanto gravius peccant, „quam latrones, quanto periculoſius & communius contra juſtitiam agunt, cujus cuſtodes ſunt poſiti.

(d) S. Aug. l. 4. de civ. Dei c. 4.
(e) S. Th. 2. 2. q. 66. a. 8. & a. 3.

Quinta denique: Princeps vectigalia exigat per totum tempus, quo neceſſitas urget legitima. *Quinta demum conditio: ne diutius continuetur vectigal, quam poſtulat cauſa, ob quam indictum fuerit, niſi forte nova cauſa ſupervenerit, propter quam imponi licuiſſet*: quod intelligendum eſt de neceſſitatibus tranſitoriis, quæ Principi incumbunt bello juſto ad regendum vel nocendum. Nam quoad perennes neceſſitates, ut expenſas continuo tum ſibi & familiæ, cum bono Regni, faciendas, æquum eſt, ut vectigalia eas ob cauſas exacta ſimiliter perennia ſint & continua, modo hujuſmodi correſpondeant neceſſitatibus.

Hoc poſito, reſpondemus non affirmandum Mauricio licere ſine ſcrupulo fraudare vectigalia legitima a Principe impoſita. Nam Principi-

CASUS PRIMUS.

Capitulum Ecclesiæ Ratisbonensis amplam possidet Terram, aut Ditionem, in qua gaudet jure venationis, aliisque juribus honorificis. Maximilianus, vir illustris, Capituli Canonicus, petit, num vi hujus juris, ipsi liceat venari, cum hac versatur in Terra, & potissimum, cum Capitulum obicem non ponit?

Respons.

Maximilianus, obtendens Capitulo jus esse venationis, ipse venari nequit. Nam hoc interdicunt strictissime omnibus Ecclesiasticis permulta Concilia & Patres, ut alibi invicte probamus, dicentes de moribus & officiis eorum, qui hunc induerunt statum. Quod igitur Canonici Ratisbonenses, vi juris venandi, ditioni, qua gaudent affixi, obtinere possunt, est, ut Laicis venatio permittatur, consentiente Capitulo: nec satis deflenda eorum cæcitas, qui sibi contrarium arrogant usum. Ac sane si hoc jus Ecclesiasticis, qui eo gaudent, favere posset, ut ipsi venarentur, sequeretur etiam Episcopum posse venari in Terra suo Episcopatui adjacente, cui hoc adhæreret jus. Idem etiam dicendum esset de Religiosis, imo de Monasteriis strictiorem observantibus normam, quibus talis est Terra: quod omnino absurdum, & assetî nequit.

CASUS II.

Stephanus, Ecclesiasticus, apud suum Patrem, Parœciæ Dominum habitans, aliquando tenetur obsequio venari cum eo leporem, & perdicem. Potestne absque peccato?

Respons.

Stephanus sic patri suo obsequi non posse absque peccato patet; Concilia enim venationem Ecclesiasticis probibent. Concilium Agathense, Papa Symmacho, anno 506. habitum (a), eam interdicit mulcta suspensionis, his verbis: *Si Episcopus ex tribus mensibus se suspendat a communione: si Præsbyter, duobas mensibas se abstineat: Diaconus vero ab omni officio, vel communione cessabit*. Hoc exercitium mundanum pariter inhibet II. Concilium Matisconense, Pontifice Pelagio II. habitum anno 580. (b) Vermeriense (c), Concilium Turonense III. Leone III. habitum anno 813. (d) Parisiense an. 1212. (e) quod sic se habet: *Probibemus etiam universis Clericis beneficiatis, ne canes, aut aves habeant ad venandum, vel aucupandam, aut venationi, sive aucupationi inserviant*. Concilium Nanuetense a Vincentio Turonensi Archiepiscopo coactum anno 1264. quod habet: (f) *Quia nullum Venatorem invenimus sanctam, præcipimus, ut Prælati sollicití sint, & intenti in puniendo Clericos Venatores, & præcipue Præsbyteros, & Religiosos, quibus majus scandalum generatur*. Concilium Ravennatense IV. an. 1317. habitum (g). Senonense, a Cardinalili Duptat, & ejus suffraganeis, Clem. VII. Pontifice, collectum an. 1528. (h), cujus Decretum est: *Contra Clericos Venatores, vel negotiis sæcularibus implicitos, si a venandi negotiandive consuetudine moniti non desistant, ad pœnam Aurelianensis Concilii, & alterias Lateranensis procedetur*. Rhemense ann. 1583. coactum (i): Uno verbo, in sola Binii collectione plura congeruntur quam triginta Concilia diversa, omnibus Ecclesiasticis venationem interdicentia. Concilium Lateranense IV. Generale, Innocentio III. Papa habitum, solum sufficit sine ulteriori probatione, cum illam indiscriminatim, & absque ulla exceptione interdicit, his verbis: *Venationem, & aucupationem universis Clericis interdicimus* (k).

Divus Hieronymus persuasum habet venationem non esse Ecclesiastici opus, quum dicit: (l) *Esau Venator erat, quia peccator erat: & penitus non invenimus in Scripturis Sanctis sanctam aliquem Venatorem*.

Excipienda tamen venatio, quæ retibus peragitur: nam usus retium, quibus fit aucupatio avium censetur potius oblectatio honesta, quam vera venatio.

Hanc exceptionem videtur etiam Conc. Tr. intendisse, solam interdicendo venationem illicitam: *ab illicitis venationibus ... abstineat*. Hæc venatio non est illicita, dummodo fiat temperate, & tempore opportuno, quum non multum abducit, nec adversatur studiis, & aliis muniis, aut officiis veri Ecclesiastici, ut aliæ venationes.

Auctor Glossæ (m) manifesto vidatur ejus esse sententiæ, quum dicit: *Saltaosa, & clamosa venatio licita est Laicis: sed Clericis omnino non licet talis venatio, sed quieta ... causa necessitatis, vel recreationis*. Cardinalis Hostiensis (n) idem docet, dicens: *Quieta, & recreativa conceditur Clericis, quando fit, non causa voluptatis, sed recreationis; ad incitandum forsan appetitum, vel calorem naturalem*. Hanc autem adjungit legem: *dummodo frequenter non insistant*. Tostatus, Abulensis Episcopus (o), paucis eumdem affigit sensum Canonibus venationem prohibentibus: *Venatio*, inquit, *quæ est cum canibus, vagande, & cum avibus, Clericis non est licita: venatio tamen, quæ est quieta, & sine clamore, ut ponere laqueum, vel retes, ubi nec est clamor, nec canes, & illa licita est Clericis causa necessitatis, vel recreationis*. Hæc etiam sententia Sancti Raimundi a Pennafort.

Quod hactenus diximus indicat Ecclesiasticorum opus nunquam fore venationem, de qua in proposito casu, absque peccato contra vetitum Ecclesiæ toties iteratum ab ejus Conciliis, & renovatum ab Episcopo Parisiensi: in octavo Synodi articulo, 7. Septemb. 1597. habitæ. Eorum officium essentiale est vacare precibus publicis, aut peculiaribus; studiis, & exercitiis pietatis, & charitatis: & iis intendere attentione seria, ac proinde summo vitare studio venationem; cum nullum exercitium magis avocet, & minus deceat in Ordinibus sacris sitos: revera quid dicent mundani, videntes Ecclesiasticum Altari assidentem, sanctum offerentem Sacrificium, aut ministrantem, aut suum manu habentem Breviarium, aut tandem cuidam vacantem partem Ministerii sui sacri, & paulo post venationi insistenteD, sclopum humero imponentem, aut avem manui insidentem, instar furiosi vagantem in agris cum canibus, aut post feram? Nonne solo sensu communi utens, judicabit hoc opus omnino repugnare sancto ejus statui, & æquissime Ecclesiam illud omnibus Ecclesiasticis interdixisse.

CASUS III.

Duo rustici, Sancti Gaudi Parœciani, sæpe venantur, contra inhibitionem a Domino loci editam. 1. Possunt ne, saltem clam absque peccato? 2. Si peccant, tenenturne ad restitutionem bestiæ, quam occidunt, aut ad ejus pretium?

Respons.

Hoc in casu multi Casuistæ non dubitant decidere in gratiam ignobilium (p), immo doctus Episcopus Hispanus (q) Principi non esse jus prohibendi illis venationem asserit.

In sententiam horum duorum Auctorum ire nequimus: contra credimus nullum esse Rusticis jus venandi, & venando, peccare aliquando gravissime.

Ut hoc confirmetur, supponendum est principium hoc, ab Apostolo S. Paulo in sua ad Romanos Epistola (r) positum: Omnis homo subsit Potestatibus supereminentibus: quia nulla est Potestas in terra nisi a Deo, & qui ei resistit, non subjacet ordini ab eo inter homines constituto, ac proinde justam incurrit damnationem: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim Potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*.

Principes autem omnibus inhibent venationem ignobilibus: & quidam Reges nostri, Franciscus I. (s) & Henricus IV. (t) eam pœnam mortis interdixerunt obstinatis. Verum, ut hæc pœna severior visa fuit, illaque mandata nunc sua destituuntur vi, nobis aliorum mandatis Principum insistendum, qui iniquum putarunt suis vitam eripere subditis ob necem bestiarum.

(a) Conc. Agath. can. 55.
(b) Conc. Matisc. can. 13.
(c) Conc. Vermer. can. 6.
(d) Conc. Turon. III. can 8.
(e) Conc. Par. ann. 1212. p. 2. cap. 13.
(f) Con. Nannet. c. 3.
(g) Conc. Ravenat. IV. s. Rubrica 17.
(h) Conc. Senon. an. 1528. c. 26.
(i) Conc. Rhemen. t. de Clericis in genere n. 6.
(k) Conc. Lat. IV. can. 15.
(l) S. Hier. in com. Esai. dist. 86.
(m) Conc. Tr. sess. 24. de Ref. c. 12.
(n) Gloss. in c. Ep. so. de Clerico venatore.
(o) Hostiens. in t. c. Episcop.
(p) Infeldien.
(q) Covarruv.
(r) Rom. 13. 1.
(s) Mand. 1615.
(t) Mand. 1601.

(a) Mandat. 10. Dec. 1587.

Henrico III. (a) ergo sat fuit pura venationis inhibitio, voluitque ipsius argumenta evulgare, quorum præcipua hæc: 1. Rustici a labore cessant, ut venentur. 2. Regionis depopulantur bestias. 3. Et libertas portandi arma eos redderet voluntarios aut vagos. His addendum ei, qui contra inhibitiones venans deprehenditur in mentem quandoque venire, ut eum interficiat, qui vult arma ipsi evellere, ut multoties vidimus imprimis in Domino, qui nobis notus, & Comitis filius natu major, in cujus terris quidam sine licentia venabatur, & eum occidit, ne cum pudore suum remitteret sclopetum.

(b) Mandat. 1669. t. Venationum. a. 2.

Rex Ludovicus XIV. suo de Aquis, & Sylvis mandato (b) pariter pœnam mortis abrogavit, sed redintegravit supplicium virgarum, exilii, aut triremium, prout casus exigit. In Arrestis juxta hæc varia Mandata pronunciatis legimus Arrestum a Parlamento Divionense (c) editum 26. Julii anno 1566. a Bouvot (d) relatum, & aliud 18. Aprilis 1609. prolatum, & tertium a Parlamento Gratianopolitano 30. Aprilis 1668. pronunciatum (e).

(c) Arrest. Divion. Parlam. ann. 1566.
(d) Bouvet. to. 1. v. Venatio q. 1. Id. ib.
(e) D. Brill. Dictionar. Arrest. v. Venatio n. 19.

Inde colligimus peccatum, a duobus hisce Rusticis perpetratum, posse gravissimum esse, imo mortale, si periculum has patiendi pœnas ineant sua pertinaci inobedientia: cum nemini liceat periculum incurrere, quo privetur libertate, aut ignominiæ nota ipsi aut familiæ inuratur. Istud hoc nititur axiomate, quod Pater Alexander (f) docet, quo enormitas peccati deducitur gravitate pœnarum contra Legis transgressores enunciatarum: *Quoties Lex humana præcipit aliquid, vel prohibet sub gravi pœna: v. g. mortis, mutilationis, exilii, damnationis ad triremes, &c. recte colligitur legem, aut præceptum sub mortali peccato obligare; nec levis momenti rem esse, quæ præcipitur, vel prohibetur.* Sed quicquid sit, & licet Rusticus moraliter persuasum habeat suum Dominum non esse eum in jus vocaturum, ut ipsi infamiæ pœnæ infligantur, liquet tamen ipsum peccare, sibi arrogando jus non suum, & sibi expresse interdictum non solum a Domino loci, sed & ab æquis Principis mandatis, cui omnis subditus obedire conscientia tenetur. Hæc de prima quæstione nobis dicenda erant.

(f) Natal. Alex. Theol. dog. tom. 2. l. 4. de Decalog. c. 10. ar. 30. reg. 5.

Quod ad secundam: illos duos Rusticos existimamus non teneri ad restitutionem Domino Parœciæ, in qua bestiam occiderunt. Ratio est, quia animal sæpe vagatur de Feudo in Feudum sua libertate naturali: & varia sunt transitoria, ut rusticulæ, coturnices, palumbi, odes, turdi, & plura alia ejusmodi, quæ certa anni tempestate e regione prætervolant in aliam calidiorem, aut frigidiorem; quo fit, ut Dominus loci non possideat jure.

Excipiendi sunt illi, qui cuniculos perimunt Dominorum, quibus est jus Leporarum, aut qui interficiunt, vel aucupantur eorum columbos; aut qui tandem in eorum stagnis piscantur pisces; illi enim latronum instar, ad restitutionem tenentur; sic eos denominant nostræ Consuetudines, ut Cenomanensis (g), Britannica, Aurelianensis, Nivernensis, Burdigalensis, & Durdanensis, quæ præcipiunt, ut illi corpore luant. Sic decidit Auctor recentior, nuper fato functus origine, & animi dotibus illustris (h).

(g) Consuetudo Cenoman. a. 163. &c.
(h) D. Roges Andr. Palocile Ref. cas. consc. p. 48. & seq.

CASUS IV.

Vitalianus, vir nobilis, in districtu Ditionis Sancti Algot commorans, sæpe venatur, contra inhibitionem Domini summi Judicis. Potestne jure?

RESPONS.

Distinguendi sunt duo viri nobiles in Parœcia residentes: quibusdam enim est Feudum Parœciæ nobiliter Domino subjacens æqui observantissimo Judici, & alii destituuntur Feudo. Prioribus est jus venandi in limitibus sui Feudi, ut habet Mandatum Aquarum & Sylvarum anni 1669. (i) possunt etiam domesticis suis permittere venationem non obstante declaratione 1. Martii 1694. qua Henricus IV. hanc concedebat prærogativam sexagenariis solum, aut alias venando imparibus.

(i) Mand. Aqu. & Sylv. t. de venation. a. 16.

Nam mandatum Ludovici XIV. (k) præcipit, ut Mandata 1601. & 1603. observentur, sine ulla mentione Mandati 1604. Hinc sequitur art. 5. Mandati 1601. quo omnibus dominis licet permittere venationem suis acceptatoribus roborarii custodibus, & aliis Ministris Domesticis, debere suam servare vim, & suum sortiri effectum.

(k) Mandat. Lud. XIV. de venation. a. 1.

Ratio hujus discriminis fulcitur in eo, quod viri nobiles Feuda possidentes, Nobilitatis evocationi subsunt, cum Rex necesse existimat esse cogendos ad quod simplices viri nobiles non tenentur.

Observandum est Dominos Feudales non posse suum venandi jus in ignobiles traducere, quibus suas tradunt terras censui obnoxias; quia ignobiles non sunt pares eo gaudere, ita ut tanquam a Dominio directo, quod retinent indivulsum ipsis adhæreat. Hoc probat Mandatum Francisci I. anno 1533. quo hic Princeps nullas & irritas facit omnes conventiones, in gratiam venationis inter Dominos, & eorum Vassallos, infeudando illis suas ditiones, factas. Hujus vi Mandati Bonifacius (l) laudat Arrestum illi consentaneum, editum a Parlamento Aquensi 14. Maji 1661.

(l) Hyacint. Bonif. t. 2. l. 9. c. 3.

Colligendum ergo est, venationem, si Vitaliano sit Feudum, esse licitam in tota latitudine Feudi; sed si simplex sit vir nobilis, Feudo destitutus, non posse sine injustitia venari contra inhibitionem Domini loci.

CASUS V.

Eutymius Parœciæ ruralis Dominus, venationi vacat sæpe pluribus diebus Dominicis, & Festis, postquam interfuerit Missæ privatæ. 1. Nonne peccat contra præceptum sanctificandorum Festorum? Quod ejus peccatum?

RESPONS.

Nullus dubitat, quin Euthymus violet mandatum sanctificandorum dierum Dominicorum, & Festorum, quia merito sanctificaturus tenetur non solum audire Missam, sed interesse aliis Officiis divinis, & concionibus, & institutionibus in Ecclesia Parœciali habitis, & vacare aliis operibus spiritualibus, quantum tempus, & commodum permittunt. *In observantia Sabbati duo sunt consideranda*, inquit Sanctus Thomas (m), *quorum unum est sicut finis, & hoc est, ut homo vacet in rebus divinis, quod significatur in hoc, quod dicit*: Memento ut diem Sabbati sanctifices: *Illa enim dicuntur sanctificari in lege, quæ divino cultui applicantur; aliud autem est cessatio operum*. Ad hoc, ut par est, fungendum officio, non solum Missæ interesse opus est, sed & aliis Officiis, ut Vesperis, quas Ecclesia præscripsit, ut fideles horas sanctificarent pomeridianas his precibus publicis, ut matutinæ consecrantur Sacro adstando Sacrificio: Hoc jam demonstravimus Conciliis Provincialibus Rhemensi, & Mediolanensi præcedenti in decisione relatis, eo quod Imperator Carolus Magnus stricte pluribus ante sæculis injunxerat Edicto suo 22. Martii 789. quod inter ejus Capitularia extat, (n) in quo dicit, quandoquidem Ethnici quosdam dies consecrant totos cultui suorum falsorum Numinum; & Judæi ad litteram observant totum diem Sabbati, Christianos arctius teneri in vero Deo, quem adorant, sanctificando, & serviendo per totum diem Dominicum. *Et illo die .... ad Vesperas, & ad Matutinas, sive ad Missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo Kyrie eleison, veniant & eundo, & redeundo Kyrie eleison decantent.*

(m) S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.
(n) Baluf. t. 1. Cap. Reg. Fran. c. 79. col. 239.

Hinc concipiendum, quam culpandus Euthymius hisce sacris diebus, fere integris, insistens venationi, adeo alienæ a sanctis exercitiis devotionis, Christianis veris impositis eo die, quem Deus sibi consecravit ipse, & Ecclesia potissimum ejus cultui destinavit.

Sanctus Ambrosius (o) damnat venatum diebus pœnitentiæ, & jejunii exercitium. *Quod prodest jejunare visceribus, & luxuriari venatibus*, inquit hic Pater, & paulo post: *An putatis illum jejunare fratres, qui primo diluculo, non ad Ecclesiam vigilat*,

(o) S. Amb. in can. Quid prodest, & in can. An petatis 1. 3. d. 26.

lat ; non beatorum Martyrum loca sancta perquirit , sed surgens congregat servulos , dispavit retia , canes producit , saltus silvasque perlustrat ; servulos , inquam , secum pertrabit , fortasse magis ad Ecclesiam festinantes , & voluptatibus peccata accumulat aliena , nesciens se reum futurum , tam de sue delicto , quam de perditione servorum. Si hic Sanctus ea dicit de venantibus diebus jejunii , quid concipiendum de profanantibus dies Dominicos & Festos ex exercitio ? Non potest ergo non accusari Euthymus peccati in casu proposito ; immo dicendum eum coram Deo fore reum peccatorum , ab iis quos sacris illis diebus adigit secum venari , patratorum . Nulli dubitamus quin peccatum ejus sit grave , in primis si saltem semel in mense non intersit Missæ Parœciali : mortale non audemus asserere sine adjuncto contemtu præcepti expresso , aut sine vita , scandalum summum ingenerante (*a*), aut cum obice ne domestici , aut alii qui ipsi subsunt , a Pastore suo rite instituantur.

(*a*) Colloq. Lucon. tom. 1. colloq. 13. q. 3. De Sainte Beuve tom. 3. Cas. 171.

C A S U S VI.

Ferdinandus, amplæ Parœciæ dominus , singulis fere diebus anni profestis venatione se se oblectat . Quæritur num ipsi liceat quotidie venari quavis anni tempestate ?

R e s p o n s.

Respondemus . 1. Differendum de oblectatione venationis ut de aliis voluptatibus licitis ; & ut aliarum abusus voluptatum non caret peccato , idem judicium de venationis voluptate immoderata ferendum : hoc solo argumento asserendum Ferdinandum non esse a peccato immanem .

2. Ferdinandum peccare graviter , si in satis venetur , cum triticum in arundinem surgit ad messem usque , & in vitibus cum pullulant , in primis a mense Maio ad vindemiam usque . Ratio est , quia non potest non ingens inferri damnum iis , quorum sunt sata aut vineæ : adeoque stricte tenetur damnum compensare illatum . Ideo Reges nostri venationem prohibuerunt dominis tempore prædicto Mandatis suis , præsertim Carolus IX. Mandato Aurelianensi (*b*), Henricus III. Blesensi , (*c*) & Ludovicus XIV. Mandato 1669. (*d*).

Jurisprudentia Arrestorum his innixa est Mandatis. Bonifacius (*e*) laudat Arrestum Parlamenti Aquensis 15. Junii 1686. prolatum in virum nobilem cui mulcta imposita propter venationem tempore prohibito institutam.

Ratio Jurisprudentiæ istius est , quia arundo tritici semel pressa , versa & disrupta non crescit . Hinc Bouchel (*f*) colligit contravenientes his Mandatorum præscriptis teneri ad damnum rependendum , depopulatione illatum in segetibus aut vineis suorum Vassallorum .

(*b*) Mandato Aurelian 1560. Art. 67. & 108.
(*c*) Mandat. Blesens. 1579. Art. 285.
(*d*) Mandat. 1669. Art. 18.
(*e*) Bonifac. tom. 4. L. 2. tit. 4. c. 6.
(*f*) Bouchel Bibliot. Juris Gallici V. *Venatio*.

V E N D I T I O.

VENDITIO est pactum quo Venditor cedit Emtori dominium rei ipsi necessariæ , summa pecuniæ ; de qua inter utrumque convenit (*g*): *Si pecuniam dem , ut rem accipiam ; emtio & venditio est* , habet Lex (*h*).

Dicitur , *summa pecuniæ* , nam alias nulla esset venditio ; *Sine pretio nulla venditio est* : habet alia Lex (*i*) juxta hæc Justiniani verba : *Pretium in numerata pecunia consistere debet* (*k*). Et quidem esset permutatio , non venditio , si res cum alia permutaretur .

Præceptum hac in re primarium est , venditionem solo adimpleri consensu mutuo contrahentium ; licet pretium non sit solutum , & res vendita emtori non sit tradita : *Emtio & venditio contrahitur simul atque de pretio conveneris , quamvis pretium nondum numeratum sit* : ut effatur Imperator Justinianus (*l*) qui alibi dicit (*m*): *Consensu fiunt obligationes in emtionibus & venditionibus*.

Consensus hic a præsentibus præstatur viva voce aut scripto , vel ab absentibus litteris aut procuratione scripta. Ita ut postquam partes hoc consenserit modo , una suum nequeat amplius negare consensum , nisi altera assentiatur (*n*).

Quidquid negotiationi , aut æstimationi per se pretio pecuniæ subest , vendi potest , modo leges Ecclesiæ aut Principis iis non adversentur . Sic possunt vendi 1. Res moventes , & res non moventes , aut aliæ res corporales . 2. Debita activa , servitus & omnia alia jura incorporalia . 3. Res futuræ , ut fructus quos edit fundus , & animalia e grege aut quodam pecore nascitura , juxta hæc Legis verba (*o*): *Fructus & partus futuri recte emuntur* . 4. Ipsa vendi potest spes rei omnino incertæ , ut captus venatoris aut jactus piscatoris : *Aliquando ... sine re venditio intelligitur* , habet Lex , *vel uti cum quasi alea emitur , quod fit cum captus piscium vel avium emitur ; emtio enim contrahitur etiamsi nihil inciderit , quia spei emtio est* (*p*).

Rerum , quæ numerantur , metiuntur , aut ponderantur , & minutatim fuerunt venditæ , perficitur venditio postquam fuere numeratæ , mensuratæ aut ponderatæ : nam tempus iis numerandis , mensurandis aut ponderandis necessarium est loco conditionis , venditionem suspendentis , donec fuerint numeratæ aut ponderatæ (*q*). Et eadem est ratio rerum quarum periculum vel tentamen faciendi sibi facultatem servavit emtor nam reservare pariter est loco conditionis , e qua complementum vel solutio venditionis pendet (*r*).

Absolute loquendo , quævis pars , aut accessio rei venditæ censetur vendita cum re , nisi quid manifeste reservaverit venditor in pacto , consentiente emtore (*s*).

(*g*) D. Domat. leg. civ. l. 1. tit. 2.
(*h*) Leg. *Naturalis* 5. §. 1. ff. de præscriptis verbis lib. 19. tit. 25.
(*i*) Leg. *Inter* 2. §. 1. ff. de contrahenda empt. l. 18. tit. 1.
(*k*) §. 2. Instit. de empt. & vendit.
(*l*) Instit. de empt. & vendit.
(*m*) Instit. de obligation. ex consensu.
(*n*) Leg. *Invendentis*. 11. Cod. de contrah. empt. & vendit. l. 4. tit. 48.
(*o*) Leg. *Nec emptio*. 8. ff. de contrahenda emptione.
(*p*) Cit. Leg. *Nec emptio*.
(*q*) Leg. *Quod sæpe*. 35. ff. eod. tit.
(*r*) Leg. *Quod si nolit*. 31. §. 22. ff. de ædilit. edicto lib. 21. tit. 1. leg. *Si res*. 3 & leg. *Si in emptione*. 34. ff. de contrahenda empt.
(*s*) Leg. *Julianus*. 13. §. 10. & fin. ff. de actionibus empti & venditi lib. 19. tit. 1. leg. *Fundi* 17. §. 7. & 9. in fine ff. eod. tit. leg. *Semper*. 14. & leg. *Nemo*. 168. §. 1. ff. de reg. juris l. 50. tit. 17.

Quædam tamen ſunt acceſſiones rerum mobilium quæ venditori non producta venditionem ingrediuntur, ut frena, ephippia & ſtrata ab equis ſecreta, quum nudi ſunt venditori expoſiti (*a*).

Diximus *quidquid negotiationi aut æſtimationi per ſe pretio pecuniæ ſubeſt, poſſe vendi*. Unde ſequitur 1. Omnia quæ natura & Leges faciunt communia omnibus hominibus aut toti populo, aut civitati, & quorum commercium non eſt uſu publico, vendi nequeunt (EMI NON POSSUNT) *quorum commercium non ſit*, habet Lex (*b*) 2. Eamdem eſſe rationem rerum ſanctarum (*c*).

Pactum venditionis triplicem complectitur pignoris obligationem. Prima ligat in eo enuntiatos; quia, ut habet Lex: *Contractus legem ex conventione accipiunt* (*d*). Sive hæ obligationes poſitæ ſint in pactis, conditionibus, clauſulis aut aliis ſimilibus. Secunda reſpicit eos qui per ſe venditioni inſunt, ſive enuntiati ſint aut non. *Quod ſi nihil convenit*, habet Lex, *tunc ea præſtabuntur quæ naturaliter inſunt* (*e*). Tertia ſpectat deſignatos a Legibus, Conſuetudine, aut uſu in regione recepto. *Ea enim quæ ſunt moris & conſuetudinis, in bonæ fidei judiciis debet venire* (*f*).

Prima venditoris obligatio eſt in manus emtoris tradere rem venditam, pretio convento ab emtore ſoluto, & illam ſartam tectamque præſtare, amovendo omnia obſtacula a tertio objicienda, qui ei intercederet. Jus enim, proprie loquendo, rem poſſidendi eaque fruendi emit; ideo, ſi eveniat interceſſio, recurrit emtor ad venditorem, ſecundum Legem quæ habet: *Sive tota res evincatur, ſive par, habet regreſſum emtor in venditorem* (*g*). Ratio eſt, quia obligatio tradendi rem venditam & ſolutam ſequitur natura & neceſſario obligationem a venditore contractam cum emtore. Excipiendi tamen ſunt ex hac regula caſus fortuiti & geſta Principis, quorum venditor non eſt cautio.

Præter hanc cautionem naturalem, qua tenetur venditor quilibet, quæque dici poteſt cautio juris; alia eſt dicta conventionalis, ſita in conventionibus contrahentium, & tantæ amplitudinis quanta in eorum fuit animo (*h*).

Quando venditor rem non dedit tempore & loco quibus tradenda erat, tenetur damnis & commodis emtoris: *Si res vendita non traditur, in id quod intereſt, agitur: hoc eſt, quod rem habere intereſt emtoris* (*i*). Sic ſi emi a Joanne 10. modios tritici aut vini Novembri menſe, ut mihi tradantur menſe Januario, & hoc triticum aut vinum tertia parte carius ſit Paſchatis ævo; Joannes, faciens tunc moram traditionis, nihil præſtare debet hoc pretii augmentum, ſi in cauſſa ſit cur ad meum uſum aliud emerim æque carum, aut hac mora orbatus fuerim quæſtu, ex eo quod emtum vili, carius vendidiſſem, carpendo (*k*). Ut verbo dicam, venditor quivis, qui rem non tradidit tempore & loco præſtituto, tenetur omnibus conſecutionibus naturalibus proximis & immediatis & de ſe fluentibus ab illa mora, & ab hoc errore manantibus; ſed non tenetur conſecutionibus tantum remotis, aut improviſis & extraordinariis: & idem eſt, quando rei traditioni in obſtaculo fuit caſus mere fortuitus, ut quum res fuit prius ipſi rapta vi, quam moram fecerit in manus emtoris tradendi eam (*l*).

Venditor, qui rem venditam non præſtitit, arcte tenetur eam cuſtodire ad traditionem uſque; & ejus longe majorem curam quam in re ſua, aut ſibi mutuata ad uſum, adhibere. *Cuſtodiam venditor talem præſtare debet, quam præſtant hi, quibus res commodata eſt, ut diligentiam præſtet exactiorem, quam in ſuis rebus adhiberet*: hæc verba Legis Digeſtorum (*m*). *Talis cuſtodia deſideranda eſt a venditore*, habet alia Lex, *qualem bonus paterſamilias ſuis rebus adhibet* (*n*). Si forte nequiret ei cuſtodiam habere, ſine impenſis aut ſine detrimento emtoris eſſet (*o*).

Quando venditor rem retinere, aut reſumere compellitur, deficiente ſolutione & re vilioris pretii, licet ab emtore petere compenſationem deceſſioni accommodatam: quia, ut habet Lex, *poſt perfectam venditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contigit, ad emtorem pertinet*. (*p*).

Ceterum ſi uterque contrahens moram faciat ex æquo, hic quidem rem non det venditam, ille vero oblatam non accipiat: tunc emtoris querítatio non eſt audienda ob traditionis moram in venditorem. Hoc aperte definiverunt Leges in margine laudatæ (*q*). Sed ſi traditionem requirat, & venditor continuam faciat moram rem tradendi, jactura aut detrimentum ad venditorem ſpectat ſolum, quia moram poſterior facit, & *vice verſa*.

(*a*) Leg. *Ædiles*. 38. §. 11. de ædilit. edicto.

(*b*) Leg. *Sed Celſus*. 6. ff. contrah. empt.

(*c*) Cit. leg. 6.

(*d*) Leg. *Depoſitum*. 1. §. 6. ff. depoſiti vel contra. lib. 16. tit. 3.

(*e*) Leg. *Ex empto*. §. 1. ff. de actionibus empti & venditi.

(*f*) Leg. *Quod ſi*. 31. §. 20. de ædilit. edicto.

(*g*) Leg. *Si res*. 1. & leg. *Evicta*. 70. ff de evictionibus l. 21. tit. 2. Item leg. *Ex empto*. 11. §. 1. 8. & 17. ff. de action. empti & venditi.

(*h*) Leg. *Ex empto*. cit §. 1. & 18.

(*i*) Leg. *Si res vendita*. ff. de actionibus empti & venditi & de leg. §. 9.

(*k*) Leg. *Si ſterilis*. 21. § 3. & leg *Si ea res*. 22. §. 1. ff. eod. tit. leg. *Cum filius-familias*. 59. ff. de verb. obligationib. l. 45. tit. & leg. *Si mere*. fin. ff. de condictione triticaria l. 13. tit. 3.

(*l*) Cit. leg. *Ex eo*. 31. ff. de act. empti & venditi & inſt. §. 3. de empt.

(*m*) Leg *Cuſtodiam*. 3. ff. de periculo & incommodo rei venditæ. l. 18. tit. 6.

(*n*) Leg. *Quod ſæpe*. 35. §. 4. ff. de contrahenda empt.

(*o*) Leg. *Si is*. 9. & leg. *Julianus*. 13. §. 22. ff. de action. empt. & vend.

(*p*) Leg. *Poſt perfectam*. 1. Cod. de periculo & commodo rei venditæ l. 4. tit. 48.

(*q*) Leg. *Si per*. 51. ff. de act. empti & venditi & leg. *Quia quolibet*. 27. ff. de contrahenda empt.

Tra-

Traditio rerum venditarum, sive mobilium aut immobilium, corporalium aut incorporalium, variis fit modis, quos hic enumerare longius foret, & parum interest. Sat est igitur, si dicam fieri, quotiescumque Venditor eo in statu emptorem constituit, ut non solum rem venditam possideat, sed & ea fruatur, & quatenus Dominus de ea possit statuere.

Si venditor rem, cujus est Dominus, vendidisset seorsum duobus diversis emptoribus, qui prior in possessionem venisset, alteri præponeretur: nam æquitatis & juris manifesti est, ne pellatur possessor venditionibus clandestinis, aut quibus antiquior dies adscriptus est; *Quoties duobus in solidum prædium jure distrahitur*, habet Lex Codicis, *manifesti juris est, eum, cui prius traditum est, in detinendo dominio esse potiorem* (a).

Pactum venditionis admittit, ut cætera omnia; conditiones omnigenas, & clausulas licitas.

Quando complementum venditionis pendet ab eventu conditionis appositæ, venditor, manet rei Dominus, & venditio tum fuum fortitur effectum, cum conditio fuit perfecta: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuit conditio* (b). Unde sequitur eum esse quoque Dominum fructuum e re manandorum, juxta hæc alius Legis verba: *Fructus medii temporis venditoris sunt*. (c). Et eamdem ob causam debet pati jacturam rei ante impletam conditionem illatam, etiamsi conditio postea perficeretur (d). Sed si rei simplex foret detrimentum, emptoris esset; quia si melius fuisset, ipsius quoque esset, non venditoris, cui rei custodia inhærebat (e). Sed, venditione perfecta, emptor est Dominus rei & ejus fructuum, etiamsi in pacto stipulatum sit venditionem solutum iri eventu cujusdam conditionis ad hunc usque eventum (f) & eamdem ob rem jactura in eum recidere debet.

Hæc est regula constans; Mutationes rei, priore conditione impleta, solum respiciunt venditorem, posteriores vero emptorem, re nondum ipsi tradita, quia est illius Dominus & ipsi licet exigere traditionem a venditore. *Periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet: tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit* (g). Plures aliæ Leges (h) idem decidunt. Quod dici non debet de venditore, qui moram fecit rem tradendi, nam hoc in casu ipsi sunt ferenda omnia damna non exceptis iis, quæ a casibus mere fortuitis oriuntur.

Si in gratiam alterius contrahentis adjecta fuit conditio, aut si possit ipsi prodesse, & ejus eventus ab alio pendeat, hic sine injustitia ejus implementum avertere nequit, ut fructum inde capiat. Exempli gr. Petrus a Paulo emit modium tritici, ea lege, ut Paulus sit primo die Maii traditurus in mercatu Parisiensi, si pretium hujus tritici augeatur ante traditionem factam, Paulus hujus conditionis perfectionem nequit declinare, ut sibi prosit illud augumentum, quum Petri intersit, ut impleatur.

Tandem si inter contrahentes convenisset de quibusdam clausulis, alienis a regulis, modo statutis circa mutationes rei venditæ, aut aliis a nobis non relatis, semper insistendum exemplo contractus, & servandæ conventiones ad litteram.

Minores, fatui, interdicti, & quicumque terum suarum administratione excidentes non possunt vendere. Eadem est ratio usufructuarii & heredis, cujus res in alium substituitur, nisi ea lege, ut emptor eam sit restituturus tempore rogato ei, cujus erit (i).

Tutor, & Curator, & alius Administrator quivis emere nequit rem Minorum, Pupillorum, aut aliorum, qui ipsis subsunt. *Tutor rem pupilli emere non potest. idemque porrigendum est ad similia: id est, ad Curatores*. Sic habent Leges (K).

Venditio quævis, errore contracta, est nulla; quia error adversatur consensui, in natura pacti sito: *Quid enim tam contrarium consensui, quam error?* habet Lex (l) Ideo regula Juris habet: *Non videntur, qui errant, consentire* (m). Regula, quam Jus Canonicum adoptavit (n). Unde sequitur, si Venditor rem hujusmodi vendere intenderit, & emptor existimaverit aliam emere, venditionem esse nullam. Si tamen qualitatem spectaret error, venditio ex se non foret nulla, sed Judici dicendum esset secundum varias circumstantias.

Multo magis nulla habenda est venditio dolo, vi, aut metu gravi contracta, quum consensus contrahentium debeat esse perfecte liber, & hæc vitia eum labefactent (o).

Judex nullam dicit venditionem, juxta usum nostrum, quando venditor ultra mediam partem læsus fuit: sive oriatur hæc læsio bona fide, aut dolo ab emptore; *Et si nullus dolus intercessit stipulantis; sed ipsa res in se dolum habet*, ut habet lex Digestorum (p).

Observare interest, venditorem nullo in casu, imo pacto manifesto solvi cautione proprii facti. Eo repugnante bonæ fidei, ac proinde probis moribus (q).

Emptori, si evictio evenerit, licet petere solutionem impensarum utilium & necessariarum ad meliorandam rem, deductis tamen fructibus, quos hæc peperisset melioratio; qui si superarent impensarum sortem, hæc sors extincta esset; & quod excurrit bona fides & ante evictionem perceptum ipsius esset (r).

Quando venditor se evinci patitur sine patrocinio & delatione vexationis in se concitatæ, aut transigi auctoritate privata eum vexant: aut denique alio obest modo conditioni venditoris; is non tenetur cautione evictionis. Emptor enim sibi evictionem tribuere debet hoc in casu (s)

(a) L. Quoties rei venditionem l. 3. tit. 32.
(b) L. Hæc venditio 7. ff. de contrahenda empt.
(c) L. Necessario 8. ff. de peric. & commodo rei vendit.
(d) L. Plerumque 10. §. 5. ff. de jure dotium l. 23. t. 3.
(e) Cit. L. necessario & L. secundum 10. ff. de reg. jur. l. 50. t. 17.
(f) L. Quoties 2. ff de in diem ad dict. l. 8. t. 2.
(g) §. 3. Inst. de empt. & vend.
(h) L. Post perfectam 1. & L. Mortis 4. C de peric. & comm. rei vendita l. 4. t. 48.
(i) L. Sancimus 7 Cod. de rebus alienis non alienandis &c l. 4. t. 58.
(K) L. Si in emptione 34 § 6a. de contrahi empt.
(l) Leg. Si per errorem 15. ff. de jurisd. omnium judicum l. 2. t. 1
(m) L. Nihil 116. p a. 2. ff. de reg jur. cit.
(n) Inn. 113. loc. Super 20. de rescriptis l. 1. t 3. & in c. Quia circa 9. de consang. & affinit. l. 4. t. 14
(o) Cit. l. nihil & leg. Titius 8. ff de rescindenda vend. l. 18. t 5.
(p) Leg. Si quis 36. ff de verb. oblig. l. 45 t. 1.
(q) L. Hujus 2 §. 9. & L. Si unus 27. § 4. ff. de pactis l. 2. t. 14.
(r) Cit. L. Super 16. cod. de evictionibus & leg. Sempronius 48. & leg. emptor. 65. ff. de rei vindicat.
(s) L. Si fundo 53. §. 1. L. Si dictum 56. ff. de evictionibus &c. l. 21 t. 2.

Digitized by Google

Verum alia ex parte sola significatio vexationis, in se illatæ, venditori indicata, eum prorsus eximit ab omni obligatione pro se dicendi, efficitque, ut venditori perstet cautio eventus actionis intentæ (*a*).

Quando venditor in re venali noscit vitia, quibus usus sit, aut omnino inutilis, aut ita gravis, ut non emisset, aut viliori pretio acquisivisset emptor, si ipsi innotuisset, (*b*) tunc emptor actionem potest intendere in venditorem ut resumat rem, & venditionem dicat nullam: aut saltem eum compenset juxta vitii naturam. Consuetudines notare solent casus, in quibus valet solutio venditionis, in Jure dicta *redhibitio* (*c*), & casus, in quibus venditor solum tenetur de cessione pretii soluti: si vero vitium sit majus, dicendum est Judici.

Eadem quoque est ratio, quando vitia ipse ignoraverit venditor. Ea est decisio Legis quæ habet: *Si quidem ignorabat venditor, ipsius rei nomine teneri* (*d*).

Sed si vitium novit aut cognoscere debuit, & emptor damnum tulit, tenetur non solum resumere rem, aut pretium attenuare, prout casus postulat; sed præterea omnes consecutiones præstare debet; id est, damna quævis ab hoc vitio manantia (*e*).

Quando viget redhibitio, venditor pretium acceptum restituere debet, & emptori refundere impensas quasvis ad custodiam rei, & ad reliquas venditionis consecutiones factas imo fœnus solvendum: & emptor venditori debet restituere rem cum quovis lucro ab ea percepto: *Facta redhibitione omnia in integrum restituuntur, perinde ac si neque emptio, neque venditio intercessit* (*f*).

Ex hoc principio dicendum est meliorationem, aut deteriorationem rei, cujus culpa non tenetur emptor, solum respicere venditorem (*g*).

Quando vitium adeo manifestum est, ut emptor ignorare nequiverit, aut quando venditor illud significavit, hic emptor nullam curam Judice habere potest actionem in venditorem: *Hoc enim tantum intuendum est, ne emptor decipiatur*. Hac ratione Lex firmat istud statutum (*h*).

Hactenus dicta de vitiis, quæ redhibitioni, aut decessioni pretii soluti, aut denique rogationi damnorum præbent locum, affigenda sunt venditionibus inter privatos; non vero Judicis auctoritate contractis, qui Domini jus exerit, & locum venditoris habet, judicans rem, prout in se est.

Dominus quibusdam in casibus cogitur suum vendere fundum. 1. Decreto a Judice lato, in gratiam Creditorum. 2. Via licitationis, cum fundi divisio nequit esse facilis inter plures hæredes. 3. Quando Publico necessarius est fundus: exempli gratia, ad urbem munitionibus sepiendam: ad cœmeterium Ecclesiæ necessario exstruendum, & aliis hujusmodi in casibus. Hoc aperte habet Edictum Philippi Pulchri an. 1303. Et juxta hoc statutum, rei frumentariæ inopia ingravescente, instructi cibaria annona compelluntur eam vendere, & politicæ disciplinæ Magistratus cogunt Pistores panem & lanios carnem pretio justo, & legitime vendere: quod dispositioni Legum Romanarum, Edictis Regum Galliæ (*i*), & æquitati naturali concordat.

Privatus ipse compellitur privato vendere usum partis sui fundi: videlicet quum duo prædia contigua duobus obtigerunt in partem, ita ut alter suo gaudere nequeat, nisi transeundo per alterius fundum: tunc Dominus fundi transitus cogitur hanc vendere servitutem alii, cui necessarius est transitus, ut suo fruatur prædio: sic composuit Jus Romanum (*K*).

(*a*) L. Herennius 63. §. 1. ff.
(*b*) L. Quæro 39. ff. de action. empti, & venditi l. 19. t. 1.
(*c*) L. Redibere 21. ff. de ædil. edict.
(*d*) L. Labeo 1. §. 3 de ædil edict. item leg. Labeo 45. ff. de contrah. emption. & vend. l. 18. t. 1.
(*e*) L. Julianus 13. ff. de act. empti, & venditi item citatis legib. 1. & leg. 45.
(*f*) L. Pomponius 6. ff. de ædil edict. item cit. leg. Labeo 1. p. 1. & leg. Cum, aut 23. p. 7. eod.
(*g*) L. Quod si nolit. 31. ff. 1. & 21. & Leg Ædiles 38. p. 3. ff. eod. t.
(*h*) Cit. L. Labeo 1. p. 6. cit. ff. de ædil. edicto, & L. Labeo 45. p. 1. ff. de contrahen. emption.
(*i*) L. Annonæ 6. ff. di extraord. criminib. l. 46. t. 2. L. lege Julia 2. ff. de L. Julia, de Annona l. 48. t. 12. Leg Omnia. 1. P. 2. de officio Præfecti urbis l. 1. t. 12.
(*k*) L. Si quis 12 ff. de religiosis & sumptibus funerum l. 2. t. 7.

CASUS PRIMUS.

Fabius fundum, sibi ab affine legatum, ut & substitutum liberorum in gratiam, habet. Gravi premitur egestate, et amicum habet, qui eum, ut substitutum empturus est. Potestne vendere tuta conscientia?

RESPONS.

Constat, fundum, nec quicquam aliud, cujus sibi non est dominium, posse vendi. Fabio autem non est fundi dominium, quum affinis ei legavit illum in ejus liberos substitutum. Ipsi igitur solus est ususfructus; & solis liberis dominium. Ac proinde nemini vendere sine injustitia manifesta. Hoc probatur Lege, quæ habet (*l*): *Sancimus, sive lex alienationem inhibuerit, sive testator hoc fecerit, sive pactio contrahentium hoc admiserit, non solum dominii alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam: sed &c.* Quapropter si Fabius hunc vendidisset fundum amico, liberi jure curarentur, emptor prædio deserendo damnaretur, nec tenerentur ullo compensare modo emptorem, cui recurrendum esset solum ad ementium venditorem; alias hæ substitutiones, quibus Leges, & Consuetudo patrocinantur, evaderent illusoriæ, & irritæ.

(*l*) L. Sancimus fin. C. fin. de rebus alienis non alienand. &c. l. 1. tit. 41.

CASUS II.

Eparchius, Constantini minoris, Curator vendidit Juliano villam ejusdem minoris, qui consensit hac venditione pretio 6000. Librarum contracta, ea lege, ut summa hæc sit Constantino majorenni solvenda; & medio tempore Julianus ei fœnus sit soluturus juxta usuram Edicti. Hoc venditionis pactum estne validum?

RESPONS.

Venditionis pactum, de quo agitur, est nullum. Nam qui *sui juris*, possunt solum alienare fundos. Minor autem haud est sui juris. Constantini igitur minoris, consensus, ad alienationem fundorum suorum præstitus, est omnino inutilis; ac proinde Eparchius, obtendens sui consensum minori, Juliano nequivit illum vendere, nec servans formulas ab Edictis exactas, si vero eas observaverit, venditio est legitima, & partor est in tuto.

Stipulatio, quæ habet, Julianum Constantino, pretium venditionis soluturum, jam majorenni, & sartam, tectamque habituro alienationem ab Eparchio Curatore factam; & medio tempore partorem soluturum fœnus 6000. Librarum, non potest haberi injusta: quia licet fundi

di venditi fœnus carpere, quando partor pretium non solvit, & illo gaudet fundo, ut sancitur a Lege (*a*), quæ habet: *Veniunt autem in hoc judicio infrascripta: imprimis, pretium quanti res venit. Item usura pretii post diem traditionis; nam cum emptor fruatur, æquissimum eum usuras pretii pendere*. Idem definitur alia Lege (*b*) his verbis: *Curabit Præses Provinciæ compellere emptorem, qui natus possessionem, fructus percepit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris restituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis favor, licet nulla mora intercesserit, generavit*. Cui addenda est sententia Glossæ in Decretali Alexandri III. (*c*) quæ habet: *Usuræ possunt peti, etiam secundum Canones ..... cum vendo tibi prædium & trado & percipio fructus, nec solvis mihi pretium ad terminum .... quia hujusmodi usuræ, non quasi usuræ, sed quasi interesse petuntur*. Covarruvias, Navarrus, Lovet (*d*), & complures alii Auctores idem sentiunt.

(*a*) L. Julianus 13. §. 19. ff. de actionibus empti & venditi l. 19. t. 1.
(*b*) L. Curabit 5. C. eod. t. 1. l. 4. tit. 49.
(*c*) Glossa in c. c. Conquestus 6. v. fendo de usur. l. 5. t. 19.
(*d*) Didac. Covarr. a Leyva l. 3. var. resol. c. 4. § 5. Navar. l. 5. Consilior. cons. 21. nu. 2.

CASUS III.

Sigonius, Theogenis tutor, quem Herculus ursit ad solutionem mille coronatorum, a minore ipsi debitorum, vendidit auctoritate privata prædium, partem fundi hujus minoris, pari summa, ut levaret Theogenem ære alieno, & vitaret implicationem & expensas litis, quæ in eum incidissent. Herculus sex annis hoc potitu est prædio, e quo ducentas percepit Libras quolibet anno (deductis expensis & impendiis ad colendam terram, & percipiendos fructus). Theogenes major, petiit, ut restitueretur in possessionem prædii hujus, & Herculo obtulit, emptori, & creditori, mille octingentas Libras præsentes; contendens mille ducentas Libras, per sex possessionis annos perceptas, prius deducendas esse e summa præcipua, cui Herculus acriter intercessit. Cujus est jus?

Respons.

Jus est Theogenis. Nam Sigonius non erat Dominus venditi prædii; quod erat Theogeni pupillo suo proprium; nequivit ergo ejus dominium Herculo transferre, juxta hanc Juris Canonici regulam (*e*): *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*. Habenda est igitur ad summum hæc venditio, tanquam mera fiduciarii fundi possessio: atqui in possessione fundi fiduciarii creditori a debitore commissi, fructus a possidente fundum fiduciarium percepti sunt numerandi in solutionem sortis præcipuæ, secundum hæc Decretalis ab Alexandro III. Concilio Turonensi assidente statuti verba (*f*): *Si quis alicujus possessionem, data pecunia sub hac specie, vel conditione in pignus acceperit, si sortem suam (deductis expensis) de fructibus jam percepit, absolute possessionem restituat debitori: si autem aliquid minus habet: eo recepto, possessio libere ad dominum revertatur*. Unde Herculo prius deducendæ sunt millæ ducentæ libræ, e fructibus prædii perceptæ ex mille Coronatis sibi debitis: sicque mille octingentæ Libræ a Theogene oblatæ, sunt quid rationi & æquitati consonum; salvo tamen recursu ad Sigonium propter damna, & fœnora, quæ potest exigere ob malam venditionem: qua de re Judex dicet, quod sibi æquum videbitur.

(*e*) Bonif. VIII. in reg. 79. de regulis juris in 6.
(*f*) Alex. III. in c. plures 1. de usur.

CASUS IV.

Nicolao, misero rustico, est ædicula, circiter quadringentas valens Libras, & viridarium, muris, duobus jugeribus fundo Renati, divitis, contiguis, ejusdem pretii. Renatus, qui desiderat, ac ab eo petit num velit hanc vendere hæreditatem, Nicolaus novit se vendirurum, ad summum 800. Libras capturum: sed ex eo vivens cum suo labore, & prævidens hanc summam laceratum iri in suis manibus, nec ejus usum fore utilem juxta atque herediolum, istud quærit a Renato 1200. Libras, qui eas pollicetur ex illius desiderio prædii. Nicolaus potestne, tuta conscientia vendere 400. Libris ultra æstimationem expertorum nulla mercedis spe ductorum?

Respons.

Huic rustico licet absque peccato vendere domum, & viridarium Renato summa sibi oblata. Ratio est, quia jure compensatur damnum a privatione hujus heredioli illatum. Nam, ut ait S. Thomas in similem difficultatem (*g*), licet res vendita, in se spectata, minoris sit pretii, plus valet ob damnum, quod infert sibi vendirio emptori sollicitanti facta, cui, ut gratum faciat, vendit: *Cum aliquis multum indiget habere rem aliquam*, inquit hic Sanctus, *& alius læditur, si ea careat, in tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quæ venditur; sed ad damnum, quod venditione incurrit; & sic licite poterit aliquid vendi plus, quam valeat secundum se, quamvis non vendatur plus, quam valeat habenti*. Qua de re observandum non fore idem: 1. Si Nicolaus ex venditione non pateretur. Nam, hoc in casu, ei non liceret sine justitia, domum & viridarium Renato vendere ultra justum pretium, hoc est, 800. Libras, licet multum Renato prodesset; solo emptoris commodo non sufficiente, ut patrocinetur venditori in emptoris gratiam; *Si aliquis vero*, subjungit S. Thomas, *multum juvetur ex re alterius, quam accepit; ille vero qui vendit, non damnificatur, carendo re illa: non debet eam supervendere: quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum, licet ei possit vendere damnum, quod patitur*. ad litteram suffragatur sententiæ hujus sancti Doctoris. 2. Observandum est quoque Nicolao, si eum rerum inopia premeret vendere herediolum, non licere carius vendere justa expertorum æstimatione, quia ipsi non esset jus imponendi emptori damnum postea ferendum absentia heredioli: quum non emptor, sed rerum suarum inopia esset sola & vera causa, quæ eum compelleret ad vendendum. Ideo Renatus, solvens eo in casu pretium prædii & domus, octingentas nempe Libras, ex hypothesi justum eorum pretium solveret, quod licite Nicolao deberetur. *Qui enim emit rem aliquam*, ait alibi idem Doctor Angelicus, *tantum pro ea, juste dat, quantum valet, non autem quantum ille qui vendit, ex ejus carentia damnificatur*. Cæterum dicta de venditore intelligenda sunt de emptore, emente viliori pretio.

(*g*) S. Th. 2. q. 77. art. 1. in corp.

CASUS V.

Aubertus vendidit, & tradidit domum Jacobo cum hac clausula in contractu enuntiata, venditionem fore dissolutam & irritam, si Jacobus intra trimestre in integrum non solvat pretium, & Jacobus non habet tunc præsto totam summam ad diem solutionis; hic venditor, quem cætera pœnitet vendidisse domum, hanc obtendit clausulam, & vult, ut sibi restituatur. Jacobus teneturne conscientia eam restituere?

RESPONS.

Nulla executio clausulæ non prius dissolvit venditionem quam Judex dixerit dissolutam: & sic interpretanda Lex (*a*), quæ habet: *Cum venditor fundi in lege ita caverit; si ad diem pecuniæ soluta non sit, ut fundus inemptus sit*. Et hæc alia (*b*): *Non impleta promissi fide domini tui jus in suam causam reverti conveniat*. Spectanda igitur est hæc clausula tanquam comminatoria sicque habentur coram omnibus Tribunalibus, donec Judex venditionem dixit dissolutam: nam æquitatis naturalis est emptori concedere moram legitimam, quum per eum non stat præcise die dicto solvere: Judex quippe solet concedere, venditore negante, ut habet hæc Digestorum Lex (*c*): *Si quando dies, quia pecunia daretur, sententia arbitri comprehensa non esset; modicum spatium datum videri hoc idem dicendum, & cum quid ea lege venerit, ut nisi ad diem pretium solutum fuerit, inempta res fiat*. Unde Jacobus non tenetur conscientia, in casu proposito, restituere Auberto domum ab eo emptam, donec juridica sententia dicta fuerit in eum.

Excipiendus tamen est casus, in quo mora præstandi promissi nequiret concedi sine gravi damno, ut si venditor traderet mercem promissam ad eum ipsum diem conscensionis in navem aut nundinarum; sed hac de re non agitur.

(*a*) Leg. cum venditor 2. ff. de l. commissoria l. 18. t. 3.
(*b*) L. cum re 6. cod. de pactis inter emp. & vend. compositis l. 4. tit. 54.
(*c*) L. Trajectitia 2. in fin. ff. de obligationib. & actionib. l. 44. t. 7.

CASUS VI.

CLEDONIUS verbo vendidit Cajo adamantem pretio 300. Librarum ea lege, ut Cajus sit intra octiduum pretium soluturus, quo omisso venditio erit nulla. Cajus tamen duos nummos aureos præbuit arrhas Cledonio in executionem promissi: sed pluribus translactis diebus ultra diem dictum; nec lege impleta: Cledonius adamantem tradere noluit, & pretium capere, imo arrhas restituere. Cledonii denegatio nonne justitiæ adversatur præsertim duorum aureorum nummorum in arrhas concessorum?

RESPONS.

Respondemus in hisce venditionibus posse pacta interponi eas dissolventia & quasi veritas facientia, invito ipso contrahente ea non implente. *Possunt ..... intervenisse pacta quædam ab initio*, inquit Cabassutius, (*d*) *per quæ contractus iste altera etiam invita parte, dirimatur ex post facto*. Hocce pactum contraxerunt Cledonius & Cajus, dictum in jure *pactum legis commissoriæ*, juxta quod inter contrahentes convenit, pretio rei venditæ venditori ab emptore non soluto ad diem dictum, venditionem fore nullam & plane irritam. Unde Cledonio licet sine injustitia negare traditionem adamantis Cajo; quum vendiderit ea lege; quæ non impleta ab emptore, venditionem efficit nullam.

Insuper Cledonius non tenetur restituere duos aureos nummos, a Cajo in arrhas emptionis & executionem promissi concessos; cum eorum jactura sit æqua ob omissionem impletæ conditionis inter eos pactæ.

Hæc decisio consentit Legibus Romanis (*e*). Sic habet tertia in margine notata: *De lege commissoria interrogatus, ita respondit: Si per emptorem factum sit, quoniam legi (commissoriæ) pareretur, & ea lege uti venditor velit, fundos inemptos fore: & id quod arrhæ, vel alio nomine datum esset apud venditorem remanserunt*,

(*d*) Jo. Cabass. jur. canon. the. & prax. l. 6. c. 9. n. 10.
(*e*) Leg. Si fundus 4. init. & §. 1. & leg. De l. 6. ff. de leg. commissaria l. 18. t. 3 l. Sed & Celsus 6. §. 1. ff. de contrahenda emptione &c. l. 18. t. 1. l. cum venditor. 2. ibid.

CASUS VII.

CYRILLUS emit a Paschale jugerum vinearum, vi aut fraude, pretio justi pretii dimidio minore. Paschalis nactus clientelam, in Cyrillum inquisivit, ut dirimeret venditionem: & simul quærit restitutionem omnium fructuum ab emptione perceptorum. Judici licetne sine injustitia Cyrillum addicere huic restitutioni?

RESPONS.

Judici licet damnare Cyrillum restitutione jugeri vinearum, omniumque fructuum perceptorum: nam emptor, nec fraude nec vi usus, non sit damnandus restitutione fructuum, aut fœnore substitutionis in legitimum pretium, si velit rem emptam habere nisi a die inquisitionis coram Judice prolatæ ab emptore in venditorem: non perinde est, si alterutrius sit reus: cum Juris non sit, ut vis aut fraus illi prosit, juxta hanc Juris Romani regulam (*f*): *Jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem*. Et hanc Juris Canonici (*g*): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*. Quod dicit etiam Innocentius III. in pluribus Decretalibus. (*h*) Quapropter Cyrillus est damnandus restitutione fructuum die possessionis, quum iniquæ emptioni addidit vim aut fraudem, salvo Judicis jussu, ut deducatur fœnus a summa soluta. *Si fundum vestrum*, habet Lex (*i*) *vobis per denuntiationem admonentibus, volentem ad emptionem accedere, quod distrahentis non fuerit: non recte is; contra quem preces funditis, comparavit, vel alio modo mala fide contraxit: tam fundum vestrum constitutum probantibus, quam fructus, quos cum mala fide percepisse fuerit probatum, aditus Præses Provinciæ restitui jubebit*.

(*f*) L. Jure 206. ff. de diversis reg. jur. antiq. 50. t. 17.
(*g*) Reg 48. de reg. juris in 6.
(*h*) Inn. III. in c. Officii 14. de testam. &c. l. 3 t. 26. & in c. cum dilectus 8 de religiosis domibus &c. l. 3. t. 35.
(*i*) Leg. Si fundum 17. Cod. de rei vindic. 3. t. 32.

CASUS VIII.

IGNATIUS, Architectus, edes Mævii vilissimo pretio emere cogitans, in ejus animum induxit eas esse a fundamentis ruinosas, quia quædam conspiciebantur vitia, quæ Mævius, ipso teste, credidit esse ruinæ proximæ indicia, licet re non magna, nec difficulter restauranda. Mævius, non sat opum habens; ut instauraret, consensit eam vendere Ignatio, 10000. Libris, licet, conscius malæ Ignatii fidei, non vendidisset, aut saltem non cessisset infra 15000. Libras: Qua de re quæritur num hæc venditio sit valida, aut an Ignatius teneatur conscientia deserere contractum, aut Mævium remunerari?

RESPONS.

Huic venditionis contractui inest error non comes solum, sed verus. Atqui error verus ita causatur contractus, ut contrahens, errans, ejus conscius, non pactus esset, ac proinde excludit consensum: *Cum nullus sit errantis consensus*, ut habet (*K*): errare nihil aliud est, quam cogitare hoc pro illo. *Errare, id est aliud pro alio putare* (*l*). Ex hac sola ratione venditionis contractus, de quo in quæsito proposito agitur, esset nullus, deficiente consensu sufficiente venditoris. *Quid enim tam contrarium consensui, quam error*; habet Lex (*m*); regula quoque juris habet: *Non videtur qui errant consentire*. Cui consentaneum Jus Canonicum.

Sed, præter errorem, huic contractui inest dolus, vera ejus causa: quum Mævius, ab Ignatio non deceptus, domum non vendidisset, aut saltem pretio tertia parte majore. Unde concludendum hanc

(*k*) L. Non idcirco 9. cod. de jur. & facti ignorantia l. 1. t. 18.
(*l*) Can. In quibus 6. 22. q. 2.
(*m*) Leg. Si per errorem 15. ff. de jurisdict. omnium judicium l. 2. t. 1.

hanc venditionem esse nullam *ipso jure*, secundum verba Glossæ in Decretale ab Alexandro III. ad Episcopum Atrebatensem missum: (*a*): *Cum dolus dat caussam contractui, puta, cum dolo induxit te ad vendendam rem, alias non venditurum, non tenet contractus.* Quod consonat his Canonis verbis (*b*): *Quod si calliditate usus fuerit, & a colono, vel a Clerico emerit Princeps agrum, irrita fit venditio.* Quibus similiter concordant Leges Civiles (*c*).

(*a*) Glosf. in cap. Cum dilecti. 3. de empt. & venditione v. Deceptione. lib. 3. cap. 17.
(*b*) Can. Quisquis. 19. § n. 12. q. 2.
(*c*) Leg. Et eleganter. 7. ff. de dolo malo l. 4. tit. 3.

Ratio sensibus percipitur: dolus enim, ut error, detinet liberum consensum, sine quo nullus umquam est verus consensus, quum contractus nihil aliud sit quam *duorum vel plurium in idem placitum consensus*. Sive inspiciatur ergo error Mævii, aut dolus Ignatii, concludendum, venditionem de qua agitur, esse nullam, deficiente vero & libero consensu Mævii: & necessario Ignatium teneri conscientia, contractum deserere, aut Mævium compensare venditorem, quem fefellit (*d*).

(*d*) De Genet. Theol. mor. tom. 1. tract. 5. cap. 4. q. 3. & cap. 5. q. 3.

CASUS IX.

Si error & fraus fuerint solum comites in contractu venditionis, exempli gratia, si Mævius domum venditasset tabula publica; & Ignatius, sibi destinans eum induxerit, minori obtenturus pretio, ejus domui longe plura inesse vitia, quam re sunt; contractus est ne validus; & Ignatius debetne Mævio aliquam mercedem?

Respons.

Hic error comes, aut hæc fraus, non vera contractus caussa, non dicitur arcere ejus validitatem. Id censet Auctor Glossæ in decisione proxima laudatæ. En verba (*e*): *Si vero* (dolus) *incidit in contractum; quia venditurus eram, sed per dolum tuum minus vendidi, vel per dolum meum plus emisti; tenet quidem contractus.* Nihilominus Mævius, hac in venditione læsus, potest a Mævio petere supplementum justi pretii domus; & Ignatius tenetur conscientia ei tradere: hoc etiam docet eadem Glossa, subjungens: *sed agitur ad supplemenmentum residui.* Et eadem de caussa, Mævius qui Ignatium decepit in contractu, teneretur eum compensare, ut probant hæc Legis verba (*f*): *Si venditor dolo fecerit, ut rem pluris venderet .... emti eum judicio teneri, ut præstet emtori quanto pluris servum emisset* (*g*).

(*e*) Glos. in eit. cap. Cum dilecti. 3. de empt. & vendit. v. Deceptione.
(*f*) Leg. Julianus. 13. ff. de action. empti & vendi ti §. 4. lib. 19. tit. 1.
(*g*) Idem De Genet. loc supra cit. cap. 4. q. 4.

CASUS X.

Chrysologo, aquarum vitæ solidario & minutario negotiatori, sunt aquæ-vitæ acres & generosæ quibus immiscet circiter quintam aut sextam partem aquæ communis, nec eo mixto earum vim ita frangit ut sub sensus cadat, aut facile percipiatur. Potest ne, vacuus a restitutione, eas sic dilutas vendere omnibus pro aquisvitæ puris? Rationes quæ inducunt sibi licere, sunt. 1. Quia omnes, aut ferme omnes negotiatores suæ artis eidem insistunt viæ. 2. Quia, si omitteret, nihil lucri pareret hoc commercium: quia cogeretur carius vendere, dum alii minori venderent pretio, & invitarent omnes qui ipsum adire solent. 3. Quia hæc mistio non nocet sanitati utentium hoc liquore?

Respons.

Doctor Angelicus (*h*) dicit primum vitium in quod incidunt negotiatores, esse quum vendunt mercem pro alia, ut in quæsito heic proposito, Chrysologus vendit aquam communem pro aquavitæ, & negotiatorem admittere eo in casu fraudem, qua peccator fit. *Unus defectus est secundum speciem rei*, inquit S. Thomas, *& hunc quidem defectum si venditor cognoscat in re quam vendit, fraudem committit in venditione. Unde venditio illicita redditur.* Postea subjungit hic Sanctus hujusmodi fraude, ut & quæ quantitatem rei venditæ spectat, teneri restitutione peccantem: *Et in omnibus talibus non solum aliquis peccat, injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur.*

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 2. in corp.

Videtur tamen, in quæsito proposito, posse excusari Chrysologus rationibus quas apponit, modo vendat aquam-vitæ sic dilutam infra pretium puræ; & decessio de pretio æquivaleret mixtioni. Hoc probatur auctoritate S. Antonini (*i*), qui putat posse negotiatores excusari, qui vendant merces corruptas aut mixtas ut compensent detrimentum, quod iis incumberet alias: quia alii negotiatores, idem exercentes commercium, eas sic corruptas vendunt minori pretio: semper hac conditione observata, ut minus vendantur quam venderent non mixtas: cui adjungit aliam conditionem; nempe, hanc depravationem aut mixtionem non nocere sanitati. En verba: *Verum cum aliqui sophisticant ea quæ vendunt, ut se servent indemnes & cum aliquo lucro congruo; quia si venderent puras res, & emtores non vellent dare justum pretium; quia alii vendunt talia sic sophisticata & mixta minori pretio, videtur posse excusari: dummodo non fiant tales mixturæ, quæ noceant humanis corporibus: quod accidere potest in his quæ venduntur in cibum & potum hominum, & præcipue in medicinalibus.* Nihilominus observandum est hunc Archiepiscopum ancipiti animo loqui, ut patet ex his verbis: *videntur posse excusari.* Unde inferendum est tuta conscientia vendi res non depravatas, nec mixtas, in periculo quo desiderium irretit negotiatorem nimium confidere pretio quo vendit mercem, & aliquam committere injustitiam, juxta hoc eximium S. Leonis verbum, (*K*) *Difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.* Sed quidquid sit, plane necessarium est ad tutam conscientiam servandam vendere merces mixtas aut corruptas minori pretio quam valerent, si puræ essent: *Debent tamen venditores*, adjungit S. Antoninus, *in hujusmodi casibus minus vendere, quam si esset purum; alias venderent aquam pro vino; & sic de aliis similibus.* Et ad hoc Chrysologo aliisque qui eodem in casu sunt, componendum est ne committant injustitiam.

(*i*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 17. §. 4.
(*k*) S. Leo in Can. Qualitas. 2. de pœnit. dist. 5.

CASUS XI.

Joachim, Negotiator lanarius, solet lanam in loco humido asservare, ut gravior majus pariat lucrum, nonne peccat contra justitiam?

Respons.

Huic difficultati respondet S. Antoninus (*l*), damnatque hunc usum tamquam injustum ac fraudulentum, loquens de texentibus aut vendentibus pannos laneos, quos in loco asservant humido, ut in longitudinem porrigantur majorem, ulna metientes: *Lanifices*, inquit hic sanctus Archiepiscopus, *qui faciunt pannos trahere ad tracterium ultra debitum artis: unde postea madefactus & tonsus, ut moris est, retrahitur ad longe minorem mensuram quam debet, fraudem faciunt.* Unde Joachim lanam efficiens humore quem imbibit, graviorem, quæ postea longe levior fit, aliquamdiu asservata apud emptorem in loco arido, non potest excusari falso pondere, ut Negotiatores de quibus S. Antoninus loquitur, falsaque mensura vendere; ita ut utrique hoc dolo peccant in justitiam, ac proinde tenentur restitutioni damni emtoribus illati: nam Joachim istique Negotiatores perinde se habent, ac si mercem, ut par est, siccam venderent falso pondere falsaque mensura; cum omnibus sit notum mercem ex humida siccam minoris esse ponderis, minorisque mensuræ quam antea. Hanc quoque artem damnat S. Thomas (*m*), quando dicit: *Si quis scienter utatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit, & est illicita venditio. Unde dicitur Deuter.* xxv. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus, nec erit in domo tua modius major & minor: *Et postea subditur*: Abominatur enim Dominus qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.

(*l*) S. Anton. 2. part. Sum. tit. 1. c. 17. § 5.
(*m*) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 2. in corp.

CASUS XII.

Anthemo, pannorum propolæ, sunt in taberna plura pannorum atrorum volumina, quos novit vitiosos tinctura ardentiori, quæ eos ussit, quod solo usu percipi potest. Eodem tamen pretio vendit ulnam hujus panni ac si tinctura esset legitima; quia, inquit, a se non oriatur tinctura, & insuper æquum est ut debilius compensetur a fortiori: Peccat ne & tenetur ne aliqua restitutione?

RE-

Digitized by Google

RESPONS.

Tertia hac fraude, judice S. Thoma (*a*), otuntur aliquando negotiatores, qua justitiæ adversa, tenentur ad restitutionem damni, quo afficiuntur emtores haeum mercium vitiosarum: *Tertius defectus* (in veoditione) *est eu parte qualitatis*, inquit hic Sanctus, *puta, si aliquod animal infirmum vendat quasi sanum; quod si quis scienter fecerit, fraudem commietit iu venditione; unde est illicita venditio, & in omnibus talibus non solum aliquis peccat, injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur*. Anthimus igitur non libeeatur peccato & injustitia in quæsito proposito, oec proinde eximitur a restitutione detrimenti emtoribus illati.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 2. in corp.

Sanctus Antoninus eidem S. Thomæ principio innixus, idem docet, & in exemplum proponit eumdem casum heic appositum cum pluribus aliis. (*b*) *In qualitate rerum fit fraus*, inquit, *cum scilicet venduntur carnes infectæ pro sanis; aromata antiquata & sic virtute debilitata pro recentibus, liber corruptus & falsus pro fideli; & corium fragile pro durabili; vinum corruptum pro sano; domus ruitura pro stabili; animal infirmum pro sano; pannus defectuosus pro indefectuoso, & hujusmodi*. Hæ duæ auctoritates sufficiunt ut pateat Anthimum peccare, non solum pannum intinctu ardenti corruptum, & hoc vitio deterioris usus; sed etiam teoeri ad compensandos emtores si cum eodem pretio ac hoc vitio destitutum emerint.

(*b*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 17. §. 6.

CASUS XIII.

HIPPARCHUS, pannorum propola, veodidit Sostheni panni coccinei volumen, cujus duss postremas ulnas ooscebat non infectas æque vivido & luceoti colore atque reliquas. Sosthenem celavit hoc vitium ut venderet: verum minuit pretium pro colore vitioso: Peccavit ne hoc celans vitium?

RESPONS.

Respondemus Hipparchum non peccavisse, tacendo hoc vitium Sostheni. Quia minus vendidit totum quam vendidisset sine hoc vitio. 2. Quia non tenebatur hoc vitium palam facere; quo cognito forte non vendidisset totum panni volumen, cum emtor detrimeuto non gravetur; & consensisset necessario emtioni eadem summa præstita quæsitæ. *Si ergo vitium rei venditæ*, inquit S. Thomas(*c*), *non faciat rem minus valere, quam pretium impositum; quia forte venditor minus pretium imponit propter vitium; tunc non peccat, tacens vitium: quia venditio non est injusta; & forte esset sibi dannosum, si vitium diceret: quia emtor vellet habere rem etiam minori pretio, quam valeret*.

(*c*) S. Thom. quod liber 2. art. 10. in corp.

Verum est tamen, si, io casu proposito, hic pannus non esset bono usui emtoris, ut viri nobilis, & ei esset damnosus; fore ut negotiator teneretur eum remunerari, non obstante decessione de pretio duarum ulnarum vitiosarum, aut eum recipere legitimo suo pretio.

CASUS XIV.

SAMUEL vendidit Laurentio fundum 20000. libris, exceptis silvis quas sibi servavit, fidens Laurentio quem jussit conscribi contractum. Hic contractui inseruit Samuelem sibi vendidisse fundum & quicquid in co habebat, exceptis silvis, nomine sancta Helena & Valle. Laurentius, solutis 20000. libris, & contractu ab utraque parte subscripto, in fundi possessionem veoit, & eo potitus est per biennium. Aliquanto post, Samuel qui omnem fundum penitus non pernoscebat, quique ad Laurentii arbitrium se retulerat, ut dictum, accepit superesse aliam silvulam, pretio 100. librarum, nominatim non exceptam, quia Laurentius, ut ipse, eam ignorabat, tempore conscripti contractus. Hac de re queritur a Laurentio delusus; & contendit suam hanc silvam; quum vendens fundum exceperit silvas. Laurentius respondet, duabus solum silvis in contractu eaceptis, tertiam nihil ad eum facere, quæ cum fundo censenda est vendita: interea tamen significaturus se emisse fundum pretio perfecto, dicit se præsto consentire rescissioni contractus, si velit 20000. libras restituere intra trimestre. Qua de re, quæritur an, tempore præstituto elapso, nec summa hac a Samnele restituta, liceat tenere, tuta conscientia, hanc silvam cum fundo?

RESPONS.

Quum nullo utatur dolo Laurentius, & præterea hæc silvula nominatim in contractu venditionis non excipiatur, Samueli nullum debet supplementum, & Samuel sibi verteee vitio debet imperfectam omnium fundi appendicum cognitionem, antequam venditaret. Ideo damnum sibi, oon emtori, incumbit, juxta hanc Bonifacii VIII. regulam (*d*): *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*. Laurentio igitur, qui bona usus est fide, licet insistere verbis contractus juxta Legem, quæ habet (*e*): *Ait Prætor pacta conventa, quæ neque dolo malo neque adversus leges .... neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo*. Sed hoc Laurentium prorsus ab omni restitutione lartum sectumque servat, quod Samueli læso liceret contractas rescissionem sibi oblatam acceptam ferre. Tandem dubia juris utriusque justitia posita, æquitatis esset ut pronuntiaretur potius in Laurentii, quam venditoris gratiam, secandum hanc aliam ejusdem Pontificis Bonifacii VIII. regulam (*f*) *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*. Quod eo certius, quo possessio semper favet possidenti bona fide (*g*): *In caussa potior est conditio possidentis*.

(*d*) Reg. 86. de reg. juris in 6. Item leg. 203. ff. de diversis reg. juris antiqui.

(*e*) Leg. Juris Gent. 7. §. 7. ff. de pactis lib. 2. tit. 14.

(*f*) Reg. 11. de reg. juris in 6.

(*g*) Reg. 65. ibid.

CASUS XV.

JULIUS, dominus ædium quas putabat ruinosas, quia plures conspiciebantur hiatus in muris, producti vi & efficacia gypsi, iis illiti, illas vendit Luciano sex mille libris. Mense a contractu venditionis scripto, peritus Architectus ei eripuit errorem; illique dixit ædes ad minimum valere 14000. libris, seque præsto hanc soluturum summam, si vellet ut rescinderetur venditio cum Luciano contracta. Qua de re Julius quærit num liceat, conscientia, io Luciaoum inquirere, & coram Judice contractus rescissionem petere?

RESPONS.

Leges permittunt ut pari casu venditiooem dissolvat auctoritas Judicis: *Rem majoris pretii, si tu, vel pater tuus minoris distraxerit*, habet Lex (*h*) *humanum est, ut vel pretium te restituente emto fundum venumdatum recipias, auctoritate Judicis intercedente; vel si emtor elegerit quod deest justo pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidio pars veri pretii soluta sit*. Nobis est aliu Lex, quæ idem definit (*i*).

(*h*) Leg. Rem majoris. 2. Cod. de rescind. vendit. lib. 4. tit. 44.

(*i*) Leg. Si voluntate. 8. Cod. eod. tit.

Hæ Leges consentiunt S. Thomæ doctrinæ, qui dicit (*K*): *etiam lex humana cogit ad restituendum ... si aliquis sit deceptus ultra dimidiam justi pretii quantitatem*. Quod verum, sive emtor bonæ aut malæ fidei fuerit, id est, sive noverit aut ignoraverit justum pretium rei venditæ, tempore venditionis contractæ: *Et si nullus dolus intercessit stipulantis: sed ipsa res in se dolum habet*, habet alia Lex (*l*): sed ut justum de læsione feratur judicium, conformandum est pretio quo res valebat tempore venditionis ipso (*m*), noo vero pretio quo valitura esset postea: quia multis modis fundus potest crescere pretio, dimidio, a die alienationis: quo in casu venditor insurgere nequit adversus emtorem. Concludimus igitur licere Julio inquirere in Lucianum ut rescindatur contractus venditarum ædium: quum ultra dimidium læsus fuerit; & venditione dicta a Judice diremta, licebit, illæsa conscientia, redire in possessionem ædium Luciano sex mille libras acceptas restituendo,

(*k*) S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. ad 1.

(*l*) Leg. Si quis. 36. ff. de verbor. obligat.

(*m*) Cit. Leg. Si voluntate.

CASUS XVI.

AMANDUS, bibliopola, cui tomi libri perrari quatuor voluminibus impressi, prostant tres, cujus studiosus ipsi tres offert dupliones, quæsivit diu quartum qui deerat, & tandem invenit apud Balduinum, confratrem, qui non ignarus quam

necesse

necesse sit, ut adderetur tribus aliis Tomis, & ingentis lucri inde pruventuri, noluit vendere infra duodecim Libras; licet hic liber separatus valeret ad summum quinque Libris, & Balduinus, eum cedens posteriori pretio, haberet circiter dimidium pretii. Qua de re quæritur, num Balduinn licuerit, conscientia, & sine ulla restitutione præstanda vendere hunc librum duodecim Libris ratione circumstantiarum modo indicatarum?

RESPONS.

Existimamus Balduino non licuisse, conscientia, & sine injustitia plene manifesta, vendere hunc Librum duodecim Libris. Nam vendidit rem non suam, vendendo commodum alienum, nec valet ullum obtendere damnum, vendendo justo pretio; quum ex hypothesi, verum sit, librum separatum minoris esse pretii, quam junctum aliis, quorum est pars, & perceperit maximum lucrum præ constitn pretio.

Hæc responsio consentit Angelici Doctoris doctrinæ (a), cujus hæc verba: *Si vero aliquis multum juvetur ex re ulterius, quam accipis, ille vero qui vendit, non damnificatur carendo illa re: non debet eam supervendere, quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum: licet ei possit vendere damnum; quod patitur:* Subjungit hic Sanctus Doctor venditorem illa in circumstantia posse aliquid ultra legitimum pretium accipere, si emptor generosus velit concedere. *Ille tamen, qui ea re ulterius accepta multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad ejus honestatem.* At Balduinus non est eo in casu, quum duodecim Libras exegerit districte in pretium Libri, dimidio non valentis. Vide casum sequentem.

(a) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. in corp.

CASUS XVII.

JOSEPHO, & Claudio sunt duo horologia manualia, repetendis horis confecta, prorsus paria in omnibus, unumquoque viginti quinque duplionibus valens. Jacobus Claudii cubicularius fieri sui horologium amittit, & ejus indignationem remoturus rogat Josephum, ut sibi vendat suum, quod in locum amissi substituet nullum alibi ei par habendn, nec proinde alia ratione herum celando jacturam. Josephus coosentit venditioni, sed ex occasione triginta quinque dupliones erogat; licet horologii manualis absentia non sit damno, neque laborem facesset. Licetne exigere, conscientia, hoc pretium ea in circumstantia?

RESPONS.

Josephus horologium manuale; cnjus legitimum est vigintiquinque duplinnes, nequit trigintaquinque vendere: ratio est, quia ex alterius necessitate lucrum haderet, alterique faceret, quod sibi fieri nollet. Ea est S. Thomæ sententia, tanquam iniquam damnantis hujusmodi venditionem, qua pretium pruveniens longe superat legitimum rei venditæ pretium. En verba hujus Sancti Doctoris: (b) *Si quis alicuius in necessitate constitute, venderet aliquam rem multo amplius, quam valeret, esset .... injusta venditio.*

(b) S. Thom. q. 13. De malo art. 4. ad 7.

Ut dicta confirmentur, sciendum est ex dicto certo, & apud omnes Theologos ioconcusso, numquam rem posse majori, quam legitimo pretio vendi, aut emi; quia, ut dicit Sanctus Thomas (c), contractus venditionis, & venditionis in bonum commune emptorum venditorum fuit positus, ac proinde huic, quam illi ntilior esse non debet: æqualitate, in qua Justitia commutativa est sita, semper servanda. Quod locum non haberet, si pretium superaret legitimum rei pretium, aut res pretium: *Emptio, & venditio*, ait Doctor Angelicus, *videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque, dum scilicet unus indiget re alterius, & e converso ... quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius. Et ideo debet secundum æqualitatem rei inter eos contractus instituit .... & ideo, si vel pretium excedat quantitatem valoris rei: vel e converso res excedat pretium, tollitur justitiæ æqualitas.* Ex quo principio hic Sanctus infert nunquam licere carius vendere, aut vilius emere, quam res valet. *Et ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustum, & illicitum.*

(c) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. in corp.

Evidenter concluditur ex hoc principio Josepho non licere sine injustitia aperta, Claudii cubiculario vendere horologium manuale decem duplionibus ultra pretium. Nam, licet horologii manualis pretium non constituat lex Principis, aut Edictum Magistratus Politici, quodque, proprie loquendo legitimum dicitur, nec sine injustitia potest violari ei tamen inhæret pretium congenitum, & commune, pretium nempe a docto, & intelligenti æquoque æstimatore inditum: ac pretium, non indivisum, sed ex æquo mediocre, solet tres gradus habere scilicet summum, medium, & imum, ut observat Sanctus Antoninus (d), qui dicit: *Potest etiam distingui triplex limitationis gradus etiam justus. Primus potest nominari pius: Secundus discretus; Tertius vero rigidus. Primus est pretii minoris, Secundus est mediocris, Tertius est majoris.* Ita ut exempli gratia horologio manuali eo modo, hocque ex metallo confecto noo sit pretium indivisum & valeat plane viginti quinque duplionibus, nihil amplius, minusve: verum quando ejus medium pretium limitat doctus, & intelligens æstimator viginti duobus duplionibus, imum pretium potest æstimari viginti duplionibus, & summum viginti quinque. Atque hujusmodi res conscientia, nequeunt emi infra imum pretium, neque vendi supra summum earum pretium; quia tunc, ut dicit Sanctus Thomas (e), æqualitas justitiæ non servaretur. Si igitur pretium horologii manualis Josephi infimum sit viginti dupliones; & mediocre viginti duo, aut vigintiquinque, summum nequit esse triginta quinque, ac proinde hoc vendi pretio sine injustitia, deficiente penitus æqualitate morali eo in casu inter rem, & pretium. Sic solum interpretanda hæc verba Auctoris operis Sancto Thomæ adscripti (f): *Res tantum juste valet, quantum sine fraude vendi potest.* Nam id est *quantum vendi potest habita ratione justi valoris ejus.* Adeo ut non vendatur supra summum pretium, nempe hunc solum verum sensum hujus Auctoris, ut manifeste legitur in loco ipso indicato in margine, & in permultis aliis, in quibus defenditur semper constanter, & sine ulla mutatione eadem doctrina.

(d) S. Antonin. 2. p. sum. Th. t. 2. c. 8. §. 1.

(e) S. Thom. cit. a. 2. ad 1.

(f) Apud. S. Thom. opusc. 73. c.

CASUS XVIII.

COSMUS vendit Clementi ædes decem mille Libris: contractus venditionis a duobus Tabellionibus exceptus habet, Cosmum sibi servare rescissionem contractus, si alius duodecim mille Libras solvat. Mense elapso ædes fulmine ictæ in cineres penitus sunt redactæ. Cujus est damnum? Nonne venditoris, quum, incendii momento, tempus ad rescissionem contractus stipulatum, nondum effluxisset?

RESPONS.

Ruina harum ædium debet Clementi, emptori, nnn vero Cosmo venditnri, incumbere. Nam, contractu emptionis, & venditionis perfecto, venditoris nnn sunt casus fortuiti sine sua culpa obvenientes: etiamsi res vendita emptori nondum fuisset tradita. *Cum autem emptio, & venditio contracta sit*, habet Lex (g)... *periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet: tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si ... ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint, emptoris damnum est. Quidquid enim sine dolo, & culpa venditoris accedit, & in eo venditor securus est.*

(g) Cum autem 3. Instit. de empt. & vendit. lib. 3. tit. 24.

Verum est, conditionem, e qua conventi implementum pendet, plenum sortiri effectum post eventum, & sequendam parere transmutationem. *Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio*, habet Lex Digestorum (h). Sed perinde non est io conventis jam impletis. Nam, licet possint dirimi eventu conditionis, omnia tamen permanent in præscriptis conventi rationibus, & effectus conditionis suspenditur, donec accidat, quia contactus suum sortitur effectum

(h) L. Hæc venditio 7. ff. de contrahen. empt. &c. lib. 18. t. 2.

cum

cum conditio impletur: *Si sub conditione res venierit, siquidem defecerit conditio, nulla est emptio.* (a) Ideo constat Clementem verum esse ædium, a Cosmo venditarum dominum, nec posse ab earum possessione dejici, nisi alter offerret venditori, tempore stipulato duodecim mille Libras, quæ momento, quo fulmine ictæ ædes consumptæ fuerunt incendio non erant oblatæ, tranquilla gaudentem possessione. In ipsum ergo, non in venditorem damnum incidendum est. Hæc est clara Legis decisio, quæ habet (b): *Si quidem hoc actum est, ut meliore allata conditione ab emptione cedatur: erit pura emptio, quæ sub conditione resolvitur .... ubi igitur, secundum quod diximus, pura venditio est, Julianus scribit, hunc, cui res in diem addicta est, & usu capere posse, & fructus, & accessiones lucrari; & periculum ad eum pertinere, si res interierit.*

(a) L. Necessario 8. ff. de periculo & commodo rei venditæ cit. l. 18. t. 6.

(b) L. Quoties 2. ff. de in diem conditione init. & §. 1. cit. l. 18. t. 2.

CASUS XIX.

Isaac vendidit 10. Aprilis Petro vellus ovilli gregis, ea lege, ut 10. Julii sequentis illud traderet, quo deficiente, venditio permanebit nulla, & irrita. Isaac non tradidit, quia eum pœnituit pacti: venditio perstat nulla, Isaac sic volente?

RESPONS.

Quum ex conditione aperta venditio manebit dissoluta, si alter contrahentium non præstet promissa, clausula rescissoria non est censenda in gratiam ejus, qui suæ deest pollicitationi apposita, sed solum in alterius contrahentis causam, cujus optio est, utrum eum compellat ad præstanda promissa, aut ad rescindendum pactum, aut adjudicanda damna, & fœnora, si debeantur. Hoc isti Juris dicto est consonum (c): *Quod favore quorumdam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri.*

(c) L. Quod favore 6. cod. de legibus &c. l. 1. t. 14.

Et quidem, si res aliter se haberet, sæpe is, qui aliquam posset utilitatem capere ex præstita conditione, aut clausula stipulata, frustraretur inique mala alterius fide, cui commodum esset suæ non facere pollicitationi satis. Exempli gratia in quæsito proposito, Isaac vendidit 10. Apr. Petro vellus ovilli gregis 150. Libris, pretio, quo tunc valebat, & pollicitus est ei tradere 10. Julii; sed lana crevit copiosissime mense Junio: sic ejus interest, ut venditio contracta non valeat, quia venditurus est alii longe carius vellus suum: & eum in finem conditionem, quam erat pollicitus, non præstat: nec Petro tradit lanam tempore convento. Certum est, hoc in casu, nullum ipsi accrescendum lucrum, e nulla pollicitationis executione in damnum Petri, cujus interest, ut conditio adimpleatur: quique proinde compellere, si velit, venditorem potest ad præstandam conditionem, qua vellus vendidit. Item si, mense Majo aut Junio, lana pretium longe vilius esset, Petrum Isaaco pollicitam summam solvere tempore præstituto necesse foret, ut aliam emeret minori pretio; quia omittere nequiret sine damno venditori illato; cujus interest, ut venditio effectui detur, ac proinde cui jus est emptorem adigendi, ut clausulam, qua pollicitus est, eum 10. Julii solvere, implendam. Hæc omnia æquitati naturali innituntur, quam observarunt in suis decisionibus Leges. *Cum venditor fundi ita caverit*, habet Lex ista (d), si ad diem soluta pecunia non fit, ut fundus inemptus sit: *ita accipitur, inemptus esse fundus, si venditor inemptum esse velit: quia id venditoris causa caveretur.*

(d) L. Cum venditor 2. ff. de fide comissoria l. 18. t. 3

CASUS XX.

Otho mense Octobri vendit Philberto, inopia laboranti, sex sextarios tritici, ea lege, ut Philbertus summam sit ei soluturus summo pretio, quo venit ad primum usque Octobris diem anni sequentis. Hic venditionis contractus est ne licitus?

RESPONS.

Is contractus est illicitus, & reprobatus a Concilio Parisiensi VI. Pontifice Gregorio IV. habito anno 829. (e) En verba Patrum ei assidentium: *Famis præterea tempore, cum quispiam pauper, omnium rerum penuria attenuatus, ad aliquem fœneratorem venit, utpote frater ad fratrem, quos constat uno pretioso Christi sanguine redemptos, petens ab eo suas miserabiles necessitates sublevari: sibique id, quod indiget, commodari, taliter sibi ab eo solet responderi. Non est mihi frumentum, aut aliud quid, quod in cibum tibi sumere vis ad mutuandum, sed magis ad vendendum; si vis emere, fer pretium, & tolle: Cui pauper, non est mihi, inquit, quicquam pretii, quo emere id, quo indiged, valeam: sed peto abs te, ut miserearis mei: &, quomodocumque vis, mihi quod peto ne fame peream, mutuum porrige: Fœnerator e contra: quot modo denariis possum modium frumenti mei vendere, aut tot denarios tempore fructus novi mihi redde, aut certe eorum pretium in frumento, & vino, & cæteris quibuslibet aliis frugibus ad plenum supple. Unde evenire solet, ut pro uno frumenti modio taliter mutuato, tres, aut certe quatuor modii a pauperibus tempore messis violenter exigantur.*

(e) Conc. Par. VI. c. 53.

Hunc contractum damnant Innocent. III. in Decretali, & Urbanus III. in alio (f). Ut & plura Concilia Provincialia, & præ cæteris Mediolanense, & Burdigal. Ratio iniquitatis hujus contractus est, quia sex tritici sextarii, tempestate anni, qua carior annona, majori pretio sunt habendi, quam par numerus, tempestate, qua vilius est pretium.

(f) Inn. III. in c. In civitate 6. & Urb. III. in c. Consuluit 10. de usuris.

Fatemur tamen Othonem, si sincero, & pleno esset animo suum asservare triticum, ver. grat. ad mensem Junium, aut Julium usque tempestatem anni, qua solet esse carius, & tunc temporis vendere, posse sine injustitia vendere Philberto, fere eodem, quo totum valeret pretio. Dicimus fere, id est, deducendo aliquid, *judicio viri prudentis*, ob custodiam, periculum, & imminutionem (g).

(g) De Sainte Beuve to. 1. Casu 129. & t. 2. Cas. 138.

Vide Casum tricesimum quintum.

CASUS XXI.

Jodocus vendidit Julio quinquaginta tritici modios, ex horreo suo depromendos, & inter eos stipulatum est Julium intra mensem eos esse mensurum, & sublaturum. Quindennis diebus post hanc conclusam venditionem, triticum fuit admodum deterius factum, formicis, quæ irrepserant, ita ut Julius, eo accepto, nolit pactum cum Jodoco contractum effectui dare, & intendit ei præbere tertiam partem infra pretium, de quo inter eos convenerat. Jodocus e contra defendit triticum non evasisse sua culpa deterius: sicque conventum ad litteram effectui dandum esse a Julio. Utris est jus?

RESPONS.

Julius hac in circumstantia non tenetur venditoris sui triticum recipere, nec & pretium, de quo inter eos convenit, solvere: Ratio est, quia rerum mensura, pondere, & numero vænientium venditio censetur perfecta, postquam numeratæ, pensæ, & mensuratæ fuerint: sic habet hæc Lex (h): *Si omne vinum, vel oleum, vel frumentum, vel argentum, quantumcumque esset, uno pretio vænierit: idem juris est quod in cæteris rebus. Quod si vinum ita vænierit, ut in singulas amphoras: item oleum, ut singulas metretas: item frumentum, ut in singulos modios: item argentum, in singulas libras certum pretium diceretur; quæritur quando videatur emptio perfici? Quod similiter quæritur & de his, quæ numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum? Sabinus, & Cassius tunc perfici emptionem existimant cum adnumerata, adpensa, admensave sint, quia venditio sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos adpenderis; aut in singula corpora, quæ adnumeraveris.*

(h) L. Quod sæpe 35. § 5. ff. de contrahenda empt. &c.

Unde sequitur, venditione non perfecta antequam res hujusmodi emptæ fuerint numeratæ, pensæ, aut mensuratæ, damnum obveniens in solum venditorem, non in emptorem, esse illabendum: si vero, in quæsito proposito, triticum mensuratum, numeratum, & secretum fuisset in ipso venditoris horreo, damnum, aut depravatio, obventura postea,

postea unius esset emptoris, non vero venditoris. Sic quoque habet hæc ulia Lex (*a*): *Priusquam enim admetiutur vinum, prope quasi nondum vanit post mensuram factum venditoris desinit esse periculum.*

(a) L. si vinum 2. §. 5. ff. de periculo & commodo rei venditæ.

CASUS XXII.

Lucius, duos boves Sebastiano venditos cum stipulatione aperta se illos traditurum intra octiduum, distulit mera negligentia fere per mensem tradere, quo post tempore oblatu Sebastiano eorum traditione, hic neglexis vicissim per triduum tantum eos recipere; quarto die alter bonm periit mero casu, & fine Lucii culpa: damnum est-ne incidendum in Sebastianum?

Respons.

Venditor solus morans tradere tempore convenso rem venditam, debet sibi dare moram & damnum convaniens; ita ut, si mutatio destruens rem, ant minuens pretium medio tempore inter venditionem & traditionem, accidat, postquam venditor sua moretur culpa, damnum ipsius sit, quamvis res mere fortuito periisset casu: *Quod te mibi dare oporteut*, habet Lex (*b*), *si id postea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mibi dares, eum fore id detrimentum constat.* Ratio est, qnia si rem tradidisset tempore præstituto, emptor eam vendidisset, aut aliter untevertisset damnum: *Si servus petitus, vel aliud animal demortuum sit fine dolo malo, & culpa possessoris; pretium non esse præstandum plerique ajunt. Sed est verius, si forte distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari. Nam si ei restituisset, distraxisset, & pretium esset lucratus.* Sic habet alia Lex (*c*).

(b) L. quod te 5. ff de rebus creditis l. 12. t. 1.

(c) Item 15. §. fin. ff. de rei vindic. l. 6. t. 1.

Verum licet venditor rem venditam tradere sit moratus; si postea emptori offerat ejus traditionem, (re integra) & emptor vicissim recipere moretur, aut econtra emptor, moratus rem a venditore oblatam, recipere, quæsierit ejus traditionem, venditorque moretur, mutatio per posteriorem moram obveniens, incidenda est in ultimo moratum. *Quid enim*, habet Lex (*d*), *si interpellavero venditorem, & non dederit id quod emeram: deinde, posteriore offerente illo, ego non acceperim? Sane hoc casu nocere mibi deberet. Sed si per emptorem mora fuisset: deinde, eum omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere; æquum est posteriorem moram venditori nocere.*

(d) L. Illud 17. ff. de per. & comm. rei venditæ.

Huic quæsito respondemus ipsi. Nam, Lucius, venditor, re primus est moratus duos boves tradere Sebastiano emptori; sed suam compensavit negligentiam oblata ipsi eorum traditione. Sebastianus eos recipere est moratus. Æqnum est igitur, ut damnum bovis, qui postea perit, in eum, non in Lucium, incidat.

CASUS XXIII.

Eudes vendit equum Romano, pollicetutque intra triduum ipsi tradere 200. Libras ea lege, si servus, quem ad nundinas empturum sibi alium misit, equum emat. Biduo post equus venditus perit morte naturali, præcipiti; & duabus post horis servus e nundinis venit cum eqno, quem Eudes emi jusserat. Qua de re quæritur num Romanus Eudi ducentas Libras solvere teneatur ob equum, licet ante servi adventum, ac proinde ante conditionem stipulatam adimpletam, demortuum pollicitas?

Respons.

Romanus pretium equi solvere non tenetur Eudi. Ratio est, quia in venditione, huic annexa legi, si res vendita ante conditionis stipulatæ eventum pereat, damnum obveniens in venditorem, non vero in emptorem est illabendum: quamvis conditio postea impleatur: nam permanet semper rei dominus, donec conditio re impleatur: & cum hæc res perierit, nulla est venditio: æquitate naturali exigente, ut subintelligatur vendi, quod integrum erit tempore conditionis impletæ. *Si ante nuptias mancipia æstimata deperierint*, habet Lex (*e*): *ut mulieris damnum fit, & hoc consequens est dicere. Nam si sit condicionalis venditio, pendente autem conditione mors contingens extinguat venditionem, consequens est dicere mulieri perisse; quia nondum erat impleta conditio.* Habet alia Lex (*f*): *Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.*

(e) L. Plerumq. 10. §. 1. ff. de jure dotium l. 23. t. 3.

(f) L. hæc venditio 7. sup. cit. ff. de contrah. empt. & vendit.

Ex eodem principio concludendum equi, non demortui quidem, sed solum depravati, imo insigni ratione, damnum in emptorem illabi. Nam eventus conditionis quum venditionem effecerit perfectam, fieret equi dominus, qui venditori custodiendus erat, donec conditio fuerit impleta: *Si extet res* (vendita sub conditione) *licet deterior effectu; potest dici esse damnum emptoris*, habet alia Lex (*g*); & eadem ratione res melior effecta debet juvare emptorem juxta hanc juris regulam (*h*): *Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda.*

(g) L. Necessario 8. ff. de pericul. & com. rei venditæ l. 18. t. 6.

(h) L. sec. 10. ff. de div. reg. jur. ant.

CASUS XXIV.

Guibertus cum Martiali duos vendidisset equos, ambo contrahentes moram faciunt simul; Guibertus non tradit intra triduum, & Martialis non accipit: quia postero die a clauso pacto ambo uggressi sunt iter oblectationis causa, quisque in suas partes. Duo equi intermedio illo tempore intereunt, cujus est damnum? sin venditoris, an emptoris, an utriusque?

Respons.

Quando traditio rei venditæ ab emptore & venditore simul, ac utriusque culpa interpellatur; & hæc res depravatur aut penitus perit; empori non est vitio vertendi moram venditori, quum ipse moram faciens absentia & negligentia sua, queri jure nequeat venditorem sibi non tradidisse. Unde concludimus, in quæsito proposito, Martiali soli damnum duorum equorum incumbere. Sic definit Jus Romanum, cui hoc in articulo insistendum, tanquam æquitati naturali consentaneo. *Si & per emptorem & venditorem mora fuisset*, habet Lex Digestorum (*i*), *quominus vinum præberetur, & traderetur; periude esse ait, quasi si per emptorem solum stetisset. Non enim potest videri mora per venditorem emptori factu esse, ipso moram faciente emptore.*

(i) L. Si & 51. ff. de act. empt. & vend. l. 19. t. 1.

CASUS XXV.

Juvenalis vendidit equum periclitandum, eumque tradidit Ludovico, qui 30. dupliones præbere stipulatus est, si bonæ equi dotes faciant ipsi per octiduum satis. Quinque sexve diebus post equile Ludovici fulmine icto, equus occisus est. Juvenalis pretium petit a Ludovico, quis econtra contendit damnum in Juvenalem illabendum.

Respons.

Respondemus nullo modo teneri Ludovicum ad solvendum equi pretium Juvenali: Nam 1. tenetur, qnatenus depositarius, quum depositarius præstare non debet casus mere fortuitos, ut mortem fulmine illatam. 2. Non tenetur ex venditione. Quando enim res vendita ad certum tempus periclitanda; & ea lege, ut res fuerit actu vendita, modo placeat emptori; venditio tum non censetur re perfecta, ut hæc Lex (*k*): *Si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio; nulla est emptio.* Quapropter omnes mutationes, damna, decessiones, jacturæ, & lucrante & per periclitationem rei, quam experitur emptor, incumbunt soli venditori, quia ejus est dominus: sic difficultatem hanc solvit Lex sequens (*l*). *Si mulas tibi dedero, ut experiaris; Et, si placuissent, emeres; si displicuissent, ut in dies singulos aliquid præstares: deinde mulæ a grassatoribus fuerint ablatæ intra dies experimenti: quid esset præstandum? Utrum pretium aut merces, an merces tantum? Et ait Mela, interesse utrum emptio jam erat contracta, an futura; ut, si facta, pretium petatur: si futura, merces petatur.* Idem probatur quoque dispositione alius Legis (*m*). *Si quem quæstum fecit is, qui experiendum quid accepit; veluti, si jumenta fuerint, eaque locata sint, idipsum præstabit ei*

(k) L. Necessario 8. ff. de periculo & comm. rei vend. l. 18. t. 6. Item L. si quis 37. ff. de contrah. empt. &c. eod. l. t. 1.

(l) L. apud 20. §. 1. ff. de præscriptis verb. &c. l. 19. t. 5.

(m) L. si qui 13. §. 1. ff. commodati vel contr. l. 13. t. 6.

qui experiendum dedit: neque enim ante eam rem quæstui cuiquam esse oportet, priusquam periculo ejus sit.

CASUS XXVI.

Nicomedes, equorum Negotiator, vendit Bartholomæo equum, loris duriorem, aut meticulosum, viginti coronatis, pro 80. quibus valeret, vitiis vacuus. Peccat-ne non dicens equi vitium, & tenetur-ne restitutione?

Respons.

1. Verum est Nicomedem peccaturum in veritatem & justitiam, si assereret equum, quem Bartholomæo vendit, esse sanum & vitio vacuum; quum sit durior loris, aut meticulosus. Sed Bartholomæo non roganti Nicomedes non tenetur, in casu proposito, indicare equi vitium; nam quando rei venditæ vitio nullum accrescit venditori damnum, non est causa ut indicetur vitium, sive occultum, sive manifestum, & venditio est valida. *Res bona fide vendita propter minimam causam, inempta fieri non debet*, habet Lex (*a*), atqui asseri potest Nicomedem nullo damno, nullaque injustitia afficere Bartholomæum; quum minuat pretium equi ratione vitii, cum vendendo viginti coronatis ob vitium, pro 80. quibus valeret vitio vacuus. In eam rem igitur nulla ipsi imponitur compensatio. *Si ergo vitium rei venditæ, faciat rem minus valere, quam pretium impositum a venditore*, inquit Sanctus Thomas (*b*), *injusta erit venditio. Unde peccat occultans vitium; si autem non faciat rem minus valere, quam pretium impositum, quia forte venditur minus pretium imposuit propter vitium; tunc non peccat, tacens vitium: quia venditio non est injusta; & forte esset sibi damnosum si vitium diceret: quia emptor vellet rem habere etiam pro minori pretio, quam valeret.*

(a) L. rei 54. ff. de contrah. empt. &c.

(b) S. Thom. quodlib. 2. a. 10. in corp.

Sed si equo esset vitium occultum, quo inutilis aut damnosus fieret Bartholomæo, verbi gratia, si esset curvatus, 1 mucosus, aut anhelator, aut saginatus quadam materia, cujus adeps non est diuturna; aut tandem limis oculis, quos Nicomedes nitentes fecisset ope quorumdam pulverum, clariorem oculorum aciem facientium ad aliquot tantum dies; tunc Bartholomæo damnum inferretur quod Nicomedi esset resarciendum. Nam, ut ait Sanctus Thomas (*c*), *dare alicui occasionem periculi, vel damni, semper est illicitum .... venditor autem qui rem vendendam proponit, ex hoc ipso dat emptori damni, vel periculi occasionem, quod rem vitiosam ei offert, si ex ejus vitio damnum, vel periculum incurrere possit.*

1 Curvatura moribus, afficiens equum calore alieno, producta obstructionibus pulmonum, & intestinor. Anhelatio pulsus & alteratio ilium, impediens, quominus equus spiret obstru. ctione pulmonum, & venarum, & arteriar. & imprimis viæ & exitus pulmonum per viam renum.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 3. in corp.

Diximus, *si equo esset vitium occultum, quo inutilis & damnosus fieret emptori*. Nam si vitium esset notorium: verbi gratia, si esset cæcus aut claudus; Nicomedes hoc detegere vitium non teneretur; & ea hypothesi si equus, judicio doctorum intelligentiumque æstimatorum, valeret se viginti coronatis, non obstante hoc vitio, nullo compensare modo teneretur Bartholomæum, qui cognovit, aut facile nosse valuit hoc vitium. *Si quis hominem luminibus effossis emat*, habet Lex, (*d*) *& de sanitate stipuletur ... de cætera parte corporis potius stipulatus videtur, quam de eo, in quo se ipse decipiebat*. Sed teneretur si equo vitium esset occultum, ut jam dictum, & emptori damnum accresceret, venditor cum teneatur illud detegere, licet minuat pretium; & omittens tenetur damnum resarcire, juxta hoc Gregorii IX. dictum (*e*) *Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*. Cui consentit Sanctus Thomas (*f*), dicens: *Si hujusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita & dolosa venditio: & tenetur venditor ad damni recompensationem*. Venditor ipse eo in casu teneretur recipere equum & pretium refundere, si emptor servare nollet. Contractus venditionis cum sit nullus deficiente consensu congruente: cum constet emptorem, si novisset vitium, venditioni non consensisse, cui assensum præbuit sola venditoris fraude. *Si quid tale fuerit vitii, sive morbi*, habet Lex (*g*): *quod usum, ministeriumque hominis impediat, id dabit redhibitioni locum, dummodo meminerimus, non utique quodlibet quam levissimum efficere, ut morbosus vitiosusve habeatur*. Hoc vitii genus sic interpretatur alia Lex (*h*) his verbis: *Qui forte si hoc cognovisset; vel empturus non esset; vel minoris empturus esset; si certioratus de hoc loco fuisset*. Ea est sententia Glossæ in Decretale ab Alexandro III. ad Episcopum Atrebatensem scriptum (*i*), quæ habet. *Cum dolus dat causam contractui ... non tenet contractus*. Denique sic judicatur in foro exteriori, in quo admittitur emptor ad habendam actionem in emptorem ad certum usque tempus, scilicet ad 40. dies juxta consuetudinem quibusdam in Provinciis uso receptam; aut ad minus tempus, scilicet, novem solum dies, juxta consuetudinem Parisiensem, ubi supponitur hoc tempus sufficere ad agnoscenda equi vitia quæcumque: Quod valet, quum venditor ipse istud ignorat vitium: quæ Jurisprudentia consentit Juri Romano, quod habet (*K*): *Causa hujus Edicti proponendi est, ut occurratur fallaciis vendentium, & emptoribus succurratur, quicumque decepti a venditoribus fuerint, dummodo sciamus venditorem etiamsi ignoravit, ea quæ ædile præstari jubent, tamen teneri debere, nec est hoc iniquum*. Adjungit alia lex, venditorem hæc perspecta habentem vitia, nec emptori detegentem, teneri damnis & fenoribus. En verba (*l*): *Si quidem ignorabat venditor ipsius rei nomine teneri. Si sciebat, etiam damni quod ex eo contingit*. Denique alia Lex (*m*) idem habet his verbis. *Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit; omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei.*

(d) Leg. Ea quæ 43. §. 1. ff de contrah. empt. &c. l. 16. tit. 1.

(e) Gregor. IX in c. si culpa fin. de injur. & damn. dat.

(f) S. Thom. 2. 2. cit. q. 77 a. 3. in corp.

(g) L. Labeo 2. §. 1. ff de ædilit. edicto lib. 21. t. 1.

(h) L. quæ 13 §0. ff. de act. empti & venditi l. 19. t. 1.

(i) Gloss. in c. cum dilect. 3. de empt. & vend. v. in deceptione l. 3. t. 17.

(K) L. Labeo 1. § 2. ff. de contrah. empt. &c.

(l) L. Labeo 45. ff. eod tit.

(m) L. Labeo 13. ff. de actionibus empt. & venditio.

CASUS XXVII.

Camillus Herculi vendit equum monoculum 150. Libris, licet Hercules temere & sine legitima exploratione credat ei duos esse claros oculos. Camillus tenetur-ne restitutione; quia Herculi hoc non detexit vitium, qui profecto non emisset equum, aut saltem non solvisset ultra 100. Libras, si hoc perspectum habuisset vitium?

Respons.

Huic diu non hæredimus difficultati. Nam ante in decisione proxima dicta sufficiunt, ut pateat, hoc vitio admodum obvio, Camillum non teneri conscientia illud Herculi detegere, qui non quæsiverat, quique sibi debet dare negligentiam equi, quem emebat, explorandi. Ex eadem ratione Camillus qui vendidit equum legitimo, quo valebat, pretio, non tenetur ulla ratione Herculem compensare. Nobis igitur sat erit locus Sancti Thomæ (*n*) hic adjunctus, quem non recensuimus, huic solvendæ difficultati aptissimus: En locum: *Si vero vitium sit manifestum: puta, si equus sit monoculus; vel cum usus rei, & si non competat venditori, potest tamen conveniens esse aliis; & si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei: quia forte propter hujusmodi vitium emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum. Unde potest licite venditor indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.*

(n) S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3. in cap.

CASUS XXVIII.

Darius vendidit equum infirmis oculis, Publio 100. Libris, legitimo, quo erat cum hoc vitio æstimandus, pretio. Atqui Publius caligans oculis, percipere id nequivit, & putavit equum vitio vacuum. Equo tradito, ejusque pretio convento soluto, amicus eum docuit equum oculorum valetudine gravi laborare, qua de re rogavit Darium venditorem, ut reciperet equum, pretiumque rependeret: aut saltem ex æquo remuneraretur, quia sibi, oculis caliganti, necessarius est equus acutis oculis. Darius tenetur-ne conscientia?

Res-

Digitized by Google

RESPONS.

Arbitramur teneri Darium, conscientia, ad recipiendum equum, centumque Libras Publio rependendas, aut ad paciscendum cum eo de legitima compensatione: quia eum decepit, ratio est, quia equi vitium, ex se notum, non est sic observandum Publio, oculorum valetudine laboranti. Ea est decisio Sylvii (a), dicentis, judicandum de hoc casu ut de eo quo emptor, dubium habens vitium, illud objiceret venditori contrarium asserenti. *Alioquin si fraus intercedat*, inquit hic Doctus Theologus, *ut si emptor nequiverit vitium advertere, ut pote cæcus, aut visu debilis: vel si venditor interrogatus de defectu, etiam manifesto eum occultavit; injustus est contractus*: quia hoc ultimo in casu venditor vera dicere emptori semper tenetur, circa vitia ipsa manifesta, quando quærit ea, & potissimum quando perspectum habet; aut emptor ipsi indicat, se non empturum, hoc vitio infectum. *Quandocumque enim rogatur ab emptore an res sua defectum aliquem habeat, ex justitia tenetur eum sive occultum, sive manifestum judicare; præsertim si emptor declaret se nolle emere eam, quæ qualemcumque defectum habeat* (b).

(a) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 77. art. 3. concl. 4.

(b) Colloq. Lucon. t. 2. colloq. 42. q. 3.

CASUS XXIX.

JOANNES vendidit Jacobo amicissimo equum admodum claudum, cui sat fuit eum in equili videre, sine exploratione, fiducia venditoris, licet ipse sit Doctus & intelligens equorum æstimator. Joannes, persuasus Jacobum emere equum quo iter Parisiis Pictavium haberet, & nullius ei fore usus ad hoc iter, tenetur ne conscientia & summo jure eum monere vitii equo inhærentis: & omittens peccat-ne in charitatem aut justitiam, quamvis eum vendat legitimo, quo isto gravatus vitio valet, pretio?

RESPONS.

Indicant admodum aperte doctrina S. Thomæ, compluresque leges in vicesima quarta decisione allatæ Joannem peccare in charitatem. Quapropter Sylvius (c) merito dicit, venditorem teneri eo in casu emptorem monere vitii, quo equus, quem vendit, est contaminatus; & omittens graviter peccat in charitatem, abutendo fiducia amici sui. Imo, ait hic Theologus, *tametsi emptor judicio suo fidens nihil interrogaverit, potueritque ipse vitium, ut pote satis manifestum advertere: potest tamen esse peccatum, etiam grave contra charitatem eum non monere ante contractum, ut si venditor videt emptorem ex simplicitate decipi; vel rem illam fore ipsi inutilem*. Et quidem constat venditorem nolle ut in pari casu ipsum sic errare permitteretur. Igitur quum charitas non sinat aliter rem habere cum proximo quam sibi fieri vellet, nequit conscientia emptori tacere errorem & falsam ejus fiduciam, illæsis charitatis Christianæ regulis: quamvis purgetur injustitia, modo emptori nullum obveniat damnum; quod in casu proposito verisimile non videtur, licet, sancte loquendo hoc fieri possit.

(c) Fr. Sylvius cit. conclus. 4.

CASUS XXX.

HERCULES vendit 200. Libris equum vexatum * Claudio pro 300. libris quibus hoc vacuus vitio valeret. Claudius eum interrogat num huic insit equo vitium. Hercules respondet ei equum explorandum, se eum vendere prout est affectus, nec velle vitiorum postea detegendorum auctorem esse. Claudius non obstante responso parum æquo, pactum perficit, specie ductus ab equo vitium abesse, saltem magnum: sed octiduo post, consensurus, advertit eum vexatum: Qua de re quærit ab Hercule, ut equum recipiat, aut saltem damnum illatum resarciat. Hercules tenetur ne restitutione, non obstante testificatione Claudio exhibita se non præstare equum vitio vacuum?

* Vexatura, Epiphora in nervos crurales equi, eos ita rigidos efficiens ut fiant motus experte; quod evenit equo ad aquam citius deducto a nimio calore aut labore. Vide apud Solleysel perfectum fabrum ferrarium pag. 350. & seq. ubi triplicem indicat vexaturam.

RESPONS.

Licet equi vexatura non accenseatur tribus casibus, nomine *Redhibitoriis*, ut sunt *anhelatio mucus curvatura*, & Consuetudo Parisiensis eos sic designet; tamen responsum ab Hercule datum Claudio emptori non liberat coram Deo a resarciendo damno illato, vitium, non sola equi inspectione, sed propria declaratione noscendum, tacendo. *Si vitia rei, quæ vendenda proponitur, sint occulta, nisi per venditorem manifestentur*, inquit Sanctus Thomas, (d) *non sufficienter committitur emptori judicium; secus autem esset, si essent vitia manifesta*. Claudio licet compellere Herculem in foro conscientiæ ad recipiendum equum aut refundendum pretium, vel compensationem ipsi debitam. *Si vero sciens reticuit* (vitium) *& emptorem decepit*, habet Lex (e), *omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei*.

(d) S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. ad 2.

(e) Leg. Labeo. 13. ff. de action. empti & venditi.

Sed si Hercules ignoraret hoc vitium occultum, & vendiderit equum bona fide, testificatione Claudio addita, iniquum esset addicere compensationi cuidam venditorem; quum in venditione pretium, quod exegit, æquaverit periculo vitii equo inhærentis, & ideo pretio vendiderit viliori: nam eo in casu venditio non est iniqua, contra vero, si non temperasset pretio equi definito; & animus esset in solidum gravare emptorem, quo in casu teneretur compensatione ejus quod ipsi minuendum erat. (f)

(f) Fr. de Genet. Theol. mor. t. 2. tract. 3. c. 10 q. 5.

CASUS XXXI.

GASTO postquam Paulo vendidisset equum curvatum * (id est, calore laborantem alieno, a fermento humorum in pulmone & visceribus contentorum genito, (aut anhelatorem, (id est, anhelatione affectum, obstructione pulmonis, venarum & arteriarum, & ductus aut stillicidii pulmonum) Paulus in eum intendit actionem tempore a consuetudine provinciali statuto, ut addiceretur recipiendo equo, aut restituendo pretio soluto. Verum pendente lite equus perit casu mere fortuito. Utrius est damnum?

* Vide notam. Curvatura in casu 26.

RESPONS.

Venditori incumbit jactura equi in quæsito proposito: nam quando vitium rei venditæ sufficiat ut locus sit redhibitioni & dissolutioni venditionis, ut in casu proposito, emptor & venditor habendi sunt ac si non contraxissent venditionem & emptionem inter se. *Facta redhibitione*, habet lex (g), *omnia in integrum restituuntur, perinde ac si neque emptio, neque venditio intercessit*. Ita ut omnes mutationes, damnosæ ipsæ rem venditam post venditionem & ante redhibitionem afficientes, sine culpa venditoris eorumque qui præstare debent, in solum recidant venditorem. *Si mortuum fuerit jumentum*, habet alia lex (h), *pari modo redhiberi poterit quemadmodum mancipium potest*. En aliam legem, cujus dispositio idem firmat (i): *Si mancipium, quod redhiberi oportet, mortuum erit, hoc quæritur; numquid culpa emptoris, vel familia ejus, vel procuratoris, homo demortuus sit: nam si culpa ejus decessit, pro vivo habendus est, & præstarentur omnia, quæ præstarentur, si viveret*. Unde sequitur equi, a Gastone venditi, casu mere fortuito demortui, & sine culpa Pauli, qui eum emerat, jacturam incumbendam esse Gastoni soli, ut diximus.

(g) Leg. facta 60. ff. de ædilitio edicto &c. lib. 21. tit. 1. item leg. 23. §. 7. ibid.

(h) Leg. ædiles 38 §. 3. eod. tit. Item leg. Quod si 31. §. 6. ibid.

(i) Leg. Quod si 31. §. 11. ff. eod. tit.

CASUS XXXII.

EDUARDUS sejuges equos rhedarios vendidit Justino 1200. Coronatis, quos præsentes habuit, unico equo, muco vel anhelatione laborante. Justinus ex eo habere actionem intendit in eum ut condemnetur recipiendis sex equis & restituendis 1200. Coronatis, quos persolvit. Eduardus defendit se teneri solum recipiendo equo vitioso, & restituendo ejus pretio ratione 600. Librarum, Qua de re quæritur num Justinus teneatur conscientia conditionem accipere; & num liceat eum judicio persequi ut compellatur ad recipiendos sex equos?

RESPONS.

Justinus non tenetur uti conditione ab Eduardo lata, & licet ei curare ut Judex eum addicat re-

Digitized by Google

recipiendis sejugibus equis rhedariis. Ratio est, quia cum plurium rerum convenientium, ut equorum jugatoriorum, una vitin laborat sufficienti quo contractus venditionis dirimatur, in solidum potest dissolvi, cum ex æquo tum venditoris, cum emptoris, intersit ut hujusmodi res non disparentur. Præterea emptor non censetur, in casu proposito, emisse partem equorum, sed totum; nec tenetur quærere sextum equum, qui ætate, magnitudine, crine, aliisque dotibus conveniret quinque equis, quibus oneraretur. Cui quoque prospiciunt Leges his verbis (*a*): *Cum autem jumenta paria veneunt, edicto expressum est, ut cum alterum in ea causa sit, redhiberi debeat, utrumque redhibeatur; in qua re, tam emptori quam venditori consulitur, dum jumenta non separantur. Simili modo & si triga venierit, redhibenda tota; & si quadriga redhibeatur.*

(*a*) Leg. Æditles 38. §. fin ff. de ædilitio edicto &c. item leg. 34. & 35. ibid.

Attamen observare juvat redhibitionem, nec decessionem a pretio, propter vitium rei venditæ, valere in venditionibus palam auctoritate Judicum contractis; quia Judex venditoris locum habens, non vero dominus, vendit, qui nulli subjacens auctoritati, rem vendit pure & simpliciter. Eam quoque ob causam res sic venditæ minori, quam valent, pretio solent addici. Hæc exceptio depromitur e Lege Digestorum (*b*): quæ habet. *Illud sciendum est edictum hoc non pertinere ad venditiones fiscales.*

(*b*) Leg. Labeo 1. §. 3. ff. eod. tit.

Rursus observandum, tempus, juxta normam loquendo, quo ad redhibendum quis admittitur, labi tantum a die, quo emptor vitium, quod est in causa, cognoscere potuit, nisi Jus Consuetudinarium regionis tempus definiverit, aut præstitutum fuerit a venditore & emptore pacto manifesto. *Si quid ita venierit*, habet lex (*c*), *ut placuerit intra præfinitum tempus redhibeatur: ea conventio rata habetur. Si autem de tempore nihil convenerit: in factum actio intra 60. dies utiles accommodatur emptori ad redhibendum, ultra, non. Si vero convenerit, ut in perpetuum redhibitio fiat; puto hanc conventionem valere.*

(*c*) Leg. Quod ff. 31. §. 22. ff. eod. tit.

CASUS XXXIII.

Dsmaratus Sempronio ædes vendit 28000. Libris; emptor octo mille Libras solvit præsentes, & pollicetur pacto constituere Demetrio mille libras adventitiam pensionem ob vicies mille libras solvendas, ea lege 1. ut Demetrio non licuerit ad solutionem sortis eum compellere, quamdiu ei sit alcititiam pensionem soluturus. 2. ut per se steterit ab ea se redimere, pro lubitu, Demetrio præsentes solvendo vicies mille Libras, eumqua sex mensibus præmonendo, non vero aliter. Hinc contractus nonne est vitiosus?

RESPONS.

Legitimus est hic contractus: quia conditiones inhærentes sunt pars pretii ædium. Verum est generatim loquendo, conditionem hodie insertam in plerisque hujusmodi contractibus, qua venditor adstringit emptorem ut tribus sex-ve mensibus præmoneat ante solutionem ascititiæ pensionis, videri iniquam, ut observat Auctor recentior (*d*), eo quod plene debitori non sit liberum se levare ære creditoris, quando placet, illudque ad certum tempus præfiniendo, quamvis huic clausulæ patrocinentur, nec Jus Canonicam, nec ullum Edictum, Declaratio, Consultum; eaque sit usu recepta non ita pridem: nihilominus toleratur; quia ejus injustitia illegitimum non efficit contractum, cui inseritur: & licet hunc sortiretur effectum, hoc non valeret in quæsito proposito; quum, ut jam diximus, habenda est tanquam conditio pretii ædium venditarum.

(*d*) De Sainte Beuve tom. 1. Cas. 203.

CASUS XXXIV.

Nicostratum, qui a Rege emit munus Consiliarii in Parlamento Burdigalensi Libris 35000. rogat Camillus ut illud sibi vendat, eique offert 40000. Libras postero die quo in ejus possessionem venit. Licet-ne ei hoc percipere lucrum, carius vendendo?

RESPONS.

Nicostrato licet hunc carpere quæstum a munere, id vendendo Camillo. Ratio est, quia pretium muneris, ab auctore ejusque creatione empti, semper censetur minus eo quo habetur postquam alii illud gesserunt. Ideo pretio rerum, quod auctoritate publica non definitur, unice a communi hominum æstimatione pendente, constat hujus Muneris, ea in circumstantia, minus vulgo æstimati quam in venditione posteriore, primum emptorem potuisse vendere sine injustitia carius quam ipse emit (*e*).

(*e*) De Sainte Beuve tom. 3. Cas. 307.

CASUS XXXV.

Germanus, famosus & dives Frumentarius, accipiens quinque sex-ve Frumentarios decrevisse insciis aliis seque invicem, vectare magnam tritici copiam, certo nundinarum die, in urbem, in qua carissimum est frumentum; unde verisimile pretium ejus multum minuet affluentia; ita caute agit ut suum ante aliorum Frumentariorum triticum tribus horis præveniat. Potest-ne, hac in circumstantia suum vendere pretio communi ultimi emporii, aut dici ipsius adventus, nec tenetur manifestare paucas intra horas ingentem ad futuram copiam, qua pretium vilius fiet, egentibus eo insciis?

RESPONS.

Arbitramur Germano licere, tuta conscientia, uti industria & diligentia sua, triticum vendendo pretio communi in urbe die adventus, nec tenetur patefacere emptoribus magnam ad futuram copiam. Ea est Sancti Thomæ sententia (*f*), qui hujusmodi difficultati objectæ respondet his verbis: *In casu præmisso in futurum res expectatur esse minoris valoris per superventum negotiatorum, qui ab ementibus ignorantur. Unde venditor, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiæ debito.* Huic Sancto Doctori suffragatur Cajetanus (*g*), ut & Sylvius, quatuor rationibus sequentibus innixus (*h*).

(*f*) S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. ad quartum.

(*g*) Thom. de Vio Cardin. Cajetan. in cit. art. 3.

(*h*) Fr. Sylvius in cit art. 3. quæstio unica conclus. 2.

Prima est, eum venditorem non vendere ultra legitimum pretium: quia legitimum pretium, a Magistratu non præstitutum, in communi situm est æstimatione; & re triticum, quod vendit, tunc eodem haberi pretio, quod exigit; quum sit pretium emporii commune.

Secunda, quia venditor bona fide, & ignarus mutationis futuræ, suam mercem vendens pretio communi quod tunc est in usu, nullam debet restitutionem emptori; quamvis agnoscat pretium haud multo post diminutum ob affluentiam, quæ supervenit. Ergo rursus non debet; licet sciat pretium brevi minutum iri ex eadem causa: nam quum vendat, duobus hisce in casibus, eamdem mercem eodem in loco, eodem tempore & eodem pretio: id est, communi, quod est in usu, ex hypothesi, non debet potius restitutionem in uno casu quam in altero.

Tertia; quia Negotiatori licet conscientia vendere suam mercem pretio communi, quo venditur in loco moræ suæ; licet dimidio minus vendatur in alio propter abundantiam. *Res, quæ uno loco valent centum juxta communem usum fori*, ait Sylvius, *possunt illic vendi centum, etiamsi alibi solum venduntur quinquaginta propter abundantiam, quæ ibi est.* Ergo res, quæ actu & vulgo venditur centum Libris, potest eodem vendi pretio sine injustitia, licet brevi sit vendenda quinquaginta propter affluentiam adventuram. *Ergo similiter res, quæ hoc tempore passim venditur centum, potest nunc vendi centum, etiamsi tempore proximo solum fiat vendenda quinquaginta propter copiam tunc adfuturam.* Ratio est, quia in contractibus venditio-

Digitized by Google

ditionis & emptionis de circumstantia temporis perinde est ac de loci circumstantia: & pretia, quæ variant diversis in locis, varianda sunt diversis in temporibus. *In his enim contractibus*, subjungit hic Theologus, *quæ ratio loci ad locum, eadem est temporis ad tempus: quia sicut pro diversis locis diversa sunt pretia; ita & pro diversis temporibus.*

Quarta: quia Negotiator prospiciens haud dubie mercem quamdam brevi cariorem fore ob ejus penuriam, non debet conscientia majori, quam communi, quod in usu est pretio emere, ut patet Josephi exemplo, qui prævidens famem in Ægypto futuram, ingentem frumenti copiam emit modico pretio, quod postea carius vendidit. *Emptor sciens inopiam rei paulo post futuram, non tenetur nunc emere merces alio pretio, quam quod modo currit. Unde Joseph Genes.* XLI. *cum prævidisset famem futuram, frumenta emit vili pretio, tunc currente, quæ postea carius vendidit.* Sunt verba Sylvii. Ergo prævidens mercis inopiam fore, non debet minore vendere, quam tunc currente: *Ergo etiam* venditor potest vendere magno pretio, quod jam currit, etiamsi sciat illud postea futurum minus.* Ea est ejusdem Theologi conclusio, qui observat eum Negotiatorem, non peccantem contra justitiam in quæsito proposito, forte peccaturum quandoque contra charitatem. Exempli caussa, si venderet triticum, non diversis emptoribus, sed illi soli, qui emerer illud servaturus, ut carius venderet postea, quique magno afficeretur damno, compulsus longe minori vendere pretio propter copiam adsuturam, quam prior Negotiator proximam sciebat. Verum extra hunc casum non peccat in justitiam, neque in charitatem. *Sin autem eas* (merces) *minuatim distraheret in varios emptores, neque contra charitatem, neque contra justitiam faceret, modo absint fraus & dolus.*

Hic Sancti Thomæ doctus interpres respondet sex objectionibus in opinionem, quam tuetur, conceptis. Sed earum solutiones faciles quas apud ipsum Auctorem videre est, non putamus necesse hic recensere: hæ rationes, auctoritati Sancti Thomæ innixæ, sufficiunt solvendis omnibus nodis hanc in rem objiciendis. Indicamus in margine complures Auctores nominis eamdem defendentes sententiam, quorum textus hic referre pigeret (*a*).

(*a*) Silvest. de Prierio v. *Emptio* q. 15. Domin. Sot. l. 6. q. 3. a. 2. ad tertium. Didac. Covar. ad. reg. *peccatum* &c. p. 2. §. 4. n. 5. & 6. Barth. Fum. in aurea armilla v. *Emptio* n. 10. Petr. Navarr. l. 3. de rest. c. 2. n. 6. Joan. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 6. c. 9. n. 15. & alii. apud eum.

CASUS XXXVI.

Diogeni sunt mense Septembri tritici decem modii venales; sed quia frumenti modius tunc valet 60. Libris, nec pecunia eget, decrevit illud servare ad mensem usque Junium sequentem, in quo solet carius vendi quam alia quavis tempestate, potissimum quando messis non est copiosa. Antonius ei instat, ut sibi vendat modium, suaque det fide ad festum usque Sancti Joannis. Diogenes vendit 80. Libris, intendens verisimillime tunc tritici fore hoc pretium, immo majus. Hæc venditio est ne legitima, vacuaque usura quavis?

RESPONS.

Censente antiquo Auctore, cujus opus sancti Thomæ opusculis interseritur (*b*), nihil vitii est in venditione, de qua agitur in quæsito proposito. Ratio est, quia Diogenes carius non vendit triticum, in primis fide Antonii datum, sed re, quia verisimiliter hoc erit ejus pretium tempore, quo vendere decreverat. *Ponamus igitur*, inquit hic Auctor, *quod aliquis post Augustum mutum de blado, vel de vino habeat venalia, & pro illo tempore mensura bladi tres solidos tantum valeat & modius vini decem, & vendat bladum pro quatuor, & vinum pro duodecim; recepturus tamen pecuniam in festo sancti Joannis; quia nec volebat dare pro minori pretio, etiamsi statim reciperet, eo quod rem suam æstimabat tantum valituram probabiliter in prædicto tempore solutionis, dico, quod non committit usuram, licet plus accipiat in spe quam det tempore venditionis, quia illud non accipit caussa temporis, sed pro natura rei, quam verisimiliter & probabiliter dubitari potest, tantum valituram in tempore, pro quo vendidit, etiamsi non valuit tantum tempore, pro quo vendidit.*

(*b*) Apud S. Thom. opusc. 73. c. 6.

Observandum tamen est Diogeni, si persuasum habeat sui tritici modium festo Divi Joannis plane valiturum tantum 80. libras, non licere eodem pretio vendere Antonio; 1. quia hoc est incertum; & pretium, quo tunc erit, ab ampla aut pauperiore messe visa pendet: 2. quia ex æquo est justum & necesse, ut hujus pretii quid deducat ad custodiam, periculum, decessionem, & expensas tunc faciendas ut vendat: quippe si nihil ad hoc deduceret, plus reciperet quam ipsi juste deberetur ad compensationem. Oportet igitur *ut expensas deducat*, ait Cabassutius, (*c*), *quas facturus idem venditor fuerat ad servandum merces suas usque ad præfinitum diem; ut est pretium conductionis horreorum, apothecarum, cellariorum .... præterea æstimationem computet diminutionis, deteriorationis & periculi harum mercium, in id tempus reservandarum. Cum enim venditor aut creditor fiat ab iis omnibus expensis & damnis immunis ex quo res istas vendidit aut mutuavit: si ista non computaret, plus exigeret, quam sibi ex justitia deberetur, & ultra suam indemnitatem in illa anticipata pretii aut mutui taxatione.** Hic Canonista sic dicens sequitur (*d*) Angelum de Clavasio, Navarrum, & Covarruviam, quos laudat.

(*c*) Joan. Cab. Jur. can. th. & prax. l. 6. c. 9. n. 13.

* Vide Casum XX.

(*d*) Angelus v. *Usura* 1 §. 36. Navarr. Man. l. 3. de restit. c. 2. n. 262. Did. Covarr. l. 2. variar. resol. c. 3 n. 6.

Idem Cabassutius cum judicio observat, ut ab omni peccato immunis sit is, qui frumentum servans carius vendat inopia ingruente, oportere ipsi licitum esse; id est, hoc frumentum e fundo suo aut proprio reditu nasci, non vero habere ex emptione aut coactione aperta, qua eo servet animo, ut longe carius vendat indigentia crescente. Ratio est, quia hujusmodi coactiones tritici inopiam introducere solent in injuriam magnam miseri vulgi. Quapropter etiam maledictionem Dei interminarur Sapiens eam inducentibus hac via (*e*): *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium*: & hanc corradendi rationem stricte damnanr & interdicunr sancti Canones (*f*).

(*e*) Prov. 11.

(*f*) Can. Quicumque 9. 14. q. 4.

Vide Casum sequentem.

CASUS XXXVII.

Balthazari, vini Negotiatori sunt in cella decem generosi vini veteris modii, cujus modius mense Novembri volventis anni est 40. Coronatis, sed eodem anno vini ex immaturis & immitibus uvis & parca copia coacti pluribus in Provinciis ob inclementem tempestatem, quæ mensibus Augusto & Septembri ingruit, pretium prospicit fore duplum, eo quod solvit, ante elapsum semestre & decrevit id servare ad Pascha usque, ut majorem carpar quæstum Landri, vini quoque Negotiator, & ejus amicus, eum obnixe sollicitat, ut vinum sibi vendat; Balthazar significat se firmo esse animo id quinque sexve mensibus asservandi, quia persuasum habet viri pretium duplo, quod constirit, majus fore, hoc est 80. Coronatis, nihilominus ipsius in gratiam illi est venditurus 70. Coronatis præsentibus. Qua de re quæritur num Balthazari liceat tantum percipere quæstum e vino, dum pretium currens est solum 40. Coronatis?

RESPONS.

Hæc difficultas non procul distat a præcedenti, cujus decisio faceret huic satis. Dicimus ergo Balthazarem non peccare in justitiam, Landri vendendo vini modium 70 Coronatis: quum sincerus sit animus illud asservandi ad tempus, quo probabiliter vendetur 80. Coronatis, & vendit emptori roganti, qui doctus & intelligens vini æstimator censetur; quum vini sit Negotiator, ut & Balthazar: Ratio afferenda est, quia æquum est, ut damnum futurum compenset vendens minori pretio, quam esset tempestate, in quam asservare volebat. Hoc probatur his sancti Antonini ver-

(a) S. Anton. 2. p. summ. tit. 1. c. 8. §. 1.

verbis (a): *Cum quis vendit merces quascumque, lanam, linum, pannos, victualia, & hujusmodi, certo pretio majori quam sit illud, quo tunc valent, cum venduntur, ex eo quod non intendebat eas vendere, sed servare usque ad tempus, quo probabiliter æstimabat, tantum tunc valituras, vel plus quantum nunc vendit, sed ad instantiam alterius vendit, istud est etiam pretium justificatum & licitum, ut expresse dicitur in cap.* de Civitate *de usuris*. Postea subjungit hic Sanctus, e contra quando negotiatori non est sincerus animus mercem servandi suam ad tempus usque, quo probabiliter pretium sit longe majus futurum, aut eo cum animo, non videbatur pretium tunc fore majus: nam in eo casu non liceret vendere ultra pretium quod actu valet, quo emenda poscitur; quippe non in compensationem carius venderet. *Secus autem, si non intendebat ea servare, sed tunc vendere; vel etiam si non est stabile, seu verisimile, quod eo tempore quo volebat in futurum vendere, tantum debebat valere*.

(b) Greg. IX. in c. *Navig.* de usuris, & ibi Glos.

Hæc decisio consentit Decretali Gregorii IX. (b) qui dicit negotiatorem sincere suam servare mercem intendentem ad tempus usque, in quo carior esse solet, non admittere usuram, quum vendere eum sollicitanti consentit, illique tradit ea lege, ut sit soluturus pretium quod valebit tempore, quo vendere decreverat. *Ratione hujus dubii*, ait hic Pontifex, *etiam excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus*. Quæ in postrema verba Glossa dicit: *Alias non excusatur; quia si tunc fuerat venditurus pro minori, & ex certa scientia plus recipiat alio termino, usura est*.

Cæterum observare est necesse Balthazaris generosi vini modium, ex hypothesi, probabilissime in festo Paschatis esse valiturum 80. Coronatos, & vendidisse solum 70. Coronatis Landri, qua in re justitia usus est, non vendens 80. quia debuit minus vendere ob incertam decessionem, pericula & impensas faciendas servando sex mensibus.

CASUS XXXVIII.

Sulpicius, Aromatarius solidarius, carius vendere solet fide alius, quam præsenti pecunia; licet viliori pretio mallet vendere, præsente pecunia. Peccat ne in eo?

RESPONS.

(c) Urb. III. in c. *Consuluit* 10. de usur. l. 5. t. 19.

Pontifex Urbanus III. (c) consultus num peccet Negotiator, quum mercem vendit carius, prorogando tempus solutionis admodum longius. *An negotiator pœna consimili debeat condemnari, qui merces suas longe majori pretio distrahit si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium solvatur*, respondet mutuo dandum, dicente Jesu Christo nihil lucri sperandum ex mutuo. *Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio manifeste cognoscitur, in quo dicitur*: Date mutuum nihil inde sperantes; ac proinde vendentes carius ob mutuum, spe majoris quæstus, contaminari usura & teneri restitutione. *Hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent, cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere; & ad ea quæ taliter sunt accepta restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi*.

(d) Concil. Mediol. l. 2. p. t. 68. de usuris.

(e) Concil. Burd. eod. t.

Idem declarant Concilium Mediolanense I. (d) anno 1565. habitum, & Burdigalense anno 1583. collectum (e). *Ne quis rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendat justo pretio*, habet Mediolanense. *Ne quis ob dilatam solutionis diem carius vendat, quam justi pretii ratio ferat*, habet Burdigalense.

(f) S. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 7.

Eamdem docet doctrinam sanctus Thomas (f), dicens nullum interponi discrimen inter vendentem carius fide alterius & inter dantem mutuo pecuniam; hic enim ea orbat se ad tempus, de quo convenit inter se & debitorem; ille vero orbat se pecunia, pretio mercium suarum; committendo curæ emptoris ad tempus inter se pactum. *Si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifesta usura committitur, quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui*. Ea sunt verba Doctoris Angelici, inde concludentis, hunc Negotiatorem, vendentem carius ob tempus emptori concessum, æque pollui usura, ac dantem mutuo summam pecuniæ ad tempus, & fœnus ex ea carpentem: quum carius vendat, ut majorem percipiat quæstum fide emptoris. *Unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione agitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ*.

Sed perinde non est de Negotiatore, intendente majorem habere quæstum vendendo carius, & re malente, quid pretii mercium cedere, præsenti accepta pecunia, quam vendere carius fide alterius. Atqui ex hypothesi, in quæsito cui respondemus, Sulpicius his versatur in circumstantiis, quum minus pretium mercium, præsente pecunia anteponeret majori fide alterius expectando; & carius vendit fide alterius, quia alias nequiret commercium exercere se sustentando admodum aptum ob damnum, quod sæpissime ab expectatione solutionis divelli non potest. Ideo putamus eum non esse usura condemnandum, in casu proposito neque ulla injustitia, modo merces non vendat ultra pretium rigidum & altius. Ea est decisio plurium Auctorum, qui laxioris disciplinæ accusari nequeunt (g), quique premunt vestigia antiqui Auctoris (h), qui idem diu ante eos docuerat his verbis: *Si enim venditor intendat rem suam vendere carius, non propter tempus tantum; sed tantum propter damnum quod sibi videt imminere ex dilatione persolutionis recuperandæ; seu propter vexationem suam redimendam, quam probabiliter timet futuram sibi in reparatione debiti sui propter malitiam vel impotentiam debitoris, tunc excusatur a vitio, & fit æqualitas æstimationis in hujusmodi contractibus per recompensationem damni, vel quando probabiliter timentur hæc in credentia accidere*. Postea subjungit: *Et tunc rectitudo intentionis hujusmodi apparet, quando venditor optaret potius non vendere talibus, quam vendere ad credentiam, & quando lubentius daret aliis pro minori pretio incontinenti persolvendo, quam vendere ad credentiam talibus pro pretio majori*.

(g) De Gen. Th. mor. to. 2. tr. 3. c. 3. q. 8. De Sainte Beuve t. 2. Cas. 151. & t. 3. Cas. 254. 255. & 256.

(h) Apud S. Thom. opusc. 73.

CASUS XXXIX.

Fulbertus, cui erat adamas minor, judicio omnium intelligentium æstimatorum, valens ad summam 200. libras, cujusque pretium ignorabat, Probo vendidit 400. libris, qui eum desiderabat, cujusque etiam ignorabat pretium. Sic ambo bonæ fidei erant: sed Probus cum eum dedisset æstimandum experto Gemmario, qui eum certiorem fecit valere 200. libras, large solvendo petit supplementum a Fulberto. Hic tenetur ne conscientia remunerari Probum?

RESPONS.

Respondemus Fulbertum teneri ad compensandum Probum; & bonam fidem eum non eximere ab æquo debito faciendo, licet peccato purget. Ea est mens Legis (i), quæ habet eum, qui dolo quid præstare est pollicitus, jure exigere compensationem damni illati; licet a neutrius contrahentis malitia ortus fuerit dolus, sed solum ab ignorantia justi rei pretii: *Si quis..... per dolum obligatus est; competit ei exceptio. Idem est, & si nullus dolus intercessit stipulantis*.

(i) Leg. *Si quis* 36. ff. de verb. oblig. l. 45. t. 1.

Huic sententiæ manifeste adhæret sanctus Thomas (K) Nam sic interpretatur: *Si vero, eo ignorante, aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit; venditor quippe non peccat: quia facit injustum materialiter, nec ejus operatio est injusta... tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenit, damnum recompensare emptori: & quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris*.

(k) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 2. in corp.

Nihilominus hic sanctus Doctor alibi dictum ponit (l), ex quo Fulbertus, unico in casu, potest a quavis restitutione eximi. Scilicet quando, durante bona fide, nec ditiore effecto, decoxit quæstum,

(l) Idem 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

ctum; ex illo adamante percipiendum: quum quilibet bona fide possidens non tenetur restitutione fructuum compensatorum. *Non autem tenetur restituere fructus consumptos: quia bona fide possedit* (*a*).

(*a*) De Gen. Theol. moral. tom. 1. tract. 2. c. 3. q. 5.

CASUS XL.

LUCILIUS picturam Sempronio vendit, cujus pretium ignorat uterque. Julianus hujus conciliator venditionis, asserit, invita conscientia & læsa veritate, esse exemplar illustris Titiani. Lucilius & Sempronius, Juliano asserente, perficiunt pactum bis mille Coronatis. Sed Sempronius certo accipit postea, hanc picturam esse exemplum, vix 50. dupliones valens. Qua de re quæritur 1. An hic venditionis contractus sit validus? 2. An Sempronio liceat exigere compensationem, & a quo?

RESPONS.

Contractus, de quo in quæsito agitur, est validus: quia Lucilius & Sempronius vere consenserunt. Sed constat Sempronio licere jure cum Lucilio venditore agere, & si desit, cum Juliano. Cum Lucilio; quia usus est 2000. Coronatis, & ea de caussa primus tenetur restituere Sempronio. Cum Juliano; quia fuit auctor venditionis, ac proinde tenetur compensare Sempronium, si Lucilius desit.

Ea est decisio Auctoris Glossæ (*b*), in Decretali, ab Alexandro III. ad Episcopum Atrebatensem missa, circa validum contractum & mediatorem. En verba: *In contractibus bonæ fidei, si dolus dat caussam contractui, non per contrahentes, sed per intermediam personam, tenet contractus; sed datur actio contra mediatorem*. Cui concordat jus Romanum (*c*).

(*b*) Gloss. in c. *Cum dilecti* 3. de empt. & vendit. v. *Deceptione*.

(*c*) Leg. *Et eleganter* 7. ff. de dolo malo lib. 4. tit. 3.

CASUS XLI.

MARTIALIS Rollando vendidit domum & amplum viridarium, novellis arboribus frugiferis consitum, 3000. libris. Rollandus eo est potitus quinquennio, per quod melioravit domum auctibus commodis ultra 3000. Libras. Postea Joannes, qui Martiali hoc vendiderat prædium, nondumque pretium acceperat, inquisivit in eum & sententiam evictionis impetravit contra Rollandum, cujus vi possessionem ejus adire voluit: quam in rem Rollandus quæsivit, ut sibi adscriberetur melioratio domus, cui Joannes respondit se hoc non attingere, & illi ad Martiale esse recurrendum. Hic vero opibus admodum modicis & debito detentis gaudens, intendit Joannis esse, cui prædium addicitur, ut sit indemnis. Qua in re quæruntur duo: Primum num controversum jus Rollandi, compensationem exigentis sit justum? Secundum: a quo hæc debeatur compensatio?

RESPONS.

Constat Rollando recurrendum esse ad Martialem venditorem, ut compensetur: quia venditor quilibet emptori tenetur præstare venditum. *Sive tota res evincatur, sive pars; habet regressum emptor in venditorem*, habet Lex (*d*), *quod si nihil convenit*, habet alia Lex (*e*), *tunc ea præstabuntur, quæ naturaliter insunt hujusmodi potestate*. Et soli sunt excipiendi casus fortuiti (*f*) erga Principem & vias facti pure. Ita ut, venditione quam Martialis cum Rollando pactus est, dirempta ab evictionis sententia impetrata a Joanne, Martialis teneatur 1. Rollando restituere 3000. Libras & damna præstare omnia: *Evicta re, actio non ad pretium recipiendum dumtaxat; sed ad id, quod interest, competit*, habet alia Lex (*g*). 2. Tenetur expensum ferre quod valebat prædium evictionis tempore, ac proinde reditus, quos viridarium, arboribus frugiferis consitum tunc reddebat: quum re hunc Rollandus amittat fructum evictione; ejusque non sit deterior facienda hoc eventu, quem Martialis venditor præstare tenetur. *Ut quanti sua interest, actor consequatur*, habet alia Digestorum Lex (*h*). *Scilicet ut melioris, aut deterioris agri facti caussa, finem pretii, quo fuerat tempore divisionis æstimatus, diminuat, vel excedat*. 3. Martialis tandem rependere tenetur Rollando omnes expensas, ad domus meliorationem factas, juxta hanc Codicis Justinianæi regulam (*i*): *Consequeris* (a venditore) *quanti tua interest: in quo continetur etiam eorum persecutio, quæ in rem emptam, a te, ut melior fieret, erogata sunt*. Attamen Joannes, hujus prædii sibi addicti possessionem adire volens, tenetur primus resarcire Rollando hanc meliorationem; quum æquum non sit, ut sibi prosit impendiis hujus emptoris, ut patet ex duarum Legum in margine notatarum dispositione (*K*).

(*d*) Leg. *Sive* 1. ff. de actionib. empti & venditi lib. 19. tit. 1.

(*e*) L. *Exemptio* 11. §. 1. ff. eod. tit.

(*f*) L. *Lucius* 11. ff. de evictionib. &c.

(*g*) L. *Evicta* 70. ff. eod. t.

(*h*) L. *Si cum.* 66. in fine ff. eod. tit.

(*i*) L. *Si controversia* 9 C. eod. t. lib. 8. tit. 45.

(*K*) L. *Idque* 45. §. 1. ff. de action. empt. & vendit. L. *Super* 16. C. de evict.

Hanc in rem observare interest, quando æstimantur expensæ, ab acquisitore factæ ad meliorandum prædium emptum, ut si seminarium struxerit, exæquandas esse expensas fructibus ex melioratione perceptis, qui reditus prædii auxerunt. Ita ut, si horum fructuum proventus æquet pretium sortis & fenora sumptuum in antecessum præstitorum ad meliorationem, nulla debeatur refusio: quia eo in casu nullo afficitur damno emptor. Si vero fructuum quæstus sortem excedat; auctarium receptum ante quæstionem evictionis coram Judice latam, ei est profuturum vi possessionis bona fide, & si minor, quod excurrit, ipsi est rependendum: cum sit iniquum, ut quid perdat. Dicta his duabus nituntur Legibus, quarum prima habet (*l*): *Super empti agri quæstione, disceptabit Præses Provinciæ: Et si portionem diversæ partis esse cognoverit; impensas, quas ad meliorandam rem vos erogasse constiterit, habita fructuum ratione restitui vobis jubebit*. Secunda concipitur his verbis: *Sumptus in prædium quod alienum esse apparuit a bonæ fidei possessore facti, neque ab eo, qui prædium donavit, neque a Domino peti possunt: verum exceptione doli posita, per officium Judicis æquitatis ratione servantur: scilicet, si fructuum ante litem contestatam perceptorum summam accedant. Etenim admissa compensatione, superfluum sumptum, meliore prædio facta, Dominus restituere cogitur*. Cæterum nosse interest omnes Leges laudatas, consentire usui apud nos recepto (*m*).

(*l*) Super cit. L. *Super* Leg. *Sumpt.* 48. ff. de re vindic. & L. *Emptor* 65. ff. eod. t. lib. 6. tit. 1.

(*m*) D. Domi. l. Civil. juxta ordin. natur. tom. 1. pag. 158. Ed. in 4.

CASUS XLII.

LEUFRIDUM, qui emit a Basilio hortum, inque ejus possessionem venit, vexavit aliquot post mensibus Alexander, obtinens in eum sententiam evictionis; & tantum abest, ut deferret Basilio venditori vexationem, qua premebatur, ut se evinci passus fit ab Alexandro, cum quo pacisci sibi fuit satis de parte compensationis ob meliorationem factam; postea petivit Basilium, eumque auctorem in jus vocavit contra evictionem ab Alexandro impetratam, & ab eo quæsivit superfluam compensationem: Basilius e contra defendit, quum neglexerit eum monere vexationis ipsi illatæ, sibi dandum quodvis damnum, quod ipsi incubuit. Basilio nonne est jus?

RESPONS.

Basilio est jus. Nam quando emptor prædii, a tertio vexatus, se a Judice vinci permittit, non deferendo venditori vexationem illatam, aut quando transigit, inscio venditore, eum vexante, censetur auctoritatem naturalem repudiasse sibi debitam; ac proinde sibi vertenda est evictio. Atqui Leufridus ab Alexandro se evinci passus est, nec Basilio vexationem in se concitatam denuntiavit. Item auctoritate sua privata transegit cum Alexandro vexante. Basilius igitur a necessitate naturali, præstandi Leufrido venditionem, cum eo contractam, est liberandus. Sic edicit Lex sequens (*n*): *Si cum posset emptor auctori denuntiare, non denuntiasset, idemque victus fuisset; quoniam parum instructus esset, hoc ipso videtur dolo fecisse, & ex stipulato agere non potest*. En verba alius Legis (*o*): *Si compromisero, & contra me data fuerit sententia: nulla mihi actio de evictione danda est adversus venditorem: nulla enim necessitate cogente id feci*.

(*n*) L. *Si fundo* 53. §. 1. ff. de evict.

(*o*) L. *Si dictum* 56. §. 1. ff. eod. tit.

Et quidem eo minus excusationis habet Leufridus,

dus, quo denuntians Basilio venditori, vexationem ab Alexandro in se concitatam, non teneretur nec pro se dicere, nec ad Superiorem Judicem provocare, venditore per se præstante omnes litis eventus, ut habet Jus (*a*). Addamus emptorem, se invicem permittentem, non monendo venditorem, impedit eum, quominus compescat vexationem ratione legitima; & dicat pro se contra eum, qui evictionem sequitur. Æquum igitur est, ut hic emptor negligentiæ pœnas det, & quodvis damnum emergens in eum recidat. Hæc decisio consentit usui apud nos recepto, estque D. Domat (*b*). Est etiam Bouchel in Juris Gallici Bibliotheca (*c*).

(*a*) Leg. *Herennius* 63. §. 1. ff. eod. tit.

(*b*) D. Dom. L. Civil. juxta ordin. natural. l. 1. tit. 2. sect. 10. n. 21.

(*c*) Laurent. Bouch. Bibliot. Juris Gallici v. *Evict.* tom. 11. pag. 1077. col. 1. 2. & 2.

CASUS XLIII.

Cecilius vendidit pure & simpliciter Cajo nomen centum Coronatorum in Mævium, eique cessit 150. libris. Cajus omnem adhibuit curam in Mævium, qui omnino non erat solvendo. Cecilius, quatenus naturalis auctor venditionis, tenetur ne restituere 150. libras Cajo.

RESPONS.

Si Cecilius bona fit usus fide, vendens Cajo nomen 100. Coronatorum in Mævium, neque se dixerit auctorem, litteris aut viva voce, non tenetur conscientia restituere 150. libras ab eo acceptas, quia vendens jura quædam tenetur realitatem & veritatem eorum præstare, ut conspicitur dispositione plurium Legum, & præ cæteris quinque in margine indicatarum (*d*), nisi cedens aperte pollicitus sit auctoritatem rei cessæ cessionario. *Qui nomen, quale fuit, vendidit*, habet Lex (*e*), *dumtaxat ut sit, non ut exigi etiam aliquid possit, & dolum præstare cogitur*.

(*d*) L. *Si hæreditas* 1. ff. de hæreditate action. vend. lib. 18. tit. 4. L. *Si nomen* 4. L. *Cum hereditatem* 7. L. *Quod si* 8. & L. *Etsi* 9. ff. eod. tit.

(*e*) Leg. *Si plus* 74. in fine ff. de evictioн. & dupl. stipulatione.

CASUS XLIV.

Germanus cui est contractus 1000. librarum pensionis annuæ in Basilicam Parisiensem ad sortem 25000. librarum, quorum reliquorumque omnium solutionem Rex mandavit Edicto Concilii 31. Augusti 1719. juxta sortem; primo Septembris die adiens Tabellionem, ut solutionis apocham subscriberet, & abrogaret contractus perscriptionem; intendens 25000. Libris comparare domum, de cujus pretio jam convenit inter se & venditorem; incidit in Imbertum amicum, qui incontinenti numerare offert 25000. Libras: immo quincuncem præbere usuram: quia ex iis facere vult actiones in Societatem Indicam, unde amplum quæstum speret percipiendum sequiore tempore: sed harum traditionem Societas commutat solum cum hujusmodi contractibus, aut schedis regni, aut aliis chartis regiis.

Germanus, qui incassum tentaverat octuncem usuram habere, usus est conditione Imberti, qui numeravit 25000. libras cum quincunce usura, ad 1250. libras abeunte. Hic quæstus non ne est licitus, & Germanus nonne eximitur omni obligatione restituendi 1250. libras Imberto.

RESPONS.

Non arbitramur quæstum, quem Germanus e venditione contractus accepit, tamquam legitimum probandum. Ut nostra firmetur sententia, primo supponenda sunt duo principia, ab omnibus, nullo excepto, Theologis, Canonistisque admissa.

Primum. Leges a Principibus summis sancitæ ad salutem subditorum & ad faustum regni conventuum imperium, tenent conscientia, ut & leges Ecclesiasticæ, formulis requisitis promulgatæ. Hoc extra dubium est, quum, ut alibi probavimus, sanctus Thomas, omnesque Theologi eum sequentes, idem unanimes docent, claræ Jesu Christi & Apostolorum doctrinæ innixi.

Secundum. Principis solius est, ceteris omnibus exclusis, validos facere contractus pensionis annuæ constitutæ, patrocinari effectis, limitare fœnus percipiendum, præscribere omnes conditiones ipsorum naturæ convenientes. Atqui præcipua conditio est, quia solutio horum contractuum fit sortis in eis enunciatæ, nec perceptionem (*f*) negare, nec quid ulterius exigere liceat. Ergo superfluum quodcumque est illicitum & iniquum: ita ut, exempli caussa, Joanni, qui debet Jacobo 100. libras pensionis annuæ vi contractus fœnoris, cujus sors est 2000. librarum, paremque pensionem Julio, vi alius contractus, cujus sors est 2500. librarum, liceat se exsolvere ab his duabus pensionibus, quotiescumque libebit, refundendo 2000. libras Jacobo, & Julio 2500. libras; pretio horum contractuum integro unice sito in summa præcipua designata & determinata mutuo contrahentium consensu, quorum pactum Lex est, juxta hanc Juris regulam: *Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur* (*g*). Princeps quum prædefiniverit fœnus quincuncibus usuris, ut fœneratoribus non liceat majores exigere.

(*f*) Arg. legis *Creditor* Cod. de pignorib.

(*g*) Reg. 75. reg. jur. in 6. item l. *Depositum* 1. §. 6. ff. depositi.

Eadem est ratio pensionum a Rege constitutarum in possessiones & reditus suos subditis utiles, ac pensionum a privatis constitutarum: cum Regi quoque liceat se ab iis eximere, præstando villicis sortem designatam contractibus in eorum gratiam scriptis: ita ut Rex, qui fœnus limitans, simul definivit sortem, id producentem villicis, offerendo præstationem 25000. Librarum Germano; Germanus, cui non est querendi locus, ulla injustitia eum afficere hanc solutionem, absque peccato, nequeat contra justitiam exigere summam majorem, sive a Rege, sive a Privato, cui cedit, quod tamen fecit, cum exegerit & acceperit ab Imberto quincuncem usuram superfluam, ad 1250. libras abeuntem, quas consequenter ei restituere tenetur.

Dicta nituntur discrimine, quod intercedit inter pretium nomine *legitimum*, & aliud nomine *vulgare*. Nam pretium *legitimum* est a Principe ipso, aut ab iis, qui ejus auctoritate valent. *Rerum venalium pretium duplex distinguitur*, inquit doctus Theologus, Avenionensis Professor (*h*), *scilicet legitimum, quod a Magistratu, vel a Principe, vel a Republica præfixum est*. Et e contra pretium *vulgare* pendet ab æstimatione communi sapientum & prudentum circa justum pretium rerum venalium: *& vulgare*, adjungit idem Auctor, *quod a communi prudentum æstimatione dependet*. Quod Glossæ (*i*) consentit, Lege Digestorum nixæ (*K*), quæ habet: *Pretia rerum non ex effectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, id est, juxta interpretationem Glossæ: *Communi prætio æstimantur res ... vel ... tale pretium imponitur, quod æquivaleat rei; ut commune & æquale fit, habere rem, vel pretium*. Definitio hujusmodi pretii a Polmano concepta consentanea est Cabassutii definitioni: *Pretium legitimum, inquit, est illud, quod a publica potestate taxatum est*, (ob bonum commune). *Pretium vulgare est illud, quod communi arbitrio peritorum est æstimatum*.

(*h*) Cabass. l. 6. c. 9. n. 4.

(*i*) Glossa in Clement. *Eximi* de verbor. signif. v. *Utilitatem* l. 5. tit. 11.

(*K*) L. *Pretia* 63. ff. ad legem Falcid. lib. 35. tit. 2.

Atqui sors contractus pensionis annuæ in Basilicam perinde præfigitur a Principe ad fenus percipiendum: quum horum fenorum quota pars necessario a sorte dependet. Ideo idem semper est, nec variari potest. *Pretium legitimum*, pergit Cabassutius, *consistit in indivisibili, ut non liceat illud tantisper augere*. Ita ut quotiescumque percipiuntur fenora, aut solutionem perfectam offert creditor, augeri non liceat. *Ubi prævalet legitimum pretium, non licet illud supergredi*; quamvis re liceat quandoque minui, quum finitio est obex, ne majus exigatur pretium. *Si autem fit taxatum*, inquit Polmanus, *quia excessus illius est injustus, tunc non peccabit emens infra, manendo intra terminos pretii vulgaris: peccabit autem supra vendens, cui soli pretium est taxatum*.

Complures afferuntur in hanc decisionem objectiones, quibus nunc respondebimus, ut perfecte illustretur & evanescat fallax visum, mentem contrariæ adhærentium sententiæ occupans.

Prima hæc est: ex quo pensiones annuæ in Basilicam civilis consilii introductæ sunt, fere nunquam juxta earum sortem sunt venditæ, sed sem-

per

per usura longe minore, & quandocunque dimidio damni: 1. quia emptori periculum imminebat ne temporibus calamitosis ipsi non solvantur in solidum omnia fœnera, aut chartis fiat satis damno. 2. Quia in urgentibus Regni calamitatibus, forte Rex teneretur partem detrahere, aut fruitionem sortis annectere usuræ majori, ut vidimus an. 1715. factum, & his in casibus emptori nullus est in venditorem regressus, qui Principis gesta non præstat. 3. Quia emptori non licet in jus vocare Principem ut compellat ad solutionem in solidum, aut die dicto, ut privatum vocare licet. Nam quando solutionem prorogat Fiscus, cogi nequit, ait Bouchel in Juris Gallici Bibliotheca (*a*). Idcirco hi contractus, quorum pretium semper variavit, habiti sunt species mercium, quibus inest plus & minus pro variis temporum circumstantiis, juxta hæc Glossæ verba (*b*), quæ e Lege excerpsit (*c*). *Pretia rerum in quibusdam locis variantur secundum plus & minus*. Unde concludendum sicut quæstus est licitus ex ædibus & prædio vili pretio emptis, bello ingruente, quo rarescit pecunia, longe majoris iterum vendendo tempore quo pecunia abundat, ita quæstum esse licitum ex his contractibus, eos vendendo ultra sortem; præsertim hoc die quo omnino sunt extincti.

(*a*) Bouchel. Bibliot. Jur. Gallic. tom. 3. v. Pensio p. 210.
(*b*) Glos. in Can. Legimus, 24. dist. 93. v. Pretiosos.
(*c*) Leg. Ideo 3. ff de eo quod certo loco dari oportet lib. 13.

Respondemus hujusmodi re fuisse ut plurimum venditos infra usuram constitutam; sed quæstione non agitata, an liceat eos viliori emere pretio infra sortem, a quo non abest difficultas, id non probat licere eos vendere supra sortem. Emptores enim cum Tabellionibus, qui venditionis contractus scripserunt, consentientes, semper pretium tacuerunt concessum, ementientes venditionem contrahi juxta sortem; ut sic vitent, in gratiam venditoris, viteur addictionem restitutioni deficientis summæ: certum argumentum, Principem hujusmodi contractibus non patrocinari. Hac etiam ratione pœnas luerunt Actionarii, qui an. 1708. & 1709. hos emerant contractus minori pretio, ut carius venderent, aut rem suam majorem facerent, duas sortis quintas partes detrahentes, quum an. 1715. reducti fuerunt, ultimaque Curia Juris rigidi irrogavit graves mulctas iis qui eamdem fecerant mercaturam schedarum monetalium aliarumque chartarum regiarum.

Dicendum est igitur domum, quæ 15000. Libris vendita fuit, licet constiterit 18000. non licere conscientia plus vendi, si summum ejus pretium sit 18000. Librarum, æstimatione doctorum & intelligentium æstimatorum, aut eorum fide a Judice præfixum fuerit illud pretium; quia æqualitas, dicente Sancto Thoma, cuivis venditionis & emptionis contractui propria, non observaretur, quum sors contractus pensionis annuæ constitutæ in Basilicam civilis consilii, a Principe limitata legitimum sit ejus pretium, ne majus admitti nequit: quod longe minus licitum, cum a Rege offertur re solutio in solidum: quum alias nulla intercederet æqualitas inter pretium contractuum & pretium percipiendum. Item constat, antiquis temporibus, eorum pretium variasse solum quoad minus pretium oblatum, quia, ut judicatum fuit Edicto Consilii privati in gratiam urbis Altissiodori an. 1666. promulgato, emptor venditori non præstat pericula, quibus continuo gravatur, nec unquam venditi fuerant supra sortem. Sed etiamsi pluris venditi fuissent, ut nonnulli venditores, quæstui inhiantes, paucissimi tamen numero, tentarunt an. 1696. unicum exemplum Parisiis a nobis visum 60. abhinc annis & plus, cui nullum consequens fuit, non potuisset contrahi, illæsis justitiæ regulis; præterquam quod, ut ait Fagnanus, doctrinæ Patrum insistens (*d*), nunquam licet malo premere exempla. *Non ... est judicandum exemplis, nec quod aliquando factum est; sed quod fieri debet spectandum est*.

(*d*) Fagnan. in c. Ex litteris de cognat. spirit. n. 16. & L. Sed licet ff. de offic. Præsidis.

Patet igitur rationem, a Germano allatam, ut & collationem inter hos contractus & ædes aut prædium institutam, esse irritam: nam, licet alterutrum, vili emptum, carius vendatur, non licet tamen ultra legitimum vendi pretium, æstimationi communi innixum, & circumstantiæ temporis competens, ut alibi diximus: & insuper pretium ædium & prædiorum non fuit præfixum, nec limitatum a Principe, ut sors hujusmodi contractuum.

Quoad hypothesim, qua hi omnes contractus Edicto Consilii Regni 31. Augusti proxime elapsi nunc extinguuntur, quo Rex solutionem eorum jussit; ac proinde habendi juxta ac aliæ res, quæ venales esse solent, dicimus hanc hypothesim esse falsam, quia quilibet contractus naturam contractus semper servat, & censetur extinctus solutione accepta per apocham a creditore constituenti collatam, quæ a Tabellione, præscriptionem amovente, scribenda est. Atqui solutio, licet jam mandata, mense Januario an. 1720. est facienda, ad quod usque tempus oppigneratores continuant usum contractuum & perceptionem fœnorum ad 31. Decembris currentis anni inclusum usque. Falsus igitur est sermo, exacte loquendo, quum nunc penitus extincti dicuntur.

Sed ponamus Germani contractum jam extingui, quum illum cessit Imberto ipsique erat Scheda Custodis Thesauri Regii, jubens Arcarium Argentariæ Regiæ ei tradere solutionem die, ab Edicto Consilii Regni designato, eumque, si solutionem nondum accepisset, non esse in culpa, quum recipere per eum non staret ante mensem Januarium; tandemque hoc non impedire quin extingueretur contractus, omni jure utendi privatus, cum in ejus locum suffecerit puram schedam gerenti solvendam.

Causa Germani non est melior hac in hypothesi: nam quum ejus contractus esset res immobilis, ex consuetudine Parisiensi, scheda, quam in ejus locum substituit, est res pure mobilis facta mutatione, nec proinde differt a pura scheda, privati in privatum, gerenti numeranda, quæ cum legitimo suo pretio, consensu mutuo creditoris & debitoris præfixo, facillime exigenda die dicto, plus vendi nequit: quamvis minus vendi liceat quibusdam in circumstantiis, quibus solutio fieret incerta & difficillima.

Atqui quem hoc valeat in schedis & nominibus privatorum, quo magis valiturum est in solutione quam Princeps ipse limitavit 25000. Libris, sorti contractus, ex hypothesi, extincti. Nam solutio Germani est realis, & certa, imo præsens conditione, quam ipsi offert Imbertus: Quo nomine igitur cuicumque usuram liceret ultra sortem exigere?

Secunda objectio: Germanus decuncem amisit usuram ex alio contractu paris pretii, quem a quinquennio vendidit, quo tempore hujusmodi contractuum apud populum existimatio vilissima erat. Cur igitur, inquit, recuperare non liceret saltem hujus damni partem, hoc die quo avide appetuntur ab iis qui actiones comparare volunt in Societatem Indicam?

Respondemus 1. Germano sine ulla injustitia licuisse, a se, imo ab emptore, quibusdam in circumstantiis & rationibus jam allatis, suum cedere contractum minori quam pretio finito sortis, tum ob temporum calamitatem, in quibus pecunia rara vulgo majori habebatur pretio quam hujusmodi contractus; sicque minor summa tunc censebatur sorti æquivalere. Sed non sequitur ipsi licere hoc die, quo Rex solutionem ei offert, majori vendere pretio. 2. Damnum sibi ex hypothesi incumbens, vendendo primum contractum decuncis jactura, non esse imponendum, neque ex toto, neque ex parte, Imberto, qui hoc non causatus est damnum. Nam supponendo eum aliqua affectum fuisse injustitia in emptione hujus contractus; culpa in eum solum, cui vendidisset, transferenda esset, utendo compensatione, si nequiret, ex hypothesi, alias agere, non vero in Imbertum.

Dicta firmat Sancti Thomæ effatum (*e*), probatum & adoptatum ab omnibus Theologis, alibi in titulo emptionis a nobis allatum, nempe, contractus venditionis & emptionis introducti in commodum venditoris, qui pecunia emptoris eget, & in emptoris commodum, qui re empta indiget.

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. in corp.

Atqui

Digitized by Google

Atqui introductum in utriusque contrahentis utilitatem, non debet huic obesse, dum alteri prodest: *Quod autem pro communi utilitate inductum est*, inquit Doctor Angelicus, *non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius; & ideo debet secundum æqualitatem inter eos contractus institui*. Alias commodum commune non inesset, nec æqualitas, sine qua contractus justitia stare nequit. Ergo Germano nihil ultra sortem accipere licet, quum alias nulla intercederet utilitas mutua, nec æqualitas inter ipsum qui præter legitimum contractus pretium quid acciperet, & Imberto cui damno esset solutio quincuncis usuræ ultra summam. Consequens hoc idem Sanctus Doctor elicit ex principio stabilito. *Et ideo*, inquit, *si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium; tollitur justitiæ æqualitas*.

Tertia objectio hoc continet ratiocinium. Sanctus Antoninus (*a*), ab omnibus Theologis admissus ait in omnibus rebus venalibus triplex inesse pretium, scilicet, *Summum, medium, & infimum*, ut dicit Cabassutius (*b*). Atqui in contractibus Basilicæ consilii civilis inspicitur triplex hoc pretium. Summum superabat sortem & sequebatur æstimationem communem, pro circumstantia temporis. Medium erat pretium sortis in contractu designatum; & imum erat pretium, quo ex usu ordinario, & communi, peribat, modo quadrans, modo tertia pars, & quandoque plus, juxta majorem vel minorem pecuniæ inopiam, aut tempus, quo avidius vel lentius appetebantur.

(*a*) S. Anton. 2. part. tit. 1. c. 8. §. 1.

(*b*) Cabass. 6. c. 9. n. 4.

Respondemus 1. Hoc ratiocinium esse inane & falsum penitus, nec præsenti casui accommodari. Nam hic Sanctus Archiepiscopus, dicens triplex distinguendum esse pretium rerum venalium, nulla ratione verba facit de iis, quarum pretium fuit a Principe vel potestate publica præfixum; sed unice de iis, quarum legitimum pretium pendet ab æstimatione hominum communi, ut quæ veneunt in emporiis publicis, in tabernis, Mercatorum in apothecis, Negotiatorum, aut alibi, ut panni, telæ, frumentum, panis, vinum, fructus, ædes, prædia, munera aut officia, innumeraque alia ad vitam, societatemque civilem necessaria.

2. Posito non concesso, contractus esse juxta atque alias res, quæ hoc triplex admittunt pretium, non dicendum esset sortem esse pretium medium; constat enim esse summum, utpote a Principe præfixum Edicto solemni, omnibus formulis ad Legem sanciendam in Regno necessariis vestito.

Hanc quoque ob causam ait Sanctus Thomas (*c*), quando res venales, quæ mensurantur, minori vel majori habentur pretio, in diversis locis, ob affluentiam aut inopiam, Magistratuum esse ut vi auctoritatis, qua Princeps eos cohonestavit, legitimam præscribant mensuram, quam supergredi nemini licet. *Mensuras rerum venalium necesse est in diversis locis esse diversas propter diversitatem copiæ & inopiæ rerum; quia ubi res magis abundant, consueverunt esse majores mensuræ; in unoquoque tamen loco ad rectores civitatis pertinet determinare quæ sint justæ mensuræ rerum venalium, pensatis conditionibus locorum & rerum: & ideo has mensuras, publica auctoritate, vel consuetudine institutas præterire non licet*. Peccatum est igitur non servare mandatum hanc præscribens mensuram; pretium rei venditæ, a suprema auctoritate definitum, supergredi etiam non licet. Ergo ratiocinium juxta effatum, quo nititur Germanus, conceptum, est falsum, ac proinde incassum sibi favere tentat.

(*c*) S. Thom. 2. 2 q. 75. art. 2. ad 2.

Quarta objectio è Navarro excerpitur; qui in Commentario *de usuris* (*d*). Sententiæ a nostra alienæ adhæret. Hoc nititur fundamento, merces, quas venditor emptori offert, minoris esse pretii, secundum hoc vulgare Casuistarum dictum: *Merces ultroneæ vilescunt*. Quod valet, inquit, potissimum quum plurimi venditores, emptores vero perpauci adsunt: *Quia multi sunt venditores talium, & pauci emptores; propter quod valor rerum vendendarum minui solet*. Unde concludit ratione contraria licere, conscientia, pensionem annuam ultra sortem constitutam, quum plurimi emptores adsunt vendentibus. Fatetur difficilius esse in foro exteriori, at permitti tamen quibusdam in circumstantiis, utendo cautionibus requisitis & pari in casu permissis.

(*d*) Navarr. Commentar. de usuris n. 112.

Manifestum est ex dictis in tertiam objectionem, principium Navarri non posse venditioni contractum accommodari. Nam primum, quo nititur, dictum spectat, fatentibus omnibus Casuistis, res vulgo & communiter venales, & merces, quæ sunt venditari solitæ ad usus vitæ necessarios & commodos, quarumque legitimum pretium (*e*) ab hominum æstimatione pendet, ob earum, ut & pecuniæ, copiam, aut inopiam. Sed non viget in iis, quarum pretium legitimum a Principe præfixum est, ut sunt pensiones, quas in se constituit: nam earum finitione pretium similiter fit legitimum & indivisum. Idem dicendum est de secundo effato, ab hoc Canonista apposito. Nam pauci vel multi emptores nunquam augent pretium ab auctoritate suprema definitum.

(*e*) Leg. Ideo 3. ff de eo quod certo loco dari oportet. L. 13. tit. 4.

Dicta stabiliturus apponit quod Romæ est in usu, ubi, inquit, pensiones in Montes pietatis constitutæ veneunt modo plus, modo minus. Verum harum pensionum pretium aut a Pontifice, vel Magistratibus determinatur; aut non. Si non limitatur, hoc exemplum omnino est absonum, nec probat quod quæritur. Si præfigitur, consuetudo est perversa & a justitia aliena: sic inclytus Doctor & Professor Sorbonensis (*f*) propemodum arguit sententiam Navarri dissolutiorem in decisione 25. Februarii 1670. dicta; in qua per transennam adjungit, cognituro legitimum pensionum pretium non sequendam esse Bullam *Cum onus* Pii V. Sancti; licet sententiæ nostræ penitus consentaneam; quia nunquam in Gallia fuit acceptata; sed finitionem a Rege determinatam consuetudine universali roboratam, citius in toto Regno praxis est in usu.

(*f*) De Sainte Beuve resol. cas. consc. t. 2. Cas 115 p. 48. Edit. in 4.

Quinta objectio. Quæstus quincuncis usuræ primo ab Imberto oblatus fuit, sponte Germano, suum adeunti Tabellionem ut contractus sui perscriptionem amoveret, & solutionis apocham subscriberet. Conditio igitur ab Imberto oblata habenda est donum & liberalitas, non vero quæstus iniquus: cum nihil æquius partum quam donatum libere, sine dolo aut vi.

Responsio ad hanc rationem a Germano appositam non est difficilis. Nam etiamsi constet sibi licuisse hunc accipere quæstum, munifice ac large ab Imberto oblatum post venditionem completam, juxta hæc Doctoris Angelici verba (*g*). *Ille tamen qui ex re alterius accepta multum juvatur; potest propria sponte aliquid vendenti supererogare: quod pertinet ad ejus honestatem*. Nihilominus non licuit percipere ex nostra hypothesi.

(*g*) S. Thom. loco cit. art. 1. in corp.

1. Quia conventio quincuncis usuræ quæstus, ab Imberto oblatæ, & a Germano acceptæ, est conditio aperte in venditione contractus stipulata.

2. Quia majorem carpere quæstum tentavit, octuncem usuram pro quincunce ab Imberto oblata, petens; ex quo asseri nequit hunc quæstum manare a mera Imberti liberalitate, qui nullum obtulisset quæstum si potuisset contractum emere summa sortis. Atqui ea intentio non sufficit ut venditor a peccato injustitiæ & restituendi necessitate exsolvatur, alias dicendum esset in fœnus mutuo dantes non peccare, nec ad restitutionem teneri; quia, etiamsi libeat eis quæstum tradere fœneratorium, quem erogant; constat præbentibus eum libere, quia non ignorant fœneratorem sibi gratis non mutuaturum, neque se fœnore versuram facturos, si potuissent ab eo aut a quovis alio mutuo accipere sine fœnoris solutione.

Sexta objectio a Germano apposita est, præsente pecunia unam aut plures adoptando actiones in Societatem Indicam, quæ postea maximum parerent quæstum, hodie impetrandas esse damno decuncis, quum contractus admitteretur in solidum, nec quicquam perderet. Quæstum igitur hunc non habet vendendo. Ergo æquum est ut emptor eum compenset, saltem ex parte.

Respondemus quantacunque calliditate libido fasci-

facinet oculos ejus desiderio satisfacientium, instar Germani, facile tamen caliginem discuti, ostendendo rationem, qua nituntur, fallacem esse. Nam distinguendum est verum lucrum cessans a specioso. Duplex igitur, juxta omnes Theologos, est lucrum cessans, scilicet, *proximum* & *remotum*. Lucrum cessans proximum in se semper habet damnum nascens, ex more certum; quum remotum cum nullo jungatur damo, nec præsente, nec ex more certo. Exempli gratia, sunt Jacobo 2000. Coronati, quibus prope diem est merces empturus, quarum venditione se lucraturum esse vicesimum denarium ex more persuasum habet. Julus amicus, in quem Paulus sententiam Consulum impetravit; quæ eum comprehensione, damnat pari summa, intra triduum solvenda, refugiens ad Jacobum, eum rogat, ut sibi 2000. Coronatos det mutuo, quibus carcerem, sibi imminentem vitet, & injuriam incumbentem cum famæ jactura. En casum, in quo Jacobo est lucrum cessans proximum, quod comitatur damnum emergens ex more certum, ac proinde æquum est, ut 2000. Coronatos mutuo dans Julo percipiat compensationem legitimam lucri, quod se percepturum esse ex more persuasum habet de mercibus, quas empturus erat, cuique mutuum Julo datum est obex.

Econtra si Jacobo hi 2000. Coronati essent in arca, nec ei mens aut opus fuerit iis negotiari, aut alia via quæstuosos esse; & Julus eos eroget mutuo, certo nulla potest ratione obtendere lucrum cessans, quo percipiat compensationem aut quæstum; quia hoc lucrum cessans est remotum & inane; cum pecunia mutuo data nullum generet damnum ex more certum. *Recompensationem vero damni*, ait Sanctus Thomas (a), *quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere quod non habet; & potest multipliciter impediri ab habendo*. Atqui hic perinde est; nam vendentibus contractus quincunce aut octunce usura quæstus, non est animus, ista pecunia, faciendi actiones in Societatem indicam, quum præsentes ipsi appendendi essent huic Societati, quæ eos reciperet toto illorum valore, quum præsens pecunia numeranda esse decunce damni. Hoc igitur dictum lucrum cessans est remotum, aut, ut disertius dicam, falsum & commentitium. Quapropter incassum hac utitur ratione Germanus, qua probet lucrum ab Imberto perceptum.

(a) Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3.

Septima ratio, quam Germanus objicit, est hæc: Princeps, cui commercium hujusmodi contractuum pernotum est, censetur probare, quum non prohibeat, sicque vult, ut Legi derogetur, quæ quotam partem summæ præcipuæ, in contractu designatæ, præfixit; unde concludit se quincuncem usuram e suo contractu percipientem, nullam admittere injustitiam.

Respondemus, juxta Sanctum Augustinum, in alia decisione laudatum, Principes non plane teneri ad puniendа omnia crimina in Regno patrata, quum illud ausi nunquam voti compotes fierent. Idcirco ipsis sat est imponere pœnas perturbantibus pacem Regni, & Societatem civilem. Si Princeps igitur non prohibeat hoc injustum commercium, ut intendit Germanus, non est, quod probet, sed solum tolerat tanquam malum cui obstare nequit, non ignorans hujusmodi commercium exercentibus faciles fore rationes occultas illi insistendi, interdicto neglecto. Atqui mera toleratio non habetur approbatio; quæ nondum sufficeret, ut absolvatur conscientia frustra tentantium purgationem. Nemo enim nescit variis in Regnis plura fieri auctoritate Principis obtenta, quæ tamen coram Deo nequeunt solis exemplis consuetudinis justificari.

Denique octava objectio a Germano opposita est hæc. Aurum argentumque præsens, quo Imbertus contractum suum solvit, nunc tantæ est indicationis, ut ferme dimidium valoris nummorum intrinseci superet, quorum decessio hanc ob rem indicta fuit, & in futurum procedet donec ad legitimum venerint pretium. Ideo Germanus damno afficitur inevitabili contractus venditione, accipiendo nummos indicatione, quæ hodie est in usu. Cur igitur ipsi negaretur facultas recuperandi saltem damni partem, quod sibi illaturam constat de pretio nummorum decessionem in pecunia, qua Imbertus solvit.

Hæc ultima ratio perinde falsa & fallax est ac præmissæ: nam Regni soli, regni juribus, licet limitare pretium nummorum pro lubitu, & prout poscit suum, & Regni opus. Hæc veritas negari nequit; & jus est extra dubium omnibus Principibus summis commune. Magna indicatio hodiernorum nummorum aureorum & argenteorum non est par, ut Germanus dicat pretium, quo contractus solvit Imbertus, non æquare valorem; quum nummi aurei, Coronati, cæterique omnes universim in usum recipiebantur sine minima repugnantia apud omnes & singulos, indicatione, quam valebant die, quo summam persolvit Imbertus; de qua convenerat inter se, & Germanum venditorem. Non licet igitur defendere eum nulla affecisse injuria, ipsi persolvendo 25000. Libris contractum ex usu ordinario & communi nummorum: Rex quum jusserit solutionem, & voluerit ut aurum & argentum, quo fit, recipiatur prout in usu esse solet. Addamus 1. constare Germanum, si solutionem recepisset nummis Regis eam offerentis mense Januario proximo, eam recepturum paribus nummis, nec ullam ipsi fore querendi ansam. Immerito igitur intendit damnum sibi intulisse, Imbertum occasionem magnæ nummorum indicationis arripiendo. 2. Similiter constare, Germanum ipsum ædium soluturum pretium, de quo convenit, & eadem indicatione, nec venditori ullam fore querendi ansam, nec ullam compensationem sperandam; & Germanum speranti nullam conseqsurum.

Insuper verum est decessionem de nummorum pretio, quam Germanus, si eos otiantes habeat in arca, illaturam damnum imposterum. Sed 1. potest se levare ære alieno, si eo gravetur; aut quæstuosas efficere 25000. Libras emptione, societate, mercatura, aut alias 2. Hæc decessio dependet ab auctoritate suprema Principis, & ex æquo omnes attingit subditos, quorum cuique privato damnum aliquod eo lubentius est ferendum, quo ingens perceperint lucrum, quum Rex pretium auxerit admodum, transferendo indicationem nummorum olim 30. Librarum ad 36. & Coronatos centum assium ærariorum ad 6. Libras, reliquosque nummos pro rata. Quo justitiæ nomine Germano liceret igitur Imberto imponere hoc damnum, quum ipse non sit illaturus; & damnum unice illabendum sit in eum, qui tempore decessionis, futurum sit argenti signati dominus, id est, Germanus solus, ejus dominus factus, recipiendo ab Imberto solutionem contractus, juxta hoc Juris dictum: *post venditionem periculum rei ad emptorem pertinet*.

Concludimus igitur omnes rationes a Germano appositas, ipsi esse colorem injustitiæ perpetratæ, quam resarcire tenetur, restituens Imberto 1250. Libras quæstus, quas ab eo percepit, præter legitimum contractus venditi pretium.

CASUS XLV.

Adrianus pecunia indigus, bona fide vendit Marculfo sex jugerum prædium 1000. Libris, vel pensionis annuæ contractum, cujus pars summa est sors, his duabus legibus: prior est; ut Adrianus sit redempturus, si placet, prædium aut contractum intra quinquennium, Marculfo 1000. Libras restituens: posterior est, ut Marculfus sit de sorte deducturus fructus e prædio perceptos, aut fœnora pensionis annuæ accepta. Qua de re quæritur, 1. Num æqua sit prior lex. 2. Num posterior usuram non sapiat?

RESPONSIO.

Contractus venditionis, pacto redhibendi addito, est licitus; hoc probat 1. Scriptura (b), quæ hujusmodi pactis patrocinatur. 2. Leges civiles (c) illos permittentes. *Si fundum parentes tui* ...

(b) Levit. xxv. 10. & seq.
(c) Leg. Si fundus 2. & leg. Si a te 7. Cod. de pactis &c. L. Si vir. 12. ff. de præscriptis verbis &c. l. 15. t. 5.

ts

ea lege vendiderunt, habet Lex, *ut sive ipsi, si ve hæredes eorum emptori pretium quandocumque vel intra certa tempora obtulissent; teque parato satisfacere conditioni dictæ, hæres emptoris non paret, ut contractus fides servetur; actio ex præscriptis verbis, vel ex venditione tibi dabitur*. 3. Auctor Glossæ in Decretale Innocentii III. (*a*) qui hujusmodi improbat alibi venditionem in casu peculiari sibi objecto, in quo usuram inesse putabat; quia res vendita longe infra pretium legitimum, videbatur solum oppignerata, nomine venditionis specioso, ut salvum esset mutuo datum: quod eo magis conjiciendum, quo qui hanc contraxerat emptionem simulatam, insuper fœnerator haberetur, quod patebat in casu ipso, proposito in hujus Pontificis Decretali, in quo legitur venditori, pecuniam quam mutuo accipiendam rogaverat, emptor negasse, & hac emptionis via usus, ut hoc nomine quæstum amplum carperet ex mutuo, vitaturus hoc dolo pœnas a Concilio Generali Lateranensi III. an. 1179. habito, Alexandro III. sedente, latas in fœneratores. Sic hoc ultimum Innocentii III. Decretale (*b*) nulla attingit ratione casum in quæsito, quod agitamus, propositum.

(*a*) Gloss. in c. Ad nostram 5. de empt. & vendit. l. 5. t. 27.

(*b*) Inn. III. in c. Illos 4. de pignorib. &c. l. 3. t. 21.

Ut contractus pensionis annuæ, pacto redhibendi addito, sit licitus, tres conspirent leges necesse est, prima, ut res vendita fiat emptori propria: in quo differt hic contractus a contractu oppigneratitio, quo oppignerans dominus rei oppigneratæ perstat, non vero pignus accipiens, cui proinde prodesse nequit, quia soli domino oppigneranti quæstum generat.

Secunda, ut pretium rei venditæ solutum legitimo exæquetur valori ipsius rei cum lege conjunctæ, ut venditori liceat intra certum tempus eam redimere. Atqui videtur pretium admodum præponderari decessione quadrantis, aut ad summum tertiæ partis de valore, si venditio pura & simplex esset; non addicta pacti redhibendi adjuncti clausula. Si vero pretium longe vilius esset, hic contractus, non venditio, sed solum pignoris obligatio censeretur, ut docent complures Canonistæ in primum a nobis laudatum Decretale (*c*).

(*c*) Ad c. Ad nostram.

Tertia denique lex est, ut tempus ad redimendum stipulatum sit utrique contrahenti opportunum.

Contractus igitur, de quo in quæsito agitur, legibus modo notatis annexus, non est iniquus; quum sit, non mutuum, nec mera pignoris obligatio, sed venditio vera, sincera, & legitima. Et quidem prima lex, facultatem redimendi habens, nullomodo repugnat naturæ contractus venditionis. Secunda, exigens ut emptor de sorte non sit deducturus fructus aut fœnora, nihil habet vitii pariter. Nam emptione prædii aut contractus pensionis annuæ comparatur re dominium, & fructus aut fœnora ex iis fluentia. Unde Marculfus non tenetur fructus, e prædio perceptos, aut fœnora, e contractu pensionis annuæ accepta, deducere de sorte ab Adriano restituenda.

Hanc decisionem, nulla pressam difficultate, stabilit suffragium Sancti Raymundi (*d*), quæstionem sibi objicientis similem his verbis: *Si vendidi, tali conditione adjecta, ut quandocumque solvatur pretium a me, vel hærede meo, rehabeam prædium ego, vel hæres meus, quandocumque a septennio usque ad novennium, vel simile: numquid est usurarius contractus?* Cui respondet: *Ad hoc dico, quod non est mutuum; & emptor facit fructus suos sine periculo usuræ: licet venditor juxta venditionis formam, postea recuperet prædium ... nisi in fraudem usurarum sit facta talis venditio*.

(*d*) S. Raymund. l. 2. t. 7. de usuris P. 6.

Tandem hanc decisionem firmant duæ Bullæ, Martini V. an. 1420. edita hæc, illa vero Calixti III. an. 1455. promulgata, binæ in tertio Extravagantium communium Libro recensitæ (*e*): *Præfatos contractus*, inquit prior Pontifex, *licitos & juri communi conformes, ac ipsorum censuum venditores ad illorum solutiones remoto contradictionis obstaculo, obligari auctoritate Apostolica, tenore præsentium ex certa scientia declaramus*. Et paulo antea: *& semper in ipsis contractibus expresse ipsis venditoribus data fuit facultas atque gratia, quod ipsum annuum censum in toto vel in parte pro eadem summa denariorum, quam ab ipsis emptoribus receperunt quandocumque vellent libere absque alicujus requisitione, contradictione vel assensu possent extinguere & redimere; ac se ab ipsius census solutione ex tunc penitus liberare*. Verum præter leges in quæsito proposito designatas, necesse est ut emptori pretium solutum a venditore repetere non liceat, desistendo prædio aut contractu pensionis annuæ, quem emit; ut manifesta sunt duorum Pontificum verba: *Sed ad hoc hujusmodi census venditores inviti nequaquam per emptores arctari, vel adstringi valerent etiam ipsis possessionibus & bonis obligatis penitus interemptis seu distractis*. Nam tunc, si emptori facultas esset ab emptione desistendi; non contractus venditionis, sed verum esset mutuum, e quo hac perciperentur ratione fœnora.

(*e*) Mart. V. in c. Regimini 1. de emption. & vendit. in Extravag. com. l. 3. t. 5. Calixt. III. in cap. Regimini ... 2. ibid.

CASUS XLVI.

Theodatus pratum 25. jugerum Pamelio vendidit 2000. Libris, licet longe pluribus sit Libris, lege ut sibi sit futura redimendi illud copia intra triennium, Pamelio 2200. Libras restituendo: hic venditionis contractus non ne est vitiosus?

RESPONS.

Hic contractus est fœneratorius, & indicium, quo patet, in eo ponitur, quod rei venditæ pretium legitimo ejus valore longe inferius sit, & venditor polliceatur emptori restituere præter acceptum. Atqui hoc est cohærens quæsito in quo pratum 25. jugerum Pamelio venditum a Theodato, longe majoris est pretium, quam 2000. Libræ, ab emptore solutæ, & in quo stipulatio obvenit aperta, qua venditor in prædii possessionem sit rediturus solvendo 200. Libras emptori ultra sortem.

Hæc est decisio Sancti Raimundi a Pennafort (*f*), *Ex hoc intelligas*, ait hic Sanctus, *nisi infraudem usurarum sit facta talis venditio: quod præsumitur ex his conjecturis; scilicet ex eo quod modicum est pretium respectu valoris rei. Item ex eo quod aliquid persolvitur ultra summam receptum*.

(*f*) S. Raym. l. 2. summ. t. 7 §. 6.

Quod differit Sanctus Raymundus stabilitur dispositione Decretalis Innocentii III. in Juris Canonici corpore allati (*g*), qui declarat non immerito habendum esse contractum fœneratorium, quum emptor pollicetur venditori restituere rem emptam, lege ut, venditor idem sit ei summam pecuniæ largiturus, ultra pretium, de quo inter eos convenit. Nam is est præcise casus, in quo, ex hypothesi, Pamelius pollicetur Theodato restituere pratum 25. jugerum, ab eo emptum, acceptis 200. Libris ultra 2000. numeratas.

(*g*) Inn. III. in c. Illes 4. de pignorib. & aliis cautionib l. 5. t. 21.

CASUS XLVII.

Burcardus cum vendidisset Christophoro decem vitium jugera, addito redhibendi pacto, Christophorus, dirutis viribus, solum fecit pratum, qua mutatione proventus dimidio amplior evasit. Christophoro inter hæc vita functo, Georgius ejus filius, unicusque hæres, cui summa pecuniæ inopia erat, hoc venditavit solum, simulque Burcardo significavit se præsto cedere solum, si resumpturus esset ac restiturus pretium a patre persolutum; aut alias, sibi desistendum a clausula, facultatem redimendi habente. Burcardus, postremum constitutum habens, destitit. Postea Georgius vendidit triplo carius, quam emerat pater decem jugera. Nonne tenetur Burcardum recompensare, quum læsio ultra dimidium superet pretium, & a Judice addiceretur, decennio nondum elapso?

RESPONS.

Georgius non tenetur Burcardum remunerari in quæsito proposito. Ratio est, quia per quemque stat de suo remittere jure. *Cum quilibet ad renuntiandum juri suo liberum habeat facultatem*, ut dicit

dicie Innocentius III. (a) juxta Leges Romanas (b). Atqui Burcardus destitit lubens, sine vi, & fraude facultatis decem soli jugera redimendi, quam sibi caverat, sine fœnore aut mercede a Georgio petendis. His addendum ast hoc solum unice melius factum fuisse operis & industria Christophori, cujus partes agit Georgius, *quasi una persona cum ipso*, ut ait Sanct. Thomas (c), cui proinde prodesso debet, quum sit ejus filius, unicusque hæres.

(a) tua ttt. in c. ex conscien. da 6. de extimine falsi l. 5. tit. 20.
(b) L. Si quis 29. C de pactis lib. 2. t. 3. L. Si Judex 41. ff. de minorib. 25. annis lib. 4. t. 4.
(c) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.

CASUS XLVIII.

Elazzar cum vendidisset 300. Libris numeratis Marcellino jugerum prati, sibique contracta cavisset facultatem redimendi intra quinquennium decimo die Maji 1707. elapsum, ci significavit, formulis requisitis, pridie diem dictum, offerens restitutionem 300. Librarum; Marcellinus fœnum collecturus hujus prati demetendi, variis nominibus declinavit ditiones ab Eleazara oblaras, acceptas ferre; interim fœnum demessuit & abstulit; postea Eleazari obtulit restitutionem prati jugeri, & acceptionem 300. Librarum. Verum Eleazar contendit fœnum suum esse, quum ipsi significavit, & obtulit, cum fœnum adhuc in prato virebat. Econtra Marcellinus defendit, nondum interposita sententia damnatoria, sibi fructum faciendum ex gramine prati tum maturo. Quæritur, num jus Eleazaris sit licitum?

Respons.

Videtur jus Eleazaris esse æquum, quia leges volunt, ut venditore facultatem redimendæ hæreditatis venditæ exercente, emptor fructus sit restituturus a die petitionis, & oblatæ solutionis formulis requisitis perceptos; *habita ratione eorum, quæ post oblatam ex pacto quantitatem ex suo fundo ad adversarium pervenerunt*, inquit Lex (d); Atqui in quæsito proposito, Eleazar petivit & obtulit Marcellino ante falcem immissam, & fœnum collectum a jugero prati latum. Jus igitur est ipsi restitutionem petendi a Marcellino, aut valorem deducendi de 300. Libris repetendis, quum, ex pacto, Marcellinus desiit esse verus dominus a die, quo Elcazar facultatem redimendi axercuit, nec proinde ipsi licuit fructum facere. Hæc est sententia periti Jurisconsulti (e).

(d) L. Si fundum 2. cod. de pact. inter emptorem & vend. t. compositis lib. 4. tit. 54.
(e) D. Dom tr. leg. civil juxta ordin. nat. tom. 2. pag. 174. ad. in 4.

CASUS XLIX.

Victori, armorum politori, duos in vico advertenti in se invicem accensos, eum rogantes duos gladios pares emendos, licetne illis eos vendere, potissimum quum ipsi sit summa pecuniæ inopia, si persuasum habeat eos empturos, ut strictis ensibus inter sa digladientur?

Respons.

Quum crimini operam conferre mutuam nunquam sit licitum, constat Victori non licere sine gravi peccato vendere his duobus gladios, quum persuasum habeat eos emere, ut digladientur. Nam, hoc in casu, efficacem conferret operam crimini patrando, præbens illis arma. Nam, ut ait Apostolus (f) non solum patrantes malum, sed & operam conferentes & consentientes peccato, rei sunt. *Qui talia agant, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Si vero hic armorum politor persuasum non haberet malum animum, & dubio niteretur incerto, liceret vendere, nec conferret peccato in futurum perpetrando (g), modo dubinm prius deposuerit.

(f) Rom. I. 37.
(g) De Salute Reave t. 3. Cas. 183.

CASUS L.

Incolæ Parœciæ Sancti Romani, exstructis Ecclesia, & Presbytario in fundo empto, quibus non erat Cœmeterium, voluerunt quartam jugeri partem, propriam Paulo emere, in qua conficeretur. Sed Paulum vendere nolentem, jussit Judex, ut illis cederet pretio ab expertis definito, de quo inter eos, & Paulum convaniret, aut, eo renuenta, aliquem designaret ex officio. Qua de re quæritur, num Judici licuerit hanc dicere, & effectui dare sententiam?

Respons.

Respondemus huic licuisse Judici istam dicere, & effectui dare sententiam. Ratio est, quia quum res privato propria ast ad usum publicum necessaria, & privatus eam vendere non vult, jure potest compelli auctoritate Magistratus: quia commodum privatum semper publico postponendum est. Exempli gratia. Ædium, in vico necessario in latitudinem laxando ad commodum & utilitatem incolarum urbis, aut in quarum fundo Ecclesia extruatur necesse est, aut munitiones ad amoliendum hostem, dominus potest sine injustitia compelli ad aam vendendam legitimo, quo habetur pretio.

Hoc probat Mandatum ann. 1303. in quo Philippus Pulcher his utitur verbis: *Possessiones, quas pro Ecclesiis, domibus Ecclesiarum Parochialium de novo fundandis aut ampliandis infra villas, non ad superfluitatem, sed convenientem necessitatem acquiri contingat: de cætero apud Ecclesias remaneant absque coactione vendendi, vel extra manum ipsarum ponendi; & possessores illarum possessionum ad eas dimittendum justo pretio compellantur, pro Ecclesiis Parochialibus, cœmeteriis & domibus Parochialibus Rectorum extra villam fundandis, vel applicandis, illud idem concedimus.*

Eamdem quoque ob causam, inopia ingruente, quibus est major frumenti copia, quam ad victum par est, compelli licet ad illud pretio convenianti vendendum, ut habent plures Leges, & in primis hæc (h): *Lege Julia de annona statuitur adversus eum, qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo annona carior fiat.* Et hæc alia: (i) *Præterea debetis custodire, ne Dardanarii ullius mercis sint, ne aut ab his coemptas merces supprimant, aut a locupletioribus, qui fructus suos æquis pretiis vendere nollent, dum minus uberes proventus expectant, ne annona oneretur.*

(h) L. Lege Julia 2. ff. de annona l. 48. tit. 12.
(i) L. Annonam 6. ff. de extraord. criminibus lib. 47. tit. 11.

CASUS LI.

Atticus, Sanctæ Faræ Abbas, cui sunt sex altæ & excelsæ Silvæ jugera, Abbatiæ subjacentia, vendidit jugerum Alano Linario, intendens pretio exstrui partem domus, qua opus est in loco suæ sedis solitæ. Nonne, conscientia, licuit vendere suo Marte?

Respons.

Huic Abbati non licuit decutere & vendera hæc altæ & excalsæ sylvæ jugera, auctoritate privata; nam Mandata, tum vetera, cum recentiora, interdicunt Clericis vendere hujusmodi sylvas, ut illud mense Februarii ann. 1358. ab Henrico II. editum, Mandara Aurelianensi a. 1560. & 1564 quibus Carolus IX. idem interdicit, & Mandatum an. 1669. (K) quo Ludovicus Magnus similiter probibet, quo decutiatur ulla altæ & excelsæ sylvæ arbor, neque ulli sylvæ cæduæ stolones, nisi impetraverint facultatem a Rege Diplomatibus debito modo in tabulas publicas relatis: & Rex hoc mandato declaret ista Diplomata ipsis concessum iri in casum incendii, aut ruinæ ædium, aut aliorum damnorum insolitorum, bellis, eluvionibus, aliisque hujusmodi casibus fortuitis productorum. Unde tantum abest, ut Attico liceat, conscientia & suo Marte, vendere sylvam, de qua agitur, quo laxius habitet in loco suæ sedis solitæ, ut ipsi non liceret, quando intendaret ea uti ad utilitatem & commodum Abbatiæ, sine licentia a Rege prius impetrata formulia præscriptia. Et quidem sapientissimum ast mandatum: quum alias religiosior aut parum moderatus Abbas arbitrium omnium altæ & excelsæ sylvæ arborum ageret; licet non esset *in fructu*, sicque rem Abbatiarum præstantissimam disperderet, non sollicitus usuum momentosorum, quibus in futurum successores indigerent. Hanc quoqua ob causam, & ad bonum publicum Parlamenta semper dafendarunt Edictis suis & jusserunt effectui dare accuratius & summo jure hunc Jurisprudentiæ articulum.

(K) Tit. de sylvis ad Closiens & hominecamisus plane emortuæ pertinentibus.

Vide { EMPTIO. CAUPO. OFFICIALIS. Cas. 14. USURA. }

VERBERARE.

NON agitur de significatione generali hujus vocis, sed de peculiari, qua indigitatur castigatio, quam merentur inferiores, ut Infantes, respective ad parentes; Mariti respective ad uxores: & Domestici respective ad heros. Ostendemus 1. Aliquando verberibus utendum certis in casibus, cum verba, & minæ suum non producunt effectum 2. periculosam tamen esse ut plurimum talem inferiorum castigationem quia ut homo, iræ aliisque affectibus obnoxius, & pronus est ad iram, perrarus est hujus correctionis usus sine adjuncto impetu hujus affectus, nec fit cum ea charitate & moderamine, quibus tegi potest peccatum verberantis alium, licet inferior sit, & bono agat animo.

CASUS PRIMUS.

QUintinus, cujus domestici sunt immorigeri & voluptuarii, quos severæ objurgationes non corrigunt; Potestne absque ullo peccato eos verberare, cum putat necesse, ut eos corrigat?

R e s p o n s.

Potest, modo impetu affectus aut odio non agatur. Ratio est, quia servus auctoritati & jurisdictioni sui heri subest, statim ac ejus famulatitium assumpsit, & ab eo stipendium recipit, & quia hic herus suos curare debet domesticos, ut proprios liberos. Negandum autem non est, patri jus esse suos castigandi liberos, & ad id, quando necesse est, conscientia teneri; juxta hoc Sapientis effatum: (a): *qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit.* Item (b): *Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Idem affirmandum de Hero ergâ servum. Ideo dicit iterum Sapiens: (c) *Servo malevolo tortura & compedes .... quod si non obaudierit, curva illum compedibus.... verum sine judicio nihil faciat grave.*

Hanc quæstionem sic decidimus cum Sancto Thoma: (d) *Per verberationem*, inquit, *nocumentum quoddam infertur corpori ejus, qui verberatur... nocumentum autem alicui inferre non licet; nisi per modum propter justitiam. Nullus autem juste punit aliquem, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus. Et ideo verberare aliquem non licet, habenti potestatem aliquam super illum, qui verberatur licite.* En principium a Sancto Doctore statutum. Conclusio, quam elicit, hæc est: *Et quia filius subditur potestati patris, & servus potestati Domini, licite potest verberare pater filium, & Dominus servum, causa correctionis, & disciplinæ* (e).

Cum affectus ad hanc correctionem plus confert quam vera charitas, potissimum in Dominis erga servos suos, periculose iis insinuatur, nisi eorum sapientia & moderatio moraliter sit manifesta. Ideo expedit sequi consilium Apostoli, volentis, ut Domini minas, servis suis intentatas non exequantur, & errata, ab iis commissa, sæpe remittant (f): *Et vos, Domini, eadem facite illis, remittentes minas, quia & illorum & vester Dominus est in cælis.* Quod non intelligendum est de iis, qui in peccato perstant, & quos minæ absterrere, & eorum propensioni mederi nequeunt.

(a) Prov. 13. 24.
(b) Eccli. 30. Vers. 13. & 14.
(c) Eccli. 33. Vers. 28. & 30.
(d) S. Th. 2. 2. q. 65. art. 2. in corp.
(e) Idem docet q. 72. ar. 2. ad 2.
(f) Ephes. 6. 9.

CASUS II.

ULADISLAUS, Natalitiæ uxori suæ fidus, ejusque adulterii, cum vicino quodam commissi, conscius, eam metu verberans correcturus percussit; Potestne absque peccato verberibus uti, cum ejus minæ sunt inutiles?

R e s p o n s.

Si iste percipit suas objurgationes fuisse inutiles, & persuasus se uxorem verberibus ad meliorem frugem redacturum, potest sine peccato minis addere verbera, modo requisita adsit moderatio, & impetus absit affectus, quod tamen in praxi perdifficile. Ratio est, quia maritus jure suam corrigit, & castigat uxorem, quum ejus monitiones sunt inutiles. *Debet eam tenere in vinculis & castigare; cum hoc ei permissum sit*, ait Glossa (g). Quod probat canone, quem a Concilio Toletano I. (h) anno 400. habito, depromit, in quo imponitur Clericis, ut suas uxores adulteras ædibus suis inclusas habeant, & eas jejuniis salutaribus puniant. *Accipiant mariti earum potestatem præter necem custodiendi, ac ligandi in domo sua, ad jejunia salutaria, non mortifera, eas cogentes*, ait hoc Concilium. Alia Glossa (i) dicit marito, licet ipse in genere non debeat suam verberare uxorem, licitum esse eam justa cum moderatione castigare. *Sed temperate potest eam castigare, quia est de familia sua... sicut Dominus servum.* Tandem idem Auctor hujus Glossæ (k) dicit alibi, virum posse suam verberare uxorem; si obnixe inducat ad aliquod peccatum mortale patrandum. *Si uxor Christiana pertrahat virum ad peccatum mortale, verberet eam, & castiget, si potest, & non consentiat ei.* Sed eo progredi non debet maritus, nisi motus charitate, & persuasus hunc rigorem fore suæ uxori salutarem, cum qua ipsi agendum, ut cum phrenetico, qui ligatur; & cum lethargico, cujus corpori remedia apponantur dolorifica, quibus sopor, quo premitur, lethalis ejicitur. *Qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat*, ait Sanctus Augustinus, *ambobus molestus: ambos amat* (l).

Hæc decisio convenit cum doctrina Angelici (m) Doctoris, dicentis, maritum, in casu proposito, posse verbis addere verbera, cum ejus minæ suo carent effectu, his verbis: *Peccatum fornicationis in uxore potest corrigi non tantum tali pœna; (separationis quoad thorum) sed etiam verbis, & verbere.*

Cæterum quam difficillime & perraro ea, quam supponimus requisitam, agatur moderatione illo in casu, & contra affectus sæpissime emittat contumeliam, e qua vulgo nascuntur scandalum, lites, odia, aliaque gravissima mala; prudentis non est hoc consulere viro, ut, in gratiam suæ corrigendæ uxoris, verberibus utatur. Revera, si sic agit, memor sit illius eximii effati, a Sancto Gregorio Magno prolati (n): *Disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur.* Cum necessario rigor demulceri debeat lenitate & moderatione: *Miscenda est ergo lenitas cum severitate; faciendumque quoddam ex utraque temperamentum* ut idem affatur Papa. Nam nimia severitas ut plurimum neque meliorem emendationis frugem, neque salutem ejus, in quem exeritur, producit, ut observat antiquum Concilium Braccaræ in Lusitania habitum anno 675. a Gratiano (o) in suo Decreto laudatum, his verbis: *Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimiæ increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem.* Procul dubio hoc nixi fundamento, Duces Burgundiæ concesserunt uxoribus privilegium, ne verberarentur a maritis suis, cujus vi Parlamentum Divionense Arrestum protulit 6. Martii 1597. quo maritus duobus coro-

(g) Glossa in c. Quemadmodum. 25. de jurejurando v. Denuntiare.
(h) Concil. Tolet. I. in can. Placuit. 10. 33. q. 2.
(i) Glossa in can. Satis. 14. v Castigatur 33. q. 5. Et in can. Sicut 39. 1. q. 1. v Judicati.
(k) Glossa in can. Uxor. 4. 28. q. 1.
(l) S. Aug. in can Non omnis 2. 5. q. 5 Et in can. Nimium 37. 23. q. 4.
(m) S. Th. in 4 dist. 35 q. un. art. 2. ad 2.
(n) S. Greg. l. 29. Moral. c. in can Disciplina 9. l. 45.
(o) Concil. Bracc. in can. Cum beatus 7. dist. ead.

coronatis mulctatus est, quia suam percusserat uxorem, inhibendo, ne iteraret verbera. D. Brillon hoc refert Arrestum, quod merito confirmandum foret ab aliis Curiis Supremis, & affigendum valvis permultorum maritorum. (a) Cardinalis Hostiensis omnino ei, quod jam jam diximus, congruit, (b) & probat propositum Canonibus & Legibus, in margine laudatis. (c)

(a) D. Brill. Dictionar. Arrest. v. Battre n. 7.
(b) Hostien. in c. Dudum de conversf. conjugat. n. 10. & 11.
(c) S. Aug. in can. ista duo 33 23. q. 4. Idem in can. Est ordo 22. Idem in can. Hæc imago 13. 33. q. 5. Stephan. V. in can. Admonere 8. 33. q. 2. Clem. Clem. III. in c. Ad audientiam 12. de homicidio &c. & L. Praeceptoris 6. ff. ad leg. Aquiliam l. 9 t. 2.

VERBUM.

Vide (BLASPHEMIA.)
(CALUMNIA.)
(IRONIA.)
(DETRACTIO.)
(PECCATUM.)

VESTIS.

VESTIS, in genere denotat, omnes vestes, sive viriles aut muliebres, sive Ecclesiasticas, aut laicas. Ecclesiastica vestis est præcipuum hujus tituli argumentum. Duplex distinguitur pro Clericis Sæcularibus videlicet vestis talaris, constans ex tunica & pallio ad imos usque pedes protensis; & vestis brevis. Et pro Religiosis tot sunt vestes, quot Ordines Religiosorum utriusque sexus, quarum delectum non juvat hic enarrare singulatim.

In hujus Tituli decisionibus ostendimus, 1. Quibusnam liceat usus vestium pretiosarum. 2. Clericos teneri usus vestis, conditioni, aut Ordini congruentis; & vestis talaris solius usum esse a Sacris Canonibus permissum Beneficiariis, & initiatis in Ordinibus Sacris. 3. Et quibusvis Laicis esse usum vestis, sexui & conditioni convenientis, sine usu vestium diverso sexui aptarum, nisi propter causam legitimam & maximam.

CASUS PRIMUS.

BARTHOLOMÆUS, Antistes nobilis, & Dominicus Magistratus urbanus, aliique in dignitatis Ecclesiasticæ, aut sæcularis gradu amplissimo collocati, solent indui panno pretiosiori & nitidiori, quam eo, quo conficiuntur vestes aliorum. Nullone peccant modo in hoc?

RESPONS.

Sanctus Thomas (d) hanc dirimit quæstionem, dicens in amplissimo dignitatis gradu collocatos ornari vestibus pretiosioribus, quam alios, juxta consuetudinem a viris probis, paris sortis, usu receptam: modo absit ostentatio, & aliis obversetur solum præstantia & veneratio dignitati debita: & eamdem ob causam Ministri altaris vestibus induuntur pretiosis, non solum ut objiciatur populo Sanctitas ministerii, sed & cultus divinus Religionis Christianæ appareat augustior & venerabilior. *Illi, qui in dignitate constituuntur*, inquit Angelus Scholæ, *vel etiam ministri altaris, pretiosioribus vestibus, quam cæteri, induuntur: non propter sui gloriam; sed ad significandam excellentiam sui Ministerii, vel cultus divini: & ideo in eis non est vitiosum. Unde Augustinus dicit in tertio de doctrina Christiana* (e): *Quisquis sic utitur exterioribus rebus, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est, dum scilicet propter delicias, aut ostentationem, talibus utitur.*

(d) S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 1. ad 2.
(e) Cap. 12.

Hic Sanctus Doctor idem alibi docet (f), postquam dixisset dignitate eminentes ornari vestibus pretiosioribus, quam reliquos, *ne dignitatis auctoritas veniat in contemptum ... & ... & ad reverentiam auctoritatis inducendam*, sunt ejus verba: addit non eamdem esse in genere rationem privatorum, quisque enim tenetur sequi consuetudinem reginiinis, in qua versatur, nec metas modestiæ, a paribus in praxim revocatæ, excedat: *Licitum est autem*, inquit, *ut secundum modum propriæ personæ pretiosis utatur: sed peccatum est, si proprium modum excedat.*

(f) Idem quodlib lib. 10. art. 24. In corp.

Peccati igitur non sunt accusandi Bartholomæus neque alii, quorum mentio est in quæsito, pretiosioribus induti vestibus, quam plebei, modo vestes non sint extra modum conditionis, & animus careat vanitate, id est, intendatur solum auctoritas, quam Deus iis largitus est, & non sui gloria.

CASUS II.

ALEXIS Sacris Ordinibus initiatus, & Beneficiatus, quærit si consueta induta veste brevi ad majus commodum, sat præstet mandatum Concilii Trident. cui non distinguenti vestem talarem, aut breviorem, sat est imponere Beneficiariis & aliis in Ordinibus majoribus constitutis, usum continuum vestis Clericalis. Confessarius, quem Alexis severiorem autumat hac in re, ei nunciavit se negaturum absolutionem, si pergeret in usu vestis brevioris.

Causatur 1. quia vestis censetur Clericalis, quando sat distinguitur a Laicali, tum colore, cum forma. 2. Exemplum notum plurium Clericorum moribus compositorum, pallio breviori & tunicula consuetis indutorum, quibus alii religionem non injiciunt, nec ipsi habent religioni. Nonne potest absque peccato eos imitari?

RESPONS.

Antequam huic difficultati fiat satis, non abs re observavimus in quatuor primis Ecclesiæ sæculis vestem Clericalem non differre a Laicali, quia ut in persecutionib. continuis in quib. Ethnici erant, præsertim Pastoribus & Clero, multum conferebat, ne facile dignoscerentur: & hæc consuetudo adhuc vigebat an. 428. ut patet ex epistola quam Cœlestinus I. scripsit 26. Julii ejusdem anni ad Episcopos Provinciarum Viennensis & Narbonensis, in quibus Clerus primum secernebatur a Laicis veste: quod hic Pontifex vitio vertit, dicens, Clericos non distingui a vulgo Fidelium veste, sed solum scientia, doctrina, & sanctitate vitæ, & hanc novitatem, positam tantum in cingulo & pallio, injuriam facere antiquis Patribus, & primis Ecclesiæ Pastoribus. En ejus verba (g): *Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste: conversatione, non habitu: mentis puritate, non cultu; nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus.*

(g) Cœlestin. I. Epist. 2. ad Episc. &c.

Nihilominus hæc epistola non fuit obstaculo; quin hæc recens consuetudo irrepserit, & generali usu

usu fuerit recepta in Gallia, ut patet ex Concilio Agathensi, a Sancto Cesario, Arelatensi Archiepiscopo, & a 35. Episcopis habito an. 506. sedente Pontifice Symmacho, ;& ultimo imperii Alarici, Gothorum Regis Arriani, anno. *Clerici*, inquiunt Patres hujus Concilii... (a) *vestimenta etiam vel calceamenta eis, nisi quæ religionem deceant uti, aut habere non liceat*. Quod interdictum objicit vestem sæcularem & laicalem, ut clara est mens Concilii Matisconensis I. an. 581. coacti Pelagio II. Pontifice (b).

(a) Concil. Agath. can. 20.

(b) Concil. Matiscon. I. can. 5.

Cæteræ omnes Ecclesiæ, tum Occidentales, cum Orientales, illico observarunt eamdem consuetudinem, ut liquet ex Concilio Constantinopolitano, nomine *Trullano*, an. 692. habito, quod suspensos dicit Clericos veste laicali ornatos, sive in urbe, sive rure. En decretum (c): *Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, atque in civitate degens, neque iter ingrediens; sed utatur vestibus, quæ iis, qui in Clerum relati sunt, attributæ fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur*. Eadem fere hujus Decreti verba refert Gratian. (d).

(c) Concil. in Trullo can. 27.

(d) Canon. Nullus 2. 21. q. 4.

Hac ergo consuetudine generali permultis innixa Canonibus, dicimus, ut fiat casui proposito satis, Clericum quemvis, ut Alexin, Ordinibus sacris initiatum, & beneficiatum, certo teneri usu continuo vestis talaris, id est, tunicæ, pœna peccati. Nam, ut habet Concilium Trident. (e), licet ex veste non dignoscatur Monachus, omnes Clerici teneutur tamen usu continuo vestis Ordini congruentis, ut probitatem morum præ se ferat vestis: *Quia vero etsi habitus non facit Monachum: oportet tamen Clericos vestes proprio convenientes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant*. Hæc verba istius S. Concilii, subjungentis, Clericos quosque, qui Sacris initiati Ordinibus, aut quodam gaudentes beneficio huic non obedient Decreto, nec veste induentur suo conveniente statui, juxta modum ab Episcopo præscriptum, coactum iri, prima vice, Ordinis sui interdictione, & privatione redditutum Beneficio annexorum, & si inobedientes permaneant, privatione ipsorum Beneficiorum: *Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ*, adduut Patres hujus Concilii, *quæ in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut Beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini, & dignitati congruentem, & juxta Episcopi ordinationem & mandatum, non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio & Beneficio, ac fructibus, redditibus & proventibus ipsorum Beneficiorum: nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi coerceri possint, & debeant*.

(e) Concil. Trid. sess. 14. de refor. c. 6.

Apprime hoc Decretum concordat statui veterum Conciliorum; & Pontifex Zacharias in alio Concilio, Romæ an. 743. collecto, solum excipit casum, quo quis longum compelleretur habere iter (f): *Præter si in itinere longo ambulaverit*.

(f) Zachar. in can. Episcopi 3. ib.

En verum adeo invicte firmatum, ut sit extra controversiæ aleam positum. Sed superest difficultas elucidanda, nempe, si verba, *vestis congruens*, quibus utitur Concilium Tridentinum, denotent *vestem talarem*, exclusa veste breviore: & de eo non est dubium, saltem de tunica, ad talos usque demissa, ut jam jam demonstramus.

Primum, sic Pontifices Summi, Concilio Trid. posteriores, significarunt, ut patet ex nonagesima secunda Bulla Sixti V. 9. Januarii 1589. (g), in qua hic Pontifex mandat omnibus in Ordinibus Sacris constitutis, imo simplici Tonsura Clericali insignitis, quodam gaudentibus Beneficio, aut quadam pensione Clericali annua, quavis immunitatem, quodve privilegium obtendant ob usum Tonsuræ, & vestis Clericalis, id est, subjungit Pontifex, tunicam ad talos usque demissam, pœna privationis *ipso facto* Beneficiorum suorum aut pensionum, sine prævio ullo monito, aut judicio juridico. En ipsa hujus Bullæ verba: „ Hac nostra perpetuo valitura Constitutione præcipimus, & mandamus „ omnibus & quibuscumque Clericis, non solum „ in sacris, sed etiam in aliis minoribus Ordinibus constitutis, & Clericali Tonsura insignitis: „ & nedum Ecclesiastica Beneficia qualiacumque, „ etiam simplicia nunc & pro tempore obtinentibus .... verum etiam pensiones .... ex quacumque „ concessione, leu dispensatione Apostolica percipientibus .... ut ipsi, & eorum quilibet, quamtumvis exempti existant, & quovis privilegio, „ vel immunitate gaudeant .... Tonsuram & habitum Clericalem, vestes scilicet talares, quacumque dilatione aut tergiversatione postposita, debeant omnino .... assumere, & jugiter deferre .... „ alioquin ipsos & ipsorum quemlibet, qui quoad „ gestandum habitum Clericalem ... non obediverint; præter alias pœnas contra eos inflictas, „ quibuscumque ... Ecclesiasticis beneficiis, etiam „ simplicibus ... necnon pensionibus ... harum serie „ ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine privamus, ac sine ulla alia „ monitione, citatione, judicis decreto, ac ministerio *ipso facto* privatos declaramus.

(g) Sixtus V. in Bulla cum Sacrosanctum §. 2. & 5.

S. Carolus Borromæus eadem ratione interpretatur verba Concilii, dicens, vestitum Clericalem designare vestem simplicem ad talos usque demissam. En sermonem primæ Synodi Provincialis, quam habuit Mediolani, statim post Concilium Trident. finitum (h): *Externa vestis simplex, et talaris erit*. Sed quia dicere quis posset vestem *externam* denotare pallium, non tunicam, hic Sanctus Præsul subjungit vestem internam longitudine æquare externam .... *Interior ejusdem generis ad talos demittatur*. Rursus idem in secunda Synodo, in eadem urbe Mediolano habita, mense Junio an 1571. declarat, in qua dicit non indui tunica per longus tempus, peccatum esse gravissimum, sibi servans ipse absolutionem, ut eum postea secutus est Archiepiscopus Vesuntinus. Hæc ejus verba (i): *Cum ad populi Christiani disciplinam & religionem conservandam sanctissimorum Patrum statutis & multorum Conciliorum decretis, tam Trident. Concilio perpetuoque universæ Ecclesiæ usu & consuetudine illud observandum sit, ut quæ graviora essent peccata, non a quibusvis sacerdotibus, sed ab Episcopis solum absolverentur: Nos propterea quorumdam graviorum casuum absolutionem nobis reservavimus, eosque una cum illis quos Concilio nostro Provinciali nobis item reservavimus, hoc Decreto infra ordine quodam descriptos explicari & promulgari volumus, &c. qui Clerici, item quævis Ecclesiastica Beneficia obtinentes, habitum Clericalem non induant*.

(h) S. Carol. Borrom. Const. part. 1. tit. de Clericis vestitu &c.

(i) Idem in 2. Synodo Decreto 18.

Ex hoc patet statuto istud peccatum a Cardinali Sancto censeri gravissimum; quum accenseat iis, quorum absolutionem sibi servat. Et ut ostendat hæc verba, *habitum clericalem non induunt*, denotare tunicam, & excludere tuniculam, in eadem Synodo declarat se permittere usum vestis brevioris Clericis, iter facientibus & certa lege. 1. Vestem esse decentem, & aperte eos secernere a Laicis. 2. Postquam venerint ad locum optatum, indui tunica, aliquamdiu morantes (K): *Clericis iter habentibus*, inquit, *quævis vestita contractiori uti licet: at decentem tamen illam, atque ejusmodi esse oportet, ex quo eos esse Ecclesiastici ordinis homines agnosci facile possit. Cum vero eo ... venerint, quo pervenire contendunt; etiamsi locus non sit in nostra Diœcesis finibus, talarem togam .... induant*. Unde concludendum, si ob viarum asperitatem uti liceat tunicula rure, non eamdem esse rationem sedis consuetæ; quum idem causari nequeat, & hæc exceptio singularis firmet interdictum generale, juxta hoc commune effatum: *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis* (l).

(K) Idem ib. Decreto 20.

(l) Authentica de non alienandis, aut permutandis rebus Ecclesiast. &c §. & notam. Et ibi Gloss.

Idem habent plura Concilia Gallica, post Tridentinum Concilium coacta: & ex iis Senonense; Parisiis ann. 1528. habitum, Pontifice Clemente VII. sedente, quod, agens de Clericis, in majoribus Ordinibus constitutis, aut Beneficiariis, habet (m) ut Burdigalense ann. 1583.

(m) Concil Senonen. in Decre. o morum art. 14.

(n) Ve-

(*a*) *Vestes eorum sint talares*. Habet etiam Concilium Bituricense, anno proxime sequuto coactum (*b*): *Clerici omnes tonsuram gerant...... vestibus talaribus utantur*. Concilium Burdigalense, an. 1624. (*c*) firmat statutum Concilii ann. 1583. & graviores apponit pœnas, potissimum Beneficio non gaudentibus inhabilitatem futuram eo fruendi.

(*a*) Conc. Burdigal. Jan. 1583. tit. 25. (*b*) Conc. Bitur. an. 1584. de Cleric. tit. 35. can. 2. (*c*) Concil. Burdigal. an. 1624. c. 13.

Ea mens Sixti V. Sancti Caroli & quatuor Synodorum Provincialium laudatarum absolute consentit veteri Concilio an. 572. collecto, cujus Decretum narrat Gratianus his verbis (*d*): *Nec oportet Clericos comam nutrire & ministrare; sed attonso capite, patentibus auribus & secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ornato*.

(*d*) Can. non liceat 32. Dist. 23.

Tot auctoritatibus adeo claris & tanti momenti, non putamus posse peccato purgari eos qui *in sacris* & Beneficiis fruentes consuescunt indui tunicula; sed contra posse a proprio loci Episcopo compelli ut tunicam induant; & si pervicaces velint induere tuniculam & pallium brevius, posse merito addici pœnis, memoratis in Constitutione Sixti V. in prima & secunda Synodis Burdigalensibus, & in pluribus aliis.

Nec juvat objicere, ut Alexis in quæsito proposito, consuetudinem oppositam quorumdam Clericorum, minus eruditorum in hoc disciplinæ articulo. Nam, quandoquidem lex & ratio præstent mala consuetudine, ut habet Canon (*e*): *Pravum usum lex & ratio vincat*; nulla est habenda ratio primi obtentus, hac consuetudine prorsus aliena a regulis Ecclesiæ. *Consuetudo*, ait Innocentius III. ad Episcopum scribens Pictaviensem (*f*), *quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti*: his conveniunt verba Concilii Toletani IV. (*g*): *Perniciosa consuetudo nequaquam est recipienda, quæ majorum statuta præteriens, omnem Ecclesiæ ordinem perturbat*. Concilium Tridentinum (*h*) jubet veteres consuetudines, quæ exoleverunt circa vitam & mores Clericorum, illico restitui. *Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse comperierint* (Episcopi) *ea quam primum in usum revocari & ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque*.

(*e*) Isidor. in can. usus 2. Dist. 11. (*f*) Inn. III. in cap. ad nostram. 3. de consuetud. Lib. 1. tit. 4. (*g*) Concil. Tolet. IV. c. 19. (*h*) Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de refor.

Minus juvat quod quidam dicunt Clerici, quorum meminit Sanctus Bernardus (*i*), scilicet; Deum respicere bonos mores, non vestitum: *Solent dicere: num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus?* Nam, ut ait Sanctus, deformitas vestis exterioris est indicium pravitatis internæ. *At forma hæc vestium, deformitatis mentium & morum indicium est*: hique sunt Clerici ad sui commodum; & sæpe eo sunt indigni nomine. *Quid sibi vult*, subjungit hic Sanctus, *quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempe, habitu, milites; quæstu, Clerici; actu, neutrum*.

(*i*) S. Bernar. l. 3. de considerat. c. 5.

Non arbitramur tamen peccatum induentis tuniculam æque esse grave, ac illorum, quorum Tridentinum meminit Concilium (*K*), qui induunt *vestes... publice Laicales*. Nam asseri nequit tuniculam & pallium brevius esse *vestem publice Laicalem*; quum Laici hunc non induunt vestitum; & contra asseri potest breviorem vestem *proprio Clericorum ordini & dignitati congruere*; & cum Concilio vocari, *honestum habitum Clericalem... ordini & dignitati congruentem*, aliquibus in circumstantiis, ut iter faciendo & laborando manu domi. Extra hos casus nequit usus probari; quum Ecclesia illum manifeste damnet & interdicat gravioribus pœnis.

(*k*) Concil. Trid. sess. 14. cit. c. 6. de reform.

Cœterum admodum a ratione alienum est dicere, peccatum induentium, pro tunica, vestem breviorem, videri levissimum; ac proinde non argui merito censuris, pœnis soli peccato mortali annexis. Nam non tam respicienda est res ipsa, quam finis, quem Ecclesia habet jubendo aut prohibendo. Hoc manifestat interdictum Adamo indictum a Deo ne ederet fructum: nam nihil levius videbatur re ipsa, sed nihil majus fine Dei, qui intendebat hominis obedientiam & obsequium. Quapropter licet Adamus credidisset peccatum esse leve & culpam venialem, nihilominus maximi reus fuit peccati. *Inexpertus divinæ severitatis* (Adam) *in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum*, ait Sanctus Augustinus. (*l*) Item dicendum licet minus discrimen inter tunicam & tuniculam possit in animum inducere rem non esse grandem in se; & violationem præcepti esse culpam levem; tamen sic non judicandum, si attendatur finis Conciliorum & Pontificum, mandantium usum tunicæ, & vetantium tuniculæ usum: cum Ecclesia voluerit, ut hæc vestis esset indicium exterius dignitatis Clericalis, & symbolum sanctitatis, modestiæ, sapientiæ & proborum morum, quibus a plebe dignoscatur Clericus: *ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant*, ut dicunt Patres Concilii Tridentini. Quapropter Episcopi peculiari studio interdixerunt semper vestem breviorem Beneficiariis & in Sacris Ordinibus constitutis. Auctor Colloquiorum Vesuntinorum indicat interdictum, ab ultima illius Diœcesis Synodo latum sæpissime repetitum a præcedentibus Synodis, præsertim ann. 1599. 1600. 1631. 1658. 1663. 1673. 1674. & 1697. (*m*) Huic fundamento innixus doctus Theologus (*n*) consultus num Beneficiarius de duobus provisus Sacellis 400. aut 500. Librarum reditus, teneretur togam induere talarem, & tonsura insigniri, sub pœna peccati mortalis, respondet affirmative, & excipit alibi (*o*) Parochos rurales, qui ipso Judice induunt tuniculam, domi, solum quum ipsorum Episcopus nullum promulgavit statutum prohibitorium.

(*l*) S. Aug. l. 14. de Civit. Dei c. 11. n. 1. (*m*) Colloq. Vesunt. to. 2. Colloq. 3. art. 1. (*n*) De Sainte Beuve to. 3. Cas. 47. (*o*) Idem lib. Cas. 43.

CASUS III.

THEODULPHUS Archiepiscopus Ulyssipponensis, cum mandasset statuto Synodali omnibus Clericis Diœcesanis, in Sacris Ordinibus constitutis, aut Beneficiariis, ut continuo tunicam & pallium talaria induerent in urbibus & oppidis sedis ipsorum: Hyacynthus, Cathedralis Præcentor, cui est jurisdictio exterior in urbe, suburbiis, & primo lapide civitatis primariæ in Diœcesi, ipsi a Theodulphi prædecessoribus concessa, aliud emisit statutum, quo Clericis, suæ subjacentibus jurisdictioni, permittit usum tuniculæ, pallio talari opertæ: in urbe; Jacobus, Clericus, sic indutus continuo incedit, persuasus sibi licere vi statuti a Superiore immediato lati. 1. Potestne absque peccato? 2. Num Præcentor potuit hoc edere statutum, illæsa conscientia?

RESPONSIO.

Jacobus sine peccato sic induere nequit tuniculam, pallio talari tectam, in urbe contra manifestum Archiepiscopi interdictum, obtendens statutum ab Ecclesiæ Cathedralis Præcentore editum, hoc statuto perverso, inobedientiam non purgante peccati (*p*). Hoc probatur duobus argumentis plausibilibus. Primum: quia jurisdictio huic Præcentori concessa fuit, ut Antistitem juvaret in regenda Diœcesi, non in ejus statutis rescindendis aut debilitandis, statutis contrariis, & infamia in Archiepiscopum inferenda. Secundum: quia hic Præcentor eo majori est vituperio dignus, quo statutum suum a mente Ecclesiæ & Sanctorum Canonum, a multis Conciliis latorum, est alienius, & contra Archiepiscopi statutum iis prorsus congruit. Hic igitur Præcentor sua abusus est jurisdictione, & eam perdere meruit, juxta hoc Innocentii III. effatum. (*q*): *Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate*.

(*p*) De Sainte Beuve to. 3. Cas. 46. (*q*) Inn. III. in c. licet. 18. regular. & transeunt. ad relig. lib. 3. t. 31.

Confirmatur hæc decisio Decretali quæ Leoni IV. tribuitur (*r*), qui dicit, illegitimum esse Decretum aut statutum, ab Archipresbytero latum, Episcopi statuto oppositum. *Sicut ipse* (Episcopus) *matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet Ecclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen referant ad Episcopum, ne aliquid contra ejus Decretum ordinare præsumant*. Hæc verba Decretalis; unde *a simili* concludendum, Cantori Ecclesiæ Episcopalis nullam esse facultatem

(*r*) Leo Papa IV. in c. ut singulæ fin. de officio Archipresbyteri lib. 1. tit. 24.

tem quicquam ſtatuendi contra auctoritatem & ſtatuta Epiſcopi.

CASUS IV.

Flavius, Sacerdos Diœceſis Mediolauenſis, iter e loco natal tio Romam habens, & indutus tunicula in itinere, ſæpe Miſſam celebravit in Eccleſiis obviis ſine tunica talari. Scrupulus ipſi injicitur, quod ipſi non licuerit ſine graviſſimo peccato. Sed cauſatur quod Sanctus Carolus in ſecunda Synodo, an. 1571. habita, permittit uſum tuniculæ in itinere; ac proinde conjiciendum eſt intendiſſe licentiam celebrandi ſine tunica talari eo in caſu. Num ejus purgatio eſt legitima, & nonne peccavit?

RESPONS.

Certum eſt Flavio iter habenti non licuiſſe abſque peccato celebrare Sacram Miſſam cum tunicula: & ratio, quam cauſatur, nullo modo defendi poteſt. Nam quamvis Sanctus Carolus permiſerit in itinere uſum tuniculæ, non ſequitur eum voluiſſe eamdem concedere licentiam ad celebrationem Miſſæ: quia in itinere permiſit ob aſperitatem viarum: cui nullus eſt omnino locus ad celebrandum Sacrum Sacrificium. Id etiam ſtricte interdicit Rubrica Miſſalis Romani, quod habet (a): *Sacerdos celebret veſtibus ſibi convenientibus, quarum exterior ſaltem talum pedis attingat*. Idem præſcribit Synodus Amalphitana, an. 1639. habita (b) quæ hoc habet ſtatutum: *Clerici omnes, ac Sacerdotes, præſertim in Miſſarum celebratione veſtibus talaribus utantur*. Synodus Florentina an. 1645. interdicit omnibus Parochis, Superioribus, & Sacriſtis Eccleſiæ ne patiantur unquam ullum Sacerdotem celebrare ſine tunica talari (c), *Præcipimus omnibus Sacriſtis & Rectoribus .... ne in poſterum audeant admittere ullum Sacerdotem ad celebrandam Miſſam, qui non ſit in habitu talari* (d). Hæc ſtatuta conſentiunt veteri Canoni (e), cujus verba laudavimus in ſecunda deciſione.

(a) Rubric. Miſſal. Rom. de præparat. Sacerdot. celebraturi.
(b) Synod. Amalphitana an. 1639.
(c) Synod. Florentin. an. 1645.
(d) P. de Genet. Theol. mor. to. 2. tr. 1. c. 9. n. 5.
(e) Cit. can. non liceat 32. Diſt. 23.

Tandem Eminentiſſimus Cardinalis a Noilles, Archiepiſcopus Pariſienſis, patefecit peccatum eſſe graviſſimum; quum ſuſpenſos denunciet delinquentes: *Interdicimus muneris obeundi interdictione, ipſo facto, omnibus Sacerdotibus ne celebrent Miſſam ſine tunica talari, imo in itinere* (f). Hæc verba quarti ſtatuti Synodalis.

(f) Statut. Synod. Diœceſ. Pariſ. edita 26. Septemb. ann. 1626. art. 4.

CASUS V.

Gilberta, Argentorato profectura Pariſios ad cernendam hæreditatem, quæ ipſi obtigerat, & timens ne incideret in militum, in Alſatia commorantium, poteſtatem, cultum induit virilem, & iter fecit veſte ruſtica induta. Nonne in hoc peccavit?

RESPONS.

Peccati damnari nequit Gilberta in propoſito. Nam Sanctus Thomas (g) poſtquam damnaviſſet peccati mulieres, contra conſuetudinem uſu generali receptam, virilem induentes cultum, dicit ipſis licere juſta ex cauſa, nempe ad pudicitiam ſervandam tutam adverſus periculum illis imminens ob veſtes muliebres, aut defectu alterius veſtis: addi poteſt illis licere alienam mentiri formam ſexus, cum ſervanda eſt libertas, aut vita ſua, aut proximi vita. *Poteſt tamen*, ait Doctor Angelicus, *quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquod aliud hujuſmodi*.

(g) S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3.

VETERANUS.

Dicitur VETERANUS forenſis ille Miniſter, qui per ſpatium temporis Edictis præſcriptum, quod eſt annorum viginti, munus ſuum obiit; quique conſequenter ad præſtitum ſuum munus obtinuit de Franciæ Cancellarii juridiciali prætorio, ſibi litteras expediri, quibus ſit fides exhibiti ab eo miniſterii in Munere, quo fuit inſignitus, & eidem ea de cauſa vindicantur omnes honoris gradus, jura honoraria, privilegiaque, quibus gaudebat, cum illo munere fungebatur: Quod deveniſſe videtur ab antiquo jure Romano, in quo plurimis in locis tum Digeſti, tum Codicis (h) habetur mentio de veteranis militibus, qui poſt ſtipendium annorum viginti iiſdem privilegiis donabantur, quibus gaudebant ipſi etiam, qui ſub vexillis Reipublicæ etiamnum arma gerebant; & in quo ſermo fit de illis honorum gradibus privilegiorumque prærogativis, quæ poſt certum quoddam temporis ſpatium Profeſſoribus Grammatices, Philoſophiæ, ac ſcientiæ Juris concedi, Theodoſius atque Valentinianus conſtituerunt (i).

(h) Lib. 38. ff. tit. 2. & Lib. 49. tit. 19. C. lib. 10. tit. 54. & 15. Et lib. 12. tit. 47. C. Theodos. lib. 7. tit. 20. & 22.

(i) L. Grammatices unica C. de Profeſſor. qui in urbe Conſtantinop. &c. l. 35. tit. 15.

Quædam ſunt judiciaria munera in Provinciis Gallici Regni, quæ miniſterium exigunt per ſpatium longioris temporis, quam annorum viginti, adimplendum: verum penes eſt ipſum Regem veterani Litteras indulgere, cui libuerit, & quandocumque ei placuerit.

Judex veteranus poteſt judicio de Litibus occurrentibus ferendo intereſſe, ibidemque jure gaudere ſuffragii, qua ratione antea jus iſtud ei competebat: verum facultatis non habet prærogativam, eidem præſidendi; propterea quod munus jam non obtineat Magiſtratus.

CASUS PRIMUS.

Ariſtobolus, poſtquam per annos jam decem & novem judiciarium munus quoddam ſuſtinuit, tandem agnoſcit, ſeſe obeundi muneris ejuſmodi prorſus imperitum eſſe, quippe qui ſeſe deſtitutum experiatur ſufficienti ſcientia, qua opus eſt, ut Judicis officia rite perficiat: atque jam animo deſtinavit, ipſo vel etiam ejus Confeſſario plurimum ſuadente, penitus abdicare Magiſtratum. Quoniam vero jus iſtud devolvitur ad Judiciarium forenſemque Miniſtrum, ut; poſtquam per annos viginti miniſterium ſuum præſtitit, poſſit ſibi Litteras veterani quærere: atque aliunde plurimum ſervit ipſius commodis, quod Rex conſuevit concedere ejuſmodi privilegium, tum quia eodem donatos, immunes vindicat a vectigalibus perſolvendis, tum propter honoris gradus, cæteraſque prærogativas, quæ eidem annectuntur, omnino peropta-

roptaret; per unum adhuc annum, quo insignitur, Magistratum retinere, ut, quod, ad illud privilegium consequendum, definitur, integrum temporis spatium perficiat. Num ad prædictum usque tempus potest in exercendo suo munere tuta conscientia perseverare?

RESPONS.

Modo non ex levi, temereque concepto scrupulo sese sentiat Aristobolus gerendi muneris, quod sustinet, imperitum, sed revera sit ad illud exercendum omnino mancus atque ineptus, certissimum est, ei nollatenus licere, illud idem per unum adhuc annum sibi retinere sub prætextu temporis illius spatii complendi, per quod necesse est munus istud obiri, quo jus detur, ad consequendum Veterani privilegium. Ratio est: 1. Quod nullus debeat retinere perseverantiam moneris vel officii alicujus exequendi, nec illius vitæ status aut conditionis transigendorum, nisi possit, quæ iisdem annectuntur, officiis persungi: quæ quidem veritas etiam jure potiori locum obtinet quantum ad judiciarium munus, quo fortunæ honor, & ipsa vita privatorum hominum sæpe sæpius committuntur illius judicio, qui eodem fulget atque insignitur, quique, vel ex imperitia, vel ex improbitate, potest in eos errores incidere, quibus nullum adhiberi queat r-me ium, quorum tamen periculo ultro lete facit obnoxium, pergendo munus illud exercere: Quod proinde ei non licet nisi cum peccato exequi, secundum illud sapientis (a): *Qui amat periculum, in illo peribit*. 2. Quia privilegium veterani, & titulus ille, quem confert, honorarii Ministri, nonnisi iis debentur, qui per annos viginti completos ex præstita bona opera tum de Rege, tum de Publico fuerunt optime meriti; non iis vero, qui sunt imperiti gerendorum suorum munerum, atque iisdem consequenter prorsus indigni; Cum privilegium ejusmodi non sit a Principe constitutum, nisi tanquam justum veri meriti præmium (b).

(a) Eccl. 3. 27.

(b) Samb. to. 2. cas. 140.

VIATICUM.

Vide COMMUNIO.

VICARIUS.

LICET prædicta vox usurpetur aliquando pro significandis variis officiis, vel functionibus; nihilominus hæc vulgaris est notio vocis, *Vicarius*, ut is intelligatur, qui functiones peragit Pastorales, vel Ecclesiasticas illius Vices, cui naturali quadam officii vel obligationis ratione eædem incumbunt: Atque ejusmodi sunt Generalis Vicarius Episcopi, & qui Vicarius adjungitur alicui Parocho, quorum Prior quidem Vice sui Prælati, quæ spectant ad voluntariam jurisdictionem, in tota passim Diœcesi functiones exercet, quomodo Officialis, qui Jure dicitur etiam *Vicarius Episcopi*, ea, quæ pertinent ad Jurisdictionem contentiosam, exequitur. Posterior vero Parochialia munera, vel absente Parocho, vel loco ac nomine Parochi, adimplet.

In quemcumque tantummodo sensum accipimus eo loci vocem, *Vicarius*, Neque enim igitur in præsenti titulo de usu, ad quem accommodatur eadem nominis appellatio, nec de dignitate Vicarii, qua tum apud Carthusianos, tum apud Fratres minores, seu Funeligatos gallice *Cordeliers*, Reccollectos, Capucinos, Minimos, atque quosdam alios Religiosos Ordines, is insigniri solet, qui Superioris Ordinarii absentis personam gerit ac repræsentat, viceque illius atque nomine authoritatem supplet & functiones exequitur: Neque etiam magis animo intendimus de Principibus loqui, aut de aliis Magnatibus sæcularibus, qui sibi nomen sumunt Vicariorum Imperii, nec de iis, quos Imperator nominat ac proponit tam in Italia, quam in aliis locis suos Vicarios.

Distinguitur duplex genus Vicariorum. Eorum nempe, qui ad certum dumtaxat tempus instituuntur; hoc est, ad illius nutum præficiuntur, a quo potestatem suam receperunt, qualis est Generalis alicujus Prælati Vicarius, aut Vicarius alicujus Parochi Alii vero perpetui sunt; atque ex Canonico titulo, quo nullatenus revocari possunt, instituuntur.

Juxta Edictum Blesense, (c) nullus valet institui generalis alicujus Episcopi Vicarius, nisi fuerit tum Sacerdos, tum Graduatus, neque ulla bona habere conductitia, quæ sint ipsius Prælati, ut fertur in eodem Edicto, quo, quantum ad eam rem, Edictum Aurelianense confirmatur (d).

(c) Art. 45.

(d) Art. 43.

Præterea necessario requiritur, ut Vicarius generalis ex ipso Regno sit oriundus, nequaquam autem alienigena; ut præscribitur Edicto Henrici II. dato Villieri, Costreti mense Septembris 1554. cujus auctoritas fuit a supremo Senatu 8. Octobris sequentis comprobata; ad idque etiam compelli potest Episcopus traditis in custodiam Regiam reditibus ipsius temporalibus: qua de re consuli possunt Cleri Gallicani Commentaria (e). Atque secundum prædictam Jurisprudentiam Parlamentum Provinciale jussit Arresto primi Decembris

(e) Commentarios: Cl. to. 1. p. 1. pag. 157 & to. 3. p. 1. pag. 301.

Digitized by Google

bris 1597. ut Avenionensis Archiepiscopus teneretur instituere in Provincia; quantum ad Episcopatus Comitatus Avenionensis, Vicarios Generales, atque Officiales, qui forent Indigenæ Franci (*a*).

Omnes Vicarii generales Prælatorum, qui ex litteris, quo præficiuntur Vicarii, potestatem habent specialem, ac conceptis verbis expressam præsentandi ad Beneficia, aut ad eadem nominandi, necessario debent easdem in publicas tabulas Ecclesiasticas referendas curare, quemadmodum fertur in Commentariis Gallicani Cleri (*b*): Et necesse est prædictis Litteris a testibus duobus subscribi.

Quod pertinet ad Vicarios, qui perpetui dicuntur; suam primam institutionem a Concilio Lateranensi quarto receperunt, quo constitutum fuit, ut in locum Vicariorum revocabilium perpetui deinceps sufficerentur ex institutione Canonica in omnibus Beneficiis, quibus cura animarum annectitur, nequidem iis exceptis, quæ alicui Monasterio forent alligata (*c*): Quod quidem statutum prudentissimorum Patrum Laudati Concilii fuit innovatum, atque suam plane obtinuit executionem ex Edicto, quod Galliarum Rex dedit Versaliarum 29. Januarii 1686 quodque fuit in tabulas Supremi Senatus 11. Februarii sequentis relatum.

Quod attinet ad alios Vicarios revocabiles, pertinet ad proprium locorum Episcopum judicare, an eosdem necesse sit in Curis instituere (*d*)?

Nominatio prædictorum Vicariorum non proprii juris est primariorum Parochorum, sed solius perpetui Vicarii (*e*).

Cum præsenti materia conjunguntur etiam quædam alia principia, quæ in hujusce tituli decursu sese Lectoribus offerent.

(*a*) Bonifac. to. 3. l. 5. tit. 7. c. 1. & probat. de Immunit. Ecclef. Gal. to. 2. c. 30. n. 4.

(*b*) Commentar Cl. to. 1. part. 1. p. 162. n. 6.

(*c*) Ibid. to. 1. part. 1. p. 200. & seqq. & p. 496. n. 24. & to. 2. part. 2. p. 922. & seqq.

(*d*) Ibid. to. 2. part. 2. 319.

(*e*) Attestor. Catelan. l. 2. c. 10.

CASUS PRIMUS.

CLAUDIANUS, Episcopus Oloronensis, cum, rerum causa pertinentium ad suam Ecclesiam, Parisiorum etiamnum consisteret, accepit, jamjam obiisse Vicarum suum Generalem: qua de re scripsit ad Georgium Parisiensem Doctorem; eique mandavit, id animo suo destinatum esse, ut cum in locum defuncti sufficiendum eligeret; atque a se ei conferri omnes facultates ordinarias Vicarii Generalis; nequidem excepta potestate conferendi Beneficia, quorum vacatio fortasse posset occurrere per illud temporis reliquum, per quod obligaretur, ad commorandum Parisiorum; quibus addidit, futurum, ut ad ipsum sine mora mitteret Literas, quibus eum Vicarium suum Generalem institueret: Post duos aut tres a receptis a Georgio litteris Claudiani, cum Cura Sanctæ Apolloniæ per obitum vacavisset; Gerbertus Dominus Parœciæ & Præsentator prædicti Beneficii, nominavit ad eamdem, Bertinum suum consanguineum; Georgius vero ratus est, sibi sufficientem accessisse potestatem, qua valeret tum Gerberti præsentationem admittere, tum Bertino de præfata Cura providere, ratione scilicet novæ suæ dignitatis Vicarii Generalis, & eidem adjecti ab Episcopo juris conferendi Beneficia. Numquid non fuit Bertino, canonice, vel saltem valide provisum; ac potissimum, quantum ad forum conscientiæ, juxta vulgare, quod passim obtinet, istud effatum: *Verbo fit gratia*?

RESPONSIO.

Constat, collationem seu provisionem, quam Bertino Georgius concessit, nequidem in foro interiori valere, neque ulla ratione esse canonicam. Ratio est, quod Episcopus nequaquam possit, nec viva voce, nec missis litteris ullum instituere Vicarium Generalem; sed necessario oporteat, ut eum Vicarium Generalem præficiat ex litteris, quæ juxta formulas requisitas expediantur, hoc est, quibus tum ipse propria manu, tum duo testes cum eo subscripserint; & instrumentum prædictarum litterarum fuerit saltem relatum in tabulas Ecclesiasticas Diœcesis. Alioquin Instrumentum foret omnino nullum, atque ex quodam quasi necessario consectario inde quoque fieret prorsus irritum, quidquid vi ejusdem instrumenti functionum exerceret ille, qui fuisset illa ratione Vicarius Generalis institutus.

Atque ea est Disciplina, quæ passim in Gallia frequentatur, secundum dispositionem Edicti mensis Decembris 1691. „ Potestates Vicariorum, „ ait citatum Edictum (*f*), nullum poterunt effectum consequi, neque jure earumdem ulla nominatio, seu Collatio poterit præstari, donec „ in tabulas Diœcesis relatæ eædem fuerint, in „ qua consistit ac ponitur locus princeps Prælaturum, Capitulorum, atque Dignitatum, e „ quibus Beneficia pendent.

Quum igitur id sibi Georgius sumpserit, ut provisiones Curæ Sanctæ Apolloniæ conferret vi simplicis Epistolæ, quæ ad eum missa fuerat, quamque nonnisi ut internuntiam habere debebat, & nondum esset ex litteris institutus Vicarius Generalis; necesse est, ab eo corrigi, quod perperam actum est, conferendo nimirum novas alias provisiones, statim atque fuerit ex litteris juxta præscriptas formas expeditis institutus; & Gerbertum, iterum denuo venire in novam aliam prædicti Beneficii possessionem. Alioquin tutus nequaquam foret, quantum ad conscientiam; quin etiam de ejusdem possessione posset dimoveri vel ab aliquo, qui beneficium idem tanquam caducum impetravisset, aut ab alio, cui fuisset ab Episcopo jam antea collatum. Nec quidquam juvat, quod istud effatum opponatur, *verbo fit gratia*. Nam locum non potest obtinere nisi quantum ad eos casus, in quibus jus non reperitur eidem adversari. Porro, quod inductum est Edicto anni 1691. jus ab eodem penitus alienum est quantum ad casum, de quo quæstio proponitur: adeoque nullius momenti loco hic loci habendum est.

Cæterum quod asseruimus de nova altera provisione a Georgio Gerberto concedenda, sic intelligendum est, modo juxta missas ad eum ab Episcopo Litteras, Literis, quibus fuerit institutus Vicarius Generalis, verbis expressis significetur, atque enuntietur potestas beneficiorum conferendorum, neque aliter; cum generalis potestas regendæ Diœceseos non sufficiat, ut alibi observamus, juxta usum apud Gallos receptum; & Constitutionem Bonifacii VIII. qui fundamentum exceptioni prædictæ præbet ex istis suæ regulæ juris octogesimæ primæ (*g*): *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus*. Quod idem docet Auctor Glossæ in citatam regulam, & probat exemplo quodam deducto ex alia summi Pontificis ejusdem Constitutione, (*h*) in qua fertur, copiam factam ab Episcopo viro alicui privato deponendi suorum peccatorum confessionem apud quemcumque sibi libuerit

(*f*) Edict. 1691. &c.

(*g*) Bonif. VIII. in Reg. 81. de Reg. Jur. in 6.

(*h*) Idem in c. si Episcopus 2. de pœnit. & remiss. in 6. l. 5. t. 1.

rit Sacerdotem, non intelligendam esse nisi de confessione peccatorum ordinariorum, non vero de eorum confessione, quæ reservantur ipsimet Episcopo, qui non censetur voluisse concedere licentiam ampliorem.

Cujus occasione præsentis decisionis est observandum: 1. juxta citatum Edictum, quando Episcopus vult revocare delegatam Jurisdictionem ac potestates, quas suo Vicario Generali concessit, oportere, easdem scripto revocari: ac revocationis instrumentum ipsimet denuntiari; atque deinde referri in tabulas Ecclesiasticas Diœcesis; quo sic præstito, quidquid a Vicario Generali posset Jurisdictionis exerceri, nullius prorsus fieri nec roboris, nec effectus. Nihilominus existimamus, eo ipso, quod alicui Vicario Generali sua revocatio innotuerit, ei jam non licere quantum ad forum conscientiæ sese ulla ratione immiscere negotiis, quæ pertinent ad regimen Diœceseos, quamquam ipsius instrumentum juxta consuetas formas eidem non fuerit denuntiatum. 2. Institutiones, quæ inscribuntur Officialibus, atque Officialium vices gerentibus, sicut etiam Commissiones Promotorum, atque Tabulariorum Officialitatis scripto quoque esse expediendas ac referendas in tabulas Ecclesiasticas eadem ratione, qua Institutiones Vicariorum Generalium, propter eam scilicet causam, quod Officialis sit Vicarius Episcopi in iis, quæ pertinent ad Jurisdictionem contentiosam; atque referre ad publicam utilitatem, quod appareat, quandonam ejusmodi Ministri instituantur & revocentur. Atque revera quidem ita præscribitur eodem Edicto anni 1691.

CASUS II.

Archiepiscopus Armachanus, cum propter imminentem sibi persecutionis furorem coactus fuisset Hiberniam fugere, ut sese eidem eriperet, Naves conscendit Corke, ut sese in quemdam alium locum tutum inde transferret, postquam Palladium instituit suum Vicarium Generalem: at navis, quam conscenderat, cum capta fuisset ab Algeriensibus Piratis, ipse datus ab iisdem fuit in servitutem. Numquid institutiones Palladio concessæ, ex prædicto infortunii casu solvuntur?

Respons.

Institutio Vicarii Generalis Palladio concessa, non finitur servitute, in quam datus est Armachanus Archiepiscopus.

Ratio est, quia potestas Vicarii Generalis non potest, nisi revocatione ejusdem facta ab Episcopo, aut morte ejusdem Episcopi vel naturali, vel civili: Porro prædictus Archiepiscopus morti civili non est addictus, quamquam servus detineatur a Piratis Turcis; servitus namque, de qua Romanæ Leges faciunt sermonem & quidam Canones loquuntur, non censetur *fictione Juris*, mors civilis, nisi in casibus, quos exprimit Jus; qualis est casus solemnis Professionis Religiosæ (*a*). *Hoc teneas pro Regula*, ait Auctor Glossæ (*b*), *quod in solis illis casibus civilis mors æquiparatur morti naturali, ubi hoc in jure cautum invenitur*. Ex quibus inferendum est, licet proprii nominis servitus mortis civilis rationem referat; non ita censendum esse de servitute, in quam Christiani dantur ex injustitia atque violentia Paganorum, Infidelium, aut Hæreticorum; siquidem ita non enuntietur in jure, neque in nullo Canone. *In Christianis captis a Turcis, vel Saracenis, hoc non obtinet*, ait Fagnanus (*c*), *quia servi capientium minime efficiuntur, nec quantum ad hoc sunt servandæ Leges Romanæ, quæ de captivis apud hostes loquuntur; nec sunt necessariæ fictiones legis Corneliæ & postliminii*. Atque revera ita solidioribus argumentis probatur a celeberrimo quodam Hispano Canonista, (*d*) adversus opinionem Glossæ (*e*). *Opinor, erga Christianos captos a Turcis, vel Saracenis, non esse servandas Leges Romanorum, quæ de captivis apud hostes loquuntur; nec esse necessarias functiones Leges* (*f*) *Corneliæ & postliminii ..... nec enim Reipublicæ Christianæ convenit, præter ipsam captivitatis afflictionem, damnum aliud aut detrimentum Christianis apud Saracenos, aut Turcas, captivis irrogari*. Quæ ipsissima sunt verba laudati Segoviensis Episcopi. Atque ea potissimum de causa, juxta Canones, (*g*) restituendi sunt atque denuo inducendi in possessionem jurium omnium, quibus ante suam servitutem gaudebant.

Geminianus, & cum eo quidam alii contendunt in casu, de quo agitur, Episcopalem jurisdictionem totam devolvi ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis; quamquam ipsa semper remaneat in Episcopo *quoad habitum*, licet ejusdem actu atque exercitio careat, quamdiu sub jugo servitutis detinetur, *donec liberari contigit*, ut loquitur Bonifacius VIII. (*h*) Eadem ergo ratione judicandum est de Episcopo in ejusmodi rei circumstantia constituto, ac de eo, qui foret inhabilis ad suas functiones obeundas, propterea quod vel mente alienatus esset, vel alio quodam oppressus esset ejus generis infortunio; (quam comparationem instituit ipse Fagnanus)(*i*), asserendumque, quemadmodum ex ejusmodi casu non sit sua jurisdictione privatus, ita etiam ab ipsius Vicario Generali posse ejusdem continuari exercitium.

Ergo, sic Fagnanus concludit, (*K*) *similiter, si Prælatus impediatur officium exercere propter captivitatem; non est officio removendum: sed ei dandus est Administrator, vel Vicarius, qui durante captivitate, vices illius suppleat in exercitio jurisdictionis*. Quod plane concordat cum istis egregiis verbis Sancti Gregorii Magni, quæ referuntur a Gratiano: (*l*) *satis perversum & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra quorumdam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab officii, quo fungitur, gradu non dejicit*.

Nihil enimvero videtur nobis ad justitiam charitatemque propius accedere, quam ut ejusmodi Prælatus non interturbetur in possessionem juris, quod ipsius dignitati æque necessario connectitur ac Episcopalis ejus jurisdictio: Siquidem alioquin locus non esset quidquam ea de re negotii eidem facessendi, quin ei nova causa novæ afflictionis, novique doloris ei afferretur, cui quidem rei penitus adversantur ipsa mens atque intentio Ecclesiæ; *Cum .... nec afflictio sit addenda: imo potius ipsius miseriæ miserendum*; quemadmodum habet Innocentius III. scribens ad Arelatensem Archiepiscopum (*m*). Atque propriis oculis ipsi vidimus, nihil obstantibus nec captivitate, nec fuga Cardinalis de Rets Pariensis quondam Archiepiscopi, ab ipsius Generalibus Vicariis administrationem Diœceseos, nemine contradicente fuisse semper continuatam ad ipsam usque diem, qua voluit ipse suæ dignitatis abdicationem in manibus Regis facere: cui exemplo potest memoriæ recentioris aliud subjici, quod habemus in Illustrissimo Quæbekensi Episcopo, qui, cum per mare iret servaturus in ista nominis ejusdem Civitate residentiam, captus fuisset ab Anglis, in Angliam ductus est, ibique captivus per plurimos annos detentus, nequaquam desinentibus ipsius Vicariis Generalibus, quæ pertinent ad jurisdictionem Episcopalem, exercere functiones.

CASUS III.

Povangius Sacerdos, Senator-Clericus in suprema Curia Britanniæ minoris, ut Sorbonicus Doctor, cum summa morum integritate miraque prorsus eorum scientia, quæ pertinent ad res Ecclesiasticas, vir præcellens haberetur, a Bernardo de Fano Sancti Pauli Leonini Episcopo Vicarius ipsius Generalis designatus est. Nonne potest functiones obire, quæ propriæ sunt istius dignitatis?

Respons.

A prædicto Senatore nullatenus possunt functiones Vicarii Generalis exerceri. Ratio est, quod Edictum Blesense (*n*) verbis omnino disertissimis inter-

(*a*) Eugen. in c. placuit 8 16. q. 1

(*b*) Gloss. in D. C. Placuit v. moriens.

(*c*) Fagnan. in c. per tuas 32. de Sim. num. 19 & seqq.

(*d*) Postliminium est jus amissæ rei recuperandæ ab extraneo, & in statum pristin. restaurandæ Leg. Postliminium ff. de captivis & postlimin. reversis.

(*e*) Covar. in reg. peccatum. de reg. jur. in 6. p. 2. v. 11. n. 6.

(*f*) Glossa in c. si Episcop. v. Libertari de suppleand. neglig. Prælat. in 6.

(*g*) S. Greg. in can Pastoral. 47. 7 q. 1. Con. Hispalens. 2. in can. Prima 13. 16. q. 3. S. Leo in can. cum per Bellic. 1. 1. 34. q. 1 & 2. juncta Glossa v. Conjugior. Bonif. VIII. in c. Episcopus 3. de suppl. neglig. Præl. l. 1 t. 8.

(*h*) Bonifac. VIII. in d. c. si Episcopus.

(*i*) Fagnan. in cit. cap. per tuas n. 22.

(*K*) Fagnan. cit. n. 22. in d. c. per tuas.

(*l*) S. Greg. in can satis 7. d. 56.

(*m*) Inn. III. in cap. Ex part. 1. de Cleric. ægrotante, vel debilitatio lib. 3. t. 7.

(*n*) Ed. Bles. art. 22.

interdicat non omnibus tantum Senatoribus, sed etiam quibuscumque aliis Ministris Parlamentorum Regni, amplioris Consilii, Curiæ rationum Regiarum, ac generatim omnibus omnino Ministris inferiorum Curiarum, ne suscipiant in se gerenda Vicariorum Generalium officia pro Episcopis, nec quantum ad eorum Sedes Episcopales, nec quantum ad Abbatias, vel Prioratus, quibus prædicti Prælati gauderent: atque sic ab omni ævo fuit observatum in toto passim Galliarum Imperio, ut colligitur ex antiquo quodam Arresto supremi Parisiensis Senatus, quod Du Luc (*a*) refert, atque plurimis aliis Arrestis.

(a) Du Luc. l. 4. t. 3 n. 9.

Ita etiam docetur a Rebuffo, qui sic habet (*b*): *Consiliari, Præsides & alii Officiales Regii non possunt esse Officiales, seu Vicarii Prælatorum Generales, cum sint Regiis negotiis detenti .... collatio tamen facta ab istis non esset nulla, quia ibidem non annullatur .... sed hodie privantur suis officiis.*

(b) Rebuff. prax. Benef. t. de Vicariis Episcopor. n. 54.

Rebuffo Fevretus adhæret, ac refert ingentes ac varias difficultates, quas Divionense Parlamentum objecit 4. Julii 1558. ut sese subduceret ab admittenda dispensatione in forma Regiorum diplomatum, quam Rex indulserat viro clarissimo Berbis, uni ex Senatoribus prædictæ supremæ Curiæ, qua concedebatur ei a Rege, ut acceptaret officium Vicarii Generalis Illustrissimi Cardinalis de Givri Lingonensis Episcopi. Rationem vero istam potissimum allegabat, ait Fevretus, „ quod „ Ministri negotiis operam dantes, quæ pertine„ rent ad officium suum Vicariorum Generalium, „ plurimum abstraherentur a jure, ea, qua par „ est, assiduitate, unicuique reddendo; atque „ adeo ministerium Regium negligeretur; quod „ nedum munus Judicum exequantur, quin potius „ officio fungerentur, quæ Prælatorum sunt, nego„ tiorum gerendorum, atque persequendorum .... „ Ex certamine Jurisdictionis inter Curias Ec„ clesiasticas, & eas, quæ sunt sæculares, ut „ plurimum nascerentur contentiones, de quibus „ quotidie fere judicium ferendum est; & pluri„ mo foret incommodo, quod senatores, qui mu„ nus exercent Vicariorum Generalium, de cau„ sis ejusmodi dicerent suam sententiam; cum „ certo certius futurum sit, ut uni Jurisdictioni „ libentius faverent, quam alteri. Tandem prædictis diplomatibus Regis approbatio non accessit, nisi apposita ista conditione, quod prædictus D. Berbis propter res ad suum officium Vicarii Generalis spectantes Regium ministerium nec negligeret, nec derelinqueret; quod non interesset judicio de causis Cardinalis ferendo; neque jus earumdem persequeretur: quod denique nihil omnino ageret, quod vel tantillum posset cum dignitate Senatoris non concordare.

Juvat autem observare: 1. Juxta Edictum anni 1554. datum ab Henrico II. Villieri-Costrati, omnes Vicarios Generales Episcoporum esse debere Francos & Regnicolas. 2. Eamdem legem sese extendere ad Generales Vicarios, quos Religiosi Generales Ordinum externorum instituant in Gallia; si namque ad ejusmodi officium præponerent alienigenas: in tali institutione abusus argueretur; sic judicatum est a supremo Parisiensi senatu 13. Junii 1574. contra Patrem Cavalli Generalem Ordinis Sancti Dominici, pro Patre Nicolao Bourrin ex Gallis oriundo, quem præfatus Generalis de ipsius officio Vicarii Generalis submoverat, ut in illius locum quemdam alienigenam subrogaret.

3. Litteras istas, quibus Vicarii Generales instituuntur, expediendas esse ab Episcopo, ipsius sigillo muniendas, & iisdem subscribendum tum ab ejus secretario, tum ab adjunctis eidem duobus testibus, easque deinde esse referendas in tabulas Ecclesiasticas Sedis Episcopalis, secundum Edictum anni 1513. articulo 10. quem Fevret citat (*c*).

(c) Fevret. tr. de abusu l. 3. c. 5 n. 14.

4. Officium Vicarii Generalis oportere generalioribus istis verbis conferri: *in spiritualibus, & temporalibus*, nec aliter.

5. Non posse a Generali Vicario Beneficium ullum conferri nec sibimetipsi, nec Episcopo: *Cum inter dantem & accipientem dari debeat distinctio personalis*: ut loquitur Innocentius III. (*d*) quæ quidem ratio nullum jam locum haberet, siquidem quæcumque illa sit potestas conferendi, quam Vicarius Generalis ab Episcopo recepit, non tamen conferat nisi vi Juris, quod ipsius Episcopi proprium est; adeoque, si Beneficium aliquod Episcopo conferret; idem prorsus esset, ac si illud idem sibimetipsi Episcopus conferret, ut observat Rebuffus, (*e*) qui sic ait: *Quamvis Episcopus, aut alius collator, possit creare Vicarium, vel Vicarios ad conferendum Beneficia*, capite finali de officio Vicarii in 6. *tamen iste Vicarius, vel Vicarii non poterunt conferre Episcopo, qui illum creavit, quia sibi ipsi per se non potest conferre, nec potestatem conferendi dare* (*f*): Quibus addit, sese sic vidisse judicari a supremo Parisiensi senatu, nimirum in eo abusum occurrere, quando quis Episcopus jubebat sub prætextu Pontificiæ cujusdam dispensationis, ut sibi a suo Vicario Generali Beneficium aliquod conferretur, atque tales Vicariorum Generalium functiones dicit *Reipublicæ pestilentes*. Et revera quidem in ejusmodi ratione agendi reperiretur perversitas nusquam toleranda; siquidem, ut advertit citatus Jurisconsultus: Collatores, qui religionem minime curarent, omnia Beneficia, quæ suæ forent obnoxia collationi, & reditus essent pinguioris, obtinerent ea ratione sibi conferri, ac collata sibi retinerent: *Alioquin omnia Beneficia possent Collatores retinere.*

(d) Inn. III. in c. cum ad nostr. fin. de institut. 3. t. 7.

(e) Rebuff. in pr. Benef. tit. Forma Vicariatus Archiep. &c. & Collatorum n. 82.

(f) D. c. fin. de Institutionibus Felinus in cap. fane 2. in fin. de offic. delegati.

6. Si Vicarius Generalis indigno etiam alicui Beneficium quoddam contulerit sive ex errore, sive aliqua quacumque de causa; ipsi eidem jam non licere, ut idem Beneficium alteri conferat sub prætextu proprii sui erroris corrigendi: sed eum recurrere debere ad ipsummet Episcopum, cujus collationis juri, nequaquam potuit nocere (*g*).

(g) Bonifac. VIII. in c. si compromissarius 37 de elect. in 6.

7. In Provincia, in qua usus obtinet, ut collatio vicibus alternis modo a summo Pontifice, modo ab Episcopo præstetur, qualis usus frequentatur in minori Britannia, non posse nomine ac loco Episcopi a Generali Vicario conferri, nisi 1. in Litteris, quibus Vicarius Generalis institutus fuit, verbis expressis contineatur ejusmodi potestas. 2. Et Episcopus actualem habeat residentiam: quoniam jure collationis alternæ non gaudet nisi præcise ratione suæ residentiæ. Ideoque collatio, quam ipsemet exhiberet, inordinata foret, ac plane nulla, si eamdem præstaret ipse positus extra suam Diœcesim, ut Fevretus observat (*h*) post Bellordeau. (*i*) Quas observationes non ingratas fore Lectori, plurimum nobis visum est.

(h) Fevret. l. 3. c. 3. n. 10

(i) Bellordeau p. 2. l. 6. controv. 54.

CASUS IV.

Bernardinus Vicarius Generalis Cracoviensis Episcopi, contulit plurima beneficia, Litteras concessit dimissorias, aliasque fuit executus functiones, quæ dignitatis suæ propriæ erant, per illud tempus, per quod prædictus Episcopus iter habuerat Leopoldum, ubi decessit die a suo in illam Civitatem adventu octavo. Qua de re quæstio proponitur, utrum, quidquid Bernardinus egit ab obitu sui Prælati, cujus omnino fuit inscius per unum mensem & amplius, valeat, ac Canonibus sit consentaneum?

Respons.

Ut sua sit propositæ difficultati responsio, tanquam principium indubitatæ fidei ponendum est illud, scilicet Episcopum & ipsius Vicarium Generalem in Jure non censeri nisi unam eamdemque personam, neque utrique competere nisi unam eamdemque Jurisdictionem. Atque inde est, quod cum in Jure sermo sit de Locorum Ordinario, vox illa non intelligatur de Episcopo tantum, verum etiam de ipsius Vicario Generali: eaque de causa non valeat a Vicario Generali Episcopi ad ipsummet Episcopum appellari, quemadmodum liceat appellationem habere a delegato Judice ad eum, a quo delegatur, ut declarant Bonifa-

nifacius VIII. & Innocentius IV, cum interessent Concilio Lugdunensi Generali primo, quod actum est anno 1245. (a) Quemadmodum etenim Jurisdictio Pontificii Legati ordinaria est, nec delegata, quamquam eamdem nonnisi a summo Pontifice receperit, ut fertur in Constitutione quadam ejusdem Innocentii IV. (b), quæ refertur in sextum; sic etiam Jurisdictio alicujus Vicarii Generalis ordinaria est, licet eadem ab Episcopo fuerit cum eo communicata, sicut probatur a Zacharia Pasqualigi de Ordine Theatinorum (c), tum authoritate Glossæ, tum suffragio viginti aliorum Auctorum.

Quo quidem ex principio sequitur, potestates, quæ alicui Vicario Generali factæ sunt, obitu ipsius Episcopi penitus solvi. Adeo ut ei non liceat in ejusmodi casu de re aliqua, de qua jam cognoscere incœperit, continuare judicare; in eoque potissimum differt a delegato Judice, cujus Jurisdictio non extinguitur morte illius, qui eum delegavit, quantum ad causas, de quibus ei incumbebat cognoscere, antequam delegans decederet, ut declaratur ab Urbano III. in una quadam ex ipsius Decretalibus, (d) quod ita se habet, ex eo quod diversa tribunalia diversa gaudeant jurisdictione.

Nihilominus, ut attingamus in specialem casum de quo quæstio potissimum habetur in proposita specie, asserendum est, quidquid actum fuit a Bernardino, validum censendum esse, nequidem exceptis nec collatione Beneficiorum ab eo præstita, nec Litteris dimissoriis ab eo concessis, modo ab Episcopo habuerit duplicem istam potestatem ex speciali ac distincta concessione. (Neque etenim Vicario Generali competit ex ipso jure prædicta utraque potestas.) Ratio est, quia nuntius obitus Episcopi cum nondum in istam Regionem delatus fuisset, quin potius palam ac publice etiamnum vivens haberetur, Bernardinus ipse secundum communem omnium existimationem Vicarius Generalis ducebatur: Quamobrem quidquid jurisdictionis actus per illud tempus posuit, omnino Canonicum est, neque ulli prorsus obnoxium controversiæ; quoniam in ejusmodi rerum circumstantiis Ecclesia censetur, quidquid humani dumtaxat juris est, supplere, non tantum, ut tuta servetur conscientiarum tranquillitas; verum etiam ut occurrat & contentionibus & scandalis, quæ alioquin certo certius possent contingere.

Quæ decisio confirmari potest exemplo quodam, de quo memoratur in Jure, quo dicitur, si servus aliquis, quantumcumque sit inhabilis ad jus reddendum & exercendum officium Judicis sive proprii, sive delegati, palam ac publice habeatur tum ut Liber, tum ut Judex; judicia, quæ ab eodem feruntur, quamdiu omnes in isto errore versantur, esse legitima, neque executione sua debere carere. Quod quidem apertum manet ex Lege (e), quæ verba faciens de servo quodam, cui nomen erat *Barbarius*, qui liber existimatur, quique factus est Romanus Prætor, declarat quæcumque ab eodem pronunciata fuere, judicia habenda esse tanquam legitima. Barbarius, *ait Ulpianus in citata Lege* cum servus fugitivus esset, Romæ Præturam petiit, & Prætor designatus est. Sed nihil ei servitutem obstitisse, ait Pomponius, quasi Prætor non fuerit .... tamen videamus, si servus, quamdiu latuit, dignitate Prætoria functus sit: Quid dicemus? Quæ edixit, quæ decrevit, nullius fore momenti? An fore propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, vel Lege, vel quo alio jure? & verum puto, nihil eorum reprobari: hoc enim humanius est. Ex quibus merito quidem inferri potest, actus jurisdictionis ab eo positos, qui palam ac juxta communem omnium æstimationem habetur Generalis Vicarius, esse considerandos ut omnino Canonicos ac validos, siquidem, ut refert Glossa, communis omnium error in ejusmodi casibus juris locum obtineat; (f) *Citra factum error .... communis facit jus.*

(a) Non putamus, illam consuetudinam quantocumque temp. do facto servatam, consonam rationi, quod ab officiali Episcopi ad eumdem Episcopum valeat appellari; nec ab eodem ad se ipsum (cum sit idem adjutor utriusque); Appellatio interposita videatur Bonif. VIII. in c. non putamus 2. de consuetud. in 6. Innoc. IV. in cap. Rom. 3. de appellat. in 6.

(b) Innoc. IV. in cap. legatos 2. de officio legat. in 6.

(c) Zacharia Pasqual. var. qq. mor. can. Centuria 1. q. 97. n. 4.

(d) Urb. III. in c. Gratum 20. de offic. & potest. Judic. delegat. t. 29. l. 1.

(e) L. Barbarius 3. ff. de offic. Prætor. l. 1. t. 14.

(f) Gloss. in cit. leg. Barbarius.

Eadem ratione recipitur istud adagium a Canonistis. En quomodo de eo loquitur Germanus: (g) *Si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit: quamvis postea in servitutem depulsus sit: sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet.* Quam eamdem veritatem asserit Glossa (h) probatque auctoritate novem vel decem Canonum, Decretalium, seu Legum.

(g) Gratian. p. Verumtamen 3. q. 7.

(h) Gloss. ibid.

CASUS V.

Aristophanes Generalis Vicarius Spirensis admisit permutationem factam a duobus Beneficiariis Diœcesanis, aut recepit abdicationem, quam Parochus aliquis in manibus ejus de sua propria Cura fecit. Num potuit prædictas functiones legitime exequi; quamquam ab Episcopo conceptis ac distinctis verbis non consecutus fuerit authoritatem conferendorum Beneficiorum?

Respons.

Nullum dubium est, quin a præfato Vicario Generali nequaquam potuerit in proposito casu permutatio admitti, de qua quæstio est, nec recipi confecta a Parocho dimissio, sine speciali potestate ipsi facta ab Episcopo. Eadem namque potestate opus est, ad recipiendam aliquam dimissionem, aut aliquam permutationem admittendam, quæ requiritur, ad aliquod Beneficium conferendum: *Ejusdem namque potestatis est exuere, cujus est investire*, inquit Cabassutius (i), qui addit præterea, permutationem alioquin nullam obtinere posse, quin collatio duplex accedat, quam quidem concedere non est penes ullum Vicarium Generalem, nisi eidem ab Episcopo conferendi potestas facta fuerit distinctis omnino verbis: Quam suam sententiam laudatus Canonista confirmat ista regula Juris Canonici; (k) *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Cui regulæ hæc alia juris Romani plane consentanea est: (l) *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est.* Idque citatus Canonista sic concludit: *Ideoque non potest resignationem admittere, qui non potest conferre.*

Atque de prædicto principio Rebuffus consentit: (m) *In Vicariatu etiam clausula decima opponi consuevit recipiendi resignationes, & beneficia resignata conferendi*, quæ ipsissima sunt ejus verba, *nempe Vicarius non potest dare authoritatem permutare volentibus; nisi hoc expresse illi concessum fuerit ... Imo habens potestatem recipiendi resignationem beneficiorum causa permutationis, vel simpliciter, non potest beneficia sic resignata postea conferre, cum speciale mandatum requiratur etiam in collatione.* Quod verbis disertissimis enunciatur istis verbis Constitutionis cujusdam Bonifacii VIII. (n) *Officialis aut Vicarius Generalis Episcopi Beneficia conferre non possunt, nisi Beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.* Ex quibus laudatus Rebuffus sic conficit: *Ideo debet in Vicariatu inseri, quod Episcopus dedit facultatem recipiendi resignationes & Beneficia resignata conferendi.* Et citat in patrocinium prædictæ sententiæ (o) decisionem Tribunalis Rotæ, de Selva, Calderinum, & Felinum, quibus adjungimus Ancharanum, atque Zerolam (p).

Cujus quidem occasione præsentis difficultatis, abs re non erit observare, juxta eam, quæ frequentatur passim apud Gallicam nostram Gentem, jurisprudentiam, posse a Vicario Generali alicujus Capituli, *Sede vacante*, graduatis etiam simplicibus, quæ ab ipsis requiruntur, conferri Beneficia, secundum Arrestum Parlamenti Tolosani 18. Aprilis 164. relatum a Cambolas inter ipsius notabiles decisiones, atque Laurentio Jovet in ipsius Bibliotheca Arrestorum, in qua Rebuffum etiam appellat in ejusdem opinionis suffragium (q).

(i) Joan. Cab. Jur. can. th. & pr. lib. 1. c. 13. n. 6.

(k) Reg. 1. de Reg. jur. ant. lib. 5 Decr. t. 41.

(l) Reg. 53. ff. de diversis Regul. juris antiq.

(m) Petr. Rebuff. in pract. benef. 1. p. in forma Vicariatus Archiepisc. & aliot. Collat. n. 201. & 205.

(n) Bonifac. VIII. in c. Cum in generali. de offic. Vic. in 6. l. 1. t. 13.

(o) Rot. dec. 11 in anti. 1. Joan. de Selva tr. de ben. 2. p. q. 4. Joan. Cald. Consil. 3. de renunc. Sandæus Felin. in c. Auditis col. 6. n. 13. de præscr.

(p) Petr. de Ancharano in c. un. de permutat. in 6. n. 2. Thom. Zerol. in pr. 1. p. n. 20.

(q) Cambol. l. 3 c. 39. Laur. Jov. v. Vic. Gen. Reb. in pr. t. denominat. t. 4. & 14.

CASUS VI.

Archilochus Vicarius Generalis Episcopi Solsoniensis contulit Gabrieli Curam quamdam vacantem, vi specialis potestatis, quæ ei facta est,

est, conferendi. Episcopus istius Collationis a suo Vicario Generali præstitæ prorsus inscius, beneficium idem Bertrando contulit. Utra duarum prædictarum collationum valida est, ac legitima?

RESPONS.

Asserendum est, quæ ab Episcopo Bertrando concessa fuit, collationem potiori jure obtinere debere, quam eam, quæ præstita est ab ipsius Vicario Generali in gratiam Gabrielis, *propter conferentis ampliorem prærogativam*, ut loquitur Bonifacius VIII. (a) Atque ita docet Rebuffus, (b) quando sic habet: *Collatio facta extra Diœcesim ab Episcopo valet; licet a Vicario in Diœcesi eadem die fiat*. Quæ ipsius verba sunt. Rationemque istam primo loco affert, quamque mutuatus fuit a Bonifacio VIII. quem modo appellavimus, nimirum *quia est facta a majori, & ideo prævalet*. Quod idem probat alia Constitutione ejusdem summi Pontificis (c): Alteram vero secundo loco proponit causam, quod, cum Episcopus contulerit Beneficium, censeatur, quoad istam collationem revocavisse mandatum suo Vicario Generali commissum, & *quia censetur revocatus Vicarius quoad illam collationem*, eadem ratione, qua Procurator designatus ad gerendum aliquod negotium, censetur revocatus, quando ab ipsomet Mandatario negotium idem absolvitur, secundum isthæc verba laudati summi Pontificis: (d) *Tractando ipsam* (causam) *eum* (Procuratorem) *revocare censeris*; & quomodo Judex aliquis substitutus etiam revocatur, cum is, a quo delegatus est, ipsemet agit in eadem causa, ad cujus judicium designatus fuerat, quemadmodum fertur in Jure, (e) vestigia Rebuffi proxime premit Cabassutius, (f) & easdem adhibet, quæ ab ipso eodem Auctore apponuntur, rationes.

Ut præsenti huicce decisioni suum robur, suaque confirmatio accedat, alienum a proposito nostro non erit, hic loci referre ipsissima verba unius cujusdam e Constitut. Bonif. VIII. quam citat Rebuffus (g). Ibidem enim declaratur a laudato summo Pontifice, si a sese concessa alicui fuerit aliqua Præbenda, suam collationem jure potiori valere, quam quæ a suo Legato præstita fuisset in gratiam cujusdam alterius: *penes nos tamen*, inquit, *nihilominus remansit major, licet etiam potestas in prædictis, propter quod nostra, qui eamdem præoccupavimus potestatem, potior debet esse conditio præsertim quod secundum canonicas sanctiones per speciem generi derogatur; quamquam de genere in derogante specie mentio nulla fiat*. Eadem igitur proculdubio ratione arguendum est quantum ad duplicem collationem præstitam eadem die tum ab ipsomet Episcopo, tum ab ipsius Vicario Generali in gratiam duarum diversarum personarum, & inferendum ex principio, quod statuit Bonifacius VIII. collationem, quæ ab Episcopo facta est, eam, quæ ab ipsius Generali Vicario concessa fuit, esse debere potiorem.

Atque revera quidem judicatum est a supremo senatu Parisiensi ipsius Arresto pronunciato 19. Augusti 1564. & relato a Chopin (h); ut testatur Laurentius Jovet in sua Bibliotheca Arrestorum. (i) Quod idem Arrestum, refert etiam D. Brillion in suo Dictionario, (k) Rebuffus etiam observat, si (l) is, cui fuisset a Vicario Generali provisum, in possessionem Beneficii jam venisset, antequam Episcopus hoc idem contulisset beneficium; ipsum potiorem eo futurum esse, qui nonnisi simplicem collationem Episcopi fuisset adhuc consecutus: quoniam in ejusmodi casu locum habet ista regula juris: (m) *In pari .... causa potior est conditio possidentis*: quemadmodum Bonifacius VIII. auctor prædictæ regulæ, hoc ipsum idem declarat in una quadam e suis Constitutionibus. (n) En quibus verbis loquitur Rebuffus: *Quod est verum, quando æquo jure procederent ambæ collationes & æquales essent. Secus, si provisus a Vicario accepisset possessionem, ante provisum ab Episcopo; quia tunc is, qui est prius adeptus possessionem, præfertur.*

(a) Bonifac. VIII. in c. si a sede 31. de Præb. & Dignit. in 6.

(b) Petrus Rebuff. in praxi Benefic. 1. p. titulo form. Vicariatus &c. n. 125. & seqq.

(c) Bonifac. VIII. in c. Dudum 14. de Præben. &c. in 6. l. 3. t. 4.

(d) Idem in c. si quem 8. de Procuratorib. in 6. l. 1. t. 19.

(e) S. Greg. IX. in cap. intimasti 68. de appellationib. recusat. & relation. l. 2. t. 29.

(f) Joann. Cab. jur. C. th. & prax. l. 2. c. 13. n. 10.

(g) Bonifac. VIII. in cit. cap.

(h) Renatus Chopin. l. 1. de sacr. Polit. t. 6. n. 7.

(i) Laurent. Jov. Bibliothec. Arrestorum v. Vic. Gen.

(k) D. Petr. Jac. Brill. Dictionar. Arrest. n. 46.

(l) Petrus Rebuf. cit. loc. n. 223.

(m) Reg. 68. de reg. Juris in 6.

(n) Bonifac. VIII. in c. si a sede supr. cit.

CASUS VII.

ARCHIPPUM Vicarium generalem Archiepiscopi Capuani, cum Neapolim accessisset rerum suarum familiarium conficiendarum causa, & ibidem quosdam actus exercuisset, qui non spectant nisi ad jurisdictionem voluntariam; Archiepiscopus, quo prohibente, istud iter susceperat, scripto juxta præscriptas formas instrumento revocavit. Qua de re quæritur, utrum Jurisdictionis actus, quos posuit, antequam ad eum pervenisset ipsius revocationis instrumenti denunciatio, valeant, ac Canonibus consentiant?

RESPONS.

Variæ sunt circa propositam quæstionem sententiæ Canonistarum. Alii quidem, ut Guimierus, contendunt, si Vicarius aliquis generalis fuerit ob aliquod a sese perpetratum scelus, cujus reipsa conscius sit, revocatus; quos in casu proposito ponit, Jurisdictionis actus omnino nullos esse, alioquin autem eosdem valere. Quoniam vero hujusce distinctionis ne vel minimum quidem vestigium occurrit in ipso Canonico jure, plane repudiatur a cæteris Canonistis, quibus placet absque ulla distinctione in ejusmodi casu ratos ac legitimos haberi tales Jurisdictionis actus, sive Vicarius generalis sit conscius criminis, sive ponatur extra omnem criminis rationem. Quorum Posteriorum vestigiis Rebuffus inhæret: (o) „ Si „ collatio Beneficii Ecclesiastici facta per primum, quem revocatum apparet, non valet; si „ facta illi erat intimatio & notificatio alterius „ Vicarii creati. Alias valebit... & per hoc patet, quod Vicarius constitutus ad conferendum, „ potest conferre; antequam notificata sibi fuerit „ revocatio „. Quæ ipsissima sunt verba Rebuffi, qui citat in patrocinium opinionis, quam amplectitur, plurimos alios non infimi nominis Jurisconsultos, quales sunt Calderinus, quem filium adoptavit sibi Joannes Andreas, circa medium sæculi decimi quarti. Decius & Felinus Lucencis Episcopus & multorum aliorum insignioris notæ Canonistarum numerus, quibus adjungimus Cabassutium, (p) qui sic ait: *Quamdiu enim aliquis quantumvis perversus sustinetur in officio, valent ejus Acta, ut communiter docet Juris Interpres ad D. Legem Barbarius*. Eamdem doctrinam tenet Panormitanus, ut observat Laurentius Jovet in sua Bibliotheca Arrestorum ad verbum Vicarii Generalis, quemadmodum etiam Fevretus annotat post Boerium (q). Tandem Rebuffus memorat (r) Arrestum juxta prædictam sententiam pronunciatum a supremo Pariensi Senatu 18. Julii 1514. Quibus auctoritatum testimoniis fit nobis omnino persuasum, nihil prorsus juvare inventam a Guimiero distinctionem nisi ad scrupulos conscientiis incutiendos, & contentiones afferendas circa valorem atque auctoritatem actuum Jurisdictionis, qui sæpius in dubium adducerentur ex incerto, in quo fere semper versaretur circa causam ejusmodi revocationis.

(o) Petrus Rebuff pr. ben. p. 1. t. form. Vicar. Archiepisc. & aliorum Collat. n. 210 & 214. Et apud eum Philip Dec. Consil. 305 Sandæus; Felin. In c. cæterum de rescript. & in c. fin. de accusat.

(p) Joan. Cabas Jur. can. th. & pr. l. 1. c. 13. n. 15.

(q) Fevret. tract. de abusu l. 5. c. 5. n. 23. & Boerius q. 347.

(r) Petrus Rebuff. loc. cit. n. 198.

CASUS VIII.

NEMESIUS Generalis Nicænæ Diœceseos Vicarius, quibusdam inimicitiis atque simultatibus cum Episcopo suo susceptis, a dicto Prælato viva tantummodo voce, ac secreto fuit de suo officio submotus ac revocatus. At nihilominus Nemesius quosdam Confessarios postmodum approbavit, aliosque actus Jurisdictionis exercuit. Qua de re quæstio habetur, utrum quidquid a sua revocatione præstitit, valeat; atque, utrum illud totum, quod Jurisdictionis executus fuit, sit habendum tanquam Canonicum?

RESPONS.

Constat, actus Jurisdictionis, quos Nemesius post suam revocationem secretam, ac verbis tantum-

RESPONS.

Constat, actus Jurisdictionis, quos Nemesius post suam revocationem secretam, ac verbis tantummodo declaratam ab Episcopo exercuit valere ac Canonicos omnino esse. Ratio est, quod, cum ejusmodi revocatio palam ac publice non innotuerit, nequaquam possit illius extinguere Jurisdictionem; siquidem non obstet, quin palam ac juxta communem omnium existimationem habeatur tamquam Vicarius Generalis legitime institutus. Quam ob caussam jus in ejusmodi casu ratos semper efficit actus quoscumque, qui ab hujusmodi Ministro peraguntur, usque dum ad omnium notitiam pervenerit ipsius potestatum revocatio, secundum principium istud, quod jam alibi citavimus. *Circa factum error ...... communis facit jus* (*a*): Necesse est igitur, revocatio Nemesii procedat juxta consuetas formas, & palam innotescat eadem ratione, qua ipsius innotuit institutio, antequam actus, quos posuit, possint haberi tamquam non legitimi; hoc est necessario requiritur, istam revocationem scripto confici, & ipsius instrumentum in tabulas Ecclesiasticas Dioeceseos referri; quemadmodum praescribitur Edicto 1691. (*b*) non tantummodo quantum ad Vicarios Generales, verum etiam quantum ad Officiales, Officialium vices gerentes ac Promotores. Quam decisionem proponit D. Du Casse Vicarius Generalis primum quidem carcasionensis, postmodum vero Condomiensis (*c*). Abstinemus ibi a fusiori sermone circa praesentem difficultatem, quoniam in aliam ejusdem propemodum conditionis dissolvendam alibi jam attigimus. *

(*a*) Glossa in Leg. *Barbarius*, 5. ff. de officio Praetorum. lib. 1. tit. 14.

(*b*) Edict. anni 1691. art. 21. & 22.

(*c*) *Du Casse tract. de Jurisd. Eccles. voluntar. cap. 2. n. 4.*

* *Prima decisio.*

CASUS IX.

PANTALEO, Vicarius Generalis Segesteronensis Dioeceseos institutus ab Adolpho, qui fuerat ad istam Episcopalem sedem designatus a Rege, quique jam ea de re Diploma Regium acceperat, plurimos Confessarios approbavit, aliosque Jurisdictionis voluntariae actus exercuit. Num valent ejusmodi actus, quamquam Adolphus nondum in possessionem praedicti Episcopatus inductus fuerit, neque nequidem adhuc Bullas Pontificias sit consecutus?

RESPONS.

Qui designatus fuit a Rege ad sedem aliquam Episcopalem, & nondum adeptus est nisi Regium tantummodo Diploma, non potest nisi perverse prorsus atque omnino inordinate praeficere Vicarium Generalem spirituali suae Dioeceseos regimini; siquidem ipsemet potestate careat ullius exercendae quantum ad eam rem Jurisdictionis, antequam a summo Pontifice suas Bullas seu Provisiones impetraverit, juxta Concordatum, quod nunc legis locum obtinet in Gallia. Quamobrem institutio praedicti Vicarii Generalis nedum Canonibus consentiat, quin potius omnino perversa est atque inordinata, adeoque quidquid ab eodem actus Jurisdictionis positum est, omni robore penitus caret; siquidem a Vicario Generali, & Officiali tantummodo Capituli possit *sede vacante* exerceri Jurisdictionem spiritualem, tam voluntariam quam contentiosam. At constat etiam, eo ipso quod fuerit suas Bullas consecutus ei pleno prorsus jure licere, vel etiam quamquam in possessionem nondum venerit, Episcopalem exercere Jurisdictionem; atque adeo unum vel plures instituere Vicarios Generales, qui eamdem ipsius loco ac nomine exerceant. Quod ita docetur a Panormitano (*d*): *Sicut electus & consecratus*, ait commendatissimus iste Canonista, *potest exercere ea, quae sunt Ordinis, ut in capite* TRANSMISSAM *infra eodem, ita electus & confirmatus, nondum consecratus, potest exercere ea, quae sunt Jurisdictionis.*

(*d*) Panorm. in c. de suffraganeis. 11. de elect. num. 1.

Quae decisio tota quadrat ad jus Commune; quin etiam Fevretus (*e*) quamquam toto animo inclinet ad favendum jurisdictioni seculari, & abusus exaggerandos, qui quandoque possunt in exercitio Jurisdictionis Ecclesiasticae reperiri, luculenter admodum asserit istud Disciplinae caput in sua interpretatione ad istaec verba Rusaei: *Episcopus nondum consecratus, non est Episcopus, nec talis dici potest*. Asserit istaec de iis esse potissimum intelligenda, *quae sunt Ordinis, quae Episcopo non competunt, nisi consecrato: non autem de iis, quae sunt Jurisdictionis, quorum ratione sufficit habere titulum; licet non sit adepta possessio, nec subsecuta consecratio*. Quae tamen a nobis dicta sic volumus intelligi, ut omnis animus desit nocendi juribus Capitulorum quorumdam; quorum exercendorum possessione in contrarium eadem Capitula gauderent ad initam usque ab Episcopo sedis Episcopalis possessionem, ut passim in Gallia frequentatur.

(*e*) Fevret. tract. de abusu. l. 3. cap. 5. n. 5.

CASUS X.

POMPONIO Parocho de Cura S. Tiberi mortuo, Leonardus ejus Vicarius perrexit nihilominus consuetas obire suas functiones, scilicet benedicendis matrimoniis assistendo, &, quidquid, vivente suo Parocho, peragere consueverat, hoc ipsum idem exequendo. Num habebat ejusmodi potestatem?

RESPONS.

Quamquam asseruerimus alibi, potestatem alicujus Poenitentiarii, ac cujuslibet alterius Confessarii, mortuo Episcopo, nihilominus in integrum perseverare, quoad usque ab ipsius successore fuerit distinctis verbis revocata; non inde tamen inferri potest, potestatem alicujus Vicarii in integrum perseverare quantum ad omnes omnino functiones Pastorales. Cujus rei ratio haec est, quod, sicut generalis Vicarius alicujus Episcopi non censetur *fictione Juris*, nisi unicam eamdemque cum ipsomet Episcopo constituere personam, quoniam uterque non habet nisi unicam eamdemque voluntariam jurisdictionem; ita etiam Vicarius alicujus Parochi, cum ipsomet Parocho nonnisi unam eamdemque personam constituere censeatur. Ideoque, quemadmodum, decedente Episcopo, Vicarii Generalis potestas plane extinguitur, *in morte Episcopi perit tribunal Vicarii*, ut loquitur Bailus (*f*) sic etiam potestas Vicarii, decedente Parocho, similiter expirat ac plane solvitur.

(*f*) Bail. 1. part. de extra. poenit. art 19. v. *Non est pag.* 693.

Ex quibus concludimus, Leonardum non potuisse nuptiis celebrandis, seu benedicendis, adesse post mortem Pomponii; Quum non fuerit a Concilio Tridentino concessa ejusmodi potestas nisi soli personae proprii Parochi, seu Sacerdotis, & Sacerdos ille seu Parochus decessisse ponatur; adeoque jam non valens delegare Leonardum.

Est nihilominus verum Leonardo licitum fuisse continuare munus excipiendarum Confessionum. Ut namque habet citatus Doctor, *non est enim idem de Vicario ac de Confessario ..... quia Confessarius ..... delegatus habet aliud Tribunal a Tribunali delegantis. Unde, hoc everso, illud subsistit*, hoc est, approbatio ab Episcopo concessa nihilominus perseverat, licet, exspirante Parocho, quam ille suo Vicario fecerat, potestas cum eo simul exspiret ac penitus extinguatur.

CASUS XI.

LEONARDUS Vicarius de Pago quodam speciali, qui pendet e Cura de S. Amando, & ab eodem distat circiter unam leucam, cum factus esset valetudinis omnino infirmae, commisit sacerdotem quemdam sibi consanguineum, ad exercendas nomine ac loco suo functiones Curiales, quibus obeundis ipse praeficiebatur, nequidem Parocho loci consulto. Num potuit valide delegare?

RESPONS.

Ad propositam difficultatem respondemus, a Vicario nequaquam posse Sacerdotem alium delegari, qui ipsius exerceat omnes in genere functiones; atque in eo potissimum sensu intelligendum esse istud vulgare juris adagium: *Delegatus delegare non potest*: quod probatur Glossa in Decretalem quamdam, quam Alexander III. inscribit Episcopo Norvickensi, quæ sic fert (*a*): *In nullo casu licet Vicario alium sibi Vicarium substituere*. At nihilominus potest cum eo aliquatenus communicare suam potestatem, quantum ad speciales aliquas functiones exercendas. Ratio est, quod præsumatur is, qui Sacerdotem aliquem adjungit sibi Vicarium, id potissimum intendere, ut ab eo, quas ei mandat, qua ratione possunt, functiones adimpleantur. Porro sæpe numero contingit, eum per semetipsum non posse, quæ sibi incumbunt, omnibus functionibus satisfacere: Qua de caussa animo præsumendum est, ab eo, a quo delegatus fuit, tacite consentiri ipsum curare, ab alio adimpleri functiones, quibus ipsemet satisfacere non valet. Atque sic arguitur a S. Thoma (*b*), qui ait: *Ille, qui constituitur Vicarius, non potest totam suam potestatem committere; sed potest partem: quia intentio committentis est, ut exequatur secundum quod potest ille, cui committit: & forte non potest totum facere, quod sibi committitur; & ideo potest aliquid alteri committere*.

(*a*) Gloss. in cap. Clericos. 3. de officio vicarii. lib. tit. 28.

(*b*) S. Thom. Quodlib. 12. art. 31.

Unde conficimus, in proposita specie potuisse prorsus a Leonardo tum licite, tum valide committi Sacerdotem ipsius consanguineum, a quo functiones illæ adimplerentur, quas propter infirmam suam valetudinem, aut propter quodvis aliud impedimentum, ipse non valebat exequi; Sed eumdem non potuisse valide delegari ad functiones omnes omnino exercendas, quæ pertinent ad Vicarium, nisi consentiente atque approbante Parocho de Cura S. Amandi, vel Episcopo Diœcesano.

Vide { COLLATIO. LITERÆ DIMISSORIÆ. EXCOMMUNICATIO. }

VISA.

DONANTUR appellatione nominis *Visa* Litteræ, quibus Ordinarius fidem facit, a se visas fuisse provisiones, quas e Curia Romana Beneficiarius aliquis impetravit, eumdemque a se rite examinatum tum quantum ad doctrinam, ejusmodi repertum fuisse, qui foret idoneus ad possidendum beneficium, de quo fuit ei provisum, eidemque inserviendum; quam quidem Clausulam tanti constat esse momenti, ut Mornacius (*c*) asserere non dubitaverit, in *Visa* reperiri prorsus inordinatum abusum, quando conceditur ei, cui fuit provisum provisionibus, quas ajunt *in forma dignum*, nec fert istam clausulam nimirum eum, cui provisum est, examinatum fuisse, atque repertum idoneum. Ea vero caussa potissimum innititur Laudatus Jurisconsultus, quod Edictis Blesensi ac Melodunensi verbis disertissimis enuncietur, futurum ut nullum deinceps concedatur *Visa* nisi prævio examine. Atque revera quidem sic fuit judicatum a supremo Parisiensi Senatu primo Decembris 1654. & 14. Januarii 1659. La Rocheflavin (*d*) memorat etiam aliud ejusmodi Arrestum antiquius, quod pronunciatum fuit 29. Januarii 1606. quo Rhutenensi Episcopo multa centum solidorum irrogata est, propterea, quod istæc verba omisisset; *Examinato, & idoneo reperto*, in quodam *Visa*, quod concesserat occasione provisionis cujusdam expeditæ in forma commissoria.

(*c*) Mornac. ad Leg. 1., ff. de procuratoribus.

(*d*) La Rocheflavin. l. 6. littera A. tit. 5. Arrest 6.

Deficiente ejusmodi visa, non potest Beneficiarius venire in possessionem sui Beneficii, quin sese reddat criminis intrusionis conscium: atque adeo Beneficium suum faciat periculo impetrationis obnoxium. Verum, ut omnis absit caussa querelæ, Episcopis, seu Vicariis eorum Generalibus, quibus ista sibi videtur ex conscientia obligatio induci, ut postulantem *Visa* repellant, incumbit eidem instrumentum suæ recusationis scripto expedire, ibidemque caussam ejusdem apponere, qua ratione præscribitur Edictis tum Blesensi (*e*) tum Melodunensi (*f*), ac tandem Edicto, quod promulgatum est mense Aprilis 1695. cujus auctoritas fuit in Curia suprema comprobata 14. Maii sequentis: ut detur locus ei, qui sic repulsam passus est, ea de re recurrendi, atque agendi apud Superiorem Ecclesiasticum. Nam, quod spectat ad Licentias, quas Judices seculares faciunt eis, quibus provisum fuit, sese inducendi in possessionem ad conservationem suorum Jurium; omnino juvat tenere, juxta citatum Edictum (*g*) ex ejusmodi possessione instituta, quæ Civilis dicitur, nullum jus importari eamdem consequenti exercendi illas functiones spirituales, atque Ecclesiasticas, quæcunque esse possint, donec obtinuit suum *Visa* ab Episcopo proprio, aut eo denegante, ab ejusdem immediato superiore penes quem solum est, illud idem concedere, juxta Decretum Conventum Gallicani Cleri annorum 1635. & 1636. cui robur, atque auctoritas addita fuerunt duobus Arrestis Consilii Sanctioris 16. Martii 1646. & 16. Aprilis 1658. Item & tertio alio Arresto 27.

(*e*) Art. 12. & 13.

(*f*) Art. 14. & 15.

(*g*) Art. 7.

sto 27. Januarii 1667. ac tandem duobus aliis Arrestis 11. Martii, & 11. Julii 1670. quæ simul cum Decreto juncta referuntur in secundo tomo Commentariorum ejusdem Cleri (*a*), & pronuntiata fuerunt pro plurimis Episcopis, atque innovata in Comitiis habitis ann 1665

Quando quis, cui de Beneficio aliquo fuit provisum, repulsus est ab Episcopo Metropolitano, ac tandem ab ipso Primate; jam non admittitur ad agendum contra triplicem istam recusationem. Sic cavet lex lata in Edicto mensis Februarii 1657. (*b*), & Edicto mensis Martii 1666. (*c*).

Sed neque jure ei permittitur, ut agat apud sæculares Judices contra repulsam, quam passus fuit occasione sui *Visa*; nec valent ipsi Judices pronuntiare, futurum ut suæ sententiæ vel sua Arresta, provisionis seu *Visa* locum suppleant; cum hoc ipsum fuerit iisdem stricte prorsus interdictum Arresto quodam Consilii Secretioris 30. Julii 1630. quo penitus infirmatur atque irritum declaratur Arrestum Parlamenti Rotomagensis, quo contrarium judicatum fuerat contra Sagiensem Episcopum, atque altero Arresto Consilii ejusdem 31. Julii 1631 (*d*) prius illud Arrestum fuit postmodum confirmatum.

Non eadem est conditio Regiarum Collationum, quæ ceterarum: neque enim *Visa* sunt obnoxiæ, si excipiantur dignitates Capituli: quas Rex currente Regii juris tempore contulit (*e*).

Quantum ad eos attinet quibus provisum fuit *in forma gratiosa*, non ita se res habet, quomodo quantum ad eos qui suas provisiones consecuti sunt *in forma dignum*. Scriptum etenim ab Episcopo de vita ac moribus integerrimis, simulque de sana doctrina testimonium, quod postulans mittit Romam ad impetrandam vi ejusdem hujusmodi provisionem, locum habet *Visa*: quoniam summus Pontifex non remittit ad Episcopum eum cui providet, ut examinetur: adeo ut is possit se se in possessionem statim inducere, ubi primum recepit suas provisiones; servatis tamen formulis, quæ de more servandæ sunt, ac potissimum, postquam venerit in conspectum Episcopi, si Beneficium de quo agitur, annexam habeat curam animarum; quemadmodum præscribitur quod novissime promulgatum est, Edicto pertinente ad Ecclesiasticam jurisdictionem (*f*). Atque ita gravissimis de caussis constitutum est: propterea quod Romæ consuetum esset admittere consignatas litteris Episcopi domicilii illius qui easdem producebat, testificationes; atque inde sæpius contingeret, fucum fieri Papæ, ipsumque plurimum circumveniri, conferendo provisiones in forma gratiosa subjectis prorsus ineptis, qui iisdem abutebantur, ut se se Beneficiis Curis obtruderent, nullo subito examine. Eaque de caussa constitutum fuit ac decretum in Concilio Provinciali Burdigalensi anni 1624. ut ejusmodi testificationes quantum ad Curas nequaquam amplius concederentur. Adeo ut nulla jam testificatio reciperetur, nisi scripta fuisset litteris Episcopi Beneficii, cujus potissimum ac præ ceteris interest, Parochos suæ Diœceseos idoneos esse, tum quoad doctrinam, tum quoad mores. Sed tandem is usus hodiernis temporibus jam invaluit ex articulo III. Edicti 1695. ut licet impetrata fuerit alicujus Curiæ provisio, quantumcumque gratiosa esse possit; necessario semper incumbat ei cui concessa fuit ejusmodi provisio, se se sistere præsentem ad examen Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium positum est.

Quibus regulis superius in medium adductis, a proposito nostro non erit alienum addere, ab eo cui de Beneficio aliquo fuit provisum, illud idem omnino posse resignari, *etiam possessione non adepta*, nec *Visa* obtento (*g*). Rationem rei istius suggerit D. Du Perrai: quod nempe *Visa* non magis sit de substantia gratiæ concessæ, quam instituta possessio, quæ tantummodo venit in partem ipsius exsecutionis. Atque inde est, quod in casu interitæ litis de titulo alicujus Beneficii, numquam recurratur ad diem quæ *Visa* adscribitur; sed ad ipsam tantummodo diem appositam Provisionibus, quæ fuerunt obtentæ.

(*a*) Commentar. Cleri tom. 2. part. 2. tit. 4. pag. 52. 61. & 66.

(*b*) Art. 5.
(*c*) Art. 6.

(*d*) Commentar. Cler. cit. pag. 10.

(*e*) Blondeau in Bouchel additamento ad verbum *Patronatus*. L. 91.

(*f*) Edict. ann 1695. art. 2. & 3.

(*g*) Du Perrai tract. de statu & capacitate Ecclesiasticorum. l. 7. cap. 8. n. 53.

CASUS PRIMUS.

Aichardus Acolythus, cum a tribus mensibus versaretur in Seminario Episcopali, inde fuit expulsus, ita jubente Episcopo, cui non visus est ad institutum vitæ Clericalis idoneus. Post tres ab illinc menses Antonius Parochus de S. Donato in Diœcesi præfati Episcopi, atque Acolythi ejusdem avunculus, in ipsius favorem suam Curam resignavit in Curia Romana. Cum iste cui de prædicta Cura recens provisum erat, ad Episcopum accessisset, *Visa* suum ab eodem consecuturus, atque ea de re repulsam accepisset ab Episcopo: qui etiam enuntiavit in instrumento suæ recusationis, eum nequaquam vocari ad Sacros Ordines propter perversam suam vivendi rationem, cujus etiam argumenta legitima prorsus indicat; Aichardus egit ea de caussa apud Metropolitanum, a quo Visa suum obtinuit, vi cujus statim fuit in possessionem inductus suæ Curæ. Qua de re petitur;

tur; 1. Utrum Episcopus absque injustitiæ nota potuerit Aichardo *Visa* denegare, non indicatis aliis caussis suæ recusationis. 2. Utrum Metropolitanus potuerit absque peccato eidem *Visa* concedere. 3. Num valeat Aichardus prædictam Curam recta conscientia sibi retinere.

R e s p o n s.

1. Respondemus, ab Episcopo non tantum absque injustitiæ nota potuisse Aichardo *Visa* denegari, sed etiam ex conscientia obligationem istam eidem inductam fuisse: siquidem e suo Seminario illum eumdem ejecisset tamquam sibi merito visum, ejusmodi esse, qui nullatenus a Deo ad institutum Ecclesiasticæ vitæ vocaretur. Constat etenim, cum is fuerit qui sanctissimo illo vitæ instituto foret omnino indignus, eumdem sine dubio exstitisse multo indigniorem, qui regimini integræ alicujus Parœciæ præficeretur. Nihil igitur quidquam juvat prædictum Acolythum, quod contendat, sibi prodesse provisiones quas a Romana Curia fuit adeptus: quoniam, cum a summo Pontifice non concedantur, nisi *in forma dignum*; hoc est, in forma Commissoria, ea ratione dimittitur conscientiæ Episcopi, qui easdem ratas habet ex *Visa* quod expedit, utrum is cui provisum fuit, sit indignus Beneficio, sive ex ignorantia sua, sive ex perversitate morum suorum.

2. Metropolitanus non potuit recta conscientia ab ipsa prima illius petitione, quod ipsius jam Episcopus denegaverat, Aichardo *Visa* concedere. Cum namque ex ipso recusationis instrumento manifestum fieret, eum esse moribus penitus prolapsum, adeoque indignum qui ceterorum moribus invigilaturus præponeretur, quale est officium omnis Parochi: inde judicare debuit Episcopo suum Diœcesanum multo tutius innotescere, quam ille idem poterat ipsi esse perspectum; proindeque Episcopum non falli quantum ad judicium, quod de eodem ferebat. Egit igitur contra propriæ suæ conscientiæ dictamen, simul & contra caussam Ecclesiæ, expediendo in illius gratiam *Visa* quod postulabat, & virum qui erat indignus Pastorali regimine, ea ratione fidelium Pastorem instituendo.

Diximus, *ab ipsa prima illius petitione* Visa *concedere*. Nam sic procedere primum quidem debuisse videtur, declarando nimirum Aichardo, ipsi hoc ipsum ante cetera incumbere, ut suam vivendi rationem Episcopo suo probet; & nisi intra certum quoddam tempus præfinitum innocentiæ suæ referret indicia certiora, numquam futurum, ut ab eo *Visa* suum impetraret. Quod plane concordat cum Edicto Blesensi, in quo sic fertur (*a*): *Et casu contingente, quod impetrantes prædicti reperirentur insufficientes ac minime capaces; Superior ad quem recurrent, nequaquam poterit iisdem providere, nisi habita de caussis eorum repulsæ inquisitione prævia.*

(*a*) Edict. Blesens. art. 15. Item Edict. Melodun. art. 15.

3. Inde aperte colligitur, ab Aichardo non posse Curam de S. Donato tuta conscientia retineri, cujus quidem perperam prorsus possessionem inivit vi *Visa* quod ei fuit omnino injuste concessum, ipsique obligationem induci ejusdem sine mora dimittendæ.

Primum quod sibi vindicat hæc præsens decisio fundamentum illud est: quod in iis quæ pertinent ad voluntariam jurisdictionem, Episcopus non habeat nisi Deum solum sibi superiorem. Porro tum Ordinatio, tum Ordinum recusatio omnino pertinent ad jurisdictionem Episcopi mere voluntariam. Atque hæc est doctrina quam proponunt sacrosancti Canones, & confirmat, quæ in omnibus supremis Galliarum imperii Curiis frequentatur, Jurisprudentia. Ideoque, quando quis Episcopus aliquem a sacris Ordinibus repellit, *satis ei est, quod juxta propriæ suæ conscientiæ dictamen eumdem judicet indignum, qui ad eosdem promoveatur, nec obligatur ad rationem suæ recusationis cuiquam alii, quam sibimet ipsi, referendam*, quemadmodum ait Fevretus in suo tractatu *de abusu* (*b*).

(*b*) Carolus Fevretus tr. de abusu. l. 1. cap. 1. §. 6.

Secundum fundamentum in eo repositum est, quod Metropolitanus in suos suffraganeos nullo jure gaudet, nisi quantum ad casus qui indigitantur in decretali (*c*), quam Innocentius III. inscribit Episcopo Eliensi in Anglia; nullatenus vero, *cum id non inveniatur a jure concessum*, ut loquitur Innocentius IV. (*d*). Jam vero casus in quo Episcopus aliquis repellit a sacra Ordinatione, nec in prædicta constitutione, neque alibi in jure omnino enuntiatur. Ergo Metropolitano non licet in casu de quo quæstio instituitur in proposita specie, *Visa* concedere.

(*c*) Innoc. III. in cap. *Pastoralis*. 11. de offic. judicis ordinarii. lib. 1. tit. 31.

(*d*) Innoc. IV. in cap. *Romana*. de supplenda neglig. Prælatorum. in 6. lib. 1. tit. 18.

Tandem ita definitum fuit a sacra Congregatione Cardinalium Interpretum Tridentini Concilii, in iis quæ spectant tam ad Disciplinam, quam ad mores, (*e*), requirente Cardinali Antonio Barberino, ad quem scripsit istis verbis: *Cum nullus ordinari debeat, quem suus Episcopus suæ Ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicavit; Congregatio non semel declaravit, ab ejusmodi judicio nullam dari appellationem?*

(*e*) Bullar. magn. tom. 2. pag. 111.

C A S U S II.

Cordulphus Sacerdos, cum impetravisset quoddam Beneficium Curam ex resignatione quæ in suum favorem in curia Romana confecta fuerat, adivit Episcopum Diœcesanum, ut ab eodem *Visa* suum consequeretur, & in possessionem ejusdem se se induceret. Episcopus, postquam eumdem examinavit, & ille sibi propositis circa materiam Sacramentorum 7. vel 8. quæstionibus admodum imperite satisfecit, eidem expedivit instrumentum recusationis, in quo recusationis caussam enuntiavit. Post aliquantulum tempus Cordulphus recurrit ad Metropolitanum, a quo iterum examinatus ac repertus sufficienter idoneus atque capax, *Visa* suum obtinuit, jure cujus venit in prædictæ Curæ possessionem. Num præfatus Metropolitanus recta conscientia potuit eidem, quod petebat, *Visa* concedere?

R e s p o n s.

Est hoc positum extra controversiam, quod satis non sit, ab Ordinario recusationis instrumentum verbis tantum conceptum generalioribus expediri: (1) tenetur namque juxta dispositionem Edicti Blesensis (*f*) & Edicti Melodunensis, ad caussas recusationis suæ in ipso instrumento, quod ea de re scribitur, verbis distinctis exprimendas: *quas quidem recusationis caussas eo fine Ordinariis incumbet enuntiare, atque recusationis suæ apponere inserereque instrumentis*, ferunt Edicta citata. Neque vero sufficit, easdem verbis generalioribus indicari: oportet enim præterea iisdem suæ probationes adjiciantur: eaque de caussa, quando recusatio caussam habet ignorantiæ, omnino decet prudentiam Episcopi vel ipsius Vicarii Generalis, quod scriptis mandentur responsiones ab eo datæ, cui fuit in curia Romana provisum, & iste compellatur, ad iisdem manu propria subscribendum; ac perscriptum rei gestæ actum ad ipsummet Metropolitanum mittatur. Similiter, si recusationi caussa subsit perditorum ac dissolutorum morum Ecclesiastici petentis suum *Visa*; eadem ratione necesse est, ad manum adsint illius ejusdem caussæ probationum argumenta, quæ repetantur ex quæstionibus, agente Promotore, de vita ipsius institutis; alioquin recusationis instrumentum nequaquam foret ad judiciarias formas accommodatum: siquidem non congrueret regulis dispositione Edictorum inductis, ac juxta eum morem qui apud Gallicam nostram gentem invalescit, plurimum requisitis: Atque adeo Metropolitanus non obligaretur sub pœna peccati, ad habendam ullam omnino ejusmodi instrumento rationem.

(*f*) Edict. Bles. art. 13. Edict. Melodun. art. 15.

Quo principio semel posito tamquam fidei prorsus indubitatæ, apertum est, in proposita specie recta conscientia non potuisse a Metropolitano conce-

(1) Vid. Mendo Pontas. Observ. III. num. XCIII.

fertur in instituta quæstione; si fuerit ab Episcopo in ejus instrumento scriptæ verbis distinctis causæ speciales recusationis ipsius, ab ipsoque actum sit, adhibitis prædictis cautionibus. Ratio est, quod Metropolitano jus non vindicetur, examinandi denuo eum, qui ab ipsius suffraganeo repulsus est, nisi prius compertum sit ex inspecta perscripta rei gestæ ab Episcopo ratione, causas recusationis esse injustas. Si namque causæ, quæ proferuntur a suffraganeo, nihil contineant iniquitatis; (puta, si in perscripta rei gestæ ratione feratur, Cordulphum de talibus quæstionibus interrogatum, iisdem imperite omnino satisfecisse,) Metropolitanus non debet ulterius agere; nisi, qui fuit repulsus, evincat rationem rei gestæ perscriptam a veritate penitus alienam esse; aut sibi propositas ab Episcopo quæstiones pertinere ad materias, de quibus nullius est necessitatis erudiri Parochum: adeo ut in eo tota resideat potestas Metropolitani, quando, qui repulsam accepit, perscriptam rei gestæ rationem falsi nullatenus arguit, ut appellationem de recusatione facta a suffraganeo interpositam pronunciet esse frivolam. Alioquin sæpissime contingeret, agendi rationem Episcopi, qui justæ recusationis instrumentum scripsit atque expedivit ob ignorantiæ causam, temerario prorsus atque injuste fore condemnandum a Metropolitano, qui vellet admittere repulsum post habitum denuo de ejus doctrina alterum examen; siquidem accidere facile posset, eundem, ex quo rejectus fuit, sese studio adjecisse, & factum fuisse eorum peritum, quæ tunc temporis ignorabat, cum examinandus venit in conspectum sui Episcopi.

Quæ jamjam asseruimus, plane quadrant ad eam, quæ passim in toto Gallico Regno obtinet, jurisprudentiam, ut colligitur ex istis verbis Edicti mensis Augusti anni 1539. dati a Francisco I. Villieri Gostreti (a): „ In omnibus appellationibus judicabitur, *an bene vel male*, absque eo „ quod licitum sit jubere, appellationes manere „ irritas, nisi in nostris Curiis supremis; si sic viderint expedire ex causis magnis atque urgentibus.

(a) Edict. anni 1539. art. 128.

Quod idem extendendum est ad Episcopos ad hoc delegatos a summo Pontifice, quod de Metropolitanis modo diximus. Neque enim iis licet eos admittere, qui fuerunt ab Ordinariis merito repulsi, non perpensis prius repulsæ eorumdem causis. En qua ratione ea de re habet Edictum Blesense an. 1579. cujus auctoritas a supremo Senatu comprobata est 35. Augusti 1580. quo quidem Edicto tota nititur, quæ ea de materia apud Gallos obtinet, Jurisprudentia: (b) „Qui impetraverint in „ Curia Romana Provisiones Beneficiales in forma, quæ dicitur, *dignum*, non poterunt inire „ possessionem prædictorum Beneficium, neque „ sese immiscere eorumdem reditibus percipiendis, nisi primum accesserint apud Archiepiscopum, aut Episcopum Diœcesanum ordinarium: „ iisdemque absentibus apud eorum Vicarios Generales, ut examinentur, & consequantur suum „ *Visa*, quod quidem concedere nequaquam licebit, nisi visis prius atque examinatis iis, quibus provisum fuerit.....atque casu occurrente, „ in quo præfati impetrantes reperirentur non sufficientes nec capaces, superior, ad quem recurrent, non poterit iisdem providere, nisi prius „ habita causarum recusationis inquisitione, quas „ quidem eo fine Ordinariis incumbet instrumento suæ recusationis inserere. „Cui Jurisprudentiæ consentaneum famosum Arrestum tulit Supremus Pariensis Senatus 8. Maji 1660. pronuntiando, futurum ut Officiales Metropolitanorum obligarentur ad judicandum de appellationibus juxta præscriptum Edicti, *an bene, vel male appellatum fuerit*, absque eo quod possint jubere, ut ad defensionem agatur, nec causæ sibi cognitionem adsciscere. Tandem consentit hæc nostra decisio iis, quæ fuerunt a S. Carolo Borromæo in ipsius Concilio Provinciali Mediolanensi quarto (c) decreta.

(b) Edict. Blesens. art. 12. & 13.

(c) Conc. Mediol. IV. part. 2. tit de benefic. collatione et provisione.

CASUS III.

Cleonicus Bellicensis Episcopus, cum ei justa causa subesset dubitandi de probitate morum Alphonsi, qui apud eum accessit consequendi gratia suum *Visa*: ut sese induceret in possessionem Curæ cujusdam, de qua fuit ei Romæ provisum *in forma dignum*, hoc est, *in forma commissoria*, judicavit prorsus expedire, ut antequam illud idem ei concederet, juberet, eundem sese in ipsius seminarium, ad spatium usque mensium octo, recipere. Alphonsus, qui in rei veritate Sacerdos est moribus omnino inculpatis, quique non venit in suspicionem dissolutæ vivendi rationis ex falsa suorum adversariorum criminatione, num in eo casu obligatur ad obediendum jussis Episcopi sui, atque veniendum in periculum amittendi sui Beneficii, ut reipsa veniret, si suus resignans etiam num suæ Curæ remanens possessor intra sex menses decederet, antequam ipse possessionem ejusdem inivisset, & nonne ea de re potest agere apud Metropolitanum?

Respons.

Nequaquam potest Alphonsus se ab exequendis jussis Episcopi sui, subducere. Quanquam enim omni culpa careat, nihilominus Episcopus jure potest sese facere de probitate morum illius certiorem, eundemque probare atque intus & in cute explorare in suo seminario, cum hujusmodi rationem aliunde legitimam atque ordinariam ipsi prorsus liceat & prudentissime quidem in ejusmodi rerum circumstantiis adhibere.

Metus, quo angitur, ne sese subiiciens prædictis jussis, & vitam degens ab omni negotiorum ambage remotam in Seminario per spatium octo mensium, beneficio suo cadat; nullo fundamento penitus innititur; Verum namque est, requiri resignationem de beneficio aliquo confectam intra sex menses fuisse promulgatam juxta regulam Cancellariæ Romanæ, *de publicandis*; sed non est absolute necessarium, promulgationem istam fieri ex instituta beneficii possessione: Satisque est, quod ex certis indiciis evincatur, possessioni ejusdem ineundæ obstitisse legitimum aliquod impedimentum, & opportuno tempore fuisse postulatum *Visa*, eo fine, ut ad ineundam possessionem perveniretur: quod quidem facili negotio potest Alphonsus evincere, petendo ab Episcopo sibi provideri de testimonio literis ipsius consignato, quo fides fiat, ab ipso *Visa* fuisse postulatum: quod testimonium ei non potest nisi prorsus injuste denegari, atque sic sese eripiet periculo, quod sibi imminet ex regula modo citata, quæ juxta sententiam communem Gallicanorum Jurisconsultorum nullam aliam importat obligationem, nisi resignationis intra sex menses publicandæ, & petendi fieri facultatem veniendi in possessionem Beneficii, de quo provisum fuit, ut vel ex ipsis citatæ regulæ verbis habetur, in qua sic legitur: *Nisi.... possessio illorum ab eis, quos id contingit, petita fuerit* (d): Adeo ut Alphonso præ se ferenti ejusmodi testimonium, quo Episcopus fidem facit, eum apud sese accessisse, & petiisse *Visa*, ut posset in possessionem Curæ, de qua quæstio est, induci; satis futurum sit, ad publicandam resignationem, quæ de eadem in ipsius favorem fuit confecta, licet ipsius resignans etiam ante decederet quam fuisset de possessione Curæ prædictæ dimotus (e).

(d) Reg. de publicandis Resignat.

(e) Du Casse praxis Jurisdict. Ecclesiast. volunt. cap. 5. § 1. n. 4.

CASUS IV.

Reinierus Sacerdos de Diœcesi Burdigalensi, cui fuit in Curia Romana de Cura Sancti Godardi provisum, cum non potuisset ab Archiepiscopo *Visa* suum consequi, quoniam, ait, animum gerit ab illo prorsus aversum atque abalienatum, licet ea de re nullam ei causam injecerit; obtinuit a Supremo Senatu Arrestum, quo sit eidem copia recurrendi ad primum, qui sese obtulerit intra Jurisdictionem præfati Parlamenti, Episcopum, ad illud idem obtinendum. Vi cujus Arresti adeptus est

suum *Visa* a Vicario Generali Episcopi, ad quem acceessir, & venit deinde in possessionem prædictæ Curæ. Num ipsius *Visa* sufficientis est auctoritatis, &, quam instituit, possessio Canonibus-ne consentanea est?

R e s p o n s a.

Quod Reinierius adeptus est, visa nullius roboris est, nec auctoritatis, nec, quam inivit, possessio ullatenus Canonica. Ratio est, quod, quando recipitur aliqua repulsa ab Episcopo Diœcesano circa aliquod Beneficium, inducatur obligatio agendi ex rationibus jure præscriptis apud ipsius Superiorem, ut constituitur non modo Regiis diplomatibus Caroli IX. sexii Aprilis 1571. (a) Verum etiam Edictis tum Blesensi (b), tum Melodunensi (c) mensis Februarii 1580. cujus auctoritas posterioris Edicti in Parisiensi Parlamento fuit 8. Martii sequentis comprobata, quodque datum est occasione querelarum ac plurimarum suasionum Conventus Cleri Gallicani, acti Meloduni anno 1576. ,, Prohibemus, ait Henricus III. in Edicto Blesensi (d), nostris Curiis ,, Parlamentorum, & aliis auctoritate nostra constitutis Judicibus, ne cogant Prælatos, aliosque Ordinarios Collatores ad concedendas provisiones de Beneficiis pendentibus e suis Collationibus, sed potius Volumus, ut partes remittant ad Superiores prædictorum Prælatorum ,, atque Collatorum, ut coram iisdem agant juxta formulas ipso Jure constitutas. ,, Quam eandem Disciplinæ dispositionem Ludovicus XIII. auctoritate sui Edicti anni 1629. confirmavit. Cui consentit Decretum Comitiorum generalium Cleri annorum 1635. & 1636. roboratum Arresto Secretioris ac Sanctioris Consilii pronunciato 6. Martii 1649. ac Declaratione quadam mense Februarii 1657 promulgata.

Atqui nec Vicarius Generalis Episcopi, de quo sermo fit in proponenda quæstione, nec ipsemet Episcopus Metropolitano sunt Superiores constituti, siquidem nullus eo Superior fit nisi Primus, aut summus Pontifex. Non ergo potest, nisi aperte pessumdatis ac penitus eversis Ecclesiasticæ Disciplinæ institutis, concedere ejusmodi *Visa* sub prætextu, quod fuerit a supremo Provinciæ Senatu vel jussum, vel permissum. Nam, ut jamjam advertimus, Rex non intendit, supremos Senatus id arrogare sibi, ut ejus generis Arresta ferant, quibus perturbatur atque ad nihilum redigitur illa Ordinatio, quæ ab Ecclesia inducta est, & per omnia retro sæcula perseveravit. Eaque de causa Ludovicus Magnus infirmavit, atque irritum esse voluit Arresto sui Consilii 4. Februarii 1667. Arrestum, quod fuerat 17. Martii 1663. a Supremo Burdigalensi Senatu pronunciatum, quo prædictum Parlamentum remittebat Ecclesiasticum quemdam, qui fuerat ab Episcopo Lemovicensi rejectus, ad primum intra limites suæ Jurisdictionis occurrentem Episcopum; Et aliud Arrestum ejusdem Supremi Senatus 15. Novembris 1664. quo jubebatur ut quidam, cui fuerat Romæ provisum, quique tum ab Episcopo Sarlatensi, tum a Metropolitano deinde repulsam, quantum ad *Visa* pertinens ad Curam, passus erat, contra prædictorum recusationes ageret apud primum occurrentem Sacerdotem, qui foret insignitus aliqua dignitate, ad illud idem obtinendum; ac tandem tertium aliud Arrestum ejusdem Parlamenti 23. Februarii 1670. quo prorsus idem pronunciabatur, eodem modo fuerunt infirmata ac nulla declarata Arresto Regii Consilii 13. Martii ejusdem anni, & altero Arresto 11. Julii sequentis & 15, cui provisum fuerat, remissus, post acceptam repulsam a Metropolitano Archiepiscopo Burdigalensi, ad Papam, tanquam ad solum, qui Primatibus Superior legitimus præponitur. Indeque tandem coactum est prædictum illud Parlamentum, ad pronuncianda sua Arresta secundum præfatam Jurisprudentiam inductamque quidem auctoritate Regiorum Edictorum, Secretiori vero ac Sanctiori Consilio Regis postmodum confirmatam. Ex quibus omnibus inferimus, Reinierum nullatenus sese posse juvare iniquo illo Arresto, quod obtinuit; neque ei superesse aliud appellationis perfugium, nisi quod Romam ea de re recurrat. (e)

C A S U S V.

Carolus consecutus Provisiones Decanatus de Metropolitana Turronensi Ecclesia vi resignationis, quam de eadem in favorem ipsius Avunculus suus in Curia Romana præstiterat, in possessionem illius sese induxit jure visa, quod sibi super præfatas Provisiones fuit a Capitulo concessum. Num legitima sunt tum istud visa, tum, quæ jure illius consecuta est, possessio?

R e s p o n s a.

Constat, a prædicto Capitulo sumptum atque vindicatum sibi fuisse jus, quod solius Archiepiscopi, ceteris omnibus exclusis, proprium est. Atque ita manifestum habetur ex perscripta rerum gestarum ratione in Comitiis generalibus Gallicani anni 1700. in qua refertur Arrestum Supremi Senatus Parisiensis pronunciatum 30. Decemb. 1696. quo declaratur, occurrere inordinatum prorsus atque perversum abusum in Capitulari Conclusione, & *Visa*, quod a Capitulo de Metropolitana Ramensi Ecclesia fuerat concessum cuidam dicto Nicolao Bachelier Doctori Sorbonæ, atque Remensi Canonico, oblatis Provisionibus, quas præfatus consecutus erat in Curia Romana de Decanatu prædictæ Ecclesiæ, & jubetur, ut iste, cui recenter provisum fuerat, accessurus sit ad illustrissimum Archiepiscopum, quo ab eodem, oblatis iterum memorati Decanatus Provisionibus, obtineat suum *Visa*, vi cujus ipsi eidem incumbet, sese denuo installare, atque venire rursum in alteram ejusdem suæ dignitatis possessionem (f).

(a) Art. 53.
(b) Edict. Blesens. art. 64.
(c) Edict. Melodun. art. 15.
(d) Edict. Ludovici XIII. art. 22.
(e) Du Casse prax. Jurisdict. Ecclesia. volunt. cap. 5. § 5.
(f) Perscript. rerum gestarum a Clero Gallican. ann. 1700. pag. 124.

Vide (Examen.)
(Graduatus.)

UNIO BENEFICIORUM.

JUXTA usum Canonico Juri familiarem appellatur *Unio Beneficiorum*, unius Beneficii ad alterum adjunctio accedens auctoritate vel summi Pontificis, vel Episcopi, ut unum ex utroque conficiatur.

Jure Decretalium duæ species unionum admittuntur. Una quidem, quæ instituitur ad tempus tantummodo, atque in gratiam ipsiusmet Beneficiarii, & ejus morte solvitur. Altera, quæ solo usu recipiuntur in Gallia, conficitur in perpetuitatem, nec locum obtinet nisi in gratiam utilitatis Ecclesiæ communis.

Triplici ratione diversa constitui potest unio Beneficiorum. Prima quidem: quando de duobus Beneficiis unum duntaxat conficitur. Secunda vero: cum una Ecclesia subjicitur alteri, cui fit ex unione quasi quodammodo adventitia.

Tertia

Digitized by Google

Tertia tandem est, quando duarum Ecclesiarum secum invicem justarum unicuique sua propria bona, sua jura, suæ qualitates, suorumque privilegiorum prærogativæ reservantur: Puta, quando utraque Ecclesia rationem habet Parœciæ, & eadem Parœciæ conditio utrique remanet eodem modo, quo antea: Atque ejusmodi est Parœcia vulgo dicta, *Chezy--l'Abbaye*, remota duas circiter Leucas citra Castello. Thierium in Diœcesi Suessionensi, in qua diebus hodiernis extant Ecclesiæ duæ, quibus olim, atque etiam num duabus simul competit ratio ac conditio Parœciæ; quarum utrique sua est Fabrica, suum proprium ærarium, suique æditimi distincti, & in quibus singulis diebus Dominicis Parochus solet res Divinas vicibus alternis peragere. Occurrunt infinita prope modum unionum istius generis exempla, etiam Ecclesiarum Episcopalium, præsertim in Italia. Ea de re potest unum Exemplum haberi ex Gratiani Decreto, in quo sermo fit de quadam ejusmodi unione, quæ fuit a S. Gregorio Magno confecta (*a*).

(*a*) S. Greg. in Can. Ex tempore. 48. 16. q. 1.

Unio Curarum, Præbendarum, aliorumque simplicium Beneficiorum, jure pertinet ad Episcopum Diœcesanum, ut præscribunt Edicta, atque inter alia, Edicta Aurelianense (*b*), & Blesense, (*c*) ac declarat etiam Concilium Tridentinum (*d*), a quo frustra prorsus habentur Episcopi, quantum ad ejusmodi functionem, ut delegatam a summo Pontifice Jurisdictionem exercentes; si quidem in ejusmodi functionibus peragendis jus occurrat, quod independenter a Papa proprium omnino est Episcopalis Dignitatis, quemadmodum ipsemet Cœlestinus III. verbis prorsus conceptis fatetur (*e*).

(*b*) Art. 16.
(*c*) Art. 22. & 23.
(*d*) Concil. Trid. sess. 21. c. 5. de refor.
(*e*) Cœlestin. III. in cap. Sicut unire 8. de excessibus Prælator. lib. 5. tit. 31.

Quamcumque Beneficiorum unionem, ut obtineat, præcedere debet inquisitio, quæ dicitur *de commodo, & incommodo*, habita juxta solemnitatum formulas, quæ veniunt in ejusmodi casibus de more servandæ. Qua de causa unio Ecclesiæ S. Saturnini de urbe Carnuto cum Capitulo, quæ jussa fuerat ab ipso etiam Sixto IV. anno 1475 non habita prævia prædicta inquisitione, nec vocatis neque Episcopo, neque Parœcianis, abusiva atque nulla declarata est Arresto supremi Senatus Parisiensis 24. Martii 1664. ita postulante viro Clarissimo Talon Advocato Regio generali, (*f*) præterquam quod liceat nunquam sub quocumque causæ prætextu Curam ullam cum aliquo Capitulo unire: Cum uniones ejusmodi secundum eam, quæ frequentatur in Gallia, Jurisprudentiam penitus improbentur, quemadmodum apertum est ex Arresto quodam ejusmodi supremi Senatus 23. Februarii anni superius memorati, quo tanquam abusiva denunciata est unio Curæ de SS Petro & Paulo urbis Lingonarum, cum Capitulo de Cathedrali Civitatis ejusdem Ecclesia (*g*). Uno denique verbo, ac loquendo generaliter nulla Romana Rescripta in Galliarum Imperio consueverunt unquam admitti, quæ expediuntur *in forma gratiosa*, quantum ad materiam unionis Beneficiorum, sed illa tantummodo, quæ scribuntur *in forma commissoria*, & in quibus exequendis servantur omnes formulæ Regni ipsius usu requisitæ ac quadam quasi ratione consecratæ, quemadmodum docet Chopin (*h*): Adeo ut necessario oporteat, ejusmodi Rescripta de conficienda unione, viris Ecclesiasticis inscribantur, qui sint in Dignitate constituti, ex Gallia oriundi, aut donati saltem Francorum jure, & habeant suum domicilium intra limites Jurisdictionis Parlamenti, ac Diœceseos, in quibus posita sunt Beneficia, quæ sunt unienda, quemadmodum observatur ab eodem Chopin (*i*) & du Luc (*k*) *citatis a Blondaqua in Bouchel*; (*l*) ac tandem ad eandem unionem conficiendam vocentur Patroni, generatimque alii omnes, quorum ipsa potest interesse, quorum quidem numero Titulares non accedunt: quoniam ex unione non privantur facultate suis beneficiis gaudendi, quandiu vixerint, siquidem ipsa unio non ante incipiat obtinere, quam ipsi decesserint.

(*f*) Ephemerid. Audientiarum. tom 2. l. 6. cap. 22. pag. 645.
(*g*) Idem to. 2. L. 6. cap. 15.
(*h*) Chopin. de sacra Polit. lib. 3. tit. 5. n. 16.
(*i*) Ibid. tit. c. n. 14.
(*k*) Du Luc. Placit. 11.
(*l*) V. unio.

Est penes solum Papam unire sedes Episcopales, & Beneficia consistorio Pontificio subjecta. Cujus rei ratio est, quod eorumdem ab eo duntaxat Bullæ concedantur, seu Provisiones, quod ita fuit famoso Concordato constitutum, ac deinceps sic locum consecutum est, adeoque plurimum congruat, eorumdem unionem ipsi soli, ceteris quibuscumque Prælatis, atque vel ipsis etiam legatis *a latere* exclusis, reservari.

Solus etiam potestatem habet, unum ordinem Religiosum uniendi cum alio, aut duos Religiosos Ordines disjungendi: at vero res ista nequaquam tentari potest, nisi prius Princeps ea de re monitus fuerit, ac ipse eidem consentiat; quod quidem cum Innocentius VIII. omisisset in unione, quam jussit ordinis S. Lazari cum Ordine Melitensi, data ea de causa Bulla 28. Martii 1490. Procurator Regius generalis ab

eadem

eadem Bulla tanquam ex abusus gravamine interposuit appellationem, quæ supremo Parisiensi Senatui fuit prorsus comprobata, ut testatur Du Luc (a).

Episcopali sede vacante, jure gaudet Capitulum conficiendæ unionis; quoniam unio nihil aliud est, quam actus Jurisdictionis Ordinariæ quæ ad ipsum devolvitur Episcopi Diœcesani, *quia ea, quæ sunt Jurisdictionis, ad Capitulum, sede vacante, transeunt*, ait Rebuffus (b).

Non potest Episcopus, quæ suæ jurisdictioni non sunt obnoxia Beneficia unire, nisi *cum consilio & assensu Abbatum*; ut loquitur Clemens V. (c) Observandum etenim est, licet isthæc Monasteria privilegium sibi vindicent immunitatis, eorum unionem non posse confici ab ipsis Abbatibus, sed a solo duntaxat Episcopo, quemadmodum de eo consentit Auctor Glossæ: (d) Nisi faveat Abbati vel aliquod Privilegium, vel aliqua consuetudo legitime præscripta: quo quidem in casu ex ipsa unione nihil quidquam incommodi potest accedere Episcopo, quantum ad jus jurisdictionis, quod in beneficiis unitis possidet.

Unio Beneficiorum simplicium non potest ab Episcopo fieri in gratiam mensæ Episcopalis, nec mensæ Capituli etiamsi consensus ipsiusmet. Capituli disertissimis verbis unioni prædictæ accederet. *Quod si Episcopus, sui etiam Capituli accedente consensu, mensæ suæ, vel Capitulo aliquam duxerit Ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decernimus & inane, contraria quavis consuetudine non obstante*: quæ ipsissima sunt verba cujusdam Constitutionis datæ a Clemente V. in Concilio generali Viennensi; (e) *nec* (enim) *in sua causa potest quis esse Judex* (f).

Potest equidem una Commenda Melitensis uniri cum alia Commenda, nequaquam vero cum ullo Beneficio; cum ejusmodi Commendis ratio non insit veri nominis Beneficiorum, sed simplicium duntaxat Administrationum, ut observat Fevretus. (g)

De præsenti denique materia finem dicendi facimus, addendo, non posse Beneficium aliquod liberum uniri cum alio Beneficio, quod pertineat ad Laicum Patronatum, siquidem inde plurimum Ecclesia gravaretur, amittendo nimirum Beneficium, quod ex vi ipsius unionis ejusmodi transiret ad nominationem Patroni Laici, nequaquam obstante ac contra definiente Concilio Tridentino: *sicut legitima patronatuum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est, sic etiam, ut hoc colore beneficia Ecclesiastica in servitutem.... redigantur, non est permittendum* (h).

(a) Du Luc placitorum. l. 2. Arresto. 2.

(b) Rebuff. prax. Benefic. tit. de unionibus Benefic. n. 36. & ad tit. de devolutionib. n. 100.

(c) In Clementina. Ne in agro. 1. §. 6. de statu monachorum lib. 2. tit. 10.

(d) Gloss. in Clement. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis. v. Proprii.

(e) Clement. Si una. 2. de rebus Eccles. non alienandis v Episcopum. l. 3. tit. 4.

(f) Gloss. in Can. De occidendis. 8. 23. q. 5. v Professe.

(g) Fevret. tract. de abusu. l. 3. cap 4. n. 30.

(h) Concil. Trid. sess. 25. c. 9. de refor.

CASUS PRIMUS.

LAURENTIUS Decanus de Ecclesia Cathedrali de Balbastro, filius fratris, vel Sororis Episcopi nominis ejusdem Civitatis, sic egit apud suum Avunculum, ut obtinuerit, unionem fieri Prioratus cujusdam octingentarum librarum census annui, cum suo Decanatu, ex quo singulis annis accipit ultra quatuor millia librarum: qua quidem unione interveniente, absolutum fecit Episcopum a solutione quingentarum librarum, quæ ipsi incumbebat annis singulis præstanda, tanquam supplementum annui reditus, qui Decano debetur ab Episcopo jure donationis ejusdem valoris summæ quondam exhibitæ ab uno quodam Episcopo ex ipsius Antecessoribus. Qua de re quæritur, utrum prædictus Episcopus potuerit, recta conscientia, præfatam unionem jubere posita ista conditione?

RESPONS.

Fatemur equidem, posse prorsus ab Episcopo uniri duo Beneficia juxta Canonicas institutiones, ut patet ex Decretali quadam Cælestini III. (i) qui sic habet: *Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earundem*. Cui Laudato summo Pontifici consonat Tridentinum Concilium (K) cujus Decretum Edicto Blesensi acceptatum est (l)?

Quoniam vero secundum Doctrinam Apostolicam (m) non potest Episcopus uti sua potestate, nisi in ædificationem & commune bonum Corporis Mystici Jesu Christi, quod est Ecclesia; non licet ei jure potestatis suæ gaudere ad unienda duo Beneficia, nisi cum ita expedit necessitati vel utilitati ipsius ejusdem Ecclesiæ. Porro nec necessitatem, nec utilitatem Ecclesiæ quidquam juvat unio, de qua quæstio est in specie proposita; siquidem manifestum sit, Episcopum de Balbastro non consensisse conficiendæ prædictæ unioni, nisi propter privatum suum commodum, nec ab eodem Ecclesiam, in jubenda ejusmodi unione, titulo uno spoliari, nisi ut propriis suis rebus consulat, quod omnino improbandum est, atque crimen etiam omnino olet Simoniæ. Non est ergo, unde merito contendi possit, istam unionem consentire Canonicis institutis: Præter quam quod Decano de Balbastro, qui de Beneficii sui reditibus percipit ultra quatuor librarum millia pensionis annuæ, suppetat plusquam abunde, unde Ecclesiasticus ejusmodi censeatur posse se ea ratione honeste sustentare, quæ decet quemcumque alium Beneficiarium.

(i) Cælestin. III. in cap. Sicut S. de excessibus Prælatorum. lib. 3. tit. 3.

(k) Concil. Trid. sess 14. c. 9. de refor. & sess. 24. c. 13. de refor.

(l) Edict. Blesens. art. 22. & 23.

(m) 2. Cor. 10. 8. & c. 13. 10.

CASUS II.

ROMANUS Gratianopolitanus Episcopus univit cum suo Seminario, quod instituit in ejusdem nominis Civitate, Prioratum quemdam simplicem regularem, sola sua privata auctoritate, nullatenus implorato Papæ suffragio. Canonica-ne est ejusmodi unio; Potuitque-ne eandem recta conscientia constituere?

RESPONS.

Canonicis Regulis prædicta unio consentanea est, eamque prorsus instituere potuit Episcopus, absque eo quod opus ulla ratione ei fuerit Romam recurrere, nec obtinere a summo Pontifice Bullam, ut eadem rata efficeretur. Quod probari potest plurimis rationum momentis.

Primum est, quod Concilio Tridentino (n) permittatur ac libera relinquatur Episcopis unio Benefi-

(n) Concil. Trid. sess. de reform. c. 18.

neficiorum simplicium in gratiam Seminariorum, sive sæcularia sint, sive regularia. *Nec non Beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis & dignitatis fuerint:..... huic Collegio applicabunt & incorporabunt* Episcopi. Quæ ipsissima sunt præfati Concilii verba, quibus regularia perinde ac sæcularia Beneficia continentur.

(a) *Edict. Blesens.* art. 24.

(1) Secundum est, quod Edictum Blesense (a) faciat Episcopis eamdem facultatem quantum ad eorum Seminaria, ne quidem exceptis Beneficiis simplicibus regularibus, dicendo verbis generalioribus, eosdem prorsus posse suis Seminariis instituendis atque dotandis unione Beneficiorum providere. En ipsissima verba laudati Edicti: *Quoniam institutio Seminariorum ac Collegiorum, quæ inducta sunt in aliquibus Episcopatibus prædicti nostri imperii in educationem juniorum, eorumque institutionem tam quantum ad bonos mores & sanctiores litteras, quam quantum ad divinum cultum, plurimum Ecclesiæ profuit .... Admonemus, ac nihilominus injungimus Archiepiscopis & Episcopis, ut ejusmodi Seminaria atque Collegia in suis Diœcesibus erigant atque instituant, ac eorumdem formæ, qua ratione magis expedire visum iisdem fuerit, consulent, prout congruet necessitati ac conditioni locorum, iisdemque dotandis atque instituendis provideant unione Beneficiorum, pensiones assignando, seu qualibet alia ratione quam recte ipsi quoque judicabunt, prædictis rerum circumstantiis magis congruere.*

Tertium est, quia *consuetudo approbata*, quæ, auctore Innocentio III. (b) *optima est legum interpres*, omnino favet prædicto Disciplinæ capiti. Siquidem Episcopi quotidianæ possessionis jure gaudeant, conficiendarum ejusmodi unionum, atque is usus in Regno invalescat; ut iidem non obligentur ad unienda simplicia tantummodo Beneficia de quibus solis loquitur Concilium, cum suis Seminariis; sed etiam Beneficia regularia licet conventualia.

(b) Innocentius III. in c. *Cum Dilectus.* 8. de consuetudine lib. 1. tit. 4. Item. Leg. *si de interpretatione*. 37. ff. de Legibus &c. lib. 3. tit. 3.

Cujus quidem rei suppeditantur nobis exempla duo omnino famosissima. Primum est unio mensæ conventualis atque Officiorum Cœnobiricorum de Abbatia Sanctæ Quiteræ du Mas, cum Atyrensi Seminario vi Regiorum Diplomatum ab ipso Rege concessorum mense Augusti anni 1645. Alterum est institutio Seminarii Macloviensis, cui Episcopus addixit mensam conventualem, Officia Cœnobitica atque ædificia Abbatiæ de *S. Meen* ex privilegio Regiorum Diplomatum mensis Martii 1646.

Præter isthæc duo citata exempla, quæ referuntur a quodam magni nominis Theologo, & repetuntur ex Commentariis Cleri (c), in quibus eadem nobis ipsismet ibidem legentibus etiam occurrerunt, ab eodem (d) allegatur adhuc aliud ea de re exemplum, de quo citata Commentaria (e) faciunt mentionem occasione Seminarii, quod Illustrissimus felicis memoriæ Nicolaus Colbert Episcopus Lucionensis animo quondam destinaverat instituere in urbe sua Episcopali, aut in Vico qui vulgo dicitur *des Moutiers*, vi Regiorum Diplomatum mensis Julii 1663. comprobatorum in suprema Curia 13. Augusti ejusdem anni; quibus ferebatur, si illud instituerer in præfato Vico, futurum, ut ei liceret, eidem adjungere Prioratum, Curam, Sacrarium atque alia Beneficia fundata in Ecclesia loci ejusdem.

(c) Commentaria Cleri tom. 1. part. 3. cap. 6. art. 22. & 18. pag. 302. & 310.
(d) Sambovios tom. 1. casu 139.
(e) Ib. art. 21. pag. 319.

Quæ decisio potest confirmari una quadam Decretali, quam jam citavimus in solvenda proposita primo loco difficultate, & quæ auctorem habet Cælestinum III. scribentem ad Episcopum Faenzensem in Romandiola, in qua laudatus summus Pontifex nullam adhibet omnino distinctionem inter Beneficia sæcularia aut regularia, cum verbis generalibus sic declaret (f): *Sicut unire Episcopatus atque potestati subjicere alienæ, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur: ita Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earumdem.*

(f) Cælestin. III. in cit. cap. *Sicut*. 8. de excess. Prælat.

Est autem operæ pretium observare. 1. Non posse ab ullo Episcopo sub quocumque ullo prætextu Beneficium ullum uniri, nisi istud idem intra ipsius Diœcesim sit constitutum, quemadmodum decrevit Tridentinum concilium (g) sequenti decreto: *Ut Ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesum fiat... Beneficia unius Diœcesis, etiamsi Parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, si aut simplicia Beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum Beneficiorum, aut alia quacumque de caussa, alterius Diœcesis Beneficio, aut Monasterio seu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuo non uniantur.*

(g) Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 9.

2. Si Patronus a quo pendet regulare Beneficium, non concensisset unioni nisi sub beneplacito summi Pontificis, futurum nihilominus, ut Episcopus posset illius ejusdem unionem instituere: absque eo quod ei quidquam opus foret Pontificia auctoritate. Conjiciendum namque est, istam clausulam a Patrono non appositam fuisse, nisi propterea quod putaverit, necessarium esse Bullam Romanam eam ob rem obtineri, utpote qui non esset eorum peritus, quæ pertinerent ad potestatem Episcopi; non vero quod intenderit non alia conditione præbere consensum unioni, nisi ut ipsa eadem a summo Pontifice tantum conficeretur; cum non ipsius arbitrio permittatur, ut potestatem ordinariam Episcopi limitibus iniquioribus circumscribat, aut quacumque ratione restringat (h).

(h) Sambovius tom. 1. Casu 183.

CASUS III.

Quidam Prioratus simplex 1000. librarum annui reditus ab antiquo quidem tempore regularis, sed ab omni hominum memoria possessus a Titularibus sæcularibus, a 30. fere circiter annis ab Episcopo Diœcesano, adhibitis omnibus solemnitatum formulis requisitis, unitus fuit cum Seminario Diœcesis in qua positus est. Abbas Commendatarius & Religiosi de vicina quadam Abbatia præfati Prioratus, in quem jura quædam sibi vindicabant, eidem unioni conficiendæ suum præbuere consensum; apposita tamen ista conditione, ut Seminarium singulis annis in perpetuitatem persolveret Abbatiæ modium unum tritici, cujus pretium juxta communem regionis istius æstimationem, assurgit ad libras usque 60. per modum compensationis jurium ac prætentionum, quæ possent habere quantum ad dictum Prioratum, vi cujusdam commutationis instrumenti anni 1300. (sic refert clausula, quæ transactioni accessit, de qua Religiosos inter, ac Seminarii Rectores tunc temporis conventum est; cum unio prædicti Beneficii fuit instituta). Titularis quoque consensit prædictæ unioni, resignato suo Beneficio, ac de reditibus prædicti Prioratus retenta sibi librarum 700. pensione. En qua ratione se res habet. Verum ut iis unde nodus difficultatis reperitur, uberior intelligentia afferatur, tria potissimum adjungenda sunt.

Primum quidem, quod jura quæ Religiosi præfati sibi vindicabant in Prioratu, nullo fulcirentur alio fundamento, quam titulo confecto ann. 1300. de quo jamjam habuimus mentionem, cujus absque ullo prævio examine veritas a Superioribus ac Rectoribus Seminarii tamquam fidei prorsus indubitatæ admissa est eo tempore, quo agi cœptum fuit de conficienda unione, & inter eos ac Religiosos locum obtinuit transactio: ex qua hypothesi contigit, ex fundamento ejusdem bonæ fidei, clausulam memoratam, decreto unionis ab Episcopo Diœcesano pronuntiato, atque Diplomatibus Regiis quibus rata eadem effecta est, fuisse eadem ratione insertam: sed ab aliquibus annis, cum lis suborta fuisset Religiosos inter ac Seminarium propter aliquid ab iis novatum in ipso territorio Prioratus, exhibuerunt in judicio suum titulum anni 1300. quem quidem penitus suspectum Rectores Seminarii, & eorum Advocatus repererunt a veritate sic alienum, quin etiam fabulæ rationi sic propius accedere, ut illud instrumentum arguere falsi nequaquam dubitaverint; adeo ut Religiosi non ausi fuerint illud idem verum asserere, & ipsum rejectum fuerit ut fictum ac commentitium Arresto supremi Senatus, ad quem caussa delata fuerat, & a quo pro Seminario pronuntiata ac plane judicata est.

Secun-

(1) Vide *Menda Pontas*. Observ. III. num. XCV.

Secundum: quod jura quæ Religiosi sibi vindicabant circa dictum Prioratum, & quæ in medium adduxerunt loco fundamenti, ut instrumento unionis adscriberetur clausula reditum modii tritici, nonnisi reponerentur ante transactionem in simplici jure se se restituendi in Prioratum, aut saltem in jure eumdem conferendi, occurrente ipsius vacatione. Quod usque adeo verum est, ut constet, antequam unioni constituendæ consenserint, nullum de dicto Prioratu perciperent nec reditum, nec quidquam temporalis commodi.

Tertium: quod unio instituta sit non ex ulla Bulla summi Pontificis, sed ex decreto Episcopi Diœcesani, in quo sermo fit de prætenso isto reditu vi fundamenti prædicti tituli 1300. qui tunc temporis fuit a Religiosis dumtaxat productus, neque ulla ratione discussus neque a Rectoribus Seminarii neque ab ipso Episcopo, ut jam fuit observatum. Quibus de caussis quæstiones sequentes instituuntur.

1. Utrum clausula inserta instrumento unionis non sit simoniaca, nec dissentiens tum Canonibus, tum Edictis?

2. Utrum, posito quod prædicta clausula sit simoniaca, consensus unioni datus tum ab Abbate Commendatario, tum a Religiosis nihilominus valeat, aut nullius nec momenti sit nec effectus?

3. Utrum, posito quod prædictus consensus nihil quidquam valeat, unio consequenter nulla sit?

4. Utrum decretum unionis ab Episcopo confectum, licet auctoritate Regiove diplomate confirmatum, in quibus mentio habetur de clausula debiti modii tritici, nullius quoque roboris sit nec pretii?

5. Utrum tandem, posito, quod prædicta omnia sint prorsus irrita, non sufficeret, quod obtinerentur Litteræ rescissionis, quibus infirmaretur clausula debiti modii tritici, ut unio Prioratus cum Seminario intacta totaque nihilominus servaretur?

R e s p o n s.

Est hoc supra omnem omnino controversiam repositum (*a*), quod quæcumque unio Beneficii alicujus accedens sive alteri Beneficio, sive alicui Seminario, sit prorsus abusiva ac nullius pretii:

1. Quando nulla cogente necessitate, nullave requirente Ecclesiæ utilitate, fuit instituta.

2. Cum in eadem conficienda non sunt servatæ formularum solemnitates, quæ tum Canonibus, tum usibus Regni præscribuntur.

3. Quando instrumentum unionis confectæ labem continet simoniæ.

Jam vero manifeste deprehenditur, transactionem, quæ accessit Religiosos inter ac Seminarii moderatores, esse plane simoniacam: siquidem tum prædicti Religiosi, tum eorum Commendatarius Abbas non præbuerint suum consensum instituendæ prædictæ unionis, nisi exigendo censum annuum modii tritici, sub prætextu conficti ac supposititii cujusdam tituli anni 1300. in quo ne quidem ulla mentio occurrit de prætenso illo censu, & cujus falsitatem ipsimet exploratam habuerunt; siquidem id eo usque non fuerint, ut eumdem verum assererent, postquam eum in judicio non dubitaverunt etiam proferre, in quo tamquam spurius repudiatus est in decursu litis iniquioris, quam Seminario intulerant. Est ergo unio prædicta vitiosa prorsus ac nulla, neque potest unquam corrigi, neque valida fieri ex possessione Beneficii uniti, quam Seminarium sibi vindicat ab annis 30. cum vitium simoniæ tegi non possit ex lapsu temporis etiam omni hominum memoria antiquioris: aliunde vero ista possessio non innititur, nisi commutationis instrumento, quod aperte habetur ut falsum ac supposititium: nullum proinde potest effectum consequi, nec inducere præscriptionem, licet etiam ad annos ultra 40. se se extenderet. Atque ita docetur illa regula Juris, quam Bonifacius VIII. mutuatus est ex Lege Juris Romani, quæ sic fert: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit* (*b*). Cui regulæ potest adjici ista alia, qua eadem veritas asseritur: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi* (*c*). Quod etiam idem habet S. Gregorius citatus a Gratiano. (*d*) Unde inferendum est: siquidem in casu de quo agitur, transactio sit nulla propter vitium simoniæ quod continet; decretum Episcopi, Regiaque Diplomata nullius quoque esse momenti, adeoque ipsam unionem nullius etiam esse nec pretii, nec roboris: quoniam ut fertur in alia Regula Juris Canonici: *Cum eo quod probibetur, probibentur omnia quæ sequuntur ex illo* (*e*).

(*a*) D. d'Hericourt. Leg. Eccles. Gallic. cap. 2. n. 25.

(*b*) Bonif. VIII. in Reg. 18 de Reg. Juris in 6. Leg. *Quod ab initio*. ff. de Reg. Juris.

(*c*) Id Bonif. VIII. in reg. 64. loc. cit.

(*d*) In can. *Imperiali*. 13. 25. q. 2.

(*e*) Bonif. VIII. in reg. Juris. in 6.

Quam quidem Jurisprudentiam D. de Hericourt tractans de unionibus Beneficiorum (*f*), observat, roborari ingenti propemodum Arrestorum nube, quæ fuerunt a plurimis supremis Regni Senatibus pronuntiata.

(*f*) D. d'Hericourt loco cit.

Atque juxta principium istud declaratum est, unionem ab Episcopo quodam eo fine institutam, ut illa accedente pensio quædam extingueret, esse prorsus inordinatam ac perversam, ita ferentibus plurimis Arrestis quæ (*g*) memorat Tournet; qua de re potest etiam adiri Guido Papa (*h*) in ipsius Collectanea decisionum Parlamenti Gratianopolitani.

(*g*) Tournet l. V. n. 4.

(*h*) Guid. Papæ decis. 179.

Ex quibus apertum fit, quid responsionis potissimum opponendum sit quatuor prioribus quæstionibus in specie enuntiata propositis.

Quod pertinet ad institutam quinto loco quæstionem, existimamus, ex litteris rescissionis nequaquam afferri posse remedium vitio simoniæ, quo prædicta unio tota inficitur: adeo ut canonica via, quæ potest iniri, ea maxime sit: 1. Quod aliquis obtineat, de Prioratu unito in Curia Romana sibi provideri: 2. in ejusdem possessionem veniat: 3. cum interturbabitur in sua possessione, provocationem interponat tamquam ex abusu de decreto unionis ejusdem confectæ in gratiam Seminarii: 4. Postquam judicio vicerit, nova unio denuo instituatur servatis formulis canonicis; & iis omnibus accersitis, quorum quacumque ratione interest, ut ibidem adsint præsentes, ac habita prævia inquisitione *de commodo & incommodo*, in qua testificationes colligantur circa ea quæ possunt unionem conficiendam juvare: atque tandem obtineatur consensus tum ab Abbate, tum a Religiosis, si sint Beneficii Collatores; cum consensus solius Abbatis, licet Collatoris, non sufficiat, propterea quod non jure gaudeat abalienandorum ullorum jurium utilium, nec honorariorum Monasterii, nisi accedente consensu regularis Capituli. Ceterum, quoniam nec Canones, nec Edicta necessario non requirunt ad auctoritatem unionis alicujus conficiendæ, neque consensum Titularis, neque consensum populi; potest, auditis eorum rationibus, nihilominus ipsa unio confici atque consummari, nulla ratione habita interpellationis quam eidem opponere possent, & absque eo quod vel etiam necesse sit agere, ut eadem repudianda, neque ullatenus admittenda declaretur.

Juvat autem heic loci observare, quoniam Religiosi possent aliquid facessere difficultatis in proposito casu, ad exhibendum unioni memoratæ consensum suum, propterea quod jam privarentur modio tritici, quem sibi deberi a Seminario contendunt jure transactionis, de qua superius locuti fuimus: operæ pretium esse futurum, ut obtinente casu, quod nollent consentire, judicium in eos pronuntiari obtineretur; quod eorum consensus locum obtineret ac suppleret.

C A S U S IV.

Riquierus Titularis cujusdam Prioratus de S. Genesio, qui pertinet ad præsentationem Abbatis de S. Gordiano, cum plurimum urgeretur ab Episcopo suo de præbendo suo consensu Prioratui suo uniendo cum seminario Diœcesano, eidem adjungendo prædicto seminario consensit ea conditione, quod omnibus fructibus ac reditibus sui Beneficii foret ad reliquum usque tempus vitæ suæ gavisurus: Episcopus vero conditionem ab eo factam ultro acceptavit, & ipsam unionem, accedente consensu Collatoris inferioris, consummavit. Qua de re quæritur, utrum nihil in eo vitiosæ

vitiosæ labis occurrat, sive ex parte Episcopi, sive ex parte Riquieri?

Ratio dubitandi, est, quod Episcopus facultatem non habeat recipiendarum resignationum, quibus opponuntur aliquæ conditiones, neque reservandorum in gratiam Resignantis omnium fructuum de Beneficio resignato. Quæ tamen fieri deprehenduntur in præsenti specie in qua Riquierus non resignat suum Prioratum, nisi posita ista conditione, 1. quod Episcopali Seminario sit adjungendus. 2. Quod ipse sit ad reliquum vitæ suæ tempus quibuscumque fructibus ac reditibus provenientibus de eodem gavisurus?

RESPONS.

Unio, de qua quæstio habetur in proposita specie Canonibus omnino consentit; quum etenim ipso jure copia fiat Episcopis uniendorum Beneficiorum, necessario sequitur, ipsis iisdem eodem jure facultatem concedi peragendi etiam quidquid ad easdem consummandas convenit ac justum est; secundum istam regulam Juris (*a*), quæ fert: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Quod facili negotio probari potest ex comparatione quadam, quæ deducitur ex Decretali Cælestini III. (*b*), in qua laudatus summus Pontifex declarat, delegatis Judicibus ad componendam litem aliquam, qua duo vel plures dirimuntur, facultatem dari partem unam, quæ caussam coram iisdem peragit, a vinculo excommunicationis absolvendi, si contigerit eam eodem innodari, licet in mandato iis facto nihil mentionis expressæ concipiatur de speciali ista potestate: Ratio est, quod ista prævia absolutio sit actori prorsus necessaria, ut caussam suam possit in Judicio contra reum defendere, &, deficiente prævia ista absolutione, Judices nequaquam possent de re, cujus judicium sibi mandatum est, definitivam ferre sententiam. *Explorati siquidem juris existit*, inquit Laudatus Papa, *ut delegatis Judicibus, quibus principale committitur, & accessorium committatur*. Unde potest concludi a simili; siquidem Episcopis ex ipsamet juris concessione auctoritas vindicetur uniendorum Beneficiorum, ut evicimus in superioribus decisionibus, eosdem etiam uti posse mediis, sine quibus nullatenus valerent pervenire ad ejusmodi uniones decernendas.

Quibus præterea addamus quoddam Romani Juris adagium, quo prædicta confirmantur: quodque occurrit in una quadam a Legibus Digesti verbis istis (*c*). *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest.*

Cum igitur se se dent aliquando quidam Casus, in quibus Episcopus non potest consummare unionem Beneficii alicujus in gratiam sui Seminarii, nisi recipiat conditionatam resignationem, qualis ea est, de qua agitur in exposita quæstione, hoc est, nisi fructus vel in integrum, vel ex parte tantummodo reservet Resignantibus ad tempus vitæ eorum reliquum; nullum dubium esse debet, quin illud idem possit in præsenti rerum statu peragere; siquidem nihil in eo agat nisi ob necessitatem, aut saltem apertam Ecclesiæ suæ utilitatem. Atque ea de caussa talis usus in Ecclesia Gallica passim frequentatur (*d*).

(*a*) Reg. 42. de reg. Juris in 6.

(*b*) Cælest. III. in cap. *prudentiam*. 21. §. 2. de officio & potest. Judicis delegati. lib. 1. tit. 29.

(*c*) Leg. *Cui*. 2. ff. de jurisdictione omnium Judicum. l. 2. tit. 2.

(*d*) *Ducasse prax. Jurisdict. Eccles. volunt. cap. 6. n. 2.*

CASUS V.

CAPELLANIAM Sanctæ Claræ, cujus Prior de S. Albino est Patronus, cum vacare contigisset; Diœcesanus Episcopus, non obtento, nec requisito prædicti Patroni consensu, Capitulo cuidam de Ecclesia quadam Collegiali suæ Diœceseos adjunxit. Numquid hujusmodi unio legitima est?

RESPONS.

Unio prædicta, quam Episcopus decrevit atque instituit absque consensu Patroni, aut illius, qui foret memoratæ Capellaniæ Collator inferior, non est legitima. Consensus namque Patronorum atque Collatorum Beneficiorum, quorum uniendorum consilium sumitur, omnino necessarius est.

Equidem in Edicto Blesensi (*e*) mentio non habetur nisi de solo dumtaxat consensu Patronorum Laicorum juxta dispositionem Concilii Tridentini (*f*), quod præcipit, ne possint Episcopi Beneficiorum uniones ullatenus decernere nisi *cum Patronorum consensu, si de jure Patronatus Laicorum sint*: Verum Edicto promulgato anno 1606. (*g*) consensus Patronorum ac Collatorum requiritur, nulla facta Patronos Ecclesiasticos inter ac Laicos distinctione. *Sanximus & Sancimus, ait Henricus IV. ut Archiepiscopi, atque Episcopi singuli in suis Diœcesibus prædictis unionibus tam Beneficiorum Secularium quam Regularium providere possint in posterum, prout iisdem videbitur expedire commodo ac utilitati Ecclesiæ, modo tamen accedat tum Patronorum, tum Collatorum consensus*. Quæ quidem verba, cum generaliora sint neque determinata, ad Patronos tum Ecclesiasticos, tum Laicos se se perinde procul dubio extendunt. In eoque citatum Edictum totum concordat cum Decretali quadam, quam Alexander III. inscribit Eboracensi Archiepiscopo (*h*): Eadem ratione concludendum est, si Beneficium, quod Episcopus animo destinavisset unire, Juri Regio factum fuisset obnoxium, futurum similiter necesse, ut consensus Regis Procuratoris de Senescali Jurisdictione, intra cujus limites positum istud esset Beneficium, accederet unioni, quo suis partibus ac numeris omnibus ipsa legitime compleretur.

(*e*) *Edict. Blesens. art. 23.*

(*f*) Concil. Trid. sess. 24. cap. 15. de reform.

(*g*) *Edict. ann. 1606. art. 18.*

(*h*) Alex. III. in cap. *suggestum*. 20. de jure Patronatus. l. 3. tit. 38.

CASUS VI.

CUM Canonici de Collegiali Ecclesia S. Marci non possent singuli de suis Præbendis per quoslibet annos nisi 30. nummos ad summum percipere; visum est Episcopo Diœcesano eorumdem reditibus adjungere Capellaniam quamdam, quæ Libras annui census reddit 400. At, quoniam contigit, memoratam Capellaniam obnoxiam esse Patronatui Laico, Justinus, qui ejusdem Patronus est, ad eam nominavit Jacobum filium vel fratris sui, vel Sororis suæ, qui Acolytus est ac moribus emendatissimis, quin etiam aliqua tum doctrinæ tum eruditionis laude commendatus. Qua de re, quæritur, utrum, cum unio fuerit juxta requisitas omnes solemnitatum formulas confecta, Episcopus jure non possit novo isti præsentato denegare de prædicta Capellania provisiones?

RESPONS.

Non potest Episcopus ulla ratione se se subducere a necessitate de præfata Capellania Jacobo providendi: quoniam unio, quam a se putavit institui posse de eadem cum Collegiali Ecclesia de Sancto Marco, nullius omnino momenti sit: siquidem penes Ordinarium non sit, unire aliquod Beneficium, quod sit sub jure Laici Patronatus, sine consensu expresso ipsius ejusdem Patroni. Quod ita docetur a Rebuffi (*i*), qui loquens de Legato *a latere* sic asserit: *Item hoc non potest unire Legatus, quando Ecclesia esset sub jurepatronatus laici .... sine consensu Patroni*. Quam assertionem laudatus notæ prorsus insignioris Jurisconsultus probat ex dispositione Decretalis cujusdam Innocentii III. (*K*) & auctoritate Glossæ in aliam Decretalem, quæ sibi vindicat Auctorem Clementem III. (*l*). Quibus addimus præterea sic cautum fuisse Edicto Blesensi, quod citavimus in præcedenti decisione (*m*), quodque vim legis obtinet in toto passim Galliarum Imperio (*n*); quam nulli Prælato licet ulla de caussa perfringere.

(*i*) Petrus Rebuff prax benef. tit. de unio. benef. n. 18.

(*K*) Innoc. III. in cap. *Cum dilectus*. 28. de jure Patronatus. l. 3. tit. 38.

(*l*) Gloss. in cap. *Nobis*. 25. eod. tit.

(*m*) Edict. Blesens. art. 23.

(*n*) Joan. Cabassut. juris Can. theor. & prax. lib. 2. c. 21. n. 5. & 7.

CASUS VII.

THEOTIMO titulari Capellaniæ de Sancta Euphemia nolente præbere suum consensum unioni Capellaniæ suæ, quam Episcopus animo habebat suo Seminario adjungere, Episcopus nihilominus eamdem promovit atque consummavit. Canonica-ne est unio prædicta, ac potuit ne Episcopus eamdem sine nota injustitiæ decernere?

RES-

Respons.

(a) Conc. Trid Sess. 21. c. 1.

(b) Du casse Prax. Jurisdict. Ecclesi. volont. cap. 6. num. 3.

Valet ac Canonicia institutis consona est unio prædicta, potuitque Diœcesanus Episcopus sine minima quidem injustitiæ nota eamdem decernere cum consensu Patroni, si quis adsit, quoniam necessario non requiritur ad ipsius auctoritatem, ut eidem ab ipso Titulari Beneficii consentiatur, siquidem ipsi nulla ratione noceat ejus generis unio, ut revera nullum ei debet inde incommodum inferri juxta Concilium Tridentinum (a), quod faciens potestatem Episcopia unionum ejusmodi conficiendarum, clausulam sequentem apponit, *sine tamen præjudicio obtinentium*. Ratio ex ista unione non cadat nec possessione, nec perceptionis jure fructuum uniti Beneficii, quamdiu vitæ superstes relinquitur, neque ipsa eadem antea possit in integrum obtinere, quam ipse vel decesserit, vel suum Beneficium sponte dimiserit. Quin etiam quidam extant plurimæ prorsus eruditionis ac Doctrinæ Scriptores, quales Flaminius Parisius, Melchior Pastor, & San Lagerius, quos Du casse appellat, (b) qui contendunt, inde non eripi Titulari libertatem disponendi de suo Beneficio, quando eodem non consentiente, unio accessit; atque eidem remanere semper jus, illud idem in gratiam alterius pure ac simpliciter resignandi, aut permutandi in Romana Curia, exponendo Summo Pontifici unionem, quæ de Beneficio jam confecta est, cui quidem unioni Sanctus Pater potest pro illa vice derogare: adduntque præterea, quod aliunde ista unio, quæ tota vertit in bonum Ecclesiæ, possit effectum suum cito citius consequi, si Resignatarii decessus ante contingat, quam resignans morte corripiatur.

(c) Clementina. Si una 2. de rebus Eccles. non alienand. c. lib. 3. Clement. tit. 4.

Quæ decisio quadrat ad quamdam Clementis V. (c) Constitutionem, qua laudatus Papa declarat, ex deficiente consensu Titularis nequaquam infirmari, neque nullam effici, quæ de Beneficio ipsius pronunciata fuit, unionem. *Si una Ecclesia*, inquit, *alteri Ecclesiæ, seu dignitati alicui, vel Præbendæ per Episcopum, suo consentiente Capitulo, unitur ... ex eo quod Rector ipsius ad hoc vocatus .... non extitit; nequaquam id poterit impugnari*.

CASUS VIII.

Canonici de Collegiali Ecclesia de Sancto Vinoxo, cum singulis eorum de suis Præbendis non contingeret ad summam nisi reditus 150. Librarum, suo Episcopo supplicem obtulerunt libellum, quo postulaverunt, de sua Ecclesia supprimi duos, aut tres Canonicatus, qui vacabant, & eorumdem reditus suis præbendis adjungi, quo sibi suppeteret ea ratione, unde possent honestam recipere sustentationem: quorum petitionibus annuens Episcopus, suppressorum trium Canonicatuum reditus adjunxit reliquis eorum Canonicatibus. Joannes unus ex dictis Canonicis quærit utrum sibi liceat partem lucri provenientis ex prædicta unione sibi contingentem tuta conscientia percipere?

Respons.

(d) Concil. Trid. Sess. 24. c. 15.

Existimamus, a Joanne posse tuta conscientia percipi lucri partem ex prædicta unione ei obvenientem; quoniam trium Canonicatuum abrogatio, qui in eorum Ecclesia vacabant, & eorumdem redituum adjunctio Canonicatibus Canonicorum, in quorum gratiam unio ejusmodi confecta est, Canonibus perinde consentiunt, modo Libellus ab iisdem oblatus a veritate non recedat. Quod ita manifestum fit ex istis verbis Concilii Tridentini (d): *In Ecclesia Cathedralibus & Collegiata insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradus pro loci & personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot Beneficia simplicia, non tamen regularia, iis unire; vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis ... quarum fructus & proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorum numerum reducere*. Quam Episcoporum potestatem a laudato S. Concilio primum quidem inductam usus generalis, qui frequentatur ac viget in Gallia, roboravit atque confirmavit vi Blesensis Edicti (e), in quo sic habet Henricus III. *similiter, quantum ad Ecclesiae Cathedrales, vel Collegiatas, in quibus ingens adeo Præbendarum numerus occurret, ut earumdem reditus simul cum distributionibus quotidianis sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiant; memoratis tum Archiepiscopis, tum Episcopis, licebit earumdem reditus amplificandis atque adaugendis providere, iisdem adjungendo Beneficia simplicia, modo regularia non extiterint; * aut reducendo prædictas præbendas ad minorem numerum; modo numerus illo sufficiat tum peragendo Divino officio, tum sustinendo, qua par est dignitate, Ministerio Ecclesiastico; in prædictis omnibus nihilominus interveniente consensu tum ipsius Capituli, tum Patronorum, quibus dictarum Præbendarum præsentatio vindicatur, si eædem Præbendæ, seu Beneficia fuerint obnoxia juri Laici Patronatus*. Atque pristino usui tota consentit ista Disciplina, ut colligi potest ex Decretali Cœlestini III. quam retulimus in discutienda proposita secundo loco difficultate.

(e) Edict. Blesens. art. 23.

* *Jam sumus locuti de ista exceptione, in decisione secunda.*

CASUS IX.

Capitulo de Collegiata Ecclesia S. Andreæ, quod constat ex tribus Dignitatibus, ac decem & octo Canonicis, non annectuntur nisi 1200. Libræ census annui, comprehensis septingentis vel octingentis Libris, quæ proveniunt ex fundationibus Precum serotinarum, atque obituum, adjunctis simul fortuitis obventionibus sacrarum sodalitatum, quæ non possunt in numerum stabilium redituum recenseri: siquidem prædictæ sacræ sodalitates, vel dissolvi possint, vel in aliam Ecclesiam transferri: adeo ut, cum nullatenus fieri possit, singulis eorum de contingente cuilibet portione congruentem ministrari sustentationem; duodecim ex eis ab Ecclesia sua fere semper abesse consueverint, atque in ruralibus Ecclesiis vel munus Vicariorum, vel alia officia peragere; & etiam ii, qui residentiam habent, vix ac ne vix quidem vitam sustinere possint, tum propter modicorum suorum redituum tenuitatem; tum propter annonæ caritatem: quibus de caussis Capitulum destinavit Curam loci, cujus nominatio, ac collatio ad idem Capitulum pertinet, ani cuidam ex prædictis Canonicatibus adjungere; quod propositum consilium, qua ratione sequitur, cum primum vacare illa incœpit, executum est.

1. Congregato Capitulo pro solito more, Syndicus proposuit, ut Cura cum Canonicatu quodam uniretur, atque quo facilius res succederet, Cura cuidam Canonico conferretur; quæ quidem propositio omnibus ac singulis Canonicis, qui præsentes ibidem aderant, admodum placuit.

2. Concordibus animis determinatum fuit atque constitutum, futurum ut prædicta unio locum haberet duabus potissimum accedentibus conditionibus.

Prima quidem: quod ante nominationem omnes & singuli eorum se se sacramento forent obligaturi coram Decano, quo, qui nominandus esset, adigeret semetipsum ad consentiendum prædictæ unioni instituendæ.

Secunda: Quod Capitulum gauderet quibusdam Juribus Curialibus, quorum cessione ac detractione novo Parocho jam non accederet, nisi reditus Librarum circiter 600. cum e contrario pristinus reditus assurgeret ad annuum usque censum 800. circiter Librarum; quod sic obtineret propter exhibitum consensum instituendæ unioni, cujus beneficio quinque aliæ Præbendæ pinguiores aliquatenus redderentur, quam antea.

Quæ quidem omnia cum bona fide locum habuerunt, atque conspirante communi omnium con-

Digitized by Google

consensu ex parte ipsius Capituli, quam ex parte Leoniani, unius ex Canonicis, qui Parochus electus est sub prædictis conditionibus, quas acceptavit, atque fuit executus: Qua de re petitur: 1. Utrum ejusmodi unio valeat ac sit Canonica: 2. Utrum præfati Canonici electores ex prædictis conventionibus, atque earumdem executione, in aliquas censuras non incurrerint: 3. Utrum iisdem censuris Leonianus ipse non factus fuerit obnoxius; atque utrum tandem propter suam plurimam bonam fidem, qua cum egerunt, & ignorantiam, qua laborabant, omnes ab iisdem censuris non vindicentur, posito quod in eo peregissent aliquid, quod Canonicis Institutis dissentiret?

R e s p o n s.

Ut solvatur proposita primo loco difficultas, in antecessum ponendum est: 1. obtinere passim in toto Galliarum Imperio, atque generali usu quodammodo consecrari hoc Disciplinæ caput, ut nulli liceat Canonicatum, simul ac Curam eodem tempore possidere. Quod principium eo nempe fundamento fulcitur, quod prædicta duo generis istius Beneficia onus & obligationem importent non tantum residentiæ personalis, sed præterea annexas habeant functiones omnino disparatas atque diversas, quæ sæpe sæpius secum invicem non possunt simul consistere, quam ob caussam nunquam permittitur, ut unus, idemque Ecclesiasticus duo generis istius Beneficia simul eodem tempore possideat, nihil quidquam obstantibus quibusdam privilegiis in contrarium concessis aliquibus Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis, quibus summus Pontifex pristinis olim temporibus fecerat possidendorum simul tum Canonicatus, tum Curæ facultatem: Cum ejusmodi privilegiorum rationem nullam habeat supremus Parisiensis senatus, & declaraverit absque ulla distinctione celeberrimo Arresto per modum statuti pronunciato 15. Martii 1661. (a) prædictos ejusmodi Canonicatus, seu Præbendas cum Curis esse penitus insociabiles. En quibus verbis laudatum Arrestum concipitur: *Curia pronuncians, post excepta ac communicata postulata Regii Procuratoris Generalis, declarat omnes Canonicatus Ecclesiarum tam Cathedralium, quam Collegiatarum, cum Curis esse prorsus insociabiles*. Quod quidem Arrestum concordat: 1. cum Decreto Tridentini Concilii (b), in quo sic verbis disertissimis fertur: *In unionibus vero quibuslibet ...... Ecclesiæ Parochiales ...... Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ ...... non uniantur*. 2. Cum Declaratione, quam Rex promulgavit 7. Januarii 1681. circa Beneficiorum repugnantiam, juxta quam Declarationem non tribuuntur Beneficiatiis a Principe, nisi percipiendi fructus de alterutro Beneficiorum insociabilium, quod possident, & cui per se ipso inserviunt per annum, qui eis indulgetur ex tolerantia; ut possint alterutrum optare; atque etiam jubetur, ut reditus alterius Beneficii totus impendatur in commodum atque necessitates Fabricæ Ecclesiæ, & in solvendas honorarias Mercedes Vicarii, seu Vicariorum, qui eidem annexas exercuerint functiones.

(a) Ephemer. Audient. to. 2. lib. 4.

(b) Concil. Trid. Sess. 24. c. 13. de reformat.

2. Duo generis istius Beneficia adhuc esse magis insociabilia, si possideantur simul in una eademque Ecclesia *sub eodem tecto*, nisi ea de re e Curia Romana fuerit impetrata dispensatio, quæ nequidem potest usquam esse legitima, nisi rem ipsam Ecclesiæ communem, utilitatemque fidelium potissimum intendat: sed neque unquam recipiuntur in Gallia dispensationes ejusmodi quantum ad duo Beneficia conditionis ac qualitatis ejusdem, quales sunt duæ Dignitates, vel duæ Præbendæ unius ejusdemque Ecclesiæ (c).

3. Est tamen verum, ex usu quodam hominum memoria remotiori, qui plurimas in Ecclesias Cathedrales inductus est, obtinuisse, ut ab uno eodemque tum Dignitas, tum Canonicatus ibidem simul possiderentur, quin etiam extare Ecclesias ejusmodi, in quibus non potest quis aliqua Dignitate insigniri, nisi ei fuerit ibidem de una Præbenda provisum: sed usus iste nihil quidquam spectat ad præsentem, de qua agitur, difficultatem.

(c) Probationes immunitatum Ecclesiæ Gallic. relatæ a Piton. art. 73. tom. 1. instr.

Quibus in antecessum sic positis, respondemus: 1. ut jam monuimus, posse ab aliquo Titulari equidem possideri simul unam Curam unamque Præbendam in una atque eadem Ecclesia, cum unio earumdem fuit a Superiori Canonice ac legitime confecta; at Superiorem istum nullum alium esse nisi Diœcesanum Episcopum solum, nequaquam autem Capitulum, quantumcumque sit immune, & quantacumque gaudeat jurisdictione, quemadmodum apertissime evincitur ex certissimis argumentis, quæ legere licet in Decisione, quam proponimus occasione Casus *Adeodatus*. Quamobrem unio Canonicatus & Curæ, de qua quæstio est, confecta sola autoritate Capituli de S. Andrea, nec valet, nec Canonibus ulla ratione consonat.

2. Cum præfati Canonici non adducti fuerint, ad Curam suo Collegæ conferendam nisi conditionibus, ex quibus referebatur lucrum temporale Librarum circiter 200. census annui inter illos dividendarum; neque eos, neque eum, cui Curam contulerunt, excusari nequaquam posse a vitio simoniæ, quæ quidem ex conventionali, qualis erat antea, vi executionis, quam utraque parte consecuta fuit, realis effecta est. In materia namque Beneficiali, quæcumque conventio, quæ non comprobatur autoritate summi Pontificis, est illicita atque Simoniaca: *Etenim, res Sacræ ut possideantur aliquo dato vel retento, sive promisso, speciem credimus habere Simoniæ*, inquit Alexander III. (d) Urbanus III. declarat etiam, quamcumque conventionem prævism esse Simoniacum, quantum ad ea, quæ vel spiritualia sunt, vel spiritualibus annexa. *Circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet Simoniæ* (e). Etiamsi igitur ipsa unio juxta Canonicas Regulas, vel etiam ab Episcopo fuisset instituta, eorum tamen conventioni non minus inde Simoniæ vitium accederet; siquidem ipsam unionem non confecerint, nisi eo potissimum animo atque fine, ut ex eadem perciperent commodum istud temporale; de quo jam antea fuerat inter eos conventum. Ex quibus sequitur: 1. Eos incurrisse in omnes pœnas Iure constitutas adversus eos, qui Simoniacæ labis vitio sese inficiunt, ut alibi fusius explicamus.

(d) Alex. III. in c. *Super*. 7. de transact. lib. 1. tit. 36.

(e) Urban III. in cap. *Quæsitum*. 5. de rerum permut. l. 3. tit. 19.

2. Eosdem ab ista culpa vindicari nequaquam posse sub prætextu prætensæ bonæ eorum fidei; utpote quæ nullum aliud fundamentum habeat, quam ignorantiam crassam ejus rei, quæ jure tum Divino, tum Canonico prohibetur, quæque proinde eos nequaquam potest sub ipsius Dei oculis excusatos ullatenus efficere, secundum regulam istam Bonifacii VIII. *Ignorantia facti, non juris, excusat*. (f) Quod Gratianus luculentissimis verbis facit manifestum in suo Decreto, adductis ea de re exemplis, quamplurimis, (g) quodque vel ex seipso satis patet quantum ad Sacerdotes, quibus non licet, ea, quæ sibi Canonicis Institutis interdicuntur, ignorare, quemadmodum hoc ipsum declarat Papa Cœlestinus. *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis ob jure*. (h)

(f) Bonif. VIII. in Reg. *Ignorantia* 13. de Reg. Jur. in 6.

(g) Gratian. ad Can. *Turbatur*. 12. 1. q. 4. § *Notandum*.

(h) Cælest. in Can. *Nulli*. 4. dist. 38.

C A S U S X.

Optatus Archidiaconus de Ecclesia Navarrensi, cum Archidiaconatui suo subjectas habeat fere 200. Parœcias, quas tenetur singulis annis visitare, & onus ei incumbat defendendi atque urgendi lites omnes, quas nec esse est intendere, ad mores Ecclesiasticorum emendandos; quanquam non gaudeat nisi grosso annuoque reditu Librarum 200. quosdam habuit, qui ei suaderent, ut Libellum supplicem offerret Episcopo, quo peteret ab eo, ut vellet ipsius Beneficio adjungere tractum quemdam Decumarum pretii 300. Librarum reditus annui, pendentem ex Cura de sancto Yvo, cui census annuus annectitur 2000. Librarum, & cujus Parochus consentit prædicto decumarum tractui detrahendo atque uniendo. Quæritur, num tuta conscientia possit apud Episcopum prædictam unionem urgere, cum Episcopi prædicti Antecessor

sor se se obligavisset erga Optatum, futurum ut ipsius Archidiaconatus Beneficium aliquod adjungeret ad summam usque Librarum 400. census annui; vi transactionis inter eundem & ipsum Optatum confectæ, propterea quod in gratiam Episcopi de quibusdam juribus cessisset.

RESPONS.

Prædictus Archidiaconus non potest sine propriæ suæ conscientiæ dispendio libellum supplicem offerre suo Episcopo, ut ab eodem obtineat unionem tractus decumarum, de quo mentio fit in proposita specie. Atque ita censemus quinque potissimum de causis.

Prima: quoniam accessiones Ecclesiastici cujusdam reditus ad aliquod Beneficium nunquam instituendæ sunt, nisi propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ; porro ejusmodi necessitas, vel utilitas locum non habet quantum ad Archidiaconatum. Ratio est, quod, ejusdem occurrente vacatione, Episcopus possit illum conferre alicui Canonico, aut cuilibet alii personæ vel de Capitulo, vel de Diœcesi, quæ, cum ei jam aliunde suppetat sufficiens reditus, sive de Beneficio, sive de patrimonio, poterit absque ullo negotio onera eidem Archidiaconatui annexa sustinere, quin etiam, quantum pertinet ad ipsummet nominatim Optatum, valeat Episcopus eidem concedere Præbendam, quæ primo loco vacatura est, aut quodcumque aliud Beneficium, quod simul possit cum ipsius Archidiaconatu consistere; si verum sit, ut supponitur, ei non adesse reditum sufficientem.

Secunda: propterea quod, etiam posito, quod necesse foret adaugere reditum istius Archidiaconatus, ista reditus accessio desumenda foret de aliquo simplici Beneficio; non vero de fructibus, qui ab aliqua Cura disjungerentur: Quum etenim Concilium Tridentinum verba faciens de tenuitate reditus sedis Episcopalis, non permittat, ut cum Episcopatu Curæ jungantur, quemadmodum patet ex istis ipsius verbis: (a) *Interim vero .... hujusmodi Episcopis, qui fructuum subventione, pro Diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit de Beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint ..., a summo Pontifice provideri*; a fortiori dicendum est, nequaquam disjungendam esse ullam Curialium redituum partem, ad eandem uniendam cum Archidiaconatu. Præterea vero laudatum Concilium (b) agens de tenuitate redituum Præbendarum, nonnisi permittit, ut cum iisdem uniantur *aliquot simplicia Beneficia*: unde apertum fit, ab eo nulla ratione probari, disjunctionem fructuum alicujus Curæ, quam quis eo animo confici vellet, ut alterius Beneficii, quodcumque esse possit, reditibus accederent.

(a) Concil. Trid. sess. 24. cap. 13.

(b) Idem ibid. cap. 15.

Tertia: quia potior ratio daretur partis alicujus annuorum fructuum alicujus Curæ dissociandæ, ut quibusdam Curis, quibus nimis modicus reditus annecteretur, quales ejusmodi frequenter occurrunt, adjungeretur, quam ejusdem distrahendæ in gratiam unius Archidiaconatus: verum tamen nusquam auditur, aliquam partem de reditibus alicujus Curæ, licet omnino & quantumcumque sint pinguiores, disjungi, ut illa eadem alteri, quantumcumque modica esse possit, adjungatur: quanam igitur ratione posset approbari, ejusmodi disjunctionem decerni, ut adaugendo Archidiaconatui accederet?

Quarta: quoniam aliquod Beneficium-Cura nunquam potest censeri reditus esse pinguioris: Quum etenim, juxta Concilia atque Patres, superfluum unius Beneficii, ac maxime unius Curæ, sit necessarium pauperum, qui intra Parœciæ limites degunt; Optatus auferret in specie proposita bonum Pauperum, ut sibimetipsi illud idem vindicaret. Ex quibus sequitur, a Parocho in eo perperam omnino agi, quod consentiat distrahendo tractui decumarum, quem Optatus cogitat Archidiaconatui suo prosequi adjungendum; siquidem sibi se se gerens ignave desit caussæ suorum Parœcianorum pauperum, ut totus faveat caussæ Archidiaconi, de quo casus proponitur.

Quinta: quoniam manifeste deprehenditur, non ex annuis grossisque tantummodo fructibus judicandum esse de reditu alicujus Archidiaconatus, siquidem Archidiacono præterea cedat jus tum visitationis, tum Deportus. Porro, siquidem Optatus habeat fere ducentas Parœciales Ecclesias Archidiaconatui suo subjectas; iri non potest inficias, præter 200. Libras census grossi atque annui, quos percipit, quin ei etiam accedat tum ex jure visitationis, tum ex jure Deportus Curarum, quarum singulis annis occurrit vacatio, summa pecuniæ ad illum prædictum censum saltem propius accedentis; atque adeo reditus, quo gaudet, multum excedat censum istum, quem allegat esse Archidiaconatui suo annexum. Addamus præterea, si prædictus Episcopus unionem memoratam eo fine conficeret, ut transactionem, quam ipsius Antecessor fecit, exequeretur, futurum profecto, ut vitii, quo prædicta transactio laborat, quæ Simoniacam labem omnino sapit, se se conscium exhiberet atque participem.

Ceterum hic loci non immoramur penitius inspiciendo, num memoratus Archidiaconus aliis quibusdam Ecclesiasticis reditibus non gaudeat, quin immo supponimus, ei nullum alium reditum aliunde præterea accedere; siquidem constet, si quem alium reditum aliunde perciperet, eum futurum sub oculis ipsius Dei magis arguendum, magisque inexcusabilem, quod ea ratione vellet reditus, quibus jam gaudet, aliis præterea reditibus cumulare. Consulendus ea de re Autor, quem ibidem indicamus ad marginem. (c)

(c) Sambovius tom. 1. Casu 14.

CASUS XI.

Hercules Dux de Sancto Eugenio habet eximium prorsus Castellum positum in Parœcia S. Clari, cujus Lælius vir simplici fulgens notabilitatis titulo, Dominus est, & in qua juribus omnibus honorariis gaudet. Non vult præfatus Dux pedes in Ecclesiam ullatenus inferre, in qua nonnisi secundo loco post Lælium honoribus donaretur: Quapropter, animus suus aliqua ægritudine inde conficiatur, & ut quamcumque litis ac querelæ occasionem, quæ posset inter eum ac Lælium suboriri, declinet, agit apud Episcopum, ut velit transferre ad aliam Ecclesiam Parœcialem vicinam, cujus ipse Dominus est, ejus Castellum, illudque eidem adjungere; cum Parochus de Sancto Claro prædicto Castello a sua Cura disjungendo sponte consentiat, & certior sit, futurum ut habitatores suos absque ullo negotio adducat ad consensum prædictæ disjunctioni exhibendum. 1. Hercules numquid potest, excusso omni scrupulo, quas jam habere incœpit apud Episcopum, ea de re urgere sollicitationes? 2. Parochus nonne in eo male se gerit, quod prædictæ disjunctioni portionis unius de sua Parœcia conficiendæ assentiatur? 3. Promotor Episcopi, qui in præfata unione promovenda aget, potest ne postulare, ut locum ac effectum consequatur ista disjunctio portionis de Parœcia S. Clari? 4. Denique, eandemne potest Episcopus propter rationes ab Hercule allegatas decernere?

RESPONS.

Licet equidem sit penes Episcopum Diœcesanum, ejusmodi disjunctionem de una Parœcia in gratiam alterius instituere, cum ejusdem instituendæ subest aliqua caussa legitima; non est tamen, unde cum ullo jure concedi possit, recta conscientia posse ab Hercule prædictam disjunctionem urgeri; quoniam in ipsa rei veritate nulla ea de re succurrit eidem caussa legitima: siquidem, quem animo concipit mœror, quod cernat, virum simplici titulo nobilitatis eximium juribus honorariis donari in Parœcia, cujus Dominus est, iniquior omnino sit, atque quocumque justo fundamento plane destitutus; quum vel etiam in ipso Gallico Regno reperiantur Ecclesiæ Parœciales quamplurimæ, quarum ipse Rex non est Dominus nisi simul cum viris simplici nobilitatis titulo insignitis, quibus etiam solis in Ecclesia tribui consueverunt jura ejusmodi honoraria, quando nempe Ecclesia sita est intra limites eorum prædiorum Clientelarium, non in ipsis prædiis Regiis Clientelaribus: Quibus præterea addi potest, extare etiam ingen-

insigentia prædia possessa a viris prima ac singulari generis claritudine eximiis, quæ tamen pendent e prædiis Beneficiariis munimis, quæ nullo proprietatis jure viris iisdem vindicantur. Res est igitur, quæ nihil habet insitati, neque ex qua locus ullus mœroris Herculi valeat afferri, quod ipsius Castellum in ea Parœcia ponatur, cujus juribus non gaudet honorariis. 1. Namque, cum eadem ei nullo jure attribuantur, eadem non debet invidere Lælio, cui jure peculiari vindicantur. Aliunde vero adest, unde Hercules conceptum animo mœrorem exuat, emendo nimirum jus domini quod annectitur Parœciæ S. Clari, si Lælius illud idem velit abalienare, aut ipsemet vel Lælio, vel cuilibet alteri suum Castellum vendendo.

2. Parochus in eo perperam prorsus agit, quod assentiatur unioni, quam Episcopus vellet pronuntiare; jubendo nimirum, Castellum Herculis fieri juris alienæ Parœciæ: Ratio est, quod ei inducatur obligatio; & quidem ex conscientia, jurium quæ suæ Curæ propria sunt, defendendorum atque conservandorum; & eidem nihilominus plurimum inferret detrimenti ex suo quod exhiberet, ejusmodi disjunctioni consensu. Aliunde vero non potest prædictus Parochus, nisi temere prorsus atque imprudenter, in seipsum curam suscipere, adducendi habitatores ad consentiendum eidem disjunctioni; siquidem ita agendo, in offensionem Lælii atque in animum ejusdem a sese alienum incurreret; unde sequeretur omnino periculosa dissensio tum dominum inter & Parochum, tum dominum inter & eos qui inter ipsius clientes partibus ac sententiæ Parochi starent.

3. Nec etiam potest Promotor postulare, ut prædicta disjunctio locum habeat, nec Episcopus eamdem decernere, nisi subsit aliqua caussa alia justa, quæ pertineat ad caussam atque utilitatem Ecclesiæ: neque enim ulla deprehenditur in specie proposita utilitas spectans ad Ecclesiam; quin potius disjungi non potest Castellum Herculis a Parœcia in qua situm est, & illud adjungi alienæ Parœciæ, quin priori damni plurimum accedat. Præter quam quod ejusmodi disjunctionis decretum valde noceret juribus Lælii legitimi domini, qui quidem simul cum suis clientibus ejusdem partibus adhærentibus, ac justitiæ caussam in eo defendentibus ac tuentibus, merito posset obsistere exsecutioni ejusmodi Decreti, ac postulare, illud idem infirmari ac penitus rescindi. Sic proposita difficultas deciditur, aut fere similis, a viro quodam notæ prorsus insignioris Theologo. (a)

CASUS XII.

Antonatus, Regularis Abbas de S. Paulo, jure gaudet plenæ jurisdictionis in plurimas Ecclesias Parœciales, & in unam quamdam Collegiatam Ecclesiam, in qua exstant sex Canonici totidemque Capellani, qui ab eodem pendent quantum ad ea omnia quæ pertinent ad spirituale regimen. Cum sex Canonicatus sint reditus adeo modici, ut vix sufficiant ad honestam Canonicorum sustentationem, statuit atque animo adjecit iisdem aliquam addere reditus accessionem, cum iisdem nimirum uniendo tres de prædictis Capellaniis, quæ in præsentiarum vacant. Numquid potest privata sua dumtaxat auctoritate unionem prædictam exsequi?

RESPONS.

Unio Beneficiorum juris est omnino episcopalis, quod proinde numquam potest a quocumque inferiori Prælato exerceri. Unde sequitur, Adeodato nullam inesse potestatem unionem trium Capellaniarum cum sex Canonicatibus, quam secum animo destinavit, exsequendi. Quod omnino concordat cum decisione Cælestini III. qui sic habet in una quadam e suis Decretalibus (b): *Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur; ita Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio & subjectio earumdem.* Atque ea de caussa idem summus Pontifex declarat inordinate factam atque nullam, quamdam unionem duorum Monasteriorum, quæ decreta fuerat atque instituta consentiente quidem Metropolitano, sed non accedente Diœcesani Episcopi nec auctoritate, nec consensu: *Nos quoque decernimus irritandum*; ac permittit Episcopo, ut eamdem infirmet, ac pronuntiet nullius esse momenti. Quod Disciplinæ caput disertissimis verbis confirmatum fuit a Concilio Tridentino (c), quod, quantum ad eam rem, in Gallia recipitur.

Quæ decisio patronos atque auctores habet Abbatem qui dicitur *Antiquus* (d), Joannem Andream, Henricum Boich, Antonium de Butrio, Zabarellam, Ancharanum, Marianum Socinum, Cardinalem Hostiensem, Archidiaconum, & Glossam: qui quidem omnes unanimi ore docent, jus ejusmodi nequaquam esse Abbatis proprium; ab eodemque nullatenus exerceri posse, etiamsi ex aliquo peculiari privilegio immunitatis solutus ac liber esset ab episcopali jurisdictione; ut docent Zenzelinus (e), Guillelmus de Monte Laudano, Henricus Boich, & Fagnanus, a quo præcedentes auctores citantur: aut licet jure gauderet jurisdictionis quasi episcopalis; quemadmodum contendunt laudatus Cardinalis Zabarella (f), Innocentius IV. (g) in suo in Decretalia Commentario, & idem Fagnanus; qui fidem facit (h), a Sacra Congregatione, quæ primum quidem quantum ad illud caput, non omnino sibi constiterat, fuisse postmodum tandem ea ratione sic determinatum atque constitutum.

Vide JURISDICTIO.

VOTUM.

POSSUNT afferri quamplurimæ *voti* definitiones. Ricardus in Commentario, quod edidit in Magistrum sententiarum, istam tradit prædictæ vocis definitionem: *Votum, est propositi supererogantis promissio, Deo facta propter bonum finem, ex deliberatione firmata* (i). Ab aliis quibusdam Theologis sic definitur istis verbis: *Promissio deliberata facta Deo de aliquo meliori bono.* Quæ definitio Polmanum sibi vindicans auctorem (k), constat ac deducitur ex ipsissimis verbis S. Thomæ, qui sic habet: *Votum, est promissio Deo facta ... proprie loquendo, votum dicitur esse de meliori bono* (l).

Dicitur: *Promissio deliberata*, hoc est, *spontanea fidei obligatio*: quod intelligendum est de re, quæ sit possibilis, atque ex suapte natura bona.

Adjicitur: *Deo facta*; quoniam actus est Religionis, sive fiat prædicta promissio ipsi Deo immediate, sive Sanctis ea ratione, quæ ad ipsum Deum referatur: adeo ut cum S. Thoma merito possit asseri, votum alterutra præfata ratione factum, vere loquendo, soli Deo fieri: *Votum soli Deo fit* (m).

(a) Sambovius tom. 2. Casu 152.

(b) Cælest. III. cap. *Sicut.* 8. de excessib. Prælat. & subdit. l. 5. tit. 31.

(c) Conc. Trid. sess. 21. de reform. c. 5. & c. 24. de reform.

(d) Abbas antiquus in d. c. *Sicut.* v. *Et nota.*
Joann. Andreas n. 4. v. *Unio.* n. 7. & in Clementina *Ne in agro* 1. de statu monachorum.
Henric. Boich. post. init. v. *Et nota.*
Anton. de Butrio n. 4.
Cardinal. o. 3. opposit. 2.
Ancharanus n. 3.
Marian. Socinus in 2. Notabili, & in 5. art. principali q. 7. n. 41.
Hostiens. in c. *Nonnulli.* v. *Parochiales.* de Clericis non residentib. &c.
Archidiac. c. *Cum singula.* v. *Annexa* de Præbendis. in 6.
Gloss. in citat Clementin. *Ne in agro.* 1. v. *Ordinarios.*

(e) Zenzelinus.
Guillelmus de Monte Laudano in Clemene. *Quia Regulares.* unicam. de supplenda negligentia Prælatorum. v. *Apparente.*
Henric. Boich. loc. cit. & Fagnan. in d. c. *Sicut.* n. 13.

(f) Cardinal. loc. citat. & apud eum Gloss. in d. Clement. unic.

(g) Innocent. IV. in cap. *Cum dilectus.* De consuetud. v. *Joannes dixit.*

(h) Fagnan. loc. cit. n. 14. & 15.

(i) Ricard. in 4. dist. 38. art. 3.

(k) Polman. part. 2. n. 840.

(l) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. in corp.

(m) Ibid. art. 5. ad 3.

Digitized by Google

Subjicitur postremo denique loco: *de meliori bono*; hoc est, promissio boni alicujus, quod melius sit opposito alio sibi bono, quod ipsi Deo sit magis gratum & acceptabile, quodque tandem ejusmodi non sit, ut cum alio majori ac laudabiliori bono consistere nequaquam possit.

Qua quidem ex definitione patet, non in simplici tantummodo animi proposito reponi voti naturam, sed in reali ac veri nominis intentione sese obligandi ad rem aliquam exsequendam ex facta promissione (*ex sola conceptione boni explicandi non obligatur quis ad bonum conceptum exsequendum* (*a*)) & pertinere ad essentiam voti, quod accedat ista promissio cum perfecta ac integra animi deliberatione. Ut namque promissio consectarium quoddam est atque quidam effectus propositi quod animo conceptum fuit, ejusdem exsequendæ; eidem necessario debet aliqua deliberatio præmitti: siquidem actus sit deliberatæ voluntatis. Atque sic arguit S. Thomas, qui ait: *Promissio ... procedit ex proposito faciendi: propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ* (*b*). Ex quibus laudatus S. D sic concludit: *Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur. 1. Quidem, deliberatio: 2. Propositum voluntatis: 3. Promissio, in qua perficitur ratio voti.*

Usus votorum æquævius est ipsi Religioni, ut manifestum est ex sacris Litteris, in quibus eorumdem mentio frequentius occurrit apud veterem Legem (*c*).

Vulgaris hæc est voti divisio: in votum absolutum, votum conditionatum; votum reale, votum personale; votum reale simul ac personale: votum simplex, & votum solemne.

Votum absolutum, illud est quod fit absque ulla interveniente conditione, & obligationem exsecutionis inducit statim, atque factum est. Atque de prima illa specie voti sacræ Scripturæ loquuntur, cum sic aiunt (*d*): *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Votum conditionatum, est illud, quod cum aliqua conditione accessit; neque obligat nisi post adimpletam istam conditionem. Atque ejusmodi est, votum illud, de quo Scriptura facit mentionem: *Si tradideris populum istum, in manu mea, delebo urbes ejus* (*e*).

Votum reale, est illud quod materiam aliquam intendit positam extra personam ipsius qui vovet: puta, verbi gratia, quando promittitur Deo, futurum ut certa quædam pecuniæ summa per modum eleemosynæ in pauperes effundatur.

Votum personale complectitur illius generis votum, cujus materia tota posita est tum in nostris personis, tum in nostris actibus; ut exempli caussa, quando quis vovet Deo, futurum ut aliquam Religionem ingrediatur, aut sacram aliquam obeat peregrinationem, aut certum quoddam jejunium celebret, vel talem orationem persolvat.

Votum reale simul ac personale, quod alia nominis appellatione mixtum dicitur, est illud cujus materia reponitur tum in nostris personis aut actibus, tum in nostris bonis; quemadmodum, cum aliquis votum suscipit sacræ alicujus peregrinarionis habendæ in certam quamdam Ecclesiam, ibidemque vel tale donum, vel talem eleemosynam offerendi.

Obligatio reddendi voti realis transit ad heredes defuncti voventis, ut constitutum est ab Innocentio III. (*f*): atque in eo Votum prædictum differt a voto personali, quod nonnisi voventi inducit obligationem.

Votum simplex sese extendit ad quodcumque votum, vel privatim factum, vel etiam palam ac publice. Quod vero solemnis voti sortitur appellationem, est illud, quod suscipitur ex solemni Professione emissa in aliqua Religione ab Ecclesia approbata, aut ex susceptione sacrorum Ordinum. Atque hoc ipsum docet S. Antoninus, (*g*) cum ait: *Votum solemne aliud est, quod solemnizatur per professionem approbatæ Religionis; aliud quod solemnizatur per susceptionem sacri Ordinis, scilicet Subdiaconatus, & supra. Omne autem votum quod non est solemne, est simplex sive illud fiat publice sive privatim, sive ore sive tantum corde.*

Votum solemne Religionis triplex peculiarium votorum genus diversum continet, nempe paupertatis, castitatis & obedientiæ. Hæc illa vota sunt, quæ sunt gravioris momenti, quæ principaliora sunt, & ad Christianam perfectionem tutiori ratione conducunt: quoniam eorumdem ope penitus remo-

(*a*) Argum. cap. *Litterarum*, 3. de voto &c.

(*b*) S. Thom. loc. cit. art. 1. in corpore.

(*c*) Genes. 28. 20. Levit. 27. 2. ll. 14. 15. 16. 27. 20. 23. & 26. Num. 6. 2. & 21. & c. 21. 2. & c. 30. 3. & seqq. Deuter. 12. 6. 11. 27. & 26. & c. 23. 22. Eccles. 5. 3. Proverb. 20. 25. Psalm. 115. 9. & ult.

(*d*) Deuteron. 23. 21.

(*e*) Num. 21. 2.

(*f*) Innoc. III. in cap. *Ex parte*. 15. de censibus l. 3. tit. 39.

(*g*) S. Anton. in summ. part. 2. tit. ii. c. 2. §. 2.

removentur tria potissimum, quæ obstant ac impediunt, ne fideles ad eamdem perveniant: scilicet, 1. terrenarum rerum ac divitiarum mundanarum cupiditas: 2. naturalis ad oblectamenta & commoda corporis propensio: 3. inordinata nimis ac dissolutior nostræ voluntatis immoderatio.

Paupertatis voto tollitur primum impedimentum, avertendo scilicet eum qui sese eodem obstrinxit, ab amore falsorum bonorum hujusce mundi, in quem corrupta natura nimium impellit.

Votum Castitatis totum obsistit immoderato voluptatum appetitui, in quem homo fertur cum vehementiori etiam impetu, tum propria quæ ei innata est, concupiscentia, tum suggestionibus atque tentationibus, quæ frequenter emergunt ex illa, quæ ei a natura inest, depravatione.

Tandem Obedientię votum corrigit atque ad æqui rectique normam componit ipsius voluntatem, eamdem subjiciendo alienæ illius voluntati quem sibi superiorem elegit.

Quamquam etenim verum sit, regulariter loquendo, auxiliante divina gratia, tres prædictas virtutes in memoratis votis contentas posse servari, licet iisdem inhærendi obligatio verbis expressis non suscipiatur; est tamen verius, futurum ut multo difficilius observarentur, nisi personæ religiosæ sanctissimæ ejusmodi obligationi sese alligarent, in cujus exsecutione tota eorum vitæ instituti perfecta cumulataque virtus consistit. Siquidem in eadem occurrit quoddam quasi potentissimum frenum, quo sistitur inconstantia voluntatis, & excitatur ad exsecutionem promissionum Deo factarum cum perseverantia retinendam: unde D. Godeau (a) Vinciensis Episcopus asserit, nequaquam adesse locum dubitandi, quin actus eliciti ex obligatione voti solemnis Religionis sint iis excellentiores, qui sine ulla votorum obligatione perficiuntur; quoniam solemne votum est omnimodo propriæ suæ voluntatis renuntiatio, & vitæ rationis obligatio, qua Deo simul & arbor & fructus addicuntur atque consecrantur. Quæ ipsissima sunt verba dignissimi illius Prælati, qui istam adjicit magni prorsus ponderis observationem. „ Sciendum est, inquit, ex amore divino potissimum tribui pretium „ Christianis actibus, atque ex eodem alios ab aliis distingui: adeo ut aliquis „ actus sine amore ac tantummodo vi ligaminis voti peractus non tam Deo „ placeret, quam ille, qui, nullo cogente voto, cum amore perageretur. „ Quod laudatus singularis pietatis Episcopus tum sacrarum paginarum auctoritate, tum S. Augustini testimonio confirmat.

(a) D. Godeau Moralis Christian. tom. 2. pag. 281.

Denique, ut dicendi finis imponatur divisioni votorum diversorum quæ possunt emitti, addimus, vota quædam occurrere de rebus in se ipsis bonis quidem ac laudabilibus, sed quæ nulla ratione præceptæ sunt: Quale est votum, quod quis susciperet, jejunandi singulis anni Mercurij diebus, vel omnes possessiones suas largiendi pauperibus; atque ejusmodi procul dubio exstitit votum Ananiæ & Sapphiræ uxoris ipsius, qui fuere subita morte perculsi, quod non attulissent S. Petro nisi partem mediam pretij provenientis ex vendita sua hereditate: Alia vero vota reperiri, quæ versantur circa res præceptas.

Inter varia votorum genera de quibus modo sumus locuti, nullo alio, nisi solemni, constituitur illud impedimentum, quod passim circumfertur sub appellatione impedimenti matrimonium dirimentis: adeo ut, qui promotus fuit ad aliquem e tribus sacris Ordinibus, non possit matrimonium valide contrahere, non magis quam persona, quæ Religionem aliquam, emissa solemni professione, fuisset ingressa: ut declaratum est a Bonifacio VIII (b).

Ecclesia, seu potius ij, qui in eadem præponuntur Superiores, majores, quales sunt summus Pontifex & Episcopi, possunt gratiam facere votorum, aut eadem commutare, quando res quæ fuit vota, vel perniciosa fit, vel inutilis, vel contraria meliori bono.

(b) Bonifac. VIII. in c. Quod votum unic. de voto in 6.

Eorum dispensatio, quæ facta sunt, Romam accedendi ad visitanda sepulcra Apostolorum, proficiscendi Religionis ac pietatis caussa ad sanctum sepulcrum Domini nostri, aliaque loca sacra Hierosolymitana invisenda, & sacræ peregrinationis obeundæ apud S. Jacobum de Compostella in Gallæcia, ipsi summo Pontifici de jure reservatur. Sunt & alia quædam vota, quæ, quantum ad dispensationem, eidem etiam ab antiquo usu reservantur, ex jure eorumdem, quod ab Episcopis ipse legitimo usu suum effecit. Qualia sunt vota perpetuæ castitatis ac Religionis, atque plurima alia quorum pleraque pertinent ad impedimenta matrimonium dirimentia.

Plurimi tamen Episcopi constanter steterunt in possessione quam semper reti-

retinuerant, quibusdam in casibus dispensandi circa quædam impedimenta etiam dirimentia; quemadmodum omnibus perinde competit jus dispensandi quantum ad vota quæ dubia sunt, & ea quæ non suscepta fuerunt nisi quadam accedente conditione, quæ locum nondum habuit: Exempli caussa, circa votum illud, quod aliqua virgo fecisset, ad vitæ suæ reliquum tempus perpetuæ servandæ castitatis; modo suus pater a bello in quo stipendia mereretur, rediret sanus atque incolumis; aut a prœlio, quod jamjam foret committendum; vel ad certum quoddam tempus constitutum, quod nondum elapsum est: sicut etiam circa quædam alia vota, quorum materia principaliter intenta non continet nisi consequenter atque indirecte materiam illam, circa quam dispensandi non haberet Episcopus potestatem, si ipsa fuisset primario ac principaliter intenta; quale est votum, quod quis fecisset suscipiendi sacrum aliquem Ordinem, non advertens, onus eidem annecti servandæ perpetuæ continentiæ, tamquam aliquid eidem necessario accedens; aut non veniendi in matrimonium, quod quidem omnino induit ejusmodi continentiæ necessitatem. De quibus heic loci nihil amplioris sermonis habebimus, quoniam eadem materia occurret penitus omnino ac fusissime tractata in 121. decisionibus novem Titulorum, in quibus agitur de dispensationibus, quæ possunt tum a summo Pontifice, tum ab Episcopis, indulgeri.

CASUS PRIMUS.

LIEBALDUS, cum Ecclesiasticorum conventui cuidam occurrisset, in quo quæstio agebatur, nimirum, utrum liceret vota facere tum Virgini, tum Sanctis, quemadmodum ipsi Deo; invitatus fuit ad ferendam de proposita quæstione suam sententiam; atque discessit in partem affirmantem: nonne hallucinatus est?

RESPONS.

Sententia quam tulit Liebaldus, vera est, modo concordet cum sensu in quo eamdem S. Thomas intelligit: cujus doctrinæ adhærent quicumque de materia illa scripserunt, ac nominatim Durandus, Ricardus a sancto Victore, Angelus, Silvester, Cardinales Cajetanus & Bellarminus, atque alii plurimi (a). Asserit igitur laudatus S. Doctor (b), posse fieri vota tum Sanctis, tum etiam Prælatis viventibus, quibus obedientiæ voto sese Religiosi subjiciunt; modo vota fiant relative ad Deum, atque de iis rebus quæ nos excitent ad cultum ipsi debitum. *Per hunc modum*, inquit appellatus Angelicus Doctor (c), *intelligendum est votum, quo quis vovet aliquid Sanctis vel Prælatis; ut ipsa promissio facta Sanctis, vel Prælatis, cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo, se impleturum quod Sanctis, vel Prælatis promittit*. Et alibi (d): *Votum non fit Sanctis, nisi secundum quod per suffragia sunt mediatores inter nos & Deum*: hoc est proprie loquendo, vota ejusmodi sunt facienda Deo coram Sanctis, qui non tantum invocantur ut testes rei illius quam promittimus Deo, sed etiam tamquam deprecatores apud supremam illius Majestatem, ut facilius consequamur gratiam, qua eidem fideliter stare possimus. Atque idem proponit Sylvius in una quadam e suis decisionibus, cui dies adscribitur 3. Maii 1625. (e). *Dicendum est, vota quæ Sanctis fiunt, habere hunc sensum, vel quod fiant coram Sanctis, tamquam testibus & suffragatoribus pro petendo auxilio ad illorum impletionem, vel quod fiant Deo secundum quod habent rationem voti; Sanctis autem, secundum quod habent rationem promissionis: quæ tamen promissio etiam cadat sub votum; quia Deo vovetur, quod promissio Sanctis facta implebitur*.

(a) Durandus in 4. dist. 38. q. 1. Ricard. ibid. art. 2. q. 2. Angelus de Clavasio. v. *Votum*. 1. n. 2. Sylvester de Prierio. eod. v. Cajetan. in S. Thom. Bellarmin. l. 2. de Monachis. c. 14 & lib. 3. de cultu sanctorum. c. 9. Azor. part. 1. lib. 11. cap. 13. Raphael. de la Torre Malderus, Corduba, &c.

(b) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. ad 4. quæstione 1.

(c) Idem 2. 2. q. 88. art. 5. ad 3.

(d) In 4. loco cit.

(e) Fr. Sylvius resol. var. v. *Professio Monastica*. I. 10.

Atque re vera primævorum Ecclesiæ sæculorum Doctores eade re sunt in eodem sensu locuti; & inter alios Eusebius Cæsariensis (f) qui sic habet: *Veræ pietatis milites* (Christi) *ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur*. Qua etiam de re Theodoretus (g) eadem ratione sententiam suam aperit, quando ait: *Fideliterque precatos ea maxime consequi, quæ desiderant, testantur, quæ votorum rei persolvunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia*. Testatur quoque S. Gregorius Turonensis, eum usum obtinuisse, ut vota fierent S. Martino (h); *vota beato Confessori promittentes*.

(f) Euseb. Cæsar. de præpar. Evangelica. c. 7.

(g) Theodoret. lib. 1. cap. 8. de Martyribus.

(h) S. Greg. Turon. l. 2. hist. Francor. c. 37.

Denique in eodem etiam sensu sunt intelligendæ formulæ quædam votorum etiam solemnium, quæ usu recipiuntur apud quosdam Religiosos Ordines. Qualis est ista, quæ consuevit emitti quibusdam in Monasteriis Monialium Ordinis S. Benedicti reformatarum, quæque sequentibus verbis concipitur: *Profiteor & promitto Deo omnipotenti, benedictæ Virgini Mariæ, sanctis Apostolis Petro & Paullo, Patri nostro sancto Benedicto, omnibus Sanctis & vobis, reverendissime mi Domine Episcope .... & Reverendæ Abbatissæ hujus Monasterii, & vestris legitimis successoribus obedientiam, paupertatem, castitatem, immutationem morum & clausuram perpetuam, &c.* Quæ formula reperitur de verbo ad verbum in Constitutionibus, quas Congregatio Romæ habita de iis quæ spectabant ad Regulares, declaravit 6. Martii 1615. dignas approbatione summi Pontificis Paulli V. a quo re ipsa fuerunt approbatæ secundo die Julii ejusdem anni. Sylvius quem hujusce rei auctorem habemus, fidem facit, prædictam formulam etiamnum frequentari apud Moniales Ordinis S. Benedicti reformatas de Atrebatensi, Namurcensi & plurimis aliis Diœcesibus. Neque vero ista faciendorum votorum ejusmodi solemnium formula propria tantummodo est Monialium de Ordine S. Benedicti, quemadmodum plurimi testantur auctores; siquidem is usus obtineat apud alios Ordines Regulares, ut vota non tantum fiant ipsi Deo; sed præterea nomina tum beatæ Virginis, tum Auctoris ac Parentis religiosæ familiæ in qua professio solemnis emittitur, appellentur, & adjiciantur isthæc verba, *& omnibus Sanctis*. Quod quidem disertis verbis asserit Cardinalis Cajetanus (i), quemadmodum Raphael de la Torre & Arragonius: sed tandem ejusmodi vota nec nuncupantur, nec intelligenda sunt nisi in eo sensu, quem innuunt S. Thomas, Sylvius atque alii Theologi quos superius appellavimus.

(i) Cajet. Raphael. de la Torre, & Arragonius in 2. 2. q. 88. art. 5.

CASUS II.

BALDUINA Virgo cui res familiaris valde exigua est, annos nata vel decem vel undecim tantummodo, lecto libro in quo Virginitas summis laudibus in cælum efferebatur; & cum accepisset ex colloquio quodam quod habuit cum sorore sua quæ est Monialis, quam vitæ Religiosæ institutum esset perfectum atque Deo acceptum, votum suscepit tum virginitatis, tum religionis ingre-

grediendæ eo ipso; quod ad annum pervenisset in quo posset admitti ad solemnem professionem. 1. Num votum ipsius validum est? 2. Si nihil ei roboris insit, nonne cum eadem non potest nisi ab ipso summo Pontifice dispensari?

RESPONS.

Circa propositam difficultatem non una eademque ratione sentiunt auctores: eorum opinionem primo quidem loco referemus, qui negativam partem fuere secuti; sententiam deinde subjiciemus eorum, qui votum ejusmodi habuerunt ut validum. S. Antoninus (a) impuberes in numero eorum recenset, quorum vota nullius sunt effectus; & opinionem suam totam fulcit auctoritate S. Thomæ atque Paludani: *Nota*, inquit, *quod sunt quædam personæ, quarum vota non sunt obligatoria*. En subjicit inter alia hujusce rei exempla istud potissimum: *Pueri ante annos pubertatis; scilicet masculus ante decimum quartum annum; femina ante duodecimum completum*. Quod confirmat istis rationum momentis: *tum quia in pluribus patiuntur rationis defectum, tum quia sunt in potestate parentum & tutorum; & si vovent*, (votum eorum) *non habet effectum .... & licet Hugo dixerit, quod statim cum malitia supplet ætatem, possit se vovere Deo, sicut & dare Diabolo; tamen contrarium tenent communiter Canonistæ*.

(a) S. Ant. 2. part. summæ Theol. tit. 11. cap. 2. §. 6.

Angelus de Clavasio propugnat etiam (b), vota impuberum nullius esse roboris: *Impubes*, ait, *non potest facere votum Religionis: etiam de consensu patris; & si facit, non tenet etiam post pubertatem, qualitercumque intenderet, cum fecit*. Deinde referens opinionem S. Thomæ, sic addit: *Thomas .... tenet, quod, si impubes habet usum rationis, obligatur quantum in se est, nisi irritetur; de quo dicto ego dubito*.

(b) Angelus de Clavasio v. Votum. o. 2. 3. & 6.

Baptista Trovamala eidem adhæret opinioni in sua Summa, cui titulus inscribitur *Rosella* (c), cum sibi proponens quæstionem istam, scilicet, utrum impubes qui sese obstrinxit voto vel continentiæ vel Religionis, ejusdem vinculo teneatur postquam ipsius pater decessit, aut cum attigit annum pubertatis: respondet, eum ad illud idem adimplendum non obligari, nisi legitimæ factus ætatis hoc ipsum ratum habuerit. *Licet in dicto casu non obligetur ex voto, quod in minori fecit ætate; si tamen major postea factus, illud ratum habuit quod vovit, obligatus erit*.

(c) Bapt. Trovamala in Sum. Rosellæ. v. Votum. 2. o. 4.

Cui laudatorum auctorum opinioni S. Thomas (d) videtur satis aperte favere, cum sermonem generalem faciens de voto, neque adhibita ulla simplex inter ac solemne votum distinctione sic habet: *Illi, qui non habent usum liberi arbitrii, sicut aliqui qui non sunt sanæ mentis, vovere non possunt, nec etiam pueri ante annos pubertatis*.

(d) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 3. in corp.

Non est tamen dissimulandum, cum de prædicta materia disserit ex professo in sua Summa, (e) ab eo ratione tantisper diversa ea de re sententiam proponi: postquam etenim asseruit, ab impuberibus non posse suscipi vota, quæ teneant, *quia & rationis patiuntur defectum, ut in pluribus, & sunt naturaliter sub cura parentum .... & ideo eorum vota ex duplici caussa robur non habent*: apponit istam exceptionem: *Contingit tamen propter naturæ dispositionem quæ legibus humanis non subditur, in aliquibus licet paucis accelerari usum rationis, qui ob hoc dicuntur doli capaces* *. Adeo ut judicio maturo prius donentur, quam annum attigerint pubertatis, & tunc valeant sese obligare ex voto simplici ad ea, quæ juri eorum proprio subjacent: quamquam dispositione Legum Ecclesiasticarum constituantur inhabiles, ad ullam obligationem ex voto solemni suscipiendam. Sic habet Doctor Angelicus, qui deinde sequenti ratione concludit: *Est ergo dicendum, quod si puer vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid se obligare; si vero ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare*. Quæ quidem posteriora verba quoniam aperte recedunt a sententia auctorum quos appellavimus, plurimos alios tam Theologos quam Canonistas adduxerunt ad amplectendam sententiam eidem ex adverso oppositam, atque ad contendendum, quandoque posse alicui impuberi eam adesse judicij maturitatem, quæ sufficiat, ut possit suscipere valide votum simplex castitatis, vel Religionis, & quodcumque aliud votum simplex, quantum ad ea circa quæ potestati eorum quibus subjicitur, nequaquam obnoxius est.

(e) Idem 2. 2. q. 88. art. 9. in corp.

* Quod scilicet habeant usum rationis liberum. Cajetan. hic.

Quorum alterius istius opinionis patronorum numero sese Silvester de Prierio adjunxit; & ait S. Thomam recte non intellectum fuisse neque ab Angelo de Clavasio, neque a Baptista Trovamala. *Sed ego dico, quod iste non bene vidit S. Thomam, qui distinguit dicens, quod ante pubertatem non potest quis facere votum solemne religionis .... sed secus de simplici: & multo minus eum vidit Summa Rosellæ, quæ attribuit, quod secundum eum, ante pubertatem non possit puer se voto Religionis obligare (f)*.

(f) Silvest. v. Votum. 3. q. 5.

Eidem opinioni Fumus adhæret, atque asserit, eo ipso, quod aliquis impubes fuerit usum rationis consecutus, posse eumdem erga Deum ex voto simplici semet ipsum obligare: *In aliis autem (*non solemnibus*) votis non est respectus ad ætatem quatuordecim, vel septem annorum, sed ad liberum usum rationis: nam quandocumque homo est doli capax, potest se ad votum obligare (g)*.

(g) Barthol. Fumus in Armilla, v. votum. n. 6.

Cardinalis Cajetanus, & ante eum Cardinalis Joannes de Turre-cremata, ac post eos Cardinalis Toletus atque Navarrus (h), sequuntur quoque eamdem opinionem. En, quas iste postremo loco recensitus auctor affert, rationes: *Licet qui carent ætate sufficienti ad contrahendum matrimonium, si eo judicio polleant, ut possint jam & mereri & peccare, quæcumque vota sive personalia, sive realia regulariter emittere possunt, quibus obligentur, juxta Glossam insignem ab omnibus receptam in c.* Mulier. 32. *quæst. 2. Panormitan. cum communi in cap. de voto .... Dixi: regulariter, quoniam voto solemni Religionis se non possunt obstringere ... bene tamen voto simplici*. Fatetur tamen celeberrimus simul ac eruditissimus Pœnitentiarius Romanus fultus auctoritate S. Thomæ, S. Raymundi (i), S. Antonini, atque aliorum, in potestate patris esse, si velit, filii sui impuberis votum irritare; & tutoris, votum sui pupilli. *Nihilominus parentes illorum, vel tutores omnia illa recte possunt irritare*.

(h) Joann. de Turre Cremata vulgo Cardinalis S. Xisti in can. *Sint quadam*. 1. 17. q. 1. n. 7.
Cajetan. in 2. 2. loco cit. & in Summ. v. *Votum*.
Fr. Tolet. instruct. Sacerdot. l. 4. c. 17. n. 17.
Navar. manual. c. 12. n. 68.

(i) S. Raymund. lib. 4. summæ tit. 5. §. 2.
S. Antoo. loc. cit.

Tandem Sylvius ((k) iisdem totus consentit. *Pueri*, inquit iste primi ordinis Theologus, *qui ante annos pubertatis non habent usum rationis, non possunt valide se per votum obligare .... qui autem ante pubertatem illam usum illum habent, possunt, (quantum est ex parte sua) votis se obstringere: sed ea non sunt firma, quandoquidem possint irritari per patrem aut tutorem: obligant tamen quamdiu non irritantur*.

(k) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 80. art. 9. conclus. 1.

Ex quibus omnibus prædictis patet, non posse ea qua necesse foret, indubitata ac certa ratione propositam difficultatem enodari. Cum etenim S. Thomas in duobus locis operum suorum sententiam ea de re suam non uno eodemque modo proponat; videtur posse nec sine quadam veri similitudine, in alterutram partem negantem vel affirmantem perinde propugnari, siquidem utraque suos habeat notæ prorsus insignioris auctores.

At observandum venit propositam secundo loco opinionem, juxta quam votum impuberis qui rationis usu pollet est validum, recidere in novam aliam difficultatem: quæ nimirum in eo posita est, num sufficiat ad validitatem ipsius voti, quod possit mortale peccatum a veniali dijudicare ac distinguere, quemadmodum contendunt auctor summæ cui titulus est *Armilla*, & Navarrus; aut utrum præterea necesse sit, eum imbui notitia naturæ voti quod emittit, & plurimi qui potest occurrere in eodem adimplendo laboris. Porro de ipsa difficultate omnes sententiæ prædictæ patroni nihil habent, quod indubitatum sit ac plane determinatum; quandoquidem satis habent verbis generalioribus ac tantummodo asserere, ad robur & auctoritatem voti rationis usum esse omnino sufficientem.

Quod

Quod ad nos ſpectat, ſi ſenſum proprium innuere nobis detur, videtur, iſthæc verba non ad ſtrictos litteræ apices, nec in ſenſu quem abſolute important, eſſe de judicio firmo ac ſatis perfecto, ut poſſit, quæ procedit ex voto, natura obligationis eſſe perſpecta atque explorata, ac potiſſimum ſi agatur de voto continentiæ & Religionis: quod quidem S. Thomas verbis non obſcuris ſufficienter innuit vel ex ipſis vocibus quibus utitur in textibus, quos repetivimus ex ipſius Commentario in Magiſtrum ſententiarum & ejus Summa: in quibus ait, raro prorſus impuberes inveniri eo rationis uſu pollentes, qui ſufficiat ad validitatem voti, ac frequentius multo contingere, eos eodem omnino carere. *Ante annos pubertatis patiuntur rationis defectum, ut in pluribus*. Et iterum: *In aliquibus, licet paucis, accelerari rationis uſum, qui ob hoc dicuntur doli capaces.*

Enimvero nequaquam ad verum accedit, quod exiſtimetur laudatus S. Doctor voluiſſe dicere, raro impuberem occurrere, qui eo polleat uſu rationis, quo poſſit mortale perpetrare peccatum: cum e contrario ſit illud extra omnem controverſiam poſitum, rariſſime reperiri, puerum aliquem natum annos duodecim vel tredecim, & puellam quæ ætatis ſuæ duodecimum annum fere attingit, ſic eſſe obtuſi atque hebetioris ingenii, & eo uſque ignaros ac imperitos eſſe, ut ignorent ea quæ lege tum divina, tum eccleſiaſtica ſub pœna mortalis peccati prohibentur. Eſt igitur abſque dubio rationi magis conſentaneum, illud aſſeri, ſcilicet a S. Thoma aliiſque Doctoribus non haberi tamquam validum votum Religionis ac continentiæ, niſi quantum ad eos, qui ſunt tam de natura vototum ejuſmodi, quam difficultatum quæ fidelem eorumdem exſecutionem per totum vitæ tempus reliquum comitantur, ſufficienter eruditi. Jam vero qua veriſimilitudine contendi poteſt, parvulam quæ annum ætatis ſuæ decimum vel undecimum tantummodo decurrit, quæque, ut omnino frequenter contingit parvulis ejuſmodi ætatis, nondum fuit primos appetitus concupiſcentiæ experta, cuique proinde inauditæ, neque ulla ratione perſpectæ ſunt plurimæ, quæ in iiſdem vincendis ſuperandæ ſunt difficultates; poſſe ſufficienter erudiri de tentationum æſtu, quibus non ante ſubjici incipitur, quam fuerit ad annos perventum integræ ac plenæ pubertatis? Quanam ergo ratione Balduina de qua propoſita quæſtio potiſſimum inſtituitur, poteſt emiſiſſe valide votum virginitatis aut Religionis, ſi votum illud non fecerit niſi cum complicata quadam atque omnino confuſa obligationis tanti momenti notione, neque ulla tentationum experientia edocta, quæ ſæpe ſæpius quam acerrime obſiſtunt voti ejuſdem obſervationi? Atque ea potiſſimum de cauſſa S. Thomas, (a) S. Antoninus, S. Raymundus, atque ii omnes qui in iſtam materiam attigerunt, conſentiunt, vota impuberum nuſquam eſſe ſtabilia; ſed eo uſque poſſe tum ab eorum parentibus, tum etiam ab eorum tutoribus infirmari, ut ne quidem, ita ſentientibus Doctoribus quamplurimis, ullam importent iiſdem, conſecutis etiam pubertatis annum, obligationem.

(a) *Sed votum ejus poteſt irritari per parentes ejus, quorum cura remanet adhuc ſubjectus.* S. Thom. cit. art.

Nihilominus, quoniam fieri poteſt ex bona quadam indolis habitudine, ac fortunata præcocis cujuſdam atque præter ſolitam naturæ conſuetudinem inditi ingenii diſpoſitione, Balduinæ in ea in qua ſupponitur conſtitui annorum ſuorum ætate, idem adeſſe judicium intelligens circa naturam ſui voti, ac laborum plurimorum qui poſſunt in exſecutione ejuſdem occurrere, quod ei adeſſet, cum annum fuiſſet ætatis ſuæ duodecimum expletum conſecuta; in eo caſu præſumendum eſt, ipſius votum omnino valere, niſi ſubſint graviſſimæ aliquæ cauſſæ, cur aliter de eodem judicetur.

In eam vero ſententiam lubentius adducimur, quod Alexander III. ab Epiſcopo Norvvikenſi de quodam juniori parvulo * conſultus, qui voto ſeſe obſtrinxerat ſuſcipiendæ ſacræ cujuſdam peregrinationis in urbem Jeroſolymam, nedum votum ejuſmodi declaret infirmum atque irritum, quamquam plurimus locus daretur conjiciendi, prædicto parvulo nondum eam adeſſe judicii maturitatem, quo poſſet labores omnes omniaque incommoda quæ occurrebant in eodem adimplendo, prævidere atque habere penitus explorata; quin immo ſupponat, illud idem omnino valere atque obligare: ſiquidem gratiam ejuſdem ei indulgeat, impoſita eleemoſynarum erogandarum obligatione (b). *Nos autem ipſum a voto, quod in ætate tenera, facilitate potius, quam ex arbitrio diſcretionis promiſit, abſolvimus: ita tamen, quod idem votum eleemoſynis redimat.*

* *In puerili ætate conſtitutus.*

(b) Alex. III. in cap *Venientis* 2. de voto & voti redemtione. lib. 2. tit. 33.

Ex quibus concludimus, tutius eſſe aſſerere, Balduinæ, quod ipſa ſuſcepit, voti perficiendi induci obligationem, niſi ejuſdem gratiam ſibi fieri conſequatur ex legitima diſpenſatione; quæ quidem, tum propter puerilem ipſius ætatem, & propterea quod incertum ſit, utrum fuerit ea firmitate ac maturitate judicii donata, quo poſſet ipſa vinculo obligationis alicujus ſeſe innodare, tum propter rerum ipſius familiarium tenuitatem, poteſt ab ipſius Epiſcopo concedi, nulla aliunde urgente cauſſa, cur ea de re Romam recurrat: utpote quod non niſi vota de quibus conſtat ſummo Pontifici reſerventur, atque in eo tantummodo caſu, in quo per facultates proprias licet ipſius auctoritatem implorare.

CASUS III.

Lucilia puella annum agens ætatis ſuæ decimum cum tribus menſibus, cum jamjam eſſet ad ſacram menſam acceſſura cauſſa myſteriorum ſacroſanctæ Euchariſtiæ pro prima vice percipiendorum, voto ſeſe obſtrinxit perpetuæ virginitatis, nec conſulto ſuo Confeſſore, nec omnino alia quacumque perſona. Sex annos deinde explevit nihil prorſus cogitans de voto quod fecerat; & cum in matrimonium veniſſet, non fuit ejuſdem recordata niſi poſtridie matrimonium ſuum, quod fuerat conſummatum: qua quidem de re graviſſime prorſus fuit perturbata; & quæſtio proponitur: 1. Utrum votum illud ut validum conſiderandum ſit, quamquam illud idem emiſerit ex ſubito quo correpta fuerat, pietatis ardore, atque etiamnum agens ætatem penitus puerilem? 2. Quid ab ipſa ſit peragendum, ut propriæ ſuæ conſulat conſcientiæ; poſito quod ipſius votum valeat atque aliquam inducat obligationem?

Respons.

Reſpondemus: 1. Si Lucilia votum ſuum fecerit cum plena animi deliberatione, nec ea ignorans quæ ſpectabant ad illam quam contrahebat obligationem; nihil dubitationis eſſe debere, quin ipſius votum omnino valeat, ac valide ſuſceptum fuerit; licet annum ætatis ſuæ non niſi duodecimum cum tribus menſibus fuiſſet conſecuta tunc temporis, quando ejuſdem religione ſeſe obſtrinxit. Conſtat namque, cum ad annum pubertatis perventum eſt, qui numeratur duodecimus, quantum ad puellas, facultatem adeſſe voti valide conficiendi; quemadmodum ea de re convenit unanimi conſenſu tum apud omnes Theologos, tum apud quotquot ſunt Canoniſtas.

2. Neceſſe eſt igitur, Luciliam, quo tute poſſit conſcientiæ ſuæ providere, recurrere ad ſummum Pontificem, & diſpenſationem fieri ſibi de voto conſequi ex Romana Pœnitentiaria. Ei nihilominus licet abſque ullo peccandi ſcrupulo conjugale debitum marito ſuo continuare interea reddere: ſed non poteſt niſi cum peccato quod adverſaretur ipſius voto, illud idem ipſa ab eo petere, donec diſpenſationem indulgeri ſibi e Roma impetraverit. Si nequiret Romam recurrere vel propter facultatum ſuarum tenuitatem, vel propter quamlibet aliam cauſſam legitimam; ſufficeret, ab ea vel Epiſcopi vel ejus Vicarii Generalis auctoritatem implorari, ut ab alterutro ſecum obtineret diſpenſari in foro interiori Pœnitentiæ, in quo generis iſtius diſpenſatio debet effectum ſuum obtinere.

3. Poſito, quod adeſſet juſta aliqua cauſſa dubitandi, num votum præfatæ puellæ foret dubium

ex de-

ex defectu cognitionis, vel deliberationis; tum nihil opus esset, ipsam Romam recurrere. Nam Episcopus, ejus Vicarius Generalis, seu quilibet etiam alius Confessarius ad hoc ab alterutro ex professo designatus, posset eidem gratiam voti ipsius indulgere, aut illud in pia quædam alia opera commutare; aut etiam declarare, cum illud nullum sit, nullam quoque ex eo importari obligationem. Sed isthæc omnia non sunt peragenda nisi *in foro Pœnitentiæ*, ut jamjam monuimus. Quæ decisio auctorem habet eruditi nominis quemdam Theologum, cujus opus publici juris jam factum est *(a)*.

(a) *Sambovius tom. 3. Casu 123.*

CASUS IV.

Rutilia annos nata sexdecim, eorum prorsus hospes & imperita quæ spectant ad naturam voti, tum ad procedentem ex vinculo ipsius obligationem, cum sacræ cuidam orationi interfuisset quæ habebatur intra solemnia professionis Religiosæ, quam una ex ejus consanguineis jamjam erat emissura, & in qua sacer Orator in medium proferebat Virginum illarum pretiosa emolumenta, quæ sese Deo voto virginitatis totas consecrant, promisit Deo in suo quem toto pectore exhalabat, pietatis æstu, futurum, ut numquam in matrimonium veniret, & ad tempus vitæ suæ reliquum continentiam ac virginitatem perpetuo servaret; non tamen advertens, utrum obligationem istam sibimetipsi induceret vel vi voti, vel nullo voto interveniente; licet fuerit sui satis compos, ut quæ faceret, ipsa posse secum recogitare. Post aliquot ab illinc annos oblata eidem fuit conditio matrimonium ineundi cum viro ditissimo, & eadem etiamnum ei conditio proponitur. Quam quidem acceptare totus ejus animus ardet, ac sibi licere pro comperto atque explorato ducit: quoniam, cum sua sese obligavit erga Deum promissione, eamdem non habuit, nisi quemadmodum quæ accedunt, aliæ promissiones vulgo solent considerari; aut nonnisi tamquam simplicia consilia, quæ animo concipiuntur; de cetero non intendens, nec ulla ratione cogitans, futurum ut ex ejusmodi promissione sibi foret inducenda obligatio ea ratione, qua postmodum sibi renuntiatum fuit, votum obligare. Quid potissimum agat necesse est, ut conscientiæ suæ tutiori qua poterit, via provideat?

RESPONS.

Requiritur equidem necessariò ad validitatem voti, ut intentio sese obligandi interveniat: quoniam votum legis cujusdam rationem constituit, quæ voluntario ac lubenti animo suscipitur, quæque adeo non obligat nisi quantum animo fuit, sibi obligationis induci: At ea ipsissima de caussa promissum, quo Rutilia sese erga Deum obstrinxit, considerandum est, ut veri ac proprij nominis votum; adeoque obligatur ex debito suæ conscientiæ ad illud idem religiose servandum. Ratio est, quod cum promiserit cum plena mentis advertentia & integra voluntatis deliberatione, futurum ut ad tempus vitæ suæ reliquum continentiam perpetuo servaret; non possit ullatenus iri inficias, quin ipsa sufficientem habuerit intentionem obligationis ejusmodi contrahendæ: quandoquidem in ejus generis promissione naturali quadam connexione contineatur obligatio dictæ promissionis exsolvendæ. *Nam promissio ex natura sua parit obligationem*, inquit quidam notæ certe celebrioris Theologus Hispanus: *(b) Ad fidelitatem hominis pertinet, ut solvat promissa*, ait quidam vitæ suæ sanctitate conspicuus omnino Archiepiscopus *(c)*. Atque re vera quidem, si stricte quis teneatur ad servandum atque persolvendum initum aliquem bona fide contractum cum hominibus, ut docet S. Thomas *(d)*; quanto magis incumbit ea præstare, quæ promissa Deo fuerunt? Sic disseritur a S. Gregorio, quem Gratianus refert in uno quodam e Canonibus Decreto ipsius insertis: *(e) Si enim*, inquit laudatus Pater, *inter homines solent bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi; quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit?*

(b) Dominicus Sotus de just. & jure l. 7. q. 1. art. 2.

(c) S. Anton. 2. part. Summ. Theolog. tit. 11. c. 1. §. 2.

(d) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 1.

(e) Greg. in can. *Viduas*. 2. §. 1. 27. q. 1.

Animo nihilominus non est diffiteri, posse Rutiliam absque ne minimo quidem peccato recurrere ad legitimum superiorem, quo valeat ab eo consequi, sibi indulgeri de voto dispensationem, modo ejusdem poscendæ subesset ei aliqua justa caussa.

CASUS V.

Nummius, cum eo usque pervenire non potuisset, ut petitum a Maria uxore sua per tres menses & amplius, ab eadem obtineret sibi reddi conjugale debitum, licet eidem nulla justa caussa subesset Mariti votis non annuendi; iram tandem ea de re gravissimam concepit, atque in ipsomet quo plurimum abripiebatur, impotentis animi impetu declaravit ei, sese religione voti obligare, ad illud idem numquam ab ea repetendum. Num ejusmodi votum habet alicujus roboris firmitatem?

RESPONS.

Auctor Glossæ *(f)* in quamdam Gregorij IX. Decretalem censet, votum ejus generis nullum prorsus esse, nisi qui abreptus iracundiæ suæ motu impotenti vovit, compressa tandem iracundia illud idem ratum habeat; *nisi post calorem iracundiæ consentiat*. En ipsissima sunt auctoris laudati verba: suamque confirmat opinionem plurimis textibus, inter quos qui ceteris luculentior est atque ad concludendum magis aptus, deducitur ex Decretali quadam Innocentii III. *(g)*, in qua laudatus Papa declarat, quod *positus extra mentem, ac per hoc non valeat consentire, nisi, postquam mentis suæ factus est compos, spontanea voluntate professionem fecerit Monachalem*. Cui prædictæ opinioni Ludovicus Romanus, Felinus *(h)*, Jasonius *(i)* atque alii quidam adhæserunt. At plurimi non infimi nominis Canonistæ contendunt, istam opinionem esse falsam, nisi, quemadmodum monet Navarrus *(K)*, intelligatur de motu quodam iracundiæ, cujus impetus eo usque fit impotens, ut voventis mentem ab omni tum rationis usu, tum judicio prorsus alienet. *Valet votum per iracundiam emissum a vovente, non penitus a suo judicio deturbato*. Et iterum: *Plane falsa est, nisi intelligatur de ira alienante voventem prorsus a judicio*. Quod idem jam docuerat Joannes Andreas *(l)* plurimis sæculis ante Navarrum, atque in eo vestigiis incesserat celeberrimi Canonistæ Oldradi Laudensis, qui eum in eadem doctrina antecesserat. Doctrinam quoque eamdem Panormitanus sequitur; neque prædictis duobus placet opinio Glossæ nisi verbis sequentibus restricta: *Quando turbatio est talis & tanta, quod sapit quamdam mentis alienationem ex multo furore*.

(f) Gloss. in c. *Dudum*. 20. de convers. Conjugat. v. *Calore iracundiæ*.

(g) Innoc. III. in d. c. *Sicut*. 15. de Regular.

(h) Felinus in c. *Matthæus*. de simonia.

(i) Jason. in lib. *Si filiam*. Cod. de inofficioso testamento.

(K) Navar. in can. *Divortium*. de Pœnit. dist. 1. n. 12. in fine. & n. 17. tom. 1. fol. 238. verso.

(l) Joann. Andr. in cit. c. *Dudum*. n. 20.

Enimvero iracundia, qualis ea est quam heic loci supponimus; hoc est, illa quæ mentem non alienat ab usu rationis, non est caussa, cur infirmetur ac reddatur nullum, bonum aliquod opus quod peragitur; licet ipsum opus nihil prorsus juvet quantum ad vitam æternam: exempli caussa, pauper aliquis a me petit eleemosynam; illum repello: instat ac stipis erogationem importunus urget: ei irascor, neque petitam eleemosynam cedo, nisi ut eum a me ipso remittam: ista eleemosyna, nihil iracundia obstante, pauperi prædicto juste ac legitime vindicatur: sic etiam Nummius promittit Deo, ac voti religione se obligat ad conjugale debitum numquam petendum, quoniam cum uxore sua sibi non obediente stomachatur: votum ipsius censendum est ratum ac validum, ipsique sub oculis ipsius Dei inducit obligationem; modo non eo usque æstuet ira, quod expers omnis cujuscumque rationis usus efficiatur.

Habemus etiam ex ipso Jure aliud exemplum, ex quo potest hæc præsens nostra decisio plurimum confirmari. Quod quidem occurrit in Decretali quadam Urbani III. *(m)*, qui declarat, quemdam virum, qui *iracundiæ calore succensus* jurejurando affirmaverat, futurum ut de Monasterio in quo commorabatur, discederet, nolens ibidem habitare simul cum Religioso quodam, a quo aversus erat; obligandum esse ad habendam ibidem stabilitatem perpetuam, atque ad temerarium quo sese obstrinxerat, juramentum pœnitendo corrigendum:

(m) Urban. III. in c. *Sicut*. 13. de jure jurando.

dum: *Talis ei pœnitentia injungatur, ut alius quilibet exemplo ejus deterritus simile aliquid facere pertimescat: ipse vero in claustro, quod abjurare non potuit, cum stabilitate perpetua suam pœnitentiam exsequatur.* Ex quibus verbis apertum est, a laudato summo Pontifice habitum fuisse juramentum prædicti Religiosi, ut veri nominis juramentum, licet temerarium foret ac injustum, & quamquam illud idem iracundiæ calore succensus dixisset. Quidni igitur votum emissum ex simili iracundiæ motu coram Deo non valeret?

Tandem possumus addere testimonium ejusdem Navarri circa Tribunal Romanæ Pœnitentiariæ, cujus usus erat laudato Canonistæ omnino perspectus ac familiaris. Sic ergo loquitur: *Prætorium Sacræ Pœnitentiariæ omnia vota per iracundiam, vel aliam passionem & perturbationem facta, judicat esse valida, nisi tanta fuerit iracundia tantaque passio & turbatio, quæ voventem extra mentem ad insaniam trahat.*

CASUS VI.

Pavinus profectus ex Insulis in Flandria, obiturus Romam sacram peregrinationem, & voto suscepto diem alterum ab adventu suo jejunum agendi, illuc accessit die sabbati in hebdomada sancta sub horis vespertinis. Num obligatur ad abstinendum ipso die Paschatis?

Respons.

Non videtur, qua ratione possit negari, quin Pavinus teneatur in posita hypothesi sacrum etiam diem Paschatis jejunum habere, si eumdem excipere non expresse intenderit. Ita deciditur a Joanne Andrea (a), qui nulla adhibita nec distinctione nec exceptione, asserit, eum qui votum suscepit abstinendi ipso die quo sacram suam obierit peregrinationem, obligari ad votum suum adimplendum. Ratio est, quod, cum non intenderit istum diem excipere, censeatur animum habuisse saltem tacitum sese obligandi ad illud votum tam ipso die, quam ceteris diebus. Sic etiam determinatur a Fagnano (b), qui ait: *Idemque dicendum esset, si vovisset abstinere die, in qua perveniet ad locum peregrinationis ... nam, si pervenerit ad locum destinatum in die Dominico, immo & in Paschate Resurrectionis; utique teneretur abstinere.*

Atque ea de caussa Honorius III. (c) declarat Episcopo Pragensi ad quem scribit, non licere carnes edere die Nativitatis Domini nostri, incidente in feriam sextam, cum votum susceptum fuit, ab omni carne qualibet feria sexta semper abstinendi. Quod idem habet Fagnanus (d) post Silvestrum (e).

Memorat quoque Cardinalis Zabarella illius exemplum, qui fecisset votum abstinendi singulis annis die Annuntiationis, nullatenus cogitans, festum Paschatis posse in ipsum etiam diem aliquando incidere; quo quidem die non dubitat asserere, futurum ut obligaretur ad abstinendum, quantumcumque sit solemnis. *Nam, si hoc festum contingeret die Dominico*, ait adhuc Fagnanus, *absque dubio teneretur abstinere, etiam in Dominica Resurrectionis.*

(a) Joann. Andreas in cap. *Explicari.* 3. de observatione jejuniorum v. *Voto*, lib. 3. tit. 46.

(b) Fagnan. in c. *Explicari.* 3. eod. tit.

(c) Honor. III. in cit. cap. *Explicari.* eod. tit.

(d) Fagnan. in d. c. *Explicari.* n. 14.

(e) Silvest. v. *Jejunium.* q. 10. seu n. 7.

CASUS VII.

Constantinus annos natus viginti septem, postquam votum suscepit Religionis ingrediendæ, fuit ad Episcopatum promotus. Nonne voti vinculo solvitur ex ista promotione; siquidem Episcopatus sit statu Monachali longe sublimior ac nobilior?

Respons.

Nodus difficultatis non in eo constitutus est, nimirum, uter prædictorum duorum statuum sit sublimior ac nobilior; sed quæstio est de obligatione voti, quo sese Constantinus obstrinxit. Constat autem, ex prædicto voto tantam ei induci obligationem ejusdem adimplendi, ut illius vinculo solvi nequaquam possit coram Deo, nisi ex impotentia aliqua physica vel morali. Est ergo asserendum, eum teneri ad amplectendum vitæ Religiosæ institutum; siquidem, quamquam episcopalis infulæ fulgeat honoribus, omnino possit, abdicato suo Episcopatu, votum suum adimplere. *Qui vovit Religionem ingredi*, ait Fagnanus (f), *& voto non completo, factus est Episcopus; per hoc ... non est solutus voto. Immo, si suam velit sanare conscientiam, debet cedere & votum implere.*

Atque ita definitum verbis luculentis legitur in Decretali quadam Innocentii III. (g) in qua laudatus Papa consultus ab Episcopo Genevensi de non absimili difficultate, eidem respondens sic declarat: *Nos igitur tuæ discretioni consulimus, ut, si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua.* * Cujus decisionis Glossa rationem istam reddit: *Quia Dominus exigit oblatum, quod non exigeret offerendum.* Quam rationem auctor citatæ glossæ mutuatus est ex verbis S. Augustini, quæ referuntur ad aliam caussam in Canone quodam Decreti Gratiani (h).

Observandum vero est: 1. Quamquam summus Pontifex vocem adhibeat *Consulimus*, eamdem nihilominus intelligendam esse de vero ac proprie dicto præcepto, quemadmodum innuunt isthæc verba, quæ subsequuntur: *Si tuam sanare desideras conscientiam*: quæ quidem verba non subjiceret Innocentius III. si res esset simplicis tantummodo consilii, siquidem ex violato consilio non possit offendi conscientia. Neque alia de caussa laudatus summus Pontifex sic loquitur, quam quia non ferebat sententiam judiciariam: quo quidem in casu pronuntiavisset tamquam Judex, & quasi potestatem habens; & quoniam præfatus Episcopus nonnisi simplex consilium ab eo sumebat. Quam interpretationem tradit Innocentius IV. in eo, quod scripsit in prædictam Decretalem, commentario (i). Quæ eadem interpretatio auctores etiam habet Cardinalem Hostiensem (K), Joannem Andreani (l), Petrum Ancharanum (m) & Zabarellam (n).

2. Ab Innocentio III. addi, postquam, qui fuerat ad Episcopatum promotus, votum suum adimplevit, eum iterum posse in Episcopum eligi. *Quod si Capitulum Gebennensis Ecclesiæ te postmodum canonice duxerit eligendum; electionem recipere poteris de te factam.*

Ceterum, quam ea de re laudatus summus Pontifex proponit, S. Thomas suam quoque facit decisionem (o) fultus ejusdem Decretalis auctoritate, quæ citatur a Fagnano (p). Quam partem Sanchez (q) amplectitur, & patronos ejusdem opinionis appellat Hostiensem, Joannem Andream, Cajetanum, Majorem, Abulensem, Angelum, Silvestrum, Tabienam & Armillam.

(f) Fagnan. in c. *Sane.* de Regul. &c. n. 67.

(g) Innoc. III. in c. *Per tuas.* 10. de Voto. &c. l. 3. tit. 34.

* Psalm. 75.

(h) S. Aug. in c. *Nuptiarum.* 4. 27. q. 2. in fine.

(i) Innoc. IV. in d. cap. *Per tuas.* v. *Consulimus.*

(k) Hostiens. ibid. n. 1. v. eod.

(l) Joann. Andreas. ibid. n. 4.

(m) Petrus Anchar. ib. n. 3. Notabil. 4.

(n) Card. ibid. Notabili. 1.

(o) S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2.

(p) Fagnan. in c. *Sane.* de Regul. &c. n. 68.

(q) Sanchez de Decalogo l. 4. c. 17. n. 5.

CASUS VIII.

Lælia, suscepto voto virginitatis ad reliquum vitæ suæ tempus servandæ, brevi postea permisit, sese a Juvenali corrumpi atque deflorari, proindeque amisit quod Deo voverat. Numquid postea tenetur vinculo voti quo sese obstrinxit, ad servandam ad reliquum vitæ suæ tempus continentiam, licet nihil aliud intenderit, quam suam vovere virginitatem?

Respons.

Propositam sibi non absimilem quæstionem S. Thomas (r) sic dissolvit. *Illa ergo quæ virginitatem vovit*, ait laudatus Sanctus, *si corrupta est; quamvis non possit virginitatem reddere; tamen potest reddere continentiam; & ad hoc remanet obligata, & ulterius ad pœnitentiæ lamentum, per quod virginitatem amissam Deo recompenset: quod quidem, etsi non sit æquivalens simpliciter, est tamen æquivalens, quantum ad reputationem Dei, qui non exigit ab homine ultra posse.* Obligatio igitur Læliæ inducitur, vi suscepti ab ea voti vovendæ Deo suæ virginitatis, ad reliquum vitæ suæ tempus servandi continentiam.

(r) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1 art. 3. quæstiuncula 1. ad 1. Item 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.

CA-

CASUS IX.

Ennodius vir de rebus suis familiaribus optime constitutus vovit, futurum ut occurrenti sibi primo Pauperi quinque largiretur asses, ad satisfactionem alterius pauperis se se inclementius accepti. Obligatur-ne sub pœna peccati mortalis, ad votum suum adimplendum?

Ratio dubii, qua simul etiam potest a mortali peccato vindicari, si votum suum nolit perficere, est quia materia prædicti voti videtur omnino levissima; &, quemadmodum votum est Lex, quam aliquis sibi voluntarie imponit; videtur, obligationem, quæ inducitur ejusdem adimplendi, non censendam esse majorem illa obligatione, quæ ex aliis Legibus sequitur. Porro obligatio, quam ceteræ Leges important, nequidem excepta lege naturali, petitur a gravitate, vel levitate materiæ prædictarum Legum: adeo ut si materia earumdem levis fuerit, violatio quoque illarum non fit nisi levis ac venialis, juxta principium istud S. Thomæ (a): *Illud, quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil*; aut sicut loquitur S. Antoninus (b) *parum pro nihilo reputatur*: Quod quidem uterque sanctus non asserit, nisi duce S. Ambrosio, qui citatur a Gratiano (c).

(a) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad. 3.
(b) S. Anton. 2. part. Summ. Theol. tit. 3. c. 10. §. 1.
(c) S. Ambr. in can. *Revera*, 69. de consecra. dist. 2.

R E S P O N S.

Existimamus, nihil obstantibus rationibus enunciatis in instituenda quæstione, quæque eo fine allegantur, ut Ennodio non exequenti suum votum caussam præbeant excusationis, eundem tamen nullatenus esse a mortali colpa vindicandum. Quamquam etenim indubitatum sit, si votum suum ex aliqua parte adimpleverit, puta si, verbi gratia, dederit pauperibus tres vel quatuor asses eo animo, ut votum suum adimpleret, eum posse a peccato mortali excusari; quoniam illud idem, quantum ad partem magis præcipuam, perfecit, & quod de eodem superest adimplendum levioris prorsus est momenti: Si tamen nihil omnino velit ejusdem perficere, se se reatu constringit peccati mortalis; siquidem habenda non sit ut materia levis, integra voti alicujus violatio, quod quidem cum sit promissum ipsi Deo factum, non potest ullatenus omitti, quin inde sequatur gravissimæ prorsus perfidiæ peccatum. *Votum*, inquit S. Thomas, (d) *est promissio, non quæcumque, sed Deo facta, cui infidelem esse gravissimum est.*

(d) S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. ad 2.

Quam decisionem suggerit Cardinalis Cajetanus, (e) qui quidem ut diluat objectionem propositam in præsenti specie, & interpretetur istud vulgare adagium: *Parum pro nihilo reputatur*, affert in exemplum votum, quod quis fecisset recitandi unius versiculi de aliquo Psalmo; & contendit in eo casu, cum versiculus iste consideretur tanquam aliquid totum, nullatenus vero tanquam pars, non posse nisi cum peccato mortali votum ejus generis non adimpleri. *Male applicatur hoc principium ad propositum*, ait iste notæ celebrioris Cardinalis; *Modicum namque, sive parum, relative cum dicatur ad aliquid, respectu cujus est modicum, aut parum, tunc pro nihilo intelligendum est, quando ut pars, aut quasi pars alterius respicitur; quando vero ut totum quoddam secundum se sumitur, tunc non modici, sed totius habet rationem. Verbi gratia, vovet quis dicere die Dominico Psalterium: Si dicendum omittit unum versum, non est reus fracti voti, quia modicum pro nihilo reputatur; at si solum vovisset dicere unum versum, & omisisset illum, esset procul dubio reus fracti voti. Ubi manifeste vides, quod unus versiculus, diversimode cadens sub præcepto divino de servandis votis, ut pars modica, & quoddam totum, diversimode cadit sub obligatione. Nam ad illum versum, ut modicam partem, non obligatur, nisi sub peccato veniali, propter imperfectionem actus; quia modicum pro nihilo reputatur: ad eundem versum, ut totum, obligatur sub peccato mortali; habet enim rationem perfecti actus.*

(e) Cajetan. loc. cit. q. 89. art. 6.

Cui sententiæ Cardinalis Toletus (f) subscribit. De voto namque faciens sermonem, cujus materia non cadit aliunde sub præcepto, quin immo levissima est, ait: *Tale votum obligat sub mortali; adeo ut, qui agit contra votum, etiam in re ante non debita, vel minima, peccet mortaliter.*

(f) Tolet. Instruct. Sacerd. l. 4. cap. 17. n. 3.

Igitur juxta prædictas auctoritates Ennodius in proposito casu a peccato mortali nequaquam excusandus est. Si tamen non peccaret nisi ex sola mora, & voluntatem sinceram re ipsa gereret adimplendi suum votum, non putamus, ex sua negligentia, quam eidem exequendo affert, eum ad peccati mortalis usque malitiam ac reatum devenire; siquidem ipsius voti materia levissimi sit omnino momenti. Quin etiam fatemur, extare quosdam Auctores, quemadmodum Sotum & Navarrum, qui sententiam tenent oppositam opinioni Cardinalium Cajetani & Toleti; & censent, in casu proposito non occurrere nisi veniale peccatum. At plurimum juvat in ejusmodi materia sequi, quæ saluti magis consulit, opinionem; secundum istud dictum Innocentii III. scribentis ad Capitolum de Ecclesia Wursburgensi: (g) *In dubiis via est eligenda tutior* (h).

(g) Innoc. III. in cap. *Illud*. de Clerico Excomm. deposito. vel interd. ministrante. l. 5. tit. 27. Item Clement. III. in cap. *Ad audientiam*. 12. de homicidio. &c.
(h) *Collect. Petrocor.* t. 4. *Colloq.* 2. q. 3.

CASUS X.

Enguerrandus Abbas, atque generis nobilitate commendatissimus ex animo non vulgaris humilitatis vovit, futurum ut oblatos Episcopatus honores nunquam acceptaret. Num potuit se se religione ejusmodi voti obstringere?

R E S P O N S.

Ad propositam quæstionem dissolvendam, est adhibenda distinctio: Namque aut Enguerrandus animum habuit se se suo voto obligandi ad oblatos Episcopatus honores, etiam jubente legitimo superiore, nunquam acceptandos; atque in eo caso votum illius foret illicitum: aut non intendit nisi sibi inducere istam obligationem, quod nunquam foret eosdem sollicitaturus, ac denegaturus eosdem etiam sibi oblatos, quantum ex suo arbitrio penderet; quo quidem in caso votum ipsius licitum ac justum foret, & ei sub oculis Dei ipsius importaret obligationem. Quam distinctionem S. Thomas suggerit (i), cum ait: *Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatum, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Superioris Prælati accipiat, illicite vovet. Si autem intendat ad hoc se obligare, ut quantum est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum, quia vovet se facturum id, quod hominem facere decet.*

(i) S. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 2. ad 3.

CASUS XI.

Hector Pater familias, Parœcianus de sancto Paulo, vovit, futurum ut per unum annum integrum singulis tum Dominicis, tum festivis diebus primariis, Missæ privatæ cuidam adesset in certo quodam Monasterio hora decima matutina, quæ ipsa hora est, qua Missa Parochialis celebratur. Illud autem potissimum intendit in voto suo, nimirum, quod, cum quidam Religiosus vitæ suæ sanctitate commendatissimus, quem suæ conscientiæ moderatorem sibi elegit, divinum Sacrificium prædicta hora consueverit offerre; eidem Sacra peragenti summopere peroptet simul cum sua conjuge, suisque liberis, interesse. Num obligatur sub pœna peccati mortalis ad exequendum suum votum?

R E S P O N S.

Existimamus, Hectori, nullatenus induci obligationem votum suum adimplendi. Ratio est, quod juxta doctrinam S. Thomæ, non cadit sub voto res, quæ vel de se est illicita, vel minus bona, licet de se non illicita sit: *Sicut juramentum, quod vergit in deteriorem exitum, non est servandum*, inquit Laudatus S. Doctor, (k) *ita nec votum. Unde Isidorus dicit*: In turpi voto muta decretum: *quia votum non extendit se ad illicita, vel minus bona*. Porro votum, quod Hector suscepit, prorsus illicitum est; obligatur etenim ad assistendum, quantum ipsi per rerum suarum opportunita-

(k) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad. 3.

Digitized by Google

nitatem licet; Missæ Parochiali singulis diebus tum Dominicis, tum festis solemnioribus: a qua quidem obligatione adimpleuda deterreretur, si suum votum servaret. Non debet igitur illud exequi, siquidem, etiamsi ex conscientia non teneretur prædictis diebus Missæ Parochiali interesse; saltem constat, opus esse tum utilius, tum mercede potiori dignum eidem Missæ adesse, quam Missæ privatæ in Ecclesia extranea; quod plane sufficit, ut votum ejusmodi inde nullum efficiatur, eum necesse sit, quodcumque votum fiat *de meliori bono*, ut loquitur appellatus Angelicus Doctor (*a*), quo Deo sit acceptum. Quibus præterea addere juvat mali exempli rationem, quod vir iste Parœcianis omnibus aliis præberet, in eo quod a sua Parœcia ipse cum tota domo sua ex inordinato pietatis affectu per annum integrum abesset.

(*a*) Id. ibid. art. 2. quæstiunc. 2. in corp. & 2. 2. qu. 88. art. 2. in corp.

C A S U S XII.

GILDARDUS Seholasticus Rhetoricæ studens, cum sibi pateant ad Collegium duæ viæ perinde commodiores, sed quarum ei una magis arridet, quam altera; vovit, futurum ut eam potissimum capesseret, quæ sibi magis arridet. Obligaturne coram Deo ad votum suum servandum?

R E S P O N S.

Nullum unquam suscipiendum est votum, nisi de aliquo virtutis actu, ait S. Thomas (*b*) *Vota vero*, inquit idem sanctus (*c*), *quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda, quam servanda*. Adeoque nulla sunt, & consequenter non obligant. Quod idem etiam Doctor Angelicus docet de muliere, quæ vovisset, futurum ut certa quadam die capillos suos non pecteret: (*d*) *Talia vota Mulierum sunt sortilegia magis, quam vota: sunt enim reliquiæ quædam Idololatriæ, secundum quam observabantur dies & menses; & ideo pro non votis habenda sunt; & peccant talia voventes.*

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. in corp.
(*c*) Idem. ib. ad 3.

(*d*) Idem in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. quæst. 3. ad 2.

Patet igitur, cum sit res Gildardo prorsus indifferens, alterutram prædictarum viarum eligere, ad petendum Collegium; siquidem ambæ perinde illuc conducant, & unam capessens potius quam alteram nullum exerceat actum virtutis, ab eo votum fieri non potuisse de una potiori ratione, quam altera, assumenda.

Est nihilominus observandum, si res, quæ de se est indifferens, ex adjuncta aliqua circumstantia mala fieret, quemadmodum, si transiretur per viam aliquam, in qua se se daret occasio peccandi; futurum ut in ejusmodi casu induceretur obligatio ex stricta conscientia servandi voti, quod factum fuisset, de via alia assumenda; siquidem tunc cesset materia voti esse indifferens, quemadmodum observatur ab Auctore Colloquiorum Lucionensium (*e*).

(*e*) Colloq. Lucionens. t. 2. Colloq. 7.

C A S U S XIII.

Yvo sese sentiens morbo periculosissimo oppressum, votum fecit, futurum ut curaret, novendialia sacra celebrari in Abbatia de S. Victore Parisiorum, ad Altare sancto Claro dedicatum, in qua sub ejusdem sancti nomine sacra quædam sodalitas instituta est. Cum sanitati restitutus fuit, commigravit in locum quemdam sex circiter leucas dissitum ab urbe prædicta, in cujus loci Parœcia, quæ sub invocatione S. Clari erigitur, extat etiam similis sodalitas: Nonne potest voto suo satisfacere jubendo, prædicta Novendialia Sacra in Ecclesia Parochiali de sancto Claro celebrari?

R E S P O N S.

Respondemus, Yvonem nequaquam posse voto suo facere satis jubendo, prædicta Novendialia Sacra celebrari in Ecclesia Parochiali, quæ sub invocatione S. Clari dedicatur. Cujus decisionis hæc reddi ratio potest, quod sit votum observandum quantum ad singulas suas circumstantias, sive pertineant ad locum, tempus, personam, sive cum ipsa re connectantur, absque eo quod unquam liceat quidnam in eodem exequendo mutare, cum copia adest ejusdem in integrum adimplendi. Porro duæ potissimum occurrunt circumstantiæ in voto, quod Yvo suscepit, quarum alteri deesset, si juberet, prædictas Missas in Ecclesia S. Clari celebrari. Prior quidem, est numerus Sacrorum duodenarius; Posterior vero, est locus specialis, in quo promisit Deo, futurum ut numerus sacrorum prædictus celebraretur: Cui posteriori circumstantiæ non faceret satis; siquidem locus, in quo vovit, futurum ut curaret, Novendialia Sacra prædicta peragi, sit Altare S. Claro dedicatum, quod extat in Ecclesia Abbatiali de S. Victore Parisiorum, nullatenus vero Altare Parochialis Ecclesiæ de sancto Claro, quod a prædicto altari distat sex circiter leucas. Obligatur igitur, ad exequendum suum votum in priori prædicta Ecclesia; non autem in posteriori. Quum novum ipsius, quod sibi constituit, domicilium nulla ratione connectatur voto, quo se se obstrinxit, neque inde possit ejusdem obligatio, nec executio, vel etiam tantisper immutari (*f*).

(*f*) Sambov. to. 1. Casu 93.

C A S U S XIV.

DOROTHÆA uxor Gilberti, se se cernens gravissime simul ac periculose febricitantem, proprio suo marte, maritoque inconsulto, votum suscepit sacræ cujusdam Peregrinationis, Parisiis in qua urbe commoratur, apud Nostram Dominam de liberatione Normanniam obeundæ, si convalesceret; Item singulis diebus *Pater* & *Ave* quinquies recitandorum, ac quoslibet tum Mercurii, tum Sabbati, dies anni habendi jejunos: Numquid a morbo suo recreata tenetur ista præfata tria vota servare, quamquam adversantem sibi, quantum ad eorum executionem, præfatum Maritum suum experiatur; & Gilbertus potestne, recta conscientia, eamdem impedire, na vota sua reddat?

R E S P O N S.

Est hæc regula generalis, quam statuit S. Thomas plurimis in locis operum suorum, nempe quod licet persona, quæ juris est alieni possit se se voto obligare quantum ad ea, quæ ipsius arbitrio & potestati subjiciuntur, nequeat tamen votum ullum suscipere, ex quo quidquam ille patiatur, cui subjacet, nisi obtento prius ab eodem ipsius consensu vel expresso, vel saltem tacito. Rationem vero istam reddit, quia *votum*, inquit laudatus Sanctus (*g*): *est promissio quædam Deo facta. Nullus autem potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius; sed solum ad id, quod est omnino in sua potestate. Quicumque autem est subjectus alicui, quantum ad id, in quo est subjectus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius: & ideo non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subjicitur sine consensu sui superioris.*

(*g*) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. in corp.

In eoque S. Thomas totus consentit doctrinæ S. Augustini, qui sermonem generatim instituens de votis omnibus, quæ mulier juncta viro potest suscipere, si habet (*h*): *Fœminam sub Patre antequam nubat, & sub viro nuptam noluit Lex ita vovere aliquid Deo adversus animam suam, id est, in aliquarum licitarum atque concessarum abstinentia; ut in eisdem votis fœminea valeat auctoritas, sed virilis*. Cujus textus significatio fusiori sermone describitur in Canone quodam apud Decretum Gratiani (*i*).

(*h*) S. Aug. q. 59. in numeros. n. 1.

(*i*) S. Aug. in Can. *Manifestum*. 33. 33. q. 5.

Quo quidem præmisso principio, asserimus, Dorothæam non obligari ad votum peregrinationis Sacræ, quod suscepit, obeundum, si Maritus ejus non consentiat; siquidem ipsius arbitrio non relinquatur, peregrinationis ejusmodi caussa, e domo sua discedendi. Eaque de caussa, postquam S. Thomas (*k*) dixit, a Religioso non posse votum ullum emitti, nisi consentiente superiore ipsius, *nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati.*

(*k*) S. Thom. cit art. 8. ad 3.

Digitized by Google

lati; sic addit: *sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu Patris: nec uxoris, nisi sit de consensu viri*.

Non consideranda sunt ergo generis istius vota, quasi vota absoluta; sed tantummodo, tanquam conditionata, ut observatur ab eodem Sancto (*a*): *Quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet, si suis superioribus placuerit, vel non renitantur*. Eo ipso namque, quod is, cui subjicitur, qualis est Maritus respectu suæ uxoris, executioni voti obsistit, ipsum votum infirmatur: adeo ut, sicut maritus non peccat ex eo, quod nolit adimplendo voto consentire; quia nihil agit, nisi quod agere omnino valet; ita etiam uxor ipsa non peccet, siquidem votum, quod fecit, non valeat nisi dependenter a consensu mariti sui. *Irritatio potest fieri sine causa*, ait Sanctus quidam Archiepiscopus, (*b*) *& ad libitum irritantis: sicut vir ad libitum irritat votum conjugis: ita quod nec ipse peccat irritando; quia nemini facit injuriam, qui utitur jure suo, nec illa, omittendo: cum fuerit inefficax a principio*.

(*a*) Idem ib. ad 4.

(*b*) S. Ant. 2. part. Summæ theol. tit. 11. c. 1. §. 6.

Neque vero eadem ratione judicandum est de re aliqua, quæ omnino juris est personæ subjectæ, & ex qua nihil quidquam injuriæ accedit juri superioris; quale est votum, quo Dorothæa sese constrinxit, quantum ad *Pater* & *Ave* quinquies quotidie recitanda. Obligatur etenim coram Deo, ad partem istam voti sui religiose servandam: Cum non possit Maritus ipsius eidem, quantum ad eam rem, neque cum ullo jure, neque ulla de causa, obsistere.

Quod idem extendendum quoque est ad jejunia, quorum obligationem ex voto sibimetipsi induxit, nisi forte nocerent juri, quod maritus habet in illam, quantum ad ea, quæ spectant usum matrimonii. Si namque præfata jejunia, aut aliæ hujusmodi voluntariæ corporis afflictiones eamdem inhabilem efficerent *ad copulam carnalem*: nequaquam posset, renitente suo marito, eadem adimplere. *Mulier*, inquit Eruditissimus quidam Canonista, (*c*) *quæ vovet abstinentiam vel peregrinationem, sine Mariti licentia, non tenetur eas adimplere .... si maritus repugnaverit*.

(*c*) Navarr. Manual. 22. n. 16.

CASUS XV.

Si Dorothæa voto sese obligavisset, antequam cum Gilberto matrimonio conjungeretur, ad suscipiendam sacram illam peregrinationem apud nostram Dominam de liberatione, atque ad binos per unamquamque hebdomadam dies jejunos habendos; Num obligaretur, repugnante quamquam marito suo, ad servandum suum votum?

Respons.

Est hoc omni prorsus controversia superius, si Dorothæa vota, quibus ligabatur, Gilberto non aperuisset, itaque ab eodem eorumdem adimplendorum obtinuisset prius licentiam, quam cum eo nuberet; nunquam futurum, ut ei liceret eadem exequi, renitente ipsius marito; siquidem non permittatur ullius uxoris arbitrio derelinquendi tum domum suam, tum curam rerum suarum domesticarum, sub prætextu suscipiendæ religionis causa, sacræ alicujus peregrinationis; neque etiam ipsi a fortiori liceat plurimos uniuscujusque hebdomadæ dies habere jejunos, siquidem ex ejusmodi corporis afflictatione posset facile incurrere in periculum inhabilitatis *ad copulam conjugalem*. Si tamen viro suo superstes viveret; tum induceretur ei obligatio votis suis satisfaciendi; cum ea ratione, mortuo suo marito, facta fuisset proprii *sui juris*. Atque ita docetur a Navarro (*d*) quando sic ait: *Mulier vero, quæ, antequam nuberet, aliqua vota vovit, &, postquam nupsit, non potest absque mariti præjudicio ea implere, excusabitur ab eorum executione, si maritus numquam præbeat assensum: quo tamen mortuo, tenebitur eadem implere*. Quam doctrinam amplectitur Baptista Trovamala (*e*).

(*d*) Navarr. Manual. c. 22. n. 16.

(*e*) Bapt. Trovamal. in sum. Rosellæ v. votum. 2. §. 1.

CASUS XVI.

Samson, & Lucia ejus uxor, clam apud sese singuli animo suo destinaverunt, votum facere; Samson quidem, de nomine suo Sacræ militiæ dando, ad sese transferendum in Orientem, subsidio suo juvaturum Christianos, qui vexantur ab Infidelibus, eorumque gravi jugo opprimuntur; Lucia vero, de obeunda Romam Sacra Peregrinatione; quin etiam Jerosolymam, ad invisenda sacra loca. 1. Potestne Samson votum suum, uxore sua non consentiente, exequi? 2. Si possit; quidni & mulier ipsius eodem jure non gaudebit?

Respons.

Videtur, futurum profecto, ut Samson posset, etiam invita sua uxore, votum suum tum facere, tum exequi, posito: 1. Quod Christianos eadem hodiernis diebus, quæ eos olim in Terra Sancta premebat, necessitas, seu calamitas urgeret: 2. Modo in eo sincerum animum gereret, vel iisdem auxilio suo subvenire, vel operam suam præbere regioni isti recuperandæ, quæ, repugnante prorsus omni jure, fuit a Turcis adversus Christianos injusta possessione occupata, atque usurpata.

Quod ista ratione declarat Innocentius III. scribens ad Cantuariensem Archiepiscopum (*f*): *In tanta quoque necessitate populi Christiani*, inquit Laudatus Papa, *ne terræ Sanctæ impediatur subsidium, viri, præter uxorum assensum, hujus peregrinationis propositum vovere libere valent, & quod voverint, libere adimplere*.

(*f*) Innoc. III. in cap. Ex multa. 9. §. 2. de voto & voti redemp. lib. 3. tit. 34.

Quam sententiam S. Thomas (*g*) confirmat exemplo unius vassalli, qui potest libere militare sine illius Domini consensu, a quo tenet aliquem Feudum. *Satis probabile est*, ipsissima sunt ejus verba, *quod uxor debet velle continere ad tempus pro subveniendo necessitati Ecclesiæ generalis. Et ideo in favorem negotii, pro quo crux sibi* (viro) *datur, institutum est, quod vir possit absque consensu uxoris crucem accipere; sicut etiam posset Domino suo terreno, a quo feudum tenet, absque ejus consensu militare*.

(*g*) S. Thom. in 4. dist. 32. ad 1.

At vero Samson nec suscipere, nec exequi potest ejusmodi votum, nisi in prædicto casu: quoniam damni plurimum afferret uxori suæ, quantum ad ea potissimum, quæ spectant usum matrimonii. Quin etiam omnino juvat in casu licito, maritum ab ejusmodi voto emittendo, sine consensu uxoris suæ, penitus abstinere; cum eum ipsa sequi non potest, & periculum imminet, ne eo absente, incidat in peccatum incontinentiæ.

Quod autem attinet ad ipsam Uxorem, equidem quidam extant Auctores non infimi certe nominis, quales Archiepiscopus Panormitanus, Cardinalis Hostiensis, & Navarrus, a quo citatur uterque (*h*) qui sentiunt, eidem perinde, ac ipsius marito, licere votum ejus generis, etiam repugnante marito, & facere & exequi. Sed videtur nobis, quæ eorum opinioni adversatur, sententiam eidem etiam esse præferendam; neque mulieri, nobili licet, potenti, & constitutæ extra quodcumque periculum incontinentiæ suspicionis, dari ejusmodi facultatem: 1. Quoniam nullo Canone jus simile ei conceditur: 2. Quia de mulieribus ne verbum quidem unum habet Innocentius III. in sua Decretali: 3. Propterea quod copiam istam non faciat ipsis viris, nisi eo fine, eoque animo, quod armorum auxilio subvenire possint Christianis oppressis, eosdemque tutari, ac defendere; quod genus auxilii a muliere penitus alienum est. Præterquamquod Mulieris, quæ sic in terras longinquas peregrinaretur, continentia in frequentiora, graviora, periculosioraque pericula veniret, quam continentia viri. Qua quidem in sententia ducem sequimur S. Thomam, qui verbis superius relatis adjicit sequentia: *Nec est simile de uxore ad virum: quia: .... uxor cum majori periculo casi discurreret per terras, & cum minori Ecclesiæ utilitate, & ideo uxor non potest hujusmodi votum facere sine viri consensu*.

(*h*) Panorm. & Hostien in cit. cap. Ex multa. Apud Navarrum in Manual. c. 12. n. 62.

CASUS XVII.

Adelarus & Columba ipsius uxor, ambo simul vitam agunt plurimæ pietatis ac Religionis laude conspicuam; Adelarus peroptaret, ab usu matrimonii penitus abstinere, id potissimum in eo sibi proponens, ut ad virtutem ampliorem atque cumulatiorem ea ratione perveniat: Potestne inconsulta uxore sua, abstinentiam istius generis vovere?

Respons.

Est hoc principium certissimæ prorsus fidei, atque indubitatæ omnino veritatis, nequaquam posse ab Adelaro votum ejusmodi fieri, inscia, nec consentiente Columba ipsius uxore; neque votum istud futurum injustum tantummodo, sed etiam nullius roboris & effectus: ratio est, quod voveri nequeat id, quod in voventis potestate non est, ut docet S. Thomas. (*a*) Atqui non est in potestate alterutrius conjugum, a quo petitur conjugale debitum, illud idem denegare. Ergo non potest Adelarus, sine consensu uxoris suæ, votum, cujus propositum animo destinat, emittere; siquidem non inde sibi tantummodo obligationem induceret, debitum non amplius exigendi; sed etiam ipsi Columbæ illud idem petendi nullatenus deinceps reddendi; Quod alienum omnino foret ab obligatione, in quam descendit, cum matrimonium contraxit, & a divino præcepto, quod in scriptura sacra verbis tam apertis proponitur. *Vovere voluntatis est, ut etiam ipsum nomen ostendit*, inquit S. Thomas, (*b*) *unde de illis taatum bonis potest esse votum, quæ nostræ subjacent voluntati, qualia non sunt ea, in quibus unus alteri tenetur; & ideo in talibus non potest aliquis votum emittere sine consensu ejus, cui tenetur: unde cum conjuges sibi invicem teneantur in redditione debiti, per quod continentia impeditur, non potest unus absque consensu alterius continentiam vovere; &, si voverit, peccat, nec debet servare votum, sed agere pœnitentiam de malo voto facto.* Quæ Doctrina S. Thomæ plane concordat cum ea, quæ S. Augustini propria est, qui quidem scribens ad Armentarium, eumque plurimum hortans, ut votum, quo sese obstrinxerat, servandæ continentiæ multa cum religione teneret, sic eum compellat verbis istis (*c*): *Una sola causa esse posset, qua te id, quod vovisti, non solum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere; si forte tua Conjux hoc tecum suscipere animi, seu carnis, infirmitate recusaret; nam & vovenda talia non sunt a Conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi: & si præpropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vovet; sed potius usurpare vetat alienum.*

(a) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. in corp. sup. cit.

(b) Idem in 4. dist. 32. art. 4. in corp.

(c) S. Aug. EP. 127. alias 45. in fin.

CASUS XVIII.

Adelarus maritus Columbæ, cum sine consensu suæ uxoris continentiam absolute vovere recta conscientia non possit, vult unum saltem votum emittere, quo sese obligaturus est, ad conjugale debitum ab eadem nunquam petendum; siquidem jus istud ipsius subjaceat potestati: Nonne votum istud non potest facere?

Respons.

Circa propositam difficultatem duæ opiniones occurrunt ex adverso sibi invicem oppositæ. Prior eorum est, qui existimant, votum ejusmodi licitum simul esse atque prorsus laudabile: quoniam, licet non sit in unius potestate, debitum alteri denegare; nihilominus in ipsius potestate est, illud idem non exigere; adeoque ab eo potest votum emitti, absque alterius injuria, proprio suo jure non utendi; siquidem jus alteri remaneat, illud idem petendi, ac petitum sic urgendi, ut tandem obtineatur.

Cujus sententiæ defensores innituntur Decretali quadam, quam Alexander III. inscribit Episcopo Pisano, (*d*) in qua Laudatus Papa consultus de viro quodam, qui in Religionem invita sua uxore fuerat ingressus, declarat, ipsius votum non tenere, & obligationem ei induci, redeundi apud suam uxorem, eique reddendi debitum conjugale, absque eo, quod nihilominus illud ab eadem petere possit: &, quanquam, defuncta sua uxore, non teneatur in Monasterium reverti, eum tamen propter votum, quod suscepit, obligari ad continentiam servandam: *Promisit enim*, inquit iste summus Pontifex, *se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat: & ideo, quoad hoc, votum tenuit; non reddere autem, non erat in ejus, sed mulieris potestate. Unde Apostolus*: Vir non habet potestatem sui corporis. Quod idem ita constitutum fuit circiter post annos quinque a data ab Alexandro III. prædicta decisione, sedente tunc summo Pontifice Cœlestino III. (*e*), quemadmodum habemus ex alia Decretali occasione Mulieris cujusdam, quæ existimans, suum virum esse mortuum, licet reipsa viveret, vitæ Religiosæ secuta fuerat institutum.

(d) Alex. III. in cap. Quidam 1. de conversione Conjugat.

(e) Cœlest. III. in ca. Placeet. 32. eod. tit.

Unde sequitur, alterutrum conjugum, qui post consummatum Matrimonium absolutum continentiæ votum emittit, ex conscientia nihilominus obligari, ad reddendum alteri petenti debitum conjugale; siquidem nequaquam in ipsius potestate sit eum eodem privare; licet post votum susceptum jam non possit illud idem amplius exigere.

Altera opinio eorum est, qui discedunt in partem oppositam; & S. Thomas (*f*) existimat, eandem esse priori probabiliorem: istamque rationem subjicit: *Sed quia, si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret, unum semper confusionem petendi debiti subire: ideo alii probabilius dicunt, quod neutrum potest unus absque consensu alterius vovere*. Quod locum potissimum habet quantum ad mulierem, quæ propter insitum sibi a natura pudorem, plus gravatur, quam vir, ac rubore magis suffunditur in exigendo debito.

(f) S. Thom. in 4. dist. 32. art. 4. ad 3.

Qua quidem ex utraque opinione concludimus, juxta S. Thomam, ab Adelaro nequaquam suscipiendum esse votum, de quo agitur in proposita specie, atque nihilominus si illud emittat, ratum ac validum esse, ipsique sub oculis ipsius Dei obligationem importare, quemadmodum evidenter patet ex duabus Decretalibus Alexandri III. & Cœlestini III.

CASUS XIX.

Ecdicia, mulier juncta viro, vellet votum facere debiti conjugalis a suo viro nunquam exigendi. Potestne votum ejusmodi sine ullo peccato suscipere?

Respons.

Quamquam S. Thomas censeat (*g*), eorum opinionem ad verum magis accedere, qui contendunt, neque viro, neque mulieri licere votum ejusmodi facere; tamen existimamus, illud posse non licite tantummodo a muliere, sed etiam plurimo cum merito suscipi. Ratio namque, quam Laudatus S. Doctor complectitur istis verbis: *Quia . . . . ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret, unum semper confusionem petendi debiti subire*, non attinet nisi ad ipsam mulierem, nullatenus autem ad virum, qui nihil omnino gravatur in petendo debito conjugali, cum e contrario raro contingat, illud idem a muliere exigi sine rubore ac quadam quasi naturalis pudoris repugnantia: quippe ei sint a natura, quam viro, tum pudor, tum timiditas sine controversia altius indita. Potest igitur Ecdicia votum prædictum & facere, & exequi: siquidem votum illud suscipiens nihil voveat, quam quod juri suo omnino subjacet, nec quidquam afferat injuriæ juri, in quo proprio suo viro subjicitur; ac semper animo parata

(g) S. Thom. in 4. cit. dist. 32. art. 4. ad 3.

rema-

Digitized by Google

remaneat, ad debitum eidem reddundum, cum illud volet exigere.

Neque vero rationum argumenta, quibus opinio nostra roboretur, aliunde mutuabimur, quam ex duabus Decretalibus Alexandri III. & Cœlestini III. quas jam retulimus in superiori difficultate dissolvenda, in qua easdem adire licet, absque eo quod necesse sit iterum eas hic loci memorare, neque summam eorum iterato sermone legentium oculis subjicere. Id unum addemus tantummodo, obtinere hoc principiam juris tanquam positum extra quamcumque controversiam; nimirum libere quemque posse proprio suo juri renunciare, ut ait Innocentius III. (*a*) juxta dispositionem Legum Romanarum, (*b*) ac potissimum, cum ejusmodi renunciatio juri alieno lnihil nocet; quemadmodum contingit in proposito casu.

(*a*) Cum quilibet ad renuntiandum juri suo liberam habeat facultatem Innoc. III. in cap. Ex conscientia. 9. de crimine falsi. lib. 5. tit. 20.

(*b*) Leg. Si quis. 29. cod. de pactis. lib. 2. tit. 3.

CASUS XX.

Synastus & Mævia desponsati, coram Augustissimo Sacrorum Altarium Sacramento, & post Sacramentalem Confessionem, communi ac mutuo consensu votum absolutum emiserunt castitatis & continentiæ ad vitæ suæ reliquum tempus religiose servandæ; cui voto mutuum etiam jusjurandum addiderunt, quo Jesum Christum testem appellaverunt promissionis, quam Deo spondebant, futurum, ut cum in matrimonium venissent, simul viverent cum illa modestia, illaque continentia, quæ fratrem ac sororem decent: Quin etiam Synesius ipsi Mæviæ consensum suum prædictis exhibitum scripto confirmavit, scriptumque ad manum tradidit. Cum aliquandiu post simul invicem matrimonio conjuncti fuerunt, Synesius ab uxore sua petivit debitum conjugale, contendens, sese voto, quod simul cum ea susceperit, nulla ratione consensisse. Mævia propositione ejusmodi omnino perculsa, negavit absolute, velle se, consummari matrimonium, ac detrectationis suæ retinuit per dies octo perseverantiam; quo spatio temporis elapso, cum ipsius Confessarius ei suasisset, eam obligari, ad obtemperandum marito suo quantum ad illam rem, tandem cessit ac petitis ipsius annuit. Verum experiens, animum suum inde continuis angoribus conscientiæ premi, confugit postmodum apud Doctorem quemdam, qui ei renuntiavit, votum ipsius esse validum, & cum illud ex subsequenti matrimonio non fuerit infirmatum, eam non posse sine peccato, mortali debito conjugali viro suo reddendo insistere, quamvis matrimonio consommando suum jam exhibuisset consensum. Quæ Doctoris sententia eam adduxit in propositum sese in Monasterium aliquod recipiendi; atque revera quoddam unum ingressa est; ut ea ratione sese tum manibus Synesii, tum violentiæ ipsius eriperet: ac simul periculum, quod sibi imminebat incidendi in incontinentiam, effugeret. Quam quidem ubi primum vir audivisset, sese in Monasterium recepisse, statim appellari jussit Primariam de Monasterio, ut eam sibi restitueret, ad simul convivendum ea ratione, quæ conjuges decet.

Qua de re quæstio proponitur: 1. Utrum Mævia recta conscientia possit, aut teneatur apud suum virum reverti? 2. Posito, quod reverti nolit apud illum, utrum Primaria Monasterii debeat eandem de suo Monasterio dimittere?

Respons.

Dicimus: 1. dictis Synesii nullam in foro exteriori fidem esse adhibendam, quando, repugnantibus tum suis anterioribus verbis, tum vel etiam suo scripto, nihilominus asserit, sese, quam dedit, promissioni nullatenus consensisse: *Cum nimis indignum sit juxta sanctissimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est dilucide, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare*, ut loquitur Innocentius III. in Decretali quadam, quam inscribit Episcopo Tiburtino (*c*).

(*c*) Innoc. III in c. Per tuas. 20. de probationibus. lib. 2. tit. 19.

2. Vir prædictus non potest sine crimine conjugale debitum exigere, donec cum eo super voto, quod accessit, fuerit legitime dispensatum; quoniam votum ea ratione susceptum, quæ fertur in instituenda quæstione, nullatenus fuit ex matrimonio subsequenti infirmatum; cum utrumque simul consistere possit, ut habetur ex dispositione plurimorum Canonum, quos Gratianus deprompsit de Operibus S. Augustini, & ex istis verbis ejusdem Gratiani (*d*) *Si autem consensu alterius eorum ab altero promissa fuerit* (continentia) *& si postmodum in irritum deducere voluerit, qui promisit, non tamen valet.*

(*d*) S. Augustin. can. Manifestum 25. in c. Quod Deo 4. & in can. Una 6. 33. q. 2.

Ratio autem, cur Synesius non possit conjugale, debitum exigere, quanquam acquisierit ex suo matrimonio verum jus in corpore suæ uxoris, est, quia renuntiavit istius juris usui, votum emittendo perpetuæ castitatis, & liberum faciendo Mæviæ suscipiendi simile votum, quin etiam cum sese obligaverit ex consensu, quem eidem exhibuit, ad eidem copiam faciendam voti libere adimplendi juxta isthæc verba sacrarum paginarum: (*e*) *Mulierem quæ est in domo Patris sui (& est affidata, ut exponit Liranus)....si maritum habuerit & voverit aliquid, & semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento; quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit; reddetque quodcumque promiserat.*

(*e*) Num. 30. 4. 7. & 8.

3. Quanquam consummando matrimonio Mævia consenserit, non ideo tenetur insistere reddendo Synesio conjugali debito, quasi juri suo derogavisset; siquidem nihil in eo egerit, nisi ex jussu sui Confessarii, quem intelligentem ac rerum moralium peritum esse existimat, & cujus ignorantiam non tenetur præstare, cujus proinde pœnam non debet in semetipsam suscipere. Nihilominus, si Synesius, postquam integram facti veritatem exposuerit, hoc est, naturam obligationis mutuæ, quam contraxit, tum voti sui, tum juris jurandi gratiam sibi fieri obtinuisset ex legitima dispensatione: atque ratione in eum statum redintegraretur, in quo sibi liceret ab uxore sua conjugale debitum exigere; in eo casu obligaretur, nihil obstante voto, quo sese constrinxit, ad illud eidem reddendum, atque revertendum apud ipsum, ad simul cum eo convivendum ea ratione, quæ Conjuges decet: verum illud debitum ab eo nequaquam exigere posset, quin fracti voti sese conciam redderet: nisi forte cum ea etiam fuisset eodem modo dispensatum, atque ita proprio suo juri in integrum restitueretur.

4. Primaria monasterii, in quod Mævia sese recepit, nullo prorsus jure gaudet eandem retinendi invito Synesio, qui ipsam tanquam suam uxorem sibi vindicat. Id unum tantummodo potest, ut mulieri prædictæ quantum in se est faveat, nimirum differre, donec ea de re Judex tulerit sententiam, cœterum animo parata ad sese, quæ in Judicio pronunciata fuerit, sententiæ subjiciendum.

CASUS XXI.

Philologus gravissime ægrotans duo vota fecit, præsentibus ibidem testibus, quampluri-mis: Prius quidem, quo Religioni devovebat filiarum suarum illam, quæ natu minor est, & quæ annum ætatis suæ septimum non excurrerat: Posterius vero, quo Deo promittebat, futurum ut Theodoricus suus filius sacram peregrinationem obiret apud virginem Lætiensem, ibique in gratiam conversionis peccatorum novendiales preces haberet. Philologo defuncto, puella cuidam Monasterio concredita est: verum Theodoricus adimplendo voto indormivit, causam prætexens, quod votum illud ipsemet non emisisset. Qua de re quæritur: Utrum possit absque peccato voluntatem & votum sui Patris non exequi? 2. Utrum ipsius filia, quæ ad legitimam ætatem jam pervenit, obligetur ad institutum vitæ Religiosæ amplectendum?

Respons.

Theodoricus non obligatur coram Deo, ad votum, quod Philologus suus Pater emisit, ad-

implendum; nisi illud ratum habuerit, eidem promittendo, futurum illud exequeretur, & idem asserendum est, quantum ad filiam defuncti: Neque enim obligatio unquam inducitur adimplendi voti voti personalis; quod susceptum non fuit, neque cujus exequendi onus acceptatum est.

Videtur equidem ex quibusdam Canonibus, liberos obligari ad ingrediendam Religionem, cum eidem fuerunt a suis Parentibus devoti; atque exemplo Samuelis, quem Anna sua Mater divino ministerio consecraverat, ab eis esse tenenda vota, quæ sui Parentes in eorum gratiam susceperunt, ut jubetur ac constituitur a Concilio Toletano quarto, quod habitum fuit anno 633. & refertur apud Decretum Gratiani in Canone quodam, cujus titulus inscribitur istis verbis: (*a*) *Aut propria professio, aut Paterna devotio Monachum facit*. En ipsissima verba sunt laudati Canonis: *Monacum aut paterna devotio, aut propria professio facit: Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit: proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus*. Quod idem alius Canon enuntiat verbis adhuc disertioribus, (*b*) sic habens: *Quicumque a Parentibus propriis in Monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuo permansurum: nam Anna Samuelem puerum natum & ablatactum Deo cum pietate obtulit, qui & in ministerio templi, quo Matre fuerat deputatus, permansit, & ubi constitutus est, deservit*. Quibus addi præterea potest, istos liberos sic a parentibus devotos, obligatos etiam fuisse ad instituta quæcumque Religiosæ disciplinæ eadem religione servanda, qua ab iis observabantur, qui sola ac propria sua voluntate sese Religioni devoverant: Atque ita habetur ex sequenti Decreto Concilii Triburiensis, quod actum est anno 895. (*c*) *Quem Primogenitores ad Monasterium tradiderunt, & in Ecclesia cœpit canere & legere, nec uxorem ducere, nec Monasterium deserere poterit: sed si discesserit, reducatur: si Tonsuram dimiserit, rursus tondeatur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur*.

(*a*) Concil. Tolet. IV. Can. 48. in Can. Monachum, 3. 20. q. 1.

(*b*) Can. Quicunque. 4. ib.

(*c*) Concil. Triburiens. in Can. Quem. 6. ibid.

Verum omnes prædicti Canones, & quotquot occurrunt, qui ad eosdem accedunt, non intelligendi sunt nisi de liberis, qui postquam ad annum pubertatis venerant, votum a suis parentibus emissum libera voluntate animoque lubentiori ratum habuerant, ut observat Glossa, (*d*) quæ fert: *Et hoc probatur exemplo Samuelis, qui oblatus ab Anna, cum jam esset ablactatus a Matre, in servitio Dei permansit .... & intelligitur hoc caput de illis, qui post legitimam ætatem consenserunt, vel qui tempore oblationis erant doli capaces .... sola oblatio non suffecisset, nisi ipse* (Samuel) *postea ratum habuisset*.

(*d*) Glossa in Can. Quicumque supra cit. initio. v. Ablactatum.

Atque ita reipsa fit apertissimum ex aliis etiam plurimis Canonibus, qui referuntur a laudato Gratiano, & tres allegatos Canones proxime subsequuntur: In iis namque luculenter fertur, ejusmodi vota irrita prorsus esse, ac nullius tum roboris, tum effectus, fieri; nisi liberi, qui sic fuere Monasticæ Disciplinæ devoti, postmodum consenserint. Atque ea semper extitit tum Doctrina, tum mens Ecclesiæ, ut invictissime probari potest secundo Concilio Toletano, quod celebratum est anno 531. (*e*) sub Pontificatu Bonifacii II. quo Concilio statuitur ac determinatur, quo potissimum modo fit agendum quantum ad liberos, quos tunc temporis eorum Parentum voluntas vel Religioni, vel Ecclesiastico ministerio mancipaverat, & cavetur: 1. Ut, postquam eorum capilli tonsi fuissent, Episcopus eorum educandorum curam in se susciperet. *De his, quos voluntas Parentum a primis infantiæ annis Clericatus officio manciparit, statuimus observandum, ut mox, cum detonsi, vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia præpositi ibi debeant erudiri*.

(*e*) Concil. Tolet. II. c. 1.

2. *Aut ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum: coram totius Cleri, plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur; quibus, si gratia castitatis, Deo inspirante, placuit, professionem castimoniæ suæ absque conjugali necessitate se spoponderint servaturos; hi tanquam appetitores arctissimæ vitæ lenissimo Domini jugo subdantur: ac primum Subdiaconatus ministerium habitu probationis suæ a vicesimo anno suscipiant*. 3. Si vitam cœlibem agere nollent, ut eorum arbitrio relinquantur, quod vitæ genus iisdem magis arriserit, ejusdem eligendi plena, atque integra facultas .... *His autem, quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolis licentiam* 1 .... *auferre non possumus; ita ut, cum perfectæ ætatis in conjugio positi, renuntiaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacratos gradus aspirent*.

1 Alias sententiam.

Quod decretum omnino consentaneum est tum Doctrinæ Pristinorum Ecclesiasticorum Patrum, tum decisionibus quamplurimorum summorum Pontificum. Quod pertinet ad Ecclesiasticos Patres, satis erit solius S. Basilii (*f*) testimonium eo loci allegavisse. Postquam enim asseruit, illam solam censendam esse veri nominis virginem, quæ propria voluntate, suaque sponte sese totam Deo consecravit, addit, oblatas voluntate parentum suorum non ante recipiendas esse, quam declaraverint, sese Religiosæ professioni emittendæ libere consentire. *Multas enim parentes & fratres offerunt, & quidam eorum, qui eas cognatione attingunt, ante ætatem, non ex se ipsis ad cœlibatum incitatas, sed sæculare quippiam procurantes*, 2 *quas non facile admittere oportet, donec aperte propriam suam sententiam perscrutati fuerimus*.

(*f*) S. Basil. Epist. ad Amphilochium c. 18.

2 Vel, Sed aliquid, quod ad victum suum pertinet, procurantes.

Quod idem definierunt plurimi etiam summi Pontifices, atque inter alios Alexander III. qui scribens ad Episcopum Bellovacensem, declarat, ejusmodi professiones esse nullas, nisi ipsæ fuerint a liberis ipsis, postquam ad legitimam ætatem pervenerint, comprobatæ ac ratæ habitæ. *Mandamus*, ait Laudatus Papa, (*g*) *quatenus, si inveneris, quod G. non fuisset a Parentibus oblatus, infra decimum quartum annum facti voti pœnitens a Religione recesserit; ab illo voto professionis, quod fecit, denunties absolutum: si autem a Parentibus fuerit oblatus, seu decimum quartum annum compleverit, cum Religionem intravit, seu post decimum quartum annum professionem a se prius factam, ratam habuerit, eum ad eandem, vel ad aliam Religionem transire compellas*.

(*g*) Alex. III. in cap. Significatum 1. de Regularibus &c. lib. 3. tit. 31.

Clemens III. etiam consultus de quadam puella, quæ fuerat a suis Parentibus Monasterio cuidam oblata, in quo tum Benedictionem, tum sacrum virginitatis habitum susceperat, & ex quo deinde discesserat in matrimonium venerat; respondet juxta dispositionem Toletani Decreti, quod superius retulimus (*h*): *Consultationi tuæ taliter respondemus*, inquit laudatus Papa, *quod, cum juxta Concilii Toletani censuram Monachum aut paterna devotio, aut propria professio faciat, quidquid horum fuerit alligatum tenebit, revertendi ad sæculum aditu penitus interdicto: Non enim videtur illa Monasticæ professionis a se posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse, cum benedictionem accepit, quam nonnisi in ætate discretionis recipiunt, quæ velantur, præsertim si ratihabitione secuta, etsi eam quandoque contradixisse constiterit, quod ante gestum fuerit, roboratur*. Addit deinde idem summus Pontifex, suam decisionem nequaquam dissentire Decretali unius cujusdam e suis Antecessoribus, quæ tota est in gratiam puellarum, quæ coactæ Parentum suorum imperio in Monasterium invitæ missæ fuerant; quia puella, de qua potissimum sermonem facit, siquidem ad annum discretionis venerit, & professionem religiosam deinde emiserit, nullatenus repugnans voto suorum Parentum, censenda erat eandem professionem cum pleno atque libero consensu emisisse. *Nec obloquitur quod de prædecessoris nostri Leonis Papæ constitutione per contrarium sensum sumitur, ut puellæ, quæ coactæ Parentum imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere; cum de ea recte possit intelligi, quæ in ea ætate nubili noscitur constituta: tunc enim, quia liberum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem*.

(*h*) Clem. III in cap. Cum virum. 12. eod. tit.

Cæte-

Cæterum observandum est, quemadmodum alibi monuimus, ætatem, quæ his hodiernis temporibus necessario requiritur, quo tam viri, quam puellæ religiosam professionem valide emittant, ad annum decimum sextum fuisse determinatam a Concilio Tridentino (*a*), quod, quantum ad eam rem, ab Edicto (*b*) Blesensi recipitur atque comprobatur.

(*a*) Concilio. Trid. Sess. 15. de Regularibus & Monialib. c. 15.
(*b*) Edict. Blesens. a. 28.

Ex dictis invictissime probatur, quodcumque votum personale aliena voluntate emissum, & cui exequendo, nec suscipiendo, propria non accessit voluntas, nullatenus erga Deum obligare, adeoque filiam Philologi nequaquam obligari vi solius voti, quod suus Pater fecit, ad Religionem ingrediendam; neque Theodoricum, ad obeundam, quam idem Philologus vovit, sacram peregrinationem, nisi promissionem Deo factam a suo Patre ratam ipse habuerit, obligando sese, ad illam eandem adimplendam, quo quidem in casu teneretur religione voti, ad dictam promissionem in integrum præstandam.

CASUS XXII.

Flaccus sese videns sanum atque incolumem ereptum fuisse gravissimo cuidam periculo, quod sibi impendebat, vovit præsentibus ibidem iis, ad quos sua hæreditas integra de jure pertinebat, futurum ut sacram peregrinationem susciperet apud Ecclesiam quamdam a suo domicilio viginti circiter leucis diremtam, & statim atque domum suam repetiisset, quingentas libras Pauperibus suæ Parœciæ largiretur. Verum discessit e vita, cum de prædicta peregrinatione revertebatur. Qua de re quæritur, utrum ipsius hæredibus onus incumbat voti ipsius adimplendi quantum ad largitionem quingentarum librarum, atque prædictam pecuniæ summam defuncti nomine pauperibus erogandi, juxta intentionem, quam sibi proposuit, quando voti religione sese obstrinxit?

Respons.

Verum est, ut jam diximus, votum, quod est tantummodo personale, hoc est, cujus materia nihil aliud est, quam vel persona vovens, vel personæ voventis actus, quale est votum certos quosdam dies servandi jejunos, effundendi certas quasdam preces, obeundi certas quasdam sacras peregrinationes, non pertinere nisi ad eum tantummodo, qui sese voto constrinxit; atque ipsius ejusdem onus illius morte plane cessare quantum ad ejus hæredes. At non eadem est conditio voti realis; id est, voti, cujus materiam subministrant res extra nos positæ; qualia sunt bona temporalia, verbi gratia, quando vovetur, futurum ut certa quædam pecuniæ summa pauperibus erogetur. Quemadmodum etenim votum illud ab alio quocumque, quam a vovente, potest adimpleri, obligatio ejusdem exequendi transit ad ipsos hæredes. Qua de causa hæredes Flacci ex debito conscientiæ tenentur, ad quingentas libras pauperibus Parœciæ, in qua defunctus domicilium suum habebat, erogandas, ut ea ratione, quam ex voto contraxerat, obligationi faciant satis.

Quod probari potest dispositione Decretalis cujusdam, quam Innocentius III. inscribit Episcopis Zamorensi, atque Salmanticensi, (*c*) & quadam Lege de Digesto (*d*), qua fertur, si quis voverit, futurum ut certam quamdam decimam Ecclesiæ donaret, & voto non impleto, mortuus sit, onus adimplendi voti ad ipsius hæredes transire. *Hæres ipsius hæreditario nomine decimæ obstrictus est: voti enim obligationem ad hæredes transire constat*. Ratio est, quod votum ejusmodi non impletum, cujusdam oneris habeat rationem. Atqui *Hæredes onera hæreditaria agnoscere . . placuit:* ait Lex. (*e*)

(*c*) Inn. III. in cap. Ex parte 28. de censibus exactionibus & procurationibus lib. 3. tit. 39.
(*d*) Leg. Si quis 2. §. 2. ff. de pollicitationibus lib. 50. tit. 12.
(*e*) Leg. Pro hæreditariis. 2. cod. de hæreditariis actionibus. l. 4. t. 16.

Equidem votum, quod Flaccus suscepit, mixtum est; hoc est personale simul ac reale: personale quidem, quantum ad sacram peregrinationem; reale vero, quantum ad 500. Librarum erogationem; ideoque licet vir iste diem suum supremum obiisset, non adimpleto voto suo sacræ peregrinationis, ipsius hæredes non obligarentur ad illam suscipiendam sacram peregrinationem, quanquam eos obligatio maneat exequendi partem voti, qua votum ejus efficiebatur reale.

Quæ decisio tota quadrat ad sententiam communem omnium tum Theologorum, tum Canonistarum. *Hæredes*, inquit Sylvius, (*f*) *teneri ad persolvenda vota defuncti realia, & si non ea, quæ sunt mere personalia, certissimum est apud . . . . Sotum, Sylvestrum, Navarrum & alios communiter. Quod & nos docuimus 2. 2. q. 88. a. 3. q. 3. Conclus. 1. & 2.*

(*f*) Fr. Sylvius resol. var v. Votum. 4. & & apud eum Sotus l. 7. de just. & jure q. 2. a. 1. Sylvester v. Votum. 1. q. 11. & Navarrus Manual. c. 12. n. 56.

Denique S. Antoninus propositam difficultatem adeo luculenter elucidat, ut facturos nos esse putemus operæ veluti pretium, si ad uberiorem eorum, quæ ea de re protulimus in medium, confirmationem, ipsissima illius verba in integrum hic loci exscribamus. En igitur qua ratione habet, post celebrem Paludanum. (*g*) *Si est votum tantum reale, ut fundandi Monasterium, vel dandi tantum pro Deo, ut oblationem mittendi . . . tunc hæres tenetur, sicut in aliis debitis. Si autem est tantum personale; ut jejunare . . vel ire ultra mare, hæres non tenetur, nisi sponte obligaverit se . . si autem est simul reale & personale & expressum utrumque, tunc tenetur ad reale, ut, si vovit ire ad S. Jacobum, & ibi offerre unum equum, hæres non tenetur ire, sed offerre unum equum . . Si autem est personale & reale; sed personale est principaliter expressum; reale tacitum & accessorium, ut, ire ad Sanctum Jacobum, non tenetur hæres expensas, quas fecisset ille eundo, stando, offerendo & redeundo, dare, sicut nec tenetur ire.*

(*g*) S. Anton. part. 2. summ. Theol. tit. 11. c. 2. §. 5. & apud eum Paludanus.

CASUS XXIII.

Matthaeus annum ætatis suæ peragens decimum octavum ex ardenti, quo tunc æstuabat, fervore pietatis vovit, futurum ut singulis diebus veneris jejunium servaret. Non tamen habet pro comperto, utrum votum fuerit proprie dictum, aut simplex tantummodo, quod concipiebat, animi propositum. Quid opus est, agat in ejusmodi dubio? Potest ne asseri, ei obligationem induci prædictum jejunium servandi sub pœna peccati mortalis?

Respons.

In dubiis pars tutior semper eligenda est, ac via potissimum tenenda, quæ saluti vicinior est. Quod principium juris adeo est indubitatæ fidei, ut ab eo non possit nequidem ungue tenus discedi, quin eo ipso in periculum evidens peccandi veniatur: *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*, inquit Summus Pontifex Eugenius I. (*h*) *In dubiis via eligenda est tutior*, ait Innocentius III. (*i*) *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, ut loquitur Clemens III. (*K*) Quamobrem asserendum est, Matthæum, ut pote versantem in ejusmodi dubio, obligari ex conscientia, ad partem tenendam tutiorem, quæ nimirum est, ut singulis veneris diebus observet jejunium, si dubium ipsius, ut supponimus, justam aliquam causam habeat, nec sit merus scrupulus omni prorsus legitimo fundamento destitutus: atque in eo ducem sequimur Angelum Scholæ; (*l*) qui verba faciens de eo, qui dubitat, utrum ex simplici voto, quo emisit religionis ingrediendæ, intenderit tali familiæ Religiosorum sese dare, aut tantum sequi Monasticæ Disciplinæ institutum, non determinans, quo potissimum in Ordine illud sequeretur, ait, etiamsi, posito quod ei constaret, votum suum non fuisse nisi de ingredienda tali Religione, obligatione sui voti solveretur, si in illa Religione non adesset voluntas eum recipiendi: nihilominus, quoniam ea de re animus illius est anceps, nec certo certius novit, qua ductus fuerit intentione, quando vovit, ab eo teneri oportere viam tutiorem, quæ nimirum in eo posita est, ut alienam Religionem petat

(*h*) Eugen. I. in cap. Juvenis 3. de sponsalib. & matrim. l. 4. tit. 1.
(*i*) Inn. III. in cap. Illud. 5. de Clerico excommunicato ministrante.
(*K*) Clem. III. in cap. Ad audientiam 12. de homicidio volunt. vel casuali.
(*l*) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 6.

petat, si aditus ipsi intercluditur in istud Monasterium, vel in istum specialem Ordinem; quoniam alioquin sese discrimini committeret voti sui frangendi. *Obligatio voti ex propria voluntate causatur*, ait Laudatus S. Doctor; *unde, si in vovendo prius cogitavit de Religionem intrando, & postea elegit talem Religionem, vel talem locum; obligatur simpliciter ad Religionem. Unde si non potest in illa, quam elegit, recipi; debet aliam quærere; si autem primo & principaliter cogitavit de tali Religione, vel tali loco, in voto suo intelligitur hæc conditio: Si illi volunt eum recipere, alias esset indiscretum votum. Unde, conditione non extante, non obligatur. Si autem dubitet, quomodo se in vovendo habuerit: debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.*

Quam eandem doctrinam verbis expressis proponit quoque S. Antoninus (*a*), cum sic docet: *Existens in dubio, an transgrediatur votum, & per consequens peccet mortaliter, tenetur se ponere in tuto, ut scilicet votum non transgrediatur.*

(*a*) S. Anton. 2. p. sum. Th. t. 13. c. 2. §. 10. in fine.

CASUS XXIV.

Anastasia ingressa celeberrimam quandam virginum Congregationem, institutam atque approbatam ab Episcopo, Regiisque Diplomatibus comprobatam, vovit virginitatem ac continentiam perpetuam, præsentibus ibidem personis quamplurimis cujuscumque conditionis ac sexus, quando fuit admissa a Communitate, quæ constat ex centum filiis & amplius, quæ omnes præsentes adfuere cæremoniæ, quam ipsemet Episcopus præsentia sua decoravit. Num votum ejusmodi non est censendum veri nominis solemne votum?

RESPONS.

Constat, votum Anastasiæ, quanquam publice fuerit emissum, non considerandum esse, nisi ut simplex votum, nihil obstante magnifico illo solemnitatum ac cæremoniarum apparatu, qui voto emittendo accessit. Ratio est, quod Ecclesia non agnoscat ullum aliud solemne votum, quam illud, quod emittitur in aliqua Religione approbata a S. Sede, aut in susceptione Sacrorum Ordinum: cum alia, licet publice emittantur, non habeantur nisi tanquam simplicia vota. *Vota*, ait S. Thomas, (*b*) *ex hoc, quod fiunt in publico, possunt habere quandam solemnitatem humanam; non autem solemnitatem spiritualem & divinam, sicut habent vota præmissa, etiamsi coram paucis fiant. Unde aliud est, votum esse publicum; & aliud esse solemne.* Rationem vero subdit Sylvius (*c*) quia votum ejusmodi *promissio solum est servandæ continentiæ; non vero personæ ad ipsam continentiam perpetuam traditio*. Unde Laudatus Theologus efficit istam conclusionem ∴ *Unde fit, ut, si persona talis matrimonium postea contraheret; peccaret quidem graviter; valide tamen contraheret juxta caput unicum de voto in 6.*

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 88. art. 7. ad 3.

(*c*) Fr. Syl. resol. var. v. Votum 2.

Cui doctrinæ S. Thomæ S. Antoninus adhæret. (*d*) En qua ratione loquitur: *Omne autem votum, quod non est solemne, est simplex, sive illud fiat publice, sive privatim, sive ore, sive tantum corde.*

(*d*) S. Ant. 2. p. summ. Theol. tit. 12. c. 2. §. 2.

Quadrat hæc nostra decisio ad decisionem Bonifacii VIII. (*e*) cujus en verba sunt: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne ∴ quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam* 1 *factam alicui de Religionibus per sedem Apostolicam approbatis. Reliqua vero vota, etsi ∴ quanto manifestius sunt emissa, tanto, propter plurium scandalum & exemplum, durior pœnitentia transgressoribus debeatur, non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.* Ex dictis manifestum est, Magistrum sententiarum hallucinatum fuisse, nec recte locutum, quando sermonem habens de discrimine, quod votum simplex inter & solemne votum intercedit, ait: (*f*) *Privatum est in abscondito factum: solemne vero, in conspectu Ecclesiæ.* Quod operæ pretium esse duximus, si hic loci observaremus; ne inde locus afferretur alicujus erroris.

(*e*) Bonifac. VIII. in c. Quod votum unico de voto in 6.

1 Nullas agnoscimus in Gallia tacitas professiones.

(*f*) Petrus Lomb. l. 4. sent. dist. 38.

CASUS XXV.

A duobus votum emissum est ex metu gravi atque ejusmodi, ut cadat in virum constantem. Num votorum suorum vinculo coram Deo tenentur? Exempli causa, Pomponius totus exhorrescens mortem, quam sibi cernit impendentem ex morbo periculosissimo, aut ex evidenti periculo, cui sese obnoxium esse sentit, naufragium patiendi, vovet, futurum ut Religionem ingrediatur statim, atque de periculo sanus & incolumis evaserit. Leocadiæ Pater exhæredationem ei non tantummodo, sed etiam mortem minitatur, nisi sese disciplinæ Religiosæ instituto dedat. Quibus minis tota perterrita Leocadia, ut sese minitanti Patri eripiat, quem eum esse novit, qui possit verbis addere verbera, solemnem eo ipso emittit Religiosam professionem. Num votum illius validum est?

RESPONS.

Est magnum prorsus adhibendum discrimen inter duos casus, qui instar exemplorum propositæ speciei subjiciuntur. Votum etenim Pomponii ratum ac validum est, votum autem Leocadiæ, plane caducum ac nullum. Quod votum Pomponius emisit, valet, quoniam metus, propter quem fuit susceptum, causam habet interiorem ac mere naturalem. Porro metus ejusmodi nunquam valet votum infirmare, ut facile probatur autoritate Innocentii III. scribentis ad Episcopum quemdam de Bithinia, (*g*) a quo quidem cum consultus fuerit de quodam Ecclesiastico, qui sese videns in extremis constitutum, atque omnino desperatum, expetierat, atque susceperat Canonici Regularis habitum, deinde sanitati restitutus illum eundem dimiserat, respondet, eum esse compellendum ad resumendum Religiosum habitum, siquidem ex eodem jam suscepto servandorum Ordinis institutorum ipsemet contraxerat obligationem. *Quidam Clericus*, inquit Laudatus summus Pontifex, *cum ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus & de recuperanda sanitate desperans, habitum Canonicorum Regularium petiit & accepit ∴ si regularem habitum, se postulante, suscepit, & ad observationem Religionis Canonicæ sua se professione ligavit, ad resumendum habitum Ecclesiastica est districtione cogendus.* Ex quibus inferendum est, sicut votum a præfato Ecclesiastico factum, ratum est ac tenet, licet susceptum fuerit ex metu proximæ mortis, quæ eidem impendebat ex nimia ægritudine; ita etiam votum Pomponii censendum esse ratum ac validum, quanquam illud nonnisi ex simili metu fecerit. Siquidem uterque prædictus metus habeat eandem naturam, & procedat de causa tantummodo interiori ac mere naturali.

(*g*) Innoc. III. in cap. Sicut 17. de Regular. & transeunt. ad Religionem, lib. 3. t. 31.

At vero ratione prorsus diversa de voto Leocadiæ sentiendum est. Metus enim, propter quem votum illud emisit, non provenit ex causa intrinseca, sed ex causa libera, quæ quidem infirmat quæcumque vota, quibus occasionem præbet. Quod apertum est ex Decretali quadam Alexandri III. (*h*) qui consultus ab Episcopo Oscensi de Aragonia, num quædam Mulier, quæ ad nuptias convolaverat post emissam Religiosam Professionem in quodam Monasterio, obligaretur, ad illuc iterum sese recipiendam, sic respondet: *Mandamus, quatenus ∴ si legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem Religionem intrasse, aut, quod fecit, postmodum ratum habuisse, ipsam ad Monasterium redire, & habitum depositum reassumere censura Ecclesiastica compellatis.* Quibus verbis patet, si prædicta Mulier coacta fuisset ex metu gravi atque extrinseco ad emittendam Religiosam professionem, futurum ut nequaquam compelli potuisset, ad redeundum in Monasterium, quod deseruerat, ut in Matrimonium veniret; quoniam ex ejusmodi metu, ipsius tum professio, tum vota, caduca atque prorsus irrita facta fuissent. Quod idem proinde asserendum est de Leocadia, cum ex metu gravi, atque iniquo, quem ei suus Pater intulit, votum ab ea susce-

(*h*) Alex. III. in cap. Perlatum. t. de his quæ vi metusve causa fiunt l. 1. t. 4.

susceptum fuerit penitus infirmatum; siquidem metus ille babeat, ut jam advertimus, causam omniuo liberam atque extrinsecam. Atque ita docet Glossa in aliam quandam Decretalem, (a) quam Alexander III. iuscribit Episcopo Vigorniensi, quæ quidem Glossa rationem istius rei suggerir, quod, cum votum, sit promissio Deo facta de aliqua re, quæ non est præcepta, sed mere gratuita, necesse sit, ut valeat, illud ex plena atque integra libertate proficisci: *Votum per metum factum non tenet*, inquit Autor memoratæ Glossæ .·. *quia votum res est consilii; & non præcepti, & liberum est arbitrium in vovendo: alias non est votum*: Quod probat quodam Canune, & Decretali quadam, quæ citat: (b) Et revera quidem pertinet ad ipsammet voti substantiam, quod emittatur tum voluntario, tum libere juxta definitionem illius quæ traditur a Magistro sententiaram, & refertur a S. Thoma (c), qui sic habet: *ad votum tria ex necessitate* requiruntur: 1. Quidem, deliberatio. 2. Propositum *voluntatis*. 3. *Promissio, in qua perficitur ratio voti: unde Magister dicit 38. distinctione quarti libri sententiarum, quod votum, est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ sunt Dei, fieri debet*.

(a) Gl. in c. Abbas 31 eod. tit.

(b) Can. Integritas 32. q. 1. & c. Licet de voto &c.

(c) S. Th. 2.2. q. 88. a. 2. in corp.

Eaque potissimum de causa Concilium Tridentinum (d) prudentissime simul ac sapientissime Decreto suo, quod ea de re ex professo tulit, cavet, ut *Puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit .·. non ante suscipiat, nec postea .·. professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, .·. virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat*.

(d) Conc. Tr. sess. 25. c. 17. de reform.

CASUS XXVI.

Baldaricus annum ætatis suæ vigesimum agens votum de ingredienda Religione suscepit. Jam annus abiit & ultra, ex quo differt ex mera negligentia voto suo satisfacere. 1. Potuitne sine peccato executionem sui voti per tantum tempus differre? 2. Obligaturne sub pœna peccati, ad illud idem cito citius, neque interposita ulla mora, adimplendum, quanquam, cum vovit, nullum omnino tempus determinaverit.

RESPONSIO.

Nequaquam dubitandum est, quin Baldericus sub oculis Dei sese peccati conscium efficiat, ex eo quod per longum adeo tempus votum suum adimplendum procrastinaverit & quin teneatur sub pœna peccati, ad illud idem cito citius ac sine cunctatiune exequendum, uisi causa aliqua obstet, quæ justa sit ac legitima. Atque ita evidentissime patet ex istis verbis sapientis (e): *Multoque melius est, non vovere, quam post votum, promissa non reddere*. Et iterum (f): *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio*. Habemus etiam ex Deuteronomio textum alium omnino luculentissimum, quo confirmetur hæc nostra præsens assertio: En quibus verbis legitur (g): *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: &, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Quibus nihil expressius desiderari potest ut negligentia Balderici condemnetur, & probetur strictissima, quæ ei inducitur obligatio voti, quod emisit, sine mora, citoque citius exequendi.

(e) Eccl. 5. 4.

(f) Ibid. 3.

(g) Deuter. 23. 21.

CASUS XXVII.

Ernestus experiens, sese morbo gravissimo opprimi, votum fecit, si convalesceret auxiliante Deo, futurum ut Disciplinæ Monasticæ institutum sequeretur, ad peccata sua piaculari satisfactione diluenda. Sanitati post quindecim ab illine dies redditus fuit, &, nondum elapso anno, ingressus est ac receptus fuit in Congregationem Sacerdotum de Oratorio, in qua promutus est deinde ad omnes Sacros Ordinea. Qua de re habetur quæstio.

1. Utrum votum ipsius valeat, quanquam nonnisi mortis imminentis metus causa factum fuerit?

2. Posito quod valeat, & causa aliqua legitima juvetur, ob quam possit petere, sese ejusdem vinculo solvi, utrum necesse sit, eum ea de re recurrere Romam? Aut suo ne voto, qua ratione ei incumbebat, fecit satis, ex ingressu suo in Congregationem de Oratorio, & ex sua ibidem ad Ordinem Presbyteratus promotione? Cam feratur in Bulla institurionis hajusce Congregationis in Gallia, quæ data est a Paulo V. 10. Maji 1615. *Hujus piorum sacerdotum, nulli autem Religionis voto solemni addictorum, nec non & aliorum ad presbyteratus Ordinem promoveri cupientium .·. Congregationis* (h).

3. Posito quod votum suum fuerit sufficienter executus, utrum ei liceat prædictam Congregationem deserere, ubi primum ipsi libuerit, juxta illam, qua gaudent singula Congregationis hujusce membra, liberam facultatem.

(h) Paulus V. in Bulla Sacrosanctæ 91. die 10. Maji anno 1615. § 3.

4. Tandem posito quod voto suo non fecisset satis, & obligaretur ad ingrediendum aliquem Religiosorum Ordinem, nonne prædictæ obligationis immunis censeretur ex dolore capitis fere continuo, quo laborat?

RESPONSIO.

Cuidam notæ prorsus excellentioris Theologo, qui Sorbonici Professoris munus cum laude sustinuerat per turbulenta illa tempora, quibus errores Jansenii miscebant omnia circa medium postremi sæculi, (i) fuit olim proposita eadem difficultas. Cujus quidem sententiæ in ea re libenter adhærentes, primo loco respondemus, votum, quod emisit Ernestus, omnino valere, quanquam, ad illud faciendum ex metu nunquam a morbo convalescendi forte fuerit potissimum incitatus. Ratio est, quod, cum ejusmodi metui nihil aliud causæ subsit, quam quæ interior est, ac naturalis, ejus generis causa libertati nullatenus officiat, quemadmodum plurimum eidem adversaretur metus, qui ex aliqua causa iniqua atque exteriori incuteretur: Atque eadem de re, vir valide contrahit matrimonium, quanquam in eo potissimam agat ex metu damnationis æternæ, aut pœnæ, quæ in eum decerneretur a Judice, a quo in eundem inquiritur, ut alibi monemus.

(i) Sambov. tom. 3. Cas. 149.

2. Nihilominus quoniam prædictum votum primum non erat absolutum quantum ad suam formam, sed tantummodo conditionatum; non fuisset necesse, ab Ernesto fuisse summi Pontificis autoritatem imploratam, quo ei legitima dispensatione succurreretur, si eandem, nondum sanitati redditus, sollicitavisset; cum Episcopus jure gaudeat gratiam faciendi votorum, quæ, conditiune aliqua interposita, facta fuerunt, antequam conditio completa fuerit, & solum votum absolutum sive perpetuæ continentiæ, sive Religiunis, cum tribus votis obeundæ Sacræ Peregrinationis Jerosolymam, Romam, & apud S. Jacobum in Gallæcia, summo Pontifici reservetur: At vero, siquidem conditio, quæ emittendo ipsius voto accesserat, jam completa omnino reperiatur, super eo jam non potest ab alio, quam a solo summo Pontifice, cum eo dispensari, utpote quod ejusmodi votum ex conditionato, ut erat antea, factum in eo casu fuerit absolutum.

3. Verum equidem est, in Bulla Pii V. qua Congregatio de Oratorio in Gallia instituitur, enunciari, Sacerdotes, & eos, qui cupiunt ad Ordinem Presbyteratus promoveri, posse eandem ingredi, modo nullo aliunde teneantur voto solemni Religionis. *Nulli autem Religionis voto solemni addictorum*. Verum contendendi locus plurimus adest, licet Ernestus nulli sit hactenus voto solemni Religionis addictus, eum tamen ejusmodi voto aliquatenus addici, quum sese obligaverit, ad illud idem emittendum eo ipso, quod sanitati fuisset restitutus: Atque ejus generis obligatio cum eo strictius urget, quod in Congregatione Sacerdotum de Oratorio neque ullum solemne votum suscipere, neque Religiosam ullam Professionem emittere consuetum sit: Quin immo nequidem apud eos usus invaluit, ut vota simplicia fierent sive perpetua, sive certa quadam temporis circumscriptione definita. Adeo ut, qui ibidem admissi fuerunt, habeant quocumque tempore liberam inde discedendi facultatem, quando sic ei libet.

Digitized by Google

libet; Cum neque Bulla Pauli V. neque Constitutionibus, quæ apud eosdem vigent, nihil de necessitate emittendi alicujus voti legatur. Ex quibus sequitur, quamquam Ernestus Congregationis prædictæ Socius adjunctus fuerit, atque in eadem etiam gradu Præsbyteratus sit insignitus: eum non ideo solvi voti sui vinculo, quo sese, priusquam illuc ingrederetur, obstrinxerat.

Tandem, quod pertinet ad illum capitis dolorem fere continuum, quem prætendit tanquam legitimam causam, cur non possit sese dare alicui Monasterio; fortasse sufficit, ut inde solvatur obligatione Religiosæ Professionis emittendæ; sed nequaquam sufficiens censetur, ut inde sibi vindicet immunitatem nequidem offerendi sese Religioni, ac ibidem proprias vires tentandi, si Religio velit eum recipere, num valeat Religiosi munus non obire, ac sequi Religionis instituta. Si Superioribus visum fuerit eum non admittere propter prædictum illius capitis dolorem; jam tutus erit quantum ad suam conscientiam; siquidem per illum non steterit, quin voto suo fecerit satis, juxta Regulam istam Juris Canonici (*a*): *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

(*a*) Reg. 41. de Reg. Jur in 6. Samb. t. 3. Casu 124.

CASUS XXVIII.

Cum sæcularis quædam Ecclesiastica Congregatio in Civitate quadam Hispaniæ instituta fuisset, ei, qui ejusdem erat Pater & Actor, de eorum omnium sententia atque communi consensu, qui in eadem commorabantur, operæ pretium esse duxit ad summum Pontificem litteras supplices mittere, quibus eum rogaret, ut vellet eamdem auctoritate sua comprobare, simulque inducere obligationem tum iis, qui etiamnum ibidem aderant, tum iis, qui postmodum eidem Socii essent adjuncturi, quatuor votorum simplicium castitatis, obedientiæ, paupertatis, ac perpetuæ residentiæ in manibus superioribus emittendorum; quam gratiam summus Pontifex ei indulsit pontificio rescripto anno 1560.

Quoniam vero postmodum edocuit experientia, votum absolutum paupertatis difficillime omnino posse cohærere cum muniis quotidianis, quæ prædictæ Congregationis membra consueverunt obire; aliud Pontificium rescriptum ab eadem impetratum fuit anno 1569. quo temperamentum istud adhibeatur: *videlicet omnes & singuli, in dicta Congregatione, dictisque quatuor votis emissis, recepti, qui immobilia, bona vel Beneficia obtinent, aut in futurum obtinebunt ac possidebunt, licet dominium illorum omnium retineant: eorumdem tamen usum liberum non habebunt: ita ut neque fructus, de hujusmodi bonis vel Beneficiis provenientes, retinere, neque in proprios usus sine licentia Superioris quicquam convertere possint, sed de eisdem fructibus cum facultate & arbitratu Superioris in pia opera disponere tenebuntur.*

Quod quidem temperamentum recrudescendis aliis novis difficultatibus locum attulit, ex diversa ratione, qua plurimi interpretabantur verba præfati Pontificii Rescripti; quam ob causam coacta fuit ipsamet Congregatio ad determinandam ratione clara atque omni prorsus tergiversatione superiori eorumdem interpretationem, quam reipsa definivit in generali quodam conventu habito anno 1697. in quo constitutum est Decretum, quod sequitur: *Obligationem obedientiæ ei, quæ paupertatis est, addendo, omnibus & singulis mandat, ac præcipit, ne a quoquam vel gratuito, vel alio quovis modo, pecuniam, aut alia mobilia sine licentia Superioris recipiant, aut donent, aliis dent in mutuum: apud alios retineant: aut apud se servent, gestentque secum, ac iis pro libitu utantur, quæ omnia conventus condemnat, tanquam paupertati, quam profitemur, prorsus aliena.*

Quo quidem Decreto, neque duobus Pontificiis Rescriptis, de quibus jamjam sermonem fecimus, omnes animi dissidentium potuere nec ad concordiam, nec ad pacem ullatenus reduci, ac potissimum & nominatim animus Galeatii; qui proponit quæstionem.

1. Utrum, post alterum rescriptum, quod Pontifex dedit anno 1659. & quo votum paupertatis interpretatus est, quod in Congregatione consuevit emitti; supersit adhuc aliquid obligationis, quantum ad prædictum votum, quæ exurgebat ex priori rescripto, quo pure ac simpliciter votum paupertatis instituebatur; aut, utrum auctoritas prædicti prioris Rescripti, ex superveniente posteriori rescripto plane sit extincta, adeo ut jam nonnisi posteriori standum sit; quasi soli, quo explicatur ac determinatur, quæ vis esse debeat, quæve extensio voti, quod vi rescripti prioris emittitur.

2. Utrum peccet adversus obligationem sui voti, retinendo sibi sine licentia sui Superioris suam pecuniam, sive eamdem secum gestet, sive illam servet in arca sua reconditam; propterea quod in altero rescripto non feratur: *apud se retinere possint*; sed legatur tantummodo *retinere*; & videatur; 1. posse non immerito contendi, Decretum Conventus anni 1697. omnino licere adscribere numero regularum aliarum quamplurimarum, seu observantiarum, quas Congregatio privata sua auctoritate postmodum induxit, quæque non important strictam sub pœna peccati ullius obligationem. 2. Nequaquam posse a Conventu aliquo etiam generali, nisi cum integra legitimi regiminis eversione, obligationem imponi, quæ sit amplior ipsamet obligatione, quam inducit ipse Papa, a quo Congregatio fuit approbata, nec nisi communi singulorum membrorum, ex quibus constat prædicta Congregatio, accedente consensu.

3. Galeatius petit, utrum, quando de una domo sese transfert in aliam, in qua residentiam habiturus est, non sibi liceat, non petito ea de re Superioris sui consensu, libros, quos de proprio suo ære sibi comparavit, secum exportare. Rationem autem sui dubii profert istam, quod Congregatio Decretum ea de re tulerit ex professo, quo in ejusmodi casu omnibus ac singulis interdicitur, qui de una domo in aliam sese transferunt, ne quemquam librorum suorum secum exportare præsumant, quo etiam ipsimet Ordinario superiori potestas denegatur ejusmodi licentiæ faciendæ. Ei Decreto Galeatius ex altera parte non putat, a sese obedientiam ullam esse præstandam: quoniam eidem istud iniquum omnino videtur, & contendit, cum eos omnes de proprio suo argento sibi comparaverit, atque etiam consentiente ac permittente suo Superiore, eosdem sibi legitima proprietate vindicari, non ipsi Congregationi, cui dono eos nullatenus dedit. Unde concludit: 1. Siquidem votum paupertatis, cui addicitur, non fregerit ex eorumdem emptione, æquum non esse, sese eorumdem privatione mulctari. 2. Ut jam fuit observatum, non sibi videri, sese magis ex conscientiæ debito obligatum esse, ad obtemperandum prædicto Decreto, vi cujus libris suis privaretur, quam plurimis aliis capitibus institutorum, quæ eadem violantibus nihil inducent obligationis sub pœna peccati.

4. Quærit denique, num fracti voti sese conscium reddiderit, recipiendo, inconsulto suo Superiore, tum pecuniam, tum alia quælibet, quæ sibi sponte fuerunt oblata, quæque sibi prorsus licere recipere existimavit, quoniam posteriori rescripto, quo prohibetur, ne de propriis rebus moventibus nihil disponatur, nullatenus interdicitur, ne quod sponte gratuitoque fuerit oblatum, recipiatur.

RESPONS.

Censemus: Rescripto, quod anno 1550. datum est, etiam post alterum rescriptum, quod supervenit anno 1659. in integrum servari sui roboris firmitatem quantum ad votum paupertatis, exceptis dumtaxat iis, quæ pertinent ad proprietatem immobilium; quoniam posteriori rescripto prius non revocatur; sed tantummodo explicatur, & quadam

dam interpretationis circumscriptione definitur, concedendo ei, qui paupertatem vovit, cum Congregationem primum ingressus est, dominium bonorum immobilium temporalium, quæ possidet, quæque proinde potest alienare, commutare, quin etiam si sic ei libuerit, donare: & obligationem voti, quo ligatur, restringendo ad solum usum fructuum ac redituum, quæ de ejusmodi proveniunt, & ad usum cujuscumque alterius boni moventis, quod posset habere, & de quo disponere nullatenus potest nisi cum facultate atque arbitratu sui superioris.

De industria istæc verba apposuimus; *bonorum immobilium temporalium*; Est etenim ingens omnino discrimen adhibendum inter bona generis istius, & ea, quæ vulgo dicuntur bona Ecclesiastica: quoniam bonorum temporalium, quæ juste ac legitime possidentur, dominium plenum habetur: At Beneficiarius Ecclesiasticorum bonorum, quæ possidet; nullatenus dominus est, neque vel etiam fructuum ac redituum, qui inde proveniunt; quippe eorum omnium non sit nisi simplex administrator, nec de iisdem disponere ei licet, nisi in gratiam propriarum legitimarum necessitatum: Cum quidquid de iis ulterius excurrat, pauperibus jure cedat, aut ad Ecclesiam pertineat, ut alibi demonstramus invictissimis argumentis (a), quæ desumuntur ex Conciliorum nube prorsus ingenti, ex Decretalibus plurimorum summorum Pontificum, atque ex Doctrina S. Augustini, S. Thomæ, & eorum, qui tum inter Theologos, tum inter Canonistas sunt notæ commendationis.

(a) V. Beneficiarius. Casus. Basilius 13.

2. Juxta quod jam asseruimus, Galeatius fracti voti sine dubio conscius est, quando coacervat, & apud se retinet pecuniam de suis bonis immobilibus provenientem, aut aliunde sibi obvenientem sine licentia sui superioris, siquidem in eo occurrat veri nominis proprietatis actus, quod tanquam Dominus, propriaque sua voluntate, nihil quidquam obstante voto, quo tenetur, de eadem disponat; quod quidem votum emisit vi prioris rescripti, & ejusmodi dispositio simul aliena sit ab ipsissimis verbis posterioris rescripti, quo apertissime interdicitur, ne ullus usus habeatur, nec libero singulorum arbitrio permittatur fructuum aut redituum, qui de eorum bonis immobilibus, seu eorum Beneficiis proveniunt, nisi cum facultate & arbitratu superiori.

Neque vero Galeatium quidquam juvat, quod excusationem sibi quærat ex eo quod in posteriori rescripto non feratur: *apud se retinere*. Ibi etenim est mera verborum ambiguitas, ac pura tergiversatio, siquidem sub verbo, *retinere*, quod generale est, summus Pontifex complecti censeatur *omnem retinendi modum*. Sive ergo pecuniam ipsemet retineat, aut ab alio servandam tradat sine licentia superioris; perinde agit contra quod interdictum est a summo Pontifice, & adversus mentem voti paupertatis, cui sese addixit. Atque huic potissimum incommodo Conventus generalis anni 1697. voluit occurrere verbis istis sui Decreti: *Ne ... apud alios retineant, aut apud se servent, gestentque secum.*

Quanquam ergo verum foret Galeatio nullatenus innotuisse Decretum, quod a prædicto Conventu confectum est; atque etiamsi daretur, omni licet repugnante tum ratione, tum sensu communi, futurum ut nullum esset peccatum in ejusdem violatione; nihilominus fracti voti convinceretur, vel ex eo quod sese non conformaret ad interdictum latum a Papa in posteriori rescripto, quo nedum copia fiat membris prædictæ Congregationis coacervandæ, ac retinendæ pecuniæ de reditibus eorum provenientis, quin potius cavetur, ne eorumdem fructuum ac redituum liberum usum habeant nisi cum facultate & arbitratu suorum superiorum, & jubetur, ut pecunia inde proveniens in pios usus convertatur. Quibus addendum est præterea, Congregatio Galeatio gratuito subministret quæcumque ei necessaria sunt tum ad victum, tum ad vestitum, tum etiam ad ceteras quascumque vitæ necessitates; eum non posse censeri suam pecuniam reservare nisi ex mero cupiditatis animo, qui penitus alienus est ab animo paupertatis, quem vovit, quin etiam a justitia, quantum ad pecuniam, quæ provenit de reditibus Ecclesiasticis.

3. Dicimus, quantum ad propositam tertio loco quæstionem, quemcumque, qui Congregationem aliquam sive sæcularem ingressus est, obligari ex stricta conscientia ad statuta, regulasque, quæ in ea obtinent, religiose observanda. Porro inter statuta, quæ vigent in Congregatione, in qua Galeatius receptus fuit, hoc potissimum usu recipitur, futurum nempe, ut nullus eorum, qui eidem addicuntur, non possit, nisi legitimi superioris accedente tum licentia, tum consensu, libros, quos sibi comparaverit, privata sua auctoritate secum exportare; cum sese de una domo in aliam, in qua residentiam habiturus est, transferet.

Cum in contrarium opponitur, a Congregatione prædictos ejusmodi libros, adversante prorsus omni jure, retineri, perperam arguitur; namque licet concederetur, renitentibus quanquam apertissimis verbis rescripti anni 1659. ad singula membra Congregationis devolvi dominium absolutum bonorum, quæ ab ipsis possidentur, etiam quantum ad liberum usum redituum, qui de iisdem proveniunt; nonne Galeatius censeretur eidem plane renuntiavisse sponte ac voluntario, eosdem libros sibi emendo, cum eum non lateret, juxta regulas ac statuta Congregationis sibi jam non licere de iisdem privata sua auctoritate, ac pro nutu suo ullatenus disponere; neque vel etiam cum sola licentia superioris Ordinarii domus; cum facultas hujusmodi licentiæ concedendæ, ceteris exclusis, soli superiori majori ex ipsis verbis decreti anni 1697. reservetur.

Neque etiam potest Galeatius merito contendere, prædictum Decretum, in quo nihil legitur nisi plurima sapientia conditum, ac plane accommodatum ad ea, quæ necessario sunt observanda, recensendum esse in numerum observantiarum quarumdam ex seipsis levissimi momenti, quas supponit ibidem observari, absque eo quod nihilominus ulla servandarum earundem obligatio inducatur sub pœna ullius peccati nequidem venialis, modo earumdem violationi nec scandalum nec contemptus accedant: Non enim ea ratione judicandum est de statuto, seu de Decreto, quod latum fuit cum consensu communi legatorum omnium, quibus ipsummet Congregationis totum corpus repræsentatur: siquidem non censeantur sententiam suam dicere, nisi de consensu singulorum membrorum, a quibus gerendo Conventui præfecti fuerunt, neque, nonnisi eorum nomine, suffragium suum ferre; aliundeque insigniantur eo gradu auctoritatis, qui necessarius est, ut quæcumque pertinent ab bonum regimen, quod in congregatione expedit, obtinere, valeant statuere, & omnia generatim definire ac determinare, quæ sibi necessaria videntur ad ejusdem boni reginimis tum institutionem, tum conservationem; adeoque omnibus & singulis, ex quibus ipsa congregatio constat, ex conscientia, sub pœna etiam peccati incumbat iisdem parere ad eorumdemque normam ac præscriptum totam suam componere vivendi rationem, quemadmodum passim frequentatur apud alias Congregationes; & vel ex ipso solo dictamine rationis sapienti cuique compertum esse debet: alioquin quid potissimum juvarent omnia ejusmodi decreta, omniaque isthæc statuta, si liberum unicuique fieret eadem impune ac sine peccato violare? Quæ rerum perturbatio non inde subsequeretur? Et nonne Conventus omnes, quantumcumque solemnes ac generales, inutiles prorsus fierent omnibus Congregationibus tam regularibus, quam sæcularibus, quarum singula membra rationem agendi suam ad nutum accommodarent propriumque suum arbitrium, indeque infinita propemodum scandala certissime contingerent. Aliunde vero, ut nullum occurrat peccatum in frangenda aliqua observantia, satis non est, abesse tum contemptus, tum scandali rationem: requiritur enim præterea, eandem verbis aper-

apertis, neque ex professo præcipi a Superiore, ut probamus alibi auctoritate S. Bernardi & Thomæ. (*a*) Jamvero evidentissimum est ex verbis Decreti, quod pronunciatum fuit a Generali Conventu anni 1697. articulum illum disciplinæ nomine totius corporis Congregationis esse strictissime commendatum. Quo ergo jure posset articulus ejusmodi considerari ut mera observanria indifferens atque prorsus arbitraria?

(*a*) v. Religiosus, Casus Theodatus.

Denique Galeatius falsum supponit, quando audacter ait, unumquemque esse dominum suorum redituum; nam juxta prius rescriptum unicuique dominium ejusmodi in integrum eripitur, & vi rescripti posterioris non indulgetur nisi dominium immobilium, denegaturque ejus disponendi de rebus mobilibus, quales sunt ejusmodi reditus, nisi cum facultate & arbitratu Superioris, quæ nequidem accedere possunt nisi ex legitima aliqua causa.

4. Tandem Bulla, seu rescriptum anni 1659. non prohibet equidem singulis Ecclesiasticis de ista Congregatione, ne oblatam sibi pecuniam accipiant; at votum paupertatis, quo ligantur, iisdem nulla ratione liberum facit eandem cum proprietatis affectu recipere; sed eo duntaxat animo, quod de eadem non sint ullatenus dispposituri nisi cum licentia, quam Superior valet iisdem concedere; præterquam quod Decretum Conventus generalis anni 1697. hoc ipsum verbis expressis constituat. Concludamus igitur, siquidem Galeatius obstringatur voto non tantum paupertatis, quod emisit, verum etiam obedientiæ, quam Deo promisit, sese suis Superioribus exhibiturum, ei jam non licere de rebus mobilibus, quas possidet, disponere nisi prius obtenta a suo Superiore ea de re licentia, & futurum alioquin ut quam gravissime peccaret violando utrumque votum prædictum.

CASUS XXIX.

Genebaldus vovit, futurum monasticæ disciplinæ sequeretur institutum, nullatenus intendens in specialem aliquam Religionem. Aliquando post, cum apud se constituisset ingredi quoddam de Ordine S. Benedicti Monasterium; etiam sese obtulit, nec admissus est. Qua de re quæritur, utrum voti sui vinculo solvatur, aut num ei iterum ex conscientia incumbat aliquam Ordinis alterius domum adire?

Respons.

Constat, Genebaldum vinculo voti sui nequaquam inde esse solutum, quod sese recipiendum obtulerit cuidam de Ordine S. Benedicti Monasterio, atque ab eodem repulsam passus sit; siquidem voto suo sese non obligavisset ad sequendum Religiosæ professionis institutum in prædicto duntaxat Monasterio, neque in memorato tantum Ordine; sed intendisset in Religionem in genere, non determinans in specie, qualis ipsa potissimum esse deberet. Eum igitur, etiam postquam repulsus fuit, obligatio manet, iterum aliam Religionem adeundi, ac pro viribus efficiendi, ut ibidem admittatur. Atque sic censetur a S. Thoma (*b*), qui ait: *Obligatio voti ex propria voluntate causatur. Unde, si in vovendo, prius cogitavit de Religionem ingrediendo, & postea elegit talem Religionem, vel talem locum, obligatur simpliciter ad Religionem; unde, si non potest in illa, quam elegit, recipi;* debet *aliam quærere.* Et iterum in alio loco: (*c*) *Si quidem intendit, se simpliciter ad Religionem obligare; si non recipitur in una religione, tenetur ire ad aliam.*

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæst. 1. ad 6. Item 2. 2. q. 88. art. 3. ad. 2.

(*c*) Idem 2. 2. q. quæst. 186. art. 3. ad 2.

At vero, si Genebaldus votum suum emittendo nihil aliud animo concepisset, quam tale Monasterium, vel talem Ordinem determinatum ingredi, & postquam illud Monasterium, illumve Ordinem sincera fide adiverit, ab eodem repulsus sit, in eo casu vinculo voti sui plane solveretur, nec obligaretur ad aliud Monasterium, vel alium Ordinem ulterius quærendum. Neque enim censeretur votum suum emisisse, nisi sub tacita illa conditione, si nempe Superior vellet eum admittere. Quod etiam ab eodem S. Thoma docetur, quando sic addit: (*d*) *Si autem primo & principaliter cogitavit de tali Religione; in voto ejus intelligitur hæc conditio: si illi volunt eum recipere: alias esset indiscretum votum. Unde, conditione non extante, non obligatur.*

(*d*) Idem supra cit. quæst. 1. art. 6.

CASUS XXX.

Gabriel, emisso voto sese dandi familiæ Religiosorum de Ordine S. Benedicti; sese sincera ac bona fide proposuit cuidam Monasterio de reformatione S. Mauri, toto animo intendens votum suum exequi: sed obtinere non potuit, sese ibidem admitti, cum Superior ei declaraverit, eum non videri robusta satis valetudine valere, quo posset regulam adimplere. Obligatur ne ad iterum sese offerendum alteri de eodem Ordine Monasterio, aut voti-ne sui vinculo absolvitur ex priori prædicta repulsa, quam passus est?

Respons.

Respondemus, duce S. Thoma, (*e*) Gabrielem in casu proposito non obligari ex conscientia ad quærendum aliud Monasterium, si pro certo habeat, futurum ut sibi eadem ratione verbisque iisdem respondeatur, quoniam in casu merito conjicere potest, sese divina vocatione professioni Religiosæ nequaquam destinari. *Ille qui se voto obligavit ad certæ Religionis ingressum, tenetur facere, quantum in se est, ut in illa Religione recipiatur ...... Si vero se intendit specialiter obligare ad unam* (Religionem) *solum: non tenetur ire ad aliam.* Et rursum alibi (*f*) *Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc Religionem, vel ad hunc locum, propter specialem complacentiam hujus Religionis, vel loci; non tenetur aliam Religionem intrare, si cum illi recipere nolunt.* Neque revera quidem asseri potest, prædicto viro magis obligationem induci sese offerendi alteri secundo Monasterio, quam tertio, quarto, atque aliis plurimis: Atqui foret prorsus absurdum, eidem obligationem imponere, postquam ex plurimis repulsam accepisset, sese rursum aliis offerendi admittendum: alioquin sequeretur, futurum ut eum onus idem maneret in perpetuitatem, neque voti sui vinculo unquam solveretur: Quod quidem nemo, nisi prorsus absurde, contendat. Potest ergo primæ repulsæ, quam passus est, stare, & existimare, sese Divina Providentia professioni Religiosæ non destinari; siquidem superior Monasterii, in quo sese recipiendum obtulit, eum ad officia Religionis sustinenda minime aptum judicaverit; modo prædictus Superior habeatur ut vir sapiens, & Judex rerum optimus atque intelligentissimus. (*g*).

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2.

(*f*) Idem ib. q. 88. art. 3. ad 2.

(*g*) Fr. Tolet. instruct. sacerdot. l. 4. q. 16.

CASUS XXXI.

Amedæus, post susceptum votum de ingrediendo Carthusianorum, seu Camaldulorum Ordine, solemnem postmodum emisit in Religione multo mitioris observantiæ professionem; indeque continuis conscientiæ suæ scrupulis torquetur, ac gravissimis sollicitudinibus animus ipsius discinditur, quod votum simplex, quo sese constrinxerat, non fuerit executus. Quid agat, opus est, ut conscientiæ suæ pacem ac securitatem afferat? Potest-ne, aut ei ne incumbit transire in Carthusianorum, seu Camaldulorum Ordinem?

Respons.

Ut prædictus Religiosus pacem afferat suæ conscientiæ, id unum agat, necesse est, nempe congrua pœnitentia peccatum suum abstergere, quantum in se est, contendat, quod votum animo conceptum non adimpleverit; nec obligatur coram Deo ad ingrediendam alterutram prædictarum Religionum, in qua voverat, futurum ut solemnem emitteret professionem. Ratio est, quod sole-

solemne votum, cui sese addixit in alio Ordine, licet observantiæ multo mitioris ea, quæ viget in prædictis duobus aliis Ordinibus, sit magis obligatorium, eumque multo strictius liget, quam votum, quod antea emiserat. Atque hæc ipsissima est doctrina S. Thomæ (*a*), qui suam sententiam confirmat exemplo matrimonii, quod, licet, nihil obstante simplici voto castitatis, contractum, nihilominus tenet, & obligat eum, qui votum suum ex ejusmodi contractu violavit, ad debitum conjugale reddendum: *Votum solemne*, inquit Laudatus S. Doctor, *quo quis obligatur minori Religioni, est fortius, quam votum simplex, quo quis adstringitur majori Religioni: post votum enim simplex, si contraheret aliquis matrimonium, non dirimeretur, sicut post votum solemne; & ideo ille, qui jam professus est in minori Religione, non tenetur implere votum simplex, quod emisit, de intranda in Religionem majorem*. Quam eamdem doctrinam proponit Cardinalis de Turre-Cremata (*b*) fultus eadem ratione, quam affert S. Thomas. Cui etiam Fagnanus ea in re totus consonat (*c*).

Decisionem hanc nostram confirmabimus: 1. Decretali quadam (*d*), quam Alexander III. inscribit Monachis de Ordine Cisterciensi in Anglia, in qua sic declarat: *Reus facti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare*. 2. Constitutione quadam Bonifacii VIII. (*e*) cujus en ipsissima verba sunt: *Qui post votum a se de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam, etiam laxiorem, ingreditur, & profitetur in ipsa; potest (voto non obstante priori, cui tanquam simplici, per secundam solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem: pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda*.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 4. ad 3.

(*b*) Joann. de Turre-Cremata, in Can. Nullus 1. 19. q. 3. n. 4.

(*c*) Fagnanus in C. sane de Regularib. &c. n. 57.

(*d*) Alex. III. in cap. Scripturæ 4. de voto, & voti redemptione l. 3. tit. 34.

(*e*) Bonifac. VIII in cap. Qui post votum. 5. de Regular. & transeuntibus ad Religionem in 6. lib. 3. tit. 14.

CASUS XXXII.

Religiosi de certo quodam Monasterio ab annis plurimis sic ab antiqua sua institutione desciverunt, ut suam regulam, quantum ad plurima capita, jam non observent ex negligentia Superiorum, qui multos inordinatos abusus in illud idem induci passi fuerunt. Palemon, qui videt, quod ibi frequentatur institutum vitæ rationis esse omnino commodioris, & qui bona fide existimabat, ex regula Ordinis nihil obligationis induci, servandæ disciplinæ strictioris ac austerioris; cum obtulisset sese in prædicto Monasterio recipiendum, ibidemque tempus suæ probationis explevisset, in eodem Monasterio solemnem emisit professionem, in animum inducens, futurum ut tuta conscientia posset eamdem, quam cæteri Religiosi, tenere vitæ rationem. Verum, cum secum animo perpendisset post aliquod tempus, atque penitius inspexisset regulam Ordinis, agnovit vitam dissolutiorem, pravosque abusus, quæ in istud Monasterium sese irrepserunt, in quo certissime nunquam emisisset religiosam professionem, si, prædictis prius cognitis, putavisset, sibi induci obligationem, ad normam memoratæ regulæ suam componendi vitæ rationem. Qua de re, quærit, num non possit, recta conscientia, vitæ rationi, quam cæteri Religiosi sequuntur, ipsemet insistere; cum nullatenus intenderit sibi imponere obligationem strictiorem, vota sua nuncupando; aut num, nihil obstante, quam potissimum sibi proposuerit, mentis intentione, coram Deo teneatur, ad normam ac præscriptum Religionis, suos mores etiam solus conformare?

RESPONS.

S. Thomas (*f*) sibi proponit objectionem quamdam, in qua fere continetur difficultas, de qua quæstio est enunciata specie: eidemque respondet, afferendo nimirum, eum, cui probationis curriculum agenti in aliquo Monasterio non innotuerunt quæcumque regulæ præscripto imponuntur veræ Religionis obligationes, propterea quod statuta regulæ ibidem tunc temporis non observarentur, quique ex solemni professione, quam emisit, nullam aliam obligationem inducere sibi proposuit, quam idem vitæ institutum sequendi, quod cæteri Religiosi tenent; nihilominus obligari, ad servanda tria principalia vota Religionis, quæ nimirum sunt vota Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ; quamquam videatur summo jure considerato, eumdem non teneri ratione saltem stricta ad observantias regulæ minutiores adimplendas, quas tum negligentia, tum prava administratio superiorum sensim sine sensu toleraverunt exolescere, atque impune violari. En objectionem, quam sibi proponit Angelicus Doctor: *Nec videtur teneri semper ad ea, quæ votum professionis continet .... & ipse non intendit intrare Monasterium, nisi, ut viveret, sicut alii vivunt. Ergo videtur, quod non omne votum obliget, ut necessario servetur*. Adest vero propositæ difficultatis, quam idem S. Doctor affert, solutio: *Ad quintum dicendum..... quod .... talis, qui interpretatum votum fecit, ad tria vota Religionis principalia in omni casu tenetur: sed ad alias observantias, quarum transgressio ex dissimulatione Prælatorum inducitur, qui dum videntes non corrigunt, indulgere videtur, non videatur obligari*.

(*f*) S. Th. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. ad 5.

Quæ sententia duabus rationum argumentis probatur: Quorum prius sic sese habet, quod, quamquam votum simplex necessario oporteat omnino esse liberum, neque ex alia re dependere, quam ex voluntate voventis; adeoque non alia inducatur obligatio, quam illius rei tantummodo adimplendæ, quæ potissimum in emittendo voto intenta est: Votum solemne e contrario non solum pendeat ex voluntate voventis, sed præterea ex institutione ac voluntate Ecclesiæ, a qua approbata sunt tum Religio, tum regula, cui, qui professionem emisit, sese voluit addicere: siquidem, juxta Bonifacium VIII. (*g*) Votum solemne nuncupare, nihil aliud sit, quam sese mancipare ex professione solemni, tali, vel tali regulæ servandæ, quam Ecclesia comprobaverit. Unde sequitur, licet penes illius arbitrium sit, qui tale votum emittit, illud idem vel facere, vel non suscipere; illudque emittere vel in certa quadam Religione, vel in alia; ab eo tamen votum illud nuncupari non posse, nisi accedente conditione, ut Religionis quam amplectitur, regulas præcipuas ac cum ipsa Religione magis necessario connexas sit scrupulose servaturus; hoc est, regulas, quæ perfringi non possunt, quin eo ipso aliquod de votis tribus solemnibus frangatur: Neque liberum est ei, qui Religionem ingreditur, professionem suam emittere, conditione interposita, quod sibi licitum fiat, tum mores dissolutiores, tum inordinatos abusus, qui in Ordinem, vel Monasterium, quod ingreditur, irrepserunt, tenere ac sequi, siquidem iidem ab Ecclesia damnentur, atque omnino reprobentur.

(*g*) Præsenti declaramus decreto, illud solum votum dici debere solemne ... quod solemnizatum fuerit .... per professionem factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Bonif. VIII. in cap. Quod votum. 1. de voto in 6.

Posterius rationis argumentum, quo vera esse comprobatur decisio, quam S. Thomas tradit occasione propositæ difficultatis est, quod Consuetudo, vi cujus tria vota, quæ nuncupantur in solemni professione, quocumque modo violantur, nunquam possit esse legitima; neque consequenter excusare a peccato.

Nam, ut habet Imperator Constantinus citatus in Canone quodam apud Decretum Gratiani: (*h*) *Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est: Verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut Legem*: quoniam, si recte loqui velimus; Consuetudo, nonnisi deficiente lege, vim atque locum obtinet, ut fertur in alio Canone (*i*): *Consuetudo autem est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit Lex*: & quia *nunquam secundum Consuetudinem est judicandum: Si jus contrarium præcipiat*: ut observat Glossa ad eumdem Canonem citatum (*k*).

(*h*) Can. Consuetudinis 4. dist. 11.

(*i*) Isidor. in Can. Consuetudo. 5. dist. 1.

(*k*) Gloss. in cit. Can. Consuetudo.

Jamvero in ea, quam hic loci ponimus, hypothesi tum lege positiva Ecclesiæ, tum ipsamet obligatione, quæ ex solemni professione ultro suscepta est, verbis expressis præcipitur vivendi ratio, quæ sit a prædictis abusibus penitus aliena, posito quod tribus solemnibus votis aliquo modo adversarentur sive peccato proprietatis, sive quacumque alia ratione. Non possunt igitur ex ipsa Consuetudine nec abusus ejusmodi

modi

Digitized by Google

modi prævalere, nec iisdem consentientes a peccato vindicari. Quod ita docent Angelus de Clavasio, Joannes Major, Fagnanus, plurimique alii (*a*). Si Palemon ergo videns, vitium proprietatis passim in Monasterio frequentari, in quod ingressus est; atque ex errore sibi in animum induxerit, licere sibi de aliqua re, tanquam jure proprietatis sibi cedente, disponere, non inde coram Deo culpæ expers est, si, vestigiis aliorum Religiosorum insistens, impingat in istud proprietatis peccatum; quoniam nequidem superiorum majorum auctoritate potuit abusus ejusmodi induci, juxta sequentia verba Innocentii III. scribentis ad Abbatem & Religiosos Monasterii de Subiaco Urbe Campaniæ Romanæ, in qua S. Benedictus primum quidem Ordinem suum instituit: (*b*) *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate, possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*. Quod Concilium Tridentinum (*c*) confirmat decreto suo, quo sic declarat: *Sancta Synodus .... hoc decreto præcipit, ut omnes regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, atque componant: atque imprimis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis: ac, si quæ alia sunt alicujus Ordinis & regulæ peculiaria vota & præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda, pertinentia, fideliter observent .... Cum compertum sit ab eis* (superioribus) *non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari: si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est*.

(*a*) Angelus de Clavasio. v. Religiosus n. 32. Joann. Major. in 4. dist. 18. q. 20. Prosp. Fagnan. in cap. Cum causa. de electione, &c. n. 33.

(*b*) Innoc. III. in cap. Cum Monasterium 6. de statu Monachorum. lib. 3. tit. 35.

(*c*) Concil. Trid. sess. 25. de regular. & Monial. c. 1.

Nihilominus observandum est, si Palemoni compertum non fuisset, laxiorem illam disciplinam, prædictosque abusus, qui obtinent in Monasterio, in quo versatur, nec communi vitæ Monasterii ipsius nec institutis Ordinis ullatenus adversari; & existimaret bona fide, sibi non importari strictioris observantiæ necessitatem; futurum ut excusaretur a peccato; modo, ut monuimus, nihil ageret, quod repugnaret tribus votis principalibus, quibus ligatur; quemadmodum docent S. Antoninus, Lopez, Navarrus cum plurimis aliis Canonistis, quos appellat & Cabassutius (*d*): Ratio est, quod jure possit in animum suum inducere, superiores non permisisse, ut ejusmodi consuetudo prævaleret, sine aliquo fundamento, quod iisdem legitimum visum est; & ipsam consuetudinem consensu saltem tacito summi Pontificis fuisse sufficienter approbatam.

(*d*) S. Ant. 3. part. summ. theol. tit. 16. c. 1. §. 31. Lopez tom. 1. c. 24. Navar. Manual. c. 12. n. 5. Joan. Cabassutius juris Can. theor. & prax. lib. 2. c. 22. n. 32.

CASUS XXXIII.

Andronicus ingressus regularem quamdam Congregationem sub titulo fratris laici, ibidem solemnem emisit professionem, eaque ratione sese Religioni addixit modo absoluto, & quantum ad omnes regulas, quæ in eadem consueverunt observari. At viget inter alias hæc potissimum regula in dicta Congregatione, ut, qui ad eamdem minime apti, seu eidem inutiles videntur, possint, nulla habita ratione temporis, per quod ibidem fuere commorati, ad vitam dimitti sæcularem. Andronicus, quem proprii vitæ status, in quo nullam inveniebat stabilitatem, cepit satietas, post annos decem ab emissa sua solemni professione, Congregationem istam, inconsulto superiore, deseruit, ac deinde transiit ad quoddam de Ordine S. Benedicti Monasterium, ibidem probationis tempus excursurus, posteaque in prædicto Monasterio vota sua solemnia nuncupavit; quamquam juxta formas de more servari solitas tum a superiore, tum ab ipsa Congregatione, de qua discesserat, requisitus fuerit: Qua de re quæstio proponitur: 1. Utrum potuerit recta conscientia prædictam Congregationem privata sua auctoritate deserere? 2. Utrum, ea quæ exponitur, ratione inde egressus, non obligaretur, ad eamdem iterum sese recipiendum, postquam requisitus est? 3. Utrum, cum in alia domo professionem religiosam emiserit, ipsius professio valeat, atque utrum in prædicta domo sine conscientiæ suæ dispendio, remanere possit?

Respons.

Quamquam Religiosa professio quam Andronicus emisit in regulari Congregatione, quam fuerat primum ingressus, omnino valeat; potuit nihilominus prædictam Congregationem deserere, ad transeundum privata sua auctoritate in Monasterium, in quo solemnia Religionis vota postmodum nuncupavit, nec obligatus fuit, ad sese recipiendum iterum in domum, de qua discesserat, quamquam ea de re requisitus fuerit tum a Superiore, tum ab ipsa tota communitate. Atque ita deciditur a quodam magni nominis Theologo; (*e*) qui rationem istam affert, quod religiosa veri nominis professio non tantum absolute emittenda sit ab eo, qui sese Religioni addicit; sed præterea necesse sit, vota solemnia, quorum Professus suscipit obligationem tum a Superiore, tum ab ipsius communitate absolute, atque in perpetuitatem acceptentur. Nam solemnis religiosa professio, quantum ad suum effectum, est mutuus contractus inter eum initus, qui solemnia vota emittit, & eum, qui recipit nomine Monasterii professionem emissam, quo, qui profitetur, sese obligat, ad vivendum semper in Religione juxta regulam; & Monasterium contrahit obligationem, eidem subministrandi victum ac vestitum, atque eum habendi ad vitæ ipsius tempus integrum ea ratione, qua regula eadem præscribitur. *Professio est in effectu quidam contractus reciprocus ultro citroque obligatorius, quo profitens se obligat Monasterio, vel Ordini, ad serviendum ei secundum regulam ejus; & econtra Monasterium, ad alendum & tractandum eum secundum eamdem regulam*. Ita habet Navarrus. (*f*) Emmanuel Rodericus iisdem fere verbis ea de re loquitur. (*g*) Porro prima, quam Andronicus emisit religiosa Professio, non fuit absoluta, neque in perpetuitatem emissa quantum ad suam acceptationem; siquidem Congregatio jus sibi retineat, eumdem expellendi de suo corpore in quocumque vitæ ipsius tempore, si sic sibi libuerit. Unde sequitur, cum ipsa professio ex natura sua non sit conditionata, eidem non inesse nisi voti simplicis rationem; adeoque eum, a quo fuit emissa, posse sine conscientiæ suæ dispendio transire ad alium Ordinem Religiosum etiam minoris observantiæ, ad vota solemnia in eodem nuncupanda, quæ sint absoluta ac firma, & professionem emittendam, quæ sit stabilis, absque eo quod ullatenus cogi possit, ad redeundum in Congregationem, de qua discessit: at non eadem ratione judicandum foret, si de prædicta Congregatione sine licentia Superioris non discessisset, nisi ut in sæculo remaneret: aut in aliam ejusdem constitutionis Religionem transire: in eo namque casu, requisitus a Superiore teneretur in eamdem Congregationem reverti.

(*e*) Sambovius tom. 3. Casu 129.

(*f*) Navarr. lib. 3. conc. de Regularibus, consil. 26. n. 19.

(*g*) Emmanuel Rodericus. qq. Regular. tom. 3. q. 13. art. 2.

CASUS XXXIV.

Hilarius annum agens ætatis suæ duodecimum, cum incidisset in morbum omnino periculosissimum, vovit, futurum ut Religionem ingrederetur in Abbatiam vulgo dictam *de la Trape*, si, Divina juvante gratia, convalesceret, quamquam regula, quæ in dicto Monasterio viget, ei nullatenus foret explorata. Sanitati restitutus, paulo post expertus est, sese duplici ilium procidentia quam gravissime laborare, nec sollicitus de voto, quo sese obstrinxerat, accepit uxorem. Qua de re quatuor proponuntur.

Primum, utrum prædictum votum non habeat voti Religionis veri nominis rationem? Secundum utrum, cum ei supervenerit ejusmodi corporis infirmitas, quæ nullatenus potest cum vitæ asperi-

tate

tate & duritia consistere, quæ ducitur in prædicto monasterio, inde non solveretur obligatione quæ sibi incumbere poterat, se se eidem offerendi, ut ibidem admitteretur; atque utrum proinde eidem liberum non esset uxorem accipere, matrimoniumque suum sine ullo peccati mortalis periculo consummare? Tertium, utrum posito quod uxorem in ejusmodi verum statum sibi assumendo peccaverit mortaliter, inciderit toties in peccatum mortale, quoties conjugale debitum exegit? Quartum denique utrum ejusmodi votum non possit saltem in pia quædam alia opera ab ipsius ordinario Confessore, saltem tempore Jubilæi universalis, commutari?

RESPONS.

(a) S. Th. 2. 2. q. 88. art. 2. in corp. Propositæ primo loco quæstioni satisfacimus respondendo cum S. Thoma (*a*) votum proprie loquendo esse promissionem deliberatam ac voluntariam Deo factam: *Votum est promissio Deo facta*; atque promissionem ejusmodi debere esse..... *de aliquo actu virtutis* qui etiam bonum quoddam importet excellentius..... *proprie loquendo votum dicitur esse de meliori bono*. Jam manifestum est, promissionem factam ab Hilario esse ejusmodi. Emisit ergo veri nominis votum simplex religionis. Enim vero in eo reperitur quidquid necessario requiritur ad rationem proprie dicti voti. Namque ut habet laudatus S. Doctor (*b*): (b) Idem ib. art. 1. in corp. *Ad votum tria ex necessitate requiruntur: primo quidem deliberatio: secundo propositum voluntatis: tertio promissio in qua perficitur ratio voti*. Atqui tria prædicta occurrunt in voto Hilarii; siquidem illud non emiserit sine sufficienti deliberatione, & ex promissione sua omnino voluntaria se se obligaverit ad sequendum vitæ genus omni comparatione sanctius & acceptius Deo, quam vivendi ratio sæcularium personarum. Nequaquam igitur dubitari potest, quin veri nominis votum emiserit.

Respondemus ad secundam quæstionem; licet verum sit, ab Hilario votum temerarium fuisse susceptum, cum se se obligavit ad amplectendum religionis institutum cujus regulas prorsus ignorabat; nihilominus eum non latuisse, a se se votum emitti de ingrediendo vitæ genere perfectiori, ac Deo acceptiori, illa vitæ ratione quam huc usque tenuerat; & sibi vires sufficientes suppetere quibus opitulante divina gratia posset in eodem instituto retinere perseverantiam. Ipsi igitur incumbebat se se sine cunctatione offerre dicto monasterio *de la Trape*, & omnia quæcumque tentare, ut ibidem admitteretur, juxta dictum illud Sapientis (c) Eccles. 5. 3. (*c*): *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*: Quod cum non fuerit exsecutus, sed e contrario, nihil quidquam obstante voto, uxorem sibi sumserit, nulla ratione potest excusari a peccato mortali: quod sic volumus intelligi de tempore quod abiit, priusquam laboraret illa iiium duplici procidentia, quæ ei supervenit aliquamdiu, postquam fuit sanitati redditus: Neque enim videtur idem asserendum esse de tempore quod post infirmitatem generis istius subsecutum est, si pro comperto habuerit, illam nequaquam posse sanari: siquidem ejusmodi generis infirmitas evidentissime atque manifestissime obstet vitæ instituto æque stricto ac duro, ac illud cujus obligationem imponit observantia quæ obtinet in monasterio *de la Trape*, adeoque solvat obligationem ipsius voti quod præcessit, juxta doctrinam Theologorum notæ commendatioris, at- (d) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 87. a. quæsito 4. v. resolut. var. v. votum. 1. que inter alios Sylvii (*d*) qui suam sententiam probat anctoritate Doctoris Angelici (*e*), in una quadam ex suis decisionibus 15. Februarii 1615. ver- (e) S. Th. in 4. dist. 38. art. 3. q. 1. ad 1. bis istis: *Id omne quod ante votum amissum reddidisset rem inhabilem, ut esset materia voti, si voto facto superveniat, etiam reddit eamdem rem inhabilem: veluti si res ..... reddatur impossibilis, verbi gratia, vovit quis ingredi religionem, & priusquam ingrediatur incidit in talem morbum qui est impedimentum essentiale, non tenetur eo morbo durante ingredi*. Alius quidam nominis primi Theologus (f) Dominic. Sotus lib. 7. de just. & jure. q. 4. art. 1. (*f*) eadem de re istæc verba habet: *Palam sequitur, illum qui aliquod habet impedimentum religionis, quod vel quando vovit, non consideraverit, vel post votum, sive citra culpam, sive sua culpa incurrit, liberum fieri ab ejusmodi voti obligatione*. Et paulo post: *Si morbo laboras perpetuo, aut alii impedimento perpetuo subjectus, quorum caussa jura te repellunt, tutus es conscientia, neque ulla indiges dispensatione*.

Ex prædictis sequitur, si non alia de caussa Hilarius in matrimonium venerit, quam quia se se sentiebat futurum prorsus inhabilem ad religionem quam voverat; videri merito contendi non posse, eum ex contracto matrimonio factum fuisse mortalis peccati conscium. At vero, si votum suum e contrario contemserit: neque ullatenus considerata quæ sibi inerat ad religionem inhabilitate, statum matrimonii potiorem habuerit ipso vitæ regularis instituto; nequaquam dubium moveri potest, quin peccaverit mortaliter tum in contrahendo matrimonio, tum in eodem consummando propter contemtum sui voti.

Quartæ quæstioni Sylvius sic satisfacit (*g*): (g) Fr. Sylvius resol. var. v. votum. 1. *Postquam vero consummavit matrimonium, non peccavit deinceps petendo vel reddendo debitum: quia per hoc nihil fecit contra votum religionis quod jam erat ei impossibile observatu*. Quamquam peccaverit in contrahendo matrimonio, atque in eodem pro prima vice consummando. Rationemque reddit istam, quia *qui vovit ingredi, vel etiam profiteri religionem, nihil aliud intendens, si non admittatur, non tenetur postea servare castitatem, sed potest uxorem ducere*. Sic etiam laudatus auctor (*h*) in alio (h) Idem in 2. 2. loc. cit. loco loquitur, & subjicit istam observationem: *Multum distinguenda sunt vota religionis ingrediendæ, & castitatis servandæ: qui enim emisit prius, ex vi voti non tenetur ad castitatem, sed solum ad bona fide ingrediendam religionem, & ad sincere probandum, an possit in ea vivere, ac denique ad profitendum & monendum, si ea illi conveniat... Idemque videtur esse judicium de illo qui voverat non solum ingredi, sed etiam profiteri*.

Dicit Doctor appellatus, eum qui votum simpliciter emittit religionis non teneri *ex vi voti*, ad servandam castitatem: hoc est, præcise propter suum votum, quoniam, ut addit: *ceterum*, (*i*) *si quis voverit ingredi religionem cum intentione obligandi seipsum ad continentiam, sive ad religionem admittatur, sive non: & sive habitum susceperit, sive non susceperit, tenetur servare continentiam, fecit enim votum castitatis* .... Sylvio ea de re Navarrus totus consentit (*K*). (i) Idem ibi §. secundus. v. Ceterum. (K) Navarr. Manual. c. 12. n. 47.

Superest tandem, ut propositam quarto loco quæstionem absolvamus cujus decisio nullam prorsus habet difficultatem, siquidem illud sit juris indubitati principium, nequaquam esse penes simplicem confessarium, votum religionis simplex in alia quædam opera pia commutare, neque Jubilæi caussa gratiam ejusdem facere; cum juxta Bullas Jubilæorum, de ceteris potestatibus quæ eisdem dantur, prædicta facultas verbis expressis excipiatur. Ideoque si casus in quo constituitur Hilarius ejusmodi foret qui dispensationis super ipsius voto necessitatem aliquam admitteret, eum oporteret ea de re Romam recurrere.

CASUS XXXV.

HILDEGARDA cum solemnem professionem religionis emiserit in monasterio quodam in quo jam ab annis ultra triginta clausura ceperat penitus exolescere; & superior quidam recenter in eodem institutus jusserit, eam ibidem religiosissime deinceps observari, obligatur ne ex conscientia ad se se prædicto recentiori statuto subjiciendam, præsertim si dum vota sua nuncupavit, destinatum animo suo propositum firmiter conceperit onus ejusmodi obligationis numquam suscipiendi, atque etiam ipsimet Primariæ monasterii declaraverit, futurum alioquin, ut non profiteretur?

RESPONS.

Nullum dubium est, quin Hildegarda teneatur in casu proposito ad se se subjiciendam clausuræ quam prædictus superior recenter monasterio præpositus in quo ipsa degit, jussit restitui. Cujus rei ratio est, quod voto suo solemni obedientiæ se se potissimum obligaverit, ad jus-

sis obtemperandum suorum legitimorum superiorum, atque totam vitæ suæ rationem ad eorumdem quando consulunt æquitati præscriptum agendam & componendam.

Porro statutum vi cujus novus iste superior jussit, ut clausura deinceps servaretur ab omnibus prædicti monasterii monialibus, æquissimum est, cum confectum fuerit, ut exsecutioni demandaretur Decretum Concilii Tridentini cujus ipsissima verba sequuntur: (*a*) *Bonifacii VIII. Constitutionem quæ incipit*; Periculoso, *renovans sancta Synodus omnibus Episcopis sub obtestatione divini judicii & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Apostolicæ sedis auctoritate, clausuram Sanctimonialium ubi violata fuerit, diligenter restitui; & ubi inviolata est, conservari maxime procurent*; nihil quidquam obstantibus intercessionibus ac caussis quibus eidem vel restituendæ, vel conservandæ posset obsisti.

(*a*) Concil. Trid. sess. 25. de regul. & Monial. c. 5.

Ex quibus sequitur, ab Hildegarda sine peccato non posse denegari obsequium clausuræ quæ fuit a legitimo monasterii ipsius superiore decreta, & postmodum a solemni professione quam emisit, ibidem restituta.

Atque hæc ipsissima difficultas fuit olim cum plurimia aliis proposita summo Pontifici Gregorio XIII. a Cardinali Carolo Borbonio Legato Aveuionensi & Rhotomagensi Archiepiscopo, simul & ab omnibus Episcopis ipsius comprovincialibus qui congregati erant in Concilio in civitate nominis ejusdem habito anno 1581. En quibus verbis loquuntur: *Undecima difficultas. Circa Decretum de Clausura monialium sunt quæ ex fundatione dicunt, liberum sibi relinqui exitum & introitum monasterii. Aliæ prætexunt, se non emisisse votum clausuræ; nec umquam ingressuras monasterium, si audissent, ullam fuisse clausuræ obligationem. Pleræque minantur, se potius reversuras ad sæculum, quam patiantur eamdem clausuram, & per parentes nobiles necem etiam Episcopis intentant, si ausi fuerint ingressum prohibere; in his perplexitatibus supplicatur quid agendum, maxime ubi timetur, ne per clausuram aliquid deterius contingat, & magistratus sæcularis non adjuvat*. Quibus rationum argumentis nihil validius opponi potest: nihilominus laudatus Papa primum accepta sententia Prælatorum ex quibus Congregatio sacra constabat, hoc unum præcipit: *Exsecutioni demandentur Decreta Concilii Tridentini & Bullæ summorum Pontificum quibus sublata sunt omnia privilegia & fundationes* (*b*). Episcopi vero nullam habeant nec allegatarum a monialibus caussarum nec intentatarum ab iisdem minarum rationem.

(*b*) De Gen. theol. Mor. t. 1. tract. 2. cap. 4. q. 2.

C A S U S XXXVI.

Tiphaina oxor Olivieri cum eodem Aureliæ manens com consensisset, maritum suum ad præsbyteratus Ordinem promoveri, ipsa deinde votum emisit perpetuæ castitatis. Obligatur ne præterea ad sequendum disciplinæ regularis institutum: aut potest ne vitam ut antea gerere in sæculo, atque in prædicta eadem urbe in qua suus maritus etiamnum habet residentiam remanere?

R e s p o n s.

Distingoendum est: namque aut Olivierus jam suscepit Sacros Ordines, aut ad eosdem nondum promotus est. Si sacros Ordines non susceperit, rursum distinguendum est. Ipsius etenim uxor Tiphaina aut ætate junior est, aut annis jam plurimis provecta. Si fuerit ætate junior, eam oportet se se Religioni dare priusquam maritus ipsius ad Ordines promoveatur. Ratio est, quia quamqoam non conveniat apud omnes Auctores unanimiter, absolute necessariom esse, obligari juniorem uxorem ad sequendum Religionis institutum, antequam possit ipsius maritus ad Sacerdotii gradum ascendere; ab arbitrio tamen Episcopi dependet, ipsius virum ea nondum religionem ingressa repellere a sacris Ordinibus; cum Ordinario sit actus voluntatiæ jurisdictioni dumtaxat obnoxius: & eumdem Episcopus omnino possit non exercere, nisi quantum ad eos in qoorum gratiam sibi libet eumdem exercere. Jamvero prudentiam illios plurimum omnino decet, ne Sacerdotem instituat virum cujus uxor cum junior adhoc sit, etiamnum in sæculo atque vel etiam in urbe in qua maritus ipsius habet residentiam, remaneat. Siquidem decorum, bonum exemplum ac periculom incontinentiæ sint caussæ omnino graviores, quam ut inde Episcopus non adducatur, ad se se in eo gerendom cum adhibita ejusmodi cautione.

At vero si Tiphaina sit jam ætate notabiliter provecta, atque ejusmodi fuerit quæ non possit amplius venire in suspicionem incontinentiæ; videtur ab Episcopo posse maritum ipsius ordinari, nulla prædictæ uxori obligatione inducta religionis ingrediendæ, dissimulando num ipsa remaneat in sæculo, uec ne. Ratio est, quod Episcopus in eo casu jure valeat se se gerere qua ratione Canones præscribuut, ot agat quantum ad virum alligatum uxori qui cupit religionem amplecti. Atqui Canones quibus prohibetur, ne vir ejusmodi recipiatur ad religiosam professionem, nisi ejus uxor si junior sit, eodem quoque tempore religionis institutum sequatur: *nisi uterque ad religionem migraverit*, ut loquitur Alexander Tertius: (*c*) permittunt, ut idem admittatur cum ipsius uxor sic senex est, ut sine periculo suspicionis incontinentiæ possit in sæculo remanere: *Verum*, inquit laudatus Papa, *si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo; dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente & castitatem promittente ad religionem transeat vir ejusdem*. Quod idem declaratur ab Innocentio III. in una quadam ex ipsius Decretalibus qoæ Pisano Archiepiscopo inscribitur (*d*): *Sed & vitam debet mutare*, ait appellatus summus Pontifex, *nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere*.

(*c*) Alex. III. in cap. *Cum sis*. 4. de conjugat. lib. 3. tit. 32.

(*d*) Inn. III. in cap. *Ad apostolicam*. 13. eod. tit.

Verum est eqoidem, eumdem Papam scribentem ad Archiepiscopos Strigoniensem & Coloniensem in Hungaria (*e*) videri non exigere, ut mulier etiam junior viri alicujus qui vult ad Sacerdotium promoveri, religionis institutum amplectatur. Namque ait tantummodo: *Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*: nec addit, *& ad religionem transeunte*. Verum ad illud potest hæc accommodari responsio.

(*e*) Idem in c. *Conjugatus*. 5. eod. tit.

1. Non unam eamdemque esse Doctorum opinionem circa prædictorum interpretationem verborum: *uxore continentiam profitente*: quidam etenim illa interpretantur equidem de simplici voto continentiæ sine obligatione solemnis professionis emittendæ: sed alii plurimi tam Theologi, quam Canonistæ, quales sunt Albertus magnus, sanctus Thomas, Paludanus, Dominicus Soto, Covarruvias, Navarrus & Barbosa in sententiam abeunt prorsus oppositam, & propugnant, prædicta verba non esse nisi de religiosa professione intelligenda.

1. Merito non posse aliquem Episcopum reprehendi, qui eum a Sacerdotio repellit cujua oxor adhoc junior vult in sæculo remanere: quoniam etiam concesso quod jus verbis expressis non præscribat, ut uxor ejusmodi religionem ingrediatur, nulla de caussa dici potest, futurum ut in eo casu nihil posset olterios exigere. Si namqoe verum sit, in iis quæ sunt de justitia ac summo jure ab Episcopo non debere plus exigi, quam ipsimet Canones reqoirunt, non minus verum est, in iis quæ mere gratiosa sunt & tantummodo pertinent ad voluntariam jurisdictionem qualis est ordinatio Clericorum, posse ab eo aliquando exigi quod Cauonibus neque ex professo determinatum fuit, neque aperte definitum; ac potissimum cum agitur de bono Ecclesiæ,

ac

Digitized by Google

ac de bono exemplo fidelium, quemadmodum in proposito casu.

3° Quod autem agendi rationem Episcopi plurimum probat, cum exigit, a juniori muliere prius emitti solemnem Religionis professionem, quam admittat ipsius virum ad sacros Ordines, est, quia, siquidem ita Canones constituant, cum vir vult Religionem ingredi, potiori jure valet illud idem exigere, quando vult ad gradum Præsbyteratus ascendere; quum Sacerdos sæcularis possit facilius invisere suam uxorem, quotiescumque sibi libet, quam Religiosus, cui non sit copia excedendi Claustri sui limites, nisi cum expressa Superioris sui licentia; aliundeque tum habitus, tum, professio Religiosa eum in sua vivendi ratione castigatiorem ac modestiorem efficiant. Ex quibus igitur inferendum est, si Olivierus nondum fuerit ad Sacros Ordines promotus, & uxor ipsius sit adhuc junior, ab ea professionem solemnem Religionis esse prius emittendam, quam ipse sacros suscipiat Ordines; at vero; si jam fuerit ætate provecta notabiliter, atque ejusmodi, de qua nulla possit incidere ne minima quidem incontinentiæ suspicio: eamdem omnino posse in sæculo remanere.

Denique, si Olivierus jam Sacerdos Ordinatus sit; Tiphaina uxor ipsius, quæ idem ordinando consensit, atque votum emisit continentiæ, nullatenus intendens sese obligare ad ingrediendam Religione; sive junior sit, sive senex, nulla ratione tenetur vitam Religiosam amplecti. Nihilominus si non posset in eadem urbe, in qua suus Maritus commoratur, ipsa remanere; quin alicujus offensionis locus sumeretur ex mutuis eorum congressibus, ac colloquiis; obligaretur ex ipsa Lege Charitatis, ad inde recedendum, atque transferendum in alium locum suum domicilium, ut ea ratione tolleretur omnis locus offensionis ac scandali, saltem quoad usque pervenisset ad ætatem sic senilem, ut jam non posset ne levissimam quidem habere suspicionem; aut saltem ad maritum suum non ultra jam admittendum ad privatos congressus, neque eum, nonnisi præsentibus testibus, recipiendum (a).

(a) Samb. to. 1. Casu 128.

CASUS XXXVII.

Eulogius votum fuerit, singulorum tum Mercurii, tum Sabbati anni jejunorum ad reliquum usque suæ vitæ tempus habendorum. Jam decennium integrum abiit, ex quo votum suum scrupulosissime adimplet: Verum a tribus mensibus Religionem ingressus, superior ejus precepit, ut ad communem cæterorum Religiosorum vitæ rationem vitam suam componeret, neque ab iisdem sese secerneret, prædictis duobus diebus jejunium observando, quod in Monasterio non frequentatur. Num voto suo solvitur ex obedientia, quam ab eo Superior ipsius exigit?

Respons.

Prædictus novus Religiosus Voti vinculo, quo se, cum sæcularis erat, ligaverat, plane solvitur. Neque enim Religiosus obligatur ad reddenda vota, quæ suscepit ante suam solemnem professionem: 1. Quoniam; qui Religionem profitetur, ea ratione totam vitam suam Divino cultui atque obsequio sic devovet, ut quæcumque bona opera, quæ antea vovit, contineantur ac comprehendantur in voto Religionis, quod considerandum est; ut generale quasi quoddam votum quantum ad omnia privata alia Vota. 2. Quia Religionem profitens moritur quodammodo quantum ad vitam suam anteactam, ut aliam omnino novam incipiat. 3. Propterea quod singularis vitæ ratio nunquam possit in Communitate Monastica consistere, in qua unica eademque debet inter eos, ex quibus constat, obtinere vivendi ratio communis. Præterquamquod jugum disciplinæ Religiosæ sit satis grave, absque eo, quod ei quidquam alieni oneris addatur. Atque ita arguit S. Thom. agens de proposita difficultate: (b) *Omnia alia vota, ait, sunt quorumdam particularium operum sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat. Particulare autem in universali includitur: & ideo Decretalis dixit*, quod 1 reus facti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat: *nec tamen Religiosus tenetur implere vota vel jejuniorum, vel aliorum hujusmodi, quæ existens in sæculo fecit: quia Religionem ingrediens moritur priori vita: & etiam singulares observantiæ Religioni non competunt; & Religionis onus satis hominem onerat, ut alia superaddere non opporteat.*

(b) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1.

1 Alex. III. in c. Scripturæ 4. de voto &c.

Quod idem iterum quoque S. Doctor proponit in suo in Magistrum sententiarum Commentario (c), in quo sic habet: *Quia votum Religionis includit omnia alia vota, tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientiæ qua homo voluntatem suam Deo tradit.... Ideo ille, qui aliquod votum temporale fecit, potest non requisita alicujus Prælati dispensatione, Religionis impedire; puta, peregrinationis, vel alicujus hujusmodi.*

(c) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæstiuncul. 4. in corp.

Cujus S. Doctor Doctrina plane concordat cum Constitutione quadam Bonifacii VIII. (d) quæ legitur in sexto, qua Landatus Papa declarat, posse simplici voto derogari per solemnem Religiosam professionem. Prædictæ Constitutionis verba jam retulimus in 31. decisione, cum solvebamus aliam difficultatem propositæ quæstioni omnino viciniorem.

(d) Bonifac. VIII. in c. Qui post votum 9. de Reg. & transeuntibus ad Religionem in 6. lib. 3. tit. 17.

CASUS XXXVIII.

Pantaleo Religiosus de Monasterio quodam urbis cujusdam omnino magnæ, in quo commorantur plus quam centum Religiosi, vovit, futurum ut septem pœnitentiales psalmos quotidie recitaret. At quoniam ipsius ei Superior sæpe sæpius jubet, ut Ostiarii munus adimpleat, in ejusmodi officio totum ipsius tempus in integrum impeditur. 1. Potuitne valide votum ejusmodi suscipere? 2. Posito quod sese potuerit voti prædicti vinculo ligare, obligaturne sub pœna peccati mortalis, ad illud adimplendum?

Respons.

Ad propositam primo loco quæstionem respondemus, a Panraleone non potuisse, nisi de consensu expresso sui Superioris, prædictum votum emitti; adeoque eum nullatenus obligari, ad illud idem servandum. Cujus decisionis istam rationem affert S. Thomas, (e) quia, „ Religiosus subditus est Prælato, quantum ad suas operationes, secundum professionem Regulæ: & ideo, etiamsi aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur a Prælato: quia tamen nullum tempus est exceptum, in quo Prælatus non possit eum circa aliud occupare; nullum votum est Religiosi firmum; nisi si de consensu Prælati.

(e) S. Th. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 2.

Quoniam vero posset opponi, Religiosum aliquem, summo jure considerato, non obligari ad obendiendum, quantum ad omnia, suo Superiori, iis exceptis, quæ pertinent ad ipsius regulam: adeoque ei sat temporis posse superesse, votum ejusmodi perficiendi atque exequendi, cum (f) eodem Sancto Doctor sic respondendum est: *Quamvis Religiosus non teneatur ad obediendum in omnibus, quæ ei possent imperari; tamen tenetur ad obediendum, quantum ad omne tempus de his, quæ sibi imperari possunt; sic & servus non est exemi-*

(f) Idem in 4. dist. 38. q. 1. art. 1. quæst. 3. ad 3.

exemptus aliquo tempore a servitio Domini sui, Ex quibus laudatus S. Doctor sic infert: *& ideo nullus tempus est eis vacans, quo possint quodlibet facere: & quia omne votum est aliquo tempore complendum, ideo, sicut nec servus, ita nec Religiosu aliquod votum emittere potest sine consensu sui Superioris*.

CASUS XXXIX.

Claudia Monialis Novitia de tertio Ordine S. Francisci, cum animum induxisset suum, futurum, ut certo certissime reciperetur ad solemnem professionem, privatim ac secreto tria vota Religionis, quæ salent in Ordine prædicto nuncupari, suscepit: Sed, cum fuisset ab ipsa Communitare repulsa, fuit Ursulinas postmodum ingressa, apud quas ab anno jam fere integro probationis tempus peragit, & jamjam admittenda est ac solemnem professionem. Quærit autem, utrum, emittendo religiosam professionem in Ordine Sanctæ Ursulis, coram Deo solvatur vinculo votorum Religionis tertii Ordinis, quæ privatim emisit, & utrum in eo casu, quod non recipiatur ad professionem in Monasterio, in quo commoratur, & obligatio ei incumbat, redeundi ad sæculum; obliganda sit etiam in sæculo, ad observationem trium prædictorum votorum simplicium?

R e s p o n s.

Apertissime patet, ex duabus præcedentibus decisionibus, si Claudia professionem solemnem emittat in Ordine Sanctæ Ursuliæ, eam plane solvi vinculo simplicium votorum, quæ privatim emisit. Invictissima, quæ ea de re rationum argumenta superius allegavimus, ad confirmandam istam veritatem, hic loci iterato sermone non repetemus. At vero, si redeat ad vitam sæcularem, obligatur ex conscientia, ad observanda vota tertii Ordinis de Sancto Francisco; modo eadem susceperit cum integra eorum advertentia, quæ ad eadem pertinent, & cum sufficienti deliberatione.

Vide { DISPENSATIO VOTORUM.
IMPEDIMENTUM VOTI.
PROFESSIO RELIGIOSA.
RELIGIOSUS, & MONIALIS. }

USUSFRUCTUS.

DICITUR usufructus jus, quo quis gaudet utendi ac potiendi re aliqua, cujus proprietas ad alium pertinet. *Usufructus*, ait Lex (*a*), *est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia*.

1. Appellatur *jus*; hoc est, legitima potestas, qua Proprietarius non potest spoliare usufructuarium.

2. Dicitur *jus utendi*, ut usufructus distinguatur a deposito, quo depositarius jus non habet utendi, nisi de consensu deponenti: cum econtrario usufructuarius gaudet plena atque integra possessione amnium fructuum, reditum, usuum, atque emolumentorum, quæ potest percipere de re, quam sub titulo usursfructus detinet; atque ita sine ulla vel distractione, vel exceptione, juxta hæc verba Legis: *Omnis fructus rei ad fructuarium pertinet*; (*b.*) & istæc ali; *quicumque reditus est, ad usufructuarium pertinet. Quæque obventione ex ædificiis, ex areis, & cæteris quicumque ædium sunt*. (*c*) *Quidquid in fundo nascitur, quicquid inde percipi potest, ipsius fructus est* (*d*).

3 Additur *fruendi*; hoc est, jus fructus, quos potest producere res ex usufructus titulo possessa, percipiendi, ac suos efficiendi.

4. Subjicitur tandem ista conditio: *Salva rerum substantia*, quoniam usufructuarius non potest rei Dominum ejusdem proprietate privare, neque vel etiam rem ipsam imminuere, seu facere deteriorem.

Potest jus prædictum usufructus variis titulis iniri; ut Lege, Consuetudine; conventione, testamento, vel donatione.

Usufructuarius, qui eo ipso, quod usufructu jure gaudet, fructus reperit maturus, atque ad perceptionem aptos, eodem facit suos: Atque, cum usufructus ipsius morte solvetur, obvenient ejus hæredibus quicumque fructus, qui fuerint ante decessum illius percepti, atque a proprio fundo separati; quamquam in ipso prædio superstites etiam remansisset; nisi aliter constitueretur ex ipsomet usufructus titulo, quemadmodum ea de re revera variæ dispositiones occurrunt in istis Regionibus, quæ juri moribus inducto subjiciuntur, ac potissimum quantum ad usufructus dotis, qui, post dissolutum matrimonium, pro diversitate Consuetudinum locorum, diversa quoque ratione eum inter, qui superstes relinquitur, & hæredes illius, qui primus obiit, dividi consueverunt.

Ut usufructuario jus acquisitum est, quo tempore fructus percipiuntur; si contingat, postquam fructus locaverit, eum post perceptionem fructuum decedere, quamquam tempus solutionis nondum inciderit, pretium integrum locationis cedit, ac solvendum est ipsius hæredibus. Ita Lege definitur (*e*).

Quando fructus alicujus usufructus non acquiruntur, nisi per vices ex successione temporis, ut contingit quantum ad locationem ædium, iisdem non gaudet usufructuarius, nisi ratione habita temporis, quo jus ipsius perseveravit: quodque de iisdem postmodum excurrit, ex quo usufructus jam non obtinet, pertinet ad Proprietarium (*f*).

(*a*) Leg. usufr. 1. ff. de usufr. &c.

(*b*) Leg. usufr. 7. ff. de usufruct.

(*c*) Cit. Leg. paragr. 1.

(*d*) Leg. Item. 9. ff. eod. t.

(*e*) Leg. Defuncta 18. ff. de usufr. &c.

(*f*) Leg. si operas 26. ff. eod. t.

Extant

Extant quidam fructus, quos usufructuarius jure gaudet percipiendi, prius quam ad plenam maturitatem pervenerint; qualia sunt fœna atque Olivæ. At non eadem est reliquorum fructuum conditio, qualia sunt frumenta & uvæ, quæ ei nullatenus licet percipere, nisi postquam omnino maturuerint. *(a)*

Omnes immutationes utiles, aut detrimentosæ, quæ alicui fundo accedunt, pertinent ad solum duntaxat usufructuarium, cui uni aut accessio, aut detractio ejusdem tota vindicatur.

Licet prorsus usufructuario, qua ratione ei libuerit, fundum, quem tenet, immutare, modo pejor inde non reddatur, atque reditus illius inde fiant aliquando locupletiores. *(b)*

Quando quis proprietarius alicujus fundi, quem locavit, eundem alteri tradit, ut eodem gaudeat sub titulo usufructus, usufructuario licet locationem interrumpere, ac per semetipsum fundo potiri; nisi in titulo, vi cujus usufructuarius effectus est, contrarium enuncietur. *(c)*

Cum post certum quoddam tempus possessionis, usufructus solvitur, usufructuarius nullo jure potest repetere, sibi a Proprietario refundi pretium tum optimitatum, tum accessionum quibus fundum usufructus ampliavit: *(d)* verum, si quid in necessarias refectiones impenderit, quod excurrat ultra onus sibi impositum illud totum ei a Proprietario, finiente usufructu, jure venit præstandum. *Si quid ultra, quam impendi debeat, erogatum, potes docere: solemniter reposces.* Quæ ipsissima verba sunt Legis *(e)*.

Ille, cui cedit aliquis usufructu, sive ex emtione, sive donatione, aut testamento; facultatem eodem fruendi necessario debet ab eo recipere, a quo tenet usumfructum; aut ab ipsius hærede; quin etiam ab ipso Legatario, cui defunctus testamento reliquisset illud prædium, per quod oporteret, usufructuarium transire, ad colendum fundum sui usufructus. Quod quidem verbis apertis deciditur Legibus, quæ in eo fundamentum suum habent in ipsamet æquitate naturali, cujus dictamine illud idem sic suadetur. *(f)* At ratione prorsus diversa sentiendum est de quacumque alia commoditate; quæ non omnino necessario conducit, ad fruendum usufructu. In eo namque casu debet usufructuarius satis habere, quod usufructu suo gaudeat, qualis extare reperitur, ut fert Lex eadem *(g)*.

Usufructus acquisitus ex titulo generali, qualis est titulus alicujus successionis, non tantummodo complectitur immobilia, verum etiam res mobiles, nequidem iis exceptis, quæ suo proprio usu consumuntur, qualia sunt frumenta, vina, atque alii liquores: *(h)* obligatur nihilominus, post finitum usumfructum, ad restituendam eandem quantitatem, quam accepit, & secundum eandem naturam, juxta quod fertur in suo titulo, si nitatur aliqua conventione, vel aliquo testamento; sed quod pertinet ad alias res, quæ usu non simul ac semel consumuntur, qualia sunt peripetasmata, seu alia mobilia supellectilia; Licet equidem iisdem uti, quandiu perseverat usufructus; At usufructuarius tenetur eorumdem invigilare conservationi, iisdem ea ratione utendo, qua bonus aliquis Pater-familias propriis suis domesticis instrumentis uteretur. *Dicendum est, ita uti eum* (usufructuarium) *debere, ne abutatur*, inquit Lex; & paulo post, *quanquam hæres stipulatus sit, finito usufructu, vestem reddi; attamen non obligari promissorem, si eam sine dolo malo adtritam reddiderit* *(i)*.

Quod autem spectat usumfructum consistentem in animalibus, sive equorum armentis, pecudum gregibus, & cæteris ejusmodi, usufructuario equidem cedit, quidquid inde sumere potest utilitatis atque emolumenti, sed ea lege, ut, usufructus cessante tempore, Proprietario, vel hæredi, numerum eundem, quem receperit, sit redditurus. *(K)* si tamen animalia prædicta forent ejusmodi naturæ, quod non possent alia producere, non teneretur ea restituere, quæ sine sua culpa periissent *(l)*.

Usufructuarius debet ad propriam suam cautionem primum quidem indicem describere, aut conficere quoddam instrumentum coram Proprietario, aut cujuslibet alterius, cujus intersit, quo manifestum fiat, qua potissimum in re constitutus sit usufructus, & qua ratione se habeant res, quas recipit *(m)*.

Prædictus Proprietarius, aut quisquis alius, ad quem pertinet ipsius usufructus fundus, jure potest exigere ab usufructuario quascumque cautiones necessarias ad conservationem prædicti fundi, atque ad asserendam restitutionem, quæ ab eodem præstanda est, quantum ad eundem illius statum, in quo obligabitur, ad eum, finito usufructu, reddendum; & Usufructuario incumbit easdem cautiones ei subministrare; nisi habeat vi tituli sui oneris istius immunitatem *(n)*.

Siquidem usufructuarius debeat eorum conservationi invigilare, quæ detinet ex titulo usufructus, iisdemque ea ratione uti, qua decet diligentem Patrem-familias, ut jam monuimus: *debet omne, quod diligens Pater-familias in domo sua facit, & ipse facere*, inquit Lex *(o)*, nihil ergo potest quidquam deterius efficere, neque vel etiam immutare, quod alicujus prædii decorandi causa, vel meræ voluptatis gratia, tantummodo positum est. Unde sequitur, ipsi non licere, cujusdam aditus Arbores succidi, jubere, sub prætextu pinguioris reditus promovendi ibidem sementem frumenti faciendo, vel vineam instituendo. *Si forte voluptuarium fuit prædium;*

(a) Leg. si absente. 48. §. 1. ff. eod. tit. & Leg. In fructu. 42. ff. de usu & usufructu, &c lib. 33. tit. 2.

(b) Leg. si cujus. 11 §. 5. & 6. ff. de usufructu. &c.

(c) Leg. Arboribus. 12 §. 2. Et Leg. Arbores. 59. §. 1. ff. eod. tit.

(d) Leg. Sed si 15. ff. eod. tit.

(e) Leg. Eum, ad quem 7. cod. de usufr. &c.

(f) Leg. si fundo 1. c 1. 2. & 3. ff. si usufructu pet. lib. 7. t. 6. Leg. Damnas esto. 15. §. 1. ff. de usu & usufructu. &c.

(g) Cit. Leg. si fundo. §. fin.

(h) Leg. senatus. 1 & duabus seq. ff. de usufr. earum rerum, quæ usu consumuntur, &c. l. 7. t. 5. Leg Omnium. 29. & Leg. usufructu. 7. Leg. Numismatum. 28. Et Leg. Quotiens. 34. § 2. Et Leg. statuæ 41. ff. de usufr. &c.

(i) Leg. Sed si 15. §. 4. & 5. ff de usufr. &c.

(K) Leg. usufr. 68. §. fin & Leg. Quid ergo 70. §. 2. ff. de usufr.

(l) Cit. Leg. Quid ergo 70. §. 3. eod. tit.

(m) Leg. si cujus. 1. §. 4. ff. usufr. quemadmodum caveat. &c. Lib. 7. tit. 9.

(n) Leg. Si cujus 13. ff. de usufr. Cit. Leg. Si cujus 1. ff. usufr. &c. L. De die 8. §. 4. ff. qui satisdare coguntur Lib. 2. t. 8. Leg. Si usufr. 1. &. L. usufr. 4. Cod. de usufr. lib. 3. tit. 33.

(o) Leg Sed cum 65. ff. de usufructu.

dium , viridaria , deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amœnas habens ; non debebit dejicere , ut forte hortos olitorios faciat , vel aliud quid , quod ad reditum spectat (a).

Ipsi præterea incumbit: 1. omnibus oneribus usufructus satisfacere, qualia sunt census, functionum clientæ nomine obeundarum obligationes, Vectigalia, atque alia ejusmodi tributa, nequidem oneribus exceptis, quæ, instituto jam usufructu, superveniunt (b).

2. Sarta tecta locorum præstare, demortuarum arborum truncis novas alias arbores substituere, ac generatim omnibus necessariis providere, quibus omnia bene se habeant. Verum, quantum ad ædificia ipsa reficienda, nulla ratione obligatur, nisi ipsa ejus culpa corruissent, at proximam imminerent ruinam. *Eum , ad quem usufructus pertinet , sarta tecta suis sumptibus præstare debere , explorati juris est.: (c) si qua tamen vetustate corruissent , neutiquam cogi reficere* (d).

Ex altera vero parte Proprietarius nihil potest nec addere, nec mutare in locis, aut rebus obnoxiis usufructui, puta, inutile aliquod ædificium demoliri, aut altius tollere, aut silvam quamdam excidere, nisi de consensu expresso usufructuarii, etiamsi nihil aliud intenderet, quam fundum usufructus inde reddere meliorem; alioquin præstare eidem teneretur damna atque interesse legitima, quæ illi intulisset (e).

Tandem non obligatur usufructuarius, ad ea reficienda, quæ jam corruerant aut aversa fuerant, quo tempore ususfructus institutus est: Neque enim ei res traduntur nisi in eo statu, quo tunc temporis extant (f).

Quemadmodum jus usufructuarii personale est, cessat: 1. Ipsius morte tum naturali, tum Civili (g).

2. Conditionis eventu, quando jus usufructu fruendi intra limites illius conditionis totum continetur (h).

3. Quando ususfructus accidit interitus ex incendio, inundatione, aut aliquo alio fortuito casu: & combusta, vel corruta aliqua domo, nullum jus usufructuario relinquitur quantum ad locum in quo domus ipsa posita erat, nec quantum ad res, ex quibus ipsa componebatur: quoniam, ut ait Lex: *est enim ususfructus , jus in corpore , quo sublato , & ipsum tolli , necesse est* (i). Si tamen pars tantummodo una ædium concidisset; in eo casu quia ususfructus remaneret, quantum ad aliam partem quæ etiamnum extaret, perseveraret etiam, quantum ad partem, quæ periisset, tanquam ad quandam quasi ædium accessionem (K): Quod intelligendum est de particulari usufructu, nequaquam autem de eo, qui sese ad omnia omnino bona extenderet.

(a) Cit. Leg. Si cujus 13 §. 13. ff. de usufr.

(b) Leg. si pendentes. 27. § 3. ff. de usufr. Et Leg. Quæro 28. ff. de usufr. & legato.

(c) Leg. Eum ad quem 7. Cod. de usufr. &c.

(d) L. usufr. 7. §. 2. & L. Agri. 1. ff. eod. t.

(e) Cit. Leg. usufr. 7. §. 1. de usufr. Et L. si ab hærede. 2. ff. si usufr. petatur. &c. lib. 7. tit. 6. Et leg. Sed si 15 § fin. de usufr. &c.

(f) Cit. Leg. Sed. cum 65. §. 2. ff. de usufr.

(g) Leg. Sicut. 3. §. fin. quibus modis usufr., vel usus amitatur lib. 7 t 4. L. Si Patri. 3. & Leg. Corruptionem. 16. in fin. Cod. de usufr. &c. & §. 3. instit. de usufr.

(h) L. Si sub conditione 16. quibus modis usufr. vel usus amittatur Et Leg. ambiguitatem 12. Cod. de usufr.

(i) Leg. Est enim 2. ff. de usufr. §. 3. in fin. Institut de usufr. & leg. repeti. 5. §. 2 quibus modis usufr. vel usus amittatur.

(K) Leg. Si cui 53. ff. de usufr. &c.

CASUS PRIMUS.

Paulinus gaudens grege quodam quingentorum vervecum ex titulo usufructus, ad tempus usque sex annorum, juxta legatum, quod sibi relictum est ab Ambrosio; de iisdem amisit quinquaginta ex casibus omnino fortuitis, & absque eo quod quidquam ea de re culpæ ipsius posset imputari. Post elapsos prædictos sex annos, 450. qui superstites remanserant, obtulit Ambrosio restituendos, qui negavit, velle sese eosdem recipere, contendens, Paulinum obligari, ad substituendos alios quinquaginta verveces, qui numero deerant, ex quo Legatus eidem ususfructus constabat. Qua de re quæritur, utrum in prædictum usufructuarium revera debeat jactura quinquaginta vervecum ex conscientiæ debito recidere?

RESPONSIO.

Constat omnino, Paulinum, obligari, ad ferendam istam jacturam, atque adeo, ad quingentos verveces hæredi Ambrosii restituendos. Ratio est, quod, cum in proprium suum quæstum converterit lac, lanam, agnos, ac fœtus, quos produxit prædictus grex, ut revera præfata omnia jure Legum (l) ei vindicabantur; obligetur, ad eundem numerum, quem recepit, conservandum, atque in locum capitum defunctorum totidem alia capita supplenda, ut numerus quingentorum totus ac completus remaneat. *Plane , si gregis , vel armenti sit ususfructus legatus ; debebit ex adgnatis gregem supplere ; id est , in locum capitum defunctorum*, ait una quædam de Legibus Digesti (m). *Si desierit fœtus* , fert alia Lex (n) *periculum erit fructuarii , non proprietarii , & necesse habebit , alios fœtus summittere*.

At vero non ei incumberet ejusmodi necessitas, si ususfructus totus positus foret in quibusdam animalibus, quæ non possent alia producere, quibus pereuntibus ex aliquo fortuito casu numerus compleretur. Verbi gratia, si rhedarii equi sujuges essent, aut muli, aut unus duntaxat equus; usufructuarius sese liberaret, quod superstes relinqueretur, usufructu cessante, reddendo, nec obligaretur ad id, quod citra illius culpam interiisset, supplendum. *Sed quod dicitur , debere eum summittere* , addit Lex, quam novissimo loco jamjam allegavimus (o), *toties verum est , quoties gregis , vel armenti , vel equitii , id est , universitatis ususfructus legatus est. Cæterum singulorum capitum nihil supplebit*. Quæ decisio & aliarum pleræque, quæ sequuntur, autorem habent recentiorem quemdam primi Ordinis Jurisconsultum, cui acceptum referre debemus laboriosum istud opus, in quo nobis tradidit Leges juxta suum naturalem Ordinem dispositas (p).

(l) Leg. Plenum 12. ff. de usu & habitatione: l. 7. t. 8.

(m) L. vetus 68 § fin. ff. de usufr. &c. l. 7. tit. 1.

(n) L. Quid ergo. 70. §. 1. n. eod. tit.

(o) L. eod. §. 3.

(p) D. Domat. Leg. Civil. &c. tom. 2. pag. 193. edit. in 4. 7.

CASUS II.

Jam decennium abiit, ex quo Augustinus prædium quoddam possidet ex titulo usufructus, cujus accessit tunc temporis, cum in possessionem illius inductus est, accuratæ recensionis descriptum instrumentum. Cum obiisset in ipso præcise tempore, quo prædictus ususfructus finem jamjam acceperus erat, Proprietarius prædicti prædii agnovit: 1. pro trecentis Arborum fructiferarum truncis, qui fuerant in instrumento memorato descripti, de iisdem in pomario præfati prædii superstites

Digitized by Google

ftites non remanere, nisi tantummodo ducentos, cæteris truncis etiamnum relictis plane demortuis, in quorum locum Augustinus alios substituere prorsus neglexerat. 2. Horreum frumentarium totum penitus concidisse, licet se bene haberet tunc temporis, cum recognitionis instrumentum perscriptum fuit. Qua de causa Proprietarius contendit, ab Hæredibus Augustini prædicta omnia damna in integrum esse præstanda. Hæredes e contrario tuentur nihil damnorum prædictorum esse in sese recidendum. Utri parti jus succurrit?

R E S P O N S.

Habet proposita species duas diversas difficultates, quibus proinde singulis sua separatim adjicienda est peculiaris ac propria responsio.

Asserimus igitur, quantum ad centum arbores fructiferas, quæ numero illarum desunt, quæ feruntur in descripto recensionis instrumento, Proprietarium jure prorsus contendere, easdem sibi ab Hæredibus Augustini esse præstandas. *Debet enim* (fructuarius) *omne, quod diligens Paterfamilias in sua domo facit, & ipse facere*, ait Lex (*a*) *Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet*; fert iterum alia Lex (*b*). Quod confirmari potest vel ex ipsa etiam ususfructus definitione, quæ juxta Legem sic se habet (*c*): *Ususfructus, est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia*.

(*a*) Leg. Sed eum ff. de usufr. &c.
(*b*) Leg. Si cujus 13. § 4. ff. eod. tit.
(*c*) L. usufr. 1. ff. eod. tit. Item L. 2. Instit. tit. 4. §. 1.

Inde sequitur: 1. Augustinum obligatum fuisse, ad substituendam in locum arborum demortuarum novam aliam arborum consitionem, juxta quod constituitur quadam alia Lege, quæ sic habet (*d*): *Agri usufructu legato, in locum demortuarum arboruam aliæ substituendæ sunt*. 2. Proinde eandem obligationem ad ipsius Hæredes transire, &, quod ex negligentia usufructuarii Proprietario damnum emergit, ab iisdem esse compensandum: siquidem non potuerint accipere hæreditatem defuncti, quin simul annexa eidem onera susciperent, juxta istam aliam Legem (*e*): *Hæredes onera hæreditaria agnoscere* .·.·.·. placuit.

(*d*) L. Agri. 18. ff. eod. tit.
(*e*) Leg. Pro hæreditariis 2. Cod. de hæreditariis actionibus l. 4. t. 16.

Quod spectat ad alteram difficultatem, quæ frumentarium horreum, quod corruit, attinet; asserendum est, siquidem usufructuarius teneatur, ad sustinendas impensas necessarias, tum ut conserventur, tum ut bene se habeant loca, quæ usufructui sunt obnoxia, sarta tecta ædificiorum suis sumptibus præstando, ut docent Sylvester de Prierio, Gregorius Sayrus, Mornacius, Bouvot, Ludovicus de Roma, Angelus Aretinus atque alii (*f*); si frumentarium horreum inde conciderit, quod necessariæ refectiones eidem adhibitæ non fuerint, eum obligari, ad resarciendum damnum, quod ex ruina prædicti ædificii passus fuit Proprietarius, atque, adeo, eo non restituente, onus istud in ipsius hæredes totum recidere. Atque hoc ipsum probat D. Domat ex istis verbis Legis. *Eum, ad quem ususfructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati juris est*, inquit una Lex de codice Justiniani (*g*): Verum, si frumentarium istud Horreum ex vetustate corruerit, ac nihil obstantibus sumptibus, quos Augustinus contulit, ad illud conservandum; in solum Proprietarium damnum istud debet recidere, quum non pertineat ad usufructuarium onus ingentium refectionum, quale illud est, scilicet reficiendi aliquod ædificium, quod sine ejus culpa corruit. *Quoniam igitur omnes fructus rei ad eum pertinent*, fert alia Lex (*h*): *reficere quoque eum ædes per arbitrum cogi Celsus* .·.·.·. *scribit: hactenus tamen, ut sarta tecta habeat, si qua tamen vetustate corruissent, neutrum cogi reficere*.

(*f*) Sylvester de Prierio. v. usufr. q. 9. §. Primum. Et apud eum Lud. de Roma, & Ang Aretinus, Greg. Sayrus, Clavis regiæ l. 9. C. 5. n. 9. Mornac. l 8. ff de usufr & quemadmod. &c. Bouvot. t. 1. p. 2. apud. D. Brillon v. ususfr. n. 148.
(*g*) L. Eum. Cod. de usufr.
(*h*) L. usufr. 7. §. 2. eod. tit.

Operæ pretium vero est observare, si usufructuarius refectiones necessarias ultra impendisset, quam adhibere tenetur ex summo jure, quid quid ulterius impendisset, futurum ut Proprietarius ei restituere teneretur, præsertim, si Judex sic pronunciavisset. Quod ita fertur in ista alia Lege (*i*): *Si quid ultra, quam impendi debeat, erogatum potes docere; solemniter reposces*. Cui Legi consentit Sayrus, quem appellavimus modo, qui sic ait: *Ad sumptus magnos non tenetur* (usufructuarius), *unde, si majores fructus expendat ad refectionem illius* (rei) *rationabiliter & utiliter* .·.·.·. *datur ei actio repetendi ista a proprietario*.

(*i*) L. Eum 7. Cod. de usufr. & habitat. &c. l. 3. t. 33.

Cæterum non est, unde mirum videri possit, quod e fundamento Legum nostras ea de re decisiones mutuemur, siquidem in eam materiam Casuistæ nonnisi leviter ac verbis paucissimis attigerint, utpote quæ tota Jurisconsultorum propria sit; & nihil de eadem occurrat, neque in corpore Decretalium, neque in Decreto Gratiani.

C A S U S III.

Philbertus, moriens prædium ac jura Clientelaria de Sancto Job sub ususfructus titulo Mævio legavit. Mævius ususfructus prædicti consecutus possessionem, eum plurimis optimitatibus ampliavit; ac præcipue reddendo utilia ac fertilia tria agrorum jugera quæ arboribus infructuosis occupabantur plantatis in modum opacarum ambulationum, causa solius voluptatis ambulandi, aut, gratia solius aspectus, quas quidem omnes jussit succidi, & in earum locum tritici fieri sementem; qui plurimum reddit, propter copiam abundantem saginationis; qua curavit, prædictos agros stercorari. Præterea jussit, vetera quædam ædificia memorati prædii, quæ nihil omnino juvabant, & onere frequentium refectionum ingentibus impensis erant obnoxia, penitus ac funditus dirui. Post decem ab illinc annos, cum decessisset, Proprietarius fundi voluit, ab ipsius hæredibus sibi præstari damnum, quod contendit sibi a Mævio fuisse illatum, tum ex prædicto Arborum dejectu, tum ex eversione veterum præfatorum ædificiorum. Num, quod sibi vindicat, jus æquitati consentaneum est, & potestne recta conscientia in eosdem in judicio agere, ut condemnentur, ad damna atque interesse refundenda?

R E S P O N S.

Videtur nobis, jus, quod proprietarius prædii ac jurium Clientelarium de Sancto Job sibi vindicat, æquitati prorsus consentire; & existimamus, eidem locum omnino adesse repetendi sua damna, suaque interesse ab hæredibus Mævii; atque eos nolentes satisfacere urgendi apud Judices, ut ad eadem præstanda condemnentur. Ratio est, quia simplex usufructuarius non tantummodo non potest, quod ex titulo ususfructus detinet, facere deterius; sed nequidem ei licet, rerum conditionem ac statum immutare, puta, ædificium aliquod demoliri, quanquam res illæ solius voluptatis causa, tantummodo disponerentur; quales sunt deambulationes infructuosis arboribus opacæ positæ circa domum, quanquam statum ejusmodi mutaret ad efficiendos tantummodo reditus prædii pinguiores: siquidem ejusmodi ædificia, licet vetusta, & arbores, licet infructuosæ aliunde censeantur venire in partem fundi, cujus usufructuarius nulla ratione dominus est. *Et aut fundi est ususfructus legatus*, ait Lex (*K*) *& non debet neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quicquam facere in perniciem proprietatis. Et si forte voluptuarium fuit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atque amœnas habens, non debebit deficere*,

(*K*) Leg. Si cujus 13. § 4. ff. de usufr. &c.

dejicere, ut forte hortos oliterios 1 faciat, vel aliud quid, quod ad reditum spectat.

1 Id est, ad faciendum olus vel olivas. Gloss. ibid. v. Olitorios.

CASUS IV.

Triginta aut quadraginta altissimas Arbores violento tempestatis impetu dejectas in Silva quadam; Gaspardus, qui possidet ex titulo usufructus prædium, cujus prædictæ Silvæ pars extat, inde jussit exportari simul cum aliis quibusdam demortuarum arborum truncis, tanquam jure proprietatis sibi cedentes. Proprietarius fundi contendit, prædictas arbores esse sibi restituendas, tanquam in partem proprii sui fundi venientes. Utri jus?

Respons.

Altissimæ arbores partem efficiunt fundi prædii, & sine controversia cedunt ei, qui ejusdem proprietarius est, cujus jussu ac sumptibus debent exportari, ut usufructuario nullum inferant incommodum, atque aliæ novellæ arbores, si velit, in earumdem locum substituendæ. (a) Quam ob causam Gaspardus debet prædictæ Silvæ proprietario restituere arbores, quæ violento tempestatis impetu dejectæ fuerunt, aut, si jam in proprium suum usum easdem converterit, pretium eidem solvere. *Si arbores vento dejectas Dominus non tollat*, ait Lex (b) *per quod incommodior sit usufructus, vel iter; suis actionibus 1 usufructuario cum eo experiendum.*

Extat tamen alia Lex, quæ fert; si ædificia usuifructui obnoxia indigerent ex aliqua parte refici, quibus restaurandis arbores istæ dejectæ alicujus utilitatis esse possent; futurum ut valeret usufructuarius easdem ejusmodi refectionibus adhibere: quoniam pertinent rem ipsam, quæ fundi propria est (c). *Arboribus evulsis, vel vi ventorum dejectis usque ad usum suum & villæ posse usufructuarium ferre Labeo ait .... Ma eriam tamen 2 ipsum succidere, quantum ad villæ refectionem, putat posse.* Quæ ipsissima sunt verba citatæ Legis.

Quod pertinet ad truncos demortuarum Arborum, eosdem omnino potuit Gaspardus sibi vindicare. Considerandi namque iidem sunt tanquam quædam reditus species, quæ usufructuario legitime cedit, ea tamen conditione ut in eorum locum novellas alias arbores substituat. *Agri usufructu legato, in locum demortuarum arborum aliæ substituendæ sunt; & priores ad fructuarium pertinent.* Quæ verba leguntur in una quadam de Legibus Digesti (d).

(a) Arbores vi tempestatis non culpa fructuarii eversas ab eo substitui non placet. L. arbores. 59 ff. de usufr. &c.

(b) L. Proculus 19. § 1. ff. eod. tit.

1 Scilicet actione ex testamento contra hæredem, vel interdicto, quod vi aut clam, &c. Gloss. ibid. v. suis actionibus.

(c) Leg. Arboribus. 12. ff. de usufr.

2 Materiam de arboribus evulsis &. Gloss. ibid.

(d) Leg. Agri 18. ff. eod. tit.

CASUS V.

Theodericus cum testamento reliquisset Davidi suo Consanguineo jugerum quatuor vinearum usumfructum, pridie decessit, quo pro eo uvæ erant colligendæ: De fructibus prædictarum vinearum litigant inter se tum David, tum hæres defuncti. David contendit, cum jus suum usufructuarii fuerit, ante vindemiam incœptam, consecutus, ipsam sibi vindemiam esse vindicandam: hæres vero Theoderici partem oppositam tuetur. Utri prædicti fructus jure cedunt?

Respons.

Prædicti fructus Davidi jure vindicantur. Nam eo ipso, quod jus usufructuarij sit legitime consecutus, incipit possessionem inire, & ipsius usufructus incipit locum obtinere. Quam ob rem, si vel ab ipso primo die, quo usumfructum incipit adipisci, advertit, pendentes fructus jam ad plenam pervenisse maturitatem, eosdem potest tanquam sibi legitimo jure cedentes percipere. Sic Leges determinaverunt. *Si pendentes fructus jam maturos reliquerit testator, fructuarius eos feret, si die legati cedente, adhuc pendentes deprehenderit: nam & stantes fructus ad fructuarium pertinent.* (e) Sic loquitur Lex.

Quod idem locum etiam haberet, si fructus ab usufructuario fuissent elocati; & ipse decederet post eorumdem perceptionem, quanquam dies solutionis a Conductore præstandæ nondum incidisset (f): *Defuncta fructuaria mense Decembri, jam omnibus fructibus, qui in his agris nascuntur mense Octobri per Colonos sublatis; quæsitum est, utrum pensio hæredi fructuariæ solvi deberet, quamvis fructuaria ante Kalendas Martias, quibus pensiones inferri debeant, decesserit; an dividi debeat inter hæredem fructuariæ & rempublicam, cui proprietas legata est? Respondi, rempublicam quidem cum Colono nullam actionem habere; fructuariæ vero hæredem sua die (secundum ea, quæ proponerentur) integram pensionem percepturum.* Ad quæ posteriora verba Glossa sic habet: *Et sic pro ultimo anno habet omnes fructus; licet non transierit totus.* Atque prædicta ratione difficultatem istam solvit D. Domat (g).

(e) Leg. si pendentes. 27. ff. de usufr. &c.

(f) Leg. Defuncta. 58. ff. eod. tit.

(g) D. Domat. Leg. Civil. in suo Ordine naturali. l. 1. tit. 11. sect. 2. n. 4. & 5.

CASUS VI.

Herveus usufructuarius cæduæ cujusdam Silvæ jam aptæ ad cæsionem, stagni, cujus piscandi jam dies adest, & decem agrorum jugerum, quorum messis instat; cum jam jussisset, Silvam succidi, cujus lignum etiamnum humi jacet, ac mediam frumentariorum satorum partem, quam nondum colligendam curavit; atque providisset, omniaque paravisset, ad stagnum ab ipsa postera die piscandum; nocte proxime sequenti fuit Apoplexia subita correptus, ac de medio sublatus. Gildardus ipsius hæres contendit, sibi vindicari non tantummodo lignum succisum; sed etiam frumentum, quod humi jacet, tam illud, quod jam demessum est, quam quod superest demetiendum, atque jus ad sese devolvi, ea quæ pertinent ad capturam piscium, de stagno percipiendi. Andreas vero, prædictorum fundorum proprietarius, propugnat e contrario, cum de stagno pisces nondum fuerint accepti, antequam Hervæus decederet; neque frumentum, neque lignum collecta fuerint, sed etiamnum humi jaceant, prædicta omnia jure proprietatis sibi cedere. Qua de re quæstio proponitur, utri jus faveat?

Respons.

Eo ipso, quod aliquis usufructus tempore, quo fructus percipi consueverunt, finem accipit sive ex obitu ipsius usufructuarii, sive alia quacumque de causa, quod reperitur a proprio suo fundo separatum, licet in ipsomet prædio jacens atque etiamnum remanens, ipsius hæredi jure vindicatur; quod vero demetiendum superest, proprietario fundi cedit. Ratio est, quod usufructuarius nonnisi jure fruendi gaudeat. Quam ob causam, cum jus illud ante cessare incipit, quam frui cœperit, jam nihil sibi potest quidquam vindicare, neque adeo ipsius hæredi quidquam cedit: siquidem ex utroque non censeatur, nisi unica eademque persona exurgere (h).

Quæ decisio eadem omnino est, quæ legitur apud Legem quamdam de Digesto (i), quæ verbis illis concipitur. *Si fructuarius messem fecit, & decessit; stipulam, quæ in messe jacet; hæredis ejus esse Labeo ait: spicam, quæ terra teneatur, domini fundi esse; fructumque percipi spica; aut fœno caso, aut adempta aut excussa olea; quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum,*

(h) Leg. Heres 22. ff de usurpationibus l. 41. tit. 3.

(i) Leg Si fructuarius. 13. ff. de quibus modis usufr. & vel usus amittitur.

Digitized by Google

ctum vel vindemia coacta sit. *Sed ut verum est, quod de olea excussa scripsit, ita aliter observandum de ea olea, quæ per se deciderit. Julianus ait, fructuarii fructus tunc fieri, cum eos perceperit.* Quam eamdem difficultatem paucis verbis adhuc solvit quædam aliæ Lex (*a*): *Cum fructuarius*, ait ipse, *etiamsi maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, hæredi suo eos fructus non relinquet.*

(*a*) L. in singulos. 8. in fine. ff. de annuis legatis. lib. 33. tit. 1.

Ex quibus concludimus, tum lignum, tum frumentum, quæ reperta sunt succisa, quo tempore decessit Hervæus usufructuarius, vindicari Gildardo ipsius hæredis, quamquam ipsa humi etiamnum jacerent. Sed frumentum, quod demetiendum supererat, & pisces, qui adhuc in stagno continebantur, pertinere ad Andream fundi proprietarium.

Nihilominus observandum est: 1. Quoniam ususfructus potest ex titulis diversis usufructuario cedere; hoc est, ex testamento, seu aliqua conventione, sive ex ipsa dispositione Legis, necessarium esse in quacumque ususfructus specie, quantum ad jura, quæ pertinent ad usufructuarium, recurrere ad ipsammet dispositionem verborum, quibus concipitur titulus, quo usufructuarius institutus fuit. Sic fructus dotis alicujus consueverunt diversa ratione dividi, post matrimonium dissolutum, iter eum, qui vitæ superstes relinquitur, & hæredes primi morientis, pro Consuetudinum diversitate: atque idem obtinet: quantum ad usumfructum Patrum, & jus nobiles, vel civicum, quorum varia quoque viget dispositio, pro diversa Consuetudinum dispositione; quemadmodum acute prorsus observatur ab uno quodam e nostris recentioribus Jurisconsultis (*b*). 2. In prædicti nequaquam velle nos loqui nec de Beneficiis, nec de iis, a quibus eadem possidentur. Quanquam etenim merito dici possit, jus fruendi, quo gaudent Beneficiarii, quantum ad reditus de suis Beneficii provenientes, ad peculiarem quamdam ususfructus speciem accedere, tamen ratione prorsus opposita solet ordinari; quoniam fructus Beneficii alicujus, ejusdem possessori non vindicantur, nisi propter onera, quæ Beneficium ei imponit: ut declarat Bonifacius VIII. (*c*). Quamobrem fructus illi anno annexi, quo Beneficiarius aliquis decedit, qui quidem annus juxta usum ordinarium primo Januarii die incipit, consueverunt in Gallia dividi inter hæredes titularis defuncti, & ipsius successorem, ratione habita temporis, per quod vixit titularis hoc anno posterioris.

(*b*) D. Dom. Leg. Civil. in suo ordinatur. tom. 1. pag. 379. Edition. in 4. & pag. 196. Ed. in fol.

(*c*) Bonifac. VIII. in cap. Quia per de rescript. in 6.

CASUS VII.

Jossius testamento legavit Joanni & Jacobo Villam quamdam quadringentarum librarum census annui, ut eadem ad reliquum vitæ suæ tempus sub titulo communis ususfructus simul fruerentur. Post tres menses ab inita villæ prædictæ possessione, Jacobus mortuus est. Hæres Jossii contendit, portionem defuncti sibi vindicandam esse. Joannes e contrario propugnat, istam portionem sibi accedere; & integrum prædictæ villæ usumfructum ad sese debere devolvi. Utri jus?

RESPONS.

Jus totum cedit Joanni. Est hoc enim principium juris indubitati, quod qui superstes relinquitur duobus, aut plurimis usufructuariis, debeat in proprium suum quæstium convertere vacantem eorum, qui primum objerunt, portionem. *Quoties ususfructus legatur est*, ait Lex, (*d*) *ita inter fructuarios est jus accrescendi; si conjunctim sit ususfructus relictus.* Fert etiam alia Lex (*e*); *Si mulieri cum Liberis suis ususfructus legetur, amissis liberis, ea usumfructum habet: Sed & matre mortua, liberi ejus nihilominus usumfructum habent jure accrescendi.*

(*d*) L. Quoties. 1. ff. de usufruct. accrescendo lib. 7. tit. 2. & passim toto t.

(*e*) L. Si Mulieri. 8. ff. eod. tit.

Qui de mortali Disciplina egerunt Auctores, dispositioni prædictarum Legum inhæserunt; atque inter alios Angelus de Clavasio in sua summa (*f*) & Sylvester de Prierio (*g*), qui sic habet: *si plures sint usufructuarii, & moriatur unus; non tamen revertitur ususfructus ad proprietarium, sed transit alteri usufructuario.*

(*f*) Ang. de Clavas. v. Usufr. n. 17.

(*g*) Sylvest. v. Usuf. 2. qu. 31. §. Primo.

Jura autem plurimum id observare, nimirum a nobis non agi, nisi de usufructu, qui plurimis *conjunctim* relictus est, ut loquitur ipsa Lex. Si namque singuli eorum sua distincta portione, sibique separatim assignata gauderent, qui vitæ superstites relinquerentur suam non efficerent, quæ ab alterutro eorum ex obitu fuisset derelicta, portionem; sed ipsa reverteretur ad ipsummet fundi proprietarium. Ideoque quam primo loco citavimus, Lex sit adjicit: *Cæterum, si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus, sine dubio jus accrescendi cessat.*

CASUS VIII.

Savinianus fruebatur ex titulo ususfructus domo quadam posita in urbe Divione quæ quidem domus incendio Cœlesti tota consumpta est. Proprietarius vult occupare ligna, cæmentaque, quæ de eadem derelicta sunt, ac de ipso solo disponere, in quo ædificium assurgebat. Savinianus ex altera parte contendit prædicta omnia sibi cedere ac siquidem amittat suum usumfructum, æquum omnino esse, in proprium suum usum tam cæmenta, lignaque, quam solum ipsius domus converti?

RESPONS.

Jus, quod sibi proprietarius vindicat, æquitati totum consentit; Quum etenim ususfructus in ipsa re consistat, quæ usufructui subjacet; ipsius alia bona præterea non invadit. Ut ergo in solis ædificiis constitutus est ususfructus Saviniani; eo ipso quod pereunt, ipse prorsus dissolvitur, neque ullum effectum consequitur, nec quantum ad cæmenta lignaque, nec quantum ad ipsum solum ædium. *Est enim ususfructus jus in corpore*, ait Lex (*b*), *quo sublato, & illum tolli necesse est.* Fert etiam alia Lex (*i*): *Si adeo incensæ fuerint, ususfructus specialiter ædium legatus peti non potest.*

(*b*) Leg. Est enim 2. ff de usufruct. &c.

(*i*) L. Quoties. 34. §. fin. ff. eod. tit.

Quæ decisio consonat alteri Legi, quæ sic habet: (*K*) *Si ædes incendio consumpta fuerit; vel etiam terræ motu, vel vitio suo corruerint; extingui usumfructum; & nequidem areæ usumfructum deberi.* Habemus adhuc Legem aliam, quæ de cæmentis expressam facit verbis omnino disertissimis mentionem ea ratione, quæ sequitur (*l*): *Certissimum exustis ædibus, nec Cæmentorum usufructum deberi.* Quod idem docet Angelus de Clavasio, (*m*) sicut etiam Bouchel, & Auctor Dictionarii juris, & praxis; pagina 891. quartæ Editionis, quæ anno 1707. promulgata fuit. Eaque de re memorantur a D. Brilon duo Arresta, quæ fuerunt ad normam prædictarum Legum pronunciata, nimirum prius a supremo Parisiensi Senatu, posterius vero a supremo Senatu Tolosano (*n*).

(*k*) §. Finitur 5. instit. de usufr. lib. 2. t. 4.

(*l*) L. Repeti 5. §. 2. ff. 2. quib. modis ususfr. vel usus amittitur, lib. 7. t. 4.

(*m*) Ang. de Clavasio in v. Ususfruct. n. 15.

(*n*) D. Brill Diction. Arrestor. v. ususfructus n. 74. & 94.

Nihilominus venit observandum: 2. Si quis usufructus in ipsa bonorum Universitate constitueretur, futurum in eo casu, ut usufructuario jus suum tum in ipso solo, in quo construebatur ædificium, quod consumptum fuit, tum etiam in ipsis lignis atque cæmentis de eodem superstitibus reservaretur, tanquam in rebus, quæ venirent in partem prædictæ universitatis: *Si universorum bonorum, an singularium rerum ususfructus legetur, hactenus interesse puto*, ait quædam una Lex Digesti: (*o*) *quod si ædes incensæ fuerint, ususfructus specialiter ædium legatus peti non potest: bonorum autem usufructu legato, areæ ususfructus peti poterit.* Eandem vero rationem, quam ipsi mox attulimus, prædicta Lex reddit, quia *in substantia .... bonorum etiam area est.* 2. Est advertendum præterea; ab ipsa regula generali, quam jamjam asseruimus, dispositione Legum excipi prædia ruralia, quorum ædes ex aliquo casu interirent; ac constitui; ut usufructuarius in ejusmodi casu jus suum conservet in ipsa area, quæ relinqueretur, utpote quæ sit quædam quasi accessio, atque in partem veniat universi prædicti boni. *Fundi usufructu legato, si villa diruta sit: ususfructus non extinguetur: quia villa fundi accessio est, non magis, quam si arbores deciderint: sed & eo quoque solo; in quo fuit villa uti frui potero.* Qui verbis conceptæ leguntur Leges; quas ad marginem ibidem indicamus (*p*).

(*o*) L. Quotiens. cit.

(*p*) L. Fundi 8. & L. Sed & 9. ff. quibus mod. ususfr. & usus amittitur.

CA-

CASUS IX.

Michael usufructuarius prædii cujusdam repertam in eodem quamdam lapidicinam, jussit aperiri, ut quodquid posset de eadem extrahi, in proprium quæstum converteretur. Verum obstat proprietarius, ac contendit, fundum ejusmodi esse, ad quem usufructuarius nulla ratione valet, usumfructum, quo gaudet, extendere. Numquid, nihil quidquam obstante fundi proprietario, Michael non potest absque ne levissima quidem injustitiæ nota sibi attribuere quidquid ex prædicta lapidicina sibi cedere poterit emolumenti?

Respons.

Potest & quidem absque injuria prædictus usufructuarius in proprium suum usum ac quæstum convertere, quam in fundo reperit, cujus usufructu gaudet, lapidicinam. Ratio est, quod lapides, Gypsum, aliæque materiæ, quæ de aliqua lapidicina extrahuntur, fructuum loco sint. Verum sic accipienda nostra decisio est, ut neque ex apertura ipsius Lapidicinæ, neque ex labore, quem ibidem jubebit haberi, fundus ipse, in quo lapidicina extat, corrumpatur, nec deterior efficiatur: quemadmodum contingere posset, si lapidicina reperitetur in agro fertiliori, qui ex labore, qui ibidem susciperetur, totus corrumperetur, in eo namque casu usufructuarius obligaretur ad compensandum ac præstandum, quidquid inde detrimenti proprietario postmodum accederet. *Inde quæsitum est*, ait Lex (*a*), *an lapidicinas, vel cretifodinas vel arenifodinas, ipse instituere possit? Et ego puto, etiam ipsam instituere posse, si non agri partem necessariam huic rei, occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicinarum, & hujusmodi metallorum inquirere poterit ... & cæterorum fodinas, vel quas Paterfamilias instituit; excercere poterit, vel ipsa instituere, si nihil agriculturæ nocebit.* Quod idem jus usufructuarii robur etiam accipit ex prædicta eadem Lege, quæ paulo post sic prosequitur (*b*): *Si tamen, quæ instituit usufructuarius, aut cœlum corrumpant agri: aut magnum apparatum sint desiderata opificum forte vel legulorum, quæ non potest sustinere proprietarius, non videbitur viri boni arbitratu frui.*

(*a*) L. Si cujus 13. §. 1. ff. de usufr. &c. lib. 7. tit. 1.

(*b*) Lex ead. §. Autem.

CASUS X.

Sigismundus, cum domus cujusdam usufructu gauderet, eamdem locavit; pacto per unumquemque annum pretio librarum sexcentarum, locatione incipiente prima die mensis Januarii; & pretio locationis, quantum ad solutionem, de semestri in sequentem semestrem incidente. Verum, cum prædictus vir obierit prima die mensis Aprilis proxime sequentis; hæres ipsius contendit, ab inquilino sibi persolvendas esse pro tribus mensibus, qui jam excurrerunt, libras 150. Proprietarius prædictæ domus ex altera parte pertendit, siquidem dies solutionis non inciderit tunc temporis; cum Sigismundum mortuus est: nihil prorsus inde hæredi ipsius accedere debere. Num proprietarium iste jus suum ex aliquo legitimo fundamento roborare potest?

Respons.

Nequaquam asseri potest, jus; quod sibi vindicat proprietarius ædium, quarum Sigismundus usufructu gaudebat, aliquo legitimo fundamento fulciri. Quando namque reditus alicujus usufructus non acquiruntur, nisi cum successione temporis, ac de die in alium diem quales sunt locationes ædium, cedunt usufructuario, ratione habita temporis, quo jus ipsius continuatur ac perseverat: adeoque potest ab ejus hærede, postquam ipse obiit, quidquid contingente illius obitu, advenerat, repeti. Sic proposita quæstio decisa atque explanata legitur in ipso jure: *Si operas suas locaverit servus fructuarius*, ait Lex, (*c*) *& imperfecta tempore locutionis usufructus interierit, quod superest ad proprietarium pertinebit. Sed etsi ab initio certam summam propter operas certus stipulatus fuerit: capite deminuto eo idem dicendum est.*

(*c*) L. Si operas 26. ff. de usufructu &c.

CASUS XI.

Casimiro gaudente, sub titulo usufructuarii, prædiolo quodam, vi legati sibi facti a Leandro, eodemque jam gaviso ab annis duobus; contigit occasione belli, illud idem triburis publicis onerari. Casimirus contendit, sese sine ullo onere frui debere eo, quod sibi legatum fuit; atque in ipsum hæredem Leandri recentiora prædicta onera debere recidere, quoniam alioquin legato sibi relicto, contra Legantis intentionem, minime prorsus juvaretur. Nonne jus, quod suum esse pertendit, legitimum est? Et nonne incumbit hæredi Leandri, legatum ipsius præstare ea ratione, qua erat antea, omnis oneris cujuscumque vacuum, atque immune?

Respons.

Iniqua prorsus & quocumque legitimo fundamento plane destituta, illa juris ratio, quam sibi vindicat Casimirus. Ratio est, quod omnis usufructuarius necessario teneatur ad sustinenda atque solvenda onera quæcumque iis rebus annexa, quibus sub usufructus titulo potitur: qualia sunt tributa publica, vectigalia, census, pensiones in ipsis fundis constitutæ, & uno verbo omnes in universum, ex quocumque titulo provenient, obligationes; etiamsi prædicta omnia post rem usufructus instituti supervenissent. Atque ita cavetur plurimis iisque diversis Legibus, quarum prima verbis istis (*d*) concipitur: *Si quid Cloacarii nomine debeatur: vel est quid ob formam aquæ ductus, qui per agrum transit, pendatur: ad onus fructuarii sustinebit. Sed & si quid ad collationem viæ: puto hoc quoque fructuarium subiturum. Ergo & quod ob transitum exercitus confertur ex fructibus*, Secunda Lex adhuc luculentior est, atque ad ipsummet difficultatis propositæ nodum verbis etiam apertioribus accommodata ejusdem auctoritate, potissimum innititur Angelus de Clavasio (*e*), ad confirmandam nostram assertionem. En ipsissima ejus verba sunt: (*f*) *Quæro, si usufructus fundi legatus est, & eidem fundo indictione temporariæ indictæ sint, quid juris sit? Paulus respondit, idem juris esse & in his speciebus, quæ postea indicuntur, quod in vectigalibus dependendis responsum est. Ideoque hoc onus ad fructuarium pertinet.* Quod idem Sylvester de Prierio docet & probat auctoritate citatæ Legis, atque testimonium cujusdam eruditi Canonistæ, non excipiens nisi unicum tantummodo casum, in quo contigeret, tributorum publicorum indictione universum usufructus redituum penitus absumi, (*g*) quam etiam exceptionem opponit Angelus de Clavasio post Glossam, Dynusque, ac Bartolus (*h*), quantum ad usumfructum, qui non instituitur in ipsa Proprietarii bonorum omnium universitate.

(*d*) L. Si pendentes 27. §. 3. ff. eod. tit.

(*e*) Ang. de Clavasio v. usufructus n. 5.

(*f*) L. Quæro 28. de usu & usufruct. &c. lib. 33. t. 2.

(*g*) Sylvest. v. usus 2. q. 3. §. Secundum.

(*h*) Angelus de Clavas. c. usufructus, n. 8. & apud eum Gloss. in L. Qui concubinam. §. Qui hortos ff. de leg. 3. Dyn. & Bart. in L. His verbis, §. idem testatur ff. eod. tit.

CASUS XII.

Leo usufructuarius decem jugerum pratorum, fœnum de iisdem jussit, & demeti, & in domum suam exportari plus quam uno mense, ante tempus ordinarium, quo fœna vulgo demetiuntur. Cum intra tempus illud obierit, proprietarius fundi voluit obligationem inferre hæredi defuncti, sibi restituendi prædictum fœnum, quasi rem sibi jure proprietatis debitam, siquidem, si Leo non jussisset, illud idem nondum maturum demeti, sibi cessisset ex ipsius obitu, qui ante tempus prædictum contigit. Num hæres ex debito conscientiæ tenetur, ad fœnum, quale extat, Proprietario restituendum?

Respons.

Respondemus, hæredem Leonis nullatenus obligari ad fœnum, licet ante consuetum tempus, demessum; Proprietario restituendum. Ratio est, quod certi quidam sint fructus, quos utile est, aut fert usus, ante suam perfectam maturitatem colligi; quali a sunt silvæ cæduæ, olivæ, ac fœna, quorum

rum maturitatis opportunum tempus consuevit exspectari ea ratione qua obligatio incumbit exspectandi maturitatem frumenti atque uvarum, priusquam liceat vel messem incipere, vel uvas excerpere. *Sylvam cæduam*, ait lex, (*a*) *etiamsi intempestive cæsa sit, in fructu esse constat, sicut olea immatura lecta: item fenum immaturum cæsum in fructu est*. En lex alia quæ præcedenti consonat (*b*): *in fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est: neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus quod magis colono, dominove eum fructum tollere expedit*.

(a) Leg. Si absente. 48. §. 1. ff. de usuf. &c.

(b) Leg. In fructu. 31. ff. de usu & usufructu. per legatum, vel fideicommiss. datis.

CASUS XIII.

Geoffridus testamento suo Delphio reliquit usumfructum prædii cujusdam consistentis in septuaginta jugeribus arationum in uno membro ædium, simul cum frumentario horreo, ceterisque tebus quæ colono conducunt. Cum ex propria sua vetustate frumentarium horreum concidisset una die antequam Geoffridus decederet; Delphius se se in prædicti prædii possessionem ab ipsa postera die induxit, qnam testator obiit, & petivit ab herede, ut curaret, frumentarium horreum redintegrari, quod sibi omnino necessarium erat ad proximam messem ibidem coacervandam: cui heres reposuit, siquidem jam fundo frueretur, æqunm prorsus esse ipsius sumtibus loca restitui. Delphius e contrario dixit, juxta dispositionem legum usufructuario non incumbere nisi minutiores refectiones; adeoque cum prædicta refectio ejusmodi non esset, se se non obligari ad illam propriis suis sumtibus præstandam. Qua de re quæstio proponitur, utrum Delphius legitimo aliquo fundamento juris quantum ad eam rem juvetur?

Respons.

Delphius quantum ad suam petitionem nullo juris fundamento fulcitur. Neque enim incumbit proprietario reficere aut redintegrare quod dirutum reperitur, aut aliqua ratione depravatum tum temporis cum ususfructus acquisitus est usufructuario; nisi damnum ex culpa ipsius accesserit, aut onus ei impositum fuisset ex ipso titulo usufructuarii, res in eum statum reficiendi ac restituendi, in quo easdem esse expedit ipsius utilitati. Ex quibus sequitur, quidquid Delphio juris datur, in eo totum esse repositum, ut prædio sibi legato gaudeat in eo statu in quo illud esse tunc invenit, quando jus eodem fruendi fuit consecutus, sicut qui proprietarius est rei alicujus, illam non debet recipere, nisi ut se se habebat quando eam acquisivit. Quod omnino patet ex ista lege: (*c*) *Non magis heres reficere debet quod vetustate jam deterius factam reliquisset testator, quam si proprietatem alicui testator legasset*.

(c) Leg. Sed enim. 65. §. 1. ff. de usufructu. &c.

CASUS XIV.

Artus suo testamento legavit Cajo usumfructum ingentis prati quod positum est inter duo brachia magni fluminis, & citra quod aliud occurrit pratum, quod Mævius filius Arti inter paternas hereditates accepit. Cujus ab eo petivit, ut vellet ei per suum pratum iter concedere, quo demere simul atque de proprio suo prato fenum posset educere. Verum Mævius ex molestia qua tenebatur propter legatum a suo patre memorato viro relictum, petitum iter plane denegavit. Numquid ejusmodi recusatio fundamentum aliquod legitimum sibi vindicat?

Respons.

Nullo fundamento legitimo ejusmodi recusatio nititur, qua nimirum Cajo Mævius denegavit facultatem itineris per suum pratum; neque ei quidquam jure succurrit, ut prædictam itineris facultatem ei valeat ulla de caussa denegare. Ratio est, quod Artus legando Cajo prædicti prati usumfructum, censeatur animum habuisse eidem simul legare facultatem liberam itineris per aliud pratum quod filio suo reliquit; quum alioquin legatum inutile Cajo prorsus fieret, utpote qui non valeret eodem ulla ratione gaudere. Quod intentioni testatoris apertissime penitus adversatur: *Ususfructus legatus*, ait lex, (*d*) *adminiculis eget, sine quibus uti frui quis non potest. Et ideo, si ususfructus legetur, necesse est tamen, ut sequatur eum aditus*. Subjicit eadem lex paulo post (*e*): *Si ususfructus sit legatus ad quem aditus non est per hereditarium fundum; ex testamento utique agendo fructuarius consequetur, ut cum aditu sibi præstetur ususfructus*. Tandem idem quoque prorsus statuit in paragrapho sequenti in quo sic habet: *Utrum autem aditus tantum & iter, an vero & via debeatur fructuario legato ei usufructu Pomponius libro 5. dubitat; & recte putat, prout ususfructus perceptio desiderat, hoc ei præstandum*. Quam eamdem sententiam tenet Silvester de Prierio (*f*), & asserit, futurum alioquin, ut usufructuarius usufructu suo caderet post elapsum decennium per quod proprio suo jure usus non fuisset: quod alienum omnino foret & ab æquitate & a voluntate testatoris.

(d) Leg. Si fundo. 1. §. ... ff. si ususfructus petatur, &c. lib. 7. t. 6.

(e) Ib. d. §. 2.

(f) Silvest. v. Usus. q. 11. §. Quarto.

Quod idem dicendum esset, etiamsi Mævius non institueretur nisi simplex Arti legatarius. Obligaretur etenim ad concedendam Cajo liberam itineris facultatem: *In hac specie*, fert alia lex, (*g*) *non aliter concedendum esse legatario fundum vindicare, nisi prius jus transeundi usufructuario præstet*. At vero neque heres, neque legatarius obligantur ad præstanda usufructuario ea quæ nonnisi pertinent ad simplicem ipsius utilitatem, quæque eidem nullatenus sunt absolute necessaria, sicut summæ necessitatis est libera transeundi facultas de qua hic loci potissimum agimus: *Sed an & alias utilitates & servitutes ei heres præstare debeat, puta luminum & aquarum; an vero non? & puto, eas solas præstare compellendum sine quibus omnino uti non potest. Sed si cum aliquo incommodo utatur, non esse præstanda*. Quæ verba leguntur in prima lege quam superius jam citavimus (*h*).

(g) Leg. Dominus esto. 15. §. 1. ff. de usu & usufructu, &c.

(h) Cit. Leg. Si fundo. §. fin.

CASUS XV.

Octavius Fabio testamento reliquit usumfructum prædii cujusdam quod Balthazaro ad tempus usque annorum quinque fuerat non ita pridem locatum. Octavio mortuo Fabius statim voluit se se inducere in prædii prædicti possessionem: verum restitit Balthazarus contendens, id sibi juris dari, ut eodem per integrum locationis tempus frueretur, pactum ejusdem cum Octavio pretium persolvendo. Fabius ne potest sine injuria eum de possessione dicti prædii dimovere?

Respons.

Potest absque ne levissima quidem injustitiæ nota Fabius Balthazarum de possessione dejicere. Usufructuario namque jus conceditur, ut eadem ratione possit qua emptor factam a proprietario locationem solvere atque interrumpere: *Quidquid in fundo nascitur*, ait lex (*i*), *vel quidquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet: pensiones quoque jam antea locatorum agrorum, si ipsæ quoque specialiter comprehensæ sint. Sed & ad exemplum venditionis, nisi fuerint specialiter exceptæ, potest usufructuarius conductorem repellere*.

(i) Leg. Arbores 59. § ff. de usufructu, &c. lib. 7. t. 1.

CASUS XVI.

Sylvius postquam Maglorio quatuor jugerum pratorum suo testamento legavit, ædes ibidem jussit postmodum extrui, & quod de prædictis pratis relinquebatur in hortum convertit. Deinde cum nihil quidquam mutato suo testamento obiisset, Maglorius petit ab herede Sylvii, se se induci in possessionem præfatæ hereditatis tamquam sibi cedentis ex titulo ac nomine ususfructus. Potest ne prædictus heres petitionem memoratam recta conscientia repellere?

Respons.

Maglorius nullum jus habet in prædictis agrorum quatuor jugeribus, potestque omnino heres Sylvii sine

Digitized by Google

sine injuria obstare, ne eorumdem adeat possessionem. Ratio est, quia quam prædicto fundo testator attulit priusquam decederet immutatio; apertissime designat ipsius voluntatis immutationem, & legatum proinde penitus extingui; siquidem legatum illud totum pertineret, ac determinaretur ad pratum quod jam exstare nulla ratione deprehenditur: *Si areæ sit usufructus legatus*, ait quædam una lex de Digesto, (*a*) *& in ea ædificium sit positum; rem mutari & usumfructum exstingui constat. Plane si proprietarius hoc fecit eu testamento vel de dolo tenebitur.*

(*a*) Leg. *Repeti.* 5. §. 3. ff. quibus modis ususfructus vel usus amittitur.

Atque ita contingeret juxta legem eamdem, (*b*) si testator post legatum usumfructum sylvæ cujusdam, eamdem postmodum succidi jussisset, & ipsius fundum in arationem converti, in qua seminatum fuisset frumentum. Siquidem etenim ususfructus non assignetur, nec constituatur nisi in sylva, & ejusmodi sylva jam non remaneat, qui fuerat scriptus usufructuarius, nihil juris habet quod sibi possit vindicare quantum ad ipsum fundum in quo sylva antea extabat: *Si sylva cæsa*, fert alia lex (*c*), *illic sationes fuerint factæ, sine dubio ususfructus exstinguitur.* Silentio prætermittimus plurima alia ejusmodi exempla quæ proferuntur in prædictis legibus. Sed quod ea de re habemus, nullatenus extendendum est ad ususfructus qui obtinuerunt vi peculiarium conventionum quæ proprietatium inter & usumfructuarium accesserunt, in eo namque casu proprietario liberum non foret quidquam immutare, atque obligaretur ad afferendam usufructuario congruentem damni compensationem, si conditionem rerum aut earumdem naturam sine consensu ipsius immutaret.

(*b*) Ib. §. 4.

(*c*) Leg. *Quid tamen.* 10. ff. eodem tit.

CASUS XVII.

EVROULUS testamento suo reliquit usumfructum prædii cujusdam ducentarum librarum census annui Faustino qui paullo post incidit in scelus quoddam in cujus pœnam ad virgas simul atque ad ejectionem fuit damnatus. Qua de re proponitur, utrum ex ejusmodi terum Faustini immutatione effectus ususfructus prædicti non cessaverit, atque utrum non possit heres Evrouli se in istius prædii possessionem inducere?

RESPONSIO.

Distinguendum est. Namque vel relegatio ad quam Faustinus damnatus est, perpetua futura est, vel ad certum tantummodo tempus quod sit definitum: Si sit relegatus ad certum dumtaxat tempus, non inde exstinguitur ususfructus: sed si sit ejectus in perpetuitatem, jam Faustinus habendus est, ut addictus morti civili; & dicendum est siquidem ex damnatorio judicio quod in eum fuit latum spoliatus sit pro semper privilegio ac participatione jurium civicorum: quæcumque esse possint, eum consequenter temanere privatum jure quo gaudebat fruendi usufructu qui ei fuerat ab Evroulo legatus; atque adeo licere prorsus heredi defuncti se se in eo casu inducere in possessionem prædii: *Finitur autem ususfructus morte usufructuarii et duabus capitis diminutionibus maxima & media.* Quibus verbis continetur decisio Imperatoris Justiniani (*d*) cui Canonistæ adhæserunt, atque inter alios Silvester de Prierio, & Angelus de Clavasio (*e*).

(*d*) §. *Finit.* 3. Instit. de usufructu lib. 2. tit. 4.
(*e*) Angel. de Clavasio v. *ususfructus*. n. 14. Silvest. eod. v. q. 11.

USURA.

EX duplici malorum genere manavit *usuræ* fons & origo. Nimirum ex immoderata commodantis cupiditate, & ex nimia mutuantis indigentia; divite scilicet abutente miseria pauperis, ut eum potius opprimat, quam subveniat ejusdem necessitatibus ea ratione qua caritas jubet, quamque vel ipsa sola suadere debet humanitas.

Usura est lucrum quod recipitur, vel recipere intenditur potissimum ex mutuo quod alicui traditur. *Usura est lucrum ex mutuo principaliter intentum.* Quibus verbis definitur a S. Antonino (*f*).

(*f*) S. Anton. in Summ. 2. p. tit. 1. c. 7. §. 1.

Lucrum istud quod Polmanus sic definit (*g*): *acquisitio pecuniæ vel rei pecunia æstimabilis ex mutuo proveniens, alias indebita*, potest consistere non in pecunia tantummodo, sed in quacumque etiam alia re quæ pecuniæ pretio possit æstimari; quemadmodum patet ex istis verbis S. Augustini *Si feneraveris homini, id est mutuam tuam pecuniam dederis, a quo aliquid plus quam dedisti expectes accipere, non pecuniam solum, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus quam dedisti expectas accipere, fenerator es, & in hoc improbandus* (*h*).

(*g*) Polm. par. 2. a. n. 905.

(*h*) S. Aug. serm. 3. in Psalm. 36. n. 6. & refertur in can. *si feneraveris.* 1. 14. q. 1.

Diximus 1. quod recipitur *potissimum ex mutuo*; neque enim proprie loquendo usura committitur, nisi in mutuo vel explicito, vel implicito: quamobrem cum occurrit in alia contractus specie, ut in contractu venditionis, semper admittitur potissimum ex mutuo implicito quod in eodem deprehenditur. Adeoque quando quis mercator, verbi gratia, vendit suas merces carius pretio quo solent æstimari, propterea quod fides ementis vendat ad tempus sex mensium, vel unius anni; idem prorsus agit ac si numeratam in præsentiarum acciperet justi pretii pecuniam, & exigeret quod ulterius excurrit ob suas merces ad constitutum tempus commodatas.

2. Subjicimus: *vel quod recipere intenditur*, quoniam usura potest committi vel ex sola mentis intentione aliquid ulterius ipso mutuo recipiendi; sicut incurritur in simoniacam labem vel ex sola etiam voluntate Beneficium aliquod mediante re aliqua temporali consequendi; quamquam intentioni ejusmodi nullum omnino pactum accedat, ut declaratur ab Urbano III. (*i*) 3. Addimus denique: *potissimum ex mutuo*; quia si mutuum detur potissimum ex

(*i*) In c. *Consuluit.* 10. de usuris. lib. 5. tit. 19.

ex animo charitatis exercendæ, aut gratificandi ei, qui mutuatur, non incurritur in peccatum usuræ, licet aliquatenus intendatur secundario lucrum aliquod inde percipere (a).

(a) Gloss. in c. Consul.

Porro intentio ejusmodi secundaria deprehenditur; cum ille qui commodat; sic sese sentit animo dispositum, ut nihilominus commodaret, licet sibi nullius omnino lucri spes affulgeret, quemadmodum explicat S. Antoninus (b).

(b) S. Anton. loc. cit.

Ex dictis apertum est, distingui duas usurarum species: unam quidem, quæ realis est, alteram vero quæ mentalis. Prioris speciei usura ea est, quæ committitur ex pacto vel expresso, vel tacito, recipiendi aliquod lucrum ex mutuo. Posterioris autem speciei usura illa est, quæ exercetur ex sola lucri alicujus percipiendi intentione.

Interdicitur usura: 1 jure naturali: 2 jure Divino 3. Jure humano tam Ecclesiastico, quam civili, quemadmodum postea probabimus in hujusce præsentis tituli decursu, in quo simul exponemus, quibusnam ex titulis, sub quibus conditionibus, & quibus rerum circumstantiis licite possit aliquod lucrum ex mutuo percipi, sine ullius usuræ periculo.

En propositiones morales, & duæ Censuræ, quibus eædem condemnatæ fuerunt a Clero Gallicano anno 1700 quæ confirmant eas, quas antea jam tulerant Alexander Septimus, Innocentius Decimus primus, & Facultates tum Parisiensis, tum Lovaniensis, quæque loco probationum sunt eorum, quæ jam proposuimus, & in præsentis hujusce tituli decursu proponemus.

P R O P O S I T I O LV.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit; qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

P R O P O S I T I O LVI.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.

P R O P O S I T I O LVII.

Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

P R O P O S I T I O LVIII.

Tam licet alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione.

C E N S U R A.

Hæ Propositiones, in quibus, mutato tantum mutui & usuræ nomine, licet res eodem recidat, per falsas venditiones, & alienationes, simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes & fraudes vis Divinæ Legis eluditur, Doctrinam continent falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto, ac non scripto contrariam, jam a Clero Gallicano reprobatam, Conciliorum ac Pontificum Decretis sæpe damnatam.

P R O P O S I T I O LX.

Usura, etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, Lege veteri in Judicialibus præceptis abolita per Christum.

CENSURA.

Hæc Propositio verbo Dei contraria est, Novæ Legis perfectionem & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit.

CASUS PRIMUS.

EGBERTUS locuples Trapezita usu consuevit, sine ulla suæ sortis alienatione, constituto fœnore quodam, iis qui de rebus suis sunt bene constituti, mutuum dare ad certum tempus determinatum. Junior quidam Confessarius, quem adivit tempore Jubilæi, voluit ei obligationem imponere, 10000. circiter nummorum restituendorum, quos retulit ex ejusmodi commercio, quod ab annis duodecim, aut quindecim frequentat. Quam restitutionem prorsus omnino repulit Egbertus, contendens, ejusdem, plurimis de causis, induci sibi nullam prorsus obligationem.

Ac primo quidem, quoniam Sacris Scripturis usura non reprobatur, nisi in quantum exercetur erga Pauperes, nec tanquam ex sese mala, aut perniciosa damnatur: id unum enim vero in iisdem intenditur, nempe condemnari duritiem animi, æneumque pectus Divitum in Pauperes, quorum necessitatibus nedum subveniant, qua ratione charitas præscribit, quin immo eosdem repetitis iniquorum fœnorum exactionibus opprimunt. En etenim quibus verbis ea de re Sacræ istæ paginæ loquuntur (a): *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Quod idem etiam rursus legitur in alio verbis istis (b): *Si attenuatus fuerit frater tuus .... non accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti.*

(a) Exod. 22. 25.

(b) Levit. 25. 35. & 36.

Patet evidenter ex prædictis duobus textibus, inquit Egbertus, Deum non prohibere ne ex mutuo usuræ percipiantur, nisi quantum pertinet ad pauperes, vel eos, quorum res succisæ sunt ac prorsus attenuatæ: ab ejusmodi hominum genere, prosequitur ille, omnino interdicitur, ne repetantur, neque extorqueantur usuræ; quoniam ab iisdem usuræ non possunt exigi, quin funditus evertantur, atque in statum adhuc desperatiorem ac deteriorem inde præcipitentur ipso rerum statu, quo antea gaudebant. Quamobrem decet eos, qui prospera utuntur fortuna, iisdem miseriarum ac omnis generis calamitatum pondere oppressis subsidio venire, & iisdem ab iis pecuniam mutuam gratuito rependi, quæ ipsis necessaria est, ut jugum duræ necessitatis, quod infelices experiuntur, e cervicibus suis excutiant: at interdictum ejusmodi nulla ratione spectat ad divites, quibus mutuum creditur, quosque ex tenui moderatoque fœnore, quod ab iisdem percipitur, non ita facile est opprimere.

Extat equidem alius Sacræ Scripturæ textus, (c) quo verbis generalioribus usura prohibetur ista ratione: „ Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; „ sed alieno, fratri autem tuo absque usura id, „ quo indiget, commodabis. Ut Dominus Deus tuus tibi benedicat in omnibus, quæ suscipies in terra, quam possessurus es. Verum, reponit Egbertus, & ejusmodi interdicto subintelligenda semper est conditio Pauperis, siquidem nonnisi sit repetitio illius, quod Deus jam expresserat in Exodo atque in Levitico, in quibus usura prohiberi non deprehenditur, nisi quantum ad Pauperes.

(c) Deut. 23. 19. & 20.

Verum est etiam, verbo *frater*, intelligendum esse omnem hominem de gente Judaica quisquis ille esse possit, vel dives vel pauper: at non ideo minus potest contendi, usuram de se malam non esse, neque ex propria natura sua prohibitam; siquidem Deus ipse permittat eandem quoad alienigenas exerceri. Et quomodo se habet ratio, quam Egbertus primo loco proponit, ad evincendum, sibi licere, sine peccato, divitibus fœnerare, ac, siquidem nunquam exegerit ullam usuram ex mutuis, quæ Pauperibus tradidit, sese non posse condemnari injustitiæ, ex eo quod usuras receperit ex mutuis, quæ dedit tum divitibus, tum iis qui fortuna prospera gaudebant, neque proinde obligari ad onus restitutionis.

Alterum rationis momentum desumitur ex eo quod Primum Concilium Nicænum, & omnia alia quæ per priora sæcula habita fuerunt, non prohibuerint nisi solis viris Ecclesiasticis, ne fœneratorias usuras exigerent, qui quidem, cum Sacrorum Altarium Ministerio toti devoveantur, ac positi sint potissimum ad populorum salutem promovendam, exemplo animi, qui sit a rebus terrenis omnino alienatus, debent ceteris fidelibus prælucere, ut nonnisi soli Deo serviant, quem sesele accepturos in partem hæreditatis suę, solemniter professi fuerunt, ideoque non immerito contendi potest, ait Egbertus, exactionem fœneratoriam iisdem non interdictam esse a Conciliis, tanquam rem de natura sua malam, sed duntaxat ut commercium, quod nullatenus decet eorum vitæ instituti sanctitatem, non magis quam mercatura & plurimæ aliæ negotiationum species, quæ nonnisi Laicis conveniunt. Unde Egbertus infert, quanquam usura prohibeatur viris Ecclesiasticis, non sequi eandem quoque esse Laicis interdicendam; quum prædictis prioribus Conciliis ipsa iisdem nullatenus interdicatur, atque etiam ipsimet primi summi Pontifices satis habuarint ejusmodi fere Decretum prohibitorium, nec Civiles Leges, quibus usuræ exercitium Laicis liberum relinquitur, ullatenus condemnaverint.

Tertium rationis momentum, quo nititur Egbertus, in eo positum est, quod pecuniam suam mutuam tradendo negotiatoribus, qui commercium ingens gerunt, viro alicui Nobili, qui emit aliquem Magistratum, aut aliquod prædium, aut cui tandem opus est summa 10000. librarum pecuniæ præsentis ac numeratæ, ad extinguendam pensionem annuam, qua oneratur, ac plurimum gravatur, prædictia ingens prorsus afferat emolumentum, adeoque non patiatur æquitas, ex propria sua pecunia tantam utilitatem iisdem accedere, quin inde ad sese lucrum aliquod redeat, utpote quod veniat aliunde in periculum suæ sortis.

Quartum denique rationis argumentum est, quod nunquam exegerit usuras enormes atque a communi, quem æquitas & ratio dictant, usu prorsus alienas, sed usuram pecuniæ suæ non acceperit nisi compositam ad præscriptum Edictorum, Declarationum atque Arrestorum; quibus prædictis addit insuper, cum ejusmodi commercium frequentetur apud omnes passim nationes, quin etiam e Legibus tum Imperatorum, tum Christianorum Principum auctoritatem mutuetur, ac roboris plurimum accipiat; jam nullo alio argumento opus esse, ut ejusdem manifestæ fiant ac perspectæ tum innocentia, tum necessitas prorsus inevitabilis.

Num sufficiunt prædicta rationum momenta, ad probandam, quam Egbertus sequitur, agendi rationem, & ad eundem ab obligatione restitutionis quam ei vult Confessarius injungere, sindicatum?

RESPONS.

Partium nostrarum esse potissimum existimamus, ut nostræ sumamus exordium responsionis ab afferenda primum quidem veritate, quæ pertinet ad illud gravissimum caput Disciplinæ moralis, ac deinde descendumus ad inspicienda & discutienda rationum momenta, quæ Egbertus allegat ad sese vindicandum ab illa, quam ipsius ei Confessarius inducere animo habet, obligatione restitutionis.

Dicimus ergo, usuram, quæ nihil aliud est, quam lucrum, quod præcise fit mutuo vel pecuniæ, vel cujuslibet alteris rei commodatæ, & quæ usu consumitur (d), perinde condemnari tam in viris Ecclesiasticis, quam in Laicis, quemadmodum apertissimum est ex testimonio Prophetæ Ezechielis, quod ad marginem indicatur, cujus quidem Prophetæ ore Deus ipse suo populo declarat, futurum ut, unusquisque ferat pœnam propriæ

(d) Lev. 25. 37. Ezech. 18. 8. & 17. Luc. 6. 35. S. Aug. in Psal. 36. serm. 3. n. 6.

suæ

Digitized by Google

suæ iniquitatis, sed futurum etiam, ut ipse penitus obliviscatur illius peccata, qui eandem congruente pœnitentia delere sollicitus fuerit; modo rem alienam non surripiat, ad usuram non commodet, & ultra quod dederit, nihil accipiat: *Si... ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit* (a). En ibi declaratur, usuram esse peccatum, cujus, qui sese conscios efficiunt, ab omni prorsus aditu vitæ æternæ excluduntur, nulla adhibita viros Ecclesiasticos inter & Laicos distinctione. Addit (b), si nedum incedant in via mandatorum in ipsius ea ratione, qua superius dictum, quin immo filii Parentum suorum vestigiis insistant, si se dedant cultui falsorum Numinum: si dent ad usuram, & percipiant amplius quam commodaverint, futurum certissime ut non vivant, sed moriantur: siquidem universa hæc detestanda fecerint. *Quod si genuerit filium, latronem, effundentem sanguinem... uxorem proximi sui polluentem... rapientem rapinas... ad Idola levantem oculos suos, abominationem facientem, ad usuram dantem & amplius accipientem: numquid vivet? Non vivet, cum universa hæc detestanda fecerit.* En adscribitur usura in numerum criminum execrabiliorum, qualia sunt crimina Idololatriæ, adulterii, aliaque detestabilia atque abominanda scelera, quæ mortem æternam inducant. Quis ergo post ejusmodi rationum argumenta poterit ire inficias, quin usura Divinæ Legi penitus adversetur, adeoque sit ex propria natura sua & mala, & omnino condemnanda? Quod rursum declarat Propheta Regius verbis apertissimis, (c) asserendo, futurum ut omnes, qui contrahunt peccatum usuræ, nunquam admittantur in partem cœlestis Beatitudinis. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* ait iste Sanctissimus Rex; qui statim respondet, ejusmodi Beatitudinis participem nunquam futurum eum, qui dederit ad usuram: *Qui pecuniam non dedit ad usuram.*

(a) Ezec. c. 2.
(b) Ibid. ro. 12. & 13.
(c) Psal. 14. 5.

Concordat cum veteri nova Lex: siquidem Dominus noster in Evangelio renovet interdictum pertinens ad usuram istis verbis (d): *Mutuum date, nihil inde sperantes*, quorum prædicta duo priora verba, *mutuum date*, non continent nisi merum consilium: quoniam non omnes obligantur ad commodandum, & istæc tria posteriora verba, *nihil inde sperantes*, innuunt expressum præceptum; cum nemini liceat, ullum lucrum ex mutuo percipere. Quam interpretationem tradit S. Thomas (e), qui juxta Decreta Conciliorum, & Constitutiones summorum Pontificum, quas postea referemus, sic habet: *Mutuum dare non semper tenetur homo, & ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia: sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit sub ratione præcepti.*

(d) Luc. 6. 35.
(e) S. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 4.

Ceterum, ut tenemur vi Sacro-Sancti Concilii Tridentini, (f) Sacram Scripturam recipere juxta sensum atque interpretationem Ecclesiasticorum Patrum, facili prorsus negotio nobis, licet, quam confirmavimus modo ex textibus laudatis, veritatem iterum indubitatis ac certissimæ fidei testimoniis asserere; ostendendo, Ecclesiam in suis Conciliis congregatam, & SS. PP. in suis scriptis, semper reprobavisse usuram, ut Scriptura Sacra tam veteris, quam Novi Testamenti, condemnatam, ac tanquam scelus a Divina Lege prorsus alienum. Quæ ea de re habuerunt in integrum exscribere non vacat, siquidem in iis referendis necesse foret integrum componere tractatum: verum eos tantummodo proferemus, qui verba, quantum ad præsentem materiam, validiora ac luculentiora adhibuerunt.

(f) Conc. Tr. sess. 4. decr. de edit. & usu sacrorum librorum.

Lactantius (g) & ante eum S. Cyprianus (h) inter eos sunt potissimum recensendi, qui fuerunt in usuram vehementius invecti. S. Gregorius Nissenus (i) eandem appellat latrocinium, ac parricidium. *Improbum fœnoris inventum, quod qui aliud latrocinium, & parricidium nominaverit, non procul ab eo, quod decet, aberravit.* S. Chrysostomus (K), quem merito possumus habere tanquam unum eorum, qui, inter omnes alios Patres usuræ zelo acriori ac indignabundo magis adversantur, ait, eandem esse turpissimam, & considerandam esse, ut impudentiæ insignioris indicium. S. Basilius (l) in eadem doctrina S. Gregorium Nyssenum, & S. Chrysostomum jam præiverat, & probat auctoritate Ezechielis Prophetæ, usuram Divina Lege condemnari, usuræque nomine id intelligi, quod ultra mutuum percipitur. S. Ambrosius (m), ceteris omnibus longius adhuc progreditur, crimenque prædictum gravioribus verbis objurgat, asserens de omnibus omnino fœnerationibus, eos esse conscios iniquitatis, quæ summa prorsus est ac singularis. *Nihil iniquius fœneratoribus, qui lucra sua aliena damna arbitrantur.* Denique S. Augustinus (n) sermonem habens non ad viros Ecclesiasticos, sed ad omnem suum populum, declarat, usuram ex natura sua esse penitus detestandam; ab eademque fideles omnes abhorrere debere. *Nolo sitis fœneratores*, ipsissima sunt ejus verba, *& ideo nolo, quia Deus non vult... Unde apparet, Deum hoc nolle: dictum est alio loco:* Qui pecuniam non dedit ad usuram. *Ps. 14. & quam detestabile sit, quam odiosum, quam execrandum; puto, quia & ipsi fœneratores noverunt.*

(g) Lactantius Firmianus l. 6. Instit. c. 18.
(h) S. Cyprian. l. 3. testimoniorum ad Quirinum contra Judæos
(i) S. Gregor. Nissen hom. 4. in Ecclesiast.
(k) S. Chrysostom hom. 57. in Matt. item hom. 4. in Genes.
(l) S. Basil hom. 4. in Psal. 14.
(m) S. Ambr. l. de Tobia c. 4. § 0. 23.
(n) S. August. loco sup. cit. item l. 4. contra Donat. n. 12.

En plusquam abunde sufficiunt autoritatum testimonia, ut manifestum fiat tum Scriptura, tum Patribus, usuram esse Lege Divina prohibitam: quin etiam ipsimet naturali juri prorsus repugnare. *Est enim contra justitiam naturalem*, ut loquitur S. Thomas (o), ideoque nequaquam licere Egberto, de quo potissimum in specie proposita controvertitur, sese sub quocumque prætextu vindicare a peccato usuræ, neque sese subducere ab obligatione eorum omnium, quæ sibi ex ejusmodi ratione quæsivit, restituendorum. Verum, ut magis innotescat fucus ille, quem facit, aut potius tenebris illis lucem afferre absolvamus, quibus excusationes suas nititur implicare, ad easdem jam venimus tum penitus inspiciendas, tum comminuendas omnino in pulverem.

(o) S. Thom q. 13. de malo art. 4. in corp

Prima ratio, quam Egbertus profert, ut usuram, cujus sese conscium reddidit, ponat extra quamcumque peccati suspicionem, est, quod nihil fœnoris de mutuis, quæ dedit, nisi a divitibus exegerit, & textibus tum Exodi, tum Levitici non condemnetur usura, nisi in quantum circa pauperes exerceatur. Cui quidem rationi reponimus: 1. Satis esse, usuram ex natura sua malam esse, ut nunquam liceat, eandem a peccato excusare, sive eadem erga pauperes, sive erga divites exerceatur; cum quod de natura sua malum est, nunquam possit in quocumque casu permitti. Jamvero demonstravimus autoritatum testimoniis, quæ proculdubio sunt omni tergiversatione superiora, usuram ex propria sua natura rem esse omnino malam; nihil ergo quidquam juvat pauperem inter ac divitem adinventa ejusmodi distinctio. At vero, si, qui propositi sunt ex Libris Exodi ac Levitici, duo textus non prohibeant usuram nisi quantum ad pauperes; occurrunt alii quamplurimi, quibus eadem, quantum ad quaslibet personas generatim, nullaque apposita distinctione, condemnatur. Possetne igitur cum aliqua specie juris inferri, a Patribus Ecclesiæ non reprobari nisi eam usuram, quæ extorquetur a pauperibus, ex eo quod apud eos quidam textus deprehendantur, in quibus non agitur, nisi de ejusmodi usura? Quo quidem consectario nihil posset magis absurdum & ab ipsa veritate magis alienum excogitari, siquidem abundent apud eosdem infinita propemodum testimonia, in quibus vitium illud generatim & absque ulla pauperis divitisque distinctione concedatur.

Atque revara quidem quod de furto dici potest, idem perinde de usura, ac de utroque eadem prorsus ratione disserere licet, siquidem usura sit quædam quasi furti, seu rapinæ speciea, ut affirmatur a S. Ambrosio: (p) *Si quis usuram acceperit, rapinam facit.* Porro, posito quod uno alterove scripturarum textu prohiberetur, ne surriperetur res pauperis, & in plurimis aliis locis hoc ipsum idem interdictum verbis generalioribus enunciaretur, possetne, nisi omnino absurdissime, e prioribus textibus illud educi, nimirum prorsus posse rem divitis furtive accipi? Et vero, si uniuscujusque relinqueretur arbitrio, ejusmodi distinctiones adhibere; ea ratione quæcumque pertinent ad disciplinam moralam Evangelii funditus everterentur.

(p) S. Ambros. l. de bono mortis in Can. si quis 3. 14. q. 4.

Æquitati igitur consentit magis simul ac rationi, quod dicatur, standum esse interdicto, quod verbis generalioribus proponitur, nec recurrendum ad distinctiones, quæ sine ullo fundamento confinguntur; atque, si scriptura potissimum faciat sermonem de pauperibus in duobus textibus, qui opponuntur, id principaliter eo animo ab ea intendi, quod usura, quæ a pauperibus extorquetur, sit omni comparatione iniquior, atrocior, ac manifestior ipsa usura, quæ recipitur a divitibus. Atque ea præsertim de causa contendunt celeberrimi qoidem Auctores in citato textu Exodi, qui objicitur, non addi vocem *pauperi*, nisi exempli causa, nequaquam vero, ut Lex inde restringatur, ac determinetur, quantum ad solum pauperem, excluso divite. Grotius, licet quantum ad usuræ materiam, parum religiosus, sententiam istam amplectitur; *Vox pauperis*, inquit, (d) *hic non restringit Legem, sed exempli causa posita est, quia plerumque ita accidit ut illi magis egeant opis alienæ.*

(d) Hug. Grotius in Ex. 22.

Ratio autem, ex qua probatur ista interpretatio, habetur ex istis sequentibus verbis: *Qui habitat tecum.* Si namque vox *pauper* posita esset ad restringendum sensum istorum aliorum verborum, *populo meo*, quæ immediate antecedunt, eodem jure contendi posset, istæc alia verba, *qui habitat tecum*, non esse antecedentibus adjecta, nisi ot eorumdem restringerent significationem. Jam vero absurde prorsus quis asserere vellet, istæc verba, *qui habitat tecum*, esse adjecta ad significandos illos duntaxat pauperes, qui in eadem occurrunt Civitate, in qua commorantor divites, a quibus mutuum accipiunt; siquidem inde sequeretur, ab istis divitibus futurum ut opprimi possent atque usuris aggravari alios pauperes, qui simul cum eis eamdem Civitatem non incolunt: quod quam absurdum sit, nemo est, qui non sentiat. Ex prædicta argumentandi ratione concludendum est igitur, sicut istæc verba, *qui habitat tecum*, nullam importare debent sensus circumscriptionem, sed posita sunt exempli tantummodo gratia, ita etiam verbo *pauperi*, non restringi significationem verborum *populo meo*, quæ antecedunt, sed illud non appositom fuisse nisi duntaxat instar exempli, quo animus debet magis commoveri. Neque vero Grotius solus est, qui textum prædictum sic interpretetur: Cardinalis Cajetanus (b), cum eoque plurimi alii eadem ratione illum explicant.

(b) Præsertim pauperi, præsertim habitanti in Civitate in qua habitas tu. Cajet. in hunc locum.

Ceterum, quando Deus dicit in Deuteronomio, futurum, ut populo Judaico liceat usuras ab alienigenis tantummodo exigere: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam ... sed alieno*; non inde potest merito concludi, usuram ex propria sua natura non esse malam. Nam observandum est cum Estio, tria potissimum in prædicto textu occurrere distinguenda. Primum quidem, quo præceptum innuitur; secundum vero, quo significatur interdictum; tertium denique, quo simplex tolerantia conceditur. Præceptum, Deus enim præcipit Judæis, ut fratribus suis, qui sunt in necessitate, gratuito commodeot: *Non fænerabis fratri tuo ad usuram ... Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis*. Interdictum: prohibet etenim prædictis iisdem verbis, ne usuram exerceant, quantum ad eos, qoi de eorum gente sunt. Simplex toleratio: quoniam vult sufferre ac tolerare, eandem ab iis exerceri, quantum ad nationes alienigenas. Eandem primum quidem ipsis interdicit, quantum ad eorum fratres, ut sic disponantur ad eandem a nemine prorsus exigendam. Tolerat eandem ab ipsis de alienigenis sumi, non tanquam rem, quæ sit de se licita, sed ut removeatur ab iniquiori malo, & ne nimia sua avaritia adducantur ad cives suos usurariis exactionibus opprimendos.

Quæ huc usque habuimus de interpretatione prædicti textus, desumuntur ex ipsissima interpretatione, quam S. Thomas (e), circa eumdem textum scribit. En ipsius verba: *Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum, quasi licitum, sed permissum ad malum majus vitandum, ne scilicet a Judæis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Isaiæ 56.* (d) Quam in eumdem textum interpretationem S. Doctor in alio loco jam scripserat, (e) in quo sic ait: *Accipere usuras ab alienis, non erat secundum intentionem Legis; sed ex quadam permissione propter pravitatem Judæorum ad avaritiam, & ut magis pacifice se haberent ad extraneos, a quibus lucrabantur.*

(e) S. Th. 2. 2. q. 78. ar. 1. ad 2.

(d) Omnes in viam suam declinaverunt unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum. Isaiæ 56. 11.

(e) S. Thom. 1. 2. q. 105 art. 3. ad 3.

Quidam alius celebrioris notæ, atque antiquus Doctor Anglus (f), quam Angelicus Doctor proponit, eandem adoptat interpretationem, ac contendit, Judæos a mortali peccato non excusatos fuisse ex ejusmodi tolerantia, cujus non alius scopus erat, quam impediendi, ne in majora crimina inciderent: *Nunquam fuit Judæis licitum fænerare alieno*, ait laudatus Autor, *sed permissum fuit illis, sicut dare libellum repudii, propter duritiam cordis sui. Peccabant tamen mortaliter fænerando alieno, sed permittebatur eis duplici de causa, scilicet, ne facerent peius; id est, ne fænerarentur fratribus suis, & quia duri erant, & paulatim trahendi ad perfectionem.* En prima interpretatio, qua possunt explicari verba Deuteronomii, quæ fuerunt objecta.

(f) Alexander de Hales vulgo Halensis part. 3. q. 86. membro 4. art. 1.

S. Ambrosius (g) aliam ejusmodi tolerantiæ causam profert, dicens, extraneos illos, de quibus scripturæ loquuntur, hoc est, alienigenas gentes, ut Amalecitas, Amorrhæos, Cananæos, aliosque populos Gentiles, fuisse hostes infensissimos, quibuscum manum conserere populus Dei sæpe sæpius obnoxius erat, quosque delere tenebatur, adeoque, siquidem jure valerent Judæi vitam iisdem ex vi aperta adimere, a fortiori ipsis permissom fuisse, eosdem bonis suis spoliare per usurarias exactiones; *Legis ipsius verba considerata*, ait laudatus Pater, *fratri tuo, inquit, non fænerabis ad usuram, sed ab alienigena exiges. Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostes? Ibi, inquit, usuram exige; cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime vindicatur usura. Cum bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima vindicare te; ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicat qui usuram flagitat: sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici: ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ.*

(g) S. Ambros. l. de Tobia, c. 15. n. 5.

Perspicuum est igitur, nullatenus evinci posse ex prædicto Deuteronomii loco, usuram esse de natura sua licitam, sed tantummodo, quanquam de se mala sit, a Deo tamen ipsam toleratam fuisse in Judæis, qui populus erat omnino rudior, ac totus bonis terrenis addictus, non secus ac Moyses illis permisit dare libellum repudii suis legitimis uxoribus, *ac duritiem cordis*, ut ait Jesus Christus; (h) ne sese conjicerent in pejora crimina, ut interpretatur Sanctus Thomas, aut ad puniendas alienigenas gentes, quæ iisdem arma inferebant, quemadmodum censet Sanctus Ambrosius. Quin immo constat omnino, cum usurarum exactio sit de se mala, eandem nunquam posse licitam fieri, neque quoad pauperes, neque quoad divites. Et re vera quidem habetur manifeste, ut jam observavimus, usuram generatim ac sine distinctione fuisse prorsus interdictam Judæis, quantum ad eos omnes, qui de eorum natione oriundi erant: *Non fænerabis fratri tuo ad usuram*, cum verbo *fratri* nulla possit alia subjici notio, ut satis innuit verbum consequens *alieno*, quod eidem opponitur. Porro negari non potest, quin inter Judæos plurimi extiterint, qui divitiis abundarent. Ergo interdictum illud, ne reciperent usuras a suis fratribus, non minus pertinebat ad divites, quam ad pauperes. Sic concluditur a Sancto Thoma (i), qui ait: *Dicendum, quod Judæis prohibitum fuit accipere usuram a fratribus suis, scilicet Judæis: per quod datur intelligi, quod accipere usuram a quocumque homine, est simpliciter malum: debemus enim omnem hominem habere, quasi proximum, & fratrem, præcipue in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur. Unde in Psalmo 14. absolute dicitur:* Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; *& Eze-*

(h) Matth. 19. 8.

(i) S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. a 2.

Digitized by Google

& Ezechielis 18. Qui usuram non acceperit. Quam Doctrinam verbis apertissimis proponit S. Ambrosius. (a) En quæ opponenda habemus primo rationis argumento, quod Egbertus allegat, ut sese subducat a peccato, & ab obligatione restituendi 10000. nummorum summam quam ex usurariis exactionibus sibi quæsivit.

(a) S. Ambr. loco cit. n. 40. 49. & 50.

Alterum rationis momentum, quod affertur in patrocinium ac in defensionem Egberti, petitur ex silentio Conciliorum, & opponitur, ab iis usuram non fuisse prohibitam, nisi solis tantummodo viris Ecclesiasticis, ne verbo quidem uno injecto, quod spectaret ullatenus ad Laicos, nec ipsis Ecclesiasticis interdictam fuisse, nisi propter sanctitatem vitæ instituti, quod sequuntur, & quia ejusmodi personæ debent exemplo potissimum prælucere animi, qui sit a rebus terrenis magis alienus, quam Laici vulgo esse consueverunt. At ejusmodi ratio facile refellitur. Namque, si Ecclesia in primo suo Concilio Generali congregata, atque in quibusdem aliis quæ consecuta sunt, non prohibuerit turpe fenoris commercium, nisi viris Ecclesiasticis, nihil inde argui potest, quod ex ejusmodi silentio possit Laicis ulla ratione favere. Ratio est, quod ista mali proluvies tunc temporis ubique terrarum longe lateque disseminaretur, & cujusdam quasi violenti torrentis vires acquisivisset, cui non ita facile erat obsistere. Tunc prudentiæ non erat omnibus populis injicere formidinem censurarum Ecclesiasticarum. Quin potius omnino necessarium erat, iisdem aliquatenus indulgere, ut paulatim ac summa cum benignitate in Sanctas Evangelii veritates, quæ eis annunciabantur, inducerentur. Invalescebat usus generalis usurariarum exactionum autoritate Legum Civilium, quarum robore fulciebatur ac permittebatur, atque commercium ejusmodi nihil iniqui præ se ferebat hominibus, quos summa rerum terrenarum ac sensibilium prurigo tenebat, neque iis, quorum fides adhuc tota infirma vacillabat, unde usum illum simul ac semel abolere ac penitus evellere, res erat operosissima, ac suscepti per quam ardui. Opus erat ergo, a Prælatis, quibus regimen Ecclesiæ demandabatur, in ipsis primævis temporibus plurimam adhiberi indulgentiam; summoque agi cum moderationis temperamento, atque subobscure ferri, ac dissimulari malum, quod tam longe lateque sese extenderat, & quod adeo inoleverat, ut non videretur fere, quo potissimum remedio posset ei subveniri, nisi aliquatenus cunctando.

Nihilominus, non obstante quidquam, quam mox proposuimus, perardua suscepti difficultate, Ecclesia condemnavit usuram, & pœnas statuit adversus feneratores etiam Laicos, ut cernimus in Eliberitano Concilio, quod annis viginti, ante Concilium Nicænum primum, actum est, siquidem habitum fuerit anno 305. Patres etenim prædicti Sanctissimi Concilii decreverunt pœnas excommunicationis ac depositionis non in solos duntaxat viros Ecclesiasticos, qui commercium usurarium exercerent; verum jusserunt præterea, ut, si Laicus deprehenderetur ejusdem peccati conscius, & contemnens Pastorum suorum animadversiones animo pervicaci vellet eidem iniquo commercio semper insistere, ab Ecclesia projiceretur, id est, excommunicationis anathemati subjiceretur. *Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere*, ait Laudatum Concilium, (b) *placuit, eum degradari & abstinere. Si quis etiam Laicus accepisse probatur usuras, & promiserit correctus jam, se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit, ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse projiciendum.*

(b) Conc. Eliberit. c. 20.

Quin etiam Primum Concilium Generale (c) satis aperte declarat, vel ex ipsius verbis, quibus utitur, a sese damnari usuram in Laicis perinde ac in Ecclesiasticis: Ait namque, eam esse turpis ac sordidæ cujusdam avaritiæ fetum, eosque, a quibus exerceretur, Divinæ Legis, qua eadem prohibetur, esse penitus immemores. Jamvero posset-ne propugnari, turpissimam ac sordidam avaritiam permitti Laicis? Quod divina Lege omnibus absque distinctione vel exceptione prohibetur, iisdem-ne ex aliquo jure peculiari licitum fieri potest? Num scriptura alicubi innuit, usuram solis duntaxat viris Ecclesiasticis interdici? Omnes insigniores isti Prælati, ex quibus constabat prædictum Concilium Nicænum, constituissent-ne, ut Ecclesiastici feneratores clericali dignitate forent cum ignominia spoliandi, nisi usura naturam ac rationem criminis importaret quam gravissimi, atque omnino perniciosissimi exempli? Quin potius inferamus, prædictos sapientes Prælatos, agendo summo jure cum Ecclesiasticis feneratoribus, ac sæviendo plurimum in usuram, quam ipsi factitabant, potissimum intendisse ejusdem horrorem animis omnium fidelium injicere, atque iisdem persuadere, si censuras in ipsos ea de causa nullas decernerent, eo præsertim fine id fieri, ut plurima sua patientia ac benignitate ab eadem exercenda eorum animi facilius revocentur.

(c) Quoniam multi Clerici avaritiæ causa turpia lucra sectantes, obliti sunt divini præcepti, quo dictum est: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, fenerantes, centesimas exigunt: Statuit hoc S. Concilium. Si quis inventus fuer. post hanc definitionem usuras accipere, dejiciatur ex Clero & alienus habeatur ab Ecclesiastico gradu. Concil. Nicæn. 1. Canon 17.

Aliud Concilium, quod actum fuit Turonum anno 461. (d) Ecclesiasticis etiam usuram prohibet, & ratio, quam ejusmodi interdicti reddit Laicos perinde ac ipsos attinet, siquidem asserat, neminem ad æternam posse pervenire salutem, quin religiosissime Legem Divinam observet, qua usura condemnatur ac reprobatur, en ipsissima ejus verba sunt: *Illud etiam secundum scripturam auctoritatem, vel Patrum Constitutionem, addendum credidimus, ut ne quis Clericus, qui negotiandi studium habere voluerit, usuras accipiat; quia scriptum est:* Qui pecuniam non dedit ad usuram: *manifestum est, beatitudinis non posse consequi gloriam, qui a præceptis divini deviaverit.*

(d) Conc. Turon. Canon. 13.

Utrum tandem, etiamsi prædicta Concilia ne verbum quidem unum haberent de usura, posset-ne asseri, eam esse licitam, postquam verbis adeo luculentissimis atque apertissimis scriptura eam condemnaverit in allegatis textibus? Nonne sufficeret etiam, ejusdem condemnationem occurrere in aliis Conciliis Oecumenicis licet iisdem posterioribus? Porro ipsissima ejusdem condemnatio reperitur in aliis plurimis, namque Tertium Lateranense Concilium, quod sub Alexandro III. habitum est anno 1179. sic de manifestis fœneratoribus decernit, nulla prorsus apposita distinctione inter eos, qui dant ad usuram pauperibus, & eos, qui a divitibus fœnus accipiunt. (e) *Constituimus*, ajunt Patres laudati Concilii, *ut usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quisquam accipiat.*

(e) Conc. Later. III. c. 25. in cap. Quia in omnibus 3. de usuris l. 5. t. 19.

Secundum Concilium Generale Lugdunense actum sub Gregorio X. anno 1274. (f) divinam maledictionem iis omnibus interminatur, qui citatum Lateranense Decretum non observabunt. Prætereaque sub pœna excommunicationis indicit, ne turpissimum istud commercium exercentibus ædes elocentur, & eos privat Ecclesiastica sepultura, quam iis concedi, vetat, licet vel etiam priusquam decederent, demandavissent suis hæredibus curam restitutionis, quæ sibi incumbebat, & donec vel ipsa restitutio revera præstita fuerit, aut eorum hæredes, de ipsa iis præstanda, quibus debetur, sufficientes exhibuerint cautiones. *Usurarum voraginem, quæ animas devorat & facultates exhaurit, compescere cupientes, Constitutionem Lateranensis Concilii contra usurarios editam sub divinæ maledictionis interminatione præcipimus, inviolabiliter observari, &c.*

(f) Conc. Lugdun. II. c. 26. & 27.

Concilium Generale Viennense in Delphinatu celebratum sub initio decimi quarti seculi sub Clemente V. qui eidem præerat, sic habet: (g) *Sane, si quis in istum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras, non esse peccatum; decernimus eum velut Hæreticum puniendum.*

(g) Conc. Viennens. in Clementina. Ex gravi. §. fin. de usuris.

Denique Leo X. cum præsens aderat quinto Concilio Lateranensi, (h) loquens de Montibus pietatis, quorum institutionem laudibus extollit, atque autoritate sua confirmat, ait; *Cum Dominus noster, Luca Evangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo* quid-

(h) Conc. Later. 5. Sess. 10.

quidquam ultra sortem sperare debeamus: ea enim propria est usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu res, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum fœnusque conquiri studetur.

Quibus prædictis Conciliis scrupulosissime semper adhæserunt summi Pontifices in iis, quas ea de re proposuerunt, Constitutionibus.

(a) Urb. III. in cap. Consuluit. 10. de usuris.

Urbanus III. (a) de iis sermonem faciens, qui locrum iotendunt ex mutua pecunia, licet verbis expressis nullam cum iis, qui eandem accipiunt, habeant conventionem, aut de illis, qui suas merces plus æquo pretio vendunt, propterea quod easdem sine præsente pecunia tradant emptoribus, simili ratione condemnat usuram, istis verbis: *Quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur:* date mutuum, nihil inde sperantes; *hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in Lege) judicandi sunt male agere; & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.* Omittimus plurimas alias ejusmodi Constitutiones, quas Alexander III. & Gregorius IX. circa prædictam usuræ materiam dederunt, quoniam eas adire licet apud librum quintum Decretalium, io quo referuotur sub titulo *de usuris*.

Tacemus quoque Decretorum omnium fulmina, quæ fuerunt sine ulla nec exceptione, nec distinctione incorta in fœneratores a celeberrimo Cleri Gallicani Conventu, qui habitus est Meloduni anno 1579. a Provinciali Concilio Remensi anni 1583. a Burdigalensi anni ejusdem, a Tolosano, quod actum fuit anno 1590. atque a Concilio Narbonensi congregato anno 1609. (b) quæ plane concordant omnia cum Conciliis generalibus & Decretalibus anteriorum summorum Pontificum.

(b) Conventus Melodun. tit. de usuris. Conc. Remens. tit. de fœnore. Conc. Burdig. 3. & 49. de usuris & illicitis contractibus. Conc. Tolosan. p. 4. c. 14. Conc. Narbon. c. 40.

Tertium rationis momentum, ex quo sibi quærit Egbertus excusationem usuræ suæ, & sese subducere nititur ab obligatione restitutionis, quæ sibi incumbit est ejusmodi, ut nos nequaquam debeat diutius detinere. Si namque ii, quibus suam pecuniam mutuam dedit, inde lucri plurimum retulerint, nihil inde jus ipsemet habet, ullius lucri percipiendi, siquidem non receperint emolumentum, nisi de pecunia, cujus dominio gaudebant, ratione mutui, quod de eadem illis crediderat: cum constet, & supra omnem omnino controversiam sit positum, a commodante suam pecuniam, ejusdem dominiom ad mutuantem transferri, atque proprietatem; adeoque commodanti nullam prorsus cedere partem lucri, qaod mutuans ex eadem percipit: quoniam illud totum acceptum refert de proprio suo ære, suaque industria. *Ille, qui mutuat pecuniam,* (c) inquit S. Thomas, *transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat. Unde ille, cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenetur eam restituere integre. Unde non debet amplius exigere ille, qui mutuavit.*

(c) S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5.

Quod pertinet ad periculum, in quod Egbertus incurrit, mutuam dando suam pecuniam, respondendum est, illud idem non esse posse ingens, siquidem, ut ipsemet fatetur, non commodaverit nisi divitibus, & personis, quæ erant de suis rebus optime constitutæ, adeoque quæ prorsus erant solvendo: Quod argumento est, istam ejusmodi excusationem nihil aliud esse, quam frivolum inanemque prætextum, quo turpissimum suum commercium obvolvere nititur. Verum concedamus, summam in ejusmodi mutuo revera aleam occurrere: certum est etiam, illam omnino parvi pendendam esse, quoniam mutuo quodammodo intrinseca est, ipsique necessario inhærens; quod magis locum habet etiam quantum ad eos, qui dura rerum suarum necessitate, summaque inopia premuntur, a quibus tamen ex ejusmodi falso prætextu usurarios interesse exigere, omnino crudele foret.

Quarta denique ratio, quæ pro vindicanda, quam tenet Egbertus, agendi ratione profertur in medium, cætera rationum argumenta, quæ superius allegata sunt, nec pondere proprio, nec autoritate aliqua peculiari vincit. Namque nihil juvat, quod, quæ a Rege constituta, ac præfixa est, æstimatio proponatur, quum Galliarum Reges usurarum exactionem autoritate sua nullatenus comprobent; quin potius eandem semper prohibuerint, ut habetur ex Edicto Philippi IV. Pulchri cognomine, dato Montargii die Sabbati ante Purificationem B. Virginis anno 1311. confirmato Declaratione ejusdem Principis promulgata Pisciaci 7. Decembris 1312. (d) Atque explicata de minutissimis perinde ac de gravioribus usuris: Declaratione Ludovici XII. (e) data anno 1512. de iis, quæ spectant ad justitiam. Edicto Aurelianensi mensis Januarii 1560. (f) quod subsecutum fuit Arrestum supremi Parisiensis senatus 6. Julii 1565. Edicto Caroli IX. 20. Januarii 1567. Edicto Henrici III. 6. Octobris 1576. Edicto Blesensi (g), & Edicto Henrici IV. anni 1605. quibus omnes prædicti Principes summæ pietatis existimationem ac famam sibi consecuti sunt, autoritate sua roborando, ac plurimum tuendo Leges tum Divinas, tum Ecclesiasticas, circa usuram, quam semper condemnaverunt sine ulla ullius distinctione vel exceptione. Videtur autem nobis, illud, quod ea de re legitur in Edicto Blesensi, hic loci potissimum esse referendum. " En igitur quibus verbis enunciatur: Verbis expressis inhibemus, ac probibemus omnibus & singulis, cujuscomque status, conditionis, ac sexus fuerint, ne quocumque modo usuras exerceant, aut mutuam pecuniam dent cum obligatione fœnoris ullius solvendi, aut impendii alicujus præstandi, aut merces suas tradant cum jactura æris sive per se, sive per alios; etiamsi in prædictis sese gererent per speciem ac simulationem negotiationis atque commercii, (h) pœna iis imposita, qui parere noluerint, quantum ad primam vicem, multæ honorariæ, relegationis, atque irrogationis ingentis multæ pecuniariæ, & pro vice altera, tum eorumdem comprehendendorum, tum rerum omnium, quas possident, addicendarum. Quod quidem perinde locum habere volumus, ac intelligimus, quoad proxenetas, interpretes, atque internuntios ejusmodi commerciorum & contractuum illicitorum ac reprobatorum." Quibus omnibus Legibus addendæ sunt Leges Caroli-Magni, & Ludovici Mansueti, antecessorum nostrorum Regum in Regno Galliæ, quas legere licet in eorum Capitularibus (i). Regia æstimatio seu taxatio nunquam igitur vim Legis consecuta est, quantum ad usurarias exactiones, nec constituta fuit nisi quoad interesse legitima, qualia ea sunt, quæ percipi solent ex contractibus Constitutionum, aut ex damnatoria aliqua sententia, quæ tum ad juris, tum ad ipsius æquitatis normam ac præscriptum fertur a Judice in Debitorem, qui non satisfacit, vel solvere moratur.

(d) Fontanon. t. 1. p. 825.

(e) Declaratio Lud. XII. art. 64. & 65.

(f) Edict. Aurelian. art. 100. & 141.

(g) Edict. Blesens. art. 202.

(h) Item. art. 362.

(i) Capitular. l. 1. c. 5. L. 2. c. 35. L. 6. c. 204. & l. 7. c. 53.

Tandem quod spectat ad consuetudinem, qua sese juvari contendit Egbertus, idem omnino de eadem sentiendum, atque asserendum est, quod de Legibus, quæ nihil obstante Divino interdicto, nihilque quidquam repugnantibus Legibus Ecclesiasticis, usuram firmarent, ac comprobarent, hoc ast, ipsius Consuetudinis nullam plane rationem habendam esse; cum certissimum sit, nullius ejusmodi Consuetudinis vi induci ulla ratione posse, principia, quæ veritatibus juris naturalis, aut Divini, adversentur, nec iisdem principiis ullo modo subserviri: adeo ut vere dicatur de fœneratoribus, qui consuetudinis patrocinium implorant, quod ipse Dominus noster Pharisæis objiciebat, qui Divinum violabant mandatum ex scrupulosa traditionum suarum observatione (k): *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

(k) Matth. 15. 6.

Quæ satis superque sufficiunt, ut Egbertus inde convincatur, usuram nunquam posse licite exerceri, quantum ad ullos homines, quicumque esse possint, adeoque nullum locum adesse, cum a peccato mortali in specie proposita vindicandi, neque ab obligatione restituendorum 10000. nummorum, quibus, usuras exigendo, rem suam auxit, etiamsi easdem non quæsierit nisi a divitibus perso-

Digitized by Google

personis, & de familiaribus rebus suis optime constitutis. Cæterum eos exoramus, quibus hæc præsens assertio nostra videri poterit stilo abundantiori tractata, ut nos velint habere excusatos. Ut enim novimus, Parisiensi Doctore quodam, viro aliunde notæ prorsus commendationis, evulgatum olim fuisse brevem tractatum manuscriptum, quem ipsi præ manibus nostris habemus, in quo pro virili parte studet, quanquam omnino frustra, probare, sine peccato posse, quantum ad divites, usuram exerceri; operæ pretium esse duximus de illo disciplinæ moralis capite agere penitiori ac fusiori sermone, ut error iis eriperetur, qui decepti falsis ratiocinationibus laudati Theologi, possent cum eo a recta via veritatis, quantum ad præsentem materiam, discedere.

CASUS II.

Othon, commodando Silvano summam 12000. librarum, sese obligavit, ad eandem, nonnisi post triennium, recipiendam: verum, ut compensaretur summæ tam ingentis, ad longum adeo temporis spatium, mutuæ datæ privatio, exegit prædictum virum sese obligare ex altera parte vi chirographi cautionis ejusdem pecuniæ, quam manu propria scriptam ei tradidit, ad ei solvendum interesse dictæ pecuniæ usuris quincuncibus juxta dispositionem Edicti, atque eo quod opus esset ulla alia ulteriori admonitione. Qua de re ei Religionis aliquid incussum est: Sed persuasum habet, sibi prorsus licere, interesse ejusmodi sine peccato recipere, quoniam, siquidem, nulla quacumque prætexta causa, possit pecuniam suam ante recuperare, quam prædicti tres anni in integrum abierint, censendus est eandem, ad constitutum illud tempus sufficienter alienavisse. Num propter rationem allegatam ponitur extra culpam omnis penitus usuræ?

RESPONS.

Constat, ab Othone posse nequaquam sine usura prædictum interesse exigi, quanquam etenim sese obligaverit, ad summam, quam Silvano mutuam credidit, non ante repetendam, quam tres anni in integrum omnino abierint, non potest censeri eandem alienavisse. Ratio est, quod semper vere possit asseri, futurum ut eandem possit, incidente prædicto tempore solutionis, exigere: quod ipsius arbitrio nullatenus relinqueretur, si ejusdem occurreret vera ac proprie dicta alienatio. Ibi igitur nihil aliud deprehenditur, quam simplex ac merum mutuum ad certum tempus tantummodo creditum, ex quo nequaquam licet quidquam interesse percipere *ratione mutui*.

Atque ita decisum fuit a Theologica Facultate Parisiensi ex condemnatione, quam pronunciavit annis 1658. & 1665. contra duo Opera spectantia ad moralem Disciplinam; quorum unum inscribitur: *Apologia Causistarum*. alterum vero: *Amadæus Guimenius*. En propositio, quæ legebatur in prædictis duobus libris: (a) *Licitum etiam esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget, ad non repetendam sortem usque ad certum terminum*. Quæ quidem propositio verbis sequentibus damnata est: *Doctrina harum propositionum falsa est, scandalosa, inducens ad usuras, variasque aperit artes eas palliandi, justitiam ac caritatem violandi, & a Sacra Facultate jam damnata*.

(a) Amad. Guimen. pag. 260. n. 7.

Sed & ipsummet Opus integrum Amadæi similiter quoque damatum fuit Decreto Congregationis Inquisitionis Romanæ 12. Septembris 1675. atque a summo Pontifice Innocentio XI. 16. Septembris 1680. qui etiam prohibuit, imposita pœna excommunicationis, ne legeretur, retineretur, neque ipsius Doctrina ullo quocumque modo proponeretur. Eadem propositio, de qua mox fuimus locuti, damnata quoque fuit alio Decreto Alexandri VII. 18. Martii 1666. dato adversus 45. propositiones morales, inter quas prædicta propositio recensebatur numero quadragesima secunda. Tandem Episcopi quamplurimi, quorum censuræ factæ sunt juris publici, Sorbonæ vestigiis institerunt, quæ prima præluxit exemplo suæ celeberrimæ Censuræ. At non opus est, ea de re quidquam a nobis fusiori Sermone differi post tantam nubem testimoniorum, quæ in superiori decisione retulimus, quibus invictissime demonstratur, usuram nihil aliud esse, quam lucrum ratione mutui perceptum, eandemque & a Jure naturali prorsus alienam esse, & Divino jure penitus reprobatam, atque Conciliis tum generalibus, tum privatis, a Patribus Ecclesiasticis, ab omnibus, quotquot sunt, tam Theologis, quam Canonicis Orthodoxis, & (b) autoritate Legum Christianorum Principum damnatam omninoque severius interdictam.

(b) S. Hieron. in c. 18. Ezech. 8. Aug. & alii PP. cit. S. Antc. 2. part. sum. Theol. tit. 2. c. 2. §. 3. & c. 5. §. & c. 6. S. Raimund. in sum. lib. 2 de usura §. 1. Guillelm. Antissiodor. l. 3. tract. 26. Durand. in 3. sent. dist. 37. q. 2. n. 6. Angel. de Clavasio v. Usura. Navar. in comment. de usuris. n. 5. Cajetan. sum. v. Usura. Tolet. instr. Sacerd. l. 5. c. 28. cap. Super. de usuris cap. In civitate. Et cap. Naviganti. eod. tit. &c.

CASUS III.

Gausbertus Parisinus Civis, cum ad manum haberet summam 6000. Librarum in fœnore collocandam, & Laurentius Civis Rotomagensis, qui Parisios accessit, id audivisset, & ei opus esset eandem summam pecuniæ mutuari, ab eodem rogatur, ut velit ei prædictam pecuniæ summam commodare, facta sibi ab eo conditione de eadem constituendi fœnoris contractus 300. Librarum, hoc est, usuris quincuncibus. Gausbertus equidem consentit pecuniæ suæ apud eum in fœnore collocandæ; quoniam vero solent in Normannia usuræ constitui ratione denarii decimi Octavi, fert ei propositionem, Rotomagum simul proficiscendi, ut fœnoris contractus ibidem conficiatur; atque ut possint usuræ pinguiores de commodandis 6000. Libris sibi accedere. Cui quidem propositioni Laurentius annuit, ac simul Parisiis Rotomagum proficiscuntur, ibique fœnoris contractum curant confici: Gausbertus nihil ne in eo committit iniquitatis, & nonne vim Legis subterfugit, sese industria transferendo ex una Provincia in aliam, ut lucrum sibi afferat, quod sit majus, & sese subducendo a contractu Parisiorum ineundo, in quibus suum domicilium fixum est?

RESPONS.

Non videtur nobis Gausbertus ullius conscius iniquitatis, nec vim Legis Principis subterfugisse. Equidem verum est, tunc peccari adversus mentem Legis, quando contractus initur contra ejusdem dispositionem, juxta regulam istam juris Canonici. *Certum est, quod is committit in Legem, qui, Legis verba complectens, contra Legis nititur, veritatem*. (c)

(c) Bonifac. VIII. in Reg. 88. de Regul. juris in 6.

At quæstio est in eo potissimum constituta, ut sciatur, cujus naturæ sit illa Lex, quæ ad denarium 18. præfixit fœnoris contractus, quantum ad Provinciam Normanniæ; hoc est, utrum personas tantummodo ac territorium intendat, an vero solum duntaxat territorium. Quod ut tutius dignoscatur, ipsamet verba Legis inspicienda sunt ac perpendenda. En igitur quibus verbis concipitur: *statuimus ac jussimus, statuimus ac jubemus, ut pecunia, quæ postmodum collocabitur a nostris subditis in contractu fœnoris intra limites Provinciæ nostræ Normanniæ, non possit per unumquemque annum usuram denario decimo octavo pinguiorem referre*. (d)

(d) Edict. mens. Novem. 1667.

Jam vero patet, prædicta verba laudati Edicti quo Rex præfixit usuram contractuum fœnoris quantum ad Provinciam Normanniæ, nullatenus attingere in locum domicilii eorum, a quibus materia prædictorum contractuum fœnoris suppeditatur, ab iisque duntaxat innui territorium seu Provinciam, in qua prædicti contractus conficiuntur. Ex quibus concludendum est, in casu proposito Gausbertum non posse accusari vim Legis inde subterfugisse, quod Rotomagum eo potissimum fine petierit, ut ibidem curaret, confici suum fœnoris contractum; siquidem Princeps Edicto suo nulla ratione caverit, ne subditi sui, qui commorantur in aliis Provinciis, suam pecuniam in Normanniam deferrent, ibidem in contractu fœnoris collocandam.

Atque revera quidem Rex verbis generalioribus complexus est omnes suos subditos, cum dixit: *a nostris subditis*, non vero: *a subditis nostris præfatæ Provinciæ*: En primum, quo præsertim innitimur, fundamentum.

Alterum vero in eo consistit, quod, ut aliquis contractus valeat ac legitimam consequatur auctoritatem,

ritatem, sufficiat, illum eundem confici juxta requisitas quascumque formulas consuetudinis, quæ recipitur apud Provinciam in qua confectus fuit, ut observat Basnagius. (a) Atqui contractus Rotomagi initus Gausbertum inter atque Laurentium, confectus fuit, ut supponimus, coram Notariis Civitatis ejusdem, ac juxta omnes alias formulas Consuetudine Normanniæ præscriptas; valet ergo legitimamque consequitur autoritatem. Atque ea ratione judicatum est a supremo Senatu Parisiensi pro D. Turgot, cujus domicilium Parisiorum constitum erat, in causa plurimorum contractuum qui confecti fuerant in ipsius gratiam tum Andeli, tum Rotomagi cum Parisinis Civibus: (b) Ergo a fortiori contractus, qui initus est Rotomagi inter Gausbertum Parisinum Civem ex una parte, & Laurentium Civem Rotomagensem ex altera, censendus est ratus ac legitimus.

(a) Basnagius tract. de Hypothecis, cap. 12.

(b) De la d'aluelle, resolut. part. 3. pag. 162.

CASUS IV.

Rogerius sciens, artum trapezitam, suumque amicum, plurimum curare de invidia aliqua pecunia, quam posset accipere cum obligatione solvendæ ejusdem usuræ, quemadmodum sæpe sæpius solet inter trapezitas frequentari; apud eum accessit oblaturus summam 6000. Librarum, quam eidem ad unius anni tempus commodavit, accepta ab eo simplicis ejus chirographi cautione, nullaque accedente usurarum stipulatione, quanquam affulgeret sibi spes fœnoris alicujus de sua pecunia percipiendi. Post elapsum annum convenit prædictum Trapezitam, ab eo suam repetiturus pecuniam, qui eandem ei non equidem reddidit, sed eidem dono dedit 300. Libras quæ prædictæ summæ fœnus præcise constituunt juxta usuras quincunces; & prædictus Trapezita, accepta sua chirographi cautione, aliam priori similem eidem scripsit, quod idem per quatuor annos, unoquoque labente anno, fuit prosecutus. Confessarius Rogerii vult eidem hodierna die inducere obligationem, jam nullas ejusmodi recipiendi usuras, quin etiam ducendi 1200. Libras, quas percepit per quatuor annos, de sorte, quam arto commodavit: adeo ut inde non recipiat nisi summam 4800. Librarum, loco summæ 6000. Librarum. Rogerius caussam affert, cur contendat, sese ad restituendum non obligari, quod commodando suam pecuniam prædicto Trapezitæ, nullus usuras ab eo exegerit, artus nullas quoque solvendas proposuerit, adeoque 300. Libræ quas percepit, non sint considerandæ, nisi ut simplex Beneficium, quod prædictus Trapezita, voluit ei ultro referre ex memori animo summæ benignitatis, qua ei suam pecuniam commodaverat, nullis inde usuris exactis. Quæritur, utrum Rogerius ex prædicta ratione non possit tuta conscientia, atque ex summo jure, sibi retinere prædictam summam 2200. Librarum, & exigere suam sortem 6000. Librarum?

RESPONSIO.

Quanquam Rogerius fœneratoris culpam inde non contrahat in foro exteriori, & coram hominibus, quod usuras neque scripto, neque verbis, fuerit stipulatus pro summa 6000. Librarum quam commodavit Arto; in foro tamen conscientiæ, atque coram Deo, quem latere nequaquam potest cordis humani depravatio, veri nominis usuræ peccati conscius est. Ex sola etenim spe lucrum ex pecunia sua commodata percipiendi, constituitur usurarius: Quum J. C. non tantum modo prohibuerit, ne usuraria impendia exigerentur, aut perciperentur; sed nequidem nec animo, nec spe præsumerentur. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, inquit apud Evangelium S. Lucæ (c), siquidem constet, in istis posterioribus verbis: *nihil inde sperantes*, contineri verum præceptum, quod violare nefarium est; ut docet S. Thomas in eorum interpretatione quam tradit, quamque retulimus in prima decisione. Unde sequitur, siquidem Rogerius non ignoraret, ab Arto sibi metuam pecuniam non quæri, nisi cum obligatione solvendæ usuræ, neque a semetipso ei commodatam fuisse summam 6000. Librarum, nisi in eo animo, ut usuram inde perciperet; &, quum revera prædictam usuram per continuos annos quatuor exceperit, neque tantam pecuniam in manibus Arti per longum adeo temporis spatium procul dubio reliquisset, nisi lucrum sibi reddidisset, manifestum esse, ab eo peccatum usuræ fuisse commissum ex tacito pacto, quod Artum inter & illum subintelligebatur. Quamobrem obligatur, ad summam 1200. Librarum, quam a præfato Trapezita accepit, restituendam, eandem deducendo de sorte eidem commodata, quæ inde fixa consistet ad summam 4800. Librarum.

(c) Luc. 6. 35.

Dicimus: deducendo summam 1200. Librarum de sorte, quæ fuit Arto commodata: quod intelligendum est, modo legitima causa ipsi Arto succurrerit, prædictam accipiendi pecuniam cum obligatione solvendæ usuræ, adeoque ex eadem mutua sumta non peccaverit, puta, si non fuerit eandem mutuatus, nisi ex urgenti rerum suarum necessitate. Nam que, si Rogerio constiterit, Artum ex ejusmodi pecunia mutua sumpta peccavisse: verbi gratia, si certo certius noverit, ab eo mutuam istam pecuniam non sumtam fuisse, nisi ut inde liberius serviret suis libidinibus, aut eandem in pravos alios usus impenderet, in eo casu restitutio pauperibus eroganda est, aut ad alios pios usus conferenda juxta doctrinam S. Thomæ, qui sic habet: (d) *Aliquis dupliciter aliquid dat illicite. Uno modo, quia ipsa datio est illicita & contra Legem, sicut patet in eo, qui Simoniace aliquid dedit, & talis meretur ammittere, quod dedit. Unde non debet ei restitutio fieri de his, & quia etiam ille, qui accepit, contra Legem accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere. Alio modo aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipsa datio non sit illicita, sicut, cum quis dat meretrici propter fornicationem, unde & mulier potest sibi retinere, quod ei datum est. Sed, si superflue aliquid per fraudem, vel dolum extorsisset, tenetur etiam restituere.* Quod principium Doctoris Angelici, cui Cardinalis Cajetanus & alii Theologi adhærent, ad præsentem casum facile omnino est accommodare.

(d) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2.

Cæterum ut robus iis adjiciatur, quæ asseruimus de obligatione, quæ incumbit Rogerio, restituendi, restituendi quidquid usurarum percepit per quatuor annos, per quos suam summam 6000. Librarum apud Artum reliquit, propter illam mentis intentionem usurariam, qua potissimum adductus fuit, ad pecuniam eidem commodandam, abs re non erit, quam jam in prima decisione retulimus, iterum hic loci referre quamdam Decretalem, quæ sibi vindicat autorem Urbanum III. (e), a quo declaratur, in ejusmodi casu, quidquid usurarum acceptum fuit in integrum esse restituendum. En igitur ipsius verba. *Consuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat.* Quibus verbis continetur quæstio, cujus decisio petebatur a laudato summo Pontifice: & quæ ipsissima eadem est, de qua potissimum agitur in proposita specie quantum ad Rogerium. En qua ratione respondet Laudatus Papa. *verum, quia, quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur,* Date mutuum, nihil inde sperantes, *hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in Lege.) judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.* In quæ verba Glossa (f) sic ait: *Et hic habes manifeste, quod intentio facit hominem usurarium, intellige, cum effectu.*

(e) Urban. III. in cap. Consuluit. to. de usuris.

(f) Glossa in cit. cap. Consuluit. v. Male agere.

CASUS V.

Gilbertus, cum sibi opus esset summa 1000. Lib., ad juvandum suum commercium, illudque idem cum honore sustinendum, eandem sibi commodandam a Donato petivit: quoniam vero Renatus pecuniam istam non vult nisi cum obligatione sol-

solvendæ usuræ commodare: Gilbertus ei vendit quatuor jugera pratorum pretio præfatæ summæ 100. librarum, sibique jus retinet eorumdem intra 5. 7. aut 9. annos redimendorum, restituendo Renato similem summam 1000. Librarum; & contractu venditionis confecto, Renatus locat Gilberto quatuor jugera pratorum, constituta annua quinquaginta librarum pensione; quæ summa efficit præcise ipsum fœnus, quod Edictum permittit, ex 1000. libris percipi. Occasione contractus ejusmodi Renato religionis aliquid incussum est. At Renatus dixit, contractus ejusmodi, juxta eam, quæ obtinet apud suam Provinciam, consuetudinem, probari. Quæstio habetur, num aliquid usurarium in contractu, quem inivit cum Gilberto?

RESPONS.

Equidem verum est, ejusmodi contractus comprobari dispositione Consuetudinum quarumdam, quales sunt Turonensis, Andegavensis, & Cenomanensis. apud quas magis frequentantur, quam ipsimet fœnoris contractus: quoniam hypothecæ contractuum fœnoris ibidem possunt ex lapsu quinquennii præscriptioni esse obnoxiæ tam inter præsentes, quam inter absentes, cum e contrario, secundum alias consuetudines, qualis est Parisiensis, præscriptio non acquiratur nisi ex elapsu decennii inter præsentes, hoc est inter eos, qui commorantur in eadem Provincia, & ex possessione viginti annorum inter absentes, hoc est, inter eos, qui diversis Provinciis subjiciuntur. Nihilominus, quæ in ejusmodi contractibus occurrunt, peculiares circumstantiæ evidentissime demonstrant, eos non esse veros, ac proprie dictos venditionis contractus; sed tantummodo mutui quamdam speciem, quod tegitur, ac quasi simulatione quadam nomineque venditionis involvitur; adeoque eosdem esse prorsus usurarios, nihil quidquam obstante tolerantia Consuetudinis Provinciæ, cujus nulla omnino ratio habetur quantum ad forum conscientiæ, siquidem manifestum sit, inter partes ejusmodi speciem contractus non accedere, nisi ut veletur, ac dissimuletur usurarii mutui contractus. Ita censet quidam recentior Theologus, Sorbonicus quondam Professor (a).

(a) Sambov. t. 1. casu 104.

CASUS VI.

GRATIANUS, cum opus haberet centum nummis, Clementem rogat, ut ei velit eosdem dare mutuos, qui quidem, quia vult ex pecunia sua lucrum quærere petitam pecuniæ summam apud eum in fœnore collocat: cujus pecuniæ cautionis causa Gratianus eidem pro pignore tradit unum vineæ jugerum; & inter eos convenit, futurum ut loco reditus centum nummorum Gratianus per annum unumquemque solvat Clementi unum modium vini, quoad usque fœnus sit omnino dissolutum, atque extinctum. Quoniam vero posset contingere, Gratianum exigere a Clemente, ut quod recepisset, in rationes referret, atque in judicio agere, quo sibi restitueretur id, quod excurrit reditum, quem reddere debent centum nummi in fœnore collocati, offerendo solutionem fœnoris usuris quincuncibus juxta præscriptum Edicti: Clemens obligat Gratianum ad sibi vendendum præfatum vineæ jugerum, in cujus venditionis contractu fertur ab eo illud idem fuisse Clementi venditum pretio centum nummorum, quanquam justum ejusdem pretium multo magis excedat: Qu quidem, postquam illud per unum, & diem possedit, Gratiano reddit pro pretio, de quo inter eos convenerat, hoc est: pro uno vini modio per unumquemque annum. Numquid ex ejusmodi contractu venditionis Clemens propriæ suæ conscientiæ tuto consulit?

RESPONS.

Evidenter patet, contractum fœnoris, quo Clemens a Gratiano consequitur certam quamdam annuam pensionem, usurarium esse ultra, quæ involvitur simulatione contractus alterius venditionis fictæ, ac fraudulentæ, qui proinde nequit conscientiam Clementis ab usuræ peccato vindicare; siquidem non fuerit bona fide confectus, sed eo dumtaxat fine, ut ei assereretur usura pinguior ipso interesse, quod juxta Regium Edictum anni 1665. potest ex legitimo fœnoris contractu redire (b), quo quidem Edicto Rex præfixit ad denarium 20. usuras contractuum fœnoris. Adeo ut, si Gratiano nondum licuerit usuram ejusmodi redimere, Clemens ex conscientia teneatur, quidquid ulterius perceperit, ab eo acceptum in rationes suas referre, illudque deducere de sorte centum nummorum: aut si, jam usura fuerit redempta, illud idem, quod ultra debitam usuram auxit eidem restituere (c). Nihilominus si Gratianus & Clemens ambo bona fide egissent quoad pactum, quod inter eos accessit, & Clemens nihil lucri quidquam ex data mutua sua pecunia intendisset, sed tantummodo animo sibi proposuisset ex pecunia sua lucrum legitimum accipere; videtur, futurum jam, ut non posset usuræ conscius condemnari.

(b) Edit. ann. 1605.

(c) Sambov. t. 2. cas. 135.

CASUS VII.

LIMINIUS Publio debet annuum vectigal centum nummorum. Publius, cum sibi opus esset pecunia, eum rogat, ut velit ei pensionem annuam in antecessum numerare, & conditionem offert diminuendi denarium quinarium de centesimo. Quam conditionem Liminius acceptat, & solvit Publio 95. nummos, a quo refert apocham centum nummorum. Num in eo Liminius aliquo peccato culpandus est?

RESPONS.

S. Thomas scribens ad Jacobum de Virerbe, (d) eos omnes generatim usuræ condemnat, qui debitis suis ante satisfaciunt, quam solutionis tempus advenerit; ut sibi a suis Creditoribus de debito pars aliqua remittatur, quoniam, proprie loquendo, in eo occurrit quædam quasi venditio anticipatæ solutionis, quæ nihil aliud est, quam mutuum saltem implicitum: *Ille, qui ad certum terminum debet*, ait laudatus S. Doctor, *si ante terminum solvit, ut ei de debito aliquid dimittatur usuram committere videtur: quia manifeste tempus solutionis vendit. Unde ad restitutionem tenetur.* Quibus præterea sic addit: *Nec excusatur per hoc, quod solvendo ante terminum, gravatur; vel quod ad hoc ab alio inducitur: quia eadem ratione possent usurarii omnes excusari.* Ex quibus concludimus, ex conscientia obligari, ad quinque nummos, qui sibi condonati fuerunt, Publio restituendos; si nihil ipsi ex ista anticipatione solutionis accedat detrimenti; nec gratiam istam receperit, nisi propter anticipatam ab eo solutionem: siquidem eo animo solutioni in antecessum satisfaciens, vendat reipsa tempus, & mutuum saltem implicitum Publio credat cum intentione lucrum ex mutuo sibi quærendi. In eoque sensu sunt intelligenda verba S. Thomæ, quæ jamjam retulimus, juxta interpretationem, quam S. Antoninus habet ad prædicta verba (e) cum ait: *Aut debitor ex tali anticipatione solutionis, nec damnum incurrit, nec negotiari cum illis est paratus; nec super hæc cogitat; sed solum quia prævenit tempus, vult sibi illa quinque remitti; tunc est usura: & ratio est, quia vendit tempus; & mutuum est ibi implicitum cum lucro in tanto, & in hoc casu loquitur Sanctus Thomas.*

(d) S. Tom. opusc. 67.

(e) S. Anton. 2 p. sum. theol. t. 1. c. 8. §. 13.

Fatemur equidem, si Liminio tantum damnum emergeret ex ista solutionis anticipatione, quantum inducitur Publio ex jactura, quam patitur quinque nummorum pro centum, qui ei debentur; futurum ut nihil iniqui committeret, neque sese peccato usuræ constringeret; quum ejusmodi lucrum non perciperet ratione participatæ solutionis; sed eo dumtaxat animo, ut compensaret damnum, quod pateretur ex ejusmodi solutionis anticipatione, quemadmodum contingeret, si obligaretur, ad mutuandam ipsam summam vel totam, vel ex parte, cum obligatione solvendæ usuræ, quæ lucrum percipiendum adæquaret. Quod ita docetur a S. Antonino (f), quando prosequitur verbis istis:

(f) Idem cit. loc.

Quod

Quod si illa quinque retinet debitor; quia tantumdem ust damnum, quod ipse inde recipit ex anticipatione solutionis, tunc non est usura, quia nullum ux hoo lucrum consequitur, sed solum conservat se indemnem. Quæ quidem cum doctrina S. Thomæ

(a) S. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 2.

plane concordant (a), qui sic docet: *Hoc enim non vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare.* En qua ratione se habet prima exceptio: admittitur quoque altera, quæ in eo consistit, quod, si Publius Liminio de debito condonaret, seu remitteret aliquid ex mera benignitate; neque Liminius condonationem ejusmodi acceptaret, nisi ut beneficium, nullatenus vero tanquam pretium anticipatæ solutionis, ei prorsus liceret sine ulla usuræ nota ne minima quidem, prædicta condonationis gratia gaudere. At fatendum est, ejusmodi mentis intentionem, quæ sit ab omni lucri percipiendi cupidine penitus defæcata, raro prorsus inveniri, & omnino timendum esse, ne in ejusmodi occasione sibi nimio plus imponatur.

Quæ prædictæ duæ exceptiones etiam occurrunt in opusculo quodam, quod S. Thomæ vulgo tribuitur (b). En quæ ibidem verba leguntur:

(b) Apud S. Thom. Opusc. 71. de usuris c. 8.

Huc potest cadere excusatio usuræ dupliciter. Uno modo, quando gratis & liberaliter creditor hujusmodi superabundantiam tribuit debitori, & debitor non causa temporis accipit. Alio modo, quando debitor per damnum propriæ rei compensat hujusmodi superabundantiam: ut, quando non potest habere pecuniam sine alicujus rei propriæ alienatione & damno, ex qua solvat Creditori, quod putit ante terminum solutionis. Alias est casus usurarius.

CASUS VIII.

Salvius emit a Clito mense Maji, ac præsenti numerataque pecunia solvit mille vellera duorum gregum vervecum, quæ sibi a venditore labente mense Augusti tradenda sunt. Unumquodque vellus juxta communem æstimationem est pretii decem solidorum. At quoniam pretium præsentis pecuniæ numerat ab ipso temporis momento, quo eadem emit, non solvit unumquodque nisi pretio solidorum septem cum dimidio. Nonne in eo occurrit aliquod usuræ peccatum?

R e s p o n s.

Non est ambigendum, quin Salvius in ejusmodi emptione sese reddat usuræ peccati conscium; quoniam illa anticipata solutio pecuniæ, quam in antecessum numerat Clito, mutui cujusdam locum tenet. Ideoque nihil quidquam juris inde sibi potest arrogare, ut lucrum sibi quærat solvendo in antecessum præsenti pecunia, antequam traditionis tempus inciderit, vellera minus, quam valere consueverunt, si nihil damni recipiat ex prædicta solutionis anticipatione: quos superius citavimus in dissolvenda præcedenti difficultate, duo textus SS. Thomæ, atque Antonini plane sufficiunt ad uberiorem hujusce veritatis confirmationem. En alium tamen hic loci rursum subjicimus, quo textus iidem non mediocriter roborantur: *Si quis emptor velit rem emere vilius, quam sit justum pretium*, ait Angelicus Doctor, (c) *eo quod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ. Quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* Venditor tamen nihil peccat, aliquid diminuens de justo pretio suæ mercis, ut citius consequatur suam pecuniam: *Si vero*, addit S. Thomas, *aliquis de justo pretio velit diminuere, ut pecuniam prius habeant, non peccat peccatu usuræ.*

(c) S. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 7.

Autor cujusdam tractatus de usura, qui legitur inter opera S. Thomæ, (d) doctrinam eandem fusius prosequitur; ac probat, ex sola ratione vel anticipatæ solutionis, vel moræ ejusdem, non exurgere titulos sufficientes, vi quorum possit quis tuta conscientia vel emere vilius, vel vendere carius ipso justo rerum pretio: en qua ratione differit: Verum est, ait, ut plurimum occurrere quasdam temporis circumstantias, quæ possunt pretio mercium aliquid afferre mutationis. At observandum est, ejusmodi circumstantias plurimum pendere vel ex ipsamet earumdem mercium natura, vel ex illarum usu: exempli causa, viget in quibusdam anni tempestatibus prædictarum mercium summa omnino penuria, in aliis vero recurrit eorumdem copia prorsus abundans: quod contingit præsertim quantum ad eas, quæ usu, cui inserviunt, consumuntur: ut accidit quantum ad triticum, quod autumnali temoore, in quo percipitur, magis abundat, quam tempore verno. Est etiam & alia temporis circumstantia, prosequitur citatus Auctor, ex qua pretium rerum accenditur, quæ nimirum inde provenit, cum ex successione temporis res istæ fiunt meliores; atque ejusmodi sunt animalia, quæ per certum quoddam spatium temporis aluntur, ut saginentur, quæ cariori pretio augentur, quando de pastu redeunt pinguiora, quam ubi primum illuc propulsa fuerunt: talis est etiam ager seminibus gravidatus, qui quantum ad æstimationem potior est per menses, quam erat, antequam in eo frumentum sereretur: Occurrit denique, addit Laudatus Doctor, tertia circumstantia, quæ desumitur ex loco, in quo merces publicantur, & ex quo potest earumdem pretium vel imminui, vel augeri: puta, quando fuerunt illuc ex longinquis regionibus transportatæ, adeoque ingentiori cum labore, majoribusque cum expensis, quam opus fuisset, si in locum viciniorem transferendæ fuissent: aut etiam, quando numerus ingens emptorum in certa quædam loca consuevit concurrere, in alia vero nonnisi paucissimus.

(d) Apud S. Thom. opusc. 73. c. 8.

Ex quibus prædictis tribus circumstantiis tum locorum, tum temporum, quæ fundamentum suum desumunt vel ex natura ipsarum mercium, vel ex earumdem usu, ipsæ merces pretio vel augentur, vel minuuntur. Unde laudatus Auctor sic concludit: en ipsissima ejus verba subjicimus: *Est ergo generaliter tenendum, quod in omnibus contractibus, in quibus plus accipitur a vendente, vel emente, quam dederit, & non fuerit ratio hujusmodi augmenti in usu rei, sive in natura ipsius rei, nec producta fuerit ex temporis aliqua conditione existente in ipsis rebus, sicut apparet in tribus modis prædictis, sed accidit incrementum ex dilatione temporis concessa a vendentu, vel emente, ut per hoc plus accipiat, tunc talis superabundantia accepta super datum, usura dicitur, & usuræ tenet vitium, quia sine justa ratione generatur in talibus contractibus & mutuis: & hoc vocatur apud Jurisperitos, & etiam vulgariter, vendere, vel emere ad credentiam.*

Jam ergo dicendi finem faciamus, & concludamus, asserendo, non licere Salvio, de quo quæstio est in specie proposita, nisi ex manifestæ usuræ vitio, emere a Clito unumquodque vellus pretio septem solidorum cum sex denariis; siquidem, ut supponitur, justum ejusdem pretium juxta communem æstimationem ad decem solidos usque consueverit assurgere: quam diminutionem non potest lucrari præcise ex eo, quod quadam solutionis anticipatione suam pecuniam in antecessum numeret tribus aut quatuor mensibus, antequam solvendi tempus advenerit, sed in rei veritate futurum, ut hoc ipsum ei permitteretur, si ex anticipatione solutionis, quam eo animo prævenit, ut Clito suo venditori pergratum faciat ei quid accederet detrimenti, quo lucrum inde percipiendum adæquaret; aut, nisi pecuniam suam in antecessum numeraret, locus ei adesset eandem in commercio utiliter collocandi, atque inde probabiliter referendi lucri plurimum: neque etenim solum duntaxat damnum emergens, verum etiam lucrum cessans, acceptum in sensu, quem innuimus & explicavimus alibi, ambo efficiunt titulum legitimum, ex quo licet mercem aliquam carius aut vilius ipsius juris pretio emere per modum compensationis damni realis, quod aliunde accipitur: hoc est, quod venditor patitur ex privatione suarum mercium, aut emptor ex privatione suæ pecuniæ, quam in alio commercii genere utiliter collocavisset, ex quo, quantum conjiciendi locus plurimus datur, retulisset lucrum respondens ei, quod non recipit propter anticipatam solutionem.

CA-

Digitized by Google

CASUS IX.

Nebridius Dominus de rurali quadam Parœcia rogaturus a Josepho, ut libras 400. quibus opus habebat in urgenti omnino necessitate, vellet ei commodare, hoc ipsi beneficiam indulsit, sed imposita simul oneris conditione, ut ex animo gratiæ sibi concessæ non immemori, deinceps accederet ad ipsius pistrinum, suum frumentum ibidem moliturus, aut coquendam suum panem deserret in ipsius furnum bannalem, cui ejusmodi oneria Josephus nulla ratione obnoxius est, sed quod u se post modum subeundum esse, ipsi Nebridio promisit: ac solvendum pro molendo suo frumento, vel coquendo suo pane, quod ea de re alibi solvi consuetum erat. Num ista conditio usuraria est ex parte Nebridii? Ejusmodi conditio, quæ proponeretur ab aliquo pistore, verbi gratia, qui rogatus, ut commodaret certam aliquam pecuniam, eandem se roganti mutuam credendo simul obligationem imponeret a sese panem de officina pistoria recipiendi pretio, quo consueverunt omnes vulgo ab eodem accipere, ejusmodi conditio usuræ ne etiam vitio inficiaretur?

R e s p o n s.

Extra dubium est, usurariam prorsus esse impositam ejusmodi conditionem; siquidem Nebridius non commodet Josepho nisi sub ista obligatione 400. libras, & alioquin easdem nullatenus daret ei mutuas. Ratio est, quod prædicta conditio rationem præ se ferat servitutis, quæ pecuniæ pretio æstimabilis est, quamque Nebridius a Josepho consequitur in pretium mutuæ pecuniæ, quam ei tradidit. Unde sequitur, ab eo prædictam pecuniæ summam ipsi nequaquam gratuito commodari; adeoque eum peccare contra præceptum Jesu Christi, qui sic jubet: *Mutuam date, nihil inde sperantes*. Quibus posterioribus verbis veri nominis ac proprie dictum præceptum innuitur, quemadmodum evicimus superius auctoritate S. Thomæ (*a*), qui in eo totus consonat Conciliis, atque Decretalibus summorum Pontificum (*b*); atque sentiendum prorsus arguendumque est idem de Pistore ac de quocumque alio, qui pecuniam suam non vult, nisi accedente ejusmodi conditione, commodare.

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4.
(*b*) Conc. Later. sub Alex. III. in c. Quia 3. de usur. Leo X. in Conc. Later. 5. sess. 10. &c.
(*c*) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 1. c. 7 §. 8.

Quæ decisio propria est Antonini, qui sic habet (*c*): „ Si quis mutuat alteri, ea intentione, vel pa-
„ cto, ut vadat ad molendinum suum, vel furnum,
„ vel ad Apothecam suam ad emendum, vel intret
„ scolas sub eo, & hujusmodi, alias non mutua-
„ turus, usuram committit, etiamsi non majori
„ pretio sibi vendit propter hoc, seu plus ab eo,
„ quam ab aliis perit. Ratio est, qui a commo-
„ ditatem, seu utilitatem inde recipit, quæ
„ pretio æstimari potest.

(*d*) Fennolio. Sylv. in S. Tham cit. art. a concl. 7. §. primus est

Quod idem Sylvius docet, istis verbis (*d*): *Si quis alteri mutuans, obliget ipsum, ut emat eu sua officina, colat suos agros, ut scolam suam frequentet, ut frumentum molat in suo molendino, ut si Medicus est, curet mutuantem ejusque infirmos, quando ægrotabunt, est usurarius, etiamsi justum solvat mercedem tum Agricolæ, tum Medico, neque mutuatarius ei plus solvat pro mercibus, pro molituea, quam solveret alteri: obligatio enim ad colendum agrum mutuantis, etiamsi persoluta justa mercede, est pretio æstimabilis. Ergo non licet eum exigere ex mutuo.* Istamque aliam causam addit: *Quia est obligatio Civilis, qua mutuatarius privatur sua libertate & consequenter se exponit hujusmodi periculo, ut non possit alteri operam suam locare, quamvis sub majori stipendio requireretur*. Tandem Patronos sententiæ suæ appellat Sylvestrum Mozolinum Cardinalem Cajetanum, Bannesium, Salonium, Navarrum, Cardinalem Toletum & Azorium(*e*)

(*e*) Sylvest. de Pelerio v. Usura 1 q. 7. Cajet. eod. verb. Bannes & Salon in 2. 2. q. 78. art. 2. Nav. Manual. c. 7. n. 220. & seqq. Fr Tolet. instr. Sacerd. l. 5. c. 30. Jo. Azor. p. 3. l. 7. c. 7.

CASUS X.

Rigobertus mutuos credidit Hieronymo Advocato nummos ducentos, ea conditione, ut litia causam, quam habet judicio supremi Senatus delatam, sit pro eo gratuito dicturus, qua quidem in re nihil exigitur, nisi simplex amicitiæ ac benevolentiæ beneficium, quod nullius est impendii, nullius que laboris, præter aliqua tantummodo verba per quadrantem circiter horæ facienda, quam conditionem Hieronymus ei promisit sese executurum: Est ne conscius alicujus usuræ, quod accedente conditione hujusmodi pecuniam suam Advocato præfato mutuam crediderit?

R e s p o n s.

Ex allegatis in difficultate superiori dissolvenda auctoritatum testimoniis liquidum est, a Rigoberto non potuisse, quin se conscium usuræ redderet commodari ducentos nummos Hieronymo, accedente conditione, quæ in proposita specie enunciatur; quum constet laborem ac ministerium Advocati esse quid tantumdem valens, quantum ipsamet pecunia, atque pretio ejusdem prorsus æstimabile, adeoque Rigobertus ei suam pecuniam gratuito non commodaverit.

Quod facile probari potest auctoritate S. Thomæ qui ait: (*f*) „ Si aliquis ex pecunia mutuata expe-
„ ctet vel exigat, quasi per obligationem pacti ta-
„ citi, vel expressi, recompensationem muneris
„ ab obsequio, vel a lingua, perinde est, ac si ex-
„ pectaret, vel exigeret munus a manu, quia utrum-
„ que pecunia æstimari potest; ut patet in his, qui
„ locant operas suas manu, vel lingua exercent.

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3.

At vero, si prædictus Advocatus vellet ex animo benevolo atque accepti beneficii memori Rigoberto istud obsequium præstare, posset Rigobertus illud sine peccato acceptare, quin etiam exigere, modo non propter mutuum nec acceptaret, nec exigeret, hoc est, illud non exigeret tanquam quid sibi debitum ratione mutui: *Si vero*, addit Angelicus Doctor, *munus ab obsequio, vel lingua non quasi ex obligatione res exhibetur, sed eu benevolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere & exigere & expetere* (*g*).

(*g*) Idem S. Th. q. 13. de malo art. 4. ad 13.

CASUS XI.

Theobaldus, commodando Philippo libras quingentas, sperat futurum ut ab eo ex animo collaræ gratiæ memori munus aliquod accipiat. Num ex ejusmodi spe concepta conscius afficitur alicujus usuræ mentalis, atque proinde peccati?

R e s p o n s.

Si vir prædictus spem animo concipiens muneris alicujus, occasione mutui quod tradit Philippo, munus illud habeat tanquam quid sibi propter rationem mutui debitum, ipsius spei vitium inest atque habet usuræ; cum usura, juxta S. Thomam (*h*) nihil aliud sit, quam lucrum, quod ex mutuo provenit, atque percipitur. Si vero non speret munus, nisi tamquam quid omnino gratuitum, & cujus referendi nulla prorsus Philippo necessitas incumbat, non inde contrahit usuræ peccatum: (*i*) *Munus aliquod vel a manu, vel a lingua, vel ab obsequio, potest usurarius sperare ex mutuo quod concedit, dupliciter*, ait Laudatus S. Doctor; *uno modo, quasi debitum eu quadam obligatione tacita, vel expressa: & sic, quodcumque munus speret, illicite sperat. Alio modo potest aliquod munus sperare, non quasi debitum, sed quasi gratuitum & absque obligatione præstandum, & sic licite potest ille qui mutuat, sperare aliquod munus ab eo cui mutuat, sicut qui facit servitium alicui, confidit de eo, ut amicabiliter sub tempore servitium faciat.*

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 1. & 2. in corp.
(*i*) Idem q. de malo art. 4. ad 13.

Theobaldus ergo potest absque ullo ne minimo quidem peccato non tantummodo sperare, verum etiam recipere, quidquid ei Philippus gratuito & ex animo memori mutuæ sibi concessæ pecuniæ voluntario muneris offeret: *Si vero accipiat aliquid hujusmodi*, ait rursum alibi Doctor Angelicus, (*k*) *non quasi exigens, nec quasi eu aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam, antequam pecuniam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit.*

(*k*) Idem cit. q. 78. art. 2. in corp.

Quoniam vero facile est, unumquemque sibi metipsi in ejusmodi rerum circumstantiis nimio plus blandiri, ac libentius iis mutuam pecuniam dare

a qui-

Digitized by Google

a quibus occurrentibus jam ejusmodi casibus donum ab aliquo repensum est, qua ab iisdem novum aliud munus quoque speratur, ex mutuo, quod iis traditur; plurimum interest, sic mentis intentionem componi, ut animus, ad gratuito commodandum, totus sincere comparetur, quamquam certissime constaret, futurum ut nihil quidquam muneris inde rediret.

CASUS XII.

Eusebius petit a Gautiero, ut nummos centum quibus sibi opus est, mutuos tradat. Cui quidem prædictam pecuniæ summam Gautierus commodat, sed ea conditione, ut parem pecuniæ summam sit ei mutuam daturus, cum eadem opus habebit, quam conditionem Eusebius verbo tenus suscipit. Estne prædicta conditio aliqua ratione illicita atque usuraria?

RESPONS.

(a) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4.

Asserit S. Thomas (a), ejusmodi conditionem qua, qui mutuatur, sese obligat erga commodantem, ad par pari referendum in alio tempore, esse prorsus illicitam atque usurariam; quoniam ejus generis obligatio est quid pecuniæ pretio æstimabile; adeoque, qui commodat, exigit præter sortem aliquid ulterius: *Quia etiam talis obligatio pecunia æstimari posset*, inquit Laudatus S. Doctor, *& ideo licet mutuanti unum simul aliquo aliud mutuum recipere; non autem licet eum obligare ad mutuum imposterum faciendum.*

(b) Fr. Sylv. in cit. art. 2. concl. 3. ad 4.

Sylvius (b) eruditus interpres S. Thomæ sententiam tenet eandem: *Satis constat*, inquit, *non posse illum, qui mutuat obligare mutuatarium, obligatione scilicet civili, in futurum, quando etiam continget ipsum re aliena indigere; ei remutuet, ut dicit enim S. Thomas*: Licet mutuanti unum simul &c. *Et hoc ideo, quia cum ejusmodi obligatio sit civilis & onerosa, atque adeo æstimabilis pecunia, is, qui ex mutuo talem obligationem postulat, ei nihilominus vult sortem principalem restitui integram, expectans ex mutuo aliquid pecunia æstimabile ultra sortem, & per consequens committit usuram.*

Ratio est, quod munus ex grato animo rependendum oporteat omnino liberum esse ac gratuitum, adeo ut, qui grato animo ducitur, non obligetur ad illum eundem testandum hoc vel illo beneficio, nec certis quibusdam temporibus, nec certa quadam ratione, sed ipsius arbitrio penitus relinquatur, beneficium rependere, quod ei magis libuerit, & qua ratione, quo ve tempore magis expedire visum ei fuerit, vel memorem duntaxat animum gratiæ sibi concessæ gerere, neque eundem ex ullo beneficio rependendo proferre: alioquin, si quam sibi contrariam obligationem imponeret, jam gratiam, proprie loquendo non susciperet gratuito rependendam sed veri nominis debiti solutionem, ad quam qui mutuatur, obligaretur ex stricto justitiæ jure, propter eam, quæ accessisset, conventionem. Quod docet S. Raimundus (c), quando sic habet: *Quare ergo hanc naturalem obligationem non potest creditor deducere in pactum expressum, vel saltem sperare effectum ipsius obligationis naturalis .... creditor nullo modo debet pactum apponere, nec principaliter spem, vel intentionem in tali retributione habere, sed propter Deum & ex caritate principaliter debet mutuare proximo indigenti.*

(c) S. Raim sum. l. 2. c. de usuris & pignor. §. 4.

Quibus auctoritatum testimoniis addamus, quid esset de proposita difficultate sentiendum, a Romana sede fuisse verbis omnino manifestissimis declaratum: cum ab Innoc. XI. condemnata fuerit quadragesima secunda propositio, quæ legitur inter propositiones 65. quas secundo die Martii 1679. damnavit, & concipitur istis verbis: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tanquam ex justitia debitum.* Cujus propositionis Censura fert decretum prohibitorium, quo severius omnino cavetur, ne doctrina ejusmodi ullatenus proponatur, aut defendatur; pœna imposita excommunicationis *ipso facto* incurrendæ, atque præter quam in mortis articulo S. Sedi reservatæ.

CASUS XIII.

Hebertus dupliones aureos viginti Petro potissimum ex benevolentiæ causa, animoque conferendi eidem aliquod officium, commodavit: verum ex prædicto mutuo finem alterum secundarium sibi secreto proposuit, nimirum ut ejusdem conditionis officium ab eo referret in quadam occasione, in qua conjicit futurum, ut sibi necesse sit summam pecuniæ mutuari ingentiorem. Habetne finis ejusmodi intentus aliquid, quod non sit licitum, & usuram aliquatenus sapiat.

RESPONS.

Si finis prædictus secreto duntaxat intentus fuerit, & Hebertus nulla promissione Petrum constrinxerit qua obligationem ei induxerit, par pari sibi referendi, nullius mentalis usuræ conscius censendus est; quoniam integro Petri reliquit arbitrio, referre, aut non referre istam grati sui animi significationem. Atque ita docet Auctor Glossæ in quandam Urbani III. (d) Decretalem, qui quidem postquam peccati notam ei inussit; qui commodando, primario, ac principaliter lucrum aliquod intendit, sic adjicit. *Secundario tamen aliquid sperare, non puto malum.* Verum, ut in occasionibus ejusmodi omnis assentatio procul amoveatur, operæ pretium est unumquemque sese penitus inspicere, ac considerare, num sincere sit animo dispositus ad commodandum, etiamsi pro comperto habeatur, ab eo, cui mutuum tradidit, par pari nunquam esse referendum. Si namque, nihil obstante ejusmodi animi persuasione, mutuum concedatur, argumentum est certissimum, fini, qui intenditur, nihil usurarii omnino subesse. Quam regulam nobis proponit S. Antoninus: (e) *Intentio secundaria dicitur*, ipsissima sunt ejus verba, *quando etsi sperat, aliquid sibi dari ab eo, qui mutuavit, ex sua liberalitate, tamen non eum illud movet, sed magis benevolentia, ita quod etiamsi non crederet sibi aliquid dari ultra sortem, adhuc tamen mutuaret.* Quod idem S. Raimundus (f) habet verbis istis: *Si secundario speret, quod ille debitor sibi remutuet, vel aliquid simile, si opus fuerit, non est reprobandum.*

(d) Gloss. in c. Consuluit 10. de usuris v. Sperantes

(e) S. Anton. 2. p. summ. theol. t. 1. c. 6. §. 1.

(f) S. Raim. in sum. theol. l. 2. c. de usur. & pignor. §. 4.

Atque hæc omnia fundamentum habent in ipsamet definitione, quam ad usuram S. Antoninus accommodat sequenti ratione (g): *Usura est lucrum ex mutuo principaliter intentum?* Adeo ut, cum finis principalis quem Hebertus intendit, non habuerit pro objecto suo, lucrum aliquod sibi percipiendum, sed solum officium ipsimet Petro conferendum ex mutuo, quod eidem tradebat, non sit censendus usurarius, quanquam speraverit, futurum ut a Petro posset aliquando simile officium sibi referri, si necessitas urgeret ad eum recurrendi.

(g) S. Anton. cit. c. 7. init.

CASUS XIV.

Scaevola quamdam pecuniæ summam cuidam e vicinis suis commodat cum eo principali animo ac fine, ut & ipsius amicitiam sibi conciliet, & ejusdem gratum animum inde experiatur. Habetne ista intentio aliquid usuræ suspectum?

RESPONS.

Usuraria nequaquam est ei ejusmodi intentio: quoniam nec amicitia, nec gratus animus aliquid constituunt, quod pecuniæ pretio possit æstimari. Ita docet S. Thomas (h), qui sic habet: *Recompensationem vero eorum, qua pecunia non mensuratur, licet pro mutuo exigere: puta benevolentiam & amorem ejus, cui mutuavit, vel aliquid hujusmodi.*

(h) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. in corp.

CASUS XV.

Hercules, opus habens quadam 550. librarum summa, eandem Gratianum Parisiorum rogat mutuam, qui promittit, futurum ut prædictam summam ei restituat intra tres menses nummos aureos numerando quinquaginta, quo tempore, quantum conjicere licet, nummi aurei pretio augescent, ac valorem hodiernum suum excedent, aut jubendo, ut idem nummorum aureorum numerus ei reddatur Argentorati, in qua urbe num-

nummus aureus unusquisque pretio decem solidorum augetur plusquam Parisiorum. Num oblatam ejusmodi conditionem Gratianus potest sine usuræ periculo acceptare?

RESPONS.

Si Gratianus lucrum principaliter intendat ex mutuo, quod concedit Herculi, ipsius intentio absque dubio usuraria est. Nam juxta Auctorem tractatus cujusdam de usura, qui reperitur inter opera S. Thomæ (a), ille peccatum usuræ contrahit, qui commodat, principaliter intendens lucrum ratione mutui. At vero, si potissimum intendat Herculi officium aliquod exhibere, nullum sibi aliunde lucri finem proponens ex mutuo, non peccat, licet etiam contingeret, ad eum lucrum aliquod ex nummis aureis qui ei redderentur, postmodum accessurum. *Aut mutuans committit usuram*, ait antiquus iste Doctor, *quia lucrum sperat ex mutuo; aut mutuans nihil lucri in mutando intendit, sive ex loco; sed tantum ob favorem & gratiam proximi hoc mutuat: & tunc nihil culpabile ex hoc incurrit.* Auctor Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ, quem nullus laxiorum opinionum fautorem certissime incusaverit, eamdem amplectitur sententiam (b).

(a) Apud S. Thom. opusc. 73. c. 14.

(b) De Gen. Theol. mor. tom. 1. tract. 5. cap. 1. q. 15.

CASUS XVI.

LICINIUS, quodam prædio gaudet, ex quo per singulos annos recipit libras trecentas. Cum nummis indigeret, Juliano conditionem proponit ei vendendi prædictum reditum ad tempus decem annorum. Quam conditionem acceptat Julianus, & cum eo paciscitur summam duorum millium ducentarum librarum ea de re ei impræsentiarum numerandam; Nihil ne usuræ occurrit in ejusmodi conventione?

RESPONS.

Auctor opusculi cujusdam, quod S. Thomæ vulgo vindicatur, censet, in casu proposito ne quidem usuræ levissimam umbram occurrere; quod probat tribus potissimum de caussis (c).

(c) Apud S. Thom. opusc. 73. de usuris. c. 9. in fine.

Prima: quoniam, cum venditor prædicti prædii sit dominus, libero prorsus jure potest illud idem emtori cedere ad tempus, quod sibi libuerit, accedente etiam minore pretio, quam ipsum prædium valeat. *De natura sua contractus habet in se tria, quæ ipsum justum ostendunt. Unum est, ipsa vendentis liberalitas, qua potest rem suam dare gratis, vel permutare pro re minoris pretii, quam sit sua res: & secundum hoc nullum incidit vitium in emente; quia id quod accipitur, totum est de voluntate libera domini.* Sic laudatus Auctor loquitur.

Secunda: propterea quo nihil iniquitatis in eo sit, quod res tanti vendatur, quanti æstimatur a contrahentibus, modo ipsa justa sit ejusdem æstimatio, quemadmodum videtur revera eamdem justam deprehendi, quantum ad speciem quam inspicimus; tum quia Licinius nusquam acceptaret summam duorum millium ducentarum librarum, si pecuniam ingentiorem aliunde de suo prædio sibi quærere posset; tum quia tria millia librarum quæ perciperet de dicto suo prædio intra decennium, non præstant summæ pecuniæ, quam præsentem atque heic & nunc numeratam accipit: cum futurum bonum consistens in quodam agri fundo censeatur multo minoris esse æstimationis ac pretii, quam bonum præsens; atque eo magis, quod ex præsenti bono plus impræsentiarum cedat utilitatis atque emolumenti. *Aliud est ipsa æqualitas permutationis rerum*, addit laudatus Auctor, *quia quando res venditur pro tanto, quanto æstimatur juste sive a venditore & emente, sive ab his qui sunt Legis positivæ; tunc est justitia in permutatione: sed constat, quod vendens non potest plus habere pro tempore; pro quo vendidit; & etiam res futuræ per tempora, non sunt tantæ æstimationis, sicut eædem collectæ in instanti, nec tantam utilitatem inferunt possidentibus, propter quod oportet, quod sint minoris æstimationis secundum justitiam.*

Tertia denique: quia quod ulterius excurrit summam duorum millium ducentarum librarum, non est considerandum tamquam lucrum ab ipsa sorte principali sejunctum atque distinctum; siquidem emtor, qui in subjecta nostra specie ipse Julianus est, vere acquisiverit ad tempus annorum decem integrum præfati prædii reditum. Præterquam quod facile contingere possit, futurum ut istud prædium in certis quibusdam annis sterilibus minorem etiam reditum valeat referre; quem ejusmodi rerum eventum venditor non sese obligat ad præstandum emtori. *Tertium est ipsa ratio sortis: quia, quod plus accipitur, quam datur, est de ratione sortis; eo quod emens totum emit, quod eventurum erat tempore determinato: & ideo non ultra sortem propriam accipit, sicut nec ille, qui emit reditus ad omne tempus.*

Eoque fundamento prædictisque rationum momentis fultus laudatus antiquus Doctor asserit (d), licere terram semine gravidatam minori pretio comparare, quam æstimaretur messium tempore. *Illud*, inquit, *quod per naturam temporis accrescit rei alicui, juste est illius, cujus est ipsa res: ut si quis emat terras fructiferas vel arbores, vel animalia fructifera, quidquid evenit per naturam temporis & non tantum per exercitium laboris, juste fit illius, cujus sunt hujusmodi terræ: quare, cum per naturam temporis segetes in terra satæ veniant ad majorem valorem, & similiter silvæ; sequitur, quod quidquid provenit ultra pretium datum, juste fit illius qui emit ipsa, * & cedit in propriam sortem. Quare nihil accipit ultra sortem, licet plus accipiat emens, quam dederit.*

(d) Idem ibid. c. 10. in fine

* Scilicet segetes & silvas.

CASUS XVII.

CÆSARIUS, opus habens decem tritici modiis, eosdem mutuos accipit a Claudio, a quo mutuatur eos circa medium mensis Octobris, quo tempore valet modius unusquisque solidos circiter triginta; ea conditione, ut pares modios decem sit ei restituturus labente mense Junii, quo pretium tritici consuevit ut plurimum ad solidos quadraginta quinque ratione modii assurgere, aut eorumdem decem modiorum, juxta istam æstimationem, ei sit pretium refusurus. Nonne usuræ vitio tenetur ejusmodi conventio?

RESPONS.

Si Claudius prædictum triticum Cæsario commodans, intendat aliquod lucrum ex ejusmodi mutuo, nequaquam dubitandum est, quin sese constringat usuræ manifestæ peccato, quum juxta sacram Scripturam, Concilia, Patres, & quotquot sunt Theologos, non possit in quocumque casu, nisi cum usura, lucrum ullum ratione mutui percipi. *Qui mutuat hoc pacto*, ait Sylvius (e), *ut mutuatarius eo loco vel tempore solvat, ubi vel quando res pluris valet, usuram committit: puta, si mutuat frumentum vetus, ut reddatur novum eo tempore, quo verisimile est, illud pluris valiturum.* Atque ea de caussa in eoque sensu genus istud mutui condemnatur a quodam Parisiensi Concilio, quod sub Pontificatu Gregorii IV. (f) habitum est anno 829. quodque alibi jam citavimus, & a summis Pontificibus Alexandro III. atque Urbano III. (g).

(e) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 78. art. 2. quæst. *An liceat merces carius vendere &c.* Conclus. 7. §. Octavus.

(f) Conc. Parisiens. 6. c. 13.

(g) Alex. III. in cap. *In civitate.* 6. de usuris. Urban. III. in cap. *Consuluit.* 10. eod. tit.

Nihilominus, si Claudius perversum ejusmodi finem sibi non proponat, nullatenus incidit in usuræ peccatum. Argumentum porro, ex quo dignosci poterit, num recta sit ipsius animi intentio, est 1. Quod apud se deliberaverit triticum suum retinere ac servare, ad illud idem non ante vendendum, quam circa finem mensis Junii. 2. Quod semper paratus sit, ad modios tritici decem, quos Cæsario commodavit, quocumque tempore restituendos offerat, ab eodem recipiendos: 3. Quod non constituat tempus, in quo verisimile est, futurum ut triticum pretio augeatur, nisi cum eo animo, ut caveat a proprio suo damno, quod in sese recideret, si, commodando triticum istud, quod sibi ad propriam sustentationem necessarium est, sibi necessitas induceretur, aliud emendi multo cariori pretio ad sese sustentandum, contingente casu, quod Cæsarius tunc temporis quo sibi commodatum est, triticum non redderet. Ipsius ergo interest sese sub oculis ipsius Dei penitius inspicere, ac semet ipsum interrogare, num vere in prædictis rerum circumstantiis sit constitutus, & utrum sese sic sentiat animo dispositum. *In hoc casu conscientia aut excusat, aut accusat*, ait antiquus quidam Doctor (h): *quia vero mutuum debet fieri gratis, & sine spes lucri; quandocumque in mutuo vel ex mutuo intenditur spes lucri, tunc non caret vitio usuræ .... potest autem excludi spes lucri ab intentione dantis mutuo modo prædicto, dupliciter. Uno modo, quando dans mutuo paratus est, omni tempore accipere rem mutuatam, etiam ante illud tem-*

(h) Apud S. Thom. opusc. 73. de usuris. c. 14.

Digitized by Google

pus determinatum, quo res verisimiliter deberent esse cariores. Hoc modo spes lucri, etsi per accidens intendatur; non tamen per se, quia non tollit rationem gratuiti a mutuo. Alio modo, quando dans mutuo, etiam tempus illud determinavit, in quo verisimiliter plus valituræ erant propter solam damni vitationem; tunc enim damnum vitat, quando necessitati propriæ consulens, intendit conservare res suas sibi magis necessarias ad usum vitæ, quas si tunc non haberet, oporteret eas alibi emere; & sic reportaret damnum de gratia mutui facta proximo; & sic intendens in mutuate excusatur ab omni vitio usuræ.

Ex quibus sequitur, mihi prorsus licere absque ne minima quidem usuræ nota, commodare Joanni mense vel Martii, vel Aprilis, modium unum frumenti ea conditione, at mihi sit ille redditurus modium unum cum altero unius modii frumenti dimidio mense vel Augusti, vel Septembris, modo certo constet, aut ad verum saltem propius accedat, futurum ut modius ille cum dimidio alterius modii non excedat mense Augusti, vel Septembrio, pretium modii, quem a me mutuum accipit mense Martii, vel Aprilis; quoniam alioquin mihi damnum evidens emergeret, si mihi referretur unicus tantummodo modius, qui tunc temporis pretio viliori foret, ipso modio, quem ei commodavissem (*a*).

(*a*) Joann. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 6. c. 9. n. 13. Colloq. Condom, tom. 3, colloq. 12. sect. 2. Sambovius tom. 1. casu 49. & tom. 3. casu 338.

CASUS XVIII.

Macæus, juxta consuetudinem passim frequentatam in quadam Galliarum Provincia, nedum commodet Jacobo centum libras, quas cum rogat sibi mutuo tradendas, quin potius eidem declarat, sese animo constituisse, pecuniam suam, lucri percipiendi caussa, in emendo frumento collocare: verum nihilominus sese velle ei mutuo dare, quas petit, libras centum, modo scribat chirographi cautionem ad tempus constitutum extinguendam, qua profiteatur, a sese deberi tot frumenti modios ratione pretii, quod frumentum impræsentiarum valet, ad prædictam usque pecuniæ summam. Nonne commercium istud usurarium est?

Responsio.

Ut sua sit propositæ difficultati responsio, distinguendum est; Macæus namque aut animo sincere habet, pecuniam suam lucri percipiendi caussa in emendo frumento collocare, aut in ejusmodi animo nullatenus est: Si in animo non habeat, committit usuram ipsius mutui nominis involucro simulatam. Si vero sit in ejusmodi animo, rursum distinguendum est; namque vel tempus solutionis, quod determinatur in chirographi cautione, ejus conditionis est, ut in eo frumentum certo certius exstet carioris pretii, quam æstimatur in ipso tempore mutui; aut plane non constat, an illud idem sit pretio vel augendum, vel minuendum. Si tempus solutionis ejus conditionis fuerit, ut in eo frumentum certo certius, aut saltem omnino verisimiliter sit exstiturum carioris pretii, puta, si confecta fuisset chirographi cautio mense vel Octobris, vel Novembris, & tempus solutionis determinaretur ad festum Pentecostes; manifestum est, Macæum sese inde prodere usuræ prorsus apertissimæ conscium; siquidem non accedat temporis ejusmodi stipulatio, Chirographi cautioni, quam et Jacobus scribit, nisi ea potissimum de caussa, quod certissimam sibi afferat de mutuo dato lucrandi rationem.

Excipiendus tamen est casus, in quo Macæus animo firmiter decrevisset, pecuniam suam impræsentiarum conferre ad emendum frumentum, quoniam dissolute venditur, atque servandum illud idem ad festum usque Pentecostes, ut tunc temporis pretio cariori venderet; in eo namque casu jure posset exigere compensationem illius lucri, quod non lucraretur commodando suam pecuniam Jacobo, ad ipsius necessitati subveniendum: Quæ quidem compensatio, seu ratio impendii intelligenda est de summa pecuniæ, quæ ei respondeat, quam lucratus fuisset suum frumentum servando ad illud usque tempus, deductis de prædicta compensatione sumtibus & expensis, quæ impendendæ ab eo forent, tum ut illud servaret, tum ut illud venderet: quemadmodum etiam omni, quæ accessisset, imminutione: prædictis omnibus determinatis arbitrio ac juxta æstimationem viri alicujus prudentis, hoc est, intelligentissimi ac virtute prorsus ornatissimi.

Tandem, si non omnino constet, futurum ut frumentum plus, minusve valeat, adveniente solutionis tempore, quod chirographi cautione determinatur, quam actu & in ipso temporis momento, quo Macæus prædictum mutuum tradidit; tunc nulla est usura in agendi ratione Macæi, quemadmodum patet evidenter ex decisione Gregorii IX. (*b*), qui sic habet; *Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, grana, vinum, oleum & alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea, tempore contractus, non fuerit venditurus.*

(*b*) Greg. IX. in cap. *Naviganti*, fin. de usuris. lib. 5. tit. 19.

CASUS XIX.

Irenæus Civis Massiliensis ficuum habens commercium, tradit Bernardo viginti panalia earum, quæ passim circumferuntur sub appellatione ipsimet regioni familiari *Metrisses*; hoc est, quæ sunt albæ & nigræ, tam ingentiores, quam minutiores; & quarum singula panalia quindecim solidorum pretio æstimantur, ea conditione, quod Bernardus tempore percipiendorum fructuum sit ei viginti panalia repensurus; scilicet decem de quadam grani specie vulgo dicti *paumoule*, cujus panale tunc temporis, juxta communem æstimationem, valet solidos quindecim, & decem de siligine, quorum unumquodque est pretii solidorum decem & octo, ad solidos usque viginti. Usurarium ne est aliqua ratione commercium istud, quod in Provincia præsertim obtinet, atque quamplurimum frequentatur?

Responsio.

Usurarium est commercium istud, quamquam in tota passim regione quam maxime frequentatum: Dator etenim exigit a Partore ratione mutui quidpiam ulterius ipsa principali sorte; hoc est, tres aut quinque solidos pro unoquoque panali de siligine plus quam valet unumquodque panale de ficubus vulgo dictis *Metrisses*.

Nihilominus esset, unde posset Irenæus ab usuræ peccato vindicari, si non omnino constaret, futurum ut panale siliginis tunc temporis valeret decem & octo, seu viginti solidos: namque si pretium illius foret incertum, & quandoque assurgeret ad quatuordecim, aut viginti solidos; ejusmodi commercium usuram nulla ratione saperet, neque illicitum ullo modo foret, ut patet evidenter: 1. ex dispositione Decretalis cujusdam, quam Alexander III. inscribit Archiepiscopo Genuensi (*c*), in qua laudatus summus Pontifex apponit istam exceptionem, qua usura excluditur: *Nisi dubium sit, merces illas plus, minusve solutionis tempore valituras.* 2. Ex alia Decretali Gregorii IX. (*d*), quæ eamdem quoque exceptionem enuntiat: *Qua* (mensuræ grani, &c.) *licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur; non debet ex hoc usurarius reputari.* Quibus verbis idem summus Pontifex addit istæc alia, quæ retulimus in præcedenti decisione: *Ratione hujus dubii etiam excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus* (*e*).

(*c*) Alexand. III. in cap. *In civitate*. 6. de usuris.

(*d*) Greg IX. in cap. *Naviganti*. fin. eod. tit.

(e) Sambovius tom. 3. casu 253.

CASUS XX.

Manlius cernens, modium frumenti secundum communem æstimationem assurgere ad pretium usque librarum 140. quatuor frumenti modios emit a Sempronio mense Maii, quos solvit numerata pro unoquoque modio præsenti pecunia 120. librarum, ea conditione, ut sibi mense Octobris proxime sequentis tradantur. Cum distulisset in finem usque mensis Januarii eosdem recipere, quo tempore modius auxerat pretio 160. librarum, eos vendidit prædicto pretio Junio, qui eosdem deinde sumpsit a Sempronio. Nihil ne usuræ occurrit in lucro, quod Manlius ex ejusmodi commercio retulit?

Responsio.

Lucrum, quod Manlius in proposita specie retulit, nullo usuræ vitio inficitur. Potuit namque 1. sine vel levissima quidem usuræ suspicione emere mense Maii modium frumenti pretio librarum 120.

tam-

Digitized by Google

quamquam communis ipsius æstimatio tunc temporis foret pretio 140. quoniam illum non emebat, nisi ut sibi traderetur mense Octobris, quo tempore non valet communiter nisi pretium, quod de eo solvit. Atque hoc ipsum docet Cardinalis Cajetanus, (a) qui sermonem faciens de emptione rei alicujus, cujus anticipatur solutio, sic habet: *In hujusmodi emptione spectatur ad æstimatum pretium tempore assignationis frumenti: & propterea, si verisimiliter creditur, frumentum valiturum mense Junii decem, vel circa, licet tunc valeat quindecim, licite Ego ex nunc emo pro mense Junii decem, ut patet ex* c. Naviganti, *de usuris. Nec obstat, quod in Augusto creditur, valiturum duodecim aut quindecim; quoniam emptor non emit pro Augusto, sed pro Junio.* Quam eamdem sententiam Sotus sequitur. (b) Quoniam Manlius potuit sine injustitia vendere mense Januarii sequentis unumquemque modium frumenti pretio 160. librarum; siquidem, ut supponitur, prædictum pretium constitueret veram illius tunc temporis, communemque æstimationem: neque est, unde objiciatur, ab eo tunc venditum fuisse, quod in possessione sua nondum habet, quum prædictum frumentum legitimo jure proprietatis ei crederet ex accepta a venditore obligatione illud eidem tradendi ab ipso mense præcedentis Octobris. Quæ decisio prorsus consonat decisioni; quam Sylvius proposuit 16. Julii 1633. circa similem omnino difficultatem; (c) verum juvat addere, siquidem Manlius ultra per tres menses neglexerit urgere traditionem quatuor frumenti modiorum sibi fieri a Sempronio: æquum esse, ab eo præstari eidem Sempronio damni, quod ei potuit emergere ex decessione frumenti, compensationem judicio viri alicujus integerrimi determinandam. Quod intelligendum est, modo tempore constituto illud idem ei tradendum ipsemet Sempron. obtulerit.

(a) Cajetan. in summ. v. Emere. n. 8.

(b) Domin. Sot. l. 6. de Iust. & jur. q. 4. a. 1.

(c) Fr. Sylv. ref. var. v. Usura 2.

CASUS XXI.

Paschasius mille libras Jacobo mutuas tradit, ea conditione; ut si Jacobus ante elapsos annos quinque decedat; remansurus sit omni summæ prædictæ repetitione liberatus, & Paschasio nullum jus sit accessurum, eamdem ab ipsius successione repetendi; verum e contrario, si Jacobus annis prædictis quinque relinquatur vitæ superstes, non modo præfatas mille libras, sed præterea summam aliam pecuniæ tantumdem valentem, sit ipsi restituturus. Usurariumne est ex aliqua parte prædictum genus mutui?

Respons.

Navarrus, quamquam sibimetipsi circa propositam difficultatem primo quidem non omnino constiterit: (d) contendit & merito quidem in suo Manuali (e) usuræ vitium occurrere in ejusmodi genere mutui, de quo quæstio est in casu proposito; *Qui mutuat*, ait Laudatus Doct. *cum pacto; ut si mutuatarius infra certum tempus moriatur, sit liber; si vivat, duplum reddat, quia ex mutuo lucratur, illam obligationem solvendi duplum, licet dubiam ... secus si donaret gratis absque fraude ... quia nullum ibi mutuum intervenit: sed est contractus innominatus: do, ut mihi des* (f).

(d) Navarr. Conf. 29. de usuris n. 4. in fine.

(e) Idem man. c. 17. n. 222.

(f) L. naturalis ff. de præscrpt. verb.

Enim vero nulla ratione defendi potest, ejusmodi mutui genus esse gratuitum; quin potius potest omnino comparari cum illo mutuo, quod Paschasius alicui pauperi traderet, accedente pacto, quod si prædictus Pauper fieret intra quinque aut sex annos ditior, ei foret redditurus illius duplum, quod commodavisset: quod pactum omnino usurarium est, ac penitus reprobandum. Cui sententiæ Sylvester totus adhæret. (g).

(g) Sylvest. v. Usura 1. q. 45

CASUS XXII.

Gomesius, munere quodam insignitus forensis Procuratoris in suprema Tornacensi Curia, cum vellet filiam fratris sui, vel sororis suæ Blandinam, collocare, cui nulla res est familiaris, quæque ei suam operam ab annis decem gratuito præstitit, eam proponit uxorem ducendam Balduino cujusdam alterius forensis Procuratoris scribæ primario offertque eidem donare per modum dotis suum forensis Procuratoris Officium æstimatum a duobus aliis Procuratoribus forensibus viris integerrimis ac prorsus incorruptis pretio decem millium librarum, comprehensis simul cum tabulario, tum emolumento, quod ex litium instrumentis ibidem servatis, atque usu quotidiano consuevit obvenire; obligatque sese ad solvendas expensas tum diplomatum muneris prædicti, quod ipsi conferendum est, tum ejus in Ordinem forensium Procuratorum cooptationis; ea tamen conditione, ut Balduinus ei sit ad ipsius vitæ tantummodo tempus annuam numeraturus librarum 600. pensionem, atque ipso eodem prædictę pensioni non satisfaciente, in sui muneris proprietatem sit pleno jure restituendus. Balduinus conditionem sibi factam a Gomesio lubens acceptat, adjungit sibi Blandinam uxorem, & munus prædictum consequitur. Quæ de re petitur: 1. utrum præfatę conventioni nihil subsit iniqui, aut quod usuram oleat; videtur etenim pretium istius memorati muneris, nihil aliud esse, quam mutuum, ipsa conventione ex strictis summi juris apicibus considerata, nequaquam vero fundum, ex quo Gomesio liceat, quam cum Balduino stipulatus est, pecunię summam percipere. At vero, etiamsi daretur, ibi nullam mutui deprehendi rationem, ęquitati non videtur ullatenus consonare, ab eo percipi 600. libras ex fundo 10000. librarum.

2. Gomesius quærit, utrum sibi incumbat decimi denarii, quod Regi solvitur, diminutionem sustinere?

Respons.

Nulla prorsus in proposito casu deprehenditur usurę ratio, eaque potissimum de causa, quod nequaquam contendi possit, ibidem ullum mutuum intercedere: 1. Quoniam occurrit ibi donatio, qua Gomesius suum munus Balduino cedit in gratiam matrimonii ab eodem cum Blandina contrahendi; atque ea ratione Balduinus proprietarius ejusdem factus fuit ex scriptis ipsius nomine diplomatibus.

2. Quia Gomesius non potest obligare Balduinum, ad munus istud sibi reddendum, modo pecuniam, de qua inter eos convenit, singulis annis eidem persolvat; habet igitur prędictum munus quasi cujusdam fundi fructiferi rationem, cujus proprietate gaudet Balduinus.

Neque vero quidquam iniqui prę se fert stipulatio pensionis 600. librarum ad vitę tempus persolvendę. Est namque statuendum discrimen ingens inter ejusmodi pensionem & solarium, perpetuumque vectigal. Pensio in perpetuitatem constituta, debet ex ipsamet Principis ęstimatione, seu taxatione pretium suum desumere; verum non ita se res habet, quantum ad pensionem ad tempus usque vitę tantummodo determinatam, siquidem ipsius perseverantia tota nitatur incerto tempore, quo qui pensione donatur vitæ superstes remansurus est, & possit vel ab ipsa crastina die qua primò cepit, statim extingui.

3. Quoniam idem prorsus de munere, vel aliquo forensi officio sentiendum est, quod de domo aliqua. Porro quod munus, quæve domus hodierna die non venditur nisi pretio decem millium librarum, potest certis quibusdam temporibus, habitaque ratione certarum quarumdam circumstantiarum, ad tertiam usque partem ejusdem pretii, & quandoque ad summam pecuniæ copiosiorem ulterius assurgere.

4. Propterea quod clausula, quæ fertur, Balduino solutioni non facienti satis, futurum ut Gomesius in proprietatem muneris sui sit pleno jure restituendus, nec etiam sit ullatenus iniqua; siquidem sit conditio veniens in partem ipsiusmet contractus, quæque eidem necessario inhæreat, & sine qua donatio nequaquam locum obtinuisset; atque etiam hoc usu passim receptum est, ut si similem clausulam annexam quotidie habeant contractus tum venditionis, tum Emphyteuseos, absque eo quod quidquam inde causæ sit, cur iis injustitiæ nec usuræ labes inuratur.

Incumbit igitur Balduino, ad normam prædictæ clausulæ sese gerere, neque potest ipsa ei quocumque modo nocere, modo solvat 600. libras pensionis ipsi Gomesio ad ejus vitæ tempus reservatæ, quemadmodum ad eamdem persolvendam sese voluntario constrinxit. Quod fundamentum habet in Lege quadam Imperatoris Constantini, quæ legitur apud Codicem istis verbis: (h) *Donatio, sive directa sit, sive causa mortis instituta, sive conditione faciendi, aut non faciendi, suspensa ... sub hac fieri debet observatione, ut quas leges indulgent, actiones, conditiones, pactionesve contineat, hisque penitus cognitis, vel recipiantur si complacita*

(h) L. Donatio 25. eod. de Donation. lib. 8. tit. 54.

eitæ sint, vel rejiciantur, si sint molestæ. In quæ verba Cujac. sic habet: *Conditiones, pactiones, leges, donationibus imponuntur a Donatore solo: & a Donatario recipiuntur, si placeant; vel rejiciuntur, si displiceant.* Atque in exemplum rei istius proponit laudat. Jurisconsult. nostrorum Doct. sequentem formulam donationis: *Dono tibi fundum illum si me alas*

Quibus prædictis omnibus robur addi potest ex Lege quadam Codicis ejusdem, quæ auctores habet Imperatores Valerianum, & Gallienum, (*a*) cujus Baldus sensum complexus est in isto summario; *Si donatarius non præstat alimenta Donatori, quæ ex pacto donare tenetur; donatio revocatur, & potest Donans rem suam vindicare.* At, quoniam citata Lex continet speciem ei, quæ hic loci proponitur, omnino similem, & casum, qui ibidem enuntiatur, dissolvit; operæ pretium est eamdem in integrum referre. En qua ratione se habet: *si doceas, ut affirmat nepti tuæ ea lege esse donatum a te, ut certa tibi alimenta præberet, vindicationem etiam in hoc casu utilem, eo quod legi illa obtemperare noluerit, impetrare potes: id est, actionem, qua Dominium pristinum tibi restituatur.* En donatio concessa, atque instituta a quodam avo in gratiam ejus neptis, ea conditione, ut ei certa quædam alimenta præstitura sit quæ supponimus, posse pretio 600. librarum singulis annis æstimari; quæ quidem, quoniam executione sua frustratur ex parte illius, in cujus gratiam constituta est, ab ipso Donatore potest merito revocari; atque ipsissimus est casus, de quo præsens controvertitur quæstio, in quo Gomesius largitur suæ sororis aut sui fratris filiæ, vel Balduino ipsius marito ejusqem nomine atque causa, forense munus quoddam ipsi futurum loco fundi, ex quo potest accedente tum suo labore, tum sua industria percipere plurimum emolumenti, ea conditione, ut quamdam pecuniæ summam per modum pensionis alimentariæ, atque ad tempus ipsius vitæ, sit ei præstiturus; ac, deficiente solutionis istius conditione, Gomesius ipse fit in dominium ac proprietatem sui muneris ipso jure restituendus, hoc est, donatio revocanda sit, ac penitus dissolvenda. Habemus quoque plurimas alias Leges, (*b*) quibus idem jus constituitur.

Uno verbo, est hoc certissimi juris, atque principii prorsus indubitati, ad strictos verborum apices conventiones esse servandas, quæ alicui constituendæ Donationi accesserunt; aut alioquin penes ipsummet Donatorem esse, eamdem rescindere: *Ut pactum Donationis impleatur; ex stipulatione, vel præscriptis verbis agitur*, inquit Barthol. (*c*) aut potius; *Pactum in Donatione est servandum*, ut habet Baldus in eamdem Legem nonam, quia idem statuitur, & cujus en ipsissima verba sunt. *Legem quam rebus tuis donando dixisti, sive stipulatione tibi prospexisti ... apud Præsidem Provinciæ debet agere, ut hanc impleri provideat.* (*d*).

Tandem, quod pertinet ad decimum denarium, debet in ipsum Gomesium ejusdem imminutio recidere nisi contrarium feratur in contractu, quem confecit cum Balduino atque Blandina.

(*a*) Leg. si Doceas 1. Cod. de donat. quæ sub modo, vel conditione &c. L. 8. t. 55.

(*b*) L. 9. cod. de donat.

(*c*) Bart. in d. l. 29.

(*d*) Bald. in cit. l. 9. cod. de donat.

CASUS XXIII.

Alanus necesse habens, sibi summa 1200. librarum subveniri, rogat Philippum, ut velit ei mutuam eamdem credere; & offert ei quatuor cæduæ silvæ jugera, ad cautionem debiti, pignori opponenda, ex quibus consuetam lignationem suam poterit percipere. Num licet Philippo oblatam sibi conditionem ejusmodi sine usuræ periculo acceptare?

RESPONS.

Non potest Philippus, nisi cum usuræ periculo, consuetam suam lignationem sibi sumere de quatuor silvæ ceduæ jugeribus, quæ Alanus ei offert pignori opponenda ad cautionem summæ 1200. librarum, quam ab eo petit sibi commodandam, nisi detrahat ex ipsa principali sorte justum pretium lignationis, quam inde sibi accepturus est. *Si quis*, inquit S. Thomas, (*e*) *pro pecunia sibi mutuata obliget rem aliquam, cujus usus pretio æstimari potest, debet usum illius rei ille, qui mutuavit, computare in restitutionem ejus, quod mutuavit: alioqui, si usum illius rei quasi gratis superaddi velit: idem est, ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod est usurarium: nisi forte esset talis res, cujus usus sine pretio soleat concedi, sicut patet de libro accommodato*.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 6.

Cui Doctrinæ S. Thomæ favet decisio Alexandri III. qui cum adesset Concil. Turonensi, quod actum est an. 1180. sic loquitur: (*f*) *Generalis Concilii decrevit auctoritas, ut ..... si quis alicujus possessionem data pecunia, sub hac specie, vel conditione in pignus acceperit; si sortem suam (deductis expensis) de fructibus jam percepit, absolute possessionem restituat debitori. Sin autem aliquid minus habet eo recepto, possessio libere ad Dominum revertatur.* Atque revera quidem, qui fructibus gauderet, non deducto ex ipsa sorte principali justo eorumdem pretio, aliquid ulterius ipsa eadem sorte reciperet propter causam mutui, & sese inde peccato usuræ constringeret, *cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in lege*, ut loquitur Urbanus III. (*g*).

Quæ decisio fulcitur etiam alia Decretali, quam Laudatus summus Pontifex Cantuariensi Episcopo inscribit, (*h*) in qua sic habet: *Auctoritate præsentium duximus injungendum, ut eos, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem (deductis expensis) receperunt, ad eadem pignora restituenda sine usurarum exactione, Ecclesiastica districtione compellas.*

(*f*) Alex. III. in cap. Plures 1. de usuris.

(*g*) Urb. III. in c. Consuluit 10. de usuris.

(*h*) Idem Alex. III. in c. Quoniam 8. eod. t.

CASUS XXIV.

Amabilis, mutuatur ad anni tempus a Thimoleone mille libras, atque ad majorem, quod contrahit, debiti cautionem, eidem opponit pignori beneficiarium quoddam prædium, quod ex ejus gratia possidet. Numquid Thimoleon obligatur ex conscientia, accedente tempore constituto mille prædictarum librarum solutione, ad acceptum referendum ab Amabili quasi in deductionem sortis principalis quidquid ex usufructu prædicti beneficiarii prædii percepit; si vero non illud detrahat ex principali sorte, usurænе peccati sese conscium efficit?

RESPONS.

Thimoleon, a quo pendet prædium beneficiarium, quod ei pignori tradidit Amabilis ad cautionem 1000. librarum, quas ab eodem sumpsit mutuas, non obligatur ad deducendos de principali Sorte, quæ ei debetur ab Amabili, fructus, quos ex prædio prædicto percepit, eosdemque jure potuit suos facere tanquam provenientes ex fundo, qui sibi jure legitimo cedit.

Quam decisionem tradit Alexander III. (*i*) qui in decretali quadam, quam inscribit Abbati cuidam & Religiosis de ipsius Monasterio, declarat non eadem ratione sentiendum esse de Domino, qui titulo pignoris detinet aliquod beneficiarium prædium ex seipso pendens, sicut de quolibet alio viro privato, cui debitor oppignoraret aliquam possessionem ad cautionem summæ alicujus pecuniæ, quam ab eodem mutuatus fuisset: obligatur etenim ex conscientia prædictus ejusmodi vir, ad detrahendum ex summa commodata pretium fructuum, quos ex oppignorata sibi possessione percepit: At vero Dominus potest sibi vindicare proprii sui prædii beneficiarii fructus, & summam pecuniæ, quam mutuam dedit, nihilominus integram recuperare. Juvat autem peculiarem speciem casus, qui laudato Papæ proponebatur, hic loci subjicere: En qua ratione se habet: Ecclesiasticus quidam pecuniæ summam aliquam mutuam sumpserat ab Abbate & Religiosis de Monasterio S. Laurentii, quibus pignoris loco tradiderat ad cautionem eorum debiti quamdam agrorum possessionem; negantibus autem eisdem prædictam ei restituere possessionem, ille apud Papam ea de re querimoniam suam detulit, qui quidem Papa sequenti modo iisdem mandavit: *Discretioni vestræ mandamus, quatenus, si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus ejus sortem recepistis, prædictam terram Clerico memorato reddatis.* Sed statim istam apponit exceptionem: *Nisi terra ipsa sit de feudo Monasterii vestri.*

(*i*) Alex. III. in c. Conquestus 2. de usuris.

Est hæc autem ratio, propter quam Dominus non tenetur ad acceptos referendos fructus, quos recepit de beneficiario aliquo prædio, quod ex ipsius Clientela pendet, quodque ei pignoris loco datum est ab eo, cui pecuniam aliquam commodavit; quia beneficiarius fundus a vassallo non possidetur nisi ea conditione, ut debitis quibusdam operis atque obsequiis, ad quæ præstanda obligatur erga Dominum suum, satisfaciat. Porro prædictæ operæ, prædictaque obse-

sequia non censetur minus valere, quam ipsemet fundus beneficiarius: Ideoque, quoniam incumbit prædicto Domino, quandiu pignoris obligatio perseverat, a debitis obsequiis atque operarum servitutibus dare suo Clienti vacarionem, ei profecto licet ejusdem usumfructum sibi vindicare, nulla ei imposita necessitate illum acceptum referendi a prædicto suo Cliente. Quod manifeste probatur ex Decretali quadam Innocentii III. (*a*) in qua sic fertur: *Ita videlicet, ut quamdiu fructus illos perceperit in sortem minime computandos, idem M. u servitio, in quo tibi & Ecclesiæ tuæ pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis.* Cui sententiæ consentit Innocentius IV. in suo, quem scripsit in quinque Decretalium libros, commentario (*b*), in quo verbum interpretans *Feudatarios*, ait: *Hic vocat Feudatarios rusticos, qui teneant aliquas possessiones, quarum ratione debent aliqua servitia exhibere, & non excedunt multum fructus valorem servitii.* Quibus verbis addit, si valor prædictorum fructuum in rei veritate multum excedat obsequiorum, operarumque servitutes, quæ debentur, tunc Dominum, cui debitor feudum oppigneravit, obligari ex conscientia, ad valoris prædicti superabundans in solutionis rationes referendum, deducendo de sorte principali, quæ sibi deberur, illud quod prædictas servitutes pretio suo excedit, *alioquin esset contra mandatum Dei, mutuum date &c.* (*c*) Ipsius ergo Thimoleonis est, sese sub oculis ipsius Dei interrogare, num fructus, quos percepit de feudo, quem Amabilis ei pignori dedit ad cautionem ipsius mille librarum, non excedant notabiliter operam, quæ sibi debetur ab Amabili propter istud prædium beneficiarium; in eo namque casu omnino obligatio ei induceretur, eidem præstandi, quidquid de jure veniret ei restituendum, referendo inter rationes solutionis sortis principalis, illud, quod ipsa debita operæ atque obsequii servitute pretio superius esse deprehenderetur.

(*a*) Ibid. III. in c. Insinuatione 5. de feudis. lib. 3. t. 20.

(*b*) Inn. IV. in cit. c. Insinuatione.

(*c*) Colloq. Lucionens. to. 2. colloq. 30. q. 2. Colloq. Condom. to. 5. Colloq. 21. sect. 2.

CASUS XXV.

Epipodius ad tempus annorum duorum Lucio mutuos dedit nummos ducentos in quorum cautionem pignoris loco lectum instructum & sellas duodecim ab eodem accepit, Epipodius, consentiente Lucio, prædictis supellectilibus est. Obligaturne ex conscientia, ad deducendum ex ipsa principali sorte, pretium atque æstimationem utilitatis; quam inde percepit, si vero nihil deduxerit, sitne peccati usuæ conscius?

RESPONS.

Respondemus, juxta principia, quæ statuimus in præcedentibus decisionibus, Epipodium ex conscientia teneri ad detrahendum ex ipsa principali sorte pecuniæ, quam Lucio mutuam credidit, justum pretium usus, quam sibi sumpsit ex supellectilibus, quæ apud sese, causa cautionis sui debiti, loco pignoris a viro prædicto deposita sunt; alioquin futurum; ut sese reddat usuræ peccati conscium: Nam, quantum ad eam rem, eodem modo se habent supellectilia, quo fundus agrorum aliquis, cum fructus supellectilium omnino reponantur in ipso eorumdem usu, qui non secus, ac fructus alicujus agrorum fundi, pretio pecuniæ potest æstimari. Unde sequitur, in ejusmodi casu Creditorem non minus usurarium esse, quam si in rei veritate certam pecuniæ summam reciperet usuræ illius loco, quod commodavit, quoniam, ut habet quidam Antiquus Canon, qui refertur a Gratiano (*d*), *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur, v. g. si dederis solidos decem, & amplius quæsieris; vel dederis frumenti modium unum, & super aliquid exegeris.*

(*d*) Can. Usura. 14. q. 3.

Adire licet superius, quæ retulimus in dissolvendis præcedentibus difficultatibus, copiam ea de re rationum momentosorum prorsus abundantiorem (*e*).

(*e*) Colloq. Cond. to. 2. colloq. 19. sect. 2.

CASUS XXVI.

Cum Florentinus ad manum haberet summam triginta millium librar. præsentis ac numeratæ pecuniæ, quam jamjam imprætentiarum collaturus est; ad reficiendam quamdam domum, quæ nemini potest ullatenus locari, nisi eidem ejusmodi impensæ subsidio antea subveniatur, eum convenit Cajus amicus ipsius familiaris, eique nuntiat, propriam suam domum, quam ipse incolit, sub manum Regis realiter traditam fuisse, & cito citius addicendam esse in judicio, ei qui licitatione victurus est; eo quod sibi non adsit in promptu summa decem millium nummorum, quam debet vicino suo, rogatque plurimum ut velit ei prædictam summam commodare, alioquin futurum ut dimidio minus justo suo pretio sua domus vendatur. Florentinus rogatam pecuniæ summam eidem mutuam tradit, sed conditione facta certi cujusdam rependendi fœneris; ut inde sibi sumat aliquam damni compensationem, quod patietur ex propria sua domo in eo, in quo versatur, statu derelinquenda, quoad usque pecuniam istam suam recuperaverit. Nonne Florent. aliquam committit usuram, in eo quod a Cajo, præter suam principalem sortem, ulteriorem pecuniæ summam exigat sub prætextu damni compensationis, & verbis expressis eandem stipuletur in ipsomet temporis momento, quo triginta librarum millia commodat.

RESPONS.

Constat, in prædicto casu posse justum exigi a Florentino, sine ullo periculo usuræ, damni compensationem: omnes namque Theologi fatentur, ex eo, quod vocant damnum emergens, constitui sufficientem legitimumque titulum aliquid ulterius ipsa principali sorte recipiendi, quoniam, quando damnum aliquod ex commodata pecunia infertur, nihil prorsus accipitur ratione mutui, quod creditum fuit, sed compensatio duntaxat damni, quod quis patitur quantum ad proprias suas res. Atque ita docetur a S. Th. (*f*), qui ait: *ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere: hoc enim non est vendere usum pecuniæ; sed damnum vitare.*

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad. 1.

Jamvero Florentinus in eo potissimum casu versatur; siquidem fœnus, quod percipit ex mutua sua pecunia, quam Cajo tradidit, habeat tres conditiones, quæ necessariæ sunt, ut legitimum esse censeatur, quarum hæc prima est, quod damnum sit verum ac reale, nec illarum quibusdam infortuniis, quæ mutuo sint prorsus extrinseca: quoniam, nisi damnum ejusmodi reale esset; hoc est, si damnum, quod futurum conjiciebatur ex causa mutui, contingeret. Creditor nihil quidquam posset, præter suam sortem, ulterius accipere; quanquam de aliqua damni compensatione fuisset cum suo Debitore pactus. Secunda vero est, quod damni compensatio, quæ ab eo exigitur, cui mutuum datur, ipsum præcise adæquet damnum, ipsique plane respondeat injuriæ, quæ accipitur, alioquin ibidem usura occurreret. Tertia: quod inter Creditorem ac debitorem in eo temporis momento, quo mutuum traditur, accedat stipulatio de damni compensatione, quæ exigitur; ut Debitori, fiat integra copia mutuandi sub ista conditione, vel mutuum non acceptandi: quæ quidem omnes conditiones in ipso casu, in quo Florentinus ponitur, occurrunt. Unde concludendum est, ab ipso igitur nullam in eo usuram committi, quod exigat ac recipiat justam damni, quod patitur, ex pecunia, quam Cajo mutuam tradit, compensationem (*g*).

(*g*) Colloq. Condom. to. 2. colloq. 21. sect. 2. Sambov. t. 3. casu 420.

CASUS XXVII.

Guillebaldus Mercator, postquam commodavit Guillelmo ad unius anni tempus summam mille librarum, post sex ab illinc menses damnum accepit quingentarum librarum & amplius ex absentia prædictæ pecuniæ, quam mutuam tradiderat. Num tenetur Guillelmus in eo casu, ad afferendam ei aliquam ea de re damni compensationem, & potestne Guillebaldus recta conscientia damnum ejusmodi in eum regerere?

RESPONS.

Certissimum est, Guillelmum nullatenus obligari, ad afferendam Guillebaldo ullam prædicti damni compensationem; ut enim monuimus, in dissolvenda præcedenti difficultate, qui mutuatur, ad nullam tenetur ei, qui commodat, præstandam damni compensationem; nisi, cum ea de re inter utrumque conventio accessit tunc temporis; quo de mutuo tradendo actum est ut mutuatario plena detur atque integra libertas, aut mutuum acceptandi sub ista conditione, aut illud idem rejiciendi, si judicaverit,

suis rebus non expedire, quod ad eandem descendat. Præterea vero, si Guillebaldus suam pecuniam inconsiderate mutuam tradiderit, sibimetipsi debet, non Guillelmo, culpam imprudentis mutui imputare, qui quidem Guillelmus ratione mutui, quod sibi traditum fuit, dominium integrum istius pecuniæ accepit ad tempus usque utriusque communi consensu constitutum: unde originem sumpsit tritum illud ac vulgare prorsus adagium: Cui tempus fixum constitutum fuit, ille nihil debet. Ideoque nihil quidquam præstare tenetur damni, quod Guillelmo postmodum emersit, non magis quam ille, qui modium frumenti pretio 100. libr. emit mense Januar. quod ipsius ejusdem justum erat tunc temporis pretium, obligatur ad afferendam ullam damni compensationem suo emptori, qui coactus est pro pari frumenti mensura, quam emit mense Junii sequentis, solvere libras ducentas. Eademque ratione docetur a S. Th. (a) qui sic ea de re differit: *Ex pecunia mutuata potest ille qui mutuat, incurrere damnum rei jam habitæ dupliciter: uno modo, ex quo redditur sibi pecunia statuto termino, & in tali casu ille, qui mutuum accepit tenetur ad interesse: alio modo, infra tempus deputatum, & tunc non tenetur ad interesse ille, qui mutuum accepit: debebat enim ille, qui pecuniam mutuavit, sibi cavisse, ne detrimentum incurreret; nec ille, qui mutuo accepit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis, & est etiam simile in emptione: qui enim emit rem aliquam, tantum pro ea juste dat, quantum valet, non autem quantum ille, qui vendit: ex ejus carentia damnificatur.*

(a) S. Thom. q. 13. de malo, a. 4. ad 14.

CASUS XXVIII.

Lævius, minutarum rerum mercator mutuos tradit Danieli nummos mille, in quibus tota res ejus pecuniaria consistit, quosque jamjam impensurus erat in emendis pannis, ex quibus omnino verosimiliter poterit decentum septem, vel etiam octo lucrari, & paciscitur, futurum ut Daniel ei sit repensurus certam pecuniæ summam, ultra principalem ipsius sortem, quæ locum tenet ei damni compensationis, propterea quod ex illa pecunia, quam eidem ille tradit eripitur ei occasio lucri, quod ex prædicta sua pecunia consequeretur. 1. Potestne tuta conscientia prædictus Mercator recipere a Daniele pecuniæ summam, de qua simul inter se pacti fuerunt? 2. Potestne quoque eandem sibi sumere, quamquam etiamnum animo fluctuaretur, an prædictos mille nummos impenderet, necne; nondum quidem occasione sese dante eosdem impendi; sed quia contingere posset, futurum ut nihilominus ipsa sese forsitan offerret, postquam eos mutuos tradidisset?

RESPONS.

Licet prorsus prædicto Mercatori sine ulla ne minima quidem usuræ nota summam aliquam pecuniæ ultra principalem suam sortem in casu priori sibi sumere. De eo namque convenit apud omnes Theologos, quod ex emergenti damno justus titulus constituatur, ex quo sit licitum aliquid ulterius ipsa, quam commodavit, principali sorte percipere, modo tres potissimum adsint conditiones.

Prima quidem: quod pecunia, quæ mutua traditur, sit in commercio collocanda: si namque non destinaretur ad commercium, non esset locus allegandi, mutuum tradendi ex commodata pecunia eripi faciendi lucri occasionem: adeo ut interesse, quod acciperet ex mutuo præcise totum intenderetur, proindeque vitium usuræ contraheret. *Tria sunt in quibus non est discordia*, ait Cardinalis Toletus, (b) *primum est, esse tres conditiones necessarias, ut dicatur, vere esse lucrum cessans ex mutuo: prima est, ut: talis pecunia, quæ mutuo datur, sit negotiationi exposita. Cum enim non erat quis alias negotiaturus tali pecunia, non dicitur ei lucrum cessare. Unde si talis in mutuo aliquid accipit, & paciscatur ultra sortem; usura est.*

(b) Fr. Tolet. instit. Sacerd. lib. 5. c. 33.

Secunda conditio necessaria, ut ex lucro cessante justus titulus accedat aliquid ultra sortem accipiendi, sic proponitur a laudato Cardinali. *Secunda*, prosequitur ille, *ut qui mutuat, non habeat aliam pecuniam extra eam, quam habet ad negotiationem, ex qua possit mutuare; cum enim alias habet mercator pecunias expositas, alias etiam habet non expositas, non potest mutuare cum pacto lucri cessantis absque usura. Etenim tunc dicitur lucrum cessare ex mutuo, cum non habet mercator alias pecunias, quas absque detrimento possit negotiationi exponere.*

Denique *Tertia est*, addit idem auctor, *ut lucrum sit probabile, non enim sufficit, posse esse lucrum, ut dicatur lucrum, sed oportet, probabiles esse rationes & conjecturas, ipsum futurum esse: si fiat negotiatio.*

En conditiones, quibus potest titulus proveniens ex lucro cessante fieri justus ac legitimus: qua de re juvat observare, ex prædictis sequi, quanquam prædictum lucrum cessans sejungatur a damno actu emergente, illud idem tamen a probabili damno non separari, nam alioquin inde nequaquam accederet titulus sufficiens aliquid ulterius ipsa principali sorte percipiendi.

Quas quidem varias duas damnorum species S. Thomas (c) apertissime distinguit, & propugnat, obligationem incumbere damni utriusq; resarciendi. *Aliquis damnificatur dupliciter*, ait Laudatus S. Doctor, *uno modo, quia aufertur ei, quod actu habebat, & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualis: puta, si aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus, tenetur ad tantum, quantum valet domus*. Alia vero damni species in eo posita est, quod alicui vel impedimentum objiciatur, vel locus eripiatur, illius adipiscendi lucri, quod sibi quærere potest, vel jamjam consecuturus est, aut certo conjiciatur, futurum ut illud idem non percipiat *Alio modo: si damnificet aliquem, impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi.* Et ejusmodi damnum reparandum est, addit Angel. Doct. non equidem ex æqualitate adeo ut tantum pecuniæ non incumbat viro ejusmodi rependere quantum lucrum esse potuit, quod ne lucraretur, impeditus est; multù namque distat inter lucrum aliquod, quod obtineri potest, & illud, quod impræsentiarum habetur: siquidem spes aliquando lucrandi, quantumcumque sit verosimilis, sit quid multo minus æstimandum, quam ipsamet ejusdem percepti jam lucri actualis possessio. Unde sequitur, non æquum esse, quod ei, qui impeditus fuit, ne lucrum quoddam adipisceretur, rependatur actu lucrum integrum, cujus ei spes affulgebat: quum ex lege restitutionis obligatio non inducatur, nisi resarciendi damni, quod alicui fuerit illatum. *Et tale damnum non oportet recompensare ex æquo*, ipsissima semper verba sunt Laudati S. Th. *quia minus est aliquid habere in virtute, quam habere in actu: qui autem est in via adipiscendi aliquid, habet illud solum secundum virtutem, vel potentiam, & ideo, si redderetur ei, ut haberet hoc in actu, restitueretur ei, quod est ablatum non simplum, sed multiplicatum; quod non est de necessitate restitutionis.* Deinde Angel. idem Doct. sic concludit, *tenetur tamen aliquam recompensationem facere, secundum conditionem personarum, & negotiorum* Quam S. Th. sententiam S. Anton. (d) amplectitur.

(c) S. Th. 2. 2. q. 62. art. 4.

(d) S. Anton. 2. part. sum. theol. tit. 1. c. 7 §. 18.

Quæ huc usque diximus aperte prorsus favent Lævio, de quo quæstio habetur in proposita specie. Nam, siquidem mille nummi, quos Danieli tradit, collocandi sint in negotiatione; neque eidem adsit aliunde ulla alia pecunia, quam commodare possit; ac tandem sese eidem offerat occasio præsens eosdem utiliter negotiandi, atque cum spe ingentis indelucri percipiendi, est extra omnem prorsus controversiam positum, ab eo, præter principalem sortem, percipi posse summam aliquam pecuniæ non quidem ex æquo respondentem lucro sperato; sed aliquatenus minorem, atque ejusmodi, quæ determinaretur ab aliquo viro sapienti atque faciendæ negotiationis intelligentissimo qua quidem in re S. Th. doctrinam secuti sunt alii Theologi, & inter alios Adrianus VI. (e) qui sic loquitur: *Neque debet æstimatio interesse lucri cessantis haberi ad quantū lucrari posset, sed quantum verisimiliter lucraturus fuisset, deductis expensis & laboribus, & certe ejus habita ratione ad arbitrium viri boni, quantum interest inter habere, & prope esse.* Quibus iisdem verbis sententiam ea de re suam proponunt Durandus, Sylvester Mozolinus, Covarruvias, Medina, Gabriel Biel, Navarrus, Bannesius, Major, Sylvius, atque alii (f).

(e) Adrian. in 4. de Sacram. Pœnitent. de restitut.

(f) Durand. in 4. dist. 17. q. 2. a d 1. Gabriel. b. dist. 15. q. 11 not. 2. lit. F Joan. Major ibi de ead. dist. q. 30 Sylvest. de Prierio, v. Usura 2. qu. 19 Jo. Mena de rebus per usuramacquisitis q. 3. Fr. Sylv. in 2. 2. q. 77. a. 2. & alii

At vero de altero casu non ita sentiendum est, qui continetur in quæstione proponenda, in qua petitur, utrum Lævius possit, tuta conscientia, summam aliquam pecuniæ stipulari, ut sibi lucri cessantis

tis compensationem aliqnam in quæreret, quanquam etiamnum animo fluctuaretur, num in emendis pannis suos mille nummos impenderet, necne, neque eorumdem impendendorum præsentem occasionem ad manum haberet. Neque etenim in ejusmodi casu lucrum, quod inde sibi sumere posset, considerandum est, ut probabile, ac moraliter certum sed tantummodo, tanquam possibile, incertum, ac remotum. Nequaquam igitur potest in hoc altero casu Lævius sine usura nec stipulari, nec accipere interesse omnino ullum ex mille nummis Danieli commodatis, prætexta causa lucri quod posset ex iisdem postmodum in commercio faciendo consequi, si sese daret occasio aliqua negotiandi. Ratio est, quod lucrum causa prætexto ab ipso allegatum, cum sit incertum, atque ejusmodi, possit vel locum babere, vel locum nullatenus obtinere, ac valeat ex improvisis plurimis infortuniis atque casibus impediri, non sit certo pecuniæ pretio ullatenus æstimabile, nec ullo cum jure queat æstimari, ut alicui vendatur, in eoque sensu intelligendus est S. Thomas (a), cum sic ait: *Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere, id quod nondum habeat, & potest impedrri multipliciter ab babendo.* Quod idem S. Doctor etiam alibi docet, (b) cum instituendo comparationem inter spem illam incertam lucrandi, quam sibi mercator aliquis proponit, & illam spem, qua quis Colonus ducitur, asserit, sicut lucrum, quod dictus Colonus intendit ex frumento, quod in agro suo spargit, est incertum, fortuitum, atque plurimis, iisque variis infortuniis obnoxium, quibus potest penitus evanescere: aliundeque remotum est, siquidem illud idem non ante speret, quam messium tempora sese dederint, percipiendum; adeoqne nondum præ manibus habet illud lucrum, quod nonnisi in sola tantummodo consistit spei ratione; sic etiam mercatori, qui, quam destinat ad suum commercium, pecuniam mutuam tradit, impræsentiarum atque in ipsomet temporis instanti non adesse lucrum, quod inde sperat accessurum, sed illud idem esse duntaxat possibile, fortuitum, incertum, ac remotum; neque ei quidquam inesse realis, nisi spem quæ vel etiam ex plurimis improvisis infortuniis ac casibus potest reddi sæpe sæpius inanis: *Per hoc patet, responsio ad primum & secundum* (argumenta) ait laudatus Angelicus Doctor, *nam ille, qui semen sparsit in agro, nondum habet messem in actu: sed solum in virtute, & similiter ille, qui habet pecuniam, nondum habet lucrum in actu, sed solum in virtute, & utrumque potest multipliciter impedirt.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.

(b) Idem 2. 2. q. 40 art. 4. in corp.

Ex quibus inferendum est, a Lævio non posse in isto altero casu, qui ponitur, ullum interesse ratione mutui, quod ab ipso traditur, percipi; quoniam ut demonstravimus, nullum sibi potest inde quærere, nisi in eo casu, quod 1. damnum ipsi emergens ex cessante lucro, sit verum ac reale: 2. quod in ipsomet temporis instanti, quo mutuum ab eo datur, ei potestas, volantas, & quasi via adsit lucri ejusmodi consequendi: 3. quod ex mutuo impedimentum ei afferatur, perveniendi ad prædictum lucrum, quoniam pecunia quæ ab eo commodatur, erat ad illud idem lucrum accipiendum destinata, eidemque lucro babendo tota quasi patentem aditum præstabat; 4. Quod denique non intendat lucrum ex ipsius mutui ratione sibi commodius accipere: *Secunda conditio est*, inquit Sylvius, (c) *ut is, qui mutuat non sponte substraxerit suam pecuniam a negotiatione, priusquam det mutuum, intendens proprium commodum & malens mutuare cum certo lucro, quam negotiari cum incerta spe lucri: sic enim ficte pacisceretur de lucro cessante, cum pecunia jam substracta sit a proxima potentia lucrandi, utpote, nec secundum rem, nec secundum voluntatem ejus exposita negotiationi: atque adeo lucrum si quod cessat, non cesset ex mutuo, vel ex contractu in gratiam alterius facto, sed ex eo quod negotiari noluerit.* (d) Quam eandem doctrinam ante Sylvii tempora propofuerat, quantum ad eam rem, Auctor tractatus cujusdam, qui inter opuscula S. Thomæ reperitur (e).

(c) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 77. a. 1. quæsito 5.

(d) Colloq. Lucionensi. tom 3. colloq 37. qu. 2. De gener. mot. c 1 tr. 4 c. 4. Colloq. XI. sect. 1. Sambo. tom. 1. casu 231. 194. & 310. & tom 2. cas. 131. & 161.

(e) Apud S. Thom opusc. 73. de usuris c. 6.

C A S U S XXIX.

Agnanus ad manum habet duo nummorum millia, quos jamjam in emendis mercibus impensurus est, ex quibus omnino verisimile est, futurum ut de centum septem, vel octo referat. Præterea vero similem pecuniæ summam apud se sepositam servat quam non exponit negotiationi, quoniam de eadem librarum quatuor millia destinat, ad suam filiam in matrimonio collocandam, quæ jam nubilis est, alia vero duo librarum millia reservat, ad providendum fortuitis necessitatibus, quæ possunt in aliqua familia aliquando occurrere quales sunt lites, infirmitates, cæteraque ejusmodi vitæ necessitates. Balduinus ejusdem amicus familiaris eum rogat mutua prædicta sex millia librarum. Qua de re quæstio proponitur, utrum Agnanus possit absque propriæ conscientiæ dispendio per modum compensationis accipere sibi de suo mutuo summam aliquam pecuniæ, quæ cessanti lucro respondeat, ultra suam sortem principalem; quanquam apud se sepositam habeat parem summam sex millium librarum, quam animo non decrevit exponere negotiationi?

R e s p o n s.

Quam Agnanus sepositam apud sese servat, summâ sex librarum millium non est babenda tanquam pecunia, quæ sit inutilis, vel superflua, siquidem finis ille, ad quem eandem destinat, sit omnino prudens ac legitimus; eamque non possit de manibus amittere sive mutui, sive commercii causa, quin sese gerat ratione, quæ tota repugnet prudentiæ ac sapientiæ boni ac diligentis Patrisfamilias, qui perinde tenetur & collocandis suis filiis invigilare, & sustinendæ suæ familiæ providere. Adeo ut vir prædictus censendus sit atque considerandus quasi non habens impræsentiarum, nisi summam pecuniæ, quam in suo commercio jamjam collocaturus est. Ex quibus licet inferre commodando Balduino duo nummorum millia, posse abeo cum eodem stipulationem apponi de congruente aliqua pecunia, ultra principalem ipsius sortem, præstanda, ut ei lucri compensatio accedat, cujus referendi mutuum eum occasione defraudat, absque eo quod inde possit ulla de causa labes usuræ ei inuri (f).

(f) De Gen. 10. 3. tr. 4 c. 4 q. 3. Sambov. 10. 3. cas 290.

C A S U S XXX.

Landulphus, cui summa mille nummorum pecuniæ præsentis adest, quam vult in lucro faciendo collocare, eandem proposuit Luciano gemmarum, monilium, pretiosarumque aliarum rerum mercatori, qui quidem ultro obtulit illam acceptare sub titulo Societatis, eique spem injecit lucri librarum trecentarum, vel quadringentarum ad minus, per annum unumquemque percipiendi, quodque moraliter certus est, asse de prædicta Societate referendum. Landulphus volens, quæ Societas importat, ambages & incommoda vitare, mavult prædictos nummos mille mutuos ei tradere, & de iisdem nonnisi centum libras quinquaginta sibi sumere, tanquam partem lucri, quod de sua pecunia accessurum est, modo Lucianus lucrum illud velit ei afferere. Propositam conditionem Lucianus probat. Num in prædicta conventione usuræ aliquid deprehenditur.

R e s p o n s.

Prædicta conventio absque dubio prorsus usuraria est. Quanquam etenim liceret Landulpho honestum aliquod lucrum accipere de propria sua pecunia, si eandem in Societatem, quam iniret cum Landulpho, collocaret, propterea quod mille nummorum, quos ibidem poneret, remaneret semper Dominus, atque veniret in omnes aleas, omniaque pericula, quibus Societas quævis obnoxia est, hoc est in portionem damni, quod ex eadem posset accedere; nihil tamen potest ex prædicta summa lucri legitimi capessere, eandem

dem Luciano dando mutuam; quoniam, qui commodat; pecuniæ suæ Dominium in eum transfert, qui eandem mutuatur, adeoque jam non remanet ejusdem proprietarius, nec proinde jure potest interesse quidquam de eadem accipere. Quam ob causam, quidquid lucri proventurum est ex prædictis mille nummis, totum debet Luciano cedere, utpote qui solus prædictæ pecuniæ Dominus constituatur; eademque causa, si pro lucro damnum emergat, in ipsum etiam solum recidere in integrum debet, absque eo quod Landulphus in ejusdem partem ullatenus veniat & nihilominus Lucianus obligatur semper, ad principalem ipsius pecuniæ sortem Landulpho præstandam. Quod aperte docet S. Thomas (*a*), cujus ipsissima verba modo referemus, de magno casu, gallice *grosse avanture*, in decisione, quæ sequitur, faciendo sermonem.

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5.

C A S U S XXXI.

Petrus collocavit decem librarum millia committenda magno casui, qui gallice dicitur *grosse avatore*, seu *Bodemeria*, apud Renatum, qui proficiscitur ad Indias Orientales, ibidem negotiaturus; ea conditione 1. Quod, si navis Renati vel aquis submergatur, vel a maritimis prædonibus, aut ab hostibus, quibuscum geritur bellum, capiatur, vel denique ex quibuscumque aliis casibus fortuitis sine ejus culpa pereat, Petrus integram pecuniæ suæ sortem simul & ejusdem interesse, de quibus inter eos accessit, stipulatio, sit amissurus, nihil ei juris remanente quidquam omnino ab ipso Renato ea de re petendi.

2. Quod lucrum ex prædicta summa decem millium librarum proventurum, sit inter eos ex æquo divid.ndum; & damnum, si quid emerserit, ex utraque parte pro eadem æqualitatis ratione sustinendum.

Ab ipsa eadem die Petrus, qui commercii, quod Renatus suscepturus est, est omnino imperitus, nec rationes computare novit, quæ a præfato negotiatore, cum ab Indiis revertetur, sibi venient referendæ; eidem fert istam propositionem nimirum sibi sufficienter arridere probarique lucrum certum, ex quo, pro centum, quindecim vel viginti sumpturus sit ultra suam principalem sortem; si lucrum ejusmodi velit ipsemet ei præstare, modo navis ipsius in portum feliciter revehatur: alioquin consentiens, amittendis non tantummodo memorato interesse, verum etiam suæ sorti decem millium librarum, si contingat perire navem juxta clausulas & secundum exceptiones, quæ præcedenti conventioni accesserunt.

Renatus, quem tenet spes lucri referendi, quod pro centum ad centum usque ad minus assurgat; quemque juvat omnino non habere Petrum tum rerum suarum familiarium, tum suæ negotiationis ullatenus participem, quemadmodum eundem habere teneretur ex rationibus suis, quas alioquin ad eum referre ei incumberet; oblatam sibi conditionem toto animo acceptat, quin etiam eandem libenter proponit societati, quæ juxta formulam ritus consuetos initetur, & exigeret longam ac difficilem lucri, cujus sibi spes affulget percipiendi, circumspectionem.

Nonne contractui ejusmodi subest aliqua ratio usuræ?

R e s p o n s.

Ut proposita difficultas dissolvatur, duo periculorum genera distinguenda sunt. Aliud quidem, quod mutuo intrinsecum est, eidemque necessario coæret: quale est periculum, in quod incurritur ex commodata aliqua re vel alicui, qui non sit solvendo, vel ei denique, qui de rebus suis non bene constitutus sit. Aliud vero, quod ipsi mutuo prorsus extrinsecum est, ab eodemque potest separari. Periculum, quod mutuo extrinsecum, numquam potest titulum sufficientem efficere, ex quo liceat quidquam fœnoris accipere: Sed licite potest interesse percipi ratione periculi, quod extrinsecum est.

Quibus præmissis: quæstio de qua potissimum agitur in specie proposita, eo recedit, nimirum ad quodnam periculi genus reducendum sit periculum, quod Petrus in semetipsum suscipit. Si namque mutuo fuerit intrinsecum; constat, ab eo nullum prorsus percipi posse lucrum de summa decem millium librarum quas commisit magno casui gallice *grosse avanture*, in nave Renati. Si vero periculum istud mutuo sit extrinsecum; ei profecto licet absque ullius usuræ vitio fœnus, quod communi fuit consensu constitutum, accipere.

Auctores extant, qui contendunt, periculum, de quo sermo fit in instituenda peculiari propositæ quæstionis specie, esse mutuo intrinsecum, adeoque eum qui præfata ratione pecuniam suam mutuam tradit, sese in reddere peccati usuræ conscium quod interesse de mutuo percipiendo stipuletur, & eadem stipulatione constituta percipiat. Opinionis autem suæ fundamentum petunt ex famosa Decretali Gregorii IX. quæ ordine postrema recensetur *in titulo de usuris*, (*b*) quamque inferius referemus.

(*b*) Greg. IX. in c. Navig. fin. de usur. l. 5. t. 19.

Cui quidem opinioni subscribere nequaquam possumus, & censemus, memoratam speciem periculi ipsi mutuo totam extrinsecam esse ab eodemque posse omnino separari; adeoque Petro nullatenus inurendam esse notam usuræ quantum ad peculiarem casus speciem, de qua proponitur hic loci quæstio modo tamen 1. Principaliter non intend.t lucrum præcise ex ipsa mutui causa; atque ea de re nihil inducat obligationis Renato, neque necessitatis veniendi in aleam & periculum suæ sortis, ut inde interesse aliquid sibi quærat, sed potius prædictum interesse ei a Renato offeratur, ab eodemque potius obligatur, ad conditiones in proposita specie enunciatas descendere, quam sese implicare molestis operosisque rationum referendarum ambagibus, alienumque efficere ipsius interioris medullæ tum suæ negotiationis, tum lucri, quod ex eadem perciperet, participem. Tunc namque periculum istud, quod appellatur *de jure*, & positum est in obligatione; quam quis volntarie contraxit, patiendi damnum, si contigerit, nulla ratione ad ipsum mutuum necessario refertur. 2. Modo Petrus non recipiat majus lucrum ratione mutui sui, sed lucrum istud periculo, quod subit, respondeat; illudque ipsemet habeat tanquam ejusdem pretium, quoniam alioquin vere locus adesset, confitendi, futurum ut ipsummet mutuum interesse referretur, nequaquam vero ad periculum, quod ea ratione prædicto mutuo fieret intrinsecum, adeoque eidem esse non posset loco justi tituli, ad lucri quidquam ex eodem sumendum.

Quam differendi rationem tradit S. Anton (*c*) En quomodo suum ea de re sententiam aperit: *Aut illud ultra sortem recipit ratione mutui tantum, & sic est Usura, non obstante quod ipse periculum suscipiat: & iste est casus etiam capitis* Naviganti: *Aut recipit illud ultra sortem præcise ratione periculi ut pretium periculi, & sic non est usura sed licitum. Nam etiamsi non mutuaret & periculum navigan is in se reciperet, licite posset recipere pretium periculi: nec propter hoc quod ei servitium faciat in mutuando efficitur, deterioris conditionis: aut aliquid ultra sortem recipit talis mutuans partim ratione periculi & partim ratione mutui, & hoc usura est: quantum ad id, quod plus percipit respectu mutui, & illud tale tenetur restituere.* Ex quibus verbis manifestum est. 1. Ab eo incurri in peccatum usuræ, qui mutuam dando suam pecuniam nihil aliud principaliter intendit quam interesse certum ex eadem percipere, cum in seipsum ex pacto verbis expressis accedente suscipit periculum: atque nihilominus hoc ipsum est, quod fere sempre occurrit in prædicta specie commercii: *Quia tales semper faciunt tale lucrum*, ait S. Raimundus (*d*) 2. Ab eodem gravius multo peccari, cum sub eodem prætextu lucrum sibi majus sumit, quam perciperet, si nulla commodata pecunia, sese erga suum mutuatarium obligaret ad subeundum periculum.

(*c*) S. Anton. 2. p. sum. Th. t. 1. c. 7. §. 21.

(*d*) S. Raim. in sum. l. 2. 25. de usuris & pignor. §. 7.

Quibus prædictis auctoritatis ac confirmationis plurimù adjici potest ex sequenti argumentatione. Discrimen, quod Theologi atque Canonistæ constituunt inter sortem, quæ nude ac simpliciter mutuo traditur, & pecuniam, quæ collocatur in aliqua societa-

cietate, in eo potissimum reponitur, quod sors in priori casu fiat prorsus illius propria, qui mutuatur, in Societate vero pecunia remaneat illius propria, qui eamdem sub titulo Societatis committit. Pecunia, quæ simpliciter ac nude commodatur, transit in proprietatem ac dominium mutuatarii; atque ea de re pecunia ejusmodi commodata dicitur *mutuum*; quia *fit de meo tua*, quemadmodum habetur ex istis verbis Imperatoris Justiniani (a); *mutuum appellatum est: quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*. Adeo ut necessario sequatur, omne periculum, cui summa pecuniæ commodatæ obnoxia est, totum in ipsummet mutuatarium recidere; siquidem ejusdem factus sit proprietarius ratione mutui, sub cujus titulo eamdem accepit: *Ille, qui mutuat pecuniam*, ait S. Thom. (b) *transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat. Unde ille, cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam*. Quod principium innititur isto Juris adagio: (c) *res ... Domino suo perit*. Ideoque foret iniquum, ab eo pecuniæ prædictæ interesse persolvi, siquidem æqualitas, sine qua, ut docet idem Sanctus, non potest contractus aliquis esse justus (d), in ejusmodi contractu tota violaretur; & aliunde qui commodavit, nullo jure gaudeat quidquam accipiendi sibi lucri de pecunia, quæ jam sua non est; *Unde non debet amplius exigere eum qui mutuavit*, ait iterum laudatus Angelicus Doctor. At non eadem est conditio principalis alicujus sortis, quæ in aliqua societate collocata est. Proprietas namque illius ei semper servatur, qui eamdem sub titulo societatis commisit: idcirco debet venire in omnes aleas, omniaque pericula, quibus eadem obnoxia sit: atque quoniam in societate reperitur quædam communicatio & compensatio tum lucri, tum damni lucrum, quod accipitur e sorte principali, eo magis æquitati consonat, quod proprietarius illud idem non sibi vindicet, nisi tanquam fructum propriæ suæ rei: *Ille, qui committit pecuniam suam Mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam*, ait rursum Angelus Scholæ, *non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea mercatur, vel artifex operatur: & ideo sic licita potest partem lucri, inde provenientis expetere, tanquam de re sua*. Quod idem quoque habet Auctor Glossæ in Canonem quemdam de Decreto Gratiani (e): Neque vero quidquam in eo causæ est, cur ipsius consocius eum arguat illius injustitiæ; quoniam ipsius tum laborem, tum propriam industriam, quam per modum societatis alius ille ei commisit, pecunia satis superque compensat: ita ut si in periculum ille incurrat tum suum laborem, tum propriam industriam perdendi, iste etiam veniat in dubium de propria sua pecunia. Quæ quidem omnia & Romano juri sunt consentanea, & ipsamet æquitati naturali, vel ab ipsa radice prorsus innixa (f): *Ita coiri posse societatem non dubitatur*, inquit Justinianus, *ut alter pecuniam conferat, alter non conferat; & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet*.

(a) Lib. 3. Instit. t. 2. 15.

(b) S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5.

(c) Gregor. IX. in cap. nu. de Commodato l. 3 tit. 15.

(d) Justitia in æqualitate consistit. S. Tho. eit. a. 2. in corp.

(e) Gloss. in Can. Plerique 3. 14. q. 3. v. Negotiator.

(f) §. De illat. 2. Institut. de societate l. 3. h. 26.

Quo discrimine mutuum inter, & Societatem sic semel constituto, facile advertitur, Petrum potuisse sine ullo nec usuræ, nec justitiæ periculo, pacisci cum Renato de lucro incerto, cujus accipiendi jure gaudet, modo navis ipsius in portum prospere vehatur commutando in lucrum aliud, quod sit congruens, certum, atque determinatum. 3. Namque ejusmodi conventio, nihil aliud est, quam venditio proprii, quod sperat, lucri ab ipso Petro in gratiam Renati confecta: quæ quidem venditio nequaquam argui potest injustitiæ; siquidem illud usu quotidiano comprobetur, quod Piscator vendat lucrum incertum, cujus sibi spes affulget ex uno retium suorum jactu, pretio lucri minoris, quod sibi certum offertur; & consuetum sit emi eadem ratione fructus alicujus pomarii, qui nondum gemmant, aut a perfecta sua maturitate sunt adhuc omnino remoti, quique possunt Emptori plurimis ex casibus eripi. De qua venditionis specie Lex loquitur, quæ sic fert (g): *Aliquando tamen & sine re venditio intelligitur: veluti, cum quasi alea emitur: quod fit, cum captum piscium, vel avium, vel missilium * emitur. Emptio enim contrahitur, etiamsi nihil inciderit, quia spei emptio est*.

(g) Leg. nec emptio 8. ff. de contrahend. empt. &c. l. 18. t. 2.

* Missilium, quæ jactantur in vulgus, & sunt occupantium. Gloss. in cit. Leg.

Secondo loco, licet Petro conventionem alteram, de qua agitur, absque ne levissima quidem nec usuræ, nec injustitiæ suspicione cum aliqua tertia interposita persona stipulari. Quæ quidem veritas omni controversia sic superior est, ut nullus sit, qui eidem repugnet. Potest igitur eamdem conventionem cum Renato stipulari. Neque enim locus est contendendi, alterum prædictum contractum inde, quantum ad suam speciem, immutari, quod cum illo potius, quam cum quolibet alio conficiatur. 5. Propterea quod, sive illum eumdem ineat cum illo, sive cum alio quocumque tertio; lucrum perinde sit incertum, & pretium certum, tam quoad ipsum Renatum, quam quoad alium quemlibet tertium. Quoniam spes lucri non minus est æstimabilis quantum ad istos, quam quoad alios. Igitur prædicta conventio non magis est in Petro damnanda, quod illam fuerit cum Renato stipulatus, quam reprobanda foret, si de eadem cum aliqua tertia persona pactus fuisset; hoc est, eodem jure licita est, confecta cum illo, quo licita fuisset, si confecta fuisset cum alio quocumque, quocum voluisset pacisci de spe, quæ sibi poterat affulgere majoris lucri, ipso lucro, quod fuerat stipulatus.

Ergo prædictæ conventiones inde tantummodo consonant æquitatis ac justitiæ legibus, quod incerto fundamento fulciantur: quoniam Emptori ac venditori perinde spes affulget lucri de iisdem percipiendi: Atque eam ob rem recta prorsus licet conscientia, mensuram aliquam emere frumenti minori pecuniæ pretio, quam valet impræsentiarum, cum venditor non obligat sese, nisi ad eamdem in alio tempore tradendam, quo incertum est, num pretium sit frumentum vel augendum, vel imminuendum; ut declaratur a Gregorio IX. qui sic ait; (h) *Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur; quæ licet tunc plus valeant, utrum plus, vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur; non debet ex hoc usurarius reputari*. Additque laudatus Papa; *Ratione hujus dubii excusatur, qui pannos, granum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea, tempore contractus, non fuerat venditurus*.

(h) Gregor. IX. in cap. Naviganti fin. de usuris.

Addi quoque potest, in uberiorem sententiæ nostræ confirmationem, Decretalis quædam Innocentii III. qui consultus fuerat, num dos uxoris cujusdam in ipsius potestate Mariti relinquenda esset, in cujus manibus omnino periclitabatur propter infelicem rerum ipsius conditionem, sic respondet; (i) *Mandamus, quatenus dotem eidem* (Marito) *sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui Mercatori committi*: (Quod nonnisi potest de commercio Societatis intelligi) *ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii portare*. Porro rectius explicari non potest lucrum ejusmodi, quam de certo lucro, quod loco lucri incerti erat a prædicto Mercatore referendum. Nam, si quis animo pertinaci contendere velit, summum istum Pontificem non intendisse loqui, nisi de simplici societate, absque eo quod memoratus Mercator lucrum quoddam certum, atque determinatum marito rependeret; videtur, in eo nullatenus indigitatum fuisse fundum sufficienter certum, ex quo haberi posset, unde onera matrimonii portarentur. Intelligendus est igitur de lucro certo, quod nihilominus Mercator non poterat referre, nisi vi conventionis alicujus, qua loco lucri incerti lucrum illud certum constitutum fuisset. Quam differendi rationem proponit Navarrus (k) a quo citatur Sylvester Moxolinus, Major; eamdemque sequuntur alii plurimi recentiores, quibus annumeratur Sylvius (l), quemadmodum Covarruvias, atque Cardinalis Toletus.

(i) Inn. III. in c. per vestras 7. de donat. inter virum & uxorem l. 4. t. 20.

(k) Navar. Manual c. 17. n. 256. & apud eum Sylvester v. Societas 2. q. 2. Joann. Major. in 4. d. 15. q. 44. & alii.

(l) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 78. a. 2. concl. 5.

(m) Gregor. IX. in cit. c. Naviganti. Didacus Covarruvias a Leyva l. 3. var. resolut. c. 2. n. 4. Fr. Tolet. instruct. Sacerd. l. 5. c. 41.

Jam inspiciendum superest, num præsens hæc decisio consentiat assertioni Gregorii IX. de qua jam locuti fuimus. En quibus verbis concipitur (m):

Na-

Digitized by Google

Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Jam igitur eo recidit quæstio, quinam sit prædictorum laudati Papæ verborum sensus.

1. Auctores occurrunt, nec infimi certe nominis, qui propugnant, textum allegatæ Decretalis fuisse corruptum ac depravatum; eidemque negativam particulam apponendam esse, atque sic sequenti ratione legendum: *Usurarius non est censendus.* Nequaquam vero asseverantes: *Usurarius est censendus.* Primam vero rationem istam afferunt, quod; secundum omnes Theologos, qui recipit aliquid ulterius ipsa sua principali sorte propter periculum mere extrinsecum, quod in se suscipit, nullo modo peccatum usuræ contrahat. Alteram quoque subjiciunt rationem, quod ex consequentibus, quæ leguntur in textu prædictæ Decretalis ipsa meridiana luce clarius pateat, prædictæ conjecturæ suum non deesse fundamentum. Nam idem summus Pontifex paulo post immediate subjicit, eadem quoque de causa nullam in eo usuram deprehendi, quod, exempli gratia, dentur nummi decem, ea conditione, ut qui pecuniam istam recipit, sit ei totidem frumenti mensuras alio tempore redditurus, quo verosimiliter dubitatur, utrum plus, vel minus sit valitura: *Ille quoque, qui dat decem solidos &c. non debet ex hoc usurarius reputari.* Jam vero vox ista *quoque* significat evidenter, particulam negativam debere præcedere in anteriori periodo, quemadmodum occurrit una in consequentibus: alioquin laudatus summus Pontifex non fuisset nec recte, nec congruenter locutus; atque debuisset subjicere: *Ille autem*, ut utriusque discrimen innueretur, non vero: *Ille quoque.*

En qua ratione primo quidem loco respondetur. Quoniam vero nonnisi simplici dumtaxat conjectura nititur ejusmodi responsio; & eidem adversantur tum manuscripti codices, tum editiones tam antiquæ, quam recentiores; in iisdemque passim legitur: *usurarius est censendus* sine ulla negatione, juvat prædictæ responsioni non omnino inhærere; ac penitus inspicere Decretalem istam, supponendo, isthæc verba esse legenda, atque in ipsa rei veritate esse affirmantia.

2. Suggeritur ergo ab Auctoribus prædictis alia responsio, & dicitur, Gregorium IX. non intendere loqui, nisi de periculo, quod commune atque ordinarium sit, quale est illud, quod occurrit in mutuo, quodque velle comparare non æquum est cum illo periculo, quod necessario alligatur peregrinationi apud Indos, aut alicui longinquæ navigationi, in qua necessitas semper inducitur alicujus periculi ex parte tempestatum, Naufragiorum, prædonum maritimorum, atque hostium, cæterorumque ejusmodi periculorum.

3. Addunt præterea, Gregorium IX. ea de re suam sententiam proponere tantum juxta præsumptionem juris: quoniam non determinat absolute, eum, qui in casu proposito recipit aliquid ulterius sua sorte propter periculum, quod in semetipsum suscipit, veri nominis usuræ esse conscium; sed declarat tantummodo, esse præsumendum, atque judicandum, eum esse usurarium, *usurarius est censendus*: propterea quod, ut jam observavimus, vulgo non incurratur in ejusmodi periculum, nisi eo fine, ut lucrum ratione mutui percipiatur: quod revera usurarium est. Atque ejusmodi interpretationem Navarrus tradit (*a*).

(*a*) Navarr. Manual. c. 17. n. 6.

4. Denique alii Auctores, qui numero cæteros vincunt, affirmant, Gregorium IX. non intendere loqui, nisi de eo, qui pecuniam suam mutuam non dat alicui mercatori, nisi simul obligationem eidem inducendo, consentiendi alteri contractui, vi cujus, sub prætextu, quod periculum in se recipiat, Mercator prædictus ei afferat lucrum certum loco lucri inniti, quod sperare posset: quo quidem in casu occurrit manifesta usura, cujus Sylvius reddit istam rationem; (*b*) *quia taliter mutuans imponit onus mutuatario, quod est pretio æstimabile; cum debuisset ei relinquere libertatem assecurandi ipsum per pignus, vel fidejussorem quemcumque modo sufficientem.* Quibus verbis adjiciendum est, eum, qui non vult commodare alicui negotiatori, nisi accedente ejusmodi conditione, principaliter intendere lucrari præcise propter mutuum suum: qua quidem in re, ut monuimus, sese prodit usuræ manifestæ conscium.

(*b*) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 67. a. 2. q. 4. in fine.

Quam postremam explicationem proponunt Angelus de Clavasio, Gabriel Biel, Major, Sylvester de Prierio, Medina, Salonius (*c*), atque alii plurimi, quos Sylvius appellat (*d*), qui quidem omnes unanimi ore docent, isthæc verba Gregorii IX. *eo quod suscipit in se periculum*, referri necessario ad hæc alia, quæ præcedunt: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem*; iisdemque enunciari causam vitiosam, propter quam adducitur ille, de quo agitur, ad mutuam pecuniam suam Mercatori committendam; hoc est, iisdem ipsius usurariam intentionem significari: Adeo ut verus ac genuinus sensus Decretalis Laudati summi Pontificis sit ejusmodi: *Naviganti, vel eunti ad nundinas ideo mutuans certam pecuniæ quantitatem: quia suscipit in se periculum (alias scilicet non mutuaturus) ut ita lucretur recipiens aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Juxta quem sensum, Gregorius IX. usurarii notam non inurit ei, qui in ejusmodi casu suam pecuniam commodans, percipit de eadem aliquid interesse tantummodo propter periculum, in quod venit ipsa pecuniæ sors principalis, quodque in semetipsum suscipit: modo pecuniam suam mutuam dando relinquat Mercatori plenam, ac integram libertatem, istam, quæ sibi mutua committitur, pecuniam, accedente ejusmodi conditione, vel acceptandi, vel rejiciendi.

(*c*) Angelus de Clavasio, v. Usura 1. q. 37. Gabriel Biel. in 4. d. 15. Notabili 2. Joann. Major. ibid. d. Fr. Sylv. v. Usura q. 35. Joann. Medina de restit. q. 12. ad 4. tertiæ causa Michael. Salonius in 2. 2. S. Th. q. 76. a. 2.

(*d*) Fr. Sylv. loco cit.

Ex his, quæ huc usque proposuimus, sequitur, si Petrus, ut jam observavimus, principaliter non intenderit lucrum sibi quærere propter mutuam, quam tradidit, summam decem millium librarum, quam vere commisit per modum societatis, nullatenus autem per modum mutui: sed tantummodo venire in partem lucri, cujus spes tam sibi, quam Renato affulgebat, qui quidem Renatus libere poterat consentire, vel certæ cuidam summæ Petro rependendæ, vel eidem admittendo in partem æqualem lucri juxta proportionem ipsius decem millium librarum servandam; Petro non imputandam esse culpam usuræ; siquidem nihil lucri percipiat præcise propter causam ullius mutui. Porro videtur, sic a Petro actum fuisse, siquidem, ut fert proposita species; Mercator lubentius elegerit ejusmodi conditionem acceptare, quam subire necessitatem, ac sese implicare operosæ, molestæque circumspectioni lucri, quæ necessario subeunda fuisset in rationibus, Petro referendis, si summo jure Petrus ipse voluisset, quod sibi contingere poterat de Societatis contractu, lucrum integrum sumere. At vero, si Petrus e contrario voluisset obligationem inducere Renato sibi persolvendi certam pecuniæ summam loco fœnoris prædictæ sortis decem millium librarum, alioquin eamdem noluisset periculo committere; manifestum est, in eo casu futurum, ut sese usuræ conscium efficeret; siquidem, mutuam sic tradendo suam pecuniam, mutuum suum alligavisset conditioni, quam eidem imposuisset, atque ea ratione periculum suæ sortis reddidisset intrinsecum ipsimmet mutuo, eidemque omnino inhærens, adeoque ejusmodi in titulum jam non posset constituere sufficientem, ad ullum interesse percipiendum.

CASUS XXXII.

Fabonius superpositus cuidam Navi, quæ versus Indias navigat, variis mercibus ad pretium usque decem millium nummorum; & timens, ne prædicta Navis periret vi tempestatis propter tempus adversum, quod a quindecim circiter diebus habebatur; aut, cum inde rediret, ab Hostibus caperetur, quibuscum bellum jamjam susceptum fuerat: quoniam erat omni præsidio prorsus destitutus, vendidit Redulpho suum integrum mercimonium pretio viginti quinque millium librarum præsentia, ac numeratæ pecuniæ. Prædicta

Digitized by Google

cta navis in portum feliciter revecta est, post menses ab illinc octo, tanta divitiarum copia redundans, ut Radulfus inde perceperit & prædicta decem nummorum millia, & præterea lucrum quinquaginta pro centum. Num ejusmodi maritimum commercium, quod locum in primis obtinet apud illas Cameras, quæ securitatis vulgo dicuntur, licitum est; & potest ne Radulfus absque usuræ ullius nota, tam ipsius mercimonii sortem, quam lucrum inde proveniens sibi retinere?

R e s p o n s.

Licitum est ejusmodi commercium; & Radulfus jure potest sine ullius usuræ peccato retinere sibi & prædictam sortem decem millium nummorum, & integrum lucrum, quod ex eadem accessit. Ratio est, quod, quamquam mercimonium illud non emerit, nisi pretio viginti quinque millium librarum; ipsius tamen emtio sit omnino legitima; quoniam prædictum acquisivit mercimonium justo, cujus æstimabatur, pretio: siquidem pro eo solverit pecuniam integram, quæ eidem æstimationis loco fuisset a viris rerum pertinentium ad negotiationem intelligentibus imposita, ratione habita variorum periculorum, quæ enuntiantur in proposita specie; & justum rerum pretium nihil aliud sit, quam quod iisdem constitueretur, in ejusmodi circumstantiis, a viris sapientibus, & ejusmodi, qui de iisdem recte possent judicare, atque re vera judicarent sine dolo, neque imbuta animo falsa opinione. *Pretia rerum*, inquit Lex (a), *non ex effectu, nec utilitate, sed communiter funguntur*.

(a) Leg. Pretia. 63. ff. ad Legem Falcidiam. lib. 35. tit. 2.

CASUS XXXIII.

Eustasius navi cuidam Batavicæ merces superposuit ad summam usque decem millium florenorum devehendas in Hispaniam. Quoniam vero timet nunc, ne navis tempestate pereat, aut capiatur a maritimis prædonibus vel ab hostibus, offert Martino decem pro centum, ut ab eo sibi suæ merces præstentur. Quam conditionem acceptat Martinus, ac propter lucrum quod ab Eustasio sibi traditur, periculum mercium in se suscipit. Navis in portum prospere revehitur post tres ab illinc menses, & Martinus recipit decem pro centum, juxta conventionem quæ accesserat ex parte Eustasii. Num quantum ad Martinum usurarium est ejusmodi commercium?

R e s p o n s.

Nedum ejusmodi commercium ulla ratione usurarium sit; quin potius justum est ac plane licitum. Eadem etenim ratione, propter quam licet emere mercimonium aliquod decem millium nummorum, pretio viginti quinque millium librarum propter periculum, cui mercimonium ejusmodi in commercio maritimo obnoxium est: licet quoque pro ingentiori lucro quod incertum est, minus lucrum quod certum sit, constituere. Quamobrem, quod Martinus percepit, lucrum justum est ac plane licitum; siquidem periculum sortis principalis in se susceperit, obligando sese ad summam decem millium florenorum Eustasio persolvendam, si merces ipsius ea aliquo casu perirent. Quod ita docetur a S. Antonino (b), qui eidem, quam sibi proponit, difficultati sic satisfacit: *licitum reputatur tale lucrum ratione periculi, quod subit. Nec enim potest dici, ibi esse mutuum: cum nihil mutuetur: nec lucrum turpe, cum nec inveniatur prohibitum.*

(b) S. Antonin. 3. part. sum. Theol. tit. 8. c. 3. §. 1.

CASUS XXXIV.

Godardus Nemesiano mutuos dedit ad unius anni tempus nummos centum, accedente chirographi cautione, in qua fertur, futurum ut, si Nemesianus ei constituto tempore non reddat prædictam pecuniæ summam, sit ei duas minas ultra centum nummos instar mulctæ persoluturos: Qua de re quæstio proponitur, num, si Nemesianus, qui prædictæ consensit conventioni, nummos centum constituto tempore non restituat, Godardus ab eo jure possit exigere duas minas ultra principalem suam sortem, absque ullius usuræ periculo?

R e s p o n s.

Censemus, a Godardo posse prædictas duas minas exigi tamquam solutionem mulctæ, de qua Nemesianum inter & ipsum accessit stipulatio; modo tamen concurrant duæ conditiones. Prima, quod Godardus, debitori suo ejusmodi mulctam indicendo, animo recto atque ab omni avaritia defæcato intenderit, eum inde dumtaxat obligare, ad nummos centum tempore constituto majori cum cura ac diligentia restituendos; non vero quidquam lucri de suo mutuo sub involucro prædicti prætextus percipere. Ita sentit Innocentius IV, in suo in quinque Libros Decretalium commentario. *Notandum*, ait laudatus Papa (c), *pœnam impositam ex conventione partium licere exigere, dummodo intentio sit recta; scilicet ut pareatur placitis, & non ad usuras, vel lucrum .... sed secus esset, si pœna esset apposita in fraudem.*

(c) Innoc. IV. in cap. Ut suam. 9. de pœnis lib. 5. tit. 37.

Quod idem docet S. Antoninus. En quomodo ea de re habet (d): *Si etiam pœna sit de consensu partium in contractu apposita, ad hoc scilicet ut saltem metu pœnæ debitum solvatur, usura non committitur, nisi a principio fuerit prava intentio.*

(d) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 2. c. 7. §. 22.

Altera conditio, quæ necessario requiritur, ut justa fiat exactio prædictæ mulctæ, est, quod debitor ex mora culpam aliquam contraxerit, hoc est, potuerit solvere, & nihilominus sive ea malitia, sive ex negligentia, aut alias ex qualibet alia sua culpa, debito suo non satisfecerit. Si namque mora solutionis non ex ipsius culpa proveniret; cum, verbi gratia, non sit solvendo idoneus; Godardus jure non posset in casu proposito prædictas duas minas exigere; nisi damnum sibi quid ex mora solutionis emergeret. Ratio est, quia quælibet pœna culpam supponit aliquam; & iniquum est, aliquem immeritum puniri. *Tamen in omni eventu*, prosequitur S. Antoninus, (e) *non videtur honestum petere pœnam; immo nec etiam licitum, quando debitor sine culpa sua factus est impotens ad solvendum, & ideo puniri non debet.*

(e) Idem tit. §. 22.

Quibus auctoritatem testimoniis sententiam addemus Theologi cujusdam notæ prorsus commendatioris (f), qui de proposita difficultate disserit istis verbis. *Si absolute & simpliciter apponitur, ut creditor sibi acquirat pignus. Si autem apponitur in pœnam; & pignus non excedat notabiliter debitum: ita ut censeri possit, esse pœna moderata; neque mens creditoris sit, quod alter pœnam incurrat, nisi sua culpa non solverit ad præfixum diem; pactum erit validum: sive pactum illud contineat, quod pignus fiat creditoris; sive quod sit venditum justo pretio secundum prudentis arbitrium.* Ex quibus verbis apertum est, ab auctore prædicto non probari conventionem ejusmodi pœnæ, nisi accedentibus duabus, quas indigitavimus modo, conditionibus, ac tantummodo in eo casu, quod pretium pignoris (si quod pignus a debitore fuerit apud creditorem depositum) non excedat notabiliter pretium rei mutuo traditæ, ad cujus cautionem pignus ipsi datum fuit: quoniam alioquin ibi committeretur usura, juxta sententiam Sylvii, & quemadmodum evincitur ex Decretali quadam, quam Innocentius III. inscribit duobus quibusdam Canonicis de Pisana Ecclesia, ex (g) Mediolanensi Concilio (h). Atque ex Burdigalensi, quod habitum fuit anno 1583. cui decisioni consonat doctrina Silvestri Mozolini, Navarri, Azorii, Salasii, Auctoris Theologiæ Moralis Gratianopolitanæ, & Auctoris Colloquiorum Lucionensium (i).

(f) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 78. art. 2. An liceat mercenarias emere ob aspect. solutionis. Conclus. 7. § 12.

(g) Innoc. III. in cap. Significante. 7. de pignoribus & aliis cautionibus, lib. 3. tit. 21.

(h) Conc. Mediol. 1. 2. part. tit. 60. de usuris. Conc. Burdigal. tit. 29. de usuris.

(i) Silvester de Prierio v. Pactum. q. 24. Navarr. Manual. c. 17. n. 204. & 217. Joan. Azor. part. 3. lib. 7. c. 1. Salas. dub. 32. de usuris. De Genet. Theol. mor. tom. 1. tract. 4. cap. 6. Colloq Lucionens. tom. 2. Colloq. 4. q. 1.

Operæ pretium est tamen observare, omnino periculosum esse ac timendum, ne ii a quibus mutuum traditur ex ejusmodi conventione, suam usura-

usurariam intentionem tegant sub ementito, falsoque prædictarum pœnarum, seu mulctarum nomine, & ex ejusmodi frequentato usu quædam quasi janua ingens usurariis pandatur. Quamobrem summa cum sapientia rejiciuntur a Parlamentorum plerisque prædictæ mulctarum pœnarumque conventiones; & præsumitur, eos qui easdem stipulantur in pecuniis suis mutuo tradendis, iisdem abuti ad usuras sub ejusmodi prætextis simulationibus involvendas.

CASUS XXXV.

Germanicus animo habens in epularum apparatu quodam, quo suis e potentissimis Magnatibus aliquos accipere statuit, suam ostentare magnificentiam; conditionem offert Scipioni trium minarum eidem numerandarum in pretium usus plurimorum vasorum argenteorum, si velit ei eadem, ad diem ad prædictum convivium destinatam, commodare: atque, quoniam intendit ibidem rem aliquam magni momenti conficere, eaque de re plurimum ipsius interest, videri de rebus suis optime constitutus; etiam ei offert parem pecuniæ summam pro sacculo ducentorum duplicium nummorum aureorum, si velit ei eumdem mutuum tradere, sibi proponens eosdem exponere cum ostentatione in ludo, qui post cibum secuturus est, loco calculorum adhibendos. Numquid oblatam sibi conditionem ejusmodi sine usuræ periculo Scipio potest acceptare?

Respons.

Circa propositam difficultatem arbitramur, a Scipione posse prorsus, sine ullius usuræ periculo, quam ei Germanicus fecit, acceptari conditionem. Neque enim, proprie loquendo, *mutuo dat* prædicta vasa argentea, neque sacculum ducentorum duplicium nummorum aureorum Germanico: sed eidem locat; prædictorumque usum ei dumtaxat vendendo, sic sibi eorumdem retinet dominium ac proprietatem, ut Germanicus teneatur, ad eadem argentea vasa, eumdem sacculum, eosdemque ducentos duplices nummos aureos in propria eorum specie restituenda; si vero ex aliquo casu fortuito prædicta omnia perirent, ac sine culpa Germanici; tota jactura in ipsummet Scipionem, tamquam in verum proprietarium, recideret, juxta juris istud adagium (*a*): *res perit domino rei*: qua quidem in re manifestum est, istum contractum non habere rationem illius contractus, qui dicitur *mutuum*, vi cujus dominium pecuniæ, aut rerum aliarum, *quæ mutuo dantur*, transfertur in mutuatarium, qui de his potest ad libitum disponere, sine ulla obligationa res sibi mutuo traditas in propria illarum specie restituendi; sed justum earumdem tantummodo pretium. *In hoc damus, ut accipientium fiant*, ait Imperator Justinianus (*b*), *& quandoque nobis non eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ reddantur. Unde etiam mutuum appellatum est: quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*. Quæ quidem accommodari nequaquam possunt ad argentea vasa, & ducentos duplices nummos aureos, quæ fuerunt a Germanico Scipioni commodata: quum Germanicus nullo jure gaudeat de iisdem disponendi tamquam per modum proprietatis; sed eadem dumtaxat ad proprium suum usum convertendi; quemadmodum inter eos convenit. Res enim eadem ratione se habet, ac, si Scipio ei commodavisset ad aliquos dies sex equos rhedarios apud ipsius equile seponendos, atque ut locus objiceretur inde persuadendi, eosdem ipsius esse proprios. Quamobrem, sicut non posset inde proprietatem dictorum equorum sibi arrogare, neque eosdem alienare sive ex venditione, sive ex donatione, sed obligaretur, ad eosdem Scipioni reddendos; ita etiam ipsi necessitas incumbit, quæ mutuatus est a Scipione, ipsi eadem restituere, atque eadem vasa argentea, eosdemque duplices nummos aureos, quæ ab eo mutuo recepit, in propria specie ei referendi.

(*a*) Leg. Pignus. 9. cod. de pignorat. actione lib. 4. tit. 24.

(*b*) Lib. 3. Instit. tit. 15.

Cui decisioni favet doctrina S. Thomæ (*c*), qui primo quidem loco statuit principium illud: *Usus principalis vasorum argenteorum non est ipsa eorum consumtio; & ideo usus eorum potest vendi licite, servato dominio rei: usus autem principalis pecuniæ argenteæ est distractio pecuniæ in commutationes. Unde non licet ejus usum vendere cum hoc, quod aliquis velit ejus restitutionem, quod mutuo dedit*. Deinde laudatus S. Doctor addit: *Sciendum tamen, quod secundarius usus argenteorum vasorum posset esse commutatio; & talem usum eorum non liceret vendere. Et similiter potest esse aliquis secundarius usus pecuniæ argenteæ; ut puta, si quis concederet pecuniam signatam ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem usum pecuniæ licite homo vendere potest*.

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. ad 6.

Idem Angelicus Doctor fusius etiam alibi probat (*d*), quam ea de re sequitur sententiam, distinguendo quoque duas usuum species, ad quos conferri potest pecunia, seu quælibet alia res: ex qua distinctione sic arguit: *Unde, si quis pecuniam argenteam in sacculo concedat alicui ad hoc, quod ponat eam in pignore, & exinde pretium accipiat; non est usura, quia non est ibi contractus mutui, sed magis locatio & conductio: & eadem est ratio, si quis concedat alteri pecuniam ad usum ostentationis*. Cui doctrinæ sui Magistri celeberrimus Ægidius Romanus, quantum ad illam partem, adhæret, quæ quidem doctrina Scoti (*e*) simul atque plurimorum aliorum Theologorum communis est. Glossa in Decretalem Alexandri III. (*f*) sententiam quoque eamdem amplectitur, cum sic fert: *Ubi pecunia datur ad pompam: possum inde recipere mercedem: quia non est mutuum, sed potius commodatum, seu locatio*. Quam sententiam suam plurimis Digesti Legibus confirmat. (*g*)

(*d*) Idem q. 13. de malo art. 4. ad. 15.

(*e*) Scotus in 4. sent. dist. 15. q. 2. n. 19.

(*f*) Glos. in cap. *Consuluit*. 8. de usuris, v. *De feudo*.

Nihilominus duo sunt heic loci potissimum advertenda. Prius quidem: quod, ut Scipio non peccet, eum oporteat a Germanico nihil recipere ultra pecuniæ summam, quæ sit ad pretium ipsius usus rerum in proposita specie enuntiatarum, juxta judicium atque æstimationem viri alicujus sapientis accommodata. Si namque proportio non servaretur inter usum rerum prædictarum, & pecuniæ summam quæ pro libero earumdem usu rependitur, & pecuniæ summa excederet; jam ibidem occurreret manifesta prorsus injustitia. Alterum, quod, modo prædicta non conducantur nec locentur nisi ad ostentationem, omnino timendum sit, ne peccetur, ex eo quod illius arrogantiæ qui eadem ad usum ejusmodi confert, aut dolo quo molitur proximo suo fucum facere, subserviatur.

(*g*) Leg. *Sed mihi*. 3. §. fin. ff. commodati leg. *Sæpe*. 4. ff. eod. tit. q. 13. lib. tit. 6.

CASUS XXXVI.

Robertus apud omnes ubique divulgatus tamquam vir, cui nihil aliunde rerum familiarium adest, quam earum quas sibi quæsivit, ac quotidie percipit ex usurariis quas exercet exactionibus, tabernaculum quoddam quod suis ædibus adjungit, curat exstruendum. Artifices, quorum operam ea de caussa conducit, possunt ne recta conscientia, ac sine necessitatis ullius restituendi periculo, quotidianam, quæ debetur operæ suæ, mercedem ab eo recipere; cum optime cognoscant, nullam aliunde ei pecuniam adesse, præter eam quam ex iniquiori prædicto commercio retulit?

Respons.

Auctor opusculi cujusdam, quod exstat inter opera S. Thomæ; (*h*) similem difficultatem luculenter prorsus dissolvit, asserendo, ab illis nequaquam peccari, qui ab usurariis aliquid recipiunt ad propriam suam sustentationem, cum aliunde non possunt eamdem sibi facile quærere; præsertim vero, quando recipiunt aliquid tamquam justam mercedem, quæ debetur suæ operæ ac suo labori, quæ consideranda sunt tamquam quid tantumdem valens, quantum ipsa pecunia valet, quam recipiunt; & ex cujus pecuniæ perceptione facultas non eripitur usurario, restitutioni illius quod male

(*h*) Apud S. Thom. opusc. 73. De usuris. cap. 17.

Digitized by Google

male sibi atque iniquis rationibus quæsivit, satisfaciendi. En ipsissima verba sunt Auctoris laudati. *Artifices & laborantes & servientes possunt juste aliquando percipere de bonis usurariorum quæ acquirunt ab usurariis; quia quantum accipiunt ab usurariis, tantumdem reddunt ipsis per recompensationem operis, vel laboris, vel artificii: ita quod per hoc non sunt usurarii impotentes effecti, ad restitutionem faciendam.*

Nihilominus si necessitas non impellat prædictos Artifices ad operam suam usurario præfato locandam; atque aliunde locus ipsi detur, ex eadem opera sua personis aliis locata victum suum sibi commode quærendi; non possunt sine peccato suam operam eidem locare, ab eodem accipiendo debitam operi suo mercedem; cum certo certius noverunt, pecuniam, quæ sibi rependitur de iniquis quas exercet exactionibus provenire, ut in proposita specie ponitur, eosdem istius rei esse nullatenus inscios, quoniam in eo casu recta conscientia non potest debitum, seu merces recipi quæ scitur ex aliena re rationibus iniquis parta persolvi: *Nihilominus tamen hujusmodi artifices*, addit citatus Auctor, *si credant usurarios nihil habere de bono: & eadem facilitate possunt ab aliis lucrari, peccant scienter usurariis communicando opera sua pro lucro quod sciant, esse rem alienam: & maxime propter scandalum.*

CASUS XXXVII.

Philometor habet apud sese summam 10000. librarum, quam putat domui suæ non satis tuto reponi: animo decrevit eamdem ad unius anni tempus servandam committere Samueli; quem novit, esse insignem usurarium. Num destinatum animo propositum potest, sine peccato, exequi?

RESPONS.

Respondemus, si Philometor suam 10000. librarum summam Samueli committeret eo fine, ut usurarium ipsius commercium juvaret atque copiosius efficeret, futurum ut se se participem profecto redderet peccati prædicti usurarii; siquidem inde ei præberet occasionem peccandi. At vero, si committat non alio fine, nisi ut sua pecunia tutius servetur, nullius culpæ prorsus arguendus est; siquidem non sit prohibitum, ne veri alicujus mali ministerium ad bonum aliquem finem conferatur: *Si quis*, ait sanctus Thomas (*a*), *committeret pecuniam suam usurario non habenti alias unde usuram exerceret, vel hac intentione committeret, ut inde copiosius per usuram lucraretur, daret materiam peccandi: unde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis usurario alias habenti, unde usuras exerceat, pecuniam suam committat: ut tutius servetur: non peccat: sed utitur homine peccatore ad bonum.*

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 4. ad 4. Item qu. 13. de malo. art. 4. ad 18.

Quorum Sancti Thomæ verborum occasione operæ pretium est observare, si Philometor cognosceret, Samueli nihil aliunde adesse, unde posset exercere usuram; omnino constare, futurum jam ut non posset eidem committere suam 10000. librarum summam per modum depositi, quin peccet tum contra charitatem, tum etiam contra justitiam, ut docet Sylvius in suo quod in eumdem sancti Thomæ locum habet, Commentario. (*b*) 2. Si pro comperto haberet, futurum ut Samuel, licet aliunde sibi suppetat, unde usuram exerceat sine ulla 10000. librarum ope, nihilominus istam sibi pecuniæ summam adhibeat, ut sibi quærat usurarios quæstus pinguiores atque copiosiores; futurum quoque, ut in eo casu nequaquam valeret apud eum pecuniam istam deponere: siquidem, nihil quidquam repugnante, quod sibi præluceret, interiori conscientiæ suæ lumine, peccato Samuelis obsecundaret ex ipsa quam eidem voluntario afferret, aggravandæ usurarum iniquitatis occasione. Quod evidenter eruitur ex Decretali Gregorii IX. quam ibidem ad marginem indicamus, (*c*) & probatur ab appellato jam jam Sylvio ex instituta ab eo ista quæ sequitur, & ad rem dilucidandam omnimode prorsus accommodatur, comparatione. *Si quis deponeret gladium apud eum, quem scit, illo esse abusurum ad interficiendum inimicum, esset particeps homicidii; atque adeo ad restitutionem obligatus: neque excusaretur per hoc, quod alius jam haberet voluntatem illum interficiendi. Ergo etiam est particeps peccati usuræ, & restitutioni obnoxius, qui pecuniam deponit apud illum, quem novit, ea velle abuti ad exercendas usuras; uterque enim dat materiam, seu instrumentum injustæ actionis.* Quam eamdem etiam veritatem confirmat laudatus Theologus ope comparationis sequentis: *Qui præberet arma illi, qui injusta prælia est commissurus, peccaret per injustitiam. Ergo similiter in proposito.*

(*b*) Sylvius in 2. 2. q. 78. ad 5. (tom. 3) pag. 557. Ed. Antuerp.

(*c*) Gregor. IX. in d. cap. si culpa. fin. de injuriis, &c.

Hoc potissimum consilio juvandus est Philometor. 1. ut sibi quærat alium Depositarium in quem non cedat turpissimi istius commercii suspicio. 2. Si nullum reperire possit cujus sibi fides, probitas, perspectæ sint atque penitus exploratæ, ipsi Samueli per modum depositi committat summam suam 10000. librarum positam in arca, cujus clavem sibi retineat, aut in sacculo reconditam, quod sit proprio ipsius sigillo clausum ac consignatum, quo Samueli eripiatur inde eadem abutendi locus quilibet. 3. Tandem, si Samuel omnino nollet apud se recipere prædictum depositum, qua ratione dictum est, inclusum, vel consignatum, atque prædictam utramque rationem haberet tamquam indicium quo sibi certissime comprobaretur, quam Philometor ei diffideret; tunc posito, quod Philometori persuasum foret, Samueli sufficientem pecuniam adesse aliunde ex qua suas valeret exercere usurarias exactiones, neque existimaret, futurum ut deposito abuteretur, ad easdem copiosius factitandas, ac denique ei non daretur locus, alibi deponendi suam summam 10000. librarum, tutius servandam posset sine ullo peccato eamdem Samueli committere: quoniam depositum potest in manibus peccatoris perinde tradi, ac in manibus viri justi, ac potissimum, cum adest casus urgentis necessitatis.

CASUS XXXVIII.

Maglorius vir ditissimus summam 12000. librarum mutuam dedit Silvestro trapezitæ, accepta ab eo simplici syngrapha ad unius anni tempus; & ab eo recepit ab annis decem 600. libras usurarum singulis annis: unoquoque anno Silvestro prædictam suam syngrapham reintegrante. Maglorius tandem, cum voluisset suam sortem de manibus illius recipere, eum jussit in judicium venire ac postmodum obtinuit, eum condemnari a Judicibus ad ei persolvendas tum prædictam sortem, tum sortis ipsius usuras ab ipsa die denunciatæ appellationis numerandas. Post unum ab illinc annum Silvester ei reddidit ipsius sortem 12000. librarum cum 600. libris usurarum adjudicatarum, adeo ut per annos undecim receperit 6600. libras interesse. Symphorosa uxor Maglorii quæ communionem bonorum habet cum marito, quæque semper obstitit, quantum potuit, lucro usurario quod de prædicto lucro sumebat; quærit, 1. quid agat opus ei sit impræsentiarum, cum sub potestate mariti sui constituatur: 2. quid ad agendum obliganda sit in eo casu, in quo marito suo superstes ipsa relinquatur, nec ille prædicto lucro restituendo satisfecerit?

RESPONS.

1. Ut manifeste constat, quod Silvestro Maglorius tradidit, mutuum prorsus usurarium esse; obligatur necessario ad restitutionem omnium interesse quæ percepit ad diem usque appellationis, quam debitori suo denuntiari jussit; adeoque recta conscientia non potuit sortem suam 12000. librarum recuperare, nisi prius de eadem deductis 6000. librarum usurarii interesse quod per decem annos accepit, sed sortem tantummodo 6000. librarum, ex qua juncta simul cum 6000. librarum interesse conficitur summa 12000. librarum quæ ei a Silvestro debebatur; & 300. libras dumtaxat pro 600. libris quæ eidem sententia ab anno uno pronunciata fuerunt adjudicatæ: siquidem tunc temporis sola superesset summa 6000. librarum quæ ei jure legitimo a Silvestro deberetur. Quod intelligendum nihilominus est, modo prædictam sententiam bona fide, neque per collusionem, obtinuerit.

2. Quod pertinet ad Symphorosam, quæ alligata

gata impræsentiarum viro suo, ejusdem subjicitur potestati, atque cum eo gaudet bonorum communione, vivente viro suo, non est obnoxia restitutioni: si tamen ipsi sit persuasissimum, futurum ut ejusmodi restitutioni maritus suus non satisfaciat, atque eamdem ex legitimis suis parsimoniis, vel in integrum, vel ex parte præstare possit; rem peraget in adimplenda prædicta restitutione prorsus optimam ac summa laude cumulandam.

3. Si Maglorius ei superstes vixerit, & conjiciat ipsa, futurum ut se se mortua, sui proprii heredes communitatem bonorum adeant; obligatur ex debito justitiæ ad cavendum suo testamento, ut fiat satis memoratæ restitutioni ad summam usque, quam ipsi reciperent de prædictis usurariis quæstibus quæ quatuor ad dimidiam sui partem efficit summam 3000. librarum, atque ea de re ad conficiendum suum testamentum adhibita quacumque diligentia, appositisque quibuslibet solemnitatum formulis quæ sint in instrumentis ejusmodi vel de jure, vel de more necessario præscriptæ; adeo ut de ejusdem auctoritate nulla merito possit controversia subiri: si vero superstes ipsa Maglorio fuerit, ipsi Symphorosæ incumbit, si bonorum acceptet communionem, prædictæ eidem restitutioni faciendæ quam primum providere.

4. Si Silvester ex urgenti aliqua suarum rerum necessitate compulsus fuerit, ad summam 12000. librarum accipiendam cum obligatione solvendæ usuræ, ipsi restitutio 3000. librarum addicenda est, juxta sententiam S. Thomæ (*a*) qui sic ait: *Licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius*. Quod idem docent etiam Richardus Midleton, Durandus, Gabriel Biel & Silvester (*b*). Ratio est, quod cum Silvester non peccaverit ex necessitate sibi sumendo mutuum sub usuris, non mereatur, quamobrem restitutione usurarum quas solvit, defraudetur; siquidem eas non nisi invitus persolverit, atque eo tantum fine, ut propriis suis necessitatibus provideret. Sed si mutuum illud acceperit, ut inde luxuriosius viveret, aut suis libidinibus subserviret, vel voluptatibus immoderatius se daret, aut alteri cuilibet ejusmodi causæ obsecundaret; est ipsa restitutio pauperibus eroganda juxta doctrinam ejusdem S. Doctoris; (*c*) quoniam in ejusmodi casu indignus est, qui restitutionem prædictam sibi vindicet. *Quando ipsa datio*, ait laudatus Angelicus Doctor, *est illicita, & contra legem.... talis meretur amittere, quod dedit. Unde non debet ei restitutio fieri de his: & quia etiam ille, qui accepit contra legem, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere.*

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. in corp.

(*b*) Richard. de Media Villa in 4. dist. 15. art. 5. q. 5. ad 2. Durand. lib. 3. dist. 37. q. 1 n. 4. Gabriel in 3. ead. dist. 37. q. 11. dub. 14. Silvester v. *Usura*. 7 q. 1.

(*c*) S.Thom. 2. 2. qu. 62. art. 5. ad 2.

C A S U S XXXIX.

Polixenes mercator Mensarii chirographum suscepit intra binos dies persolvendum: & quoniam præsentem pecuniam ad manum non habet, urget Metellum familiarem suum amicum de prædicta, quæ fertur in memorato chirographo, pecunia mutuo sibi tradenda, conditione eidem facta usuras semisses ei rependendi ad tempus sex mensium, quod sibi petit concedi. Qua de re proponitur, utrum Polixenes in eo peccatum aliquod admittat?

R e s p o n s.

Distinguendum est, namque vel Polixenes novit, Metellum esse usurarium; vel scit, ab eodem nullam exerceri pecuniæ negotiationem. Si sciat, a Metello non exerceri iniquum ejusmodi commercium, certissime in eo peccat, quod eum urgeat de committendo peccato usuræ: at vero, si aliunde noverit, eum turpissimo ejusmodi commercio esse deditum, & ab eo consuetum esse pecuniam mutuam dari cum obligatione solvendæ usuræ iis omnibus qui apud eum ea de re accedunt, & quas ille exigit, præbent sufficientes cautiones; nullatenus peccat, quoniam recta conscientia potest ex peccato alieno propria utilitas quæri, quando non quæritur nisi propter bonum finem, nec nisi ex urgenti aliqua necessitate, qualis illa necessitas est, qua Polixenes premitur, qui ex ejusmodi mutuo vult ei, quæ sibi incumbit, urgenti necessitati providere, pondus auctoritatis suæ sustinere, ac semetipsum eripere gravissimis incommodis damnatoriæ sententiæ, quæ in eum certo certius ferretur, nisi solveret ad constitutum tempus 1000. nummos quos debet.

Quod ita docetur a S. Thoma (*d*), qui suam probat sententiam, 1. exemplo vel ipsius etiam Dei, qui, ut ait S. Augustinus, (*e*) utitur peccatis hominum, ut inde bonum aliquod percipiat; 2. Auctoritate ejusdem Patris, qui scribens ad Publicolam, (*f*) a quo consulebatur, num liceret adhibere sibi jus jurandum Ethnici alicujus qui consuevit jurare per falsos deos, respondet, licere prorsus ab hujusmodi viro jus jurandum exigere, modo directe ab eodem non petatur, ut per falsos quos colit deos juret. *Augustinus Publicolæ .... respondit*, ait S. Thomas, *quod qui utitur fide illius, qui per falsos deos jurat, non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, quo per dæmonia juravit; sed pacto ejus bono, quo fidem servavit: Si tamen induceret eum ad jurandum per falsos deos, peccaret*. Indeque laudatus S. Doctor sic infert: *Ita etiam in proposito dicendum est, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris. Licet tamen ab eo qui hoc paratus est facere & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius: sicut etiam licet ei qui incidit in latrones manifestare bona quæ habet, quod latrones peccant diripiendo ad hoc, quod non occidatur, exemplo decem virorum qui dixerunt ad Ismael*: Noli occidere nos; Thesauros habemus in agro (*g*).

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. in corp.

(*e*) S. Aug. Enchir. c. 11.

(*f*) Id. Epist. 47. alias 54. n. 2.

(*g*) Jer. 41. 8.

Atque laudatus S. Doctor, quam asseruit modo, sententiam eamdem paullo post confirmat (*h*), quæstionem solvendo, quam ipse sibimetipsi proponit, quæque sic se habet, utrum ne locus offensionis, qui potest usurario præberi, offeratur, aliquando non incumbat abstinere prorsus ab omni quocumque mutuo sub usuris ab eodem accipiendo: ad quam quæstionem respondet, nullam ejusmodi induci obligationem: quoniam scandalum non est nisi passivum ex illius parte, qui mutuatur, qui proinde nullam inde culpam omnino contrahit. *Ipse autem usurarius sumit occasionem peccandi ex malitia cordis sui. Unde scandalum passivum ex parte sua est; non autem activum ex parte petentis mutuum.... quia hujusmodi passivum scandalum non provenit ex infirmitate vel ignorantia, sed ex malitia.*

(*h*) S. Thom. cit. art. 4. ad 2.

Neque etiam contendi potest, eum qui usurarium interesse rependit, injustitiæ peccati fieri conscium, quod committitur ab ipsomet feneratore, qui ejusmodi recipit interesse: *solvere usuras non est peccatum: sed ille qui recipit, peccat*, inquit Glossa (*i*). Quod autem non peccet in rependendo usurario interesse, rationem istam affert alibi Doctor Angelicus, cum sic disserit (*K*): *Iste qui dat usuram, patitur injustum, non a se ipso, sed ab usurario, qui licet non inferat ei quamdam violentiam absolutam, infert tamen ei quamdam violentiam mixtam: quia scilicet necessitatem habenti accipere mutuum, gravem conditionem imponit, ut scilicet plus reddat, quam sibi præstatur; & est simile si quis alicui in necessitate constituto venderet rem aliquam multo amplius, quam valeret. Esset enim injusta venditio, sicut & usurarii mutuatio est injusta.*

(*i*) Glossa in Can. *debitores*. 6. de jurejur. v. *Reddere juramentum*.

(*k*) S. Thom. q. 13. de Malo. art. 4. ad 7.

C A S U S XL.

Pantaleo mercator gemmarum, monilium, aliarumque rerum ejusmodi pretiosarum cui sunt duo liberi, totam rem suam familiarem habet positam in mercimonio gemmarum, quod assurgit ad summam usque quadraginta, vel quadraginta quinque millium librarum, quæ tota volvitur in eo, quod exercet, commercio; prætereaque gaudet annuo censu trium circiter millium librarum, quas constitutas habet tam in Regiis vectigalibus, quam in reditibus quorumdam virorum privatorum. Quæstionem autem proponit, num quibusdam in extraordinariis occasionibus non sibi liceat pecuniam sub usurarum conditione sumere mutuam, ad eos ea de re recurrendo, a quibus novit, publicam exerceri negotiationem, ex sua pecunia ad certum quoddam tempus commodata quæstus usurarios percipiendi. Tribus potissimum de caussis videtur ei persuasissimum, hoc ipsum sibi prorsus licere: prima quidem, quoniam ea est commercii quod habet conditio, ut ab omnibus

aliis

Digitized by Google

allis ordinariis commerciis totum omnino distet: rarissime enim in eodem exercendo recurrunt occasiones vendendi, atque imprimis ab annis duobus, vel tribus ex quibus singulæ familiæ passæ fuerunt redituum suorum annuorum ingentem imminutionem, eadem intolerabilia tributa continuantur exigi; annonæ caritas ingravescit; & pecunia in arcis locupletiorum sterilis reconditur. Quæ difficilis mercium venditio in caussa est, cur mercatores ejusmodi pretiosarum mercium nequeant ex summa qua premuntur, penuria nummorum quidquam emere, ac ne merces apud se se imprudenter coacervent, quarum vendendarum facile locus non se dedat: ex qua quidem difficultate se se prodit ingens illud discrimen, quod occurrit inter eorum commercium & alia ordinaria commercia, in quibus consuetum semper est identidem vendere, quoniam non deest communi hominum societati emendi necessitas, & in quibus licet semper ejusmodi commerciorum mercatoribus novas sibi merces ex apothecis conquirere, cum quas in suis tabernis habebant expositas, merces in integrum vendiderunt; cum e contrario nulla possit gemmarum apotheca usquam reperiri, & omnino necesse sit tenere oblatas occasiones emendarum ejusmodi pretiosarum rerum, ubi primum se se opportune præbent.

Secuna ratio quam Pantaleo causatur, est, quia sibi duo liberi sunt collocandi quorum collocationis caussa non potest minus impendere, quam jam contulerit in gratiam duorum aliorum quibus singulis dedit summam 2500. librarum, unde rei suæ familiaris ingens sibi prorsus emergit imminutio, quam sui permagni interest resarcire continuando suum commercium, quod quidem non potest sustentare, quin aliquando obligetur ad pecuniam sub usuris mutuam accipiendam; siquidem pecunia præsenti sit opus iis qui non nisi gemmas suas vendunt, ut inde pecuniam sibi quærant.

Tertia propterea quod obligetur ad faciendum sumtum saltem 5000. librarum per annum unumquemque tum causa proprii sui victus qui tenuis admodum est, tum pro conductitiis ædibus alienandis atque mercede donandis domesticis quinque quorum opera ac labore necessario indiget, tum etiam satisfaciendi caussa & privatæ tributi, quod ratione capitis exigitur, indictionis, & cæteris, in quorum partem venit, publicis oneribus.

Qua de re habetur quæstio, num quæ ei quandoque, licet rarius inducitur necessitas, ejusmodi sit ex qua possit sine peccato sub usurarum conditione mutuam accipere pecuniam, non nisi ea de caussa ad eos recurrendo quibus animo esse pro comperto habet, nolle nisi sub ista conditione pecuniam commodare, & cum neminem reperit qui velit ejusmodi mutuum ei gratuito tradere?

RESPONS.

Existimamus: 1. Pantaleonem in casu constitutum quem exprimit posita hypothesis, nec ad manum quemquam habentem qui velit ei pecuniam gratuito commodare, posse sine peccato recurrere ad publicum quemlibet usurarium ab eo percipiendi caussa per modum mutui summas pecuniæ quibus indiget, eique licere, quod a se se fuerit exactum usurarium interesse rependere, modo feneratorem prædictum ad usuram exercendam directe non inducat.

2. Equidem fatemur ultro, quod in ipsa rei veritate extra omnem prorsus controversiam positum est, juxta doctrinam (a) S. Thomæ cui quantum ad istam partem adhæret vulgus Theologorum, atque inter alios Sylvius, (b) & Durandus, Richardus, Gabriel Biel, Silvester & Valentia, quos primo loco recensitus Theologus appellat, non posse, nisi participando crimen quod ab usurario committitur, mutuam ab eodem sub usurarum conditione sumi pecuniam, quin exigat aut urgens necessitas, aut justa aliqua utilitas, puta, cum accipitur, ut inde suppetat aliquid effundendum in libidinosam atque dissolutiorem vivendi rationem, in ludum, atque in impensas inutiles ac superfluas: quod quidem omnes meliores ac commendatioris notæ Theologi non dubitant arguere peccati vel etiam mortalis, ut Sylvius nominatim; sed apud omnes convenit atque in concesso est, ex justa quæ inducitur necessitate, ejusmodi conditione summas pecuniæ aliquas percipiendi, a peccato mortali mutuatarium omnino vindicari. *Licet tamen*, ait S. Thomas quem jam antea citavimus, *ab eo qui hoc paratus est facere & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 78. a. 4. in corp. & ad 1.
(b) Sylv. in S. Th. cit. loc. & apud eum Durandus & alii.

3. Difficultas circa quam Theologi distrahuntur in varias opinionum partes, eo recidit, nimirum cujusnam conditionis aut extensionis esse oporteat ejusmodi necessitatem; atque utrum debeat esse vel extrema, vel saltem gravis, aut num non sufficiat, ut mutuatarius extra mortale peccatum ponatur, eamdem esse tantummodo notabilem; qualis ea esse solet quæ dicitur necessitas pertinens ad decentiam status, atque illa est quæ mercatorem, seu quemlibet alium virum eo usque adducit, ut jam non possit sustinere sui status decentiam, quin quandoque recurrat ad usurarias ejusmodi mutuationes. Censent Doctorum plerique sufficere talem necessitatem, ut ejusmodi mutuatarii possint ab omni peccati mortalis periculo esse vacui atque penitus immunes. Quorum Sylvius sententiam amplectitur: *Plerique*, inquit, *existimant, non requiri extremam, vel gravem, sed sufficere notabilem aliquam utilitatem quæ ad decentiam status, vel personæ multum pertineat. Dico notabilem: quia levibus pro commodis temporalibus dare proximo, etiam ad peccandum parato, peccati hic & nunc committendi occasionem, quod sine ea non committeretur, ut minimum continet aliquam salutis ipsius negligentiam.*

Jamvero Pantaleo certissime constituitur in ista postrema specie necessitatis, ut patet evidenter ex tribus caussis quas in exponenda quæstione proponit & ipse S. Thomas cujus in decidendo solet stilus accuratus nihil prætermittere, quantum ad præsentem casum neque gravem exigit necessitatem, sed generatim asserit, posse mutuationem ejusmodi sine peccato obtinere: *Propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis*. Et simpliciter dicit, (c) hoc ipsum unicuique licere, *si indigeat*; quæ quidem verba certissime non innuunt nisi necessitatem communem, aut pertinentem ad status decentiam, qualis illa est cui Pantaleo quandoque subjicitur, nequaquam vero necessitatem extremam, aut gravem quam laudatus S. Doctor non omisisset verbis expressis enunciare, si necessario eamdem requiri judicavisset.

(c) S. Th. ib. ad 2.

CASUS XLI.

Si PANTALEONEM non urgeat necessitas mutuam a Metello sumendi pecuniam sub usuris; neque revera mutuetur nisi eo fine, ut amplius negotietur: & locupletiores res suas efficiat, quo possit lautius ac splendidius vivere; num ejusmodi mutuatio peccato carebit?

RESPONS.

Asserendum est in casu proposito Pantaleoni quem non fugit a Metello non accipi usuras ex titulo damni emergentis, vel lucri cessantis, intellecto juxta eum sensum quem superius innuimus; sed veri nominis usurarum artem exerceri, nequaquam licere, nisi ex gravissimo prorsus peccato, mutuam ab eodem accipere sub usurarum conditione pecuniam; neque enim intentio commercium ampliandi, ut inde copiosiores divitiæ conquirantur, & sumtuosiori magnificentia vivendi ratio prodeat, sufficit ad mutuationes ejusmodi extra omnem omnino culpæ rationem ponendas; cum nonnisi ex sola justa necessitate mutuandi prædictus Pantaleo possit non fieri particeps peccati quo se se præfatus usurarius constringit: qua quidem justa necessitate semel sublata, semper peccatum occurrit in pecunia mutuo sub usurarum conditione sumenda, quando sine caussa ulla justa præbetur usurariis occasio peccandi, adeoque peccatum quod admittunt, cum iisdem participatur. Atque ipsissima est doctrina S. Thomæ qui, ut observavimus, in præcedenti decisione, (d) mutuationes ejusmodi non habet omnis culpæ prorsus expertes, nisi locum habeant *propter aliquod bonum*

(d) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 4. in corp.

num, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius. Cum vero nonnisi eo fine ipsæ mutuationes obtinent, ut ex divitiis quæ inde proveniunt, honorabilior fiat ratio vivendi: tuoc peccatum evadit commune & illius qui sub usuris mutuatur, & illios qui cum obligatione reddendi senoris, mutuam dat pecuniam: (a) *Cum dando usuras peccaverint, tamquam occasionem peccandi usurariis præbentes; cum necessitas quæ ponitur, uti scilicet honorabilius vivant, & majores mercationes faciant, non sit talis necessitas quæ sufficiat ad excusandum peccatum prædictum*. In eoque sensu dicendum est, eum qui mutuatur, se se peccati quo usurarius constringitur, constituere participem; siquidem, & peccatum approbet, & præstet peccanti consensum; ad ipsumque possit merito prorsus accommodari dictum illud S. Paulli (b) qui affirmat, ejusdem peccati sub oculis Dei consortes esse, *non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Ut enim fert Canon (c): *Quid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti?* Quæ decisio non solius S. Thomæ propria est, sed etiam plurimorum ordinis primi auctorum tam antiquorum, quam recentiorum, (d) quod jam superius appellavimus.

(a) Idem opuscul. de empt. & venditian.

(b) Rom. 1. 32.

(c) Can. *Quid enim* 54. p. 83.

(d) Derand. Richard. Gabriel. & Sylv. locis supra cit. Colloq. Lucionens. tom 4. colloq 16. q. 2. De Gen. Th. mor. to. tr. 5 c. 2. q. 1. Samb. to. 1. cas. 91. & to. 3 cas. 245. &c.

CASUS XLII.

GERMANUS Parochus de S. Quitario admonitos a plurimis, Rupertum suum parochianum usurario commercio ab aliquibus annis se sedare in rebus tum pecuniariis tum pecuariis mutuo tradendis, eumdem ea de re Paschali ipsius confessione interrogavit, ab eoque sciscitatus est, num non esset alicujus usuræ conscius: ad quod interrogatum respoudit Rupertus sibi quantum ad istam partem, nullius omnino se se esse culpæ conscium; significante autem ei Germano, hoc ipsum uibilominus constauti fama atque poblico omniom sermone de eo celebrari; quin etiam sic sibi nuntiatum fuisse a viris fidei prorsus locupletissimæ & omni exceptiona majoris: utque sibi penitus constaret de rei illius veritate vel falsitate opus esse, ab eo sibi proferri contractus, quos iniverat, obligationes quibus alios constrinxerat, & chirographi cautiones quas præ manibos aut apud se servabat. Rupertus animo pertinaci perstitit negare, sibi posse quidquam usurarii commercii ullo cum jure objici, ac plane dixit, nolle se quæ a Parocho postulabaotur, contractuum, obligationum & chirographi cautionum iostrumenta, ullatenus ei exhibere. Quid Parochum agere in eo casu opus est? Num debet eidem absolutionem differre, quoadusque ipsius se se voluntati præstiterit obedientem?

RESPONS.

Secundum doctrinam S. Thomæ (e), Parochos seu quilibet alius Confessarius dictis sui pœnitentis in foro pœnitentiæ stare tenetur, sive pœnitens accuset semetipsum, sive excuset: *In foro Judiciali creditur homini contra se, sed non pro se*, ait laudatus S. Doctor, *in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se & contra se*. Ratio est, quod qui ad pœnitentiæ forum accedit, accusatoris simul ac testis personam sustineat, sicut Confessarius personam supplet Judicis simul ac Medici. Atqui Judex non potest judiciariam ac justam sententiam ferre, nisi de rebus quæ certissimis ex indiciis coustent atque comprobentur; neque Medicus remedia præscribere, nisi eidem infirmitas innotescat: Adeoque Confessarius non potest absolutionis beneficio nec debet eum defraudare, cujus crimen ex ratione certissima, indubitatoque argumeoto perspectum non habet, neque omnino exploratum, sed tantummodo novit ex nuda meraque conjectura, quæ tota rumoribus incertis innititur, qui ad eum usque pervenerunt, aut quam ex verbis sibi factis accepit: quæ quidem omnia sæpe sæpios nollum aliud sibi vindicant fondamentum, quam odium, invidiam, livorem, aut iniquas suspiciones. *Fama nihil per se probat*, ait Glossa in quemdam Canonem de Decrato Gratiani, atque in Decretalem Inoocen. III. (f) Unde sequitur, a Germano sine jure prorsus obligationem induci Ruperto proferendi contractuum obligationum, aut chirographi cautionum quæ apud se se retinere potest, iostrumenta; siquidem teneatur io confessione fidem ipsius dictis adhibere, & aliunde sæpius intersit, neminem habere participem neque familiaris rei suæ, neque domesticæ negotiorum administrationis.

(e) S. Thom. quodlib. 1. ar. 12. in corp.

(f) Gl. in can. *Si tantos*; §. *sape v. Fama* & in c. *Qualiter*. 24. de accusationib. 1 5. to. 1. Samb. to. 2. cas. 238.

CASUS XLIII.

SIGEBERTUS cui nummis opus est, emit a Philippo gemmarum, cæterarumque pretiosarum mercium mercatore duos adamantes pretio summæ 6000. librarum, ad quam solvendam post elapsum annum, scripta ea de re propria sua syngrapha, se se obligat: Deinde iu ipsomet articulo temporis eosdem adamantes prædicto mercatori iterum vendit a quo in pretium eorumdem recipit numeratam ac præsentem pecuniam 5600. librarum. Nou ne usuræ aliquid accedit ejusmodi coutractui?

RESPONS.

In prædicto contractu qui nominis sortitur appellationem *Mohatra*, aperta prorsus ac manifestissima usura continetur, quamquam sub nomine venditionis atque emtionis involvatur: cum Sigebertus non vendiderit iterum Philippo suos adamentes duos pretio viliori, nisi quooiam proprie loquendo Philippus ei mutuam tradit ad unius anni tempus pecuniam 5600. librarum, ad cujos pecuniæ usuram & interesse recipit idem ipse lucrum librarum 400. *Patens igitur est*, ait S. Antoninus, (g) quem Concilium Mediolanense primum, tum Parochis, tum cæteris Ecclesiasticis proponit imprimis legendum (h), *quod ideo secundus revendidit primo vendenti pro pretio satis minori: quia sub quadam mutui ratione, potius quam sub reali veritate solutionis, tradidit ille sibi nonaginta vel octoginta, ab eo debens retrahere centum, quia ipsi primo vendenti non solvit tunc: propterea talis contractus usurarius est, & omni malignitate ac duplicitate plenus*.

(g) S. Anton. 2. p. summ. Th. 1. 1. c 8. §. 3.

(h) Concil. Med. 1. const. p. 2. t. qui libri potissimum a Cl. legendi.

Jure ergo prorsus atque omnino sapienter contractus ejusmodi condemuatus fuit, 1. Concilio Mediolanensi I. quod habitum est sub S. Carolo Borromæo anno 1565. (i) verbis istis: *Ne cui præsentem pecuniam quærenti quicquam carius vendatur, ne statim ab venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur*. 2. A summo Pontifice Innoceotio XI. qui inter sexaginta quinque propositiones morales, quas condemnavit 2. Martii 1679. censura sua notavit istam quæ erat numero quadragesima. *Contractus* Mohatra *licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri*. Quæ quidem propositio simul cum aliis sexaginta quatuor condemnata fuit, ac prohibitum quibuscumqoe personis, ne eamdem defenderent, docerent, neque in praxim ulla ratione revocarent, pœna alioquin indicta excommunicationis *ipso facto* incurrendæ, ac sanctæ Sedi præterquam io articulo mortis reservatæ.

(i) Conc. Mediol. cit. part. 2. tit. de Usuris.

Vide
- EMTIO VENDITIO.
- COMMUTATIO.
- DAMNUM & INTERESSE.
- PIGNUS.
- INTERESSE.
- COMMODATUM MUTUUM.
- SOCIETAS.

Laborem denique suscepimus Lectoribus, ut arbitror, haud inutilem: quamobrem eos qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi, rogatos volumus, ut nobis pro laboribus nostris orationes ac preces impertiant suas. THEODORET. Epist. Dedicat. exposit. Cantici Canticorum.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX

INDEX
RERUM ET MATERIARUM,
Quæ in hoc toto Opere continentur.

A B B A S.

Vide hujus tituli Procemium.

EST ne liberum Religiosis Abbatem eligere, sive sui sit, sive alieni Ordinis, Tom. 1. v. *Abbas*, cas. 1.

Abbas Regularis non potest aliquando solus nominare ad beneficium dependens a sua Abbatia, ita ut sui Monasterii Religiosorum consensum non requisierit *ibid.* cas. 3. & cas. 5.

Potest ne sibi reservare absolutionem tot, quot ipsi placet, peccatorum; Tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 39.

Potest ne sibi reservare earum censurarum, quas iis imponere placet, sibi reservare; *ibid.*

Qualis debet esse obedientia debita Abbatibus Regularibus; tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.

Religiosi tenentur ne suis Abbatibus obedire præ Episcopis. *ibid.*

Potest ne propria auctoritate & non exploratis religiosorum, qui Capitulum componunt, consilio, ad Professionem admittere, vel ab ea excludere illos, qui sese offerunt; t. 1. vers. *Abbas*, cas. 4. tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 6.

Abbas, qui in possessione esset, Novitiorum Professionem propria auctoritate excipiendi, deberet ne uti hoc privilegio; tom. 1. v. *Abbas*, cas. 5. & v. *Abbatissa*, cas. 2.

Potest ne valide absolvere illum ex suis Religiosis, qui alapam infligendo Clerico Sæculari, excommunicationem incurrisset; tom. 1. v. *Abbas*, cas. 8.

Abbas, cujus bona communia sunt ipsi & Religiosis, potest ne ad libitum disponere de iis, quæ post sumptus necessarios suppeditatos ex annuis redditibus supersunt, *ibid.* cas. 7. & v. *Abbatissa*, cas. 8.

Abbates regulares an possint abesse a suo Monasterio studiorum prosequendorum causa? *ibid.* cas. 9. tom. 3. v. *Residentia Parochorum*; cas. 2. Abbates Regulares vel Commendatarii tenentur ne recipere Sacerdotium eo ipso anno, quo ipsis in commendam oblata fuit Abbatia? Si id negligant an *ipso facto* perdant suam Abbatiam? Et tenentur ne ad restituendos fructus inde perceptos; tom. 1. v. *Abbas*, cas. 10. 11. & 13.

An omnes Abbates Regulares valide conferre possunt Religiosis sibi subditis Tonsuram, Ordinesque minores? An ad hoc requiritur, ut sint benedicti; *ibid.* cas. 8.

Abbas exemptus a Jurisdictione Episcopi potest ne adunare plura beneficia; tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas. 12.

Consuetudo, juxta quam Abbates quidam Regulares, a suis Religiosis, quos voluerint, approbant ad audiendas sæcularium ibi manentium confessiones, est ne legitima? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 18. & tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 9.

Abbates possunt ne dare Indulgentias, per se ipsos, aut per delegationem specialem; tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 18.

Possunt ne dispensare suos Religiosos de quibusdam Regularis observantiæ capitibus; to. 1. v. *Dispensatio Votorum Religiosis*, cas. 1.

Possunt ne dispensationibus auctoritatem præbere Religiosis sibi subditis; retinendi aliquantæ pecuniæ summæ censum ipsis datum; *ibid.* cas. 3.

Priores Conventuales an possint dispensare Religiosos de regulis ab Abbate suo constitutis; *ibid.* cas. 7.

An omnes Abbates Regulares jus habent, absolvendi ac liberandi ab irregularitate suos Religiosos? Quando ipsis commissum est ab Episcopo Diœcesano, ut eos a censuris absolvant, an, ut eos ab irregularitate liberent speciali indigent potestate; tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 17.

Possunt ne dispensare de bigamia ante aut post professionem, *ibid.* cas. 20.

Abbas an propria auctoritate & quandocunque voluerit deponere potest Priores Conventuales? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 2.

A B B A T I S S A.

Vide hujus vocis Procemium.

Quænam est Abbatissarum dignitas; tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 4.

Abbatissæ possunt ne functiones obire, & Jurisdictionem exercere antequam Abbatiæ suæ possessionem adiverint; *ibid.* cas. 2.

Cum, ubi de admissione aut exclusione Novitiæ ad Professionem agitur, scrutinium non obtinet, an tenentur Abbatissæ illius formam introducere? *ibid.* cas. 2.

Filia illegitima an potest eligi Abbatissa absque dispensatione Papæ vel Generalis Ordinis sui Præpositi; *ibidem* cas. 6.

Ordinis Reformati Abbatissa an potest sine socio visitationes seu aditus officiosos recipere ad clathros; *ibid.* cas. 3.

Abbatissæ Ordinis non Reformati, cum transferuntur ad aliam Abbatiam ubi strictior & reformata ejusdem Ordinis disciplina viget, an ad hanc observandam sunt obligatæ; *ibid.* cas. 7.

Abbatissæ exemptæ a Jurisdictione Episcopi, possunt ne eligere sibi Confessarios quos voluerint; & absolutiones, quas ab iis obtinent, sunt ne validæ; *ibid.* cas. 5.

Possunt ne uti pœna canonica atque arcere a sacris eas ex suis Religiosis, quas blandis verbis ad officium reducere frustra tentarunt; *ibid.* cas. 4.

Possunt ne dispensare Religiosas suas de Votis ipsarum peculiaribus, ea commutare & convertere in alia, aut plane nulla declarare, Tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religiosis*, cas. 8.

Abbatissæ possunt ne recipere in numerum Novitiarum, aut admittere ad solemnem Votorum nuncupationem eas puellas, quas sciunt nonnisi invitas vota suscipere; tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 9.

An jure possunt dare aut restituere aliquid ex bonis Monasterii, sine consensu Religiosarum, quæ capitulum componunt; *ibid.* cas. 8.

A B L U T I O.

An die Nativitatis Christi tres celebrare quis potest Missas, si ex inadvertentia post primam Missam ablutiones adhibuit? Quid faciendum si post ablutiones factas particulæ sacræ hostiæ observentur, Tom. 2. v. *Missa*, cas. 3. 4. 5. & 27.

A B O R T U S.

Vide hujus vocis Procemium.

Usus Matrimonii dum Mulier gravida est, an semper vel plerumque abortus periculum affert; tom. 1. v. *Debitum Conjugale*; cas. 3.

Mulier, quæ ideo, quod saltaverit, partum ejicit, est ne rea peccati? Et Vir, qui ira percitus mulierem prægnantem percussit, ut fœtum ex icto ejecerit, est ne itidem peccati reus; tom. 1. v. *Abortus*, cas. 3.

Mulier gravida & ægrotans potest ne eo fine, ut sanitatem recuperet, potum aliquem sive remedium capere, quod efficiat, ut abortum patiatur? Ii qui proponunt aut consulunt ejusmodi remedia an culpa carent, & an nihil ad hanc culpam facit sive fœtus sit animatus sive inanimatus; *ibid.* cas. 3.

Puella nobilis nonne ad consulendum famæ suæ atque honori fœtum suum abigere potest? Quandonam fœtus incipit esse animatus? *ibid.* cas. 1. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 53.

An ii, qui abortum procurant, semper & in omni casu sunt irregulares, *ibid.*

A B S O L U T I O.

Vide hujus Tituli Procemium.

An plures sint Absolutionis formæ, & quænam in Ecclesia Latina adhibenda; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 1.

An quilibet Sacerdos absolutionem conferre potest modo deprecativo, aut vero terminis absolutis? An utraque absolutionis formula æque valida est, ejusdemque in Ecclesia vetustatis? Absolutio deprecativa an sufficienter exprimit potestatem clavium: *ibid.*

Sunt ne aliqui modi sive formulæ absolutionis deprecativæ, tom. 1. v. *Confessio*, cas. 55.

Absolutio quæ comprehenditur his verbis; *Te absolvo*, estne valida in casu necessitatis, tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 2.

Ista verba; *Te absolvo*, an semper spectata sunt, ut causa efficiens remissionis peccatorum, tom. 1. v. *Contritio*, cas. 3.

Oportet ne semper absolutionem conferre pœnitenti, qui de peccatis suis valde dolere se affirmat, & promittit non amplius ea commissurum se esse? Sunt ne aliqui casus, in quibus tali pœnitenti absolutio deneganda aut saltem differenda est; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13. 19. 21. & 29.

Absolutio collata a Sacerdote qui sententia Judicis declaratus est hæreticus, est ne; *ibid.* cas. 32.

Absolutio data a Parocho suspenso interdicto, aut excommunicato, est ne valida; & licita respectu Confessarii, *ibid.* cas. 33.

Cum illam dat in casu urgentis necessitatis, & ita quidem ut prius non excitaverit sese ad veram contritionem, est ne reus peccati mortalis, & incidit ne in irregularitatem; *ibid.*

Absolutio data a Parocho excommunicato denuntiato estne nulla etiam in casu necessitatis, *ibid.* cas. 34.

Quilibet simplex confessarius quamvis careat facultate de casibus reservatis absolvendi, an ab iis tamen aliquando absolvere potest, vi ans Bulla Summi Pontificis, quæ in Diœcesi, in qua confessiones audit, promulgata est, quæ conceditur, quosdam quibusdam diebus de omnibus casi-

casibus reservatis, a quolibet Sacerdote approbato absolvi possit; tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 17.

Confessarius potest ne tempore Jubilei absolvere hominem, qui casibus reservatis obstrictus est, & non habet intentionem Jubilaeum lucrifaciendi; tom. 2. v. *Jubilaeum*, cas. 5.

Parochi an possint absolvere suos Parœcianos, quando sunt extra Parochiam; tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 6.

Absolutione data a Parocho seu confidentiæ simoniaco occultæ sunt ne nulla, tom. 3. v. *Parochus*, cas. 13.

Absolutiones datæ a Parocho heretico aut schismatico notorie sunt ne validæ; *ibid*. cas. 14.

Sacerdos suspensus *ab ordine, officio, & beneficio* potest ne *ad cautelam* absolvi a Metropolitano? Quaenam ad id requiruntur conditiones; tom. 3. v. *Suspensus*, cas. 32.

Est ne obligatio pœnitentes absolvendi de peccatis oblitis, quorum sese accusant; tom. 1. v. *Confessio*, cas. 41.

Absolutio *ad cautelam* habet ne locum in interdicto generali & personali; tom. 3. v. *Suspensus*, cas. 32.

An in utroque foro ab excommunicatione, in quam quis incidit, liberetur absolutione *ad cautelam*? Quaenam requiruntur conditiones, ut sit legitima? Est ne necessaria talis absolutio, ut quis sit legitimus, tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 61.

Quanam uti decet absolutionis formula ad solvendum hominem majori ligatum excommunicatione, *ibid*. cas. 51.

Pluribus ligatus excommunicationibus an absolvi potest unica sola absolutione, *ibid*. cas. 58.

Potest ne quis vel invitus absolvi a peccatis aut censuris; *ibid*, cas. 59.

Absolutio ab excommunicatione data a simplici Sacerdote excommunicatis in periculo mortis existentibus fit ne irrita, si excommunicati illi valetudine recuperata superioribus sese offerre atque exhibere negligunt; *ibid*. cas. 63. & 64.

An is, qui pristinam recuperet sanitatem, novam teneatur obtinere absolutionem a casibus reservatis, in quibus in articulo mortis constitutus absolutus fuerat; tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 19.

Absolutio censurarum debet ne praecedere absolutionem peccatorum propter quæ quis in illam incidit; tom. 3. v. *Simonia*.

Absolutio peccatorum aut censurarum obtenta per Procuratorem, est ne valida; tom. 2. vers. *Excommunicatio*, tum. 2. cas. 67.

Absolutio per literas vel in literis obtenta fuit ne usitata in Ecclesia; tom. 1. v. *Confessio*, cas. 55.

An pœnitentes de casibus reservatis absolvi possint ante vel postquam ab aliis peccatis jam sunt absoluti; tom. 1. v. *Casus, Reservati*, cas. 6.

An facile concedenda est absolutio, tom. 1. vers. *Absolutio*, cas. 19. & 22. & v. *Confessarius*, cas. 2.

Potest ne absolutio conferri surdo & muto nato; tom. 3. v. *Surdus & Mutus*, cas. 1.

An olim data fuit absolutio, antequam pœnitentia consummata esset atque perfecta; tom. 3. vers. *Pœnitentia injuncta*, cas. 14.

Est ne concedenda absolutio pœnitenti cum dubitatur de ipsius contritione? Sunt ne certæ quaedam regulæ, quibus dignoscitur, cum pœnitens sit contritus; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 6. & tom. 1. v. *Confessio*, cas. 52.

An potest absolvi pœnitens, qui quidem nullam habet contritionem, attamen magnam displicentiam naturalem aut supernaturalem de eo, quod justo illo debitoque careat dolore: tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 7.

An absolvendi sunt, qui peccata venialia confitentur, etiamsi ipsorum contritio non sit sufficiens? Ejusmodi confessiones sunt ne nullæ ne sacrilegæ ob defectum contritionis *ibid*. cas. 9.

Sunt ne absolvendi ii, qui judicant certos quosdam defectus, de quibus se accusant, peccata esse, quamvis revera peccata non sint; *ibid*. cas. 10. & v. *Confessio*, cas. 28.

An absolvi possunt, qui defectu memoriæ nullum specialem peccatum designare possunt in confessione; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 8.

Si ægrotus ex intentione peccata confitendi, Confessarium accersiri jusserit, postea autem omnem vocis rationisque usum amittat, est ne ipsi absolutio conferenda; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 2.

Si ægrotus aliquis amittat usum rationis antequam Confessorem petierit, an absolutio ipsi concedenda est, qualemcumque egerit vitam sanus & incolumis, *ibid*. cas. 4.

Absolutio moribundo data sub conditione est ne valida? Ejusmodi absolutiones sunt ne usitatæ in Ecclesia, *ibidem* cas. 5.

Absolutio est ne concedenda peregrino ægroto, qui ob linguæ discrepantiam nonnisi per signa peccata sua confiteri potest, Accipit ne remissionem suorum peccatorum, si contritionem habeat nonnisi imperfectam? Tenetur ne uti interprete, si ejus sit copia; *ibid*. cas. 11.

Potest ne Confessarius absolvere pœnitentem tantum de casibus reservatis; eumque remittere ad Confessarium suum ordinarium, ad obtinendam reliquorum peccatorum absolutionem; tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 16. & versic. *Confessio*, cas. 15.

Absolutiones datæ tempore Pestis grassantis sunt ne validæ ac licitæ; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 12.

Dominus, qui habet servum hereticum, est ne denegatione absolutionis cogendus ad illud dimittendum; *ibid*. cas. 14.

Si quis aut quædam, conversa quidem jam ab aliquot annis, nolit tamen consentire ad abstinendum a mutuis salutationibus atque aditibus officiosis, amittendis atque accipiendis Epistolis, atque tandem ad confringendam effigiem illorum, cum quibus peccaminosa familiaritate junctus aut juncta fuerat, an propter hoc solum absolutio ipsi denegari potest; *ibid*. cas. 18.

Est ne deneganda absolutio Concubinario, qui recusat Concubinam e domo sua dimittere; *ibid*. cas. 13. 15. 19. & 22.

Quod si non possit illam domo ejicere sine scandalo, est ne ipsi absolutio conferenda; *ibid*. cas. 16.

Cum non est in potestate alicujus positum interrumpere aut carere occasione peccandi proxima, potest ne ipsi interim absolutio concedi; *ibid*. cas. 17.

Si Dominus aliquis libidinose abusus fuerit famula sua, & jam ab aliquo tempore mediis utatur idoneis ipsi impediendo, quominus in idem relabatur peccatum, potest ne absolvi quin prius ad dimittendam famulam hanc compellatur, & censetur ne semper versari in occasione peccandi proxima; *ibid*. cas. 19. & 22.

An Missionarius sub pretexto, quod non sit reversurus locorum, quæ jam jam relicturus est, potest absolutionem concedere illi, qui in proxima peccandi occasione versatur, sed promittit, se illam dimissurum; *ibid*. cas. 20.

Cum sponsus aliquis versatur in occasione peccandi proxima cum sua sponsa, & nolit tamen consentire ad eam non amplius visendam, potest ne ipsi conferri absolutio, *ibid*. cas. 21. & tom. 3. v. *Tactus*, cas. 3.

Est ne deneganda absolutio Concubinario publico, qui Concubinam suam dimittere recusat sub prætextu, quod nulla ipsi cum ea fuerit familiaritas peccaminosa, ab eo tempore, quo Confessario suo promiserit, se non amplius in peccatum illud relapsurum? An hæc peccandi occasio semper censetur proxima; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 19. & cas. 22.

Si quis per longum tempus in habitu peccati perstiterit, in illud autem a multis jam mensibus relapsus non fuerit, potest ne ei absolutio conferri? An solummodo ad tempus attendendum est Confessario, *ibid*. cas. 23.

An Parocho, qui multis annis in secreto impudicitiæ peccato perseverat, dari potest absolutio, sub prætextu, quod de cætero utilis sit Ecclesiæ suæ, & quod delicti pœniteat; a. *ib*. cas. 20.

Debet ne denegari absolutio puellæ gravidæ, quæ statum suum alii patefacere recusat; tom. 1. v. *Confessarius* 2. cas. 20.

An ii, qui peccandi habitum contraxerunt, facilius sunt absolvendi tempore Jubilæi, quam quovis alio; tom. 2. vers. *Jubilaeum*, cas. 12.

An absolutionis denegatione cogendi sunt Magistratus ad ejiciendas ex urbe vitæ solutioris fœminas; tom. 2. v. *Judex*, cas. 10.

An absolutio deneganda est iis, qui vendunt aut locant libros perniciosos, aut qui exponunt picturas lascivas; tom. 2. v. *Liber*, cas. 4.

Est ne deneganda absolutio Viro, qui nullo modo avocari potest ab accusanda uxore sua de adulterio; tom. 1. v. *Divortium*, cas. 10.

Debet ne conferri absolutio Matri, quæ denegat consensum suum in Matrimonium filii ineundum cum Virgine, quæ bonis est moribus nec ipsi inferior opibus atque conditione; tom. 2. v. *Matrimonium* 3. cas. 8.

Et si filius iste, quamvis vetante Matre, frequentius versatur cum Virgine illa, cum qua matrimonio jungi quærit, est ne ipsi deneganda absolutio; *ibid*.

Est ne deneganda Matri Virginis, si permittat hasce conversationes & frequentationes, & si quod plus est, filium, aut filiam ad eas inducat, *ibid*.

Sunt ne absolvendi ii, qui, cum habitum contraxissent multoties quotidie, pejerandi, jam nonnisi semel vel bis per septimanam voluntarie illud committunt peccatum; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 24.

Est ne deneganda absolutio iis, qui academias vel societates ludi tenent; tom. 2. v. *Ludus*, cas. 9.

Est ne deneganda absolutio iis, qui publice saltant Diebus Dominicis ac Festis; tom. 3. v. *Saltatio*, cas. 2.

Potest ne conferri absolutio iis, qui habitu tenentur nimium bibendi; tom. 1. vers. *Ebrietas*, casu ultimo, quæst. 3. 5. 14. & 15.

Est ne deneganda absolutio Judici sæculari, qui in confessione sese accusat declarasse invalida matrimonia, quæ pupilli propria & privata auctoritate sua contraxerunt; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 31.

Sunt ne absolvendi ii, qui recedere nolunt ab appellatione quam adhibuerunt in causa injusta; tom. 1. vers. *Appellatio*, cas. 4.

Est ne proroganda absolutio illi, qui desistere recusat ab actione judiciaria, quam suscepit, satisfactionis pro accepta injuria acquirendæ causa; tom. 1. v. *Charitas*, cas. 7.

Possunt ne Judices, qui potestate sua abusi sunt, denegata absolutione cogi ad fatendum publice, se usurpasse auctoritatem, quæ ipsis non competebat, tom. 2. vers. *Judex*, cas. 20.

Est ne deneganda absolutio Magistratibus, qui abusivam declararunt excommunicationem latam ab Officiali, & quibus animus est in simili causa idem faciendi; tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 12.

Sunt ne absolvendi ii, qui cum ipsis revera esset potestas ablata restituendi, id tamen facere cunctantes, & non nisi post aliquod tempus præstare promittunt; tom. 1. vers. *Absolutio*, cas. 27.

De-

Debet ne absolutio conferri usurario, antequam restituerit quæstus, quos percepit, usurarios, & quænam ipsi consilia atque remedia suppeditanda sunt, si in periculo mortis versetur, *ibid.* cas. 18.

Est ne conferenda absolutio usurario, qui dum interrogatur an moneatur de usura sua, respondeat, se nihil habere, quod hac in re culpæ sibi det; tom. 3. v. *Usura*, cas. 42.

Ignorantia, sive culpabilis sit, sive inculpabilis, Præceptorum divinorum, Symboli, Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, est ne sufficiens causa denegandæ absolutionis, tom. 2. v. *Fides*, cas. 2.

Si quis usus fuerit remediis, quæ ipsi adversus inveteratum peccandi habitum suppeditata sunt, & deinceps non ita frequenter in idem incidat peccatum, an non debet ipsi absolutio conferri, tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 30.

Si quis sit aptus ad jejunandum, nec tamen jejunet, an non ad hoc cogi potest denegata absolutione: *ibid.* cas. 26.

Potest ne absolvi is, qui ad expiandum mollitiei habitum, quam a multis annis contraxit, longam & difficilem suscipit peregrinationem; *ibid.* cas. 29.

Est ne deneganda absolutio homini per diviti, qui omnia bona insumit ad vitam suam splendide transigendam, pauperes vero negligit, tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 3.

Potest ne absolutio conferri accusato, qui ad servandam vitam, negat crimen, quod revera commisit, tom. 1. v. *Accusatus*, cas. 3. & 8.

An Episcopi semper & omni tempore sibi reservarunt certorum quorumdam peccatorum absolutionem, tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 1.

Absolutio quæ obtinetur *modo absolutorio* an omnia mortalia, æque ac venialia peccata remittit; tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 1. In hunc titulum videri potest, tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 2. & v. *Matrimonium* 3. cas. 7. & v. *Missa*, cas. 53.

ABSTINENTIA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Sunt ne alicujus peccati rei censendi ii, qui tam severe adhibent abstinentias, ut per istud rerum potestatem suam præstandi officium sese constituant; tom. 2. v. *Jejunium*; cas. 25.

ACCEPTIO PERSONARUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Acceptio personarum est ne semper & in omni casu peccatum v. *Acceptio Personarum*, cas. 2.

Patronus, qui in collatione beneficii nobilem præfert plebejo, est ne reus peccati Personarum acceptionis? Ibid. cas. 2. & v. *Beneficium*, cas. 8. & v. *Collator*, cas. 2.

Superior Ecclesiasticus potest ne Diviti dare dispensationem matrimonii, eamque in eodem casu pauperi denegare quin fiat reus peccati acceptionis personarum, tom. 1. v. *Acceptio Personarum*, cas. 4.

Dux exercitus potest ne iis Præfectis atque Militibus, in quos magis propendet, majorem præbere partem ejus summæ, quæ inter omnes distribuenda est, ita tamen, ne peccati acceptione personarum reum sese non constituat, *ibid.* cas. 3.

ACCESSORIUM.

Quid est Accessorium? Debentur ne accessoria, cum principale atque essentiale periit? Est ne ratio illorum habenda respectu habito ad illorum usum, an vero ad illorum pretium. tom. 2. vers. *Legatum*, cas. 54.

ACCRETIO.

Jus accretionis est ne commune collegatariis & cohæredibus, tom. 2. *Legatum*; cas. 53.

Jus accretionis habet ne locum quoad usufructuarios, tom. 3. *Ususfructus*, cas. 7.

Habet ne locum jus accretionis, quando Testator unicuique suam assignavit partem, aut cum unus ex collegatariis morte prævenit Testatorem? Quænam est hac in casu & quid jubet Jurisprudentia Gallica, tom. 2. v. *Legatum*, cas. 55. & 57.

ACCUSATIO.

Beneficiarius potest ne semper & in omni casu pecunia se redimere atque liberare ab accusatione intenta adversus ipsum, tom. 3. v. *Simonia*, cas. 31.

ACCUSATOR.

Vide hujus tituli Proœmium.

Cum innotescit alicui crimen aliquod, eo semper tenetur accusatoris partes suscipere; tom. 1. *Accusator*, cas. 1.

Potest ne quis reum, erga quem prius correctione fraterna usus non fuerit, juridice accusare, ita tamen ut charitatis leges non transgrediatur; *ibid.* cas. 2.

Inferiores possunt ne accusantium suscipere partes adversus Superiores suos? Et qualis obtinet in Gallia consuetudo circa accusationes criminales, *ibid.* cas. 7.

Si quis amore vindictæ ductus ne aliquem de secreto, quod commisit crimine, aut si illud sine necessitate divulget, tenetur ne ad præstandam ipsi aliquam reparationem, tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 66. & 67.

Si accusatorem justum quidem, deficient tamen propriæ culpa probationes, an si quas habeo, teneor illas ipsi suppeditare; tom. 1. v. *Accusator*, cas. 5.

Criminis alicujus particeps potest accusatorem agere & reputari testis legitimus adversus accusatum; tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 16.

Quando accusator ignorantia facti deceptum se fuisse cognoscit, obligatur ne ad pure & planarie desistendum ab accusatione capta; tom. 1. v. *Accusator*, cas. 3.

Quænam Judicibus decernendæ sunt pœnæ adversus falsos accusatores; *ibid.* cas. 4.

Judices possunt ne in judiciis suis progredi, faventi accusatoribus nonnisi notorie excommunicatis, aut infamia notatis, *ibid.* cas. 4.

Accusatores in Gallia an non agere possunt, nisi pro commodis civilibus; *ibid.* cas. 7. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 52. & *ibid.* cas. 58.

An criminis capitalis reus damnari potest, nullis adversus ipsum se sistentibus accusatoribus, tom. 2. v. *Judex*, cas. 2.

ACCUSATUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Accusatus tenetur ne agnoscere suum crimen, cum interrogatur? Sunt ne casus quidam in quibus veritatem tacere possit atque celare; to. 1. v. *Accusatus*, cas. 1. & *ibid.* cas. 7.

Mendacia, quibus utuntur accusati ad sese servandos, manu justitiæ sunt ne mortalia, an vero tantum venialia peccata, *ibid.* cas. 2.

Absolutio est ne ante vel post pronuntiatum judicium conferenda reo, qui crimen suum commissum negare perseverat; *ibid.* cas. 3. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 66.

Accusatus condemnatus ad mortem ob desertionem vadimonii, potest ne se defendere contra lictores, ut hoc modo manus effugiat justitiæ; tom. 1. v. *Accusatus*, cas. 5.

An omnis accusatus hoc solo fundamento, quod crimen impositum agnoscat, condemnandus est tam in foro civili, quam Ecclesiastico; *ibid.* cas. 6.

Mulier rea adulterii & accusata a marito suo, tenetur ne omnino & ex conscientia delictum suum coram Judice agnoscere; *ibid.* cas. 2. & cas. 7.

Accusatus qui tormentis admotus crimen, quod ipsi imputatur, agnoscit, sed eum tantum in finem, ut liberetur a tormentis, est ne absolvendus, quamvis nolit fictam suam criminis agnitionem revocare; *ibid.* cas. 8.

Incumbit ne obligatio operam dandi, ut hic vel ille falso accusatus, libertati restituatur; *ibid.* cas. 9.

Qui falso accusatus est, potest ne ad procurandam condemnationem falsarii accusatoris quædam ejus crimina occulte commissa detegere, tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 26.

Clericus accusatus coram Judice de crimine quodam probroso, potest ne deinceps admitti ad sacros ordines, aut per resignationem provideri de dignitate Ecclesiastica, aut ad eam eligi antequam a crimine imposito sese purgarit tom. 1. v. *Accusatus*, cas. 4.

Judex ejusdem cum accusato criminis reus, potest ne hunc nihilominus citra peccatum condemnare, tom. 2. v. *Judex*, cas. 18.

ACOLYTHUS.

Acolythi, qui Subdiaconorum officio funguntur sine manipulo, sunt ne irregulares; tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 82.

Acolythi, qui dum ligati sunt censura quadam, ordinis sui officiis funguntur, sunt ne quoque irregulares; *ibid.* cas. 92.

ACQUISITIO.

Quot modis Acquisitio injusta esse potest, tom. 1. v. *Decima*, cas. 7.

ACQUISITOR.

Sunt ne aliquis casus, in quibus simplicium acquisitorum creditores privilegiati sint aut hypothecarii; tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5.

ACTIO.

Quotnam distingui possunt actiones differentes: tom. 2. v. *Intentio*, cas. 1.

Sunt ne quædam indifferentes actiones; tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 4. & *ibid.* cas. 5.

An omnes infidelium actiones peccata sunt; tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 1.

Actio, quæ sua natura mala est, potest ne aliquando fieri bona; tom. 2. v. *Intentio*, cas. 2.

Sunt ne quædam conditiones necessariæ ad actiones nostras, ut fiant meritoriæ coram Deo? An omnes nostræ actiones ad Deum referendæ sunt? Quænam ad hoc requiritur intentio; tom. 2. vers. *Famulus*, cas. 3. & tom. 2. v. *Meritum*, cas. 2. & 2. & tom. 3. vers. *Pœnitentia injuncta*, cas. 26.

Actiones nunquam ne sunt meritoriæ nisi cum ex charitatis incentivo proficiscantur, tom. 3. v. *Charitas*, cas. 1. & tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 1.

Intentio potest ne malam actionem reddere bonam? Quænam sunt conditiones necessariæ, ut actiones nostræ sint bonæ; tom. 2. v. *Famulus*, cas. 3.

A C-

ACTUS.

An omnis actus conscriptus citra legitimi superioris mandatum, nullus est atque irritus; tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 10.

An actus; qui legitima forma carent, reformari possunt deinceps, ut valeant in Auditoriis; tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 163.

ADMINISTRATOR.

Administratores Xenodochiorum possunt ne privata sua auctoritate in alios pios usus convertere reditus Xenodochii; qui ad certas quasdam destinati sunt necessitates, sed quæ non amplius locum habent? tom. 2. v. *Nosocomium*, cas. 3.

Possunt ne ea, quæ excedunt bona Xenodochii impendere operibus piis? *ibid.* cas. 5.

An Domus alicujus opulentæ administratorem præbere se potest Ecclesiasticus; tom. 2. v. *Clericus*, cas. 2.

Administratus Domus tenetur ne restituere Domino quæstum quem fecit ex pecunia Domini; tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 50.

Potest ne inducere opifices, ad gratis pro ipso laborandum, sub prætextu, quod ipsis procuret occasionem haud parum lucri faciendi ex operibus Domini ejus fieri solitis; *ibid.* cas. 171.

ADOPTIO.

Adoptio Infantis auctoritate Principis facta, reddit ne dispositionem testamentariam irritam ac nullam; tom. 2. v. *Legatum*, cas. 2.

Quid est adoptio? Sunt ne variæ adoptionis species? Et an omnes illæ adoptionis species impedimentum matrimonii dirimens constituunt, tom. 2. v. *Impedimenta cognationis legalis*, cas. 12. & 13.

Sunt ne quædam conditiones, sine quibus unus alterum jure & legitime adoptare nequeat; *ibid.* cas. 4.

ADVERSITAS.

An aliquando adversa quædam precari quis potest proximo suo, aut gaudere iis quæ inciderunt in ipsum, tom. 1. v. *Desiderium*, cas. 2. & tom. 2. v. *Odium*, cas. 2.

ADULATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quot modis committi potest adulationis peccatum, tom. 1. v. *Adulatio*, cas. 1.

Qui adulationibus suis inducunt alios in crimina, aut illis nocere intendunt, sunt ne peccati rei? Ecclesia decrevit ne pœnas quasdam adversus adulatores? *ibid.* cas. 1.

Qui adulationes suo alios pascunt in crimine suo, peccant ne, *ibid.* cas. 2.

ADULTERIUM.

Vide hujus tituli Proœmium.

Adulterium commissum ab altero conjugum, ante vel post contractum matrimonium, an ipsum jure debitum conjugale exigendi privat, tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 3. 23. & 24.

Adulterium secretum & pœnitentia expiatum, tollit ne jus exigendi debitum matrimoniale; tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 3.

Uxor potest ne accusare Maritum suum de Adulterio; tom. 1. v. *Divortium*, cas. 3.

Ignorantia facti excusat ne ab adulterio; *ibid.* cas. 6.

Maritus jure ne potest coram Judice accusare de adulterio uxorem suam, quando eam sincere delicti pœnitet? Est ne ad desistendum ab hac accusatione cogendus comminata absolutionis denegatione; *ibid.* cas. 10.

Ii, qui condonant uxoribus sui crimen adulterii commissum, incidunt ne in bigamiam? Si præstent ipsis officium matrimoniale, sunt ne ideo irregulares; *ibid.* cas. 2. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 115.

Adulterium perpetratum privat ne uxorem dote sua, & lucro in societate cum suo marito facto, tom. 2. vers. *Dos*, cas. 18.

Mulier quæ propter adulterium commissum condemnata fuit ad finiendam in carcere perpetuo vitam, potest ne mortuo marito, valide matrimonium novum contrahere; tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 16.

Compensatio habet ne locum inter hæresim & adulterium; tom. 1. v. *Divortium*, cas. 18.

Semper ne licitum fuit matrimonium inire cum eo vel ea, quo vel quacum in adulterio vita acta est, tom. 1. v. *Impedimentum Criminis*, cas. 1. *ibid.* cas. 4.

Cum quis adulterium committit cum aliqua & simul promittit ipsi nubere, an matrimonium postea contractum validum est, *ibid.* cas. 3.

Promissio matrimonii conditionalis juncta cum crimine adulterii est ne impedimentum illud dirimens; *ibid.* cas. 5.

Adulterium clam in Ecclesia perpetratum, polluit ne, ædes sacras? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 15.

Adulterium est ne causa sufficiens sese quoad thorum separandi a perfido conjuge, tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 1.

Mulier an hac in re ejusdem & non deterioris conditionis est ac maritus suus. An omnis adulter quoad thorum sese separare potest; *ibid.* cas. 2.

Adulterium occultum, commissum causa denegati debiti conjugalis, an jus præbet conjugi, qui denegavit illud debitum, separandi se quoad thorum; *ibid.* cas. 5.

Adulterium commissum instigante utroque conjuge, an alteram partem, quæ prius incitaverat alteram, jure se quoad thorum separandi privat; *ibid.* cas. 6. & cas. 8.

Cum quis connivit in adulterio sui conjugis, perdit ne jus se ab eo separandi, quoad thorum? Quod si connivere cessat, recipit ne suum jus? *ibid.* cas. 8.

Maritus gaudet ne jus se separandi ab uxore, quæ ejecta e domo adulterium commisit; *ibid.* cas. 8.

Est ne licitum sese separare quoad thorum a conjuge, qui vel quæ metu mortis adulterium commisit, *ibid.* cas. 9.

Potest ne quoad thorum fieri separatio a conjuge, qui vel quæ adulterium, sed non nisi magna ei allata, admisit, *ibid.* cas. 12.

Si alteruter conjugum reus sit adulterii, an pars innocens sine violata justitia & læsa charitate pertinaciter retinere potest animum, sese non amplius cum parte sonti reconciliandi? Et annon ream se reddit criminum incontinentiæ, in qua potest incidere ob denegatam reconciliationem; *ibid.* cas. 2.

Si duo conjuges sint æque adulteri, an alteruter jure se quoad thorum separare potest a conjuge, & uti sententia separationis, quam forte obtinuit? *ibid.* cas. 4.

Si duo conjuges æque sint adulterii rei, alter vero pœnitentia expiaverit crimen, an idem jus acquirit se separandi a conjuge, qui in peccato persistit, *ibid.* cas. 12.

Conjux qui fidelitatem servavit, potest ne se separare a conjuge perfido, quamvis aliquandiu cognito crimine debitum conjugale ipsi persolverit; *ibid.* cas. 13.

Conjugum unius potest ne debitum matrimoniale denegare alteri, qui crimen adulterii admisit postquam hic illi parem condonaverit infidelitatem: *ibid.* cas. 14.

Maritus tenetur ne sese separare, quoad habitationem, ab uxore, quæ palam vitam in adulterio agit? Et num eodem ne modo tenetur ad se in casu simili separandam, *ibid.* cas. 18. & cas. 20.

Prætextus, quo quis dono continentiæ sese carere, auxilioque & labore conjugis suæ ad suam sustentationem indigere se dicit, est ne sufficiens ad id, ut possit eam secum retinere, quamvis commiserit adulterium scandalosum? *ibid.* cas. 19.

Tempus, intra quod Maritus uxori suæ, quæ adulterii crimen admisit, juridice divortium intentare potest, est ne fixum atque definitum? *ibid.* cas. 15.

Potest ne vir alicujus ob gravissimam suspicionem, quod uxor ipsius in adulterium inciderit, ideo adversus eam divortii sententiam persequi? *ibid.* cas. 21.

Conjugum pars una si rea sit adulterii occulti, potest ne persequi sententiam divortii adversus alteram matrimonialis societatis partem, quæ publicum commisit adulterium, *ibid.* cas. 22.

Mulier adulterii rea, tenetur ne semper sub pœna peccati mortalis fateri suum crimen, Judici eam interroganti, tom. 1. v. *Accusatus*, cas. 7.

Mulier, cui proles est adulterina adhuc vivens, est ne denegatione absolutionis adigenda ad aperiendum crimen Marito suo? Crimen istud obligat ne ad aliquam restitutionem; tom. 4. v. *Restitutio*, cas. 155.

Si Maritus deprehendat uxorem suam adulterium committentem, licet ne ipsi, eam interficere, aut an ipsam debet juridice accusare; tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 25.

Is ipse, qui adulterium commisit cum aliqua potest ne, cum adulterii insimuletur a Marito, contra ipsam deponere declarando, se ipsum cum ea adulterium commisisse? Talis declaratio est ne recipienda; *ibid.* cas. 2.

Dantur ne casus, quibus ob adulterium commissum separatio quoad habitationem potest fieri, ante juridicam latam sententiam; *ibid.* cas. 17.

Maritus, si in idem propter quod ab uxore per sententiam judiciariam separatus est, crimen postea incidat, tenetur ne ad resumendam uxorem suam? *ibid.* cas. 23.

Testamentum, conditum in favorem proli adulterinæ; validum ne est; Pater tenetur ne providere ipsius sustentationi? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 18.

Proles nata a Muliere, quæ libidini indulgens adulteria commisit quotidiana, nihilominus tamen marito suo debitum reddidit, est ne adulterina (proles illa) censenda? Si maritus ante & post prolem hanc natam multos cum uxore transegerit annos sine ullorum procreatione liberorum, an inde concludendum prolem, de qua quæstio instituitur, esse adulterinam? Eaque proles an potest hæreditate accipere bona paterna, tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 24.

Mulier, cui plures sunt proles, sed quarum una est ex adulterio occulto, potest ne eas ad remittendam ob metum injuriam, quam adulterina reliquis affert, inducere, incusso metu, quod alias non quæque pro adulterina haberi possit, tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 228.

Liberi, quibus cognati declarant, quod sint procreati ex adulterio occulto, tenentur ne illis credere? Et sunt ne obligati ad obtinendam dispensationem, ut possint recipere Ordines sacros, tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 28.

Adulterium ab uxore commissum est ne marito causa sufficiens ut, tuta conscientia, sententia divortii persequi & discedere ab ea possit; tom. 2. v. *Divortium*, cas. 2.

Si maritus, antequam obtinuisset divortii sententiam adversus uxorem, ejusdem cum ea criminis reus esset, posset ne

ne nihilominus uti lata illa sententia, & abstinere a tesumenda uxore? *ibid.* cas. 3. tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 155. 157. 158. & cas. 190.

A D V E N A.

Advenæ possunt ne testamenta condere? Ii eorumque filii possunt ne instituere, aut institui heredes in Gallia? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 11. & 12. & tom. 3. v. *Hæres*, cas. 4.
Hereditas legata advenæ, fit ne caduca quando ante obtinuit jus civitatis advena? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 68.
Advenarum incapacitas succedendi aut recipiendi legatum an se extendit usque ad legata pensionum alimentariarum? tom. 1. v. *Legatum*, cas. 27.
Advenæ, qui jus civitatis obtinuerunt, an ideo idonei sunt ad capiendam possessionem, sive jam terminus annum antea elapsus, sive nondum elapsus fuerit? tom. 2. vers. *Hæres*, cas. 13
Clericus advena potest ne occupare beneficia, quamvis jure civitatis non acceperit? Et an valet possidere ei dispensationis Papalis? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 2. & tom. 3. v. *Patronus*, cas. 4.

A D V O C A T U S.

Vide quod in fronte hujus tituli est Proœmium.

Advocatus potest ne in processiona publica & solemni ex modesta humilitate præcedentiam cedere Mercatori? tom. 2. v. *Advocatus*, cas. 8.
Advocati possunt ne litibus suis commissis expediendis incumbere diebus Dominicis & Festis? Possunt ne hanc ob rem abesse ab Officio divino? tom. 1. v. *Dies Dominici & Festi*, cas. 26.
Advocatus, qui caussam agit pro capitis reo, potest ne fieri irregularis in aliquo casu? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 52. & cas. 61.
Clericus potest ne exercere munus Advocati? tom. 1. vers. *Clericus*, cas. 5.
Advocatus tenetur ne relinquere caussam, quam injustam cognoscit? Et tenetur ne ad restitutionem faciendam partibus, si eam agere pergat? tom. 2. v. *Advocatus*, cas. 2.
Et quod plus est, tenetur ne insuper restituere pecuniam, quam pro suo labore acceperat? tom. 3. versic. *Restitutio*, cas. 203.
Teneretur ne ad restitutionem, si clienti consuluisset, ad juvandam caussam, negare veritatem? *ibid.* cas. 204.
Advocatus, persuasus quidem ab initio caussam, quam suscepit, esse bonam, postmodum autem eam credens probabiliter injustam, tenetur ne eam dimittere? Licet ne ipsi propalare arcana ejus caussæ? *ibid.* cas. 3. & tom. 3. vers. *Testis* cas. 5.
Advocatus qui per ignorantiam caussæ iniquæ suscepit defensionem, est ne reus coram Deo? tom. 2. v. *Advocatus*, cas. 1.
Si is, qui litem habet, promiserit Advocato certam quamdam pecuniæ summam, ubi caussam obtinuerit, tenetur ne ei solvere summam illam promissam, si postea transigat cum parte adversa? *ibid.* cas. 6. & tom. 1. v. *Locatio*, cas. 21.
Advocatus obligatur ne ad restitutionem, si malitia, ignorantia, aut imprudentia justam caussam amitti patiatur? *ibid.* cas. 7.
Peccat ne Advocatus, sine necessitate infamando partem adversam? Et tenetur ne ad restitutionem aut reparationem? *ibid* cas. 4.
Advocatus potest ne accipere pecuniam pro suis consiliis & caussæ dictionibus, absque ut sit Simoniacus? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 70.
Advocatus obligatur ne gratis caussam dicere pro paupere, & potest ne adigi ad hoc a Judicibus? tom. 2. v. *Advocatus*; *ibid.*
Potest ne aliquis sine admisso usuræ peccato commodare pecuniam Advocato, sub hac conditione, ut pro se caussam dicat, quamvis sese obligaret ad solvendum ipsi honorarium suum? tom. 3. v. *Usura*, cas. 1. & cas. 8. & 9.
Advocati heredes obligantur ne ad restituenda honoraria cum mors interveniens impediverit, Advocatum caussam pro illa, qui honoraria ipsi in antecessum dederunt, dicere? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 5.
Advocatus tenetur ne deponere apud Judices id, quod reus ipsi aperuit eo fine, ut impetraret ab eo consilia? tom. 3. v. *Testis*, cas 2.

Æ D I T U U S.

Potest ne ambiri Ædituì munus, cui annexum est Sacramentorum quorumdam administrationis officium? tom. 2. v. *Simonia*, cas. 52. & v. *Religiosa*, cas. 4. & tom. 2. v. *Missa*, cas. 25.

Æ G R O T U S.

Cura ægrotis adhibenda prævalet ne obligationi audiendi Missam diebus Dominicis ac Festis? tom. 1. versic. *Missa*, cas. 49.
Ægroti possunt ne valide matrimonium contrahere? tom. 3. *Professio Religiosa*, cas. 14.
An ægrotis pro pœnitentia injungi potest, ut mala sua Deo offerant? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas 12.
Ægroti, qui in extremis versantur, possunt ne licite matrimonium contrahere? Et num aliquando per conscientiam obligantur ad hoc? tom. 2. v. *Impedimentum impotentiæ*, cas. 12.
Ii qui solverunt sumtus morbi atque sepulturæ alicujus defuncti, sunt ne omnibus aliis creditoribus præferendi? tom. 3. v. *Debitum*, cas. 14.

Æ Q U I V O C A T I O.

Æquivocationes semper ne sunt damnandæ? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 6. & tom. 3. v. *Perjurium*, cas. 1.
Judices possunt ne uti æquivocationibus in suis interrogationibus & examinibus capitis reorum, eum in finem, ut eos eo facilius perducant ad confitenda sua crimina? tom. 2. v. *Judex*, cas. 16.
Vide infra *Simulatio*.

Æ R I S D E C O C T O R.

Si quis nomen suum aut receptum præbeat illi, qui decoctor æris solvendo non est, an tenetur revelare? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 9. & cas. 10.

Æ S T I M A T I O.

Qua ratione fieri debet æstimatio mercium? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 6.
Si quis subeat alicujus rei æstimationem, an censetur quoque subire periculum casuum fortuitorum? tom. 3. v. *Commodatum*, cas. 2.
Emtor ne an venditor periculum subit in rebus sub æstimatione datis? tom. 3. v. *Societas*, cas. 18.
Potest ne aliquod lucrum quæri ex rebus sub æstimatione datis? *ibid.* cas. 19.
Æstimatio bonorum dotalium cedit ne in bonum maritorum? tom. 1. v. *Dos*, cas. 21.

AFFINITAS AUT COGNATIO.

Quænam sunt personæ, quæ contrahunt affinitatem? Impedimentum affinitatis eamdem ne habet vim, & æque ne se extendit ad impedimentum cognationis? tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 4.
An matrimonium in quocumque gradu affinitatis contrahere jure naturali prohibitum est? tom. 2. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas 3. & cas. 2.
Affinitas in primo gradu linea directa ex illicita copula contracta an matrimonium irritum reddit? *ibid.* cas. 4.
Affinitas in tertio gradu an irrita reddit sponsalia contracta? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 14.
Affinitas usque ad quartum gradum impedimentum dirimens est? tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas 5.
Affinitas continuat ne post mortem alterius illorum qui eam contraxerunt? *ibid.* cas. 4. & 6.
Episcopi possunt ne in casu necessitatis, & quando ambæ partes bonæ fidei sunt, dispensare de impedimento dirimente affinitatis? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 10.
Possunt ne Episcopi dispensare de tertio ad quartum & de quarto ad quintum gradum affinitatis? *ibid.* cas. 35.
Qui dubitat affinis sit nec ne, potest ne exigere debitum conjugale? tom 1. v. *Debitum conjugale*, cas. 18.
Quando affinitas oritur ex illicita copula contracta, ultra secundum gradum est, matrimonium est ne validum; jure ne exigi potest debitum? *ibid* cas. 21.
Affinitas in primo aut secundo gradu ante perfectum matrimonium contracta privat ne partem sontem jure exigendi debitum, & est ne ipsi ad hoc dispensationis opus? *ibid.* cas. 22
Affinitas orta ex adulterio commisso cum propinqua consanguinea aut cognata privat ne partem sontem jure debitum exigendi? *ibid.* cas. 23.
Ejusmodi affinitas privaret ne partem sontem jure recipiendi debitum, quamvis minime connivisset ea in re? *ibid.* cas. 24
Affinitas nata ex violentia illata irresistibili, aut ex ignorantia facti, tollit ne jus exigendi debitum conjugale? *ibid.* cas. 19.
Contrahitur ne affinitas antequam commixtio seminum sequatur? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 34. & tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 1. & cas. 8. & 9.

AFFINITAS SPIRITUALIS.

Maritus contrahit ne affinitatem cum sua uxore, baptizando suos liberos? tom. 2. v. *Debitum conjugale*, cas. 51. & 52.
Vide infra *Cognatio spiritualis*.

AGGREGATIO MONASTERIORUM.

An omnis generis Monasteria aliis possunt adunari? Quænam requiruntur conditiones, ut illud legitime fiat? tom. 3. v. *Monasterium*, cas. 2. 3. & 5.

A L A P A.

Licet ne aliquem persequi in foro ad obtinendam reparationem alapæ inflictæ? Sunt ne quædam conditiones observandæ iis qui illud, illæsa charitate, facere intendunt? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 3.
Alapa Sacerdoti inflicta ab eo qui ira subita correptus est,

Digitized by Google

est ne causa excommunicandi illius? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 6.

ALBINATUS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Jus Albinatus est ne peculiare Galliæ? Quando & cur ibi introductum est? Sunt ne quidem advenæ exempti ab eo jure? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 24. & tom. 2. v. *Legatum*, cas. 61. & v. *Heres*, cas. 4. & cas. 7. & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 2.

ALEA.

An absque peccato fabricari aut vendi possunt aleæ? tom. 3. v. *Ludus*, cas. 8.
An aleis ludere quis potest sine peccato. *ibid.*

ALIENATIO.

Potest ne unicus canonicus se opponere, quando Episcopus & capitulum alienant quædam Ecclesiæ bona intercedunt? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 10.
Sunt ne quædam formulæ jure præscriptæ circa alienationem bonorum Minoris? Minores possunt ne redire in possessionem suorum bonorum, si formalites illas haud observatas fuerunt? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 6.

ALTARE.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium,

Reliquiæ sunt ne absolute necessariæ ad consecrationem altaris? Semper ne sunt appositæ altaribus, seu stabilibus, seu portatilibus? Quando incœpit usus altarium Portatilium? Committitur ne peccatum celebrando in altari, licet compertum sit, quod nullæ ibi sint Reliquiæ? tom. 1. v. *Altare*, cas. 1.
Potest ne Missa legitime celebrari in altari non consecrato? Ad quem pertinet consecratio altarium? *ibid.* cas. 2.
Potest ne celebrari Missa super lapide altaris, de quo dubitatur num sit consecratus, utpote qui nec Reliquias, nec Crucem insculptam habeat? *ibid.* cas. 3.
Potest ne Missa celebrari in altari ligneo? Ex quanam materia confecta esse debeant altaria? *ibid.* cas. 4.
Potest ne, & quidem ita ut non incurratur irregularitas, Missa celebrari super altari in loco particulari sine auctoritate Episcopi ædificato? Ad quem spectet ædificatio Ecclesiarum & altarium? *ibid.* cas. 5.
Altaria amittunt ne consecrationem suam, cum lapis separatur a sua basi? Recipiunt ne consecrationem, cum lapide restituto, Missa in eo celebrata fuit? *ibid.* cas. 6.
Altaria perdunt ne suam consecrationem fractione sepulchri aut sigilli? *ibid.* cas. 7.
Altarium lapides carent ne consecratione sua, si accidat ut cornibus mutilentur? *ibid.* cas. 8.
Quæ in altaribus privilegiatis conceduntur Religiosis cujusdam Monasterii, qui ibi celebrarent suas, indulgentiæ, extenduntur ne ad Religiosos exteros ejusdem Ordinis? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 11.

AMENS.

Baptismus est ne amentibus conferendus? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 25.
Est ne ipsis agonizantibus Viaticum dandum? tom. 1. v. *Communio*, cas. 17.
An respectu illorum pariter se habet quoad Extremam Unctionem? tom. 2. v. *Extrema unctio*, cas. 17.
Uxorem amentem tenentur ne illis debitum matrimoniale reddere, quando illud petunt? tom. 2. v. *Debitum conjugale*, cas. 35.

AMENTIA.

Cum amens, aut furiosus, occidit quemquam, ex hac cæde fit irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 45.
Amens, rea fornicationis jam ante suam amentiam, quique hac de re nullam egit pœnitentiam, an tertium mortale committit peccatum, quoties post amentiam in istud incidit crimen? tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 30.

AMOR.

Vide *Charitas*.

ANATOCISMUS.

Quid est Anatocismus? Reprobatur ne legibus? tom. 2. v. *Lucium Lucii ultra sortem*, cas. 1.

ANIMALIA.

An absque usura in societatem dari aut locari possunt animalia, ea conditione, ut finita locatione reddantur juxta æstimationem eorum factam? tom. 3. v. *Societas*, cas. 18. 19. & 20.
An semper tenetur quis reparare damnum a suis animalibus datum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 170. 171. 172. 173. 174. & 175.

ANNATES.

Quis introduxit Annates? Sunt ne licitæ? tom. 2. v. *Justa Caducaria*, cas. 2. & 3.

ANNUA PERPETUA.

Ii qui onerati sunt annuis perpetuis sacris tenentur ne celebrare singulis diebus, aut alium sibi substituere, cum morbo, absentia, aut defectu dispositionis detinentur? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 10.

ANTICHRESIS.

Quid est Antichresis? Creditor qui titulo antichresis aliqua re fruitur, tenetur ne casibus fortuitis, aut de culpis, quæ vocantur in jure culpæ latæ? tom. 3. v. *Pignus*, cas. 4.

ANTIDATA.

Vide hujus tituli Proœmium.

Antidata est ne licita chirographo, quod creditor in alias manus transtulit? Potest ne isti chirographo apponi dies, qua promissione verbali solvere illud sponsum est? Est ne periculosum istud facere, in primis cum interim fit detentio juridica bonorum intra manus illius, qui chirographum in alienas manus tradidit? tom. 1. v. *Antidata*, cas. 2.
Testamentum, cujus die apposita per antidatam mutatur, est ne validum? *ibid.* cas. 1.

APES.

An recuperari possunt apes, quando relicto alveo avolarunt? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 181.

APPARITOR, VEL SERVIENS.

Vide quod est in fronte hujus vocis Proœmium.

Apparitores in unum eundemque locum, & una quasi eadem opera manus in plures & diversos debitores injicientes nomine quoque non unius tantum, sed plurium & diversorum debent ne contenti esse solutione, quæ debetur uni & soli executioni. An vero possunt a quolibet eorum, a quibus missi sunt, eam petere & accipere solutionem, ac si pro eo solo non in locum se se contulissent, num ice ejus bona quædam apprehendissent? tom. 1. v. *Apparitor*, cas. 1.
Apparitor tenetur ne respondere & præstare si quid perierit sua culpa & negligentia? Quænam est hanc in rem Jurisprudentia Galliæ? *ibid.* cas. 2.

APOSTASIA.

Religiosus, qui omnino relinquit suum monasterium, nec in aliud transit, incidit ne in Apostasiam, etiamsi semper utatur vestitu Religioso? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 1. & tom. 1. v. *Dispensatio votorum Religionis*, cas. 4.
Est ne suspensus, qui antequam ab Apostasiæ Religionis crimine purgatus esset, sacros recepit Ordines? tom. 3. v. *Suspensus*, cas. 25.
Religiosus, qui tædio sui status capta aufugit e monasterio, incidit ne in Apostasiam, & in excommunicationem? Potest ne ab iis liberari per Episcopum, an vero per solum Papam, tom. 1. v. *Excommunicatio*, cas. 47.

APOSTATA.

Qui vexant Clericum apostatam, an incurrunt excommunicationem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 4.

APPELLATIO.

Vide quod in fronte hujus tituli est Proœmium.

Quare appellationes introductæ sunt? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 7. & v. *Calumnia*, cas. 2.
Si quis sit reus & juste condemnatus, potest ne appellare ab inferiori Judice ad superiorem, tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 1. & cas. 4.
Potest ne interjici appellatio eum tantum in finem, ut caussa longius producatur? *ibid.* cas. 7.
Appellatio est ne licita, quando caussa, quoad præcipua momenta est injusta? Et pœnitens est ne denegatione absolutionis cogendus ad desistendum ab ejusmodi appellatione? *ibid.* cas. 6. & v. *Calumnia*, cas. 2.
Si in caussa civili, aut criminali, jus mihi sit probabile contra probabilius, licita ne est appellatio? t. 1. v. *Appellatio*, cas. 5.
Si sententia Judicis abusiva sit in uno capite, justa vero ratione reliquorum capitum, potest ne ab ea appellari? *ibid.* cas. 10.
Potest ne in Gallia interjici appellatio, omisso medio? Papa potest ne deputare, ad judicandas caussas, in quibus ad ejus sedem appellatum est? Quænam requiruntur hac in re conditiones? *ibid.* cas. 11.
Regulares Ecclesiastici possunt ne appellare a suo Superiore ad Ordinarium? *ibid.* cas. 3.
Possunt ne Regulares legitime appellare ad Prælatum Superiorem, & ejusmodi appellatio est ne suspensiva executionis sententiæ? *ibid.* cas. 2.

Po-

Potest ne appellari a tribus sententiis similibus? Quonam in casu id fieri potest? *ibid* cas. 16.

Appellatio interjecta, & quidem injuste, ante sententiam excommunicationis, eam ne suspendit? *ibid.* cas. 9. & tom. 2. v. *Mulcta*, cas. 1.

Appellatio suspendit an etiam sententiam censuræ, si facta sit ante impletam conditionem, sub qua lata est censura? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 9.

Appellatio interjecta a sententia excommunicationis tantummodo declaratoria, impedit ne, quominus appellans publice denuncietur excommunicatus? *ibid.*

Si, non obstante ejusmodi appellatione, superior eum publice denunciaret excommunicatum, an quilibet obligatus esset ad ipsum ut talem devitandum? *ibid.*

Potest ne appellari a censuris jure latis? *ibid.* cas. 13.

Appellatio est ne tantum suspensiva, nonne aliquando etiam est devolutiva? *ibid.*

Appellatio simplex est ne suspensiva in materia Disciplinæ, correctionis morum, aut censuræ? *ibid.* cas. 10. & cas. 13. & 14.

Appellatio in materia criminis tollit ne effectum sententiæ latæ, tom. 2. v. *Mulcta*, cas. 1. & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 10.

Appellatio interjecta a capitis reo reddit ne ipsum idoneum ad testandum aut succedendum? Impedit ne quominus solvat mulctam impositam a suo Judice? Est ne in omnis generis casibus suspensiva? *ibid.* & tom. 2. v. *Heres*, cas. 10. & cas. 25.

Potest ne appellari a subalterno Judice christiano ad superiorem infidelem? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 8.

Appellatio, interjecta pro præcedentia in processionibus solemnibus, est ne suspensiva? *ibid.* cas. 15.

Appellatio a sententia excommunicationis ad Metropolitanum, aufert an Suffraganeo, qui eam tulit, potestatem appellantem ab ea liberandi? Est ne appellatio illa suspensiva? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas 62.

An nonnisi Curiæ Supremæ in nihilum redigere possunt appellationes? tom 3. v. *Visa*, cas. 2.

APPELLATIO TAMQUAM AB ABUSU.

Appellationes tamquam ab abusu sunt ne antiqui moris in Gallia? Quinam sunt casus, in quibus locum habent? Earum effectus an semper est suspensivus? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 10. & cas. 14.

Quandonam appellatio tamquam ab abusu bene fundata est? *ibid.* cas. 12.

Appellatio tamquam ab abusu habet ne locum respectu Episcoporum, qui recipere recusant *Visa*, aut denegant Ordines Ecclesiasticos; aut respectu Monitorii, aut Sententiæ Officialis? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 9. & v. *Officialis*, cas. 12. & 13.

Appellatio tamquam ab abusu habet ne locum in expulsione injusta Monachi e suo Monasterio? to. 3. v. *Professio*, cas. 14.

Appellationes tamquam ab abusu habent ne locum respectu censurarum latarum contra Regis Ministros, tam Ecclesiasticos, quam Laicos, in iis quæ attinent factum & exercitium ipsorum muneris? tom. 1. v. *Excomunicatio*, cas. 8.

Habent ne locum respectu censurarum latarum ab Officialibus non Graduatis, aut non Sacerdotibus? *ibid.* cas. 10.

A P P R O B A T I O.

Vide hujus tituli Proœmium.

Defectus approbationis in Confessione reddit ne absolutiones, quas confert, illicitas & nullas? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 1.

Parochi & Vicarii, approbati tantummodo pro suis Parochiis, conferunt ne valide absolutionem, quando in aliis quam suis Parochiis, consentientibus earum Parochis, confessiones audiunt? *ibid.* cas. 7.

Parochi primitivi possunt ne sine approbatione Vicarii perpetui conferre Sacramenta? *ibid.* cas. 3.

Sacerdotes approbati ab Episcopo pro tota Diœcesi, habent ne opus approbatione Parochorum, ut audire possint confessiones? *ibid.* cas. 4.

Canonici in Ecclesia Collegiali, approbati pro tota Diœcesi, habent ne opus permissione Canonici Curati, ut valide dare possint absolutionem? *ibid.* cas. 7.

Est ne absolute necessarium esse approbatum, etiam in casibus necessitatis? *ibid.* cas. 6.

Episcopi possunt ne limitare approbationes Confessorum intra certum tempus, certa loca, & certas quasdam personas? Absolutiones collatæ præter potestatem hisce conditionibus limitatam, sunt no irritæ? *ibid.* cas. 10.

Absolutiones collatæ a Canonico Ecclesiæ Cathedralis, sine approbatione Ordinarii, sunt ne irritæ, etiamsi Episcopus sciat, istum Canonicum confessiones excipere, & nihilominus interim taceat? *ibid.* cas. 11.

Capitula, quæ in possessione sunt approbandi Presbyteros confitentes, eosque approbant, an talis approbatio sufficiens est? Sacerdotes, a solo approbati Episcopo, possunt ne confessiones excipere in Ecclesiis istis Capitulis subjectis? *ibid.* cas. 13.

Officiales, Archidiaconi & alii Sacerdotes in dignitate constituti, possunt ne valide audire confessiones sine approbatione Episcopi? *ibid.* cas. 4. & v. *Archidiaconus*, cas. 5.

Sacerdos non approbatus potest ne absolvere suos Confratres a peccatis venialibus, aut etiam a mortalibus, quæ jam confessi fuerant, tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 12.

Confessarius approbatus pro una Diœcesi potest ne audire confessiones eorum, qui ex alia sunt Diœcesi? *ibid.* cas. 21.

Confessarius approbatus pro uno loco, censetur ne idem esse pro alio? Potest ne indiscriminatim audire confessiones Sæcularium & Religiosarum? *ibid.* cas. 22.

Absolutiones datæ postquam tempus limitatum in approbatione exspiravit, sunt ne irritæ? *ibid.* cas. 7.

Absolutiones datæ a Confessario freto simplici præsumtione, quod ipsius Superior id non male acceptaturus sit, aut quod innotata forte sit approbatio antequam confessiones excipiat, sunt ne validæ? *ibid.* cas. 8. & 9.

Consuetudo in qua sunt Abbates quidam Regulares, approbandi independenter ab Episcopo eum, quem placet, Religiosum, ad audiendas confessiones Sæcularium, qui apud ipsos commorantur, est ne abusiva? *ibid.* cas. 16. & tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 9.

Regulares possunt ne, sine approbatione Episcopi, sibi invicem valide confiteri, immo etiam audire confessiones Sæcularium, qui apud ipsos habitant, sine approbatione Ordinarii? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 15.

Tu saltem possunt excipere confessiones eorum Sæcularium qui in Monasterium ipsorum se receperunt eum hoc proposito, ut ad Noviciatum susciperentur, quiqun autem ad eum admissi nondum sunt? *ibid.*

Religiosus Doctor & Professor theologiæ an absolute opus debet approbari ab Episcopo ad valide absolvendos Sæculares? *ibid.* cas. 20.

Regularis approbatus ab Episcopo & a suo Abbate, potest ne valide absolvere Regulares & Sæculares, qui ad ipsum se recipiunt, si Abbas infirmitatis caussa alium sibi substituit? *ibid.* cas. 19.

Sola Episcopi approbatio ad audiendas confessiones sufficit ne Religioso; & nonne opus ipsi insuper est permissione sui Superioris, aut Parochi, in cujus Parochia confessiones excipit? *ibid.* cas. 17.

Visitatores Monasteriorum exemtorum indigent ne approbatione Ordinarii ad confessiones excipiendas, & ad celebrandum? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 8.

Episcopi possunt ne revocare pro lubitu approbationes datas Regularibus? tom. 2. v. *Confessio*, cas. 34.

Sacerdotes non approbati ab Episcopo ad excipiendas confessiones Religiosarum, possunt ne valide absolvere Religiosas exemtas a Jurisdictione Ordinarii? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 19.

Regulares possunt ne, sine approbatione Ordinarii, prædicare in Domibus sui Ordinis? tom. 3. v. *Prædicare*, cas. 7.

Doctoribus Sæcularibus, ut prædicare valeant, est ne opus approbatione Ordinarii? *ibid.* cas. 2.

A Q U A.

In quanam quantitate fundi debet aqua in Calicem? Quid significat aqua in Calice? tom. 2. v. *Missa*, cas. 10.

Est ne aqua Calici infundenda, cum ante vel post consecrationem venit in mentem, quod nulla fuerit infusa? *ibid.* cas 11.

An de novo instituenda est consecratio & communio sub duabus speciebus, si post factam primam ablutionem observetur quod nonnisi aqua sit in Calice? *ibid.* cas. 22.

A Q U A B E N E D I C T A.

Est ne obligatio sumendi aquam benedictam intrando in Ecclesiam? tom. 1. v. *Consuetudo*, cas. 1.

Ad quemnam pertinet aquam benedicere? Quinam sunt ejus effectus? Usus aquæ benedictæ est ne antiquus in Ecclesia? Aqua benedicta operatur ne remissionem peccatorum venialium? Quomodo operatur illam? tom. 2. v. *Exorcismus*, cas 3.

Diaconus fit ne irregularis aquam benedictam faciendo? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 85.

Aqua benedicta ordinaria sufficit ne ad reconciliationem alicujus Ecclesiæ? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 17.

A Q U A V I T Æ.

Potest ne misceri aqua vitæ cum aqua simplici, & postea vendi tamquam vera vitæ? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 10.

ARBITRATUS ARBITER.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Quænam est potestas arbitrorum? Possunt ne condemnare & punire, antequam judicent, & ad quem pertinet executio sententiæ arbitralis? tom. 1. v. *Arbiter*, cas. 6.

Religiosus potest ne esse Arbiter? *ibid.* cas. 9.

Omnis generis mulieres possunt ne esse Arbitræ? *ibid.* cas. 11.

Potest ne quis desistere a conditione Arbitri, quando eam accepit, & res jam discuti cœpta est? *ibid.* cas. 10.

Si tres sint Arbitri, duorum sententiæ prævalent ne sententiæ tertii? *ibid.* cas. 4.

Requiritur ne, ut duo illi Arbitri conveniant in suis sententiis arbitralibus? *ibid.*

An semper recurrendum est ad Judices Regios ad petendam executionem sententiarum arbitralium? *ibid.* cas. 3.

Arbitrorum usus est ne necessarius? Quænam requiruntur condi-

conditiones, ut ſententiæ eorum ſint legitimæ? Tenentur ne ſtricte judicare ſecundum Legem? *ibid.* caſ. 1.

Partes læſæ poſſunt ne detrectare ſententiam arbitralem, ſubeundo pœnam pecuniariam, de qua compromiſſo convenerunt; *ibid.* caſ. 2.

Quando plures lecti fuerunt arbitri, & judicium latum eſt, uno eorum abſente, pars tenetur ne acquieſcere ei judicio, aut ſubire pœnam pecuniariam, ſtatutam ex compromiſſo? *ibid.* caſ. 5.

Poteſt ne ferri, aut emendari ſententia arbitralis, poſtquam tempus arbitratui ex compromiſſo ſtatutum exſpiravit? Talis ſententia obligat ne in utroque foro? Ad quid tenentur arbitri in ejuſmodi caſu? *ibid.* caſ 7. & 8.

A R C H I D I A C O N U S.

Vide quod in fronte hujus tituli eſt, Proœmium.

Archidiaconi poſſunt ne exigere jura & emolumenta viſitationum ſuarum, quando ea non per ſe ipſos exercent? Tenentur ne ad illa reſtituenda, quæ hoc modo perceperunt? Poſſunt ne præter jus viſitationis inſuper exigere cenſum aliquem annuum; tom. 1. v *Archidiaconus*, caſ. 2.

Poſſunt ne in viſitationibus ſuis præter debitum ſibi jus quod numerata pecunia accipiunt, inſuper victum exigere? *ibid.* caſ. 4.

Archidiaconi poſſunt ne valide abſolvere, quamvis non approbati ab Epiſcopo ſint? *ibid.* caſ. 5 & tom 1. v. *Approbatio*, caſ. 54.

Aliquam ne habent juriſdictionem in foro contentioſo quoad cauſas, ſive civiles, ſive criminales? tom. 1. v. *Archidiaconus*, caſ. 2.

Sunt ne cenſendi præſentes in Choro; & an pars ipſis aliqua de omnibus diſtributionibus aſſignanda, quamdiu viſitationum ſuarum curſum peragunt? *ibid.* caſ. 6.

Habent ne jus viſitandi Conventus, aut beneficia Religioſorum & Eccleſias Collegiales? *ibid.* caſ. 1.

A R C H I T E C T U S.

Quando Architectus convenit ſub pœna damnorum & intereſſe, quod ædificium aliquod intra certum quoddam tempus ſit perfecturus, an ſemper juſte illa ab eo exigi poſſunt? tom. 1. v. *Damna & Intereſſe*, caſ 3.

Architecti habent ne hypothecam privilegiatam reſpectu operum ſuorum? An eodem modo ſe res habet cum iis, qui ipſis mutuo dant? tom. 2. v. *Hypotheca*, caſ. 5.

Architectus, qui ædificii alicujus conſtructionem in ſe ſuſcipit, tenetur ne de damnis & intereſſe, quæ ex eodem poſſent oriri, ut interim remota videri poſſint? tom. 1. v. *Damna & Intereſſe*, caſ. 2.

Tenetur ne, ad reſtituendum damnum venditori, quando dolo & fraude eum induxit ad vendendum? tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 8.

Ejus hæredes tenentur ne ſtare emtionibus, quas fecit? tom. 2. v. *Locatio*, caſ. 20.

ARGENTARIUS NEGOTIATOR.

Lucra Argentariorum Negotiatorum ſunt ne legitima? to. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 222.

An non omnis culpa ab iis removetur ex eo, quod lucrum illud ſponte offeratur, quod id fiat ſciente Principe, ac tandem quod, iſtud faciendo lucrum, negligant aliud forſan non minus lucrum? tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 44.

A R M A.

Eſt ne in omnibus occaſionibus Clericis & Religioſis prohibitum arma gerere? an ipſis aliquando licet? tom. 1. v. *Clericus*, caſ. 7. & tom. 3. v. *Irregularitas*, caſ. 23.

Ii, qui arma geſtarunt, an omnino opus habent diſpenſatione, ut intrent in ſtatum Eccleſiaſticum, aut exerceant functiones ſacras? Jeſus Chriſtus an circa hanc rem præceptum dedit Clericis? *ibid.*

Sola armorum geſtatio reddit ne Laicum irregularem? caſ. 60. & 70.

Ii, qui ſua aliis commodant arma, ſunt ne irregulares ſi aliquando accidat mutilatio, aut homicidium? *ibid.* caſ. 29.

A R R H A.

Arrha data deſponſatæ Virgini a ſponſo futuro, pertinet ne ad eam, ſi matrimonium non contrahatur? tom. 3. v. *Sponſalia*, caſ. 57.

Sunt ne quidam caſus, in quibus venditores poſſint retinere arrham? tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 6.

A S P E C T U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Aſpectus, curioſius conjecti in picturas laſcivas, & alias nuditates, ſunt ne peccaminoſi? tom. 1. v. *Aſpectus*, caſ. 2.

Magna ne opus eſt circumſpectione in ſuis aſpectibus? to. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 18.

Aſpectus, conjecti aliqua cum voluptate in mulieres, ſunt ne peccaminoſi, imprimis, ſi producant motus quoſdam inordinatos? tom. 1. v. *Aſpectus*, caſ. 1.

Poſſunt ne conjuges citra peccatum mortale ſeſe mutuo turpiter nudos inſpicere, voluptatis ſolius vel curioſitatis animo? Talia carnalis voluptatis incitamenta ſunt ne a prudente quovis confeſſario omnino prohibenda? *ibid.* caſ. 3. & tom. 1. v. *Scandalum*, caſ. 7. & v. *Pollutio*, caſ. 1. 2. & 3. & v. *Tactus*, caſ. 2. & tom. 2. v. *Oſculum*, caſ. 1.

A S S A R I U S C O Q U U S.

Aſſarii Coqui poſſunt ne vendere & præparare carnes diebus Dominicis ac Feſtis? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Feſti*, caſ. 1.

Quonam olim compellati ſunt nomine aſſarii coqui? *ibid.* caſ. 9

A S S E C U R A T I O.

Contractus ſub aſſecuratione ſunt ne liciti? tom. 3. v. *Societas*, caſ. 32.

Commercium maritimum, quod exercetur in conclavibus aſſecurationis, eſt ne uſurarium? tom. 3. v *Uſura*, caſ. 32.

A S S I G N A T I O.

Clerici debent ne deponere in materia criminali ſuper ſimplici aſſignatione? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 58.

Simplex aſſignatio ſufficit ne, ut crimen cenſeatur delatum ad forum contentioſum? tom. 1. v. *Diſpenſatio Irregularitatis*, caſ. 2.

A S S U M T I O V I R G I N I S.

Aſſumtio Benedictæ Virginis in corpore & anima eſt ne fidei dogma? Poteſt ne contradici, tamen ut contradicens non ſit ideo Hæreticus? tom. 2. v. *Fides*, caſ. 4.

ASTROLOGIA JUDICIARIA.

Vide quod in fronte hujus tituli eſt, Proœmium.

Eſt ne peccatum incumbere Aſtrologiæ Judiciariæ? Hæc ſcientia eſt ne in & per ſe condemnabilis? tom. 1. v. *Aſtrologia Judiciaria*, caſ. 1. & tom. 3. v. *Superſtitio*, caſ. 5.

An influentia Planetarum, ſub quibus aliquis natus eſt, ſine ſuperſtitione conſiderari poteſt tanquam cauſa principalis actionum illius hominis? tom. 1. v. *Aſtrologia Judiciaria*, caſ. 2.

A T T E N T I O.

Vide quod in fronte hujus tituli eſt, Proœmium.

Sunt ne plures ſpecies attentionis? quænam eſt perfectiſſima ad recitandum Officium? tom. 1. v. *Attentio*, caſ. 1.

Diſtractiones, quibus quis abripitur, dum recitat officium ſuum, an ſemper obligant ad reincipiendum illud? *ibidem* caſ. 2. & tom. 2. v. *Officium Breviarii*, caſ. 25.

A T T E S T A T I O.

Atteſtatio vitæ & morum, ſignata ab Epiſcopo, ſemper ne iis neceſſaria eſt, qui ordinantur ſine literis dimiſſoriis, vi reſcripti Roma obtenti? tom. 1. v. *Dimiſſoriæ literæ*, caſ. 1.

Eſt ne neceſſaria iis, qui proviſi ſunt de cura in curia Romana, *in forma gratioſa*? a quo debet eſſe ſignata? tom. 2. v. *Examen*, caſ. 1.

Confeſſarius poteſt ne denegare atteſtationem ei, quem confitentem audivit, ut ut perturbata ſit ejus conſcientia? tom. 1. v. *Confeſſarius*, caſ. 54.

A T T R I T I O.

Quid eſt attritio? Quæ ortum ducit ex conſideratione fœditatis peccati, & metu pœnarum inferni, ſufficit ne ad obtinendam remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, quando juſtam habet ſpem remiſſionis? & nonne inſuper oportet habere amorem charitatis, ſaltem inchoatum, tom. 2. v. *Contritio*, caſ. 3.

A V A R I T I A.

Vide quod in fronte hujus tituli eſt, Proœmium.

Qui divitias cum ardore deſiderant, ſunt ne avaritiæ rei? Eorum peccatum ſemper ne eſt mortale? tom. 1. v. *Avaritia*, caſ. 1.

Pater familias eſt ne reus avaritiæ, qui præter reditus ſuos ordinarios, qui ſufficiunt ad omnia ſua neceſſaria, reſervat in arca pecuniam haud modicam, quam ne tangit quidem? *ibid.* caſ. 3.

In quo conſiſtit avaritia? *ibid.*

Milites, qui prædantur in bello avaritia ducti, ſunt ne avaritiæ rei? tom. 1. v. *Bellum*, caſ. 4.

A U G U R I A.

Divinatio per auguria eſt ne ſuperſtitioſa? ſunt ne variæ auguriorum ſpecies? Eæ ne omnes ſunt peccaminoſæ? tom. 2. v. *Aſtrologia Judiciaria*, caſ. 1. tom. 3. v. *Superſtitio*, caſ. 5.

AULÆORUM TEXTORES.

Licet ne Aulæorum Textoribus Templa exornare die-
bus

bus Dominicis ac Festis; Cum illud fecerunt sub vesperam præcedentem, an tenentur se ea de re accusare, in confessione, tom. 2. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 6.

A U C T O R.

Possunt ne, in materia Theologiæ Moralis, citari Auctores quidam Ethnici? Rationes, quas affert Auctor ad probandum quod hoc sit licitum. Vide *Præfationem Auctoris*, tom. 1. pag. 22. & seqq.

Navarra, est ne sequendus in sua opinione de proprietate prohibita Religiosis? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 14.

Petrus Lombardus, Magister sententiarum, recte ne observat differentiam, quæ est inter Votum simplex & solemne, tom. 3. v. *Votum*, cas. 24.

Nonne dantur Auctores quidnam parum tuti super materiam circa Ebrietatem? tom. v. *Ebrietas*, cas. 18.

B.

B A N N O R U M   J U S.

Parochi sunt ne subjecti juri bannorum? tom. 3. v. *Pristinum*, cas. 2.

Jus Bannorum, ut sit legitimum, quibus & quomodo debet esse fundatum? Quænam iis decretæ sunt pœnæ, qui jura bannorum standantes, *ibid.*

Domini Bannorum tenentur ne suis impensis applanandas curare vias difficiles, ad loca sua bannalia conducentes? *ibid.* cas. 3.

B A P T I S M U S.

Vide, quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Baptismus administratus in casu necessitatis, aqua mixta succo quodam, sive liquore, aut alio corpore heterogeneo, est ne validus? Omnis generis aqua est ne bona ad baptizandum? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 1.

Baptismus, administratus aqua minerali aut lixivia, est ne validus? *ibid.* cas. 2.

Potest ne, in casu necessitatis, adhiberi materia dubia ad administrationem baptismi? Est ne postea reiterandus baptismus sub conditione, *ibid.* cas. 3.

Parochi, qui extra casum necessitatis baptizant infantes domi suæ, peccant ne? Principes habent ne hac in re aliquam prærogativam? *ibid.* cas. 4.

Incumbit ne aliqua obligatio infantem domi baptizatum in Ecclesiam portandi ad supplendas baptismi ceremonias? Sunt ne supplendæ istæ ceremoniæ respectu Hæreticorum, qui abjuraverunt? *ibid.* cas. 18.

Quonam in casu omitti possunt Baptismi ceremoniæ? tom. 1. v. *Ceremoniæ Sacramentales*, cas. 2. & 3.

Insufflatio & reliquæ ceremoniæ non ne omitti possunt in baptizatione? *ibid.*

An omnes post baptismum ceremoniæ sunt supplendæ, quas omittere necessitas coegit? tom. 1. v. *Exorcisare*, cas. 1.

Cum aqua baptismatis corrupta est, aut alia non superest in sacro fonte, quæ usque ad Pascha sufficere possit, licet ne hoc in casu, communem infundere in illum aquam? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 5.

Potest ne, in administratione baptismatis, adhiberi Chrysma & Oleum consecratum anno jam præcedente? *ibid.* cas. 6.

Omissio, in forma baptismi, horum verborum: *Ego te, baptizo*, & invocationis expressæ trium Personarum S. S. Trinitatis, reddit ne baptismum irritum & nullum? Baptismus, collatus *In nomine Christi*, aut *in nomine sanctæ & veræ Crucis*, est ne validus? *ibid.* cas. 7.

Mutatio vocis *Nomine*, in vocem *Nominibus*, destruit ne formam essentialem baptismi? *ibid.* cas. 8.

Baptismus, collatus sub invocatione trium Personarum S. Trinitatis & S. Virginis, est ne validus? *ibid.* cas. 19.

Omnis baptismi Administer, qui mutat aliquid essentiale in verbis, quæ formam ejus Sacramenti constituunt, peccat ne mortaliter? *ibid.* cas. 9.

Mutatio vocis *Patris* in vocem *Matris* reddit ne Sacramentum nullum? *ibid.* cas. 10.

Verba, quæ constituunt formam baptismi, male & aliter quam oportet, enunciata, reddunt ne Sacramentum nullum, *ibid.* cas. 11.

An ad validitatem baptismi requiritur, ut una eademque persona applicet materiam, & pronunciet formam? An non una posset aquam fundere, & altera pronunciare verba? *ibid.* cas. 12. & 13.

Applicatio materiæ, & pronuntiatio formæ, oportet ne ut uno penitus eodemque tempore concurrant, ut validus sit baptismus? *ibid.* cas. 14. & cas. 30.

Baptismus, collatus cum interruptione temporis notabilis, est ne validus; *ibid.* cas. 15.

Baptismus, collatus infanti, qui adhuc totus in utero Matris exstat, aut cujus tantum aliqua pars apparet, est ne validus? Est ne talis infans postea rebaptizandus sub conditione, *ibid.* cas. 16. & 17.

Quid faciendum circa Monstra? sunt ne baptizanda? *ib.* cas. 22.

Subdiaconus potest ne solenniter conferre baptismum? *ibid.* cas. 21.

Diaconus potest ne nostris temporibus solemniter baptizare? Et quis ipsi hanc dare potest permissionem, *ibid.*

Sacerdos, suspensus ab Ordine, qui administrat sine solemnitate baptismum, est ne irregularis, tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 84.

Cum in peccato mortali solemniter administrat quis Baptismum, an novum committit peccatum mortale? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 22.

Possunt ne absque peccato baptizari infantes Ethnicorum invitis eorum parentibus, *ibid.* cas. 24.

Adultus, furiosus a nativitate sua, aut qui amens ab aliquo tempore factus est, est ne baptizandus; *ibid.* cas. 25.

Baptismus, vi collatus, aut dormienti, est ne validus? Et operatur ne quosdam effectus? *ibid.* cas. 33. & tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 4.

Ethnicus potest ne valide conferre baptismum? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 26.

Hæretici possunt ne valide conferre baptismum? *ibid.* cas. 27.

Potest ne quis valide se ipsum baptizare? *ibid.* cas. 28.

Baptismus, collatus a Calvinistis, est ne reiterandus? *ibid.* cas. 30.

Hæretici revertentes ad Ecclesiam, sunt ne rebaptizandi, Aut sufficit ne supplere ceremonias baptismi? *ib.* cas. 29.

Infantes Anabaptistarum sunt ne baptizandi, *ibid.* cas. 32.

Sunt ne sub conditione baptizandi infantes, quos pauperes mendici relinquunt in vicis, per quos transeunt, & ut illi qui reperiuntur expositi in liminibus portarum, aut alibi? *ibid.* cas. 33. & 35.

Fides est ne in adultis necessaria ad valide recipiendum baptismum; *ibid.* cas. 36.

Catechumeni tenentur ne recipere baptismum, statim ex quo sufficienter instructi sunt? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 31.

Baptismus, acceptus in peccato mortali, operatur ne suum effectum, postquam hypocrisis cessat, & pœnitentia tangitur vere baptizatus: An tunc baptismus remittit peccata commissa, ante & postquam receptus est; tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 37.

Possunt ne adultis injungi quædam satisfactiones pœnitentiales, antequam baptizentur. Est ne audienda prius eorum confessio, *ibid.* cas. 38.

Sunt ne rebaptizandi adulti, non memores, quod jam fuerint baptizati; *ibid.* cas. 31.

In puerperiis periculosioribus potest ne accelerari mors matrum morientium, ad procurandum baptismum earum infantibus, *ibid.* cas. 39.

Est ne interrumpenda Missa, ad administrandum baptismum infanti periculo mortis versanti, tom. 2. v. *Missa*, cas. 25.

Quinam contrahunt affinitatem aut cognationem spiritualem per baptismum; tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis Spiritualis*, cas. 1. 2. & 3.

An contrahitur talis affinitas, vel cognatio, per supplementum cæremoniarum baptismi; *ibid.* cas. 8.

Cæremoniæ sunt ne Impedimentum prohibitivum matrimonii: tom. 2. v. *Impedimentum prohibitivum*, cas. 1.

Maritus, qui baptizat infantem proprium, contrahit ne ejusmodi affinitatem, quæ obstat, quominus ab uxore debitum possit exigere conjugale; tom. 1. v. *Debitum Conjugale*. cas. 51.

Est ne impedimentum prohibitivum suscipere e sacro fonte proprium infantem cum proposito impediendi per hoc uxorem, ne matrimonii jure utatur; tom. 2. v. *Impedimentum prohibitivum*, cas. 2.

Baptismus reiteratus operatur ne irregularitatem, & in Ministro, & in subjecto baptismi; tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 130.

Baptismi reiteratio est ne peccaminosa; *ibid.*

Baptismus bona fide, ex ignorantia, aut consulto, collatus sub conditione producit ne irregularitatem; *ibid.* cas. 131.

Potest ne quis matrimonio ducere matrem infantis, quem in casu necessitatis urgenti baptizavit; tom. 1. v. *Impedimentum Cognationis spiritualis*, cas. 4.

Virgo potest ne nubere puero, quem suscepit e sacro fonte, & cujus mater fuit lustrica, quamdiu teneros agebat annos; *ibid.* cas. 2.

B E L L U M.

Vide, quod in fronte hujus tituli est Proœmium.

Quænam requiruntur conditiones ad id, ut bellum susceptum sit justum. Quas ob causas bellum declarare potest Princeps; *ibid.* cas. 1. & tom. 2. v. *Nauclerus*, cas. 5.

Princeps Christianus, Regno suo injuste exutus, si id aliter recuperare non possit, potest ne in subsidium vocare Principem Infidelem, tom. 1. v. *Bellum*, cas. 2.

Stratagemata bellica, insidiæ & aliæ surreptiones, sunt ne licitæ in bello, Fides hostibus data, potest ne violari; *ibid.* cas. 4.

Præda, ab inimicis capta, est ne legitima. Et pertinet ne ad milites, qui eam capiunt, tenentur ne ad restitutionem, si dubitent, num bellum sit justum; belli sequelæ sunt ne ponendæ inter casus fortuitos. Milites peccant ne prædando avaritia ducti; *ibid.* cas. 5. & 7. tom. 2. v. *Locatio*, cas. 2. tom. 2. v. *Nauclerus*, cas. 6.

Milites, qui nec vigilias agunt, nec in hostiles emissi sunt agros, possunt ne occidere hostes, quos offendunt segregatos, tom. 2. v. *Bellum*, cas. 6. & tom. 2. v. *Occidere*, cas. 7.

Est ne peccatum, committere prælium diebus Dominicis & Festis; *ibid.* cas. 3.

Qui captivi sunt in bello, debet ne uti occasione, quæ se offert, aufugiendi, tom. 2. v. *Mancipium*, cas. 4.

Qui bello interfuerant, neminem tamen nec occiderunt, nec mutilarunt, sunt ne irregulares, tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 69.

BENEDICTIO.

Benedictio olei infirmorum an ad solos jure pertinet Episcopos ; Quænam circa hanc rem in Ecclesia Græca obsinet consuetudo ? tom. 2. v. *Extrem. Unctio*, cas. 3.

Matrimonium contractum potest ne consummari, ante acceptam Benedictionem nuptialem ? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 2.

Benedictio, quæ funditur, in fine Missæ, semper ne fuit in usu ; constituit ne partem Missæ, tom. 2. v. *Missa*, cas. 28.

Abbates possunt ne suam exercere jurisdictionem ante acceptam benedictionem ? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 2.

BENEFICIARIUS.

Vide in fronte hujus tituli est, Proæmium.

Beneficiarius, qui in inferioribus scholis studiis incumbit, tenetur ne recitare magnum breviarii Officium ? *ibid.* cas. 1.

Tenetur ne recitare ipsemet officium pro Defunctis, diebus illis, quibus aliquam facit Officii partem in choro ; tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 13.

Beneficiarius tenetur ne restituere pro rata parte ejus, quod ex Breviario suo recitare prætermisit ? Quibus magna sunt beneficia, tenentur ut ne ad nihil aliud, præterquam ad recitationem Breviarii, tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 22.

Omissio unius ex parvis Horis obligat beneficiarium ad restituendam fructuum partem, qui Huic Horæ assignantur ? *ibid.* cas. 23.

Beneficiarius obligatur ne celebrare, aut curare, ut pro se celebrentur in Ecclesia sui beneficii Missæ, quas ab eo exigit fundatio sua ? Si quid hac in re neglexit, quomodo id reparare tenetur ? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 4.

Beneficiarii, obligati per titulos sui beneficii, ad celebrandas quasdam Missas, possunt ne illud retinere, si animum non habeant sacris Ordinibus inaugurari ? Sufficit ne, ut eas Missas celebrare curent per alios ? *ibid.* cas. 2.

Beneficiarius obligatur ne ad omnia onera, quæ imponuntur in fundationis exemplari, quod non est instructum omnibus formalitatibus, quæ requiruntur ad fidem juridice faciendam, & cujus nusquam reperitur Originale ? Potest ne sequi consuetudinem contrariam ? *ibid.* cas. 9.

Ad obtinendam Capellaniam Sacerdotalem, quæ residentiam requirit, sufficit ne intra annum ad Sacerdotium promoveri, *ibid.* cas. 3.

Beneficiarii, qui tenentur ex titulo fundationis ad celebrandum quotidie, sunt ne obligati ad supplendum hac in re per alios, si ipsemet morbo, absentia, aut defectu indispositionis detineantur, *ibid.* cas. 10.

Obligantur ne Beneficiarii Missas, ad quas tenentur, applicare fundatoribus, etiamsi eorum intentio non sit expressa ? *ibid.* cas. 1.

Beneficiarii possunt ne, propria sua privata auctoritate, fundationes reducere ea ratione, qua fructus diminuti sunt, ita ut nonnisi certum quemdam Missarum numerum iis celebrent annis, quibus res inde non nisi modica redit ? *ibid.* cas. 11. & 12. Et tom. 2. *Missa*, cas. 38.

Beneficiarius, qui non implet ac subit onera beneficii sui tenetur ne ad illi renunciandum ? Potest ne prius exigere, ut sibi remittantur fructus, quibus ipsius absentiæ eum privatunt ? Si fructus ii ipsi concedantur, coscio successore, an iste canonice provisus est ? Est ne hoc in casu aliqua facienda restitutio ? tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas. 3.

Beneficiarius potest ne per aliquod tempus retinere Beneficium, quod resignavit ? Aut potest ne illud sub ea tantum conditione resignare ? Quænam est hac in re Jurisprudentia Galliæ ; tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 1.

Fructus Beneficii resignati pertinent ne ad beneficiarios, antequam possessionem ejus adinverint ? Quænam est Jurisprudentia Galliæ circa capessendam possessionem ? *ibid.* cas. 7.

Beneficiarii possunt ne remittere fructus & reditus suorum beneficiorum ? Cui & quomodo eos possunt remittere ? *ibid.* cas. 13.

Quot modis peccant Beneficiarii dispensando bona Ecclesiastica ; *ibid.* cas. 14.

Quasnam beneficiarii, tuta conscientia, solvere possunt impensas circa beneficia, *ibid.* cas. 28.

Si per multas causas suos reddere non potuerunt fructus alicujus beneficii, sunt ne exempti ab iis restituendis, eo ipso, quo obtinuerunt Diploma condonationis ; sine expressis omnibus suis impedimentis ? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 218.

Studiosi beneficiarii tenentur negere vestitum longum & Tonsuram ? tom. 2. v. *Gymnasiarcha*, cas. 2. & tom. 3. v. *Vestis Clericalis*, cas. 2.

Beneficiarii tenentur ne ad sustentandas Ecclesias sui beneficii, præ omnibus aliis obligationibus sibi incumbentibus, tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 24.

In defectu tituli fundationis an consuetudo beneficium locum debet tenere Legis in iis, quæ onera respiciunt suorum beneficiorum, *ibid.* cas. 8.

Quinam sunt legitimi Interpretes voluntatis Defunctorum, & quonam in casu Regium Judicem ejus cognitio pertinere potest ; *ibid.* cas. 4.

Beneficiarii sunt ne proprietarii, an vero simplices Œconomi bonorum Ecclesiæ ? Eas distribuendo inter suos cognatos, an contra charitatem, an vero contra justitiam peccant ? Ipsorum parsimoniæ pertinent ne ad Ecclesiam suorum beneficiorum, an vero simpliciter ad pauperes ? Quas-nam ad suum cultum, victum & amictum possunt facere impensas, tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 24. & tom. 3. v. *Restitutio* cas. 148. & v. *Religiosus*, cas. 15.

Possunt ne suis cognatis, quibus res est non nisi mediocris dare quæ suis sumptibus alias legitimis, parcunt ? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 15.

Beneficiarius, pluribus provisus beneficiis, potest ne unius beneficii reditus concedere ad promovenda studia unius aut alterius filii suorum cognatorum : Cognatus iste tenetur ne ad restitutionem, si res ipsi non sit nisi mediocris ? *ibid.* cas. 16.

Beneficiarius potest ne cognatos suos testamento instituere hæredes eorum, quæ ex reditibus beneficii sui reposuit ? *ibid.* cas. 17.

Beneficiarius, cui nullæ opes suppetunt, præter reditus sui beneficii, potest ne aliquam pecuniam aleæ, aut alius generis ludo committere ; ii, qui tali ludo aliquam ab eo accipiunt pecuniam, tenentur ne ad restitutionem ; & cuinam eam debent restituere ? *ibid.* cas. 18.

Beneficiarius, qui laute vivendo magnas facit impensas, peccat ne moraliter ? *ibid.* cas. 29.

Beneficiarii sunt ne obligati ad ipsis pauperibus erogandos beneficii sui superfluos reditus : *ibid.* cas. 24.

Beneficiarii, quibus largum est Patrimonium, an ex reditibus sui beneficii sustentationis suæ impensas sumere possunt, Quænam hac in re omni tempore Disciplina fuit Ecclesiæ ? *ibid.* cas. 25.

Beneficiarii amovibiles tenentur ne pauperibus erogare superfluum ex reditibus suorum Beneficiorum ? *ibid.* cas. 26.

Beneficiarii tenentur ne sui beneficii reditibus juvare pauperes præ omnibus aliis ? *ibid.* cas. 27.

Possunt ne dotare pauperes suos cognatos ex superfluis sui beneficii reditibus ? tom. 1. v. *Dos*, cas. 5.

Parentes beneficiarii, qui ea est ætate, ut ad administrandos beneficii sui reditus idoneus esse possit, debent ne eorum ipsi relinquere administrationem, si ipsum proclivem judicent ad abutendum illis, tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 26.

Beneficiarii possunt ne testamento disponere de bonis Ecclesiasticis, Jurisprudentia Galliæ est ne contraria ejusmodi dispositionibus, *ibid.* cas. 14. & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 5.

Beneficiarii Regulares possunt ne testamento donare Monasterio suo residua ex reditibus beneficiorum suorum, tom. 3. v. *Pensio*, cas. 27.

Regulares possunt ne plura Possidere beneficia, tom. 3. v. *Pensio*, cas. 28.

Beneficiarius potest ne plura simul possidere beneficia, consuetudo generalis, quæ hac in re prævaluit, dispensatione Papæ & bonus usus redituum sufficiunt ne, ut talis coram Deo sit excusatus. Qui ea conferunt, & qui accipiunt, an æqualiter peccant, tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 29.

Capitula possunt ne consensum suum præbere, ut quidam ex suis membris plura simul possideant beneficia ? An huic ea opponere se se debent formis ordinariis, *ib.* cas. 19.

Beneficiarii, provisi de duobus beneficiis incompatibilibus possunt ne amborum percipere reditus, usquedum alterutrum optaverint, quænam est Galliæ Jurisprudentia hanc in rem, *ib.* cas 10.

Si Episcopus, aut quivis alius clericus, plura habens beneficia, id in confessione sua taceat ; confessarius tenetur ne ipsi hac de re loqui, ipsumque obligare ad dimittendum reliqua, si unum sufficiat ipsi, *ibid.* cas. 28.

Beneficiarius tenetur ne stare locationibus factis a suo Prædecessore, tom. 2. v. *Locatio*, cas. 12.

Si Beneficiarius permutatione beneficii committit Simoniam occultam, & non culpabilem, est ne necessarium, ut obtineat novam provisionem. Ad illam obtinendam, quem debet adire ? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 6.

Si Beneficiarius nuptias contrahat, sed, ante consummatum matrimonium, in Monasterium se recipiat, vacat ne ejus beneficium, ipso jure, tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 31.

Beneficiarius, qui seducit puellam promittendo matrimonium, tenetur ne beneficium suum dimittere, ut eam matrimonio sibi jungat. Potest ne se ab ejusmodi pacto redimere, numerata pecunia ? tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 8.

Est ne aliqua lis statuta pœna in Gallia, qui mortem occultant beneficiarii ? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 8.

Beneficiarius irregularis perdit ne suum, ipso jure, beneficium ? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 18.

BENEFICIUM.

Vide, quod in fronte hujus tituli est, Proæmium.

Quid est beneficium, quem in finem conceduntur beneficia. Quibusnam dari possunt beneficia ; Possunt ne conferri juvenibus clericis, tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 1. & tom. 3. v. *Beneficiarius*, cas. 19.

Beneficia quandonam erecta sunt ; tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 13.

Quænam requiritur ætas, præsertim in Gallia, ad ea possidenda ? tom. 3. v. *Provisio Beneficiaria*, cas. 1.

Quænam requiruntur conditiones, ad id, ut quis aliquod beneficium accipere possit ? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 10.

An quodlibet olim Beneficium ad residentiam obligabat, quando captum est distingui inter beneficium simplex & beneficium, quod requirit residentiam, tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 27. & tom. 2. v. *Ordines*, cas. 6.

Potest ne ambiri Prælatio : Potest ne peti beneficium simplex, aut quod curam animarum adjunctam habet, Graduati peccant ne hoc faciendo, tom. 1. v. *Beneficium*, cas. 1, & 2. & tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 3.

Po-

Potest ne quis recipere Tonsuram, cum hac intentione, ut beneficium obtineat? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 3.

Est ne Simoniacum sacros recipere Ordines cum intentione ad beneficium? Tali obtentum via Beneficium est ne abjiciendum? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 25.

Potest ne accipi & retineri beneficium ab eo, qui non habet animum clericalem amplectendi vitam? tom. 1. v. *Beneficium*, cas. 5.

Si quis accipiat beneficium, minime intra annum requisitos recipere Ordines, sed tantum reditibus frui intendens, potest ne ejus fructus retinere, quando illud dimittit? *ibid.* cas. 4. & tom. 3. v. *Provisio*, cas. 2. & v. *Restitutio* 222.

Potest ne recipi Beneficium, sine intentione illud retinendi? Potest ne permutari, aut aliqua inde accipi pensio? tom. 1. v. *Beneficium*, cas. 3. & tom. 3 v. *Simonia*, cas. 25.

Collatio Beneficii Sacerdotalis, facta clerico, est ne valida, modo ad sacerdotium intra annum se promoveri curet? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 3.

Potest ne quis beneficium petere, tamquam pro se, quod pro alio petere pollicitus est? tom. 1. v. *Beneficium*, cas. 7.

Potest ne ambiri Beneficium, antequam vacet? Collator potest ne illud hoc in casu promittere? *ibid.* cas. 6. & v. *Collator*, cas. 5. & tom. 3. v. *Patronus*, cas. 7.

Possessio beneficii, ut ut longa sit, potest ne ejus mutare statum? tom. 3. v. *Possessio*, cas. 14.

Quomodo dividantur fructus beneficii post mortem beneficiarii? tom. 3. v. *Ususfructus*, cas. 6.

An soli sunt Regnicolæ, qui beneficia possidere possunt in Gallia? consuetudo, quæ hac in re obtinuit, est ne peculiaris isti Regno? Quibusnam nititur rationibus? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 2. & tom. 3. v. *Patronus*, cas. 4.

Beneficia, affecta pueris chori, sunt ne subjecta juri Graduatorum & Resignantium in favorem in curia Romana? tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 7.

Competit ne jus Indultariis requirendi beneficia in nominationibus Cardinalium, sive vacent illa beneficia morte, sive renunciatione beneficiorum? tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 1. §. 2 & 3

Quot modis beneficium aliquod fieri potest vacans? tom. 1. v. *Devolutum*, cas 5.

Est ne differentia quædam inter *ipso jure* vacantia, & ea, quæ *ipso facto* vacantia dicuntur beneficia? tom. 3. v. *Provisio*, cas. 2. & *Resignatio*, cas. 14.

Requiritur ne sententia Juridica, ut quis privetur beneficio, quod perdidit ipso jure? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 6.

Beneficium fit ne vacans per professionem religiosam? *ibid.* cas. 10.

Potest ne obligari Diaconus ad dimittendam, de qua provisus est, Curam, eo quod, cum tres ejus dextræ digiti a furibus amputati fuerint, non possit ordinari Sacerdos? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 8.

Irregularitas cadens in aliquem, postquam obtinuit beneficium, an istud ideo fit vacans? *ibid.*

Episcopi possunt ne valide conferre beneficia extra suam Diœcesim? tom 2. v. *Episcopus*, cas. 16

Beneficium est ne semper dignissimis conferendum? Unde dijudicandum est de dignitate subjectorum? An Nobiles præferri possunt infimæ notæ hominibus? tom. 2. v. *Collator*, cas. 1.

Est ne aliqua, quoad istud, facienda distinctio inter beneficia, quibus cura animarum est juncta, & inter simplicia beneficia? *ibid.* cas. 2.

In collatione beneficiorum an cognati præferri possunt aliis? An facile hoc fieri debet? *ibid.* cas. 3. & tom. 3. v. *Renunciatio*, cas. 7. & v. *Simonia*, cas. 12.

Cum Episcopo pro aliqua cura duo proponuntur Ecclesiastici, quorum alter vitæ probatæ est, sed parum doctus, alter autem doctissimus, sed cujus nec vita, nec mores perspecti habentur; utrum eorum eligere debet Episcopus? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 8.

An ea cognitione, quam quis acquisivit confessionibus audiendis, uti potest ad præcavendum, ne beneficium aliquod conferat subjecto indigno, cui illud destinaverat, antequam eum per confessionem cognovisset? tom. 1. v. *Confessarius*, cas. 12.

An absque peccato Patronus in collatione beneficiorum, vel præsentatione, præferre potest nobilem plebejo? tom. 1. v. *Acceptatio personarum*, cas. 2.

Clericus accusatus coram Judice de crimine potest ne eligi ad aliquam dignitatem, vel de ea provideri, antequam se purgaverit? tom. 1. v. *Accusatus*, cas. 4.

Duo Patroni possunt ne uti compensatione in nominationa ad beneficia duo inæqualia, ita ut unum Patronatum reddant præter propter alteri æqualem, addendo illi aliud quoddam jus? tom. 3. v. *Patronatus*, cas 9.

An quædam, salva conscientia, præstari possunt Episcopis officia, ea intentione, ut aliquod obtineatur beneficium, tom. 3. v *Simonia*, cas. 7. & 8.

An quis tenetur renuntiare beneficio, quod possidet invitus? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 14.

An repeti potest aut retineri beneficium, post factum juramentum ejus non amplius adeundi? to. 3. v. *Perjurium*, cas. 12.

Excommunicatio major reddit ne ipso jure aliquem inhabilem ad id ut provideatur de aliquo beneficio? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 24.

Excommunicatio major an ipso jure privat aliquem beneficiis, quæ possidet? *ibid.* cas. 25.

Hæretici conversi, ipsorumque filii, sunt ne inhabiles ad possidenda beneficia, tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 109.

Intrusio in aliquod beneficium infert ne irregularitatem? *ibid.* cas. 128.

Abbates Regulares an possunt soli nominare ad beneficia, dependentia ab ipsorum Abbatia? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 3.

Curati Regulares possunt ne de reditibus suorum beneficiorum disponere sine permissione Superiorum? tom 3. v. *Religiosus*, cas. 16.

Religiosus provisus de beneficio simplici, & quod est alicujus momenti, tenetur ne ibi residere? tom. 1. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 12.

Regulares possunt ne plura simul possidere beneficia? tom. 3. v. *Pensio*, cas. 18.

Est ne quoddam aliquibus jus ad beneficia consistoralia? Nominatio Regis ad ejusmodi beneficia est ne actus spiritualis? An jure ad Regem pertinet? Esset ne Simoniacum si quia daret pecuniam ad obtinendum consensum Regis? tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas. 1. & tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 2. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 67.

An tenetur quis renuntiare beneficio, si persuasum sit, quod scandalum non sit cessaturum, nisi facta renuntiatione? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 2

Beneficiarius potest ne quamdam redituum suorum portionem dare Scholari nepoti, ad voluptates aliquas ipsi procurandas? Quinam usus redituum beneficii faciendus? tom. 2. v. *Donatio*, cas. 22.

Ii, qui dispensatione declarati sunt habiles ad recipiendos Ordines, an habiles eo ipso censendi sunt ad possidendum beneficium? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 30.

Medici possunt ne possidere beneficia? *ibid.* cas. 11.

Hæresis notoria impedit ne absolute ab impetratione beneficiorum? tom 1. v. *Collatio*, cas. 9.

Sunt ne quædam crimina, quibus beneficia jure devolubilia reddantur? Resignatio beneficiorum, super quibus devolutum sumtum est, est ne jure nulla? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 1.

Beneficia, quæ redierunt in regulam, & postmodum resignata sunt in commendam, sunt ne devoluto subjecta? Est ne exprimendus in actu resignationis status præsens beneficii? tom 1. v. *Devolutum*, cas. 4

Beneficia, quæ in Gallia sine dispensatione possidentur a Tabellariis quæstionum, sunt ne devoluto subjecta? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 60

Amittuntur ne beneficia irregularitate, aut excommunicatione accedente? Constitutio beneficiorum est ne pure juris positivi? An Papa conditiones, quascumque vult, apponere potest? tom. 3. v. *Pensio*, cas. 21.

Possunt ne retineri pensiones, vel reservationes, ex beneficiis, & oportet ne eo in casu vestem gerere Clericalem? *ibid.*

Possunt ne resignari in favorem intra manus Episcopi? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 1. & 2.

Pater potest ne resignare beneficium filio, aut filius patri? Potest ne resignari beneficium, antequam ejus adita fuit possessio? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 16. & to. 3. v. *Resignatio*, cas 5.

Est ne obligatio renuntiandi beneficio acquisito per Simoniam, restituendique fructus inde perceptos? An ad idem quis teneretur qui Simoniæ non culpabilis esset reus? Collatores tenentur ne ad restitutionem? cuinam debent restituere? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 15. cas. 142. 143. & 144.

Est ne obligatio restitutionis erga illum, quem nominari ad beneficium impedivimus? *ibid.* cas. 123. 125. & 150.

An non devolvuntur beneficia nisi effectu Simoniæ commissæ in *Ordine* aut *in Beneficio*? Quinam in Gallia Judices cognoscunt de possessionibus beneficiorum? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 54. & tom. 3. v *Resignatio*, cas. 7.

Unio alicujus beneficii facta sub conditione solvendi Monasterio, a quo dependet, annuum quemdam censum, est ne Simoniaca? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 27.

Est ne simoniacum cognato suo beneficium dare? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 22.

Ecclesia approbat ne renuntiationem beneficiorum in favorem cognatorum? tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas. 7.

Est ne Simoniacum fundare Præbendam, ut sibi ipsi de ea provideatur? tom. 2. v. *Simonia*, cas. 24.

Est ne Simoniacum fundare, aut accipere beneficium cum proposito illud non retinendi, sed permutandi cum alio? *ibid.* cas. 25.

Utilitas Ecclesiæ est ne solum incentivum, quo quis duci debet in permutatione beneficiorum? tom. 3. v. *Pensio*, cas. 2.

S. BENEDICTUS.

Statuta Ordinis S. Benedicti habent ne aliquid peculiare in iis quæ attinent ad obligationem confitendi, abstinentias faciendi & in aliis articulis suæ Regulæ? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 9. & tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 5. & 6.

BIDELLUS.

Bidelli edentes & bibentes in Ecclesia, sunt ne alicujus peccati rei? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 18.

BIGAMIA.

Qui duo contraxerunt matrimonia, unum vero tantum consummarunt, sunt ne bigami & irregulares? Quænam fuit ratio, cur bigamos Ecclesia declaraverit irregulares, tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 3.

Censetur ne bigamus, qui ad secundas convolat nuptias, sed cujus matrimonium declaratur nullum ob impedimentum dirimens? est ne indifferens ad hoc, sive matrimonium secundum consummatum fuerit, sive non? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 32. & 33.

Ii, qui ex charitate recipiunt uxores suas adulterii reas, contrahunt ne bigamiam? tom. 1 v. *Divortium*, cas. 110 & cas. 114.
Bigamia similitudinaria producit ne irregularitatem? *ibid.* cas. 117.
Bigamia Infidelium operatur ne irregularitatem? *ibid.* cas. 112.
Bigamia est ne obstaculum Infidelibus ad sacros recipiendos Ordines, quando receperunt Baptismum? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 25.
Bigamia est ne Religiosis obstaculum respectu dignitatum, aut Prælationum Regularium? *ibid.* cas 25.
Bigamus potest ne recipere Tonsuram, antequam rehabilitatus sit, & ita ut non violetur prohibitio Ecclesiæ? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 4.
Papa solus ne hac in re dispensare potest? Episcopi in Gallia sunt ne in consuetudine dispensandi de omnis generis bigamia? *ibid.* cas. 33.
Episcopi possunt ne dispensare de bigamia, tam ut aliquis possit recipere sacros Ordines, quam ut possit provideri de Beneficiis, etiam iis, quibus cura animarum juncta est? *ibid* cas. 16.

B L A S P H E M I A.

Vide hujus tituli Proœmium.
Quot sunt Blasphamiæ species? Blasphemia non præmeditata est ne peccatum mortale? *ibid.* cas. 2.
Quonam in casu confessarius penitentem suum tamquam blasphemum habere debet? *ibid.* cas. 1.

B O H E M U S.

An Bohemis & aliis hujus fatinæ vagabundis deneganda est copia commorandi in aliquo loco? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 11.

B O N A.

An usus bonorum suorum unicuique adeo proprius est, ut non sit obligatus ad ea pauperibus impertienda? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 3.
Quot modis male parta esse possunt bona? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 12.

B O N A P A R A P H E R N A.

Qualia bona sunt bona paraphernа? tom. 1. v *Communio bonorum*, cas. 1.

B R E V I A R I U M.

Tonsurati non beneficiati tenentur ne Breviario uti? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 2.
Ii, quibus longiora sunt Beneficia, an non nisi ad recitationem Breviarii tenentur? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 20.
Incumbit ne iis, qui aliquid omittunt de recitatione Breviarii, aliqua restitutio facienda pro rata parte ejus quod omiserunt? *ibid.*
Beneficiarius, qui studiis incumbit in inferioribus Scholis obligatur ne ad magnum Officium? *ibid.* cas. 1.
Omissio unius ex Horis Breviarii obligat ne beneficiarium ad restitutionem, pro rata portionis, quæ ipsi deberetur, si recitasset? *ibid.* cas. 21.
Qui pensiones habent super beneficiis, tenentur ne ad recitationem Breviarii? tom. 3 v. *Pensio*, cas. 4.
Confessores possunt ne & debent dispensare de recitatione Breviarii eos, quorum hac in re scrupuli modum excedunt? tom. 3. v. *Scrupulus*, cas. 8.

B U L L A.

Bulla *in Cœna Domini* an ubique obligat in foro conscientiæ? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 3.
Omnes Bullæ Indulgentiarum, a Papis concessæ, sortiuntur ne effectum suum illico, quod auctoritate Ordinarii publicatæ sunt? *ibid.* cas. 27.
An omnes Paparum Bullæ in Gallia obligant, antequam Principis auctoritate publicatæ sunt? tom. 2. v. *Lex*, cas. 2. 3.
Oportet ne ut insuper consensus Ecclesiæ accesserit ad acceptationem, quam Princeps facit Diplomate suo? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 4.

B U R S A.

Vide Convictus.

B U R S A R I U S.

Gymnasiarchæ, aut alii Bursarum collatores possunt ne pecuniam exigere a suis Bursariis, pro eorum adoptione? tom. 2. v. *Gymnasiarcha*, cas. 2.

C

C Æ L I B A T U S.

CÆlibatus est ne annexus statui Ecclesiastico, nullo alio nisi Ecclesiastico jure? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 2.
Ii, qui receperunt aliquos Ordines sacros, tenentur ne in Ecclesia Latina ad servandum cœlibatum, tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 6.
An eodem modo se res habet in Ecclesia Græca? *ibid.* cas. 7. & in *Proœmio* ejus tituli.

C A F F E'.

Potus iste sumtus aliquot horis post prandium, rumpit ne jejunium? tom. 2. v. *Jejunium*, cas 14.

C A L I X S A C E R.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.
Potest ne celebrari calice stanneo? E quanam olim materia fabricati fuerunt calices? *ibid.* cas. 1.
Calix perdit ne suam consecrationem, quando deauratur? *ibid.* cas. 2.
Perdit ne calix suam consecrationem, quando cyathus a pede sejungitur? *ibid.* cas. 4.
Calix non consecratus, sed adhibitus ad celebrandum, indiget ne nova consecratione? *ibid.* cas. 3. & v. *Altare*, cas. 6. & tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 6.
Calix potest ne pluris justo suo pretio vendi propter suam consecrationem? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 60.

C A L U M N I A.

Vide hujus tituli Proœmium.
Potest ne quis reum se confiteri calumniæ, quam non commisit? *ibid.* cas. 3.
Possunt ne afficere aliquem calumnia, ut ea, qua nos accusavit, obtundatur? *ibid.* cas. 1.
Potest ne appellari a sententia lata, quando lis pura puta calumnia nititur? Ii, qui consilio, aut quovis alio modo, adjuvarunt calumniam, tenentur ne ad sumtus præstandos si calumniator ad eos condemnatus deficiat? *ibid.* cas. 2.

C A L U M N I A T O R.

Calumniator condemnatus & punitus a Judice, tenetur ne insuper data occasione, revocare calumnias? Tenetur ne ad restituendos sumtus, quos facere necessum fuit ad obtinendam justificationem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 61. & 62.
Obligatur ne aliquis ad exponendam vitam suam & honorem, ut servet vitam & honorem eorum, quos calumniatus est? *ibid.* cas. 69.
Tenetur ne calumniator præstare damnum & injuriam, quam fecit iis, quos calumniatus est? *ibid.* cas. 61.
Tenetur ne ad hoc etiam, si ii, quorum famam læsit, eum ab hac obligatione magnanimiter liberarunt? *ibid.* cas. 63.
Si reparatio fieri non possit æquivalens damno, vel injuriæ illatæ, an saltem facienda est, quali potest modo? *ibid.* cas. 68.
Si calumniatores ejusdem sunt conditionis, an unus magis quam alter tenetur ad reparationem? Si sint disparis conditionis, uter primus incipere debet reparationem facere? *ib.* cas. 64.
Sunt ne aliqui casus, quibus calumniator dispensatus est a reparando damno illato proximi famæ? *ibid.* cas. 69.
An omnia generia probationes adhiberi possunt ad promovendam condemnationem calumniatoris? *ibid.* cas. 63. & tom. 1. v. *Calumnia*, cas. 1.

C A M P I P A R T E S.

Quodnam est jus campi partium? Est ne solvendum ante decimam? tom. 1. v. *Decima*, cas. 8.

C A M P S O R.

Vide hujus tituli Proœmium.
Campsor potest ne exercere pecuniæ permutationem quotidianam, & quæ fit in minori quantitate? An quilibet idem exercere potest commercium æque ac ipse? Quænam est hac in re Jurisprudentia Galliæ? *ibid.* cas. 1. & 2.

C A N C E L L I.

Abbatissa Ordinis Reformati (aut quævis alia Religiosa) an ad cancellos se se recipere potest ad excipiendas ibi cognatorum aut amicorum visitationes? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 3.

C A N I S.

An secum duci possunt canes in Ecclesiam? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 29.

C A N O N I C A.

Vide hujus tituli Proœmium.
Quarumdam canonicarum sæcularium consuetudo antiqua accipiendi donum a parentibus filiæ, quam adoptant, ut Præbenda prima vacatura provideatur, est ne simoniaca? *ibid.* cas. 2.
Canonicæ sunt ne immunes ab obedientia suis Abbatissis præstanda, eo quod voto ad hoc se se non obligaverint? *ibid.* cas. 1.

C A N O N I C U S.

Vide, quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.
Clerici, qui nondum pervenerunt ad ætatem quatuordecim,

decim annorum, possunt ne possidere omnis generis Canonicatus? An iis possit resignari Canonicatus? *ibid.* cas. 1.

Capitulum potest ne impedire, quominus sibi subjecti, provisi de aliqua dignitate, antequam annum decimumquartum assecuti sunt, ejus adesnt possessionem? Quænam in Gallia requiritur ætas, ut possidere quis possit dignitates & Præbendas? Ætas septem annorum sufficit ne ad obtinendas Præbendas collatas jure Regaliæ? *ibid.* cas. 2.

Quænam in genere sunt obligationes Canonicorum? *ibid.* cas. 19.

Tenentur ne interesse capitulorum conventibus, quantum possibile ipsis est? *ibid.*

Possunt ne sine violatione secreti referre aliis, quæ dicuntur & aguntur in capitulo? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 6.

Tenentur ne interesse parvis Horis & Obitibus? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 5.

Tenentur ne assistere Officio mortuorum, quando partem efficit Officii diei, aut quando tantum est ex fundatione? *ib.* cas. 13.

Tenentur ne ad cantandum in choro? Merentur ne distributiones suas, quando desunt isti officio? Tenentur ne ad intelligendam scientiam Musicam & plenum Cantum? Licet ne ipsis recitare Officium suum voce submissa, dum cantatur Missa? *ibid.* cas. 6.

Ii, qui sub prætextu quod voce submissa Lectiones, & quæ matutini temporis sunt recitent, se postea distrahunt voluntario, dum cantantur in choro, sunt ne peccati rei, *ibid.* cas. 7.

Peccant ne, tanta cum festinatione cantando, ut versus versibus anticipent? *ibid.* cas. 8.

Peccant ne, si voce submissa cantare omittant versus, quos organum canere præit? *ibid.* cas. 9.

Tenentur ne ad recitandum privatim id, quod voce minus distincta cantatur in choro? *ibid.* cas. 10.

Peccant ne cum absque caussa legitima sero ingrediuntur chorum, aut exeunt antequam Officium sit finitum? Tenentur ne recitare privatim quod chorus ante eorum adventum cantavit, aut quod cantat, dum occupati sunt in functionibus chori obeundis? *ibid.* cas. 11.

Tenentur ne ad restitutionem propter absentiam aut defectum attentionis ad Officium? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 148. & 149.

Quandonam censendi sunt præsentes in choro? tom. 3. v. *Delegatio*, cas. 3.

Possunt ne interesse Officio divino cum primaria hac intentione, ut accipiant retributionem? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 8.

Recte ne tradare possunt distributiones quotidianas iis ex corpore suo qui absentes fuerunt ultra terminum positum a Concilio Tridentino, aut ab usu legitimo suæ Ecclesiæ? Absentes possunt ne mereri fructus suos, alios in suum substituendo locum? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 4. & v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 3.

Possunt ne functiones suas rejicere in Vicarios suos, atque Cantores? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 2.

Canonici, quibus modici nimis videntur sui reditus, possunt ne absque peccato Missarum diminuere numerum, quem tenentur celebrare? Unus ex iis solus potest ne super hac re supplicem Episcopo exhibere libellum? Iste potest ne hanc illi concedere permissionem, sine observatione formularum requisitarum, & quid ipsi tali in casu faciendum? Canonici, qui tali usi fuissent permissione, tenentur ne ad aliquam restitutionem? Et ii, qui has quidem quas tenentur, Missas celebrassent, sed quamdiu reliqui Officium cantassent, an etiam ad restitutionem tenerentur? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 23.

Consuetudo, apud quosdam Canonicos introducta merendi totum mensem, assistendo tantummodo integros decem dies toti Officio, est ne licita, & potest ne tolerari? *ibid.* cas. 12.

Competit ne Episcopo jus obligandi studiosus canonicos ad residendum? tom. 3. v. *Residentia*, cas. 3.

Canonici studiosi tenentur ne ad privatim recitandum Officium mortuorum, quando partem efficit Officii ejus diei? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 13.

Sunt ne dispensati de recitatione Breviarii, quando ipsorum Beneficia consistunt tantummodo in distributionibus manualibus, & nullos percipiunt fructus? *ibid.* cas. 14.

Canonici Jubilares possunt ne uti prærogativis, sibi concessis a capitulo suo? Capitula gaudent ne jure eos eximendi ab obligatione assistendi Officio? *ibid.* cas. 16.

Canonici tenentur ne suo Decano obedientiam præstare? tom 2. v. *Canonica*, cas. 1.

Possunt ne absque violatione Sacramenti negligere statutum aliquod capituli, abolitum per id quod in usu non fuerit? tom. 2. v. *Jurare*, cas. 18.

Possunt ne virtute statuti capituli uno per quamlibet hebdomadam abesse die præter ferias ordinarias? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 3.

Tenentur ne se se opponere, immo interjicere appellationem tamquam ab abusu, statutis capituli sui abusivis? Tenentur ne, de hoc instruere Superiores? *ibid.* cas. 21. & tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 5.

Canonici Ecclesiarum Cathedralium possunt ne confessiones excipere absque approbatione Ordinarii? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 11.

Canonicus, qui per Præbendam suam obligatur ad recipiendum Subdiaconatum, satisfacit ne suæ obligationi, recipiendo illum post annum? tom. 1. v *Canonicus*, cas. 17.

Canonici, qui per fraudem ordinati sunt Subdiaconi, & ante ætatem debitam, habeat ne jus suffragandi in capitulo? *ibid.* cas. 19.

Canonici in minoribus debent ne suum habere in capitulo suffragium, ut ii, qui sunt in sacris? *ibid.* cas. 18. & tom. 2. v. *Electio*, cas. 2.

Canonicus punctator tenetur ne sub pœna restitutionis ad punctandum absentes? tom 1. v. *Canonicus*, cas. 15.

Episcopus tenetur ne se se opponere vitæ licentiosæ, quam Canonici Regulares, qui suum componunt capitulum, jam a longo tempore agere solent? *ibid.* cas. 21.

Canonici tenentur ne sui capituli jura defendere adversus Episcopum? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 12.

Unicus solus Canonicus potest ne se opponere electionibus & alienationibus factis cum consensu capituli? *ibid.* cas. 10. & tom. 2. v. *Electio*, cas. 3.

C A N O N I Z A T I O.

Ecclesia est ne infallibilis in canonizatione Sanctorum, & si non sit ea in re infallibilis? an non licet dubitare de illorum sanctitate? tom. 2. v. *Fides*, cas. 4.

CAPELLANI REGIS.

Capellani Regis possunt ne emere suum munus citra Simoniam? possunt ne habere intentionem aperiendi sibi per illud portam ad Beneficia? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 47. & 48.

Incurrunt ne excommunicationem eo ipso, quo emunt ejusmodi munera? An eo ipso inhabiles fiunt ad illa possidenda? *ibid.* cas. 49.

An maxima sui Beneficii parte gaudere possunt, quamdiu in regione commorantur? Tenentur ne ad Residentiam reliquum temporis? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 10.

C A P E L L U M.

Cum Ecclesiæ Capellum aliquod interdictum est, an ipsa quoque Ecclesia interdicta esse censenda est? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 19.

Oblationes factæ capello, pertinent ne ad capellanum potius, quam ad Parochum loci? tom. 2. v. *Oblatio*, cas. 2.

C A P I T U L U M.

Vide, quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Capitula habent ne tempus aliquod determinatum, intra quod nominandus est magnus Vicarius, dum sedes vacat? Post tempus illud elapsum, nonne jus istud illorum devolvitur ad Metropolitanum? Magni isti Vicarii debent ne habere gradus, & quales? *ibid.* cas 1.

Competit ne ipsis jus committendi ac deputandi Episcopum ad collationem Ordinum Sacrorum? Succedunt ne Episcopo in omnibus, quæ ad Jurisdictionem spectant? *ibid.* cas. 2.

An omnes capitulum componentes, & singuli in specie, jure gaudent administrandi Spiritualia Ecclesiarum vacantium? Possunt ne gubernare omnes, juncti simul ut corpus, quamdiu vacat Ecclesia? Mandata, quæ edunt hoc modo sunt ne abusiva? *ibid.* cas. 4.

Habent ne jus nominandi ad Beneficia, sede vacante? *ibid.* cas. 7.

Competit ne ipsis jus nominandi tantum Officialium numerum, quantum voluerit, ad administranda jura Sedis vacantis? *ibid.* cas. 3.

Possunt ne attribuere sibi binas tertias emolumentorum redeuntium ex muneribus, quæ constituunt? *ibid.*

Sumtus & expensæ, quas faciunt ad exercendam jurisdictionem, possunt ne sub his comprehendi emolumentis? *ib.* cas. 6.

Possunt ne, quoad disciplinam, mandata edere contraria iis, quæ Episcopi sui fecerunt? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 3.

Possunt ne statuta facere, quibus eximant Canonicos Jubilares, aut alios, ab obligatione assistendi certis quibusdam horis una alterave die? Ejusmodi statuta sunt ne abusiva? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 5. & tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 16. & cas. 21.

Habent ne jus corrigendi eas ex suis membris, qui reos se reddiderunt & culpandos? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 2.

An Capitula, quibus junctum & unitum est Beneficium curatum, præficere possunt Vicarium amovibilem, aut nonne quis Canonicus Pastorales ibi potest obire functiones, etiam sine Episcopi approbatione? *ibid.* cas. 8.

Possunt ne Beneficium loci curatum unire Canonicatui, adeo ut reliquæ Præbendæ fiant meliores, receptione jurium quorumdam ad Curam pertinentium? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas. 9.

Ii, qui aliquam habent justitiam, possunt ne in suum, aut Ecclesiæ suæ commodum, vendere officia Judicaturæ, quæ ab ipsis dependent? tom. 1. v. *Capitulum*, cas 9.

Si Capitulum aliquod jus habet venationis, an non Canonici, qui illud componunt, uti possunt isto se recreandi modo? tom. 3. v. *Venatio*, cas. 1.

Decanus, qui non est Canonicus, habet ne jus intrandi in Capitulum? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 1.

Canonici tenentur ne conservare jura sui capituli? possunt ne favorabiles dare titulos Episcopo adversus capituli interesse? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 12.

Unus Canonicus solus potest ne valide se opponere quorumdam Ecclesiæ suæ bonorum alienationi, quam Episco-

pus eum consensu capituli facere intendit? Et si ob hanc oppositionem despiciat ipsum reliqui, an nihilominus procedere, aut saltem Superiores ea de re instruere tenetur? *ibid.* cas. 10.

An unicus Canonicus solus se se opponere potest electioni a Capitulo factæ? Debet ne suspendi electio, si opponens suas deducere promittit rationes? tom. 2. v. *Electio*, cas. 4.

Capitulum potest ne in suis actibus uti opera Notariorum & Tabulariorum Laicorum? *ibid.* cas. 8.

Potest ne litteras dare dimissorias, & dispensare de interstitiis, vacante Sede? tom. 1. v. *Dimissoriæ literæ*, cas. 4.

Competit ne ipsi jus ut, Sede vacante, aut per magnum Vicarium, fulminare possit Rescriptum Papæ, continens dispensationem matrimonii contracti inter duos conjuges, quod directum erat ad Episcopum, aut magnum ejus Vicarium? tom. 1. v. *Dispensatio matrimonii*, cas. 23.

Succedit ne in omnibus in jurisdictione Episcopali, tam per detentionem, quam post mortem ejus? *ibid.*

C A R C E R.

An agilitate sua subducere se quis potest ex carcere, quando caussa, ob quam in eum conjectus est, justa sit? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 22. & tom. 3. v. *Reus*, cas. 2.

C A R D I N A L I S.

Indultarius competit ne jus requirendi Beneficia, quæ dependent a nominatione? tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 1.

Cardinales possunt ne ante elapsos sex menses prævenire Papam? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 4.

C A R P E N T A R I U S.

Carpentarii, qui executori justitiæ vendunt patibula, & scalas, sunt ne irregulares? tom. 2 v. *Irregularitas*, cas. 55.

C A S T I T A S.

Est ne mortale peccatum, si quis voluntarie inhæreat alicui cogitationi castitati adversæ? tom. 1. v. *Delectatio*, cas. 1.

Si quis votum ediderit castitatis, potest ne exigere debitum conjugale post initum matrimonium? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 15. & cas. 31.

Simplex castitatis votum, & quidem limitatum, est ne impedimentum prohibitivum matrimonii? tom. 2. v. *Impedimenta impedientia*, cas. 1.

Reddit ne invalida sponsalia, quæ postea contracta sunt, & juramento confirmata? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 12.

Si posterius sit sponsalibus, dissolvit ea ne? *ibid.* cas. 13.

Si quis, ligatus simplici castitatis voto, seduxit puellam promisso matrimonio, oportet ne ipsum cum ea matrimonio jungere? tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 6.

Est ne peccatum postulare dispensationem de simplici castitatis voto, illaque obtenta uti? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum in genere*, cas. 7.

Oportet ne legitimam habere caussam, ut peti possit dispensatio ab illo voto? *ibid.* cas. 2.

Episcopi possunt ne dispensare de votis castitatis, factis pro tempore aliquo? *ibid.* cas. 18.

Dispensatio de voto castitatis perpetuæ an jure reservata est Papæ? tom. 1. v. *Dispensatio matrimonii*, cas. 37. & cas. 43. & v. *Dispensatio votorum in genere*, cas. 1. & cas. 5. & 6.

C A S U S F O R T U I T I.

An semper quilibet tenetur de casibus fortuitis? tom. 3. v. *Transactio*, cas. 4.

Is, cui mutuum aliquid datur, tenetur ne de casibus fortuitis? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 5. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 35.

Quando commodatum usui adhibetur a Commodatario, tenetur ne de casibus fortuitis, contingentibus præter culpam, aut cum culpa ipsius? tom. 1. v. *Commodatum*, cas. 2. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 55.

Quando Commodatarius se subjicit æstimationi rei, quam mutuo accipit, censetur ne in se suscipere periculum casuum fortuitorum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 35.

Quando commodata est res aliqua precario, tenetur ne quis de casibus fortuitis? *ibid.* cas. 38. & 39.

Emphyteuta tenetur ne de casibus fortuitis? tom. 2. v. *Emphyteusis*, cas. 1. & 2.

Ii, qui aliquo bono utuntur titulo Antichreseos, tenentur ne de casibus fortuitis? tom. 3. v. *Pignus*, cas. 4.

An quilibet Depositarius semper tenetur de casibus fortuitis? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 14. & 15.

Depositarius, qui cunctatur reddere depositum, tenetur ne de casibus fortuitis? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 7.

Depositarius, qui recipit depositum, nonnisi in propriam suam utilitatem, tenetur ne de casibus fortuitis? *ibidem* cas. 10.

Tenetur ne aliquis de casibus fortuitis in contractibus locationis? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 33. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 34.

Usufructuarius tenetur ne de casibus fortuitis? tom. 3. v. *Usufructus*, cas. 1.

Hæredes tenentur ne de casibus fortuitis respectu legatorum? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 47.

Fidejussores tenentur ne de casibus fortuitis? tom. 1. v. *Cautio*, cas. 8.

Venditor tenetur ne de casibus fortuitis? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 1. & 2. tom. 3. v. *Venditio*, cas. 18. 25. & 31.

Emtor tenetur ne de casibus fortuitis? tom. 2. v. *Emtio* cas. 1. & 2.

C A S U S R E S E R V A T I.

Vide quod est in fronte hujus vocis Proœmium.

Sacerdotes approbati pro confessione excipienda, possunt ne absolvere ab omni peccati specie? An ab omni tempore casus quidam fuerunt reservati Episcopis? *ibid.* cas. 1.

Sacerdotes approbati pro confessione, possunt ne valide absolvere a casibus reservatis, extra casum necessitatis? *ibid.* cas. 18.

Confessores electi ab Episcopis ad audiendas extetorum quorumdam hominum confessiones, possunt ne ipsos absolvere a casibus reservatis, sine speciali potestate? *ibid.* cas. 20.

Quid faciendum est Confessariis, qui non habentes potestatem absolvendi a casibus reservatis, ab iis tamen absolverunt pœnitentium suorum aliquem ex ignorantia, vel inanimadvertentia? *ibid.* cas. 24.

Superiores exigere ne possunt a Sacerdotibus, quibus facultatem absolvendi a casibus reservatis concedunt, ut obligationem imponant pœnitentibus suis veniendi ac declarandi suum peccatum extra pœnitentiæ tribunal? *ibid.* cas. 17.

Ii, quibus casus reservati commissi sunt, possunt ne ab iis absolvere ante vel postquam pœnitentes sui absoluti sunt a reliquis suis peccatis ab alio Confessario? *ibid.* cas. 16.

Sacerdos, qui obtinuit a suo Episcopo permissionem unum ex suis pœnitentibus absolvendi a casu, quem credebat reservatum, quamvis non esset, potest ne vi hujus permissionis absolvere pœnitentem istum a casu reservato, in quem incidit mense præterlapso? *ibid.* cas. 23.

Confessarii, quibus in, aut extra tempus Jubilæi peccata quis confessus est, possunt ne absolvere a casibus reservatis, quorum accusatio tunc temporis lapsu memoriæ fieri neglecta est? *ibid.* cas. 25.

An eodem modo se res habet cum eo, qui confitetur Confessario suo ordinario casum reservatum, quem oblitus est declarare in confessione præcedenti, quam fecit Pœnitentiario? *ibid.* cas. 26.

Confessarius potest ne tempore Jubilæi, sæpius absolvere a casibus reservatis unum eumdemque suum pœnitentem? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 17.

An tenetur quis, post recuperatam valetudinem, quærere absolutionem a casibus reservatis, a quibus articulo mortis absolutus fuerat? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 29.

Copula cum sorore uxoris suæ habita citra seminis emissionem, est ne peccatum Episcopo reservatum, in cujus Diœcesi incestus intra secundum affinitatis gradum est reservatum? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 14.

Peccatum falsi testimonii, reservatum in quibusdam Diœcesibus, an illud intelligitur, quod quis in propria dicit caussa? *ibid.* cas. 19.

Reservatio quorumdam peccatorum, facta ab Episcopo, subsistit ne post mortem illius? *ibid.* cas. 2.

Facultas absolvendi a casibus reservatis extinguitur ne morte Episcopi, qui eam concessit? *ibid.* cas. 23.

Metropolitanis competit ne jus absolvendi a peccatis reservatis suis suffraganeis? *ibid.* cas. 14.

Episcopi habent ne facultatem absolvendi, & committendi, ac deputandi aliquos, qui absolvant a casibus reservatis Papæ? *ibid.* cas. 9.

Personæ in dignitate constitutæ, & Rescripto Papæ approbatæ ad absolvendum a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, possunt ne aliis suam committere facultatem? *ibidem* cas. 11.

Absolutio a vi, levi quidem, sed publica Sacerdoti illata, est ne Papæ reservata? Sunt ne turæ & certæ quædam regulæ ad judicandum de hoc? *ibid.* cas. 8.

Casus Papæ reservati per bullam: *In Cœna Domini*, sunt ne ubique in usu? Quinam sunt casus Papæ reservati in Gallia? *ibid.* cas. 3.

Sacerdotes non approbati pro casibus reservatis, possunt ne ab iis absolvere vi Bullæ Papalis publicatæ auctoritate Ordinarii? *ibid.* cas. 27.

Confessarii possunt ne absolvere a casibus reservatis in quibusdam Diœcesibus, quando confessio facta est in alia Diœcesi, in qua reservati non sunt? Qui ita absolvit peccat ne, sive id bona fide, sive fraude reservationis fecerit? *ibid.* cas. 7. & 21.

An quilibet Confessarius, in loco peregrinationum religiosarum, absolvere potest peregrinantes a casibus reservatis in suis Diœcesibus? *ibid.* cas. 12.

Potestas absolvendi a casibus reservatis includit ne facultatem absolvendi ab hæresi & a censuris, quæ in pœnam ejus impositæ sunt? *ibid.* cas. 4.

Confessarii, qui præter approbationem sui Ordinarii, specialiter insuper approbati sunt a Papa pro casibus ipsi reservatis, possunt ne absolvere a censuris, quæ illis sunt annexæ? *ibid.* cas. 10.

Confessarii approbati pro casibus reservatis, possunt ne a culpa peccati absolvere pœnitentes ligatos excommunicatione, aut aliis censuris, & illos deinde remittere ad Superiores ut absolvantur a censuris? *ibid.* cas. 6.

Si Capitulum aliquod habeat privilegium absolvendi a casibus reservatis, Decanus potest ne ab iis absolvere sine spe-

Digitized by Google

speciali commissione? data a Capitulo isto? *ibid.* cas. 36.

Capitula, quibus potestas competit censuris ligandi Canonicos, qui illud componunt Capitulum, possunt ne absolvere a casibus Episcopo reservatis? *ibid.* cas. 35.

Parochus reus peccatorum reservatorum, potest ne illa valide confiteri suo Vicario, si desit copia Confessarii approbati pro ejusmodi casibus? *ibid.* cas. 21.

Parochi possunt ne in suis Parochiis reservare sibi absolutionem quorumdam peccatorum? Recte ne & bene est, ut id faciant? *ibid.* cas. 37.

Potest ne quis, tempore Paschali, Poenitentiario casuum reservatorum confiteri peccata sine permissione sui Parochi? *ibid.* cas. 22.

Abbates, aut Superiores regulares an reservare sibi possunt tot, quot placet, peccatorum absolutionem? Quaenam sunt peccata illis reservata? An facile, & sine evidenti & gravi necessitate committere debent ac deputare, qui absolvant ab illa? *ibid.* cas. 30.

Possunt ne reservare sibi absolutionem a censuris, quas bonum ipsis videtur quibusdam alligare peccatis? *ibid.* cas. 32.

Prior Regularis, qui in possessione est absolvendi a casibus Episcopo reservatis, habet ne opus approbatione Episcopi expressa? *ibid.* cas. 29.

Regulares possunt ne absolvere a peccatis Ordinario reservatis, vi Privilegiorum a Papis concessorum? *ibidem* cas. 28.

Regularis approbatus a Papa pro casibus reservatis Episcopo, in cujus Dioecesi confessiones audit? *ibid.* cas. 5.

Regulares non approbati pro casibus reservatis in Dioecesi aliqua possunt ne absolvere Parochianos alienos, qui bona fide, vel fraude reservationis, confitentur peccata suo Episcopo reservata? *ibid.* cas. 7.

Regulares possunt ne absolvere suos Religiosos, reos peccatorum Episcopo reservatorum? Reservationes Episcopi factae an respiciunt Religiosos & Religiosas? *ibid.* cas. 31.

Religiosus a suo Superiore constitutus Poenitentiarius Monasterii pro casibus Religiosorum, potest ne absolvere quoque Saeculares, si potestatem habeat absolvendi a casibus Apostolicae reservatis Sedi? *ibid.*

Religiosae quae immediate a Papa dependent, sunt ne subjectae casibus quibusdam reservatis ab Ordinario? *ib.* cas. 38.

Regularis, in voluntariam pollutionem lapsus, tenetur ne absolutionis obtinendae caussa ad Superiorem suum recurrere? Tenetur ne ad idem ob solos tactus impudicos, factum, aut cum muliere citra pollutionem habitos? *ibid.* cas. 21.

C A T E C H U M E N U S.

Matrimonium cum Catechumeno contractum est ne validum? tom. 2. v. *Impedimentum disparitatis cultus*, cas. 7.

C A U P O.

Vide hujus vocis Proemium.

Licet ne Cauponibus, illaesa conscientia diebus jejunii cenam dare iis, qui quidem postulant, sed quos probe sciunt jejunii capaces esse? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 19. & tom. 1. v. *Caupo*, cas. 1.

Si dubie haereant, num ii, qui cibum sibi offerri postulant, sint jejunii capaces nec ne, an tenentur illud sciscitari, aut alio modo perquirere? *ibid.* cas. 20.

Caupones possunt ne, ad impediendum totalem suum interitum, carnem apponere diebus abstinentiae? tom. 1. v. *Caupo*, cas. 9.

Caupones possunt ne diebus Dominicis ac Festis, durante officio Divino, bibendum dare conterraneis & necessariis? *ibid.* cas. 4.

An ciborum suorum pretium notabiliter augere ipsis licet sub praetextu adventus Regis in suam Urbem? *ibidem* cas. 5.

Peccant ne, quando non ignari, quod hic vel ille, si hanc aut illam vini quantitatem excedat, se se inebriant, illi tamen plus vini dant? *ibid.* cas. 3.

Ad quid tenentur hoc respectu? Quid ab iis exigendum est? tom. 2. v. *Ebrietas*, casu ultimo. Quaestionibus 6. 7. 8. 9. & 10.

C E L E B R A R E.

Vide { CONSECRARE. MISSA. ORDINES. }

C E N S U R Æ.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proemium.

Sunt ne variae censurarum species? Ligant ne semper illico eos, adversus quos latae sunt? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 20.

In quotnam species dividuntur censurae? Intercedit ne aliqua differentia inter censuras latas *a jure*, & latas *ab homine*? *ibid.*

Ignorantia tum juris Ecclesiastici quam facti excusat ne a censuris? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 7.

Sunt ne intelligendae ita ut extendantur ultra terminum suum atque proprium sensum? *ibid.* cas. 29.

Ignorantia rea vel non rea censurarum excusat ne ab irregularitate illos, qui celebrant in censuris? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 81.

Censurae conceptae terminis generalibus, & totam spectantes communitatem, sunt ne jure reprobatae? tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 1. & 2.

Inferior potest ne inferre censuras adversus Superiorem suum, aut saltem aequalem? *ibid.* cas. 7.

Habent ne locum censurae, respectu Ministrorum Regiorum, tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum, quatenus spectant factum & exercitium ipsorum munerum? *ibid.* cas. 8.

An irritae & nullae sunt censurae latae antequam reus citatus fuerit, auditusve? *ibid.* cas. 9.

Sunt ne irritae? quando latae sunt a superiore Ecclesiastico, qui non est in sacris? *ibid.* cas. 10. & tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 55.

Sunt ne nullae, quando latae sunt ab Episcopo, qui est extra suam Dioecesim? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 51.

Sunt ne irritae censurae, quando in se quidem sunt justae, sed fulminatae ex motivo odii, aut vindictae? Est ne peccatum censuras ferre ex ejusmodi motivo? *ibid.* cas. 22.

Provisiones Beneficiorum, obtentae a personis in ipsis censuris existentibus, sunt ne nullae? tom. 3. v. *Provisio Beneficiorum*, cas. 14.

Appellatio est ne suspensiva, vel saltem devolutiva in materia censurarum? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 14.

Censurae, in quas quis incurrit, Ordines sacros recipiens sine dimissoriis, sunt ne Papae reservatae? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 26.

An censuras quis incurrit, qui Sacros Ordines recipit absque interstitiis servatis, & sine obtenta dispensatione? tom. 2. v. *Interstitia*, cas. 2.

Clerici Acolythi incurrunt ne censuras latas a suo Episcopo contra illos, qui sua violant statuta atque mandata, concepta terminis generalibus adversus Ecclesiasticos suae Dioeceseos? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 5.

Confessarii, qui ad revelationem alicujus rei non perducuntur Monitoriis, incurrunt ne censuras in illis latas? tom. 2. v. *Confessarius* 2. cas. 6.

Is, qui subit examen pro Beneficiario, & Beneficiarius, qui id ipsi committit, ne ambo censuras incurrunt? tom. 2. v. *Examen*, cas. 2.

Censurae delent ne characterem sacerdotalem? tom. 1. v. *Consecrare*, cas. 14.

Absolutio censurarum non ne praecedere debet absolutionem peccatorum, propter quae quis illas contraxit? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 30.

An omnis Confessarius absolvere potest a censuris, quando superior, qui illas imposuit, earum sibi non reservavit absolutionem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 50.

Si quis ligatus sit censura occulta, an non potest in casibus quibusdam licite administrare Sacramenta, ita ut ideo non incidat in Irregularitatem? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 33.

Confessarii, postquam absolverunt poenitentes suos a culpa peccati, possunt ne illos remittere ad superiores, ut absolvantur a censuris? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 6.

Sacerdotes, approbati pro casibus reservatis Papae, aut Episcopo, possunt ne absolvere a censuris, quae iis sunt annexae? *ibid.* cas. 10.

Absolutiones a censuris, collatae vi jubilaei, fiunt ne nullae negligentia implendi reliquas conditiones, praescriptas ad illud consequendum? tom. 2. v. *Jubilaeum*, cas. 16.

Si aegrotus in periculo mortis constitutus, fuerit absolutus a censuris per simplicem Sacerdotem, tenetur ne, sub poena in illas reincidendi *ipso jure*, se exhibere Superiori? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 64.

Si quis solvatur a censuris, sub conditione se exhibendi coram illo, an denuo in illas reincidit, si ex impotentia aut negligentia praescriptas implere negligat conditiones? *ibid.* cas. 65. & 66.

An absolutio a censuris obtineri potest per Procuratorem? *ibid.* cas. 59.

Sententia, qua Officialis Sacerdotem celebrare Missam per unum mensem prohibet, in punitionem delicti ab eo commissi, includit ne veram suspensionem, quae irregularitatem producit, si forte is ante mensem elapsum celebraverit? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 19.

Metropolitanis competit ne jus absolvendi a casibus reservatis, & censuris, latis a suis suffraganeis? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 14.

An saltem ab iis absolvere possunt *ad cautelam*, & quaenam observandae sunt formulae hoc in casu? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 31.

Episcopus nullas ne potest ferre censuras, nisi post consecrationem suam? tom. 1. v. *Episcopus*, cas. 27.

An ferre potest censuras extra suam Dioecesim? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 13.

Episcopi an de omni genere censuris dispensare valent? tom. 1. v. *dispensatio suspensionis*, cas. 2.

Sunt ne subjecti censuris, quando non expresse nominantur in Canone, qui illas fert terminis tantum generalibus? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 4.

Episcopi, qui inciderunt in censuras, debent ne recurrere ad Papam, ut ab iis absolvantur? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 18.

Episcopi ligati censuris an alios iis ligare possunt? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 6.

Possunt ne in isto casu alios valide ab iis absolvere? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 55.

An quaerere quis potest absolutionem a censuris ab alio,

quam

quam Diœcesano Episcopo? tom. 1. v. *Dispensatio irregularitatis*, cas. 8.

An quivis Galliæ Episcopus committere potest ac deputare, qui absolvant a censuris hæresi annexis? tom. 2 v. *Casus reservati*, cas. 4.

Abbatibus Regularibus competit ne jus absolvendi suos Religiosos a censuris? tom. 2. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 27.

An eodem modo absolvere illos valent a censuris, in quas inciderunt, verbera infligendo Clerico Sæculari, aut Regulari? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 6.

An sibi possunt reservare absolutionem a censuris, quas ipsis placet certis quibusdam peccatis annexas esse? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas 32.

An quis invitus absolvi potest a censuris, in quas incidit? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 67.

C E N S U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Census affecti operibus piis, possunt ne præscribi? Si quinquaginta annis nulli soluti fuerint, quot annos solvendo sunt eorum reliquiæ, juxta consuetudinem nostram? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 12.

Possunt ne constitui aut recipi census denario majores, quam sancire publica id permittunt? An hac in re indifferens est quod census illi constituti fuerint ante sancitum, aut in districtu Senatus supremi, ubi illud non viget? tom. 1. v. *Census*, cas. 2.

Quid agendum, si Debitor afferat, loco solutionis summæ debitæ, contractum constitutionis facere? An istud est accipiendum? Interesse, quæ debet, possunt ne contractus rationem ingredi? *ibid.* cas. 2.

Census, constituti pretio pecuniæ, sunt ne fructus naturales? Interesse horum censuum possunt ne proferre secundum & novum interesse? tom. 2. v. *Lucrum lucri ultra sortem*, cas. 1.

Census usufructuarii denarios excedentes ordinarios sunt ne liciti? tom. 1. v. *Census*, cas. 3.

Recte ne quis stipulari potest in contractu constitutionis unumquemque census quadrantem, solutum in antecessum? *ibid.* cas. 4.

Possunt ne in contractibus constitutionis apponi quædam clausulæ, sive conditiones, ut quod aliquota pars sit reddenda ante sortem ipsam? *ibid.* cas. 8.

Contractus censuum constitutorum censentur ne bona mobilia, an vero immobilia? *ibid.* cas. 2.

Census constituti super bonis mobilibus, sunt ne liciti? *ibid.* cas. 8.

Census constituti sub conditione, ut non amplius possit reddi ipsa sors, sunt ne liciti? Quasnam conditiones habere debent census, ut sint liciti? *ibid.* cas. 5.

Si hypotheca census alicujus casu fortuito pereat, census est ne annihilatus? *ibid.* cas. 6.

Contractus censuum subjiciuntur ne hypothecæ in Gallia? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 12.

Legatum census super fundum an debet sequi rationem valoris redituum, an vero pretii hujus fundi? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 25.

Potest ne emi contractus census viliori pretio, quam illud, quod constitutio in contractu fuit? tom. 2. v. *Emtio*, cas. 2.

Potest ne alicujus census reditus emi pretio viliori, quam reditus inde producitur? Est ne quædam differentia inter hanc emtionem, & emtionem redituum terræ alicujus? *ibid.* cas. 15.

Debentur ne laudemiæ & venditiones in permutatione terrarum cum censibus? tom. 2. v. *Laudemia*, *&* *Venditiones*, cas. 3. & 9.

C E N T U R I O.

Vide hujus tituli Proœmium.

Centuriones possunt ne sibi attribuere stipendium subdititiorum militum, quos in lustrationibus militaribus exhibent? tom. 1. v. *Centurio*, cas. 2.

Tenentur ne restituere urbium incolis quod acceperunt ab iis supra numerum militum suorum? Præfecti militares subalterni tenentur ne in his casibus ad restitutionem in solidum? *ibid.* cas. 5.

Possunt ne in usum suum convertere nummos, quos urbes eum in finem ipsis dant, ut se redimant ab onere locum stationis ipsis præstandi? *ibid.* cas. 4.

Possunt ne accipere summam pecuniæ, collatam ab aliquibus Pagis, ut a venatione liberi sint? *ibid.* cas. 2.

Quando in usum suum converterunt ea, quæ hostes tamquam depositum in Ecclesia posuerunt, tenentur ne ad restitutionem? *ibid.*

Tenentur ne reparare vastationes a militibus in via factas? *ibid.* cas. 3.

CÆREMONIÆ SACRAMENTALES.

Vide, quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Est ne peccatum cæremonias negligere usitatas in administratione Sacramentorum? Quænam est intentio Ecclesiæ in istis cæremoniis? Sunt ne supplendæ, quando omissæ fuerunt in casu urgentis necessitatis? *ibid.* cas. 1.

Quænam in casu omitti possunt, aut non omitti cæremoniæ Baptismi, Missæ, & reliquæ Ecclesiæ cæremoniæ? *ibid.* cas. 2. & cas. 3.

Sunt ne infantes, domi mersi, postea in Ecclesiam portandi, ut suppleantur cæremoniæ Baptismi? Sunt ne supplendæ hæreticis post ipsorum abjurationem? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 28.

C E R E U S.

Consuetudo utendi cereis in celebratione Sacrorum Mysteriorum est ne valde antiqua? tom. 2. v. *Missa*, cas. 8.

An aliquando celebrari potest Missa absque cereis incensis super Altari? *ibidem*.

CESSIO BONORUM.

Vide, quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Debitor, qui non habet sufficientia bona ad solvendos creditores, tenetur ne cedere omnibus suis bonis? Sunt ne Debitorum species, ubi non admitterentur quia ad faciendam suorum bonorum cessionem? *ibid.* cas. 5.

Potest ne idem quædam in salvum seponere bona, ad suam & familiæ subsistentiam? *ib.* cas. 2. tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 193. & v. *Restitutio in integrum*, cas. 4.

Remissio quartæ partis, quam interdum Debitori faciunt creditores, an illum, cui facta est, dispensat a restitutione, si, ut facilius obtineret, subtraxit partem suarum facultatum? tom. 1. v. *Cessio bonorum*, cas. 4.

Cessio bonorum extinguit ne obligationem solvendi debita? Quænam commoda confert cessionario? *ibid.* cas. 11.

Si quis commercium suum præter suam culpam deperire videt, tenetur ne statim cedere bona suis creditoribus, aut potest ne expectare meliorem successionem? *ibid.* cas. 1.

Cessionarius potest ne reddere merces, quas integras adhuc habet, iis, ad quos pertinent præferendo eos aliis creditoribus? *ibid.* cas. 5.

Potest ne solvere unum ex creditoribus pro aliis? An ad hoc indifferens est qualiacumque sint debita, quæ contraxit, & si bona ipsius sufficiant solvendis omnibus, aut saltem aliquibus creditoribus, an tunc creditor, cui satisfecit, tenetur toti massæ adjicere quod acceperat? *ibid.* cas. 7.

Si alter sociorum cessionem fecit bonorum suorum, ex heredes cessionarii pro se retinere possunt certa quædam debita activa, quæ ad ipsum spectabant jam ante societatem initam, quæ ex dubiis & incertis facta sunt bona? *ibidem* cas. 10.

Creditores, qui suas adhuc in eadem, qua miserunt aut tradiderunt statu, reperiunt merces, tenentur ne subire contributionem cum reliquis cessionarii creditoribus? Consuetudines sunt ne quoad hanc rem uniformes? *ibid.* cas. 6.

Habent ne jus in bona, quæ per successionem vel donationem obtingunt cessionariis post cessionem suorum bonorum factam? Possunt ne iis eos omnino & ex toto privare? *ibid.* cas. 8.

Si major pars creditorum concedere velit debitori remissionem aliquantam, reliqui cujuscumque sint generis tenentur ne ad consentiendum? Quænam est quoad hoc Jurisprudentia Galliæ? *ibid.* cas. 9.

Si mercator, aut Artifex, cesserit alicui suam officinam, & omnia, quæ ad mercaturam, vel ad artificium exercendum necessaria sunt, potest ne adhuc negotiari, aut operari, sive in contractu renuntiaverit professioni suæ, sive non? *ibid.* cas 12.

C H A R I T A S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quomodo definitur charitas Theologica? Amor spei est ne incompatibilis cum amore charitatis? *ibid.* cas. 1.

Supplet ne fidem explicitam veritatum quarumdam ad salutem necessariarum? tom. 2. v. *Fides*, cas. 1.

Pueri, qui ad ætatem & usum pervenerunt rationis, tenentur ne producere actus quosdam amoris Dei? Sunt ne impellendi, ut in confessione accusent ejusmodi omissionem, si conscii sibi sint alicujus? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 2.

Necessitas vacandi operibus charitatis an prævalere debet obligationi recitandi Breviarium? tom. 1. v. *Officium Breviarii*, cas. 6.

Est ne obligatio exercendi charitatem erga proximum, ubi periculum est damni inde sibi accedendi? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 3.

Charitas exigit ne, ut quis ad servandum proximum se exponat evidenti periculo amittendi vitam suam? *ibidem*, cas. 1.

An eodem amore prosequendi sunt liberi sui, sive sint boni, sive mali? *ibid.* cas. 5.

Oportet ne auxilium ferre Patri præ Matre? *ibid.* cas. 10.

Oportet ne auxilium ferre Patri suo & Matri præ Uxore sua? *ibid.* cas. 2.

Peccat ne contra charitatem, qui in correctione fraterna duris utitur verbis atque severis? tom. 2. v. *Correctio fraterna*, cas. 4.

Charitas obligat ne dare inimicis signa amicitiæ externa? tom. 2. v. *Charitas*, cas. 4.

Sunt ne aliqui casus, in quibus dispensari aliquis possit ab hoc? *ibid.*

Est ne peccatum contra charitatem habere aversionem pro aliquo, propter ipsius inordinatam vitam? *ibid.* cas. 12.

An sine periculo peccandi contra charitatem negare quis potest, velle se desistere a lite intentata alicui ad reparationem injuriæ illatæ? *ibid.* cas. 6. & 7.

Raum,

Digitized by Google

Reum promittentem, se satisfacere velle, an potest quis absque discrimine peccandi adversus charitatem, criminaliter persequi? *ibid.* cas. 8.

CHARTÆ LUSORIÆ.

An omnis generis ludus chartarum Clericis prohibitus est? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 1.
Clericis nonne licet spectare Laicos ludentes chartis? Est ne aliquis casus, quo mortaliter peccant, videndo alios ludentes? *ibid.* cas. 10.
Licet ne fabricare aut vendere chartas lusorias? *ibidem* cas. 8.

C H I R O G R A P H U M.

Potest ne exigi solutio Chirographi, quod Debitor solvisse se affirmat, cum compertum habetur, quod illud perdiderit, & cum Debitor offert se testibus probaturum solutionem ejus Chirographi esse factam? tom. 2. v. *Debitum*, cas. 3.
Chirographa ne non sunt æstimabilia, nisi prout valent in loco suo? Lucrum, quod per chirographa potest quæri, est ne usurarium? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 222.
Est ne mendacium chirographa scribendo imitari? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 3.

C H I R U R G U S.

Chirurghi, qui venam incidendo sanguinem emiserunt, aut aliquem truncarunt, sunt ne irregulares? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 20.
Clerici seculares & regulares possunt ne exercere Chirurgicam artem? *ibid.* cas. 21. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 38. 40. 76. 77. 78. & 79.
Clerici possunt ne adjuvare Chirurgos in mutilatione aliqua, ita tamen ut eo non incurrant irregularitatem? *ibid.* cas. 80.

CHOCOLATI POTUS.

Chocolati potio semper diebus jejunii, extra tempus, quo cibus ordinarie sumitur, rompit ne jejunium? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 14.

C H R I S M A.

Parochi tenentur ne singulis annis provisionem facere chrismatis, recenter consecrati? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 6.
Possunt ne uti Chrismata anni præcedentis? *ibid.*
Unctio Sacri Chrismatis est ne essentialis Sacramento Confirmationis? tom. 2. v. *Confirmatio*, cas. 1.

C H R I S T I A N U S.

Valere ne debet apud christianos Paganorum juramentum, quod fecerunt per idola sua? Possunt ne eos inducere ad facienda ejusmodi juramenta? tom. 2. v. *Jurare* cas. 17
Christianus in servitute detentus, tenetur ne confiteri peccata & communicare, non obstantibus minis Domini sui? tom. 2. v. *Mancipium*, cas. 2.
Debet ne reddi libertas servis, christianam amplectentibus Religionem? *ibid.* cas. 3.
Possunt ne cogi Ethnici, Judæi, ac Infideles, ut christiani fiant? tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 4.

C I B U S.

Oportet ne sequi usum ciborum, consuetudinem locorum ac domorum Religiosarum, ubi quis mutatur? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 6. & v. *Religiosa*, cas. 4.
Licet ne cibos gustare, iisque oblectari, edendo? tom. 2. v. *Gula*, cas. 2.

C I N G U L U M.

An in celebratione Missæ adhiberi potest stola cinguli loco? tom. 2. v. *Ornamenta Ecclesiæ*, cas. 7.

C I N I S.

Est ne obligatio cineres recipiendi primo die jejunii quadragesimalis? tom. 1. v. *Consuetudo*, cas. 2.

C I R C U L A T O R.

Vide hujus tituli Proœmium.

Licitum ne est circulatorum artificium? Hæc professio est ne in se ipsa damnanda, & nonne absolutio deneganda est omnis generis circulatoribus, qui nolunt suæ renuntiare professioni? tom. 1. v. *Circulator*, cas. 17.
Est ne permissum emere aliquid ab hujusmodi hominibus? An aliquid ipsis dari potest remunerationis modo? *ibid.*
Licet ne Ecclesiasticis hanc exercere artem? An saltem permittitur ipsis istiusmodi assistere ludis? *ibid.* cas. 2. & 3.
Circulatores peccant ne mortaliter, saltando modis periculosis? *ibid.* cas. 4.

CIRCUMSTANTIÆ.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Omissio circumstantiarum, quæ speciem mutant peccati, aut illud aggravant, reddit ne confessionem nullam? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 18. & 20.
An eodem modo se res habet cum omissione circumstantiarum, delicti consortium, temporis & diei? *ibid.* cas. 19. 21. & 22.

C I S T E R C I E N S E S.

Admittitur ne in Gallia privilegium, quod Innocentius III. anno 1489. concessit Abbati Cisterciensi, quo ipsi indulgetur facultas suis Religiosis conferendi Ordines Subdiaconorum & Diaconorum? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 16.
Contradicitur huic Abbati privilegium examinandi Religiosas Novitias, & permittendi Professis mutare Monasterium, sine consensu Ordinarii? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 16.

CLANDESTINITAS.

Vide *Impedimentum Clandestinitatis*.

C L A T H R U M.

Abbatissæ Ordinis Reformati (aut quævis alia Religiosa) potest ne sola ad clathrum se recipere ad excipiendas ibi visitationes cognatorum suorum atque amicorum? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 3.

C L A U S T R U M.

Episcopi sunt ne Superiores nati omnium Monasteriorum, quantum ad visitationem claustri? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 4. & 5.
Episcopi possunt ne obligare omnis generis Religiosas ad se claustro includendas? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 15.
Superiores possunt ne interdum dissimulare violationem claustri? *ibid.* cas. 20
Religiosa, quæ admittunt parvulos, aut domesticos domus suæ paternæ, aut alios foras oppositi, sub prætextu charitatem exercendi, violant ne claustrum suum? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 9.
Potest ne claustrum violari aliis adhuc modis? *ibid.* cas. 6. 7. & 10.
Est ne obligatio se subjiciendi claustro in Monasterium introducto post factam ibi professionem? tom. 3. v. *Votum*, cas. 35.

C L A U S U L A.

Quomodo intelligenda est clausula: *aut quovis alio modo vacaverit*? Habet ne locum in omnis generis casibus? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 1.

C L E R I C U S.

Clerici possunt ne suis renuntiare privilegiis? tom. 2. v. *Judex*, cas. 20.
Clerici possunt ne negotiari, rerum Secularium administrationem in se suscipere, & exercere rem Judiciariam? tom. 1. v. *Clericus*, cas. 1. 2. 3. & 4.
Excommunicatio, quam quis incurrit occidendo, mutilando, vel contumelia afficiendo clericum, promotum ad Ordines Sacros, aut non Sacros, est ne reservata Papæ? Sunt ne aliqui casus, quibus Romam ideo recurrere non sit necessarium, & quibus nulla incurritur pœna percutiendo clericum? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 45.
Omnis actio notabiliter injuriosa personæ clerici est ne materia excommunicationis? *ibid.* cas. 3.
Clerici, qui ex voluptate se invicem feriunt, incurrunt ne excommunicationem? *ibid.* cas. 43.
Ii, qui male excipiunt clericum Apostatam, sunt ne excommunicati? *ibid.*
Clerici Beneficiarii aut Sacerdotes tenentur ne gestare tunicam Sacerdotalem? Peccant ne graviter, si hoc facere omittunt? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 2.
Ludi, quibus fortunæ se committunt & industriam suam exercent, sunt ne illis prohibiti? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 3. & cas. 4.
Tenentur ne clerici simplices in superpelliceo assistere Officio divino, diebus Dominicis & Festis? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 2.
Gestatio annorum reddit ne clericos irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 23.
Possunt ne ita tamen, ut inde non fiant irregulares, deponere ut testes coram Judice, tam in caussa civili, quam criminali? *ibid.* cas. 5.
Est ne iis conferenda sepultura Ecclesiastica per tempus Interdicti? Potest ne fieri cum aliquibus solemnitatibus, tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 11.
Vide Ecclesiasticus.

C OE L U M.

An semper peccatum est jurare per cœlum? tom. 3. v. *Jurare*, cas. 9.

Digitized by Google

COEMETERIUM.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Procemium.

Cœmeteria, sive adjacentia Ecclesiæ, sive non, sunt ne polluta profanatione aut demolitione Ecclesiæ? *ibid.* cas. 1, & v. *Altare*, cas. 5. & tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 16.

Cœmeteria sive contigua Ecclesiæ, sive non contigua, si polluta sint, an Ecclesia polluta pariter est censenda? tom. 1. v. *Cœmeterium*, cas. 2.

An intelligendum quoque de cœmeterio, quod Canones de reconciliatione Ecclesiæ præscribunt? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 17.

Si cœmeteria sint interdicta, an Ecclesiæ interdictæ quoque sunt? tom. 2 v. *Interdictum*, cas. 19.

Duo Cœmeteria muro ab invicem separata, sed quæ portam habent communem, qua ab uno in alterum cœmeterium transitus patet, sunt ne polluta ambo, si profanetur alterutrum? tom. 1. v. *Cœmeterium*, cas. 3.

Cœmetaria sunt ne præscriptioni subjecta? tom. 1. v. *Præscriptio*, cas. 12.

Potest ne emi ac vendi jus sepeliendi in cœmeterio? tom. 3. v. *Sepultura*, cas. 2.

Judex Laicus potest ne suam exercere Jurisdictionem in cœmeterio? tom. 2. v. *Judex*, cas. 23.

COENULA, vulgo COLLATIO.

Cœnulæ jejunii, seu collationes, an omni tempore fuerunt in usu? Unde suam ducunt originem? An in tali cœnula, seu collatione, adhibere licet panem & pisces frixos? tom. 2 v. *Jejunium*, cas. 18.

Harum cœnularum, seu collationum, consuetudo est ne approbata in Ecclesia? Caret ne peccato? *ibid.* cas. 17.

COGITATIO.

Vide hujus tituli Procemium.

Est ne peccatum mortale se ipsum voluntario pascere cogitationibus impuris? Sunt ne certæ quædam ac tutæ regulæ, quibus dignoscat aliquis, num iis consensum præbuerit, nec ne? *ibid.*

Sola morositas in cogitationibus impuris est ne peccatum? Quid est quod vocant delectationem morosam? tom. 1. v. *Cogitatio*, cas. 2.

COGNATIO.

An varii generis sunt cognationes? Matrimonium est ne validum in omnibus his differentibus cognationis gradibus? Cognatio legitima & illegitima, an una æque ac altera impedimentum est dirimens? v. *Procemium in vocem*, Impedimentum cognationis naturalis, & in duas voces sequentes.

COGNATUS.

An Beneficia conferri possunt cognatis suis præ omnibus aliis, imprimis si iis indigni non sunt? tom. 1. v. *Collator*, cas. 2. 3. & 4.

COITUS.

Judices an nostris temporibus mandare possunt coitum? Coitus est ne argumentum certum virilitatis, aut impotentiæ alicujus viri? An diu in usu fuit in Gallia, & quando fuit abolitus? tom. 2. v. *Impedimentum impotentiæ*, cas. 20.

COLLATOR.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Procemium.

Collatores sunt ne obligati ad conferenda beneficia subjectis dignioribus? Dignitas subjecti alicujus an æstimanda est a merito ipsius personali, an vero ab utilitate, quam Ecclesiæ potest præstare? *ibid.* cas. 1.

Possunt ne subjecto minus digno, cui faveat, conferre beneficium simplex, præferendo eum aliis aptioribus fungendo muneri? *ibid.* cas. 2.

Possunt ne in collatione beneficii præferre aliis cognatum, quem non minus dignum quam alios credunt? *ibid.* cas. 3.

Possunt ne cognato, qui minus dignus est quam aliud subjectum, conferre beneficium, sub prætextu, quod dotes ac virtutem habeat sufficientes? *ibid.* cas. 4.

Tenentur ne ad restitutionem erga subjecta dignissima, quæ non nominarunt, favorem exhibendo suum subjectis minus dignis? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 150.

Possunt ne promittere beneficium, quod nondum vacat? Possunt ne conferre beneficium ei, qui illud petiit, antequam vacaret? tom. 1. v. *Collator*, cas. 5. & v. *Beneficium*, cas. 6. & tom. 3. v. *Patronus*, cas. 7.

COLLATIO BENEFICIORUM.

Vide quod est in fronte hujus vocis Procemium.

Collatio Beneficii in Patronatu Laico facta ab Episcopo non exspectante præsentationem Patroni, est ne *ipso jure* nulla? Provisio talis potest ne annullari sententia? *ibid.* cas. 1.

Collatio ejusmodi est ne valida, cum Episcopus jam sæpius nominavit ad idem beneficium? Quodnam tempus requiritur, ut Episcopus præscribat Patronis? *ibid.* cas. 2.

Patronus Ecclesiasticus potest ne variare in collatione beneficii? *ibid.* cas. 7.

Episcopus potest ne supprimere provisiones factas pro uno, & novas expediendas curare pro alio? *ibid.* cas. 8.

Collatio beneficiorum curatorum dependentium ab Abbatia, pertinet ne jure ad Ordinarium, dum Abbatis vacat sedes? *ibid.* cas. 3.

Collatio beneficii facta a Metropolitano, & nulla ob defectum juris & potestatis illud conferendi, fit ne valida si jus istud devolvatur ad Metropolitanum, negligentia suffraganei? *ibid.* cas. 4.

Collatio facta ab Episcopo est ne valida, si qui a Romana Curia provisus est, impar sit beneficii muneri fungendo? Requiritur ne ut ad hoc nova provisio Roma interveniat? *ibid.* cas. 6.

Potest ne valide conferri beneficium, si is qui possidet amplectitur hæresim? Novus provisus debet ne uti quibusdam formis ad capiendam ejus possessionem? *ibid.* cas. 9.

Collatio beneficii facta a Patrono excommunicato denuntiato, est ne nulla? Potest ne committere quemdam & deputare, qui ejus loco nominet? *ibid.* cas. 5.

Collatio beneficii facta ab Episcopo ligato excommunicatione majori, publica aut occulta, est ne nulla? *ibid.* cas. 11.

Collatio beneficii facta in favorem excommunicati est ne valida ac licita? *ibid.* cas. 10. & to. 1. v. *Excommunicatio*, cas. 24.

Collatio beneficiorum facta a Magnis Vicariis, dum Episcopus est excommunicatus denuntiatus, est ne valida? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 12.

Collatio beneficiorum, tam libera, quam coacta, pertinet ne jure ad Magnos Vicarios? Quid intelligitur per collationem liberam atque coactam? *ibid.* cas. 13. & tom. 3. v. *Vicarius*, cas. 5.

Collatio beneficii facta a Magno Vicario, postquam Episcopus renuntiavit Episcopatui suo intra manus Regis, est ne valida? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 14. & tom. 3. v. *Vicarius*, cas. 4.

Si a duobus collatoribus idem collatum sit beneficium duobus subjectis, utra collatio prævalet alteri? tom. 3. v. *Vicarius*, cas 6.

Collatio est ne valida, si post factam in Curia Romana permutationem, alter permutantium eo jam rem deduxit, ut regestis insererentur actus permutationis, & ut non sublatis prius provisionibus suis, provideri se fecit de beneficio per collatorem ordinarium post renuntiationem puram & simplicem, quam fecit ejus compermutans? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 15.

Patroni Laici an pleno jure & sine auctoritate Episcopi conferre possunt beneficia ab ipsis dependentia? *ibid.* cas. 16.

COLLECTORES.

Judices minorum urbium possunt ne eligi collectores, etiam inviti? tom. 2. v. *Judex*, cas. 22.

Collectores tenentur ne ad restitutionem, cum ut rationem haberent quorumdam privatorum, nimis communitatem incolarum onerarunt? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 8. Vide tributum annuum.

COLUMBÆ.

An absque peccato occidi possunt alterius columbæ, quæ sparsa in agris nostris semina, aut quæ jam in eo sunt, ut mox colligantur grana, editum veniunt, tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 22.

COLUMBARIUM.

Dominus, qui altam habet justitiam, potest ne columbarium sibi ædificandum curare? tom. 2. v. *Leporarium*, cas. 1.

COMMERCIUM.

Commercium maritimum, quod exercetur in cameris cautionum, est ne usurarium? tom. 3. v. *Usura*, cas. 32.

Internuntii in commercio tenentur ne respondere de solvabilitate eorum, quibus aliquid vendere faciunt sub fide? tom. 1. v. *Restitutio*, cas. 3.

Papa potest ne commissarios nominare in Gallia, ut judicent de caussa, in qua appellatum est ad ipsius tribunal? Quænam ad hoc requiruntur conditiones? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 21.

COMMISSIO.

Commissarius, seu institor, cui emendi ac vendendi potestatem dedit Mercator, an potest aliquid, inscio suo committente, retinere pro suo salario? tom. 2. v. *Emtio*, cas. 17. & tom. 3. v. *Sarcinator*, cas. 2.

An is, qui aliquam commissionem, seu negotium gerendum suscepit, tenetur illud exsequi sub pœna restitutionis? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 40. & seqq.

COMMODATUM.

Vide hujus vocis Procemium.

An rem pro tempore aliquo commodatam tenetur quis, ad nutum, & quando placet, commodanti reddere? tom. 1. v. *Commodatum*, cas 1.

Ii, qui.

Ii, quibus aliquid in eorum usum commodatum fuit, tenentur ne de casibus fortuitis, qui præter ipsorum culpam evenerunt? *ibid.* cas. 2. & tom. 3. v. *Societas*, cas. 4.

An rem commodatam convertere liceat in usum differentem ab eo, de quo cum commodante conventum est; tom. 1. v. *Commodatum*, cas. 3.

De quibus culpis tenentur ii, qui rem aliquam mutuo accipiunt in propriam suam et peculiarem utilitatem, aut in utilitatem, quæ ipsis communis est cum commodante, aut quæ solam respicit hujus Commodantis) utilitatem? *ibid.* cas. 4. 5. 6. & 9.

Si res commodata deterior facta est usu ejus legitimo & qui jure potuit fieri, est ne obligatio commodanti in hoc casu damnum præstandi, *ibid.* cas. 7.

Si commodatarius se subjicit æstimationi rei, quam commodato accipit, censetur ne suscipere in se casuum fortuitorum periculum, *ibid.* cas. 8.

Semper ne tenetur commodatarius conservationem commodati præferre suis propriis rebus? *ibid.* cas. 9. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 34. 36. & 37.

Commodatarius tenetur damnum præstare, quod commodans passus est commodando? tom. 3. v. *Usura*, cas. 27. & 34. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 35. 37. & 39. & tom. 1. v. *Emptio*, cas. 4.

Licet ne lucrum capere ex pecunia per modum commodati? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 9. 10. & 15.

Lucrum, ex commodato permissum a Justitia, an novum potest producere lucrum pro rata debiti reliquierum parte? tom. 2. v. *Lucrum lucri ultra sortem*, cas. 1.

Creditor tenetur ne pecuniam, quam tertius aliquis commodavit ipsius Debitori, ut ipsum solveret, tenetur ne, inquam, reddere istam pecuniam, si Debitor deinceps non solvendo fiat? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 23.

Commodatum transfert ne revera Dominium rei commodatæ in eum, cui commodatur, *ibid.*

An eo casu tenetur quis de casibus fortuitis? *ibid.* cas. 34.

Commodator tenetur ne commodatario de culpa, quæ in jure appellatur levissima? *ibid.* cas. 36.

Sunt ne casus quidam, abi de iis non teneatur, *ib.* cas. 37.

C O M M U N I O.

Vide, quod in fronte hujus tituli est Proœmium.

Pueri decem annorum possunt ne recipi ad celebrandam primam suam Communionem? Quænam necessaria sunt ad hoc conditiones. *ibid.* cas. 1.

Præceptum; obligans ad sumendum Christi Corpus ante ullum (alium) cibum, est ne valde antiquum, *ibid.* cas. 8. & tom. 2. v. *Missa*, cas. 3.

Sunt ne aliqui casus, quibus quis ad communionem accedere potest, sumpto prius cibo? tom. 1. v. *Communio*, cas. 8.

Si, infirmitatis gratia, tenetur quis cibi aliquid sumere, potest ne postea ad communionem accedere? *ibid.*

Si quis aliquid ori imposuit, & certus non sit, an consumpserit ante mediam noctem nec ne, potest ne hoc in casu communicare postridie? *ibid.* cas. 9.

Si quis jus aut vinum degustaverit, ita tamen ut nihil absorbuerit: potest ne postridie communicare? *ibid.* cas. 10.

Est ne peccatum edere statim a communione; Erat ne istud prohibitum aliquando? *ibid.* cas. 12.

Communio est ne adultis necessaria ex præcepto; quo neglecto rei fiunt peccati mortalis, tom. 1. v. *Consecrare*, cas. 4.

Si quis veram habeat contritionem, potest ne communicare sine prævia confessione? Sunt ne aliqui casus, in quibus id fieri potest, tom. 1. v. *Communio*, cas. 51.

Concedebatur ne olim permissio communicandi ante impletam pœnitentiam injunctam? tom. 1. v. *Confessarius*, cas. 3.

Pollutio est ne ex se ipsa obstaculum, quominus quis ad sacram accedere debeat communionem? Est ne aliquis casus, quo tale evadat obstaculum Pollutio? tom. 2. v. *Communio*, cas. 2.

Possunt ne admitti ad sacram Communionem ii, qui involuntarium seminis fluxum cum aliqua carnali delectatione patiuntur? *ibid.* cas. 3.

Possunt ne admitti ad communicandum ii, qui in impuritatis peccatum inciderant mortale eo ipso die, quo confessi sunt? *ibid.* cas. 4.

Est ne admittenda ad sacram Communionem mulier, accedens pectore nudo, aut vultu suo aut sericis maculis ornato, tom. 3. v. *Sinus*, cas. 2.

Si quis paulo ante Communionem meminerit peccati, quod non confessus est, debet ne recedere ad illud confitendum, an vero nihilominus potest ad sacram accedere Communionem? tom. 1. v. *Communio*, cas. 5.

Si quis reus peccati mortalis, attamen nonnisi veniale commisisse credat, peccat ne communicando? *ibid.* cas. 6.

Quæ quis oblitus est peccata in Confessione, remittuntur ne ipsi per communionem, *ibid.* cas. 7.

Peccata mortalia, admissa diebus Communionis, sunt ne graviora peccatis, quæ aliis diebus perpetrantur; tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 18.

Parochus debet ne Communionem denegare fœneratori publico, quando eum scit confessum esse? Debet ne publice eum interrogare, & quærere, num renuntiaverit peccato suo; tom. 1. v. *Comœdia*, cas. 2. & tom. 3. v. *Peccator publicus*, cas. 1.

Est ne aliqua facienda differentia inter notorietatem juris & notorietatem facti, respectu peccatoris publici? An una atque altera ipsum excludunt a sancta Communione, Tres præcautiones, quas debet adhiberi Parochus, antequam sacram deneget Communionem peccatori publico; *ibid.*

Debet ne publice denegari Communio iis; qui non sine scandalo totius Parochiæ in concubinatu vivunt, tom. 1. v. *Communio*, cas. 14.

Debet ne denegari communio iis, qui notorie vitam agunt inordinatam, sed testimonium afferunt, quod ipsos confessos probat, tom. 3. v. *Peccator publicus*, cas. 1.

Est ne sacra Communio præbenda iis, qui, cum in statu peccati mortalis esse noscantur, eam publice petunt, tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii*, cas. 3.

Si denegata alicui sit absolutio, debet ne ei denegari communio, sive illam publice, sive privatim, postulet, tom. 1. v. *Communio*, cas. 13. & v. *Confessarius*, 2. cas. 1.

Si personæ, quæ inordinate vivunt, ad sacram accedant communionem, recte ne iis porrigitur Hostia non consecrata, ad impediendum sacrilegium, quod committerent, Corpus & Sanguinem Christi prophanando, tom. 1. v. *Communio*, cas. 15.

Matrimonio juncti admittebantur ne olim ad communionem eo ipso die, quo debitum sibi reddiderant conjugale, Admitterentur ne hodie, & in quo in casu; tom. 1. v. *Debitum conjugale*, cas. 7. & cas. 3.

An qualibet communio infructuosa est sacrilegium, tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 9.

An qualibet die Dominica Communio Sacra concedenda ægrotis piis, qui eam petunt, tom. 1. v. *Communio*, cas. 11.

Si eo ipso, quo quis communicavit, die in periculosum morbum incidat, potest ne Viaticum accipere, *ibid.* cas. 16.

Viaticum est ne dandum iis ægrotis, qui post factam confessionem sanam amittunt rationem, in phrenesim incidentes; *ibid.* cas. 17.

Viaticum est ne impertiendum Energumeno, cum periculo vitæ ægrotanti, si illud postulet, tom. 1. v. *Energumenus*, cas. 2.

Tempore contagionis possunt ne ad dandum ægrotis Viaticum certæ quædam adhiberi cautiones insuetæ: & quænam sunt illæ, tom. 1. v. *Communio*, cas. 18. & tom. 3. v. *Parochus*, cas. 4.

Communio accepta a Sacerdote viro pio, an plus confert gratiæ, quam si ab alio minus probo acciperetur. An ideo certi quidam Sacerdotes vitari, alii vero eligi possunt, cum sumenda est communio, tom. 1. v. *Communio*, cas. 19.

Potest ne tuta conscientia, accipi communio a Sacerdote, quem concubinarium aut Simoniacum esse publice notum est, *ib.* cas. 29.

Sacerdotes, qui Eucharistiam in peccato mortali administrant, peccant ne mortaliter; Et committunt ne totidem peccata mortalia, quot eam administrant hominibus, *ibid.* cas. 29.

Parochus ægrotans potest ne Diacono committere, ut Viaticum afferat ægrotis, *ibid.* cas. 30.

Potest ne quis propria auctoritate, & ex motivo humilitatis communionem differre Pascalem, *ibid.* cas. 22.

Confessarii habent ne liberam potestatem illam in aliud differendi tempus, tom. 1. v. *Confessio*, cas. 38.

Obligatio communicandi, manet ne etiam post tempus Paschale, respectu eorum, qui hoc tempore illud neglexerunt, tom. 1. v. *Communio*, cas. 22.

An communicare debet ante tempus Paschale qui persuasus est, fore ut eo tempore præcepto Ecclesiæ satisfacere non possit, *ibid.* cas. 24.

Si duas quis habeat domos in diversis Diœcesibus, nonne liberum ipsi est, tempore Paschalis, communicare in ea, qua mavult Diœcesi, *ibid.* cas. 25.

Est ne concedenda communio ei, qui coram Tribunali Pœnitentiæ suo declarat Parocho, accepisse se absolutionem ab alio Confessario, *ibid.* cas. 27.

Sepulturæ Ecclesiastica est ne deneganda iis, qui neglecto debito Paschali publice admoniti sunt juxta statuta Diœcesis, *ibid.* cas. 26.

Est ne censendus satisfacere præcepto de annua celebranda communione is qui, ne huic deesse videatur, sacrilegam facit communionem; Committit ne duplex peccatum taliter communicando, Ecclesia habet ne potestatem Paschalem præscribendi communionem? *ibid.* cas. 27.

COMMUNITAS BONORUM.

Vide, quod in limine hujus Tituli, est Proœmium.

Conjux potest ne de bonis suæ communitatis pro arbitrio disponere, dissentiente aut inscio altero suo conjuge? *ibid.* cas. 1. & tom. 2. v. *Furari*, cas. 3. & v. *Testamentum*, cas. 73.

Mulier, quæ suspicatur quod Maritus suus nimis & præter modum prodigus dissipet bona, potest ne rationem ab eo exigere bonorum communitatis; potest ne clam aliquid subducere per modum compensationis? *ibid.* cas. 3.

Mulieres possunt ne clam quædam subducere communitatis bona ad ludo vel voluptatibus indulgendum, vel ad eleemosynas faciendas; *ibid.* cas. 4.

Mulier potest ne Patrem suum, aut Matrem suam, juvare bonis communitatis, etiamsi Maritus ea in re consentire nolit, *ibid.* cas. 4.

An eodem modo se res habet respectu fratris, sororis, aut liberorum ex primo matrimonio. *ibid.*

Conjugum uno mortuo, potest ne alter quædam sub prætexte

re communitatis bona, in præjudicium Creditorum, tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 99. 102. & 132.

Mulier potest ne post mortem mariti renuntiare Communicati bonorum, & pactis tantum matrimonialibus stare? Tenentur ne hoc in casu ad restitutionem erga creditores, quando defuncti bona non sufficiunt debitis solvendis? tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 6.

Sunt ne aliqui casus in quibus creditores obtinere possint, ut Mariti juridice condemnentur ad solvenda debita, a suis Uxoribus ante matrimonium initum contracta, quamcumque etiam clausulam habeat contractus ipsorum matrimonialis? *ibid*, cas. 1.

Marito negante dotam filiæ suæ constituere requisitam ad ingrediendum Monasterium, an Uxor, ipso inscio, ex bonis communitatis addere potest quod deest ad finem illum obtinendum? *ibid*, cas. 5.

C O M Œ D I A.

Vide hujus tituli Proœmium.

Est ne peccatum mortale comœdiis adesse? Est ne iis deneganda absolutio, qui promittere recusant se non amplius iis adfuturos? Comœdiæ nostri temporis sunt ne castiores atque emendatiores ludicris præteriti temporis fabulis? *ibid.* cas. 1.

Comœdorum ars atque professio est ne ex sua natura mala atque illicita? Potest ne quis, salva conscientia, ad ipsorum sustentationem contribuere? *ibid.*

Potest ne aliquod ipsis conferri donum extra casum extremæ necessitatis? tom. 3. v. *Promissio*, cas 9.

Oportet ne denegari communio comœdis, publica ad Sacram accedentibus Tabulam? Sunt ne publice interrogandi an suæ renunciaverint professioni? tom. 1. v. *Comœdia*, cas. 2. & tom. 3. v. *Peccator publicus*, cas. 1.

Comœdi, qui morte instante abdicaturos histricam suam artem promittere nolunt, possunt ne admitti Sacrorum participationem Sacramentorum? Sunt ne Ecclesiastica Sepultura honorandi; tom. 1. v. *Comœdia*, cas. 3.

Gymnasiorum Moderatores, Religiosi ac Religiosæ, qui secreto comœdias quasdam per suos sibi commissos Juvenes exhibent, possunt ne eum in usum mutuare, aut conducere vestes comœdorum publicorum, *ibid.* cas. 4.

C O M P E N S A T I O.

Vide, quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Compensatio habet ne locum, cum is, qui ea utitur, & is, adversus quem ea utitur, sibi in vicem debent? *ib.* cas. 1.

Operarius potest ne uti compensatione usquedum receperit tantum, quantum injuste ipsi negatum fuit, ac solvi neglectum? *ibid.* cas. 2.

Potest ne aliquis per modum compensationis tantum pecuniæ clam alteri surripere, quantum ipsi solvere injuste negavit? *ibid.* cas. 3.

Si quis cum consensu totius communitatis gratuito fuerit receptus in domum aliquam Ecclesiasticam, & postea tamen obligetur solvere pensionem, potest ne uti compensatione, ita ut ex eo quod inter administrandum communitatis bona reposuit, solvat illam pensionem? *ibid* cas. 12.

Filius familias, qui ne offendat Patrem non pactus est cum ipso de mercede, quæ ad ipsum pro labore rediret, potest ne post mortem Patris aliquam per modum compensationis sibi retinere pecuniam? *ibid.* cas. 5.

Servi, quibus sua salaria non sufficientia esse videntur pro suis laboribus, possunt ne per modum compensationis etiam aliquid Dominis suis surripere? Id si faciant, sunt ne furti rei? *ibid.* cas. 4.

Si quis usus fuerit compensatione, obligatur ne ad Monitorium illud relevare, etiamsi compensatio fuerit justa? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 12.

Filia domestica, seu cubicularia, quæ ex mala fide hæredum suæ Dominæ non recepit tantum, quantum Hera ipsi testamento legaverat, tenetur ne, post mortem ejus, istis hæredibus reddere dimidium sui legati, prout reddere promisit Heræ suæ; & nonne potest uti compensatione erga illos ob injustitiam, quam ipsi intulerunt? tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 8.

Domesticus, qui per multos annos non recepit mercedem quæ ipsi debetur a Parentibus sui Domini, qui, postquam candelas foliaque lusoria suis sumptibus suppeditasset, & pro hoc non nisi parum accepisset, eam Domina sua id, quod lusores pro his dare solent, ab eo repetiisset, & fere totum sibi retinuisset; potest ne hoc in casu, per modum compensationis aliquam Domino suo surripere pecuniam, *ib.* cas. 10.

Mulier, cujus Maritus bonorum communitatem non modicam comessando decoxisset, potest ne per modum compensationis quamdam clam surripere pecuniam? *ibid.* cas. 7. & tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 3.

Mulier, quæ dotem suam, nuptialesque omnes pactiones recepit, potest ne sub prætextu quod communitas perierit, retinere pecuniæ summam, quam ipsius ipsi dedit maritus, *ibid.* cas. 6. & tom. 1. v. *Donatio*, cas. 1.

Compensatio est ne licita respectu donationum insinuati neglectarum, tom. 1. v. *Donatio*, cas. 5.

Ii, qui hypothecam habent ordinariam & specialem insuper privilegium, possunt ne uti compensatione? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 6.

Compensatio debiti præscatis cum debito, cujus solutionis terminus nondum est elapsus, est ne licita? tom. 2. v. *Compensatio*, cas. 11.

An eodem modo se res habet cum debito personali cum eo quod debetur tertio cuidam? *ibid.* cas. 9.

Habet ne locum compensatio respectu Depositi, tom. 2. v. *Depositum*, cas. 9.

Compatroni possunt ne inter se uti quadam compensatione in nominatione Beneficiorum? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 9.

C O M P R O M I S S U M.

Electores delegati, habentes procurationem generalem, possunt ne in electione uti modo compromissi? Et appositio compromissio facta ab unico solo, sufficit ne ad irritam reddendam electionem? tom. 1. v. *Arbiter*, cas. 4. & cas. 9. & 10. & tom. 3. v. *Electio*, cas. 9.

C O N C E P T I O.

Est ne de conditione libera aut servili infantis judicandum pro tempore conceptioni illius; an vero pro tempore nativitatis ipsius, tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 8.

Infans, conceptus tempore, quo Pater & Mater ipsius inhabiles erant ad contrahendum matrimonium; potest ne fieri legitimus, obtenta in bona forma dispensatione, qua licitum ipsis fit ac permissum matrimonium? *ibid.*

C O N C I L I U M.

Concilia œcumenica semper ne sunt necessaria ad condemnanda hæresim, aut ad definiendam propositionem fidei Divinæ, tom. 2. v. *Fides*, cas. 3.

Concilium Tridentinum est ne receptum in Gallia, quoad ea, quo fidem respiciunt & bonos mores, tom. 1. v. *Beneficium*, cas. 29.

C O N C U B I N A T U S.

Concubinatus censetur ne in Gallia esse ex sua natura crimen notorium, tom. 1. v. *Irregularitas*, cas. 125.

Quandonam crimen istud proprie loquendo notorium est in Gallia? Est ne ratio sufficiens denegandi Sacram Communionem iis, qui ejus sunt rei? tom. 1. v. *Communio*, cas. 14.

Est ne absolutio deneganda concubino publico, si negat concubinam e domo sua ejicere? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13. & cas. 15.

Est ne ipsi conferenda absolutio, si ejicere illam non potest absque scandalo? *ibid.* cas. 16.

Affinitas spiritualis, quam quis cum concubina contrahit baptizando prolem suam in necessitatis casu, est ne impedimentum dirimens matrimonii, quod contracturi essent? tom. 2. v. *Impedimentum cognationis spiritualis*, cas. 3.

C O N D U C T I O.

Dominus Parœciæ potest ne conducere quædam Ecclesiæ bona, aut suos vassallos prohibere, ne ea per modum conductionis capiant? tom. 1. v. *Domus Parœciarum*, v. *Locatio*.

C O N F E S S A R I U S.

Vide quod est in fronte hujus tituli Proœmium.

Episcopus potest ne eligere pro suo Confessario Sacerdotem non approbatum, & confessio, quam ipsi exhibet, est ne valida? *ibid.* cas. 1.

Prælati tam Majores, quam Minores & Abbatissæ exempta a Jurisdictione ordinarii, habent ne jus eligendi sibi quemcumque libuerit Confessarium, tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 5.

Potestas, quam Episcopi quibusdam concedunt, eligendi quem libuerit Confessarium exspirat ne morte Episcopi, quemcumque libuerit Confessarium, tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 13.

Est ne unicuique liberum tempore Jubilæi eligendi sibi quem libuerit Confessarium, tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 4. & cas. 6.

Episcopi competit ne jus extraordinarios dandi Confessarios Monialibus exemptis ab ipsius Jurisdictione, tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 5.

Superiores possunt ne absque gravi causa Monialibus libertatem concedere mutandi Confessarium? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 3.

Confessarius Regularius tenentur ne, sub pœna inobedientiæ, declarare, an alius Religiosus, cujus confessiones audit, tale vel tale commiserit delictum, tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 7.

Confessarii Religiosarum tenentur ne subducere, si post factas monitiones suas nullum adhibetur remedium abusibus, qui irrepserunt in illam domum? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 9.

Licet ne ipsis sub prætextu, quisquis ille sit, loqui de personarum quas dirigunt defectibus, qui perspecti ipsis sunt per confessionem aut alio modo, tom. 2. v. *Confessarius*, 2. cas. 9. cas. 21. & v. *Obedientia*, cas. 7.

Superiores possunt ne cognitione, quam habent ope confessionis, uti ad privandos Beneficiis aut muneribus eos, quos iis abuti sciunt, tom. 1. v. *Confessarius* 2. cas. 2.

Collator potest ne uti ejusmodi cognitione, ad denegandum

dum beneficium aliquod ei cui destinaverat illud? *ibidem* cas. 12.

Visitator Ordinis potest ne uti hac cognitione, ad denegandum suffragium suum Superiori cuidam, quem in officio suo confirmare, eique manus prolongare intendunt reliqui, si scilicet nemo scit, quod istius exceperit confessionem? *ib.* cas. 13.

An Confessarius numquam obligatur ad secretum, nisi cum confessio est sacramentalis? quid intelligendum per confessionem sacramentalem? *ibid.* cas. 2.

Numquam ne licitum est sub quocumque prætextu revelare secretum confessionis, sive directe sive indirecte? *ib.* cas. 1.

Confessarius tenetur ne ad secretum servandum, si ex defectu pœnitentis, aut ob malam pœnitentis dispositionem, absolutio ipsi non fuit collata? *ibid.* cas. 4. & 5.

Si oblitus est confessarius de quibusdam peccati circumstantiis, potest ne absque periculo violandi secretum confessionis, inquirere ab illius extra pœnitentiæ tribunal? an tunc tenetur ad secretum? *ibid.* cas. 6.

Si ope confessionum audiendarum sciat confessarius, certam quamdam hæresim divulgari in Diœcesi, potest ne ejus certiorem reddere Episcopum absque violatione secreti confessionis? *ibid.* cas. 7.

Potest ne absque violato confessionis secreto dicere confessarius, se absolvisse a tali vel tali peccato? *ibid.* cas. 8.

Si nonnisi confessionis ope sciat confessarius, puellam quamdam ægrotam & in agone mortis constitutam gravidam esse, potest ne absque violatione secreti, revelare graviditatem ejus post mortem subsequutam, ad procurandum fœtui baptismum? *ibid.* cas. 10.

Potest ne absque violatione confessionis secreto denegari testificatio confessionis personæ, cui absolutio data non est? Quomodo debet esse concepta hæc testificatio? potest ne ipsi denegari testificatio vitæ atque morum? *ibid.* cas. 14.

Si pœnitens aut ex ignorantia aut ex inadvertentia sui delicti complicem revelet in confessione, an confessarius tenetur, ad secretum respectu unius atque ac alterius? *ibid.* cas. 11.

Dominus, cujus Domesticus per confessorem injuriam, quam ipsi fecit, declarat eum in finem, ut remissionem obtineat, tenetur ne ad secretum sicuti ipse confessarius? *ibid.* 18.

Interpretes, qui operam suam præstant confitentibus, an eodem ac confessarius modo ad secretum obligantur? *ibid.* cas. 19.

Potest ne absque violatione secreti declarari quod directe vel indirecte pœnitentis delictum præbet cognoscendum? *ibid.* cas. 21.

Est ne peccatum mortale revelare peccata venialia pœnitentis? *ibid.* cas. 20.

Confessarii semper ne ad secretum servandum obligantur? tom. 3. v. *Testis*, cas. 1.

Pœnitentes tenentur ne ad secretum servandum circa confessiones suas? tom. 1. v. *Confessarius*, cas. 14.

Qui deliberato animo confessionis violat secretum, est ne suspensus vel irregularis? tom. 1. v. *Confessarius*, 2. cas. 23.

Est ne peccatum mortale confessario, si ex inadvertentia consulendo cognoscendum præbeat suum pœnitentem? Est ne deponendus pro ista re confessarius? *ibid.* cas. 24.

Violatur ne sigillum confessionis impositione pœnitentiæ publicæ? *ibid.* cas. 22.

Ecclesiastici, qui norunt peccata cujusdam per confessionem ipsius, an absolute tenentur ad secretum servandum? *ibid.* cas. 26.

Sunt ne pœnæ quædam decretæ confessariis, qui confessionis secretum produnt? *ibid.* cas. 1.

Si quis secretum accipit sub sigillo confessionis, violat ne secretum confessionale, illud revelando? Sunt ne aliqui casus, quibus possit revelari illud secretum? An liceat secretum aliquod accipiendum sub hac conditione? *ibid.* cas. 25. & tom. 3. v. *Secretum*, cas. 6.

Possunt ne in certis quibusdam casibus peti a pœnitente nomina suorum delicti consortium? Pœnitentes tenentur ne illos aperire? tom. 1. v. *Confessarius*, 2. cas. 16.

Si ope confessionis aut alio modo notum sit confessario crimen aliquod pœnitentis, debet ne ipsum de eo interrogare, si seipsum de eo accusare negligat? tom. 1. v. *Confessarius*, 2. cas. 6.

Si sciat confessarius, pœnitentem ignorare rem aliquam, quæ sua natura peccatum est mortale, tenetur ne ei de illa re sermonem facere? *ibid.* cas. 4.

Si sciat confessarius, pœnitentem plura habere beneficia, an tenetur ipsi de eo loqui, si forte seipsum non accuset ea de re, & debet ne ipsum obligare ad dimittenda quædam? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 30.

Si confessarius cognoscat nullitatem matrimonii pœnitentis sui, debet ne illum de hac monere in tribunali pœnitentiæ sive sit is bonæ fidei, sive non? tom. 1. v. *Confessarius* 2. cas. 5. & tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii in genere*, cas. 5.

Confessarius tenetur ne respondere suis pœnitentibus quando ipsum interrogant super ejusmodi rebus? tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii in genere*, cas. 6.

Debet ne eos, qui in animo numquam consenserunt sponsalibus suis obligare ad contrahendum matrimonium, vel damnum præstandum parti læsæ? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 10.

Confessarius qui per confessionem habet cognitionem alicujus criminis, obligatur ne ad illud revelandum Monitorio, & incurrit ne censuras latas in Monitorio, si revelare illud omittit? tom. 1. v. *Confessarius* 2. cas. 2.

Potest ne deponere coram Judice, si assignatus est ad hoc? tom. 3. v. *Testis*, cas. 2.

Si provocetur a pœnitente suo, ut declaret causas, propter quas absolutionem ipsi denegavit, debet ne eas declarare, & comparare, coram Judice? tom. 1. v. *Confessarius* 1. cas. 8.

Est ne irregularis si denegationa absolutionis cogit Judicem ad judicandum omnes criminales juxta legum rigorem? tom. 1. v. *Irregularis*, cas. 65.

Potest ne absque ut fiat irregularis, cogere pœnitentem ad declarandum Judici crimen suum? *ibid.* cas. 66.

Sacerdos cujus ordinatio nulla est ne irrita, potest ne valide excipere confessiones? tom. 1. v. *Confessarius* 1. cas. 13.

An omnis confessarius absolvere potest ab Excommunicatione majori & minori lata *a jure* aut *ab homine*? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 43.

Simplices confessarii, qui excommunicatos absolvunt in articulo mortis, tenentur ne illis injungere, ut se se, valetudine recuperata, recipiant ad Superiores, ut denuo absolvantur ab iis? *ibid.* cas. 63. & 64.

An quilibet confessarius in articulo mortis dispensare potest de votis? tom. 1. v. *Dispensatio in genere*, cas. 2.

Confessarii debent ne suscipere in se deposita, & quidnam ipsis observandum, si assignati sint ob ea? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 23.

Possunt ne ipsis quodam fieri legata, & hæredes possunt ne ea ipsis contradicere? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 1.

Tenetur ne ad restitutionem, si culpa eorum damnum aliquod redit ad pœnitentes? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 131.

An cæca ipsorum Monitis præstanda est obedientia? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 11.

Sacerdos approbatus ab Ordinario ad confessiones audiendas, eget ne permissione Parochi, in cujus Parœcia confessiones audire vult? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 17.

Potestas confessariorum Pœnitentiarium exspirat ne morte Parochi? tom. 3. v. *Pœnitentiarius*, cas. 4.

Exspirat ne morte Episcopi? *ib.* tom. 1. v. *Dimissoria* cas. 4.

Confessarii debent ne pro regula sumere opinionem pœnitentium suorum? Sunt ne quidam casus, in quibus id fieri potest? tom. 1. v. *Confessarius* 1. cas. 2.

An semper indulgentia uti debent erga pœnitentes suos? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 29.

Tenentur ne fidem habere iis, quæ pœnitentes sui pro aut contra se dicunt? tom. 2. v. *Communio*, cas. 27. & v. *Confessarius* 2. cas. 6. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 41.

Sunt ne quidam casus, in quibus id facere non debent? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 23.

Possunt ne denegatione absolutionis cogere suos pœnitentes ut declarent, non jam alias inciderint in peccata, de quibus se accusant in confessione? tom. 1. v. *Confessarius*. 1. cas. 7.

Debent ne omnium recordari peccatorum, quæ quis confessus est, ut valide absolutionem possint conferre? *ibidem* cas. 2.

Est ne deneganda absolutio puellæ, quæ cogi se non patitur ad aperiendam personæ cuidam sapienti graviditatem suam, si postmodum melioris amittat usum & prius confessarium petierit, est ne ipsi concedenda absolutio? tom. 1. v. *Confessarius* 2. cas. 10.

Quænam requiritur scientia in confessariis? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 19 & 20.

Habent ne potestatem ligandi sicut solvendi? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 14.

Peccant ne imponendo pœnitentias nimis leves habito respectu ad peccata pœnitentium? Quænam ipsis observanda est regula in imponendis pœnitentiis? tom. 1. v. *Confessarius* 2. cas. 17.

Cujus naturæ atque indolis esse debent istæ pœnitentiæ? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, 2. 4. 5. 6. 8. 9. 11. & 12.

Possunt ne recusari hæ pœnitentiæ? *ibid.* cas. 14.

Constituunt ne partem Sacramenti Pœnitentiæ, & sunt ne absolute necessariæ? An ut tales habitæ sunt primis sæculis? Est ne conferenda absolutio iis, qui eas implere recusant? tom. 1. v. *Confessarius* 1. cas. 3.

Confessarii possunt ne secunda vice eamdem cum præcedenti pœnitentiam imponere pro peccatis ejusdem speciei, in quæ pœnitens relapsus est? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 15.

Possunt ne respectu habito ad Jubilæum satisfactiones imponere non proportionatas peccatis suorum pœnitentium? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 10.

An semper obligare debeant pœnitentes suos ad reparandam injuriam, si quam intulerunt æstimationi proximi? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 69.

Si pœnitentes isti injuriam fecerunt proximo in suis bonis, Confessarius potest ne ipsis dare absolutionem post simplex promissum, quod reparaturi sint illam? *ibid.* cas. 20.

Confessarius qui inordinate vivit, potest ne absolvere? tom. 1. v. *Confessarius* 1. cas. 13.

Feminini Sexus Pœnitens obligatur ne denuntiare confessarium, qui ipsam ad malum sollicitavit? & est ne ad hoc adigenda negatione absolutionis? Confessarii debent ne se ipsos obligare ad faciendas ejusmodi denuntiationes? tom. 3. v. *Confessarius* 2. cas. 17. & v. *Denuntiare*, cas. 5.

Confessarius, qui peccat cum sua pœnitente, est ne incesti reus? tom. 2. v. *Incestus*, cas. 2.

Potest ne illam audire confitentem, & absolutio, quam ipsi dat, est ne in omnibus hisce casibus valida? tom. 1. v. *Confessarius*, 1. cas. 9.

Confessarii debent ne per se ipsos Eleemosynam dare suis pœnitentibus, præ omnibus aliis pauperibus? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 50.

An quilibet confessarius ab illa absolvere potest censura, quarum absolutionem non sibi reservavit qui eas tulit Superior? tom 2. v *Excommunicatio*, cas. 50.

nem, quæ nulla est atque irrita? *ibid.* cas. 57. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 149.

Confessarii habent ne potestatem Confessionem ac Communionem in aliud tempus rejiciendi? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 38.

Si duorum Parochorum uterque obtinuerit visa pro eodem beneficio, est ne liberum Parochianis confiteri utri placuerit? *ibid.* cas 47.

Confessio Paschalis facta Pœnitentiario aut Magno Vicario sine vel contra parochi consensum, est ne valida? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 22.

C O N F I D E N T I A.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Quid est confidentia? committitur ne tam in Resignatione, quam in Electione? Confidentiarii sunt ne condemnati ab Ecclesia? Eorum beneficia vacant ne ipso jure? *ibid.* cas. 1.

Sunt ne plures confidentiæ species? Confidentia est ne semper simoniaca? tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas. 6.

Est ne confidentia accipere beneficia, ut resignentur aliis? confidentiarii non culpabiles, tenentur ne semper renuntiare suis beneficiis, & eorum restituere fructus? Possessio triennalis an ipsis est alicui subsidio? Patroni, qui hac in re cooperati sunt, excidunt ne pro hac vice a jure nominandi? tom. 1. v *Confidentia*, cas. 2.

Estne confidentia accipere beneficium, absque intentione illud servandi? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 10.

Possunt ne interrumpi ac inquietari confidentiarii, qualecumque possessionis tempus pro se habeant? tom. 3 v. *Possessio*, cas. 1.

Pactum, quo quis beneficium in se recipit, cum proposito illud remittendi in manus collatoris qui promisit illud alteri conferre, est ne confidentiale? Incurruntur ne hoc modo pœnæ latæ adversus Simoniacos? tom 1. v. *Confidentia*, cas. 3.

Confidentia executioni mandata ab una partium, an revocatio alterius impedit, quominus ambæ partes incurrerint pœnam simoniacis decretam? *ibid* cas. 4.

Tractatus quo aliquis Beneficiarius Beneficium resignat alicui cum conditione, ut resignat suum alteri tertio, est ne confidentialis? *ibid.* cas. 5

Ii, qui accipiunt Beneficium resignatum sub conditione confidentiali, incurrunt ne pœnas latas simoniacis, si resignatarius accipiat resignationem, conditionem autem non accipiat, neque interius? *ibid.* cas. 6.

Conventio, quam facit capitulum cum uno ex suis beneficiariis, quod scilicet collaturum sit ipsi beneficium pinguius, modo renuntiet suo intra manus capituli, est ne confidentialis? *ibid.* cas. 7.

Ii, qui de aliquo Beneficio se provideri annituntur, cum intentione illud aliis resignandi, peccant ne? Resignans & Resignatarius incurrunt ne pœnas latas adversus confidentiarios? *ibid.* cas. 8.

Si quis remittat beneficium suum intra manus collatoris, & illud petat pro aliquo, est ne confidentia? *ibid.* cas. 9. & tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas 6.

Si electores & electus rei sint confidentiæ, electus potest ne uti sua electione ad interturbandum eum, qui legitime provisus est? Potest ne saltem cum ipso transigere? tom. 1. v. *Confidentia*, cas. 10.

Confidentia simoniaca occulta efficit ne irritas absolutiones datas a Parocho, qui ejus est reus? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 13.

Est ne licitum absque necessitate confidentiam facere de defectibus aliorum? tom. 1. v. *Detractio*, cas. 3.

C O N F I R M A T I O.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Unctio Sacri Chrismatis est ne essentialis Sacramento confirmationis? Impositio manuum, est ne sola necessaria ejus materia? *ibid.* cas. 1.

Sacramentum istud est ne necessarium ad salutem? Est ne mortale peccatum illud non recipere? *ibid.* cas. 5.

Potest ne conferri infantibus? Quænam quoad istud Sacramentum consuetudo fuit olim Ecclesiæ, & quinam hodiernus est usus Ecclesiæ circa illud? *ibid* cas. 2.

Est ne recipiendum istud Sacramentum ante Tonsuram & Ordines Sacros? tom. 2 v. *Ordines*, cas. 19.

Contrahitur ne cognatio spiritualis per confirmationem? Quinam sunt, qui eam contrahunt? tom. 2. v. *Impedimentum cognationis spiritualis*, cas. 14.

Potest ne confirmatio dari sub conditione, ac in isto casu est ne occulto conferenda? tom. 1. v. *Confirmatio*, cas. 3.

Iteratio hujus Sacramenti producit ne Irregularitatem? tom. 3. v. *Irregularitas*, cas. 132.

Quisnam est Confirmationis Minister ordinarius? Simplices Sacerdotes possunt ne ipsius esse Ministri extraordinarii? to. 1. v. *Confirmatio*, cas. 4.

Qui confirmationem recipiunt in peccato mortali, committunt ne sacrilegium? An ab omni tempore, antequam reciperetur confirmatio, præmissa est confessio, & est ne obligatio istud faciendi? *ibid.* cas. 6.

Contritio imperfecta absque confessione an ad suscipiendam confirmationem sufficit illi, qui non credit se esse in peccato mortali, quamvis in eo revera sit? *ibid.* cas. 7.

C O N F I S C A T I O.

Confiscatio bonorum habet ne in Gallia tam respectu eorum, qui ob contumaciam condemnati sunt ad mortem, quam respectu aliorum, locum ab ipsa latæ sententiæ die? Jus Romanorum differt ne hac in re a Jurisprudentia Gallica? tom. 2. v. *Heres*, cas. 5.

Depositarius, si ipsius bona confiscentur, debet ne depositum, quod habet, reddere fisco, an vero ei qui illud in ipsius manus deposuit? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 20.

C O N G R E G A T I O.

In congregatione Oratorii an solent quædam fieri vota, perpetua aut limitata, solemnia aut simplicia? tom. 3. v. *Votum*, cas. 27.

Qui membrum est alicujus congregationis tenetur ne ex conscientia ejus observare statuta? *ibid.* cas. 28.

Potest ne quis egredi ex congregatione, quæ jus habet eos, qui ipsi apti non videntur, remittendi, nullo ad ipsorum Professionem habito respectu? sive ut maneat in sæculo, sive ut aliam ingrediatur Domum similem, aut magis fixam? *ibid.* cas. 33.

C O N J U R A T I O.

Vide hujus tituli Præliminaria.

Est ne peccatum lethale Dæmonem conjurare ad discendum ab eo aliquod, quod scire multum interest? *ib.* cas. 1.

Est ne licitum Militibus, aut ipsorum Præfectis adversus Regem, Ducem Belli, aut Urbium Præfectos, conjurare ad evitandam mortem, aut aliam pœnam, quam comminati ipsis sunt? *ibid.* cas. 2.

CONSECRATIO ECCLESIARUM.

Vide E C C L E S I A.

C O N S A N G U I N I T A S.

Quid est consanguinitas? consanguinitas legitima & consanguinitas illegitima, an una æque remotum requirit gradum ac altera, ad id, ut Matrimonium sit validum? tom. 1. v. *Impedimentum cognationis naturalis*, cas. 2.

C O N S C I E N T I A.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quid est conscientia? Peccaturne agendo contra dictamen conscientiæ? *ibid.* cas. 2.

An variæ sunt conscientiarum species? tom. 2. v. *Opinio probabilis*, cas. 1.

Conscientia erronea eximit ne a peccato? Est ne quoad hoc indifferens sive error voluntarius sit directe sive indirecte? Ignorantia Juris Naturalis, & Juris positivi, Juris humani, & Juris Divini, an aliquando invincibilis esse potest? to. 1. v. *Conscientia*, cas. 1. & tom. 2. v. *Ignorantia*, cas. 1.

C O N S E N S U S.

Defectus consensus qui irritat sponsalia aut Matrimonium, tollit ne impedimentum publicæ honestatis? tom. 1. v. *Impedimentum honestatis publicæ*, cas. 1. & 3.

Est ne essentiale ad validitatem Matrimonii, ut utraque contrahentium pars suum præbeat consensum eodem tempore & eodem loco? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 5.

Consensus saltem tacitus est ne necessarius ad validitatem votorum? tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 7.

Consensus extortus sufficit ne ut committatur peccatum? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, cas. 1.

C O N S E C R A R E.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Potest ne in casu necessitatis valide ac licite consecrari cum pane similagineo? an solus frumentarius panis materia est Eucharistiæ? *ibid.* cas. 1.

An valide & licite consecrari potest cum pane facto ex farina frumentaria & hordeacea mista? *ib.* cas. 2.

Potest ne valide ac licite consecrari cum pane misto aqua artificiali? *ibid.* cas. 3.

Sacerdos Ecclesiæ Latinæ potest ne in casu necessitatis licite consecrare cum pane fermentato? *ibid.* cas 4.

Potest ne illud facere in Ecclesia Græca, imprimis si Domicilium ibi fixerit? *ibid.* cas 5.

Consecratio est ne valida, si ex panibus præsentibus non nisi certum quemdam numerum consecrare vult Sacerdos non definiens, quosnam ex iis panibus? *ibid.* cas. 9.

Consecratio est ne valida, si ex oblivione aut negligentia omiserit Sacerdos tempore consecrationis detegere vas, in quo Panes positi erant consecrandi? *ibid.* cas. 10.

Hostiæ quæ positæ sunt in Altari, ut consecreatur, sunt ne vere consecratæ, si tempore consecrationis nulla habita fuit attentio? *ibid* cas. 11.

An valide & licite consecrari potest species panis separatim a specie vini, aut extra tempus consecrationis? Peccatur ne graviter istud faciendo? Papa potest ne dispensationem dare ad hoc faciendum? *ibid.* cas. 16.

Consecratio Corporis & Sanguinis Jesu Christi fit ne solis istis vocibus: *Hoc est Corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei?* Verba quæ ante vel post leguntur ex Liturgia, contribuunt ne ad hanc mutationem? Ecclesia Græca an aliter hac de re sentit ac Latina? *ibid.* cas. 13.

Sola isthæc verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*, sunt ne forma essentialis consecrationis Calicis? Græci an alia quædam adjiciunt verba? Ecclesia adjecit ne quædam aliorum verborum? *ibid.* cas. 12.

Consecratio musto administrata facta loco vini, est ne valida ac licita in casu necessitatis? *ibid.* cas. 6.
Consecratio facta vino congelato est ne valida ac licita? *ibid* cas. 7.
Consecratio facta cum vino fere acido, aut cum vino cocto & quod vocatur Vappa, est an valida ac licita? *ib.* cas 8.
Sacerdos suspensus, interdictus, excommunicatus, immo degradatus, an valide potest consecrare? *ibid.* cas 14.
Scopus scelestus, quem Sacerdos consecrando sibi proponit, impedit ne, quominus valide possit consecrare? *ibid.* cas. 65.
Sunt ne igni tradendæ sive ante totalem sive post omnimodam corruptionem species Eucharisticæ, quæ communione sacrilega sumtæ ex ore fuerunt extractæ? *ibid.* cas. 27.
Sacerdos Hæreticus potest an valide consecrare? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 32.
An ex duabus speciebus una ab uno, altera separatim ab alio Sacerdote valide consecrari potest? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 8.
Consecratio Episcoporum an non fieri potest nisi diebus Dominicis? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 13.

CONSILIARIUS.

Consiliarii Clerici lucrantur ne summam & distributiones suorum beneficiorum, dum vacant functionibus suorum munerum? quænam fuit ratio introducendi Clericos Judices in curiis supremis? tom 1. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 11.
Quænam horum Consiliariorum sunt prærogativæ? tom. 1. v. *Clericus*, cas. 4
Fiunt ne irregulares, si præsentes sint instructioni processus alicujus criminalis aut executioni sententiæ, qua reus, ad supplicium damnatur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 71.

CONSILIUM.

Qui noxia aliis consilia subministrant, tenentur ne ad restitutionem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 103. & 104.

CONSPIRATIO.

Vide CONJURATIO.

CONSTANTIA.

Quænam est differentia inter hominem constantem & constantem? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, cas. 8.

CONSTITUTIONES ORDINUM.

Quasnam Regulas præscribunt constitutiones Ordinum Regularium circa electiones capitulares? tom. 2. v. *Electio* cas. 12.

CONSTITUTIONES PAPARUM.

Constitutiones Paparum obligant ne eo ipso, quo publicatæ sunt Romæ? Quænam est quoad istud Ecclesiæ Gallicanæ disciplina? tom. 2. v. *Lex*, cas. 2. & 3.
Obligant ne antequam Ecclesiæ interveniat consensus, & priusquam Princeps permiserit aut mandaverit earum promulgationem? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 4.
An omnes Constitutiones Papales emanatæ *motu proprio* in Gallia recipiuntur? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 50.

CONSUETUDO.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quid est consuetudo? An omnes consuetudines vim Legis habent? Possunt ne derogare juri naturali, divino & humano? Quandonam possunt introduci in præjudicium Legis? Peccat an quis se consuetudini conformando? tom. 1. v. *Consuetudo*, cas. 1.
An istud, quod lex tam divina quam humana non sit in usu, sufficit, ut consuetudo contraria possit introduci, ad quam quis componere se possit? *ib.* cas. 2.
Consuetudo legitime introducta tenet ne locum legis? An ad illam componenda est vita sub pœna peccati? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 1.
Habet ne vim legis? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 2. & v. *Beneficiarius*, cas. 8.
Ut antiqua sit consuetudo aliqua, oportet ne illam sequi, si contraria sit veritati aut rationi? tom. 1. v *Capitulum*, cas. 3.
Consuetudo universalis, excusat ne a malo, etiamsi mala sit? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 29.
Semper ne sequi licet consuetudinem? tom. 1. v. *Commendia*, cas. 1. & tom. 2. v. *Missa*, cas. 38. & tom. 3. v. *Sinus*, cas. 1. & v. *Societas*, cas. 24 & v. *Usura*, cas. 1. & v. *Religiosa*, cas. 8.
Est ne deneganda aut differenda absolutio iis, qui in peccatorum mortalium consuetudine versantur? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.

Vide HABITUS.

CONTINENTIA.

Ecclesia potest ne præcipere continentiam suis filiis? to. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 6.
Matrimonio juncti possunt ne vota continentiæ edere? to. 3. v. *Votum*, cas. 16. 17. 18. 19. & 20.

CONTRACTUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Potest ne exigi aut accipi lucrum ex Chirographo continente contractum constitutionis? & quænam est differentia inter contractum & ejusmodi Chirographa? tom. 1. v. *Contractus*, cas 1.
An in Provinciis, in quibus mandatum Regis, quod lucrum ultra sortem ad certum denarium determinat, non receptum est, an inquam; in his Provinciis, exigi possunt lucra ultra sortem majora, quam Regium mandatum permittit? An eodem modo se res habet cum summa pecuniæ mutuo ad tempus data, cum quæsita & obtenta est sententia, qua debitores condemnantur ad solvendum lucrum, quod ex illa summa prodire debet? *ibid.* cas. 2.
Licet ne vendere contractus majori pretio, quam sors in iis contenta, aut viliori pretio illos emere? tom 3. v. *Venditio*, cas. 44.
Potest ne emi contractus viliori pretio, quam ipsius est valor, ob difficultatem solutionis? Quænam ad hoc requiruntur conditiones? tom. 2. v. *Emtio*, cas. 6. & v. *Vocatio*, cas. 2.
Contractus censetur ne inter mobilia? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 28.
In contractibus utrique parti favorabilibus de quibusdam culpis tenentur contrahentes? tom. 3 v. *Restitutio*, cas. 30.
Contractus fit ne nullus appositis conditionibus, bonis moribus contrariis, impossibilibus, aut substantiæ contractuum adversantibus? tom. 1. v. *Sponsalia*, cas. 27. & 28.
Oportet ne omnino adimplere contractum, cum error in illo admissus respicit substantiam aut qualitates rei, quæ est in quæstione? Quando contrahentes bona egerunt fide, an error admissus nihilominus irritum reddit contractum? tom. 2. v. *Contractus*, cas. 6.
Obligatur ne quis ex aliquo contractum, cum constat, alteram contrahentium partem dolo usam esse? *ib.* cas 7.
An metus, qualiscumque sit, contractum annihilat? Varii ne generis dantur metus? *ib.* cas. 8.
Titulus a nemine subscriptus, & qui non habet nisi nudum & simplex sigillum, est ne validus? t. 2. v. *Domino Parœciarum* ca. 1.
An omnis contractus, in quo quædam a Principe præscriptæ omittuntur formulæ, nullus est atque irritus in utroque foro? tom 1. v. *Donatio*, cas. 8.
Violentia sive justa sive injusta facta cuidam, an irritat contractum cum illo initum? to. 2. v. *Impedimentum metus*, cas 3.
Contractus initi metu gravi & injusto, postmodum autem juramento confirmati sunt ne validi? *ibid.* cas 6.
Contractus, quibus venditor se obligat ad redimendum censum, sunt ne legitimi? tom. 1. v. *Contractus*, cas. 3.
Quandonam emtionis & venditionis contractus censetur perfectus? tom 2. v. *Emtio*, cas. 2.
Quænam est horum contractuum natura? *ibid.* cas 6.
Contractus, quibus obligantur fundi quidam, quorum fructibus renuntiatur ad certum quoddam tempus, quo sibi reservatur eorum collectio, sunt ne usurarii? Ejusmodi obligationes transferunt ne dominium rerum, quæ obligantur in eum, cui obligantur? tom. 2. v. *Contractus*, cas 4.
Contractus, quibus quis se obligat ad cuidam alicui certam quamdam summam in damnum tertii solvendam, debent ne suum sortiri effectum? *ibid.* cas. 5.
Contractus *Mohatra* est ne usurarius? In quonam consistit iste contractus? tom 3. v. *Usura*, cas. 44.
Est ne de utilitate Mariti, ut contractus matrimonii contineant æstimationem bonorum dotalium? tom. 3. v. *Dos*, cas. 21.

CONTRITIO.

Vide quod in fronte hujus vocis est, Proœmium.

Præceptum contritionis, an obligat ab eo ipso temporis puncto, quo mortale commissum est peccatum? Sunt ne quædam occasiones, in quibus obligatio sit producendi actum contritionis? tom. 1. v. *Contritio*, cas. 1.
Cum in periculo mortis quis versatur, tenetur ne producere actum contritionis perfectæ in defectu Confessarii? *ibid.* cas. 2.
Contritio est ne necessaria una cum confessione, ad obtinendam peccatorum venialium remissionem? *ibid.* cas. 7.
Solus ne unus actus contritionis formatus in genere super omnia sua peccata confessa, sufficit ne cum confessione ad obtinendam eorum remissionem? *ibid.* cas. 5.
Contritio de peccatis mortalibus & venialibus, an ut cum Sacramento sufficiens sit, requiritur, ut includat propositum nulla in posterum patrandi peccata? *ibid.* cas. 8.
Pertinet ne ad essentiam contritionis ut bonum propositum sit formale & explicitum? *ibid.* cas. 4.
Ut contritio sit absoluta, requiritur ne, ut dolor, qui illam concomitatur, sit intensus? Oportet ne varii generis dolores distinguere in contritione? Quænam sunt veræ attritionis signa? *ibid.* cas. 6.
Contritio imperfecta sufficit ne cum Sacramento ad obtinendam peccatorum remissionem? In quo consistit ejusmodi contritio, & quasnam habere debet conditiones, ut hunc sortiatur effectum? *ibid.* cas. 3.
Quomodo dignosci potest, num pœnitentis alicujus vera sit contritio? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 6.
Contritio supernaturalis requiritur ne ad id, ut quis valide recipiat absolutionem? *ibid.*
Displicentia quam quis habet ex eo quod non habeat contritionem, sufficit ne sola, ut cum fructu absolutionem reci-

recipiat? displicentia ista debet ne esse supernaturalis? *ibid.* cas. 7.

Contritio imperfecta operatur ne remissionem peccatorum in iis, quibus non licet confiteri viva voce? tom. 3. v. *Contritio*, cas. 5. & v. *Absolutio*, cas. 21.

C O N V E N T I O.

Oportet ne semper stare conventis? tom. 1. v. *Advocatus*, cas. 4.

Clausulæ conventionis sunt ne extendendæ ad res usque, quæ non venerunt in mentem contrahentibus? tom. 3. v. *Locatio*, cas. 21. & tom. 1. v. *Emtio*, cas. 6.

C O N V E R S I O.

Potest ne differri conversio? tom. 1. v. *Contritio*, cas. 1.

Sunt ne quædam media, quibus certitudo conversionis alicujus peccatoris perspici possit atque detegi? Quodnam est illud medium? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 25. & cas. 26. & v. *Confessio*, cas. 56.

An sola peccatorum cessatio atque omissio veram reddit conversionem? tom. 1. v. *Confessarius* 1. cas. 3.

Est ne obligatio preces fundendi atque operam navandi ad promovendam conversionem eorum, quos anxiis consiliis in vitam solutiorem conjecimus? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 129.

CONVICTUS SEU BURSÆ COLLEGII.

Vide hujus vocis Proœmium.

Potest ne aliquid exigi ab iis, quibus confertur beneficium Bursarum? Est ne obligatio ad restitutionem, si aliquid aliquando fuit exactum? Hæc Bursarum beneficia sunt ne aliquid spirituale? tom. 1. v. *Convictus & Bursa Collegii*, cas. 1.

Potest ne accipere Bursam is, qui non eget? Et si hoc non obstante acceperit quis Bursam, & ea gavisus fuerit, tenetur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 2.

Bursæ fundatæ pro Scholaribus unius Provinciæ possunt conferri Scholaribus alius Provinciæ? talis collatio est ne valida? *ibid.* cas. 3.

potest ne resignare quis Bursam, aut a Papa obtinere, ut provideatur aliqua Bursa? *ibid.* cas. 4.

C O P U L A C A R N A L I S.

Copula carnalis cum uxore habita contra debitum concumbendi modum & situm, est ne peccatum mortale, tum ex parte mariti, tam ex parte uxoris? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 39.

Contrahitur ne solum ex copula completa affinitas matrimonium impediens aut dirimens? tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 1. cas. 8. & 9.

Contrahitur ne ex copula illicita? *ib.* cas. 5. *vide quoque Proœmium in titulum Impedimentum affinitatis*; & tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 4.

Potentia ad copulam carnalem est ne de essentia Matrimonii? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 7. & 12.

C O Q U U S.

Coqui possunt ne sacræ Eucharistiæ participare, postquam cibum vel jus gustarint? tom. 1 v. *Communio*, cas. 20.

Coqui assarii possunt ne vendere & præparare carnes diebus Dominicis ac Festis? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 6.

Quonam olim compellati fuerunt nomine coqui assarii? *ibid.* cas. 9.

C O R P O R A L E.

Est ne peccatum mortale in casu necessitatis uti corporali serico, in defectum lintei? tom. 1. v. *Corporale*, cas. 1.

Laicis licet ne tangere aut osculari corporale ex pietatis affectu? *ibid.*

CORRECTIO FRATERNA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Correctio fraterna est ne debita ex præcepto? Præceptum istud obligat ne omnes fideles? Peccatur ne illud omittendo? Et quodnam est tale peccatum? An aliquando omitti potest præceptum istud sine peccato? tom. 1. v *Correctio Fraterna*, cas. 1.

Si inferiores persuasum habeant quod correctio sua erga Superiores adhibita effectu non sit caritura, tenentur ne illos clam reprehendere? Quænam ipsis hac in re adhibendæ sunt cautelæ? *ibid* cas. 6.

An semper & in omni casu Superiores corrigere reprehendereque tenentur inferiores, in quibus suas vituperationes parum prosperum effectum habituras credunt? & privati ac particulares sunt ne in eadem obligatione? An varii generis dantur correctiones? *ibid.* cas. 3.

An ut qui charitatis regulas observet, teneatur per se ipsum correctionem dirigere ad reos? Sunt ne casus, in quibus deferri possint suis Superioribus? An hoc agendo agitur contra indolem Evangelii? Usus delegandi quosdam in Diœcesi, ut vigilent ac attendant mores aliorum, est ne perantiquus? *ibid.* cas. 12 & tom. 1. v. *Denuntiatio*, cas. 1.

Quo cum affectu fieri debet correctio, & quænam concomitari ipsam debent dispositiones? tom. 3. v. *Verberare*, cas. 2.

Correctio an æque respicit crimina proposita & non perfecta, quam ea quæ jam revera commissa sunt? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 9.

Si quis obligatur fraternam in aliquem exercere correctionem, & in ea severis utatur verbis, peccat ne contra charitatem? tom. 1. v. *Correctio*, cas. 4.

Potest ne aliquis tamquam ad correctionem alterius repellere injurias, & injuriis vicissim uti? tom. 2. v. *Injuria*, cas 2. & 5.

Ii, qui eorumdem, quæ in aliis reprehendenda vident, criminum rei sunt, possunt ne correctionem eorum suscipere? Sunt ne quædam, quæ ipsorum correctionem inutilem reddunt, obstacula? Peccant ne eam exercendo in talibus circumstantiis? Quonam cum affectu eam suscipere debent? to. 1. v. *Correctio*, cas. 5.

Parentes satisfaciunt ne præcepto correctionis fraternæ, cum respectu eorum ex suis filiis, qui ad ætatem jam aliquanto provectam pervenerunt, nonnisi comminationibus & instructionibus agunt? *ibid.* cas. 7.

Ii, qui corrigendo suos filios, suos domesticos, aut suos discipulos nimis acerbe agunt ac severe, fiunt ne irregulares, si hi tandem sæpius inclementius tractati moriantur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 38.

C R E D I T O R.

Sunt ne varii generis Creditores? An omnes debent dividere postulatum suum pro numero heredum, ita ut a quolibet pro rata parte debitum exigant, & juxta proportionem hereditatis, quæ cuilibet obtingit? tom. 4. v. *Hypotheca*, cas. 2.

Sunt ne quidam casus, in quibus simplices creditores præferendi sint Hypothecariis creditoribus? *ibid.* cas. 5.

Sunt ne creditores quidam aliis in solutione præponendi? tom. 1. v. *Antidata*, cas. 1. & 2. & v. *Debitum*, cas. 4. 10. 12. 14. 15. 16. & 17.

Tutores sunt ne aliis pupillorum creditoribus præferendi respectu eorum, quæ durante tutela iis subministrarunt? to. 3. v. *Tutor*, cas. 15.

Creditores tenentur ne rationem reddere summæ pecuniæ, quam ipsis solverat aliquis, qui se credidit alicujus heredem, quamvis revera non fuit? tom. 2 v. *Hæres*, cas. 17.

Creditores possunt ne litem instruere contra maritum propter dotem ipsius uxoris in eorum præjudicium constitutam? tom. 1. v. *Dos*, cas. 11.

Parentes possunt ne filiis suis relinquere vel constituere pensionem alimentariam in præjudicium suorum creditorum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 191.

Est ne obligatio satisfaciendi suis creditoribus, quandocumque inde damnum forte sibi accedat? *ibid.* cas. 19.

Creditores possunt ne urgere suos debitores, quando nullum damnum patiuntur? *ibid.*

Licet ne ipsis debitores suos, qui optime sunt solvendis, sed qui hic & nunc solvere nolunt, in carcerem conjiciendos curare? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 19.

Creditores possunt ne apprehendere & vendere quædam quæ debitoris sui restant mobilia, ad incitas redactis? *ibid.* cas. 8.

Creditores possunt ne uti pignoribus, quæ apud ipsos in debiti cautionem deposita sunt? tom. 3. v. *Pignus*, cas. 1.

Tenentur ne pensionem alimentariam constituere suis debitoribus, quando omnia ipsorum bona apprehendi curarunt? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 170.

Creditores quando non possunt allegare lucrum cessans, aut damnum nascens, an possunt debitores suos ad lucra ultra sortem solvenda damnandos curare? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 24.

An creditoribus adjudicari potest, quod commodarunt juvenibus nobilibus? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 20.

Cum creditores mutant titulos quos habent in debitores suos, nec in hujus rei consilium vocant fidejussores, an fidejussores liberantur ab onere & periculo fidejussorum? to. 2. v. *Fidejussor*, cas. 28.

Creditores possunt ne accipere pecuniam pro eo, ut fidejussores liberentur a conditione fidejussoria? *ibid.* cas. 16.

Ii qui suas merces adhuc in integro reperiunt apud Debitores, tenentur ne cum reliquis creditoribus eamdem inire rationem? consuetudines in Gallia sunt ne hac in re uniformes? tom. 1 v. *Cessio Bonorum*, cas. 6.

Quando debitor creditorum quosdam præ aliis solvit, an tenentur ii acceptam pecuniam referre in totam massam ad omnes creditores pertinentem? *ibid.* cas. 7.

Possunt ne creditores uni, insciis aliis, debitoribus quædam suppeditare, cum intentione ab ipso recipiendi, quod ipsis debetur? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 21.

Si post debitoris bonorum apprehensionem, vel obsignationem creditores non referant ad communem massam pecuniam a debitore acceptam, an tenentur ad restitutionem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 123.

Creditor, qui colludit cum debitore, tenetur ne vi collusionis suæ restituere reliquis creditoribus omne, quod ipsis causatum est damnum? *ibid.* cas. 170.

C R I M E N.

Crimina notoria producunt ne irregularitatem in Gallia? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 13. & cas. 125.

Solemnis Professio Religionis tollit ne irregularitatem ortam ex crimine, tam ob receptionem Ordinum, quam Di-

gularum & Prælatorum Regularium? *ibid.* cas. 13. vide *Impedimentum Criminis*.

CURA.

An alicui Curæ, cujus reditus sunt magni, detrahi possunt quidam proventus, ut uniantur alteri Curæ, quæ reditus nonnisi modicos habet? Parochus debet ne consentire ad ejusmodi uniones? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas. 10. & 11. v. *Pensio*, cas. 2.

Collatio Curarum provenientium ob Abbatia pertinet ne jure ad Ordinarium vacante Sede Abbatiali? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 1.

Canonici, qui ex mandato sanctum Episcoporum Curarum Ministeria peragunt, tenentur ne summam & distributiones manuales? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 6.

Curæ possunt ne desiderari atque ambiri? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 3.

Oportet ne semper Curas suscipere, quando Superiores eas conferunt? *ibid.* cas. 4.

Potest ne quis votum nuncupare de nunquam suscipienda Cura? *ibid.* cas. 5.

Si qui Curis se provideri curant in Curia Romana, tenentur ne subire examen Episcoporum a quibus pendet Beneficium, sive ipsarum provisiones expeditæ sint forma commissaria, sive forma gratiosa? tom. 2. v. *Examen*, cas. 1.

Episcopus potest ne secundam Curam erigere in Parochia extensa non obstante Parochi oppositione? Quasnam debet observare hac in re formalitates? tom. 1. v. *Episcopus*, cas. 2.

D

DÆMON.

Potest ne quis uti auxilio Dæmonis ad accersendum sibi aliquod bonum, vel propulsandum aliquod malum? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 26. & 27.

DAMNUM.

An semper obligatio est damnum præstandi, quod quis proximo dedit sive ipsum male habendo, sive ipsius famæ detrahendo? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 130. & 131.

An in omni casu tenetur quis restituere damnum aliis illatum? tom 3 v. *Emtio*, cas. 1. & tom. 2. v. *Locatio*, cas. 24. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 22. 25. 38. 41. 43. 46. 48. 55. 58. 60. 65. 81. 109. 110. 112. 113. 160. 163. 167. 172. 178. 183. & 187.

Judex qui male judicavit ex malitia aut ex imprudentia tenetur ne reparare damnum datum? tom. 2. v. *Judex*, cas. 7.

An pariter ad restitutionem damni tenetur propter denegatam justitiam? *ibid.* cas. 10.

Desponsati possunt ne exigere aut accipere quamdam damni reparationem ab illo, qui promissum suum matrimoniale adimplere negat? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 60.

DAMNA ET INTERESSE.

Vide hujus vocis Proœmium.

Damnum nascens est ne justus titulus ad accipiendum aliquid ultra sortem capitalem? Sunt ne varii generis Damna & Interesse? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 7. tom. 1. v. *Emtio*, cas. 6. tom. 3. v. *Venditio*, cas 38. & v. *Usura*, cas. 26. & 28.

Possunt ne recipi Interesse aut lucrum ex sumtibus impensis pro damnis & interesse, ad quæ ferenda pars adversa condemnata est? Si ea accumulari sinantur, an nova inde lucra & interesse capi possunt? tom. 1. v. *Damna & Interesse*, cas. 1.

Venditor tenetur ne de damnis & interesse erga emtorem, cui vendidit merces viliores? Venditor bonæ fidei tenetur ne de damnis & interesse, quæ longo post tempore evenerunt in re principali pro qua debentur? *ibid.* cas 2.

Postquam conventum est de tradenda aliqua re certo tempore sub pena damnorum & interesse, an ab eo, qui verbo & conventa non steterit, exigi possunt damna & interesse? *ibid.* cas. 3.

Venditor tenetur ne emtori de damnis & interesse pro ratione evictionis? In quantum veniunt possunt ejusmodi damnorum reparationes? *ibid.* cas. 4.

Conductor cujus locatio interrupta est, potest ne exigere damna & interesse a venditoribus vel emtoribus fundi? Semper ne vi locationis suæ hypothecam conservat fundum? *ibid.* cas. 5.

Donatores tenentur ne de damnis & interesse, quæ ipsorum consequuntur Donationem? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 19.

Hæres tenetur ne de damnis & interesse, proficiscentibus ex Defuncti crimine? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 25.

Pater tenetur ne de damnis & interesse ortis ex crimine filii? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 212.

DAMNI COMPENSATIO.

Si error admissus sit in contractu, & contrahentes bona egerint fide, tenentur ne præstare sibi invicem damnum? tom. 1 v. *Contractus*, cas. 6.

Commodatarius tenetur ne præstare damnum commodatori, qui damnum passus est commodatione? tom. 3. v. *Usura*, cas. 27.

Ii, qui matrimonium sibi promiserant, possunt ne stipulari quamdam damni compensationem, si matrimonium forte non contrahatur? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 59.

Desponsati possunt ne exigere aut accipere quamdam damni præstationem ab ea parte, quæ negat promissum adimplere suum? *ibid.* cas. 60.

DEBITORES.

Debitores, qui solverunt debitum, tenentur ne de hoc certiores reddere illos, qui pro iis spoponderunt? tom. 1. v. *Fidejussor*, cas. 10.

Tenentur ne respondere de omnibus damnis, quorum fuerunt causa Fidejussoribus suis? *ibid.* cas. 12.

DEBITUM.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quid intelligitur per debita activa & debita passiva? An multifaria dantur debita? Distinctio debitorum in hypothecaria & personalia est ne a Legibus Civilibus stabilita? An omne debitum, quod non importat hypothecam in foro exteriori, in interiori importare censetur? Debita orta ex contractibus aut quasi contractibus obligant ne in solidum heredes? Debita profecta ex delicto aut quasi delicto ne eodem modo & in solidum heredes obligant juxta Leges Civiles, & jus canonicum? tom. 1. v. *Cessio bonorum*, cas. 7. & tom. 3 v. *Restitutio*, cas. 112.

Sunt ne naturæ differentis debita? Quemnam observare debent ordinem debitores in solutione creditorum suorum? *ibid.*

Oportet ne solvere debita certa ante incerta? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 11.

Oportet ne debita solvere contracta titulo oneroso, præ iis, quæ fundantur contractu gratioso? *ibid.* cas. 10.

An in foro interiori tenetur quis solvere debita, quando istud præstare non potest, nisi ingens sibi damnum attrahendo? tom. 1. v. *Cessio Bonorum*, cas. 2. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas 191. & v. *Restitutio in integrum*, cas 4.

An potius debita solvenda sunt, quam restituenda bona furto ablata? tom. 3. v. *Restitutio*, cas 17. & 208.

Debita debent ne solvi ante legata? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 63.

Cessio bonorum extinguit ne obligationem solvendi debita sua? tom 1. v. *Cessio Bonorum*, cas. 2.

Debita Personalia subjiciuntur ne hypothecæ in Gallia? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 13.

Decimæ sunt ne debitum privilegiatum præ omnibus aliis? tom 1. v. *Decima*, cas. 3.

Sequestrum est ne semper medium tutum se se a debitis suis liberandi? Quænam de hoc requiruntur conditiones? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 9.

Beneficium discussionis, quo bona debitoris cum ære alieno conferentur, habet ne locum respectu debitorum delicto contractorum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 27.

Cessio bonorum habet ne locum respectu ejusmodi debitorum? tom. 1. v. *Cessio Bonorum*, cas. 2.

An ab optione Debitoris pendet illa Creditori præ aliis solvere debita, quæ maxime ipsi oneri sunt? tom. 3. v. *Solvere*, cas. 2.

Si creditores ejusdem sint generis & pari passu ambulent, an licet debitori solvere quædam præ aliis debita? tom. 1. v. *Debitum*, cas 17.

Si concurrant creditores, an non oportet solvere debita realia præ debitis personalibus? quid est, quod debet tenere locum legis in hoc casu? *ibid.* cas 13.

Creditor, qui mutuo dedit argentum suum pro bono hypothecato, est ne in solutione præferendus omnibus aliis creditoribus, qui eumdem fundum habent pro hypotheca? *ib.* cas. 15. & tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5.

Si plures concurrant creditores hypothecarum, an semper priores præferendi sunt posterioribus? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 15.

Maritus & uxor habent ne jus hypothecæ in omnia sua invicem bona? Talis hypotheca est ne expressa vel tacita? Eorum hypotheca est ne præferenda omnibus aliis anterioribus, tacitis aut expressis, posterioribus contractui sui matrimonii, etiamsi unus se obligasset pro altero? Patet ne ipsis actio ad defendendum suum jus adversus reliquos Creditores? *ibid.* cas. 14.

Si concurrant plures creditores simplices, an primi semper præferendi sunt posterioribus? Si debita vacadunt bona debitoris, qua ratione solvenda sunt? Sunt ne quidam creditores simplices, qui aliis sint præferendi? *ibid.* cas. 17.

Si plures obligati in solidum pro eadem summa, moriantur, ne omnes ipsorum heredes, cujuscumque sint numeri, debitores sunt in solidum? & non unicus illorum peti potest ad solutionem totius summæ? *ib.* cas. 18

Filius qui post mortem patris reperit chirographum summæ haud exiguæ, potest ne ejus repetere solutionem, si debitor affirmet, quod satisfecerit & solverit istud chirographum, & offerat testes exhibere, qui viderint solutionem ab ipso factam, dicatque se Apocham sive acceptilationis chirographum amisisse? *ibid.* cas. 5.

Est ne peccatum supponere titulum ad obtinendam solutionem justi ac legitimi debiti? An eo in casu obligatio est ad restitutionem? tom. 3 v. *Restitutio*, cas. 212.

An in eodem casu obligatio est restituendi sumtus? *ibid.* cas. 213.

Est ne

Digitized by Google

Est ne obligatio reddendi quod debetur Creditori, si tam. partum habeatur, quod in malum usum illud sit conversurus? tom. 1. v. Debitum cas. 2. & tom. 1. v. Restitutio, cas. 220.

Prodigentia creditoris, quæ ipsum in magnam conjecit miseriam, est ne satis sufficiens quæ debitor se dispensare possit a solutione debiti ipsi facienda? Potest ne retinere debitum pro infantibus creditoris? ibid. cas. 8.

Debitor, qui loco solvendi creditori solvit illis, quibus creditor ista debet, an a sua liberatus sit obligatione? ibid. cas. 4.

Ut debitor, cui remissum est debitum, liberetur illo sit, etiam in foro interiori, an requiritur, ut remissio illa fuerit plane voluntaria respectu creditoris? ibid. cas. 4.

Debitor, cui dimidium debiti remisit creditor, propterea scilicet quod parum bene se haberent res ejus, tenetur ne ad solvendum istud dimidium, si res ejus in meliorem statum conversæ sunt? ibid. cas. 7.

Ad quid tenentur ii, qui non possunt solvere omnia sua debita, & qui insuper in talibus sunt circumstantiis, ut propter debita non possint molestia affici? ibid. cas. 20.

Ii, qui solvendi sunt, & tamen in carcere detinentur, quia solvere nolunt, an absque peccato ex carcere aufugere possunt nondum solutis debitis? ibid. cas. 19.

Creditor, qui scit, quod debitori suo nil residuum manet, præter lectum & supellectilem maxime necessariam, potest ne illa apprehendi & vendi curare? ibid. cas. 8.

Viduæ tenentur ne debitis, de quibus se le obligarunt, aut quæ contracta sunt in eorum tantum usum ac utilitatem? tom. 1. v. Communitas Bonorum, cas. 5.

Minores tenentur ne de debitis, quæ contraxerunt Minorennes? tom. 1. v. Debitum, cas. 1.

Religiosus est ne post Professionem suam dispensatus a solvendis debitis, quæ contraxit in sæculo? ibid. cas. 2.

Oportet ne debita sua solvere ante ingressum in Religionem? tom. 3. v. Religiosus, cas. 1.

Datur ne actio adversus aliquem propter debita ludo contracta? tom. 2. v. Ludus, cas. 1. & 9.

Datur ne actio in Hæredem quemlibet peculiariter propter debita successionis? tom. 2. v. Hypotheca, cas. 2.

Hæredes ex beneficio Inventarii tenentur ne solvere debita successionis, quemadmodum ad ea tenentur ii, qui puros ac simplices se declararunt heredes? tom. 2. v. Heres, cas. 2.

Heres, qui successioni suæ renunciavit, in favorem alicujus cogitur, nisi mediante pecuniæ summa, an actione peti potest pro debitis successionis? ibid. cas. 14.

Hæredes ex Beneficio inventarii tenentur ne debitis etiam ultra bona successionis? tom. 1. v. Restitutio, cas. 24.

Uxores possunt ne se obligare pro debitis suorum maritorum? tom. 2. v. Mulier conjugata, cas. 5.

DEBITUM CONJUGALE.

Vide quod in fronte hujus vocis est, Proœmium.

Matrimonio contracto absque publicatione Denuntiationum matrimonii, ea conditione, quod non sit consummandum ante proclamationes factas, ac conjuges persuasi, nullum esse inter ipsos dirimens Matrimonii impedimentum, exigere atque reddere invicem possunt debitum conjugale? ibid. cas. 6.

Dispensationes ab Episcopis concessæ ad petendum debitum, sunt ne validæ? tom. 1. v. Dispensatio Matrimonii, cas. 57. & cas. 61.

Potest ne exigi aut reddi debitum ante consensum renovatum, si matrimonium, quod contractum videbatur, nullum est? tom. 2. v. Matrimonium, cas. 7.

Duo matrimonio juncti possunt ne matrimonium consummare ante susceptam benedictionem nuptialem? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 2.

Conjuges tenentur ne reddere sibi invicem debitum a primo matrimonii sui die, si illud alterutra pars exigat? Ecclesia concedit ne aliquam moram illi ex Conjugibus, qui ingredi vult Religionem? Altera pars potest ne postea aliud inire matrimonium? ibid. cas. 26.

Cum tempus ex Jure Conjugibus concessum ad ineundam, si velint, Religionem, elapsum est, tenentur ne sibi invicem debitum reddere conjugale? ibid. cas. 47.

Si conjugum unus declaret alteri, quod impedimentum inter ipsos sit dirimens, aut quod non consenserit matrimonio, an alter absque deposito dubio suo, exigere aut reddere potest debitum? ibid. cas. 45.

Si Conjugum unus percipiat a persona quadam proba, quod impedimentum inter illos sit dirimens, potest ne in dubio isto reddere debitum? ibid. cas. 48.

Mulier, cujus maritus dubitat de validitate matrimonii ipsorum, potest ne exigere & reddere debitum si non dubitet, quin matrimonium suum sit validum? ibid. cas. 50.

Si, cum dubitatio oriretur validum sit nec ne matrimonium suum, nihil non tentatum est, ad detegendam quoad illud veritatem, & tamen nihil compertum haberi potuerit, potest ne in hoc casu debitum exigi conjugale? ibid. cas. 67.

Incestus gravi metu unius partis commissus, alteri jus præbet denegandi ipsi debitum? ibid. cas. 20.

Incestus commissus cum cognata in quocumque sit gradu, aufert ne parti suam jus exigendi debitum? Et Uxor ejus potest ne illud ipsi reddere absque peccato? ibid. cas. 21.

Copula cum futura uxoris sua citra seminis emissionem impedit ne, quominus maritus ab uxore sua dispensatione conjugale debitum exigat? tom. 1. v. Casus Reservati, cas. 34.

Affinitas contracta in primo aut secundo gradu ante consummationem matrimonii, an maritum parum etiam impedit, quominus debitum conjugale reddat uxori suæ? Habet ne pro hac dispensatione opus? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 22.

Affinitas, quæ orta est ex adulterio cum propinqua conjugis aut affini alterius conjugum, an parti rea jus adimit debitum conjugale exigendi, & parti insonti jus illud accipiendi? ibid. cas. 23. & 24.

Mulier est ne exempta reddendi conjugalis debiti suo marito, prætextu affinitatis spiritualis, quam cum eo contraxit baptizando suum proprium infantem? Casus necessitatis, aut ignorantia facti aut juris inculpabilis, excusat ne maritum istum a peccato? Et si illud fecerit cum plena facti cognitione, potest ne suum recuperare jus per dispensationem? ibid. cas. 41.

Maritus baptizans infantem suum moribundum præsente obstetrice, contrahit ne affinitatem cum sua uxore, ita ut in posterum non amplius possit absque peccato debitum exigere conjugale? ibid. cas. 42.

Affinitas, quæ oritur ex vi illata, cui resistere non licuit, aut ex ignorantia facti, privat ne eum, qui in hoc casu est, jure debitum exigendi atque reddendi conjugale? ibid. cas. 19.

Qui haerent in dubio an nullum sit matrimonium suum ob causam affinitatis, possunt ne reddere sibi invicem debitum conjugale? Metus excommunicationis injustæ est ne satis sufficiens illud faciendi? ibid. cas. 18.

Mulier, quæ maritum suum credens mortuum bona cum fide contraxit secundum matrimonium, potest ne continuare reddere debitum conjugale marito isto putativo, si comperiat, quod primus non sit mortuus? Potest ne illud facere ad evitandas censuras, aut ipsam vitæ periculum? v. Debitum Conjugale, cas. 16.

Mulier, quæ secundas iniit nuptias, potest ne in dubio sive bene sive male fundato, de morte primi sui mariti, conjugale debitum exigere? ibid. cas. 49.

Mulier, quæ existimans maritum suum mortuum, solemnem fecit professionem Religionis, debet ne ipsi redeunte ad ipsum, ipsique debitum reddere? An illud quoque exigere potest? Tenetur ne si ante illum decedat, servare castitatem & reverti in Religiosam domum? ibid. cas. 46. & tom. 2. v. Matrimonium 2n. cas. 2.

Si quis nubat, & matrimonium consummet post votum Religionis ingrediendæ, aut in Sacris Ordinibus, est ne peccati reus? An postea reddi atque exigi potest debitum absque commisso novo peccato? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 15.

Vir, qui postquam juridice separatus est a sua uxore, postea Sacerdos factus est, potest ne exigere & reddere debitum conjugale, cum revocata Judicis sententia, qua separatus est de toro, obligatur ad revertendum ad illam? tom. 1. v. Divortium, cas. 4.

Qui post facta perpetuæ castitatis vota, nubit absque impetrata dispensatione, potest ne debitum exigere conjugale? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 3.

Potest ne reddere illud atque exigere, qui non nisi simplici voto esset ligatus? tom. 2. v. Impedimentum Votorum, cas. 7. & v. Impedimentum Ordinis, cas. 1.

Potest ne consummare matrimonium suum qui nubit post factum castitatis votum? Est ne obligatio omnia adhibendi media possibilia, ad implendum votum suum? Si successu omnia cessant, potest ne pacisci exigi ac reddi debitum conjugale? ibid. cas. 15. & cas. 38.

Potest ne exigere aut reddere debitum conjugale, qui nupsit non recordans, quod votum fecerit castitatis? tom. 3. v. Votum, cas. 3.

Conjugum pars illa, quæ consensit in continentiæ votum, quod fecit pars altera, potest ne in sequenti tempore exigere debitum? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 10.

An unus conjugum facto, consensu communi, continentiæ voto, potest exigere aut reddere alteri conjugale debitum? ibid. cas. 37.

Cum conjuges duo se invicem obligarunt ad abstinendum per aliquod tempus ab usu matrimonii, an unus aut alter eorum, vel ambo conspirantes anticipare tempus illud determinatum possunt? ibid. cas. 11.

Si conventionem suam juramento firmarunt, possunt ne remissa invicem juramenta, uti matrimonio, aut tenentur ne dispensationem impetrare? ibid. cas. 54.

Mulier, quæ nupsit viro ob causam impotentiæ a priori suo marito separato, a Judice Ecclesiastico, qui ex subreptione annullavit matrimonium, peccat ne illi reddendo aut ab illo exigendo debitum conjugale? Potest ne continuare debitum illud ipsi reddere, ab eo tempore, quo illum non impotentem sentit? tom. 2. v. Impedimentum Impotentiæ, cas. 12.

Servus cum consensu Domini sui nuptus, tenetur ne debitum conjugale reddere uxori, præ executione mandatorum Domini sui? tom. 2. v. Impedimentum conditionis servilis, cas. 6. & cas. 7.

An eodem modo se res habet, si servus iste invito Domino nupserit? ibid. cas. 7.

An absque peccato exigi potest conjugale debitum propter solum metum incidendi in incontinentiam? Quem in finem institutum est matrimonium? Quinam est finis ipsius primarius? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 4.

Est ne peccatum exigere debitum conjugale solo intuitu voluptatem percipiendi in usu matrimonii? ibid. cas. 5.

Est ne

Digitized by Google

Est ne peccatum exigere debitum conjugale nulla alia intentione, quam per illud sanitatem suam conservandi? Quandonam actus conjugalis ab omni immunis est peccato? ibid. cas. 6.

Est ne licitum exigere debitum conjugale diebus Festis ac Dominicis? Quodnam committitur peccatum hoc faciendo? Est ne concedenda communio in isto casu? ib. cas. 7.

Uxores tenentur ne reddere debitum conjugale iis diebus, quibus communicare debent, aut diebus Festis ac Dominicis, quum mariti illud exigunt? ib. cas. 14.

Conjuges possunt ne ad avitandum incontinentiæ periculum exigere aut reddere debitum conjugale in loco Sancto, in quo tenentur diu manere, cum quidem illud facere possunt absque scandalo? ibid. cas. 14.

Mariti tenentur ne reddere debitum suis uxoribus, quando illud non nisi indirecte exigunt? ib. cas. 18.

Mulieres tenentur ne maritis suis reddere conjugale debitum antequam illud aperte atque expresse exigant? ibid. cas. 20.

Tenentur ne reddere illud maritis, qui sunt ebrii, furiosi, amentes, aut somniantes? ibid. cas. 21.

Conjugum unus an potest denegare alteri debitum conjugale ex sola repugnantia? Talis denegatio reddit ne ipsum reum omnium peccatorum, in quæ alter incidere propterea potest? ibid cas. 25.

Conjugum unus potest ne alteri denegare debitum conjugale sub prætextu, quod illud exigendo male agat? ibid. cas. 19.

Conjugum ille, qui febri ægre laborat, potest ne denegare debitum conjugale alteri illud exigenti? ib. cas. 30.

Vir qui debitum exigit conjugale ab uxore, dum in menstruis est, quodnam committit peccatum? Quænam fuerunt incentiva & rationes hujus prohibitionis in Lege antiqua? Subsistunt ne adhuc hodie? Sunt ne differentes fluxuum species in illa infirmitate muliebri? ibid. cas. 9.

Mulieres, a quibus mariti sui debitum exigunt conjugale tempore menstruo, tenentur ne illud ipsis reddere, & possunt ne illud ab ipsis exigere, & concipere durante illa infirmitate? ibid. cas. 10. & 11.

Licet ne viro femineo aut leproso carnale debitum ab uxore petere? ibid. cas. 22.

Potest ne absque peccato debitum exigi a muliere prægnante? Potest ne illud reddi sine periculo fœtum ejus abortivum faciendi? ibid. cas. 13.

Mulieres tenentur ne reddere debitum conjugale suis maritis, quando ex præteritis suis periculosissimis puerperiis sciunt, se se expositas esse evidenti mortis periculo, si petitum annuant? Viri possunt ne illud petere tali in casu? ib. cas. 30. 33. & 41.

Mulieres, quæ ex puerperio recenter prodeunt, tenentur ne debitum carnale reddere suis maritis, qui illud ab iis flagitant? ibid. cas. 32.

An mulier marito denegare potest debitum carnale, toto tempore, quo infantem suum nutrit? ibid. cas. 31.

Metus acquirendi infantes reddit ne denegationem debiti conjugalis licitam? ibid. cas. 3.

Potest ne uxor sine lethali culpa debitum conjugale reddere viro, qui debitum concumbendi modum & situm recusat servare? Quandonam talis copula est peccatum mortale? ib. cas. 39.

Uxor potest ne citra peccatum mortale debitum reddere viro, quem novit, se ante seminis emissionem retracturum? Vir, qui ita se se retrahit, peccat ne mortaliter? ib. cas. 35.

Uxor, quæ postquam debitum solvit, totum viri semen aut aliquam ejus partem de industria, casu vel infirmitate rejecit, peccat ne mortaliter? ibid cas. 36.

Mulier persuasa de impotentia mariti, tenetur ne ipsi reddere debitum conjugale? tom. 2. v. Impedimentum Impotentiæ, cas. 8.

Personæ ætatis provectioris, aut quæ gravissime laborant, possunt ne exigere atque reddere debitum conjugale? Tenentur ne aliquando ad istud faciendum? ibid. cas. 12.

Uxor tenetur ne persolvere debitum omnonia petenti marito ita senio confecto, ut præ naturæ debilitate non possit amplius copulam perficere? v. Debitum Conjugale, cas. 40.

Lepra est ne causa sufficiens, ut conjuges se invicem dispensare possint a debito sibi reddendo? Sunt ne casus, in quibus hac in re se invicem possint dispensare, & alii casus, in quibus dispensare se non possunt a debito carnali sibi reddendo? ibid. cas. 41.

Mulier tenetur ne reddere debitum conjugale suo marito nominatim excommunicato? ibid. cas. 42. & tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 3.

Uxor potest ne carnale debitum in perpetuum denegare marito sodomiæ vel bestialitatis crimine turpiter commaculato? Quid si sponsus uterque culpabilis sit? ibid. cas. 43.

Mulier Catholica potest ne recusare debitum suo marito hæresi implicato, sub prætextu, quod infantes educet in Religione Protestanti? An si viderit, primum infantem in hæresi educatum fuisse, id sufficit ad illud ipsi denegandum? ibid. Cas. 44.

Mulier, cum qua maritus post obtentam divortii sententiam, vult sese reconciliare, tenetur ne ad revertendum ad ipsum, illique reddendum debitum carnale? An si nolit, ad istud cogi potest? tom. 1. v. Divortium, cas. 12.

DECALOGUS.

An omnia Decalogi præcepta juris sunt naturalis? Fieri potest ne, ut ignorentur ab aliquibus ignorantia invincibili? tom. 1. v. Conscientia, cas. 1.

Superiores possunt ne ab iis dispensare? tom. 1. v. Dispensatio, cas. 3.

DECANUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Decanus potest ne sola Regia provisione instructus exercere functiones pastorales annexas suo Decanatui? Requiritur ne ut obtineat approbationem vel visa ab Episcopis? tom. 2. v. Decanus, cas. 1.

Cum Decanus aliquis non est Canonicus, habet ne prærogativas quasdam? tom. 2. v. Dispensatio Irregularitatis, cas. 1.

Si dubitet quis, an Decanatui annexa sit Præbenda, propter Canonicatus prærogativas; potest ne tentare, ne provideatur Præbenda aliqua in eadem Ecclesia, & si jam ea sit provisus, debet ne illi renuntiare? tom. 2. v. Decanus, cas. 2.

Quinam est in Gallia mos requisitus, ut quis possit possidere Decanatus, aut alias in Capitulo dignitates? ibid. cas. 3.

Episcopi possunt ne denegare visa, aut dispensationem ætatis dare iis, qui legitimam non habent ætatem ac requisitam ad possidendas dignitates Ecclesiasticas? ib. cas. 4.

Oportet ne esse graduatum in quadam universitate aut facultate, ut possideri possint dignitates in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegialibus? Quinam est quoad istud mos in Gallia? ibid. cas. 5.

Si Capitulum aliquod auctoritate absolvendi a casibus reservatis ab Episcopo donatum sit, an Decanus sine speciali Capituli commissione ab iis absolvere potest? tom. 1. v. Casus reservatus, cas. 26.

DECIMÆ.

Vide quod in fronte hujus vocis est, Proœmium.

Obligatio Decimas solvendi est ne jure naturali & Divino fundata? Ii qui se eximunt a decimis solvendis peccant ne mortaliter? Ecclesia fecit ne quasdam Constitutiones circa hanc rem? tom. 2. v. Decimæ, cas. 1.

Si in aliqua Provincia generalis sit consuetudo Decimas nullatenus solvendi, an populi ab iis solvendis eximere se possunt? Quænam sunt Regiones, in quibus nullæ solvuntur Decimæ? ibid. cas. 2.

Decimæ sunt ne debita privilegiata præ omnibus aliis? ibid. cas. 3.

Obligatio Decimas solvendi est ne æqualis pro pauperibus, sicuti pro divitibus? Parochi debent ne rigide illas exposcere ab unis sicuti ab alteris? ibid. cas. 4.

Possunt ne exigi atque accipi Decimæ alicujus fundi modo usurario aut alias turpi acquisito? ibid. cas. 7.

Domini possunt ne campi partes, quæ ipsis debentur, capere, antequam Decimæ fuerint solutæ Parochis? Quænam est hanc in rem Galliæ consuetudo? ibid. cas. 8.

Decimæ an non debentur nisi Ecclesiasticis? An aliquo in casu exigere illas possunt Laici? Possessio immemorialis sine titulo sufficit ne in Gallia ad præscribendum juri Decimarum? Possunt ne exigere Decimas, quæ ipsis tamquam feuda concessæ sunt ante vel post tertium Concilium generale Lateranense? ibid. cas. 9.

An ad finem faciendum scandalis tenetur quis renuntiare juri Decimarum, si titulis aut consuetudine immemoriali nitatur? tom. 3. v. Scandalum, cas. 3.

Parochus an non potest postulare a Judice permissionem cogendi, ut colatur atque seratur terra relicta a Proprietariis, qui ex inopia illam seminare non possunt donare, ita ut in se Decimas seu omnium fructuum necessariis factis inde reciperet? An iste Parochus postea locare potest hanc terram, & inde adhuc accipere Decimas? tom. 2. v. Decimæ, cas. 9.

Est ne licitum Parocho negligere Decimarum receptionem, aut illam rusticis committere? ibid cas. 6.

Si quis Decimis alicujus beneficii frustratus fuerit, est ne a restitutione liber coram Deo, si Beneficiarius illas ipsi remittat? tom. 1. v. Beneficiarius, cas. 13.

DECIMUS DENARIUS.

An qui mutuo dat, vel qui accipit tenetur solvere Regi denarium decimum, si illum petat? tom. 3 v. Restitutio, cas. 102.

Cum quis bonorum suorum valorem declaravit, peccat ne si decimum non solvat denarium, sub prætextu, quod Receptor illum non exigat? tom. 3. v. Tributum annuum, cas. 10.

DECISIO.

Si quis in dubio hærens consulat peritum aliquem ac doctum virum, debet ne ejus acquiescere Decisioni? tom. 1. v. Dubium, cas. 1.

DECLARATIO.

Qui falsam fecit Declarationem tenetur ne restituere injuriam, quam intulit? tom. 3. v. Restitutio, cas. 103.

DECRETUM.

Emtio fundi alicujus ex Decreto venditi, dimidio fere

tam

tamen pretio, est ne legitima in foro conscientiæ? tom. 2. v. *Restitutio*, cas. 19.

D E C R E T U M.

Potest ne quis dissimulare aut occultare defectus quibus laborat, aut in quos incidere solet? tom. 2. v. *Hypocrisis*, cas. 1.

Sunt ne absolvendi, qui se accusant de defectibus tanquam de peccatis? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 10. & v. *Confessio*, cas. 41.

DEFORMITAS CORPORIS.

An quælibet corporis deformitas irregularitatem producit? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 104.

D E F U N C T U S.

Defunctorum voluntatis quinam sint legitimi interpretes? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 4. & 8.

D E G R A D A T I O.

Degradatio differt ne a depositione & a suspensione? Sunt ne quædam degradationis exempla? Est ne in usu in Gallia? tom. 2. v. *Depositio & Degradatio*, cas. 1.

Clerici degradati possunt ne restitui ab Episcopo in pristinum statum? Possunt ne redire in possessionem Beneficiorum suorum, & quidem in præjudicium eorum, qui legitime interim iis fuerunt provisi? *ibid.* cas. 2.

Degradatio delet ne characterem Sacerdotalem? tom. 1. v. *Consecrare*, cas. 14.

D E L E C T A T I O.

Vide quod in fronte hujus vocis est, Proœmium.

Delectatio morosa est ne ex se & sua natura peccatum mortale? Quandonam sit peccatum mortale, quando vero tantum veniale? to. 1. v. *Delectatio*, cas. 1. & v. *Communio*, cas. 3. tom. 3. v. *Tactus*, cas. 1.

Censetur ne quis consentire delectationi, qui ei positive non resistit? Quandonam censetur aliquis ei resistere? *ib.* cas. 2.

Delectatio venerea inter conjuges habita est ne semper peccatum mortale? In his tolerandis facilior esse debet Confessarius? tom. 1. v. *Aspectus*, cas. 3. & tom. 2. v. *Osculum*, cas. 2. & tom. 3. v. *Pollutio*, cas. 1. 2. 3. & tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 7. & tom. 3 v. *Tactus*, cas. 2.

D E L E G A T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Delegatio est ne legitima, sive ii, qui delegandi habent potestatem, istud faciant præsentes & viva voce, sive absentes & literis? Talis delegatio est ne canonica? tom. 1. v. *Delegatio* cas. 1.

Religiosus delegatus a sua Communitate ad capitulum Ordinis generale, tenetur ne suam exhibere procurationem? & si ideo, quod nolit eam ostendere, excludatur, potest ne protestari, & ipsius protestatio est ne legitima? *ibid.* cas. 2.

Canonicus delegatus ad congregationem Cleri, censetur ne præsens in choro, per totum tempus, quo durat illa congregatio? *ibid.* cas. 3.

Sacerdos irregularis potest ne delegare alium Sacerdotem ad obeundas quasdam functionum suarum? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 12.

D E L E G A T U S.

Delegati habent ne potestatem subdelegandi ad obeundas quasdam functiones suas? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 31. & tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 15.

An omnes delegati hanc habent potestatem? tom. 3. v. *Pœnitentiarius*, cas. 1.

DENARII PUBLICI.

Receptio denariorum publicorum & ratio de iis reddenda, operatur ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 231.

D E N U N T I A T I O.

Vide hujus tituli Proœmium. A pag. 401. & 402.

Licet denuntiare reum Superioribus sine monitione præmissa, si crimen ejus, quod est occultum, tangat rem publicam, aut saltem quosdam privatim? tom. 1. v. *Denuntiatio*, cas. 1. & 3. & v. *Correctio*, cas. 2.

Si crimen aliquod non adeo sit occultum, quia vel jam cognitum sit, vel in eo sit, ut pateat, an talis criminis reus potest denuntiari absque præmissa monitione secreta? tom. 1. v. *Denuntiatio*, cas. 2.

Quinam sunt casus, in quibus rei non sunt denuntiandi Superioribus, quamvis ipsorum crimina magna prebeant damna proximo in spiritualibus & temporalibus? *ibid.* cas. 4.

Est ne obligatio omni in casu, denuntiandi Superioribus Confessarios, qui suos pœnitentes ad malum instigant? *ibid.* cas. 5.

Denuntiatio simplex est ne sufficiens titulus juxta quasdam Curias in Gallia, ut quis possit interesse absque usura accipere? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 13.

D E N U N T I A T O R.

Clerici denuntiatores tenentur ne Judici protestationem facere juxta mandatum, sub pœna incurrendæ irregularitatis in casu mortis aut mutilationis? tom. 1. v. *Accusator*, cas. 2.

Denuntiatores, quibus non alius est scopus, quam infamia notare reos, peccant ne mortaliter illorum crimina denuntiando? tom. 1. v. *Denuntiatio*, cas. 1.

DENUNTIATIONES MATRIMONII.

Vide hujus tituli Proœmium.

Matrimonia celebrata absque denuntiationibus, sunt ne irrita? Qui illa contrahunt, aut celebrant, peccant ne mortaliter? tom. 1. v. *Denuntiationes Matrimonii*, cas. 1. & to. 3. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 27.

Matrimonium celebratum exhibitis falsis testimoniis de denuntiato matrimonio, est ne validum? Est ne in Gallia irritum quoad effectus civiles? Quamnam incurrunt pœnam ii, qui ejusmodi falsa exhibent testimonia? v. *Denuntiationes Matrimonii*, cas. 2.

Potest ne post trium mensium absentiam alterius ex sponsis futuris ad celebrationem matrimonii procedi absque nova denuntiatione? An potius hac in re Diœceseos suæ Rituale sequi tenetur? *ibid.* cas. 3.

Quando desponsati duo habent domicilia in diversis Diœcesibus, an denuntiationes matrimonii fieri debent in uno ac altero domicilio? Quænam fuit interim Ecclesiæ in denuntiationibus matrimoniorum? *ibid.* cas. 4.

Denuntiationes matrimonii minorum debent ne fieri in Parœcia domicilii Parentum, aut Tutorum, Curatorumve eorum, atque etiam in Parœcia proprii eorum domicilii, si differat ab illorum domicilio? Quænam sunt solemnitates requisitæ in Gallia ad denuntiationes matrimonii faciendas? *ibid.* cas. 5.

Quando desponsati duarum differentium sunt Diœceseon, solaane alterutrius Episcopi dispensatio denuntiationum matrimonii sufficit ne? *ibid.* cas. 6.

Denuntiationes matrimonii an necessario diebus Dominicis atque Festis debent fieri? Qui aliter agunt, an mortaliter peccant? *ibid.* cas. 8.

Debet ne aliquod fieri intervallum inter Denuntiationes & celebrationem matrimonii? Sunt ne quidam casus, in quibus quis ab eo sit dispensatus? *ibid.* cas. 7.

Si post secundam matrimonii denuntiationem oppositio sit formalis, an ad tertiam procedi potest, vel ad celebrationem usque matrimonii, si pro certo habeatur, quod oppositio illa non nisi ex malitia sit facta? Quis est Judex Ordinarius in ejusmodi contestationibus? *ibid.* cas. 9. & tom. 3. v. *Oppositio ad Matrimonium*, cas. 2.

An oportet supersedere denuntiationibus matrimonii aut ejus celebratione propter simplicem denuntiationem impedimenti dirimentis factam? tom. 1. v. *Denuntiationes Matrimonii*, cas. 10. & 11.

An Episcopi facile dispensare debent a denuntiationibus matrimonii? Quænam sunt rationes, quæ ipsos movere debent ad dispensandum ab illis? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 14.

An omnis proles nata ex matrimonio contracto sine denuntiationibus matrimonii factis, in gradu prohibito vel non prohibito, illegitima est? tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 1.

D E P O S I T I O.

Quid est depositio? an varii generis sunt depositiones? Sunt ne in usu in Gallia? tom. 1. v. *Depositio & Degradatio*, cas. 1.

Clerici depositi, an ab Episcopo in pristinum statum restitui possunt? Beneficiorum possessionem redire possunt, cum aliis de iis jam sunt legitime provisi? *ib.* cas. 2. *Vide supra* Degradatio.

Quosnam Priores Conventuales deponere aut non deponere potest Abbas propria sua auctoritate? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 1.

Maritus & Uxor recipiuntur ne in Gallia ad deponendum pro se invicem? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 4.

D E P O S I T U M.

Vide hujus tituli Proœmium.

Depositarii tenentur ne respondere de Depositis ipsis commissis? *ibidem* cas. 1.

Tenentur ne sub pœna restitutionis rerum apud ipsos depositarum eamdem gerere curam ac propriarum suarum rerum? *ibid.* cas. 16.

Depositarii an interdum uti possunt depositis? Quænam ad hoc requiruntur conditiones? *ibid.* cas. 4. & cas. 13.

Tenentur ne restituere depositum aut ejus valorem, si periit sine fraude ipsorum intermissa? *ibid.* cas. 4.

Compensatio habet ne locum in depositis? *ib.* cas. 9.

Depositarii tenentur ne de omnibus casibus fortuitis? Si morentur reddere depositum, an de omnibus casibus fortuitis respondere tenentur, qui post ipsorum recusationem acciderunt? Sunt ne aliqui casus, in quibus de iis non tenentur? *ibid.* cas. 7. & cas. 8. & cas. 14.

Cum plures se se alicujus rei depositarios reddiderunt, an omnes tenentur illam reddere in solidum? *ibid.* cas. 6.

Heredes, qui ante insolvabilitatem depositarii receperunt ab ipso suam depositi partem, tenentur ne illam partiri atque

quæ communem habent cum aliis qui suam ab eo recipere partem neglexerunt? *ibid.* cas. 5.

Depositarius potest ne obligare deponentem ad resumendum depositum suum ante terminum temporis, de quo convenerunt? *ibid.* cas. 11.

Depositarius potest ne non reddere depositum, si caussa legitima ipsum ab hoc impediat? *ibid.* cas. 4.

Potest ne recusari aut differri redditio alicujus Depositi, si reddendo illud occasio præberetur peccato mortali? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 160.

Depositarius tenetur ne de casibus fortuitis, cum Depositum non est factum nisi in ipsius utilitatem? *ibid.* cas. 16.

Tenetur ne de casibus mere fortuitis, cum depositum suscepit stipulata quadam pecuniæ summa, aut cum se ipsum sponte obtulit ad illud recipiendum? *ibid.* cas. 15.

An omnis depositarius tenetur de casibus mere fortuitis? *ibid.* cas. 14.

Si proprietas depositi contradicatur deponenti ab aliquo alio, an depositarius illud reddere debet, ei, qui ipsi illud tradidit? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 12.

Cum bona deponentis fisco addita sunt, an depositarius tenetur tradere depositum fisco Principis potius, quam deponenti aut ipsius hæredibus? *ibid.* cas. 20.

Cum heres depositarii bona cum fide consumsit depositum, an tenetur illud restituere deponenti? *ibid.* cas. 17.

Sumtus facti ad servandum vel restituendum depositum, an pertinere debent ad depositarium? *ibid.* cas. 18.

Fructus, quos producit depositum, constituunt ne partem depositi? Depositarius tenetur ne illos reddere deponenti, facta tamen deductione sumtuum, quos fecit? *ibid.* cas. 19.

An licet sub quocumque prætextu subtrahere Chirographa aliaque scripta, quæ quis apud se habet deposita? *ib.* cas. 22.

Si pertineat res deposita ad peregrinum, an depositarius illam tradere debet fisco regio, an vero illi, in favorem cujus disposuit deponens? *ibid.* cas. 24.

Potest ne quis suscipere depositum tamquam proprium pertinens ad Religiosum? *ibid.* cas. 21.

Ad quid adhibendum est depositum inventum apud Religiosum subita morte extinctum? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 25.

Confessarius debet ne ac potest suscipere deposita? Quasnam adhibere debet cautiones in casu assignationis? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 23.

An pecunia potest deponi apud hominem, qui ex professo est Usurarius? tom. 3. v. *Usura*, cas. 36.

D E S I D E R I U M.

Vide quod in fronte hujus tituli est, Proœmium.

Desiderium mortis est ne culpabile? Sub quibus conditionibus licitum esse potest? tom. 1 v. *Desiderium*, cas. 1.

Est ne semper cum peccato conjunctum desiderium, quo proximo adversa quædam temporalia precamur, aut quando gaudemus adversis, quæ in ipsum cecidisse videmus? *ib.* cas. 2.

D E T R A C T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne reus detractionis vitii, qui ex principio charitatis proximi vitia iis aperit, qui remedia illis ferre possunt? *ibid.* cas. 1.

Est ne Detractor, qui secretam alicujus vitam solutam, alteri detegit, eum tantum in finem, ut eum avocet ab illius Societate, quam hac usque avidius sectatus est? *ibid* cas 2.

Qui alteri sub conditione secreti servandi, aperiunt alicujus inordinatam actam vitam, sunt ne rei detractionis? Ejusmodi confidentiæ nihil ne periculi habent? *ibid.* cas. 3.

Detractio est ne peccatum mortale, si ex animi levitate detegatur alicujus defectus, qui ejus famam notabiliter minuit? *ibid.* cas. 4.

Ii, qui se non opponunt detractioni, an semper rei sunt? Quonam modo illi resisti debet? est ne grave peccatum audire detrahentes? *ibid.* cas. 5.

An semper ferendæ sunt detractiones, ita ut aliquis se non contra illas defendat? Nonne dantur homines, qui tenentur ex conscientia earum exigere rationem? Quonam in casu facere istud debent? *ibid.* cas. 6.

Detractores tenentur ne reparare injuriam, quam intulerunt? Sunt ne aliqui casus, in quibus exemti sint ab illa reparanda? Detractores inferunt ne injuriam suo proximo magnam? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 61. 62. 66. 67. 68. 69. 71. & 155.

D E V O L U T A R I U S.

Quid faciendum est Devolutario antequam procedat vi devoluti? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 5.

D E V O L U T I O.

Ordinarius conferens Beneficium, cujus collatio ad ipsum est devoluta, debet ne in provisionibus quas dat, necessario exprimere casum devolutionis? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 4.

D E V O L U T U M.

Vide quod in fronte hujus vocis est, Proœmium.

Quid est Devolutum? Quasnam ob caussas devoluto subjectum fieri potest Beneficium? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 5.

An non nisi simonia locum præbet devoluto? tom. 3. v. *Simonia*, cas 54.

Quænam sunt crimina, propter quæ Beneficium subjectum est devoluto juris? Resignatio Beneficiorum subjectorum devoluto juris, sunt ne irritæ? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 1.

Beneficia possessa ab alienigenis sunt ne devoluto subjecta? Usus qui quoad hoc obtinet, est ne Galliæ peculiaris? Qua re fundatus iste usus? Literæ naturalizationis quibus civitatis jure donantur, collocant ne eos in tuto, etiamsi non obtentæ sint istæ literæ nisi durante ipsa devoluti lite? *ibid.* cas. 2.

Devoluta semper ne habuerunt loca respectu Beneficiorum consistorialium? An irrita sunt in defectum consensus Regis? Sunt ne licita, quando fundantur defectu Ordinis requisiti in Titulario? *ibid.* cas. 3.

Devoluta sunt ne licita ac valida respectu Beneficiorum reversorum in Regulam & deinceps Resignatorum in commendam? *ibid.* cas. 4.

Devolutarius potest ne contra eum, cujus beneficium devolvitur, agere antequam suum obtinuit *Visa* ab Episcopo? An sententia declaratoria adversus eum, cujus devolvitur beneficium, necessaria est devolutario, ut possit possessionem Beneficii capere? Devolutarius habet ne jus ad Beneficium, antequam illud appellaverit in contestationem caussæ? Potest ne adversus eum, cujus devolutum est Beneficium, procedere antequam possessionem ejus Beneficii ceperit? *ibid.* cas. 1.

Ad quas alias insuper observandas formalitates devolutarius tenetur? Potest ne ante occupatum beneficium sese immiscere perceptioni fructuum ejus? Beneficiarius cujus devolvitur Beneficium an nunquam non jus habet ac facultatem resignandi aut permutandi ante condemnationis sententiam latam? An omnes hac in re consentiunt Jurisconsulti? Clausula *aut alio quovis modo vacaverit* tegit ne defectus Provisionis devolutarii? *ibid.*

D E U S.

Potest ne Deus permittere peccatum? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 1.

D I A C O N A T U S.

Quænam est Diaconatus forma & materia? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 14.

Abbas Cisterciensis habet ne facultatem Diaconatum conferendi? Exercet ne hanc in Gallia potestatem? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 16.

D I A C O N U S.

Competit ne Diaconis facultas prædicandi? tom. 3. v. *Prædicare*, cas. 2.

Possunt ne benedictionem aquæ cum sale facere? tom. 1. v. *Exorcismus*, cas. 3.

Sunt ne irregulares Diaconi, qui mandato Parochi aquam fecerunt benedictam? Et Irregularitas ipsorum est ne Papæ reservata? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 85.

Possunt ne Diaconi solemniter conferre Baptismum? tom. 1. v. *Baptismus*, cas 21.

Possunt ne ægrotis administrare Communionem in absentia aut ex commissione Parochorum? An olim istud fecerunt? tom. 1. v. *Communio*, cas. 28.

Privilegium Abbati Cisterciensi indultum ab Innocentio VIII. quo facultas ipsi conceditur ordinandi suos Religiosos Diaconos, & Subdiaconos, est ne in usu in Gallia? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 16.

DIES DOMINICI AC FESTI.

Vide hujus tituli Proœmium.

Sanctificatur ne dies Dominicus ac Festus assistendo tantummodo Missæ? Ii qui hoc contenti sunt & non ultra procedunt, peccant ne? Principes fecerunt ne quædam constituta ac mandata sanctificationem sacrorum istorum dierum concernentia? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 1.

Est ne obligatio diebus Dominicis ac Festis sermoni sacro ac Vesperis interesse? *ibid.* cas. 2.

Ii qui audita Missa vocis submissæ magnam dierum Dominicorum ac Festorum partem in venationem transigunt, peccant ne contra debitam illorum dierum sanctificationem? Quibus in rebus terendi sunt isti dies? tom. 3. v. *Venatio*, cas. 5. & tom. 3. v. *Saltatio*, cas. 2.

Vectores possunt ne diebus Dominicis ac Festis iter facere ad commune bonum & publicam utilitatem? Tenentur ne interesse Missæ diebus hisce? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 3.

Ii, qui negligunt Missam audire diebus Dominicis ac Festis, tenentur ne in septimanæ illius diebus unam audire? to. 1 v. *Communio*, cas. 21.

Potest ne eligere quis diem Festum ac Dominicum ad iter suum aggrediendum, quod tamen sine incommodo gravi differre posset alium in diem? Est ne obligatio Missam audiendi in itinere faciendo? tom 1. v. *Dies Dominici ac Festi* cas. 4.

Da-

Domini aut Judices, qui diebus Dominicis ac festis tolerant nundinas, mercatus, spectacula & saltationes, sunt ne peccati rei? Concilia & Principes non ne quædam circa istud instituta fuerunt? *ibid.* cas. 5.

Opera servilia, quæ respiciunt ægrotorum juvandorum officium, aut quæ pertinent aut ad cultum divinum, aut ad res ad vitam necessarias, sunt ne diebus hisce licita? Reges fecerunt ne quoad istud sancita quædam? *ibid.* cas. 6.

Tonsores possunt ne tondere barbas & capillos amputare diebus Dominicis ac festis? *ibid.* cas. 7.

Pistores possunt ne iisdem diebus coquere & vendere panem? Principes condiderunt ne quasdam quoad hoc leges? *ibid* cas. 8.

Pistores dulciarii possunt ne iis diebus laborare & vendere? Sunt ne Festi quidam, quibus id ipsis liceat? *ibid.* cas. 9.

Sutores possunt ne quibusdam dierum Dominicorum ac Festorum horis uti ad perficienda opera sua, quæ urgent? *ibid* cas. 10.

Mercatores pergrum possunt ne exponere & vendere merces suas diebus Dominicis ac Festis? An ab hoc prohibendi sunt denegatione absolutionis? *ibidem* cas. 2.

Mercatores vini possunt ne gustandum dare vinum, & de ejus pretio convenire diebus Dominicis ac Festis? *ib* cas. 12.

Patres, Matres, Domini, Dominæ tenentur ne impedire quominus ii, qui dependent ab iis, transgrediantur præceptum de sanctificando die Dominico ac Festo? *ibidem* cas. 13.

Agricolæ possunt ne sub prætextu custodiendorum pecorum causa esse, ut servorum unus post alterum divinum negligat cultum? *ibid* cas. 14.

Magistratus & Justitiæ ministri possunt ne diebus Dominicis ac Festis examinare caussas, & pronuntiare sententias? Sunt ne casus, quibus id ipsis licitum sit? *ibid.* cas. 15.

Advocati & Procuratores possunt ne negotiis suis & laboribus incumbere, & exigere vel jubere etiam tyrones suos ut idem faciant Dominicis diebus ac Festis? An hunc in finem ab officio divino abesse ipsis licet? Sunt ne casus, quibus id ipsis liceat? *ibid.* cas. 16.

Notarii possunt ne instrumenta condere diebus Dominicis ac Festis? An eodem modo se res habet cum iis, qui literis operam dant, licet ne ipsis propter lucrum literis suis operam navare diebus Dominicis ac Festis? *ibid.* cas. 17.

Circumstantia diei Dominici aut Festi reddit ne peccatum aliquod gravius? Est ne obligatio se de hac circumstantia accusandi in Confessione? *ibid.* cas. 18. tom. 1. v. *Confessio*, cas. 22.

Ludus est ne diebus Dominicis ac Festis licitus? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 1.

Episcopi an non possunt consecrari nisi Dominicis diebus? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 13.

D I G I T U S.

Si unus cum alio confligendo digitum ipsi amputet, an ambo sunt irregulares? tom. 3. v. *Irregularitas*, cas. 81. & 99.

DIGNITAS ECCLESIASTICA.

Potest ne quis ambire, ut provideatur Præbenda, quando in eadem Ecclesia jam possidet Dignitatem, cui annexi sunt reditus quidam? tom. 1. v. *Decanus*, cas. 2.

Quænam est ætas requisita ad id, ut quis possit possidere Dignitates in capitulo? *ibid.* cas. 3. & tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 2.

Episcopi possunt ne denegare *Visa* iis, qui non habent ætatem requisitam ad possidendam Dignitatem Ecclesiasticam? Possunt ne ipsis dare dispensationes ætatis? tom. 1. v. *Decanus*, cas. 4.

Oportet ne esse Graduatum ad possidendas Dignitates in Ecclesia Cathedrali aut Collegiali? Quænam est hac in re Galliæ consuetudo? tom. 1. v. *Decanus*, cas. 5.

Dignitates Ecclesiarum Cathedralium sunt ne subjectæ juri Graduatorum, Indultariorum & Brevetariorum? tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 7. & tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 1.

Possunt ne desiderari & ambiri Dignitates Ecclesiasticæ? tom. 2. v. *Episcopus* cas. 3.

Potest ne quis sua Ecclesiæ commodare spe perveniendi ad Dignitates Ecclesiasticas? tom. 1. v *Simonia*, cas. 47.

Professio solemnis Religionis an illegitimos habiles reddit ad Dignitates Regulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 34.

DIMISSORIÆ LITERÆ.

Vide hujus vocis Proœmium.

Literæ Dimissoriæ an semper fuerunt in usu? Potest ne quis ordinari absque Dimissoriis literis? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 1. & cas. 14. & tom. 3. v. *Suspensus*, cas. 7.

Est ne usus in Gallia, ut non accipiantur nisi ab Episcopis suæ nativitatis? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 1.

An vi rescripti Roma obtenti quis sine sui Episcopi Dimissoriis literis ordinari potest? An hoc in casu necessaria est attestatio de vita & moribus subscripta ab Episcopo? to. 1. v. *Dimissoriæ literæ*, cas. 1.

Literæ dimissoriæ an vim suam ac valorem habent post vitam sicuti durante vita Episcopi? *ibid.* cas. 2.

Cum facultas dandi literas dimissorias non est expressa in literis Vicariatus Generalis, an literæ dimissoriæ datæ a Vicariis Generalibus, nullæ sunt? *ibid.* cas. 3. & tom. 2. v. *Interstitia*, cas. 3.

Capitula possunt ne sede Episcopi vacante dare literas dimissorias? Sunt ne casus, quibus possint dare ejusmodi literas ante annum vacantiæ? Usque ad quod tempus sedes censetur vacare? *ibid.* cas. 4.

Prælati Regulares possunt ne literas dare dimissorias suis Religiosis? Quasnam observare debent hac in re regulas, sufficiunt ne ad hoc? *ibid.* cas. 5. & tom. 2. v. *Ordines*, cas. 14.

DISPENSATIO IN GENERE.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quid per vocabulum dispensationis intelligatur? v. Secundum additamentum ad casum *Odulfus*, tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*.

Quasnam conditiones includi debent in Dispensationibus ut sint legitimæ? tom. 2. v. *Ordo*, cas. 23. & tom. 1. v. *Pensio*, cas. 9. & cas. 10.

Num in Dispensationibus quædam formalitates sint observandæ? tom. 1. v. *Dispensatio Voti in genere*, cas. 9.

Num Dispensationes semper tutam conscientiam reddunt eorum, qui eas obtinent? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 29.

Num Superiores legitimi valent semper dispensare in rebus jus naturæ, divinum & humanum respicientibus? tom. 1. v. *Dispensatio in genere*, cas. 3 v. *Dispensatio Breviarii Recitationis*, cas. 1. v *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 15. & v. *Dispensatio suspensionis*, cas. 3.

Papa potest dispensare in rebus institutionis divinæ? *ibid.* *Dispensatio in genere*, cas. 4. & v. *Dispensatio voti in genere*, cas. 4.

Est ne discrimen quoddam inter Dispensationes concessas forma commissoria aut gratiosa? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 8. & cas. 9.

An ut Dispensationes validæ sint, exprimi debeat in supplicatione numerus lapsuum in crimina, propter quæ petuntur? *ibid.* cas. 10.

Cum de validitate Dispensationum dubitatur, num præsumi potest, eas esse validas? *ibid.* cas. 22.

Si Dispensationes penitus sustulerunt obligationem legis prohibitivæ, an semper ejusdem roboris sunt, cum caussa propter quam fuerunt datæ, cessat? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 27.

An Dispensationes divisibiles effectu, conservant semper suum robur? *ibid.*

Dispensatio fraude, mendacio & falsa expositione acquisita est ne nulla? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 3. & v. *Falsarius*, cas. 2.

Possunt ne Superiores dispensare quosdam privatos, de certis quibusdam rebus, contra communem usum communitatis? tom. 2. v. *Electio*, cas. 18.

Quandonam sunt subreptitiæ aut obreptitiæ? to. 1. v. *Dispensatio Votorum Religionis*, cas. 4.

Cum quis Dispensationem acceperit respectu cujusdam Ordinis, ob paupertatem Parentum, an potest percipere alium Ordinem, si successu temporis ipsi supervenit larga hereditas? *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 27.

Possunt ne Episcopi pro Dispensationo, quam impertiuntur pecuniam accipere? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 58.

DISPENSATIO MATRIMONII.

Vide hujus tituli Proœmium.

Infans *ex Matrimonio nullo* conceptus, nonne legitimus redditur, cum Dispensatio rehabilitans matrimonium præcedit ejus nativitatem? tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 8.

Matrimonium contractum sub conditione Dispensationem obtinendi, est ne nullum? Necessum ne est ut rehabilitetur post obtentam dispensationem? tom. 2. v. *Matrimonium*, cas 6.

An necesse est, ut indicetur testibus obtentio dispensationis? tom 2. v. *Matrimonium*, cas. 4.

Dispensationes continentes solutionem matrimonii ratificati nec adhuc consummati, sunt ne validæ? Debent ne peti tales dispensationes? An negari potest absolutio eis qui eas aut petere aut adhibere vellent, cum illas obtinuerint? v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 1.

Potestne Papa pro bono publico, Religiosum a votis suis dispensare, ipsique permittere matrimonium, & num Religiosus iste potest uti ista dispensatione? *ibid.* cas. 2.

Dispensationes Roma obtentæ, quibus permittitur licentia matrimonium cum persona aliqua in primo gradu affinitatis & infra in linea directa contrahendi, sunt ne validæ? Illis ne uti licet, & sunt ne permissæ in Gallia? *ibid.* cas. 3. & tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 7.

Dispensationes receptæ pro omnibus gradibus affinitatis lineæ collateralis & quidem primi, sunt ne validæ? An matrimonium est prohibitum jure naturali, inter personas conjunctas in secundo gradu lineæ directæ, aut in primo gradu lineæ collateralis, aut in alio quocumque gradu? *ibidem*.

Cum matrimonium est nullum ob adulterium, propter quod promissum est matrimonium, & quidem ante mortem conjugis, aut si nullum sit propter affinitatem spiritualem, quinam procedendi modus est adhibendus, ut obtineatur dispensatio? *ibid.* cas. 17.

Dispensationes acceptæ, quibus permittitur contractio matrimonii cum persona affinitate conjuncta *ex illicita copula*, in primo gradu affinitatis in linea directa, sunt ne validæ, & an turbari debent ii, qui illas executioni mandarunt? *ibid.* cas. 4.

Cum quis sciens contraxerit matrimonium in gradu prohibito, aut commiserit aliquod crimen sub spe obtentionis

Dispen-

Dispensationis, obligatur ne exprimere intentionem suam malam in supplicatione? An denuo Romam mittendus est procurator, sive crimen commissum sit ante, sive post supplicationem? ibid. cas. 6.

Cum post obtentam Dispensationem ambo desponsati in crimen inciderunt, an ipsis opus est nova Dispensatione, quo possint Matrimonium inire? Nihil ne refert sive prior Dispensatio ipsis sit data forma commissoria, sive forma gratiosa? ibid. cas. 9.

Si accidat, ut ante emanatam dispensationem contrahentes reincidant in crimen, an sine nova dispensatione contrahere possunt, cum prior dispensatio forma fuerit commissoria? ibid. cas. 12. & tom. 2. v. Irregularitas, cas. 19.

Ut valida sit dispensatio requiritur ne ut omnia motiva, quæ in supplicationem adhibentur, vera sint ac veracia, etiamsi quædam illorum sint sufficientia ad obtinendam illam? Dispensatio est ne valida si loco gradus remotioris, supplicatio exprimat propiorem? ibid. cas. 13.

Ut Dispensatio sit valida, sufficit ne ut contrahentes exprimant in supplicatione gradum remotissimum? Sunt ne aliqui casus in quibus istud non sufficit? ibid. cas. 11.

Dispensatio est ne nulla, si in supplicatione non omnia necessaria expressa fuere, sive omissio illa facta sit a supplicante, sive a quocumque alio? ibid. cas. 19.

Dispensatio Matrimonii est ne obreptitia, si caussa exposita in supplicatione, reperiatur non esse vera respectu temporis suæ datæ, aut cum Officialis exequitur Rescriptum? An ejus differri debet concessio? ibid. cas. 8.

Est ne consulendum, ut petatur Dispensatio ad contrahendum Matrimonium inter cognatos aut affines? Expressio Dispensationis omissa in Rescripto Romano, reddit ne Dispensationem nullam? Omissio qualitatis Tutoris in supplicatione, si scilicet unus supplicantium Tutor est, reddit ne Rescriptum nullum? ibid. cas. 41.

Dispensatio concessa ad supplicationem alterutrius contrahentium, an ad utramque se extendit? ibid. cas. 5.

Dispensatio fundata falsa expositione, est ne valida? ibid. cas. 7.

Error nominum in supplicationibus, reddit ne dispensationes nullas, sive constet de persona, cui concedenda est, sive non constet? ibid. cas. 15.

Dispensatio est ne irrita, si licet Diœcesis contrahentium, supplicatio aliam præ se ferat Diœcesim? Si contrahentes ex differenti sint Diœcesi, est ne necessarium exprimere in supplicatione utramque Diœcesim? ibid. cas. 16

Dispensationes Matrimonii per tertium quemdam inscii contrahentibus obtentæ sunt ne validæ? ibid. cas 18.

Dispensatio est ne nulla, quando supplicans in supplicatione futuræ suæ sponsæ dotem promittit, eamque, cum præstare non possit, alius præstet ejusque defectum suppleat? ibid. cas. 14.

Dispensatio cessat ne esse valida renuntiatione simplici ejus, qui illam obtinuerat? & post quam ea uti negavit uno tempore, an alio tempore ea uti potest? ibid. cas 42.

Dispensationes Matrimoniorum sunt ne nullæ ubi Officiales & ipsorum Ministri salarium aliquod exigunt contra prohibitionem Papæ? ibid cas. 4.

Impedimentum dirimens Desponsatis plane incognitum est ne ratio sufficiens dispensandi? Quænam aliæ sunt rationes, propter quas Romæ dispensationes indulgentur? ibid, cas. 25.

Dispensationes concessæ ab Episcopis ad petendum debitum sunt ne validæ? An solus Papa facultatem habet dispensandi quoad istud? ibid. cas. 37. & 43.

Episcopi possunt ne dispensare de Impedimentis prohibitivis? ibid.

Episcopi possunt ne dispensare de tertio ad quartum, aut de quarto ad quintum cognationis vel affinitatis gradum? An olim in Gallia indulgebantur ejusmodi dispensationes? Quinam sunt reliqui casus, in quibus Episcopi dispensant? ibid. cas. 33.

Si duo ex Diœcesibus differentibus inhabiles sint ad contrahendum Matrimonium, debeat ne obtinere dispensationem uterque a suo Episcopo in casibus, in quibus Episcopi dispensare solent? ibid. cas. 16. & cas. 36.

Episcopi an faciles esse debeant in concedendis dispensationibus etiam pro matrimonio? tom. 2. v. Matrimonium 2. cas. 2.

Superiores possunt ne concedere dispensationes matrimonii divitibus, eas autem pauperibus negare, ita tamen ut non sint rei peccati acceptionis personarum? tom. 2. v. Acceptio personarum, cas. 4.

Episcopis competit ne facultas dispensandi de denuntiationibus Matrimonii? Quibus de caussis facere istud possunt? An quoad illas denuntiationes matrimonii dispensare possunt levibus de caussis? tom. 1. v. Dispensatio Matrimonii, cas. 26. & 44.

Capitula habent ne jus sede vacante concedendi per suos Vicarios Generales Dispensationes Matrimonii? ibid. cas. 39.

Possunt ne Catholicis concedi dispensationes nubendi hæreticis, promittentibus, se hæresim abjuraturos? Ejusmodi Matrimonia sunt ne Ecclesiæ, juris, & rationis regulis contraria? Dantur ne talium dispensationum exempla? ibid. cas. 33.

Matrimonia a Catholicis contracta cum Hæreticis in gradu prohibito ab Ecclesia, sunt ne nulla defectu dispensationis papalis? ibid. cas. 34.

Dispensationes obtentæ in forma pauperum, sunt ne irritæ, si contrahentes ex duabus quidem sint Diœcesibus, sed eorum unius Officialium exhibeatur attestatio de ipsorum paupertate? ibid. cas. 19.

Dispensationes obtentæ in forma pauperum tam ab Episcopis, quam a Papa, sunt ne validæ, etiamsi supplicantes plus minus mille thaleris possideant? ibid. cas 20.

Filius, cui quidem nihil deest apud patrem suum, sed cui pater nihil vult largiri ad matrimonium ineundum, an valide obtinere potest dispensationem in forma pauperum ad nubendum suæ cognatæ? ibid. cas. 23.

Cum ante emanatam dispensationem, obtingit opulenta successio iis, qui obtinuerunt dispensationem in forma pauperum, Dispensatio est ne nulla, quando nondum subscripta est? matrimonium deinceps contractum est ne validum? ib cas 22.

Superiores possunt ne concedere dispensationes Matrimonii sine justis caussis? An in hoc casu iis uti licet? Possunt ne dispensare in rebus, quæ attinent jus naturale, divinum & humanum? Dispensationes quæ vocantur sine caussa, sunt ne validæ & licitæ? An jam a longo tempore Papæ ejusmodi dare solent dispensationes? ib. cas. 24 & 44.

Officiales possunt ne Dispensationem Romæ datas sine caussa subscribere, quin prius examinent motiva? Quid faciendum est ipsis respectu Dispensationum ad illos directarum? ibid. cas. 27

Si post subscriptionem Dispensationis videantur obreptitiæ, an procedi debet ad celebrationem ipsam Matrimonii? Si contrahentes nobiles essent ac distinctæ conditionis, aut si Parochus loci esset Officialis, aut tandem si supremi Senatus consultum decerneret celebrationem Matrimonii, quid faciendum in hoc casu? ibid cas 28.

Dispensationes obtentæ a Papa, sed non subscriptæ ab Officiali, fierent ne nullæ morte Papæ intervenienti? Quænam est quoad hanc rem Galliæ consuetudo? ibid cas. 29.

Episcopus aut Vicegerens potest ne in defectum Officialis concedere Dispensationes obtentas a Papa & directas ad Officialem? ibid. cas. 30.

Officiali, ad quem Papa direxit dispensationem, moriente, an successor ejus jure dispensationem illam concedere potest? ibid. cas. 31.

Vicarius Generalis capituli potest ne sede vacante concedere Dispensationes matrimonii? ibid. cas. 32.

Dispensationes extinguuntur ne morte Superioris, qui illas dedit? ibid. cas. 38

An, ut valida sit dispensatio Impedimenti Honestatis publicæ, & impedimenti simul affinitatis, necessarium est in supplicatione clare exprimere utrumque impedimentum? tom. 2. v. Impedimentum Honestatis publicæ, cas. 6.

DISPENSATIO VOTORUM IN GENERE.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Superiores legitimi possunt ne dispensare de votis? tom. 2. v. Dispensatio in genere, cas. 3. & tom. 1. v. Dispensatio recitationis Breviarii, cas. 2.

Quænam sunt vota, quorum dispensatio ad Papam pertinet? Vota ista sunt ne reservata tam jure, quam usu? Episcopi possunt ne aliquando de iis dispensare? tom. 1. v. Dispensatio Votorum in genere, cas. 1.

Episcopi occulti in terris hæreticorum possunt ne dispensare de simplicibus castitatis perpetuæ Votis eos, quibus moraliter impossibile est Romam recurrendi, aut qui versantur in periculo succumbendi tentationibus? ibid. cas. 5.

Episcopi Ordinarii habent ne eamdem facultatem respectu eorum ex suis Diœcesanis qui in periculo versantur tentationi succumbendi? ibid. cas. 6.

Episcopis competit ne facultas dispensandi de votis castitatis factis ad tempus definitum? ibid. cas. 12.

Habent ne jus dispensandi de votis simplicibus conditionalibus? ibid. cas 13.

Competit ne Episcopis jus dispensandi de omnibus Votis debitis? An non nisi absoluta & certa Vota Papæ reservata sunt? ibid. cas. 14.

Episcopi habent ne potestatem dispensationem indulgendi illis, qui vota fecerunt Ordinum Sacrorum recipiendorum, & de voto Castitatis perpetuæ annexo? ibid. cas. 15.

Habent ne facultatem illos, qui votum ediderunt numquam ineundi Matrimonii, dispensandi, sive vota castitatis fecerint, sive non? ibid. cas. 17.

Si quis fecerit votum de nubendo quadam Virgine, eo opus habet dispensatione ad vivendum in statu virginitatis, in quo se conservavit? ibid. cas. 18.

Episcopi possunt ne dispensare de simplicibus votis Religionis habentibus conditionem istud potius, quam aliud monasterium ingrediendi? ibid. cas. 20

Si quis post simplex factum castitatis votum graves sentiat tentationes, an peccat dispensationem ambiendo? & potest ne illa obtenta uti? ibid. cas. 7.

Dispensationes Votorum obtentæ falsa expositione, sunt ne irritæ? Quod attinet stilum, est ne in dispensationibus essentiale? ibid. cas. 8.

Sola inclinatio, quam quis erga aliquam fert, est ne ratio sufficiens postulandi dispensationem simplicis castitatis aut Religionis Voti, eaque deinceps utendi citra peccatum? ib. cas. 11.

Dispensatio Votorum data sub hac conditione; modo vota non ratificaverit, est ne irrita, si vota ratificata sunt, cum ignoraretur illa fuisse annullata? ibid. cas. 9.

Dispensationes datæ a magnis Vicariis vi commissionis generalis a suis Episcopis obtentæ, quæ ipsis facultas sit ab omnibus casibus, e quibus Episcopi dispensare valent, dispensandi, sunt ne irritæ? ibid. cas. 19.

Est ne dispensatione opus ad commutanda vota in alia pia opera meliora? Sunt ne quædam, quæ propria auctoritate commutari possunt, vota? ibid.

Com-

Digitized by Google

Commutatio Votorum facta justa de causa, & modo absoluto, dispensat ne ab obligatione, illa in posterum, quam fieri potest exequendi? *ib.* cas. 20.

Confessarius potest ne moribundum dispensare de votis quibusdam? *ib.* cas 21.

DISPENSATIO VOTI IN GENERE.

Ad quemnam oportet, ut quis se conferat ad obtinendam Voti Virginitatis dispensationem? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum in genere*, cas. 9. & 16.

DISPENSATIO VOTORUM RELIGIONIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Si Religiosus Professus votum fecit in aliud intrandi Monasterium, a quonam obtinere debet dispensationem, cum consilium suum mutaverit? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religionis*, cas. 5.

Religiosus, qui dispensationem voti obtinuit exponendo, quod in Apostasiam inciderit, eo quod per tres aut quatuor dies vestem sui Ordinis deposuerit, an potest uti ista dispensatione, & est ne valida? *ib.* cas. 4

Abbates Regulares possunt ne suos dispensare Religiosos, de aliquibus institutorum suorum capitibus? *ib.* cas. 1.

Abbates Regulares possunt ne dispensationibus permissionem dare suis Religiosis possidendi pensiones? *ib.* cas. 5.

Prior potest ne dispensare Religiosos a regulis ab Abbate factis? *ib.* cas. 7.

Episcopi possunt ne dispensare Religiosas a quibusdam Monasterii sui institutis? Religiosæ possunt ne ejusmodi uti dispensationibus? *ib.* cas. 2

Abbatissæ possunt ne suas dispensare Religiosas de Votis; aut eadem in alia opera pia commutare, aut nulla atque irrita declarare? Religiosæ possunt ne tuta conscientia ejusmodi uti dispensationibus? *ib.* cas. 6

An peti potest a Papa dispensatio anni probationis aut Novitiatus? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum in genere*, cas. 3.

DISPENSATIO SIMONIÆ.

Vide hujus vocis Proœmium.

Papa potest ne dispensare de simonia jure tam naturali & divino, quam Ecclesiastico? tom. 1. v. *Dispensatio simoniæ*, cas. 1.

Episcopi possunt ne eos, qui se simoniæ criminis constituerunt reos, dispensare de pœnis canonicis? *ib.* cas. 2.

Possunt ne occultis simoniacis concedere rehabilitationem in sua beneficia, & condonationem fructuum? *ib.* cas. 3.

Possunt ne dispensare beneficiarium reum simoniæ non culpabilis? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 34.

DISPENSATIO IRREGULARITATIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Rescriptum a censuris absolvens capitulum, an etiam Decanum comprehendit, in rescripto non expressum, licet æque reus sit ac reliqui canonici? tom. 1 v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 1.

Si quis ante executionem Rescripti Pontificii in idem crimen incidat, propter quod Irregularis est factus, habet ne opus nova Dispensatione? *ib.* cas. 19. & cas. 23. & tom 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 10.

Est ne opus Dispensatione illi, qui inscius incidit in irregularitatem? tom 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 12.

Episcopi possunt ne dispensare de Irregularitate, in quam quis incidit per crimen cognitum tantum aliquibus hominibus? *ib.* cas 14.

Episcopi possunt ne ad interim dispensare de irregularitatibus Papæ reservatis? *ib.* cas. 15.

Possunt ne dispensare de irregularitate, in quam quis incidit crimine occulto, quod delatum in forum contentiosum quidem est, sed probari non potuit? *ib.* cas. 2.

Possunt ne dispensare ab irregularitate, in quam quis incidit simoniæ non culpabili? *ibid.* cas. 5.

Si quis inciderit in censuras atque irregularitatem, an ab alio quam a Diœcesano absolvi potest Episcopo? *ibid.* cas. 7.

Episcopi possunt ne dispensare de irregularitate, in quam quis incidit homicidio perpetrato, non observato inculpatæ defensionis moderamine? *ibid.* cas. 9.

Possunt ne dispensare de irregularitate, quam quis contraxit homicidio involuntario occulto, vel casuali? *ib.* cas. 8. 11. & 13.

Si quis aggressorem injustum occidat sine alio, quam se tantum defendendi, proposito, est ne irregularis, & habet ne opus dispensatione? *ibid.* cas. 10.

Episcopi possunt ne dispensare de irregularitate, quam quis attraxit mutilatione occulta? *ibid.* cas. 3.

Possunt ne Episcopi eos, qui irregulares sunt ex defectu nativitatis, aut ex crimine publico vel occulto, dispensare, adeo ut & Ordines sacros possint recipere, & possidere Beneficia simplicia, aut quibus annexa est animarum cura? Episcopi possunt ne in Gallia hunc in finem delegare? *ibid.* cas. 16. & 28.

Persona illegitima dispensata pro quibusdam ordinibus ex ratione paupertatis ejus cognatorum, potest ne recipere ordines, si tunc iis locuples successio obtingeret? *ibid.* cas. 27.

Est ne illi obligatio petendi dispensationem irregularitatis qui natus est ex secreto matrimonio, licet habeatur vulgo legitimus? *ibid.* cas. 26.

Legitimati a Principibus vel subsequentis Patris sui cum matre sua matrimonio, habent ne dispensatione opus pro Ordinibus & beneficiis? Est ne quædam exceptio respectu legitimatorum eorum in statu Ecclesiastici rerris? *ibid.* cas. 20.

Spurii dispensati pro recipiendis ordinibus, indigent ne nova dispensatione ad possidenda beneficia? *ibid.* cas. 30.

Religiosi irregulares nativitate sua, habent ne dispensatione opus, ut possint recipere sacros Ordines & ad Dignitates pervenire Regulares? An solus Papa eos dispensare valet? *ib.* cas. 25.

Bigamus an ad id ut sacros Ordines recipere possit, dispensatione indiget, quamvis secundum ejus matrimonium declaratum fuerit nullum impedimenti dirimentis causa? *ibid.* cas. 31.

Bigamus, qui duo contraxit matrimonia, sed unum tantum consummavit, indiget ne dispensatione ad id, ut possit ad sacros ordines promoveri? *ib.* cas. 32.

Qui nupsit viduæ an opus habet dispensatione, ut possit sacros recipere Ordines tam majores, quam minores? A quonam obtinenda est dispensatio? *ib* cas 33.

Chirurgi & Medici egent ne dispensatione ad recipiendos ordines sacros, aut ad possidenda beneficia? *ib.* cas. 20. & 21.

An omnes ii qui arma gestarunt in bello, dispensatione irregularitatis egent, ut Ecclesiasticum possint ingredi statum? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 23. 69. & 80.

Infidelis irregularis homicidii aut bigamiæ causa, habet ne dispensatione opus, si post conversionem suam sacros recipere ordines optat? to. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 24.

Judex criminalis, qui pronuntiavit plurimis sententiis supplicium ferentibus, quæque executæ sunt, jam animum habet in Ecclesiasticum transire statum, tenetur ne a Papa dispensationem obtinere? *ib.* cas. 4.

Est ne obligatio obtinendi dispensationem de irregularitate contracta ex infamia? *ib.* cas. 6

Sacerdos, qui postquam matrimonium contraxisset, suum agnoscit crimen, potest ne ejus recipere pœnitentiam & dispensari de irregularitate ab Episcopo suo. *Vide* casum *Nabor*? post additamentum calci hujusce tomi impositum.

Episcopi qui inciderunt in irregularitatem occultam, tenentur ne dispensationem obtinere a Papa? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 18.

Prælati Regulares, quibus Episcopi commiserunt suos Religiosos a censuris absolvere, habent ne facultatem eosdem dispensandi de irregularitate, in quam inciderunt, aut est ne ipsis ad absolvendos suos Religiosos ab irregularitate specialis potestas necessaria? *ib.* cas. 17.

Abbatibus Regularibus competit ne jus ac potestas dispensandi suos Religiosos de bigamia, ante vel post ipsorum Professionem? *ibid.* cas. 34.

Magnus Vicarius & Pœnitentiarius possunt ne etiam Sede vacante dispensare de irregularitate? *ibid.* cas. 35.

Confessarii possunt ne tempore Jubilæi dispensare de irregularitate? *ib.* cas. 22.

DISPENSATIO SUSPENSIONIS ET EXCOMMUNICATIONIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Ecclesiasticus, qui ordinatus fuit sine dimissoriis literis, aut sub falso titulo, ante ætatem requisitam, aut qui assumpsit Diaconatum ante Subdiaconatum, ad quem se convertere debet, ut dispensetur de suspensione, in quam incidit, *ibid.* cas. 1. 2. & 3.

DISPENSATIO RECITATIONIS BREVIARII.

Vide hujus tituli Præliminaria.

Juvenis beneficiarius studiosus potest ne ambire dispensationem recitationis magni Officii? Dispensatione ea obtenta potest ne uti? Papa habet ne potestatem ejusmodi concedendi dispensationem? tom. 1. v. *Dispensatio recitationis Breviarii* cas. 1. & tom. 1. v. *Canonicus*, cas 1. & 14.

Religiosus Professus, qui obtinuit dispensationem suorum Votorum, est ne quoque dispensatus a recitatione Officii Divini? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 10.

DISPENSATIO ÆTATIS.

Episcopi possunt ne beneficiariis ætatis dispensationes indulgere? tom. 1. v. *Decanus*, cas 4.

An faciles esse debeant in concedendis pro matrimonio juvenum dispensationibus ætatis, sollicitantibus quoque eorum cognatis? tom. 2. v. *Matrimonium* 2. cas 2.

DISPENSATIO JURAMENTI.

Vide hujus tituli Proœmium.

An dispensatio ab omnis generis juramentorum quæri potest? tom. 2. v. *Dispensatio juramenti*, cas. 1.

Episcopi possunt ne ab iis dispensare juramentis, quorum executio illicita est? *ib.* cas. 2.

Possunt ne dispensare de juramentis, quæ adimpleri possunt? *ib.* cas. 3.

Cum promissio juramento confirmata, remissa est ab eo in cujus favorem facta est, an adhuc obligatio est dispensationem obtinendi? *ib.* cas. 4.

Promissio juramento confirmata, sed cum intentione dispensationem de ea obtinendi, est ne valida? tom. 2. v. *Jurare*, cas. 10

Talis promissio spectans rem miatam aut dubiam, aut quæ sua natura nec bona est nec mala, est ne licita? Quis ejus potest concedere dispensationem? *ibid.* cas. 14.

Intentio dispensationem obtinendi sufficit ne ad excusandum perjurium? tom. 3. v. *Perjurium* cas. 13.

Dispensationum juramentorum, an semper illorum, qui iis utuntur, conscientias tranquillas reddent? tom. 3. v. *Pensio*, cas. 2. & 3.

DISSIMULATIO.

Est ne licita dissimulatio? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 5. & 6. vide supra *Æquivocatio*.

DISSOLUTIO ARGENTARIÆ.

Vide hujus tituli Proœmium.

Qui recipiant aut nomen suum commodant iis, qui dissolutione argentariæ alios fallunt, obligantur ne monitorio ad revelationem? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 9. & 11.

DISTRACTIONES.

Distractiones durante Officio divino supervenientes an semper obligant ad illud denuo incipiendum? tom. 1. v. *Attentio*, cas. 2. & tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 13.

Distractiones efficiunt ne ut precum amittatur meritum? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 15.

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

Vide hujus tituli Proœmium.

Consuetudo distributiones absentium per modum accretionis inter præsentes partiendi, est ne licita? *ibid.* cas. 2.

Capitula possunt ne absentibus distributiones concedere extra casus jure expressos? Privati possunt ne illas exigere? *ibid.* cas. 2. & tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 11. &c.

Est ne consuetudo introducta præsentes habendi per aliquod tempus illos, qui ad limina Apostolorum se conferunt? tom. 1. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 5.

Capitula possunt ne statuta facere, quibus distributiones absentibus non concedantur; nisi iis, qui adfuerint tribus majoris diei horis? *ibid.* cas. 8.

Ingressus in Seminarium & secessus annuus, sunt ne sufficientes rationes ad petendas & obtinendas distributiones quotidianas? *ibid.* cas. 6.

Capitula possunt ne ferre statutum, quo per tempus feriarum absentibus distributiones concedantur? Potest ne quis ejusmodi statuto uti? *ib.* cas. 8.

Qui adsunt Officio respicientes ad distributionem, aut qui nullam habent attentionem, peccant ne, & tenentur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 9. tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 15.

Ii, qui durante Officio, confitentur, aut Missam celebrant, gaudent ne jure accipiendi distributiones? *ibid.* cas. 10.

Canonici qui sunt Consiliarii clerici possunt ne accipere summam solutionis & distributiones manuales, quando occupati sunt exercitio sui muneris? *ibid.* cas. 4. & tom. 2. v. *Clericus*, cas. 4.

An pro debitis alicujus apprehendi possunt distributiones quotidianæ? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 6.

Distributiones manuales debentur ne absentibus? *ibid.* cas. 5. & 6.

Lex, quam Ecclesia quoad hanc rem condidit; est ne in summo rigore capienda? *ibid.* cas. 7.

Possunt ne canonico ægroto denegari distributiones a primo ejus morbi die? an quicquid in contrarium statuisset capitulum, æquum esset? tom. 1. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 4.

Possunt ne igitur Canonicis ægrotis denegari distributiones absentia aliorum accrescentes præsentibus? *ibid.* cas. 7.

Potest ne in distributionibus Doctorum aut remunerationum major haberi ratio illorum, erga quos affectu majori ducimur, ita ut ipsis plus demus, quam aliis? tom. 1. v. *Acceptio Personarum*, cas. 3.

DIVINATIO.

An omnis generis Divinationes damnandæ sunt? tom. 1. v. *Astrologia Judiciaria*, cas. 2. & tom. 2. v. *Superstitio*, cas. 3.

DIVISIO.

Fidejussores habent ne beneficium Divisionis? tom. 2. v. *Fidejussor*, cas. 5.

Quum negligunt eo uti, possunt ne recurrere adversus reliquos Fidejussores? *ibid.* cas. 6.

DIVITIÆ.

Quænam Dei est intentio, dantis hominibus divitias? tom. 2. v. *Invidia*, cas. 1.

Quot modis male acquisitæ esse possunt divitiæ? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 14. & tom. 1. v. *Divortium*, cas. 18.

Quot modis peccari potest in usu divitiarum? tom. 3. v. *Beneficiarius*, cas. 14.

Qui intentus est bene adhibere divitias, potest ne variis uti industriis & ita agere, ut magnas corradat divitias? *ib.* cas. 19.

DIVORTIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Divortium est ne permissum ob crimen ab alterutro conjugum contra Matrimonium commissum? Conjuges, qui se ongreconciliare negant, aut desponsari, qui Matrimonium consummare nolunt, & qui ipsis talia suppeditant consilia, peccant ne mortaliter? Sunt ne ad participationem Sacramentorum admittendi, si in sua illa denegatione persistant? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 1.

Sunt ne rationes & probationes producendæ ad obtinendam divortii sententiam? tom. 2. v. *Electio*, cas. 4.

Potest ne quis persequi & executioni dare divortii sententiam obtentam adulterii sui Conjugis causa? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 2.

Mulier rea adulterii potest ne post sententiam separationis denuo instruere litem, si præsto ipsi sint probationes evincentes, quod ipsius Maritus ejusdem reus fuerit criminis ante obtentam adversus ipsam sententiam? An tunc Maritus tuta conscientia executioni dare potest sententiam, quam obtinuerat? *ibid.* cas. 3.

Cum sententia separationis lata est ex errore, an Maritus qui eam obtinuit, & postmodum Sacros recipit Ordines, tenetur reverti ad vivendum cum uxore sua, & potest ne exigere & reddere ipsi debitum Matrimonii? *ibidem* cas. 4.

Mulier quæ falso condemnata tanquam ob adulterii crimen Professionem fecit Religionis solemnem, potest ne in sequenti tempore, cum veritas omnibus innotuit, reverti ad suum Maritum, ab eoque exigere, illique reddere debitum conjugale? *ibid.* cas. 5.

Maritus potest ne se separare a sua Uxore, quæ illum credens mortuum alias iniit nuptias? *ibid.* cas. 6.

Conjuges duo possunt ne ex unanimi consensu sese separare quoad lectum & cohabitationem, sub prætextu, quod ita vivent magis pacifici, & quod melius suam uterque operaturi sint salutem? *ib.* cas. 7.

Divortium quantum ad lectum & cohabitationem est ne licitum, sine auctoritate Ecclesiæ intercedente? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 48.

Est ne Ecclesiastici Judicis cognoscere de separatione corporis & bonorum? Quinam est quoad hanc rem Galliæ usus? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 9.

Judices Regii sunt ne in Gallia in possessione judicandi de divortiis? *ibid.* cas. 7.

Iniquus & durus agendi modus, quo conjugum unus male admodum ab altero excipitur & tractatur, est ne ratio sufficiens sese separandi? *ibid.* cas. 8.

Maritus potest ne suam coram Judicibus traducere Uxorem ob crimen adulterii, licet delicti pœniteat illam? Potest ne denegatione absolutionis cogi ad veniam illi dandam? *ib.* cas. 11.

Postquam intercessit sententia separationis, an Maritus reverti tenetur ad Uxorem suam, quæ instanter ipsum debite precatur ac sollicitat? *ibid.* cas. 2.

Mulier cum qua Maritus post sententiam separationis se reconciliare non recusat, tenetur ne ad ipsum redire, ipsique debitum reddere conjugale? An illam ad hoc auctoritate Judicis cogere potest? *ib.* cas. 12.

Mulier, quæ ex causa adulterii separata a suo Marito Professionem fecit solemnem Religionis, potest ne cogi ad revertendum ad suum Maritum, si se reconciliare vult cum ipsa? An uterque conjugum tempus aliquod definitum habent, intra quod sese reconciliare possunt? *ib.* cas. 13.

Conjuges possunt ne ob hæresis vel infidelitatis causam se sua propria auctoritate separare? Ab pars innocens tenetur post conversionem alterius, se cum ea reconciliare, aut religionem amplecti? *ibid.* cas. 14.

Sollicitatio, qua conjugum unus alterum tentat inducere in hæresim aut in crimen aliquod atrocius, est ne sufficiens causa persequendi separationem? *ib.* cas. 15. & 16.

An pars innocens tenetur desistere a persequenda separationis sententia, si pars hæreseos aut infidelitatis rea renunciet erroribus suis ante latam separationis sententiam? *ibid.* cas. 17.

Hæresis est ne ratio sufficiens, quæ opponatur conjugum uni, qui separationem petit ab altero conjugum ob adulterii crimen? *ibid.* cas. 18.

Mulier potest ne recusare suum Maritum in bellum euntem sequi? *ibid.* cas. 19.

Potest ne negare Mulier, suum maritum sequi in itinere, quod non nisi ob malos fines suscipere perspectum habet? *ibid.* cas. 20.

Maritus tenetur ne prospicere de necessariis suæ uxori, quæ se ab illo sponte & sine causa separavit? *ibidem* cas. 21.

Conjugum illa pars, quæ Catholicam amplexa est fidem, an se ab altera parte, quæ in infidelitate persistit, separare potest? *ib.* cas. 22.

Cum Maritus infidelis ad fidem conversus est, potest ne suam uxorem, quæ vult amplecti Religionem, obligare ut maneat cum illo? *ib.* cas. 23.

Si cum de divortio agitur conjugum unus alterum impotentem accusat, hic vero istud negat, cui credendum? tom. 2. v. *Impedimentum impotentiæ*, cas. 25.

DOCTOR.

An ut Doctores prædicare possint, requiritur, ut ab Ordinario approbati sint? tom. 3. v. *Prædicare*, cas. 2.

Do-

Digitized by Google

Doctores in curia Romana provisi de curis, sunt ne exempti ab examine Episcoporum earum Diœcesium, in quibus sitæ sunt illæ curæ? tom. 2. v. *Examen*, cas. 1.

D O M I C I L I U M.

Quodnam requiritur Domicilium, ut valide contrahatur Matrimonium? to. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 4.
An eodem tempore habere quis potest duo Domicilia, & matrimonium est ne validum sive in uno contractum, sive in altero? ib. cas. 5.
Qui nullum conducerunt Domicilium possunt ne matrimonium valide contrahere? Sunt ne quædam adhibendæ cautiones respectu illorum? ib. cas. 12.
Cum unus contrahentium Domicilium habet, alter non habet, an Matrimonium inter illos contractum validum est quicumque illi adfuerit Parochus? ib. cas. 11.
Domicilium reddit ne valide Matrimonia contracta secundum consuetudinem regionis, in qua quis est? ibid. cas. 10. & 11.
Numerus annorum solus ne Domiciliorum est norma? to. 2. v. *Ordines*, cas. 2.

DOMINIUM REGIS.

Quod pertinet ad Dominium Regis, an semper est imprescriptibile & inalienabile? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 15.

D O M I N U S.

Quænam sunt Dominorum erga suos servos & famulos officia? tom. 2. v. *Larua*, cas. 2. tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.
Dominus potest ne uti servo hæretico? ib. cas. 14.
Tenetur ne domo ejicere domesticum, cum quo sunt aut fuerunt aliquando in pravo commercio ac familiaritate? ib. cas. 15. 16. & 19.
Possunt ne Domini servorum suorum alteri minus dare Salarium, sub prætextu, quod sua ipsis offerat officia? Sunt ne quidam casus, in quibus facere istud possunt? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 26.
Domini, qui per servos suos se absentes dicunt & celant, sunt ne mendacii rei? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 6.
An in quibusdam casibus verberare possunt suos Domesticos? tom. 3. v. *Verberare*, cas. 1.
An sine peccato excipere eos possunt verbis injuriosis? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 5
Domini, qui injuste læserunt servorum atque famulorum suorum honorem, an tenentur ab iis veniam petere? Quomodo reparare ipsis debent honorem læsum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 208.
Tenentur ne respondere de erroribus culpis & factis suorum famulorum? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 19. & cas. 24. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 180.
Domini sunt ne irregulares, si ipsorum mandato famuli quemdam maltractant, adeo ut inde moriatur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 27.

DOMINI PAROECIARUM.

Quænam sunt culpæ & errores principales, in quos Domini Parœciarum incidere possunt? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.
Possunt ne adversus Vassallos suos uti infeudationis contractu, a nemine subscripto, & quod non nisi simplex annexum habet sigillum? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 2.
Domini feudales possunt ne exigere jus campi partium, antequam decimæ fuerint solutæ? tom. 1. v. *Decimæ*, cas. 8.
Habent ne jus exigendi decimas? Possunt ne præscribere jus istud? ibid. cas. 9.
Possunt ne exigere vectigalia feudi toties, quoties feudatarii in anno mutantur? tom. 2. v. *Jura Caducaria*, cas. 1.
Domini Parœciarum possunt ne proficere reditibus prædii beneficiarii, quod ipsis in fidem debiti fuit obligatum? tom. 3. v. *Usura*, cas. 24.
Domini qui pistrina habent cum punctis quadratis, tenentur ne illa in puncta rotunda mutanda curare? tom. 2. v. *Pistrinum*, cas. 1.
Possunt ne vi consuetudinis apprehendere fragmenta allisarum navium, aliasque res tempestatis impetu in ipsorum littore ejectas? tom. 2. v. *Naufragium*, cas. 4.
Bona mobilia, quæ reperta sunt in ambitu ipsorum Dominii pertinent ne ad ipsos? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 12.
Habent ne jus capiendi bona spuriorum, qui in districtu ipsorum Parœciæ moriuntur? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 9.
Possunt ne uti jure redhibitionis feudalis in favorem amici? tom. 3. v. *Redhibitio*, cas. 3. vide quoque tom. 2. v. *Laudemia & Venditiones*.
Possunt ne a Parocho suæ Parœciæ exigere, ut diebus Dominicis ac Festis illos expectent, non ante illorum adventum ad celebrationem Missæ progrediendo? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 13. & tom. 2. v. *Missa*, cas. 14.
Possunt ne in præjudicium succedentium directe vel indirecte concedere prædia? Quænam quoad hoc est Galliæ Jurisprudentia? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 15
Possunt ne exigere obsequium operæ, jus bannalitatis aut vectigalis, nullo alio titulo nisi sola possessione eius? ibid. cas. 2.
Possunt ne Vassallos suos obligare ad exhibenda illis obsequia operæ uno anno, quæ debent pro præcedentibus? Si hoc faciunt tenentur ne ad restitutionem? ibid. cas 3.
Possunt ne in pecuniam convertere obsequia operæ, quæ ipsis Vassallis debentur? Tenentur ne ad restitutionem, si id faciunt? ibid. cas 4.
Cum Parœciæ Dominus petit a suis Vassallis opera obsequiis, quæ ipsi debebantur eaque non fuerint præstita, nonne jus habet illa in pecunia exigendi? Et quanti debent æstimari? ibid.
Dominus Parœciæ potest ne Vassallos suos obligare ad præstanda opera obsequiis alteri, quam sibi? ibid. cas. 5.
Possunt ne, quin usuræ se reos constituant, ad aliquam servitutem argento æstimabilem, obligare illos, quibus mutuo dant? tom. 3. v. *Usura*, cas 2.
Possunt ne sub prætextu multiplicandarum ferarum venaticarum prohibere Vassallos, certo quodam tempore herbas colligere necessarias pecori alendo? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas 4.
Dominus Parœciæ, qui deprehendit quemdam in suis terris venantem, potest ne arma illius capere, aut pecuniam pro iis accipere, ut ipsum in foro judiciali non persequatur? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 200.
Possunt ne sua leporaria transferre, aut nova erigere pro lubitu? tom. 2. v. *Leporarium*, cas. 1.
Possunt ne inducere collectores, ut non nisi modicum solo conductoribus, aut locatariis tributum imponant? Quod si faciant tenentur ne ad restitutionem? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 8.
Domini altæ justitiæ tenentur ne inquirere in capacitatem suorum Præfectorum? Tenentur ne respondere partibus de damno, quod ad ipsos redire potest ex malitia, vel ignorantia ejusmodi Præfectorum? tom. 1. v *Domini Parœciarum*, cas. 14.
Tenentur ne illos munere suo privare, si in illius exercitio injustitias & concussionem admittant, sive ad illud promoti fuerint titulo gratuito, sive titulo oneroso? Quomodo agendum est iis, hunc in finem? ibid. cas. 10.
Domini Parœciarum possunt ne sufferre scelestos, si reditus suæ Parœciæ nimis sint modici & non sufficiant illis criminaliter persequendis? ibid. cas. 11.
Debent ne Bohemis, Ægyptiis & aliis ejusmodi vagabundis denegare permissionem morandi in suæ Parœciæ districtu? ibidem.
Sunt ne irregulares, cum suis Judicibus injungunt terminis generalibus, ut recte administrent justitiam, morsque alicujus rei inde sequatur? to. 2. v. *Irregularitas*, cas 64.
Fiunt ne irregulares, cum præsentes sunt sumto e reo supplicio? ibid. cas. 72.

D O M U S.

Locationis pretium quod debetur pro aliqua domo pertinet ne ad proprietarium ab ipsa die postulationis coram judice facta quando se bonæ fidei possessorem vindicavit? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 6.
Venditor domus tenetur ne emtori damnum præstare pro ratione evictionis? Quousque extenditur obligatio damna ista præstandi? Est ne aliqua facienda differentia, inter bonæ fidei venditorem, & venditorem malæ fidei? tom. 1. v. *Damnum & Interesse*, cas. 3. & v. *Dos* cas. 21.
Rudera ac materies vetusti ædificii pertinent ne ad fructuarium vel ad sortem ipsam? tom. 1. v. *Dos*, cas. 21.
Proprietarii aut locatarii domorum tenentur ne de damnis datis ab iis, qui habitant in domibus ipsorum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 170. & 180.
Si domus ruendo aliam secum in ruinam ferat domum, proprietarius tenetur ne damnum istud vicino præstare? ib. cas. 185.

D O N A T A R I U S.

Donatarii tenentur ne reddere fructus perceptos usque ad diem revocatæ donationis? tom. 1. v *Donatio*, cas. 11.
Heredes donatarii possunt ne prætendere donationem, quam non acceperunt? ib. cas. 14.
Donatarius potestne Donatorem vocare in cautionem? ib. cas. 19.

D O N A T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Donationes inter maritum & uxorem durante matrimonio sunt ne licitæ, aut sunt ne ab omnibus consuetudinibus prohibitæ? Est ne obligatio se submittendi quoad istud consuetudini terræ, in qua quis commoratur? Quamnam habuerunt intentionem Legislatores, Auctores harum consuetudinum, qui ejusmodi vetant donationes? Ii qui recipiunt donationem quam Testator ipsis fecerat per personas interpositas in præjudicium consuetudinis habent ne conscientiam suam in tuto? ibid. cas. 2. & tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 6.
Maritus & uxor possunt ne sibi invicem prælegare donationes? Quonam in casu & quibuscum conditionibus facere istud possunt? ibid.
Quando & quomodo maritus & uxor sibi invicem prælegare possunt? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 3. & tom. 3. v. *Prælegare*, cas. 1. 2. 3. & seqq.
Quo in casu alter alterius prælegare potest infantibus? ib. cas. 7.
Donationes inter maritum & uxorem ante matrimonium sunt ne licitæ? tom. 1. v. *Dos*, cas. 13.
Maritus potest ne suæ uxori summam pecuniæ dare per fideicommissum, in Regionibus, ubi illæ donationes sunt prohibitæ? Mulier, an postquam omnia sua resumsit bona,

bona, servare potest etiam summam istam, sub prætextu, quod communitas patiatur? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 2.

Donationes inter vivos, & causa mortis inter maritum & uxorem sunt ne licitæ in Regionibus Consuetudinibus regi solitis, in quibus non expresse vetitæ sunt? *ibid.* cas. 3.

Donationes inter vivos factæ ab iis, quibus nulli sunt infantes, sunt ne nullæ, si donatores proles nanciscantur? An eodem modo se res habet respectu donationis uni infanti factæ cum alii sequuntur liberi? *ibid.* cas. 9.

Donatio inter vivos nulla reddita nativitate infantis, an valorem recipit suum ac vigorem, morte illius infantis? *ibid.* cas. 10.

Donationes factæ pauperibus & Ecclesiis sunt ne nullæ, quando Donatori nascuntur liberi? Donatarii tenentur ne restituere fructus perceptos usque ad revocationis diem? *ib.* cas. 11.

Donationes mobilium inter maritum & uxorem sunt ne licitæ tam in Regionibus Legi scriptæ subjectis quam in Consuetudinibus regi solitis? An omnes quoad illud conspirant Consuetudines? *ibid.* cas. 4.

Donationes factæ a Patribus & Matribus suis liberis adhuc minoribus, sunt ne licitæ? sunt ne saltem aliqui casus, in quibus sint validæ? *ibid.* cas. 12.

Oportet ne ut alius ipsorum nomine donationes ipsis factas acceptet? *ibid.*

Si Pater diversis tempore pluribus ex suis filiis, donationem fecit tam largas, ut post mortem ipsius, reliquorum ne quidem legitima supersit, an deductionem facienda sunt in omnium, aut saltem in ultimorem donationibus? *ibid.* cas. 13.

Hæredes donatarii possunt ne prætendere donationem, quam ante mortem suam non acceptaverat? *ibid.* cas. 15.

Donatio quorumdam alicujus Beneficii bonorum facta juvenibus quibusdam cognatis, ut habeant quo se aliquando recreent, est ne licita? *ibid.* cas. 22.

Mulier, quæ ad secundas nuptias convolat, antequam annum post mortem mariti in luctu compleverit, potest ne donationibus & prærogativis, quas primus ipsi fecerat maritus, frui, ac donationes, venditiones vel aliter in alios transferre? *ibid.* cas. 5.

Cum debitor accepit mandatum a suo creditore, ut daret cuidam 300. libras, quas ipsi sine Chirographo mutuo debebat, & post datum hoc mandatum Debitor iste ex literis commercii subscriptis propria manu, didicit, quod debet huic creditori summam 150. librarum, & eumdem creditorem apud se retinuisse literas illas mercatorias, potest ne factus Dominus & possessor illarum, post mortem creditoris solvere defuncti amico 150. libras cum proposito exequendi mandatum sibi datum, aut tenetur eas illas solvere heredibus defuncti? *ibid.* cas. 20.

Ad quem pertinet summa pecuniæ, quam Donator, datis omnibus suis bonis, sibi reservavit, ut de ea juxta voluntatem suam disponeret, qui vero non disponens de iis mortuus est, pertinet ne ad Donatarium aut ad heredes Donatoris? *ibid.* cas. 16.

Donationes factæ a Filiofamilias, minore, aut pupillo, aut a Religioso, aut a muliere, quæ sub potestate viri existit, sunt ne nullæ? *ib.* cas. 16.

Minor potest ne donare saltem per testamentum Tutori suo aut Curatori? *ibid.*

An omnes donationes nullæ sunt defectu relationis in actis? An in hoc casu Donatarius prohiberi potest ab accipienda donatione? an nullam uxor hoc respectu prærogativam habet præ marito? potest ne aliquis citra peccandi periculum compensatione uti eo in casu, quo prohibetur a possidenda se donata? *ibid.* cas. 1. & tom. 2. v. *Insinuatio*, cas. 6.

Quandonam insinuari debet actus donationis? tom. 2. v. *Insinuatio*, cas 2.

Donatio imperfecta defectu quarumdam formalitatum a Principe, sub pœna nullitatis præscriptarum, est ne nulla æque in foro conscientiæ ac in foro exteriori? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 8.

Donationes sunt ne nullæ, quando motiva donationis expressa a Donante, non reperiuntur veritati congrua? *ibid.* cas. 13.

An omnes donationes irrevocabiles sunt a Donatore ipsiusque heredibus, propter ingratitudinis caussam? Usus in Gallia sunt ne quoad hanc rem Juri Romano conformes? *ibid.* cas. 17.

Donatarii tenentur ad cautionem præstandam rerum, quæ donant, ut & de damnis & interesse inde sequentibus? *ibid.* cas. 19.

An sine usura fieri potest donatio, quæ excedit opes suas? *ibid.* cas. 22.

DONUM MUTUUM.

Mulier, quæ testimoniis authenticis persuasa de morte mariti, ad secundas convolat nuptias, potest ne post mortem hujus secundi mariti resumere conventiones suas matrimoniales & donum mutuum quod invicem sibi fecerunt, licet primus ejus maritus redierit? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 7.

Quonam tempore, quibuscum conditionibus, & quomodo fieri debet donum mutuum, ut sit validum? tom. 3. v. *Mulier conjugata*, cas. 2.

DONUM vel LARGITIO.

Vide; LARGITIO.

DOS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Mulieres tenentur ne suis maritis dotem afferre? to. 3. v. *Dos*, cas. 7.

Viri tenentur ne suis sumtibus sustentare uxores, qui nullam ipsis attulerant dotem? *ibid.* cas. 8.

An recusare quis potest matrimonium consummare ante integram dotis solutionem? *ibid.* cas. 10.

Mulieres possunt ne de sua dote disponere? tom. 3. v. *Furtum*, cas. 8.

An quæstus & quidem modis usurariis ex illi accepta possunt, mora uo mariti illam dissipent? tom. 3. v. *Mutuum*, cas. 3.

Mariti possunt ne a matribus filiarum, quas ambiunt, insciis patribus quoddam recipere dotis augmentum? tom. 3. v. *Communitas bonorum*, cas. 5.

Hypotheca tacita anterior doti vel posterior, est ne præferenda hypothecæ fisci Regii? An in dubio dotis hypotheca, fisci hypotheca prævalet? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 14.

An uxor respectu dotis suæ præferenda est omnibus creditoribus anterioribus aut posterioribus suo matrimonii contractui? tom. 3. v. *Hypotheca*, cas. 15.

Competit ne creditoribus jus annullandi dotem filiæ a Patre in ipsorum præjudicium constitutam? Possunt ne annullare eam, quam mulier sibi constituit in fraudem fidei ipsorum? tom. 1. v. *Dos*, cas. 2.

Mulier potest ne integram capere suam dotem cum præjudicio creditorum, licet magnos sumtus suo marito cuoffecta fuerit? *ibid.*

Parentes tenentur ne dotibus instruere suos liberos, sive matrimonia contrahant jure, sive contra ipsorum consensum? *ib.* cas. 1. tom. 2. v. *Matrimonium* 1. cas. 25.

Tenentur ne suis liberis secundam dare dotem aut supplementum, si prior dos perierit? tom. 1. v. *Dos*, cas. 2.

Parentes tenentur ne liberis suis dotem largiri, quo possint ingredi Religionem? tom. 1. v. *Dos*, cas. 6.

Si pater, cujus filia propria habet bona, ipsi constituat dotem, non exprimens, an de suis, an vero de filiæ bonis, censetur ne dotem ipsi constituere ex suis bonis propriis? *ib.* cas 9.

Dote constituta ex bonis male partis, oportet ne illam restituere? Quando & quomodo facere istud decet? tom. 3. v. *Restitutio*, cas 18. & 20.

Conjugum ille qui dives est, tenetur ne in defectum alterius conjugis, qui pauper est, dotare liberos? tom. 1. v. *Dos*, cas. 3.

Fratres heredes omnium patris ac matris bonorum, tenentur ne sororibus suis dotem constituere? *ib.* cas. 4.

Fratres divites tenentur ne dotare suas sorores in defectum Parentum, quibus id per angustam rem non licet? *ib.* cas. 5.

Cum Domini mancipiis suis dotem quamdam constituebant, an censebantur illa sua mancipia in libertatem collocare? tom. 2. v. *Impedimentum conditionis servilis*, cas. 1.

Dos mulieris, cui prælegavit primus maritus, & quæ deinceps ad secundas transiit nuptias, debet ne æqualibus portionibus dividi inter infantes primi & secundi connubii? tom. 1. v. *Dos*, cas. 13.

Maritus potest ne bona sua uxoris dotalia ipsa consentiente vendere aut alienare? An usus in omnibus regionibus consuetudinibus regi solitis iidem sunt? *ib.* cas. 12. & 14.

Mariti possunt ne suarum uxorum bona dotalia servitutibus subjicere, & ea quæ ipsis debentur, negligere, aut alienare? *ib.* cas. 15.

Cum matrimonium irritum nullum est, an tenetur maritus reddere uxori dotem, quam attulit, & æqualibus portionibus cum ea partiri, quæ una lucrati sunt bona? Mulieri possunt ne hoc in casu prodesse conventiones matrimoniales stipulatæ in ejus favorem in contractu? *ibidem* cas. 16. & 17.

Maritus qui separatus est ab uxore ex caussa adulterii, tenetur ne illi reddere dotem, quam attulerat, & partiri cum ea lucrum communitatis? *ibid.* cas 18.

Mulieres a maritis suis quoad personam, & quoad bona separatæ, possunt ne administrare, regere, alienare aut vendere bona sua dotalia? Mariti possunt ne se iis quoad istud opponere? *ib.* cas. 19.

Maritus tenetur ne de dote uxoris respondere heredibus ejus, quando eam perire passus est? *ib.* cas. 20.

Cum dos uxoris perit, maritus tenetur ne de ea respondere, sive bonorum dotalium æstimatio fuerit facta, sive non? An marito interest hanc æstimationem faciendam curare? *ib.* cas. 2.

Quando dos consistit in agris & sylvis, maritus tenetur ne heredibus uxoris reddere ligna, quæ secanda curavit, sive sint talia quæ ad fructus spectant, sive quæ sortis ipsius locum tenent? An eodem modo se res habet cum materia domus? *ibid.* cas 22.

Cum dos consistit in domibus, an maritus illas heredibus uxoris reddendo jus habet repetendi sumtus quosvis necessarios, utiles & jucundos &c. in eam domum factos? *ib.* cas. 23.

Si domus in dotem data incendio consumatur casu quodam fortuito, an maritus, postquam illam reædificandam curavit jus habet petendi, ut heredes uxoris sumtus domui reædificandæ factos refundant? *ib.* cas. 24.

Fra-

Digitized by Google

Fundus emptus pecunia data in dotem, est ne dotalis? *ib.* cas. 25.

Maritus tenetur ne subtrahere de sorte capitali fructus perceptos ex fundo qui ipsi pro cautione dotis suæ uxoris obligatus est? *ibid.* cas. 26. & tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 5. & 8.

Potest ne maritus sine usuræ labe exigere lucra & interesse ex dote suæ uxoris, si solvi non possit ex tempore? An delationes hisce solutionibus datæ a Jure Romano, eædem sunt in Gallia? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 6.

Filius potest ne a Patre suo exigere dotis suæ interessa, antequam eum ad hoc condemnandum curaverit? *ib.* cas. 8.

DUBIUM.

Vide hujus vocis Procemium.

Qui in dubio consulit doctum quemdam ac prudentem, an tenetur ipsius stare decisioni? to. 1. v. *Dubium*, cas. 1.

Proprietarius in dubio hærens, quis incendii fuerit causa, an unicuique locatariorum damni partem imponere potest? *ib.* cas. 2.

An aliquis in dubio juris positivi humani, & in dubio facti credere se debet irregularem; tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 54.

Qui dubitat de competentia Judicis, tenetur ne illi obsequium præstare? tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 4.

In dubio de validitate sententiæ excommunicationis, an semper in favorem Judicum concludendum est? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 39. & tom. 2. v. *Judex*, cas. 20.

Dubium potest ne subsistere cum fide? an omne dubium quod est contra fidem, excommunicationem includit? tom. 2. v. *Fides*, cas. 7.

An semper tenetur quis restitutio in casu dubii? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 215. & tom. 3. v. *Tributum annuum*, cas. 4.

Est ne in dubio obedientia præstanda? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 4.

An mulier dubitans num primus maritus revera sit mortuus, debitum præstare potest secundo? t. 3. v. *Præscriptio*, cas. 9.

Est ne obligatio confitendi peccata, quæ quis dubitat, num commiserit? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 51.

Est ne agendum in dubio? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 17. 18. 45. 48. & 50.

An in dubio sequi licet opinionem probabiliorem? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 40.

In dubio semper ne tutissimum est eligendum? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 7. & cas. 18.

Peccatur ne agendo in dubio, & quodnam committitur peccatum? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 21.

Simplex dubium est ne obstaculum præscriptioni? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 9.

DUELLUM.

Qui in duellum descendunt, incurrunt ne excommunicationem majorem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 8.

E

EBRIETAS.

Vide hujus vocis Procemium.

Quænam est natura, enormitas & sequela peccati ebriositatis? tom. 2. v. *Ebrietas*, Casu ultimo, Quæstione 1.

An peccant, ii tantum, qui eo usque abutuntur vino, ut rationem amittant, aut ut illud natura respuat? *ib.* Quæstione 2. 3. & 4.

Potest ne dari absolutio iis, quibus est consuetudo nimium bibendi? *ib.* Quæstione 1. & 5. & 14. & 15.

Sunt ne, audiendi prætextus, quibus utuntur ad colorandum suum vitium? *ib.* Quæst. 11. 12. 13. & 16.

Ebrietas est ne peccatum mortale illi, qui non noverat vim vini, aut sui infirmitatem temperamenti? to. 2. v. *Ebrietas*, cas. 1.

An partem habet in peccato ebrietatis, qui alterum ad bibendum nimis excitavit? *ib.* cas. 2.

Tenetur ne aliquis & est ne reus de peccatis in ebrietate commissis? *ib.* cas. 3.

Licet ne vino se inebriare, ad servandam vitam, aut ad sanandum morbum? Ii qui suadent ejusmodi remedia, aut qui iis utuntur, sunt ne peccati rei? *ib.* cas. 4. & 5.

Si quis voluntario peccet contra castitatem, quando nimio vino aut alio liquore usus est, an postea bibens eodem vino vel eodem liquore in eadem quantitate ejusdem reus est peccati, etiamsi in illud non semper incidat peccatum? *ib.* cas. 6.

Si quis post adhibita media a confessario adversus ebrietatem præscripta, in eamdem relabatur ebrietatem, an absolutio ipsi deneganda est? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 30.

Ebrietas fit ne gravius peccatum circumstantia dictum, quibus in illam quis incidit? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 22.

Ebrietas est ne ratio sufficiens, ob quam mulier viro debitum conjugale denegare potest? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 35.

Homo qui alium in ebrietate occidit, est ne irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 45.

ECCLESIA.

Vide hujus vocis Procemium.

Possunt ne erigi aut destrui Ecclesiæ absque Episcopi consensu? tom. 1. v. *Altare*, cas. 5.

Qui ædificandam curat & dotat Ecclesiam, an per hoc Patronatus jus acquirit? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 1. & 5.

Perdit ne jus Patronatus, quando dos collata Ecclesiæ vetustate periit, aut igne consumitur, aut alio quodam casu destruitur? *ibidem* cas. 4.

Parochus potest ne negare honorem Ecclesiæ Domino, cujus majores jus Patronatus cesserunt Episcopo? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 17.

Cuinam jura Ecclesiæ honorifica debentur in defectu Patroni? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 3.

Si Ecclesia ex iisdem, quibus ante ruinam constabat, reædificetur lapidibus, aut si muri per partes collapsi, successivo fuerint reparari, aut si casu tectum igne consumptum fuerit, aut denique alias dubitetur de ejus consecratione, an de novo benedicenda est aut consecranda Ecclesia? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 2.

Ecclesia est ne polluta sepultura excommunicati denuntiati, aut hæretici? Quid faciendum ad illam reconciliandam? *ib.* cas. 2.

An sepeliri in Ecclesia potest excommunicatus denuntiatus, qui mortuus est pœnitens delicti, antequam tamen a censurarum ligamine solvi potuisset? An ambienda est prius ejus absolutio, quamvis mortui? *ibid.* cas. 3.

An eodem modo se res habet cum eo, qui moritur in interdicto? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 14.

Ecclesia est ne polluta, quando Sacerdos excommunicatus denuntiatus in ea celebravit? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 4.

Ecclesia consecrata ab Episcopo denuntiato excommunicato, an opus habet, ut de novo consecretur? *ib.* cas. 5.

Ecclesia fit ne polluta effusione sanguinis haud exigua, orta ex ictibus inflictis in lite ac disceptatione? *ibid.* cas. 7.

Verberatio quæ non sine effusione sanguinis facta est in cella vinaria, quæ ad Ecclesiam sita est, & pertinet, polluit ne Ecclesiam? *ibid.* cas. 13.

Ecclesia polluitur ne alicujus vulneratione, quæ absque sanguinis effusione fit, sed quam mors sequitur vulnerati, aut executione Justitiæ, quæ fit sine sanguinis effusione? *ibid.* cas. 8.

Periculum mortis propinquæ, in quo est Persona quædam in Ecclesia male tractata, an illam pollutam reddit? An in ea cessandum est ab Officii divini celebratione? *ibid.* cas. 9.

Ecclesia est ne polluta, quando aliquis extra illam lethaliter vulneratus, se in illam recipit, ibique moritur? *ibid.* cas. 10.

Ecclesia censetur ne polluta, si quidam in ea occisus fuerit ab homine furioso, aut lapsu quorumdam ædificii lapidum? An cessandum est divina ibi celebrare Officia? *ibid.* cas. 11.

Ecclesia censetur ne pollui cæde aggressoris injusti? An reconcilianda est in hoc casu? *ibid.* cas. 12.

Ecclesia in qua clam commissum est adulterium, aut in qua conjuges duo debitum conjugale a se invicem exegerunt, est ne polluta, & est ne reconcilianda? *ibid.* cas. 15.

Æditui profanant ne Ecclesias sin iis edendo ac bibendo? *ibid.* cas. 18.

Cum Ecclesia cæde aut aliter polluitur, an Sacerdos ibi celebrans, cessare debet a Sacrificio in quacunque Missæ parte versatus fuerit? *ibid.* cas. 13.

Ecclesia in qua post ejus pollutionem celebratum est, an nova indiget reconciliatione? Hæc reconciliatio est ne eadem sive Ecclesia prius fuerit benedicta, sive consecrata? *ibid.* cas. 6.

Quis est qui pollutam reconciliare potest Ecclesiam? Quanam ad hanc reconciliationem uti debet aqua benedicta? *ib.* cas. 17.

Cum cœmeteria polluta sunt, Ecclesiæ sunt ne quoque pollutæ? Et cum Ecclesia est interdicta aut polluta, an Sacella ejus & cœmeteria polluta pariter esse censentur? *ibid.* cas. 16. & tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 19. & tom. 1. v. *Altare*, cas. 5. & tom. 1. v. *Cœmeterium*, cas. 2.

Cum omnes urbis alicujus Ecclesiæ interdictæ sunt, an Cathedralis interdicta quoque censenda est? Cum Ecclesia Cathedralis interdicta est, an reliquæ urbis Ecclesiæ eidem subjacent interdicto? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 2. & 8.

An licite celebrari possunt matrimonia in interdictis Ecclesiis? tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 9.

An citra peccatum ducere quis secum in Ecclesiam potest canes? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 19

Permittendum ne est, ad portas Ecclesiarum exponi ac vendi merces quasdam? tom. 1. v. *Dies Dominici ac festi*, cas. 11.

An ad reparationem Ecclesiarum Parochi tenentur conjunctim cum Parœcianis? tom 3. v. *Parochus*, cas. 15.

Donationes Ecclesiæ factæ, fiunt ne nullæ si Donatori deinceps nascuntur liberi? tom. 3 v. *Donatio*, cas. 11.

Ecclesiarum bona sunt ne præscriptione obnoxia possessione quadraginta annorum? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 8.

Ecclesiæ Cathedrales habent ne aliquam tempore interdicti præ reliquis Ecclesiis prerogativam? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 2.

ECCLESIA UNIVERSALIS.

An non infallibilis est Ecclesia nisi in Conciliis Oecumenicis? tom. 2. v. *Fides*, cas. 3.

Est ne Ecclesia infallibilis in canonizatione Sanctorum? An ejus contradicere quis potest decisiones, quin sit hæreticus? *ibid.* cas. 4.

Ecclesia potest ne quasdam suis filiis ferre leges quoad participationem certorum quorundam Sacramentorum? tom. 1. v. *Communio*, cas. 26.

Potest ne ipsis quosdam mandare actus internos? tom. 2. v. *Restitutio*, cas. 149.

An Ecclesiæ mandata cessant, ex quo citra peccatum observari nequeunt? tom. 2. v. *Missa*, cas. 45.

Ecclesia Græca differt ne ab Ecclesia Latina circa benedictionem Olei infirmorum? tom. 2. v. *Extrema Unctio*.

Differt ne quoque quoad Sacramentorum administrationem? ib. cas. 6. & 8.

Quonam est Græcæ Ecclesiæ & Latinæ Disciplina circa continentiam Clericorum, & Cœlibatum Sacerdotum? tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, ubi vide *Præfationem*, & *ibid.* cas. 6 & 7.

An aliter atque aliter sentit de irregularitate, quæ oritur ex bigamia? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 112.

E C C L E S I A S T I C U S.

Vide Proœmium voris Clericus.

Ecclesiasticos potest ne commercium exercere? tom. 1. v. *Clericus*, cas. 1.

Potest ne tanquam Domus administrator negotia temporalia curare in domo Opulenti cujusdam? Ecclesia & Principes fecerunt ne quoad hoc leges? ib. cas. 2.

Clerici in Sacris, aut Beneficiarii, possunt ne sæcularis Judicis exercere munera? ib. cas. 3.

Possunt ne emere vel exercere in supremis Curiis vel Præsidialibus munus Consiliarii Clerici? Quare & ex quonam tempore quoad istud Sanctis derogatum est canonibus? Acquirunt ne durante sua absentia fructus suorum beneficiorum? Tenentur ne ad residendum durantibus feriis? ibid. cas. 4. & tom. 1. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 11.

Ecclesiasticus potest ne Advocati exercere Professionem aut Notarii Officium? ibid. & tom. 1. v. *Clericus*, cas 5. & to. 2. v. *Notarius*, cas. 4.

Clericus, qui in extrema versatur paupertate, potest ne ad sese sustentandum circulatoris exercere artem? tom. 2. v. *Circulator*, cas. 2.

Clericus potest ne publice Acetabulis versandis spectantes ludificari, & ludere latrunculis? ibid. cas. 3. & tom. 2. v. *Ludus*, cas. 7.

Licet ne Clericis interesse ludis profanis, ut qui sunt qui exhibent imagunculas prodigiosas, quas vocant *Marionettes*, funamboli & hujus furfuris alii? ibid. cas 3.

Possunt ne venatum ire? An omnis generis venationes prohibitæ illis sunt? tom. 3. v. *Venatio*, cas. 1.

Semper ne ipsis prohibitum est, aut licet ne ipsis aliquando gestare arma? ibid. & tom. 1. v. *Clericus*, cas. 8.

Possunt ne Clerici citra casus necessitatis cauponam frequentare? An illas ingrediendo peccant, etiamsi non prohibuerit Episcopus? An quasdam quoad istud leges tulit Ecclesia? ib. cas. 6.

Licet ne ipsis vestibus lugubribus cognatorum suorum atque amicorum mortem persequi? Est ne quoddam quoad istud Ecclesiæ prohibitum? ibid. cas. 8.

Ecclesiasticus, qui decrevit plane non amplius confiteri, potest ne suum exequi propositum? ibid. cas. 9.

Ecclesiastici tenentur ne Principum legibus obtemperare? tom. 3. v. *Testis*, cas. 21.

Ecclesiasticus, qui enormis accusatur criminis, & judicatus est a Præposito, potest ne ab eo judicio appellare ad ummam curiam? Est ne hoc privilegium omnibus concessum Ecclesiasticis? tom. 2. v. *Judex*, cas. 27.

An omnes Ecclesiastici Judices suos agnoscere tenentur Episcopos suos aut eorum Officiales? ibid. cas. 30

Incurrunt ne quasdam censuras illos suos Judices agnoscere negando? Sunt ne casus quidam in quibus Judex laicus una cum judice Ecclesiastico Judices de crimine Ecclesiastici? ibid.

Decretum de detinendo in carcere Ecclesiastico, reddit ne illum suspensum? Si graduatus sit, redditur ne in hoc casu inhabilis ad Beneficia requirenda? tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 10. & tom 3. v. *Suspensus*, cas. 18.

De Ecclesiasticis, qui in exercitio sui Ministerii ducuntur devotione & respectu, quo erga cognatos suos tenentur, quid censendum? tom 2. v. *Obedientia*, cas. 12.

Possunt ne testamento in favorem suorum cognatorum disponere de bonis acquisitis servitio Ecclesiæ quocunque modo præstito? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 5.

Potest ne quis verberare clericum excommunicatum denunciatum, qui hoc actu excommunicationem incurrat? tom. 1. v. *Excommunicatio*, cas. 6.

E L E C T I O.

Vide hujus voris Proœmium.

Ut electio valida sit & canonica, an sufficit, ut Electores vivæ suffragentur voce præsentes, absentes vero per literas aut Procuratores? tom. 1 v. *Delegatio*, cas. 1.

Ut electio canonica sit, oportet ne plures sint scrutatores, tom. 2. v. *Electio*, cas. 12

Si Tabularius aut Notarius Laicus adsit capitulari electioni, est ne irrita ac nulla electio? ibid. cas. 8.

Quænam ad validitatem electionis necessariæ sunt formulæ? ibid. cas. 3.

An ut electio aliqua canonica sit, requiritur, ut sit facta a majore & saniore parte capituli? Sunt ne quidam casus, in quibus minor electorum pars sufficiat vel prævaleat? ibid. cas. 2. & cas. 17.

Ut electio aliqua sit canonica, oportet ne, ut major electorum pars in electione consentiat in idem subjectum? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 20.

Electores tenentur ne subjecta eligere dignissima? tom. 2. v. *Electio*, cas. 6.

Electio censetur ne esse libera, quando a Præsidibus determinatur certus quidam subjectorum eligibilium numerus, quibus & non aliis donari possint suffragia? ibid. cas. 11.

Ut Electio canonica sit, an nihil refert, sive fiat a persona, quæ est de gremio, aut a persona aliena? Sunt ne variæ electionum species? ibid. cas. 14.

Ut electio sit canonica, oportet ne ut suffragia sint certa, absoluta, & applicata determinato subjecto? Quando nulla uno sunt suffragia, an Scrutatores illud indicare tenentur? ibid. cas. 16.

Si electio semel facta sit per Scrutinium, electores possunt ne sua deinceps aliis dare suffragia? ibid. cas. 7.

Electio est ne nulla, cum electorum ille, qui in causa fuit ut altera pars prævaleret, admissus non est ad dandum suffragium, nisi vi dispensationis obtentæ a suo Superiore, adversus communem domus usum? Superiores habent ne jus ejusmodi concedi dispensationes? ib. cas. 10.

An ad electionem triennalem Superiorum in Monasteriis quod semper hoc gavisum fuit privilegio, restituendam tenentur in conscientia, qui ad mutationem hac in re factam contulit aliquid? ibid. cas. 13.

Electores an necessario ad Sacros promoti esse debent Ordines, ut sua possint ferre suffragia? Capitulum potest ne istud indulgere privilegium canonicis, qui nonnisi Acolythi sunt? ibid. cas. 12. & tom. 2. v. *Canonicus*, cas. 18. & 19.

Elector, ligatus excommunicatione minori habet ne suum in capitulo suffragium dandi jus? tom. 2. v. *Electio*, cas. 5.

Qui denuntiatus est excommunicatus habet ne eligendi jus saltem in aliquibus casibus? ibid.

Clericus accusatus coram Judice de quodam crimine potest ne ad dignitatem aliquam eligi antequam se purgaverit? tom. 1. v. *Accusatus*, cas 4.

Cum electores convenire non possunt de aliquo subjecto, an jus illorum devolvitur ad Superiorem? Electio est ne canonica, si suffragio suo pondus addit ac prævalere facit partem alteram? tom. 3. v. *Electio*, cas. 17.

Electio est ne canonica, cum electores delegati non habentes nisi procurationem generalem, utantur via compromissi? An sola unius oppositio compromisso facta, irritam reddit electionem? ibid. cas. 9.

Potest ne per compromissum fieri electio? & nonne compromissarius Ecclesiasticus esse debet? Et potest ne ad hoc adhiberi Laicus Nobilis? ibid. cas. 15.

Potest ne electioni alicujus subjecti ad Dignitatem Regularem, oppositio fieri tam ad procurandam communem alicujus domus utilitatem, quam ad evitandam propriam suam persecutionem imminentem? ibid. cas. 10.

Si Electorum unus sese electioni opponit ac offert rationes suas capitulo exponere, est ne electio suspendenda? ib. cas. 4.

Electores qui per Confessionem sciunt quod subjectorum propositorum quoddam indignum sit, an suum nihilominus præbere illi possunt suffragium? tom. 1. var. *Confessarius*, cas. 12.

Cum electores atque electus rei sint confidentiæ, electus potest ne uti electione sua ad deturbandum legitime provisum, aut potest ne cum eo pacisci, ut retinere possit Beneficium? tom. 1. v. *Confidentia*, cas. 2.

Potest ne pecunia erogari, ut obtineatur electionis alicujus confirmatio? Sanctus Gregorius Magnus dedit ne Imperatori Mauritio pecuniam, ut suam in Papam confirmaret electionem? tom. 3. v. *Simonia*, cas 67

Confirmatio electionum an jure pertinet ad Galliæ Reges? ibid.

Electus potest ne redire in electionem, cui renuntiavit? tom. 2. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 52.

E L E E M O S Y N A.

Vide hujus tituli Proœmium.

Eleemosyna est ne obligationis officium? An semper sub pœna peccati mortalis debita est? tom. 2. vers. *Eleemosyna*, cas. 1.

Protestas necessitatis, quæ non est nisi possibilis, an a facienda Eleemosyna dispensat? ibid. cas. 2.

An qua quis habet superflua, ea parte tantum adhibere potest in Eleemosynas? An quantum dare velit, ex superfluo, determinare potest? ibid. cas. 4.

Est ne obligatio in Eleemosynam erogandi quicquid superfluum quis habeat, & an cuilibet petenti illud dare oportet? ibid. cas. 5.

Si ditissimus omnia sua dilapidat bona ludis, conviviis, pretiosis supellectilibus, & nihil largitur pauperibus, potest ne dici quod nihil habeat superflui, & debet ne absolutio illi conferri, quamdiu hoc modo se gerere pergit? ibid cas. 3.

Ut quis Eleemosynam cum fructu faciat, an requiritur, ut sit in statu gratiæ? tom. 2. v. *Meritum* cas. 1.

Est ne obligatio quærendi pauperes, ipsos adjuvandi causa? tom. 2. v. *Eleemosyna* cas. 6.

An in distributione Eleemosynæ pauperes cognati, aliis præferendi sunt pauperibus? ibid. cas. 8.

Est ne quis immunis ab eroganda pauperibus Eleemosyna sub prætextu, quod mali sint & improbi? ibid. cas. 8.

Est ne obligatio Eleemosynam erogandi omnis generis pauperibus? ibid. cas. 10

Parochi tenentur ne Eleemosynam dare Parœcianis suis præ aliis pauperibus? An non nisi ad superflua sua dare tenentur? tom 3. v. *Pensio*, cas. 1.

Confessarii debent ne Eleemosynam dare suis pœnitentibus præ omnibus aliis pauperibus? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 8.

Potest ne pauperibus peregrinis dari summa quædam pecuniæ relicta testamento pauperibus Parœciæ Testatoris? tom. 2. v. *Convictus seu Bursa Collegii*, cas. 1.

Liberi & Domestici possunt ne de bonis Patrum & Dominorum dare Eleemosynas? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 11.

Fi-

Filii familias nondum emancipati possunt ne Eleemosynam dare, aut propria auctoritate disponere de iis, quæ professione Advocati, Medici, aut aliter acquisiverunt, sicuti in bello est licitis ludis? *ibid.* cas. 12.

Mulieres possunt ne absque Maritorum suorum consensu Eleemosynas dare? *ibid.* & tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 4. & tom. 2. v. *Furari*, cas. 1.

An quicquid male acquisitum est, in Eleemosynam conferri potest? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 14.

Religiosus potest ne etiam prohibente suo Superiore Eleemosynam dare pauperi in extrema necessitate constituto? *ibid.* cas. 13.

Graviter ne peccat Dives denegans opem ferre pauperi ad incitas redacto? tom. 2. v. *Medicus*, cas. 1.

Potest ne quis in extrema necessitate Eleemosynam dare ex bonis alteri aut furto partis, & licet ne deducere Eleemosynas istas de lucro usurario, quod restituendum incumbit? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 15. & tom. 2. v. *Furari*, cas. 6.

Licet ne furari, ut dari possint Eleemosynæ? *ibid.*

Quibus incumbit Eleemosynas distribuere, an non, si vere pauperes sint, aliquam possunt pro se retinere partem? to. 2 v. *Eleemosyna*, cas. 16.

An licite Eleemosyna dari potest excommunicato denunciato; vel an ab illo recipi potest Eleemosyna? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 41.

Qui exigunt aut accipiunt Eleemosynam sub falso prætextu, aut sine necessitate, an ad restitutionem tenentur? tom. 2. v. *Restitutio*, cas. 66. & 167.

Est ne Simoniacum Eleemosynam dare eo fine, ut filia habeat successus in re temporali? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 67.

Uter Eleemosynam dando plus meretur, an qui eam dat cum liberalitate, an vero alter, qui Eleemosynam erogat non quidem sine repugnantia, sed quam vincit? tom. 2. v. *Mereri*, cas. 8.

E L E E M O S Y N A R I U S.

Magnus Galliæ Eleemosynarius est ne Palatii Regii Episcopus? Est ne exemptus a Jurisdictione Episcopi Diœcesani? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 47.

Eleemosynarii Regis possunt ne suum emere munus citra simoniæ labem? Possunt ne absque peccato ea esse intentione, ut sibi hoc modo januam aperiant ad beneficia? *ibid.* cas. 48. & 49.

Eleemosynarii Regis & Reginæ, possunt ne frui suis beneficiis durante trimestri, quo munus suum ab Eleemosynis exercent, an reliquo tempore ad residentiam obligati sunt? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 11.

Episcopi possunt ne citra simoniam beneficia dare suis Eleemosynariis, ad remunerandum, quæ ipsis præstiterunt, officia cujuscunque sint naturæ? tom. 3 ver. *Simonia*, cas. 7 8. & 11.

Eleemosynarii exercituum, qui milites ad strenue pugnandum exhortantur, fiunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 34. & 71.

E M P H Y T E U S I S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Emphyteusis reddit ne Emphyteutam Dominum fundi? Potest ne illum deteriorare, aut aliquid immutare, aut meliorationes secum auferre? tom. 2. v. *Emphyteusis* cas. 1.

Si domus data sub locatione emphyteutica casu fortuito pereat aut tota aut ex parte, an damnum cecidit in Emphyteutam? Tenetur ne in omni casu solvere censum, de quo convenit in contractu? *ibid.* cas. 2.

E M P L A S T R U M.

Clerici, qui emplastra dant aliis ad sananda vulnera, fiunt ne irregulares, si ægroti mortem oppetant? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 77.

E M P T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

In venditione, quæ facta est sine litteris, an venditor, vel emptor periculum rei venditæ subit? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 2. & tom. 3. v. *Venditio*, cas. 18.

Si in emptione emptor respectu venditoris in mora est, uter illorum ferre debet damna inde nascentia? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 1. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 1. 3. 71. 72. & 79.

Cum post venditionem factam pure & simpliciter, res vendita pereat, emptor tenetur ne solvere pretium de quo convenit inter ipsum & Venditorem? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 1.

Emptor tenetur ne de damnis, quæ in venditione rerum quæ numerantur, ponderantur, aut mensurantur, accident, antequam numerentur, ponderentur, vel mensurentur? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 11. & tom. 3 v. *Restitutio*, cas. 1. 2. & 72.

Emptor habet ne actionem adversus Venditorem ob damna & interesse, in casu quo dolus fuit intermissus? An actionem pariter habet, quando victus est? tom. 1. v. *Damna & interesse*, cas. 2. & cas. 4.

Mercator, qui post messem, frumenta emit vili pretio, venditurus illa post majori pretio, est ne culpandus? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 1.

An absque usura emi pro aliquo tempore possunt reditus alicujus agri tertia parte minoris, quam valent alias? tom. 3. v. *Usura*, cas. 16.

Licet ne aliquid emere vilius quam justo pretio sub prætextu, quod solutio præmittatur? Sunt ne casus quidam, in quibus licite id fieri possit? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 4. & tom 2. v. *Nummularius*, cas 1. & tom. 3. v. *Venditio*, cas. 18.

Emptio obligationis quæ aliquot mensium terminum habet ne semper licita est, quando minori emitur pretio quam alias valet? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 14.

Emptio redituum alicujus census, minori pretio, quam intrinsecus est ejus valor, an in omni casu licita est? Est ne aliqua differentia facienda inter hanc emptionem & emptionem redituum alicujus terræ? *ib.* cas. 15.

Mercator Gemmarius potest ne Gemmas emere longe minoris quam valent? Gemmæ habent ne pretium præter propter fixum? Sunt ne admittendi prætextus quibus utuntur, ut illas magno nimis pretio vendant? Quantum in iis lucrum fieri licite potest, & ubi quid respectu hujus lucri excessum est, cuinam restitutio fieri debet? *ibid.* cas. 16.

Ii qui suscipiunt Commissiones aliorum, possunt ne inscius suis Committentibus, pro sua mercede retinere aliquid pro se ex emptione, quam faciunt? *ibid.* cas. 17.

Emptor potest ne prætendere, ut Committens ipsi solvat additamentum, quod a Mercatore accepit ideo, quia multum cum eo negotiatur? *ibid.* cas. 18.

Emptio Vasis aurei vel argentei pro pondere tantum, non comprehendendo formæ & laboris adhibiti pretium, est ne legitima? *ibid.* cas. 20.

Si quis emendo violentia aut injustitia fuerit usus, aut pretio nimis vili emerit, tenetur ne ad restitutionem omnium fructuum perceptorum ex re empta? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 7. & 8. & tom. 3 v. *Usura*, cas. 7. & 8.

Emptio boni proscripti & vili pretio venditi est ne interiori & exteriori foro legitima? An in ejusmodi casibus obligatio est ad restitutionem? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 19.

Si in venditione conventum non est de sumenda vel danda electione, uter, venditor an vero emptor seligendi jus habet? *ibid.* cas. 1.

Emptio contractus censuum viliori pretio, quam intrinsecus ejus est valor, est ne licita? Sunt ne quidam casus, in quibus licita fieri possit ejusmodi emptio? *ibid.* cas. 6.

Cum ex duabus rebus vendita est una relicta emptori seligendi jure, an tenetur solvere pretium de quo convenit, si ambæ res illæ perierint, antequam emptor inter illas selegerit? *ibid.* cas. 7.

Emptor alicujus fundi tenetur ne continuare locationes factas a suo Venditore? *ibid.* cas. 8. & v. *Locatio*, cas. 12.

Emptor fit ne contractu emptionis Dominus accessorii, quod differt natura a re vendita, imprimis si nulla stipulata adsit reservatio? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 2.

Emptor bonæ fidei tenetur ne proprietario rem, quam furto ablatam emerat, reddere, quin possit simul pretium pro illa datum ab eo repetere? vel potest ne reddere furi rem illam, suumque ab eo pretium recipere? Si esset res fructifera teneretur ne fructus inde perceptos restituere? *ibid.* cas. 10. & 11. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 71. & 73.

Emptor habet ne jus a proprietario exigendi, ut sibi restituat pretium furi datum, aut semper tenetur ad illum mittendum in possessionem rei furto ablatæ? tom. 2. v. *Emptio*, cas 23.

Cum Emptor vendidit aut dedit aliis rem furto ablatam quam emerat, tenetur ne proprietario restituere valorem aut lucrum, quod inde capit? *ibid.* cas. 12. & tom. 2. v. *Monopolium*, cas. 2. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 4. 18. & 41.

E N E R G U M E N I.

Vide hujus vocis Proœmium.

Communio est ne Energumenis subministranda, cum in periculo mortis versantur, & illam expostulant? tom. 2. v. *Energumenus*, cas. 2.

Energumeni sunt ne rei jurationum quas proferunt, & actionum abominandarum, quas faciunt? *ibid.* cas. 1. & 2.

E P I L E P S I A.

Epilepsia producit ne Irregularitatem quocunque tempore illa quis corripiatur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 121.

Sacerdotes frequentibus Epilepsiis casibus obnoxii possunt ne celebrare Missam? *ibid.* cas 123.

Epileptici, qui sine dispensatione, Sacros recipiunt Ordines peccant ne? Ipsorum Irregularitas est ne Papæ reservata? Possunt ne exercere Ordines, si ab aliquo satis longo tempore epilepsia correpti non fuerint? *ibid.* cas. 122.

E P I S C O P A T U S.

Est ne simonia dare aut promittere aliquid temporale ad perveniendum ad episcopatum? tom. 3. ver. *Simonia*, cas. 4. & 5.

E P I S C O P U S.

Vide hujus vocis Præliminaria.

An proprius cujusvis Episcopus is est, qui in eo loco est ubi quis natus est? Disciplina Galliæ vultne ut Dimissoriæ litteræ a solo hoc exigantur Episcopo? tom. 2. ver. *Episcopus*, casus 1. & tom. 2. ver. *Ordines*, cas. 5.

An omnis Episcopus proprius censetur esse Pastor totius Diœceseos suæ? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 16.

An non nisi Deum habet Superiorem in iis, quæ Jurisdictionem voluntariam attinent? tom. 3. v. *Visa*, cas. 5.

Potest ne quis, qui dotes habet eximias, desiderare & ambire Episcopatum? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 3.

Est ne simoniacum dare aliquid aut promittere temporalia ad perveniendum ad Episcopatum? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 4. & 5.

Potest ne quis ex motivo humilitatis aut timoris pertinaciter recusare Episcopatum, cum revera non habet rationes sufficientes, cur hoc faciat? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 4.

Potest ne votum emitti de nunquam acceptando Episcopatu? *ibid.* cas. 5.

Episcopus electus sed non confirmatus a Papa, habet ne jus in spiritualia in Episcopatu suo? An hoc istud non exercere potest nisi post consecrationem suam? *ibid.* cas. 17.

Cum Roma recepit Bullas suas potest ne exercere Episcopales suas Functiones, quamvis fidelitatis juramentum nondum præstiterit Regi? tom. 2. v. *Juramentum fidelitatis*, cas. 1.

Oportet ne ut in propria persona & Regi ipsi juramentum istud præstet, ut possit adire in possessionem suorum jurium? *ibid.*

Potest ne quis fieri Episcopus, antequam sit Sacerdos? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 24. & 25.

An consecrari non possunt Episcopi, nisi diebus Dominicis? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 13.

An non canonice & scopus consecrari posset a solo unico Episcopo, si pericula maris aut belli obsisterent, quominus plures accersire possit? Ejusmodi consecratio, ea non saltem valida esset? *ibid.* cas. 24.

Novus Episcopus an omnes suæ Diœceseos Beneficiatos obligare potest, ad exhibendos ipsi suos titulos? *ibid.* cas. 18.

Episcopi possunt ne in Gallia contentiosam per se ipsos exercere Jurisdictionem? An unam eamdemque Personam delegare possunt pro utraque Jurisdictione? *ibid.* cas. 15.

Episcopi, qui Principes sunt absoluti, possunt ne judicare, aut ad supplicium ducendum curare subditum Capitis reum? tom. 2. v. *Occidere*, cas. 15.

Episcopi habent ne jus decernendi censuras adversus Ministros Regios tam Ecclesiasticos quam sæculares, in iis quæ factum, & exercitium ipsorum muneris spectant? tom. 2. v. *Excommunicatus*, cas. 8.

Eorum Jurisdictio extenditur ne in omnes suæ Diœceseos Parochos sive Seculares sive Regulares, sive exemptos, sive non exemptos? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 24.

Possunt ne propria auctoritate Festa instituere? tom. 2. v. *Festi dies* cas. 5.

Habent ne potestatem statuta propria auctoritate ferendi? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 2.

Possunt ne in Gallia absque permissu Regio mutare Breviaria, Missalia &c. suarum Ecclesiarum? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 5.

Possunt ne novam erigere Ecclesiam in Parœcia aliqua, & ex una duas facere Ecclesias? Quid hoc in casu observandum habent? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 11.

Episcopus potest ne in Pontificalibus Divina peragere Officia in Diœcesi alterius Episcopi & quidem sine ejus permissu? An non in ejusmodi casu Episcopus ille satisfactionem ab eo exigere posset, aut si illam præstare negaret, an non censuris ipsum persequi posset? *ibid.* cas. 25. & tom. 2. v. *Ordines*, cas. 8.

Metropolitanus potest ne in Diœcesi sui suffraganei sine ejus permissione, Sacros conferre Ordines? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 15. & tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 8.

An Omnis Clericus, qui Ordines recipit ab Episcopo sui Beneficii in fraudem sui Episcopi Originis, peccet? Ipse & Episcopus qui cum eo connivet, incurrunt ne pœnas quasdam Canonicas? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 8.

An æqualiter recipi possunt Ordines sacri ab Episcopis domicilii, Originis & Beneficii? tom. 2. *ibid* cas. 49.

Est ne considerandus tamquam proprius Episcopus ille, in cujus Diœcesi quis recipit cæremonias baptismi? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 5. & 8.

Episcopus extra suam Diœcesim constitutus potest ne valide conferre Beneficium, ferre censuras, aut ab iis absolvere? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 16.

Potest ne intentare censuras adversus illos, qui ejus jurisdictioni subjecti esse nolunt? Quonam in casu excommunicare potest Episcopus, illos, qui ipsius sunt subditi, quique ex ejus Diœcesi sunt egressi? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 15.

Religiosus, qui ad Episcopatum pervenit, tenetur ne sua observare vota & regulam Monasticam, an dispensationem quoad hæc obtinere potest? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 8.

Religiosus, qui ad Episcopatus dignitatem evectus est, tenetur ne Superioribus suis Regularibus obedientiam præstare? *ib.* cas. 7.

Potest ne testari? *ibid* cas. 8.

Episcopus irritat ne vota, quæ quis fecit de ingrediende Religione? *ib.* cas. 9.

Quænam Episcoporum jura sunt in Monasteria? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 5.

Possunt ne moliri quædam indirecte, quæ sint adversa juribus Monasteriorum, quæ immediate subsunt sedi Apostolicæ? tom 2. v. *Episcopus*, cas. 11.

Possunt ne intrare in interiora Monasteriorum filiarum, cum justis illa intrandi destituti sunt rationibus? Contravenientes incurrunt ne in Gallia pœnam quamdam Canonicam? *ib.* cas. 12.

Possunt ne ab excommunicatione absolvere Religiosum, qui postquam suum dereliquit Monasterium, in illud redire cupit? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 47.

Possunt ne ab excommunicatione absolvere Religiosum, qui aliam verberat Religiosum? *ibid.* cas. 38.

Sunt ne censuris subjecti, quando non expresse nominantur? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 6.

Cum sunt interdicti, ad quemnam eorum devolvitur Jurisdictio? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 8.

Episcopi ligati excommunicatione majori publice aut occulta possunt ne valide conferre beneficia? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 11.

An valide Ecclesias consecrant? tom. 2. ver. *Ecclesia*, cas. 5.

Magni Vicarii possunt ne illorum loco conferre beneficia, quando scilicet publice excommunicati sunt? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 10.

Episcopus suspensus a collatione Ordinum, a Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, incurrit ne irregularitatem violando istas tres suspensionis species? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas 18.

Episcopus suspensus a Pontificalibus fit ne irregularis celebrando Missam submissam sine Pontificali apparatu? *ibid.* cas. 85.

Episcopi rei simoniæ occultæ, aut qui inciderunt in irregularitatem, possunt ne absolutionem accipere, a quocumque voluerint Episcopo? tom 3. v. *Simonia*, cas. 41.

Est ne obligatio illos honorandi, quomodocumque inordinate vivant? tom. 2 v. *Honor*, cas 2.

An plura simul possidere possunt beneficia? Quando plura habent, an Confessarii ipsorum tenentur iis de pluribus istis beneficiis loqui, si se ipsos non accusent, & debent ne illos obligare, ut iis renuntient? tom. 1. ver. *Beneficiarius*, cas. 10.

Episcopus potest ne pro beneficio cui annexa est curam animarum, Ecclesiasticum doctum, & minus recte viventem præferre alteri minus docto sed ordinatius & pie viventi? tom. 1. v. *Beneficium*, cas 8.

An in collatione Beneficiorum præferre possunt Episcopi suos cognatos alienis; an facile induci debent ad istud faciendum? tom. 1. v. *Collator*, cas. 2. 3. & 4.

Possunt ne Beneficia conferre suis Domesticis Ecclesiasticis ad remunerandum ipsorum officia? Convenit ne ut ipsis salaria probeant congrua? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 7. 8. & 11.

Episcopi in partibus infidelium possunt ne tonsurare & ordinare suos Domesticos sine Dimissoriis Episcoporum Diœcesanorum literis? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 1.

Episcopi tenentur ne de peccatis illorum, quos in munera eligunt & constituunt? si qui ipsis indigni proponunt subjecta sunt ne peccati sui? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 22.

Quando actus dant restrictionis, an tenentur exprimere in iis rationem denegationis suæ? Quasnam adhibere debent in ejusmodi occasionibus cautelas? tom. 3. v. *Visa*, cas. 2.

Episcopi possunt ne quemdam accipere pecuniam pro dispensationibus quas indulgent? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 58.

Possunt ne dispensare de irregularitate orta ex mutilatione secreta? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 3.

Episcopi possunt ne dispensare de irregularitate, & infamia, & de omni genere suspensionibus? *ibid.* cas. 8. & tom. 2. v. *Dispensatio suspensionis*, cas. 8.

Possunt ne dispensare de votis incertis? tom. 3. v. *Votum*, cas. 8.

Possunt ne dispensare de promisso juramento confirmato? tom 2. v. *Jurare*, cas. 14.

Possunt ne absolvere per se ipsos, aut per alios ab hæresi, non obstante Bulla Sixti V. & Gregorii XIII. tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 4.

Possunt ne in defectum officialis intentare censuras quæ directæ fuerunt ad ipsorum Officiales? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 30.

Possunt ne dispensare de tertio ad quartum, aut de quarto ad quintum sive Cognationis sive affinitatis gradum? *ib.* cas. 35.

Possunt ne Magnis suis Vicariis commissionem dare generalem, qua ipsis concedant facultatem dispensandi in omnibus casibus dispensabilibus? tom. 1. v. *Dispensatio votorum in genere*, cas. 18.

Possunt ne dispensare de irregularitate, in quam quis incurrit crimine occulto, delato in forum contentiosum? tom 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 8.

Possunt ne delegare ad dispensandum de irregularitate? *ibid.* cas. 23.

Cum sunt irregulares, possunt ne quemcunque voluerint delegare & committere Confessarium, qui eos restituat? *ib.* cas. 14.

Habent ne jus examinandi Indulgentiarum Diplomata a Papa concessa? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 1.

Possunt ne eorum differre publicationem, postquam examinarunt? *ib* cas. 1.

An ipsi soli, exclusis quibuscumque aliis, jus habent illorum diplomatum permittendi publicationem? *ib.* cas. 4.

Possunt ne recusare promulgationem certarum quarumdam Indulgentiarum exorbitantium? *ib.* cas. 5.

Indulgentiæ, quæ concederentur ab Episcopis morum haud probatissimorum, an validæ essent? *ib.* cas. 14.

An non concedere possunt indulgentias nisi propriis suis Diœcesanis? *ibid.* cas 15.

An soli Episcopi concedere possunt Indulgentias? An ad hoc requiritur, ut sint consecrati? *ibid.* cas. 18.

An soli sunt interpretes Voluntatis Testatorum, etiam cum lis circa testamentum formata est? tom. 2. ver. *Legatum*

tum, cas. 6. tom. 2. v. *Missa* cas. 13. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 8.

Episcopi possunt ne ferre excommunicationis sententiam ex ipso temporis momento, quo nominati sunt ad Episcopatum; aut postquam illi renunciarunt? Quasnam committere debent personas, ad exercendam hanc Jurisdictionem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 2.

Habent ne jus attendendi tam ad temporalia, quam ad spiritualia Xenodochiorum? tom. 3. v. *Xenodochium*, cas. 2.

An non nisi ad ipsos spectat eorum mutare fundationes? *ibid.* cas. 1. 3. & 4.

Possunt ne excommunicare defunctos? *ibid.* cas. 6.

An facile induci debent ad interdicto subjiciendum Urbes & Ecclesias? tom. 2. ver. *Interdictum*, cas. 22.

An interdicto uti possunt in rebus temporalibus? *ib.* cas. 7.

Possunt ne sub interdicto generali celebrare, aut Sacrum secare Chrisma? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 19. & 22.

Eorum mors superveniens ante dilationem monitorio latam, impedit ne affectum censurarum in illo expressarum? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 16.

Episcopi possunt ne aliquam habere partem in electionibus, quæ in suis capitulis fiunt? tom. 1. v *Collator*, cas. 2.

Tenentur ne examinare illos, qui se offerunt ad Sacros Ordines recipiendos? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 22. & 23.

Habent ne jus examinandi Regulares antequam eos approbent? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 14.

Tenentur ne executioni dare conditiones appositas in Rescriptis Romæ obtentis? *ibid.*

Possunt ne ab una in aliam transferri sedem? Possunt ne in suam consentire translationem? Antiquitas suppeditat ne quædam exempla translationum Episcoporum? Jus istud ac privilegium an semper ad Papam spectavit? tom. 2 v. *Episcopus*, cas. 19.

Episcopus, qui suo Episcopatui renunciavit in manibus Regis, potest ne suas exercere functiones, usquedum Papa ipsius comprobaverit renunciationem? *ibid.* cas. 22.

Episcopi possunt ne tempore persecutionum fuga sibi consulere? tom. 3. v. *Residentia Episcoporum*, cas. 8.

EQUITES RELIGIOSI.

Vide hujus vocis Præliminaria.

Commendæ Equitum Religiosorum sunt ne Beneficia? Est ne Simoniacum vendere illas, aut pensiones super iis constituere? Equites sunt ne Domini absoluti redituum suarum Commendarum? Ipsorum Ordo est ne perantiquus? tom. 2. v. *Equites Religiosi*, cas. 1.

Possunt ne in Gallia hæreditates adire post Professionem suam? Poterunt ne aliquando admitti ad fruendum usufructu bonorum suorum Cognatorum? Sunt ne veri Religiosi? *ibid.* cas. 2.

Possunt ne hæreditates adire in Gallia, quando ipsorum Professio non est nisi tacita? *ibid.* cas. 3.

An salvam exigere a suis Cognatis possunt Pensiones quasdam? *ibid.* cas. 4.

Bona Equitum defunctorum devoluta ne esse censentur Ordini? Ordo tenetur ne solvere debita, quæ contraxerunt ante & post emissam Professionem? *ibid.* cas. 5.

Equites isti Religiosi sunt ne quibusdam in rebus Episcoporum aut Parochorum subjecti jurisdictioni? *ibid.* cas. 6. & 7.

Sacerdos Professus Religionis istorum Equitum provisus de Prioratu dependente ab eodem Equitum Ordine, potest ne resignare illum in favorem Sacerdotis Sæcularis? Id si fecerit, an Ordinis Professus posset de eo se providendum curare, etiam post possessionem triennalem? *ibidem* cas. 8.

Sacerdotes Sæculares possunt ne vi possessionis triennalis retinere beneficia Ordinis Equitum Religiosorum? Quænam sunt hujus Ordinis privilegia in Gallia? Equites isti possunt ne testari? *ibid.*

EQUUS.

De venditione equorum vide, tom. 3. Voce *Venditio*, casu 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & 32.

ERROR PUBLICUS.

Error publicus reddit ne validum quod fuit ut persona publica, quocumque fiat? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 11.

ETHNICUS.

Ethnici sunt ne ad amplectendam Religionem Christianam cogendi? tom. 2. v. *Infideles*, cas. 4.

Ethnici possunt ne valide conferre baptismum? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 26.

Possunt ne ipsorum liberi ipsis invitis baptizari? Peccatur ne hoc faciendo? *ibid.* cas. 24.

Christiani possunt ne citra peccatum recipere ab Ethnicis juramentum per idola sua factum? An illos ad ea juramenta inducere possunt? tom 2. v. *Jurare*, cas. 17.

Possunt ne Ethnici auctores citari in opere, quod agit de Ethica Christiana? Vide Professionem.

EUCHARISTIA.

Species Eucharisticæ sive ante totalem, sive post omnimodam corruptionem sunt ne ordinario igni tradendæ? tom. 1. v. *Consecrare*, cas. 7.

EVICTIO.

Venditor tenetur ne sumtibus evictionis? tom. 2. v. *Damna & Interesse*, cas. 4.

Heredes tenentur ne suam quisque hereditatis partem reciproce ab omni cavere evictione? tom. 2. v. *Heres*, cas. 3.

EUNUCHUS.

An citra peccatum Eunuchos facere quis potest infantes, eo fine, ut vocem habeant suaviorem? An in se ipso facere quis potest hanc operationem, ut liberet se a violentis carnis tentationibus, aut ad sanandum aliquod vulnus? Est ne irregularis qui id facit? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas 206. & tom. 3. v. *Occidere*, cas. 14.

Eunuchi sunt ne irregulares ad recipiendos, vel exercendos Ordines Sacros? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 205.

EXAMEN.

Vide hujus vocis Proœmium.

Competit ne Episcopis jus examinandi omnes illos, qui in Curia Romana obtinuerunt Provisionem Curarum, in quacumque forma expedita sint? Doctores sunt ne ab hac regula excepti? tom. 2. v *Examen*, cas. 1. & tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 1. & tom. 2. v. *Ordines*, cas. 22. & 23. & tom. 1. v. *Confessio*, cas. 14.

Provisus in Curia Romana, sed ab Episcopo ignorantiæ causa repulsus, potest ne alium Metropolitano supponere personam, ad subeundum suo loco examen? An Provisus & is, quam supposuit, incidunt in Censuras & irregularitatem? Tenetur ne dimittere beneficium hoc modo obtentum? An suos reddit fructus, quos inde percepit? tom. 2. v. *Examen*, cas 2.

Est ne simoniacum dare aut accipere pecuniam, ante vel post examen pro Ordinibus? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 60.

Qui repulsus est ab examine pro Ordinibus, & pecunia data se admitti curat, est ne suspensus? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 16.

Episcopi possunt ne pro arbitrio dispensare ab examine? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 20.

EXCOMMUNICARE.

Vide hujus vocis Proœmium.

Sententia excommunicationis, cui præcessit sola aut plures monitiones canonicæ, est ne justa ac valida? Quænam est intentio Ecclesiæ in reiterandis hisce monitionibus? tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 1. & 9.

Excommunicatio lata adversus totam aliquam Communitatem est ne justa, & comprehendit ne omnia Communitatis illius membra? Sunt ne quædam in antiquis monumentis talium excommunicationum exempla? *ibid.* cas. 2.

Cum omnia Communitatis alicujus membra in idem conspirarunt peccatum, an competit ne jure totam excommunicare communitatem? Ejusmodi excommunicationes sunt ne jure reprobatæ? *ibid.* cas. 3.

Si quis in dubio, num aliquis Judex, qui excommunicationem tulit, competens sit, ad revelandum aliquid se adigi non patiatur, est ne excommunicatus? *ib.* cas. 4.

Superior ligatus excommunicatione majori publica, aut occulta, aut qui suspensus est ab ordine vel ab officio, aut ab utroque, potest ne suum excommunicare inferiorem? *ib.* cas. 6.

Inferior potest ne suum Superiorem aut sibi æqualem excommunicare? *ibid.* cas. 7.

Excommunicationes intentatæ Ministris Regiis tam ecclesiasticis, quam laicis in quantum respiciunt factum & exercitium ipsorum muneris, sunt ne nullæ ac abusivæ? *ibid.* cas. 8.

Sententia excommunicationis lata, quin citata & audita fuerit pars rea, est ne nulla? *ibid.* cas. 1. & 9.

Excommunicatio lata a Superiore ecclesiastico, aut ab Officiali qui non est in Sacris, est ne valida? *ib.* cas. 10.

An omnis Episcopus ex quo ad aliquem nominatus est Episcopatum, aut postquam illi renunciavit, excommunicare potest? Quemnam delegare debet ad hanc exercendam jurisdictionem? *ibid.* cas. 11.

Excommunicatio ab Episcopo extra suam Diœcesim lata adversus Diœcesanum sibi subditum, est ne nulla? *ibid.* cas. 12. & 13.

Excommunicatio lata ex motivo odii aut vindictæ, est ne valida, si alias justa sit aut merita? Quot modis injusta esse potest excommunicationis sententia? Qui injustam intentat alicui excommunicationem peccat ne graviter? *ibidem* cas. 14. & tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 16.

EXCOMMUNICATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quibus peccatis incurritur excommunicatio? Est ne omnium pœnarum canonicarum maxima? An facile infligi debet gravis hæc pœna? tom 2. v. *Excommunicatio*, cas. 16.

Potest ne excommunicatio adhiberi ad puniendam culpam venialem? to. 2. v. *Monitio*, cas. 2. & to. 3. v. *Religiosus*, cas. 19.

Excom-

Digitized by Google

Excommunicationes a *jure* differunt ne ab iis, quæ vocantur *ab homine*? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf. 42. 45. & 57.

Est ne aliqua differentia inter excommunicationem occultam, & eam, quæ publice denuntiata est? Quomodo in duobus hisce casibus se gerere convenit? *ibid.* caf. 44.

Quid observandum in ferenda excommunicationis sententia, ut sit legitima & canonica? Sententia excommunicationis, quæ literis mandata non est, & in qua debitæ formulæ observatæ non sunt, habet ne effectum suum? & excommunicatus debet ne se absolvendum curare? *ibid.* caf. 61.

Excommunicatio debet ne præcedi tribus monitionibus canonicis? tom. 2. v. *Officialis*, caf. 12.

Violatio excommunicationis minoris producit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf. 18.

Hæc pœna cessat ne jure post certum aliquod tempus elapsum, quemadmodum suspensio cessat, quin necessarium sit absolutionem accipere? tom. 3. v. *Suspensio*, caf. 32.

Sacerdos, qui postquam primo ira motum alium percussit Sacerdotem, quædam administrat Sacramenta, est ne excommunicatus & irregularis? Tenetur ne se exhibere Pœnitentiariæ, ut rehabilitetur? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf. 1.

Sacerdos, qui Breviarium suum in alius Sacerdotis Caput jacit, est ne excommunicatus? Ad quemnam se recipere debet, ut absolvatur? An omnis actio Personæ Sacerdotis notabiliter injuriosa, materia est & causa excommunicationis? *ibid.* caf. 3.

Duo clerici, qui in domo privata se invicem cum effusione sanguinis percusserunt, sunt ne excommunicati? Cuinam reservata est ipsorum excommunicatio? Utri Episcoporum sese exhibere debent, si prior suo renuntiaverit Episcopatui? *ibid.* caf. 4.

Ii, qui percutiuntur, qui jubent, suadent, excitant, aut consensum suum præbent ad percutiendum Sacerdotem, incurrunt ne in excommunicationem? *ibid.* caf 2.

Sunt ne aliqui casus, in quibus quis excommunicatus non sit, licet percusserit aut verberaverit Sacerdotem sive clericum? *ibid.* caf. 46.

Ii, qui Sacerdotem degradatum occidunt, incidunt ne in excommunicationem? tom 1. v. *Depositio & Degradatio*.

Qui coram Judice accusatus est de verberato Sacerdote, potest ne, si vere pœnitens, ad Sacramentorum admitti participationem antequam lis ejus composita sit? Papa potest ne absolvere de excommunicatione ante judicium definitivum? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf 5.

Nunne incurrit excommunicationem qui percutit clericum excommunicatum, sub prætextu, quod se hoc in casu istud facere posse persuasum habeat? *ibid.* caf. 6.

Qui percuteret clerici cadaver, incideret ne in excommunicationem? *ibid.* caf 70.

Qui percutiunt Heremitam, incidunt ne in excommunicationem? *ibid.* caf. 7.

Qui voluntarii & sibi conscii peccant adversus Legem, quæ transgredientibus pœnam infligit excommunicationis, sunt ne excommunicati ante sententiam declaratoriam? *ib.* caf. 9.

Ii, qui ad monitorium revelare negligunt quod sciunt, sunt ne excommunicati? *ibid.* caf. 81.

Tenetur ne quis monitorio facto sub pœnam excommunicationis declarare quod scit, licet fieri istud non possit sine periculo? *ibid.* caf. 12.

Fur, qui tempore publicati ob ejus furtum monitorii, extra statum est restituendi, incidit ne in excommunicationem, licet pœnitentiam criminis sui egerit? Et si sua culpa aut malitia in restituendi impotentiam se conjecerit, an sub pœna excommunicationis ad restitutionem teneretur, quam primum in sequenti tempore vires & occasio ipsi essent ablata restituendi? *ibid.* caf. 18.

Si is, qui damnum passus est, ex generositate vel ex charitate suo illud remittere velit ante latam excommunicationem, an nihilominus, illa ligaretur, quam primum ferretur? *ibid.*

Si sententia moram concederet reo, qui damnum posset resarcire, & persona, quæ damnum est passa, terminum illum prorogare vellet, an hoc sufficeret ad suspendendum Censuræ effectum? *ibid.*

Est ne revelandi obligatio monitorio promulgato, quod minatur excommunicationem iis, qui, cum viderint occidere columbas & alia animalia, illud declarare negligerent? tom. 2. v. *Monitorium*, caf. 22.

Sententia excommunicationis obtenta falsis expositionibus, aut pro rebus minimi momenti, obligat ne, & censetur ne quis excommunicatus, si non revelet? tom 2. v. *Excommunicatio*, caf. 19.

Qui suadent rem aliquam, quæ excommunicationem annexam habet, sunt ne excommunicati? tom. 2. v. *Irregularitas*, caf. 78.

Excommunicatio annexa peccato, quo quis in censuras incidit, operatur ne irregularitatem? *ibid.* caf. 22

Receptio sacrorum Ordinum in excommunicatione gignit ne irregularitatem? caf. 24. 25. & 26.

An omne dubium voluntarium de articulo fidei, quem revelatum esse patet, excommunicationem infert? tom. 2. v. *Fides*, caf 8.

Qui cogunt puellam aliquam ad intrandam aliquam Religionem, aut Professionem in ea emittendam, incidunt ne in excommunicationem? tom. 1. v. *Abbatissa*, caf. 9.

Religiosus, qui ad alacrius & liberius currendum, & ex sola animi levitate sui Ordinis vestem deponit, est ne excommunicatus? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf. 10.

Religiosi, qui in fraudem suarum constitutionum Monasticarum provideri se curant coram superioribus Ecclesiasticis sæcularibus, peccant ne, & incidunt ne in excommunicationem? An solus absolvere illos Papa valet? *ibid.* caf. 51.

Mulieres, quæ intrant in interiora Monasterii Virorum, & qui eas introducunt, incurrunt ne in excommunicationem & suspensionem? *ibid.* caf. 47.

Qui penetrant in interiora Monasterii Filiarum incidunt ne in excommunicationem? tom. 2 v. *Monasterium*, caf. 6.

Excommunicatio, in quam incidunt Religiosæ Monasterium suum egredientes, est ne Papæ reservata? Episcopi Galliæ habent ne jus ab illa absolvendi? tom. 2 ver. *Excommunicatio*, caf. 48.

Religiosa, quæ aliam verberat Religiosam, incidit ne in excommunicationem, & quis eam ab hac absolvere potest? *ibid.* caf. 49.

Excommunicatio in quam quis incidit crimine, & de quo falso coram Judice se purgavit, est ne Papæ reservata? *ib.* v. caf. *Scevola*, caf. 15.

Qui cooperantur ad dandam sepulturam Ecclesiasticam personæ interdictæ, aut personæ interdictæ, quæ recusat ex Ecclesia exire, sunt ne excommunicati ipso facto? Ad quemnam recurrere debent, ut absolvantur? tom. 2 v. *Interdictum*, caf. 20.

Excommunicatio antiquo jure lata adversus crimina, quæ recensentur in Bulla *In Cœna Domini*, habet ne suum effectum etiam in Regionibus, in quibus Bulla illa recepta minime fuit? tom. 1. v. *Casus Reservati*, caf. 3.

Qui lectione pravarum quorundam librorum in hæresim incidunt, sunt ne ipso facto excommunicati? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf. 23.

Excommunicatio in quibusdam Diœcesibus lata adversus eos, qui vacant spectaculis prohibitis tempore cultus divini, est ne tantum comminatoria, aut est ne reservata? *ibid.* caf 24.

Cum Episcopus suis Diœcesanis interdicit aliquid sub pœna excommunicationis, transgressores sunt ne excommunicati ab ipso temporis puncto, quo actum fecerunt? *ib.* caf. 20.

Catholicus incurrit ne excommunicationem decretam adversus hæreticos, si templum eorum ingrediatur, & ibi saltem extrinsecus & ex metu hæreticorum ibi congregatorum actus exerceat? *ib.* caf. 10.

Incidit ne in excommunicationem, qui de unico tantum articulo fidei voluntario dubitat? tom. 2. v. *Fides*, caf. 7.

Qui rei sunt raptus, incidunt ne in excommunicationem? tom. 2. v. *Impedimentum raptus*, caf. 3.

Pœna ista an semper decreta fuit adversus simoniacos *ipso jure*? An non habet locum nisi respectu simoniæ commissæ in Ordine aut in Beneficio? tom. 1. v. *Simonia* caf. 49.

Potest ne excommunicationis sententia decerni in Dominos, Judices, qui tolerant Diebus Dominicis ac Festis Nundinas, Mercatus, Spectacula ac Saltationes? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, caf. 5.

Excommunicatio nulla ligat ne coram Deo? Quomodo hoc in casu gerere se debet in foro exteriori? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf. 14.

Sacerdos injuste excommunicatus potest ne licite suas exercere functiones tam publice quam privatim? Quonam uti potest medio ad evitandum scandalum? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf. 17.

Metus excommunicationis injustæ debet ne movere mulierem, ut debitum conjugale marito reddat, licet dubia haereat de Matrimonii validitate? tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii in genere*, caf. 2. & tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, caf. 1. tom. 2. v. *Debitum conjugale*, caf. 18.

Tales excommunicationes ligant ne coram Deo? tom. 2. v. *Debitum conjugale*, caf. 47.

Excommunicatio Juridica dispensat ne mulierem a reddendo suo marito debito conjugali, aut famulos a serviendis suis Dominis? *ibid.* caf. 42.

Incidunt in excommunicationem majorem, qui ore in duellum descendunt? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf 8.

Si statutum Episcopale, secum ferens excommunicationem, non sit clarum, an intelligendum est de excommunicatione comminatoria? *ibid.* caf. 21.

Excommunicatio respicit ne interius forum & exterius? *ibid.* caf. 68.

Episcopi possunt ne excommunicare illum, qui eorum jurisdictioni subditus non sunt? *ibid.* caf. 25.

Possunt ne aliquibus in casibus excommunicare illos ex suis Diœcesanis, qui ad evitandam hanc pœnam in aliam sese receperunt Diœcesim? *ibid.*

An omnes ii, qui post mortem Episcopi in peccata incidunt, quibus adjunxit excommunicationem, excommunicati sunt? *ibid.* caf 28.

Mors Episcopi superveniens ante dilationem concessam in monitorio, impedit ne effectum Censurarum, quæ in eo decernuntur? tom. 2. v. *Monitorium*, caf. 16.

Excommunicatus, potest ne eorum aut aliis criminibus in secundam incidere excommunicationem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caf 29.

Clericus excommunicatus excommunicatione majore, est ne ipso jure inhabilis, qui provideatur de Beneficio? Si dum excommunicatus est, eligatur ad Beneficium, an postea absolutus ab hac censura confirmari potest in electione sua? Si postquam electio ipsius confirmata est, incidat in excommunicationem, & quidem ante acceptatum Beneficium, amittit ne illud? An eodem modo ratiocinandum est respectu omnis generis provisionum, permutationum & aliorum similium actuum excommunicato sive denuntiato sive non denuntiato factorum? An eodem modo se rem habet

cum

cum Pensione Clericali? *ibidem* cas. 24., & tom. 3. v. *Provisio*, cas. 17. tom. 3. v. *Permutatio*, cas. 7.

Datur ne casus, in quo excommunicatus, suspensus, vel interdictus, suum possit dare suffragium in electione? tom. 2. v. *Electio*, cas. 5.

Si quis ligatus excommunicatione majori a jure aut ab homine Romæ obtineat provisionem alicujus beneficii, est ne a censura absolutus esse censendus clausula ista provisioni inserta: *Et cum absolutione a Censuris ad effectum*? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 57.

An is, qui plusquam per integrum annum in excommunicatione hæret, beneficio suo privari potest a Judice? *ibid.* cas. 25.

Sacerdos, qui excommunicatus recepit absolutionem in foro interiori, potest ne provideri Beneficio? An saltem fieri istud potest, quando excommunicatio ejus est occulta? *ibid.* cas. 58.

Excommunicatio pronuntiata ante vel post interjectam, licet injuste, appellationem habet ne effectum suspensivum? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 9. & 13.

Excommunicatio reddit ne nullam absolutionem in casu necessitatis datam? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 34.

Excommunicatio fert ne secum privationem omnis Jurisdictionis? *ib.* tom. 2. v. *Collatio*, cas. 12

Excommunicatio reddit ne inhabilem ad accusandum coram Judice? tom. 2. v. *Accusator*, cas. 6.

Qui excommunicatione minori ligati sunt, possunt ne sua in Capitulis ferre suffragia, offerre ad beneficium, & omnis generis Jurisdictionis actus exercere? Peccant ne Sacramenta administrando? Possunt ne eligi ad quasdam Dignitates, aut ad beneficia nominari? tom. 2. v. *Electio*, cas. 5

Excommunicatio aufert ne Parocho jus assistendi valide matrimoniis? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 10. & 11.

Excommunicati denuntiati possunt ne testes esse in matrimonio? *ib.* cas. 25.

Dominus excommunicatus notorie potest ne Ecclesiam ædificandam curare, in eaque jus acquirere Patronatus? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 5.

Collatio facta a Patrono excommunicato, est ne irrita? Sunt ne aliqui casus, in quibus collator excommunicatus suo uti jure possit? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 5. & 11.

Excommunicatio minor reddit ne irritam ac nullam beneficii alicujus collationem? Impedit ne, quominus licita sit? *ib.* cas. 10.

Qui ligati sunt excommunicatione majori aut minori, possunt ne valide contrahere matrimonium? tom. 2. v. *Matrimonium* 2. cas. 5. 16. & to. 2. v. *Impedimenta impedientia* cas. 1.

Impuberes possunt ne incidere in excommunicationem, a quocunque lata sit Judice? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 54.

Mulier ligata excommunicatione Papæ reservata, tenetur ne Romam recurrere, ut absolvatur? *ib.* cas. 55.

Impubes ligatus simili censura, tenetur ne eo se conferre quamprimum pubertatis annum assequutus fuerit? *ib.* cas. 46. & 35.

Superior Ecclesiasticus excommunicatus aut irregularis, potest ne valide absolvere illos, quos censuris ligavit? *ibid.* cas. 56.

Potest ne alios excommunicare? tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 6.

Qui ligati sunt pluribus excommunicationibus, an possunt ab una absolvi, ita ut reliquis maneant ligati? Possunt ne ab omnibus absolvi unica & sola absolutione? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 59.

Qui ligatus est excommunicatione, potest ne invitus ab ea absolvi? *ib.* cas. 60.

Absolvitur ne aliquis in utroque foro, ab excommunicatione per absolutionem ad cautelam? Quasnam absolutio ista ut sit legitima, habere debet conditiones? An aliquando hæc absolutio confertur iis, qui excommunicati sunt a jure? Qui hanc accepit absolutionem, an ideo suas exercere potest functiones Ecclesiasticas? *ib.* cas. 45. & 62.

Appellatio ab excommunicatione ad Metropolitanum facta aufert ne suffraganeo, qui illam intentavit, potestatem ab illa absolvendi? *ib.* cas. 63.

Cum excommunicatus denuntiatus moritur, an corpus illius Ecclesiastica privandum est sepultura? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 2.

Si in proposito absolutionem consequendi a morte surreptus fuerit, debet ne in terra Sacra sepeliri ante obtentam ab Episcopo ipsius absolutionem? *ibid.* cas. 3.

Sacerdos excommunicatus denuntiatus profanat ne Ecclesiam, in qua celebrat Missam? *ibid.* cas. 4

Episcopus excommunicatus denuntiatus, an valide Ecclesiam consecrare potest? *ib* cas. 5.

Oportet ne evitare excommunicatos, ante quam sententia Judicis tales fiant declarati? An istud quod publice notoria sit alicujus excommunicatio sufficiebat olim ad id, ut quis vitaretur? Quis hanc mutavit disciplinam? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 27.

Licet ne communicare cum homine ligato excommunicatione majori vel minori? *ib.* cas. 29.

Medicus, Chirurgus, aut Pharmacopola potest ne cum ægroto excommunicato communicare? An eodem modo judicandum est de creditore, qui ægrotum urget, ut solvat, aut de Debitore, qui ægroto debitum solvendo, Apocham ab ipso desiderat, aut qui moram aliquam ab eo obtinere peroptat? *ibid.* cas. 26. & 29.

Qui excommunicato denuntiato communicat in iis, quæ Religionem & societatem civilem spectant, peccat ne mortaliter, an vero venialiter? *ibid.* cas. 30.

Uxor, liberi & famuli excommunicati possunt ne cum ipso communicare? An eodem modo se res habet cum cæteris cognatis? *ibid.* cas. 3. & 31. & tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 42

Vassallus potest ne in bellum euntem sequi suum Dominum excommunicatum denuntiatum? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 32.

In dubio, an excommunicationis sententia sit nulla, potest ne communicari cum excommunicato? *ibid.* cas. 30

Qui sine necessitate communicavit cum excommunicato denuntiato, incidit ne in excommunicationem majorem? *ib.* cas. 41.

Peccatur ne graviter communicando cum excommunicato denuntiato? *ibid.* cas. 42.

Oportet ne in Confessione se accusare, si contingit, ut necessitate quadam cum excommunicato communicandum fuerit? An hæc ratio peccatum levius & magis veniale reddit? *ibid.* cas. 43.

An ut, nullum amplius cum excommunicato commercium habeatur, sufficit, ut excommunicationis sententia publice de Ecclesiastici Judicis tribunali fuerit pronunciata? *ib.* cas. 28.

Potest ne quis communicare cum persona nominatim excommunicata, quæ residet, quæque reperitur in loco, ubi excommunicatio ejus cognita est? *ibid.* cas. 42.

Possunt ne literæ scribi, aut quædam civilitatis officia exhiberi excommunicato, aut debiti solutio urgeri? *ib.* cas. 26. & 43.

Possunt ne licite preces pro excommunicatis fundi? *ib.* cas. 33. & 34.

Applicatio harum Precum potest ne excommunicatis usum aliquem præstare? *ib.*

Potest ne aliquis in excommunicati denuntiati presentia Missam celebrare, quin incidat in censuras? Oportet ne interrumpere Sacrificium aut Officium, si egredi ex Ecclesia recuset? *ib.* cas. 36. & 37.

Sacerdos debet ne continuare Missæ celebrationem, licet moneatur, quod ad Ecclesiæ portam homo sit nominatim excommunicatus? *ibid.* cas. 38.

Qui celebrant in præsentia notorie excommunicati, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 119.

Potest ne celebrari Missa secundum intentionem excommunicati? tom. 2. v. *Missa*, cas. 42.

Oportet ne cessare prædicationem, in præsentia excommunicati denuntiati? Ejusmodi homines sunt ne privati jure audiendi verbum Divinum? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 37. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 7.

Quamnam incurrit pœnam Sacerdos, qui Sacramentum ministrat excommunicato denuntiato? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 43.

An licite eleemosyna dari potest excommunicato denuntiato, aut accipi ab illo? *ibid.* cas. 45.

An omnis Sacerdos approbatus pro confessione jus habet absolvendi ab excommunicatione majori aut minori, a jure aut ab homine? Sunt ne quidam casus, in quibus excommunicatio major a jure Papæ sit reservata? An solus Papa ab ea absolvere potest, etiam in casu necessitatis? Qui in casu necessitatis legitime ab Episcopo absolutus est ab excommunicatione Papæ reservata, tenetur ne deinceps Romam recurrere ad obtinendam suæ absolutionis confirmationem? *ibid.* cas. 46.

An absolvi quis potest a culpa peccati, antequam solutus sit ab excommunicationis vinculo? tom. 2. v. *Casus Reservati*, cas. 6.

Confessarii a Papa aut Episcopis approbati pro casibus reservatis, possunt ne absolvere ab excommunicatione illis annexa? *ibid.* cas. 10.

Confessarii debent ne ad Superiores remittere pœnitentes peregrinos, qui habent casus reservatos, quibus excommunicatio major annexa est? *ib.* cas. 15.

Si quis in urgenti necessitate ab excommunicatione absolutus fuerit a Sacerdote simplici cum hoc adjecto mandato, ut in posterum sese Superiori exhiberet, tenetur ne hoc facere sub pœna in excommunicationem ipso jure relabendi? Istud habet ne locum etiam quoad forum exterius: Est ne idem in Gallia usitatum respectu excommunicationis Papæ reservatæ? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 64.

Cum Confessarius qui absolvit excommunicatum in articulo mortis versantem omisit sive ex oblivione sive ex ignorantia ipsi injungere, ut postmodum se se Superiori exhibeat, pœnitens an nihilominus tenetur sese ad illum referre, & sunt ne quædam Diœceses, in quibus ad hoc teneatur? *ib.* cas. 65.

Qui sub conditione absolutus est excommunicatione, an relabitur in illam, si in impotentia conditiones illas præscriptas implendi versetur, aut si neglexerit illas quantum poterat implere? *ib.* cas. 65. & 67.

An quis per procuratorem se ab excommunicatione absolvendum curare potest? *ib.* cas. 60. & 68.

Abbates Regulares possunt ne ab excommunicatione absolvere unum ex Religiosis suis, qui verberavit Clericum sæcularem? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 9.

Ad quemnam pertinet absolutio excommunicationis publicæ & denuntiatæ? Talis absolutio excommunicationis est ne sacramentalis? Quænam est formula, qua in hacce absolutionis specie uti decet? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 59.

Quanam Sacerdos uti debet formula ad absolvendam personam ligatam excommunicatione majori, quæ ad ipsum remit-

remittitur ab Episcopo, sive sit denuntiata, sive non, sive excommunicatio sit a jure & reservata, sive ab homine? *ibid.* cas. 52.
An cum excommunicatione occulta eodem modo se res habet, ac cum ea quæ publica est, tam respectu tribunalis ubi reus est absolvendus, quam respectu formulæ absolutionis? *ib.*
Est ne necessarium, ut qui a Superiore delegatur ad absolvendum excommunicatum publicum, sit Sacerdos? *ibid.*
Qui incidit in excommunicationem majorem a jure, in una Diœcesi, potest ne valide ab ea absolvi in alia, in quam se recipit, Diœcesi? *ibid.*

E X E A T.

Exeat sunt ne absolute necessaria, ut quis possit functiones obire in aliena Diœcesi? Qui falsa faciunt *exeat*, incidunt ne in suspensionem? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 12.

E X E C R A T I O.

Juramentum execrationis est ne sua natura peccatum? to. 2. v. *Jurare*, cas. 4.
Quonam sensu S. Augustinus explicat illam? *ibid.*

E X E C U T I O.

Lictores possunt ne exigere plus quam ordinariam suam mercedem, si plures in eodem loco simul executiones fecerint? tom. 1. v. *Apparitor*, vel *Serviens*, cas. 1.
An illæsa conscientia vendi omnia debitoris bona curare quis potest? tom. 2. v *Hypotheca*, cas. 8.

EXECUTOR ALTÆ JUSTITIÆ.

Altæ Justitiæ Executor nonne irregularis? Quamnam incurrit irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 69.

EXECUTOR TESTAMENTI.

Testamenti Executor tenetur ne ad restitutionem, cum creditoribus tradit titulum repertum inter defuncti schedas? tom. 2. v. *Restitutio*, cas. 163.

E X E M P L A R.

An omne alicujus tituli exemplar collatum a Notario fidem facit in foro, ubi ejus authographum non reperire est? tom. 2. v. *Beneficiarius*, cas. 9.

E X H E R E D A T I O.

Quid est jus exheredationis? Habet ne locum in Gallia? Et respectu quorum locum habet in Religionibus jure scripto & consuetudinario jure regi solitis? tom. 2 v. *Heres*, cas. 5. & 22.
Quænam exheredationis sunt clausulæ? tom. 2. v. *Heres*, cas. 27. & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 28. & 29.
Parentes possunt ne exhæredare suos liberos, qui sine ipsorum consensu matrimonium contraxerunt? tom. 2. v. *Matrimonium*, cas 17.
Oportet ne in promptu habere exheredationis caussas probatas? *ib.* & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 18.

E X I L I U M.

An omnis generis exilia civilem inferunt mortem? to. 3. v. *Ususfructus*, cas. 17 & tom. 2. v. *Heres*, cas. 11.
Exilium operatur ne irregularitatem? tom. 1. v. *Irregularitas*, cas. 120.
Judices Ecclesiastici possunt ne Clericos reos ad exilium damnare? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 10. & 14.

E X O R C I S M U S.

Vide hujus vocis Prooemium.

Est ne post Baptismum supplenda Exorcismorum cæremonia? *ib.* cas. 1.
Cuinam tribuendus est malus Exorcismorum successus? *ib*, cas. 2.
An sine peccato satisfacere quis potest suæ curiositati in Exorcismis, qui in possessis fiunt, inutiles ipsis proponendo quæstiones? *ibid.*
An simplices Exorcistæ aquam benedictam facere possunt? Quinam sunt aquæ benedictæ effectus? *ibid.* cas. 3. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 85.

E X T R E M A U N C T I O.

Vide hujus vocis Prooemium.

Extrema Unctio est ne ægrotis necessaria necessitate præcepti? Producit ne quosdam effectus tam in anima, quam in corpore? Parochi, qui negligunt curare, ut sui ægroti illam suscipiant, peccant ne mortaliter? *ibid.* cas. 1.
Sacramentum istud collatum cum sacro Chrismate, aut cum oleo Catechumenorum, est ne validum? Oportet ne, cum illud factum animadvertitur, reiterare Unctiones, saltem sub conditione cum oleo infirmorum? *ibid.* cas 4.
Extrema Unctio collata ope simplicis Olei non benedicti ab Episcopo, est ne valida, & benedictio Olei est ne huic Sacramento essentialis? Hæc benedictio semper ne a solis Episcopis facta est? Ecclesia Græca dissentit ne quoad istud ab Ecclesia Latina? *ib.* cas. 3.
Potest ne valide & licite conferri extrema Unctio, cum major olei communis quantitas superfunditur Oleo sacro, quod in parva quantitate est? Potest ne simplex Oleum misceri cum Oleo benedicto? *ib.* cas. 4.
Verba ista, *per visum*, *per auditum*, &c. pertinent ne ad essentiam formæ extremæ Unctionis? Oportet ne verbis iis omissis reiterare Unctiones saltem sub conditione? *ib.* cas. 5.
Extrema unctio collata cum forma absolutoria est ne valida? Ecclesia an illam aliquando hoc modo administravit? Forma deprecatoria est ne hodie sola in usu? *ib.* cas. 6.
Est ne ad validitatem extremæ Unctionis necessarium, ut idem, qui Unctiones facit, formam quoque pronuntiet Sacerdos? *ib.* cas. 7.
Extrema Unctio collata a pluribus simul Sacerdotibus est ne valida? An hoc modo administrata fuit in Ecclesia Græca atque Latina? Quinam est, quoad istud, hodiernus usus? Licet ne ab eo discedere? *ib.* cas. 8.
Sacerdos potest ne istud conferre Sacramentum sine ministrante? tom. 2. v. *Missa*, cas. 9.
Cum Ægrotus animam jamjam efflaturus est, possunt ne preces omitti, & ad ipsam statim Unctionem procedi? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 9.
Unica Unctio sufficit ne ad validitatem hujus Sacramenti? quinque Unctiones semper ne in Ecclesia in usu fuerunt? An aliquæ in casu necessitatis præteriri possunt? *ib.* cas. 10.
Oportet ne supersedere ultimis Unctionibus, cum Ægrotus mortuus videtur? in dubio, num Ægrotus adhuc vivat, sunt ne adhibendæ ultimæ Unctiones sub conditione? *ibid.* cas. 12.
Cum Sacerdos subita morte corripitur, aut in infirmitatem incidit, dum sacras peragit Unctiones, an is, qui ejus occupat locum, repetere debet Unctiones jam factas? *ib.* cas. 13.
Sacerdos alienus potest ne licite conferre extremam Unctionem absente Parocho loci? *ib.* cas. 14.
Religiosi possunt ne Sacramentum istud sæcularibus conferre extra necessitatis casum? to. 3. v. *Religiosus*, cas 19.
Est ne celebratio Missæ interrumpenda ad administrandum istud extremæ unctionis Sacramentum? tom. 2. vers. *Missa*, cas. 25.
Infantes, qui usum rationis nondum habent, possunt ne valide istud suscipere Sacramentum? Destruit ne reliquias peccati tam originalis, quam actualis? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 15.
Cum Ægrotus unam tantum habet manum aut unum pedem, Unctio debet ne illi fieri in partibus proximis iis, quæ desunt ipsi? *ib.* cas. 16.
Unctio est ne in oculis Ægroti facienda, qui natus est cæcus? *ib.* cas. 11.
Valide ne extrema Unctio administrari potest Furioso? *ib.* cas. 17.
Potest ne extrema Unctio licite conferri Ægroto, qui illam non poposcit? Ut valide recipiatur, est ne necessarium, ut quis aptus sit ad usum capiendum ex omnibus ejus effectibus? Quænam ad recipiendam illam requiritur conditio? *ib.* cas. 18.
Est ne conferenda extrema Unctio reo ad mortem condemnato, aut personæ, quæ in eo est, ut pereat naufragio? Sacramentum istud an nonnisi pro solis Ægrotis institutum est? *ib.* cas. 19.
Est ne extrema Unctio conferenda mulieribus, quæ cum partus doloribus luctantur? Est ne senibus conferenda? *ibid.* cas. 20.
Potest ne tempore grassantis pestis administrari istud Sacramentum, stando in aliqua ab Ægroto distantia, & utendo longo bacillo? tom. 1. v. *Communio*, cas. 18. & tom. 3. v. *Parochus*, cas 4.
Quid censendum de salute illorum, qui, cum essent ægroti, contempserunt aut neglexerunt extremam recipere unctionem, antequam morte abriperentur? tom. 2. vers. *Extrema Unctio*, cas. 21.

F

F A B E R A U R A R I U S.

Fabri aurarii possunt ne emere argentum fabricatum, ratione tantum ponderis? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 20.

F A L C I D I A.

Falcidia habet ne locum in legatis piis? tom 2. v. *Legatum*, cas. 14.
Quid est Falcidia? Habet ne locum in Regionibus lege scripta & consuetudine regi solitis? Quænam sunt regulæ Falcidiæ? tom 2. v. *Heres*, cas. 19.
Potest ne ad Falcidiæ legis beneficium recurrere, qui errore facti vel juris se obligavit ad solvendum legatum bona successionis excedens? *ib.* cas. 20.
Qui plura habet legata uni eidemque legatario persolvenda, an Falcidiam retinere potest super quocumque voluerit legato? *ib.* cas 21.
Falcidia est ne metienda ratione bonorum defuncti præsentium & certorum, nulla fructuum futurorum habita ratione? Legata alimentaria sunt ne Falcidiæ subjecta, sicut reliqua legata? *ib.* cas. 23.
Testator potest ne suo hæredi interdicere, ne quartam Fal-

Falcidiam famae? Haec vetatio quamvis tacita habet ne locum aliquando? *ibid.* cas. 23.

F A L S A R I U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne peccatum scribendo aliorum imitari Characteres? Qui istud facit, tenetur ne respondere de erroribus, qui inde nasci possunt? tom. 2. v. *Falsarius*, cas. 1.

An omnis generis probationes afferre licet, ad procurandam Falsarii condemnationem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 65.

F A L S I F I C A T O R.

Qui obtinuit dispensationem subreptitiam, censetur ne Apostolicarum literarum esse falsificator, & incurrit ne poenas Canonicas? tom. 2. v. *Falsarius*, cas. 2.

Excommunicatio in Apostolicarum literarum falsificatores decreta, est ne Papae reservata? t. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 45.

FALSUM TESTIMONIUM.

Peccatum falsi testimonii reservatum in quibusdam Dioecesibus, intelligitur ne aeque illud quod in propria causa redditur, ac illud quod in aliena causa exhibetur? Sunt ne quaedam Dioeceses, in quibus unum eque ac alterum reservatum sit? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 29.

B O N A   F A M A.

Potest ne quis voluntarie se diffamare & se criminis reum fateri, quod non commisit, ita ut hoc modo gratum faciat iis, qui illud commiserunt? tom. 1. v. *Calumnia*, cas. 3.

Est ne cuilibet liberum pati, suam famam ab aliis minui, quin eam defendat? tom. 1. v. *Detractio*, cas. 6.

Metus bonam famam amittendi, est ne ratio sufficiens, ne quis nullum declaret matrimonium hoc tacto contractum? tom. 2. v. *Impedimentum Metus*, cas. 8.

Est ne obligatio ad restitutionem, cum aliter famae dispendium fieri nequit? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 190.

Qui denigravit bonam proximi famam, tenetur ne ad reparandam injuriam hoc modo illatam? *ibid.* cas. 61. 82. 83. 84. 85. 66. & 67.

Quot modis bona fama auferri potest proximo? *ibid.* cas. 65. 66. 67. 68. 69. & 70.

F A M U L U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Famulus Catholicus tenetur ne relinquere Dominum haereticum, sive libertatem Catholicam exercendi religionem ipsi concedat, sive non? Potest ne illum servire in iis, quae falsam ipsius religionem attinent? tom. 2. v. *Famulus*, cas. 1.

Famulus Christianus potest ne Domini infidelis servitium inire? *ibid.* cas. 1.

Famulus conscius de Domini sui molitionibus amatoriis, an nihilominus pergere potest, scriptas ejus perferre literas, eumque juvare in hoc proposito? *ibid.* cas. 3.

Excommunicatio Domini impedit ne, quominus famulus in reddendo ipsi servitio pergere debeat? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 41. & tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 31.

Domini tenentur ne de salute suorum famulorum? tom. 1. v. *Cauponа*, cas. 1.

Quomodo cum famulis suis agere debent Domini? Tenentur ne illos instruendos curare? tom. 1. v. *Dies Dominicus ac Festi*, cas. 14.

Competit ne ipsis verberare famulos ad corrigendum illos? tom. 3. v. *Verberare*, cas. 1.

Possunt ne citra peccatum injuriis erga illos uti, sed ex motivo correctionis? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 5.

Sunt ne irregulares Domini, qui corrigendo servos moderationis fines transgrediuntur, adeo ut servi ictibus acceptis moriantur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 38.

Potest ne aliquid de famulorum salario detrahi propter tempus, quo aegrotarunt? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 2.

Licet ne exigua valde stipendia dare sub praetextu, quod ipsimet sponte offerant servitia sua? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 26.

Domini possunt ne famulis uti infidelibus? tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 3.

Famuli, qui Dominos suos domi existentes celant, sunt ne mendacii rei? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 6.

Famuli debent ne suis Dominis in rebus illicitis obedientiam praestare? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 12.

Sunt ne casus quidam, in quibus admitti possunt servi ad deponendum in favorem suorum Dominorum? tom. 3. v. *Testis*, cas. 19.

Tenentur ne ad secreta servanda ea, quae aguntur & dicuntur apud Dominos suos? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 13.

Tenentur ne revelare quae Dominum suum concernunt? An ad hoc tenentur cum compensatione usi sunt? *ib.* cas. 21.

Peccant ne mortaliter Dominis suis quicquam furto auferendo? tom. 2. v. *Furari*, cas. 1.

Tenentur ne ad restitutionem, cum bona Dominorum furto abstulerunt, & consumpserunt? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 22. 96. & 116.

Possunt ne citra peccatum Eleemosynam dare de bonis suorum Dominorum? tom. 1. v. *Eleemosyna*, cas. 22.

Possunt ne furtim quaedam surripere quasi per modum compensationis, cum nonnisi modicam admodum mercedem habent? tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 4. & 22.

Pontas Tomi III.

Hoc si faciant tenentur ne ad restitutionem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 207.

Famuli alicujus privati, qui durante interdicto, permissionem habet divinis assistendi Officiis, possunt ne ipsum citra peccatum eo concomitari? An eodem modo se res habet cum famulis Monasteriorum aut Conventuum? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 14.

Famulus, Januarius in domo aliqua illustri, incidit ne in excommunicationem, si male excipiat Clericum, qui ipso invito intrare volebat? Et hæc excommunicatio est ne Papae reservata? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 45.

Famuli Episcopi possunt ne ordinari sine literis dimissoriis ab Episcopo originis obtentis? Quantum temporis requiritur, ut quia apud Episcopum habitaverit, ad id ut ordinari possit absque literis dimissoriis? tom. 2. v. *Ordinum*, cas. 2. & 7.

F A V O R.

Potest ne quis pretio ac mercede vendere favorem, quo valet apud Magnates? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 195.

F E B R I S.

An omnis generis febres a recitando Breviario dispensant? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 17.

F E S T A   N U P T I A L I A.

Festa nuptialia sunt ne prohibita, durante Adventu & quadragesimali tempore? tom. 2. v. *Impedimenta prohibitiva*, cas. 1.

F E S T I   D I E S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Iter facientes tenentur ne Missae adesse, quo festis diebus in suis aut illis celebrantur Dioecesibus, per quas transeunt non ibi pernoctando? *ibid.* cas. 2.

Tenentur ne ad audiendam Missam in Dioecesi, in qua pernoctant vespera praecedentem festum ejus Dioeceseos diem, *ibid.* cas. 2.

Est ne obligatio illos extra Dioecesim observandi, licet bona cum fide quis ex illa exierit? An eodem modo se res habet, si quis fraude se subripit? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 12.

Licet ne diebus festis Nundinas & Mercatus habere? Principes fecerunt ne leges quoad istud? Sunt ne quidam casus, in quibus artifices & mercatores vendere possint festis diebus, & ad idem faciendum suos servos obligare? to. 2. v. *Festi dies*,

Cum tempore messis & vindemiae fructus terrae in periculo versentur, potest ne labor impendi ad illos domum ducendos etiam festis diebus & Dominicis? An eodem modo se res habet cum piscatione? An de hac permissio petenda est a Superioribus? *ibid.* cas. 4.

Est ne Peccatum diebus festis ac dominicis praelia committere? tom. 1. v. *Bellum*, cas. 2.

Est ne peccatum, remedia facere, aut dare diebus illis? *ib.*

Sunt ne festi dies, in quibus solemniter celebrari possit in Ecclesiis, sub interdicto jacentibus? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 9.

Episcopi possunt ne propria auctoritate novos introducere dies festos? An in Gallia auctoritas Regia simul intercedere debet cum Episcoporum auctoritate ad id, ut novi fieri possint dies festi? Est ne Ecclesiae indoles festos multiplicare dies? tom. 2. v. *Festi dies* cas. 5.

F I D E I   C O M M I S S U M.

Peccat ne qui facit fideicommissa, cum prohibita sunt lege aut saltem consuetudine? tom. 2. v. *Donatio*, cas. 1. & 2.

F I D E J U S S O R.

Vide hujus vocis Proœmium.

Creditores habent ne actionem in fidejussores ob debiti solutionem? Jus concedit ne quoddam fidejussoribus beneficium? tom. 2. v. *Fidejussor*, cas. 1.

Habent ne actionem in fidejussorem antequam debitorem primarium non solvendo declarari curaverint? *ibid.* cas. 4.

Habent ne actionem in illos postquam illud fecerunt? *ib.* cas. 2.

Fidejussor, in quem agunt Creditores, quibus non adhibet beneficium divisionis, aut negligit curare, ut subrogetur eorum juribus, potest ne recurrere adversus reliquos fidejussores, atque ab iis exigere, ut ratam ipsi partem restituant? *ibid.* cas. 6.

Cum fidejussores solverunt creditorem non monito debitore, possunt ne agere adversus ipsum, ut ipsis rependat? Debitores tenentur ne quoque suos fidejussores certiores reddere, si solvant? *ibid.* cas. 10.

Fidejussores sunt ne ab omni cautionis onere liberi, si creditores, iis non vocatis, mutent naturam tituli, quem habent in debitores suos? *ibid.* cas. 18.

Creditores possunt ne aliquam pecuniae summam accipere pro eo, ut immunes reddant fidejussores a sua sponsione? *ib.* cas. 12.

Fidejussores adversus quos agunt creditores, possunt ne ad indemnes se praestandos in sua fidejussione, non expectare ad missam summae, quas ipsi debitori, pro quo spo-

 pon-

sponderunt, debent? Possunt ne quoque eadem de causa accipere summam, quam amicus debitori, pro quo spoponderunt, debet? *ibid.* cas. 17.

Fidejussores, quos creditores absolverunt ac liberarunt a debito, possunt ne a debitore exigere summam, pro qua integram spoponderant? *ib.* cas. 13.

Possunt ne lucra & interesse capi ex re mutuo data sub prætextu, quod debitor nullos dare possit fidejussores? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 2.

Fidejussores possunt ne exigere pecuniam ad securos se præstandos de fidejussione sua? tom. 2. v. *Fidejussor*, cas. 4. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 29.

Possunt ne accipere pecuniam, cum in periculo sunt damni capiendi? tom. 2. v. *Fidejussor*, cas 15.

Possunt ne sub prætextu, quod in antecessum solverint debitum, cogere debitorem, pro quo spoponderunt, ut rependat ipsis ante terminum? Possunt ne ipsum de hoc cogere, si indemnitas ipsorum periclitaretur? *ibid.* cas. 6.

An quilibet fidejussores in solidum respondere tenentur de summa, pro qua spoponderunt? Fidejussores possunt ne suas facultates in tutum collocare, ut se a solutione debiti, pro quo spoponderunt, dispensant? *ib.* cas. 3.

Competit ne creditoribus actio in fidejussorum hæredes? *ib.* cas. 9.

Fidejussio facta in favorem alicujus hæredis, subsistit ne in quascumque manus transeat hæreditas? *ib.* cas. 12.

Si merces vendantur sub cautione alterius, & pereant antequam tradantur, fidejussor tenetur ne respondere? *ibid.* cas. 8.

Fidejussores minoris, qui factus major obtinuit Beneficium restitutionis in integrum, sunt ne pariter immunes a sua sponsione? Possunt ne recurrere adversus minores? *ib.* cas. 5. & tom 3. v. *Restitutio in integrum*, cas. 6.

Debitor tenetur ne de damnis, quorum fidejussoribus in causa fuit? tom. 2. v. *Fidejussor*, cas. 11.

Fidejussores sunt ne culpandi, qui, cum non magis sunt solvendi, quam ii, pro quibus cavent alios, qui quomodo res ipsorum se habeant ignorant, inducunt ad mutuo dandam pecuniam? *ibid.* cas. 19.

Cautio civilis postulata aut accepta sub beneplacito Papæ, ad tutam reddendam pensionem beneficiariam, est ne simoniaca? tom. 3. v. *Simonia*, cas 12.

Possunt ne exigi lucra & interesse vi cautionis datæ, tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 16.

F I D E S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Mysteriorum fides implicita sufficit ne adultis ad salutem? Fides explicita quarumdam veritatum est ne ipsis necessaria necessitate medii & necessitate præcepti. Quænam sunt istæ veritates? Personæ stupidæ tenentur ne distincte credere has veritates omnes? Pastores tenentur ne illas populis explicare? Sunt ne quædam veritates, quarum quidem solummodo adulti distinctam habere tenentur cognitionem? *ibid.* cas. 1.

An nonnisi propositiones a Conciliis Oecumenicis definitæ de fide Divina & Theologica sunt? *ib.* cas. 3.

An solæ veritates, quas Deus Ecclesiæ suæ revelavit, fidei Theologicæ sunt? Facta aut decisa ab Ecclesia sunt ne fidei Theologicæ? possunt ne contradici ab aliquo, quin sit hæreticus? Sunt ne multæ fidei species? *ib.* cas. 4.

Est ne adultis necessarium ad salutem, ut actus fidei eliciant & producant? *ib.* cas. 5.

Est ne aliquod tempus definitum, quo adulti fidei actus producere teneantur. An nonnisi hoc tempore producere debent fidei actus? *ib.* cas. 6.

Fides potest ne subsistere cum dubio quorumdam fidei veritatum, & cum metu ne non sit Deus, qui eas revelaverit? An omne dubium voluntarium de articulo fidei, quem a Deo revelatum esse patet, excommunicationem secum fert? *ibid.* cas. 7.

Ignorantia primariorum fidei mysteriorum culpabilis aut non culpabilis, est ne ratio sufficiens denegandi vel differendi absolutionem? *ib.* cas. 2. & tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.

Qui ex ignorantia Doctrinam fidei contrariam sequuntur, sub prætextu, quod credant illam Orthodoxam, & quod ea imbuantur & doceantur a suis Doctoribus, sunt ne coram Deo excusati? tom. 2. v. *Ignorantia*, cas 3. & 4.

Fides est ne ad validitatem baptismi necessaria, in iis, qui illum administrant, & in iis, qui eundem recipiunt? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 27. 28. 29. 30. & 38.

Homo surdus & mutus natus potest ne fidem habere? tom. 3. v. *Surdus & Mutus*, cas. 1.

An non revera fidei renuntiant, qui ut evitent persecutionem, qua Catholici premuntur, vestes sumunt Ministri hæretici? An istud aliquando citra peccatum facere licet? tom. 3. v. *Religio*, cas. 2.

An omnis generis homines disputare possunt cum hæreticis de articulis controversis inter illos & Ecclesiam? tom. 2. v. *Fides*, cas. 3.

B O N A F I D E S.

Licet ne in bello fidem hostibus datam violare? tom. 1. v. *Bellum*. cas. 6.

Bona fides eximit ne a restitutione? tom. 1. v. *Emptio*, cas. 10. & 12. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 4. 5. 6. 8. 10. 15. 26. 72. 84. 101. & 143.

F I L I U S.

Filii familias possunt ne quorumdam bonorum Proprietate frui, & de iis pro arbitrio disponere? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 11. & 12. & tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 5. & tom. 1. v. *Donatio*, cas. 16.

Sunt ne peccati rei, cum furantur suorum cognatorum quædam bona? tom. 2. v. *Furari*, cas. 2.

Filius potest ne exigere a Patre suo interesse ex reliqua, quam ipsi debet, dotis parte, & quidem antequam eum ad hoc condemnari curavit? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 8.

F I L I A.

Cum quis alicujus filiæ faciei magnam apponit deformitatem, ut impediatur providere juxta animi optata, tenetur ne ad damnum illi præstandum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 60.

F I S C U S.

Fiscus habet ne hypothecam, quæ omnibus aliis præfertur creditorum hypothecis expressis aut tacitis, tam in causis onerosis, quam in causis lucrativis? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5. & tom. 1. v. *Debitum*, cas. 14. & 16.

Successiones peregrinorum, aut eorum qui moriuntur ab intestato, pertinent ne jure ad fiscum? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 4. 5.

Hæreditates eorum qui ob vadimonii detractionem condemnati sunt, pertinent ne ad fiscum? *ib.* cas. 9.

Fiscus habet ne tacitam in omnia bona Publicanorum generalium, & aliorum qui Regiis denariis occupati sunt hypothecam, quæ omnibus aliis præferatur hypothecis? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 16.

Quonam in casu, & quandonam bona capitis reorum fisco acquiruntur? An omnes pœnæ infamia notantes reddunt aliquem civiliter mortuum, & ejus bona abeunt ne in fiscum? tom. 3. v. *Reus*, cas. 16.

Testes alicujus criminis, qui licet assignati, reum tamen non accusant, tenentur ne rependere fisco, quod ipsi ex rei bonis fuisset adjudicatum, si verum dixissent? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 105.

F L A G E L L A T I O.

Condemnatio ad flagellationem, & hujus pœnæ passio producit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 120.

F Œ T U S.

Quandonam incipit fœtus animari? tom. 1. v. *Abortus* cas. 5

F O R I.

Possunt ne diebus Dominicis ac Festis fori ac nundinæ celebrari? Principes sanxerunt ne quoad istud aliquas Leges? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 3. & tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 5.

FORICARUM PURGATOR.

Foricarum purgatores tenentur ne restituere, si quid reperiunt pretiosi, suo labori incumbendo? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 57.

F O R M O S I T A S.

Formositas est ne per se ipsam vitiosa? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 8.

F O R M U L Æ.

Contractus est ne in utroque foro nullus ob defectum formularum lege Principis requisitarum? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 6

Quænam formulæ necessariæ sunt, ut tituli alicujus exemplar fidem faciat in foro? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 9.

FORMULÆ SACRAMENTI.

Fuit ne quædam juramenti formula confecta occasione Simoniacorum? tom. 2. v. *Simonia*. cas. 5.

Fuit ne etiam quædam juramenti formula ex occasione fundatorum Beneficiorum? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 14.

F O R N I C A T I O.

Vide hujus tituli Proœmium.

Tenetur ne filiam in matrimonium ducere, aut dotare, qui ipsam seduxit falsis pecuniæ aut matrimonii promissis, Quænam est quoad istud Galliæ Jurisprudentia? tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 1. & 2.

Nobilis qui sub promisso matrimonii seducit plebeiam, tenetur ne illam in matrimonium ducere, sive prævidere potuerit, sive non perspicere potuerit, quod ipsam falleret? An in uno & altero casu conscientiæ suæ satisfacit illam dotando? *ibid.* cas. 3.

Cum aliquis seduxit puellam, & non recusat illam in matrimonium ducere, an puella potest exigere ab ipso pecuniæ summam in reparationem, potius quam ipsi nubendo? *ib.* cas. 4.

Qui

Qui seduxit puellam sub promissione matrimonii, tenetur ne illam in matrimonium ducere, licet puella dolo usa fuerit? Est ne obligatus ad dotandam illam? *ib.* cas. 5.

Si ligatus voto simplici castitatis aut Religionis, seduxit puellam sub promisso matrimonio, tenetur ne illam ducere in matrimonium? *ibid.* cas. 6. & tom. 1. v. *Sponsalia* cas. 42.

Qui seduxit filiam, quam sciverat esse ligatam simplici castitatis voto, tenetur ne illam in matrimonium ducere? tom. 1. v. *Fornicatio*, cas. 7.

Beneficiarius Clericus, qui seduxit puellam sub promisso matrimonio, tenetur ne relicto beneficio illam ducere in matrimonium? Potest ne consentiente puella quadam pecuniæ summa se redimere ab obligatione, qua se respectu ejus obstrinxit? *ib.* cas. 8.

Qui seduxit filiam violentia aut dolo, tenetur ne eam in matrimonium ducere, licet seductio talis sit naturæ, quæ famam puellæ auferre non possit? *ibid.* cas. 9.

Fornicatio, quæ præcessit matrimonium, tenet ne locum consummationis matrimonii? tom. 2. v. *Impedimentum voti*, cas. 3.

Fornicatio violentia commissa producit ne impedimentum affinitatis? tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 5.

Sponsalia sequentia aut præcedentia fornicationem sive voluntariam sive coactam unius aut utrinsque desponsati, an olim verum fiebant matrimonium in utroque foro? Talis fornicatio dissolvit ne sponsalia? to. 3. v. *Sponsalia*, cas. 21. 23. 32. 37. 39. 40. 43. 45. & 47.

Homo multarum fornicationum reus, antequam in amentiam incideret, an tot committit peccata mortalia, quoties istud committit peccatum post amentiam suam? tom. 2 v. *Fornicatio*, cas. 11.

Delectatio morosa fornicationum Præteritarum est ne peccatum mortale? tom 2. v. *Delectatio*, cas. 1.

Fornicatio voluntaria vel involuntaria operatur ne irregularitatem? Fornicatio cum filia, quam quia postmodum in matrimonium ducit, infert ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 113. 114. & 116.

F R A U S.

Contractus obligat ne contrahentes in foro interiori, quando fraus causa fuit contractus? tom 1. v. *Contractus*, cas. 7.

Fraus in supplicationibus, reddit ne nullas dispensationes obtentas? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 3.

F R U C T U S.

Quinam vocantur fructus naturales & fructus industriales? Possessores sive bonæ, sive malæ fidei, an eodem modo suos reddunt fructus? Est ne obligatio fructus restituendi a die quo postulati sunt? tom. 2. v. *Restitutio*, cas. 9.

F R U M E N T U M.

Licet ne vili pretio frumentum emere post messem, ut postea majori pretio vendatur? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 3.

Licet ne post messem frumentum iis, qui eo indigent vendere pretio summo, quo anno illo valebit? tom. 2. v. *Venditio*, cas. 20.

Potest ne quis frumentum vendere pretio ultimi mercatus quando scit, quod magna ejus quantitas adventura sit, quæ pretium ejus notabiliter minuet mercatu proximo aut forsan post aliquas horas venditionem insequentes? *ibid.* cas. 35.

Licet ne vendere frumentum sub fide, aut illud mutuo dare, & pretium illius definire juxta pretium, in quo erit tempore messem antecedente? *ib.* cas. 36. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 16.

Potest ne quis emere frumenta, ut & conservet, & pluris vendat? *ibid.* tom. 3. v. *Usura*, cas. 17.

F U C U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quæ est Sanctorum Patrum sententia circa usum fuci? Mulieres, quæ eo utuntur, peccant graviter? tom. 2. v. *Fucus*, cas. 1.

Mercatores, qui conficiunt, aut qui vendunt fucum peccant ne graviter? *ibid.*

F U G A.

Pastores & Parochi possunt ne aufugere & derelinquere gregem tempore belli? Sunt ne quædam occasiones, in quibus id facere possunt? tom. 2. v. *Parochus*, cas. 3.

Parochus potest ne aufugere tempore pestis grassantis? *ib.* cas. 4.

Servi possunt ne citra peccatum aufugere? tom. 2. v. *Mancipium*, cas. 4.

Si quis me aggreditur, an teneor fugam capere, an liceat me defendere? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 6.

F U N A M B U L U S.

Licet ne funibus ambulare aut etiam circumagi? Licet ne citra peccatum ejusmodi interesse spectaculis? tom. 1. v. *Circulator*, cas. 1. & 4. & tom. 3. v. *Saltatio*, cas. 3.

F U N D A T I O.

Oportet ne satisfacere fundationibus in ipsis, in quibus factæ sunt, Ecclesiis? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 4.

Sunt ne quidam casus, in quibus ii, quorum est satisfacere, fundationibus, non teneantur per alios supplere, & quinam sunt isti casus? *ib.* cas. 10.

Oportet ne satisfacere omnibus oneribus, quæ fundationis exemplar præ se fert, cujus Autographum vel originale non amplius reperitur, aut potest ne quis hac in re sequi usum contrarium? *ib.* cas. 9.

An olim particulares quædam adhibitæ sunt formulæ in fundationibus Beneficiorum? *ib.* cas. 14.

Possunt ne Parochi illas propria & plena auctoritate reducere, aut quasdam iis afferre mutationes? tom. 2. v. *Missa*, cas. 33. & tom. 3. v. *Parochus*, cas. 6.

Parochi an plus juris habent ad hoc faciendum, si qui fundatori personam referunt, consentiant? tom. 2. v. *Missa*, cas. 34. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 11.

F U N D A T O R.

Sunt ne fundatoribus quæ fundantur Officia applicandi, licet intentionem suam non indicaverint? tom. 2. v. *Missa*, cas. 34.

F U R A R I.

Vide hujus vocis Proœmium.

Famulus peccat ne mortaliter, Domino suo aliquid auferendo? Gravitas furti est ne metienda damno, quod proximo datur? Furtum est ne sua natura peccatum mortale? tom. 2. v. *Furari*, cas. 1. & tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 3. & 10.

Mancipium potest ne Domino suo auferre, quo se redimat? tom. 2. v. *Furari*, cas. 9.

Liberi, qui furantur suis Parentibus, peccant ne mortaliter? Est ne aliqua regula, qua dignosci queat, num ipsorum peccatum sit veniale, an vero mortale? *ib.* cas. 2.

Mulier potest ne suo marito quamdam pecuniæ summam furtim surripere, ut ad ludus vel eleemosynas impendat? Sunt ne aliqui casus, in quibus facere id possit? *ib.* cas. 3. & tom. 1. v. *Communicatio bonorum*, cas. 3. & tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas 12.

Sartores, qui pro se retinent panni quædam frusta, sunt ne furti rei? tom. 2. v. *Furari*, cas. 4. & tom. 3. v. *Sarcinator*, cas. 5.

Ii, qui interdum exigua in aliis furta committunt, peccant ne mortaliter? tom. 2 v. *Furari*, cas. 5.

Furtum rei exigui pretii potest ne aliquando fieri lethale? *ib.* cas. 6.

Peccat ne, qui extrema necessitate pressus, furtum committit? *ib.* cas. 7.

Peccatur ne furando, cum necessitas non est nisi gravis? Nobiles aut alii qui mutuo accipiunt, quamvis probe sciant, quod non possint reddere, sunt ne furti rei? *ibid.* cas. 8.

F U R I O S U S.

Est ne Baptismus conferendus furiosis? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 25.

Matrimonium inter furiosos aut amentes est ne validum ac licitum? tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. cas. 3.

Uxores virorum furiosorum aut mente captorum, tenentur ne debitum conjugale illis reddere, si exigant? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 35.

An valide & licite Extrema Unctio conferri potest furiosis? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 17.

Furiosus, qui occidit quemdam, incidit ne in irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 45.

F U R T U M.

Furtum natura sua veniale, potest ne fieri mortale? t. 3 v. *Peccatum*, cas. 3.

Qui sub secreti conditione scit, quod unus alteri furaturus sit, an tenetur monere hunc de furto in ipsum committendo, ipsique furis nomen aperire? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 3. & 4.

Est ne peccatum ad detegendum furtum variis uti viis extraordinariis, ut est astrolabium? tom. 2. v. *Impedimentum impotentiæ*, cas. 17.

Est ne peccatum mortale uti compensatione ad recuperanda bona sua? Est ne obligatio in foro deponendi contra illos, qui id faciunt? tom. 3. v *Testis*, cas. 7.

Quot modis sacrilegum fieri potest furtum? tom. 3. v *Sacrilegium*, cas. 1.

Est ne obligatio restituendi furto ablata? Quibusnam mediis uti oportet ad hoc? *Restitutio*, cas. 25. 52. 71. 84. 86. 92. 100. 101. 103. 105. 113. 119. 123. 125. 134. 135. 137. 188. & 192.

Filius familias potest ne iis, quæ furto abstulit, uti potius ad juvandum Patrem, an vero ad restitutionem? *ibid.* cas. 192.

Qui furem, quem non aliter deprehendere possunt, occidunt, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 26 & 30.

Clerici qui adversus furem querimonias suas deferunt, sunt ne irregulares, cum scilicet hanc accusationem furis supplicium sequatur? *ib.* cas. 51.

Fur, qui pœnitentiam egit de crimine, ob quod diu post excommunicatus fuit, incidit ne rursus in hanc pœnam? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 18.

G

GAZAILLE.

Quid est contractus Gazaille? Contractus Gazaille appellatus in quibusdam Provinciis d'*Arragon*, est ne usurarius? Quasnam habere debet conditiones, ut licitus sit? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 31. & tom. 3. v. *Societas*, cas. 21.

Utri datori an vero acceptori, probatio incumbit, in contractu Gazaille? *ibid.* cas. 22.

GEMMÆ.

Quodnam ex Gemmis lucrum capi legitime potest? Gemmæ habent ne pretium fixum & præterpropter determinatum? tom. 2. v. *Emptio* cas. 18.

GEMMARIUS.

Gemmarii quodnam legitime lucrum ex gemmis capere possunt? Cuinam restitutionem debent, si istud lucrum excesserint? Possunt ne gemmas emere, multo minoris, quam valor intrinsecus illarum est? Prætextu, quibus quotidie utuntur ad illas vendendas quanti possunt, sunt ne admittendi? Gemmæ habent ne pretium, quod possit determinari? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 16.

An plura, quam alii Mercatores, privilegia habent, in mutuo accipienda ab usurario pecunia sub conditione lucri alicui fortunæ? tom. 3. v. *Usura*, cas. 90.

GENERALIS ORDINUM.

Quænam sunt Generalium Ordinum Præpositorum privilegia, & quando uti iis possunt? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 6.

GLADIUS.

Qui gladios aliis mutuo dant, scientes, quod iis dimicaturi sint, sunt ne irregulares, si mutilatio aut homicidium inde sequatur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 29.

GLOBUS.

Ludus Globorum est ne Clericis vetitus? tom. 2. v. *Ludus* cas. 2.

GLORIA HUMANA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Desiderium gloriæ infert ne per se aliquid vitiosi? Vana gloria est ne semper peccaminosa? Quot modis gloria fieri potest vana? tom. 2. v. *Gloria Humana*, cas. 1.

Vana gloria est ne tantummodo peccatum veniale? Potest ne aliquando mortale peccatum? *ibid.* cas. 2.

GRADUATUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Si aliquis, qui non studuit in Universitate, tamen firmas Graduati obtinuit solertia sua, aut etiam non instructus scientia requisita, tenetur ne renuntiare Beneficio, quod gradibus obtinuit? *ib.* cas. 1. & 2.

Possunt ne quidam ad gradus admitti adversus Facultatis statuta? Qui se tali modo recipi curant, ut ut alias docti sint, sunt ne peccati rei? Quænam quoad istud Leges sunt Principum? *ibid.* cas. 3.

Graduatus, qui per quinque annos studuit tam in Universitate quam alibi, potest ne Beneficium acquirere & possidere canonice? Potest ne pecuniam dare competitori proviso in Curia Romana, ut eum ad desistendum ab eo permoveat? *ib.* cas. 4.

Cum Graduatus non semper negligit scribere in Classe, namque non nisi rara frequentat per unum ex quinque annis, est ne canonice provisus de Beneficio, quod obtinuit gradibus suis? *ib.* cas. 5.

Graduati possunt ne postulare Beneficia vacantia, ante obtentionem vel ante insinuationem suarum literarum Graduatus ipsius exhibitorium? Quid faciendum est ipsis, antequam postulent Beneficium? *ibid.* cas. 6.

Dignitatem Ecclesiarum Cathedralium & Beneficia Chori pueris ac Sacerdotibus ad eandem Ecclesiam per suam habitationem pertinentibus addicta, sunt ne juri Graduatorum obnoxia? *ibid.* cas. 7. & tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 2. & tom. 2. v. *Juramentum fidelitatis*, cas. 3.

Graduati possunt ne postulare Beneficium, quod in fraudem ipsorum juris permutatum est? Quandonam taliter permutatum esse Beneficium censetur? tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 8.

Si duo Graduati ejusdem promotionis & in iisdem gradibus una concurrant, uter prævalere debet? Concursus ipsorum debet ne æstimari ab anno, an vero a die scriptarum literarum eos Graduatos nahibentium? *ib.* cas. 9.

Graduatus, quem in carcerem conjicere decretum est, est ne inhabilis ad petendum Beneficium? *ibid.* cas. 10.

Graduatus, qui matrimonium inivit, potest ne post uxoris mortem, petere Beneficium vi graduum suorum? *ib.* cas. 11.

Graduati habent ne jus ad Beneficia, quæ sunt vacantia in mensibus Regi addictis? *ibid.* cas. 12.

Graduati sunt ne exempti a subeundo examine Episcopi, aut Magni Vicarii ejus? Quonam est quoad hoc Galliæ jurisprudentia? *ibid.* cas 2. & tom. 2. v. *Examen*, cas. 2.

Defectus insinuationis reddit ne nullam postulationem Graduatorum? tom 2. v. *Insinuatio*, cas. 2.

Possunt ne præveniri a Papa, post factam postulationem? tom. 3. v. *Requisitio*, cas. 4.

Indultarii prævalent ne Graduatis si concurrant? tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 2.

Graduati peccant ne petendo Beneficia, quæ animarum curam habent annexam? tom. 2. v. *Beneficium*, cas. 3.

Tenentur ne residere Graduati, qui pacifici possessores sunt alicujus Curæ? tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 1.

GRADUS COGNATIONIS.

Sunt ne regulæ quædam certæ, ac tutæ circa modum numerandi gradus Cognationis? tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis naturalis*, cas. 1.

GRATIA DEI.

Sunt ne quædam signa, quibus dignoscere quis possit, num sit in statu gratiæ? tom. 1. v. *Communio*, cas. 23.

Ordinationes collatæ ab Episcopis Hæreticis conferunt ne gratiam? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 16.

GRATIA PRINCIPIS.

Principis gratia restituit ne reum in pristinam conditionem? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 10.

Judices Supremarum Curiarum possunt ne gratiam facere reis? tom. 2. v. *Judex*, cas. 6.

Gratiæ extinguuntur ne morte illius, qui eas contulit? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 18.

An omnis gratiæ gratiæ expectativæ in materia Beneficiorum abolitæ sunt a Concilio Tridentino? Extinguuntur ne irregularitate? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 5.

GUBERNATOR.

Gubernatores Provinciarum aut Castrorum tenentur ne restituere, quod ultra permissa aut jussa a Rege contributiones aut stipendia acceperunt? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 127. & 128.

GULA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Excessus, qui fiunt edendo & bibendo, sunt ne sua natura peccata mortalia? tom. 2. v. *Gula*, cas. 1.

Qui edunt & bibunt potius ad voluptatem, quam ad necessitatem, peccant ne, etiamsi excessum notabilem non committant, quique ipsorum non noceat sanitati? Licet ne gustare cibos, voluptatem inde capiendi causa? *ib.* cas. 2.

Qui gulæ nimis indulgendo, se redigunt in impossibilitatem solvendi debita sua, peccant ne lethaliter? tom. 2. v. *Intemperantia*, cas. 1.

GYMNASIARCHA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Gymnasiarcha debet ne suos Pensionarios & Bursarios Beneficiarios obligare ad gerendam vestem & tonsuram Clericalem? tom. 2. v. *Gymnasiarcha*, cas. 1.

Licet ne pecuniam largiri, ad perveniendum ad Gymnasiarchiam? *ib.* cas. 2.

Gymnasiarcha potest ne quædam munera petere, Regentibus vel Bursariis, quibus Cathedram vel Bursas confert? tom. 1. v. *Convictus & Bursa*, cas. 1.

H

HABITUS PECCANDI.

Habitus peccatorum mortalium, est ne ratio sufficiens denegandi, aut differendi absolutionem? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13. 21. 24. & 29.

An peccatoribus, qui peccandi habitum contraxerunt, facilius absolutio conferri potest Jubilæi tempore, quam alio? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 10.

Ii, qui cum sint in habitu peccati mortalis, & in proposito perseverandi in illo, adsunt tamen Missæ diebus Dominicis ac Festis, committunt ne novum peccatum? An nihilominus Missæ adesse tenentur? tom. 2. v. *Missa*, cas. 1.

Habitus, in quo quis est, dicendi aut faciendi malas quasdam res, excusat ne a peccato? tom. 1. v. *Blasphemia*, cas. 1.

HÆRES.

Vide hujus vocis Proœmium.

Qui se gesserunt tanquam hæredes puros & simplices, possunt ne cogi ad solvenda omnia successionis debita? An omnes ii, qui Regi solvendum habent, puri & simplices censentur esse hæredes, quique adeo non gaudeant beneficio inventarii? Quænam sunt prærogativæ illorum, qui sese gerunt hæredes beneficio inventarii? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 3.

Hæ-

Hæredes debent ne post factam partitionem reciproce suas invicem ab evictione cavere portiones? ibid. cas. 1.

Liberi peregrini, nati legitimo matrimonio, aut qui jus civitatis & Regnicolæ obtinuerunt, possunt ne in Gallia hæreditate Parentum suorum bona? Suntne quidam alii quibus idem sit jus? ibid. cas. 4.

Mulier est ne in defectum liberorum, aut aliorum hæredum, sui Mariti ab intestato mortui hæres? ibid. cas. 5.

Infans natus ante debitum tempus, & ferme immediate post mortuus, censetur ne sui Patris hæres esse? ibid. cas. 6.

Spurii & peregrini possunt ne in Gallia institui hæredes aut legatarii? ibid. cas. 7.

Infantes legitimati a Principe, possunt ne partem capere in hæreditate Patris, una cum legitimis ejus filiis? ibid. cas. 8.

Parentes possunt ne contractu Matrimonii sui filii se obligare ad servandam ipsi integram successionem? An in hoc casu, non amplius ullam bonorum suorum partem alienare ipsis licet? Quid in tali institutione observandum? ibid. cas. 1.

Hæredes condemnati ob desertionem vadimonii, habent ne quoddam jus in ejus bona præsentia aut futura? Est ne quoad hanc rem quædam inter Jus Romanum & Jurisprudentiam Galliæ differentia? ibid. cas. 2.

Hæredes rei, qui interjecit appellationem, habent ne jus colligendi ipsius bona relicta, si ante definitivum judicium moriatur? ibid. cas. 10.

Homo condemnatus ad pœnam, quæ secum fert mortem civilem, est ne habilis ad succedendum? Ejus liberi legitimi ingrediuntur ne in jura ipsius? ibid. cas. 11.

Cum Persona quædam moritur nullo relicto hærede, ad quem pertinent ejus bona? Jus hæredum extenditur ne se usque ad infinitum in omnibus Consuetudinibus? ibid. cas. 12.

Religiosus, qui revocavit Vota sua intra tempus præscriptum, fit ne capax omnium hæreditatum præsentium & futurarum adeundarum? An eodem modo se res habet cum reo, cujus sententia quæ inferebat mortem naturalem aut civilem, annullata est aut mutata? An eodem quoque modo se res habet cum spurio legitimato, aut peregrino jure civitatis donato? ibid. cas. 13.

Hæres qui ope summæ cujusdam renunciavit suo juri, quod in hæreditatem habebat, potest ne in foro peti, & datur ne actio adversus ipsum quoad legata & debita successionis? Qui jure & simpliciter renunciavit, debet ne quibusdam uti cautelis, cum obligatur actum quemdam hæredis facere? Minorennis potest ne hujus generis actum facere? ibid. cas. 14.

Hæres, qui ante vel post renunciatam hæreditatem, quædam subduxit ad illam pertinentia, potest ne a Judice declarari hæres purus & simplex? ibid. cas. 15.

Si hæres, qui nescit, quo titulo hæres sit, accipiat successionem aliquam, an illi renunciare potest, si eam repetant onerosam? ibid. cas. 16.

Creditores tenentur ne postulationes suas dividere adversus quemlibet hæredum? tom. 2. v. Hypotheca, cas. 1. & 2.

Creditores Chirographarii successionis prævaleant ne Creditoribus hæredum Hypothecariis? ibid. cas. 4.

Creditor tenetur ne reliquis Creditoribus rationem habere alicujus summæ pecuniæ, quæ ipsi soluta est a quodam, qui se credidit alterius hæredem, quamvis revera non esset? tom. 2. v. Hæres, cas. 17.

Cum hæres bona fidei evincitur ab alio, tenetur ne fenore sumptus lite durante factos? ibid. cas. 18.

Hæredes tam beneficiarii, quam simplices, possunt ne se reducere ad Falcidiam? Quid est Falcidia? Falcidia an pariter obtinet in regionibus Consuetudinibus regi solitis, & in iis quæ legibus scriptis subjacent? Est ne aliquid observandum respectu Falcidiæ? ibid. cas. 19.

Hæres, qui se obligavit ex errore juris vel facti, ad solvendum legatum excedens successionis valorem, potest ne adhærere Falcidiæ suæ? ibid. cas. 20.

Hæres, qui uni eidemque Legatario plura legata solvenda habeat, an suam retinere potest falcidiam, super quocunque voluerit legato? ibid. cas. 21.

Falcidia alicujus hæredis est ne æstimanda ratione bonorum Defuncti præsentium & certorum, non comprehensis fructibus futuris? Est ne quædam exceptio facienda respectu legatorum alimentariorum? ibid. cas. 22.

An hæres, postquam Testator prohibuit retinere quartam Falcidiam, tenetur integram persolvere legatum? Est ne quidam casus, in quo tacita prohibitio retinendi falcidiam locum habeat? ibid. cas. 23.

Si hæredum alter pro bono rei communis quosdam fecit sumptus, cohæredes tenentur ne ad rependendum ipsi, licet res communis casu quodam fortuito pereat? ibid. cas. 24.

Hæres potest ne a Cohæredibus fructus alicujus fundi frugiferi usque ad æquales portiones exigere? tom. 2. v. Lucrum ultra sortem, cas. 5.

Hæres altaris, qui defunctus est, antequam in ipsum ageret ob crimen, tenetur ne ad restitutionem & reparationem damnorum? An pariter se res habet cum mulcta decreta a Judice ante judicium definitivum, aut quum appellatio interjecta est? tom. 2. v. Hæres, cas. 25.

Hæredes tenentur ne præstare damna data ab iis, quibus successerunt? tom. 2. v. Mulcta, cas. 2. & tom. 3. v. Restitutio, cas. 106. & 124.

Hæredes qui res communes gerendo, in pejorem aut meliorem statum eas conjiciunt, tenentur ne cohæredibus damnum præstare, aut fructus cum illis æqualibus portionibus communes habere? tom. 2. v. Hæres, cas. 26.

Cohæredes, qui per aliquot jam annos bonæ fidei Possessores sunt, tenentur ne sibi invicem rationem reddere quilibet de sua hæreditatis & fructuum possessione? tom. 3. v. Restitutio, cas. 7.

An quilibet hæredum in solidum tenetur de debitis defuncti, qualiacunque sint illa debita? ibid. cas. 124. & tom. 1 v. Cessio bonorum, cas. 7.

Hæres Depositarii, qui bona fide depositum consumpsit, tenetur ne ad restitutionem depositi? tom. 1. v. Depositum cas. 27.

An unus hæres tenetur Locatario continuare locationem a defuncto factam? Est ne quædam differentia inter hæredem universalem & particularem? tom. 2 v. Locatio, cas. 12. & 13.

Hæredes tenentur ne continuare societatem, sive socii de hoc convenerint, sive non? tom. 3. v. Societas, cas. 29.

Est ne quædam causa, ob quam exhæredari possunt Cognati, & quænam sunt illa? tom. 2. v. Hæres, cas. 27.

Persona, quæ est sui juris, potest ne propria vendere, & ea intentione, ut pretium ad unum ex suis hæredibus, exclusis aliis, perveniat? ibid. cas. 28.

Hæredes Beneficiarii Possunt ne iterum capere ea iis, quæ Beneficiarius de beneficii sui reditibus superflua seposuit? ibid. cas. 29. & tom. 1. v. Beneficiarius, cas. 14.

Equites Religiosi sunt ne habiles ad hæreditates adeundas? tom. 4. v. Equites Religiosi, cas. 2.

HÆRESIS.

Qui per ignorantiam incidunt in hæresim, sunt ne coram Deo excusati? tom 2. v. Ignorantia, cas. 5.

Hæresis notoria impedit ne a Beneficio impetrando? tom. 1. v. Collatio, cas. 9.

Hæresis notoria reddit ne absolutiones nullas a parte Sacerdotis, qui ea inquinatus est? tom. 3. v. Parochus, cas. 14.

Pensio super Beneficio extinguitur ne hæresis causa? tom. 3. v. Pensio, cas. 26.

Hæresis publica reddit ne invalidam Sacramentorum administrationem? tom. 1. v. Absolutio. cas. 13.

Hæresis crimen producit ne irregularitatem? Quænam est quoad istud Jurisprudentia Galliæ? tom. 2. v. Irregularitas, cas. 108.

Qui incidunt in hæresim, sunt ne excommunicati ipso facto? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 13.

Hæresis, in quam incidit desponsatorum alter, dissolvit ne sponsalia? tom. 3. v. Sponsalia, cas. 38. & 44.

Possunt ne Catholicis concedi dispensationes, quibus licitum iis fiat matrimonium inire cum Personis hæresis pravitate infectis? tom. 1. v. Dispensatio Matrimonii, cas. 33.

Ejusmodi matrimonia sunt ne nulla, defectu dispensationis Papalis, si impedimentum dirimens adsit? Sunt ne licita vel saltem valida, quando in prædicationibus celebrata sunt? Puella Catholica potest ne citra peccatum Calvinistæ nubere in prædicatione? Si puella ista in tertio vel quarto gradu cognata esset illius, cui cum dispensatione Principis in prædicatione nuberet, an matrimonium illius validum esset? ibid. cas. 34.

Hæresis est ne ratio sufficiens, ob quam Mulieres Maritis suis debitum Conjugale recusent? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 44.

Hæresis est ne causa sufficiens Conjugibus sese ab invicem separandi? Tenentur ne ad se invicem reverti, post conversionem ejus, qui hæresi erat imbutus? tom. 1. v. Divortium. cas. 14.

Tenentur ne egredi a Religione, si in illam durante separatione intrarunt? ibid. cas. 23.

Cum evidens est in hæresim labendi periculum, an pars innocens alteram partem propria authoritate derelinquere potest? Debet ne reverti ad illam, quamprimum certa est de ipsius conversione? ibid. cas. 15.

Cum pars rea renuntiat hæresi, ante pronuntiatam separationis sententiam, an altera pars tenetur desistere a persequenda separationis sententia, & sese reconciliare cum altera parte? ibid. cas. 17.

Hæresis tollit ne parti immuni ab hac pravitate jus se separandi, quando scilicet pars ista ab hæresi immunis adulterii rea est? ibid. cas. 18.

Facultas absolvendi a Casibus reservatis includit ne facultatem absolvendi ab hæresi, & censuris illi annexis? An omnes Galliæ Episcopi deputare possunt ad absolvendum ab hæresi? tom. 1. v. Casus Reservati, cas. 4.

Hæresis an legitime condemnari nequit, nisi in Concilio œcumenico? tom. 2. v. Fides, cas. 3.

HÆRETICUS.

Principes debent ne vi uti ad cogendum hæreticos intrare in sinum Ecclesiæ? tom. 2 v. Infidelis, cas. 2.

Sunt ne rebaptizandi hæretici ad Ecclesiam revertentes? tom. 1. v. Baptismus, cas. 27. & 29.

An post abjurationem ipsorum baptismi Ceremoniæ ipsis sunt supplendæ? ibid. cas. 18. & 29.

Hæretici qui convertuntur; tenentur ne suum matrimonium rehabilitandum curare? Habent ne dispensatione opus, cum cognati in tertio gradu matrimonium contrahunt? tom. 2. v. Impedimentum Cognationis naturalis, cas. 4. & tom. 2. v. Impedimentum Clandestinitatis, cas. 13.

Hæretici contrahunt ne baptismo cognationem spiritualem, quæ impedimentum dirimens matrimonii sit? tom. 2. v. Impedimentum Cognationis spiritualis, cas. 9.

Matrimonia cum hæreticis contracta sunt ne valida & licita? tom 2. v. Impedimentum Disparitatis cultus, cas. 8. & 9. & tom. 1. v. Dispensatio Matrimonii, cas. 31.

Hæreticorum liberi sunt ne Irregulares pro Ordinibus & Beneficiis? tom. 2. v. Irregularitas, cas. 103.

Digitized by Google

Professio Religiosa Haeretici est ne valida? tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 7.

Potest ne quis inire aut manere in servitio Haeretici? tom. 2. v. *Famulus*, cas. 6.

Sunt ne Haereticis concedenda Monitoria? Qui recipiunt eorum liberos male tractatos a parentibus propter Religionis causam, debent ne revelare factis querimoniis Monitorio contentis? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 2. & 3.

Qui actus haereticorum simulatione & exterius tantum imitantur, incidunt ne propterea in excommunicationem adversus haereticos decretam? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 10.

Sunt ne haeretici sepultura Ecclesiastica privandi? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 2.

An omnis generis homines disputare cum haereticis possunt de punctis inter Ecclesiam & ipsos controversis? tom. 2. v. *Fides*, cas. 8.

H O M I C I D I U M.

Est ne irregularis & Homicidii reus, qui ad servandam suam vitam, aggressorem occidit? Licet ne se defendendo intentionem habere illum occidendi? Ejusmodi homicidia fuerunt ne olim poenitentiae Canonicae obnoxia? tom. 2. v. *Occidere*, cas. 1.

Est ne homicidii reus, qui postquam aggressori negavisset eorumdem finire, illum occidit ad servandam suam vitam propriam? *ibid.* cas. 2.

Est ne homicidii reus, qui Mulierem praegnantem verberando in causa est, ut infans in utero moriatur? *ibid.* cas. 3.

Est ne homicidii reus, qui hominem vulneratum, qui jam jam moriturus est, conficit, prout moribundus illud instanter ab eo efflagitavit? tom. 2. v. *Occidere*, cas. 5.

Homicidium casuale est ne sua natura peccatum? Sunt ne quidam casus, in quibus fiat peccatum? Sunt ne varii generis homicidia casualia? *ibid.* cas. 4. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 47. & tom. 1. v. *Abortus*, cas. 8.

Miles, qui nec mandatum habet, nec in suo studio est, fit ne reus homicidii occidendo quosdam hostes, qui in recessu sunt, nec ipsum aggrediuntur? *ibid.* tom. 2. v. *Occidere*, cas. 7.

Est ne homicidii reus, qui occidit latronem condemnatum ad mortem ob desertam vadimonii diem? *ibid.* cas. 6.

Virgo est ne homicidii rea, si ad conservandum honorem suae virginitatis occidat eum, qui eam illi auferre nititur, aut si sibi ipsi violentas ideo manus infert? *ibid.* cas. 8.

Est ne homicidii reus, qui occidit furem bona sua auferentem? *ibid.* cas. 9.

Mancipium fit ne homicidii reum, si ad recuperandam libertatem, Dominum, qui infidelis est, occidat? Homicidium est ne quibusdam in casibus licitum? *ibid.* cas. 10.

Magistratus qui auctoritatem supremam habet in manu, quia qua se reum criminis morte digni cognoscit, potest ne ex zelo pro Justitia mortem, quam meruit, sibi ipsi procurare? *ibid.* cas. 12.

Est ne homicidii species, quoddam ex suis membris abscindere, si non de hoc agitur, ut totum illa abscissione corpus servetur? *ibid.* cas. 14.

Licet ne ad sedandam seditionem personam innocentem morti tradere, si nullum aliud medium superest? *ibid.* cas. 13.

Praesul, qui Princeps est independens, potest ne Maleficum morti tradendum curare? *ibid.* cas. 15.

Qui propositum habuit homicidium committendi, illud autem executus non est, incidit ne in irregularitatem? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 44.

Sacerdotes aut Religiosi, qui mutilant aut occidunt hostes, sunt ne homicidii rei & irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 43.

Infans homicidii reus, est ne irregularis? *ibid.* cas. 48.

Qui non impediunt homicidium, licet occasionem habeant, sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 67.

Qui homicidium commiserunt sine alia, quam se defendendi intentione, sunt ne irregulares? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 10. & tom. 2. v. *Occidere*, cas. 1.

Qui occidunt Sacerdotem degradatum, incidunt ne in excommunicationem? tom. 1. v. *Depositio & Degradatio*, cas. 2.

Homicidium patratum in quadam persona, conscia vel inscia illius conjuge, cum proposito vel sine proposito Matrimonium cum superstite contrahendi, est ne impedimentum dirimens? tom. 2. v. *Impedimentum Criminis*, cas. 6. & 7.

Maritus, qui deprehendens uxorem in adulterio eam occidit, est ne homicidii reus? tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 15.

Qui occidit, aut mutilavit aliquem, tenetur ne damnum ipsi, aut ipsius familiae praestare? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 48. 52. & 40.

Est ne obligatio deponendi coram Judice adversus illum, qui aggressorem suum interfecit? tom. 3. v. *Testis*, cas. 7.

Cum is, qui interfecit aut mutilavit, offerat parti laesae satisfactionem data convenientem, an nihilominus illum criminaliter in foro persequi potest? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 28. & tom. 1. v. *Denuntiatio*, cas. 1.

An semper ad Papam sit recipere oportet ad absolutionem obtinendam ob irregularitatem, in quam quis homicidio commisso incidit? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 8. 9. & 11.

H O N E S T A S P U B L I C A.

Vide Impedimentum honestatis publicae.

H O N O R.

Vide hujus vocis Prooemium.

Quid est quod vocatur in mundo Honor? Honor est ne vitae praeferendus? Potest ne quis seipsum aut alios occidere honoris sui servandi causa? tom. 2. *Occidere*, cas. 8.

Est ne obligatio ad Restitutionem, & nonne saltem differri potest, quando restitui non potest sine honoris sui dispendio? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 190.

Sunt ne quidam casus, in quibus obligatio non est injuriam reparare illatam honori proximi? *ibid.* cas. 69.

H O N O R A R E.

Est ne obligatio Ecclesiasticos Superiores honorandi, licet inordinate vivant? tom. 2. v. *Honor*, cas. 2.

H O N O R A R I U M.

Potest ne Missa celebrari intentione honorarium accipiendi? tom. 2. v. *Missa*, cas. 16.

Cum Honorarium nimis exiguum est, an nihilominus numerus Missarum, de quo convenit, perficiendus est, etiam in eo casu, quando juxta ipsam Episcopi constitutionem majus esse deberet? *ibid.* cas. 9.

Potest ne accipi honorarium pro pluribus Missis, & tamen non nisi unica legi sub praetextu, quod fructus Sacrificii sit pretii infiniti? *ibid.* cas. 30.

Possunt ne pro eadem Missa duo accipi honoraria, applicando uni eorum, qui eam poscunt, partem specialem fructus, quae ad celebrantem redit? *ibid.* cas. 91.

Potest ne aliquid retineri de honorario Missarum, quas quis per alios Sacerdotes celebrari curat? *ibid.* cas. 32.

Potest ne quis propria auctoritate fundationis Missas reducere, quarum honorarium sufficiens non est? *ibid.* cas. 33. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 4.

Est ne obligatio restituendi honorarium Missarum, quas celebrare nimis diu cessatum est? tom. 2. v. *Missa*, cas. 42.

H U M I L I T A S.

Potest ne ex principio humilitatis Communio Paschalis differri? tom. 1. v. *Communio*, cas. 11.

Advocati aut Sacerdotes possunt ne ex principio humilitatis renunciare praecedentiis, praerogativis, & aliis ipsorum Corpori concessis privilegiis? tom. 1. v. *Advocatus*, cas. 1.

H Y P O C R I S I S.

Vide hujus vocis Prooemium.

Hypocrisis est ne sua natura peccatum? Sunt ne quaedam regulae intervenientes ad dignoscendum, num hypocrisis sit venialis, num mortalis? tom. 2. v. *Hypocrisis*, cas. 1.

H Y P O T H E C A.

Vide hujus vocis Prooemium.

Creditor Hypothecarius, qui se exhibet post omnes Creditores Chirographarios, habet ne jus actionis adversus haeredem beneficiatum, ut solvatur? Potest ne ex Hypotheca sua usum capere pro illo ex Creditoribus, qui occupat fundum, qui ejus est Hypotheca? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 1.

Creditores Hypothecarii & Chirographarii habent ne jus actionis in unum pro omnibus haeredibus? Sunt ne varii generis Creditores? *ibid.* cas. 2. & 9.

Creditores Hypothecarii sunt ne privilegiati Chirographariis respectu bonorum haeredis puri & simplicis? *ibid.* cas. 3.

Creditores Chirographarii defuncti sunt ne privilegiati Creditoribus Hypothecariis haeredis? *ibid.* cas. 4.

Si quis postquam vendidit immobile aut mobile, pretium inde non receperit, praefertur ne in solutione omnibus reliquis Creditoribus Hypothecariis Emptoris? Sunt ne casus, in quibus talis praefertur? *ibid.* cas. 5. & tom. 1. v. *Debitum*, cas. 44.

Creditores, quorum Hypotheca est naturalis, sunt ne solvendi ante Creditores Hypothecarios anteriores? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 6.

Creditores privilegiati sunt ne distincti ab invicem ratione temporis creditae suae pecuniae, aut ratione naturae privilegiorum? *ibid.* cas. 7.

Creditor, cujus Hypotheca est generalis, potest ne illam exercere super omnibus quae pertinent ad debitorem? *ibid.* cas. 8.

Cum Hypotheca non est restricta ad certa quaedam bona, an omnia bona praesentia & futura hypothecata esse censendum? Talis Hypotheca nocet ne Creditoribus Hypothecariis privilegiatis? *ibid.* cas. 10.

Hypotheca, quam quis habet super domo, an subsistit super reliquis debitoris bonis, in casu scilicet quando domus illa periit? Extenditur ne Hypotheca illa ad quaecunque domus partem constituunt aut ejus accessoria sunt? *ibid.* cas. 11.

Debita, Actiones, Obligationes, Contractus Censuum, & alia jura sunt ne in Gallia subjecta Hypothecae? An pariter quoque juxta Leges Romanas? *ibid.* cas. 12.

Bo-

Bonum jam hypothecatum potest ne secunda vice alteri hypothecari; sive secunda ista Obligatio præjudicet reliquis creditoribus, sive non? ibid. cas. 13. & 16.

Cum aliquod bonum pluribus est hypothecatum, an ille Hypothecarius, qui reliquis est interior, præfertur, etiamsi alias creditor in possessione esset? ibid. cas. 14.

Donatarii an non habeat jus ad Hypothecam nisi die insinuationis? Chirographa continentia contractus constitutionis, præbent ne Hypothecæ jus? tom. 2. v. Insinuatio, cas. 3. & tom. 2. v. Lucrum ultra sortem, cas. 7.

Creditores, qui mutuo dederunt ad conservationem rei, aut qui solverunt sumptus morbi, & sepulturæ sunt ne omnibus aliis præferendi? Hypotheca expressa aut tacita dat ne jus reale & effectivum in bona Debitorum, præ omnibus aliis creditoribus? tom. 1. v. Debitum, cas. 13. & 14.

Fiscus Principis habet ne Hypothecam insuper omnibus? Quotnam sunt Hypothecarum species? Quinam sunt ii, qui Hypothecam habent tacitam in bonis eorum, cum quibus contrahunt? ibid. cas. 18.

Creditores Hypothecarii sunt ne soli, quibus Leges concedunt privilegium præferentiæ? ibid. cas. 17.

Hypotheca alicujus census, cum casu fortuito perit, an census in nihilum redactus est? tom. 2. v. Census, cas. 6.

Cum Locatio aliqua interrupta est, conductor habet ne semper hypothecam suam super fundo conducto? tom. 1. v. Damnum & interesse, cas. 5.

Uxor est ne omnibus creditoribus hypothecariis anterioribus & posterioribus suo Matrimonii contractui, præferenda? tom. 2. v. Hypotheca, cas. 13.

Si idem fundus eodem tempore hypothecatus fuerit duobus, & non sufficiat ad illos solvendos, an dividendus est pro ratione creditæ ab unoquoque pecuniæ? Aliut, qui est in possessione est ne alteri præferendus? ibid. cas. 14.

Debitor tenetur ne rependere hypothecario sumptus, quos fecit in conservandam rem, quæ ipsi obligata fuit, licet perierit? ibid. cas. 17.

Si creditor renuntiavit suæ Hypothecæ in favorem alienationis cujusdam factæ a Debitore, redit ne in suum jus, si alienatio nulla declaretur? ibid. cas. 18.

Hypothecarius, qui tanquam testis subscribit actui, qui videtur derogare ipsius juri, an ea propter ab eo dejectus est? ibid. cas. 19.

I

JACTANTIA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne peccatum Jactantia? Sunt ne quædam regulæ, quibus dignoscitur, an peccatum istud sit mortale, an veniale? tom. 2. v. Jactantia, cas. 2.

Vanitas potest ne confundi cum superbia? ibid. cas. 1.

JANITOR.

Janitores, qui ut teneant januam & removeant multitudinem, percutiunt quosdam Clericos, incidunt ne in Excommunicationem? Est ne Papæ reservata? An alii præter Papam absolvere ab ea possunt? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 45.

IDOLUM.

Christianus famulus Idololatræ, potest ne restare stare, dum ille coram Idolis se prosternit? tom. 3. v. Scandalum, cas. 10.

JEJUNIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne absolutio conferenda iis, qui non jejunant, licet ætas & temperamentum id illis permittat? tom. 1. v. Absolutio, cas. 22.

Omissio Jejunii potest ne aliquando fieri duplex peccatum? tom. 3. v. Peccatum, cas. 7.

Est ne obligatio supplendi jejuniis omissis? tom. 1. v. Communio, cas. 22.

Ecclesia determinavit ne ætatem jejunandi? Est ne peccatum non jejunare ante annum vigesimum primum? Oportet ne se exercere in jejunio ante hanc ætatem? tom. 2. v. Jejunium, cas. 1.

Religiosi professi, qui nondum habent annos viginti & unum, obligantur ne ad servanda jejunia Ecclesiæ & Regulæ suæ? ibid. cas. 2. & 3.

Ætas ut ut provecta est ne sola argumentum sufficiens ad se dispensandum de jejunio? ibid. cas. 11.

Mulieres prægnantes & Nutrices tenentur ne ad jejunium? ibid. cas. 4.

Pauperes verecundi & pauperes mendici sunt ne exempti a jejunio? ibid. cas. 5.

Iter facientes Peregrinantes religiose, & opifices obligantur ne ad jejunandum? ibid. cas. 2.

Opifex, qui sine necessitate exercet laborem nimis longum & nimis difficilem, est ne dispensatus a jejunio? ibid. cas. 8. & 12.

Ejusmodi opifices tenentur ne ad jejunium diebus quibus labore suo non incumbunt? ibid. cas. 9.

Qui ut eo magis promoverent aliquod opus, inducunt operarios ad non jejunandum, sunt ne rei peccati quod committunt illi ex his operariis, qui possent jejunare? ibid. cas. 11.

An observando abstinentiam nimis severam potest aequis & quidem citra peccatum se incapacem reddere officiis suis peragendis? ibid. cas. 15.

Monasteria exempta a Jurisdictione Ordinarii tenentur ne jejunia Diœceseos observare? ibid. cas. 16.

Est ne obligatio servandi jejunia etiam extra Diœcesim, quando bona cum fide & absque fraude quis abiit? tom. 2. v. Impedimentum Clandestinitatis, cas. 23.

Est ne obligatio se quoad jejunium conformandi loco, ubi quis est? tom. 3. v. Votum, cas. 13.

Si quis votum nuncupavit de jejunando certis quibusdam diebus, tenetur ne jejunare illis diebus, licet dies Paschatis aut Nativitatis in illos inciderit, & non attenderit ad hoc cum vota emitteret? ibid. cas. 8.

An tempore Quadragesimæ hora convivii notabiliter anticipari potest? Ecclesia variavit ne circa convivii horas? tom. 2. v. Jejunium, cas. 13.

Licet ne diebus jejunii bibere extra horas convivii? Qui in convivio notabiliter edendo excedunt, amittunt ne meritum jejunii? ibid. cas. 11.

Chocolatam, Caffé, Thé & alii liquores sumpti aliquot horis post convivium, tempore Quadragesimali, rumpunt ne jejunium? ibid. cas. 19.

Usus Cœnulæ, vel ut vocant Collationis in Quadragesima eximit ne a peccato? Est ne approbatus ab Ecclesia? ibid. cas. 19.

Collatio semper ne fuit in usu? Unde suam duxit originem? Licet ne in ea sumere panem & pisces frixos? ibid. cas. 20.

Potest ne cibus & potus dari diebus jejunii omnibus, qui petunt? tom. 2. v. Caupo, cas. 3.

Si dubitent num ii, qui edere & bibere poscunt, idonei sint jejunii nec ne, an ex conscientia tenentur illud percontari? v. Casum Rodulphus, v. Caupo, cas. 16.

Venatio erat ne olim diebus jejunii licita? tom. 2. v. Dies Dominici ac Festi, cas. 5.

Tabaccum rumpit ne jejunium naturale, quocumque modo sumatur? tom. 2. v. Missa, cas. 6.

JESUITÆ.

Prima Jesuitarum vota ex pleno jure vacantia reddunt beneficia, quæ antea possiderent? tom. 1. v. Beneficium in Proœmium hujus vocis.

Possunt ne valide matrimonium contrahere, post nuncupata tria vota simplicia, quæ in eorum Societate fiunt? tom. 2. v. Impedimentum Voti, cas. 6.

Possunt ne post eadem vota succedere in bonis suorum cognatorum? tom. 2. v. Hæres, cas. 13.

IGNIS.

Est ne obligatio reparandi damnum datum ab igne, qui accensus est, nostra culpa? tom. 2. vers. Restitutio, cas. 176. & 177.

IGNORANTIA.

Quid est ignorantia? An plures sunt Ignorantiæ Species quoad objectum? Sunt ne variæ ejus species quantum ad homines? ignorantia est ne sua natura peccatum? Peccata multiplici commissa per ignorantiam sunt ne mortalia? tom. 2. v. Ignorantia, cas. 1.

Potest ne peccari per ignorantiam? Quandonam ignorantia a peccato excusat, & quandonam non excusat ab illo? ignorantia Juris naturalis divini & humani, potest ne esse invincibilis? tom. 2. v. Impedimentum Matrimonii in genere, cas. 4. & tom. 2. v. Conscientia, cas. 3. & tom. 1. v. Debitum Irregularitatis, cas. 22.

Ignorantia invincibilis Juris naturalis tam in ejus primis principiis, quam in ejus conclusionibus, est ne possibilis? Hæc ignorantia est ne immunis a peccato in utroque casu? tom. 2. v. Ignorantia, cas. 2.

An omnis ignorantia a peccato excusat? tom. 1. v. Advocatus, cas. 2. & tom. 1. v. Confessio, cas. 43. & 44. & v. Communio, cas. 3 & 7. & tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 51.

Qui ex ignorantia sequuntur Doctrinam hæreticam, quam credat Orthodoxam, sunt ne rei? tom. 2. v. Ignorantia, cas. 3.

Scholares qui ex ignorantia opinionem sequuntur fidei contrariam aut bonis moribus, sunt ne rei, licet doceantur ab ipsorum magistris? ibid. cas. 4.

Ignorantia est ne defectus capitalis in Clerico? tom. 2. v. Ordines, cas. 22. & 23.

Ignorantia reddit ne aliquando Clericos irregulares? tom. 2. v. Irregularitas, cas. 125.

Ignorantia tam juris Ecclesiastici quam facti, excusat ne a suspensione & cæteris censuris? tom. 3. vers. Suspensio, cas. 4.

Ignorantia culpabilis aut non culpabilis Decalogi, Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, salutationis Angelicæ, est ne ratio sufficiens denegandi alicui absolutionem? tom. 2. v. Fides, cas. 3.

ILLEGITIMUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

An omnis infans extus in matrimonio clandestino, contracto

Digitized by Google

contracto in gradu prohibito, sive non, est ne illegitimus? *ibid.* cas. 1.

Infans natus e matrimonio contracto in facie Ecclesiæ, sed sine consensu interiori alterius conjugum, est ne illegitimus? *ibid.* cas. 2.

Infans natus in matrimonio contracto in forma ordinaria, sed postea nullum sententia Judicis declaratum, est ne illegitimus? *ibid.* cas. 3.

An omnis Infans natus a personis habilibus ad contrahendum, legitimus fit subsequente Patris sui & matris matrimonio? Tenentur ne illum agnoscere suum Infantem ante judicium definitionem? Sunt ne quædam regiones, quæ in hoc differunt a Gallia? *ibid.* cas. 12.

Infans qui natus est alicui ex concubina, cessat ne illegitimus esse matrimonio, quod contrahit cum ista, cum in eo est ut moriatur? *ibid.* cas. 5.

An omnis infans fit legitimus matrimonio sui patris & matris subsequente, qui inhabiles erant ad contrahendum cum natus est ipsis? Tenentur ne agnoscere istum suum infantem, in præjudicium reliquorum legitimorum liberorum? Semper ne illegitimus manet etiam post dispensationem matrimonii, quam obtinuerunt? *ibid.* cas. 4. & 8.

Infans adulterinus natus in absentia Patris, qui mortuus est in itinere est ne illegitimus? Potest ne adoptare nomen & insignia gentilitia Patris putativi & hereditare bona matris, si in Commentariis baptizatorum habetur, quod de facto natus sit ab alia persona? *ibid.* cas. 11.

Infans natus in concubinatu, & cujus pater matrimonium contraxit cum filia honesta, fit ne legitimus, si post mortem hujus uxoris in matrimonium ducat matrem infantis? *ibid.* cas. 6.

Ut Infans censeatur illegitimus, & non possit hereditatem adire cum reliquis liberis, an sufficit ut Pater & mater declarent, eum esse illegitimum, nullis appositis probationibus? *ibid.* cas. 7.

An spurii nullibi in nulla Galliæ Provincia hæreditatem cognatorum adire possunt? *ibid.* cas. 9.

Infans qui nascitur decem aut duodecim annis post Patris mortem, censetur ne illegitimus? tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 14.

Ad quem pertinent bona spuriorum mobilia & immobilia? *ibid.* cas. 10.

Pertinet ne ad dominos Parœciarum ipsorum? tom. 1. v. *Dominus Parœciarum*, cas. 9.

Infans natus septem mensibus post matrimonium suæ matris censetur ne illegitimus? tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 13.

Filius natus a Patre, qui post legitimum matrimonium Ordines sacros recepit, postmodum autem suum consummavit matrimonium, est ne illegitimus? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 258.

Infantes inventi expositi censentur ne illegitimi? *ibid.* cas. 159.

Infantes illegitimi sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 160.

Professio solemnis Religionis reddit ne illegitimos habiles ad suscipiendos Ordines sacros & ad id ut possint provideri dignitatibus regularibus? *ibid.* cas. 134.

Religiosi & Religiosæ illegitime habent ne dispensatione opus, ut ad dignitates regulares possint pervenire? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 4.

Illegitimi possunt ne in matrimonium ducere cognatam Patris in tertio aut quarto lineæ collateralis gradu? tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis naturalis*, cas. 2.

Contrahunt ne impedimentum cognationis legalis cum iis, qui adoptati sunt? tom. 2. v. *Impedimentum cognationis legalis*, cas. 5.

IMPEDIMENTUM JURIS NATURALIS & DIVINI.

Impedimentum Juris Naturalis & Divini, reddit ne nullum quicquid personæ publicæ faciunt? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 13.

IMPEDIMENTUM MATRIMONII IN GENERE.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Impedimentum dirimens, superveniens matrimonio contracto, reddit ne matrimonium nullum? tom. 2. v. *Impedimentum matrimonii in genere*, cas. 1.

Tale impedimentum est ne ratio sufficiens, quare conjuges, etiam in dubio, debitum conjugale sibi non reddant? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 48.

Est ne ratio sufficiens cur dispensatio concedatur, si desponsati in bona sint fide? tom. 1. v. *Dispensatio matrimonii*, cas. 25.

Qui confessionis via & modo edoctus est de nullitate matrimonii cujusdam ex suis Pœnitentibus, tenetur ne hanc illi declarare? tom. 2. v. *Impedimentum matrimonii in genere*, cas. 5. & tom. 1. v. *Confessarius* 1. cas. 5.

Oportet ne Pœnitenti nullitatem matrimonii ipsius, si id postulet, declarare, quodcunque inde scandalum nasci possit? tom. 2. v. *Impedimentum matrimonii in genere*, cas. 6.

Si quis scit duas Personas matrimonium contraxisse cum impedimento dirimente, tenetur ne illas ea de re monere? *ibid.* cas. 7.

Potest ne quis ad salvandum honorem filiæ, & legitimandos infantes, qui sibi ex illa nati sunt, contrahere matrimonium cum illa, ante obtentam dispensationem impedimenti dirimentis? Quid faciendum in hac occasione? *ibid.* cas. 2.

Si quis Confessionis via & modo compertum habeat, quod inter duas personas, quæ jam in eo sunt, ut matrimonium contrahant, impedimentum dirimens intercedat, potest ne denegare matrimonium illorum celebrare antequam dispensationem obtinuerint? Quænam in talibus circumstantiis adhibendæ sunt cautelæ? *ibid.* cas. 3.

Si quis aliter quam Confessionis via & modo sciat quod impedimentum dirimens occultum sit inter contrahentes, & de quo Episcopus dispensare non potest, potest ne illorum celebrare matrimonium mandato Episcopi? *ibid.* cas. 4.

Si quis scit, sub secreto, quod inter duas Personas, quæ nupturæ sunt sibi invicem, est impedimentum dirimens, tenetur ne monere de hoc Parochum, si probare nequeat? Parochus monitus hac de re quid faciendum habet? Potest ne ipsorum celebrare matrimonium? *ibid.* cas. 8. & 9.

Cum quis moraliter certus sit, quod illa Persona, quam monere vellet, monita nullam rationem habitura sit, aut quod majus inde ulterius sit scandalum, an tenetur revelare in hoc casu impedimentum dirimens, quod cognitum habet? *ibid.* cas. 10.

Parentes respectu liberorum, & liberi respectu parentum, tenentur ne revelare impedimentum dirimens, sibi cognitum? *ibid.* cas. 11.

An in ipsa matrimonii celebratione declarandum est impedimentum dirimens ad quod prius non satis fuerat attentum? Quænam tali in casu cautelæ observandæ sunt? *ibid.* cas. 12.

An semper obligatio est revelandi impedimenta dirimentia? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 8.

Mariti & Uxores admittuntur ne ad deponendum de impedimento dirimente quod est inter ipsos? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 4.

Oportet ne superasse celebratione matrimonii facta simplici cujusdam impedimenti denuntiatione? tom. 1. v. *Denuntiationes matrimonii*, cas. 10. & 11.

Impedimentum dirimens, quod quis spargit ex malitia, aut quod verum creditur in publico, dissolvit ne sponsalia? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 15. & 16.

IMPEDIMENTUM ERRORIS.

Vide hujus Tituli Proœmium.

An varii generis sunt errores? An omnes illi errores matrimonium irritent? Error Personæ est ne unius generis? Impedimentum qualitatis aut fortunæ potest ne aliquando fieri dirimens? tom. 2. v. *Impedimentum Erroris*, cas. 1. & tom. 1. v. *Divortium*, cas. 1.

Error personæ, qui vocatur concomitans, est ne impedimentum dirimens? tom. 2. v. *Impedimentum erroris*, cas. 2.

IMPEDIMENTUM CONDITIONIS SERVILIS.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Matrimonium contractum cum Persona, Mancipio, quæ credebatur libera, est ne irritum? Si dominus Mancipii contribuat ad matrimonium, aut doceat mancipium, est ne validum matrimonium? tom. 2. v. *Impedimentum conditionis servilis*, cas. 1.

Matrimonium contractum, immo & consummatum cum servo pœnæ, qui liber esse credebatur, est ne nullum? tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 12.

Est ne quoque irritum respectu contractus & reliquorum effectuum civilium? *ibid.*

Matrimonium est ne nullum, quando contrahentium alter, qui est mancipium, in matrimonium ducit personam, quæ etiam est mancipium, sed quam liberam esse credebat? *ibid.* & tom. 2. v. *Impedimentum conditionis servilis*, cas. 2.

Matrimonium irritum errore conditionis servilis, sed postmodum ratum factum ea ratione quod visum fuerit, rigide examinando, valide contractum fuisse, est ne validum? *ibid.* cas. 3.

Matrimonium contractum a duobus mancipiis, invitis Dominis, est ne validum? *ibid.* cas. 4.

Dominus potest ne mancipiis negare permissionem se matrimonio jungendi? *ibid.* cas. 5.

Mancipium matrimonio junctum consentiente aut invito Domino suo, debet ne mandata domini præferre obligationi debitum conjugi reddendi? *ibid.* cas. 6. & 7.

Maritus & Uxor possunt ne se mancipia dare sine consensu alterius? *ibid.* cas. 8.

Domini possunt ne sua mancipia separatim ab illorum uxoribus vendere, sive in ipsorum consenserint matrimonium, sive non? *ibid.* cas. 9.

IMPEDIMENTUM VOTI.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Religionis Professio solemnis irritat ne matrimonium in facie Ecclesiæ contractum sed non consummatum? tom. 2. v. *Impedimentum*, *ibid.* cas. 1.

Matrimonium contractum in facie Ecclesiæ, sed violentia consummatum ante tempus desponsatis jure concessum, dissolvitur ne professione solemni Religionis? *ibid.* cas. 2.

Matrimonium contractum a duabus personis, quæ antequam sibi invicem nuberent, se cognoverant carnaliter, & quod nondum est consummatum, dissolvitur ne unius aut alterius professione religiosa? Fornicatio quæ præcesserat, tenet ne locum consummationis? *ibid.* cas. 3.

Matrimonium dissolutum ne est professione Religionis tacita? An varii generis professiones sunt tacitæ? Admittuntur ne in Gallia? *ibid.* cas. 4.

Sole-

Digitized by Google

Solemnia aut simplicia Castitatis vota, reddunt ne matrimonium irritum ac nullum? ib. cas. 5.

Matrimonium est ne dissolutum voto Castitatis publice facto intra manus superioris Regularis? Dissolvitur ne quoque simplicibus, quæ Jesuitæ nuncupant, votis; ibid. cas. 6.

Simplex Castitatis Votum impedit ne matrimonium contractum sine dispensatione consummare, tantummodo debitum reddendo? Si Matrimonium semel consummatum est; an non obstante Voto debitum conjugale reddi potest? ib. cas. 7.

Qui ligatus est simplici Religionis voto, potest ne contrahere matrimonium cum proposito ingrediendi in Religionem antequam illud consummet; ibid. cas. 8.

Qui vi aut sollicitatione ab uxore sua extorsit consensum intrandi in Religionem, potest ne cogi ad revertendum ad illam? sunt ne quidam casus in quibus ad hoc subeundum obligatio non sit? ibid. cas. 9.

Maritus, qui consentiente uxore professionem Religionis fecit, potest ne cogi ad revertendum ad illam, si illa neget ipsum, intrando in Religionem, sequi, aut Castitatis votum nuncupare; ibid. cas. 10.

Mulier, quæ falso persuasa de morte mariti professionem Religionis fecit, potest ne ad illum, cum rediit, reverti? ib. cas. 11.

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS NATURALIS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Cognati in quarto aut in quinto gradu possunt ne matrimonium contrahere absque dispensatione? Est ne modus quidam & regulæ certæ gradus in omnibus lineis numerandi? tom. 1. v. *Impedimentum cognationis Naturalis*, cas. 1.

Illegitimus potest ne in matrimonium ducere cognatam suo Patri in tertio aut quarto gradu lineæ collateralis, ib. cas. 2.

Matrimonium est ne validum, cum contrahentes credunt se invicem esse cognatos in quarto gradu, & cum alter non est cognatus nisi in quinto gradu? ibid. cas. 3.

Matrimonium contractum ab hæreticis, cognatis sibi invicem in tertio gradu, est ne validum; Contrahentes habent ne dispensatione opus postquam in sinum Ecclesiæ redierunt? Tenentur ne matrimonium suum rehabilitandum curare; ibid. cas. 2.

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS SPIRITUALIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Impedimentum cognationis spiritualis reddit ne matrimonium nullum? Quænam sunt personæ quæ spiritualem contrahunt cognationem baptismo; tom. 1. v. *Impedimentum cognationis spiritualis*, cas. 1.

Lustricus filius potest ne absque dispensatione in matrimonium ducere viduam Patrini; ibid. cas. 2.

Affinitas spiritualis, quam quis contrahit cum sua concubina, cujus in casu necessitatis baptizavit infantem, est ne impedimentum dirimens matrimonii subsequentis? Ista lex est ne statuta tanquam pœna? ibid. cas. 3.

Laicus qui in casu necessitatis baptizat infantem, contrahit ne impedimentum dirimens cum matre illius infantis? Pater, qui in eodem casu baptizat infantem suum legitimum, est ne separandus ab uxore? ibid. cas. 4.

Patrini aut Lustricæ matres, minoris ætatis, contrahunt ne istud impedimentum; ibid. cas. 5.

Infideles, Hæretici & Schismatici Patrini, aut Patrinæ contrahunt ne quandam cognationem spiritualem baptismo, quæ sit impedimentum dirimens; ibid. cas. 6.

Qui baptizant infantes Infidelium, contrahunt ne aliquam cognationem spiritualem cum Parentibus illorum infantum, sicut & quoque ipsis infantibus? ibid. cas. 7.

Affinitas cognationis spiritualis contrahitur ne inter illos qui Patrini sunt ac Patrinæ; sed non nisi in supplendo baptismi cæremoniis; ibid. cas. 8.

Qui infantem suscipiunt de sacro fonte tanquam procuratores, contrahunt ne quandam cognationem, cum infante ac Parentibus illius? ibid. cas. 9.

Qui infantem per procuratorem suscipi de sacro fonte curant, contrahunt ne quoque cognationem illam spiritualem? ibid. cas. 10.

Patrini & Patrinæ numerum Patrinorum ordinarium excedentes contrahunt ne quoque cognationem cum infante & ejus Parentibus; Parochi debent ne Patrinos ultra numerum admittere; ibid. cas. 11.

Patrini & Patrinæ contrahunt ne cognationem spiritualem cum non tangunt infantem; ib. cas. 12.

Plures indistinctim admissi ut sint Patrini & Patrinæ, contrahunt ne omnes cognationem spiritualem cum infante & ejus Parentibus? ibid. cas. 13.

Contrahitur ne cognatio spiritualis confirmatione; Quinam sunt, qui hanc contrahunt cognationem? ib. cas. 14.

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS LEGALIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

An omnis generis adoptio impedimentum est dirimens matrimonii; Quid est adoptio, sunt ne varii generis adoptiones; tom. 1. v. *Impedimentum cognationis legalis*, cas. 1.

Sunt ne varii generis cognationes legales propriæ sic dictæ? An omnes illæ legales cognationes matrimonium illicitum reddunt ac invalidum? ib. cas. 2.

Est ne cognatio legalis inter Personam, quæ adoptat, & matrem Personæ quæ adoptatur? est ne cognatio legalis inter plures adoptatos ab uno? ibid. cas. 3.

An quilibet jus habet adoptandi, quoscunque vult? Quænam requisitæ conditiones ad id, ut quis adoptare possit quemdam? ib. cas. 4.

Filii tam legitimi quam illegitimi contrahunt ne impedimentum cognationis legalis cum eo, qui adoptatus fuit; ib. cas. 5.

IMPEDIMENTUM AFFINITATIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quid est Affinitas? Contrahitur ne solum in copula completa; maritus viduus factus ante matrimonii consummationem, potest ne absque dispensatione in matrimonium ducere personam, suæ defunctæ uxori in tertio gradu cognatam; tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 1.

An olim plures affinitatis species habebantur; Subsistunt ne adhuc? hodienum sunt ne adhuc Impedimentum dirimens? Affines Fratres & affines sorores possunt ne matrimonium contrahere cum maritis aut uxoribus, quibus una aut altera nupserant successive? ib. cas. 2.

Affines mariti & affines uxoris sunt ne inter se affines? ib. cas. 3.

Vir an cum nulla suæ uxoris cognata, nisi ultra quartum gradum, matrimonium inire potest? ib. cas. 3. & tom 2. v. *Impedimentum prohibita*, cas. 1.

Affinitas contrahitur ne fornicatione violentia commissa? Usque ad quartum gradum extenditur impedimentum dirimens hujus affinitatis, t. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas 5.

Est ne dirimens impedimentum affinitatis inter Personas, quarum altera nata est ex fornicaria copula? Istud impedimentum habet ne eandem vim, & æque ne extenditur, ac impedimentum Cognationis; ib. cas. 6.

Potest ne quis cum dispensatione Papæ in matrimonium ducere puellam ipsi in primo gradu lineæ directæ affinem? ib. cas. 7. & tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 3

Oritur ne affinitatis impedimentum inter uxoris Consanguineas, & maritum, si qui claustrum quidem Virginitatis fregit, at extra vas muliebre semen effudit; tom. 2. v *Impedimentum affinitatis*, cas. 8. & tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 14.

Nascitur ne affinitas ex semine intra vas muliebre emisso, sine membri genitalis introductione; tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 9.

Cum duæ Personæ jam jam in eo sunt, ut matrimonium contrahant, & rumore spargitur, quod inter illos sit affinitas præcedens, an ulterius procedendum est; Parochus, qui hac de re certior redditur, debet ne negare matrimonium celebrare, ib. cas. 10.

IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Impedimentum nullum & non consummatum producit ne impedimentum Honestatis publicæ? Usque ad quorum gradum impedimentum istud locum habet? tom. 1. v. *Impedimentum Honestatis publica*, cas. 1.

Vir qui cum fuisset desponsatus, nubit postea defacto sororem suæ desponsatæ, cum hac autem non consummat matrimonium, an hoc modo impedimentum Honestatis publicæ contrahit respectu Desponsatæ, cum hac autem non consummat matrimonium, an hoc modo impedimentum Honestatis publicæ contrahit respectu Desponsatæ suæ; ib. cas. 2.

Sponsalia producunt ne Impedimentum publicæ Honestatis, & ad quorum usque gradum, ibid. cas. 3. & 4.

Cum sponsalia irrita facta sunt, sive mutuo consensu, sive sententia Officialis, producunt ne istud impedimentum; ib. cas. 5.

Cum quis petit dispensationem de impedimento publicæ Honestatis, & de impedimento affinitatis ex illicita copula, est ne necessarium, ut in supplicatione ambo impedimenta exprimantur; ib. cas.

Cum Desponsatus peccavit cum sorore Desponsatæ, an in matrimonium ducere potest utram ex iis voluerit, & nonne in hoc casu impedimentum publicæ Honestatis contraxit? ibid. cas. 7.

Impedimentum dirimens publicæ Honestatis habet ne locum respectu cognatorum tam legitimorum quam naturalium in primo gradu? ib. cas. 8.

Impedimentum publicæ Honestatis habet ne locum respectu infidelium; ibid. cas. 9.

IMPEDIMENTUM ORDINIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Vir, qui inscia uxore sacros recepit Ordines, potest ne exigere aut reddere debitum matrimoniale? Sunt ne quidam casus, in quibus non obligaretur ad revertendum ad suam uxorem? tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 1.

An omnes Ordines tam majores quam minores impedimentum sunt dirimens matrimonii? ib. cas 2.

Maritus qui nondum consummavit suum Matrimonium, potest ne inscia uxore sacros recipere ordines, ipsam deinceps Religionem ingressuras? Sacri Ordines possunt ne dissolvere Matrimonium ratum factum, sed non consummatum; ibid. cas. 3.

Subdiaconus persuasus de validitate suæ ordinationis, quamvis irritæ & nullæ, potest ne postquam ejus agnovit nullitatem, matrimonium sine dispensatione contrahere, sive continentiæ votum amplexus fuerit, sive illi subjecerit, utpote ab Ecclesia Subdiaconis impositæ; ib. cas. 4.

Cum

Cum mulier consentit Ordinationi sui mariti, est ne necessarium, ut ipsa Religionem ingrediatur? Sunt ne quidam casus, in quibus ad hoc obligetur? ib. cas. 6.

Matrimonium contractum a Subdiacono est ne licitum, si suscipiendo Subdiaconatum non habuit animum se esse obligandi ad servandam continentiam? Incidit ne in excommunicationem & in irregularitatem tale matrimonium contrahendo? Sacri Ordines fuerunt ne semper matrimonii Impedimentum dirimens? ib. cas. 6.

Acolytus qui ordinatus est invitus, & cum protestatione, quod contracturus sit matrimonium, potest ne illud deinceps valide contrahere? Est ne pœnis quibusdam canonicis hoc faciendo obnoxius? ib. cas. 7.

IMPEDIMENTUM DISPARITATIS CULTUS.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Matrimonia contracta cum infidelibus aut Judæis, sunt ne ab Ecclesia & Principibus prohibita? Sunt ne jure naturali & divino irrita ac nulla? Ecclesia toleravit ne in primis sæculis ejusmodi matrimonia? Sunt ne pœnæ quædam decretæ adversus illos, qui talia contrahunt matrimonia? *Impedimentum disparitatis cultus*, cas. 1.

Pendet ne ab arbitrio Infidelis conversi erat uxores habentis, eam ex eligere quamcumque voluerit, cum ea in Christiana fide vivendi causa & animo? Tenetur ne capere primam, quamvis illam repudiaverit, cum esset adhuc infidelis? Sunt ne quidem casus in quibus ille conversus deserere possit uxorem infidelem, ducturus Christianam? ib. cas. 2.

Infideles qui ante conversionem suam matrimonium contraxerunt in gradibus prohibitis jure sive divino, sive Ecclesiastico, possunt ne una juncti manere? Est ne ipsis dispensatione opus ad hoc? ibid. cas. 3.

Cum omnes mariti infideles se converterunt ne ipse, tenetur ne in matrimonio retinere eam, quam primo duxit? Si prima converti negat, potest ne inter reliquas seligere, quamcumque voluerit? Tenetur ne de novo cum illa contrahere juxta formam quæ in Ecclesia observatur? ibid. cas. 4.

Matrimonium infidelium, licet consummatum, an quoad bigamos dissolvitur professione Religionis solemni ab altera parte facta? ibid. cas. 5.

Cum Infidelis se convertit, non autem ejus mulier ejus sequi exemplum, potest ne sacerdos vel religiosus fieri? Tenetur ne in posterum, cum & uxor conversa est, ad illam reverti? ib. cas. 6.

Matrimonium contractum cum Catechumeno est ne irritum ac nullum? ib. cas. 7.

Matrimonium cum Hæretico vel cum excommunicato denuntiato contractum, est ne validum? ib. cas. 8.

Est ne peccatum matrimonia contrahere cum Hæreticis? Ecclesia decrevit ne quasdam pœnas adversus eos, qui hoc faciunt? Sacerdotes qui iis intersunt, peccant ne, & incidunt ne in quibusdam Diœcesibus in pœnas quasdam? ibid. cas. 9. tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 11.

Matrimonium consummatum aut non consummatum, dissolvitur ne, quantum ad ligamen, cum conjugum pars electa relabitur in hæresim, aut in infidelitatem suam præcedentem, & pervertere quoque studet alteram partem? Separatio quoad thorum & cohabitationem, an in hoc casu saltem permissa est? tom. 2. v. *Impedimentum disparitatis*, cas. 10.

Catholicus, qui in matrimonium duxit hæreticam, potest ne convenire cum ea, quod filii nascendi ex ipsorum matrimonio educabuntur in Religione Catholica, filiæ autem hæresim matris sequentur? ib. cas. 11. & tom. 1. v. *Divortium*, cas. 20. & 21.

IMPEDIMENTUM CLANDESTINITATIS.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Matrimonium etiam contractum per verba de præsenti, inter Personas, quæ prius sibi invicem promiserunt matrimonium per verba de futuro, est ne hodie validum istud matrimonium? An olim validum erat? Quot nam ex mora nostra requiruntur testes, ut matrimonium validum sit? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 1.

Matrimonium, cui sacerdos sæcularis aut regularis adfuit sine permissione Parochi Contrahentium aut Episcopi, est ne irritum ac nullum? Principes decreverunt ne quasdam tali Sacerdoti pœnas? ib. cas. 2.

Matrimonium cui adfuit sacerdos permissione a Contrahentium Parocho fraude vel mendacio obtenta, est ne validum? ib. cas. 3.

Matrimonium contractum in Parœcia, in qua quis non nisi per paucos dies moratus est, & ex qua mox abiturus est, est ne validum? Quodnam requiritur Domicilium, ad id, ut quis valide possit contrahere? ibid. cas. 4.

Quibus uno eodemque tempore duo sunt domicilia possunt ne in uno æque ac in altero valide matrimonium contrahere? ib. cas. 5.

Præsentia unius Parochi alterutrius partis, aut sacerdotis delegati ab ipso inscio, aut contra consensum alterius Parochi, sufficit ne ut matrimonium sit validum? ibid. cas. 6.

Matrimonium contractum in alterutrius partis parochia, est ne validum, etiam in Diœcesibus, ubi Episcopi Constitutiones ferunt, & præcipiunt celebrationem in parochia fieri Parochus, qui non attendit ad hoc statutum, peccavit ne? ibid. cas. 7.

Matrimonium, cui Parochus & testes adsunt vi illata, est ne validum? Qui tales personas cogunt ad assistendum suis matrimoniis, peccant ne mortaliter? Incidunt ne in quibusdam Diœcesibus in pœnas quasdam canonicas? ibid. cas. 8.

Matrimonia celebrata a Parochis, qui non sunt legitimi titulares suorum beneficiorum, sunt ne irrita ac nulla? ib. cas. 8

Matrimonium, cui adest Parochus interdictus a suo Episcopo, est ne irritum ac nullum? Esset ne validum, si Parochus iste suum Vicarium deputasset ad illud celebrandum? ibid. cas. 10.

Matrimonium, cui adfuit Parochus excommunicatus denunciatus, est ne validum? ibid. cas. 11.

Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum a vagabundis, quibus nullum est domicilium, est ne validum? Parochi debent ne quasdam adhibere cautelas respectu ejusmodi matrimonium? ib. cas. 12.

Cum contrahentium pars una domicilium habet fixum, altera vero non, an matrimonium ab illis contractum validum est, qualiscumque adsit Parochus? ibid. cas. 13.

Matrimonium, cui contrahentium adfuit Parochus est ne validum, in quocumque loco celebratum fuerit? ib. cas. 14.

Matrimonium, pro quo Vicarius amovibilis deputavit alium sacerdotem, est ne validum? An validum quoque esset, si simplex iste sacerdos alium deputasset? ibid. cas. 15.

Matrimonium est ne irritum ac nullum, cum contra consensum Parochi contrahentium, Episcopus sacerdotem deputat in ejus locum? ibid. cas. 16.

Officiali competit ne jus deputandi pro celebrationibus matrimoniorum? ib. cas. 17.

Matrimonium est ne irritum ac nullum, quando Officialis deputavit alium quam contrahentium Parochum, ad assistendum matrimonio? ib.

Matrimonium, cui interfuit Metropolitanus sine Episcopi suffraganei aut Parochi contrahentium consensum, est ne irritum ac nullum? ib. cas. 18. & tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 5.

Matrimonium est ne irritum ac nullum, cum Præsul, qui jurisdictionem habet quasi Episcopalem, illi adfuit, aut deputavit sacerdotem ut illi interesset suo loco, sine consensu Parochi contrahentium? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 19.

Matrimonia contracta coram Magistratibus, aut coram duobus testibus, in regionibus hæreticis, ubi nullus est Episcopus nec sacerdos qui possit aut velit illis adesse, sunt ne valida? ib. cas. 20.

Matrimonium contractum coram Magistratu Civili, juxta leges regionis, est ne validum, licet contrahentes ex ea sint regione, in qua ejusmodi matrimonia reprobantur? ib. cas. 21.

Matrimonium contractum coram Magistrato civili, in fraudem legis receptæ in terra contrahentium, est ne validum? ib. cas. 22.

Matrimonia hæreticorum contracta juxta legem suarum Regionum, sunt ne valida in Gallia? Cum conjuges suam abjurant hæresim, ipsorum matrimonium est ne rehabilitandum? ib. cas. 23.

Matrimonium cui interfuit Parochus, qui nondum est Sacerdos, est ne validum? ib. cas. 24.

Matrimonium contractum præsentibus testibus excommunicatis, est ne validum ac licitum? An omnis generis testes respectu matrimonii admittuntur? ibid. cas. 25.

Matrimonium contractum præsentibus testibus impuberis est ne validum? Qui eos admittunt peccant ne? ibid. cas. 26.

Matrimonium citra denunciationes & sine dispensatione contractum in præsentia sacerdotis deputati ab Ordinario, est ne clandestinum in utroque foro? ibid. cas. 27.

Parochus peccat ne, cum Matrimonio interest in statu peccati mortalis? ibid. cas. 28.

Quidam contraxerunt matrimonium legitimum & validum, tenentur ne illud divulgare ac notum reddere. Sunt ne quædam pœnæ decretæ ab Ecclesia & a Principibus adversus illos, qui matrimonia sua semper occulta servant? ibid cas. 29.

IMPEDIMENTUM LIGAMINIS.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Professio solemnis Religionis dissolvit ne quantum ad ligamen matrimonii contracti & non consummati? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 1.

Matrimonium legitime in facie Ecclesiæ contractum, & non consummatum, dissolutum ne est, quoad ligamen, secundo a matrimonio contracto juxta formam ordinariam, & consummato? ibid. cas. 2.

Matrimonium Clandestinum est ne solutum quoad ligamen, matrimonio secundo publice contracto & consummato? ibid. cas. 3.

Cum contrahentes deponunt, quod inter ipsos sit impedimentum dirimens, judex potest ne illorum quoad ligamen dissolvere matrimonium? ibid. cas. 4.

Matrimonium contractum ab aliqua persona quæ conjugem suum adhuc viventem credidit? ibid. cas. 5.

Mulier potest ne novum contrahere matrimonium sub prætextu, quod jam a multis annis nihil de marito absque comperierit? Sacerdotes, qui ejusmodi celebrant matrimonia, peccant ne mortaliter? ibid. cas. 6.

Impedimentum ligaminis sive publicum, sive occultum exigit ne rehabilitationem secundi prætensi matrimonii? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 12.

IMP

IMPEDIMENTUM METUS.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Matrimonium nullum & irritum ob metum gravem, fit ne validum consummatione ejus facta eodem metu? Est ne peccatum mortale ejusmodi matrimonia consummare? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, cas. 1.

Matrimonium initum ob minas, quas una pars alteri intimavit, aut ipsius cognatis, est ne irritum ac nullum, si ii, qui minitantur, tales sint, qui minas suas exequi facile possint? *ibid.* cas. 2.

Matrimonium contractum a reo, ad evitandam mortem, mutilationem aut carcerem, est ne validum? Sunt ne varii generis metus? An omnes illæ metus species matrimonium irritant? *ib.* cas. 3.

Matrimonium est ne validum, cum quis accusatus, quod personam aliquam seduxerit, illi nubit, ad evitandam hoc modo mortem? *ibid.* cas. 4.

Matrimonium metu contractum ab aliquo, ne propter crimen, cujus reus est, manibus justitiæ tradatur, aut ne occidatur ab iis, a quibus deprehensus fuit in flagranti delicto, est ne nullum? *ibid.* cas. 5.

Matrimonium contractum metu injuste incusso, & confirmato juramento, est ne irritum ac nullum? Est ne peccatum ejusmodi contrahere matrimonium? *ib.* cas. 6. & 10.

Matrimonium contractum a puella metu infamiæ, aut ne violetur, est ne nullum? Quænam justi metus sunt causæ? *ib.* cas. 8. & 9.

Matrimonium contractum metu observantiæ pleno liberorum erga parentes, aut metu exhæredationis, est ne nullum? *ib.* cas. 11.

IMPEDIMENTUM CRIMINIS.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Matrimonium contractum cum aliqua persona, cum qua quis inordinatius & solutius vixit, constante matrimonio, est ne validum? tom. 2. v. *Impedimentum criminis*, cas. 2.

Matrimonium contractum vi promissi facti ab uno Conjugum, vivente altero est ne validum? Ejusmodi promissa sunt ne licita, & obligant ne in conscientia? *ib.* cas. 2.

Si quis vivente Conjuge contrahat aut contrahere cum alio promittat, matrimonium est ne validum in uno atque altero casu, *ib.* cas. 3.

Matrimonium est ne nullum, quando quis credidit liberum, aut liberam illam aut illum, cum qua adulterium commisit sub promisso matrimonio? *ibid.* cas. 4.

Promissum matrimonii conditionale junctum cum crimine adulterii est ne impedimentum dirimens? *ibid.* cas. 5.

Homicidium in uno Conjuge commissum, altero conscio sive inscio, cum intentione aut sine intentione superstitem in matrimonium ducendi, est ne impedimentum dirimens? *ibid.* cas. 6. & 7.

Episcopi possunt ne dispensare de impedimento Criminis occulto? tom. 1. v. *Dispensatio matrimonii*, cas. 27.

IMPEDIMENTUM IMPOTENTIÆ.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Valet ne matrimonium cum arcta muliere contractum? Illud impedimentum est ne perpetuum? Tenetur ne fœmina arcta incisionem pati? Ea recusante tenentur ne conjuges ejusmodi continentiam servare? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*. cas. 1.

Maritus qui non potuit cognoscere priorem uxorem ob nimiam valvæ illius arctationem, potest ne aliam uxorem ducere? Posset ne pariter, si mulier absque vitæ periculo & gravi incommodo vellet incisionem pati, ex qua vita fieri possit idonea? *ibid.* cas. 2.

Cum uxor arcta per incisionem ad copulam apta facta est, matrimonium, quod antea nullum erat, convalescit ne? *ib.* cas. 3.

Qui copulæ ac generationis potens cum muliere ad utrumque impotente, scienter contraxit, potest ne ab ea sese separare, & aliam uxorem ducere? Potest ne remanere cum ea, secluso omni incontinentiæ periculo? *ibid.* cas. 4.

Qui certo deprehendunt se esse impotentes possunt ne sine lethali crimine licentia uti conjugali? aliquod ne tempus ad dignoscendam rei veritatem ab Ecclesia illis tribuitur? An facile impotentia perpetua a temporali discernitur? *ib.* cas. 5. 10 & 18.

Qui sciunt se esse impotentes, possunt ne absque peccato mortali ad alias nuptias non expectata Judicis sententia convolare? *ibid.* cas. 6.

Qui utroque testo carent, virili tamen membro valent, possunt ne valide matrimonium contrahere? separandi ne sunt qui hoc defectu laborant? *ib.* cas. 7.

Defectus alterius tantum testiculi constituit ne etiam impedimentum dirimens? *ibid.* cas. 8.

Mulier quæ cognoscit maritum suum esse impotentem, & infantem habuit adulterinum, debet ne marito suo licentias matrimoniales permittere. Quid ipsi faciendum incumbit tam respectu mariti, quam respectu infantis adulterini? *ibid.* cas. 9.

Cum duo conjuges per tres annos mansissent una, quin consummare potuerint matrimonium, censentur ne impotentes, & sunt ne una relinquendi? *ibid.* cas. 10.

Personæ provectæ ætatis & extra capacitatem infantes procreandi, possunt ne valide matrimonium contrahere, eoque licite uti? Sunt ne naturaliter impotentes? *ib.*

Impotentia præcedens aut subsequens matrimonium est ne impedimentum dirimens. Quænam est discrimen inter impotentiam coëundi & impotentiam generationis. Vir senio confectus aut morti proximus, est ne censendus impotens, *ib.* cas. 12.

Maritus, qui postquam Judicis sententia a sua uxore impotentiæ causa separatus fuit, novum iniit matrimonium, in quo infantes ipsi nascuntur, tenetur ne reverti ad primam conjugem? Secundum ejus matrimonium est ne irritum ac nullum? Si secunda uxor conscia fuit primi ejus matrimonii, potuit ne ipsi debitum conjugale reddere, cum cognovit ipsum non esse impotentem. Prima uxor potest ne matrimonium contrahere cum alio, si ipse ad eam reverti recuset? Si mors illam antecedat, an maritus manere potest cum secunda uxore, non rehabilitato matrimonio? *ibid.* cas. 12.

Vir separatus ob uxore sua impotentiæ causa, & qui postea Religionis professionem fecit solemnem, aut Sacros recepit Ordines, tenetur ne ad revertendum ad suam uxorem, si certo innotescat, quod ipsius impotentia non fuerit perpetua? *ibid.* cas. 13.

Impotentia orta ex maleficio aut ex temperamento frigido, reddit ne matrimonium irritum ac nullum? Est ne quædam differentia inter duas has impotentiæ species, & suns ne quædam regulæ ad dijudicandum num impotentia ex maleficio oriatur? Quonam modo maleficium producere potest Dæmon? *ibid.* cas. 4.

Vir separatus ab uxore ex causa impotentiæ orta ex maleficio aut ex temperamento frigido, potest ne matrimonium cum alia contrahere? Si ipsius impotentia cesset in secundo matrimonio, tenetur ne ad primam redire uxorem? *ibid.* cas. 15.

Impotentia malefici sublata alio maleficio, reddit ne validum secundum matrimonium contractum? Est ne ad validitatem hujus secundi matrimonii necessarium ut partes de novo consentiant? *ibid.* cas. 16.

Impotentes ex maleficio possunt ne, comperto malefici auctore ipsum cogere ad destruendas res illas, quibus maleficium est necatum? An ipsi illas destruere possunt, & quamnam hoc faciendo habere debent intentionem? Quænam sunt remedia adhibenda in ejusmodi occasionibus? *ibid.* cas. 17.

Personæ matrimonio junctæ, sed impotentes, possunt ne de novo contrahere matrimonium, ea tantum intentione, ut hoc modo cessare faciant & eludant maleficium? *ib.* cas. 18.

Cum maritus & uxor una in lite versantur de impotentia, & una pars affirmet, altera neget impotentiam, cui credendum? Possunt ne exigere, ut visitentur? *ib.* cas. 19.

Cum maritus & uxor se invicem de impotentia accusant, Judex potest ne mandare coitum præsentibus testibus? Coitus talis diu ne in usu fuit in Gallia, & quando abolitus fuit? *ibid.* cas. 20.

Impotentia superveniens post matrimonium ratum & non consummatum, est ne impedimentum dirimens? *ibid.* cas. 21.

Mulier persuasa de impotentia sui mariti, tenetur ne debitum conjugale ipsi reddere? *ib.* cas. 22.

IMPEDIMENTUM RAPTUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Matrimonium contractum cum puella, quam quis ipsa consentiente sustulit, est ne validum? tom. 2. v. *Impedimentum Raptus*, cas. 1.

Matrimonium contractum cum filia adversus ejus consensum rapta, sed non sine assensu cognatorum, est ne validum? Ecclesia & Principes decreverant ne quasdam pœnas adversus raptores? Raptus qui vocatur seductionis raptus, est ne impedimentum dirimens? *ibid.* cas. 2.

Desponsatus qui desponsatam suam consentientem sustulit ad matrimonium cum ea ineundum, est ne reus criminis raptus? Peccat ne hoc faciendo? Tale Matrimonium est ne validum? *ib.* cas. 3.

Matrimonium contractum cum filia majorenni raptu sublata & quidem consentiente, est ne validum? Et talis ablatio est ne verus raptus? *ib.* cas. 5.

IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quæ sunt impedimenta impedientia? Peccant ne mortaliter, qui matrimonium contrahunt non obstantibus his impedimentis? Sunt ne quædam, quibus non obstantibus contrahi possit matrimonium? tom. 2. v. *Impedimenta impedientia*, cas. 1.

Quibus quædam innotescunt impedimenta impedientia, tenentur ne ea Superioribus aperire? *ibid.* cas. 2.

IMPENSÆ.

Potest ne quis lucrum & interesse accipere ex impensis suppeditatis, cum pars adversa ad hoc condemnata est? to. 1. v. *Damna & interesse*, cas. 2.

IM-

IMPERFECTIO.

Imperfectiones quibus quis laborat, sunt ne Confessionis materia? Sunt ne peccata sua natura venialia? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 12. & 28.

IMPŒNITENTIA.

Impœnitentia reddit ne peccatorem novi peccati reum? tom. 1. v. *Contritio*, cas. 1.

IMPOTENTIA.

Vide Impedimentum Impotentiæ.

IMPUBERES.

Impuberes possunt ne adesse matrimoniis tamquam testes? Quænam est quoad istud Galliæ disciplina? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 26. & tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 32.

Impuberum sponsalia sunt ne valida? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 2.

Illorum matrimonium est ne dissolubile, quoatum ad ligamen? tom. 2. v. *Matrimonium* 112. cas. 2.

Incidunt ne in excommunicationes latas a jure & a judice? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 58.

Cum Impuberes ligati sunt excommunicatione Papæ reservata, tenentur ne Romam recurrere, ut absolvantur? Postquam scilicet ad ætatem pubertatis pervenerunt? ibid. cas. 46. & 52.

IMPURITAS.

Cogitationes impuræ sunt ne peccaminosæ? tom. 1. v. *Cogitatio*, cas. 1. & 2.

Impuritas secreta, in qua Parochus jam a longo tempore vivit, sufficit ne, ut ipsi denegetur absolutio, & ut obligandus sit ad renuntiandum beneficio suo, alioquin cæterum utilis sit Parochiæ? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 25.

Pœnitens ad impuritatem sollicitata a suo Confessario tenetur ne ad illum denuntiandum Superioribus? tom. 1. v. *Confessarius* sen. cas. 17.

INADVERTENTIA.

Inadvertentia excusat ne a peccato illos qui in familiari sermone sæpius jurant? tom. 2. v. *Jurata*, cas. 5. & 6.

INAUGURATIO.

Inauguratio Episcoporum an non nisi diebus Dominicis fieri potest? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 23.

INCARNATIO.

Quid credendum incumbit circa Mysterium Incarnationis, ut quis salutem consequi possit? tom. 2. v. *Fides*, cas. 1.

INCENDIUM.

Si proprietarius incertus sit cujus locatarii culpa incendium ortum sit, an in hoc casu quemcumque locatarium obligare potest ad ferendam partem damni contingentem? tom. 1. v. *Dubium*, cas. 2.

Excommunicatio incendiariorum est ne Papæ reservata? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 45.

INCESTUS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Incestus est ne crimen differens specie a simplici fornicatione? An de hac circumstantia se accusare oportet in Confessione? tom. 2. v. *Incestus*, cas. 1.

Confessarius, qui peccat cum sua pœnitente, est ne incestuosus? An infligendæ sunt ipsi pœnæ decretæ adversus incestuosos? ib. cas. 2.

Incestus involuntarius, aut liber, ante vel post matrimonium initum, aufert ne parti sonti jus exigendi aut reddendi debitum conjugale? tom. 1. v. *Debitum conjugale*, cas. 19. 20. 21. & 22.

Incestus quandonam impedimentum impediens est? tom. 2. v. *Impedimenta impedientia*, cas. 1.

Copula cum sorore uxoris sua citra seminis effusionem, est ne verus incestus, ex quo contrahatur affinitas cum uxore? Est ne reservatus casus Episcopis, in quorum Diœcesibus incestus intra secundum consanguinitatis gradum est reservatus? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 14.

INDEMNIS.

Cum indemnitas periclitatur, potest ne exigi solutio ante terminum solutionis elapsum? tom. 2. v. *Fidejussor*, cas. 7.

Cum indemnitas in periculo versatur, potest ne quis pro cautione sua pecuniam accipere? ibid. cas. 15.

INDIFFERENTIA.

Indifferentia respectu inimicorum est ne semper culpanda? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 4.

INDULGENTIÆ.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quænam est intentio Ecclesiæ concedentis indulgentias plenarias? Undenam istam habet facultatem? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 10.

Indulgentiæ remittunt ne peccata quoad culpam & quoad pœnam? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 11. & tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 15.

Plura ne indulgentiarum genera sunt? An æque mortuis prosunt ac viventibus? An certo applicentur mortuis? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 19.

An omnes suspenduntur indulgentiæ durante anno Jubilæi universalis? ib. cas. 18.

Indulgentiæ plenariæ remittunt ne pœnas impositas extra tribunal Pœnitentiæ? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 12.

Ut quis consequatur indulgentias, oportet ne ut in statu gratiæ sit, dum peragit ea, quæ in Bulla indulgentiarum præscribuntur? ib. cas. 13. & tom. 2. v. *Mereri*, cas. 1. & tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 14. & 15.

Potest ne quis plus quam semel acquirere indulgentias, sive perpetuæ sint, sive limitatæ, modo impleat, quæ præscripta sunt? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 5.

Sufficit ne ad consequendas indulgentias applicabiles articulo mortis, ut quis vere similiter paratus sit ad moriendum? ibid. cas. 19.

Indulgentiæ nominatæ in Bullis *perpetuæ* manent ne ac durant semper? ibid. cas. 7.

Indulgentiæ Plenariæ, concessæ eidem Ecclesiæ sunt ne nullæ, si forte Ecclesia illa jam habeat tales indulgentias pro quocumque die? ib. cas. 8.

Indulgentiæ plenariæ locales sunt ne compatibiles cum ejusmodi indulgentiis personalibus in iisdem Ecclesiis? ib. cas. 9.

Indulgentiæ annexæ Festis quibusdam diebus, translationi obnoxiis, possunt ne quoque pariter transferri? ib. cas. 6.

Diploma concessum ad prorogationem indulgentiarum est ne irritum ac nullum, cum hanc adjunctam habet clausulam? *Ecclesiam simili ad præsens privilegio minime decoratam?* An non sit validum expirante diplomate præcedenti? ibid. cas. 10.

Facultas concedendi indulgentias an non pertinet nisi ad Episcopi personam? Facultas est ne ad Capitulum devoluta sede vacante? ibid. cas. 17.

Indulgentiæ ab Episcopo concessæ an non nisi pro Diœcesanis validæ sunt? ibid. cas. 14.

Indulgentiæ concessæ ab Episcopo corrupto & pravo an non validæ sunt? ib. cas. 14.

Præsules inferiores possunt ne per se ipsos indulgentias concedere, aut per delegatos speciales? Episcopi non consecrati possunt ne indulgentias largiri? ib. cas. 12.

Episcopis competit ne jus examinandi diplomata indulgentiarum a Papa concessa? ibid. cas. 1.

Postquam eadem examinarunt, possunt ne illorum publicationem differre, licet nihil in iis reperiant quo offendantur? ibid. cas. 2.

An soli Episcopi, exclusis omnibus aliis jus habent eorum promulgationem permittendi? ib. cas. 4.

Possunt ne recusare publicationem indulgentiarum exorbitantium concessarum a Papa? Ejusmodi indulgentiæ non ne indoli Ecclesiæ oppositæ sunt & contrariæ? ib. cas. 5.

Defectus publicationis intra certum quoddam tempus, reddit ne indulgentiarum diplomata irrita ac nulla? ibid. cas. 3.

Indulgentiæ concessæ Religiosis cujusdam monasterii extenduntur ne ad Religiosos exteros ejusdem Ordinis? ibid. cas. 2.

INDULTARIUS.

Quid est indultum? Indulta sunt ne valde antiqua? Quibusdem officiantibus concessa fuerunt? Collatores possunt ne cogere Indultarios ad accipienda omnia generis beneficia? Habent ne jus ad omnis generis præbendas & dignitates vacantes renuntiatione aut morte? Indultum irritat ne collationes factas ab omnis generis Ordinariis? Habent ne Indultarii plus quam semel in vita Collatores & Regis? Indultarii præferuntur ne Graduatis? Differunt ne a Brevetariis vel Indultariis Regiis? tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 1. & tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 2. & tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 3. & tom. 2. v. *Juramentum Fidelitatis*, cas. 6.

Indultarius potest ne præveniri ab Ordinario aut a Papa? tom. 2. v. *Juramentum Fidelitatis*, cas. 1. & tom. 1. v. *Designatio*, cas. 4.

Licet ne Indultario pecuniam dare, ut collocetur ipsius indultum? tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 2.

INDULTUM REGIUM, ET INDULTARII REGNI.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quid est indultum? Sunt ne variæ indultorum species? In-

Indultarii habent ne jus ad dignitates Ecclesiasticas? Ipsorum indulta annullant ne collationes ab Ordinariis in ipsorum præjudicium factas? Quinam in rebus indulti est Judex competens? to. 2. v. *Indultarius*, cas. 1. & tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 7. & tom. 2. v. *Juramentum Fidelitatis*, cas. 2.

INFALLIBILITAS.

Infallibilitas an non conveniat Ecclesiæ Universali, nisi cum in Concilio Oecumenico congregata est? tom. 2. v. *Fides*, cas. 3.

INFAMIA.

Metus infamiæ est ne ratio sufficiens, quare nullum declaretur matrimonium? tom. 2. v. *Impedimentum Metus*, cas. 9.
Infamia publica producit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 120.

INFANTES.

Infantes matris liberæ nascuntur ne liberi, quamvis Pater sit mancipium? Infantes Patris Nobilis, nascuntur ne nobiles? tom. 2. v. *Mancipium*, cas. 1.
Infantes reperti censentur ne illegitimi & irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 119.
Infantes oriundi ex matrimonio valido, sed quod secretum servatur, censentur ne illegitimi? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 19.
Infantes nati e Patre qui post legitimum matrimonium suscepit sacros Ordines, & postea suum consummavit matrimonium, censentur ne illegitimi & irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 118.
Parentes, quorum alter est Catholicus, alter Lutheranus, possunt ne convenire se, quod una infantium pars educanda sit in Religione Catholica, altera vero in Lutherana sive protestante? tom. 2. v. *Impedimentum Disparitatis cultus*, cas. 2.
Parentes qui dormientes suffocant unum ex suis infantibus sunt ne irregulares? to. 2. v. *Irregularitas*, cas. 5. 42. & 50.
Parentes possunt ne erga infantes suos adhibere injurias ex principio & motivo correctionis? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 5.
Parentes sunt ne irregulares, si nimis aspere tractent suos infantes, eosque ictibus, & verberibus excipiant, quibus moriantur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 38.
Infantes possunt ne valide suscipere Ordines? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 12. & 27.
Ipsorum juramentum est ne validum? Potest ne exigi ab ipsis juramentum? tom. 2. v. *Jurare*, cas. 15.
Infantes qui nondum habent usum rationis, possunt ne invalide recipere Extremam unctionem? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 25.
Infans homicidii reus, est ne irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 46.
Quanam ætate infantes rei peccati mortalis esse possunt? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 31.
Ætas est ne certa regula ad dijudicandum num actiones infantum sint peccata, aut a peccatis exemptæ? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 4.
Nativitas infantium tollit ne donationes inter vivos factas a Parentibus? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 9.
Donationes reviviscunt ne, si infantes isti decedant ante Donatorem? ibid. cas. 10.
Donationes factæ a Parentibus suis infantibus adhuc minoribus sunt ne validæ? Oportet ne ut aliquis has donationes nomine ipsorum acceptet? ibid. cas. 12. & 14.
Parentes possunt ne unum infantem in reliquorum præjudicium promovere? tom. 3. v. *Prælegare*, cas. 6.
Parentes tenentur ne damnum rependere suis infantibus, quod patiuntur ex impensis factis pro educatione unius ex illis, & quas pro reliquis non impenderunt? ib. cas. 7.
Infans qui a Parentibus suis habet prærogativas & prælegationes tenentur ne successioni renunciare? ibid. cas. 8.
Infantes possunt ne sese Deo consecrare invitis suis Parentibus? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 14.
Parentes debent ne libertatem vitæ genus eligendi concedere? ib. cas. 15.
Si illos coegerunt intrare in Religionem, tenentur ne procurare illis media egrediendi ex illa, quam tolerare non possunt, Religione? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 4.
Infantes possunt ne Eleemosynas dare de bono Parentum suorum? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 2.

INFERIORES.

Inferiores tenentur ne correctionem aliquando exercere erga Superiores? Quænam hac in re adhibendæ ipsis sunt cautelæ? tom. 1. v. *Correctio*, cas. 8.
Possunt ne uti Censuris adversus suos superiores aut æquales, tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 7.

INFIDELIS.

Vide hujus vocis Proœmium.

An omnes infidelium actiones peccata sunt? tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 1. & tom. 1. v. *Charitas*, cas. 1.
Licet ne cum ipsis communicare in rebus quæ Religionem non spectant? tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 2.
Dominus potest ne inter servos suos tolerare infidelem? ibid. cas. 3.
Famulus Christianus potest ne servire Domino infideli? tom. 2. v. *Famulus*, cas. 2. & tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 10.
Possunt ne arma capi adversus Infideles, aut licet ne adjuvare eos, qui illa contra ipsos capiunt? tom. 3. v. *Nauclerus seu prædator navium hostilium*, cas. 5.
Principes debent ne vim inferre infidelibus, ut eos cogant ad amplectendum Christianismum? tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 4.
Infideles contrahunt ne quamdam irregularitatem antequam baptizati sunt? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 24.
Contrahunt ne baptismo quamdam cognationem spiritualem, quæ impedimentum sit dirimens matrimonii? tom. 2. v. *Impedimentum cognationis spiritualis*, cas. 6. & 7.
Cum conversi sunt ad fidem, incidunt ne in quamdam bigamiam, & bigamia ista reddit ne ipsos irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 122.
Sunt ne obnoxii impedimentis matrimonii dirimentibus constitutis ab Ecclesia? tom. 2. v. *Impedimentum publicæ honestatis*, cas. 9.
Infideles sunt ne post conversionem suam subjecti juri divino & Ecclesiastico in iis quæ concernunt matrimonium? Tenentur ne supplere, quæ Ecclesia præscribit ad validitatem matrimonii? tom. 2. v. *Impedimentum disparitatis cultus*, cas. 3.
Matrimonia cum infidelibus contracta a Christianis sunt ne valida? ib. cas. 1.
Est ne ipsis post conversionem liberum, ex uxoribus quas habent illam eligere quam volunt, ut secum habitet? Sunt ne quidam casus, in quibus pars infidelis conversa deserere potest partem infidelem, ut Christianam ducat? ibid. cas. 2.
Sunt ne quidam casus, in quibus Infideles teneantur de novo contrahere cum suis uxoribus, juxta formam Ecclesiæ ordinariam? ib. cas. 4.
Ipsorum matrimonium etiam consummatum dissolvitur ne quoad ligamen, professione Religionis solemni, facta ab uxore, quæ ad fidem conversa est? ibid. cas. 5.
Cum infidelis Sacerdos aut Religiosus factus est, tenetur ne revertere ad uxorem, quando ista sese interim convertit? ibid. cas. 6.
Infidelium matrimonium dissolvitur ne quoad ligamen eo ipso, quod alterutra pars ad fidem est conversa? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 12.
Cum pars una renuntiat infidelitati antequam separationis sententia fuerit pronunciata, an pars innocens obligatur desistere a persequenda divortii sententia? ibid. cas. 17.
Si duo conjuges infideles ambo se converterint, tenentur ne ad se invicem reverti, licet altera pars, quæ prima conversa est, in Religionem intraverit, aut durante infidelitate se invicem repudiaverint & novum contraxerint matrimonium? ibid. cas. 23.
Infidelitas in quam incidit conjux Catholicus, est ne ratio sufficiens se separandi ab illo? ib. cas. 14.

INFORMATIO.

Simplex informatio facta in foro, sufficit ne ut crimen censeatur delatum in forum contentiosum? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 2.

INGRATITUDO.

An omnes donationes revocari possunt ex causa ingratitudinis? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 17.

INIMICUS.

Est ne obligatio signa exteriora amicitiæ suis inimicis prodendi? An certis in casibus eadem illis recusari possunt? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 4.
Licet ne ipsis malum apprecari, aut gaudere adversis, quæ ipsis obtigerunt? tom. 2. v. *Odium*, cas. 2. & tom. 1. v. *Desiderium*, cas. 4.
Quænam est regula remissionis inimicorum? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 6.
Quid exigit a nobis charitas respectu inimicorum? Est ne facile cognitu, ad quid quilibet in hacce materie teneatur, tom. 2. v. *Odium*, cas. 4. & tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.

INJURIA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Injuriæ dictæ alicui cum intentione honorem ejus & famam minuendi, sunt ne peccatum? Quandonam peccatum istud mortale est aut saltem veniale? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 2.
Injuriæ prolatæ in aliquem ex joco, sunt ne peccata? Possunt ne aliquando fieri peccata? ib. cas. 4.
Injuriæ prolatæ a Parentibus aut Dominis adversus filios suos aut famulos ex motivo correctionis sunt ne peccata? ib. cas. 5.
Si duæ personæ se invicem injuriis affecerunt, utra incipere debet alteri satisfacere? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 64.
Charitas obligat ne ad ferendas ubique & semper injurias? Licet ne interdum illas ulcisci, aut repellere? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 2. & tom. 1. v. *Detractio* cas. 4.
Licet ne verberare eum, qui injuria nos aggressus est? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 6.
Licet ne persequi talem in foro ad obtinendam reparationem? Quænam ad hoc requiruntur conditiones? ib. cas. 3. & tom. 3. v. *Detractio*, cas. 5.
Potest ne quis, etiam contra aliorum monita, constanter perseverare in prosequenda lite intentata ob injurias quasdam acceptas? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 6.

Pontas Tom. III. Qqq Ibi

Digitized by Google

INNOCENS.

Innocens poteſt ne ob bonum Reipublicæ condemnari ad quaſdam pœnas afflictivas, aut pecuniarias? tom. 2. v. *Judex*, caſ. 1. & 3.

Ii qui ad ſervandum innocentem cauſantur mortem rei, ſunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 68.

INQUISITOR.

Inquiſitores Fidei incidunt ne in irregularitatem, pronuntiando quoad accuſatus ſit hæreticus, perſuaſi quod Judices laici ipſum ad ultimum ſupplicium ſint condemnaturi? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 2.

INSIGNIA GENTILITIA.

Licet ne Inſignia gentilitia ornamentis Eccleſiæ imponere? tom. 2. v. *Ornamenta Eccleſiæ*, caſ. 6.

Inſignia gentilitia ſunt ne perantiqua? *ibid.*

INSINUATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Lex inſinuationum eſt ne perantiqua? Tempus determinatum inſinuationi faciendæ an ſemper idem fuit? Sunt ne uſus in Gallia, & quonam tempore fieri debent? Defectus inſinuationum reddit ne omnes donationes irritas in utroque foro? Jus inſinuationis derogat ne conſuetudinibus, quarum diſpoſitionis ſunt contrariæ? Mulieres habent ne longius tempus, intra quod inſinuandos curare debent actus inſinuationi obnoxios, quam vero viri? An non habetur jus hypothecæ niſi a die inſinuationis? inſinuatio facta tempore a ſtatutis præſcripto, habet ne ubique effectum retroactivum? tom. 2. v. *Inſinuatio*, caſ. 1. & tom. 1. v. *Donatio*, caſ. 5.

Donatio poteſt ne valide inſinuari antequam accepta eſt? tom. 2. v. *Inſinuatio*, caſ. 3.

Defectus inſinuationis procurationis ad reſignandum. Proviſionum, viſa, & aditus Poſſeſſionis in tempore lege præſtituto, efficit ne, ut reſignationes aut permutationes Beneficiorum in Curia Romana nulla ſint, & reddit ne Beneficia iſta impetrabilia? Terminus & loca pro his inſinuationibus præſcripta ſemper ne fuerunt eadem in Gallia? Jurisprudentia Regni ſemper ne circa ejuſmodi inſinuationes fuit uniformis? Inſinuatio obligat ne ex conſcientia? ib. caſ. 2. & tom. 2. v. *Donatio*, caſ. 5.

Literæ graduum debent ne inſinuatæ eſſe antequam graduatus poſſit vacans petere Beneficium? tom. 2. v. *Graduatus*, caſ. 6.

Ut Reſignatio & permutatio validæ ſint, nonne aliquot dies inſinuationem intercedere debent & diſceſſum reſignantis vel permutantis? *ibid.* caſ. 8.

INSPIRATIO.

Vide hujus tituli Proœmium.

An bona opera, ad quæ quis ſe inſpiratum ſentit, omittere poteſt ob conſilium tantum? tom. 2. v. *Inſpiratio*, caſ. 1.

INSTANTIA.

Inſtantia perit ne lapſu trium annorum? tom. 3. v. *Præſcriptio*, caſ. 9.

INSTRUCTIO.

Parochi tenentur ne ſingulis diebus Dominicis ac Feſtis ſuos inſtruere Parochianos? tom. 3. v. *Parochus*, caſ. 1.

Tenentur ne populi illorum inſtructioni adeſſe? tom. 1. v. *Dies Dominici & Feſti*, caſ. 2.

INSTRUMENTUM.

An omne inſtrumentum factum adverſus legitimi ſuperioris prohibitionem, irritum eſt ac nullum? tom. 2. v. *Impedimentum Clandeſtinitatis*, caſ. 16.

Inſtrumenta, quæ non juxta formulas facta ſunt, poſſunt ne poſtea reformari, ut valeant in foro? tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 163.

An omnis inſtrumenti exemplar, collatum a duobus Notariis, fidem facit in foro, ſi ſcilicet autographum non amplius habeatur? tom. 1. v. *Beneficiarius*, caſ. 9.

INTEMPERANTIA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quotnam modis peccari poteſt adverſus Temperantiam? Peccat ne intemperantia, qui edit ſine certa regula, & quacumque diei hora ad ſatisfaciendum appetitui ſuo? tom. 2. v. *Intemperantia*, caſ. 2.

Qui intemperantiæ ſatisfaciendo, ſe in ſtatum collocant, quo debitoribus ſuis ſolvere non poſſunt, peccant ne mortaliter? *ibid.* caſ. 2.

INTENTIO.

Quid eſt intentio? Sunt ne plures intentionis ſpecies? Requiritur ne quædam intentio ad adminiſtranda Sacramenta? Intentio actualis eſt ne abſolute neceſſaria? Habitualis intentio eſt ne ſufficiens? Quid cenſendum de baptiſmo collato a S. Athanaſio & de baptiſmo S. Geneſii, tamquam quoad jus? tom. 2. v. *Intentio*, caſ. 1. & tom. 1. v. *Conſecrare*, caſ. 15.

Intentio interior eſt ne abſolute neceſſaria ad Sacramentorum adminiſtrationem validam? tom. 1. v. *Ordines*, caſ. 25.

Quid eſt intentio in materia de Moribus? An omnis intentio vel bona eſt vel mala? Intentio recta poteſt ne bonam reddere actionem ſua natura malam? tom. 2. v. *Intentio*, caſ. 2. & tom. 2. v. *Famulus*, caſ. 3.

Intentio recta ſufficit ne ad reddendam actionem quandam licitam? tom. 2. v. *Occidere*, caſ. 1.

INTERDICTUM.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Obſervationes generales in interdicta. Quinam eſt uſus, qui obtinet in Gallia circa interdicta? Regnum poteſt ne interdicto ſubjici a Papa? tom. 2. v. *Interdictum*, caſ. 1.

Quid eſt interdictum? Cenſura iſta eſt ne a longo jam tempore in uſu in Eccleſia? Interdictum intentatum incolis alicujus urbis aut Eccleſiæ alicujus loci, an Clericatum Urbis illius, an vero Parochianos illius Eccleſiæ legat? *ib.*

Epiſcopi facile ne induci debent ad interdicto ſubjiciendas urbes aut Eccleſias? *ib.* caſ. 22.

Epiſcopi poſſunt ne interdicto uti propter debita aut res civiles? *ibid.* caſ. 7.

Cum interdicto ſupponunt Communitatem, cujus ſunt Superiores, ſunt ne pariter illo ligati? *ib.* caſ. 6.

Poſſunt ne Epiſcopi in interdicto generali celebrare, aut ſacrum chryſma conficere, quin incidant in irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 19. & 21.

Perſonæ exemptæ a juriſdictione Ordinarii tenentur ne obſervare interdicta ab ipſo pronunciata? tom. 2. v. *Interdictum*, caſ. 8.

Qui interdictum violant, perdunt ne ſuam Juriſdictionem voluntariam? tom 2. v. *Iregularitas*, caſ. 97. & tom. 2. v. *Impedimenta impedientia*, caſ. 1.

Interdictum obligat ne ubique, quocumque quis ſe recipiat, ſi ſcilicet juridicum eſt? tom. 3. v. *Suſpenſio*, caſ. 3.

Cum Communitas integra interdicto ſubjecta eſt, an ii, qui abeunt ab illa, interdicti manent, licet rei non ſint, tom. 2. v. *Interdictum*, caſ. 4.

Quinam abſolvere ab illo poſſunt? Poteſt ne ſine abſolutione ceſſare, *ib.*

Poteſt ne quis ſe ad cautelam abſolvendum curare, ab interdicto generali, ſicut ab interdicto perſonali? *ibid.* & tom. 3. v. *Suſpenſio*, caſ. 32.

Eſt ne tempore interdicti ſepultura Eccleſiaſtica Clericis atque Laicis conferenda, ſive interdictum obſervaverint ſive non? An ſepultura illa cum aliquibus ſolemnitatibus fieri poteſt? *ibid.* caſ. 11.

Eſt ne in cœmeterio ſepelienda perſona interdicta ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi ſubita morte, ſed in pœnitentibus affectibus perimatur? *ibid.* caſ. 24.

Poſſunt ne conferri & adminiſtrari quædam Sacramenta tempore interdicti generalis? Si qui occaſionem præbuerunt interdicto, poſſunt ne in iis Sacramentis participare? *ibid.* caſ. 4. & 7.

An in hoc caſu cum cæremoniis uſitatis adminiſtrari poſſunt Sacramenta? *ib.* caſ. 9.

Qui interdicti ſunt in uno loco, poſſunt ne in alio loco divinis adeſſe officiis? *ib.* caſ. 12.

Famuli alicujus privati poſſunt ne citra interdicti violationem, ſequi & comitari Dominos ſuos divina officia adeuntes & ſpeciali permiſſione audientes? Famuli conventuum & Monaſteriorum vel Communitatum habent ne idem jus? *ibid.* caſ. 13.

Prædicatio eſt ne licita tempore interdicti generalis? *ib.* caſ. 18.

Sacerdotes interdicti a divinis, poſſunt ne prædicare & ſacris ſermonibus intereſſe? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 7.

Sacerdotes interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, poſſunt ne intrare in illam, ad preces fundendas, ſicuti laici privati? tom. 2. v. *Interdictum*, caſ. 15.

Cum Populus & Eccleſiæ alicujus Urbis Epiſcopalis interdictæ ſunt, an etiam Epiſcopus & Cathedralis Eccleſia interdicta eſſe cenſentur? *ib.* caſ. 2. & 8.

Cum Eccleſia alicujus urbis Cathedralis interdicta eſt, an reliquæ urbis ejuſdem Eccleſiæ interdictæ eſſe pariter cenſentur? *ibid.* caſ. 8.

Dum Eccleſia interdicta eſt, an ſacella & cœmeteria adjacentia interdicta pariter ſunt? Dum ſacella aut cœmeterium eſt interdictum, an ipſa Eccleſia quoque interdicta eſſe cenſetur? *ib.* caſ. 19.

Sunt ne quædam per annum Feſta, in quibus tempore interdicti celebrari ſolemniter poſſit in Eccleſiis, quæ nominatim interdictæ non ſunt? *ibid.* caſ. 9.

Eſt ne peccatum communicare cum interdictis, ſive in rebus ſacris, ſive in aliis communibus? *ib.* caſ. 16.

Poteſt ne celebrari in præſentia interdicti? Debet ne abrumpi miſſa aut perfici, in quacumque ejus parte ſacerdos verſetur, ſi interdictus aliquis exire ex Eccleſia recuſet? *ib.* caſ. 20.

Laici interdicti incidunt ne in excommunicationem ipſo facto, recuſando egredi ex Eccleſia? Ad quemnam ſe referre debent ut abſolvantur? *ib.* caſ. 21.

Inter-

Interdictum est ne impedimentum impediens matrimonii? Est ne peccatum mortale, matrimonium contrahere non obstante hoc impedimento? Ecclesia decrevit ne quasdam pœnas adversus hujus legis violatores? tom. 2. v. *Impedimenta Impedientia*, cas. 1.

Revocatio potestatis prædicandi aut confessiones excipiendi, debet ne considerari tamquam interdictum? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 91.

Sacrorum Ordinum tempore interdicti receptio producit ne irregularitatem? *ib.* cas. 93.

Sunt ne quidam casus, in quibus Interdicto aut aliis Censuris ligato liceat suum in Electione quadam ferre suffragium? tom. 2. v. *Electio*, cas. 5.

INTERESSE.

Vide lucrum ultra sortem.

INTERPRES.

Interpretes tenentur ne ad secretum, si quis eorum ope in confessione utatur? tom. 1. v. *Confessarius*, 1ro, cas. 19.

INTERROGATORIUM.

Judices an in interrogandis reis ambiguis & captiosis uti possunt expressionibus, ut veritatem ex illis eliciant vel quasi surripiant? tom. 2. v. *Judex*, cas. 15. & 16.

Possunt ne obligare testem ad subeundum interrogatorium, & ad deponendum de re, quam non nisi via secreti naturalis scit? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 5.

INTERSTITIÆ.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Qui sacros recipit Ordines, non servatis Interstitiis, neque obtenta dispensatione, incidit an in pœnas quasdam Canonicas? Peccat ne graviter? tom. 2. v. *Interstitia*, cas. 1.

Magni Vicarii possunt ne de interstitiis dispensare, sede vacante? *ibid.* cas. 121.

Capitula possunt ne sede vacante dispensare de iis? tom. 1. v. *Dimissoria litera*, cas. 4.

INTRUSIO.

Intrusio in Beneficium producit ne irregularitatem, tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 128.

Intrusi possunt ne possessione triennali uti ad se tuendos, tom. 3. v. *Possessio*, cas. 1.

Sunt ne quædam pœnæ intrusis decretæ? tom. 2. v. *Examen*, cas. 2.

Episcopus potest ne dispensare de intrusione occulta? to. 3. v. *Provisio*, cas. 15.

INVENIRE.

Si aliquid aliquis invenit, in quemnam usum convertere illud debet? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 54. 55. 56. 57. & 210.

INVENTARIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne semper obligatio Inventarium conficiendi, & quonam tempore fieri debet? Quænam formulæ adhibendæ sunt ad claudendum inventarium? Possunt ne exigi incrementa bonorum Communitatis ab obitu defuncti usque ad diem clausi inventarii? tom. 2. v. *Inventarium*, cas. 1. 2. & 3.

Redit ne aliquod emolumentum ex eo, si quis Inventarium faciat, antequam hæredem se gerat? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 63. & 64.

Quænam sunt prærogativæ illorum, qui hæredes se gerunt beneficio Inventarii? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 2. & 19.

Viduæ tenentur ne in Inventario declarare bona, quæ sua sunt propria, sive defuncti hæredes Jus aliquod habeant in Jacra inde orienti, sive non? tom. 2. v. *Inventarium*, cas. 4.

Quomodo gerere se debet, cum chirographa Donationis reperiuntur in Inventario una cum delictis schedis Donationis? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 20.

INVIDIA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Invidia est ne mortale peccatum sua natura? Sunt ne quædam regulæ, quibus in hac materia discernatur veniale peccatum a mortali? *ibid.* cas. 2.

Tristitia, quam operatur in anima invidia, est ne semper peccaminosa? *ib.* cas. 1.

Qui alicujus exaltatione affliguntur, metuentes, ne ea ad se opprimendos utatur, sunt ne culpandi & rei invidiæ criminis? *ib.* cas. 3.

JOCATIO.

Joci dicti citra intentionem fallendi, sunt ne totidem mendacia? Sunt ne semper a peccato immunes? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 4.

Joci dicti absque intentione alium offendendi, sunt ne peccata. Possunt ne fieri peccata? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 4.

Vide IRONIA.

IRA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Ira est ne sua natura peccatum? Sunt ne regulæ quædam certæ ad dignoscendum, num peccatum sit mortale, an vero veniale? tom. 2. v. *Ira*, cas. 1.

Pater, qui corrigendo suos infantes irascitur, peccat ne? Sunt ne variæ iræ species? *ib.* cas. 2.

Qui diu iram conservant, aut qui frequenter in eam incidunt, peccant ne mortaliter? *ib.* cas. 3.

Habitus subirascendi, quem Juvenis contraxit, est ne sufficiens ratio, quare desponsata ejus sponsalia dissolvat? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 36.

IRONIA.

Vide hujus tituli Proœmium.

Ironia est ne peccatum sua natura? Quonam in casu peccatum est ironice loqui? tom. 2. v. *Ironia*, cas. 1.

Licet ne jocari et ironice loqui alicui, ad corrigendum ipsum de superbis ipsius et arrogantibus verbis? *ibid.* cas. 3.

Licet ne pietatem proximi ironice traducere, et quodnam hoc faciendo peccatum committitur? *ibid.* cas. 2.

IRREGULARITAS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Sacerdotes et Religiosi, qui in casu necessitatis urgentis arma capiunt ad se et Patriam adversus inimicos defendendum, sunt ne hodie irregulares ex delicto, et fuerunt ne quoque olim irregulares in tali casu? Sufficit ne ut quis percutiatur, quin occidat, aut mutilet, sufficit ne istud ut quis incidat in Irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 23.

Qui arma commodant, aut alios ad se verberandos incitant sunt ne irregulares, quando scilicet mutilatio aut homicidium inde sequatur? *ibid.* cas. 29.

Dominus, qui jubet Domesticos suos male tractare quemdam, cum prohibitione tamen, ne ipsum occiderent, mutilentve est ne irregularis, si mors aut mutilatio inde sequatur? *ibid.* cas. 27. et 35. et tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 120. et tom 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 13.

Cum plures interfuerunt alicui conflictui particulari, et unus eorum occidatur aut mutiletur, an omnes sunt irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 36.

Cum in Confusione certaminis ignotum est, quis sit is, qui alterum mutilaverit aut occiderit, an omnes, qui ejus fuerunt societatis irregulares sunt? *ibid.* cas. 37.

Si quis percussit alicujus caput sine effusione sanguinis, isque deinde sed propria culpa moritur, est ne irregularis? An eodem modo se res habet cum Dominis aut Magistris, qui suos discipulos aut famulos intentione quidem corrigendi, sed ira verberant, ut mors inde sequatur? *ib.* cas. 38.

Qui vulneravit alium, qui moritur postea morbo, cui erat obnoxius, & qui, Chirurgis dicentibus, non Potuerat oriri ex vulnere, est ne irregularis? *ib.* cas 39.

Si quis leviter tantum vulneraverit quemdam qui postea vulnere illo Chirurgi culpa moritur, est ne irregularis? *ib.* cas. 40.

Clericus qui exercens artem chirurgicam, quamdam fecit operationem, qua ægrotus mortuus est, est ne irregularis? *ib.* cas. 76.

Clerici qui emplastra vendunt ad sananda quædam mala, aut qui quasdam suadent operationes, sunt ne irregulares, si ægroti moriantur? *ibid.* cas. 77.

Apertio venæ facta a Clerico reddit ne ipsum irregularem si ægrotus inde moriatur? *ib.* cas. 78.

Clerici tam maiores, quam minores, Seculares & Regulares, qui ex charitate Medicinam exercent, sunt ne irregulares si ægroti præter ipsorum culpam moriantur? *ib.* cas. 79.

Clericus qui Chirurgo in operatione quadam opem fert, est ne irregularis? *ibid.* cas. 80.

Medici qui dubiorum medicamentorum experimenta faciunt in ægrotis, qui inde moriuntur, sunt ne irregulares? *ib.* cas. 27.

Sacerdotes, aut aliæ personæ, quæ ex spiritu charitatis sublevare volentes ægrotos, ejus accelerant mortem præter suam culpam, sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 62.

Epilepsia producit ne irregularitatem, quocumque tempore ea quis correptus fuerit? *ib.* cas. 121.

Sacerdotes obnoxii frequentius casibus epilepticis possunt ne citra crimen celebrare Missam? *ibid.* cas. 123.

Vertigines & defectus memoriæ producunt ne irregularitatem? *ibid.* cas. 124.

Si quis certando cum alio ipsi dimidium pollicem aut indicem amputet, aut ipsum excæcet, est ne irregularis? *ib.* cas. 81.

Qui perdiderunt pollicem aut digitum qui vocatur index, sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 99.

Si quis dimicando cum alio, tam fortiter ejus percutiatur manum, ut ea uti non amplius possit, est ne irregularis? *ibid.* cas. 82.

Amissio oculi casu facta producit ne irregularitatem? *ib.* cas. 102.

Defectus nasi producit ne irregularitatem? *ib.*

Privatio visus in oculo sinistro producit ne irregularitatem? *ib.* cas. 103.

Est ne irregularis & habet ne dispensatione opus, qui non habens nisi unicum oculum, artificialem sibi fieri alterum curat? *ibid.* cas. 12.

An omnis deformitas corporis notabilis irregularitatem producit? Quis est talis materiæ Judex? *ib.* cas. 104.

Prima irregularitas poteſt ne producere ſecundam? Poteſt ne quis in plures ſimul irregularitates incidere? Irregularitas eſt ne cenſura? *ib.* caſ. 96.

Sunt ne varii generis irregularitates? Filius qui ſervando vitam Patris occidit ejus aggreſſorem, eſt ne irregularis? *ibid.*

Si quis inſultibus occaſionem præbet homicidio, quamvis caſuali, incidit in irregularitatem? *ibid.* caſ. 24.

Qui in auxilium vocando quemdam, occaſionem præbet morti aggreſſoris, eſt ne Irregularis? *ib.* caſ. 28.

Qui ſine intentione occidendi vel mutilandi cooperantur ad homicidium, ſunt ne irregulares, & irregularitas iſta eſt ne Papæ reſervata? *ibid.* caſ. 41.

Si qui ad ſervandum honorem ſuum, aut ne deformes in facie reddantur, ſuum occidunt aggreſſorem, ſunt ne irregulares? *ibid.* caſ. 6. & 33.

Qui ſuadent rem aliquam juſtam, ex qua tamen homicidium oritur ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 54. & 63.

Qui ſuadent homicidium, aut qui ad illud cooperantur, ſunt ne irregulares? *ibid.* caſ. 32.

Qui conſulunt alicui, ut occidat quemdam, ſunt ne irregulares, ſi ipſe aggreſſor occidatur? *ibid.* caſ. 35.

Cum quis alicui conſilium ſuppeditavit, ut hunc vel illum occideret, an revocatio hujus conſilii eum, qui illud præbuit, immunem reddit ab irregularitate, etiamſi cædes illa executioni mandetur? *ibid* caſ. 41.

Si quis mandet alteri, ut perſonam quamdam occidat, eſt ne irregularis, ſi perſona iſta occidatur poſt revocatum mandatum de cæde ejus datum? *ibid.* caſ. 42.

Qui cum poſſunt, non impediunt Homicidium, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 67.

Incidit ne in irregularitatem, qui homicidium commiſit non niſi ad ſervandam propriam vitam? *ib* caſ. 25. & tom. 2. v. *Occidere*, caſ. 1.

Incidit ne in irregularitatem, qui ut ſervet innocentem occaſionem præbet morti rei? *t.* 2. v. *Irregularitas*, caſ. 68.

Eſt ne irregularis, qui cuidam dedit conſilium, quod cauſa fuit mortis ipſius, licet ſalva conſcientia nullum aliud ei dare potuiſſet conſilium? *ibid.* caſ. 1.

Differunt ne hæc duo: cauſam eſſe remotam, & cauſam eſſe proximam non qua mortis, ex qua Irregularitas oritur? *ibid.* caſ. 9. & 73.

Si in propoſito quod aliquis ægrotus phreneticus ſe præcipitet de conclavi ſuo, feneſtra tamen ejus Conclavis aperta relinquatur, an, ſi de facto phreneticus ſe per feneſtram præcipitet, & moriatur, is irregularis eſt, qui culpam hac in re commiſit? *ib.* caſ. 4.

Qui cauſatur homicidium, & qui illud perpetrat, ſunt ne pariter irregulares? *ib.* caſ. 6.

Incurrit ne irregularitatem is, cujus equus quem conſcendit, morſu infantem occidit? *ibid.* caſ. 16.

Æditus, qui ut campanam ſonet, trahit funem, cui annexum eſſe infantem ex pondere indicat, eſt ne irregularis, ſi infans ille cadat & pereat? *ibid.* caſ. 5.

Qui ex ingenti animi ira ſæviunt in cadaver quoddam, ſunt ne irregulares, ſi prius intentionem habuerant occidendi illum, adverſus cujus cadaver jam furiunt? *ib.* caſ. 9.

Culpa etiam levis, qua occaſio præbetur morti cujuſdam, ſufficit ne ut quis ideo irregularis fiat? *ib.* caſ. 3. & 5.

Incidere ne quis poteſt in Irregularitatem morte caſuali, quæ accidit cum aliquid licitum quis facit? *ib.* caſ. 4. 10. 16. 47. & 49.

Qui in phreneſi aut ebrietate occidit quemdam, eſt ne irregularis? *ibid.* caſ. 45.

Si qui occupati rebus vetitis, mutilant aut occidunt quemdam, quamvis præter voluntatem & intentionem, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 44.

Infans reus omicidii eſt ne irregularis? *ibid.* caſ. 46.

Parentes qui ſuffocant ſuos infantes, quos in eumdem lectum ſecum cubitum ponunt, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 5. 49. & 56.

Qui venando interimunt hominem, credentes Belluam petere, aut qui ſclopetis apte utendis ſe exercendo, aut qui ſylvam cædendo hominem occidunt, ſunt ne irregulares? *ibid.* caſ. 47.

Clerici, qui in venatione occaſionem præbent homicidio non caſuali, ſunt ne irregulares? Irregularitas ſupponit ne neceſſario peccatum mortale? *ibid.* caſ. 48.

Clericus qui in ædificatione Eccleſiæ vocat quemdam, ut ſe adjuvet, in ſuſtinendo vel removendo quodam onere, eſt ne irregularis, ſi perſona iſta vocata morte pereat? *ib.* caſ. 3. & 39.

Eſt ne irregularis, qui juvenem fecit deſcendere in puteum, in quo ſubmergitur? *ibid.* caſ. 3.

Eleemoſynarius alicujus exercitus, qui milites exhortatur ad ſtrenue dimicandum, aut qui operam ſuam commodat ad diſtribuendos ipſis bellicos inſtructus, eſt ne irregularis? *ib.* caſ. 72.

Si qui in caſtris militaverunt, neminem tamen nec occiderunt nec mutilarunt, ſunt ne irregulares, & habent ne diſpenſatione opus? *ibid.* caſ. 69.

Qui abortum procurant, ſunt ne irregulares, ſive fœtus animatus ſit, ſive non? Quid faciendum ipſi incumbit in dubio? *ib.* caſ. 33. & tom. 1. v. *Abortus*, caſ. 1.

Debet ne quis in dubio de jure poſitivo humano, & in dubio de facto, ſe irregularem cenſere? *to.* 2. v. *Irregularitas*, caſ. 54.

Qui clamando & vociferando in auxilium adverſus furem occaſionem dedit homicidio, eſt ne Irregularis? Qui furem tradunt in manus juſtitiæ, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 20. & 30.

Qui furem, quem aliter detinere non poſſunt, occidunt, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 26.

Qui ſuadent aut jubent deprehendere furem, ſunt ne irregulares ſi cædes inde oriatur? *ibid.* caſ. 24.

Qui detinent, prehendunt & tradunt furem Judici, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 71.

Clerici, qui querimonias ſuas deferunt ad Judicem Criminalem, ſunt ne irregulares, ſi ſupplicium aliquod ſequatur? Proteſtatio in ejuſmodi occaſionibus mandata a Bonifacio VIII. an illos immunes præſtat ab irregularitate? Proteſtatio iſta eſt ne in uſu in Gallia, & habet ne locum reſpectu omnis generis perſonarum? *ib.* caſ. 51. & 78.

An in regionibus, ubi hæc Proteſtatio in uſu eſt, ii qui eam non ſincere faciunt irregulares ſunt? *ib.* caſ. 52.

Eccleſiaſtici poſſunt ne, quin contrahant irregularitatem, deponere tam in rebus civilibus quam criminalibus, licet mors aut mutilatio, inde ſequatur? Jus antiquum differt ne quoad hoc a novo, debent ne ſimplici aſſignatione facta deponere in cauſa criminali? Quænam eſt quoad iſtud Galliæ juriſprudentia? *ib.* caſ. 58.

Sunt ne irregulares Eccleſiaſtici, qui adverſus furem ſupplicem Judici obtulerunt libellum, ſive mors inde ſequatur, ſive non ſequatur? Cuinam iſtæc reſervata eſt irregularitas? *ib.* caſ. 59.

Advocati qui pro aut contra reos cauſam agunt, ſunt ne irregulares, ſi ipſorum culpa pars altera ſuccumbat, condemnetur & ducatur ad ſupplicium? *ibid.* caſ. 61.

Quæſtionum tabularii ſunt ne irregulares, ſunt ne cauſa proxima mortis reorum? Juriſprudentia Galliæ differt ne quoad iſtud ab aliarum Regionum juriſprudentia? *ibid.* caſ. 50.

Conſiliarii Clerici præſentes inſtructioni cauſæ criminalis, aut ſupplicio ſumpto ab reo, ſunt ne irregulares, ſunt ne peccati rei? *ibid.* caſ. 72.

Principes, qui leges ferunt pœnam mortis infligentem, aut ii, qui illos ad has ferendas leges inducunt, ſunt ne irregulares? *ibid.* caſ. 63.

Domini Eccleſiaſtici, qui in terminis generalibus Judicibus ſuis criminalibus mandant Juſtitiam exercendam & exequendam, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 64.

Officialis, qui in cauſa criminali decernit Matrimonium, aut qui Clericum degradatum brachio ſæculari tradit, eſt ne irregularis, *ibid.* caſ. 73. & tom. 2. v. *Officialis*, caſ. 2. & tom. 2. v. *Occidere*, caſ. 15.

Quot modis fieri quis poteſt Irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 56.

Judex criminalis, qui condemnavit & exequendam curavit ſupplicii ſententiam adverſus fures dictam eſt ne irregularis? *ibid.*

Eſt ne irregularis, quando ſententia executioni non datur? *ib.* caſ. 57.

Reſtiones & Carpentarii, qui vendunt executori funes & patibula & ſcalas ſunt ne irregulares? An eodem modo ſe res habet cum iis, qui hæc portant in executionibus faciendis? *ib.* caſ. 55.

Qui ſe defendendo adverſus Juſtitiæ Miniſtros mutilant aut occidunt quemdam, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 25. & tom. 3. v. *Reus*, caſ. 7. & tom. 2. v. *Occidere*, caſ. 1.

Confeſſarius, qui denegata abſolutione Judicem obligat ad judicandum omnis generis reos, juxta leges Principis, eſt ne irregularis, & poteſt ne deſignare pœnas aut denominare reus? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 65.

Poteſt ne Confeſſarius, quin fiat irregularis, reum denegata abſolutione obligare ad declarandum ſuum crimen, licet mors ſequatur ex hac criminis agnitione? *ibid.* caſ. 65. & tom. 1. v. *Accuſatus*, caſ. 3.

Fornicatio involuntaria, qua puella inquinata eſt vi ſibi a quodam illata, producit ne irregularitatem in eo qui illam in matrimonium ducit? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 114.

Fornicatio quam quis ſine illata vi commiſit cum puella quam poſtmodum in matrimonium duxit, producit ne irregularitatem? *ib.* caſ. 116.

Maritus qui debitum conjugale reddit uxori ſuæ, quæ adulterii rea eſt, eſt ne irregularis? *ib.* caſ. 115.

Matrimonium contractum cum vidua, quam quis Virginem credidit, aut cum puella fornicationis rea, producit ne irregularitatem? *ib.* caſ. 113.

Matrimonium contractum poſt Ordinationem aut Profeſſionem ſolemnem, producit ne irregularitatem? Hæc irregularitas cuinam eſt reſervata? *ib.* caſ. 6. & 117.

Filius natus ex Patre, qui poſt legitimum Matrimonium Ordines ſacros ſuſcepit, & dein ſuum Matrimonium conſummavit, eſt ne irregularis? *ib* caſ. 118.

Infantes reperti aut expoſiti ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 119.

Infantes Parentum Idololatrarum, qui invicem nupſerunt licet propinqui eſſent cognati in linea collaterali, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 21.

Bigamia interpretativa producit ne irregularitatem? *ib.* caſ. 110. & 114.

Qui duo contraxerunt matrimonia, non autem niſi unum conſummarunt, ſunt ne irregulares? Quænam Eccleſiam induxit ratio, ut bigamos irregulares declararet? *ib.* caſ. 313.

Bigamia producit ne irregularitatem in infidelibus ad fidem converſis? Eccleſia Latina ſentit ne aliter hac in re ac Græca Eccleſia? *ib.* caſ. 312.

Eunuchi ſunt ne irregulares, tam ad effectum recipiendi, quam ad effectum exercendi Sacros Ordines? *ib.* caſ. 105.

Qui conſentiunt, ut Eunuchi fiant, ad conſervandam vocem ſuavem, aut ad vulnus aliquod curandum, ſunt ne irregulares? *ib.* caſ. 106.

Is cui, in adulterio deprehenſo, virilia amputata fuerunt, fit ne irregularis? *ib.* caſ. 107.

Sedes

Sodomia inducit ne irregularitatem? *ib.* cas. 13.

Crimen Hæresis inducit ne irregularitatem? Hæretici cessant ne irregulares esse post reditum suum in Ecclesiam? Quænam est quoad istud disciplina Ecclesiastica in Gallia? *ib.* cas. 108.

Infantes Hæreticorum sunt ne irregulares respectu Ordinum & Beneficiorum? *ib.* cas. 109.

Postquam aliquis incidit in Irregularitatem, potest ne exercere jurisdictionem voluntariam? *ib.* cas. 97. & tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 55.

Irregulares fiunt ne inhabiles ad exercendam omnis generis jurisdictionem? tom. 2. v. *Parochus*, cas. 12.

Defectus Nativitatis honestioris, infamia publica, & pœnitentia publica inducunt ne Irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 120.

Canones excludebant ne octo primis sæculis illegitimos a Sacris Ordinibus? Quænam sunt Concilia, quæ primo inceperunt illos ab eis excludere? *ib.*

Crimina notoria producunt ne Irregularitatem? Quænam est quoad hoc jurisprudentia Galliæ? *ibid.* cas. 13. & 125.

Irregularitas orta ex defectu honestioris nativitatis, aut ex crimine, tollitur ne professione Religionis solemni, tam cum effectu, ut Sacros quis possit Ordines recipere, quam ut provideri possit dignitatibus regularibus? *ib.* cas. 134. & tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 25.

Ignorantia linguæ latinæ producit ne in Sacerdote Ecclesiæ Latinæ Irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 126.

Irregularitas est ne obstaculum Jubilæo consequendo? Confessarii possunt ne tempore Jubilæi absolvere ab irregularitate? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 22.

Qui celebrant in loco polluto aut interdicto, aut præsente homine notorie excommunicato, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 129. & tom. 1. v. *Altare*, cas. 6.

Receptio denariorum publicorum, aut denariorum privatorum, quorum alicui ratio reddenda est, inducit ne irregularitatem. An aliqua fieri hic potest exceptio? tom. 3. v. *Irregularitas*, cas. 133.

Si quis eamdem personam bis baptizet, incidit ne una cum illa in irregularitatem? *ib.* cas. 130.

Si quis eamdem personam secunda vice baptizet sub conditione, sive bona cum fide, sive ex ignorantia, sive cognita causa, incidit ne in irregularitatem? *ibid.* cas. 131.

Reiteratio Sacramentorum Confirmationis & Ordinum Sacrorum producit ne irregularitatem? Est ne æque culpabilis ac reiteratio Baptismi? *ib.* cas. 132.

Fit ne irregularis, qui bis Tonsura inaugurandum se curat? *ib.* cas. 15.

Irregularitas in genere an Patronis jus præsentandi ad Beneficia aufert? tom. 2. v. *Patronus*, cas. 12.

Irregulares fiunt ne incapaces ad possidenda Beneficia, & ipsorum Provisiones fiunt ne irritæ ac nullæ? tom. 3. v. *Provisio Beneficiaria*, cas. 18. & tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 5.

Intrusio in Beneficium producit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 128.

Beneficiarius est ne ipso jure suo beneficio privatus ex causa irregularitatis? Sunt ne quædam causæ in quibus beneficio suo privetur ipso facto? *ibid.* cas. 98.

Irregularitas, in quam quis incidit post obtentionem Beneficii, an illud vacare facit ipso jure? *ib.* cas. 2.

Beneficiarius Irregularis non culpabilis, tenetur ne suum dimittere Beneficium, & potest ne ad istud cogi? *ibid.* cas. 2.

An omnis irregularitas orta ex defectu vel ex delicto, impedimentum est, quod excludat a Beneficiis de Ordinibus? *ib.*

Promotio ad Ordines facta per saltum, producit ne irregularitatem? *ibid.* cas. 127.

Qui fingunt se quemdam recepisse Ordinem, & ejus publice faciunt functiones, sunt ne irregulares? *ib.* cas. 83.

Subdiaconus ligatus quibusdam censuris fit ne irregularis, si apud Altare ministrat absque manipulo? *ibid.* cas. 84.

Diaconus qui aquam benedictam conficit ex mandato Parochi est ne Irregularis, & ejus Irregularitas est ne Papæ reservata? *ibid.* cas. 85. & tom. 2. v. *Exorcismus*, cas. 7.

Diaconus qui furtim se refert in Confessionale Tribunal, confessionesque audit, nullas tamen absolutiones dedit, est ne Irregularis, et ejus irregularitas cuinam est reservata? tom. 2 v. *Irregularitas*, cas. 87.

Acolyti vel laici, qui functiones Subdiaconorum exercent sine manipulo, sunt ne irregulares? *ib* cas. 86.

Qui irregularis est pro Sacerdotio, est ne Irregularis pro omnibus quoque Ordinibus inferioribus? *ibid.* cas. 109.

Qui Ordines accepit in fraudem Episcopi Originis, illosque dein exercet, est ne irregularis? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 2.

Sacerdos, qui postquam in primo iræ motu consacerdotem percussit, celebrat, est ne irregularis? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 1.

Sacerdos irregularis factus ex eo, quod consilium dederit et procuraverit omicidium, potest ne celebrare et functiones suorum Ordinum exercere, antequam a suo Superiore se restituendum curaverit? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 1.

Ii, qui Ordines Sacros susceperunt, et Majores vel Minores exercent in Censuris, sunt ne irregulares? *ib.* cas. 92.

Receptio aut exercitium Ordinum Sacrorum, in excommunicatione, suspensione aut interdicto inducit ne semper irregularitatem? *ib.* cas. 93. 94. et 95.

Sacerdos, cujus facultas et potestas celebrandi revocata est, quique hoc non obstante, et quia post mortem Episcopi restitui se curavit, celebravit, est ne Irregularis? *ibid.* cas. 92.

Sacerdos qui prædicat, dum suspensus est, fit ne irregularis? *ibid.* cas. 7.

Quandonam Clericus suspensus irregularis fit, aut non? *ib.* cas. 22.

Ignorantia censuratum culpabilis aut non culpabilis excusat ne ab irregularitate illos, qui in isto censuris celebrarent? *ibid.* cas. 89.

Violatio cujuscumque sit suspensionis producit ne irregularitatem? *ibid.* cas. 22.

Violatio excommunicationis minoris aut interdicti inducit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 35. et tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 20.

Sacerdos, qui postquam ob desertum Vadimonii diem suspensus declaratus est, comparet deinceps, et celebrat, quia restituendum curaverit, est ne irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 89. et tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 29. et 30.

Sacerdos ab omnibus suis functionibus sententia Officialis contradictoria, suspensus declaratus, usque dum in Seminario per aliquod tempus manserit, est ne irregularis, cum post simplicem denuntiationem Superioris factam, quod intrare vellet, eo hoc negante, in foro sæculari, agendi ejus modum irritum declarari curaverit, et deinceps in alia Diœcesi celebret? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 90.

Qui contraxerunt irregularitatem possunt ne ab alio Episcopo restitui, quam ab illo, cujus censura violarunt? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 31.

Suspensio a Beneficio tantum reddit ne irregulares illos, qui eam violant? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 17. et 95.

Episcopi an, ut solvantur a ligamine Censuræ Irregularitatis, tenentur ad Papam recurrere, ad vel Metropolitanum? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 43.

Episcopus et quilibet alius Prælatus suspensus, qui quasdam Ordini suo proprias functiones exercet, fit ne Irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 14. et 18.

Cum Regnum aliquod interdicto Generali subjectum est, an Episcopi celebrare possunt et consecrare chrysma sacrum die primæ Dominicæ Cœnæ, quin fiant irregulares? *ib.* cas. 29. et 23.

Episcopus suspensus a Collatione Beneficiorum fit ne irregularis, si postea quædam conferat Beneficia? *ibid.* cas. 20.

Irregularitas est ne censura vel pœna? Censetur ne aliquis ab illa liberatus provisione Beneficiorum, ubi hæc habetur clausula, *& cum absolutione a censuris ad effectum*? *ib.* cas. 96. et tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 56.

Episcopi possunt ne dispensare de irregularitate? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 33. et tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 1. 2. 5. 7. 8.

Irregularis ex defectu vel ex delicto a quonam obtinere debet dispensationem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 8.

I T E R.

Potest ne aliquis diebus Dominicis ac Festis iter facere, quin reum peccati se reddat? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 4.

Qui iter faciunt, tenentur ne ad jejunandum? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 6.

J U B I L A R I U S.

Possunt ne dispensati Jubilarii ab obligatione divinis officiis assistendi? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 16. & to. 1. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 3.

J U B I L Æ U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Competit ne Episcopis jus differendi publicationem Bullarum Jubilæi quantum ipsis placet? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 4. & tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 2.

Illa dilatio reddit ne illos peccati reos? An illos dispensat a facienda imposterum illarum publicatione, imprimis si causæ propter quas Papa Jubilæum concessit, non amplius subsistunt? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 3.

Competit ne Episcopis jus addendi aliquid conditionibus in Bulla ad consequendum Jubilæum præscriptis, & qui negligerent satisfacere illi quod Episcopus adjecisset, obtinerent ne Jubilæum? *ibid.*

Bullæ jubilæi remittunt ne pœnas injunctas in foro exteriori Ecclesiasticis, sicut in foro interiori pœnitentiæ? *ib.* cas. 11.

Qui dum sunt in statu peccati mortalis implent conditiones Jubilæi præscriptas in Bulla, ante vel post confessionem, nanciscuntur ne Jubilæum? *ibid.* cas. 14 & 15.

An absolute confiteri oportet, ut Jubilæum quis consequi possit, & an non sufficit vere contritum esse, & omnia quæ in Bulla præscripta sunt observare? *ibid.* cas. 8.

Sufficit ne ad confessionale Tribunal accedere tempore Jubilæi, ut istud quis possit consequi? *ibid.* cas 4.

Sacerdos qui non habet casus reservatos, potest ne ab illis tempore Jubilæi absolvere pœnitentem, qui nullum habet desiderium Jubilæi consequendi? *ib.*

An omnis generis Confessarii tempore Jubilæi suos Pœnitentes absolvere possunt a censuris & Irregularitate? Irregularitas est ne obstaculum, quo minus quis Jubilæum possit nancisci? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 22.

Parochi possunt ne se gerere tempore Jubilæi tamquam Confessarios approbatos? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 15.

Confessiones factæ Parocho suo in aliena Parochia, sine consensu Titularis, sufficiunt ne ad consequendum Jubilæum? *ib.* cas. 16.

An tempore Jubilæi unicuique liberum est eligere Confessarium quemcumque voluerit? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 4.

Qui in fraudem jurisdictionis Ordinarii tempore Jubilæi confitentur extra Diœcesim, obtinent ne illud? *ibid.* cas. 6.

Religiosi, qui tempore Jubilæi confitentur Confessariis sui monasterii non approbatis ab Episcopo, impetrant ne illud? *ib.* cas. 7.

Prælati Regulares possunt ne tempore Jubilæi Religiosum quemcumque voluerint approbare ad audiendas Confessiones famulorum ac fratrum monasterii? Tales Confessiones sunt ne irritæ ac nullæ? *ibid.* cas. 9.

Sacerdos non approbatus ad audiendas Confessiones Religiosarum, potest ne illarum excipere Confessiones tempore Jubilæi? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 17.

Pœnitentes tenentur ne hoc tempore æque stricte Deo satisfacere ac alio tempore? Sacerdotes possunt ne, quin ipsis satisfactiones criminibus proportionatas imponant? Quænam est Ecclesiæ intentio & indoles in concedendis indulgentiis, tom. 1. v. *Jubilæum*, cas. 10.

Confessarii debent ne facilius hoc, quam alio tempore absolutionem conferre iis, qui habitum peccandi contraxerunt? *ibid.* cas. 12.

Habent ne jus remittundi Jubilæum iis, quos sat bene præparatos ad illud consequendum deprehendunt? possunt ne absolvere a casibus reservatis, tempore illo? *ib.* cas. 13.

An Jubilæum eodem Jubilæi tempore plus quam semel obtineri potest, ita ut quis pluries a casibus reservatis absolvatur? *ibid.* cas. 17.

Pœnitentes, qui postquam se vi Jubilæi absolvi curarunt a censuris, negligunt postea reliquas conditiones præscriptas implere, relabuntur ne in reservationem Censurarum? *ibid.* cas. 16.

An omnes reliquæ Indulgentiæ suspensæ sunt anno Jubilæi Universalis, eis quoque non exceptis quæ non sunt plenariæ? *ibid.* cas. 18.

Indulgentiæ Jubilæi an mortuis pariter ac vivis prosunt? An illis certo applicantur? Sunt ne plures indulgentiarum species? *ibid.* cas. 19.

J U D Æ I.

Vide hujus vocis Proœmium.

Matrimonia cum Judæis contracta sunt ne valida ac licita? tom. 2. v. *Impedimentum disparitatis cultus*, cas. 1.

Sunt ne cogendi ad amplectendam Religionem Christianam? tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 4.

Principes possunt ne illos privare bonis usurariis, quæ acquisiverunt, & possunt ne ea sibi applicare? tom. 2. v. *Judæi*, cas. 1.

Sententia contra Judæos, quæ decernit bonorum illorum confiscationem in usum Principis, est ne titulus sufficiens, quo isti Principes illa bona tuto retinere possunt? *ibid.* cas. 2.

Domini & alii possunt ne accipere dona quæ Judæi ipsis afferuntur ad captandam eorum benevolentiam atque protectionem? *ibid.*

J U D E X.

Vide hujus tituli Proœmium.

Judices tenentur ne judicare secundum allegata & probata? tom. 2. v. *Judex*, cas. 1.

Tenentur ne se conformare opinioni maxime probabili tam in causis civilibus, quam criminalibus? *ib.* cas. 4.

Possunt ne in causis civilibus & criminalibus a litera legis recedere, ut mentem legis sequantur? *ibid.* cas. 5.

Possunt ne in judiciis suis ferendis se conformare ad legem aliquam in loco suo vigentem, licet juri naturali adversetur? *ib.* cas. 8.

Quum male judicarunt ex malitia aut imprudentia, tenentur ne præstare damnum datum partibus? *ibid.* cas. 7. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 134.

Possunt ne se favorabiles exhibere pauperibus cum præjudicio divitum? tom. 2. v. *Judex*, cas. 14.

Cum jus utriusque æqualiter videtur probabile an munera accipere possunt ad judicandum potius in favorem unius, quam alterius? Tenentur illa restituere munera? *ib.* cas. 13.

Peccant ne cum conveniunt de aliqua summa pro judicio ferendo? Sunt ne in hoc casu Simoniaci, si sint Ecclesiastici Judices? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 20.

Cum acceperunt a partibus pecuniam, ut judicent, tenentur ne ad restitutionem? Cuinam restituere debent? tom. 2. v. *Judex*, cas. 21.

Cum salaria habent fixa, tenentur ne ad restitutionem, si negligant vacare exercitio sui muneris? *ibid.* cas. 9.

Tenentur ad reparandum damnum, quod causantur recusando ad tribunal se se referre, sub prætextu quod sciant Collegas suos corruptos fuisse, & judicaturos esse contra justitiam? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 139. & tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 19.

Denegatio justitiæ obligat ne nos ad rependendum damnum quod sunt causaturi? tom. 2. v. *Judex*, cas. 12.

Possunt ne abstinere a judicio ferendo, quandocumque inde scandalum oriri possit, cum agitur de bono publico aut commodo privato? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 5.

Possunt ne exigere sportulas judiciarias, cum Procurator Generalis solus aut ejus substituti partes se exhibent? Est ne quædam pœna iis decreta, qui contravenire audent? tom. 2. v. *Judex*, cas. 21.

Cum Judices scandalum publicum præbuerunt, transcendendo suam potestatem, possunt ne denegata absolutione cogi ad illud publice agnoscendum? *ib.* cas. 20.

Qui aliæ fuerunt sententiæ ac reliqui, possunt ne subscribere sententiæ pronuntiatæ, licet injustam credant? *ibid.* cas. 19.

Judicum potestas expirat ne apud Gallos mortuo Rege? tom. 3. v. *Pœnitentiarius*, cas. 4.

Possunt ne valide suum exercere officium in territorio, quod ipsorum jurisdictioni non subjacet? tom. 2. v. *Judex*, cas. 23.

Judices habent ne in parvis jurisdictionibus hanc immunitatem, ut non possint eligi Collatores? *ib.* cas. 22.

Possunt ne exigere juramentum ab aliquo, quem sciunt conscientia prorsus carere, & facile induci posse ad perjurium? *ib.* cas. 28.

Possunt ne cogere quemdam, ut deponat in re, quam non nisi sub fide secreti scit? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 5.

Cum persona, cui juramentum impositum fuerat, istud præstitit, an Judices etiam adversæ parti juramentum sine peccato deferre possunt? tom. 2. v. *Judex*, cas. 29.

Potest ne in foro juramentum exigi a debitore, cum persuasum est, quod pejeraturus sit? tom. 3. v. *Perjurium*, cas. 6. 15. & 21.

Cum Judex Ecclesiasticus sententiam excommunicationis pronuntiavit, de cujus validitate justis de causis dubitatur, est ne nihilominus præsumendum, quod vera sit ac justa? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 19.

In dubio, cum Judex competens sit, semper ne illi obediendum? tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 4.

Possunt ne pronuntiare super depositione testium, quos non audiverunt ipsimet? tom. 3. v. *Testis*, cas. 18.

Judices, quamvis incapaces, possunt ne suum munus exercere unum adhuc annum qui ipsis deest, ad hoc, ut fiant Veterani? tom. 3. v. *Veteranus*, cas. 1.

Licet ne Judices sollicitare? tom. 2. v. *Lis*, cas. 1.

Possunt ne solutioris vitæ mulieres tolerare in urbe, ad evitanda majora mala? Sunt ne denegatione absolutionis cogendi ad illas ejiciendas ex urbe? tom. 3. v. *Judex*, cas. 10. & tom. 2, v. *Lex*, cas. 4.

Judices Regni judicant ne in Gallia de separatione quoad corpus & bona, exclusis judicibus Ecclesiasticis? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 9.

Possunt ne cognoscere de oppositionibus matrimonii? tom. 3. v. *Oppositio ad Matrimonium*, cas. 2.

Quonam in casu cognoscere possunt de ultima Defunctorum voluntate? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 2. & 8.

Judices Laici possunt ne cognoscere de rebus Ecclesiasticis, quales sunt sententiæ Excommunicationis? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 12.

Sunt ne quidam casus, in quibus Judices Laici una cum Ecclesiastico Judice cognoscant de crimine Clerici? tom. 2. v. *Judex*, cas. 30.

Judices Criminales possunt ne condemnare reos ad pœnas quasdam afflictivas, etiamsi nulli adsint accusatores? tom. 2. v. *Judex*, cas. 2.

Possunt ne illum condemnare ad pœnam minorem, quam meretur? *ibid.* cas. 6.

Judices, si ejusdem cum accusato criminis rei fiat, an bona cum conscientia condemnare illum possunt? *ibid.* cas. 18.

Possunt ne accusatum absentem condemnare antequam illum citaverint comparituram, & responsurum objectionibus testium? *ibid.* cas. 24.

Cum agitur de pena capitis reo infligenda, & lex nihil habeat expressi, an semper mitiorem partem sequi debeat? *ib.* cas. 26.

Possunt ne condemnare ad mortem, ad remos, aut ad alia tormenta reum, adversus quem leges ejusmodi penas minime decernunt? *ib.* cas. 26.

Possunt ne uti verbis captiosis & æquivocis in interrogatoriis rei, ut hoc modo veritatem ex ipso eliciant, ipsique quasi surripiant? *ibid.* cas. 15. & 16.

Si depositiones pro & contra accusatum utrinque sint æquales, tenentur ne ipsum absolvere? to. 3 v. *Testis*, cas. 9.

Possunt ne pronuntiare de accusato, quando testes in diversas abeunt circumstantias, quæ substantiam criminis mutant, aut non mutant? *ib.* cas. 10. & 11.

Possunt ne condemnare accusatum super depositione duorum testium, quorum unus diem & locum criminis commissi denotat, alter vero se horum meminisse negat? *ib.* cas. 12.

Possunt ne pro bono Reipublicæ condemnare innocentem ad penas quasdam afflictivas aut pecuniarias? tom. 2. v. *Judex*, cas. 1. & 3.

Fiunt ne aliquando irregulares? Quonam in casu? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 31. 56. & 57.

Cum in causa criminali Partes transegerunt, possunt ne litem indecisam relinquere? tom. 2. v. *Judex*, cas. 17.

Judex Præpositura aut Præsidialis fori potest ne ad supplicium ducendum curare Clericum nefariæ cædis convictum, non obstante interjecta ipsius appellatione? *ib.* cas. 27.

Quænam fuit intentio, cum Ecclesiastici Judices in foris secularibus instituerentur? tom. 1. v. *Clericus*, cas. 4. & tom. 1. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 12.

De quibusdam criminibus cognoscunt in Gallia Judices Ecclesiastici? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 9.

Ipsorum auctoritas debet ne intervenire in dissolvendis sponsalibus legitime contractis? Sunt ne quidam casus, in quibus ut illorum auctoritas intercedat, non sit necessarium? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 47. 49. 52. 53. 54. & 56.

Possunt ne dissolvere ligamen matrimonii, si solæ Partes affir-

ſtiment, quod intercedat inter ipſos impedimentum dirimens? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, caſ. 3.

Poſſunt ne pronuntiare exilii pœnam adverſus reos Clericos? tom. 2. v. *Officialis*, caſ. 10. & 14.

Epiſcopi & Officiales ſunt ne Clericorum Judices tam in cauſis diſciplinam ſpectantibus, quam in cauſis criminalibus? tom. 2. v. *Judex*, caſ. 30.

Eſt ne quilibet in Gallia obligatus ad ſe ſubjiciendum Judici Eccleſiaſtico a Papa delegato? t. 1. v. *Appellatio*, caſ. 2.

Si ſententia Judicis injuſta ſit in uno capite, poteſt ne appellare ab ea, licet juſta ſit in reliquis capitibus? *ib.* caſ. 10.

J U D I C I U M.

Quotnam modis gravari aliquis poteſt judicio in ſe lato? tom. 1. v. *Appellatio*, caſ. 4.

Judicia pronunciata in Eccleſiis aut Cæmeteriis ſunt ne nulla? tom. 2. v. *Judex*, caſ. 23.

J U R A M E N T U M.

Vide hujus tituli Proœmium.

Juramenta ſunt ne ſua natura peccata? Quonam in caſu licita ſunt? Quid eſt Juramentum? Sunt ne varii generis juramenta? Sancti ſunt ne Juramentis uſi? Quænam conditiones licita reddunt Juramenta? tom. 2. v. *Juramentum*, caſ. 9. & tom. 3. v. *Perjurium*, caſ. 9.

Eſt ne ſemper mortale peccatum in vanum jurare? tom. 2. v. *Juramentum*, caſ. 2.

Pejerat ne, qui jurat ſine intentione jurandi, ſed tantum ex habitu, & quadam quaſi convenientia? tom. 3. v. *Perjurium*, caſ. 2.

Sunt ne abſolvendi ii, qui cum contraxiſſent habitum jurandi quotidie, non amplius voluntario jurant quam ſemel aut bis per integram ſeptimanam? t. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 24.

Eſt ne peccatum ſine neceſſitate jurare per Cœlum, per caput ſuum aut per vitam ſuam, & quæ ejuſmodi ſunt alia Juramenta? tom. 2. v. *Juramentum*, caſ. 3 & 4.

Eſt ne peccatum falſo aut verum jurare ex imprudentia? *ibid.* caſ. 5.

Eſt peccatum Juramento confirmare rem aliis, quam jam credunt? *ibid.* caſ. 5.

Eſt ne peccatum jurando proferre ſanctum Dei nomen, *ibid.* caſ. 6.

Si quis jurando ſe aliquam rem facturum eſſe, alium intendat, quam is cui jurat, tenetur ne ſuum implere Juramentum? *ibid.* caſ. 7.

Si quis jurando quod aliquam rem facturus ſit, intentionem habeat curandi, ut ab illa facienda diſpenſetur, peccat ne & eſt ne obligatus ad implendum promiſſum ſuum? *ib.* caſ. 10.

Eſt ne majus peccatum falſo jurare per verum Deum, quam verum jurare per falſos Deos? tom. 3. v. *Perjurium*, caſ. 1.

Juramentum, quod quis implere potuit quodam tempore, obligat ne alio, quam eo tempore, quo determinatum fuit? tom. 2. v. *Juramentum*, caſ. 11.

Ceſſat ne obligatio Juramenti, ubi ejus impletio impoſſibilis fit aut illicita? *ibid.* caſ. 12.

Juramento affirmata promiſſio alicujus rei quæ nec bona eſt nec mala, ſed mixta & dubia, obligat ne? *ib.* caſ. 14.

Juramentum infantis eſt ne validum, poteſt ne ſalva Conſcientia exigi juramentum ab infante? *ibid.* caſ. 16.

Poteſt ne quis in foro affirmare, quod ſumma, quam vult repetere, legitime debita ſit, cum dictum debitum in alium tranſtulit? tom. 3. v. *Perjurium*, caſ. 3.

Juramentum de non acceptanda unquam Prælatura aut Superioritate eſt ne licitum? poteſt ne citra peccatum infringi? tom. 2. v. *Juramentum*, caſ. 13.

Canonicus poteſt ne, ſine violatione Juramenti, non obſervare ſtatutum Capituli, abolitum ex eo, quod uſu non vigeat? *ib.* caſ. 18.

Chriſtianus poteſt ne recipere Juramentum ab Ethnico, qui non niſi per idola ſua jurat? Poteſt ne ipſum inducere ad jurandum hoc modo? *ib.* caſ. 17.

Tenetur ne quis implere, quod cum Juramento promiſit non niſi ut vitam ſuam conſervaret? *ibid.* caſ. 15.

Reges qui iis Juramentis, qui in coronatione ſua fecerunt poſtea quædam contraria Juramenta præſtant, an illa ſervare poſſunt? tom. 3. v. *Præſcriptio*, caſ. 15.

Juramentum reddit ne inviolabilia promiſſa facta? tom. 1. v. *Debitum conjugale*, caſ. 54.

Semper ne & in omni caſu obligatio eſt Juramentum factum ſervandi? tom. 3. v. *Sponſalia*, caſ. 8. & 12.

Juramentum poteſt ne aliquod ferre præjudicium obligationi, quam quis jam contraxit? *ib.* caſ. 22. 23. & 42.

Quænam requiruntur conditiones ad Juramentum, ut ſit licitum? *ib.* caſ. 23. & tom. 3. v. *Perjurium*, caſ. 2.

Reddit ne validos omnis generis contractus factos violenter? An ſemper Juramentum præſtitum ſervandum eſt? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, caſ. 6.

Poteſt ne peti diſpenſatio pro generis omnis Juramentis, & ad quem ob iſtud recurrere oportet? tom. 1. v. *Diſpenſatio juramenti*, caſ. 1. & ſeqq.

Eſt ne implendum Juramentum injuſtum ac illicitum, to. 3. v. *Teſtis*, caſ. 3.

Eſt ne implendum promiſſum Juramento confirmatum? tom. 2. v. *Jurare*, caſ. 15.

Impuberes, qui ſponſalia ſua Juramento confirmarunt, poſſunt ne poſtquam ad annos pubertatis pervenerunt, revocare? tom. 3. v. *Sponſalia*, caſ. 6.

Falſum Juramentum factum in propria cauſa eſt caſus reſervatus in quibuſdam diœceſibus? t. 1. v. *Caſus reſervati*, caſ. 19.

Cum Judex cognoſcit, quod homo qui ad ipſum defertur ad Juramentum præſtandum, conſcientia omnino careat, & jam ſæpius pejeraverit, poteſt ne pati ut Juramentum præſtet, quin occaſio ſit ipſi perjurii præſtandi? tom. 2. v. *Judex*, caſ. 28.

Si is qui delatus eſt ad Judicem præſtiterit Juramentum, poteſt ne quoque alteri parti juramentum imponere? *ib.* caſ. 29.

JURAMENTUM FIDELITATIS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Epiſcopus poteſt ne vi in Gallia Bullarum Roma obtentarum ſuas exercere functiones ante Juramentum fidelitatis Regi præſtitum? Si Rex urget illum recipere, aut rationum Fiſci Curia nolit illum inſinuare, an regalia manent aperta ſi Rex voluntario vel invitus abeſſet a Regno, ſufficeret ne juramentum præſtare intra manus Generalis illius Locum tenentis? Eſt ne neceſſarium, ut Epiſcopi iſtud præſtent Sacramentum in propria perſona? tom. 2. v. *Juramentum Fidelitatis*, caſ. 1.

Jus indultorum Juramenti fidelitatis eſt ne antiquum, & quadam Eccleſiaſtica Conſtitutione fundatum? Qui Indultum habet Juramenti Fidelitatis, poteſt ne præveniri ab Ordinario? Indultum iſtud includit ne Decretum irritans? Quænam eſt quoad iſtud Juriſprudentia Galliæ? *ib.* caſ. 2. & tom. 2. v. *Indultarius*, caſ. 1.

Dignitates Eccleſiaſticæ ſunt ne obnoxiæ Regiis Indultariis Sacramenti Fidelitatis, & læti adventus ad coronam? tom. 2. v. *Graduatus*, caſ. 7.

J U R I S D I C T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

An Exercitium omnis juriſdictionis ſæcularis in Eccleſiis & cæmeteriis vetitum eſt? Et judicia ibi lata ſunt ne irrita ac nulla? tom. 2. v. *Judex*, caſ. 23.

Quænam eſt differentia inter juriſdictionem Contentioſam, & Gratioſam? tom. 2. v. *Pœnitentiarius*, caſ. 4.

Sunt ne variæ juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſpecies? An in uno æque ac in alio exerceri poſſunt loco? An omnes ad Eccleſiam pertinent? Epiſcopi an omnes illas juriſdictiones exercere poſſunt per ſe ipſos aut per ſuos Miniſtros? An ad illas exercendas delegare poſſunt unam eamdem Perſonam. Si plures delegent, an una, quod alterius eſt, ſuſcipere valet et peragere? tom. 2. v. *Impedimentum Clandeſtinitatis*, caſ. 6. 16. et 17. et tom. 1. v. *Epiſcopus*, caſ. 16. et tom. 2. v. *Excommunicare*, et tom. 3. v. *Parochus*, caſ. 12.

Juriſdictio quaſi Epiſcopalis, tom. 2. v. *Impedimentum Clandeſtinitatis*, caſ. 55.

Superiores Eccleſiaſtici Cenſuris ligati poſſunt ne exercere actos puræ juriſdictionis. Perdunt ne illam excommunicatione majori? t. 2. v. *Excommunicare*, caſ. 55. et tom. 2 v. *Excommunicatio*, caſ. 6.

Prælati, qui non ſunt in ſacris, poſſunt ne ſuam exercere juriſdictionem? tom. 2. v. *Excommunicare*, caſ. 10. et tom. 2. v. *Excommunicatio*, caſ. 55.

Amittitur ne poteſtas juriſdictionis peccato mortali? tom. 2. v. *Indulgentia*, caſ. 14.

Irregularitas, in quam quis incidit, aufert ne ipſi poteſtatem exercendi juriſdictionem voluntariam? tom 2. v. *Irregularitas*, caſ. 97.

Abbates nondum benedicti poſſunt ne ſuam exercere juriſdictionem? tom. 1. v. *Abbas*, caſ. 8.

Abbatiſſæ poſſunt ne ſuam exercere juriſdictionem, antequam poſſeſſionem ſuæ Abbatiæ capeſſiverunt? tom. 1. v. *Abbatiſſa*, caſ. 1.

Ordinatio collata ab Epiſcopis Hæreticis confert ne juriſdictionem? tom. 1. v. *Ordines*, caſ. 14.

Juriſdictio poteſt ne præſcribi longa poſſeſſione? tom. 2. v. *Juriſdictio*, caſ. 1.

Parochus notorie irregularis ex delicto, poteſt ne quandam exercere juriſdictionem? tom. 3. v. *Parochus*, caſ. 2.

Monaſteria poſſunt ne ſe Ordinarii juriſdictioni ſubtrahere, aggregando ſe alteri *Monaſterio* quod ab ejus immune eſt juriſdictione? tom. 2. v. *Monaſterium*, caſ. 1. ac 3.

Ordinariorum juriſdictio ad quemnam devolvitur, dum ipſi notorie interdicti ſunt aut excommunicati? tom. 2. v. *Officialis*, caſ. 8.

J U S.

Qui ſua Jura pure et ſimpliciter vendit, cenſetur ne Jus auctoritatis a ſe expoſtulandæ emptori concedere? tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 43.

Error Juris reddit ne irritum ac nullum Legatum, aut ſolutionem, ad quem ſolvendum ſe aliquis ſcripto obligavit? tom. 2. v. *Legatum*, caſ. 70.

J U S N A T U R A L E.

Ignorantia invincibilis Juris naturalis tam in primis ſuis principiis, quam in ſuis concluſionibus, eſt ne poſſibilis? Eximit ne a peccato in uno atque in altero caſu? tom. 2. v. *Ignorantia*, caſ. 1.

Impedimentum Juris naturalis et Divini irritat ne quod faciunt Perſonæ publicæ? Poteſt ne diſpenſari in rebus, quæ unum

Omnium & aliorum horum jurium spectant? to. 3. v. *Parochus*, cas. 13. & tom. 2. v. *Dispensatio*, cas. 1.
An varii generis jura sunt? Ignorantia invincibilis omnium horum jurium excusat ne a peccato, & talis ignorantia potest ne esse invincibilis? tom. 1. v. *Conscientia*, cas. 1. & tom. 2. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 12.
Possunt ne invincibiliter ignorari conclusiones, quæ ex primis juris Naturalis principiis deducuntur, nulla facta distinctione inter proximas aut immediatas & remotas conclusiones? tom. 2. v. *Ignorantia*, cas. 2.

JUS AUCTORITATIS A VENDITORE EXPOSTULANDÆ.

Donatarii tenentur ne quo dant mancipio dare? Actio, qua quis vel venditor auctorem futurum promisit, potest ne præscribi? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 15. & tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 15.
Venditor tenetur ne rem venditam mancipio dare? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 42. & 43.
Hæres præsumptivus tenetur ne mancipio dare quæ pertinent ad Legatarios & Cohæredes? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 1.
Hæredes tenentur ne sibi invicem auctores suorum portionum, cuilibet obligationem promittere? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 3. & tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 2.
Hæredes beneficiarii tenentur ne se auctores præstare erga creditores hypothecarios & Chirographarios? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 2.

JUS REDHIBITIONIS.

Qui Cognatos suos jure redhibitionis, quo gaudent, privant permutatione simulata, tenentur ne ad restitutionem? Datur ne jus redhibitionis respectu Domini Loci. Consuetudines sunt ne uniformes quantum attinet ad numerum & prærogativam eorum, qui jure redhibitionis gaudent? tom. 2. v. *Laudemia & Venditiones*, cas. 2.

L

LÆTUS ADVENTUS.

Jus conferendi Beneficia vi læti adventus ad coronam est ne perantiqui usus? Quonam nititur fundamento? tom. 2. v. *Juramentum fidelitatis*, cas. 2.

LAICUS.

Laici qui functionem Subdiaconi peragunt sine manipulo, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 12.
Ludi in quibus multum est aleæ, sunt ne ipsis prohibiti? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 3.
Potest ne ipsis sepultura Ecclesiastica tempore Interdicti concedi? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 12.
Licet ne ipsis disputare cum Hæreticis de articulis fidei controversis inter Ecclesiam & illos? tom. 2. v. *Fides*, cas. 8.

LANA.

Mercatores possunt ne lanam reponere in locis humidis ea intentione, ut illam reddant graviorem, & plus lucrentur? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 12.

LAPSUS ITERATUS.

Lapsus iteratus in peccatum est ne semper signum quod Confessio sit nulla? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 16. & tom. 1. v. *Confessio*, cas. 50.
An solummodo ad tempus attendendum est Confessario, cum agitur de lapsibus iteratis in peccatum? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.
Cum pœnitens adhibuit media idonea ad evitandos lapsus in peccatum iteratos est ne absolvendus, quin obligetur insuper ad fugiendam occasionem peccati proximam? *ibid.* cas. 19. 21. & 22.
Peccata mortalia reviviscunt ne quoad culpam, lapsibus in peccatum iteratis? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 11.

LARGITIONES.

Cum jura utrinque sunt æqualia, an Judices possunt munera accipere, ut judicent potius pro una quam altera parte? Tenentur ne ad restituenda accepta munera & largitiones? tom. 2. v. *Judex*, cas. 13.
Magistratus & alii Judices possunt ne accipere dona & largitiones, quas Judæi ipsis conferunt ad conciliandum sibi ipsorum favorem ac protectionem? tom. 2. v. *Judæus*, cas. 1.
Religiosi & Religiosæ possunt ne largiri munera? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 11. 12. & 13. & t. 2. v. *Monasterium*, cas. 12.
Licet ne largitiones facere ad obtinenda Beneficia aut Curas quasdam fundatas? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 27.
Resignatarii possunt ne licite suis resignantibus largiri munera? tom. 3. v. *Pensio*, cas. 8.
Largitiones & Munera, quæ quis suæ offert desponsatæ aut ad illam pertineat, licet sponsus aut sponsa matrimonium contrahant sine earum reculat? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 17.

LARVA.

Vide hujus tituli Proœmium.

Est ne peccatum mortale Larva se induere? Peccatum fit ne gravius, cum quis insuper vasti sexus differens se circumdat? tom. 2. v. *Larva*, cas. 1.
Dominus est ne culpandus, qui cum scit famulos suos sese personare, tum se non opponit, ut potius voluptatem inde capiat? *ib.* cas. 2.
Licet ne conficere aut vendere larvas? *ib.* cas. 3.

LATRUNCULORUM LUDUS.

Ludus Latrunculorum est ne Clericis permissus? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 7.

LAUDEMIÆ ET VENDITIONES.

Vide hujus Voris Proœmium.

Potest ne quis tuta conscientia permutationem facere simulatam ad frustrandos dominos feudales juribus Laudemiarum & Venditionis? Tenetur ne ad restitutionem, qui hoc fecit? Ejusmodi Domini an non possunt in Gallia suum exercere jus nisi ubi desunt, qui redhibitionis jure gaudent? to. 2. v. *Laudemia & Venditiones*, cas. 1.
Tenentur ne Laudemiæ & Venditiones in permutationibus hæreditatum cum hæreditatibus, aut censibus? *ibid.* cas. 3. & 4.
Hæres illius qui frustratus est Dominum loci Laudemiis, & Venditionibus tenetur ne in ejus defectum solvere, si terra, quæ sibi hæreditate obtigit, illi subjecta est? Ejus Cohæredes tenentur ne in hoc casu damnum illi præstare? *ib.* cas. 8.
Laudemiæ & Venditiones pertinent ne ad Dominum loci an quo contractus est consummatus? *ibid.* cas. 5.
Potest ne aliis differre solutionem Laudemiarum, & Venditionum, usque dum loci Dominus illas exigat? *ibid.*
Laudemiæ & Venditiones debentur ne Domino loci, cum muterio facta est non tamquam venditio, sed tamquam transactio & conventio familiæ? *ib.* cas. 5.
An omnia transactio in forma Venditionis mutationem proprietaris inducit, & Dominus loci potest ne in omni hoc casu Laudemias & Venditiones exigere? *ibid.* cas. 6.
Dominus, qui jus habet vitæ & necis, si locat fundum terræ censetur ne etiam locare jus Laudemiorum & Venditionum, & potest ne uti jure redimendi fundi gentilitii, & hoc modo locatarium privare Laudemiis & Venditionibus quas in iis accepisset? *ibid.* cas. 7.
An venditor vel emptor tenetur de Laudemiis & Venditionibus. Istud est ne arbitrarium, aut est ne consuetudo loci sequenda? *ibid.* cas. 9.
Equites, Commendatarii, & Ministri Ordinis Spiritus Sancti sunt ne exempti a laudemiis & venditionibus Regi solvendis? Membra Curiæ rationum fisci Regii & Secretarii Regis sunt ne exempti ab iis solvendis? *ib.*

LAUS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Licet ne aliquando se ipsum laudare, potest ne fieri absque peccato? tom. 2. v. *Laus*, cas. 1.
Licet ne laudare alios? Quando abstinendum ab ejusmodi laudibus? *ibid.* cas. 2.

LAUDES.

Potest ne missa dici, antequam recitentur *Laudes*? Possunt ne recitari sub Vesperam pro postero die? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 21. & 28.

LEGATARIUS.

Legatarius tenetur ne continuare locationes factas a Testatore? Ille cujus locator interrupit locationem, habet ne actionem ad jus ipsum pro damnis & interesse? tom. 1. v. *Damna & interessa*, cas. 1.
Legatarii habent ne hypothecam super bonis Testatoris defuncti? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 26.

LEGATUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Potest ne aliquis esse Legatarius simul & Hæres, tam in regionibus jure scripto, quam consuetudine regi solitis? to. 2. v. *Legatum*, cas. 3.
Testator potest ne unius hæredis portionem substituere alteri; quando scilicet primus nullos habiturus est infantes? *ibid.*
Hæres subjectus Consuetudini Parisiensi potest ne esse Legatarius in alia Consuetudine, ubi non est hæres? *ibid.*
Potest ne aliquis in quibusdam consuetudinibus hæres esse & legatarius in linea collaterali? *ibid.*
Potest ne quis esse Donatarius inter vivos & Hæres, quando est in linea Collaterali? *ibid.*
Sunt ne quædam Consuetudines, quæ obligant infantes, ut referant prærogativas? quibus gavisi sunt, licet velint renuntiare hæreditati? *ibid.*

LE

Digitized by Google

Licet ne optare, aut oportet ne legatum Massæ referre? *ib.*

Hæres tenetur ne legatum dare Legatario, cum Testator simpliciter ipsum rogavit, ut istud faceret? *ib.* cas. 4.

Tenetur an ad restitutionem, si istud negligat? *ib.* cas. 32.

Tenetur ne quis solvere legata quæ jubet testamentum subscriptum a Testatore, & scriptum a quodam Testatoris amico? Quænam est Jurisprudentia Galliæ quoad istud? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 23.

Legatum a moribundo factum suo Confessario, suo Advocato, suo Procuratori, suo Medico, suo Chirurgo, aut suo Pharmacopolæ, censetur ne irritum ac nullum? tu. 2. v. *Legatum*, cas. 1.

Potest ne quis ejusmodi personis testamento legare summam notabilem, & illa legata possunt ne in controversiam duci ab hæredibus? *ib.*

Captivus potest ne legare carceris Præfecto? *ib.*

Legata Tutoribus aut Curatoribus facta a Minoribus sunt ne irrita ac nulla? *ib.* cas. 5.

Legatum factum a Marito ex bonis quæ uxori constante matrimonio obtigerunt, est ne irritum, imprimis si absque assensu uxoris factum sit? *ib.* cas. 73.

Hæres potest ne propria sua auctoritate mutare destinationem legatorum piorum atque prophanorum? *ib.* cas. 6.

Potest ne recusare redemptionem legatorum piorum destinatorum ad quasdam necessitates, quæ non amplius subsistunt? *ib.* cas. 7.

Legatum pium factum cuidam Communitati, quæ ea per statuta sua recipere non potest, recedit ne ad hæredem? *ib.* cas. 8.

Legatum factum sub conditione, quæ a morte Testatoris impossibilis est facta, est ne irritum ac nullum? *ib.* cas 33.

Hæres potest ne sine obligatione restituendi, in usum pauperum cognatorum Testatoris convertere legata pia ad alios usus ab ipso destinata? *ib.* cas. 9.

Legata facta ex motivis falso enunciatis sunt ne irrita ac nulla? *ib.* cas. 10.

Legatum factum alicui personæ, quin præcise pateat cuinam, quia duæ ejusdem sunt nominis personæ est ne nullum? An eodem modo se res habet cum legato revocato in iisdem circumstantiis? *ib.* cas. 49.

Cum Legatum ita comprehensum est sub duabus conditionibus aut expressionibus differentibus, ut nullo determinari possit ad unum præ altera, an in commune pertinet ad Legatarios? *ib.* cas. 52.

Legatum Conditionale habet ne aliquando suum effectum, ante impletam conditionem? *ib.* cas. 59.

Legatum conditionale habet ne locum ex quo conditio executioni data est? *ibid.* cas 37.

Legatum factum Puellæ sub conditione ut ingrediatur in Religionem est ne validum? Est ne obligatio isti Puellæ legatum solvendi, si postquam ad implendam conditionem intravit in Religionem, ex ea iterum egreditur? *ib.* cas. 2.

Puella cui Domina magnum relinquit legatum sub conditione, ut post mortem ejus dimidium legati revertatur ad suos hæredes, potest ne ista puella abstinere a servando isto promisso, eo quod hæredes eam cavillando lacessiverint, nec præterea ipsi dederint, quantum legatum ipsi erat? to. 2. v. *Compensatio*, cas. 1.

Si legatum caducum factum est Legatarii recusatione, aut quia morte prævivit, an conditio sub qua factum est, semper subsistit? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 66. & 67.

Legatum continuum fit ne caducum, cum Legatarius non potuit impactam implere conditionem? *ib.* cas. 66.

Legatum factum in terminis obscuris, cessat ne caducum esse, si subintelligendo verba quædam necessaria, intelligibile fiat? *ibid.* cas. 69.

Error juris reddit ne caducum legatum, ad cujus solutionem quis scripto se obligavit aut donationem, quam ignorabat nullam esse defectu insinuationis? *ib.* cas. 70.

Duo legata uni relicta fiunt ne ambo caduca, cum legatarius recusat suscipere onus, quod alteri annexum est legato? *ib.* cas. 72.

Legatum conditionale fit ne caducum, cum legatarius recusat conditionem appositam adimplere sub prætextu, quod dono ejusdem valoris satisfecerit, antequam certior esset factus de legato? *ib.* cas. 74.

Legatum factum alicui personæ loco dotis, fit ne caducum, cum illa persona Religionem amplectitur? *ib.* cas. 61.

Parentes possunt ne se obligare, quod suis filiis matrimonio jungendis totam relicturi sint successionem, & possunt ne postea legata facere in præjudicium dictæ obligationis qua se adstrinxerunt? Quænam in tali dispositione observandæ sunt regulæ? tom. 2 v. *Hæres*, cas. 1.

Legatum fundi, qui est hypotheca summæ a Testatore mutuo acceptæ, est ne validum? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 11.

Legatum domus reædificatæ post testamentum factum est ne validum? *ib.* cas. 12.

Legata pia facta Ecclesiæ, sed recusata ad illius Ecclesiæ administratoribus, revertuntur ne ad hæredes? *ib.* cas. 13.

Fit ne Testatoribus defunctis aliquod præjudicium, differendo legata ab ipsis facta solvere? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 30.

Sunt ne quædam pœnæ Canonicæ adversus illos decretæ, qui illa solvere morantur? *ib.*

Legata pia sunt ne irrita ac nulla, si testamentum non fit in omnibus formis? Sunt ne Falcidiæ obnoxia? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 14.

Legata pia facta Ecclesiæ & Pauperibus in genere, pertinent ne jure ad Ecclesiam & solis pauperibus Parœciæ Testatoris? *ib.* cas. 15.

Utut Legatarius parum superstes sit Testatori, an ipsius hæredes acquirunt Legata ipsi facta? *ib.* cas 16. & 58.

Patres & Matres hæreditant ne Legata facta suis infantibus? *ib.* cas. 34.

Legatum factum Legatario, extinguitur ne morte illius, si præcedat mortem Testatoris? *ib.* cas. 17.

Legatum semper ne extinguitur, si persona cui factum est, moriatur antequam exigi possit, & transit ne legatum hoc in casu ad hæredes ipsius? tom. 2. v. *Resignatio*, cas 11.

Legatum domus, & omnium quæ tempore obitus Testatoris in ea reperiuntur, comprehendit ne præter bona mobilia, insuper quoque titulos & contractus? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 18.

Legatum alicujus domus una cum mobilibus, continet ne etiam mobilia alius domus ejusdem Testatoris, quæ ibi reperiuntur? *ib.* cas. 19.

Si Testator nominet quædam mobilia in specie, an reliqua ejusdem naturæ mobilia censeatur partem facere legati? *ib.* cas. 20.

Legatum alicujus rei principalis comprehendit ne omnia ejus accessoria? *ib.* cas. 21.

Legatum factum alicujus fundi commercii comprehendit ne quoque pecuniam pro fundo alius commercii, si in eadem reperiatur arca? *ib.* cas. 22.

Legatum factum alicujus domus, cum omnibus quæ tempore mortis in ea reperiuntur, excepta præsenti pecunia, comprehendit ne quoque merces, quæ ibi reperiuntur? *ib.* cas. 23.

Duæ domus cum ab eodem Testatore legatæ sunt duobus diversis Legatariis, an alter invito altero domum suam in altius extollere potest, quamvis haud parum lucis auferat alteri domui? *ib.* cas. 24.

Potest ne quoque hæc domus alteram obligare ad contribuendum, ad instruendum murum intermedium harum duarum Domuum? *ib.*

Cum Domus legata igne est consumpta, an area illius, cum reliquis accessoriis ad Legatarium pertinet? *ib.* cas. 45.

Legatum census super fundo debet ne æstimari ex valore redituum ejus, aut ex pretio venditi fundi? *ib.* cas. 25.

Pendet ne ab optione hæredis determinare summam legatam, cum termini legati concepti sunt diverso modo in diversis Testamenti originalibus exemplaribus? *ib.* cas. 26.

Legatum pensionis alimentariæ factum personæ civiliter mortuæ, debet ne solvi? *ib.* cas. 27.

Legatum alimentarium est ne semper solvendum in antecessum, & descendit ne ad Hæredes Legatarii? *ib.* cas. 28.

Hæres tenetur an solvere pensionem alimentariam legatam, si Pensionarius non amplius illa indigeat? *ib.* cas. 29. 30.

Cum Testator legat Pensionem alimentariam, non determinata summa, est ne Hæredi liberum relictum, illam minoris solvere, quam Testator eam solvere solebat? *ibid.* cas. 31.

Hæres potest ne quocumque in casu voluerit curare ut legata reducantur? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 16.

Cum quis errore juris aut facti se obligavit ad solvendum legatum excedens fundum successionis, potest ne Falcidiæ beneficiis uti? *ib.* cas. 20.

Si quis plura legata uni eidemque Legatario habet solvenda, potest ne retinere Falcidiam ex quocumque voluerit legato? *ib.* cas. 21

Legata alimentaria sunt ne æque ac alia legata, Falcidiæ obnoxia? *ibid.* cas. 22.

Est ne quædam differentia inter legata alimentaria & pensiones usufructuarias, aliaque legata? *ib.*

Potest ne de pensione alimentaria, ad quam aliquod legatum solvendum obligatur, per modum Falcidiæ detrahi quædam pars ejus quod hæres de legato capit pro ratione Falcidiæ? An hæres quoad istud differt a Legatario? *ib.*

Hæres, quem Testator testamento prohibuit gaudere beneficio quartæ falcidiæ, tenetur ne integra solvere legata, *ibid.* cas. 23.

Cum aliqua summa legatur famulo ad discendam aliquam artem mechanicam, ad quem spectat eligere artem mechanicam, an ad Legatarium, an vero ad hæredem? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 35.

Legatum alicujus summæ pecuniæ, intelligitur de pensione, aut de summa semel solvenda, cum termini legati subobscuri sunt? *ib.* cas. 36.

Uter, Hæres, an vero Legatarius, optionem habere debet, eo casu cum plura ejusdem naturæ bona adsunt, & Testator non satis explicaverit sese? *ibid.* cas. 38.

Legatum rei alicujus denominatæ sortitur ne suum effectum si res legata non amplius in natura reperiatur tempore mortis testatoris? *ib.* cas. 39. & 44.

Si Testator vendit, alienat aut donat rem legatam alteri, an legatum nullum est ac irritum? *ib.* cas. 40.

Fundus legatus, de quo Testator postea quamdam sustulit portionem, debet ne dari talis, qualis erat tempore testamenti facti? *ib.* cas. 41.

Domus legata, & postmodum destructa, quæ autem ædificari incepta est, debet ne perfici sumptibus hæredis? *ib.* cas. 42.

Cum Testator unam eamdemque rem legavit secundo legatario, an prior aliquod jus habet in legatum deficiente secundo legatario? *ibid.* cas. 43.

Cum hæres non attentus fuit neque curavit rem legatam, aut si moratur illam solvere, debet ne ejus interitum præstare? *ibid.* cas. 46.

Cum hæres aut legatarios moram faciunt, uter illorum perditæ jacturam facere debet? *ibid.* cas. 48.

Cum

Cum heredi nonnisi post solutionem innotescat alicujus legati revocatio, potest ne cogere legatarium, ut sibi reddat, aut si ante vel post suam postulationem perierit, ut illi ejus valorem rependat? *ibid.* cas. 50.

Si legatarius vili pretio vendidit suum legatum, antequam edoctus fuisset, quod revocatum fuerit, an simpliciter heredi reddere tenetur pretium, quod pro eo accepit? *ibid.* cas. 51.

Cum unus legatariorum recusat aut incapax est recipiendi suum legatum, an alter tanquam jure accretionis illud acquirit? Jus istud est ne commune inter Conlegatarios, sicuti inter Cohæredes? *ib.* cas. 53. & 47.

Jus accretionis habet ne locum in defectum unius aut alterius legatariorum, cum Testator ipsis suam cuique assignavit portionem? *ibid.* cas. 54.

Jus accretionis habet ne locum respectu Conlegatariorum, quando alteruter morte præit Testatorem? Quot modis institui possunt legatarii? *ib.* cas. 55.

Heredes tenentur ne ferre sumptus solutionis legatorum? *ibid.* cas. 59.

Legatarius qui jam est Dominus fundorum sibi legatorum, potest ne eorum petere valorem, sive illos possideat titulo lucrativo, sive titulo oneroso? *ibid.* cas. 62.

Heredes tenentur ne conscientia ad solvenda legata ne debita Testatoris, quamvis excederent ejus bona? *ib.* cas. 63.

An omnis generis heredes jus habent curandi, legata a Judicibus reducenda, cum bona Testatoris excedunt? *ibid.* cas. 64.

Legatum universale fit ne caducum nativitate aut adoptione infantis, sive superstes sit Patri sive morte ipsum præeat? *ib.* cas. 69.

Legatum cujusdam quantitatis vini aut frumenti capiendi ex prima messi aut vindemia debet ne solvi integrum, si proxima messis aut vindemia non referat quantitatem legatam? *ib.* cas. 56.

Cum Testator legavit unum ex equis suis optimo heredis dandum, an si omnes præter unum perierunt, legatarius jus habet illum exigendi? *ib.* cas. 48.

Legatum alicujus rei obligatæ a testatore debet ne absque ullo onere solvi ab herede? *ib.* cas. 71.

Spurii legitimati possunt ne legata accipere in Gallia? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 7.

Heredes, qui ope cujusdam pecuniæ summæ renuntiarunt successioni, possunt ne peti in foro, & datur ne adversus ipsos actio pro legatis successionis? *ibid.* cas. 14.

Creditor qui in favorem legatarii suæ hypothecæ renunciavit, recipit ne jus suum, si legatum effectu caret? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 25.

L E G A T U S.

Legatorum testamentum est ne validum, ubicumque illud faciant? tom. 2. v. *Testamentum*, cas. 3.

Si sunt Ecclesiastici, lucrantur ne principalia suorum Beneficiorum in absentia? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 112.

Infantes legatorum semper ne censentur originarii ex illo loco, ubi ipsorum cognati domicilia sua habent? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 2.

Legati a Latere possunt ne admittere resignationes in favorem? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 1.

Constitutio facta a Legato conservat ne suum rigorem etiam postquam Legatus provincia discessit, in quam habebat jurisdictionem? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 2.

L E G I T I M A.

In quo consistit, & quid est legitima? tom. 2. v. *Donatio*, cas. 9

Legitima debetur ne infantibus qui suam dotem consumpserunt? tom. 1. v. *Dos*, cas. 2.

L E G I T I M A T I O.

Quinam est effectus literarum legitimationis a Principibus spuriis concessarum? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 13

LEGITIMUS & LEGITIMATUS.

Infantes nati in concubinatu, sunt ne legitimati matrimonio, quod Pater cum Concubina sua contrahit in extremis? tom. 2. v *Illegitimus*, cas. 5.

Infans adulterinus natus per longam absentiam Patris, qui mortuus est iter facienda nullis relictis bonis, an non censeri potest legitimus matris suæ hæres, & nomen ac insignia gentilitia patris putativi usurpare? tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 13.

Infantes legitimati a principibus, aut matrimonio Patrum & Matrum suorum subsequenti habilium aut inhabilium ad contrahendum tempore nativitatis infantium, habent ne dispensatione opus ad recipiendos sacros Ordines & possidenda Beneficia? *ibid.* cas. 4. & tom. 2. v. *Hæres*, cas. 7. & tom. 2. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 29.

Legitimati in certis casibus, habent ne quasdam præ aliis prærogativas? sunt ne habiles ad hæreditates adeundas in Gallia? *ibid.*

L E P O R A R I U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Dominus qui jus vitæ habet & necis, nonne absque permissione Regis erigere potest Leporarium? Et Incolæ nonne jure se ipsi hoc in re possunt opponere? tom. 2. v. *Leporarium*, cas. 2.

Agricola vel conductor nonne exigere potest a Domino, ut præstet ipsi damna & vastationes, quas lepores aut cuniculi sunt causati in terris suis? *ib.* cas. 1.

Si quis jus habet Leporarii, an quod habet in uno loco, transferre in aliud potest, aut novum erigere? *ib.*

Qui fundant hujusmodi translationes aut novas institutiones, & conductores qui illas conducunt, sunt ne ad restitutionem obligati in defectum Proprietarii? *ib.* cas. 2.

L E P R A.

Est ne ratio sufficiens dispensandi conjugum alterum qui sanus est, ab obligatione debitum conjugale alteri reddendi? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 12. & 41.

L E X.

Vide hujus vocis Proœmium.

Leges Romanæ sæpe citatæ & prævalentes Canonibus & Decretalibus Paparum. *Vide Præfationem.*

Istud, quod divinæ vel humanæ leges usu non vigeant, an sufficit ut aboleantur? tom. 1. v. *Consuetudo*, cas. 2.

Leges humanæ debent ne cedere æquitati naturali? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 1.

Quodnam est legum scriptarum motivum? tom. 2. v. *Judex*, cas. 2.

Licet ne se componere ad leges contrarias Juri naturali? *ib.* cas. 2.

Leges habent ne effectum & vim retroactivam? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 2.

An semper in iis quæ conscientiam respiciunt, prævalere licet auctoritate legum? tom. 1. v. *Emptio*, cas. 19. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 14.

Leges obligant ne antequam sint publicatæ? tom. 1. v. *Confessarius*, 2. cas. 27. & tom. 2. v. *Lex*, cas. 2. & 3.

Potest ne quis citra peccatum præcepta legis antiquæ observare? Lex ista comprehendebat ne varia præceptorum genera? *ibid.* cas. 2.

Leges Papæ obligant ne in Gallia antequam auctoritate Regis sint promulgatæ, *ib.* cas. 2.

Ecclesia potest ne leges præscribere suis filiis citra dispositionem, quas habent docet ad participationem certorum quorumdam Sacramentorum? tom. 1. v. *Communio*, cas. 20.

Leges Ecclesiasticæ obligant ne in omnibus occasionibus, tom. 3. v. *Religiosæ*, cas. 20. & tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 11. & 23.

Qui agunt contra mentem & intentionem legum, quamvis literam ejus observent, sunt ne peccati rei? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 15. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 12. & tom. 2. v. *Judex*, cas. 2. ac tom 2. v. *Ordines*, cas. 2. et tom. 3. v. *Pensio*, cas. 9.

Licet ne aliquando descendere de litera legis ad sequendam mentem eius ac intentionem? tom. 2. v. *Judex*, cas. 1. et 8.

Leges Principum obligant ne ante promulgationem illos qui prius cognitionem illarum habent? An eodem modo se res habet cum legibus divinis et Ecclesiasticis? tom. 2. v. *Lex*, cas. 3

Legislatores habent ne jus dispensandi de suis legibus? An facere istud facile et sine justis causis convenit? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 28.

Principes qui condunt leges Capitales vel supplicium ferentes, sunt ne irregulares, una cum iis qui eos ad leges illas ferendas induxerunt? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 48.

Legislatores sunt ne propriis suis legibus subjecti? tom. 2. v. *Lex*, cas. 6.

Quot modis subjectus aliquis legibus esse potest? *ib.*

Principes tenentur ne ex conscientia condere leges ad impedienda ac tollenda quævis mala in regno suo vigentia? *ib.* cas. 4. et tom. 2. v. *Judex*, cas. 10.

Leges Principum obligant ne ex conscientia, et transgressio legum ab ipsis conditarum est ne peccatum? Quibusnam regulis judicandum est de qualitate peccati illorum, qui violant illas leges? *ib.* et tom 2. v. *Lex*, cas. 5. et tom. 3. v. *Vectigalia*, cas. 1. et tom 2. v. *Moneta*, cas. 1. et tom. 3. v. *Vestis*, cas. 2 et to. 2. v. *Ludus*, cas. 9. et to. 1. v. *Depositum*, cas. 13. et tom. 1. v. *Donatio*, cas. 2. et tom. 3. v. *Testis*, cas. 11.

Leges Principum obligant ne antequam a Populo acceptæ sint? *ib.*

Ecclesiastici tenentur ne quoque Principum legibus obtemperare? *ib.*

Leges cessant ne obligare, cum maxima subditorum pars illas transgreditur, et Princeps istud non ignorans tolerat? tom. 2. v. *Lex*, cas. 7. et tom. 2. v. *Moneta*, cas. 1.

Cessant ne obligare leges, cum usus iis contrarius prævaluit? tom. 2. v. *Jurare*, cas. 18.

Leges pure pœnales obligant ne quem primum quis illas fuerit transgressus? Sunt ne quædam hujus naturæ leges? Sunt ne leges pœnales restituendæ ad proprium suum sensum, quin dari ipsis possit sensus extensus ut favorabilis? Ligent ne istæ pœ-

pœnæ, utcumque inflictæ sint? Sunt ne interpretandæ sensu minus rigido, cum sunt dubiæ aut obscuræ? tom. 2. v. *Lex*, cas. 9. & t. 3. v. *Vectigalia*, cas. 1. & t. 2. v. *Impedimentum Cognationis spiritualis*, cas. 8. & t. 2. v. *Impedimentum Raptus* cas. 1. & t. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 13. & 52. & tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 83. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 40. tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 12. 13. 14. 16. 20. & 24.

Leges pœnales sunt ne interpretandæ sensu minus rigido? tom. 2. v. *Excommunicatio* cas. 21. & tom. 2. v. *Hæres*, cas. 7. & 28. & tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 77. & 91. & tom. 2. v. *Judex*, cas. 4.

LIBELLI DIFFAMATORII.

Libelli Diffamatorii sunt ne eo numero criminum Capitalium? tom. 2. v. *Hæres* cas. 27.

L I B E R I.

Vide I N F A N T E S.

LIBERTATES ECCLESIÆ GALLICANÆ.

In quonam consistunt libertates Ecclesiæ Gallicanæ, to. 3. v. *Pensio*, cas. 21.

L I B R A R I I.

Possunt ne sine peccato vendere pravos libros? tom. 2. v. *Libri prohibiti*? cas. 3. & 4.

Possunt ne citra peccatum vendere diebus Dominicis ac Festis? tom. 2. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 11.

LIBER AMATORIUS.

Potest ne quis legere & retinere libros amatorios sub prætextu, quod ejusmodi librorum lectione non capiatur? Tenetur ne igne illos consummare, Confessario id jubente? tom. 2. v. *Libri prohibiti*, cas. 5.

L I B R I P R O H I B I T I.

Vide hujus tituli Proœmium.

Parochus aut Doctor potest ne legere hæreticos libros sine permissione Papæ aut Episcopi sui? tom. 2. v. *Libri prohibiti*, cas. 1.

Episcopi Galliæ sunt ne in possessione juris permittendi illorum librorum lectionem? *ib.* cas. 2.

Peccat ne aliquis, qui ex mera curiositate aut eum proposito non abutendi retinet aut legit libros Magicos? *ib.* cas. 3.

An eodem modo se res habet cum libris amatoriis, & oportet ne illos destruere? *ib.* cas. 5.

Qui legunt libros prohibitos sub pœna excommunicationis incidunt ne in excommunicationem ipso facto? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 15.

Librarii qui vendunt aut legendos collocant pravos libros peccant ne mortaliter? tom. 2. v. *Libri prohibiti*, cas. 4.

Potest ne absolutio denegari iis, qui pravos quos habent libros igni consumere nolunt, quamcumque alleguant prætextum? *ibid.*

Quomodo cum talibus agendum est, cum in mortis articulo versantur? *ibid.*

LICENTIÆ CRIMINALES.

Licentiæ Criminales, quas Sponsa suo permittit Desponsato, sunt ne causa sufficiens, quare desponsatus dissolutionem sponsalium petere possit? tom. 3. v. *Sponsalia* cas. 41.

L I N G U A L A T I N A.

Ignorantia Linguæ Latinæ producit ne in Sacerdote Latino Irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 126.

L I S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Licitum ne est litem agere, & fieri ne potest, quin adversus Charitatem agatur? *ibid.* cas. 1.

Clerici possunt ne se exhibere procuratores in litibus, tom. 1. v. *Clericus*, cas. 2.

Parochi possunt ne a sua abire Parochia, ut liti curandæ incumbant? tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 2.

Potest ne aliquis tuta conscientia intentare litem, cum ignotum ipsi est, utri parti jus faveat? Quales debent esse litium procuratores, ut sint liciti? An minus periclitantur, qui lites criminales, quam qui civiles curat litem? tom. 2. v. *Lis*, cas. 4. & tom. 1. v. *Charitas*, cas. 6.

Licet ne quosdam actus, quos novis probationibus suppeditandis idoneos esse videtur, subducere eo fine, ut impediatur lis, quæ inde nasceretur? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 29.

Licet ne Diebus Dominicis ac Festis incumbere litibus expediendis? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 15. & 16.

Consiliarii Clerici qui intersunt instructioni litium criminalium, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 72.

Cum in causa criminali partes transegerunt, an Judices litem salva conscientia indecisam relinquere possunt? tom. 2. v. *Judex*, cas. 19.

Potest ne denegata absolutione cogi aliquis ad desistendum e lite alteri intentata ob injuriam ab eo acceptam? to. 1. v. *Charitas*, cas. 6. & 7.

Tenetur ne aliquis ad restituendos sumptus, quorum ex malignitate in causa fuit suæ parti, ad illam scilicet puniendam pro mala fide sua? Cuinam restitutio ista facienda est? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 164.

L I T E R A.

Peccat ne adversus obedientiam Superioribus debitam qui obligatur in communitate Religiosa accipit aut remittit literas absque illorum permissione? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 6.

Peccat ne contra leges Secreti, qui aliorum aperit & inspicit literas? An istud tamen aliquando fieri potest citra peccatum? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 6.

Famulus potest ne citra peccati discrimen literas ferre amatorias? tom. 2. v. *Famulus*, cas. 3.

Possunt ne tuta conscientia accipi & remitti literæ a persona, cum qua quis olim vitam in peccatis egit? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 18.

Matrimonium Potest ne per literas contrahi? tom. 2. v. *Matrimonium*? 3. cas. 10.

Potest ne quis licite subscribere literis, in quibus veritas læsa est? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 11.

Literæ Patentes Regum sunt ne necessariæ ad id, ut Breviarii reformatio suscipi possit? to. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 19.

Sunt ne literæ istæ Regum Diplomatica in Gallia necessariæ, ad auctoritatem conciliandam Constitutionibus Papalibus? tom. 2. v. *Lex*, cas. 2.

Minores possunt ne accipere literas rescissionis, quibus immunes se se reddant a solvendis debitis, quæ contraxerunt Minores? tom. 3. v. *Restitutio in integrum*, cas. 4. & 5.

Literæ naturalisationis, quibus jus civitatis conferunt in Gallia, habent ne vim & effectum retroactivum? tom. 2. v. *Hæres* cas. 11. & 13.

Excommunicatio lata adversus litterarum Apostolicarum falsificatores, est ne Papæ reservata? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 45.

Contra Scripta debent ne semper suum sortiri effectum? tom. 1. v. *Contractus*, cas. 5.

L O C A T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Cum Terræ locatæ inundatæ sunt, an Locator vel Locatarius jacturam ferre debet? Sunt ne quidam casus, ubi in solum recidat Locatarium? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 1. & tom. 3. v. *Pensio*, cas. 16.

Quonam in casu Proprietarius fundorum tenetur damna quæ in iis accidunt communia habere cum Locatario? to. 2. v. *Locatio*, cas. 3.

Cum Locatarius in se suscepit pericula casuum fortuitorum, an jactura, & perditio, quæ accidit tempore belli in illum recidunt? *ib.* cas. 2.

Locatarius tenetur ne de damnis & casibus fortuitis, qui sua culpa acciderunt? *ibid.* cas. 5. 6. 19. & 28.

Cum Locatarius turbatur in usu fundi quem conduxit, potest ne actione adversus Locatorem recurrere? *ib.* cas. 4.

Locator agrorum potest ne Locatarium, quo minus illum semine donet, impedire adversus conventiones locationis & generalem regionis illius usum? *ib.* cas. 7.

Locator tenetur ne semper rependere Locatario melioramenta, quæ sumtibus haud parvis fecit in bona locato? *ib.* cas. 8.

Locator qui reparandam curavit domum sub locatam a Locatario, tenetur ne quodammodo damnum ipsi præstare? Et hic an semper illæsa conscientia accipere istud potest? *ib.* cas. 9.

Locatarius tenetur ne reædificare domum quam occupat si onus istud in locatione in se suscepit? Talis Conventio est ne adversa locationum naturæ? Quid est Locatio? *ib.* cas. 14.

Locatarius potest ne contendere, ut locatio dissolvatur, aut ut damnum ipsi rependatur, si domus quam conduxit, lucem amisit? *ib.* cas. 10.

Locator potest ne citra injustitiam dissolvere locationem Locatarii, ut ipse locatam illi domum occupet? *ib.* cas. 11.

Locatio finitur ne mutatione Proprietarii? Locatarius habet ne actionem adversus Locatorem? *ib.* cas. 12. & tom. 1. v. *Emptio*, cas. 22.

Hæredes Locatoris & Locatarius tenentur ne continuare locationem factam a Defuncto? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 13.

Potest ne quis tuta conscientia suam domum locare Meretricibus? saltem in quibusdam casibus? Est ne ipsis danda dimissio, licet bona cum fide locata ipsis fuerit domus? Sunt ne pœnæ quædam decretæ adversus eos, qui in hoc deficiunt? *ib.* cas. 15. & 16.

Locatarius potest ne repetere a proprietario reparationes quas fecit in domo, licet Locator nonnisi usumfructum ex illa habeat? *ib.* cas. 17.

Locatarius potest ne in quibusdam casibus ante terminum conventum e domo, quam conduxit, egredi etiam non monito Locatore? *ib.* cas. 18.

Hæredes Architecti tenentur ne stare conventis ab ipso pactis? *ib.* cas. 20.

Cum

Digitized by Google

Cum ii qui locant & conducunt, in conventione sua errorem admittunt, an possunt ab illa recedere? *ibid.* cas. 23.

Locator tenetur ne operariis conductis diurnam persolvere mercedem cum culpa ipsius nihil laboraverunt? Si laboraverunt pro aliis, an etiam in hoc casu tenentur ad restitutionem? *ibid.* cas. 23.

Cum Locator sine ratione aversione capitur Operarii quem conduxit pro quodam tempore, tenetur ne integram ipsi solvere de qua convenerunt summam? *ib.* cas. 23.

Auriga, quem quis conduxit ad vehendas quasdam merces, tenetur ne de damnis, quae circa illas possunt obtingere? *ib.* cas 24. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 53. & 81.

Persona quaedam conducta pro aliqua re custodienda, an respondere de illa tenetur? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 25.

Dominus potest ne falsa conscientia minorem famulo dare mercedem sub praetexto, quod sponte se offerat ejus servitio? Sunt ne casus quidam, in quibus fieri id possit? *ib.* cas. 26.

Qui aliquam rem conduxit, tenetur ne solvere pretium, de quo convenit, licet illa re, quam conduxit, non utatur? tom. 3. v. *Pignus*, cas. 2.

Si quis rem aliquam conduxit ad certum quemdam usum, an salva conscientia ea ad alium usum uti potest? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 27.

Contractus Locationis, quo Locatario imponitur onus periculorum quae ei in re accidere possunt, est ne justus ac licitus? *ibid.* cas. 29.

Locator tenetur ne sub poena damnorum avaelantium praestandorum, monere Locatarium de defectibus, qui rem, quam conducit, inutilem reddunt, usui, ad quem illa uti vellet? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 152.

Si quis bona fide locavit rem defectuosam, an tenetur damnum praestare Locatario, sive rem ipsi mancipio dederit, sive non? *ib.* cas. 153.

Si Locatarius se obligavit ad reddendam rem conductam certo quodam tempore, aut, si ea mora sit, ad solvendam illam integram, an tenetur conventionem istam implere? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 30.

Contractus Locationis appellatus Gazaille, est ne injustus? Qualis est hic contractus? *ib.* cas. 31.

Domini Parochiarum possunt ne terras aut bona Ecclesiastica conducere, exclusis Vasallis? tom. 2. v. *Domini Parochiarum*, cas. 25.

Proprietarii, aut primarii Locatarii domorum habent ne hypothecam privilegiatam in mobilibus, respectu pretii locationis? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5.

Fidejussores alicujus locationis sunt ne liberi, si locatio ipsis non vocatis renovatur? tom. 2. v. *Fidejussor*, cas. 28.

Usufructuarius habet ne jus interrumpendi locationes factas a Proprietario? tom. 3. v. *Usufructus*, cas. 15.

Ii, qui pro muneribus quae accipiunt, dimittunt Locationes bonorum, quorum non sunt oeconomi, tenentur ne ad restitutionem? tom 3. v. *Restitutio*, cas. 80.

L O T E R I A.

Vide hujus Vocis Proœmium.

An varii generis sunt Loteriae? tom. 2. v. *Loteria*, cas. 1.

In quonam genere Loteriarum actio datur privatis pro solutione sortium quas ipsis obtigerunt? *ibid.*

Loteriae undenam suam habent Originem? Fuerunt ne in usu apud Romanos? A quo tempore in usu sunt in Gallia? Quaenam requiruntur conditiones, ut sint licitae? Sunt ne iniquae ratione contractus sortis, qui ibi exercetur? Peccatur ne aliquando suam pecuniam lotteriis committendo? Acquisitio summarum, quas aliquis inde lucratur, est ne justa & legitima? Loteriae sunt ne contrariae juri naturali, Divino aut Humano? *ibid.* cas. 1.

L U C R U M.

Est ne peccatum ludere ex immodico lucrandi studio? tom. 1. v. *Ludus*, cas. 7.

Est ne obligatio restituendi lucrum, quod ludis alearum quaesitum est? *ib.* cas. 9.

Lucrum cessans est ne titulus sufficiens ad accipiendum aliquid ultra sortem mutuo datam? An varii generis dantur lucra cessantia? tom. 1. v. *Emptio*, cas. 4. & tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 3. & tom. 3. v. *Venditio*, cas. 38. & to. 3. v. *Usura*, cas. 28.

LUCRUM ULTRA SORTEM.

Vide hujus tituli Proœmium.

Solum ne periculum, quod quis circa sortem mutuo locatam subit, est ne ratio sufficiens, quare accipere possit lucrum ultra sortem? tom. 2. v. *Fidejussio*, cas. 14. & tom. 3. v. *Societas*, cas. 11. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 31.

Cum quis non habet pro se titulum lucri cessantis, aut damni emergentis, potest ne accipere lucrum ultra sortem sententia Judicis ipsi adjudicatum? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 14.

Potest ne quis accipere lucrum ultra summam, quam commoderit cum intentione capiendi sententiam condemnationis adversus Debitorem? *ib.* cas. 15.

Lucrum ultra sortem incipit ne tantum a die obtentae sententiae? Hoc Jurisprudentia est ne uniformis in omnibus Regni supremis Curiis? *ib.* cas. 21.

Simplex petitio coram Judicibus, est ne juxta Supremum Senatum Parisiensem titulus sufficiens, ut recipere aliquis possit lucrum ultra sortem? An eodem modo se res habet cum sententia condemnationis ad lucrum ultra sortem, lata per contumaciam, aut expedita a Tabellariis sine participatione Judicis? *ibid.* cas. 22.

Simplex denuntiatio juxta supremum Senatum Burdigalensem, & terminus effluxus juxta Tolosanum, sunt ne sufficientes tituli ad recipienda lucra ultra sortem? *ib.* cas. 23.

Alicujus Regionis Consuetudo accipiendi lucrum ex pecunia, quae non alienatur, eximit ne a restituendi obligatione? tom 3. v. *Restitutio*, cas. 17.

Potest ne exigi lucrum ex pecunia, quam quis alienavit, sed quae statim post soluta fuit? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 3.

Sunt ne varii generis lucra ultra sortem? Possunt ne pariter exigi? *ibid.* cas. 4.

Potest ne accipi lucrum ex summa commodata sine scripto, aut super scripto, faciente alienationem aut non faciente? *ib.* cas. 10. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 10.

Est ne obligatio solvendi lucrum ex pecunia mutuo accepta, quam quis retinet in usum suum ultra tempus de quo convenit, cum illud Creditor repeteret, ut utiliter collocaret? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 25.

Lucra ultra sortem, quae quis exigit vi transactionis, sunt ne usuraria? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 1.

Conventio, qua quis se obligat ad solvenda lucra ex fundo frugifero, usque ad solutionem finalem, est ne usuraria? *ib.* cas. 2.

Licet ne accipere interesse ex fundo vendito, cum acquisitor non solvit ex tempore? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 2.

Potest ne accipi a Rege lucrum ultra illas summas, quae in bonum publicum aut privatum quis suppeditat? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 5. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 39. & 41.

Tutores possunt ne lucrum accipere ex denariis pupillaribus, qui non alienantur? Quaenam in Gallia est hac in re Jurisprudentia Civilis, & Canonica? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 9. & tom. 3. v. *Tutor*, cas. 2. 3. & 5.

Potest ne quis a suis Cohaeredibus exigere lucrum ex fundo frugifero usque ad aequalitatem portionis? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 5.

Gener potest ne exigere a suo Socero lucrum & interesse ex dote suae Uxoris, cum non ipsi suppetit illam praesentem solvere? *ib.* cas. 6. & tom. 1. v. *Dos*, cas. 36.

Filius potest ne exigere a Patre interesse ex residuo dotis suae usque ad finem solutionis, licet non curaverit illum sententia Judicis ad hoc damnandum? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 8.

Peccat ne qui mutuo accipit pecuniam sub onere lucra ultra sortem solvendi? Quibusnam in occasionibus fieri istud potest? tom. 3. v. *Usura*, cas. 18. & tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 4.

Potest ne pecunia cum onere lucrorum inde solvendorum mutuo recipi ab Usurario, ad subveniendum scilicet calamitati publicae? tom. 3. v. *Usura*, cas. 39.

Est ne obligatio restituendi praeter lucrum Capitalem, etiam lucra ex pecunia furto ablata? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 64.

Est ne obligatio restituendi lucra ultra sortem usuraria, quae quis percepit, cum crederet legitima, aut saltem dubitaret eam assent legitima nec ne? *ib.* cas. 23.

Est ne obligatio solvendi Usurariis magna ultra sortem lucra, quae exigunt, quoque ipsis promissa fuerant? tom. 3. v. *Promissum*, cas. 8.

An interesse alicujus census solvendum est ante sortem principalem? tom. 3. v. *Solvere*, cas. 2.

Lucra ultra sortem debita possunt ne partem conficere novi contractus Constitutionis? tom. 1. v. *Census*, cas. 2.

Potest ne quis condemnari ad lucra ultra sortem civilia, si qui promisso matrimonii non stant? tom. 2. v. *Matrimonium*, 3. cas. 8.

LUCRUM LUCRI ULTRA SORTEM.

Vide hujus vocis Proœmium.

An in uno atque in altero foro exigi possunt lucra lucri ultra sortem? Sunt ne quidam casus, in quibus lucrum lucri ultra sortem in foro conscientiae exigi possit, licet in foro exteriori exigi non possit? tom. 2. v. *Lucrum Lucri ultra sortem*, ca. 1.

Potest ne exigi lucrum lucri ultra sortem, cum tenet locum sortis capitalis? *ibid.* cas. 2.

Potest ne exigi lucrum lucri ultra sortem ex summa quam quis impendit ad se substituendum in locum creditoris? *ib.* cas. 3.

Minores facti Majores possunt ne exigere a suis Tutoribus lucrum lucri ultra sortem, ex denariis, quos non collocant tempore praescripto? *ib.* cas. 4.

L U C T U S.

Clerici possunt ne lugubres gerere vestes pro suis cognatis & amicis? tom. 1. v. *Clericus*, cas. 8.

Vidua Nobilis potest ne sine peccato sequi morem in regione sua receptum, quo scilicet primis viginti diebus sui luctus absunt ab Ecclesia? tom. 2. v. *Missa*, cas. 96.

Hac consuetudo, quo tempus istud in Lusitania extenditur usque ad quadraginta dies, est ne tolerabilis? *ib.*

LUDUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Ludus est ne per se licitus? Quisnam sibi proponendus est finis ludendo? Quot modis excedi potest ludendo? Circumstantia temporis notabilis, quod adhibetur, est ne peccatum mortale an veniale? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 1.

Clerici peccant ne ludendo alea, sive industria locum in eo habeat ludo, sive non? Ludi in quo multum est aleæ, imo pleni alea, sunt ne ipsis interdicti? *ibid.* cas. 2.

Peccant ne cum ludendo alea, pro re nihil fere momenti ludant? *ibid.* cas. 4.

Ludus Latrunculorum, ludus scruporum, ludus disci, ludus globorum & alii ejusmodi ludi sunt ne Clericis prohibiti? *ibid.* cas. 7.

Licitum ne est ipsis spectare ludentes sæculares? Sunt ne quidam casus, in quibus hoc faciendo mortaliter peccant? *ibid.* cas. 10.

Beneficiarii, qui nullos alios habent reditus, quam ex suis Beneficiis, possunt ne ludere pro pecunia? Qui ipsis ludendo lucrantur, tenentur ne ad restitutionem? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 19.

Ludi in quibus multum est aleæ, sunt ne laicis interdicti & prohibiti legibus civilibus & canonicis? Quænam est, quoad istud Galliæ disciplina; sunt ne quidam Casus, in quibus ludi isti liciti ipsis sint? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 3.

Qui lucrantur ludo aleæ puro aut mixto, tenentur ne ad restituendum lucrum inde factum?

Debent ne illud Pauperibus, an vero eis quibus lucrati sunt restituere? *ibid.* cas. 5.

Est ne obligatio restituendi damnum proximo, datum ludendo? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 186.

Est ne obligatio restituendi iis quos quis ad ludendum invitavit, aut violentia vel importunitate coegit? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 6.

Hæredes mariti vel uxoris, quæ partem bonorum communitatis ludendo amisit, tenentur ne ad restitutionem superstiti Conjugi faciendam? tom. 1. vers. *Compensatio*, cas. 7.

Mulier potest ne de bonis Communitatis ludere? tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 4.

Licet ne fabricare vel vendere aleas aut Chartas ad ludendum? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 7.

Licet ne Societates ad ludendum recipere in sua domo? Est ne absolutio deneganda iis, qui tales ordinarias excipiunt ludendi societates? Semper ne leges pœnas decreverunt contra ejusmodi homines? *ibid.* cas. 9.

Qui lusu globi ridiculatis lædunt quendam, tenentur ne ad reparandum ipsi damnum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 186.

Est ne clericis prohibitum ludere disco? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 7.

LUNATICUS.

Lunatici sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 121.

LUSTRICUS FILIUS AC LUSTRICA FILIA.

Lustrici filii ac Lustricæ filiæ contrahunt ne quandam cum Patrinis suis Cognationem, quæ impedimentum sit dirimens matrimonii cum illis contrahendi? tom. 2. v. *Impedimentum cognationis spiritualis*, cas. 1. & 2.

M

MAGISTRATUS.

Catholici possunt ne valide matrimonium contrahere coram Magistratu hæretico? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 20. 21. 22. & 23.

Licet ne Magistratibus ludere, quin peccati fiant rei? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 1.

MALEDICTIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Peccatum maledictionis est ne sua natura mortale? sunt ne Casus in quibus veniale tantum fit? Semper ne mortaliter peccatur maledicendo creaturis irrationabilibus? tom. 2. v. *Maledictio*, cas. 1. & 2.

MALEFICIUM.

Impotentia ex maleficiis orta est ne impedimentum matrimonii dirimens? Sunt ne certæ quædam regulæ, quibus judicari possit, si impotentia oriatur ex maleficio? Quomodo Dæmon ejusmodi producere potest maleficia? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 14.

Impotentia ex maleficio orta reddit ne irritum ac nullum secundum matrimonium contractum? *ibid.* cas. 15.

Est ne peccatum unum tollere maleficium alio maleficio? An omne impedimentum, quod tolli non potest, nisi maleficio, perpetuum est? *ibid.* cas. 16.

Possunt ne maleficii auctores cogi ut destruant res, quibus maleficium fuerat annexum?

Potest ne aliquis ipsmet rem istam restituere? quibusnam uti debet intentionibus illud faciendo? *ibid.* cas. 17.

Quænam ab Ecclesia præscripta sunt remedia adversus maleficos? *ibid.*

Duo conjuges, qui sunt impotentes ex maleficio possunt ne sine superstitione de novo contrahere matrimonium, ad enervandum maleficium? *ibid.* cas. 18.

MALUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Potest ne aliquis malus denominari, quia olim visus fuit plura committere crimina? tom. 2. v. *Malus*, cas. 1.

Licet ne frequentare homines malos? Quonam in casu fieri istud potest? *ibid.* cas. 2.

MANCIPIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quot modis suam recuperare mancipium potest libertatem? tom. 2. v. *Mancipium*, cas. 3.

Infantes qui nascuntur Patre mancipio & Matre libera censentur ne esse liberi? *ibid.* cas. 1.

Domini mancipiorum, possunt ne suum ipsis ad matrimonium contrahendum denegare consensum? tom. 2. v. *Impedimentum conditionis Servilis*, cas. 5.

Mancipia sunt ne libera, eo ipso, quo Domini contribuunt ad illa matrimonio collocanda cum personis liberis? Ipsorum matrimonium est ne hoc in casu validum? *ibid.* cas. 1.

Domini mancipiorum possunt ne sua mancipia matrimonio juncta separatim a suis uxoribus vendere? *ibid.* cas. 9.

Mariti aut uxores possunt ne se tradere mancipia absque consensu mutuo? *ibid.* cas. 8.

Est ne obligatio restituendi libertatem mancipiis Christianis, aut iis qui ad Religionem Christianam sese convertunt? tom. 2. v. *Mancipium*, cas. 3.

Mancipium Christianum potest ne evadere e domo sui Domini infidelis, & hoc modo se exponere periculo tractus & crudelem tractationem sibi attrahendi, potius quam abesse a Sacramentorum participatione, ne quidem semel in anno? *ib.* cas. 2.

Potest ne justificari evasio omnis generis Mancipiorum? *ib.* cas. 4.

Mancipium potest ne furari suo Domino, ut habeat, quo se redimat? tom. 2. v. *Furari*, cas. 9.

MANDATARIUS.

Mandatarii habent ne jus petendi beneficia morte, renuntiatione, aut alio modo vacantia? tom. 2. v. *Indultarius*, cas. 1.

Est ne quædam facienda distinctio inter Provisiones & mandata de providendo? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 5.

MANGO.

Mangones tenentur ne Emptoribus suis revelare defectus apparentes aut occultos Equorum, quos ipsis vendunt? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 26. 27. 28. 29. 30. & 31.

Quotnam in casibus tenentur resumere equos quos vendiderunt, pretiumque acceptum refundere? *ibid.* cas. 30. & seqq.

MANIPULUS.

Licet ne in Missa uti Manipuli loco Stolæ? tom. 2. v. *Ornamenta Ecclesiæ*, cas. 7.

MANUPRETIUM.

Licet ne emere vas pro ratione ponderis, nulla habita ratione ad manupretium? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 30.

MARITUS.

Mariti tenentur ne suis impensis sustentare uxores, qui nullam ipsis attulerunt dotem? tom. 1. v. *Dos*, cas. 8.

Tenentur ne ex Conscientia ad prospiciendum necessitatibus suarum Uxorum, licet sese sponte & absque ratione separaverint ab iis? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 21.

Tenentur ne dotem reddere suis Uxoribus, cum se separarunt ab iis adulterii causa? tom. 1. v. *Dos*, cas. 18.

Possunt ne valide se opponere venditioni aut alienationi bonorum dotalium suarum Uxorum, licet ab ipsis separatarum quoad habitationem & quoad bona? *ibid.* cas. 19.

Tenentur ne mariti Hæredibus Uxoris defunctæ respondere de dote, dum illam perire passi sunt? *ibid.* cas. 20. 21. 22. 23. & 24.

Maritus potest ne prælegare suæ Uxori? tom. 3. v. *Prælegare*, cas. 1. & 2.

Maritus cujus Uxor moritur sine infantibus, & quæ disposuit de dote sua, quæ erat in contractu Census, constituendi sub proprio suo nomine, tenetur ne dotem reddere hæredibus numerata pecunia? tom. 2. v. *Mulier conjugata* 1. cas. 2.

Mariti possunt ne pro arbitrio disponere de bonis Communitatis aut de bonis paraphernalibus suarum uxorum? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 37. & tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 1.

Tenentur ne Mariti Creditoribus restituere dotem, quam sponsis cognati constituerunt, aut quas sibi ipsis constituerunt in fraudem Creditorum? tom. 1. v. *Dos*, cas. 11.

Mariti possunt ne dotalia suarum Uxorum bona alienare? *ibid.* cas. 12. 14. & 15.

Cum Matrimonium nullum est, tenentur ne dotem reddere suis Uxoribus, & æquabiliter cum ipsis lucrum constante matrimonio factum dividere? ibid. cas. 16.

Mariti sunt ne domini bonorum mobilium quæ suis Uxoribus post matrimonium obtigerant? Possunt ne de iis disponere invitis suis uxoribus? Id si faciant, an in ipsorum defectum hæredes tenentur ad restitutionem? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 71.

Jura quæ Maritus & Uxor in se invicem habent, sunt ne æqualia aut inæqualia in omnibus rebus? tom. 2. v. *Impedimentum Conditionis servilis*, cas. 8.

Mariti possunt ne jure suas castigare Uxores etiam illas verberando? tom. 3. v. *Verberare*, cas. 2.

Mariti contrahunt ne Cognationem Spiritualem cum suis Uxoribus, baptizando suos infantes in casu necessitatis? An per istud jus exigendi debitum conjugale amittunt? tom. 1. v. *Debitum conjugale*, cas. 31 & 32.

Mariti possunt ne illæsa Charitate opem ferre suis Parentibus præ Uxoribus suis? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 2.

Mariti aut in eorum defectum ipsorum hæredes tenentur ne restituere suis uxoribus bona, quæ commessationibus deglutierunt? tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 7.

Maritus habet ne hypothecam super bonis illius, qui constituit summam pro dote suæ Uxoris? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 26.

Mariti sunt ne suarum Uxorum hæredes in defectum infantium aut aliorum hæredum? tom. 2. v. *Heres*, cas. 5.

M A R T Y R I U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Sunt ne quidam casus, quibus Martyrium sit de necessitate Salutis? tom. 2. v. *Martyrium*, cas. 1.

Potest ne aliquis fidei inimicos lacessere, ut eum Martyrium subire cogant? ibid. cas. 2.

Cum quis in eo est ut Martyrium jamjam subiturus sit, potest ne sine peccato suam accelerare mortem ad evitandos longiores cruciatus? ibid. cas. 3.

M A T R I M O N I U M.

Vide proœmia Vocum Matrimonium 1. *Matrimonium* 2. *Matrimonium* 3. *& Matrimonium* 4.

Matrimonium est ne quorundam Mysteriorum Symbolum? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 1.

Matrimonium contractum sub conditione est ne validum? Quænam conditiones validum illud, nullum ac illicitum reddunt? tom. 2. v. *Matrimonium* 1. cas. 1.

Matrimonium contractum sub conditione consensus paterni est ne validum, si post longi temporis recusationem Pater tandem consentiat? Esset ne validum, si antequam Pater suum præbuisset consensum, filia suum revocasset? ibid. cas. 2.

Matrimonium est ne validum, cum ex silentio Patris rationabiliter inferre licet ipsum consentire, aut saltem sese non opponere? ibid. cas. 3.

Matrimonium contractum sub conditione consensus paterni, est ne validum, cum Pater mortem subit, sive contrahentes sciant ejus mortem sive ignorent? ibid. cas. 4.

Matrimonium contractum sub conditione illud non consummandi est ne irritum ac nullum? Matrimonium Sanctæ Virginis Deiparæ fuit ne sub hac conditione contractum? ibid. cas. 5.

Matrimonium contractum sub conditione obtinendi dispensationem Cognationis, est ne irritum ac nullum? Et est ne necessarium ut restituatur post obtentam dispensationem? ibid. cas. 6.

Matrimonium contractum sub hac conditione: *Si te Virginem invenero*, est ne irritum ac nullum? ibid. cas. 7. & tom. 1. v. *Divortium*, cas. 1.

Minor semper ne tenetur implere promissum matrimonii factum a se? tom. 3. v. *Promissum*, cas. 1.

Promissa Matrimoniorum facta terminis negativis obligant ne ex Conscientia? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 24.

An semper obligant, licet alterutra pars sat longum temporis spatium nihil de altera parte vel literis vel aliter perceperit? ibid. cas. 50.

Si Pater promittat unam suarum filiarum cuidam adolescenti, an si adolescens iste peccet cum una ex filiis istis, pater teneatur suum implere promissum? ibid. cas. 25.

Promissa conditionalia contrahendi matrimonii juncta crimini adulterii, sunt ne Impedimentum dirimens? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, cas. 3.

Matrimonium contractum sub conditione contraria fini matrimoniorum, est ne irritum ac nullum? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 27.

An eodem modo se res habet cum conditionibus bonis moribus contrariis aut impossibilibus? ibid. cas. 28.

Obligatio matrimonii est ne magis indissolubilis quam Sponsalium obligatio? ibid. cas. 34.

An omnis stipulatio pœnæ pecuniariæ aut alius naturæ facta inter duos qui matrimonii fidem sibi promiserunt, irrita ac nulla est? ibid. cas. 58.

An saltem stipulari licet quandam damni reparationem? ibid. cas. 59.

Alterutra partium, quæ promiserunt sibi matrimonium, tenetur ne illud, quod ab altera parte in promissi matrimonii fidem accepit, restituere, licet hæc altera pars fidem datam violaverit? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 31.

Promissa matrimonialia debent ne in scriptum redigi, ut valida sint in foro exteriori? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 19.

Matrimonium contractum ante pubertatis annos, & antequam puberes sint potentes copulæ, est ne jure naturali irritum ac nullum? Censetur ne validum in foro exteriori? Qui contrahunt aut promovent ejusmodi matrimonia peccant ne mortaliter? tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. cas. 1. & tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 1.

Matrimonium puberis cum impubere est ne indissolubile quantum ad ligamen? ibid. & tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. cas. 2. & tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 13. & 17.

Matrimonium contractum a furioso aut amente est ne irritum ac nullum? tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. cas. 3.

Matrimonium contractum ab homine surdo, muto, aut cæco est ne irritum ac nullum? Cognati debent ne sese opponere ejusmodi matrimonio? ibid. cas. 4. & tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 10.

Vir excommunicatione majori aut minori ligatus potest ne licite ac valide matrimonium contrahere? tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. cas. 5.

Matrimonium contractum cum persona aliqua, quæ credebatur alia esse, aut cum mancipio, quod persona libera esse credebatur, aut cum paupere, qui credebatur dives, aut cum plebejo, qui credebatur nobilis esse, est ne irritum ac nullum? tom. 2. v. *Impedimentum Erroris*, cas. 2.

Matrimonium contractum ab homine ad mortem condemnato aut ab excommunicato denuntiato, aut a Muliere condemnata ad carcerem perpetuum propter commissum adulterium, est ne validum? Quænam est Galliæ Jurisprudentia circa ultimam hanc matrimonii speciem? tom. 1. v. *Matrimonium* 3. cas. 16.

An in Casu & necessitate urgenti matrimonium contrahi potest in statu peccati mortalis, cumque aliquis animum habet in eo perseverandi? tom. 2. v. *Matrimonium* 2. cas. 6.

Qui scit Desponsatum suum in statu peccati mortalis esse, cooperatur ne ad ipsius Sacrilegium, ipsi nubendo? ibid. cas. 7.

Matrimonium inter personas juvenes & ætate provectas commodi temporalis causa contractum est ne validum? ibid. cas. 8.

Matrimonium potest ne celebrari in Ecclesia interdicta? ibid. cas. 9.

Sacerdos debet ne eodem modo benedicere matrimonio pueri cum vidua, ac matrimonio Vidui cum filia? ibid. cas. 10.

An contrahendo matrimonium semper obligatio adsit, debita quibus quis constringitur, declarandi? Qui contrarium faciunt, possent ne denegata absolutione cogi? ibid. cas. 11.

Personæ ætate admodum provectæ, aut qui ægri sunt ad extremum usque, possunt ne licite contrahere, & uti matrimonio? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 11.

Matrimonium contractum cum proposito formato, illo minime utendi, & perpetuam continentiam servandi, est ne validum? ibid.

Quinam sunt Ministri Sacramenti Matrimonii? In quonam consistit ejus Materia & Forma? An semper Sacerdotes benedixerunt Matrimonium? tom. 2. v. *Matrimonium* 3. cas. 2. & tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 9.

Hæc verba: *Ego vos conjungo*, sunt ne matrimonio essentialia? ibid.

Matrimonia Clandestina fuerunt ne valida ante Concilium Tridentinum? ibid.

Consensus Contrahentium debet ne verbis exprimi? tom. 2. v. *Matrimonium* 3. cas. 2.

Matrimonium cui alter Contrahentium interius in animo nullum præbuit assensum, est ne irritum ac nullum coram Deo? Præsumitur ne validum in foro exteriore? ibid. cas. 3.

Matrimonium cui quis assentire finxit, ut magnum hoc modo damnum evitaret, est ne validum? Sunt ne quidam casus, ubi tales aliud contrahere possunt matrimonium? ibid. cas. 4.

Quænam illo in casu adhibendæ sunt cautelæ & quænam exigendi probationes? ibid. cas. 7.

Matrimonium contractum & consummatum inter duas personas, conditionis valde inæqualis, & cui altera intus in animo non consensit, est ne validum? Ad quid obligatur, quæ non consenserat pars? ibid. cas. 5.

Matrimonium contractum simulando, fit ne irritum ac nullum secundo matrimonio contracto, cui quis verum & ex animo præbet assensum? Si in hoc casu Judex Ecclesiasticus mandaret cohabitationem cum prima uxore, oporteret ne obedire, & esset ne obligatio ipsi hac in re obtemperandi? ibid. cas. 6.

Matrimonium contractum, sed cui maritus internum & ex animo non præbuit assensum, est ne validum, si postea suam non alter cognovit uxorem nisi effectu fornicario? Potest ne obligari ad renovandum suum consensum, licet Mulier cujusdam fraudis sit rea? ibid. cas. 7.

Ut matrimonium sit validum, requiritur ne ut Contrahentes consensum suum præbeant uno eodemque tempore, & uno eodem loco? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 5.

Ecclesia adhibuit ne olim Censuras aut pœnas pecuniarias ad obligandum promissa matrimonii facta implere? Quænam quoad istud hodierna est ejus Disciplina? Jurisprudentia sæcularis differt ne hac in re a Jurisprudentia Ecclesiastica? tom. 2. v. *Matrimonium* 3. cas. 8. & tom. 3. v. *Promissum*, cas. 2.

Matrimonia a minoribus contracta citra Cognatorum assensum fuerunt ne tanquam irrita ac nulla habita ab Ecclesia & Principibus tam Orientis quam Occidentis primorum sæculorum? tom. 2. v. *Matrimonium* 3. cas. 10.

Jurisprudentia ista subiit ne quandam in Occidente mutationem, & quando non mutata? ibid.

Concilium Tridentinum declaravit ne nulla ejusmodi matrimonia? Statuit ne aliquid circa leges, quas Principes in contrarium sancire possent? ibid.

Statuta Regum Galliæ declarant ne ejusmodi matrimonia irrita ac nulla quoad forum interius, aut saltem quoad effectus? ibid.

Pœnæ decretæ Edicto Blesensi adversus Parochos, qui ejusmo-

ejusmodi celebrant matrimonia, sunt ne solummodo comminatoriæ? *ibid.*

Supremæ curiæ valent ne pronuntiare de validitate matrimonii spectati tanquam Sacramentum? *ibid.*

Jurisprudentia Senatus Consultorum fuit ne semper uniformis circa hunc disciplinæ articulum? *ibid.*

Contractus Civilis & Sacramentum possunt ne unum sine altero subsistere? *ibid.*

Qui contrahunt ejusmodi matrimonia, peccant ne mortaliter? *Ibidem*

Sunt ne quidam casus, in quibus infantes matrimonio jungere se possunt absque Cognatorum consensu? *ibid.*

Est ne conferenda absolutio Judicibus sæcularibus, qui in confessione se accusant declarasse ejusmodi matrimonia irrita ac nulla? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 31.

Minor remotus a sua Patria potest ne licite contrahere matrimonium, quando cum ratione præsumere potest, suos Cognatos, si adessent, consensuros fore? tom. 2. v. *Matrimonium* 3. cas. 2.

Minor emancipatus potest ne licite in Gallia sine Cognatorum consensu matrimonium contrahere? *ibid.* cas. 10. & 13.

Voluntas Patris debet ne semper in ejusmodi occasionibus prævalere Matris Voluntati? *ibid.*

Minores possunt ne valide Sponsalia sine Cognatorum consensu contrahere? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 21.

Tenentur ne stare matrimonii promissis a se factis? tom. 3. v. *Promissum*, cas. 2.

Possunt ne Cognati obligari ad assensum suum præbendum promissis matrimonii a Minoribus factis? *ibid.*

Cum Minor in matrimonium duxit Puellam Majorem, & ex ea ipsis nati sint infantes, debet ne quibusdam uti cautionibus, ad prospiciendum securitati ac statui illorum infantum? tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 14. p. 1303.

Filii Majores tenentur ne ad contrahendum matrimonium consensum suorum Cognatorum petere? *ibid.* cas. 15. & tom. 1. v. *Dos*, cas. 1.

Si matrimonium inierunt sine cognatorum consensu petito, possunt ne suam exigere dotem? *ibid.*

Parentes tenentur ne filiis suis dare dotem? *ibid.*

Parentes possunt ne per Conscientiam suos exhæredare filios, qui matrimonium sine ipsorum consensu contraxerunt? tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 17. & tom 3. v. *Testamentum*, cas. 28. p. 1306.

Parentes possunt ne sollicitius instare apud infantes, ipsisque præscribere ac determinare partem quam debeant eligere? tom. 2. v. *Matrimonium* III. cas. 8.

Matrimonium contractum per Procuratorem est ne validum? Est ne Sacramentum? *ibid.* cas. 19.

Sunt ne quædam requisitæ conditiones ad ejusmodi matrimonia? *ibid.*

Istiusmodi matrimonia debent ne reiterari præsentibus partibus utrisque? *ibid.*

Potest ne Mulieri deputari atque committi ejusmodi procuratio? *ibid.*

Possunt ne contrahi matrimonia per literas? *ibid.*

Matrimonium contractum per Procuratorem est ne validum, cum qui dedit Procurationem incidit in amentiam ante celebrationem matrimonii? *ibid.* cas. 20.

Potest ne absque peccato consuli matrimonium in gradu prohibito, sub prætextu dispensationis male fundatæ? tom 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 41.

Matrimonium clam contractum in regione ubi matrimonia clandestina non sunt damnata, dissolvitur ne quoad ligamen, secundo matrimonio publice contracto & consummato? tom, 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 2.

Est ne semper obligatio monendi Conjuges de nullitate ipsorum matrimonii? tom. 1. v. *Confessarius* I. cas. 5.

Si Parochus impedimentum dirimens matrimonii non alio modo cognitum habet, quam via Confessionis, debet ne, si omnia reliqua sint in forma, ad matrimonii celebrationem procedere? tom. 1. v. *Confessarius*, cas. 14.

Matrimonium nullum Impotentiæ causa declaratum a Judice Ecclesiastico, cui obreptum est, est ne validum, & reddit ne irritum ac nullum secundum matrimonium contractum, imo & consummatum? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 12.

Sunt ne quidam casus, in quibus matrimonium consummatum dissolvatur quantum ad ligamen? tom. 2. v. *Impedimentum Metus*, cas. 1. & tom. 2. v. *Impedimentum disparitatis Cultus*, cas. 5.

Matrimonium ratum habitum, sed non consummatum, dissolvitur ne quoad ligamen impotentia mariti superveniente? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 21.

Mulier potest ne matrimonium contrahere cum Viro juridice a sua Uxore causa impotentiæ separato? *ibid.* 12.

Matrimonium contractum & non consummatum dissolvitur ne quoad ligamen, secundo matrimonio contracto & consummato? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 4.

Consensus internus Conjugum sufficit ne ad restituendum matrimonium sine dispensatione contractum? *ibidem* cas. 4.

Matrimonium bona fide & in facie Ecclesiæ contractum cum persona, cum qua contrahens cognatus est ex concubitu fornicario, an ut restituatur, opus habet, ut post obtentam dispensationem de novo in facie Ecclesiæ contrahatur? *ibid.* cas. 5.

Consensus internus sufficit ne ad restituendum ac ratum faciendum matrimonium, cui assensus ab altera parte præbitus est nonnisi ex metu gravi? *ibid.* cas. 6.

Contrahentium illa pars, cui nota est nullitas matrimonii sui, potest ne exigere & reddere debitum conjugale, antequam consensus mutuus fuerit inter utramque Conjugum partem renovatus? *ibid.* cas. 7.

Confessarius tenetur ne suum Pœnitentem monere, quod ejus matrimonium sit irritum ac nullum, licet perspectum habeat, quod si hoc ipsi aperiat, magnum inde scandalum sit oriturum, aut infamia notabilis? tom. 1. v. *Confessarius* I., cas. 4.

Sacerdotes qui celebrant matrimonia inter Catholicos & Hæreticos, aut inter illos qui non sunt certi de morte priorum suorum conjugum, peccant ne mortaliter? Attrahunt ne sibi quasdam pœnas in quibusdam Diœcesibus? tom. 2. v. *Impedimentum Disparitatis Cultus*, cas. 9. & tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, cas. 8.

Matrimonium inter Paganos & Infideles est ne validum? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 2.

Matrimonium est ne respectu omnium hominum de Jure Naturali? tom. 2. v. *Impedimentum Conditionis servilis*, cas. 2. 3. & 5.

Est ne quoddam tempus ab Ecclesia designatum, quo licite matrimonium initi non possit? tom. 2. v. *Impedimenta impedientia*, cas. 2.

An solemnitatem matrimoniorum vel ipsa matrimonia prohibet Ecclesia tempore prohibito? *ibid.*

An tempore ab Ecclesia prohibito licitum est clam & absque solennitatibus matrimonia contrahere? *ibid.*

Ecclesia decrevit ne quasdam pœnas adversus eos, qui sine dispensatione celebrant aut contrahunt matrimonia, ubi impedimenta sunt impedientia? *ibid.*

Qui vota nuncuparunt de matrimonio contrahendo, habent ne dispensatione opus, si non contrahant? tom. 1. v. *Dispensatio Voti in genere*, cas. 18.

Sunt ne regulæ quædam certæ ad numerandos gradus cognationis & affinitatis in lineis tam directis quam collateralibus? tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis naturalis*, cas. 1.

Matrimonium est ne licitum inter duas Personas, quarum una cognata aut affinis est alteri in quarto gradu lineæ collateralis, & altera in quinto? An istud semper fuit licitum? *ibid.* cas. 2.

Matrimonium celebratum sine proclamatione bannorum est ne licitum? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 27. & tom. 1. v. Denuntiationes matrimonii, cas. 1.

Quot requiruntur testes ad matrimonium secundum Galliæ Jurisprudentiam? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 26. & tom. 3. v. *Testis*, cas. 1.

Ecclesia potuit ne declarare nulla matrimonia celebrata absque præsentia Parochi & duorum Testium? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 8.

An omnis generis Testes admittendi sunt ad celebrationem matrimonii? Est ne validum matrimonium, qualescunque adfuerint Testes? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 25.

Impuberes possunt ne Testes esse in matrimonio? *ibid.* cas. 26.

Oportet ne ut quis per longum jam tempus domicilium suum in aliqua habuerit Parochia, ut valide matrimonium possit contrahere? *ibid.* cas. 4. & 5.

Cum quis eodem tempore duo habet Domicilia, an in uno sicut in altero valide matrimonium potest contrahere? *ibid.*

Cum Contrahentes sunt ex duabus Parochiis diversis, in quanam illarum celebrari debet matrimonium? Præsentia unius Contrahentium Parochi sufficit ne ad id ut matrimonium sit validum? *ibid.* cas. 6.

Matrimonium est ne validum, cum insuper habita lege Diœceseos, quæ jubet ut celebratio matrimonii fiat in Parochia Filiæ, matrimonium tamen celebratur in Parochia Viri? *ibid.* cas. 7.

Matrimonium contractum in facie Ecclesiæ ab iis qui nullum habent Domicilium, est ne validum? Sunt ne quædam in his occasionibus adhibendæ cautelæ, & quænam sunt illæ? *ib.* cas. 12. & tom. 2. v. *Matrimonium* III. cas. 12.

Matrimonium celebratum a Sacerdote sæculari aut regulari sine permissione Parochi Contrahentium, est ne irritum ac nullum? Sunt ne quædam ab Ecclesia & a Principibus decretæ pœnæ adversus Sacerdotem qui illa celebrat matrimonia? *ibid.* cas. 2.

Matrimonia celebrata a Parocho sive intruso, sive titulari legitimo sunt ne valida? *ibid.* cas. 8.

Parochus exercet ne quandam authoritatem in personas, quæ contrahunt matrimonium? *ibid.* cas. 10.

Matrimonium, cui Parochus & Testes vi illata adfuerunt, est ne validum ac licitum? *ibid.* cas. 9.

Matrimonium, cui interfuit Parochus interdictus aut excommunicatus denuntiatus, est ne validum, & potest ne Parochus ille suum Vicarium deputare, ut illi adsit matrimonio? *ibid.* cas. 10. & 11.

Matrimonium cui interest Contrahentium Parochus, est ne validum quocunque in loco fuerit celebratum? *ibid.* cas. 14.

Matrimonium cui Testis adfuit simplex Sacerdos nomine Vicarii amovibilis, est ne validum? *ibid.* cas. 15.

Matrimonium, cui Testis adfuit Sacerdos mandato Episcopi, sed sine consensu Parochi, est ne validum? *ibid.* cas. 16.

Matrimonium est ne simplicis Jurisdictionis Voluntariæ? *ibid.* cas. 16. & 17.

Matrimonium est ne irritum ac nullum, cum Officialis alium præter Contrahentium Parochum commisit, ut illi Testis adesset? *ibid.*

Matrimonium cui adfuit Metropolitanus sine consensu Episcopi sui Suffraganei, aut Parochi contrahentium, est ne irritum ac nullum? *ibid.* cas. 18.

Matrimonium celebratum a Præsule, qui jurisdictionem habet quasi Episcopalem, est ne irritum ac nullum? *ibid.* cas. 19.

Matrimonium contractum coram Magiſtratu Civili ſecundum leges illius loci eſt ne validum, etiam ſi contrahentes oriundi ſint ex regione, in qua ejuſmodi reprobantur matrimonia? *ibid.* caſ. 21.

Matrimonia Hæreticorum contracta juxta conſuetudinem ſuæ regionis, ſunt ne valida in Gallia? Sunt ne reſtituenda? *ibid.* caſ. 23.

Matrimonium celebratum a Parocho, qui nondum eſt Sacerdos, eſt ne validum? *ibid.* caſ. 24.

Sacerdos qui ſine conſenſu Parochi contrahentium aut Epiſcopi Diœceſani matrimonium celebrat, eſt ne ſuſpenſus? tom. 3. v. *Suſpenſio*, caſ. 13.

Parochus poteſt ne pecuniam exigere pro celebratione matrimonii? tom. 3. v. *Simonia*, caſ. 55.

Sacerdotes qui matrimonio interſunt in peccato mortali, committunt ne Sacrilegii peccatum? tom. 2. v. *Impedimentum Clandeſtinitatis*, caſ. 28.

Qui clam matrimonium quamvis valide contraxerunt, tenentur ne illud publicum ac notum reddere? Sunt ne quædam a Principibus & ab Eccleſia pœnæ in eos decretæ, qui facere illud recuſant? *ibid.* caſ. 29.

Matrimonia clandeſtina fuerunt ne olim vera Sacramenta? *ibid.* caſ. 9. & 23.

Eſt ne iis, qui in Sacris ſunt Ordinibus, tam in Eccleſia Græca quam in Latina Eccleſia prohibitum, matrimonium contrahere? tom. 2. v. *Impedimenta Ordinis*, caſ. 7.

Matrimonium contractum cum infidelibus eſt ne validum ac licitum? tom. 2. v. *Impedimentum diſparitatis cultus*, caſ. 1.

Matrimonium contractum cum Catechumeno eſt ne validum? *ibid.* caſ. 7.

Recte ne & conſulto matrimonium aliquando cum Perſonis diſparis Cultus contrahitur? *ibid.* caſ. 1. 7. & 9. tom. 1. v. *Diſpenſatio Matrimonii*, caſ. 33.

Catholici qui matrimonium contrahunt cum Perſonis Cultus diſparis, poſſunt ne convenire, de una parte infantium in Religione Catholica, altera in hæreſi educanda? *ibid.* caſ. 11.

Matrimonia contracta cum Hæreticis ſunt ne licita? Sunt ne valida, quamvis ſine diſpenſatione Papali facta? *ibid.* caſ. 33. & 34.

Matrimonia cum Hæreticis contracta & celebrata in prædicatione cum diſpenſatione imparitatis Cultus, ſunt ne licita? *ibid.*

Matrimonia Infidelium ſunt ne Conſtitutionibus Eccleſiæ ſubdita quoad validitatem ſuam? tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis naturalis*, caſ. 4.

Qui illorum, quorum matrimonia ambiunt, bona exaggerant, & majora, quam revera ſunt, venditant, tenentur ne ad reſtitutionem cum falluot illum, qui ipſis fidem habet? tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 172.

An omnis falſitas celebrationem matrimonii concernens, caſus reſervatus eſt, imprimis in certis quibuſdam Diœceſibus? tom. 1. v. *Denuntiationes Matrimonii*, caſ. 2.

Poteſt ne procedi ad celebrationem matrimonii, cui oppoſitio facta eſt, ſed quam nonniſi ex malitia factam eſſe conſtat? *ibid.* caſ. 9.

Mater poteſt ne perſiſtere in denegando ſuo conſenſu ad Matrimonium, quod filius ipſius contrahere vult cum puella æqualis cum ipſo conditionis, quæque bonis eſt moribus? Confeſſarius debet ne matrem iſtam denegata abſolutione cogere ad præbendum aſſenſum ſuum illi matrimonio? tom. 2. v. *Matrimonium* 3. caſ. 9.

Eſt ne abſolutio deneganda filio, qui non obſtante Matris ſuæ prohibitione, tamen frequenter admodum illam inviſit filiam? *ibid.*

Eſt ne etiam deneganda abſolutio Puellæ illius Matri, quæ permittit & adjuvat viſitationes illas? *ibid.*

Sunt ne pœnæ quædam a Legibus Romanis decretæ adverſus viduas, quæ anno luctus mortis ſuorum maritorum, alia ineunt matrimonia? tom. 1. v. *Donatio*, caſ. 5.

Amittunt ne hoc modo donationes ſibi factas a primis ſuis maritis? *ibid.*

Mulier quæ atteſtationibus authenticis de morte ſui mariti perſuaſa, alteri nubit viro, cum quo facit donum mutuum, poteſt ne poſt mortem hujus mariti gaudere dono illo mutuo, licet primus ejus maritus non ſit mortuus? *ibid.* caſ. 7.

Puer poteſt ne in matrimonium ducere matrem infantis, quem in caſu neceſſitatis urgentis baptizavit? tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis Spiritualis*, caſ. 4. & 5.

Puella poteſt ne matrimonium inire cum Juvene, quem de Sacro ſuſcepit fonte? *ibid.*

Poteſt ne quis recuſare matrimonii conſummationem uſque ad ultimam dotis ſolutionem? tom. 1. v. *Dos*, caſ. 10.

Cum matrimonium aliquod irritum eſt ac nullum, an Vir tenetur dotem reddere mulieri? *ibid.* caſ. 16.

Mulier debet ne uſum capere ex conventionibus matrimonialibus, in ejus favorem ſtipulatis? *ibid.* caſ. 17.

Matrimonium contractum & conſummatum metu gravi, ſit ne validum conſummatione, quæ poſtea libere ſit? tom. 2. v. *Impedimentum Metus*, caſ. 1.

Eſt ne peccatum mortale matrimonium conſummare eodem metu, quo contractum eſt? *ibid.*

Comminationes alteri parti, quæ recuſat matrimonium contrahere, aut ipſius Cognatis factæ, reddunt ne matrimonium irritum ac nullum? *ibid.* caſ. 2. 9. & 11.

Matrimonium contractum a reo mortem, mutilationem aut carcerem vitandi gratia, eſt ne validum? *ibid.* caſ. 3. & 4.

Matrimonium contractum metu gravi & injuſto & deinde Juramento confirmatum, eſt ne validum? *ibid.* caſ. 6.

Eſt ne obligatio implendi promiſſum matrimonii confirmatum juramento facto ex gravi metu? *ibid.*

Quænam ſunt rationes, ob quas quis diſpenſare ſe poteſt ab implendo matrimonii promiſſo vi extorto? *ibidem.* caſ. 9. & 11.

Matrimonium ratum habitum, ſed non conſummatum, ſit ne irritum ac nullum ſolemni Religioſis Profeſſione? tom. 2. v. *Impedimentum Voti*, caſ. 2.

An eodem modo ſe res habet, ſi conſummatum non eſt niſi violenta? *ibid.* caſ. 2.

Fieret ne irritum ac nullum tale matrimonium tacita Religionis Profeſſione? *ibid.* caſ. 4.

Promiſſa matrimonii facta tertiæ cuidam perſonæ ab alterutra Conjugum, cujus adhuc alter eſt ſuperſtes conjux, ſunt ne valida ac licita & obligant ne? Si crimen adulterii ejuſmodi matrimonii promiſſis accedat, ſunt ne valida? tom. 2. v. *Impedimentum Criminis*, caſ. 2. & 3.

An nihil refert ſive ii, qui talia matrimonii promiſſa accipiunt ſciant, eos, qui illa ſibi faciunt, matrimonio junctos eſſe, ſive non eſſe? *ibid.* caſ. 4.

Conjuges poſſunt ne de novo contrahere ſuum matrimonium cum intentione maleficium hoc modo infirmandi & ceſſare faciendi? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, caſ. 18.

Mulier quæ jam a multis annis nihil de marito ſuo percepit, poteſt ne novum contrahere matrimonium cum alio Viro? tom. 2. v. *Impedimentum Ligaminis*, caſ. 6.

Qui in matrimonio vivunt, poſſunt ne poſſidere penſiones ſuper beneficiis? tom. 3. v. *Penſio*, caſ. 21.

MECHANICA ARS.

Dantur ne Mechanicæ artes, quæ per ſe ipſas ſint malæ? tom. 2. v. *Larva*, caſ. 3. & tom. 3. v. *Sarcinator*, caſ. 1.

Eſt ne obligatio ejuſmodi artes mechanicas dimittendi? *ibid.*

Cum pro quodam legatur ſumma quædam qua artem mechanicam addiſcat, num hæres an vero legatarius artem mechanicam eligere debet? tom. 2. v. *Legatum*, caſ. 15.

MEDICUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Medici ſunt ne rei coram Deo, cum ægrotos mori ſinunt ſine Sacramento, iis ſcilicet non monitis de periculo mortis imminentis ipſis? tom. 2. v. *Medicus*, caſ. 5.

Peccant ne mortaliter tali in caſu? *ibid.*

Debent ne ſuſcipere curationem ægrotorum de quorum Sanatione deſperant? tom. 1. v. *Advocatus*, caſ. 2.

Medicus poteſt ne mercedem accipere pro ſuo labore & cura ſuſcepta alicujus ægroti, quem non niſi per aliquot adhuc horas vitam ducturum eſſe ſciebat? tom. 2. v. *Medicus*, caſ. 4.

Medicus poteſt ne recuſare viſitationem & curationem ægrotorum pauperum ſub prætextu, quod honoraria non ſolvuntur ipſi? *ibid.* caſ. 1.

Poteſt ne denegare medicus curam hominis divitis ſuſcipere, qui recuſat debitam ipſi mercedem perſolvere, licet ſolus in eo loco ſit medicus experientiam habens? *ibid.* caſ. 2.

Medicus poteſt ne ad ſanandam mulierem prægnantem potiones illi dare aptas & capaces abortui ipſi cauſando? tom. 1. v. *Abortus*, caſ. 2.

Poteſt ne aliquis ſine uſura Medico pecuniam mutuam dare, ſub conditione, quod ſi morbum forte contrahat, medicus illum viſitaturus ſit, licet iſte ſe obligaret ad ſolvendas illius Viſitationes? tom. 3. v. *Uſura*, caſ. 9. & 10.

An ſemper medici ſunt auſcultandi, cum agitur, num aliquis diſpenſari poſſit a jejunio, a recitatione Breviarii & ſimilibus? Tenentur ne ſemper ad Secretum? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, caſ. 18. & tom. 3. v. *Teſtis*, caſ. 5.

Medici qui culpa ſua cauſa mortis ſunt ægrotis; ſunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 41. 61. & 75.

Legata ab ægrotis facta medicis ſuis, ſemper ne declarantur irrita ac nulla? tom. 2. v. *Legatum*, caſ. 1.

Medicus qui ſuam exercuit Artem, tenetur ne diſpenſationem obtinere ut poſſit fieri ſacerdos? tom. 2. v. *Medicus* caſ. 3.

Poſſunt ne poſſidere Beneficia & Sacros Ordines recipere? tom. 1. v. *Diſpenſatio Irregularitatis*, caſ. 20. & 21.

Clerici poſſunt ne exercere medicinam? tom. 3. v. *Irregularitas*, caſ. 75.

MELIORAMENTUM.

Emphyteutæ & Uſufructuarii poſſunt ne ſibi attribuere aut deſtruere melioramenta? tom. 2. v. *Emphyteuſis*, caſ. 1.

Eſt ne obligatio rependendi acquiſitori melioramenta in caſu evictionis? Et qua ratione fieri debet? tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 41.

MELITENSES.

Beneficia, quorum Equites Melitenſes ſunt Patroni, ſunt ne mixta aut ſimplicia, & eſt ne ipſorum conſenſus neceſſarius, ut quis poſſit reſignare? tom. 2. v. *Equites Religioſi*, caſ. 4.

Vide EQUITES RELIGIOSI.

MEMORIA.

Defectus memoriæ reddit ne irregulares eos, qui illo laborant? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 124.

MEN-

M E N D A C I U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Mendacium est ne aliquibus in casibus licitum? tom. 3. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 9. & tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 2.
Mendacium materiale est ne peccatum? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 1.
Mendacium semper ne est peccatum mortale? tom. 2. v. *Hypocrisis*, cas. 1.
An omne Mendacium factum adversus Religionem, aut proximo nocens, sua natura peccatum mortale est? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 2.
Committit ne mendacium, qui non implet promissum? *ibid.* cas. 2.
Est ne reus & culpandus, qui ut obviet magno cuidam scandalo, mendacio utitur officioso? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 9.
Potest ne quis mentiri per signa? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 3.
Joci dicti sine intentione fallendi, sunt ne totidem mendacia, & semper ne culpa vacant? *ibid.* cas. 4.
Est ne mendacii reus, qui scripto imitatur literas & chirographa? *ibid.* cas. 5.
Committit ne mendacium, qui cum domi est, se celari a suis famulis curat? *ibid.* cas. 7.
Dissimulatio est ne mendacium? *ibid.* cas. 8.
Cum quis odium aliquod adversus quempiam in animo habet, committit ne toties mendacium, quoties hæc in Oratione Dominica verba recitat: *Sicut & nos remittimus debitoribus nostris? ibid.* cas. 10.
Qui hanc fuedit Orationem in talibus dispositionibus, tentat ne Deum? *ibid.*
Capitis reus potest ne vitam suam mendacio salvare? Tale mendacium est ne mortale vel veniale? tom. 1. v. *Accusatus*, cas. 1. 2. & 3.
Mendacium semper ne est peccatum in Infantibus? Quandonam peccatum est? Sunt ne quædam regulæ certæ ac tutæ ad illud dignoscendum? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 4.
Dispensationes mendacio obtentæ, sunt ne irritæ ac nullæ? tom. 3. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 3.

M E N D I C A T I O.

Religiosi possunt ne in Diœcesibus mendicationes peragere sine Ordinariorum permissu? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 35.

M E N D I C A T O R.

Episcopi habuerunt ne olim jus examinandi diplomata, quorum vi Mendicatores suas peragebant mendicationes in variis Diœcesibus? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 1.
Quanam ratione & quo tempore mendicatores isti abrogati fuere? *ibid.* cas. 20.

M E N D I C I.

Mendici possunt ne in omnibus locis valide matrimonium contrahere? Sunt ne quædam respectu ipsorum adhibendæ cautelæ? Quænam sunt istæ cautelæ? tom. 2. v. *Impedimenta Clandestinitatis*, cas. 12.

M E R C A T O R.

Sunt ne quædam Occasiones, in quibus mercatores diebus Festis licite possint vendere, & ad hoc etiam suos domesticos obligare? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 3.
Prætextus, quibus utuntur ad vendendum nimis juste, sunt ne admittendi? tom. 2. v. *Emtio*, cas. 16.
Mercatores possunt ne commercium exercere, cum suum aliis commiserunt sub certis quibusdam conditionibus? tom. 1. v. *Cessio bonorum*, cas. 12.

M E R C E S.

Qui emunt, & ex composito omnes Merces sibi attrahunt, ut privatos obligent ab ipsis solis emere, sunt ne rei Monopolii? Ejusmodi associationes sunt ne prohibitæ? tom. 2. v. *Monopolium*, cas. 1.
Anticipatio aut mora solutionis est ne titulus sufficiens, ut merces pluris vendantur, aut minoris pretii emantur? tom 3. v. *Usura*, cas. 7. & 8.
Quodnam legitime capi potest lucrum ex mercibus, ita ut quis non sit obligatus ad restituendum? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 10. 11. 12. 13. 16. & 17.
Possunt ne corruptæ merces eadem ratione vendi ac bonæ merces? *ibid.*
Qua ratione fieri debet æstimatio mercium? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 6.

MERCES OPERARIORUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Est ne obligatio solvendi mercedem famulo, a quo quis non utile servitium habuit, & cui nihil mercedis promiserat? Qua ratione solvenda est ipsi sua merces? tom. 2. v. *Merces Operariorum*, cas. 1.
Qui locat famulum pro certo quodam tempore, tenetur ne ipsi solvere mercedem pro toto hoc tempore, sive discedat sponte, sive dimissio ipsius fiat ante terminum præscriptum? *ibid.* cas. 2.
An pro tempore morbi alicujus famuli detrahi aliquid potest de ipsius mercede? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 10.
Potest ne minor dari merces famulis sub prætextu quod sponte suum offerant famulitium? Sunt ne quidam casus, in quibus fieri illud possit? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 26.

M E R I T U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Ut actiones meritoriæ sint, requiritur ne ut quis sit in statu gratiæ? tom. 2. v. *Meritum*, cas 1. & tom. 2. v. *Jubilaum* cas. 14. & 15. & tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 16.
Quot sunt conditiones necessariæ, ut alicujus actiones sint meritoriæ, & quænam illæ sunt conditiones? *ibid.*
An omnes actiones referendæ sunt ad Deum, ut sint meritoriæ? Quænam ad hoc requiritur intentio? tom. 2. v. *Meritum* cas. 2.
Uter ex duobus, qui Eleemosynam faciunt, plus meretur, an is qui eleemosynam erogat cum liberalitate & gaudio, num vero alter qui invitus & cum reluctantia, quam tamen vincit illam dat? *ibid.* cas. 3.

M E S S I S.

Licet ne tempore Messis laborare diebus Dominicis ac Festis? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 4.

M E T R O P O L I T A N U S.

Quænam fuet Metropolitanorum in suffraganeos suos jura? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 8. & tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 15. 19. & tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 62. & tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 14. & tom. 3. v. *Visa*, cas. 1. & 2.

M E T U S.

Metus supernaturalis pœnarum inferni sufficit ne ad justificandum peccatorem in Sacramento Pœnitentiæ, cum accedit adhuc ad illum metum spes remissionis? Est ne res mala, per se, ille metus? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 3. & tom. 1. v. *Contritio*, cas. 3.
Metus reddit ne aliquando bonum propositum defectuosum? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 41.
Ac varii generis sunt metus? An omnes istæ metus species contractus irritant? tom. 1. v. *Contractus*, cas. 8.
An omnes metus species irrita reddunt ac nulla matrimonia? tom. 2. v. *Impedimentum Metus*, cas. 3. & 5.
Metus ex nimia reverentia orti in puellis & mulieribus, an irritant contractus, in uno atque in altero foro? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 9.
An semper de natura metus judicandum est ex ipsius objecto? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, cas. 7.
Quænam sunt causæ metus justi & gravis? *ibid.* cas. 9. & 11.
Metus excusat ne aliquando a reatu peccati? tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 9. & tom. 2. v. *Peccatum*, cas. 10.
Excusat ne a perjurio? tom. 3. v. *Perjurium*, cas. 12.
An omnis metus gravis dispensat ab obligatione implendi promissum, quod quis fecit? tom. 3. v. *Promissum*, cas. 7. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 32.
Reddit ne ordinationem irritam ac nullam? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 17.
Metus irritat ne vota? tom. 3. v. *Metus*, cas. 24. & tom. 3. v. *Perjurium*, cas 12.

M I L E S.

Milites censentur ne domicilium habere ubicumque sint? tom. 2. v. *Impedimentum clandestinitatis*, cas. 22.
Possunt ne retinere prædam quam capiunt in bello? tom. 1. v. *Bellum*, cas. 4.
Possunt ne interficere illos ex inimicis quos offendunt seorsim, quique illos non aggrediuntur? Refert ne aliquid in hoc casu, sive ex mandato vigilias agant, sive non? *ibid.* cas. 5. & tom. 2. v. *Occidere*, cas. 1. & 7.
Habent ne dispensatione opus ut possint Clericalem vitam amplecti, aut ejus obire functiones? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 23.
Eleemosynarii, qui milites exhortantur ad strenue pugnandum, sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 71.

M I N O R.

Minores possunt ne quasdam facere Donationes? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 16.
Possunt ne matrimonium contrahere sine Cognatorum consensu? tom. 2. v. *Matrimonium* 1., cas. 10.
Tenentur ne implere quæ fecerunt matrimonii promissa? tom. 3. v. *Promissum*, cas. 1.
Cum minores qui inviti provisi sunt de aliquo Beneficio, recitare negligunt Breviarium, tenentur ne ad restitutionem fructuum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 147.
Tutores minorum tenentur ne post inventarium factum vendere omnia ipsorum bona mobilia? tom. 3. vers. *Tutor*, cas. 1.
Ad vendenda minorum bona nonne quædam formalitates sunt observandæ? tom. 3. v. *Restitutio in integrum*, cas. 8.

Minores tenentur ne de debitis contractis cum adhuc eſſent Minores? Sunt ne quidam caſus, in quibus de iis teneantur? tom. 1. v. *Debitum*, caſ. 11.

Debitores minorum, qui quod ipſis ſolvendum habent, ſolvunt pro debitis ipſorum ſine tutorum conſenſu, ſunt ne ſemper in conſcientia liberati ab obligatione ſua? *ibid.* caſ. 4.

Minores poſſunt ne prætendere ut ſibi reſtituatur pecunia, quam ludendo amiſerant? tom. 2. v. *Ludus*, caſ. 5.

Poſſunt ne valide quendam facere actum hæredis, qui eos vere & irrevocabiliter obliget ad ſuſcipiendam hanc qualitatem atque onus? An tunc petere poſſunt reſtitutionem in integrum? tom. 2. v. *Hæres*, caſ. 14.

Minor poſtquam factus eſt Major, an omni tempore admittitur ad petendum ut reſtituatur adverſus actus quos iniit dum eſſet minor? Poſt quantum tempus effluxum non amplius admittetur? tom. 3. v. *Reſtitutio in integrum*, caſ. 1.

Semper ne leges Minoribus concedunt Literas Reſciſſionis quibus reſtituantur in integrum? *ibid* caſ. 4. 5. & 7.

Quum Leges illis concedunt Beneficium reſtitutionis in integrum, an ſemper fidejuſſores liberantur? *ibid.*

Minores poſſunt ne ſemper redire a renunciationibus vel acceptationibus Hæreditatum? *ibid.* caſ. 2. & 3.

Poſſunt ne poſtquam Majores facti ſunt, uti literis Reſciſſionis, quibus evitent ſolvere debita contracta dum adhuc eſſent Minores? *ibid.* caſ. 4.

Poſſunt ne eximi a damno quod ad ipſos redit ex eo quod tutores pro ipſis bona quidem fide geſſerunt? tom. 3. v. *Tutor*, caſ. 2. & tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 3.

Tenentur ne tutoribus impenſa neceſſaria facta pro ſe aut pro ſuis propinquis ferre? *ibid.* caſ. 14.

Habent ne Hypothecam naturalem ſuper bonis tutorum ſuorum atque Curatorum? *ibid.* caſ. 15. tom. 1. v. *Debitum*, caſ. 16.

Poſſunt ne a tutoribus ſuis accipere lucrum lucri ultra ſortem, quod tempore præſcripto non collocarunt? tom. 2. v. *Lucrum Lucri ultra ſortem*, *ibid.* caſ. 4.

M I S S A.

Vide hujus vocis Proœmium.

Poteſt ne ſine peccato dici Miſſa ab eo, qui in Medicinam, aut aliter, aliquid deglutivit? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 1. & 15.

Licet ne celebrare non jejuno, cum propoſito communionem dandi Moribundo? *ibid.* caſ. 2.

An ad evitandum ſcandalum, duæ ultimæ Miſſæ die Nativitatis celebrari poſſunt, cum ex inadvertentia ablutiones adhibitæ fuere poſt primam? Præceptum celebrandi jejunus eſt ne valde antiquum? *ibid.* caſ. 3.

Poſſunt ne poſt ablutiones conſumi particulæ quæ ſuper Patena aut ſuper corporali Euchariſtico ſuperſunt, ante vel poſtquam ab Ara diſceſſit Sacerdos? *ibid.* caſ. 4.

Sunt ne conſiderandæ tanquam conſecratæ guttæ quædam vini adhærentes extremitati internæ aut externæ Calicis? *ibid.* caſ. 5.

Poteſt ne celebrari Miſſa ab eo qui prius Tabacco uſus eſt, quocumque modo? *ibid.* caſ. 6.

Eſt ne peccatum Miſſam celebrare ſine Tunica Sacerdotali? Sunt ne quædam Diœceſes, ubi ſuſpenſio ſit annexa huic omiſſioni atque culpæ? tom. 3. v. *Veſtis*, caſ. 4.

Licet ne in caſu neceſſitatis celebrare ſine caſula ſive pala? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 7.

Præceptum celebrandi aut audiendi Miſſam obligat ne, quando fieri non poteſt quin regulæ Eccleſiæ violentur? *ibid.*

Poteſt ne in caſu neceſſitatis Miſſa celebrari ſine accenſis Cereis, aut ſine imagine ſuper Altari? *ibid.* caſ. 8.

Uſus incendendi Cereos ad Sacrum Sacrificium eſt ne valde antiquus? *ibid.*

Poteſt ne in caſu neceſſitatis celebrari ſine Miniſtro? *ibid.* caſ. 9.

In quanam quantitate vinum in Calicem infundi debet? *ibid.* caſ. 10.

Quid ſignificat Aqua in Calice? *ibid.*

Eſt ne infundenda aqua, cum ante vel poſt conſecrationem in mentem venit Sacerdoti, ſe nullam immiſiſſe? *ibid.* caſ. 11.

An de novo ſub duabus ſpeciebus conſecrandum & communicandum eſt, cum poſt conſecrationem aut communionem apparet, non niſi Aquam eſſe immiſſam in Calicem? *ib.* caſ. 12.

Eſt ne Eſſentiale ad Sacrificium, an utraque conſecretur ſpecies? tom. 2. v. *Ordines*, caſ. 11.

Pendet ne ab arbitrio Sacerdotis, in caſu, quem judicat urgentiſſimum, non niſi ſub una ſpecie communicare? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 17.

Eſt ne obligatio eandem quam quis Sacerdos conſecravit hoſtiam conſumendi? *ibid.* caſ. 16.

Oportet ne ſemper uti vino ad duas ablutiones? *ibid.* caſ. 27.

Quid faciendum cum ante aut poſt conſecrationem animadvertitur aranea aut muſca in calice? *ibid.* caſ. 13.

Cum celebrans ante vel poſt celebrationem ſubita morte corripitur, oportet ne ut alius Sacerdos Sacrificium perficiat licet non eſſet jejunus? *ibid.* caſ. 19.

Quid faciendum cum dubium eſt num celebrans ante vel poſt conſecrationem mortem obierit? *ibid.* caſ. 20.

Poteſt ne quis celebrare in peccato mortali, quin novum committat peccatum? Quandonam in hoc caſu confeſſionem facere oportet? *ibid.* caſ. 21.

Sunt ne quidam caſus, in quibus quis in peccato mortali celebrare poſſit, quin confiteatur? tom. 1. v. *Caſus Reſervati*, caſ. 21.

Cum ante vel poſt conſecrationem reminiſcitur ſacerdos ſe eſſe in peccato mortali, aut in cenſuris, aut ſe non eſſe jejunum, debet ne ab ara recedere? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 22.

Cum ante vel poſt conſecrationem aliquis ſe evidenti mortis periculo expoſitum deprehendit, poteſt ne Aram deſerere? *ibid.* caſ. 23.

Sacerdotes obnoxii frequentibus tentationibus Epilepticis, poſſunt ne celebrare Miſſam? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 123.

Qui obnoxii ſunt vertiginis morbo aut qui defectu memoriæ laborant, poſſunt ne celebrare? *ibid.* caſ. 125.

Miſſa debet ne ſemper celebrari ſine interruptione? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 24.

Poteſt ne Miſſa interrumpi caſu neceſſitatis ad adminiſtranda quædam Sacramenta? Poteſt ne omitti in caſu neceſſitatis urgente, quidquid eſſentiale non eſt? *ibid.* caſ. 25. & 26. & tom. 1. v. *Cæremoniæ Sacramentales*, caſ. 1.

Quid faciendum Sacerdoti celebranti, qui monetur, excommunicatum denuntiatum in Eccleſia eſſe? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caſ. 35. 36. & 37.

Poteſt ne quis celebrare antequam Matutinas dixerit & Laudas? Poſſunt ne ſub veſpera recitari pro craſtino die? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, caſ. 21. & 26.

Viſitatores Monaſteriorum independentium ab Ordinariis, poſſunt ne ibi ſine horum permiſſione celebrare? tom. 2. v. *Monaſterium*, caſ. 8.

Permiſſio quæ in quibuſdam Diœceſibus conceditur dicendi Miſſam, fit ne irrita ac nulla falſis literis *exeat* vocatis? Qui fabricant falſa *exeat* incurrunt ne ſuſpenſionem? tom. 3. v. *Suſpenſio*, caſ. 12.

Parochi tenentur ne ſuis Parochianis applicare Miſſas, quas diebus Dominicis ac Feſtis dicunt? tom. 3. v. *Parochus*, caſ. 6.

Poteſt ne quis citra peccatum celebrare cum intentione, ut ſubſiſtere poſſit ex honorario? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 28.

Eſt ne in libertate Sacerdotis relictum applicandi cuicunque voluerit Miſſas fundatas, ſine adjectis in actu fundationis intentionibus? *ibid.* caſ. 34. 35. & 36.

Poteſt ne in anteceſſum applicari Miſſa iis, qui eam ſunt poſtulaturi in poſterum? *ibid.* caſ. 43.

Poteſt ne Sanctum offerri Sacrificium pro Idololatris, Hæreticis aut Schiſmaticis? Eccleſia ſemper ne illud obtulit pro ejuſmodi hominibus? *ibid.* caſ. 41.

Sacrificium quomodo ſuum operatur effectum? *ibid.*

Sufficit ne per alios Miſſas celebrandas curare, ad quas aliquis ſui Beneficii titulo ipſemet obligatus eſt? tom. 1. v. *Beneficiarius*, caſ. 2.

An Miſſas, ad quas aliquis ſui Beneficii titulo celebrandas obligatur, tenetur in Eccleſia Beneficii celebrare, aut celebrandas curare? *ibid.* caſ. 4.

Si quis titulo beneficii aut aliter teneatur ad celebrandam quotidie, an caſu morbi aut abſentiæ obligatus eſt per alium ſupplere quod ipſe facere non poteſt? *ibid.* caſ. 7.

Poteſt ne quis accipere ſummam pecuniæ pro certo quodam Miſſarum numero, & poſtea pauciores dicere quam convenit, ſub prætextu quod honorarium non ſit conforme ſtatutis Ordinarii, & quod nimis ſit modicum? tom. 2. v. *Miſſas*, caſ. 29.

An licitum honorarium pro pluribus Miſſis accipi & tamen unica tantum legi poteſt. Unica Miſſa operatur ne eundem effectum, ac plures Miſſæ. Sacrificium Miſſæ eſt ne Infinitum in ſuis effectibus? *ibid.* caſ. 30.

An licito accipi poſſunt duo honoraria pro eadem Miſſa, applicando ei qui illam poſtulet, partem ſpecialem fructus, qui redit ad Celebrantem? *ibid.* caſ. 31.

Poteſt ne aliquid retineri de honorario Miſſarum, quæ per alium Sacerdotem dici curantur? *ibid.* caſ. 32.

Poteſt ne quis propria & ſola ſua auctoritate Miſſas, quarum honorarium non eſt ſufficiens, reducere ad pauciores? Ad quemnam pertinet cognoſcere in caſu litigii circa hoc? *ibid.* caſ. 33. & 34. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, caſ. 11.

Poſſunt ne ſingulis diebus dici Miſſæ votivæ & de *Requiem*? Miſſa de *Requiem*, & Miſſa diei, ſunt ne æqualiter utiles defuncto? *ibid.* caſ. 35. & 37.

An ſine præjudicio effectus Indulgentiarum annexarum Aræ privilegiatæ, dici poteſt Miſſa diei, aut Defunctorum *ibid.* caſ. 38.

Miſſa fundata pro certo quodam die poteſt ne transferri in alium diem? *ibid* caſ. 39. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, caſ. 11.

Eſt ne Titulari liberum relictum Miſſas, ad quas tenetur, anticipare aut differre? Peccant ne illas anticipando, ſicuti illas differendo? tom. 1. v. *Miſſa*, caſ. 40.

Cum quis per ſat longum temporis ſpatium diſtulit Miſſam aliquam ad quam ſe obligavit, an non tenetur honorarium reddere? *ibid.* caſ. 41.

Debet ne ceſſari Miſſa, in quocunque ſacrificii loco ſubſiſtatur, ſi Eccleſia homicidio polluatur? tom. 2. v. *Eccleſia*, caſ. 14.

Celebratio Miſſæ in Eccleſia polluta, reconciliat ne illam? *ibid.* caſ. 6.

Qui celebrant in loco polluto interdicto aut in præſentia excommunicati denuntiati, ſunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 129. & tom. 2. v. *Interdictum*, caſ. 20.

Peccant ne mortaliter fideles, Presbyteri fornicatoris publici vel occulti Miſſæ ſcienter contra Eccleſiæ prohibitionem aſſiſtentes? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 52.

Eſt ne liberum relictum celebrare tam mane & tam ſero cum

quis

quis voluerit? Sunt ne quidam casus in quibus istud fieri possit? *ibid.* cas. 15.
Fuit ne olim liberum, pluries eodem die celebrare? Oportebat ne celebrantem esse jejunum? Quandonam ista disciplina mutata fuit, sunt ne quidam casus, in quibus idem hodienum adhuc facere liceat? *ibid.* cas. 15.
Est ne obligatio multoties celebrandi per annum? Potest ne ex principio humilitatis per plures annos a celebratione abstineri? *ibid.* cas. 51.
Præstat ne ut Sacerdos frequentius, quam vero rarius Missam celebret? Quænam est excellentia & Dignitas Sacrificii Missæ? *ibid.* cas. 50.
Benedictio quæ dispensatur in fine Missæ, constituit ne partem Missæ? Semper ne fuit in usu? *ibid.* cas. 28.
Peccat ne mortaliter, qui in habitu peccati mortalis, & cum proposito in illo perseverandi, Missæ assistit diebus Dominicis ac Festis? *ibid.* cas. 45.
Viduæ, quæ juxta consuetudinem suæ regionis ab initio viduatus sui per sat longum temporis spatium absunt a Missa diebus Dominicis ac Festis, sunt ne peccati reæ? *ib.* cas. 46.
An necessario oportet habere intentionem satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, cum quis diebus Dominicis ac Festis Missæ interest? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 13.
Satisfaciunt ne Ecclesiæ præcepto, qui diebus Dominicis ac Festis Missæ adsunt jam inceptæ? Potest ne quis confiteri, aut suum recitare Breviarium, aut facere pœnitentiam sibi injunctam, durante aliqua Missæ parte? tom. 2. v. *Missa*, cas. 47. & 48. & tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 24. & tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 13.
Est ne obligatio assistendi Missæ, quæ diebus Dominicis ac Festis in Parochia celebratur. Sunt ne denegata absolutione cogendi ii, qui promittere nolunt, se talibus adfuturos esse Missis? tom. 2. v. *Missa*, cas. 54. & tom. 3. v. *Votum*, cas. 2.
Satisfaciunt ne Ecclesiæ præcepto, qui Missas audiunt, sed sine attentione & cum indecenti corporis positione atque situ? Quibusnam animi dispositionibus Missæ adesse oportet? *ibid.* cas. 54.
Cura Ægrotorum prævalet ne præcepto Ecclesiæ de assistendo singulis diebus Dominicis ac Festis Missæ? *ibid.* cas. 49.
Est ne obligatio audiendi Missam in septimanæ reliquis diebus, si Die Dominico audire prætermissa fuit? tom. 1. v. *Communio*, cas. 22.
An sufficienter Diem Dominicum sanctificat, qui tantommodo Missam audit, nollis per reliquam diei partem bonis operibus factis? tom. 2. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 1.
Iter facientes tenentur ne audire Missam, diebus, qui in sua Diœcesi festi sunt, vel in iis, per quas transeunt non pernoctantes? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 1.
Tenetur quis ne audire Missam, cum pernoctavit in Diœcesi, in qua dies ille est festus? *ibid.* cas. 2.
Oportet ne saltem reliquam Missæ partem audire, cum quis sero venit, & nulla alia celebretur ibi Missa? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 16.

MISSALE.

Episcopi in Gallia possunt ne suarum Diœcesium Missalia mutare absque Regis consensu? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 5.

MISSIO.

Canonici qui Missiones obeunt Mandato Episcopi, lucrantur ne suos reditus principales, una cum Distributionibus quotidianis? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 5.
An tempore Missionis licet esse facilior in concedenda absolutione iis qui sunt in occasione peccandi proxima, & qui promittunt illam deserere & fugere? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 2.

MOBILIA.

Proprietarii, aut principales locatarii habent ne hypothecam super mobilibus Locatariorum? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5. & 12.
Bona Mobilia sunt ne hypothecæ subjecta in Gallia? *ibid.*
Census constituti super bonis mobilibus sunt ne liciti? tom. 2. v. *Census*, cas. 7.
Licet ne uti mobilibus ad facienda Ecclesiæ Ornamenta? tom. 2. v. *Ornamenta Ecclesiæ*, cas. 5.
Parentes hæreditant ne, omnibus aliis exclusis, bona mobilia legata suis infantibus, tam in regionibus a jure scripto quam in regionibus a Consuetudinibus regi solitis? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 34.
Dum legatur Domus cum omnibus mobilibus, intelligitur ne quidquid mobilium tempore mortis Testatoris in domo reperiatur, etiam illa verbi gratia, quæ Testator destinaverat exornandæ domui, quam ruri ædificandam curavisset? *ibid.* cas. 19. & 20.
Donationes mobilium inter Maritum & Uxorem sunt ne licitæ, tam in locis juris scripto subditis, quam in regionibus Consuetudines pro legibus habentibus? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 4.

MOHATRA.

Quid est contractus Mohatra? Est ne usurarius? tom. 4. v. *Usura*, cas. 44.

MOLLITIES.

Peccatum mollitiei, est ne sua natura mortale peccatum? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 44.
Sunt ne absolvendi, qui hujus peccati habitum deponendi & expiandi causa longum & durum suscipiunt iter? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 29.
Peccata mollitiei commissa ex ignorantia sunt ne mortalia? tom. 2. v. *Ignorantia*, cas. 1.

MONACHALIS VESTIS SUMPTIO SOLEMNIS.

Episcopus habet ne jus examinis cum agitur de admittendis puellis ad Monachalis Vestis sumptionem solemnem? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 5.

MONASTERIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Qui habitant in externis Monasterii partibus sunt ne Parochiani illius Parochiæ, in qua Monasterium situm est? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 1.
An omnis generis Monasteria alii Ordini aggregare se possunt, cum intentione se Ordinarii Jurisdictioni subtrahendi? Est ne tempus aliquod determinatum pro ejusmodi aggregationibus? Quænam necessariæ sunt conditiones, ut legitimæ sint istæ aggregationes? *ibid.* cas. 2.
Solutio census annui Papæ debita, aut protectio sedis Apostolicæ cui se tradidit Monasterium aliquod, est ne titulos & ratio sufficiens illud subtrahendi Jurisdictioni Episcopali? *ibid.* cas. 3.
Episcopus habet ne jus intrandi in Monasterium Puellarum exemptarum ab ipsius jurisdictione, ut visitet claustrum ejus, aut administret ibi Sacramenta? *ibid.* cas. 4.
Episcopus habet ne quoddam jus in Monasteria Puellarum quæ sunt in Congregatione? Potest ne introitum prohibere illis quibus Superiores Regulares ingressum permiserunt? *ibid.* cas. 5.
Religiosa quæ suum deserit Monasterium, incurrit ne excommunicationem? Est ne hæc excommunicatio Papæ reservata? Episcopus potest ne illam ab hac absolvere? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 47.
Obligatio Claustri Monasteriorum & prohibitio sæcularibus facta, ne illa ingrediantur, cessant ne cum quidam mori aut parietis tractus ac facies ruinosa introitum offerunt? Et sæculares, qui hac occasione intrant in monasterium conscii superioribus, incurrunt ne semper in Censuras? *ibid.* cas. 6.
Licet ne mulieribus intrare in monasteria Virorum? Illæ quæ se introducendas curant, & ii qui illas introducunt in ea, incidunt ne excommunicationem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 46.
Introitus in monasteria Puellarum, est ne ipsis quoque Episcopis prohibitus, cum justia in illa intrandi causia destituuntur? Contravenientes sunt ne in Gallia, ut alibi, quibusdam pœnis Canonicis obnoxii? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 10.
An quibuslibet Sacerdotibus in illa intrare licet Sacramentorum administrando cum causa? Exigitur ne aliquid ab iis, qui in ea intrant ex necessitate? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 7. & 9.
Visitatores monasteriorum exemptorum habent ne jus confessiones audiendi & celebrandi sine Ordinarii permissione? *ibid.* cas. 8.
Religiosæ quæ ad exercendam Charitatem corporalem & spiritualem introitum concedunt Infantibus aut aliis differentis sexus Personis aut Domesticis suis, qui in monasterii partibus externis habitant, violant ne obligationem Claustri? *ibid.* cas. 9.
Superiores tenentur ne impedire prospectus, quos habent monasteria ad se invicem? *ibid.* cas. 10.
Cum solutior vita invaluit in monasteriis, sunt ne Superiores rogandi & instigandi, ut medelam ferant? *ibid.* cas. 11.
An de stricta alicujus monasterii observantia judicandum est ex priori ejus institutione, an vero ex præsenti statu, in quo versatur? tom. 1. v. *Religiosus*, cas. 29.
An semper aliqua exigi potest dos pro admittendis ad Professionem iis, qui sese offerunt ut recipiantur in monasterium? tom. 3. v. *Religionis*, 8. tom. 3. v. *Simonia*, cas. 65.
Sunt ne casus in quibus liceat dotes accipere? Edicta Regum definierunt ne in Gallia dotes, quas in ejusmodi occasionibus exigere licet? *ibid.*
Bona fides postulantium per consuetudines, in qua sunt ejusmodi monasteria dotem exigendi, excusat ne illa a Simonia, an saltem illa subtrahit pœnæ adversus simoniacos decretæ? *ibid.* cas. 66.
An reliquum dotis alicujus filiæ accipi potest a matre ipsius inscio patre? tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 65.
Novitiæ possunt ne in Vespera Professionem præcedente testari in favorem monasterii? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 4.
An bonum male acquisitum per modum restitutionis dare quis potest monasterio, in quod se recipere vult? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 27.
Mulier quæ ad evitandum aliquod discrimen in monasterium se recipit, potest ne in illo retineri postquam maritus ipsam revocavit? tom. 2. v. *Votum*, cas. 20.
Licet ne e monasterio exire sola Prælati Regularis permissione? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 16.

Su-

Superiores, qui injuste e monasterio expellunt suos Religiosos, & ii qui ipsorum exequuntur mandata, nonne grave peccatum committunt? Potest ne & debet ne interjici appellatio a tali violentia? Pensiones sequuntur ne Religiosos juste aut injuste expulsos? tom. 3. v. Religiosa, cas. 9. & 10. tom. 3. v. Professio religiosa, cas. 14.

Potest ne ejici Religiosus e monasterio, cum offert aut consentit pœnitentiam pro sua culpa agere? Clericatus Gallicanus fecit ne quandam statuta respectu Religiosorum a monasterio ejectorum? tom. 3. v. Religiosus, cas. 41. & tom. 3. v. Titulus Clericalis, cas. 7.

M O N E T A.

Vide hujus vocis Prœmium.

Potest ne quis tuta Conscientia accipere aut dare eodem pretio species proclamatas, aut quarum valorem Princeps diminuit? tom. 2. v. Moneta, cas. 1.

Est ne peccatum mortale monetam adulterinam cudere, licet compositio ejus sit proba? ibid. cas. 2.

Qui bona fide ad alios transferunt monetas aureas, quæ aliquibus granis nimis levia sunt, sub prætextu, quod eadem ratione illas acceperint, tenentur ne ad restitutionem? tom. 3. v. Restitutio, cas. 187.

Qui falsos nummos quos acceperunt ad alios transferunt, tenentur ne ad restitutionem? ibid. cas. 114. & 122.

M O N I T I O.

Quotnam monitiones canonicas fieri requiritur, ut valida sit Censura? Sunt ne monitiones faciendæ ante judicis sententiam? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 20. tom. 2. v. Excommunicare, cas. 14.

Parochi habent ne jus monitiones canonicas faciendi, antequam notitiam ad istud sententia Officialis acceperint? ibid.

M O N I T O R I U M.

Vide hujus vocis Prœmium.

Superiores Ecclesiastici possunt ne in Gallia decernere monitoria in causis criminalibus, & licet ne iis uti salva Conscientia? tom. 2. v. Monitorium, cas. 1.

An idem dicendum si monitorium non respicit nisi causam civilem? cas. cas. 24.

Possunt ne monitoria concedi Hæreticis, aut Excommunicatis? Quo nomine concedi possunt Excommunicatis in Gallia? ibid. cas. 2. & 28.

Rei adversus quos decernuntur monitoria, tenentur ne revelare? ibid. cas. 4.

Criminis participes tenentur ne ad idem? ibid.

An saltem in solidum cum principali criminis auctore ad debitam reparationem damni facti conquerenti, obligantur, & istud habet ne locum tam in causis civilibus, quam criminalibus? ibid.

Jus Naturale eximit ne aliquem a deponendo adversus propinquos suos cognatos, etiamsi monitorium neget? ibid.

Potest aliquis revelare ante permissam monitionem? ibid. cas. 6.

Quibusnam cautelis uti debet, qui antequam adversus reum deponat, ipsum prius clam monere vult? ibid.

Criminis participes tenentur ne illum revelare? Qui diu dissimularunt revelare post intentatum monitorium, aut qui pecunia corrupti sunt, ne etiamnum deinum revelare obligantur? ibid. cas. 7.

Personæ quarum consilio quis usus est, aut illi, quibus quis rem confidit, tenentur ne revelare? Sunt ne quidam casus, in quibus ad hoc obligentur? ibid. cas. 8.

Si quis recepit hominem, qui ne aliquem decoxit, tenetur ne illum revelare? Vicini tenentur ne pariter ad hoc? ibid. cas. 9.

Qui refugium præbent infantibus male habitis a suis Cognatis propter religionem, tenentur ne revelare? Debent ne quasdam adhibere cautelas? ibid. cas. 3.

Ii, qui commodando nomen suum injuriam irrogarunt Creditoribus, tenentur ne ut & ii, qui ipsis confidunt, ad revelandum? ibid. cas. 11.

Propinqui cognati & affines rei tenentur ne ad revelandum? ibid. cas. 12. & 13.

Famuli tenentur ne revelare adversus suos Dominos? ibid.

Monitoria an non obligant ad revelandum nisi illos, qui sunt ex Parochiis, in quibus publicata sunt? ibid. cas. 14.

Criminis particeps, potest ne e Diœcesi in qua scit monitorium esse publicandum, recedere, ut hoc modo non obligetur ad revelandum? An nihilominus revelare tenetur, quamvis exierit e Diœcesi? ibid. cas. 49.

Talis criminis particeps nonne est excommunicatus, quamvis extra Diœcesim, quia est criminis particeps, & quia omisit revelare? ibid.

Vir quidam qui plura scit, quæ monitorium concernunt, potest ne ad revelandum obligari, quamvis non subditus sit jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi monitorium publicatur? ibid.

Homo non Christianus tenetur ne ad revelandum? ibid.

Est ne obligatio revelandi ab ipsa prima statim publicatione monitorii? ibid. cas. 15.

Mors Episcopi interveniens ante moras monitorio concessas, impedit ne ejus effectum? ibid. cas. 16.

Est ne obligatio revelandi, cum notum est, quod plures habeantur probationes, quam sunt necessariæ? ibid. cas. 17.

Est ne obligatio ad revelandum, cum cognitum est, quod reus satisfactionem sufficientem præstiterit? ibid. cas. 18.

Est ne obligatio ad revelandum, si crimen rei publicum fuit factum; aut si monitorium publicatum est adversus ipsum postulante parte publica? ibid.

Cum quis solus criminis alicujus habet conscientiam, an tenetur revelare? ibid. cas. 19.

Impuberes obligantur ne in Gallia ad revelandum? ibidem cas. 20.

Si non revelant, incurrunt ne excommunicationem? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 51.

Est ne obligatio revelandi, cum fieri istud non potest absque suo præjudicio? tom. 2. v. Monitorium, cas. 10.

Famuli qui usi sunt compensatione tenentur ne revelare ad monitorium a Dominis suis obtentum? ibid. cas. 21.

Qui non revelant, nisi post sententiam latam, sunt ne excommunicati? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 6.

Semper ne incurritur Excommunicatio negligendo revelare monitorio publicato? ibid. cas. 12.

Est ne semper obligatio monitorio promulgato revelandi, licet fieri id non possit, quin aliquis se ipsum periculo exponat? Sunt ne quædam Personæ jure exemptæ a revelando? ibid. cas. 22.

Monitorium obtentum falsa expositione, aut pro re exigui momenti, obligat ne, & est ne obligatus, qui non revelat in isto casu? ibid. cas. 19.

Qui non revelat facta contenta in monitorio, tenetur ne reparare damnum, quod inde passus est pars conquerens? tom. 3. v. Restitutio, cas. 20.

Si in dubio, num Judex, qui excommunicationis sententiam tulit, sit competens nec ne, omiserit aliquis revelare, est ne excommunicatus? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 4.

Parochus aut quivis alius Clericus potest ne suspendere publicationem monitorii sub prætextu promissionum, quæ ipsi fiunt in Confessione aut aliter quibus affirmatur, & promittitur, conquerenti plene satisfacere? tom. 2. v. Monitorium, cas. 5.

Potest ne sub quibusdam pœnis obligari Parochus ad continuandam publicationem monitorii, imprimis si tum Paschatis & Pentecostis Festa incidant? ibid. cas. 25.

Tenetur ne revelare, qui rei cognitionem non nisi æquivocam atque incertam habet, quique suam revelationem fundare possit non nisi rumore quodam? ibid. cas. 23.

Qui aliquid tantummodo audiendo rumorem percepit, tenetur ne ad revelandum, licet certus sit, eum a quo tum didicit, ipsum deposuisse? ibid. cas. 27.

Judices an non nisi pro damnis gravibus permittere debent monitoria obtineri atque concedi? ibid. cas. 24.

Episcopus potest ne monitorium concedere, cum scit Petentem sufficientes habere probationes, quibus coram judice obtinere potest integram injuriæ acceptæ reparationem? ibid. cas. 26. & 27.

Potest ne appellari tanquam ab abusu a monitorio, & appellatio suspendit ne obligationem in qua quis ad revelandum tenetur? tom. 2. v. Officialis, cas. 4.

M O N O M A C H I A.

Qui in Monomachiam vulgo *Duellum* descendunt, incurrunt ne excommunicationem majorem? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 8.

M O N O P O L I U M.

Vide hujus vocis Prœmium.

Quid est Monopolium? Monopolia sunt ne Divinis Legibus & Humanis prohibita? tom. 2. v. Monopolium, cas. 1.

Mercatores aut operarii, qui conspirant quod non sint vendituri aut laboraturi nisi certo quodam pretio, sunt ne Monopolii rei? Sunt ne quædam pœnæ iis infligendæ? ibidem cas. 2.

M O R S.

Licet ne mortem optare? Mors habet ne differentia nomina? tom. 1. v. Desiderium, cas. 1.

Licet ne mortem sibi ipsi consciscere? tom. 2. v. Occidere, cas. 8 & 11.

Judex Criminalis, qui condemnat ad mortem, est ne culpandus in hoc, aut facit ne actionem pietatis? tom. 2. v. Irregularitas, cas. 2.

Persona condemnata ad mortem ob desertum Vadimonii diem, censetur ne civiliter mortua ab ipso latæ sententiæ die? tom. 2. v. Mors, cas. 9.

Qualnam pœnas includit Mors civilis? Qui condemnantur ad aliquas harum pœnarum, fiunt ne inhabiles ad hæreditates adeundas? Ipsorum Infantes legitimi succedunt ne in ipsorum jura? ibid. cas. 11. & 13. tom. 1. v. Legatum, cas. 27.

Indulgentiæ prosunt ne mortuis? Certo ne ipsis applicantur? tom. 2. v. Jubilæum, cas. 19.

Digitized by Google

MOS-VESTITUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Est ne peccatum novos invenire vestium modos, aut ad eos se componere atque conformare? tom. 2. v. *Ornatus Muliebris*, cas. 4. & tom. 3. v. *Sarcinator*, cas. 2.

MULCTA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Hæredes tenentur ne solvere mulctas decretas a Judice adversus Defunctum ante Judicium definitivum, aut cum appellatio interjecta est? tom. 2. v. *Mulcta*, cas. 1. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 184. & tom. 2. v. *Hæres*, cas. 25.

Præter sepensis damna accepta potest ne etiam mulcta a Judice imposita peti? Pars condemnata tenetur ne illam solvere? tom. 2. v. *Mulcta*, cas. 2.

MULIER CONJUGATA.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Mulieres Conjugatæ tenentur ne suis Maritis aliquam afferre dotem? tom. 2. v. *Dos*, cas. 7.

Si matrimonium contractum irritum sit ac nullum, est ne ipsis dos reddenda? ibid. cas. 16.

An in hoc casu Mulieres proficere possent de conventis matrimonialis stipulatis in ipsarum favorem? ibid. cas. 17.

Conjugatarum Mulierum jure suot ne in omnibus æqualia Maritorum juribus? tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis Servilis*, cas. 8.

Mulier Conjugata potest ne absque consensu Mariti disponere de bonis dotalibus, aut de iis, quæ ipsi successione obtingunt? Licitum est istud tam in regionibus jure scripto regi solitis, quam in regionibus Consuetudines pro legibus habentibus? An ad hoc necessarium est, ut stipulata fuerint in Contractu bona in matrimonium allata? tom. 2. v. *Mulier Conjugata*, cas. 1

Mulier Conjugata potest ne inscio Marito disponere de bonis Communitatis? tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 1.

Mulieres quæ sunt sub potestate Mariti possunt ne disponere de bonis suis, quin auctoritatem ad hoc a Maritis acceperint? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 16.

Mulieres Conjugatæ separatæ a suis Maritis quoad corpus & bona, possunt ne rogare, alienare aut vendere bona sua dotalia, quin ad hoc auctoritatem habeant a suis Maritis? tom. 1. v. *Dos*, cas. 19.

Mulieres possunt ne Eleemosynas dare invitis suis Maritis? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 12. & tom. 2. v. *Furari*, cas. 13.

Mulieres Conjugatæ possunt ne constante matrimonio Eleemosynas & restitutiones facere ex summa quadam quam habent, quamque in contractibus suis non comprehenderunt? tom. 2. v. *Mulier Conjugata*, cas. 3. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 82.

Mulieres Conjugatæ possunt ne valide se obligare pro suis Maritis, aut petere coram Judicibus ut liberentur a suis obligationibus? Possunt ne repetere quæ jam solverunt pro suis Maritis? tom. 2. v. *Mulier Conjugata*, cas. 5.

Quonam in casu mulier sese obligare potest sine mariti sui consensu? ibid. cas. 4.

Mulier conjugata & Meretrix publica potest ne detentione corporis cogi ad solvendum debitum contractum ipsius nomine, sine consensu Mariti? ibid.

Mulier conjugata potest ne propria & particulari sua auctoritate opem ferre parentibus suis in gravem necessitatem redactis, licet Maritus iis opitulari recuset? tom. 1. v. *Communitas bonorum*, cas. 4.

An eodem modo ratiocinandum est respectu ejus Fratris, Sororis, & primi matrimonii infantium? ibid.

Mulieres possunt ne insciis suis maritis vota nuncupare, & tenentur ne illa solvere? tom. 3. v *Votum*, cas. 15. 16. 17. 18. & 19.

Possunt ne prælegare suis maritis? Quibus mediis utendum est iis, ut legitime hoc faciant? tom. 3. v. *Prælegare*, cas. 1. & 2. tom. 2. v. *Mulier conjugata*, cas. 2.

Mulieres conjugatæ habent ne hypothecam supra bonis suorum maritorum? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 16.

Mulieres Conjugatæ sunt ne maritorum suorum hæredes, in defectum infantium, aut aliorum hæredum? tom. 2. v. *Hæres*.

Mulieres Conjugatæ tenentur ne sequi suos maritos, qui abeunt in loco peregrinam sedem ibi figendi causa? Sunt ne quidam casus, in quibus non obligantur ad hoc? tom. 2. v. *Mulier Conjugata*, cas. 6.

Possunt ne suos maritos non sequi in itineribus, quæ illos malo proposito suscipere sciunt? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 25.

Tenentur ne suos maritos sequi in castra abeuntes militaturi? ibid. cas. 19.

Possunt ne a domo suorum maritorum, qui male illas habent, exire & alio se recipere? ibid. cas. 8. 16. & 19.

Mariti habent ne jus illas verberando corrigere? tom. 3. v. *Verberare*, cas. 2.

Possunt ne ad servandum vitam, honorem aut libertatem suam, vestem induere virilem? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 5.

Quomodo gerere se debet mulier, quæ credens suum maritum impotentem, habuit infantem adulterinum? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 9.

Mulieres Conjugatæ tenentur ne amplecti vitam religiosam, si consenserunt in Ordinationem suorum maritorum? tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 3. & tom. 3. v. *Votum*, cas. 16.

Mulieres Conjugatæ sunt ne inhabiles ad recipiendos aut exercendos Sacros Ordines? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 36.

Mulieres Conjugatæ incurrunt ne excommunicationem male tractando Clericum? Excommunicatio ista est ne Papæ reservata? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 34.

Incurrunt ne excommunicationem intrando in interiore Monasterii Virorum? ibid. cas. 48.

Mariti possunt ne a suis Uxoribus debitum conjugale exigere tempore menstruorum? An duo distinguendi sunt fluxus in mulierum illa infirmitate menstrua? An ambo illas eximunt a reddendo suis maritis debito Conjugali? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 9.

Mulieres possunt ne concipere constante hac infirmitate? ibid. cas. 11.

Mariti possunt ne exigere debitum Conjugale a suis Uxoribus prægnantibus? Possunt ne illud reddere absque periculo abortum procurandi? ibid. cas. 13.

Mulieres Conjugatæ debent ne maritis debitum Conjugale præstare modo a puerperio convalescentes? ibid. cas. 12.

Mulieres debent ne debitum reddere suis maritis per totum tempus, quo suos nutriunt infantes? ibid. cas. 11.

Mulieres debent ne per se ipsas nutrire suos Infantes? ibid.

Excommunicatio notoria mariti est ne ratio sufficiens, cur mulier denegare ipsi possit debitum Conjugale? ibid. cas. 42.

Uxor potest ne enixi infantem septimo mense? tom. 2. v. *Illegitimos*, cas. 12.

Mulieres tenentur ne ad jejunium, dum sunt prægnantes? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 4.

Est ne ipsis conferenda extrema Unctio, cum partus doloribus laborant? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 20.

Magistratus possunt ne sine peccato mulieres solutioris vitæ in orbe sufferre ad evitanda majora mala? tom. 2. v. *Judex*, cas. 10.

Licet ne hospitio excipere mulieres corruptas ac pravas? Si excipiendo illas non fuit cognitum quales sint, an uti primum quales sint constat ejiciendæ sunt hospitio? Sunt ne quædam hanc in rem Principum Leges? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 25. & 26.

Principes possunt ne in suis Terris tolerare Mulieres ejusmodi infames? tom. 2. v. *Lex*, cas. 4.

Est ne obligatio mulieribus meretricibus dandi quod ipsis promissum est pro pretio peccati cum ipsis commissi? Est ne peccatum dare ipsis solummodo ex affectu, & sine omni prava intentione? Tenentur ne restituere quod ipsis datur pro criminis sui pretio? tom. 3. v. *Promissum*, cas. 8. 9. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 120. & tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 14.

Ornatus muliebres sunt ne liciti? tom. 2. v. *Ornatus Muliebris*, cas. 4.

Cum ipsorum Formositas quibusdam offendiculo est, & illæ hoc sciant, tenentur ne vitare illa loca in quibus illæ personæ eas videre solebant? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 8.

Mulieres quæ faciem fucant, aut quæ maculis illis sericis quæ vulgo *mouches* vocantur, utuntur, peccant ne graviter? tom. 2. v. *Fucus*, cas. 1.

MURUS INTERMEDIUS.

Proprietarii duarum Domuum adjacentium, tenentur ne æqualiter ad reparationem muri intermedii caducis aut ruinam minitantis? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 24.

MUTILATIO.

Licet ne aliquando seipsum mutilare? tom. 2. v. *Occidere*, cas. 14.

MUTUATIO.

Personæ nobilis conditionis quæ mutuantur sub prætexto suam sustentandi dignitatem, licet non ignorent, se non solvendo esse debitis quæ ejusmodi mutuationibus contrahunt, peccant ne graviter? tom. 2. v. *Furari*, cas. 8.

MUTUUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Periculum insolubilitatis, aut lucrum ingens quod capturus est debitor, sunt ne sufficientes Tituli, ut quis lucrum possit vel interesse capere ex mutuo quam dat pecunia? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 1. 2. & 3. tom. 3. v. *Usura*, cas. 30. & tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 3. & 4.

Potest ne sine Usuræ peccato pecunia mutuo dari sub conditione, ut in iisdem speciebus & in eodem valore restituatur post proximum ejus interdictum? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 4. & tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 2.

Mutuum reddit ne eum cui datur proprietarium rei eo ipso, quo ipsi data est mutuo? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 5.

Si quis mutuo accepit rem aliam, quam pecuniam, & illam non reddit termino convento, tenetur ne illius æstimationem solvere? & qua ratione fieri? ibid. cas. 2. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 2. 4. 3. 8. 9. 11. 13. 16. 17. 23. 25. 26. & 30.

MU-

MUTUS.

Muti sunt ne habiles ad faciendam Religionis Professionem? tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 4.

N

NAUCLERUS SEU PRÆDATOR NAVIUM HOSTILIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Bona quæ aliquis cougit cursibus propria auctoritate & sine Præfecti mandato factis, sunt ne ipsi legitime acquisitam? tom. 2. v. *Nauclerus*, cas. 1.

Bona quæ Nauclari acquirunt cursibus a Præfecto mandatis sunt ne legitime acquisita? *ibid.* cas. 6.

Nauclerus Gallus, qui durante bello capit super terram Anglicam navigium Gallicum, potest ne illud in suum lucrum retinere, aut debet ne illud reddere proprietario? *ibid.* cas. 2.

Tempore Pacis inter Galliam & Angliam, an Nauclerus Gallus capere potest navigium Anglicum sub prætextu quod Belgæ, cum quibus Gallia Bellum gerit, usi sint ejus vexillo, illudque onerarint suis mercibus? *ibid.* cas. 3.

Nauclerus Gallus munitus Commissione, potest ne sibi tanquam proprium attribuere navigium mercatorium ejusdem Nationis, quod vi aperte capit propter denegationem visitationis subeundæ? *ibid.* cas. 4.

Nauclerus Gallus potest ne arma capere adversus Infideles in favorem Religionis Equitum Melitensium, aut alius Principis sine Regio permissu expresso? Licet ne ejusmodi Nauclerus pecuniam & alia ad ipsorum proposita necessaria mutuo dare? *ibid.* cas. 5.

NAUFRAGIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Cum vi tempestatis aut metu naufragii coacti fuerunt nautæ in mare projicere partem mercium aliquam, an omnes, qui aliquam habent partem in iis quæ navi illa vehuntur, obligati sunt ad præstandum damnum illi cujus merces in mare projectæ sunt, ad commune bonum? Quanam ratione facienda est illa contributio, & quantumque quisque debet? tom. 3. v. *Naufragium*, cas. 1.

Cum Navigium instructum sumptibus communibus in Piratas incidit, qui illi redemptionis pretium extorquent, aut aliquas tantum merces auferunt, an omnes quos navis attinet, jacturam illam pro rata subire tenentur? *ibid.* cas. 2.

Naufragio amissa pertinent ne ad eos, qui illa reperiunt? Est ne aliquod tempus definitum, intra quod eorum restitutio peti possit ac debeat? *ibid.* cas. 3.

Domini possunt ne, vi consuetudinis, apprehendere, quæ vi tempestatis in ipsorum projiciuntur terras? *ibid.* cas. 4.

NAVIS.

Dominus Navigii venti impetu projectus in funes anchoræ alius navigii, an tenetur damnum præstare, si cum aliter servare se non potest, funes illius navigii amputari curat? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 178.

Navigii Dominus potest ne ab iis, pro quibus navem instruxit, quandam petere præstationem damni illius, quod in illo cursu passus est? tom. 2. v. *Naufragium*, cas. 1.

NECESSARIUM.

Quid & quantum intelligi potest ac debet per alicujus necessarium? tom. 1. v. *Eleemosyna*, cas. 9.

NEGOTIUM ARGENTARIUM.

Lucra Negotiatorum Argentariorum suntne legitima? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 232.

Oblatum ipsis lucrum, Conscientia Principis, lucrum, an non sufficientes illos, cujus auctoritate inducuntur ad aliquod capiendum lucrum ex sua negatione? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 44.

NOBILIS.

Personæ Nobiles possunt ne exercere mercaturam, aut conductiones suscipere in ipsos, aut per alios administrare? tom. 2. v. *Domini Parœciarum*, cas. 12.

Nobilis qui promisso matrimonio seduxit filiam plebejam, tenetur ne illam in matrimonium ducere, aut dotare? tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 1.

Filia nobilis quæ se a plebejo seduci passa est, potest ne pecuniæ summam in honoris reparationem ab eo exigere, matrimonium illi denegando? *ibid.* cas. 4.

NOMEN.

Error nominis in supplicationibus quæ offeruntur ad obtinendam dispensationem, an semper dispensationes inutiles irritas reddat? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 15.

Qui commodando nomen suum injuriam inferunt Creditoribus, tenentur ne illud revelare? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 12.

NOMINATIO.

Patroni tenentur ne suum Nominationis actum Ordinario intra certum quoddam tempus exhibere? tom. 2. v. *Patronus*, cas. 14.

NOSOCOMIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quotnam distingui possunt Nosocomiorum genera? tom. 2. v. *Nosocomium*, cas. 1.

Episcopus Diœcesanus habet ne jus inspectionis in Nosocomiis, tam quoad administrationem in temporibus quam quoad administrationem in spiritualibus? *ibid.* cas. 2.

Privati possunt ne Nosocomium fundare absque Episcopi participatione ac interventione? *ibid.*

Capitulum cui relicta est terra aliqua, ut ejus reditus adhibeat ad nutriendos pauperes transeuntes, potest ne defectu peregrinantium, applicare reditus illos aliis usibus, puta ad solvendos Cantores? cas. 2.

Administratores Nosocomii habent ne jus, sine consensu Ordinarii in alios usus commutandi reditus Nosocomii destinatos certis quibusdam necessitatibus, quæ non amplius subsistunt? *ibid.* cas. 3.

Possunt ne propria & privata sua auctoritate in usus pios convertere bona Nosocomii excedentia atque excrescentia? *ibid.* cas. 4.

Qui infantem in Nosocomia ponunt, tenentur ne illis damnum rependere, si suppetat unde id facere possint? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 152.

Donationes Nosocomiis factæ, sunt ne irritæ ac nullæ, si Donatoribus deinceps nascantur infantes? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 21.

NOTARIUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

An Notarii Laici approbari ab Episcopis esse debeant in Gallia, sicuti præcipit Concilium Tridentinum? tom. 1. v. *Electio*, cas. 1.

Notarius Laicus potest ne instrumentum facere in Electione Ecclesiastica? *ibid.*

Notarii possunt ne facere contractus, quos sciunt esse usurarios? *ibid.* cas. 1.

Debent ne certas quasdam obligationes, quibus nihil vitii inest conficere, recusare, cum Contrahentium alter cognoscitur tanquam usurarius? *ibid.* cas. 2.

Notarii qui clam reformant actus informes, ut valeant in foro, tenentur ne ad restitutionem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 128.

Tenentur ne ad restitutionem, cum contrahunt aut admittunt Contractus usurarios, & cum non bene & recte componendo actus injuriam ac præjudicium alteri parti inferunt? *ib.* cas. 128. & 129.

Tenentur ne ad restitutionem in defectum Contrahentium, cum pactiones contrahunt ad collocanda quædam bona in tuto? tom. 3. v. *Tributum annuum*, cas. 8.

Tenentur ne ad restitutionem, quum falsos contrahunt Actus? tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas. 2.

Cum Notarius interdicitur aut tanquam falsarius condemnatus facit contractum venditionis, iste contractus est ne irritus ac nullus? tom. 2. v. *Notarius*, cas. 2.

Notarii possunt ne Instrumentis conficiendis incumbere diebus Dominicis ac Festis? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 17.

Diaconus aut Sacerdos, qui emit munus Notarii, illudque exercet, potest ne obligari ad illud deponendum? quod si denegat, est ne ipsi Absolutio deneganda? tom. 2. v. *Notarius*, cas. 4.

NOTHUS.

Patres Nothorum tenentur ne prospicere alimentis istorum infantium? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 18.

Iste defectus quod aliquis sit nothus, est ne Religiosis obstaculo quominus Sacros recipere possint Ordines & ad Dignitates eligi? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatum*, cas. 85.

Quis potest dispensare Nothum ab irregularitate ad recipiendos Sacros Ordines, & possidenda Beneficia? *ibid.* cas. 28.

Cum dispensati sunt pro Ordinibus, censentur ne dispensati quoque esse pro Beneficiis possidendis? *ibid.* cas. 30.

Episcopi possunt ne dispensare Nothos, tam ut Majores & Minores Ordines recipere valeant, quam ut provideri possint beneficiis simplicibus, aut quæ annexam habent Curam animarum? *ibid.* cas. 16.

Possessio triennalis est ne ipsis loco tituli ad se continendos in Beneficio? tom. 3. v. *Possessio*, cas. 8.

Succedunt ne in Gallia Parentibus suis Nothi? tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 5.

Nothi possunt ne in Gallia institui hæredes aut Legatarii? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 7.

Cum legitimantur, sunt ne capaces adeundis hæreditatibus, quæ jam obtigerunt, & quæ adhuc obtingere in futuro possunt? *ibid.* cas. 13.

Nothi possunt ne Testamenta facere? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 9.

Ad quem pertinent bona a Nothis relicta? tom. 2. v. *Illegitimus*, cas. 10. & *Domini Parœciarum*, cas. 9.

NO-

N O T O R I E T A S.

Notorietas publica sufficiebat ne olim ad obligationem inducendam excommunicatum vitandi? Sufficit ne hodie? Quis mutavit hunc disciplinæ articulum? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 27.

N O V I T I U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Abbatissæ possunt ne recipere Novitias, antequam suæ Abbatiæ capessiverunt possessionem? tom. 2. v. *Novitius*, cas. 1. & tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 1. & tom. 1. v. *Abbas*, cas. 1. 3. & 4.

Episcopus aut Communitas possunt ne Novitios recipere vacante Sede Abbatiali? *ibid.*

Sufficit ne ad interrumpendum Novitiatum, recedere per aliquot horas a Monasterio sine Superioris permissione? tom. 2. v. *Novitius*, cas. 2.

Est ne essentiale ad Professionem, ut annus Novitiatus sit integre completus? *ibid.* cas. 3. & 4.

Est ne essentiale per totum annum Novitiatus vestem gerere & functiones exercere Novitiæ? *ibid.* cas. 4.

Est ne essentiale per integrum Novitiatus annum in eadem manere domo? *ibid.* cas. 6.

Morbus incurabilis, qui sub finem anni Novitiatus intervenit, est ne obstaculum Professioni? *ibid.* cas. 7.

Monasteria divitia possunt ne a Novitiis solutionem Pensionum exigere, aut dotis augmentum? *ibid.* & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 62. 63. & 65.

Novitii possunt ne sua bona Monasteriis quæ ingrediuntur dare? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 64. & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 4.

Monasteria, quæ non sunt egena, possunt ne sine Simonia exigere pensionem pro Novitiatu, sumptus pro morbo & sepultura? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 62. & 63.

Religiosi qui acceperunt pecuniam pro admittendo ad Professionem Novitio, tenentur ne ad Restitutionem, & cuinam facere illa debeant? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 2. & 17.

Potest ne dispensatio de Novitiatu peti? tom. 1. v. *Dispensatio de votis in genere*, cas. 3.

Novitius tenetur ne confiteri Novitiorum Præposito, & nonne potest alio ex Monasteriis Confessario ab Episcopo approbato uti? tom. 2. v. *Novitius*, cas. 5.

Novitii qui per tempus sui Novitiatus non cognoverunt veras Religionis obligationes, propter solutiorem vitam, quæ usu ibi invaluit, tenentur ne post Professionem suam strictius vivere quam Religiosi cæteri? tom. 3. v. *Votum*, cas. 32.

Abbates & Abbatissæ tenentur ne introducere scrutinium ubi non viget usus, cum agitur de admittendis in monasteria Novitiis? tom 1. v. *Abbatissa*, cas. 2.

Abbas Regularis potest ne sola auctoritate sua Novitios admittere ad Professionem, aut ab illa excludere eos, qui sese offerunt? tom. 2. v. *Abbas*, cas. 5.

Abbas, qui est in possessionem agendi hoc modo, potest ne suo jure uti? *ibid.* cas. 5.

Abbates aut Abbatissæ, qui recipiunt ad Novitiatus personas, quas sciunt non nisi invitas ingredi Religionem, peccant ne & incurrunt ne aliquas Censuras? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 9.

N U D I T A S.

Sunt ne peccati arguendi, qui contemplantur nudas picturas aut imagines? tom. 1. v. *Aspectus*, cas. 2.

N U M M U L A R I U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Commercium nummariatum tesseratum, quod exercent nummularii, est ne licitum? Potest ne aliquando fieri usurarium? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 1.

Nummularius potest ne exercere permutationem pecuniæ manualem, quin usuræ fiat reus? tom. 1. v. *Campsor*, cas. 1.

Nummularius potest ne sine usura pecuniam sub conditione lucri inde solvendi accipere, eo fine ut usura suam nummatiam conservet? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 4.

Potest ne sine usura certam pecuniæ summam mutuo dare ad aliquod tempus, & sub conditione illam accipiendi in iisdem speciebus, & ratione, qua tunc in his vel illis locis valebit? *ibid.* cas. 2.

Commercium permutationis ad terminum, quod exercent Nummularii, est ne usurarium? Sunt ne quidam casus, in quibus cesset esse usurarium? *ibid.* cas. 3. & tom. 2. v. *Emptio*, cas. 4. & tom. 3. v. *Venditio*, cas. 38. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 28.

N U N D I N Æ.

Nundinæ possunt ne celebrari diebus Dominicis ac Festis? Principes fecerunt ne quoad istud quædam edicta? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 3. & tom. 2. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 5.

Peregrini qui frequentant Nundinas Lugdunenses & alias, habent ne quædam privilegia in Gallia? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 24. & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 11.

Vide DIES DOMINICI AC FESTI.

N U P T I Æ.

Est ne aliquod tempus, quo nuptiæ sint prohibitæ? Est ne peccatum eo tempore sine dispensatione matrimonium inire? An solemnitas nuptiarum, an vero nuptiæ ipsæ prohibitæ sunt illo tempore? tom. 2. v. *Impedimenta Impedientia*, cas. 1.

N U T R I X.

Mulieres possunt ne denegare suis maritis debitum Conjugale per totum illud tempus, quo suos nutriunt infantes? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 31.

Tenentur ne ad jejunandum? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 4.

O

O B E D I E N T I A.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne semper obligatio Superioribus obediendi? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 1.

Sunt ne quædam conditiones requisitæ in Superiore, ut possit exigere obedientiam? *ibid.*

Est ne Superioribus Ecclesiasticis obediendum præ Superioribus Laicis? *ibid.*

Utri Superiori obediendum potius Ecclesiastico an Sæculari, cum unus jubet, quod alter prohibet? *ibid.* cas. 2.

Votum Obedientiæ Religiosæ extenditur ne ad omnia, quæcumque præcipit Superior? *ib.* cas. 3. 6. & 10. tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 30. & tom. 3. v. *Secretum*, cas. 8.

Obedientia Superioribus debita extenditur ne ad omnia quæ in regula continentur? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 4. & 5.

Prior Conventualis potest ne quin violet Votum Obedientiæ, se non submittere suo Abbati qui ipsum deponit, & Prioratu suo privat? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 2.

Est ne obedientia præstanda in dubio? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 4.

Regulares debent ne obedire suo Abbati præ Episcopo Diœcesano? *ibid.* cas. 5.

Religiosi possunt ne, quin violent Obedientiæ Votum, scribere & accipere literas ab Superiore Majore, adversus voluntatem suorum Superiorum Regularium? *ibid.* cas. 6.

Tenentur ne Superioribus declarare inordinatam vitam, quam agunt sui Confratres, cum id ipsis mandant? *ibid.* cas. 8. & 9.

Religiosus, qui Confessiones audit, potest ne, quin violet obedientiam quam suo Abbati debet, non respondere ipsi de defectibus Religiosorum quorundam suorum pœnitentium, de quibus sciscitatur Abbas, immo jubet illos sibi aperiri? *ibid.* cas. 7.

Sunt ne culpæ & defectus proximorum, quos emendarunt declarandæ & aperiendæ Superioribus id mandantibus? *ibid.* cas. 11.

Religiosus tenetur ne sub pœna inobedientiæ Superiori ipsum interroganti revelare omnis generis secreta, quæ ipsi concredita sunt? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 8.

Obedientia Religiosorum & Religiosarum debet ne cæca esse? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 10. & tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 4. & 5. & tom. 3. v. *Votum*, cas. 32.

Clerici debent ne suis Episcopis obedientiam? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 16.

Debent ne obedire suis Parentibus, in rebus, quæ sacras sui Ministerii functiones attinent? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 12.

Famuli tenentur ne suis Dominis obedire in rebus illicitis? *ibid.* cas. 13.

Infantes, certæ cujusdam ætatis, possunt ne sese Deo consecrare invitis suis cognatis? *ibid.* cas. 14.

Possunt ne abstinere ab attinendis illis vitæ generibus, quorum Cognati ipsis optionem offerunt? *ibid.* cas. 15.

An interdum ex spiritu obedientiæ continuari non debet, quod cœptum est, bonum opus? *ibid.* cas. 16.

Religiosæ, quæ consultant personas extra Monasterium, peccant ne adversus Votum obedientiæ? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 13.

Religiosus, potest ne, quin violet Votum Obedientiæ, ingredi, sine consensu Superioris sui, in Ordinem, magis regularem, quam is, quem vult derelinquere? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 30.

O B I T U S.

Canonici tenentur ne adesse obitibus? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 5. & 15.

Qui Confessiones audiunt, aut Missam dicunt durantibus obitibus, habent ne jus accipiendi distributiones quotidianas? tom. 1. v. *Distributiones Quotidianæ*, cas. 10.

O B L A T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

In quemnam usum convertere debent Parochi oblationes a populo factas? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 1.

An omnes oblationes, quæ in ipsorum Ecclesiis fiunt, ad ipsos pertinent? Ecclesia potest ne illi præscribere super istis oblationibus? *ibid.* cas. 3.

Obla-

Oblationes, quæ fiunt in Sacello separato ab Ecclesia, pertineat ne ad Sacellanum, num vero ad Parochum, in cujus parochia Sacellum illud est situm? *ibid.* cas. 2.
Oblationes, quæ fiunt in monasteriis, pertinent ne ad Religiosos, an vero ad Parochum? *ibid.*
Observationes quædam in Edictis Blesens. & Melodun. circa jus oblationum? *ibid.*

O B L I G A T I O.

An varii generis sunt obligationes? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 1.
Obligatio quædam potest ne esse Juris Divini pluribus respectibus? tom. 1. v. *Dispensatio*, cas. 3.
Licet ne obligationes, quæ post aliquot menses solvendæ sunt, minoris emere, quam valent? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 14.
Qui obligationes pure & simpliciter vendit, tenetur ne illas mancipio dato? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 43.
Obligationes sunt ne hypothecis subditæ in Gallia? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 12.

O B S E Q U I U M O P E R Æ.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Dominus potest ne a suis Vasallis exigere obsequia operæ sine ullo titulo & propter solam possessionem, in qua est? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 2.
Potest ne illos obligare, ut ipsi præstent uno anno ea operæ obsequia, quæ illi debent ex annis præcedentibus? *ibid.* cas. 3.
Habet ne jus illa exigendi pro alio, quam pro se? *ibid.* cas. 5.
Potest ne illa in pecuniam convertere? *ibid.* cas. 4.

OBSIGNATIO BONORUM.

Obsignatio bonorum ponit ne Debitorem extra conditionem solvendi unum Creditorem præ alio? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 110. & 123. & tom. 1. v. *Cessio bonorum*, cas. 1.
Est ne obligatus ad Massam communem referendi, quod quis in solutionem accepit a Debitore ante vel post bonorum obsignationem? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 10.
Licet ne omnia Debitoris bona apprehendere, cum quædam ex iis sufficiant solvendis debitis? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 8.

O B S T E T R I X.

Obstetrices tenentur ne ad secretum servandum? tom. 3. v. *Testis*, cas. 4.
Vir, qui infantem suum moribundum baptizat in præsentia Obstetricis, contrahit ne cum sua uxore affinitatem spiritualem? tom. 1. v. *Debitum conjugale*, cas. 52.

OCCASIO PROXIMA PECCATI.

Experientia temporis præteriti sufficit ne ad dijudicandum, quod peccandi occasio sit proxima? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 20. & 21.
Est ne ratio sufficiens, quare denegari aut differri alicui possit absolutio? *ibid.* cas. 17. & 21.
Cum non est in potestate alicujus occasionem peccati proximam tollendi, debet ne illi absolutio conferri, & quibuscum cautelis? *ibid.*
Potest ne considerari tanquam occasio peccati proxima pertinacia alicujus personæ, quæ abstinere non vult a dandis & accipiendis aditibus officiosis, a scribendis & accipiendis literis, & a servanda pictura illius, cum qua olim vixit in peccato? *ibid.* cas. 8.

O C C I D E R E.

Vide hujus vocis Proœmium.

Qui sui Inimici bestiam occidit, peccat ne contra charitatem & adversus justitiam? tom. 2. v. *Occidere*, cas. 13.
Potest ne aliquis sine peccato occidere aggressorem ad servandam vitam suam? *ibid.* cas. 1.
Potest ne in hoc casu intentionem habere non tantum sese defendendi, sed & aggressorem illum occidendi? *ibid.*
Quænam sunt hanc in quæstionem variæ Theologorum sententiæ? Quænam porro fuit, quoad istud antiquæ Ecclesiæ Disciplina? *ibid.*
Si aggressor offerat cedere certamine, metuens, ne occidatur, is autem, quem aggressus est, nolit illo cedere, potest ne illum in hoc casu occidere, si valeat? *ibid.* cas. 2.
Vir, qui tantopere percusserit mulierem prægnantem, ut puerperio anticipato infantem mortuum emitteret, est ne homicidii reus? *ibid.* cas. 3.
Qui hominem, non quidem nisi in casu fortuito occidit, sine intentione illum occidendi, est ne nihilominus homicidii reus? Quonam in casu talis judicandus est? *ibid.* cas. 4.
Qui aliquem invenit plane contusum atque laceratum, aut adeo vulneratum, ut non amplius per dimidiam vivere possit horam, quique ipsum rogat, ut sibi ictum mortem inferentem det, ad finiendos intensissimos dolores, potest ne exequi, quod postulatur ab ipso? *ibid.* cas. 5.
Cum reus, qui evasit, condamnatus est ad mortem ob decretum vadimonii diem, potest ne impune occidi a privato, qui ipsum offendens scit, esse condemnatum & proscriptum? *ibid.* cas. 6.
Privatus iste meretur ne, ut & ipse occidatur tanquam homicida? Sententia S. Augustini super hoc? *ibid.*
Miles potest ne sine crimine occidere alium militem ex hostibus, qui transit per viam, ipsumque minime aggreditur? Posset ne ipsum occidere, si vigilias ageret, aut mandatum haberet eundi licet iste hostilis miles offerret bellici captivi legem subire? *ibid.* cas. 7.
Filia honesta potest ne sine crimine eum, qui ipsam violare nititur, occidere, si aliter non possit evadere tantam ignominiam? Aut potest ne sibi inferre mortem exemplo sanctarum quarumdam Virginum? Egregiæ quædam regulæ Christianæ in hanc materiam. *ibid.* cas. 8.
Tres S. Thomæ regulæ, & ejus opinio de secunda quæstione. Responsum ad rationes, quæ ducuntur ex exemplo sanctarum quarumdam Virginum? *ibid.*
Licet ne occidere furem, qui aufugiens, omnia ejus, qui ipsum occidit, bona aufert? *ibid.* cas. 9.
Censura modernorum Casuistarum, qui affirmativam defenderunt? *ibid.*
Christianus factus mancipium contra omnem Justitiam, & a decem jam annis in durissima servitute detentus, potest ne se ab illa liberare occidendo Piratam, qui ipsum super mare ceperat? *ibid.* cas. 10.
Quotnam modis licitum est alteri vitam eripere? *ibid.*
Magistratus, qui est Depositarius Principis auctoritatis, potest ne se ipsum morte afficiendum curare, cum capitalis criminis sibi conscius est? S. Augustini & S. Thomæ in istud sententia? *ibid.* cas. 11.
Judex potest ne ad mortem condemnare innocentem, ad sedandam ortam propter ipsum seditionem? *ibid.* cas. 12.
Præsul Princeps supremus, potest ne morti tradendum reum curare, pro bono sui Territorii? *ibid.* cas. 15.

O C U L U S.

Defectus oculi sinistri inducit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 15.
Qui eripiunt aut corrumpunt alicui oculum, sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 4.
Ii, quibus oculus per accidens & præter ipsorum culpam est ereptus, sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 102.

O D I U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Licet ne ex odio adversa quædam temporalia apprecari suo Inimico? *ibid.* cas. 21 & tom. 2. v. *Desiderium*.
Odium adversus proximum est ne ratio sufficiens Absolutionem denegandi illi, qui eo perseverat? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 23.
Qui odium in animo gerunt, committunt ne mendacium recitando hæc Dominicæ Orationis verba, *Sicut & nos dimittimus, &c.*? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 10.
Odium, quo quis fertur in Personam inordinatius viventem, est ne criminale? tom. 2. v. *Odium*, cas. 1. & tom. 1. v. *Charitas*, cas. 12.

O F F I C I A L I S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Munus Officialis est ne res spiritualis? Est ne Simoniacum, illud vendere munus, aut reditum inde proficiscentem cum aliquo communem habere? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 18.
Officialis potest ne in Gallia monitorium decernere in re criminali, quin sit irregularis? *ibid.* cas. 2. & tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 2.
Potest ne condemnare Clericum culpam suam agnoscentem sine observatis aliis formulis? tom. 1. v. *Accusatus*, cas. 6.
Potest ne Clericos reos condemnare ad discedendum Diœcesi? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 10. & 24.
Potest ne declarare suspensos Clericos alienos, qui reos se præstiterunt? *ibid.* cas. 3.
Potest ne sine speciali potestate ab Episcopo obtenta, exercere æque Jurisdictionem Voluntariam ac Contentiosam? Habet ne potestatem confessionem excipiendi sine Episcopi approbatione, absolvendi a Casibus reservatis, dandi literas dimissorias, & deputandi pro celebratione matrimoniorum? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 17. & tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 14.
Cum Episcopus recusatur, Officialis ipsius potest ne cognoscere de causa? Si contra Officialis recusatur, an Episcopus cognoscere potest? Officialis potest ne deponi? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 6. & tom. 3. v. *Pœnitentiarius*, cas. 1.
Officialis cujus Episcopus est excommunicatus potest ne quandam exercere Jurisdictionem? Ad quemnam tunc devolvitur jurisdictio? tom. 2. v *Officialis*, cas. 8.
Parochus Officialis debet ne pronuntiare super crimine unius ex suis Parœcianis, si illud crimen cognoscit sub sigillo secreti? *ibid.* cas. 11.
Officialis potest ne excommunicare quemquam, quin tres ipsi fecerit monitiones Canonicas? *ibid.* cas. 21.
Officiales soli possunt ne oppositiones matrimonii tollere? tom. 2. v. *Oppositio ad Matrimonium*, cas. 1.
Quodnam est ipsorum debitum officium, cum ipsis Roma afferuntur dispensationes subscribendæ? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 27. & 28.

An

An si soli subscribere possint dispensationes a Papa obtentas? Commissio, quam Papa ipsis dat concedendi dispensationes, transit ne ipsis mortuis ad successores? ibid. cas. 30. & 31.

Habent ne jus ipsi & ipsorum Ministri quandam exigendi honoraria pro dispensationibus, quas concedunt? ib. cas. 40.

Sunt ne quidam casus, qui ad ipsos pertineant omnibus aliis exclusis Judicibus? Ipsorum sententia est ne executionem fortitura non obstante quavis appellatione? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 10. 14. & 15.

Cum sententia Officialis nulla & irrita esse in uno articulo deprehenditur, an irrita quoque ac nulla esse censeatur in reliquis capitibus omnibus? ibid. cas. 10.

An omnis Officialis delegari possit a Papa vi appellationis Romam interpositæ? ibid. cas. 11.

Cum Officialis est excommunicatus denuntiatus, ne ejus subdelegatus ejus loco exercere possit functiones ipsius? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 12.

Officialis Canonicus censetur ne præsens esse officiis, & lucratur ne? An omnia emolumenta quæ Officiales ex suo munere hauriunt, ad ipsos pertineant? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 3.

Officialis quomodo instruere debet litem in Contentionibus Civilibus & in causis criminalibus? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 5.

De quibusnam criminibus & delictis cognoscit Officialis? Quibusnam in causis Judices Civiles una cum Officialibus cognoscunt? ibid.

Officialis debet ne esse Sacerdos & ad gradus esse promotus? Censuræ decretæ ab Officiali, qui non est in Sacris, sunt ne validæ? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 1 & tom. 2. v. *Excommunicare*; cas. 10.

Officialis potest ne super contestatione, quæ adhuc est sub Judicibus Sæcularibus, monitorium decernere sine permissione antedictorum Judicum? ibid. & tom. 2. v. *Officialis*, cas. 4.

Officialis potest ne Ecclesiasticum captivum, qui appellavit ad Metropolitanum, obligare ut sumptus translationis suppeditet & in hunc finem decernere pignoratitio jure literas adversus ipsum? ibid. cas. 7.

In casu appellationis a sententiis Officialis in causa Criminali intentata ex officio a Promotore, utrum an Episcopus vel appellans ad sumptus necessarios suppeditandos obligetur? ib.

Laicus condemnatus ab Officiali, ad pœnam pecuniariam in lucrum Episcopi & pauperum adversus, est ne fundatus ad appellandum tanquam ab abusu, ibid. cas. 10.

Ecclesiasticus ne æquo fundatus esset ad appellandum in pari sententia adversus se lata? ibid. cas. 13.

Officialis, cum non agitur nec de moribus nec de disciplina, potest ne enunciare in sua sententia, quod effectum sortiatur sit non obstantibus quibusvis oppositionibus & appellationibus? ibid.

Officialis potest ne Clerico reo infligere pœnas infamia notantes, ut sunt verbi gratia flagellatio, missio ad remos & in exilium? ibid. cas. 14.

Cum Officialis suspectus factus est partibus, Episcopus potest ne ipsis dare Advocatum aut Archidiaconum pro Judice? Quonam in casu facere istud potest? ibid. cas. 15.

Officialis potest ne destitui ab Episcopo? ibid.

Episcopus potest ne delegare Laicum ad judicandos Clericos? ibid.

Officialis potest ne nominari arbiter, & postmodum Judex esse in una eademque causa? ibid. cas. 17.

Officialis Metropolitanus habet ne jus evocandi ad se causas pendentes adhuc in prima contentione coram Officiali Episcopi suffraganei? ibid. cas. 16.

Potest ne denunciari Officialis ad judicandum si istud recusat, ab ipso appellari, si perseverat, & recusari Judex, licet postmodum vellet ferre judicium? ibid. cas. 18.

O F F I C I N A.

Opifices & Mechanici, qui aliis bonis cesserunt officinam sub certis quibusdam Conditionibus, possunt ne nullo ad istud respectu habito, nihilominus suas exercere artes mechanicas? tom. 1. v. *Cessio bonorum*, cas. 12.

Licet ne officinas aperire ad vendendum diebus Dominicis, ac Festis? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 3.

O F F I C I U M   B R E V I A R I I.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Nonne tentare Deum est, recitare Breviarium sine præparatione, sine attentione, & odium in animo adversus proximum fovendo? tom. 3. v. *Tentatio Dei*, cas. 2.

Excommunicatio decreta in quibusdam Diœcesibus adversus illos, qui durante Officio divino spectaculis intersunt, est ne solummodo commonitoria? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 14.

Potest ne sinei Officium Divinum in præsentia Excommunicati? Oportet ne hoc in casu interrumpi: ibid. cas. 35.

Recitatio Breviarii est ne usus in Ecclesia valde antiqui? Omnes ne Beneficiarii & Clerici qui in Sacris Ordinibus sunt, tenentur ad illud recitandum sub pœna peccati? Ecclesia decrevit ne quasdam pœnas adversus eos, qui huic desunt officio? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 1. & 5. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 146.

Quonam nititur fundamento usus recitandi officium in choro? tom. 3. v. *Pœnitentia imposita*, cas. 3.

Clericus ordinatus subdiaconus tenetur ne ad integrum officium, ab ipso, quo ordinatus est, die, aut debet ne tantummodo incipere ab illa parte, quam ea hora recitasset, si prius fuisset ordinatus? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 2.

Clericus qui ante ordinationem recitasset residuum illius diei, satisfecisset ne pro illa die obligationi, quam ipsi inducit Subdiaconatus Ordo? ibid. cas. 3.

Qui Officium diei recitare plane omittunt, committunt ne totidem peccata mortalia, quot horæ illud componunt? ibid. cas. 4.

Omissio voluntaria solius ex parvis horis Breviarii est ne peccatum mortale? Quænam est mens Ecclesiæ & intentio in recitando Officio? ibid. cas. 5.

Omissio Breviarii facta ex Oblivione, est ne peccatum? ibid. cas. 19.

Necessitas vacandi operibus charitatis prævalet ne obligationi recitandi Breviarii? Licet ne anticipare Officia, cum prævidentur quædam obstacula habenda? ibid. cas. 6.

In dubio, an aliquæ horarum partes jam sint recitatæ, an satisfaciendum? ibid.

Beneficiarii tenentur ne ad recitandum Breviarium antequam possessionem adierunt, aut cum sunt in mora? ib. cas. 8.

Religiosi professi aut novitii, qui nondum promoti sunt ad Sacros Ordines, tenentur ne ad Breviarium recitandum? ib. cas. 9. & tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 7.

Religiosi Professi, qui e Monasterio ejecti fuerunt aut qui obtenta dispensatione exierunt ex illo, obligantur ne quibusdam Canonibus ad illud recitandum? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 10.

Religiosæ, quæ cogantur e Monasterio exire, obligantur ne ad Magnum Officium; ibid. cas. 11.

Sacerdos suspensus, excommunicatus, vel etiam depositus propter crimina sua, tenetur ne ad Breviarium; ibid. cas. 12.

An in recitatione Breviarii necessarium sit intentionem habere satisfaciendi præcepto Ecclesiæ; ibid. cas. 13. & tom. 1. v. *Attentio*, cas. 2.

Beneficiarii, qui recitant Officium cum hac intentione primaria, ut distributiones nanciscantur, sunt ne Simoniaci; tom. 3. v. *Simonia*, cas. 5.

Juvenis Clericus, qui contra voluntatem obligatus est ad accipiendum Beneficium, tenetur ne ad recitandum Breviarium? tom 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 14. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 147.

Sunt ne a recitatione Breviarii dispensati, qui ignorant, quomodo sit legendum; ibid. cas. 15.

Sacerdos aut beneficiarius cœcus factus, tenetur ne ad Breviarium; ibid. cas. 16.

An omnis generis febres dispensent a recitatione Breviarii; ibid. cas. 17.

Omissio Breviarii recitandi in dubio, num morbus sit satis gravis ad eximendum a recitando illo, est ne peccatum; ibid. cas. 18.

Cum officium recitatur privatim, est ne obligatio se conformandi horis ab Ecclesia definitis? ibid. cas. 19.

Licet ne anticipare aut differre Breviarium usque ad Vesperam; ibid.

Qui totum suum Breviarium sub Vesperam recitant, peccant ne mortaliter; ibid. cas. 20.

Potest ne sine peccato Missa celebrari ante recitatas Matutinas & Laudes; ibid. cas. 21.

Est ne obligatio reincipiendi Breviarium, cum quis in eo recitando fuit interruptus; ibid. cas. 22.

Peccatur ne transponendo horas Officii; Sunt ne casus, in quibus recitari possit Officium cum transpositione; ibid. cas. 23.

Potest ne quis parvas horas recitare die Dominico inter Missam obligationis? ibid. cas. 24.

Peccat ne mortaliter, qui durante recitatione Breviarii, actionibus quibusdam externis se occupat; An omnis actio externa incompatibilis sit cum attentione requisita in precibus fundendis; ibid. cas. 25. & tom. 1. v. *Attentio*, cas. 2.

Omissio Breviarii, cum omissum est, est ne peccatum mortale; An supplendum est aliis precibus; ibid. cas. 26.

Satisfit ne officio Breviarii recitatione illius tam tacita, ut unus alterum non intelligat; ibid. cas. 27.

Licet ne sub vesperam recitare Matutinas & Laudes pro sequenti die; ibid. cas. 28.

Si quis Officium recitavit pro alio, tenetur ne illud pro se reincipere; ibid. cas. 30.

Oportet ne recitare Breviarium juxta usum Ecclesiæ, in qua quis est Beneficiarius, aut juxta morem illius Ecclesiæ, in qua quis moratur? Est ne unicuique liberum Breviarium Romanum dicere; ibid. cas. 31. 32. 33. & 34.

Licet ne Breviarium recitare sedendo; ibid. cas. 35.

Qui petierunt Beneficium vi gradus suorum, & iis, cui ejus vindiciæ adjudicatæ sunt, tenentur ne ad Breviarium usque ad diem finitæ litis; ibid. cas. 36.

Sunt ne ad Magnum Officium obligati, quorum Beneficium modicum est & exiguum; ibid. cas. 37.

Reditus Beneficii sunt ne sola causa obligationis ad Officium; ibid.

Est ne obligatio recitandi officium Defunctorum die Defunctorum & aliis diebus, uti rubrica fert; ibid. cas. 38.

Episcopi Galliæ possunt ne sola auctoritate sua reformare Breviarium? Est ne ipsis Regis ut & Capituli consensus necessarius? ibid. cas. 39. & tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 5.

Quænam requiritur attentio in recitatione Officii? tom. 1. v. *Attentio*, cas. 1. & tom. 2. v. *Canonicus*, cas. 7. & 8.

O L E U M   S A C R U M.

Parochi tenentur ne singulis annis Sacro Oleo recens benedicto se instruere; an omne Sacrum Oleum materia sufficiens sit Extremæ Unctionis? Licet ne aliquando Oleo Sacro miscere oleum commune tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 6. & tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 4.

Digitized by Google

OLEUM INFIRMORUM.

Oleum Infirmorum debet ne esse benedictum? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 3.

An soli Episcopi jus habent illud benedicendi? Quinam est quoad istud Græcorum usus? *ibid.*

OPERA.

Bona Opera facta in statu peccati mortalis, præstant ne quandam utilitatem? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 14. & 15. & tom. 2. v. *Meritum*, cas. 1.

Bona opera facta in statu mortali reviviscunt ne in iis, qui ad Charitatem redeunt? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 16. & tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 12.

Possunt ne sine peccato omitti bona opera, quæ tantum sunt ex consilio? tom. 1. v. *Inspiratio*, cas. 1.

An ex spiritu obedientiæ aliquando omitti debet bonum opus inceptum? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 16.

OPERARIUS.

Operarii, qui conspirant, quod operam suam non sint locaturi nisi certo quodam pretio, sunt ne Monopolii rei? tom. 2. v. *Monopolium*, cas. 2.

Administratores domum opulentarum possunt ne inducere operarios, ut gratis pro ipsis laborent, sub promisso, quod ipsis procuraturi sint Dominorum suorum res faciendas? tom. 2. v. *Locatio*, cas. 10. 22. & 26. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 171.

Possunt ne diebus Dominicis ac Festis quasdam horas insumere perficiendis suis operibus, quæ urgent? tom. 1. v. *Dies Dominici de Festi*, cas. 10.

Possunt ne operam suam commodare Usurariis publicis? tom. 2. v. *Usura*, cas. 36.

Habent ne hypothecam super operibus suis, ut pro iis solvantur? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5.

Possunt ne uti compensatione, quando nimis de eo, quod pro operibus petierunt, detractum est? tom. 1. v. *Compensatio*, cas. 2.

Operarii tenentur ne ad jejunandum? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 6. 8. & 10.

Nonne ad jejunium obligantur, diebus, quibus non laborant? *ibid.* cas. 9.

Qui Operariis utitur potest ne ipsos inducere, ut non jejunent, ita ut eo expeditius laborent? *ibid.* cas. 2.

OFFICIUM PUBLICE EXERCENDI JUS.

Vidua potest ne, sine usura, pro aliqua pecuniæ summa cedere jus opificium defuncti mariti sui publice exercendi? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 21.

OPINIO PROBABILIS.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Quid est opinio probabilis? Opinio probabilis differt ne a conscientia recta, errones, dubia, & scrupulosa? Quotnam sunt probabilitatis species? Probabilitas intrinseca aut extrinseca excusat ne a peccato eos, qui se ad illas componunt probabilitates? tom. 2. v. *Opinio Probabilis*, cas. 1.

Sunt ne absolvendi ii, qui bona fide præferunt opinionem minus probabilem, probabiliori? Sunt ne instruendi, cum videntur esse in ignorantia invincibili? tom. 1. v. *Confessarius*, 10. cas. 2.

Judex tenetur ne in judiciis suis sese conformare opinioni probabilissimæ? Cum jus utriusque partis æquale videtur, potest ne accipere munera; tom. 2. v. *Judex*, cas. 4. & 13.

OPPOSITIO AD MATRIMONIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Potest ne celebrari Matrimonium, antequam oppositio facta sublata sit? tom. 2. v. *Oppositio ad Matrimonium*, cas. 1.

Potest ne celebrari Matrimonium oppositione a Judice Regio sublata? quis est in Gallia Judex competens, qui jus habet pronuntiandi de oppositionibus ad matrimonia? *ibid.* cas. 2. & tom. 1. v. *Denuntiationes Matrimonii*, cas. 9.

Oppositio Matrimonio facta est ne valida, cum terminus, de quo convenit in promissione matrimonii elapsus est, antequam partes contraxerint? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 51.

OPTIO.

Si legatum aliquod terminis obscuris expressum sit in testamento uter, hæres, an vero legatarius optionem habere debet? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 15. 18. 39. & 42.

Si in venditione aliqua non convenit, quod optio sumenda sit vel danda, uter venditor, an vero emptor optionem habet? tom. 1. v. *Emptio*, cas. 5.

OPTIO BENEFICII.

Beneficiarii possunt ne expectando optionem percipere fructus ex duobus Beneficiis incompatibilibus? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 32.

ORATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Sacerdos potest ne Canonem Missæ interrumpere orationum privatarum dicendi causa? tom. 2. v. *Oratio*, cas. 2.

Possunt ne dirigi orationes ad Sanctos? Quomodo istud fieri debet? *ibid.* cas. 5.

Potest ne quis cum fructu orare, qui in peccato mortali est? *ibid.* cas. 4.

Oratio est ne de præcepto divino? In quibusnam occasionibus observandum est illud præceptum? cas. 1.

Quid est Oratio? Quemnam in Oratione proponere sibi decet finem? Est ne peccatum temporalia bona a Deo petere precibus? *ibid.* cas. 3. & tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 25.

Est ne aliquis Corporis situs in orationibus fundendis præscriptus? tom. 2. v. *Officium Brevarii*, cas. 26.

Crimina commissa per tempus Orationis, mutant ne eorum speciem? tom. 1. *Confessio*, cas. 21.

Formulæ precum privatarum, quibus non est ab Ecclesia ipsa Authoritas conciliata, sunt ne superstitiosæ? Superiores Ecclesiastici habent ne jus illas prohibendi, utut piæ videantur? tom. 3. v. *Superstitio*, cas. 2.

Licet ne orare pro excommunicatis? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 33. 34. & 36.

Potest ne quis sua bona opera offerre, & privatim orare pro excommunicatis nominatim declaratis? Ejusmodi preces possunt ne aliquem ipsis usum præstare? *ibid.*

ORDINARIUS.

An per vocem *Ordinarius*, intelliguntur Episcopi & inferiores Prælati, qui Jurisdictionem habent quasi Episcopalem tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 19. & tom. 2. v. *Jubilæum*; cas. 9.

ORDINES.

Vide hujus vocis Proœmium.

Episcopi ordinarunt ne olim Clericos & Laicos alienos sine permissione propriorum suorum Episcoporum? Quandonam vetus quoad hoc disciplina mutata fuit? Et quænam est moderna quoad istud disciplina? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 1.

Clericus potest ne licite recipere Sacros Ordines ab Episcopo sui Beneficii, ab Episcopo originis, aut ab illo cujus est Domesticus? An eo ipso, quo aliquos ab uno ipsorum recepit Ordines, reliquos deinde ab aliis suscipere potest sine Dimissoriis literis? *ibid.* cas. 2. & 7.

Clericus, qui cum fuisset per annos tres in servitio Episcopi, & qui aliquos ab eo suscepit Ordines sine Dimissoriis literis, potest ne pariter etiam reliquos accipere ordines ab ipsius successore? *ibid.* cas. 3.

Episcopi; qui conferunt Ordines suis Domesticis, tenentur ne ipsis quemdam præbere titulum? *ibid.* cas. 4.

An licite in Gallia suscipi Ordines possunt ab Episcopo domicilii, sine literis Dimissoriis Episcopi originis; *ibid.* cas. 1. & 5.

Beneficiarii simplices possunt ne licite Sacros suscipere Ordines ab Episcopo sui Beneficii, sine literis Dimissoriis? *ibid.* cas. 6.

Clerici, qui non accipiunt Beneficia, nisi cum intentione, ut ordinentur in fraudem sui Episcopi originis, peccant ne ipsi & Episcopi, qui connivent cum illis? Incurrunt ne quasdam pœnas Canonicas? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 2.

Episcopi possunt ne suis Diœcesanis Sacros Ordines conferre, ubicumque loci voluerint? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 27.

Metropolitanus potest ne Ordines uni ex suis Diœcesanis conferre in Diœcesi sui suffraganei, & sine ipsius permissione? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 8. & tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 15.

Metropolitanus potest ne Ordines conferre iis, quibus Ordinarius denegat? Papa habet ne illud jus in Gallia? An in tali occasione appellari potest ad Parlamentum tanquam ab abusu? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 9. & tom. 3. v. *Visa*, cas. 1.

Ordinationes factæ ab Episcopis Hæreticis, Schismaticis aut excommunicatis, sunt ne validæ? & conferunt ne gratiam & Jurisdictionem? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 10.

Qui Ordines suscipiunt ab ejusmodi Episcopis scientes, quod tales sint, aut qui illos excipiunt in excommunicatione, qua ligati sunt & ipsi, incurrunt ne suspensionem, & an non nisi a Papa absolvi ab illa possunt? *ibid.*

Ordinatio Sacerdotis est ne nulla defectu vini in Calice? Reliquæ Ordinationes sunt ne irritæ ac nullæ ob non tacta omnia instrumenta exhibita ab Episcopo? *ibid.* cas. 11. 12. & 13.

Ordinatio Diaconi est ne irrita ac nulla ob non tactum librum Evangeliorum? Quænam est forma Diaconatus? *ibid.* cas. 14.

Ordinatio Subdiaconi est ne nulla per non tacta instrumenta huic Ordini propria? Subdiaconatus semper ne spectatus fuit ut Ordo Sacer? Quænam ejus est materia atque forma? *ibid.* cas. 15. & 17.

Ordinatio est ne irrita ac nulla defectu Baptismi? *ibid.* cas. 10. & 16.

Ordinatio est ne valida cum Episcopus tantummodo manus imponit, & Sacerdos, qui ipsi adest, pronuntiat formam? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 12.

Metus gravis reddit ne Ordinationem irritam ac nullam? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 17.

Possunt ne licite ac valide suscipi Ordines ante tonsuram, aut confirmationem? *ibid.* cas. 18. & 19.

Con-

Conditio servilis reddit ne Ordinationem nullam quantum ad caracterem & exercitium? ibid. cas. 21.

Infantes amentes possunt ne valide suscipere Ordines? ibid. cas. 22. & 27.

Infantes Paganorum & infidelium possunt ne postquam conversi sunt, promoveri ad Sacros Ordines? tom. 2. v. Irregularitas, cas. 11.

Heretici & ipsorum infantes suntne post conversionem suam inhabiles ad suscipiendos Sacros Ordines? ibid. cas. 100.

Eunuchi sunt an inhabiles ad accipiendos & exercendos sacros Ordines? ibid. cas. 125.

Episcopi debent ne facile induci ad provehenda ejusmodi subjecta ad Sacros Ordines? tom. 2. v. Ordines, cas. 22. & 23.

Possunt ne in casu necessitatis ordinare ignorantes, sed virtute preditos, potius quam doctos & simul vitiosos? ibid.

Potest an admitti ad Sacros Ordines Ecclesiasticus accusatus coram Judice de crimine, a quo se nondum purgavit? tom. 1. v. Accusatus, cas. 4.

Denegandа an est Ordinatio peccatori occulto? tom. 2. v. Ordines, cas. 14.

Episcopi possunt an repellere ab Ordinibus eos, quos iis indignos esse nonnisi confessionis ope sciunt? tom. 1. v. Confessarius, cas. 15.

Cum aliqui ordinandos se curant postquam remissi sunt ab examine, an ipsorum Ordinatio irrita, ac nulla est, Episcopo ante ordinationem terminis generalibus declarante, quod non habeat intentionem ordinandi eos, qui ex illo essent numero? tom. 2. v. Ordines, cas. 35.

Qui ordinandos se curant sine litteris Dimissoriis, incurrunt ne quasdam censuras? Sunt an Papae reservatae? ibid. & tom. 3. v. Suspensio, cas. 7.

Qui Sacros Ordines recipiunt, non servatis interstitiis, aut non obtenta dispensatione, incidunt ne in quasdam pœnas canonicas? tom. 2. v. Interstitia, cas. 2.

Quaenam est aetas requisita ad Ordines suscipiendos? Anni debent ne finiri esse an saltem incepti? Hoc aetas est ne eadem in Gallia ut alibi? Sunt ne quaedam contravenientibus pœnae infligendae? Cuinam reservatae sunt istae pœnae? tom. 2. v. Ordines, cas. 28. & 29. & tom. 3. v. Praescriptio, cas. 17.

Qui Sacros Ordines suscipiunt ante aetatem requisitam, incurrunt ne suspensionem? tom. 3. v. Suspensio, cas. 9.

Consecratio Episcopi promoti ad Episcopatum, cum non esset Sacerdos, est an irrita ac nulla? Ordines collati ab hoc Episcopo, sunt ne irriti ac nulli? tom. 2. v. Ordines, cas. 30.

Sunt ne tempora ac dies definiti ad conferendos Ordines majores ac minores? Qui eos conferunt aut suscipiunt alio tempore, incurrunt ne quasdam pœnas? ibid. cas. 18.

Ordines minores sunt ne Sacramentum? Peccat ne qui illos suscipit aut exercet in statu peccati? ibid. cas. 20.

Dubium in quo haesitat Clericus cum fuerit promotus per saltum sub praetextu, quod non reperiat suas litteras, est ne bene fundatum, & habet ne opus recurrendi ad Papam? ibid. cas. 33.

Religiosi possunt ne vi falsarum litterarum dimissoriarum suorum Superiorum Regularium ordinari ab Episcopo peregrino? ibid. cas. 34.

Superior Regularis potest ne de functione suorum Ordinum suspendere Religiosum, qui curavit sibi commentum diploma, ut ordinetur in alia Diœcesi? ibid. cas. 45.

Mulieres sunt ne inhabiles ad recipiendos & exercendos sacros Ordines? ibid. cas. 26.

Est ne simoniacum, se ordinandum curare intentione recipiendi beneficii? tom. 3. v. Simonia, cas. 11. & 15.

Si quis per Simoniam ordinatus sit, an sola absolutio a peccato sufficit, ut suas possit exercere functiones? ibid. cas. 30. & 50.

Episcopi habent ne jus illos, qui votis nuncuparunt recipiendi sacros Ordines, dispensandi de Voto Castitatis, in illo contento? tom. 3. v. Dispensatio Votorum in Genere, cas. 15.

Sacerdos, qui suspensus celebrando & confessiones audiendo incurrit irregularitatem, & qui Romae obtento rescripto, ut restituatur, continuavit confessiones excipere, antequam rescriptum executioni fuisset datum, habet ne opus secunda dispensatione ut valide restituatur? tom. 1. v. Dispensatio irregularitatis, cas. 12.

Possunt ne denegari Ordines iis, qui eos publice petunt, quos autem in statu peccati mortalis esse constat? tom. 3. v. Impedimentum Matrimonii in genere, cas. 2.

Receptio Ordinum est ne impedimentum dirimens? tom. 2. v. Impedimentum Ordinis, cas. 6. & tom. 3. v. Sponsalia, cas. 25.

Ordines Sacri, possunt ne, sicuti professio Religiosa, solvere Matrimonia rata habita & non consummata? tom. 3. v. Impedimentum Ordinis, cas. 3.

Potest ne Matrimonium contrahi sine Dispensatione, cum Ordinatio irrita fuit ac nulla? ibid. cas. 4.

Cum Uxores consentiunt in Ordinationem suorum Maritorum, tenentur ne ipsae Religionem amplecti? ibid. cas. 5.

Episcopi possunt ne denegare Ordinationem quibuscunque placet? ibid.

Qui Matrimonium ineunt post susceptos sacros Ordines, incurrunt ne excommunicationem & irregularitatem? ibid. cas. 6.

Ordines sacri semper ne faciunt Impedimentum dirimens? ibid.

Ordines sacri suscepti metu gravi & cum protestatione Matrimonii contrahendi, sunt ne impedimentum dirimens? ibid. cas. 8.

Infantes possunt ne valide sacros suscipere ordines? sunt ne postmodum inhabiles ad contrahendum Matrimonium? ibid.

Qui sacros Ordines receperant postquam a suis Uxoribus impotentiae causa separarentur, tenentur ne ad illas reverti, si appareat, ipsorum impotentiam non fuisse perpetuam? tom. 2. v. Impedimentum Impotentiae, cas. 13.

Ordines collati vi dispensationum? tom. 1. v. Dispensatio Irregularitatis, cas. 24. 25. 26. 27. 28. & 29.

Potestas, quam Innocentius VIII. concessit Abbati Cisterciensi, ut cujus Religiosos suos, Diaconos & Subdiaconos ordinet, est ne in usu in Gallia? tom. 1. v. Approbatio, cas. 16.

Epileptici sunt ne inhabiles ad recipiendos Ordines sacros? tom. 2. v. Irregularitas, cas. 121. & 122.

Promotio ad Ordines per saltum inducit ne irregularitatem? ibid. cas. 127.

Reiteratio Sacramenti Ordinis inducit ne irregularitatem? Est ne aeque culpanda, ac Baptismi reiteratio? ibid. cas. 132.

Receptio nummorum publicorum, quae aliquis fuit occupatus, aut receptio nummorum privatorum juncta ratione, quae reddenda est, est ne impedimentum receptaris Ordines sacros? ibid. 31.

Professio solemnis Religionis tollit ne irregularitatem, ortam ex Crimine aut defectu Nativitatis honestioris, adeo ut recipi possint sacri Ordines? ibid. cas. 134.

An omnis irregularitas impedimentum est, quod excludit ab Ordinibus recipiendis? ibid. cas. 8.

Qui fingunt, se promotos fuisse ad sacros Ordines, eorumque functiones solemniter exercent; sunt an irregulares? ibid. cas. 83.

Ii, qui ligati quibusdam Censuris exercent Ordinum functiones tam majores, quam minores, sunt an irregulares? ibid. cas. 92.

Qui suscipiunt Ordines in excommunicatione, suspensione aut interdicto, incurrunt ne irregularitatem? ibid. cas. 93. 94. & 95.

Qui irregulares sunt respectu Sacerdotii, an semper etiam irregulares sunt respectu omnium Ordinum inferiorum? ibid. cas. 100.

Provisiones alicujus Beneficii sunt ne irritae ac nullae defectu Ordinis requisiti in fundatione? tom. 3. v. Provisiae Beneficiariae, cas. 1.

Si quis suscipit Ordines, antequam restitutus est ab Apostasia Religionis, fit ne suspensus? tom. 3. v. Suspensio, cas. 15.

Incurrit ne quoque suspensionem, qui furtim & sine examine illos Ordines sacros suscipit? ibid. cas. 6.

Ad quemnam recurrendum est ad obtinendam dispensationem suspensionis, in quam quis incidit suscipiendo Ordinem majorem ante Ordinem minorem, aut suscipiendo illum ante aetatem requisitam, aut sub falso titulo, aut sine litteris Dimissoriis? tom. 1. v. Dispensatio Matrimonii, cas. 1. 2. & 3.

Suspensio ab exercitio Ordinum sacrorum infert ne suspensionem Jurisdictionum iis annexarum ex ratione beneficii? tom. 3. v. Suspensio, cas. 2.

Est ne suspensus a suis Ordinibus, qui se ordinandum curat ab Episcopo, qui dimisit suum Episcopatum, & qui renuntiavit functionibus Episcopalibus? ibid. cas. 9.

Incurrunt ne suspensionem, qui sacros recipiunt Ordines ab Episcopo, cujus sunt Domestici, cuique nullas exhibent literas Dimissorias ab Episcopo Originis? cas. 10.

Est ne suspensus, qui se ordinandum curat ab Episcopo sui Beneficii, nullis ipsi exhibitis Litteris Dimissoriis & in fraudem Jurisdictionis sui Ordinarii? ibid. cas. 11.

Est ne suspensus, qui in vel ab examine repulsus est ab ordinibus recipiendis, se postea largitione ad illos admittendum curavit? ibid. cas. 16.

Est an suspensus, qui ordinandum se curat, ligatus excommunicatione majori vel minori? ibid. cas. 17.

Qui susceperunt Ordines minores, sunt ne suspensi, cum violant aliquam prohibitionem factam ab Episcopo in terminis generalibus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendae ab omnibus iis, qui in Ordinibus sunt? ibid. cas. 5.

O R G A N U M.

Est ne obligatio voce submissa recitandi versus, in quibus canendis Organum praeit durante officio? tom. 1. v. Canonicus, cas. 9.

ORNAMENTA ECCLESIÆ.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Licet ne in casu necessitatis ad celebrandum uti Ornamentis, quae non fuerunt benedicta in hunc usum? tom. 2. v. Ornamenta Ecclesiae, cas. 1.

Ornamenta Ecclesiae perdunt ne semper suam benedictionem mutatione quadam in eis facta? ibid. cas. 2. & 3.

Licet an usum facere profanum veterum Ecclesiae l'nteorum? Et quemnam in usum convertenda sunt? ibid. cas. 4.

Licet an uti velis lectorum, aut aliis ejusmodi textilibus, ad facienda Ecclesiae Ornamenta? ibid. cas. 5.

Licet an in casu necessitatis loco stolae cingulo, & loco cinguli magno manipulo, ad celebrandum uti? ibid. cas. 7.

Quaenam est mens & intentio Ecclesiae circa textilia pretiosa pro suis ornamentis? tom. 3. v. Vestis, cas. 8.

Quandonam initium cœpit mos Ornamentis Ecclesiae insignia gentilitia superimponendi? Sacerdotes licite an possunt uti Ornamentis insignibus gentilitiis? Quaenam ratio induci potest ad gentilitia Insignia Ornamentis Ecclesiae imponenda? tom. 2. v. Ornamenta Ecclesiae, cas. 2.

ORNATUS MULIEBRIS.

Ornatus muliebres sunt ne mulieribus permissi ac liciti? Quemnam habere debent scopum sese ornando? tom. 2. v. Ornatus Muliebris, cas. 1. 3. & 4.

Puella potest ne sese compte ornare intentione placendi illi, qui ejus ambit possessionem ac Matrimonium? tom. 2. v. *Ornatus mulieris*, cas. 2.

Ornamenta muliebria decent ne Viduas? *ibid.* cas. 3.

Est ne peccatum nova excogitare in usum suum textilia? *ibid.* cas. 4.

Mulieres, quæ in facie maculas illas fericas, vulgo *Mouches* dictas, gerunt, peccant ne graviter? tom. 1. v. *Fucus*, cas. 1.

Mercatores, qui ejusmodi maculas fabricant aut vendunt, peccant ne graviter? *ibid.* cas. 2.

O S C U L U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Peccat ne lethaliter, qui tantum carnalis delectationis capiendæ causa, sine ulla ulterius progrediendi intentione fœminam deosculatur? tom. 2. v. *Osculum*, cas. 1. & tom. 3. v. *Tactus*, cas. 2. & tom. 3. v. *Pollutio*, cas. 1. 2. 3. & tom. 1. v. *Aspectus*, cas. 3. & tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 7.

Oscula quibus ita frequenter & adamanter indulgent Conjuges, ut inde carnales motus, & quidem vehementes in se sentiant vehementius excitari, sunt ne peccata mortalia? tom. 2. v. *Osculum*, cas. 3. & tom. 3. v. *Tactus*, cas. 1.

O S T I A R I U S.

Vide J A N I T O R.

P.

PANIS BENEDICTUS.

Benedictio panis est ne usus peraetiqui? tom. 3. v. *Superstitio*, cas. 3.

Panis benedictio habet ne virtutem sanandi a morbis corporalibus? *ibid.*

Licet ne de pane benedicto dare animalibus ad illa a rabie præservanda? *ibid.*

P A N N U S.

Panni possunt ne eodem pretio vendi, cum tinctura nimis forti inusti quodammodo sunt, ac si justi essent & incolumes? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 2.

Licet ne pannis defectus celare, ut vendantur, diminuto tamen pro ratione pretio? *ibid.* cas. 13.

P A P A.

In electione Papæ, an nonnisi Cardinales præsentes jus suffragia ferendi habent? Nullum ne habent locum procurationes absentium? An non necessarium est omnes citare Electores? Quotquot dies a vacante Sede elapsos procedi ad electionem? tom. 2. v. *Electio*, proœm.

A quonam confirmari debet Papæ electio? *ibid.*

Elector, qui esset denuntiatus excommunicatus, suspensus, interdictus, posset ne suum ferre suffragium? *ibid.* cas. 5.

Papa est ne Dominus bonorum Ecclesiæ? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 14.

Est ne Dominus in temporalia Regum? tom. 2. v. *Equites Religiosi*, cas. 3.

Censetur ne pastor proprius in tota Ecclesia? tom. 2. v. *Impedimentorum Clandestinitatis*, cas. 16.

Papa potest ne extra suum territorium privilegia concedere res temporales concernentia? tom. 3. v. *Privilegium*, cas. 1.

Papæ Constitutiones obligant ne in Gallia, antequam auctoritate Regis sint promulgatæ? tom. 2. v. *Lex*, cas. 2.

Competit ne Episcopis jus examinandi Diplomata Papæ? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 1. & seq.

Translatio Episcoporum pertinet ne ad Papam? Jus istud semper ne ad ipsum pertinuit? An eodem modo se res habet cum illorum renuntiatione & depositione? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 19.

Potest ne prævenire Regem Galliæ in Collatione Beneficiorum vacantium in Regalibus? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 1.

Papa habet ne jus providendi de Beneficiis consistorialibus in Gallia, si Rex ad illa nominare recuset? Et post quantum temporis spatium a vacantibus illis beneficiis elapsum exercere jus istud potest Papa? tom. 2. v. *Electio*, proœm.

Postulatio Episcoporum debet ne confirmari a Papa? Quænam est quoad istud antiqua Orientis Ecclesiæ & Occidentis disciplina?

Est ne necessarium, ut in omnis generis Beneficiorum unione Papæ intercedat auctoritas? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas. 3. & 5.

Potest ne Papa prævenire collationem Ordinariorum? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 4.

Potest ne delegare in Gallia ad judicandas causas appellatione ad ipsius sedem delatas? Quænam ad hoc requiruntur conditiones? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 2.

Semper ne Papa solus fuit in possessione constituendi pensiones super Beneficiis? Ejus auctoritas est ne necessaria ad redemptionem pensionis? tom. 3. v. *Pensio*, cas. 2. 11. & 15.

Habet ne reservationem Beneficiorum in Gallia? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 6. & tom. 2. v. *Ordines*, cas. 9.

Papa potest ne quædam capere emolumenta ex muneribus Ecclesiasticis? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 3.

Quousque extenditur potestas Papæ respectu rerum sæcularium aut temporalium? tom. 3. v. *Privilegium*, cas. 1.

Potest ne conferre in Gallia Ordines, denegante istud Ordinario? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 9.

An solus Papa dispensare potest transeundum ab Ordine strictiori in Ordinem minus austerum? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 28.

Potest ne parochos dispensare de residentia? tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 1.

Potest ne dispensare de omnis generis simonia? Potest ne ipse committere simoniæ labem? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 31.

An non nisi Vota certa reservata sunt Papæ? tom. 2. v. *Votum*, cas. 2. & 3.

Sunt ne quædam censuræ, quæ Papæ sint reservatæ? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 20. & 28.

An omnis excommunicatio Papæ reservata est? tom. 1. v. *Excommunicatio*, cas. 5.

Potest ne quempiam qui coram Judicibus versatur ob verberatum Sacerdotem, ab excommunicatione absolvere ante sententiam & judicium ejus causæ definitivum? *ibid.* cas. 9.

Sunt ne quidam casus, in quibus excommunicatio major a jure, reservata sit Papæ? An alii præter Papam in casibus quibusdam absolvere possunt ab ista Papæ reservata excommunicatione? *ibid.* cas. 45.

Qui in periculo mortis per simplicem Sacerdotem absoluti sunt ab excommunicatione Papæ reservata, tenentur ne in Gallia valetudine recuperata Papæ sese exhibere, & quidem sub pœna in illam ipso jure reincidendi? *ibid.* cas. 63.

Papa potest ne peregrinis dispensationes dare, quibus habiles fiant ad recipienda in Gallia Beneficia? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 2.

Potest ne dispensare Papa in rebus, quæ institutionis sunt Apostolicæ, & in omnibus rebus, quæ juris sunt Ecclesiastici? tom. 1 v. *Dispensatio in genere*, cas. 4. & tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 2.

Potest ne dispensare de matrimoniis ratis habitis sed non consummatis, permittendo alia contrahere matrimonia? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 1.

Potest ne Religiosos dispensare de votis castitatis & paupertatis? *ibid.* cas. 2. tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religionis*, cas. 3.

Potest ne dispensare in omnibus gradibus lineæ directæ & collateralis? Matrimonium est ne in omnibus hisce gradibus jure naturali prohibitum? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 3. tom. 2. v. *Impedimentum Affinitatis*, cas. 7.

An omnes dispensationes, quas Papa concedit, irritæ fiunt ac nullæ morte ejus interveniente antequam dispensationes executioni fuerint datæ atque consummatæ? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 29

Reservatio Voti castitatis perpetuæ pertinet ne jure ad Papam? *ibid.* cas. 37.

Est ne recurrendum ad Papam ob impedimenta impedientia & dispensationes Votorum Religionis? Quænam sunt vota quorum dispensatio ipsi jure aut consuetudine reservata est? tom. 1. v. *Dispensatio votorum Religionis*, cas. 5. & tom. 1. v. *Dispensatio votorum in genere*, cas. 1.

Potest ne dispensare de rebus quæ essentiam & integritatem Sacramentorum spectant? tom. 1. v. *Consecrare*, cas. 16.

Papa potest ne Religiosos dispensare de voto paupertatis? tom. 1. v. *Depositum*, cas. 21.

Papa ne solus restituere potest depositos & degradatos? tom. 1. v. *Depositio & Degradatio*, cas. 2.

Potest ne valide dispensare de promisso juramento confirmato, sed in intentione dispensationem de illo adipiscendi? tom. 2. v *Jurare* ? tom 1. v. *Dispensatio Juramenti*, cas. 2. & 3.

Qui credunt se ordinatos fuisse per saltum, debent ne absolute Romam recurrere ad Papam, ut restituantur, tom. 2. v. *Ordines*, cas. 33.

An semper ad Papam recurrendum est, ut quis restituatur ab irregularitate? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 11. & 13.

An solus Papa dispensare potest Nothos, ut possint Sacros Ordines recipere atque beneficia possidere? *ibid.* cas. 28.

Solus ne Papa dispensare potest de bigamia? *ibid.* cas. 31.

Papa potest ne dispensare de recitatione Breviarii? tom. 1. v. *Dispensatio recitationis Breviarii*, cas. 1.

Quinam sunt casus Papæ reservati in Gallia? Episcopi possunt ne absolvere a casibus Papæ reservatis, cum sunt occulti? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 3. 8. 9. & 18.

PARAPHERNALIA BONA.

Quænam bona paraphernalia vocantur bona? Mulier potest ne de iis disponere sine consensu sui mariti, tam in locis juri scripto subditis, quam in locis consuetudinis regi solitis? Requiritur ne ad hoc ut stipulata fuerint in suo contractu bona, quæ suo dedit marito? tom. 2. v. *Mulier conjugata*, cas. 1.

Mariti possunt ne pro arbitrio suo disponere de bonis paraphernalibus suarum uxorum? tom. 1. v. *Communitas Bonorum*, cas. 2.

P A R C I M O N I A.

Ad quem pertinent quæ Beneficiario de reditibus Ecclesiasticis parcimonia adhibita supersunt? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 14.

Possunt ne de illis disponere in favorem Cognatorum suorum? *ibid.* cas. 13. & 17.

P A R L A M E N T U M.

Consiliarii Clerici parlamentorum acquirunt ne fructus sui Beneficii sine residentia? tom. 1. v. *Distributiones Quotidianæ*, cas. 11 & tom. 1. v. *Clericus*, cas. 4.

P A R O C H I A.

In Utra parochia an sponsi vel sponsæ, celebrandum est matrimonium? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 6. & 7.

Est ne

Est ne obligatio assistendi magnæ Missæ, & reliquis suæ Parochiæ Officiis? tom. 2. v. *Missa*, cas. 53.

Cum parochiani non habent parochos certos, possunt ne confiteri alterutri Sacerdotum, qui Beneficium istud curatum ambiunt? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 47.

P A R O C H U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Institutio parochorum pertinet ne ad Episcopos solos? tom. 3. v. *Approbatio*, cas. 13.

Sunt ne tantummodo institutionis Ecclesiasticæ? Sunt ne Prelati? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 8.

Cum parochus non est legitimus sui Beneficii Titularis, sive defectu essentiali, qui in ipsius provisione est, sive quia intrusus est, an quæ celebrat matrimonia valida sunt? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 8.

Parochi tenentur ne instruere greges Dominicis diebus & Festis? Peccant ne lethaliter, si huic desunt officio? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 1. & tom. 2. v. *Fides*, cas. 1.

Parochi possunt ne suas functiones rejicere in Vicarios, qui iis sunt doctiores? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 2.

Parochi incapaces functionibus suis obeundis, tenentur ne suis renunciare beneficiis? *ibid.*

Parochi debent ne per seipsos suis præesse Curis? tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 2.

Parochi possunt ne Diaconum committere ad Baptismum administrandum? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 21.

Possunt ne suum conservare beneficium, cum non intelligentes parochianorum suorum linguam, Vicarium habent, qui illam calleat linguam? Si linguam illam brevi tempore addiscere possunt, an tunc beneficium conservare possunt? provisiones quas in hoc casu Roma obtinuerant, sunt ne legitimæ ac nullæ? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 11.

Tenentur ne sub pœna peccati interesse Conventibus Diœcesis? *ibid.* cas. 16.

An studiorum incumbendorum causa abesse possunt a suo beneficio? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 9. & tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 2.

Possunt ne ferias capere? tom 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 1.

Possunt ne sua deserere Beneficia appropinquantibus hostilibus copiis? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 3.

Possunt ne relinquere sua beneficia tempore grassantis pestis? Quomodo in tali tempore administrare debent Sacramenta? Sunt ne quædam in Gallia Diœceses, quæ morem hac in re observant peculiarem? *ibid.* cas. 4. & tom. 1. v. *Communio*, cas. 18.

Tenentur ne vitam suam exponere tempore pestis, Sacramenta suis parœcianis administrandi causa? tom. 3. v. *Charitas*, cas. 2.

Tenentur ne diebus Dominicis ac Festis Missam applicare suis parœcianis? possunt ne in ejus locum substituere Missam fundationis quam per septimanam non potuerent dicere? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 2.

Parochi approbantur ne olim pro Confessione? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 12.

Sacerdotes approbati pro tota Diœcesi habent ne parochorum permissione opus, ut possint in eorum parochiis audire confessiones? *ibid.* cas. 4.

Parochi possunt ne absolvere suos Diœcesanos extra parochiam, aut Diœcesim constitutos? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 7. & tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 6.

Parochi possunt ne in suis Diœcesibus reservare sibi certa quædam peccata? & est ne consuetum ut hoc faciant? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 17.

Possunt ne valide & licite confessiones audire illorum, qui non ex sua sunt parochia? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 2.

Parochi possunt ne valide ac licite Confessiones excipere in alienis parochiis sine permissione? *ibid.* cas. 16.

Comprehenduntur ne parochi inter Confessarios approbatos ab Ordinario pro Jubilæi tempore? *ibid.* cas. 15.

An faciles induci debent ad permittendum suis parochianis, ut aliis quam sibi confiteantur? tom. 1. v. *Parochus*, cas. 2.

Absolutiones datæ a parocho reo confidentiæ simoniacæ occultæ, sunt ne validæ? *ibid.* cas. 13.

Absolutiones collatæ a parocho Hæretico, aut Schismatico notorio, sunt ne validæ? *ibid.* cas. 14.

Parochus qui incidit in censuram occultam, potest ne aliquando licite Sacramenta administrare, quin irregularitatem incurrat? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.

Habent ne jus eligendi pro suis Confessariis ex Sacerdotibus approbatis quoscumque volunt? Episcopi possunt & debent ne illos hac in re interturbare? tom. 2. v. *Parochus*, cas. 2.

Licet ne ad suscipienda Sacramenta parochos adire, cum constat ipsos sceleratam agere vitam? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 46. & tom. 3. v. *Sacramenta*, cas. 1. & 2.

Est ne parochus, reus jam ab aliquo tempore peccati impudicitiæ occulti, absolvendus, sub prætextu, quod curatum utilis sit suæ parochiæ? Debet ne illi permitti, ut suum in hoc statu conservet beneficium? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 25.

Parochi notorie irregulares possunt ne delegare Sacerdotem approbatum, ad excipiendas in sua parochia Confessiones? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 22.

Cum assignati sunt ad deponendum adversus quemdam ex suis parœcianis circa quasdam res, quas sciunt via secreta, debent ne comparere? *ibid.* cas. 10.

Parochi Officiales debent ne pronuntiare super unius ex suis parœcianis crimine, quod ipsis cognitum est fide secreti? tom. 2. v *Officialis*, cas. 2.

Parochi peccant ne mortaliter negligendo curare, ut ægrotantes

ti Extremam recipiant Unctionem? tom. 3. v. *Extrema Unctio*, cas 1.

Habent ne jus excommunicandi, aut habuerunt ne olim? tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 5.

Tenentur ne se subjicere juribus bannalibus Dominorum suorum parœciatum? tom. 1. v. *Pistrinum*, cas. 2.

Tenentur ne ad restitutionem, cum ipsorum Æditui dissiparunt bona Fabricæ ipsis non resistentibus? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 136.

Parochi & ipsorum Vicarii amovibiles tenentur ne junctim cum parœcianis ad reparationem Ecclesiarum suarum? quænam in Gallia quoad hoc viget usus? tom. 3. v. *Parochus*, cas 15.

Possunt ne sufferre saltationes, quæ in suis parœciis fiunt diebus Dominicis ac Festis? Debent ne absolutionem denegare iis, qui ab illis abstinere nolunt? tom. 3. v. *Saltatio*, cas. 2.

Parochus tenetur ne opem Eleemosynarum ferre suis parœcianis pro aliis pauperibus? An non nisi ad superfluum erogandum tenetur? tom. 3. v. *Pensio*, cas. 1.

Tenentur Parochi ne ad finem imponendum scandalo, relinquere aut differre bonum opus quod ceperunt? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 2.

Tenentur ne suum relinquere beneficium, si certi sint scandalum aliquod natum finem non habiturum esse nisi illud faciant? *ibid.* cas. 7.

Tenentur ne cedere jus Decimarum, ad finem imponendum scandalo inde orto inter suos parœcianos? *ibid.* cas. 3.

Parochorum auctoritas sufficit ne ad dissolvenda sponsalia legitime contracta? tom. 3. v *Sponsalia*, cas. 42.

Est ne quædam pœna decreta adversus parochos, qui non impediunt illos contrahere matrimonium, inter quos impedimenta sunt impedientia? tom. 2. v. *Impedimenta Impedientia*, cas. 1.

Incurrunt ne in quibusdam Diœcesibus quasdam pœnas, & peccant ne celebrando matrimonia inter personas disparis cultus, aut quorum una contrahentium certa non est de morte illius, quam volebat in matrimonium ducere? tom. 3. v. *Impedimentum Disparitatis Cultus*, cas. 2. & tom. 2. v. *Impedimentum ligaminis*, cas. 6.

Parochorum assensus sufficit ne ut Metropolitanus possit Matrimonio interesse sine Episcopi sui suffraganei consensu? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 18.

Parochi possunt ne valide matrimonio adesse, cum nondum sunt Sacerdotes? *ibid.* cas. 24.

Oportet ne ut sint irreprehensibiles pastores, qui matrimonio adesse Testes volunt? *ibid.* cas. 25.

Peccant ne matrimoniis assistendo in peccato mortali? *ibid.* cas. 28.

Cum notorie sunt irregulares ex delicto, possunt ne valide matrimonium celebrare? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 12.

Proprius parochus respectu Sacramenti Pœnitentiæ & Communionis paschalis, est ne etiam proprius respectu Matrimonii parochus? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 4.

Cum Contrahentes sunt parœciæ differentis, an amborum parochorum præsentia ad validitatem matrimonii necessaria est? *ibid.* cas. 6.

Sunt ne Ministri aut saltem Testes in Sacramento Matrimonii? *ibid.* cas 6.

Parochus interdictus aut excommunicatus denuntiatus potest ne valide matrimonio adesse? potest ne Vicarium in locum suum delegare? *ibid.* cas. 10. & 11.

Parochi possunt ne celebrare matrimonia suorum parœcianorum, ubicumque loci sint? *ibid.* cas. 14.

Parochi possunt ne valide illorum celebrare matrimonia, quibus nullum est Domicilium constans? An sine gravibus causis facere istud debent? *ibid.* cas. 12.

Parochus potest ne celebrare matrimonium inter illos, quos fama fert esse cognatos illicito commercio ipsorum patris aut Matris? tom. 2. v. *Impedimentum affinitatis*, cas. 10.

Parochus potest ne matrimonium illorum celebrare, inter quos certo scit impedimentum dirimens esse a quo Episcopus dispensare non valet? tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii in genere*, cas. 4.

Quid faciendum esset ipsi, si illud ipsi non nisi Confessionis ope & via constaret? *ibid.* cas. 14.

Parochi primitivi possunt ne independenter a Vicariis perpetuis administrare Sacramenta in Ecclesiis, quæ ab iis dependent? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 1.

Parochi regulares, quorum parœciæ unitæ sunt Monasteriis immediate a Sede Apostolica dependentibus, sunt ne exempti a Jurisdictione Episcopali? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 24.

P A R T E S A D V E R S Æ.

Cum in causis Criminalibus, partes transigunt inter se, an Judices salva conscientia litem indecisam relinquere possunt? tom. 2. v. *Judex*, cas. 17.

P A R T I C E P S E J U S D E M C R I M I N I S.

Reus tenetur ne semper declarare participes sui Criminis? tom. 3. v. *Reus*, cas. 1.

Omissio Circumstantiæ, quam quis declarare non potest, nisi simul prodat participem sui Criminis infamiam afferentis, reddit ne aliquando Confessionem irritam ac nullam? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 19.

Pœnitens tenetur ne aliquando nomina eorum declarare, qui ejusdem cum ipso criminis participes se reddiderunt? tom. 1. v. *Confessarius* 11. cas. 16.

P A S C H A.

Est ne obligatio confitendi Paschate, licet per totum annum nonnisi venialia admissa fuerint peccata? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 51.

Religiosi Ordinis Melitensis tenentur ne suas Confessiones & Communiones paschales in sua parœcia facere? tom. 2. v. *Equites Religiosi*, cas. 7.

P A S C U A.

Vide hujus vocis Proœmium.

An omnes incolæ jus habent suos Greges in pascua publica pastum deducendi? tom. 3. v. *Pascua*, cas. 1.

Nunquid liberum est conductori, curare pecudes suas pasci in suis, aut in propriis suis terris? *ibid.* cas. 2.

P A T E R.

Pater, cui plures sunt infantes, quorum aliqui sunt probi, reliqui autem vitæ dissolutæ sunt aut infirmi, an omnes æquali amore prosequi debet? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 1.

Pater, qui præter reditus ipsius ordinarios, qui ipsi sufficiunt, conservat adhuc summas ingentes, quas non impendit, sub prætextu, quod jam ipsi sint infantes & forsan plures futuri sint, potest ne hoc facere sine avaritia? *ibid.* cas. 2.

Quousque extenditur Patrum auctoritas in infantes suos? tom. 2. v. *Matrimonium*. 3. cas. 18.

Patres possunt ne suos infantes cogere ad ingrediendam Religionem? Id si fecerint, tenentur ne illa media procurare, quibus egredi possint ex illa? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 211.

Patres ne non ultra minas & increpationem progredi debent respectu illorum ex suis Infantibus, qui adolescentes vitam agunt solutiorem? tom. 1. v. *Correctio fraterna*, cas. 7.

Filii Ecclesiastici tenentur ne suis Patribus obtemperare in rebus quæ ipsorum spectant Ministerium? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 12.

Parentes sunt ne infantium suorum hæredes in omnibus locis, servatis tamen Consuetudinibus regionis? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 14.

Infantes obligantur ne per Leges suppeditare quæ sunt necessaria sustentandis parentibus suis egentibus? tom. 3. v. *Restitutio in integrum*, cas. 5.

Patres possunt ne suis infantibus constituere pensiones alimentarias pro solutione debitorum suorum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 191.

Liberi tenentur ne opem ferre suo Patri, præ Matre, & Uxoribus suis? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 10. & 11.

Patres possunt ne meliorare quosdam ex suis liberis præ aliis? tom. 3. v. *Prælegare*, cas. 6. & 7.

Patrum bona pertinent ne ad ipsorum infantes, ipsis adhuc vivis? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 3.

Patres qui suffocant parvulos suos infantes in eodem secum lecto dormientes, sunt ne irregulares? Possunt ne illos ordinarie in proprio suo lecto tenere? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 5. 49. & 50.

Patres & ipsorum liberi admittuntur ne ad deponendum adversus se invicem in causa matrimonii? tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii in genere*, cas. 11.

Patres possunt ne intentione correctionis uti injuriis erga suos infantes? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 5.

Restitutio potest ne differri ob opem Patri suo ferendam? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 192.

P A T I B U L U M.

Qui patibula faciunt aut vendunt executoribus altæ Justitiæ, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 55.

P A T R I N U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Patrini tenentur ne ex Conscientia instruere suos filios aut filias erudire de rebus ad salutem necessariis? Sunt ne aliquando immunes ob hoc ne dispensati? tom. 3. v. *Patrinus*, cas. 1.

Possunt ne pro uno eodemque infante plures admitti patrini aut patrinæ? Quare vetita est talis pluralitas? *ibid.* cas. 2.

Religiosi possunt ne patrinorum suscipere personas? Clerici qui sunt in Ordinibus, & Beneficiarii, possunt ne eandem patrinorum personam gerere? *ibid.* cas. 3.

Hæretici aut Christiani suæ Religionis parum gnari, possunt ne tanquam patrini admitti? *ibid.* cas. 4. & tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis Spiritualis*, cas. 6.

Patrini contrahunt ne cum filiis suis aut filiabus lustricis Spiritualem quandam Cognationem, quæ impedit, quominus postmodum una, matrimonium possint contrahere? tom. 2. v. *Impedimentum Cognationis Spiritualis*, cas. 1. & seqq.

An semper Patrinis tangendi sunt ii infantes, quos offerunt ad baptismum? Contrahunt ne Cognationem Spiritualem ipsos tangendo aut non tangendo? *ibid.* cas. 52.

P A T R O N A T U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Ad quem pertinet jus Patronatus alicujus Ecclesiæ? An ad illum qui subministravit, quo ædificaretur, an ad illum, qui extruendam curavit, an vero ad illum, qui eam dotavit? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 1.

Sunt ne varii generis patronatus? Potest ne sine peccato vendi jus patronatus, aut beneficiario jure mancipari? Jus Patronatus datum Ecclesiæ fit ne pure & mere Ecclesiasticum? *ibid.* cas. 6. & 7.

Cum prædium aliquod aut terra venditur, quis est Patronus Beneficiorum quæ ab illa dependent? *ibid.*

Compatroni possunt ne inter se invicem dividere nominationem beneficiorum, & compensatione uti, sive alternatim nominare? *ibid.* cas. 9. & tom. 3. v. *Patronus*, cas. 13.

Dominus nominatim excommunicatus, qui dotat & construendam curat Ecclesiam, acquirit ne jus Patronatus? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 5.

Amittitur ne jus patronatus, cum domus perit? Qui denuo dotarat Ecclesiam, fieret ne patronus? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 4.

Cum aliqua venditur terra vel prædium, cui annexum est jus patronatus, an istud jus manet apud Venditorem, num vero transit ad emptorem? *ibid.* cas. 3.

Cum Dominus aliquis obligat prædium, cui annexum est jus patronatus, jus istud transit ne ad Obligatorium, aut restat ne Domino? Et an eodem modo se res haberet, si Dominus Prædium istud beneficiario jure mancipaverit? *ibid.* cas. 2.

Parochus potest ne honores Ecclesiæ recusare Domino, cujus Majores jus patronatus Ecclesiæ cesserunt? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 18.

PATRONUS PRÆSENTATOR.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Patroni Laici habent ne tempus determinatum intra quod & non ultra præsentare ipsis licet ad Beneficia, quæ ab ipsis dependent? Est ne aliquando longius illud tempus respectu habito ad consuetudines loci, aut ad contractum fundationis? Tempus istud incipit ne a die vacantis beneficii? tom. 3. v. *Patronus Præsentator*, cas. 1. & 2.

Patroni possunt ne ad Beneficia præsentare suos infantes, aut suos compatronos, aut se ipsos? *ibid.* cas. 3. & 13.

Patroni tenentur ne ante certum quoddam tempus elapsum Ordinario suos exhibere nominationis actus? *ibid.* cas. 14.

An jus patronorum ad Ordinarium devolvitur, dum ii inter se de electione alicujus subjecti contendunt, aut litigant quemnam inter ipsos modo nominandi tangat? *ibid.* cas. 4. & tom. 2. v. *Lectio*, cas. 17.

Si ex tribus Patronis duo conveniunt in uno nominando, tertius autem alium nominat, an ipsorum nominationis jus ad Episcopum devolvitur? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 4.

Jus patronorum qui subjecta præsentant indigna, devolvitur ne ad Episcopum? Patroni Laici possunt ne variare & quoties? *ibid.* cas. 5.

Patronus Laicus potest ne secunda vice præsentare eum, qui postquam ab Episcopo incapacitatis causa recusatus est, capax factus est ante quatuor menses expiratos? *ibid.*

Possunt ne præsentare subjecta indigna expectando donec digniore sese obtulerint? *ibid.* cas. 10.

Patroni possunt ne promittere beneficia antequam sint vacantia? Tenentur ne ea conferre illis, quibus ea ante tempus istud promiserant? *ibid.* cas. 7.

Patroni Catholici possunt ne præsentare subjecta hæretica ad Beneficia locorum hæreticorum? An saltem ad conservationem sui juris facere istud possunt? *ibid.* cas. 9.

Patroni debent ne moraliter persuasi ac certi esse de capacitate & probitate eorum, quos præsentant? *ibid.* cas. 8.

Præsentatio ad Beneficium Clerici peregrini, qui jus incolæ Regni non habet, est ne valida? Is, quem Episcopus in ejus locum surrogat, potest ne dejici, cum peregrinus jure incolæ Regni donatur? *ibid.* cas. 11.

Irregularitas tollit ne jus præsentandi Patronis? *ibidem* cas. 12.

Patronus excommunicatus denuntiatus potest ne patronatus jus exercere? Potest ne delegare, qui loco ipsius præsentet? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 5. & tom. 1. v. *Collatio*, cas. 5.

Jus patronatus potest ne æque a Mulieribus exerceri ac a Viris? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 15.

Resignatio Beneficii in patronatum mixtum, qualis est, qui pertinet ad Equitem Religiosum Melitensem, est ne valida, si obtineatur sine consensu talis Patroni? *ibid.*

Patronus, qui adhuc Pupillus, debet ne admitti ad præsentandum ad beneficium, aut est ne recipiendus is, quem Tutor præsentat? *ibid.* cas. 17.

Cum Patronus præsentator detinetur captivus, aut in itinere longo versatur, an Episcopus conferre potest Beneficia, quæ ab ejus nominatione pendent, statim ac vacantia fiunt? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 6.

Episcopi possunt ne præscribere adversus Patronos Ecclesiasticos aut Laicos? tom. 1. v. *Collatio*, cas. 9.

Rex potest ne pleno jure providere de beneficiis vacantibus in Regalia, & quæ sunt nominationis Laicorum? Talis Collatio est ne irrita ac nulla? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 16.

Mala quidam emit terram aut prædium quoddam, cui annexum erat jus patronatus, & bona fide præsentavit, antequam avictum erat, ejus præsentatio est ne valida, & præsentatus debet ne defendi in suo Beneficio, *ibid.* cas. 18.

Qui gaudet aliquo prædio titulo locationis judiciariæ, potest ne præsentare ad beneficia, quæ ab illo dependent? tom. 3. v. *Patronatus*, cas. 2.

Papa habet ne jus præventionis in omnes Patronos Ecclesiasticos? tom. 3. v. *Patronus*, cas. 8.

Cum duo Patroni alter Laicus alter Ecclesiasticus jus habent præsentandi alternatim, an si patronus Ecclesiasticus se a Papa præveniri patitur, Ordo sequentis nominationis patronum Laicum tangit? *ibid.*

Cum plures ad aliquam nominationem ius habent, an ad vali-

validitatem ejus requiritur, ut major illorum pars eamdem nominet personam? Quid in tali casu observandum? *ibid.* cas. 20.

Cum duo Laici conjunctim patroni sunt unius Beneficii, an unus illorum propria auctoritate sua privata, & sine approbatione Papæ jus suum cedere alteri potest? *ibid.* cas. 22.

Cum Patroni nolus confidentiæ sunt participes, excidérunt ne a jure nominandi ad primo vacaturum beneficium? Et ipsorum nominatio nonne irrita est ac nulla? tom. 1. v. *Confidentia*, cas. 2.

P A U P E R.

Pauperes, qui Eleemosynam petunt aut accipiunt sine necessitate, & propter otium, tenentur ne ad restitutionem? Cuinam debeat restituere? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 166. & 167.

Eleemosyna potest ne pauperi, qui magna omnium rerum inopia premitur, denegari, sub prætextu, quod malus sit & inordinate vivens? tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 8.

Est ne obligatio Eleemosynam erogandi omnis generis pauperibus? *ibid.* cas. 10.

Pauperes sunt ne exempti lege Jejunii? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 5.

Periculum quod aliquis subit pecuniam suam pauperibus commodando, est ne titulus sufficiens ad capiendum inde aliquod lucrum? tom. 3. v. *Usura*, cas. 28. & tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 10. & tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 1.

Judex potest ne pauperibus favorem exhibere præ divitibus? tom. 2. v. *Judex*.

Cum pauper male tractavit Clericum, an ejus Excommunicatio Papæ est reservata? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 45.

P A U P E R T A S.

Personæ Religiosæ peccant ne sæpe adversus Votum paupertatis, accipiendo munera pecuniaria a cognatis suis aut amicis? tom. 2. v. *Religiosa*, cas. 11. & 12.

Ad quemnam se recipere oportet eum, qui vult a Paupertatis Voto dispensari? *ibid.*

P E C C A T O R   P U B L I C U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quinam vocantur Peccatores publici? Est ne iis deneganda absolutio? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.

Est ne ipsis deneganda Communio, cum notum est ipsos confessos esse? Quid faciendum, si Communionem petant? tom. 3. v. *Peccator Publicus*, cas. 1.

Requiritur ne sententia Juridica ad executioni dandas pœnas decretas adversus peccatores publicos? *ibid.* cas. 2. tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 17.

Licet ne odio prosequi peccatores? tom. 1. v. *Charitas*, cas. 12.

P E C C A T U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Verba otiosa sunt ne peccata sua natura venialia? Quid intelligitur per verba otiosa? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 2.

Peccatum sua natura veniale, potest ne quibusdam in casibus fieri mortale? Multa peccata venialia possunt ne unum peccatum mortale constituere? Peccatum veniale disponit ad mortale? *ibid.* cas. 3.

Est ne obligatio in confessione se accusandi de peccatis venialibus admissis? Quandonam istud faciendum? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 26. 27. 39. 51. & 52.

Peccatum veniale est ne causa sufficiens ad denegandam absolutionem? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 9.

Aqua benedicta remittit ne peccata venialia? Quomodo fit istud? tom. 2. v. *Exorcismus*, cas. 3.

Ætas est ne ratio certa, qua judicari possit, num actiones malæ infantum peccata sint nec ne? tom. 3. v. *Peccatum* cas. 4.

Consensus coactus vel extortus sufficit ne ad committendam peccatum? tom. 2. v. *Impedimentum Metus*, cas. 1. & 10.

Potest ne peccatum committi eo fine ut finis imponatur magno malo, aut ut magnum procuretur bonum? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentia*, cas. 17.

Qui nimio fervore jejunando ineptos se reddunt officiis suis præstandis, reddunt ne sese peccati reos? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 15.

Potest ne committi peccatum veniale ad impediendum mortale peccatum? Peccatum veniale malum ne Deum offendit? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 5. & tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 1.

Peccatum mortale est ne obstaculum remissioni peccati venialis? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 6.

Potest ne duplex committi peccatum sola unica omissione? *ibid.* cas. 7.

Peccatum fit ne gravius circumstantia sanctitatis diei, qua committitur, aut Sacramentorum, quæ accipiuntur, aut accepta sunt? *ibid.* cas. 8. & tom. 1. v. *Confessio*, cas. 18. 19. 20. 21. & 22. & tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 18.

Si post voluntatem formatam aliquod committendi peccatum, executio ejus in aliud tempus differtur, committitur ne secundum peccatum, cum executioni illud datur? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 9.

Potest ne quis diu manere in statu peccati mortalis, quin reum se reddat novorum peccatorum mortalium, negligentia se in confessione accusandi? tom. 1 v. *Confessio*, cas. 31.

Cum quis neglexit peccatum mortale, quod commisit detestari quoties in mentem ipsi venit, antequam sese de illo accusavit, committit ne novum peccatum tali omissione, & tenetur ne se de eo in confessione accusare? tom 1. v. *Contritio*, cas. 1.

Potest ne licite matrimonium contrahere, qui in statu peccati mortalis est? tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 6.

Qui alium pravis suis ac perniciosis consiliis ad peccatum induxit, tenetur ne operam dare ipsius Conversioni promovendæ? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 129.

Habitus, quem quis contraxit faciendi vel dicendi res quasdam valde malas, an excusat a peccato mortali? tom. 1. v. *Blasphemia*, cas. 2.

Uter duorum peccatorum maxime culpandus est, quorum alter ex habito contracto, alter subita passione abreptus peccat? tom. 2. v. *Malus*, cas. 1.

Est ne differenda absolutio peccatoribus, qui in habitu peccati mortalis versantur, quæcumque faciant promissa sese corrigendi? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 13.

Est ne solummodo ad tempus attendendum, a quo peccator non amplius in peccatum habitua incidit, cum agitur, num conferenda an vero deneganda sit ipsi Absolutio? Peccatum an non amplius habitua peccatum esse censetur, cum quod antea singulis diebus multoties committebatur, nunc duobus aut tribus diebus nonnisi semel voluntario committitur? Cessatio peccati est ne absolute necessaria ad absolutionem consequendam? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 23. 24. & 30.

Cessatio peccati est ne sola signum veræ pœnitentiæ? tom. 1. v. *Confessarius*, cas. 1.

Contritio peccatorum sive venialium sive mortalium debet ne necessario includere resolutionem nulla amplius committendi peccata in posterum? tom. 1. v. *Contritio*, cas. 8.

Peccata mortalia reviviscunt ne relapsis in eadem, aut alia mortalia peccata? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 11.

Metus gravis excusat ne a peccato? *ibid.* cas. 10. & tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 9.

Est ne obligatio restituendi, quod peccato acquisitum est? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 110.

Deus potest ne peccatum permittere? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 1.

P E C U N I A M.

An semper sine peccato mutuo accipi potest pecunia sub conditione lucri inde solvendi? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 4. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 37 & 38.

Qui pecuniam mutuo dant super loco, sunt ne usuræ rei? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 3.

Potest ne quis pecuniam suam mutuo dare sub conditione reddendi etiam in specie & eadem ratione qua data est, etiamsi interdictio aut diminutio ejus Monetæ intervenerit? tom. 2. v. *Mutuum*, cas. 4.

PENSIO ECCLESIASTICA.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Pensiones super Beneficiis sunt ne Juri Communi contrariæ? sunt ne earum quædam exempla in antiquis monumentis? Papa fuit ne semper solus in possessione illas concedendi? An in omni casu in auctoritatem admittuntur in Gallia? Sunt ne quædam conditiones requisitæ, ut possideri possint? tom. 3. v. *Pensio Ecclesiastica*, cas. 2. tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 21. & tom 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 7.

Pensiones sunt ne validæ in uno atque in altero foro, cum non aliud habent motivum, quam satisfactionem & utilitatem privatam? Quænam est quoad hoc Galliæ Jurisprudentia? tom. 3. v. *Pensio Ecclesiastica*, cas. 1.

Potest ne quis sibi super beneficio quod obligat, ut intra annum Sacerdos fiat, pensionem reservare, quamvis neglexerit suscipere Sacerdotium, & tenetur ne in casu isto restituere fructus perceptos? *ibid.* cas. 3.

Potest ne quis ad honeste subsistendum, reservare sibi Pensionem super Beneficio, quod nonnisi per exiguum tempus curavit? Quænam est super hac re Jurisprudentia Galliæ? *ib.* cas. 4.

Pensiones super Beneficiis Curatis subsistunt ne post mortem Resignatarii secundum normam omnium Regni Galliæ parlamentorum? *ibid.*

Potest ne aliquis, infirmitatis causa, Beneficium Curatum, quod non administravit per tempus præscriptum ab Edictis, resignare reservata sibi pensione? *ibid.* cas. 5.

Si præter pensionem alia quædam super Beneficio facta est reservatio, requiritur ne sub pœna nullitatis illud declarare? Et ubinam declarandum est? *ibid.* cas. 6.

Pensiones possunt ne excedere tertiam redituum Beneficii partem? *ibid.* cas. 7.

An citra simoniam exigi aut solvi potest pensio, quæ tertiam redituum Beneficii partem excedat? Licet ne obligare ad solvendum in antecessum pro primo anno? *ibid.* cas. 8.

Pensio reditus integri alicujus Beneficii admittitur ne in Gallia? *ibid.* cas. 14

Successores Beneficiarii tenentur ne de pensionis reliquiis, debitis a suis prædecessoribus? *ibid.* cas. 9.

Pen-

Pensio constituta ad æquanda duo Beneficia redituum differentium est ne semper canonica? ibid. cas. 10.

Episcopi possunt ne constituere pensiones super Beneficiis? ibid. cas. 11.

An hanc olim potestatem habuerunt? ibid. cas. 2.

Conventio tacita redemptionis pensionis, reddit ne ipsius constitutionem nullam? ibid. cas 12.

Potest ne exigi pensio, ut Beneficium remittatur in regulam? Quasnam habere debet conditiones, ut sit canonica? ibid. cas. 13.

Capitula tenentur ne de pensionibus positis super præbendas Ecclesiarum suarum, quæ non consistunt nisi in distributionibus, pro ratione non residentium illorum, qui eas debent? ibid. cas. 15.

Debentur ne pensiones iis annis, quibus ex Beneficiis fere nihil aut parum redit? ibid. cas. 16.

Pensio debetur ne anno, quo Beneficium in causam caducl delapsum est? ibid. cas. 17.

Pensiones constitutæ ab arbitris inter personas, quarum jus æquale videbatur, sunt ne licitæ? Quasnam requiruntur conditiones, ut sint canonicæ? ibid. cas. 18.

An omnes pensiones factæ sine approbatione Papæ, simoniacæ sunt? Auctoritas Papæ est ne necessaria pro creatione aut redemptione pensionis? ibid. cas. 20. & 21. & tom. 3. v. Simonia, cas. 21.

Pensiones super Beneficiis, sunt ne natura sua Ecclesiasticæ? Obligant ne ad vivendum in statu Clericali & ad recitandum Breviarium? Qui inhabilis est ad possidendum Beneficium, an inhabilis quoque est ad possidendam pensionem? tom. 3. v. Pensio Ecclesiastica, cas. 22 23. & 24.

Suspensio ab officio reddit ne creationem pensionis super Beneficium irritam ac nullam? tom. 3. v. Suspensio, cas. 21.

Excommunicatio major reddit ne inhabilem ad possidendam pensionem Clericalem? tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 24.

Potest ne extingui pensio resignatione Beneficii? pensio est ne Beneficium? tom. 3. v. Pensio Ecclesiastica, cas. 11. & 23.

Regressus habet ne locum defectu solutionis pensionis? tom. 3. v. Regressus, cas. 4.

Pensionarius potest ne pro arbitrio disponere de iis quæ ex pensione residua habet adhibita parcimonia? tom. 3. v. Pensio Ecclesiastica, cas. 25.

Pensio super Beneficio manet ne extincta morte civili, sicut morte naturali pensionarii? ibid. cas. 26.

Religiosi non Reformati provisi de beneficiis, possunt ne exigere pensiones, quæ ipsis concessæ sunt tempore Reformationis? Quænam est Galliæ Jurisprudentia circa pensiones Monachales? ibid. cas. 18. & 23. & tom. 3. v. Religiosus, cas. 3.

Pensiones factæ personis Religiosis sunt ne licitæ ac canonicæ, tom. 3. v. Pensio Ecclesiastica, cas. 27. & tom. 3. v. Simonia, cas. 22.

Religiosi habent ne jus disponendi de suis pensionibus sine permissione Superiorum? tom. 3. v. Simonia, cas 22. & tom. 3. v. Religiosus, cas. 9.

Possunt ne illas suis Cognatis cedere? tom. 3. v. Religiosus, cas. 10.

Quasnam habere debent rationes Religiosi, ut potere possint pensiones? ibid. cas. 14.

Pensiones sequuntur ne Religiosos ex uno Monasterio in in aliud transeuntes? tom. 3. v. Religiosa, cas. 9. & 10. & tom. 3. v. Simonia, cas. 64.

Pensiones factæ Religiosis personis, possunt ne sine Superiorum consensu hypothecæ subjici? tom. 3. v. Simonia, cas. 28.

Personæ Religiosæ possunt ne pensiones accipere intentione commodius vivendi? ibid.

Superiores Regulares possunt ne Religiosis suis permittere, ut pensiones possideant? tom. 1. v. Dispensatio Votorum in genere, cas. 3.

Est ne dispensatione papali opus pro pensionibus constitutis super Commendis Melitensibus? tom. 2. v. Equites Religiosi, cas. 2.

Melitenses Equites Religiosi possunt ne a suis Cognatis pensiones postulare? ibid. cas 4.

Pensio Laica, quam quis cedit in favorem permutationis beneficii, est ne simoniaca? tom 3. v. Simonia, cas. 82. & 83.

Patres & Matres possunt ne pensiones alimentarias relinquere, & constituere in præjudicium Creditorum? tom. 3. v. Restitutio, cas. 191.

Creditores tenentur ne pensionem alimentariam constituere suis Debitoribus, qui bonis cesserunt? tom. 3. v. Restitutio, cas. 170. & tom. 1. v. Cessio Bonorum, cas. 8.

Licet ne relinquere pensionem homini civiliter mortuo? tom. 2. v. Legatum, cas. 27.

Pensiones ususfructuariæ sunt ne semper in antecessum solvendæ? Et reliquiæ earum pertinent ne ad hæredem Legatarii? ibid. cas. 28.

Est ne obligatio solvendi hanc pensionem, licet pensionarius non amplius egeret? ibid. cas. 30. & 31.

Quanam ratione utendum est respectu pensionis ususfructuariæ Testamento relictæ, cum Testator non specifice expressit, quænam ea summa sit solvenda? ibid. cas. 31.

Est ne quædam differentia inter pensiones ususfructuarias & legata alimentaria, inter usufructum & reliqua legata? tom. 2. v. Hæres, cas. 42.

Permutans tenetur ne solvere pensionem integram resignanti, quamcumque fecerit conventionem cum resignatario? tom. 3. v. Simonia, cas. 28.

Licet ne reservare pensionem super beneficio, quod quis dimittit? Licet alias sit, quo honeste vivat? tom. 3. v. Residentia Canonicorum, cas. 6. & 7.

PEREGRINANTES.

Peregrinantes aut iter facientes tenentur ne ad jejunium, an vero ab illo observando sunt immunes? tom. 2. v. Jejunium, cas. 6.

PEREGRINATIO RELIGIOSA.

Canonici absentes peregrinationibus Religiosis lucrantur ne fructus suos? Sunt ne etiam tanquam præsentes censendi, & qui proficiant distributionibus quotidianis? tom. 3. v. Residentia Canonicorum, cas. 2. & tom. 2. v. Distributiones quotidianæ, cas. 3.

Dispensatio de Votis Religiosarum peregrinationum est ne Papæ reservata? tom. 1. v. Dispensatio Votorum in genere, cas. 2.

PERJURIUM.

Vide hujus voris Proœmium.

An omne perjurium, qualecumque sit, peccatum sua natura mortale est? tom. 3 v. Perjurium, cas. 1. & tom. 3. v. Testis, cas. 17. & tom. 2. v. Juramentum, cas. 4.

Est ne perjurium rem falsam adversus propriam conscientiam veram affirmare, aut veram asserere falsam? tom. 3. v. Perjurium, cas. 5.

Judex potest ne juramentum exigere a persona, quam jam pejerasse scit, idemque data occasione facturam esse haud dubitat? ibid. cas. 6.

Privatus potest ne in iisdem circumstantiis juramentum præstandum petere? ibid. cas 15.

Est ne perjurium, cum aliquis, qui accusatur & coram judice urgetur de solvenda summa majori, quam ne, quam revera debet, respondet, se illam non debere? ibid. cas. 7.

Est ne semper perjurium, non implere promissum juramento confirmatum? ibid. cas. 8.

Potest ne sine perjurio fieri regressus ab alienatione dotis cum quis ad hoc non faciendum juramento se obligavit? ibid. cas. 9.

Qui juramento se obligavit ad non faciendam rem bonam, aut ad exequendam rem malam, tenetur ne suum implere promissum? Quænam sunt juramenti conditiones? ibid. cas. 21. & 14 & tom. 3. v. Perjurium, cas. 9. & tom. 3. v. Restitutio, cas 92.

Qui falso jurat præcipitantia linguæ, semper ne mortaliter peccat? tom. 3. v. Perjurium, cas. 10.

Metus gravis excusat ne virum a perjuriis? Eximit ne ipsum ab obligatione promissum implendi? ibid. cas 12.

An sine perjurio fieri potest, ut juramentum licitum ab utraque parte non impleatur, ea quod factum fuit intentione dispensationem de illo obtinendi? ibid. cas. 13.

Perjuria in propria causa sicut & in aliena, sunt ne in quibusdam Diœcesibus reservata? tom. 1. v. Casus Reservati, cas. 19.

Vir, qui ira motus jurat pœnam se a quodam reo sumpturum, an perjurium committit, si postea reo ad meliorem frugem redire promittenti veniam det? tom. 3. v. Perjurium, cas. 2.

Qui sine intentione jurandi & sese obligandi jurat, pejerat ne? ibid. cas. 3.

Pejerat ne, qui affirmat, quod debeatur aliqua summa, quam secreto alteri cessit? ibid. cas. 4.

Est ne perjurus, qui cum sub juramento & pœna pecuniaria se obligavit ad se subjiciendum sententiæ arbitrali, deinceps interjicit appellationem? tom. 1. v. Arbiter, cas. 2.

PERMUTATIO.

Vide hujus Tituli Proœmium.

An bonum & utilitas Ecclesiæ sole debent esse causæ atque rationes, propter quas beneficiorum permutationes fieri possint? tom. 3. v. Pensio Ecclesiastica, cas. 1.

Quænam interveniat oportet auctoritas in permutationibus, ut sint licitæ atque Canonicæ? tom. 3. v. Permutatio, cas. 1.

Permutatio facta auctoritate Episcopi, Beneficii Collatoris, est ne valida? Quasnam habere decet intentiones in permutationibus peragendis? ibid. cas. 2.

Permutationes admissæ a Collatoribus inferioribus Episcopis, sunt ne in Gallia licitæ? Sunt ne quædam observandæ formulæ in permutationibus? ibid. cas. 3.

Episcopi Gallicani possunt ne rejicere permutationes, quæ fiunt extra casus incapacitatis? ibid. cas. 4.

Permutantium ille, qui alteri superstes est admissa permutatione, potest ne ambo servare Beneficia? ibid. cas. 5.

Licet ne Beneficium quod exigit residentiam permutare cum aliquo, quem sciat ut non resideat constat? ibidem cas. 6.

Permutatio Beneficii modo simoniaco acquisiti est ne valida? ibid cas. 7. & tom. 3. v. Provisio Beneficiaria, cas. 17. & 18.

Permutatio qua suum quis alteri cedit beneficium, ea conditione vel sine, ut suum Beneficium renuntiet in favorem tertii cujusdam, cujus beneficium accidet primo, est ne canonica? tom. 3. v. Permutatio, cas. 8.

Per-

Digitized by Google

Permutantes debent ne jam realiter provisi de beneficiis esse, quæ permutare volunt? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 19. & 21.
Permutatio est ne simoniaca, cum tertius aliquis beneficio temporali eam procurat? *ibid.* cas. 26.
Vicarii Generales possunt ne pleno jure admittere permutationes beneficiorum? tom. 3. v. *Vicarius*, cas. 5.
Si permutantium alter moriatur non adita post aliquod tempus possessione, an superstes privatus suo Beneficio? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 6.
Defectus insinuationis actuum necessariorum reddit ne permutationem irritam ac nullam? tom. 2. v. *Insinuatio*, cas. 2. & tom. 3. v. *Donatio*, cas. 5.
Permutatio beneficii, quod Episcopus sine Titularis consensu Seminario suo adunavit, est ne valida? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas. 7.
Ut permutatio valida sit adversus prætensionem Graduatorum, debet ne fieri integros duos dies ante mortem permutantium? tom. 2. v. *Graduatus*, cas. 8.

PERSECUTIO.

Parochi & Episcopi possunt ne tempore persecutionis & tumultuum oves suas deserentes aufugere? tom. 3. v. *Residentia Episcoporum*, cas. 1. & 3.

PERSONATUS.

Licet ne mulieri ad servandam vitam, honorem, aut libertatem suam vestibus virilibus sese dissimulare? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 6.

PESTIS.

Parochi possunt ne ad servandam vitam suam tempore grassantis pestis relinquere suos parœcianos? tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 6. & tom. 3. v. *Parochus*, cas. 4.
Licet ne tempore pestis grassantis Sacramenta ægrotis administrare modo extraordinario & quonam? tom. 1. v. *Communio*, cas. 18. & tom. 3. v. *Parochus*, cas. 4.

PHARMACOPOLA.

Pharmacopolæ possunt ne citra peccatum sua componere medicamenta diebus Dominicis ac Festis? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 6.
Legata Pharmacopolis facta semper ne nulla sunt? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 1.

PHRENETICUS.

Phreneticus, qui aliquem occidit, fit ne irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 45.
Potest ne Phreneticis administrari Baptismus, Viaticum, vel Extrema Unctio? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 25. & tom. 1. v. *Communio*, cas. 17. & tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 27.

PICTURA.

Est ne obligatio integrum vicino præstandi damnum, quod passus est ruina domus nostræ, quæ picturas quasdam ipsius perdiderat? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 185.
An ii qui picturas habent lascivas denegationi absolutionis cogendi sunt ad illas incendio consumendas? tom. 2. v. *Libri prohibiti*, cas. 4.
Licet ne servare picturam & imaginem ejus, cum quo olim in criminibus quis vixit? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 18. *Vide quoque vocem*, Aspectus.

PIGNUS.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Licet ne uti pignoribus, quæ quis habet in fidem debitorum suorum? An cum persolvenda est sors, ratio est habenda usus ex isto pignore accepti? tom. 3. v. *Pignus*, cas. 1. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 23. 24. 25. & 34.
Pignora possunt ne retineri usque ad integram summæ debitæ solutionem? Si Debitor non liberet pignus, potest ne emi pretio, de quo convenit inter Creditorem ac Debitorem? *ibid.* cas. 5.
Qui pignora tenent titulo Antichresis, tenentur ne respectu illorum de casibus fortuitis, & de culpia in jure appellatis *Culpa lata*? *ibid.* cas. 4. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 5. 14. 19. & 22.
Qui pignus perdidit fortuito casu, an tenetur ejus restituere valorem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 30.

PIRATA.

Vide NAUCLERUS.

PISCATIO.

Licet ne citra omne peccatum piscationi incumbere diebus Dominicis ac Festis? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 4.

PISTOR.

Pistores possunt ne coquere ac vendere panem diebus Dominicis ac Festis? Quomodo antiquitus vocabantur? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 8.

PISTOR DULCIARIUS.

Pistores dulciarii possunt ne diebus Dominicis ac Festis operam dare panibus suis dulciariis, eosque vendere quin peccati reos se constituant? An saltem aliqua sunt Festa, ubi id ipsis liceat? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 9.

PISTRINUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Dominus qui pistrinum habet banalle punctis quadratis, tenetur ne illa in rotunda convertere? Quænam est differentia inter unum atque alterum? tom. 3. v. *Pistrinum*, cas. 1.
Jus moliture est ne idem in omnibus Galliæ Provinciis? *ibid.*
Domini habent ne jus pistrina erigendi bannalia? Vasalli, qui in alia pistrina molendi causa se recipiunt, sunt ne quibusdam pœnis obnoxii? *ibid.* cas. 2.
Dominus potest ne omnes, qui ab ipso dependent fœvilitos obligare ad frumenta sua in suo pistrino molenda? *ibid.* cas. 3.
Nonne tenetur vias ac semitas, quæ corruptæ sunt ac imperviæ, reparare? *ibid.*
Quandonam privatus construere potest pistrinum, & quasnam adhibere debet cautelas? *ibid.* cas. 4.

PLANETA.

Potest ne sine superstitione asseri & credi, quod constellationes, sub quibus aliquis est natus, influant tanquam causa principalis in ipsius actiones? tom. 1. v. *Astrologia Judiciaria*, cas. 2.

POENITENTIA INJUNCTA.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Omissio pœnitentiæ injunctæ a Confessore, est ne semper mortale peccatum? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 1.
Est ne obligatio operibus satisfactoriis supplendi levitati pœnitentiarum injunctarum a Confessariis? *ibid.* cas. 2.
Cujus naturæ esse debent pœnitentiæ istæ, ut sint frugiferæ? *ibid.*
Confessarii sunt ne culpæ rei, quando nimis leves imponunt pœnitentias? *ibid.*
Licet ne Officium recitare alternatim cum alio, cum ex injuncta pœnitentia recitandum est? *ibid.* cas. 3.
Confessarius potest ne mutare aut temperare pœnitentiam injunctam pœnitenti ab alio Confessario? *ibid.* cas. 4. & 6.
Confessarius potest ne extra pœnitentiæ Tribunal mutare aut moderari & temperare pœnitentias injunctas? *ibid.* cas. 5.
Debet ne confessionem præcedentem repetere, qui injunctam oblitus est pœnitentiam? *ibid.*
Pœnitentia injuncta pro dispensatione aut commutatione Voti, potest ne ab alio Confessario mutari? *ibid.* cas. 6.
Potest ne quis propria auctoritate pœnitentiam a Confessore injunctam commutare in severiorem? *ibid.* cas. 7.
Potest ne pro pœnitentia injungi recitatio Officii Breviarii, quod quis omisit, ut in spiritu pœnitentiæ Deo offerat, quod jam recitaturus est Officium? *ibid.* cas. 8. & 11.
Potest ne pœnitenti injungi ut amplectatur vitam Religiosam in satisfactionem offensarum suarum atque peccatorum? *ibid.* cas. 9.
Potest ne aliquis consentiente Confessario, pœnitentiam suam per alium fieri curare? *ibid.* cas. 10.
Confessarius potest ne injungere pœnitentiam æqualem illi, quam ante imposuerat, pro peccatis ejusdem naturæ, & quæ important relapsum reiteratum? *ibid.* cas. 15.
Pœnitentiæ debent ne injungi tempori convenientes? tom. 1. v. *Confessarius* 1 cas. 5.
Pœnitens potest ne citra peccatum aliis referre pœnitentiam sibi injunctam, aut aliud quid a Confessario sibi dictum? *ibid.*
Potest ne ægrotis & afflictis pro pœnitentia injungi, ut Deo sua mala in expiationem peccatorum suorum offerant? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 12.
Potest ne quis pœnitentiam suam facere durante Missa obligationis? *ibid.* cas. 13.
Est ne pœnitenti liberum accipere aut rejicere pœnitentiam impositam a Confessario? *ibid.* cas. 14.
Semper ne absolutio concessa fuit ante pœnitentiam impletam? *ibid.* cas. 14.
Pœnitentiæ in statu peccati mortalis impletæ, sunt ne alicujus coram Deo meriti? An non illas reincipere oportet? *ibid.* cas. 16.
Confessarii debent ne sola sua auctoritate publicas imponere pœnitentias pro peccatis publicis, aut illas commutare in pœnitentiam secretam, sed severissimam? *ibid.* cas. 17.

POENITENTIA PUBLICA.

Pœnitentia publica producit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 120.
Injunctio pœnitentiæ nullatenus ne violat sigillum Confessionis? tom. 1. v. *Confessarius*, 2. cas. 22.
Pœnitentia publica est ne impedimentum impediens matrimonii? tom. 2. v. *Impedimenta impedientia*, cas. 1.

PO-

POENITENTIARIUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Pœnitentiarii habent ne Jurisdictionem ordinariam & independentem ab Episcopo? Possunt pro lubito ipsius destitui? tom. 3. v. *Pœnitentiarius*, cas. 1.

Potestates & facultates pœnitentiariorum finiuntur ne morte Episcopi? tom. 3. v. *Pœnitentiarius*, cas. 4.

Quænam est differentia inter Jurisdictionem contentiosam, & eam quæ vocatur gratiosa? An una pariter ac altera morte Superioris expirat? *ibid.*

Potest ne quis inscio Parocho pro peccatis reservatis ad pœnitentiariam se recipere? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 22.

Canonicus pœnitentiarius est ne censendus tanquam præsens in Choro, dum durante Officio confessiones excipit? tom. 3. v. *Pœnitentiarius*, cas. 3.

POENITENS.

Usus apud Græcos vigens oleo ungendi pœnitentes, est ne laudandus? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 20.

Pœnitentes possunt ne tempore Jubilæi recusare satisfactiones severas, quas ipsis Confessarii imponere vellent? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 11.

Potest ne dici, quod peccator pœnitentiam veram faciat, & quod absolutione Sacerdotis obtineat remissionem peccatorum, si hoc non detestetur nisi propter eorum fœditatem, & simul habeat spem veniæ? tom. 1. v. *Contritio*, cas. 1.

POLLEX.

Illi, quibus deest pollex, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 22.

POLLUTIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Pollutio quæ vel vigilantibus vel dormientibus accidit, est ne peccatum, tum ex se, tum ex comparatione ad suam causam? Quotuplex est causa pollutionis? tom. 3. v. *Pollutio*, cas. 1. & 2.

Pollutio, quæ incipit in somno, finitur autem in vigilia, est ne peccatum mortale, an veniale per se? *ibid.* cas. 3. & tom. 1. v. *Aspectus*, cas. 3. & tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 7. & tom. 3. v. *Tactus*, cas. 2. & tom. 2. v. *Osculum*, cas. 1.

Pollutionis voluntariæ peccatum a Regulari commissum est ne reservatum Superiori Regulari? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 35.

Pollutio est ne ex se ipsa Communioni impedimento? tom. 1. v. *Communio*, cas. 2.

Pluries seminis involuntarius cum voluptate sensibili conjunctus, est ne obstaculum Communioni, ad quam aliquis accedere vult singulis diebus Dominicis? *ibid.* cas. 3.

PONTO.

Reditus alicujus pontonis pertinent ne in integrum ad proprietarium a die suæ postulationis, si scilicet evicit possessorem bonæ fidei? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 6.

POSSESSIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Undenam suam possessio triennalis originem ducit? Habet ne locum respectu Beneficiorum simonia obtentorum, aut intrusione? Emendat ne quicquid in provisionibus vitii latet? tom. 3. v. *Possessio*, cas. 1. & tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 2. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 40. & 42. & tom. 1. v. *Abbas*, cas. 2. & tom. 3. v. *Equites Religiosi*, cas. 4. & tom. 1. v. *Confidentia*, cas. 2. & tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 3.

Possessio triennalis supponit ne titulum coloratum? tom. 3. v. *Possessio*, cas. 2.

Possessio triennalis est ne spurio titulo, quo se in Beneficio suo conservare ac defendere possit? *ibid.*

Possessio bonæ fidei sufficit ne in defectu tituli? *ibid.* cas. 7.

Possessio bonæ fidei reddit ne suos omnes fructus prædii quod possidet? Tenetur restituere fructus perceptos a die factæ in foro postulationis? *ibid.* cas. 7. & 8. & tom. 2. v. *Emptio*, cas. 10. & 11.

Possessio ut longa sit, potest ne mutare statum beneficii? tom. 3. v. *Possessio*, cas. 3.

Possessio temporis perlongi acquirit ne titulum? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 18.

Potest ne aliquis, quin fiat Simoniacus, Capitulo dare quamdam pecuniæ summam, ante aditam præbendæ possessionem? tom. 3. v. *Possessor*, cas. 4. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 28.

Sumptio possessionis est ne valida, quando procuratio possessionem capiendi, tempore anterior est provisioni? tom. 3. v. *Possessio*, cas. 6.

Sumptio possessionis præbendæ facta sine Installatione & receptione in Fratrem a capitulo facta, est ne canonica? *ibid.* cas. 5.

Liberalitas Principis est ne possessoribus malæ fidei titulus sufficiens? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 11. & tom. 2. v. *Emptio*, cas. 12.

Beneficiarii an non possunt uti fructibus suorum beneficiorum nisi vi aditæ possessionis? Quænam est Galliæ Jurisprudentia quoad possessiones aditas vel adeundas? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 6.

Sumptio possessionis debet ne sub pœna nullitatis insinuari? Quonam in loco & quo tempore insinuari debet? tom. 2. v. *Insinuatio*, cas. 2.

Captio possessionis Civilis præbet ne jus exercendi functiones Beneficio annexas? Ejusmodi sumptiones possessionum sunt ne in usu in Gallia? Quænam requisitæ sunt conditiones? tom. 3. v. *Provisio Beneficiorum*, cas. 13.

Potest ne resignare aliquis beneficium antequam ejus adierit possessionem? Est ne tempus præscriptum, intra quod possessio beneficii resignati capiendi est? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 5. & 11. & tom. 3. v. *Visa*, cas. 3.

Possessio triennalis impedit ne regressum? tom. 3. v. *Regressus*, cas. 5.

Possessio triennalis eximit ne heredes bonæ fidei a restitutione bonorum usurariorum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 6.

Cum Beneficium collatum est duobus diversis, an illorum alter, qui adiit possessionem, solus est legitime provisus? tom. 3. v. *Vicarius*, cas. 6.

Clericus simoniace provisus de beneficio, potest ne valide illius adire possessionem? tom. 1. v. *Dispensatio Simoniæ*, cas. 3.

Potest ne aliqua exercere Jurisdictionem ante aditam possessionem? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 1. *Vide* Episcopus.

Capitulum potest ne recusare permissionem possessionis adeundæ proviso aliqua Dignitate, antequam quatuor decimum attigerit annum? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 1.

Possessio triennalis est ne Confidentiario non culpabili titulus sufficiens, quo suum conservare possit beneficium? tom. 1. v. *Confidentia*, cas. 2.

Sumptio possessionis præbet ne aliquod jus ad Beneficium? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 36.

Possessio bonæ fidei est ne titulus sufficiens inter Socios, quo alter alterius portionem suam reddere possit, exemptusque sit a restitutione Communitati facienda? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 53.

POSSESSOR.

Quænam est differentia inter possessorem bonæ & possessorem malæ fidei? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 5. 6. 8. & 10. & tom. 2. v. *Hæres*, cas. 24.

Cessat ne aliquis esse bonæ fidei possessor, ex quo contra ipsum formata est in foro postulatio? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 3. & tom. 1. v. *Possessio*, cas. 7. & 8.

Possessor bonæ fidei tenetur ad quamdam erga Dominum restitutionem rei furto ablatæ, sed quam illa emptam alienavit? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 5. 8. & 9.

POTESTATES SUPREMÆ.

Sunt ne varii generis potestates supremæ? An una alteri est subordinata? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 2.

PRÆBENDÆ.

Præbendæ sunt ne subjectæ juri expectationis juramenti fidelitatis, & regaliæ, quando Capitula soli sunt collatores? tom. 2. v. *Juramentum fidelitatis*, cas. 1.

Reductio præbendarum est ne licita? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, *ibid.* cas. 6.

Potest ne dum aliquis possidere præbendas in eadem Ecclesia? tom. 1. v. *Decanus*, cas. 2.

Potest ne quis canonice provideri de præbenda, quamvis in eadem Ecclesia jam gaudeat aliqua Dignitate certos quosdam reditus annuos habente? Usus iste est ne Galliæ peculiaris? *ibid.*

PRÆCEPTUM.

Præcepta affirmativa obligant ne in omnibus casibus? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 1.

Sunt ne diversæ speciei obligationes respectu præceptorum? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 12.

PRÆDATIO.

Tenetur ne aliquis in solidum restituere, quod in injusta prædatione cepit? Quomodo & cuinam restituendum est? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 18.

PRÆDICARE.

Vide hujus vocis Proœmium.

Obligatur ne ad prædicandum, qui talenta ad istud habet necessaria? tom. 3. v. *Prædicare*, cas. 1.

Doctores habent ne approbatione Ordinarii opus, ut possint prædicare? *ibid.* cas. 12.

Qui prædicant in statu peccati mortalis, committunt ne novum peccatum? *ibid.* cas. 3.

Potest ne aliquis prædicare intentione opes cogendi, aut opinionem multitudinis sibi conciliandi? *ibid.* cas. 4.

Prædicatores possunt ne aliquid ab Usurariis accipere pro suo honorario? *ibid.* cas. 5.

Oportet ne abstinere a prædicatione verbi divini facta a Principe prohibitione, non obstante populi oppositione? Oportet ne pergere in prædicando Dei verbo, cum populus consentit? *ibid.* cas. 6.

Re-

Regulares indigent ne Ordinarii approbatione, ut in domibus suorum Ordinum prædicare valeant? *ibid.* cas. 7. & tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 5.

Oportet ne cessare a prædicatione, cum excommunicatus denuntiatus intrat in Ecclesiam? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 38.

Prædicatio est ne permissa constante interdicto generali? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 18.

Sacerdotes interdicti a divis possunt ne interesse Sermonibus Sacris? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 7.

Diaconi & Subdiaconi habent ne prædicandi facultatem? tom. 3. v. *Prædicare*, cas. 8.

Minister prædicationis est ne annexus certo cuidam Ordini Sacro: & Clericus simplex potest ne istum annexere Ordinem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 7.

PRÆDICATOR.

Prædicator potest ne suam omittere Breviarii recitationem Sermonis sui memoriæ mandandi causa? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 6.

Prædicatores debent ne veritatem tacere, quam multitudo scandalizatur? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 4. & tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 16.

Sunt ne simoniaci, cum non prædicant, nisi intentione ad beneficium perveniendi? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 8.

PRÆFECTUS URBIS.

Præfecti Urbium, qui ob munera quæ accipiunt minuunt locationes Conductoribus, tenentur ne ad restitutionem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 80.

PRÆLEGARE.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quænam in casu & quomodo maritus prælegare potest Uxori, & vicissim Uxor Marito? tom. 3. v. *Prælegare*, cas. 1. & 2. & tom. 2. v. *Mulier Conjugata*, cas. 2.

Futuri sponsi possunt ne sibi invicem prælegare ædibus peculiaribus, factis post Contractum, & ante celebrationem matrimonii? tom. 3. v. *Prælegare*, cas. 2.

Quandonam & quomodo Parentes futurorum Conjugum prælegare illos possunt? Quænam requiruntur conditiones ad hoc? *ibid.* cas. 4.

Mulier moribunda potest ne inducere suum Maritum, ut vendat prædia sua contractus, & consentire, ut pecuniam inde redeuntem quasi propriam sibi attribuat, ut hoc modo ipsi prælegat? *ibid.* cas. 3.

Duo Conjuges possunt ne unus alterius prælegare Infanti? Quid circa hoc observandum est ipsi? *ibid.* cas. 5.

Licet ne prælegare natu majori filio in præjudicium ætate minoris, quin tamen peccetur adversus charitatem ac Justitiam? Consuetudines præbent ne ejusmodi prælegationibus authoritatem? *ibid.* cas. 6.

An quoad istud Consuetudo Parisiensis intelligi debet de infantibus a Principe legitimatis, sicuti de iis, qui matrimonio fiunt legitimi: *ibid.*

S. Ambrosii locus eximius circa æqualitatem observandam respectu infantum: *ibid.*

Pater aut Mater, qui in contractu matrimonii unius ex suis infantibus, se obligarunt, ad non meliorandum unquam reliquorum suorum infantum tenentur ne indispensabiliter hanc exequi conventionem? Et nunc quædam fieri potest exceptio juxta quasdam Consuetudines? *ibid.*

Est ne obligatio suis infantibus præstandi damnum sumptum qui pro uno ex ipsis præ aliis facti sunt? *ibid.* cas. 7.

Mulier potest ne prærogativas & commoda quæ habet a primo suo Marito æqualibus portionibus dividere inter infantes primi & secundi sui matrimonii? tom. 1. v. *Dos*, cas. 13.

PRÆLEGATIO.

Prælegationes sunt ne in usu in quibusdam Regionibus Juri scripto subditis? Sunt ne in usu in aliquibus locis consuetudinibus regi solitis? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 1.

PRÆSCRIPTIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Præscriptio est ne æque legitima respectu Possessorum bonæ fidei, ac Possessorum malæ fidei, tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 4. 2. & 9.

Præscriptio habet ne locum respectu omnis generis bonorum ac jurium? *ibid.*

Tempus ad præscribendum requisitum est ne idem respectu mobilium & immobilium, & inter præsentes & absentes? *ibid.*

Quænam sunt necessariæ conditiones ad legitimam reddendam præscriptionem? *ibid.*

Quænam est mens Legum constituentium jus præscriptionis? *ibid.*

Potest ne quis jure præscriptionis uti adversus illos qui nullius rei sunt negligentiæ? *ibid.* cas. 2.

Postulatio unius ex Comproprietariis sufficit ne ad interrumpendam præscriptionem in favorem omnium reliquorum? *ibid.* cas. 3. & 7.

Tutores possunt ne præscribere super suis Pupillis? *ibidem* cas. 4.

Præscriptio habet ne locum respectu bonorum pertinentium ad solos minores, aut ex indiviso cum fratribus? Quandonam præscriptionis tempus incipit inter illos? *ibid.* cas. 5.

Cum Possessio bonæ fidei interrumpitur per aliquod tempus, an etiam præscriptio interrumpitur? *ibid.* cas. 6.

Hæres qui pergit bona fide possidere usque ad tempus definitum jure aut consuetudinibus, an præscribit, quod Defunctus nondum potuerat præscribere? *ibid.* cas. 7.

Bona fides est ne necessaria ad incipiendam, continuandam ac finiendam præscriptionem? *ibid.* cas. 9.

An omnes persecutiones factæ in cursu præscriptionis, & simplex dubium sunt obstaculum præscriptionis cursui? *ibid.*

Hæres, Legatarius, & Donatarius possunt ne præscribere rem furto ablatam a Defuncto? *ibid.* cas. 10.

Emptor potest ne uti jure præscriptionis respectu rei usurpatæ? *ibid.* cas. 21.

Præscriptio habet ne locum respectu bonorum Ecclesiæ? *ibid.* cas. 12.

Præscriptio habet ne locum respectu redituum Dominii Regii? *ibid.* cas. 15.

Authoritas Principis potest ne legitimam reddere præscriptionem Possessoris malæ fidei? cas. 16.

Petitio facta ultimo die adversus præscriptionem, interrumpit ne illius cursum? *ibid.* cas. 17. & tom. 2. v. *Ordines*, cas. 22.

Ecclesia potest ne adversus aliam præscribere Ecclesiam? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 19.

Potest ne præscribi adversus Ecclesiam Romanam? *ibid.*

Præscriptio habet ne locum respectu restitutionis in integrum? Quotnam requiruntur anni, ut suum nanciscatur effectum? tom. 3. v. *Restitutio in integrum*, cas. 7.

Præscriptio habet ne locum respectu omnis generis servitutum? tom. 3. v. *Servitus*, cas. 6.

Socii possunt ne alii præscribere adversus alios? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 53.

Præscriptio habet ne locum respectu Decimarum? Laici possunt ne præscribere jus Decimarum? tom. 1. v. *Decima*, cas. 9.

Præscriptio potest ne locum habere adversus tertios bonæ fidei possessores bonorum Ecclesiasticorum alienatorum absque formulis requisitis, post quadraginta possessionis annos? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 8.

Quænam in casu Domini infimæ Justitiæ exigere non possunt reliquas censuum ad dominia sua pertinentium, nisi a tribus annis, ita ut post elapsum illud tempus præscriptio locum habeat? *ibid.* cas. 23.

Quotnam numerandi sunt anni ad præscribendum census ad dominia pertinentes Dominorum altæ Justitiæ, *ibid.*

Quandonam præscriptio habere debet locum in foro interiori æque ac in exteriori? *ibid.* cas. 24.

PRESENTATOR.

Vide PATRONUS.

PRÆSIDIALIS CURIA.

Consiliarii Clerici Curiarum Præsidialium lucrantur ne fructus suorum Beneficiorum sine residentia? tom. 1. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 4.

PRÆTOR.

Domini altæ Justitiæ tenentur ne inquirere de probitate & capacitate suorum Prætorum? tom. 2. v. *Domini Parochiarum*, cas. 14.

Tenentur ne illos de officio privare, si injustitias committant aut repetundarum crimen, *ibid.* cas. 10.

PRÆVENTIO.

Papa habet ne jus præveniendi collationem Ordinariorum? Nulla ne respectu hujus juris facienda est restrictio? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 4.

PRECARIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Licet ne retinere per tantum quantum quis vult temporis, quod titulo precarii accepit? Precarium & Commodatum differunt ne inter se? tom. 3. v. *Precarium*, cas. 2. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 98. & 10.

PRESBYTERIUM.

An Parochi vel Parœcianorum? sumptibus ædificandum vel reparandum est Presbyterium? tom. 4. v. *Simonia*, cas. 17.

PRETIUM.

Quotnam dantur pretiorum genera? tom. 1. v. *Caupo & Caupona*, cas. 4.

Merces possunt ne in quibusdam casibus pluris vendi, quam justo suo pretio? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 17.

Diminutio pretii habet ne locum in venditionibus factis in judicio? *ibid.* cas. 32.

PRIVILEGIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Potest ne renuntiari privilegio annexo suæ personæ aut suo statui; tom. 3. v. *Privilegium*, cas. 7.

Quonam in casu gaudere potest Clericus, jure Clericatus; *ibid.* cas. 2.

Pertinet ad Papam privilegia dare in temporalibus, & Reges & Imperatorem possunt ne in spiritualibus privilegia indulgere: *ibid.* cas. 1.

Privilegium ab Innocentio VIII. indultum Abbati Cisterciensi, ut suis Religiosis Diaconatum & Subdiaconatum possit conferre, est ne in usu in Gallia; tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 14.

Abbas Cisterciensis habet ne privilegium examinandi Novitias Religiosas, & Professis concedendi permissionem ingrediendi Monasterium, sine Ordinarii consensu; tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 3c

Quid faciendum si termini alicujus privilegii sint ambigui? Quandonam possunt explicari, & ad quem spectat illa interpretari privilegia; tom. 3. v. *Privilegium*, cas. 1.

Privilegium absolvendi a casibus & censuris quas Episcopi sibi reservarunt, concessum a Papa Religioso aut cuicumque alteri est ne justum ac validum, tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 33.

Potest ne aliquis tanquam hæres gaudere privilegio personali, suo cognato concesso, quemadmodum gauderet privilegio reali, tom. 3. v. *Privilegium*, cas. 4.

Duo Creditores æqualiter privilegiati debent ne convenire in solutione æquali; *ibid.* cas. 5.

Creditor privilegiatus habet ne plus juris, quam is, qui simplex est Creditor; *ibid.* cas. 5.

Est ne permittenda venditio aut lectio omnium librorum cum privilegio Principis impressorum, v. *Libri prohibiti*, cas. 4.

PROBABILITAS.

Vide OPINIO PROBABILIS.

PROCURATIO.

Procurationes ad resignandum debent ne insinuari? Quonam tempore & quonam in loco fieri istud debet; tom. 2. v. *Insinuatio*, cas. 2.

Quot res continere debet procuratio, & est ne obligatio illam commonstrandi iis, quorum interest illam vidisse, ejusque scire contenta: tom. 1. v. *Deputatio*, cas. 2

An in omnis generis casibus transigere liceat vi procurationis generalis; tom. 2. v. *Electio*, cas. 6.

Qui recusat procuratione uti uno tempore, potest ne illa uti alio tempore, tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 42.

PROCURATOR.

Vide hujus vocis Proœmium.

Transactio facta tantummodo ab uno duorum Procuratorum Constitutorum, ligat ne constituentem in uno foro atque in altero; tom. 3. v. *Procurator*, cas. 1.

Potestas data Procuratori per procurationem, finitur ne ipsius morte? Si ejus hæres bona fide egerit & in commodum constituentis, an constituens teneatur ratum habere quod ab ipso actum esset? *ibid.* cas. 2.

Constituens potest ne recusare Procuratori sumptuum itineris solutionem sub prætextu quod excedant sumptus, quos ipsemet indemniter fecisset, si suas res curasset; *ibid.* cas. 3.

Pacta conventa a Procuratore, qui ignorat sui committentis mortem, sunt ne valida? Sunt ne casus ubi nihilominus valeant ejusmodi pacta, quamvis conventa post mortem ejus cognitam; *ibid.* cas. 4.

Cum plures constituerunt Procuratorem unum, an omnes teneantur erga illum de integro effectu procurationis ipsi datæ *ibid.* cas. 5.

Duo Procuratores constituti pro una eademque re, tenentur ne de ea singuli in solidum; *ibid.*

Procurator, qui scit, quod constituens alium commiserit ac deputaverit, potest ne nihilominus in re agenda pergere vi procurationis quam habet: *ibid.* cas. 6.

Procuratio generalis ad gerendas res absentis, præbet ne Procuratori auctoritatem transigendi super juribus sui committentis, aut alienandi ipsius fundum; *ibid.* cas. 7.

Procurator tenetur ne aliquando ad restitutionem erga suum constituentem, tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 40. & 41.

Potest ne desistere a sua rei administratione, non monito eo, qui ipsum commisit; *ibid.* cas. 41. & 42.

Procuratores possunt ne ipsi & ipsorum Tyrones causis forensibus expediendis incumbere diebus Dominicis ac Festis? Possunt ne hanc in finem a divino abesse officio? An saltem aliqui sunt casus, in quibus circa peccatum id ipsis liceat; tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 16.

Procuratores qui agunt causas capitis reum, sunt ne irregulares; tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 41.

PRODIGENTIA.

Prodigentia Creditoris est ne ratio sufficiens debitori, quare ipsi non solvat quod debet? Potest ne reservare istam pecuniam pro illius Creditoribus infantibus? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 3.

PRODIGUS.

Testamentum prodigi factum ante vel post ipsius interdictionem, est ne validum; tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 6.

PROFESSIO RELIGIOSA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quotaetm modis Professionem facere potest Religiosus; tom. 1. v. *Professio Religiosa*, cas. 7.

Professio ut sit valida, debet ne admitti ab Abbate, & a Communitate: *ibid.* cas. 9. & tom. 1. v. *Abbas*, cas. 4. & 5.

Quasnam habere debet conditiones Professio ut censeatur solemnis? Ecclesia concedit ne aliquam moram nuptis, qui ante consummationem matrimonii professionem emittere volunt; tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 25. & tom. 3. v. *Votum*, cas. 24.

Professio solemnis dissolvit ne matrimonium non consummatum quocumque fit tempore? Dissolvit ne matrimonium, quod vi illata consummatum est; *ibid.* cas. 27. & tom. 2. v. *Impedimentum Voti*, cas. 1. & 2.

Solemnis Professio Religiosa facta a conjugum altero sine alterius consensu, post matrimonium consummatum, est ne irrita ac nulla? Habet ne nihilominus vim voti simplicis quoad continentiam? Obligat ne ad ingrediendam Religionem post mortem sui partis? *ibid.* cas. 26. & tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. cas. 8. & tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 28.

Religionis Professio solemnis dissolvit ne matrimonium infidelium licet consummatum? tom. 2. v. *Impedimentum disparitatis Cultus*, cas. 9.

Aufert ne professio solemnis Religionis illi ex conjugibus Infidelibus, qui ultimo se convertit, jus revocandi ad se alterum suum conjugem, etiamsi separati fuerint ab invicem a Judicio Ecclesiastico; tom. 1. v. *Divortium*, cas 31.

Religionis Professio solemnis dissolvit ne quantum ad ligamen matrimonium fidelium non consummatum; tom. 2. v. *Impedimentum ligaminis*, cas. 1. & tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 13. & 34.

Solemnis Professio Religionis an illi conjugum qui separatus est ob alterius impotentiæ causa, auferat jus revertendi ad suam partem, si deinceps certo appareat, quod non fuerit impotens?

An eadem est ratio receptionis Ordinum Sacrorum, ac Professionis solemnis Religionis; tom. 2. *Impedimentum impotentia*, cas. 11.

Solemnis Religionis Professio tollit ne irregularitatem ortam ex defectu criminis aut nativitatis honestioris, adeo ut Ordines Sacri, ut & Dignitates aut Prælaturæ suscipi queant? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 134.

Matrimonium factum post solemnem Religionis Professionem, producit ne irregularitatem; *ibid.* cas. 9. & cas. 116.

Solemnis Professio aufert ne parti læsæ jus revocandi partem noxiam post sententiam separationis; tom. 1 v. *Divortium*, cas. 13.

Pars læsa tenetur ne se se reconciliare cum parte rea, a qua separata fit hæresis aut infidelitatis causa, aut Professionis solemnis Religionis faciendæ causa; *ibid.* cas. 14.

Professio solemnis Religionis tollit ne irregularitatem ortam ex defectu natalium, tam respectu Ordinum Sacrorum, quam respectu electionum ad Dignitatem? tom. 2. v. *Dispensatio irregularitatis*, cas. 85.

Professio Religiosa, facta a Persona, quæ non habet potestatem se obligandi, aut excepta a Superiore non legitimo, est ne irrita ac nulla; tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 1.

Professio Religiosi est ne valida, qui cum post sex menses moneretur, ut suas vestes seculares resumeret, mansit tamen in Monasterio non deposita veste Religiosa, & post alios sex menses admissus est ad emittendam Professionem; *ibid* cas. 4.

Professio Religiosa Hæretici, sive publici, sive occulti est ne valida? *ibid.* cas. 8.

Professio Religiosi, qui admissus est sub conditione, quod non sit obnoxius certo cuidem morbo, de quo suspicio erat, & qui revera morbo illo correptus erat, est ne valida; *ibid.* cas. 10.

Professio Religiosa facta sede Abbatia vacante est ne valida; *ibid.* cas. 11

Professio admissa a Priorissa in defectum Abbatissæ, quæ erat morbo gravissimo detenta, est ne valida; *ibid.* cas. 12. & tom. 1. v. *Abbas*, cas. 9.

An varii generis sint Professiones tacitæ? An omnes abrogatæ sint a Concilio Tridentino? Admittuntur ne aliquæ in Gallia? Quænam est hoc respectu Galliæ jurisprudentia; tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 13. & tom. 2. *Impedimentum Voti*, cas. 4.

Cum Professio solemnis, quæ nulla erat, rata postmodum tacite habita fuit, potest ne reclamari suis Votis, & dispensatio de illis obtineri; *ibid.* cas. 15.

Professio tacita habet ne locum respectu equitum Religiosorum Melitensium; tom. 2. v. *Equites Religiosi*, cas. 3.

Solemnis Professio Religionis facta tempore morbi, est ne valida? Est ne recuperata valetudine reiteranda? Muti sunt ne habiles ad emittendam Religionis Professionem, tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas 7. & 14.

Cum

Cum Religiosæ molestia atque lis movetur de ipsius Professione, an ejus cognati offerre possint summam pro renovanda ejus Professione? *ibid.*

Religiosa Professio solemnis facta errore & fraude, estne irrita ac nulla? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 5.

Metus gravis reddit ne Professionem nullam? Quisnam est Judex hac in re competens? tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 16. & 24.

Professio Religiosa facta ante sexdecim annos completos, est ne irrita ac nulla? Talis Religiosus tenetur ne postea statum Monasticum amplecti? tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 6. & tom. 2. v. *Hæres*, cas. 7.

Estne certum quoddam tempus limitatum intra quod reclamare liceat suæ Professioni, si libera non fuerit? tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 17.

An ad validam reddendam eorum reclamationem, sufficit rationes suas deducere & eas Superiori & Episcopo intra spatium quinque annorum significandas curare?

An omnis reclamatio eorum nulla est defectu hujus significationis? *ibid.* cas. 19.

Episcopi & ipsorum Officiales semperne de hac materia cognoverunt? An ejus cognitio hodie Papæ reservatur? *ibid.* cas. 18.

Episcopus habetne jus examinandi Novitios antequam professionem emittant? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 5. & tom. 2. v. *Novitius*, cas. 2.

Superiores possunt ne propria sua auctoritate differre Novitiorum admissionem ad Professionem religiosam, post annum probationis absolutum, & quam recepti sunt a Communitate vel Capitulo Monasterii? tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 20.

An nemo admittendus est ad Professionem antequam Novitiatus ejus fuerit expletus omnino? An non saltem unum diem aut unica hora anticipare licet? *ibid.* cas. 5. & 6.

Ad reddendum integrum probationis annum sat absolute necessarium est in illo comprehendere diem numerum ordinarium excedentem, qui singulis quatuor annis adjicitur, illumque diem cum præcedenti pro uno tantum die numerare? *ibid.* cas. 2.

Religiosus Professus debet ne reclamare sola votis cum habet infirmitatem notabilem, & statuta Monasterii prohibent ejusmodi infirmitatibus detentos admittere? *ibid.* cas. 3.

Professio religiosa redditne impetrabile beneficium possessum per commendam, ab eo qui fecerat? tom. 3. v. *Provisio beneficiaria*, cas. 12.

Professio Religiosa aufert ne alicui jus remittendi creditori debitum, aut furtum, ipsi factum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 119.

P R O F E S S O R.

Professores Theologiæ aut Grammaticæ, qui beneficia habent obligantia ad residentiam, tenentur ne ad residentiam? An saltem quibusdam in casibus ad illam obligari possunt? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 5.

Est ne obligatio Professoribus restituendi Honorarium, quod non poterit ipsis solvi, cum sub iis studiis incumbebatur? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 209.

P R O M I S S I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quot modis fieri potest promissio? tom. 1. v. *Dispensatio Juramenti*, cas. 4.

Potest ne quis se dispensare de implenda promissione matrimonii cum aliqua Persona, cum qua licentius pravis usus est, sub prætextu quod omnia facilitate seduci se passa sit illa Virgo Persona? tom. 3. v. *Promissio*, cas. 1.

Est ne sub pœna peccati obligatio implendi promissionem simplicem, ac verbalem? Cujusnam naturæ est peccatum ejus, qui in hoc deest? *ibid.* cas. 2.

Estne obligatio implendi promissionem possibilem ac licitam, licet supervenerit legitimum quoddam impedimentum? *ibid.* cas. 3.

Estne obligatio ad illam implendam, superveniente mutatione notabili? *ibid.* cas. 4.

Promissio facta sine intentione exequendi illam est ne licita, & obligat ne in Conscientia? *ibid.* cas. 5.

Promissio facta latroni sine intentione implendi eam, est ne mendacium, & obligat ne in Conscientia? *ibid.* cas. 6.

Est ne obligatio Usurariis solvendi usuras ultra sortem lucri quæ exigunt quoque ipsis promissæ fuerunt? *ibid.* cas. 7.

Semper ne mendacium committit, qui non implet suam promissionem? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 2.

Est ne obligatio illam implendi? tom. 3. v. *Perjurium*, cas. 11. & 14. & tom. 3. v. *Patronus Præsentator*, cas. 7. & tom. 2. v. *Compensatio*, cas. 3.

Quasnam habere debet conditiones promissio ut obliget? tom. 3. v. *Promissio*, cas. 8.

Metus gravis eximit ne ab obligatione suam implendi promissionem? *ibid.* cas. 12.

Promissiones juramento confirmatæ obligant ne in Conscientia, licet contrariæ sint bonis moribus? tom. 3. v. *Promissio*, cas. 8. & tom. 3. v. *Perjurium*, cas. 14. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 89.

Est ne obligatio implendi promissionem injustam juramento confirmatam? tom. 2. v. *Juramentum*, cas. 15.

Est ne obligatio implendi promissionem factam meretricibus pro peccati cum ipsis commissi pretio? tom. 3. v. *Promissio*, cas. 9. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 120.

Si quis alteri promiserit aliquid addito juramento, est ne obligatio implendi promissionem, licet aliter verbo suo non staret? tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 1.

Promissio juramento confirmata, sed intentione dispensationem de illa obtinendi, obligat ne sub pœna peccati? tom. 2. v. *Juramentum*, cas. 10.

Talis promissio rei, quæ nec bona est nec mala, sed mixta aut dubia, obligat ne in conscientia? *ibid.* cas. 14.

Vide Matrimonium, tom. 2.

P R O M O T O R.

Vide hujus vocis Proœmium.

Promotor potest ne adesse inquisitioni, interrogationi primæ & iteratæ Testium, qui stant adversus accusatum, & nonne a tali procedendi modo appellari datur? *ibid.* cas. 1.

Clericus potest ne simul esse Promotor & Pœnitentiarius alicujus Diœcesis, & non ne optare tenetur? *ibid.* cas. 2.

Promotor, qui non est Sacerdotem criminis occulti reum, debetne certum quærere denuntiatorem, antequam ab Officiali inquirendi petat permissionem? *ibid.* cas. 3.

Promotor, Canonicus potest ne exigere a Capitulo, ut habeatur tanquam præsens tori Officio dum occupatus est munere suo Promotorio? *ibid.* cas. 4.

Possunt ne plures haberi Promotores in una Officialitate? Si sint Canonici omnes, an habentur omnes tanquam præsentes in Choro? tom. 1. v. *Capitulum*, cas. 1.

An omnia, quæ ex suo munere accipiunt emolumenta ad ipsos pertinent in integrum? *ibid.*

Promotor potest ne suas conclusiones dare pro laceratione Patrocio, cum non agitur de bono Ecclesiæ? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas. 2.

B O N U M   P R O P O S I T U M.

Cui defuit bonum propositum in Confessionibus præcedentibus, tenetur ne Confessiones generali defectum illum reparare? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 48.

Metus, quo quis angitur, ne in idem relabatur peccatum reddit ne bonum propositum invalidum? *ibid.* cas. 4.

Est ne de essentia Contritionis, ut bonum propositum sit formale & explicitum? tom. 2. v. *Contritio*, cas. 4.

P R O P R I E T A S.

Est ne Navarrai Opinio sequenda de proprietate Religiosis prohibita? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 14.

Abbas, cui mensa communis est cum Religiosis suis, potest ne, quin proprietatis peccati se reum constituat, disponere de iis, quæ in Abbatia sua adhibita parsimonia coegit? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 1. & tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 6.

Quomodo agendum est cum Religiosis sive vivis sive mortuis, qui proprietatis peccati rei sunt? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 10. & 12.

PROVIDENTIA DIVINA.

Est ne ad salutem necessarium credere Providentiam divinam? tom. 2. v. *Fides*.

PROVISIO BENEFICIARIA.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Provisio Beneficii sit ne irrita ac nulla defectu ætatis aut Ordinum? tom. 3. v. *Provisio Beneficiaria*, cas. 1. 2. & 3.

Provisiones de Beneficio in Curia Romana obtentæ, sunt ne irritæ ac nullæ ob defectum expressorum in supplicatione Beneficiorum, quæ quis possidebat, aut eorum, ad quæ jus habebat, quin tamen sciret, resignatione posteriori? Est ne necessarium hoc in casu novas obtinere provisiones? tom. 3. v. *Provisio Beneficiaria*, cas. 4. & 5.

Provisio Beneficii est ne irrita ac nulla defectu expressæ in supplicatione circumstantiæ, quæ Papam ab illa concedenda revocasset? *ibid.* cas. 8.

Est ne spectanda tanquam nulla provisio obtenta falsa expositione, facta tamen solummodo ex ignorantia? *ibid.* cas. 9.

Provisiones, quæ aliquas continent clausulas, sunt ne ipso jure irritæ ac nullæ defectu executionis istarum clausularum? *ibid.* cas. 6.

Provisio de Beneficio obtenta via Simoniaca est ne semper irrita ac nulla? *ibid.* cas. 7.

Provisio Beneficii obtenta nominatione Patroni, est ne canonica, si Provisus illam non obtinuit, nisi sollicitatione, quam ejus Patruus fecit apud Patronum, ut dimissione ipsi concessa Nepotem nominaret? *ibid.* cas. 11.

Obtentæ provisiones beneficii, cujus Titularis fecit solemnem aut tacitam Religionis Professionem, sunt ne validæ? *ibid.* cas. 12.

Romæ obtentæ provisiones beneficiorum in Gallia, censentur ne Romæ concessæ esse die adventus Cursoris? *ibid.* cas. 13.

Potest ne aliquis adhibita attestatione Mercatoris aut Nummularii petere, ut sibi liceat possessionem civilem capere beneficii? *ibid.*

Provisiones beneficiorum postulatæ & promissæ a Collatore vel Patrono ante mortem Titularium sunt ne validæ? An eadem est ratio, si inter tempus mortis Titularis, & tempus quo concessæ sunt, non sufficiens intercessit tempus, ut Collatori potuerit innotescere, vacare beneficium? tom. 1. v. *Beneficium*, cas. 6.

Eft ne abfolute neceffarium, ut Romæ obtineantur Provifiones ad poffidenda Benefic a per Refignationem ? tom. 3. v. *Provifio Beneficiaria*, caf. 15.
Provifiones conceffæ a Papa, prævalent ne femper iis, quæ ab Ordinario proficifcuntur? tom. 3. v. *Refignatio*, caf. 3.
Provifiones Curiæ in Curia Romana obtentæ funt ne irritæ ac nullæ, cum Parochus provifus non callet linguam illius Regionis, in qua Cura fita eft? tom. 3. v. *Parochus*, caf. 11.
An omnis Provifio, five a Papa five ab Ordinario conceffa, publicari debet fumptione poffeffionis certo quodam tempore? tom. 3. v. *Refignatio*, caf. 10.
Provifiones Romæ obtentæ cum hac claufula: *Et cum abfolutione ac cenfuris ad effectum*, funt ne canonicæ, five impetrans ligatus fit excommunicatione majori lata a jure, five ab homine? tom. 3. v. *Excommunicatio*, caf. 56.
Provifiones obtentæ ab iis qui funt in Cenfuris aut in irregularitate, funt ne irritæ, ac nullæ? tom. 3. v. *Provifio Beneficiaria*, caf. 17. & 18 tom. 3. v. *Permutatio*, caf. 7.
Poteftne tanquam valida & canonica fpectari Provifio prioratus fimplicis, obtenta ab Acolytho, qui poftquam duxit in matrimonium nullam obtinuit difpenfationem irregularitatis, in quam incidit? tom. 3. v. *Provifio Beneficiaria*, caf. 10.
Collator poteft ne Provifionem Beneficii, quam expedivit pro Ecclefiaftico fupprimere, & aliam pro alio expedire? tom. 3. v. *Collatio*, caf. 7. & 8.
Provifiones Beneficii Regularis obtentæ a Sæculari, funt ne canonicæ? tom. 3. v. *Provifio Beneficiaria*, caf. 14. & tom. 3. v. *Poffeffio*, caf. 3.
Provifiones Beneficii petitæ & obtentæ, fub claufula, quam exequi animus non eft, funt ne irritæ ac nullæ? tom. 3. v. *Provifio Beneficiaria*, caf. 16.
Provifiones Beneficii, in forma commifforia, funt ne veræ Provifiones? Extinguuntur ne Irregularitate? tom. 3. v. *Refignatio*, caf. 5.
Sunt ne varii generis beneficiorum Provifiones? tom. 1. v. *Collator*, caf. 6.
Provifio in Formam Commifforia fupponit ne approbationem Epifcopi? *ibid.*
Provifiones in forma gratiofa difpenfat ne in Gallia Beneficiarios, quominus fefe Epifcopo exhibere opus habeant? tom. 1. v. *Collatio*, caf. 6.
Provifiones Beneficiorum in forma gratiofa conceduntur ne Romæ omnis generis Perfonis? Poffunt ne obtineri, quin Epifcopus impertiaiti dederit atteftationem vitæ ac morum? tom. 2. v. *Examen*, caf. 2.
Refignans poteft ne per aliquod tempus retinere Provifiones beneficii, quod refignavit, aut illud nonnifi fub hac conditione refignare? Quænam eft quoad iftud Galliæ Jurifprudentia? tom. 1. v. *Beneficiarius*, caf. 6.
Cum Ordinarius confert beneficium ex devoluto, an Provifiones, ut fint validæ, neceffario mentionem facere debent juris Devoluti? tom. 1. v. *Collatio*, caf. 4. & 6.
Eft ne opus nova Provifione, ut quis per regreffum redire poffit in Beneficii fui poffeffionem? tom. 3. v. *Regreffus*, caf. 1.
Poffeffio triennalis ratas ne facit Provifiones, quæ nullæ rei ipfæ erant? tom. 3. v. *Refignatio*, caf. 8.
Provifiones beneficiorum debent ne infinuari? Quonam in loco & quo tempore fieri iftud debet? tom. 2. v. *Infinuatio*, caf. 2.

P R O X I M U S.

Qui mala apprecantur proximo, aut qui gaudent, cum illi aliquid accidit adverfi, funt ne femper peccati rei? tom. 1. v. *Defiderium*, caf. 2.
Poteftne aliquando triftitia alicui afferri ex bono, quod proximo obtingit? tom. 2. v. *Invidia*, caf. 1. & 3.

P S A L M U S.

Quibus occupari debet animus cantando Pfalmos? tom. 1. v. *Attentio*, caf. 1.

P U B E R T A S.

Quanam ætate adolefcentes & adolefcentulæ puberes fiunt? tom. 3. v. *Impedimentum Impotentia*, caf. 10.
Numerus annorum an in hac materia rem conficiat, quando agitur de matrimonio? tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. caf. 2.
Matrimonium puberis cum impubere eft ne indiffolubile quoad ligamen? *ibid.* caf. 2.

P U B L I C A T I O.

Defectus Publicationis in certo quodam tempore reddit ne indulgentiarum Diplomata irrita ac nulla? tom. 2. v. *Indulgentia*, caf. 3.
Publicatio Matrimonii. *Vide* DENUNTIATIO MATRIMONII.

P U N C T A T O R.

Punctatores tenentur ne, fub pœna reftitutionis, notare Canonicos choro abfentes? tom. 1. v. *Canonicus*, caf. 15.

P U P I L L U S.

Vide I N F A N S.

Q.

QUADRAGESIMA SACRA.

Eftne obligatio ex parte tantum jejunare in Quadragefima facra, fi non liceat omnino jejunare? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, caf. 16.

QUÆSTIO vel TORMENTUM.

An ii, qui ad fe liberandum a Tormentis quæftionis falfi funt aliquod crimen, quod non commiferant abfolvendi fint licet retractare nolint, quod falfi funt? tom. 1. v. *Accufatus*, caf. 5.

QUÆSTIONUM TABULARIUS.

Quæftionum Tabularii cenfenturne in Gallia Irregulares effe? tom. 2. v. *Irregularitatis*, caf. 60.

Q U A L I T A S.

Error Qualitatis Perfonarum reddit ne Matrimonium irritum ac nullum? tom. 2. v. *Matrimonium* 1. caf. 16.

R.

R A B I E S.

An fine peccato animal aliquod ferro ignito in capite notari poffit, ad præfervandum illud a Rabie? tom. 3 v. *Superftitio*, caf. 1.
Panis benedictus poteft ne animal aliquod a rabie curare? *ibid.* caf. 5.

R A P I N A.

Rapinæ, quas milites capiunt in bello, an ad illos pertineant jure merito? Peccant ne prædando avaritia ducti? tom. 1. v. *Bellum*, caf. 4.

R A P T U S.

Raptus crimen poteft ne præfcribere? Quot requiruntur anni ad præfcribendum in hac materia? tom. 2. v. *Matrimonium* 3. caf. 14.
Raptus eft ne impedimentum dirimens, cum Puella confentit ut rapiretur? tom. 2. v *Impedimentum Raptus*, caf. 1.
Raptus feductionis eft ne impedimentum dirimens? Quid intelligitur per raptum feductionis? Ecclefia & Principes ftatuerunt ne quafdam pœnas in Raptores? *ibid.* caf. 2.
Sponfus, qui Defponfatam fuam fine ipfius confenfu raptu aufert, ut illam in matrimonium ducat, eft ne raptus reus? Peccat ne hoc faciendo? Ejus matrimonium eftne validum? *ibid* caf. 3.
Sublatio filiæ majoris, quæ confentit in fublationem fuam cenfetur ne effe raptus? Matrimonium cum ea contractum eft ne irritum ac nullum? *ibid.* caf. 4.
Sublatio minoris a Muliere facta, eft ne verus raptus? Reddit ne matrimonium irritum ac nullum in foro interiori? Quænam eft quoad iftud Galliæ Jurifprudentia? *ibid.* caf. 5.
Raptus Defponfatæ alterius eftne impedimentum impediens? tom. 2. v. *Impedimenta Impedientia*, caf. 1.

R E C O N C I L I A T I O.

Reconciliatio, ut fit vera, debet ne effe interna & externa? Exigit ne, ut defiftatur a litibus profequendis, pro qualicunque caufa fuerint fufceptæ? tom. 1. v. *Charitas*, caf 6.
Denegatio reconciliationis cum inimico, eft ne caufa fufficiens, cur tali differatur aut denegetur abfolutio? Eft ne facile difcernere, ad quid unufquifque teneatur in hac materia? tom. 1. v. *Abfolutio*, caf. 13.
Reconciliatio Ecclefiæ eft ne femper eadem, five Ecclefia prius fuerit benedicta, five confecrata? Quis ejus eft Minifter? Efficitur ne fola celebratione Miffæ? tom. 2. v. *Ecclefia*, caf. 6. & 17.

RECUPERANDORUM BONORUM JUS.

Rex habet ne perpetuum Jus recuperandorum eorum, quæ in certis quibufdam cafibus de ipfius dominio præfcribuntur? tom. 3. v. *Præfcriptio*, caf. 15.
Contractus venditionis cum facultate addita recuperandi boni, eft ne licitus? Sunt ne quædam conditiones neceffariæ ad illum licitum reddendum? tom. 3. v. *Venditio*, caf. 45.
Contractus venditionis cum ftipulata facultate de jure recuperandæ rei, eft ne ufurarius, cum venditor ftipulatur emptori aliquod lucrum? *ibid.* caf. 46. & tom. 3. v. *Ufura*, caf 5.
Cum venditor renuntiavit juri recuperandæ rei venditæ, an aliqua ipfi debeatur damni reparatio? tom. 3. v. *Venditio*, caf. 47.
Eft ne obligatio reftituendi venditori, qui fibi refervavit jus recuperandæ rei venditæ, fructus perceptos a die factæ poftulationis? *ibid.* caf. 48.

REDBESTIA.

Quid est contractus Redbestiæ? Contractus iste est ne usurarius? tom. 3. v. *Societas*, cas. 19.

REDHIBITIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Emtor tenetur ne ad quandam damni reparationem erga venditorem redhibitionis jure utentem eo quod necessarias reparationes rei emtæ omisit, aut propter deteriorationem illius? Qui redhibitionis jure utitur, tenetur ne emtori rationem habere sumptuum necessariorum? tom. 3. v. *Redhibitio*, cas. 2.
Dominus potest ne uti suo jure redhibitionis feudalis in favorem amici? *ibid.* cas. 1. & 3.
Licet ne facere permutationem simulatam ad frustrandum aliquem jure redhibitionis? Qui istud facit tenetur ne ad restitutionem? An omnes qui jure redhibitionis gaudent, eo æqualiter gaudent? Consuetudines sunt ne quoad istud differentes? tom. 2. v. *Laudemia & Venditiones*, cas. 2.
Redhibitio habet ne locum respectu equorum, cum venditor illorum ignorat defectus? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 26.
Tempus redhibitionis est ne in omnibus consuetudinibus idem? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 26.
Quandonam redhibitio incipit locum habere? Habet ne locum in venditionibus factis in foro judiciali? *ibid.* cas. 32.

REFORMATIO.

Abbatissæ tenentur ne ad observandam Reformationem, cum translatæ sunt ab una Abbatia in aliam, ubi viget? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 33.

REGALIA.

Regalia continuat ne respectu alicujus Episcopatus, usque dum novus Episcopus in propria persona fidelitatis juramentum præstiterit Regi ipsimet, idque regestum fuerit in rationum fisci Curia? tom. 2. v. *Juramentum fidelitatis*, cas. 2.
Rex Galliæ potest ne vi Regaliæ admittere resignationes quæ fiunt in favorem? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 1. & 3.
Papa potest ne prævenire Regem in collatione Beneficiorum, quæ sunt in Regalia? *ibid.*
Ætas septem annorum sufficit ne in Gallia respectu Præbendarum collatarum jure Regaliæ? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 2.
An unquam Parlamentum Parisiense cognoscit de causis Regaliam spectantibus? tom. 1. v. *Clericus*, cas. 4.

REGENTES COLLEGIORUM.

Gymnasiarchæ possunt ne a Classium Moderatoribus quædam recipere munera, dando ipsis Cathedram suam Scholarem? tom. 2. v. *Gymnasiarcha*, cas. 2. & tom. 3. v. *Convictus Bursæ Collegii*, cas. 2.

REGES ET PRINCIPES.

Regum & Principum Authoritas in bona suorum subditorum, extenditur ne eo usque ut possint ipsos iis sine ratione & causa privare? *Præscriptio*, cas. 16.
Reges & Principes possunt ne Judæos privare bonis usurariis, quæ acquisiverunt? tom. 2. v. *Judæus*, cas. 1.
Possunt ne illa in usum suum aut fiscum convertere vi sententiarum a suis Judicibus latarum? *ibid.* cas. 2.
Reges & Principes possunt ne accipere munera, quæ ipsis offerunt Judæi, ut eorum protectionem sibi concilient? *ibid.* cas. 3.
Reges & Principes possunt ne alienare, quæ ad Patrimonium suum pertinent? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 25.
Habent ne perpetuum jus redhibitionis eorum, quæ respectu ipsorum Patrimonii præscriberentur? *ibid.*
Principes Laici & Ecclesiastici qui leges condunt supplicium minitantes, sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 54. & 65. & tom. 2. v. *Officialis*, cas. 2.
An soli Reges & Principes gratiam reis exhibere possunt? tom. 2. v. *Judex*, cas. 6.

REGNICOLA.

An soli Regnicolæ possidere in Gallia possunt Beneficia? tom. 1. v. *Devolutum*, cas. 2.

REGRESSUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Regressus est ne natura sua odiosus & contrarius sacris Canonibus? Est ne in usu in Gallia, & quibusnam in circumstantiis? tom. 3. v. *Regressus*, cas. 2.
Ut aliquis in Beneficium redire possit per regressum, indiget ne novis provisionibus? *ibid.*
Regressus habet ne locum respectu Beneficii permutati cum alio, cujus Titularis postea fuit evictus? Quinam sunt Galliæ usus quoad istud? *ibid.* cas. 2.
Regressus habet ne locum, cum quis compermutanti cessit pensionem constitutam, super Beneficio, cum quo suum permutavit? *ibid.*, cas. 3.
Regressus habet ne locum in defectu solutionis compermutantis? Quinam sunt Gallici usus quoad istud? *ibid.* cas. 4.
Ii, quorum Professio Religiosa declarata est nulla, possunt ne regressu redire in suorum Beneficiorum possessionem? *ibid.* cas. 5.
Possessio triennalis est ne obstaculum Regressui? *ibid.*

REGULÆ MONASTICÆ.

An quicquid in Regulis Ordinis alicujus Regularis continetur, sub forma præcepti positum est? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 4. & 5.
Omissio observationum Regularium est ne semper peccatum mortale? *ibid.*
Superiores Regulares possunt ne dispensare suos Religiosos ab aliquibus Regulæ articulis? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religionis*, cas. 1.

REGULA DE INFIRMIS RESIGNANTIBUS.

Quid est regula infirmis resignantibus, Curiæ Romanæ, & in quo consistit? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 3.
Admittitur ne in Gallia Romanæ Curiæ clausula derogationis huic regulæ? *ibid.*
Quandonam introducta fuit Romæ? *ibid.*
Usus hujus derogationis habet ne locum in præjudicium Graduatorum, in permutationibus sicut in simplicibus resignationibus in favorem? Ista derogatio habet ne locum adversus indulta Cardinalium, adversus Equites Religiosos ac adversus Patronos Laicos? *ibid.*
Quotnam habere debet conditiones regula de infirmis resignantibus? *ibid.*
Viginti dies, quibus loquitur hæc regula, sunt ne numerandi a die datæ procurationis ad resignandum, an vero a die, qua admissa fuit? *ibid.*
Collatores Ordinarii sunt ne subjecti huic regulæ? *ibid.*
Quorsum ejusmodi regularum usus vigent in Gallia? v. *Præfationem*.

REGULARIS.

Pluralitas Beneficiorum est ne Regularibus prohibita? tom. 3. v. *Pensio Ecclesiastica*, cas. 18.
Regulares possunt ne ad Ordinarium appellare a sententia lata adversus ipsos a Superioribus suis? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 3.
Confessio, quam faciunt Sacerdoti Sæculari in fraudem Jurisdictionis suorum Superiorum, est ne nulla? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 14.
Regulares possunt ne Sæcularium confessiones audire sine approbatione Episcopi? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 10. 15. & 20.
Comprehenduntur ne in casibus, quos Episcopi sibi reservant? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 33.
Qui immediate dependent a Papa sunt ne subjecti casibus ab Ordinario reservatis? *ibid.* cas. 38.
Regulares possunt ne valide ac licite in aliena Diœcesi audire confessiones illorum, qui sunt ex Diœcesibus, pro quibus sunt approbati? tom. 1. v. *Confessor*, cas. 22.
Regulares possunt ne tempore Paschatis valide excipere confessiones? *ibid.* cas. 34. & tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 28.
Episcopi possunt ne pro arbitrio revocare approbationem Regularibus ad confessiones audiendas datam? *ibid.*
Episcopis competit ne jus Regulares examinandi, antequam eos approbent? *ibid.*
Superiores Regulares possunt ne confessariis suorum Monasteriorum denegare permissionem absolvendi Religiosos a Casibus Reservatis? An non obstante ipsorum prohibitione ulterius progredi possunt Confessarii? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 9.
Regularium privilegia pro Confessionibus fuerunt ne revocata a Concilio Tridentino? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 5.
Regularis in voluntariam pollutionem lapsus, potest ne sacramentaliter absolvi ab Ordinario Monasterii Confessario? Si tantum de tactibus impudicis locum aut cum muliere ultra pollutionem habitis, ageretur, posset ne ab eodem absolvi? *ibid.* cas. 32.
Prælati Regulares possunt ne suis Religiosis dare Literas dimissorias? Quasnam hac in re observare debent regulas? tom. 2. v. *Dimissoriæ Literæ*, cas. 5.

REHABILITATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne necessarium ut matrimonium rehabilitetur sive impedimentum sit occultum sive publicum? tom. 1. v. *Impedimentum impotentiæ*, cas. 12.
Est ne necessarium rehabilitare matrimonium hæreticorum? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 23. & tom. 2. v. *Matrimonium*, cas. 2. & seqq.

RELIGIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Christiani tenentur ne semper ad declarandam Religionem Catholicam, quam profitentur? tom 3. v *Religio*, cas. 1.
Cum judice interrogantur de Religione sua, tenenturne illam confiteri, quamvis hoc faciendo periculum amittendæ vitæ adhiberent? Possunt in suis responsionibus uti æquivocis? Potest ne aliquis tuta conscientia revelare Christianos, qui salteat in aliqua regione, aut promittere, se illos non am-

amplius instruere vellet? *ibid.* cas. 1. & tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 10. & tom. 3. v. *Prædicare*, cas. 6. & tom. 3. v. *Irregularitas*, cas. 2.

Licet ne certas quasdam vestes sumere similes iis, quibus utuntur Ministri hæretici, ad evitandas hoc modo persecutiones? tom. 3. v. *Religio*, cas. 2.

Est ne unicuique liberum communicare cum Infidelibus in iis, quæ concernunt Religionem? tom. 2. v. *Infidelis*, cas. 8.

RELIGIO MONASTICA.

Parentes tenentur ne suis infantibus dotem aliquam largiri, cum ingrediuntur Religionem? tom. 1. v. *Dos*, cas. 6.

Ingressus in Religionem reddit ne caducum legatum, quod constitutum est pro dote ad matrimonium? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 61.

Infantes possunt ne Religionem amplecti invitis suis Cognatis, quodcunque inde nascatur scandalum? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 6. & tom. 3. v. *Obedientia*, cas. 14.

Potest ne pœnitentia injungi alicui, ut ingrediatur Religionem? tom. 3. v. *Pœnitentia imposita*, cas. 2.

Superiores, qui ad Professionem admittunt Personas, quas sciunt nonnisi invitas amplexas fuisse Religionem, sunt ne excommunicati? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 9.

Confessarius debet ne permittere, ut amplectatur Religionem sponsus, qui promisso matrimonio dehonestavit suam Desponsatam? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 42. & tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 6.

Qui ligatus est simplici Religionis voto, potest ne se dispensare a ducenda puella, quam promisso matrimonio seduxit? *ibid.*

Jus concedit ne aliquod deliberandi tempus illi ex conjugibus, qui ante consummatum matrimonium amplecti vult Religionem? tom. 1. v. *Debitum conjugale*, cas. 26. & tom. 2. v. *Impedimentum Voti*, cas. 8. 9. 10. & 11.

Mulier, quæ consentit in Ordinationem sui Mariti, tenetur ne Religionem ingredi? tom. 3. v. *Votum*, cas. 36.

Potest ne aliquis propria sua authoritate sua vota commutare in votum Religionis? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum in genere*, *ibid.* cas. 6.

Episcopi possunt ne dispensare Religiosum a voto in alium Ordinem intrandi? *ibid.* cas. 10.

Potest ne aliquis se ab illo voto dispensandum curare sine legitima causa? *ibid.* cas. 11.

Qui votum emisit ingrediendi in Religionem, fit ne ab eo liber ingrediendo aliquam Congregationem, ex qua liberum est egredi? tom. 3. v. *Votum*, cas. 27.

Votum, quod quis facit, ingrediendi in Monasterium, cujus nec satis cognoscit regulam, est ne validum? Infirmitas superveniens ante vel post matrimonium contractum in præjudicium talis voti, sufficit ne ad dispensandum de illo? Confessarii possunt ne ejusmodi Vota in alia commutare? *ibid.* cas. 27. 34.

Episcopus dispensat ne a Voto facto de amplectenda Religione? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 9.

RELIGIOSUS.

Vide hujus vocis Prooemium.

Potest ne aliquis Religiosum statum amplecti in præjudicium educationis suorum infantum? & opitulationis, quam Patri suo debet ac Matri? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 1. & 2.

Potest ne quis Religiosum se facere antequam debita sua solvatis? *ibid.*

Religiosi sunt ne exemti a solvendis debitis postquam Professionem emiserunt? tom. 1. v. *Debitum*, cas. 21.

Possunt ne remittere debita creditoribus? tom. 2. v. *Restitutio*, cas. 119.

Omissio observationum exteriorum Regulæ reddit ne semper Religiosos peccati mortalis reos? Quandonam peccatum ipsorum in hoc veniale tantum est? tom. 3. v. *Religiosus* cas. 4. & 5.

Religiosi, qui carnibus abstinent, possunt ne vesci carne, cum abstinentia non est præceptum formale Regulæ? cas. 6.

Religiosi Professi infra annum vigesimum primum obligantur ne ad jejunia Ecclesiæ & Regulæ suæ, sub pœna peccati? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 8. & 9.

Possunt ne se dispensare a recitatione Breviarii, cum utilitate pro Ecclesiæ occupati sunt? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 7. & tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 9. & 10.

Religiosi possunt ne ex spiritu charitatis se immiscere rebus temporalibus aliorum? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 8.

Religiosi committunt ne aliquando simplici omissione duplex peccatum, quod in Confessione aperire teneantur? tom. 3. v. *Peccatum*, cas. 7.

Religiosi semper ne adstricti fuerunt ad Cœlibatum? Habuerunt ne olim proprietatem suorum bonorum? Quis hanc ipsis abstulit? tom. 2. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 6.

Cœlibatus & incapacitas possidendi aliquid proprii, an nonnisi jure Ecclesiastico ipsorum statui adhærens? Papa potest ne illos hoc respectu dispensare? *ibid.*

Ecclesia decrevit ne quasdam pœnas adversus Religiosos reos peccati proprietatis? tom. 2. v. *Depositum*, cas. 21.

Religiosi possunt ne possidere Pensiones vi dispensationum a suis Superioribus obtentarum? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 22. & tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religionis*, cas. 3.

Religiosi possunt ne disponere de Pensionis usufructuaria pro suis necessitatibus privatis, sine permissione Superiorum suorum? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 9.

Possunt ne sola authoritate sua augere suas Pensiones congruas? *ibid.* cas. 10.

Cum Communitatis pecuniam in manibus suis ac sub administratione sua habent, possunt ne eam adhibere ad suas necessitates, quando Superiores negligunt aut recusant iis prospicere? *ibid.* cas. 11.

Possunt ne inferis Superioribus aliquam pecuniam servare, quam, adhibita parcimonia coegerunt? *ibid.* cas. 12. & tom. 3. v. *Votum*, cas. 32.

Est ne culpandus peccati proprietatis & puniendus talis, Religiosus Sæcularium Confessor, apud quem post mortem reperitur summa quædam pecuniæ? Quemnam in usum convertenda est ista pecunia? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 13.

Religiosi possunt ne testari morientes? ipsorum Superiores possunt ne ad hoc ipsis libertatem concedere? *ibid.* cas. 14. & tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 4.

Religiosi possunt ne esse Executores Testamentorum? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 32.

Possunt ne quasdam facere donationes? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 16

Religiosi, qui ad Episcopatum pervenerunt, possunt ne testari? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 7.

Possunt ne disponere de suis bonis in favorem suorum Monasteriorum? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 13.

Religiosi, qui ad Episcopalem Dignitatem evehuntur, sunt ne a suis Votis & ab observatione suæ Regulæ dispensati? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 6.

Tenentur ne obedientiam præstare Veteribus Regularibus? An eadem esset ratio, si facti essent tantummodo Prælati Regulares? *ibid.* cas. 7.

Religiosi semper ne tenentur introducere Reformationem in sua Monasteria quoad licet? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 33.

Conventio, quam Religiosi non Reformati faciunt cum Reformatis, quod nonnisi certis quibusdam dictus adjuturi sint Officia, & quod sint accepturi Pensionem non aliquæ sequentem, est ne legitima? *ib.* cas. 34. & tom. 3. v. *Pensio*, cas. 18.

Religiosi possunt ne scholam tenere, aut in Diœcesi aliena mendicare sine Ordinarii permissu? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 35.

Religiosi habent ne opus titulo Ecclesiastico ad suscipiendos sacros Ordines? tom. 3. v. *Titulus Clericalis*, cas. 7.

Possunt ne ordinari vi solarum literarum Dimissoriarum Superiorum suorum? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 34.

Religiosi possunt ne esse Patrini? *ibid.* cas. 4.

Cum in casu necessitatis sæcularibus extremam Unctionem conferunt, incidunt ne in Excommunicationem? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 19

Possunt ne in suis Ecclesiis Venerabile exponere sine Episcopi consensu? *ibid.* cas. 20.

Episcopi possunt ne Religiosos dispensare de bigamia ad effectum recipiendi sacros Ordines? Sunt ne in hoc usu in Gallia? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 33.

Indulgentiæ concessæ Religiosis cujusdam Domus, extenduntur ne ad Religiosos quoque externos ejusdem Ordinis? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 11.

Religiosi exempti a jurisdictione Episcopi, tenentur ne ad servanda Jejunia, Dies Festos, & interdicta lata ab ipso? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. *Rodolphus*.

Possunt ne sibi prospicere querimoniis adversus Constitutionem Episcopi, quæ directe ipsos petit in suis Privilegiis exemtionis? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 11.

Qui extra suum sunt Monasterium, sunt ne jurisdictioni Episcopi subditi? tom. 2. v. *Equites Religiosi*, cas. 6. & 7.

Qui a Communitate aut Capitulo sui Ordinis generali deputati sunt, tenentur ne literas suæ potestatis credentiæ exhibere? tom. 2. v. *Deputatio*, cas. 2.

Qui approbati sunt ab Ordinario, possunt ne confiteri in & extra Monasterium sine Superiorum suorum permissione? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 17.

Religiosi, qui tempore Jubilæi confitentur suis Confessariis ordinariis non approbatis ab Episcopo, consequuntur ne Jubilæum? tom. 2. v. *Jubilæum*, cas. 7.

Qui introducunt mulieres in sua Monasteria, incidunt ne in quasdam pœnas Canonicas? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 46.

Qui male tractant Religiosum, incurrunt ne excommunicationem? Quando ipsimet Religiosi se invicem male tractant facto, sunt ne excommunicati, & ad quem recurrere debent, ut ab illa restituantur? *ibid.* cas. 45. & 48.

Qui reclamarunt suis Votis, & ab ipsis absoluti sunt formalis requisitis, sunt ne capaces adeundarum omnium successionum præsentium & futurarum? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 13.

Si aliquis, ut eo facilius obtineat dispensationem, vestes Religiosas pro aliquot diebus deponit, & in supplicatione allegat Apostasiæ causam, an dispensatio valida est? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religionis*, cas. 4.

Qui exit e Monasterio, nec in aliud se recipit, incidit ne in Apostasiam, licet semper utatur veste Religiosa? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 31.

Religiosi possunt ne inter se exhibere in Theatro sacras quasdem historias, eumque in finem uti vestibus Comœdorum? tom. 1. v. *Comœdia*, cas. 4.

Possunt ne sollicitare pro Superioritate? Qui sua in ipsorum gratiam ferunt suffragia, peccant ne? Si emunt suffragia, incidunt ne in pœnas contra Simoniacos decretas? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 17. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 48

Possunt ne convenire inter se de dandis sibi invicem suffragiis suis ad perveniendum ad certa quædam munera? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 18.

Religiosi Curati possunt ne disponere de reditibus suorum Beneficiorum, absque Superiorum permissione? *ibid.* cas. 13. & 16.

Qui

Digitized by Google

Qui Curati sunt alicujus Parœciæ unitæ Monasterio exempto a Jurisdictione Episcopali, sunt ne pariter ab ea exempti? *ibid.* cas. 24.

Religiosi Beneficiarii simplices tenentur ne ad residentiam? Superiores possunt ne illos ad residentiam cogere? tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 11. & tom. 3. v. *Votum*, cas. 33.

Abbates possunt ne ipsos restituere a Censuris & Irregularitate? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis*, cas. 17.

Possunt ne examinare suos Novitios, aut permittere suis Religiosis, in aliud transire Monasterium sine Ordinarii consensu? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 16.

Religiosus, Provincialis sui Ordinis, potest ne unum ex suis Religiosis, excommunicare? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 25.

Religiosus, qui, ut ad recreationem aut ex simplici animi levitate alacrius currere possit, suam deponit Ordinis vestem censetur ne propterea excommunicatus? *ibid.* cas. 49.

Religiosi, qui arma capiunt pro defensione suæ vitæ & suæ Patriæ sunt ne Irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 23. & 26.

Episcopi habent ne jus puniendi Religiosus vagabundos? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 25.

Religiosus, qui incidit in gravem culpam, potest ne ejici a Monasterio, licet offerat pœnitentiam ejus agere? *ibid.* cas. 21.

Tenetur ne sese submittere sententiæ juste adversus ipsum a Communitate latæ? Potest ne aufugere data occasione? Peccat ne gerendo vestem secularem, postquam privatus est vesti Regulari? *ibid.* cas. 22.

An quilibet Religiosus mendicans, quem formalis requisitis criminaliter persequitur Provincialis, appellare possit ad Parlamentum, aut Episcopi implorare opem, quin incurrat excommunicationem? *ibid.* cas. 23.

Religiosi, qui in fraudem suarum Constitutionum providere se curant coram Superioribus Ecclesiasticis secularibus peccant ne & incidunt ne in excommunicationem? An solus Papa illos ab ea absolvere valeat? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 50.

Religiosi possunt ne in aliud transire Monasterium, quando ipsorum Superiores injuste adversus ipsos præoccupati sunt? Indigent ne permissione Superiorum, & isti possunt ne eam illis concedere? *ibid.* cas. 27. & 30.

Licet ne exhortari Religiosum ut Monasterium suum relinquendo intret in aliud magis aut minus austerum? *ibid.* cas. 26.

Possunt ne sub prætextu infirmitatis ex Ordine valde austero transire in Ordinem minus austerum? A quonam obtinere debent dispensationem ad hoc? *ibid.* cas. 28.

Possunt ne Monasterium, in quo solutius vivitur, deserere, ut intrent in aliud Regularius sed lenius? Habent ne ad hoc Rescripto Papali opus? *ibid.* cas. 29.

Possunt ne exire e Monasterio sub prætextu opem suis Cognatis ferendi? *ibid.* cas. 32.

Qui vota nuncuparunt de intrando Monasterio austeriori, an ad Papam se recipere debeant dispensationem ab illis Votis obtenturi, cum legitimam habent causam istud faciendi? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religionis*, cas. 5.

Qui instigavit Religiosum Professum ad egrediendum e Monasterio suo, cui valde erat utilis, tenetur ne ad quandam restitutionem erga Monasterium istud? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 206.

Qui aliquem coegit ad ingrediendam Religionem, tenetur ne ad procuranda media ex illo exeundi? *ibid.* cas. 221.

R E L I G I O S A.

Vide hujus vocis Prœmium.

Religiosæ Chori tenentur ne ad recitationem Officii Canonici? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 1.

Religiosa, quæ omnibus donis gaudet necessariis ad Superiorem sese gerendam, potest ne quasdam facere sollicitationes, ut felici successu ad illam Dignitatem perveniat? *ibid.* cas. 2. & tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 16.

Superiorissa debet ne suis Religiosis concedere ut mutent Confessarium, cum Monasterii ordinarius Confessor non placet? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 3.

Approbatio Prælati Regularis est ne necessaria ad valide absolvendas Religiosas exemptas a Jurisdictione Ordinarii? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 18.

Approbatio Episcopi est ne necessaria ad absolvendas Religiosas exemptas a Jurisdictione Episcopali? *ibid.* cas. 19.

Potestas illarum excipiendi Confessiones finitur ne morte ipsius? tom. 1. v. *Casus Reservati*, cas. 13.

An omnes Confessarii approbati valide Religiosarum audire possint Confessiones? tom. 1. v. *Approbatio*, cas. 22.

An saltem istud possint tempore Jubilæi? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 17.

Episcopus habet ne jus in Religiosas quæ sunt in Congregatione? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 5.

Religiosæ tenentur ne se conformare novis usibus in suis domibus introductis respectu abstinentiæ servandæ diebus Sabbati post Nativitatem Domini nostri? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 4.

Religiosæ debent ne cæcam præstare obedientiam sententiis suorum Confessariorum & suarum Superiorissarum? Et quando suam præferendam credunt sententiam, debent ne id declarare? *ibid.* cas. 5. & tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 10.

Debent ne se opponere iis quæ in Capitulo suo bonæ disciplinæ contraria aguntur? Possunt ne quoad istud consulere Personas exteras? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 2.

Superiorissæ tenentur ne sævire in Religiosas, quæ ex eo quod ipsis denegata fuit permissio Monasterium mutandi, nullis amplius adsunt Communitatis exercitiis? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 6.

Religiosæ tenentur ne instrui & inquirere in materiam de simonia? Possunt ne vitantes de hac edoceri, sine legitima causa exigere ut juxta priscum suarum Monasteriorum morem dotes ipsis præbeantur? *ibid.* cas. 8. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 65.

Receptio alicujus Puellæ ad Professionem tanquam Benefactricis, est ne simoniaca? Est ne simoniaca, si sub prætextu infirmitatis ista Puella offerat summam sive dotem haud exiguam? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 7.

Religiosæ incurrunt ne excommunicationem ipso facto, quando simoniæ reas se constituunt? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 49.

Pensiones sequuntur ne Religiosas translatas aut ejectas e suo Monasterio? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 9.

Pensiones sequuntur ne illas, cum istud in contractu stipulatum est? An quod excedit Pensionem, in ipsarum est dispensatione? Cujusnam est Pensionem recipere? *ibid.* cas. 10.

Religiosæ possunt ne munera accipere & de iis disponere cum Superiorissarum suarum permissione? cas. 11.

Religiosæ possunt ne ejusmodi concedere permissiones? *ibid.*

Religiosæ possunt ne munera largiri majora aut saltem minoris momenti? Ii quibus ea largiuntur, tenentur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 13.

Religiosæ possunt ne cum permissione suorum Superiorum aut Episcopi vendere aut dono dare certa quædam exigua opera quæ faciunt? *ibid.* cas. 12.

Religiosæ possunt ne inducere Beneficiarium, cujus beneficium a Communitate dependet, ut ipsis concedat ejus reditus, quibus necessitatibus quibusdam suis incidentibus prospiciant, Sacellumque sui Monasterii ornent? *ibid.* cas. 14.

Episcopus potest ne omnes suæ Diœceseos Religiosas obligare ad claustro se continendas? An nihil refert quoad istud, sive regula ipsorum ejus mentionem faciat, sive non faciat? *ibid.* cas. 15. & tom. 3. v. *Votum*, cas. 35.

Superiores tenentur ne Claustrum accurate observare? Possunt ne ejus violationem in quibusdam occasionibus dissimulare? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 1n.

Religiosæ possunt ne pluribus modis suum Claustri violare votum? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 6. 7. 9. & 10.

Episcopi possunt ne illos dispensare de statutis suorum Monasteriorum? tom. 1. v. *Dispensatio Votorum Religiosis*, cas. 2.

Ipsarum Superiorissæ possunt ne illas ab iis dispensare, aut ea in alias obligationes commutare? Possunt ne illa declarare nulla? *ibid.* cas. 6.

Religiosæ an ut ex uno in aliud transire valeant Monasterium, permissione indigeant Ordinariorum, quando permissionem habent Prælatorum suorum Regularium? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 2a.

Possunt ne exigere Monasterium mutandi licentiam sub prætextu infirmitatis? Eam ne ipsis Superiores Regulares aut Sæculares concedere possunt? *ibid.* cas. 18.

Religiosæ, quæ e suo Monasterio egrediuntur sub prætextibus frivolis, & Superiores qui istud illis permittunt, peccant ne mortaliter? *ibid.* cas. 19.

Religiosæ Ordinis mitigati possunt ne se transferendas curare in Ordinem magis austerum? Quænam ad hoc requiruntur conditiones? *ibid.* cas. 17.

Excommunicatio in quam incidunt Religiosæ, quæ suum deserunt Monasterium, est ne Papæ reservata? Episcopi Galliæ habent ne jus ab ea absolvendi excommunicatione? tom. 1. v. *Excommunicatio*, cas. 47.

Religiosa Religiosam percutiens incidit ne in excommunicationem? *ibid.* cas. 48.

R E L I Q U I Æ.

Vide hujus vocis Prœmium.

Licet ne alicui propria sua auctoritate privata omnis generis reliquias venerationi fidelium exponere? tom. 3. v. *Reliquia*, cas. 1.

Licet ne clam surripere ex una Ecclesia Reliquias quasdam cum intentione has alii Ecclesiæ tradendi? Est ne obligatio eas restituendi? *ibid.* cas. 4.

Duo Parochi qui invicem litigant de Reliquiis quibusdam possunt ne convenire inter se, quod oblationes illarum occasione faciendas sint inter se dividendi? *ibid.* cas. 2.

Est ne simoniacum Reliquias vendere? *ibid.* cas. 3. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 61.

Reliquiæ sunt ne essentiales & necessario requisitæ ad Altaris consecrationem? tom. 1. v. *Altare*, cas. 1.

R E N U N T I A T I O.

Vide hujus vocis Prœmium.

Renuntiatio Episcoporum est ne valida, antequam a Papa admissa est? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 20.

Ut Renuntiationes puræ ac simplices sint Canonicæ, an non requiritur ut sint factæ intra manus Collatorum Ordinariorum? tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas. 2. & tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 3.

Renuntiatio facta, in favorem, intra manus Regis, præbet ne aliquod Resignatario jus ad Beneficium? Potest ne absque periculo Simoniæ peccatum incurrendi aliquam largiri pecuniam ad obtinendum facilius Regis comprobationem? tom. 3. v. *Renuntiatio*, cas. 1. & tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 1. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 67.

Renuntiatio fraude extorta est ne absolute irrita ac nulla? Ille in cujus favorem facta est, debet ne renuntiato Beneficio? Illi qui aliquid contulerunt ad renuntiationem illam extorquendam, tenentur ne ad restitutionem? Cuinam facere debent istam Restitutionem, tom. 3. v. Renuntiatio, cas. 2.

Beneficiarius qui non satisfacit oneribus sui beneficii, tenetur ne isti renuntiare? Nonne prius exigere potest ut restituatur ipsi, quod propter absentiam ipsius retentum ipsi fuerat? Si hoc ipsi concedatur, successore consentio, an iste legitime provisus est? Est ne aliqua hoc in casu facienda restitutio & cuinam? ibid. cas. 3.

Renuntiatio facta intra manus Collatoris est ne nulla atque simoniaca, si ante renuntiationem illam directe aut indirecte indicatum est Collatori, cuinam desideretur, ut illud conferat? An in hoc casu Resignans & Collator pœnas incurrunt decretas adversus Simoniacos? ibid. cas. 5.

Renuntiatio pura & simplex facta intra manus Collatoris in tempore aut occasione qua non potuit uti suo jure plena cum libertate, est ne nulla atque simoniaca? Resignans peccat ne Collatorem in talem inducendo obligationem? ibid. cas. 6.

Consuetudo quorundam Capitulorum conferendi beneficia vacantia iis, qui nomina Resignantium exhibent renuntiationem, aut iis, quos Resignantes pro Successoribus suis indicant, est ne simoniaca? ibid. cas. 7.

Indultarii & alii Mandatarii habent ne jus petendi beneficia vacantia per renuntiationem? tom. 2. v. Indultarius, cas. 1.

Renuntiatio beneficii facta intra manus Superioris Regularis, sub conditione aliud obtinendi, est ne simoniaca? tom. 3. v. Simonia, cas. 22.

REPARATIO.

Est ne semper obligatio damnum præstandi Locatariis qui aliquas fecerunt reparationes, quæ in præjudicium ipsorum vergerent? tom. 2. v. Locatio, cas. 2.

Est ne obligatio rependendi reparationes urgentes iis, qui eas fecerunt sine Proprietarii mandato? tom. 3. v. Restitutio, cas. 45.

Advocatus, qui sine necessitate infamat partem adversam, tenetur ne ad reparationem? tom. 1. v. Advocatus, cas. 4.

Tenetur ne ad aliquam reparationem, qui nihil fecit adversus justitiam, quamvis læserit charitatem? tom. 3. v. Restitutio, cas. 66.

RESCISSIO.

Leges concedunt ne semper Minoribus Rescissionis litteras? tom. 3. v. Restitutio integrum, cas. 4. & 5.

Rescissio habet ne locum, æque adversus fratri auctores, ac adversus detentores bonorum Minoris? ibid. cas. 7.

RESCRIPTUM.

Episcopi tenentur ne ad exequendas conditiones in Rescriptis Romæ obtentis appositas? tom. 2. v. Ordines, cas. 38.

Sunt ne varii generis Rescripta? tom. 1. v. Dispensatio Matrimonii, cas. 22.

Rescripta justitiæ obtenta sine speciali mandato illorum, quorum refert, sunt ne irrita ac nulla? Quinam est quoad illud Galliæ usus? ibid.

Rescripta paræ gratiæ obtenta ab aliquo tertio sunt ne valida? ibid.

An omnis generis Rescripta nulla fiunt, quando ante mortem Papæ consummata & executioni data non fuerunt? ibid, cas. 29.

RESERVATIO.

Reservationes quoad nominationem ad beneficia sunt ne in usu in Gallia? tom. 1. v. Collatio, cas. 6.

An nihil interest Tabulariis officialis, ante aut postquam accipiatur Pensio, declarare Reservationem domus super beneficio aliquo factam? Potest ne illud taceri? tom. 3. v. Pensio, cas. 8.

Reservatio omnium fructuum beneficii, est ne in usu in Gallia? An saltem aliqui casus, ubi talis usu vigeat Reservatio? ibid. cas. 13. & 14.

RESIDENTIA EPISCOPORUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Episcopi tenentur ne jure divino ad residentiam? Possunt ne aufugere, cum persecutio ipsis imminet personalis, aut communis cum suo populo? tom. 3. v. Residentia Episcoporum? cas. 1. & 2.

Abbates Regulares tenentur ne ad Residentiam? ibid. cas. 6. & tom. 1. v. Abbas, cas. 2.

Dispensatio Residentiæ concessa a Papa cuique Episcopo subsistit ne post ipsorum mortem? tom. 1. v. Casus Reservati, cas. 13.

Quænam est Galliæ Jurisprudentia in ejusmodi Dispensationibus? tom. 3. v. Residentia Parochorum, cas. 1.

RESIDENTIA EPISCOPORUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Parochi sunt ne obligati ad Residentiam? An per aliquot menses abesse possunt sine Episcopi permissione? tom. 3. v. Residentia Parochorum, cas. 1.

Graduati, quibus Beneficii vindiciæ adjudicatæ sunt, tenentur ne in eo residere? Possunt ne delegare Vicarium, qui loco ipsorum resideat? ibid. cas. 3.

Parochi possunt ne singulis annis abesse suavius faciendi causa? ibid. cas. 5.

Parochi possunt ne abesse a suis Ecclesiis sub prætextu quod sint Vicarii Generales aut Officiales? Sufficit ne, ut interdum saltem compareant? ibid. cas. 7.

Possunt ne discedere ad evitandum morbos contagiosos? ibid. cas. 6. & tom. 3. v. Parochus, cas. 4.

Sunt ne quædam causæ legitimæ, ob quas Parochi abesse possint ab Ecclesia sua? tom. 3. v. Residentia Parochorum, cas. 3. & 4. & tom. 3. v. Residentia Parochorum, cas. 2. & tom. 1. v. Abbas, cas. 2.

RESIDENTIA CANONICORUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Canonici Professores aut Theologi tenentur ne ad Residentiam? tom. 3. v. Residentia Canonicorum, cas. 1. & tom. 3. v. Theologus, cas. 2.

Canonici possunt ne abesse studiorum causa? Per quantum temporis abesse possunt? tom. 3. v. Residentia Canonicorum, cas. 2.

Episcopus habet ne jus studentes Canonicos suæ Cathedralis ad residentiam obligandi & recusantes viis Canonicis cogendi? ibid. cas. 3. & tom. 2. v. Excommunicatio, cas. 15.

Qui adhibentur ab Episcopo ad gubernandam Diœcesim, possunt ne, quamvis absentes Beneficii fructibus gaudere, & distributiones recipere? Est ne aliquis jure definitus numerus Canonicorum, quos Episcopus potest adhibere? tom. 3. v. Residentia Canonicorum, cas. 4.

Canonici, qui deputati sunt a Corpore suo, aut a Diœcesi ad gerendas res communes, lucrantur ne quamvis absentes Beneficii sui fructus & distributiones? ibid. cas. 5.

Curatio Ecclesiæ, quam Canonicus mandante Episcopo suscipit, est ne ratio sufficiens cur lucretur fructus amplos atque distributiones licet absens? ibid. cas. 6. & 8.

Cum Præbendæ nimis sunt modicæ ad sustinendum, an Canonici gaudere possint suis reditibus dum aliud beneficium curant? ibid. cas. 7.

Qui absentes sunt Religiosæ peregrinationis causa, lucrantur ne amplos suos fructus? Potest ne aliquis lucrari fructus amplos sui beneficii nullatenus residendo? Licet ne quoad hoc consuetudine niti? ibid. cas. 9. & tom. 3. v. Restitutio, cas. 148.

Qui ablegantur a Principibus, lucrantur ne amplos sui beneficii fructus? tom. 3. v. Residentia Canonicorum, cas. 2.

Canonici, Eleemosynarii, Capellani & Clerici sacelli Regis atque Reginæ, lucrantur ne amplos sui beneficii fructus atque distributiones, cum trimestri suo funguntur munere? Concilium Tridentinum derogavit ne huic privilegio? Numerus ejusmodi privilegiorum est ne in quovis Capitulo determinatum? ibid. cas. 10. & tom. 2. v. Ordines, cas. 2.

Canonici Consiliarii tenentur ne ad Residentiam? tom. 2. v. Clericus, cas. 4.

Religiosus beneficiarius simplex tenetur ne ad Residentiam? tom. 3. v. Residentia Canonicorum, cas. 2.

RESIGNATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Resignatio in favorem erat ne antiquitus in Ecclesia cognita & in usu? A quo tempore usus vigent? Sunt ne prohibitæ jure Divino & Ecclesiastico? Papa & Episcopi possunt ne illas pariter admittere? Ejusmodi resignationes factæ intra manus Regis, sunt ne in Gallia validæ? tom. 3. v. Resignatio, cas. 1. & tom. 3. v. Renuntiatio, cas. 1.

Resignationes in favorem factæ intra manus Patroni Ecclesiastici aut Laici, sunt ne licitæ? Possunt ne emendari Collatione Ordinarii? tom. 3. v. Resignatio, cas. 2. & tom. 3. v. Renuntiatio, cas. 2.

Ut resignatio in favorem valida sit, requiritur ne ut Resignans aliquot dies post factam resignationem vivat? Ista regula est ne in usu in Gallia respectu omnis generis Resignationum? tom. 3. v. Resignatio, cas. 3.

Cum Provisiones Resignatarii continent clausulam derogationis regulæ de infirmis resignantibus habent ne suum effectum a die, quo Cursor Romæ advenit, & sub quibusnam conditionibus? ibid.

A quo tempore ejusmodi derogationes usu vigent in Gallia? ibid.

Habent ne locum adversus Graduatos, ac etiam adversus Indultum Cardinalium? ibid.

Quinam sunt Papæ, qui eam introduxerunt regulam? ibid.

Quænam res essentiales comprehendit ista Regula? ibid.

Viginti dies vitæ ab hac regula requisiti in Resignante, sunt ne numerandi a die datæ procurationis, an vero a die admissæ resignationis? ibid.

Collatores Ordinarii sunt ne huic regulæ subjecti respe-

cta

An renunciationum & resignationum parerum ac simplicium imo & respectu permutationum, quas admiserunt? *ibid.*

Regale iſte habet ne locum respectu Militum Religioſorum? *ibid.*

Reſignationes in favorem, quæ non ſunt permutationis cauſa, an neceſſario fieri debent intra manus Papæ? tom. 1. v. *Confidentia*, caſ. 5.

Reſignationes in favorem habent ne locum reſpectu Beneficiorum deſtinatorum infantibus Chori, aut Sacerdotibus in Eccleſia Cathedrali aut Collegiali manentibus? tom. 2. v. *Graduatus*, caſ. 7.

An ut Reſignationes ſint validæ neceſſarium oportet, ut duo ebierint dies ab inſinuatione uſque ad mortem Reſignantis? *ibid.* caſ. 8.

Epiſcopi poſſunt ne quaſdam admittere reſignationes conditionales? tom. 1. v. *Unio Beneficiorum*, caſ. 4.

Titularis poteſt ne reſignare ſuum Beneficium poſt unionem ejus factam? *ibid.* caſ. 8.

Sunt ne reſignanda beneficia ſubjectis digniſſimis? tom. 1. v. *Collator*, caſ. 1.

Oportet ne moraliter certum eſſe de converſione alicujus, qui multorum incontinentiæ peccatorum occultorum reum ſe reddidit, ut poſſit in ejus favorem reſignari Cura? tom. 3. v. *Reſignatio*, caſ. 6.

Poteſt ne beneficium Clerico valde pio, ſed incapaci ad illud obeundum, reſignari, ſub prætextu, quod digniſſima eleſtutus ſit ſubjecta, quo ejus ſine præſtituta muneri? tom. 3. v. *Theologus*, caſ. 5.

Poteſt ne exigi a Reſignatario, ut rependat ſumptus factos ad adeundum Beneficium, & commodum in eo Sedem figendi? tom. 3. v. *Simonia*, caſ. 16. & 17. tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 165.

Reſignatio beneficii, cujus obtentæ ſunt proviſiones in Curia Romana, eſt ne valida, licet Reſignans nondum ab Ordinario Viſa obtinuerit? tom. 3. v. *Reſignatio*, caſ. 5.

Ut poſſidere quis poſſit beneficium per Reſignationem, an ſemper Proviſionibus a Curia Romana obtentis opus habet? tom. 3. v. *Proviſio Beneficiaria*, caſ. 15.

Poteſt ne reſignari beneficium, cujus Collator eſt Eques Religioſus, quin requiratur ſuperior Patroni conſenſus? tom. 3. v. *Patronus Præſentator*, caſ. *Generosus*.

Beneficiarii poſſunt ne recipere fructus ſuorum beneficiorum vi ſolius Reſignationis? tom. 1. v. *Beneficiarius*, caſ. 7.

Actus Reſignationis, ut ſit validus, debet ne exprimere præſentem ſtatum beneficii? tom. 1. v. *Devolutum*, caſ. 4.

Defectus Inſinuationis actuum neceſſariorum reddit ne reſignationem irritam ac nullam? tom. 2. v. *Inſinuatio*, caſ. 2. & tom. 1. v. *Donatio*, caſ. 5.

An omnis reſignatio, cui intervenit dolus, fraus, violentia, aut metus gravis eſt ne irrita ac nulla? tom. 3. v. *Reſignatio*, caſ. 7.

Revocatio Reſignationis facta & ſignificata ante aut poſt admiſſionem reſignationis in Curia Romana, reddit ne reſignationem irritam ac nullam? *ibid.* caſ. 8.

Reſignatio admiſſa plus quam annum poſt procurationem ad reſignandum, reddit ne Proviſiones irritas ac nullas? *ibid.* caſ. 9.

Reſignatio ſit an irrita ac nulla morte Reſignantis, quando Reſignatarius non adivit Poſſeſſionem ſex menſibus? Sunt ne quidam caſus, in quibus ſumptio poſſeſſionis poſt ſex menſes ſit valida? Licet ne ſecunda vice reſignare in favorem unius ejuſdemque Perſonæ? *ibid.* caſ. 12. & tom. 3. v. *Viſa*, caſ. 3.

Reſignans poteſt an per aliquod tempus retinere Proviſiones beneficii, quod reſignavit, aut illud non reſignare, niſi ſub hac conditione? Quænam eſt quoad iſtud Galliæ Juriſprudentia? tom. 1. v. *Beneficiarius*, caſ. 6.

Reſignatio beneficiorum in Gallia eſt ne valida a die Curſoris Romæ advenientis? tom. 3. v. *Reſignatio*, caſ. 3. & 11.

Reſignatio facta in Curia Romana poteſt ne irritari renunciatione poſteriore facta intra manus Collatoris? *ibid.* caſ. 13.

Reſignatio facta ante vel poſt appellationem interjectam a beneficiario ſententiæ declarato reo, eſt ne irrita ac nulla? *ibid.* caſ. 14.

Reſignationes beneficiorum, ſuper quibus devolutum eſt, ſunt ne irritæ ac nullæ? tom. 1. v. *Devolutum*, caſ. 1.

Reſignatio beneficii obtenti via ſimoniaca, eſt ne irrita ac nulla? tom. 3. v. *Proviſio Beneficiaria*, caſ. 7.

Reſignatio beneficii, facta a Patre in favorem ſui Filii, aut Filii in favorem Patris ſui reſignatio eſt ne valida? tom. 3. v. *Reſignatio*, caſ. 15. & 16.

RESOLUTIO VENDITIONIS.

Quinam ſunt varii caſus, in quibus Reſolutio Venditionis locum habet? tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 5. 6. 7. 8. 14. 15. 19. 31. & 32.

RESTIO.

Reſtiones, qui funes vendunt Executori Juſtitiæ, ſunt ne Irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, caſ. 55.

RESTITUTIO.

Vide, quod in fronte hujus Tituli eſt, Proœmium.

Venditor tenetur ne ad reſtitutionem emptori, ſi culpa ſua merces vendita in deteriorem ſtatum abiit? *ibid.* caſ. 1.

Emptor tenetur ne ad reſtitutionem venditori, ſi tardius ipſi ſolvendo occaſio & cauſa fuit alicujus damni? *ibid.* caſ. 20. tom. 1. v. *Emptio*, caſ. 1.

Si quis rem emptam, quam ſcivit aut ſuſpicatus eſt, furto eſſe ablatam, alienaverit aut perdiderit, tenetur ne ad reſtitutionem? in uno vel altero caſu a proprietario petere poſſunt ſumptus ad emendam rem illam aut ad conſervandam? tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 71. & 84.

Proxeneta, qui ſeſe negotiationibus interponit, ſemper ne tenetur ad reſtituendum damnum quod cauſatum eſt Mercatoribus, qui non mercati ſunt, neque contraxerunt niſi ſub bona ipſius fide? *ibid.* caſ. 3.

Proxeneta, qui merces ſibi datas, ut venderet, alium retinuit ſub viliori pretio, quam quo eas merces vendere ſperabat, tenetur ne Mercatoribus reſtituere id, quod eo plus pro mercibus acceperat, & id quod pro jure Proxenetico habere debuiſſet? *ibid.* caſ. 49.

Eſt ne peccatum & obligatio reſtituendi, quando quis aliquid juſto carius vendidit? tom. 3. v. *Venditio*, caſ. 19.

Sunt ne aliqui caſus, in quibus operariorum adjutores ad reſtitutionem teneantur? tom. 2. v. *Locatio*, caſ. 21.

Ii, qui monopolii ſunt rei, tenentur ne ad reſtitutionem? tom. 2. v. *Monopolium*, caſ. 2.

Ii, qui auri vel argenti nummos ſive adulterinos, ſive leviores, transferunt ad alios, ſub prætextu, quod illos quoque tanquam juſti pretii ac genuinos acceperint, teneantur ne ad reſtitutionem? tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 122. & 182.

Conſuetudo, quæ in aliqua Regione viget, uſuram capiendi ex pecunia mutuo data, eximit ne ab obligatione reſtituendi? *ibid.* caſ. 17.

Si quis pecuniam mutuo acceptam ultra terminum, de quo convenit cum mutuante retineat, ad lucrum inde capiendum, an tenetur ad reſtituendam pecuniæ illius uſuram? *ibid.* caſ. 24.

Commodatarius tenetur ne ad reddendam rem mutuo acceptam, ſi caſu fortuito illam perdiderit? *ibid.* caſ. 14.

Si quis ad reddendam aliquam rem ſe obligaverit, eaque, ſine culpa ab ipſo admiſſa perdatur, tenetur ne reſtituere pretium illius? *ibid.* caſ. 15.

Si quis mutuo acceperit magni pretii rem quandam, an, ſi furto auferatur, ſemper teneatur ad reſtituendum ejus valorem? *ibid.* caſ. 12.

Si commodatum ſiat in bonum commune quorundam participantium, an commodatarius, reus culpæ leviſſimæ, ad reſtitutionem teneatur? *ibid.* caſ. 13.

Si commodatum factum ſit ſub titulo precarii, an commodatarius teneatur ad reſtitutionem, quando ob levem culpam admiſſam, aut redditionem ejus nimis differendo, commodatum illud detrimentum aliquod cepit? *ibid.* caſ. 18. & 19.

Eſt ne obligatio reditus uſurarios reſtituendi, quando quis illos credidit legitimos aut ſaltem in dubio fuit? Unde dignoſci poteſt, num quis hac in parte bona fuerit fide nec ne? *ibid.* caſ. 25.

Tenetur ne quis reſtituere potius quod per uſuram accepit, quam ſolvere quod debet, ſi unum & alterum ſimul præſtare non potuit? *ibid.* caſ. 108.

Tenetur ne quis reſtituere iis a quibus reditus percepit uſurarios, an vero pauperibus? Ii, qui pecuniam ſub uſuræ onere mutuam acceperunt, an ſemper ejuſmodi reſtitutiones accipere poſſint, quando offeruntur? *ibid.* caſ. 26.

Quomodo procedendum eſt ei, qui uſurarium ægrotantem morti propinquum obligare vult ad reſtituendum? tom. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 18.

Quibus reſtituenda ſunt lucra uſuraria, an prius de iis deducere poſſint id, quod ſub forma reſtitutionis dederunt pauperibus? tom. 2. v. *Eleemoſyna*, caſ. 15.

Si denegant reſtituere, aut dilationem petant, an ſufficiens ſit cauſa denegandi ipſis aut differendi abſolutionem? tom. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 13. & 17.

Teneatur ne ad reſtitutionem Regi & privatis ob reditus perceptos ex pecunia ſubminiſtrata pro bono publico? tom. 2. v. *Nummularius*, caſ. 4.

Si quis alteri dederit Schedulas chartaceas pecuniam exhibentes, ex quibus detrimentum cepit, an teneatur illi ad reſtitutionem, ſive ipſe ex iis emolumentum aliquod aut lucrum ceperit, ſive non? tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 222.

Advocatus, qui defendit cauſam, quam credit injuſtam, an teneatur ad reſtitutionem parti adverſæ, injuſte litem perdenti? tom. 1. v. *Advocatus*, caſ. 2.

Tenetur ne quoque reſtituere pecuniam, quam pro ſuo labore accepit? tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 203.

Tenetur ne ad reſtitutionem, ſi Clienti conſuluiſſet negare veritatem, ut cauſam obtineret ſuam, *ibid.* caſ. 204.

Talis Advocatus teneretur ne ipſe, ejuſque hæredes, ad reſtituendam pecuniæ ſummam, quæ ſuppeditata ipſi fuiſſet ad agendam aliquam cauſam, etiamſi ab eo non ſteterit, quominus acta fuerit? *ibid.* caſ. 51.

Tenetur ne ad reſtitutionem, ſi ex malitia, ignorantia, vel imprudentia aliquod damnum cauſatus fuerit? tom. 1. v. *Advocatus*, caſ. 7.

An ad eam faciendam tenetur, ſi abſque neceſſitate partem adverſam infamet? *ibid.* caſ. 9.

Notarii, qui admittunt, vel componunt obligationes uſurarias, tenentur ne ad reſtitutionem? Leges Regni an pœnam decernant Notariis, qui ejuſmodi contractus ſcribunt? tom. 3. v. *Reſtitutio*, caſ. 167.

Quando Notarii non ſatis recte ac bene componendo actum aliquem, occaſionem præbent damno, an illud reſtituere teneantur? *ibid.* caſ. 69.

Teſtes, qui non deponunt quantum ſciunt, aut qui deponunt falſa ex defectu memoriæ, tenentur ne ad reſtitutionem? *ibid.* caſ. 137. & 138. caſ. 165. & tom. 3. v. *Teſtis*, caſ. 8.

Ta-

Digitized by Google

Tenentur ne restituere pecuniam, quam acceperunt pro sua depositione? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 204.

Si Testes alicujus criminis assignati, de eo non arguant reum, an teneantur ad restitutionem? *ibid.* cas. 205.

Ii, qui pecunia corrupti sunt, ut non revelarent aliquid etiam post Monitorium, teneantur ne ad restitutionem? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 7.

Judices civiles aut criminales tenentur ne ad restitutionem, si non impediant malum, quod penes ipsos stat impedire? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 135.

Judices aut alii Officiarii, quibus est stipendium fixum, tenentur ne ad restitutionem, si suo desint officio? tom. 2. v. *Judex*, cas. 8.

An omnis Judex, qui pecuniam accipit a partibus, ut judicet, teneatur ad restitutionem, & cuinam debeat restituere? *ibid.* cas. 1.

Judex qui persuasus, quod Collegæ injuste sint judicaturi, a tribunali atque judicio abstinet, ne omnium injustitiæ committendæ fiat particeps, tenetur ne ad restitutionem parti læsæ? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 139.

An ad restitutionem quoque teneatur, si Collegii majorem numerum suffragari videat pro injustitia, & suum in eandem rem illis calculum adjiciat, ut scilicet illos a se alienos reddat? *ibid.* cas. 140.

Si quis ex officio tenetur ad faciendum aliquid, vel omittendum, tenetur ne ad restituendum id, quod accepit, ut ageret, vel omitteret illam rem? *ibid.* cas. 141.

Confessarius tenetur ne ad restitutionem, si imprudentia, negligentia, aut ignorantia sua occasionem præbuit, ut pœnitens ipsius aliquam patiatur jacturam? *ibid.* cas. 131. & 221.

Parochus tenetur ne ad restitutionem, si ipsius Æditui bona dissipaverint Ecclesiæ, eo quod ipsa non obstiterit? *ibid.* cas. 136.

Maritus, qui certus est atque persuasus quod dos Uxoris suæ ex usuris sit conflata, tenetur ne ad restituendam eam una cum usuris, quas inde percepit, quasque bona cum fide consumpsit? Potest ne facere istud absque consensu uxoris? *ibid.* cas. 20.

Mulier, quæ in dubio hæret, num ipsius dos ex usuris constet, tenetur ne ad illud perscrutandum? Quod si res, ut suspicata est, se habeat, an teneatur ad restitutionem? quando & quomodo restituere debeat? *ibid.* cas. 18.

Mulier potestne inscio suo Marito restituere reditus usurarios, si ipsi non suppetat illud facere? *ibid.* cas. 23.

Vidua, quæ conscia est usurarum sui Mariti, tenetur ne, in defectum ejus, ad restitutionem? *ibid.* cas. 21.

Si liberi eorum, qui regia administrarunt bona, dubitent num bona sua bene acquisita sint, nec ne, tenentur ne ad restitutionem, aut saltem ad eleemosynas largiores erogandas? *ibid.* cas. 19.

Liberi tenentur ne ad restitutionem ob simplicem suæ Matris declarationem, quod bona ipsorum paterna male fuerint acquisita? *ibid.* cas. 122.

Mulier, quæ prolem habet natam ex adulterio, sed quæ pro legitima habetur, tenetur ne ad restitutionem, aliis suis liberis, aut mariti sui hæredibus? *ibid.* cas. 155.

Mulier, quæ plures habet infantes, quorum unus ex adulterio natus est, an ab injuria, quam infans iste reliquis inferret legitimis, cum quibus eandem in successione partem habiturus est libera sit, si singuli sibi remittunt hoc damnum, ex metu, quo quisque laboret, ne adulterinus declaretur a Matre? *ibid.* cas. 218.

Vir, qui commisit adulterium cum muliere matrimonio juncta, tenetur ne in ipsius defectum præstare damnum, quod infans ortus ex isto adulterii crimine præbebit infantibus aut hæredibus hujus mulieris, ipsiusque mariti? *ibid.* cas. 156.

Vir convictus de obligatione restituendi propter causam adulterii, tenetur ne istud facere vivente parte putativo? *ibid.* cas. 157.

Si vir iste moribundus sit, debet ne initium facere a reparando damno certo dato? Et quem modum atque consilium sequi debet ad reparandum damnum quod est adhuc incertum? *ibid.* cas. 158.

Ii qui in Xenodochium infantium repertorum, exponunt infantes ex suo crimine ortos, tenentur ne ad restitutionem isti Xenodochio? *ibid.* cas. 159.

Si quis filiam seduxerit, an semper respectu ejus ad restitutionem teneatur? *ibid.* cas. 154.

Si quis pravis ac perniciosis consiliis conjecerit aliquem in vitam solutiorem, tenetur ne ad aliquam restitutionis speciem? *ibid.* cas. 120.

Puella, quæ postquam illam honore suo privare est a viro, summam quamdam pecuniæ pro eo postulavit, an teneatur ad restitutionem, si postea ipsi contigerit matrimonio æque utili ac honorato jungi, ac antea sperare potuisset? *ibid.* cas. 32.

Si quis ad procurandum alicui puellæ matrimonium conducibilius, affirmavit ambobus, quod bona habeat plura, quam revera possidet, an teneatur ad restitutionem? *ibid.* cas. 172.

Ii qui alienant, aut operam suam commodant ad alienandum bona Communitatis, tenentur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 99.

Ii, qui juvant Mercatorem merces suas alienantem in præjudicium suorum creditorum, an teneantur ad restitutionem? *ibid.* cas. 132.

Creditor tenetur ne restituere pecuniam, quæ mutuo data est ipsius debitori ad ipsi satisfaciendum, si debitor iste fiat non amplius solvendo? *ibid.* cas. 25.

Ii Creditores, qui post bonorum obligationem non referunt ad unam massam nummos quos perceperunt, tenentur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 123. & tom. 1. v. *Cessio bonorum* cas. 7.

Creditor qui colludit cum Debitore, tenetur ne hanc ob collusionem restituere reliquis Creditoribus damnum quod ipsis causatum est? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 170.

Si quis summam aliquam pecuniæ destinaverit ad solvendum aliquid, & interim nummorum illorum valor augeatur, ad utrum pertinet lucrum illud, ad debitorem an ad Creditorem? *ibid.* cas. 197.

Est ne peccatum supponere titulum ad procurandam sibi solutionem debiti legitimi? est ne in hoc casu obligatio ad restituendum? *ibid.* cas. 212.

Est ne obligatio in hoc casu, restituendi sumptus & expensas, quarum occasio data est? *ibid.* cas. 213.

Quando Rex exigit decimam, an is qui mutuo accepit aliquam pecuniæ summam, tenetur illam solvere mutuo danti, an vero Regiæ Majestati? *ibid.* cas. 202.

Debitor teneatur ne restituere suis Creditoribus, tantum; quantum ipsi dimiserunt, si ut hoc ab ipsis obtineret, quædam suorum bonorum clam subtraxit? tom. 1. v. *Cessio bonorum*, cas. 4.

Administrator, qui ad mercandum utitur pecunia destinata ad solvendos Creditores & famulos sui Domini, tenetur ne ad restitutionem lucri, quod inde cepit? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 52.

Tenetur ne ad restitutionem, si sub prætextu quod certis quibusdam opificibus, quæcumque Dominus facienda habet, procuret, si inquam exigat, ut gratis ipsi aliquam navent operam? *ibid.* cas. 171.

Tutores tenentur ne restituere de proprio suo bono, lucra usuraria, quæ redierunt ad Papillos suos? *ibid.* cas. 28.

Est ne obligatio pignus, in cautionem summæ alicujus datum restituendi, si casu fortuito pereat? *ibid.* cas. 30.

Est ne obligatio restituendi quod acceptum est in fidem alicujus promissi, quamvis qui promisit, promisso suo non steterit? *ibid.* cas. 31.

Socii tenentur ne restituere suis consociis fructus perceptos ex bono pertinente ad Societatem? *ibid.* cas. 53.

Scholaris, qui dum studiis operam dabat, non habuit, unde honorarium Professoribus solveret, tenetur ne illud in posterum solvere, si contingat, ut illud facere per opes possit? *ibid.* cas. 202.

Qui petunt aut recipiunt eleemosynam sub falsis prætextibus, aut sine egestate, tenentur ne ad restitutionem, & cuinam restituere debent? *ibid.* cas. 262. & 127.

Qui aliquid invenit in via aut alibi, tenetur ne ad faciendam illius restitutionem, & cuinam facere illam debet? *ibid.* cas. 54.

An antequam inventæ res restituatur peti possit præmium promissum iis, qui illam invenerunt? Potest ne accipi illa remuneratio si cum plena libertate detur? *ibid.* cas. 220.

Si post necessarias inquisitiones pauperibus fuerit data res reperta, an quando postea Dominus rei se cognoscendum præbet, obligatio sit rem ex proprio bono restituendi? *ibid.* cas. 55.

Qui invenit aliquam rem, est ne dispensatus ab illa restituenda, si famulus per quem res illa Domino sui remittitur, in via in fures incidat, qui eum re illa privant? *ibid.* cas. 56.

Purgatores latrinarum tenentur ne ad restitutionem ejus quod reperiunt in puteis, aut fossis? *ibid.* cas. 57.

Præfecti, qui a Rege salarium habent, tenentur ne ad restitutionem, cum in suum usum vertunt stipendia a Rege destinata Præfectis Subalternis, qui sub ipsorum imperio serviunt? *ibid.* cas. 127.

Gubernator Urbis sitæ ad finem Regni qui ex mandato Principis tribute imponebat rusticis, circa illam Urbem habitantibus, propter sumptus vigiliarum, quæ die noctuque ibi agebantur per bellum, & qui perrexit illa recipere per pacem quamvis custodia non amplius ulli noctu habebantur, tenetur ne ad restitutionem ejus, quod ultra sumptus necessarios accepit & pro se retinuit? Et cuinam hanc facere debeat restitutionem? *ibid.* cas. 129.

Qui Testatores inducunt ad mutandas Dispositiones suas testamentarias, sive in favorem suum proprium, sive in favorem alicujus Amici obligantur ne ad restitutionem respectu illorum qui frustrantur? *ibid.* cas. 126.

Executor Testamentarius, qui Defuncti Creditoribus tradit titulum obligationis formalis requisitis destitutæ, aperta inter ipsius Schedas, tenetur ne ad restitutionem? Qui reformant aut reformandos curant ejusmodi actus, ad valorem ipsis in foro conciliandum, sunt ne unus pariter & alter ad restituendum obligati? *ibid.* cas. 163.

Famuli qui furtim suorum Dominorum Vinum bibunt tenentur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 77.

Cum famuli furantur bona quædam suorum Dominorum, ut dent suis Sodalibus, quinam inter ipsos primi restituere debent? *ibid.* cas. 26.

Plures famuli participes ejusdem furti Domino suo facti, tenentur ne singuli in solidum ad restitutionem? *ibid.* cas. 216.

Qui retinent vel capiunt ultra mercedem ea quæ convenit inter ipsos & Dominum, persuasi quod opera ipsorum plus valeat, tenentur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 207.

Quonam in casu Sartores ad restitutionem obligantur? tom. 3. v *Sarcinator*, cas. 9. 3. & 6.

Possessor bonæ fidei, forte evictus de prædio quodam aut domo, tenetur ne a die postulationis factæ restituere fructus perceptos & adhuc percipiendos? An eodem modo se res habeat cum reditibus vectigalis? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 7. & 8.

Quenam in casu ii qui imponunt tributa, ad restitutionem tenentur? tom. 2. v. *Tributa annua*, cas. 1. & seqq.

Possessor bonæ fidei tenetur ne ad restituendos fructus tam naturales quam ex industria ipsius provenientes, quum possidet fundum titulo sive oneroso sive gratioso? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 9.

Possessor bonæ fidei evictus tenetur ne ultra pretium, quod accepit ex venditis fructibus in fundo pendantibus, restituere etiam lucrum, quod cepit ex summa pro qua illos vendidit? *ibid.* cas. 10.

Possessor malæ fidei tenetur ne restituere fructus perceptos ex fundo, quem melioravit? An saltem deducere potest sumptus, quod fecerat eum in finem? *ibid.* cas. 12.

Possessor malæ fidei tenetur ne restituere præter fundum usurpatum, etiam lucrum, quod inde capere potuisset Proprietarius? An etiam ad hoc obligaretur, licet fundus iste relictus fuisset incultus? *ibid.* cas. 13.

Hæres qui gavisus est bona fide, tenetur ne cohæredi, qui aberat, & qui e longo itinere reversus est, restituere partem hæreditatis una cum fructibus qui inde prodierunt? *ibid.* cas. 7.

Hæredes qui bona fide consumpserunt bona alterius, qui inde facti sunt locupletiores, tenentur ne ad restitutionem? Possessio triennalis sufficit ne ad illos ab hac eximendos? *ibid.* cas. 16.

Hæres possessoris malæ fidei tenetur ne ad restituendum tam fundum, quam fructus rerum mobilium & immobilium usurpatarum a defuncto, licet ipsemet Hæres bonæ fidei sit possessor? *ibid.* cas. 4.

Hæres ex beneficio Inventarii tenetur ne ad restituenda bona male acquisita a defuncto; etiam ultra bona successionis, quæ ad ipsum istum hæredem redeunt? *ibid.* cas. 26.

Hæres tenetur ne Cohæredibus restituere certos quosdam nummos, quos cepit, ipsis non animadvertentibus, sub prætextu donationis, quam sibi defunctum voluisse facere, sibi persuadet? *ibid.* cas. 121.

An quilibet hæredum in solidum teneatur de debitis defuncti qualiacunque sint? *ibid.* cas. 122. & tom. 1. v. *Cessio bonorum*, cas. 7.

Cum Hæredibus non est æqualis portio in Hæreditate, an non nisi pro rata suæ portionis parte restituere tenentur bona male acquisita a defuncto? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 113.

Cum plures Hæredes per longum tempus retinuerunt apud se pium quoddam legatum, an quilibet eorum tenetur restituere rem legatam cum omnibus suis fructibus si reliqui nihil velint reddere? *ibid.* cas 107.

Tenentur ne ad restituenda bona furto ablata & consumpta a defuncto licet ii nihil inde profecerint? *ibid.* cas. 106.

Hæres, qui inter successionis bona, reperit rem, quam dubitat furto ablatam fuisse a defuncto, debet ne ejus pretium restitue a pauperibus? *ibid.* cas. 111. & cas. 116.

An in dubio bene fundato quod pars Hæreditatis mala fuerit acquisita, obligatio est restituendi iis, qui cognoscendo præbent damna quæ ab defuncto passi sunt? *ibid.* cas. 27.

Contractus locationis obligat ne quendam ad restitutionem pro ratione damnorum, quæ facta sunt culpa ipsius aut ex casibus mere fortuitis? *ibid.* cas. 15. & tom. 2. v. *Locatio*, cas. 24.

Qui locat rem defectuosam, tenetur ne, sub pœna restitutionis, monere locatarium de defectu, qui rem locatam inutilem reddit usui, cui eam adhibere voluit? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 152.

Qui bona fide rem mancam locat tenetur ne ad restitutionem, sive illam mancipio dederit, sive non? *ibid.* cas. 153.

Nauta tenetur ne respondere de damnis, quæ causatur, quando non adhibendo expertos homines in re nautica, naufragium facit, aut allidendo aliquod detrimentum causatur? *ibid.* cas. 81.

Patronus aut Præfectus Navis, qui subduxit quædam, quæ erant in navi, an tenetur ad restitutionem, licet una cum aliis mercibus pereant? *ibid.* cas. 11.

Si quis ad meliorandum fundum ignem cœlo sereno injicit paleis, an teneatur ad restitutionem, si quoddam inde ad vicinum suum reddit damnum? *ibid.* cas. 176.

Si ex culpa levissima ignis immittatur Domi Vicini, est ne obligatio damnum illi in integrum restituendi? *ibid.* cas. 177.

Privati qui animadvertentes ignem jam jam in eo esse ut transeat ad domus vicinas, destruunt domum proximam ignem supprimendi ac absumpendi causa, tenentur ne ad restitutionem erga destructæ domus Proprietarium? *ibid.* cas. 178.

Proprietarii aut primarii Locatarii domuum tenentur ne solo facto, reparare damnum illatum lapsu tabulæ ligneæ aut ollæ? *ibid.* cas. 179.

Tenentur ne pariter ad restituendum damnum datum aliqua re, quam Locatarii aut Domestici ipsorum de fenestra projecissent? *ibid.* cas. 180.

Tenetur ne ad restitutionem, qui fodendo puteum in propriam suam utilitatem, vicini puteum exsiccat? *ibid.* cas. 182.

Proprietarius tenetur ne ad quandam damni præstationem, cum domus ipsius ruendo secum aufert domum vicini in ruinam? *ibid.* cas. 185.

Qui interfecit aliquam Personam, quæ labore suo sustentavit familiam suam, est ne obligatio ad reparandum damnum, quod inde ad familiam redit? *ibid.* cas. 58.

Est ne obligatio ad restituendum, cum res quæ restitutionem exigere videtur, ejus est naturæ, ut non possit restitui? *ibid.* cas. 59.

Si quis ad vindictam sumendam de Puella consensum in Crimen deneganta, aliquam ejus faciei deformitatem inferat, tenetur ne ad restitutionem injuriæ ipsi datæ? *ibidem* cas. 60.

Si quis mandatum dedit percutiendi aliquam personam, cum expressa tamen prohibitione ne occidatur aut mutiletur, an ad restitutionem tenetur, si non obstante ipsius prohibitione occidatur vel mutiletur persona? *ibidem* cas. 130.

Qui mandavit injuriam alicui inferre tenetur ne ad restitutionem, si mandatum istud ac commissio executioni data est ante vel postquam fuerit revocata? *ibid.* cas. 131.

Qui pecuniam promittunt pro alicujus Personæ percussione, tenentur ne ad dandum, quod promiserunt illi, quorum opera ipsi usi sunt? Et ille, qui hanc accepit pecuniam, potest ne illam retinere? *ibid.* cas. 89. & tom. 3. v. *Promissio*, cas. 8. & tom. 3. v. *Perjurium*, cas. 14.

Qui aliquem vulneratus est ex imprudentia, aut culpa levi, aut ludendo, an ipse & in ejus defectum hæredes ipsius ad restitutionem teneantur? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 183. 184. & 86.

Est ne obligatio restituendi sumptus ipso mandato factos, in reparationibus urgentibus domus amici absentis, quæ autem tractu temporis casu quodam fortuito inutiles factæ sunt? *ibid.* 45.

Est ne obligatio rependendi sumptus quos facere oportet ad restituendam rem furto ablatam? *ibid.* cas. 85.

Est ne obligatio restituendi sumptus, ad quos quis inutiliter & ex proposito inducit partem adversam, ut pro mala sua fide puniatur? Et cuinam hoc in casu restituendum est? *ibid.* cas. 164.

Cum plures injustam alicui movetunt litem, tenentur ne singuli in solidum, ad restituendos ipsi sumptus & damna? *ibid.* cas. 14.

Est ne obligatio expensas funerales, qualescumque sint restituendi iis, qui eas sine mandato pro amico absente fecerunt? *ibid.* cas. 44.

Qui gratis gerit res alterius vi procurationis, tenetur ne ad restituendum damnum cujus causa fuit negligentia sua? *ibid.* cas. 40.

Si tantummodo propter illud rogatus fuerit, nulla data procuratione, tenetur ne in hoc casu ad restituendum? *ibid.* cas. 41.

Amicus, quem quis rogat, ut aliquam rem faciat, qui autem non exequitur illam sicuti promisit, an ad restitutionem teneatur damnorum, quæ causatus est? *ibid.* cas. 42.

Mandatarius aut amicus, qui reliquit curam, quam suscepit, tenetur ne de damnis, quæ inde oriuntur? *ibid.* cas. 43. & 46.

Qui sponte se immiscuerunt alterius rebus tenentur ne ad restituenda damna quæ fiunt ipsorum culpa, aut casibus fortuitis? *ibid.* cas. 47.

Constituentes teneturne Mandatariis suis restituere expensas quas solverunt ad gerendam ipsorum rem, & damna, quæ passi sunt, pecuniam suam expendendo? *ibid.* cas. 48.

Præfectus Urbis, qui munus haud exiguum accepit a Conductore, qui intendebat obtinere diminutionem justam aut injustam antiquæ locationis, quam Curia ipsi fecerat, tenetur ne ad restituendum, & cuinam restituere debet? *ibid.* cas. 80.

Qui semen in aliquo prædio destruunt noctu, tenentur ne restituere pro ratione pretii, quod frumentum tempore messis valebit? *ibid.* cas. 76.

Cum plures Personæ proprio & spontaneo motu, quia alii alios instigarent, vastati sunt prædia amicis suis communia, tenentur ne singuli in solidum ad restitutionem? *ibid.* cas. 117.

Est ne obligatio reddendi, quod in prædatione injusta captum est, & cuinam in hoc casu restituendum est? *ibid.* cas. 28.

Cum greges quandam fecerunt vastationem, sive negligentia custodientium eas intercesserit sive non, est ne obligatio ad restituendum? *ibid.* cas. 170 & 171.

An solo facto obligetur aliquis reparare damnum illatum ab animali, quod periculosum esse sciebatur? *ibid.* cas. 172.

Cum quis detinet animal ferum, tenetur ne ad præstanda damna quæ ab eo, si evadit dantur? *ibid.* cas. 173.

Dominus teneturne ad restitutionem erga vasallos suos propter vastationem quam ipse aut ejus feræ in eorum terris peragunt? *ibid.* cas. 174. & tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 7.

Qui ad impediendas feras ne grana comedant, fossas faciunt an teneantur ad restitutionem respectu transeuntium, qui in illas incidunt & læduntur? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 175.

Est ne obligatio animalia fera, quæ quis occidit, aut eorum pretium restituendi iis, qui illa restitui petunt? *ibid.* cas. 181.

Privatus potest ne propria sua authoritate occidere animalia ad alios pertinentia, quæ sua prædia depopulantur? Sunt ne quædam, quæ istud permittunt consuetudines? Est ne obligatio ad aliquam restitutionem? Quonam in casu exemptus est aliquis ab illa restitutione facienda? *ibid.* cas. 299.

Qui transferunt, aut assignant leporaria in præjudicium Vicinorum suorum, tenentur ne ad restitutionem damni & vastationis, quam cuniculi terris adjacentibus inferunt? tom. 2. v. *Leporarium*, cas. 2.

An eodem modo se res habeat cum illis, qui fundent aut conducunt leporaria? *ibid.*

Rustici, qui prohibentibus Dominis venantur, tenentur ne ad restitutionem? tom. 3. v. *Venatio*, cas. 3.

Venator, qui depopulatur agros semine donatos, aut vineas, tenetur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 6

Dominus qui quendam in suis terris venantem deprehendit, potest ne arma ipsi auferre, & pecuniam pro iis recipere,

adeo

adeo ut non opus habeat ipsum in foro persequi? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 200.

Milites tenentur ne restituere prædam in Bello captam? tom. 2. v. cas. 4. & 6.

Qui aliquem ad munus aliquod pervenire prohibuit, an in omni casu ad restitutionem obligatur? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 124.

Qui impedivit Clericum provideri de Beneficio, tenetur ne ad restitutionem, quamcumque habuerit intentionem hoc faciendo? *ibid.* cas. 125.

Collator qui subjecto minus digno Beneficium contulit, tenetur ne ad restitutionem erga subjectum dignius, cui illud recusavit? *ibid.* cas. 150.

Est ne obligatio restituendi pecuniam acceptam pro Beneficio, & cuinam restituenda est? *ibid.* cas. 142.

Est ne obligatio fructus Beneficii obtenti simonia non culpabili restituendi, licet bona fide consumpti fuerint? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 143.

Tenetur ne aliquis postquam rehabilitandum se curavit ad Beneficium, restituere fructus perceptos, licet nondum consummatos? *ibid.* cas. 144.

Est ne restituendum iis, cum quibus communi crimine simonia commissa est? *ibid.* cas. 145. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 45. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 38. & tom. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 14.

Est ne obligatio restituendi fructus pro rata omissionum in recitatione Breviarii? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 146. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 22. 23.

Beneficiarius, qui antequam suo renuntiet Beneficio, exigit, ut ipsi remittantur fructus, quos meruit perdere, tenetur ne ad restitutionem, & in ejus defectum ii, qui illos ipsi remiserunt fructus? tom. 1. v. *Renuntiatio*, cas. 3.

Minor provisus pluribus Beneficiis contra voluntatem suam, & qui per plures annos Breviarium recitare omisit, tenetur ne ad restitutionem, etiamsi soli ipsius Cognati eorum accepissent reditus? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 147. & tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 14.

Canonicus, qui quamvis absens recepit distributiones quotidianas, tenetur ne ad restitutionem, etiamsi ipsius Confratres remittere illas ipsi velint? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 148.

Canonicus qui per aliquod anni tempus sine ulla ad Officium Divinum attentione Choro adfuit, tenetur ne ad restitutionem fructuum perceptorum per illud tempus? *ibid.* cas. 149.

Beneficiarius, qui non potuit suos reddere fructus Beneficii pluribus de causis, est ne exemptus ab illorum restitutione, si obtineat condonationis Diploma, licet non omnibus impedimentis suis expressis? cas. 219.

Cognati Beneficiarii tenentur ne ad restitutionem, quando Beneficiarius ipsis reliquit summam aliquam, quæ ipsi ex reditibus Beneficii superfuerat? *ibid.* cas. 151. tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 14. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 14.

Qui ludendo lucrantur pecuniam, quæ est ex alicujus Beneficii reditibus, tenentur ne ad restitutionem, & cuinam? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 18.

Beneficiarii aut Sacerdotes, qui recitando Breviarium se actionibus quibusdam exterioribus occupant, tenentur ne ad restitutionem? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 25.

Est ne obligatio fructus perceptos ex Beneficio, quod obligat ad id, ut qui illud possidet intra annum ad Sacerdotium promoveri se curet, restituendi, si quis neglexit ordinandum se curare? tom. 1. v. *Restitutio*, cas. 221.

Calumniator & Maledicus tenentur ne ad reparandam injuriam, quam intulerunt iis, quibus detraxerunt? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 61. & 67.

Calumniator a Judice condemnatus & punitus tanquam talis, tenetur ne insuper data occasione retractare sua dicta, & restituere sumptus, quos fecerat pars læsa ad perveniendum ad Justificationem? *ibid.* cas. 62.

Persona quædam, quæ infamavit aliam, tenetur ne ad restitutionem, licet pars læsa magnanimiter ipsum ab omni liberaverit obligatione? *ibid.* cas. 63.

Cum duo Calumniatores se invicem reciproce infamatunt ejusdemque sint conditionis, an unus præ altero tenetur injuriam alteri illatam reparare? Quando inæquales sunt, uter initium facere debet reparationis? *ibid.* cas. 64.

Persona quædam falso accusata potest ne omnis generis afferre probationes, ad procurandam falsarii accusatoris condemnationem? Tenetur ne ad restitutionem si id faciat? *ibid.* cas. 65.

Est ne obligatio ad restitutionem, si quis ex spiritu vindictæ coram Judice accuset quendam criminis occulti reum, quodque occultum sine ipsius accusatione mansisset? *ibid.* cas. 66.

Est ne obligatio ad restitutionem tam respectu famæ proximi, quam respectu damni ipsi illati, si uno in loco reveletur crimen, quod alibi commisit? An quoad hoc nihil interest; sive reus fuerit condemnatus & punitus a Judice, sive non fuerit? *ibid.* cas. 62.

Cum Restitutio non potest esse æquivalens injuriæ illatæ, an saltem eo, quo potest, modo fieri debet? *ibid.* cas. 68.

Sunt ne aliqui casus, in quibus exemptus aliquis sit a paranda injuria, quam proximi honori intulit? *ibid.* cas. 69.

Superiores tenentur ne ad reparationem, si post servatas Charitatis & Justitiæ regulas revelant Inferiorum suorum defectus? *ibid.* cas. 70.

Si eos injuste infamant, tenentur ne ad veniam ab ipsis petendam? *ibid.* cas. 208.

Est ne dispensatus a restitutione facienda Religioso Professo, qui ipsi furto aliquid abstulit, sed quem Religiosus a restituendo dispensat? *ibid.* cas. 129.

Qui decimis frustrantur Beneficiarium, an, si Beneficiarius dives sit, & iis illarum remissionem fecerit, immunes sint coram Deo & dispensati a restitutione facienda? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 13.

Abbatissæ habent ne jus restituendi bona Monasterii sine suarum Religiosarum consensu? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 8.

Religiosi, qui acceperunt pecuniam pro admittendo ad Professionem Novitio, tenentur ne ad restitutionem, & cuinam facere illam debent? cas. 217.

Cognati aut Tutores, qui Infantes quorum curam habent, coegerunt ad amplectendum Religionis statum, tenentur ne ipsis procurare media ex eo eundi? *ibid.* cas. 211.

Qui Religiosum Professum induxit ad egrediendum e Monasterio, cui valde utilis erat, an ad aliquam erga Monasterium restitutionem tenetur? *ibid.* cas. 206.

Cum quis afferendo Creditori pecuniam in fures incidit, qui illum ea privant, an immunis est & liber a restitutione? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 25.

Si quis certam quandam pecuniæ summam furto abstulit, & ope illius ludendo majorem summam lucratus est, tenetur ne ad restituendum præter summam furto ablatam, etiam illam, quam ludo acquisivit? *ibid.* cas. 52.

Qui pecuniam furati sunt, semper ne tenentur restituere cum sorte principali lucrum & interesse, quod inde ad eos rediit? *ibid.* cas. 74.

Qui non nisi perexiguas summas diversis vicibus differentibus privatis personis furatus est, tenetur ne ad restitutionem? Cuinam & quomodo restituere debet? *ibid.* cas. 75.

Est ne obligatio restituendi, quod non nisi in extrema necessitate ablatum est? *ibid.* cas. 108.

Qui agricolæ abstulit frumentum destinatum ad seminandos agros, tenetur ne restituere non tantum frumentum furto ablatum, sed etiam damnum, quod inde natum est agricolæ? *ibid.* cas. 78.

Qui mangoni equum abstulit, tenetur ne illi præter pretium equi, insuper etiam restituere damnum, quod inde patitur? *ibid.* cas. 93.

Qui furatus est quandam rem, tenetur ne rem ipsam restituere, licet notabiliter eam melioravit? *ibid.* cas. 82.

Qui restituit rem furto ablatam, habet ne jus a proprietario repetendi omnes sumptus tam necessarios, quam utiles & superfluos, in illam factus? *ibid.* cas. 83.

Cum res furto ablata est naturæ frugiferæ, est ne obligatio præter rem ipsam, etiam fructus illius restituendi? *ibid.* cas. 86.

Est ne prævalens & potior obligatio restituendi, quod furto ablatum est, quam solvendi debita contracta? *ibid.* cas. 87.

Est ne obligatio res furto ablatas quæ adhuc sunt in natura, restituendi iis, ad quos pertinent, præ omnibus aliis Creditoribus? *ibid.* cas. 88.

Qui furatus est pauperi summam aliquam, & diviti summam aliam, & non potest utramque restituere summam, an totum restituere debet primo, prætermisso secundo? *ib.* cas. 90.

Qui duas furto abstulit summas duabus Personis æque divitibus aut pauperibus & non nisi uni satisfacere potest, potest ne pro sua voluntate unum alteri præferre? *ibid.* cas. 91.

Est ne obligatio restituendi iis ipsis, quibus furto aliquid ablatum est, quando persuasum est, quod male illud impensuri sint? *ibid.* cas. 220.

An in defectum Personæ, cui aliquid furto ablatum est, restitutio creditoribus ipsius facienda est? *ibid.* cas. 92.

Potestne aliquis illæsa conscientia recipere summam quam ipsi quidam vult reddere, quamvis persuasio non sit eam sibi deberi? *ibid.* cas. 195

Qui ex odio in aliquem causa fuit cur ipsi furtum inferratur, an ad restitutionem obligatur? *ibid.* cas. 109.

Cum Fur, primarius damni illati author, aut detentor rei furto ablatæ, dispensatus fuit a restitutione, aut jam restituit, ejus furti participes sunt ne pariter dispensati a restitutione? *ibid.* cas. 79. & 94. & 115.

Omnes furti participes, quancumque in eo habeant partem sive directe sive indirecte, tenentur ne singuli in solidum ad restitutionem? *ibid.* cas. 114.

Cum res aliqua furto fuit ablata, deinde in quosdam mala fide empta, uter primus obligatur ad restituendum, emptor an fur? *ibid.* cas. 95.

Si quis rem furto ablatam alteri dedit, qui eam amittit, an ambo ad restitutionem tenentur in solidum? *ibid.* cas. 97.

Est ne obligatio restituendi rem furto ablatam, aut ejus pretium, si periit casu fortuito, quo & in proprietarii manibus periisset? *ibid.* cas. 215.

Qui cooperantur in furto, sive vigilias agendo, sive fures adjuvando, sunt ne pariter ad restitutionem obligati? *ibid.* cas. 100.

Receptores furti obligantur ne ad restitutionem in defectum furis? *ibid.* cas. 102.

Qui bona fide usus est re furto ablata, obligatur ne ad restitutionem? *ibid.* cas. 101.

Qui consuluerant furtum, tenentur ne ad restitutionem, licet consilium suum ante furtum commissum revocaverint? *ibid.* cas. 103.

Qui consentiunt in furtum, aut illud suadent, tenentur ne pariter ad restitutionem? *ibid.* cas. 104.

Qui furi consuluit rem auferendi uni potius quam alteri, aut minorem summam, quam illam quam auferre proposuerat, est ne obligatus ad restitutionem? *ibid.* cas. 105.

Privatus quidam, qui facile impedire potest furtum aliquod, an tenetur ad restitutionem, si illud facere negligat? *ibid.* cas. 134.

Potest

Potest ne differri restitutio rei furto ablatæ, ad opem ferendam Patri suo aut Matri egentibus? *ibid.* cas. 192.

An quid obliget Leo Restitutionis, & unde oriatur obligatio restituendi? tom. 3. v. *Usura*, cas. 28. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 150.

Est ne obligatio restituendi, quidquid modo peccaminoso acquisitum est? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 210.

Sunt ne peccata quædam ejus naturæ, ut dispensent a restituendis lucris factis illa committendo? *ibid.*

An non immunis sit aliquis ac liber a restitutione, nisi cum res, quam restituere debet, pervenit in manus Domini sui? *ibid.* cas. 98.

Quando nullo modo cognoscit aliquis eos, quibus injuriam fecit, est ne dispensatus a restituendo, aut cuinam restituere debet? *ibid.* cas. 188.

Cum restitutio difficillime fieri potest, an tamen ad illam faciendam obligatio sit, & cujusnam sit sumptus ferre necessarios ad vincendam difficultatem illius faciendæ? *ibid.* cas. 189.

Est ne obligatio ad restitutionem, cum fieri non potest, sine magno suo incommodo, aut quin alicui peccato præbeatur occasio, aut quia honori suo male consulatur? *ibid.* cas. 190 & 183.

Parentes possunt ne pensionem alimentariam suis infantibus constituere, pro obligatione, in qua sunt, restituendi? *ibid.* cas. 191.

Pater tenetur ne ad solutionem sumptuum & damnorum datorum filii sui facinore? *ibid.* cas. 223.

Qui omnem, qua pollet, fidem multasque curas & laborem impendit in bonum Societatis, cujus est membrum, potest ne aliquid pro hoc exigere aut retinere? *ibid.* cas. 194.

Tenetur ne ad restitutionem, qui pecunia vendit fidem ac favorem, quo multum apud Principem valet? *ibid.* cas. 195.

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Cum Major probat, quod damnum fuerit passus in venditione facta in minoritate sua, & pretium acceptum offert reddere, debet ne illi concedi beneficium restitutionis in integrum? tom. 1. v. *Restitutio in integrum*, cas. 1.

Minores, qui se damnum passos credunt, possunt ne petere restitutionem in integrum? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 14.

Minores, qui successioni renuntiarunt sub prætextu, quod nimis fuerit intricata litibus ac debitis, possunt ne uti beneficio restitutionis in integrum? tom. 1. v. *Restitutio in integrum*, cas. 2.

Minores possuntne postquam acceptarunt successionem opulentam, uti hoc beneficio, si casibus fortuitis periit illa successio? *ibid.* cas. 3.

Minores, possunt ne cum fiunt Majores, uti beneficio restitutionis in integrum, quo solvere non teneantur debita, quæ in Minoritate sua contraxerunt? *ibid.* cas. 4.

Si nihil aliud fecerint, quam quod ipsorum utilitas aut officium exigebat, possunt ne uti beneficio restitutionis in integrum? *ibid.* cas. 5.

Quando Minoribus conceditur beneficium restitutionis in integrum, an ipsorum fidejussores semper liberi sint ac immunes? *ibid.* cas. 6.

Possunt ne uti beneficio Restitutionis in integrum, non observatis formulis a Legibus præscriptis? Quænam sunt hæ formulæ? *ibid.* cas. 8.

Ii, quibus Leges concedunt beneficium Restitutionis in integrum, possuntne intentare litem tertiis defensoribus suorum bonorum, antequam auctores doli aggrediantur? *ibid.* cas. 7.

Potest ne præscribi Restitutio in integrum? *ibid.*

Minores qui bona sua ludo perdiderunt, possunt ne petere beneficium Restitutionis in integrum? tom. 2. v. *Ludus*, cas. 5.

REVELATIO.

Estne obligatio revelandi, si quis vidit necare Columbas aut Cuniculos Domini, qui hanc ob rem Monitorii promulgationem obtinuit? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 22.

Revelatio alicujus impedimenti ab unico homine profecta, sufficit ne ad impediendum, quominus ad matrimonii celebrationem progredi oporteat? tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii in genere*, cas. 2.

Incumbit ne obligatio revelandi impedimentum dirimens matrimonii futuri, si nulla possint afferri probationes, aut si non nisi sub sigillo secreti cognoscatur? *ibid.* cas. 2.

Est ne obligatio revelandi, si malum aliquod inde consecuturum est? *ibid.* cas. 20.

REVOCATIO POTESTATIS.

Revocatio Potestatis celebrandi, confitendi, prædicandi, censetur ne interdictum? Qui celebrant post talem revocationem sunt ne irregulares? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 91.

REUS.

Vide hujus vocis Proœmium.

Rei tenentur ne criminis sui participes declarare; scientes, quod non reparaverint injuriam, quam attulerunt? tom. 2. v. *Reus*, cas. 1.

Rei, qui condemnati sunt ad mortem, possunt ne licite evadendo ex carcere sibi consulere? Possunt ne violentis sumpere carceres ad aufugiendum? *ibid.* cas. 2. & tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 22.

Rei possuntne defendere contra Judices, ut non ad supplicium ducantur? tom. 3. v. *Reus*, cas. 3.

Cum condemnati sunt ad mortem ob defectum vadimonii diem, possunt ne se defendere adversus illos, qui eos detinere volunt? *ibid.* cas. 4. & tom. 2. v. *Occidere*, cas. 1.

An eo ipso ad fiscum pertineant ipsorum bona? tom. 3. v. *Hæres*, cas. 2.

Possunt ne condemnari rei, qui nullos habent accusatores? tom. 2. v. *Judex*, cas. 2.

Licet ne reos condemnare ad pœnam minorem quam juxta Leges merentur? An solus supremus Princeps gratiam ipsis adhibere possit? *ibid.* cas. 6.

Dominus potest ne impunitos relinquere reos in sua terra, si scilicet non satis dives est ad instruendam formulis requisitis litem contra ipsos? tom. 2. v. *Dominus Parœciarum*, cas. 2.

Est ne concedenda Extrema Unctio reis ad mortem condemnatis? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 19.

Judex potest ne uti terminis captiosis & æquivocis in ipsorum interrogationibus? tom. 2. v. *Judex*, cas. 15. & 16.

Licet ne sollicitare Judices in ipsorum favorem? tom. 2. v. *Lis*, cas. 1.

Quonam in casu ad fiscum redeunt bona reorum condemnatorum ad pœnas infamia notatas? tom. 3. v. *Deus*, cas. 2.

Licet ne reos liberare dare occasione? *ibid.* cas. 3.

Rei vere aut falso accusati contrahunt ne valide matrimonium, quod ineunt ad evitandam mortem, mutilationem, aut carcerem? tom. 2. v. *Impedimentum Metus*, cas. 3 & 4.

Rei, qui interjecerunt appellationem a sententia ipsos condemnante, sunt ne habiles ad testandum aut succedendum? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 10.

An cuilibet jus competat appellandi, pro reo condemnato? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 4.

REX.

Regum gubernatio debet ne aliquam habere similitudinem cum gubernatione divina? tom. 2. v. *Lex*, cas. 4.

Possunt ne in suo territorio quædam tolerare mala & inordinata ad evitanda majora mala? *ibid.* Vide *Fasus*.

RIXA.

Vide tom. 3. suo loco.

ROGATIONES.

Vide hujus vocis Proœmium.

Estne peccatum carne vesci in Gallia tribus Rogationum diebus, sub prætextu quod hæc consuetudo non servetur in aliis locis? tom. 3. v. *Rogationes*, cas. 1.

Si Episcopus per hos tres dies jejunare mandaret suis Diœcesanis, atque etiam Religiosis exemptis ab ipsius Jurisdictione, tenerentur ne ipsi obedire? tom. 3. v. *Rogationes*, cas. 2. & tom. 2. Vide *Casum Rodolphum*, cas. 16.

ROMANENSES LIBRI.

Potest ne aliquis libros, qui vocantur Romanenses, servare apud se & legere sub prætextu, quod nullum inde ad ipsum damnum redeat? Tenentur ne ad illos igni consumendos, si Confessarius id ipsi injungat? tom. 2. v. *Libri prohibiti*, cas. 1.

S.

SABBATI DIES.

Est ne lex, vel consuetudo, carne vesci diebus Sabbati, a Nativitate usque ad Purificationem? tom. 3. v. *Religiosa*, cas. 5.

SACERDOS.

Est ne excommunicatus qui percutit Sacerdotem? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 1. 2. & 3.

An omnis actio notabiliter injuriosa Personæ Sacerdotis, excommunicationis sit materia? *ibid.* cas. 3.

Sacerdos, qui vestem mutavit matrimonium initurus, & postmodum autem se de hoc Crimine accusat, potest ne accipere pœnitentiam & dispensari a suo Prælato de suspensione & Irregularitate? tom. 1. v. *Dispensatio Irregularitatis* cas. *Naber*.

Sacerdos qui se accusatorem gerit in Gallia, tenetur ne protestationem facere injunctam a Bonifacio VIII.? An saltem tutius est, ut illam accusationi præmittat? tom. 1. v. *Accusator*, cas. 7.

SACERDOTIUM.

Qui Irregulares sunt respectu Sacerdotii, sunt ne quoque Irregulares respectu reliquorum omnium Ordinum inferiorum? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 100.

Est ne simonia dare aut promittere aliquid temporale ad Sacerdotium perveniendi fine? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 4. & 5.

Digitized by Google

SACRAMENTA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Poteſt ne exigi aut accipi pecunia pro adminiſtratione Sacramentorum? tom. 3. v. *Simonia*, caſ. 55.

Eſt ne Sacrificium interrumpendum ob adminiſtranda moribundis Sacramenta? tom. 2. v. *Miſſa*, caſ. 25.

An adminiſtrando ſacramenta ſequendæ ſunt opiniones minime dubiæ? tom. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 1.

Poſſunt ne quædam adminiſtrari Sacramenta tempore interdicti generalis? tom. 2. v. *Interdictum*, caſ. 4. & 17.

An eo in caſu adhibendæ ſunt cæremoniæ ordinariæ? *ibid.* caſ. 9.

Qui Sacramenta adminiſtrant excommunicato denuntiato, incurrunt ne quaſdam pœnas? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caſ. 42.

Intentio eſtne neceſſaria in adminiſtrandis Sacramentis, & quænam requiritur intentio? tom. 2. v. *Intentio*, caſ. 1.

Eſtne obligatio peccata ſua confitendi, antequam ullum recipiatur Sacramentum? tom. 3. v. *Confirmatio*, caſ. 6. & 7.

Sacerdos committit ne verum inceſtum, ſi confeſſionem illius puellæ excipiat, cum qua olim peccaverat? tom. 2. v. *Inceſtus*, caſ. 2.

An aliquando uſitatæ Ceremoniæ omitti poſſunt in adminiſtratione Sacramentorum? Quænam eſt mens Eccleſiæ in ejuſmodi cæremoniis? tom. 1. v. *Cæremonia Sacramentales*, caſ. 2.

Comœdi ſuntne ad participationem Sacramentorum admittendi? tom. 2. v. *Comœdia*, caſ. 2. & 3.

An in adminiſtratione quorumdam Sacramentorum magis convenit uti forma abſolutoria, quam forma deprecatoria? tom. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 1.

Sunt ne quædam Sacramenta, quorum forma deprecatoria ſit, & quænam eſt ratio? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, caſ. 6.

Poſſunt ne peti Sacramenta aut accipi e manu Parochi ſui aut ſimplicis Sacerdotis, cum notum eſt, illos in habitu peccati mortalis verſari? tom. 3. v. *Sacramenta*, caſ. 1. & 2.

Qui recipiunt Sacramenta a manu Eccleſiaſtici, quem ſciunt in crimine vivere, cooperantur ne ad ipſorum ſacrilegium? tom. 2. v. *Matrimonium* 2. caſ. 7.

An plus accipitur gratiæ accipiendo Sacramenta ab uno potius quam ab alio accipiendo? Peccat ne qui accipit e manu unius potius, quam e manu alterius? tom. 1. v. *Communio*, caſ. 19.

Ut quis rite adminiſtrare poſſit Sacramenta, oportet ne eſſe in ſtatu gratiæ? tom. 1. v. *Baptiſmus*, caſ. 22. & tom. 1. v. *Communio*, caſ. 28.

Sacerdos excommunicatus denuntiatus poteſtne valide adminiſtrare Sacramenta? tom. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 34.

SACRAMENTUM VENERABILE.

Religioſi poſſuntne exponere ſacramentum Venerabile ſine Ordinarii permiſſione? tom. 3. v. *Religioſus*, caſ. 20.

SACRILEGIUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Furtum commiſſum in Eccleſia eſtne ſacrilegium? tom. 3. v. *Sacrilegium*, caſ. 1.

Quot modis furtum fieri poteſt ſacrilegium? *ibid.*

Quid intelligitur voce ſacrilegii? Quot modis actio aliqua ſacrilega fieri poteſt, ſive reſpectu rerum, ſive reſpectu locorum, ſive reſpectu perſonarum? *ibid.* caſ. 2.

SAL.

Salis adulterini opifices, & qui emunt ab iis Sal, peccantne mortaliter? tom. 3. v. *Vectigalia*, caſ. 2.

SALTATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Saltatio eſt ne ſua natura criminalis? Quænam neceſſariæ ſunt conditiones, ut licita ſit ſaltatio? tom. 3. v. *Saltatio*, caſ. 1.

Parochi debentne tolerare ſaltationes, quæ publice fiunt in ipſorum Parœciis Diebus Dominicis ac Feſtis? Poſſuntne abſolutionem denegare iis, qui continuant ſaltationibus intereſſe, poſtquam promiſerunt illis abſtinere? Ejuſmodi ſaltationes ſuntne in Gallia auctoritate ſæculari prohibitæ? *ibid.* caſ. 2. & tom. 1. v. *Dies Dominici ac Feſti*, caſ. 5.

SALVIA.

Aqua ſalvia ſumpta diebus jejunii extra tempus convivii ordinarii, rumpitne jejunium? tom. 2. v. *Jejunium*, caſ. 14.

SANCTI.

Eſtne de præcepto, in precibus implorare Sanctorum opem? Et quomodo fieri iſtud debet? tom. 2. v. *Oratio*, caſ. 5.

SARCINATOR.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Sarcinator Mulierum, poteſtne ſalva conſcientia pergere in faciendis veſtibus, in quibus mulieres multum detectæ videntur? tom. 3. v. *Sarcinator*, caſ. 1.

Sarcinator, cui mandatum eſt emere pannum vel aliud aliquod textile, poteſtne pecuniam, quam mercatori de pretio ordinario deduxit, propter defectum aliquem pro ſe retinere ſub prætextu, quod induſtria & arte ipſius defectus iſte occultatur & in plicas cadit? *ibid.* caſ. 2.

Poteſtne quæ neceſſaria ſunt ad veſtem conficiendam pluris imputare, quam ipſemet ſolvit, ſub prætextu temporis ad illa emenda perditi, aut quod mercator ipſi minori pretio, quam aliis, ea vendiderit? Suntne aliqui caſus, in quibus fieri iſtud poſſit? *ibid.* caſ. 2.

Cum Sarcinatori committitur ut emat pannum vel textile, poteſtne illud imputare eadem ratione qua vulgo emitur, licet ipſe minori pretio habeat, quia ſcilicet a prima manu emit? Debet ne certus eſſe quod eo ipſo pretio habeat, quo mercatores ipſi emere ſolent ejuſmodi pannos & textilia? *ibid.* caſ. 4.

Sarcinatores poſſunt ne aliquod lucrum capere ex eo quod mercatores ipſis pannum aliquem aut textile vili admodum pretio vendant, ideo tantum, quia ſæpius una mercantur? an in hoc caſu eodem pretio textiles vendere poſſunt committentibus ſuis, quo alii ea apud mercatores emere ſolent? Lucrum iſtud nonne ut ſit licitum; quaſdam exigit conditiones? tom. 2. v. *Emptio*, caſ. 28.

Sarcinator poteſtne ſibi appropriare parva quædam quæ ſuperſunt panni fruſta ad reparandum tempus quod in emendo panno conſumpſit? tom. 3. v. *Sarcinator*, caſ. 5. & tom. 2. v. *Furari*, caſ. 4.

Sarcinator, quem quidam rogavit ut ſe ad emendum pannum comitaretur, teneturne ad reſtitutionem in defectum mercatoris, ſi illum vel metu, vel quia debet mercatori, nimio pretio emere ſinit? tom. 3. v. *Sarcinator*, caſ. 6.

SATISFACTIO.

Satisfactio conſtituitne partem Sacramenti Pœnitentiæ? Debetne eſſe peccato proportionata? tom. 3. v. *Pœnitentia injuncta* caſ. 2. & 10. & tom. 1. v. *Confeſſarius* 1. caſ. 3. & tom. 1. v. *Confeſſio*, caſ. 4.

Poteſtne Deo ſatisfacere pro peccatis, qui in ſtatu peccati mortalis eſt? tom. 3. v. *Pœnitentia injuſta*, caſ. 16.

Confeſſarii ſemperne convenientes tenentur imponere ſatisfactiones? tom. 1. v. *Confeſſarius* 1. caſ. 10.

Pœnitentes poſſuntne aliquando recuſare pœnitentias, quas Confeſſarii ipſis imponunt? tom. 3. v. *Pœnitentia injuſta*, caſ. 14. & tom. 2. v. *Jubilæum*, caſ. 10.

SCANDALUM.

Vide hujus vocis Proœmium.

Chriſtianus famulus Idololatræ poteſtne ſine peccato ipſum ſuſtinere, cum coram Idolis ſuis ſe proſternit? tom. 3. v. *Scandalum*, caſ. 10.

Chriſtianus famulus Idololatræ poteſtne veſci carne diebus, quibus prohibitum eſt, ſi nihil aliud ipſi daretur edendum? *ibid.* caſ. 11.

Licetne differre bonum opus, aut ab illo abſtinere ſub prætextu quod ſcandalum inde capiatur? Suntne varii generis ſcandala, & an omnia pariter ſunt peccata? *ibid.* caſ. 1.

Cum aliquod ſcandalum timeri poteſt ex denegatione aut dilatione abſolutionis, eſtne nihilominus concedenda? tom. 1. v. *Abſolutio*, caſ. 16. & 25. & tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, caſ. 46.

Suntne quædam cautelæ adhibendæ ad evitandum ſcandalum quod cauſatur excommunicatio injuſta? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caſ. 18.

Cum plebs ſcandalizatur occaſione quarumdam veritatum, quæ prædicantur, an pergere oportet illas inculcando, an vero ab iis edocendis abſtinere conſultum eſt? tom. 3. v. *Scandalum*, caſ. 4. & tom. 1. v. *Scandalum*, caſ. 16.

Teneturne renunciare juri quod quis habet in Beneficium aliquod, ſi perſuaſus eſt, ſcandalum non aliter eſſe ceſſaturum? tom. 3. v. *Scandalum*, caſ. 2.

Parochus teneturne ad finem ſcandalo imponendum dimittere jus Decimarum, licet fundatum ſit titulo & conſuetudine immemoriali? *ibid.* caſ. 3.

Debetne quominus aliquis ingrediatur Religionem, obeſſe prætextu quod Mundus eo ſcandalizaretur? *ibid.* caſ. 6.

Judex debetne pariter jus pronuntiare, quodcunque inde naſci poſſet ſcandalum, cum agitur de bono publico aut alicujus privati commodo? *ibid.* caſ. 5.

Licetne mendacium officioſum committere ad obviandum ſcandalo ingenti? *ibid.* caſ. 9.

Mulier, cujus formoſitas jam aliquibus in peccatum labendi fuit occaſio, debetne abſtinere a frequentando aliquo, exteroquin licito loco, ubi ejuſmodi perſonæ illam quærunt? *ibid.* caſ. 8.

Maritus qui tactus impudicos circa uxorem publice committit, peccatne lethaliter peccati ſcandali, licet ad peccandum teſtes inducere non intendat? *ibid.* caſ. 7. tom. 1. v. *Aſpectus*, caſ. 2. & tom. 3. v. *Pollutio*, caſ. 1. 2. & 3. tom. 3. v. *Tactus*, caſ. 2. & tom. 2. v. *Oſculum*, caſ. 1.

S C A P U L A R E.

Qui gerunt Scapulare, sunt ne certi quod nunquam sine confessione sint morituri? tom. 3. v. *Superstitio*, cas. 1.

S C H I S M A.

Schisma notorium reddit ne absolutiones nullas? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 14.
Schismatici contrahunt ne per Baptismum cognationem quamdam spiritualem, quæ impedimentum sit dirimens matrimonii? t. 2. v. *Impedimentum Cognationis spiritualis*, cas. 6.

S C H O L A.

Religiosi possunt ne Scholas tenere sine Ordinarii permissione? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 35.

S C H O L A R I S.

Scholares, qui, cum studiis incumberent sub Professoribus, non potuerunt ipsis solvere honorarium, tenentur ne illud ipsis restituere, cum primum hoc ipsis possibile sit? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 209.

S C I E N T I A.

Quænam requiritur Scientia in beneficiariis, qui beneficia habent cum cura animarum? tom. 3 v. *Patronus Præsentator*, cas. 8.

S C L O P E T U M.

Licet ne Sclopeto effracto uti, aut illud venditioni exponere? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 200.

S C R U P U L U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quid est scrupulus? Quænam sunt causæ scrupuli & quænam ejus sunt remedia? tom. 3. v. *Scrupulus*, cas. 2.
Scrupulosi debent ne confiteri peccata mortalia, quæ timent, ne confiteri obliti fuerint? *ibid.*
Quænam media adhibenda sunt respectu illorum, qui cum obligentur recitationem Officii Divini, scrupulo quoad hoc anguntur ad excessum usque? *ib.* cas. 8.
Mulier quæ imaginationem sæpius repletam habet cogitationibus horrendis, quas quidem detestatur, sed tamen sine fundamento metuit, ne illius culpam contrahat, potest ne quin confiteatur communionem accipere iis diebus, quibus ipsi permissum est si persuasa est, quod citra peccatum illud facere non possit, an abstinere tenetur, licet Confessarius ipsis injunxerit communionem accipere non obstante hoc scrupulo? *ib.* cas. 1.
Quænam scienda sunt principia super hanc materiam? *ib.*
Quænam sunt variæ scrupulorum origines? *ibid.*
Quænam est differentia inter opinionem, dubium, & scrupulum? *ibid.*
Quænam debent esse talenta ac dotes Confessarii, qui personas scrupulosas dirigendas habet? Et quibusnam uti debet remediis ad illos scrupulis suis liberandos? *ib.* cas. 3.
Cum Confessarius videt personam aliquam sæpius ad Confessionem redire, ex mero scrupulo, quo metuit ne forte non satis ample in præcedenti Confessione se explicaverit, potest ne quin adversus charitatem peccet, recusare illam audire, diebus præcipue, quibus communionem accipere debet? *ibid.* cas. 6.
Quinque res, quas Confessarius talem edocere debet personam? *ibid.*
Quomodo agere debet Confessarius cum scrupuloso, qui non potest asseverare, num consenserit, sive non, in malas quibus agitatus fuit cogitationes? *ib.* cas. 5.
Sacerdos scrupulosus, qui Confessionem generalem facturus scribit peccata sua, prout in mentem ipsi veniunt, dum recitat Officium, peccat ne ejusmodi interruptionibus, licet persuasus sit, quod alio tempore non recordaretur illorum? *ib.* cas. 5.
Est ne consultum, permittere, ut scrupulosi faciant Confessiones generales? An hoc bonum est pro ipsorum scrupulis remedium? *ib.* cas. 7.
Plura monita & consilia super hanc ultimam quæstionem Confessario data? *ibid.*

S C R U T I N I U M.

Superiores communitatum in quibus scrutinium in usu non est, tenentur ne illud introducere? to. 1. v. *Abbatissa*, cas. 2.
Cum electio facta est per scrutinium, an electores variare possunt, & in aliam transire sententiam? tom. 2. v. *Electio*, cas. 7.
Oportet ne ut plures sint scrutatores, ut electio aliqua canonica sit? *ib.* cas. 12.
Cum suffragia incerta sunt & conditionalia, scrutatores tenentur ne illa declare? *ib.* cas. 16.

S E C E S S U S.

Secessus annuus, quem facit canonicus, ad restaurandam suam pietatem, est ne tam sufficiens, quare petere possit, ut tanquam præsens habeatur in choro, & capitulum debet ne hanc ipsi indulgere gratiam? tom. 3. v. *Distributiones quotidianæ*, cas. 6.
Parochi possunt ne singulis annis per aliquantulum temporis abesse secessus faciendi causa? tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 5.

S E C R E T A R I U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Secretarius Episcopi, qui ampla exigit præmia pro Provisionibus beneficiariis jure sigilli, Literis attestatoriis & aliis ejusmodi, peccat ne graviter? t. 3. v. *Secretarius*, c. 1.

S E C R E T U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne obligatio, Superioribus & Judicibus declarandi rem, quam quis nonnisi sub conditione secreti scit, quæque nec publicum bonum nec privatum respicit? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 1. & 5.
Religiosus, cui quis secretum magni momenti confidit, tenetur ne sub pœna inobedientiæ illud revelare Superiori, qui hoc, ut faciat, exigit? *ib.* cas. 8.
Licet ne secretum proximo perniciosum revelare, ut damnum inde alias nascendum præveniatur? Licet ne nomen indicare illius qui auctor damni futurus erat? *ibid.* cas. 3. & 4. & tom. 3. v. *Testis*, cas. 5.
Obligatio naturalis secreti obligat ne, aut cessat, cum quis juridice interrogetur? Hæc obligatio est ne intelligenda solummodo de crimine nondum commisso, & quod posset in damnum publicum aut privati cujusdam detrimentum vergere? An aliter esset judicandum, si promissio secretum servandi fuisset juramento confirmata? tom. 3. v. *Secretum*, cas. 5. & 10. 3. v *Testis*, cas. 5. & 6.
Quid faciendum est, si ab una parte declarando secretum, magna infertur injuria illi in favorem cujus servari promissum est, & ab altera parte servari non potest secretum nisi permittendo, ut innocens opprimatur? tom 3. v. *Secretum*, cas. 2.
Licet ne uti æquivocationibus respondendo judici in ejusmodi occasionibus? tom. 3. v. *Testis*, cas. 6.
Est ne obligatio rem declarandi, si silentium magnum afferre potest damnum personæ, quæ interrogatur? *ib.*
Est ne obligatio, publico Monitorio revelandi, quæ sub sigillo secreti cognoscuntur? tom. 2 v *Monitorium*, cas. 8.
Domestici semper ne tenentur ad Secretum servandum respectu eorum, quæ apud Dominos suos aguntur? *ib.* cas. 13.
Qui sine necessitate aliis confidunt & communicant defectus alicujus, sunt ne culpandi? tom. 1. v *Detractio*, cas. 3.
Licet ne secretum suscipere, tamquam sub secreto confessionis, & est ne servandum, cum susceptum est? tom 3. v. *Secretum*, cas. 6. & tom. 1. v. *Confessarius* 2. cas. 25.
Licet ne violare secretum ad impediendum proximum a committendo peccato mortali? tom. 2. v. *Impedimentum Matrimonii in genere*, cas. 9.
Advocatus potest ne prodere secretum causæ quam credit injustam, illudque parti adversæ aperire? tom. 1. v. *Advocatus*, cas. 1
Potest ne canonicus, quin violet secretum, exteris personis referre, quod in capitulo actum est? to. 3. v. *Secretum* cas. 7.
Peccat ne adversus legem secreti, qui alterius aperit literas? Sunt ne quidam casus, in quibus id liceat? Quarumdam Communitatum hoc usus est ne condemnandus? *ibid.* cas. 9.

S E D U C T I O.

Quid est seductio? An nonnisi respectu Minorum locum habet? Quænam ejus sunt probationes? Raptus seductionis est ne impedimentum matrimonii dirimens? tom. 2. v. *Impedimentum Raptus*, cas. 2.
Qui non aliter exterius in sponsalia consensit, quam ad seducendam suam Desponsatam, tenetur ne ad illam in matrimonium ducendam? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 12.
Cum seductio ejus est naturæ, ut nullam inferre possit infamiam alicui personæ, an seductor, qui dolo aut violentia usus est, tenetur ad matrimonium ducendam eam, quam seduxit? tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 9.

S E M E N.

Semen fœmineum est ne materia ad conceptionem absolute necessaria? tom. 3. v *Impedimentum Affinitatis*, cas. 9
Quid est illud semen? tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 11.
Quoad feminis effusionem, *vide* tom 1. v. DEBITUM CONJUGALE, & tom. 2. v. *Impedimentum Affinitatis*, cas 1. 8. & 9. & tom. 1. v. *Casus Reservati*, & tom. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*.

S E M E N T I S.

Locatarii aut Conductores possunt ne terras semine donare, quando & quomodo ipsis placet? An quoad hoc se se componere tenentur ne ad consuetudinem Regionis, in qua terræ illæ aut prædia sita sunt? tom 2. v. *Locatio*, cas. 7.
Qui vastantur prædia & agros semine conspersos, qua ratione restituere tenentur? tom 3. v. *Restitutio*, cas 76.
Qui agricolæ frumentum abstulit destinatum agris suis conseminandis, tenetur ne præter frumentum ablatum ipsi quo-

quoque restituere damnum quod, inde passus est? *ibid.* cas. 91. & 127.

SEMINARIUM.

Introitus in seminarium, ad se disponendum ad sacrorum Ordinum receptionem, estne sufficiens ratio, quare canonicus petere possit, ut censeatur tamquam præsens choro, & quare capitulum hoc ipsi concedere possit? tom. 2. v. *Distributiones Quotidianæ*, cas. 6.

Est ne obligatio, in illud se recipiendi, quum primum Episcopus id mandat? to. 3. v. *Visa*, cas. 3.

Episcopi possunt ne unire beneficia suis seminariis sub Resignationis conditione libere? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, c. 4.

SENEX.

Senes ætate valde provecti possunt ne valide matrimonium contrahere, eoque licite uti? tom. 3. v. *Impedimentum impotentiæ*, cas. 11.

Senes Decrepiti possunt ne recipere extremam Unctionem, quamvis nonnisi leviter ægrotare videantur, & est ne ipsis conferendum istud Sacramentum? tom. 2. v. *Extrema Unctio*, cas. 20.

SENTENTIA.

Sententiæ latæ in materia Divortii, habent ne vim judicii, quando earum demonstrari potest nullitas? tom. 2. v. *Divortium*, cas. 2.

Sententiæ condemnationis ad interesse, latæ ex collusione, aut à Tabellariis sine participatione Judicum, sunt ne tituli sufficientes, ut quis possit recipere lucrum ultra sortem? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 22.

Judices, qui diversæ fuerunt opinionis, possunt ne nihilominus subscribere sententiæ latæ a suis collegis? tom 2. v. *Judex*, cas. 19.

Ad quemnam executio sententiæ arbitralis pertinet, an ad Judicem an ad arbitros? tom. 1. v. *Arbiter*, cas. 5. & 6.

SEPARATIO.

Separatio Mariti & Uxoris quoad corpus & bona, est ne quibusdem in casibus licita? tom. 2. v. *Divortium*, cas. 8. 21. 26. & 29.

Quinam sunt in Gallia Judices in hac materia competentes? *ibid.* cas. 9.

Mulieres quoad personam & bona separatæ a suis Maritis, possunt ne alienare bona dotalia sua? tom. 1. v. *Dos*, cas. 14.

SEPULTURA.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Parochus potest ne in Gallia propria auctoritate suam sepulturam denegare alicui, qui notorie intemperanti potatione mortuus est? tom. 3. v. *Sepultura*, cas. 1.

Clerici & Laici, qui cooperantur ad conferendam Personæ interdictæ sepulturam Ecclesiasticam, sunt ne excommunicati ipso facto? tom. 2. v. *Interdictum*, cas. 21

Est ne sepultura Ecclesiastica tempore interdicti conferenda tam Clericis quam Laicis? An fieri istud potest cum quibusnam solemnitatibus? *ib.* cas. 22.

Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ est ne pœna decreta adversus Hæreticos & denunciatos excommunicatos? tom. 2. v. *Ecclesia*, cas. 2. & 3.

An sepultura Ecclesiastica privandi sunt Comœdi post mortem suam, & ii, qui publica præcepto increpati sunt eo quod non satisfecerint debito Paschali? tom. 1. v. *Communio*, cas. 35.

An propter distantiam aut asperitatem viæ sepelire licet in loco, qui non fuit benedictus pro sepultura? tom. 3. v. *Sepultura*, cas. 2.

Potest ne vendi aut emi jus sepulturæ in quodam cœmeterio? *ib.* cas. 3.

SERVITUS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Qui servitutem debet, tenetur ne facere opera necessaria ad sustentandam locum servituti obnoxium? Tenetur ne ipse, aut sumptus suppeditare? tom. 3. v. *Servitus*, cas. 1.

Reparatio muri, qui sustinet domum vicinam jure servitutis, cadit ne in Proprietarium, & tenetur de omnibus ad hoc necessariis sumptibus? *ib.* cas. 2.

Qui abjicit curam fundi servituti subjecti, tenetur ne ad reparationem rerum servituti obnoxiarum? *ib.* cas. 3.

Potest ne in alium venditione aut dono transferri servitus aquæ, cui debetur? Qui hanc debet servitutem, potest ne se opponere huic translationi? *ib.* cas. 4.

Cum Proprimarius fundi subjecti duabus servitutibus, unam redimit, nulla alterius facta mentione, an liberatus est ab ambabus servitutibus? *ib.* cas. 5.

Præscriptio habet ne locum respectu omnis generis servitutum? Quantum requiritur temporis ad præscribendam servitutem? *ib.* cas. 6.

Mariti possunt ne alienare, negligere, aut amittere servitutes debitas fundis suarum Uxorum dotalibus, aut possunt ne ferre, ut nova illis imponantur servitutes? tom. 2. v. *Dos*, cas. 25.

Potest ne absque usura obligari aliquis ad servitutem quamdem pretio æstimabilem? tom. 3. v. *Usura*, cas. 9.

SERVUS.

Vide MANCIPIUM.

SERVUS POENÆ.

Matrimonium antea contractum & consummatum cum viro, servo pœnæ, id est, condemnato ad mortem, aut ad remos perpetuos, vel exilium perpetuum, est ne irritum, ac nullum? tom. 2. v. *Matrimonium*, 3. cas. 16.

SEVERITAS.

Est ne semper severitas charitati adversa? tom. 1. v. *Correctio*, cas. 4.

SIGNUM.

Potest ne mendacium committi signis? tom. 2. v. *Mendacium*, cas. 3.

SILENTIUM.

Silentium quod servat Puella in sui matrimonii celebratione, potest ne consensus sufficiens censeri? tom. 2. v. *Matrimonium* 1. cas. 2.

SILVA.

Vide hujus vocis Proœmium.

Maritus Mulieris, quæ sine infantibus mortua est, potest ne exigere fructum Sylvæ cæduæ quæ partem communitatis constituebat, licet Uxor mortua fuisset ante istam Sylvam cæsam? tom. 3. v. *Sylva*, cas. 1.

Pagi alicujus incola potest ne de Sylva, quæ integre pertinet ad Communitatem illius pagi, lignum capere, quo se calefaciat, & ædificia sua reparet? *ibid.* cas. 2.

Abbas potest ne sola sua auctoritate ligna cædenda curare in Sylva incædua, vel in usum suum convertere pretium inde acceptum? *ib.* cas. 4.

Abbas habet ne diplomate Regio opus, ut possit ligna hujusmodi cædenda curare, licet causas habeat urgentes? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 51.

Pauperes rurani possunt ne tempore hyberno in Sylvis lignum colligere, ad sese calefaciendos? to. 3. v. *Sylva*, cas. 1.

Sunt ne varii generis Sylvæ? *ibid.*

Sylvæ cæduæ aut incæduæ censentur ne esse fructus? tom. 1. v. *Dos*, cas. 22.

SIMONIA.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Quid est simonia, sunt ne varii generis simoniæ? Beneficiarii rei simoniæ mentalis incurrunt ne pœnas latas adversus simoniacos? Quot modis committitur simonia? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 44. & 68. & tom. 3. v. *Permutatio*, cas. 8.

Papa potest ne simoniam committere? An ipse solus dispensare potest de omnis generis simonia? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 52. & tom. 1. v. *Dispensatio Simoniæ*, cas. 1.

An semper ad Papam recurrere oportet ut quis absolvatur a simonia? tom. 3. v. *Possessio*, cas 1.

Est ne simoniacum emere munus Eleemosynarii, Capellani, & Clerici sacelli Regii? An ista emendo munera incidit aliquis in pœnas adversus simoniacos decretas? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 47. 48. & 49.

Est ne simoniacum alienare, vendere aut partiri cum aliquo lucrum quod redit ex munere officialis? tom. 3. v. *Officialis*, cas. 18.

Possessio triennalis est ne titulus sufficiens, ut quis retinere possit beneficium simonia culpabili aut non culpabili obtentum? Est ne obligatio illius restituendi fructus? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 44.

Possessio triennalis an tranquillum & tutum reddere potest reum simoniæ involuntariæ? tom. 3. v. *Possessio*, cas. 1.

Simonia reddit ne irritas ac nullas Provisiones beneficii, per quantumcumque temporis fuerit possessum? t. 3. v. *Provisio Beneficiaria*, cas. 7.

An omnis provisio obtenta via simoniaca non culpabili, irrita ac nulla est? tom. 3. v. *Titulus clericalis*, cas. 4.

Conventio inter aliquot Religiosos, sibi invicem suffragia dandi in electione ad munus aliquod, est ne simoniaca? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 18.

Est ne simoniacum emere suffragia ad perveniendum ad Dignitatem antiquam Ecclesiasticam secularem & Regularem? An isto in casu pœnæ incurruntur latæ adversus simoniacos? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 46.

Est ne simonia, ambire aut emere munus aliquod cui annexa est administratio Sacramentorum? Est ne obligatio isti renuntiandi, & incurritur ne aliqua pœna? *ib.* cas. 52.

Est ne simoniacum exigere aut dare pecuniam pro admittendo aliquo ad ejusmodi munus? *ib.* cas 53.

Est ne simoniacum exigere aut dare pecuniam in usum Ecclesiæ, ut quis recipiatur tamquam supernumerarius, & juris ad munera vacatura habendi causa? *ib.* cas. 54

Est ne Simoniacum exigere, aut recipere pecuniam pro administratione Sacramentorum? *ib.* cas. 55. 56. & 57.

Epi-

Digitized by Google

Episcopus potest ne, quin simoniæ labem contrahat, accipere pecuniam pro dispensationibus, quas concedit? ibid. cas. 58.

Secretarius Episcopi potest ne, quin simoniacus fiat, exigere pecuniam pro provisionibus Beneficiariis, litteris attestatoriis, & aliis similibus expeditis? tom. 3. v. Secretarius, cas. 2.

Episcopus reus simoniæ occultæ an non nisi a Papa restitui potest, aut a suo Metropolitano? tom. 3. v. Simonia, cas. 43.

Monasteria locupletiora possunt ne citra simoniam exigere pensionem pro Novitiatu, sumptus morbi, & Sepulturæ? ibid. cas. 62. & 63.

Voluntaria illorum, qui ingrediuntur Religionem, dona facta in favorem Monasteriorum, sunt ne simoniaca? Monasteria sunt ne culpanda illa recipiendo? ib. cas. 64.

An omnis generis Monasteria dotes exigere possunt ab iis, qui in illa intrare desiderant, sunt ne aliqui casus, in quibus possint recipere, Edicta Regum determinarunt ne quantum in Gallia pro dote in ejusmodi occasionibus Monasteria possint exigere? ibid. cas. 65.

Exactio certarum quarumdam dotum in quibusdam Monasteriis est ne simoniaca? tom. 3. v. Religiosa, cas. 8.

Religiosæ tenentur ne inquirere in materiam simoniæ quatenus ipsas spectat & ab ipsis committi potest? ibid.

Bona fides postulantium fundata horum Monasteriorum consuetudine exigendi dotes, excusat ne a simonia? An saltem eximit a pœnis adversus simoniacos statutis? tom. 3. v. Simonia, cas. 66.

Est ne simoniacum a parte Cognatorum, majorem dare dotem, quam oportet, sub prætextu quod exigatur ab ipsis? ib. cas. 67.

Est ne simoniacum pecuniæ summam offerre pro renovanda Professione Religiosi, cum Monasterium illi hoc respectu molestiam exhibet? tom. 3. v. Professio Religiosa, cas. 14.

Est ne simoniacum vendere aut emere jus sepeliendi in Cœmeterio? tom. 3. v. Sepultura, cas. 3.

Est ne simoniacum Eleemosynam dare fine in aliqua re temporali prosperum habendi successum? tom. 3. v. Simonia cas. 69.

Est ne simoniacum vendere vas sacrum pluris quam justo suo valore, propter ipsius Consecrationem? ib. cas. 60.

Est ne simoniacum vendere Lipsanothecam? ib. cas. 61.

Est ne simoniacum servitia mere spiritualia præstare intentione Beneficium obtinendi? ibid. cas. 8.

Est ne simoniacum Clerico dare Beneficium in præmium officiorum ejus, cujuscumque sint naturæ? ib. cas. 11.

Est ne simoniacum in famulatum Potentis alicujus Domini se recipere cum primaria intentione ope illius Beneficium consequendi? ibid. cas. 7.

An per omnis generis simoniam pœnæ adversus simoniacos latæ incurruntur? ib.

Est ne realis simonia dare aut mutuo præbere pecuniam Patrono, intentione Beneficium ab ipso obtinendi? ibid. cas. 4.

Est ne simoniacum promittere pecuniam pro Beneficio, licet intentio non sit illud exequendi promissum? ibid. cas. 5.

Est ne simonia mentalis mutuo dare pecuniam intentione resignationis, aut revocationem impediendi causa? ibid. cas. 6.

Intentio Episcopi, qui suos Cognatos Canonicos suæ Cathedralis creat, ut eo majora in Capitulo valeat auctoritate, vel ut familiam suam reddat illustriorem, est ne simoniaca? ib. cas. 9.

Est ne simoniacum, conferre beneficium intentione suis cognatis aliquod ferendi subsidium? ibid. cas. 12.

Est ne simoniacum conferre Beneficium ob solam amici cujusdam commendationem? ib. cas. 13.

Est ne simonia mentalis Beneficium conferre subjecto digno intentione primaria famam bonæ electione ista sibi parandi? ibid. cas. 14.

Ille qui muneribus inducit Collatoris amicum ne sibi obstet, est ne simoniacus, si hoc modo obtineat Beneficium? ib. cas. 29.

Clericus a Præsentatore provisus beneficio Curato, sed cui Episcopus Visa recusat ex falsa suspicione, qua ipsum sanæ Doctrinæ aut bonis moribus non esse suspicatur, potest ne licite pecuniam adhibere ad se sic redimendum ab injusta hac vexatione? ib. cas. 3.

Est ne simoniacum Beneficium conferre intentione primaria debitum suum recuperandi? ib. cas. 33.

Est ne simoniacum resignare Clerico Beneficium, intentione illius ope ad Matrimonium perutile perveniendi? ibid. cas. 34.

Est ne, post absolutionem a Censuris, obligatio renuntiandi Beneficio simonia obtento ejusque restituendi fructus? ib. cas. 37.

Est ne obligatio renuntiandi Beneficio obtento simonia non culpabili? Qui simoniæ ejusmodi reus est, incurrit ne pœnas adversus simoniacos latas? An ad Papam recurrendum est, ut ejusmodi restituatur simoniacus? ibid. cas. 28.

Cum Clericus Beneficium simonia acquisivit, an postmodum legitime de alio provideri potest Beneficio? ib. cas. 37.

Beneficiarius canonice de Beneficio provisus, an eo privatur ipso jure, si secundum obtinet Beneficium modo simoniaco? ib. cas. 40. & tom. 3. v. Possessio, cas. 2.

Est ne obligatio renuntiandi Beneficio simonia non culpabili obtento, cui quis se opposuit, aut quæ in fraudem facta est? tom. 3. v. Simonia, cas. 41.

Est ne simoniacum, spe munerum inducere Aulicum ad petendum a Rege Beneficium, aut receptionem in Religiosa Communitate a Rege fundata? Est ne obligatio restituendi in hoc casu, & cuinam fieri debet? ibid. cas. 67.

Est ne restitutio facienda iis, cum quibus commissa est simonia? ibid. cas. 45.

Cum simonia fuit admissa, cuinam restituendi sunt fructus ex Beneficio percepti? tom. 3. v. Restitutio, cas. 345.

Cum obtenta est dispensatio de Beneficio simonia obtento, est ne obligatio restituendi fructus nondum perceptos? Potest ne illorum peti remissio a Papa? ib. cas. 144.

Est ne simoniacum petere remissionem fructuum, neglectionibus amissorum ante renuntiationem Beneficii? Qui in ejusmodi consentiunt remissionem, sunt ne pariter simoniæ rei? tom. 3. v. Renuntiatio, cas. 3.

Consuetudo in pluribus Capitulis introducta, qua possessionem Canonicatus capiendo munera quædam licet exigua singulis Capituli membris præbentur, est ne vitiosa? tom. 3. v. Simonia, cas. 35.

Est ne simoniacum solvere jus sacræ trabeæ ante captam Præbendæ possessionem? ib. cas. 28. & tom. 3. v. Possessio, cas. 4.

Sumptio possessionis Beneficii, de quo quis simoniace provisus est, est ne valida? Quis potest ejus concedere dispensationem & fructuum condonationem? t. 2. v. Dispensatio simoniæ, cas. 3.

Renuntiatio Beneficii intra manus Superioris Regularis facta, cum conditione aliud obtinendi Beneficium, est ne simoniaca? tom. 3. v. Simonia, cas. 22.

Est ne simoniacum exigere a Resignatario, ut rependat sumptus factos in adita Beneficii, aut reddendum ejus ædificiorum commodius? ibid. cas. 16. & 17.

Est ne simoniacum a Resignatario sub beneplacito Papæ exigere aut accipere cautionem civilem in fidem alicujus Pensionis constitutæ super Beneficio? ib. cas. 23.

Resignatio facta cum stipulatione certæ cujusdam summæ pauperibus erogandæ, est ne simoniaca? ib. cas. 17.

An omnes conventiones factæ circa Beneficia sine auctoritatis Papalis interventu simoniacæ sunt? Papa habet ne jus restituendi illos, qui ejusmodi faciunt conventiones, illisque condonandi fructus? An Episcopi expectando dispensationem Papæ, & ad præveniendum scandalum, restituere possunt reos ad effectum suas exercendi functiones? ib. cas. 21.

Quænam necessariæ sunt conditiones, ut conventio aliqua super rebus spiritualibus immunis sit atque exempta a simonia? ibid. cas. 36.

Plura exempla conventionum simoniacarum. ibid.

Est ne simoniacum permutare Beneficium, de quo quis nondum actu provisus est? Incurruntur ne pœnæ adversus simoniacos latæ illud, licet bona fide, faciendo? Quænam sunt istæ pœnæ? ib. cas. 19.

Est ne simoniacum, titulum constitutum super Beneficio solvere titulo Patrimoniali oblato a Patre Titularis? ib. cas. 26.

Est ne simoniacum quando desistens aut cedens jus in aliquod Beneficium, exigat quamdam summam, aut pro sumptibus quos fecit, aut propterea, quod Beneficium deservit? ibid. cas. 20.

Est ne simoniacum, cum is, qui jam aliquod in Beneficium jus habet certum aut dubium, pecuniam largitur, ad se redimendum ab injusta vexatione? ib. cas. 30. & 31.

Est ne simoniacum, promittere aut dare Beneficium sive Dignitatem Ecclesiasticam illi, qui alium injuste in sua Dignitate lacessit atque molestiam exhibet? ib. cas. 32.

An citra simoniam dari potest summa pecuniæ, ut capi possit possessio Beneficii, aut Dignitatis, quam Dominus aut Princeps non aliter adire permittit? ibid. cas. 2.

Multa exempla & casus, in quibus licitum est, pecunia se redimere ab injustis vexationibus, quæ circa Beneficia fiunt. ib. cas. 31.

Est ne simoniacum, beneficii alicujus Rivali docto & idoneo dare aliquam pecuniæ summam, ut non competat illud? ib. cas. 1.

Est ne simonia, rei veredariæ Magistro pecuniam dare ad impediendum, quominus Competentis supplicatio non satis mature Romæ adveniat? ib.

Graduatus, qui per quinque annos studiis operam dedit tam in Universitate, quam alibi, potest ne, quin simoniam committat, competenti in Curia Romana Provisio pecuniam dare, ut desistat a Beneficio? tom. 2. v. Graduatus, cas. 4.

Indultarius potest ne, quin simoniæ contrahat labem, pecuniam dare, ut indultum suum exequendum curet? tom. 2. v. Indultarius, cas. 2.

Est ne simoniacum, fundare Præbendam intentione seipsum de ea providendum curandi? tom. 1. v. Simonia, cas. 24.

Est ne simoniacum, si quis fundat Præbendam, intentione, ut ipse de ea provideatur, utque deinde permutet cum alio beneficio? ib. cas. 25.

Est ne simoniacum, accipere beneficium, quod servare animus non est? ib.

Est ne simonia, unire beneficium solvendo per Monasterium, cui unitur, certum quemdam censum Domui Ordinis a qua pendet? ib. cas. 27. & tom. 3. v. Unio Beneficiorum, cas. 3.

Est ne simoniacum, quando capitulum cum cujus habet jus collatorium unit canonicatui, intentione reliquas Præbendas meliores reddendi receptione quorumdam jurium curionalium? ib. cas. 9.

Transactio facta circa duo beneficia, qua duo petentes conveniunt, quod uterque unum ex illis sit habiturus, est ne immunis a simonia, cum illam fecerunt transactionem citra disjunctionis sententiam? tom. 3. v. Transactio, cas. 3.

Est ne simoniacum, bona quædam temporalia suis collegis concedere, ut eo facilius quædam, quæ Dei gloriam & bonum Ecclesiæ concernunt, fiant conclusiones? tom. 3. v. Simonia, cas. 10.

Est ne simonia mentalis, si quis se ordinandum curat intentione

tione Beneficium obtinendi? Est ne obligatio renuntiandi ejusmodi Beneficio? ib. cas. 65.

Qui ordinatus fuit Simonia non culpabili, potest ne, ubi hoc ipsi innotuit, licite exercere functiones suorum Ordinum? ibid. cas. 19.

Clericus Simonia ordinatus potest ne post solam a suo peccato absolutionem suas obire functiones? ib. cas. 50.

Est ne simoniacum, dare aut accipere pecuniam ante vel post examen pro Ordinibus? ib. cas. 69.

Judices, Testes, & Advocati sunt ne simoniaci, cum conveniunt de aliqua summa pro reddenda sententia, pro deponendo aut pro agenda causa? ibid. cas. 70.

Quid est Simonia Confidentialis? tom. 1. v. Confidentia.

S I M U L A T I O.

Simulatio seu æquivocatio est ne peccatum? tom. 2. v. Mendacium, cas. 3.

S I N U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Mulieres, quæ nulla alia nisi ad consuetudinem esse componendi intentione sinum exhibent apertum, peccant ne? to. 3. v. Sinus cas. 1.

Est ne dan|ganda Communio Mulieribus, quæ accedunt sinu aperto? ibid. cas. 2.

S O C I E T A S.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Societas inter duos, quorum unus suam suppeditat pecuniam, & alter suam subministrat operam, sub conditione lucrum æqualibus portionibus dividendi, est ne licita? tom. 3. v. Societas, cas. 1.

Cum Societas nihil retulit lucri, an is, qui nonnisi suam operam commodavit, dimidiam partem sortis, quam socius contribuit, capere potest, ut a damno se se liberet? ib. cas. 2. & 7.

Quasnam habere debet societas conditiones, ut justa sit? ibid.

Cum in pacto societatis de portionibus lucri aut damni conventum non est, an æquales esse debent inter socios? ib. cas. 3.

Socius potest ne citra usuram curare, ut sors a se suppeditata cautione quadam in tutum collocetur? Potest ne etiam aliquod licet modicum inde capere lucrum? Pertinet ne ad essentiam contractus societatis, ut damni æque ac lucri sors subeatur ab quolibet socio? Quid est contractus societatis? Differt ne a contractu commodati, aut a contractibus depositi & locationis? ib. cas. 4. & 7. & tom 3. v. Usura, cas. 20.

Socius potest ne curare, ut sors, quam subministraverit societati sibi caveatur una cum lucro modico, sub prætexto, quod lucrum incertum, quod alteri relinquit socio, probabiliter magnum erit? tom. 3. v. Societas, cas. 5.

Socius potest ne sub prætexto, quod forte sua periculum subeat, convenire cum altero socio, de certa quadam summa, quæ ipsi in lucrum cedat, etiamsi societas parum aut nihil lucri faciat? ib. cas. 6.

Sociorum is, qui fundum habet realem in societate, potest ne alteri, qui nonnisi fundum habet personalem obligare summam quamdam determinatam, quæ loco lucri sit ipsi? ibid. cas. 7.

Ut Societas justa sit, debet ne omnia, quæ accidere possunt pericula continere? ib. cas. 8. & to. 3. v. Usura, cas. 31.

An ad evitandum rationis ineundæ tædiosum laborem certa quædam a socio accipi potest summa, quæ locum lucri teneat? ibid.

Societas, in qua socii utrique æqualem subministrarunt summam, est ne justa ac licita, non obstante hoc, quod alter conditionem apposuerit, qua majorem partem in lucro & minorem in damno est habiturus? tom. 3. v. Societas, cas. 9.

An hoc usu in contractui societatis addi potest contractus conjugium sua sortis, & contractus venditionis lucri incerti pro lucro certo? Contra hujus Capitalis & lucra stipulata sunt non-nisi Jure naturali, aut saltem Jure Ecclesiastico? ibid cas. 10.

Socii tenentur ne Consociis suis restituere fructus perceptos ex bono aliquo, ad societatem attinente? to. 3. v. Restitutio, cas. 58.

Cum sociorum alter in antecessum suppeditavit pecuniam pro bono societatis, habet ne jus illam pecuniam repetendi de fundo societatis, etiamsi omnes, aut quidam sociorum non sint solvendo? tom. 3. v. Societas, cas 10.

Socius, cui a suis Consociis omnia, quæ ad societatem pertinent, committuntur, ut iis negotietur, tenetur ne solus respondere de damnis, quæ ad societatem sine ipsius culpa redundarunt? ib. cas. 12.

Socius qui culpa levi causavit damnum societati, tenetur ne solus respondere de illo? Potest ne damnum illud rejicere in Communitatem, sub prætexto utilitatis ipsi præstitæ? ibid. cas. 15. & 16.

Socius, qui administrando res communes societatis, incidit in fures, qui ipsum spoliant & vulnerant, aut aliquod in re sua familiari damnum admittit, an istud illi præstari debet detrimentum ex fundo communi? ib. cas. 12. & 13.

Cum merces omnes ex sociis perditæ sunt aut corruptæ naufragio, aut alio modo, an omnes simul socii damnum ferre debent tamquam commune? ib. cas. 14.

Socii tenentur ne de facto uniua ex ipsis, cum illi se se non opposuerint, licet possent? ibid. cas. 17.

An sine usura pecus in societatem dari potest, sub conditione, quod jumentum illud sub finem temporis de quo convenit, redditum sint pro ratione æstimationis illius factæ? ib. cas. 18.

An citra usuram capi potest aliquod lucrum ex Pecoribus æstimatione datis? ib. cas. 9.

An sine usura in societate collocari possunt pecora, sub conditione nullum subeundi periculum? ib. cas. 22.

Potest ne quis sine usura pecora, ut sors in societate subministrata cautione sibi oppignoretur sub prætexto, quod reliquas suo Consocio, quasi in compensationem damni a lucrum majus ex societate? ib. cas. 21.

Contractus societatis est ne licitus, cum dans omnia pericula omnesque sumptus rejicit in sumentem, & tamen æquali portione lucrum capere vult ex venditione pecorum? ib. cas. 24.

Quid est contractus societatis appellatus Chaptel aut Cheptel? Est ne ab omni usura immunis, cum mutuum datum est bona fide? ib. cas. 23.

Contractus Chaptel est ne usurarius, cum juxta consuetudinem loci dans omnes casus fortuitos & pericula conjicit in sumentem, cui dedit duas lucri tertias? ib. cas. 24.

Contractus Gazaille appellatus, in quibusdem Provinciis Arragoni, est ne contractus societatis purus & simplex? Qualem habere debet conditiones, ut sit licitus? ib. cas. 25.

In contractibus Chaptel aut contractibus Gazaille, cuinam ex ducti, vel sumenti probatio incumbit contestationes oriente? ib. cas. 26.

An omnis societas finitur morte civili aut naturali Consociorum? An eodem modo se res habet cum societatibus Conductorum, aut illorum, qui opus aliquod conficiendum susceperunt? ib. cas. 27.

Hæredes unius ex sociis, tenentur ne continuare societatem? Sunt ne quidam casus, in quibus ad hoc obligati sint? ib. cas. 28.

Hæredes tenentur ne continuare societatem, cum socii convenerunt de hoc inter se? ib. cas. 29.

Quænam sunt regulæ societatum? ibid.

Societas magnæ fortunæ est ne usuraria? tom. 3. v. Usura, cas. 32. & tom. 2. v. Nummularius, cas. 4.

S O D O M I A.

Qui ignorans peccatum sodomiticum admisit, tenetur ne Confessiones anteriores tamquam nullas iterare, si ignorans, hoc esse peccatum, illud in Confessione non aperuit? Potest ne illud peccatum cum Uxore committere? tom 1. v. Confessio, cas. 41.

Quandonam hoc peccatum cum uxore committitur? tom. 1. v. Debitum Conjugale, cas. 39.

Ratione illius sceleris potest ne uxor in perpetuum debitum carnale viro denegare, sive ipsa sit particeps sive non? Illud scelus est ne gravissimum? ib. cas. 41.

S O L L I C I T A T I O.

An semper licet sollicitare Judices? Cujus naturæ sollicitationes esse debent, ut sint licitæ? tom. 2. v. Lis, cas. 1.

S O L V E R E.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne liber a debito in foro conscientiæ, qui solvit Procuratori sui creditoris, sive sciverit, sive ignoraverit, revocationem ejus Procurationis? tom. 3. v. Solvere, cas. 1.

Debitor habet ne optionem creditori solvendi debitum, quodcumque vult, & quod minimo ipsi oneri? ib cas. 2.

Cum offerenda creditori pecuniam, incidit quis in fures, qui ipsi solvendam pecuniam auferunt, est ne immunis a solutione? tom. 3. v. Restitutio, cas. 21.

Est ne obligatio solvendi sumptus funerales iis, qui eos expenderunt? ibid. cas. 44.

Anticipatio aut dilatio solutionis sunt ne rationes sufficientes, quare quis possit minoris emere aut pluris vendere? tom. 3. v. Venditio, cas. 38. & tom. 2. v. Emptio, cas. 4. & t. 2. v. Nummularius, cas. 3.

S O M N I U M.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Est ne peccatum, si quis contendat providere posse eventus casuales prosperos vel adversos per somnium? An multorum generum dantur somnia? tom. 3. v. Somnium, cas. 1.

Est ne reus alicujus peccati, qui in somnio sibi imaginatus est aliquod committere peccatum? ib. cas. 2.

S O R S.

Sors est ne per se ipsam damnanda? Quibusnam in occasionibus illa uti licet? Quomodo ea uti convenit? Est ne peccatum sorte uti sine necessitate? tom. 2. v. Loteria, cas. 1.

S O R T I L E G U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Est ne certum, quod dentur sortilegi? Sortilegi sunt ne tamquam testes admittendi pro aut contra vanitatis suæ participes? tom. 3. v. Sortilegus, cas. 1.

Translatio hominis ex uno loco in alium, est ne argumentum certum, quod dentur sortilegi? ibid.

Talis translatio est ne realis, an vero imaginaria? ibid.

Figura ungulæ impressa membro aut parti quidam corporis, & insensibilitas in illa parte subsecuta, sunt ne rationes saltem aliquales sortilegii? ib.

Quo-

Quænam ſunt variæ ſortilegii & magiæ ſpecies? An omnes prohibitæ ſunt? ib. caſ. 1.

SPECTACULUM.

Spectacula ſunt ne licita Diebus Dominicis ac Feſtis? tom. 2. v. *Dies Dominici ac Feſti*, caſ. 4.

Excommunicatio, in quibuſdam Diœceſibus lata adverſus eos, qui per Officium divinum adſunt ſpectaculis; eſt ne tantummodo comminatoria? tom. 2. v. *Excommunicatio*, caſ. 14.

SPES.

Spes veniæ cum metu ſupernaturali pœnarum Inferni ſufficit ne ad obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ remiſſionem peccatorum? tom. 1. v. *Contritio*, caſ. 7.

SPONSALIA.

Vide hujus tituli Proœmium.

Quæ ſunt ſponſalia? Quanam ætate contrahi licite poſſunt? tom. 3. v. *Sponſalia*, caſ. 1.

Sponſalia celebrabantur ne olim præſente Parocho? tom. 2. v. *Denuntiationes Matrimonii*, caſ. 12.

Sponſalia facta præſentibus Parocho & Teſtibus, tenent ne hodie locum matrimonii; ſunt ne in quibuſdam Diœceſibus ſublata? tom. 2. v. *Impedimentum Clandeſtinitatis*.

Sponſalia contracta ſub conditione contraria fini matrimonii, ſunt ne irrita ac nulla? tom. 3. v. *Sponſalia*, caſ. 27.

Sponſalia contracta, ſub conditione bonis moribus contraria, aut impoſſibili, ſunt ne irrita ac nulla? ib. caſ. 28.

Defectus corporis, qui alteri Deſponſatorum ſupervenerunt, ſunt ne ratio ſufficiens diſſolvendi ſponſalia? ib. caſ. 20.

Diminutio vel augmentum notabile, quod ſupervenit in bonis alterius Deſponſatorum, ſunt ne ſufficiens ratio ſponſalia diſſolvendi? ibid. caſ. 30. & 31.

Hæreſis aut fornicatio, in quam incidit Deſponſatorum alter diſſolvit ne ſponſalia? ib. caſ. 32.

Odium, quod concipit deſponſatorum una pars contra alteram, præbet ne ipſi jus denegandi contractionem matrimonii? Indiget ne diſpenſatione ad hoc? ibid. caſ. 33.

Ira, cui alteram partem ſubnoxiam eſſe accipitur, eſt ne ratio ſufficiens ad legitima ſponſalia diſſolvenda? ib. caſ. 36.

Sponſalia legitime contracta redduntur ne irrita ac nulla ſolo ingreſſu in Religionem? Ut ambæ partes ſeparari poſſint requiritur ne, ut profeſſio ſolemnis ſubſequatur? ib. caſ. 34.

Obligatio quam inducunt ſponſalia, eſt ne æque indiſſolubilis ac matrimonii obligatio? ibid.

Sponſalia diſſolvuntur ne ipſo jure receptione ſacrorum Ordinum? ibid. caſ. 35.

Simplex Caſtitatis Votum anterius, an ſponſalia contracta & juramento confirmata, irrita reddit ac nulla? ib. caſ. 12. & 34.

Votum perpetuum caſtitatis ſimplex irrita ne reddit ſponſalia contracta poſt illud votum? ib. caſ. 13.

Affinitas in tertio gradu irritet ne ſponſalia contracta? ib. caſ. 14.

Sponſalia ſiunt ne irrita ac nulla impedimento dirimente, quod quis ex malitia oriri facit? Ad quid tenetur pars, quæ dolo fuit uſa? ib. caſ. 15.

Sufficit ne ad diſſolvenda ſponſalia, ut impedimentum, quod non eſt niſi incertum, pro vero habeatur a publico? ibid. caſ. 16.

Sponſalia ſunt ne impedimentum dirimens honeſtatis publicæ? Ad quem uſque gradum? tom. 2. v. *Impedimentum honeſtatis publicæ*, caſ. 3.

Cum ſponſalia irrita ſunt ac nulla, inducunt ne impedimentum iſtud, & ad quem uſque gradum? ib. caſ. 4.

An in Eccleſia contrahi debent & præſente Parocho, ut valida ſint ſponſalia? ibid.

Sponſalia valida & illegitime diſſoluta, ſunt ne impedimentum impediens? Peccant ne, qui contrahunt matrimonium non obſtante hoc impedimento? tom. 2. v. *Impedimenta impedientia*, caſ. 2.

Raptus deſponſatæ alterius eſt ne impedimentum impediens? ibid.

Deſponſatus eſt ne immunis ab obligatione ducendi in matrimonium ſuam deſponſatam, quæ honore privata fuit vi illata aut quin conſenſerit in crimen? An quoad iſtud nihil refert, ſive inde gravida fuerit facta, ſive non? tom 3. v. *Sponſalia*, caſ. 37.

Fornicatio voluntaria, in quam deſponſatorum altera pars incidit, & quæ poſtmodum cognita fuit a ſua parte diſſolvit ne ſponſalia? ib. caſ. 38.

Fornicatio voluntaria, in quam deſponſatus incidit, ante vel poſt ſponſalia, diſpenſat ne deſponſatam ab ipſi nubendo? ib. caſ. 39 & 40.

Deſponſatus poteſt ne petere diſſolutionem ſuorum ſponſalium hac ratione, quod deſponſata ipſi varias indulſerit licentias criminales? ibid. caſ. 41.

Cum deſponſatus ſub prætextu promiſſionis matrimonii juramento confirmato, corrupit ſuam deſponſatam, poteſt ne recuſare illam in matrimonium ducere, ingrediendo Religionem? ibid. caſ. 42.

Poſſet ne ingredi Religionem, ſi antequam illam vitiaſſet, ſciebat, quod jam ab alio fuerit corrupta? ibid. caſ. 43.

Fornicatio, in quam deſponſati inciderunt reciproce, aufert ne ipſis diſſolvendi ſponſalia ſua? ib. caſ. 45.

Deſponſatus reus fornicationis ſecreto poteſt ne obligare ſuam deſponſatam, quæ illam ignorat, ad contrahendum matrimonium? ib. caſ. 46.

Cum deſponſatus ſcit ſuam deſponſatam in fornicationem incidiſſe, poteſt ne propria auctoritate ſua ſponſalia diſſolvere? ibid. caſ. 4.

Quando nam ſponſalia diſſolvi aut non diſſolvi poſſunt? tom. 2. v. *Impedimentum honeſtatis publicæ*, caſ. 2.

Eſt ne auctoritas Judicis Eccleſiaſtici neceſſaria ad diſſolutionem ſponſalium? Sunt ne quidam caſus, in quibus neceſſaria non ſit? tom. 3. v. *Sponſalia*, caſ. 48.

Quiſnam eſt Judex competens diſſolvendis ſponſalibus? ib. caſ. 49.

Deſponſatus poteſt ne diſſolvere ſponſalia, & traducere coram Judicibus ſuam ſponſam, quam ſcit fornicationem commiſiſſe poſt ſponſalia? Iſta deſponſata tenetur ne Confeſſario ſuo declarare, quod deſponſata fuerit, cum committeret fornicationem? tom. 1. v. *Confeſſio*, caſ. 24.

Cum Pater aliquis familias cuidam promiſit unam ex ſuis filiis nuptam dare, tenetur ne ſuum implere promiſſum, ſi iſte futurus gener cum altera ex illis filiis peccatum commiſit? tom 3. v. *Sponſalia*, caſ. 25.

Infantes deſponſati a ſuis cognatis ante ſeptem annorum ætatem, tenentur ne ſponſalia ſua rata habere? Ratificatio tacita ſufficit ne ad obligandum illos ad contrahendum matrimonium, poſtquam pubertatis annos aſſequuti ſunt? ib. caſ. 2.

Sponſalia contracta ante ætatem ſeptem annorum ſunt ne valida ac licita? ib.

Sponſalia contracta poſt ætatem ſeptem annorum ab infantibus uſum rationis nondum plenum habentibus, ſunt ne valida? ib. caſ. 3.

Poſſunt ne ætate pubertatis revocare ſponſalia contracta ante annos pubertatis? ib. caſ. 4.

Retractatio ſponſalium facta ante annos pubertatis, indiget ne, ut valida ſit, renovatione poſt annos pubertatis? ib. caſ. 5.

Impuberes, qui confirmarunt ſua ſponſalia, poſſunt ne poſtquam ad annos pubertatis pervenerunt, iis reclamare? ib. caſ. 6.

Perſonæ deſponſatæ poſt ætatem pubertatis obligantur ne ad contrahendum matrimonium? ib. caſ. 7.

Eccleſia decrevit ne quaſdam pœnas iis, qui promiſſum ſuum implere negligunt? ibid.

Sponſalia metu gravi contracta & juramento confirmata ſunt ne valida? Ad quemnam recurrendum eſt illi, qui ab iis diſpenſari deſiderat? ib. caſ. 8.

Sponſalia contracta metu reverentiali reſpectu filiæ, ſunt ne valida in uno foro atque in altero? ibid. caſ. 9.

Sponſalia, quibus aliquis non niſi exterius conſenſit, ſunt ne irrita ac nulla in foro conſcientiæ? Obligant ne ad contrahendum matrimonium fraudis cauſa, aut ad damnum præſtandum parti læſæ? ib. caſ. 10.

Cum quis niſi exterius quaſi conſenſit in ſponſalia, eoque conſilio, ut eo facilius ſuam ſeduceret deſponſatam, an tenetur illam ducere, licet infamia fuerit notata? ib. caſ. 11.

Promiſſiones matrimonii factæ terminis negativis obligant ne ad contrahendum matrimonium? ibid. caſ. 24.

Sponſalia contracta ſub conditione expreſſa aut tacita, licita & honeſta, poſſunt ne reſolvi, cum non impletur? Ejuſmodi ſponſalia ſunt ne impedimentum dirimens Honeſtatis publicæ? ib. caſ. 26.

Sponſalia contracta a Minoribus ſine conſenſu ſuorum cognatorum, ſunt ne valida, cum poſt illa fornicatio fuit admiſſa? ibid. caſ. 21. & 23.

Minores manent ne in obligatione ſe invicem in matrimonium ducendi, cum ſui ſiunt juris? ib.

Sponſalia, quæ fornicatio conſequitur, fiebant ne olim vera matrimonia in uno atque in altero foro? ib.

Priora ſponſalia ſiunt ne irrita ac nulla, ſecundis ſponſalibus juramento confirmatis, & quæ fornicatio conſequuta eſt? ibid. caſ. 22. & 23.

Sponſalia ſiunt ne ipſo jure irrita ac nulla matrimonio contracto cum alia perſona? ibid. caſ. 17.

Perſonæ, quæ in præjudicium deſponſati vel deſponſatæ contraxerunt matrimonium, tenentur ne nubere ſibi invicem cum liberæ ſiunt morte alterutrius conjugis? ib. caſ. 18. & 20.

Cum duo Matrimonium ſibi invicem promiſerunt, & quidem cum juramento, an alteruter, qui per longum tempus nihil novi accepit de ſuo deſponſato, contrahere cum alio poteſt? Eſt ne aliquod, ad hoc, tempus præſcriptum? ib. caſ. 50.

Cum unus deſponſatorum per longum tempus differt matrimonium contrahere, an altera pars cum alio matrimonium inire poteſt non intercedente Judicis Eccleſiaſtici auctoritate? ibid. caſ. 54.

Promiſſio matrimonii juramento confirmata, ſed facta ſub conditione quadam, an irrita ac nulla eſt, defectu impletæ conditionis? ib. caſ. 55.

Cum partes fixerunt in ſua matrimonii promiſſione terminum aliquem, ſunt ne immunes ab obligatione expirante termino? ibid. caſ. 15.

Cum deſponſatus relinquit regionem inſcia altera parte, an iſta petere poteſt diſſolutionem ſponſalium? ib. caſ. 50. & 52.

Cum deſponſatorum unus ſine conſenſu alterius ſe recipit in locum non multum diſſitum, an pars, quæ manet, petere poteſt ſponſalium diſſolutionem, aut curare terminum a Judice Eccleſiaſtico præſcribendum? ibid. caſ. 53.

Deſponſati poſſunt ne auctoritate ſua privata ſponte ſibi invicem emittere promiſſionem reciprocam, qua ſe ſe invicem obligarunt ad contrahendum matrimonium? ibid. caſ. 56.

Deſponſata poteſt ne retinere munera a ſuo deſponſato accepta, quando recuſat ipſam in matrimonium ducere? An eadem ipſi debet deſponſata, ſi ipſa nolit & recuſet matrimonium contrahere? ibid. caſ. 57.

Vvv 3 An

An omnis stipulatio pœnæ pecuniariæ aut aliud pactum intercedens inter sponsos irritum ac nullum est? *ibid.* cas. 58.
Desponsati possunt ne inter se stipulari aliquam damni reparationem præstandam si alteruter matrimonium contrahere recuset? *ibid.* cas. 59.
Desponsati possunt ne exigere quamdam damni præstationem ab alterutro, qui promissum matrimonium implere renuit? *ib.* cas. 60.
Sponsalia clandestina inducunt ne eumdem effectum ac ea quæ publice fiunt? *ib.* cas. 19.
Sponsalia clandestina sunt ne a Concilio Tridentino prohibita? *ibid.*
Quænam sunt Regum Galliæ, circa matrimonia clandestina, Edicta? *ibid.*
Desponsati possunt ne una vivere sicut maritus & uxor, cum secum matrimonium clam contraxerunt? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 1.
Est ne absolutio conferenda desponsato, qui in proximam peccandi occasionem versatur cum sua desponsata? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 30.
Desponsatus obligatur ne deponere coram Judice pro aut contra socium suum futurum? tom. 3. v. *Testis*, cas. 19.
Desponsatus, qui suam sponsam aufert consentientem, est ne reus raptus, & matrimonium est ne validum? tom. 2. v. *Impedimentum Raptus*, cas. 3.

S P U R I U S.

Vide N O T H U S.

S T A B U L A R I U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Stabularii tenentur ne de facto suorum famulorum in functionibus, quas ipsis commiserunt? An non respondere tenentur, nisi de eo quod apud ipsos agitur? tom. 3. v. *Stabularius*, cas. 1.

S T A T U A.

Potest ne quis sine peccato apud se servare statuas aut figuras indecentes? tom. 1. v. *Aspectus*, cas. 2.

S T A T U T A S Y N O D A L I A.

Qui statuta synodalia extra Diœcesim violat incurrit ne pœnas latas in iis statutis? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 3. 4. 7. & 17.
Cum statutorum synodalium termini sunt obscuri, sunt ne sumendi sensu minime stricto? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 21.
Obligant ne Peregrinos æque ac Diœcesanos, & quidem etiam extra Diœcesim, in rebus Jus commune & Jus privatum respicientibus? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 1.
Synodalia statuta obligant ne eos, qui nullum habent domicilium, aut qui exempti sunt a Jurisdictione Episcopi, & qui tantummodo per aliquod tempus in Diœcesi commorantur? *ib.* cas. 2. v. cas. *Rodolphus*, tom. 2. cas. 16.
Statuta abolita eo quod non sint in usu, obligant ne in conscientia? tom. 2. v. *Jurare*, cas. 17.
Episcopus potest ne statutum aliquod facere propria auctoritate? tom. 1. v. *Casus reservati*, cas. 1.

S T A T I O.

Locus stationis, tom. 1. v. *Centurio*, cas. 4.

S T E L L I O N A T U S.

Quid est Stellionatus? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 13.

S T I P E S.

Religiosi possunt ne stipem in Diœcesibus cogere sine Ordinarii permissione? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 35.

STIPUM COLLECTORES.

Episcopi habuerunt ne olim jus examinandi diplomata, ope quorum stipum Collectores in variis Diœcesibus pecuniam cogunt? tom. 2. v. *Indulgentia*, cas. 1.
Quam ob causam & quonam tempore isti stipum Collectores fuere abrogati? *ibid.* cas. 20.

S T I P U L A T I O.

Stipulatio pœnæ pecuniariæ aut alius pœnæ inter personas quæ matrimonium sibi invicem promiserunt, est ne irrita ac nulla? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 58. & 59.
Stipulatio solvendi lucri ex fundo frugifero usque ad finem solutionis, est ne usuraria? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 2.

S T O L A.

Licet ne uti Stola loco cinguli, & manipulo loco Stolæ? tom. 2. v. *Ornamentum Ecclesiæ*, cas. 7.

S T R U M Æ.

Vide hujus vocis Proœmium.

Septimi infantes masculi habent ne virtutem curandi strumas? tom. 3. v. *Struma*, cas. 1.
Reges Galliæ an revera sanare & liberare ab illis possunt? *ib.* cas. 2.

S T U D I A.

Beneficiarii, qui Beneficia habent conjuncta cum cura animarum, possunt ne abesse a suis Beneficiis studiorum prosequendorum causa? tom. 3. v. *Abbas*, cas. 9. & tom. 3. v. *Residentia Parochorum*, cas. 2.
Beneficiarii studiis operam dantes possunt ne ambire dispensationem qua immunes fiant ab obligatione recitandi Breviarii? tom. 1. v. *Dispensatio recitationis Breviarii*, cas. 1.
Tenentur ne recitationem Breviarii quando nihil accipiunt a suis Beneficiis? tom. 1. v. *Canonicus*, cas. 11.
Tenentur ne in specie recitare Officium Mortuorum, quando partem facit Officii? *ib.* cas. 13.

S T U P R A T O R.

Licet ne puellæ stupratorem interficere ad se liberandam ab injuria ab ipso inferenda? tom. 2. v. *Occidere*, cas. 8.

S U B D E L E G A T U S.

Subdelegati possunt ne delegare? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 1.

S U B D I A C O N U S.

Subdiaconatus est ne Ordo sacer & Sacramentum? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 15.
In quanam parte Officii incipit obligatio Subdiaconorum respectu Breviarii, quando Subdiaconatum suscipiunt tempore meridiano? tom. 2. v. *Officium Breviarii*, cas. 2.
Tenentur ne hanc Officii partem denuo incipere, si eam legerunt ante Ordinationem? *ib.* cas. 3.
An omnes ii, qui in casu necessitatis Subdiaconi functiones sine manipulo obeunt irregulares sunt? to. 2. v. *Irregularitas*, cas. 86.
Subdiaconi, qui censuris ligati ad altare serviunt sine manipulo, sunt ne irregulares? *ibid.* cas. 84.
Possunt ne avehi ad Episcopatum antequam aliquos sacros susceperunt Ordines? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 15.
Habent ne facultatem prædicandi? tom 3. v. *Prædicare*, cas. 8.
Possunt ne solemniter conferre Baptismum? tom. 1. v. *Baptismus*, cas. 21.
Qui ante completum vigesimum annum ordinari se curant Ordinisque sui exercent functiones, sunt ne suspensi, & ad quem recurrendum est ipsis, ut absolvantur? tom. 1. v. *Dispensatio Suspensionis*, cas. 1.
Subdiaconi, quorum ordinatio irrita est ac nulla, possunt ne valide contrahere matrimonium citra dispensationem? tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 4.
Possunt ne valide matrimonium inire, cum se ad Ordines promoveri curando non habuerunt intentionem se se ad continentiam obligandi? Incurrunt ne excommunicationem & irregularitatem illud faciendo? *ib.* cas. 6.
Possunt ne valide matrimonium contrahere cum inviti ordinati fuerunt, & cum protestatione quod omnino matrimonium sint inituri? *ibid.* cas. 7.
Privilegium ab Innocentio VIII. indultum Abbati Cisterciensi, quo facultatem habet suis Religiosis Ordinem Subdiaconatus & Diaconatus conferendi habet ne locum in Gallia? tom. 2. v. *Approbatio*, cas. 16.

S U B S T I T U T I O.

Potest ne vendi aut emi bonum substitutum? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 1.
Substitutio facta alicui personæ, quæ nullos habet infantes, sit ne irrita ac nulla, quam primum illi nascantur liberi? tom. 1. v. *Donatio*, cas. 10.

S U F F R A G I U M.

Electores possunt ne alii aliis sua promittere suffragia sine peccato? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 18.
Suffragia debent ne esse certa, absoluta, & applicata subjecto determinato? Et an alias Electio irrita ac nulla esset? tom. 2. v. *Electio*, cas. 16.

S U M P T U S.

Debitor tenetur ne rependere sumptus factos ad conservationem rei, quam in cautionem debiti obligavit? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas 17.
Sumptus facti ad servandam aut restituendum depositum, debent ne in depositarium cadere? to. 1. v. *Depositum*, cas 18.
Est ne obligatio respondendi de sumptibus faciendis ad restituendam rem aliquam? 1. 3. v. *Restitutio*, cas. 85. & 189.
Est ne obligatio restituendi sumptus, quos quis sine ratione partem suam fecere induxit? *ib.* cas. 164. & 165.
Cum quis resignat aut desistit a jure, quod in aliquod Beneficium habet, potest ne exigere rependendos sumptus, quos
fecit

fecit ad perveniendum ad illud Beneficium? tom. 1. v. *Simonia*, cas. 16. 17. & 19.

Qui expendunt sumtus funerales aut judiciales, habent ne hypothecam privilegiatam præ omnibus creditoribus? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5. & tom 1. v. *Debitum*, cas. 14.

Sunt ne varia genera sumptorum? Quotnam sumptuum genera in Jure distinguuntur? tom. 1. v. *Dos*, cas 43. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 81.

Quosnam sumptus & expensas facere potest Beneficiarius pro sustentatione sua, atque recreatione? tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 14. 18. & 19.

S U P E L L E X.

Vide M O B I L I A.

S U P E R B I A.

Quid est Superbia? Differt ne a fastu? tom. 2. v. *Jactantia*? cas. 1.

S U P E R P L U U S.

Est ne obligatio superfluum suum pauperibus dandi? Quid vocatur superfluum? Potest determinari superfluum ad componendas suas Eleemosynas? t. 2. v. *Eleemosyna*, cas. 1. 2. & 3.

S U P E R I O R E S.

Superiores possunt ne suis inferioribus denegare licentiam eundi in certa quædam loca, quando ope Confessionis sciunt, quod illis sint occasio peccandi proxima? tom. 1. v. *Confessarius*, 22. cas 11.

Possunt ne denegare attestationem favorabilem iis, quos non inordinate viventes cognoscunt nisi solius confessionis ope? *ib.* cas. 24.

Tenentur ne semper reprehendere & corrigere suos inferiores quoscumque effectus ipsarum propositiones habeant in iis? tom. 1. v. *Correctio*, cas. 3.

Cum ipsimet culpandi sunt, possunt ne correctionem facere, peccant ne illam exercendo? *ibid.* cas. 5.

Inferiores tenentur ne reprehendere suos Superiores in certis quibusdam casibus, & quomodo hoc agendum ipsis est? *ib.* cas. 6.

Potest ne aliquis aperte se se opponere suis Superioribus, ut evitet aliquam pœnam, quam meruit? tom. 1. v. *Conjuratio*, cas. 1.

Tenetur ne ad reparationem, cum post servatas regulas charitatis & Justitiæ aperuit defectus suorum inferiorum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 70.

Tenetur ne ad reparationem, cum eos injuste infamat? *ibid.* cas. 108.

An Superioribus caeca debetur obedientia? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 12.

Ii, quibus Superiores quædam imponunt Munia, tenentur ne semper ipsis obedire? tom. 1. v. *Episcopus*, cas. 4.

Est ne obligatio honorandi Superiores Ecclesiasticos, quando inordinate vivunt? tom. 2. v. *Honor*, cas. 1.

Superiores ligati quibusdam censuris aut irregulares possunt ne valide alios absolvere a censuris, aut restitutæ? tom. 2. v. *Excommunicare*, cas. 166.

Cum ligati sunt excommunicatione majori, publica aut occulta, aut cum sunt suspensi sive ab ordine, sive ab officio, sive ab utroque, possunt ne alios excommunicare? *ibid.* cas. 6.

Habent ne jus dispensandi in iis quæ contraria sunt usui communi corporis sive Communitatis, cujus sunt Superiores? tom. 2. v. *Electio*, cas. 18.

Licet ne ambire Superioris Dignitatem? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 2.

Juramentum de non suscipienda Superioris Dignitate, est ne licitum vel illicitum? Potest ne sine peccato violari? tom. 2. v. *Juramentum*, cas. 13.

S U P E R S T I T I O.

Vide hujus tituli Proœmium.

Usus clavem alicujus Ecclesiæ S. Petri ignitam capitibus animalium imponere aut imprimere, ad illa a rabie præservanda, est ne superstitiosus? Est ne abolenda hæc praxis, quodcumque occurrat obstaculum? tom. 3. v. *Superstitio*, cas. 1.

Est ne superstitio Scapulare gestare in opinione quod ideo mors numquam sit superventura, quin Confessio fuerit facta? *ib.* cas. 3.

Est ne superstitio invocare Sanctos loco precum ad Deum ipsum fundendarum in Ecclesia? *ib.* cas. 7.

Est ne reus superstitionis, qui effectum suæ petitionis a quibusdam precibus potius, quam ab aliis, aut a certo quodam numero precum expectat? *ib.* cas. 2.

Omnia media vana & quæ nullam habent proportionem cum iis ad quæ adhibentur, verbi gratia ad sanitatem restituendam hominibus aut animalibus, aut ad ea præservanda a quibusdam malis, sunt ne superstitiosa & condemnanda? *ib.* cas. 4.

Est ne superstitio credere, quod panis benedictus habeat virtutem sanandi a rabie, eumque hac intentione edere? *ibid.* cas. 5.

An in eundem finem animali edendum dari potest? *ibid.*

Divinatio per auguria est ne superstitiosa? An varii generis dantur auguria? & an omnia illa peccaminosa sunt? *ib.* cas 5. & tom. 1. v. *Astrologia Judiciaria*, cas. 1.

Est ne superstitio cum iis, qui impotens est ex maleficio, obligat auctorem maleficii, ut igne consumat rem, cui maleficium annexum est, ut si ipsemet illam rem igne consumet? to. 2. v. *Impedimentum Impotentiæ*, cas. 17.

Est ne superstitiosum credere, quod infantes septimi masculi vim habeant ac virtutem strumas sanandi? tom. 3. v. *Struma*, cas. 2.

An non superstitiosum est, si quis se a Rege tangendum curat, ut sanetur a strumis? *ib.* cas. 2.

S U P E R N U M E R A R I U S.

Clerici supernumerarii habent ne in Ecclesiis in quibus constituti sunt, jus ad distributionem? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 54.

SUPPLICATIO VEL SUPPLEX LIBELLUS.

Supplicatio a Parocho adversus reum exhibita in absentia procuratoris fiscalis, reddit ne ipsum, qui eam exhibuit, irregularem, si reus ad supplicium damnetur & ducitur? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 59.

S U P P L I C A T I O S A C R A.

Episcopus potest ne pleno jure decidere de ordine incedendi in supplicationibus? Si in aliqua contestatione de gradu præcedentiæ & honoratiore interjicitur appellatio, est ne suspensiva aut tantummodo devolutiva? to. 1. v. *Appellatio*, cas. 15.

S U R D U S E T M U T U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Potest ne concedi absolutio & Sacra Eucharistia Homini surdo & muto nato? Talis homo est ne praeditus fide? to. 3. v. *Surdus & Mutus*, cas. 1.

Homo surdus & mutus potest ne erudiri de rebus ad salutem necessariis? Quibusnam hunc in finem uti mediis oportet? *ib.* cas. 2.

Surdus & mutus potest ne valide contrahere Matrimonium? tom. 2. v. *Matrimonium*, 3. cas. 4.

S U S P E N S I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quid est Suspensio? An varii generis dantur suspensiones? An de omnibus suspensionibus capiendum, quando suspensio fertur terminis generalibus? tom 3. v. *Suspensio*, cas. 2. & 30.

Est ne peccatum mortale suspensionem violare? *ibid.*

An semper suspensus est a functionibus Beneficialibus, qui suspensus est ab exercitio suorum Ordinum? *ibid.*

Suspensio cessat ne jure, cum tempus, ad quod lata est, expiravit? *ib.*

An in hoc casu opus est ab ea absolvi? *ibid.*

Sacerdos suspensus in Diœcesi aliena, potest ne absolvi ab hac censura ab Episcopo, in cujus Diœcesin confugit? *ib.* cas. 31.

Qui sententia declaratus est suspensus ab Ordine, ab Officio, & a Beneficio, potest ne se a Metropolitano ad cautelam absolvendum curare, & quænam ad hoc requiruntur conditiones? *ib.* cas. 32.

Suspensio differt ne a Depositione & Degradatione? tom. 2. v. *Depositio & Degradatio*, cas. 2.

Potest ne aliquis suspendi culpa alterius? tom. 3. v. *Suspensio*, cas 33.

Abbatissæ possunt ne suspensionem infligere suis Religiosis? tom. 1. v. *Abbatissa*, cas. 4.

Episcopi an non incurrunt in suspensionem, nisi eum expresse nominantur? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 5.

Episcopus declaratus suspensus ab Ordine, censetur ne suspensus quoque esse a Jurisdictione, & an nullas obire potest functiones Episcopales? *ibid.*

Episcopus suspensus a Pontificalibus potest ne celebrare & Confessiones audire? *ib.*

Suspensio ab Ordine & officio, aut ab alterutro tantum, aufert ne jus exercendi actus Jurisdictionis? to. 2. v. *Excommunicare*, cas. 6.

Sacerdos incurrit ne suspensionem latam adversus ipsum ab Officiali loci, in quo crimen commisit, quamvis ex alia Diœcesi sit? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 2.

Qui extra suam Diœcesim existentes ejus non servant statuta, incurrunt ne suspensionem latam in iis statutis adversus Transgressores? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 1.

Ignorantia tam juris, quam facti excusat ne a suspensione & reliquis censuris? *ib.* cas. 4.

Clericus est ne æque suspensus, si in carcerem conjiciendus ac si in jus vocandus decernitur, sunt ne quædam Diœceses, in quibus vocatio in jus infert interdictionem Ordinum? *ib.* cas. 28.

Qui in carcerem conjiciendus decretus est, potest ne provideri de Beneficio? *ib.*

Violatio suspensionis cujuscumque an inducit Irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 29.

Suspensio propter desertam vadimonii diem operatur ne semper Irregularitatem? *ib.* cas. 53.

Episcopus aut sacerdos suspensus, qui quasdam exercet functiones suo Ordini proprias, est ne Irregularis? *ib.* cas. 14. & 15.

Suspensio ab Officio, in quam quis incidit, reddit ne ipsum irregularem, si violet illam? *ib.* cas. 17. & 95.

Quibusnam in casibus suspensi in Irregularitatem incidunt? *ibid.* cas 22.

Episcopus suspensus a Collatione Beneficiorum potest ne eadem conferre, quin fiat irregularis? *ib.* cas. 22.

Parochus declaratus suspensus a Beneficio pro uno anno,

potest ne per hoc tempus suam Curam valide permutare aut resignare? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 25.

Suspensio reddit ne irritas ac nullas Provisiones Beneficiorum? tom. 3. v. *Provisio Beneficiorum*, cas. 17. & 18.

Suspensio a Beneficio reddit ne irritam ac nullam Pensionis super Beneficio constitutionem? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 21.

Collatio Beneficii facta Clerico suspenso ab Ordine & Officio, non Beneficio tantum est ne canonica? *ib.* cas. 19. & 20.

Si quis declaratus est suspensus a Beneficio, perdit ne hac censura titulum ad Beneficium suum? *ib.* cas. 14.

Qui declaratus est suspensus ab Officio, censetur ne suspensus quoque esse a Beneficio? *ibid.* cas. 16.

Qui suspensus est a Beneficio in sua Diœcesi, est ne quoque suspensus de Beneficiis, quæ in aliis possidet Diœcesibus? An quoad hoc nihil refert, sive suspensio lata fuerit per modum statuti aut per modum sententiæ? *ib.* cas. 17.

Cum aliquis sententia Judicis declaratus est suspensus ab Ordine, Beneficio, & Officio in Diœcesi sui Beneficii, cessat ne ita suspensus esse, cum ex illa egreditur? Est ne irregularis, si in isto casu celebrat, antequam fuerit restitutus? *ib.* cas. 18.

Est ne suspensus qui ordinandum se curavit sine Literis Dimissoriis? *ibid.* cas. 7.

Est ne suspensus, qui suscipit Ordines ante ætatem requisitam a Canonibus? *ib.* cas. 8. & tom. 1. v. *Dispensatio Suspensionis*, cas. 2.

Ad quemnam recurrendum est cum suspensio occulta est, aut publica? *ibid.*

Est ne suspensus qui se ordinandum curavit ab Episcopo, qui suo renuntiavit Episcopatui, atque ne functionibus Episcopalibus? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 9.

Incurrit ne suspensionem, qui sine Literis sui Ordinarii dimissoriis Sacros recipit Ordines ab Episcopo, cujus est Domesticus, aut ab ejus successore? *ib.* cas. 10.

Est ne suspensus, qui in fraudem Jurisdictionis Ordinarii sui, ordinandum se curat ab Episcopo sui Beneficii sine dimissoriis Literis? Et si quis hoc in casu suspensionem contraxerit, ad quem sese recipere debet ut restituatur? *ibid.* cas. 2. & tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 2.

Qui suspensus est ab Ordine superiore, an suspensus pariter esse tenetur ab Ordinibus inferioribus? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 13.

Receptio Ordinum in suspensione producit ne Irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 91.

Qui furtim & sine examine se ordinandos curant, sunt ne suspensi ab Ordine? Possunt ne ab hac suspensione absolvi ab Episcopo? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 6.

Si quis postquam remissus est ab examine Ordinum, ope alicujus pecuniæ summæ se fa admittendum curat, est ne suspensus? *ibid.* cas. 26.

Maritus qui inscia sua uxore & ante consummatum matrimonium ordinandum se curat, est ne ipso facto suspensus ab Ordine, Beneficio & Officio? A quonam potest restitui? *ib.* cas. 42.

Qui publice cum Concubina matrimonium init, initiatus Sacris Ordinibus, est ne suspensus ipso facto? *ib.* cas. 43.

Qui ligatus excommunicatione majori Ordines sacros suscipit, est ne suspensus? *ibid.* cas. 27.

Clericus Acolytus incurrit ne suspensionem violando prohibitiones ab Episcopo sub hac pœna iis factas, qui in sacris Ordinibus essent constituti? *ib.* cas. 5.

Episcopi qui suspensi sunt ab Ordine & Pontificalibus, fiunt ne irregulares quasdam ex suis obeundo functiones, & celebrando sine solemnitatum? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 84.

Incurrit ne suspensionem, qui sub titulo fraudulento ordinandum se curat? tom. 2. v. *Titulus Clericalis*, cas. 2.

Religiosus Apostata, qui sacros suscepit Ordines non restitutus ab Apostasia sua est ne suspensus ipso jure? A quonam potest absolvi? tom. 3. v. *Suspensio*, cas. 25.

Qui permissionem Missam dicendi obtinet falso *exeat*, est ne suspensus, si in Diœcesi in qua est, hæc pœna lata est adversus illos, qui falsa faciunt *exeat*? *ib.* cas. 23.

Incurrit ne suspensionem, qui sine Toga sacerdotali Missam celebrat in Diœcesi, in qua talis pœna lata est iis, qui eilicitum faciunt? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 4.

Prohibitio, quæ Officialis Parocho in punitionem quorumdam culparum per aliquod tempus celebrare interdicit, est ne vera suspensio? t. 3. v. *Suspensio*, cas. 29.

Sacerdos secularis aut Regularis, qui sine consensu Parochi aut Episcopi contrahentium celebravit matrimonium, est ne suspensus? A quonam potest restitui? *ibid.* cas. 24. & tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 2.

Potest ne Dispensatio suspensionis concedi, & quis eam indulgere potest? tom. 1. v. *Dispensatio Suspensionis*, cas. 1.

De quibusnam suspensionibus dispensare potest Ordinarius? *ibid.* cas. 2.

Episcopus potest ne dispensare de suspensione, in quam quis incidit se ordinari curando sine titulo aut falso titulo, aut celebrando in Ecclesia vel sacello interdicto, aut celebrando matrimonium nulla habita jurisdictione, aut tandem ordinari se curando ante ætatem a Canonibus requisitam? *ibid.*

S U S P I C I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Mater debet ne facile induci ut suspicetur, filiam suam capere aut paci nimium licentia cum Personis sexus differentis qualiumcumque familiariter versatur? tom. 1. v. *Suspicio*, cas. 1.

Maritus qui suspicionem habet, suam uxorem nimis esse amicam alii, potest ne se se ab ea separare saltem quoad lectum? *ib.* cas. 2.

Quodnam est peccatum suspicio? Quomodo differt a judicio temerario? *ib.* cas. 3.

S Y L V A.

Vide S I L V A.

T

T A B A C C U M.

Tabaccum rumpit ne jejunium naturale quomodocumque sumatur? tom. 2. v. *Missa*, cas. 5.

T A B E L L Æ P I C T Æ.

Est ne peccatum servare vel observare pictas tabellas, quæ ad impuritatem alliciunt? tom. 1. v. *Aspectus*, cas. 1.

Licet ne aspicere in tabella imaginem Personæ, cum qua quis olim in communi peccato vixit? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 28.

TABELLARIUS QUÆSTIONUM.

Vide QUÆSTIONUM TABELLARIUS.

T A C T U S.

Desponsati peccant ne mortaliter permittendo sibi invicem tactum faciei & manuum? Quasnam in talibus casibus regulas sequi debent Confessarii? tom. 3. v. *Tactus*, cas. 1. & tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 21.

Tactus impudici inter Conjuges, sunt ne semper peccata mortalia, sive ad actum Conjugalem tendant sive non? In his tolerandis facilior ne esse debet Confessarius? *ibid.* cas. 2. & tom. 2. v. *Osculum*, cas. 1. & tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 7. & tom. 1. v. *Aspectus*, cas. 3. & tom. 3. v. *Pollutio*, cas. 1. 2. & 3.

Tactus impudici secum, aut cum muliere habiti, in Regularibus sunt ne casus reservati Superiori Regulari? to. 1. v. *Casus reservati*, cas. 13.

T E N T A T I O.

Potest ne quis Eunuchum se reddere, ut sese liberet a violentis tentationibus carnis, quibus obnoxius est? tom. 2. v. *Occidere*, cas. 14.

T E N T A T I O D E I.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Quid est tentare Deum? Peccatum istud est ne sua natura mortale? tom. 3. v. *Tentatio Dei*, cas. 2.

Est ne tentatio Dei, qui suas preces fundat & suum officium recitet sine præparatione, sine pietate & sine attentione? *ibid.* cas. 3.

Peccat ne qui sine necessitate & utilitate se se protectioni divinæ relinquit, non obstante periculo, quod adit, & malo, quod vitari possit? *ib.* cas. 4.

T E P O R.

Tepor respectu inimici est ne semper peccaminosus? to. 1. v. *Charitas*, cas. 6.

T E S T A M E N T U M.

Vide hujus tituli Proœmium.

Est ne ad validitatem Testamenti necessarium, ut voluntas Testatoris in illo expressa sit terminis præcisis? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 4.

Potest ne mutari legati destinatio a Testatore facta? *ib.* cas. 6.

An soli Episcopi interpretes sunt in Gallia voluntatis Testatorum defunctorum? *ib.* cas. 8.

Testamentum antedatum est ne validum? Data ne est necessario testamentum Olographo? tom. 1. v. *Antidata*, cas. 1.

Testamentum olographum scriptum a pluribus manibus, sed subscriptum ab ipso Testatore sine testibus, est ne irritum ac nullum? Quid faciendum lectori testamenti olographi facti in suum emolumentum? *ibid.*

Quasnam sequi decet regulas quum testamentum est obscurum? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 22. 23. 21. & 69.

Testamenta sunt ne valida, respectu legatorum piorum, etiamsi aliqua desint formulæ? *ib.* cas. 24.

Testamentum potest ne jure naturali validum esse, licet una aut plures formulæ a legibus requisitæ desint? Potestne in litem vocari, si de Testatoris voluntate & intentione constat? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 20.

Testamentum est ne sufficienter irritatum cum testator præsentibus testibus declaravit, quod illud revocet, & quod inceperit aliud literis mandare, quod autem perficere non licuerit? *ib.* cas. 23.

Testamentum quod non recipitur a Notariis, debet ne ab ipso testatore scriptum & subscriptum esse, ut validum sit? Jurisprudentia Galliæ est ne quoad istud uniformis? *ib.* cas. 20.

Testamentum receptum a Vicario Parochi, cum quatuor testibus irreprehensibilibus, est ne validum? *ibid.* cas. 23.

Testamentum receptum a Notario & duobus testibus, quibus postmodum aliqua supervenit incapacitas, est ne validum? *ibid.* cas. 22.

Testa-

Digitized by Google

Testamentum, quo testator cuidam personæ committit, ut sibi hæredem nominet, est ne validum? Ejusmodi Dispositiones testamentariæ sunt ne in usu in Gallia? *ib.* cas. 11.

Testamentum cum præjudicio familiæ factum in favorem infantis adulterini, est ne validum? *ib.* cas. 18.

Hæredes possunt ne obtinere, ut irritetur testamentum factum in favorem personæ, cum qua testator vivit in peccato communi? *ibid.* cas. 17.

Expressio æquivoca testatoris in institutione sui hæredis, reddit ne institutionem irritam et nullam? *ib.* cas. 21.

Testamentum, cujus duplex edest originale, & in quo occurrit institutio alicujus hæredis diversa, est ne validum? *ib.* cas. 24.

Testator potest ne testamento obligare hæredem, ad pure & simpliciter adeundam hæreditatem, quam ipsi relinquitur? *ib.* cas. 27.

Hæres præsumptivus testatoris obligatur ne ad jus auctoritatis præstandum tam respectu legatariorum, quam respectu suorum cohæredum, si fuere fuerint præter culpam suam evicti? *ibid.* cas. 13.

Jus fruendi Villa testamento concesse filio natu maximo usque ad pubertatem filii natu minoris, an, si natu maximus moriatur in ejus infantes transfertur? *ib.* cas. 14.

Primo factum testamentum est ne validum, cum ii, qui in secundo hæredes fuerunt instituti, mortui sunt ante testatorem? *ib.* cas. 19.

Testamentum factum ante sententiam latam, quæ mortem infert civilem, & bonorum confiscationem, sed a qua appellatum est, est ne validum? *ib.* cas. 10. & tom. 2. v. *Hæres*, cas. 12.

Testamentum factum a prodigo ante aut post ipsius interdictionem est ne nullum? to. 1. v. *Testamentum*, cas. 6.

Testamentum factum ab homine, qui incidit in amentiam, sed qui bona ipsi relinquit intervalla, quibus usu rationis pollet, est ne validum? *ibid.* cas. 7.

Testamentum factum a muto, & qui scribere nescit, est ne validum? *ibid.* cas. 8.

Spurius potest ne valide testari? *ibid.* cas. 9.

Testamentum Peregrini est ne irritum ac nullum? Nonne quidam sunt, qui pro aliis testari possunt in Gallia? Legati publici sunt ne obnoxii ejusmodi legibus? *ibid.* cas. 11. & tom. 2. v. *Legatum*, cas. 61.

Testamentum, quod peregrinus fecit in sua Patria, antequam alibi sedem figeret, habet ne effectum tam respectu bonorum, quæ in Gallia, quam quæ alibi relinquit? t. 2. v. *Testamentum*, cas. 22.

Religiosi possunt ne testari cum permissione suorum Superiorum? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 22. & tom. 1. v. *Depositum*, cas. 21.

An olim idem facere licitum fuit? tom. 2. v. *Dispensatio matrimonii*, cas. 2.

Puella Novitia, quæ sui juris est, potest ne præcedenti suam Professionem die valide testari? Potest ne sua bona Monasterio relinquere? tom. 2. v. *Testamentum*, cas. 4. & tom. 3. v. *Simonia*, cas. 64.

Beneficiarius potest ne de bonis Ecclesiasticis, quæ possidet testamento disponere in favorem suorum Cognatorum, amicorum, aut Domesticorum? Quinam quoad istud viguit ab omni tempore usus in Ecclesia? An eadem est ratio bonorum, quæ congerunt servitutem, quam præstiterunt in Ecclesia, cujuscumque naturæ sit ille servitus? Jurisprudentia Galliæ est ne contraria ejusmodi dispositionibus? tom. 1. v. *Testamentum*, cas. 5. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 151. to. 3. v. *Religiosus* cas. 16. & tom. 1. v. *Beneficiarius*, cas. 14.

Regularis factus Episcopus, potest ne valide testari? to. 2. v. *Episcopus*, cas. 8.

Testamentum impuberis fit ne validum, postquam annos pubertatis assequutus est? tom. 1. v. *Testamentum*, cas. 2.

Testamentum puberis, qui adhuc est sub paterna potestate, est ne irritum ac nullum in foro conscientiæ? An saltem valet quoad legata pia? *ibid.* cas. 3.

Quænam est ætas requisita, ut quis testari possit tam in Regionibus, quæ jure scripto utuntur, quam iis, quæ consuetudinibus reguntur? Quænam sequenda est dispositio in locis ubi nihil decisum est hac super re? *ib.* cas. 1.

Impuberes & mulieres possunt ne testes esse in testamento, *ib.* cas. 29. & tom. 3. v. *Testis*, cas. 19.

Religiosi possunt ne testamentis tamquam testes adesse in Regionibus, quæ jure scripto reguntur, sicut & in iis, quæ ad consuetudines suas componuntur? *ibid.*

Qui testatores inducunt ad mutandas suas dispositiones testamentarias, tenentur ne ad restitutionem erga illos, qui hoc modo excluduntur? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 126.

Potest ne testator bonum personæ juste de causa exhæredare in testamento, nulla ipsi facta parte? Quænam possunt esse rationes & causæ exhæredationis? t. 3. v. *Testamentum* c. 28.

Filius potest ne testamento exhæredare Patrem? Oportet ne ut præsto sint causæ ejusmodi exhæredationis? *ib.* cas. 29.

Executor testamentarius potest ne differre implendam voluntatem testatoris respectu legatorum priorum sub prætextu, quod post aliquod tempus majora sit facturus? *ibid.* cas. 30. & tom. 2. v. *Legatum*, cas. 13.

Sacerdotes sæculares & regulares poterant ne olim Executores esse testamentarii? An etiamnum hodie tales se gerere possunt? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 31. & tom. 1. v. *Clericus*, cas. 4. & tom. 1. v. *Arbiter*, cas. 9.

Quid observandum est Executori testamentario, antequam solvat legata in testamento enunciata? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 3.

Cum solvit legata inconsulto, attamen bona fide, an ipsi recusari potest ratio eorum habenda? *ibid.*

TESTIMONIUM.

Qui vocatur ad testimonium perhibendum, tenentur ne ad restitutionem, cum defectu memoriæ aut tacenda partem ejus quod dicere deberent, damnum alteri partium causant? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 117. & 138.

Est ne peccatum mortale falsum perhibere testimonium? tom. 3. v. *Testis*, cas. 17.

Potest ne quis exigere aut, accipere pecuniam, ut testimonium reddat? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 70. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 141.

An in re gravi sitendum est testimonium unius pecuniæ, ut ne irreprehensa sit? to. 2. v. *Debitum Matrimonii*, cas. 48.

TESTIS.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Sunt ne quædam causæ propter quas aliquis exemptus esse possit a perhibendo testimonio, licet ad Judicem citetur? tom. 3. v. *Testis*, cas. 2.

Si quis solus alicujus criminis commissi notitiam habet, tenetur ne deponere, cum in finem assignatus? Sunt ne quidam casus in quibus talis obligatio incumbat? *ib.* cas. 4.

Si quis notitiam alicujus rei habet sub secreto, tenetur ne citatus deponere coram Judice? *ib.* cas. 5. & tom. 3. v. *Secretum*, cas. 5.

Si quis juramento se obligavit, quod nihil sit depositurus adversus quemdam accusatum, an non obstante hoc juramento, citatorem quem fecit tenetur? Tale juramentum est ne injustum, ac illicitum? tom. 3. v. *Testis*, cas. 3.

Testis a Judicibus interrogatus, potest ne æquivocationibus uti in sua responsione? *ib.* cas. 6.

Testis potest ne aliquam veritatis partem quam sub secreto scit, celare, si illam aperire non possit, quin damnum sibi aliquod accedat? *ibid.*

Est ne obligatio deponendi adversus hominem, qui ad servandam suam vitam, occidit aliquem, aut qui non furatus est, nisi ut recuperaret, quod suum est, quodque aliter recuperare non poterat? *ib.* cas. 7.

Testes tenentur ne sub pœna restitutionis deponere tam pro, quam adversus accusatum? *ib.* cas. 8. et tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 137. et 13e.

Tenentur ne ad restitutionem erga Fiscum, cum non deponendo, & aperiendo quæ adversus accusatum sciunt, impediunt, quominus ejus bona ad Fiscum redeant? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 209.

Cum numerus testium, qui deponunt pro, & contra accusatum, æqualis est, an Judex absolvere debet? t. 3. v. *Testis*, cas. 9.

Quid faciendum Judici, cum testes in depositionibus suis non conspirant? *ib.* cas. 10.

Dignitas & virtus testium debet ne alicujus esse momenti in depositionibus? *ibid.*

Judex potest ne condemnare accusatum adversus quem duo testes deponunt, variant in circumstantiis, quæ substantiam facti non mutant, aut quæ substantiam facti non attinentes, quodammodo tamen ad eam referuntur? *ib.* cas. 10. & 11.

Judex potest ne condemnare accusatum adversus quem duo deponerent testes, quorum unus diem & locum designet, alter autem fateatur, se de iis non recordari? *ib.* cas. 12.

Judex potest ne pronuntiare ad depositionem testium, quos non audivit ipsemet? *ibid.* cas. 13.

Testes debent ne in jus vocari & juramentum præstare, ut depositio ipsorum sit legitima? *ib.* cas. 15.

Depositiones testium, qui rogantur, sunt ne omnino inutiles? *ibid.*

Testes, qui pro depositione pecuniam accipiunt, tenentur ne illam restituere? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 119.

An in casibus extraordinariis, unicus sufficit testis ad faciendam fidem? *ib.* cas. 24.

In rebus delatis in forum contentiosum, potest ne juridica sententia ferri super testimonio unius testis? *ibid.*

Quinam admittuntur testes coram Judicibus tam in causis civilibus, quam criminalibus? Testimonium unius, qualiscumque sit, sufficit ne ad formandam probationem sufficientem? *ib.* cas. 19. & tom. 2. v. *Testamentum*, cas. 26. & tom. 3. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 24.

Propinqui, Cognati et Consiliarii reorum tenentur ne deponere citati coram Judicibus? tom. 3. v. *Testis*, cas. 1. et to. 2. v. *Monitorium*, cas. 23.

Domestici, ac Famuli admittuntur ne aliquando ad deponendum in favorem suorum Dominorum? tom. 3. v. *Testis*, cas. 10.

Testes profligatæ famæ et a Judicibus ob malas actiones reprehensi, possunt ne recusari? *ib.* cas. 21.

Testis qui deponit in propriam suam et alterius præjudicium, est ne admittendus a Judicibus? tom. 1. v. *Adulterium*, cas. 15.

Qui in sui favorem deponunt, sunt ne admittendi testes? tom. 2. v. *Impedimentum ligaminis*, cas. 4.

Testes, qui in causis criminalibus deponunt, sunt ne irregulares, sunt ne causa proxima mortis rei? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 58.

Si testis sim criminis capitalis, quod accusatus admisit, an teneor illud declarare in subsidium accusatoris, qui succumbit, et hoc modo ipsemet in periculo vitam amittendi versatur tamquam falsus accusator, qui non nisi sufficientes allegat rationes, sive ejus testimonium respiciat bonum publicum, aut privati cujusdam commodum? to. 1. v. *Accusator*, cas. 5.

Depositio testium fit ne caduca incapacitatibus, quæ ipsi supervenerant? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 34.

To

Digitized by Google

Testis, qui falsa depositione causa fuit, cur ad mortem damnaretur innocens, tenetur ne cum periculo propriæ vitæ revocare depositionem ad liberandum illum a morte? to. 3. v. *Testis*, cas. 16.

Licet ne falsum testem denigrare, ad se purgandum ab ipsius falsis accusationibus? Tenetur ne ad reparationem, qui istud facit? tom. 2. v. *Restitutio*, cas. 45.

Est ne mortale peccatum coram Judicibus falso deponere, in re parvi momenti? tom. 3. v. *Testis*, cas. 17.

Impuberes possunt ne testes esse in Gallia? tom. 2. v. *Monitorium*, cas. 20.

An omnis generis testes admittuntur in rebus Matrimonium spectantibus? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 23.

Quasnam requirunt Leges qualitates in testes? *ib.* cas. 26.

Sacerdos, qui celebravit matrimonium, cui non interfuerant, nisi duo testes, peccavit ne? Quot adesse debent Matrimonio testes secundum Galliæ jurisprudentiam? tom. 3. v. *Testis*, cas. 20.

TEXTOR AULÆORUM.

Aulæorum Textores possunt ne diebus Dominicis ac Festis operam dare ordinandis Ecclesiis? Tenentur ne istud in Confessione aperire, & pridie potuissent facere? tom. 2. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 6.

T H E.

Thè, Caffè, & Chocolatum diebus Jejunii extra tempus convivii sumptum, an rumpunt Jejunium? tom. 2. v. *Jejunium*, cas. 14.

T H E O L O G U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Theologi an eodem tempore in Metropolibus instituti fuerunt ac in reliquis Cathedralibus? Tenentur ne ad residentiam, & quænam sunt ipsorum functiones? tom. 3. v. *Theologus*, cas. 3. et tom. 3. v. *Residentia Canonicorum*, cas. 3.

Theologi amittere ne debent distributiones cum non adsunt in Choro? tom. 3. v. *Theologus*, cas. 3.

Est ne necessarium, ut Theologus sit Doctor, aut saltem Licentiatus Theologiæ, *ib.*

Doctor Juris potest ne esse Theologus in Gallia? *ib.*

Theologi possunt ne alios substituere Prædicatores, qui ipsis absentibus prædicent? An isto in casu percipere possunt distributiones? tom. 3. v. *Theologus*, cas. 4.

Possunt ne suum Beneficium resignare cognato, qui non idoneus est prædicationi, sed admodum pius, sub prætextu, quod iste selecturus sit dignissima subjecta, quæ ejus munere sint rite impleturi? *ibid.* cas. 5.

T H E S A U R U M.

Vide hujus vocis Proœmium.

Numerus quidam nummorum aureorum repertorum in Campo, censentur ne esse thesaurus? t. 3. v. *Theologus*, cas. [illegible]

Si quis invenit thesaurum, tenetur ne illud deferre, et apud quem? *ib.*

Qui thesaurum inveniunt, possunt ne semper illo potiri? Quænam est Galliæ Jurisprudentia circa thesauros repertos? *ibid.* cas. 2.

T I T U L U S.

Titulus antiquus a nemine subscriptus, est ne validus? tom. 1. v. *Domini Parochiarum*, cas. 1.

TITULUS BONORUM LAICORUM.

Tituli Domuum, Prædiorum, et Dominiorum, censentur ne esse bona mobilia? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 18.

TITULUS CLERICALIS.

Vide hujus tituli Proœmium.

Est ne quædam facienda distinctio inter titulum Beneficialem et titulum Patrimonialem? Cum quis super eo antea titulo ordinatus est, potest ne exire e Diœcesi ad laborandum sine exeat? tom. 3. v. *Titulus Clericalis*, cas. 3.

Potest ne donatio Clerico facta ad inserviendum ipsi instar tituli revocari, si jam quemdam acceperit Ordinem Sacrum? *ibid.* cas. 10.

Clericus qui titulo fraudulento ordinari se curat, est ne suspensus ipso facto? *ibid.* cas. 2.

Potest ne quis Subdiaconum ordinandum se curare titulo beneficii, quod simonia non culpabili obtinuit? *ib.* cas. 4.

Præstimonia perpetua aut revocabilis potest ne inservire pro titulo Clericali? *ib.* cas. 5.

Episcopus potest ne omnes Ordines sacros alicui, qui nullum habet titulum, conferre, se obligans ad dandum ipsi munus Ecclesiasticum sufficiens ipsi sustentando, aut beneficium? *ibid.* cas. 6.

Si Episcopus id non fecit, an ejus successor in eamdem obligationem succedit? *ibid.*

Episcopi, qui ordinant suos Domesticos, obligantur ne ad præbendum illis titulum? tom. 3. v. *Ordines*, cas. 4.

Religiosus indiget ne titulo Clericali, ut ordinetur? Clerus Gallicanus fecit ne quædam circa istud statuta? tom. 3. v. *Titulus Clericalis*, cas. 7.

Potest ne resignari beneficium, quod loco tituli est? Talis Resignatio est ne irrita ac nulla in Gallia, *ib.* cas. 8.

Decretum Concilii Tridentini super hanc materiam, quasnam suscipit modificationes? *ib.*

Potest ne aliquis ex mera reverentia ergà suos Cognatos se non opponere alienationi sui Tituli? An acquirens cogi potest ad illam postea solvendam cum reliquationibus, quæ debentur? *ibid.*

Titulus Clericalis est ne inalienabilis, *ib.*

Potest ne denegari solutio quorumdam tributorum impositorum fundis, super quibus titulus Sacerdotalis nititur? *ibid.* cas. 12. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 81.

TITULUS COLORATUS.

Titulus coloratus sufficit ne ad inducendum valorem iis, quæ publici Ministri tam Ecclesiastici quam Civiles faciunt? Quot modis haberi potest titulus coloratus? tom. 3. v. *Parochus*, cas. 13.

TITULUS PATRIMONIALIS.

Potest ne liberari titulus beneficii titulo patrimoniali? to. 3. v. *Simonia*, cas. 26.

Titulus Patrimonialis censetur ne falsus esse, cum fundus illius tituli non sufficit solvendis debitis successionis? Esset ne bonus, si debita illa non essent nisi debita Chyrographaria? tom. 3. v. *Titulus Clericalis*, cas. 11.

T O N S O R.

Tonsores possunt ne barbas radere & capillos amputare Dominicis diebus & Festis? tom. 2. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 7.

T O N S U R A.

Vide hujus tituli Proœmium.

Tonsura est ne Ordo? Bigamus, qui illam suscipit sine dispensatione peccat ne? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 18. tom. 3. v. *Irregularitas*, cas. 15.

Potest ne suscipi tonsura ante confirmationem? *ib.* & tom. 2. v. *Ordines*, cas. 19.

Potest ne tonsura conferri ignoranti, sed admodum probo homini? *ib.* cas. 21.

Infans potest ne tonsuram suscipere, *ib.* cas. 27.

Est ne peccatum mortale sese offerre ad suscipiendam tonsuram sine intentione perseverandi in statu Clericali, & tantummodo ad obtinendum beneficium? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 3.

An solus originis Episcopus tonsuram conferre potest? *ib.* cas. 5.

Si quis natus est aquis aspersus in una Diœcesi, ceremonias autem Baptismi in alia acceperit, quis est ejus proprius originis Episcopus, & a quonam tonsuram suscipere debet? *ib.* cas. 6.

Episcopi possunt ne dare tonsuram peregrino sine permissione ejus Episcopi? tom. 2. v. *Ordines*, cas. 9.

Tonsura collata ab alio, quam a proprio Episcopo, est ne irrita ac nulla? Potest ne reiterari sine periculo irregularitatis? Quænam adhibendæ sunt cautiones, ut exhibeantur molestiæ illi, qui Ordines a peregrino Episcopo accepit? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 4. t. 2. v. *Irregularitas*, cas. 16.

An omnes Abbates Regulares conferre possunt tonsuram? tom. 1. v. *Abbas*, cas. 8.

Tonsuratus non Beneficiatus tenetur ne ad recitationem cujusdam officii, Tenetur ne diebus Dominicis ac Festis officio Divino adesse superpelliceo superindutus? tom. 3. v. *Tonsura*, cas. [illegible]

Peccat ne Clericus, qui nunquam gerit tonsuram, neque capillos breves? *ib.* cas. [illegible]

Prælatus, qui non nisi simplicem habet tonsuram, potest ne valide ligare & absolvere ab excommunicatione? tom. 2. v. *Excommunicatio*, cas. 45. tom. 2 v. *Excommunicare*, cas. 10.

T R A D I T I O.

Quando sub pœna damnorum & interesse convenit de faciendis certo quodam tempore quibusdam traditionibus, an semper damna & interesse exigi possunt ab iis, qui isto conventu desunt? tom. 1. v. *Damnum & interesse*, cas. 3.

T R A N S A C T I O.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Incumbit ne semper obligatio satisfaciendi illi, de quo in transactione quis se obligavit? tom. 3. v. *Transactio*, cas. 4.

Cum quis in transactione se obligavit ad dandam aliquam rem, quæ nec in pondere, nec in numero, nec in mensura constat, an Debitoris obligatio extinguitur, si res ista fortuito pereat? *ib.*

Potest ne exigere aliquis resolutionem omnis generis transactionum, cum læsum se in iis deprehendit? *ib.* cas. [illegible]

Transactio facta post litem judicatam, inscii partibus, debet ne effectum suum sortiri, sive appellatio fuerit interjecta, sive non? *ibid.* cas. 2.

Transactio habet ne effectum condemnationis Juridicæ? to. [illegible] v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 1.

Transactio facta ab altero tantum Procuratorum constituentorum, ligat ne constituentem? tom. 3. v. *Procurator*, cas. [illegible]

Potest ne de juribus committentis transigi vi generalis procurationis res ejus gerendi? *ib.* cas. 7.

Transactio facta circa duo Beneficia unita, non obtenta prius disjunctionis sententia, est ne irrita & simoniaca? to. 3. v. *Transactio*, cas. 3.

T R A N S L A T I O.

Translationes Episcoporum sunt ne licitæ? Sunt quædam translationum exempla & monumenta antiqua? Jus istud pertinet ne ad solum Papam, & semper ne ad ipsum spectavit, Episcopi possunt ne in suas translationes consentire citra peccatum? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 19.

Translatio rei mobilis hypothecatæ in aliam personam est ne valida? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 11.

T R A N S C R I P T I O.

Transcriptio habet ne locum, antequam fuit denuntiata? tom. [illegible] v. *Antidata*, cas. 2.

T R I B U T U M.

An ad diminuendum tributum quoddam alicui personæ nullis

Digitized by Google

impositum, vendere quia ipsi potest favorem suum ac gratiam, qua apud Principem pollet? Qui id facit, tenetur ne ad restitutionem? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 195.

TRIBUTUM ANNUUM.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Est ne sub pœna restitutionis obligatio distribuendi tributa annua in singulos exactissima qua fieri potest justitia? to. 3 v. *Tributum annuum*, cas. 1. & t. 1 v. *Domini Parœciarum*, cas. 8.

Collectores tenentur ne respondere de injustitiis patratis ab iis quos suo loco tributa annua in capite, familias & prædia distribuendis commiserant? tom. 3. v. *Tributum*, cas. 2.

Tenetur ne ad restitutionem damni dati, qui justa de causa absens annua tributa distribuenda commisit homini probitatis perspectæ? *ibid.* cas. 3.

Hæredes Collectorum tenentur ne ad restitutionem in dubio, an defuncti aliquam commiserint injustitiam tributa annua distribuendo? *ib.* cas. 4.

Ii, quibus aspectu personæ tributum non nisi levius impositur, tenentur ne sibimet æquivalens suis bonis imponere tributum? Licet ne partem suarum rerum celare, ut tributum imponatur eo minus? *ib.* cas. 5.

Est ne obligatio ad restitutionem, cum actu quodam simulato tributi impositioni subtrahitur quædam fundi pars? *ib.* cas. 8.

Ii, qui ejusmodi actus componunt, & ii, in quorum gratiam componuntur, tenentur ne uni æque ac alteri ad istam restitutionem? *ibid.*

Ministri delegati ad impositionem tributorum, possunt ne mutare modum imponendi? *ibid* cas. 6.

Distributiones tributorum possunt ne ex grato animo erga Dominum ipsius conductoribus non nisi modicum tributum imponere? Tenentur ne ad restitutionem hoc casu, & cuinam restituere debent? *ibid.* cas. 7.

Dominus loci peccat ne inducendo Collectores ad imponendum suis Conductoribus non nisi modicum tributum? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 8.

Incolæ possunt ne diminuere aut plane liberare a tributis annuis personam aliquam respectu habito ad ipsius Cognatos aut Majores bene de Parœcia meritos? tom. 3. v. *Tributum annuum*, cas. 10.

Sufficit ne judicare suam domicilii mutationem, ut quis anno sequenti non amplius teneatur tributa solvere in Parœcia, quam deserit? Est ne necessarium ut obtineat sententiam, qua jubetur, ut extinguatur ex numero Parœcianorum, quibus tributa solvere incumbit? *ib.* cas. 11.

S. SANCTA TRINITAS.

Quid necessarium est credere respectu Mysterii S. Sanctæ Trinitatis, ut quis possit salvari? tom. 2. v. *Fides*, cas. 2.

TRIREMES.

Condemnatio ad triremes, sive perpetua, sive tantum in tempus aliquod, inducit ne irregularitatem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 120.

Homo condemnatus ad triremes potest ne recipere legatum pensionis alimentariæ? tom. 2. v. *Legatum*, cas. 26.

TRISTITIA.

Tristitia, qua quis afficitur occasione fortunæ cujusdam proximo obtingentis, est ne semper criminosa? tom. 2. v. *Invidia*, cas. 3.

TUTOR.

Vide hujus vocis Proœmium.

Tutores possunt ne ex sola auctoritate sua vendere quosdam fundos suorum minorum, ad solvenda quædam debita? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 3.

Qui negligunt vendenda curare bona Minorum suorum mobilia, an non damnum inde redundans ferre debent? Sunt ne quædam mobilia quæ servari possunt pro Minore? to. 3. v. *Tutor*, cas. 1. & tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 9.

Tutores tenentur ne industriam adhibere ad collocandam pecuniam suorum pupillorum? est ne aliquod tempus & dilatio definita, intra quam illud facere tenentur? Tenentur ne ipsimet solvere lucra ultra sortem, si illam tempore illo præscripto collocare negligunt? Pupilli possunt ne illud accipere? tom. 3. v. *Tutor*, cas. 2. & tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 9

Possunt ne lucra capere ex Pupillorum suorum pecunia, non aliena? Tenentur ne ad restitutionem ipsi, aut in ipsorum defectu heredes, si tale lucrum ex pupillorum pecunia quæsiverunt? t. 3. v. *Tutor*, cas. 3. & 4 & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 29. & t. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 9.

Tenentur ne suis Pupillis solvere lucrum lucri ultra sortem, si tu tempore præscripto non collocarunt? tom. 2. v. *Lucrum lucri ultra sortem*, cas. 4.

Possunt ne bona suorum pupillorum alienare non servatis Juris formalis? tom. 3. v. *Restitutio in integrum*, cas. 8.

Possunt ne bona suorum Minorum obligare in consentientibus? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 2.

Tutores tenentur ne de culpa, quæ in Jure vocatur *culpa levis*, & de ea, quæ vocatur *culpa levissima*? tom. 3. v. *Tutor*, cas. 5. & 6.

Qui tutelam suscepit, legitime ne ab illa liberatur emendo munus aliquod, quod exemptionem ab illa concedit, *ib.* cas. 8.

Cum quis ad tutelam aliquam nominatur, tergiversatur illam suscipere, an tenetur de damnis quæ durante hoc tergiversationis intervallo ad pupillum redeunt? *ib.* cas. 9.

Hæredes Tutoris tenentur ne curare res a suscepta tutela pendentes? Tenentur ne respond re de damno quod inde nascitur, si curam a tutore [illegible] ceptam prosequi negligant? *ib.* cas. 17.

Cognati Minoris possunt ne procedere ad nominationem Tutoris, quando Pater testamento suo de tutore prospexit, tutores debent ne a Judice confirmari? *ib.* cas. 10.

Pater filii familias, qui suscipit in tutelam tenetur ne respondere de damno, quod filius pupillis est causatus? *ib.* cas. 11.

Qui attestantur, tutorem aliquem esse solvendo, tenentur ne respondere de damnis acceptis ex ejus impotentia solvendi? *ib.* cas. 13.

Cum tutor juxta dispositionem testamentariam nihil fecit nisi cum consensu Matris pupillorum, tenetur ne respondere de damno orto ex lite injusta, quam suscepit? *ib.* cas. 15.

Tutor tenetur ne suis pupillis rationem reddere quando Pater ipsum testamento ab hoc onere liberavit? Debet ne rationem reddere formulis ordinariis? *ib.* cas. 16.

Minor tenetur ne tutori rationem habere sumptuum pro se & suis propinquis factorum? Quomodo quoad hoc gerere se debet tutor, juxta Galliæ Jurisprudentiam? *ib.* cas. 14.

Tutor est ne præferendus omnibus aliis creditoribus pupilli respectu expensarum, quas fecerit pro illo, durante tutela? *ib.* cas. 15.

Tutores possunt ne præscribere super suis pupillis? tom. 3. v. *Præscriptio*, cas. 4.

Tutores possunt ne legatarii esse suorum pupillorum? to. 2. v. *Legatum*, cas. 5.

Omissio qualitatis Tutoris in supplicatione pro obtinenda dispensatione matrimonii inter tutorem & pupillam, reddit ne dispensationem irritam ac nullam? tom. 1. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 41.

Tutores conjunctim nominati tenentur ne in solidum de administratione tutelæ, quamcumque inter se fecerint conventionem? tom. 3. v. *Tutor*, cas. 7.

Cum tutores coegerunt Infantes Minores, quorum sunt tutores, ad amplectendum statum Monasticum, tenentur ne ad procuranda illis remedia inde egrediendi? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 221.

V

VADIMONII DETRACTIO.

Condemnatus ad mortem ob desertum vadimonii diem, censetur ne civiliter mortuus, & omnia ejus bona pertinent ne ad fiscum Regis a die pronuntiatæ sententiæ? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 9.

VAGABUNDUS.

Vagabundi possunt ne matrimonium contrahere in omnis generis locis? Sunt ne quædam adhibendæ cautelæ ipsorum respectu? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 12.

Vagabundorum uxores tenentur ne conscientia illos sequi quocumque eunt? tom. 1. v. *Divortium*, cas. 10.

Sunt ne ejiciendi e locis, in quibus apparent? tom. 1. v. *Domini Parœciarum*, cas. 20.

VECTIGALIA.

Vide hujus Tituli Proœmium.

Quasnam habere debent conditiones Vectigalia, ut sint justa? Licet ne illa fraude evitare? Est ne obligatio vectigalia solvendi, antequam condemnatus quis est ad hoc? tom. 3. v. *Vectigalia*, cas. 1. & tom. 2. v *Lex*, cas. 5. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 184. & tom. 3. v. *Titulus Clericalis*, cas. 12.

Qui fraudant jura salis, & qui emunt istud sal peccant ne mortaliter? tom. 3. v. *Vectigalia*, cas. 2.

VECTOR.

Vectores possunt ne itinera prosequi diebus Dominicis ac Festis, quin peccati fiant rei? Tenentur ne Missæ adesse? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 3.

Habent ne hypothecam privilegiatam super mercibus? tom. 3. v. *Stabularius*, cas. 1.

Tenemur ne de factis eorum, qui illos committunt? tom. 3. v. *Hypotheca*, cas. 5

Tenentur ne ad damni præstationem, cum ipsimet, aut illi, qui eos commiserunt, frangunt aut corrumpunt aliquid ex iis quæ vehunt? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 33. & 81. & tom. 2. v. *Locatio*, cas. 24.

VENARUM APERTIO.

Cum Clericus Ordinibus sacris initiatus venas aperit ægroto est ne irregularis, si ægrotus moriatur propter istam venæ aperitionem? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 78.

VENATIO.

Vide hujus vocis Proœmium.

Plebei possunt ne venatum ire non obstante Principis interdicto aut Domini loci, tenentur ne ad restitutionem valoris illius quod venando capiunt? tom. 3. v. *Venatio*, cas. 3.

Simplex Nobilis potest ne non obstante Domini altæ Justitiæ prohibitione venari in ipsius terris, si nullum ibi beneficiarium habeat prædium? *ib.* cas. 6.

Dominus magno venationis amore captus, potest ne illam facere primariam suam & principalem occupationem? *ib.* cas. 8.

Tenentur ne ad restitutionem, si vastatur frumentum aut vineæ suorum Vassallorum aut aliorum? *ibid.*

Pec-

Digitized by Google

Peccat ne contra Sanctificationem Dierum Dominicorum & Festorum, qui venantur illis diebus? *ib.* cas. 5.

Licebat ne olim venatum ire diebus jejunii? *ib.*

Venatio est ne Clericis prohibita? Datur ne quædam venatio, quæ ipsis permittatur? *ib.* cas. 2.

Sunt ne irregulares, si in causa fuit alicujus homicidii, aut mutilationis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 42. & 47.

Canonici, quorum capitula jus venationis habent, possunt ne venatum ire? tom. 3. v. *Venatio*, cas. 1.

V E N D I T I O.

Vide hujus vocis Proœmium.

Possunt ne contractus constitutionis aut alii ejusmodi vendi pretio majori, quam est intrinsecus ipsorum valor? Debent ne spectari tamquam res, quæ in commercium ordinarium cadunt? Responsio ipsorum a Principe mandata, damna quæ patiuntur reditus ejusmodi rebus, spontanea emptoris obligatio, lucrum quod ex aliis muneris aut pecuniæ collocatione redirat: diminutio proxima specierum, quæ recipiuntur, cognitio quam habet publica auctoritas de ejusmodi venditionibus, non ne sunt totidem tituli sufficientes ad illas reddendas legitimas? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 44.

Potest ne aliquis vendere fundum suis infantibus substitutum? Infantes possunt ne agere, ut emptor emptionem abdicet & teneatur ne ad restituendum ipsi damnum? *ib.* cas. 2.

Venditio Prædii alicujus pupilli cum ipsius consensu, est ne valida? *ib.* cas. 2.

Pupillus potest ne valide fructus capere ex fundo vendito, cum acquirens non solvit pretium? *ib.*

Tutor potest ne propria auctoritate sua vendere fundum pupilli, ut quædam possint persolvere debita? Pupillus potest ne postea emptorem evincere, illumque obligare, ut pecuniam quam cepit ex hoc fundo detrahat de eo quod ipsi debet? *ib.* cas. 3.

Potest ne aliquis suum fundum nimio pretio vendere, ut compenset damnum, quod ex ipsius privatione patitur? *ib.* cas. 4.

Necessitas aut utilitas Emptoris est ne titulus Venditori sufficiens ad vendendam rem longe ultra valorem sui pretium? *ibid.* cas. 17.

An aliquando in contractu venditionis vendi potest utilitas, quam emptor capit ex re, quam emit? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 1.

Est ne peccatum & obligatio restituendi, cum quis bona fide merces suas plus justo vendit? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 32.

Defectus solutionis intra certum quemdam terminum factæ inducit ne omnino dissolutionem venditionis fundi alicujus, aut alius rei & simul etiam amissionem arrhæ? *ib.* cas. 5. & 6.

Licet ne in eo casu, quo violentia illata, aut injustitia adhibita, aut res vili nimis pretio empta fuisset, dissolvendam curare venditionem, & exigere restitutionem omnium fructuum perceptorum ab emptione facta? *ibid.* cas. 7. & 9.

Cum Venditor damnum passus est, potest ne petere Rescissionem contractus venditionis? *ibid.* cas. 15.

Clausula resolutoria venditionis facta sub conditione, censetur ne facta esse in favorem ejus qui deest obligationi suæ, aut in favorem alterius contrahentis? *ib.* cas. 19.

Cum defectus rei venditæ sufficit ad resolvendam venditionem, an emptor vel venditor de casibus fortuitis tenentur? *ib.* cas. 31.

Venditio potest ne resolvi integra, cum ex pluribus rebus quæ omnes ejusdem generis species continent, una reperitur defectum habere sufficientem ad venditionem resolvendam? *ibid.* cas. 32.

Jus redhibitionis habet ne locum in venditionibus factis coram Judicibus? Quandonam incipit tempus redhibitionis? *ibid.*

Tempus redhibitionis est ne unum & idem in omnibus Consuetudinibus? *ibid.* cas. 26.

Tenetur ne ad restituendum damnum Venditor, qui dolo & fraude usus est ad ipsum ad venditionem inducendum? Talis venditio est ne irrita ac nulla sua natura? *ib.* cas. 2.

Cum error aut fraus non fuerunt causa venditionis, an venditio nulla est, aut potest ne exigi damni præstatio? *ib.* cas. 4.

Licet ne aquas vitæ aliosque liquores corruptos & adulterinos vendere eadem ratione, ac si genuinæ & bonæ essent compositionis? *ib.* cas. 10.

Potest ne aliquis citra injustitiam & peccatum lanam in loco humido reponere, ut gravior sit & illam vendendo majus redeat lucrum? *ibid.* cas. 11.

Mercatores pannorum possunt ne eodem pretio vendere pannos tinctura ustos, ac eos qui tinctura usti non sunt, sub prætextu, quod uni debeant compensare alteros? *ib.* cas. 12.

Venditio cui a parte ementis nulla intervenit fraus dolusve sed tantummodo imprudentia a parte vendentis, est ne irrita ac nulla? *ibid.* cas. 14.

Venditio, in qua dolus intervenit tantummodo a parte mediatoris, est ne irrita ac nulla? Potest ne in hoc casu exigi damnorum præstatio? *ib.* cas. 40.

Venditor tenetur ne de casibus fortuitis, qui præter ipsius culpam accidunt, cum contractus venditionis & emptionis consummatum est? *ibid.* cas. 18. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 2. & 2. & tom. 2. v. *Emptio*, cas. 2. & 2.

Quis tenetur in venditionibus sub conditione factis de casibus fortuitis, an Venditor, vel Emptor? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 23. & tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 1.

Quum res aliqua vendita est sub conditione periculorum illius faciendi, quis tenetur ad casus fortuitos an Emptor, vel Venditor? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 25.

In rebus, quæ emuntur ad numerum, ad pondus, vel ad mensuram, an damnum quod accidit, antequam numeratæ, ponderatæ aut mensura æstimatæ sunt, in venditorem cadit? *ib.* cas. 21.

Cum Venditor & Emptor in mora sunt unus post alterum, aut eodem tempore, uter ferre debet damnum quod accidit, *ibid.* cas. 22. & 24.

Venditor tenetur ne in casu evictionis emptori reparare meliorationes, quas fecit, & quanam ratione rependere eas illi debet? *ib.* cas. 42.

Venditor tenetur ne adhuc ad auctorem se præstandum, cum emptor se coram Judicibus condemnari passus est, aut ipso inscio transegit? *ib.* cas. 32.

Qui quasdam vendit obligationes aut jura, tenetur ne ad illarum auctorem se se præstandum? *ib.* cas. 43.

Venditor bonæ aut malæ fidei tenetur ne de damnis & interesse erga emptorem, cui vendidit merces non bonas? Tenetur ne de damnis, quæ longo intervallo & non immediate in ipsis rebus venditis accidunt? tom. 1. v. *Damna & interesse*, & tom. 3. v. *Usura*, cas. 7. 8. & 10.

Venditio frumenti post messem, sub conditione quod solutio facienda sit maximo anni currentis pretio, est ne licita? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 20. & 35.

Potest ne aliquis vendere suum frumentum eo pretio, quo valuit ultimo mercatu, aut eo ipso die, cum scit quod debent asportari magna copia, quo pretium frumenti notabiliter diminuet? *ibid.*

Potest ne aliquis sub fide suum frumentum vendere eo pretio quo valebit die S. Joannis? *ib.* cas. 36.

Si quis proposuit suas merces servare usque ad certum quoddam tempus, potest ne illas vendere pretio, quo tunc valebit? *ib.* cas. 37.

Licet ne merces suas vendere personis, de quibus constat aut suspicio est, quod iis usuræ sint ad res vetitas? *ib.* cas. 49.

Judex potest ne cogere privatum ad vendendum suum fundum, quo respublica indiget? *ib.* cas. 50.

Venditio facta per Procuratorem est ne licita non obstante morte constituentis interveniente, aut quod facultas emptionem contrahendi fuerit revocata? tom. 3. v. *Procurator*, cas. 4. & 6.

Peccat ne qui ut vendat suas merces earum celat defectus, diminuendo pretium pro ratione? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 23. & 26.

Venditor tenetur ne emptori declarare defectus suarum mercium visibiles? *ib.* cas. 27.

Tenetur ne suas infamem merces aut damnum præstare emptori, qui non agnovit defectum in mercibus, utut erant visibiles? *ib.* cas. 28.

Tenetur ne damnum rependendum Emptori, si interrogatus de mercibus, quarum defectus cognoscit, respondet, se non præstare defectus, si quidam in mercibus forte reperiantur? *ib.* cas. 30.

Peccat ne, cum abutens confidentia alterius, ipsi vendit merces inutiles ad ipsius propositum, sub prætextu, quod illas ipsi vendat pretio justo? *ib.* cas. 29.

Potest ne vendere suas merces charius, iis, qui non præsenti pecunia solvunt sub prætextu, quod illam non vendat alteri pretium strictum? *ib.* cas. 38. & tom. 3. v. *Emptio*, cas. 4. & tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 3.

Emptio boni proscripti & vili pretio venditi, est ne legitima? Est ne obligatio ad restituendum in hoc casu? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 19.

Venditio fundi facta partim pecunia præsenti, partim censibus cum privilegio illos extinguendi, monendo paulo ante terminum de quo convenit, est ne legitima? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 33.

Contractus venditionis cum pacto redimendi est ne licitus? Sunt ne quædam conditiones necessariæ ad illum licitum reddendum? *ib.* cas. 45.

Contractus factus cum facultate redimendi tribus nonis est ne usurarius, cum venditor stipulatur aliquod lucrum venditori pro ratione modici pretii, quo rem emit? *ibid.* cas. 46. & tom. 3. v. *Usura*, cas. 5.

Est ne obligatio ad aliquam damni reparationem erga venditorem, qui renuntiavit juri redimendi? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 47.

Est ne obligatio restituendi Venditori, qui sibi reservavit facultatem redimendi, fructus perceptos a die ipsius postulationis? *ib.* cas. 48.

V E N D I T O R.

Sunt ne quidam casus in quibus venditor non teneatur de damnis, quæ accidunt rei venditæ? tom. 2. v. *Emptio*, cas. 1. & 2.

Venditor tenetur ne emptori dare optimas merces si non convenit de optimis ipsi dandis? *ibid.* cas. 5.

Tenetur ne de jactura mercium venditarum, quæ ipsi vi aufaruntur? *ibid.* cas. 7.

Potest ne retinere id quod partem facit rei venditæ, aut quod illius est accessorium, licet istud non servaverit? *ib.* cas. 9.

Tenetur ne sub pœna restituendi damnum ad monendum emptorem de defectibus suarum mercium? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 152. & 153.

Tenetur ne in casu evictionis ad damna & interesse erga emptorem? tom. 1. v. *Damna & interesse*, cas. 4.

Venditor immobilis aut mobilis boni est ne creditor privilegiatus, præ creditoribus Hypothecariis acquirentis, quando pretium rei venditæ non accepit? Potest ne redire in possessionem sui fundi aut resumere suas merces ob solutionem non factam? tom. 2. v. *Hypotheca*, cas. 5. *Vide supra* Venditio.

V E-

V E N E N U M.

Cum conjugum unus infert alteri mortem veneno aut alio modo, ut ducat tertiam quamdam personam in matrimonium, an istud crimen impedimentum producit dirimens, & quibusnam in circumstantiis? tom. 2. v. *Impedimentum Criminis*, cas. 6. & 7.

V E N E R A B I L E.

Religiosi possunt ne exponere Venerabile sine permissione Ordinarii? tom. 3. v. *Religiosus*, cas. 20.

V E R B A.

Verba otiosa sunt ne peccatum veniale sua natura? tom. 3. c. *Peccatum*, cas. 2.

Levitas in verbis est ne criminosa? tom. 1. v. *Divertium*, cas. 4.

Verba dura & severa sunt ne semper charitati contraria? tom. 1. v. *Correctio*, cas. 4.

V E R B E R A R E.

Vide hujus vocis Proœmium.

Domini possunt ne verberare suos famulos si aliter ipsos ad officium cogere nequeunt? An hoc ipsis suadendum est? tom. 3. v. *Verberare*, cas. 1.

Mariti possunt ne verberare suas uxores, si aliter illas emendare nequeant? An hoc remedium ipsis suadendum? Supremi Senatus decreverunt ne aliquid circa hoc? ib. cas. 2.

Licet ne verberare eum a quo injuriæ accipiuntur? tom. 2. v. *Injuria*, cas. 6.

Est ne casus Papæ reservatus, si quis verberat Ecclesiasticum? Sunt ne regulæ quædam certæ ad judicandum de hoc? tom. 1. c. *Casus reservati*, cas. 8.

V E R I T A S.

Quando veritas populis est scandalo, ne desistere oportet illam prædicare aut defendere? tom. 3. v. *Scandalum*, cas. 4. & tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 16.

Veritatis defensio est ne suscipienda, etiamsi hoc faciendo aliquod incommodum sibi occursurum possit? tom. 2. c. *Monasterium*, cas. 11.

V E R T I G O.

Qui vertigini obnoxius est, censetur ne irregularis? tom. 2. v. *Irregularitas*, cas. 124.

V E S P E R A.

Est ne obligatio sub pœna peccati assistendi Vesperis diebus Dominicis ac Festis? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 2.

V E S T I S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Personæ in dignitate constitutæ possunt ne vestibus pretiosioribus indui, quam alii homines incedere? Quonam hoc faciendo habere debeant motiva? tom. 3. v. *Testis*, cas. 2.

Est ne peccatum vestes suas ad modum componendum curare, iisque uti? tom. 2. v. *Ornamentum Mulieb.ris*, cas. 4. tom. 3. v. *Sarcinator*, cas. 1.

Mulier potest ne ad servandam vitam suam, honorem suum aut libertatem, vestes viriles induere? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 5.

Vestis Clericalis erat ne olim differens a veste Laica, quandonam cœpit distingui? Fuit ne deinceps liberum uni aut alteri uti? Clerici, qui sunt Sacerdotes aut Beneficiarii, tenentur ne hodierno tempore tunicam Sacerdotalem gerere? Ecclesia decrevit ne quasdam pœnas iis, qui hanc transgrediuntur Sanctionem? Peccatum, qui hac respectu suo desunt officio, est ne grave? Sunt ne quidam casus & occasiones, in quibus vestem gerere liceat brevem? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 2. & tom. 3. v. *Tonsura*, cas. 1. & 3. & tom. 3. v. *Pensio Ecclesiastica*, cas. 21.

Potest ne gestari parva tunica Sacerdotalis sub pallio longo? Superior Ecclesiasticus potest ne ejusmodi facere præceptum? tom. 3. v. *Vestis*, cas. 3.

Est ne peccatum, Missam legere sine tunica sacerdotali, sunt ne quædam Diœceses, in quibus dispensatio committatur, istud peccatum? ib. cas. 4.

Vide S A R C I N A T O R.

V E S T I S   M O N A C A L I S.

Episcopus habet ne jus examinis pro receptione Puellarum ad solemnem Vestis Monachalis sumptionem? tom. 2. v. *Monasterium*, cas 1.

V E T E R A N U S.

Vide hujus tituli Proœmium.

Potest ne aliquis intentione Veterani jus acquirendi continuare adhuc per unum annum exercitium muneris, ad quod inceptum est? tom. 3. v. *Veteranus*, cas. 1.

V E X A T I O.

Beneficiarius potest ne se sua pecunia redimere ab omnis generis vexationibus justis ac injustis? to. 3. v. *Simonia*, cas. 30. 31. & 32.

V I A T I C U M.

Vide Tom. 3. *suo loco.*

V I C A R I U S.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Quid observandum est in electione Vicarii Generalis? Quomodo ipsius literæ debent esse compositæ, & quid debent continere? tom. 3. v. *Vicarius*, cas. 1.

Ministri Ecclesiastici Curiarum supremarum possunt ne esse Vicarii generales Episcopatuum, Abbatiarum, & Prioratuum? ib. cas. 3.

Commissio Vicarii Generalis finitur ne captivitate Episcopi? Quot modis finem capit? ib. cas. 2.

An quicquid Vicarius generalis facit, validum est & canonicum, cum Episcopus absens mortuus est, illudque non comperiat nisi longo tempore interjecto? Vicarii Generales habent ne absentibus Episcopis jure merito Collationem Beneficiorum, facultatem dandi literas dimissorias & dispensandi de interstitiis? ib. cas. 4. & tom. 1. v. *Collatio*, cas. 14. & tom. 2. v. *Litera Dimissoria*, cas. 3. & tom. 2. v. *Interstitia*, cas. 3.

Vicarius generalis potest ne, sine speciali Episcopi facultate, admittere permutationes, aut admittere renuntiationes Beneficiorum? Vicarius Capituli generalis habet ne istud jus Sede vacante? tom. 3. c. *Vicarius*, cas. 5. & tom. 1. v. *Collatio*, cas. 13.

Vicarius generalis potest ne sine speciali Episcopi permissione instituere Beneficiarios præsentatos a Patronis? ibid.

Cum Episcopus & Vicarius generalis idem beneficium diversis Personis conferunt, utra ex his Collationibus valida est? tom. 3. v. *Vicarius*, cas. 2.

Vicarii generales possunt ne valide conferre beneficia, cum Episcopi sunt excommunicati denuntiati? tom. 1. c. *Collatio*, cas. 12. & tom. 2. c. *Officialis*, cas. 8.

Vicarii generales possunt ne suam exercere jurisdictionem extra Diœcesim? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 12.

Vicarii generales possunt ne vi generalis commissionis Episcopi valide dispensare de omnibus casibus dispensabilibus? Oportet ne, ut specialiter commissi sint ab Episcopis, pro unoquoque horum casuum dispensabilium? tom. 1. v. *Dispensatio votorum in genere*, cas. 12.

Vicarii generales possunt ne exercere jurisdictionem contentiosam sicuti voluntariam, citra expressam ab Episcopo concessam potestatem? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 17.

Potestas valide excommunicandi est ne Vicariorum generalium muneri & functionibus annexa? tom. 1. v. *Excommunicare*, cas. 4.

Actus Jurisdictionis facti a Vicario generali, qui revocatus est, illud autem nondum edoctus est, sunt ne nulli? tom. 3. v. *Vicarius*, cas. 4. et 7. et tom. 1. c. *Collatio*, cas. 12.

Vicarii generales Episcoporum notorie suspensorum, interdictorum aut excommunicatorum, habent ne adhuc aliquam Jurisdictionem? tom. 2. v. *Officialis*, cas. 8.

Vicarius generalis electus ab Abbate nominato ad Episcopatum, potest ne valide exercere actus Jurisdictionis voluntariæ, licet iste Episcopus nominatus nondum possessionem ceperit, neque Bullam obtinuerit? tom. 3. c. *Vicarius*, cas. 6.

Depositio facta Vicarii generalis & declarata tantum viva voce ab Episcopo, sufficit ne ad irritos reddendos ipsius actus? ib. cas. 6. & 8.

Parochi possunt ne Vicariis tuto relinquere functiones Pastorales? tom. 2. v. *Parochus*, cas. 9. & 12.

Vicarii amovibiles tenentur ne de reparationibus Ecclesiarum? ibid. cas. 15.

Vicarii amovibiles possunt ne delegare quosdam Sacerdotes pro quibusdam functionibus? tom. 2. v. *Impedimentum Clandestinitatis*, cas. 15.

Vicarius habet ne potestatem exercendi functiones Pastorales post mortem Parochi, qui ipsum commisit? Potest ne saltem Confessiones excipere in eo casu? to. 3. c. *Vicarius*, cas. 10.

Vicarius Ecclesiæ annexæ potest ne sine approbatione sui Parochi aut sui Episcopi valide delegare, pro omnibus aut solum quibusdam suarum functionum morbi aut alicujus infirmitatis causa? ibid. cas. 11.

V I C E G E R E N S.

Vicegerens potest ne absente Officiali subscribere dispensationibus obtentis a Papa & directis ad Officialem? tom. 2. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 32.

V I D U A.

Qui in matrimonium ducit Viduam, quam talem non cognovit, est ne irregularis? tom. 2. c. *Irregularitas*, cas. 11.

Omissio circumstantiæ viduitatis illius personæ, cum qua commune peccatum commissum est, reddit ne Confessionem irritam ac nullam? tom. 1. v. *Confessio*, cas. 23.

Viduæ possunt ne initio viduitatis suæ se se per aliquod tempus eximere ab audiendis Missis juxta consuetudinem Regionis suæ? tom. 2. v. *Missa*, cas. 46.

Ornatus muliebres decent ne Viduas? tom. 2. v. *Ornatus Muliebris*, cas. 3.

Viduæ tenentur ne de debitis, quæ contraxerunt ipsarum mariti, aut quæ in ipsorum usum contracta sunt, aut pro quibus se obligarunt? tom. 1. c. *Communitas Bonorum*, cas. 6.

Viduæ conscientiæ usurarum, quas exercuerunt sui Mariti, tenentur ne ad restitutionem in eorum defectum? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 21.

V I N D E M I A.

Licet ne tempore Vindemiæ laborare diebus Dominicis ac Festis? tom. 2. v. *Festi dies*, cas. 4.

VINDICIARUM JUS.

Qui simulata permutatione cognatos vindiciarum jure gaudentes privant jure redhibitionis, tenentur ne ad restitutionem? tom. 2. v. *Laudemia & Venditiones*, cas. 2.

Vindiciarum jure gaudentes possunt ne redhibitionis jure adversus Dominum loci? Consuetudines sunt ne uniformes circa eorum numerum & prærogativas? ibid.

V I N U M.

Potest ne aliquis citra usuram atque peccatum vili pretio vinum tempore vindemiæ emere, ut postea currente anno majori pretio vendat? tom. 2. c. *Emptio*, cas. 3.

Licet ne vinum aqua miscere & hoc modo adulteratum vendere? tom. 3. v. *Venditio*, cas. 22. & 37.

Qui vinum gustandum præbent, & ii qui de ejus pretio pacis-

pacifcenatur diebus Dominicis aut Festis, sunt ne peccati rei? tom. 1. v. *Dies Dominici ac Festi*, cas. 12.

Licet se vino oblectari? tom. 2. v. *Gula*, cas. 2.

Vinum acidum, aut vappa, potest ne esse valida Consecrationis Eucharisticæ materia? tom. 1. v. *Consecrare*, cas. 8.

V I O L A T I O.

Matrimonium contractum a puella metu violationis, est ne irritum ac nullum? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, cas. 9.

V I O L E N T I A.

An omnis generis violentia illata irritum ac nullum reddat contractum? tom. 2. v. *Impedimentum metus*, cas. 1.

V I R G I N I T A S.

Ad quemnam recipere se oportet, ut obtineatur Dispensatio voti virginitatis & continentiæ, quod contractum fuit perceptione Sacrorum Ordinum? tom. 1. v. *Dispensatio voti*, cas. 9. & 10.

V I R T U S.

Est ne peccatum, si quis fingit & simulat virtutem, quam non habet? tom. 2. v. *Hypocrisis*, cas. 2.

Potest ne caeteras virtus esse in præjudicium alterius? tom. 3. v. *Religiosus*, cas 2.

V I S A.

Vide hujus tituli Proœmium.

Episcopi possunt ne denegare Visa iis, qui non habent ætatem requisitam ad possidendam dignitatem in capitulo? tom. 2. v. *Decanus*, cas 4.

Potestas concedendi Visa, pertinet ne jure ad Ordinarium exclusis omnibus aliis? tom. 3. v. *Visa*, cas. 9.

Consummatio gratiæ obtentæ privatione, consistit ne in Visa? tom. 3. v. *Resignatio*, cas. 3.

Visa debet ne insinuari? Quo tempore quibusdam in locis insinuari debet? tom. 2. v. *Insinuatio*, cas. 1.

Episcopus, qui subjecti alicujus inordinatam cognoscit vitam potest ne ipsi Visa denegare pro Curionatu? Metropolitanus debet ne ipsi Visa concedere vel denegare? Si subjectum vi Visa a Metropolitano obtenta possessionem cepit, tenetur ne Beneficio renunciare? tom 3. v. *Visa*, cas. 1.

Cum Episcopus Visa denegat proviso in Curia Romana, an obligatus est hujus causam enuntiare in actu denegationis? Quonam est quoad istud Jurisprudentia Galliæ? *ib.* cas. 3.

Cum Episcopus Visa denegat proviso in curia Romana, nisi se recipiat in suum Seminarium, an provisus debet appellare ad Metropolitanum? Debet ne quaedam observare, ne suum amittat beneficium? *ib.* cas 3.

Provisus in Curia Romana potest ne denegata ab Episcopo Visa, possessionem capere vi decreti Supremi Senatus? Quonam est quoad hoc Jurisprudentia Galliæ? *ib.* cas. 4. & tom 2. v. *Ordines*, cas. 9.

Episcopus potest ne præsentato denegare Visa, cum absque consensu Patroni univit beneficium cum alio? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas. 0.

V I S I T A T I O.

Possunt ne dari aut accipi Visitationes officiosæ a Personis, cum quibus olim in peccato communi vita fuit acta? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 18.

Episcopi habent ne jus visitationis in Ecclesiis pendentibus ab Ordine Equitum Religiosorum? tom. 2. v. *Equites Religiosi*, cas. 6.

Appellatio est ne suspensiva in causa Visitationis? tom. 1. v. *Appellatio*, cas. 10. & 14

Archidiaconi possunt ne exigere Visitationis jus, si eam in propria persona non faciant? tom. 1. v. *Archidiaconus*, cas 3.

V I S I T A T O R.

Visitatores Monasteriorum exemptorum possunt ne celebrare & Confessiones audire in istis Monasteriis sine approbatione Ordinarii? tom. 2. v. *Monasterium*, cas. 8.

V I T A S O L U T A.

Cum vita soluta invaluit in Communitate Regulari, an ii, qui illam tamquam membra componunt, tenentur Superiores sollicitare, ut remedium afferant? tom. 3. v. *Monasterium*, cas. 2

Est ne obligatio ad restitutionem erga illam, quam in vitam solutiorem induximus? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 119. & 154.

Testamenta facta in favorem Personarum, cum quibus soluta acta est vita, sunt ne irrita ac nulla? tom. 3. v. *Testamentum*, cas. 17.

V I T Æ G E N U S.

Est ne infantibus in eligendo vitæ genere libertas relinquenda? tom. 2. v. *Obedientia*, cas. 25.

V I T I U M.

An aliquando vitia proximi aperire quis potest, quin se detractionis & maledicentiæ peccati reum constituat? tom. 1. v. *Detractio*, cas. 2. & 4.

Licet ne dissimulare aut occultare vitium aut defectum, cui quis obnoxius est, aut quo laborat? tom. 2. v. *Hypocrisis*, cas. 2.

UNIO BENEFICIORUM.

Vide hujus voris Proœmium.

Unio Beneficiorum potest ne Episcoporum auctoritate fieri? tom. 3 v. *Unio Beneficiorum*, cas. 1. & 10.

Necessitas & utilitas Ecclesiæ sunt ne solæ conditiones requisitæ ad unionem beneficiorum? *ibid.*

Abbas exemptus a Jurisdictione Episcopali aut qui Jurisdictionem habet quasi Episcopalem, potest ne propria & sola auctoritate plura simul unire Beneficia? *ib.* cas. 12.

Capitulum non ne potest curam loci cujus habet jus Collationis, unire Canonicatui? *ibid.* cas. 9.

Episcopi possunt ne beneficia unire suis Seminariis sub resignationibus conditionalibus? *ib.* cas. 4.

Episcopi habent ne auctoritatem Papali opus ad uniendum suis Seminariis omnis generis beneficia? Oportet ne ut ista Beneficia sint suæ Diœcesis? *ibid.* cas. 2. & 5.

Consensus Collatorum aut Patronorum tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum est ne necessarius ad unionem beneficiorum? *ib.* cas. 6. & 7.

Consensus Titularis est ne necessarius ad unionem beneficiorum? An non obstante hac unione resignare aut permutare potest suum beneficium? *ib.*

Unio redituum aliorum cum suppressione quorumdam titulorum in Capitulo, est ne canonica? *ib.* cas. 8.

Unio aliquarum decimarum redeuntium ex Cura Capitulo facta consentiente Parocho est ne licita? *ib.* cas. 10.

Unio beneficii facta sub conditione causam sublevandi Monasterio, a quo dependet, est ne simoniaca? tom. 3. v. *Simonia*, cas. 27.

Est ne hoc casu irrita ac nulla beneficiorum unio, quid faciendum, ut rata habeatur? tom. 3. v. *Unio Beneficiorum*, cas 7.

Potest ne quis ad gratum faciendum Domino Loci, sollicitatum, concedere & consentire in disjunctionem quarumdam pertinentiarum alicujus Parœciæ? *ib.* cas. 11.

V O T U M.

Vide hujus Vocis Proœmium.

Vota impuberum sunt ne valida? Possunt ne dispensari ab Episcopo? An non nisi vota certa Papæ reservata sunt? to. 3. v. *Votum*, cas. 2.

Votum castitatis factum a puella vix annos pubertatis assequuta, est ne validum? Cum matrimonium initi nulla facta attentione ad hoc votum, aut non recordando illius, potest ne exigere & reddere debitum conjugale? A quonam potest dispensationem obtinere? *ib.* cas. 4.

Est ne obligatio sub pœna peccati mortalis votum totaliter adimplere, quod versatur circa materiam exigui momenti? *ibid.* cas. 2.

Est ne obligatio implendi votum factum circa rem inutilem & indifferentem? *ibid.* cas. 12.

Est ne obligatio implendi votum factum circa rem illicitam aut minus bonam? *ib.* cas. 11.

Si quis nuncupavit votum de nunquam suscipiendis quibusdam Dignitatibus, tenetur ne ad illud implendum, licet Superior legitimus eam suscipere jusserit dignitatem? *ib.* cas. 10. & tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 5.

In dubio, num promissio aliqua Deo facta, sit votum, an vero simplex propositum, est ne obligatio ad illam implendam? tom. 3. v. *Votum*, cas. 23.

Vota metu gravi nuncupata, sive causa sit intrinseca & naturalis, sive extrinseca, sunt ne valida? *ib.* cas. 24. & t. 3. v. *Professio Religiosa*, cas. 26. & t. 3. v. *Perjurium*, cas. 12.

Metus gravis est ne ratio sufficiens ad dispensandum de votis nuncupatis? *ibid.*

Est ne liberum votum aliquod Deo nuncupatum commutare in aliud magis meritorium coram Deo? tom 3. v. *Pœnitentia conjuncta*, cas 6.

Dispensatio Papalis, quæ intercedit occasione votorum, debet ne quasdam continere conditiones ad sedandam conscientiam ac tutam reddendam? tom. 3. v. *Professio Religiosa*, cas 15. 17. 18. & 19.

Est ne obligatio implendi vota nuncupata in morbo, metu mortis? tom. 3. v. *Votum*, cas. 27.

Episcopi possunt ne dispensare de votis conditionalibus? *ib.*

Est ne obligatio servandi vota facta in Congregatione, secundum statuta, quæ sibi præscripsit? *ibid.* cas. 28.

Vota nuncupata errore ac fraude, sunt ne irrita ac nulla? tom 1. v. *Divortium*, cas. 5.

Vota facta ab ira occupatis sunt ne valida? tom. 3. v. *Votum*, cas. 9.

Cui possibile est, votum implere in integrum, potest ne quasdam ad illud pertinentes circumstantias omittere? *ibid.* cas. 13.

Qui votum fecit jejunandi certo quodam die in mense, nulla facta attentione, quod Festa solemnia in eum præcise diem possint cadere, tenetur ne suum votum adimplere? *ibid.* cas. 6.

Cum non licuit implere votum tempore definito, obligat ne pro alio tempore? tom. 2. v. *Juramentum*, cas. 11.

Consensus saltem tacitus est ne necessarius ad validitatem votorum? tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 7.

An omnis generis vota irritum reddant ne nullum matrimonium? tom. 2. v. *Impedimentum Voti*, cas. 9. & 2.

Simplex votum Castitatis, Religionis, aut recipiendi Ordines, est ne impedimentum solummodo impediens? Peccat ne peccato lethali, contrahendo matrimonium non obstante isto impedimento? to. 2. v *Impedimenta Impedientia*, cas. 1.

Simplex Castitatis votum reddit ne irrita ac nulla sponsalia postea contracta & juramento confirmata? t. 3. v. *Sponsalia*, cas. 22.

Ejusmodi votum dissolvit ne sponsalia? *ibid.* cas. 23.

Votum Castitatis aut Religionis simplex dispensat ne virum aliquem a ducenda puella, quam promisso matrimonio seduxit? tom. 2. v. *Fornicatio*, cas. 6.

An idem dicendum, si dictus vir sciebat, puellam tali voto esse ligatam? *ib.* cas. 7.

Qui postquam votum Virginitatis nuncupavit, seduci se passus est, tenetur ne ad servandam continentiam? tom. 3. v. *Votum*, cas. 8.

Uxor tenetur ne implere vota, quæ absque permissione sui mariti fecerat? *ib.* cas. 24

Maritus potest ne uxori interdicere vota quæcumque sint, nuncupare? *ibid.*

Mulier tenetur ne implere vota nuncupata ante initum suum matrimonium? Ista obligatio reviviscit ne, cum illa vidua fit? *ib.* cas. 25.

Pec-

Digitized by Google

Personæ conjugatæ possunt ne nuncupare & exequi vota sine consensu mutuo? ib. cas. 16.

Personæ conjugatæ tenentur ne implere Vota, quæ fecerunt sive inscia altera parte, sive animo præcipitanter? tom. 2. v. *Debitum Conjugale*, cas. 12.

Marita potest ne Votum nuncupare continentiæ absolutæ sine consensu suo uxoris? An saltem facere potest votum de nunquam exigendo debito conjugali? Sunt ne annullanda ejusmodi vota? tom. 3. v. *Votum*, cas. 17. & 18.

Votum, quod facit mulier, de nunquam exigendo debito conjugali, est ne licitum ac meritorium? ib. cas. 19.

Cum mulier consentit in Ordinationem sui mariti, sufficit ne, ut ipsa faciat votum Castitatis, an oportet ne, ut ingrediatur Religionem? ib. cas. 32

Votum Religionis solemne quamvis defectu ætatis, aut consensus partium invalidum, an saltem vim habet simplicis voti Castitatis? tom. 1. v. *Debitum Conjugale*, cas. 46. & tom. 2. v. *Matrimonium*, 2. cas. 1. & tom. 2. v. *Impedimentum Voti*, cas. 11. & tom. 2. v. *Impedimentum Ordinis*, cas. 4.

Cum Desponsati reciproce fecerint continentiæ votum, possunt ne post matrimonium exigere, aut reddere sibi invicem debitum conjugale? tom. 3. v. *Votum*, cas. 20.

Infantes tenentur ne implere vota suorum parentum aut cognatorum Personalia, licet ad illa exequenda se se non obligaverint? ib. cas. 21.

Hæredes tenentur ne exequi Vota personalia & realia defunctorum, quorum sunt hæredes? Quid est, quod vocatur Votum personale & reale? ib. cas. 22.

Est ne peccatum, differre implementum voti, quando illud implendi potestas est? ib. cas. 26.

Vota facta in Congregationibus, quæ non sunt approbatæ a Sede Apostolica, censentur ne esse Vota simplicia aut solemnia? In quonam differunt Vota simplicia & solemnia ab invicem? ib. cas. 1.

Est ne immunis a Voto facto de ingredienda Religione, qui ingressus est quamdam Congregationem, ubi vota nuncupantur nonnisi simplicia? ib. cas. 27

Est ne obligatio implendi Vota simplicia, quæ fiunt in aliqua Congregatione, in quam quis intrare se credebat, sed ad quam postea non admissus in sæculum revertitur? Est ne obligatio implendi illa vota post emissam Professionem solemnem in quacumque Religione? ibid. cas. 30

Qui generaliter Voto nuncupavit ingrediendi Religionem, est ne immunis a suo Voto, cum recusatus fuit in quodam Ordine, in quem se se obtulit? ib. cas. 29.

Qui votum nuncupavit ingrediendi certum quemdam Monasterium, aut certum quemdam Ordinem, est ne liber a suo voto, cum se obtulit alicui hujus Ordinis Monasterio & recusatus est? ibid. cas. 32

Vir, qui professionem emisit in Monasterio minus austero, quam illud in quod intrare Votum fecit, tenetur ne istud relinquere, & in illud se recipere, quod magis est austerum? ib. cas. 31.

Qui se in aliquem Ordinem non obligavit, nisi quia abusus quosdam in illum introductos respexit tamquam illius instituta regularia, teneret ne in illo strictius vivere, quam reliqui Religiosi, & conformiter ad regulam ibi observandam? ib. c. 30.

Conversi alicujus Congregationis, ubi non sunt stabiles, possunt ne propria auctoritate exire ex illa, & professionem facere in alia Congregatione magis stabili? ib. cas. 33.

Votum quod quis facit intrandi in Monasterium, cujus non sat cognoscit instituta monastica, est ne validum? Adversa existendo, quæ ante vel post matrimonium in ejusmodi Voti præjudicium contractum, sufficit ne ad dispensandum de illo? Peccatur ne quoties exigitur aut redditur debitum, non obstante tali Voto? Confessarii possunt ne commutare ejusmodi Vota? ibid. cas. 27. & 34.

Votum solemne Religionis, quod Puella facit in Monasterio, in quo non servatur Clausura, & ad quod consequenter se se obligare voluit, obligat ne illam ad se se subjiciendam mandato Superioris, qui Clausuram vult introducere? ib. cas. 25.

Religiosi possunt ne facere aut implere quædam vota sine permissione suorum Superiorum? ib. cas. 14. & 38.

Regulares, qui facti sunt Episcopi, sunt ne dispensati a suis Votis? aut possunt ne committere vel delegare, qui eos dispenset? tom. 2. v. *Episcopus*, cas. 6.

Episcopatus irritat ne votum, quod quis facit ingrediendi Religionem? ib. cas. 9.

Professio Religiosa dispensat ne de votis simplicibus, quæ quis fecit? tom. 2. v. *Votum*, cas. 37.

Est ne semper obligatio implendi Religionis Votum, quamvis impleri non possit illæso proximi honore? tom. 3. v. *Sponsalia*, cas. 42.

Si quis Votum facit de amplectenda vita Religiosa, & nominatur ad Episcopatum ante completum istud Votum, an immunis ab eo fit promotione illa? tom. 3. v. *Votum*, cas. 7.

Confessarius potest ne absolvere moribundum ab omnis generis Votis? tom. 2. v. *Dispensatio in genere*, cas. 11.

Quænam formulæ observandæ sunt, obtento Rescripto Papali, quod continet facultatem dispensandi de Voto Virginitatis? tom. 2. v. *Dispensatio Voti*, cas. 9.

Superiores habent ne jus dispensandi de Votis? tom. 2. v. *Dispensatio*, cas. 3.

Dispensatio obtenta cessat ne valida esse simplici renuntiatione impetrantis? tom. 2. v. *Dispensatio Matrimonii*, cas. 42.

Sunt ne quædam Vota Papæ reservata, & quænam sunt? Episcopi possunt ne aliquando dispensare de ejusmodi votis? tom. 2. v. *Dispensatio Votorum in Genere*, cas. 1.

Potest ne quis Vota sua, auctoritate propria, in alia commutare meliora? ib. cas. 2.

Dispensatio concessa a Papa sub conditione, *modo non ratificaveris*, est ne irrita, ex quo quis rata habet vota, quæ nulla erant, & quorum ignorabat nullitatem? ib. cas. 4.

Episcopi possunt ne dispensare in quibusdam casibus de Votis simplicibus perpetuæ Castitatis? ib. cas. 5. & 6.

Possunt ne quoque dispensare de Votis Castitatis factis ad tempus, aut sub conditione? ib. cas. 12. & 13.

Possunt ne dispensare Religiosum de obligatione observandarum sui Ordinis institutionum? tom. 2. v. *Dispensatio Votorum Religiosorum*, cas. 2.

Vicarii generales possunt ne in omnibus casibus dispensabilibus ab Episcopis valide dispensare vi commissionis generalis, quam ea de re acceperint? tom 2. v. *Dispensatio Votorum in genere*, cas. 1.

Confessarius qualiscumque sit, potest ne mutare pœnitentiam injunctam pro dispensatione aut commutatione Voti? tom 3. v. *Pœnitentia injuncta*, cas. 6.

Est ne aliquod tempus præscriptum, intra quod reclamandum sit Voti? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 17.

Possunt ne dirigi Vota ad S. Virginem Matrem, & ad alios Sanctos, æque ac ad Deum? tom. 3. v. *Votum*, cas. 1.

Vota Religiosorum. *Vide* Dispensatio votorum Religiosis?

U S U R A.

Vide hujus vocis Proœmium.

Quid est usura? Usura est ne peccatum mortale? An non prohibita est, nisi respectu pauperum? tom. 3. v. *Usura*, cas. 1.

Deus permisit ne Judæis usuram? ibid.

Usura an in nomine damnanda est, quam in Ecclesiasticis? ibid.

Sunt ne quædam pœnæ adversus Usurarios decretæ? ibid.

Periculum quod subeunt mutuo dantes, & consuetudo generalis non ne eximunt a peccato usuram? ibid.

Est ne obligatio restituendi, quod usura acquisitum est? ib.

Quid significat vox Usuræ? An solum periculum in quo sors mutuo data versatur sufficiat censetur, ut quis possit lucrum ne sua pecunia capere? tom. 3. v. *Societas*, cas. 6.

Sunt ne quædam pœnæ tam canonicæ, quam civiles adversus eos, qui usuris favent? tom. 2. v. *Notarius*, cas. 1.

Est ne obligatio solvendi lucra usuraria, quando Juramento quis ad hoc se obligavit? tom. 2. v. *Perjurium*, cas. 12. & t. 3. v. *Promissio*, cas. 7. & to. 3. v. *Sponsalia*, cas. 8.

Licet ne dotem Mulieris ad usuram quærendam adhibere, metu ne Maritus illam dissipet? tom. 2. v. *Mutuum*, cas 3.

Principes possunt ne privare Judæos bonis, quæ usura sibi paraverunt? In quemnam usum convertere debent ista bona? tom. 2. v. *Judæus*, cas. 2.

Commercium numerariorum tessararum est ne usurarium? tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 1.

Potest ne aliquis, quin sine usuræ peccati reus, accipere lucra ultra sortem vi transactionis? tom. 2. v. *Lucrum ultra sortem*, cas. 1.

Est ne usura, dare aliquod munus, sub conditione solvendi quamdam summam tamquam Pensionem usufructuariam, & stipulandi, quod defectu solutionis donatio irrita sit futura ac nulla? tom. 3. v. *Usura*, cas. 22.

Contractus alicujus censetur ne usurarius, si quis in fraudem legis suæ Provinciæ, in aliam se confert ad contrahendam, ut hoc modo major sit ipsius prærogativa? ib. cas. *Gualbertus*.

Potest ne aliquis sine usuræ peccato redditus alicujus terræ ad certum tempus emere tertia parte minoris, quam valent? ib. cas. 21.

Contractus venditionis facti cum facultate redimendi, sunt ne usurarii, licet per consuetudinem approbentur? ib. cas. 4. & tom. 3. v. *Venditio*, cas. 42.

Contractus Venditionis simulatæ factus consilio sibi procurandi majus ultra sortem lucrum, quam vulgo permittunt Edicta, est ne usurarius, sive partes contrahentes bona egerint fide, sive mala? tom. 3. v. *Usura*, cas. 2.

Potest ne aliquis citra usuram aliquam postulare remissionem, vi solutionis in antecessum factæ? Sunt ne quidam casus, in quibus id fieri possit? ib. cas. 7.

Anticipatio solutionis & dilatio atque mora illius sunt ne tituli sufficientes, ut quis possit emere minoris & vendere pluris? ibid. cas. 8.

Lucrum cessans sive actuale sive possibile est ne titulus legitimus, ut quis possit aliquid accipere ultra sortem? Quænam necessario requiruntur conditiones, ad legitimum reddendum titulum lucri cessantis? ib. cas. 27. & tom. 3. v. *Venditio*, cas. 38. & tom. 2. v. *Emptio*, cas. 4. & tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 3.

An sine usura vendere quis potest Merces sub conditione, ut ii, cui venduntur, alio tempore reddant Merces chariores & in eadem quantitate? tom. 3. v. *Usura*, cas. 19.

Potest ne aliquis merces, quas præsenti pecunia emit, sed quæ nondum traditæ fuerunt, vendere pluris, quam ipsemet emit? ibid cas 22.

Potest ne sine usura aliquo res præsenti pecunia minori pretio vendi illi, a quo empta fuit per chirographa solvenda per terminos, quod vocatur contractus *Mohatra*? ib. cas. 44.

Potest ne sine usura aliquod lucrum capi ex re, quæ pignori data est in cautionem alicujus debiti? ib. cas. 23.

Potest ne aliquis sine usura uti supellectilis pignori data in fidem debiti alicujus? Est ne obligatio detrahendi de sortis pretium, quod valet servitium ne illa re perceptum? ib. cas. 4.

Dominus feudalis potest ne sine usura uti redditibus boni alicujus beneficiarii, quod ipsi obligatum est ad cautionem debiti? ib. cas. 24.

Potest ne aliquis sine usura mutuo dare certam frumenti quantitatem, sub conditione, ut eadem reddatur quantitas tempore, quo ordinario majoris est pretii frumentum, aut illius

illius temporis pretium jam tunc, cum sit commodatio, solvatur? *ib.* cas. 9.

Est ne usurarium, illum, qui mutuo petit quamdam summam, obligare, ut loco istius summæ reddat tot mensuras frumenti æstimati pro ratione pretii ejus actualis in tempore, quo charius est frumentum, ita ut per consequens frumentum istud illi, qui mutuo dat, plus referat, quam summam mutuo datam, sub prætextu, quod pecuniam mutuo datam adhibuisset ad emendum frumentum, quod venderet tempore illo, quo frumentum est majoris pretii? *ib.* cas. 28.

Potest ne sine usura lucrum quis capere ex pecunia, quam se obligat non ante certum aliquod tempus repetere? *ib.* cas. 2.

Potest ne aliquis sine usura mutuo dare pecuniam ad tempus aliquod spe lucrum inde capiendi? *ib.* cas. 3.

Est ne obligatio restituendi aut de sorte detrahendi lucra ultra sortem percepta? *ib.*

Est ne usuræ reus, qui eos, quibus mutuo dat, obligat ad quasdam servitutes pretio pecuniæ æstimabiles? *ibid.* cas. 9.

Potest ne aliquis citra usuram Advocato pecuniam mutuo dare, sub conditione, quod causam pro eo acturus sit? Esset ne istud usurarium, licet se obligarent ad solvendum nihilominus ejus Honorarium? *ibid.* cas. 10.

Potest ne aliquis, quin reus fiat usuræ mentalis, sperare aut accipere quædam dona ab eo, cui mutuum aliquid dederat? *ib.* cas. 1.

Conditio qua Commodatarius se obligat ad faciendum alia vice illi, qui mutuum sibi dedit, idem gratum, est ne usuraria? *ib.* cas. 12.

Est ne quis usuræ mentalis reus, qui commodando suam pecuniam alicui, intentionem secretam habet recipiendi ab illo alia vice in casu necessitatis idem officium? *ib.* cas. 13.

Est ne usuræ reus, qui commodando alicui pecuniam, intentionem habet conciliandi sibi amicitiam, & gratam experiendi animum illius, cui mutuo datur pecunia? *ib* cas. 14.

An sine usura mutuo dari potest pecuniæ summa sub conditione, quod is, cui datur pecunia, illam responsurus sit in quibusdam speciebus, quarum probabiliter valor augebitur? *ibid.* cas. 15.

Potest ne quis sine usura exigere, aut accipere reparationem æqualem damno, quod rediit ex commodatione facta? *ib.* c. 26.

Is, qui commodando aliquam summam alicui Tertio, damnum inde patitur notabile post aliquod tempus, potest ne illum, cui pure & simpliciter commodaverit, obligare, ad damnum præstandum? Si hoc tempore commodationis de hoc convenit, an ad id obligatur? *ibid.* cas. 27.

Si quis certam quamdam summam conservat ad matrimonio collocandos suos infantes, aut ad sustentandam domum, potest ne citra usuram stipulari aliquod lucrum ex mutuo data pecunia, quæ partem constituit summæ commercio destitutæ? *ib.* cas. 29.

Conventio de pœna quadam subeunda Commodatario, si in mora est respectu solutionis, est ne usuraria? Sunt ne quædam conditiones necessariæ, ut fiat licita? Quænam est quoad hoc suprema um Curiarum Jurisprudentia? *ib.* cas. 34.

Potest ne q[illegible] citra usuram accipere quamdam pecuniam pro comm[illegible]dis alicui quibusdam vasibus argenteis, quibus indiget, ut in Convivio, quod præbere vult, illustrior ac locupletior appareat? *ib.* cas. 35.

Est ne usura, si quis ad evitandam jacturam, quam ex moneta interdicta & proclamata caperet, illam mutuo det sub conditione reddendi ejusdem speciei nummos, & ea ratione qua valent ante diminutionem ipsorum? t. 2. v. *Mutuum* c. 4.

Mutuum datum a Nummulario sub conditione recipiendi post aliquod tempus mutuo datam summam in eadem specie, & ratione, qua tunc valebunt, est ne quid usuram redolens? tom. 2. v. *Nummularius*.

Est ne usurarium, pecuniam commodare super foro argentario, cum conditione tanti vel tanti lucri inde capiendi? *ib* c. 3.

Lucrum, quod capitur ex schedis, quæ in foro argentario aut alibi sumuntur, est ne usurarium? t. 3. v. *Restitutio*, cas. 122.

Est ne usura pecuniam mutuo dare sub conditione duplum reddendi, si is, qui commodavit etiamnum vivit certo quodam definito tempore, aut nihil reddendi, si eo tempore morte jam obierit? tom. 3. v. *Usura*, cas. 22.

Socius potest ne [illegible]ne usura cautionem exigere suttis societati suppeditatæ, & [illegible] alii lucrum capere juxta æstimationem Regis? tom. 3 v. *Societas*, cas. [illegible] & tom. [illegible] v. *Usura*, cas. [illegible]9.

Mercator, qui aliquam summam collocat in societate super Naves, potest ne sine usura curare, ut præter sortem suam capitalem sibi caveatur modicum aliquod, sed certum lucrum, navi incolumi portum intrante, consentiens, in totam jacturam ferendam, si navis pereat? tom. 3. v. *Usura*, cas. 32. & tom. [illegible]. v. *Nummularius*, cas. 4.

Commercium maritimum, quod exercetur in curiis fiduciariis, est ne usurarium? tom. 3. v. *Usura*, cas. 31.

An sine usura aliquis curare potest, uti sibi caveatur minus lucrum certum pro majori lucro incerto? *ibid.* cas. 33.

Est ne obligatio restituendi, quod usura comparatum est, antequam solvantur debita contracta? tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 108.

Notarius semper ne tenetur ad restitutionem, quando operam suam commodat contractus usurarios faciendo? *ib.* cas. 168. v. tom. 3. v. *Restitutio*, cas. 15. usque ad 22. deinde 26. 27. 28. 79 94 [illegible] 113 114. & 115.

Operarii possunt ne laborare pro usurariis? tom. 3. v. *Usura*, c[illegible] 38.

An sine usura & peccato commodare quis potest suam pecuniam usurario, licet optime prævideat, quem in usum illam sit adhibiturus? *ibid.* cas. 37.

Usurarius tenetur ne ad restitutionem? Ejus uxor est ne obligationi eidem obnoxia? Quasnam cautelas adhibere debet ista mulier marito suo superstes, aut morte ipsum præcedens? Cuinam restituere debet? *ib.* cas 1. & 38.

Potest ne aliquis citra peccatum mutuo accipere pecuniam ab usurario sub conditione lucri ultra sortem solvendi? Quonam in casu fieri hoc potest? *ibid.* cas. 39. & 40. & tom. 2. v. *Nummularius*, cas. 4.

Potest ne aliquis citra peccatum pecuniam ab usurario mutuo accipere eum tantum in finem, ut commercium suum magis extendat? tom. 3. v. *Usura*, cas. 41. & t. 2. v. *Nummularius*, cas. 4.

Est ne deneganda absolutio usurario, qui interrogatus de usuris, de quibus accusatur, respondet, nihil esse, quod sibi objiciat hoc respectu? tom. 2. v *Usura*, cas. 42.

Est ne absolvendus usurarius antequam restituerit lucra usuraria percepta? Quænam suggerenda sunt ipsi media, si in lecto mortis decumbat? tom. 1. v. *Absolutio*, cas. 18.

Usurarius, qui præsente Confessario in nihilum redigit Chirographa usuraria promittens sine mora cæteris satisfacturum se esse, debet ne absolvi? Quænam media proponi ipsi possunt, si periculoso morbo decumbat, ut restituat reliqua, quæ usurario modo possidet? *ib.*

Est ne aliquis ex conscientia obligatus, usurariis solvere magna ultra sortem lucra, quæ ipsis promisit? tom. 3. v. *Promissio*, cas. 7.

Usurarii, aut in ipsorum defectum, ipsorum hæredes, tenentur ne singuli in solidum restituere lucra usuraria? to. 3. v. *Restitutio*, cas. 112.

Tenentur ne restituere non tantum immediata lucra usuraria, quæ perceperunt, sed insuper etiam lucra, quæ potuissent capere ex istis summis? *ib.*

U S U R A R I U S.

Hæredes usurariorum tenentur ne restituere in ipsorum defectum? Usurarii tenentur ne ipsimet hoc facere, quando non cognoscunt illum, quem injuria affecerunt, & cuinam in hoc casu restituere debent? t. 3. v. *Restitutio*, cas. 1[illegible]4. & 188.

U S U S.

Cum usus locorum aut Ecclesiarum differunt, quomodo agendum est? tom 2. v. *Officium Breviarii*, cas. [illegible]4. & to. 1. v. *Consecrare*, cas [illegible]

U S U S F R U C T U S.

Vide hujus vocis Proœmium.

Ususfructus quomodo differt a Pensionibus usufructuariis et legatis alimentariis? tom. 2. v. *Hæres*, cas. 42.

Usufructuarius tenetur ne semper de casibus fortuitis rei, cujus est usufructuarius? tom. 3. v. *Usufructuarius*, cas. 2.

Usufructuarius, et in ejus defectum, ipsius hæredes, tenentur ne in eodem statu conservare fundos, quorum usumfructum habent, et minoris momenti reparationes curare? *ibid* cas. 2.

Usufructuarius habet ne jus deteriorandi aut mutandi statum rerum, quas possidet titulo usufructuario? *ib.* cas. 3.

Potest ne auferre melioramenta, quæ fecit in aliquo fundo? tom 2 v. *Emphyteusis*, cas. 1.

Usufructuarius consequitur ne arbores vento dejectas, sicuti arbores mortuas? tom. 3. v. *Ususfructus*, cas. 4.

Usufructuarius incipit ne usum capere a momento, quo testator mortuus est? *ibid.* cas. 5.

Fructus qui supersunt colligendi, et ii, qui separ[illegible] fundo manserunt in hæreditatem, pertineat ne ad [illegible] usufructuarii? Partitiones fiunt ne ex titulo usufru[illegible]? *ib.* cas. 6.

Superstes duorum aut plurium usufructuariorum capit ne quoque portiones ante defunctorum? *ib.* cas. 7.

Usufructuarius potest ne disponere de loco et reliquiis domus, cujus habeat usumfructum? Est ne quoad hoc aliqua differentia facienda inter bona urbana et fundos rusticanos? *ibid* cas. 8.

Usufructuarius potest ne absque injustitia proficere lapidicina reperta in fundo, cujus habet usumfructum? *ib.* cas. 9.

Cum reditus alicujus ususfructus non acquiruntur nisi de die in diem, pertinent ne ad hæredes usufructuarii pro ratione temporis, quo ejus durat? *ibid* cas. 10.

Usufructuarius tenetur ne satisfacere omnibus oneribus rerum, quibus gaudet titulo usufructuario? *ib.* cas. 11.

Hæres usufructuarii tenetur ne proprietario reddere fructus quos defunctus collegerat, antequam essent maturi? *ib.* cas. 12.

Usufructuarius potest ne exigere reparationem, magnæ ruinæ factæ ante mortem Testatoris? *ib.* cas. 13.

Hæredes aut Legatarii Testatoris possunt ne denegare usufructuario viam et transitum necessarium ad utendum usufructu suo? *ibid.* cas. 14.

Usufructuarius habet ne jus interrumpendi locationes factas a Proprietario? *ib.* cas. 15.

Cum natura et status rerum mutatus esse reperitur, an usufructuarius exigere ab hæredibus potest reparationes damni? *ib.* cas 16.

Ususfructus finitur ne morte tam naturali, quam civili usufructuarii? *ibid.* cas. 17.

V U L N E R A T I O.

Qui alium ex imprudentia vulneratus est, an ipse aut ipsius hæredes damnum præstare tenentur Vulnerato? tom 3. v. *Restitutio*, cas. 183. 184. et 186.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google